1697

RES/3929V

2501

NACIONAL DE LISBOA

E

O
re-
m-
e

E-
ZES
s

raphum.

RES
39 29V

DISPVTATIONES DE BEATITVDINE ANIMÆ, ET CORPORIS

Septem libris abſolutæ.

IN QVIBVS AGITVR DE BEATITVDINE nimæ in ordine ad obiectum beatificum; & de ijs, quæ beatitudinem Animæ aut antecedunt, aut comitantur, aut conſequuntur.

AVTHORE FRATRE ÆGIDIO de Præſentatione Luſitano Diocœſis Egitanienſis Ordinis Eremarum S. Auguſtini Doctore Theologo, & in celebri Conimbrenſi Academia in Sacra Theologia Veſperario Profeſſore emrito, ſiue iubilato, vt appellant.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVERendiſſimum D.D. FRATREM ALEXIVM DE MENEZES Achiepiſcopum Braccharenſem, Hiſpaniarum Primatẽ, Conſilij Regij Luſitani in regali Curia Præſidem, & eiuſdem Eremitici Ordinis lumen præclariſsimum.

TOMVS SECVNDVS.

CONIMBRICÆ.

Cum facultate Inquiſitorum, & Ordinarij.

Apud Didacum Gomez de Loureyro Academiæ Typographum.

Anno Dñi. 1615.

um Priuilegio Regis Catholici pro Luſitania. Taxado a

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

DISPVTATIONES
DE BEATITV-
DINE ANIMÆ,
ET CORPORIS

Septem libris absoluta.

IN QVIBVS AGITVR DE BEATITVDINE
Animæ in ordine ad obiectum beatificum; & de iis, quæ
beatitudinem Animæ aut antecedunt, aut co-
mitantur, aut consequuntur.

AVTHORE FRATRE ÆGIDIO
*de Præsentatione Lusitano Diœcesis Egitaniensis Ordinis Ere-
mitarum S. Augustini Doctore Theologo, & in celebri Conim-
bricensi Academia, in Sacra Theologia Vespertina Professore
emerito, siue iubilato, vt appellant.*

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVE-
rendissimum D.D. Fratrem Alexium de Meneses
Archiepiscopum Bracharensem, Hispaniarum Primatē,
Consilij Regij Lusitani in regali Curia Præsidem,
& eiusdem Eremitici Ordinis lumen
præclarissimum.

TOMVS SECVNDVS.

CONIMBRICÆ
Cum facultate Inquisitorum, & Ordinarij.

Apud Didacum Gomez de Loureyro Academiæ Typographum.
Anno Dñi 1615.
Cum Priuilegio Regis Catholici pro Lusitania, & Hispania.

LICENTIÆ.

POſt aureum de Beatitudine primum Tomum, iam ecce hunc ſecundum de eodem argumento nobis offert, daturus quamcitò tertium, magnus Eremita Luſitanus, Veſperarius Conimbricenſis Laureatus, inſignis Theologus, Frater Ægidius ab Appręſentatione, generoſus olim partus Academiæ Conimbricẽſis, inter parentes eius, nunc ſecundus nulli: generoſa namque in ortus ſemina ſæpè exurgunt ſuos; eſt hoc ornamentum Luſitaniæ, eſt Academiæ. Sum rimatus opus vniuerſum auiditate ſumma; diligentia maxima: ſic enim poſtulabat, & rei amplitudo, & veteris noſtri amoris ratio tam longo æuo firmata in ſacra eadem Paleſtra. In tanto opere deprendi nihil fidei aduerſum, nec mirum cum cadant omnia de fontibus Patrum, quæ moribus conueniunt aptè, oſtenduntque ſapientiam eximiam, atque miram vtriuſque Philoſophiæ cognitionem. Opus dignum quamprimum poſteris dari, nec nobis diutiùs denegari.

Gabriel da Coſta.

VIſtas as Informações podemſe imprimir eſtes dous Tomos de Beatitudine: & depois de impreſſos tornem a eſte Conſelho para ſe conferir com o original, & ſe dar licença para correr, & ſem ella não correrà. Em Lisboa 17. de Dezembro de 615.

O Biſpo de Nicomedia. Antonio Diaz Cardoſo. Bartholameu da Fonſequa.

Saluador de Miſquita. Fr. Manoel Coelho.

O Cabido, Sede vacante, da licença para ſe imprimirem os dous Tomos de Beatitudine conteudos na petição atras. Em Coimbra a 23. de Ianeiro de 1616.

O Deão Franciſco Pinto Pereira. Bento de Almeida.

DAM licença ao Supplicante o dito Frey Egidio, pera poder mandar imprimir o ſegundo & terceiro volume de Beatitudine, & depois de impreſſos logo os taxão a tres reis cada folha inteira de papel, & com iſſo o eſcuſa de mandalos cá; & mandará a eſta Meſa os tres volumes, a cada hum dos Deſembargadores, a xij. de Ianeiro de 616.

Preto. Franciſco Pinto. Machado.

FRater Guillelmus de ſancta Maria Vicarius Generalis, & Viſitator Apoſtolicus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini in Regnis Luſitaniæ, facultatem damus, vt ſecundus, & tertius Tomus de Beatitudine animæ, & corporis, à Reuerendo admodum Patre noſtro Magiſtro Fratre Ægidio de Præſentatione in Conimbricenſi Academia ſacræ Theologiæ Veſperario Profeſſore emerito compoſiti, & ſuo auctore digni, in communem vtilitatem excudantur. In quorum fidem literas haſce manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Olyſipone die 24, Septembris. 1615.

Frey Guilherme de Sancta Maria.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D. FR. ALEXIO DE MENEZES ARchiepiſcopo Braccharenſi, Hiſpaniarum Primati, ſupremi Luſitaniæ Senatus ſummo Præſidi, ex Auguſtinenſi Eremitarum familia aſſumpto.

ORIENTEM verſus (Pręſul ampliſsime) gentes olim libabant pateris, & Solis aſtro è terra ſurgenti, tanquam clemẽtiſsimo numini, & munificentiſsimo litabant. E contra Hebræorum populi verſus Occidentem ſupplices fundebant vota. Et quãquam apud antiquos naſcentis Eccleſię Primiarchas prior ille ad Orientem precandi ritus inualuerit; noſtro tamen æuo vterque ſine delectu habetur frequens, atque ſolennis. Voui ego olim ſæpiſsimè, & vota fudi ad Orientem, atque cũ Indorum gente Solem ſuũ clementiſsimum ab extrema hac Luſitania adoraui ſupplex; dûm inuidioſus Oriens te in noſtro oriri cœlo non ſinebat. Nunc vero Solem iam noſtrum noſtro in Occidente orare mihi licet, & adorare: neque communicato adhuc lumine, aut numine potius cum altero Caſtore, vt in priori tomo feci; ſed Solem iam ſolum, vnicũque. Quippe cum mundus duos non capiat (vt Alexander Macedo Dario dedit in reſponſis) cœlum iam ſibi cepit alterum, atque ad immortalitatem recepit; & te alterum nobis commoda-

modauit ad lucem ,& ſplendorem. De luce teſtes ſunt tot extremo in orbe diſsitæ nationes, cimmerijs errorum tenebris conſepultæ, quibus datum eſt per doctrinæ tuæ lucem verum illum videre Solem. Sin minus quid aliud fuere innumerabiles illæ tuæ pro religione propaganda curæ, ſtudiaq́ue, quàm radij quidam vbique terrarum diffuſi? adeo, vt nullus, vel remotus, in orbe ignoto angulus deliteſceret, quo lux ſe non immitteret tua, ac penitus penetraret. De ſplendore teſtatur nobilitas Luſitana, ſimulque (quod rarô contigit) plebs communis, dum te à ſummo Rege ſibi datum prædicat, & ad vtilitatem publicam, & ad gloriam: teſtatur tuus iſte Auguſtinenſis ordo, quem immortalibus indies beneficijs & adauges pariter, & exornas: teſtatur vniuerſa Luſitania, quæ ſpes omnes ſuas, aliunde deciſas, in te vno non figit tantum; verùm & ad incrementum nominis maximum defigit. Age ergo (Præſul ampliſsime) & regnum de te optime meritum, ea, qua apud Regem polles, gratia refoue, & amplifica; neque enim tibi in tuos velle, æquum eſt deeſſe; cum feliciter ſuperſit poſſe. Accipe item ſecundum iſtum de Beatitudine tomum, non titulo tantum & materia, ſed multis præterea titulis tibi debitum: primúm quod auſpicijs tuis cœptum, totumq́; penè tuum eſt opus; deinde quod meum. Quod tuum, inquam, quippe plus lucubrationes iſtæ debere fatentur authoritati tuæ, quam labori meo: minus enim mei, qui concepi, habent: quam tui, qui feciſti ſub tua iſta luce magna, videre lucem. Nam ſuis in tenebris (dum meæ ſunt) diutius latitarent, niſi eas veluti vocares ad ſuperos, & in publico hoc iudiciorũ theatro palam proponeres. Quod meũ; quia vt noſti optime, mea omnia, ſi quæ ſunt, tibi iampridem & dicata eſſe volui, & æternúm volam. Vale Præſul optime, & diu vale in Chriſtianæ religionis lucem, Regni ſplendorem, Auguſtinenſium gloriam, ac mei ſingulare præſidiũ, & dulce decus. Conimbricæ.

LECTORI CANDIDO.

ECCE ſecundum Tomum, Lector beneuole tibi damus tardiùs fortaſſe tàm expectatione tua, quàm promiſſo meo. Sed quid mortales poſſumus, niſi non poſſe, ea præſertim quæ volumus maximè. Et certè, quæ duæ cauſæ agendis rebus eſſe impedimento ſolent, hæ conuenerunt ambæ, quò datam à me fidem tãdiu protraxerim, occupatio, & morbus; illa frequens, & neceſſaria, hic pertinax & aſsiduus, præter longæuam ætatem, quæ ex ſe morbus alter. Cum longo decurſu excreuit, fateor, iſte fœtus non tàm ſub calamo, quàm ſub prælo; ac ne in monſtroſam aliquam abiret granditatem, cum tuo bono commodo oportuit paulùlum decurtari. Idque in cauſa fuit, cur poſteriores quæſtiones tres de comprehenſione appetitu, & intenſione Beatitudinis reiecerimus in tomum tertium, quem iam cum hoc ipſo geminos emittimus. Vale.

INDEX QVÆSTIONVM HVIVS LIBRI SEXTI.

¶ Præfatio huius ſecundi Tomi.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

QVÆSTIO I.

¶ De intellectu coniuncto naturaliter conſiderato.

Art. 1. An opinio affirmans intellectum noſtrum pro hac vita poſſe naturaliter Deũ videre ſit damnata?

Art. 2. An iſte error ex ſacris literis damnari poſsit?

Art. 3. Vtrùm ex Patrum teſtimonijs conuincatur?

Art. 4. An naturali ratione conuinci poſsit animam pro hac vita non poſſe quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas?

Art. 5. An naturaliter demonſtretur animã pro ſtatu vitæ non poſſe viribus naturæ videre Deum?

QVÆSTIO II.

¶ De intellectu creato ſeparato.

Articul. 1. An ſit contra fidem intellectum creatum naturaliter videre Deum?

Artic. 2. An id naturaliter demonſtrari poſſit?

Art. 3. Prima demonſtratio ſumpta ex defectu naturalis vnionis cum eſſentia diuina.

Art. 4 Secunda demonſtratio ſumpta ex defectu virtutis naturalis.

Art. 5. An id demonſtretur ex eo, quod cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum eſſendi naturæ cognoſcentis?

Art. 6. Aliæ demonſtrationes pro eadem veritate.

QVÆSTIO III.

¶ De cognitione abſtractiua diuinæ eſſentiæ per vires naturales.

Art. 1. Vtrùm intellectus coniunctus in via poſsit naturaliter cognoſcere Deum abſtractiuè, quidditatiuè?

Art. 2. An id poſsit intellectus ſeparatus?

Art. 3. An intellectus ſeparatus poſsit Deum cognoſcere quidditatiue, & abſtractiuè in aliquo obiecto naturaliter cognito?

Art. 4. An intellectus creatus poſsit Deum ita cognoſcere per aliquem effectum naturaliter cognitum?

Art. 5. An id poſsit per ſpeciem Deum quidditatiuè repræſentantem habitam viribus naturæ?

FINIS.

LIBER

LIBER SEXTVS.

DE INTELLECTV CREATO CONSIDERATO ſecundùm naturalem ſuã virtutem in ordine ad viſionem diuinæ eſſentiæ.

Præfatio huius ſecundi Tomi.

IN præfatione libri primi noſtrarum diſputationum de beatitudine animæ, & corporis totũ opus diuiſimus in tres tomos. In primo & ſecundo futura erat diſputatio de beatitudine animæ: ita, vt in primo (qui libris quinque abſolutus eſt) diſputaretur de beatitudine, tam obiectiua, quàm formali. Quoniam verò multiplex conſideratio formalis beatitudinis longiſsimam diſputationem poſtulabat (cuius capax non erat primus tomus) diſputationem diuiſimus in duos. Et vt ratio huius noſtri cõſilij magis appareat, aduertendum puto beatitudinem formalem (id eſt viſionem diuinæ eſſentiæ) multipliciter conſiderari poſſe: vno modo in ordine ad ſubiectũ: eſt enim quædam operatio vitalis ipſius beati. Secundo modo in ordine ad obiectum, ad quod terminatur, diuinam. ſ. eſſentiam, quæ clarè videtur cum illis, quæ tum formaliter, tum eminenter in ea continentur. Vtraque iſta cõſideratio eſt veluti intrinſeca ipſi viſioni. Tertio modo conſiderari poteſt, quoad ea, quæ viſionem ipſam antecedunt, veluti quædam principia completiua intellectiuæ virtutis: huius generis ſunt lumen gloriç, ſpecies diuinæ eſſentiæ, ſiue illa, vt ſubit rationem ſpeciei. Quarto modo poteſt conſiderari, quoad ea, quæ beatificam viſionem aut conſequuntur, aut concomitantur: etenim variæ ſunt perfectiones, quæ non ſolum ſtatum beatitudinis perficiunt; ſed etiam ipſam animam beati; eiuſque potentias, de quibus agit D. Thomas 1. 2. q. 4. Tandem conſiderari poteſt beatitudo formalis quoad adeptionem ipſius, de qua Diuus Thomas excitauit quçſtionem quintam eiuſdẽ libri.

Hæc ſunt, quæ ad Theologiam formalis beatitudinis ſpectant. Cum verò exacta illorum cognitio, cuique Theologo maximè ſit neceſſaria, non potuit noſtra iſta diſputatio non eſſe diminuta, ſi aliqua beatitudinis conſideratio in ea deſideraretur. Igitur in primò tomo, qua potuimus diligentia, diſputauimus de beatitudine formali ſecundùm duas priores illius conſiderationes, vt quia illi ſint intrinſecæ, & veluti eſſentiales, in libro 4. eam expendimus in ordine ad ſubiectũ: in quinto autem in ordine ad obiectum, eſſentiam. ſ. diuinam. Sed quia primus tomus iuſtum volumen monſtruoſè excederet, ſi cæteras beatitudinis cõſiderationes in eo perſequeremur; proinde ſecundum iſtum tomum conſtituimus, in quo de beatitudine ageremus iuxta tres vltimas illius cõſiderationes. ſ. quoad ea, quæ viſionem antecedunt, comitantur, aut conſequuntur, & denique quoad adeptionem beatitudinis ipſius.

Sed quoniam diſputatio eorum, quæ viſionem diuinæ eſſentiæ antecedunt,

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

varias complectitur materias, quas vno ſolo libro ſine confuſione explicare non poteramus, ideô mutato conſilio, hanc diſputationem quatuor libris abſoluere decreuimus. Quare libro ſexto agemus de intellectu creato conſiderato ſecundum ſuam naturalem virtutem intelligendi: Vtrûm. ſ. per illam ſupernaturaliter non eleuatam, poſsit clarè videre Deum. In ſeptimo libro agemus de eodem intellectu ſupernaturaliter eleuato; & inquiremus, an indigeat ſupernaturali aliquo concurſu, & eleuatione, vt Deum videat; & quinam ſint hi concurſus. In octauo libro diſputandum erit de neceſſitate ſpecierum ad viſionem diuinæ eſſentiæ. In nono agemus de neceſsitate luminis gloriæ. In decimo, dicemus, quomodò, & qua virtute, intellectus creatus influat in beatificam viſionem. Et his quatuor libris abſoluetur diſputatio de ijs, quæ viſionem beatificam antecedunt. Quare in libro vndecimo agemus de ijs, quæ viſionem comitantur, & conſequuntur tanquam beatitudinis accidentalis perfectiones. In libro duodecimo, & vltimo diſputabimus de ipſa beatitudinis adeptione. Et ita abſoluta manebit vniuerſa tractatio de Beatudine Animæ, vt in tertio tomo dicamus de beatitudine corporis.

PRÆFATIO in librum ſextum.

DISPVTATVRI de ijs, quæ viſionem beatam antecedunt; primo loco agem⁹ de intellectu creato, vt in ſuis naturalibus conſideratur in ordine ad viſionem claram, & intuitiuam diuinæ eſſentiæ. Deinde expendemus eandem virtutem in ordine ad cognitionem quidditatiuam eſſentiæ, abſtractiuã tamen.

Quod attinet ad primum; primùm diſputabimus quæſtionem in ordine ad intellectum coniunctum, vt eſt in via. Secundò dicemus de intellectu ſeparato Angeli. ſ. & animæ ſeparatæ. Tres igitur in hoc ſexto libro excitabuntur quæſtiones: duæ in ordine ad viſionem intuetiuam: tertia in ordine ad abſtractiuam, quidditatiuamque.

QVÆSTIO PRIMA.

De intellectu coniuncto naturaliter conſiderato in ordine ad viſionem beatificam.

PRO explicatione tituli huius quæſtionis, vt omnis tollatur æquiuocatio, primum explicandũ eſt, quomodò intellectus creatus conſideretur naturaliter? Varia enim huius rei explicatio aliquam parit confuſionem. Quidam volunt intellectum conſiderari naturaliter, quando conſideratur ſecundum vim intelligendi à natura illi tributam ad intelligendum. Sed iſte dicendi modus, niſi melius explicetur, non tollit confuſionem: quoniam intellectus creatus perfuſus lumine gloriæ, & vnitus eſſentiæ diuinæ naturaliter eam videt, id eſt per virtutem intelligendi, quã habet natiuam, vt dicemus libro decimo, & tamen nullus ſimpliciter dixerit, illũ intellectum conſiderari naturaliter; cum ſupponatur ſupernaturaliter eleuatus. Accedit, quia iſte dicendi modus fauet opinioni Durandi, quam quæſt. 2. huius lib. impugnabimus.

Secundus dicendi modus fortè aliquibus placebit, vt intellectus tunc naturaliter conſideretur, cum conſideratur ſecundùm ordinem naturalem, quem relictus ſuæ naturæ, ſecluſo omni ordine gratię, in intelligendo ſeruat. In quo ſenſu intellectus in corpore mortali nihil poteſt intelligere, niſi dependenter à ſenſibilibus: intellectus etiam Angeli nihil intelliget de Deo, niſi ex effectis creatis. Qui dicẽdi modus rem explicat ſatis ſufficienter.

Sed meliùs philoſophabitur, qui dixerit intellectum creatum in intelligendo, tunc naturaliter conſiderari, cum conſideratur ſecundùm virtutem à natura cõceſſam, vt ſe ſe reponat in actu primo ad percipiendum obiectum. Hæc naturalis virtus in nobis eſt lumen intellectus agẽtis: per hoc enim intellectus poſsibilis reponitur in actu primo ad intelligendum,

dum, cum ab eo recipit ſpecies, & obiectiuè illuminatur: in Angelis verò naturalis intelligendi virtus præter virtutem actiuam ad eliciendam intellectionem, erit actuatio ſpecierum, quas Deus, vt Author naturæ illis infūdit cum quodam naturali lumine, quo obiecta ſpecierum illuminantur, vt diximus in materia de Angelis. Quare illa viſio erit ſuprà naturam intellectus noſtri pro ſtatu viæ, quam intellectus elicere non poteſt virtute intellectus agentis, qualis eſt viſio rei ſpiritualis. Suprà naturam autem Angelicam illa erit, quam illius intellectus elicere non poteſt per ſpecies ſibi naturaliter infuſas.

Itaque intellectus creatus quoad intelligere tunc conſideratur naturaliter, cum virtus intellectiua conſideratur, vt naturaliter cōſtituta in actu primo abſq; omni dependentia ab aliquo dono gratuito, ſiue in tali actu conſtituatur à ſe ipſa, ſiue à cauſa eum naturaliter perficiente. Quare, ſi virtus intelligendi conſideretur cum aliquo dono gratuito, iam non conſideratur naturaliter; quanuis ad talem cognitionem concurrat virtute cō ceſſa ſibi à natura: quia, vt ſimpliciter dicatur naturaliter intelligere, opus eſt, vt intelligat modo intelligendi ſibi connaturali, de quo plura q. 4.

Hoc ſuppoſito in hac quęſtione, quinque excitabimus articulos; primus erit, Vtrum opinio affirmans noſtrum intellectum in hac vita poſſe naturaliter Deū videre, ſit damnata ab Eccleſia?
Secundus; Vtrum præcedens error ex ſacris literis conuicatur?
Tertius; An expugnetur Patrum teſtimonijs?
Quartus; An naturali ratione conuinci poſsit, animam in hac vita non poſſe ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè cognoſcere ſua naturali virtute?
Poſtremus; An naturaliter poſsit demōſtrari, animam pro ſtatu viæ non poſſe viribus ſuæ naturæ Deum videre?

ARTICVLVS I.

An opinio affirmans noſtrum intellectum pro hac vita poſſe naturaliter Deum videre, ſit damnata ab Eccleſia?

§. 1.

Refertur quorundam error.

AD primum præmittendum eſt Abulenſem in cap. 5. Matthæi quæſtion. 45. referre fuiſſe nonnullos qui aſſeruerunt quęcunque intellectum creatum pro quocunque ſtatu poſſe viribus ſuæ naturæ clarè, & diſtinctè videre Deum. Sed quinam hi fuerint, non refert. Communiter tamen hæc ſententia tribui ſolet hæreticis, qui dicuntur Begardi, & quibuſdam mulieribus, quæ Beguinæ appellantur: nec dubitandum eſt iſtos hæreticos hunc habuiſſe errorem, vt ex Concil. Viennenſi ſtatim oſtendemus. Ante eos eundem errorem quibuſdam placuiſſe refert Beda in 1. Corinth. 13. ad illa verba: *Videmus nunc per ſpeculum*, pag. 541. vbi affirmat quoſdam ſui temporis docuiſſe Deum nunc mente videri: agit autem de cognitione intuitiua. 1. Error affirmans. *Abulenſ.* *Beda.*

In eodem errore fuiſſe Eunomium affirmat *Bellomontanus 1. part. diſput. 41. cap. 1. in principio, & cum eo Salas ad 1. 2. quæſt. 3. tractatu 2. diſp. 3. ſection. 1. poſt principium.* Hoc confirmant teſtimonio Nazianzeni Oratione 42. (quæ eſt ſecunda poſt Paſcha) §. *Immenſus itaque eſt Deus*. Et Nicetæ atque Pſelli in annotationibus ad eadem verba, atque etiā Theodoreti lib. 4. de hæreticis fabulis in titulo de Eunomio, Theophyl. ad Epheſios. 3. in illis verbis: *in gentibus euangelizare*, Baſilij libro primo contra Eunomium poſt medium, & Epiſt. 188. Hieronymi ad illa verba Matthæi. 11. *Nemo nouit filium*. Denique Chryſoſtomi homilia quinta de incomprehenſibili Dei natura. Ego tamen exiſtimo iſtum errorem Eunomio tribui non poſſe: nec aliquid inuenio apud citatos Patres, vnde ſumi poſsit Eunomium dixiſſe intellectum creatum poſſe Deum clarè videre. Quod iudicium fuit etiam Suarij lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 8. num. 1. Inuenio apud Patres Eunomium ſe iactaſſe, quod Dei ſubſtantiam perfectè comprehenderit; & eo veniſſe dementiæ, vt affirmarit, ſe nihil ex rebus diuinis ignorare, ſed ipſam Dei ſubſtantiam exactè ſcire, eandéq; habere de Deo cognitionē, quam ipſe de ſe ipſo habet Deus: ita enim de illo teſtatur Theodoretus. 2. An idē ſenſerit Eunomius. *Bellomont. Salas. Nazianz. Nicetas. Theodoret. Theophyl. Baſilius. Chryſoſt. Suarius.* Error Eunomij.

Imò adeò inſaniuit, vt dixerit tantam ſe notitiam Patris, & filij habere, quantam inter ſe illi habent: ita enim de illo refert Hieronymus. Denique in eam ſuperbiã eſt elatus, vt aſſeruerit ſe ſolum Dei ſubſtantiam adinueniſſe, ita enim de eo affirmat Baſilius. In has inſanias Eunomiũ incidiſſe inuenio apud citatos Patres: nũquam tamen apud eos inuenire potui aſſeruiſſe Eunomium poſſe intellectum creatum ſuis naturalibus Deum aut videre, aut comprehendere. Quin potius longè aliam fuiſſe illius mentem in explicanda ſua inſania ſatis mihi ſignificant Hieronymus, & Baſilius. Ex vtroque enim colligo hæreticum ita ſuam inſaniã explicaſſe, vt comprehenſionem diuinæ eſſentiæ non habuerit à ſe, ſed à Deo reuelante, quod etiam fuit iudicium Suarij vbi ſuprà: Hieronymus enim poſtquam Eunomij inſaniã retulit, ita ſcribit: *Quod ſi inde contendit, & ſuam inſaniam conſolatur, quoniam ſequitur, & cui voluerit filius reuelare: aliud eſt naturæ æqualitate noſſe, quod noueris; aliud reuelationis ſignatione.* Quæ verba non ſcriberet Hieronymus, ſi Eunomius aſſereret ſe proprijs viribus Deum comprehendere. Quare probabile eſt Eunomium ſimpliciter aſſeruiſſe, id, quod aſſeruit: & ideò Patres varios ſenſus attuliſſe, vt errorem expugnarẽt. Idem ſatis mihi explicat Baſilius libr. 1. contra eundem pag. 261. B. dum ab eo inquirit, *vnde nam habuerit illam cognitionem comprehenſiuam Dei? Ex communi ne conceptione; an ex doctrina Spiritus Sancti:* hoc autem non inquireret, ſi Eunomius ita ſuum errorem explicaret, vt per ſua naturalia illam cognitionem haberet. Cui accedit, quoniam impugnans Baſilius vtrunque membrum, latius vrget poſterius; oſtendens pluribus Scripturæ authoritatibus Deum nulli Sanctorum exactè & comprehenſiuè ſuam ſubſtantiam reuelaſſe: & inde ita concludit: *At Eunomio (vt videtur) non modo nomen, ſed etiam ipſam ſubſtantiam Deus oſtendit:* quaſi irrideat hæreticum, quod ad reuelationem confugiat. Tertiò id etiam oſtenditur ex eo, quod Eunomius (teſte Baſilio) aſſerebat inter omnes ſe ſolũ eximiam illam Dei comprehẽſionem habere. Iam verò quæ naturalia ſunt, omnibus ſunt communia.

Hieron. *Hier.* *Baſil.* *Baſilius.*

3. An ille error fuerit Anomæorum.

Ex quibus induci non poſſum, vt errorem iſtum Eunomio tribuam, cum vno excepto Bellomontano, nullus ſit, qui illi hunc errorem imponat. ¶ Vtrum Anomæi huius erroris fuerint? mihi non eſt certum: affirmant Bellomontanus, & Salas: mirandum tamen eſt quod Bellomontanus in eodem capite ſui fuerit oblitus: initio enim illius diſputationis 41. fatetur Eunomium fuiſſe quidem appellatum Anomæum; non quod docuerit Deum ab intellectu creato naturali virtute videri poſſe, ſed quod aſſeruerit filiũ eſſe Patri inæqualem. Quibus verbis fatetur errorem illum non fuiſſe Anomęorum: alioquin Eunomius ex vtroque capite vere dici poterat Anomæus. Sed tamen quod Anomæi fuerint in eodem errore, ſatis videtur ſignificare Chryſoſt. in homilijs de incomprehenſibili natura Dei contra eoſdem, vt inferiùs artic. 3. annotabimus.

Bellomon. *Chryſoſt.*

4. Primum fũdamentum præcitati erroris.

Sed, quidquid ſit de Anomæis, & Eunomio, præcitatus error confirmari poteſt eodem fundamento, quo Eunomius confirmabat Deum ab intellectu noſtro comprehendi poſſe: etenim intellectus creatus ita ſe habet circa ſimplicia, vt ea vel exactè intelligat, vel omnino ignoret: quæ fuit ſententia Platonicorum, vt fatetur Pſellus in annotation. ad Naziãzen. loco citato, & videtur eſſe Ariſtotelis 9. Metaph. cap. 12. Sed Deus eſt omnino ſimplex, vt patet. Ergo ab intellectu noſtro ſecundum ſua naturalia, non penitus ignoratur, quia plura de Deo naturaliter cognoſcuntur: ergo clarè, & diſtinctè cognoſcitur.

Pſellus. *Ariſt.*

Secundò; ſi intellectus noſter non poſſet per ſuas naturales vires Deum clare videre; non poſſet eleuari ad illius viſionem, quod eſt hæreticum. Sequela probatur, quia nulla potentia poteſt eleuari vltra ſpheram ſui obiecti. — Secundum fundamentum.

Tertiò; ſicut viſus videre poteſt omne viſibile, niſi impediatur; ita intellectus noſter poteſt intelligere omne intelligibile, ſi nullum adſit impedimẽtum. Nullum autem dari poteſt, quominus intellectus noſter in via póſsit Deum intuitiuè videre: ergo, & cætera. — 3. fundam.

§. 2.

Præcedens ſententia damnata eſt.

Senten-

5\. *Iſte error ab omnibus reijcitur.*

SEntentiam tamen præcedentem, tanquam omnino impoſsibilem vno conſenſu reijciunt Theologi tam antiquiores, quàm recentiores, etiam antequam in Eccleſia ſurrexerit error Beguardorum, & Beguinarum. Eam vt verè impoſsibilem *reijcit Diuus Thomas 1. p. quæſt. 12. artic. 4. & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. articul. 6. & de Veritate quæſt. 8. artic. 3. & 3. contra Gentes cap. 52. & Alexander de Ales. 1. part. quæſt. 2. membr. 2. artic. 1. & membr. 3. articul. 1. communiter Doctores in 4. diſt. 49. vbi Richardus articul. 2. quæſt. 6. Scotus quæſt. 11. §. Quantum ergo ad duas quæſtiones, & in 3. quæſtione 2. litera D. §. Tertio dico, & quodlibet. 14. articul. 2. Henric. quodlibet. 4. quæſtione. 9. latè perſequitur Abulenſis in capite quinto Matthæi quæſt. 45. Capreolus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Ex Recentioribus Caſtro aduerſus hæreſes, verbo Beatitudo hæreſ. 5. Bannes, Cumelius cum cæteris interpretibus 1. part. quæſt. 12. artic. 4. & ibi Molina, Bellomontan. eodem loco diſputatione 41. cap. 1. Valentia 1. tomo diſput. 1. quæſt. 12. puncto 3. & tomo 2. diſput. 1. quæſt. 5. puncto quinto, Suarius in Metaphyſic. diſp. 30. ſection. 11. num. 4. & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 8. Nouiſsimè Salas ad 1. 2. quæſt. 3. tractatu 2. diſput. 3. ſectione 1. numer. 1. 2. & 4.* vt innumeros alios omittamus. Qui omnes latè probant eſſe omnino impoſsibile intellectum creatum per ſua naturalia videre Deum. A fortiori ergo non poterit Deum naturaliter videre in hac vita mortali; nec Durandus ab hac ſententia deuiauit, vt in 4. quæſt. latiùs oſtendemus.

S.Thom. Alex. Al. Abulenſ. Richard. Henricus. Abulenſ. Scotus. Caſtro. Capreol. Banhes. Cumelius. Molina. Valentia. Bellomōt. Suarius. Salas.

6\. *Damnatus eſt per Eccleſ. in Conc. Vienenſ.*

Nec ſolum præcedens ſententia reijcienda eſt, vt impoſsibilis; ſed etiam vt erronea, & per Eccleſiam damnata. Fuit enim in terminis condemnata in Concil. Vienenſi ſub Clemente V. poſito in Clementina ad noſtrum de hæreticis; vbi inter errores Begardorum, & Beguinarum quarto loco iſte ſcribitur: *Quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata.* In quinto aut ita ſcribitur: *Quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata: quodq́; anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Ex quibus vltimis verbis patet id, quod de beatitudine dicitur, dicendum eſſe de viſione. Quare ſi à Concil. damnatur poſſe hominē in hac vita mortali aſſequi beatitudinem; damnatum etiā manet *poſſe eundem in hac vita mortali aſſequi claram & intuitiuam Dei viſionem*: etenim beatitudo, vel eſſentialiter conſiſtit in viſione, vel ſine ea dari non poteſt.

7\. *An iſte error fuerit etiam Begardorum, & Beguinarū.*

Sed fortaſsis aliquis dubitabit: an iſte error fuerit Begardorum, & Beguinarū? Ratio dubitandi eſt; quoniam in quarto errore ſolum aſſeritur, quod homo poſsit in præſenti aſſequi finalem beatitudinem tam exactè, atque habetur in vita beata: non tamen exprimitur, an poſsit homo eam conſequi per ſua naturalia. In quinto etiam errore ſolùm aſſeueratur quamlibet naturam intellectualem in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam: non tamen explicatur, quomodo naturaliter ſit beata. Vnde verba illa non eodem modo ab omnibus intelliguntur. Nam Caſtro verbo, Beatitudo, hæreſi. 5. ita intelligit illa verba, vt natura intellectualis in ſe ipſa, ideſt, in ſua ſubſtantia naturaliter ſit beata ante omnem operationem intellectus: ex quo non ſatis euidenter colligitur naturam intellectualem poſſe naturaliter habere claram viſionem diuinæ eſſentiæ.

8\. *Affirmant Begardi, & Beguinæ.*

Sed his non obſtantibus aſſerendū eſt Begardos & Beguinas in vtroq; illo errore aſſirmare poſſe hominem naturamq; intellectualem habere claram viſionē Dei naturaliter, id eſt, per ſua naturalia naturalemq; operationem. Quod fiet euidentius, ſi ſingulas illorū hæreticorum aſſertiones diligentius expendamus. ¶ Quod attinet ad priorem; quod ille explicādus ſit de aſſecutione beatitudinis, & viſionis, quam homo per ſua naturalia habere poteſt, inde patet; quoniam ſi aſſertio intelligeretur per potentiam Dei abſolutam, donumq; ſupernaturale homini conceſſum; vtiq; non damnaretur à Concil. Nā ſi probabiliſsimum eſt Deum claram ſui viſionem in hac vita conceſiſſe Paulo, & Moyſi, licet ſolùm in tranſitu; quid implicat poſſe Deum permanenter facere, quod in tranſitu fecit?

9\. Sed dices aſſertionem ab illis hæreticis fuiſſe aſſertam ſolùm in ordine ad potentiam ordinariam; & in hoc ſenſu aſſertionem verè eſſe hęreticam: quia ſi attendamus ad legem ſtatutam à Deo impoſſibilis

ſibilis eſt clara Dei viſio pro ſtatu vitæ. Et in hoc ſenſu longè illi erant ab errore, quem impugnamus. Huic obiectioni reſpondeo, ſi rem conſideratius expendamus, abſque dubio mentem illorum hæreticorum longè fuiſſe à ſenſu explicato in obiectione. Primò, quia illi hæretici, dum dicunt hominem in præſenti aſſequi poſſe omnem gradum beatitudinis, quem in vita beata obtinebit; vtiq; agunt de potentia ſe tenente ex parte hominis: vt facilè intelliges ex quinto errore, dum aſſerunt lumen gloriæ non eſſe homini neceſſarium ad videndum Deum: iam verò ſenſus, qui nobis obijcitur ſumit potentiam ex parte Dei; licet enim homo ex ſe non poſſit videre Deum in hac vita; poteſt tamen Deus illi concedere ſui viſionem. Accedit, quia in quinto errore expreſſe agunt de potētia naturali ipſius hominis, vt ſtatim videbimus. Quare cū iſti duo errores inter ſe ſint cognati, & poſterior deducatur ex priori; admittere debemus ſenſum prioris colligendū eſſe ex poſteriori. Denique in hoc ſenſu quartum illum errorem intellexerunt, qui contra præcitatos hæreticos poſt Concilium ſcripſerunt.

10. De errore poſito quinto loco. *Caſtro.*

De errore poſito quinto loco primū dicimus non eſſe admittendam explicationem Alphonſi de Caſtro. Deinde aſſerimus illius explicationem non impedire id, quod probare nitimur. Alphonſi explicationem non admittit Bellomontanus, & merito; quia authores illius erroris immediatè *addunt animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum*: ante quæ verba immediatè dixerunt *intellectualem naturam in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam.* Quæ verba in hoc ſenſu ſunt intelligenda, vt per ſua naturalia ſecluſo quocunque ſupernaturali lumine poſſit homo Deum videre. Eundē ſenſum ſatis ſuadent verba præcedentis erroris, ex quo quintus error emanauit: etenim ſi homo in hac vita naturaliter cōſequi poteſt beatitudinem; vtique quintus error intelligendus erit de beatitudine ſub actionem cadente, qualis non eſt beatitudo ſubſtantiæ in ſe ipſa, ſed quæ per operationem acquiritur.

11. His omnibus addo explicationem Caſtri nihil nobis obeſſe: etenim non poteſt ſubſtantia intellectualis naturaliter eſſe beata in ſe ipſa, quin ex ſua naturali virtute, propriaque operatione aſſequatur viſionem diuinæ eſſentiæ. Igitur verba quinti erroris denotant creaturam intellectualem ideò in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam; quia per ſe ipſam naturalemque operationem ſuam poteſt conſequi viſionem claram Dei, & in hoc ſenſu ab omnibus iſte error explicatur.

Ex his iam patet non eſſe dubitandū Begardos ſimul cum Beginis aſſeruiſſe poſſe hominem in hac vita per virtutem ſibi naturalem, aſſequi claram Dei viſionem. Vnde nec dubitandum eſt Concilium in hoc ſenſu illorum aſſertionem damnaſſe, in quo conueniunt omnes, qui poſt Concilium ſcripſerunt, maximè recentiores, quos ſuperius citauimus; omnes enim in hoc conueniunt, vt error Begardorum, & Beginarum in præcitato ſenſu à Concilio ſit damnatus. 12.

Nec obſtant argumenta ad finem §. 1. adducta. Ad primum ſumptum ex principio, quod ex Platonicis adducit Pſellus: *Simplicia vel exactè cognoſci, vel totaliter ignorari*: reſpondetur primò illud ſolum eſſe verum in re ſimplici, quæ omnem multiplicitatem, etiam virtualē excludit, vt punctus, inſtans, & alia huius generis indiuiſibilia: ſecus de re ſimplici, quæ cum ſimplicitate reali admittit aliquam multiplicitatem vel formalem, vel virtualem, vt diximus 1. tomo, lib. 5. q. 11. art. 4. n. 36. vnde non habet locum in diuina eſſentia, quæ propter infinitam ſuæ entitatis eminentiam cū ſumma ſimplicitate admittit diſtinctionem ſaltem virtualem, vt in eodem libro 5. oſtendimus. Nec item locum habet in intelligētijs, quæ licet ſint formæ ſimplices ſimplicitate excludente cōpoſitionem phyſicam ex materia, & forma; tamen admittunt compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, ex potētia, & actu, vt patet ex Metaphyſica. 13. Ad primū argument. 1. ſolutio. Simplicia quomodo aut exactè cognoſcantur, aut totaliter ignorentur.

Reſpondetur ſecundò principiū illud verum eſſe in ſola cognitione aut intuitiua, quæ terminatur ad rem, vt in ſe eſt; aut etiam abſtractiua, quidditatiua tamē: hæc enim, vel tota videtur, vel tota non videtur; nam, cum careat partibus, non poteſt ſecundùm aliquid videri, & ſecundùm aliquid non videri. Similiter quidditas huius rei, ſi tota non concipitur, tota 14.

Bellomõt.

ta ignoratur. in quo ſenſu intelligitur Ariſtoteles. *Vide Bellomontanum 1. p. d. 41. cap. 1. n. 5. 6. & 7.* vbi habes hanc eſſe ſolutionem Nazianzeni, & Chryſoſtomi. De cognitione autem abſtractiua non quidditatiua illud principium nõ eſt verum, nec in Deo, nec in ſubſtantijs ſeparatis: Deus enim à viatoribus ex parte cognoſcitur, ex Paulo 1. Corinth. 13. intelligentiæ etiam non cognoſcuntur, niſi ſecundum prædicata communia. Imò Deus à beatis, licet totus videatur, non tamen videtur totaliter; vnde nec comprehenditur, vt ſuo loco dicemus.

15.
Ad 2. Deus quomodo ſit extra ſphærã noſtri intellectus.

Ad 2. neganda eſt conſequentia. Cuius probatio eſt friuola; quia Deus licet ſit extra ſphæram obiecti intenſiuè adæquati; non tamen eſt extra ſphæram obiecti adæquati extenſiuè. De quo alibi dicendum erit.

Ad 3.

Ad 3. vt admittamus maiorẽ (de qua forte dubitari poterat) minor eſt neganda: quia modus eſſendi in corpore obligat animam, vt pro ſtatu viæ naturaliter non intelligat, niſi per conuerſionem ad corpus, & mediante corpore, vt articulo 4. latius oſtendemus.

ARTICVLVS II.

Vtrum præcedens error ex Sacris literis ſufficienter damnari poſsit?

1.
1. Error ex Sacris literis conuincitur. Primus locus ex Paulo ad Rom. 6. Vi[illegible] in quo ſenſu gratis donetur.

HAnc veritatem ex ſacris literis euidenter deduci omnes recentiores affirmãt: ſed id oportet diligẽtius examinare, vt videamus ex quibus locis verè deducatur. ¶ Quidam eam deducũt ex verbis Pauli ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna.* Ex quibus patet vitam æternam, id eſt, cœleſtem beatitudinem dari nobis, non vt ſtipendiũ ex rigore iuſtitiæ (vt mors æterna datur impijs) ſed ex gratia, & liberalitate Dei; quia licet debeatur meritis; id tamen eſt ratione primæ gratiæ, quæ merè gratis donata eſt. Quæ eſt Catholica huius loci explicatio. Cum verò beatitudo poſita ſit in viſione diuinæ eſſentiæ; vtique viſio ipſa erit ex gratia, & per conſequens non erit ex viribus naturæ. Hoc argumento vtuntur Abulenſis in cap. 5. Math. q. 45. §. *dicendum, Bellomontanus 1. p. d. 4. cap. 1. n. 2. Suarius l. 2. de attributis negatiuis c. 8. n. 5. Bañes, Cumelius, & cæteri interpretes 1. p. q. 12. art. 4. & Caſtro l. 3. aduerſus hæreſes verbo beatitudo hæreſi. 5.* Et poteſt confirmari hoc argumentum ex Pſam. 8. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* Dabit, inquam, id eſt, gratis donabit, non tanquam naturaliter debitam.

Bellom. Suarius. Bannes. Cumelius. Caſtro. Pſalm. 8.

2.
15. Locus cõuincit Begardos non Anomæos.

Sed ſi diligẽter aduertimus, locus iſte, & cæteri quibus probatur beatitudinem nobis gratis donari, conuincit quidẽ errorem Begardorum, & Beginarum: nõ tamen Anomæorum. Primum patet, quia ex Concil. Vienenſi conſtat Begardos cũ Beginis in eo ſenſu aſſeruiſſe poſſe hominem in hac vita ex ſuis naturalibus habere claram Dei viſionem, vt ea verè eſſet beatus. Ex qua ſententia infertur, non omnem beatitudinem eſſe ex gratia, ſed haberi poſſe ex operibus naturæ. Illud autem poſterius facile oſtenditur, quia Anomæi, licet aſſeruerint poſſe hominẽ in hac vita viribus naturę aſſequi claram Dei viſionem: nunquam tamen legitur eos dixiſſe poſſe hominem viribus naturæ aſſequi veram beatitudinem, qualis eſt beatitudo patriæ, & quanuis aſſeruerint ſe habere claram Dei viſionem; nunquã tamen dixerũt ſe tali viſione eſſe beatos: ipſa enim experientia illis monſtrabat, quod erãt mortales, & quod viſio, de qua gloriabantur, non erat permanens. Vnde fortè duplicem ponebant Dei viſionẽ: vnam viribus naturæ in hac vita aſſecutam: alteram bonis operibus in futura acquirendam. Hanc poſteriorem faterentur eſſe ex gratia iuxta doctrinam Pauli; priorem illam minimè, & hoc modo ſatis euaderent vim argumenti.

3.
2. Locus ex 14. Ioan

Secundo; eandem veritatem quidam deducunt ex illis locis ſcripturæ, quibus probatur viſionem Dei promitti nobis in prẽmium iuxta illud Ioannis 14. *Siquis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego manifeſtabo ei me ipſum.* Quam manifeſtationem Paulus appellat coronam: *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illum diem iuſtus iudex.* Hoc ſuppoſito ita argumentantur: quod datur in præmium, non habetur per vires naturales: ſed viſio Dei datur nobis in prẽmium. Ergo non poteſt haberi per vires naturæ. Ita arguit Abulenſis cum pluribus alijs. ¶ Sed de vi huius argumenti

Hę argum. cõuincit Begardos non Anomæos. Viſionem beatificam habere verã rationẽ pręmij.

menti idem dicimus,quod de præcedente:conuincit enim Begardos,&Beguinas, qui expreſſe loquebantur de viſione Dei beatifica: hanc autẽ habere verã rationẽ præmij conuincitur ex ſacris literis: ſi non ex loco citato Ioannis 14. (fortè enim intelligitur de manifeſtatione per Fidem, vt inferius videbimus) tamen deducitur ex verbis Chriſti Matth.5.*Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt:* quæ omnium conſenſu intelliguntur de viſione diuinæ eſſentiæ. Sed quãuis errorem Begardorũ hæc ratio cõuincat; nõ tamen omnino conuincit Anomæos, ſi illi ſuum errorem modo ſuperius explicato intellexerunt.

4. 3.Locus ad Philip. *Chryſoſt.* Quomodo intelligatur ille locus.

Tertio loco ſumitur argumentum ex Paulo ad Philip.3.*Ego me non arbitror cõprehendiſſe*. Ex quo loco Anomæos arguit *Chryſoſt.homilia* 3.*de incomprehenſibili Dei natura.* Qui locus optimus eſt,ſi Paulus in eo loquatur de comprehenſione per claram Dei viſionem, quę explicatio placet *D.Thom.Caietano,Carthuſiano, Arboreo,Salmeroni,& alijs in eodem loco.Quin potius nonnullis Patrũ, Gloſſæ ordina.& interlin.ibid. Auguſt. Sermon.* 14. *de verbis Apoſtoli cap.*13.*Bedæ,& Anſelmo ibid.In ſinuat Hieronymus lib.*13.*in Ezechielem c.*44.*tomo*.4.*pag*.477.*H.Et Oecumenius ibi.* Et mihi videtur literalis, vt colligo ex verbis immediatè ſequentibus:*Vnum autem; quæ retro ſunt obliuiſcens; ad ea,quæ ſũt priora me extendens ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Senſus eſt: *Vnum autem*: id eſt, in hoc eſt poſita rerum ſumma, atque reſolutio, quam vobis docendo trado: idque more Hæbraico. vt benè notauit Caietanus:*Quòd obliuiſcens,quæ ſunt retro*: id eſt, obliuioni tradens omnia temporalia, quę mihi ſunt retro,vt quia ea iam detrimentum feci; quæ eſt cõmunior explicatio. Vel obliuiſcens ea omnia, quæ hactenus de virtute atque perfectione aſſecutus ſum, quod mihi magis placet:*Ad ea,quæ ſunt priora me extendens:* id eſt,ad cęleſtia, quæ ante oculos habeo: vel potius ad ea, quæ de perfectione adhuc mihi deſunt: *Ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis Dei.* Ad brauium,inquam, mihi deſtinatũ ex ſuperna Dei vocatione. Vt ſcilicet illud comprehẽdam. Quæ verba omnium Patrum, & interpretum

Gloſſa. Auguſt. Beda. Anſelmus Hierony. Oecumen. Caietan.

conſenſu (vno excepto Bellomontano in dicta diſp.41.cap.1.nu.3.) de brauio ſupernę beatitudinis,viſioniſque beatificæ explicantur. Imò aliter explicari nequeunt: quoniam in perfectione virtutis, quæ eſt in via,nullum datur certum atque determinatum brauium, nullaque certa meta, pro qua comprehendenda,& tenenda in via curramus: nullus enim in via ita poteſt in virtute proficere,quin in ea magis,ac magis adhuc proficere queat. Quare illa verba Pauli de brauio vitæ æternæ intelligenda ſunt: nam pro hoc brauio cõprehendendo omnes in via currunt,iuxta illud Pauli 2. Corinth. 9. *Sic currite vt comprehendatis*: ſcilicet brauium æternæ beatitudinis. ¶ Præſuppoſita igitur hac veriſsima Pauli explicatione, iam infertur verba illa *non arbitror me cõprehendiſſe* explicanda eſſe de comprehenſione viſionis beatificæ: etenim Paulus illius comprehẽſionem ſibi negat, ad cuius comprehenſionem currendo tendit. Iam vero ex verbis immediatè conſequẽtibus euidenter patet ſe currere ad comprehendendũ brauiũ beatificæ viſionis.

Bellomon. Brauiũ pro quo currimus pro vita æterna. *2.Cor.9.*

5. Confirmatio ex verbis ſequentibus Pauli ad Philipp. 3.

Accedit in confirmationem;quoniam verba præcedentia, teſte etiam Bellomontano de eadem comprehenſione intelligenda ſunt, ita enim ait Paulus: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam,& inueniar in illo nõ habens meam iuſtitiã, quæ ex lege eſt,ſed eam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide ad cognoſcendũ illum,& virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſsionum illius, configuratus morti eius; ſi quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Senſus eſt: *arbitror vt ſtercora*, id eſt, omnia huius vitæ bona deſpicio: *vt Chriſtum lucrifaciam,& inueniar in illo* per gloriam *non quidem ex iuſtitia legis, ſed ex iuſtitia, quæ eſt ex Deo in fide.* Explicat merita *ad cognoſcendum illum*, quæ eſt gloria animæ: *& virtutem reſurrectionis eius*, in gloria mei corporis. *Et ſocietatem paſsionum eius configuratus morti eius,* id eſt, vt ego in corpore iam glorioſo cognoſcam quantum valeat ſocietas paſsionum eius, dum in hac vita cõfiguratus ſum morti eius tolerando paſſiones pro eius nõmine. *Si quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis,* id eſt, vt in hac iuſtitia fidei Chriſti con-

ſequar

ſequar in meo corpore gloriam reſurrectionis eius, quæ mortuis in Chriſto reſurgentibus continget. Hanc eſſe germanam explicationem horum verborum ſatis probant, tum hæc vltima verba; tum etiam verba immediatè ſequentia: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi comprehendam, in quo & cõprehenſus ſum à Chriſto IESV.* Hæc verba intelligenda eſſe de acceptione eorum, quorum mentionem fecit idque per gloriam futuram, facilè oſtenditur: primò, quia referri debent ad verba immediatè antecedentia, quę manifeſtè agunt de gloria reſurrectionis, ad quam tendebant; ſecundò, quia id declarat verſio quædã antiqua, quam probat Oecumenius: *Non quod iam apprehenderim, aut iam mortuus ſim.* Tertiò, quia cum Paulus hæc ſcribebat, iam Chriſtum lucrifecerat, & in illo iam inuentus erat, cum iam illum nouerat per fidem. Denique iam erat morti Chriſti cõfiguratus per ſocietatem, & communicationem paſsionum pro Chriſto. Quare cum Paulus iam hæc omnia accepta haberet, non poſſunt verba iſta intelligi de acceptione per cognitionem fidei, ſed per gloriam. Porro, ſi hæc verba: *Non quòd iam acceperim* intelligenda ſunt de acceptione per gloriam; vtique de eadem acceptione, & comprehenſione intelligi debet, quæ ſequuntur: *Non arbitror me comprehendiſſe.*

Confirmatur præcedens intellectus Pauli.

6\. Soluitur obiectio Bellomontani.

At obijcit Bellomontanus quod verba illa ita explicata fruſtrà dicerentur à Paulo; cum ſatis eſſet notum, eum nondum vidiſſe diuinam eſſentiam. Id omnino negandum eſt Bellomontano, cum gloſſa ordinar. & Anſelmo ad eadem verba: volunt Philippẽſes exiſtimaſſe Paulum adhuc in vita videre Deum: nec mirum eſt, ſi illi fideles adhuc rudes eam de Paulo exiſtimationem haberẽt. ¶ Quod ſi locus iſte de comprehenſione per clarã Dei viſionem intelligatur, efficacisſimus eſt ad conuincendum errorem non ſolũ in ſenſu Begardorum, & Beguinarũ, ſed etiam Anomæorum: etenim Paulus manifeſte docet errare Philippenſes in ſua illa exiſtimatione. Vnde non ſine probabili fundamẽto Chryſoſtomus ex hoc loco Anomæos coarguit.

Gloſſa. Anſelm.

Locus non ſatis eſt efficax, quia aliter poſſet explicari.

7\. Argumentum tamen non eſt vſque quaq; efficax; quoniam communior Patrum ſententia locum explicat de comprehenſione perfectæ iuſtitiæ, & ſanctitatis per gratiam viæ. Ita *Auguſtinus l. 2. de peccatorũ meritis cap. 13. Hieronymus l. 1. aduerſus Pelagianos cap. 5. Ambroſius in eodem loco Pauli, vbi etiam Theophylac. & Chryſoſt. in eadem Epiſtola Sermone 12. D. Bernardus Serm. 3. de duabus menſis, Lyra, Bellomontanus, & alij in eodem loco*: quanuis hæc explicatio non videatur ſatis accõmodata ob rationes, quas ſuperiùs explicauimus. Vnde idem Bellomontanus vbi ſupra nu. 4. ad noſtram priorem explicationem redit.

Auguſt. Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Theophyl. Bernard.

8\. Quarto loco contra eũdem errorem â nonnullis ſumitur argumentũ ex verbis Pauli 1. Thimot. 1. *Regi ſæculorum, immortali, & inuiſibili ſoli Deo omnis honor, & gloria*, vt quia velint locum iſtum intelligendum eſſe de inuiſibilitate Dei intellectiua, & per vires naturæ. ¶ Sed argumentum non habet vim, ſi Paulus illis verbis ſolum agat de perſona Patris, & de inuiſibilitate in corpore aſſumpto: putãt enim Patrem diuinum viſibiliter hominibus nunquã apparuiſſe; & ideo à Paulo appellari inuiſibilem. Ita locum plerique explicarunt, & cum illis Author commentariorũ in epiſtolas Pauli apud Ambroſium. Sed explicatio non eſt admittenda; quia nec cum mente Pauli conſentit, nec indubitato nititur fundamento. Non conſentit cum mente Pauli: primò, quia Paulus ibi gratias agit Deo pro beneficijs ibi enumeratis: hæc autẽ accipit à tota Trinitate. Secundò, quia nec verba antecedentia, nec conſequentia de ſolo Patre poſſunt explicari. Tertiò, quia in illis verbis explicat Paulus perfectiones, ob quas Deus dignus eſt gloria, & honore: iam vero illa inuiſibilitas nullam in perſona Patris denotat perfectionem. Quartò, quia verbum *inuiſibili* non ſolũ negat actualem viſionem, ſed etiam aptitudinalem. At licet daremus Patrem nũquam in aliquo corpore fuiſſe viſum, quis negabit eum iſto modo eſſe viſibilẽ? Etenim, ſi velit, poteſt corpus aſſumere, & in eo apparere. Denique ſatis dubium eſt Patrẽ nũquã corporaliter apparuiſſe. Quin potius verior eſt ſententia in apparitionibus olim factis totam Trinitatem apparuiſſe. Latè id probat Auguſt. *2. de Trinitat. à cap. 10. vſque ad 17. & l. 3. aduerſus*

4\. Locus ex 1. Thimo. 1.

1\. Explicatio Pauli nõ placet.

9\. Patrem nũquam viſibiliter apparuiſſe non eſt ſat certum.

uerſus *Maximinum cap.9.& 26.* Nam cũ illa corporis aſſumptio non fuerit hypoſtatica (vt ſupponimus) non potuit non eſſe cõmunis toti Trinitati. Non eſt tamen negandum aſſumptionem illam, & apparitionem appropriari Filio: & in hoc ſenſu explicandos eſſe Patres, qui volũt ſolum Filium olim apparuiſſe. *Hi ſunt Irenæus l. 4. cap. 37. pag. 445. Tertul. l. 5. aduerſus Iudæos cap. 9. nu. 115. & lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 27. nu. 189. & clarius aduerſus Praxeam cap.* 14. *Nouatianus (apud Tertul.) de Trinitate cap. 27. Hilarius l. 5. de Trinitate. p. 80. non longè à fine, Auguſt. contra Adamantium cap. 9. tomo 6. Cyprian. l. 2. aduerſus Iudæos cap. 5. & 6. Epipha. in anchoratu. Prudentius aduerſus Anterpomorphitas, Arnobius Pſalm. 104. Author lib. vtriuſque teſtamenti apud Auguſt. tom. 4. q. 2. partis. 2. non omnino reijcit Ambroſius l. 1. in Lucam cap. de apparitione Angeli, cuius verba refert Auguſt. Epiſt. 112. c. 5. & 6.* Hi omnes Patres accommodatiſsimè explicari poſſunt de aſſumptione corporis, quæ per appropriationem tantùm conuenit ſoli Filio. In quo ſenſu nõ ſolus Filius fuit corporaliter viſus, ſed etiam Pater, & Spiritus Sanctus. Ex quibus concludendum eſt præcitatam expoſitionem vim argumenti non elidere.

Qui ſenſerint olim ſolũ filiũ viſibiliter apparuiſſe.

Irenæus. Tertul. Nouatia. Hilarius. Auguſt. Cyprian. Epiphan. Prudenti9 Arnobius Ambroſ.

10 In quo ſenſu locꝰ vi[m] nõ ha[beat].

Optimè tñ eliditur, ſi locus explicetur de inuiſibilitate per oculos corporeos, vt Paulus ideo dicat Regẽ illũ ſæculorũ eſſe inuiſibilem, quia oculo corporis videri nullo modo poteſt; ita explicauit *Auguſt. Epiſt. 111. p. 298. A. 2. & Epiſt. 112. c. 5. vbi citat Hiero. Ambroſ. Athanaſ. & Nazianz. Adde Anſelmum ibi cum D. Thoma Lectione 4. & Caietan. ibid. ſi benè expendatur. Quin potius in eodẽ ſenſu locum explicat Suarius l. 2. de attributis c. 6. n. 4.* quam explicationẽ eſſe ſatis probabilẽ diximus ſuprà, l. 4. q. 5. art. 2. nu. 17. vbi literam, & ſenſum Pauli explicauimus. Quo in loco nu. 16. hæc explicatio non ſatis arriſit nobis ex eo, quod Paulus ibi eas perfectiones explicat, quæ ſoli Deo conueniunt. Vnde verus ſenſus Pauli eſt, *Illi Regi ſæculorum, immortali, & inuiſibili, qui ſolus eſt Deus, ſit honor & gloria.* Quem ſenſum ſatis denotat particula *Soli* addita ad verbum *Deus*: explicat enim, in quo ſenſu Rex ſæculorum, qui ſolus eſt Deus, dicatur immortalis, & inuiſibilis: nimirũ immortalitate, & inuiſibilitate ſoli Deo propria. Quem ſenſum explicauit Paulus cum cap. 6. dixit: *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſibilẽ.* Senſus igitur erit, vt illi Regi ſæculorum ſit omnis honor, & gloria, qui ſolus eſt Deus, ſolus immortalis, ſolus inuiſibilis. Vnde excluduntur immortalitas, & inuiſibilitas, quæ Deo cum Angelis ſunt cõmunes.

Auguſt. Hierony. Ambroſ. Athanaſ. Nazianz. Anſelm.

Verus ſenſus Pauli

11. Eſſe inuiſibile eſt diſtinctũ attributũ ab incõprehenſibili, Inuiſibile, apud Paulũ idẽ eſt, quod inacceſsibile

Exiſtimo igitur apud Paulum verbũ *inuiſibile* explicandum eſſe prout negat viſibilitatem per oculum, tum corporis, tum mentis: vt ſit ſenſus Deum ſecũdùm ſuam naturam eſſe ſupra omnẽ creatam intelligendi virtutem. In quo ſenſu locus vim argumento ſuppeditat ſi *inuiſibile* ſit attributum diſtinctum ab incomprehenſibili, quæ eſt verior opinio, & ſatis conſentiens cum verbis Pauli cap. 6. eiuſdem Epiſt. *Lucẽ inhabitat inacceſsibilem*: vt idem ſit inuiſibile, quod inacceſsibile. In hoc igitur ſenſu locus Pauli ſuppeditat probabilliſsimum argumentum contra præcitatum errorem: etenim cũ Deus non ita ſit dicẽdus inuiſibilis, quaſi implicet in ſe ipſo videri (nam in patria ita videbitur, vt docet fides) non aliter dicetur inuiſibilis, niſi quia ab intellectu creato, proprijs viribus videri nõ poteſt: quod nõ tollit, quin videatur viribus gratiæ. Et hoc modo cõfirmari debet cõmunis explicatio ſcholaſticorum, qui locum Pauli intelligunt de inuiſibilitate ſecundùm naturæ vires, vt habes apud Molinã 1. p. q. 12. art. 4. d. 1. §. *ad duo priora.* Et in terminis ita explicauit *Beda 1. Corint. 13. ad illa verba: videmus nunc per ſpeculũ pag. 540. n. 40. ita inquiens: ſi quæris, quomodo ſit inuiſibilis, ſi videri poteſt? Reſpondeo inuiſibilem eſſe natura; videri autem, cũ vult.* Inuiſibilis eſt natura; vel quia ex ſua natura eſt ſupra omnem intellectum creatum; vel quia naturaliter, id eſt, viribus naturæ videri non poteſt. Et hoc poſterius ex priori conſequitur. clarius id explicat idẽ *Beda 1. ad Thimo. 6. ad illa verba: lucẽ inhabitat inacceſsibilẽ pag. 1008. n. 20. in hæc verba: quæ vtique ſoluitur quæſtio, vt inacceſsibilis ſit viribus noſtris; acceſsibilis autem muneribus ſuis.* Quæ explicatio conſentit cum *Ambroſio, Epiphan. & alijs, quos in ſequenti articulo adducemus.* Optima ſunt verba Origenis lib. 1. periarchon. cap.

Molina. Beda.

Deus eſt natura inuiſibilis, quia eſt ſupra omnem naturam: & quia viribus naturæ videri nõ poteſt

Origenes.

cap. 1. dũ ait: *Sacram Scripturam omnibus, qui intelligere poſſunt, manifeſtare; quia nulla natura eſt, cui viſibilis ſit Deus, non quaſi quòd viſibilis quidem ſit per naturam: & veluti fragilioris creaturæ euadat, atque excedat aſpectum: ſed quoniam naturaliter videri impoſſibile eſt.* Quare ex hoc loco Pauli optimum ſumitur argumentum ad impugnandum præcitatum errorem.

12\. 5. Locus Ioan. 1. & 1. canon. 4. Explicatio recentiorũ.

Quintò, Recentiores Theologi fere omnes ſumunt argumentum ex verbis Ioannis cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Et ex verbis eiuſdem 1. Canon. 4. vbi eadem verba ſcribuntur. Quos duos locos putant eſſe explicandos de viſione per vires naturę. Priorem locum ita explicant *Caietanus ibidem Medina 1. 2. q. 5. art. 1. Molina 1. p. q. 12. art. 1. diſp. 1.* putantque hanc explicationem eſſe Origenis homil. 3. in Cantica.

Caietan. Molina. Medina. Non recipitur explicatio.

¶ Sed nec iſta explicatio colligitur ex Origene; nec poteſt accommodari inſtituto Ioannis, vt latius oſtendemus lib. 12. in q. *Vtrum homo poſsit cõſequi vitam æternam.* Et verè expoſitio impugnatur, ſi ſupponam⁹ inſtitutũ Ioannis eſſe illis verbis confirmare, quod immediatè dixerat; *gratiam ſcilicet, & veritatem per Ieſum Chriſtum factam eſſe.* Id probat verbis adductis: quaſi ſic argumentetur: veritatẽ diuinã, & alia diuinitatis myſteria nemo poteſt enarrare, niſi Deum viderit: ſed Deũ nemo vidit, niſi Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris. Ergo ſolus ille poterit nobis enarrare diuinam veritatem.

Ex Hilario Locus habet ſenſum excluſiuum & agit de Chriſto homine.

Vbi aduertendum eſt cum Hilario propoſitionem Ioannis, & eſſe intelligendam de vnigenito, vt eſt homo; & eſſe excluſiuã. Primũ patet; quia ibi ſermo eſt de enarratione, quam Filius Dei docendo, & prędicando fecit. Secundum inde probatur; quia aliter propoſitio nihil cõduceret ad Ioannis inſtitutum. Cum verò nec Chriſtus viribus naturæ Deum viderit; non poterũt verba illa intelligi de viſione ſecundùm vires naturæ.

13\. In quo ſenſu poſſit ſumi argumẽtũ, ex illis locis.

Non negamus tamen ex illo loco non leue ſumi poſſe argumentum: ſi explicetur de viſione in hac vita mortali, non qualicunque, ſed permanente: quæ ſola explicatio videtur eſſe germana, vt li. 12. oſtendemus: nã ſola hæc viſio poteſt eſſe ſufficiens ad diuinas veritates enarrãdas. Falſa autem eſſet doctrina Ioannis, ſi aliquis homo in hac vita poſſet ex puris naturalibus videre Deum: etenim naturalis viſio, quamuis non eſſet continua: tamen cum in manu hominis eſſet videre Deũ, & in eo veritates, quas vellet; vtique illa ſatis eſſet ad enarranda diuina myſteria: & ita nõ ſolus Chriſtus eas poſſet enarrare.

De intellectu loci 1. Ioan. 4.

¶ Locum 1. Ioann. 4. intelligi non poſſe de viſione naturali ex inſtituto Ioãnis facilè intelliges: nititur enim hominibus perſuadere mutuũ interſe amorem; quia ſi mutuo ſe dilexerint, ſine dubio in ſe Deum habebunt, quanuis Deum in ſe ipſis non videant, quia (vt ait) *Deum nemo vidit vnquam*: cui inſtituto nihil facit, quod Deus naturaliter non ſit viſus: quia reſponderetur poſſe tamen Deum videri per donum gratiæ: & ſubinde ſi Deus in ipſis ſe ſe mutuò diligentibus maneret, vtique ab ipſis videndus foret. Accedit; quia Ioannes in illo cap. viſionem ex naturalibus omninò excludit; dum omnia tribuit diuinę charitati, qua Deus nos dilexit.

14\. 6. Locus ex 1. Thimot. 6. *Bellomon.*

Sextò, citari ſolet Paulus 1. Timoth. 6. *Qui ſolus lucem habitat inacceſsibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Hunc locum clariſsimè impugnare errorem Anomæorũ putat Bellomõtanus in dicta diſp. 41. c. 1. n. 4. affirmans verba illa euidenter intelligi de viſione per vires naturales. Sed id non ſatis eſt euidens:

Locus variè explicatur à Patribus. *Auguſt.*

locus enim variè explicatur à Patribus. Auguſt. cum nonullis Paulum explicat de viſione per oculos corporeos. Alij eum intelligunt de viſione mentis, comprehenſiua tamen. Nec deſunt qui Paulum explicent de ſolo homine, qui carnalia, & humana ſapit. Denique ab alijs explicatur locus de homine ſecũdùm legẽ ordinariam. Oportebat igitur hos omnes modos expugnare, vt à ſufficienti partium enumeratione, ſola remaneret viſio ex naturalibus, quod nos pręſtabimus lib. 12.

Sumitur argumentum Probabile.

Puto igitur ex hoc loco ſumi argumentum non quidem euidens, ſed ſatis probabile contra præcitatum errorem: quia loco citato oſtendemus Paulum non aliter poſſe accõmodatè intelligi niſi de luce naturaliter inacceſſibili, & de viſione per vires naturę, quę eſt cõmunis explicatio *D. Thomæ ibidem lecti. 3. Carthuſiani, Caietani, Salmeronis, & cæterorum interpretum Pauli, Molinæ 1. p. q. 12. art. 4. Suarij li. 2. de attributis negatiuis c. 8. num.*

D. Thom. Carthuſia. Caietan. Salmeron. Molin. Suarius

Bellomon. Salas. Gloſſa interlin. *n. 6. Bellomontani ibid. 41. c. 1. n. 4. Salas 1. 2. q. 3. tractat. 2. d. 3. ſect. 1. pag. 200. col. 1. poſt. principium. Et fuit explicatio Gloſſæ interl. & ordin. atque etiam Bedæ in eodem loco p. 1008. n. 20.*

15. 7. Locꝰ Ioã. 6. ſed minꝰ efficax. 1. Explicat. Septimò citatur locus Ioan. 6. *Non quòd Patrem viderit quiſquã, niſi is, qui eſt à Deo hic vidit Patrem.* Sed locus parum ad rem facit, ſi intelligatur de viſione corporea: vt ſit ſenſus; *Non quòd Patrem quiſquam viderit oculis huius corporis ſicut fortè aliquis veſtrũ exiſtimabit.* Et quamuis nemi nem legerim, qui ita hæc verba explicet; huic tamen explicationi fauet quòd Patres, & interpretes volunt Chriſtum hęc verba addidiſſe vt oſtẽderet audiẽtes Patrem, & ab eo addiſcentes corporaliter Patrẽ non videre. *Cyril. Theophy. Euthym. D. Thom. Oecumen. Tolet. Mandon.* Ita *Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 8. Theophyl. Euthym. D. Thomas, Caiet. Toletus, Maldonat. cum cæteris in eodem loco.* Poſſet igitur aliquis exiſtimare hunc eſſe ſenſum illorum verborum: non ideo dixi eum ad me venire, qui à Patre audit, & didicit, quaſi quiſquam hominum cor poraliter viderit Patrem; in quo ſenſu lo cus nihil facit ad noſtrũ inſtitutũ. Impugnatur præcedens explicatio. ¶ Verùm hæc explicatio euidenter impugnatur per illam particulam exceptiuam: *niſi is, qui eſt à Deo:* excludit enim à pręcedẽte ſententia Chriſtum qui à Deo eſt. Excipi tamen nõ poſſet, ſi ſententia illa pręcitato modo explicaretur: nec enim Chriſtus oculis corporeis videt Patrem. Accedit etiam, quia Chriſtus his verbis alludit ad Moyſen, quem Iudæi exiſtimabãt audiſſe, & vidiſſe Deum, vt aduerterunt *Cyril. Leontius. Theodorus Maldona.* *Cyril. & Leontius in eodem loco, cum Theodoro Heraclienſi in catena græca, quos refert, & probat Maldonatus in eodem loco nu. 46.* Quare Chriſtus illam viſionem ſibi tribuit quam Moyſi denegat; Moyſes autẽ Deum in ſua ſubſtantia non vidit oculis corporis. Quod verò in fauorem objicitur, facilè diſſoluitur: quoniã vt admittamus Dominum voluiſſe à Iudæis tollere falſam exiſtimationem de viſione ſenſibili Patris; non proinde verba Chriſti in illo ſenſu ſunt explicanda: quoniam falſa illa exiſtimatio ſatis excludebatur generali negatione excludente omnem viſionem: hæc enim etiam corpoream excludit. Verus ſenſus illorum Chriſtiano rum. Senſus igitur erit: quamuis dixerim eum, qui audit à Patre, & didicit venire ad me, non ideo putetis Patrem ab eo ſenſibiliter viſum iri: quia nullus vnquam vidit Patrem, aut ſenſibiliter, aut intellectualiter. Itaque Chriſtus errorẽ ſpecialem de viſione ſenſibili tollit negatione generali.

16. Nec locus vrget intel lectus de cognitione cõ prehenſiua. *Ianſenius.* Impugnatur explicatio. Secundò parum facit locus ſi de viſione intellectiua comprehenſiua intelligatur, vt patet. Sed quamuis hæc explicatio placeat *Ianſenio in cap. 16. concordiæ p. 135. col. 1. B.* mihi tamen placere nõ poteſt. Primò; quia Chriſtus his verbis, aut occurrit obiectioni; quomodo poſſumus à Patre audire, ſi Patrem nunquam vidimus? Quæ fuit mens *Auguſt. in eodem loco tractatu. 26. & Bedæ in eiſdem verbis;* aut occurrit falſæ exiſtimationi qua quis ex verbis præcedentibus poſſet opinari Patrem audiendum eſſe, & videndum viſione clara ſenſibili, vel intellectiua, vt volunt *Cyril. Theophyl. Euthy. Leontius, & cõmuniter interpretes.* Si occurrit obiectioni, facilis eſſet reſponſio, quia vt homo à Patre audiret, & diſceret ſatis eſſet clara ipſius viſio abſq; cõprehenſione. Et eadẽ ratione nõ tolleretur falſa opinio; quia ſine comprehenſione potuit Pater videri. Secundò non placet; quia longè mihi probabilius eſt exceptiuam illam eſſe intelligendam de Chriſto homine, cum *Aug. in dicto tractat. 26. & lib. 3. contra Maximinum. cap. 9. Beda in eodem loco, Ruperto lib. 6. in Ioan. ad eadem verba p. 545. col. 2. Ianſenio in concordia cap. 59. pag. 454. col. 1. & Toleto ibid.* *Auguſt. Beda. Rupert. Ianſenius Toletus.* Tũ quia excluſiua debet eſſe vniuoca, ita vt in eodem ſenſu intelligatur, in quo intelligitur propoſitio, à qua fit exceptio: hæc autem hominum conſenſu intelligitur de ſolis hominibus; ex Aug. vbi ſupra, & ſatis colligitur ex Paulo 1. Thimot. 6. *quẽ nullus hominũ vidit.* Tũ etiã; quia Chriſtus in antecedẽtibus & cõſequẽtibus loquitur de ſe vt eſt homo. Tum denique, quia illa verba: *omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me:* ita explicantur, vt ſit ſenſus, venit ad me, vt me audiat, & in me credat. Inde autem probat ſe eſſe audiendum, quia nullus vidit Patrem, niſi ipſe. Porrò ſi illa exceptio explicanda eſt de Filio homine, non poteſt propoſitio aſſumpta intelligi de viſione comprehenſiua, quia nec Chriſtus homo Deum comprehendit.

Optimus eſſet locus, ſi cum Caietano ibi, & nonnullis alijs intelligeretur de viſione

17. Locus non poteſt intelligi de viſione ex viribus naturę.

ſione intellectiua ex viribus naturæ: in hoc enim ſenſu error ille directè expugnaretur. Sed explicatio nõ videtur admittenda. Primo, quia præter Caietanũ neminẽ legi, qui eam probaret. Deinde, quia nõ poteſt accõmodari inſtituto Chriſti Dñi: vult enim verbis illis occurere dubitationi: at facilè reſponderetur ſine viſione Dei ex puris naturalibus poſſe hominẽ audire Patrem, & ab eo diſcere: ſi nimirũ viſio gratis cõcederetur. Nec tolleret falsã opinionem: quia viſione gratis conceſſa Pater videri poſſet. Accedit 3. quia ſi illa exceptiua intelligatur de Filio homine, non bene exciperetur Chriſtus; quia nec ille ex naturalibus Deum vidit.

18. Vera loci explicatio ex qua ſumitur bonũ argumentũ.

Vera igitur illius loci explicatio erit, vt intelligatur de viſione ſimplici Patris, intuitiua tamen ab homine in via permanẽte; vt explicant D. Tho. Ianſen. & Tolet. Quare verus ſenſus erit: non ideo dixi *omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*, quaſi doceam Patrẽ, vt inſe eſt, poſſe in hac vita clarè videri: *quia Patrem non vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo genitus*: Is videt Patrem etiã vt homo eſt, & ſolus ille in hac vita vidit Patrẽ. Ex qua generalitate colligitur impugnatio illius erroris: nã ſi nullus hominũ in hac vita videt Patrem; vtique nullus ex ſuis naturalibus eum videre poterit.

19. 8. Locus. Matth. 11.

Octauò adducitur locus Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: nec Patrẽ quis nouit, niſi Filius.* Is locus mihi videtur optimus, ad expugnandum præcitatum errorem, ſiue locus explicetur de Filio Deo, ſiue de Filio homine. Priori modo cõmuniter ſolet explicari: *Ita Caietan. ibid. nec abnuit Ianſenius in concord. c. 47. pag. 361, col. 2. Conſentit Maldonatus ad illa verba omnia tradita ſunt à Patre meo. Ex Patribus ita locũ interpretantur Hieronym. ibi. Hilar, Pſal. 134. ad illa verba: quia ego noui, quoniã magnus es Dñs. p. 677. in princ. Cypria. in lib. de Baptiſmo Chriſti, Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 7. in fine, & lib. 2. de Spiritu Sãcto cap. 12. tom. 4. pag. 149, A.B. Cyril. l. 2. in Ioan. cap. 137. & lib. 10. Theſauri c. 1. Chryſoſto. homil. 39. in Matth. Theophy. & Euthym. in eadem verba cũ Gloſſa ordin, & interlin. conſentit Author operis imperfecti apud Chryſoſt. homil. 28. ad eadẽ verba.* Qui omnes locum intelligunt de Filio, vt eſt Deus. Solus igitur Pater nouit Filiũ, & ſolus Filius nouit Patrem; idq; cognitione connaturali ſibi. Vnde illa excluſiua excludit omnẽ creaturam intellectualẽ, vt nulli notitia clara totius Trinitatis naturaliter cõueniat, ſed ex reuelatione. Itaq; ſolus Filius nouit Patrẽ, & ſolus Pater nouit Filium: *non per doctrinam, ſed per naturã, vt ait Cyril. in d. c. 137. non gratia reuelationis, ſed æqualitate naturæ, vt ait Hieron.* Conſequẽs igitur eſt, vt homini nõ poſſit naturaliter conuenire viſio Deitatis, ſed ex ſola gratia reuelationis. Quare ex iſto loco D. Hieronymus, & Beda locis citatis hunc errorẽ non ſolùm dãnarunt erroris, ſed etiã inſanię. ¶ Quod ſi locũ intelligas de Filio, vt eſt homo *cum Chryſoſt. in cap. 13. Ioan. homil. 69. p. 279. A. & Cyrillo lib. 10. Theſauri cap. 2. ad finẽ, & Ruperto lib. 9. in c. 11. Matth p. 117. & cum Authore operis imperfecti homil. 28. & cum Ianſenio vbi ſuprà*, adhuc locus vrget contra præcitatũ errorem: nam ſi Patrẽ nullus nouit, niſi Filius homo, & ex hominibus ille ſolus, cui Filius voluerit reuelare; vtiq; talis notitia nõ poteſt alicui homini naturaliter conuenire: quod enim naturaliter cõuenit non indiget reuelatione. Et quãuis in hoc ſenſu locus explicari debeat de cognitione conſilij diuini circa redẽptionẽ generis humani: non tñ excludẽda eſt notitia intuitiua vtriuſque. Vnde ſemper relinquitur locus argumento.

Cõmunis explicatio de filio homine.

Hierony. Hilar. Cyprian. Ambroſ. Cyril. Chryſoſto. Theophil. Euthymius Gloſſa.

Poteſt locus intelligi de filio homine. *Chryſoſt. Cyril. Rupert. Ianſenius.*

20. 9. Locus. Exod. 33. in quo ſenſu præbeat efficax argũm.

Nonò afferri ſolet locus Exodi 33. *nõ videbit me homo, & viuet*: ſed locus iſte nihil ad inſtitutum facit, ſi explicetur de viſione figuræ humanæ, ſub qua Deus apparuit Moyſi, dum poſitus in foramine petrę ſolùm vidit poſteriora Dei. Quę verba intelligenda eſſe de viſione faciei corporeæ in qua Deus apparebat, ſatis mihi ſignificant verba immediatè ſequẽtia: nam poſtquã Deus Moyſi petẽti viſionẽ gloriæ diuinæ reſpõdit: *Non poteris videre faciẽ meã, non enim videbit me homo, & viuet* immediatè addit: *Ecce eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petrã, cũq; tranſierit gloria mea, ponã te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam; tollãque manũ meam, & videbis poſteriora mea, faciẽ autem meã videre non poteris*: quibus verbis explicat Deus modum, quo Moyſes gloriã ipſius videre poterat, & promittit ſolũ viſionẽ partis, quæ eſt à tergo, quia ſcilicet, *faciem meam videre non poteris*:

quæ verba de eadem facie intelliguntur, de qua intelliguntur priora verba: erat enim tantus fulgor in vultu facieque illiꝰ corporis, vt ſine corruptione, & morte vidētis naturaliter videri nō poſſet. Hanc expoſitionem ex pleriſq; Rabynorū probat, & latè confirmat Abulenſis in dict. c. 33. Exodi. q. 17. & 18. cum pleriſq; alijs & mihi videtur literalis; quidquid Caietanus ignorantiæ arguat illius Authores. Ex hoc igitur loco ita explicato nullum ſumi poteſt argumentum contra præcitatum errorem.

21. Communis explicatio argumentum præbet.

Optimus tamen erit locus, ſi intelligatur de viſione clara Dei, quæ eſt communis explicatio Patrum, interpretum, & ſcholaſticorum, vt lib. 12. latè oſtendemus. Siue enim ſit ſenſus: non videbit me homo viuens hac corporali vita (quę eſt communior expoſitio) ſiue ſit ſenſus non videbit me homo, & fungetur operationibus vitæ ſenſitiuæ (quæ fuit explicatio D. Gregorij, & aliorum) ſemper deſtruitur præcitatus error. Nam ſi homo in hac vita mortali non poteſt Deum clarè videre; vel ideo non poteſt; quia naturaliter id repugnat: vel quia reſiſtit lex à Deo ſtatuta de ſe non communicādo homini viuenti in hac vita. Si priori modo; verba Dei directè huic errori contradicunt. Si poſteriori (qui intellectus eſt verior) etiam deſtruitur præcitatus error: quia Deus nunquam lege aliqua impediuit vſum naturalium; aliàs fruſtra tribueret potentias naturales ad talem vſum; quia fruſtrà eſt potentia, quæ non reducitur ad actum. Idem concludendum eſt, ſi homo mortalis fungēs operationibus vitæ ſenſitiuæ non poteſt Deum videre: etenim, quæ naturaliter conueniunt humano intellectui, conuenire debent modo connaturali intelligendi, qualis eſt modus intelligendi dependenter à ſenſibus. Quare ſi viſio diuinæ eſſentię dari non poteſt, niſi facta abſtractione à ſenſibus; hæc autem dari non poſſit, niſi ſupernaturaliter: quomodo viſio illa naturaliter conueniet homini mortali.

22. Adducūtur alij loci. *Iſaiæ. 6.*

Poſtremò adducuntur alij loci ſacræ paginæ, quibus eadem veritas confirmari poteſt. Nam Iſaiæ ſexto. *Seraphim ſtabant ſupra templum: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem eius.* Sed de hoc loco agemus inferiùs. quæſtione ſecunda, articulo primo, ſectione quarta.

2. Locus. *Iſaiæ. 53. Chryſoſt. Baſilius. Chryſoſt. Cyril. Clemens Papa. Euſebius Auguſt.*

Adde etiam locum Iſaiæ cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quem contra hunc errorem expēdit *Chryſoſt. homilia prima de incomprehenſ. Dei natura pag. 965 D. Baſilius Orat. 20. quæ eſt de principatu, & potentia, & lib. 1. aduerſus Eunomium pag. 261. B.* Et verè vrget, ſi locus exponatur de generatione diuina cū *Chryſoſtom. & Baſilio vbi ſupra, Cyril. in Dialogis de Trinitate lib. 2. pagina 379. F. & lib. 5. in Ioannem cap. 2. & lib. 4. in Iſaiā cap. 53. pag. 516. F. Clemente Papa Epiſtol. 1. Euſebio lib. 1. de Demonſtratione Euangelica cap. 8. Auguſtin. tractat. 31. in Ioan. vt innumeros alios omittamus.*

3. Locus. *Iob. 28. Gregor. D. Thom.*

Citatur locus Iob cap. 28. *Vnde ergo Sapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet.* Optimus eſt locus. ſi intelligatur de ſapiētia increata. *cum D. Gregorio 18. Moralium cap. 37. D. Thoma ibi Lectione 2. & alijs,* vt teſtatur Carthuſian. ibi. Sed quia quibuſdam accōmodatior videtur explicatio de ſapientia creata Carthuſiano ſcilicet, Caietano Pinedæ, & noſtro Aſtunegæ, non puto argumentum ſumi poſſe, niſi à fortiori: nam ſi ſapientia creata non poteſt diſtinctè cognoſci ab hominibus, quantūcumque excellentiſſimo polleant ingenio, à fortiori nec ipſa increata ſapientia.

23. 4. Locus. *Eccleſiaſt. cap. 7.*

Contra eundem errorē expendit Baſilius illa verba Eccleſiaſtes cap. 7. *cuncta tentaui in ſapientia, & dixi, ſapiens efficiar, & ipſa longiùs receſſit à me multòmagis, quā erat, & alta profunditas: quis inueniet eam?* Vide Baſilium in lib. de vera Fide p. 346 F. Gregorium lib. 32. Moral. c. 1. & Carthuſian. in eodem loco. ¶ Deniq; idem Baſilius in dicto loco, & Orat. 20. de principatu, & potentia expendit verba Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* & illud Danielis 3. *Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim.* Illud etiā ad Roman. 11. *O altitudo diuitiarū ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehēſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Adde illud Ioannis 16. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Denique addimus verba Salomonis: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris,* & hæc de locis Sacræ paginæ.

Ex Pſalm. 13,

ARTI-

ARTICVLVS III.

An præcitatus error expugnetur Patrum teſtimonijs.

1. Error iſte impugnatur Patrum teſtimonijs

EVndem errorem improbaſſe cõmunem Sanctorũ Patrum doctrinam primũ oſtendi poteſt authoritate illorũ, qui generaliter docent nullũ intellectũ creatum vi ſua naturali poſſe Deũ clare videre, quos in ſequenti quæſtione referemus. In proprijs terminis noſtri intellectus primũ adduci poſſunt, qui loca ſcripturæ, in quibus denegatur homini clara Dei viſio, explicant de viſione ex viribus naturę. Quibus addimus ſequentes Patres.

Cyril. Hieroſolymit.

Cyril. Hieroſolymitanus catec. 6. in 2. tom. Bebliotec. Patrum p. 87. A. aſſerit *Dñm nos admonuiſſe infirmitatis noſtræ, dũ ait Deum nemo vidit vnquam.* Quid eſt homines admoneri ſuæ infirmitatis, niſi admoneri vires naturæ infirmas eſſe, vt ad Dei viſionem pertingant. Statim addit: *Angelis ignorantibus cum ſecundũ propriam virtutem vnicuiq; reuelat per Spiritũ Sanctum Vnigenitus; ita vt diximus, nemo hominum erubeſcat ignorantiam fateri:* ignorantiam, inquam, ſecundùm propriã virtutem vt de Angelis dixerat.

2. *Cyril. Alexand.*

Cyril. Alexand. de hominibus in hac vita degentibus ita ſcribit lib. 1. in Ioan. cap. 8. *præterea quomodo, ſi lux vera hominibus natura ineſt, ad Deum clamamus, in lumine tuo videbimus lumen?* Agit autem de luce, qua Deus in ſe ipſo videtur. Et ſtatim inde probat homini naturaliter nõ ineſſe Deum videre, quia poteſt propria voluntate illa luce priuari: *inſuper* (ait) *hoc eſt iudicium in Euangelio; quia lux venit in hunc mundũ, & homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem. Quomodo igitur, ſi creatura lux vera eſt ad illuminandũ eam venit Filius Dei? aut quomodo, ſi lux eſt, ad lucem venire negatur? cum, quæ naturæ inſunt, vnà cum natura durant.* ¶ Faciunt quæ ſcribit lib. 1. in Ioan. c. 22. pag. 637. & 638. poſtquam enim concluſit Patrẽ ſoli conſubſtantiali Filio eſſe viſibilem, & nulli præter eum viſione Deo conueniente addit: *Sed aciem oculorum hominis tanquam Deus effugiens: quia omnem ſuperat creaturam, & cætera,* quæ verba non poſſunt non intelligi de acie naturali noſtri intellectus: nam per gratiã Deus nõ fugit: quia in patria clarè videtur. ¶ Optima ſunt verba ex lib. 4. Theſauri c. 2. p. 262. C. *aut quomodo natura Deus videbitur?* natura, inquam, id eſt viribus naturę.

Naziãz. in 2. orat. de Theologia plura ad inſtitutum ſcribit. Nam arguens contra eos, qui falſò gloriabantur ſe Deum comprehendiſſe, latè diſcurrit per ea, quę homo vi ſui naturalis luminis poteſt comprehendere, & oſtendit per ea ſubſtantiã Dei in ſe ipſa attingi non poſſe, vt habes pag. 295. & inde infert pag. 297. col. 1. *Deum extra humani ingenij captum eſſe.* Et columna 2. ita ſcribit: *nobis vtiq; qui terræ vinculis aſtricti tenemur craſſaque hac carne obtegimur hoc perſpicuum eſt, quòd quemadmodum nulla ratione fieri poteſt, vt quiſpiam qualibet greſſum vrgeat vmbram ſuam præteriens: aut oculus rebus in aſpectum cadentibus citra intermediã lucem, & aerem coniungatur, aut natalitia animantia extra vndas labantur: ita impoſſibile eſt ijs, qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum rerum adminiculo rebus ijs, quæ animo, & ratione intelliguntur, omnino coniungi.* ¶ Pergit in oſtẽdenda hac veritate p. 298, col. 1. & oſtendit fieri non poſſe, vt Deũ per vires noſtras percipiamus, particularẽ aliquam ſpeciem ex cõiecturis, & ſimulacris colligẽtes; & tandẽ his verbis concludit: *Ita mẽs noſtra in hoc lãguet, atq; fatiſcit vt è corporeis & ſenſibilibus rebus excedat, atq; incorporeæ nullius rei interuentu iungatur, quandiù cum ſua infirmitate ea, quæ vires ipſius excedunt, ſpeculatur.* Ecce affirmat Nazianz. mentẽ noſtram, quãdiù ſpeculatur, quæ vires ipſius excedunt, omninò languere, & deficere: & inde probat Deũ in hac vita non poſſe in ſe ipſo videri, ſed omninò excedere naturalẽ noſtri intellectus captum. Vnde addit: *Etenim Deum quidem, & primariã illam cauſã natura quidẽ omnis rationis particeps appetit: cæterũ ob eas, quas dixi cauſas, viribus deficitur.* Pag. 299. col. 1. *ad hunc modũ ratio illa diuinitùs omnibus inſita ac prima in pectoribus noſtris condita lex, cũctiſq; mortalibꝰ annexa, nos ab ijs rebus, quæ oculis cernũtur, ad Deũ euexit.* Ecce agit de lumine naturali noſtri intellectꝰ, & addit: *Ergo ſuperiorem telam retexentes ita rurſus dicamus: quid tandem Deus natura ſua atque eſſentia ſit, nec mortalis quiſquam vnquam inuenit, nec inuenire in hac vita queat.* Annotanda ſunt verba pag. 300. col. 1.

3. *Nazianz.*

in fine: explicans enim ſententiam Pauli, quòd in hac vita Deum ex parte cognoſcamus, ita ait: *eo nomine* (ſcilicet ex parte) *omnem quoque humanā terrenamq́ ſcientiam nihil ſupra ſpecula, & ænigmata eſſe ſtatuat; vt potè vltrà exigua veritatis ſimulacra minimè ſe ſe porrigentem.* ¶ *Denique pag.300.col.2.apertè docet Dei naturam intellectu aſſequi pènitus eſſe ſupra humanas vires.*

4. *Greg. Nyſſenus.* Gregorius Nyſſenus eandē catholicā veritatem in terminis docuit pluribus in locis; ſed præcipuè in lib.de Beatitudinibus, dū agit de Beatitudine promiſſa ijs, qui ſunt mundo corde. Totus eſt in conciliando loco Matth.5.*Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, cū loco Ioan.1.*Deum nemo vidit vnquam*, & cum Paulo 1.Thimot.6.*quem nullus hominū vidit, ſed nec videre poteſt*, & cū loco Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Conciliat autem loca iſta ſecundū apparentiam repugnantia, ſupponens in illis ſermonem eſſe de viſione Dei, in hac vita, pùtatque eam vires noſtras excedere, & proinde in hac vita nulli hominū contigiſſe: eſſe tamen diuina gratia promiſſam mundis corde. Vtrūq; tanquam certiſsimum ſupponit, & pag. 56.his verbis ſcribit: *Si ergo non ambigitur, quin illi, qui contēplationem Dei ſupra vires eſſe prædicauerunt, beati ſint: Beatitudo autem ex conſpectione Dei exiſtit, atq; videre Deū contingit, ſiquis puro corde ſit.* Et ſtatim: *Dici poteſt quòd, & illi qui cum Paulo contemplationē Dei ſupra vires eſſe pronuntiant, vera dicunt: & Domini vox illis non aduerſatur, quæ Deū per puritatē cordis conſpectū iri pollicetur.* Et inferiùs pag.58. *Sed cum duplex ſit in promiſsione videndi Deū intellectus: vnus quidē cognoſcendi naturam vniuerſitati in ſupernis præſidentē: alter verò per puritatem vitæ, cū Deo quaſi contemplandi, & coniungendi; primam quidem contemplationis ſpeciē impeditā eſſe, & confici non poſſe, Sanctorū vox declarat: ſecundā verò per præſentē doctrinam humanæ naturæ Dñs promittit, cum dicit, beati puro corde, quoniam ipſi Deū videbunt.* Quæ verba cū à Nyſſeno intelligantur de viſione diuinæ eſſentię in hac vita, vt aduertimꝰ: euidenter confirmant viſionē claram Dei in via confici non poſſe, niſi per gratiam purifica ti cordis. At verò ſi homo per ſua naturalia poſſet videre Deū, nec adhoc indigeret ſupernāturali mūditie cordis; nec talis viſio eſſet illi impoſsibilis: quia Deꝰ Author naturæ ad impoſsibilia nulli dedit vires naturales. ¶ Facit locus ex lib. de vita Moyſi: vbi p.528.apertè teſtatur 5. in illis verbis, *nō videbit me homo & viuet*, affirmaſſe Deū, non eſſe hancvitā viſionis Dei, quam Moyſes poſtulabat, capacem. Quod ſi non eſt capax, quomodo illa poterit eſſe homini naturalis. ¶ Ibidē pag. 519.agēs de petitione Moyſis ita ait: *orat vt videat, non vt ipſe capere poteſt* (ſcilicet imperfectè, & naturaliter) *ſed vt in ſe habet, qui deſideratur.* Irenæus lib.4.aduerſ. hæreſes, multis oſtendit neminem poſſe Deū videre, niſi Deo ſe illi reuelante.cap.14.ita ait: *Nec Patrē cognoſcere quis poteſt, niſi Filio reuelante; nec Filiū, niſi Patris beneplacito.* Et inferiùs: *edocuit autem Dñs, quoniam Deū ſcire non poſſumus, niſi Deo reuelante: hoc eſt. ſine Deo non cognoſci Deū.* Cap.37.agēs de Deo omniū creatore, ita ait: *qui ſecūdū magnitudinē quidē ignotus eſt omnibus his, qui ab eo ſunt facti: nemo enim inueſtigauit altitudinē eius: nec veterū, nec eorū, qui nunc ſunt: ſecundū autem dilectionē cognoſcitur ſemper per eū, per quem cōſtituit omnia.* Et ſtatim: *homo à ſe non videt Deū: ille autē volens videtur ab hominibus, à quibus vult, & quando vult, & quomodo vult.* Deniq; in eodem cap.ſimpliciter affirmat *impoſsibile eſſe hominem videre Deū*, ex naturalibus ſcilicet; nam per gratiam id eſſe poſsibile ſæpiſsimè affirmauit.

Chryſoſt.in 5.homilijs de incōprehēſibili natura Dei contra Anomæos id ſę- 6. *Chryſoſt.* pè docuit. Id facilè erit oſtendere, ſi ſupponamus Anomæos in hoc ſenſu arrogaſſe ſibi plenam ſcientiam diuinę ſubſtātiæ, vt eam ſuis viribus aſſecutā eſſe gloriarētur. Hoc expreſsit Chryſoſt.homil.2.pag.972.A.ita inquiens: *Deus, quem tu ſcrutaris, & rationibus tuis ſubijcis*, & cæt. Rationibus, inquam, tuis, id eſt, rationibus luminis naturalis tui intellectus. Vnde pa.970.B.in eoſdem inuehitur, quòd diuinas ſententias non fide recipiant, ſed rationis examine requirant, ita enim habet: *quod enim probare voluimus, ideſt, nullam ijs dari veniā, qui modos Dei oraculorū ſcrutantur, & hæſitant, qui diuinas ſentētias nō fide recipiunt, ſed rationis examine requirunt.* Ex quibus collige Anomęos teſtimonio Chryſoſtomi docuiſſe poſſe hominem

minẽ in hac vita viribus naturæ videre.

7. *Chryſoſt.* Hoc ſuppoſito iam patet Chryſoſtomũ docere hominem mortalẽ nullo modo poſſe ex proprijs viribus habere clarã Dei viſionẽ: etenim hoc in Anomęis acerrimè reprehendit. Et homil: 1. p. 963. latè ſpatiatur in oſtendẽda intellectus noſtri naturali imbecillitate: & multis oſtendit, quantũ ea ſcientia, quam hîc habemus diſtet ab ea, quæ futura eſt in patria: nam ex Paulo, quæ in via eſt ſcientia, eſt ex parte; at in patria erit tota: hic intelligendo ſumus paruuli; ibi erimus viri: hic ſcientia eſt imperfecta, quia eſt obſcura, & ęnigmatica; ibi erit clara, & intuitiua. Ex quibus patet Chryſoſtomum comparare ſcientiam patrię in ordine ad diuina, cum ſcientia viæ, quæ habetur, tum Fide, tum naturali lumine. Ex quo diſcurſu colligitur claram Dei viſionem non ſolum haberi nõ poſſe in via lumine Fidei, ſed nec lumine naturali. Vnde in eâdem homilia 1. poſtquàm ſcientiam viæ comparauit ſcientiæ pueri, ita ait: *itaque more pueri cõplura ſcio; tamen modum eorũ ignoro: Deũ namque eſſe vbique, totumq́; eſſe quaq́; in parte orbis terrarum noui:* naturali ſcilicet ratione: *ſed quemadmodum ſit, neſcio. Item non inceptum, non genitum, ſempiternũ eſſe Deum, non ignoro* (lumine ſcilicet naturali) *ſed quo pacto ita ſit, intelligere nequeo: haud enim humana ratio poteſt capere, quemadmodum fieri poteſt, vt aliqua ſubſtantia ſit, quæ nec à ſe ipſa, nec aliunde ſuam originem habeat:* non, inquam, humana ratio id poteſt capere lumine ſibi connaturali, quãuis poſsit, ſi lumine ſupernaturali eleuetur. ¶ Faciunt quæ ſcribit in eadem homilia p. 966. D. vbi contra Anomæos ita inſurgit: *Vides quantum timoris, quanta religionis obſeruantia inter Angelos eſt? Vides quantus contemptus, quanta negligentia inter homines? Angeli glorificant, honorant, colunt, obſeruant, adorant: homines paruifaciunt petulanter ſcrutantur, temere, pluſquã capere poſſunt, conantur rapere. Illi cõmendant, & laudant: hi diſceptant, & plus ſibi arrogant, quàm valeant intelligere. Illi oculos integunt, & venerantur: hi contendunt imprudenter inſpicere atq́; intueri ineffabilẽ gloriã.* Quibus verbis hæreticos arguit, quod imprudẽter, & per rapinã intẽdãt inſpicere, & intueri ineffabilẽ Dei gloriã. Id tñ nec imprudẽter, nec per rapinã intẽderẽt, ſi ad illũ intuitũ vires naturales haberent.

8. *Idem Chryſoſtom.* Homil. 2. pag. 970. poſtquam exẽplo Zachariæ oſtẽdit Anomæos non eſſe dignos venia quòd diuinam ſubſtantiam nõ fide, ſed rationis ſuæ examine inquirant, latè ſpatiatur in oſtendenda humani intellectus imbecillitate ad intelligenda etiam corporea: agit autem de imbecillitate luminis naturalis: nam ſi diuinitùs eleuetur facilè hæc omnia intelligendo comprehendet. Vnde pag. 973. totam diſputationem ita concludit: *Hinc Paulus ſapientiſsimus ille, cum in comparabilem Dei exuberantiã, & naturæ humanæ fragilitatẽ cogitaret, contra homines qui diſpenſationes diuinas ſcrutabantur, moleſtiſsimè ferens dicebat: O homo, tu quis es, qui reſpõdeas Deo? Quis es? intellige priùs tuam naturam, quæ ſit: nomen enim nullũ comperies, quod poſsit tuam ſatis exprimere exiguitatem.*

Homil. 3. poſt principiũ: *inuocemus ipſum ineffabilẽ, inuiſibilem, incõprehenſibilem inintelligibilem Deũ, qui omnẽ linguæ humanæ ſuperat facultatẽ: qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit: quẽ nec Angeli inueſtigare, non Archangeli indagare, nõ virtutes, non deniq́; aliqua creatura cernere valet.* Multa ad eandẽ veritatem confirmandã colliges ex homil. 3. 4. & 5. ſatis ſint, quæ ſcribit homil. 5. p. 995. *Subſtantia nãq́; ſubſtantiã ſuperiorẽ nunquam perfectè intelligere poteſt, etiamſi parum intereſt. Audi quid Propheta de Angelis, atque de hominum genere dicat: cum enim propoſuiſſet, quid eſt homo quòd memineris eius, addidit, minuiſti eũ paulò minus ab Angelis: verumtamen, & ſi parum diſcriminis eſt: tamen quia intereſt aliquid, neſcimus, exquiſitè Angelorum ſubſtantiam, nec ſi ſummè philoſophabimur, cõperire vnquam, quid ſit, poterimus.* Et poſtquã oſtendit hominem propriæ naturæ viribus, nec Angelum, nec proprium animũ quidditatiuè cognoſcere; in fine hæc ſcribit verba: *Et quidem hanc rationem ſciendi propterea Deus à nobis ſecluſerat, vt larga quadam argumenti copia noſtra opprimeret ora, & mentem fragilem detineret, ac deorſum moueret: conſtaretque minimè res maiores, quàm vires poſſunt humanæ attingere, ſcrutari, & curioſe exquirere.*

9. *Baſilius* Magnus Baſilius ſępe veritatem iſtam demonſtrauit. Nam orat. 20. (quæ eſt de principatu, & potentia) poſtquam ex ſacris literis oſtendit quoſdam viros ſan-

ſanctiſsimos videndo, non ipſam Dei gloriam, ſed ſimilitudinem quandam illius, perterritos in terram cecidiſſe, ita ait: *Si autem vis apertè cognoſcere fieri non poſſe, vt natura Dei comprehendatur, accipe quid dicant tres pueri. Et cætera,* & ſtatim: *quod ſi thronum, quem Ezechiel expoſuit, nequeamus comprehendere: eum, qui huic inſidet nimirum Deum, qui in conſpectum non cadit, quomodo, amabò, comprehendemus.* Et ne ad comprehenſionem propriiſsimè ſumptā recurras, ſtatim adiungit: *nam facie ad faciem, & perfecta cognitio incomprehenſibilis maieſtatis Dei in futuro ſæculo dignis exhibēda promiſſa eſt: nunc vero ſiue Paulus ſit, ſiue Petrus: cernit quidem ea verè, quæ videt, nec errat, nec imaginatur: ſpeculum tamen, & veluti in ænigmate cernit, & id quod nūc ex parte aſſequitur, grato animo ſuſcipit: perfectam autem cognitionē in futuro magno cum gaudio expectat.* ¶ Idem in lib. de vera Fide poſtquam docuit Dei gloriam, & maieſtatem nec orationem aliquā poſſe circunſcribere, nec ſententiā declarare, ita ſcribit pag. 346. B. *nā illud facie ad faciem, & ab omni parte cumulata, & perfecta cognitio, ea in futuro ſæculo promiſſa idoneis ſunt. Quandiù vero in hac vita ſumus, licet Petrus ſit aliquis, licet Paulus; cernit verè ille quidem, quæ cernit, nec per errorem decipitur; per ſpeculū tamen cernit: & per ænigma.* Quòd ſi per cognitionē fidei ad cognitionem claram peruenire nō poſſumus; vtique nec per lumen naturale. Quod clariùs explicat ibidem litera D. E. *ex his igitur colligimus infinitum quiddā eſſe, quod de rerum diuinarum cognitione diuinæ literæ ſentiunt: nec vllo modo vires humanas, quādiù hic in terris vitam ducimus, earum arcana penitùs poſſumus comprehendere.* ¶ Denique lib. 1, aduerſus Eunomiū pag. 261. A. B. poſtquam hæreticum reprehendit, quòd dixerit ſe ſolū ipſam Dei ſubſtantiā inueniſſe, ab eo exquirit, an eā inuenerit ex doctrina Spiritus. S. an ex communi conceptione, id eſt, naturali lumine intellectus. Prius membrū latè impugnat, hoc poſterius ex eo reijcit, *quod lumen naturale poteſt nobis ſuggerere Deum eſſe; non tamen quidnam ſit Deus.* Et litera E. hæreticum irridens ita ait: *at Eunomio non modo nomen, ſed etiam ipſam ſubſtantiam ſuam Deus oſtendit, & rem ita abditā, quæ nullis etiam Sanctis patuit, ipſe in libris ſuis edit, & publicā temerariè omnibus facit. Et ea quidē, quæ promiſsionibus nobis præparata ſunt omnē cognitionē excedunt humanā, & pax Dei omnem mentē ſuperat: ipſam autē ſubſtantiā Dei non patitur Eunomius ſupra omnem intelligentiam, & cognitionem hominum eſſe.*

10. *Origenes.*

Origenes lib. 1. Periarchon. c. 1. agēs de vi naturali noſtri intellectus, vt ex diſcurſu totius capitis colliges, & maximè ex illis verbis: *Non enim corporalibus incrementis cum corpore mens augetur, ſed eruditionibus, & exercitijs adhibitis acumē quidē elimatur ingenij, quo, quæ ſunt ei inſita ad intelligentiā prouocātur:* Agēs, inquā, de naturali vi intelligendi ſic ait: *Ita mēs noſtra cū intra carnis, & ſanguinis clauſtra concluditur, & pro tali materiæ participatione hebetior, & obtuſior redditur; licet pro cōparatione naturæ corporeæ longè præcellens habeatur: tamen cū ad incorporea nititur, atque eorū intentionem rimatur, tum ſcintillæ alicuius lucernæ vix obtinet locū.* Quomodo igitur ad ſupremā Dei cognitionē, qualis eſt viſio clara, ſua naturalis ſcintilla peruenire poterit? Vnde addit: *quod autē in ōnibus intellectualib⁹, ideſt, incorporeis tā pręſtans omnibus, tam ineffabiliter, atq; inæſtimabiliter præcellens eſt, quam Deus? cuius naturam humana mens intueri, quamuis puriſſima aq; limpidiſsima, non poteſt,* virtute ſcilicet ſibi naturali, de qua ſola agit. Vnde ſtatim: *Ita ergo radij quidam ſunt Dei naturæ opera diuinæ prouidentiæ, & vniuerſitatis huius ad comparationē ſubſtantiæ, & naturæ. Quia ergo mens noſtra ipſum per ſe Deū, ſicuti eſt, non poteſt intueri; ex pulchritudine operum, & decore creaturarū parentem vniuerſitatis intelligit.* Iterū in codē loco parū ante finē, poſtquā ex ſacris literis oſtendit Deū eſſe inuiſibilem, ita ſcribit: *manifeſtè declarat* (ſcilicet ſacra ſcriptura) *omnibus, qui intelligere poſſunt, quia nulla natura eſt, cui viſibilis ſit Deus: non quaſi quòd viſibilis quidē ſit per naturam, & veluti fragilioris creaturæ excedat aſpectū, ſed quoniā naturaliter videri impoſsibile eſt.* Deniq; faciūt quę ſcribit. l. 2. Periarch. c. 12. in fin.

11. *Theodore.*

Theodoretus apertis verbis fatetur viſionē diuinæ eſſentiæ naturales noſtri intellectus vires excedere: nam dial. 1. p. 300. & 301. agens de hominibus, qui in ſacris literis referūtur Deū vidiſſe, ita ait: *Dicimus ipſos non vidiſſe diuinam naturam, ſed quaſdā viſiones, quæ eorū facultati conuenirent,*

nirent, nec eius modũ excederent: quod etiã de Angelis affirmat. Et in eodem ſenſu ſcribit Pſalm. 17. ad illa verba. *Inclinauit cœlos,* ita inquiens: *natura Dei minimè intelligi poteſt*, lumine ſcilicet naturali.

12. *Damaſc.* Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 1. explicans illa verba Ioannis. 1: *Deum nemo vidit vnquam*, ita ait: *poſt diuinam beatiſsimamq́; naturam nullus vnquam Deum nouit, niſi cui ipſe voluerit reuelare: non hominum modo, ſed ne ſuper mundanarum quidem virtutum.* Deinde addit: *Deum nos non deſeruiſſe omnimoda ſui circunfuſum ignorantia:* & conſequenter explicat, quænam Dei cognitio naturaliter nobis ſit inſita quæ vè noſtram infirmitatem excedat, addẽs: *quinimò cunctis cognitio, quod Deus ſit, ab ipſo naturaliter inſita eſt, atque ingenita,* ita ſignificans quidditatiuam cognitionem eſſe ſuper vires naturales. Et ſtatim concludit: *vt igitur nihil neſciens, & quodcunq́; conducibile eſt prouidens, quod conducit nobis cognoſcere, ipſe reuelauit: quorum autem pondus ferre non valemus, illa ſilentio occuluit.* Denique cap. 4. in principio ita ait: *Deum itaque eſſe, dilucidum eſt: quid autem ſit ſecundùm ſubſtantiam, ac naturam, incomprehenſibile id omnino eſſe, atque ignoratum.* Deinde ait: *De Deo tamen quid eſt ſecundũ ſubſtantiam dicere impoſsibile.*

13. *Theophyl.* Addimus Theophylactum 1. Timot. 6. ad illa verba: *Lucem inhabitans inacceſsibilem.* Et Euthymium in cap. 18. Matth. ad illa verba: *Dico autem vobis quod Angeli eorum.* Et Ioan. 1. ad illa verba: *Deum nemo vidit vnquam,* & Ioan. 17. ad illa verba: *quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.* Epiphan. hæreſ. 70. lib. 3. pag. 364. Clemen. Alexandrin. lib. 5. ſtromatum pag. 149.

14. *Dionyſius Areopag.* Magnus Dionyſius in libr. de cœleſti Hierarch. c. 1. eandem veritatem eleganter explicat; docens enim modum intelligendi diuina, nobis cõnaturalem ita ait: *Etenim nec poſsibile eſt aliter lucere nobis diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum anagogicè circumuelatum: & his, quæ ſecundùm nos ſunt, prouidentia paterna connaturaliter & propriè præparatum.* Senſus eſt: non eſt poſsibile increatam lucẽ (quam diuinum appellat radium) in hac vita nobis naturaliter lucere, & à nobis naturaliter intelligi, niſi obuelatum ſimilitudine rerum corporalium, quæ apud nos ſunt: quia hic intelligendi modus diuina prouidentia eſt nobis à Deo præparatus, atque inſitus, vt diuina accommodatè ad noſtram naturam poſsimus intelligere: id enim ſignificant illa verba: *& his, quæ ſecundùm nos ſunt, diuina prouidentia connaturaliter, & propriè præparatum.* Quare ob id dixit eſſe impoſsibile nos increatam lucẽ aliter intelligere, quam ex ſenſibilibus: quia nimirum naturale eſt noſtro intellectui ex illis ad inſenſibilia intelligendo aſcendere. Et ob hanc rationem (addit Dionyſius) Deus dignũ iudicans, vt humana Hierarchia imitaretur Hierarchiam cœleſtem, illius notitiã non aliter nobis tradidit, niſi formis figuriſque corporeis; quia ſcilicet non aliter eam poterat nobis reuelare modo nobis proportionato, & connaturali. Vnde poſt verba præcedẽtia ita ſubiungit: *propter quod & ſanctiſsimam noſtram hierarchiã* (Eccleſiaſticam ſcilicet) *perfectiſsima ſacrorum diſpoſitio cœleſtium Hierarchiarum:* hoc eſt Deus inſtitutor cœleſtis Hierarchiæ, *ſupermundana imitatione dignum iudicans:* id eſt iudicans dignum eſſe, vt noſtra Eccleſiaſtica Hierarchia cœleſtẽ imitaretur, *dictas immateriales hierarchias materialibus figuris, & formalibus compoſitionibus varificans tradidit*; id eſt, explicauit nobis cœleſtes hierarchias, eas variando per figuras corporeas, formaſq; imaginarias. Aſsignans autem rationem huius diuini conſilij adiungit: *Vt proportionaliter nobiſmet ipſis à ſacratiſsimis formationibus in ſimplices, & non figuratas aſcendamus altitudines, & ſimilitudines;* id eſt, vt per cognitionem multiplicium, & ſenſibilium formarum perueniamus ad cognitionem formarum ſimplicium, & infigurabiliũ; idque accommodatè ad modum intelligendi nobis naturalem. Et reddens huius rationem ita ſcribit: *quoniam non eſt poſsibile noſtro animo ad non materialem illam aſcendere cœleſtium Hierarchiarum imitationem, & contemplationem, niſi ea, quæ ſecundùm ipſum eſt, materiali manuductione vtatur.* Quibus verbis manifeſtè docet mentem noſtram ad cognitionem ſubſtantiarum cęleſtium conſentaneè ad ſuã naturam non aliter poſſe aſcendere, niſi per manuductionem, quæ ſecundùm ipſum eſt; hoc eſt ſibi connaturalem, à ſenſibilibus ad ſpiritualia perducatur. Quod rur-

rurſus repetit in fine eiuſdem capitis 1.

15. *Auguſt.* Hæc etiam veritas conſtans fuit apud Patres Latinos. Quidam ex recentioribus referunt Auguſtinũ aſſerentem Deũ ideò dici inuiſibilẽ, quia per vires naturæ videri non poteſt, voluntq; id aſſeruiſſe Auguſtinum Epiſt. 112. cap. 9. 10. 11. 12. & 13. & lib. 12. de Geneſi ad literam. c. 27. & lib. 3. de Trinitate cap. 17: ſed in omnibus his locis nec verbum inuenies de viſione Dei per vires naturales noſtri intellectus, nec ad hunc ſenſum vnquam explicauit verba illa Ioan. 1: *Deum nemo vidit vnquam.* Non negabo tamen ex doctrina Auguſtini in illis locis bene inferri, non poſſe hominem viribus ſuæ naturæ habere claram Dei viſionẽ: nam epiſt. 112. non ſolùm docet claram Dei viſionem promitti nobis in futuro ſæculo, quando erimus æquales Angelis; ſed etiã promitti in præmium meritorum viæ. Ex primo infertur viſionem Dei haberi non poſſe in vita ſecundùm legem ordinariam: ex ſecundo colligitur haberi à nobis non poſſe per vires naturales: aliter enim rationem præmij non haberet.

Idẽ Aug. ¶ Euidenter id docuit Auguſt. 10. de Ciuitate Dei c. 2. vbi adductis teſtimonijs ex Plotino, alijsq; Platonicis, quod tam anima, quàm Angeli non à ſe, ſed à ſuperiori aliqua natura habent vitam beatam: explicat eos in hoc conſentire cum Euãgelio Ioan. 1: *Non erat ille lumen.* Ioannes ſcilicet Baptiſta, qui ex ſe, ſuaque natura lumen non erat: & addit: *erat lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ:* & inde colligens differentiam duorum luminum ita concludit: *In qua differentia ſatis oſtenditur animam rationalem (qualis erat in Ioanne) ſibi lumen eſſe non poſſe, ſed alterius veri luminis participatione lucere: hoc & ipſe Ioannes fatetur, vbi ei perhibẽs teſtimonium dicit, nos omnes de plenitudine eius accepiſſe.* Quod ſi ex nobis lumine gratiæ lucere non poſſumus; vtique nec ex nobis lucebimus lumine gloriæ. ¶ Duodecimo de Geneſi ad literam ſolùm docet Aug. Deum ſecundùm ſubſtantiam videri non poſſe in hac vita quandiù homo ſenſibus vtitur; ſed opus eſſe, vt ab illis ita abſtrahatur, vt neſciat, vtrùm in corpore, an extra corpus Deũ videat, vt de ſe fatetur Paulus. Ex hoc infertur Deum in hac vita viribus naturæ videri non poſſe: nam ſi ita poſſet videri non indigeret illa abſtractione ab vſu ſenſuum; quin potiùs illo indigeret, quoniam naturalis cognitio pendet à ſenſibus. ¶ Lib. 3. de Trinit. c. 17. ſolum affirmat *Deum eſſe inuiſibilem, nec in ſua ſubſtantia ſecundùm ſanam fidem ab aliquo mortali viſum eſſe.* Quæ verba maiorem vim habent ad cõuincendum illum errorem: nam ſi nullus hominum in hac vita ſecũdùm legem ordinariam fidei poteſt Deũ videre; vtique nullus naturaliter eum videbit; nam quæ naturalia ſunt, non impediuntur à Deo, vt nunquam in actum exeant. ¶ Melior locus habetur 11. de Ciuitate cap. 9. ad finem: quatenus Aug. docet *Angelos factos eſſe lucem* (id eſt beatos) *non quidem in ſe ipſis, ſed per participationem incommutabilis lucis.* Quid eſt quęſo, in ſe ipſis? niſi quod lucem illam, & viſionem Verbi non habuerunt ex ſe, ſed participatione lucis increatæ, quæ ſe illis gratis communicauit.

D. Ambroſius clariùs id docuit lib. 1. in Lucam ad illa verba capitis primi *Apparuit autem*: explicans enim cur Angelus dicatur apparuiſſe, ita ſcribit: *hoc enim ſpecialiter aut de Angelis, aut de Deo ſcriptura diuina tenere conſueuit, vt quod non poteſt præuiderì, apparere dicatur.* Et inferiùs litera M: *nec enim in poteſtate noſtra eſt videri, ſed in poteſtate illius apparere*: in poteſtate, inquam, naturali: nã per gratiam id fieri poſſe ſtatim oſtẽdit. ¶ Optima ſunt verba in l. de bono mortis cap. 11. tomo 1. pag. 307. explicans enim quędam verba Pauli ita ait: *tunc reuelata facie gloriam Domini ſpeculari licebit, quam nunc animæ corporis huius concreti viſceribus inuolutæ ſyncerè videre non poſſunt.* Vide Ambroſ. in lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. & lib. de Fide contra Arianos c. 8. & ſerm. 21. poſt principium, & quæ ex Ambroſio adducit Auguſt. epiſt. 112. pag. 192. B. 2. 16. *Ambroſ.*

D. Hieronymus dubio procul hanc veritatem ſæpiſsimè docuit: nam in ſua natura Deum eſſe inuiſibilem docuit in cap. 1. Iſaiæ ad illa verba *audite verbum Domini principes Sodomorum.* Et cap. 6. ad illa verba: *ea quæ ſub ipſo erant*, & Epiſtol. 15. ſi tamen illa eſt Hieronymi. Cum verò per gratiam in Patria ſit viſibilis, vt ipſe fatetur; vtique quando dicit eum inuiſibilem, intelligitur de inuiſibilitate per 17. *Hieron.*

vires

•Gregor. vires naturæ. ¶ D. etiam *Gregorius li. 18. Moralium cap. 37. eiuſdem doctrinæ eſt aſſertor. Leo etiam Papa in ſermone omnium Sãctorum cap. 7. Iuſtinus Martyr in colloquio cum Triphone pag. mihi 42. col. 1. Proſper Aquitanius lib. 1. de vita contemplatiua c. 1. eleganter Cyprianus in præfatione operis ad Cornelium Papam pag. 444. Bernard. ſer. 31. in Cantica poſt principium: Iſidorus lib. 1. ſententiarum cap. 3. cum tribus ſequentib. Gloſſa ordinaria ad illa verba Pauli 1. ad Timotheum vltimo, lucem habitat inacceſſibilē. Optimè rem explicat Beda lib. 3. in Marcum ad illa verba capitis 9. & reſpondens Petrus. & ad illa Ioannis 1. Deum nemo vidit vnquam, & ad verba Pauli 1. Corint. 13. videmus nunc per ſpeculum. Denique 1. ad Timot. 6. ad illa verba lucem inhabitat inacceſſibilem pag. 1008. n. 20. vbi ita ait: quæ vtiq; ſoluitur quæſtio, vt inacceſſibilis ſit viribus noſtris: acceſſibilis autē muneribus ſuis.*

ARTICVLVS IIII.

An ratione naturali conuinci poſſit animam pro hac vita naturaliter non poſſe quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1\. COnſequenter inquirendum erat, an præcitatus error naturali ratione conuinci poſset? Sed quoniam huius quæſtionis explicatio maximè pēdet ex reſolutione; an demonſtrari valeat animam noſtram pro ſtatu cõiunctionis non poſſe ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè cognoſcere; operæpretiū duxi præmittere huius difficultatis reſolutionem.

Premiſſum primum. Quæ cognitio dicatur quidditatiua.

Præmittendum eſt ſolam illam cognitionem hoc loco appellari quidditatiuam, qua omnia prædicata eſsētialia vſq; ad vltimam differentiam conſtitutiuam quidditatis, & eſſentiæ diſtinctè cognoſcūtur. Quod aduertit *Caietanus de ente & eſſentia c. 6. q. 14. in principio, & 1. p. q. 88. ar. 2. §. Aduerte nouitie, Ferrarienſis 3. contra Gentes, c. 45. §. circa hanc determinationem ad finem, Iauel. in 2. Metaphy. q. 3. poſt principium, Fonſeca eodem lib. c. 1. q. 2. ſect. 1. Curſus Conimbric. 1. Poſterior. c. 1. q. 3. ar. 3. pag. 318. & Suarius in Metaphyſic. d. 35. ſect. 2. n. 3:* ſicut enim quidditas rei (quæ communiter appellatur quod quid eſt) ſimpliciter ſumpta complectitur omnia, quæ in eſſentia rei continentur vſque ad vltimas differentias, quibus eſſentia vltimo conſtituitur: hæc enim omnia explicantur definitione, vt ex Metaphyſ. ſupponimus: ita etiam ea ſola cognitio ſimpliciter & propriè dicenda eſt quidditatiua, qua omnia prædicata quidditatiua vſque ad vltimam differentiã diſtinctè cognoſcuntur. Quod adeò verum eſt, vt cognitio, quæ ſolùm habetur per prædicata generica, & communia, quantumuis ſint quidditatiua, dicatur cognitio, *quia eſt*, vt aduertit *Caietan. 1. p. loco citato ex doctrina Logicorum 1. Poſteriorum cap. 1. & 10.*

Quidditas rei omnia comprehēdit vſq; ad vltimas differentias.

Cognitio per prædicata cōmunia eſt cognitio quia eſt.

2\. Non recipitur Scotus.

Quare non ſatis accommodatè Scotus eam cognitionem appellauit quidditatiuam, qua ſolū de re cognoſcitur aliquod prædicatum quidditatiuum, quantumuis ſit commune & genericum, vt benè aduertit Fonſeca vbi ſuprà. Et à fortiori nō ſatis accōmodatè dicetur cognitio quidditatiua, quæ eſt aggregata ex pluribus prædicatis non quidditatiuis, quantumuis recurrant cum ipſa re: vtraque enim hæc cognitio pertinet ad cognitionē quia eſt: quod maiori cum ratione dicendum eſt in hac noſtra quæſtione, in qua ſolum inquirimus, an Deus aut ſubſtantię ſeparatæ poſsint à nobis in hac vita naturaliter cognoſci cognitione diſtincta, & perfecta; qualis non eſt, qua Deus, & ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcuntur, aut ſecundū prædicata generica, & non propria; aut ſecūdùm aggregationem prædicatorum non eſſentialium, quanuis illa cum rei quidditate conuertantur: vtraque enim iſta cognitio eſt confuſa & imperfecta, vt ipſimet Scotiſtę fatētur. Quare vtraq; illa cognitio dici poteſt cognitio quidditatis, non tamen quidditatiua, vt benè aduertit Caietan. vbi ſuprà.

3\. Premiſſum 2. Intellectus noſter poteſt cognoſcere prædicata cōmunia ſubſtantiæ ſeparatæ; & propria per aggregationē.

Præmittendum eſt ſecundò certiſsimum eſſe, poſſe noſtrum intellectum de ſubſtantijs ſeparatis naturaliter cognoſcere, & illas eſſe, & prędicata communia, atq; generalia; imò etiam propria, ſi plura ſimul aggregētur. Hanc veritatem nō ſolùm cognouerunt Philoſophi Chriſtiani, vt *D. Thom. 3. contra Gent. cap. 45. & Ægidius lib. 2. Metaphy. q. 15. cum cæteris;* ſed tanquam indubitatam vno conſenſu ſuppo-

ſuppoſuerunt Philoſophi veteres. Nam quanuis Themiſtius videatur ambigere (ſi credendum eſt Nympho lib. 6. de intellectu cap. 14.) tamen eandem veritatẽ cum alijs admiſit. Solùm fuit inter eos controuerſia de modo, quo noſter intellectus ad cognitionem ſeparatorum poterat peruenire, vt patet ex varietate opinionum, quas referunt *D. Thomas 1. p. q. 88. ar. 1. & 2. & latiùs 3. contra gent. à cap. 41. vſque ad 45. & Ægidius lib. 2. Metaph. à q. 9. vſque ad 15. & Nymphus loco citato.* Nec de ea vnquam dubitauit Ariſtoteles: nam quanuis 3. de Anima c. 7. text. 36. non ſoluerit hanc quæſtionem, quam ibi excitauit: imò nec eam diſſoluerit ex propoſito in libris, quos ab eodem habemus, vt de eo teſtatur Auerroes ita intelligendus in eodem loco, & in libello de beatitudine animæ cap. 3: multa tamen dixit, quanuis obiter, quibus mentem ſuã euidenter declarauit in ſenſu à nobis propoſito. Hunc nonnulli colligunt *ex 9. Metaphy. cap. 12. tex. 22. & lib. 12. cap. 7. tex. 39.* ſed efficaciùs id colliges ex *lib. 1. de partibus animaliũ c. 5.* Quod verò ſcripſit *lib. 2. Metaphyſ. c. 1. tex. 1. in fine: mentẽ noſtram ad ea, quæ natura ſunt omnium maniſeſtiſſima, ita ſe habere, vt veſpertilionum oculi ſe habent ad lucem Solis*, non probat Ariſtotelem declaraſſe partem negantẽ, quanuis id placeat nonnullis: imò euidẽter probant animam noſtram aliquo modo cognoſcere ſubſtantias ſeparatas: non tamen perfectè, vt bene aduertit Fonſeca *2. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 1. in fine:* etenim oculi illarum volucrum, etſi lucem Solis perfectè nequeant intueri: vtcunque tamen illam intuentur: & Ariſtoteles illud exemplum adduxit, non vt oſtenderet impoſſibilitatem, ſed ſolam difficultatem intelligendi res natura ſua notiſſimas; eamq; prouenire non ex rebus ipſis, ſed ex imbecillitate intellectus: & in hoc ſolùm ſeruatur ſimilitudo, vt ſicut oculi illarum auium non impoſſibiliter, ſed difficilè intuentur diurnum Solem: ita mẽs noſtra ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum ſe habeat, non vt non poſſit, ſed vt difficilè poſſit aliquid illarum intelligere: & hæc eſt omnium interpretũ communis explicatio.

D. Thom. Ægidius. Nymph. Ariſt. — *Auerroes.* — *Fonſeca.*

4. De quo ſit difficultas.

Tota igitur difficultas eſt de cognitione perfecta, & quidditatiua harum ſubſtantiarum: vnde in hoc ſenſu difficultas excitatur, & in eodem in ſequẽtibus explicabitur: ſi prius aduertamus hoc loco ſermonem eſſe de cognitione quidditatiua abſtrahendo ab intuitiua, & abſtractiua: in hoc enim ſenſu diſputatur à Philoſophis: quanuis enim principaliter diſputent de cognitione abſtractiua; à fortiori idem dicent de intuitiua.

§. 2.

Refertur ſententia negatiua.

5. Sententia negatiua.

QVod non ſit demonſtrabile ſubſtantias ſeparatas non poſſe à nobis quidditatiuè cognoſci, aſſerere tenentur, qui putant noſtrum intellectum poſſe eas in ſe ipſis cognoſcere perfectè & quidditatiuè. In qua ſententia fuere veteres ferè omnes: ita exiſtimauit Plato dum ait, formas immateriales ſubſiſtentes (quas Ideas appellabat) eſſe prima obiecta, quę noſtro intellectui primò & directè occurrunt, vt de eo ex *Ariſtotele lib. 1. de Anima refert D. Thomas 1. p. q. 88. art. 1. in principio.* Idem igitur diceret de ſubſtantijs ſeparatis. Clariùs id docuit *Auempace*, qui poſuit intellectum noſtrum, ſecundùm principia Philoſophiæ, per cognitionem ſenſibilium poſſe peruenire ad cognitionẽ claram ſubſtantiæ ſeparatæ: ita de eo referunt *Auerroes 3. de Anima. c. 7. tex. 36. & D. Thomas in dicta q. 88. ar. 2. Idem docuerunt Themiſtius & Alexander, teſte eodem Auerroe*; quanuis in declaratione modi intelligendi non conueniant. Auerroes etiam loco citato, teſte D. Thoma, vbi ſuprà art. 1. expreſſe docuit hominem in fine vitæ perfectè intelligere ſubſtantias ſeparatas; quia intellectus agens (quem ſeparatum ponebat) tunc ita perfectè vniebatur nobis, vt per eum intelligeremus. ¶ Ex Philoſophis Chriſtianis hanc ſententiam expreſſe probauit *Caietanus de Thienis lib. 3. de anima c. 7. tex. 36. in fine commenti: citatur etiã Ioannes de Gandauo in eodem loco, & mihi in eadem ſententia fuit Albertus Magnus, non quidem lib. 1. de Anima tractatu 1. c. 6. (quia nihil ibi hac de re agit) ſed lib. 3. de Anima tractatu 3. c. 11:* vbi verbis expreſſis docet, cum intellectus agens adhæret poſſibili, vt forma, ita vt per talem adhęſionẽ dicatur adeptus, *poſſe hominem per ſe ipſum perfe-*

Ariſt. D. Thom. — *Auẽpace.* — *Auerroes. Themiſt.* — *Caiet. Thi. Gandau. Albertus.*

perfectè contemplari, & intelligere ſeparata. Præterea lib. 2. Metaphyſ. c. 2. affirmat *intellectum humanum, quandiù coniunctus eſt imaginationi, habere lumen obſcurum: ab hoc tamen lumine per ſeparationem* (ſcilicet ſpecierum) *venire ad lumen ſyncerum, quod lumen conuenit intelligentijs: & à lumine ſyncero venire ad primum lumen: & aſcendẽdo per gradus tandem accipere lumen primũ in ipſo fonte luminis.* Quibus verbis ſatis ſignificat intellectũ noſtrum viribus ſuę naturę peruenire poſſe, non ſolùm ad lumen ſyncerum, quo intelligentias intelligat; ſed etiam ad lumen primum, quo intelligat Deum: idque perfectè & quidditatiuè, nam in hac cognitione ponit naturalem hominis felicitatem, ad quam Metaph. nos adducit. Et in hoc ſenſu Albertũ intellexit *Ægidius in dicta q. 15. li. 2. Met.*

Aegidius. Scotus. Pro eadem ſententia communiter refertur *Scotus in 1. d. 3. q. 1. & in 2. Metaph. q. 3. & quodlibet. 14. ar. 2*: ſed inferiùs oſtendem⁹ in terminis noſtræ quęſtionis Scotum longè ab hac opinione fuiſſe. Imò nec pro hac ſententia referri poſſunt, qui putant noſtrum intellectum in hac vita in intelligendo non ita pendere à cooperatione phãtaſiæ, & à corpore vt obiecto, vt non poſſit ſine hac dependentia intelligere ſubſtantias ſeparatas, quæ fuit opinio Toleti, & Valentiæ: hi enim expreſſè docent hanc intellectionem non eſſe perfectam nec quidditatiuam, vt inferiùs dicemus.

6. 1. fundamẽtum negãtis ſententiæ. Pro hac opinione plura adduci poſsũt fundamenta. Primum eſt, quoniam anima coniuncta ſuo naturali lumine poteſt clarè, & diſtinctè cognoſcere ſe ipſam. Ergo eodem lumine poteſt cognoſcere ſubſtantias ſeparatas. Conſequentia probatur: tum, quia ipſa eſt quædam ſubſtãtia in ſe ſeparata à materia. Tum ſecũdò; quia ex Aug. 9. de Trinit. c. 2. in fine anima per cognitionem ſui poteſt cognoſcere ſubſtantias ſeparatas. Antecedens ab omnibus recipitur: nam quanuis ſit controuerſia, an anima ſe ipſam noſcat per ſuam eſſentiam abſque vlla ſpecie (quæ fuit ſententia *Henrici quodl. 4. q. 7. Gregorij in 1. d. 3. q. 2. art. 1. & 2. probabilis apud Valentiam 1. tom. diſp. 6. q. 7. puncto 2. pag.* 1380) an verò ſe ipſam intelligat per ſpecies rerum ſenſibilium (*quæ fuit D. Thomæ ſententia 1. p. q. 87. ar. 1. & 3. & q. 89. ar. 2. & 3. contra gent. c. 46. & de Veritate q. 8. art. 6. quam Thomiſtæ probant, vt Caietanus in locis citatis, & de ente, & eſſentia cap. 6. q. 14. Ferrarienſis in dicto c. 46. Aegidius lib. 2. Metaphy. q. 15. & quodl. 2. q. 13. Curſus Conimbric. 3. de Anima c. 8. q. 7. art.* 2.) omnes tamen in hoc conueniunt, vt anima virtute ſua naturali diſtinctè ſe intelligat; imò etiam quidditatiuè, vt expreſſè docent *Aegidius in d. q. 15. & Caietanus de ente, & eſſentia loco citato, & videtur explicare D. Thomas in dicto c. 46. parũ ante finẽ, & ibi Ferrarienſis non longe à fin.* §. *Ad tertium dico, nec obſcurè id ſupponit D. Thomas de Veritate in dicta q. 10. art. 8.* quare non videtur dubitandum de veritate antecedentis.

Henric. Gregor. Valent. D. Thom. Caiet. Ferrar. Aegidius. Conimbricenſes. D. Thom.

Secundò ita arguitur; finis, qui ſimpliciter eſt naturalis, poteſt propria & naturali operatione acquiri, vt omnes admittunt; aliàs res fruſtraretur proprio fine. Sed finis naturalis hominis, naturaliſque felicitas poſita eſt in cognitione pręſtantiſsima ſubſtantiarum ſeparatarum, maximè primæ intelligentiæ ex *Ariſtotele* 10. *Ethicor. c. 7. poſt principium, vbi agens de operatione contemplatiua, in qua poſuit felicitatem, ita ait: hæc enim operatio præſtantiſsima eſt; quippe cum & mens ſit eorum, quæ in nobis inſunt, præſtantiſsima: & ea, circa quæ mens verſatur, cognoſcibilium præſtantiſsima ſint*: admittendum eſt igitur cognitionem præſtantiſsimam ſubſtantiarum ſeparatarum, maximè ſubſtantiæ primæ eſſe nobis naturalem, & ſubindè poſſe à nobis naturaliter acquiri. 7. 2. argum.

Confirmatur; quia anima noſtra non poteſt impediri à ſua naturali, & perfecta operatione propter coniunctionem cum corpore. Sed cognitio præſtantiſsima ſubſtantiarum ſeparatarum inter operationes naturales eſt præſtantiſsima. Ergo propter coniunctionem cum corpore nõ poteſt ab ea impediri. Conſequentia patet: minor autem eſt euidens ex doctrina Ariſtotelis immediatè poſita. Maior autẽ ex eo probatur: quia cum anima ex ſua natura ſit actus corporis, ſtatus eius in corpore erit illi maximè naturalis, vt docet *D. Thomas 1. p. q. 89. ar. 1.* Iam verò nulla forma naturalis impeditur à ſua naturali operatione propter coniunctionem cum propria materia; ideò quia illa coniunctio eſt illi maximè naturalis. 8. Confirmatio.

Tertiò;

9. 3. arg. Tertiò; ſi intellectus noſter non poſſet in hac vita Deum & ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè intelligere, fruſtrà nobis à natura daretur appetitus ad cognoſcendas earum eſſentias: fruſtrà etiā Deus feciſſet hoc vniuerſum naturaliter cognoſcibile à nobis, vt eius adminiculo, & ipſe & ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcerentur à nobis; idque in ſe ipſis: ad quod non ſatis eſt cognoſcere Dei & ſubſtantiarum effecta in ſe ipſis.

10. Quartum. Quartò arguit Auerroes 3. de Anima cap. 7. com. 36: quoniam ſi ſubſtantiæ ſeparatæ à nobis quidditatiuè intelligi non poſſunt, otioſe egiſſet natura, cum fecerit res ex ſe intelligibiles non eſſe ab alio intellectas.

11. Quintum. Quintò; quæ exiſtunt in materia ſenſibili, ideò poſſunt à nobis intelligi quidditatiuè, quia poſſunt abſtrahi à materia. Ergo quæ ex ſe ſunt à materia abſtracta poſſunt à nobis quidditatiuè intelligi. Probatur conſequentia: quia abſtractio à materia eſt ratio intelligibilitatis.

12. Sextum. Sextò; ſubſtantiæ ſeparatæ poſſunt in noſtrum intellectum ſpecies ſui intelligibiles imprimere. Ergo poſſunt à nobis quidditatiuè cognoſci. Conſequentia patet; quoniam quæ in noſtro intellectu habent proprias ſpecies, poſſunt quidditatiuè intelligi. Antecedens probatur, quia materialia virtute intellectus agentis poſſunt imprimere ſuas ſpecies in intellectū poſsibilem. Ergo id poterunt facere ſubſtantiæ immateriales, cum aptiores ſint ad agendum, quàm materiales.

13. Septimum. Septimò; anima noſtra coniuncta poteſt quidditatiuè percipere res materiales, vt patet. Ergo poterit etiam ſubſtantias ſeparatas: etenim illæ ſunt ſimiliores animæ humanæ: iam verò ex Ariſtot. in lib. de Anima, ſimile cognoſcitur à ſimili.

14. Octauum. Octauò, ſi aliquid hoc impediret, id eſſet, quoniam cum ſubſtantiæ ſeparatæ non cadant ſub ſenſum, non poſſumus abſtrahere ſpecies illarum. Hoc autem nihil impedit: quoniam ſubſtantiæ materiales per ſe non cadunt ſub ſenſum; & tamen illarum ſpecies acquirimus adminiculo accidentium, ideò quia accidentia agunt in virtute ſubſtantię: eodem igitur modo licet ſubſtantiæ ſeparatæ per ſe nō cadant ſub ſenſum; cadunt tamen earum operationes, motus ſcilicet cœli, ordo & adminiſtratio mundi ſenſibilis, in quibus tanquam in effectis proprijs manet illarū virtus. Cur igitur ex illis effectis non poterunt abſtrahi propriæ ſpecies illarum ſubſtantiarum?

Nonò; quidquid continetur ſub obiecto adæquato potentiæ naturaliter cadit ſub illam; & eò magis, quò magis participat obiecti rationem. At ſubſtantiæ ſeparatæ cōtinentur ſub ente, quod eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus, & & maximè participant rationem entis. Ergo poſsūt naturaliter à nobis intelligi. 15. Nonum.

Poſtremò; Ariſtot. lib. 3. de Anima c. 7. in fine mouit quæſtionem, an intellectus nō ſeparatus à magnitudine, hoc eſt, à corpore intelligat aliquam ex ſubſtantijs ſeparatis? Reſolutionem licet in alium locum reiecerit, eam tamen nullibi diſſoluit, ſi credimus Auerroi ibid. *com.* 36. *& in libello de animæ beatitudine cap.* 3. *& idem aſſerit Caietanus de ente, & eſſentia c.* 6. *q.* 14. *art.* 7. §. *ad rationem igitur*. Quod argumēto eſt Ariſtotolē de hoc dubium fuiſſe. Quomodò igitur oppoſitum poteſt demonſtrari? & à fortiori non poterit ſi vera eſt quorundam ſententia aſſerentium Ariſtotelem quæſtionem definiuiſſe pro parte affirmatiua 9. Metaph. cap. 12. tex. 22. & lib. 12. cap. 7. tex. 39. 16. Poſtremū. *Ariſt.* *Auerr.* *Caiet.*

§. 3.

Vera ſententia confirmatur ex Ariſtot. & Patribus.

OPpoſitam tamen ſententiam vno ore probauit cæterorum omniū conſenſus: omnes enim affirmant eſſe impoſsibile intellectum noſtrū pro ſtatu viæ poſſe ſuis viribus perfectè, & quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas. Ita cōſtanter docuit *D. Thomas* 1. *p. q.* 88. *ar.* 1. *&* 2. *&* 3. *Contra gent. c.* 45. *& in quæſtionibus de Anima ar.* 16. *& de Veritate q.* 18. *ar.* 5. *& paſsim alibi. Aegidius lib.* 2. *Metaphy. q.* 15. *Henric. in Summa de homine art.* 22. *q.* 1. 2. *&* 3. *Caietanus in dicta q.* 88. *& latiùs de ente & eſſentia c.* 6. *q.* 14. *Ferrarienſis* 3. *Contr. gent. c.* 45. *Bañes* 1. *p. q.* 88. *ar.* 3. *Dominicus de Flandria in* 2. *Metaphy. q.* 1. *ar.* 3. 4. *&* 5. *Iauel. ibid. q.* 3. *latiſsimè Fonſeca in eodem lib. c.* 1. *q.* 2. *ſect.* 5. *Suarius in Metaphyſ. d.* 35. *ſect.* 2. *n.* 2. *cum ſequentib. Valentia* 1. *tomo d.* 6. *q.* 7. *pūct.* 3. *pag.* 17. Vera ſententia. *D. Thom. Aegidius. Henric. Caiet. Ferrarien. Bañes. Dominic. de Flandr. Iauellus. Fonſeca. Suarius. Valentia.*

Toletus. Appollin. Scotus.

pag.1381. *Toletus in 3. de Anima c.7.q.23. concluſio.2.& 3.fol.194.col.2.& 3. Apollinaris ibi q. 27. & Mathias Aquarius in additionibus ad Ferrarienſem eodem lib.q.7. Et in ſenſu noſtræ quæſtionis idem docuit Scotus lib.2.Metaph. q.3.* vbi in terminis hãc quæſtionem excitat de ſubſtantijs ſeparatis vbi expreſſè docet *nullam eſſentiam ſpecificam poſſe à nobis naturaliter cognoſci de ſubſtantia ſeparata, ſed ſolam eſſentiam in vniuerſali:* nomine autem eſſentiæ ſpecificæ intelligit prædicata ſpecifica, quę vltimò conſtituunt ſubſtantiam ſeparatam in tali ſpecie: per eſſentiam verò in vniuerſali intelligit prædicata communia, vt patet *ex eadem q.3.§.ad quæſtionem dicendum,& §.ſed hoc argumentum: vbi affirmat præter conceptum entis nihil in ſpeciali poſſe à nobis intelligi de quidditate ſubſtantiæ immaterialis.* Quare Scotus in noſtra fuit ſententia, quamuis in modo loquendi differat. Idem ſentiunt omnes Scotiſtæ, qui hac de re loquuntur, vt colliges ex *Antonio Andrea in 2. Metaph. q.3.* vbi admittit ſubſtantias ſeparatas poſſe à nobis cognoſci ſecundùm ſuas quidditates; cognitione tamen vel per effectus, qui in confuſo indicant ipſam quidditatem, vel per conceptus aggregatos non quidditatiuos qui cum quidditate conuertuntur: ſed fatetur hanc cognitionem eſſe imperfectã, vt patet in ſolutione primi fundamenti, *§. Ad illud quod adducitur.* Idem colliges ex *Ioanne de Vngle in dicto lib. 2.q.1. concluſione 2.& ex Baſſolio, Mayronio, Lycheto,& Bargio, cæteriſq; citandis in artic.ſeq.*

Vngle. Baſſolius. Mayron. Lychetus. Barg.

18. Ariſtoteles an pro nobis ſtet?

Pro hac negante ſententia quidam referunt Ariſtotelem tum *lib.9. Met. c.12. tex.22. tum lib.12. c.7.tex. 39.* in quibus locis Ariſtoteles negat nobis cognitionẽ ſubſtantiarum ſeparatarũ longè inferiorem cognitione quidditatiua, de quo vide Fonſecam in dicta q.2. ſect. 7. in fine pag.329. à fortiori ergo nobis denegabit quidditatiuam illarum cognitionem. Sed quia ex illis duobus locis nonnulli contra noſtram reſolutionem haud leue ſumunt argumentum, vt inferiùs videbimus, non puto Ariſt. in illis locis pro nobis ſtare. Quare citandus erit *in l.1. de partibus animalium c.5.* vbi euidenter noſtram ſtatuit reſolutionem, & eiſdẽ fundamentis, quibus ſtatim vtemur, ita enim habet de ſubſtantijs immortalibus agens: *ſed partẽ illã æternam, ac proinde nobilem & diuinam minus cõtemplari propterea poſſumus, quod admodũ pauca illius modo ſenſui pateant, quorũ beneficio tum de ea ipſa parte diuina, tum de iis, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cogitãdi indagandiq; ſuppeditetur.* Quæ verba nõ indigent explicatione. Et ſtatim poſt quã explicauit nos de rebus mortalibus, ac ſenſibilibus vberiorem habere ſcientiam, ita addit: *res nãq; illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus, tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiam amplius oblectamur.*

Ariſt.

19. *Chryſoſt.*

Confirmari etiam poteſt eadem reſolutio apertiſsimis teſtimonijs Chryſoſtomi, & Origenis: Chryſoſtomus enim Homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura p.995. agens de noſtro intellectu ita ſcribit: *Subſtantiam nãq; ſuperiorem nunquam perfectè intelligere poteſt, etiam ſi parum interſit. Audi, quid Propheta de Angelis, atq; hominum genere dicit, quàm parum inter eã vtranque naturam interſit: veruntamen etſi parum diſcriminis eſt: tamen quia intereſt aliquid, neſcimus exquiſitè Angelorum ſubſtãtiam, nec ſi ſumme philoſophabimur comperire vnquam, quid ſit, poterimus.* Origenes etiam lib.1. Periarcon.c.1: *ita mẽs noſtra, cum intra carnis & ſanguinis clauſtra concluditur, & pro tali materiæ participatione hebetior, atq; obtuſior redditur, licet pro comparatione noſtræ corporeæ longe præcellens habeatur: tamen cum ad incorporea nititur, atq; intentionem rimatur, tunc ſcintillæ alicuius lucernæ vix obtinet locum:* vt omittamus, quæ ex Dionyſio, Nazianz. & Damaſc. ſtatim adducemus. Facit, quod ex veteribꝰ refert Fonſeca in d.q.2.ſect.4.ad finẽ: *potius à nobis in hac vita cognoſci de Deo, quid non ſit, quam quid ſit.* Conducit etiam quod refert ex Cicerone lib.1.de natura Deorũ, vbi quæſitus quidnã eſſet Deus, reſpondit cũ Simonide de eadẽ re interrogato: *Quantò diutiùs hac de re cogito, tantò mihi res videtur obſcurior.* Quibus verbis ſatis ſignificauit quidditatiuam Dei cognitionẽ noſtro naturali lumine eſſe adeptu impoſsibilem.

Origenes. *Fonſec.* *Cicero.*

§. 4.

Ponitur prima demonſtratio ex eo, quod noſtra naturalis cognitio incipit à ſenſu.

20. Prima demõſtratio.

SEd reſolutionem propoſitam naturalibus rationibus demonſtremus. Prima demõſtratio ſumenda eſt ex commu-

cõmuni doctrina, quod noſtra cognitio pro ſtatu huius vitæ, naturaliter incipit à ſenſu. Ex qua ſic licebit ratiocinari: cognitio naturalis huius vitæ naturaliter incipit à ſenſu. Ergo nihil naturaliter poſſumus in hac vita intelligere, niſi quod ſẽſu fuerit à nobis aliquo modo cognitũ. Sed plura eorum, quæ ad perfectam, & quidditatiuam cognitionem ſubſtantiarũ ſeparatarum pertinent, nullo modo poſſunt ad noſtrum ſenſum reuocari, nec aliquo modo dici poſſunt eſſe ſenſu à nobis percepta. Ergo fieri nullo modo poteſt, vt naturaliter habeamus cognitionẽ claram, & quidditatiuam harum ſubſtantiarum. Vltima conſequentia eſt legitima; ſupereſt vt minorem probemus ſimul cũ antecedente, & ſequela maioris.

21. Probatur minor ſecũdi diſcurſus

Quod attinet ad minorẽ ſecũdi diſcurſus illa ab omnibus Philoſophis etiã veteribus cõmuni conſenſu approbatur: omnes enim admittunt ſubſtantias ſeparatas omnibus modis quo ad prædicata illarũ propria eſſe à nobis inſenſatas. Et probatur ex verbis Ariſt. in dicto cap. 5. libri primi de partibus animaliũ, dum ait, *pauca eorum, quæ ad partem æternam, & diuinã* (ſubſtantias ſcilicet ſeparatas) *pertinent noſtro ſenſui patere*. Ita vt ſenſui noſtro aliquo modo ſubijciantur. Quod ſi pauca ex prædicatis illarum ſubſtantiarum ſenſui noſtro patent: vtiq; plura ſunt in illis, quę noſtro ſenſui patere non poſſunt. Idem ſuadent verba Ariſt. 2. Metap. c. 1. tex. 1. ad finem: *quemadmodũ veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent; ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſsima omniũ ſunt*. Quę ſimilitudo in eo tenet, quod ſicut oculi illarum volucrũ, licet aliquid diurnę lucis videre poſsint: tamẽ non habent vim naturalem ad percipienda, quæ in luce ſunt lucidiora, propter improportionẽ potentiæ ad claritatẽ, quæ eſt propriè diurna: ita mens noſtra, quandiù eſt in hoc corpore, licet aliqua de ſubſtantijs ſeparatis valeat cognoſcere, vt ſuperiùs præmiſimus; tamen non habent naturalẽ vim ad intelligenda, quæ in illis ſua natura ſunt manifeſtiſsima. Iam verò prædicata harum ſubſtantiarum eò ſunt manifeſtioris naturæ, quò ipſis ſubſtantijs sũt propriora & magis ſpecifica. Nec ſine ratione id aſſeritur: quoniam hæc prædicata ex ſua natura ſunt magis abſtracta à materia, & ideò puriora, quàm illa quæ communia ſunt illis cum ſubſtantijs materialibus: nam prædicata communia, quanuis in ipſis ſubſtantijs ſint abſtracta à materia, tamen ex ſua ratione non excludunt coniungi cum materia, contrahiq; ad eã: ita fit vt communia prædicata, quæ de ſubſtantijs ſeparatis cognoſcimus, aliquo modo ſenſibus pateant, quatenus ſcilicet contracta ad ſenſibilia, in illiſq; exiſtentia ſenſibus ſubijciuntur. Attamen quæ ſubſtantijs ſeparatis ſunt propria, & ſpecifica, ex ſua ratione non ſolùm non includunt materiam, ſed omninò eam excludunt, quia nullo modo poſſunt reperiri in ſenſibilibus, vt in illis ſentiri valeant. Quæ fuit minor ſuperioris diſcurſus, quam vt veram omninò, & apud omnes indubitatam proponimus.

Ariſt.

Quod verò attinet ad antecedens prioris diſcurſus, *naturalem ſcilicet cognitionẽ in hac vita incipere à ſenſu* euidenter patet ex Ariſtotele 1. Metaphyſ. c. 1. & lib. 2. Poſter. c. vlt. tex. 27. in quibus locis latè probat propoſitam propoſitionem. Idẽ probant verba Ariſtotelis in dicto c. 5. lib. 1. de Partibus animalium: *quorum* (ſcilicet ſenſuum) *beneficio tum de ipſa parte diuina; tum de ijs, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cogitandi, & indagandi ſuppeditatur*: non ob aliam cauſam, niſi quia ab eorum cognitione naturaliter incipit noſtra cognitio: *Cæcitas enim* (id eſt priuatio ſenſuũ) *eſt ſicuti, ſiquis omnino non haberet intelligẽdi potentiam*, vt ait Ariſt. 9. Metaphy. c. 12. tex. 22. ad finẽ. Eandem antecedentis doctrinam confirmat Dionyſius de cœleſti Hierar. cap. 1. dum iterum & iterum docet modum intelligendi nobis connaturalem eſſe, vt per ſenſibilia cognitionẽ acquiramus ab illis quaſi manu ducti: ita enim ſcribit: *Non eſt poſsibile noſtro animo ad non materialem illam aſcendere cœleſtium hierarchiarum imitationem, & contemplationem, niſi ea, quæ ſecundùm ipſum eſt, materiali manuductione vtatur*. A ſenſu igitur ex Dionyſio manuduci debet noſter intellectus, vt poſsit aliquid intelligere. Faciunt verba Damaſceni lib. 1. de Fide cap. 14: *Nos minimè poſſumus diuinas & ſubtiles, & immateriales Dei operationes, aut intelligere, aut eloqui, niſi imaginibus, & formis, & ſinificationis noſtro more vtamur ſignis*: à ſignis igitur ſenſibilibus

22. Probatur antecedens primi diſcurſus.

Ariſt.

Dionyſ.

Damaſc.

ſenſu

ſenſu perceptis cognitionem noſtram debemus incipere ex doctrina Damaſceni. Quod etiam colliges ex Nazianzeno Oratione 2. de Theologia:

Nazianz.

impoſsibile eſt iis, qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum, ac ſenſibilium rerum adminiculo, rebus iis, quæ animo ac ratione intelliguntur, omnino coniungi. Eandem doctrinam latè demonſtrat D.Thom. 1.p. q.84.art.6. vbi Caietanus cum cæteris, idẽ D.Thom. de Veritate q.10.ar.6.

D. Thom.

23. Demonſtratur à poſteriori.

¶ Demonſtrari autẽ poteſt ratione à poſteriori, & ipſa experientia. Etenim experientia conſtat hominem orbatũ aliquo ſenſu nullo modo poſſe intelligere obiecta illius ſenſus: cæcus enim de coloribus nihil intelligit, vt ait Ariſtoteles 2.Phyſic.c.1.tex.6. à quo ſumptum eſt commune prouerbium; cęcus nõ iudicat de coloribus. Imò qui omnibus orbaretur ſenſibus, nihil omninò poſſet intelligere ex Ariſt. 3.de Anim.c. 8.tex.39.& 9.Metaph. c.12.tex.22. dũ ait cæcitatem auferre facultatem intelligendi, per cæcitatem intelligit priuationem ſenſuum. Non auferret autem ſi noſtra cognitio poſſet incipere, & non à ſenſu.

Ariſt.

Demonſtratur à priori

¶ A priori etiã id demonſtratur; quia intellectus poſsibilis ex ſua natura eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, ex Ariſt. in libris de Anima: quia verò natura non deficit in neceſſarijs, illũ donauit intellectu agente, vt abſtractione ſpecierum reponeretur in actu primo intelligendi: munus autem connaturale & proprium intellectus agentis eſt abſtrahere ſpecies ſolùm à phantaſmatibus ſibi præſentatis à ſenſibus internis: ſenſus autem interni ex ſua natura pendent ab externis, vt patet ex libris de Anima. Ergo de primo ad vltimum intellectus noſter in intelligendo naturaliter depẽdet à cognitione ſenſus externi, tanquam à principio ſuæ naturalis intellectionis.

Confirmatur.

Accedit etiam, quia iuxta receptam Philoſophiam, fama, quę eſt operandi principiũ, ex modo eſſendi ſibi connaturali ſumit connaturalem modum operandi, quæ eſt recepta Philoſophia D.Thom. 1.*p.q.*12. *ar.*4.*& q.*89.*art.* 1: nam cum operari ſequatur ad eſſe, ex Ariſtotele 2.de Cœlo: modus operandi ſequetur ad modum eſſendi, de quo plura dicemus in quęſtione ſequẽti ar.5. Anima autem rationalis pro ſtatu huius vitæ eſt in corpore tanquam verus & connaturalis illius actus. Ergo modus operandi illi connaturalis erit cognitionis ſuę initiũ ſumere à cognitione ſenſuum. Ex quibus ſatis demonſtrata eſt veritas antecedentis prioris diſcurſus; noſtram ſcilicet cognitionem naturaliter à ſenſibus incipere.

D. Thom.

24. Plato dubitat de veritate antecedentis.

De cuius veritate inter veteres ſolus Plato dubitauit: ideò enim poſuit Ideas ſenſibilium abſtractas à materia & per ſe ſubſiſtẽtes, vt nobis eſſent prima principia ſcientiæ, iuxta ea, quæ de Platone refert Ariſt. 1.Meta.c.7.tex.25.31.47. & 48. & D. Thom. ibi lect. 11. ad tex.47. & 48. & ob id docuit Ideas eſſe propria obiecta noſtri intellectus, imò prima: materialia verò ponebat intelligi à nobis, quatenus intellectus permiſcetur phãtaſiæ, & ſẽſui: hinc inferebat nos eò puriùs intelligere ſubſtantias ſeparatas, quò magis intellectus à ſenſu, & phantaſia elongatur, vt de Platone refert D. Tho. 1. *p. q.*88. *art.*1. *in princ. & de Verit. q.*10. *ar.*6.

Ariſt. *D. Thom.*

Reijcitur Plato.

Sed de Platone non eſt curandum, cũ & ab Ariſt. in d.c.7. & ab Schola peripatetica ſemper fuerit rejectus, & videre eſt apud D.Thomã locis citatis. Imò à Chriſtianis eſt reijciendus, quia multa ſupponit contra fidẽ. Igitur antecedens primi diſcurſus firmũ maneat: cuius doctrinam non ſolùm probauit Ariſtoteles; ſed etiã cæteri omnes veteres Auempace, Alexander, Themiſtius, Empedocles, Auer. & cæteri omnes, quos contra noſtrã ſententiam ſuperiùs citauimus.

Ariſt. *Auempace.* *Alex.* *Themiſt.* *Empedocl.* *Auerroes.*

25. Probatio ſequelæ.

Tota difficultas eſt in probãda ſequela primi diſcurſus; quatenus ex illo antecedente infert nihil à noſtro intellectu naturaliter intelligi poſſe, niſi quod fuit à nobis aliquo modo ſenſatum.

Qui illam negant.

Quam cõſequentiam non poſſunt non negare, qui admiſſo antecedente putant ſubſtantias ſeparatas poſſe à nobis naturaliter cognoſci; etenim omnes, quos pro parte negante citauimus, libẽter admittũt noſtrã cognitionẽ incipere à ſenſu, & neceſſariò pendere à phantaſmatibus: & tamẽ docẽt ſubſtãtias ſeparatas à nobis naturaliter cognoſci quo ad ea prædicata, quæ nec fuerũt, nec eſſe potuerũt in ſẽſu. Nã Alexãder, & Auerroes volũt animã noſtrã ſubſtantias ſeparatas tũc intelligere, cum ita vnitur intellectui agẽti (quẽ ponunt eſſe ſubſtantiam ſeparatam nobis aſsiſtentẽ)

Alex. *Auerr.*

vt nihil iam intelligat per intellectũ poſſibilem, ſed ſolùm per agẽtem. Addũtq; hanc vnionem tunc fieri, cum intellectus poſſibilis actione intellectus agentis eſt cõpletè actuatus omniũ rerum naturaliũ ſpeciebus abſtractis à phãtaſmatibus: iam verò phãtaſmata, niſi à ſenſibus nõ ſumũtur. ¶ Idem colliges ex Auempace apud quẽ tunc intellectus noſter perfectè poterat intelligere ſubſtantias ſeparatas, cũ in abſtractione quidditatum materialiũ à phantaſmatibus tandem peruentũ eſt ad abſtractionem cuiuſdam quidditatis ſimplicis abſtractæ ab omni materia, cuius quidditatiua cognitione cæteras etiã cognoſcebat: ita de Auempace refert D. Th. 1. p. q. 88. ar. 2. & 3. cont. gent. c. 41. & in queſtionib. de Anima ar. 16. Eandẽ fuiſſe ſententiã Empedoclis refert Ægydius in 2. Met. q. 11. Igitur apud Auempace, & Empedoclẽ cognitio ſubſtantiarũ ſeparatarũ principiũ ſumpſit ex ſenſu, atq; phãtaſmatibus. ¶ Apud Alpharabiũ cognitionẽ illarum ſubſtantiarũ præceſſit cognitio ſenſitiua, & phantaſmatũ eformatio: is enim (*vt refert Ægydius in 2. Meta. q. 12.*) docuit tũc in nobis fieri cognitionem ſubſtantiarũ ſeparatarum, cum intellectus poſſibilis ex phãtaſmatibus actione intellectus agentis recepit omniũ rerũ naturaliũ ſpecies, quibus factus eſt intellectus adeptus, & aſſimilatus ſubſtantijs ſeparatis, ratione cuius aſſimilationis dũ intellectus ſe ipſum intelligit, intelligit etiã ſubſtãtias ſeparatas. ¶ Ad hanc ſentẽtiã proximè accedit Albertus Magnus, ſi expẽdãtur, quæ de illo diximus ſup. n. 5. Nam cũ velit intellectũ noſtrũ tunc primò poſſe intelligere ſubſtãtias ſeparatas, cũ primo ita fuerit adeptus, vt illi intellectus agens tanquã forma vniatur, idq; abſtractione ſpecierũ à phantaſmatibus, euidenter ſupponit cognitionẽ noſtram incipere à ſenſu. Deniq; id ſupponunt Caietanus de Thien. cũ cęteris, qui volũt intellectũ noſtrũ ab ſpeciebus effectuũ, operationũ, atq; proprietatũ, quas de ſubſtãtia ſeparata cognoſcit, abſtrahere ſpecies repræſentãtes quidditatiuè ipſas ſeparatas ſubſtãtias. ¶ Quare omnes Authores partis affirmantis admittunt cognitionẽ noſtram naturaliter incipere à ſenſu; & tamen volunt intellectum poſſe naturaliter intelligere, quæ in ſenſu nunquam

Auẽpace. *Alpharabius.* *Caiet. Thien.*

fuerunt: vnde conſequenter negabunt conſequentiam prioris diſcurſus.

27. Probatur ſequela. *Ariſt.*

Igitur enitendũ eſt in eo, vt oſtẽdamus ſequelam illã ex antecedẽte eſſe formalẽ & neceſſariam. Id oſtendemus primò ex Ariſtotele, deinde ratione. Ex Ariſtotele formalitas illius cõſequẽtiæ probatur, quoniã ęam facit l. 1. de Partib. animaliũ c. 5: vbi ex eo infert nos pauca intelligere de ſubſtãtijs ſeparatis, quia pauca illarũ patent noſtro ſenſui: quæ conſequẽtia nõ valeret, ſi aliquid ſenſui nõ patens poſſet nobis naturaliter intelligi. Hæc autẽ propoſitio ex eo ſolùm verum habet, quia omnis cognitio, cuiuſcũq; fuerit obiecti, neceſſariò incipit à ſenſu. Confirmãt hoc ipſum verba immediatè poſita: *quorũ beneficio, tum de ipſa parte diuina, tum de ijs, quæ noſſe cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandiq́; ſuppeditatur*. Quæ verba euidenter probant omnem noſtram cognitionem, ſiue rerum materialium, ſiue abſtractarũ, non peraccidens (vt volunt aduerſarij) ſed per ſe pendere à ſenſu: ita vt ipſa cognitio ſenſitiua prębeat intellectui noſtro vim & facultatem intelligendi ea, quæ naturaliter debet intelligere: dum ſcilicet ſenſus ſuppeditat obiecta apta: vt naturaliter intelligantur, modo ſtatim explicando.

28. Ratione probatur illa ſequela.

Ratione etiã probatur illa ſequela: quoniam cognitio naturalis noſtri intellectus non ob aliam rationem naturaliter incipit à ſenſu, niſi quia ex modo eſſendi in corpore habet, quod nihil naturaliter intelligat, niſi quod ei ab intellectu agente fuerit ex ſenſu, phantaſmateq; miniſtratum. Quod mihi ſatis probant & verba Ariſtotelis, & modus eſſendi animæ in corpore. Etenim ex Ariſtotele immediatẽ citato ſenſus ſuppeditat intellectui facultatem intelligendi; idque non ob aliã cauſam, niſi quia intellectui ſuppeditat obiecta ſibi naturaliter debita: qualia ſunt omnia & ſola, quæ in obiecto ſenſato aliquo modo cõtinentur. Cui etiam doctrinæ ſuffragãtur verba Ariſt. 9. Met. c. 12. tex. 22. dũ ait: *habere cæcitatẽ* (ideſt carẽtiã ſenſuũ) *perinde eſt, atq; nõ habere intelligẽdi potentiã*: quod nõ ita intelligas, quaſi qui caret ſenſibus, careat etiã potentia intellectiua (nec enim talis eſſet homo) ſed quia caret obiecto ſibi cõnaturali, ſine quo intellect⁹ naturaliter nõ poteſt intelligere.

Ariſt.

Quare

Quare apud Ariſtotelem ideò noſtra cognitio naturaliter incipit à ſenſu, quia nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi qđ ſibi à ſenſu miniſtratur. Quod etiam efficaciter colligitur ex eo, quod ex modo eſſendi in corpore anima noſtra per ſe pẽdet à corpore vt obiecto, & inde eſt vt nihil poſsit intelligere, niſi vel ſit corpus, vel ad inſtar corporis. Quę eſt communis & recepta Philoſophia, vt in ſequenti demonſtratione oſtendemus. Iam verò nihil poteſt ab intellectu cõcipi modo corporeo, niſi priùs fuerit in ſenſu. Porrò ſi admittatur noſtram cognitionem ideò à ſenſu incipere; quia ex eo quod anima eſt in corpore, nihil naturaliter intelligit, niſi quod à ſenſu aliquo modo fuerit miniſtratum; optima erit hæc conſequentia: cognitio noſtra naturaliter incipit à ſenſu: ergo nihil intellectus poterit naturaliter intelligere, niſi quod aliquo modo fuit in ſenſu. Cui reſolutioni ſi adiungamus minorem ſuperiùs poſitam; prædicata ſcilicet quidditatiua ſpecifica & propria ſubſtantiæ ſeparatæ nullo modo prę fuiſſe in noſtro ſenſu; neceſſariò infertur animam noſtram pro ſtatu viæ non poſſe virtute ſua naturali quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas.

29. Quæſtio quænam dicantur fuiſſe in ſenſu.

Si aliquis quærat quænam ſint illa, quæ aliquo modo in ſenſu fuerunt? Reſpondendum eſt eſſe omnia & ſola illa, quæ intellectus à ſenſibilibus poteſt abſtrahere: qualia ſunt omnia & ſola, quæ ſecundùm prædicamentalem ſeriem vſque ad genus ſummum, imò etiam vſque ad ens naturaliter à nobis abſtrahũtur: quia hæc omnia quidditatiuè in ſenſibilibus, phantaſmatibuſq; includuntur: & ob id in illis ſenſatis, ſenſibiliter etiam ſentiũtur: nam ſicut in conceptu hominis omnia homini ſuperiora virtualiter repræſentantur, & intelliguntur; ita etiam ſenſatione Petri dicũtur ſentiri, quæ in Petro eſſentialiter adunantur: etenim, vt iam diximus, ſubſtantia genus ſummum, licet in ſua ratione non includat materiam, ſed abſtrahat ab ea; non tamen eam excludit, ſed eſt in potentia, vt ſit in ea; & ob id potentialiter eſt ſubiecta ſenſibus. Quare illa prædicata, quæ ſolis ſubſtantijs ſeparatis conueniunt, nullo modo ſenſibus ſunt ſubiecta: nam cũ ex ſua ratione excludant materiam, ex ſua ratione excludent omnem ſenſabilitatem. Cum verò carẽtia ſenſus arguat in noſtro intellectu impotentiam intelligẽdi, vt diximus ex Ariſt. vtique iſta prædicata eſſe omnibus modis inſenſibilia, arguet in noſtro intellectu impotentiam naturalem, vt naturaliter intelligantur. Et hæc pro prima demonſtratione dicta ſint.

§. 5.

Secunda demonſtratio.

30. Secunda demonſtratio ſumpta ex conuerſione ad phãtaſmata.

SEcũda demonſtratio ſumitur ex eo quod intellect⁹ noſter pro ſtatu viæ nõ poteſt naturaliter intelligere, niſi per conuerſionẽ ad phantaſmata: hoc eſt, niſi phantaſia ſimul cum eo concurrente phantaſiando id, quod intelligitur. Nam intellectus noſter nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi phantaſia ſimul formet phãtaſma eius quod intelligitur. Sed phãtaſia nõ poteſt formare phãtaſmata eorũ prædicatorum, quæ ſubſtantijs ſeparatis ſunt propria & ſpecifica: ergo nõ poteſt naturaliter intelligere ſubſtantias ſeparatas cognitione quidditatiua. Cõſequentia eſt formalis: minor etiã apud aduerſarios eſt indubitata: quoniam phantaſia nihil poteſt phãtaſiare, niſi quæ à ſenſibus externis ſunt ſibi aliquo modo cõmunicata. Iam verò prædicata propria & ſpecifica ſubſtantiarum ſeparatarum nullo modo ſenſibus patere poſsũt; quia ex ſua ratione ita ſunt abſtracta à materia, vt illã omninò excludant. Et quanuis cõceptus ſpiritus naturaliter formemus per negationem materiæ; ille tamen eſt cõceptus cõfuſus, quo ipſa ſubſtãtia ſpiritus diſtinctè non concipitur. Et quanuis diſtinctè cõciperetur (quod non damus) non proindè conciperemns prædicata ſpecifica cuiusque ſubſtantiæ ſeparatæ: hæc enim, nec per negationem nobis ſunt nota.

31. Vbi eſt difficultas.

Tota difficultas poſita eſt in maiore; circa quam duæ difficultates ſolent excitari. Prima eſt circa intellectũ axiomatis Ariſtotelici, *oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*. Secunda eſt, an ſuppoſito vero illius ſenſu, ille intelligendi modus ſit nobis pro ſtatu viæ connaturalis?

32. Quomodò intelligatur oportet phantaſmata ſpeculari.

Quomodò intelligatur intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Quod attinet ad primam difficultatẽ conueniunt omnes in axiomate, *oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*, ſiue, *intelli-*

Ariſt. *intelligere per conuerſionem ad phantaſmata:* nam ſumitur ex Ariſtotele 3. de Anima c.7. tex.30. & c.8. tex.39: at in illius explicatione non omnes conueniunt: ſunt enim, qui volunt nihil aliud eſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari, & intelligere per conuerſionem ad illa, quàm intelligentem intelligere per ſpeciem abſtractam à phantaſmate. Ita *Valentia 1. tomo diſp.6. q.1. puncto 3. §. nec hoc eſt contra Philoſophum.* Apud quem iſte erit ſenſus, vt intelligens oporteat ſpeculari phantaſmata, quia oportet reponi in actu primo per ſpeciem à phantaſmate. Citat pro hoc intellectu *Tolet. in 3. de Anima q.15. ad 2. & q.16. in 7. ratione.* Sed nec Toletus id dixit, nec ſenſus eſt probandus, vt ex dicendis patebit.

Valentia.

Toletus.

33. Verus ſenſus illius axiomatis.

Verus igitur ſenſus eſt, vt intellectus etiam conſtitutus in actu primo per ſpecies à phantaſmatibus abſtractas neceſſariò exigat cõcurſum phantaſiæ, quæ obiectũ, quod debet intelligi, in ſe ipſa phãtaſietur in aliquo ſingulari. Oportet igitur intelligentem intelligere obiectum phantaſia illud idem ſpeculante, & phãtaſiante. Ita communiter explicatur in eodem loco, vbi D.Thomas *lectione 13. ad textum 39. Ægidius ibid. Curſus Conimbric. & Toletus cum cæteris. Probatunt D.Thom. 1.p.q.84. ar.7. ſi bene expẽdatur, ſatis innuit 1.p.q.75. ar.2. ad 3. & clariùs 2. Contra gẽtes c.73. §. Præterea ex hoc ſequitur. Expreſſe Scotus in 1. d.3. q.6. lit. N. §. quod additur de Philoſopho, & in 4. d.45. q.3. lit. N. §. Reſponſum eſt in præcedente, Durandus in 3. d.14. q.3. n.7. Caietanus 1.p.q. 84. ar.7. & q.89. art.1. & lib.1. de Anima c.5. Ferrar. in 2. Cont. gent. c.73. §. pro ſolutione primi, & l.1. c.65. §. ad 4. dubium, & lib.3. de Anima q.13. p.229. Denique eſt receptiſsima ſententia.*

34. Confirmatur.

Hunc ſenſum ſatis explicat litera græca, quæ ita habet: ὅταν τε θεωρῇ, ἅμα φαντάσματι θεωρεῖν, id eſt, *cumq; contẽplatur, oportet ſimul cum phantaſmate contemplari.* Quæ verba cum manifeſtè agãt de intellectu exiſtente in actu ſecundo, non poſſunt accõmodari ad ſenſum Valentiæ, ſed expreſsè ſignificant communem explicationem. Et iuxta hunc ſenſum explicanda ſunt verba Ariſtot. 3. de Anima c.7. tex.30: *quapropter ipſa anima ſine phantaſmate nihil intelligit,* ſine phantaſmate inquam, non quidẽ antecedente, vt ab eo ſpeciem recipiat; ſed actualiter præſente, cum anima eſt in actu intelligendi: nam Ariſtoteles concluſionem illã colligit ex verbis præcedentibus: *phantaſmata autẽ perinde ſubijciuntur intellectiui, ſicut ſenſibilia ſenſui.* Iam verò ſenſibilia non ſolùm ſubijciuntur ſenſui, vt ab illis ſenſus emiſsione ſpecierum immutetur: ſed etiã quia ſenſus actu operari non poteſt, niſi ſenſibilia ſimul coexiſtant ipſi operanti. In eodem etiam ſenſu explicãda ſunt alia verba Ariſtotelis 1. de Anim. c.1. tex.12: *intelligere vel eſſe imaginationẽ* (vt ex veteribus quidam voluerunt) *vel non eſſe ſine imaginatione.* Quę eſt Ariſtotelis ſententia: non quidem præcedente (vt aliqui malè interpretantur) ſed intellectionem concomitante: alioquin concluſio ab Ariſtotele aſſumpta ad inſtitutum nihil pertineret: quod latiùs explicare non eſt huius loci.

Ariſt.

Ariſt.

Eandem veritatẽ ſatis explicant verba Nazianz. orat.2. de Theologia. pagin. 297. col.2: *Impoſsibile eſt, qui corporibus incluſi ſunt, ſine corpore arum, ac ſenſibilium rerum adminiculo rebus ijs, quæ animo, ac ratione intelliguntur, omnino coniungi:* & ne hanc impoſsibilitatem intelligas de adminiculo antecedente, quatenus ſenſibilia ſunt neceſſaria ad abſtrahendas ſpecies, quibus intellectus fiat in actu primo; adiungit hæc verba quaſi reddens antecedentium rationem: *ſemper enim obiter ſenſibile aliquid incidit, quantũuis maximè noſtra mens à rerum aſpectabilium contagione ſeparata, atq; in ſe ipſam collecta, cum rebus cognatis, oculorumq; aciem fugientibus comercium habere conetur.* Quæ verba euidenter intelliguntur de anima actualiter operãte, ſe ſeque colligente ad ſpiritualia: nam quantunuis ſe colligat, & à ſenſibilibus ſe abſtrahat, ſemper ſenſibile aliquod incidit in ipſa phantaſia. ¶ Verbis ferè expreſſis idem docuit Dionyſius de cœleſti Hierarc. cap.1. quę ſuperiùs retulimus in probatione antecedentis primæ demonſtrationis: Non eſt, inquit, *poſsibile noſtro animo, coniuncto corpori mortali, ad non materialem illam aſcendere cœleſtium Hierarchiarum imitationem, & contemplationẽ, niſi ea, quæ ſecundùm ipſum eſt materiali manuductione vtatur.* Per materialem manuductionẽ nihil aliud intelligi poteſt, niſi opera-

35. Nazianz.

Dionyſius

operatio phantaſiæ, quæ res illas phantaſians manuducit intellectum, vt res in ſe immateriales modo materiali, & corporeo intelligat. ¶ Expreſsiùs idem declarat Damaſcenus lib. 1. de Fide. cap. 14. dum ait *fieri non poſſe, vt nos immaterialia intelligere, aut eloqui poſsimus, niſi more noſtro imaginibus, & formis corporeis vtamur.* Et quamuis hi Patres ſolum agant de cognitione immaterialium, omnes tamen ſupponunt, ideo in cognitione immaterialium hoc contingere; quia iſte intelligendi modus eſt nobis connaturalis, vt ſtatim dicemus. ¶ Accedant verba Auguſtini 15. de Trinitate cap. 27. dum ait: *Nubila ſimilitudinem corporalium cogitationibus humanis ſemper occurſare.* Deniq; id probat D. Thomas. 1. p. q. 84. art. 7. quia quilibet in ſe ipſo experitur, quod quando conatur aliquid intelligere, format ſibi aliqua phantaſmata, in quibus quaſi inſpiciat, quod intelligere ſtudet: *Accedit,* inquit, *quoniam quando alios docemus, proponimus eis exempla, ex quibus forment ſibi phantaſmata ad intelligendum.* Quare tanquam veriſsimũ ſupponamus contra Valentiam axioma philoſophicũ: *intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari,* in hoc ſenſu communiter ab omnibus intelligi vt neceſſarium ſit intellectum intelligere phantaſia ſimul cum eo cooperante formando propriũ phantaſma rei quæ intelligitur.

Damaſce. *Auguſt.* *D. Thom.*

An intelligere cum ſpeculatione phantamatis ſit nobis naturale?

36. An verò is intelligendi modus pro ſtatu vitæ ſit nobis connaturalis? Plerique dubitant. Pro parte negante non poſſunt non ſtare, qui putant intellectum noſtrũ vti poſſe ſpeciebus, quas iam habet, quãuis phantaſia cum eo non concurrat, quę fuit opinio Auicenæ. Illi etiam qui putant hanc intellectus cum phantaſia concordiam ſolùm eſſe neceſſariam adprimũ conceptum, qui abſtractionem ſpecierũ comitatur; ſecùs de alijs conſequentibus: quod plures probaſſe refert Vicomercatus in diſp. de immortalitate animæ. Tertiò, pro eadem parte ſtabunt, qui volunt præcitatum concurſum ſolùm eſſe neceſſarium ad cognitionem rerum ſenſibilium, quarum propriæ ſpecies à phantaſmatibus abſtrahuntur; non verò ad cognitionem rerum immaterialiũ: quia iſtas poteſt intellectus intelligere abſque vllo concurſu phantaſiæ. Quæ fuit cõmunis opinio inter Grçcos Ariſtotelis interpretes, *Philoponũ, Themiſtiũ, Alexandrũ, Simplicium cum cæteris. Conſentit Albertus. lib. 3. de Anima. tractatu. 3. cap. 11. & lib. 2. Metaphy. tractatu 1. cap. 2. hanc ſententiam probabiliorem putat Tolet. 1. de Anima cap. 1. text. 13. fol. 18. col. 4. & lib. 3. c. 5. q. 5. ad 2. fol. 169. col. 4. & q. 16. in 7. ratione fol. 175. col. 1. in principio, & q. 22. cõcluſ. 4. fol. 191. col. 3. & 3. probat Valentia 1. tom. diſp. 6. punc. 3. §. nec hoc eſt contra Philoſophum p. 1301. & q. 7. punc. 1. aſſertione 1. p. 1377.* Quarto loco eandem ſententiam probabunt, qui docẽt concordiam illam ſolùm eſſe neceſſariam ſecundùm legem ordinariam, & cõmunem: à qua excipitur ſublimis, & eminens cognitio, qualis eſt ecſtatica. Quod putat probabile *Curſus Conimbricen. lib. 3. de Anima q. 8. art. 2. concluſ. 1. & art. 3. ad 2. & 3. dubium, & Fonſeca lib. 1. Metaphy. cap. 2. q. 3. ſec. 6. §. quod verò attinet pag. 152.* Denique pro eadem ſententia communiter citatur Scotus in 1. d. 3. q. 3. §. ſed reſtat dubium lit. G. at ibi ſolùm negat modum illum intelligendi eſſe connaturalem, aut intellectui, quatenùs eſt intellectus, aut illi, vt ſimpliciter eſt coniunctus corpori: an verò ſit connaturalis pro ſtatu vitę expreſsè non declarat: quamuis hanc ſententiam videatur probare, dum ait hanc dependentiam prouenire, vel à Deo id ita ſtatuente, vel in pœnam peccati originalis. Verũ poſtea pro affirmante ſine dubio ſtat, vt dicemus.

Quæſtio an hoc ſit nobis naturale: pars negans Auicenæ. *Vicomercatus.* *Philopon. Themiſtius Albertus. Toletan.* *Valentia.*

Pro hac negante ſententia primò adducitur: qui ecſtaſim patiuntur contemplantur diuina abſque vlla, tam externorum, quàm internorum ſenſuũ functione, ex Ficino libr. 13. de Immortalitate animæ c. 14. & probant exempla, quę ex Auguſtino, Pimandro, Alcibiade, & alijs refert Curſus Conimbricenſis in dicta q. 8. art. 3. dubium pag. 404. 37.

1. Ratio ſeu ſententiæ negantis.

Secundò, quoniam experientia iam conſtat eos, qui conſiderationi alicui valde ſunt intenti, interdũ non videre obiectũ præſens. Cur igitur vehemẽs intellectus applicatio ad conſideratione alicuius obiecti vim non habebit, vt faciat omnes ſenſus à ſuis operationibus ceſſare?

Secunda.

Tertia. Tertiò; quia ex oppoſita ſententia infertur immortalitatem animæ naturaliter probari non poſſe, contra doctrinam D. Thomę communiter receptam, quam adeò eſſe veram exiſtimat Canus lib. 12. de locis cap. 15. vt aſſerat periculoſũ eſſe atque temerarium aſſerere nullum hactenùs argumentum demonſtrare immortalitatem animæ. Sequela probatur ex duplici doctrina Ariſtotelis 1. de Anima c. 1. tex. 12. & 13. Prima aſſerit *animam rationalẽ eſſe à corpore ſeparabilem, ſi in corpore habet aliquam operationem ſibi propriã: ſin minùs eam nõ eſſe ſeparabilem à corpore.* Altera eſt: *intelligere, ſi eſt imaginatio, aut non ſine imaginatione, non eſſe ſine corpore.* Ex vtraque ita conficitur argumentum. Si anima vt eſt in corpore, non poteſt intelligere, niſi phantaſia ſimul concurrat, anima in corpore nullam habet operationem ſibi propriam: etenim ſuppoſita illa doctrina, nec intellectio eſſet illi propria iuxta poſteriorem Ariſtotelis doctrinã. At ſi anima in corpore non habet operationem propriam, non eſt ſeparabilis à corpore, & ſubinde nec immortalis, iuxta doctrinam priorem. Ergo ex oppoſita ſententia infertur animæ immortalitatẽ naturaliter probari non poſſe.

Ariſtot.

Probatur pars affirmatiua.

38. Sentẽtia firmans. *D. Thom.* Quòd modus intelligendi cum ſpeculatione phantaſmatis ſit nobis connaturalis pro ſtatu huius vitæ expreſsis verbis docuit *D. Thomas* 1. *p. q.* 89. *art.* 1. *& ſatis eam inſinuauit ibidẽ q.* 84. *art.* 7. *& vtrobiq́ Caiet. idem Thomas de veritate q.* 28. *art.* 1. *& quæſtionibus de Anima art.* 14. *in corpore & ad* 14. *Mathias Aquarius in additionibus ad Ferrar.* 3. *de Anima q.* 15. *conſentit Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 3. *§. Sed reſtat dum ait* iſtam dependentiam intellectus ad actum phãtaſiæ ortum habere ex naturali harũ potentiarum concordia pro ſtatu huius vitæ, quam rationem approbat *Curſus Conimbr. lib.* 3. *de Anima. cap.* 8. *q.* 8. *art.* 2. *§. eſt autem hoc loco, ſatis inſinuat Fonſeca* 1. *Metaphy. cap.* 2. *q.* 3. *ſec.* 6. *pag.* 152, *&* hęc eſt mens omnium Thomiſtarum, & eorum qui putant hunc phantaſiæ concurſum pro ſtatu viæ eſſe ſimpliciter neceſſarium: nec enim hæc neceſsitas aliunde oriri poteſt, niſi ex connaturalitate talis dependentiæ. Nos hanc ſententiam olim probauimus in 3. de Anima in propria iſta. quæſt. quam modo etiam probamus abſque vlla etiam ecſtaſis naturalis exceptione.

Aquarius *Scotus.* *Conimbr.* *Fonſeca.*

39. Probatur ex Dionyſio. Hanc ſententiam generaliter probamus authoritate Magni Dionyſij lib. de Cœleſti Hierar. capit. 1. explicans enim modum intelligendi nobis connaturalem ita ait: *etenim nec impoſsibile eſt aliter lucere nobis diuinum radium, niſi varietate ſacrorũ velaminũm anagogicè circumuelatum; & his quæ circa nos ſunt, prouidentia paterna connaturaliter, & propriè præparatum.* Ex quibus verbis patet modum intelligẽdi pro hoc ſtatu nobis connaturalem in hoc eſſe poſitum, vt obiectum nobis proponatur cum ſimilitudibus, & phantaſmatibus rerum ſingularium: etenim Deus (vt ait) ideò radiũ ſuæ cognitionis imaginibus, & ęnigmatibus ſenſibilibus nobis propoſuit, vt nos ad diuinorum cognitionem eueheret modo intelligendi nobis cõnaturali: id enim ſignificant illa verba: *Secundùm ea, quæ ſecundùm nos ſunt cõnaturaliter præparatum.* Et inferiùs explicans cur Deus Cœleſtes Hierarchias propoſitis materialibus figuris formiſq; imaginarijs nobis notas fecerit, ita ſcribit: *vt proportionabiliter nobis metipſis à ſacratiſsimis formationibus in ſimplices, & non figuratas aſcendamus altitudines.* Senſus eſt: *vt proportionabiliter nobis metipſis*, id eſt, vt modo intelligendi nobis connaturali, *à ſacratiſsimis formationibus in ſimplices, & nõ figuratas aſcendamus altitudines*, id eſt, per formationem phantaſmatum poſsimus aliquo modo intelligere altitudines non corporeas, ſed immateriales. Et ne recurras ad phantaſmatum eformationem neceſſariam, vt ab illis ſpecies abſtrahamus, ſtatim addit: *quoniam non eſt poſsibile noſtro animo ad non materialem illam aſcẽdere Cœleſtium Hierarchiarum imitationem & contemplationem, niſi ea, quæ ſecundùm ipſũ eſt, materiali manuductione vtatur.* Per materialem autẽ manuductionem nihil aliud intelligi poteſt, niſi operatio phantaſiæ, quæ eformatione phantaſmatum manuducit intellectum, vt res illas immateriales modo materiali, & corporeo intelligat: etenim vt inferiùs cum Scoto dicemus, ſpecies, quantumuis ſint à phantaſmatibus abſtractæ, non ſatis ſunt, vt modo

do corporeo res intelligibiles repræſentent, niſi phantaſmatibus actu coniungãtur. Illa igitur phantaſiæ manuductio ad cognoſcenda intelligibilia eſt *ſecundùm ipſum*; quia ſcilicet illi pro hoc ſtatu eſt connaturalis.

40. Probatur ex Damaſcen. Idem cõfirmant verba Damaſceni lib. 1. de Fide cap. 14. *etenim ſi fieri non poteſt, vt immaterialia intelligamus, niſi more noſtro vtamur formis corporeis*; vtique naturalis modus intelligendi pendet ex vſu phantaſmatũ: nec enim intellectus poſſibilis vtitur phantaſmatibus, quando intellectus agens ab illis ſpecies abſtrahit: ſed ſolùm quando intelligendo illis coniungitur.

Ex Nazian. Nazianz. etiam in verbis ſuperiùs adductis idem confirmat, dum ait: *impoſsibile eſſe, vt nos corpori mortali incluſi aliquid intelligamus, niſi ſenſibile aliquid nobis incidat, & occurrat*: in quibus verbis duo affirmat: vnum eſt intellectum noſtrum pro hoc ſtatu nihil poſſe intelligere, phãtaſia non cooperante. Alterum eſt; hunc intelligendi modum eſſe nobis naturalẽ: etenim dum ait opus eſſe, vt nobis intelligentibus occurrat aliquod ſenſibile, eui denter docet phantaſma ſimul cum intellectione concurrere. Dum verò aſſerit eſſe impoſsibile vt aliter intelligamus; cõnaturalitatem declarat: quia hæc impoſsibilitas non aliunde oriri poteſt, niſi ex naturali intelligendi modo.

41. Ex Auguſt. Fauent verba Auguſt. 15. de Trinitate cap. 27. dum ait, *nubila ſimilitudinũ corporalium cogitationibus humanis ſemper occurſare*: particula autem *ſemper* denotant naturalitatem. Idem argumentum ſumi poteſt ex verbis Ariſtotelis 3. de Anima cap. 8. tex. 39. dum ait: *Oportet, qui contemplatur ſimul cum phantaſmate contemplari*: nam ſimultas illa denotat cooperationẽ vtriuſque potentiæ.

42. Probatur ratione naturali à poſteriori. Nec deeſt ratio naturalis. Et à poſteriori eam ſumit D. Thomas locis citatis ex eo, quod impedito actu, aut virtutis imaginatiuæ per læſionẽ organi, vt phreneticis, aut memoratiuę, vt in lethargicis, impeditur homo ab intelligẽdo etiam ea, quorum ſpecies iam accepit, vt docet experientia. Huius rei ratio nulla alia reddi poteſt, niſi quia, phantaſia non cooperante, intellectus etiam poſt acceptas ſpecies non poteſt naturaliter in actum exire. Præterea experimur, quod quando conamur, aliquid intelligere, formamus phantaſma illius: quæ eformatio nõ eſſet neceſſaria, ſi ſimultas cooperationis intellectus cum phantaſia non eſſet nobis connaturalis.

Ratio à priori ſumitur ex modo eſſendi animæ in corpore: nam iuxta veram, & receptam philoſophiam forma, quæ eſt operandi principium, ex modo eſſendi ſibi connaturali ſumit modum operãdi connaturalem, quam philoſophiam ſuperiùs tetigimus, & inferiùs q. 2. art. 5. latiùs confirmabimus. Iam verò anima ita eſt forma corporis, vt habeat eſſe independens à corpore, vt Fides docet, & ratio demonſtrat. Ergo ſicut ex eo, quod exiſtens in corpore habens eſſe indepẽdens à corpore, vẽdicat ſibi aliquam operationem à corpore in eſſendo independentem, ita vt nõ ſit in corpore, vt in ſubiecto, & organo: ita ex eo, quod eſt in corpore, vẽdicabit ſibi nõ poſſe operari, niſi ſimul cum ea cooperetur corpus, id eſt, aliqua corporis potentia. 43. Probatur à priori.

Confirmatur; quoniam anima, ideo quia eſt actus corporis, naturaliter habet, quod in operando dependeat à corpore, vt ab obiecto, vel ſaltem modo corporeo ſe tenente ex parte obiecti, quæ philoſophia apud Peripateticos eſt indubitata. Ergo eadem ratione, ideo quia eſt forma corporis, habebit quod operatio ſua eſſe nequeat, niſi corpore ſimul cooperante: nulla enim ratio aſsignari poteſt, quare anima ex eo, quod eſt forma corporis, naturaliter ſibi vendicet priorem operãdi modum, non verò poſteriorem. 44. Confirmatur 1.

Confirmatur ſecundò, quoniam anima ex eo, quod eſt forma corporis, vendicat ſibi ſpecies intellgibiles in repræſentando imperfectas: quia vendicat ſibi ſpecies abſtrahentes quidem à conditionibus indiuidualibus, repræſentantes tamen naturã corpoream ſub quodam eſſe immateriali, & intelligibili. Cum verò intellectus noſter pro hac ſtatu nihil poſsit naturaliter intelligere, niſi quod ſub modo corporeo ſibi repræſentatur, vt patet ex ijs, quę diximus ex Dionyſio Damaſceno, Nazianz. & Auguſt. opus eſt, vt ſpecies intelligibilis naturæ vniuerſalis coniungatur proprio eiuſdem naturę phantaſmati, vt illius repræſentatio fiat nobis con- 45. Confirmatur 2.

cõnaturalis, repræſentãdo ſcilicet naturã vniuerſalem modo corporeo ac ſenſibili veluti inuolutam. Et ad hunc ſenſum intelligendus eſt. *Scotus in 4. d. 45. q. 1. F. §. ad tertium dico, & in 1. d. 3, q. 3. G. §. ſi quæritur*, dũ ait ſpecies noſtri intellectus per aſsiſtentiam phantaſmatum reddi clariores, & ſuo modo intenſiores in repræſentando. Reddit, inquam, illas clariores; quatenùs efficit vt naturam vniuerſalem repræſentent ſub modo quodam corporeo, ſub quo ideo dicuntur clariores, quia naturam ipſam modo nobis connaturali obijciunt. Nec deeſt optima ſimilitudo ſumpta ex ſententia, quę putat intellectũ noſtrũ primò, & directè formare p ropriũ cõceptũ rei ſingularis; nõ per propriam illius ſpeciem (nec enim hæc ſententia admittit ſpecies rerum ſingularium) ſed per ſpeciem naturæ vniuerſalis, provt proprio naturæ phantaſmati coniungitur; de qua ſententia vide *Fonſecam 1. Metaphy. cap. 2. q. 3. ſec. 6.* Simili igitur modo dicendũ eſt in propoſito: nam ſicut coaſsiſtentia phantaſmatis rei ſingularis complet repræſentationem ſpeciei vniuerſalis, vt repręſentet ipſum ſingulare: ita etiam complet repræſentationem ipſius naturæ vniuerſalis, non vt repræſentet eam in ſua vniuerſalitate; ſed vt eã repræſentet inuolutam modo quodam corporeo, & veluti ſenſibili, ſub quo natura illa eſt obiectum connaturale intellectus.

Cõfirmatur ſimilitudine

46. Tertiò rem iſtam confirmat D. Thomas in dicta q. 84. art. 7. & Caietanus ibi; quoniam quidditas rei materialis (quæ eſt obiectum intẽſiuè adæquatum noſtri intellectus coniuncti) perfectè cognoſci non poteſt, niſi vt exiſtens in ſingulari. Ob eam præcisè rationem, quia ex ſe in ſingulari exiſtit. Iam verò cognoſci non poteſt, vt exiſtens in ſingulari, niſi per ſenſum. Hæc tamen ratio non modo difficilis eſt intellectu, ſed explicatu longè difficilor, vt patet ex his quæ Caietanus ibi confuſiſsimè ſcribit: ſed superſedemus modo ab illius explicatione, quoniam ad confirmandam noſtram veritatem ſatis ſunt; quæ diximus.

Cõfirmatur 3.

47. Concludendum eſt igitur, quod ſicut modus eſſendi animæ in corpore obligat eam, vt nihil niſi præcedente ſenſu intelligat: nihil item niſi, aut corpus, aut ad inſtar corporis: ita etiam eandem obligabit vt nihil valeat intelligere, niſi quod ſibi præſentatur ſub modo quodam corporeo, & ſub quodam nubilo corporalis ſimilitudinis, vt ait Auguſtinus. Quem repræſentandi modum ſpecies vniuerſalis habere non poteſt, niſi ex coniunctione cum phãtaſmate, in quo natura ipſa modo quodam corporeo appareat. Et inde ſatis confirmatum manet connexionem noſtri intellectus cum phantaſia in operando eſſe nobis connaturalem pro ſtatu huius vitæ; quod docuit *Scotus in 4. d. 45. q. 1. F. §. ad tertium, & q. 3. art. 2. N. & ſatis conſentit in 1. d. 3. G. & q. 6. N. probat Fõſeca 1. Metaphy. cap. 2. q. 2. ſec. 6. pag. 152. & Curſus Conimbricenſis 3. de Anima cap. 8. q. 8. art. 2. §. eſt autem hoc loco.*

Concluſio.

Scotus. Fonſeca. Conimbr.

Solutio argumentorum partis negantis

Argumenta in contrarium adducta facilè ſoluuntur. Ad 1. reſpondetur id, quod ſumitur in antecedente, ſolùm reperiri in ecſtaſi perfecta: hæc enim ſola impedit omnem ſenſuum externorũ, & internorum functionem. Iam verò ecſtaſis perfecta non poteſt naturaliter dari, ſed ſola diuina virtute, vt aduertit *Curſus in dicta q. 8. art. 3. ad finem.* At ſi ſermo ſit de ecſtaſi imperfecta, poteſt illa quidem naturaliter dari, vt probãt exempla, quæ adducuntur ab eodem Curſu: negamus tamen in hac ecſtaſi ceſſare omnem ſenſuum internorum functionem, vt idem annotauit, & ſatis docuit Nazianzenus in in dicta 2. Orat. de Theologia, vbi putat impoſsibile hominem corpori incluſum poſſe aliquid intelligere ſine cõcurſu phãtaſmatum, *quantumvis mens illius aſpectabilium contagione ſeparata; atque in ſe ipſam collecta cum rebus cognatis oculorum aciem fugientibus cõmercium habere conetur*, & ſatis probat, quod Auguſtinus de Ruſtico præsbytero ecſtatico refert 14. de Ciuitate Dei. cap. 14. dum affirmat illum narrare ſe in raptu audire voces quaſdam à longinquo inclamantiũ. Quare non eſt, quòd propter ecſtaſes naturales dicamus illam naturæ legem, naturalemque connexionem intellectus cum phantaſia nõ ita eſſe irrefragabilem, vt nunquam viribus eiuſdem naturæ poſsit impediri: quã explicationem compluribus placuiſſe ex Vico-

48. Ad 1. Arg.

Nazianz.

Auguſt.

Vicomercatus Conimbr. Fonseca. Vicomercato refert Curſ⁹ vbi ſuprà, nec ibi eã omninò reijcit, & probat Fonſeca vbi ſuprà. Sed ego potiùs ſentio cum Nazianzeno. Nec in hoc repugnamus Auguſtino, quatenùs ecſtaſim illam Ruſtici inter naturæ miracula enumerat: etenim & nos ecſtaſim imperfectam (qualis fuit illa Ruſtici) inter miracula naturæ computamus: nam cum illa abſtrahat à ſenſibus externis, ſaltem ab aliquibus, non poteſt non eſſe contra ordinariam naturæ legem.

49. Ad 2. Ad 2. argumentũ admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia propter diſparem rationem, quæ inter phantaſiam ſenſumque externum, & inter intellectũ & eandem phãtaſiam reperitur: nam inter phantaſiam, & ſenſum externum nõ datur naturalis dependentia, quia poteſt phantaſia operari nullo operãte externo ſenſu, vt patet in ſomniantibus. Quare phantaſiam, dum alicui obiecto vehementer incumbit, impedire operationem viſus non eſt contra ordinem à natura inſtitutum: benè tamen ſi intellectus operetur ſine cooperatione phantaſiæ. Conſequentia igitur optimè negatur, & ſatis ad mentem *Conimbricenſium in dicta. q. 8. art. 3. ad finem.*

50. Ad 3. Ad 3. argumentum, ſi nihil curemus de mente Ariſtotelis, ſed ſolam verã philoſophiam attendamus, neganda eſt ſequela. Tum; quia multis alijs modis immortalitas animę noſtræ poteſt naturaliter probari, quam ex operatione illius, vt patet ex ijs, qui immortalitatem animæ demonſtrant. Tum etiam, quia illius immortalitas àpoſteriori ſufficiẽter demõſtratur ex independẽtia operationis à corpore, vt à ſubiecto, & organo, quamuis pro vt eſt coniuncta, pendeat à corpore, tum obiectiuè, tum inſtrumentaliter, & cooperatiuè. Hanc fuiſſe ſententiam plu-

Caietan. rimorum veterum teſtatur *Caietanus lib. 3. de Anima cap. 2. de intellectu agente in q. vtrum intellectus agens ſecundũ Ariſtotelẽ ſit mortalis §. Alij verò Philoſophi. Eam pro-*

D. Thom. *baſſe D. Thomam ſatis colliges ex lib. de Anima cap. 1. lec. 2. com. 2. & 3. & 12. Metaphy. lec. 3. com. antepenult. & 1. p. q. 75. art. 3. in corpore, & ad 3. & 2 contra gent. cap. 81. ad 5. rationem. & quodlib. 10. art. 6. ad. 1. Satis*

Albertus. *id docuerunt Albertus Magnus lib. 2. de Anima, tractatu 1. cap. 4. & lib. 3. tract. 3. c. 13.*

D. Bonau. in 2. d. 19. q. 1. §. ex quinta conſideratione, Ægidius ibidem q. 1. art. 1. in 1. dubio literali §. ſecunda via ad oſtendendum. Et §. prima quidem via, Scotus quodlibeto 9. G. & H. ſatis innuit Durandus in 2. d. 18. q. 3. n. 6. probat Caietanus l. 3. de Anima vbi ſuprà & clariùs l. 1. q. 4. §. ſciendum ergo, & §. ne inter tantos, idem docuit 1. p. q. 75. ar. 2. & 3. Ferrar. 2. cont. gent. cap. 81. §. ad confirmationem, libenter fatetur Tolet. in 1. de Anima. q. 6. ad tex. 13. fol. 18. col. 4. Curſus Conimbricenſis in tractatu de Anima ſeparata d. 1. art. 2. ad finem §. diluemus igitur, & art. 6. ad 4. & 5. Denique eſt receptiſsima ſententia inter Philoſophos, & Theologos, ſi vnum excipias Valentiam. Et ratione facilè demonſtratur: nam cum operari ſequatur ad eſſe ex Ariſtotele 2. de Cœlo; fieri non poteſt, vt operatio animæ in eſſendo non dependeat à corpore, ab eo tamen dependeat anima. D. Bonau. Ægidius. Durandus. Caietan. Ferrar. Tolet. Conimbr.

Diximus ſuprà cum immortalitalitate animæ optimè conſtare dependentiam à corpore vt ab obiecto; & vt à cooperante, quandiù anima eſt in hoc corpore; vt oſtenderemus talem depẽdentiam à corpore abſolutè, & per ſe non eſſe neceſſariam, vt anima poſsit operari: nam ad hoc ſolùm eſt neceſſaria, vt anima operari valeat, quandiù eſt in corpore mortali. Vnde infertur talem dependentiam conuenire animæ per accidens; quia ſolùm cõuenit illi pro ſtatu coniunctionis cum hoc corpore mortali, vt optimè aduertit *Caietanus lib. 3. de Anima. cap. de intellectu agente, in q. vtrum ſolus intellectus agens ſecundũ Ariſtotelem ſit immortalis §. ad rationem, quæ mouit Ariſtotelem, & lib. 1. de Anima q. 4. §. de affirmatione autẽ antecedentis. Curſus in tractatu de Anima ſeparata d. 1. art. 2. ad 1. §. diluemus igitur, & ar. 6. ad 4. Ferrar. lib. 2. contr. gentes dicto cap. 81. ſatis ad mentem D. Thomæ, ibidem ad finem, & 1. p. q. 75. art. 2. ad 3.* 51. Dependẽtia à phantaſmate in anima coniuncti quando eſt neceſſaria. Caietan. Conimbr. D. Thom.

52. Igitur quamuis ad immortalitatem animæ neceſſarium ſit, vt ipſa in aliquo ſtatu poſsit eſſe ſine corpore, & operari ſine eodem, & vt ſubiecto, & vt obiecto, & vt cooperãnte; tamen non eſt neceſſariũ, vt pro omni ſtatu omnibus iſtis modis ſit independens à corpore; ſed ſatis eſt quòd in omni ſtatu ſit independens à corpore vt à ſubiecto. Itaque operationem animæ propriam eſſe independentem à corpo-

corpore vt à ſubiecto, per ſe & neceſſariò requiritur, vt animæ ĩmortalitas demonſtretur: attamen operationem eſſe independentem à corpore, vt ab obiecto, & vt à cooperante non eſt neceſſarium ad talem demonſtrationem; quia hoc animæ nõ conuenit pro omni ſtatu, ſed pro ſolo ſtatu ſeparationis. ¶ Quare ad argumentum benè negatur Sequela. Ad probationem autem illius negãda eſt maior; quoniam abſolutè loquendo ſecluſa mente Ariſtotelis dependentia intellectionis à phantaſmate non tollit quin intellectio propria ſit ſoli animæ, quatenùs eſt coniuncta, vt expreſsè docet D. Thom. 1. *p. q. 75. art. 6. ad 3. & 1. de Anima, lectione. 2. com. 2. & Ferrar. vbi ſuprà, & tribuitur communiter Alberto Magno*: etenim ſi rectè philoſophandum eſt ratio proprij, vel cõmunis in operationibus animæ, & corporis per ſe non eſt expendenda ex modo tendentiæ in obiectum; quia hæc variari poteſt ex modo eſſendi ipſius animæ: ſed per ſe ſumenda eſt ex ipſo eſſe operationis, quod habet à ſubiecto in quo eſt; vt operatio dicatur communis animæ cum corpore, quæ in eſſendo per ſe pendet à corpore, vt ſubiecto: illa verò dicatur propria ſoli animæ, quæ in ſuo eſſe à ſola anima pendet, vt quia in ſola illa recipiatur. Quare cum intellectio animæ coniunctæ in eſſendo per ſe pẽdeat à ſola anima, vt ſubiecto, & nullo modo à corpore, dicenda eſt propria ipſius animæ, quantumuis in ſua tendentia pendeat à corpore, vt ab obiecto, & vt à cooperãte. Itaq; hæc pendentia operationis animę diſtinguit ſtatum animæ; non tamen arguit cõmunitatem cum corpore. Et ita facilè ſoluta eſt vis argumenti, ſi vera huius rei philoſophia ſit attendenda.

Adprobatio nem ſequelæ.

D. Thom. Ferrari. Albertus.

Quid dicendum ſit ad 3. argumentum ex mente Ariſtotelis.

53. Solutio 3. argum. ad mentem Ariſt.

Si verò attendamus Ariſtotelis mentem, tota difficultas eſt, an anima coniũcta habeat propriam operationem? Ratio dubitandi ſumitur ex verbis Ariſtotelis poſitis in poſteriori doctrina, *intelligere, ſi eſt imaginatio, aut non ſine imaginatione non eſt ſine corpore*: his enim ſatis ſignificat intelligere eſſe operationem communem animæ, & corpori, ſi aut ponatur imaginatio, aut non detur ſine imaginatione. Cum verò ex Ariſtotele 3. de anima cap. 8. text. 39. intelligere non ſit ſine phantaſmate, neceſſario videtur inferri animam coniunctã non habere propriam operationem, & ſubinde apud Ariſtotel. non eſſe ſeparabilem, nec immortalem.

Hoc argumento maximè nituntur, qui volunt ex ſententia Ariſtotelis animam eſſe mortalem; vnde negãt ex operatione animæ poſſe illius immortalitatẽ demonſtrari. Et verè apud me argumentum vrget, ſi admittamus apud Ariſtotelem illa verba, *intelligere non eſt ſine imaginatione*, idem eſſe atque intelligere non datur ſine imaginatione ſimul concurrẽte cum intellectu; quę eſt communis explicatio D. Thomæ, & aliorum, qui volunt Ariſtotelem agnouiſſe immortalitatem animæ, & eam ex operatione de ſententia Ariſtotelis optimè demonſtrari. Quare puto verba præcitata longè diuerſo modo eſſe explicanda. 54.

Quomodò Ariſt. ſit explicãdus.

Pro explicatione aduertendũ eſt tempore Ariſtotelis de intellectu noſtro varias fuiſſe veterum opiniones. Prima nõ diſtinguebat intellectũ à ſenſu. i. ab imaginatiua. Eam refert Ariſtoteles 3. de anima cap. 3. tex. 150. & 151. & D. Thomas 1. p. q. 84. art. 6. Secunda volebat intellectum eſſe ſubſtantiam ſeparatam, quam vniebant imaginatiuæ, ſiue phantaſiæ vnione quadam motoris; ita vt ex intellectu, & imaginatiua fieret vnum totum coniunctum, cui tribuebatur ipſum intelligere: quam opinionem refert *D. Thomas 1. p. q. 76. art. 1.* Quare apud iſtos intelligere ideo non eſt ſine imaginatione, quia in ea recipitur tanquam in ſubiecto. Tertia opinio teſte Ariſtotele 3. de Anima. cap. 4. text. 4. & 6. poſuit intellectum eſſe miſtum cum aliquo corpore, nimirum cum phantaſia, quæ ſententia tribuitur Empedocli, apud quem intelligere, ſicut tribuebatur toti illi miſto, ita in toto illo recipiebatur, vt in ſubiecto. Denique quarta opinio ponebat in nobis intellectum, ſeparatum quidem à nobis; vnitum tamen noſtræ phantaſiæ per ſpeciem intelligibilem receptam tũ in ipſo intellectu, tum in phantaſia, vt in duplici ſubiecto. Cũ verò ex illa ſpeciei vnione fieret intellectio, vtique illa etiã erat tanquam 55.

D. Thom.

Confirmatio. quam in ſubiecto, tum in ipſo intellectu ſeparato, tum in phantaſia. Quam opinionem à veteribus fortè accepit Commentator 3. de Anima com. 5. & 36. quē refert D. Dhomas. 1. p. q. 76. art. 1.

56. Vera explicatio Ariſt. Ex his opinionibus colligo verum intellectum veborum Ariſtotelis: *ſi intelligere ſit imaginatio*, vt quidam ex veterib' teſte Ariſtotel. cenſuerunt: *aut ſine imaginatione non ſit*, ipſa imaginatione ſimul cum intellectu recipiente ipſum intelligere, iuxta aliorum opiniones: concedebant enim intellectum non eſſe imaginationem; attamen non eſſe ſine imaginatione; vel quia intellectus erat miſtus cū corpore iuxta 3. opinionem; vel quia cū imaginatiua componebat vnum totum coniunctum, cui primò tribuebatur intelligere, iuxta ſecundā opinionem: vel quia cum phātaſia vniebatur per ſpeciem intelligibilem in vtroque receptam, quę fuit vltima opinio: *Si inquam intelligere non eſt imaginatio, aut non eſt ſine imaginatione* in ſenſu à veteribus explicato, quorum opiniones eo in libro Ariſtoteles refert: *intelligere non eſt ſine corpore*: quia nimirum recipiebatur in corpore, vt in ſubiecto. Ex quo ſenſu optimè inferebat Ariſtoteles intelligere non eſſe operationem propriam animæ, ſed communem illi cum corpore.

57. 1. Corollar. Ex qua explicatione primò infertur ex illis verbis non benè colligi Ariſtolē cenſuiſſe animam noſtram non eſſe immortalem: nec enim Ariſtoteles locutus eſt abſolutè, ſed cōditionaliter. Cur autē ita locutus ſit, ſi inquiras; reſpondeo Ariſtotelem ideo ſic fuiſſe locutum, quia nō omninò certus erat de immortalitate animæ, quamuis in aſſirmationem magis inclinaret. Vnde non aſſertiuè, & ex propria ſententia voluit diſputare, ſed referē do veterum opinionem, & ſecundùm apparentiam, vt colliges ex D. Thoma ibidem lec. 2. com. 2. in fine. *D. Thom.*

58. 2. Corolla. Secundò infertur ex illis verbis colligi non poſſe apud Ariſtotelem illam ſolam operationem dici propriam animæ, quæ eſt independens à corpore tàm vt ſubiecto, quàm vt obiecto, quàm denique vt cooperante. Quin potiùs ſi res iſta conſideratiùs expēdatur, mens Ariſtotelis eſt illam operationem omninò eſſe propriam, quæ à corpore non depēdet, vt à ſubiecto, & organo, in quo recipiatur, quamuis ab eo pendeat, vt ab obiecto, & cooperatore: etenim illa verba: *aut ſine imaginatione non ſit*, in ſenſu à nobis explicato ſolùm denotant independētiam à corpore vt ſubiecto. Quod ſatis inſinuat Ariſtoteles ibid. tex. 14. dum ait operationes animæ, quæ ſunt cū corpore nō dari ſine aliqua corporis paſsione: hęc autem non datur ſine ſubiectiua receptione. Clariùs id ſignificat text. 15. dum ex eo, quòd paſsiones ſunt cum corpore, concludit eas eſſe materiales. Denique quæ ibi ſcribit text. 13. de puncto tangente ſphæram ſatis oſtendunt operationes, quæ ſunt cum corpore, pendere in eſſendo ab ipſo corpore. Iam verò nihil horum inferri poteſt ex depēdentia operationis à corpore vt obiecto, & cooperante. Igitur noſtra reſolutio menti Ariſtotelis non repugnat. Et hæc dicta ſint pro ſolutione tertij argumenti, & ſecundæ difficultatis.

Concluditur ſecunda demonſtratio.

Quia inter omnes demonſtrationes ad probandum inſtitutum apud me hæc eſt efficacisſima, latè ſpatiati ſumus, tum in explicando vero ſenſu axiomatis Ariſtotelis *intelligentem oportet ſimul cum phantaſmate ſpeculari*: tum in confirmanda illius connaturalitate; quia vtrumque ad veritatem maioris propoſitionis erat neceſſarium. Sit igitur hæc demonſtratio. Intellectus noſter ſua naturali virtute nihil poteſt intelligere niſi phantaſia ſimul efformante phantaſma rei, quæ intelligitur. Sed phantaſia non poteſt phantaſiare prædicata propria, & veluti ſpecifica ſubſtantiæ ſeparatę: ergo intellectus noſter non poteſt naturaliter quidditatiuē intelligere ſubſtantias ſeparatas. Huius diſcurſus conſequentia eſt formalis. Minor etiam apud aduerſarios indubitata. Maior autem ſatis eſt â nobis demonſtrata: ergo non poteſt negari efficacia huius demonſtrationis. 59. Cōcluſio 2. Demonſtrationis.

§. 6.

Adducuntur aliæ demonſtrationes.

Tertia demonſtratio.

60. Tertia demõſtratio. *D. Thom.* Tertiam demonſtrationẽ adducemus ex D. Thoma 3. *p. contr. gent. c.* 45. *& de veritate. q.* 18. *art.* 5. Intellectus poſsibilis quandiù eſt coniunctus ex ſua natura eſt potentia paſsiua ingenere intelligibiliũ; cui in eodem genere, reſpondet intellectus agens, vt potentia actiua, vt eſt cõmunis philoſophia ſumpta ex 3. *de Anima cap. quinto text.* 18. *Ariſtotel.* Ergo intellectus poſsibilis ex ſua natura erit in potentia paſsiua ad ſola illa intelligibilia, quæ actione intellectus agentis poſſunt fieri actu intelligibilia: potentia enim paſsiua naturalis non datur, niſi reſpectu eorum, quæ potentia actiua eiuſdem generis poteſt efficere; ex recepta philoſophia Cõmentatoris in 9. Metaphy: ergo intellectus poſsibilis non poterit naturaliter intelligere, niſi quæ actione agentis poſsũt fieri actu intelligibilia: ſed ſubſtantiæ ſeparatæ non poſſunt fieri intelligibilia in actu actione intellectus agentis; quia cum ex ſua natura ſeparatæ ſint à materia, ex ſua etiam natura ſunt actu intelligibilia: ergo intellectus poſsibilis pro hac vita nõ poteſt ſuis viribus perfectè intelligere ſubſtantias ſeparatas: ſed naturaliter ſolùm intelliget ſubſtantias materiales, quę ratione materiæ ſunt intelligibiles in potentia, fiunt autem actu intelligibiles cum per intellectum agentem à materia abſtrahuntur. Ita fit (inquit Ariſto. vbi ſuprà) vt intellectus agens ita ſe habeat ad intelligibilia ab intellectu poſsibili, ſicut lumen ad colores: ſicut enim lumen colores in potentia facit actu colores actuatione diaphani; ita intellectus agens res materiales, quæ ſunt intelligibiles in potentia, facit actu intelligibiles.

61. Obiectio contra præcedentẽ rationem. Huic ratiocinationi fortè aliquis negabit vim demonſtrationis, quia in minori datur æquiuocatio: etenim duobus modis poteſt aliquid dici intelligibile in actu. Vno modo intelligibilitate, quæ negationem materiæ comitatur; quomodo, quæ ſunt ſine materia; dicuntur intelligibilia in actu. Altero modo intelligibilitate obiectiua, quam res conſequitur ex repræſentatione, quam habet ex ſua ſpeciè exiſtente in intellectu. Iam verò Diuus Thomas ex eo, quod ſubſtantiæ ſeparatæ actione intellectus agentis non poſſunt fieri intelligibilia in actu priori modo (vt patet ex adducta probatione) ſimpliciter arguit illas ſubſtantias non poſſe ab eodem intellectu fieri intelligibilia in actu: cum tamen probandum eſſet eas, nec poſteriori modo poſſe fieri tales: quæ ſola intelligibilitas ad inſtitutum pertinet: quia ſermo eſt de intelligibili in actu in ordine ad intellectum poſsibilem, reſpectu cuius obiectum tunc eſt intelligibile in actu primo, cum intellectus poſsibilis eſt in actu primo, vt in illud feratur: quam intelligibilitatem res, ſiue materialis, ſiue immaterialis nunquam habet, niſi quando per ſpeciem intelligibilem intellectui poſsibili repræſentatur, vt benê aduerterunt. Curſus Conimbricenſes *in tertio de Anima capite quinto, quæſtione ſecunda articulo primo poſt principium*: apud quos obiectum reddi intelligibile in actu non eſt aliud, quàm illud actu repræſentari in ſpeciẽ intelligibili; quia vt ſic eſt in actu primo, vt obiectiuè intelligatur. Iam verò ſubſtantiæ ſeparatæ licet ex ſua natura ſint intelligibilia in actu priori modo, non tamen poſteriori, ſed tunc fiunt talia, cùm in ſpecie intelligibili repræſentantur: ſublata enim ſpecie non ſunt in actu primo obiecti. Quare ſubſtantias ſeparatas in ſe ipſis eſſe intelligibilia in actu priori modo non tollit, quin poſsint fieri intelligibilia in actu modo poſteriori. Imò de facto ita fiunt, vel à Deo ſpecies infundente iuxta opinionem Thomiſtarum, vel ab intellectu eas ab alijs Angelis abſtrahente actione intellectus agentis iuxta Scotiſtarum ſententiam: at ſi ſemel admittatur Angelos actione intellectus agentis poſſe fieri intelligibiles in actu productione ſpecierum, in quibus repræſententur, iam locus eſt reſponſioni: nam ſicut Angeli ab Anima ſeparata de facto fiunt intelligibiles in actu actione intellectus agentis; ideo quia ab illis abſtrahit ſpecies: ita etiam poſſunt fieri tales ab Anima coniuncta; cum apud aduerſarios actione intellectus a gentis poteſt produci ſpecies, in qua Angeli diſtinctè repræſententur. Ratio igitur Diui Thomæ non procedit ex omnibus neceſſarijs, ſed ex maiori ſolùm probabili.

Attamen ſi huius rei philoſophia cõſideratiùs expendatur minor illa, attentis 62.

philo-

philoſophiæ principijs, eſt neceſſaria in anima coniuncta: nam quãuis probabile ſit animã ſeparatam actione intellectus agẽtis poſſe accipere ſpecies ab Angelis, & ita reddere eos actu intelligibiles: id tamen impoſſibile eſt in anima coniuncta: quia impoſſibile eſt animã coniunctam naturaliter poſſe immediatè abſtrahere ſpecies ab Angelis, aut producere ſpeciẽ diſtinctè repræſentatiuam illorum; vtrũque ſtatim demonſtrabimus.

Quarta demonſtratio.

63. 4. demonſtratio. *D. Thom.* Quarta demõſtratio ſumitur à D. Thomæ 1. p. q. 89. art. 2. quoniam intellectus coniunctus ſuo naturali intelligendi modo non poteſt peruenire ad cognitionẽ quidditatiuam ſubſtantiæ ſeparatæ, niſi per abſtrationẽ quidditatis rei materialis â materia. Hoc autẽ modo nõ poteſt peruenire ad illã cognitionẽ: ergo: & cętera. Maiorẽ ideo nõ probat D. Thomas, quia eam concedit Auempace, contra quem arguit: & ſatis demõſtratur ex eo, quod omnis noſtra cognitio incipit à ſenſu, & abſtrahit quidditatem materialium à materia, qua cum ſunt cõcreta in indiuiduis. Minorẽ probat; quoniam quidditas ſubſtantiæ immaterialis eſt longe alteriùs rationis à quidditate rei materialis: ergo nunquã à quidditate illius abſtrahet quidditatem aliquam ſimilem quidditati ſubſtantiæ immaterialis, per quam quidditatiuè cognoſcat ſubſtantias immateriales.

64. Confirmatio. *Caietan.* Hoc D. Thomæ fundamentũ ita corroborat Caietanus ibidem: quoniã quidditas, quæ eſt alterius rationis à quidditate abſtrahibili à materia, non poteſt perfectè ſciri per quidditatem rei materialis. Sed natura, & quidditas ſubſtantiæ immaterialis eſt alterius rationis à re materiali: ergo per talem naturam etiam à materia abſtrahibilem, non poteſt diſtinctè cognoſci quidditas ſubſtantiæ immaterialis. Minor, ait Caietanus, inter peripateticos eſt nota: & probatur; quia natura, & quidditas, quæ ita eſt ſeparata à materia, vt ex ſe excludat eſſe in materia, eſt alterius rationis à quidditate, quæ ſaltem per intellectum, â materia abſtrahi poteſt: hæc enim negatiuè abſtrahit à materia, quatenùs in ſua ratione eam non includit, non tamen eam excludit, cum poſſit cum materia reperiri. Maiorem verò probat ex illo principio, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio erit cauſa negationis. Iam verò vnam quidditatem eſſe eiuſdem rationis cum alia, per ſe eſt cauſa, vt per illã poſſit diſtinctè cognoſci: ergo quidditatem eſſe diſtinctę rationis ab alia erit cauſa, vt per eam alia non cognoſcatur.

Hæc tamen demonſtratio vim habet contra Auempacem aduerſus quem D. Thomas argumentatur: etenim Auempace docebat intellectum noſtrum naturaliter poſſe deuenire in cognitionem diſtinctam ſubſtantiarum ſeparatarum ex eo, quia procedens per abſtractionem quidditatis à materia tandem deuenire debet ad abſtractionem vnius quidditatis, quæ in ſe ipſa ſit pura; & omninò abſtracta à materia, & ſubinde eiuſdem rationis cum quidditate ſubſtantiæ ſeparatæ, vt poſſit per eam cognoſci. Hoc fundamentum Auempacis omninò deſtruitur ſi quidditas ſubſtantiæ ſeparatæ ſit alterius rationis ab omni quidditate abſtrahibili à materia, qualis eſt quidditas ſubſtantiæ ſeparatæ, vt iam oſtendimus. 65. Rationem habet contra Auempace.

Sed quamuis iſta ratio demonſtret cõtra modum dicendi Auempacis; non tamen contra alios dicendi modos: nec enim vim habet contra eos, qui dicunt intellectum noſtrũ ideo naturaliter poſſe cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, quia ex accidentibus illarum naturaliter cognitis poteſt abſtrahere ſpeciem diſtinctè repræſentantem ſubſtantiam ſeparatam: quamuis illa ſit alterius rationis à quidditate ſuorum accidentium. Sed de hac ſolutione ſtatim plura. 66. Non habet vim contra alios.

Quinta demonſtratio.

5. Demonſtratio, eaq; à priori, ſumi poteſt ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 4. Et quamuis ibi generaliter agat de omni intellectu creato: tamẽ quę docet applicari poſſunt ad noſtrum intellectum coniunctum. Cognitio naturalis cuiuſcumque cognoſcẽtis eſt ſecundũ modum eſſendi naturæ ipſius, ita vt quæ altiorem eſſendi modum habent naturaliter non poſſit quidditatiuè cognoſcere: aliàs cognitum ipſum non erit in cognoſcente ſecundũ 67. 5. Demõſtratio ex D. Thom.

modum eſſendi ipſius cognoſcentis. Sed anima coniuncta habet modum eſſendi in corpore: ergo modus cognoſcendi illi naturalis ſolùm ſe extendet ad eas naturas, quæ ſunt in materia. Sed ſubſtantiæ ſeparatæ in ea non exiſtunt: ergo anima coniuncta non poteſt ſua virtute eas diſtinctè cognoſcere. Poſterior diſcurſus patet; ſimiliter minor cum conſequentia diſcurſus prioris. Sola reſtabat probatio maioris: ſed de ea latiùs agemus q. 2.

Sexta demonſtratio.

68. 6. Demonſtratio ex Fõſeca.

Sextã demõſtrationem poſuit doctiſſimus Fonſeca *lib. 2. Metaphy. cap. 1. q. 2. ſec. 5. pag. 322.* licet de ſubſtãtijs ſeparatis poſsimus virtute naturali quidditatiuè cognoſcere cõmune prædicatum ſubſtãtiæ; tamen non poſſumus quidditatiuè cognoſcere prædicatũ ſubſtantiæ incorporeæ, quatenus incorporea eſt, aut aliud prædicatum inferius ſub illo etiam cõmune omnibus ſubſtantijs ſeparatis: ergo non poſſumus virtute naturali quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas. Cõſequentia patet, quia cognitio quidditatiua diſtinctè attingit omnia prędicata vſque ad vltimam differentiam, vt prçmiſimus. Antecedens probatur: quoniã ſubſtantias incorporeas, earumque propria prædicata naturaliter cognoſcere nõpoſſumus, niſi per corporeas, hoc enim vt indubitatum ſupponitur conceſſum ab aduerſarijs, & iam demonſtratum. At per corporeas ſubſtãtias nõ poſſum⁹ cognoſcere incorpoream, niſi illa in ſubſtantijs corporeis contineatur, vel formaliter, vel eminenter, vel denique participatiuè participatione adæquata: nec enim incorporeę ſubſtãtiæ per corporeas poſſunt quidditatiuè cognoſci, niſi aliquo ex his tribus modis contineantur: etenim cognitio quidditatiua rei, ſi eſt à priori, vel erit, quia cognitũ formaliter cõtinetur in eſſẽtia ei⁹, per quod cognoſcitur: vel quia in eo cõtineturẽ eminẽter. Si verò eſt à poſteriori, erit ab effectu: effectus autẽ cauſæ, niſi ſit adæquatus toti illius virtuti, non poterit ducere in perfectam cognitionẽ quidditatis cauſę: & ideo vt cauſam per effectũ perfectè cognoſcamus, opus eſt vt exhauriat totam cauſæ virtutem: omnis igitur cognitio quidditatiua, ſi per aliud fit, fiet aliquo illorũ trium modorũ. Sed dici non poteſt, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ formaliter contineantur in eſſentia corporearũ; quia de illis eſſentialiter non prędicantur. Nec continentur eminenter in illis; quia corporeæ non ſunt perfectiores incorporeis, ſed inferiores potiùs, vt per ſe eſt notum. Nec corporeæ continentur in incorporeis participatiuè participatione adæquata, quaſi omnia effecta ſubſtantiarum ſeparatarum ad æquatè reperiantur in rebus corporeis, tanquam exhaurientibus totam incorporearum virtutem. Nullo igitur ex tribus modis explicatis ſubſtantiæ incorporeæ cõtinentur in ſubſtantijs corporeis, vt per illas quidditatiuè cognoſci valeant, quod erat probandum.

Vltima demonſtratio.

Poſtremò eadem veritas demonſtrari poteſt communi demonſtratione, qua etiam vtitur *Suarius d. 35. ſuæ Metaphy. ſec. 2. n. 3. & 4.* Sumitur autẽ ex eo, quod nullũ habeamus principium, quo naturaliter perueniamus in cognitionẽ quidditatiuã ſubſtantiarum ſeparatarum: etenim omnis naturalis noſtra cognitio, vel fit per diſcurſum ex cognitione cauſæ, aut effectus, illiuſq; proprietatis; vel immediatè per ſpeciem, quæ rem ipſam diſtinctè, & perfectè repręſentet. Nullo autẽ ex his modis naturaliter fieri poteſt in nobis cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum. 69. Vltima, & communis demonſtratio.

Quòd non cognoſcantur ex cauſis.

Quòd non poſsit illarũ cognitio naturaliter comparari à nobis ex cognitione cauſarum euidenter demonſtat Suarius vbi ſuprà. n. 5. nam cũ ſubſtantiæ ſeparatæ ſimplicẽ habeant naturã, nullã habẽt cauſam intrinſecã ex qua naturaliter cognoſci valeant. Ex cauſa autẽ efficiente naturaliter cognoſci nõ poſſunt; quia nullam habent niſi Deũ: ex cognotione autẽ naturali, quam de Deo habemus, quidditatiuè cognoſci nõ poſſunt, quia cognitio naturalis Dei nõ eſt quidditatiua ipſi⁹; vt in quęſtione ſequenti demõſtrabitur: nam cum Deum naturaliter non cognoſcamus, niſi ex effectis ſenſibilibus, de eo ſolùm cognoſcimus quod ſit, non tamen quid ſit, niſi quoad prædicata quædam communia, ſcilicet quòd ſit ens quòd ſit ſubſtantia, quòd habeat potentiam 70. Non poſſe Subſtantias ſeparatas cognoſci ex cauſa efficiente.

actiuam

actiuam, qua poſsit creare ſubſtantiã aliquam incorpoream: nam cũ naturaliter cognoſcamus de Deo quòd ſit ſubſtantia incorporea, & infinita, naturaliter poſſumus arguere, quòd ab eo ſubſtantia aliqua incorporea ſit creabilis: cũ item cognoſcamus in diuina virtute eminenter contineri plura genera, & ſpecies rerum corporearũ; vtiq; naturaliter poſſum⁹ arguere in diuina virtute eminẽter cõtineri plura genera, & ſpecies ſubſtantiarũ immaterialium: imò quòd de facto condiderit diſtinctas illarum ſpecies: nam Ariſtoteles ex motu orbium cœleſtium colligit 47. eſſe ſubſtãtias ſeparatas, vt patet *ex 12. Metaphyſicæ c.8. tex. 42.* quas etiam ſpecie diſtinxit; modo tamen quodam cõfuſo, vt benè notauit Fõſeca *vbi ſuprà pag. 323. in principio*: nam diſtinctè non cognouit, quæ nam eſſet cuiuſq; propria quidditas: imò nec diſtinctè potuit explicare propriũ, & quidditatiuum conceptũ ſubſtantiæ immaterialis, ſed in confuſo tantùm per negationem materiæ. Porrò ſi hoc prædicatũ omnibus ſubſtantijs ſeparatis cõmune ex naturali cognitione Dei perfectè cognoſcere non valemus; vtiq; nec naturaliter cognoſcemus, quæ nam ſit vniuſcuiuſq; illarũ propria quidditas: etenim ſi natura ſuperior quidditatiuè nõ cognoſcitur, nec quidditatiuè poterit cognoſci inferior: niſi enim animal quidditatiuè cognoſcatur, nõ poterit homo quidditatiuè cognoſci. Cõſtat igitur ſubſtantias ſeparatas non poſſe naturaliter cognoſci ex ſua cauſa efficienti.

Ariſtotel.

70. *Nec cognoſci poſsũt ex cauſa finali.* Sed nec ita cognoſci valẽt ex naturali cognitione ſuæ cauſæ finalis: nã licet naturaliter cognoſcamus Angelos habere finẽ aliquem naturalem; quia omnis res, quæ habet cauſam efficientẽ habet cauſã finalẽ; licet etiam cognoſcamus Deũ vt naturaliter cognitũ eſſe finẽ illorũ; tamen cum ille finis ſit cõmunis tàm illis omnibus, quàm nobis, ex hac cognitione non poſſumus deuenire in cognitionẽ diſtinctam propriæ quidditatis cuiuſq; illorũ, ſed ſolũ poſſumus inferre ſubſtãtias illas eſſe intellectuales, quia finẽ ſuum naturalem, Deũ ſcilicet, non aliter quàm cognitione poſſũt adipiſci. Manet igitur demõſtratũ ſubſtantias ſeparatas nõ poſſe virtute naturali perfectè cognoſci à nobis ex naturali cognitione ſuarũ cauſarum.

Nec cognoſci poſſunt ex effectis.

Quod nec eas perfectè cognoſcere valeamus ex cognitione effectuũ ipſarum, facilè demõſtrari poteſt. Et primò quidẽ à poſteriori: quoniã effectus Dei ſunt nobis notiores, quã effectus Angelorũ vt benè aduertit Suarius vbi ſuprà n. 4. etenim effectus Angelorũ, & paucisſimi ſunt, qui à nobis cognoſcuntur, nec omnibus ſunt noti aut indubitati: nam ſi qui naturaliter ſunt nobis cogniti, illi cognoſcuntur ex motu orbiũ cęleſtiũ: ſed quamuis naturaliter notum ſit mundũ inferiorẽ pendere ex motu cœleſtiũ orbium; plures tñ dubitarunt, an motus ille per ſe dependeat ab intelligentijs. Attamẽ naturaliter omnibus eſt notisſimũ omnia mundi inferioris & ſuperioris eſſe vera Dei effecta, ab eoq; eſſentialiter pẽdere tanquã à prima cauſa: & inde eſt vt ex effectis non ſolùm certiùs, & euidẽtiùs cognoſcamus Deũ eſſe, quàm eſſe intelligentias, ſed etiã plures Dei perfectiones, & attributa, quã Angelorum nobis innoteſcant. Inde etiam eſt, vt ex effectis cognoſcamus quã plurima prędicata ſoli Deo propria, vt eſſe ens per eſſentiam, eſſe ſubſtantiã infinitam, primam omnium rerũ cauſam, & cæt. cum tamen de Angelis nullum prædicatum cuiq; propriũ hactenùs cognouerimus. Quæ omnia ſatis arguunt effecta Dei lumine naturali eſſe nobis, & notiora, & certiora, quàm effecta Angelorum. Sed ex effectis Dei non poſſumus naturaliter peruenire ad quidditatiuam Dei notitiã, vt quæſtione ſecunda, articul. ſexto, diligenter demonſtrabimus. Ergo à fortiori nec ex effectis Angelorum poterimus naturaliter nobis comparare quidditatiuam illorum cognitionem: nam ex illis vix cognoſcimus Angelos eſſe. 71. *Nec ex effectis.* *Suarius.*

Accedit ratio à priori; quoniam nullum effectum intelligentiarum poſſumus naturaliter cognoſcere, quod nos ducat non modò in ſpeciem aliquam certam, aut indiuiduum ſubſtantiæ incorporeæ, ſed nec in diſtinctam, & quidditatiuam cognitionem ſubſtantiæ incorporeæ, quę eſt genus ad omnes incorporeas ſubſtantias. Probatur primò; quia omnia huius generis effecta proueniunt, à potentia intellectiua practica, potentiaq; actiua; hæc autem cum omnibus 72. *Ratio à priori.*

intelligentijs ſit cōmunio, nullam naturam, aut ſpecificā, aut indiuidualem ſub illa generica ſubſtantia poteſt nobis deſignare. Secundò; quia nullum huius generis effectum ab vna intelligentia produci poteſt, quod non potuerit ab alia produci. Quod ſatis probat ex effectis naturaliter cognitis nullū dari poſſe, quod determinate nos ducat in aliquam ſpeciē certam, aut indiuiduum: ſed ad ſummū nos ducet in conceptum genericum ſubſtantiæ immaterialis, & adhuc per negationem materiæ. Tertiò, quoniam nullum effectum poteſt nos ducere in cognitionem perfectam ſuæ cauſæ, niſi in ea participatiuè contineatur participatione quadam adæquata, vt in demonſtratione 6. cum Fonſeca iam oſtendimus. At non mòdo nullum dari poteſt effectum ab intelligentijs in rebus coporis productum, quod adæquatè participet totam virtutem potentiæ actiuæ; ſed nec omnia effecta, quæ in his inferioribus reperiuntur, illam totā participare poſſunt: ſunt enim quam plurima alia effecta, quæ ab intelligentijs, aut producuntur, aut produci poſſunt etiam in mūdo incorporeo, quæ naturaliter non cognoſcimus. Ergo ex effectis intelligentiarum naturaliter cognitis non poſſumus ad perfectam illarū cognitionem peruenire, quod demōſtrare nitebamur.

Nec per ſpeciem aliquam poſſumus illas diſtinctè cognoſcere.

73. Non poſſūt Angeli à nobis per ſpecies cognoſci.

Quòd cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum non poſſit à nobis naturaliter haberi per aliquas ſpecies diſtinctè illas repræſētātes (qđ erat tertiū intelligēdi principium) facilè oſtendi poteſt: quoniā, vel illæ ſpecies gratis, & liberaliter à Deo nobis infundūtur, vel infunduntur nobis ſimul cū natura, tanquā naturaliter debitæ, vt infunduntur Angelis, & animabus in puncto ſeparationis, vel ab ipſis Angelis immediatè accipiūtur à nobis, vel deniq; illas recipim⁹ per abſtrationē à rebus materialibus. Si per ſpecialem influxū Dei gratis infunduntur, talis cognitio nō eſt nobis naturalis; quia talis influxus eſt ſuprà naturā animæ coniunctæ. Dici non poteſt eas infundi nobis, tanquam naturaliter debitas, ſimul cū natura; quia, ex philoſophia peripatetica, intellectus noſter à principio eſt tanquā tabula raſa, in qua nihil eſt depictū. Similiter dici nō poteſt haſce ſpecies immediatè accipi ab ipſis ſubſtantijs ſeparatis: nam licet fortè poſſet admitti ſubſtantias ſeparatas ex ſe naturaliter emittere ſpecies in alias ſeparatas (de quo plures dubitant) non poteſt tamen admitti eas emittere ſpecies in intellectū coniunctū mortali corpori: quia anima noſtra pro hac vita naturaliter nō recipit niſi ſpecies abſtractas à phātaſmatibus per intellectū agentē. ¶ Solus igitur reſtat 4. dicendi modus, ad quē aduerſarij confugiunt docentes animā coniunctam accipere ſpecies immaterialium per abſtractionē à materialibus naturaliter cognitis. Sed hunc dicendi modū non eſſe conſentaneum philoſophiæ peripateticę facilè intelligemus, ſi expendamus varios dicendi modos aduerſariorum. 4. Dicendi modus variè à varijs explicatur.

Quidam volunt ſpecies iſtas naturaliter abſtrahi poſſe à quidditatibus rerum materialiū prout ſunt iam abſtractę à phātaſmatibus: nam cū iam ſint abſtractæ à materia, habent ſimilitudinē cum ſubſtātijs immaterialibus, & ob id ab illis naturaliter abſtrahi poſſe illarū ſpecies: quæ opinio fortè fuit Auempace. Alij docēt intellectum noſtrum ab ipſis effectis immaterialium naturaliter cognitis abſtrahere ſpecies illorum; ſicut naturaliter abſtrahit ſpecies proprias ſubſtantiæ materialis ab accidentibus illius. Quæ opinio probatur Caietano *de Thienis in 3. de Anima ad finem textus 39.* ¶ Tertiò loco alij affirmant noſtrum intellectum naturaliter cognoſcere ſubſtantias ſpirituales ſpeculando ſpecies intelligibiles abſtractas à phantaſmatibus; ita vt per illas forment proprios conceptus ſpiritualium. Hanc ſententiam ſatis mihi ſignificant *Tolet. 3. de Anima cap. 5. q. 16. fol. 175. col. 1. & c. 7. q. 21. fol. 191. col. 4. & Valentia 1. tom. d. 6. quæſt. 1. puncto 3.* dum inquiunt noſtrū intellectū vtendo ſpeciebus, quas à phantaſmatibus abſtraxit poſſe intelligere ſpiritualia. Mouētur, tū ex eo, quòd intellectus illis ſpeciebus vti poteſt abſq; vlla dependentia à phantaſmatibus. Tum etiam; quia non eſt nouum in philoſophia vnam rem intelligi per ſpeciem alterius: proprietates enim intelliguntur per ſpecies rerū, quarum ſunt proprietates; & ſubſtantia materialis naturaliter intelli-

74. 1. Modus.

2. Modus.

3. Modus.

intelligitur per ſpecies ſuorum accidentium apud eos, qui putant non dari propriam ſpeciem ſubſtantiæ, quæ accidentibus ſubijcitur. Quartꝰ modus. ¶ Poſtremò excogitari poteſt alia via, ſi quis dicat ex cognitione ſenſibilium ſpecierum poſſe noſtrum intellectum efformare conceptus diſtinctos rerum immaterialium; & ex conceptibus illis elicere ſpecies illarum, quibus deinceps cum facilitate immaterialia intelligat. Huius opinionis authorem inueni neminem: facilè tamen colligetur ex Curſu Conimbricenſi 3. de Anima c. 5. q. 5. ar. 2. pag. 353. dum ait poſſe noſtrum intellectum ex ſpeciebus rerũ materialium elicere conceptus ſpiritualium, & ex illis conceptibus elicere proprias ſpiritualium ſpecies. Et id, quod aſſerit de intellectione prudentiæ, cæterorumque habituum ſpiritualium, quiſque applicare poterit ad cognitionẽ intelligentiarũ.

75. Generaliter impugnantur explicati modi. Sed antequam ſingulas iſtas dicendi vias impugnemus; eas generaliter primò poſſumus impugnare, quia repugnat doctrinæ Sanctorum: nec enim eſſet vera Dionyſ. doctrina Magni Dionyſij in c. 1. de Diuinis nominibus, dum ait: *Intelligibilia eſſe incontemplabilia à ſenſibilibus:* per intelligibilia intelligit Angelos; quia ex ſua natura facilè eſſent contemplabiles per ſenſibilia, ſi à ſenſibilibus abſtrahi poſsẽt ſpecies illos repræſentãtes. Chryſoſt. Nec eſſet vera doctrina Chryſoſt. Homil. 5. de incõprehenſibili Dei natura pag. 995. dũ ait: *Nos, quantumcunq; philoſophemur, non poſſe ad quidditatiuam ſpiritualium notitiã peruenire*: admiſsis enim his ſpeciebus facilè nobis innoteſceret quidditas illorũ. Origenes. Falſo adhuc affirmaret Origenes lib. 1. Periarchon. c. 1. *Intellectum noſtrum cum ad incorporea nititur, atq; eorum intentionem rimatur, vix obtinere locum ſcintillæ alicuius lucernæ*: etenim ſi illarum ſpecierum abſtractio philoſophando dari poſſet; vtiq; cognitio rerum incorporearum iam non eſſet ſcintilla alicuius lucernæ, ſed perfecta illarum apprehenſio, & illuſtratio.

Quo argumento facilè patebit ſpecies 76. Repugnat Ariſt. illas repugnare doctrinæ Ariſtotelis: etenim ſi intellectus noſter à ſenſibilibus naturaliter abſtrahit ſpecies diſtinctè reprę ſentantes ſubſtantias ſeparatas, iam non ſe haberet reſpectu illarum ad inſtar veſpertilionum reſpectu Solis, ſed ad inſtar potius aquilæ, contra doctrinam Ariſtotelis 2. Metaphy. c. 1. tex. 1: nec eas leuiter attingeret, ſed potiùs perfectiſsimè cognoſceret, contra doctrinam eiuſdem Ariſt. Ariſt. lib. 1. de partibus animalium c. 5.

Tertiò illis ſpecibus repugnant duæ 77. 3. ratio. demonſtrationes poſitæ ſuprà §. 2. & 3. Nam ſi tales ſpecies admittuntur, non poteſt non concedi aliqua naturaliter intelligi à noſtro intellectu, quæ nullo ſenſu fuerunt ſenſata: & per conſequens non omnia obiecta fuiſſe à ſẽſibus intellectui ſuppeditata; contra id quod in prima demonſtratione §. 2. ex Ariſtotele, & cõmuni philoſophia oſtendimus. Prætereà admiſsis illis ſpeciebus iam intellectus noſter aliqua intelligeret, phantaſia cum eo ſimul non cõcurrente: etenim ſubſtantię ſeparatæ quo ad propria prædicata non poſſunt phantaſiari: aliqua etiam intelligeret non præſentata ſibi modo corporeo, & ſenſibili; vtrunque eſſe falſum latè oſtendit 2. demonſtratio. §. 3. ex Ariſt. Dionyſio, Nazian. Damaſc. & Auguſt.

Quartò contra eaſdem ſpecies inſurgit 78. 4. ratio. naturalis ratio ſumpta ex modo, quo ſpecies intelligibiles à noſtro intellectu producuntur: etenim non poſſunt ab eo naturaliter produci, niſi per abſtractionem illarum ab aliquo obiecto noſtro intellectui coniuncto: nam iuxta communem peripateticorum doctrinam tunc ſpecies ab obiecto abſtrahi dicuntur, cum natura (quarum ſunt ſpecies) incipiunt formaliter repræſentari abſtractæ, & quaſi auulſæ ab illo obiecto, in quo contractę veluti latebant, vt doctè ſatis adnotauit Fonſeca 4. *Metap. c. 28. q. 8. ſect. 3. in fine*, & eſt philoſophia à cæteris recepta: quæ non poteſt non eſſe nota apud eos, qui abſtractionem ſpecierum, ſiue illæ ſint ſpecificæ, ſiue genericæ, ſoli intellectui agenti concedunt: conſtat enim intellectum agentem non abſtrahere ſpecies, niſi à phantaſmatibus, dum ea illuminat (quomodo autem ea illuminat modo non curamus:) facta enim illuminatione phantaſmatis natura communis, quæ obiectiuê in eo erat inuoluta, & contracta conditionibus materiæ, formaliter apparet ſine illis, idque in ſpecie intelligibili tanquam in imagine, & ſimilitudine formaliter repræſentatiua, ac veluti delineatiua illius. Vnde Authores huius opinionis

non ſolùm admittunt phantaſmata naturæ ſpecificæ, v.g. hominis, ſed etiam naturæ genericæ, animalis ſcilicet, viuentis, corporis, & cætera. At ſi cum alijs abſtractionem naturę genericæ non tribuis intellectui agenti, ſed poſsibili; adhuc veriſsima eſt poſita philoſophia: quoniam intellectus poſsibilis, dum concipit naturā ſpecificam hominis, ab ea obiectiuè concepta abſtrahit ſpeciem intelligibilē animalis, idque dum facit vt natura animalis, quæ in homine contracta continetur, formaliter appareat ſine rationali, & ſic de cæteris naturis ſuperioribus. Quare ſiue omnium ſpecierum abſtractio ſoli intellectui agenti conueniat, ſiue aliqua conueniat poſsibili, ſemper verū eſt ſpecies intelligibiles actione intellectus abſtrahi ab aliquo materiali obiecto intellectui coniuncto; idque dum intellectus facit, vt natura communis formaliter appareat non contracta, ſed veluti eruta ab obiecto, in quo latebat. Oportet igitur vt illa natura & quidditas, cuius ſpecies abſtrahitur, aliquo modo formaliter contineatur in obiecto, à quo ſua ſpecies abſtrahitur. Nec dabitur inſtantia. At quis dicet naturam angelicam quoad prædicata ſibi propria, ſpecifica, aut generica formaliter contineri, vel in phantaſmate materiali, vel in ipſa materiali quidditate intellectui obiecta? etenim natura diſparata quoad ſua propria prædicata non poteſt formaliter contineri in natura, à qua eſsētialiter diſtinguitur: nec enim equus ſub eſſentiali ratione equi poterit formaliter includi in natura hominis. Vnde ſicut per ſpeciem intelligibilem hominis nō poterit cognoſci equus, vt eſt equ⁹; ita etiam nec intellectus à natura hominis, aut ab illius ſpecie intelligibili poterit abſtrahere ſpeciem, quæ equū quidditatiuè repræſentet. A fortiori igitur à natura corporea ſibi obiecta poterit abſtrahere ſpeciem repræſentatiuam ſubſtantię immaterialis, vt immaterialis eſt.

79. Confirmatio. Id adhuc confirmatur ex natura ſpeciei intelligibilis: hæc enim intrinſece habet, quod ſit perfecta imago, & ſimilitudo rei, cuius eſt ſpecies, iuxta veriſsimam ſententiam Ariſtotelis, & Peripateticorum, quam ſupponimus cum Curſu Conimbr. 1. *de Interpretatione c. 1. q. 2. art. 3. ſect. 1. pag. 19. & 20. contra Suarium in Metaphyſica d. 30. ſect. 11. n. 30.* Iam verò perfecta rei imago, formaliſq; illius ſimilitudo non poteſt ab aliquo agente ſaltē creato produci, niſi reſpiciat exemplatum, vt eſt in ſe tanquam cauſam exemplarem imaginis producendæ: quomodò enim imago poterit perfectè exemplatum referre, niſi ad inſtar eius obiectiuè producatur? Iam verò quidditas materialis, quā intellectus noſter ſpeculatur, nullo modo poteſt eſſe exemplar quidditatis angelicæ, cum ſit eſſentialiter diſtincta, & diſparatè oppoſita proprijs illius prædicatis.

Conimbr. Suarius.

Sed iam ſingulos explicatos dicendi modos expendamus, oſtendamusq; ſingulorum improbabilitatē. Nam primus, qui fortè placuit Auempaci, efficaciter impugnatur à *D. Thoma 1. p. q. 88. ar. 2. & à Caietano ibidem:* etenim ideò putat à ſenſibilibus abſtrahi poſſe ſpecies intelligibiles ſubſtantiarum ſeparatarum, quia in abſtractione tandem deueniendum eſt ad abſtractionem alicuius quidditatis, quæ ſit omnino pura ab omni materia: quod fundamentum eſſe friuolum, & Philoſophię repugnans oſtendit ratio D. Thomæ: etenim ſubſtantiæ immateriales ſub gradu immaterialitatis ſunt alterius rationis à quidditatibus rerum materialiū: tum; quia diſparatè opponūtur tanquam ſpecies oppoſitę: tum, quia nulla quidditas poteſt abſtrahi à re materiali, quæ ita ſit pura à materia, vt illi repugnet eſſe cū materia: nam in ipſa re materiali eſt materiæ coniuncta. Iam verò quidditas ſubſtantiæ immaterialis, vt eſt immaterialis, ita eſt pura à materia vt illi repugnet cōiungi cum materia. Ergo fieri non poteſt vt à re materiali abſtrahatur quidditas, & natura ſimilis ſubſtantijs ſeparatis; & ſubinde à nulla quidditate abſtracta à re materiali poterit abſtrahi ſpecies intelligibilis quidditatiuè, repræſentans immaterialitatem ſubſtātiarum intelligibilium. 80. Contra primum dicendi modum. *D. Thom. Caiet.*

Secundę opinionis improbabilitas patet ex dictis de effectis ſubſtantiarum ſeparatarum: nullū enim dari poteſt, quod nos ducat, non modo in certam aliquam ſpeciem, aut indiuiduum ſubſtantiæ incorporeæ, vt ibidem oſtendimus; ſed nec in euidentem cognitionem gradus immaterialis: nam cum omnia effecta ſint materialia, & corporea, quodlibet eorum diſ- 81. Contra ſecundū modum.

paratè

paratè opponitur immaterialitati illarum ſubſtātiarum. Iam verò ſicut nullum diſparatè oppoſitum poteſt aſsimilari ſuo oppoſito ſub illo eſſendi gradu, in quo illi opponitur; ita etiam nec ab illo poteſt abſtrahi ſpecies repræſentatiua oppoſiti ſub gradu illi oppoſito. ¶ Nec contra hanc doctrinam quidquam efficit exemplum ſumptum ex accidentibus ſubſtātiæ materialis: quin potiùs pro nobis facit, ſi vera eſt ſententia, quę negat pro ſtatu viæ dari poſſe ſpeciem intelligibilem propriam ſubſtantiæ, quæ fuit ſententia

Scotus. Richard. Heruæus. Fonſeca.

Scoti in 1.d.3.q.1. Richardi in 2.d.24.art. 3.q.3.& Heruæi quodlib.3.ar.12.ad 4. nec omninò diſplicet Fonſecæ in 2. Metaphy.c.1. q.2.ſect.6.pag.324.in fine: etenim hi omnes negāt intellectum agentem poſſe ex phātaſmate accidentis elicere ſpeciē propriam ſubſtantiæ, quos in hoc probat

Curſus Conimbr.

Curſus Conimbr.3.*de Anima c.5.q.5.ar. 1.in aſſertione 2.ad finem*. A fortiori igitur negabit à rebus materialibus abſtrahi poſſe ſpecies intelligibiles ſubſtantiarum ſeparatarum. Porrò ſi cum alijs admittas ſpecies ſubſtantiæ (quod placuit *D. Thomæ de Veritate q.10.ar.5. Caietano 3.p.q. 36.art.7. Ferrar.lib.3.de Anima, Abulenſi Matthæi c.25.q.608. Auerroi 2.de Anima commento.63.& alijs, quos refert, & probat dictus Curſus vbi ſuprà, nec diſplicet Fonſecæ*) ſi, inquam, hæc opinio placet, adhuc nobis fauet: quoniam ferè omnes hi Authores volunt intellectum agentem non abſtrahere ſpeciem ſubſtantię, à phantaſmate accidētis, ſed à proprio phantaſmate ſubſtantiæ, quod admittunt in noſtra cogitatiua. Quod nihil iuuat Tienenſem. Sed nec iuuabit, ſi admittas ſpeciem ſubſtantiæ elici à phantaſmate accidētis, quæ fuit opinio *Soncin.7.Metaphy.q.54.& Iauel.ibid.q.3.& Fōſecæ vbi ſuprà*: nec enim inde benè inferes intellectum noſtrum ab effectis ſubſtantiæ ſeparatę elicere poſſe ſpeciem intelligibilem eiuſdē ſubſtantiæ: eſt enim vtrobique diſpar ratio: quoniam ideò à phantaſmate accidentis poteſt abſtrahi ſpecies ſubſtantiæ, in qua accidens inhæret, quia phantaſma accidentis agit in virtute ſubſtantiæ: iam verò effecta ſubſtantiæ ſeparatę non operantur, vt inſtrumenta illius, ſed virtute ſibi propria: ſolùm eſſet eadem ratio, ſi intellectus noſter naturaliter videret accidentia, quæ in ſubſtantia ſeparata inhærent.

D. Thom. Caiet. Ferrar. Abulenſ. Auerr.

Soncin. Iauellus. Fonſeca.

82. Contra tertium modū

Tertia ſententia magis mihi videtur improbabilis: nam cum ſpecies rei materialis abſtracta à phantaſmate ſit imago illius, vt eſt materialis; & ſub hoc eſſendi gradu opponatur ſeparatæ ſubſtātiæ, fieri non poteſt, vt quantumuis ſit ſpeculata poſsit ducere in perfectam cognitionem ſubſtantiæ ſeparatæ, vt eſt immaterialis imò quantò plus fuerit ſpeculata, tantò magis repræſentabit eſſentialem oppoſitionem inter vnam & alteram ſubſtantiā. Nec ad hanc repræſentationem aliquid facit, quod intellectus noſter illis ſpeciebus iam vtatur ſine concurſu phantaſiæ: nam vt hoc admittamus (quod tamen eſt falſum) non admittimus tamen illam ſpeciem eſſe independentem ab obiecto materiali, & corporeo; quia adhuc ex ſe repræſentat rem materialem, vt materialē: ex qua repræſentatione ortum habet impoſsibilitas vt ex illa formetur cōceptus ſubſtantiæ ſeparatæ. Nec aliquid ad rem facit, quod ſecundo loco adducitur: tum, quia fortè non eſt verum vnam rem diſtinctè cognoſci per ſpeciem alterius: tū ſecundò; quia hoc ſolùm eſt admittendū inter ea, quæ inter ſe habent naturalem dependētiam in eſſendo, qualis datur inter proprietatem, & eſſentiam, quæ eſt obiectum ſecundarium talis ſpeciei: & inter accidens, & ſubſtantiam in qua ſubiectatur, quia accidens agit vt inſtrumentum illius. At nihil horum reperitur in ſpeciebus rerum materialium in ordine ad ſubſtantias ſeparatas.

Contra vltimum mod.

Poſtrema ſententia non eſt admittenda, ſi ſermo ſit de conceptibus, quibus ſubſtantia ſeparata, aut quælibet alia res ſpiritualis perfectè concipitur. Quare in hoc ſenſu petitur principium. At verò ſi ſermo ſit de cōceptibus cōmunibus ſubſtantiæ materiali, & immateriali (quales ſunt conceptus entis, & ſubſtantiæ) facilè admittam illum dicendi modum: nam cū res materialis in ſua ſpecie intelligibili etiam repræſentetur ſub conceptu entis & ſubſtantiæ, facilè admittam poſſe intellectum conferendo vnam & alteram ſubſtantiam formare conceptus illos generales, & adiuncto conceptu connotatiuo negationis materiæ poſſe concipere ſubſtantiam ſeparatam, & ab illo conceptu elicere ſpeciem intelligibilem repræſenta-

ſentatiuam ſubſtantię cum connotatione carentiæ materię: at talis conceptus, licet ſit proprius ſubſtantiæ ſeparatæ, non tamen eſt quidditatiuus. Hęc diximus pro explicanda vltima demonſtratione.

§. 7.

Pro ſolutione primi argumenti expenditur, an anima corpori coniuncta ſe ipſam quidditatiuè cognoſcat?

83. An anima vnita corpori ſe ipſam cognoſcat? PRimum argumentum tangit difficultatē ſcitu dignam: an anima noſtra, vt eſt in corpore ſe ipsā quidditatiuè cognoſcat? à qua difficultate facilè liberabitur, qui cum D. Thoma dixerit animam extra corpus quidditatiuè non cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, ſed ſolùm cognitione quadam confuſa: ita D. Thom. Caiet. *D. Thomas 1. p. q. 89. ar. 2. & in quæſtionib. de Anima q. 15. in fine, Caietanus in d. ar. 2. & latiùs de ente, & eſſentia cap. 6. q. 14. ar. 7. & eſt communis doctrina Thomiſtarum,* Abulenſ. quam probauit *Abulenſis in Matthæum c. 25. q. 576*: hac opinione ſuppoſita non valet hæc conſequentia anima ſe ipſam diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcit: ergo quidditatiuè cognoſcit ſubſtātias ſeparatas: etenim anima ſeparata quidditatiuè ſe ipſam cognoſcit ex D. Thoma locis citatis; & tamen quidditatiuè non cognoſcit ſubſtātias ſeparatas. Quare & ſi admitteremus animā coniunctā ſe ipſam quidditatiuè cognoſcere; non cogeremur admittere eā quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas: etenim coniuncta minus clarè intelligit, quam ſeparata. In terminis hanc ſolutionem poſuit D. Thom. D. Thom. *1. p. q. 88. ar. 1. ad 1. & 3. cont. gent. cap. 46. ad finem.*

84. Fonſeca. Conimbr. Sed quoniam doctrina illa pleriſque videtur dubia, imò falſa, vt patet ex *Fonſeca 2. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 6. pag. 327. ad finem, & Curſu Conimbr. in tractatu de Anima ſeparata d. 4. ar. 2. in 3. dubitatione pag. 509. in fine*, & pleriſque alijs: pro ſecunda ſolutione oportet breuiter expēdere veritatem antecedentis. Nam quod anima coniuncta ſe ipſam cognoſcat, omnes fatentur ex Auguſt. *lib. 9. de Trinit. c. 3. & 11.* & mille alijs in locis. Auguſt. Solùm eſt controuerſia, an cognoſcat ſe ipſam diſtinctè & quidditatiuè. Ratio dubitandi eſt, quia plerique id videntur aſſirmare, vt *Caietan. de ente & eſſentia c. 6. q. 14. art. 5. in 2. confirmatione opinionis D. Thomæ, Ferrar. in 3. contra gentes c. 46. §. ad 3. dicitur paulò ante finem, idem in 3. de Anima q. 6. concluſ. 4. pag. 162. Plerique putant hanc ſententiam fuiſſe D. Thomæ in dicto cap. 46. ad finem, & de Verit. q. 10. ar. 8. & Ægidij 2. Metaphy. q. 15. probat Tolet. in 3. de Anim. c. 4. q. 11. fol. 157. col. 1. videtur idem ſentire Gregorius in 1. d. 3. q. 2.* dum ait, animam noſtram diſtinctè cognoſcere ſe ipſam: cognitio autem diſtincta eſſe nequit, niſi ſit quidditatiua. Nec deſunt qui hanc opinionem admittant, de anima noſtra ſecūdùm illum eſſendi gradum, quo eſt actus corporis; ſecùs de gradu eſſendi, quo eſt ſeparabilis â corpore. Caiet. Ferrar. D. Thom. Ægidius. Toletus. Gregor.

Dicendum tamen eſt animam coniūctam non poſſe ſe ipſam quidditatiuè cognoſcere, in ſenſu initio explicato; quæ fuit opinio *Fonſecæ (quanuis cum formidine) in dicta ſect. 6. pag. 326. & 327. Curſus Conimb. 3. de Anima c. 8. q. 7. ar. 3. ad 1. & 3. ſatis inſinuat Valentia 1. tomo d. 6. q. 7. puncto 2. in principio* in illis verbis *aliquo modo intelligit, & inferiùs pag. 1381. B. ibi minus perfecte intelligit quàm angelus.* 85. Vera opin. Fonſec. Conimbr. Valentia.

Quæ opinio primò confirmatur à poſteriori, quia poſt tam acuratam, atque diligentem apud veteres, & recentiores Philoſophos diſputationem de ſubſtantia animæ, non dum comperta eſt quidditatiua illius cognitio: licet enim de ea naturaliter cognoſcamus, quòd ex ſua natura eſt actus corporis, & ſubſtantia per ſe ſubſiſtens; propriam tamen illius differentiam, non ſolùm qua ſpecie ab Angelis diſtinguitur, ſed etiam quatenus eſt ſpiritualis, nec cognoſcimus, nec poſſumus cognoſcere, niſi per negationem materiæ, quæ cognitio non explicat differentiam, qua poſitiuè conſtituitur in eſſe ſpiritus; quem tamē eſſendi gradum, atq; differentiā diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcit in ſtatu ſeparationis ex *D. Thoma 1. p. q. 89. ar. 2. & poſt alios docet Curſus Conimbr. in tractatu de anima ſeparata d. 3. ar. 1. in 2. pronuntiato.* Prima probatio. D. Thom. Conimbr.

Secundò probatur impugnando ſingulos dicendi modos, qui ex aduerſarijs colliguntur: inde enim patebit noſtræ ſententiæ confirmatio, argumento ſumpto à ſufficienti partium enumeratione. Primus dicēdi modus placuit veteribus, qui 86. 2. probatio

Veteres [...] jiciuntur.

qui volebant animam coniunctam per ſe primò & directè ſe ipſam intelligere tanquam primum & immediatum obiectū ſui intellectus: quæ fuit opinio Platonicorum, Simplicij, Philopo. & Plotini: ſed hæc opinio vnico cōſenſu reijcitur, tum à veteribus, tum à recentioribus philoſophis: omnes enim docent animam coniūctam ſe cognoſcere nō poſſe, niſi ex cognitione aliarum rerū, ita *Alexander, Themiſt. Alpharabius, & Auerroes, quos ſequuti ſunt D. Thomas 1. p. q. 87. ar. 1. & 3. & li. 2. contra gentes c. 98. in principio, & lib. 3. c. 46. & de Veritate q. 10. ar. 8. & 9. Ægidius in 2. d. 3. p. 2. q. 2. ar. 1. dubi. 1. pag. 226. col. 2. in principio, & quodlib. 2. q. 23. Henric. quodlib. 4. q. 7. in fine, Scotus in 2. d. 3. q. 8. ad 1. principale, litera K. vbi Lychetus, & Baſſolius q. 3. fol. 38. col. 1. ad 2. Caietanus 1. p. locis citatis, Ferrar. in dicto c. 98. & 46. & lib. 3. de Anima q. 6. concl. 2. 3. & 4. vbi Mathias Aquarius in ſuis annotationibus, Fonſeca in 2. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 6. ad 3. pag. 325. & 326. Tolet. in 3. de Anima q. 11. concluſione 1. fol. 157. & ibid. Apolinaris q. 18. ad finem, & Thienenſis ad tex. 8. §. dubitatur, concluſion. 4. fol. 77. col. 1. in fine, Conimbricenſes ibid. c. 8. q. 7. in fine, Soncin. 12. Metaphy. q. 59. ad 5. Molina 1. p. q. 56. ar. 1. vbi Cumelius ad 5. principale, Bannes 1. p. q. 87. art. 1. dubio 1. & 2. Denique eſt indubitata ſententia.*

D. Thom. Aegid. Henricus. Scotus. Lychetus. Baſſolius. Caiet. Ferrar. Aquarius Fonſeca. Toletus. Conimbr. Soncin. Molina. Cumelius. Banhes.

87. Prima probatio ex Ariſtot.

Quorum omnium doctrina primò cō firmatur ex Ariſtotele 3. de Anima c. 4. tex. 8. & 9. & clariùs lib. 12. Metaph. c. 7. tex. 39. in hæc verba: *ſe ipſum verò intellectus intelligit aſſumptione intelligibilis: intelligibilis nanq; fit attingens, & intelligens; ita vt idem intellectus, & intelligibile ſit.* Ex quibus verbis euidenter colligitur animam ſecundùm ſuam ſubſtantiam non eſſe primum, & immediatum obiectum ſui intellectus; ita vt ipſa primò & directè poſſit obiectiuè mouere ſuum intellectum ad ſui ipſius cognitionem.

88. 2. ex Diuo Thoma.

Secundò confirmatur, imò demonſtratur à D. Thoma 1. p. q. 87. ar. 1. ex eo, quòd anima noſtra coniuncta ſecundùm ſe non eſt intelligibilis in actu, ſed ſolùm in potentia; fit autem actu intelligibilis, cum alia intelligit. Sed quoniam hoc fundamentum nec ab aduerſarijs recipitur, nec *ab Scoto vbi ſupra H. nec à Baſſolio loco citato*; oportet pro hac controuerſia explicanda tollere æquiuocationem. Et vt omittamus, quæ Caietan. non minus obſcurè, quàm ſubtiliter ſcribit in dicta *q. 87. ar. 1. & Ferrar. in locis citatis*; notandū eſt intelligibile vno modo ſumi pro vt idem eſt quod immateriale: nec ſine fundamento; quia immaterialitas eſt fundamentum intellectualitatis actiuæ, vt diximus in 1. tomo. Et hinc effectum eſt, vt immaterialia communiter dicantur intelligibilia; hoc enim prædicatum erit illis proprium, ſi intelligibile idē ſit, quod intellectuale, vt ſit differentia primò diſtinguens immaterialia à materialibus. Altero modo ſumitur intelligibile, prout idem eſt, quod perceptibile ab intellectu; in hoc enim ſenſu enumeratur inter ſupertranſcendentia, & denotat intelligibilitatem paſſiuam; vndè conuenit tam immaterialibus, quàm materialibus. In hac quæſtione intelligibile ſumitur poſteriori modo. ¶ Intelligibile ita ſumptum diuiditur in intelligibile in actu, & in intelligibile in potentia: nam cum intelligibile idem ſit, quod potens obiectiuè mouere intellectum ad ſui intellectionem; quædam ſunt in actu primo, vt intellectum obiectiuè moueant; quædam verò ſolùm in potentia remota. Ad prius genus ſpectant ea quibus intellectus iam eſt factus in actu primo, vel per ſpecies intelligibiles, quibus intellectus perficitur; vel per præſentiā obiectiuā ſuæ entitatis, quatenus ſubit vicē ſpeciei intelligibilis: talis eſt eſſentia diuina, quatenus tāquā ſpecies intelligibilis vnitur intellectui beatorū, vt cōmuniter dicitur: talis etiā eſt ſubſtātia angeli reſpectu ſui intellectus; etenim iuxta veriſsimā ſententiā eſt in actu 1. vt à ſuo intellectu primò & immediatè intelligatur. Ad genus poſterius pertinēt primò entia materialia, quādiù abſtractione ſpecierum à conditionibus materiæ non abſtrahuntur: nec enim vt ſic poſſunt immediatè mouere intellectum, quamuis ſint in potentia remota, vt illum moueant. Ad idem etiam genus pertinet ſubſtantia Angeli, ſi ſpecies à rebus accipiant: nam ſicut Angelus Gabriel non poteſt immediatè mouere intellectū Raphaelis, niſi ſit in actu primo per propriam Gabrielis ſpeciē: ita reſpectu eiuſdem non eſt actu intelligibilis, ſed ſolùm potentia. Si verò Angeli habent ſpecies natu-

Caiet. Ferrar.

naturaliter infuſas, licet poſt ſpecierum infuſionem ſint actu intelligibiles; ex ſe tamen non ſunt tales, ſed per ſpecies ipſis infuſas. Quare ſubſtantia cuiusq; Angeli ex ſe quidem non eſt actu intelligibilis reſpectu aliorum Angelorum; bene tamē reſpectu ſui intellectus: quia immediatè poteſt illum mouere ad ſui cognitionem.

89. In quo poſita ſit difficultas. Ex his iam patet totam difficultatem in eo eſſe poſitam, an anima noſtra coniuncta reſpectu ſui ipſius ſit actu intelligibilis; an verò ſolùm potentia? Aduerſarij putant eam eſſe intelligibilem in actu primo; quia putant animam ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſe primum & immediatum obiectum ſui intellectus. Scótus autem, ſi benè expendatur (quidquid Lychetus contradicat) exiſtimat eam quidē eſſe in actu primo etiam obiectiuo, impediri tamen ne actualiter ſe immediatè intelligat, idque quia eſt in corpore. Veriſſima tamen eſt opinio D. Thomæ eam eſſe intelligibilem ſolùm in potentia: & proinde vt poſsit ſe ipſam immediatè intelligere, indigere, vt actu fiat intelligibilis per actualem intellectionem alicuius rei materialis. Hoc nonnulli volunt eſſe demonſtratum, quia à principio eſt tanquam tabula raſa ex Ariſt. 3. de Anima c. 4. tex. 14. ſed quoniam aduerſarij illam Ariſtotelis doctrinam intelligunt in ordine ad alias res, non verò in ordine ad ſuam ſubſtantiam (nec ſine fundamento: quoniam Angelus ſecundùm ſe in eadē eſt potentia reſpectu aliarum rerum, non verò reſpectu ſui) ideò vera demonſtratio ſumenda eſt ex modo eſſendi, quem habet in corpore: nam cum modus operandi ipſius ſumendus ſit ex modo eſſendi eiuſdem: & modus eſſendi illi naturalis ſit eſſe in corpore, vtique modus naturalis operandi illius, erit vt prima operatio ſit cum dependentia à ſenſu, & ab obiectis ab illo abſtractis. Et ex conſequenti ex modo eſſendi ſibi naturali, vt eſt coniuncta, non poterit directe, & immediatè mouere ſuum intellectū ad cognitionem ſui, ſed mediatè tantùm, poſtquam ex cognitione aliarum rerum facta ſit in actu primo cognitionis ſui ipſius: primò quidem quantum ad an eſt; deinde quantum ad prædicata communia ſibi cum ſubſtantijs tam materialibus quàm immaterialibus. Nec mirum hoc

Ariſtotel.

videri debet: quoniam licet modus eſſendi in corpore, vel extra corpus non mutet naturalia in genere rei; poteſt tamen ea mutare in genere intelligibili: quia in eodem genere mutat operandi modum, vt iam diximus.

Ex dictis iam colligitur explicatio demonſtrationis, qua vtitur D. Thomas: 90. Explicatio rationis D. Thom.
nam ſi anima coniuncta ſecundùm ſe eſt intelligibilis ſolùm in potentia; nullo modo poteſt eſſe primum & immediatum obiectum ſui intellectus: hoc enim ſecūdùm ſe eſt actu intelligibile reſpectu illius. Oportet igitur vt anima fiat actu intelligibilis ex cognitione aliorum à ſe, vt ita poſsit deuenire in cognitionē ſui: quæ eſt expreſſe doctrina Ariſtotelis locis citatis.

Secundus dicendi modus videtur probatus Caietano *de ente & eſſentia loco citato*: inde enim probat ex operatione intelligendi poſſe animam deuenire in cognitionem quidditatiuam ſui ipſius, quia ipſa operatio oſtendit totam virtutē animæ intellectiuæ: iam verò ex adæquata cognitione virtutis alicuius potētiæ poſſumus deuenire in congnitionem quidditatiuam ſubſtantiæ, cuius eſt potentia. Sed argumentum retorquebimus in Caietanum cum Fonſeca vbi ſuprà: etenim ex eodem Caietano ibidem, & ex communi doctrina, de qua ſuperiùs egimus, per effecta non poſſumus venire in quidditatiuam cognitionem cauſæ, niſi ipſa effecta & totam virtutem cauſę adæquēt, & cognoſcantúr vt illi adæquata. Iam verò in hac vita non poteſt adæquatè percipi tota virtus intellectiua animæ noſtrę, vt optimè aduertit Fonſeca loco citato in ſecunda ratione: nec enim omninò percipimus eum intelligendi modum, quem anima extra corpus habitura ſit, nec eū, quem in corpore naturaliter habere poteſt. Hoc poſterius euidenter patet: quia licet in hac vita cognoſcamus animam noſtram intelligere per conuerſionem ad phantaſmata: tamen non omnino cognoſcimus, aut quid ſit phantaſmata ſpeculari; aut an poſsimus aliquando intelligere ſine tali conuerſione: vtrūque enim & intellectu eſt ſatis difficile, & inter authores ſatis controuerſum. Illud autem poſterius etiam patet ex controuerſia, an anima extra corpus diſtinctè intelligat ſub-

91. Secundus modus ex Caietan. nō recipitur.

ſubſtantias ſeparatas, vt communior habet ſententia; an ſolùm confuſè, vt cum D. Thoma volunt Thomiſtæ. Quæ omnia arguunt nos in hac vita adæquatè nõ cognoſcere totã virtutem noſtri intellectus; non modo ſi abſolutè ſumatur, ſed nec ſi ſumatur ſecundùm ſtatũ animę cõiunctæ. Quare in hac vita ex ipſo intelligere, quod experimur, dum res materiales intelligimus, cognoſcimus quidem animam noſtram eſſe; non tamen quid illa ſit, quoad prædicata aut ſibi propria, aut propria rebus immaterialibus, vt tales ſunt: quin potius nec in ipſa intellectione, quam nobis ineſſe experimur, quidditatiuè cognoſcimus ipſum gradũ poſitiuum immaterialitatis.

92. Reijcitur modus Ferrarienſis. Tertius dicẽdi modus probatus videtur Ferrarienſi 3. *de Anima in dicta q. 6. concluſ.* 4. vbi docet animam noſtram ſe ipſã quidditatiuè cognoſcere ex eo, quod cognoſcit ſpecies intelligibiles rerũ, quas intelligit, & ante eum hunc dicendi modum vt probabilem docuit Caietanus *de Thienis vbi ſuprà concluſione* 4. *fol.* 77. Sed quam impoſsibilis ſit iſte dicendi modus facilè colliges ex ijs, quæ diximus: nec enim dici poteſt animam per tales ſpecies poſſe directè cognoſcere ſuam ſubſtantiam; quoniam ſubſtantia illius illas ſpecies primò & directè non repræſentatur: ergo per illas ſolùm ſe cognoſcet arguitiuè, vt idem Ferrar. fatetur. Arguendo autem nõ poteſt ex illis deuenire in cognitionem quidditatiuam ſui ipſius: cum enim de illis ſpeciebus ſolùm cognoſcat, quod ſint immateriales; ex illis ſolùm poterit arguere ſe eſſe immaterialem: cum verò hoc prædicatum commune ſit omnibus rebus immaterialibus, ſubſtantijs ſcilicet & accidentibus; non ſatis eſt, vt deducat in cognitionem totius quidditatis vſque ad vltimam differentiam, qua anima conſtituitur in eſſe talis animæ. Imò quamuis prædicatum illud ſit animę quidditatiuum; tamen quia commune eſt & generale, cognitio illius abſolutè non pertinet ad cognitionem quid eſt, ſed ad cognitionem quia eſt, vt ex Caietano ſæpè diximus.

Caietan. de Thienis.

93. Soluitur obiectio. Nec obſtat quòd materia in ſua quidditate diſtinctè cognoſcitur per analogiam ad formam, ſpecies autem intelligibilis eſt forma, & actus animæ noſtræ: non obſtat, inquam, quia diſpar datur ratio inter puram potentiam in genere rei, & in genere intelligibili: nam materia prima in genere rei nullam aliam habet aut entitatem, aut quidditatem, quam eſſe puram potentiam ad recipiendum actum in eodem genere: anima verò ſiue intellectus, quamuis in genere intelligibili nihil aliud ſit quàm pura potentia in tali genere; tamen in genere rei eſt ens in actu habens propriam quidditatem; de cuius cognitione agimus.

Quartum dicendi modum quidam excogitauerũt; intellectum ſcilicet ex ſpeciebus rerum materialium, & ex intellectione, qua eas intelligit, abſtrahere vnã ſimplicem ſpeciem, in qua diſtinctè, & quidditatiuè repræſentatur ſubſtantia animæ. Iſtum dicendi modum quibuſdam placuiſſe communiter refertur, cum probabilem aſſerit Thienenſis *libro tertio de Anima text.* 8. *fol.* 77. *concluſione tertia.* ¶ Sed opinio recipi non poteſt: quia fieri nequit, vt ex ſpeciebus rerum materialium abſtrahatur ſpecies diſtinctè repræſentans ſubſtãtiam immaterialem, vt iam ſuperiùs oſtendimus. Vnde hanc ſpeciem ferè omnes reijciunt, vt *Fonſeca in dicta ſect.* 3. *pag.* 326. *Toletus* 3. *de Anima cap.* 11. *concluſione* 2. *fol.* 157. *Ferrar. ibi q.* 6. *concluſione* 5. *Curſus Conimbricenſis in eodem lib. ca.* 8. *q.* 7. *ar.* 2. *§. Igitur omiſſa. Appollinaris ibidem quæſt.* 18. *§. Secunda ſuppoſitio, & concluſione ſecunda.* Non obſtat quod cogitatiua ex ſpeciebus rerum ſenſatarum abſtrahit ſpecies rerum non ſenſatarum: quoniam datur diſpar ratio in cogitatiua, & in intellectu: quoniam res, quas appellamus non ſenſatas, propriè non ſunt entia, ſed modi quidam, ſeu quædam intentiones, quæ ſunt in ipſis rebus exteriùs ſenſatis, vt patet in rationibus vtilis & nociui: amici vel inimici, & in alijs huius generis, quæ non ſolùm comitantur obiecta intelligibilia, ſed etiã ſenſibilia: vnde nec excedunt rationem ſenſibilis, nec ſunt extra obiectum exteriùs ſenſatum: & ob hanc rationem ab ſpeciebus rerum ſenſatarum benè poſsũt elici ſpecies illarum intentionum, quæ ſenſu externo non percipiuntur. At ſubſtantia animæ rationalis ſecundùm ſe nec continetur ſub obiecto ſenſibili, nec realiter eſt coniuncta cum ipſa re ſenſibili,

94. Impugnatur quartus modus.

Thienenſis

Fonſeca. Toletus. Ferrar. Curſus Conimbr. Ferrar. Appollin.

ſibili, cuius ſpecies eſt in intellectu.

95. Vis rationis propoſitæ. Ex quibus iam patet vis ſecundæ demonſtrationis: etenim ſi omnes dicendi modi, quibus aduerſarij ſuam opinionem defendũt, veræ huius rei philoſophiæ repugnant; à ſufficiente partium enumeratione conuincitur animam coniunctam non poſſe ſe ipſam quidditatiuè cognoſcere. ¶ Nec pro oppoſita ſententia citari poſſunt aut D. Thomas, aut Ægidius, aut cæteri, qui pro ea adducuntur; quoniam nõ agunt de cognitione quidditatiua propriẽ ſumpta, qua cognoſcũtur omnia prędicata vſque ad vltimam differẽtiam; ſed de cognitione quidditatiua latè accepta, prout diſtinguitur à cognitione an eſt: in quo ſenſu omnis cognitio, qua res cognoſcitur ſecundùm prędicata quidditatiua communia, & generalia, appellatur quidditatiua, quatenus per eam res non ſolùm cognoſcitur quo ad an eſt, ſed aliquo modo quo ad quid eſt. Quẽ ſenſum ſatis colliges ex præcitatis authoribus.

§. 8.

Soluuntur cætera argumenta adducta §. 2.

96. Ad 2. arg. poſitũ §. 2. Explicato primo argumento ſupereſt explicemus cætera, quæ poſita ſunt §. 2. Ad ſecũdum igitur admiſſa maiore negãda eſt minor: nec enim beatitudo naturalis huius vitæ cõſiſtit in aliqua cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum excepta prima, quantumuis illa ſit præſtantiſsima, & quidditatiua, vt contra Auempacem, Alexãdrum, & Auerr. demonſtrauimus ſuprà lib. 3. q. 5. ar. 2. concluſione 1. & 3. Nec oppoſitum voluit Ariſtoteles, quidquid Cano illi id falsò imponat: verba enim quæ adducũtur ſolùm probant felicitatem noſtram verſari circa ea, quæ cognoſcibilium ſunt præſtãtiſsima: iam verò inter cognoſcibilia ſola prima ſubſtãtia præſtãtiſsima eſt omniũ. Et quãuis admitteremus hãc fuiſſe Ariſtotelis ſententiam; illa ita eſſet explicãda, vt felicitas noſtra naturalis conſiſteret in cognitione præſtantiſsima, quam in hac vita de ſubſtantijs ſeparatis aſſequi poſſemus, vt benè aduertit Fonſeca in 2. Metaphyſ. cap. 1. q. 2. ſect. 7. ad 1. pag. 328: hæc autem non eſſet cognitio quidditatiua illarum.

Ad confirmationẽ ſuppoſita opinione D. Thomæ, quæ negat animam noſtram etiã ſeparatam quidditatiuè cognoſcere ſubſtãtias ſeparatas, de quo *D. Thom. 1. p. q. 89. ar. 2*: negandũ eſt cognitionẽ quidditatiuã illarum eſſe animæ noſtræ naturalẽ: quomodo enim poteſt eſſe naturale animæ, quod illi ſub neutro ſtatu poteſt naturaliter cõuenire? Sed quia hæc Thomiſtarum opinio aut falſa eſt, aut dubia: ideò ſecũda ſolutio ſit eorum, qui volunt animam noſtrã ſecundùm gradũ intellectiuũ nõ eſſe formã corporis: hi enim admitterent quidẽ cognitionẽ ſubſtantiarũ ſeparatarũ eſſe naturalẽ animæ noſtræ ſecundùm gradũ intellectiuum: animã autem ex eo, quòd eſt in corpore, non impediri ab operationib⁹, quæ illi cõueniũt ſecũdùm illum eſſendi gradum, ſecundũ quem eſt forma corporis; poſſe tamẽ impediri ab illis, quæ ſunt illi naturales ſecundũ gradum ſuperiorẽ, ſecundùm quẽ non eſt corporis forma. Sed opinionem iſtam non eſſe admittendã habes apud *Fõſecã vbi ſuprà ſect. 6. ad 3. pag. 325. & Curſum Conimbr. 1. de Anima c. 1. q. 6. ar. 2. cõcluſ. 2. & Suariũ in Metap. d. 35. ſec. 2. n. 6.* Ego addo eam relegandã eſſe à philoſophia tum peripatetica, tũ Chriſtiana; nec puto tribui poſſe Caietano. Imò cũ Suario exiſtimo ſolutionem non tollere difficultatem argumenti: nec enim ſatis explicabit cur animã eſſe in corpore impediat hanc perfectiſsimã operationem, nõ verò alias; omnes enim illi cõueniunt ſecundùm gradum eſſendi intellectiuum. Quare ſit tertia ſolutio Fõſecæ vbi ſuprà ſect. 7. in principio: animã ſcilicet eſſe in corpore non impedire operationes, quæ naturaliter illi conueniunt, vt eſt forma naturalis: negat tamen cognitionẽ quidditatiuam ſubſtantiarum ſeparatarũ eſſe propriam operationem animę, vt eſt naturalis forma: quia hæc cognitio illi non cõuenit, niſi quatenus poteſt eſſe ſine corpore, in quo participat conditionẽ ſubſtãtiarum ſeparatarũ. Suarius vbi ſuprà n. 7. recurrit ad duplicẽ animæ ſtatũ; & reſolutoriè negat cognitionẽ quidditatiuã illarum ſubſtãtiarum eſſe naturalẽ animæ ſecundũ ſtatũ cõiunctionis, quaſi concedat eſſe naturalẽ illi ſecundũ ſtatũ ſeparationis. Vtraq; ſolutio Fonſecæ, & Suarij in idem recidit, ſi vtraque benè explicetur, Cum

97. Ad cõfirm. 1. ſolutio.
2. ſolutio.
Impugnatur.
Fonſeca. Conimbr. Suarius.
3. ſolutio Fonſecæ.
Alia ſolutio Suarij.

Toletus. Cum vtraq; coincidit ſolutio *Toleti in 3. de Anima q. 23. ad 3. pag. 194. col. 4.* dũ ait, maiorem ſolùm eſſe verã in formis, quæ totaliter pendent à corpore. ¶ Ego tamẽ
Vera ſolut. abſolutè negarem cognitionẽ illam eſſe animæ naturalem. Quod de ſtatu coniũctionis indubitatum eſt: de ſtatu verò ſeparationis id ſatis colliges ex D. Thoma
D. Thom. 1. p. q. 89. ar. 1: nam cum illa cognitio pro illo ſtatu fiat abſque conuerſione ad phãtaſmata, vt patet, nõ poteſt eſſe naturalis animę. i. ſecundùm propriã illius naturã, ſed neceſſariò erit illi præternaturalis, hoc eſt præter rationẽ propriæ naturæ: nam & ſtatus ille eſſendi præter propriã naturam illi conuenit. Quare cũ ſola illa operatio dicẽda ſit naturalis animæ, quæ illi cõuenit ſecundùm propriam naturã: propria autẽ natura & ratio illius ſit eſſe actum corporis; vtique ſola illa operatio erit illi connaturalis, quæ ei conuenit, vt eſt actus corporis, & ſecũdùm eſſe quod habet in corpore. Ad argumẽtum igitur neganda eſt minor. Ad probationem patet ſolutio ex ijs, quæ ad 2. diximus.

98. Ad 3. Toletus. Ad 3. reſpondet Toletus vbi ſuprà negatione ſequelæ: quia licet illud deſiderium non impleatur in ſtatu coniunctionis; implebitur tamen in ſtatu ſeparationis. Videtur igitur admittere dari in nobis tale deſiderium. Conſentire videtur
Fonſeca. Fonſeca in dicta ſect. 7. ad 4. pag. 329. Vtrunq; tamẽ negaret D. Thomas. Ego abſolutè negarem dari in anima noſtra talem appetitum: nam cum illa cognitio ſemper ſit præternaturalis, vt diximus, ad illam dari non poteſt naturalis appetitus: vnde nec naturaliter appetimus ſtatum ſeparationis, cui talis cognitio eſt veluti naturalis, non naturalitate animæ intelligentis, ſed naturalitate ſtatus: ob quã rationem licet anima pro illo ſtatu naturaliter intelligat ſubſtãtias ſeparatas cognitione diſtincta, non proinde illa intellectio deſinit eſſe præternaturalis: nam licet intellectus vt perfuſus lumine gloriæ naturaliter Deum videat; non proinde talis viſio deſinit eſſe ſupernaturalis, ſi cum intellectu ſimpliciter conferatur. Quarę argumentũ in 1. parte falſæ inititur ſuppoſitioni. ¶ Ad ſecũdam verò illius partem dicendum eſt cum Fonſeca vbi ſupra Deum nõ eo fine propoſuiſſe nobis vniuerſum iſtud ſenſibile cognoſcẽdum, vt adminiculo illius ſubſtantiæ ſeparatæ à nobis quidditatiuè cognoſcerentur: ſed ſolùm vt à nobis cognoſcerentur, quantũ à nobis ſunt naturaliter cognoſcibiles.

Quartum argumentum in multis deficere ſcribit D. Thomas 1. p. q. 88. art. 1. ad 4. Illud eſſe multis modis inefficax docet idem D. Thomas *in quæſtionib. de anima ar. 16. ad 9. eſſe omninò friuolum teſtatur lib. 3. cont. gent. c. 45. denique eſſe dignũ riſu affirmat 2. Metaphy. lect. 1. comm. 6.* Vnde meritò deridetur à Fonſeca vbi ſuprà ſect. 2. in fine. In forma neganda eſt ſequela. Primò; quia ſubſtantiæ ſeparatæ non ſunt à Deo cõditæ in eum finem, vt à nobis intelligantur; vnde non poſſunt dici fruſtrà, quanuis non intelligantur à nobis. Secundô; quia dato quod Deus eo fine eas condidiſſet vt diſtinctê, & quidditatiuè cognoſcerẽtur; non proinde priuarentur ſuo fine, ſi à nobis non cognoſcerentur quidditatiuè: quia poſſent quidditatiuè cognoſci, tum â ſe ipſis, tum ab alijs ſeparatis ſubſtantijs. 99. Ad quartũ. D. Thom. Fonſeca.

Ad 5. dicendum eſt materialia non ea præciſè ratione à nobis quidditatiuè cognoſci, quia poſſunt abſtrahi à materia, ſed quia cum tali abſtractione poſſunt naturaliter fieri intelligibilia in actu obiectiuo apud noſtrum intellectum, vt latè diximus in §. 7. ad 1. arg: hoc autem non conuenit ſubſtantijs ſeparatis: nam licet ex ſua natura ſint abſtractæ à materia; tamen cũ tali abſtractione non poſſunt naturaliter fieri nobis intelligibilia in actu obiectiuo: ſiquidem nec poſſunt ſe ipſis immediatè imprimere ſui ſimilitudines in noſtro intellectu: nec intellectus noſter ab illis poteſt immediatè abſtrahere ſpecies, quibus ſint obiectiuè intelligibilia in actu primo, ſed ſolùm mediantibus ſuis effectis, à quibus abſtrahi nõ poſſunt ſpecies, quæ illas diſtinctè repræſentent. De quo plura in ſuperioribus iam diximus. Ad quintũ.

Ad 6. negandum eſt antecedens cum Fonſeca in dicta ſect. 7. ad 6. pag. 329. Ad probationem negatur cõſequentia: tum, quia iuxta veriorem ſententiam ſpecies rerum immaterialium non imprimũtur ab obiectis, ſed infunduntur à Deo: Deus autem nullas huiuſmodi ſpecies infudit animæ coniunctæ. Tum etiam, quoniam licet illæ ſpecies ab obiectis, ipſiſque ſub- 100. Ad 6.

ſtantijs ſeparatis imprimerentur: illę imprimerentur tantũ, vel in intellectu aliarum ſubſtantiarum ſeparatarum, vel in intellectu animæ ſeparatæ, non tamen cõiunctæ: hæc enim nõ alias recipit ſpecies, niſi quas intellectus agens à phantaſmatibus abſtrahit, licet autem ſubſtantiæ ſeparatæ magis ſint actiuæ quàm materiales actiuitate reali, quæ eſt in genere rei; non tamen actiuitate intentionali in ordine ad intellectum coniunctum.

101. Ad 7. Ad 7. admiſſo antecedẽte neganda eſt cõſequentia. Ad probationẽ dicendũ eſt cũ Fõſeca loco citato ad 3. p.328. in fine illud proloquiũ non eſſe verũ de ſimilitudine reali in genere rei, quanuis in eo genere vſurpatũ ſit à veteribus, qui volebãt omnia eſſe in omnibus: hæc enim ſimilitudo, licet interdum requiratur in organo potentiæ; illa tamen non eſt ratio formalis intellectionis. Quare pronunciatũ illud ſolùm eſt verũ de ſimilitudine intẽtionali, quæ in genere intelligibili requiritur inter potentiã cognoſcentẽ, & obiectũ: hęc aũt formaliter fit per ſpeciẽ intelligibilẽ, qua intellectus in genere intelligibili fit ipſũ intellectũ, vt cõtra nõnullos diximꝰ lib.4.q.1.ar.2.n.20. Cũ verò intellectus noſter in hoc genere fieri poſſit ſimilis rebus materialibus ratione ſpecierũ, quę ab illis poſſunt abſtrahi; non tamẽ poſsit ſimilis fieri ſubſtãtijs ſeparatis, quia ab illis nullas poteſt habere ſpecies, ideò nõ valet cõſequentia. Nec ad inſtitutum aliquid cõducit animã ſimiliorẽ eſſe ſubſtantijs ſeparatis, quàm materialibus; quia id ſolũ eſt verũ de ſimilitudine in genere rei, nõ verò in genere intelligibili, qualis eſt ſimilitudo intentionalis.

102. Ad 8. Ad 8. negãda eſt minor. Ad probationẽ primùm negari poſſet dari proprias ſubſtãtiæ ſpecies, quod pluribus placuit. Deinde illis admiſsis poſſet negari ſpecies illas abſtrahi à phantaſmatibus accidentis, ſed ſolũ à phãtaſmatibus ſubſtãtiæ materialis: iã verò ſubſtãtię ſeparatæ nõ poſsũt habere phãtaſmata; vnde diuerſa eſt in vtriſq; ratio. Sed nec argumentũ vim habet, etiã ſi demus ſpecies ſubſtãtię abſtrahi à phantaſmatibus accidentiũ: nec enim inde benè inferes poſſe proprias ſpecies abſtrahi ab effectis ſubſtantiarũ ſeparatarũ. Tũ, quia effecta illarũ naturaliter nobis nota nõ adæquant virtutẽ ſuæ cauſæ, vt ſuprà diximus: cũ tamẽ accidẽtia propria ſubſtãtiæ materialis ſint illi adæquata. Tũ etiã; quia accidẽtia materialis ſubſtãtiæ, præterquã quod in illa inhærent, data ſunt illi tanquã inſtrumenta ad agẽdũ; vnde agunt in virtute ſubſtantiæ: cũ tamen effecta ſubſtantiarũ ſeparatarum non ſint illarum inſtrumenta, vt iam diximus. Vide Fonſecam in dicta ſect.7. ad 3. pag.329.

Ad 9. maior vera non eſt de obiecto extenſiuè adæquato, ſed ſolũ de adæquato intenſiuè. Vide *Caietan.1.p.q.12.ar.4. & Fonſecam in dicta ſect.7. ad 2. pag.329.* 103 Ad 9. *Caietan. Fonſeca.*

Ad 10. reſpondetur non eſſe mirum, quod ethnici Philoſophi in hac philoſophia errauerint; cum turpiùs errent, dum aſſerunt intellectum noſtrum eſſe ſubſtantiam quandam ſeparatam nobis vnitam. Non poſſum tamen non admirari de Alberto Magno, Thienẽſi, cæteriſq;. Sed aliquãdo bonus dormitat Homerus. 104 Ad 10.

Ad poſtremũ admittimus Ariſtotelẽ nullibi latè & prout res poſtulabat, quæſtionem iſtã explicaſſe, vt ait Fonſeca 2. *Metaphy.c.1.q.2.ſect.1.in fine*: aſſerimus tamen eum ſatis manifeſtè ſuam mentem declaraſſe lib.1. de partib. animalium c.5: expreſſè enim aſſerit *nos res ſuperiores leuiter attingere, & minùs eas cõtemplari: ideò quia paucæ illarum noſtro patent ſenſui, à quo indagandi, & philoſophandi facultas nobis ſuppeditatur.* Quid clarius? Optimus eſt locus ex 2. Metap. c.1. tex.1. in fin. dũ ait: *Mentem noſtram ita ſe habere ad ea, quæ natura ſunt manifeſtiſsima, vt ſe habent oculi veſpertilionum ad lucem Solis.* Conſtat autem volucres illas ita ſe habere ad lumen Solis, vt illud vtcunque videant, non tamen perfectè intueantur. Quidam adducunt locum ex 9. Metaphy. c.12. tex.22. vbi Ariſtoteles docet (ſatis tamen inuolutè, & obſcurè) *falſam conceptionem, quæ de ſubſtantijs ſeparatis interdum ab aliquo habetur, non eſſe deceptionem*, hoc eſt falſitatẽ in compoſitione iudicatiua, *ſed eſſe ignorantiam: non qualis eſt cæcitas, quaſi non ſit in eo potentia, & facultas intelligendi id, quod ignorat*: quibus verbis ex D. Thoma, Ariſtoteles determinat quæſtionem, quam 3. de Anima capite ſexto ad finem indeciſam reliquerat: num ſcilicet intellectus noſter in hac vita poſsit quidditatiuè intelligere ſubſtantias ſeparatas. 105 Ad poſtremum. *Fonſeca.* Ariſt. ſuam mentem declarat. Quid in loco 9. Metaph.c.12. Sententia D. Thom.

Sed

Sententia Alex. Sed alij (vt Alexander) ex eodem loco oppoſitũ colligunt: nam ſi illarũ ſubſtantiarũ ignorantia non eſt, vt cæcitas, vtiq; ignorans non eſt priuatus facultate intelligendi eas: poterit igitur illas intelligẽre intellectione perfecta, & quidditatiua.

Propria ſententia. ¶Sed ego exiſtimo ex illo loco neutram opinionẽ efficaciter deduci: quoniã Ariſtoteles ibi ſolum agit de veritate, falſitatevè cõceptus, quo intelligentia percipitur, vt perpetuę naturę, aut nõ perpetuę. Si priori modo, cõceptus eſt verus: quoniã Ariſt. poſuit intelligẽtias fuiſſe creatas ab ęterno: ſi poſteriori modo, cõceptꝰ falſus eſt falſitate nõ deceptionis, ſed ſimplicis ignorãtię, quę nõ eſt, vt cęcitas priuãs facultate intelligẽdi id, in quo ignorãtia fallitur; vt quia adhuc relinquat locũ, vt ignorans poſſit cõcipere intelligentiã ſub vero conceptu ſubſtantiæ perpetuę. Quare nõ agit Ariſt. de cognitione perfecta, & quidditatiua (vt benè aduertit Fõſeca *in 2. Met. c. 1. q. 2. ſect. 7. in fi. pag.* 329. in vltimis verbis) ſed de cognitione determinati cuiuſdã prædicati, ſcilicet perpetuitatis. Locus igitur ille nõ probat Ariſtotelẽ voluiſſe ſubſtantias ſeparatas non poſſe cognoſci à nobis quidditatiuè. ¶An vero mentem ſuã pro nobis declarauerit 12. Metaph. cap. 7. tex. 39? puto reſolutionem ibi traditã nobis fauere. Sed ad ſolutionem huius vltimi argumenti ſatis ſit Ariſtotelẽ in citatis locis explicaſſe noſtrum intellectũ pro hac vita nõ poſſe de ſubſtantijs ſeparatis habere cognitionem perfectã, ſed imperfectam, atque leuem.

Fonſeca.

ARTICVLVS V.

Vtrùm naturaliter demonſtrari poſsit animã pro ſtatu huius vitæ non poſſe viribus naturæ videre Deum?

§. 1.

Præmiſsis nonnullis ponuntur argumenta partis negantis.

1. ſ. præmiſſ. PRæmiſſa ſuperiori reſolutione redeundũ eſt ad inſtitutũ, & expendendũ, an error Beguardorum, Beguinarũ, & Anomęorũ poſsit naturaliter falſitatis cõuinci? Pro quo primò præmittimus in hoc art. ſolũ agi de intellectu cõiuncto.

2. Secundum. ¶Præmittendũ ſecùdò non idem eſſe rem quidditatiuè intelligere, atq; eã cõprehendere: nam etſi omnis cõprehenſiua cognitio ſit quidditatiua: non tamen omnis quidditatiua eſt cõprehẽſiua: quia fieri poteſt, vt totam rei eſſentiam diſtinctè cognoſcamus; nõ tamen capiamus totam illius intelligibilitatem: omnes enim beati Deum quidditatiuè cognoſcunt; nõ tamen eum comprehendunt, vt dicemus libro ſequenti. Quare nos ſolùm agimus de cognitione quidditatiua Dei.

Tertiò præmittimus dari poſſe cognitionem quidditatiuam Dei, quæ non ſit intuitiua; quanuis cognitio intuitiua non poſsit non eſſe quidditatiua. Vtrumque contra nonnullos oſtendimus lib. 4. q. 9. ar. 2. n. 5. & 6. In hac quæſtione de vtraq; cognitione diſputandum erit. 3. Tertium.

Quartò præmittimus eam cognitionẽ hoc loco appellari quidditatiuam, qua res diſtinctè cognoſcitur vſque ad vltimam differentiam. Quartum.

Tandẽ aduertimus nõ eſſe curandũ de ethnicis Philoſophis, quia clarã, & intuitiuã Dei viſionẽ non cognouerũt, ſaltem in hominibꝰ. Quare cũ de hominibus nõ egerint, eos non habemus aduerſarios, benè tamen Anomæos, cæteroſque, quorũ meminimus, qui in ſuo errore perſiſtentes non poſſunt non probare partem negantem propoſitæ quæſtionis. 5. præmiſſ.

Pro illa hæc poſſunt cõfici argumẽta. 4. Argumenta partis negantis.

Primũ; quoniã, audito hoc nomine *Deus*, naturaliter formamꝰ vnũ conceptũ diuinæ eſsẽtiæ, vt talis eſt. Iſte autẽ nõ poteſt non eſſe quidditatiuus. Ergo naturaliter poſſumus Deũ quidditatiuè cognoſcere. Maior probatur: quoniã hoc nomẽ *Deus*, licet aliunde deriuationẽ ſumat; tamẽ impoſitũ eſt ad pure, & ſyncere ſignificandã Dei ſubſtantiã, vt talis eſt: vnde ex ſua impoſitione, ita eam ſignificat. Quod maximè verũ eſt de nomine Iehoua. Cũ verò nomina nihil ſignificẽt, niſi medio cõceptu; vtiq; nomen *Deus* diuinã eſſentiã ſignificabit medio cõceptu terminato ad eã, prout per nomẽ ſignificatur. Quę fuit maior. Minor eſt indubitata; cõſequentia autẽ eſt legitima; quia nihil eſt aliud Deũ quidditatiuè cognoſcere, quam formare conceptum quidditatiuum illius. 1. arg.

Secundũ; quod à nobis primò videtur, & per quod cætera omnia videntur, non poteſt naturaliter à nobis non videri: ſed Deus in ſe à nobis primò videtur, & in eius luce cætera omnia vidẽtur: ergo Deꝰ in ſe ipſo poteſt à nobis naturaliter videri. 2. arg.

ri. Maior patet ex Auguſt. in lib. ſoliloq: dùm ait: *Priùs eſt veritas cognoſcēda, p quā poſſunt alia cognoſci*: id enim, per quod cętera cognoſcuntur, nō ſolùm debet priùs cognoſci, ſed etiam debet cognoſci proprijs viribus cognoſcentis, alioquin nihil poterit naturaliter cognoſcere. Nā ideò lux priùs ab oculo naturaliter videtur, quia per eam oculus cætera videt; prima etiam principia ideò ſunt primò cognita, quia per illa cognoſcimus cætera. ¶ Minor autē probatur, quia ex Auguſtino in luce, & per lucem primæ veritatis cætera omnia iudicamus: ita enim habet 4. de Trinitate c. 7: *In æterna veritate, ex qua omnia facta ſunt, formam, ſecūdùm quam ſumus, & ſecundùm quā vel in nobis, vel in corporibus vera & recta ratione quid operamur, viſu mētis conſpicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam apud nos habemus.* Ecce ex Auguſtino, quæ in corpore verè cognoſcimus, in Deo veritate æterna cognoſcimus. 12. de Trinit. c. 2. circa finem ita ſcribit: *Rationis eſt iudicare de iſtis corporibus ſecundùm rationes incorporales, & ſempiternas; quæ niſi ſuprà mentem humanā eſſent, incommutabiles profectò non eſſent.* Lib. 12. Confeſsionum cap. 25. ita ait. *Si ambo, videmus verum eſſe, quod dicis, & ambo videmus verum eſſe, quod dico; vbi quæſo id videmus, nec ego vtiq; in te, nec tu in me; ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt, incommutabili veritate.* Denique in lib. de vera religionē, c. 31. docet *nos ſecundùm veritatem diuinam de omnibus iudicare.* Ex quibus patet veritas minoris, & ſubindè tota ratio.

D. Aug.

5. 3. arg. Tertiò arguitur; Deus eſt cauſa omnis cognitionis noſtrę. Ergo nōſolùm primò à nobis cognoſcitur; ſed etiam maximè. Antecedēs patet Ioan. 1. *Eſt lux vera, quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum.* Cōſequentia probatur ex proloquio Ariſtotelis: propter quod vnūquodque tale, & illud magis.

Ioan. 1.

Quartum. Quartò, exemplar, quo imago formatur, eſt id, quod in imagine primò cognoſcitur. Sed in mente noſtra eſt imago Dei ex Auguſtino. Ergo Deus à mente noſtra primò cognoſcitur.

Quintum. Quintò, naturaliter poſſumus videre, quæ ſunt in noſtra anima ſecundum ſuā eſſentiam ex Auguſt. 12. de Geneſi ad literam c. 25. Sed Deus eſt in noſtra anima, ſecundum ſuam eſſentiam. Ergo Deū poſſumus naturaliter cognoſcere.

Sextum. Sextò; Intellectus noſter ad hoc factus eſt, vt Deum videat. Ergo naturaliter eſt viſiuus Dei: aliter ex ſe non eſſet fini ſuo naturali proportionatus.

Septimum. Septimò; veritas ex ſua natura eſt viſibilis. Ergo ſumma veritas ex ſe erit ſummè viſibilis. Cur igitur naturaliter non erit à nobis viſibilis?

Poſtremū. Ad Rom. 1. Poſtremò; Ad Romanos 1: *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Quæ verba intelliguntur de cognitione naturali, & perfecta.

§. 2.

Aſſeritur ſententia affirmans.

6. Affirmatio vera. ASſerendum tamen eſt naturaliter demonſtrari poſſe intellectū pro ſtatu viæ viribus naturalis luminis non poſſe Deum intuitiuè videre. Ita docent tàm recentiores, quàm antiquiores: quam veritatem non ſolùm ex ſacris literis, & Patribus deducunt, ſed etiam naturalibus rationibus multipliciter confirmant. De quo egit *D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 11. & 3. contra gēt. c. 47. in princ & in fine, & ibi Ferrar. idem D. Thomas de Veritate q. 10. ar. 11. in principio, & in 4. d. 49. q. 2. art. 7 Richard. ibidem art. 2. q. 6. in ſecundo quæſito, Scotus q. 11. §. Reſpondeo ergo ad duas quæſtiones E. F. & in 1. d. 3. q. 2. §. Tertio dico. D. Durand. in 4. d. 49. q. 2. n. 24. Sotus ibid. q. 2. art. 2. concl. 5. & inferiùs §. Ex his ergo colligitur. Molina 1. p. q. 12. ar. 4. ante finem, § Fateor nullam. Fōſec. lib. 2. Met. c. 1. q. 2. ſect. 3. Suar. in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. n. 4. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. d. 3. ſect. 1. n. 3. pag. 201. col. 2.* Qui omnes & alij plerique pluribus argumentis propoſitam veritatem nituntur demōſtrare.

D. Thom. Ferrar. Richard. Scotus. Durand. Sotus. Molina. Fonſeca. Suarius. Salas.

7. Ratio Diui Thomæ. Ad eam confirmandam hac vnica ratione vtitur D. Thomas 1. *p. q. 88. art.* 3. Naturaliter conuincitur noſtrum intellectum pro ſtatu viæ non poſſe viribus ſuis naturalibus cognoſcere intuitiuè ſubſtantias ſeparatas, vt oſtendimus in præcedente articulo: ergo à fortiori naturaliter conuincetur non poſſe Deum videre ſua naturali virtute: quæ enim demōſtrant illud prius naturaliter eſſe impoſſibile, efficaciùs demonſtrabunt eſſe impoſsibile hoc poſterius. Sed vt res fiat euiden-

euidentior, breuiter ſingulas demonſtrationes attingemus.

8. *Prima demonſtratio* Prima igitur demonſtratio cõmmuniter ſumitur ex eo, quia ſeruato ordine naturali cognitio animæ in via incipit à ſenſu: quam propoſitionem in præcedẽti artic. §.4. in 1. demonſtratione oſtendimus eſſe indubitatam. Ex ea ibidẽ intulimus, nihil poſſe à nobis naturaliter cognoſci, niſi quod aliquo modo fuerit ſenſibiliter perceptum: quam conſequentiã oſtẽdimus ex Ariſt. & ratione: ſed Deus ſecundùm prædicata quidditatiua, illi ſoli propria, ſimpliciter eſt imperceptibilis à noſtro ſenſu; quia illa prædicata non ſolùm non ſunt abſtracta à ſenſibilibus; ſed etiã omni ſenſibili rationi diſparare opponuntur. Quam veritatem omnes Patres *1. Tim. 1.* colligunt ex Paulo 1. Timot. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili:* & ex alijs locis, in quibus aſſeritur *Deum neminem vidiſſe*, quæ loca de viſione ſaltẽ corporea, & ſenſibili eſſe intelligenda, plurimi ex Patribus docuerunt; quin potiùs Deũ oculis corporeis videri non poſſe etiam diuina potentia latè demonſtrauimus ſuprà lib.4.q.5.art.3. & eadem ratione: nec poterit aliquo alio ſenſu ſenſibiliter per- *Ariſtot.* cipi. Id, quod expreſſit Ariſt. *tùm in lib. de partib. animaliũ c.5. tùm 2. Metap. cap. 1. tex. 1.* vt ibidẽ oſtendimus. Hæc igitur ſit prima demonſtratio: anima noſtra, vt eſt corpori mortali coniuncta, nihil poteſt naturaliter cognoſcere, niſi quod aliquo modo percepit ſenſu. Sed Deus ſicuti eſt in ſe ipſo, & ſecundùm prædicata ſibi ſoli propria, nullo modo fuit ſenſu aliquo perceptus: ergo nullo modo poteſt intuitiuè à nobis cognoſci, vt eſt in ſe ipſo.

9. *Secunda.* Secunda demonſtratio ſumitur ex eo, quod intellectus noſter pro ſtatu viæ nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi per conuerſionem ad phantaſmata, id eſt, niſi phãtaſia ſimul formet phantaſma rei, quę intelligitur: quam Philoſophiam latiſſimè confirmauimus in ſecunda demonſtratione præcedentis art. ſed phantaſia nullo modo poteſt phantaſiare, quæ ſoli Deo conueniunt, vt eſt indubitata Philoſophia: ergo anima noſtra ſuo naturali lumine non poteſt Deum videre, quandiù eſt in mortali corpore.

10. *Tertia.* Tertia: Anima pro ſtatu viæ non poteſt naturaliter intelligere, niſi quę actione agentis intellectus poſſunt fieri actu intelligibilia: ſed Deus, vt eſt in ſe, non poteſt fieri actu intelligibilis actione intellectus agentis: ergo anima pro ſtatu viæ non poteſt ſuis viribus Deum intuitiuè cognoſcere. Maiorem oſtendimus in præcedente artic. §.6. Minor probatur; quia Deus actione intellectus agẽtis, nec poteſt fieri actu intelligibilis intelligibilitate, quæ immaterialitatem cõſequitur; nec intelligibilitate obiectiua, quæ comitatur rem intellectui obiectam. Primum patet; quoniam cum Deus ex ſua natura ſit omnibus modis immaterialis, non poteſt actione intellectus agentis abſtrahi à materia. Secundum oſtenditur: quia intellectus agens nihil poteſt facere intelligibile obiectiuè, niſi abſtrahendo à phantaſmatibus ſpeciem intelligibilem illius, vt docet recepta Philoſophia: fieri autem non poteſt, vt ab aliquo phantaſmate abſtrahatur ſpecies, quæ Deum diſtinctè repræſentet: nam quamuis aliqui admittant dari poſſe ſpeciem intelligibilẽ, quæ repræſentet Deum, vt in ſe eſt; nullus tamen poteſt admittere talem ſpeciem ab aliquo agente creato productam, nedùm ab aliquo phantaſmate abſtractam.

11. *Quarta. D. Thom. Richard.* Quarta ſumitur ex modo eſſendi animæ in corpore, vt patet ex *D. Thom. 1. p. q.12. ar.4. & 11. & Richar. in 4. d.49. art. 2. q.6. in 2. quæſito, & communiter ab alijs:* etenim cognitio naturalis cuiuſcumque cognoſcentis eſt ſecundùm modum eſſendi illius, vt oſtendemus in ſequenti quæſt. art. 5. ſed anima noſtra pro ſtatu viæ eſt in corpore: ergo naturalis modus cognoſcendi illius erit cognoſcere corporea, & modo corporeo: at Deus ſecundùm quidditatiua prædicata illi ſoli propria non poteſt modo corporeo cognoſci, ſicut nec cognoſci poſſunt prædicata propria ſubſtantiæ immaterialis, vt patet: ergo Deus pro ſtatu viæ non poteſt naturali lumine intuitiuè cognoſci.

12. *Quinta.* Quinta demonſtratio: anima exiſtens in corpore mortali non poteſt naturaliter cognoſcere, quæ ſunt immaterialia, niſi per ſubſtãtias materiales: habet enim pro obiecto intenſiuè adæquato quidditatem materialem: ſed nihil poteſt per aliud intuitiuè cognoſci, niſi in illo formaliter contineatur: quoniam cognitio intuitiua terminatur ad rem in ſe præſen-

tem: natura autem diuina ſecundùm ſuã quidditatiuam entitatem non continetur formaliter in ſubſtantijs corporeis, vt patet: ergo non poteſt intuitiuè cognoſci per ſubſtantias materiales.

13. Sexta. Sexta demonſtratio: quoniã ad cognitionem intuitiuã alicuius rei naturaliter peruenire non poſſumus, niſi ex naturali cognitione, vel ꝓpriæ cauſæ; vel effectꝰ; vel per aliquam ſpeciẽ nobis naturalem, quæ Deũ diſtinctè, & intuitiuè repræſentet: hæc enim ſunt tria principia, quibus ad diſtinctã cuiuſque rei cognitionẽ peruenimus. Primus modus eſt omninò impoſsibilis; quia Deus non habet cauſam, à qua in eſſendo dependeat. Secundus eſt etiam impoſsibilis noſtro intellectui pro ſtatu viæ; quia pro tali ſtatu ſolas creaturas corporeas poteſt naturaliter cognoſcere; imo nec omnes iſtas aliquis intellectus quidditatiuè cognouit. Hæ autẽ totã virtutem diuinæ omnipotentiæ adæquatè nõ participant: quia prçter iſtas dãtur aliæ altioris ordinis nobis naturaliter ignotæ; & in eodẽ ordine poſſunt infinitæ aliæ creari perfectione eſſentiali ſe ſe excedentes. Porrò, ſi creaturæ corporeæ virtutẽ actiuam diuinæ potẽtiæ adæquatè nõ exhauriunt, nec etiã adæquatè participabunt omnem eminentiã diuini eſſe; & ſubindè non poterunt nos ducere in cognitionẽ Dei intuitiuam: effecta enim alicuius cauſç nõ poſsũt ducere in diſtinctam illius cognitionẽ, niſi totam eminẽtiam ipſius cauſæ, totamq; virtutem eius adçquatè exhauriant: aliter enim, nec cauſæ eminentia in eſſendo, nec virtus in ſe ſe cõmunicando poterit in ipſis effectis, niſi imperfectè repræſentari. Sola igitur ſupereſt cognitio Dei per ſpeciem aliquã nobis naturalẽ, quæ Deum intuitiuè repræſentet: at nullam dari poſſe talem ſpeciem nobis naturalem ex eo patet; quia nulla dari poteſt, niſi quæ actione intellectus agentis à phãtaſmatibus abſtrahãtur: etenim intellectus poſsibilis pro hoc ſtatu à ſolo intellectu agente poteſt recipere ſpecies, & intellectus agens nullas poteſt naturaliter abſtrahere, niſi immediatè à phantaſmatibus; iam verò à phantaſmatibus rerum materialium non poſſe abſtrahi ſpeciem Deum intuitiuè repræſentantem ſatis patet ex quinta demonſtratione articuli præcedentis §. 6.

Poſtrema demõſtratio ſpecialiter verſabitur circa viſionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ. Et omiſsis illis medijs, quæ in ſequenti quæſtione 2. deſumemus, tùm ex natura intuitiuæ notitiæ; tùm ex cõditione diuinæ eſſentiæ, quç nulli intellectui creato poteſt ſe ſe obiectiuè, intelligibiliter coniungere, niſi liberè, & ſecluſo omni naturali debito; nunc demõſtrationem ſumemus ex naturali modo intelligendi noſtri intellectus pro ſtatu vitæ: nam cum anima ex modo eſſendi in corpore naturaliter dependeat à ſenſu, & ab ſpeciebus ab eo abſtractis, pro eodem ſtatu, aut nihil poteſt intelligere intuitiuè (quæ mihi videtur verior ſententia:) aut ſi illi conuenire poteſt notitia intuitiua; vtique illi non conueniet, niſi per ſpeciem intelligibilem actualiter coniunctã cum ſpecie, & notitia ſenſus externi, & dependenter ab ea, quæ fuit aliorum ſententia; quam probauit Molina 1. *p. q.* 1. *art.* 2, *diſp.* 4. §. *Notitia verò abſtractiua*: nec enim alio modo poteſt notitia illa terminari ad rem præſentem, vt præſens eſt. Ex vtraque autem opinione euidenter infertur, animam noſtram pro hoc ſtatu non poſſe naturaliter Deum videre intuitiuè. Res eſt euidens, ſi priorem ſequaris ſententiam; ſi enim pro hoc ſtatu nihil poteſt naturaliter intuitiuè videre, etiam ex ſenſibilibus; à fortiori non poterit naturaliter videre eſſentiam diuinam. Porrò ſi iuxta ſecundam ſententiam notitia intuitiua naturaliter dependet ex coniunctione intellectus cum notitia ſenſus externi; cum verò iſte, nec per diuinam potentiam poſsit eleuari ad viſionem diuinæ eſſentiæ, vt latè oſtendimus ſuprà lib. 4. vtique pro hoc ſtatu non poterit naturaliter habere notitiam intuitiuã Dei.

14. Poſtrema demonſtratio.

Molina.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

15. Ad 1. Argumenta poſita §. 1. facilè ſoluũtur. Ad primũ ex mente Capreoli negãda eſt maior, quatenùs habet, audito hoc nomine, *Deus*, formari à nobis vnũ ſimplicem conceptũ de diuina eſſentia, vt in ſe eſt: hçc enim (vt ait) nunquam poteſt cõcipi à viatoribus, niſi conceptu complexo entis infiniti, ſubſtantiæ primæ, &c. Ita Capreol. *in* 1. *diſt.* 22. *quæſt. vnica.*

Capreol.

Molina. *vnica.art.1.concl.4.& art.2. ad argumenta contra quartam, probat Molin.1.p.q.13.ar.1.diſp.1.§.ad hoc dubium.* Et *diſp.2.§. Ex his duabus ſententijs*; aſſirmans hanc eſſe Communem Theologorum. Citari etiã *Scotus.* ſolet *Scotus in 1.d.22.q.vnica,qui eam inſinuat §.Nec enim agnoſco diſtinctè.*

1. Solutio Capreol. Ad probationem maioris ex mente Capreoli negãda eſt maior; ſi purè & ſyncerè ſignificare diuinam eſſentiam, idẽ eſt quod eã ſignificare ſub vna ratione, quę ſoli illi cõueniat: admittenda tamen, ſi idẽ ſit, quod idem ſignificare ſub pluribus rationibus, quæ coniunctim conueniant ſoli diuinæ eſſentiæ, non tamen diſiunctim. Nam cũ nomen apud Capreolum, ita ſignificet rem, atque ipſa concipitur; cum diuina eſſentia concipi non poſsit, niſi conceptu complexo, & ſub pluribus rationibus, vtique non poterit ſignificari, niſi nomine ſub pluribus rationibus eam ſignificante.

16. Non probatur. Hæc tamen ſolutio, & cõtrouerſa eſt, & dubia, quatenùs ſupponit diuinam eſſentiam, quocũque nomine ſignificetur, concipi non poſſe vno ſimplici cõceptu, ſed complexo: oppoſitum docet communior Theologorũ ſententia, vt contra Capreolum latè probat *Fonſeca.* *Fonſeca in 2. Metaphy.cap.1.q.2.ſect.4. §. Verùm hæc ſententia.pag.318.* *Suarius.* *Suar. in Metaph. diſp.30. ſect.13.nu.10.* *Cumel.* *Cumel.& Bannes.1.p.q.13.* *Banhes.* *art.1.iſte concl.3.ille,concl.5.& vterque in 2.ſolutione*: quam ſententiam nos putamus eſſe veriſsimam; cui non repugnat *D. Thom.* D.Thom. *1.p.q.13.art.8.in corp.& ad 2.* ſi diligentiùs expendatur: ſatis ſint, quæ *Fonſeca.* adducit Fonſ.

17. Admittendum eſt igitur, hoc nomen, *Deus*, ſignificare diuinam eſſentiam ſub vno ſimplici conceptu illi propriò abſq; vlla connotatione, aut negationis, aut relationis ad creaturas; quamuis conceptus iſte explicari nequeat ſine aliqua negatione, relatione, cõplexioneve, quæ ſit propria diuinæ naturæ, vt docent præcitati Doctores.

18. 2. Solutio Scoti. Secunda ſolutio erit ad mentem Scoti, apud quem eadem maior eſt neganda; ex eo tamen capite, quia in viatoribus nõ eſt admittendus conceptus aliquis diſtinctè terminatus ad diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt. *Scotus.* *Ocham.* *Gabriel.* Et hæc eſt mens Scoti *in 1. diſt. 22.q.vnica,& Ocham.atque Gabr.ibidem, & Bellomontani, ſi benè expendantur,* quæ *Bellomon.* *ſcribit 1.p.d.57.cap.2.nu.9.& cap.3.* Ad probationem maioris ex mente Scoti, admittendum eſt, hoc nomen, *Deus*, ex ſua impoſitione ſignificare diuinam eſſẽtiam, vt in ſe eſt, negandum tamen, intellectum viatoris eam poſſe ita diſtinctè concipere, vt ſignificatur. Fundamentũ Scoti eſt: quia poteſt res diſtinctiùs ſignificari, quàm concipi: ita Scotus vbi ſuprà cum Gabriele, & Ochamo; conſentit *Molina.* Molina *1.p.q.13.ar.1.diſp.2.§.Ex his duabus ſententijs concl.2.& in ſolutione argumẽti prioris ſententiæ.* Quare apud Scotum non eſt inconueniẽs, ſi hoc nomen, *Deus*, ex ſua impoſitione etiam facta à viatore diſtinctè ſignificet diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt; & tamen diuina eſſentia à nobis, vt in ſe eſt, non concipiatur: poteſt enim nomen rem diſtinctiùs ſignificare, quàm ipſa concipiatur: id, quod probat nonnullis exemplis. Cum Scoto etiam conſentit *Bellomon.* Bellomontanus *in dict.diſp.57.cap.2.* vbi admittit hoc nomen, *Deus*, ex ſua impoſitione eſſentialiter, & quidditatiuè ſignificare diuinam eſſentiam: & tamen eam eſſentialiter, & quidditatiuè concipi nõ poſſe. Ad probationem igitur maioris admiſſa vtràque præmiſſa, neganda eſt conſequentia, quia fieri poteſt, vt nomen diſtinctiùs ſignificet, quàm res à nobis concipiatur.

Hæc tamen ſolutio falſo nititur fundamento. Nã cũ nomina audientibus non ſignificent, niſi ad menſuram ſignificationis ſibi impoſitæ; hanc autem non habeant ex ipſis audientibus (audiẽs enim priùs debet cognoſcere ſignificationem nominis, quàm formet conceptum rei ſignificatæ) ſed ex imponentibus; vtique non aliter res ſignificabunt audientibus, quàm ad modum cognitionis imponentium, quidquid Bellomontan. ſine fundamẽto aliter doceat, quod ſupponimus alibi diligentius iam diſcuſſum. Quare nomina ita res ſignificant, ſicut ab impoſitoribus, vſuque communi fuerunt intellectæ: & ſubinde audientes non aliter poſſunt ex vi ſignificationis nominum res concipere, quàm illæ ab impoſitoribus fuerint conceptæ, & proinde falſum eſt, nomen habere poſſe expreſsiorem ſignificationem, quàm ſit cognitio, qua concipiuntur; de quo vide Caietanum *Caietan.* 19. Non placet ſolutio. 1. Ratio.

Ferrar. Valētia. Suarius. Cumel. Bann. 1.*p.q.*13.*ar.*1. *Ferrarienſ.* 1. *contra gent. c.* 30. *Valen.* 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 13. *puncto.* 1. *pag.* 260. §. *ſciendum etiam illud. Suar. lib.* 1. *de attributis negatiuis c.* 31. *n.* 10. *& in Metaph. di.* 30. *ſec.* 13. *n.* 8. *Cumel.* 1. *p. q.* 13. *ar.* 1. *q.* 1. *concl.* 2. *Bann. ibidem conclu.* 1. *&* 2. vt alios omittam. Quæ etiam fuit expreſſa ſententia D. Thomæ. 1. *p. q.* 13. *art.* 1. *vbi ait: Secundùm igitur quod aliquid à nobis cognoſci poteſt, ſic à nobis poteſt nominari:* Agit autem de cogntione ex parte impo nentis, vt ex antecedentibus facilè colliges.

20. 4. Ratio. Secundò non debet admitti ſolutio, quatenùs docet, nomen, *Deus*, ex impoſitione viatoris ita diſtinctè ſignificare diuinam eſſentiam, vt eam ſignificet eſſentialiter, & quidditatiuê, ſicut vult Bellomontan. ſatis ad mentem Scoti. Oppoſitum enim docent. *Caietan. Ferrar. cum cæteris citatis: & ante eos Capreol. in* 1. *d.* 22. *art.* 1. *concl.* 4. *Baſſol. ibidem q.* 1. *art.* 2. *conc.* 3. *&* 4. *Durand. q.* 1. *art.* 2. *n.* 9. *Henr. in ſūma art.* 73. *q.* 9. Quorum ſententia Patrū teſtimonijs euidenter confirmatur, vt alibi oſtendimus; quā etiam exprimit D. Thom. 1. *p. q.* 13. *ar.* 1, *in corp. & ad* 1. *& ar.* 8. *in corp. & ad* 2. Nec fundamentū; Bellomontani aliquid efficit; quia falſum eſt, hoc nomen, *Deus*, ex vi ſuæ ſignificationis cauſare in beatis audientibus conceptum quidditatiuum diuinæ naturæ: & cum hoc negetur à Caiet. & ab alijs probandum erat, non ſupponendum. (Capr. Baſſol. Durand. Henr. D. Thom.)

21. Vera ſolutio. Vera igitur ſolutio erit, ſi maior explicetur: nam quando dicitur audito hoc nomine, *Deus*, formari à nobis vnum cōceptum terminatum ad diuinam eſſentiam, vt talis eſt: vel eſt ſenſus, quod terminatur ad eam ſecundū quidditatiuam rationem diſtinctè conceptam; & negan da eſt; quia talis conceptus naturaliter non eſt poſsibilis, vt iam oſtendimus, & docet D. Thomas in locis citatis. Ad pro bationē negandū eſt, nomen, *Deus*, impo ſitū fuiſſe ad purê & ſyncerê ſignificandā Dei ſubſtantiam vt talis eſt, ſi ſignificare purè, & ſyncerè idem eſt, quod ſignificare eſſentialiter, & quidditatiuè: nec enim apud viatores poteſt dari tale nomen, vt iam oſtendimus. Porrò ſi ſenſus maioris ſit, vt audito hoc nomine, *Deus*, formemus vnum conceptum ſimplicem termi natum ad diuinam eſſentiam, vt talis eſt, hoc eſt, vt in ſe ipſa abſolutè ſumitur pura ab omni connotatione, & reſpectu; admittenda eſt maior; quia iſto modo conceptus ille terminari poteſt ad diuinam eſſentiam, terminatione quadam non diſtincta, ſed confuſa; nam cum nomen, *Deus*, ex ſua impoſitione non ſignificet diuinam eſſentiam niſi confuſè; conceptus cui in ſignificando ſubordinatur, repræſentabit diuinam eſſentiā non diſtinctè, ſed confuſè; quæ repræſentatio in hoc ſenſu erit pura, & ſyncera (quæ eſt quorundam locutio) quia per eam repręſentatur diuina eſſentia, in ſe quidem, nuda tamen ab omni extrinſeca connotatio ne, & complexione. Admiſſa igitur maiore in hoc ſenſu, minor eſt neganda: quoniam conceptus diuinam eſſentiam confuſè repræſentans, & ſi eſt propriùs diuinæ naturæ, non eſt tamen quidditatiuus; quia eam non concipit diſtinctè ſecundùm ſuam quidditatiuam rationem; ſed confuſè tantum, eo modo, quo concipi ſolet definitum, quando concipitur nō definitiuè, ſed cognitione pertinente ad quid nominis, vt optimè adnotauit *Fonſeca vbi ſuprà pag.* 320. *& ante eum Aureol. apud Capreolum in* 1. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *in* 1. *argum. Aureoli contra quartam, pag.* 181. *col.* 3. *&* 4. (D. Thom. Fonſeca. Aureolus.)

Ad ſecundum argum. mai. eſt vera de primo cognito vt quod, & ita intelligitur Auguſt. & cætera, quæ adducuntur. At in hoc ſenſu minor eſt falſa. Deus enim nō eſt primum cognitum vt quod, cum cognoſcatur ex ſenſibilibus, vt docet cōmunis philoſophia cum Paulo ad Roman. 1. Quæ verò in confirmationem min. adducuntur ex Auguſtino, agunt de ratione formali cognoſcēdi, & de primo cognito, vt quo, vt ex verbis Auguſtini facilè intelliges, & expreſſè docet Auguſt. lib. 1. Solilo. cap. 8. in princ. inquiens; *Diſciplinarum ſpectamina videri nō poſſunt, niſi aliquo ſole illuſtrentur, videlicet Deo.* Porrò ſi mai. intelligatur de primo cognito, vt quo, neganda eſt: nec enim ſubſtantia ſolis eſt id, quod primò videtur viſione ſenſitiua, quamuis ratione ſuæ lucis ſit id, quo omnia ſenſibiliter videntur. Sic igitur Deus non primò videtur, quamuis ratione luminis intellectus (quod eſt diuini luminis quædam participatio) ſit id, quo omnia naturalia, 22. Ad 2. arg. Auguſt.

naturali-

i naturaliter intelliguntur. Nec oppoſitũ docet Auguſti. quia agit de ijs, quæ ſunt primò cognita, vt quod. Lux autẽ Solis nõ primò videt vt quod, ſed ſolũ vt quo. Prima verò principia, licet ſint primò cognita vt quod, non tamen oportet, vt formaliter, & expreſſè ſemper cognoſcantur, ſed ſolùm virtualiter; quæ omnia habes ex *D. Thoma* 1. *p. q.* 12. *art.* 4. *ad* 3. *&* *art.* 11. *&* *q.* 88. *articu.* 3. *ad.* 1. *&* 3. *contra gent. cap.* 47. *& multis alijs in locis.* *D. Thom.*

23. Ad 3. Ad tertium conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia; cuius probatio nihil efficit: quoniam proloquium Ariſtotelicum ſolùm eſt verũ in ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & cauſæ eiuſdẽ generis, vt eſt cõmunis explicatio in 1. Poſter. cap. 1. & docet D. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad. 3. & q. 88. articul. 3. ad 2. Iam verò Deus non eſt cauſa cognitionis cæterorũ intelligibilium tanquam primum intelligibile, ſed tanquam cauſa prima noſtræ virtutis intellectiuæ.

24. Ad 4. Ad quartum reſpondet D. Thomas *in d. q.* 88. *art.* 3. *ad* 3. maiorem eſſe veram in imagine, quæ eſt perfecta imago: qualis non eſt mens noſtra reſpectu Dei.

25. Ad 5. Ad 5. dicendum eſt Auguſtinum ſolùm agere de ijs, quæ ſecundùm ſuam eſſentiam, & non per aliquam ſimilitudinẽ obiectiuè ſunt in anima; in quo ſenſu maior eſt vera; nam intellectus noſter naturaliter intelligit, quæ ſunt in anima, ſicut intelligibilia in intellectu. Sed minor eſt falſa; quoniam licèt Deus ſit in anima ſecundùm præſentiam, eſſentiam, & potẽtiam ſicut eſt in omnibus rebus; tamen pro ſtatu huius vitæ non ſic eſt in anima ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſolùm in anima beatorum. Vide D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 11. *ad quartum.* Porrò ſi quis velit animam noſtram coniũctam naturaliter videre, quæ ſecundùm ſuam eſſentiam id eſt, entitatem realiter ſunt in anima; nec maior eſt vera; nec ſi foret, argumentum aliquid efficeret. Primum patet ex dictis §. 8. præcedentis art. nam quamuis anima naturaliter poſſit cognoſcere, quæ in ipſa ſunt, quantum ad an eſt; non tamẽ quantum ad prædicata quidditatiua ſpecifica, & propria, vt ibi oſtendimus. Secundũ autẽ ex eo patet; quia ſi maior vera foret, ſolùm verificaretur in ijs, quę ſunt in anima ſecundùm ſuam entitatem, actu antem, & informantẽ: quomodo Deus non eſt in anima ſecundùm ſuam eſſentiam. *D. Thom.*

Ad 6. negandum eſt noſtrum intellectum eſſe à Deo conditum, ad videndũ Deum, vt in finem naturalem; quia viſio intuitiua diuinæ eſſentiæ non eſt finis naturalis hominis, iuxta veriorem ſententiam. Qualis finis naturalis hominis ſolũ conſiſtit in cognitione altiſſima, quæ de Deo ex creaturis haberi poteſt: de quo multa diximus ſuprà lib. 3. Quod ſi cum nonnullis probes viſionem Dei eſſe finẽ noſtrum naturalem, non tamen viribus naturæ conſequendum; argumentum ſe ipſum deſtruit; quia poſita illa ſententia non valet: *Viſio beata eſt finis noſter naturalis: ergo poſſumus viribus naturæ illam conſequi*: quia iuxta illam ſententiã naturalitas finis dari poteſt, quamuis aſſecutio non ſit naturalis, ſed ſupernaturalis. 26. Ad 6.

Ad quartũ admittimus ſummã veritatem, qualis eſt diuina, ex ſua natura eſſe maximè cognoſcibilem, inde tamen non benè infertur eam eſſe cognoſcibilem naturaliter; imò oppoſitum inferri debet: quia ſumma cognoſcibilitas ex ſua natura ſoli ſummo intellectui, qualis eſt ſolus diuinus, eſt naturaliter proportionata. Quare quæ ſũt ſũmè cognoſcibilia, ſunt extra obiectũ naturaliter nobis proportionatũ; ob quam improportionem difficultas in illis cognoſcendis non prouenit ex parte illorum, ſed ex infirmitate noſtri intellectus; de quo diſputari ſolet in 2. Metaphy. c. 1. vbi. *vide Fonſecã quæſt.* 1. *ſect.* 3. *concl.* 1. 27. Ad 7.

Ad poſtremum reſpondetur Paulum in illo loco agere quidem de cogntione naturali, qua ex creaturis Deum cognoſcimus: attamen non agere, de cognitione quidditatiua Dei; ſed de cognitione Dei, vel quoad an eſt, vel quod ad quid eſt ſecũdùm prædicata generalia illi cum creaturis communia. Et hæc de iſto art. & q. 28. *D. Paulus*

QVÆSTIO II.

De intellectu creato ſeparato à materia.

1. EGIMVS in præcedenti quæſtione de intellectu noſtro coniuncto corpori mortali: conſequenter agendũ eſt de intellectu creato à materia ſeparato, ſiue ſit Angeli, ſiue animæ ſeparatæ: Inquirimus igitur, an iſte intellectus poſsit naturaliter Deum videre? & vt omnia diſtinctiùs explicentur, repetendum eſt id, quod iam aduertimus ſuprà quæſt. 1. in principio: intellectum ſc. tunc cõſiderari in ſuis naturalibus, quo ad res intelligendas: cum conſideratur, vt ſecluſo omni dono gratuito propria ſua virtute poteſt ſe conſtituere in actu primo ad tendendum in obiectum: nam ſi virtus intelligendi conſideretur cum aliquo dono gratuito, & naturaliter indebito, iam nõ conſideratur naturaliter: quia ad tale obiectum modo ſibi connaturali non concurrit. Ex qua doctrina ibidem conclusimus viſionem illam eſſe ſupernaturalẽ intellectui creato, quam ille nõ poteſt illicere per ſpecies ſibi connaturales, & per connaturale lumen, quo virtus intellectiu naturaliter perficitur, & cõpletur.

Not. 1.

2. Aduertendum eſt ſecundò ad intellectionem concurrere, & potentiam intellectiuam, & obiectum intelligibile: nam ex potentia, & obiecto paritur notitia, vt inquit, Auguſt. lib. 3. de Trin. cap. vlt. Quare præter concurſum generalem Dei duplex concurſus requiritur ad intellectionem: vnus ex parte intellectus, qui eſt concurſus virtutis intellectiuæ; alter ex parte obiecti, qui dicitur concurſus obiectiuus: vterque colligitur ex Ariſt. 3. de Anim. cap. 8. text. 38. Obiectum autẽ ad intellectionẽ cõcurrit, vel per ſuã propriã entitatẽ, quando iſto modo poteſt ſe ſe intellectui obijcere; vel per ſuam ſimilitudinẽ, & ſpeciem, quãdo per ſe ipſũ non poteſt eſſe in anima ex Ariſt. loco citato. Quare duo requirũtur, vt intellectio ſit intellectui connaturalis: primum eſt, vt intellectus ex ſe ſit virtus ſufficiens, & completa, vt obiectum ſua intellectione attingat. Alterum eſt, vt obiectũ naturaliter vniatur intellectui vnione obiectiua. Quare ſi, vel obiectum non poteſt intellectui obiectiuè vniri modo connaturali, vel intellectus nõ habet virtutem completam, vt tẽdat in obiectum; talis intellectio erit ſuprà naturam intellectus. Igitur duo erunt neceſſaria, vt intellectus creatus naturaliter Deum videat: vnum eſt, quod intellectus creatus ex ſe habeat virtutem cõpletam, vt poſſit ſua intellectione attingere diuinam eſſentiam: Alterum eſt, vt eſſentia diuina eidem obiectiuè vniatur modo cõnaturali.

Not. 2.

Vt intellectio ſit cõnaturalis duo requirũtur.

Cum verò diuina eſſentia videri poſſit, & intuitiuè, & abſtractiuè, in vtroque ſenſu quæſtio explicabitur; in priori in hac quæſtione ſecunda: in poſteriori verò in 3. quæſtione. Quod attinet ad quęſtionem de viſione intuitiua, ſequẽtes articulos inſtituemus. Primum, vtrùm ſit contra Fidem intellectum creatum poſſe naturaliter Deum videre? Secundum, vtrùm naturaliter demonſtrari poſsit id viribus naturæ fieri non poſſe? Tertiũ, An hæc impoſsibilitas benè demonſtretur ex eo, quod intellectus viribus naturæ non poteſt obiectiuè, & intelligibiliter vniri diuinæ eſſentiæ? Quartum, an eadem impoſsibilitas ſufficienter demõſtretur ex eo, quod virtus naturalis creati intellectus ex ſua natura ſit impotens ad videndam diuinam eſſentiam? Quintum, an impoſsibilitas iſta ſufficiẽter ex eo demonſtretur, quòd cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi, naturæ cognoſcẽtis? Vltimum, an alijs etiã rationibus naturalibus id ipſum demonſtretur? 3.

Art. Diſputandi.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſit contra Fidem intellectum creatum naturaliter videre Deum?

§. I.

Refertur quorundam error.

PArtem affirmantem abſque dubio probauerunt Beguardi, & Beguinę vt patet ex Cõcilio Viennenſi relato in Clem. ad noſtrum de hæretic. vt in quinto loco refertur ſequens error: *quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata*: naturaliter, inquam, id eſt ſua naturali virtute abſque vllo gratuito dono; nam ſtatim addunt: *nec indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum.* Et hunc eſſe verum ſenſum 1.

Error quorundam.

illorum

illorum verborum cum cõmuni ſententia oſtendimus ſuprà. q. 1. art. 1. §. 2.

2. *Bellomon.* *Salas.* Eunomius non fuit huius erroris. In eodem errore fuiſſe Eunomium docent Bellomont. 1. *p. diſp.* 41. *cap.* 1. *nu.* 1. & *Ioan. de Salas ad.* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. *ſec.* 1. *in principio*: ſed Eunomium ſuum errorem in alio ſenſu explicaſſe oſtendimus loco citato, quod etiam aduertit Suarius ibidem citatus. Anomæos in præcitato fuiſſe errore facilè credam: nam cum hunc errorem docuerint de intellectu humano pro ſtatu huius vitæ, vt ex Chryſoſtomo oſtendimus in dicto articulo primo §. ſecundo, & articulo tertio eiuſdem quæſtionis, à fortiori idem dicerent de intellectu creato abſtracto à materia: quare de Anomæis idem ſentio cum Bellomontano, & Salas. Ad eundem errorem accedere Pelagium optimè adnotauit Suarius libro ſecundo de attributis negatiuis cap. 8. nu. 2. ſi per *vitam æternam* intellexit Dei viſionem.

Anomæi in hoc errore.

3. *Durand.* Quidam eundem errorem tribuunt Durando *in* 4. *diſtinctione* 49. *q.* 2. *num.* 24. fundamentum ex eo ſumunt, quia docet intellectum noſtrum coniunctum ideo non poſſe Deum naturaliter videre, quia impeditur ex naturali intelligẽdi modo, quem habet pro præſenti ſtatu, in quo nihil poteſt intelligere, niſi ex ſenſatis: & inde inferunt ſenſiſſe Durand. noſtrum intellectũ ſublato hoc impedimento poſſe ſuis viribus videre Deum: cum verò hoc impedimentum auferatur ſeparatione animæ à corpore, & in ſubſtantijs ſeparatis non inueniatur; inferunt mentem Durandi eſſe, quod intellectus ſeparatus poſſit ſua naturali virtute Deum videre. Sed quam longe ſit Durand. ab hoc errore facilè declarant, quæ in eo loco ſcribit: docet enim intellectum noſtrum ſeruato naturali ordine non poſſe videre diuinam eſſentiam, ſed indigere ordine gratiæ: vide eum. Quare cum expreſſè neget diuinam eſſentiam poſſe fieri obiectiuè præſentem, ſeruato naturali ordine, ſed adhoc opus eſſe ordine gratię; omninò ſe ſe opponit explicato errori: quod pro Durand. benè aduerterunt *Suarius in dicto capite* 8. *num. tertio*, & *Bellomontanus in dicta diſputatione* 41. *num.* 8.

Durand. nõ eſt huius erroris.

Suarius. *Bellomon.*

4. *Scotus.* A nonnullis in fauorem eiuſdem erroris refertur Scotus: tum, quia in ſecũdo diſtinctione tertia, quæſtione nona, docet poſſe Angelum per virtutem naturalem quidditatiue cognoſcere diuinam eſſentiam, idque per ſpeciem ſibi connaturalem repræſentantem Deũ, ſicuti eſt. Tum etiam, quia aſſerit intellectũ creatum ſine habitu luminis gloriæ poſſe Deum videre, vt colliges, *ex* 3. *d.* 14. *q.* 1. §. *in prima quæſtione circa fin.* Sed Scotum contra præcitatum errorẽ docuiſſe, patebit ex locis citatis in ſequenti §. Quę in contrarium adducuntur, ſolutione nõ indigent; quoniam Scotus in priori loco non agit de cognitione intuitiua, ſed abſtractiua: in poſteriori verò, etſi neget, ad viſionem Dei de potentia abſoluta non eſſe ſimpliciter neceſſarium lumen gloriæ: non negat tamen eſſe neceſſarium auxiliũ ſupernaturale, vt dicemus quæſtione 4. articul. 3. & libro 9. de lumine gloriæ.

Scotus contra præcitatũ errorem docet.

5. Francifcus Albert. pro illo errore male citat Maiorem. Denique Frãciſcus Albertinus in ſuis corollarijs in 1. q. principij primi philoſophici dubio 2. pag. 17. pro iſto errore refert Maiorem in 4. d. 49. q. 1. quaſi doceat, Angelum propria virtute poſſe videre Deum: Concilium autẽ Viennẽ. ſolùm agere de intellectu humano. Sed nec benè citat locũ Maioris (deberet enim citare quæſt. 4.) nec verè refert illius opinionẽ, quia ſolùm agit de Angelo creabili, de quo alia eſt quæſtio. Vnde ibidem concluſione tertia, tenet contra præcitatum errorem.

6. Qui vere præcitatum errorẽ probauerint. Fundamenta huius erroris. Quare pro iſto errore in proprijs terminis ſolũ habemus Beguardos, & Beguinas, & aliquo modo Anomæos, & Pelagianos. In cõfirmationẽ illius multa poſſunt adduci ex ijs, quæ diximus *ſuprà q.* 1. *art.* 1. §. 1. & *art.* 4. §. 2. & *ar.* 5. §. 1. quę breuiter hoc loco attingemus.

7. Primũ. Primò, quia cũ Deus ſit omninò ſimplex, vel totus cognoſcitur, vel totus ignoratur: iam verò intellect⁹ creatus plura naturaliter cognoſcit de Deo: ergo totum Deum naturaliter cognoſcit.

2. Secũdò, quia alioquin intellect⁹ creat⁹ nõ poſſet eleuari ad viſionẽ diuinæ eſſentiæ, quia eleuaretur vltra ſuam ſphæram.

3. Tertiò, quia intellectus creatus poteſt intelligere omne intelligibile, niſi impediatur: at nihil impedit, quominus naturaliter Deum videat.

4. Quartò; quia eſſentia diuina cõtinetur ſub obiecto adęquato intellectus creati.

5. Quintò, quia aliàs in intellectu creato fruſtrà daretur appetitus naturalis vidēdi Deum. Et Deus fruſtrà conderet vniuerſum, vt per illud natura rationalis veniret in cognitionem Dei, vt eſt in ſe.

6. Sextò, quia Deus eſt obiectum primò cognitum à creato intellectu, per quod cætera intelligit, & videt.

7. Septimò, quia intellectus ad hoc eſt factus, vt Deum in ſe ipſo videat.

8. *Ariſtotel.* Octauò, ex Ariſt. 10. Ethic. cap. 7. naturalis beatitudo cuiuſq; intellectus creati conſiſtit in contemplatione Dei perfectiſsima: ergo illa poteſt naturaliter haberi. Nec enim natura inclinat ad impoſſibile, ſed perfectiſsima cōtēplatio Dei non poteſt non eſſe intuitiua, quia in ſola iſta quieſcit appetitus naturalis: ergo viſio illa naturaliter eſt poſsibilis.

Confir. 1. Confirmatur, quoniam Philoſophi carentes lumine Fidei crediderunt intelligentias inferiores videre primam intelligentiā, & illiùs viſione eſſe beatas, vt patet ex Auer. 12. Metaph. cap. 17. & alijs. Hi autem non cognouerunt viſionem, niſi viribus naturæ acquiſibilem.

Cōfirm. 2. Confirmatur ſecundò, quia alioquin homo in ordine ad aſſecutionem beatitudinis eſſet inferior creaturis irrationalibus; quæ proprijs viribus ſuum finem aſſequuntur.

9. Nonò, quia Deus eſt ſumma veritas; ergo ex ſua natura eſt maximè cognoſcibilis. Cur igitur naturaliter non poterit cognoſci intuitiuè?

10. Decimò, quia ex Commentatore in 3. de anima, qui poteſt videre quod eſt minus, poteſt videre quod eſt maius. Sed intellectus creatus ex proprijs naturalibus videt creaturas materiales, & immateriales; quę ſunt minùs intelligibiles; ergo à fortiori ex puris naturalibus poterit Deum videre.

11. Vndecimò, intellectus creatus eſt capax viſionis Dei ex proprijs viribus: ergo ad liberalitatē Dei pertinet, quod illi cōmunicet, poſſe naturaliter videre Deū.

12. Duodecimò; ex Commentatore 9. Metaphyſ. in principio, ſi aliquod eſſet intelligibile, quod à nullo intellectu poſſet intelligi, illud eſſet fruſtrà: ſed abſurdum eſt dicere, Deum fruſtrà eſſe intelligibilem: ergo poteſt ab aliquo intellectu per naturam intelligi.

Decimo tertiò, Angelus ſecundùm ſuam naturā eſt expreſſa ſimilitudo Dei, & manifeſtatio luminis occulti; ſcilicet diuini: ex Dionyſ. capite quarto de diuinis Nom. ergo Angelus per propriam naturam poteſt videre Dei eſſentiam: nam vnumquodque cognoſcitur per ſuā ſimilitudinem. 13.

Poſtremò, Angeli fuerunt creati in ſolis naturalibus: ſed Angeli in principio ſuæ creationis viderunt res in Verbo cognitione matutina ex Aug. ſuper Geneſ. ad literam: ergo Angeli ex ſuis naturalibus clarè viderunt diuinam eſſentiam. Poſtremū.

§. 2.

Vera & Catholica ſententia.

HIS tamen non obſtantibus Catholica ſententia opinionem præcedētem non ſolùm reijcit, vt impoſsibilem, quæ eſt mens antiquiorum, ſe etiā damnat, vt erroneā in Fide, quæ eſt mens recentiorum; qui poſt Concil. Viēnenſ. ſcripſerunt. Igitur quod impoſsibile ſit, intellectum etiam ſeparatum naturaliter videre Deum, in terminis docuerunt D. Thom. 1. p. q. 12. art. 4. *& 12. & q. 56. art. 3. & in 4. d. 49. q. 2. art. 6. & de verit. q. 8. art. 3. Et 3. contra gent. cap. 52. & alijs in locis, Alexād. de Aleſ. 1. p. q. 2. Memb. 1. art. 5. & Memb. 2. art. 1. Henr. quodlib. 4. q. 9. Communiter Scholaſtici in 4. d. 49. vbi Richard. art. 2. q. 6. Scot. q. 11. §. Reſpōdeo ergo ad duas quæſtiones. Et in 1. d. 3. quæſtione 2. §. 3. dico. D. Et quodlib. 4. art. 2. vbi etiā Mai. q. 4. concl. 3. ex Scotiſtis Lichettus apud Scotum loco citato. Bargius ibidem. Ioann. Ligur, in eodem loco. q. 3. §. ſed reſtat. Anton. Andr. in 4. d. 49. q. 10. Rada 2. p. controu. 8. concluſ. 3. pag. 235. colu. 2. Ex Thomiſtis Ferrar. 3. contra gent. cap. 52. Caiet. 1. p. q. 12. art. 4. vbi cæteri interpretes. Baňes Cumel. & Molin. idem Caiet. 1. p. quæſtione 56. art. 2. vbi etiam interpretes, Capreol. in 4. d. 49. q. 4. vbi etiam Sot. q. 2. art. 2. concl. 5. Valent. 1. tom. diſp. 1. q. 12. puncto 3. & diſp. 4. q. 7. puncto 3. pag. 1094. Bellomont. 1. p. diſp. 41. cap. 1. & 2. Suar. lib. 2. de attributis negat. cap. 8. latius in Metaph. diſp. 30 ſect. 11. nu. 6. Salas. 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſectione. 1. Caſtr. aduerſus hæreſes verbo beatitudo hæret. 5.* vt in numeros alios omittamus. 12.

D. Thom. Alex. Henr. Richard. Scot. Bargius. Anton. Andr. Caietan. Baňes. Cumel. Capreol. Valent. Bellomon. Suarius. Salas. Caſtro

Quod

13. Cõc. Vien. Quòd hæc ſentẽtia Catholica ſit, & oppoſita ſit erronea, patet ex Concil. Vienneſ. relato in Clem. Ad noſtrum de hęretic. vbi inter errores, Begardorum, & Biguinarũ quinto loco enumeratur iſte: *quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata*: naturaliter, inquã, id eſt per viſionem beatificam, ſibi naturalem, vt iam oſtendimus ſuprà §. 1. Ex qua definitione, qui poſteà ſcripſerũt, prę citatam ſententiã damnãt, vt erroneam in fide, vt patet ex *Soto*, *Bellomontano Suar. Valent. Sala*, *& Rada*.

§. 3.

Sententiam Catholicam Patres docuerunt, & Philoſophi Platonici.

14. Confirmatur ex Patribus. August. PAtres etiam cõtra eandem conſtãter ſcripſerunt. De Angelis multis id oſtendit Auguſt. 12. de Ciuitat. Dei cap. 9. vbi probat, *Angelos bonos, nec charitatem in via, nec beatitudinem in patria à ſe ipſis habuiſſe, ſed vtramque à Deo accepiſſe.* Vide illum. Eleganter etiam veritatem iſtam, confirmat lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 1. 2. & 3. vbi contra nonnullos ex antiquis Philoſophis oſtendit, Angelos eodem modo, quo nos beatos eſſe; quoniam nõ proprio, ac naturali lumine beati ſũt, ſed lumine altiori, & diuino. Vnde in fine capitis. 2. explicans verba illa Ioan. 1. *Non erat ille lumen. &c.* hæc ſcribit verba: *In qua luminum differentia ſatis oſtenditur, animam rationalem (qualis erat in Ioanne) ſibi lumen eſſe non poſſe; ſed alterius veri luminis participatione lucere*: Deinde oſtendit, Angelos eodem lumine, quo nos, eſſe beatos; idque confirmat teſtimonio Plotini Philoſophi, & aliorum Platoninicorum. Lib. 11. de Ciuitate Dei capite nono, ad finem, poſtquàm docuit, Angelos factos fuiſſe participes lucis æternæ, ita ait: *Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundũ venientem, hoc illuminat omnem Angelum mundum, vt ſit lux, non in ſe ipſo, ſed in Deo.* Non in ſe ipſo, id eſt, non à ſe ipſo, nec viribus propriæ naturæ: agit autem ibidem de luce, non ſolùm gratiæ in via, ſed gloriæ in patria, qua à malis ſunt diſgregati.

15. Dionyſ. Dionyſius capite nono, de diuinis nominibus expreſſè docet: *Deum eſſe ſuper omnes cæleſtes mentes incomprehenſibili virtute collocatum.* Et addit: *Ex eo, quod Deus eſt ſuprà omnem ſubſtantiam, ab omni cognitione ſegregatũ eſſe*: quæ vltima verba cum ſint generalia nõ poſſunt intelligi, niſi de cognitione per vires naturæ.

Cyrillus Hieroſolymitan' catecheſi 6. in 2. tom. Bibliot. Patrum pagin. 87. A. ita ait: *Angelis ignorantibus eum ſecundùm propriam virtutem vnicuiq; reuelat per Spiritum Sanctum Vnigenitus.* 16. Cyril. Hieroſolymit.

Cyrillus Alexandrinus libro primo in Ioan. capite octauo in toto fere capite hanc ediſſerit veritatem. Explicans enim illa verba Ioannis primo. *Erat lux vera*, ita ait: *Apertius modo veram lucem à creaturis, quæ lux non ſunt, Euangeliſta diſſeparat: illa enim natura lux eſt: iſtæ per gratiã: iſtæ participant, illa participatur: indigent iſtæ luce: illa indigentibus ſe ipſam largitur. Nihil ergo præter illam vera lux eſt; nec quidquam aliud propria virtute, atque naturæ fructum luminis edere poteſt: ſed quemadmodum ex nihil producta eſt, ſic à tenebris ſplendore veri luminis accepto, & participatione illiùs illuſtrata imitatione quadam in lucem tranſit. Ita Dei quidem verbũ ſubſtantialiter, non participatione, quæ per gratiam fit, nec per accidens lux eſt: creatura verò non ſic: ſed accipit, quod non habet: illuminatur vt tenebræ, de foris gratiam acquirit: largitoris miſericordia huiuſmodi dignitatem conſequitur. Quare Filius quidem Dei lux vera eſt: creatura verò eius illuminatione per gratiam lux eſt.* Faciunt quæ ſcribit in eodem libro, cap. 22. pagina 637. & 638. vbi tandem concludit, *Deum effugere, & ſuperare aciem omnis creaturæ.* Et libro. 4. Theſauri capite ſecundo, pagina 262. C. reputat impoſsibile, Deum viribus naturæ videri; ita ſcribens: *Aut quomodo natura Deus videbitur?* Quaſi dicat; id eſſe omninò impoſsibile. 17. Cyril. Alexand.

Nazianzenus in ſecunda oratione de Thelogia pagina 298. columna prima, agens de natura rationis participe, ita ſcribit: *Etenim Deum quidem, & primariam illam cauſam natura quidem omnis rationis particeps appetit: Cæterùm ob eas, quas dixi, cauſas, viribus deficitur.* Et pagina 294. colum. 2. in principio fatetur, *Angelos longo interuallo à Deo, & plena illa, & abſoluta cognitione diſtare.* 18. Nazianz.

F 2 Irenæus

19. Irenæus. Irenæus lib.4.aduerſus hæreſes c. 37. agens de Deo, ita ait: *Qui ſecundùm magnitudinem quidē ignotus eſt omnibus, qui ab eo ſunt facti;* nimirum naturaliter.

20. Chryſoſt. Chryſoſtomus in hom. quas de incōprehenſibili Dei natura ſcripſit contra Anomæos, illos acerrimè reprehendit, quòd exactam diuinæ ſubſtantiæ cognitionē humana ratione ſe aſſecutos eſſe iactarēt, quia Angelicæ virtutes ad clarā Dei cognitionem ſuo naturali lumine pertingere non valent. Quod ſatis explicat hom. 1. pag. 966. D. *Vides quantum timoris, quāta religionis obſeruantia inter Angelos eſt? Vides quantum contemptus, quanta negligētia inter homines?* Hom. 3. *poſt princ. Inuocemus ipſum ineffabilem, inuiſibilem, incomprehenſibilem, inintelligibilem Deū; omnem linguæ humanæ ſuperat facultatem; omnes mortalis intelligentiæ vires excedit; quem nec Angeli inueſtigare, non Archangeli indagare, non virtutes, non denique aliqua creatura cernere valet.* Idque viribus naturæ; quamuis valeat viribus gratiæ, vt ex eodem Chryſoſtomo oſtendemus lib. 8.

21. Origenes. Origenes libro primo, Periarchō cap. 1. expreſſe docet, *nullam naturam eſſe, cui viſibilis ſit Deus, quia naturaliter videri impoſsibile eſt.*

22. Theodore. Theodoretus Dialog. 1. pag. 300. col. 1. ante finem ita ait: *Si ergo ab hominibus, dico etiam ab Angelis videri non poteſt diuina natura*, ſcilicet naturaliter: nam per gratiam ab vtriſque videtur, vt lib. 8. ex eodem Theodoreto oſtendemus. Vide eum ibidem *col. 2. & pag. 301. col. 1. in fin.*

23. Damaſce. Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 1. *Diuinam itaque, beatiſsimamque naturam nullus vnquam nouit, niſi cui Deus voluerit reuelare: non hominum modò, ſed nec ſupermundanarū quidem virtutum; ſupermundanarum, aio, vt ipſorū Cherubim, & Seraphim.*

24. D. Maxi. Addimus D. Maximū Cent. 1. Theologica c. 1. & Cypariſsiotam Decade 2. c. 6. Platinum Philoſophum Platonicum apud Auguſt. lib. 10. de Ciuita. Dei cap. 2. docentem ſubſtantias ſeparatas non ſolùm beatas eſſe eodem, quo nos lumine, ſed etiam lumine quodam altioris ordinis longo interuallo excedēte, & noſtras, & illarum vires. Quam ſententiam vnico verbo explicauit Proculus propoſ. 172. vbi de intellectu ſeparato ita ſcribit: *Omnis intellectus intellectualiter eſt, & quæ ante ipſum, & quæ poſt ipſum.* Per ea, quæ ſunt ante ipſum, Deum intelligit; quem appellat ſuper intellectualem intelligentiam: ſenſus eſt, intelligentia intelligit Deum nō quidem ſuperintellectualiter & ſecundùm modum, quo ipſe eſt in ſe, ſed intellectualiter tantum, qui intelligendi modus eſt ſibi cōnaturalis. Auhor libri de cauſis propoſ. 8. multa dicit in cōfirmationem noſtræ ſententiæ. Docet enim, intelligentiam ſcire id, quod eſt ſuprà ſe, quia acquirit bonitates ab eo: per quas Deum cognoſcere non poteſt, niſi modo longe inferiori, quàm ipſe ſit in ſe: nam ſtatim ait: *Similiter omnis ſciens non ſcit rem meliorem, & rem inferiorem, & deteriorem, niſi ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ, & ſui eſſe: non ſecundùm modum, ſecundùm quem res ſunt.* Quid clariùs dici potuit? Si ergo intelligentia non poteſt Deum cognoſcere ſecundùm modum, quo Deus eſt in ſe; profectò non poterit naturali lumine ſui intellectus Deum intuitiuè cognoſcere. Et ideo concludit his verbis: *Et ſi hoc ita eſt, tunc proculdubio bonitates, quæ deſcendunt ſuper intelligentiam à prima cauſa, ſunt intelligibiles in ea;* id eſt bonitates diuinas ab ipſa intelliegentia per creationem à prima cauſa participatas intelligit, non prout illæ ſunt intelligibiles ſecundùm eſſe, quod habent in Deo, ſed ſecundùm eſſe participatum, quod habent in ipſa intelligētia, qui modus intelligendi eſt longè inferior.

§. 4.

Eadem ſententia ex ſacris literis confirmatur.

EX ſacris literis eadem veritas efficaciter deducitur. Quidam eam deducunt ex illis verbis Ioann. 1. & 1. Ioannis quarto. *Deum nemo vidit vnquam.* Sed ex illis non poſſe vllum probabile argumentum deduci colliges ex dictis quęſtione prima, art. 2. Sed nec ſumi poteſt argumentum ex verbis Ioannis cap. 6. *Non quod Patrem viderit quiſquam niſi is, qui eſt ex Deo.* Tum, quia de ſolis hominibus viatoribus intelligitur, tum etiā, quia intelligi nullo modo poſſunt de cognitione ex viribus naturæ; vt oſtendimus in d. ar. 2. 25. cōfirmatur ex ſacris literis. Ioan. 1. 1. Ioan. 4.

Plures eandem veritatem confimant ver- 26.

1. Tim. 1. verbis Pauli 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo omnis honor, & gloria*: Quem locum non poſſe explicari de ſola inuiſibilitate per oculos corporeos, ſed de inuiſibilitate per oculũ mentis: diximus in d. art. 2. ſed ex eo nõ ſumetur efficax argumentum, ſed probabile tantum: nam nihil ad inſtitutum pertinet, ſi inuiſibile idem eſt, quod incomprehenſibile: vt exiſtimat Anſel. cum pleriſque alijs: erit tamen locus optimus, ſi inuiſibile idẽ eſt, quod inacceſsibile per viſionem mentis, quæ eſt cõmunior explicatio Patrũ, ſatis conſentiẽs cũ verbis Pauli in eadẽ epiſt. c. 6. *Qui lucem inhabitat inacceſſibilem*. Inacceſsibile autẽ latius patet, quam incomprehenſibile, quare ſi inuiſibile ſumitur, vt eſt attributũ diſtinctũ ab incomprehenſibili, locus erit optimus: nam cũ Deus non ſit omnibus modis inuiſibilis, cũ in patria videatur à beatis; & eo modo, quo eſt inuiſibilis, ſemper ſit inuiſibilis, ſicut ſemper eſt immortalis; vt cum Auguſt. plures aduertunt, nõ aliter explicari poteſt, quàm de inuiſibilitate viribus naturæ.

27. 1. Tim. 6. Probabile etiam ſumetur argumentũ ex Paulo 1. Tim. 6. *Qui ſolus lucem habitat inacceſſibilem*. Nam quamuis Paulus in verbis immediatè ſequentibus, de hominibus loquatur: dum ait: *Quem nullus hominum videt, ſed nec videre poteſt*; tamen verba illa generaliter ſunt veriſsima reſpectu cuiuſcumq; intellectus creati. Et quamuis locus non ſit efficax, quia multis modis explicari poteſt à noſtro inſtituto alienis; probabilis tamen eſt; quia accõmodatè intelligi non poteſt, niſi de luce naturaliter inacceſsibili, vt lib. 12. latè confirmabimus.

28. Matth. 11. Efficax argumentum ſumi poteſt ex Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: nec Patrẽ quis nouit, niſi Filius; & cui voluerit Filius reuelare*. Etenim ſiue locus intelligatur de Filio Deo, ſiue de Filio homine, ſemper ex illo præcitatus error efficaciter conuincetur. Et quidẽ locus eſt expreſſus, ſi intelligatur de Filio Deo, vt communiter intelligitur à Patribus; nec enim explicari poteſt de notitia cõprehenſiua; quia hæc per reuelationẽ cõmunicari non poteſt: intelligitur igitur de notitia cõnaturali, quia ſolus Filius ita nouit Patrẽ, & ſolus Pater Filiũ. Cũ verò illa excluſiua, *niſi* excludat in vniuerſũ omnẽ creaturam intellectualẽ, locus directè probat Catholicam ſententiam. Porrò ſi locus explicetur de Filio homine, quæ eſt plurimorum Patrũ explicatio; adhuc locus eſt omni ſolutione maior: quoniam excluſiua illa bis poſita excludit ab omni creatura naturalẽ Patris, & Filij notitiam. Primò, quia ſi aliqua creatura naturaliter poteſt Deũ cognoſcere, daretur creatura, quæ ſine vlla Filij reuelatione Deũ cognoſceret. Deinde, quia nõ ſolus Filius poſſet reuelare Patrẽ, ſed etiam creatura illa, cui viſio Patris eſſet naturalis. Deniq; non ſolus Filius naturaliter cognoſceret Patrẽ, nec ſolus Pater Filium, quia vtrũq; naturaliter cognoſceret creatura, cui viſio Patris, & Filij eſſet connaturalis.

Optimum etiam argumentum cõmuniter ſumitur ex Paulo ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna*. Ex quibus verbis patet, vitã æternam (quę eſt viſio Dei) nõ dari ex operibus naturæ, ſed gratis ratione primæ gratiæ. Cum vero hæc lex ſit nobis communis cum Angelis; vtiq; illa etiam cum Angelis ſeruata eſt. Iã verò viſio daretur ex operibus, ſi viribus naturalibus illam aſſequeremur. 29. Ad Rom. 6.

Confirmatur, quoniam viſio beatifica tàm nobis, quàm Angelis data eſt in pręmium meritorum, quod autem datur in præmium, non habetur per vires naturales; ſicut etiam non datur meritũ in operibus, quæ ſunt ex viribus naturæ. Confirm.

Poſtremò pro eàdem ſententia non ineptè adduci poteſt locus Iſai. 6. *Seraphim ſtabant ſuper templum: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius*. Quem locum contra Anomæos expendit Chryſoſt. *hom. 2. de verbis Iſaiæ tom. 1. & hom. 1. & 3. de incomprehenſibili natura Dei tom. 5. Optimè Cyprian. in præfatione ad Cornelium Papam de Cardinalibus operibus Christi pag. 444. col. 1. nu. 2.* Et inter alias cauſas, cur faciem velabant, vel Dei, vel ſuam (vtroque enim modo legitur) hæc eſt præcipua, vt oſtenderent, nullã creaturam poſſe naturali ſua virtute Dei ſubſtantiã clarè cognoſcere. Vide Gloſſam Ordin. & interlin. Carthuſ. Leonẽ à Caſtro, & Reuerendiſsimũ noſtrũ Thadæũ Peruſinũ noſtrę Eremitanę familię olim generalẽ digniſsimũ, pariter, & ſanctiſsi- 30. Iſai. 6. Chryſoſt. Cyprian.

Iſaiæ. 33. *Daniel.* 3. Adduci poteſt illud Iſa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Et illud Dan. 3. *Qui ſedes ſuper Cherubin.* Item illud Iob. 28. vbi de ſapientia dicitur: *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium; volucres*
Eccleſ. 7. *quoque cœli latet.* Adde illud Eccleſ. cap. 7. *Cuncta tentaui in ſapientia, & dixi: ſapiens efficiar; & ipſa longiùs receſsit à me, multò magis, quàm antea erat: & alta profunditas; quis inueniet eam?* Denique facit illud ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* De quibus vide ſuprà q. 1. art. 2. ad. fin.

§. 5.

Soluuntur argumenta in contrarium.

31. Ad primũ. Argumenta §. 1. in contrariũ adducta facilè diſſoluuntur. Ad primũ iam reſpondimus ſuprà q. 1, art. 1. §. 2. in fine.

Ad 2. Ad ſecundum ibidem negauimus ſequelam: cuius probatio ſolùm eſt vera de obiecto adæquato exteſiuẽ: ſecùs ſi fuerit tale ſolùm intenſiuè.

32. Ad 3. Ad tertiũ dicendum eſt, intellectum creatum etiam ſeparatum ſi ſuæ naturæ relinquatur, habere naturale impedimẽtũ, ne ſuperiora, & diuina perfectè intelligat, vt ipſa in ſe ſunt, ex D. Thom. *in 4. d. 49. quæſt. 2. art. 6. ad 4.* & patebit ex ſequenti art. Quare ad argumentũ negãda eſt min. etenim ideo, quia creatus eſt, habet naturalẽ improportionẽ ad intelligibilia ordinis diuini. Si quis objiciat, intellectũ creatum ita ſe habere ad intelligibilia, vt viſus ſe habet ad viſibilia, vt ex Ariſtotele cõmuniter refertur; viſum autẽ ex ſua natura nõ habere impedimentũ naturale ad quo dcũq; viſibile, ſed ſolũ ex trinſecũ; quatenùs organa per excellentiã ſenſibiliũ corrũpuntur: quod impedimẽtũ in intellectu dari nõ poteſt: ſiquis, inquam, ita objiciat; dupliciter occurrendũ eſt; vno modo negando in viſu non dari impedimentũ naturale, & intrinſecũ ad aliquod viſibile: oppoſitum enim docet D. Tho. 1. p. q. 88. art. 1. ad 3. Excellentia enim ſenſibilia (vt ait) non ex ea ſola ratione à ſenſu non percipiũtur, quòd corrũpunt organa; ſed etiam, quia ex ſe ſunt improportionata potẽtijs ſenſitiuis. Quare licèt intelligibile excellẽtiſsimũ (quale

1. Solutio. D. Thom. — Obiectio. — Reſponſio. — D. Thom.

eſt diuinũ) non corrumpat intellectũ, ſed perficiat potiùs; tñ ex ſua natura eſt illi improportionatũ, ſi ſolã virtutẽ illi connaturalẽ expendamus. ¶ Altero modo reſponderi poteſt iuxta ſententiam, quæ docet viſum ex ſua natura, & ab intrinſeco poſſe videre omne viſibile: impediri tamen poſſe ab extrinſeco, ne videat viſibile excellens: quæ fortè conſentit cum *Ariſtotele, dum ait, quod oculus ſenis æqualiter videret, atq́ videt oculus iuuenis, ſi eadẽ haberet organa.* 2. Solutio. *Ariſtotel.*

33. Hac opinione poſita negãdũ erit, intellectũ perinde ſe habere ad intelligibilia, atq; viſus ad viſibilia: nã viſus ex ſua natura eſt omni viſibili proportionatus, & ideo poteſt in omne viſibile, niſi ab extrinſeco impediatur; cui⁹ oppoſitũ reperitur in intellectu creato; cui dicẽdi modo fauet, quod viſus eodem modo, & per ſpecies eiuſdẽ rationis videt inferiora, & ſuperiora, nẽpe per immutationẽ organi factã à ſenſibili emittendo ſpecies, vt ait *D. Tho. vbi ſuprà ad 5. & in quæſt. de Anima ar. 16. ad 10.* Intellectus autẽ, nec ab omni intelligibili eodẽ modo ĩmutatur; nec immutatur per ſpecies eiuſdẽ rationis: etenim intellectus cõiunctus nõ immutatur, niſi ab obiecto ſenſibili, & per ſpecies abſtractas à phantaſmatib⁹: intellectus autẽ ſeparatus immutari nõ poteſt, niſi ab obiecto creato, & per ſpecies eiuſdẽ generis: ab obiecto autẽ increato immutari non poteſt, niſi ipſũ increatũ obiectũ ſubeat vicem ſpeciei iuxta cõmunem ſentẽtiã. *D. Thom.*

Ad quartum negandum eſt, eſſentiam diuinam cõtineri ſub obiecto intellectus creati adæquato intenſiuè; quod requiritur, vt poſsit ab eo naturaliter videri. 34. Ad 4.

Quintũ argumentum quoad priorem partem vim non habet apud eos, qui negant, dari in intellectu creato appetitũ naturalem viſionis beatificæ, quę eſt cõmunior ſententia. Sed nec vim habet, ſi illũ appetitum admittas naturalẽ naturalitate appetitionis, nõ tamen aſſecutionis. Authores enim huius opinionis, ita ponunt viſionem eſſe finẽ naturalem, vt dicant, eam non naturaliter, ſed ſupernaturaliter aſſequendam fore. In quo ſenſu talis naturalis appetitus nõ eſſet fruſtrà: eſſet autem, ſi talis finis, & appetitione, & aſſecutione eſſet naturalis: qui ſenſus à Catholicis negandus eſt. ¶ In poſteriori parte 35. Ad 5.

parte argumēti falſò ſupponitur, Deū eo fine propoſuiſſe vniuerſum cognoſcendum, vt adminiculo illius natura intellectualis in intuitiuam Dei cognitionem deueniret: ſed ſolùm illud propoſuit cognoſcendum, vt illius cognitione cognoſceretur Deus, quantum naturaliter eſt cognoſcibilis.

36. Ad ſextum. Ad ſextum patet ſolutio ex dictis *q. 1. art. 5. §. 3. ad 2.* Nam propoſitio aſſumpta, ſi ita intelligatur, vt Deus ſit id, quod à quocunque intellectu per ſe, & primò cognoſcitur, *vt quod*, & in quo obiectiuè cognitò cætera cognoſcuntur, falſa eſt: quoniam intellectus coniunctus primò cognoſcit ſenſibilia, quàm Deum; ſeparatus autem, primò cognoſcit ſe ipſum, & alia à ſe, & ſic venit in aliquam cognitionem Dei, confuſam tamen. At ſi propoſitio intelligatur de obiecto, *vt quo*, admittēda eſt; quia ex Auguſtino ſicut ſub luce Solis omnia ſenſibiliter videntur; ita ſub luce à Deo participata omnia cognoſcuntur; inde tamen non infertur Deum in ſe ipſo eſſe primum obiectum, *vt quod*, vide loco citato.

37. Ad 7. Ad 7. patet ſolutio ex dictis ibidem ad ſextum; vel enim neganda eſt propoſitio; quia viſio Dei non eſt finis naturalis; vel ſi eſt; non eſt naturaliter aſſequendus.

38. Ad 8. Ad 8. dicendum eſt, naturalem beatitudinem intellectualis creaturę conſiſtere in contemplatione Dei perfectiſsima; non ſimpliciter, ſed inter eas, quæ lumine naturali haberi poſſunt; & ad hunc ſēſum Ariſtotelem eſſe explicādum. Quare ſicut naturalis felicitas hominis poſita eſt in cognitione Dei præſtātiſsima, quā ex ſenſibilibus poteſt homo habere ex D. Thom. 1. *p. q. 62. art. 1*: ita etiam felicitas naturalis ſubſtantiæ Angelicæ erit præſtantiſsima Dei cognitio, quam Angelus habere poteſt ex cognitione ſuæ ſubſtantiæ, & rerum creatarum, ex *Diuo Thom. 1. p. q. 56. art. 3. vide Suar. in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 11. n. 38.*

D. Thom. *Suarius.*

39. Ad nonum. Ad 9. reſpōdetur, Deum ideò eſſe obiectum naturaliter improportionatū intellectui creato, quia ex ſe eſt ſummè intelligibilis. Quando igitur quæritur; cur Deus, cum ſit maximè intelligibilis, non poteſt naturaliter intelligi ab intellectu creato? reſpondendum eſt, quia in ſe eſt ſummè intelligibilis, & ideò altioris ordinis; inde enim habet, quod ex ſe ſit extra obiectum intenſiuè adæquatum intellectus creati.

40. Ad 10. Ad 10. neganda eſt maior, quoniam intellectus coniunctus naturaliter intelligit ſubſtantias materiales, non verò ſeparatas; & intellectus Angeli naturaliter intelligit res creatas ordinis naturalis, nō tamen eſſentiam diuinam; & tamen ſubſtantia ſeparata magis eſt intelligibilis, quàm materialis; & diuina eſſentia, quàm eſſentiæ creatæ. Quare falſum eſt, qui poteſt intelligere minus intelligibile, poteſt & maius; fieri enim poteſt, vt maius intelligibile ſit extra obiectum alicuius intellectus, intra quod continetur minus, ex *D. Thom. in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 3. & de Veritate q. 8. art. 3. ad 4.* vbi affirmat, Cōmentatorem intelligendum eſſe de ſola cognitione intelligibiliū creatorum: ſed non video, quomodò propoſitio in hoc ſenſu à falſitate liberetur. Puto igitur, Cōmētatorem agere de intelligibilibus, quæ ob ſuam admodum tenuē entitatem ſunt parū intelligibilia; & ideò intellectu difficiliora; vt doceri ſolet *in 2. Metaph. cap. 1. vbi vide Fonſec. q. 4. ſect. 3. concluſ. 2.* In his igitur intelligibilibus vera eſt propoſitio. Nam cum quæ minus ſunt intelligibilia, ſint intellectu difficilliora; qui intellectus poteſt intelligere id, quod eſt minus intelligibile: is poterit etiam intelligere, quod eſt magis; dum tamen fiat aſcenſus in eodem genere entitatis, & intelligibilitatis: ſicut etiam è contrario qui intellectus poterit intelligere, quæ in ſua entitate magis ſunt intelligibilia; is poterit intelligere, quæ ſunt intelligibilia ordinis inferioris: & hinc eſt, vt intellectus Angeli naturaliter intelligēs ſubſtantias ſeparatas, naturaliter etiam intelligat materiales; quia ſubſtantiæ ſeparatæ ratione ſuæ præſtantiſsimæ entitatis, ſunt difficiliores intellectu, quàm materiales.

D. Thom. *Fonſeca.*

41. Ad 11. *D. Thom.* Ad 11. negatur antecedens ex *D. Thoma in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 7*: Deus enim in ſe ipſo eſt obiectum improportionatū lumini intellectus creati, vt ſępè diximꝰ.

42. Ad 12. 12. argumentum dignum eſt riſu, vt ex D. Thoma diximus ſuprà *quæſt. 1. art. 4. §. 8. ad 4.* quia licèt Deus in ſe ipſo à nullo intellectu creato naturaliter intelligi queat; tamen à ſe ipſo naturaliter in-

telligi valet; à creato autem intellectu poteſt etiam intelligi, ſi ſupernaturaliter eleuetur; quod ſatis eſt, vt non dicatur fruſtrà intelligibilis in ſe ipſo.

43. Ad 13. Ad 13. reſpondetur, Angelum in ſe ipſo eſſe imaginem Dei expreſsiorem, & puriorẽ, quam ſit aut mens noſtra, aut cęteræ res creatæ, quia Deus in eo perfectiùs refulget, quam in cæteris creaturis ex *D. Thom.* 1. *p. q.* 12. *art.* 4. *ad* 1. *& in* 4. *d.* 49. *q.* 2. *ar.* 6. *ad* 5. *& de Veritate q.* 8. *ar.* 3. *ad* 3. Et in hoc ſenſu explicandus eſt Dionyſ. in cap. 4. de Diuinis nomin. cum dicit, *Angelum eſſe ſpeculum purum, clariſſimum, incontaminatum, ſuſcipiens totam* (*ſi fas eſt dicere*) *pulchritudinem Dei*. Et cum ait: *Angelum eſſe expreſſam Dei ſimilitudinem, & imaginem, manifeſtationemq́; occulti luminis diuini*: hæc enim intelliguntur comparatione aliarum rerum, in quibus Deus non ita perfectè relucet: & prætereà, quia in ſuo intelligendi genere nullum defectum patitur; quem tamen patitur anima tam coniuncta, quàm ſeparata. At cum hoc benè ſtat, quod Angelus cõparatus cum diuina eſſentia ſua natura ſit defectiuus, & tenebroſus, vt affirmat D. Thomas de veritate loco citato. Quod ſatis declarant præcitata verba Dionyſij; illa ſcilicet (ſi fas eſt dicere) quæ ſatis declarant, Angelum non eſſe perfectam Dei imaginem, ſed imperfectam potiùs: vnde per eum non poteſt Deus intuitiuè videri, vt ait *D. Thom. locis citatis: &* 1. *p. q.* 88. *art.* 3. *ad* 3.

D. Thom.

S. Dionyſ.

D. Thom.

44. Ad poſtremum. Ad poſtremum negandum eſt, Angelos fuiſſe creatos in puris naturalibus, vt in materia de Angelis latè oſtendimus. Sed quia hoc parum refert ad præſens inſtitutum, admiſſa maiori neganda eſt minor, licèt enim Angeli in ſua creatione priùs ſe ipſos cognouerint cognitione veſpertina, quàm cognitione matutina, & beatifica ſe viderint in Verbo: tamen res conditas in ſex diebus priùs viderunt cognitione matutina in verbo, decretoq́; diuinæ voluntatis de illis condendis: quã eas iam conditas cognouerint in proprio genere cognitione veſpertina, vt latè oſtendimus 1. tom. lib. 5. q. 16. ar. [illegible]. §. 5. n. 24. Itaque viſio illa rerum in Verbo, & in proprio genere non fuit in Angelis in via, ſed ſolùm in patria, poſtquam fuerũt beati ex *D. Thoma de Veritate quæſt.* 8. *art.* 3. *ad* 1. *& in* 4. *d.* 49. *q.* 2. *artic.* 6. *ad* 1. Et hæc de iſto articulo.

D. Thom.

ARTICVLVS II.

Vtrùm naturaliter demonſtrari poſsit intellectum creatum non poſſe viribus ſuæ naturæ videre Deum?

§. 1.

Opinio negans.

TOTA difficultas verſatur, an ratione naturali poſsit demonſtrari, nullum intellectum creatum propria, ac naturali virtute poſſe Deum intuitiuè videre? quod non poſsit, plures affirmarunt, vt teſtatur *Suar. in Metaphy. diſp.* 30. *ſect.* 11. *n.* 7. *neminem tamen citat. In ea ſententia eſt Bellomont.* 1. *p. q.* 12. *ar.* 4. *in annotatione ad articulum. Et ante eum Molina in eodem loco ante finem*; vbi fatetur ſibi nullam occurrere rationem, quæ de intellectu Angelico euidenter id demonſtret, quanuis dentur rationes maximè probabiles; conſentit *Salas* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *nu.* 3. *pag.* 201. *col.* 2. *in med.* 1. Opinio negans.

Suar. Bellomon. Molina.

Salas.

Primò confirmatur, quia ratio Diui Thom. (quæ inter cæteras eſt efficacior) non multum habet euidentiæ, vt ait Molina: vnde à Scoto, & cæteris variè impugnatur. 2. Argumenta pro parte negante. 1.

Secundò, quoniam Deum, vt in ſe eſt, eſſe naturaliter inuiſibilẽ intellectui creato nec demonſtrari poteſt ex aliquo effectu Dei, vt patet: nec ex perfectione diuini eſſe, quia Deum naturaliter videri, ſicut nullam imperfectionem in Deo denotat; ita nullam in eo ponit perfectionẽ: etenim ſuperiorem naturam videri ab inferiore (v.g. Angelum ab anima, & ſuperiorem ab inferiori) nec detrahit de perfectione ſuperioris, nec aliquid perfectionis in eo ponit. 3. Secundò.

Tertiò; quoniam licèt intellectus creatus ex effectis naturaliter cognitis non poſsit peruenire ad viſionem Dei; tamen poteſt naturaliter ad eam pertingere per ſpeciem ſibi connaturalem, & innatam, quæ euidenter repræſentet Deum. Nam ſi Angelus per ſpecies naturaliter ſibi inditas poteſt videre Angelum ſuperiorẽ; quem tamen per effectus videre non poterat; 4. Tertiò.

terat, cur intellectus creatus non poterit Deum videre per ſpeciem ſibi connaturalem? Si reſpondeas, nullam talem ſpeciem connaturalem dari poſſe; obijciam, quoniam in intellectu creato ſaltem Angelico datur virtus cōnaturalis, & intrinſeca, vt Deum videat: tum quia Deus clarè viſus continetur ſub obiecto adæquato illius: tum ſecundò, quia beati naturaliter vident Deum, & in viſione beata obiectiuè cognita; & in ſpecie, quæ de facto Deum repræſentat, quę eſt aliquorum ſententia, quod ſi in beatis datur hęc virtus naturalis, cur non erit poſsibilis connaturalis ſpecies, quæ illis Deum intuitiuè repræſentet? Hoc autem admiſſo, admittendum etiam erit, poſſe Deum à beato intellectu naturaliter videri.

5. Quartò. Quartò, plerique Theologorum putant, creabilem eſſe creaturam, cui cōnaturale ſit videre Deum, idque lumine ſibi connaturali: hæc autem ſententia nec vera eſſet, nec probabilis, ſi ratione naturali poſſet demonſtrari, intellectum creatum non poſſe naturaliter Deum videre.

6. Quintò. *Ariſt.* Quintò: naturalis felicitas intellectus creati conſiſtit in perfectiſsima Dei contemplatione ex Ariſt. 10. Ethic. cap. 7. ergo conſiſtit in clara Dei viſione: tum, quia iſta eſt omnium perfectiſsima: tum ſecundò, quia ſola iſta poteſt appetitum ſatiare: qui non ſatiatur, niſi clarè, & diſtinctè videat rem, quam ex effectu confusè cognoſcit: ergo viſio Dei naturaliter haberi poteſt: natura enim non inclinat ad impoſsibile.

7. Vltimum. Poſtremò, Philoſophi carentes lumine fidei, docuerunt, intelligentias inferiores clarè, & intuitiuè videre primam intelligentiam: imò in hac viſione illarū felicitatem poſuerunt. Nec defuerunt, qui dixerint, nos poſt mortem intuitiua primæ intelligentiæ viſione futuros eſſe beatos. Et cum hi lumine fidei caruerint, hanc ſuam ſententiam intellexerunt de viſione viribus naturæ aſſequenda. Hæc ſunt huius ſententiæ fundamenta.

§. 2.

Opinionem affirmantem eſſe veram.

8. Opinio affirmans. OPinio tamen affirmans vera eſt, & amplectēda, ſi ſermo ſit de demonſtratione, non quidē Mathematica, quæ cogat intellectum etiam reluctantem: ſed de demōſtratione exacta quidem, & quatenus poſtulat ſubiecta materia: *Etenim de vnaquaque re ſatis dicetur, ſi declarabitur perinde, atque ſubiecta materia poſtulat, ipſum enim exactum non eſt in omnibus ſimili modo rationibus flagitandum*: verba ſunt Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 3. in princ. Et inferiùs addit: *Eſt enim eruditi exactum ipſum eatenùs in vnoquoq; genere flagitare, quatenus fert ipſius rei natura*. Et indè infert: *æque ridiculum eſſe mathematicum approbare ſolum ſuadentem, & ab oratore demonſtrationes exigere*. Quā etiam ſententiam confirmat 2. Metaph. cap. 3. tex. 16. inquiens, *Certitudinem mathematicam non oportet in cunctis quærere*. Nam vnam ſcientiam certitudine demōſtrandi, & euidentia eſſe alia exactiorem docet idem Ariſt. 8. Topic. cap. 2. in princip. Et lib. 1. de Anima cap. 1. tex. 1. Hoc loco placet adducere optimam ſapientiſſimi Fonſecæ doctrinam in comment. ad præcitata verba Ariſtotelis: colligit enim ex Ariſtotele, in rebus quidem mathematicis, quia ſunt expertes materiæ ſenſibilis, atque mutationis poſcendas eſſe accuratas demonſtrationes: minus tamen accuratas in rebus naturalibus, quę & materiæ ſenſibilis, & mutabilitatis ſunt participes: & adhuc aliquantò minùs accuratas in rebus metaphyſicis. Nam quanuis ex ſe ſint immutabiles, & expertes omnis materiæ, non tamen per ſe ipſas à nobis cognoſcuntur, vt mathematicæ, & naturales, ſed per eas, quæ mutabiles ſunt. *Ariſt.* *Ariſt.* *Fonſeca.*

Ex qua peripatetica doctrina in præſenti quæſtione viſionis beatificæ, quæ ad ſupremam metaphyſicam ſpectat, eruditum quemque non expectare mathematicam demonſtrationem, quę euidenter conuincat intellectum etiam reluctātem; ſed demōſtrationem, exactam quidem, & intra limites demonſtrationis cōtentam; at tamē, quatenus fert rei, de qua agitur, natura: qualis erit demonſtratio, quæ intellectum bene diſpoſitum efficaciter perſuadeat ex principijs in philoſophia receptis, quanuis non mathematicè, imò nec naturaliter euidentibus, ſed ſolū metaphyſicè: quæ euidentia iuxta doctrinam Fonſecæ eſt minùs euidens, quàm naturalis. Quarè non ſatis eruditè, ſi Ariſtoteli credimus, loquutus eſt Molina, dū affir- 9. Quę demōſtratio hic requiratur. *Molina.*

affirmat, ſe nullam rationem inueniſſe, quæ omnino euidenter demonſtret, intellectum Angelicũ ex ſuis naturalibus non poſſe videre diuinam eſſentiam; etenim ex dictis patet, materiam ipſam omnimodam euidẽtiam non expoſcere, ſed ſatis eſſe, quam expoſcunt res metaphyſicæ. Quare hac de re magis eruditè loquutus eſt Suar. *in Metaphy. diſp.* 30. *ſect.* 11. *n.* 13. dum ait, veritatem iſtam poſſe ſufficienti ratione ſuaderi, quæ licet non ſit ita euidens, vt intellectum reluctantẽ cogat; ſatis tamen ſit ad perſuadendum intellectum benè diſpoſitum; perſuadendum, inquam, certò: nam de perſuaſione probabili, nec Molina nobis contradicit.

Suarius.

10. Concluſio queſtionis. His ita ſuppoſitis pro parte affirmatiua ſit concluſio. Ex vera philoſophia verè poteſt demonſtrari, nullum intellectũ creatum etiam Angelicum viribus propriæ naturæ poſſe videre Deum. Hanc expreſsit *Suar. vbi suprà, & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 9. n.* 10. Satis eſt de mẽte D. Thomæ, & Theologorum, quos ſtatim citabimus, quatenus conſtanter, & ſine vlla formidine affirmant, id eſſe omnino impoſsibile. Ita *D. Thom.* 1. *p. q.* 12. *art. 4. & de Veritate q. 8. art. 3. & 3. contra gent. cap. 52. Alenſ. 1. p. q. 2. membr. 1. art. 5. vbi ita ſcribit: Per naturam conſtans eſt, non poſse videre Deum, ſicuti eſt*: ſi conſtãs eſt; ergo Alenſi id eſt certiſsimum; vnde affirmat, id eſſe impoſsibile, quod repetit *membr. 2. art. 1. Henricus etiam quodlib.* 4. *q.* 9. non ſolùm putat, id nullo modo fieri poſſe, ſed etiam affirmat, hanc veritatem abſolutè eſſe aſſerendam; quod verbum certitudinem denotat. *Sotus in 4. d. 49. q. 2. artic. 2. concl. 5. §. Rationem ergo*, expreſſe aſſerit, dari hac de re legitimam rationem naturalem. Denique in hac ſententia ſunt omnes, qui contra Scotum acerrimè defendunt, rationem D. Thomæ, de qua inferiùs art. 5.

Suarius. D. Thom. Alex. de Ales. Henric. Sotus.

11. Ordo procedendi. Ordo doctrinæ poſtulabat, vt ſingulas, quæ hac de re aſſeruntur demonſtrationes, hoc loco expenderemus; ſed quia id ſine maxima confuſione, longaque articuli dilatatione fieri non poteſt, conſultiùs duxi, ſingulas demonſtrationes ſingulis articulis expendere. Quare hoc loco ſatis ſit diſſoluere argumenta initio adducta.

§. 3.

Solutio argumentorum.

Ad primum argumentum patebit ſolutio ex dicendis in quinto articulo in quo efficaciam illius rationis contra Scotum, & Molinam oſtendemus. 12. Ad 1.

Ad 2. ſatis ſufficienter reſpõdet Suar. *in d. ſect.* 11. *nu.* 20. Negandum eſt enim Deum eſſe naturaliter inuiſibilem cuiq; intellectui creato non ſufficienter demõſtrari ex perfectione diuini eſſe, & ex modo eſſendi illius. Etenim ſi naturaliter eſſet viſibilis, non haberet eſſendi modũ nobiliorem, quàm habeat creatura, quia vt latè oſtendemus art. 5. naturalis cognitio alicuius obiecti infert inter cognoſcentem, & obiectum dari æqualitatem, & conuenientiam in modo eſſendi generico, à quo per ſe ſumitur ordo ſuperioris, & inferioris in cognoſcentibus, quatenus cognoſcentia ſunt, & ſubinde infert cognoſcens, & cognitum, non habere modum immaterialitatis abſtractiorẽ ab omni ratione materiæ, nec nobiliorẽ. Quę omnia diligentiùs explicabuntur in d. art. 5. Cum verò abſurdum ſit, & parũ in fide tutum non agnoſcere in Deo nobiliorem eſſendi modum in ratione entis immaterialis, vt ibidem oſtendemus: cõcedendum eſt, ex perfectione diuini eſſe efficaciter demonſtrari Deum cuicunq; intellectui creato naturaliter eſſe inuiſibilem: negatio enim naturalis inuiſibilitatis omninò tollit diuinũ eſſe, diuinãq; immaterialitatem non habere ſupremum eſſendi modum longè excedentem modum eſſendi creaturæ intellectualis. 13. Ad 2. *Suar.*

Quæ verò adducuntur de Angelo ſuperiori, & inferiori: & de anima ſeparata reſpectu Angeli, parum efficiunt. Quoniam licet Angeli inter ſe differãt ſecundùm perfectiones ſpecificas ſuæ naturæ, & in hoc detur inter eos ordo ſuperioris, & inferioris: non tamen differunt in perfectione eſſendi generica: omnes enim habent eſſe potentiale, & receptum cõpoſitumque ex actu, & potentia. Vnde omnes, quatenus ſunt ſubſtantiæ cognoſcentes habent eundem eſſendi modum, vt dicemus in dict. art. 5. Vtrùm verò illa æqualitas in modo eſſendi generico ſatis ſit, vt inferior poſsit intelligendo comprehendere ſuperiorem? alterius eſt quęſtionis. 14. Solutio de Angelis.

ſtionis. *Suarius in d. n. 20. negat.* Alij veriùs affirmant: ſed parũ id refert ad præſens inſtitutum; quia cum opinione negante ſtat, quod inferior diſtinctè cognoſcat ſuperiorem. An verò anima ſeparata quidditatiuè cognoſcat Angelos? controuerſum eſt. Negant Thomiſtæ cũ D. Thom. Alij affirmant. Hi negabunt, Angelos habere modum eſſendi ordinis ſuperioris; id tamen admittunt Thomiſtæ. Quare ad præſens inſtitutum parum refert quęnam opinio illarum ſit verior?

Dubium.

15. Ad 3. Ad 3. reſpondet Suar. *in d. ſect. 11. n. 21.* faciliùs reſpondebis, nec poſſe dari ſpeciem creatam, quæ Deum intuitiuê repræſentet, vt conſentiente Scoto putant Thomiſtæ: quãuis oppoſitum ſit verius, vt latê oſtendemus lib. 8. in 2. parte q. 2. Nec ſi daretur illa poſſet eſſe connaturalis intellectui creato; imò nec cõnaturalis eſſe poterit cuicumque intellectui creabili, vt ſuo loco dicemus; & ibi ſoluemus quæ in contrarium objiciũtur.

16. Ad 4. Ad 4. facilis eſt ſolutio; ſi negetur, creabilem eſſe creaturam aliquam cui connaturale ſit Deum videre: ſed nec argumẽtum contra nos concluderet, ſi talẽ creaturam vt poſsibilem admitteremus: quoniam agimus de intellectu creato ordinis naturalis; cuius immaterialitas longè inferior eſt, immaterialitate illius intellectus.

17. Ad 5. Ad 5. iam ſæpè diximus, felicitatem naturalem intellectus creati conſiſtere in contemplatione Dei perfectiſsima inter eas, quæ naturaliter poſſunt de Deo haberi: & ad hunc ſenſum intelligendũ eſſe Ariſtotelem; vide quæ diximus in præcedenti art. §. 5. *ad* 8. *ex mente D. Thomæ* 1. *p. q.* 56. *ar.* 3. *& Suarij in d. ſect.* 11. *n.* 38. Conceſſo autem antecedente in hoc ſenſu, conſequentia eſt nulla: quia viſio clara Dei eſt ordinis ſupernaturalis, nec verũ eſt, ſolam viſionem Dei poſſe ſatiare appetitum. Nam felicitas naturalis illum ſatiaret, quãuis accommodatè ad ſuum ſtatum: nam cum ille felix, prudens foret, & ſapiens, ſciret vtique viſionem Dei claram, nec ſibi naturaliter deberi, nec eſſe ſibi poſsibilem; & ideò illam non appeteret deſiderio abſoluto, quod ſolùm poteſt inquietudinem afferre: vide, quæ diximus ſuprà lib. 3. q. 1. art. 3. num. 26. ex Fonſeca, & Suario ibidem citatis.

D. Thom. *Suarius.*

Ad poſtremum dicendũ eſt cum Suario vbi ſuprà n. 39. non ſatis conſtare, an Ariſtoteles egerit de viſione clara primæ intelligentię. Alios verò, ſi id docuerunt, ideò id docuiſſe, quia putauerunt, primã intelligentiam eſſe eiuſdem ordinis cum cæteris; quod ſi Deum in ſuperiori ordine agnouerunt, eos turpiter erraſſe in philoſophia, vt facilè patebit ex ſequentibus articulis. 18. Ad poſtremum.

ARTICVLVS III.

Prima demonſtratio ſumpta ex defectu naturalis vnionis intellectus cum eſſentia diuina.

PRimam demonſtrationẽ ſumemus ex defectu naturalis vnionis eſſentiæ diuinæ cum intellectu creato, ſine qua ille non poteſt naturaliter Deũ videre. 1. Prima dẽmonſtratio

Pro cuius explicatione aduertendum eſt, ad quamcunque intellectionem neceſſariam eſſe vnionem obiecti cum potentia in eſſe obiectiuo, & intelligibili: quod ſatis explicauit Auguſtinus; dum dixit, *Ex obiecto, & potentia paritur notitia:* nam cum intellectio ſit quædam actio immanens, qua intellectus intentionaliter tendit in obiectum tanquam ad terminũ, neceſſariò ſupponit, obiectum eſſe vnitũ intellectui vnione intentionali, & obiectiua: nam cum obiectum ſit principium intellectionis, vel efficiens, vt quidam volunt, vel ſpecificans, vt alij malunt; neceſſariò præſupponi debet coniunctio obiectiua illius cum intellectu, ſiue illa fiat per ſpeciem, ſiue immediatè per ipſum obiectum. Quare vt intellectio alicuius obiecti ſit naturalis, opus eſt, vt intellectus poſsit naturaliter vniri cum ſuo obiecto: nam ſi vnio fuerit ſupra naturã ipſius intellectus, intellectio neceſſariò erit ſupernaturalis. Aduertẽtia

Ex quo iam patet vis, & efficacia noſtræ demonſtrationis: nam intellectus creatus nõ poteſt naturaliter videre Deũ, niſi naturaliter poſsit vniri cum diuina eſſentia. Hæc autem vnio non poteſt eſſe naturalis: ergo intellectus creatus non poteſt naturaliter videre diuinam eſſentiã. Maior patet ex dictis: nam ſi diuina eſſentia ab intellectu creato videri non poteſt, 2. Vis argumenti.

niſi

niſi cum illo vniatur; vtique non poterit diuinam eſsētiam naturaliter videre, niſi poſsit cum illa naturaliter vniri. Minorē ſupponimus tanquam veriſsimam latiùs probandam in 4.quæſt. artic.1. ea autem ſuppoſita euidenter demonſtratur intellectum creatum viribus ſuæ naturæ non poſſe Deum intuitiuè videre.

D. Thom. Capreol. Scotus. Lichetus. Bargius. Ant. Andr. Rada. Molina. Bellomon. Durand.

3. Hoc medio ad propoſitam veritatem demonſtrandam vſus eſt *D. Thom. in 4. diſt.49.q.2.art. 1. & clariùs artic. 6. & de Veritate q.8.art.3. Capreolus in 4. d.49.q. 4.ar.1.conclu.2.in fin. Scotus quodlibet.14. art.2.& in 1.d.3.q.2.§.Tertiò dico, vbi Lichetus, & Bargius, Ligurius in eodem loco q.3.§.Sed reſtat, Anton. Andr. in 4. d.49. q.10. Rada 2.p.controuerſ.8. ar.2. concluſ. 3.§. his præiactis cum cæteris Scotiſtis*, cui etiam adhæret Molin. ſi vnio obiectiua benè explicetur *1.p.q.12.art.4.§. Scotus*, Bellomontan. ſi benè expendatur *1. p. diſp.41.cap.2.n.12.& expreſſe Durand.in 4.d.49.q.2.num.24.* Nec deſunt qui hanc demonſtrationem tribuant D. Maximo *centur.1.theologica cap.11.& Cypariſsiotæ decade 1. cap. 6.* & quidem ſi minor concedatur, demonſtratio eſt euidens: concedendam autē eſſe oſtendemus inferiùs.

ARTICVLVS IIII.

Ponitur ſecunda demonſtratio ſumpta ex defectu virtutis naturalis.

1. *Secunda demonſtratio.* SEcundam demonſtrationem ſumemus ex defectu virtutis naturalis intellectus creati in ordine ad viſionē diuinæ eſſentiæ. Pro quo pręmittendum eſt duplicem cōcurſum eſſe neceſſarium ad quamcunque intellectionem: alterū ex parte potentiæ: alterum ex parte obiecti, vt colliges ex Auguſtino dum ait: *ex potentia, & obiecto paritur notitia*, & quanuis controuerſia ſit inter Philoſophos, an concurſus ex parte obiecti ſit actiuus an ſolùm terminatiuus, & ſpecificatiuus intellectionis; tamen agnoſcunt concurſum ex parte potentiæ eſſe actiuum; nam cùm intellectio ſit actio vitalis, ex ſua natura poſtulat, vt à principio vitali emanet, & eliciatur. *Præmittendum.*

2. Et quanuis ipſa potentia ſe ſola nunquam poſsit eſſe principium abſolutè, & ſimpliciter completum; quia ſemper requiritur concurſus obiecti, quicunque ille ſit: tamen ipſa potentia in ſua actiuitate naturali poteſt in ſuo genere eſſe totalis, & completa, ita vt nulla alia actiuitas ex parte potentiæ ſit neceſſaria ad eliciendum actum. Quanuis autem non ſit completa ad actiones, quæ ſunt ſupra ſuā naturam, ſed indigeat noua actiuitate, vt modò ſupponimus: tamen nullus dubitat in ordine ad operationes ſibi connaturales in ea dari totam vim actiuam, quæ ex parte potentiæ eſt neceſſaria ad actū: aliàs talis actus non erit ſibi naturalis, ſed ſupra naturam potiùs, cum ad illum eliciendum natura vim non conceſſerit. Quod poſt alios bene aduertit *Suar. in Metaphyſ.diſp.30.ſect.11. n.35.* & nos id tanquam veriſsimum ſupponimus diligentiùs de hoc inferiùs acturi. *Suarius.*

Hoc ſuppoſito ita conficitur demonſtratio, nullus actus poteſt eſſe naturalis intellectui, niſi intellectus ex ſe, ſuaque natura habeat ad eum totam, & integram virtutem, quę ex parte potentiæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad illum elicendum. Sed ad viſionem diuinæ eſſentiæ nullus intellectus creatus ex ſe habet, aut habere poteſt totam, & integram virtutem ex parte potentiæ neceſſariam; ſed indiget virtute ſupernaturaliter addita, vt valeat actiuè concurrere ad viſionem: ergo nullus intellectus creatus poteſt viribus ſuæ naturæ videre diuinam eſſentiam. Diſcurſus eſt optimus: maior patet ex præmiſsis; minorem latiùs confirmabimus inferiùs q.4.& quæſt. de neceſsitate luminis gloriæ. 3. *Vis argumenti.*

ARTICVLVS V.

An impoſsibilitas iſta ſufficiēter demonſtretur ex eo, quod cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis?

TErtio loco expendenda eſt quàm diligentiſsimè ratio D. Thom. 1. p. q. 12. art. 4. qua poſitam veritatem probat; ita enim ratiocinatur cognitio contingit, ſecundùm quod cognitum eſt in cognoſcente; ſed cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modū ipſius cognoſcentis: ergo cognitio fit ſecundùm modum naturæ ipſius cognoſcentis. Ex 1. *Expenditur ratio D. Thomæ.*

hoc

hoc diſcurſu infert Diuus Thomas hanc conditionalem: ergo ſi modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitio illius rei erit ſupra naturam cognoſcentis. Addit tertium diſcurſum: ſed modus eſſendi Dei excedit modum eſſendi cuiuſcunque naturæ intellectualis: ergo Deus eſt ſupra naturalem facultatem cuiuſcunque creati intellectus. Et vt probet hanc minorem ſpatiatur in oſtendendo varios eſſendi modos, qui in natura cognoſcente reperiuntur: & concludit, quod ſolus Deus ſecundùm ſuam eſſentiam eſt ſuum eſſe, quod nulli creaturæ intellectuali conuenit: omnis enim habet eſse receptum à Deo: ex quo neceſsariò infertur modum eſsendi Dei longè excedere modum eſsendi cuiuſque intellectualis creaturæ, quæ fuit minor tertij diſcurſus. Ex qua, & ex conditionali ſuppoſita infertur Deum in ſe ipſo eſse ſupra modum eſsendi connaturalem cuiuſcunque intellectus creati: & ſubinde claram & quidditatiuam Dei cognitionem eſse ſupra naturam cuiuſcunque intellectus creati, quod nitimur demonſtrare.

§. 2.

Impugnatio præcedentis demonſtrationis.

2. Impugnatur à nonnullis præcedens demõſtratio Diui Thom. *Scotus.*

CONTRA hanc demonſtrationem ex profeſso inſurgit *Scotus in quarto, diſtinctione quadrageſima nona, quæſtione vndecima poſt principium, §. Reſpondeo ad primam rationem, & litera B. §. Secundum hoc ergo, & in primo diſtinctione tertia, quæſtione tertia, litera C. §. Congruentia etiam, citari ſolet quodlibeto decimo quarto, articulo ſecundo*: ſed ibi nihil hac de re inuenio. Eandem non recipit *Molina prima parte, quæſtione duodecima, articulo quarto, §. Licet ratio. Denique eam non eſſe domonſtrationem putat Baſſolius in quarto, diſtinctione quadrageſima nona, quæſtione quinta, articulo primo, §. Rationes igitur prius ad ſecundum, & tertium, pagina 157. columna ſecunda cum nonnullis alijs.* Et relicta impugnatione Baſsolij, quia nec ex veris procedit, nec ad inſtitutum pertinet; ratiocinatio Diui Thomæ multis modis impugnatur ab Scoto, Molina, & ab alijs. Nam primò expendit duas propoſitiones ſumptas in primo diſcurſu: prima eſt: *cognitio contingit, ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente.* Secunda eſt: *cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis.* Ex vtraque infertur iſta: *cognitio eſt ſecundum modum naturæ cognoſcentis.* ¶ Scotus primam propoſitionem in hoc tantùm ſenſu admittit: vt cognitio fiat, ſecundum quod cognitum per ſuam ſpeciem eſt in cognoſcente: ideò enim fit cognitio, quia cognitum eſt in cognoſcente per ſuam ſpeciem: cum enim cognitum cognoſci nequeat, niſi ſit in ipſo cognoſcente: in eo autem eſſe non poſſit ſecundùm ſuam entitatem; non aliter erit in eo, niſi per ſuam ſpeciem, in qua cognoſcenti repræſentetur, ex Ariſtotele in tertio de Anima. In eodem ſenſu admittit ſecundam propoſitionem poſitam in minore primi diſcurſus: vt ſcilicet *cognitum ſit in cognoſcente ſecundum modum naturæ cognoſcentis*, quatenus ſcilicet modus naturæ cognoſcenti conſentaneus eſt vt cognitum in eo ſit per ſuam ſpeciem. Et in eodem ſenſu admittit conſequens quod infertur: *cognitionem ſcilicet eſſe & fieri ſecundum modum naturæ cognoſcentis*, quæ cognitio ideò fit, quia natura cognoſcens habet in ſe ſpeciem ipſius cognitì modo ſibi accommodato, & naturali.

Molina.

Baſſolius.

Duæ propoſitiones D. Thomæ expenduntur.

Expendit Scotus primam propoſitionem

Ariſt.

3. De ſenſu ſecundæ propoſitionis.

Explicato igitur ſenſu, in quo ex ſententia Scoti intelligendæ ſunt propoſitiones primi diſcurſus, vt habeant veritatem, arguit Diuum Thomam, quòd ex primo diſcurſu non benè in ſecundo ſyllogizauerit conditionalem propoſitionẽ, quam ſumit pro medio totius demonſtrationis: ſcilicet *ſi modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis cognitio illius eſt ſupra cognoſcentis naturam.* Fundamentum Scoti eſt, quoniam propoſitiones primi diſcurſus ſi explicentur de modo eſſendi naturæ cognoſcentis, vt in conditionali illa ſupponitur, ſunt falſæ, ſicut nititur probare: in ſenſu autem in quo admiſſæ ſunt, ſunt omnino inutiles ad ſyllogizandum illam conditionalem: fit enim tranſitus de modo eſſendi in cognoſcente per ſpeciem intelligibilem ad modum eſſendi realem & naturalem.

4. Arguit Scotus contra D. Thom.

Scoti fũdamentũ.

5. 2. Scoti fũdamentũ. Secundo loco ex alio capite nititur Scotus oſtendere conditionalem illam non benè ſyllogizari ex propoſitionibus primi diſcurſus: etenim propoſitio illa *cognitio cuiuſque cognoſcentis eſt ſecundùm modum naturæ ipſius cognoſcentis*, vt ſit vera, debet habere hunc ſenſum, vt ſcilicet cognitio cuiuſcunque cognoſcentis, ideò ſit ſecundùm modum illius, quia eſt perfectio quædam naturæ illius proportionata: & in eodem ſenſu *ideò obiectum dicitur eſſe in cognoſcente ſecundùm modum naturæ cognoſcentis*, quia eſt obiectum proportionatum naturæ illius. Iam verò proportio inter obiectum cognitum, & naturam cognoſcentis non tollit naturam ipſius cogniti poſſe in modo eſſendi excedere naturam cognoſcentis: nam quæ inter ſe ſunt proportionata poſſunt inter ſe eſſe maximè diſſimilia, & inæqualia in modo eſſendi ſuæ entitatis: materia enim & forma habent naturas inter ſe maximè diſſimiles; & tamen habent inter ſe proportionem perfectibilis, & perfectiui: item res ordinata ad finem eſt proportionata ſuo fini; & tamen natura finis excedit naturam illius: ſimili modo inter potentiam viſiuam, & obiectum datur proportio motiui, & mobilis; & tamen cœlum & terra (quæ ſunt obiecta viſus) ſunt altioris naturæ, quia ſunt incorruptibilia: denique idea lapidis proportionem habet cũ lapide, ideati ſcilicet ad ideam, & tamen non habet eundem eſſendi modum, quæ omnia vide apud Scotum in primo diſtinctione tertia, quæſtione tertia, litera C. §. *Congruentia etiam.* Quare cum propoſitio præmiſſa ſolùm concludat inter obiectum cognoſcibile, & naturam cognoſcentis dari proportionem: vtique ex illa non benè infertur obiectum, cuius modus eſſendi excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, eſſe ſupra naturam ipſius cognoſcentis, ita vt naturaliter nõ poſſit illud cognoſcere: ſiquidem proportio inter potentiam cognoſcitiuam, & obiectum non impedit quominus illa in ſuis eſſendi modis ſint diſſimilia.

6. Inſurgunt contra propoſitiones D. Thom. Tertio loco Scotus, & alij multis inſurgunt contra duas iſtas propoſitiones à Diuo Thoma in primo diſcurſu aſſumptas, *cognitionem ſcilicet fieri ſecundùm modum naturæ cognoſcentis, & cognitum eſſe in cognoſcente ſecundùm modum naturæ cognoſcentis*, ſi intelligantur de modo eſſendi reali illius naturæ. ¶ Et primò ſic arguunt: ſi cognitio eſt ſecundùm modum naturæ cognoſcentis: item ſi cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ illius, ſequitur nec per diuinam potentiam intellectum creatum poſſe eleuari ad viſionem diuinæ eſſentiæ, quod eſt hæreticum. Sequela probatur; quoniam viſio cum non poſſit non recipi in intellectu creato, ſi vera eſt prior propoſitio, recipietur in eo ſecundùm modum eſſendi naturæ ipſius intellectus: ſimiliter ſi propoſitio poſterior eſt vera Deus (qui eſt obiectum cognoſcibile) erit in eodem intellectu ſecundùm modum eſſendi illius: at fieri non poteſt vt Deus ſit in intellectu creato ſecundùm modum eſſendi ipſius intellectus: quia Deus ſiue intelligatur naturaliter, ſiue ſupernaturaliter, ſemper habet modum eſſendi ſuperiorem: ergo ſi illæ propoſitiones ſunt veræ, intellectus creatus nullo modo poterit eleuari ad videndum Deum: quæ fuit ſequela. 1. arg.

Secundò; ſequitur obiectum quod eſt ſupra naturam cognoſcentis, ex ipſa cognoſcentis natura habere, quòd ſit extra obiectum adæquatum potentiæ cognoſcitiuæ. Hoc autem eſſe falſum inde patet; quia nec intellectus humanus eleuari poſſet ad videndum ſubſtantias ſeparatas; nec intellectus creatus ad videndum Deum: ſiquidem nulla potentia poteſt eleuari ſupra ſuum obiectum adæquatum. 7. 2. arg.

Tertiò; cum dicitur obiectum cognoſcibile eſſe in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis, aut intelligitur de modo eſſendi entitatiuè, aut obiectiuè. Non entitatiuè: quia cognoſcibile interdum eſt in cognoſcente non per ſuam entitatem, ſed intentionaliter ſolùm per ſuam ſpeciem. Si obiectiuè; ex illa propoſitione non benè infertur principale intentum; nimirum non poſſe intellectum creatum videre Deum: quoniam ſicut per ſpeciem ſuperioris ordinis poteſt obiectum ordinis inferioris obiectiuè repræſentari intellectui ſuperiori (nam creaturæ obiectiuè repræſentantur intellectui diuino 8. 3. arg.

uino per diuinam eſſentiam:) ita etiam per ſpeciem inferioris ordinis in eſſendo poteſt obiectum ordinis ſuperioris obiectiuè eſſe in intellectu inferiori.

9. Contra propoſitionē conditionatam D. Th. Poſtremò idem Scotus cum alijs putant falſam eſſe propoſitionem conditionatam, quæ in ſecundo diſcurſu ſumitur pro medio: nimirum *ſi modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis; cognitio illius eſt ſupra naturam cognoſcentis*. Hanc propoſitionem

1. ratio. eſſe falſam probat Scotus, primò; quia ex illa ſequeretur, quòd Angelus inferior non cognoſceret ſuperiorem: nam modus eſſendi ſuperioris Angeli excedit modum eſſendi naturæ inferioris.

10. 2. ratio. Secundò; ſequeretur, quòd intellectus creatus nec cum lumine gloriæ poſſet videre Deum: etenim modus eſſendi naturæ diuinæ excedit modum eſſendi intellectus creati etiam illuſtrati: ſupernaturalitas enim luminis non tribuit modum eſſendi omninò ſimilem diuino.

11. 3. ratio. Tertiò; ſequeretur id, quod in modo eſſendi eſt perfectius, nunquam poſſe naturaliter videri ab inferiori natura. Quod eſt contra experientiam: inferior enim Angelus naturaliter videt ſuperiorem: & anima ſeparata naturaliter videt Angelum; & oculus naturaliter videt cœlum, & terram, quæ habent modum eſſendi incorruptibilem, & ideò perfectiorem.

12. 4. ex Molina. Quartò obijcit Molina; quia ſi daretur intellectus creatus, cui lumen gloriæ eſſet connaturale, ille naturaliter videret Deum: & tamen modus eſsendi diuinæ naturæ adhuc excederet modum eſsendi illius intellectus: ergo exceſsus in modo eſsendi alicuius rei non eſt euidens argumentum ad probandum eam non poſse naturaliter videri ab eo, qui habet modum eſsendi inferiorem.

13. 5. ex eodem. Quintò ex eodem, quia licet noſtro intellectui præciſe conſiderato ſit ſupernaturale videre diuinam eſsentiam: tamen toti coniuncto ex intellectu, & lumine id non eſt ſupernaturale, ſed naturale; eſset enim miraculum ſi eam non videret: & tamen modus eſſendi diuinæ eſſentiæ excederet modum eſſendi naturæ totius illius coniuncti.

Poſtremò ex eodem; pēr accidens eſt vim, quæ concurrit ad cognitionem, eſſe naturalem vel ſupernaturalem: ſed ſupernaturalis exceſſus in modo eſſendi non impedit naturalem cognitionem, vt patet in intellectu illuſtrato lumine gloriæ: ergo nec exceſſus naturalis in modo eſſendi impediet naturalem cognitionem; nec faciet, vt excedens ſit ſupra naturam cognoſcentis inferioris in modo eſſendi. 14. Poſtrema ex eodem.

§. 3.

Explicatur verus ſenſus propoſitionum primi diſcurſus Diui Thomæ.

HIS tamen non obſtantibus dicendum eſt demonſtrationem Diui Thomæ eſſe efficacem. Et pro vera reſolutione præmittimus primò propoſitiones ſumptas â Diuo Thoma in primo diſcurſu explicandas eſſe de modo eſſendi tam cognoſcentis, quàm rei cognitæ. Vnde hæc prima propoſitio: *cognitio cuiuſcunque cognoſcentis eſt ſecundùm quod cognitum eſt in cognoſcente*, in hoc ſenſu ſumitur â Diuo Thoma, vt cognitio cuiuſcunque cognoſcentis ſit ſecundùm modum eſſendi, quem cognitum habet in cognoſcente. Secunda etiam ita eſt intelligenda, *vt cognitum ſit in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis*. Denique concluſio illata ex vtraque hunc habet ſenſum: *cognitio cuiuſcunque cognoſcentis eſt ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis*. Quæ omnes propoſitiones indigent explicatione. 15. Defenditur D. Thom. 1. præmiſſ.

Præmittendum eſt igitur ſecundo loco hìc ſolùm agi de cognitione naturali, vel ſupernaturali cognoſcentis. Præmittendum eſt etiam in hac quæſtione ſermonem eſſe de modo eſſendi naturæ tam cognoſcentis, quàm cogniti, non quidem ſpecifico, ſed generico vel quaſi generico; ita vt ſumatur ſecundùm rationes generales eſſendi, quibus modus eſſendi cuiuſque ubi generaliter poteſt diuerſificari. Modi autem generales, quibus modus eſſendi cuiuſque naturæ cognoſcentis in communi ſumptus poteſt generaliter diuerſificari, ſunt tantùm qua- 16. 2. & 3. præmiſſum.

tuor. Nam generaliter loquendo res vel habent eſſe in materia, vel abſtractum ab ea, prior eſſendi modus ſolis corporalibus conuenit; poſterior autem ſolis ſubſtantijs ſpiritualibus. Vterque dupliciter diſtinguitur: nam ex corporalibus quædam ita habent eſſe in materia, vt vel illud habeant dependenter ab ea, vt bruta; vel independenter, vt homo, quatenus eſt cognoſcens quoddam intellectuale: etenim anima rationalis licèt habeat eſſe in materia, non tamen in eſſendo dependet ab ea; quia poteſt ab ea ſeparari. Ex ſubſtantijs autem ſeparatis, quædam ita habent eſſe abſtractum à materia, vt ipſæ ſint ſuum eſſe, vt ſolus Deus: vel ita habent eſſe abſtractum â materia, vt non ſint ſuum eſſe, ſed illud habeant receptũ ab alio, vt Angeli. Quare quatuor tantùm modis generaliter poteſt per ſe diuerſificari modus eſſendi in naturis cognoſcentibus, vt cognoſcentes ſunt: cæteri autem modi eſſendi, quibus natura cognoſcens poteſt diuerſificari, & diſtingui, non per ſe diſtinguunt naturam cognoſcentem, vt cognoſcens eſt abſolute, ſed vt eſt tale cognoſcens. Quæ doctrina facilè oſtendi poteſt: nam cum natura cognoſcens vt talis per ſe diſtinguatur à natura non cognoſcente ratione immaterialitatis; quia ſcilicet natura non cognoſcens nullam rationem immaterialitatis participat, vt docet Ariſtoteles *ſecundo de Anima capite duodecimo, textu.* 124. *dum ait: plantas ideò non ſentire, nec cog-*
Ariſt. *noſcere; quia non ſuſcipiunt formas ſine materia, ſed ſecundùm materiam patiantur, & omnino ſint terreæ*: vt etiam affirmat 3. Anima capite decimo tertio text. 66. in fine; fit vt natura cognoſcens per ſe conſtituatur in eſſe cognoſcentis per aliquam participationem immaterialitatis: omne enim cognoſcens habet eſſe immateriale, vel ſimpliciter, & in eſſendo, vt Deus, Angelus, & anima rationalis; vel aliquo modo, nimirum in recipiendo, vt cognoſcens ſenſitiuum: hoc enim licet in ſe, & in ſuis potentijs ſit materiale in eſſendo: tamen in recipiendo, & operando eſt aliquo modo immateriale, quia recipit formas ſine materia ex Ariſtotele loco citato, in quo ſenſu aliquid immaterialitatis participat, vt interpretes ibi declarant.

Cum verò cognoſcens per ſe conſtituatur in eſſe cognoſcentis per participationem immaterialitatis, vt diximus, 17. De eodem
non poteſt per ſe diſtingui, quatenus j. præmiſſo.
abſolutè eſt cognoſcens, niſi per modos eſſendi, qui per ſe pertinens ad diſtinguendum ipſum eſſe immateriale quatenus tale. Tales autem ſolùm ſunt quatuor illi modi generales, quos explicauimus, penes eſſe vel non eſſe in materia: eſſe vel non eſſe ipſum eſſe. Etenim anima ſenſitiua, vt cognoſcens eſt per ſe primò diſtinguitur ab anima rationali per hoc quòd ita eſt in materia, vt in eſſendo ab ea dependeat; non tamen in recipiendo formas ſenſibiles. Rationalis autem natura per ſe diſtinguitur ab intellectuali; quia rationalis ex ſua natura eſt actus materiæ, & in ea habet eſſe: intellectualis autem ſit à materia omnibus modis abſtracta. Denique intellectualis creata (qualis eſt Angelica) per ſe primò diſtinguitur ab increata, & diuina; quia habet eſſe receptum, & potentiale; diuina autem per ſuam eſſentiam eſt ipſum eſſe quod habet. Ex quibus euidenter patet cognoſcentia, & conſtitui in eſſe cognoſcentium, & ſecundûm tale eſſe inter ſe diſtingui penes generales eſſendi modos ſuperiùs explicatos.

18. De eodem.
Quod etiam reperitur in ipſis cognoſcibilibus: nam cognoſcibile conſtituitur in eſſe cognoſcibilis, per hoc quod poteſt eſſe in cognoſcente aliquo modo immaterialiter, & abſque materia: per ſe autem diſtinguitur per eoſdem generales eſſendi modos. Nam quædam ita ſunt in materia indiuiduali, vt ab ea non abſtrahant in eſſendo, bene tamen in recipiendo: quia ſcilicet cognoſcuntur, vt ſunt in materia; recipiuntur tamen ſine materia: & hæc ſunt cognoſcibilia à ſolo ſenſu, ſenſibilia, inquam, vt ſenſibilia ſunt. Nam proprium eſt potentiæ ſenſitiuæ cognoſcere quæ ita ſunt in materia, vt à materia non abſtrahant, quando cognoſcuntur. Alia cognoſcibilia ita ſunt in hac materia ſingulari, & indiuiduali, vt ex ſe ſint abſtrahibilia ab ea. Et talia ſunt entia materialia, quæ ideò quia ſunt per intellectum abſtrahibilia à materia in qua exiſtunt, ſortiuntur rationem intelligibilium in potentia;

pertinent ad intellectum humanum pro ſtatu huius vitæ. Alia dantur cognoſcibilia, quæ habent eſſe omnino abſtractum à materia, non tamen omnino purum, ſed receptum; & hæc ex ſua natura ſunt actu intelligibilia, non per ſe, ſuamque eſſentiam, ſed per ſuam ſimilitudinem, & hæc pertinent ad intellectum Angelicum. Denique datur ens cognoſcibile, quod ita abſtrahit à materia, vt ſecundùm ſe ſit ipſum eſſe purum: & hoc eſt ſolum ens diuinum, quod eſt actu intelligibile per ſuam eſſentiam, pertinetque ad ſolum intellectum diuinum ſi in ſua adæquata intelligibilitate ſumatur. Et ita patet cognoſcibilia quatenùs ſunt talia generaliter etiam diſtingui per quatuor illos generales eſſendi modos ſuperiùs explicatos.

19. Veritas tertij præmiſſi. Ex quibus facilè colligitur veritas noſtri tertij præmiſſi: in hac ſcilicet demonſtratione ſermonem eſſe non de modis ſpecificis qui ſingulis cognoſcẽtibus ſpecificè conueniunt, ſed de ſolis genericis: & meritò, quia ſermo eſt de modis eſſendi, quibus cognoſcentia in eſſe cognoſcentium per ſe primò conſtituuntur, & diſtinguuntur: iam verò cognoſcentia, ſicut per ſe primò non conſtituuntur in eſſe cognoſcentium per modos eſſendi ſpecificos, ſed per ſolos genericos, vt ex dictis patet; ita per ſe primò non diſtinguuntur, vt talia ſunt, niſi per ſolos modos genericos. Quare propoſitiones de quarum veritate agimus, intelligendæ ſunt de ſolo modo eſſendi generali, vt ſit ſenſus: cognitio & obiectum cognitum ſunt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi, quo natura cognoſcentis in eſſe cognoſcentis reponitur, & ab alio cognoſcente, vt cognoſcẽs eſt, diſtinguitur. Hi autẽ ſolùm ſunt modi quatuor, quos explicauimus.

§. 4.

Confirmantur tres propoſitiones primi diſcurſus.

20. Confirmatur ratio D. Thomæ. EXplicato vero ſenſu propoſitionũ quibus D. Thomas vtitur in primo diſcurſu ſingula illarum ſunt à nobis confirmanda.

Prima propoſitio.

Prima igitur propoſitio eſt hæc: *cognitio cuiuſcunque cognoſcentis contingit ſecundùm quod cognitum eſt in cognoſcente,* Prima propoſitio pro D. Thoma. cum verò hoc loco ſermo ſit de cognitione, quæ cuique cognoſcenti eſt connaturalis; ſenſus propoſitionis erit: cognitio cuiuſcunque cognoſcentis, quoad eſſe naturale vel ſupernaturale cognoſcenti contingit ſecundùm modum eſſendi, ſecundùm quem cognitum eſt in cognoſcente; ita vt cognitio dicatur connaturalis cognoſcenti, ſi modus eſſendi, ſecundùm quem cognitum eſt in cognoſcente fuerit ipſi connaturalis: ſupernaturalis autem, ſi talis eſſendi modus exceſſerit modum naturalẽ eſſendi ipſius cognoſcentis. Hæc propoſitio ita explicata inde confirmatur; quoniam cum cognitio ſua natura terminetur ad obiectum cognitum, non ſolùm ab eo accipit ſpeciem ſuæ entitatis; ſed etiam modum naturalis vel non naturalis cognoſcẽti. Quę omnia latiorem poſtulabant diſputationem; nunc autem ſupponantur alibi diligentiùs demonſtranda.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio eiuſdem diſcurſus eſt iſta: *cognitum eſt in cognoſcente ſecundũ modum naturæ cognoſcentis.* Proponitur 21. 2. propoſitio pro eodem. autem à D. Thoma in hoc ſenſu; vt cognitum ſit in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis. Et cũ ſermo ſit de cognito naturaliter cognoſcibili, ſenſus erit: cognitum connaturale cognoſcenti eſt in illo ſecundùm modũ eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis; ita vt à cognoſcente debeat cognoſci ad modũ eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis. Hæc popoſitio colligitur ex *Authore libri de* Author libri de cauſis. *cauſis propoſitione* 8. vt colliges ex ijs, quę ex illo in ſequenti propoſitione adducemus.

22. Confirmatur 2. propoſitio. Ratione confirmatur: quoniam cognoſcens ideò quia eſt cognoſcens, vendicat ſibi habere in ſe ipſo ipſum cognitũ: ergo ipſum cognitum, vt naturaliter cognoſcatur debet eſſe in cognoſcente ſecũdùm modum cognoſcendi ipſi connaturalem: ſed modus cognoſcendi connaturalis cognoſcenti eſt ſecundum modum eſſendi naturæ cognoſcẽtis: ergo cognitũ

vt naturaliter cognoſcatur, debet eſſe in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ ipſius. Antecedēs prioris diſcurſus facilè probatur: nam quod cognitum debeat eſſe in cognoſcente ab omnibus
Ariſt. conceditur, vt docet *Ariſt.* 3. *de Anima cap.*8.*tex.*38.dum ait: *neceſſe eſt autem res ipſas, aut formas in anima eſſe.* Quam concluſionem Ariſt. ibidem colligit ex eo, quòd præmiſit text. 37: *Animam ſcilicet eſſe ipſas res,quas intelligit.* Quæ fuit conſtans Ariſtotelis doctrina: eam enim docuit 3.de Anima cap.7. tex. 36. dum ait: *Omnino autem intellectus,qui actu intelligit res ipſæ eſt,vt diximus*, & ſtatim cap.8. in principio aſſerit,*animam eſſe quodammodò vniuerſa quæ ſunt.* Et cap.4.eiuſdem libr. tex.8.& c.5.tex.18.affirmat *intellectum intelligendo fieri omnia*: non quidem realiter (vt ipſe docet inferiùs c.8. tex.38.) ſed intelligibiliter per formam intelligibilem, vt cum D.Thoma, & Thomiſtis latè oſtendimus ſuprà lib.4.q.1. art.2.n. 20. At verò intellectus non poſſet fieri ipſæ res,quas intelligit, niſi in ſe ipſo eas haberet obiectiuè præſentes. Quod etiam inde colliges; quia natura cognoſcens ſua operatione tranſit ad obiectū, quod cognoſcit:non quidem tranſitu reali, ſed notionali. Ad obiectum verò nec iſto modo tranſire poſſet, niſi illud in ſe & intra ſe haberet. Quod verò cognoſcens vendicet ſibi habere in ſe ſuum obiectū:ideò quia eſt cognoſcens;inde probatur:quoniam ex eo vendicat ſibi habere in ſe ipſum cognitum, quia fit ipſum, & in illud intelligibiliter tranſit: hoc autem ſibi vēdicat,quia eſt natura cognoſcitiua,vt optimè aduertunt Caietanus, & Sylueſt.1. p.q.12.ar.4.Quare veriſſimum eſt antecedens,quod ſumpſimus; naturam ſcilicet cognoſcentem, ideò quia talis eſt,vēdicare ſibi, quod in ſe ipſa habeat ipſum cognitum.

23. Illatio ex antecedēte. Ex hoc antecedente benè infertur, quòd cognitum, vt naturaliter cognoſcatur, debet eſſe in cognoſcente ſecundū modum cognoſcendi connaturalem ipſi cognoſcenti: etenim natura cognoſcens non poteſt ſibi vendicare habere in ſe ipſum cognitum; quin vendicet ſibi illud habere ſecundùm modum cognoſcendi ſibi connaturalem: quod enim non poteſt ab aliquo haberi modo naturali illi, non poteſt ab eo naturaliter appeti. Quare ſi cognoſcens,vt cognoſcens eſt,ex ſe vendicat habere in ſe ipſo cognitum, nec poteſt hoc naturaliter ſibi vendicare,niſi illud habere poſſit modo cognoſcēdi ſibi connaturali;vtique vt cognitum naturaliter ſit in cognoſcente, debet eſſe in eo ſecundùm modum cognoſcendi connaturalem ipſi cognoſcenti,qui fuit primus diſcurſus noſtræ argumentationis.

Minorem ſecundi diſcurſus *modū ſcilicet connaturalem cognoſcendi in quocunq; cognoſcente eſſe ſecundùm modum eſſendi cō naturalem ipſi cognoſcenti*, aſſerit D.Thomas 1.p.q.14.ar.1. & id latè proſequitur Suarius in Metaphy. diſp.30. ſect.11.n. 13. cum ſequentibus, quæ veriſsima doctrina primùm confirmari poteſt: quia cognoſcens ex eo habet, quod ſit cognoſcens, quia eſt immaterialis: ergo habet rationem & ordinem cognoſcentis ex gradu & ordine propriæ immaterialitatis;ita vt ratio & modus cognoſcendi per ſe ſumatur, & modificetur ex ratione,& gradu immaterialitatis ſuæ naturæ. Antecedens eſt communis Philoſophia ex D.Thoma in dicto ar.1. & Caietano ibidem,quam nos latè oſtendimus ſuprà libro 4.q.10.ar.4.n.34.& 35.& art.6.n.3. vbi contra nonnullos oſtendimus ex gradu eſſēdi immateriali reſultare vim quādam intellectiuam, ſicut ex rationali reſultat riſibilitas. Conſequentia videtur nota, quoniam proprietas cuiuſque rei ſequitur naturam, & modum eſſendi ipſius rei:quare cū vis intellectiua in quocunque cognoſcente naturaliter emanet à gradu eſſendi immateriali naturæ cognoſcentis; vtique ſuam naturalem cognoſcendi vim ſumet à modo naturali eſſendi naturę ipſius. 24. Probatur minor ſecūdi diſcurſus

Deinde;operari ſequitur ad eſſe,ex recepta Ariſt.Philoſophia *in* 2.*de Cœlo*: ergo modus naturalis operādi in vnoquoq; operante ſequetur ex modo naturali eſſendi ipſius operantis; ita vt talis ſit operatio,qualem poſtulat modus eſſendi naturæ operantis:inde enim eſt quod agentia naturalia non cognoſcētia naturaliter agant actione materiali materialiter trāſeunte ad paſſum abſque vlla abſtractione à materia. Agentia autem cognitione ſenſitiua, ideò quia aliquo modo participant immaterialitatem, agūt operatione imma- 25. Alia ratio pro nomine.

immanente, & aliquo modo iam immateriali, quatenùs eam recipiunt ſine materia, vt ex Ariſtotele iam diximus. In cognoſcẽtibus verò intellectiuis gradus operationis immanentis euidenter eſt ſecundùm gradum propriæ immaterialitatis; vnde cognitio noſtri intellectus abſtractior eſt, & immaterialior, quàm cognitio ſenſitiua: cognitio autem Angelica immaterialior eſt, & abſtractior, quã noſtri intellectus: diuina verò inter omnes eſt actualiſsima, & abſtractiſsima; non ob aliam rationem, niſi qua modus operationis ſequitur modum eſſendi operantis.

26. 3. Ratio. Tertiò adhuc confirmatur, quia potẽtia intellectiua eſt facultas naturalis conſequens propriam intelligentis immaterialitatem: ergo vſus, ſiue operatio potẽtię intellectiuę debet eſſe naturaliter proportionata modo eſſendi immaterialitatis ad quem conſequitur.

27. 4. Ratio. Poteſt adhuc 4. loco à poſteriori probari idẽ antecedẽs, ſi diſcurramus per ſingula cognoſcentia. Nam ſenſus ſolũ percipiunt indiuidua materialia ſecundùm eſſe indiuiduale, quod in ſe ipſis habent, & ratio eſt, quia ſenſus licèt in recipiẽdo ſpecies ſine materia aliquo modo ſint immateriales; tamen in eſſendo ſunt omninò materiales, & ideo habent modum cognoſcendi materialem; ita vt nihil cognoſcant, niſi ſenſibiliter, & modo ſenſibili; quomodo ſola indiuidua rerum materialium cognoſci ab illis poſſunt. Anima autem noſtra pro ſtatu coniunctionis nõ poteſt aliquid concipere, niſi quod eſt materiale, & per analogiam ad materialia, vt docet experientia: cuius nulla alia ratio aſsignari poteſt, niſi quia modus cognoſcendi illi naturalis ſequitur naturalẽ modũ eſſendi eius, quæ licet in ſe ſit immaterialis; ex ſe tamen eſt actus corporis; ex quo eſſendi modo habet quod naturaliter nõ habeat ſpecies, niſi abſtractas à phantaſmatibus; quibus etiam naturaliter vti non poteſt, niſi cum dependentia à concurſu phantaſiæ, vt ſuprà quæſtione prima latè oſtendimus. Et quamuis non experiamur modum cognoſcendi Angelis connaturalẽ; omnes tamen docent eos naturaliter non cognoſcere, niſi entia compoſita ex eſſe, & eſſentia, & ex actu, & potentia: non ob aliam rationem, niſi quia in ſua natura illas duas compoſitiones admittunt. Denique cum ex creatis ad diuina aſcendamus omnes concedunt Deum naturaliter intelligere ſe ipſum, & cætera in ſe ipſo; ideo præciſe, quia habet eſſe purum, & actualiſsimũ abſque omni potentialitate, & compoſitione. Quare à ſufficienti partium enumeratione efficaciter concluditur minor propoſitio ſecundi diſcurſus D. Thomæ, quam ſuprà adduximus. Ex qua propoſitione ſuppoſito priori diſcurſu de primo ad vltimum efficaciter concluditur veritas ſecundæ propoſitionis D. Thom. *cognitum*, ſcilicet, *eſſe in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi ipſius cognoſcentis.*

Confirmatur tertia propoſitio.

D. Thomas in ſuo primo diſcurſu ex duabus propoſitionibus, quas tam latè confirmauimus, colligit hanc tertiã propoſitionem *Cognitio cuiuſque cognoſcentis eſt ſecundùm modum eſſendi naturæ ipſius cognoſcẽtis*: intelligitur propoſitio de cognitione naturali, & eſt ſenſus, vt cognitio ſit cognoſcẽti naturalis, debet eſſe ſecundùm modũ eſſendi naturæ eius. Hãc propoſitionem ex præcedentibus deduci in ſenſu, in quo illas explicauimus, nec Scotus negat: dubitat tamen de illius veritate. Attamen illam propoſitionem in ſenſu explicato fuiſſe Authoris libri de cauſis propoſitione 8. teſtatur D. Thomas ibidem lectione octaua, & 1. 2. q. 5. art. 5. nam Author ille initio capitis ſtatuit hanc propoſitionem: *Omnis intelligẽtia ſcit quod eſt ſecundùm ſe, & quod eſt ſub ſe*; quæ ſunt ea, quæ naturaliter ab ea cognoſcuntur. Explicans autem modum, quo intelligentia iſta cognoſcit, ita ſcribit: *& intelligentia quidem hæc, eſt ſubſtantia intelligibilis: ergo ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ, ſcit res, quas acquirit deſuper, & res quibus eſt cauſa.* Verbis igitur apertis docet intelligentiam res ſiue ſuperiores, ſiue inferiores intelligere ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ.

28. 3. Propoſitio pro D. Thom.

Author lib. de cauſis. D. Thom.

Quod verò eas intelligat ſecundũ modũ eſſendi ſuæ natura, ſtatim explicat dũ ait: *Cognoſcit cauſam ſuam & cauſatum ſuũ per modum, qui eſt cauſa eius; ſcilicet per modum ſuæ ſubſtantiæ, & ſui eſſe.* Quorum verborum ſenſus eſt: intelligentia cognoſcit, & ſuam cauſam, & ſuum cauſatum 29.

per modum, qui ipſimet intelligentiæ eſt cauſa, vt ſit quædã natura cognoſcens: hæc autem eſt ſua ſubſtãtia, & ſuum eſſe: quia hæc omnia cognoſcit ſecundùm gradum eſſendi immaterialẽ, & intellectualem, quo reponitur in eſſe talis cognoſcentis. Quem ſenſum ſatis explicat in vltimis verbis, ita inquiens: *Et quia ipſa non apprehendit, niſi per modum ſuæ ſubſtãtiæ: & ipſa eſt ſua intelligentia, apprehendit res apprẽhſione intelligibili ſiue intelligibiles ſint, ſiue corporeæ.* Docet igitur Author ille intelligentiam omnia, quæ intelligit, intelligere ſecundùm modũ eſſendi ſuæ naturæ. Ex quo infertur ea, quæ cognoſcit eſſe in illa ſecundùm eundem modũ eſſendi propriæ naturæ. Adduci etiam

Proculus. poſsunt verba Proculi propoſitione 173. dum ait: *Omnis intellectus intellectualiter eſt, & quæ ante ipſum, & quæ poſt ipſum*, id eſt, ea quæ ſunt ante ipſum. i. ſibi ſuperiora: & quę ſunt poſt ipſum. i. ſibi inferiora: omnia, inquam, iſta eſt intelligibiliter intelligibilitate ſibi propria; quia ſcilicet omnia tam ſuperiora, quàm inferiora intelligit ſecundùm modũ eſſendi ſuæ naturæ, vt explicat D. Thomas ibidem lectione. 8.

30. *Philoſophia data ſua antiquitate eſt veneranda.*

Ex his patet Philoſophiam aſſumptæ propoſitionis, & earum, ex quibus deducitur, ſola ſua antiquitate eſſe dignisſimã ſumma veneratione: vnde ob ſolam hanc rationẽ ab antiquioribꝰ Theologis ad plures demonſtrationes ſumuntur, ſine alia probatione, quàm Proculi, & Authoris libri de cauſis: *Vt patet ex D. Tho. 1. p. q. 12. ar. 4. & 1. 2. q. 5. ar. 5. Richardo, Henrico, & cæteris*, quos inferiùs citabimus: in quibus tamen demonſtrandis plures nõ ſine laude plurimum laborauerunt, *Caietan. 1. p. q. 12. art. 4. Syluester in conflato eodem loco, Hiſpal. in 4. d. 49. q. 4. art. 3. notabili. 2 & poſt eos Suarius in Metaphyſica d. 30. ſec. 11. num. 13.* Facilè tamen demonſtratur ex propoſitione, quam demonſtrauimus in confirmanda ſecunda propoſitione: etenim mòdus cognoſcendi cuiuſcũque cognoſcentis ſequitur modum eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis, vt ibi latè oſtendimus: ergo cognitio propria, & naturalis cuiuſcunque cognoſcentis ſequetur modũ eſſendi naturæ ipſius: modus enim cognoſcendi fit per per ipſam cognitionem.

Caietan. Hiſpalenſ. Suarius.

31. *Philoſophia confirmatur ex Patribus. D. Athanaſius.*

Nec ſolùm illa Philoſophia veneranda eſt antiquitate Philoſophorũ ethnicorũ, ſed etiam authoritate Sanctorũ Patrũ, qui eam docuerunt. Nam D. Athanaſius in oratione contra idola pag. 26. C. eam cõfirmat ita ſcribens: *Inuiſibilis, & incomprehenſibilis natura altior eſt omnibus rebus creatis, vt homo in ea cognoſcenda fruſtrà laboraret, eo quod ipſe ex non ente ad eſſentiam prodierit, ille autem ex creatis non ſit.* In quibus verbis duo obſeruo: vnũ eſt Athanaſium ordinem obiectorum ſumere ex modo eſſendi: alterum eſt inde inferre hominem fruſtrà laborare in cognoſcendo Deo, quia homo habet eſſe creatum, Deus autem increatum: quæ probatio non valeret, niſi Athanaſius ſupponeret nullum intelligens ſua virtute naturali poſſe intelligere, niſi id, quod eundẽ eſſendi modum habet. Non eſt igitur negandũ proproſitiones aſſumptas eſſe de mente D. Athanaſij.

32. *S. Maxim.*

Expreſsiùs eandem Philoſophiam docuit Sanctus Maximus cent. 2. cap. 3. citatus, & probatus à Cypariſsiota decada. 2. cap. 6. ita enim ſcribit: *Omnis intelligentia, ſicut in ſubſtantia omninò ponitur vt qualitas; ita circa ſubſtantiam qualitate affectam habet motionem: non enim aliquid ex toto ſolutum, & ſimplex per ſe exiſtens poteſt ipſam intelligentiam ſuſcipere; quia non eſt ſoluta, & ſimplex.* Prioribus verbis clarè explicat intelligentiam, quæ habet compoſitum eſſendi modum naturaliter non ferri, niſi in intelligibile, quod eundem eſſendi modum habeat: & hæc eſt propoſitio D. Thomæ, quam confirmare nitimur. Et inde infert intelligibile, quod eſt omninò ſimplex, & omni compoſitione ſolutum, non poſſe ſuſcipere intelligentiam eius intelligentis, qui non eſt ſimplex, ſed compoſitus: non ob aliam rationem, niſi quia non poteſt ſub intelligentiam naturalem illius cadere, niſi ad modum compoſiti intelligatur: ſecundũ quem modum ob ſuam in eſſendo ſimplicitatem concipi non poteſt. Quod in præcedentibus ſatis obſcure expreſſerat dum dixit: *id quod intelligitur propter habitudinem*, compoſitionis ſcilicet alicuius; *naturaliter ſubijci intelligenti*: intelligenti, inquam, qui ſecundùm eandem habitudinem intelligit, id quod intelligit. Et inde infert Deum non eſſe annumerandum

inter intelligibilia, quæ ab intelligentia creata naturaliter intelliguntur: quia ſcilicet Deus eſt ſuper omnia intelligibilia.

33. *Dionyſius* Eadem etiam Philoſophia non ineptè colligi poteſt ex Magno Dionyſio cap. 7. de diuinis nominibus, dum ait: *Diuina intelligi non poſſe ſecundùm nos*: nam poſtquam explicauit mentem noſtram, & habere virtutem (naturalem ſcilicet) ad intelligendum, per quam intelligibilia inſpicit (naturaliter ſibi proportionata) & ſimul habere vnitionem excedentē mentem noſtram, per quam coniungitur ad ea, quæ ſuprà ipſam ſunt, ita ſcribit: *Secūdùm hanc igitur oportet diuina intelligere nō ſecundùm nos; ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & Deificatos*. Quibus verbis ſatis explicat nos nihil poſſe naturaliter intelligere, niſi ſecundùm nos. Quid autem ſit nos intelligere ſecundū nos, antea explicauerat, dum dixit eam nihil intelligere, niſi ſecundùm ſuam proprietatē: quæ proprietas ſumitur ex naturali eſſendi modo, quo nihil poſſumus naturaliter intelligere, niſi modo quodam compoſito, concipiendo ſcilicet obiectum ad noſtrū eſſendi modū. Quare Philoſophia iſta probata D. Thom. ex antiquitate, & cōſenſu vetuſtorū Patrū ſuam habet venerationē.

34. *Illatio ex dictis.* Ex his, quæ diximus euidenter infertur immaterialitatem cognoſcentis determinare obiectum naturaliter adæquatum ſuo intellectui adæquatione intenſiua, vt apellam⁹, quod virib⁹ ſuæ naturæ poteſt diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcere. Nam ſi cognoſcens nō poteſt cognoſcere ipſum cognitū, niſi illud habeat in ſe ipſo; habere autem illud in ſe habeat ex ſua immaterialitate: vtique ipſa immaterialitas determinabit, & ſpecificabit ipſum cognitum ad modū eſſendi ſibi proprium; ita vt non quodcunque cognitū poſsit naturaliter eſſe in cognoſcēte, ſed illud tantum quod in modo eſſendi immaterialitatis fuerit illi proportionatum: quod doctiſsimè aduertit Caietanus 1. *p. q. 12. art. 4. §. ad euidentiam horū, & q. 14. art. 1. §. neceſsitas autem*: quibus in locis docet naturam cognoſcentis eſſe principium ſpecificatiuum ſui obiecti: quatenùs ſcilicet ex gradu ſuæ immaterialitatis vendicat ſibi obiectum habens modū eſſendi proportionatum ſuæ immaterialitati. Et meritò: nam ſicut gradus immaterialitatis eſt principium determinatiuum, & ſpecificatiuum proprij intellectus, ſaltem quo ad rationem genericam, vt ex dictis patet; ita etiam erit ſpecificatiuum obiecti naturaliter per illum cognoſcendi; nam, & ab illo intellectio ſpecificatur, vt idem Caietanus aduertit *in dicta q. 14. art. 1.* *Caietan.*

Porrò ſi immaterialitas cōgnoſcentis ſpecificat obiectū ſibi connaturale: vtiq; illa ipſa determinabit obiectum naturaliter adæquatum; ita vt ad illud ſolùm, & ſub illo viribus ſuæ naturæ poſsit ferri: quod etiam aduertit *Suarius in Metaphy. d. 30. ſect. 11. nu. 17. & expreſſè docuit D. Thomas. 1. p. q. 14. ar. 4.* vbi ex diuerſo gradu, & modo immaterialitatis cognoſcētis determinat illi proprium, & connaturale obiectum. Nam naturæ ſenſitiuæ ideo tribuit pro obiecto naturaliter adæquato ſenſibile, vt ſenſibile eſt; quia immaterialitas ſenſitiua ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuas virtutes eſt actus corporis, à quo, & in eſſendo, & in operando dependet. Animæ verò humanæ ideo pro obiecto naturaliter adęquato tribuit quidditatem ſenſibilem, abſtractam tamen per intellectū à materia indiuiduali; quia immaterialitas animæ ſecundùm naturalem eſſendi gradum eſt actus corporis, in ſuo tamen eſſe indepēdens à corpore. At quia Angelus ex ſua natura eſt abſtractus à materia, habens tamen eſſe nō omninò purū, ſed potentiale; ideo pro obiecto ſibi naturaliter adæquato habet ens abſtractum à materia habens tamen eſſe potentiale. At verò quia immaterialitas diuina eſt omninò pura abſque vlla materialitate, & potentialitate in eſſendo; ideo tanquam connaturale obiectum ſibi vendicat actum omninò purum, qui ſecundùm eſſentiam ſit ipſum eſſe. Quare ipſa rei cognoſcentis immaterialitas determinat ſibi obiectum connaturale ſecū dùm gradum, & modum ſuæ immaterialitatis: idque per ſe, & à priori. Quod eſſe veriſsimum docet experientia: experimur enim ſenſus noſtros ſolùm percipere indiuidua ſenſibilia: animam verò coniunctam nihil intelligere, niſi aut corporalia, aut modo corporeo: cuius experientiæ ratio, & cauſa à priori nulla alia reddi poteſt, niſi proprius, & connaturalis gradus immaterialitatis. 35. *Suarius. D. Thom.*

§. 5.

Propoſitionem conditionalem ſumptam à D. Thoma, & veriſsimam eſſe, & benè ſyllogizatam.

36. Defenditur propoſitio conditionata D. Tho.

EXplicatis propoſitionibus primi diſcurſus explicanda eſt propoſitio conditionalis diſcurſus ſecundi, quæ habet: *Si modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitio illius eſt ſuprà naturam eiuſdem* oſtendendum eſt nunc propoſitionem iſtam; & in ſe eſſe veriſsimam, & ex precedenti diſcurſu benè ſyllogizatã. Quod benẽ ſyllogizetur facilè oſtẽditur: quoniam ſi cognitio naturalis debet eſſe ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis; vtique, nec poterit terminari, niſi ad obiectum, quod ſit in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi illius: ergo ſi aliquod obiectum in ſuo naturali eſſendi modo, graduque ſuæ immaterialitatis excedit naturam, & immaterialitatem cognoſcentis, illud erit ſuprà naturam illius, & naturaliter illi improportionatum, & ſubinde erit extra obiectum illi naturaliter adæquatũ. Igitur illius cognitio erit ſuprà naturales vires talis cognoſcentis. Qui diſcurſus ſuppoſitis præmiſsis legitimus eſt, & neceſſarius.

37. Veritas confirmatur

Ex quo iam infertur veritas illius cõditionalis: infertur enim per legitimum diſcurſum ex propoſitionibus in ſe veriſſimis, & à nobis quàm diligentiſsimè demonſtratis. ¶ Nec iſta Philoſophia noua eſt, ſed antiquiſsimis Philoſophis probata. Eam probauit Author libri de cauſis propoſ. 8. ita ſcribens: *Omnis ſciens non ſcit rem meliorem, & rem inferiorem, & deteriorem, niſi ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ, & ſui eſſe, non ſecundùm modum, ſecundùm quem res ſunt.* Si rem meliorem non ſcit ſecundùm modum, quo illa eſt in ſe; ſed ſecundùm modum naturæ cognoſcentis; vtique rem altiorẽ in modo eſſendi non cognoſcit, vt illa in ſe eſt cognoſcibilis, ſed modo inferiori, vt ibi explicat D. Thomas *lect.* 8. Vnde prædicata propria, & quidditatiua illius, non poterit naturaliter cognoſcere: quia illa non poſſunt eſſe in cognoſcente ſecundùm modum naturæ illius; benè tamen cognoſcet prædicata generalia; quia ſecundũ iſta poteſt res illa ſuperior eſſe in cognoſcente ſecundùm proprium eius eſſendi modum: ſiquidem illa generalia prædicata, etſi non vendicent ſibi modum eſſendi cognoſcentis inferioris; tamen cum ab illo abſtrahant: illum non excludunt, vt in ſuperioribus iam diximus, & inde eſt vt ab inferiori cognoſcente cognoſci valeant ad modum ſuæ immaterialitatis.

Author lib. de cauſis.

D. Thom.

Eandem doctrinam ſignificauit Proculus propoſit. 173. dum dixit: *Omnem intellectum intellectualiter eſſe, & quæ ante ipſum, & quæ poſt ipſum.* Agit de intellectu, qui alium ſuperiorẽ habet, qualis eſt Angelicus, & creatus: is enim ſuperiora non poteſt cognoſcere, niſi intellectualiter, qui intelligendi modus eſt inferior cognitione ſuperintellectuali, quę eſt cõnaturalis Deo. Poteſt autem Deum intellectualiter cognoſcere, non quoad propria, & ſpecifica prædicata Dei, ſed quoad communia illi cum Angelis ob rationem immediatè explicatam. 38. Proculus.

Eadem fuit Philoſophia Chryſoſtom. homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura pag. 995. vbi ita ait: *Subſtantia namque inferior ſubſtãtiam ſuperiorem nũquam perfectè intelligere poteſt* Dionyſius item cap. 9. de diuinis nomin. expreſſè docet *Deũ ex eo, quod eſt ſuper omnem ſubſtantiam, eſſe ab omni cognitione ſegregatum*: cognitione, inquam, ſubſtantiæ inferioris. Quæ doctrina nõ aliunde vim habet, niſi ex precitata propoſitione conditionali. Idem Dionyſius. cap. 7. de diuinis nomin. eandem docet Philoſophiam, dum ait diuina intelligi non poſſe ſecundùm nos: agens enim de vnitione excedente mentis naturam, per quam mens coniungitur ad ea, quæ ſuprà ipſam ſunt ſcribit verba iam ſuperiùs poſita: *Secundùm hanc igitur oportet diuina intelligere, non ſecundũ nos; ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & Deificatos.* Quibus ſatis explicat diuina, quæ ſunt ſuprà naturam creatam, intelligi non poſſe ſecundùm nos, id eſt, ſecundùm modum intelligendi nobis connaturalem; quatenùs ſecundùm hunc modũ nihil intelligi poteſt ab intellectu humano, niſi modo corporeo; ab intellectu verò Angelico non, niſi modo compoſito; ſecundùm quem modũ diuina in ſe ipſis concipi nõ valent. Idẽ clariùs explicarũt D. Athanaſius, & D. Maximus, quorum verba

39. Chryſoſt.

Dionyſius

D. Athan. D. Maxi.

verba ſuperiùs adduximus in confirmanda tertia propoſitione Diui Thomæ, vbi ea vide.

§. 6.

Concluditur demonſtratio adducta ſupra. §. 1.

40. Cõcluditur demonſtratio poſita ſuprà §. nu. 1.

EX his iam patet vis, & efficacia demonſtrationis, qua vtitur D. Thomas. 1. *p. q.* 12. *art.* 4. obiectum naturaliter cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum, & gradum eſſendi naturæ cognoſcentis, quatenus cognoſcens eſt; idque ſecundùm generalem eſſendi rationem penes immaterialitatem, & gradum illius: ergo ſi modus eſſendi rei cognitæ penes iſtam generalem eſſendi rationem excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, cognitio illius erit ſuprà naturam cognoſcentis, penes ea, in quibus cognitum excedit ipſum cognocens. Sed modus eſſendi Dei quoad prædicata propria, & quidditatiua Dei excedit modum eſſendi cuiuſque cognoſcentis creati: ergo cognitio quidditatiua Dei eſt ſuprà naturalem facultatem cuiuſque creati cognoſcentis. Antecedens prioris diſcurſus ex dictis eſt veriſsimum ſimul cũ conſequẽtia. Minor indubitata eſt apud Philoſophos, & Theologos. Ex Philoſophis vide Ariſtotelem 12. *Metaphyſ. cap.* 9. & 10. dum probat primam ſubſtãtiam eſſentialiter eſſe ſuum intelligere, & illud habere ab omni potentialitate abſtractũ, quod creatis cognoſcentibus non conuenit. Videndus eſt Proculus propoſ. 123. cuius verba refert D. Thomas in commẽtarijs ad lib. de cauſis lect. 6. vbi ſubſtantiam primam. 1. Deũ appellat *ipſum ens, ſubſtantiã ſuper ſubſtãtialẽ, & ens* αμύτεθον 1. indicibile. Author libri de cauſis propoſ. 6. Deum appellat *cauſam ſuper omnẽ cauſam, lumen purum, & ens ſuprà omnia entia.* Denique Dionyſius cap. 9. de diuinis nominibus docet *Deum eſſe ſubſtantiam ſuprà omnem ſubſtantiam.* Non eſt igitur dubitandum Deum in ſuo eſſendi modo, & quo ad prædicata ſibi propria, & ſpecialia longè excedere modũ eſſendi cuiuſcunque cognoſcentis creati, & ſubinde cognitionẽ illius, quo ad præfata prædicata excedere omnẽ naturalem intellectus creati intelligentiam.

Ariſtotel. — *Proculus.* — Author libri de cauſis.

§. 7.

Soluuntur, quæ contra præfatam demonſtrationem ex Scoto, & Molina adduximus.

QVÆ contra ſuperiorem demonſtrationem adducta ſunt facilè ſoluuntur. Ad ea quæ Scotus primo loco objicit, vt oſtendat propoſitionem conditionalem non bene deduci ex primo diſcurſu reſpondemus propoſitiones illius diſcurſus non ſolùm eſſe veras in ſenſu explicato à Scoto, ſed etiam in ſenſu D. Thomæ: nam cognitum eſt in cognoſcente non ſolùm ſecundum ſuã ſpeciem intelligibilẽ, vt vult Scotus; ſed etiam ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis: & ſecundùm eundem modum eſſe cognitionem obiecti, quod naturaliter cognoſci debet. Nec oppoſitum probant rationes inferiùs adductæ, vt ex illarum ſolutione facile patebit. Illud tamen aduerte cognitum eſſe non poſſe in cognoſcente ſecũdùm ſuam ſpeciem, niſi ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis, vt ex dictis patet, & iterũ dicem⁹. Quare ſi illa propoſitio in vno ſenſu eſt vera in altero etiam vera erit; eam autem ideo D. Thomas ſumpſit ſine probatione, quia inter Philoſophos erat veluti axioma, & quia illã probaturus erat inferiùs q. 14. art. 1.

41. Soluuntur argum. poſita ſupra n. 2. Ad ea quæ 1. loco objicit Scot.

Quæ ſecundo loco objicit Scotus, vt oſtendat conditionalem illam non benê ſyllogizari ex primo diſcurſu multis diſſoluit Caietanus in dicto art. 4. §. *Vnde ad.* 1. & 2. *obiectionem.* Faciliùs ſolues ſi dicas ex hac proportione: *Cognitio cuiuſq; cognoſcentis eſt ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis*, habere quidem, quòd cognitio cuiuſq; cognoſcentis eſt perfectio proportionata naturę ipſius, & quod obiectum cognitionis eſt etiam proportionatum tali naturæ: dicimus tamen hanc proportionem ideo dari, quia obiectum cognitionis habet ſimilem eſſendi modum: hinc enim ſumitur ratio à priori naturalis proportionalitatis. Ex hac autem proportione ſic explicata neceſſariò infer[illegible]r obiectum naturaliter cognitum â cognoſcente eſſe non poſſe ordinis ſuperioris, vt benè aduertit Caietan⁹: aliter enim non eſſet naturaliter proportionatum. Quare ad argument. neganda eſt minor

42. Ad ea quæ 2. loco á Scoto objiciũtur. *Caietan.*

minor, ſi ſermo ſit de modo eſſendi generico in quo ſenſu ad rem non pertinēt, quæ in probationem minoris adducuntur: quia propoſitio illa ſolùm eſt vera in proportione, quę per ſe datur inter cognoſcens, & rem cognitam, vt talia ſunt: quia hæc per ſe ſumitur ex modo eſſendi generico ſumpto penes modum habendi eſſe; qui cum ſint modi generici ſupponunt diuerſos modos eſſendi cuique proprios: & ideo fieri poteſt, vt proportio illa detur inter ea, quæ in modis ſpecificis eſſendi ſunt diſsimilia. Quod non reperitur in alijs proportionibus: nā proportio materiæ & formæ (quæ eſt proportio perfectibilis, & perfectiui) ſumitur ex modis proprijs eſſendi cuiuſque extremi, vt facilè intelliges ex exemplis in argumento allatis.

43. Ad ea quæ Scotus 3. loco obiicit. Ad obiectū contra primā propoſitionem.

Ad ea, quæ tertio loco Scotus, & alij objiciunt contra duas propoſitiones primi diſcurſus facilè etiam reſpōdebimus. Et ad 1. neganda eſt ſequela. Ad probationem contra priorem propoſitionem; *Cognitio, ſcilicet, eſt in cognoſcente ſecundū modum eſſendi naturæ cognoſcentis*, dicim⁹ viſionem beatificam non poſſe naturaliter cōuenire intellectui creato, ideo quia tam obiectum beatificum, quàm beatifica viſio excedunt naturalem eſſendi modum naturæ creatæ; quod tamen nō impedit eam ſupernaturaliter eidem intellectui poſſe conuenire; tunc enim recipietur ſecundùm modum eſſendi non naturalem, ſed ſupernaturalem, quem natura creata ex eleuatione conſecuta eſt. Itaq; quamuis naturaliter viſio beata recipi nō poſsit in intellectu creato; poteſt tamen ſupernaturaliter, quod ſatis eſt, vt ſequela non valeat. Cui addimus viſionem beatam in intellectu creato etiam recipi ſecundùm modum eſſendi naturæ eius, vt tamē eſt eleuata: vnde diuina eſſentia, ſi habet rationem ſpeciei, non vnitur intellectui creato, niſi ad modum ipſius intellectus. Nec enim repræſentat Deū ſecundùm adæquatam illius intelligibilitatem.

44. An obiecta ōtra 2. propoſitionem

Ad id, quod objicitur contra poſteriorem propoſitionem; *Cognitio, ſcilicet, eſt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis*, concedimus Deum, dū cognoſcitur ab intellectu creato eſſe in eo ad modū eſſendi creati intellectus, vt expreſſe docuit liber de cauſis in dicta propoſ. 8. & Proculus in dicta propoſitione 173. & concedit D. Thomas in lib. de cauſis lect. 8. nam quamuis in ſe ipſo ſemper habet ſuum eſſendi modum; tamen vt eſt obiectiuè, cognoſcitur ſecundùm modum intelligendi creati intellectus; quia non cōgnoſcitur ſuperintellectualiter, ſed intellectualiter ſolùm, vt ait Proculus, & cum eo D. Thomas. Quod intellige ſecundùm prædicata cōmunia, ſecundū quę ſola naturaliter à nobis cognoſcitur: & ſecundùm iſta à noſtro quidē intellectu ſemper cognoſcitur ad modū rei corporeæ, vt diximus art. 2. ab Angelico verò ſemper cognoſcitur ad modum rei habentis eſſe participatum; non ita vt de Deo cognoſcat, quod ſit corpus, aut quod ſit ens participatum; ſed quia in illa communitate analogica cognoſcitur ad modum entitatis, aut corporeæ, aut participatæ. Author lib. de cauſis. *Proculus.*

Ad 2. admittenda eſt ſequela, ſi conſequens intelligatur de obiecto adæquato intenſiuè: inde tamen non bene infertur intellectum creatum non poſſe eleuari ad videndum Deum. At ſi conſequens intelligatur de obiecto ſimpliciter adæquato, atque extenſiuè, vt aiunt; neganda eſt ſequela; quia intellectus creatus, licèt non ſit naturaliter capax viſionis beatificæ; eſt tamen in potentia obedientiali ad eam. 45. Ad 2. ſupra n. 7.

Ad 3. dicendum eſt propoſitionem intelligi de modo eſſendi obiectiuè in cognoſcente; quia non poteſt obiectum naturaliter repræſentari diſtinctè, & quidditatiuè intellectui cognoſcēti, niſi in modo eſſendi ſit proportionatum modo eſſendi cognoſcentis, vt oſtenſum eſt. 46. Ad 3. ſupra n. 8.

Ad obiectionē verò negamus inde nō benè inferi intellectū creatum nō poſſe naturaliter videre Deum quidditatiuè. Ad probationem admittimus per ſpecies ſuperioris ordinis dinſtinctè, & quidditatiuè repræſentari res ordinis inferioris: nam Deus per ſuam eſſentiam naturaliter intelligit creaturas, & Angelus per ſpecies ſibi connaturales intelligit res ſenſibiles: negamus tamen per ſpecies inferioris ordinis poſſe quidditatiuè repræſentari res ordinis ſuperioris. Ratio diſcriminis eſt; quia res inferiores non ſunt extra obiectum adæquatum intellectus ſuperioris

ſuperioris; cū.tamen res ſuperiores ſint ſuprà obiectū adæquatū intenſiuè intellectus inferioris, vt ſuprà oſtẽdimus. Quod intelligendū eſt de cognitione naturali, quo ad prædicata propria & ſpecifica ſuperioris naturæ; nam quo ad prædicata generalia, & cōmunia poſſunt res ſuppe-riores repręſentari per ſpecies ordinis inferioris: quia res ſuperiores ſecundū illa cōmunia prædicata includuntur in connaturali obiecto inferioris intellectus; & ob id poſſunt eſſe in eo ſecundū propriū modum eſſendi illius: prædicatum enim ſubſtantiæ includitur in ſubſtantia corporea, & ſubſtantia immaterialis cōtinetur in ſubſtantia Angelica. Quare argumentum falsò nititur fundamento.

49. Ad ea quæ obiiciuntur contra propoſitionem conditionalẽ D. Tho. ſupra n. 9.

Ad ea, quæ poſtremò adducuntur cōtra veritatem propoſitionis cōditionatæ facilis eſt reſponſio. Ad 1. patet ſolutio ex 3. præmiſſo: nam hoc loco nō eſt ſermo de modo eſſendi ſpecifico, ſed de generico, qui ſumitur ex gradu immaterialitatis ſuperiori, vel inferiori; quia ſolus iſte eſſendi gradus pertinet, tum ad conſtitutionem cognoſcentis, vt cognoſcens

Ad nu. 9.

eſt; tum ad diſtinctionẽ illius, vt tale eſt, de quo iam late diximus. Quare ad argumentum neganda eſt ſequela; ad probationem dicimus Angelum, qui ſecundùm gradum eſſendi ſpecificum eſt inferior, eſſe eiuſdẽ ordinis, quatenùs eſt cognoſcens, & in generali ratione immaterialitatis. Quæ eſt communis ſolutio ex Capreolo in dicto 3. præmiſſo.

49: Ad 2. Caietan.

Ad 2. reſpondet *Caietanus 1. q. 12. in dicto art. 4. ad finẽ* negatione ſequelæ. Ratio eſt; quia exceſſus ex parte obiecti ſuprâ modum eſſendi naturæ cognoſcentis nō ſumitur pro cauſa nō viſionis obecti quo cũq; modo; ſed nō viſionis ex ꝓprijs viribus cognoſcẽtis. Vnde nō impedit quo-

Non admittitur Caietanus.

minùs ſupernaturaliter poſsit dari talis viſio, etiam ſi detur talis exceſſus. In qua ſolutione ſupponit Caietanus huiuſmodi exceſſum ſolùm impedire viſionẽ ex viribus naturæ: quod non admitterẽ; quoniam generaliter loquendo omnis exceſſus in modo eſſendi in ratione immaterialitatis impedit cognitionem ex viribus cognoſcentis, etiam ſupernaturaliter cōceſsis. Cui argumento eſt; quod modus eſſendi proprius Dei ſecundū immaterialitatẽ ſuperintellectualẽ, qui ſoli Deo eſt cōnaturalis, impedit, ne intellectus etiam illuſtratus cognoſcat Deū cognitione cōprehenſiua, qualis eſt ſola cognitio ſuper intellectualis: vnde nō deſunt, qui velint propoſitionẽ illā etiam habere locū in intellectu lumine gloriæ illuſtrato: nā modus eſſendi Deo cōnaturalis ideo, quia excedit naturam intellectus eleuati, impedit ne talis intellectus viribus naturalib⁹ ſuæ eleuationis ſuperintellectualiter atq; cōprehenſiuè cognoſcat Deum.

Quare licèt modus eſſendi Dei ſecun- 50.
dū ſuam immaterialitatẽ puram, & quæ eſſentialiter eſt ſuū eſſe, & ſuū intelligere, excedat modū eſſendi naturalẽ intellectus creati; non tamen excedit modum eſſendi intellectus eleuati; quin potiùs immaterialitas intellectus eleuati ad diuinum ordinem naturaliter naturalitate luminis diuini vendicat ſibi pro obiecto ſibi connaturali ens immateriale omninò purum, & quod ſit ſuum eſſe: etenim ſola immaterialitas pura eſt eſſentialiter ens ſub hac pręciſa ratione nō excludit, quod ſit intelligibilis ab alio cognoſcente cognitione intellectuali ordinis diuini, qualis eſt cognitio beatifica: & ſubinde non excludit, quod poſsit eſſe in intellectu creato illuſtrato ſecundùm modum eſſendi ſuę illuſtrationis. Quare Deus prout habet eſſe, quod eſt omne eſſe, ſaltem eminenter, abſolutê, & ſimpliciter eſt ſuprà naturam cuiuſcunque intellectus creati, & ob id cognitio clara, & diſtincta Dei ſecundùm talem eſſendi modum ſimpliciter excedit quamcunque naturā creatam etiam illuſtratam.

51. Vera ſolutio 2. argumenti.

Puto igitur in diuino eſſe diuinaque immaterialitate duos modos, & gradus eſſendi eſſe diſtinguẽdos. Primus eſt; quo Deus eſſentialiter eſt ſuum eſſe abſq, vlla potentialitate; ſecūdus eſt, quo Deus ita eſt ſuū eſſe, vt ſit omne eſſe, vel formaliter, vel eminenter. Secundùm priorẽ eſſendi gradum non excedit modū eſſendi intellect⁹ illuſtrati, ſed illi proportionatur, & ideo ſecundū tale eſſe poteſt intellectui cōmunicari, ſi ad eſſe ordinis diuini eleuetur: at ſecundū gradū poſteriorẽ excedit modū eſſendi cuiuſq; naturę creatæ etiam eleuatæ ad eſſe ordinis diuini: & ideo ſecundū illum nullo modo poteſt virib⁹ quibuſcūq; creatis diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci; qa non poteſt

poteſt cōprehendi, vt dicemus in ſequē-
ti libr. Igitur quicūq; exceſſus in modo
eſſendi generico impedit, ne res cognita
virib⁹ cognoſcētis ordinis inferioris ſiue
à natura, ſiue à Deo tributis cognoſci va-
leat. Deus autē, vt diximus, quamuis ſe-
cundùm poſteriorem eſſendi modū ex-
cedat naturam cuiuſcunque intellectus
creati; non tamen ſecundùm modū prio
rem; quia ſolùm excedit vires naturales,
non verò eleuatas.

51. Ad 3.n.11. Ad 3. admittenda eſt ſequela, ſi conſe-
quens intelligatur de modo eſſendi gene
rico: nullus enim intellectus inferioris
ordinis poteſt naturaliter cognoſcere di-
ſtinctè ſubſtantiā ordinis ſuperioris, vt
oſtēdimus, & expreſſe docuit Chryſoſt.
Quæ obijciuntur ſunt friuola; quia ſicut
Angelus inferior eſt eiuſdē ordinis cū ſu-
periori, non ſecundū gradus ſpecificos,
ſed ſecundùm gradū eſſendi genericū ita
etiam cœlū, & terra ſunt eiuſdē ordinis
cū oculo corporeo ſecundū eſſe ſenſibile.

43. Ad 4.n.12. Ad 4. quod Molinæ eſt Achilles facilè
reſpōdebunt, qui putant diuina potentia
dari non poſſe intellectū creatū, cui lumē
gloriæ ſit cōnaturale, de quo inferiùs diſ-
putandū eſt: nam ex hypotheſi impoſſi-
bili deduci poteſt aliud impoſſibile. Ita
*Salas 1.2.q.3.tract.2.d.3.n.3. ad finē pag.
202. in princ.* Vbi aliam ſolutionē adducit
§. alia etiam obiectio; ſed vim argumenti
non ſoluit. Quare admiſſa impoſſibili hy-
potheſi negandū eſt Deum, eo modo quo
videtur à tali intellectu, excedere modū
eſſendi illius, vt patet ex ſolutione ſecun
di argumenti.

54. Ad 5. & 6. n.13. & 14. Ex dictis patet ſolutio ad 5. & 6. vtrū-
que enim falſo nititur fundamento; Deū
ſcilicet eo modo quo videtur à beatis ex-
cedere naturam intellectus eleuati. Si hęc
ſolutio nō placet, recurre ad ſolutionem
Caietani, de qua ad 2. ſecundam ſcilicet
propoſitionem ſimpliciter nō habere lo-
cum, niſi in exceſſu ad vires naturales.

ARTICVLVS VI.

Afferuntur aliæ demonſtrationes pro eadem veritate.

1. Aliæ demō ſtrationes. Demonſtratur 4. ex D. Thom. QVoniam 3. demonſtratio longa
indiguit explicatione, operæpre
tiū erit adducere 4. aliam facilio-
rem eodem nixā fundamento: quæ addu
citur à D. Thoma. 1. *p.q.* 14. *arti* 1. quam
latè perſequitur Suarius: in Metaphy. *d.*
30. *ſect.* 11. *num.* 13. nam modus naturalis
cognoſcendi ſequitur modum naturalem
eſſendi ipſius cognoſcentis: ergo quod-
libet cognoſcens ea ſola naturaliter cog-
noſcet, quæ eundem eſſendi modū ha-
buerint; & per conſequens naturaliter
cognoſcere non poterit, quæ in eſſendo
fuerint ſuperioris ordinis: ſed modus
eſſendi Dei eſt ſuperioris ordinis reſpe-
ctu cuiuſcunque creaturæ intellectualis:
ergo nullum cognoſcens creatum pote-
rit viribus ſuæ naturæ diſtinctè, & quid-
ditatiuè Deum cognoſcere. Iſte poſte-
rior diſcurſus legitimus eſt; & continet
minorem indubitatam, cuius veritas ſatis
eſt demonſtrata in præcedente art. §. 6.
conſequentia diſcurſus prioris eſt nota:
aliter enim modus cognoſcendi non ſe-
queretur modum eſſendi cognoſcentis.
Quare ſolùm ſupereſt confirmatio ante-
cedentis, quod eſt medium totiùs demō-
ſtrationis, ſed illud iam latè confirmaui-
mus art. præcedēte §. 4. in probatione 2.
propoſitionis.

Confirmatur hæc ratio; quoniam ſi na 2. Confirmatur.
turalis cognitio ſequitur naturalem mo-
dum eſſendi, omne cognoſcens naturali-
ter concipiet ad modū ſui eſſe. Cum ve-
rò eſſe cuiuſq; creaturæ ſit compoſitum,
ex actu, & potentia: cognoſcens creatū
nihil naturaliter concipiet, niſi vel com-
poſitum, vel ad modum compoſiti: ſed
Deus, vt eſt in ſe, non poteſt iſto modo
concipi; vt qui ſit pura actualitas: ergo
nulla creatura poteſt naturaliter cognoſ-
cere, vt eſt in ſe ipſo. Ita Suarius vbi ſu-
prà num. 13.

5. Demonſtratio: omnis naturalis co- 3. Demonſtratio 5.
gnitio fit, vel ex cognitione cauſæ, vel
effectus, vel deniq; per ſpeciē, quæ imme
diatè repræſentet rē: nec enim aliud dari
poteſt principium; quo naturaliter per-
ueniamus in diſtinctam, & quidditati- 1. modo nō habet hic locum.
uam cognitionem rei. Primus modus
non habet locum in Deo; quia Deus
nullam habet cauſam ſui eſſe, aut in-
trinſecam, aut extrinſecam. Secundus 2. eſt impoſſibil.
modus euidēter eſt impoſſibilis: quoni-
am Deus non continetur formaliter in
ſuis effectis; cum non ſit de eſſentia rei
creatæ. Nec etiam in illis cōtinetur emi-
nenter; alioquin perfectius eſſet in ſuis
effe-

effectis, quàm in ſe ipſo; vt omittamus, quod effecta Dei potius in ipſo Deo eminenter continentur. Nec 3. in illis continetur participatiuè participatione adæquata; quia nullū creatum adæquatè participare poteſt diuinam virtutem; cū illa ſit infinita, & infinitis modis tam naturaliter, quàm ſupernaturaliter communicabilis: iam verò nulla res poteſt ducere in cognitionem diſtinctam alterius, niſi quia illam in ſe ipſa formaliter continet, aut eminēter, aut per adæquatam participationem. Vide quæ ex Fonſeca diximus *ſuprà quæſt. 1. art. 4. §. 6. demonſtratione quarta, & quæ in q. ſequente dicemus art. 3. & 4.*

4. 3. Continet implicatio. Species Dei non poteſt naturaliter emitti ab effectis creatis.

Porrò tertius modus euidentem continet impoſsibilitatem: nam illa ſpecies Deum diſtinctè repræſentās, vel naturaliter emitteretur ab ipſis effectis, vel per intellectum ab illis abſtraheretur, vel infunderetur à Deo tanquam intellectui naturaliter debita. Primam imaginationem eſſe commentitiam nullus non videt: nulla enim Philoſophia vnquam agnouit rem intelligibilem emittere ex ſe ſpecies intelligibiles aliarum rerum, ſed ſi aliquas ex ſe emittit ſui tantum emittit. Imò communior Philoſophia ſolùm id admittit in rebus ſenſibilibus; & quo ad ſolam cognitionem ſenſuum externorū: nam immaterialia iuxta cōmuniorem ſententiam non emittunt ex ſe ſpecies intelligibiles, ſed infunduntur à Deo.

5. Species Dei non poteſt abſtrahi ab effectis creatis.

Quod intellectus ab ipſis effectis etiā perfectiſsimè cognitis non poſsit abſtrahere ſpeciem aliquam, quę Deum diſtinctè, aut intuitiuè, aut abſtractiuè repræſentet, facilè demonſtratur. Et primò: 1. Ratio. quoniam ſuprà *q. 1. at. 4. §. 6. in* 1. demōſtratione euidenter demonſtrauimus intellectū coniunctum non poſſe à materialibus, & ſenſibilibus abſtrahere ſpeciem diſtinctè repræſentantē ſubſtantias ſeparatas: igitur à fortiori, nec creatus intellectus quantuncūq; perfectiſsimus poterit ex effectis Dei, ſiue materialibꝰ, ſiue immaterialibus abſtrahere ſpeciem aliquam diſtinctè repræſentatiuā diuinæ eſſentię. Nam quæ ibi impoſsibilitatē demōſtrāt, locum etiam habent in noſtro propoſito.

6. Secūda. 2. Omnino repugnāt, quæ à Patribus dicuntur de naturali inuiſibilitate diuinæ naturę: etenim ſi ab effectis creatis intellectus poſsit abſtrahere ſpeciē diuinæ naturæ repræſentatiuā; vtiq; illa per effecta creata eſſet contemplabilis, & viſibilis.

Tertia. 3. Repugnat intrinſeca ratio ſpeciei abſtractæ: abſtractio enim ſpeciei alicuius naturæ intrinſecè ſupponit ipſam naturā eſſe in obiecto, à quo ſpecies abſtrahitur conditionibus veluti materialibus inuolutam, & contractam: imò veluti latentē à quibus ipſa abſtractione ſpeciei veluti auellitur: etenim tūc ſpecies alicuius naturę dicitur abſtrahi ab aliquo obiecto, cū natura (cuius eſt ſpecies) illuminatione intellectus incipit apparere, & formaliter repræſentari ſine conditionibus obiecti, à quo abſtrahitur, vt cum Fonſeca, & alijs aduertimus in dicto art. 4. §. 6.

7. Ex qua veriſsima Philoſophia euidenter colligitur ad abſtractionem ſpeciei intelligibilis eſſe omninò neceſſarium, vt natura, cuius ſpecies abſtrahitur, aliquo modo formaliter contineatur in obiecto, à quo abſtrahitur. Quod corollariū euidenter confirmatur ex abſtractionibus ſpecierū, quas Philoſophia agnoſcit: etenim ex phantaſmate Petri ideo abſtrahi poteſt ſpecies repræſentatiua hominis: quia homo in ipſo phantaſmate formaliter includitur: à conceptu hominis ideo abſtrahi poteſt ſpecies animalis, & cæterorum generū vſq; ad ſubſtantiam, quia omnes illæ naturæ eſſentialiter continētur in cōceptu hominis; & idem reperies in abſtractionibus naturarum accidentalium. Et ob hanc rationem, nec à phantaſmate Petri, nec à conceptu hominis poteſt intellectus abſtrahere ſpeciem equi, aut aliam diſparatam ſub animali; quia ſcilicet natura equi non continetur, aut in phantaſmate Petri, aut in conceptu hominis.

8. Ob eandem rationem communior ſententia negat à phantaſmate accidentis abſtrahi poſſe ſpeciem ſubſtātiæ: & ideo, aut negant ſpeciem propriam ſubſtantiæ eſſe pro hoc ſtatu naturaliter poſsibilem, aut eam ſolùm abſtrahi à phantaſmate ſubſtantiæ, quod admittunt in cogitatiua: de quo in dicto §. ſexto. Si verò obijcias probabilē eſſe opinionē quę ſpeciem ſubſtantiæ elicit à phantaſmate accidentis; reſpondebo id ideo fieri, quia in phantaſmate accidentis formaliter includi-

cluditur ſubſtantia; non quidē eſſentialiter, ſed per naturalē connotationē ratione inhęrentiæ, quā ſubſtātia per ſe terminat, & ratione cuius accidentia nō agunt, niſi in virtute ſubſtantiæ, & vt illius inſtrumenta. ¶ Veriſsimum eſt igitur corollarium ſuperiùs illatum: abſtractionē, ſcilicet ſpeciei ab obiecto dari nō poſſe niſi in eo, vel eſsētialiter, vel per cōnotationē includatur natura cuius eſt ſpecies. Cum verò Dei ſubſtantia formaliter non includatur in ſuis effectis, aut eſſentialiter, aut per intrinſecam connotationem, & realem coniunctionem, vt patet; neceſſariò infertur nō poſſe intellectum ab vllo Dei effectu quantumcunque perfectiſsimè cognito abſtrahere ſpeciem diſtinctè repræſentatiuam diuinæ eſſentiæ.

9. 4. Ratio. Quartò, adhuc repugnat naturæ ipſius ſpeciei; quæ vt contra nonnullos ſupponimus eſt perfecta imago, & ſimilitudo rei, cuius eſt ſpecies: ergo ab intellectu creato non poterit produci, niſi ille reſpiciat perfectum, & abſolutum exemplatum, vt in ſe eſt, tanquam propriam, & perfectam cauſam exemplarem imaginis producendæ: nec enim aliter ad inſtar eius perfectè producetur. Iam verò nulla quidditas rei creatæ poteſt eſſe perfectum exemplar diuinæ naturæ, vt patet: quomodo enim quod alij diſparate opponitur, poterit eſſe exemplar eius, cui diſparatè eſt diſsimile: quod enim aliud refert, vt cauſa exemplaris eius, debet eſſe illi omninò ſimile.

10. Non poteſt ſpecies Dei dari etiam per infuſionem quæ ſit naturalis intellectui creato. Supereſt impugnemus poſſe intellectui creato infundi ſpeciem, quæ Deum intuitiuè repræſentet, ita vt intellectus per eam naturaliter Deum videat: qui eſt tertius modus ad impugnandum propoſitus. Contra quē ſtatim occurrit demonſtratio: quoniam vel dari non poteſt ſpecies, quæ Deum intuitiuè repræſentet, vt volunt Thomiſtæ, vel ſi dari poteſt (vt alij malunt) illa nullo modo pertinet ad ordinem naturæ, ſed ſolùm ad ordinē gratiæ, quod ſuo loco diligentiùs expēdemus; vbi dicemus ſpeciem illam non ſolùm non eſſe naturaliter debitam alicui naturæ intellectuali creatæ, eo modo quo Angelis naturaliter ſunt debitę rerū ſpecies, ſed nec vllo modo pertinere ad ordinē naturæ, eo modo, quo ad naturæ ordinē pertinet iuſtitia originalis. Porrò ſi talis ſpecies ſimpliciter ſpectat ad ordinē gratię; vtique per eam intellectus creatus nō naturaliter, ſed ſupernaturaliter Deū videret. Et hæc pro 5. demōſtratione.

6. loco adduci poteſt ratio, qua vtitur D. Thom. 3. cōtr. gent. c. 52. in prima ratione. Natura inferior non poteſt ſuis viribus conſequi, quod eſt propriū naturæ ſuperioris, ſed indiget actione ſuperioris naturæ: nec enim aqua poteſt calefacere niſi actione ignis; ideo quia calefacere eſt propria ignis operatio. At videre Deum eſt proprium ipſius Dei: ergo nulla creatura poterit Deū videre proprijs viribus, ſed indiget aliqua Dei actione, qua ad eius viſionem eleuetur. Quæ ratio, ne petat principiū ſupponit 3. demonſtrationem ſumptā ex modo eſſendi, qua demōſtratū eſt ſoli Deo eſſe connaturale videre diuinam eſſentiam. ¶ Et eodem ſuppoſito medio efficax eſt ratio, qua vtitur Abulenſis *in cap. 4. Matth. q. 45.* quoniam ſecundùm ordinem effectuū eſt naturalis ordo cauſarum; ſed inter omnia, quæ puræ creaturæ concedi poſſunt, omnium maximū eſt videre Deū; quia in hoc poſita eſt noſtra beatitudo: ergo viſio diuinæ eſſentiæ non poterit creaturæ conuenire, niſi à Deo, qui eſt omnium cauſarū ſuprema. 11. 6. Demonſtratio ex D. Thom. Ratio Abulenſis ex eo dē medio ē efficax.

7. loco adduci poteſt ratio, qua vtitur *Scotus in 1. d. 3. q. 2. lit. D. §. 3. dico, & quodlib. 14. art. 2. N.* Quia non poteſt dari viſio intituitiua Dei, niſi diuina eſſentia fiat obiectiue præſens intellectui creato: ſed diuina eſſentia in ſe ipſa non poteſt naturaliter fieri obiectiue præſens, ſed merè libere, & omninò gratis: ergo nulla intellectualis creatura poteſt naturaliter Deū videre. Maiorē ſupponit vt veriſsimam. Minorē probat authoritate D. Ambroſij, dū ait *Deū videri à nobis, ſi vult; nō videri autē; ſi nō vult.* Ratione etiā; quia nec creatura poteſt eſſe cauſa naturalis illius obiectiuæ pręſentię, per ſimilitudinē, vel vniuocationis, vel participationis, imitationisq; diuinæ entitatis: nec ipſa eſt naturalis cauſa ſuæ præſentiæ, ſed omninò volūtaria. Hanc rationē communiter probant Scotiſtæ, vt Lichetus, & Bargius in eiſdē locis Ligurius in *1. d. 3. q. 3. §. ſed reſtat Antonius Andr. in 4. d. 49. q. 10. Rada 2. p. cōtrouerſ. 8. ar. 2. concluſ. 3. pag. 236. col. 1. in medio.* 12. 7. demōſtratio ex Scot.

Hanc

13. Non accipitur à Suar. Hanc tamen rationem eſſe debiliſsimam affirmat *Suarius in Metaphy. d. 30. ſect. 11. n. 26.* & ratio eſt; quia ad eliciendam viſionem alicuius obiecti non eſt neceſſe habere in ſe obiectum, vel per ſe ipſum, vel per aliquid, in quo eminenter cõtineatur, ſed ſatis eſt illud habere in ſpecie intelligibili: hoc autem modo non repugnat Deum eſſe in intellectu creato.

Explicatur Scotus. Sed ratio Scoti firma eſt ſi ad illius Philoſophiam attendamus: nullam enim in cognitione intuitiua admittit ſpeciẽ, ſed putat obiectum in ſe ipſo abſque vlla ſpecie vniri potentiæ: & in hoc notitiã intuitiuã diſtinguit ab abſtractiua: & ob id in dicta ratione nihil curauit de ſpecie; de qua tamen curat dicto quodlibet. 14. dum probat intellectum creatum viribus ſuæ naturæ non poſſe Deum quidditatiuè cognoſcere cognitione abſtractiua. Fundamentum inde ſumpſit; quia licèt Deus poſsit quidditatiuè cognoſci per ſpeciem, eum abſtractiuè repræſentantem: illa tamen ſpecies à ſolo Deo cauſari poteſt. Idem etiam diceret ſi in cognitione intuitiua admitteret aliquam ſpeciem eſſe poſsibilem. Quare ratio Scoti ſuppoſita illius Philoſophia firma eſt. An verò Philoſophia illius ſit vera? alterius eſt negotij.

14. Vltima demonſtratio. Vltima tandem ratio non quidem demonſtratiua, ſed maximè probabilis, & vrgens ſumitur ex infinito exceſſu intelligibilitatis diuinæ ſupra vim intellectus creati: qua vtitur Molina *prima parte, quæſtione 12. articul. quarto ad finem, & poſt eum Suarius in dicta ſectione. 11. num. 14.* ¶ Vim rationis format Molina ex eoquod longe difficiliùs creditu ſe ſe offert rem attentè conſideranti, quòd intellectus creatus euehi poſsit etiam dono ſupernaturali in Dei viſionem, quàm quod ex ſolis viribus naturę ad eam non habet aptam proportionem. Igitur cum creatus intellectus dono ſupernaturali poſsit euehi in viſionem Dei, vt Fides docet; veriſsimum etiam erit intellectum creatum non habere naturalem proportionem ad illam. Sed Molina non ſatis attentè rem conſiderauit, dum aſſerit eſſe difficiliùs creditu intellectum creatum ſupernaturaliter euehi poſſe ad Dei viſionem, quàm non habere naturalem proportionem ad eam: etenim naturalis

Nõ ſatis firmiter proponitur à Molina.

Philoſophia euidenter oſtendit euidentia Phyſica intellectum creatum habere vim intelligendi ex ſua natura inferioris ordinis, quàm ſit intelligibilitas clara, & intuitiua diuinæ eſſentiæ, & ob id eſſe impoſsibile intellectum creatum poſſe videre Deum. Attamen eadem Philoſophia quamuis non demonſtret poſſe Deum naturalem ordinem immutare, & plura agere ſuprà talem ordinem: tamen non demonſtrat, nec demonſtrare poteſt illud eſſe ſimpliciter impoſsibile: & ideo huic veritati non reſiſtit: quin potiùs aduentu ſupernę illuminationis ipſo naturali lumine euidenter oſtendit demonſtrationes, quæ in contrarium fiunt, non eſſe demonſtrationes.

Quare conſideratiùs, & doctiùs vim ſuperioris rationis ſumpſit Suarius ex puriſsima actualitate diuinæ naturæ maximè ſi conſideretur, vt coniuncta cum illius infinitate, & vt ſic cõparetur cum limitatione virium naturalium cuiuſcunque creati intellectus: his enim duobus extremis attentiùs conſideratis ſtatim ratio ipſa naturalis dictat eſſe valde veroſimile non poſſe, tam imperfectam facultatem ſuis viribus formare propriũ conceptum tam excellentis obiecti. Dixi *maximè ſi conſideretur, & cætera,* quia ſi per impoſsibile natura diuina non haberet coniunctam infinitatem ſuæ entititatis cum ſua ſumma actualitate in eſſendo; adhuc daretur naturalis improportio diuinæ intelligibilitatis ad vires naturales intellectus creati: adhuc enim daretur fundamentum naturalis improportionis quia adhuc vis intellectiua ratione ſuæ potentialitatis adhuc magis diſtaret à pura intelligibilitate naturæ diuinæ, quàm diſtet oculus noctuæ à claritate Solis. Quare ſi oculus noctuæ ſua naturali virtute non poteſt claritatem Solis directè intueri; nec etiam vis naturalis intellectus creati poſſet clare, & diſtinctè intueri diuinam eſſentiam, & hæc diximus pro iſta veritate demõſtranda. 15. Firmior eſt vt proponitur à Suar.

(*)

QVÆSTIO III.

De cognitione abſtractiua diuinæ eſſentiæ per vires naturales intellectus creati tam cõiuncti, quàm ſeparati.

Præfatio ad ſequentem quæſtionem.

1. EGimus in duabus præcedẽtibus quæſtionib' de cognitione intuitiua diuinæ eſſẽtiæ: conſequenter agendũ eſt de cognitione abſtractiua diſtincta, & quidditatiua illius. Et quãuis ad noſtrũ inſtitutum hæc diſputatio non ſatis pertineat, quia illa ad viſionem eſſentiæ, nec antecedenter eſt neceſſaria; illius tamen cognitio ad exactã huius materiæ explicationem maximè conducit. Inquirimus igitur, an intellectus poſsit naturaliter Deum cognoſcere cognitione abſtractiua, & quidditatiua?

1. Premiſſũ. Pro explicatione præmittendum eſt dari poſſe cognitionem quidditatiuã Dei, quin ſit intuitiua, vt contra nonnullos iã aduertimus ſuprà q. 1. art. 5. in principio, & latè oſtendimus lib. 4. q. 4. art. 2. num. 1. & 6.

2. Secundũ. Præmittendum eſt ſecundò illam cognitionẽ abſtractiuam Dei appellari naturalem, quæ eſt ab intellectu naturaliter cõſtituto in actu. 1. ad cognoſcendũ Deũ abſtractiuè ſecluſa omni dependentia ab omni dono merè gratuito: quare illa cognitio abſtractiua Dei dicetur ſuprà naturam intellectus, quæ ab eo elici non poteſt, niſi dono aliquò gratuito & liberali ſuo modo eleuetur, vt diximus q. 1. in præfatione, & ſtatim dicemus art. 2. §. 2. notab. 2.

Tertium. Tertio præmittendũ eſt non eſſe quæſtionem, an intellectus creatus naturaliter poſsit Deum cognoſcere cognitione quadam abſtractiua imperfecta & confuſa: etenim ex Paulo ad Romanos 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.* Vnde de Deo, & de ſubſtantijs ſeparatis naturaliter cognoſcim' prædicata quędam cõmunia, imò etiam propria, ſi plura ſimul aggregentur: de quo ſuprà q. 1. ar. 4. §. 1. n. 3. Quare quæſtio eſt de cognitione abſtractiua diſtincta, & quidditatiua diuinæ eſſentiæ: illa autem cognitio dicitur talis, qua cognoſcuntur omnia prædicata eſſentialia Dei vſq; ad vltimã differentiã noſtro modo intelligẽdi veluti cõſtitutiuã eſſentię diuinę, vt cũ Caietan. & alijs dixim' in d. ar. 4, n. 1. & 2.

Ad Rom. 1.

Poſtremò præmittitur intellectũ creatum, vel conſiderari poſſe, vt eſt coniũctus pro ſtatu viæ; vel vt eſt ſeparatus, vt intellectus Angeli, & animæ ſeparatæ. 3. Quartum.

Pro explicatione ſequentes articulos excitabimus. Primus eſt, an intellectus coniunctus pro ſtatu viæ poſsit naturaliter habere cognitionẽ abſtractiuam Dei claram, & quidditatiuã? Secundũ, an generaliter intellectus creatus viribus naturæ poſsit habere hãc cognitionẽ? Terti'; Vtrùm intellectus ſeparatus à materia poſsit naturaliter eam habere in aliquo obiecto naturaliter cognito? Quartus; Vtrũ eam poſsit habere per aliquod obiectũ ſimiliter cognitũ? Poſtremus; Vtrũ eandẽ poſsit naturaliter habere per aliquã ſpeciem creatam quidditatiuè repræſentantem Deum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectus coniunctus in via poſsit naturaliter cognoſcere Deum abſtractiuè quidditatiuè?

§. 1.

Refertur pars affirmatiua.

1. Authores partis affirmantis. QVI partẽ affirmantẽ in terminis noſtræ quęſtionis expreſsè probauerit, inueni neminem: facilè tamen concederem hæreticos de quibus egimus q. 1. ar. 1. §. 1. non cõtradicturos. Ex Philoſophis Chriſtianis huius ſententiæ videtur fuiſſe Albertus Magn. lib. 2. Metaph. c. 2. dum affirmat *intellectum humanũ, quandiù coniunctus eſt imaginationi, habere lumen obſcurũ: ab hoc tñ lumine per ſeparationẽ (ſcilicet ſpeciẽ) venire ad lumen ſyncerũ, quod conuenit intelligentijs: & à lumine ſyncero venire ad primũ lumen, & aſcendendo per gradus tandem accipere lumen primũ in ipſo fonte luminis.* Quibus verbis ſatis ſignificat intellectum noſtrum coniunctum viribus ſuæ natura peruenire poſſe, non ſolùm ad lumen ſyncerũ, quo intelli- *Albertus.*

intelligentias intelligat, ſed etiam ad lumẽ primũ, quo intelligat Deũ, idq; perfectè, & quidditatiuè, abſtratiuè tamẽ vt eũ intellexit *Ægidius lib. 2. Metaphy. q. 15*: nam in hac cognitione, quæ fit per lumẽ primum in fonte luminis, ponit naturalẽ hominis felicitatem, ad quam Metaphyſica nos ducit, quę cognitio ſolùm eſt abſtractatiua. Ab hac ſententia non longè fuerunt Plato, Auempace, Themiſtius, Alexander, & Auerroes, quatenus ſimpliciter docuerunt poſſe noſtrum intellectum ſecundùm principia Philoſophię per ſenſibilia peruenire ad claram cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarũ, à quibus non excludunt primam ſubſtãtiam, quorum dicta retulimus q. 1. art. 4. §. 1. in principio.

Aegidius. *Plato.* *Auempac.* *Themiſt.* *Alex.* *Auerr.*

2. Hæc opinio, cuiuſcunque illa ſit multis confirmari poteſt. Et primò, quia intellectus noſter ita ſe habet circa ſimplicia, vt ea vel exactè intelligat, vel omnino ignoret, iuxta Platonicorum ſententiam. Sed Deus (quem eſſe omnino ſimplicem dubitari non poteſt) non penitus ignoratur à nobis, vt patet: ergo à nobis diſtinctè, & exactè poteſt cognoſci.

1. opinion. ratio.

Secundò; quoniam viſus poteſt naturaliter videre omne viſibile, niſi impediatur: ergo intellectus noſter poteſt intelligere omne intelligibile; nullum enim datur impedimentum.

Secunda.

3. Tertiò; finis noſter naturalis poteſt propria & naturali operatione acquiri: homo enim fruſtrari non poteſt proprio fine. Sed finis naturalis noſter, naturaliſq; felicitas poſita eſt in cognitione pręſtantiſsima primæ intelligentiæ, ex Ariſtotele *lib. 10. Ethicorum c. 7. poſt principium*: ergo hæc primæ ſubſtantiæ cognitio poteſt naturaliter à nobis acquiri: & cum ſit cognitio præſtantiſsima, erit quidditatiua; & cum non poſsit eſſe intuitiua, erit abſtractiua.

Tertia. *Ariſt.*

Quartò; quia aliter fruſtrà in nobis daretur appetitus naturalis ad cognoſcendam Dei eſſentiam cognitione præſtantiſsima: fruſtrà etiam hoc vniuerſum nobis à Deo proponeretur, vt naturaliter illud cognoſcentes deueniremus in perfectiſsimam cognitionem Dei in ſe ipſo.

Quarta.

Quintò; quæ ſunt in materia ſenſibili, ideò poſſunt à nobis naturaliter intelligi cognitione quidditatiua, quia poſſunt abſtrahi à materia: ergo cum Deus ſit maximè abſtractus ab ea, poterit à nobis quidditatiuè intelligi: nam abſtractio à materia eſt ratio intelligibilitatis.

Quinta.

Sextò, ſubſtantiæ ſeparatæ poſſunt à noſtro intellectu pro ſtatu viæ naturaliter cognoſci cognitione quidditatiua in eſſe abſtractiuo. Cur igitur Deus ita cognoſci non poterit? conſequentia patet; quia non videtur dari ſufficiens ratio diſcriminis. Antecedens non ſolùm probatum eſt antiquis Philoſophis ſuprà citatis, ſed etiam *Alberto, Caietano de Thien. & Ioanni de Gandauo*, *vt oſtendimus q. 1. ar. 4. § 1.* & ſatis videtur probari *Toleto, & Valentiæ*, nec deſunt qui illud tribuãt *Scoto in 1. d. 3. q. 1. & quodl. 14. ar. 2. & 2. Metaphy. q. 3*: Ariſtotelem etiam, licèt aliquando dubius fuerit, hanc partem definiuiſſe plures exiſtimant in 9. Metaphy. c. 12. tex. 22. & lib. 12. c. 7. text. 39.

4. Sexta. *Albert.* *Thien.* *Gandau.* *Tolet.* *Valent.* *Ariſt.*

Septimò, audito hoc nomine *Deus*, naturaliter formamus vnum conceptũ terminatum ad diuinam eſſentiam, vt talis eſt: ſed iſte conceptus Dei non poteſt nõ eſſe quidditatiuus: ergo naturaliter poſſumus Deum quidditatiuè cognoſcere. Maior probatur; quoniam hoc nomen *Deus* (quod eſt græcè θεός) licet aliundè deriuationem ſumat, atque etymologiã; tamen impoſitum eſt ad purè, & ſyncerè ſignificandam ipſam Dei ſubſtantiam, vt eſt in ſe: vnde ex vi ſuæ impoſitionis illã ita ſignificat: quod maximè verum eſt de nomine tetagrãmaton *Iehoua*, quod impoſitum eſt ad ſignificandum ipſum diuinum eſſe. Cum vero nomina nihil ſignificent, niſi medio conceptu; vtique nomen Deus eſſentiam diuinam in ſe non ſignificabit, niſi mediante aliquo concep tu terminato ad diuinam eſsẽtiam, vt per nomen ſignificatur, quæ fuit maior. De minore non poteſt eſſe dubitatio: quia conceptus terminatus ad diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt, non poteſt nõ eſſe quidditatiuus. Conſequentia verò ex eo patet, quia nihil eſt aliud Deum quidditatiuè cognoſcere, quam formare conceptum quidditatiuum illius.

5. Septima ratio.

Octauò; id, quod à nobis primò cognoſcitur, & per quod cætera omnia cognoſcuntur non poteſt naturaliter à nobis non cognoſci: ſed Deus in ſe à nobis primò cognoſcitur, & in eius luce cætera cognoſ-

6. Octaua.

cognoſcuntur: ergo Deus in ſe ipſo poteſt à nobis naturaliter cognoſci. Maior patet ex verbis Aug. in ſoliloquijs, dum ait, *quod priùs eſt veritas cognoſcenda, per quã poſſunt alia cognoſci*: id enim per quod cætera cognoſcuntur, non ſolùm debet priùs cognoſci, ſed etiam proprijs viribus: ob hanc enim rationem lux priùs ab oculo naturaliter videtur; quia per eam oculus cætera omnia videt: & prima principia ideò ſunt primò cognita, quia per illa cognoſcimus cętera. Minor probatur

Auguſt. ex Auguſt. 4. de Trinitate c. 7: *in æterna veritate, ex qua omnia facta ſunt formam, ſecundùm quam ſumus, & ſecundùm quam vel in nobis, vel in corporibus vera & recta ratione quid operamur viſu mentis conſpicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam apud nos habemus*. Lib. 12. de Trinit. c. 2. circa finem ita ſcribit: *rationis eſt iudicare de iſtis corporibus ſecundùm rationes incorporales, & ſempiternas*. 12. Cõfeſs. cap. 25. parum à medio ita ait: *ſi ambo videmus verum eſſe quod dicis: & ambo videmus verum eſſe, quod dico, vbi quæſo id videmus? nec ego vtiq; in te, nec tu in me, ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt incommutabili veritate*. Denique in libr. de vera religione cap. 31. docet *nos ſecundum veritatem diuinam de omnibus iudicare*. Ex quibus locis Aug. patet veritas minoris.

7. 9. Deus eſt cauſa omnis noſtræ

9. cognitionis: ergo Deus non ſolùm primò à nobis cognoſcitur, ſed etiam maxi-

Ioan. 1. mè. Antecedens patet ex verbis Ioannis 1. *eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Conſequentia probatur ex proloquio Poſteriorum: *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

10. exemplar, quo imago forma-

10. tur in imagine primò cognoſcitur: ſed in mente noſtra eſt imago Dei, ex Auguſtino: ergo Deus in mente noſtra primò cognoſcitur.

Poſtremò; ad Romanos 1: *Inuiſibilia*

11. *Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpi-*

Rom. 1. *ciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*. Quę verba intelligũtur de cognitione naturali, & perfecta, qualis eſt quidditatiua.

§. 2.

Probatur opinio negatiua.

Sed abſque vlla dubitatione probãda eſt pars negatiua: nam vel expreſſè, vel tacitè probatur ab omnibus. 8. Opinio negatiua vera eſt.

Eam debent recipere, qui docent intellectum creatum, ſiue Angelicum, ſiue humanum ſeparatum non poſſe viribus ſuæ naturæ Deum quidditatiuè, & abſtractiuè cognoſcere, de quo in artic. 2. & 3. A fortiori enim id dicent de intellectu coniuncto in via. In proprijs terminis id docuit *D. Thomas de Veritate q. 10. ar. 11. ad 4. 5. & 6. & in 4. d. 49. q. 1. ar. 7. ad 12. 1. p. q. 3. ar. 8. in corpore, & ad 2.* dum docet, *D. Thom.*
nos non ita poſſe diuinam eſſentiam cognoſcere in ſe, vt de ea ſciamus quid eſt, & ibid. ar. 1. probat nullum nomẽ Dei exprimere nobis diuinam eſſentiam ſecundùm quod eſt, ſuamq; definitionem. At ſi Deum pro via quidditatiuè cognoſceremus, vtique eum quidditatiuè nominaremus. Id ipſum indicat 3. *contra gent. c. 47. in fine, & ibid. Ferrar.* Denique id ſatis *D. Thom.*
inſinuat quando docet Deum non poſſe *Ferrar.*
à nobis in hac vita cognoſci, niſi ex creaturis ſecundùm habitudinem principij, & per modum excellentiæ, atque remotionis, vt videre eſt apud eum cùm multis in locis, *tum 1. p. q. 13. ar. 1.* latè eandem ſententiam confirmat *Fonſeca in 2. Metaphy. c. 1. q. 2. ſect. 3. per totam, & ſect. 4. ad finem. Molina 1. p. q. 12. art. 4. ad finem, §. Fateor nullam*; *inſinuat Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 5. concluſ. 5. & inferiùs §. ex his ergo collige, & Suarius in Metaphy. d. 3. ſect. 11. n. 2. cum ſequentibus.* *Fonſeca. Molina. Sotus. Suarius.*

Hanc ſententiam, & Philoſophi veteres docuerunt, & Sancti Patres. Veteres enim Philoſophi, teſte Fonſeca communi conſenſu docuerunt Deum in hac vita potiùs cognoſci à nobis quid non ſit, quã quid ſit. Vnde Cicero libr. 1. de natura Deorum quæſitus quidnam eſſet Deus, ita reſpondet: *Rogas me, quid, aut qualis ſit Deus: authore vtar Simonide: de quo cum quæſiſſet hoc idem tyrannus Hiero deliberãdi; cauſa diem poſtulauit: cum idem ex eo poſtridiè quæreret, biduum petiuit: cum ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero quæreret, cur id faceret: quia (inquit) quantò diutiùs cogito, tantò mihi res videtur obſcurior*. Quibus verbis tam Simonides, quàm Cicero ſatis ſignificauit quidditatiuam Dei cognitionem noſtro naturali lumini eſſe impoſſibilem. Cum verò hi Philo- 9. Probatur ex Philoſophis. *Cicero.*

Philoſophi viſionem Dei intuitiuam nõ agnoſcerent, de abſtractiua loquebãtur: de qua etiam loquitur Ariſtoteles 1. *Metaphy. cap. 2*: dum agens de ſapientia, quæ circa Deum, cauſasque altiſsimas verſatur concludit eam non eſſe humanã poſſeſsionem.

Ariſt.

Probatur ex Patribus. *Baſilius.* Ex Patribus expreſſè id docuit Baſilius lib. 1. aduerſus Eunomium pag. 261. A. B. in hæc verba: *Lumen naturale poteſt quidem nobis ſuggerere Deum eſſe, non tamẽ quid nam ſit Deus.* Et inferiùs litera E. irridet hæreticum, *quod ipſam Dei ſubſtantiã ſuis libris velit nobis notam facere.* Quæ verba de cognitione abſtractiua intelligenda veniunt; intuitiua enim nec verbis, nec ſcriptis innoteſcit.

10. *Damaſc.* Damaſcen. lib. 1. de Fide in principio aſſerit *dilucidum quidem eſſe quod Deus ſit; quid autem ſit ſecundùm ſubſtantiam, & naturam, incomprehenſibile id omnino eſſe, atq; ignotum.* Et ſtatim: *de Deo tamen quid eſt ſecundùm ſubſtantiam, dicere impoſsibile*: viribus ſcilicet naturæ. Vnde explicans illa verba Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquã*, poſtquam docuit nullum nouiſſe Deum ſecundùm ſuam naturã, nec tamen Deũ nos deſeruiſſe omnimode ſui circumfuſum ignorantia, explicat, quænam Dei cognitio ſit nobis naturalis, quævè excedat vires noſtras, ita ait: *cunctis cognitio quod Deus ſit ab ipſo naturaliter inſita eſt:* ita ſignificans cognitionem quidditatiuã Dei vires naturales noſtri intellectus excedere, vt initio capitis ſatis explicuit.

11. *Cyprianus* Cyprian' in prefatione operis ad Cornelium pag. 444. rem iſtam ſatis confirmat: nam poſtquam docuit Seraphinos Iſaiæ. 6. ideò velare faciem Dei, & pedes, principiumque & finem maieſtatis diuinę alarum extenſione infrà ſupràq; operire, vt aditum ad Deum temerarijs tractatoribus, vel ſcriptoribus interdiceret; addit hæc verba: *nec patitur ad liquidum ſe videri diuinitas, quam vtique inueſtigatio fidelis aliquo modo odorat vel ſentit, ſed puram eius eſſentiam nec conſpicit, nec comprehendit.* Conſpectus autem inueſtigationis non poteſt eſſe niſi abſtractiuus, quoniã intuitus non habetur diſcurſu, ſed ex ſimplici rei præſentia: vnde de conſpectu abſtractiuo intelliguntur verba, quæ immediatè ſequuntur: *a firmatio quippè de Dei eſſentia in promptu haberi non poteſt: nec enim definibilis eſt diuinitas: ſed verius, ſynceriùsq; remotio indicat, quid non ſit, quam aſſerendo quid ſit*: affirmatio autem, & negatio ad notitiam abſtractiuam ſpectant; intuitiua nanque eſt ſimplex quædam qualitas.

Diuus etiam Gregorius *lib. 18. Moral. cap. 37. ad illa verba abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium*, ita ait: *patenter datur intelligi, quia quando hic mortaliter viuitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt: ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt.* 12. Gregorius

Optima ſunt verba Origenis lib. 1. Periarcon. c. 1. dum affirmat, *mentem noſtram intra carnis, & ſanguinis clauſtra concluſam cum ad incorporea nititur, atque eorum intẽtionem rimatur, vix habere alicuius lucernæ ſcintillã.* Quomodò igitur habebit quidditatiuam? ¶ Denique Sancti Patres, dum generaliter negant naturam Dei naturaliter intelligi poſſe, de vtraque intellectione intuitiua ſcilicet, & abſtractiua intelligi debent: quot ſatis conuincitur ex eo, quod non aliam viſionem Dei etiã ſupernaturalem & infuſam nobis pro hac vita concedunt, niſi ænigmaticam, & ſpecularem, vt videre eſt apud eos, quos in dicto art. 3. latè retulimus. Quod ſi cognitio fidei aliavè ſupernaturalis viris ſanctiſsimis conceſſa in via ad quidditatiuã cognitionem peruenire non poteſt; quomodò cognitio naturalis, quæ longè eſt inferior poterit eſſe euidens, & quidditatiua? Origenes.

§. 3.

Rationibus naturalibus probatur.

Hæc opinio probabiliter cõfirmari poſſet ex eo, quod intellectus coniunctus pro ſtatu vię non poteſt naturaliter Deum cognoſcere cognitione quidditatiua intuitiua, vt q. 1. latiùs probatum eſt: ergò nec abſtractiua. Sed quoniam non eadem ratio cernitur in vtraque cognitione (vna enim requirit realem præſentiam diuinæ eſſentiæ, altera contenta eſt ſola intentionali, quæ eſt inferior) plerisque non videbitur valere argumentum ab intuitiua cognitione ad abſtractiuam. Verùm quia omnes rationes, quę probant intuitiuam eſſe impoſsibilem, idem probant de abſtractiua, vt facilè patebit ex dictis q. 1. art. 4. & 5. nõ videtur argumẽtũ omnino inefficax. 13. Ratio communis.

Hæc

14. Ratio à poſteriori: Hac tamen ratione omiſſa opinio, & à poſteriori & à priori demonſtrabitur. A poſteriori quidẽ; quia anima pro ſtatu cõiunctionis non poteſt ſuis viribus ſubſtãtias ſeparatas quidditatiuè cognoſcere cognitione abſtractiua, vt latiſsimè demõſtrauimus q. 1. art. 4. per totum, vbi §. 7. latè etiam demõſtratum eſt animam pro eodem ſtatu non poſſe ſe ipſam quidditatiuè cognoſcere cognitione abſtractiua: ergo à fortiori euidenter demonſtratur eam non poſſe quidditatiuè Deũ cognoſcere. Quo argumento vtitur D. Thomas 1. *p. q.* 88. *art.* 3. *D. Thom.*

15. Ratio à priori. Prima ratio. A priori demonſtrari poteſt omnibus demonſtrationibus, quibus impoſsibilitatẽ viſionis ſuprà q. 1. demonſtrauimus. Et prima ſumitur ex eo, quod ſeruato ordine naturali cognitio viæ incipit à ſenſu, ita vt nihil poſsit naturaliter cognoſcere, niſi illud aliquo modo ſenſibiliter perceperit: quod latè oſtendimus in dict. art. 4. Quare cum Deus ſecundùm prædicata ſuæ quidditatis ſoli ſibi propria nullo ſenſu fuerit ſenſatus, vt ibi oſtendimus, & art. 5. §. 2. benè infertur Deum ſecundùm illa prædicata nec abſtractiuẽ poſſe naturaliter cognoſci.

16. Secunda demõſtratio. Secunda demonſtratio ſumitur, quia intellectus in via nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi per conuerſionem ad phãtaſmata ex dicto art. 4. Phantaſia autem non poteſt phantaſiare prædicata quæ ſoli Deo conueniunt: ergo, &c.

17. 3. demonſtratio. Tertia demonſtratio: quoniam anima in via nec abſtractiuè poteſt cognoſcere, niſi quæ actione intellectus agentis poſſunt fieri actu intelligibilia, vt patet in dicto art. 4. §. 6. Sed Deus ſecundùm prædicata ſibi propria non poteſt fieri actu intelligibilis actione intellectus agentis, vt patet vbi ſuprà art. 5: ergo in via naturaliter habere non poteſt conceptum abſtractiuum quidditatis diuinæ.

18. Quarta. Quarta demonſtratio; quia anima in via naturaliter ſibi vendicat eſſe in corpore: cognitio autem naturalis eſt ſecũdùm modum eſſendi ipſius cognoſcentis, vt diximus q. 2. art. 5: ergo nihil poterit in via naturaliter cognoſcere etiã abſtractiuè, niſi quæ modo corporeo cognoſci valent. Iam verò prædicata propria Dei: non poſſunt cognoſci modo corporeo: quia illa nec in ſe ipſis aliquo ſenſu fuerunt percepta, nec in alia re corporea tanquam communia Deo, & creaturis.

Quinta demonſtratio; quoniam anima in via non poteſt naturaliter cognoſcere ſubſtantias immateriales, niſi per materiales; cum quidditas materialis ſit illi obiectum adæquatum: at nihil poteſt abſtractiuè cognoſci in alio, & per aliud, niſi in illo contineatur vel formaliter, vel eminenter, vel participatiuè adæquatè, vt diximus q. 1. ar. 4. §. 6: Deus autem ſecundùm ſuam quidditatiuam entitatem nec formaliter continetur in ſubſtantijs corporeis, quia de illis eſſentialiter non prædicatur: nec eminenter: cum ipſæ in Deo potiùs ita contineantur: nec deniq; participatiuè participatione adæquata; quia ipſæ non exhauriunt totam diuinã virtutem: ergo diuina natura non poteſt ab anima coniuncta naturaliter cognoſci abſtractiuè, & quidditatiuè. 19. Quinta.

Poſtrema demonſtratio: quoniam ad cognitionem quidditatiuam intuitiuam, aut abſtractiuam alicuius rei non poſſumus naturaliter peruenire, niſi vel ex naturali cognitione ſuæ cauſæ, aut effectus, aut per aliquam ſpeciem nobis naturalẽ. Iam verò Deum non poſſumus cognoſcere per cauſam; quia nullam habet: nec per ſuos effectus; quoniam cum naturaliter non cognoſcamus niſi ſubſtantias corporeas: & illæ non adæquatè participent nec exhauriant virtutẽ diuinæ omnipotentiæ, & omnem eminentiam diuini eſſe; non poterunt nos ducere in quidditatiuam Dei cognitionem: effecta enim non ducunt in quidditatiuam cognitionẽ cauſæ, niſi totam ipſius eminentiam, & virtutem exhauriant; aliter non poterunt niſi imperfectè cauſam repræſentare. Denique nec per aliquam ſpeciem nobis naturalem Deum poſſumus abſtractiuè cognoſcere: quia nulla datur talis ſpecies naturalis nobis pro ſtatu viæ, vt latè diximus ſuprà q. 1. ar. 5. §. 2. in 6. demõſtratione. 20. Poſtrema demonſtratio.

§. 4.

An oppoſita ſententia indigeat aliqua cenſura?

Dubitari poteſt, an contraria ſententia digna ſit cenſura? reſpondemus eam non dum eſſe formaliter hæreticã; eſſe tamẽ errori proximã. 21. De cenſura ſententiæ oppoſitæ.

Pri-

...num patet: quoniam in his terminis nondum eſt damnata. Concilium enim Viennēſe ſolùm damnauit beatitudinem ſupernaturalem (quæ poſita eſt in viſione intuitiua Dei) poſſe viribus naturæ haberi in hac vita: nihil autem definiuit de cognitione abſtractiua quidditatiua, & diſtincta: nec Begardi, aut Beguinæ de hac loquuti ſunt, ſed de ſola intuitiua, quæ eſt formalis beatitudo, qualis non foret illa abſtractiua, vt diximus lib. 4. q. 9. art. 2. §. 1. Ex ſacris autem literis efficaciter concludi non poteſt contra illam opinionem, vt facilè patebit ſi expendas loca Scripturæ adducta q. 1. ar. 2. Deniq; nec Sancti Patres communi conſenſu cōtra opinionem illam docuerunt, ſed contra Anomæos ſolùm impugnant claram, & intuitiuam Dei viſionem haberi poſſe viribus naturæ; de abſtractiua verò pauci egerunt, vt videre eſt ex q. 1. art. 3.

Non du eſt hæretica.

22. Eſt errori proxima.

At quod errori ſit proxima, facilè probaretur, ſi vera foret opinio Bellomontani cognitionem illam, ſi daretur, futuram fore beatificam: nec enim quod ex ſe eſt beatificum, poteſt eſſe naturale nobis. Sed opinionem Bellomont. vt improbabilem rejecimus lib. 4. q. 9. art. 2. §. 1.

Argument. 1. ex Paulo 1. Timot. 1

Optimum argumentum ſumitur ex Paulo 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo omnis honor, & gloria*, quæ verba non ſatis accommodatè explicantur de perſona Patris inuiſibili aſſumpta, vt diximus q. 1. ar. 2. in 4. loco. Nec etiam videtur accommodata explicatio de inuiſibilitate diuinæ naturæ per oculos corporeos, vt diximus lib. 4. q. 5. ar. 2. n. 16. & ſuprà q. 1. art. 2. vbi oſtendimus verba illa ad mentem Pauli ſolùm explicari de inuiſibilitate per vires naturales; quæ eſt communis explicatio ſcholaſticorum probata Bedæ, & Origeni. Cum verò Paulus generaliter loquatur, intelligēdus eſt de inuiſibilitate, quæ negat claram, & quidditatiuam Dei cognitionem tam intuitiuam, quàm abſtractiuam: nam cum ratio naturalis dictat vtranq; eſſe ſupra naturales vires, vtrāq; verbis illis probat.

23. 2. ex Ioan. 1.

Secundò ſumi poteſt argumētum ex verbis Ioannis c. 1: *Deum nemo vidit vnquam*: nam ex dictis q. 1. art. 2. in 5. loco inſtitutum Ioannis eſt verbis illis confirmare propoſitionem immediatè poſitā: *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: quæ cum Hilario explicanda eſt de Chriſto homine, & in ſenſu excluſiuo, vt aſſerat gratiam, & veritatem per ſolum Chriſtum hominem eſſe factam: hāc igitur propoſitionem verbis præcitatis nititur probare Ioannes: quaſi ſic arguat: veritatem diuinam, & alia myſteria nemo poteſt enarrare, niſi qui Deum vidit: ſed Deum nullus vidit, niſi Vnigenitus: ergo ſolus ille hæc poterit enarrare. Cuius diſcurſus maior vera non eſt ſi de ſola viſione intuitiua intelligatur; quoniam ad illa myſteria enarranda ſatis erit viſio abſtractiua, ſi illa fuerit clara, & quidditatiua: quæ enim diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcimus, alijs rectè enarramus. Igitur ſi naturaliter poſſumus Deū quidditatiuè cognoſcere; vtiq; non ſolus Vnigenitus Dei poteſt illius veritatem nobis enarrare, ſed etiam homo, qui in ſuo naturali lumine adeò profecerit, vt Deum cognitione abſtractiua quidditatiuè cognouerit. Quare ſicut ex illis verbis Ioannis efficaciter conuincitur neminem in hac vita Deum intuitiuè vidiſſe, vt aduertimus q. 1. ar. 2. in 5. loco; ita etiam ex eodem conuincetur neminem in hac vita Deum naturaliter quidditatiuè cognouiſſe cognitione abſtractiua.

Tertio loco non leue argumentum ſumitur ex Paulo 1. ad Timoth. 6: *qui ſolus lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Hunc locum non poſſe accommodatè explicari niſi de viſione per vires naturæ oſtendemus lib. 8. & aliquid diximus q. 1. art. 2. loco 6. Et quanuis Paulus de viſione intuitiua videatur ſermonem facere; poteſt tamē etiam explicari de abſtractiua. 24. 3. ex Paulo 1. Timoth. 6.

Quartò facit locus Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater; nec Patrem quis nouit, niſi Filius*: nam ſi cum communiori ſententia locus explicetur de Filio Deo neceſſariò debet explicari de cognitione connaturali, vt ſolus Pater connaturaliter cognoſcat Filium, & ſolus Filius Patrem; cæteri verò per ſolam reuelationē. Vnde à cognitione naturali Dei perfecta & quidditatiua excluditur omnis creatura. Porrò ſi cum alijs explicetur locus de Filio homine, adhuc argumentum erit efficax: nam ſi Patrem nullus nouit, niſi Filius homo, & ille cui Filius reuelauerit; vtique 25. 4. ex Matth. 11.

vtique nullus homo poterit naturaliter cognoſcere Deum quidditatiuè, ſiue cognitio ſit intuitiua, ſiue abſtractiua: quod enim naturaliter conuenire poteſt, non indiget reuelatione.

26. 5. ex cap. 9. Iſaiæ. Quinto loco nō videtur alienꝰ locus Iſai. 6: *Seraphim ſtabant ſupra templum: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, & duabus velabant faciem eius.* Quem locū de cognitione clara etiam abſtractiua explicat Cyprian. in præfatione ad Cornelium, vt diximus ſuprà §. 2. & ſatis Chryſoſt. *Homilia 2. de verbis Iſaiæ, & Homil. 1. & 3. de incomprehenſibili Dei natura*: ideò enim velabant faciem vel Dei, vel ſuam (vtroque enim modo legitur) vt oſtenderēt nullam creaturam poſſe virtute ſibi naturali Dei naturā inueſtigando eam quidditatiuè cognoſcere: & hac velatione (vt ait Cyprianus) interdicebant ſcriptoribus, ne in aſſequenda clara Dei cognitione temerariè inſudarent: quod tamen nec fruſtra eſſet, nec temerarium, ſi quidditatiua Dei cognitio eſſet naturaliter poſsibilis. Quæ doctrina Cypriani manifeſtè ſignificat abſtractiuam cognitionem quidditatis diuinæ eſſe nobis naturaliter impoſsibilē. *Cyprian. Chryſoſt.*

27. 6. ex c. 52. Iſaiæ. Sexto adduci poteſt illud Iſaiæ. 52: *Generationem eius quis enarrabit*: quaſi dicat id viribus naturæ eſſe impoſsibile. Quæ verba de generatione diuina explicant Chryſoſt. Baſilius, Cyrill. Clemens Papa, Auguſt. & Euſebius citati ſuprà q. 1. art. 2. ad finem. At ſi locus de generatione Chriſti humana intelligatur, maximè vrget argumēto ſumpto à fortiori.

7. ex Iob. 28. Septimo accedant verba Iob c. 28. de Sapientia: *abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium: volucres cœli latet.* Qui locus eſt ſatis efficax, ſi intelligatur de ſapientia increata cum D. Gregorio 18. Moral. c. 37. cum D. Thom. ibid. lect. 2. Carthuſiano, & alijs: euidenter enim intelligitur de cognitione quidditatiua abſtractiua, vt patet ex verbis præcedentibus: *vnde ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ?* quę declarant ſermonem eſſe de cognitione, quæ habetur per inueſtigationem, quæ non poteſt non eſſe abſtractiua. Si locū intelligas de ſapientia creata, cum Carthuſiano, Caietano, Pineda, Aſtunega, & alijs, argumentum ſumitur à minore ad maius. *Gregor. D. Thom.*

28. Octauò concinit locus Eccleſiaſtici 7. *cuncta tentaui in ſapientia, & dixi ſapiens efficiar: & ipſa longiùs receſsit à me, multò magis quàm erat. Alta profunditas: quis inueniet eam?* Quem locum expendit Baſilius *in lib. de vera fide pag. 346. F. & Gregorius lib. 32. Moral. c. 1. cum Carthuſiano* ibi: nec enim verba accommodari poſsūt cognitioni intuitiuæ: quę inueſtigatione non acquiritur, nec magis recedit, cū magis intenditur: quare ſoli abſtractiuæ accommodari debent, quæ humana diligētia acquiritur: & tamen nullus hanc cognitionem ſapientiæ diuinæ inuenire poteſt. 8. c. 7. Eccleſiaſtici. *Baſilius. Gregor. Carthuſia.*

Denique accedant verba Eccleſiaſtici 3: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*; quaſi dicat, fruſtrà in horū inquiſitione laborabis; quia ad diſtinctam illorum cognitionem peruenire nō poteris, quantumcunque in inquiſitione proficias: nam ex Paulo ad Romanos 11. inueſtigabiles ſunt viæ illius. ¶ Ex quibus non poſſum non damnare erroris ſētentiam ſuperiori contrariam. 29. 9. ex ca. 3. Eccleſiaſt.

§. 5.

Soluuntur argumenta poſita §. 1.

AD 1. in oppoſitum iam reſpondimus ſuprà q. 1. artic. 1. §. 2. in fine: principium enim Platonicorū ſolùm eſt verum in ſimplicibus, quæ excludunt omnem multiplicitatē, tam formalem, quàm virtualem: vnde locum nō habet in diuina eſſentia: vel dicito principium illud ſolum eſſe verum in cognitione quidditatiua. Vide quæ ibi diximꝰ. 30. Ad 1.

Ad 2. reſpondetur modum eſſendi in corpore impedire quominus naturaliter intelligamus, quæ modo corporeo intelligi non poſſunt. 31. Ad 2.

Ad 3. minor venit explicanda; vt beatitudo naturalis huius vitæ poſita ſit in cognitione præſtantiſsima, quæ de Deo in vita haberi poteſt ex creaturis, vt diximus lib. 4. q. 14. art. 6. Iam verò in hac vita atque ex creaturis non poteſt naturaliter haberi cognitio abſtractiua, quę ſit quidditatiua, & clara diuinæ eſſentiæ, vt ſæpè oſtendimus in hoc libro. 32. Ad 3.

Quartum argumentum ſolutum eſt *q. 1. ar. 4. §. 8. ad 3.* Nam quod attinet ad primam partem, vel neganda eſt ſequela cū Toleto, & Fonſeca: vel negandum eſt id, 33. Ad 4.

quod

quod ſupponitur; dari ſcilicet in nobis appetitum naturalem ad cognitionem perfectiſsimam, quæ de Deo naturaliter haberi poteſt. Vide ibi. Vel dicito admiſſo tali appetitu negandum eſſe illam perfectiſsimam cognitionem, quæ naturaliter de Deo haberi poteſt, eſſe quidditatiuā.

34. Ad 5. Quintum etiam argumentum facilè ſoluitur ex dictis in dicto §. 8. ad 5: falſū eſt enim materialia ideò præciſè à nobis quidditatiuè cognoſci, quia poſſunt abſtrahi à materia; ſed ideò potiùs, quia cum tali abſtractione poſſunt naturaliter fieri intelligibilia in actu obiectiuo apud noſtrum intellectum, vt diximus q. 1. ar. 4. §. 7. ad 5. quod non conuenit Deo: licet enim ex ſua natura ſit abſtractus à materia; tamen cum tali abſtractione non poteſt naturaliter fieri nobis intelligibilis in actu obiectiuo; quia nec ſe ipſo immediatè imprimit ſui ſpeciem in noſtro intellectu; nec intellectus ab eo poteſt immediatè abſtrahere ſpeciē, qua fiat obiectiuè intelligibilis in actu primo: ſolùm enim poteſt fieri talis mediantibus ſuis effectis, à quibus intellectus abſtrahere non poteſt ſpeciem aliquam, in qua diſtinctè repræſentetur, vt diximus q. 1. & 2.

35. Ad 6. Ad 6. negandum eſt antecedens, vt patet ex q. 1. art. 4: vnde hac in re falſi ſunt veteres Philoſophi, & ſiqui ex Philoſophis Chriſtianis cū illis conſenſere: Scotus autem in alia fuit opinione. Vide in dicto art. 4. §. 3.

36. Ad 7. Prima ſolutio ex Capreol. Ad 7. variè reſponderi poteſt. Prima ſolutio eſt ad mentem Capreoli negando maiorem, quatenus habet, audito hoc nomine *Deus* formari à nobis vnum ſimplicem conceptum de diuina eſſentia, vt in ſe eſt: nec enim à nobis poteſt concipi, niſi conceptu complexo entis infiniti, ſubſtantiæ primæ, &c. Ita Capreolus *in 1. d. 22. q. 1. ar. 1. concl. 4. & art. 2. ad argumenta §. 4. probat Molina 1. p. q. 13. art. 1. d. 1. §. ad hoc dubium, & diſp. 2. §. Ex his duabus ſententijs*, affirmans hanc eſſe communem Theologorum. Citari ſolet Scotus *in 1. d. 22. q. vnica*, qui licet expreſſè eam non ſcribat; inſinuat tamen in verſiculo *nec enim agnoſco diſtinctè*. Ad probationem maioris ex mente Capreoli neganda etiam eſt maior ſi *purè, & ſyncerè ſignificare diuinam eſſentiam*, idē eſt, quod eam ſignificare ſub vna ratione ſoli illi propria: admittenda tamen, ſi idem ſit, quod illam ſignificare ſub pluribus rationibus, quæ coniunctim ſoli diuinæ eſſentię cōueniant; non tamen diſiunctim: nam cum apud Capreolum nomen ita ſignificet rem, atque ipſa concipitur; diuina autem eſſentia concipi nequeat, niſi conceptu complexo; non poterit ſignificari, niſi nomine eam ſub pluribus rationibus ſignificante. ¶ Hæc tamen ſolutio dubia eſt, & controuerſa, quatenus ſupponit diuinam eſſentiam, quocunque nomine ſignificetur, concipi non poſſe ſimpliciter, ſed complexè: oppoſitum enim docet communior Theologorum ſententia, vt contra Capreolum latè probat *Fonſeca 2. Metaphy. cap. 1. q. 2. ſect. 4. §. Verùm hæc ſententia, pag. 318. Suarius in Metaphy. d. 30. ſect. 13. n. 10. Cumelius, & Bannes 1. p. q. 13. art. 1. hic concluſione 3. ille conclu. 5.* & hæc eſt communis inter Theologos, quidquid oppoſitum doceat Molina, & nos putamus eſſe veriſsimā, cui non repugnat *D. Thomas 1. p. q. 13. art. 8. in corpore, & ad 2.* ſi diligentiùs expendatur, ſed de hoc latiùs dicere non poſſumus. Admittimus tamen hoc nomē *Deus* ſignificare diuinam eſſentiam ſub vno ſimplici cōceptu ipſi⁹ proprio abſq; vlla connotatione, aut negationis, aut relationis ad creaturas: quanuis conceptus iſte explicari nequeat ſine aliqua negatione, aut relatione complexionevè propria diuinæ naturæ, vt docent præcitati Doctores.

[Vſu probatur ſolutio Capreol. — Fonſeca. Suarius. Cumelius. Bañes. — D. Thom. — Molina. — Scotus.]

37. 2. ſolutio ex Scoto. Secunda ſolutio ad mentem Scoti negat maiorem ex eo capite, quia in nobis viatoribus non eſt admittendus conceptus diſtinctè terminatus ad diuinam eſſētiam, vt in ſe eſt. Hæc eſt mens *Scoti in 1. d. 22. q. vnica, Ochami, atque Gabrielis ibidem, & Bellomont. ſi bene expendantur, quæ ſcribit 1. p. d. 57. c. 2. n. 9. & c. 3.* Ad probationem ex mente Scoti admittendum eſt hoc nomen *Deus* ex ſua impoſitione diſtinctè ſignificare diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt: negandum tamen intellectum viatoris poſſe eā ita diſtinctè cōcipere, vt ſignificatur: nā, vt ait, poteſt res diſtinctiꝰ ſignificari quā cōcipi. Ita Scotus, Gabr. & Ocham. cōſentit *Molina 1. p. q. 13. ar. 1. d. 2. §. ex his duabus ſentētijs concl. 2. & in ſolutione argumenti ſententiæ prioris.* Quare apud Scotum non eſt inconueniens, ſi hoc

[Ocham. Gabr. Bellomon. — Molina.]

hoc nomen *Deus*, ex ſua impoſitione fa-
cta etiam à viatore diſtinctè ſignificet di
uinam eſſentiam, vt in ſe eſt; & tamen il-
la à nobis vt in ſe eſt non concipiatur: po
teſt enim nomen rem diſtinctiùs ſignifi-
care, quàm res ipſa concipiatur; id quod
probat nonnullis exemplis. Cum Scoto
Bellomon. conſentit *Bellomontan. in dicta d. 17. c. 2.*
Ad probationem igitur maioris admiſſa
vtraq; præmiſſa neganda eſt conſequẽtia.

Hæc tamen ſolutio falſum habet fun-
38. *Solutio nõ placet.* damentum: nam cum nomina res non
ſignificent audiẽtibus, niſi ad menſuram
ſignificationis ſibi impoſitæ: hanc autem
non habeant ex audientibus, ſed ex im-
ponentibus; quia audiens priùs debet cog
noſcere ſignificationem nominis, quàm
formet conceptum rei ſignificatæ: vtiq;
non aliter res ſignificabunt audientibus,
quàm ad modum cognitionis ipſorũ im-
ponentium; quidquid Bellomont. ſine
fundamento aliter doceat. Nomina igi-
tur ita res ſignificant, ſicut ab impoſito-
ribus, vſque communi fuerunt intelle-
ctæ: nec audiens aliter poteſt ex vi ſigni-
ficationis nominum res concipere, quam
illæ ab impoſitoribus fuerunt conceptæ:
fieri igitur non poteſt, vt nomen habeat
expreſsiorem ſignificationem, quam ſit
cognitio, qua eius ſignificatio cõcipitur.
Caiet. De quo *vide Caietan. 1. p. q. 13. art. 1. Fer-*
Ferrar. *rar. 1. contra gent. cap. 30. Valẽtiam 1. tom.*
Valent. *diſp. 1. q. 13. puncto 1. §. ſciendum etiam il-*
Suarius. *lud pag. 200. Suarium lib. 2. de Attributis*
Cumelius. *negatiuis cap. 31. n. 10. & in Metaph. d. 30.*
Bañes. *ſect. 13. n. 8. Cumelium 1. p. q. 13. ar. 1. q. 1.*
concl. 2. & Bannes ibid. concl. 1. & 2. quæ
fuit expreſſa ſententia D. Thomæ in dicta q.
13. art. 1. vbi ait: *ſecundùm igitur quod ali-*
quid à nobis cognoſci poteſt, ſic à nobis poteſt
nominari. ¶ Secundò non admittitur ſo-
lutio, quatenus docet nomen *Deus* ita di
39. ſtinctè ſignificare diuinam eſſentiam ex
impoſitione viatoris, vt ex eadem impo-
ſitione eam ſignificet eſſentialiter, &
quidditatiuè, in quo ſenſu ſolutio admit-
titur à Bellomontano ſatis ad mentẽ Sco-
ti: oppoſitum enim docet *Caietanus & cæ*
Capreol. *teri quos citauimus, & ante eos Capreolus in*
Baſſolius. *1. d. 22. ar. 1. concluſione 4. Baſſolius ibid. q.*
Henric. *1. ar. 2. concl. 3. & 4. Henricus in ſumma ar.*
Durand. *73. q. 9. & Durandus in dicta d. 22. q. 1. art.*
2. n. 9. quorum ſententia teſtimonijs Sã-
ctorum euidenter confirmatur, vt alibi

oſtendimus. Quod etiã exprimit D. Th.
1. p. q. 13. ar. 1. in corpore, & ad 1. & ar. 8. in *D. Thom.*
corpore, & ad 2. Nec fundamentum Bel-
lomontani aliquid efficit: quia falſum eſt
hoc nomẽ *Deus* ex vi ſuæ ſignificationis
cauſare in beatis audientibus conceptum
quidditatiuum diuinæ eſſentiæ: & cum
hoc negetur à Caietano, Suario, & alijs,
probandum erat non ſupponendum.

Vera igitur ſolutio erit ſi maior expli 40.
cetur: nam quando dicitur *audito hoc no-* *Vera ſolut.*
mine Deus formari à nobis vnum conceptum
terminatum ad diuinam eſſentiã, vt talis eſt:
vel eſt ſenſus, quod terminatur ad eam vt
talis eſt. i. ſecundùm eſſentialem, & quid-
ditatiuam illius rationem diſtinctè con-
ceptam: & negãda eſt, quia talis cõceptus
naturaliter non eſt poſsibilis, vt oſtendi-
mus, & docet *D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 1. &* *D. Thom.*
8. Nec probatio valet: quoniam negandũ
eſt nomen *Deus* impoſitũ fuiſſe ad purè,
& ſyncerè ſignificandũ Dei ſubſtantiam,
vt talis eſt, ſi ſignificare purè, & ſyncerè
idem eſt, quod ſignificare eſſentialiter, &
quidditatiuè: nec enim apud viatores po-
teſt dari nomen quod naturam diuinã ita
ſignificet, vt contra Scotũ, & Bellomon-
tanũ iam diximus. Porrò ſi ſenſus illius
maioris ſit, vt formemus vnũ conceptum
ſimplicẽ terminatũ ad diuinam eſſentiã,
vt talis eſt, hoc eſt, vt in ſe ipſa abſolutè
ſumitur pura ab omni connotatione, &
reſpectu; admittenda eſt maior: quia iſto
modo conceptus ille terminari poteſt ad
diuinam eſſentiã terminatione quadã nõ
diſtincta, ſed cõfuſa: cũ enim nomẽ *Deus*
ex ſua impoſitione nõ ſignificet diuinam
eſſentiã diſtinctè, ſed cõfuſè, cõcept⁹ ille
cui in ſignificãdo ſubordinatur repræſen
tabit diuinã eſſentiã ſolùm confuſè: quæ
repræſentatio in hoc ſenſu erit pura, &
ſyncera (quæ eſt quorundã locutio) quia
per eã repræſentatur diuina eſſentia, (ſũp-
ta quidẽ, vt eſt in ſe, nuda tamẽ ab omni
extrinſeca cõnotatione, & cõplexione.
Maiore autẽ in hoc ſenſu admiſſa negãda
eſt minor: quoniã cõceptus cõfuſe diui-
nã eſſentiã repræſentãs, etſi eſt proprius
illi, non tamẽ eſt quidditatiuus; quia non
diſtinctè eã concipit, & ſecundùm ſuam
quidditatiuã rationẽ, ſed cõfuſè tantùm,
eo modo quo definitũ ſolet cõcipi, quan-
do cõcipitur non definitiuè per propriã
definitionem, ſed cognitione pertinente
ad

Conſera. Aureol. ad quid nominis, quod optimè notauit *Fonſeca vbi ſuprà pag. 320. & ante eũ Aureolus apud Capreolũ in 1. d. 22. q. 1. ar. 2. in 1. argum. contra 4. pag. 181. col. 3. & 4.*

41. Ad 8. Ad 8. maior eſt vera de primo cognito vt quod, in quo ſenſu intelligitur Auguſtinus cum omnibus, quæ adduximus. In quo ſenſu minor eſt falſa: Deus enim non eſt primum cognitum vt quod, cum cognoſcatur ex ſenſibilibus ex Paulo ad Romanos cap. 1. & docet communis Philoſophia. Quæ verò adducuntur in cõfirmationẽ minoris, intelligẽda ſunt de ratione formali cognoſcendi, & de primo cognito vt quo, vt ex verbis Auguſtini intelliges, & clarè ex eodem primo ſoliloquiorum. cap. 8. in principio: *diſciplinarum ſpectamina videri non poſſunt, niſi aliquo Sole illuſtrentur, videlicet Deo.* Porrò ſi maior intelligatur de primo cognito vt quo, neganda eſt: nec enim ſubſtantia Solis primò videtur, quamuis ratione ſuæ lucis illo omnia videantur: ſic igitur Deus non primò videtur, quamuis ratione luminis intellectus (quod eſt diuini luminis quædam participatio) ſit id, quo omnia naturalia naturaliter intelligũtur. Nec oppoſitum docet Auguſtinus, quia in locis adductis agit de primo cognito vt quod; nec lux Solis ita primò videtur. Prima autem principia, licet ſint primò cognita, vt quod: non tamen oportet, vt formaliter, & expreſſè ſemper cognoſcantur, ſed ſolùm virtualiter, ex *D. Thoma 1. p. q. 12. art. 4. ad 3. & ar. 11. & q. 88. art. 3. ad primum; & 3. contra gent. c. 47.* D. Thom.

42. Ad 9. Ad 9. conceſſo antecedente neganda eſt conſequẽtia: proloquium autem Ariſtotelicum ſolum eſt verum in ijs, quæ ſunt eiuſdem ordinis, & in cauſis eiuſdem generis, vt eſt communis explicatio in 1. Poſter. cap. 1. & docet *D. Thomas 1. p. q. 87. art. 2. ad 3. & q. 88. art. 3. ad 2*: Deus autem non eſt cauſa cognitionis cæterorum intelligibilium tãquam primum intelligibile, ſed tanquam cauſa prima noſtræ virtutis intellectiuæ. D. Thom.

43. Ad 10. Ad 10. reſpondet D. Thomas in dicta *quæſt. 88. art. 3. ad 3.* maiorem eſſe veram in imagine perfecta: iam verò mens noſtra non eſt perfecta imago Dei.

44. Ad 11. Ad poſtremum reſpondetur Paulum agere quidẽ de cognitione naturali, qua ex creaturis Deum cognoſcimus: non tamen agere de cognitione quidditatiua Dei, ſed de cognitione illius tum quoad an eſt, tum quo ad quid eſt ſecundũ prædicata generalia ſibi cum creaturis communia.

ARTICVLVS II.

Vtrùm intellectus creatus ſeparatus poſſit viribus naturæ habere cognitionem Dei quidditatiuã abſtractiuã?

§. 1.

Refertur pars affirmans cum argumentis.

1. Pars affirmatiua confirmatur. Duran. Scot. Richard. de S. Vict. Partem affirmantem quidam tribuunt Durando *in 4. diſt. 49. q. 2. num. 24. Thomiſtæ eam ſimpliciter tribuunt Scoto in 2. diſtin. 3. quæſt. 9. §. ad quæſtionem igitur, verſic. hac diſtinctione præmiſſa.* Non deſunt qui eam tribuant *Richardo de S. Victore libr. 1. de Trinitate cap. 4. & libr. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 1. & Henrico quodlib. 8. q. 14. & quodlibet. 12. quæſt. 13. atque etiam Gerſoni alphab. 13.* Sed pro hac ſententia in terminis propoſitis non poteſt citari Durandus: tum, quia in eo loco non agit de cognitione abſtractiua: tum etiam, quia nec de intuitiua hoc affirmauit in ſenſu à nobis propoſito, vt oſtendimus ſuprà quæſt. 2. art. 1. §. 1. n. 3. & inferiùs latiùs oſtendemus. Nec in eiſdem terminis Scotus partem affirmantem probauit, vt dicemus §. 2. Richard. in noſtris terminis quæſtionem non excitauit, vt legenti facilè patebit; nam *lib. 1. cap. 1. & cap. 4.* non agit de intellectu creato deſtituto omni ſupernaturali reuelatione, & conſiderato præciſè ſecundùm ſuam naturalem intelligendi vim; ſed de eo ſuperna reuelatione illuſtrato: & exiſtimat hunc intellectum pro ſtatu viæ poſſe veritates fidei confirmare, non probabilibus modò rationibus, ſed etiam neceſſarijs, & euidentibus, vt ſcribit in dicto cap. 1. & 4. ita inquiẽs: *Erit igitur intentionis noſtræ in hoc opere ad ea, quæ credimus in quantum Dominus dederit non modò probabiles, ſed etiam neceſſarias rationes adducere.* Et hunc ſolùm ſenſum colliges ex alijs locis citatis, vt benè annotauit Suarius *libr. 1. de Trinitate cap. 11. num. 7. & cap. 12. n. 8. & ante eum id annotauit Henricus locis citatis.* Imò non agit Richardus de cognitione quidditatiua diuinæ eſſentiæ intuitiua, aut abſtractiua, ſed generaliter de demonſtratio- Nec Rich. nec Scotus eſt pro hac ſententia. Suarius. Henric.

ne earum veritatum, quas fides tradit. Quare non poteſt citari Richardus pro parte affirmante noſtræ quæſtionis. Nec pro ea citari poteſt Gerſon; quia non agit de cognitione quidditatiua, ſed de rebus fide reuelatis. Et à fortiori nec referri poteſt Henricus, cum in ſenſu explicato ſequatur Richardum. An verò Richardi, Gerſonis, & Henrici opinio vera ſit? alterius eſt quæſtionis, quæ ad noſtrũ inſtitutum non pertinet; de ea tamen aliquid inferiùs dicemus.

2. Raimundus lullus damnatus. Pro parte tamen affirmante citari poſſet quidam Raimundus Lullus Author damnatus ſi vera ſunt, quæ de illo ſcribit Suarius vbi ſuprà n. 3: in ſuis enim opuſculis ſæpè affirmat ſe euidenter demonſtrare myſterium Trinitatis, ita vt per illas demonſtrationes gentilis, & paganus conuincendus ſit, ſi ad eas velit attendere eaſque penetrare. Imò affirmat tam euidentem aſſenſum demonſtrationibus à ſe adductis de Trinitatis myſterio generari poſſe, vt circa illud excludatur aſſenſus fidei. Verùm nec iſte hæreticus pro hac ſententia affirmante adduci poteſt: (Nec iſte hæreticus eſt pro hac ſententia.) tum, quia non ſatis explicat, an loquatur de naturalibus noſtri intellectus viribus ſuppoſita fidei illuſtratione; in quo ſenſu illum intelligit Suarius vbi ſuprà c. 12. n. 8. Tum etiam, quia & ſi loquatur de intellectu ſupernaturali illuſtratione deſtituto, ſolùm agit de aſſenſu euidenti Trinitatis, quo ad an eſt, vt fundamentum à Suario adductum ſatis indicat. Aſſenſus autem euidens Trinitatis quo ad an eſt, quando eſt abſtractiuus non neceſſariò infert aſſenſum euidentem quo ad quid eſt: nam ratione naturali demonſtramus Deum eſſe, non tamẽ quidnam ſit Deus: & fides docet Trinitatem eſſe, non tamen quidnam ſit ipſa Trinitas.

3. Eunomius eam probauit. Quare qui in terminis noſtræ quæſtionis affirmantem partem probauerit, inueni neminem: puto tamen Eunomiũ eam probauiſſe: id enim conuincunt verba Baſilij *lib. 1. aduerſus eundem pag. 261. lit. E.* quatenus irridet hæreticum, *quod ipſam Dei ſubſtantiam ſuis libris, & rationibus velit nobis notam facere.* Quæ verba non poſſunt intelligi, niſi de cognitione abſtractiua: intuitiua enim nec in verbis, nec ſcriptis, ſed ſola obiecti præſentia poteſt nota fieri. Quare quando Baſilius contra eundem concludit *naturale lumen poſſe quidem nobis ſuggerere Deum eſſe, non tamen quidnam ſit Deus*, intelligendus venit de cognitione abſtractiua, quaſi ſupponat hæreticum de illa etiã egiſſe.

Quidquid tamen ſit de authore huius affirmantis partis, illa confirmari poteſt omnibus ferè argumentis, quæ adduximus ſuprà quæſt. 2. art. 1. §. 1. ¶ Primò; quoniam cum Deus ſit ſummè ſimplex, & ab intellectu ſeparato naturaliter cognoſcatur cognitione abſtractiua, non poteſt non cognoſci totus, & ſubinde quidditatiuè. (4. Argumenta huius erroris. 1.)

2. Secundò; quia aliàs Deus in ſe ipſo excederet obiectum adæquatum intellectus creati, & per conſequens non poſſet eleuari ad videndum Deum.

3. Tertiò; quia nullum datur impedimentum, quominùs ex ſua virtute poſſit habere hanc cognitionem.

4. Quartò; quoniam finis naturalis intellectus ſeparati poſitus eſt in cognitione præſtantiſſima primæ intelligentiæ ex Ariſtotele 10. Ethicorũ capite ſeptimo. Poteſt igitur ab intellectu ſeparatò naturaliter acquiri: cum verò cognitio intuitiua Dei ſit naturaliter impoſſibilis, poſſibilis erit abſtractiua.

5. Quintò; quia aliàs in intellectu ſeparato fruſtrà daretur naturalis appetitus ad perfectiſſimam Dei cognitionẽ qualis eſt quidditatiua.

6. Sextò; quia Deus eſt ſumma veritas; ergo ex ſua natura eſt maximè cognoſcibilis in ſua quidditate. Cur igitur non poterit naturaliter ita cognoſci?

7. Septimò; quia intellectus præſertim ſeparatus ad hoc eſt factus, vt Deum perfectiſſimẽ cognoſcat.

8. Octauò; id quod ex ſua natura poteſt videre minus intelligibile, poteſt videre intelligibile maius, vt ait Commentator libro 3. de Anima: etenim intelligere diſtinctè, & clarè id, quod eſt minus intelligibile arguit maiorem intelligendi vim. Sed intellectus ſeparatus ſuis viribus abſtractiuè intelligit quidditates rerum creatarum, quæ ſunt minùs intelligibiles, quàm Deus: ergo poterit ſuis viribus abſtractiuè cognoſcere Dei quidditatem.

9. Nonò; intellectus ſeparatus ex ſua natura eſt capax cognitionis quidditatiuæ diui-

diuinæ eſſentiæ, ſi fuerit abſtractiua: ergo ad liberalitatem Dei authoris naturæ pertinet illi cõmunicaſſe naturalem vim ad habendam hanc cognitionem.

7. 10. Poſtremò; Angeli à principio ſuæ creationis viderunt res in Verbo cognitione matutina, vt ex Auguſt. docet communis Theologorum. Hæc autem cognitio non fuit intuitiua Verbi, quia in via non fuerunt beati: ergo fuit cognitio abſtractiua perfectiſsima, & ſubinde quidditatiua.

§. 2.

Præmiſsis nonnullis aſſeritur pars negans.

8. Sententia negans eſt veriſsima.

Pars tamen negatiua abſque dubio eſt veriſsima pro explicando tamẽ proprio illius ſenſu primo loco prę mittimus ſermonẽ eſſe de intellectu ſeparato in puro ordine naturali ſecluſa omni ſupernaturali reuelatione. Vnde hæc quæſtio longè diuerſa eſt ab ea, quæ inquirit vtrùm ſuppoſita reuelatione poſſit intellectus rationibus à naturali lumine petitis demonſtrare veritatem eorum, quæ per fidem reuelantur. Senſus igitur quæſtionis erit. Vtrùm intellectus ſeparatus, ſeruato modo intelligendi ſibi connaturali, poſsit peruenire ad cognitionẽ abſtractiuam claram, & quidditatiuam Dei.

9. De qua cognitione ſit ſermo.

Et vt omnis tollatur æquiuocatio ſermo eſt de cognitione quæ ſimpliciter, & propriè eſt naturalis, qualis eſt ſola illa, quæ haberi poteſt viribus naturę, actioneque alicuius agentis naturalis, ſecluſo omni dono merè gratuito & naturaliter indebito, ita vt nullo modo pertineat ad ordinem naturalem. Eſt etiam ſermo de cognitione quidditatiua propriè ſumpta, qua cognoſcuntur omnia prædicata eſſentialia vſque ad vltimam differentiam, de qua ſuprà diximus quæſt. 1. artic. 4. quæ cognitio ab Scotiſtis appellatur diſtincta.

10. Not. 2.

Præmittimus ſecundò duplicem dari poſſe cognitionem abſtractiuam claram, & quidditatiuam Dei. Vnam mediatam, quę ſit mediante aliquo obiecto cognito. Alteram immediatam, quæ habetur per aliquam ſpeciem Deum quidditatiuè repræſentantem: de mediata dicemus art. 3. de immediata verò agemus in 4. art. & 5. in hoc articulo generaliter agimus de cognitione naturali abſtrahendo à mediata & immediata.

11. Sententia aſſerenda.

Explicato igitur quæſtionis ſenſu generaliter aſſerendum eſt nullum intellectum ſeparatum, ſiue Angelicum, ſiue humanum viribus naturæ, & per principia intelligendi naturalia poſſe peruenire ad cognitionem abſtractiuam Dei, quæ ſit clara, & quidditatiua illius. Hanc ſententiam probauerunt omnes nemine excepto. (Scotus.) Expreſſè *Scotus quodlibet. 14. §. de ſecundo principali. N:* quo in loco ſimpliciter negat aut animam, aut Angelum ex ſua naturali perfectione concurrentibus quibuſcunque cauſis naturalibus poſſe peruenire ad cognitionem abſtractiuam quidditatiuam diuinæ eſſentiæ. (Scotus cũ ſuis nobiſcum ſunt.) Idẽ *Scotus in 2. d. 3. q. 9. D. §. hac diſtinctione præmiſſa*, vbi id diſertis verbis iterum repetit. Quare mirum eſt quòd Scotus pro cõtraria ſententia à Thomiſtis, & quibuſdã alijs citetur: ſed ſefellit eos æquiuocatio cognitionis naturalis, quæ apud Scotum eſt duplex, vt iam diximus. Quare omnes Scotiſtæ vnanimiter nobiſcum conueniunt: (Lichet. Rada.) cum Scoto *tranſit Lichet. in locis citatis, Rada in 2. p. controuerſ. controu. 8. art. 2. poſt 4. concluſionem*: vbi ita ait: *ſequitur 2. Angelum ex proprijs viribus non poſſe cognoſcere Deum ſub propria, & diſtincta cognitione immediata, vel mediata, qua natura diſtinctè, & quidditatiuè attingatur. Quod adeò verum eſſe arbitror, vt oppoſitum ſuſtineri haud poſſe ſentiam.* Idem expreſſit *1. p. controuerſ. 10. ar. 1. ad 4. principale.* (Baſſolius. Orbelis. Flauius. Angles. Niſſe.) Idem expreſſerunt *Baſſolius in 2. d. 3. q. 3. art. 2. §. contra iſtam poſitionem, pag. 37. col. 1. Orbelis q. 3. Flauius q. 9. 10. & vltima. Angles q. 4. difficul. 8. §. Hinc cognitio, Nicolaus de Niſſe in reſolutione Theologica tract. 2. portione 1. q. 2. fol. 136.* (Maior.) *Maior in 2. d. 3. q. 2. concl. 5.* quatenus docet cognitionem naturalem, quam de Deo Angeli habuerunt per ſpeciem inditam, non dici naturalem, quaſi ex viribus naturæ ſit habita. Quare non eſt dubitandum Scotiſtas in terminis propoſitis nobiſcum cõſentire. Ex alijs authoribus in noſtris terminis idem probat *Suar. in Metaph. d. 30. ſect. 12. num. 7. vbi aſſerit D. Thomam hanc ſententiam intendere 1. p. q. 12. ar. 12. & q. 88. ar. 2. & ibid. Caietanum cum Ferrar. 3. cont. gent. c. 45. imò citat Capreolum in 1. d. 2. q. 1.* (Suariũs nõ fideliter citat quos citat.)

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

2. *q.* 1. *ar.* 1. *à concluſ.* 4. *vſque ad* 8. Sed D. Thomas in dicto artic. 12. ſolùm agit de cognitione animæ coniunctæ, atque intuitiua: in dicta q. 88. art. 2. ſolùm agit de intellectu pro hac vita reſpectu ſubſtantiarum immaterialium, in quo ſolùm ſenſu agunt Caietanus, & Ferrar. Denique Capreolus ſolùm agit de cognitione Dei in via. Quare nec D. Thomas, nec Capreolus, nec Caietanus, aut Ferrar. in citatis locis pro hac ſentẽtia adduci poſsũt. Citari poteſt Caiet. Poterit tamen citari *Caietanus* 1. *p. q.* 56. *artic.* 3. §. *ad euidentiam huius difficultatis*, quatenus generaliter probat Deum non poſſe quidditatiuè videri tam in eſſe naturali, quam in eſſe intentionali, viribus naturæ: per viſionem in eſſe naturali intelligit intuiuam: per viſionem autem in eſſe intentionali non poteſt non intelligere abſtractiuam: & cum ibidem agat de cognitione quidditatiua Dei, quam ex viribus naturæ habet Angelus; vtique nobiſcum probat hanc Dei cognitionem viribus naturæ cuicunque intellectui creato eſſe impoſsibilem: nam §. *Ex his autem patet*, ita concludit: *conceditur quod omnis cognitio poſsibilis haberi de Deo à creatura naturaliter eſt confuſa, quia non quidditatiua*, quæ verba niſi de cognitione abſtractiua intelligi non poſſunt. Et (ni fallor) negari non poteſt hanc fuiſſe mẽtem D. Thomæ: licèt enim in omnibus locis ſemper agat de viſione diuinæ eſſentiæ; tamẽ rationes quibus demonſtrat eam cuicũq; intellectui creato viribus naturæ eſſe impoſsibilem, etiam concludunt de cognitione abſtractiua clara, & quidditatiua, vt patebit §. 4. Idem ſentit D. Thom.

§. 3.

Expenduntur nonnullæ rationes minùs efficaces.

13. Adducũtur rationes nõ ſatis efficaces. Prima ratio.

HAnc ſententiam omnibus indubitatam pleriq; demonſtrant ex eo, quòd nõ poteſt dari cognitio quidditatiua Dei, quæ non ſit intuitiua: nam cum certiſsimum ſit Deum viribus naturæ non poſſe ab aliquo creato intellectu intuitiuè videri, vt fides & ratio demonſtrat, & diximus q. 1. & 2. vtique demonſtratiuè cõcluditur Deum non poſſe viribus naturę cognitione abſtractiua quidditatiua cognoſci, cum talis niſi ſit intuitiua ſit impoſsibilis. Hac ratione vtitur Bellomon. *Bellomõt.* 1. *p. d.* 134. *c.* 3. *n.* 6. *&* 7. Sed ratio falſo nititur fundamento, vt patet ex præfatione huius quæſtionis, & latè diximus lib. 4. q. 9. art. 2. n. 6.

14. 2. ratio. Secundò alij eandem ſententiam inde confirmant, quia cognitio quidditatiua Dei etiam abſtractiua non poteſt nõ eſſe beatifica: at cognitionem beatificam ab aliquo creato intellectu, etiam ſeparato, acquiri poſſe viribus naturæ, & fides reijcit, & ratio naturalis impugnat. Sed nec hoc fundamentum admiſimus in dicta q. 9. art. 2. n. 3.

15. 3. ratio. Tertia ratio eſt eorũ, qui putãt dari nõ poſſe cognitionem abſtractiuam alicuius rei, niſi præcedat notitia intuitiua illius, quod adeò putant eſſe verum, vt dicant, nec per diuinam potentiam oppoſitum fieri poſſe: quæ fuit ſententia *Durandi q.* 3. *prologi n.* 8. *& ſatis indicat in* 2. *d.* 23. *q.* 2. *n.* 8. *&* 9. *à quibuſdam tribuitur noſtro Frãciſco de Chriſto in* 1. *d.* 3. *q.* 1. *ad* 3. Sed viribus naturæ nõ poteſt Deus intuitiuè videri, vt patet ex q. 1. & 2. Ergo fieri non poteſt, vt viribus naturæ habeatur de Deo cognitio abſtractiua quidditatiua, & diſtincta. Hæc tamen ratio & falſam doctrinam ſupponit, & in ſenſu, in quo eſt vera, inefficax eſt ad noſtram ſententiam confirmãdam. Primum patet: quoniam falſiſsimum eſt dari non poſſe diuina potẽtia notitiam abſtractiuam rei, niſi illius procedat notitia intuitiua, vt patebit in quæſtione de poſsibilitate ſpeciei, quæ Deum abſtractiuè, & quidditatiuè repræſentet: quin potiùs illud etiam falſum eſt ſeruato communi naturę ordine: quoniam Angeli per ſpecies ſibi naturaliter inditas plura quidditatiuè nouerunt, antequam illa exiſterent: & prætereà ex diſtincta cognitione cauſæ poſſumus naturaliter deuenire ad cognitionem quidditatiuam effectus, quem nunquam vidimus: & è cõuerſo: & ex diſtincta cognitione effectus poſſum⁹ deuenire ad quidditatiuam cognitionem cauſæ, quam nũquam intuitiuè cognouimus. Quare falſum eſt non poſſe ab intellectu naturaliter haberi cognitionem abſtractiuam claram, & quidditatiuam rei, niſi pręceſſerit intuitiua illius cognitio. Non negamus, ſeruato naturæ ordine, doctrinam illam veram eſſe in hoc ſenſu, vt cognitio abſtractiua abſolutè pręſupponat cognitionem intuitiuam alicuius rei. Et proindè abſtra-

Duran. *Fr. Franc. à Chriſto.* Ratio eſt inefficax.

abſtractiuam cognitionem nonpoſſe eſſe primam, vt concedit *Molina. 1. p. q. 1. art. 2. diſp. 4. ad 2. pag. 14. D.* etenim cognitio intellectus coniuncti naturaliter incipit à cognitione ſenſitiua; ſeparati verò à cognitione ſuæ eſſentiæ. At in hoc ſenſu ex propoſitione illa maiori non firmiter demonſtrabitur cognitionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ neceſſariò præcedere cognitionem illius abſtractiuam.

Molina.

§. 4.

Demonſtratur veritas rationibus efficacioribus.

16. *Efficaciter demonſtratur.*

SIquis deſiderat huius ſententiæ veras demonſtrationes, expendat eas, quas adduximus q. 2. art. 3. 4. & 5. vt demonſtraremus fieri non poſſe, vt Deus viribus naturæ intuitiuè videatur: omnes enim demonſtrant, nec abſtractiuè videri poſſe cognitione quidditatiua.

1. Demonſtra. Prima demonſtratio ſumitur ex principio philoſophico, de quo latè egimus q. 2. art. 5. §. 4. omnem naturalem cognitionem cuiuſcunque cognoſcentis, ſiue illa ſit intuitiua, ſiue abſtractiua fieri ſecundùm modum eſſendi cognoſcentis. Ex quo infertur nullum cognoſcentem abſtractiua cognitione poſſe naturaliter cognoſcere, niſi ea, quæ vel habent eundem eſſendi modum, vel valent cognoſci ad modum eſſendi proprium cognoſcenti: ſed quęcūq; natura creata habet eſſe receptum à Deo: ergo nulla poterit naturaliter cognoſcere, niſi quę vel habent eſſe receptum, vel quæ valent concipi ad modum habentis receptum eſſe: etenim modus naturalis immaterialitatis naturæ intellectiuæ determinat obiectum naturaliter adæquatum intenſiuè, vt diximus in dicto §. 4. Anima enim coniuncta corpori, ideo quia eſt in corpore naturaliter nihil valet cognoſcere, niſi modo corporeo: & quia natura Angelica ex ſe habet eſſe receptum, naturaliter nō cognoſcit, niſi ad modum habentis receptum eſſe: ſed Deus, nec habet eſſe receptum, nec ſecundùm prædicata quidditatiua ſibi propria cognoſci poteſt ad modum habentis receptum eſſe: ergo à nulla creatura poterit diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci cognitione ſibi naturali etiam abſtractiua ſecundùm prædicata quidditatiua ſibi propria: quanuis ſecundùm communia ſibi cum creaturis ita cognoſci valeat: hæc enim quanuis in ſe ipſis nō habeant eſſe receptum: tamen in cōmunitate analogica non repugnat ſibi reperiri in creaturis ſimul cū eſſe recepto, & ideo ab Angelis poſſunt concipi ad modum illorum: ſicut etiam prædicata Dei communia ſibi cum ſubſtantijs corporeis propter vnitatem illam analogicam poſſunt ab intellectu coniuncto concipi modo quodam corporeo, quia illis non repugnat habere talem modum, vt diximus ar. 1. §. 3. demonſtratione 3. huius quæſtionis. Confirmatur quoniam modus cognoſcendi cuicunque cognoſcenti naturalis, ſiue ille intuitiuus ſit, ſiue abſtractiu⁹ conſequitur modum eſſendi naturę cognoſcentis, vt diximus *q. 2. art. 6. in 4. demonſtratione*: ergo modus cognoſcendi naturalis cuicunq; creato intellectui erit ſecundùm modum eſſendi naturæ cognoſcentis. Cum verò omnis natura creata habeat eſſe receptum, omnis ex ſe naturaliter nihil cognoſcet, niſi ad modum habentis eſſe receptum. Iam verò (vt diximus) prædicata propria Dei non poſſunt iſto modo à nobis cognoſci.

Confirmari adhuc poteſt præcedens ratio; quoniam ex ea conſtat obiectum intenſiuè adæquatum cuicunque creato intellectui eſſe ens habens eſſe participatum: Deus autem eſt extra hoc obiectū, cum ſit ens per eſſentiam. Iam verò nullus intellectus naturaliter poteſt intelligere etiam abſtractiuè, quod eſt extra ſuum obiectū intenſiuè adæquatū. Cui etiam fauet, quod nullus intellectus creatus poteſt Deum naturaliter cognoſcere, niſi per ſubſtantiam, quæ ſub obiecto ſibi adæquato continetur: ab hac enim incipit naturalis cognitio cuiuſcunque creati intellectus: ſed de hoc inferiùs. 17. *Confirmatur.*

Secunda demōſtratio ſumitur ex defectu vnionis naturalis diuinæ eſſentiæ cum intellectu creato: quo medio vſi ſumus ſupra q. 2. art. 3. nam ad quamcunq; intellectionem, ſiue intuitiuam, ſiue abſtractiuam neceſſaria eſt vnio obiecti cum potentia, vt ibidem oſtendimus: ergo vt cognitio abſtractiua alicuius obiecti ſit naturalis, opus eſt vt intellectus poſſit naturaliter illi vniri: ſed intellectus creatus etiam ſeparatus non poteſt naturaliter 18. *2. demonſtratio.*

ter vniri obiectiuè cum diuina eſſentia ſecundùm quidditatiua prædicata illi propria: ergo non poterit viribus naturæ abſtractiuè cognoſcere Deum cognitione quidditatiua. Maiorem eſſe veriſsimam iam oſtendimus: minor autem inde mõſtratur, quoniam intellectus creatus, vel illo modo vniretur diuinæ eſſentiæ immediatè in ſe ipſa; vel vt eſt intẽtionaliter repræſentata. Non primo modo; quia talis vnio eſſet intuitiua. Nec ſecundo modo: quoniam diuina eſſentia, nec poteſt intellectui creato diſtinctè repræſentari in aliquo medio naturaliter cognito, vt in artic. ſequenti oſtendemus, nec per aliquam ſpeciem viribus naturę aſſecutã, quæ eſt impoſsibilis vt demonſtrabimus art. 4. Ergo nullo modo intellectus creatus poteſt ſibi naturaliter vnire diuinam eſſentiam ſecundũ prædicata quidditatiua illi propria.

19. 3. Demõſtratio. Tertia demonſtratio: quia in intellectu creato non datur tota, & integra virtus, quæ ex parte potentię eſt ſimpliciter neceſſaria ad eliciendum cognitionẽ abſtractiuam, & quidditatiuam diuinæ eſſentiæ, vt patebit ex 4. quæſtione: ergo, intellectus creatus etiam ſeparatus non poteſt viribus naturæ habere cognitionẽ abſtractiuam, quæ ſit quidditaua Dei: nullus enim actus poteſt eſſe naturalis intellectui, niſi intellectus ex ſua natura habeat totam, & integram virtutem ex parte potentiæ neceſſariam ad illum eliciendum.

20. 4. Demõſtratio. Quarta demonſtratio, nec ad inſtitutũ inefficax, ſumi poteſt ex exceſſu intelligibilitatis diuinæ eſſentiæ ſuprà vim cuiuſcunque intellectus creati: etenim lumen naturale intellectus, dum intelligit ſummam diuinæ eſſentiæ actualitatem ſimul cum limitatione ſuæ naturalis virtutis, naturaliter intelligit vim intellectiuam creatam magis diſtare ab intelligibilitate diuinæ eſſentiæ, quam diſtet oculus noctuæ à luce Solis. Quare ſi iſte oculus ſua virtute naturali nõ poteſt rectà intueri claritatem Solis, vtique nec vis naturalis intellectus creati etiam ſupremi poterit cognitione ſua licèt abſtractiua diſtinctè cognoſcere quidditatem diuinæ eſſentiæ. Vide quæ diximus ſuprà quæſtione ſecunda, artic. 6. in vltima ratione.

Confirmatur; quoniam magis diſtat diuina actualitas, & intelligibilitas à naturali virtute cuiuſcunq; intellectus creati, quam actualitas, & intelligibilitas ſubſtantiæ ſeparatæ à naturali virtute animę coniunctæ: ſed intellectus animæ coniunctæ non poteſt naturaliter cognoſcere quidditatiuè etiam abſtractiuè ſubſtãtias ſeparatas: ergo nec poterit diuinam eſſentiam. Minorem latè probauimus q. 1. art. 4. Maior autem non ſolùm eſt euidens ſi comparetur actualitas diuinæ eſſentiæ, vt coniuncta eſt cum ſua infinitate; ſed etiam ſi comparetur in ratione generis intelligibilis. Prior enim excludit quidem comprehenſionem: non tamen cognitionem quidditatiuam, vt patet in beatis; poſterior autem hanc etiam excludit. Pro quo aduerte in genere intelligibilium tres ordines diſtingui: ſupremũ ſcilicet, medium, & infimum. 21. Confirmat.

In infimo ponuntur intelligibilia in potentia, vt ſubſtantiæ corporeæ: in medio collocantur intelligibilia in actu per participationem tamen: in ſupremo ſunt intelligibilia per eſſentiam, qualis eſt ſolus Deus. Negari autem non poteſt intelligibilia ſupremi ordinis relata ad virtutem intellectiuam ordinis creati magis diſtare in ſua intelligibilitate, & actualitate à virtute intellectiua cuiuſcunque creati intellect⁹, quàm diſtet actualitas, & intelligibilitas ordinis medij (qualis eſt intelligibilitas ſubſtãtiarũ ſeparatarum) à virtute intellectus coniuncti: etenim intelligibilitas ordinis medij in hoc ſolũ diſtinguitur ab intelligibilitate ordinis infimi, quia eſt intelligibilitas in actu, illa verò in potentia. At verò intelligibilitas ſupremi ordinis eſt intelligibilitas per eſſentiam, aliæ verò per participationem. Iam verò intelligibilitas per eſſentiam magis diſtat ab ea, quæ eſt per participationẽ, quàm intelligibilitas in actu ab intelligibilitate in potentia: nam hæ duæ, quanuis in hoc differant, quòd vna eſt in actu, alia ſolùm in potentia; ambæ tamen in hoc vniuocè conueniunt, quòd ambæ ſunt intelligibilitates participatæ; cum tamen intelligibilitas per eſſentiam in nullo vniuocè conueniat cum intelligibilitate per participationem, ſed ſolùm analogicè. Cum verò vnaquæque intelligibilitas habeat virtutem intellectiuam ſibi 22. Tres ordines intelligibilium.

ſibi connaturalem (nam intelligibilitas per eſſentiam habet ſolùm intellectum diuinum ſibi proportionatum: intelligibilitas autem in actu habet ſolùm intellectum ſeparatum à materia: intelligibilitas verò in potentia ſolùm ſibi vendicat intellectum coniunctũ) non eſt negandum magis diſtare intelligibilitatem per eſſentiam ab intellectu à materia ſeparato, quàm diſtat intelligibilitas ſubſtãtiæ ſeparatæ.

23. Poſtrema ratio.

Poſtrema demonſtratio ſumetur ex eo, quod omnis naturalis cognitio obiecti, vel habetur ex cognitione cauſæ, vel ex cognitione effectus, vel denique per aliquam ſpeciem naturaliter acquiſitam. Primus modus eſt impoſsibilis, quia Deus non habet cauſam ſui eſſe. Deum autem non poſſe ex ſuis effectis naturaliter cognoſci cognitione abſtractiua, & quidditatiua oſtendemus in ſequenti articulo 3. in quarto verò articulo demonſtrabimus nullam dari poſſe ſpeciem actione agentis naturalis productam, quæ Deum diſtinctè, & quidditatiuè repræſentet.

§. 5.

Confirmatur eadem veritas ex ſacris literis.

24. Cõfirmatio ex S. literis.

EAdem veritas non leuiter confirmatur ex quibuſdam locis ſacrarũ literarum. Primus mihi optimus ſit Pauli 1. Timot. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, & cæt.* quæ verba nõ eſſe explicanda, aut de inuiſibilitate Patris in natura aſſumpta, aut per oculos corporeos, ſed de inuiſibilitate per vires naturę iam aduertimus in pręcedenti art. §. 4. vbi etiam diximus ſententiam Pauli cum ſit generalis, generaliter eſſe explicandã: vt comprehendat omnem naturalem cognitionem, tam intuitiuam, quàm abſtractiuam cuiuſcunque intellectus creati.

25. Ioan. 1.

Non minoris efficaciæ eſt locus Ioannis primo: *Deum nemo vidit vnquam*, ſi mens, & inſtitutum Ioannis conſiderati ùs expẽdatur: nam cum illis verbis cõfirmet propoſitionem immediatè poſitã *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vt nullus niſi ſolus Chriſtus diuinas veritates poſsit nobis enarrare, euidenter oſtendit verba illa, *Deum nemo vidit vnquam*, non ſolùm intelligenda eſſe de cognitione intuitiua, ſed etiam abſtractiua; cum vtraque, ſi diſtincta ſit, & quidditatiua ſatis ſit ad enarrandas veritates diuinas. Cum verò verba antecedentia, & ſequentia: *Vnigenitus Dei Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, ſenſum habeãt excluſiuum, vt docet Hilarius; vtiq; non ſolùm intelligenda ſunt de intellectu noſtro coniuncto, ſed etiam de quocunque creato. *Hilarius.*

26. 1. Tim. 6.

Accedant etiam verba Pauli 1. Timot. 6. *Qui ſolus lucem habitat inacceſsibilem.* Verba item Matthæi. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: nec Patrem quis nouit, niſi Filius* De quibus diximus in pręcedente articulo §. 3. loco. 3. & 4.

Iſaiæ. 6.

Apertiſsimus locus ponitur Iſaiæ 6. *Seraphim ſtabant ſuprà templum ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciẽ eius:* vide in dicto §. 3. loco 5. Tandem accedant verba Iob capite 28. vbi de ſapientia dicitur: *Abſcõndita eſt ab oculis omniũ viuentium: volucres cœli latet*, vbi ſermo eſt de ſapientia increata, ex D. Gregorio, D. Thoma, Carthuſiano, & alijs; & euidenter intelliguntur de cognitione abſtractiua, vt ibi diximus, & eſt ſermo etiã de ſpiritibus Angelicis, quos appellat volucres cœli, vt patet ex Gloſſa interlin. Lyrano, & cæteris.

27. Oppoſitã ſẽtentia non eſt tuta. Vterq; Cyrillus.

Ex quibus patet oppoſitam ſententiã non ſatis eſſe tutam. Cui fauent quæ de Angelorum hac de re ignorantia docet *Cyrillus Hieroſolymitanus catec. 6. in 2. tomo bibliothecæ Patrum pag. 87. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 22. pagin.* 638. dum aſſerit Deum ſuperare aciem omnis creaturæ. Chryſoſtomus item ſatis id declarat *homil. 1. de incomprehenſibili Dei natura pag. 966. D. & homilia 3. poſt principium. Vnde homilia 5. pag. 995.* generaliter docet ſubſtantiam inferiorem nõ poſſe naturæ ſuę viribus perfectè intelligere ſuperiorem. *Chryſoſt.* Nazianzenus *in 2. Oratione Theologiæ pag. 298.* concludit Deum quidem ab omni natura rationis capaci appeti: quæ tamen in illo cognoſcendo viribus deficit. *Nazianz.* Et pag. 300. col. 2. abſolutè concludit naturam Dei intellectu aſſequi, eſſe ſuprà naturales vires. Deniq; Theodoretus *Dialogo primo, pagina 301. & 302* idem hac de re docet de Angelis quod docuerat de hominibus. *Theodore.*

§. 6.

Soluuntur argumenta adducta. §. 1.

28. Ad 1. QVÆ in contrarium adducuntur facilem habent ſolutionem. Ad primum vide ſuprà q. 1. art. 1. §. 1. ad finem, & ſuprà art. 1. huius quæſtionis §. 4. Ad ſecundum admittenda eſt ſequela, ſi conſequens intelligatur de obiecto intenſiue adæquato. Ex quo non benè infertur abſurdum quod intẽditur.

Ad 2. Ad tertium negandum eſt nullum dari impedimentum: quoniam modus eſſendi naturæ habẽtis eſſe participatũ efficit, ne intelligamus, quæ per modum habentis eſſe receptum intelligi non poſſunt.

Ad 3.

29. Ad 4. Ad 4. facilis eſt ſolutio, ſi dicamus beatitudinem naturalẽ creaturæ intellectualis creatæ poſitam eſſe in cognitione præſtantiſsima, quæ de Deo naturaliter haberi poteſt, vt habes ex *D. Thoma 1. p. q. 62. art. 1.* hæc autem cum habeatur per quãdam ſimilitudinem Dei participatam, in qua Deus relucet, vt eſt prima rerũ cauſa, eſt imperfecta, & non quidditatiua ex D. Thoma ibidem ad 3. de quo plura in ſequenti articulo. *D. Thom.*

30. Ad 5. Ad quintum patet ſolutio ex dictis. *q. 1. art. 4. §. 8. ad. 3. & in præcedente art. §. 4. ad* 4. & negandum eſt dari in nobis appetitum naturalem ad quidditatiuam Dei cognitionem: admittendus eſt tamen ad perfectiſsimam cognitionem Dei, quæ ex creaturis haberi poteſt, in qua poſita eſt naturalis beatitudo, quæ nõ eſt quidditatiua Dei vt iam diximus.

31. Ad ſextũ admittimus Deum ex ſua natura eſſe ſummè intelligibilem: inde tamen non infertur eum viribus naturæ poſſe cognoſci; imò oppoſitum infertur: quoniam excellentia intelligibilitatis potius cauſat difficultatem in intellectu inferiori, quam arguat facilitatem: ſiue iſta difficultas ortum habeat ex ipſa intelligibilitatis excellentia, vt cum Empedocle plures exiſtimant; ſiue ex imperfectione intellectus creati, vt verior habet opinio, de quo in 2. Metaphy. cap. 1. vbi *Fonſeca q.* 1. ſemper enim excellentia intelligibilitatis rei ordinis ſuperioris ex ſe eſt improportionata, vt ab intellectu inferioris ordinis diſtinctè cognoſcatur. Et ideo ad argumentum conſequẽtiam negauit D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *Fonſeca.* *D. Thom.* *& de verit. q. 10. art. 11. ad 13. Vide ſuprà q. 1. art. 5. §. 3. ad 4. & q. 2. art. 5. ad 9.*

32. Ad 7. Ad ſeptimũ negandum eſt intellectũ etiam ſeparatum fuiſſe à Deo conditum, vt eum quidditatiuè cognoſceret, tanquã ad finem naturalem: nec enim naturalis beatitudo poſita eſt in hac Dei cognitione vt iam diximus.

33. Ad 8. Ad octauum iam reſpondimus q. 2. art. 1. §. 5. ad 10.

Ad 9. Ad nonũ negatur antecedens, vt in ſimili negauit *D. Thomas in 4. d. 49. art. 6. ad* 7. etenim intellectus creatus ex ſuo modo eſſendi improportionatus eſt ad cognoſcendum prædicata propria Dei, vt ſæpe diximus. *D. Thom.*

34. Ad poſtre. Ad poſtremum negandum eſt Angelos in via habuiſſe cognitionem rerum matutinam in Verbo, & veſpertinam in proprio genere, de qua loquitur Auguſtinus, vt oſtendimus lib. 5. q. 16. art. 3. nu. 24. has enim duas cognitiones ſolùm habuerunt in patria, vt ibidem diximus cum D. Thoma *de verit. q. 8. ar. 3. ad 1. & in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 1. de quo Ferrarienſ. 3. contr. gent. cap. 49. in vltimis verbis.* Nec Auguſtinus vnquam oppoſitũ dixit, vt loco citato latè oſtendimus. Quòd ſi cũ *Scoto in 2. d. 3. q. 9. litera F. quem nonnulli ex Scotiſtis ſequuntur, & cum illis Ouandus ibidem propoſitione 15. ad. 2.* illam cognitionem appelles matutinam, quam Angeli ex mente Scoti habuerunt diuinæ quidditatis; argumentum nihil officit: quoniam nos agimus de cognitione quidditatiua Dei per vires naturæ, qualis non fuit, quam Scotus Angelis tribuit, vt ſuo loco oſtendemus. *D. Thom.* *Ferrarien.* *Scotus.* *Ouandus.*

ARTICVLVS III.

Vtrũ intellectus creatus ſeparatus à materia poſsit naturaliter Deum cognoſcere cognitione quidditatiua abſtractiua in aliquo obiecto naturaliter cognito.

§. 1.

Explicato verò quæſtionis ſenſu demonſtratur pars negatiua.

1. INitio huius quæſtionis aduertimus cũ Scoto, & alijs duplicem dari poſſe cognitionem abſtractiuam quidditatiuã Dei

Duplex cognitio abſtractiua, & quidditatiua Dei. Dei: vnam mediatam: quæ ſit mediante aliquo obiecto cognito: immediatam alteram, quæ ſit per aliquam ſpeciẽ repræſentatiuam Dei in ſua quidditate. Et quãuis ex præcedente articulo iam conſtet neutram poſſe viribus naturæ haberi: tamen propter ſpeciales difficultates, quæ in vtraque iſta cognitione ſe ſe offerunt, conſultò circa ſingulas, ſingulos excitamus articulos. Et in hoc 3. ſpecialiter agimus de cognitione mediata in aliquo obiecto cognito. Aduertẽt a D. Thom. Si tamen priùs aduertamus cognitionem mediatam duobus adhuc modis dari poſſe, vt docet *D. Thomas 3. cont. gent cap. 49. in principio, & aduertit* Rada. *Rada 1. parte controu. 8. notab. 2. conclu. 3. pag. 23. col. 1.* vno modo; quando vnum cognoſcitur in alio cognito: altero modo; quando cognoſcitur per alterum cognitum. Hæc poſterior cognitio fit per diſcurſum; quia ex cognitione vnius deuenimus in cognitionem alterius. Illa prior eſt ſimplex, & ſine diſcurſu; quomodo in cauſa cognoſcitur effectus, & in effectu ipſa cauſa. In vtroque ſenſu diſputabitur quæſtio: in priori in hoc articulo; in poſteriori in art. 4. ſequenti. Senſus quæſtionis. In hoc igitur art. inquirimus de cognitione in aliquo obiecto naturaliter cognito.

2. Pars negãs hoc ſenſu ab omnib9 recipitur. In hoc ſenſu nulla eſt inter Authores controuerſia, ſi ſinguli benè expendantur: omnes enim ingenuè fatentur partem negantem eſſe veram. Id ſatis explicarunt Authores primæ opinionis relatæ à Durand. *Durando in 4. d. 49. q. 2. nu. 11. intermi*nis ſtatuitur à Suarius. *Suario in Metaphy. d. 30. ſect. 11. num. 8. & 9. & ſect. 12. nu. 6. eandem expreſſè poſuit* Scotus. *Scotus quodlib. 14. §. de tertio principali DD. vbi* Lichetus. *Lichetus fol. 81. colu. 3. in fine eandem aliquo modo explicat Scotus in 2. d. 3. q. 9. §. contra ſecundam verſ. confirmatur, A. vbi etiã Lichetus fol. 103. col. 3. dubitatione 4. & 6.* Rada. *Rada 1. p. cõtrouerſia 10. art. 1. concluſione 1. & 2. parte controu. 8. conclu. 4. §. ex his ſequitur. 1. ſatis explicat* Herrera. *Herrera in 2. librum Scoti diſp. 9. q. 5. conclu. 2. & 3. Hanc fuiſſe ſententiam* D. Thom. *D. Thomæ euidenter patet ex 3. contra gent. cap. 49. maximè in prima ratione*, vbi agens de cognitione quidditatiua Dei cõcludit fieri non poſſe, *vt Angelus Deum diſtinctè cognoſcat in aliquo obiecto cognito. vbi* Ferrar. *Ferrarien. Idem D. Thomas. 1. p. q. 56, ar. 3. vbi* Caietan. *Caietat. §. Ad ſecundam vero*, nec hoc lõge eſt à mente omnium Thomiſtarum, quamuis in his noſtris terminis non ſatis clarè loquantur. Fallitur Rada. Falſus eſt igitur Rada dũ & D. Thomæ, & Thomiſtis imponit; quod doceant Angelum per ſuam eſſentiam cognitam, & in ſua eſſentia cognita Deum naturaliter cognoſcere cognitione diſtincta, & propria, quod de Thomiſtis ſcribit in *dicta controuerſia 8. art. 2. in principio, & inferiùs poſt 4. concluſionem §. reſpondent Thomiſtæ*: etenim ſi per cognitionẽ diſtinctam, & propriam intelligat cognitionẽ quidditatiuam in ſenſu à nobis iam explicato falsò hanc ſententiam imponit, aut D. Thomæ, aut Thomiſtis: omnes enim hanc Dei cognitionem Angelis denegant, vt idem Rada fatetur *in fine 4. concluſionis pag. 239. col. 1.*

3. Communis demonſtratio. Communis huius veritatis demonſtratio eſt hæc: Deus in nullo obiecto naturaliter cognito poteſt cognoſci, vt in cauſa; quia Deus nullam habet cauſam. Igitur ſi Deus naturaliter cognoſcitur in aliquo obiecto cognito, in illo cognoſcetur, tanquam in effectu ſuo. Hoc autem eſſe impoſsibile inde probatur; quoniã nihil diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci poteſt in alio cognito, niſi in eo contineatur, vel formaliter, vt animal continetur in homine: vel eminenter, vt creaturæ continentur in Deo: vel participatiuè participatione adæquata, vt cauſa continetur in ſuo adæquato effectu, vt cum *Fonſeca oſtendimus q. 1. art. 4. §. 6. demonſtratione 4.* Fonſeca. Sed Deus in nullo ſuo effectu formaliter continetur; quia nulli rei creatæ eſt de eſſentia: nec in aliquo effectu continetur eminenter; quia omnia effecta in eo eminenter continentur: deniq; Dei entitas in nullo ſuo effectu poteſt contineri participatione adęquata; quia nulla creatura poteſt adæquatè participare diuinam entitatem, vt patet. Porrò ſi nullus effectus creatus adæquatè participat diuinam entitatem; vtique nec adæquatè participabit illius intelligibilitatem, & per conſequens Deus diſtinctè cognoſci non poterit in aliquo ſuo effectu cognito. Ad hãc demonſtrationem reuocari poſſunt aliæ ferè omnes, quas paſsim apud Authores inuenies.

§. 2.

Prima obiectio contra præcedentem demõſtrationem ſumpta ex viſione beatiſica.

 Hæc

4. Obiectiones contra precedentẽ demõſtrat.

HÆC tamen demonſtratio multis expoſita eſt obiectionibus: quoniam propoſitio ſumpta pro medio, & in ſe eſt dubitabilis, & non videtur ſufficiens ad rem demonſtrandam. Quare primum obijciemus contra illius mediũ; deinde contra ipſam demonſtrationem.

5. 1. Obiectio

Quod attinet ad primum contra propoſitionem ſumptam pro medio, ſumitur obiectio ex viſione beatifica: in hac enim obiectiuè cognita Deus diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcitur: cum tamen Deus in ea, nec formaliter, nec eminenter, nec participatiuè adæquatè cõtineatur. Minor patet quoniam Deus cum nõ ingrediatur quidditatem illius viſionis, in ea formaliter nõ continetur: nec etiã eminenter, cum eam potiùs in ſe eminẽter contineat. Denique non continetur participatiuè adæquatè; quia viſio non participat omnem Dei entitatem. Maior verò quibuſdam Theologis probata fuit, vt refert Suarius in dicta ſectione 11. nu. 9. nec poſſunt eam non probare, qui beatitudinem formalem eſſentialiter ponunt in viſione reflexa, qua beatus videt ſe Deum videre: & efficaciter probatur ex eo, quod viſio beata eſt expreſſa ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, qua beatus formaliter Deum videt.

Prima Solutio.

6. 1. Obiectionis ſolutio.

Huic difficultati quidam ſuccumbentes negant viſionem beatam poſſe in ſe ipſa diſtinctè videri; non ob aliam rationem, niſi quia in ipſa viſa non poteſt Deus diſtinctè non videri. Cum verò impoſsibile ſit Deum diſtinctè videri in aliquo obiecto creato diſtinctè viſo; inferunt viſionem ipſam nõ poſſe in ſe diſtinctè videri. Qui hanc ſententiam probauerit, inueni neminem; eam tamen probaſſe videtur, cum formidine tamen, Suarius in dicto num. 9. Sed opinio verè

Reijcitur.

eſt improbabilis: nec enim video cur negandum ſit viſionẽ beatam eſſe in ſe ipſa viſibilẽ, vel viſione reflexa à proprio beato, vel directa alterius beati: Cùm enim quanuis veriſsimum ſit beatum de facto non videre ſe Deum videre, niſi per ipſam viſionem, qua Deum videt, quatenùs eſt eminenter reflexa, vt diximus, *lib. 4. q. 9.*

Viſio beata eſt in ſeipſa viſibilis.

art. 6. num. 8. & 9. tamen non video cur negandum ſit ipſam viſionem poſſe in ſe ipſa videri, vel ab ipſo beato per actũ formaliter reflexum, quo reflectatur in ipſam viſionem, vt eſt quidam actus: vel ab alio beato per actum directum, quo per ſcientiam infuſam cognitionis veſpertinæ cognoſcit res in proprio genere, quæ eſt communis Theologia, de qua *Ochamus in 4. q. 13. Gabriel in 3. d. 14. q. vnica art. 1. H. Supplementum illius in 4. d. 49. q. 3. art. 3. dubio 2. H, Holcot. q. 7. ſuarum determinationũ in ſecunda opinione, ſatis Bellomontan. 1. p. d. 15. cap. 2. num. 4. nec omninò reijcit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 18. num. 9. & in Metaphy. d. 30. ſec. 11. num 9.* quanuis enim propter perfectionem viſionis beatus non indigeat actu reflexo à ſua viſione realiter diſtincto, quo videat ſe videre Deum, quia id ſatis videt per ipſam formalem viſionem, vt diximus: tamen nõ video cur beatus viribus etiam naturalibus ſuæ beatitudinis non poſsit habere actum reflexũ realiter diſtinctum à viſione, quo ſuam viſionem videat in proprio genere, & cognoſcat non ſolùm ſe videre Deũ, ſed etiam quæ qualis vè ſit entitas viſionis ſuæ. Nec Scotus ab hac opinione diſcedit. *quodlib. 14. litera FF. GG. II.* licèt enim neget beatum, etiam Angelum, poſſe naturaliter reflecti ſuprà ſuum actum beatificum; nõ tamen negat poſſe hanc reflexionem facere virtute ſpeciali Dei, quod ſatis eſt vt dicamus eum pro nobis ſtare. Et vt veritas huius opinionis magis appareat puto eſſe probabiliſsimam ſententiam Suarij. *1. tomo. ad 3. p. d. 27. ſect. 3. in 2.* obiectione docentis viſiones beatas cognoſci à Chriſto Domino per ſpecies proprias ſcientiæ infuſæ, & per cognitionem diſtinctam à viſione beata. Quod etiam puto dicendum eſſe de ſingulis beatis, vt per ſpecies infuſas cognitionis veſpertinæ, qua res cognoſcunt in proprio genere, videant viſiones beatas aliorum beatorum. Imò nõ puto improbabile quod Suarius loco citato aſſerit §. *Secundo, quo ad propriam viſionem* beatum per ſuam propriã viſionẽ videre poſſe viſiones aliorum beatorum. Quare non eſt negandum viſionem beatam poſſe diſtinctè cognoſci in ſe ipſa, & in propria ſui generis entitate: quod tanquam veriſsimũ Doctores ſuperiùs

Ochamus. Gabriel. Holcot. Bellomon. Suarius.

Scotus non negat.

7. Suarius.

perius citati ſupponunt, & expreſsè idē
Suarius. Salas. Suarius *locis citatis, Salas* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. *ſect.* 4. *in fine*: nam cum in ſe ipſa ſit quoddam ens, neceſſariò erit intelligibilis, viſibiliſq; in ſuo ꝓprio genere. Fundamentū autem oppoſitæ ſententiæ ſatis eſt debile: tum, quia ſupponit id de quo eſt controuerſia: tum, quia falſum eſt Deum neceſſariò videri in viſione beata viſa, vt ex dicendis patebit.

Secunda Solutio.

8. 2. Solutio. Secunda ſolutio eſt eorum, qui propoſitionem ſumptam putant ſolùm eſſe
Suarius. verā in obiecto naturaliter cognito: quæ ſolutio non diſplicet *Suario in dicta ſect.* 11 *n.* 9. nam cum in hac quæſtione ſermo ſit de cognitione naturali Dei in aliquo ſuo effectu cognito: nec poſsit cognitio eſſe naturalis, niſi obiectum, in quo Deus cognoſcitur ſit naturaliter cognitū, propoſitio, quæ pro medio ſumitur in eodē ſenſu eſt explicanda. Contra quam propoſitionem non habet locū inſtantia allata: quoniam cognitio beata naturaliter cognoſci non poteſt ab vllo intellectu creato viribus ſuæ naturæ relicto.

9. Sed quanuis hæc ſolutio ſatis ſit, vt demonſtratio allata maneat illæſa: tamen, quia propoſitio illa in illis terminis ideo eſt vera, quia generaliter verum eſt nihil poſſe in aliquo obiecto cognito (ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter cognoſcatur) diſtinctè cognoſci, niſi aliquo illorū trium modorum: in eo contineatur: & ob hāc rationem Deus diſtinctè cognoſci nequeat in aliquo ſuo effectu cognito, ſiue ille naturalis ſit, ſiue ſupernaturalis, vt optimè aduertit *Bellomontanus* 1. *p. d.* 135 *cap.* 4. *& dicemus inferiùs q.* 12. *art.* 1. *n.* 13. *ad* 11. *arg.* operęprętium erit propoſitionem illam generaliter ſumptam ab aduerſariorum inſtantijs liberare.

Tertio Solutio.

10. 3. Solutio. Sit igitur tertia ſolutio eaque veriſsima, quæ negat maiorem: Deum ſcilicet diſtinctè, & quidditatiuè videri in viſione beata, vt viſa in ſe: quæ eſt cōmunis ſo-
Bellomon. Gregor. lutio. Pro ea Bellomontanus citat Gregorium *in* 1. *d.* 3.. Sed cum in ea quatuor excitet quæſtiones, deberet citare determinatum locum: ego in illis nihil potui pro hac ſententia inuenire; citat etiā Gabrielem in 2. d. 9. q. 2. art. 5. propoſitione 1. ſed ibi nec verbum ſcribit de viſione beata vt cognita, quanuis aliqua dicat, quæ huic opinioni fauent. Eam igitur expreſſe probat *Gregorius in* 2. *d.* 9. *q.* 2. *fol.* *Gregor.*
63. *colum.* 4. *verſ. ſed contra hoc, Bellomon.* *Bellomon.*
1. *p. d.* 38. *cap.* 4. *num.* 24. *in fine, Suarius* 1. *Suarius.*
tom. ad 3. *p. d.* 27. *ſect.* 3. *in* 2. *obiectione, &* *Cumelius.*
in Metaphy. d. 30. *ſect.* 11. *num.* 9. *Cumeli.* 1. *p. quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 2. §. *ſed obijcies,*
& nos diximus ſuprà lib. 4. *q.* 9. *art.* 6. *num.* *Scotus.*
13. *& fuit ſententia Scoti quodlib.* 14. *art.* 3. *GG. & II.*

Sed in fundamento hui⁹ opinionis nō omnes conueniunt. Quidam ex eo fundamentum ſumunt; quia viſio beata non eſt ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, ſicut nec intellectio eſt ſimilitudo obiecti. Quæ eſt communior ſententia Thomiſtarum, vt teſtatur *Cumelius* 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *q.* 2. *concluſione* 2. *& ſolutione ad* 2. *& Salas* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. *ſect.* 8. *& vterque eādem probat, fuit etiam ſententia Capreoli in* 4. *d.* 49. *q.* 5. *ad primum Aureoli c.* 1. *fol.* 213. *col.* 1. *& in* 1. *d.* 35. *q.* 1. *articul.* 3. *fol.* 235. *col.* 4. *&* 236. *col.* 2. *Ferrar.* 3. *contra gent. cap.* 49. *in explicatione tertiæ rationis, ex recentioribus. Molina* 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *d.* 1. *concl.* 3. *Curſ. Conimbr. lib.* 1. *de interpretatione c.* 1. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 5. Sed hæc opinio, nec in ſe eſt vera, nec ſatis eſt ad tollendā difficultatem. Nō eſt quidē vera; quoniā intellectio, vt eſt intellectio, nō eſt actio de prędicamento actionis, ſed vera qualitas, vt latè oſtendimus lib. 4. q. 2. art. 4. §. 2. per totum. Cū verò ſit qualitas, qua intellectus formaliter intelligit obiectum, non poterit non eſſe vera, & expreſſa ſimilitudo, & imago obiecti cogniti. Quæ ſententia nō ſolùm vera eſt apud eos, qui putant intellectionē formaliter eſſe cōceptū, & verbū mentis (null⁹ enim negat cōceptū, & verbū intellectus eſſe ſimilitudinē, & imaginē rei cuius eſt verbū) ſed etiā 12.
apud Thomiſtas, qui volunt intellectionē eſſe qualitatē diſtinctā à verbo hi enī fere omnes libenter admittūt intellectionē, vt à verbo diſtinguitur eſſe verā obiecti imaginē ita Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. Sed quidquid ſit de cōmuni Thomiſtarū ſententia, cōmunior opinio aliorum, qui intellectionem collocant in genere qualitatis, tanquam indubitatum admittit intelle-

11. 1. Fundam.

intellectionem eſſe ſimilitudinem, & imaginem expreſſam rei intellectæ: *Præter Sotum loco citato latè id probat Bellomonta. 1. parte, d. 38. cap. 2. num. 5. Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 12. nu. 8. & in Metaphyſ. d. 30. ſect. 11. num. 32. ſatis id ſupponit 1. tom. ad 3. p. d. 27. in ſecunda obiectione §. dices illa viſio* ſatis eſt de mente Caietani 1. part. quæſt. 79. artic. 2. *§. ad cuius euidentiam ſcito,* vbi poſtquam docuit intellectionem eſſe qualitatem, id ex eo confirmat, quia intelligens per intellectionem fit actu ipſa res intellecta: illa autem non fieret, niſi intellectio eſſet rei intellectæ ſimilitudo. Quare ſolutio ſupponit falſam Philoſophiam. Sed nec admittenda eſſet, etiam ſi illa vera foret: quoniam cum hi Authores admittant in beatis dari verbum diuinæ eſſentiæ productum per intellectionem; & ſimul admittant verbum illud eſſe veram, & naturalem diuinę eſſentiæ ſimilitudinē; difficultas, quæ de viſione beata cognita in ſe aduerſus nos excitatur, excitaretur etiā de verbo; quia in eo viſo videretur Deus.

Sotus. *Bellom.* *Suarius.* *Caietan.*

13. Verum fundamentum

Verum igitur illius opinionis fundamentum ex eo ſumendum eſt, quòd viſio beata, vt obiectiuè cognita eſt quædam ſimilitudo, & imago Dei imperfecta, & inadequata, quæ eſt communis ſolutio, de qua Scotus *quodlib. 14. articul. 3. §. ad iſta litera HH. II. latè Bellomont. vbi ſuprà cap. 4. nu. 25. Suarius in dict. ſect. 11. num. 9. & 1. tomo ad 3, p. d. 27. ſect. 3. §. dices, illa viſio.* Sed vt ſolutio iſta melius intelligatur aduertendum eſt, & ſatis ad mentem Ariſtotelis de memoria, & reminiſc. cap. 1. non longè à fine viſionem ſecundùm eandem adequatam entitatem viſionis, quatenùs ſcilicet eſt viſio, & imago quædam repoſita in tali ſpeciè qualitatis, eſſe ſpeciem Dei tum formalem, tū obiectiuam: at tamen ſub alia ratione eſſe formalem Dei imaginem, & ſub alia obiectiuam: nam quatenùs ex ſua natura eſt forma, qua intellectus formaliter apprehendit Deum, & formaliter fit Deum videns, eſt formalis imago Dei, quæ non cognita formaliter repræſentat Deum: at verò quatenùs ipſa tota in tali ſpeciè conſtituta eſt entitas quædam, & in ſe quoddam obiectū intelligibile, eſt quædam imago Dei obiectiua, quæ ipſa vt cognita ducit in cognitionem Dei. Itaque ipſamet entitas viſionis intrinſecè cōſtituta in eſſe formalis imaginis Dei pòteſt dupliciter conſiderari: vno modo, prout ex ſua natura eſt forma actuās intellectum: altero modo; prout in ſe ipſa, & in ſua totalitate ſpecifica eſt quædam entitas ex ſe intelligibilis ſecundùm ſuā propriam entitatem. Sub priori conſideratione eſt perfecta, & diſtincta imago Dei ad hoc inſtituta, vt Deum ipſum diſtinctè repræſentet intellectui, quem format, repræſentatione quadam formali. Sub poſteriori autem eſt imago Dei imperfecta, & diminuta. Vnde in ea vt cognita nō poteſt Deus diſtinctè cognoſci. Ratio diſcriminis eſt; quoniam ratio imaginis formalis fundatur in ſola conuenientia formalis repræſentationis, quam habet imago ad imaginatum, quatenus ſcilicet illud obiectiuè repræſentat intellectui: quæ repreſentatio poteſt eſſe perfecta, & diſtincta diuinæ eſſentiæ, quo ad totam ſuam entitatem, quanuis in eſſēdo ſit ordinis inferioris: ad hoc enim ſatis eſt, quod ſit eiuſdem ordinis in repręſentando, vt bene adnotauit Scotus vbi ſuprà litera HH. cōmuniter receptus vt dicemus in quæſt. an poſſit dari ſpecies intelligibilis, quæ Deum diſtinctè repræſentet? At verò ratio imaginis obiectiuæ cum repræſentet, vt in ſe cognita, fundatur in conuenientia entitatiua, quæ in eſſendo datur inter entitatem imaginis, & entitatem rei, cuius eſt imago: cum verò hæc cōuenientia ſit analoga, & quo ad ſola prędicata cōmunia Deo cum creaturis, non poteſt Deum diſtinctê, & quidditatiuè repræſentare, ſed ſolùm analogicè, quæ repræſentatio nō eſt ſatis ad cognitionem quidditatiuam Dei, de quo rurſus dicemus §. 4. 14.

Scot. *Suarius.* Notandum

Obiectio contra ſuperiorem reſolutionem.

15. Obiectio cōtra datā reſolutionē

SEd contra ſuperiorem reſolutionē adhuc eſt non facilis obiectio: quoniam viſio beata ex ſua natura eſt quædam expreſſa Dei imago, quæ in Dei cognitionem ducere non poteſt, niſi cognoſcatur ſub ratione imaginis ex Auguſtin. 15. *de Trinitate cap. 24.* cum verò ratio imaginis ſit relatiua; relatio autem diſtinctè cognoſci nequeat, niſi termino diſtinctè cognito; neceſſariò infertur non poſſe viſionem beatam diſtinctè

cognoſci in ſe ipſa, vt eſt imago Dei, niſi in ea cognita Deꝰ diſtinctè cognoſcatur.

16. Solutio. 1. *Scotus.*

Huic obiectioni occurrit Scotus *in dicto quodlib. 14. art. 3. ad iſta litera EE,* vbi multa ſcribit confusè ſatis, adeo vt vix illius mentem, & reſolutionem percipias. Et quantum ego conijcio admittit viſionem beatam ſub relatione imaginis diſtinctè cognoſci non poſſe, quin ſimul Deus illius terminus diſtinctè cognoſcatur: & ideo negat eam poſſe naturaliter cognoſci ſub relatione imaginis; quanuis naturaliter cognoſci valeat, quo ad ſuum abſolutũ abſq; relatione. Additq; in viſione beata, vt ſic cognoita nõ cognoſci Deũ cognitione diſtincta: & ratio eſt; qa quo ad abſolutũ eſt obiectum inferioris ordinis, & ob id minùs ſufficiens, vt in ea Deus diſtinctè cognoſcatur. Hæc ex Scoto potui colligere.

Non recipitur.

¶ Hæc tamen Scoti reſponſio admitti non debet: tum quia quæ de imagine, & relatione docet, falſa ſunt, niſi meliùs explicentur. Tum etiã; quia difficultatem initio adductam non diſſoluit, quatenùs admittit viſionem beatam poſſe ſupernaturaliter cognoſci ſub relatione imaginis, & in ea vt ſic cognita Deum diſtinctè cognoſci: ita enim redit difficultas initio allata: in aliquo ſcilicet obiecto poſſe rem cognoſci, in quo nec formaliter, nec eminenter, nec participatiuè adæquatè continetur, quod erat noſtrę demonſtrationis pręcipuum fundamentum.

17. 2. Solutio. *Cumelius. Bellomon.*

Secũdò occurri poteſt ex ijs, quæ ſcribunt *Cumelius prima parte, quæſtione 12. artic. 2. quæſt. 2. ad 2. principale pag. 232. colum. prima, & Bellomontan. prima parte d. 135. cap. 4. num. 9. & 10.* qui admittunt eum, qui intuitiuè videret viſionem beatam in intellectu alterius beati, viſurum quidem Deum in ſe; non tamen ex vi illius viſionis, qua viſionem beatam in altero intueretur, ſed per aliam viſionem qua videret Deum. Et quanuis vterque in hoc conueniat: non tamen vterque conuenit in fundamento.

Fundamentũ Cumel.

Nam Cumelius ideo putat iſtum neceſſariò viſurum eſſe Deum per aliam viſionem, quia habet lumen gloriæ, & diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè vnitam.

Fundamentum. Bellomont.

Bellomontanus verò fundamentum inde ſumit, quia niſi alia viſione Deus immediatè videatur, non poteſt ſciri, an viſio viſa ſit viſio intuitiua Dei: nam videns viſionem beatam in alio non poteſt diſcernere, an viſio, quam videt, ſit intuitiua Dei, niſi ipſe habeat Dei viſionem, quam conferat cũ ea, quam in alio videt.

Sed nec admittenda ſunt, quæ dicuntur; nec illis admiſſis ſatisfit allatæ difficultati. 18. Non admittitur ſolutio

Primum patet; quoniam doctrina illa non ab omnibus recipitur: nec enim eam recipit *Gabriel in 2. d. 9. quæſt. ſecunda, articulo quinto propoſ. prima litera H.* vbi multis docet viſionem intuitiuam alicuius obiecti poſſe intuitiuè videri intuitiuè non viſio illius obiecto; nec ego video quid cogat viſionem beatam, quæ eſt in alio non poſſe in ſe ipſa videri intuitiuè, niſi Deus per aliam viſionem intuitiuè videatur. *Gabriel.*

Ad fundamentũ Cumelij, & Bellomont.

Nam fundamentũ Cumelij nihil cogit: quia poſt Deus eleuare hominem viatorem, vt intuitiuè videat viſionem beatam Diui Petri, quin illi obiectiuè vniatur cum lumine gloriæ: quid enim hoc implicat?

19.

Fundamentum autem Bellomantani ex hoc apparet minus efficax; quia vides viſionem beatam, quæ eſt in Diuo Petro, cum illam comprehendat, vtique in ipſa, & ex ipſa cognoſcet eam eſſe intuitiuam ſolius Dei. Nam cum talis notitia ab obiecto ſumat ſuam differẽtiam, ſatis eſt illius comprehenſio, vt videns reddatur certus, quòd talis notitia nullius obiecti, niſi Dei eſt notitia. Vt omittamus illam comparationem fieri non poſſe per viſionem quatenus in actu exercito eſt formalis Dei ſimilitudo, quia vt ſic non videtur in ſe, ſed immediatè ſolus Deꝰ: at non viſa non poteſt conferri cum viſione, quæ eſt in Diuo Petro. Oportet igitur vt illa in ſe priùs videatur reflexè vt poſsit cum alia comparari. Sed quid cogit illum videntem in tot anguſtias redigere? Denique ex eo nõ placet ſolutio; quia ñ tollit difficultatem argumenti: hæc enim in hoc eſt poſita, quòd in illa viſione viſa ſub relatione imaginis nõ poteſt Deus non videri eadẽmet viſione, qua ipſa viſio videt: cui difficultati ſolutio illa non occurrit.

20. Vera ſolutio.

Ad obiectionem igitur occurrendum eſt iuxta opinionem, quæ negat rationẽ imaginis eſſe relatiuam: admittendũ eſt igitur viſionem beatam, niſi cognoſcatur ſub formali ratione imaginis, nõ poſſe duce-

ducere in cognitionem Dei, negandum eſt tamen eam formaliter ſumptam eſſe quid relatiuum, quæ eſt verior ſententia

Alenſis. Ledeſma.

ſatis ad mentem *Alenſis 4. p. q. 1. memb. 1. Ledeſmii in 1. p. q. 1. art. 2. dubio 3. & Curſus Conimbricenſis 1. de interpretatione cap. 1. q. 1. art. 1. pag. 8. in medio, & aliorum,* qui docent ad imaginem, vt imago eſt, reſultare relationẽ realem ad rẽ cuius eſt imago: attamẽ formalem rationem imaginis non cõſiſtere in illa relatione, ſed in fundamento illius, nẽpe in connexione alicuius continentiæ, qua in ſe continet rẽ, cuius eſt imago. Cum igitur viſio beata, quatenùs eſt imago Dei participans diuinam eſſentiam ſecundũ eminẽtiam ſimilitudinis expreſiuæ non ſit relatiuũ, ſed abſolutum, omninò tollitur obiectionis fũdamentũ: quoniã viſio beata poteſt perfectè videri, vt imago eſt, abſq; relatione.

21. Inſtãtia cõtra dictã.

Si vrgeas adhuc dari locum difficultati, ſi viſio beata perfectè videatur (ſicut poteſt ſaltem ſupernaturaliter) cum relatione quam in ſe fundat: nam cum relatio diſtinctè videri non poſſit, niſi termino diſtinctè viſo; vtiq; Deus in tali viſione viſa non poterit nõ videri. Ad hãc inſtantiam negandum eſt relationem diſtinctè videri non poſſe, niſi termino intuitiuè viſo, vt latè oſtendimus *lib. 5. q. 14. art. 4. num. 20.* relatio enim creaturæ ad Deum poteſt intuitiuè videri Deo intuitiuè non viſo, vt expreſsè docet *Bellomontanus in dicto cap. 4. num. 9.* Et quanuis ibidem dicat relationẽ notitiæ intuitiuæ non poſſe intuitiuè cognoſci, niſi terminus intuitiuè cognoſcatur viſione quadã diſtincta; fatetur tamen eam benè poſſe videri, quãuis terminus eadem notitia nõ videatur. Et hæc dicta ſint pro ſolutione inſtantiæ, quæ ſumitur ex viſione viſionis beatæ.

Bellomon.

§. 3.

Soluuntur tres aliæ inſtantiæ contra eandem propoſitionem.

22. Tres inſtantiæ contra eandẽ propoſitionem poſitam §. 2.

Contra eandem propoſitionẽ ſumptã pro medio ſuprà §. 2. nonnulli tres alias inſtãtias adducunt. Prima eſt; quia dari poteſt ſpecies intelligibilis, quæ Deum quidditatiuè repræſentet, & abſtractiuè, & intuitiuè, quod modo ſupponimus inferiùs id oſtenſuri: hanc autẽm ſpeciem in ſe ipſa videri poſſe nullus dubitabit: cum verò ipſa ſit expreſſa Dei ſimilitudo, non poteſt in ea viſa Deus diſtinctè non cognoſci. In cuius confirmationem adducitur, quòd Paulus vidẽs ſpeciem eorũ, quæ in raptu intuitiuè vidit, in ea diſtinctè cognoſcebat, quæ de Deo viderat. 1. Inſtant.

23. 2. Inſtant.

Secundam inſtãtiam quidam ſumunt ex diuina eſſentia cognita: hæc enim in ſe cognita facit diſtinctam cognitionem perſonarum: quas tamen nec continet formaliter; quia perſonæ non ſunt de eſſentia, & quidditate diuinæ eſſentiæ: nec etiam eas cõtinet eminenter, quia hoc dicit imperfectionem in illis: denique nec participatiuè; quia eſſentia habet eſſe imparticipatum ab alio, falſa eſt igitur illa propoſitio.

24. 3. Inſtant.

Tertia inſtantia ſumitur ex ſpecie Petri, quæ eſt in ſpeculo: etenim in illa ſpecie viſa diſtinctè videtur Petrus: & tamẽ Petrus nec continetur formaliter in tali ſpecie: quia Petrus non ingreditur eſſentiã illius: nec eminenter; quia Petrus perfectiùs in ſe exiſtit, quàm in ſua ſpecie: deniq; nòn cõtinetur participatiuè; quia ſpecies illa non participat entitatẽ Petri.

25. Ad 1. Inſtã.

Hæc tamen veritatem præcitatæ propoſitionis non expugnãt. Ad primam inſtantiam patet ſolutio ex dictis de viſione beata viſa in ſe ipſa. Admittimus igitur creabilem eſſe talẽ ſpeciem: & eam in ſe ipſa ſaltem ſupernaturaliter videri poſſe: eſt enim in ſe entitas quædam creata, & ſubinde viſibilis in ſe ipſa: negamus tamen in ea viſa Deum diſtinctè videri; fundamentum ſumitur à quibuſdam quia negãt ſpeciem impreſſam eſſe ſimilitudinem rei, cuius eſt ſpecies, quæ fuit opinio *Suarij in Metaphyſ. d. 6. ſect. 6. n. 7. & latiùs d. 30. ſect. 11. n. 30. in qua perſiſtit lib. 2. de attributis negatiuis cap. 12. nu. 12.* Iam verò obiectum, in quo vt cognito aliud cognoſcitur, debet eſſe illius imago & ſimilitudo. Hæc tamẽ opinio ſingularis eſt inter eos qui admittunt ſpecies impreſſas: communis enim ſententia eas admittit, vt formales ſimilitudines, & imagines rerum, de quo vide Curſũ Conimbricenſem in primo *Perierm. c. 1. q. 2. articul. 3. in prima illius ſectione pagina 19. & 20.* & hanc ſententiam eſſe veriſſimam inferiùs oſtendemus ex Ariſtotele, D. Thoma, Scoto, & cæteris, de quo Bellomont. *prima parte, d. 220. cap.*

Quorundã fundamentum. Suarius.

Non admittitur.

Conimbr.

3. nu.

Verum ... d ... num. 19. Verum igitur fundamentum ſumendum eſt ex ijs, quæ de viſione beata diximus in præcedente §. in 3. ſolutione; quoniam ſpecies iſta impreſſa alio, & alio modo conſiderata habet aliam, & aliã rationem imaginis, & ſimilitudinis: nam ſi conſideretur vt actu informans intellectum repræſentat Deum, eſt ſpecies formalis: at verò ſi conſideretur, vt in ſe ipſa obiectiuè eſt in intellectu, tanquam ens quoddam intelligibile, eſt ſpecies obiectiua repræſentans Deum non vt ſimilitudo formalis in repræſentando; ſed vt ſimilitudo obiectiua in eſſendo. Et quanuis priori modo ſit quædam Dei ſimilitudo perfecta; non tamen talis eſt ſumpta poſteriori modo, ſed imperfecta potius, & diminuta, vt ibidem diximus. Vbi diligentiùs diſſoluimus obiectionẽ, quę fieri poteſt, ſumptam ex relatione in ea fundata. Quæ ex Paulo obijciuntur, explicabuntur in quæſtione, an dari poſſit talis ſpecies? Vbi de hoc argumento iterum dicemus.

26. Ad 2. inſtã. Ad ſecundam inſtantiam duobus modis reſponderi poteſt: vno modo negando perſonas videri in eſſentia viſa eo modo, quo in ea videntur creaturæ: etenim perſonæ, non pertinent ad obiectum ſecundarium viſionis, ſed ad primarium, vt plures volunt citati ſuprà *lib. 5. queſt. 14. art. 7. §. 4. num. 45.* Et ſi ſermo eſt de obiecto viſionis, non vt beatificum eſt, ſed vt eſt quoddam viſibile, perſonæ, & relationes non pertinent ad obiectum ſecundarium, vt diximus in dicto *art. 7. §. 3. nu. 38. & §. 4. num 48.* Et hæc eſt optima argumenti ſolutio. Sed quoniam apud Scotiſtas celebris eſt opinio quòd perſonę pertinent ad ſecundarium obiectum, *vt videre eſt in d. art. 7. §. 1. num. 4.* & ex hac ſententia inferatur perſonas videri in eſſentia, vt in obiecto primario viſo, admittatur maior ſi ſermo ſit de concurſu ordinario, quo Deus concurrit cum beatis. Minorem autem admittit Lichetus *in 2. d. 3. quæſt. 9. fol. 104. colun. 1. §, ad quartum dico primò,* quoniam perſonæ nullo illorum trium modorum continentur in eſſentia; cognoſcuntur tamen in ea ratione perfectæ identitatis realis; quæ enim ſunt idem realiter, ita ſe habent, vt cognito vno cognoſcatur, & alterum. Sed ſolutio potiùs confirmat difficultatem, quàm eam tollat: quoniam admittit aliquid diſtinctè videri in obiecto cognito, quanuis nullo illorum trium modorum in eo contineatur: cuius oppoſitum ſupponimus.

Solutio ad miſſa opinione Scot.

Lichetus.

Quare ad noſtrum inſtitutum accommodatior eſt ſolutio ſecunda, quæ aſſirmat perſonas, vt ab eſſentia diſtinguũtur, eminenter contineri in ea, cum apud Scotum proprietates perſonales veluti pullulent ex eſſentia. Quando verò obijcitur continentiam eminentialem arguere imperfectionem id negandum eſt in ijs, quæ ſunt idem realiter, vt ait Lichetus: ſed non videtur ſolutio accommodata. Quare perſiſtendo in eadem ſolutione grauiſsimi Theologi admittunt relationes perſonales eminenter cõtineri in diuina eſſentia inter quos eſt Suarius *in Metaphyſic. diſp. 30. ſectione quinta, num. 2. & ſectione 6. num. 9.* Quod veriſsimum eſt ſi intelligatur, non de eminentia, quæ includit virtutem actiuam ad cauſandum, quæ in ea eminenter continentur; ſed de eminentia prima, & radicali, qua eſſentia rei ſumpta in ſe continet ſuas perfectiones, tanquam prima radix & ratio illarum: in quo ſenſu hanc ſententiam admiſimus ſuprà *libro quinto, q. 7. art. 2. num. 58. & 59. & quæſtione 12. art. 3. numero 54.* Hæc autem eminentia nullam denotat imperfectionem in eo, quod eminenter continetur: quam tamen denotat eminentia prioris generis, cum ex ſua natura ſit ordinis altioris. Vide quæ ibi diximus. Prior tamen ſolutio eſt accommodatior. 27. 1. Solutio eſt melior.

28. Ad 3. inſtã. Tertia inſtantia facilè ſoluitur: quia in ſpeculo non videtur ipſa ſpecies, ſed res per ſpeculum repræſentata. Hanc eſſe ſententiam omnium perſpectiuorũ affirmant Conimbricenſes *lib. 2. de Anima c. 7. q. 8. art. 2. vbi citat Ciruelum, lib. 2. perſpectiuæ cap. 2. concluſ. 13. & Vitelionem lib. 5. & eandem ex Theologis, & Philoſophis in eodem loco latè confirmãt, quam iterũ repetũt lib. 1. de interpretatione cap. 1. quæſt. 2. art. 2. pag. 22. §. in ſecundo exemplo, & antea id docuit Molin. 1. p. q. 12. art. 9. pag. 151. col. 1. §. hæc dicta ſint iuxta vulgi: latè Bellomon 1. p. d. 38. cap. 4. nu. 25. eſſe ſententiam magis probatam in Philoſophia affirmat Suarius lib. 2. de attribut. negatiuis cap. 25. num. 44. Palatius in 2. diſt. 3. diſp. 5. fuit ſententia*

Conimbr. Ciruelus. Vitelio. Molin. Suarius. Palatius

Richard. Appollin. Anton. Andr. Leuinus, *ſententia Ricardi in 4. diſt. 11. q. 1. in 6. principali, ex Philoſophis Apollinaris in 2. de anima quæſt. 17. Antonius Andreæ. in commēt. ad authorē ſex principiorū, Tole lib. 2. de anima. quæſt. vnica. Deniq; Leuinus de occultis naturæ miraculis cap. 33.* Iuxta quam ſententiam nullus datur locus dubitationi, cum ſpecies ipſa in ſe non videatur.

29. Sed nec inſtantia vim haberet, ſi admitteremus imaginem in ſe ipſa videri, & in ea viſa videri rem cuius eſt imago: D.Thom. quæ fuit ſententia *D. Thomæ prima parte, q. 14. at. 3. & quæſt. 58. art. 3. & 3. contra gentes cap. 49. in principio, & de veritate q. 8. art. 5. & art. 15, latè Capreolus in d. 35.* Caietan. *quæſt. 2. art. 1. ad argumenta contra ſecundā Caietanus prima parte q. 12. art. 8. ad horum euidentiam: & quæſt. 56. art. 3. §. ad ſecundam verò, Gandauus de ſenſu, & ſenſibili,* Gandauus Auer. Thimon. Celius Rodoginus. *quæſt. 9. vbi etiam Auerr. comment. primo, Thimon in 3. Metheo. quæſtione quarta Celius Rodoginus lib. 15. capite primo cum Scoto in ſecunda diſt. 13. quæſtione prima,* & videtur eſſe expreſſa ſentētia Auguſtin. 15. de Trinitate capite octauo, & nono. Hac opinione admiſſa negandū eſt rem, quæ in ſua ſpecie in ſpeculo refracta videtur videri clarè, & diſtinctè vt in ſe eſt: nec enim videtur in eadē quantitate, nec in eodem ſitu, nec colores ita diſtinctè apparent, ſicut quando facialiter videtur. Vnde non apparet omninò non mutata, ſicut quando videtur in faciè, vt docet experientia, & fatetur Bellomontan. Bellomon. *vbi ſuprà numero 27.* Nec de hoc dubitari poteſt cum Paulus primę Corinthiorū decimo tertio, hanc ſpecularem viſionē diſtinguat à viſione faciali, & intuitiua. Quare hæc inſtantia nullam habet vim, ſiue primam, ſiue ſecundam ſententiam amplectaris.

§. 4.

Expenduntur duæ inſtantiæ demonſtrationem præcedentem directè impugnantes

30. Duæ inſtātiæ contra factam demonſtrationem. Prima. EXplicata, & confirmata propoſitione, quæ præcedentis demonſtrationis erat medium, explicandæ ſunt duæ aliæ obiectiones, quæ vim eiuſdem demonſtrationis videtur infirmare. Quarum prima nititur oſtendere demonſtrationem non concludere in omni obiecto in quo Deus cognoſci poteſt. Nam licèt forte concludat in omnibus effectis Dei, quæ ſolùm ſunt effecta, & quatenùs ſunt talia: non tamen videtur concludere in illis Dei effectis, quæ ſimul ſunt ſpecies obiectiuæ, obiectiuæq; Dei imagines. Et ratio eſt; quia ſicut non repugnat dari ſpeciem ſimilitudinemque formalem, quæ Deum diſtinctè, & quidditatiuè repræſentet; ita etiā non repugnabit, vt Deus diſtinctè, & quidditatiuè repræſentetur in aliquo effectu, qui ita ſit effectus Dei, vt etiam ſit ſpecies obiectiua, & obiectiua imago diuinæ eſſentiæ.

Secūda obiectio inde vim habet, quoniam allata demonſtratio ſi quid demōſtrat, ſolùm demonſtrat non poſſe Deum cognoſci, cognitione comprehenſiua in aliquo obiecto cognito: etenim demonſtratio adducta, ex eo quod nullus Dei effectus adæquatè participat diuinam entitatem, infert nullum Dei effectum adæquatè participare diuinam intelligibilitatem: ex hoc autē optimè infertur Deū in nullo effectu cognito poſſe cognoſci, quantum in ſe eſt cognoſcibilis. Cum quo benè conſtat, quòd in illo diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcatur: etenim cognitio beatifica non eſt cōprehēſiua Dei; & tamen omniū conſenſu eſt illius quidditatiua. 31. Secunda.

Hę tamen fācilè ſoluūtur. Ad primam inſtantiam dicimus demonſtrationē concludere in omnibus effectis Dei, ſiue cōſiderentur ſub præciſa ratione effectus, ſiue vt ſunt veſtigia quædam, & imagines diuinæ entitatis. Et authores huius inſtātiæ libenter fatentur demonſtrationem concludere in effectis primo modo conſideratis: quod verò etiā cōcludat in illis ſi poſteriori modo conſiderētur facilè patet ex ijs, quæ diximus ſuprà §. 3. in fine. 32. Ad primā.

Vt verò id diſtinctiùs intelligatur, præmittendū eſt primò in omnibus creaturis reperiri, quādam ſimilitudinem veſtigialem Dei, vt eſt Deus, & Trinitatis: in intellectualibus verò reperiri expreſsiorē ſimilitudinē, & Trinitatis, & Dei, quę ſpecialiter dicitur Dei imago, vt optimè aduertit *Molina. 1. p. q. 32. art. 1. ad 7.* nā Geneſis 1. dicitur; *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: quæ verba explicari poſſunt de imagine tum Trinitatis, tum etiam Dei. Vide Molinam. Præmiſſū. 1. Molina.

Præmit-

33. Præmiſſum 2.

Præmittendum eſt ſecundò imaginē formaliter non eſſe ſimilitudinem: prout ſimilitudo eſt quædam relatiò; ſed eſſe formam ab alio expreſſam, & productā, vt aliud referat, tanquam illius ſignum. Hanc eſſe duplicem ferè omnes agnoſcunt: vnam formalem; alteram obiectiuam. Inter vtranque plurimum differt: quoniam imago dicitur formalis, quia formaliter, & eſſentialiter conſtituitur in eſſe & ratione imaginis per ipſam formalem repręſentationem, expreſsionéq; alterius: ita vt ipſa formalis repræſentatio alterius ſit differentia ſpecifica, qua illa qualitas per ſe primò conſtituitur in eſſe ſpeciei, ſigniq; formalis; & indè eſt, vt effectus formalis huius entitatis ſit ipſa alterius expreſsio, atque repræſentatio, ob quam rationem repræſentat non cognita. Imago autem obiectiua per ſe non conſtituitur in ſua ſpecifica entitate per eſſe formaliter repræſentatiuum alterius; ſed per aliam entitatiuam differentiam conſtitutiuam illius in certo genere entis: ſed quia illa entitas ex intentione agentis producitur, vt ſit ſignum inſtrumētale alterius, ideò dicitur imago illius. Ita fit vt eſſe imaginem non ſit illi entitati quid eſſentiale, ſicut eſt imagini formali; ſed ſit aliquid veluti conſequens ratione conuenientiæ entitatiuæ ſubſtantialis, vel accidentalis, quam habet cum entitate alterius: non ſimpliciter (hæc enim conuenientia fundat relationem, vel idētitatis, vel ſimplicis ſimilitudinis) ſed quatenus eſt producta ab agente, vt ſit ſignum alterius, illiusque imago fundans relationem imaginis ad imaginatū, quæ eſt relatio quædam diſtincta tum à relatione identitatis, quæ datur inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei; tum etiam à relatione ſimplicis ſimilitudinis, qualis datur inter duo alba: & hinc eſt vt talis imago non ducat in cognitionem illius, cuius eſt imago, niſi vt obiectiuè cognita.

34. Illatio ex dictis.

Inde inferes talem imaginem non ducere in cognitionem alterius, niſi ratione conuenientiæ entitatiuæ cū entitate eius cuius eſt imago: nam imago Petri ducit in cognitionem Petri ratione conueniētiæ entitatiuæ, quam in ſuis delineamentis habet cum delineatione, & phyſionomia Petri; & inde eſt: vt quo magis cum illa conuenit, eò diſtinctiùs illum exprimat. Quare cùm creatura intellectualis ideò dicatur imago obiectiua Dei, quia in ſua ſubſtantiali entitate habet conuenientiam cum entitate diuina, cuius eſt quędam participatio, & veluti expreſsio: hæc autem conuenientia non ſit in prædicatis proprijs ipſi Deo, ſed in prædicatis communibus communitate quadam analogica, vt patet, ideò nō poteſt vt cognita ducere in diſtinctam, & quidditatiuam Dei cognitionem. Nec eadem ratio cernitur in imagine Dei formali: hæc enim non repræſentat Deum ratione entitatiuæ cōuenientiæ in eſſendo (ſic enim habet rationem imaginis obiectiuæ) ſed ratione conuenientiæ formalis in repræſentando, quæ poſita eſt in adæquatione repræſentationis formalis ad repræſentatum. Vide in dicto §. 3.

35. Ad 2. inſtantiam.

Pro ſolutione ſecundæ obiectionis duplex diſtinguenda eſt participatio adæquata diuinæ eſſentiæ: vna qua illa tota & totaliter participatur: altera, qua participatur tota, ſed non totaliter. Etenim duplex datur viſio Dei adæquata: vna qua totus Deus videtur, & totaliter; & hæc ſoli viſioni increatæ conuenit. Altera qua videtur totus Deus, ſed non totaliter; & hæc datur in quolibet beato. Eodē igitur modo diſtinguenda eſt participatio adæquata diuinæ eſſentiæ. Quæ priori modo eſt adæquata, infert cognitionē comprehenſiuam Dei: quę verò adęquata eſt modo poſteriori ſolùm infert cognitionem quidditatiuā; quia totam quidditatem attingit, ſed non totaliter. Demonſtratio autem adducta §. 1. ita procedit: *vt in effectu cognito, ſi diſtinctè, & quidditatiuè debet cognoſci cauſa, oportet vt tota entitas cauſæ adæquatè participetur ab effectu.*

36. Ex qua propoſitione optimè infertur, vt ſi aliquo effectu Deus diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci debeat, opus ſit, vt talis effectus participet totam entitatem diuinæ eſſentiæ. Cui propoſitioni ſi addamus nullum effectum Dei poſſe adæquatè participare totam diuinam eſſentiam (nedum totaliter) bene infertur in nullo Dei effectu cognito poſſe diuinam eſſentiam, aut comprehenſiuè cognoſci, aut quidditatiuè. Quare demonſtratio nō procedit præciſè ex eo, quod nullus effectus adæquatè participat diuinam entitatem; ſed ex eo, quod nullus effectus adę-

quatè participat totam diuinam entitatẽ. Ex qua optimè infertur nullum Dei effectum adæquatè participare totam diuinam intelligibilitatem. Hinc autem nõ ſolùm concluditur in nullo effectu cognito poſſe Deum totaliter cognoſci; ſed etiam non poſſe cognoſci totum: quod conuenit cognitioni quidditatiuę. Et hęc de iſto articulo.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm intellectus creatus ſeparatus poſſit quidditatiuè, & abſtractiuè Deum cognoſcere per aliquem effectum naturaliter cognitum.

1. Quæſt. de intellectu ſeparato. INITIO præcedentis articuli diximus cum Diuo Thoma non idem eſſe vnum cognoſci in alio cognito, & cognoſci per aliud cognitũ: nam licèt vtraq; cognitio dicatur mediata, quia vtraque fit mediante aliquo obiecto cognito: tamen prior cognitio eſt ſimplex vno intuitu in vtrunque terminata, quamuis in vnum primariò terminetur, in aliud autẽ ſecundariò: poſterior autem eſt diſcurſiua; quia vnius cognitio cauſatur ex altera: & ideò ſunt duæ cognitiones. In præcedente artic. egimus de cognitione Dei in ſuis effectis; nunc agendum eſt de cognitione Dei per ſua effecta. Et quamuis hæc quæſtio non poſſit habere locum in Angelis apud D. Thomam, qui in Angelis non admittit diſcurſum, & ideò docuit 3. contra gent. cap. 49. Angelos cognoſcere Deum in effectis, non tamen per effecta: tamen locum habet apud eos, qui in Angelis diſcurſum admittunt, vt *Scotus in 2. d. 7. q. 1. lit. C.* *Scotus.*

2. Negans ſententia eſt vera. *Scotus.* In hac quæſtione omnes partem negantem probant, ita *Scotus quodl. 14. §. de tertio principali*, DD. vbi expreſſè docet nec animam, nec Angelum poſſe naturaliter, & diſtinctè cognoſcere diuinam eſſentiã, aut in aliquo obiecto cognito, aut per aliquod obiectum cognitum. Cõueniunt omnes Scotiſtæ, non ſolùm quia negant poſſe Deum naturaliter cognoſci cognitione mediata; ſed etiam quia aſſerunt Angelum ex cognitione ſuæ eſſentiæ non poſſe naturaliter deuenire in claram Dei cognitionem. Idem expreſſè docet *D. Thomas in dicto cap. 49.* *D. Thom.*

Communis demonſtratio inde ſumitur, quod ſicut nihil poteſt quidditatiuè cognoſci in alio cognito, niſi in eo contineatur, aut formaliter, aut eminenter, aut participatiuè adæquatè. Ita etiam nihil poteſt quidditatiuè cognoſci ex alio, niſi aliquo illorum trium modorum in eo contineatur: eadem enim eſt vtrobique ratio. Sed Deus in nullo ſuo effectu continetur aliquo illorum modorum: ergo Deus per nullum effectum cognitum poteſt quidditatiuè cognoſci. 3. Demonſtratur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intellectus creatus poſſit viribus naturæ cognoſcere Deum quidditatiuè per ſpeciem Deum quidditatiuè repræſentantem.

§. 1.

Explicatur mens Scoti, & duplex ſenſus quæſtionis.

SEntentia affirmans communiter ab omnibus tribuitur *Scoto in 2. d. 3. q. 9.* Attamen nec Scotus, nec Scotiſtæ in terminis à nobis propoſitis hanc ſententiam probarunt, ſed oppoſitam. Deceptionis cauſa fuit ęquiuocatio, quæ in cognitione naturali cõmittitur. Quare vt quæſtio ſublata ęquiuocatione clariùs explicetur, & mens Scoti intelligatur, præmittendum eſt cum eodem *in dicta q. 9. D. §. hac diſtinctione præmiſſa*, intellectum creatũ naturaliter cognoſcere Deũ cognitione abſtractiua per ſpeciem quidditatiuè Deum repræſentantem duobus modis intelligi poſſe: vno modo, quia intellectus viribus alicuius agentis naturalis poſſit talem ſpeciem acquirere: altero modo, quia intellectus ſpecie à Deo infuſa poteſt ſua naturali intelligendi virtute quidditatem Dei cognoſcere cognitione abſtractiua. Priori modo negat Scotus intellectum creatum poſſe naturaliter Deum cognoſcere; benè tamen poſteriori modo. Itaque apud Scotũ ſpecies, quæ Deum quidditatiuè repræſentet repræſentatione abſtractiua, non poteſt eſſe creato intellectui naturalis, ideſt, acquiſita actione agentis naturalis; benè tamen poteſt dici naturalis, quia non eſt 1. Affirmans ſentẽtia cõmuniter tribuitur Scoto, ſed immeritò. Explicatur mens Scoti.

merè

merè gratis, & actione omnibus modis ſupernaturali illi conceſſa; vt quia aliquo modo ſit illi naturaliter debita.

2. Senſus quæſtionis.

Quæſtio in ſolo priori ſenſu ad noſtrū pertinet inſtitutum; quia ſolùm inquirimus, an intellectus creatus viribus ſuæ naturæ poſsit abſtractiuè, & quidditatiuè Deum intelligere per aliquam ſpeciem. In ſecundo ſolùm remiſsiuè explicabitur, vt ita concludamus Deum naturaliter cognoſci non poſſe etiam per ſpeciē à Deo infuſam.

§. 2.

Deum quidditatiuè cognoſci non poſſe cognitione abſtractiua per ſpeciem viribus naturæ comparatam.

3. Pars negatiua ab omnibus probatur cū Scotiſtis.

QVod attinet ad priorem ſenſum pars negatiua vno conſenſu ab omnib⁹ approbatur. Quòd ſchola Thomiſtarum indubitanter eam recipiat, ex eo patet, quia ſimpliciter negat dari poſſe etiam per diuinam potentiam ſpeciem aliquam, quæ Deum aut intuitiuè, aut abſtractiuè quidditatiuè repræſentet, vt ſuo loco videbimus. Quòd ſchola Scotiſtarum eam defendat, nullus dubitabit, qui legerit, quæ & ab Scoto, & à ſuis ſcribuntur. Nam Scotus expreſſè hanc ſententiam ſcripſit *in d. q. 9. loco citato*: vbi aſſirmat Angelum habere non poſſe cognitionem naturalem abſtractiuam, & quidditatiuam Dei aut ex ſuis naturalibus, aut actione alicuius naturalis agentis: *quodl. 14. §. de ſecundo principali*. N. expreſſe negat aut animam noſtram pro quocunque ſtatu, aut Angelum ſua naturali virtute concurrentibus etiā quibuſcunque cauſis naturalibus poſſe peruenire ad cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam diuinæ eſſentiæ. Cū Scoto conueniunt omnes Scotiſtæ: ita docuit *Rada 2. p. controuer. 8. art. 2. pag. 238. col. 2. in fine* ita ſcribens: *ſequitur ſecundò Angelum ex proprijs viribus non poſſe cognoſcere Deum ſub propria, & diſtincta cognitione immediata, vel mediata, qua natura diuina diſtinctè, & quidditatiuè attingatur: quod adeò verum eſſe arbitror, vt oppoſitum ſuſtineri haud poſſe cenſeam.* Per cognitionem immediatam intelligit cognitionem per ſpeciem. Idem expreſsit *1. p. controu. 10. art. 1. ad 4. principale*, *Baſſolius* item in

Scotus eſt huius ſentētiæ.

Conueniūt Scotiſtæ. *Rada.*

Rada. *Baſſolius.*

2. d. 3. q. 3. ar. 2. §. contra iſtam, pag. 37. col. 1. verſ. Tertio dico. Ouandus in ſuo breuiloquio, propoſitione 9. Angles q. 4. difficultate 8. Herrera ad 2. Sententiar. diſp. 9. in expoſitione literæ Scoti, pag. 326. vt omittamus Lichetum in Scotum d. q. 9. fol. 104. col. 4. §. ibi hac diſtinctione præmiſſa, & quodl. 14. fol. 72. col. 4. §. de ſecundo articulo. Ex quibus patet falsò imponi Scotiſtis ſententiā oppoſitam. Quare meliùs mentem Scoti intellexit *Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. d. 3. ſect. 1. ad finem, n. 6. & ante eum Suarius in Metaphyſica diſp. 30. ſect. 11. n. 21. in fine.*

Ouand. Angles. Herrera. Lichetus.

Salas. Suarius.

4. Prima demonſtratio

Sed concluſionem propoſitam rationibus naturalibus demonſtremus. Et prima demonſtratio ſumitur ex 4. demonſtratione ſuprà q. 2. ar. 6. qua demonſtrauimus vi agentis naturalis dari non poſſe ſpeciem, quæ Deum quidditatiuè repræſentet repræſentatione intuitiua: eadem enim demonſtratio ſatis demonſtrat naturaliter dari non poſſe ſpeciem, quę eūdem Deum quidditatiuè repræſentet repræſentatione abſtractiua; facilis erit demonſtratio, ſi aduertamus hoc loco ſolū inquiri, an actione naturæ dari poſsit talis ſpecies: vnde nō eſt quod recurramus ad Deum, vel quatenus, vt obiectum intelligibile poteſt ex ſe naturaliter emittere ſpeciem ſui, vel quatenus vt Author naturæ poteſt illam infundere, de hoc enim an ſit poſsibile inferiùs agemus.

Senſus quęſtionis.

5. Hoc ſuppoſito ita conficitur demonſtratio: ſi talis ſpecies viribus naturę dari poſſet, illa vel naturaliter emitteretur ab aliquo obiecto creato, vel actione intellectus creati naturaliter abſtraheretur ab aliquo obiecto naturaliter cognito: ſed neutro modo poteſt naturaliter dari talis ſpecies: ergo illa nullius agentis naturalis actione dari poteſt. Maior eſt nota; quia nulla datur ſpecies alicuius obiecti producta vi naturalis agentis, quæ non ſit, aut naturaliter emiſſa ab obiecto, aut ab obiecto abſtracta. Minor quoad priorem partem facilè probatur, ſi cum communi, & veriſsima Philoſophia ſupponamus ſola obiecta ſenſibilia naturaliter ex ſe emitterre ſpecies: nam immaterialia obiecta nullas ſpecies ex ſe emittere cōmunis docet opinio, cuius veritas patet, ſi ſpecies Angelorum à Deo ſunt infuſæ, vt communior habet ſententia. Et quanuis cum Scoto exiſtimes Angelos poſſe accipe-

Prima pars minoris.

accipere ſpecies à rebus tam intelligibilibus quàm ſenſibilibus; non proinde dices tales ſpecies eſſe naturaliter emiſſas ab obiecto: nam authores illius opinionis non aſſerunt Angelos accipere ſpecies à rebus emiſſas ſibi, ſed Angelos eas abſtrahere ab ipſis rebus actione intellectus agentis, quem in Angelis admittunt, vt ex *Alenſi, D. Bonauentura, Richardo, Scoto, & Gregorio bene aduerterunt Conimbricenſes in 3. de Anima cap. 5. q. 5. ar. 1. poſt principium.* Nec aliquem legi, qui aſſereret obiecta ſiue materialia, ſiue immaterialia ſpecies à ſe emiſſas transfundere in intellectum Angeli: ſed nec eas transfundunt in intellectum humanum coniunctum, vt contra Democritum ex Ariſtotele, & Auguſt. docet communis Philoſophia, de qua Conimbricenſes vbi ſuprà, quoniam intellectus noſter omnes ſpecies abſtrahit à phātaſmatibus: ita fit vt ſola obiecta ſenſibilia emittant ſui ſpecies in ſenſus externos. Ex quo diſcurſu optimè infertur ſpeciem diſtinctè repræſentantem Deum non poſſe naturaliter emitti ab aliquo obiecto creato: nam ſi ab aliquo naturaliter emitteretur, eſſet ab obiectis ſenſibilibus, quia hæc ſola ſunt naturaliter emiſsiua ſpecierum. At obiecta ſenſibilia, vt ſenſibilia ſunt, non poſſunt emittere, niſi ſpecies ſenſibiles in ſenſus externos, & in ordine ad cognitionem ſenſitiuam. Cum verò Deus per nullum ſenſum externum poſsit attingi, vt oſtendimus lib. 4. q. 5. art. 3. §. 2. n. 7. nullum etiam externum ſenſibile poterit emittere ſpeciem, quæ Deum diſtinctè repræſentet. Concludendum eſt igitur fieri non poſſe, vt ſpecies repræſentatiua diuinæ eſſentiæ ab aliquo obiecto creato naturaliter emittatur, quæ fuit prior pars minoris.

Alenſ. D. Bonau. Richard. Scotus. Greg. Conimbr.

7. Poſterior pars minoris. Poſterior pars, quòd ſcilicet nullus intellectus creatus ab aliquo effectu cognito poſsit naturaliter abſtrahere ſpeciē quidditatiuè, & abſtractiuè repræſentatiuam Dei, multis probari poteſt. Et primò, quoniam abſtractio ſpeciei ab aliquo ſubiecto intrinſecè ſupponit naturā, cuius ſpecies abſtrahitur, eſſe veluti latentem, & incluſam in obiecto à quo ſpecies abſtrahitur, vt cum *Fonſeca, & alijs aduertimus ſuprà q. 2. ar. 6. in quinta demōſtratione.* Iam verò Dei ſubſtantia in ſuis effectis formaliter non includitur. A nullo igitur poteſt intellectus abſtrahere ſpeciem Deum quidditatiuè repræſentantē.

Fonſeca.

Secundò ex eo oſtenditur; quoniam intellectus coniunctus ideò à quidditate materiali non poteſt abſtrahere ſpeciem Angeli, quia ab ea non poteſt abſtrahere quidditatem aliquam, quæ ita ſit pura à materia, vt illi repugnet eſſe cum materia, & per conſequens non poteſt abſtrahere quidditatem, quæ habeat immaterialitatem eiuſdem ordinis cum immaterialitate Angeli, quod neceſſariò requiritur, vt ab ea produci valeat ſpecies, quæ immaterialitatem Angeli diſtinctè repręſentet, de quo multa diximus q. 2. art. 4. §. 6. Sed intellectus creatus, quātumcūq; ſit ſeparatus à materia, non poteſt à quidditate, quæ non eſt ſuum eſſe, abſtrahere aliquam quidditatem, cui repugnet recipere ab alio eſſe, & per conſequens non poteſt abſtrahere quidditatem eiuſdem rationis in eſſendo cum natura diuina: ergo neque poteſt abſtrahere ſpeciem, quæ actualitatem Dei diſtinctè repræſentet. Maiorem multis confirmauimus in dicto §. 6. Minor eſt nota: quoniā à quidditate, quę non eſt ſuum eſſe, nulla quidditas abſtrahi poteſt, niſi ſub gradu eſſendi communi Deo & creaturis; ſub quo gradu, quamuis per ſe non includat habere eſſe receptum; non tamen illi repugnat illud habere in ſuis inferioribus, vt patet: talis igitur quidditas non habet actualitatem eiuſdem ordinis cum actualitate diuinæ entitatis. Igitur non poteſt intellectus creatus ab illa abſtrahere ſpeciem, quæ diuinam entitatem quidditatiuè repræſentet. 8. 2. demonſtratio.

Accedit tertiò; quoniam ſpecies diſtinctè repræſentatiua alicuius naturæ ex ſe eſt illius imago, vt iam oſtēdimus. Oportet igitur, vt obiectum, à quo abſtrahitur ſpecies alterius rei, ſit in ſe ipſo perfectū, & abſolutum exemplar illius: aliàs ad inſtar illius non producetur perfecta imago alterius: ſed nullus effectus creatus poteſt eſſe perfectum exemplar diuinæ naturæ: ergo à nullo poteſt abſtrahi ſpecies repræſentatiua diuinæ quidditatis. Minor huius vltimi diſcurſus ex eo patet, quia omnis effectus habet eſſe participatum, & admiſtum potentiæ. Hæc igitur ſit communis reſolutionis demōſtratio, 9. 3. ratio.

tio, ad quam reducuntur cætera omnia, quæ in confirmationem huius veritatis adduci poſſunt.

§. 3.

Explicatur quæſtio in poſteriori ſenſu.

10. Poſterior quæſtionis ſenſus.

SEcundo loco expendendus eſt poſterior quæſtionis ſenſus; an ſcilicet intellectus creatus vi ſua naturali poſsit Deum cognoſcere per ſpeciem ſibi à Deo infuſam, quæ Dei quidditatem abſtractiuè repræſentet? In qua quęſtione vnum ſupponitur, & alterum inquiritur: & vtrumque eſt ſatis controuerſum. Supponitur dari poſſe diuina potentia ſpeciem, quæ Dei quidditatem abſtractiuè repræſentet: inquiritur autem; an intellectus creatus per eam infuſam ſibi à Deo ſua naturali virtute poſsit Deũ cognoſcere.

Suppoſitio eſt controuerſa.

De ſuppoſitione eſt controuerſia inter Theologos. Quidam partem negantem probant: alij affirmantem. Quæ iſtarum opinionum ſit verior? explicabimus inferiùs in diſputatione, an Deus videri poſsit per aliquam ſpeciem creatam, vbi oſtendemus partem affirmantem eſſe veriſsimam, ſi ſermo ſit de potentia diuina.

11. In quo eſt controuerſia.

Suppoſita autem hac affirmante ſententia iam datur locus ad inquirendum, an intellectus creatus per hanc ſpeciem ſibi infuſam poſsit ſua naturali virtute abſtractiuè cognoſcere diuinam quidditatem? Quæ etiam quæſtio eſt controuerſa.

Scoti opinio.

Scotus *in 2. diſt. 3. q. 9. §. Hac diſtinctione præmiſſa.* D. poſt multa concludit talem ſpeciem aliquo modo, & naturalem eſſe & ſupernaturalem. Eſſe quidem ſupernaturalem: quia virtute agentis naturalis non valet acquiri, ſed à ſolo Deo infundi poteſt: naturalem verò; quatenus non pertinet ad ordinem gratiæ, & gloriæ: & indè infert talem ſpeciem pertinere ad cognitionem naturalem: Scotum ſequuntur omnes ſui.

Contraria eſt vera. *Suarius. Cumelius. Molina. Salas.*

Oppoſitam ſententiam docet Suarius, Cumelius, Molina, & Salas, quam ego puto eſſe veriſsimam: cuius maior explicatio inferiùs apparebit: ibi enim accommodatiùs explicabitur, ſuppoſitis his, quæ contra Durandum, & quoſdam alios dicemus quæſtione 6. & 7. Et hæc de iſto articulo, & quæſtione ſatis ſint dicta, & de toto libro ſexto.

FINIS LIBRI SEXTI.

IN-

INDEX QVAESTIONVM HVIVS LIBRI SEPTIMI.

QVÆSTIO I.

¶ De neceſsitate ſupernaturalis concurſus ad viſionem beatificam.

Artic. vnic. Vtrùm ad videndum Deum ſimpliciter ſit neceſſarius concurſus ſupernaturalis?

QVÆSTIO II.

¶ De neceſsitate ſupernaturalis concurſus ex parte diuinæ eſſentiæ, vt videri queat.

Artic. vnic. Vtrùm concurſus ſupernaturalis ſit neceßarius, vt diuina eſſentia vniatur intellectui creato?

QVÆSTIO III.

¶ De neceſsitate concurſus ſupernaturalis ex parte potentiæ intellectiuæ.

Artic. 1. Vtrùm intellectus creatus ad videndum Deum indigeat ſupernaturali eleuatione?

Artic. 2. Vtrùm abſque tali eleuatione poſsit ferri in diuinam eßentiam ſibi præſentatam?

QVÆSTIO IIII.

¶ De neceſsitate ſupernaturalis concurſus ex parte intellectus, ſi ſolùm paſsiuè concurrit ad viſionem?

Artic. vnicus. De eàdem quæſtione.

QVÆSTIO V.

¶ De neceſsitate concurſus ſupernaturalis ad cognitionem quidditatiuam abſtractiuam diuinæ eſſentiæ.

Artic. 1. Vtrûm cognitio abſtractiua quidditatiua Dei ſit poſſibilis?

Artic. 2. Vtrûm ad talem cognitionem neceſſarius ſit aliquis concurſus ſupernaturalis?

QVÆSTIO VI.

¶ Quot, & qui concurſus ſupernaturales ſint neceſſarij ad videndum Deum?

LIBER SEPTIMVS.

DE INTELLECTV CREATO SVPERNATVRALITER ELEVATO.

IN libro ſexto præcedente egimus de intellectu creato conſtituto in puris naturalibus; An.ſ. ſua naturali virtute poſſit Deum videre, aut intuitiuè, aut abſtractiuè cognitione quidditatiua? conſequenter agendum eſt de eodem intellectu, vt dono aliquo ſupernaturali eleuatur.

Et primùm generaliter agemus de neceſsitate concurſus ſupernaturalis ad viſionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ? deinde, vtrùm ſupernaturalis concurſus ſit etiam neceſſarius ad cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis. Tertio loco in libro octauo, & nono deſcendemus ad ipſos ſpeciales concurſus.

Quod attinet ad primum, vt omnia diſtinctè explicentur, quæ ad viſionem intuitiuam pertinent, primo loco generaliter agendum eſt de neceſsitate concurſus ſupernaturalis eleuantis intellectum, vt poſsit Deum videre. Cum verò neceſsitas iſta dari poſsit, tum ex parte obiecti beatifici; tum ex parte potentiæ: ſecundo loco inquiremus, vtrùm concurſus iſte ſupernaturalis ſit neceſſarius ex parte diuinæ eſſentiæ? Tertio loco; vtrùm ſit etiam neceſſarius ex parte potentiæ intellectiuæ?

In hoc igitur ſeptimo libro ſex quæſtiones excitabimus. Priores quatuor agent de neceſsitate eleuationis ſupernaturalis in ordine ad viſionem beatificam. Quinta autem de eadem aget in ordine ad cognitionem quidditatiuam, & abſtractiuam diuinæ eſſentiæ. Sexta, & vltima inquiret, quot & qui concurſus ſint neceſſarij?

QVÆSTIO I.

De neceſsitate ſupernaturalis concurſus ad viſionem beatificam?

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm ad videndum Deum ſimpliciter ſit neceſſarius ſupernaturalis concurſus?

IN hoc articulo generaliter agimus de neceſsitate concurſus ſupernaturalis ad videndum diuinam eſſentiam; ſiue ille ſit intrinſecus intellectui; ſiue extrinſecus per coaſsiſtentiam Dei cum intellectu concurrentis. In quo ſenſu pars affirmatiua eſt omnino indubitata, vnde ab omnibus vnanimi conſenſu recipitur: cui ſolum repugnant Anomæi, Beguardi, & Beguinæ, quatenus docuerunt intellectum noſtrum etiam in hac vita poſſe ex ſuis naturalibus Deú intuitiuè videre. 1. Senſus quæſtionis. Hæretici repugnantes.

Hæc veritas primò confirmabitur ex Concilio Viennenſi in Clementina *Ad noſtrum*, de Hæreticis, vbi inter errores Beguardorum, & Beguinarum quinto loco refertur *naturam intellectualem in ſe ipſa eſſe naturaliter beatam, & non indigere lumine gloriæ eam eleuante ad Deum videndum*. Ex qua propoſitione à Concilio damnata intelligimus non ſolùm eſſe errorem, Deum videri poſſe viribus naturæ, vt hactenùs oſtendimus; ſed etiam negare non eſſe neceſſariam ſupernaturalē eleuationem naturæ intellectualis ad videndum Deum, quod in hoc articulo nitimur demonſtrare. 2. Prima probatio ex Cōcilio Vien.

Secundò eadem veritas à quibuſdam deducitur ex verbis Pauli ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna*: & cum vita æterna poſita ſit in viſione diuinæ eſſentiæ; vtique viſio ipſa erit ex gratia, id eſt ex dono Dei gratuito. Sed quoniã Paulus ibi agit de gratia, quæ in via gratis nobis confertur, vt viſionem mereamur; & viſio ſit corona iuſtitiæ, vt alibi ait Paulus, non poteſt locus ad noſtrum inſtitutum accommodari; quia ſẽſus eſt: vita æterna, viſioque diuinæ eſſentiæ eſt gratia, id eſt, confertur nobis ex gratia gratis in via nobis collata. ¶ Quare accommodatior eſt locus Pſal. 8. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, donatione ſcilicet ſupernaturali, quæ licet detur ex meritis, confertur tamen à Deo concurſu ad ordinem ſupernaturalem pertinente. ¶ Et in eodem ſenſu optimè facit locus Pauli 2. Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illum diem iuſtus iudex*: reddet, inquam; quia ad illam ſupernaturaliter concurret.

3. 2. probatio ex Paulo ad Rom. 6.

Non recipitur.

Melior locus ex Pſal. 8.

Paulus 2. Timot. 4.

¶ Optimus locus Matthæi 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, nec Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*: quæ verba à Patribus communiter explicantur de viſione beata, vt diximus quæſt. 1. artic. 2. in octauo loco. Neceſſaria eſt igitur reuelatio, vt Deum intuitiuè videamus: reuelatio autem denotat ſupernaturalem actionem. Vnde ad Romanos 8. affirmat Paulus futuram gloriam nobis eſſe reuelandam. ¶ Accedit denique illud Ioannis 17. *& manifeſtabo ei me ipſum*: quæ verba ſatis accommodatè explicantur de manifeſtatione per gloriam, quam Deus vt Author ſupernaturalium voluntarius efficiet.

Matt. 11.

Ioan. 17.

4. 3. probatio ex Patrib. Beda.

Tertio loco deducitur ex Patribus. Beda 1. Corinth. 13. ad illa verba: *Videmus nunc per ſpeculum*, pag. 540. num. 40. expreſſè docet *Deum natura ſua eſſe inuiſibilem; videri autem cum vult*. Et clariùs 1. ad Timoth. 6. ad illa verba: *Lucem inhabitat inacceſſibilem*, pagina 1008. num. 2. his verbis vtitur: *Inacceſſibilis eſt viribus noſtris: acceſſibilis autem muneribus ſuis*. ¶ Quod etiam docet Proſper libro primo de vita contemplatiua cap. 6. affirmans *creaturam pleniùs viſuram eſſe Deum cùm munere ipſius conditoris ad ſpeciem peruenerit*. ¶ Clariùs Epiphan. hæreſi. 70. fol. 364. pag. 1: *Inuiſibilis eſt Deus, & incomprehenſibilis: hoc manifeſtum eſt, & confeſſum: at rurſus potens eſt facere, quod vult. Inuiſibilis igitur eſt natura, & incomprehenſibilis. Si vult conſpici ab homine, nihil aduerſatur eius voluntati*. Et rurſus: *Inuiſibilis Deus in benignitate ſua, ac potentia potens facit, quod impotens erat: & dignatus eſt ſua potentia, vt inuiſibile videret*.

Proſper.

Epiphan.

¶ Optimus locus apud Nazianzenum Oratione ſecunda de Theologia, pagina 299. columna 1. vbi agens de naturali inuiſibilitate Dei, & inquirens, an aliquando à nobis videndus ſit, ita ſcribit: *Mea quidem ſententia tum demum hoc inueniat, cum Dei forma hoc, & diuinum, hoc eſt, mentem noſtram, & rationem Deus rei cognitæ, & familiari adiunxerit, atque imago noſtra ad exemplar illud ſuum, cuius deſiderio flagrat, aſcenderit*. Nazianz.

Eleganter Dionyſius cap. 7. de Diuinis nominib. poſt principium: vbi oſtendens quomodò mens noſtra poſſit aſcendere ad ea, quæ ſunt ſupra ipſam, ita ait: *Oportet autem videre mentem noſtram habere quidem virtutem ad intelligendum per quam intelligibilia inſpicit* (ecce virtus natiua) *vnitionem autem excedentem mentis naturam per quam coniungitur ad ea, quæ ſunt ſupra ipſam: ſecundùm hanc igitur oportet diuina intelligere, non ſecundùm nos, ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos Deificatos*. Ecce magnus Dionyſius ad cognitionem Dei requirit, vt virtus noſtra intellectiua non ſit in ſe, & ſecundũ ſe, ſed ſit ſuprà ſe Deificata, coniunctaq; & vnita vnitione excedente mentis naturam. ¶ Auguſtinus ſæpè docet Angelos factos fuiſſe beatos non à ſe ipſis, ſed à Deo, vt patet libro decimo de Ciuitate Dei cap. 2. & lib. 11. cap. 9. ad finem: animam autem noſtram fieri non poſſe beatam, niſi participato lumine à Deo dixit in dicto libro decimo capite primo. ¶ D. Ambroſius libro primo de Spiritu Sancto cap. 4. generaliter docet *creaturam etiam Angelicam expectare Spiritus S. gratiam, reuelationemq́; filiorum Dei, & ipſa reuelatione mutari*.

5. S. Dionyſ.

Auguſt.

Ambroſ.

Deum cognoſcendum eſſe in ſplendoribus Sanctorum docuit Cyprianus in præfatione ad Cornelium Papam de cardinalibus virtutibus pag. 445. col. 2. Leo Papa in ſermone omnium Sanctorum cap.

6. Cyprian.

Leo Papa.

cap.7.ad viſionem Dei requirit humanæ naturæ transformationem. Cyrill. Cyrill. Alexandr.lib.10. in Ioan. cap.1. dixit *Chriſtum in beatis per ſpeciem fulgere, ſingula illuminare, & ineffabili ſplendore mentem beatorum ad ſui cognitionem erigere.* Irenæus. Irenæus lib.4.aduerſus hæreſ.cap.37. docet hominem à ſe non videre Deum, ſed quia Deus vult ſe videri, & donat incorruptelam: extollitque ineffabilem Dei benignitatem, quod beatis vitam præſtet, denique concludit vitam patriæ euenire nobis ex diuina participatione. In eandem ſententiam multa colliges ex Origen. Origene lib.2.Periarchon.ca.12.vbi expreſſè docet mentem creatam in virtute intelligendi creſcere,& augeri, & vti vt cibo, quo viuat theoria, & intellectu Dei tanquam cibo illi ſtatui conuenienti. Videndus eſt homil.3. in Cantica pag.343. col.2. D. vbi affirmat *viſionem Dei fieri Deo ſe ipſum reuelante, ac faciente, vt à beatis videatur.* Et pag.336. ait: *in patria veritatem Dei per miſericordiam eiuſdem Dei beatis patere.* Homilia 21.in Numeros ſcribit, *beatos ſapientiæ illuminatione radiatos Deum videre.* Denique Nazianz.2. orat. Nazianz. Theologica pag.299. col.1. ad viſionem Dei aliquid requirit ſupra naturam. Vide eum.

7. 1. ratio. Tandem eadem veritas generali hac ratione demonſtrabitur: quoniam de fide eſt intellectum creatum, tam Angelicũ, quàm humanum intuitiuè Deum videre, vt libro 12. oſtendemus. Sed eadem fides docet, & ratio demonſtrat eum non poſſe videre Deum viribus ſuæ naturæ, vt in ſuperioribus latè demonſtrauimus: ergo intellectus creatus neceſſariò indiget ſupernaturali aliquo, & gratuito concurſu. Vnde *Diuus Thomas prima parte,* D. Thom. *quæſt.12.artic.4.* poſtquam oſtendit nullum intellectum creatum per ſua naturalia poſſe videre Deum, in fine corporis ita concludit: *Non igitur poteſt intellectus creatus Deum per eſſentiam videre, niſi in quantum Deus per ſuam gratiam ſe intellectui creato coniungit, vt intelligibile ab ipſo:* quaſi valeat hæc conſequentia; intellectus creatus poteſt videre Deum, & non per ſua naturalia: ergo indiget concurſu ſupernaturaliter illi conceſſo.

8. 2. ratio. Secunda ratio: eſſentia diuina ab intellectu creato videri non poteſt, niſi ipſa fiat intelligibiliter proportionata eidẽ. Sed non poteſt illi eſſe proportionata, niſi aliquid ſupernaturale concurrat: ergo, vt videatur ab eo, neceſſariò debet interuenire aliquid ſupernaturale. Maior eſt nota: nam cum inter potentiam, & obiectum neceſſaria ſit proportio; vtique inter obiectum intelligibile, & potentiam intellectiuam dari debet intelligibilis proportio. Minor autem probatur: quoniam ex præcedentibus patet eſſentiam diuinam non eſſe proportionatam viribus naturalibus intellectus creati: ergo vt fiat proportionata, aliquid ſupernaturale intercedat neceſſe eſt.

9. 3. ratio. Tertia ratio: quod eſt connaturale ſuperiori naturæ, non poteſt communicari inferiori, niſi actione ſuperioris, quæ ſit ſupra inferioris naturam: aqua enim non poteſt fieri calida, niſi actione ignis ſupra naturam aquæ. Sed videre Deum eſt proprium & connaturale ſolius naturæ diuinæ, vt patet: ergo videre Deum communicari non poteſt naturæ intellectuali creatæ, niſi actione Dei agentis ſupra illius naturam. Sumitur ex D. Thoma *3. contra gent. cap. 52.* à quo eam accepit D. Thom. Gloſſa in dicta Clement. *Ad noſtrum,* de Gloſſa. Hæreticis.

10. Concluſio. Hæc generaliter diximus, vt generaliter concludamus neceſſarium eſſe ſupernaturalem aliquem concurſum, vt intellectus creatus videat diuinam eſſentiam. Vtrùm verò hæc ſupernaturalitas ſit neceſſaria ex parte ſolius diuinæ eſſentiæ, vt intellectui intelligibiliter vniatur; an verò ex parte ſolius intellectus; an denique ex parte vtriuſque? in duabus ſequentibus quæſtionibus generaliter explicabitur: nam qui, qualiſvè concurſus ſit neceſſarius in ſpeciali, tam ex parte intellectus, quàm ex parte diuinæ eſſentiæ, inferiùs diſputabitur.

QVÆSTIO II.

De neceſſitate ſupernaturalis concurſus ex parte diuinæ eſſentiæ, vt videri queat?

August. Ariſt. SÆPE aduertimus ex Auguſtino, & Ariſtotele ad quálibet intellectionē duo eſſe neceſſaria: vnum eſt, vt intellectus ſit in actu, virtuteq; completa, vt ſua intellectione attingat obiectum: alterum vt obiectum ſit ſufficienter vnitum intellectui vnione obiectiua. Suppoſita igitur neceſſitate concurſus ſupernaturalis, videndum eſt, vtrùm ille ſit neceſſarius, tam ex parte diuinæ eſſentiæ, quàm ex parte intellectus. De prima neceſsitate agemus in hac quæſtione.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm concurſus ſupernaturalis ſit neceſſarius, vt diuina eſſentia vniatur intellectui creato?

§. 1.

Refertur pars, quæ negat.

1. Pars negās. SI aliquibus Theologis credendum eſt, non defuerunt ex recētioribus, qui voluerint vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu creato, eiusque obiectiuam motionem non eſſe ſupra naturā intellectus, ſed ex parte eſſentiæ eſſe naturalem. Fundamentum inde ſumebant; 1. ratio. quoniam indiſtantia obiecti à potentia intellectiua ex ſe eſt ratio formalis vnionis obiectiuæ; & quando datur talis indiſtantia poteſt obiectum abſque alia noua vnione mouere potentiam. Sed inter eſſentiam diuinam, & intellectum creatū naturaliter datur indiſtantia: ergo inter eſſentiam diuinam, & creatum intellectum datur naturalis vnio obiectiua, & naturalis quædam obiectiua motio. Conſequentia eſt legitima: minor euidēter demonſtratur ex immenſitate diuinæ eſſentiæ, qua naturaliter eſt vbique præſens, & indiſtans à quacunque re creata; & perconſequens quæcunque res creata naturaliter eſt indiſtans ab ea. Maiorem probant; quoniam cum duo Angeli ſimul ſunt in eodem loco, indiſtantia vnius ab intellectu alterius abſque alia vnione eſt ſufficiens, vt intellectus producat alterius intellectionem.

2. Secunda. Secundò, admiſſa ſpecie intelligibili repræſentante Deum, vt in ſe eſt; ſi illa poneretur in intellectu deſtituto lumine gloriæ, & poſteà eidem infunderetur tale lumen, poſſet ille intellectus elicere viſionem claram Dei abſque vlla noua vnione diuinæ eſſentiæ cum eo propter ſolam vnionem præcedentem, quæ erat per ſpeciem: ergo lumen gloriæ poſſet eandem viſionem elicere ratione ſolius indiſtantiæ, quæ datur inter eſſentiam, & intellectum.

Tertiò; omnis forma ſupernaturalis ſubiecto requirit ex parte ſubiecti aliquam eleuationem: ſed intellectus creatus non indiget eleuatione, vt obiectiuè vniatur diuinæ eſſentiæ: ergo talis vnio non eſt ſupra naturam intellectus creati. Maior patet; minor oſtenditur: quoniam poſito lumine gloriæ ſequitur viſio: viſio autem prȩſupponit vnionem cum eſſentia: lumen autem non datur tanquam diſpoſitio ad hanc vnionem, ſed ſolùm tanquam principium effectiuum habens ſe ex parte potentiæ: ergo intellectus creatus non indiget eleuatione, vt obiectiuè vniatur cum diuina eſſentia, ſed talis vnio eſt illi naturalis. 3. Tertia.

Quìdam volunt Baſſolium ſtare pro hac ſententia in prima quæſtione prologi, articulo ſecundo, §. *Adducunt autem aliqui, fol.* 3. *columna tertia*, quatenus inquit, *Deum in ratione obiecti intelligibilis eſſe æque præſentem beatis, damnatis, & viatoribus, quoniam ex æquo ſunt indiſtantes ab eſſentia diuina.* ¶Hæc ſunt quibus innominati illi Theologi volunt ad vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu creato nullo opus eſſe ſupernaturali concurſu, ſed talem vnionem eſſe illi connaturalem. 4. Baſſolius.

§. 2.

Pars affirmans eſt veriſsima.

DIcendum tamen eſt neceſſarium eſſe aliquem ſupernaturalem cōcurſum, vt diuina eſſentia obiectiuè vniatur intellectui creato tanquam forma, obiectumque intelligibile. Hæc ſententia, quanuis in his terminis proponi non ſoleat; eſt tamen de mente omniū Theologorum, nec ex ſcribentibus inueni, qui oppoſitum doceat. Et quanuis non omnes conueniant in qualitate, modoque concurſus; omnes tamen volunt 5. Pars affirmatiua vera.

eum

eum pertinere non ad ordinem naturæ, ſed gratiæ. Quod ad talem vnionem neceſſarius ſit aliquis concurſus ſupernaturalis, & gratuitus, ex profeſſo probat
D. Thom. multis in locis. *Diuus Thomas* 3. *contra gentes cap.* 53. *maximè in prima ratione, &* 1. *parte, quæſt.* 12. *articul.* 4. *in fine*, dum ait: *Deum per ſuam gratiam ſe ſe coniungere intellectui creato, vt intelligibile ab ipſo, & articulo quinto concludit neceſſariam eſſe ſupernaturalem eleuationem, vt Deus fiat forma intelligibilis intellectus creati. Quod etiam aſſirmat in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſtione ſecunda, articulo ſexto, vbi poſt multa concludit diſpoſitionem vltimam, quæ eſt ad vnionem intellectus cum diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis, excedere omnem facultatem naturæ. Et ibidem ad* 4. *aſſerit intellectum creatum ex ſua natura non poſſe videre diuinam eſſentiam propter abſentiam intelligibilis, ita inquiens; quamuis diuina eſſentia ſit cuilibet rei præſens, non tamen eſt præſens cuilibet intellectui, vt forma intelligibilis, niſi cum intellectus eſt ſupernaturaliter eleuatus, vt illi poſsit vniri vt forma intelligibilis. De veritate quæſtione octaua, articulo tertio*, poſtquam dixit diuinam eſſentiam ab intellectu videri non poſſe, niſi eidem vt forma intelligibilis vniatur, probat hanc vnionem fieri non poſſe, niſi aliqua ſupernaturali eleuatione: & tandem concludit *id, per quod intellectus fit in vltima diſpoſitione, vt coniungatur diuinæ eſſentiæ, vt formæ intelligibili, non eſſe naturale illi, ſed ſupra naturam.* Et ad 19. expreſſè ait, *diuinam eſſentiam non eſſe coniunctam intellectui viatoris, vt formam intelligibilem.* Denique *de Veritate quæſtionè decima, articul.* 11. *ad* 11. negat diuinam eſſentiam ſine lumine ſupernaturali eſſe coniunctam creato intellectui, vt formam intelligibilem, imò habere ad eum intelligibilem abſentiam. Noſtra igitur ſententia conſtans fuit ſententia D. Thomæ.

6. Capreol. Vnde illa placuit omnibus Thomiſtis: eam docuit *Capreolus in quarto diſtinctione* 49. *quæſtione quarta, articulo primo, concluſione prima in fine*, dum ait: *diuinam eſſentiam eſſe obiectum naturaliter improportionatum intellectui creato.* Et concluſione 2. in fine aſſerit, *neceſſariam eſſe ſupernaturalem diſpoſitionem, vt diuina eſſentia per modum formæ intelligibilis vniatur intellectui creato.* Articulo tertio ad tertiũ Scoti contra primam, fol. 206. columna tertia in fine affirmat *proportionem, quam intellectus creatus habet ad diuinam eſſentiam, vt ad formam intelligibilem, non eſſe per naturam, ſed per gratiam.* Quod iterum repetit ibidem ad 5. columna quarta. Vide eum ad 5. Durandi in fine quæſtionis. Eandem ſententiam expreſſit Caietanus *prima parte, quæſtion.* 12. *articul.* 5. *ad finem commenti, dum ait intellectui creato communicari quidem poſſe, vt habeat diuinam eſſentiam, vt formam intelligibilem; non tamen vt illam habeat, vt connaturalẽ.* Caiet. Denique in eadem ſententia ſunt cæteri Thomiſtæ, dum volunt lumen gloriæ neceſſarium eſſe, vt Deus intellectui creato obiectiuè vniatur, quod docuit *Sotus in* 4. *diſtin.* 49. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *poſt tertiam opinionem, §. vnde ad argumentum, pagina* 589. *col.* 2. *in fine.* Sotus.

In eadem ſententia ſunt omnes Scotiſtæ, dum ex eo probant intellectum creatum non poſſe naturaliter videre Deum, quia eum videre non poteſt, niſi Deus voluntariè ſe ſe vniat cum illo: quaſi illa libera vnio ſit quoddam donum gratuitum ſupra ordinem naturalem. Hanc eſſe mentem Scoti euidenter colliges *ex primo diſtinctione tertia, quæſtione ſecunda, §. Dico tertio, vbi Lichetus, & Bargius, idem Scotus quodlibeto* 14. *articulo ſecundo, Ioannes Ligurius in* 1. *diſtinctione tertia, quæſtione tertia, §. Sed reſtat, Antonius Andreas in quarto diſtinct.* 49. *quæſt.* 12. *Rada* 2. *parte, controuerſia* 8. *artic.* 2. *concluſi.* 3. *pag.* 236. *col.* 1. *in medio*, vt alios omittam. 7. Scotiſtæ cõſentiunt. Scotus. Lichet. Bargius. Ligurius. Ant. Andr.

Durandus in eadem eſt ſententia *in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſtione* 2. *numero* 24. *poſt principium*, quatenus ait immediatam diuinæ eſſentiæ repræſentationẽ non poſſe fieri ſecundùm ordinem naturæ, ſed gratiæ, quo naturalis ordo immutatur. Denique apud Recentiores eſt indubitata. Vide Bellomontanum 1. *p. diſp.* 31. *n.* 12. tribui ſolet S. Maximo centuria. 1. cap. 1. & Cypariſsiotæ decad. 2. cap. 6. 8. Durand. Bellomon. S. Maximus.

§. 3.

Probatur rationibus.

HÆc ſententia à priori ita oſtenditur: quoniam vbi inter obiectum intelligibile, & potentiam intel- 9. Prima ratio à priori.

lectiuam nulla datur naturalis proportio, ſed ſolùm ſupernaturalis, vnio vtriuſque ſupernaturalis erit, etenim vnio obiecti cum potentia ſequitur ad proportionem vnius ad alterum, ſed inter diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum viſibile, & intellectum creatum ſolùm datur proportio ſupernaturalis, vt ex dictis patet, & expreſſit Capreolus in citatis locis: cōſtat enim diuinam eſſentiam eſſe ordinis diuini, intellectum autem ordinis naturalis: ergo vnio obiectiua diuinæ eſſentiæ, vt eſt forma intelligibilis, cum intellectu creato nullo modo erit naturalis, ſed ſupernaturalis.

10. 2. ratio. Secundò, nulla forma intelligibilis cōnaturalis intellectui ordinis ſuperioris poteſt naturaliter vniri intellectui inferioris ordinis, ſed neceſſe eſt, vt intellectus inferior eleuetur per aliquid, quod ad ſuperiorem ordinē pertineat, quo fiat proximum ſuſceptiuum formæ ſuperioris: actus enim non fit, niſi in potentia ſibi aliquo modo propria, & proportionata: vnde lux, cum ex ſua natura ſit actus diaphani, nulli corpori opaco vniri poteſt, niſi illud aliquo modo participet diaphani rationem. Sed eſſentia diuina, vt eſt forma intelligibilis, ſoli intellectui diuino eſt connaturalis, quia ille ſolus eſt ſupremus: ergo diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis non poterit vniri intellectui creato, niſi eleuetur per aliquid, quod ad ordinem diuinum pertineat.

11. Reſponſio quorundā. Vtrique huic argumento reſpondebit aliquis diuinam eſſentiam non eſſe obiectum connaturale intellectui diuino, niſi ſecundùm adæquatam ſuam intelligibilitatem: ſecùs prout eſt intelligibilis inadæquatè, & modo finito; & ideò quanuis priori modo ſoli intellectui diuino ſit naturaliter vnibilis, tamen nihil impedit, quin poſteriori modo ſit vnibilis creato

Non recipitur. intellectui. ¶ Hæc tamen reſponſio ſupponit diuinam eſſentiam ex eo præciſè habere connaturalitatem cum diuino intellectu, quia eſt infinitè intelligibilis; quod tamen non eſt verum: nam quanuis infinitas in entitate, & in intelligibilitate inferat diuinam eſſentiam comprehendi non poſſe, niſi à ſolo ſuo intellectu; quia ſolus ille eſt infinitus: connaturalitatem tamen obiectiuam ex eo præciſè habet, quod ipſa eſt ſuum eſſe, & ſuū intelligere: ex hoc enim per ſe primò habet, quòd in genere intelligibilium ſit ordinis ſuperioris, & cuicunque intellectui creato naturaliter inuiſibilis. Cui illud eſt argumento: quoniam ſi per impoſſibile eſſentia diuina non eſſet infinitæ entitatis, & intelligibilitatis, adhuc eſſet ſuperioris ordinis quocunque intellectu creato ex eo præciſe quod eſt ſuum eſſe: quare ſicut ex eo, quòd eſt ſuum eſſe, & ſuum intelligere eſt ordinis ſupremi in ordine intelligibilium, vt diximus quæſtione ſecunda art. 2. §. 4. ad finem: ita etiam ex eodem habet, quòd ipſa in ſe ſit obiectum connaturale intellectui ſupremo, cum & ipſe ſit ſuum intelligere. ¶ Inconcuſſum igitur maneat fundamentum vtriuſque præcedentis rationis, quo vtitur D. Thom. 1. *p. q.* 12. *ar.* 4. *ad finem corporis, & ſatis illud ſupponit* 3. *contra gent. c.* 52. *in prima* 2. 3. *&* 5. *ratione, & cap.* 53. *ratione* 1. *&* 2. *& Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 2. *litera D.* §. *Tertio dico.* *D. Thom. Sotus.*

12. Ratio à poſteriori. Tertiò poteſt eadem veritas à poſteriori confirmari; quoniam certiſsimum eſt diuinam eſſentiam vt formam intelligibilem ſolùm obiectiuè vniri intellectui creato in primo ingreſſu patriæ, vt inferiùs ſuo loco oſtendemus, & ſatis inſinuat *D. Thomas* 3. *cont. gent. cap.* 63. *in* 3. *ratione, & docent Theologi in* 3. *d.* 14. *vbi D. Bonau. ar.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *Richardus ar.* 1. *q.* 2. *ad* 1. *Albertus Magn. in* 4. *d.* 48. *art.* 2. *Abulenſis in c.* 5. *Matth. q.* 45. *ad* 4. Hoc autē eſſet falſum, ſi vnio diuinæ eſſentiæ cū intellectu creato eſſet naturalis: nam cum fruſtrà ſit potentia, quæ non reducitur ad actum, poſſet intellectus in via ſuis viribus obiectiuè vniri cum diuina eſſentia, imò ex ſua natura ſemper eſſet cum illa vnitus, quod contradicit ſuperiori Theologorum doctrinæ. *D. Thom. D. Bonau. Richard. Albert. Abulenſ.*

13. Poſterior ratio. *Nazianz.* Poſtremò ſatis id colligitur ex verbis Nazianz. adductis in q. præcedente, dum ait, *mentem noſtram tunc eſſe Dei formem, cum Deus eam rei cognitæ adiunxerit.* Et ex verbis Dionyſij ibidem etiam poſitis, dū ait, *vnitionem, qua mens noſtra coniungitur ad diuina excedere mentis noſtræ naturam.* Denique faciunt illi Patres, qui docent Deum alioquin inuiſibilem ſe ipſum nobis reuelare, quod tunc contingit, cum ſe ipſum noſtro intellectui obiectiuè coniungit.

§. 4.

§. 4.

Soluuntur argumenta contraria.

14. Ad 1. argu. AD primũ argumentum in contrariũ negãda eſt maior: nec enim ſola indiſtantia diuinæ eſſentiæ, ſecundùm quam eſt in omnibus rebus, ſatis eſt, vt obiectiuè vniatur intellectui tanquam forma intelligibilis, vt diximus *lib. 4. q. 1* D.Thom. *art. 2. num. 57. & expreſſit D. Thomas in 4. d. 49. q. 2. art. 4. his verbis: quanuis diuina eſſentia ſit cuilibet rei præſens; non tamen eſt præſens cuilibet intellectui, vt forma intelligibilis.* Et de veritate, q. 10. art. 11. ad 11. ita ait: *quanuis diuina eſſentia ſit præſens intellectui noſtro: non tamen eſt ei coniuncta vt forma intelligibilis.* agit autem de præſentia reali ſecundùm eſſentiam. Et idem ſignificauit *de veritate quæſt. 8. artic. 3. ad 19. imò in dicto art. 11. ad 11. expreſsè aſſerit: diuinam eſſentiam, quanuis ſit noſtro intellectui præſens præſentia reali, eſſe illi abſentem præſentia intelligibili.* Satis igitur ſignificauit D. Thomas indiſtantiam diuinæ eſſentiæ ſecundùm preſentiam realem non ſatis eſſe ad præſentiam obiectiuam: imò cum hac præſentia ſtare poſſe, quòd ſit abſens illi in ratione intelligibilis formæ. Quæ fuit etiam ſententia Scoti Scotus. *in 4. d. 49. q. 11. litera F. §. præterea viſio, dũ ait naturam humanam non habere ex ſe præſentem Deum in ratione obiecti, licèt ſit illi præſens per illapſum;* quibus verbis ſatis diſtinguit præſentiam obiectiuam à præſentia per illapſum, qua Deus omnibus rebus eſt præſens per ſuam eſſentiam; & vniuerſaliter quòd duplex ſit iſta præſentia; vide Scotũ in 1. d. 3. q. 6. litera V. & q. 7. litera V.

15. Non admittitur quædam Philoſophia. Quare non admittimus Philoſophiam illorum, qui volunt indiſtantiam realem ſecundùm entitatem obiecti cum intellectu ſatis eſſe ad vnionem obiectiuam illius cum potentia, & vt intellectus intelligibiliter ab illo poſsit moueri: quidquid oppoſitum doceat *Molina 1. p. q. 56. art.* Molina. *2. §. dubium verò eſt,* in hoc non audiendus; cum oppoſitum doceãt D. Thomas, & Scotus, & detur inſtantia in anima coniuncta mortali corpori, quæ realiter eſt indiſtans à ſuo intellectu, & tamen non eſt ſibi intelligibiliter vnita, nec eſſe poteſt niſi priùs aliquid intelligat, ex quo per reflexionem habeat ſe ipſam intelligibiliter præſentem. Quo argumento quidam Molinæ diſcipulus doctrinam illam ita abſolutè prolatam nõ admittit; Declaratur Molina. ſed ſolùm quando ex parte intellectus adſunt omnia requiſita ad intelligẽdum; quia tunc per ſolam indiſtantiam obiecti completur ratio vnionis intelligibilis: ſecùs quando deeſt aliquid ex parte intellectus. Et inde infert indiſtantiam vnius Angeli ab intellectu alterius ſatis eſſe ad rationẽ huius vnionis, quia ille alter Angelus habet omnia neceſſaria ad intelligẽdum Angelũ à ſe indiſtantem. Indiſtantiam verò diuinę eſſentiæ ad intellectum creatum deſtitutum lumine gloriæ ideo non complere rationem vnionis, quia intellectus non dum eſt proportionatus, vt concurrat ad viſionem cum diuina eſſentia, & ad hunc ſenſum putat explicandã eſſe maiorem argumenti; in quo ſenſu minor eſt falſa.

16. Non recipitur. Sed nec Philoſophia Molinæ in iſto etiam ſenſu eſt admittenda; nec data ſolutio vim argumenti elidit. Non eſt quidem admittenda talis Philoſophia; quoniam illa indiſtantia, cũ ſit realis, & ex ſua natura pertineat ad præſentiam in genere rei, non eſt preſentia generis intelligibilis, ad quod præſentia obiectiuè ſpectat: & inde eſt vt indiſtantia realis fundet realem relationem præſentiæ; cum tamẽ vnio obiectiua fundet præſentiam, quæ ſolùm eſt relatio rationis. Nec diſtinctio huius duplicis generis eſt noua, cum illã tradiderint D. Thomas, & Scotus locis citatis. Nec etiam ſolutio illius Theologi tollit vim argumenti; quoniam ex illa Non recipitur ſolutio. neceſſariò ſequitur vnionem illam præexiſtere ante aduentum luminis, quanuis nõ in potẽtia proxima, ſed remota: quod aduerſarij libenter admittent; quia adhuc habebunt illam vnionem ex ſe eſſe naturalem; ſiquidem indiſtantia illa naturalis eſt. Sed de hoc iterum redibit ſermo in q. Vtrùm diuina eſſentia ſubeat rationẽ ſpeciei? vbi explicabimus in quo poſita ſit hæc vnio obiectiua. Satis modo ſit ſolam indiſtantiam realem diuinæ eſſentiæ non eſſe ſatis, vt dicatur obiectiuè vnita intellectui; alioquin vnita eſſet nõ modo viatori, ſed etiam damnato. Quod nec Baſſolius aſſerit, nec ſi aſſereret probandus eſſet, ſed arguendus.

Vera ſolut. Igitur ad argumentum neganda eſt maior

maior. Ad probationem negandum eſt id, quod aſſumitur de Angelo: oppoſitũ enim colligitur ex D. Thoma, & Scoto, & nos latiùs oſtendimus in materia de Angelis; interim vide Bellomont. 1. p. diſp. 205. cap. 3.

17. Ad 2. Ad 2. plures negarent dari poſſe talem ſpeciem etiam per diuinam potentiam. Sed quia probabilior eſt ſententia oppoſita, vt dicemus in ſecunda par. lib. 8. ideo illa admiſſa negandum eſt ſine lumine gloriæ eam vniri poſſe intellectui vnione intelligibili, quia ſine tali lumine eſt improportionatus ad talem vnionem. Diximus *vnione intelligibili*; quia non eſt negandum illam ſpeciem recipi poſſe in intellectu, vt eſt quædam qualitas: hæc tamen receptio non ſatis eſſet, vt ſpecies exerceret officium formæ intelligibilis: vnde lumine aduenięte fieret noua vnio ſecundùm eſſe intelligibile; cuius oppoſitum ſumitur in minore. Non ineptè reſponderet (& ſit 3. ſolutio) qui diceret per talem ſpeciem ſine lumine receptam fieri quidem vnionem obiectiuam eſſentię cum intellectu habitualem tamen, vnde talis ſpecies ante aduentum luminis non eſſet in actu primo ad faciendam viſionem, ſed in potentia remota: vnde adueniente lumine non fieret noua vnio, ſed quæ erat ſolùm in habitu, compleretur, vt per eam produceretur viſio. Nec hoc cenſeri debet alienum à vera Philoſophia: quoniam ſpecies intelligibilis hominis, quæ eſt in habitu, vt per eam intelligatur homo, quando ſcilicet intellectus actu non intelligit, ſuo modo completur, quando actuatur ad intelligendum hominẽ noua aliqua applicatione: & tũc abſq; noua vnione obiecti cum potentia fit intellectio. Ad argumentum igitur iuxta ſecundam ſolutionem negãda eſt maior: at iuxta tertiam cõſequentia eſt inutilis: quoniã per indiſtantiam realem eſſentiæ cum intellectu nulla datur vnio obiectiua, quæ tamen facta eſt per ſpeciem, quę admittitur.

18. Ad 3. Ad 3. admiſſa maiore, ſi nomine eleuationis intelligatur concurſus aliquis non pertinens ad ordinem natural[illegible]a, ſed ſolius gratiæ, neganda eſt minor. Nam cũ intellectus creatus ex ſe ſit improportionatus ad vnionem obiectiuam cum diuina eſſentia, indiget aliqua eleuatione. Vtrùm, autẽ hæc futura ſit per lumẽ gloriæ, vel alio modo? ſuo loco diſputabimus.

Quę autem fuerit opinio Baſſolij, modo non curamus: ſi tamen benè expendatur, non aſſerit Deum in ratione formę intelligibilis æque eſſe præſentem beatis, viatoribus, & damnatis: ſed ſolũ aſſerit præſentiam Dei, eiuſque exiſtentiam, quæ neceſſaria eſt, vt intuitiuè videatur, eſſe illam ipſam, quæ omnibus illis eſt realiter præſens: vnde à beatis intuitiuè videtur ſecundùm eandem exiſtentiam, & pręſentiam, qua eſt in omnibus rebus; quanuis nõ omnibus proponatur vt forma intelligilis, ſed ſolis beatis. Si aliud intellexit, turpiter errauit: ſed non puto aliud intellexiſſe, quidquid Recẽtiorum nonnulli aliud illi imponant. 19. Quid ſenſerit Baſſolij.

QVÆSTIO III.

De neceſſitate concurſus ſupernaturalis ex parte potentiæ intellectiuæ.

Conſequenter agendum eſt de neceſſitate ſupernaturalis cõcurſus ex parte intellectus, vt Deum videat. Vt autem difficultas clariûs explicetur, aduertendum eſt controuerti inter Theologos, an intellectus creatus actiuè concurrat ad viſionem beatam, an verò ſolùm paſſiuè? De qua controuerſia agendum erit in vltima quæſtione huius libri. Et quãuis veriſſima ſit opinio, quæ in intellectu admittit actiuitatem; quia tamen oppoſita ſententia eſt grauiſſimorum Theologorum; operæpretium erit propoſitam difficultatem iuxta vtrãque opinionem explicare; ita enim magis ſtabilietur neceſſitas ſupernaturalis eleuationis ex parte intellectus, vt Deum poſſit videre. Quæſtionem primò explicabimus ſuppoſita intellectus actiuitate. Duo autẽ inquirenda ſunt. Primũ generaliter inquiret; Vtrùm intellectus creatus ad videndũ Deũ indigeat eleuatione ſuæ virtutis actiuæ? Secundum inquiret, Vtrùm opinio negans hanc indigentiam digna ſit aliqua cenſura? De neceſſitate eleuationis ex parte intellect.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectus creatus ad vidēdum Deū indigeat ſupernaturali eleuatione ſuæ actiuitatis.

§. I.

Refertur opinio, quæ negat.

1. Pars negãs. *Baſſol.*

PArs negans abſque dubio probata fuit Baſſolio in 4. d. 49. q. 5. art. 2. vbi refert, & probat quorundã opinionem, qui dixerūt præſentato obiecto beatifico intellectui creato intellectum poſſe elicere viſionem cum ſola generali influentia ſecluſo omni habitu ſupernaturali. Hanc opinionem approbat *in dicto art. 2. §. ſed quantum ad præſentem, & in ſolutione 4. principalis fol. 159. col. 3. in fine & clariùs in 3. d. 14. q. 1. art. 1. §. neutram iſtarum, & §. Dico igitur*: & hanc opinionem putat eſſe veram, etiã ſi intellectus actiuè influat in viſionem, vt declarat ibidem ad 3.

Durandum eſſe pro ſententia negante.

2. Durandus eſt pro negante.

An hæc ſententia in noſtris terminis fuerit Durandi, aliqui dubitant: ſine cauſa tamen, ſi Durandus, vel minima attentione legatur *in 4. d. 49. q. 2. num. 24.* conſtat enim eum nullam aliam ſupernaturalitatem agnoſcere, niſi ſolam mutationē ordinis naturalis, qua auferantur impedimenta, quibus impediebatur ne Deū videret: ita enim ſcribit num. 24. in principio: *ad videndum Deum non requiri ſpeciem aliquam repræſentantem diuinam eſſentiam, nec aliquod lumen creatum eleuans intellectum; ſed ſufficere, quod diuina eſſentia immediatè repræſentetur intellectui creato.* Et addit, *hanc repræſentationem non fieri ſecundùm ordinem naturæ, ſecundùm quem intellectus nihil intelligit, niſi ex ſenſatis, & imaginatis: fieri tamen ſecundùm ordinem gratiæ; quatenùs ſcilicet gratis, & non ex debito ab intellectu aufertur impedimentum naturale, quatenùs non poteſt Deum intelligere, niſi mediãtibus ſenſatis.* Ex quibus verbis maniſeſtè patet Durandum nihil ſupernaturale requirere ex parte intellectus, quo naturalis eius virtus immutetur: nec enim requirit ſpeciem, nec lumen, quæ duo ex parte intellectus ab alijs requiruntur. Et ne recurras ad aliud ſupernaturale, expende illa verba: *Sufficit quòd diuina eſſentia immediatè illi repræſentetur.* Quæ verba excludunt omnem ſupernaturalitatē ex parte intellectus; & eam ſolùm admittunt ex parte diuinæ eſſentiæ, vt eſt cū intellectu obiectiuè vnibilis. Accedit quod Durandus non ſemel, ſed iterum, repetit *virtutem intellectus de ſe poſſe in diuinam eſſentiam obiectiuè ſibi præſentatam.* Quid quæſo eſt *de ſe*? niſi quòd ſua naturali virtute poteſt in eam tendere, ſi ſemel ſibi præſentetur. Quod expreſsiùs declarat, dum in probatione maioris ait: *Ex quo potentia poteſt in obiectum, de ſua natura poteſt ipſum cognoſcere.* Vnde in fine illius num. 24. explicat intellectum facta præſentatione eſſentiæ abſque vlla ſui mutatione poſſe eã videre; ita enim ait: *Oportet ergo quod per hoc ſolùm immutetur intellectus, quia mutatur ordo naturalis, quē habet in intelligendo,* qui ordo mutari poteſt abſq; vlla mutatione virtutis intellectiuæ; nam ſi adhuc indiget ſupernaturali ſui ipſius mutatione, iam nec de ſe, nec ſua natura tenderet in eſſentiam ſibi præſentatam, contra quod ſæpius docuit. Id ipſum euidenter patet, quoniam nu. 25. & 27. ex eo admittit omnes homines eſſe æqualiter beatos, *quoniam cùm lumen gloriæ nō requiratur, & inter intellect⁹ humanos non detur gradus maioris, aut minoris perfectionis; non poteſt in eis dari inæqualitas in viſione*: iam verò intellectus humanos eſſe in perfectione æquales, verùm eſſe nequit, niſi ſermo ſit de perfectione naturali: nec ex æqualitate virtutis naturalis benè inferret æqualitatem viſionis, ſi intellectus ſuperaddita aliqua ſupernaturali virtute in viſionem influeret. Accedit etiam id, quod docet num. 29. *eſſentiam diuinam in ratione obiecti peraccidens eſſe improportionatam intellectui; per ſe autem habere proportionem obiectiuam, quatenùs per ſe cadit ſub formali illius ratione; & per conſequens ſi tollatur id, quod eſt peraccidens, per ſe manere proportionatam.* Quæ verba intelligi non poſſunt, niſi de proportione inter eſſentiam, & virtutem naturalem intellectus. Accedit adhuc, quod ſcribit num. 30. *intellectum noſtrum eodem modo ſe habere ad eſſentiam diuinam ſibi ſupernaturaliter præſentem, quo ſe habet ſenſus ad ſenſibile, ſi ſupernaturaliter ſibi præſentaretur:*

ſentaretur : conſtat autem poſito illo caſu ſenſum ex ſua naturali virtute omninò immutata poſſe videre illud ſenſibile. Denique addimus, quæ ſcribit num. 21. 22. & 23. *per nullum ſupernaturale ſuperadditum poſſe virtutem intellectus immutari, vt fiat potentior.*

3. Non eſſe dubitandũ de mentẽ Duraudi pro parte negãte.

Ex quibus omnibus euidenter patet exiſtimaſſe nihil ſupernaturale eſſe neceſſarium ex parte virtutis intellectiuæ, vt potens ſit Deum videre; ſed ſufficere virtutem ſuam naturalem, vt videat diuinam eſſentiam ſibi præter ordinem naturæ, & in hoc ſenſu ſupernaturaliter præſentatã. Vtrùm verò hæc ſupernaturalitas præſentationis ſolùm ſit poſita in remotione impedimẽtorum ſupernaturaliter facta; ita vt facta hac remotione abſque alia ſupernaturalitate eſſentia diuina maneat præſentata? an verò adhuc ſit neceſſaria alia ſupernaturalitas, qua eſſentia ſe ſe obiectiuè præſentet? non ſatis explicat Durandus: ſi tamen diligentiùs expendatur, nihil ampliùs requirit; cùm doceat facta impedimentorũ remotionẽ neceſſariò ſequi viſionem.

4. Suarius nõ ſatis percepit Durãd.

Ex his primò infertur mentem Durandi nõ ſatis fuiſſe perceptã à Suario *lib. 2. de attributis negatiuis cap. 16. nu. 5. dum ait* ſine cauſa imponi Durando, quod neget neceſſarium eſſe, vel lumen, vel maius quoddam auxiliũ Dei, quod ſuppleat illius efficientiam: nam quomodo ſine cauſa illi imponitur, quod diſertis verbis affirmat in dicto num. 24. in principio? nec oppoſitum docuit *in 3. d. 14. q. 1. n. 9.* quoniam ibi loquitur ſuppoſita eorum opinione, qui volunt lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad viſionem, vt ibidem declarat his verbis: *Propter quod dato quod lumen gloriæ requireretur ex neceſsitate.*

Durandus in 3. oppoſitum nõ docet.

5. Suarius nõ loquitur ad mentẽ Durand.

Infertur ſecundò non ſatis accommodatè ad mentem Durandi loqui eundem Suarium in dicto lib. 2. cap. 15. n. 30. dũ affirmat Durandum nunquam dixiſſe viſionem fieri abſque noua mutatione intellectus; cum nu. 24. in fine ita concludat: *Oportet ergo, quòd per hoc ſolùm mutetur intellectus, quia mutatur ordo naturalis, quem habet in intelligendo, ſecundùm quem non cognoſcit Deum, niſi ex creaturis,* at mutatio ordinis naturalis, nec eſt mutatio intellectus in ſe ipſo, nec arguit mutationem in eo, ſi mens Durandi ſpectetur.

6. Nec Salas Durandi mẽtẽ percepit.

Tertiò infertur nec Salam Durandum intellexiſſe 1. 2. q. 3. *tract. 2. d. 5. ſect. 3. n.* 54. dum aſſerit apud Durandum Deum tollere naturale impedimentũ, dum vult intellectum ab eſſentia diuina iuuari in ratione ſpeciei intelligibilis: Durandus enim nullibi dixit diuinam eſſentiam ſubire rationem ſpeciei; imò oppoſitũ docuit, vt ſuo loco videbimus.

Scotum non eſſe cum Durando.

7. Scotus non eſt cum Durando

Non deſunt qui dicant Scotum cum Durando conſentire. Fundamentum inde ſumũt, quoniam Scotus ex ea præciſè ratione probat intellectum creatũ non poſſe naturaliter videre Deum, quia nec ſua virtute, nec alicuius agentis naturalis poteſt facere diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè præſentem, ideo quia talis præſentia ex ſola libera Dei voluntate pendeat, vt videre eſt apud Scotum *in 1. d. 3. q. 2. §. tertio dico D, & in 4. d. 49. q. 11. F. & quodlib. 14. §. de ſecundo principali N.* Hinc inferunt intellectum creatum apud Scotum, vt Deum videat, nulla indigere ſupernaturalitate, niſi ex parte diuinæ eſſentiæ, vt ſcilicet fiat obiectiuè præſens; quaſi ſupponat Scotus poſita hac præſentia poſſe intellectum abſque aliquo ſuper addito videre Deum. Quod inde magis corroborant; quia apud Scotum lumen gloriæ non eſt neceſſarium ad viſionem. Scotus igitur (vt aiunt) in re conſentit cum Durando: quia vterque præter præſentiam obiectiuam diuinę eſſentiæ nihil ampliùs requirit ex parte intellectus. Cum his Theologis expreſſè conſentit *Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 4. paulò poſt principium : videtur etiam conſentire Bellomontanus 1. p. d. 41. cap. 2. num. 9. vbi aſſerit Scotum in 3. d. 14. q. 1. §. in prima quæſtione ad finem docere intellectum ſine lumine gloriæ poſſe videre Deum*, ſuppoſito quod actiuè ſe habeat ad viſionem: non tamen diffinire, an ſine auxilio ſupernaturali ex ſola naturali virtute id fiat. Denique cum iiſdem conſentit *Cumelius 1. p. quæſt. 12. art. 5. q. 1. poſt principium.*

Sotus. Bellom.

Cumelius.

8. Scotũ longè eſſe à mẽte Durandi.

Sed quàm longè Scotus ſit à ſententia Durãdi, & ab hac negatiua, ſi admittatur actiuitas intellectus erga viſionem, euidenter patet ex iis, quæ hac de re ſcribit *in 4. d. 49. q. 11. §. ex hoc ſequitur. litera G.*

&

& ad 4. litera K. §. ad aliud ſecundùm illam. & in 3. d. 14. quæſt. 1. §. in prima opinione C. adiunctis ijs quæ ſcribit ibidem d. 23. q. 4. §. ad. 4. q. P. Q. ex his enim locis euidẽter colliges Scotum omninò requirere lumen gloriæ ſe tenens ex parte intellectus, ſi admittatur eum actiuè concurrere ad vionem. Vnde in dicta *q. 11. litera I. §. tertio ergo* his verbis concludit: *teneo ergo quòd ſaltem neceſſe eſt ponere charitatẽ propter operationem eliciendam: & per conſequens aliquam operationem poteſt voluntas cum charitate elicere, quam non poteſt ſine ea. Et ſic patet ad formam quæſtionis, quod aliquam operationem beatitudinis poteſt homo habere, quam non poteſt ex puris naturalibus.* Et quod de charitate docet reſpectu voluntatis, docet etiam de lumine gloriȩ
mens Scoti de lumine gloriæ reſpectu intellectus. Quam doctrinam intelligit, ſi ſermo ſit de potentia ordinaria; nam de potentia abſoluta concedit intellectum ſine illo lumine poſſe elicere viſionem, Deo tamen ſupplente luminis actiuitatem: *ita expreſſe in 3. d. 14. q. 1. C. §. ſi autem quæratur*, vbi excitans quæſtionem, vtrùm intellectus ſine lumine poſſit actiuè ſe habere ad viſionem? reſpondet idem eſſe dicendum, quod dixit *diſt. 13. q. 4. §. ad 4. quæſtionem, in quæſtione de voluntate ſine charitate.* Eo autem in loco expreſsè docet voluntatem de potentia ordinaria non poſſe elicere fruitionem; benè tamen de potẽtia abſoluta Deo ſupplente cauſalitatem charitatis.

9. Ex quibus iam intelliges, quàm longè ſit Scotus, & à ſententia negante, & à mente Durandi, ſi ſupponatur intellectũ actiuè influere in viſionem: nam Durandus numero. 27. negat etiam illa opinione ſuppoſita neceſſarium eſſe, aut lumen gloriæ, aut aliud ſupernaturale: oppoſitũ docet Scotus: ſuppoſita enim actiuitate putat lumen gloriæ eſſe neceſſarium, vt virtus intellectus, quæ ex ſe eſt in potentia remota, fiat in potentia proxima, vt Deum videat; idque de lege ordinaria: nam de potentia abſoluta benè admittit lumen ſimpliciter non eſſe neceſſarium, eſſe tamen neceſſarium auxilium aliquod ſupernaturale, quo ſuppleatur actiuitas luminis, & intellectus fiat in
Bellomontanus non percipit Scot. potentia proxima videndi. Lapſus igitur fuit Bellomontan. dum dixit Scotum nõ definiuiſſe, an intellectus poſsit Deum

videre ſine auxilio ſupernaturali, ex ſola naturali virtute? etenim Scotus ſuppoſita actiuitate intellectꝰ, ſiue ſermo ſit de potentia ordinaria, ſiue de abſoluta ſemper requirit auxilium ſupernaturale, quo intellectus fiat in potentia proxima, qui ex ſe ſolùm eſt in potentia remota, vt verbis expreſsis ſcribit in dicta q. 11. litera K, Vnde meliùs Scotum intellexit *Suarius in dicto lib. 2. cap. 16. num. 5.* ¶ Quare Scotus non eſt pro hac ſententia negãte. Nec aliquid obſtat fundamentum, quo illi Theologi nitũtur: nam Scoto ſatis fuit medium illud, vt oſtenderet intellectum creatum non poſſe Deum videre ex ſolis puris naturalibus. Ex quo non benè infertur Scotum nihil ſupernaturale requirere ex parte intellectus: quoniam non dixit ſolam illam præſentiam eſſe ſatis, ſicut dixerat Durandus; imò oppoſitum docuit, vt ex dictis patet, de hoc vide lib. 9. q. 4. art. 1. §. 1.

Nec Paludanus eſt pro parte negante.

Plures etiam pro parte negante citant Paludanum *in 4. d. 49. q. 1. art. 3*, ſed ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem 10. Paludanus non eſt pro negante.
facilè patet id falſum eſſe ex ijs, quæ ſcribit loco citato n. 33. cõcl. 1. vbi aſſerit lumen gloriæ eſſe neceſſarium ſecundùm potentiam ordinariam; non tamen ſecũdùm abſolutam, & num. 34. addit ſuppoſita actiuitate neceſſarium nõ eſſe vt formaliter exiſtens in intellectu: benè tamen vt aſsiſtens, quo intellectus inſtrumentaliter moueatur, & ſuppleatur actiuitas luminis. Igitur haud dubiè Paludanus partem affirmantem tenet: quare negantem partem ſolùm probant Durandus, & Baſſolius.

Argumenta huius negantis partis.

Hæc opinio à ſuis Authoribus multis confirmatur. Et à Durando in hunc modũ. 11. Argumenta partis negantis.
Vbicunque vis potentiæ, ex ſua natura ſe extendit ad obiectum ſibi immediatè præſentatum ſecluſis omnibus impedimentis naturaliter ſequitur viſio illius. Primũ.
Sed intellectus creatus de ſe poteſt in diuinam eſſentiam, tanquam in ſuum per ſe obiectum: totum autem impedimentum, ne in illam poſsit, ex eo ſumitur

tur, quia in eam ferri nequit, niſi per media inferioris ordinis, per quæ non poteſt diſtinctè repræſentari: ergo ſi diuina eſſentia ſublato hoc impedimento ſe ſe liberè præſentet intellectui, neceſſariò ſequetur viſio, nec neceſſaria erit vlla eleuatio ſupernaturalis, vt intellectus eam videat. Maior ex terminis patet: ſecunda minoris pars, vt indubitata ſupponitur à Durando; primam verò probat nu. 29. quia Deus cum ſit ens, continetur per ſe ſub obiecto intellectus creati. Hoc eſt præcipuum Durandi fundamentum.

12.
Secundum.

Secundò ex eodem Durando nu. 21. ita poteſt argui: ſi quæ ratio conuinceret neceſſitatem ſupernaturalitatis ex parte intellectus eſſet hæc: quia ſcilicet intellectus per ſua naturalia non poteſt videre Deum. At ex hoc non benè infertur neceſſariũ eſſe aliquid ſupernaturale. Maior ſupponitur: minorem ita probat Durandus; quoniam non valet hæc conſequentia; *intellectus creatus non poteſt Deũ videre per ſuam naturam; ergo vt eum videat, indiget aliquo ſupernaturali ſuperaddito:* ſi enim valeret, nullũ dari poſſet impoſſibile: quia diceretur, illud eſſe impoſſibile per naturam; poſſibile tamen ſi addatur aliquid ſupernaturale. Deinde; quia licèt viſio Dei per naturam ſit impoſſibilis, poteſt tamen eſſe poſſibilis non additione alicuius ſupernaturalis, ſed ſola remotione impedimentorum.

Tertium.

Tertiò ex eodem Durando: quoniam ſi aliquid ſupernaturale eſſet neceſſarium illud eſſet lumen gloriæ. Hoc autem abſolutè neceſſarium non eſt, vt latè probat in dicta q. 2. 21. & 22.

13.
Vltimum.

Poſtremò alij ita arguunt: ideo oculus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Deum, etiam ſublatis impedimentis: quia ex ſe non habet virtutem connaturalem ad talem viſionem: ergo ſi intellectus creatus ex ſe nõ habet virtutem connaturalem ad videndum Deum, non poterit eleuari ad illius viſionem: quod eſt contra fidem.

§. 2.

Affirmans ſententia eſt vera.

14.
Affirmans ſententia eſt vera.

PArs tamen affirmãs eſt omninò aſſerenda, ex parte ſcilicet intellect⁹ neceſſarium eſſe aliquem ſupernaturalẽ cõcurſum, quo virtus actiua illius fiat ſufficiens, & completa vt viſionem eliciat; quæ ſententia facta ſuppoſitione actiuitatis intellectus eſt cõmunis inter Theologos: licèt enim varient in aſsignãda ſpecie huius concurſus; in hoc tamen conueniunt omnes, vt aliquid ſupernaturale ex parte intellectus ſit neceſſarium. *Ita D. Thomas 1. p. q. 12. articu. 4. & 5. vbi omnes eius interpetres, & in 3. contra gentes cap. 52. & ibi Ferrar. Conſentiunt Richard. in 4. d. 49. art. 3. q. 2. Maior. q. 4. concluſione 3. & in 3. d. 14. q. 2. concluſ. 2. & in ſolutionibus argumentorum, Marſil. in 3. q. 10 art. 2. concl. 2. pag. 414. col. 1. & 2. Ioannes Ouandus in annotationibus ad 3. Scoti d. 13. q. 4. & 5. de lumine gloriæ, & Franciſcus Ouãdus in 4. d. 49. propoſitione 6. Angles in ſuis floribus ad 4. in q. de beatitudine art. 2. difficultate 7. concluſ. 1. Palatius in 4. diſt. 49. diſp. 1. concl. 6. pag. 161. colu. 2. latè Sotus ibidem q. 2. art. 4. in 1. opinione, Cumelius 1. p. q. 12. art. 5. q. 1. in principio, & inferiùs cõcluſione 4. latè Bellomontanus 1. p. d. 41. c. 2. Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 15, num. 30. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. num. 54. Franciſcus Albertinus in 1. corollario q. 1. Theologica dubitatione 3. & facta noſtra ſuppoſitione, idem probat Scotus, & Paludanus,* vt iam oſtendimus.

D. Thom.
Ferrar.
Richard.
Maior.
Marſil.
Ioan. Ouãdus.
Franciſc. Ouandus.
Angles.
Palat.
Sotus.
Cumelius.
Bellomon.
Suarius.
Albertin⁹

Probatio 1. ex Concilio Viẽnenſi.

Hanc opinionem vt veriſsimam multis confirmabimus. Et primò ex Concilio Viẽnenſi in Clement. ad noſtrum de hæreticis; vbi tanquam error refertur, *quod anima nõ indiget lumine eam eleuante ad Deum videndum.* Cũ verò immediatè retulerit hunc alium errorem: *quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata,* euidẽter colligitur id, quod de anima definitur, definiri etiam de qualibet natura intellectuali creata; quia error poſterior ex priore conſequitur. Conciliũ igitur definit intellectum indigere ſupernaturali eleuatione per lumen gloriæ. Et quamuis contentio ſit, quid per lumẽ gloriæ intelligendum veniat, ſemper tamẽ ex illa definitione obtinetur neceſſariam eſſe eleuationem ſupernaturalem. Et cum hæc definitio ſit generalis, ſemper illi dabitur locus, ſiue intellectus ſe habeat actiuè ad viſionem; ſiue ſolum

15.
Probatur ex Concil. Viennenſi.

paſsiuè:

paſsiuè: nam hæretici negantes neceſsitatē eleuationis ſupernaturalis nihil curabāt, an intellectus hoc, vel illo modo cōcurreret. Definitionē autē Cōcilij eſſe abſolutè intelligendā ex eo etiā patet, quia Conciliū in eo ſenſu definiuit neceſsitatē ſupernaturalis eleuationis: in quo hæretici illā negabant: eos autem abſolutè eā negaſſe euidenter colligitur ex priori errore: cū enim abſolutè affirmauerint naturam intellectualem in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam: in neceſſariam cōſequentiā abſolutè negabāt neceſsitatē alicuius eleuationis; quoniā ſufficientia virtutis naturalis ad videndum Deum, quam abſolutè admittebant, abſolutè excludit omnem neceſsitatem cuiuſcunque eleuationis, ſiue ſecundùm legem, ſiue ſecundùm potentiam abſolutam.

16. Quin potiùs ex definitione Concilij ſemper conuincitur abſoluta neceſsitas eleuationis, quamuis definitio intelligatur de lumine gloriæ, quod eſt qualitas, & habitus, & ſecundùm ſolam legem ordinariam: nam Deus legem illam de eleuando intellectu per ſolum habitum luminis gloriæ, non ſtatueret, ſi intellectu⁹ ſua naturali virtute potens eſſet ad videndum Deum: quoniam ſinit res obire ſuas naturales operationes: vnde nunquā De⁹ lege à ſe ſtatuta impoſuit neceſsitatē ſupernaturalis auxilij, niſi ſuppoſita impotentia virtutis naturalis. Quare dum ſtatuit non eleuare intellectum, niſi habitu luminis, euidenter ſuppoſuit indigere intellectum ſupernaturali eleuatione. Cū verò illa multis modis poſſet fieri; elegit potiùs hunc modū eleuandi; quia conuenientior erat: hæc autem lex non tollit, quin, ſi velit, poſsit alio auxilio ſupernaturali intellectū eleuare. ¶ Quod ſi cum quibuſdam velis ex poſteriori definitione efficaciter non conuinci neceſsitatem abſolutā ſupernaturalis eleuationis; quod fortè placuit Suario *lib. 2. de attrib. neg. c. 14. nu. 7.* cum eodem dices eam ſufficienter cōuinci ex priori: nam ſi abſolutè definitur viſionem Dei non poſſe naturaliter haberi: ſimpliciter etiā definitū cenſetur, eam haberi non poſſe, niſi ſupernaturaliter; quia hoc poſterius ſimpliciter includitur in priori. Quare ſiue hoc, ſiue illo modo explices definitionē Cōcilij ſemper efficaciter cōcludetur ad Dei viſionē ſemper eſſe neceſſariā aliquam ſupernaturalē eleuationem virtutis intellectiuę.

Efficacitas ex Concilio

Ex hac autē indigentia neceſſariò cōuincitur virtutē actiuam naturalem intellectus creati, ex ſe ſuaq; natura eſſe inſufficientem, & ſimpliciter impotentē ad viſionem, niſi ſupernaturaliter cōpleatur. Porrò ſi ex ſua natura non eſt vis cōpleta, vtiq; non poterit in viſionem eſſentię, licèt ſibi obijciatur: quia potentia nō poteſt exire in actū, niſi ſit cōpleta. Quare nec ſententia Baſſolii, nec Durandi poteſt iam defendi.

Secunda probatio ex Patribus.

Secundò probatur eadē concluſio ex multiplici doctrina Patrum. Et 1. ex his, qui docēt virtutē intelligendi creatā eſſe impotentem, infirmā, & viribus deſtitutā ad videndū Deum; ita Epiphanius *hæreſi 70. fol. 364. pag. 1. Deus inuiſibilis ſua benignitate, & potentia facit potens id, quod impotens erat.* Cum verò agat de intellectu creato ſecundū naturalem virtutē aperte docet illū ex ſua natura eſſe impotētē ad videndū Deū. Idem colliges ex Cyrillo Hieroſol. *Catec. 6. 2. tom. bibliot. Patrum pag. 87. A.* dū ait, *& nos eſſe infirmos ad vidēdū Deū: & Angelos in hoc eſſe ignorantes.* Idē tract. Nazian. *in 2. orat. de Theolog. pag 298. col. 1.* dū affirmat *intellectū creatū ex ſe eſſe infirmū, & deſtitutū viribus ad videndū Deū. Cyrill.* etiā *Alex. lib. 1. in Ioan. c. 8* aſſerit, *creaturas intellectuales indigere ſuperna luce, Deūq; indigentibus eā ſe ipſo largiri, nec poſſe eas propria virtute atq; natura fructū luminis edere* 1. Deum videre. 17.

17. 2. Probatur ex Patrib9.

Epiphan.

Cyril. Hieroſolymit.

Nazian.

Cyril. Alexand.

Sed reſpōdebūt aduerſarij Patres iſtos intelligendos eſſe de impotentia, & infirmitate nō ab intrinſeco, quaſi vis intellectiua ſit ab intrinſeco impotēs ad elicendā viſionē, quādo diuina eſſentia ſibi pręſentatur, ſed de impotentia extrinſeca, quatenùs infirma eſt, & impotēs, vt diuinā eſſentiam ſuis viribus faciat ſibi præſentē, quod impedimentū eſt ab extrinſeco. Hæc tñ reſpōſio non eſt admittenda: quoniā ſi præcitari Patres benè expendātur, manifeſtè loquūtur de impotētia, & infirmitate intrinſeca ipſi naturali virtuti. Nam Epiphan. expreſsè aſſerit ipſammet potentiam intellectus, quæ alioqui impotens erat ad videndum Deum, diuina benignitate factam eſſe potentem, vt ad Deū ſua viſione ſe extēdat. Iā verò 18.

18. Reſponſio ad Patres.

Non admittitur.

quod ab extrinſeco eſt impotens, dũ tollitur impedimentum nõ fit ſimpliciter potens ad actum, ſed ſolũ per accidens. Vnde nec ſimpliciter eſt impoſsibile potentiã ferri in tale obiectũ: cum tamẽ Epiphan. ſimpliciter affirmet eſſe impoſsibile intellectum creatum poſſe ſuis viribus videre Deũ: quare Epiphanius haud dubiè agit de impotentia intrinſeca.

19. Cyprian. Hieroſol.

Cyrill. Hieroſ. de eadem etiã agere ex eo patet; quia hãc infirmitatem colligit ab exceſſu, quo diuina eſſentia ſuperat virtutem naturalem intellectus creati, vt potẽ quia eſt obiectũ altioris ordinis; vt facilè colliges ex multis, quæ in eodẽ loco ſcribit. Iam verò imbecibillitas potentiæ orta ex improportione ad obiectũ eſt intrinſeca, vt ſtatim oſtendemus. Ex eodẽ fundamẽto intelliges Nazian. agere de infirmitate ſumpta ex defectu virtutis actiuæ; quia agit de

Nazianz.

infirmitate ſumpta ex improportione: vnde noſtram intelligendi virtutem in ordine ad Deum appellat paruum radiũ magnę lucis, quibus verbis explicat hanc infirmitatẽ ſumi ex improportione, quæ datur inter paruum intelligentię radium, & lucem excedentem, & pag. 297. col. 2. noſtram intelligendi vim appellat craſsitiem, per quam pauci ijq; parum omninò perſpiciunt. Quibus omnibus, & pluribus alijs ſatis declarat ſe agere de infirmitate intrinſeca. De eadem agere Cyril. Alexãdrinum inde patet, quia do-

Cyril. Alexand.

cet intellectum indigere luce à Deo ſibi infuſa, & ab eodem participata, qualis nõ eſt lux increata obiectiuè præſentata, ſed illa ſolũ, qua intellectus à tenebris ſuæ ignorantiæ, ſiue impotentię tranſit ad lucẽ: vnde poſtquã dixit nullã creaturã ꝓpria virtute poſſe edere fructũ lucis, ita ſcribit: *ſed quemadmodũ ex nihilo producta fuit, ſic à tenebris ſplendore veri luminis accepto, & participatione illius illuſtrata imitatione quadã in lucem tranſit.* Non eſt igitur dubiũ, quin præcitati Patres agant de impotentia intrinſeca virtutis intellectiuæ ſupernaturaliter nõ eleuatæ: vnde ex ſe nõ poteſt ferri in diuinã eſsẽtiã ſi ſibi obiectiuè præſentetur; eo modo, quo virtus viſiua noctuę videre nõ poſſet lucẽ ſolis ſibi pręſentatã, etiã ſublatis extrinſecis organorũ impedimentis, niſi ſimul intriſecè corroboraretur, vt colliges ex D. Thoma. 1. p. q. 88. art. 1. ad 3.

20. Ex alijs Patribus.

Eadem veritas colligitur ex doctrina illorũ Patrũ, qui docent viſionẽ Dei eſſe ſupra vires intellectus creati. *Ita Nazian. in dict. orat. 2. pag. 294. 298. 299. & 300. Nyſſen. in lib. de Beatitud. pag. 56. Baſil. in lib. de vera Fide pag. 346. D. & lib. 1. aduerſus Eunomiũ pag. 261. C. Chryſoſt. hom. 2. de incomp. Dei natura. poſt princip. Dionyſ. c. 9. de diuini. nomin. Athan. orat cõtra idola pag. 26. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan, c. 22. pag. 637 638. S. Maximus cẽturia 1. c. 1. & centuria 2. c. 2. & 6. quę refert & probat Cypariſsiota. decada 2. c. 6. Deniq; id docuit Plotinus Philoſop. relatus ab Aug. 10. de ciuita. Dei c. 2.*

Nazianz. Nyſſen. Chryſoſt. Dionyſ. Athan. Cyrill. Maximus Cypariſsio. Plotinus

Quòd hi oẽs Patres hãc doctrinã ita intelligant, vt viſio Dei ſit ſupra intrinſecã virtutẽ intelligendi, ex eo oſtenditur; q͂a ex eo id colligũt, quòd Deus eſt obiectũ ordinis ſuperioris excedẽs omnẽ virtutẽ intelligẽdi creatã, ex hoc enĩ medio Dionyſ. c. 1. de diuin. nomi. intulit diuinã eſsẽtiã eſſe inuiã, & omninò ſegregatã ab õni creatura. Hęc autẽ ſuperioritas, & exceſſus arguit naturalẽ improportionẽ ex parte virtutis creatę: naturalis aũt improportio virtutis arguit in ea intrinſecã impotentiã, ita vt ex ſe ſit incõpleta, & impotẽs tendere in obiectũ, vt habes ex D. Tho. 1. p. q. 88. art. 1. ad 3. At quòd ex ſe eſt virtus inſufficiens, & incõpleta ad videndũ obiectum ſuperexcedẽs, non poterit naturali ſua virtute in illud ferri, etiamſi illud habeat ſibi pręſẽs, vt ex D. Maximo annotauit Cypariſsiot. deca. 10. c. 10. pag. 302. poſt medium: nam cum diuina eſſentia, etiam obiecta, adhuc ſit ſuperioris ordinis, habeatque ſupereminentẽ illum exceſſum, adhuc illius excellentia cedet in tenebras creati intellectus propter vnius ad alterũ improportionẽ. Quod ſatis videtur expreſsiſſe Dionyſius de diuinis nomin. cap. 7. poſt principium, dũ ait Deum, qui eſt omnibus præſens, ideo dici inuiſibilem, & incomprehenſibilem ab intellectu creato, quia in ipſa ſua præſentia adhuc ſupereminet, & excedit illiꝰ virtutẽ, *vt eſſe nequeat in illa ſecundũ illam:* quatenùs nõ poteſt eſſe in ea per modum entis participati, ſecundùm quem modũ in ea ſunt, quæ naturalem ab ea intelligũtur, vt inferiùs magis explicabitur.

21. Dionyſ.

Eandem veritatẽ manifeſtè docet idẽ Dionyſius eodem loco: nam poſtquam aduertit ea, quæ ſunt ſupra nos, non eſſe intelli-

intelligenda *ſecundùm proprietatem noſtrã* nec ſecundùm modũ intelligendi nobis cõnaturalem,&oſtendens modũ,quo debent à nobis intelligi: ita ſcribit; *oportet autem videre mentem noſtram habere quidẽ virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inſpicit: vnitionem autẽ excedentẽ mentis naturam,per quam coniungitur ad ea, quæ ſunt ſupra ipſam: ſecundùm hanc igitur oportet diuina intelligere; non ſecũdùm nos, ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos Deificatos.* Quibus verbis manifeſtè de-
D.Thom. clarat (vt exponit D.Thomas ibidẽ lect. 1. ad finem) mentem noſtrã (idem dicito de omni intellectu creato)duo habere ad cognoſcenda intelligibilia; naturalẽ, ſcilicet virtutem, per quã poteſt inſpicere intelligibilia ſibi proportionata;& vnitionẽ,quę naturam illius excedit,per quã coniungitur ad ea,quæ ſunt ſuper ipſam. Et addit,quòd oportet vt diuina intelligamus,non ſecundũ naturalem intelligẽtiam, & virtutẽ, ſed ſecundùm vnitionẽ illam ſupernaturalem,ita vt ea non intelligamus *ſecundùm nos*, trahentes ſcilicet illa ad noſtrum naturalẽ intelligendi modum,quo homines nihil niſi modo corporeo intelligimus; Angeli verò nihil niſi ad modum habentis eſſe principatum, & receptum: ſed ſecundùm quòd per vnitionem illã ſupernaturaliter eleuati *ſtatuimur extra nos,& toti Deificamur*, quatenꝰ hac eleuatione ſtatuimur in eodẽ ſuperiori ac diuino ordine cũ obiecto, & reddimur proportionati ad intelligendũ, quæ ſunt ſupra nos. Hęc eſt communis illius loci expoſitio D.Thomæ, Carthuſiani, & aliorũ. Ex qua euidenter patet,ex do-
22. ctrina Magni Dionyſij, naturalem intelligentiam creatam, quandiù conſideratur ſecundũ ſe,& ſecundùm modũ intelligẽdi ſibi cõnaturalẽ, eſſe ſua natura impotẽtẽ, & inſufficientẽ ad videndũ Deũ, etiã ſi illũ habet præſentem: & ratio eſt,quia ſola illa obiectiua præſentia ſicut nõ tollit diuinã eſſentiam præſentari cũ exceſſu; ita non tollit ab intellectu modũ intelligendi ſibi connaturalẽ, quo nihil poteſt intelligere,niſi per modũ habẽtis eſſe receptũ; ſecundùm quẽ modũ diuina eſſentia,etiã intellectui præſentata,intelligi nõ poteſt,de quo plura inferiùs, vbi oſtẽdemus cum Magno Dionyſio concinere D.Maximum,& Cypariſsiotam.

Expenduntur nonnullæ rationes ad probandum eandem veritatem.

Tertio loco cõfirmanda eſt eadẽ veri- 23.
tas rationibus. Et primò abſolutè contra Baſſolium; deinde in terminis Durandi. Et vt diſtinctè procedamus præmittimꝰ controuerſũ eſſe inter Theologos,vtrũ intellectꝰ creatus virtute actiua ſibi innata, & congenita (quã, ob tollendam æquiuocationẽ,in hoc ſenſu appellamꝰ naturalẽ) actiuè influat in viſionẽ beatam? an verò totam actiuitatẽ,qua in eam influit, habeat ex concurſu ſupernaturali,vel intrinſeco per aliquam formã ſibi infuſam; vel extrinſeco per ſupernaturalẽ Dei aſſiſtentiam illi cõmunicato? Quòd nullo modo influat in viſionem per virtutẽ ſibi innatam,ſed totã actiuitatem habeat à cõcurſu ſupernaturali intrinſeco, vel extrinſeco,probauerunt quã plurimi ſapiẽtiſsimi Theologi. Oppoſitam tñ ſententiam cõſtanter probauit cõmunior Theologorũ pars,tum veterũ,tum recentiorũ. Quam controuerſiã diligentiſsimè examinabimus lib.10. Modo ad præſens inſtitutũ pertinet veritatẽ explicatã demõſtrare,ſiue hanc,ſiue illam opinionẽ ſequaris.

Probatur rationibus. Præmiſſ. 1.

De actiuitate intellectus in viſione eſt contro.

Ex priori ſententia neceſsitas ſuperna- 24.
turalis eleuationis euidenter patet: nam ſi natiua intelligendi vis nullo modo poteſt influere in viſionem, vt prior opinio affirmat: vtiq;vt in illã actiuè influat neceſſariò indiget virtute ſupernaturali intrinſecè, vel extrinſecè ſibi cõmunicata: etenim nullus intellectus poteſt aliquam intellectionẽ elicere, niſi habeat virtutẽ actiuam naturaliter, aut ſupernaturaliter ſibi cõmunicatam. Quare ſi opinio illa vera foret, à magno labore nos liberaret; verùm quia opinio illa,nec principijs veræ Philoſophiæ, nec Theologiæ eſt ſatis conſentanea, & ideo omnino reijcienda; enitendũ eſt vt ſuppoſita poſteriori ſentẽtia tanquã veriſsima,inueſtigemꝰ verã cauſã illius indigentiæ: in hoc enim poſita eſt tota huius quæſtionis difficultas.

Ratio ſuppoſito quod actiuè non influat.

Cur ſit neceſſaria eleuatio ſi intellectus habet natiuã virtutem.

Nituntur Authores huius ſententiæ 25.
cauſam huius indigentię explicare,& varij,varia exquirũt media. Nõnulli ex eo cauſã ſumũt; quoniã vis natiua intellectꝰ creati nõ influit in viſionẽ ſecundũ omnẽ rationem illi intrinſecam,ſed ſolũ ſecundùm rationẽ genericam,quatenùs ſcilicet viſio eſt intellectio; non tamen quatenùs

1. Cauſa.

eſt viſio eſſentiæ diuinæ: volunt enim intellectū ad viſionē concurrere; vt cauſam vniuerſalē; quatenùs ſcilicet ad eā concurrit ſecundū ſolùm genericam rationē intellectionis: cū verò cauſa vniuerſalis indigeat concurſu cauſæ particularis, qua determinetur ad ſpecificā rationem effectus, vt vera habet Philoſophia: hinc concludunt intellectū neceſſariò indigere cõcurſu alicuius cauſæ particularis, qua determinetur ad influendū in viſionē, vt eſt viſio diuinæ eſſentiæ: cū verò hæc viſio ſecundū ſuam ſpecialē rationem ſit ſupernaturalis; cauſa determinans intellectum nõ poteſt eſſe ſupernaturalis. Hanc ſententiam quibuſdam placuiſſe plures referunt, nec ab ea longè abeſt *Bellomontanus 1.p.d.43.cap.4.nu.10.11.& 12.& d.47. cap.6.n.39.& 40.& alijs in locis.*

26. Alia cauſa. Alij inde cauſam ſumūt; quia vis natiua intellectus creati non influit in viſionē, vt cauſa principalis, ſed vt inſtrumētum tantum: nam cum viſio beata ſecundū ſuam ſubſtantiā ſit ſupernaturalis, & vis intellectus ſit naturalis, non poteſt in viſionem influere, niſi vt inſtrumentum: inſtrumētum autem indiget virtute ſibi cõmunicata à principali agente: cū verò Deus principale agens viſionis ad eam nõ cõcurrat, vt Author naturę, ſed vt ſupernaturale agens; hinc eſt, vt intellectus ex ſua natura indigeat ſupernaturali eleuatione. Hanc ſententiā ita indiſtinctè prolatam plures probauere. Quibus alij videntur accedere, dum docent intellectū quidem ad ſubſtantiā viſionis, quę eſt ſupernaturalis, cõcurrere vt Dei inſtrumētum; eſſe tamen cauſam principalē, quatenùs viſio eſt actus vitalis.

27. 3. Cauſa. 3. loco alij volunt intellectum creatū ideo indigere ſupernaturali cõcurſu Dei; quia licèt vi ſua natiua concurrat ad viſionem; non tamen concurrit ad eam, quatenùs illa natiua vis eſt naturalis, & completa, ſed quatenùs eſt potentia quędam obedientialis actiua, quam Deus indidit creato intellectui, non ſolū vt per eam producat viſionem eſſentiæ diuinæ, ſed etiam, vt montes transferat, gratiam producat, efficiatq; cæteros effectus, quos Deus illa mediante efficere voluerit. Cū verò potentia obedientialis actiua, quæ in omnibus reb⁹ reperitur, ex ſua natura ſit quędā potentia incõpleta, & remota ad effectus, ad quos cū Deo poteſt concurrere; non reddit rē, in qua datur, ſimpliciter potentem ad illos effectus quorū obedientialiter eſt actiua, ſed ſolū eam conſtituit capacem, vt ad eos poſſit ſupernaturaliter eleuari: & ideo indiget ſupernaturali eleuatione, vt actu in aliquē effectū influat. Quare vis illa natiua intellectus, cū ſit ad viſionē incompleta, ſicut etiam incõpleta eſt in ordine ad alios effectus etiam nõ vitales, ex ſua natura poſtulat, vt ſupernaturaliter ad viſionem eleuetur. Hæc fuit cõſtās doctrina *Suarij in ſua Metaph.* Suarius. *d.30.ſec.11.n.46.& 1.tom.ad 3.p.d.22. ſect.1.§.dicet fortaſse aliquis, & latiùs d.31. ſec.6.ad 3.in fi.pag.612.col.2.& tandē in ea perſiſtit lib.2.de attributis negat.c.10.n.14. & c.21.n.8.quē in hoc refert & ſequitur Salas 1.2.q.3.trac.2.d.5.ſec.7.n.92.pag.382.*

Pro vera demonſtratione præmittūtur nonnulla.

Omiſsis his medijs: quia falſis opinionibus nituntur, vera illius indigentiæ demõſtratio ex eo ſumēda eſt, quod vis illa natiua intelligēdi, quā in creato intellectu ſupponimus ad intelligendū omnia obiecta etiā ſupernaturalia, & ad influendū in omnes actus, tam naturales, quàm ſupernaturales, ex ſua natura eſt vis quædā incõpleta, & remota, quæ in nullū actū poteſt influere; niſi aliqua ſuperaddita virtute intrinſecè, vel extrinſecè compleatur: hinc enim euidēter demõſtrabitur neceſſitas ſupernaturalis concurſus, & eleuationis natiuæ illius virtutis, vt poſsit influere in beatam viſionem. 28. Vera cauſa.

Vt faciliùs, & diſtinctiùs procedamus; aduertimus primùm in hac difficultate 29. Præmiſſ. ſupponi intellectum creatum ex ſua natura eſſe vim quandam actiuam intelligendi: & præterea ſupponi ſecundū hāc actiuam vim intellectum influere in viſionem beatam. Quod intellectus ex ſua natura, & eſſentialiter ſit vis quædam actiua ad intelligendum, apud omnes eſt indubitatū; quia indubitatum eſt intellectum creatum eſſe potentiam, quandam actiuā naturæ immaterialis, & cognoſcētis. Iam verò potentiæ actiuæ eſſentialiter ſunt quædam agendi principia, nec poſſunt, aut eſſe, aut concipi ſine intrinſeca, & eſſentiali actiuitate, vt patet ex *Ariſtot.5.Metap.cap.12.& lib.9.c.1.& ex* Ariſt. *D.Thoma*

D. Thom. *D. Thoma de verit. q. 14. art. 3. & in quæſt. de virtute in cõmuni art. 1. vtrobiq; in principio art.* Igitur intellectus creatus eſſentialiter eſt vis quædam intelligẽdi illi natiua, & congenita. Hanc autem natiuam vim actiuè influere in viſionem iam ſuperiùs ſuppoſuimus demonſtrandum inferiùs in decimo libro. Ita fit vt intellectus creatus per iſtam natiuam vim actiuè influat non ſolùm in actus ſibi connaturales: erga cõnaturalia obiecta, id quod eſt apud omnes indubitatum; ſed etiam in omnes actus ſupernaturales, & ſubinde in viſionem diuinæ eſſentiæ.

30. Corollariũ. Ex hac opinione neceſſariò infertur vim iſtam intelligendi actiuam ſumptam præſcisè, ſecundùm ſe ſpecificari ab ente vt ens eſt, & prout abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; finito, & infinito inadæquatè cognito: nam cum ad cognitionẽ vtriuſque entis ſua natiua virtute actiuè concurrat, neceſſariò vtrunq; ens habet pro ſuo per ſe obiecto; & per conſequẽs ſimpliciter, & adæquatè ſpecificabitur ab ente, quod vtriuſq; illius entis rationem ſub ſe eſſentialiter contineat; ita vt ens ſub tali ratione ſit obiectum adæquatum intenſiuè, & extenſiuè, vt appellant; idq; quatenus eſt vis intellectiua influens actione immanente: de quo latiùs dicemus in dicta q. vltima, & aliquid iam diximus ſuprà lib. 4. q. 6. art. 1. num. 20. & 21.

31. 2. Præmiſ. Præmittendum eſt ſecundò cum D. Thoma locis citatis duplex dari genus potentiarũ: nam quædam ex ſua natura ſunt potentiæ completæ ad agendum, ita vt ipſa vis agendi, quæ ſibi eſt natiua, & eſſentialis, ſit tota, & completa potentia: quædam verò in ſua natiua vi agendi non ſunt completæ, nec ſibi ſunt tota agendi vis, ſed indigent virtute ſibi ſuperaddita, vt completæ ſint. Prioris generis ſunt omnes potentiæ naturales, vt potentia nutritiua in animali, calefactiua in igne, & aliæ huius generis: ad poſterius genus pertinent potentiæ cognoſcentes, tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ. Et de intellectu humano id eſt omninò indubitatũ in ordine ad actiones ſibi cõnaturales: indiget enim ſpeciebus ſibi ſuperadditis, & lumine intellectus agentis ſibi aſſiſtente. Vnde is intellectus ex Ariſto. à principio ſuæ creationis eſt, tanquã tabula raſa, & in potentia eſſentiali ad operandũ: fit autem in actu primo operandi, cũ ab intellectu agente recipit ſpecies, & lumen, quo obiecta per ſpecies repræſentata obiectiuè illuminẽtur: quod expreſſè docuit *Ariſtot. 3. de anima c. 4. text. 5. 4. 8. & 14. & in c. 5. text. 18. & c. 8. tex. 38.* Ariſto. Nõ eſt igitur dubitandũ intellectum humanũ ſecundũ vim intelligendi ſibi innatã eſſe in potentia remota ad operandũ operationes ſibi connaturales. Quod etiam facilè oſtenditur de intellectu Angelico, ſi in Angelis admittendus eſt intellectus agens, tum ad abſtrahendũ ſpecies à reb⁹, tum ad illuminandũ eaſdẽ. Si vero id nõ placet, neceſſariò placebit intellectũ Angelicũ habere per infuſionẽ ſpecies intelligibiles, & intelligibile lumen; idq; per actionẽ diſtinctam ab ea, qua habet vim natiuã ad intelligẽdũ. Vnde ſit vt per talẽ actionem, & ſpecierũ atq; luminis acquiſitionem naturaliter perficiatur.

Ex quo euidenter demonſtratur vim natiuã intelligendi intellectui concreatã, ex ſua natura eſſe potentiã incõpletam, & remotã in ordine ad actiones naturales. 32. Vis natiua eſt incõple ta ad omnes actiones. Vnde mirũ eſt, quòd nonnulli Theologi velint virtutẽ iſtam natiuã eſſe completã in ordine ad connaturales actiones, inter quos eſt *Suarius tom. 1. ad 3. p. d. 31. ſect. 6. pag. 611. & lib. 2. de attributis negatiuis c. 21. n. 9.* Non recipi tur Suarius & multis alijs in locis; cum Ariſto. verbis expreſſis oppoſitũ doceat de noſtro intellectu humano, & oppoſitũ neceſſariò ſit dicendũ intellectu Angelico. Quare doctius id aduertit frater Antonius Peres *in ſua Laurea Salmantina, in 6. certamine Scholaſtico c. 4. in princ.* Anton. Peres. A fortiori igitur vis iſta innata erit incõpleta, atq; remota in ordine ad actiones ſupernaturales, ſupernaturaliaq; obiecta: cum illa ſint ſupra naturã virtutis natiuæ, & ſupra modum eſſendi cõnaturalẽ illi. In quo cõueniunt omnes ferè Theologi, qui admittunt virtutẽ iſtam natiuã influere in viſionẽ beatam: nam quãuis non eodẽ ducantur fundamento ferè tñ omnes in hoc cõueniũt, vt vis illa natiua ad viſionẽ ſit vis quædã incõpleta exiſtens in potẽtia remota, & ſubinde indigens vitute aliqua ſuperaddita intrinſeca, vel extrinſeca, vt fiat potẽtia proxima, & in actu primo, vt poſsit in eã influere: & in hoc ſenſu à Patribus appellatur impotens ad actus ſupernaturales.

33. Præmittitur tertio. Ad tollendam omnem æquiuocationem præmittendum eſt tertio loco non poſſe vim iſtam natiuam non diſtingui à virtute ſibi ſuperaddita: etenim iſta vis natiua eſt ipſa potentia intellectiua concurrens ad actum intellectus non ſolùm, vt potentia illius elicitiua; ſed etiam, vt eliciens principale in ſuo ordine: virtus autem ſuperaddita, ſiue ſit ſpecies, ſiuè lumen, ſiue vtrumque, vel non concurrit vt principium elicitiuum, vt quod, ſed ſolùm vt quo, vel ſi concurrit vt principium, quod concurrit, vt principium minùs principale, & vt determinatiuum indifferentię actiuitatis natiuæ: ita fit vt vis illa natiua, de qua agimus, ſit prima virtus naturę intellectualis, immediatè ab ea fluens, tanquam proprietas, cum fluat vt potentia talis naturæ; vnde eſt virtus intelligendi prima, & radicalis, influens in omnes actiones intellectuales, naturales ſiue ſupernaturales, vt modò ſupponimus: virtus autem ſuperaddita potentiæ, quæcunque illa ſit, potiùs eſt complementum virtutis intellectiuę: quã vis intellectiua: licèt enim apud nonnullos ſit principium actiuè concurrens ad actum intelligendi; non tamen eſt vis intellectiua; quia nec eſt vis intelligens, nec poteſt denominari intelligens per actum, quem producit. Hinc eſt vt vis natiua ſemper ſit eadem, ſiue concurrat ad actiones naturales, ſiue ad ſupernaturales; cum tamen virtus ſuperaddita non ſemper ſit eadem, ſed alia, & alia: variatur enim non ſolùm, quia vna eſt ſpecies intelligibilis, & altera intelligibile lumen, ſed etiam, quia vna eſt naturalis, vt pote naturaliter debita natiuæ virtuti; altera eſt ſupernaturalis naturam illius excedens. Et ideo, quando à Theologis inquiritur, an intellectus creatus poſſit per vires ſuas naturales influere in viſionem beatam, aliosque ſupernaturales actus? non inquiritur de virtute illa natiua (quam intellectiuam appellamus) ſed de virtute iſta ſuperaddita, quæ tunc eſt naturalis cum eſt perfectio naturaliter debita natiuæ intelligendi virtuti; ſecùs ſi fuerit ſuprà naturam illius: cum tamen natiua ipſa virtus ex ſua intrinſeca ratione ſemper ſit naturalis in ſenſu ſtatim explicãdo, & latiùs in vltima q. huius lib.

34. Quarto loco præmittendum eſt vim illam natiuam in ſua eſſentia eſſe vim naturalem, tum reſpectu naturæ intellectualis, cuius eſt potentia; tum etiam reſpectu ipſius actiuitatis, & influxus, quo ad intellectionem concurrit, ſi naturale idem eſt, quod fluens â principijs naturæ: nam ſicut vis illa fluit ex immaterialitate naturæ cognoſcentis; ita actiuitas, & influxus in actus ſecundos naturaliter fluit à principijs intrinſecis ipſius vis intellectiuæ. Vnde talis vis, & à Diuo Auguſtino, & à doctiſsimis Theologis appellatur vis naturalis, vt contra nonnullos oſtendemus in decimo libro. 4. Præmit. *D. Augu.*

In quo ſenſu vis natiua dici poſſit naturalis. Quamuis autem virtus iſta natiua ex ſua eſſentia ſit naturalis, prout naturale dicitur, quod fluit à principijs naturæ, prout tamen id dicitur naturale, quod reſpicit naturale agens à quo fiat, virtus iſta, nec dici poteſt naturalis ad omnes actus, in quos poteſt influere; nec ad omnem virtutem ſuperadditam, qua poteſt compleri, ſed ad aliquos actus erit in potentia naturali, nempe ad eos, quorum obiecta eundem eſſendi modum habent cum ipſa natura cognoſcente; ad alios verò ſolùm erit in potentia obedientiali, quamuis nõ pura; ad eos ſcilicet, quorum obiecta excedunt modum eſſendi ſuæ naturæ: etenim ad priores actus poteſt reponi in actu primo fierique completa potentia actione naturalis agentis, idque per virtutem ſuperadditam ſibi naturaliter debitam: ad poſteriores verò non poteſt fieri cómpleta potentia, niſi actione agentis ſupernaturalis, & per virtutem non debitam ſuæ naturæ, ſed gratis illi conceſſam. Quare ad actus prioris generis verè eſt in potentia naturali, ad actus verò generis poſterioris erit in potentia obedientiali, non tamen pura, ſicut eſt illa, quam habet ad effectus ſibi extraneos, quatenus eſt actio immanens, & ad quos concurrere non poteſt, niſi actione tranſeunte, vt aliquo modo attigimus ſuprà libro quarto, quæſtione ſexta articulo primo, numero 20. 21. & latiùs explicaturi ſumus in vltima huius libri quæſtione.

35. Non admittitur Philoſophia Anton. Peres. Ex quo infertur non eſſe admittendã Philoſophiã fratris Antonij Peres in ſua *Laurea Salmantina in 6. certam ſcholaſt. c. 4. in principio, §. nec valet dici*, dum ait, virtutem iſtam natiuam ſumptam ſecũdùm ſe,

ſe, & vt abſtrahit ab omni virtute ſuperaddita, tam improportionatam eſſe ad actus naturales, quàm ad ſupernaturales: quæ Philoſophia non eſt digna, quæ laureetur: nam cum vnaquæque res ex ſua natura ſit propter ſuam operationem ex

Ariſt. Ariſt. 2. *de Cœlo cap.* 3. *tex.* 17. nulla dari poteſt vis actiua, quæ ex ſua natura non habeat actionem aliquam ſibi connaturalem: nulla autem poteſt eſſe cõnaturalis, niſi illa ſecundùm ſe ſumpta ſit tali actioni naturaliter proportionata. Quæ Philoſophia maximè eſt vera in natura cognoſcente: hæc enim ex ſuo naturali eſſendi modo vendicat modum operandi ſibi connaturalem, vt latè oſtendimus ſuprà q. 3. & contra Durandum ſtatim oſtendemus: non poſſet autem naturaliter ſibi vendicare actionem aliquam tanquam cõnaturalem ſibi & propriam, niſi ex ſua natura eſſet illi proportionata.

36. Reſolutio vis natiuæ intellectus.

Concludendum eſt igitur virtutem illam natiuam ex ſua natura verè, & propriè eſſe in potentia naturali ad actus, qui reſpiciunt obiecta in modo eſſendi ſibi ſimilia: in obedientiali autem ad actus, quorum obiecta excedunt naturam, & modum naturalem eſſendi talis virtutis. Ex quo rurſus infertur vim illam natiuã ex ſua natura vẽdicare ſuperaddi ſibi virtutem aliquam tanquam perfectionem ſibi naturaliter debitam; vel per naturalẽ emanationẽ à principijs ſuæ intellectualis naturæ, vt lumen intellectus agentis: vel per infuſionem à Deo, vt Authore naturæ, ad quem pertinet condere res naturaliter perfectas, vt ſpecies intelligibiles Angelorum, vel actione alicuius agẽtis naturalis, vt ſpecies intelligibiles intellectus humani, quas intellectus agens abſtrahit à phantaſmatibus externis obiectis ad id mediatè concurrentibus. Et indè eſt vt virtutes iſtæ naturaliter ſuperadditæ intellectui creato ſint illi vires naturales, quibus in naturales actiones poteſt influere, non tamen in actiones, & obiecta altioris ordinis.

Ex dictis deducitur vera demonſtratio.

37. Ponitur vera demonſtratio.

His ita ſuppoſitis euidenter demonſtrari poteſt neceſsitas, & indigentia ſupernaturalis concurſus, quo vis natiua eleuetur ſupra ſe ipſam, vt poſsit actiuè influere in viſionem beatam. Nam vis natiua cuiuſque intellectus ex ſua natura eſt incompleta indigens virtute ſibi ſuperaddita, vt fiat potentia proxima ad eliciendum actum tam naturalem, quàm ſupernaturalem: ergo neceſſariò indigebit virtute ſuperaddita, vt poſsit influere in viſionem beatam. Sed virtus naturaliter ſuperaddita non ſatis eſt, vt fiat in actu primo, & proximo ad influendum in eã: ergo neceſſariò indiget virtute aliqua ſupernaturali intrinſecè, vel extrinſecè ſibi ſuperaddita, qua ſuper ſe eleuetur, vt poſſit in viſionem influere. Conſequentia prioris diſcurſus eſt nota, antecedẽs illius patet ex ſecundo præmiſſo. Minorem diſcurſus poſterioris multis demonſtrauimus in primis tribus quæſtionibus huius libri, & euidenter probatur ex teſtimonijs Sanctorum Patrum poſitis in ſecunda probatione huius articuli.

38. Secunda demonſtratio

Poteſt afferri ſecunda demonſtratio ex eodem ferè medio deſumpta: quoniã vis cuiuſcunque creati intellectus ad ea ſolùm intelligibilia poteſt naturaliter eſſe completa, & ſufficiens in actu primo, quæ eundem eſſendi modum habent cũ ipſo cognoſcente: ad ea verò, quę habent altiorem modum eſſendi, naturaliter cõpleri non poteſt, ſed ex ſe eſt incompleta, & ſubindè indigens altiori eleuatione: ſed Deus habet modum eſſendi altiorẽ quocunque intelligente creato: ergo nulla vis intellectiua creata poteſt eſſe completa ad videndum Deum, ſed incompleta potiùs, & indigens altiori eleuatione. Maior huius diſcurſus latè eſt à nobis demonſtrata ſuprà q. 2. art. 5. vbi etiam minor demonſtrata eſt; & eſt apud omnes indubitata; quia indubitatum eſt ſolum Deum eſſentialiter eſſe ſuum eſſe, cætera autem habere eſſe participatum, & receptum. Satis igitur demonſtratum eſt nullam vim intellectus creati eſſe completam ad videndum Deum, ſed indigere eleuatione eiuſdem ordinis cum Deo clarè viſo: cum verò Deus viſus ſit obiectũ ordinis ſupremi, & ſupernaturalis: vtiq; eleuatio illa non poterit non eſſe ſupernaturalis. Quod demonſtrare nitimur.

39. *D. Thom. Dionyſ.*

Hoc medio vſus eſt *D. Thomas* 1. *p. q.* 12. *ar.* 4. & 3. *cont. gent. c.* 53. *in* 5. *argum.* Imò eodem vſus eſt magnus Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus: vbi poſtquã expli-

explicauit virtutem intelligendi naturalem mentis noſtræ ad intelligenda, quæ ſecundùm nos ſunt, eundemque nobiſcũ eſſendi modum habent; explicat eandem mentem habere alium modum ad intelligenda quæ ſuperioris ſunt ordinis, & noſtram naturam excedunt, & concludit in hæc verba: *Secundùm hanc igitur vnitionem oportet diuina intelligere, non ſecundùm nos, ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos Deificatos.* Quibus verbis clarè docet intellectum creatum ad intelligenda, quæ excedunt ſuam naturam, indigere vnitione ſupernaturali, qua ſupra ſe ponatur, & eleuetur. Et hæc ſatis pro demonſtranda indigentia ſupernaturalis cõcurſus.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

40. Ad 1. arg. Nec contra hanc veritatem aliquid faciunt argumenta poſita §. 1. ad finem. Ad 1. in quo poſitum eſt totum Durandi fundamentum dicimus maiorem veram eſſe in terminis, in quibus proponitur; quia in illis vis intelligẽdi non poteſt non eſſe completa in ordine ad obiectum, ſed in illis minor eſt falſa: nec enim vis natiua; qua intellectus creatus influit in viſionem Dei, ex ſe eſt completa ad talem viſionem, ſed indiget ſupernaturaliter compleri, vt latè oſtendimus. Nec prima minoris probatio vim habet; quoniam ens, vt ens eſt, non eſt adæquatum obiectum intellectus creati adæquatione intenſiua, ſed extenſiua tantùm, vt eſt communis, & indubitata doctrina: vis autem natiua creati intellectus quamuis ferri poſſit in omne ens, tamen non in omne poteſt ferri viribus ſibi naturaliter debitis; ſed ad obiectum excedens ſuam naturam indiget eleuatione ſuperioris ordinis. Quare probatio prioris partis ſatis eſt futilis. Sed nec pars poſterior minoris ſatis philoſophicè ſupponitur vt indubitata, cum aut falſa ſit, aut ad rem probandam nihil conducat.

41. Duplex impedimentũ ne intellectus tẽdat in Deum. Pro illius explicatione diſtinguendũ eſt duplex impedimẽtum, ne intellectus tendat in Deum. Nam quoddam eſt intrinſecum, & inſeparabile à naturalitate virtutis intellectiuæ: quoddam verò eſt ſeparabile, & veluti extrinſecum, ſiue accidentarium. Impedimentum intrinſecũ ſumitur ex modo eſſendi naturæ cognoſcentis; ex hoc enim intrinſecè ſumitur connaturalitas, tum obiecti, tum etiam actus, vt latè oſtendimus ſuprà q. 2. ar. 5. & 6. vbi demonſtrauimus creatam intelligendi vim relictã ſuæ naturæ nihil poſſe naturaliter intelligere, niſi quod eundẽ cum ea eſſendi modum habuerit. Hoc autem impedimentum tandiù eſt inſeparabile ab illa virtute, quandiù illa ſuis viribus relinquitur. Quare niſi ſupernaturaliter eleuetur, vt iam non viribus naturaliter ſibi datis, ſed ſupernaturaliter ſuperadditis influat, impotẽs ſemper erit: quia naturaliter non poteſt reponi in actu primo ad influendum, niſi in obiecta ſimilis eſſendi modi, qualis non eſt diuina eſſentia. Vnde quamuis per poſſibile, vel impoſſibile admittamus eſſentiam diuinam ſecundùm ſe poſſe immediatè præſentari creato intellectui, vt ſolùm habet naturalem intelligendi virtutem, non poterit influere in viſionem illius, vt in ſequenti articulo contra Durandùm oſtendemus. Quare ſecunda pars minoris falsò ſupponit omne impedimentum poſſe à Deo ſeparari à virtute natiua, ſi intellectus ſoli ſuæ naturæ relinquatur. Primũ impedimẽtũ intrinſecũ.

Aliud datur impedimẽtum, quatenus intellectus non poteſt naturaliter Deum cognoſcere, niſi ex creaturis, vt cognitis. 42. 2. impedimentum. Hoc impedimentum ex ſe eſſe ſeparabile à modo naturali, quo intellectus poteſt Deum intelligere ex eo, vel euidenter patet: quia hoc impedimentum non comitatur omnem Dei intelligentiam, ſed ſolam primam: licet enim virtus creata ſibi relicta non poſſit naturaliter Deũ cognoſcere, aut aliquod Dei prædicatũ, niſi per res creatas, vt cognitas, ex quibus per diſcurſum inferat tale Dei prædicatum; tamen completo diſcurſu ea prædicata, quæ ſemel per creaturas cognouit, poteſt deinceps cognoſcere, non iam per creaturas, & mediatè, ſed immediatè in ſe ipſis formando de illis proprios conceptus, vel complexos, vt cum *Scoto in 1. d. 22.* nonnulli volunt; vel ſimplices, & incomplexos, vt veriùs putat *Fonſeca in 2. Metaph. c. 1. q. 1. ſect. 4. cum pluribus alijs.* Fonſeca. Scot. Ita fit vt hoc impedimentum ſolum efficiat, ne prima naturalis Dei intellectio ſit immediata; non verò vt nulla naturalis Dei intellectio immediata ſit. Et in hoc impe-

impedimentum iſtud ſimile eſt impedimento, quod naturaliter comitatur humanum intellectum mortali corpori cõiunctum, ne poſsit naturaliter aliquid intelligere, niſi quod ſenſu externo fuerit cognitum: quod ſolum verum eſt de prima noſtri intellectus cuiuſque rei cognitione; nam abſtractis rerum ſenſatarũ ſpeciebus, iam ſine ſenſu externo res ipſas naturaliter intelligit.

43. Simili igitur modo impedimentum, de quo agimus, ſolùm impedit, ne prima Dei intellectio ſit immediata, ſed mediata potius, & comparata per diſcurſum ex cognitione rerum creatarum: completo tamen diſcurſu, comparataq; cognitione alicuius diuini prædicati, non impedit illius vlteriorem cognitionem naturaliter eſſe immediatam, nulla iam cognitione creaturæ ad eam concurrente. Quare ſicut intellectus noſter ex coniunctione ad corpus mortale naturaliter dependet ex ſenſu externo, non abſolutè, ſed in prima cuiuſque rei cognitione; ita etiam intellectus creatus, ideò quia creatus, in prima cognitione Dei naturaliter depẽdet à rebus creatis, vt à medijs cognitis. Et indè eſt vt tale impedimentum non ſit ſimpliciter intrinſecum, & inſeparabile, etiam quo ad primam Dei cognitionẽ, ſed ſeparabile potiùs, ſicut ſeparabile eſt à prima intellectione intellectus coniuncti. Quare ſicut intellectus noſter poteſt naturaliter intelligere rem, quam ſenſu externo non percepit; ſi nimirũ Deus immediatè in eo ponat ſpeciem illius rei: ita etiam intellectus creatus poteſt naturaliter intelligere aliquod Dei prædicatum, ſi nimirum Deus immediatè in eo ponat ſpeciem talis prædicati: hac enim poſita poteſt intellectus naturaliter formare conceptum illius. Et ratio eſt, quia talis dependentia per ſe, & abſolutê non eſt neceſſaria, vt intellectus naturaliter intelligat tale obiectum; ſed ſolùm vt naturaliter conſtituatur in actu primo, vt in illud naturaliter feratur: hunc autem effectum poteſt Deus per ſe ipſum immediatè ſupplere abſque obiectiua cognitione alicuius creaturæ. Admittimus igitur poſſe Deum auferre hoc impedimentum, ita vt intellectus poſsit naturaliter cognoſcere aliquod Dei prædicatũ: ablato tamen hoc impedimento non pro inde aufertur impedimentum prius, quo impeditur, ne naturaliter cognoſcat, niſi obiectum habens eundem eſſendi modũ: hoc autem adhuc permanẽte non poteſt vis creata naturaliter ferri in obiectum altioris ordinis. Et hæc eſt vera, & clara huius argumenti ſolutio: quod Franciſcus Albertinus incepit ſoluere in ſuo 1. corol. q. 1. Theologica dub. 3. n. 16.

Ad 2. admiſſa maiore, neganda eſt ſequela minoris. Ad probationem eius dicimus illam conſequentiam eſſe formalẽ & neceſſariam, ſuppoſita fide, quòd intellectus creatus poteſt Deum intuitiuè videre, & in eam influere: nam cum non poſsit in eam influere, niſi conſtituatur in actu primo, & completo per aliquam virtutem ſuperadditam; in hoc autẽ actu conſtitui nequeat per vires intelligendi naturaliter ſibi datas; neceſſariò indiget, vt per vires ſupernaturales intrinſecè vel extrinſecè communicatas fiat in actu primo ad videndum. Quod ſatis docuit magnus Dionyſius in dict. c. 7. de diuin. nom. dum in intellectu noſtro duas tantùm vires agnoſcit, naturales ſcilicet, quæ ſunt ſecundùm nos; & ſupernaturales ſecundùm vnitionem ſupra naturam intellectus, vt ille appellat; vnde ex negatione naturalium virium concludit neceſsitatem ſupernaturalium, vt patet ex verbis ſuperiùs allatis: meritò igitur negatur ſequela minoris. Cuius prima probatio futilis eſt, & indigna ſolutione; quia multa dantur impoſsibilia etiã in ordine ad potentiam diuinam. Secunda verò ſupponit poſſe omnia impedimẽta auferri abſq; ſupernaturali eleuatione intellectus; cuius oppoſitum docet Dionyſius in dicto cap. 7. dum ait, intellectum ad intelligendum Deum debere conſtitui ſuprà ſe ipſum, & in ſequenti artic. contra eundem Durandum latiùs oſtendemus. 44. Ad 2.

Ad 3. reſpondetur lumen gloriæ eſſe neceſſarium ſecundùm legem ordinariã, vt in lib. 9. dicemus: at ſecundùm potentiam abſolutam ſaltem eſſe neceſſarium, vt Deus ſupernaturaliter ſuppleat concurſum luminis, vt dicemus in quæſtione de neceſsitate luminis gloriæ. 45. Ad 3.

Ad poſtremum dicimus oculum corporeum ideò eleuari non poſſe ad viſionem Dei, quia vis illius ad videndum ſub obiecto ſibi, aut intenſiuè, aut extenſiuè adæqua- Ad poſtremum.

adæquato Deum non continet: & indè eſt vt Deus ſimpliciter ſit extra obiectũ illi adæquatum, ob quam rationem, nec per diuinam potentiam eſt eleuabilis ad videndum Deum, vt latè oſtendimus ſuprà lib. 4. q. 5. art. 3. Quare virtus viſiua oculi corporei nec remotè, & incompletè reſpicit Deum tanquam obiectum: cuius oppoſitũ reperitur in intellectu creato, cuius natiua vis ſibi connaturalis ex ſe reſpicit Deum vt obiectum vt potentia quædam incompleta, & remota; complẽda tamen non per virtutem ſibi naturaliter ſuperadditam, ſed per virtutem ſupernaturalem, vt ex dictis patet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm intellectus creatus abſque ſupernaturali eleuatione poßit ferri in eſſentiam diuinam obiectiuè ſibi præſentatam?

1. IN præcedente art. oſtendimus abſolutè & ſimpliciter loquendo neceſſarium eſſe ſupernaturalem aliquem cõcurſum, vt intellectus creatus poſsit Deũ videre, & in illius viſionem influere: cõſequenter oſtendendum eſt concurſum illum adhuc eſſe neceſſariũ, quanuis gratis admittamus eſſentiam diuinam poſſe intellectui creato obiectiuè vniri, atque præſentari abſque vlla intellectus ſupernaturali eleuatione; in quibus terminis Baſſol. & Durandum habemus aduerſarios. Diximus *quanuis gratis admittamus*: quoniam inferiùs diligentiùs oſtẽdemus diuinam eſſentiam non poſſe obiectiuè vniri, præſentarique intellectui, niſi ille priùs ſupernaturaliter eleuetur: quod ſatis eſt, vt ſuppoſitio falſa ſit. At vt neceſſitas concurſus ſupernaturalis ex parte intellectus magis appareat, ſuppoſitionẽ gratis admittimus, vt oſtendamus etiam in illis terminis adhuc neceſſariam eſſe ſupernaturalem eleuationem virtutis intellectiuæ. Et vt clariùs procedamus, primo loco expendemus rationes, quibus nonnulli volunt aduerſariam ſententiam eſſe expugnatam: ſecundo loco adducemus alias efficaciores. Tandem videbimus, an aduerſaria ſententia digna ſit cenſura.

§. 1.

Expenduntur quorundam rationes contra ſententiam aduerſariam.

COntra ſententiã Durandi, & Baſſolij quidam ex profeſſo inſurgũt, vt *Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 4. Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 15. n. 30. latè Bellomontanus 1. p. diſp. 41. cap. 2.* 2. *Sotus. Suarius. Bellomon.*

Sotus ex eo arguit Durandum; quia ex illius opinione ſequitur animam ſeparatam poſſe ſuis viribus Deum videre: ſequelam inde probat; quia ipſa ſeparatione mutatus eſt ordo naturalis dependentiæ à phãtaſmatibus, & ſenſibus. Imò affirmat Durandum id concedere de anima ſeparata: cum tamen conſequens ſit contra illud Pſal. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* ¶ Sed admiror Sotum in re grauiſsima Durando imponere, quod nunquam aſſeruit: nec enim vnquam docuit animam ſeparatam, ideò quia non dependet à ſenſibus, & phantaſmatibus, poſſe ſuis viribus Deum videre: imò oppoſitum ſæpiùs inſinuauit *in 4. d. 49. q. 2. n. 24.* & de Angelis expreſſè docuit oppoſitum *in 2. d. 4. q. 1. ad 2.* ſemper etiã docuit neceſſariam eſſe ſupernaturalem mutationem impedimentorum; cum tamen mutatio impedimenti, quo intellectus coniunctus in hac vita tenetur, naturalis ſit, cum illa animæ ſeparatio à corpore ſit naturalis. Et quanuis Durandus in principio n. 24. illud impedimentum aſſignauerit; paucis tamen interiectis aſſignat impedimentum vniuerſalius commune omni creato intellectui: quia ſcilicet intellectus creatus non poteſt naturaliter cognoſcere Deum, niſi ex creaturis, & per medium creatum vt cognitum. Hoc autem impedimentũ cum non poſſit naturaliter mutari indiget ſupernaturali mutatione. Quare nec Durandus aſſeruit, quod illi imponit Sotus; nec ex ſententia Durandi inferri poteſt ſequela, cum non de ſolo priori impedimento, quod ſoli intellectui coniuncto conuenit, loquatur, ſed de poſteriori, quod in anima ſeparata reperitur.

Probatio ex Soto.

Non recipitur.

Falſum imponitur Durando.

Secundo loco contra Durandum inſurgit Bellomont. in *dicto c. 2. n. 12*: quoniam ex ſententia Durandi nullum aliud impedimentum videtur eſſe, quàm connexio noſtri intellectus cum ſenſibus, à quibus in operãdo pendet, & ſine quibus nihil 3. 2. probatio ex Bellom.

nihil valet naturaliter intelligere. Sed ablato hoc impedimento adhuc Deus videri non poteſt propria virtute intellectus creati: anima enim ſeparata & Angelus eo carent, & tamen naturaliter Deum nõ vident; alioquin & ipſi Dæmones Deum viderent: ergo non ex ſolo impedimento ſenſuum prouenit Deum non poſſe videri ab intellectu creato. ¶ Sed Bellomõtanus non minùs oſcitanter legit Durandum, quàm Sotus: nec enim vnquam dixit nullum aliud dari impedimentum naturale, ne intellectus Deum videat, niſi connexionem intellectus cum ſenſu: ſed impedimentum quod in noſtro intellectu priùs declarauit per res ſenſatas, ſtatim explicat per rationem cõmuniorem, vt adæquatum impedimentum ſit intellectum non poſſe Deum intelligere, niſi ex creaturis, & per creaturas, vt ſæpè repetit in dicto nu. 24. 29. & 30. vt contra Bellomont. bene aduertit Albertinus in *dicta q. 1. Theologica 1. corollarij in 3. dubitatione pag. 21. & 22.* Quod impedimentum commune eſt intellectui etiam Angelico, vt idem Durandus aduertit in 2. *d. 4. q. 1. ad* 2. Nec de hac mente Durandi dubitari poteſt; cum expreſſè agat de impedimento ſupernaturaliter amouibili: quale non eſt impedimentum intelligendi Deum per ſolas res ſenſibiles, & corporeas, quod ipſum ſolùm intellectum coniunctum comitatur.

Bellomontanus oſcitanter legit Durand.

Albertin. Durand.

4. 3. probatio ex Bellom.

Tertio loco contra Durandum inſurgit idem Bellomontanus in *dicto cap. 2. n.* 11: quoniam vt Deus clarè à nobis videatur, qui nunc non videtur, oportet fieri aliquam mutationem, vel in intellectu, vel ipſo Deo, vel remoueri aliquod extrinſecum impedimentum, cuius remotione ſtatim ſequatur viſio: ſed nec Deus in ſe mutari poteſt: nec extrinſecum aliquod impedimentum auferri, ad cuius ablationem ſequatur viſio, vt falsò cõminiſcitur Durandus: ergo neceſſe eſt intellectum ipſum in ſe mutari aliquo dono, lumineq; infuſo. Quòd Deus mutari nõ poſſit, nec externum impedimentũ auferri, vt ſtatim ſequatur viſio ex eo probat, quia Deus intrinſecè mutari nequit, vt patet: nec etiam extrinſecè, ita vt fiat præſens intellectui, cum antea non eſſet præſens: ſemper enim intimè adeſt rebus omnibus: nec alio modo præſens fieri poteſt. Quocircà ſi eſſet à nobis naturaliter intelligibilis, nec aliquid aliud ex parte intellectus eſſet neceſſarium præter illius præſentiam; cum intime ſit in intellectu, ab omnibus naturaliter videretur; niſi intellectui vniri deberet per aliquam formam, ratione cuius non tantum ſecundũ rem, ſed etiam ſecundùm rationem obiecti præſens eſſet: nec enim Deus inferret vim intellectui, negando illi ſuum concurſum; ſi naturali ſua virtute in eam propenſus eſſet. Hæc Bellomontanus. ¶ Argumentum tamen nec Durandum conuincit nec Baſſoliũ, & ſemper petit principium ſumẽs ſine probatione id, de quo eſt controuerſia.

Non placet probatio.

5. Argumentũ non conuincit Dur.

Quòd argumenũ non conuincat Durandum manifeſtè patet: quoniam Durandus n. 24. in fine admittit nec Deum intrinſecè, aut extrinſecè mutari, nec intellectum, ſed ſolùm dari mutationem impedimentorum: his enim ablatis putat Deum qui alioquin intellectui ſemper eſt præſens etiam obiectiuè, manere præſentem, ſicut antea erat, quantum eſt ex parte ſui; attamen ſine vllo impedimento, quod antea inerat. Suppoſita autẽ præſentia obiectiua libera ab omni impedimento ex parte intellectus, intellectus ipſe virtute ſua naturali ſtatim influit in viſionem: quod tamen Bellomontanus non impugnat. Quare ad argumentum in forma reſponderet Durandus maiorẽ eſſe veriſſimam: veriſſimum etiam eſſe Deũ, nec intrinſecè, nec extrinſecè eſſe mutatum in ſe ipſo: nec enim ex ablatione impedimenti aſſequitur præſentiam, quam antea non haberet: quoniam ante ablationem impedimenti eandem habebat præſentiam, quam habet eo ablato: ſemper enim eſt intimè præſens omnibus rebus, nec poteſt de nouo fieri ſic præſens. Attamen negat Durandus ſublato impedimento viſionem naturaliter nõ ſequi: eo enim ſublato iam adſunt omnia ad viſionem neceſſaria: quia iam datur præſentatio obiectiua libera ab omni obſtaculo; datur etiam completa vis videndi, vt Durandus ſupponit, & in hoc eſt ſtatus totius controuerſiæ: nec enim Durandus ex parte intellectus requirit formam aliquam ſuperadditam, qua diuina eſsẽtia fiat obiectiuè præſens; ad hoc enim (vt nec ſine aſſeclis ſupponit) ſatis eſt

eſt indiſtantia, & intima vnio eſſentiæ cum intellectu. Et cum Bellomontanus ſine probatione aſſerat id eſſe falsũ, apertè petit principium.

6. *Nec etiam conuincit Baſſolium.* Sed nec argumentum conuincit Baſſolium, qui nobis etiam eſt aduerſarius: quoniam reſpondebit, vt Deus de nouo videatur, antea non viſus, aliquam mutationem eſſe neceſſariam: non ex parte intellectus; quia putat illum eſſe in potentia completa ad videndum, ſi habuerit obiectum debitè præſentatum: nec ex ſola remotione impedimentorum (in quo à Durando diſcedit) quia remotio illa nõ præſupponitur, ſed potiùs conſequitur ipſam obiectiuam præſentationem eſſentiæ: ſed mutatio erit ex parte Dei; non quidem realis, & intrinſeca (quia hæc repugnat Deo) ſed extrinſeca, & obiectiua in ratione obiecti. Etenim apud Baſſoliũ, Scotum, & Scotiſtas Deus non fit obiectiuè præſens intellectui beato, aut per aliquam ſpeciem (quia nullam admittũt ad viſionem intuitiuam) aut per vnionem eſſentiæ ad inſtar ſpeciei (quia hãc vnionem Thomiſtis negãt) ſed fit obiectiuè præſens libera ſua voluntate; quatenus voluntariè ſe ſe obijcit per modum obiecti intelligibilis: quam obiectiuam præſentiam Scotus cum Baſſolio diſtinguit à præſentia reali, qua per illapſum præſens eſt omnibus rebus, vt diximus ſuprà q. 5. art. vnico. Quare Deus non poteſt de nouo fieri alicui præſens præſentia reali; bene tamẽ præſentia obiectiua: idq; ſine vlla mutatione reali, & intrinſeca; attamen cum aliqua mutatione ſecundùm eſſe intentionale, & per denominationẽ extrinſecam. Hanc autem Deo non repugnare indè oſtenditur, quia in via de nouo fit dilectus, cum peccator ad pœnitentiam adducitur: & in primo ingreſſu patriæ de nouo dicitur viſus à beato, anteà non viſus ab eo: apud Thomiſtas anteà non erat vnitus intellectui ad inſtar ſpeciei, cum tamen poſteà ſit vnitus; & eodem modo apud eoſdem antea nõ erat obiectiuè præſẽtatus, modò iam eſt talis.

Deus poteſt de nouo fieri præſens præſentia obiectiua.

7. *Scotus.* Quare apud Scotum, cum Deus liberè ſe ſe intelligiliter obijcit intellectui beato, de nouo fit obiectiuè præſens illi, cum tamen antea non eſſet. Igitur non eſt incõueniens Deum de nouo aliquam mutationem recipere per denominationẽ extrinſecam. Quo ſuppoſito ad argumentũ reſponderet Baſſolius Deum antea non viſum de nouo fieri viſum abſque omni mutatione reali, aut ex parte intellectus, aut ex parte Dei; non tamen abſque vlla mutatione intẽtionali, & extrinſeca; quia antea non erat intelligibiliter præſens, nunc autem eſt talis; non ex ablatione impedimẽtorum (vt volebat Durandus) ſed ex libera Dei voluntate, qui quando vult non videtur, & quãdo vult videtur, vt ait *Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes c. 37. & Beda 1. Corint. 13. pag. 540. n. 40.* Iam vero Deo per liberam Dei voluntatem obiectiuè præſentato ſtatim ſequitur viſio ex ſententia Baſſolij, quam Bellomõtan. non impugnat. *Irenæus. Beda.*

8. *4. probatio ex Suario.* Quarto loco eodem ferè medio Suarius in dicto n. 30. cum nonnullis contra Durandum, & Baſſolium ita argumentatur. Nam hi Doctores ſine dubio loquũtur de præſentatione diuinæ eſſentiæ in actu primo. Vel igitur volunt hanc præſentationem eſſe nouam, vel non eſſe nouam. Si non eſt noua (quæ fuit mens Durandi) talis præſentatio non eſt alia, niſi quæ fit per realem præſentiam, qua Deus eſt intimè in omnibus rebus, & ſubindè in intellectu. Hæc autem non eſt ſatis ad viſionem; quia hæc ſemper fuit, & tamen non dabatur viſio. Quare ſi Durandus, ablatis impedimentis hanc ſolam pręſentiam poſuit, & voluit ad eam naturaliter conſequi viſionem, valde in hoc errauit. Si verò præſentatio illa eſt noua (quæ eſt mens Baſſolij) illa intelligi non poteſt ſine ſpecie, vel lumine, vel alia ſimili qualitate, quam vterque negat. ¶ Sed hoc etiam argumentum petit principiũ. Nam Durandus admittit præſentationem illã non eſſe nouam, nec aliam eſſe, quàm per illapſum; negabit tamen hanc non eſſe ſatis ad viſionem, ſi impedimenta ex parte intellectus auferantur. Cum verò obijcitur viſionem anteà non dari, obiectio eſt futilis: quia diceret Durandus anteà intellectum eſſe impeditum, ne exiret in viſionem, ſicut ex ſe poterat. In quo Durandus quidem errat; argumentum tamẽ errorem ſupponit, ſed non probat, cuius probationem inquirimus in proprijs terminis propoſitæ difficultatis, in quibus argumenta à Suario adducta non loquũtur. Baſſolius autem admittet præſentationem *Non recipitur.*

tionem eſſe nouam; negabit tamen eam intelligi nō poſſe ſine ſpecie, lumine, vel aliqua qualitate ſe tenente ex parte intellectus: putat enim præſentationem illam obiectiuam liberè à Deo factam ſatis eſſe, vt Deus videatur: cuius oppoſitum ſine probatione ſumitur.

9. Tertia probatio ex Bellomontan. Quinto loco arguit Bellomont. vbi ſupra n. 10. in 1. ratione: quoniam aſſenſus fidei in hac vita non ſolùm poſtulat obiecti exteriorem propoſitionē, aut prædicationē, ſed etiam interius lumen, & gratiæ adiutorium, vt omnes docent 1. 2. q. 109. art. 1. Ergo clara Dei notitia multò magis poſtulabit lumen, & cōcurſum ſupernaturalem ex parte intellectus, præter ipſam obiectiuā diuinæ eſſentiæ præſentationē. ¶ Hoc tamen argumentum ſufficienter ſoluet, qui negauerit conſequētiam propter diſparem rationē, quę vtrobiq; cernitur: nam myſteria fidei cū proponantur cū quadam apparenti repugnātia ad naturalem rationē, potiùs proponuntur ſub formali ratione diſſenſus, quā aſſenſus; & ideò neceſſarius eſt ſupernaturalis concurſus ex parte intellectus, vt nō obſtante apparente repugnātia valeat aſſentiri. Longè aliter ſe res habet in eſſentia diuina ſecundùm ſe repræſentata: nam cum ex ſe ſit maximè intelligibilis, repræſentat ſe ipſam, non modò ſublata omni repugnantia cum veritate, ſed etiā ſublata omni obſcuritate ſub clara, & manifeſta intelligibilitate: & inde eſt vt intellectui obijciatur ſub formali ratione obiectiua propriæ, & naturalis virtutis ipſius intellectus, quod eſt Durandi fundamentum. Vnde non eſt mirum, ſi ad viſionem eſſentiæ intellectus non indigeat ſupernaturali concurſu, eo tamen indigeat ad aſſenſum myſteriorum fidei.

Non admittitur.

10. Nec huic ſolutioni aliquid officit inſtantia eiuſdē Bellomontani; ſaltat enim extra chorū: etenim non agimus de concurſu, vt eſſentia diuina obiectiuè manifeſtetur; quia tam Durandus, quàm Baſſolius aliquid ſupernaturale requirūt ex parte eſſentię, vt obiectiuè manifeſtetur: ſed agimus de cōcurſu ſupernaturali neceſſario ex parte intellectus, ſuppoſita præſentatione diuinę eſſentiæ, an ſcilicet adhuc requiratur cōcurſus ſupernaturalis ex parte intellectus, vt poſſit influere in viſionem eſſentiæ iam ſibi præſentatę: & in his terminis vterque negat: cum tamen in eiſdem vterque admittat neceſſitatem illius, vt poſsit intellectus aſſentiri myſterijs fidei; propter diſparem rationē iam aſsignatam.

Omittimus ſolutionē, quam pro Durando affert Salas 1. 2. q. 3. *tract.* 2. *d.* 5. *ſect.* 3. *n.* 54. quia Durandum defendit contra id, quod Durādus aſſerit: Durandus enim præter præſentationē potentiæ in ratione obiecti nullum ſupernaturale requirit ex parte intellectus: negat præterea dari aliquam ſpeciem, qua Deus videatur; imò addit eſſentiam diuinam non ſe habere ad inſtar ſpeciei: & tamen Salas affirmat omnia iſta eſſe de mente Durandi. 11. *Salas.*

§. 2.

Vera, & efficax aduerſariæ ſententiæ expugnatio.

OMiſsis his impugnationibus vera expugnatio aduerſariæ ſententię inde eſt ſumēda; quia diuina eſſentia, vt ſe beatificè objicit, & præſētat intellectui creato, eſt obiectū ſimpliciter improportionatū virtuti intellectiuæ illius, quatenùs ſecundū naturales vires eſt principiū intellectionis. Quod mediū tetigit Albertinus in d. dubit. 3. n. 15. pag. 22. & quanuis illud nō ſatis accōmodatè explicet: ex illo tamē benè explicato efficaciter infertur intellectū creatum ſecundū naturales vires, quibꝰ naturaliter cōpletur, nō poſſe influere in viſionē eſſentiæ, quāuis gratis admittamus illam eſſe obiectiuè præſentatam. Hæc conſequentia hac demōſtratione euidenter conuincitur. Nam recepta inter omnes Philoſophia docet, neceſſariam eſſe proportionē inter obiectum intelligibile obiectiuè pręſentatū intellectui, & vires, ſecundū quas intellectus tēdit in illud: ergo vt intellectus ſecundùm ſuas vires naturales poſsit intelligendo tēdere in diuinam eſſentiam præſentatam, vt in ſe eſt & ipſas vires naturales, ſecundùm quas intellectus in illā tendit, debet dari proportio obiectiua: ſed inter iſta duo extrema nec datur, nec dari poteſt obiectiua proportio: ergo fieri non poteſt, vt intellectus ſecūdùm ſuas naturales intelligendi vires feratur in diuinam eſſentiam, quantumuis gratis ſupponatur præſentata, vt eſt in ſe. Antecedens prioris diſcurſus ex Philoſophia eſt ſatis notum,

12. Vera impugnatio contrariæ ſententiæ.

notum,& receptum à Durando in d.q.2. n.29: etenim oportet vt obiectum per ſe cōtineatur ſub adæquata ratione formali obiectiua virtutis intellectiuę, in qua poſita eſt ratio proportionis obiectiuę inter obiectum, & potentiam. Prima autem conſequentia ex antecedente euidenter deducitur; quia ſine obiectiua proportione nulla poteſt dari intellectio.

13. Controuerſia eſt circa minorem. Tota igitur controuerſia verſatur circa minorem ſecundi diſcurſus; illa tamen euidenter demonſtrabitur ex Philoſophia, quam latiſsimè cōfirmauimus ſuprà q.2.ar.5. vbi oſtendimus virtutem naturalem cuiuſque cognoſcentis non poſſe, niſi in ea intelligibilia, quæ eundem eſſendi modum habent cum ipſo cognoſcente: quæ verò habent modum eſſendi altiorem, omnino excedere naturalem virtutem cognoſcentis, vtpotè illi omnibus modis improportionata; adeò vt manente tali cognoſcendi modo, impoſsibile ſit cognoſci, quod modum altiorem eſſendi habet, vt quia trahi non poſsit ad modum cognoſcendi inferioris ordinis.

14. Probatio minoris. Hac ſuppoſita veriſsima, & antiquiſsima Philoſophia veritas minoris ita demōſtratur: quoniá fieri nō poteſt, vt intellectus ſua naturali virtute feratur in diuinam eſſentiam etiam ſibi præſentatam, quandiù manet improportio obiectiua inter eam, & vires naturales intellectus: iam enim etiam conſentiente Durando, ſuppoſuimus neceſſariam eſſe proportionem ad intellectionem cuiuſque obiecti. Sed præſentatio obiectiua diuinæ eſsentiæ nullo modo tollit improportionem naturalē, & intrinſecam, quæ datur inter eſſentiam, & vires naturales intellectus: ergo quantũuis diuina eſſentia ſupponatur intellectui præſentata, nunquam ille ſuis viribus naturalibus poterit in viſionē diuinæ eſſentiæ. Diſcurſus eſt legitimus: maior ipſis etiā aduerſarijs eſt notiſſima; minor inde probatur: quoniam illa præsētatio obijcit diuinam eſſentiā, ſicut in ſe eſt: ita enim præſentatur, ſicut videretur; videretur autē, vt in ſe eſt: ex ſententia autē Durādi, atq; Baſſolij facta præſentatione eſſentię, intellectus manet immutatus in ſuis naturalibus: ſed ante præſentationē dabatur improportio intrinſeca inter eſſentiā, & illas naturales vires: quia Deus eſt actus purus, & eſſentialiter ipſũ eſſe; intellectus autē habet eſſe participatum, & receptum; nec poteſt aliquid naturaliter intelligere, niſi per modũ habētis eſſe per cōpoſitionē, vt docet Philoſophia, quā ſuppoſuimus: ergo facta obiectiua præſentatione diuinæ eſsētiæ adhuc vires intellectus habent naturalem cũ illa improportionē; & per cōſequens adhuc indigebit virtute ſupernaturali, qua ſupra ſuũ naturalē eſsēdi modũ eleuetur, fiatq; illi proportionatus, vt potè quia iam poteſt Deũ intelligere, nō per modũ habentis eſſe, ſed per modum actus puri, & entis, quod eſſentialiter eſt ipſum eſſe.

Hoc medio ad demonſtrandā impotētiā intellectus creati ſecundũ ſuas naturales vires, & indigentiā ſupernaturalis cōcurſus vſus eſt D.Tho. *tũ 1.p.q.12.ar.4. tũ etiā 3.cont.gēt.c.55.in 5.arg.* Imò eodē medio vſus eſt magnus Dionyſ. *c.7. de diuin.nom.* cuius verba adduximus q.2.ar.5. & nunc iterũ adducemus, vt palam fiat magnũ Dionyſiũ verbis expreſsis aduerſari cōtrariæ ſententiæ. Explicans enim duas mentis noſtrę intelligendi virtutes; naturalē vnam ſupernaturalē alterā, vnitionem ſcilicet ſupra naturā, his verbis cōcludit: *ſecundũ hanc igitur oportet diuina intelligere, non ſecundũ nos: ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos Deificatos.* Igitur ex ſentētia Dionyſij diuina à nobis ſecũdùm nos intelligi nō poſsũt. Quid eſt ſecundũ nos? niſi ſecundũ noſtrum modũ intelligendi nobis connaturalem, & propriũ: ergo Deus in ſe ipſo à noſtro intellectu nequit intelligi ſecundùm modum intelligendi noſtrarũ viriũ; idq; nō ob aliā rationem, niſi quia Deus in ſuo illo intelligibilitatis exceſſu, cũ ſit ens, quod eſſentialiter eſt ſuũ eſſe, trahi nōpoteſt, vt cognoſcatur per modum habentis eſse, ſine quo modo vis naturalis intelligendi nihil poteſt intelligere. Quare cũ diuina eſsētia obiectiuè præſentetur, vt eſsentialiter eſt ipſum eſse, & ſub illo modo non poſsit à nobis ſecundũ naturales vires intelligi, vt ex dictis patet: vtique intellectus in eam, etiam ſi ex ſe ipſa præſentetur, non poterit ſua naturali virtute ferri.

15. Probatio eſt D. Thom. *Dionyſius*

Clariùs id expreſsit S. Maximus cent. 2.c.3. citatus à Cypariſsiota decad.2.c.6. cuius etiam verba retulimus in dict.ar.5. ex eo enim probat Deum non poſſe enumerari inter obiecta naturaliter à nobis intel-

16. *S. Maximus. Cypariſsiota.*

intelligibilia; quia (vt ait) *eſt ſubſtantia, quæ nullo modo ſubiectum habet*. i. quæ non habet ſubiectum recipiens eſſe, ſed eſſentialiter eſt ipſum eſſe: quæ ratio euidenter explicat naturales intelligendi vires naturaliter nihil intelligere, niſi ad modū habentis eſſe: & inde concludit Deum non poſſe à nobis naturaliter intelligi. Vnde ait: *in quo id fundatum cognoſcet, quod non poteſt prorſus recipere ſubiectum ad cognitionem?* quaſi ſic arguat: quomodò intelligētia creata poterit intelligere quod cognoſci non poteſt per modum habentis eſſe? nam ſi nihil poteſt intelligere, niſi ad modum habentis eſſe, in quo fundabit cognitionē Dei, vt illum concipiat, vt habētem eſſe, cum ſit eſſentialiter ipſum eſſe? Quæ ratio etiam locum habet; quanuis eſſētia diuina ſupponatur intellectui præſentata, vt eſt in ſe ipſa: nam cum ſemper intellectui præſentetur, vt eſſentialiter eſt ipſum eſſe; nec poſſit à virtute naturali naturaliter cognoſci, niſi ad modum habentis eſſe; vtique etiam, vt ſic intelligi non poterit à virtute naturali per vires ſuas naturales.

17. Alia verba S. Maximi.

Sed adhuc expēdamus alia verba eiuſdem S. Maximi in eodem loco: *Omnis intelligentia ſicut in ſubſtātia omnino ponitur, vt qualitas; ita circa ſubſtantiā qualitate affectam habet motionem: non enim aliquid ex toto ſolutū, & ſimplex per ſe exiſtens, poteſt ipſam intelligentiam ſuſcipere; quia non eſt ſoluta, & ſimplex*. In prioribus verbis clarè explicat intelligentiam, quæ habet cōpoſitum eſſendi modū (qualis eſt omnis creata) naturaliter non ferri, niſi in intelligibile, quod eundem modū eſſendi habet: & inde infert intelligibile ſimplex, ſolutumq; omni cōpoſitione (qualis eſt Deus) non poſſe ſuſcipere intelligentiam illius intelligentis, qui non eſt ſimplex, ſed cōpoſitus: hoc enim manifeſtè ſignificant verba poſteriora: idq; non ob aliā rationem, niſi quia non poteſt ſub naturalē intelligentiam illius cadere, niſi intelligatur ad modū cōpoſiti, ſecundùm quē modum ob ſuam in eſſendo ſimplicitatē concipi non poteſt. ¶ Hoc ipſum ſatis obſcurè, verbiſq; intellectu difficilimis anteà expreſſerat, vbi dixit: *id, quod intelligitur propter habitudinē compoſitionis alicuius, naturaliter ſubijcitur intelligenti*. Senſus eſt obiectum, quod ex ſua natura per modū entis compoſiti intelligitur, eſt obiectum naturaliter proportionatū intelligēti, ſcil. naturali, quod ipſum quidquid intelligit, ſecundùm eandem habitudinē intelligit. Et inde infert Deū nō eſſe enumerandū inter intelligibilia, quæ ab intelligentia creata naturaliter intelliguntur: nam cum Deus habeat eſſe purū, & ſimplex, non poteſt concipi per modum habentis eſſe. Quare non eſt dubitandū demonſtrationem noſtram eſſe S. Maximi: cui locus datur, etiam ſi ſupponamus diuinam eſſentiā creato intellectui eſſe præſentatam: quoniam per illam præſētationem, nec intellectus amittit ſuum naturalem modum intelligendi, quo nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi per modum habentis eſſe: nec diuina eſſentia aliter præſentatur, quàm vt actus purus, & ens per eſſentiam.

18. D. Athanaſius.

Deniq; eodē medio vſus eſt D. Athanaſius in orat. contra idola pag. 26. C. ita ſcribens: *Inuiſibilis & incōprehenſibilis natura altior eſt omnibus rebus creatis, vt homo in eo cognoſcendo fruſtrà laboraret, eo quod ipſe ex non ente ad eſſentiam prodierit; ille autem ex creatis non ſit*. In quibꝰ verbis duo obſeruanda ſunt: vnū eſt D. Athanaſium ex modo eſſendi ſumere ordinē obiectorum. Alterū eſt ex hoc fundamento inferre hominē in Deo cognoſcēdo fruſtrà laborare: id probat ex eo, quia homo habet eſſe creatū, Deus autem increatum. Quæ probatio non valeret, niſi Sanctus Athanaſius ſupponeret nullū intelligens creatū ſua naturali virtute poſſe intelligere, niſi id, quod eundem eſſendi modū habet; nō ob aliam rationē, niſi quia nihil poteſt naturaliter intelligere aliquid, niſi ad ꝓpriū ſuū eſſēdi modū illud cōcipiat.

Concluſio, diſcurſus.

Ex dictis euidenter patet modū intelligēdi ad inſtar habentis eſſe, ita eſſe intrinſecū intellectui creato, quatenus per ſuas vires naturales intelligit, vt ab eo ſit etiā diuina potentia inſeparabilis: poteſt quidē intellectus natiua ſua intelligendi virtute aliquid intelligere, & non per vires naturaliter ſibi ſuperadditas; quia poteſt eleuari virtute aliqua ſupernaturali ad ea, quæ ſunt ſupra ſuam naturam: at verò per vires naturales nihil valet intelligere, niſi per modum habentis eſſe; quia illum intelligendi modum ex modo ſuo eſſendi ſibi naturaliter vendicat.

19. 1. illatio cõtra Durandum. Ex quo primò infertur non eſſe admittendum Durando hoc impedimentũ ab intellectu ſeparari poſſe, ſi ſolis ſuis viribus relinquatur; cum talis intelligendi modus ſit illi intrinſecus. Admittendum tamen eſt ab illo ſeparari poſſe cætera omnia extrinſeca impedimenta, cæteroſque intelligendi modos veluti accidentales: etenim impedimentum quo noſter intellectus nihil poteſt intelligere, niſi mediãte ſenſu, modoque corporeo, ſolùm illi conuenit, quandiù eſt in mortali corpore, à quo naturaliter ſeparari poteſt. Prçtereà impedimentũ generalius quo creatus intellectus naturaliter non valet Deũ intelligere, niſi mediante creatura, non per ſe comitatur omnem cognitionem naturalem Dei, ſed ſolam primam cognitionem, vt oſtendimus ſuprà art. 1. §. 1. At verò impedimentum naturale, quo intellectus creatus nihil valet intelligere, niſi ad modum habentis eſſe, omnino eſt intrinſecum cuicũque creato intellectui ſibi naturaliter relicto; quia per ſe, & non per accidens conſequitur ad modum eſſendi cuiuſcunque creatæ immaterialitatis, vt latè diximus ſuprà q. 2. ar. 5. Quare non eſt admittendum Durando omne naturale impedimentum ſeparari poſſe ab intellectu intelligente per ſolas ſuas naturales vires. Et quia Albertinus loco citato *n.* 15. *pag.* 22. *col.* 1. id non ſatis diſtinxit; ideò non ſatis explicauit efficaciam noſtræ demonſtrationis.

20. Secunda illatio cõtra eundem. Secundò infertur non eſſe admittendam doctrinam Durandi *in d. q.* 2. *nu.* 29. dùm ait, exceſſum obiecti ſupra potẽtiã, non eſſe cauſam per ſe, ſed per accidens, cur potentia naturaliter non poſsit ferri in obiectum: nam licet fortè id verum ſit de exceſſu in eodẽ ordine, qualis eſt exceſſus lucis Solis ſupra viſum noctuæ; nõ tamen eſt verum de exceſſu diuerſi ordinis, qualis eſt exceſſus ſumptus ex diuerſa ratione generica immaterialitatis naturæ cognoſcentis, & obiecti cogniti: iſte enim exceſſus cum ſit diuerſi ordinis, per ſe eſt cauſa impotentiæ virium naturaliũ reſpectu obiecti altioris immaterialitatis, vt diximus in d. ar. 5. Dixi *doctrinam Durandi fortè verum eſſe in exceſſ. eiuſdem ordinis*: quia non deſunt, qui dicant virtutẽ viſiuam noctuæ ex ſe eſſe impotẽtem ad vidẽdum lucem Solis in ſuo exceſſu ſibi obiectam, quantũuis omnia impedimenta tollantur, quæ ſe tenent ex parte organi: hæc enim opinio videtur colligi ex D. Thoma 1. *p. q.* 88. *ar.* 1. *ad* 3. Non nego hanc opinionem eſſe dubiam, quia video illi contradicere Ariſtotelem, dum ait, *quod ſi ſenex haberet oculum iuuenis, videret ſicut & iuuenis.* Sed ad præſens inſtitutũ parum refert, vtra illarum opinionum ſit vera: quia modo non agimus de exceſſu intelligibilitatis intra eundem ordinem; ſed de exceſſu ſpecifico diuerſi ordinis, ex immaterialitate diuerſæ rationis, & ſpeciei inter cognoſcentem, & rem cognitam: iſte enim exceſſus per ſe, & non per accidens cauſat naturale impedimentum intrinſecum, de quo agimus. *D. Thom.*

Et hæc contra Durandum, & Baſſolium dixiſſe ſit ſatis, quanuis aliæ demõſtrationes adduci poſſent ex dictis in prçcedente art. quas omittimus, quia ad iſtam noſtram demonſtrationem tandem recurrunt.

§. 3.

De cenſura aduerſariæ ſententiæ.

21. Cẽſura huius ſententiæ. SVpereſt vt illam controuerſiam explicemus, an aduerſaria ſentẽtia digna ſit aliqua cẽſura, maximè vt explicatur à Durando? Bellomontanus in *dicta d.* 41. *c.* 2. *n.* 8. *&* 9. affirmat ſententiã Durandi erroris nota non carere. Hæc tamen cenſura non placet Ioanni de Salas 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 5. *ſect.* 3. *n.* 54. *pag.* 350. *col.* 1. *&* 2. tum, quia cenſura leuibus nititur fundamentis: tum etiam, quia noua eſt, & vno excepto iuniore Theologo nullus ſcholaſticorũ hanc illi notam inuſſit. Ego tamen vtroq; ſenior ante doctiſſimum illum iuniorẽ eandem notam Durando impoſui: quam poſteà etiam illi impoſuit Albertinus vbi ſuprà *pag.* 22. *c.* 1. nec ab hac cenſura longè ſunt Sotus *in* 4. *d.* 49. *q.* 2. *ar.* 4. *poſt princ. & Cumelius* 1. *p. q.* 12. *ar.* 5. *q.* 1. *concl.* 4. & niſi fallor ipſe Salas à cenſura nõ abſtineret, ſi mentem Durãdi benè perciperet; putat enim apud Durandũ Deum auferre impedimẽta ab intellectu, dũ ſua diuina eſſentia per modum ſpeciei intelligibilis intellectum iuuat, vt Deum videat, in quo ſenſu opinio nulla cenſura digna foret: ſed quàm alienus ſit à mente Durandi ſenſus iſte, contra eundem Salas iam ſuprà aduertimus art. 1. huius quæſt. §. 1.

CenſuraBellomont. aliquibus non placet.

Approbatur cenſura.

Albertin. *Sotus.* *Cumelius.*

Salas non pcepit Durandum.

Totum

22. Confirmatur ex Concilio Viennenſi.

Totum huius cenſuræ fundamentum ſumitur ex definitione Concilij Vienenſis in Clementina *Ad noſtrum*, de hęreticis, de qua latè egimus in ſuperiori art. §.2. & ſupra q.1. huius libri art. vnico poſt principium: quibus in locis ex verbis Concilij oſtendimus non ſolùm eſſe errorem intellectum creatum viribus ſuę naturæ poſſe Deum videre; ſed etiam intellectum non indigere ſupernaturali eleuatione, vt Deum videat: & præterea hanc eleuationem de lege ordinaria fieri per habitum luminis gloriæ; abſolutè tamen poſſe fieri per alium ſupernaturalē concurſum: quam eleuationē negat Durandus, vt ſæpè aduertimus, & latè oſtendimus in præcedente art. §.1. Quare non datur locus reſponſioni, quam pro Durando adducit Salas, dum ait, diuinam eſſentiam expeditam per modum ſpeciei intelligibilis ad cauſandam viſionem dici poſſe lumen gloriæ, quo eleuatur. Sed iam diximus nec Durandum ſuam ſententiam ita explicare; nec vllam ex parte intellectus ſupernaturalem eleuationem admittere, cum nullam in eo mutationē agnoſcat: in quo ſenſu opinio Durandi, haud dubiè contradicit definitioni Concilij.

23. Alia ratio contra Durandum.

Ab abſurdo etiam opinio Durandi erroris euidenter conuincitur: quoniā ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem, quam cum eodem Durando in hac q. ſupponimus: ſuppoſita etiam in omnibus humanis intellectibus æqualitate intellectiuæ virtutis, quam Durandus admittit in *dicta q.2. n. 27.* ex illius opinione neceſſariò infertur omnes homines in patria eſſe æqualiter beatos; quod eſſe hæreticum latè oſtendemus libro 12. Sequela manifeſta eſt: quoniam tanta erit viſio, quanta fuerit vis intellectiua influens in eam: iam verò ex ſententia Durandi ſolus intellectus ſua naturali intelligendi vi influit in viſionem: cum verò illa æqualis ſit in omnibus hominibus beatis, vt Durandus admittit; vtique in omnibus erit æqualis viſio, æqualis vè beatitudo.

24. Nō eſt tuta euaſio Durandi.

Nec tutum eſt cum Durando admittere omnes homines æqualiter eſſe beatos beatitudine eſſentiali; inæqualitatem verò ſolùm dari in beatitudine accidentaria, quæ ponitur in reuelatione myſteriorum, & rerum: non eſt, inquam, hoc tutum, ſed erroneum potiùs & hæreticū; quia erroneum eſt non admittere inæqualitatem in beatitudine eſſentiali, vt in vltimo libro latiùs oſtendemus. Modò contra Durandum ſatis ſit ex data reſpōſione inferri nec Chriſtum, nec Virginē perfectiùs quàm alios videre diuinam eſſentiam, nec cęteris eſſe eſſentialiter beatiores. Imò ex ea infertur infimum Angelum eſſe eſſentialiter beatiorem, quàm ſit aut anima Chriſti, aut Beatæ Virginis: conſtat enim vim naturalem intelligendi perfectiorem eſſe in Angelo.

25. Alia ſolutio Durandi.

Videns autem Durandus hanc doctrinam periculoſam eſſe, recurrit ad aliam ſolutionem, non admittens viſionem beatam actiuè fieri ab intellectu creato, ſed à ſolo Deo; vt ita ſaluet inæqualitatem eſſentialis beatitudinis. Ex quo patet Durandum, dum ad ſaluandam veritatem catholicam recedit à noſtra ſuppoſitione, ſatis ſignificare ſentētiam ſuam non eſſe tutam, ſi actiuitas intellectus in viſionem ſupponatur. Cui cenſuræ adſtipulantur Patres, quos in præcedente artic. retulimus; quatenus vno conſenſu in viribus naturalibus creati intellectus agnoſcunt naturalem impotētiam ad videndū Deū, & ob id neceſſariam eſſe ſupernaturalem eleuationem virtutis intellectiuæ.

Et hæc ſufficiant ad confirmandam neceſſitatem ſupernaturalis concurſus apud eos, qui in intellectu creato admittūt actiuam influentiam in beatificam viſionem. In ſequenti quæſt. eandem demonſtrabimus etiamſi admittatur intellectū ad viſionem concurrere ſolùm paſſiuè.

QVÆSTIO IIII.

De neceſſitate ſupernaturalis concurſus ex parte intellectus, ſi ſolùm paſſiuè cōcurrit ad viſionē.

QVANVIS opinio, quæ in intellectu creato agnoſcit actiuam influentiam in viſionem diuinæ eſſentiæ, ſit veriſsima, & omnino tenenda: tamen vt neceſsitas concur-

concurſus ſupernaturalis ex parte intellectus euidentiùs appareat; illa etiam ſtabilienda eſt, quanuis demus intellectum ad viſionem ſe habere ſolùm paſsiuè: nam cum neceſsitas ſupernaturalis concurſus ſine erroris nota non poſsit non admitti, vt oſtendimus q. 4. veritas illius defendi debet, ſiue intellectus actiuè concurrat, ſiue ſolùm paſsiuè: nec enim decet, vt indubitatam veritatem opinioni ſolũ probabili alligemus: iam verò opinio, quæ docet intellectum ſolùm paſsiuè ad viſionem concurrere eſt probabilis, & pręſtãtiſsimis placet Theologis, vt diximus lib. 4.q.1.ar.2.n.49. Inquirendum eſt igitur an ſuppoſita illa opinione adhuc neceſſarium ſit intellectum ſupernaturaliter eleuari?

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm concurſus ſupernaturalis ſit neceſſarius ex parte intellectus, ſi ille ad viſionem ſolùm paſsiuè concurrit?

§. 1.

Referuntur tres opiniones.

1. Quid ſi intellectꝰ paſſiuè concurrit?

In hoc ſenſu quidam negant neceſſariã eleuationem.

Baſſolius.

DE propoſita quæſtione tres inuenio opiniones. Prima ſimpliciter negat intellectum creatum in terminis propoſitis indigere ſupernaturali aliquo concurſu, vt Deum videat, ſed ex ſe, ſuiſque naturalibus capacem eſſe, vt per viſionem à Deo receptam videat ipſum Deum. Hanc opinionem probauit *Baſſolius in 4.d.49.q.5.art.1.§.& quantũ ad præſentem caſum, fol.156. col.4. & fol. 157. col.2. ad primum principale, & art.2, fol.158.col.2.§.Sic igitur dico.& fol.159. col.2.ad primum,& col.3.ad 4.* eandem iam *probauerat in 3.d.14.q.1.ar.1.§.Neutram iſtarum in 2.ratione, & inferiùs fol.51. col. 1.ad 4.principale.* Eandem probauit *Mayronius in 3.d.12. vſque ad 17.q.1.& 2. Durandus item in 4.d.49.q.2. in 3.dicendi modo,n.24.& clariùs n.28.& ſatis eam ſignificat n.21.cum ſequentibus.* Solet hęc opinio tribui Scoto *in 4.d.49.q.11.§.Reſpõdeo ergo in 1. concl. lit.C. & inferiùs lit. G. §.Si autem intellectus ſit merè paſsiuus,& in 3.d.14.q.2.art.2.lit. A.B.C. cum quo ſimpliciter tranſit Lychetus ibidem fol. 37. col. 2.* Hi omnes exiſtimant viſionem à ſolo Deo fieri; intellectum autem per eam in ſua nuda potentia receptam abſque vllo ſupernaturali ſuperaddito videre Deum & ſubinde ex puris ſuis naturalibus, ſuppoſita ſolùm diuina aſsiſtentia cauſante ſui viſionem.

Mayron. Durand.

Tribuitur Scoto.

2. 2.opinio.

Secunda opinio ſimpliciter docet intellectum in terminis propoſitis indigere ſuperaddi ſibi aliquid ſupernaturale, vt viſionem in ſe recipiat, & per eam receptam Deum videat. Hanc ſententiam tanquam maximè probabilem ſequitur *Richardus in 3.d.14.q.3. in 4.opinione, & in 4.d.49.ar.3.q.1.§. Qui vult tenere primam opinionem, & clariùs q.2. Gabriel in 1.d.1.q.2.vbi ar.2.in corollario poſt 4.concluſ.lit.C. in fine docet viſionem non fieri ab intellectu, ſed à ſolo Deo; & tamen art.3.§. Sed de lumine gloriæ admittit indigentiam talis luminis, & citat Franciſcum Zabarelã in Clementina Ad noſtrum de Hæreticis, in eadem ſententia eſt Marſilius in 3.q.10. art. 2.in 1.p.articuli, ſi quæ ſcribit concluſion.4. & 6.fol.415.col.4.conferantur cum iis, quæ ſcripſerat concluſione 2.fol.414.col.1.& 2.*

Richard. Gabr.

Zabarela. Marſil.

3. Tertia ſententia.

Tertia ſententia mediam viam probauit: exiſtimat enim de facto quidem, & de lege ordinaria dari lumen gloriæ in intellectu beati; abſolutè tamen nec illud, nec aliud ſupernaturale neceſſarium eſſe, vt intellectus recipiendo viſionem à Deo ſibi infuſam videat diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè præſentatam; & ſubinde intellectum ſua natura, ſublato quocunque ſupernaturali, & poſſe viſionem recipere, & per eam Deum videre. Hanc opinionem mihi probat Paludanus, quanuis pro prima ſentẽtia communiter citetur. Nam *citato loco ar.2.n.33.concl.1.* abſque vlla diſtinctione concurſus actiui, aut paſſiui ex parte intellectꝰ abſolutè affirmat de lege ordinaria requiri lumen glorię, vt intellectus Deum videat: attamen n.34. negat illius neceſsitatem, ſi abſolutã Dei potentiam attendamus. Et quanuis ibidẽ expreſſè non diſtinguat de cõcurſu actiuo vel paſsiuo; inferiùs tamen n.42. hanc diſtinctionem facit, & concludit ſi intellectus ad viſionem ſe habeat ſolùm paſsiuè, nullum ſupernaturale eſſe neceſſariũ ex parte intellectus: ſi verò actiuè ſe habeat in eam, nullum ſupernaturale requiri, quod intrinſecè ſit in intellectu; benè tamen requiri aliquod extrinſecum.

Palud.

Quare

¶ Quare ſententia Paludani poſitis noſtris terminis, & admiſſo concurſu ſolùm paſ- Sententia Paludani ſiuo mediam viam elegit; vt de facto requiratur aliquod ſupernaturale propter congruentias adductas numer. 33. de potentia tamen abſoluta nihil ſupernaturale requiri: hæc enim ſunt illius verba: *Similiter in propoſito: ſi beatitudo eſt à ſolo Deo effectiuè, non oportet in beato eſſe aliud à beatitudine beatificum, aut ſupernaturale.*

4. Ouandus.. Hanc mediam ſententiam probauit Ouandus *in 4. d. 49. propoſitione 6. & 7.* Nam in 6. propoſitione abſolutè docet lumen de facto eſſe neceſſarium: attamen propoſ. 7. aſſerit illud de potentia abſoluta neceſſarium non eſſe, ſi intellectus paſſiuè ſolùm concurrit: & affirmat hanc fuiſſe opinionem Scoti; quoniam Scotus Scot. in 3. d. 14. q. 2. litera. C. in fine his verbis ſcribit: *Sed quantum ad receptionem, de qua eſt quæſtio propoſita, non videtur ſimpliciter neceſſarium concedere A priùs perficere intellectum quam viſionẽ; ſed ſi intellectus poteſt recipere duas perfectiones ordinatas, ſcil. A. vt actum primum, & viſionem, vt actũ ſecundùm congruum eſt, vt illis perfectionibus ordinatè perficiatur, ſed vtraq; abſolutè poſſet eſſe ſine alia.* Sed de mente Scoti circa lumen gloriæ latiùs agendum eſt in diſputatione de neceſſitate illius lib. 9. nunc dicimus apud Scotum, nec lumen gloriæ, nec aliquid ſupernaturale eſſe abſolutè neceſſarium, ſi intellectus ad viſionem ſolùm paſſiuè cõcurrit, vt facilè colliges, tum ex verbis immediatè adductis; tũ ex locis in prima opinione citatis: quid verò ſentiat, ſi intellectus actiuè ad viſionem concurrat? explicabimus lib. 9. q. 4. art. 2. §. 2. vbi vide.

§. 2.

Eligitur ſecunda ſententia.

5. 2. Senteti a eſt vera. EGO puto ſecundã ſententiam, & veriſsimam eſſe, & omninò tenendam, etiam ſi intellectus ſolùm paſſiuè ad viſionem concurrat: ſemper enim indigebit ſupernaturali eleuatione, tum vt viſionem in ſe recipiat, tum vt per eam Deum videat.

Hanc ſententiam eſſe neceſſariò te- 6. Confirmaxe concilio Viennenſi. nendam, ſiue ſermo ſit ſecundùm legem ordinariam, ſiue ſecundũ potentiam abſolutam mihi efficaciter probant, quæ ex Concilio Viennenſi, & ex Patribus latè adduximus in præcedente q. artic. 1. §. 2. num. 15. cum ſequentib. & q. 1. art. vnic. num. 2. nam indigentia eleuationis ad videndum Deum, & intellectus infirmitas, & impotentia, vt per ſua naturalia Deum videat: exceſſus etiam, & improportio diuinæ eſſentiæ ſupra vires naturales, & cætera, quæ ex Patribus adduximus abſolutè conuincunt neceſsitatem ſupernaturalis eleuationis, tam de facto, quàm de poſsibili: idque abſtrahendo à concurſu actiuo, vel paſsiuo: etenim intentio Cõcilij, & Patrum ſolùm eſt contra hæreti- Mẽs Cõci. cos definire intellectum per ſolas vires naturales, nõ poſſe Deum videre, ſed indigere ſupernaturali munere, & beneficio: hæretici autem nihil curabant de cõtrouerſia Theologica, an intellectus actiuè concurrat ad viſionem, an ſolùm paſſiuè; ſed ſolùm contendebant dari viſionem ex puris naturalibus, ſecluſo quocunque ſupernaturali adiutorio. Quare cum vtraque pars controuerſiæ admittat intellectum videre Deum; & definitum ſit ex naturalibus id eſſe impoſsibile, & inde definiatur indigentia ſupernaturalis eleuationis: non puto eſſe tutum hãc indigentiã negare, ſi intellectus ſolùm paſſiuè concurrat. Quinimò ex hoc ſolo capite opinionem de concurſu paſsiuo, tanquam verè temerariam reijcerem, ſi ex ea neceſſariò inferretur poſſe intellectũ ſuis viribus naturalibus videre Deum. Cum verò opinio de concurſu paſsiuo nulla indigeat cenſura; reijciendi omninò ſunt, qui ea ſuppoſita putant intellectum ſuis viribus abſque vllo ſupernaturali auxilio poſſe Deum videre.

Et quanuis ad confirmandam hanc ve- 7. ritatem ſatis eſſet diſſoluere fundamenta 1. Ratio ad idem. aduerſaria; tamen vt veritas magis appareat aliquibus rationibus eam confirmemus. ¶ Prima ratio ſumatur ex cõmuni quodã medio: quoniã nihil eſt ſuſceptiuũ formæ altioris ordinis, niſi per aliquã diſpoſitionẽ ad talem ſuſceptionem eleuetur: ſed viſio, per quam vt receptam Deus formaliter videtur, eſt altioris ordinis, quàm ſit potentia receptiua intellectus: ergo viſio non poteſt recepi in naturali potẽtia paſſiua intellectus, niſi ille ad recipiendum ſupernaturaliter eleuetur. Minor huius diſcurſus eſt manifeſta; quia potentia paſſiua, qua intellectus eſt recepti-

receptiuus cuiuſcunq; intellectionis eſt potentia quædam naturalis, etiam in ordine ad viſionem beatam, vt aduerſarij fatentur: viſio autem eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, vt in 7. libro oſtendemus. De maiori tota eſt difficultas cõmuniter probatur ex quodam principio Philoſophico: *proprium*, ſcilicet, *actum fieri in propria potentia*. i. in potentia illi proportionata: cum verò potentia ordinis inferioris ſecundùm ſe non ſit proportionata actui altioris ordinis; vtique ſecundùm ſe ſumpta non erit propria illius potentia: nec oppoſitum intelligi poteſt. Igitur vt potentia ordinis inferioris fiat propria, & proportionata actui altioris ordinis, neceſſariò indiget diſpoſitione aliqua, qua ad altiorem ordinẽ eleuetur. Et inde eſt, vt ſi aer debet recipere formã ignis, debeat diſponi aliqua diſpoſitione, qua materia aeris fiat propria, & proportionata ad formam ignis; idem reperitur in quibuſcunque alijs mutationibus; quia ſemper agens agit in patiente diſpoſito. His rationibus maior illa, vt veriſsima recipitur à *D. Thoma 3. contra gent. cap. 52. in ſecunda ratione, & à Ferrarienſi ibidem, ab eodem D. Thoma. 1. p. q. 12. artic. 1. & à Caietano cæteriſque interpretibus in eodem loco.*

D. Thom. Ferrar. Caietan.

8. Solutio ex Durando. Expeditur ſolutio Caiet. & Thomiſtarum.

Hanc tamen rationem nõ recipit Durandus *in 4. d. 49. q. 2. num. 22.* quia putat ex propoſitione maiori, vel dari proceſſum in infinitũ in diſpoſitionibus ſupernaturalibus, vel aliquam formam ſupernaturalem recipi poſſe in potentia naturali non eleuata. Occurrunt Caietanus, Ferrar. cæterique Thomiſtarum, propoſitionem illam veram eſſe, nõ de quacũq; ſupernaturali forma, ſed de ea, quæ in illo ordine eſt principalis, & vltima. ¶ Sed ſi ita intelligatur maior propoſitio nõ eſt medium efficax ad noſtrum inſtitutum: quoniam ex ea neceſſariò infertur non omne ſuſceptiuum naturalis ordinis eleuandum eſſe ad omnem ſupernaturalem formam, ſed ad eam ſolũ, quæ eſt vltima & principalis, & quæ ex ſua natura non eſt diſpoſitio ad vlteriorem aliam formã; imò quæ ex ſua natura talis eſt, vt aliquã diſpoſitionem ſupernaturalem prærequirat, qua mediante recipiatur in potentia naturali: in quo ſenſu Durandus, & aduerſarij maiorem, tanquam per ſe notam libenter agnoſcunt: minorem tamen expreſſè negant: viſionem ſcilicet ex ſua natura immediatè non reſpicere potentiam paſsiuam intellectus, niſi mediante aliqua ſupernaturali diſpoſitione: etenim admittunt viſionem eſſe formam ſupernaturalem, & ſuperioris ordinis; negant tamen eam ex ſua natura ſolùm mediate reſpicere potẽtiam paſsiuam intellectus, quia non omnis forma ſecundùm ſuam naturam ſupernaturalis habet mediatum ordinem ad intellectũ: lumen enim gloriæ in eo immediatè recipitur. Hæc difficilem reddunt allatam rationem; quoniam maior aſſumpta non eſt vniuerſaliter vera, ſed ſolũ in forma vltima: quod tamen ſine probatione aſſumitur: cur enim forma vltima magis, quàm aliæ ſupernaturalem eleuationem requirunt? Si dicas alias ex ſua natura eſſe diſpoſitiones ad vlteriorem formam, quod nõ reperitur in vltima; Reſpondebo, nec eſſe certum, lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem ad recipiendam viſionem; nec viſionem ex ſua natura exigere pręuiam diſpoſitionẽ, vt recipiatur in potentia: de hoc enim eſt controuerſia, cum aduerſarij id negent. Quare ſi ratio adducta defendenda eſt, maior ita eſt proponenda: nihil eſt ſuſceptiuum formæ altioris ordinis intelligibiliter attingentis obiectum ordinis ſuperioris, niſi per aliquam diſpoſitionem eleuetur: in quo ſenſu propoſitio eſt veriſsima, & demonſtrabitur in ſequenti ratione: & ita ceſſat proceſſus in infinitũ, & inſtantia luminis gloriæ; quia illud intelligibiliter non attingit diuinam eſſentiam, ſed ſolus intellectus vt quod, & ſola viſio vt quo. Vera explicatio maioris.

9. 2. Ratio.

Sit igitur ſecunda ratio: nullus intellectus per ſuam potentiam paſsiuam naturalem eſt ſuſceptiuus intellectionis ſuperioris ordinis, ſed neceſſariò indiget ſupernaturali eleuatione, qua fiat potentia propria illius: ſed viſio diuinæ eſſentiæ eſt ordinis ſuperioris: ergo nullus intellectus creatus per ſuam potentiam paſſiuam naturalẽ eſt ſuſceptiuus illius, niſi ſupernaturaliter eleuetur. Maior huius rationis demonſtrata eſt *ſupra q. 2. art. 5. & 6. in 4. demonſtratione*: vbi demonſtrauimus cognoſcens non poſſe aliquid naturaliter cognoſcere, niſi conſentaneè ad ſuũ eſſendi modum: cũ verò cognoſcens creatum

creatum habeat eſſe potentiale, & compoſitum, nihil poteſt naturaliter cognoſcere, niſi ad modum compoſiti; ſicut etiã intellectus coniunctus, ideo quia habet eſſe in corpore, nihil poteſt naturaliter cognoſcere, niſi modo corporeo. Quibus ſi addas intelligibile ordinis ſuperioris habere altiorem eſſendi modum, quàm habeat quodcunque cognoſcens inferioris ordinis; & ideo verè concipi non poſſe ad modum cognoſcendi cõnaturalem creato intellectui; neceſſariò infertur, intelligibile ordinis ſuperioris naturaliter cognoſci non poſſe à cognoſcente inferioris ordinis.

10. Quod exemplis fiet manifeſtum: nam ſubſtantia ſeparata, cum habeat immaterialitatem abſtractam à materia, naturaliter cognoſci non poteſt ab intellectu cõiuncto, non ob aliam rationem, niſi quia intellectus coniunctus habet immaterialitatem actuatiuam corporis, vt latè oſtẽdimus *ſupra q. 1. art. 4. §. 6. in 5. demonſtratione*. Simili modo, quia Deus in ſe ipſo eſt actus purus ab omni potentialitate, & compoſitione, cum eſſentialiter ſit ſuum eſſe, non poteſt naturaliter cognoſci ab intellectu, etiam Angelico, ideo quia, cũ habeat eſſe receptum, & compoſiti, vt cõpoſitum, nihil poteſt naturaliter cognoſcere, niſi ad modum entis potentialis, & compoſiti, vt rationibus naturalibus, & teſtimonijs Dionyſij, Maximi, & Athanaſij oſtendimus *ſupra q. 2. articul. 5. & 6.* Quare veriſſima eſt Philoſophia, quæ docet cognoſcẽs inferioris ordinis in eſſendo, non poſſe naturaliter cognoſcere intelligibile, quod in eſſendo eſt ſuperioris ordinis, & per conſequens intellectus nõ erit naturaliter ſuſceptiuus viſionis illius, ſed indigebit ſupernaturali eleuatione. Quæ fuit maior. Minor autem eſt indubitata: tum, quia viſio diuinæ eſſentiæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt ordinis ſupernaturalis; potentia verò paſſiua intellectus ſecundùm ſuam naturam eſt naturalis ordinis. Tum ſecundò, quia viſio beata Deum cõcipit modo altiori, quàm ſit modus concipiendi connaturalis intellectui: concipit enim Deum ſicuti eſt in ſe, vt actum purum, & omninò ſimplicẽ, non verò ad inſtar entis compoſiti, hoc autem modo Deum concipere non poteſt intellect⁹ ordinis inferioris, ſi ſuo naturali modo concipiendi relinquatur. Ex vtraque iſta præmiſſa euidenter infertur nullum intellectum creatum per ſuam potentiam paſſiuam naturalem eſſe naturaliter ſuſceptiuũ viſionis diuinæ eſſentiæ, ſed neceſſariò indigere ſupernaturali eleuatione.

Tertia adhuc ratio adduci poteſt: quoniam in intellectu creato ſimul cum ipſa potentia paſſiua, qua eſt receptiuus cuiuſcunque intellectionis, agnoſcenda eſt vitalis quædam vis ipſi intellectui natiua, qua per ipſam intellectionem, quam non producit, ſed ſolùm recipit, vitaliter exprimit obiectũ, quod intelligitur. Quare ſicut intellectio formaliter eſt ipſa formalis expreſsio obiecti; ita intelligere formaliter non eſt aliud, quàm vitaliter exprimere obiectum, & illud intelligibiliter attingere, atque percipere, quod non fit ſine vitali quadam vi expreſsiua, & apprehẽſiua obiecti: ſicut enim apud eos, qui volunt intellectum actiuè concurrere ad intellectionem, intelligere formaliter nõ eſt intellectionem elicere, vt cõtra nonnullos latè oſtendimus lib. 4. q. 2. art. 3. num. 5. & art. 4. num. 7. 8. & 9. ita etiam apud eos, qui volunt intellectum concurrere ſolùm paſſiuè, intelligere formaliter non intellectionem recipere, vt in illis locis etiã dixim⁹; ſed apud vtroſq; intelligere formaliter eſt recipere intellectionem, non abſolutè, ſed per eam obiectum exprimentem intelligibiliter attingẽdo, & percipiẽdo illud. ¶ Oportet igitur, vt præter vim actiuam ad eliciendam viſionem Dei (apud eos, qui eam admittunt) & præter potentiam paſſiuam ad illam recipiendam, ſiue ab intellectu, ſiue à ſolo Deo, detur in intellectu iſta vis, qua per viſionẽ receptã intelligibiliter tẽdat in obiectũ, non quidẽ actione reali, ſed intentionali ſolùm, quatenùs eam concipere non poſſumus, niſi ad modũ actionis tranſeuntis in obiectum. Hanc vim non poſſe ſecundùm ſuam puram naturã Deum intelligibiliter exprimere, & in illum intelligibiliter tendere, ex eo efficaciter probatur; quia ſicut ſecundùm ſuam naturam nõ eſt apta exprimere obiectum, niſi ad modum eſſendi proprium ipſi cognoſcenti; ita etiam ſecundùm ſuã naturam non eſt apta tendere in obiectũ, niſi ad eundem eſſendi modũ. Cum verò Deus

Marginal notes: 11. 3. Ratio. — 12.

Deus ſecundũ illum modũ nõ ſit expreſſibilis, nec perceptibilis, vt patet ex ſecunda ratione; fieri nõ poteſt, vt ipſa vis ſecũdũ ſolam ſuã naturalem virtutẽ Deũ exprimat, & attingat, ſicuti ille in ſe eſt. Quare ex ſe, & in ſua pura natura non poteſt tendere in Deum per viſionem, etiam ſi illa à ſolo Deo producatur, & ſupernaturaliter ponatur: ſicut etiam lapis per eam in ſe receptam non poſſet vitaliter operari: quanuis aliter, quia lapis abſolutè eſt incapax, vt per eam operetur; intellectus verò ſolùm eſt incapax, quãdiù non eleuatur.

§. 3.

Afferuntur argumenta pro aduerſaria ſententia.

13. *Argumẽta aduerſariȩ ſententiȩ. Quod intellect9 ex ſua natura ſit diſpoſitus ad recipiendũ viſioné.*

SVpereſt vt argumenta aduerſariorũ afferamus, & primò adducunt argumenta quòd intellectus, ſecundùm ſe, ſuamque naturam ſit ſatis diſpoſitus, vt viſionem in ſe recipiat. Deinde oſtendunt nihil ſuperadditũ admitti poſſe, quo intellectus fiat receptiuus viſionis.

Ita igitur argumentantur: intellectus ſecundùm ſe eſt ſatis diſpoſitus ad recipiendam viſionem: ergo nihil ſupernaturale requiritur ex parte intellectus, vt recipiendo viſionem videat Deum. Conſequentia eſt nota; quia intellectus recipiendo in ſe viſionem nõ poteſt non videre Deũ. Antecedens multis probatur, tũ à *Scoto in 3.d.14.q.1.§. quantum ad 2. art. & in 4.d.49.q.11.§. prima concluſio ſit, lit. E. tum à Baſſolio in 3.d.14.q.1.§. neutram iſtarum opinionem: & in 4.d.49.q.5.art.1. §. ſed quantum ad præſentem.* *Scotus. Baſſol.*

1. Probatio antecedẽtis. Prima ratio ex Baſſolio: quoniã quȩlibet creatura naturaliter, ideſt, ex ſua natura eſt capax ſummæ perfectionis in quam naturaliter tendit. Sed natura intellectualis naturaliter tendit in viſionẽ Dei, tanquam in vltimam ſummamque ſui perfectionem: ergo ex ſe, ſuaque natura eſt capax illius.

14. *2. eiuſdem probatio.* Secunda ratio ex eodem: viſio beata quanuis ſupernaturalis ſit ex parte agentis; eſt tamen naturalis perfectio naturæ intellectualis: ergo natura intellectualis, ex ſuis naturalibus eſt capax viſionis. Conſequentia probatur, quia creatura ſuapte natura eſt capax perfectionis ſibi naturalis: antecedens, tanquam certum ſupponit alibi à ſe demonſtratum. Nec obſtat, inquit, quod viſio eſſe nequeat, niſi à Deo agente ſupernaturali; quia non proinde non eſt perfectio naturalis: quia anima rationalis, quanuis ſit ſupernaturaliter à ſolo Deo, ex ſe tamen naturaliter eſt forma corporis.

Tertia ex eodem: quoniam intellect9 ex ſua natura eſt capax notitiȩ cuiuſcũq; obiecti, quod per ſe continetur ſub ſuo obiecto adæquato: ſed Deus etiam clarè viſus per ſe continetur ſub obiecto adæquato intellectus creati: ergo intellectus creatus ex ſua natura eſt capax notitiæ ipſius Dei. Minor patet; quia Deus per ſe continetur ſub ente; ens autem eſt obiectum adæquatũ creati intellectus. Maiorem ex eo probat; quia omnis potentia ſuapte natura poteſt in omne obiectũ contentũ ſub ſuo adæquato obiecto: quo etiam argumento vtitur Durandus in 4. d.49.q.2.nu.24.cum ſequentibus. 15. *3. Probatio.*

Quarta ex eodem: viſus ex ſua natura eſt capax viſionis præſtantiſsimi viſibilis: ergo intellectus creatus ex ſua natura eſt etiam capax notitiæ præſtantiſsimi intelligibilis, qualis eſt diuina eſſentia. Antecedens patet; cõſequentia inde probatur; quia quod eſt perfectionis in inferiori, nõ debet negari ſuperiori: intellectus autem nobilior eſt, quàm ſenſus. 16. *4. Probatio.*

Quinta ratio ſumitur ex Scot. *in d.q.11.* quoniam ſuſceptiuum, quod ex ſua natura ordinatur ad plures formas, ſua etiam natura ordinatur ad prȩſtantiſsimam formam: ſed intellectus per ſe ordinatur ad plures intellectiones: ergo per ſe etiam ordinatur ad præſtantiſsimam, qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ: ſed intellectus creatus in ſua natura immediatè recipit plures intellectiones: ergo in ſua etiam natura immediatè recipiet viſionem diuinæ eſſentiæ. 17. *5. Probatio ex Scot.*

Poſtrema ratio ex eodem Scoto: intellectus per ſe immediatè, & proximè eſt receptiuus formæ ſupernaturalis, qua diſponitur ad viſionem: ergo erit etiam immediatè receptiuus ipſius viſionis. Probatur conſequentia: quia intellectus magis ordinatur ad viſionem, quàm ad vllam aliam formam. Hȩc ſunt argumẽta, quibus cõfirmatur antecedẽs primi, & principalis fundamenti; intellectum ſcilicet ſecun- 18. *Vltima probatio.*

ſecundùm ſe, & ex ſua natura eſſe ſufficienter diſpoſitum ad recipiendam viſionem; & obid nulla ſupernaturali diſpoſitione, & eleuatione indigere.

19. 4. Non datur ſupernaturale, quo intellectus ſit receptiuus viſionis 1. Ratio ex Scoto.

Secundo loco directè impugnant dari poſſe aliquod ſupernaturale, quo intellectus fiat receptiuus viſionis. Et Scotus primò ita arguit; quia illud ſupernaturale nec poteſt eſſe lumen, nec habitus. Non lumen; quia ipſa viſio ex ſe eſt quoddam lumen: igitur non indiget alio lumine, vt recipiatur: imò aliud lumen eſſet ſuperfluum; quia nec poneretur vt eſſentiam diuinam reddat actu intelligibilem: nec vt illa ſit motiua intellectus; quia vtrumque habet ex ſe. Non habitus: tũ, quia habitus, non eſt diſpoſio ad recipiendum actum; nam ex actibus generatur. Tum etiam, quia habitus ſolùm ponitur, vt actus, qui tranſit, aliquo modo permaneat; viſio autem beata ex ſua natura eſt permanens. Tum denique; quia in via habitus, non eſt ratio recipiendi actum: ergo à fortiori, nec erit in patria.

20. 2. Ratio.

Secundò; quia ſi intellectus indigeret ſupernaturali diſpoſitione, ille fieret formaliter beatus per ſolam receptionẽ illiꝰ ante viſionem: etenim recipiendo talem formam quietaretur: nam cum nullam poſſet intellectus recipere, niſi mediante illa, illa eſſet omnium perfectiſsima.

3. Ratio.

Tertiò; quia illud ſupernaturale poſſet per ſe beatificari, ſi poneretur ſeparatum ab intellectu: nam quod eſt ratio recipiendi aliquam formam, poteſt eandẽ in ſe recipere, ſi ponatur ſeparatum: ſuperficies enim, quæ eſt ratio recipiendi colorem, ſeparata poteſt illum recipere, & eſſe colorata.

21. 4. Ratio.

Quartò; ſequeretur intellectum non eſſe beatum, niſi per accidens: nec enim viſionem poteſt recipere, niſi per iſtam formam accidentalem. Nec vim rationis elides (inquit Scotus) ſi dicas intellectũ informatum illa ſupernaturali forma eſſe immediatum ſuſceptiuum viſionis, atque totũ beatificari: non elides, inquam; quoniam cum viſio ſit vnus actus per ſe, per ſe etiam vnam habet potentiam, & vnũ per ſe ſuſceptiuum: iam verò illud totum eſt quoddam totum peraccidens. Opus eſt igitur vt intellectus per ſe recipiat viſionem, mediante illa forma; & ita datur locus argumento.

Vltima ratio.

Quintò, ſequeretur, quod anima non videret Deum, nec eſſet beata, ſublato tali ſupernaturali, quod eſt falſum. Ita Maironius. Hæc ſunt argumenta, quæ contra poſitam reſolutionem adducuntur.

§. 4.

Soluuntur præcedentia argumenta.

22. Ad 1. õniũ quæ 1. loco adducũtur.

HÆC tamen argumenta parum habent efficaciæ. Ad ea, quæ primo loco adducũtur, facilis eſt ſolutio: quoniam negandum eſt antecedens principalis fundamenti: intellectus enim ex ſua natura habet potentiam paſsiuam naturaliter improportionatam, ad recipiendam viſionem, quia ſecundùm ſe habet modum eſſendi inferioris ordinis, vt latè oſtendimus.

23. Ad 1. probationem antecedentis.

Prima antecedẽtis probatio facilè ſoluitur apud eos, qui nullum appetitum naturalem admittũt, niſi ad formam actione agentis naturalis conſequendam, quæ eſt verior opinio; vnde in natura intellectuali creata nullum appetitum naturalẽ agnoſcunt ad viſionem, beatam aliamvè formam ſupernaturalẽ. Hac igitur ſuppoſita ſententia admiſſa maiore, neganda eſt minor. Habet tamen argumentum difficultatem, ſi naturalis ille appetitus admittatur: facilè tamen ſoluetur, ſi ſublata æquiuocatione explicetur maior: etenim Authores illius ſententiæ, ita admittunt appetitum naturalem ad viſionem, vt dicant illum, non niſi ſupernaturaliter, & actione ſolius ſupernaturalis agentis compleri poſſe. Maior igitur illa neganda eſt, ſi ita expliciter, vt creatura *naturaliter*. i. viribus naturę, agentiſq; naturalis ſit capax perfectionis, ad quam habet naturalem appetitum: quoniam appetitus naturalis ad viſionem ita admittitur, vt ſolùm ſit naturalis ratione formæ; ſupernaturalis autem ratione agentis, à quo eſt complendus: implicat enim dari talem appetitum naturalem, qualis explicatur, & creaturam viribus naturę capacem eſſe viſionis. Quare vt maior illa ſit vera, in hoc ſenſu eſt explicanda; vt quælibet creatura *naturaliter*. i. ex ſua entitate, natiuaque naturalitate ſit capax capacitate quadam incompleta, & veluti inchoata illius perfectionis, ad quam habet naturalem appetitum. In quo ſenſu argu-

argumentum in aduerſarios retorquetur: quia potentia paſsiua incompleta non poteſt perfectionem, quam naturaliter appetit actu recipere, niſi compleatur: cum verò complenda ſit actione agentis ſuper naturalis, vt illius opinionis Authores volunt, completio illius potentiæ nō poteſt, non eſſe quædam ſupernaturalis illius eleuatio.

24. Ad 2. probationem. Ad ſecundam probationem antecedētis verior opinio negat antecedens: quoniam viſio diuinæ eſſentiæ, nō ſolùm eſt ſupernaturalis in ordine ad agens, cuius actione eſt aſſequenda, ſed etiam in ordine ad ipſammet viſionem: quia ex ſua natura eſt altioris ordinis. Inſtantia autē ſūpta ex anima rationali futilis eſt: quia licèt illa à ſolo Deo producatur; non tamen ab eo producitur, vt ab agēte ſupernaturali, ſed vt ab Auhore naturæ. Sed nec argumentum vim habet, ſi antecedēs admittatur: quoniam cōſequentia negāda eſt, ſi conſequens intelligatur de capacitate completa: admittenda tamen ſi intelligatur de incompleta: in quo ſenſu argumentum noſtras partes fouet, vt immediatè diximus.

25. Ad 3. Ad 3. antecedentis probationem ex immediatè dictis patet ſolutio: maior enim vera eſt, ſi intelligatur de obiecto adæquato extenſiuè, & de capacitate incompleta: in quo ſenſu totus diſcurſus pro nobis facit. Eſt tamen falſa, ſi intelligatur de capacitate completa: nec enim intellectus ſua natura eſt talis ad omne obiectum contentum ſub obiecto extēſiuè adæquato. Cuius probatio ſine probatione ſumitur: quoniā non omnis potētia, ſiue actiua ſit, ſiue paſſiua eſt naturaliter completa ad omne obiectum contentum ſub obiecto extenſiuè adæquato.

26. Ad 4. In 4. antecedentis probatione ſumitur antecedens, non omninò certum: nec enim deſunt, qui velint virtutem viſiuā oculi noctuæ ex ſua natura eſſe impotētem ad videndum lucem Solis; etiam ſi tollantur omnia impedimenta, quæ ſunt ex parte organi: quæ opinio videtur colligi ex *D.Thoma 1.p.q.88.art.1. ad 3.* Sed quia Ariſtoteles ſententiæ oppoſitæ fauere videtur, dum ait, quòd ſi ſenex haberet oculū iuuenis, videret vt iuuenis; ſatiùs eſt admiſſo antecedente negare conſequentiam: ratio eſt; quoniam exceſſus qui inter viſibilia reperitur eſt eiuſdē ordinis, & ideo quicunq; viſus ſua natura eſt proportionatus cuicunque viſibili, etiam perfectiſsimo. Nō ſic res habet in obiectis intelligibilib⁹: quoniā inter ea per ſe, & nō per accidens datur ordo ſuperioris, & inferioris ſumptus ex modo eſſendi inferiori, vel altiori.

D.Thom.

Ad 5. probationē, quæ eſt Scoti, reſpondet *Capreolus in 4. d.49.q.4. art. 3. ad 2. Scoti contra ſecundam fol.207. col. 1.* & negat conſequentiam: quoniam ex eo quod ſuſceptiuum ordinatur ad formam perfectiſsimam, infert tale ſuceptiuum eandē formam immediatè recipere: quæ conſequentia non valet, ſi *immediatè* idē eſt, quod nulla mediante diſpoſitione: nam materia prima maximè ordenatur ad animam rationalem, quæ eſt omnium formarum perfectiſsima, & tamen non recipit eam ſine media diſpoſitione. Nec etiam valet conſequētia, ſi *immediatè* idē eſt, quod nulla mediante priori forma: quoniam intellectus poſsibilis maximè ordinatur ad recipiendum actum ſecundum, qui eſt nobilior primo; & tamen illum non recipit, niſi mediante actu primo; idem dices de materia prima, quæ ex ſe ordinatur ad qualitatem, quæ eſt forma præſtantior quantitate; & tamē qualitatem non recipit, niſi mediante quantitate. Igitur non: valebit, intellectus maximè ordinatur ad viſionem Dei; quæ eſt forma omnium præſtātiſsima: ergo eam recipit immediatè, id eſt, nulla alia forma aut diſpoſitione priori mediante. Si verò pro Scoto vrgeas valere hāc conſequentiam: ſuſceptiuum ordinatum ad plures formas, & ſubinde ad præſtantiſsimam, ſi aliquam illarum immediatè recipit, immediatè recipit præſtantiſsimam; neganda eſt conſequentia, vt patebit ex ſolutione 6. probationis. 27. Ad 5. probationem.

Poteſt ſecundo modo argumentum ſolui, admittendo primū diſcurſum, quoniā intellectus creatus ex ſua natiua potētia, qua ſuſceptiuus eſt intellectionum, eſt etiam ſuſceptiuus viſionis. Quòd verò attinet ad minorem ſecundi diſcurſus admittimus intellectum noſtrum immediatè. i. abſque vlla ſupernaturali eleuatione recipere plures intellectiones; quia ita recipit ſibi connaturales: negamus tamen inde inferri eum abſque vlla ſupernaturali 28. Alia ſolutio

naturali eleuatione recipere viſionem in ſua potentia paſsiuè naturali, & ratio eſt, quia licèt intellectus ſua natiua potentia receptiua per ſe ordinetur ad intellectionem omnium intelligibilium; non tamē eodem modo ad omnes ordinatur: quia ad eas, quæ ſuam naturam non excedūt ordinatur naturaliter, quatenùs viribus naturæ poteſt eas recipere; ad eas autem, quæ ſunt ſupra naturam, ordinatur obedientialiter tantum; & ideo indiget ſuper naturali eleuatione, vt ad eas fiat potentia proxima, ad quas antea erat in ſola potētia remota.

29. 3. Ratio.

Tertia ſolutio explicabit confuſionē maioris. Admittimꝰ igitur ſuſceptiuum, quod ex ſua natura, id eſt, naturaliter ordinatur ad plures formas alicuius generis, naturaliter etiam ordinari ad præſtantiſsimam formam generis eiuſdem. Minore autem in eodem ſenſu admiſſa, ſolū concluditur intellectum naturaliter ordinari ad præſtantiſsimam formam ordinis naturalis: iam verò viſio beata in illo genere non continetur.

30. Ad 6. Suarij ſolutio.

Ad 6. probationem, quæ etiam eſt ad mentem Scoti, reſpondet *Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 15. nu. 24. ad 2* negando conſequentiā: quoniam lumen eſt actus primus veniens ab extrinſeco; viſio autem eſt actus ſecundus emanans ab intrinſeco principio. (Non recipitur.) Sed nos in hac quęſtione ſupponimus intellectum ad viſionem concurrere ſolùm paſsiuè: facta autem hac ſuppoſitione adhuc conſequentia eſt neganda: quoniam forma, quæ ex ſua natura eſt diſpoſitio ad vlteriorem formam, poteſt immediatè recipi in ſuſceptiuo, quod ad talē formam eleuatur, ne detur proceſſus in infinitum: quæ ratio non reperitur in vltima forma vltimatè intenta, & talis eſt viſio beata. Quæ eſt doctrina *Caietani 1. p. q. 12. artic. 5. & Ferrar. 3. contra gent. cap. 53.* (Caietan. Ferrar.) Probatio autē conſequentiæ nobis fauet; quoniā id, ad quod ſuſceptiuū principaliter, & vltimatè ordinatur, cū habeat rationē finis, finalizat ſibi media, quibus obtineatur; media autem in ordine executionis priora ſunt, quàm finis. Quod verò Scotus ait ſuſceptiuū, quod ordinatur ad plures formas, &c. Non eſt admittendū in formis inter ſe ordinatis, vt ex dictis patet.

31. Argumenta ſecūdo loco obiecta facilè ſoluūtur. Ad 1. reſpondetur ſupernaturale illud ſecundū legem ordinariam eſſe lumen gloriæ, vt ſuo loco dicemus, & ſubinde eſſe quendam habitum. (Ad argumēta 2. loco. Ad 1.) Vtrùm verò ſi intellectus ſolùm ſe habeat paſsiuè ad viſionem, poſsit de potentia abſoluta eam recipere abſq; intrinſeca eleuatione per ſolā extrinſecam Dei aſsiſtentiam? ſuo loco explicabimus. Nunc dicimus viſionem non eſſe lumen; illo tñ indigere, vt poſsit recipi, & informare potentiam paſsiuam intellectus, de quo diligentiùs dicendum eſt dum de muneribus lumine gloriæ diſſeruerimꝰ: vbi oſtēdemus potentiā paſsiuā intellectus ideo lumine gloriæ diſponi, & eleuari, vt proximè ſit receptiua viſionis, quia per lumē fit in actu primo, vt diuina eſſentia poſsit illi obiectiuè vniri, & vt per viſionē in ſe receptā poſsit in illā intelligibiliter ferri; etenim diuina eſſentia nō poteſt obiectiuè vniri intellectui, niſi illuminato: ſicut viſibile vniri non poteſt viſui, niſi viſus luce ſenſibili ſit illuſtratus. Vtrùm verò lumen habeat alia munera, ſuppoſita prędicta opinione? in dicta quæſtione expēdemus. Nunc ſatis ſit explicaſſe ad quid requiratur lumen, ſi intellectus ſolùm paſsiuè concurrit ad viſionem. Quæ verò objiciuntur, vt probetur illud ſupernaturale non eſſe habitū, ſolùm concludunt de habitibus acquiſitis: nā habitus infuſi, nec generātur ex actibus, nec omnes ponuntur, vt actus permaneāt. Prætereà nō reperitur eadē ratio in habitibꝰ vię & patriæ: quoniam in via habitus infuſi ſunt principia actiua actuū: non tamen in patria, ſi vera eſt opino quam ſupponimꝰ.

32. Ad 2.

Secundū argumentum ineptam habet ſequelam: cuius probatio ineptiorē ſumit propoſitionē: nam cū illa ſupernaturalis diſpoſitio ex ſua natura diſponat ad viſionē, non poteſt eſſe perfectior illa, cum ſit veluti medium, viſio autem ſit finis.

Ad 3.

Ad 3. negatur ſequela: licet enim omnis diſpoſitio ad formā ſit ratio recipiēdi eam, non tñ omnis eſt receptiua illiùs, vt aduertit *Capreol. in 4. d. 46. q. 4. ar. 3. ad argumēta Scoti cōtra ſecundā fol. 207. col. 2. in princ. & Suar. lib. 2. de attrib. negat. c. 15. n. 25.* (Capreol. Suarius.) calor enim eſt diſpoſitio ad formā ignis; nō eſt tñ receptiuꝰ illius: lumē etiā eſt diſpoſitio, vt ſpecies viſibilis recipiatur in diaphano; & tñ nō eſt receptiuū ſpeciei.

33. Ad 3. Ad 4.admittitur ſequela, ſi conſequēs intelligatur vt intellectus non poſſit eſſe beatus, niſi mediante aliquo accidente, quo proximè diſponatur ad recipiendā viſionē: nec enim hoc eſt abſurdū: quia nec abſurdum eſt materiam peraccidens actuari forma ſubſtantiali in ſenſu dato: verè enim illa actuari non poteſt, niſi mediante aliqua diſpoſitione. Neganda tamē eſt ſequela; ſi ſenſus ſit intellectum non poſſe eſſe beatū, niſi ratione alterius, cui per ſe, & primò cōpetat eſſe beatum; eo modo quo ſubſtātia dicitur colorata per accidens, quia ideo eſt talis, quia ſuperficies eſt colorata. In hoc enim ſenſu ſequela non valet: quia ſupernaturale illud non eſt diſpoſitio per modum receptiui viſionis, vt ſæpe diximus.

34. Ad poſtremum. Ad poſtremū admittendū eſt, nec de lege ordinaria, nec de potentia abſoluta intellectū poſſe videre Deum, niſi ſupernaturali aliquo eleuetur, aut intrinſeco; aut extrinſeco: de quo plura dicēda ſunt in quæſtione de neceſſitate luminis gloriæ. ¶ Et hęc de iſta quæſtione, & de neceſſitate concurſus ſupernaturalis ad videndum Deum viſione intuitiua.

QVÆSTIO V.

De neceſſitate concurſus ſupernaturalis ad cognitionem quidditatiuam abſtractiuam diuinæ eſſentiæ.

IN Quatuor quæſtionibus immediatè præcedentibus abſoluimus diſputationem de neceſſitate ſupernaturalis concurſus ad viſionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ; ſupereſt diſputare de neceſſitate eiuſdem concurſus vt intellectus valeat Deum quidditatiuè cognoſcere cognitione abſtractiua, quam quæſtionem in hunc locum reſeruauimus ſuprà q.3.art. 5. §.3.

Duo erunt articuli. Primus, an poſſibilis ſit cognitio abſtractiua, & quidditatiua diuinæ eſſentiæ? Secundus; Vtrùm ad talem cognitionem aliquis concurſus ſupernaturalis abſolutè ſit neceſſarius?

ARTICVLVS I.

Vtrùm cognitio abſtractiua, & quidditatiua Dei ſit poſſibilis?

§. 1.

Refertur pars negans.

PArtem negantē quidam probauere; ſed nō omnes eodem ducuntur fūdamento. Nonnulli ideo huius cognitionis poſſibilitatem non admittunt; quia nolunt dari poſſe cognitionē quidditatiuam diuinæ eſſentiæ, quæ non ſit intuitiua: & ex hoc capite vt impoſſibilem reijciunt cognitionem quidditatiuā Dei, quæ ſit abſtractiua. Hæc fuit opinio *Durandi in 3.q.prologi nu.8.12.& 13.& paſſim in ea quæſtione, probat Suarius in Metaphy.d.30.ſect.11.nu.22. & 1.tom. ad 3.p. d.27.ſect.5.§. Primus modus dicendi, & lib. 2. de attribut.negat.cap.18. nu.4. & lib.1. de Trinit.c.11.n.16.conſentiunt Bellomont. 1.p.d.134.c.3.n.6.& 7.Cumel.1.p. q. 56. ar.3.in expoſitione lit.& q.1.§.ſed reſpōdet, ſatis eſt de mente Capreol.in 2.d.3.q.2.ar.3. ad 2.contra.6.fol.101.col.1.§.ex quo patet, & Thomæ de Argentin.in 3.q. prologi ar.1. ad fin.§.quod autem perfecta notitia fol. 11. col.4.vbi etiā noſter Franciſ.à Chriſto.q.2. cōcl.vnic.* Alij ex eo probāt hanc impoſſibilitatē, quia putant impoſſibilē eſſe ſpeciē, quæ Deū quidditatiuè, & abſtractiuè repręſentet. Ex hoc cap.reprobato priori hanc cognitionē eſſe impoſſibilē putat noſter *Alphonſus Toletan.in 1.q.prol.ar.2. concl.1.ex eodē illam reijcit Cumel.vbi ſup. Bañes 1.p.q.12.ar.2. dub.1. concl. 3. & q. 32.ar.1.dub.2.concl.4.Salas 1.2.q.3.tract. 2.d.3.ſect.1.n.6.pag.203.col.1.& 2.Suar. in d.ſect.11.n.23.& Franciſc.noſter loco citato §.tandem ex hac noſtra doctrina fol.7. colum.3. late Cabrera ad 3.p.q.11. artic.1. diſp.5. §.7.concl.3.*

1. Pars negās. Durand. Suarius. Bellomon. Cumel. Capreol. Argent. Franciſcus à Chriſto. Toletan. Cumel. Bañes. Salas. Suarius. Franciſcus à Chriſto. Cabrer.

Duplex igitur eſt huius fundamentū. 1.ſumitur ex impoſſibilitate ſpeciei: ita enim argumētātur: cognitio abſtractiua rei dari non poteſt ſine ſpecie illā abſtractiuè repræſentante: ergo illius rei cognitio abſtractiua erit impoſſibilis, cuius ſpecies abſtractiua impoſſibilis fuerit: ſed impoſſibilis eſt etiam per diuinam potentiā ſpecies, quæ Deū abſtractiuè, & quidditatiuè repræſentet: ergo impoſſibilis etiam erit 2. 1.Ratio.

erit cognitio quidditatiua, & abſtractiua diuinæ eſſentiæ. Antecedens primi diſcurſus ab omnibus admittitur; cõſequentia eſt nota; fundamenta minoris afferemus inferiùs: in propria huius difficultatis quæſtione.

3. 2. Ratio

Secundũ fundamentũ eſt, quia dari nõ poteſt cognitio quidditatiua Dei, quę nõ ſit intuitiua: ergo dari non poteſt cognitio quidditatiua eſſentiæ diuinæ; quæ ſit abſtractiua. Conſequentia eſt nota: probatio antecedentis ad hoc vnicũ mediũ reducitur: quoniam, tam exiſtentia, quàm immenſitas eſt de quidditate Dei: ergo cognitio, qua Deus quidditatiuè cognoſcitur, terminabitur ad Deum, & vt exiſtentẽ, & vt præſentẽ. Cognitio autẽ, quæ ad rem exiſtentem, & præſentẽ terminatur, eſt intuitiua. Hoc fuit vnicum fundamentũ Suarij in d. lib. 2. de attrib. negati. Latiùs illud corroborat in d. ſect. 11. nu. 22. nam cũ dicitur, Deũ per illam cognitionem repræſentari nõ vt præſentẽ, ſed vt abſentem; vel id intelligitur de abſentia ſecundũ locum, aut ſecundũ durationẽ, ſeu exiſtentiam, nec enim aliud membrũ fingi poteſt. Non poteſt intelligi de abſentia ſecundũ locum, quia talis cognitio, cũ ſit quidditatiua, & diſtincta, repræſentat Deũ vt immenſum, & ſubinde vt vbiq; præſentem. Et eadẽ ratione nõ poteſt intelligi de abſentia ſecundùm durationẽ realis exiſtentię, quia Deus ſecundũ ſuam eſſentiã eſt æternus, & eſſentialiter eſt ſuũ eſſe: ergo illũ repræſentabit vt exiſtentẽ: & per cõſequens notitia erit intuitiua. Nec poteſt dici notitiã illam præſcindere ab exiſtentia, & non exiſtentia, vt dicit Scotus: nam cum ſit quidditatiua non poteſt præſcindere ab exiſtentia Dei. Quo argumento notat Scotũ quaſi non ſatis rem iſtã perpenderit. Alij ita arguunt: aut illa cognitio immediatè attingit eſſentiam diuinam; aut mediatè. Si immediatè nõ eſt abſtractiua, ſed intuitiua; quia terminatur ad eſſentiã, vt eſt in ſe. Si mediatè, aut illã attingit per aliquod mediũ, vt cognitũ, aut vt nõ cognitũ. Primũ dici non poteſt; quia De⁹ per nullũ mediũ creatũ, vt cognitũ poteſt diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci. Si dicatur ſecundum, Deũ ſ. attingi per aliquam ſpeciẽ quidditatiuè repræſentantẽ Deum, non poteſt eſſe abſtractiua, ſed intuitiua: quia interuentus ſpeciei, quæ eſt ratio cognoſcendi, non impedit quominùs cognitio ſit intuitiua. *Ita Durãdus Argentina, & noſter Franciſcus à Chriſto.* *Durandus Argentin. Fr. Franc. à Chriſto.*

§. 2.

Pars affirmatiua eſt vera.

QVod tamen poſsibilis ſit notitia abſtractiua quidditatiua diuinæ eſſentiæ, cõmunior, & verior docet ſententia. Eam conſtanter admittunt Scotiſtæ; qui non ſolũ eam admittunt, vt poſsibilem: ſed etiam vt actu cõmunicatam Angelis in ſua creatione: non quidem vt perfectionem omninò ſupernaturalem, ſed vt naturalem: *ita Scotus in 2. d. 3. q. 4. D. §. hac deſtinctione præmiſſa, & lit. N. ad 4. & ſatis quodl. 14. lit. N. §. de ſecundo principali: expreſsè quodlib. 7. ar. 2. lit. F. & G. & H. ſequuntur illius ſtudioſi, Lychetus in d. q. 9. fol. 104. col. 4. Flauius ibidẽ q. 9. & 10. Ouandus propoſitione 8. Orbellis q. 3. Baſſolius q. 3. art. 2. §. contra iſtam propoſitionem dicto 3. fol. 37. colu. 1. & in 1. q. prologi art. 2. §. ſed quidquid fol. 4. col. 3. & §. ex præmiſsis fol. 5. col. 4. Nicola. de Niſſe. in reſolutione Theologica tractatu. 2. p. 2. portione 1. q. 2. fol. 136. Fuit communis opinio nominaliũ. Ocham. q. 1. prologi ar. 5. §. tertio dico QQ. ad fin. & ar. 6. ad 10. dubium lit. RR. in fi. Gabr. in 1. q. prologi ar. 2. propoſitione 6. & 7. lit. K. & ar. 3. concl. 4. & in 2. d. 3. q. 2. in 2. p. ſecundi art. concl. 3. lit. X. Maior ibid. q. 2. concl. 5. & in 3. q. prologi ad 4. dubitationem §. concluſ. hanc fol. 9. col. 2. Ex Thomiſtis Capreolus in 2. d. 23. q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti fol. 223. col. 4.* vbi verbis expreſsis hãc cognitionẽ admittit in beatis, & addit non implicare eã viatoribus cõmunicari, quare nõ ſatis fideliter citatur in illo loco pro cõtraria ſententia. Ex modernioribus eam ſcripſit *Molina 1. p. q. 1. art. 2. diſp. vltim. §. ex his duabus ſententijs, & q. 56. art. 3. concl. 1.* eandem nos vt veriſsimã probauimus ſuprà *lib. 4. q. 6. ar. 2. n. 6. cũ ſequentib. & eandẽ iterũ probamus.* 4. Vera eſt pars affirmans. Scotus. Lychetus. Flauius. Ouandus. Orbelis. Baſſol. Niſſe. Ocham. Gabriel. Maior. Capreol. Molin.

5. Nam licèt talis cognitio ſolis viribus naturæ nullo concurrente dono Dei ideo ſupernaturali, quia eſt, aut ſupra naturã, aut extra ordinẽ naturæ, haberi nequeat, vt latè demõſtrauim⁹ ſuprà q. 3. abſolutè tñ, & per diuinã potentiã cõcurrẽte aliquo dono, aut ſupra, aut extra ordinẽ naturę nõ video, cur talis cognitio nõ ſit

ſit poſsibilis,nõ modo in beatis,de quo inferiꝰ dicemꝰ;ſed & viatoribus,ſiue Angelis,ſiue hominibus. Nec modo curamus, an talis cognitio fuerit Angelis cõceſſa? (de quo eſt controuerſia) ſed ſolũ aſſerimus eam non eſſe Deo impoſsibilẽ. Fũdamentum vnicũ ſit; quia nihil Deo negandum videtur, quod nullam cõtradictionem inuoluit: nullam autem dari,nõ meliùs poteſt oſtendi,quàm ſoluendo argumenta in contrarium.

§. 3.

Soluuntur contraria argumenta.

6. Ad 1. AD primũ fundamentum conceſſo priori diſcurſu, neganda eſt minor poſterioris: etenim ſpeciem, quæ Deum quidditatiuè,& abſtractiuè repræſentet,eſſepoſſibilẽ,verior habet ſentẽtia, vt oſtendemus inferiùs,in li.8.q.5.art.2.

7. Ad 2. *Toletan.* *Salas.* Ad 2.omnes Authores noſtræ opinionis negant antecedens, & ex aduerſarijs *Toletan. noſter,loco citato,& Salas in d. ſec. 1. in fine,& clariùs ſec.7.nu.*32.qui omnes negant hanc conſequentiã: *eſt notitia clara,& quidditiua Dei:ergo eſt intuitiua.* Quã etiã nos negauimus ſupra lib. 4. loco cit.

1. Solutio. Ad fundamentũ vnicum,quo nititur illa opinio dupliciter reſpõderi poteſt. Vno modo negando antecedens, ſi ſenſus ſit, quod exiſtentia, & immenſitas ſint de quidditate diuinæ eſſentiæ, vt prædicata conſtitutiua quidditatis. Et de exiſtentia

Salas. id negat *Salas* 1. 2. *q.3.tract.2.d.3.ſec.7. nu.32.pag.*223. cuius ſententiam eſſe veriſsimam diximus ſuprà lib.5.q.8. art.2. nu.12.alio tamen ducti fundamẽto; quoniam exiſtentia formaliter ſumpta nõ eſt in Deo aliquis gradus eſſendi,ſed quidam eſſendi modus: modus autẽ eſſendi, quãtuncunq; ſit intrinſecus rei, non eſt prædicatum conſtitutiuũ eſſentiæ,& per cõſequens,nec prædicatũ eſſentiale in præcitato ſenſu: vnde ruit totum argumenti ædificiũ. Eadem ratione immenſitas nõ poteſt eſſe prædicatũ quidditatium Dei, ob eas rationes,quas de eſſe increato,&infinito adduximus in dict.q.8.n.11.& 12 nam eſſe immenſum ſi negatiuè ſumatur vt formaliter dicat eſſe nullo contentum loco,non poteſt eſſe prędicatũ eſſentiale;

Suarius. quia nulla negatio poteſt eſſe de eſſentia poſitiui; quod agnouit *Suarius in Metap. d.30.ſect.6.n.20.* At ſi ſumatur poſitiuè pro perfectione,& eminentia in eſſendo, quam per illam negationẽ ſignificamus, non dicit aliquam perfectionẽpoſitiuam, ſed modum eſſendi eminentiſsimũ habẽdi diuinam entitatem; ſicut loco citato diximus de infinito, & increato. Iam verò modus eſſendi, quantunvis ſit intrinſecus, nõ eſt prædicatum conſtitutiuum eſſentiæ in aliquo gradu entitatis; quod requiritur,vt ſit de eſſentia. Vide quæ diximus in dicto n.11.& 12.vbi diſſoluimꝰ omnes in oppoſitũ obiectiones. Quæ Theologia veriſſima etiã eſt de ipſa Dei præſentia: hæc enim formaliter ſumpta eſt quædam relatio, quæ in Deo neceſſariò eſt rationis: vnde formaliter non poteſt eſſe de eſſentia. Sed nec ſi ſumatur pro præſentia fundamentali: hæc enim fundatur in reali indiſtantia extremorũ; indiſtantia autem localis dicit negationẽ vt patet. ¶ Sed quoniam vtraq; Schola Thomiſtarum, & Scotiſtarum probauit oppoſitam ſententiã,ſaltem de exiſtẽtia, vt diximus ſupra lib.5.q.7.ar.2.n.67.

Sit ſecunda ſolutio, quam latè explicauimus lib.4.q.9.art.2.num.6.7. & 9. 8. 2.Solutio. Admittimꝰ igitur totũ priorem diſcurſũ, & negamus minorẽ poſterioris:nec enim ad notitiã intuitiuã ſatis eſt, quod immediate (id eſt nullo medio cognito) feratur in rẽ exiſtentẽ,& pręſentẽ;ſed neceſſe eſt,vt etiam feratur in illam, vt illa per ſuã exiſtentiam,& præſentiã formaliter exercet obiectiuã motionẽ potentiæ intellectiuæ,& terminationẽ notitiæ, vt diximus *in d.q.9.art.2.nu.1.& n.6.cum ſequentib.* Quare licèt illa notitia nõ abſtrahat ab exiſtentia, & præſentia Dei in ſe (vt benè probat ratio adducta) abſtrahit tamen à ratione formali exercendi motionẽ potentiæ,& terminationẽ notitiæ; quatenùs ipſa exiſtentia,& præſentia nõ mouẽt intellectũ, niſi ſecundũ eſſe intentionale quod habẽt,vt in ſpecie abſtractiuè repræſentantur. Vide, quæ diximus in dicta *q.9.loco citato,& vide quæ dicemꝰ inferiùs lib.* 8. *q.5. art.*1.§.3. *ad* 1.

Ex his patet ſolutio ad idem argumẽtum,vt proponitur à *Suario in dicto n.*22. 9. Ad arg.alio modo propoſitum. *Suarius.* Pro cuius explicatione aduerto neminẽ vnquã dixiſſe per illã cognitionẽ repræſentari Deũ, vt abſentem: nam quanuis qui meliùs hac in re loquuntur, doceant fieri

fieri poſſe, vt Deus ſecundū ſuam eſſentiā ſit realiter præſens intellectui ſecundum præſentiam realem in genere rei; abſens autem in genere intelligibili, & ſecundū præſentiam obiectiuam, vt patet ex *D. Thoma in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 4. & de veritate q. 8. art. 3. ad 19. & q. 10. art. 11. ad 11. & ex Scoto in 4. d. 49. q. 11. lit. F. §. præterea viſio, & diximus ſupra q. 5. art. vnico §. 3. ad 1.* nemo tamen vnquam docuit in abſtractiua Dei notitia quidditatiua, & diſtincta, aut in ſpecie abſtractiuè illum repræſentante, Deū repræſentari, vt localiter abſentem, & non exiſtentē: quanuis enim fortè fieri queat, vt Deus per abſtractionem præciſiuam repræſentetur, non repręſentatis in illo locali præſentia, & actuali exiſtētia, quia, vt diximus hæc non ſunt prędicata quidditatiua: tamen fieri non poteſt, vt Deus per abſtractionem negatiuam verè repræſentetur cum negatione, aut actualis exiſtentiæ, aut localis præſentiæ: ita vt repræſentetur, vt actu non exiſtens, & vt actu non pręſens præſentia reali ſuę eſſentię. Quare in notitia abſtractiua quidditatiua Dei, ſimiliter, & in ſpecie abſtractiuè repræſentāte illius quidditatem repræſentatur Deus cum ſua reali exiſtentia, & præſentia; nō tamen prout per illa, vt ſunt à parte rei, formaliter mouet intellectū, & terminat notitiam, ſed ſecundùm eſſe intētionale, quod habet, vt in ſpecie repræſentatur; in quo ſenſu exiſtentia cuiuſq; rei, ſimiliter, & illius pręſentia poſſunt abſtractiuè repræſentari, vt Doctores citati docēt. Dicimus igitur Deum non poſſe repræſentari vt abſentē, aut loco, aut duratione, ſed neceſſariò repræſentari, vt vtroque modo præſentem: & in hoc diſtingui à rebus creatis, quæ licèt exiſtant, & realiter ſint præſentes; cōcipi tamen poſſunt cum præciſione ab exiſtentia, & præſentia; attamen non inde inferas, talē Dei notitiam eſſe intuitiuam, vt ex dictis patet.

D.Thom.

Scotus.

10. Ad vltim. Ad vltimū argumentū, quod eſt Durādi, & aliorū, dicimus notitiā illam terminari ad diuinā eſſentiā immediatè .i. nullo medio obiecto cognito, mediante tñ ſpecie, quæ nō eſt obiectū cognitū, ſed ratio formalis cognoſcendi, cuius mediatio nō impedit, quomin⁹ notitia īmediatè termi netur ad diuinam eſſentiā repræſentatam in ſpecie: negamus tñ illam notitiā non poſſe non eſſe intuitiuā; probatio autem debilis eſt, & indigna viro Theologo: nā licèt interuentus ſpeciei abſolutè nō impediat cognitionē eſſe intuitiuā; quia notitia intuitiua ſenſus externi fit mediante ſpecie: tamen interuentus ſpeciei non cogit, vt notitia ſit intuitiua, & ideo non valet hęc conſequentia: *Notitia fit mediante ſpecie: ergo eſt intuitiua*, ad quod Theologi illi non aduerterunt.

ARTICLVS II.

Vtrùm ad cognitionem quidditatiuam, & abſtractiuam diuinæ eſſentiæ aliquis concurſus ſupernaturalis ſit abſolutè neceſſarius?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

PRO explicatione quæſtionis præmittendū eſt ſupernaturale, ſi generaliter loquamur, illud dici, quod viribus totius naturæ fieri non poteſt; ſupernaturale enim ex ſua nominis etymologia denotat id, quod eſt ſupra naturā .i. ſupra omnē naturę vim, & actiuitatē. Verū non omne id dicetur eſſe ſupra vim, & actiuitatem naturæ, quod à nullo agente creato fieri poteſt, ſed à ſolo Deo (aliàs creatio animę rationalis, & productio ſpecierū intelligibilium Angelorū naturę vires excederent) ſed illud ſolū, quod nec ab agēte creato fieri poteſt, nec à Deo ſit, vt naturæ inſtitutore. Quale eſt ſolùm illud; quod à Deo fit, vt naturæ omninò indebitū, illiq; libere omninò, & merè gratis collatum. In qua ſignificatione ſupernaturale adæquatè condiſtinguitur contra id, quod ſimpliciter eſt naturale. 1. 1. Præmiſſ.

Supernatūrale quid.

Supernaturale ſumptū in hac generalitate diuiditur in ſupernaturale quoad ſuſtantiā, & in ſupernaturale ſolū, quo ad modū productionis. Illud dicitur ſupernaturale, quo ad ſubſtantiā, cuius entitas eſt ordinis ſupernaturalis, vt gratia, & gloria, & ea quæ per ſe ad iſta diſponūt. Supernaturale autē quoad modū tantum, & quoad produci, vt aliqui loquuntur, eſt illud, cuius ſubſtātia eſt ordinis naturalis; pduci tñ nō poteſt, niſi modo ſupernaturali naturaliter indebito naturę: cui⁹ generis eſt viſus reſtitut⁹ cæco, & vita mortuo reddita, & alia idgen⁹. Hęc ſupernaturalis diuiſio ab omnibus recipitur, & ſatis ad 2. Diuiſio ſupernaturalis

mentē Scoti, & ſuorū, quatenùs volunt ſupernaturale duobus modis accipi. Vno modo; pro illo, quod viribus naturæ haberi non poteſt, ſed à ſolo Deo ideo ſupernaturaliter operante, quia liberaliter, & gratis operatur. Altero modo prout ſupernaturale id dicitur, quod pertinet

Scotus. ad ordinem gratiæ, & gloriæ. Ita habes ex *Scoto in 2.d.3.q.9.litera D,§.hac diſtinctione præmiſſa.& ex omnibus Scotiſtis ſtatim citandis.* Quæ diuiſio cū priori ferè coincidit: nā ſupernaturale pertinēs ad ordinē gratiæ, & gloriæ eſt ſupernaturale ſecundū ſubſtantiam, & ſimpliciter tale. Quod verò eſt ſupernaturale priori modo cōtinet in ſe illud ſupernaturale, quod ſolùm eſt tale quoad modum productionis; & in hoc ſenſu diuiſio Scotiſtarum videtur recipienda: quanuis fortè non omne ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam ſit ordinis gratiæ, & gloriæ, ſi de gratia ſanctificāte ſit ſermo. Vtrū verò quod eſt ſupernaturale, quoad modū dici poſſit ſimpliciter naturale? alterius eſt quęſtionis? quanuis illa videatur eſſe de ſolo nomine.

3. Quæſt. in duplici ſenſu intelligi poteſt.

Ex dictis iam patet quæſtionem propoſitam ſub duplici ſenſu poſſe intelligi. In primo ſenſu, vt inquiratur, an ad cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis neceſſarius ſit aliquis concurſus ſuper naturalis, ſaltem prioris generis, qui ſcilicet viribus naturæ haberi non poſſit, ſed à ſolo Deo non naturaliter agente, ſed merè gratis, & liberaliter? In ſecundo ſenſu inquiretur, an ad illam cognitionē neceſſarius ſit concurſus ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis?

Quæſt. in priori ſenſu.

Sub priori ſenſu nullā inuenio cōtrouerſiā: omnes enim admittūt ad illā cognitionē nō poſſe nō cōcurrere aliquid, quod viribus naturę haberi nequeat, ſed ſolū detur à Deo merè gratis, tanquā naturæ omninò indebitū. In quo ſenſu conueniunt omnes Scotiſtæ in locis ſtatim citandis, nec in eo reijciūtur ab illis, qui maiorem aliū concurſum requirunt. Hoc euidenter demonſtratur: quoniam *q.3.art.5. & 6.* manifeſtè monſtrauimus intellectum, creatum non poſſe Deum quidditatiuè cognoſcere cognitione abſtractiua, aut viribus ſuæ naturæ, aut actione alicuius agentis naturalis. Quare cū in præcedente articulo oſtenſum ſit cognitionē illam, tāquā poſsibilē cōmunicari poſſe intellectui creato, neceſſariò infertur ad illā neceſſarium eſſe aliquod adiutorium, quod ideo ſupernaturale dicatur, quia eſt ſupra vires naturæ.

Quod adhuc ſpecialiùs confirmatur; 4. Cōfirmatio

quoniam cognitio abſtractiua iuxta verā Philoſophiam haberi non poteſt, ſine aliqua ſpecie. Igitur neceſſaria erit ſpecies aliqua, quę intellectui creato abſtractiuè, & quidditatiuè repræſentet Deum. Hāc autem ſpeciem haberi non poſſe viribus naturæ latè oſtendimus *q.3.art.5.* poſſe tamen eā à Deo infundi inferiùs latiſsimè oſtendemus. lib.8.q.5. art.2. Ergo ad talem cognitionē neceſſaria erit ſpecies iſta quæ à Deo intellectui concedenda erit merè gratis, & liberaliter, tanquam indebita naturæ intellectus creati. Nulla eſt igitur de priori iſto ſenſu controuerſia.

§. 2.

An ex parte intellectus neceſſarius ſit concurſus ſecundùm ſubſtantiā ſupernaturalis?

Tota igitur difficultas eſt, an ad hāc cognitionem vltra concurſum ſpeciei ſit neceſſarius ex parte intellectus concurſus aliquis ſecundùm ſubſtātiam ſupernaturalis; an poſita illa ſpecie gratis donata poſsit intellect⁹ viribus ſuę naturæ habere illā cognitionē Dei quaſi ſibi aliquo modo connaturalem? 5. Senſus quęſtionis.

Partē affirmantē omnes tribuunt Scoto, & Scotiſtis: nec ſane abſq; fundamento; etenim *Scotus in 2.d.3.q.9.lit.D.§.hac diſtinctione primiſſa*: ita ſcribit: *non videtur negandum, quia poſsit naturaliter habere cognitionē eius abſtractiuam. Et paulò inferiùs* affirmat *talem cognitionē pertinere ad cognitionem naturalē*: quo loquendi modo ſępius vtitur lit.F. §. *poteſt tamen probari ex dictis*. Et quanuis dicat hanc cognitionē aliquo modo eſſe naturalem: & ſupernaturalem: tū cum doceat ſpeciē illam in eo ſolū ſenſu dici ſupernaturalē, quia intellectus nō poteſt ad eā peruenire per actionem agentis naturalis: in eo verò ſenſu dici naturalē, prout naturale diſtinguitur contra ſupernaturale pertinens ad gratiā, & gloriam; ſatis ſignificat cognitionem illam in ſua ſubſtantia eſſe naturalem, & ſubinde ad illam eliciendam ſufficere naturalem actiuitatem intellectus. 6. Pars affirmans Scoti.

Et

Et quanuis Scotus id clarè non aſſerat; tamen hanc eſſe illius mentem euidenter mihi probant verba ſuperiùs poſita: *non videtur negandum, quin poſſit naturaliter habere cognitionem eius abſtractiuam*: etenim cognitio tūc naturaliter habetur, cū intellectus viribus ſuæ actiuitatis naturalis poteſt eam elicere. Ex quo fundamēto mentem Scoti eſſe, quam explicauimus, ſatis colligitur ex eo, quod Scotus eam appellat ſimpliciter naturalem. Cū Scoto ſimpliciter tranſeunt omnes Scotiſtæ, *Lychetus in dicta q. 9. fol. 104. col. 4. Orbel. ibidem q. 3. §. quantum ad 2.* dum ſimpliciter aſſerit eam naturaliter haberi: eā eſſe naturalem affirmant *Nicolaus de Niſſe in ſua reſolutione Theologica tract. 2. p. 2. portione. 1. q. 2. fol. 136. pag. 2. in fine, Flauius in 2. d. 3. q. 9. & 10. vbi Ouandus propoſitione 8. & 9. Rada in 2. p. controuer. 8. concl. 7. pag. 240. col. 1.* Denique in eo tātùm ſenſu volunt eam eſſe ſupernaturalem, quia non poteſt haberi per ſpeciem actione naturalis agentis acquiſitam, ſed à ſolo Deo infuſam, vt patet ex Scoto vbi ſuprà, & ex *Rada 1. p. controu. 10. art. 1. ad 4. pag. 140.* Quod non impedit, quominus intellectus naturali ſua virtute in cognitionem influat. Quod ſignificauit *Baſſolius in 2. d. 3. q. 3. ar. 2. §. Contra iſtam poſitionem dicto 3. fol. 37. col. 1*: ſicut viſus ſupernaturaliter cæco reſtitutus naturaliter videt, & anima ſupernaturaliter reſtituta corpori mortuo naturaliter illud animat, & in eo ſuas operationes naturaliter exercet. Ex quibus euidenter patet apud Scotum, & ſuos præter ſpeciem, de qua agimus, nullum aliud ſupernaturale adiutorium intellectui eſſe neceſſarium; ſed intellectum illa informatum poſſe naturali ſua virtute elicere cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis.

Lychetus. Orbel. Niſſe. Flauius. Ouand. Rada. Baſſolius.

7. 1. ratio. Huius opinionis primum fundamentum ex eo ſumitur, quòd illa cognitio ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt naturalis: quanuis autem ratione ſpeciei aliquam habeat ſupernaturalitatem; illa ſolùm eſt ſecundùm modum, non verò ſecundùm ſubſtantiam. At intellectus creatus ex ſua naturali virtute poteſt in omnem notitiam, quæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt naturalis: potentia enim viſiua, quæ eſt in cæco, ſi organum connaturale ſibi reſtituatur, naturaliter videbit; & claudus inſtrumento ambulandi ſibi ſupernaturaliter reſtituto, naturaliter ambulabit; & ſic de cæteris, quæ ſunt ſupernaturalia ſolùm quo ad modum.

Secundum fundamentum ſumitur; quoniam potentia naturaliter fertur in obiectum ſibi debitè præſentatum. Eſſētia autem diuina debitè præſentatur intellectui in eſſe abſtractiuo per ſpeciē, quā admittimus. Quid igitur impedit ne ſua naturali virtute abſtractiuè feratur in eā? maximè cum diuina eſſentia contineatur ſub obiecto intellectus creati. Hæc ſunt huius opinionis fundamenta præcipua. 8. 2. ratio.

§. 3.

Affirmantem ſententiam eſſe veram.

HIS tamen non obſtantibus puto oppoſitam opinionem eſſe veriſſimam, & quanuis plures inuenerim, qui præcitatam Scoti opinionem, & in ſpecie, quam admittit, & in vſu naturali illius non probent: neminem tamen inueni, qui vſum illius ſpeciei, vt naturalem argumentis confutarit: omnes enim recurrūt ad ſpeciem intuitiuè Deum repræſentantem, & ad vſum illius: cum tamen Scotus nec illam ſpeciem admittat, nec affirmet vſum illius eſſe naturalem. Nihilominus omnes contra Scotum ſupponunt, nec ſpeciem abſtractiuam naturalem eſſe, nec vſum illius, ſed ſupernaturalem potiùs. Inter quos id in terminis docet *Suarius in Metaphy. d. 30. ſect. 11. n. 25.* affirmans cognitionem illam abſtractiuam eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, Quo ſuppoſito non poſſunt non aſſerere: intellectum ad illam indigere concurſu ſimpliciter ſupernaturali. Quare ego puto haud dubiè aſſerendum eſſe intellectum illa ſpecie informatum non poſſe in illam cognitionem influere, niſi adiuuetur auxilio ſupernaturali ſecundùm ſubſtantiam. 9. Affirmans eſt vera. *Suarius.*

Hæc aſſertio euidenter demonſtratur ex iis, quæ de abſtractiua cognitione diximus ſuprà q. 3. ar. 2. §. 4: etenim modus cognoſcendi cuicunque cognoſcenti naturalis, etiamſi abſtractiuus ſit, conſequitur modum eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis. Cum verò quodcunque cognoſcens creatum habeat eſſe receptum, & verè cōpoſitum; vtique intellectus crea- 10. Demonſtratur.

tus nihil poterit naturaliter cognoſcere, niſi illud concipiat ad modum habentis eſſe compoſitum, & receptum: ſicut intellectus coniunctus, ideò quia habet eſſe in corpore, nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi ad modum corporis, vt latè oſtendimus *loco citato, & q. 2. artic. 5. & 6.* idque non ſolùm ratione philoſophica, ſed etiam doctrina magni Dionyſij, S. Maximi, D. Athanaſij, Proculi, & Authoris libri de cauſis. Sed quidditas Dei cum in eſſendo ſit altioris ordinis, & ſit omnino pura, & actualiſsima, carens omni, vel imaginata compoſitione, & potentialitate, ſicut non poteſt concipi per modum habentis eſſe corporeum, ita nec per modum habentis eſſe receptum, potentiale, & compoſitum, vt in illis locis oſtẽdimus: ergo nullus intellectus creatus naturali ſua virtute poteſt cognoſcere Deũ quidditatiuè cognitione etiam abſtractiua. Quæ concluſio non ſolùm vera eſt de virtute naturali nudè ſumpta, id eſt relicta ſuis præciſè viribus, quibus non poteſt facere Deum præſentem ſibi in aliqua ſpecie, vt in dicta q. 3. demonſtrauimus; ſed nec ſi dono liberali Dei habeat talem ſpeciem: nam cum ex ſententia Scoti hæc ſpecies ſupernaturaliter donata intellectum non eleuet ad ordinem altiorem, ſed illum adhuc relinquat in ſua naturali virtute; vtique per illam non liberabitur à modo intelligendi ſibi naturali: & per conſequens intellectus per illam non poterit intelligibiliter ferri in diuinam eſſentiam, vt per illam ſpeciem in ſua pura quidditate repræſẽtatur; quia vt ſic repræſentatur, vt naturaliter improportionata. Opus eſt igitur, vt per aliquid aliud virtus illa eleuetur, quo facta eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia, fiat proportionata, & proximè potens elicere talem cognitionem. Vtrum verò ſupernaturale iſtud debeat eſſe aliquod lumen diſtinctum à lumine gloriæ? Explicabimus in propria illius luminis diſputatione.

Dionyſius. S. Maximus. Athanaſ. Proculus. Author libri de cauſis.

11. *Illatio ex dictis.* Ex his infertur cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis non poſſe non eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam: nam actus, & obiectum habent inter ſe proportionem, & pertinent ad eũdem ordinem; cum verò quidditas diuina in ſe ipſa, & ſecundùm naturalem eſſendi modum ſit ordinis ſupernaturalis; vtique ipſius cognitio erit etiam ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, ſiue illa intuitiua ſit, ſiue abſtractiua. De quo iterum redibit ſermo inferiùs libr. 11. q. 5. art. 7. Porrò ſi hæc cognitio ſecundùm ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, vtique & ſpecies diuinam eſſentiam abſtractiuè repræſentans, & lumen ſub quo tendit cognitio in diuinam eſſentiam ſecundùm ſuã ſubſtantiam erunt ordinis ſupernaturalis: quoniam, ſpecies, lumen, & cognitio habent inter ſe eandem proportionem, & ad eundem ordinem ſpectant, vt inferiùs contra Scotum ſuo loco oſtendemus in quæſt. de ſpecie abſtractiua diuinæ eſſentiæ libro 8. p. 2. q. 5. art. 3.

§. 4.
Soluuntur argumenta oppoſita.

Qvæ pro Scoto iecimus fundamenta, facilè ſoluuntur. Et primum ſumere falſam propoſitionem, patet ex immediatè dictis: cognitio enim quidditatiua Dei etiam quæ eſt abſtractiua, ſecundùm ſubſtantiam eſt ordinis ſupernaturalis, vt diximus. 12. *Ad primũ.*

Ad ſecundũ neganda eſt minor: quoniam obiectum per ſpeciem repræſentatum, nunquam debitè repræſentatur potentiæ, niſi cum repræſentatur, vt illi proportionatum: tunc autem erit tale, cum fuerit eiuſdem modi eſſendi cum ipſa potẽtia. At verò diuina eſſentia in ſua quidditate, cum habeat altiorem eſſendi modum, erit altioris ordinis. Quare ſpecies, quæ admittitur, licèt ex ſe repræſentet eſſentiam in ſua quidditate; nunquam tamen poteſt illam debitè præſentare intellectui creato, quandiù ille non eleuatur; ſed in ſuo naturali ordine relinquitur: etenim in tali ordine ex ſe habet, quod nihil poſsit cognoſcere, niſi per modum habentis eſſe cum compoſitione: diuina verò eſſentia non poteſt in ſe ipſa hoc modo concipi. Et licèt illa contineatur ſub obiecto intellectus creati adæquato extenſiuè; quia ad illam ſupernaturaliter poteſt eleuari; non tamen continetur ſub obiecto illius adęquato tantùm intenſiuè. 13. *Ad 2.*

***

QVÆSTIO VI.

Quot, & qui concurſus ſupernaturales ſint neceſſarij ad videndum Deum?

1. Duplex cõcurſus neceſſarius. Neceſsitate ſupernaturalis concurſus ad viſionem diuinę eſſentiæ tam intuitiuam, quàm abſtractiuam generaliter demonſtrata, inquirendum eſt in hac vltima quæſtione, quot, & qui ſint hi concurſus?

Cuius quæſtionis facilis eſt explicatio: explicanda tamen eſt, vt nihil maneat intactum, cuius cognitio pertineat ad perfectionem huius diſputationis.

2. Theologi duplicis tantùm concurſus mentionem faciunt; ſpeciei. ſ. intelligibilis, & luminis gloriæ: nam ſpeciem intelligibilem eſſe neceſſariam, vel aliquid loco ſpeciei, communior, & verior habet ſententia, vt dicemus in libro octauo; & idem communiter docetur de lumine gloriæ, vt lib. 9. videbimus: agimus enim hoc loco de ijs, quæ ex parte intellectus ad viſionem ſunt neceſſaria.

3. Dubium. Solùm dubitari poterat, vtrùm ad viſionem diuinæ eſſentiæ præter ſpeciem, & lumen ſit neceſſarius aliquis habitus concurrens ad aſſenſum eorum, quæ in Deo videntur? Ratio dubitandi hæc eſſe poteſt: quoniam non ſolùm in nobis, & in Angelis, ſed etiam in Chriſto Domino præter ſpecies, & lumen, neceſſarius eſt habitus quidam intellectualis iudicatiuus, diſtinctus à lumine, & ſpecie, vt intellectus aſſenſum, & iudicium ferat: & hanc ſententiam ſaltem in cognitione ſupernaturalium, tanquam veriorem probabimus lib. 9. quæſt. 1. Cur igitur non erit neceſſarius talis habitus ad viſionem beatificam? ¶ Sed ex ijs, quæ ibi dicemus, facilè patebit huius obiectionis ſolutio: etenim diſpar ratio cernitur in lumine gloriæ, & in cæteris luminibus: nam propter ſuæ entitatis excellentiam poteſt eſſe formaliter illuminatiuum; iudicatiuum autem virtualiter. Vide in dicta quæſt. 1. Solutio.

4. Concluſio quęſtionis. Quare cum communi, & indubitata ſententia duplicem ſolum ſupernaturalem concurſum, tanquam neceſſarium ad viſionem admittimus: vnum ſpeciei intelligibilis formalis, vel eminentis; alterum luminis gloriæ. De ſpecie intelligibili dicemus in lib. 8. de lumine autem in libro 9. Et hæc ſatis ſint pro hoc ſeptimo libro.

(***)

FINIS LIBRI SEPTIMI.

IN-

INDEX QVAESTIONVM

PRIMÆ PARTIS

huius Libri octaui.

¶ *Præfatio ad totum librum octauum.*
Quæſtio I. An ſpecies intelligibiles ſint admittendæ tàm in nobis, quàm in Angelis?
Articulus I. An ſpecies intelligibiles ſint admittendæ in nobis?
§.1. *Affirmatiua communis eſt, & vera.*
§.2. *Rationibus confirmatur.*
§.3. *Phantaſmata non poſſe ſine ſpeciebus vniri noſtro intellectui.*
§.4. *Abſurda, quæ ex aduerſaria ſententia inferuntur.*
§.5. *Soluuntur argumenta.*
§.6. *Explicatur difficultas, an admitti debeat duplex eſſendi genus?*
Artic.2. Vtrùm in Angelis admittendæ ſint ſpecies?
Artic.3. An admittendæ ſint tam in cognitione abſtractiua, quàm intuitiua?
Artic.4. Vtrùm ſpecies ſint admittendæ, vt diſtinctæ ab actu intelligendi?
§.1. *Opinio quod non diſtinguantur.*
§.2. *Opinio Godofredi.*
§.3. *Opinio Aureoli.*
§.4. *Species ab intellectione realiter diſtingui.*
§.5. *Impugnatur Godofredus.*
§.6. *Impugnatur Aureolus.*
§.7. *Soluuntur argumenta Godofredi.*
§.8. *Pro ſolutione ſexti eiuſdem explicatur, vtrùm receptio ſpeciei ſenſibilis ſit ipſa ſenſatio?*
§.9. *Soluuntur reliqua argumenta Godofredi.*
§.10. *Soluuntur argumenta Aureoli.*
Artic.5. Vtrum ſpecies intelligibiles maneant intellectu ceſſante ab intellectione?
Quæſtio II. De natura ſpeciei intelligibilis.
Articulus vnicus. Vtrùm ſpecies ex ſua natura ſit imago repræſentans obiectum?
Quæſtio III. Quomodò ſpecies intelligibilis ſe habeat ad intellectum?
Artic.1. Vtrùm ſpecies ſe habeat ſolùm ex parte obiecti.
§.1. *Refertur affirmatiua.*
§.2. *Tenet ſe ex parte intellectus per ſe, & non per accidens.*
§.3. *Hanc eſſe opinionem Diui Thomæ.*
Artic.2. Vtrùm ſpecies ſolùm ſe teneat ex parte intellectus?
Artic.3. Vtrùm ſpecies per ſe reſpiciat intellectum, vt forma intrinſeca illius?
Artic.4. Vtrùm ſpecies actiuè concurrat ad intellectionem?
Artic.5. Vtrùm ſpecies ſit intellectui tota virtus intelligendi?
§.1. *Refertur opinio affirmans, & varia illius explicatio.*
§.2. *Opinio negans eſt vera.*
§.3. *Intellectus non concurrit præciſè, vt ſubſtantiuum ſpeciei.*
§.4. *Nec concurrit, vt principium radicale ſolum, & inchoatiuum.*
§.5. *Expenditur, quomodo intellectus eſt pura potentia?*
§.6. *Soluuntur argumenta.*
Artic.6. Vtr. ſpecies, vt ſe tenet ex parte obiecti actiuè concurrat ad intellectionē? & quomodo?
§.1. *An vt ſic actiuè concurrat? vtraque pars defenditur.*
§.2. *Quomodò ſpecies ex parte obiecti actiuè concurrat?*

Arti-

Artic. 7. Vtrùm, & quomodò ſpecies actiuè concurrat, vt ſe tenet ex parte intellectus?
§. 1. Species, vt ſic adhuc influit in intellectionem.
§. 2. Non influit, vt cauſa partialis, vt quod.
§. 3. Concurrit, vt agens quo.
§. 4. Intellectus, & ſpecies conſtituunt vnum totum, concurrens ſecundùm vtranque partem: & vera huius rei explicatio.
Artic. 8. Quomodo ſpecies compleat virtutem intelligendi intellectus?
§. 1. Quomodo eam compleat, vt ſe tenet ex parte obiecti?
§. 2. Quomodo eandem compleat, vt ſe habet ex parte intellectus?
Explicatis varijs dicendi modis, ponitur vera reſolutio.
Quæſtio IIII. De muneribus ſpeciei intelligibilis.
Artic. 1. Vtrùm ſpeciei conueniat ita aſsimilare intellectum obiecto, vt faciat eſſe ipſum?
§. 1. Hoc munus non poſſe à Peripateticis negari.
§. 2. Speciem exercere hoc munus, vt formam intellectus intrinſecam.
§. 3. Hoc munus primum eſſe, & principale.
§. 4. Soluuntur argumenta.
Artic. 2. Vtrùm munus ſpeciei ſit conſtituere intellectum in actu primo?
§. 1. Affirmatio communis eſt, & vera.
§. 2. Caietanus oppoſitum non docuit.
§. 3. Speciem exercere hoc munus, vt formam intrinſecam.
§. 4. Illud exercet, vt eſt ex parte intellectus.
Artic. 3. Vtrùm munus ſpeciei ſit obiectum intellectui obiectiuè præſentare?
§. 1. Quod ſpecies obiectum præſentet, eſt indubitatum.
§. 2. Præſentat illud, vt eſt formalis repræſentatio.
§. 3. Illud repræſentat, quia facit præſens intellectui.
§. 4. Quomodo faciat rem intellectui præſentem? controuerſum eſt.
§. 5. Vera reſolutio.
§. 6. Ex qua parte ſe habeat repræſentatio obiecti? & quem ordinem ſeruet?
§. 7. De repræſentatione obiecti in actu, & habitu.
Artic. 4. Vtrùm ſpecies vniat obiectum intellectui?
§. 1. Speciem obiectum vnire, eſt indubitatum.
§. 2. Quomodo obiectum vniat?
§. 3. Ex qua parte ſe habeat vna, & altera vnio?
§. 4. Quem ordinem hæ vniones ſeruent inter ſe?
Artic. 5. Vtrùm munus ſpeciei ſit determinare intellectum ad ſpeciem actus?
§. 1. Hoc munus conuenit ſpeciei.
§. 2. Quomodò ſpecies determinet intellectum?
§. 3. Hoc munus non diſtinguitur à primo: & fit à ſpecie, vt ſe tenet ex parte intellectus.
§. 4. Speciem determinare intellectionem idem eſt, quod eam ſpecificare.
Artic. 6. Vtrùm ad ſpeciem pertineat complere virtutem actiuam intellectus?
Artic. 7. Vtrùm ad ſpeciem pertineat influere cum intellectu in actum?
Artic. 8. Vtrùm ſpecies impreſſa repræſentet obiectum per modum termini?
Artic. 9. Vtrùm ſpecies omnia munera exerceat, vt vicaria obiecti?
§. 1. Quænam conueniant obiecto, vt eſt intelligibile?
Artic. 10. De neceſsitate ſpecierum ſi intellectus ſolùm paſsiuè concurrat ad actum.

FINIS.

LIBER

LIBER OCTAVVS

DE NECESSITATE SPECIEI INTELLIGIBILIS AD VISIONEM diuinæ eſſentiæ.

IN lib. 7. præcedente generaliter demonſtrauimus, neceſſarium eſſe ſupernaturalem aliquem concurſum, vt intellectus videat Deum: & in vltima quæſtione oſtendimus, duos tantùm concurſus eſſe neceſſarios: vnum ſupernaturalis ſpeciei; alterum luminis gloriæ: de vtroque in ſpeciali agendum erit. Et primum agemus de neceſsitate ſpeciei intelligibilis; idque in hoc lib. 8. In quo primùm diſputabimus de neceſsitate ſpeciei intelligibilis in ordine ad viſionem intuitiuam. Deinde de neceſsitate illius ad cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis.

Sed quoniam de neceſsitate ſupernaturalis ſpeciei ad vnam, & alteram cognitionem, excitandę ſunt difficillimę quęſtiones, quę accommodatè explicari non poterunt, niſi neceſsitas ſpecierum intelligibilium ad intelligendum generaliter explicetur: earum etiam natura, & omnia illarum munera; operæpretium erit, hæc omnia prius generaliter explicare; quam diſputemus de illis in ordine ad viſionem diuinæ eſſentiæ.

Quare liber iſte octauus in duas ſcindetur partes principales. In prima generaliter diſputabimus de neceſsitate, natura, & muneribus ſpeciei intelligibilis. In ſecunda verò de neceſsitate illius in ordine ad viſionem diuinæ eſſentiæ.

Prima pars huius libri octaui.

QVod attinet ad primam huius libri partem, plures quæſtiones erunt excitandæ. Prima quęſtio generaliter inquiret, de neceſsitate ſpecierum intelligibilium, vt intellectus valeat intelligere. Secunda, explicabit naturam ſpeciei intelligibilis. Tertia explicabit, quomodò ſpecies ſe habeat ad intellectum. Quarta tandem quęſtio aget de muneribus eiuſdem ſpeciei.

QVÆSTIO I.

An ſpecies intelligibiles admittendæ ſint, tam in nobis, quàm in Angelis?

IN hac quæſtione quinque erunt articuli. Primus; an in nobis ſint admittendæ ſpecies intelligibiles? Secundus; vtrùm admittendæ ſint in Angelis? Tertius, vtrùm admittendæ ſint in omni cognitione tam abſtractiua, quàm intuitiua? Quartus; an ſint admittendæ, vt diſtinctę ab actu intelligendi? Poſtremus, vtrùm ſine actu intelligendi maneant in intellectu?

ARTICVLVS I.

An ſpecies intelligibiles in nobis ſint admittendæ?

§. I.

Præmiſsis nonnullis, explicatur ſententia affirmans.

PRO explicatione quæſtionis præmittimus, ſermonem hoc loco eſſe de ſpecie, quæ eſt quędam qualitas formaliter repræſentans obiectum potētię cognoſcenti: non quidem expreſſa ab ipſa cognoſcente potentia, ſed impreſſa ab alia diſtincta, & externa: in quo ſpecies 1. Pars affirmans. Not. 1.

cies, de qua agimus, diſtinguitur à notitia, ſiue conceptu, verboq; intellectus: quia conceptus eſt repræſentatio quædã obiecti expreſſa à potentia; & ideò appellatur ſpecies expreſſa. Vtrùm verò hæc ſpecies ita repræſentet obiectum, vt ſit formalis ſimilitudo, & vera illius imago? controuerſum eſt: controuerſiam explicabimus in ſequenti q. art. 1.

2. Not. 2. Aduertendum ſecundò; non eſſe hoc loco ſermonẽ de ſpeciebus ſenſibilibus, ſed de ſolis intelligibilibus intellectus humani, & Angelici: nam diſputatio de ſpeciebus ſenſibilibus ad noſtrum inſtitutũ non pertinet; cum per eas diuina eſſentia, nec intuitiuè, nec abſtractiuè videri valeat. Supponimus tamen eas admittendas eſſe in ſenſibus tam externis, quàm internis, quę eſt communis Peripateticorũ doctrina. Et adeo notũ eſt dari alias ſpecies, vt Auguſtinus 11. *de Trinitate cap.* 2. dicat, hanc veritatem ſolis ingenijs tardioribus non perſuaderi. Vnde ibi latè eas confirmat, & iterum cap. 9. & mille alijs in locis. Quare eas admittendas eſſe, vt notiſsimum ſupponimus.

Auguſt.

3. Controuerſia de ſpeciebus intelligibilibus. Pars negãs: *Durand. Ocham. Gabriel.*

Quod verò attinet ad ſpecies intelligibiles, an illæ admittendę ſint in intellectu humano; controuerſum eſt. Negantem ſententiã abſolutè probauerunt *Durand. in 2. diſt. 3. q. 6. n. 10. 12. & 17. & in 4. diſt. 49. q. 2. n. 19. & Ocham. in 2. q. 17. & 18. cuius mentem latè proſequitur Gabriel in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. & 3. quanuis Curſus Conimbr. in 2. de Anima c. 5. q. 3. art. 1. de eo oppoſitum dicat.* Qui omnes generaliter negant dari ſpecies aliquas intelligibiles aut in noſtro intellectu, aut in intellectu Angeli. Imò docent eas relegandas eſſe à ſchola Peripatetica. Eandem ſententiam in eadem generalitate probat *Henricus quodlib. 4. q. 7. & 21. & quodlib. 5. q. 14. & 15. Bachonius autem eandem probauit, ſi quæſtio ſit de facto*: non negat tamen eas dari poſſe. Ita ſcribit *in 2. diſt. 3. q. 6. ar. 4. §. Sed tamen Theologi, fol. 152. col. 1.*

Henric. Bachon.

4. Affirmans eſt vera.

Oppoſita ſententia eas admittit, quam putamus eſſe veriſsimã. Pro qua hãc ſtatuimus cõcluſionem: ſecundum peripateticam doctrinam Ariſtotelis admittendæ ſunt in noſtro intellectu ſpecies intelligibiles, & intentionales intellectui impreſſæ, & ab actu intelligendi realiter diſtinctæ. Hæc concluſio inter Peripateticos, & verè Ariſtotelicos iam habetur tãquam axioma, adeò vt oppoſita ſentẽtia cenſeatur paradoxa: ex Ariſtotele noſtra iſta ſententia euidenter deducitur in illis locis, in quibus docet intellectum noſtrũ eſſe ſuſceptiuum formarum, vt patet lib. 3. de Anima c. 8. tex. 38. affirmãs *res ipſas non eſſe in anima, ſed formas rerum*, & c. 4. tex. 6. aſſerit *animam intellectiuam eſſe locum formarũ*, & text. 3. affirmat *intellectũ vacare paſſione; eſſe tamẽ ſuſceptiuũ formæ.* Ex quibus locis ferè omnes colligunt Ariſtotelem eſſe aſſertorem ſpecierũ intelligibilium, quas nõmine formarũ ſignificat; quia re vera ſunt formæ quædam intentionales intelligibilium: quibus intellectus formaliter fit ipſa, vt dicemus §. 4. vbi latè oſtendemus Ariſtotelem nomine formæ, nec intelligere ipſam intellectionem, actũ vẽ ſecundũ; nec ipſum obiectum, vt obiectiuè eſt vnitũ intellectui.

Ariſt.

5. Philoſophi eas admiſerunt. *Plato.*

Ante Ariſtotelem plures Philoſophorum in noſtris animis ſpecies intelligibiles admiſerunt. Platonem eas admiſiſſe refert D. Thomas 1. *p. q. 84. art. 3. 4. 5. &* 6: poſuit enim intellectum noſtrum plenum eſſe omnium rerum ſpeciebus intelligibilibus, ita vt nullas deinceps de nouo acquireret, ita in dicto artic. 3: eas etiam poſuit vt effluentes ab Ideis ſeparatis, vt habes ar. 4. Plutarchus cum Platone ſenſiſſe teſtatur Philoponus relatus à Toleto 3. *de Anima cap. 4. q. 10. fol. 153. col. 4. in tertia ſententia.* Democritus etiam, teſte Ariſtotele in libro de diuinatione per ſomnium cap. 2. ante medium dicebat intellectiones à nobis fieri per quædam idola, defluxioneſque imaginum in animam. Quod etiam de Democrito Epicuro, & alijs veteribus Philoſophis refert Auguſtinus *Epiſtol. 56. ad Dioſcorum non longè ante finem, pagina mihi, 102. A. 1.* & Diuus Thomas in dicto artic. 6. Auicenam quoque in noſtro intellectu admiſiſſe ſpecies refert Diuus Thomas 1. *part. quæſt. 76. artic. 6. & in dicta quæſt. 84. artic. 4.* dum in ſuo libro de Anima docuit ſpecies defluere in animam à quadam intelligentia agente, & animam per eas intelligere, & quanuis hi Philoſophi in explicandis iſtis ſpeciebus, & imaginibus multis modis errauerint, vt colliges ex Auguſtino loco citato, & ex D. Thoma vbi ſuprà; eos tamen adduximus, vt confir-

Plutarch. Philopon. Democrit.

Epicurus. Auicena.

confirmemus dogma ſpecierum inter antiquos celebre fuiſſe; explicatum tamen in ſenſu vero, & peripatetico ab Ariſtotele, eiuſq; ſchola.

6. *Auguſt.* Auguſtinus multis in locis ſpecies admittit: ſed præcipuus locus, & qui ſolus rem euincit, habetur lib. 10. de Trinit. c. 5. in hęc verba: *& quia illa corpora ſunt, quæ foris per ſenſus carnis adamauit* (de anima loquitur) *eorumq; diuturna quadam familiaritate implicita eſt, nec ſecum poteſt introrſum, tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipſa corpora inferre; imagines eorũ conuoluit, & rapit, factas in ſemetipſa de ſemetipſa.* Quę verba intelligenda eſſe de ſpeciebus intelligibilibus immaterialibus, & incorporeis, non verò de ſpeciebus ſenſuum internorum (quidquid reclamet Henricus *in dicto quodl. 4. q. 7. fol. 95. pag. 1. ad finẽ*) *Henric.* facilè patebit, ſi verba ipſa expendantur: etenim mens ideò imagines corporũ cõuoluit, & rapit, quia corpora ipſa non poteſt inferre in regionem naturę incorporeæ, ſed ipſas eorum imagines: ergo ex *D. Augu.* Auguſtino ſpecies ipſæ inferuntur in regionem incorporeæ naturæ, in quam nihil infertur, niſi quod incorporeum eſt, & ſpirituale. Quam ſententiam etiã ſcribit lib. 9. de Trinitate c. 11. & in vtroque loco alludit ad verba Ariſtot. 3. de Anima c. 8. text. 38. dum ait: *neceſſe eſt aut res ipſas, aut formas in anima eſſe. At non ſunt in anima res ipſæ profectò: non enim ipſe lapis in anima, ſed forma lapidis.* Agit autem de anima intellectiua, quoniam ibidem appellat formam formarum, quia in ſe ipſa recipit formas. In eodem igitur ſenſu Auguſtinus affirmat non corpora ipſa, ſed eorum imagines delatas eſſe in internam regionem naturæ incorporeæ, quia in ipſa anima intellectiua recipiuntur. Quem ſenſum ſatis explicant illa verba: *factas in ſemeptipſa de ſemetipſa*, quia ſ. ipſa anima actione intellectus agẽtis imagines producit in ſe ipſa. Idem cõfirmant quæ ſequuntur: *mentem ſcilicet ipſis imaginibus formandis dare aliquid ſubſtantiæ ſuæ*: quia ſcilicet cum mẽs ſit ſpiritualis eas in ſe receptas facit naturæ ſpiritualis.

7. Denique Auguſtinus ibidem has imagines diſtinguit ab illis, quæ recipiuntur in ſenſibus; quia hæ ſunt communes homini cum beſtijs: illæ autem ſolius ſunt intellectualis naturę. Accedant verba capitis 6. ſequentis, dum ait, *mentẽ ipſam has imagines ſecum gerere.* Denique concludamus cum Auguſtino in c. 8. eiuſdẽ libri vbi ait, *mentem in ſemetipſa non eſſe ſine his imaginibus, nec eas poſſe à ſe diſcernere, quas ſibi addidit.* Et ait, *ipſam mentẽ cum his imaginibus interiorem eſſe non ſolùm quàm iſta ſenſibilia, quæ manifeſtè foris ſunt; ſed etiam quam imagines eorum, quæ in parte quadam ſunt animæ, quam habent & beſtiæ.* Quæ verba euidenter conuincunt imagines illas, quę ex Auguſtino introrſum inferũtur in regionem naturæ incorporeæ, diſtinctas eſſe ab imaginibus, & ſimilitudinibus phantaſmatum. Negari igitur non poteſt Auguſtinum admittere ſpecies intelligibiles intellectui impreſſas. Videndus eſt 15. *de Trinitate c. 11. 12. 22. & 27. & quæ ſcribit epiſtola* 100. 101. *& lib. 12. de Geneſi ad liter. c. 23. & 11. de Trinit. c. 8.*

Meritò igitur ſententiã iſtam approbauit communis Peripateticorum ſchola, vt aduertit Fonſeca 5. *Metaph. c. 28. q. 8. ſect. 1. in principio.* Eam fuiſſe communiorem grauiorum Theologorũ affirmat 1. *Metaph. c. 2. q. 3. ſect. 4. in princip. Curſus Conimbricenſis lib. 3. de Anima c. 5. ar. 2. in principio.* Et meritò, quia hanc ſententiã ferè omnes tanquam veriſsimam ſupponunt *D. Thomas 1. p. q. 84. art. 3. & q. 85. ar. 2. & paſsim in ſua doctrina, Alenſ. 2. p. q. 24. memb. 2. & 3. & q. 26. memb. 2. Magnus Albertus in 2. d. 3. ar. 15. & lib. 3. de Anim. tract. 2. c. 12. Ægidius in eodem loco in 2. p. ar. 2. q. 1. & in tractatu de cognitione Angelorũ q. 1. & quodl. 5. q. 14. Scotus in 1. d. 3. q. 6. vbi Lychetus, Greg. in 2. d. 7. q. 3. ar. 1. & 2. & in 1. d. 3. q. 1. latè eã diſputat Capre. in 1. d. 35. q. 1. & latiùs in 2. d. 3. q. 2. Tolet. in 3. de Anim. c. 7. q. 21. Ferrar. ibid. q. 8. cũ Mathia Aquario. Palatius in eod. lib. diſp. 4. fol. 158. col. 2. & in 2. d. 3. diſp. 3. Bañes 1. p. q. 85. ar. 2. cõcl. 1. Molina 1. p. q. 12. ar. 2. d. 1. paulò poſt principiũ, §. Quia tamẽ potentia latiùs q. 55. ar. 2. d. 1. Bellom. 1. p. d. 200. c. 3. n. 7. Valeſius Couarru. lib. 2. cõtrouerſiarũ c. 30. Fonſeca. & Curſus Conimb. locis citatis.* Denique hæc fuit recepta ſentẽtia inter græcos interpretes Ariſtotelis Philoponum, Amoniũ, & alios, quos refert Toletus in 3. *de Anima c. 4. q. 10. in 4. ſententia, fol. 153. col. 3. vbi fol. 154. col. 1. refert Auerroem.*

8. *Peripatetica.* *Fonſeca. Conimbr. D. Thom. Alenſis. Albert. Aegidius. Scotus. Lychetus. Gregor. Capreol. Toletus. Aquarius. Palatius. Bañes. Molina. Bellomon. Couarrua. Philopon. Amonius.*

§. 2.

Neceſsitas ſpecierum in intellectu humano rationibus confirmatur.

9. *Rationibus confirmatur.* SEd rationibus neceſsitatem ſpecierũ confirmemus: & vt diſtinctè procedamus, priùs agemus de intellectu noſtro coniuncto: deinde de intellectu Angelico.

1. ratio. Prima ratio ſumenda eſt ex quodam antiquorum proloquio: *ſimile non poteſt cognoſci, niſi à ſimili*; quod fuiſſe veluti inſitum animis priſcorum Philoſophorum teſtatur *D. Thomas 1. p. q. 84. ar. 2. vbi Caietanus* aſſerit hoc principium tam ſapiẽtibus, quàm inſipientibus eſſe commune. *D. Thom.* Quod adeò eſt notum, vt Lyra *1. Ioan. 3. n. 11.* dixerit cognitionem fieri nõ poſſe, niſi per aſsimilationem cognoſcentis ad cognitum ſecũdùm omnes prophetãtes. *Lyra.* Cuius rei habemus teſtimonium Ariſtotelis *1. de Anima cap. 2. tex. 25. & 26. & c. 5. tex. 76. & lib. 3. Metaph. c. 4. text. 15.* *Ariſt.* Sed aduertendum eſt hoc principium in hoc ſenſu fuiſſe veteribus probatum, vt idem ſit ſimile cognoſcere ſimile, quod ſimile fieri, & eſſe res ipſas, quas cognoſcit. Hanc fuiſſe veterum mentem ſatis explicauit Ariſtoteles in dicto tex. 76. in hæc verba: *aſſerunt ſimile cognoſcere ſimile, quaſi animã res ipſas eſſe ponentes.* Et quanuis veteres errauerint, exiſtimantes ad intellectionem eſſe neceſſarium, vt anima materialiter, & realiter ſit ipſa res, quam debet cognoſcere; vt ſcilicet realiter ſit lapis, ſi debet cognoſcere lapidem; Ariſtoteles tamẽ illorum propoſitionem admiſit in ſenſu longè diuerſo; vt ſcilicet anima debeat fieri, & eſſe res ipſæ, immaterialiter tamen & notionaliter per formas rerum immateriales, & intelligibiles. Nã quod anima, vt poſsit aliquid intelligere fieri debeat ipſa res, quam intelligere nititur, multis in locis expreſsit Ariſtoteles: nam 3. de Anima c. 4. tex. 8. *Factus autem vnumquodq́, &* c. 5. tex. 18. *atq́ quidã eſt intellectus, vt omnia fiat*: cap. 7. tex. 36. *omnino autem is intellectus, qui actu intelligit, res ipſæ eſt, vti diximus.* Cap. 8. in principio: *Ruſus dicamus animam ipſam ea vniuerſa quodammodò eſſe, quæ ſunt*: quod autem non debeat eſſe res ipſæ ſecundùm eſſe reale, & materiale, quod in ſe ipſis habent ſecundùm ſuas reales formas; ſed ſecũdum quoddam eſſe immateriale, & per *Ariſt.* formas immateriales, atque intelligibiles earum, expreſſè docuit in dicto c. 8. tex. 38: *atqui neceſſe eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe. At non ſunt in ea res ipſæ profectò: non enim ipſe lapis in anima, ſed forma lapidis ineſt*: per formã lapidis omnes intelligunt formam intelligibilem, & immaterialem, cuius receptione intellectus intelligibiliter, & intentionaliter fit, & eſt lapis. Quæ eſt cõmunis explicatio Græcorum, & Latinorum, Philoponi, Simplicij, Cõmentatoris, D. Thomæ, Toleti, Palãtij, Curſus Conimbric. & omnium aliorum, quæ euidenter patet ex litera: diſtinguit enim formam realem, quæ eſt in re, ab ea, quæ eſt in anima. Hæc autem non poteſt eſſe, niſi forma aliqua ſine materia, & generis intelligibilis. Quare intellect⁹, vt poſsit rem aliquam intelligere, debet fieri ipſa res per formam illius de genere intentionali, & intelligibili, vt nos aduertimus lib. 4. q. 1. art. 2. n. 20. explicat *D. Thom. 1. p. q. 14. ar. 2. & q. 55. art. 1. ad 2. & q. 85. ar. 2. ad 1. & q. 87. ar. 1. ad 3.* *D. Thom.* Inde colliges veriſsimum eſſe dictũ Auerrois in 3. de Anima cõmẽto 5. *ex intellectu, & forma intelligibili obiecti magis fieri vnũ, quàm ex materia, & forma*: quia materia recipiendo formam non fit ipſum compoſitum: nec enim per formam lapidis fit lapis: & tamen intellectus recipiendo formam intelligibilem lapidis fit, & eſt lapis in alio tamen eſſendi genere.

Sed antequam ad demonſtrandam neceſsitatem ſpecierum accedamus, expendendum eſt, quidnam Ariſtoteles intelligat per formas intelligibiles, quibus intellectus fit ipſæ res? nec enim in hoc omnes conueniunt. 10. *Quid per formas intelligibiles intelligitur* ¶ Quidam volunt ipſam intellectionẽ eſſe formã per quã intellectus fit res; & ob id nullã aliam antecedentem formam agnoſcunt, quæ ſit ſpecies. Ita *Ochamus in 2. d. 14. lit. S. T. & HH. Gabriel in 2. d. 3. q. 2. ar. vlt. lit. kk. §. ad authoritatẽ Ariſtotelis*: *Ocham. Gabr.* quam ſententiã debẽt probare tũ illi, qui ſpeciẽ ab intellectione nõ diſtinguũt; tũ etiã, qui negãt ſpeciẽ eſſe formalẽ obiecti ſimilitudinẽ, vnde hãc explicationẽ probauit Suar. *in Met. d. 30. ſec. 11. n. 32*: *Suarius.* pro qua ſententia adduci poteſt Ariſt. 3. de Anim. c. 7. tex. 36. dũ ait: *omnino autẽ is intellectus, qui actu intelligit, res ipſæ eſt vti dixim⁹.* *Ariſt.* Intellect⁹ autẽ qui actu intelligit, eſt intellect⁹ in actu 2. intellectionis.

11. **Non recipitur explicatio.**

Hanc tamen ſententiam Ariſtoteli repugnare efficaciter probant verba capitis 4. tex. 8. *Factus vnumquodq́; perinde, atque ſciens: quod quidem tunc accidit, cum ipſe per ſe ipſum operari poteſt: eſt quidem & tunc quodammodò potentia; ſed non perinde, atque erat anteà.* Agit enim de intellectu, vt antea erat in pura potentia denudatus omni forma: receptis autẽ formis factus eſt vnumquodque; adhuc tamen exiſtens in potentia ad actum ſecundum: ergo ante actum ſecũdum intellectionis iam factus eſt ipſa res, quam debet intelligere. Igitur per aliam formam ab intellectione diſtinctam, & priorem illa. Et hanc fuiſſe Ariſtotelis mentem docuerunt tum Grę ci, tum Latini, dum omnes ex illis verbis triplicem diſtinguunt ſtatum noſtri intellectus: in pura. ſ. potentia, quæ appellatur potentia eſſentialis, quando ſine omni forma eſt vt tabula raſa: in actu primo; vt quando iam eſt actuatus forma, & factus ipſa res; non dum tamen in actu intellectionis, & in actu ſecundo, cum. ſ. actu intelligit, quæ ſtatuum diſtinctio ſatis explicat intellectum ante actualem intellectionem iam eſſe factum res ipſas. Hũc triplicem ſtatum in ſenſu ſatis explicat Ariſtoteles lib. 2. de Anima cap. 5. text. 53. vſque ad finem capitis.

Verus proloquij ſenſus.

12. **Illum probauerũt veteres.**

Quinimò veteres in hoc ſenſu ſuum intellexiſſe proloquium ex eo facilè intelligitur, quia indè inferebant animam realiter eſſe res ipſas, vt poſſet eas intelligere. Accedit; quia anima non in alio ſenſu poteſt eſſe forma formarum 3. *de Anima c.* 8. *tex.* 38. *in fine*: nam ſicut manus, ideò dicitur inſtrumentum inſtrumẽtorum, quia antecedit vſum omnium aliorum; ita anima facta res ipſę antecedit vsũ omnium formarum intelligibilium, qui poſitus eſt in actuali intellectione. Quare dubitari nõ poteſt apud Ariſtotelem intellectum fieri res ipſas, priùs quàm habeat illarum cognitionem. Cui etiam Philoſophiæ fauet quod intellectio iuxta veriorem ſententiam eſt verbum mentis, quo mens ſibi loquitur: iam verò de ratione verbi eſt, quod exprimat id, quod intus latet, tanquam expreſſa ſimilitudo illius. Cum verò verbum ſit expreſſa ſimilitudo rei, vt omnes agnoſcunt, & exprimat ipſum intellectum, à quo producitur, tanquam proles eius, ex communi doctrina Auguſtini; vtique ſupponit intellectum iam eſſe ipſam rem, de quo ſuperiùs aliquid diximus. Nec huic ſentẽtiæ officit locus in contrarium adductus ex cap. 7. quia intelligendus eſt de intellectu in actu primo formarum intelligibilium, vt patet ex verbis adductis ex cap. 4. text. 8.

Concluſio.

13. **4. explicatio.**

Alij volunt intellectum fieri ſimilem rei, atq; ipſam rẽ, non per intellectionẽ, ſed per formam, quæ intellectionẽ antecedit: hanc autem formam non eſſe aliã, niſi obiectum ipſum obiectiuè vnitũ intellectui: nam cum obiectum intellectũ perficiat, nõ ineptè dici poteſt forma intelligibilis, qua intellectus fit ipſa res, quã intelligit. ¶ Sed facilè cõuinci poteſt hoc longè eſſe à mente Ariſtotelis. Et primò; quia vnio obiectiua obiecti cum potẽtia non ſatis eſt, vt potentia fiat, & ſit ipſum obiectum, vt patet in volũtate, cui vnitur obiectum præſentatum ab intellectu; & tamen nullus dixerit voluntatem eſſe ipſum obiectum. Deinde intellectus ex ſẽtentia Ariſtotelis ſe habet ad formas, quibus fit ipſa res, vt materia receptiua earũ, *ex 3. de Anima c. 5. tex.* 18. *& c. 4. tex. 3. &* 4. & intellectus ita eſt potentia receptiua formarum, quibus fit ipſę res, vt eas recipiat paſſione quadam alteratiua, perfectiua tamen illarum, vt patet ex dicto *c. 4. tex. 2. 12. &* 14. *& ex cap. 5. tex.* 19. & cõſtat ex ijs, quæ docet de ſenſu, quando fit ipſum ſenſibile, *in 2. de Anim. c. 5. tex. 53. &* 57. vnio autẽ obiecti cũ intellectu formaliter, nec eſt paſſio alteratiua, nec coniuncta eſt cum alteratiua paſſione, ſi ſpecies de medio tollãtur: alioquin vnio obiecti cũ voluntate fieret cũ aliqua volũtatis alteratione, quod nullus vnquã dixit.

Impugnatur.

14. **Confirmatur.**

Et ne quis recurrat ad perfectionem extrinſecam, quam nonnulli concedunt obiecto, cum vnitur potentiæ: pro huius refugij impugnatione expendo multa dicta Ariſtotelis, & pręter ea, quæ de receptione formarũ cũ alteratione, & paſſione perfectiua immediatè adduximus ex 3. *de Anima c. 4. & 5. cũ cæteris, quæ ſcribit in 2. de Anima c. 5. tex.* 57. Primum id, quod ſcribit in dicto cap. 4. tex. 14. dum intellectum exiſtentem in potentia comparat *tabulæ, in qua nihil eſt ſcriptum, antequam aliquid in ea ſcribatur.* Hac enim comparatione ſatis ſignificat formas intelligibilium,

Ariſt.

lium, quibus intellectus actuari, & perfici debet, non eſſe formas extrinſecè perficientes, ſed intrinſecè: vt ſatis declarant illa verba: *hoc enim in ipſo ſit, & accidit, intellectu*: ſicut enim vt tabula deſinat eſſe raſa, debent in ipſa exarari literæ: ita etiã vt intellectus deſinat eſſe in potentia, & fiat in actu debet in ſe ipſo actuari per formas intrinſecè perficientes. Expendo deinde verba, quæ immediatè ſequuntur
2. ratio. tex. 15: *intellectum ipſum eſſe intelligibile, vt cætera omnia ſunt intelligibilia*. Si hæc verba ſubtiliter intelligantur, vt ea olim intelleximus in ſecundo noſtro Philoſophię curriculo, dũ libros de Anima annis abhinc vltra quadraginta interpretaremur: nam ſicut cætera intelligibilia tã materialia, quàm immaterialia, ideò ſunt intelligibilia in actu primo, quia p̃ ſuas formas intelligibiles idem ſunt cum intellectu: ita etiam intellectus ideò eſt in ſe ipſo, & à ſe ipſo intelligibilis, quia eſt idem ſecum non ſolùm realiter, ſed etiam obiectiuè, abſque alia ſuperaddita intelligibili forma; cum tamen cætera non ſe ipſis, ſed per ſuas intelligibiles formas idem ſint cum intellectu. Hac ſuppoſita explicatione, non leue inde ſumitur argumentum, vt intellectus ſit idem cum intelligibili; non quidem per identitatem extrinſecam, qualis eſt vnio obiectiua, ſed per intrinſecam, per formam intrinſecè receptam.

15. 3. ratio. *Ariſt.* Tertiò adhuc efficaciter expendo verba Ariſtotelis lib. 3. de Anima c. 8. text. 38. dum ait: *neceſſarium eſſe, vt aut res ipſæ ſint in anima, aut formæ earum: & quia res ſecundùm ſuam realem entitatem non poſſunt eſſe in anima inde concludit formas rerum ponẽdas eſſe in anima, vt anima fiat ipſæ res.* In quibus ſupponit Ariſt. vt certum, res, aut vno, aut altero modo futuras eſſe in anima. Quòd verò non agat de exiſtẽtia obiectiua, & extrinſeca, ſed de intrinſeca, & ſubiectiua, indè euidenter colligo, quia res ſecundùm ſuam realem entitatem, & exiſtentiam ſunt in anima, cum intuitiuè cognoſcuntur: trahuntur enim ad animã ſecundùm eſſe reale, quod habent in ſua reali exiſtentia: nam cum ſecundùm tale eſſe terminent notitiam intuitiuã, vt omnes agnoſcunt, ſecundùm tale eſſe obiectiuè vniuntur cum potentia, vt diximus *lib. 4. q. 8. ar. 5. n. 6.* nec de hoc dubitari poteſt aut ab ijs, qui ad cognitionem intuitiuam ſpecies nõ admittunt, aut ab ijs, qui eas recipiunt: ſemper enim res ipſa, quæ intuitiuè videtur, obiectiuè proponitur intellectui ſecundùm illud eſſe exiſtentiæ, quod habet à parte rei, quia ſecundũ tale eſſe terminat viſionem. Quare cum Ariſtoteles negat res ſecũdùm ſuum eſſe reale, aut eſſe, aut eſſe poſſe in intellectu, non eſt intelligendus de exiſtentia obiectiua, ſed de ſubiectiua. Vnde cum docet eas eſſe in anima ſecundùm ſuas formas intelligibiles, non poteſt non intelligi de inexiſtentia intrinſeca, & ſubiectiua. Intellectus igitur apud Ariſtotelem ſit ipſum intelligibile, non per exiſtentiã obiectiuã ipſius, quæ eſt extrinſeca, ſed per exiſtẽtiam intrinſecam per ſuas formas.

Quarto adhuc loco id ipſum non ineptè colligo, dum in eodem loco aſſerit *animam, & intellectum eſſe formam formarum, ſicut manus eſt inſtrumentum inſtrumentorũ*: nam ſicut manus eſt inſtrumentum permanens, quod vti poteſt hoc, aut illo inſtrumento, ita anima facta res ipſę, eſt forma formarum intelligibilium, quia in ſe ipſa retinet, & conſeruat rerum externarum formas, vt vtatur illis cum voluerit, & qua voluerit. Quod etiam explicauit in dicto c. 4. tex. 8. dum ait, *intellectum factum ipſum intelligibile poſſe cum voluerit per ſe ipſum operari.* Quæ verba denotant intrinſecam permanentiam ipſorum intelligibilium per modum habitus, quia obiectiua permanentia ipſorum non ſemper eſt in intellectu, ſi ſpecies de medio tollantur. Vnde nec intellectus cum voluerit poteſt intelligere; ſed indiget noua præſentia obiectiua ipſius intelligibilis. Quod hac in re eſt quàm diligentiſsimè obſeruandum. 16. 4. ratio.

Hæc tam latè diximus, vt oſtenderemus, quàm longè ſint à mente Ariſtotelis, qui volunt intellectum fieri ipſum intelligibile, non per aliquam formam intrinſecam, ſed per vnionem obiecti cum illo: quod non ſolùm repugnat Ariſtoteli, ſed etiam rationi: nam licèt id fortè poſſit intelligi in cognitione intuitiua, in qua obiectum ſecundùm ſe ipſum poteſt fieri obiectiuè pręſens intellectui (de quo in 3. art. tamen in cognitione abſtractiua nullo modo poteſt intelligi vnio obiectiua rei intelligendæ cum intellectu ſine 17. Intellectus non fit res per formã extrinſecã.

ſpecie, vt dicemus art. 2. Nec noſtræ reſolutioni obſtat, quod intellectus beati ſit ipſa diuina eſſentia per ſolam vnionẽ obiectiuam: quoniam id eſſe falſum oſtẽdem⁹ in 2. p. l. 8. q. 3. ar. 4. §. 3. vt latiùs q. 4. vbi hac de re plura dicemus. ¶ Quare cõcludendum eſt ex mente Ariſtotelis intellectum fieri rem ipſam per formam intelligibilem, & intentionalem rei intrinſecè in eo receptam.

Hac ſuppoſita Philoſophia, vt verè peripatetica iam facilè demonſtratur neceſ-

18. Prima demonſtratio ſpecierum. ſitas ſpecierum in noſtro intellectu. Ita enim licebit argumentari: intellectus nõ poteſt rem aliquã cognoſcere, niſi priùs fiat res ipſa per formam ipſius immaterialem, & intrinſecè receptam: ſed hæc forma nulla alia eſſe poteſt, niſi ſpecies intelligibilis: ergo in noſtro intellectu ante omnem intellectionem neceſſariò ſunt admittendæ ſpecies intelligibiles. Maior continet doctrinam peripateticã, vt ex dictis patet. Minor facilè oſtenditur: quia omnia, quæ Ariſtoteles dixit de forma intelligibili, verè, & propriè conueniunt intelligili ſpeciei, quam admittit peripatetica ſchola.

19. Secunda. Secunda ratio à quibuſdam ſumitur ex indifferentia, quam noſter intellectus habet, vt hanc potiùs quàm illam rem intelligat: eſt enim indifferens ad omnia, imò in pura potentia ad intelligibilia, vt paſ-

Ariſt. ſim aſſerit Ariſtoteles *lib. 3. de Anima c. 4. text.* 14: ergo ad intelligendum neceſſariò requirit aliquam formam, qua ad hoc potiùs quàm ad illud determinetur: hæc autem eſt ſpecies intelligibilis. Hac

Molina. ratione vtitur Molina 1. *p. q.* 55. *ar.* 2. *d.* 1. §. *ſententia hæc ſatis colligitur*, quam etiam tetigit q. 12. ar. 2. d. 1. §. *Quia tamen potẽtia*: eadem vtitur Curſus Conimbricenſ. lib. 3. de Anima c. 5. q. 3. art. 2. in 2. ratione, quam etiam probat Bellomontanus 1. p. d. 200. c. 3. n. 8.

20. Non recipitur ratio. Hæc tamen ratio nullam habet efficaciam, ſi vera eſt aduerſariorum opinio, quod phantaſia nulla media ſpecie præſentat intellectui phantaſmata, tanquam

Phãtaſiam nulla media ſpecie præſentare obiectum intellectui qui probent. obiecta motiua ad intellectionem rei phãtaſiatæ. Quam opinionem præter *Ochamum, Gabrielem, Henricum, & Bachonium*, quos in poſitione ſpecierũ habemus aduerſarios; probarunt *Marſilius, & Scotus*, dum eſſet iuuenis, & plures referunt eandem probaſſe *Themiſtium, Theophraſtum, & Auempace*. Imò contra eam nullam rationem efficacem afferri poſſe, aſſerit Mayronius. Hac igitur ſuppoſita opinione allatam rationem nullam habere efficaciam facilè patet; quoniam indifferentia intellectus ſatis determinatur ab ipſis phantaſmatibus obiectiuè propoſitis: etenim ad illam rem intelligẽdam determinabitur intellectus, cuius phantaſmate ad intelligendum mouebitur. Nec deeſt aliqua ꝓbabilitatis apparentia; quoniam apud eos, qui ſpecies admittunt intellectus adhuc eſt indifferens ad vſum huius, vel illius ſpeciei: cuius indifferentia non ab alio determinatur, niſi vel à voluntate intellectum applicante ad hanc ſpeciem; vel ab aliquo phantaſmate præſentia externi ſenſibilis actuato, vt intellectum moueat ad vſum talis ſenſibilis. Quod ſi ſatis ſunt phantaſmata ad determinandam intellectus indifferentiam, vt hac potiùs quàm illa vtatur ſpecie; cur nõ ſatis erunt, vt ſublatis ſpeciebus determinent indifferentiã intellectus ad hoc potiùs obiectum intelligendum, quàm ad illud? Quibus accedit quòd rationes à Conimbricenſibus in contrarium adductæ ex ſe parum habent efficaciæ ad expugnandos aduerſarios, vt ſtatim manifeſtè oſtendemus. Oportebat igitur vt Authores huius rationis efficaciter impugnarẽt opinionem aduerſariorum. Hoc tamen, quod illi non præſtiterunt, aut ſaltem nõ efficaciter, inferiùs in hoc eodem artic. præſtabimus.

Tertia ratio ad ſtabiliendam ſpecierũ neceſſitatem ab alijs inde ſumitur, quòd intellectus noſter ex ſe eſt in pura potẽtia ad intelligendum, vt patet ex *Ariſtotele* 3. *de Anima c.* 4. *tex.* 3. 8. *&* 14. *& c.* 5. *tex.* 19. *& c.* 8. *tex.* 38. iam verò quod in ſe eſt in pura potentia ad actum ſecundũ, non poteſt fieri ſub illo, niſi per aliquam formam, quæ illi ſit formale principium, quo valeat in actũ ſecundum: quod enim ex ſe eſt in pura potẽtia ad aliquam operationem, non poteſt ad illam reduci, niſi pri⁹ reponatur in actu primo, proximaq; potentia ad talem actũ, per aliquid, quod illi ſit formale principium agendi, iuxta receptum Philoſophiæ principium ſumptum ex 8. *Phyſicorum c.* 4. *tex.* 32. *& clariùs ex* 2. *de Anima c.* 5. *tex.* 36: etenim inter 21. Tertia ratio pro ſpeciebus. *Ariſt.* *Ariſt.*

ter potentiam puram eſſentialemque, & actum ſecundum per ſe mediat actus primus, quo potentia illa actuetur, tanquam formali agēdi principio: ſed intellectus noſter in ſe ſpectatus eſt in pura potētia ad actū ſecundum intellectionis ex Ariſtotele in locis ſupra citatis: ergo neceſſariò requirit aliquam formam, qua conſtituatur in actu primo, vt poſſit intellectionem elicere. Hæc autē nulla eſt, niſi forma ſpeciesque intelligibilis. ¶ Sed oportebat impugnare aduerſariorum ſolutionem, dum dicunt, intellectū ſatis ſuperq; fieri in actu primo ad intelligendum per phantaſma ſibi obiectiuè propoſitum miniſterio phantaſiæ. Nos autem hanc ſolutionem ſtatim impugnabimus manifeſtis Ariſtotelis teſtimonijs.

Non eſt ſatis.

22. 4. ratio pro ſpeciebus.

Quarto loco alij neceſsitatem ſpecierū deducūt ex vnione obiecti cum intellectu, quam putant ſine ſpecie fieri nō poſſe; ſaltem naturaliter. Ita igitur argumētantur: intellectus non poteſt elicere notitiam obiecti, niſi illud habeat obiectiuè præſens ſibi, debitèque vnitum: ſed hæc obiectiua præſentia, & vnio fieri nō poteſt, ſaltem naturaliter, ſine ſpecie: ergo ſpecies omninò ſunt neceſſariæ. Diſcurſus eſt optimus. Maior apud omnes etiā aduerſarios eſt indubitata. Minor autem ex eo probatur; quia res, quę intelligitur, nec eſt, nec eſſe poteſt in anima ſecundū ſuam entitatē, ex Ariſtotele 3. de anima, cap. 8. text. 38. Deinde, quia ſecundùm ſuam entitatem loco diſtat ab intellectu. Tandem; quia ſecundùm ſuam entitatem eſt improportionata, vt cum intellectu concurrat ad producendam notitiam.

Non eſt ſatis firma.

¶ Hanc etiam rationem aduerſarij ſoluere nituntur docentes obiectum intellect⁹ ſatis ſufficienter fieri obiectiuè præſens, & vnitum per phantaſma illi præſentatū. Sed contra hoc inferiùs latè dicemus.

23. 3. Ratio ex Molina.

Quinto loco Molina vbi ſuprà ex eo putat cōuinci neceſsitatem ſpecierum; quia intellectū cognoſcere obiectum, non eſt aliud, quàm in ſe ipſo vitaliter exprimere imaginem ipſius obiecti. Ita igitur arguit: nō poteſt dari cognitio alicuius rei, quin per eam exprimatur imago illius: ſed intellectus, cum ex ſe non ſit ſimilitudo obiecti, non poteſt ſe ſolo producere illius imaginem: ergo aliquo alio opus habet, vt imaginē obiecti exprimat. Hoc autem aliud eſſe nequit, niſi aut obiectū ſecundùm ſe ſuamq; entitatem, aut imago ſeu ſpecies illius. Res autem ipſa ſecundū ſuam entitatem eſſe non poteſt; vel quia ex ſe eſt improportionata potentiæ; vel quia longè diſtat ab ea. Erit igitur aliqua ſpecies intelligibilis. ¶ Sed reſpondebūt aduerſarij intellectum ſatis determinari ab obiecto ſibi vnito obiectiuè, vel ſecundùm ſuam entitatem in cognitione intuitiua, vel in aliquo habitu in cognitione abſtractiua, vt poſſit exprimere imaginem obiecti. Quare efficacia huius rationis dependet ex impugnatione datæ ſolutionis. De quo ſtatim.

Non omninò conuincit.

Poſtremò argumentātur nōnulli: quoniam experientia conſtat dari ſpecies ſenſibiles, tam in ſenſibus externis, quàm in internis: quod adeo verū eſt vt *Auguſti.* 11. *de Trinit. c.* 2. affirmet tardioris ingenij eſſe illas negare: ergo nō ſunt negādæ ſpecies intelligibiles in noſtro intellectu. Conſequentiam inde probāt, quia ita ſe habet intellectus noſter ad intelligibile, vt ſenſus ad ſenſibile 3. *de Anima cap.* 4. *text.* 2. *& cap.* 7. *text.* 28. maximè cum intellectus noſter pro ſtatu viæ ſit alligatus ſenſibus. ¶ Hæc tamen ratio non omnes aduerſarios vrget; quia non omnes admittunt ſpecies ſenſibiles, vt Durandus, Ochamus, & Gabriel: vrget tamē Henricum, & Bachonium: qui admittētes ſpecies ſenſibiles; negant intelligibiles: nec enim apud iſtos ſufficiens ratio diſcriminis poterit aſsignari. Sed nec priores audiendi ſunt, quia contra manifeſtā experientiam loquuntur, vt ait Auguſtinus, de quo in ſecundo lib. de Anima plura diximus. Hæc igitur ratio à poſteriori ſumpta non eſt aſpernenda.

24. Poſtrema ratio.

D. Augu.

Ariſt.

Vrget contra Henricum, & Bachonium.

§. 3.

Phantaſmata ſine ſpeciebus non poſſe obiectiuè vniri cum noſtro intellectu, contra aduerſarios.

Neceſsitas ſpecierum non inefficaciter confirmabitur, ſi oſtendam⁹ abſurda eſſe, quæ aduerſarij docent. Et primo loco contra eos expendemus, an phantaſmata ſine ſpeciebus poſsint intellectui obiectiuè vniri? etenī omnes ſpecierum impugnatores in hoc conueniunt, vt dicant phantaſiam nulla media ſpecie ſufficienter ſubminiſtrare

25. Neceſsitas ſpecierum probatur impugnando aduerſarias ſentētias.

Qui probāt phantaſiam intellectui miniſtrare obiecta: *Ochamus. Gabriel. Durandus*

noſtro intellectui phantaſmata ſua, tanquam obiecta illius ſaltem in ordine ad primam cognitionem: ita docent *Ochamus in 2, quæſt. 14. & 15. in ſolutione primæ quæſtionis litera O. cum ſequentibus. Gabriel in 2. d. 3. q. 2. artic. 2. conſentiunt Durandus ibidem q. 6. nu. 13. Henricus quodl. 5. q. 14. lit. M. & O.* qui omnes in hoc conueniūt, vt phantaſia ſufficienter proponat intellectui ſuū phantaſma, tanquam obiectū, quo ad intelligendum moueatur, & quo primam intellectionem partialiter producat. Cum illis conſentiunt *Marſilius in 2. q. 7. art. 1. ad 5. contra nonam, & Bachonius in 2. d. 6. q. 1. art. 4. fol. 152. col. 2. §. ſed propter, & columna 3. ad 2. & latiſsimè 4. 2. prologi ar. 2. fol. 5. col. 3. §. propter hoc. Imò Scotus adhuc iuuenis in eadem fuit ſententia lib. 3. de Anima q. 17. Hanc etiam fuiſſe mentem Themiſtij refert Toletus 3. de Anima q. 21. fol. 190.* Contra hanc ſententiā nullam naturalem rationē poſſe Philoſophum afferre teſtatur Maironius in 1. d. 3. q. 10.

Marſilius. Bachonius

Scotus.

Themiſti⁹.

Toletus.

26. Confirmatur ex Durādo.

Quorum ſententia à Durando ita infirmatur: quoniam ſenſus, & intellectus in nobis ſunt potentiæ per ſe ſubordinatæ: hæc autem eſt naturalis ſubordinationis conditio, vt obiectum poſterioris potentiæ præſentetur illi per actum prioris: ob hanc enim cauſam intellectus per ſuā notitiā præſentat obiectū voluntati, & ſenſus externi ſenſibus internis; & inter internos, qui ſunt inferiores, obiecta propo nūt ſuperiorib⁹ gradatim aſcendendo: nā ſenſus exterior immediatè præſentat ſenſui communi ſuum obiectum; communis autem ſenſus illud communicat cæteris vſque ad vltimum; non ob aliam rationem, niſi quia ſenſus iſti inter ſe ſunt ſubalternati. Iam verò ſicut in ſenſibus ſubalternatis philoſophamur, ita philoſophādū eſt in ſenſu vltimo, & ſupremo (qualis eſt phantaſia) in ordine ad intellectū, cum inter ſe habeant ſubalternationem. Quæ Durandi doctrina non ineptè confirmari poteſt ex Dionyſio, dum ait ordinem vniuerſi ita eſſe inſtitutum, vt ſupremū infimi ſit coniunctum, & ſuo modo continuatum cum infimo ſupremi. Igitur cum phantaſia ſit ſupremū in ordine ſenſibilium, ſe ipſa in cognoſcendo continuari debet cum noſtro intellectu, qui eſt infimus intelligibilium. Cōtinuari autem cum illo non poteſt, niſi ſua actione intellectui præſentet ſuum obiectum, quo intellectus ad intelligendum moueatur.

Confirmatur ex Dionyſio.

27. Non obſtat obiectio cō tra, Durād.

Nec obſtat quod phantaſma, cum ſit materialis craſſæque naturæ, non eſt actu intelligibile, & ſubinde nec poteſt intellectum mouere ad actum ſecūdum, cum moueri non valeat, niſi ab obiecto actu intelligibili. Non obſtabit, inquā, ſi expēdamus mentem Durandi in 1. d. 3. q. 5. num. 24. vbi aſſerit phantaſma ex ſe habere virtutem ad mouendum intellectū eſſeque actu intelligibile; quia ex ſe eſt actus ſupremæ potentiæ in ſenſibilibus continuabilis cum infimo intelligibiliū, qualis eſt noſter intellectus; idque ſine vlla alia eleuatione intellectus agentis, quem putat eſſe fictitium. Quare pro Durando ita philoſophabimur, vt res ſenſibiles extra phantaſiam ſint intelligibiles ſolùm in potentia: attamen eo ipſo, quod ſunt in phantaſia, fiunt intelligibiles in actu, ideo præciſè, quia ſunt in ſupremo ſenſibilium. Quare res ſenſibiles poſſunt tranferri de vno ordine in alium (id eſt, de ſtatu, in quo ſunt intelligibiles in potentia, ad ſtatum, in quo fiunt intelligibiles in actu.) Hæc tamen translatio non conuenit phantaſmati. Nec hoc mirū videri debet (inquiet aliquis pro Durando) quia id ipſum docuit *Ferrarienſ. 2. contra gentes cap. 77. §. circa primum dictum reſponſionis*, dum ait phantaſma eo ipſo, quòd productum eſt à potentia radicata in eadem animæ eſſentia cum intellectu, ex ſua natura eſſe illuminatū, & aptū ad mouendum intellectum: quod ſatis etiam ſignificat D. Thomas 1. part. q. 85. art. 1. ad 3.

Ferrar.

28. Apud quos doctrin. Durandi vim habet.

Hoc Durandi fundamentum maiorē habet vim apud eos, qui admiſſo intellectu agente ad illuminandum phantaſma, volunt phantaſma illuminatū (quocunq; modo illud illuminetur) ſecluſa quacūque ſpecie eſſe actu intelligibile, & conſtitutum in ſupremo ſenſibilium: quæ fuit ſententia *Ochami vbi ſuprà lit. O. Gabrielis vbi ſuprà q. 2. art. 2. concl. 1. liter. L. Henrici quodl. 1. q. 14. M. O. Bachonij q. 2. prologi fol. 5. col. 3. in fine §. ſed iſta opinio, & §. cōfirmatur, & col. 4. §. ſecundo præmitto, & fol. 6. col. & 4. iterum id repetit in 2. d. 6. q. 1. per totum, & ſpecialiter ar. 4. fol. 152.* col.

Phantaſma illuminatū ſine ſpecie eſt actu intelligibile. *Ochami, Gabriel. Henricus Bachonius*

col. 2. §. ſed propter inſtantias, & col. 3. §. ad illud dicetur. In quo cum illis conueniunt *Caietanus 1. p. q. 79. ar. 3. §. circa hunc modum, & inferiùs §. ſingularis autem, & ar. 4. §. circa hanc rationem, Ferrarienſis 2. cont. gent. cap. 77. §. circa primum dictum reſponſionis, & §. ſed iſta propoſitio, quod etiam annotauit cap. 59. §. attendendum hoc loco, & Iauel. lib. 3. de Anima q. 3. de intellectu agente §. quantum ad ſecundùm in tertia opinione, & ſatis colligitur ex D. Thoma 2. contra gent. cap. 62. in 3. ratione, & in dicto cap. 76. & quæſtionib. de Anima articulo. 15.* Qui omnes docent phantaſma iam illuſtratum eſſe actu intelligibile, antequàm aliqua ſpecies ex eo abſtrahatur. Et quãuis hi Authores, id doceant in hoc ſenſu, vt phantaſma illuſtratum ante omnem ſpeciẽ ſit actu intelligibile, vt poſsit mouere intellectum producendo in eo ſpeciem, & in hoc ſenſu poſitum eſſe in ſupremo ſenſibilium, vt poſsit continuari cum intellectu poſsibili, qui intelligibiliũ eſt infimus: nihilominùs tamen pro Durando, & aduerſarijs faciunt, dum admittunt phantaſma illuſtratum ante omnem ſpeciem eſſe actu intelligibile, & conſtitutum in ſupremo infimi; cur igitur ita eleuatũ non poterit intellectui obiectiuè pręſentari, tanquam obiectum immediatè motiuum illius ad actum intelligendi? Hoc eſt totum aduerſariorum fundamẽtum.

Caietan. Ferrar. Iauelus. D. Thom.

Senſus prędictæ doctrinę.

29. Illatio cõtra allatas rationes.

Ex quo inferunt contra ſecundam rationem phantaſma, ſcilicet obiectiuè intellectui propoſitũ ſatis determinare indifferentiam intellectus ad hoc, vel illud intelligendum.

Inferunt deinde contra rationem 3. intellectum ſatis ſuperq; conſtitui in actu primo per phantaſma ſibi obiectiuè vnitum, quantumuis ſit forma illi extrinſeca. Quorum ſolutio non improbabiliter cõfirmatur, quia intellectus beati cõſtituitur in actu primo ad videndum diuinam eſſentiam per ſolam vnionem obiectiuam quam eſſentia habet ad intellectum, licèt illum intrinſecè non actuet: & apud Scotum aſsiſtentia concauſę partialis, quanuis extrinſeca ſit, ſufficiens eſt, vt alia cõcauſa cõſtituatur in actu primo, vt de viro & fœmina docet Scotus in ordine ad generationem. Denique phantaſma rei ſingularis coniunctum cũ ſpecie rei vniuerſalis cõſtituit intellectũ in actu primo ad intelligendum ſingulare, vt grauiſsimi Philoſophi docent.

Inferunt 3. contra 4. ſatis eſſe phantaſiam, vt obiectum fiat pręſens intellectui maximè ſi accedat lumen intellectus agẽtis. Denique inferunt contra 5. ſatis eſſe ipſum phantaſma obiectiuè vnitum, vt intellectus poſsit exprimere ſimilitudinem illius.

Oppoſita ſententia verior.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt peripateticã Ariſtotelis Philoſophiam non admittere phantaſma, quandiù in phãtaſia exiſtit, poſſe actione phãtaſię obiectiuè proponi intellectui, vt effectiuè concurrat ad actum intellectionis. Vnde præcitatam ſententiam aduerſariorum in propoſitis terminis Scotus factus doctior latiſsmè impugnat *in 1. d. 3. q. 6. à lit. A. vſque ad G. Lychetus ibidem fol. 87. col. 1. Bargius fol. 134. col. 3. in fine. Curſus Conimbricenſis lib. 3. de Anima q. 3. art. 2. Toletus ibidem q. 21. fol. 190. Palatius in eodem loco cap. 4. q. 4. fol. 258. col. 1. Ferrar. eodem loco q. 8. §. dupliciter autem. Ex antiquioribus latè eam impugnãt Ægidius de cognitione Angelorum q. 4. fol. 83. col. 4. §. viſo quomodo: expreſsè Capreolus in 1. d. 35. q. 1. art. 1. ad 6. Henrici contra primum fol. 236. col. 4.* vbi non ſolùm docet intellectum non poſſe fieri in actu primo, niſi per ſpeciẽ ſui obiecti, ſed etiam affirmat præſentiam obiecti in phantaſia, non ſufficere ad intellectionem. *Et in 1. d. 3. q. 2. ar. 3. ad 2. Durãdi contra 4. fol. 97. colum. 4. §. ad aliud dicitur quod nullus* licèt admittat ſenſum aliquo modo repreſentare intellectui ſuũ obiectum, aſſerit tamen id nõ fieri ſine ſpecie: *& ibidem col. 1. ad 5. cum Bernardo de Ganacho affirmat* intelligere non fieri ab intelligibili, niſi mediante ſpecie. Eandem ſententiam explicat Caietanus 1. p. q. 79. art. 1. §. *quod ad* 3. dum ait intellectum nõ poſſe pati à phantaſmate immediate, ſed mediãte ſpecie. Cõſentit *Bañes 1. p. q. 79. art. 3. in 3. dubio pag. 786. §. in hac q. Henricus quod antea docuerat pagin. 776. in 3. concluſ.* Et doctrina ſatis colligitur ex D. Thoma *quodlib. 1. quæſt. 2. artic. 1. & lib. 2. contra gentes, cap. 73. & 77.* vbi poſt alia docet rem materialem non poſſe immediatè

30. Præcitata doctrina nõ eſt vera.

Scotus. Lychetus. Conimbr. Bargius. Palatius. Ferrar. Ægidius. Capreol. Caietan. Bañes. Henricus. D. Thom.

mediatè agere in intellectum. Denique hæc eſt communis Philoſophorum, & Theologorum ſententia.

Expenduntur nonnullæ rationes pro communi ſententia.

31. Tota difficultas poſita eſt in redẽda ratione, cur phantaſma, ſecluſa omni ſpecie, non poſſit immediatè mouere intellectũ, vt verum illius obiectum ad actum intellectionis: nam quæ à noſtris adducuntur, non videntur aduerſarios vrgere, cum ſine probatione ſumant, id quod illi negãt.

32. 1. Ratio. Principale fundamẽtum, quod aduerſarijs obijcitur inde ſumitur, quòd phantaſmata ſunt entia quædam materialia, extenſa per materiam, & naturæ cuiuſdã craſſæ, & imperfectæ, & ob id non ſunt intelligibilia in actu; ſed ſolùm in potentia, & proinde inſufficientia, tum vt immediatè agant in intellectum, tum etiam vt illius intellectionem terminent: intellectus enim ſicut non poteſt immediatè moueri, niſi ab intelligibili in actu; ita nec terminari in ſuo actu, niſi ad actu intelligibile. Hoc eſt vnicum Ægidij fundamẽtum, quod probant Conimbriceſes, quod etiam tetigit *D. Thomas de veritate q. 8. ar. 9.* ¶ Sed argumentum iſtud, nec Durandum conuincit, quanuis neget dari intellectũ agentem; nec alios, qui admittunt, phantaſmata lumine intellectus agentis eleuari: etenim aduerſarij conſtanter docẽt phãtaſma ex eo, quòd eſt ſupremũ in fimi, ſufficiẽs eſſe, vt intellectũ poſſit obiectiuè mouere: maximè ſi ad talẽ in hoc ſtatũ lumine intellectus agẽtis eleuet. Et cũ in hoc pũcto plures ex noſtris habeãt patronos, vt oſtendimus; non eſt, quòd ſine illius fundamenti impugnatione, tanquam indubitatum ſumatur, phantaſma ratione ſuæ materialitatis, nec eſſe, nec eſſe poſſe intelligibile in actu.

Ægidius. D. Thom.

Non placet ratio.

33. 2. Ratio. Conimbr. Scotus. Secũdò arguũt Conimbricenſes, quòd phantaſma, non, niſi res ſingulares repręſentat; & tamen conſtat intellectum etiã obiecta communia percipere. Hoc medium latè perſequitur *Scotus in 1. d. 3. q. 6. à lit. A. vſq; ad E.* vbi ſupponit duo ſatis nota: primũ eſt; quòd intellectus poteſt intelligere rem vniuerſalem, quod eſt indubitatum. Alterum eſt; quòd vniuerſale, vt intelligatur, priùs debet eſſe pręſẽs intellectui, quàm intelligatur ab eo; etenim præſentia obiecti præſupponitur notitiæ, cũ illa ex obiecto, & potentia pariatur, vt ait Auguſtinus. His ſuppoſitis Scotus ſex medijs oſtendit vniuerſale, poſſe repræſentari per phantaſma: præcipuum tamen argumentũ hoc eſt: quoniam phantaſma de ſe repræſentat obiectum ſub ratione ſingularis: ergo nõ poteſt illud repræſentare ſub ratione vniuerſalis: nulla enim ſpecies habet duas rationes repræſentatiuas, vnde nec poteſt reprȩſentare obiectum ſub duplici ratione repræſentabilis. Quod maximè verũ eſt, quando ſpecies repræſentat vnũ obiectum ſecundùm totam ſuam virtutem, ſecũdùm quam totam phantaſma repræſentat ſingulare.

Hoc etiam argumentum parum vrget Ochamum, & Gabrielem, quia non docet phantaſma in omni intellectione pręſentari intellectui, ſed in ſola prima: quȩ ipſa (vt volunt) & eſt intuitiua, & terminatur ad ſingulare. Obiecta autem communia longè aliter intelligi, vt ſtatim dicemus. Sed nec vim habet apud Henricum & Bachonium, qui volunt primam intellectionem terminari ad quidditatem cõmunem, & vniuerſalem præſentatam in ipſo phantaſmatè illuminato, non præſentatis conditionibus indiuiduantibus. 34. Nec vrget Ochamum

Hæc Henricum.

Pro cuius explicatione aduertendum eſt argumentum ſolùm probare phantaſma ſumptum pro ſpecie rei phantaſiatæ, aut pro actu ipſius phantaſiæ (qui eſt rei phantaſiatæ ſimilitudo) non poſſe formaliter repræſentare quidditatem, ſine conditionibus indiuiduãtibus; quod tam Henricus, quàm Bachonius verbis expreſſis admittunt. Ita enim ſcribit Henricus quodl. 5. q. 14. lit. O. *Poſt hoc ſequitur operatio intellectus agentis id nobis circa phantaſma: hoc eſt non circa ſpecies impreſſas in imagine, ſed circa obiectũ particulare imaginatum intùs, quod priùs ſentiebatur extra.* Bachonius etiam in 2. q. prologi fol. 5. col. 4. ita habet: *præmitto hoc (quod multos decipit) quòd intellectus agens non agit circa ipſam ſpeciem exiſtentem in phantaſia: nã quidquid eſt in phantaſia ſemper remanet ſingulariter: ſed intellectus agens incipit actionem circa primum obiectũ phantaſiatum, ad quod terminabatur actus phãtaſiandi mediãte ſua ſpecie.* Ex quibus patet apud iſtos Docto- 35.

Henricus. Bachonius

Doctores intellectũ agentẽ non illuſtrare ipſum phantaſma, vt eſt formalis ſimilitudo rei phantaſiatæ, quaſi faciat illud formaliter repræſentare quidditatem ſine conditionibus indiuiduantibus, vt Scotus, & Conimbricenſes in argumento falſo ſupponũt: in hoc enim ſenſu falſum docerent; imò id, quod eſt impoſſibile, vt multi probant contra Caietanum (ſi tamen id ſenſit Caietanus) & nos latè probauimus *in 3. de Anima cap. 3. tractatu 3. q. 2. concl. 4.* nã cũ illa ſpecies ſit quoddam naturale repreſentatiuum Petri ſemper vno modo repræſentabit, & non aliter, & aliter: quare cum ex ſe repræſentet Petrum, & naturam humanam inuolutam cum conditionibus Petri, non poterit quantumcunque illuminetur, illam repræſentare non repræſentatis conditionibus Petri.

36. Illi igitur Authores ſolùm docent illuminationem intellectus agẽtis fieri circa ipſum obiectum phantaſiatũ, volũtq; quidditatem in Petro aduẽtu luminis denudari à conditionibus indiuiduantibus, cum quibus actu eſt coniuncta, & ab eiſdem abſtrahi ipſa luminis illuſtratione; abſtrahi inquam, & denudari, non vt in ipſo Petro phantaſiato appareat denudata, & abſtracta; quia apparens nunquam datur, niſi in aliquo repræſentatiuo: ſed in hoc ſenſu, quia quidditas ipſa in Petro phantaſiato fit actu intelligibilis potenſq; vt poſsit intellectui obiectiuè proponi abſque hoc quod conditiones indiuiduãtes fiant intelligibiles in actu, & potentes mouere intellectũ: hũc ſenſum expreſſè declarant Henric. & Bachonius in locis citatis. Hæc autẽ abſtractio, & denudatio nullã arguit mutationẽ realẽ, aut in ipſa ſpecie phantaſmatis, aut in ipſa quidditate phantaſiata, ſed ſolũ arguit mutationẽ ſecundũ eſſe rationis, quatenùs arguit tranſitũ de non eſſe actu intellegibile, ad eſſe actu intelligibile, quam variationem admittit Commentator cum omnibus Philoſophis, imò eam tenẽtur admittere ſpecierum patroni: nam cũ admittant phãtaſma cõcurrere effectiuè ad ſpeciem ipſius quidditatis, non poſſunt non admittere ipſam quidditatem phantaſiatam, ad inſtar cuius ſpecies producitur, ante productionem ſpeciei eſſe actu intelligibilẽ, vel formaliter, vt putat Caietanus cum pleriſque alijs; vel cauſaliter, vt aſſerunt Ferrari. Bañes, & alij: cũ verò nõ ſit talis ratione cõditionũ materialiũ; vtique ſolũ erit talis ratione ſui, quanuis in Petro ſit cum illis realiter coniuncta. Cur igitur in ſenſu explicato non dicetur denudata, & abſtracta ab illis? Hæc diximus, vt oſtẽderemus argumẽtum allatum aduerſarijs nihil officere, niſi aliud addatur.

Tertia ratio pro cõmuni ſententia adducitur à Scoto vbi ſuprà lit. F. §. *item potentia*, & à Conimbricenſibus: quoniam magna foret natureę intellectualis imperfectio, ſi non in ſe, ſed in corpore haberet principium nobiliſsimæ ſuę operationis. 37. 3 Ratio. Scoti. Hãc imperfectionẽ Scot⁹ probat: tũ; quia imperfectio magna foret intellectiuæ potẽtiæ, ſi non poſſet habere ſuum obiectũ præſens ſibi, niſi per potentiam, cui contingenter adiungitur: nam cum nõ poſſet habere operationem, niſi habeat ſuum obiectũ ſufficienter ſibi præſens; & phantaſiæ contingenter coniũgatur, non poſſet operari, niſi contingenter. ¶ Tum ſecundo; quia ad perfectionem potentiæ cognoſcitiuæ pertinet habere obiectum ſufficienter ſibi præſens in ſe ipſa: hæc enim perfectio reperitur in potentia ſenſitiua, ſiquidem phantaſia in ſe ipſa, & nõ in alia potentia inferiori habet præſentiã ſui obiecti: ſenſus etiam communis habet colorem ſibi præſentem præſentialitate ſibi propria, & non ſecundaria, qualis eſt, quæ eſt in potentia inferiori: habet enim colorem ſibi præſentem in ſpecie exiſtẽte in proprio ſuo organo. Eſſet igitur imperfectionis potentię intellectiuæ ſi preſentiam ſui obiecti mendicaret à phantaſia. ¶ Addit tertio loco Scotus *vbi ſuprà lit. E. §. de ſecundo membro*, ex illa opinione inferri intellectum eſſe non poſſe ſine corpore: etenim ex Ariſt. I. de Anima c. I. text. 12. ſi intellectus non poteſt habere operationem propriam independentẽ à corpore potentijſque corporeis, nõ poteſt habere eſſe ſeparatum à corpore. At ſi intellectus nõ poteſt habere obiectum ſuum præſens in ſe ipſo, ſed ſolùm in phãtaſia, vtiq; non poteſt habere operationẽ ſibi propriam independẽtem à corpore; quia in præſentia ſui obiecti, ſine qua operari non poteſt dependet à phantaſia. *Scotus.*

38. Non vrget ratio. Sed nec iſta ratio aduerſarios vrget; quia ex eo, quo nituntur fundamẽto, facilem

cilem

Reſp. ad 1.

cilem habent reſponſionem: reſpondebunt enim dependentiam illam naturalem eſſe ſtatui coniunctionis animæ cum corpore mortali; & ideo nullam dicere imperfectionem, niſi ſolius ſtatus: quin potius ſuppoſita ſtatus imperfectione perfectionem includit: nam cum modus intelligendi naturaliter conſequatur modum eſſendi, vt diximus q. 2. oportuit, vt ſicut in genere eſſendi infimum genus intelligibilium qualis eſt anima, immediatè cõtinuatur cum ſupremo ordinis inferioris rerũ corporalium, quale eſt corpus humanum habẽs potentia vitam intellectiuam; ita etiam in genere intelligibilium infimum ordinis ſuperioris (qualis eſt intellectus humanus) immediatè coniungeretur cum ſupremo ordinis ſenſibilium, quale eſt phantaſma humanum, maximè, quãdo lumine intellectus agentis eſt illuſtratum. Hæc autem immediata coniunctio, & continuatio aliter fieri non potuit, ſi ſpecies tollantur, niſi intellectus in ſua prima intellectione ſuum obiectum haberet in phantaſia omnium potentiarum ſenſitiuarũ ſuprema.

39. Ad primam inſtantiam Scoti negandum eſt potentiam intellectiuam contingenter coniungi cũ phantaſia: nec enim infimum ſupremi peraccidens coniungitur cũ ſupremo infimi, ſed per ſe, & naturaliter, vt Magnus docet Dionyſius.

40.
Ad 2. Ad ſecundam inſtantiam negandum eſt ad perfectionem potentiæ cognoſcẽtis pertinere habere intra ſe obiectum, à quo moueatur, vt latè oſtẽdit Bachonius in dicta q. 2. prologi fol. 5. col. 4. §. *ſecũdo præmitto*. Nec hoc reperitur in potentia ſenſitiua, vt ibidem ſcribit, & ſatis quidẽ Philoſophicè: nam ſenſus externi non habẽt intra ſe obiecta, à quibus mouẽtur, ſed extra: idq; ſiue ſpecies admittãtur, ſiue nõ. Senſum autem communem ſimul cũ externo immutari ab externo ſenſibili docet *D. Thomas quodl. 1. q. 2. art. 1. & Caietanus lib. 2. & 3. de Anima vtrobiq; cap. vlt.* vnde cũ ſenſibus externis continuatur, tanquam cum ſingulis ſit vnus, & idem, vt benè dixit *Ferrar. 2. contra gentes cap. 66.* & eandem cũ ſingulis habet ſenſationem, vt diximus in libris de Anima. Falſum eſt igitur ſenſum communem habere intus obiectum, à quo primò immutatur. Phantaſiam autem non habere intra ſe obiectum à quo primò mouetur, vel ad ſpeciem recipiendam, vel ad actum phantaſiandi, ſed extra in ſenſu communi, ſatis colliges ex Ariſtotele, *tũ in 3. de Anima cap. 3. text. 155. & 160. tum in lib. de Inſomnijs cap. 1. in fine, dum ait imaginationem eſſe motionem factam à ſenſu in actu*: non quidem à ſe iam actuato, vt malè quidam explicant; ſed à ſenſu inferiori, qui motus à ſuo ſenſibili mouet ipsã phantaſiam: quæ eſt vera, & germana Ariſtotelis expoſitio ex ipſa litera clare deſumpta, vt modo ſupponimus. Igitur phantaſia nõ habet intra ſe, ſed extra ſe in alia potentia obiectum, à quo primò mouetur, vel ad ſpeciem, vel ad actum phantaſiandi.

D. Thom. Caietan. Ferrar. Ariſt.

Diximus *obiectum à quo primò mouetur*; 41.
quoniam hoc loco non agimus de obiecto terminatiuo operationis phantaſiæ: hoc enim non poteſt extra ſe habere, ſed intus; nam cum operatio ſit formalis expreſſio ſui obiecti vtique illud intus exprimit, & hæc eſt ſentẽtia Henrici quodl. 8. q. 12. lit. B. in fine. Sed de hoc alibi plura diximus. ¶ Ad 3. Scoti inſtantiam neganda eſt ſequela: cui non fauet id, quod ex Ariſtotel. adducitur: quoniam Ariſtoteles in illo loco illam ſolam operationem appellat eſſe propriam animæ, quæ eſt independens à corpore, vt à ſubiecto, quamuis ab eo dependeat, vt ab obiecto, vt latè oſtendimus ſuprà quæſt. 1. art. 4. §. 5. ad 3.

Ad 3. inſtantia.

Quartam tandem rationem adducunt Conimbricenſes loco citato, vbi ita arguunt: phantaſmata non ſunt intimè cõiuncta intellectui, cum non inhæreant in anima, ſed in corpore. At nihil operatur, niſi per virtutem, quæ in ipſo eſt, vt ex Ariſtotele in 2. de Anima cap. 1. tex. 4. abſtruit D. Thomas. 2. contra gentes cap. 76. ¶ Sed ad hoc argumentum negabunt aduerſarij phantaſmata non eſſe intimè coniuncta intellectui coniunctione obiectiua, & intelligibili: nec enim ad hanc vnionem opus eſt, vt phantaſmata animæ inhæreant; etenim ſenſibilia externa non inhærent oculo, & tamen ſunt obiectiuè coniuncta potentię viſiuæ: ſatis eſt igitur, quod phantaſmata inhæreant phantaſiæ, quæ eſt miniſtra intellectus. Id quod D. Thomas ex Ariſtotele adducit intelligendum eſt de virtute formali ope-

42. 4. Ratio Conimbric.

Reſp. aduerſariorum.

D. Thom.

operandi: hæc enim operanti debet eſſe ... forma vt operandi, quale non eſt phantaſma: quia non concurrit cū intellectu, vt principiū formale intelligendi, ſed vt concauſa minùs principalis, & veluti inſtrumentalis.

Vera confirmatio cōmunis ſententiæ.

43. Vera probatio. Ego puto cum Mayronio aduerſariorum fundamentū rationibus naturalibus non poſſe ſufficienter falſitatis conuinci: ſufficiēter tamē conuinci ex Philoſophia Ariſt. probata: quod nobis ſatis eſſe debet, vt illud tanquam falſum relinquamus.

Quòd verò ex Philoſophia Ariſtotelis euidenter conuincatur phantaſma quantumcūq; illuminatū ſit, non poſſe præſentari intellectui, tanquam obiectū, à quo ad intellectionem immediatè moueatur, ſed neceſſaria ſit ſpecies intelligibilis in ipſo intellectu recepta; facilè conuincitur ex eo, quod intellectus nullā rem poteſt intelligere, niſi priùs quam eā intelligat, actu fiat ipſa, idq; per aliquā formam immaterialē in eo receptā, tanquam actū in potētia, & formam in materia, per veram, & realem paſsionē ipſius intellectus; non quidem corruptiuam, ſed perfectiuā: quæ omnia euidenter oſtendimus ſuprà §. 2. in 1. ratione. Vbi etiam oſtendimus, intellectum non poſſe fieri ipſam rē per ſolam vnionem obiectiuam phantaſmatis quantumcunq; illuſtrati: quia tale phantaſma, nec poteſt intellectū intrinſecè actuare, aut perficere; nec vnum fieri cū illo in eſſe intelligibili, ſi Philoſophiā Ariſtotelis attendamus. Quomodo igitur phantaſma poterit intellectui præſentari, & proponi, tanquam obiectum mouens ad actum ſecundum? Etenim nunquam obiectum poteſt intellectum immediatè mouere ad intellectionem alicuius rei, niſi intellectus iam ſit factus ipſa res, & conſtitutus in actu primo ad intelligendum eam. Quare ſi talis eſſe non poteſt per ſolam præſentationem phantaſmatis, vt ex Ariſtotele oſtendimus; qui fieri poteſt, vt phantaſma ſe ipſo poſsit ita eſſe obiectiuè vnitum intellectui, vt immediatè illū moueat ad actū?

44. Concedimus phantaſma illuminatum eſſe quidem motiuum intellectus, & alteratiuum illius per realem motionem, qua producit ſpeciem intelligibilem, qua intellect⁹ formaliter, & intrinſecè ſit ipſa res, & conſtituitur in actu primo ad intelligendum: non tamen poſſe intellectū mouere motione obiectiua, & intelligibili immediatè ad actum intelligendi, vt benè aduertit Scotus *in 1. d. 3. q. 6. lit. I, §. ad ſecundum de præſentia, & lit. L, §. ad 4. dico*: apud quem duplex motio intellectus poſsibilis diſtinguenda eſt, antequam ille ſit in actu ſecundo. Vna eſt realis; altera eſt intentionalis. Prima fit cum actiuè recipit ſpeciem intelligibilem: & ad hanc non eſt neceſſaria præſentia in ratione obiecti, ſed ſatis eſt præſentia entitatiua in ratione cauſæ, & principij efficientis. Secunda motio fit cum obiectū iam in ſpecie repræſentatum, factumque ſimpliciter intelligibile in actu, applicatur ad vſum exercitiumq; intelligendi: quod tūc fit, cū obiectū cū intellectu ad actum cōcurrit. Et hæc poſterior motio eſt motio obiectiua veluti intentionalis, quæ requirit præſentiam obiectiuā, hæc autē nō datur, niſi quādo res iam pręſentatur per ſpeciem actuatam, & applicatā ad vſum. *Scotus.*

45. *Ad Dionyſium.* Nec doctrina Magni Dionyſij aliquid iuuat aduerſarios: nam admittimus ſupremum infimi continuari cum infimo ſupremi; negamus tamen hanc continuationem fieri per motionem qua phantaſma exiſtens in phantaſia immediatè moueat intellectum ad actum intellectionis, vt malè ſupponunt aduerſarij, & contra expreſſam Ariſtotelis Philoſophiam, dū docuit intellectum priùs fieri rem, quæ debet intelligi, quàm ad illam intelligendam obiectiuè moueatur. Fit igitur hæc continuatio per productionem ſpeciei intelligibilis. Vndè admittimus phantaſma illuſtratum coniunctum cum intellectu agente iam eſſe ſupremum infimi, quantumvis ſit in phantaſia; coniungi autem, & continuari cū infimo ſupremi, intellectu ſcilicet poſsibili, per ſpeciem, quam effectiuè producit. Hæc igitur ſit vera, & peripatetica huius rei Philoſophia. Quæ non ineptè ex eo confirmari poteſt; quia intellectus non poteſt obiectiuè moueri ad actum ſecūdum, niſi ab obiecto, quod licèt eſſentialiter ſit naturæ ſenſibilis; non tamen eſt ſecundùm eſſe ſenſibile, & materiale, ſed ſimpliciter immateriale in genere intelligibilium. Quod eſſe res ſenſi-

ſenſibilis nunquam habet, niſi prout repræſentatur per formam ſpiritualem abſtractam ab omni materia. Sed hoc latiùs diſputare non eſt huius loci.

Corollaria ex præcedenti Philoſophia.

46. A. Corollariũ. EX hac Philoſophia 1. infertur efficacia ſecundæ rationis, quam pro ſpeciebus adduximus §. 1. ex illa enim coſtat indifferentiã intellectus non poſſe immediatè determinari per phantaſma, ſed per ſpeciem intelligibilem, & per obiectum in ea repræſentatum: nam intellectus tunc cõplete determinatur ad hoc intelligendũ potiùs, quam illud, cum per formam intelligibilem fit illud. Nec obſtat, quod in 1. ratione pro aduerſarijs dicebamus, intellectũ ſcilicet admiſsis ſpeciebus poſſe per phantaſma applicari ad vſum exercitiumq; intelligendi; quoniã non inde infertur poſſe per phantaſma immediatè moueri ad actum intelligẽdi: cum enim intellectus ſit potẽtia phyſica, & vniuerſalis, non poteſt determinari ad actum eliciendũ, niſi per formam phyſicã, quę realiter ſit principiũ talis act⁹, vt bene aduertit Bellomonta. 1. p. d. 200. c. 3. n. 8. ad vſum verò, & exercitiũ poteſt determinari à phãtaſmate mediatè tamẽ; quatenus ſcilicet phantaſma ab externo ſenſibili motũ mouet ſpeciem, vt ad exercitiũ applicetur, quod poteſt efficere, cũ ex ſe fuerit prĩcipiũ phyſicũ talis ſpeciei.

47. 2. Corollar. Infertur 2. vis, & efficacia 3. rationis: cõſtat enim ex Philoſophia Ariſtot. intellectũ nõ poſſe conſtitui in actu primo per vnionẽ phantaſmatis; quia in actu primo cõſtituitur per formã, qua formaliter fit ipſa res, & quę in eo recipitur paſsione perfectiua, nõ negamus tñ poſſe aliquod agẽs cõſtitui in actu primo per aſsiſtentiã extrinſecã alicuius, tanquã concauſę: ſed negamus, poſſe aliquod agens cõſtitui in actu primo per aliquã formam extrinſecã, quæ illi ſit formalis virtus, formaleq; agendi principiũ: hæc enim virtus nõ poteſt non eſſe forma agenti intrinſeca: vt colligitur ex Ariſtot. 2. de Anima cap. 1. tex. 4. & ex D. Thom. 2. contr. gent. cap. 76. Iam verò ex Ariſtot. forma intelligibilis, qua intellectus fit ipſa res, eſt ipſa intellectus virtus, formaleq; principiũ, quo virtus intellectiua cõpletur, & fit in potentia proxima ad intelligendũ, vt ſuo loco inferiùs dicemus. Quomodo autem ſe habeat diuina eſſentia ad intellectũ beati ſuo loco explicabimus.

Infertur 3. efficacẽ eſſe rationẽ 4. loco adductã: quia repugnat Philoſophiæ explicatę, quòd obiectũ immediatè fiat præſẽs obiectiuè intellectui actione phantaſiæ: quia repugnat philoſophię Ariſtot. phantaſma vnione obiectiua vniri intellectui, vt iam diximus. 48. 3. Corol.

Tandem infertur confirmatio, & efficacia. 5. rationis, quam ex Molina adduximus. Nam ſi Philoſophiam ex Ariſtotele adductam expendimus, ideo intellectus poteſt intelligendo exprimere rem, quam intelligit; quia intellectus antequã eam intelligat, eſt ipſa res. Quã Ariſtotelis Philoſophiam confirmat Auguſtin. dum ait intellectionem eſſe partum, ſiue prolem ipſius intellectus; quia ſcilicet fęcundatus forma rei intellectæ intelligendo exprimit, & veluti parit notitiam, qua ſe ipſum exprimat. 49. Vlt. corol.

Ex quibus manifeſtè cõcluditur primum aduerſariorum fundamentum non eſſe admittendum, tanquam Ariſtotelicæ doctrinæ contrarium. Sed alia etiam contra eos abſurda expendamus. 50.

§. 4.

Pro confirmandis ſpeciebus explicantur nonnulla abſurda opinionis aduerſariæ.

VLtimo loco pro confirmandis ſpeciebus in noſtro intellectu aſſerẽda ſunt nonnulla abſurda, quæ aduerſarij ſcribunt. 51. Abſurdũ 1. ex contraria opinione.

Primo loco abſurdũ, & parum Philoſophicũ eſt, quod Ochamus, & Gabriel docent, primam notitiã noſtri intellectus cauſatam à phantaſmate eſſe intuitiuam, vt videre eſt apud *Ochamũ in 2. d. 14. & 15. lit. O, & Gabrielem ibid. d. 3. q. 2. art. 2.* Hoc autem eſſe abſurdũ multis probari poteſt. Et primò; quia de ratione notitię intuitiuæ eſt, quòd terminetur ad rẽ exiſtentẽ, vt exiſtẽs eſt, ita vt ipſa realis exiſtentia, & præſentia rei ſit formalis ratio, qua res potentiã moueat, & notitiã terminet, vt oſtẽdimus ſuprà lib. 4. q. 9. ar. 2 n. 17. & 8. Iã verò res ad extra nõ poteſt eſſe præſens phantaſiæ ſecundũ ſuã realẽ exiſtẽtiã, & pręſentiã, vt ſtatim dicemus. *Ocham. Gabriel.*

Deinde

Deinde, quia in phantaſia non datur noti[illegible]tiua, ſed abſtractiua, vt ait Gabriel in d. q. 2. art. 1. poſt quintam concl. §. *Si quæris*: etenim phantaſia ex ſua natura habet ipſum ſenſibile intra ſe ſecundùm eſſe quoddam phātaſiatum, in quo ab Ariſtotele appellatur idolum, ſiue ſimulacrum rei ſenſatæ. Tertiò; quia experimur nos pleraq; cognoſcere, quę nunquā vidim⁹.

52. 2. Abſurdū. Secundum abſurdū eſt, phantaſiā poſſe intellectui proponere ſuum obiectū ſi ſpecies tollantur: quod tamen affirmant Ochamus, & Gabriel: nā cum phantaſia ſit ſenſus internus reſidēs in cerebro; quomodo poterit ſenſibilia proponere apud intellectum, ſi nullas in ſe habet ſpecies ſenſibiles? nam ſi ex Ariſtotele res ad extra non poſſunt eſſe in anima, quomodo erunt intus in cerebro? etenim à ſenſibus externis ad phantaſiam nulla dantur foramina, ſicut dātur vſq; ad ſenſum cōmunē.

53. 3. Abſurdū. Tertium abſurdū eſt, quod Ochamus, & Gabriel aſſerunt cum prima notitia intuitiua ſimul produci abſtractiuam eiuſdem obiecti; & ab hac produci quendam habitum ad intelligenda obiecta cōmunia, & abſentia: hæc enim Philoſophia futilis eſt, & ſine fundamento aſſerta: vt omittamus habitus ad cognitionem abſtratiuā cōmuniter ab omnibus relegari. Et ſatis ſit hæc adnotaſſe, vt ex illorū abſurditate confirmetur neceſsitas ſpecierum.

§. 5.

Soluuntur argumenta contra ſpecies.

54. Ad 1. cōtra ſpecies. SEd expendamus argumenta, quibus aduerſarij mouentur ad relegāndas ſpecies à noſtro intellectu. ¶ Primò ſic arguunt: ſpecies ideo admittuntur vt res intelligenda fiat obiectiuè præſens intellectui. Ad hoc autem non ſunt neceſſariæ. Tum; quia actione phantaſiæ poteſt fieri talis præſentia, cum illa ſit miniſtra intellectus. Tum etiam; quia ſatis ſit præſens per intellectionem. Tum 3. quia obiectum priùs ſit præſens potentiæ, quam ſpecies producatur: priùs enim album eſt præſens oculo, quam ſpeciem viſibilem in illum emittat. Tum denique; quia ſingularia ſe ipſis ſunt præſentia, etiam ſi nulla detur ſpecies; vniuerſalia verò non poſſunt eſſe præſentia per ſpeciem in ſe ipſa ſingularem.

Huic argumento reſpondetur neceſſitatem ſpecierum per ſe primò ſumi ex eo, quod oportet, vt intellectus fiat ipſę res, idque per intelligibiles rerum formas, vt ex Ariſtotele latè oſtendimus: & hinc colligim⁹ eas etiam eſſe neceſſarias, vt res intelligibiles fiant intellectui præſentes, idque intra ipſum intellectum, vt ex dictis patęt. 55.

Ad 1. impugnationē omiſſa ſolutione Conimbricenſiū 3. de Anima c. 5. q. 3. ar. 3. ad 1. quia vim argumenti nō attingit: omiſsis item nonnullis ſolutionibus adductis à Capreolo in 1. d. 35. q. 1. art. 3. ad 6. Henrici fol. 236. col. 4. quia nulla earum tollit difficultatem: dicendum eſt in potentijs per ſe ſubordinatis priorē aliquo modo miniſtrare obiectum ſuperiori; nō tamen neceſſarium eſſe, vt illud ita miniſtret, vt ſuperior in illud immediatè tendat: nam quanuis potentia cognoſcens, ita appetenti præſentet obiectum, vt appetens ſua actione immediatè in illud feratur: tamen non ita ſe res habet in potētijs cognoſcentibus; quia nulla ita ſuperiori miniſtrat obiectū, vt ſuperior in illud feratur pro vt exiſtit in inferiori. Nā ſenſus cōmunis nō percipit obiectū ſibi pręſentatū à ſenſu externo, quanuis percipiat illud medio externo ſenſu: ſēſibile enim externū per ſpeciē immediatè à ſe emiſſam in ſenſum cōmunem percipitur à cōmmuni ſenſu. Nec etiam actus phātaſiæ terminatur ad obiectum, vt exiſtit in ſenſu cōmuni, ſed in obiectum ſibi per propriam ſpeciem præſentatum. Vnde, & illud actu in ſe ipſa phantaſiatur. Idem igitur dicendum erit de intellectu reſpectu obiecti, quod eſt in phantaſia. Quare phantaſia tanquam potentia prior in eo miniſtrat intellectui, quo proponit intellectui agenti phantaſma tanquam materiam, ex qua abſtrahit ſpeciem, quæ recepta in intellectu poſsibili illi intus obiectū præſentet. Ratio autē diſcriminis inter has, & illas potentias hæc eſt: quia potētia appetēs nō expectat, vt fiat ipſū obiectū actione cognoſcētis, ſed vt ab eo dirigatur, cū ſit cęca: dirigitur autē dū illi per intellectū in[illegible]natur bonū, in quod ferť. At potētia cognoſcēs expectat, vt ab inferiori effectiuè fiat res ipſa, quā debet cognoſcere, idq; emiſsione formarū intelligibiliū. Nec huic doctrinę obſtat intellectū 56. Solutio ad 1. impugnationem.

nō poſſe, niſi cū phantaſmate intelligere, vt ait Ariſtotel. 3. de Anima c. 8. tex. 38. quoniā aliud eſt, intellectū nō intelligere obiectū, niſi phantaſia ſimul illud phantaſietur, & aliud, intellectum directò, & terminatiuè apprehēdere phantaſma poſitū in phantaſia. De quo multa diximus ſuprà.

57. Ad 2. Impugnationem. Ad 2. impugnationē patet ſolutio: quia ex Ariſtotele, & Auguſt. iam oſtendim⁹ opus eſſe, vt obiectū priùs fiat obiectiuè præſens intellectui, quā intellectio producatur. 3. inſtantia in æquiuoco laborat non diſtinguens præſentiā obiecti, vt effectiuè ſpeciē producit in potentiā, à præſentia obiectiua intra ipſam potentiā hāc autem duplicē præſentiam eſſe diſtinguēdam ſuperiùs oſtendimus cum Scoto, & alijs. Albū igitur in ſe ipſo priùs eſt præſens præſentia reali, & locali, vt poſsit emittere ſpeciē viſibilem: non tñ ante ſpeciē eſt præſens pręſentia obiectiua. Similiter dicendū eſt de phātaſmate. Poſtrema inſtantia petit difficultatē, de qua in 3. ar.

58. Ad 2. Secūdò obijciunt; quoniā ſpecies ideo ponuntur eſſe imagines, vt per eas res ab intellectu cognoſcantur. Debent igitur priùs cognoſci in ſe ipſis, vt fit in cæteris imaginibus. Oppoſitum docet experientia. Reſpondetur ſpecies admitti, vt imagines rerū non inſtrumētales, ſed formales. Signa verò formalia non cognoſcūtur in ſe ipſis, vt alia ſignificent. Vide *Conimbricenſes de Interpretatione cap. 1. q. 2. art. 3. & quæ dicemus q. 2. art. 1.* *Conimbr.*

59. Ad 3. Tertia obiectio: quia ſpecies (ſi darētur) eſſent eiuſdem ſpeciei cū rebus quarū ſunt ſpecies: quod eſt falſum; quia ſūt qualitates, res verò ſunt ſubſtantiæ. Sequela probatur: primò, quia ſpecies ponuntur, vt ſimilitudines rerū: ſimilitudo autē non datur inter res diuerſarū ſpecierū. 2. quia cum ducāt in cognitionē rerū, non poſſunt ducere, niſi vt effecta illarū, & adhuc vniuoca. Tertiò; quia ſpecies ſēſibiles in medio ſunt eiuſdē ſpeciei cum ſenſibilibus. Reſpondetur maiorem eſſe falſam, ſi intelligatur de identitate ſpecifica in eſſendo: nec enim opus eſt, vt ſimilitudo formalis alterius ſit eiuſdē ſpeciei in eſſendo cū illo. Prima probatio ſequelæ ſolū probat nō dari ſimilitudinē in eſſendo, quod admittimus: cū quo ſtat, quòd detur ſimilitudo in repræſentādo, 2. probatio eodē modo claudicat: quia nō eſt opus, quod ſimilitudo formalis alterius, ſit effectus illius vniuocus in genere rei. 3. deniq; ſupponit ſpecies ſenſibiles eſſe eiudē rationis in eſſendo cū ſenſibilibus, quod eſſe falſum patebit q. 2. art. 1.

4. Obiectio: ſi ſpecies darentur, non poſſet intellectus ceſſare ab actuali notitia rerū, quarum ſunt ſpecies: etenim naturaliter mouerent intellectū. Conſequens tñ repugnat experientiæ. Reſpondetur negatione ſequelę: nec enim intellectus ſemper vtitur ſuis ſpeciebus: quia indiget, vt excitetur ad intelligendum. Species autē modificantur ad modum ipſius intellectus: vnde debent applicari ad vſū, vel à voluntate, vel à phantaſia. Cū verò nō ſemper applicentur ad vſum, non ſemper ſunt in actu, ſed interdū in potentia. Vide D. Thom. 1. *p. q. 57. ar. 4. & q. 107. ar. 1. de Veritate. q. 8. ar. 13. & 14. & q. 9. ar. 4. & de Malo q. 7. ar. 8. & Capreolum in 2. d. 3. q. 2. fol. 107. col. 2.* 60. Ad 4. *D. Thom.* *Capreol.*

5. Obiectio: intellectus multa poteſt intelligere ſine ſpecie: ergo ſpecies non ſūt ſimpliciter neceſſarię ad intelligēdū. Cōſequentia indè patet: quia ſi eſſent admittēdę, ideo admitteretur, quia intellectus abſq; ſpecie nihil poſſet intelligere. Antecedēs probatur: primò; quia Deū, & ſubſtantias ſeparatas intelligimus: nec tñ aut Dei, aut Angelorū ſpecies habemus. Deinde; quia quæ intuitiuè videtur, ſine ſpecie videntur; vnde Angelus ſine ſpecie ſe ipſum cognoſcit per ſuam eſſentiā. Denique vnus Angelus ſine interuentu ſpeciei cognoſcit Angelū à ſe indiſtantē. Reſpondemus intellectū nihil poſſe cognoſcere, niſi vel proximè, vel remotè mediet aliqua ſpecies, vel aliquid, quod ſubeat vicē ſpeciei. In quo ſenſu negandū eſt antecedens. Ad 1. probationē dicimus in nobis nō dari ſpecies proprias Dei, & Angelorū: attamen per ſpecies cognoſcimus ea, per quę ad illorū intelligentiā per diſcurſū deuenimus. Ad 2. probationē dicimus ſingularia, & ea, quæ intuitiuè cognoſcimus per ſpecies à nobis cognoſci, vt inferiùs dicemus: & quāuis admitterem⁹ ſpecies nō eſſe neceſſarias ad cognitionē intuitiuā, non proindè abſolutè negandę ſunt ſpecies, ſed admittendę ad cognitionē abſtractiuam, propter diuerſam rationē, quæ datur in vna, & altera cognitio- 61. Ad 5.

ne

ne,vt dicemus inferiùs. Quod verò adducitur de Angelo alteri per indiſtantiam coniuncto , non ſatis Philoſophicè aſſeritur,vt alio in loco iam oſttendimus.

62. Ad 6. Sexta obiectio : ſi daretur ſpecies intelligibilis , illa eſſet limitata ad certam ſpeciem , vt patet: ergo nulla poſſet repræſentare alia à ſe : etenim ideo Angelus per ſuam eſſentiam non intelligit alia à ſe: quia eſſentia illius limitata eſt ad certam entis ſpeciem. Reſpondetur limitationem ad certum genus , & ſpeciem impedire ne vnum valeat eſſe ſimilitudo obiectiua alterius perfecta, & diſtincta;non tamen ne ſit alterius ſimilitudo formalis, qualis eſt ſpecies. Etenim prior ſimilitudo cum repræſentet aliud,vt virtualiter, vel participatiuè cōtentū in ſua entitate; nec poſsit illud continere quo ad omnia, non poteſt eſſe perfecta ſimilitudo obiectiua eius. Oppoſitum reperitur in ſimilitudine formali: hæc enim cum ſit ſimilitudo ſolū in repræſentando,poteſt formaliter referre,quidquid in alio continetur : de quo plura q. ſequenti art. 1.

63. Ad 7. Septima obiectio : vt ſe habet bonum ad voluntatem , ita verum ad intellectū. Sed bonum non vnitur voluntati interuentu alicuius ſpeciei , vt omnes concedunt : ergo nec verum indiget ſpecie, vt ſe vniat intellectui . Ad hoc argumentū neganda eſt maior,propter diuerſam rationem , quæ datur in potentia cognoſcente, & appetente. Non quidem ob eam, quam aſsignant Conimbricenſes 3. *de Anima cap.5.q.3.art.3.ad 2.* petit enim principium, niſi melius explicetur; quoniam obiectum in phantaſia apud aduerſarios ſatis eſt , vt indifferentiam intellectus determinet : ſicut etiam ſatis eſt,vt eandem determinet ad vſum huius ſpeciei potius quam illius,vt ijdem fatentur ibidem ad 3. Quare diuerſa ratio inde petenda eſt : quia voluntas,cum ſit cæca,ex ſua natura habet , quod non poſsit dirigi, niſi à notitia intellectus,& ab obiecto, vt cognito. Intellectus autem , cum ſit potentia cognoſcens, non poteſt determinari, niſi per id, quo fit ipſa res cognita, iuxta antiquam Ariſtotelis Philoſophiā: cum vero nō poſsit fieri ipſa res , niſi per ſpeciē, vt ex Ariſtotele iam oſtendimus: vtiq; indiget ſpecie tanquā principio determinante illū ad intellectionē huius potius quā illius. Accedit etiā, quia intellectus nō poteſt determinari ad intellectio nē huius obiecti , niſi ab eodē moueatur: moueri autē nō poteſt à materiali obiecto niſi actu habeat eſſe intelligibile,& ſpirituale:hoc autem habere non poteſt,quādiù eſt in phantaſia, ſed ſolum quando in ſpecie repræſentatur.

Conimbri.

§. 6.

Explicatur vltima difficultas contra fundamentum ſuperius poſitum, an admitti debeat duplex eſſendi genus.

VLtimo loco obiici poteſt ; quoniā ex Philoſophia Ariſtotelis,ex qua tanquam ex arce deduximus neceſsitatem ſpecierū,infertur admittendū eſſe duplex eſſendi genus : vnum ſecundum eſſe naturale,ſiue reale, quod conuenit rebus ſecundùm ſuas reales formas, quas habent ad extra. Alterum ſecundū eſſe intelligibile,& intētionale , quod res habent in potentia cognoſcitiua : & ſubinde admittendū eſſe duplex genus formæ: vnū formarum realiū,de genere rei: alterū formarum intelligibiliū,de genere intelligibili. Quam tamen diſtinctionem tanquā gratis confictā,& vix intelligibilē quidam reijciūt,inter quos eſt Suarius *1.tomo ad 3.p.d.24.ſec.2.dicto 3.§.hæc ratio ſoluit pag.493.c.2.& lib.2.de attributis negat.c.12.n.9.* & 10. ita enim argumētatur: illa forma,quæ eſt in eſſe intelligibili,vel formaliter dat aliquod eſſe reale;vel nullū. Si hoc poſterius dicatur; vere non eſt forma realis; cū nō habeat realem cauſſalitatē formæ,de cuius ratione eſt, quod formaliter det eſſe reale,componēdo aliquod vnum ens reale. Si aut detur prius; fieri non poteſt,vt ſubſtātia ad extra v.g. lapis informet intellectū ſecundū aliquā ſuam realem formam: quia nec poteſt illi dare eſſe ſubſtantiale,cuius intellectus nō eſt capax: nec accidentale ; cum ipſa formaliter non ſit accidens. At ſi illa forma eſt realis non poteſt intellectui vniri,niſi ſub eſſe ſubſtantiali,aut accidentali. Imò nec accidens ad extra poterit informare intellectū ſecundū aliquam realē formā: quia nec poteſt illi dare ſuum eſſe reale ; quia intellectus non eſt illius capax ; nec poteſt dare aliquod eſſe materiale,& notionale ; cum nec ſit forma immaterialis, nec notionalis.

64.

Suarius negat.

1. Ratio.

65. Confirmatur hæc difficultas; quoniã intellectus recipiẽdo formam lapidis, vel fit realiter lapis, vel ſolùm per intellectũ; nec enim datur medium. Non primum: quia rediret opinio veterũ, qui docebant intellectum realiter eſſe res omnes, quos *Ariſt.* Ariſtoteles impugnat 1. *de Anima cap. 5. tex. 76.* & expreſſè docet oppoſitũ *lib. 3. c. 8. tex. 38.* Porrò ſi intellectus recipiẽdo formam lapidis, non eſt realiter lapis; vel eſt lapis ſolùm fictitiè; & fictitia etiã erit Philoſophia, quam vt peripateticam amplectimur, vel ſolùm erit lapis per intellectum, per eſſe aliquod rationis; quod non eſt admittendũ: eſſent enim falſa illa omnia, quæ de forma lapidis docuit Ariſtoteles in locis à nobis citatis: nec enim intellectus per illam fieret in actu primo ad producendam intellectionẽ lapidis; quia ens rationis non poteſt eſſe principium agendi.

66. Admittẽda eſt talis diſtinctio. His tamen nõ obſtantibus dicendum eſt, diſtinctionem duplicis generis eſſendi non eſſe gratis confictam, ſed omninò admittendam, ſi benè explicetur, vt nos aduertimus lib. 4. q. 1. art. 2. num. 20. nec enim gratis confictum dixerim, quod eſt cõmuni Philoſophorum, & Theologorũ doctrina traditũ, & ex Ariſtotele atq; D. *D. Thom.* Thoma expreſſè deductũ. Nec eſt noua, ſed antiqua diſtinctio duplicis generis entiũ; realium. ſc. & intentionaliũ: eſt enim apud Philoſophos grauiſſima quęſtio, an lumen in medio habeat eſſe reale, an ſolũ intentionale? quę à Philoſophis diſputari ſolet, *tum in 2. de Cœlo c. 7. tum in 2. de Anima cap. 7. à Theologis verò in 2. d. 13. & 1. p. q. 67. art. 3.* Nec dicendũ eſt tot, ac tantos viros doctiſsimos ſupponere diſtinctionem fictitiam, & inintelligibilẽ. Diſtinctionẽ verò entium realium, & intelligibilium ſatis inſinuauit D. Thomas *de Veritate q. 8. lib. 1. ante finem corporis, & ad 5. & 6. & rurſus in 4. d. 49. q. 2. ar. 1. non lõgè à fine, & ad 8. imò expreſsis verbis eam ſcribit 3. cont. gent. capit. 51. hæc autem ſicut in eſſe ſubſtantiali, vel naturali inuenitur: ſic & in eſſe intelligibili conſiderandum eſt.* Et ſtatim diſtinguit duplex illud genꝰ rerũ, vt patet ex illis verbis: *erit ut forma tantum in genere intelligibilium.* Optima ſunt verba *de Veritate q. 8. ad 5. eſſentiam diuinã non eſſe formam intellectus, quæ eſt pars rei in eſſendo; ſed quòd ſe habeat hoc modo in intelligendo.* Ex quibus locis diſtinctionẽ illã deſumpſit *Caietan. 1. p. q. 12. ar. 1. §. in reſpõſione ad 3. vbi hæc ſcribit verba: eſſentia diuina etſi nullius forma eſſe poſsit in genere entium. i. in eſſendo: poteſt tamen eſſe forma intellectus in genere intelligibilium.* *Caietan.* Eandẽ diſtinctionẽ, vt notiſsimam ſupponunt omnes Thomiſtæ 1. *p. q. 12. art. 2. vbi Cumel. notabili. 3. & inferiùs pag. 236. col. 1. poſt princ. Ferrar. 3. cont. gent. c. 51. §. circa hanc, expreſsè Matthias Aquarius in annotationibus ad Ferrar. in 3. de Anima q. 8. & poſt eum Conimbricenſes in 3. de Anima in Cõment. cap. 4. lit. C. & cap. 5. q. 3. art. 2. §. poſtremo pag. 334.* *Cumel.* *Ferrar.* *Aquarius.* *Conimbr.*

67. Deducitur ex Ariſtot. Cum igitur diſtinctio duplicis generis rerum naturalium. ſc. & intelligibilium D. Thomæ placuerit, & communi Theologorum, non eſt cur fictitia dicatur: maximè cum illa euidenter deſumatur ex Ariſtotele 3. *de Anima cap. 8. text. 38. atqui neceſſè eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe: at non ſunt in ea res ipſæ profectò: nõ enim ipſe lapis in anima, ſed forma lapidis in eſt.* Iam aduerſarios interrogo; in quonã ſenſu neget Ariſtoteles lapidem eſſe in anima? vtique ſecundùm eſſe reale dicent: ergo quando aſſerit formam lapidis eſſe in anima, non debet intelligi de forma lapidis ſecundùm eſſe reale, & naturale, quod habet in lapide: nam ſicut lapis ipſe ſecundùm ſuum eſſe reale non poteſt eſſe in anima; ita nec forma lapidis ſecundùm idem eſſe in ea erit: erit igitur ſecundùm eſſe alterius generis: hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi eſſe intelligibile, ſiue intentionale diſtinctum ab eſſe reali, quod lapis habet à parte rei. Cõmunis explicatio. Vnde de hoc eſſe intelligibili, & notionali Ariſtotelem intelligunt omnes interpretes, tam Græci, quàm Latini, tam antiqui, quàm moderni: Philoponus, Aphrodiſæus, Smplicius, Auerroes, D. Thomas, Ægidius, Venetus, Toletus, Palatius, & Conimbricenſes in Cõment. *Conimbr.* ad eundem locum litera. A. in hæc verba: *Porrò animam eſſe omnia, nõ realiter accipiendum eſt: nec enim anima eſt lapis, quem intelligit, aut color quem cernimus; ſed notionaliter hoc eſt ſecundùm rerum imagines, ſimilitudines ve, quibus conſignatur.* Non eſt igitur negandum duplex genus rerũ, duplexque genus eſſendi; naturalium. ſ. & intelligibilium deduci ex Ariſtotele.

Quod

Auerr. Quod etiam ſatis euidēter diſtinguit Auerroes *in 3. de Anima comm. 18. vbi non ſolùm admittit quaſdam formas intentionales; ſed etiam docet rem intellectam transferri de ordine in ordinem*: quatenus. ſ. de ordine, genereq; entium naturalium transfertur ad ordinem, genusque intelligibilium, intentionaliumque.

68. Quomodò hic ſumatur eſſe intelligibile. Et vt explicemus cauſam deceptionis, & inefficaciam fundamenti aduerſariorum, aduertimus eſſe intelligibile non accipi prout eſt paſsio entis tranſcendens, & quatenus intelligibile dicit id, quod poteſt intelligi: hæc enim paſsio, cum ſit trāſcendens, comitatur quodcunque ens ſecundùm ſuū eſſe reale; quodcūque enim eſt intelligibile. Accipitur ergo pro eſſe intentionali, ſiue notionali, vt communiter appellant. Eſſe autem intētionale hoc loco nō accipitur pro eſſe rationis, quod cōuenit rebus ſolo intellectus beneficio, & quatenus obiectiuè ſunt in intellectu, de quo agit Logica: ſed accipitur pro eſſe rei, quæ ex prima intentione naturæ inſtituta eſt, vt ſit repræſentatio alterius, mediumque, quo potentia cognoſcitiua ſenſitiua, vel intellectiua in aliud cognoſcendo tendit.

69. Eſſe reale dupliciter accipitur. Ex quibus colliges eſſe reale dupliciter accipi poſſe: vno modo; prout diſtinguitur ab eſſe rationis: in quo ſenſu omne, quod non dependet ab exiſtentia obiectiua apud intellectum, dicitur reale. Altero modo; prout eſſe reale diſtinguitur ab eſſe repræſentatiuo alterius; quale eſt eſſe earum rerum, quæ à natura inſtituta non ſunt, vt alia repræſentent. Quare ſicut commune eſt placitum Philoſophorum admittendum eſſe quoddam genus entis pendens ab intellectu diſtinctū ab ente, quod ab intellectu obiectiuè non pendet, vt aduertimus *lib. 5. q. 6. ar. 10. n. 21. & 22. cum Ochamo in 1. d. 2. q. 8. & Conimbricenſibus q. 6. in præfatione Porphyrij ar. 2. in principio*; ita commune eſt Philoſophorum placitum admittendum eſſe quoddam genus entium, quod ex prima inſtitutione naturæ inſtitutum eſt, vt ſit medium, quo potentia cognoſcitiua notionaliter in aliud tendat; qualia ſunt entia, quæ ex ſua natura ſolùm ſunt ſigna formalia, ita repræſentatiua aliorum, vt illorum loco ſufficiantur: quæ ipſa in hoc ſenſu nō ſunt realia, quia res reales in ſuo naturali eſſe repræſentant. Hoc duplex genus entium in terminis agnouit *Caietanus 1. p. q. 55. ar. 3. poſt medium, §. ad euidentiam huius difficultatis, & ante eum Sōcinas 7. Metaph. q. 9. Matthias Aquarius in annotationibus ad Ferrar. in 3. de Anima q. 8. interpretes D. Thomæ 1. p. q. 67. ar. 3. vbi Bañes poſt 1. concl. Cumelius q. vnica obſeruat. 3.* & hęc fuit communis antiquorum ſententia ante Diuū Thomam, quam ille vt veram ſupponit in dicto *artic. 3. & de Veritate q. 10. ar. 8. ad 10. Ægidius in 2. d. 13. vbi Scotus q. 2. ar. 2. Durandus q. 2. Heruæus q. 2. ar. 1. Argentina q. vnica ar. 2. Iauellus in 2. de Anima q. 29. Toletus ibi q. vltima ar. 2. & cæteri omnes*, qui diſputant, an lumen in medio habeat eſſe reale, an ſolùm intentionale? Quare mirādum eſt, quod aduerſarij ad hanc diſtinctionē non aduerterint; ſi enim ad eam aduerterent, non fallerentur ęquiuocatione huius vocis *reale*.

Ochã. Conimbr. Caietan. Soncin. Aquarius Bañes. D. Thom. Ægidius. Durand. Heruæus. Argentin. Iauellus. Toletus.

Argumenta ſublata hac æquiuocatione facilè ſoluuntur. Et primum, illa ſublata ab interrogatione, facilè ſoluitur: forma enim de genere intelligibili eſt realis, vt reale diſtinguitur ab ente rationis; non tamen vt reale diſtinguitur ab intētionali. Primum patet, quia formæ illæ ſine intellectu à parte rei ſunt intentionales, & perficiunt intellectum, illumq; reponunt in actu primo intelligendi: vnde Ferrar. in dicto cap. 51. fatetur formas iſtas dare eſſe reale. Et in hoc ſenſu abſurdum, quod infertur, inutilem habet conſequentiam, vt per ſe patet. Secundus etiam ſenſus eſt notiſsimus; quia formæ iſtæ intelligibiles ex ſua natura ſunt rerum imagines condiſtinctæ à rebus, quas repræſentant. Hoc autem non tollit eas habere realem cauſalitatem abſque omni operatione intellectus. 70. Ad 1. arg.

Ex his facilè ſoluitur confirmatio: intellectus enim recipiendo formam lapidis realiter fit lapis. i. ſine intellectu: non tamen realiter. i. non intentionaliter, & intelligibiliter: quia non eſt lapis in eſſe reali. i. naturali ſecundùm eſſe, quod lapis habet à parte rei, in quo veteres errabant: fit tamen lapis intentionaliter; quia habet in ſe formam intentionalem lapidis. 71. Ad confirmationem.

.*.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Angelis admittendæ ſint ſpecies intelligibiles?

§. 1.
Refertur pars, quæ negat.

1. Opinio negans. *Ocham. Gabr.* *Henricus. Bellomont Bachon.*

IN Angelis nullas dari ſpecies ſimpliciter, & abſolutè aſſerunt *Ochamus in 2.q.14. & 15. in ſolutione 2. quæſtionis, lit. X. Gabriel ibidem d.3.q.2.art. 3. per 7. concl. præſertim concl. 3. Durandus ibid. q.6. n. 17.* & ante eos idē docuerunt *Henricus quodlib. 5. q. 14. lit. L. cum ſequentibus:* horum ſenntentiam putat eſſe probabiliorē *Bellomontanus 1.p.d.200.c.3. & d.201.c. 3. in fine, Bachonius autem idem exiſtimat, ſi loquendum eſt de facto; nam de poſsibili (vt ait) non repugnat Angelos per ſpecies intelligere, ita Bachonius in 2.d.6.q.1.ar.4. fol. 152.col.2.* Per oppoſitum docet *Palatius in 2.d.3.diſp.15. in 1. concl. vſque ad 7.* vbi multis probat Angelos quidem de facto habere ſpecies; attamen ſine illis poſſe res intelligere: imò de facto in principio ſuę creationis omnia ſine ſpeciebus intellexiſſe. Negat igitur cum præcedentibus Theologis neceſsitatem ſpecierū, vt Angelus poſsit res intelligere; admittit tamē eos per ſpecies de facto intelligere.

Palatius.

2. Prima confirmatio.

Hæc opinio primùm confirmari poteſt omnibus argumentis, quibus in præcedenti art. §.5. confirmabatur non dari in nobis ſpecies intelligibiles.

3. 2. confirm. *Bellomon.*

Deinde confirmatur longa ratiocinatione Bellomontani vbi ſuprà cap. 3: nam ſi intellectus Angelicus ex ſe non eſſet ſufficiens ad eliciendam cognitionem ſine aliqua ſpecie ſibi ſuperaddita; vel eam deberet accipere à rebus; vel habere eam ab initio ſecum productam. Non eſt dandum primum; propter plura abſurda, quę inde ſequuntur, vt contra Scotiſtas cum Thomiſtis latè probat in dicta diſp. 201. Nec dandum eſt poſterius, quoniam vel illæ ſpecies ab initio productæ, productæ ſunt à Deo nō ſicut perfectiones debitæ naturæ Angelicæ: aut productæ ſūt, ſicut formæ debitæ, & fluentes ab Angelo per modum paſsionis. Non priori modo: tū, quia ſequeretur nullam violentiā inferri Angelicæ naturæ, ſi illi ſpecies negarentur à Deo; & ita non eſſe Angelo violentum nullius rei cognitionem habere: quia nullus vim patitur, niſi contra internum impetum denegetur forma naturaliter debita. Tùm ſecundò; quia non poſſent illæ formæ à Deo Angelis infuſæ nō eſſe ſupernaturales; nihil enim deeſſet illis, vt ſupernaturales eſſent ſecundùm ſubſtantiam, ſicut eſt lumen gloriæ, vt latè ibi oſtendit *n.10. & 11.* Nec etiam dicendū eſt poſteriori modo: vt contra nonnullos ipſe oſtendit ibidem *d.201.c.3.* Et probat hac ratione *d.200.c.3.n.13:* quoniam licet natura Angeli, & illius intellectus, cū ſecundum ſe ſint naturæ quædam determinatæ, ſolùm vendicant ſibi determinatas paſsiones, perfectioneſque ſibi naturales: ſpecies autem intelligibiles non ſūt determinatæ. Ergo nequeunt eſſe ſecūdùm naturalem inclinationē naturæ Angelicæ. Species autem non eſſe determinatas patet: nam vel intellectus Angeli expoſcit eas tantùm rerum ſpecies, quas Deus creauit, aut creaturus eſt: vel etiam ſpecies poſsibilium, quæ creaturus non eſt. Non poteſt habere naturalem inclinationem ad eas tantum rerum ſpecies, quas de facto Deus creauit, aut creaturus eſt: quia hæ non ſunt naturaliter determinatæ, ſed ſola Dei voluntate. Sed nec ad poſsibiles poteſt habere naturalem inclinationem; quia non eſſet maior ratio, quare ad has, quàm ad illas, & proinde ad ōnes naturaliter inclinaretur. Quare vel Angelus illas omnes haberet, quæ eſſent infinitæ: vel infinitis careret contra ſuam naturalem inclinationem: quæ duo ſunt abſurda.

Confirmat hoc ipſum; quoniam vniuerſalis efficacitas intellectus Angelici ad hoc vel illud intelligendum non neceſſariò determinatur à forma intrinſeca ſibi, ſed ab obiecto: nam proprium videtur facultatum cognoſcentium, & appetentium, vt ab obiectis determinentur, non efficientibus, ſed peculiari modo cōcurrentibus ad operationem, & aliquam rationem cauſæ habentibus; ita tamen vt facultas appetens determinetur ab obiecto exiſtente in cognitione; facultas verò intellectus ab obiecto exterius exiſtēte ſecundum illud eſſe præſens, præteritum vel futurum, ſecundum quod accōmodatum eſt intellectui: nam eo ipſo, quod eſt intra latitudinem obiecti debiti, 4. Idem confirmatur.

iam

iam intellectus eo poteſt determinari. Et hoc in Angelis abſque vllo incommodo poteſt defendi. Hæc adduximus ex Bellomontano.

5. 3. confirmatio. Tertiò confirmari poteſt omnibus argumentis, quibus nonnulli confirmant Angelos omnia intelligere per ſuam eſſentiam. Ex quo infertur in Angelis nullas ſpecies intelligibiles eſſe neceſſarias.

§. 2.
Species in Angelis admittendas eſſe.

6. In Angelis admittuntur ſpecies. His tamen non obſtantibus aſſerendum eſt, in Angelis admittendas eſſe ſpecies intelligibiles: quam ſententiam probat communis conſenſus ferè omnium Theologorum, & Philoſophorum. Eam tanquam notam ſupponit D. Thomas, vbicunque agit de cognitione Angelorum: 1.p.q.55.56.& 57. de Veritate q.8. ar.7.& 8. ſatis id explicat *1.p.q.74.ar.2.& q.89. art.3. & q.91. art.1.* in quibus locis aſſerit Deum nihil in rerum natura produxiſſe, cuius ſpecies, & ſimilitudines mentibus Angelicis non infuderit. Cum D. Thoma conſentiunt *Ægidius in 2.d.3.in 2.part.q.2.ar.2. in principio, de cognitione Angelorum q. 4. quodl.3.q.14. Albertus Magnus in Summa de homine 2.p. tractatu 4.q.19. art. 11. & lib.3.de Anima tract. 2. c. 18. Alexander de Ales 2.p.q.24.memb.2.& 3. D.Bonau. in 2.d.3.2.parte art.2.q.1. vbi Richard.ar. 6.q.1. Argentina q.1. art.4. Scotus q.3. de cognitione Angelorum, quæ ordine eſt* 10.§. *Ad quæſtionem igitur, vbi Lychetus, Baſſolius q.3.§. de alijs vero: cum cæteris Scotiſtis, latè Gregorius in 2.d.7.q.3.art.2. Maior in 2.d.3.q.6.& 7. Marſilius in 2.q.7.in 1.p. 1.ar.concl.5.& 6. ex Thomiſtis latè Capreolus in 2.d.3.q.2.art.1.concl.4. vbi Hiſpalenſis, & Hernæus q.4.ar.2. Ferrar.2.cont. gent.c.96. Caietanus 1.p.q.55.art.1.& 2. vbi Cumelius, & Bañes cum cæteris, & Molina d.1. Denique omnium ferè conſenſu eſt receptiſſima.*

D. Thom. Aegidius. Albert. Alenſ. D. Bonau. Richbr d. Argentin. Scotus. Lychetus. Baſſolius. Gregor. Marſilius. Capreol. Hiſpalen. Ferrar. Caiet. Cumelius. Bañes. Molina.

7. Pro hac ſententia plerique referunt Platonicos, & Stoicos, quatenus docent intelligentias eſſe plenas formis, & hoc confirmant teſtimonio Plutarchi lib. 4. de Philoſophorum placitis, ſed ibi hac de re nihil ſcribit. Platonem tamen docuiſſe *Plato.* intellectus ſeparatos eſſe plenos formis ex participatione, formarum ſeparatarũ, idearumque teſtatur D. Thomas in lib. de Cauſis lect.10. poſt principium: & ſatis id colligi poteſt ex ijs, quæ de Platone ſcribit Plutarchꝰ in lib. de quæſtionibus Platonicis pag.595. in principio, vbi ex *Plutarch.* Platone refert *intelligentiam eſſe mentem in diſciplinis, in quibus ſicut in ſpeculis intelligibilia apparent, & in libr.8. Quæſtionum conuiual. cap.2. refert ex Platone agente de Deo, quod in diſciplinis, ſicut in ſpeculis non diſtortis, ſed politis, elucent veritates intelligibilium, veſtigia, & ſimulacra.* Proculus etiam propoſ.167. teſte D.Thoma in ci- *Proculus.* tato lib. ita ſcribit: *omnis intellectus plenus eſt ſpecierum*; quam eandem propoſitionẽ ſumptam ex Proculo ſcribit Author libri de cauſis propoſitione 10. in hæc verba: *omnis intelligentia plena eſt formis*: no- *Autor libri de Cauſis.* mine autem formarum intelligit ſpecies, vt D.Thomas ibidem explicauit, & ſatis patet tum ex propoſitione Proculi, ex qua eſt deſumpta, tum ex ijs, quibus propoſitionem probat.

Nituntur plures oſtendere ſententiam 8. iſtam eſſe Ariſtoteli cõſentaneã, aut ſal- *Quid de Ariſtotele.* tem Ariſtotelem ab ea non diſſentire, vt Palatius 3. de Anima q. 4. concl. 3. ante finem fol. 261. col. 1. Sed Ariſtoteles in oppoſitam ſententiã iuit: etenim ex pluribus locis ſuæ doctrinæ euidenter patet eum ſenſiſſe intelligentias per ſuam eſſẽtiam omnia intelligere, & præterea intellectionem eſſe ipſam eorum eſſentiam, vt patet ex 12. *Metaph. c.7.tex.39. & c. 8. & in eodem lib. cap.6.tex.30. & cap. 9. tex.*51. & quanuis Soncinas 12. Metaph. q.59. nitatur Ariſtotelem ab hoc errore liberare; communior tamen opinio illum non liberat. Docetque cum Ariſtotele conſenſiſſe Auerroem; de quo nullus dubitare poteſt; de Ariſtotele id etiam affirmant Themiſtius, & omnes antiqui, *Auerr.* cum quibus conſentiunt Iauel. 12. *Metaphy.q.26. & Cumelius 1.p.q.54.ort.1.q. 1. in principio.* *Iauellus.* An hæc fuerit ſententia Ariſtotelis, non libet modo expendere: ſi tamen id ſenſit; nullas in Angelis ſpecies admiſit; quia ſi omnia per ſuam eſſentiam intelligunt, fruſtrà in illis ſpecies ponuntur. Quibus accedit, quod Ariſtoles docuit in intelligentijs nullam dari potentiam paſſiuam, vt patet in dicto text. 30. Sed cum in fundamento errauerit Ariſtoteles

ſtoteles, de illius mẽte non eſt curãdum.

9. Auguſt. Cumelius 1. p. q. 55. ar. 1. q. vnica pro hac ſententia adducit Auguſtinum 11. de Trinitate c. 8. & lib. 12. ſuper Geneſim ad lit. c. 23. & epiſtola 100. & 101. ſed in his locis nihil agit de Angelis. ¶ Optima ſunt verba Dionyſij de diuinis nominib. Dionyſius cap. 7. dum ait, *intelligentias Angelicas ex diuina ſapientia habere intelligibiles, & intellectuales virtutes, ac ſimpliciter, ac bonos intellectus.* Per intelligibiles, & intellectuales virtutes D. Thomas *in dicta lect. 10* D. Thom. *libri de cauſis,* intelligit ſpecies, quas Angeli habent ex participatione diuinæ formæ, quæ eſt Deus: quamuis idem D. Thomas in loco proprio Dionyſij præcitata verba aliter explicet. Optimus locus habetur apud eundem Dionyſium in eodẽ lib. c. 4. paulò poſt principium: explicãs enim quomodò Angeli (quos appellat mentes mundanas) res intelligant, ita ait: *& exiſtentium propriè illuminatur rationibus.* i. ſpeciebus ſibi à Deo inditis, vt explicat D. Thomas ibidem lect. 2.

§. 3.

Confirmatur communis ſententia.

10. Confirmatur iſta ſententia. COmmunem iſtam ſententiam euidenter demonſtrabimus ex principio philoſophico ex antiquis ab Ariſtotele probato: *ſimile ſimili cognoſcitur:* de quo latè egimus in præcedenti art. §. 2. vbi oſtendimus nihil poſſe aliud cognoſcere, niſi aut ſit, aut fiet res ipſa, quæ cognoſci debet: ſed Angelus non poteſt eſſe res ipſæ, quas debet cognoſcere, niſi per ſpecies ſibi ſuperadditas: ergo in Angelis non poſſunt non admitti intelligibiles ſpecies. De maiore nulla poteſt eſſe dubitatio, nam aduerſarij admittunt Angelos ſecundùm ſuam eſſentiam eſſe omnes res, quas naturaliter poteſt cognoſcere, quatenus eas continent, aut eminenter, aut participatiuè. Admittunt igitur philoſophicum illud proloquiũ. Minorem ex eo euidenter oſtendimus; quia Angelus non poteſt eſſe res ipſæ, quas debet intelligere, niſi aut per ſuam ſubſtantiam, vt aduerſarij volunt: aut per ſpecies ſuperadditas, vt communis habet opinio: nam habitus, quos Henricus, & Nominales introducunt, ſi non ſunt formales ſimilitudines, omninò ſunt fictitij, vt cum communi ſupponimus. Quare Angelus non poteſt eſſe res, quas debet intelligere, niſi aut per ſuam ſubſtantiam, aut per ſpecies ſuperadditas. Per ſuam ſubſtantiam non poteſt eſſe res ipſæ, ſi ſermo ſit de cognitione diſtincta ipſarum rerum, quod modò ſupponimus tanquã veriſsimum, & ſatis à nobis demonſtratũ in materia de Angelis: vbi oſtendimus hanc eſſe vnanimem Theologorum conſenſum, vno vel altero excepto. Ita docet *D. Thomas 1. p. q. 55. ar. 1. & lib. 2. contra gent. c. 68. & in 2. d. 3. in 2. p. q. 1. art. 1. cum omnibus Thomiſtis. Conſentit ſchola Scotiſtarum cum Scoto in 2. d. 3. q. 10. vbi Lychetus, Baſſol. & q. 3. ar. 2. fol. 40. col. 1. & 2. Ioannes Andreas q. 20. Ex antiquis D. Bonauentura ibidem 2. p. ar. 2. q. 1. Richard. ar. 6. q. 1. Ægidius q. 2. art. 2. dubio 1. & de cognitione Angelorum dubio 1. & de cognitione Angelorum q. 2. Durandus q. 6. Argẽtinas q. 2. ar. 4. Henricus, & Nominales locis citatis.* Et hæc ſufficiant pro confirmãda veritate noſtræ ſuppoſitionis: quia hanc difficultatem ex profeſſo non explicamus, ſed vt viam faciamus ad futuram diſputationem de ſpecie diuinam eſſentiam repræſentante. Quare ſatis erit argumenta contraria diſſoluere.

D. Thom. Scotus. Lychetus. Baſſol. Ioan. Andr. D. Bonau. Richard. Ægidius. Durand. Argent. Henricus. Nominal.

§. 4.

Soluuntur argumenta contraria.

11. NEc contra hanc communem, & veram reſolutionem aliquid efficiunt argumenta in cõtrarium adducta §. 1. Et ad ea, quæ primo loco obijciuntur ſatis ſuperque reſponſum eſt in §. 5. præcedentis articuli.

Ad argum. Bellomontani. Ad diſcurſum Bellomontani dicimus quæſtionem eſſe inter authores controuerſam, an Angelus ſpecies, quas habet, omnes habeat cum ipſa natura ſibi congenitas? an eas omnes à rebus acceperit? an quaſdam acceperit, quaſdam verò cõgenitas habeat? Et miſsis varijs ſententijs eas, quæ probabiles ſunt Bellomontano afferemus. Quare ſi ſermo ſit de ſpeciebus rerum ſingularium; probabilis eſt opinio Scoti, Angelos eas omnes à rebus accepiſſe actione intellectus agentis, quem in Angelis non improbabiliter admittit. Et quamuis Bellomontanus putat ſe contra Scotum multa abſurda intuliſſe loco

citato

citato d. 201. nos tamen ab omnibus illis Scotum liberauimus, dum Scotũ multis abhinc annis publicè interpretaremur.

12. At verò ſi ſermo ſit de ſpeciebus vniuerſalibus, libentiſsimè damus poſteriorem partem, Angelos ſcilicet eas à rebus non accepiſſe, ſed cum natura habuiſſe congenitas, quæ eſt opinio Thomiſtarũ, quam etiam admittit Scotus, & nos tanquam longè veriorem ſupponimus, vt in materia de cognitione Angelorum latè oſtendimus.

13. An ſint Angelis naturaliter debitę ſpecies?

Cum verò Bellomontanus rurſus inquirit; an illæ ſpecies ſint naturæ Angelicæ naturaliter debitę tanquam illi connaturales; an verò liberaliter, & gratis à Deo infuſæ? vtraque pars poteſt illi concedi, ſi ſublata omni æquiuocatione res iſta benè explicetur: nam Scotus cum ſuis negare debet ſpecies illas eſſe naturaliter debitas, quaſi naturam Angelicam naturaliter comitentur tanquam perfectiones connaturales illi: quin potiùs exiſtimat Scotus eas fuiſſe à Deo liberaliter conceſſas, etiam vt eſt author talis naturæ: quia potuit eas non infundere natura angelica in perfectione ſibi connaturali permanente. Fundamentum Scoti eſt: quoniam Angelus actione ſui intellectus agentis poſſet illas ſibi naturaliter comparare: vnde eodem modo philoſophatur de Angelo, quo de Adamo: nam ſpecies rerum naturalium, quas Deus Adamo in eius creatione infudit erant, quidem ordinis naturalis; non tamen erant connaturales Adamo, quaſi comites naturales naturæ humanæ; ſed fuerunt à Deo illi merè gratis infuſæ; ita vt natura humana in Adamo ſine illis permaneret in ſua naturali perfectione: eodem igitur modo philoſophatur de ſpeciebus Angelorum: licet enim illæ eſſent naturales Angelis, quia poterant naturaliter ab illis comparari; non tamen erant illis connaturales, quaſi pertinerent ad integritatẽ perfectionis naturaliter illis debitę. Totum igitur huius opinionis fundamentũ ſumetur ex eo, quòd Angelus ſucceſſu temporis poterat illas naturaliter comparare actione intellectus agentis: nec enim dicuntur connaturalia, ad quæ conſequenda Deus & natura naturales potentias, inſtrumentaque naturalia conceſſit, vt patet tam in viuentibus, quàm in cæteris omnibus, quibus natura dedit virtutes ad comparandas ſibi naturales ſuas perfectiones. Et hanc Scoti ſententiam vt ſatis probabilem admiſimus in noſtris de cognitione Angelorum prælectionibus: contra quam parum vrgent, quę obijcit Bellomontanus.

Nam ad 1. Scotus libenter admittit ſequelam: nulla enim vis naturæ Angelicæ inferretur, ſi illi ſpecies ſimul cum natura non infunderentur: nec inde ſequeretur Angelũ nullius rei habere poſſe cognitionem; quia apud Scotum Angelus poterat naturaliter cõparare ſibi ſpecies ad res intelligendas. Quare futilis eſt, & omnino puerilis Bellomontani conſequẽtia. Futilior eſt conſequentia, quam ſecũdo loco infert; nam vt ſpecies illæ ſint naturales ſecundùm ſubſtantiam, ſatis eſt, quòd ab Angelo poterant naturaliter cõparari. Vnde inutilia ſunt, quæ ſcribit in dicta *d. 200. c. 3. n. 10. & 11.* imò ſi benè conſiderentur, quæ ibidem ſcribit & n. 12. ſibi contradicit non aduertens ad Scoti fundamentum. 14. Ad 1. Bellomont.

Cũ maiori probabilitate dabimus ſpecies illas eſſe naturaliter debitas naturæ Angelicæ, tanquam intrinſecè pertinentes ad naturalem illius integritatem, & perfectionem: quæ eſt communis opinio Thomiſtarum: cum enim apud eos Angelus non poſsit ſpecies accipere à rebus, nec ſine ſpeciebus poſsit aliquid intelligere, non pòteſt non concedi ſpecies illas eſſe de connaturali Angelorum perfectione. Quod expreſsit *D. Thomas 1. p. q. 54. ar. 4. ad 1. & q. 55. ar. 2. & q. 64. ar. 1.* & paſsim alibi, quem omnes ſui vnanimiter ſequuntur, quorum ſententiam veriorem iudicauimus in noſtris prælectionibus de cognitione Angelorũ. Et quanuis controuerſum ſit apud Thomiſtas, vtrùm ſpecies dicantur Angelo connaturales, quia ab eius natura pullulant, vt naturales proprietates? ſicut Capreolus cum alijs exiſtimat; an verò quia natura Angelica ad eas habet naturalem inclinationem, appetitum, & capacitatem, vt eas ſimul cũ natura recipiat? in ſenſu, in quo motus cœli dicitur connaturalis cœlo, vt alij meliùs volunt, & magis conſentaneè ad mentem D. Thomæ, vt ſuo loco oſtẽdimus: ad noſtrum tamen inſtitutum parum refert, quænam illarum opinionum

15. Quomodo ſpecies ſint debitæ Angelis?

D. Thom.

ſit vera: quoniam argumenta Bellomontani contra neutram vrgent. Libenter igitur illi damus naturam Angelicam non vendicare quaſcunque ſpecies, vt ſibi cõnaturales, ſed determinatas, & certas.

16. Quamuis autem ſpecies, quæ diuina potentia poſſunt Angelis infundi, non ſint determinatæ; tamen determinatæ ſunt, quæ de facto illis ſunt connaturales: quia ſolum ſunt illæ, quæ naturaliter repræſentant res, quas Deus facere inſtituit iuxta ordinem ad ſe inſtitutum: quæ eſt doctrina D. Thomæ 1. p. q. 56. ar. 2. ad 4. dum docet ſpecies Angelorum ex ſua natura eſſe repreſentatiuas ſecundùm ordinem inſtitutum à Deo; & ſubinde ea ſolum naturaliter repræſentare, quæ Deus facere decreuit: ita vt ſi aliquam rẽ Deus de nouo conderet, illa non repræſentaretur per ſpecies de facto Angelis infuſas; ſed teneretur Deus, vt author naturæ (cuius omnia opera ſunt perfecta) aliam rei illius ſpeciem Angelis de nouo donare. Quę doctrina placet Thomiſtis, eam probat *Capreolus in 2. d. 3. q. 2. ar. 3. ad 4. Scoti contra ſeptimam. fol. 101. col. 3. in principio, Cumelius 1. p. q. 57. art. 2. q. 1. concl. 4.* & communiter alij, quam etiam probauit *Rada 2. p. contron. 9. ar. 3. pag. 286. col. 2. in principio.* Hac ſuppoſita doctrina futilis eſt inſtantia Bellomõtani: quoniam Deũ ſua libera voluntate ſelegiſſe res, quas creare volebat, non infert Deum non poſſe producere ſpecies, quæ eſſent formales, & naturales rerum à Deo creatarũ ſimilitudines. ¶ Ex dictis euidenter patet Bellomontanum à communi ſententia diſceſsiſſe fundamento non ſatis ſolido: & ſatis hallucinatus eſt, dum d. 201. c. 3. in fine aſſerit argumentis à ſe adductis non plenè ſatisfieri.

Capreol. Cumelius. Rada.

17. Ad confirmationem. Ad confirmationem ex eodem Bellomontano adductã facilis eſt ſolutio: nam cum intellectus Angelicus nihil valeat intelligere, niſi aut ſit, aut fiat ipſæ res intellectæ: non ſit autem illæ res ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt hoc loco ſupponimus; non poteſt non fieri res illæ per formas intrinſecè ſuperadditas, quibus fiat ſimilis rebus intelligendis. Et inde eſt, vt ab obiecto non poſsit primò determinari quoad actum primum; ſiquidem obiectum eſt alterum extremum ſimilitudinis, quæ interiacet inter intellectum, & rem, quæ debet intelligi: vnum autẽ correlatiuum non conſtituitur in ſuo eſſe relatiuo per ſuum correlatiuum, vt docet vera Metaphyſica. Quod etiam magis cõfirmatur ſi obiectum efficienter non cõcurrit ad intellectionem, ſed formaliter tantùm, & ad modum formę ſpecificãtis, vt exiſtimat Bellomont. *in d. diſp. 200. c. 3. n. 11.* Quare intellectus Angelicus quo ad ſuam indifferentiam ad hoc, aut illud intelligendum, non poteſt primò determinari determinatione actus primi, niſi per ſpecies illum intrinſicè actuãtes. Nec videre poſſum, quomodò obiectum, ideò quia intra limites obiecti naturalis continetur, poſsit determinare indifferentiam intellectus Angelici, ſaltem ad cognitionem abſtractiuam rei aut abſentis, aut præteritæ, aut futuræ, niſi in intellectu habeat ſpeciem intelligibilem illius, in qua habitualiter repræſentetur. Sed de hoc latiùs diſputare non eſt huius loci. ***Bellomon.***

Ad poſtremum reſpõdeo falſiſsimum eſſe, & omninò improbabile, Angelos per ſuam eſſentiam diſtinctè poſſe intelligere alia à ſe, vt iam ſuppoſuimus in materia de cognitione Angelorum latè demonſtratum; vbi omnia argumenta in contrarium diligentiſsimè reſoluimus. 18. Ad vltimũ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies intelligibiles ſint admittendæ tam in cognitione abſtractiua, quàm intuitiua?

QVONIAM ad proprium noſtrum inſtitutũ pertinet inquirere, & diligenter explicare, an dari poſsit ſpecies intelligibilis, quæ diuinam eſſentiam diſtinctè, & quidditatiuè repræſentet, aut intuitiuè, aut abſtractiuè? non erit extra rem priùs inquirire, an intellectus tam humanus, quàm Angelicus indigeat ſpeciebus ad vtranque illam cognitionem? 1.

§. 1.

Refertur ſententia Scoti.

QVæſtio iſta ſolùm excitatur inter eos, qui ſpecies intelligibiles admittunt, tam in nobis, quàm in Angelis. Dubitant enim, an illæ ſint admittendæ in omni 2. Sententia Scoti.

omni intellectione, ſiue illa ſit abſtractiua, ſiue intuitiua? Sunt enim qui eas non admittunt, niſi in ſola abſtractiua: intuitiuam enim cognitionem fieri ſine ſpeciebus contendunt. Hæc opinio placuit
Scotus. *Scoto in 2. diſt. 3. q. 10. §. Ad quæſtionem igitur, litera G. in fine, & litera I. ad vltimum principale: & clarius in 2. diſt. 9. q. 2. §. Ad quæſtionē iſtam, verſ. 2. principaliter, litera D. & litera N. ad 3. ſecundæ opinionis, & in primo diſtinctione 3. quæſtione 6. litera O. Citari etiam ſolet in ſecundo libro de Anima quæſtione 17.* Scotum ſequuntur
Lychetus. *Lychetus in ſecundo diſtin. 3. quæſtione 10. fol. 110. columna 1. & 2.*
Baſſolius. *Baſſolius ibidem quæſtione tertia, articulo 2. fol. 40. col. 1. §. Dico igitur aliter, & q. 4. art. 2. in principio, & latius in 1. q. prologi artic. 1. fol. 3. col. 2. in fine,*
Bargius. *Bargius in 1. d. 3. quæſtione 6. paulò ante finem, folio 138. litera V, & in*
Ouand. *tractatu de notitia intuitiua, Ouandus in 2. d. 3. propoſitione 14. & communiter cæteri Scotiſtæ.* Cum Scoto conſentit *Gregorius*
Gregor. *in 2. d. 7. quæſtione 3. artic. 1. concluſione 4. in fine. 1. artic. & art. 3. concl. 2. & in 1. d. 3. q. 1. art. 1. concl. 1.* admittit enim ſpecies in omni cognitione abſtractiua; nullas tamen in intuitiua.

3. Et abſque dubio hæc fuit opinio *Ægi*
Ægidius. *dij quodlib. 3. quæſt. 15.* vbi expreſſè ſpecies negat, quando res eſt præſens; quanuis eas admittat in rebus abſentibus. In hac poſteriori aſſertionis parte cum Scoto conueniunt Ochamus, & Gabriel: vterque enim docet ad cognitionem intuitiuam nullas ſpecies eſſe neceſſarias: ita *Ochamus in 2. q. 14. & 15. de noſtra quidem*
Ochamus. *notitia in 14. q. cōcl. 1. liter. O. de Angelis in*
Gabriel. *15. quæſt. litera X. Gabriel autem de noſtro quidem intellectu multis id oſtendit in 2. d. 3. quæſtione 2. articulo 2. concluſione prima,* vbi aſſerit ad cognitionē intuitiuam nullam requiri ſpeciem, aut aliquid præter intellectum, & rem cognitam. De Angelis idem affirmat *in eadem quæſtione, articulo 3. concluſione 3. litera R.* & *ſatis eſt de mente Durandi in eadem diſt. 2. quæſt. 6.*
Durand. *num. 17. & 18.* quatenus ad cognitionem in Angelis nihil aliud requirit, niſi rei prę ſentiam.

4. Argumenta pro hac ſententia. Primum. Pro hac opinione hæc potiſsimum fundamenta iaciuntur. Primum eſt: quoniam notitia intuitiua terminatur ad rem præſentem ſecundùm realem exiſtentiam, quam habet ad extra. Sed ſi fieret mediante ſpecie, non poſſet terminari ad rem ad extra ſecundùm ſuam realem exiſtentiam, & præſentiam: ergo nulla notitia intuitiua fit mediante ſpecie. Maior eſt omniū conſenſu vera. Minorem probat Scotus; quoniam res in ſpecie repræſentata non habet præſentiam realem, ſed ſolam intentionalem, & diminutam; quod tanquam per ſe notum ſupponit Scotus *in locis ſuprà citatis, & in* Scotus.
2. diſt. 3. quæſt. 8. §. Ad quæſtionem, litera C. & eſt recepta doctrina inter Scotiſtas.

Confirmatur hæc ratio: quoniam ſi 5. Confirmatur.
ſpecies aliqua poſſet repræſentare rem ſecundùm exiſtentiam, & præſentiam, quam habet ad extra; fieri poſſet ſaltem diuina potentia, vt res corrupta, aut longè abſens poſſet à nobis intuitiuè cognoſci: quia poteſt Deus conſeruare talem ſpeciem deſtructa re, aut poſita extra ſphæram intellectus creati: in quo caſu ſpecies illa adhuc repræſentaret talem rē ſecundùm ſuam realem exiſtentiam, & præſentiam: nam cum naturaliter repręſentet, ſemper eodem modo repræſentaret. Conſequens autem eſſe impoſsibile, verior ſententia docet cum Anſelmo, & Auguſt. multis in locis.

Secundò; ſpecies ſolùm admittuntur, 6. 2. argum.
vt per eas obiectum potentiæ cognoſcēti fiat præſens, & debitè approximatū. Quod non poſſunt non fateri Authores ſpecierum: quoniam admittunt obiectū ad extra ſe ſolo producere ſpeciem in potentiam; quam tamen producere non poſſet, niſi illi præſens adeſſet, ac debitè approximatum. Non poſſunt igitur non admittere obiectum ante productionem ſpeciei eſſe ſecundùm ſuam exiſtentiam, & præſens potentiæ, & debitè approximatum illi.

Tertiò, communis opinio non alia ratione negat, Angelum ſe ipſum cognoſ- 7. 3.
cere media aliqua ſpecie, niſi quia Angelus intuitiuè ſe ipſū cognoſcit, ideò quia ſe ipſo eſt realiter pręſens ſuo intellectui: ergo eadem ratione intellectus ſine vlla ſpecie intelliget, quæ realiter ſunt ſibi præſentia.

Quartò, quia fruſtrà ponitur talis ſpe- 8. 4.
cies: illa enim ſublata poteſt notitia intuitiua produci ex potētia, & obiecto ſufficiēter approximato, & debitè præsēte.

9. Quintò. Quintò; ſpecies illa nec eſt neceſſaria propter aſsimilationem obiecti cum intellectu: nec propter repræſentationem obiecti; nec tertiò, vt indifferentia potentiæ intellectiuæ determinetur ad talem notitiam eliciendam; nec denique vt obiectum in ratione motiui ſufficienter vniatur intellectui. Ergo talis ſpecies fruſtrà ponitur. Antecedens quoad ſingulas partes latiſsimè proſequitur *Gabriel in dicta quæſtione 2. artic. 2. in 3. ratione*, vbi vide. *Gabriel.*

10. Sextò. Sextò, quòd in noſtro intellectu pro præſenti ſtatu ad notitiam intuitiuam, nulla ſit admittenda ſpecies, probari poteſt: quia notitia illa haberi non poteſt per ſpecies naturarum vniuerſalium, vix enim intelligitur, quomodò ſpecies vniuerſalis determinetur ad repræſentandum rem ſingularem, vt actu exiſtentem, & præſentem. Nec etiam haberi poteſt per ſpecies ſingulares ipſarum rerũ, quæ intuitiuè cognoſcuntur: tum, quia ſpecies ſingulares rerum ſingularium nõ dantur in noſtro intellectu, vt viri doctiſsimi probant. Tum etiam; quia licet admittendæ ſint tam in nobis, quàm in Angelis ſpecies propriæ ſingularium; non tamen admittendæ ſunt ſpecies intuitiuæ illorum, quæ per ſe, & determinatè repræſentent rem ſub eſſe præſentiæ, & aliarum conditionum indiuiduantium, quo pacto in eas ferimur per notitiam intuitiuam: vt tanquam veriſsimum probat Curſus Conimbricenſis in lib. 3. de Anima capite 5. quæſt. 5. art. 2. aſſertione 10.

11. Septimò. Poſtremò; quod Angeli cognitionem intuitiuam habeant ſine vlla ſpecie, ita probari poteſt: quoniam hanc cognitionem nec habere poſſunt per ſpecies vniuerſales, nec per ſingulares. Non per vniuerſales; quia vix intelligi poteſt, quo pacto id, quod modò eſt, & modò non eſt, repræſentari queat per vnam, & eandem ſpeciem.

12. Non per ſpecies ſingulares: tum, quia vt diximus, nullæ dantur ſpecies intuitiuæ. Tum etiam; quia in Angelis ſi darentur ſpecies infuſæ, eſſent numero infinitæ. Acquiri autẽ ab ipſis Angelis non poſſunt. Hæc ſunt huius opinionis argumenta.

§. 2.

Oppoſita ſententia eſt verior.

Oppoſita tamen ſententia, ſicut cõmunior eſt inter Theologos, ita etiam eſt verior. Statuendum eſt igitur ſpeciem intelligibilem ad omnem cognitionem eſſe neceſſariam, ſiue illa abſtractiua ſit, ſiue intuitiua, vt optimè annotauit Ferrar. 2. *contra gentes cap. 96. fol. 213. col. 4. §. Sed occurrit circa hoc dictum*, vbi affirmat apud D. Thomam nullam notitiam fieri ſine ſpecie, quod eiſdẽ verbis prius aſſeruit Capreol. *in 2. d. 3. q. 2. artic. 3. ad primum eorum, quæ recitantur à Gregorio contra 3. fol. 99. col. 1. in medio*, vbi aſſerit apud D. Thomam nullam notitiam ſenſitiuam, vel intellectiuam poſſe cauſari, niſi per ſpeciem, & ſubindè notitiam rei præſentis ſine ſpecie non dari. Et col. 2. ante medium expreſſè aſſerit falſum eſſe, notitiam intuitiuam non requirere aliquod repræſentatiuum, aliud ab obiecto, & actu intelligendi. Quod verbis expreſsis iterum repetit contra Gregorium in eodem loco, §. *Gregor. tamen aliter reſpondet*. Videndus eſt ibidem fol. 95. col. 4. in principio, vbi expreſſè aſſerit notitiam præſentium fieri poſſe ſine ſpecie. 13. Species neceſſaria eſt ad omnem cognitionẽ. *Ferrar.* *Capreol.*

Hæc ſententia quod attinet ad cognitionem abſtractiuam indubitata eſt apud eos, qui ſpecies admittunt. Omnes enim nemine diſcrepante in hoc conueniunt, etiam Scotus, & Gregorius: & meritò, quia rationes pro neceſsitate ſpecierum adductę, abſque dubio cõuincunt in hac cognitione: quæ enim abſtractiuè cognoſcuntur, non aliter poſſunt fieri obiectiuè præſentia intellectui, niſi per ſpecies. 14. Sententia eſt indubitata in cognitione abſtractiua.

Tota ergo controuerſia verſatur circa notitiam intuitiuam: in hac enim ſola habemus aduerſarios Scotum, & Gregorium, atque alios, quos citauimus. Sed hanc etiam notitiam neceſſariò ſibi poſtulare ſpeciem affirmarunt *Capreolus, & Ferrarienſis locis citatis, Caietan. 3. part. q. 11. artic. 4. ante finem*, vbi reprehendit Scotum, quod dixerit notitiam intuitiuã non eſſe per ſpeciem, idem affirmarunt *Suarius ad tertiam partem, diſputatione. 26. ſectione prima. pagina 537. A. 1. & Bellomontanus ad tertiam partem diſputat. 52. cap.* 15. Etiam eſt neceſſaria ſpecies ad intuitiuã. *Capreol. Ferrar. Caiet. Suarius. Bellomon.*

Medina. Conimbr.

cap.4.num.29.contra Scotum affirmat Medina [illegible].parte, quæſt.11.articulo 4.in expoſitione articuli, & ſatis ſupponit Curſus Conimbricenſis.3.de *Anima* cap.5. quæſt. 3. art.3. ad quintum,& quæſt.5. artic. 2. pag. 351.& 352. denique eſt communis ferè omnium recentiorum.

16. D.Thom. Angeli rẽs ſingulares exiſtentes cognoſcũt intuitiuè. Capreol. D.Thom. Idem de anima ſeparata. Idẽ de Chriſto Domino.

Quam ſententiam mihi ſatis probat D. Thomas de *Veritate quæſt.* 10. *art.* 8. *ad ſecundum*. Et quidem quòd Angeli res ſingulares actu exiſtentes intuitiuè cognoſcant, communis eſt, & recepta ſententia inter eos, qui volunt Angelos non accipere ſpecies à rebus, ſed eas habere naturaliter infuſas; & eò vniuerſaliores, quò Angeli ſunt ſuperiores: quod adductis pluribus locis D. Thomæ *probat Capreol. in* 2. *d.* 3. *quæſtione* 2. *articulo* 3. *ad* 4. 5. 6. *&* 7. *argumentum Scoti contra* 3. *fol.* 94. *col.* 3. *&* 4: *id enim ſatis expreſsit D.Thomas* 1. *parte. quæſt.* 57. *articul.*2. *in corpor. & ad* 2. *&* 3. *& de Veritate q.*8. *artic.* 9. *ad* 3. *& art.* 11. *ad* 13. Cum quo conueniunt omnes Theologi, qui in Angelis admittunt ſpecies vniuerſales. De anima ſeparata id ipſum docuit D. Thomas *prima parte quæſt.* 89. *articul.*4. *& de Veritate quæſt.*19. *art.*2. *& in quæſtione de Anima articulo* 20. Chriſtum etiam intuitiuè cognoſcere per ſpecies infuſas, quæ actu exiſtunt, communis eſt ſententia contra Scotum; vt patet ex interpretibus D. Thomæ 3. parte q.11. art.4. Medina, Suario, & Bellomontano ſuis locis citatis.

17. In nobis ſi datur notitia intuitiua illa eſt per ſpecies. Conimbr.

Quod verò attinet ad noſtrum intellectum pro ſtatu viæ, illi, qui in eo admittunt notitiam intuitiuã (plures enim hanc illi denegant) omnes admittunt eam fieri per ſpecies, ſiue proprias ipſorũ ſingularium, ſiue per ſpecies communes, vt determinantur per phantaſmata ſingularium, vt patet ex Curſu Conimbricenſi *tertio de Anima capite* 5. *quæſtione* 5. *articulo* 2. *pagina* 351. Non eſt igitur dubitandum, communem ferè omnium ſententiam docere ſpecies etiam eſſe neceſſarias ad notitiam intuitiuam intellectus Angelici, & humani.

18. Probatur à priori.

Hæc communis, & veriſsima ſententia probari poteſt, & à priori, & à poſteriori. A priori quidem; quoniam Philoſophia peripatetica, quam ex Ariſtotele latè explicauimus articulo 1. huius quæſtionis §. 2. non ſolùm locum habet in notitia abſtractiua, ſed etiam in intuitiua. Etenim proloquium antiquorum à Peripateticis receptum: *ſimile non poteſt cognoſci, niſi à ſimili*, generale eſt ad quãcunque cognitionem, ſiue intellectiuam, ſiue ſenſitiuam, abſtractiuam, vel intuitiuam, ſi benè expendantur, quæ ſcribit Ariſtoteles *primo de Anima capite* 2. *text.* 25. *&* 26. *& capite quinto text.*76. *&* 77. *& libro* 3. *Metaphyſicæ capite* 4. *text.* 15: in illis enim locis, & Antiqui in ſuo falſo ſenſu; & Ariſtoteles in ſenſu vero ex illo proloquio deduxerunt tam intellectum, quàm ſenſum cognoſcere nihil poſſe, niſi priùs fiat ſimilis rei, quæ eſt cognoſcenda; vt patet ex illis verbis tex. 25. *At qui cognitionem animaduerterunt ipſius, ac ſenſuum, quibus res cognoſcit, & ſentit*, & in dicto capite 5. text. 77. ita habet: *Sic igitur ea cognoſcere, ſentireque animam, ex quibus illorum vnumquodque componitur*, & de notitia intuitiua agit in tertio Metaphyſicæ capite quarto textu 15.

Ariſt. Ariſtot.

Cum verò cognitio ſenſitiua ſenſuum externorum ſit intuitiua, vt patet; vtiq; de omni cognitione intelligitur illa Philoſophia, ſiue cognitio abſtractiua ſit, ſiue intuitiua. Quare cum ex illa antiquorum Philoſophia benè intellecta euidenter inferatur neceſsitas ſpecierum, in hoc ſenſu, vt per illas potentia cognoſcitiua formaliter reducatur in actum ſecũdum cognitionis, vt in dicto §. 2. latè oſtendimus; dicendum eſt ſpecies in eodem ſenſu neceſſarias eſſe in vna, & altera cognitione: vide quæ in illo loco diximus. 19.

Pro hac etiam ſententia adduci poſſunt omnes rationes, quibus in dicto §. 2. generaliter confirmauimus neceſsitatem ſpecierum intelligibilium: omnes enim in ſenſu à nobis explicato generaliter concludunt in omni cognitione, ſiue abſtractiua ſit, ſiue intuitiua: vide quæ ibi diximus. 20.

§. 3.

Oſtenditur eadem veritas à poſteriori.

Poteſt etiam eadem veritas à poſteriori efficaciter demonſtrari: quoniam ad notitiam ſenſuum exter- 21. Probatur à poſteriori.

norum (quam eſſe intuitiuam nullus negauerit) neceſſariæ ſunt ſpecies ſenſibiles: ergo eadem ratione neceſſariæ erunt intelligibiles ſpecies ad notitiam intuitiuam intellectus. Conſequentia nota eſt. Antecedens verò probatur; quoniam negari non poteſt, dari ſpecies ſenſibiles in ſenſibus externis; quod adeò notum eſt, vt *Auguſtinus* 11. *de Trinitate cap.* 2. affirmet tardioris eſſe ingenij, eas non agnoſcere; vnde eas admittit in toto ferè libro *vndecimo de Trinitate, & libro decimo capite quinto, & de Vera religione capite* 60. *& in libro contra Epiſtolam Fundamenti capite vndecimo, & libro ſupra Geneſim ad literam capite decimo, & decimo ſexto, &* 49. *& in Epiſtola ad Paulinum de videndo Deo, & ſecundo Confeſſionum cap.* 18. *&* 19. *& libro* 10. *capite* 15. 16. *&* 17. & in pluribus alijs locis, quos referunt *Gregorius in ſecundo d.* 7. *quæſt.* 3. *artic.* 1. *& Capreol. in* 2. *d.* 3. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad argumenta contra* 4. *& Henricus quodlibet.* 5. *quæſt.* 14. eaſdem ſpecies ſenſibiles admittit *D. Baſilius in Exameron Homilia ſecunda, pagina* 8. *col.* 1. *Damaſcenus lib.* 2. *de Fide cap.* 20. *Anſelmus in ſuo Monologio cap.* 36. Et eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis *libro ſecundo de Anima capite vndecimo, textu* 121. *&* 124. *& in* 3. *de Anima capite* 8. *textu* 38. *& in libro de memoria capite primo.* Denique tam Scotus, quàm Gregorius admittit ſpecies ſenſibiles in externis ſenſibus; id patet ex *Scoto in primo diſtinctione tertia, quæſtione ſeptima, litera H. §. Sed contra ſecundum, & inferiùs litera O. idem Scotus in ſecundo diſtinctione nona quæſtione ſecunda, litera C. in principio, quem omnes ſui ſequuntur*: de Gregorio idem patet *in* 2. *diſtinctione* 7. *quæſtione* 3. *articulo* 1. *&* 2. *& in primo diſtinctione* 3. *quæſtione* 1. *artic.* 1. *concluſione ſecunda, & tertia, imò & Durandus eas admittit in ſecundo, diſtinctione* 3. *quæſtione.* 6. *numer.* 11. Ex quibus patet, negari non poſſe cognitionem intuitiuam in ſenſibus externis fieri mediante aliqua ſpecie ſenſibili.

Auguſt. *Gregor.* *Capreol.* *Henrric.* *D. Baſil.* *Damaſc.* *Anſelm.* *Ariſto.* *Scotus.* *Gregor.* *Durand.*

22. Reſponſio aduerſariorum. Aduerſarij tamen negant ex diſcurſu, formaque huius argumenti benè inferri notitiam intuitiuam in ſenſibus externis fieri mediante aliqua ſpecie ſenſibili, vt facilè quis intelliget, ſi conſideratè ea perlegerit, quæ ſcribunt Scotus, Gregorius, & Durandus: licet enim omnes admittant ſpecies ſenſibiles; non tamen eas admittunt, vt notitia ſenſitiua illis mediantibus producatur, quoniam ſpecies ſenſibiles externorũ ſenſibilium, ita agnoſcunt, vt nolint eás concurrere ad notitiam intuitiuam externi ſenſus. Cæterum non omnes eodem ducuntur fundamento.

23. Fundamentum Greg. Nam Gregorius admittit quidem ſpecies ſenſibiles non quidem præcedentes ipſam notitiam, ſed eam comitantes, & poſt illam remanentes in cogitatione, ſiue phantaſia, vt colliges ex Gregorio in *ſecundo loco citato, folio* 53. *columna* 4. §. *Ad ſecundum concedo; & ex his, quæ latè ſcribit in* 1. *diſtinctione* 3. *quæſtione prima, articulo primo, concluſione ſecunda.* Ex quibus locis colliges ſenſibile exterius, v. g. colorem, antequam producat notitiam intuitiuam viſionis, nullam producere ſpeciem antecedentem ipſam viſionem; ſed viſionem ipſam ſe ipſo nulla media ſpecie immediatè producere; cum ea tamen ſimul producere ſpeciem ſenſibilem ſui ipſius; non quæ maneat in ipſo externo ſenſu, ſed in cogitatione, ſiue phantaſia. Qua ſuppoſita doctrina *non valet hæc conſequentia: datur notitia intuitiua ſenſus externi; & dantur ſpecies ſenſibiles obiecti ſenſibilis ad extra; ergo notitia intuitiua ſenſus externi fit mediante ſpecie ſenſibili*: quoniam apud Gregoriũ ſpecies non antecedit, ſed conſequitur ipſam intuitiuam notitiam.

24. Fundamentum Durãdi. Aliter philoſophatur Durandus *in* 2. *diſtinctione* 3. *quæſtione* 6. *numer.* 11: docet enim colorem quidem imprimere ſui ſpeciem, & in medio, & in oculo: negat tamen ſpeciem illam oculo repræſentare colorem; & ob id colorem, nec ab oculo videri, nec videri poſſe. Imprimit quidem ſpeciem in medio, & in oculo; quoniam cum medium, & oculus ſint corpora diaphana, color ex ſe eſt illorum immutatiuus: at tamen non repræſentat oculo ipſum colorem, quia cum ſit imago coloris non poteſt ipſum repræſentare, niſi priùs ab oculo videatur: iam verò ſpecies ipſa nec videtur ab oculo, nec videri poteſt. Quare apud Durand. admittuntur ſpecies ſenſibiles etiam in potentia viſiua, abſque hoc, quod per eas fiat intuitiua viſio.

Porrò

25. Fundamentum Scoti.

Porrò Scotus alia via incedit, ſi expendantur quæ ſcribit *in 2. diſt. 9. q. 2. litera C. §. poſt hæc 3. & §. per hoc patet*: ita enim rem declarat, vt admittat ſenſibile externum v.g. colorem habere duos effectus inter ſe ſubordinatos: quia producit ſpeciem viſibilem, & ipſam viſionem: ſpeciem quidem tum in medio, tum in organo oculi, viſionem autem in ipſa potentia viſiua: ſpecies eſt prior effectus, viſio autem eſt poſterior, & vltimatus. Sed addit ſpeciem receptam, vel in medio, vel in organo non eſſe cauſam viſionis, nec ad eam effectiuè concurrere; ſed ipſum colorem. Concludit igitur colorem videri non poſſe, niſi adſit medium, in quo ſpeciem ſui imprimat; ipſam tamen ſpeciem non ideò producere, vt per eam formaliter videatur.

26. Lychetus. Baſſolius.

Hanc doctrinam ſequitur *Lychetus in dicta q. 2. fol. 127. col. 1. §. Ibi poſt hæc tria*, & ante eum *Baſſolius in 1. quæſt. prologi art. 1. fol. 3. col. 2.* vbi expreſſè docet ſpeciem coloris ad viſionem effectiuè non concurrere, ſed ipſum colorem ſolum. Si verò inquiras ab Scoto cur color indigeat ſpecie ſenſibili in medio, & in organo, vt poſſit cum potentia elicere viſionem? ex ijs, quæ ſcribit, hanc neceſſitatem ſumit ex ſubordinatione ſpeciei, & viſionis, quatenus productio ſpeciei eſt prior, viſio autem poſterior. Ita colliges ex Scoto in locis citatis. Porrò ſi
27. rurſus ab eo quæras; vnde nam talis ſubordinatio fundamentum habeat? reſponſionem colliges ex §. *Et per idem patet*: nam cum color à potentia viſiua ſit mathematicè diſtans, id eſt localiter, & diſtantia reali, oportet, vt illi fiat præſens per ſuam virtutem, vel per effectum aliquem productum in medio localiter interiacente. Hæc ex Scoto colliges: ex quibus patet apud Scotum non ex eo, quòd ſpecies ſenſibiles externorum ſenſibilium admittit, benè inferri notitiam intuitiuam in externis ſenſibus neceſſariò fieri per ſpecies ſenſibiles. Et ratio eſt, quia ſpecies non producuntur, vt ſenſibilia in ſe ipſis ſentiantur; ſed vt ſenſibile per illas ſit præſens potentiæ præſentia virtuali, vt poſſit immediatè producere notitiam.

28. Quantum hæ ſolutiones recedant à dogmate peripatetico ſpecierum ſenſibilium in externis ſenſibus; facilè intelliget, qui diligenter expenderit quæ Ariſtoteles cum Peripateticis de illis ſcribit: nam conſtat ex Ariſtotele ſenſus externos recipere formas ſenſibiles ſine materia, vt patet *ex ſecundo de Anima capite 12. text. 121. & 124. & lib. 3. cap. 8. text. 38*: recepit autem eas, vt per illas formaliter fiat ipſa ſenſibilia, quarum ſunt formæ, vt explicat Ariſtoteles *tertio de Anima capite 4. à textu 2. vſque ad octauum*: *& clariùs cap. 8. text. 37. dum ait*: *ſenſus autem eſt ipſæ res ſenſibiles*: fit autem ipſæ res, vt poſſit eas ſentire; vt ex mente antiquorum colligit Ariſtoteles *primo de Anima cap. 2. text. 25. & 26. & capite 5. text. 76. & 77.* quia ſcilicet nihil cognoſci vel intellectu, vel ſenſu poteſt, niſi à ſimili; ita vt cognoſcens, & ſentiens debeat fieri illud, vt poſſit illud ſentire. Vnde *ſecundo de Anima cap. 5. textu 55.* ſenſus factus ipſum ſenſibile per receptionem ſuæ formæ ſit in actu primo, vt poſſit reducere ſe ipſum ad actum ſecundum ſenſationis: & in hoc ſenſus per omnia ſe habet ad ſenſibilia; vt intellectus ad intelligibilia, ex Ariſtotele *tertio de Anima capite quarto, textu 2. & 3.* Quare cum intellectus per ſpecies intelligibiles fiat potens intelligere, idque in actu primo, proximaque potentia, vt Philoſophi appellant: vtique etiam ſenſus receptione ſpecierum ſenſibilium fiet potens ſentire.

Nō recipiūtur hæ ſolutiones.

Ariſt.

29. Impugnantur dicta à Gregorio.

Ex hac doctrina Ariſtotelis à Peripateticis omnibus receptiſſima, primò infertur impugnatio eorum, quæ ex Gregorio adduximus: etenim clarè recedit ab Ariſtotele, dum ait, ſpecies ſenſibiles non antecedere notitiam intuitiuam ſenſus externi: etenim non datur actualis ſenſatio, priùs quam ſenſus fiat ipſa res ſenſibilis, quæ ſentiri debet, per quam conſtituatur in actu primo ſentiendi: fit autem ipſa res ſenſibilis, dum formam illius recipit. In eo enim decipitur Gregorius; quòd docet ſenſibile externum ſimul cum notitia externi ſenſus producere in cogitatiuam, ſiue phantaſiam ſpeciem ſenſibilē ſui, quę in ea permaneat deſinente externa ſenſus notitia: licet enim verum dicat, ſpeciem ſenſibilē permanere in phantaſia recedēte notitia externa ſenſus; decipitur tamen, dum ait

Decipitur Gregor.

talem ſpeciem immediatè produci à ſenſibili externo: oppoſitum enim colligitur ex Ariſtotele 2. de Anima c. 3. text. 159. & 160. & de inſomnijs c. 1. in fine, dum ait, imaginatiuam moueri non à ſenſibili externo, ſed ab externo ſenſu, in actu exiſtente: hæc tamen diſputatio ad Philoſophos pertinet.

30. Durandus diſcedit à Philoſophia.

Secundò infertur modum philoſophādi à Durando explicatum in multis diſſentire à Philoſophia peripatetica. Et primò diſſentit ab ea dum ponit ſpecies ſenſibiles eſſe ſimilitudines obiectorum, nō formales, ſed obiectiuas, cuius oppoſitū tanquam indubitatum ſupponit tota peripatetica ſchola, vt in ſequenti quæſtione oſtendemus: omnes enim Peripatetici docent ſpecies, tam intelligibiles, quàm ſenſibiles eſſe ſigna formalia, quæ non cognita ducunt in cognitionē eorū, quorum ſunt ſigna, alioquin quomodò intellectus, & ſenſus poſſent fieri ſimiles rebus cognoſcendis? imò ſi eſſent obiecta in ſe ipſis prius cognoſcenda, quàm valeāt ſignificare; cum nihil cognoſci queat, niſi à ſimili, vt habet peripatetica traditio, vtique vt ſpecies illæ in ſe ipſis cognoſci valeant, alijs ſpeciebus indigebunt, & ita daretur proceſſus in infinitum.

31. Quare vt peripatetica doctrina ſalua maneat, neceſſariò admittendum eſt, ſpecies tam intelligibiles, quàm ſenſibiles ex ſe eſſe ſimilitudines non obiectiuas, ſed formales, quæ non cognitæ alia repræſentant. Quare contra Ariſtotelem, & peripateticos docet Durandus, dum ait ſpecies ſenſibiles non poſſe ſenſui repræſentare ſenſibilia, quorum ſunt ſpecies.

32. Secundò de ficit Dur.

¶ Secundò in eo deficit Durandi Philoſophia; quia ex ea euidenter ſequitur ſpecies ſenſibiles fruſtrà poni in medio, & in ſenſu tanquam imagines, ſimilitudineſvè ſenſibilium: nam cum ex natura ſua ſint imagines illorum, ex ſua natura inſtitutę ſunt, vt potentiam cognoſcētem ducant in cognitionem illorum: fruſtraretur autem naturæ intentio, ſi ſenſus per illas nō poſſet percipere ea, quorum ſunt imagines. Nec abſurdum tollet Durandus, ſi reſpondeat colorem ex ſua natura eſſe immutatiuum diaphani; medium autem & organum viſus, quæ interiacent, eſſe corpora diaphana. Non tollet, inquam, abſurdum: quoniam ex Ariſtotele 2. de

Reſponſio Durādi nō tollit dubium.

Anima cap. 7. tex. 66. & 67. Color ex eo eſt immutatiuus diaphani per ſpecies à ſe emiſſas; quia per ſe eſt viſibilis, potens terminare viſum tanquam proprium illius obiectum; & hæc eſt per ſe cauſa talis immutationis. Quod etiam explicauit D. Baſilius *Homil. 2. in Examer. pag. 8. col. 1. dum ait: Eſt enim aeris per rara, tranſparens, & pellucida natura, rerumque omnium viſibilium acceptas formas ad intuentium oculos, aſpectuſq; tranſmittit.* Igitur color ideò per ſpecies immutat perſpicuum, vt per eas videatur: quare ſi per eas videri non poteſt; vtique fruſtrà eſſet emiſsio ſpecierum, quibus perſpicuum immutatur. *Ariſt.* *D. Baſil.*

Cui etiam accedit, quòd ſpecies ſenſibiles, cum ſint imagines ſenſibilium, ſunt formæ intentionales ab ipſa natura per ſe primò inſtitutæ, vt ſint, & repręſentatiuæ, & ſignificatiuæ ſuorum obiectorum potentiæ cognoſcenti, ad quam ſolam cognitionem diriguntur: ideò autem ſua ſenſibilia ſignificant potentiæ ſenſitiuæ, vt potentia per eas in ea intendat, quia eſt finis formarum intentionalium. Quare ſi hoc fruſtrantur fine, vt Durand. admittit, vtique etiam ipſæ fruſtrà immutarēt tam medium, quàm ſenſum. Quod diximus de viſibili, quod eſt obiectum viſus, dicendum etiam erit de cæteris ſenſibilibus: omnia enim per medium ſuas ſpecies ad proprios ſenſus tranſmittunt: quæ traſmutatio omnino eſſet fruſtratoria, ſi potentia ſenſitiua non poſſet per illas ferri in ſua obiecta. 33. Alia ratio.

Tertiò infertur Scoti Philoſophiam etiam aberrare ab ea, quam tradidit Ariſtoteles. Et primò in eo aberrat, quod vult ſpecies ſenſibiles, quas admittit, ſolùm recepi in medio, & in organo ſenſus, & non in potentia ſenſitiua; in quo ſenſu eum interpretatur Lychetus, vbi ſuprà; etenim ex Philoſophia Ariſtotelis ſuperiùs explicata, ſenſus in ſe ipſo recipit formas ſenſibiles, quarum receptione formaliter fit ipſa ſenſibilia; idque vt factus ipſa, poſsit ea ſentire; formaliter enim per ipſas ſpecies conſtituitur in actu primo ſentiendi, idque formaliter, & intrinſecè, vt poſsit ſe ipſum ad actum ſenſationis reducere. In quibus locis Ariſtoteles nomine ſenſus intelligit potentiam ſenſitiuam, iuxta communem omnium 34. Non admittitur Philoſophia Scoti. Senſus Ariſtotelis.

Græ-

Græcorum, & Latinorum explicationem, quam facilè colliges ex eodem. 2. *de Anima capite* 5. *text.* 53. *& lib.* 3. *cap.* 8. *text.* 37. *&* 38. *& clariùs ex libro ſecundo cap.* 12. *text.* 123. *& lib.* 3. *cap.* 4. *tex.*7.in quibus locis ſenſum diſtinguit à ſuo inſtrumento.¶Hæc autem, quæ ab

35.

Ariſtotele enumerauimus, euidenter cõcludunt longè eſſe ab Ariſtolis Philoſophia, qui aſſerit ſpecies ſenſibiles non recepi in ipſa potentia ſenſitiua. Porrò ſi id admittatur (quod etiam admiſiſſe Scotum, affirmat Lychetus) vtique non erit peripateticum, negare, ſenſum per ipſas ſpecies elicere ſuam ſenſationem: nam cū Scotus admittat ſpecies ſenſibiles eſſe ſēſibilium imagines, ſignaque formalia primò inſtituta à natura, vt potentiæ ſenſitiuæ ſignificent ſua ſenſibilia, vt illa percipiat id, quod ſibi ſignificatur: nullo modo poterit Scotus negare potentiam ipſā per tales ſpecies intentionaliter ferri in ſua obiecta.

Nec etiam in hoc ſenſu admittitur, Scotus.

36. Confirmatur.

Cui etiam argumento eſt ipſe per ſe ordo, quem inter ſpecies, & actum ſentiendi, Scotus admittit. Nam cum natura eſſentialem ordinem inter duos illos actus ſine ratione non inſtituerit (quia nihil, aut fruſtrà, aut à caſu facit) vtiq; priorem actum (ſpeciem ſc.) per ſe ordinauit ad poſteriorem; actum, inquam, ſentiendi, vel ſicut diſpoſitionem, vel tanquā principium, virtutemque productiuam illius: nec enim dabitur vlla inſtantia. Quare cum Scotus admittere nequeat, ſpeciem eſſe diſpoſitionem ad recipiendum actum ſentiendi; non poteſt non admittere ſpeciem ipſi potentiæ eſſe principium, virtutemque productiuam talis actus.

37. Non ſoluitur argum.

Cuius argumenti vim nō elidit, quòd Scotus ſignificat ordinem illum ideo à natura inter illos duos actus fuiſſe inſtitutum, vt ipſum ſenſibile alioquin diſtās à potentia ſenſitiua fiat illi præſens ſecūdùm ſuam actiuam potentiam. Etenim agens non poteſt realiter agere in remotum, niſi mediantè aliquo effectu, quo tanquam inſtrumento vtatur ad producendum effectum in ipſo remoto: quæ eſt cōmunis, & veriſsima Philoſophia contra eundem Scotum: quare niſi ſpecies ſenſibiles, à ſenſibili expreſſę, tum in medio, tum in ſenſu effectiuè concurrāt ad actum ſentiendi (eo modo, quo concurſus effectiuus illis conuenit) non poterit illud ſenſibile eſſe virtualiter præſens potentiæ, vt cum ea ſenſationē eliceat.

Ex his iam patet iuxta Ariſtotelicā Philoſophiam ſpecies ſenſibiles eſſe omninò neceſſarias ad notitiam intuitiuam externorum ſenſuum. Ex quo fundamento ſumitur argumentum à poſteriori non ineptum, vt ſpecies neceſſariæ ſint ad notitiam intuitiuam intellectus.. Quæ conſequentia cōfirmari poteſt, quia ex Ariſtotele. 3. de Anima cap. 4. text. 3. *Oportet intellectum in ſuo intelligere ſimilitudinem ſubire cum ſenſu; vt quemadmodum ſe ſe habet ad ſenſibilia ſenſus, ſic ſe habeat ad intelligibilia intellectus.* Quod rurſus repetit cap. 7. text. 28. dum ait: *ſentire igitur ipſi dicere, & intelligere ſimile eſt.* Vnde in toto illo. 3. lib. intellectum comparat cū ſenſu. Quare ſi mens Ariſtotelis conſulatur, valet conſequentia à ſenſu ad intellectum, quia in vtroq; cernitur eadem ratio. Cui etiam accedit, quia ex Philoſophia iam explicata de notiti a ſenſitiua neceſſariò infertur falſam eſſe aduerſariorum Philoſophiam; ad nullam, ſcilicet notitiam ſenſitiuam neceſſarias eſſe ſpecies. Porrò, ſi illa Philoſophia claudicat, in notitia intuitiua ſenſus; vtique etiam claudicabit in notitia intuitiua intellect⁹: nulla enim ſpecialis ratio reddi poteſt, cur notitia intuitiua intellectus non admittat ſpecies, ſi eas admittit notitia ſenſitiua.

38. Concluſio ex Ariſt.

Argumentum à poſteriori pro ſpecieb⁹ intuitiuis.

Ariſtot.

Quod meliùs patebit ex ſolutione argumentorum, quæ in contrarium adduximus.

§. 4.
Soluuntur argumenta poſita §. 1.

39. Ad 1.

Nec aliquid efficiunt, quæ, §. 1. in contrarium adducuntur. ¶ Nam ad primum conceſſa maiore, neganda eſt minor: cuius probatio ſolùm vera eſt in ſpecie rem repreſentante abſtractiuè, falſa tamen de ſpecie repreſentante rē intuitiuè, vt colliges ex ijs, quæ diximus ſuprà lib. 2. q. 8. art. 5. num. 6. & 7. Ratio diſcriminis eſt; quoniam ſpecies abſtractiua, non repreſentat rem, vt terminantem ſecundum eſſe reale, quod habet à par-

parte rei, ſed abſit ab illo; vndè neceſſariò eam repræſentat ſub quodam eſſe intentionali, quod conſequitur ex eo, quòd per talem ſpeciem repręſentatur. At verò ſpecies repręſentans rē intuitiuè repręſentat eam, vt terminantem talem repręſentationem ſecundùm illud ipſum eſſe reale, quod habet à parte rei, prout illud obiectiuè, & cognoſcibiliter trahit ad potentiam, vt eſt cognoſcitiua: quam præſentiam obiectiuam non habet res ipſa intuitiuè cognita ante ſpeciem; quanuis habeat præſentiam localem, & ſitualem debitæ approximationis, quæ non ſatis eſt, vt notitiam poſſit terminare, de quo plura ad 2. argumentum.

40. Ad confirmatinem 1. Solutio. Ad confirmationem admittent ſequelam, qui putant diuina potentia fieri poſſe, vt illa ſpecies cōſeruetur, re aut deſtructa, aut realiter non præſente; imò quod res ipſa deſtructa per talem ſpeciem intuitiuè videatur repręſentata, vt pręſens; vt quia ſpecies illa adhuc, vt anteà, rem ipſam aſpectui obijcit.

41. Gregor. Coronel. Conimbr. Suarius. *Quæ fuit opinio Gregorij in 1. diſt. 3. q. 1. ar. 2. & Antonij Coronel. in. 1. Poſter. cap. 1. dub. 12. & eſt communis inter Nominales, cum quibus conſentit Curſus Conimb. in 2. de Anima cap. 6. q. 3. art. 1. & 2. & Suarius. 3. tom. ad 3. partem diſp. 53 ſect. 4. pag 805. d. 2.* Dummodo ſermo ſit de viſione intuitiua non vera, ſed apparente: hanc ſententiam tribuunt D. Thom. *3. p. q. 73. art. 8. & in 4. diſt. 10. q. 1. ar. 4. quæſtiūcula 5.* & Durand. ibidem q. 4. Apud quos admiſſa ſequela, neganda eſt minor. (D. Thom. Durand.)

42. 2. Solutio. Aalij admittunt ſpeciem illam, re deſtructa, conſeruari quidem poſſe virtute diuina; negant tamen ſpeciem illam admiſſo caſu rem intuitiuè repręſentare, ſed ſolùm abſtractiuè: in ea enim ſunt ſententia, vt eadem ſpecies numero eandem rem intuitiuè repræſentet, quādo realiter eſt præſens; & poſteà abſtractiuè, ſi illa res, vel deſtruatur, vel fiat abſens: nam ſicut notitiam intuitiuam eſſentialiter non diſtinguūt ab abſtractiua, ſed ſolùm accidentaliter: ita ſpeciem repræſentantem intuitiuè eſſentialiter non diſtinguūt ab ea, quæ abſtractiuè repræſentat.

43. 3. Solutio. Tertiò ſunt alij, qui ſimpliciter putāt, nec diuina potentia fieri poſſe, vt ſpecies, quæ rem intuitiuè repręſentat, conſeruetur re, vel deſtructa, vel præſentialiter ſublata. Ego dicendū idem eſſe puto de ſpecie intuitiuè repræſentāte, quod de notia intuitiua dixi *lib. 4. q. 1. art. 2. §. 6. num. 61.* Fieri ſcilicet nullo modo poſſe, vt ſpecies, quæ rem aliquam intuitiuè repræſentauit, eam repręſentet ſolùm apparenter, quæ fuit ſententia Fonſecæ. *6. Metaphyſ. cap. 2. q. 4. ſect. 3. lit. E. pag. 125 col. 1. nec diſplicuit Molinæ. 1. p. q. 55. art. 2. diſp. 2. membr. 5. §. ad hæc non video, quāuis ibidem §. iuxta hæc ergo in oppoſitum aliquo modo inclinet.* (Fonſeca. Molina.)

Admitterem igitur Deum poſſe obiecto deſtructo ſpeciem conſeruare; non admittam tamen ſpeciem illam exercere poſſe officiū ſpeciei; quia poſito illo caſu actualiter non obijciet intellectui tale obiectum: quæ etiam fuit ſententia Fonſecæ. Itaque ſicut Deus poteſt ponere notitiam in lapide, quę tamen in eo nō exercebit officium notitiæ; ita etiam poteſt notitiam intuitiuam Petri deſtructo Petro in eodem oculo conſeruare, abſq; hoc, quod formalem rationem notitiæ exerceat; ideo quia non habet obiectum, in quod intentionaliter tendat. Eodem igitur modo non ſolùm poteſt ponere in lapide ſpeciem, quę Petrum intuitiuè repræſentat, in quo non exercebit formalem ſpeciei repręſentationem; ſed etiā poteſt ſpeciem eandem in oculo Ioannis (in quo anteà erat) deſtructo Petro conſeruare: cui tamen actu non repræſentabit ipſum Petrum, quanuis ex ſe ſit illius repræſentatiua, ſi fiat ſibi debitè pręſens. 44. (Fonſeca.)

Quando igitur in argumento ſumitur ſpeciem illam à Deo conſeruatam repræſentare obiectum ſecundùm realem exiſtentiam; id admittendum eſt, ſi ſermo ſit de vi aptitudinaliter repræſentatiua: non tamen de repręſentatione actuali; vt colliges ex *Curſu Conimbricenſi. 1. de interpret. cap. 1. q. 2. art. 3. pag. 23.* Illa enim ſpecies ex ſe habet conſummatam vim repræſentandi; ſi verò actu non repræſentet, vel erit, quia ſubiectū in quo ineſt, non eſt capax repræſentationis, vt ait Curſus Conimbr. *vbi ſuprà. pag. 23. in fine*, vel ſi eſt capax, non adeſt obiectum, circa quod exerceat ſuam formalem tendentiam, vt colliges ex Fōſeca vbi ſuprâ. Igitur ad argumētum admittēda eſt ſequela, & neganda maior, ſi ſermo ſit de actuali repræſentatione. Ad probationem (45. Ad argum. Conimbri. Ad formā argumenti.)

nem dicendum eſt ſpeciem illam naturaliter eſſe repræſentatiuam rei exiſtentis, & hanc vim nunquam amittere, quandiù conſeruatur; quoad actualem tamen repræſentationem impediri poſſe, ſi obiectum omninò deſtruitur; ſic etiam de facto impeditur, vt eſt in medio aeris ſubiectata, idque ex defectu ſubiecti.

46. Ad 2. argu.

Ad 2. neganda eſt maior, ſi intelligatur de præſentia locali, ſiue ſituali, quæ fundatur in ſimultate, & indiſtantia ſituũ, & locorum: nec enim ſpecies ſunt neceſſariæ, vt obiectum per eas fiat iſto modo præſens. Admittenda tamen eſt, ſi intelligatur de præſentia obiectiua, & intentionali, quæ fundatur in vnione obiecti, vt eſt forma intelligibilis, cum potentia, vt eſt apprehenſiua illius; nam ad hanc præſentiam ponuntur ſpecies, vt ſæpe diximus.

Duplex obiecti præſẽtia eſt diſtinguenda. D. Thom.

Duplicem autem præſentiam obiecti diſtinguẽdam eſſe annotauimus ſuprà *lib. 4. q. 1. art. 2. num. 60. quam admiſit D. Thom. in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 4. & de Veritate. q. 8. art. 3. ad 19. & clariùs q. 10. art. 11. ad 11. vt patet ex ijs, quæ ex Diuo Thom. retulimus ſuprà q. 5. ar. vnico §. 4. ad 1. eandem amiſerunt*

Ægidius.

Ægidius de cognitione Angelorum q. 4. ad 3. Henrici fol. 83. col. 1.

Capreol. Scotus.

& Capreol. in 2. diſt. 3. q. 2. art. 3. ad 2. Henrici contra 4. fol. 96. col. 4. conſentit Scotus in 1. diſt. 3. q. 6. ad 2. principale lit. I. & Y. §. ad 2. de præſentia, & litera L. §. ad 4. dico, & ſatis in 4. diſt. 49. q. 11. lit. F. § Prætereà viſio, quibus in locis non ſolùm admittit duplicem iſtam obiecti præſentiam, ſed

Obiectum quid ex duplici præſẽtia conſequatur apud Scotũ?

etiam docet obiectum ex priori habere, quod ſit præſens in ratione principij producentis ſpeciem, cuius productione mouet intellectum motione reali: ex poſteriori autem habere, quod poſſit intellectum mouere, vt quædam forma intelligibilis motione quadã intelligibili, & intentionali; quatenùs efficit, vt potentia intentionaliter, & intelligibiliter, moueatur, & tendat in obiectum ſibi in ſpecie repręſentatum.

47. Ad formã argum.

Quare ſi ſermo ſit de pręſentia obiectiua obiecti cum potentia, admittenda eſt maior, & neganda minor. Cuius probatio ſatis diſſoluitur ex ijs, quæ ex Scoto diximus: admittimus enim obiectum eſſe ſufficienter pręſens, & approximatum ad producendum ſpeciem in intellectu; non tamen, vt illum obiectiuè poſſit mouere. ¶ Reſpondebit fortè aliquis admittendã quidẽ eſſe duplicem illã præſentiã; & prætereà præſentiã obiectiuam obiecti nõ dari, niſi in ſpecie, ſi ſermo ſit de cognitione abſtractiua, de qua ſola loquitur Scotus in d. q. 6. poſſe tamen illam dari ſine ſpecie in notitia intuitiua; quia præſentiam ſitualem neceſſariò comitatur præſentia obiectiua in ordine ad potentiam, ex eo, quòd obiectum ex ſua natura eſt actu intelligibile, & ſubinde immutatiuũ intellectus, quãdo realiter, ſitualiter eſt illi præſens.

48. Obiectio ad ea quæ dicta ſunt.

Hæc tamen reſponſio, nec in vera Philoſophia admittenda eſt, nec ſatis conſentit cũ ijs, quæ ex Scoto adduximus. Hoc poſterius colligitur ex ijs, quæ docet in 4. vbi ſuprà, dum ait Deum ſecundùm pręſentiam realis illapſus, qua intellectui eſt præſens, ſicut, & cæteris rebus, nõ eſſe illi præſentem in ratione obiecti intelligibilis; quod non aliunde eſt verum, niſi quia præſentia illa ſecundùm illapſum, & ſitualem indiſtantiã non ſatis eſt, vt Deũ faciat præſentem intellectui, vt formam intelligibilem: indiget igitur aliquo alio, vt poſſit intellectum ad ſui viſionem intelligibiliter mouere; hoc autem non eſt aliud, niſi vnio cum intellectu in eſſe obiecti intelligibilis, vel ex libera Dei voluntate, vt vult Scotus, & diximus ſuprà q. 5. vel ad inſtar ſpeciei intelligibilis, vt alij volunt. Quibus accedit, quod Scotus *in d. q. 6.* doctrinam ſuam dixit eſſe verã, *ſaltem in cognitione abſtractiua*: quibus verbis ſatis innuit doctrinam illam etiam locum habere in cognitione intuitiua.

49. Non recipitur.

Scotus.

Quod verò reſponſio allata admittenda non ſit in vera Philoſophia, inde oſtendi poteſt; quoniam præſentia realis ſecundum locum, & ſitum non ſatis eſt, vt rem ipſam localiter præſentem faciat actu intelligibilem, vt poſſit intellectum intelligibiter mouere.

50. Solutio nõ eſt admittẽda in Philoſophia.

Quod in obiecto materiali eſt omninò indubitatum: nec enim in ſe ipſo eſt intelligibile in actu; ſed tunc primò fit tale cum primò per aliquam ſpeciem intellectui repræſentatur: hoc autem non ſolũ verum eſt in ordine ad noſtrum intellectum; ſed etiam ad intellectum Angelicum: ideo enim reſpectu Angeli tale obiectum eſt actu intelligibile; quia per ſpecies congenitas intelligibiliter repræſentatur:

51. Obiectum materiale, quando fiat actu intelligibile.

Obiectum immateriale in quo ſẽſu ſit actu intelligibile.

tatur: cui argumẽto eſt, quia tale nõ eſſet ante abſtrationem ſuæ ſpeciei, ſi Angelus à rebus ſpecies acciperet. Idem eſt dicẽdũ de obiecto immateriali: hoc enim licèt actu ſit intelligibile intelligibilitate remota, quæ comitatur negationẽ materiæ: nõ tamẽ eſt tale intelligibilitate proxima, & obiectiua, niſi quatenus repræſentatur in aliqua ſpecie, vt latè diximus *ſuprà q. 1. ar. 4. §. 6. in 3. demonſtratione*. Cui etiam argumento eſt; quod eſſentia diuina, licèt præſentia reali indiſtãtiæ ſitualis ſit præſens intellectui viatoris; eſt tamen illi abſens præſentia intelligibili, vt expreſſè ait D.Thom. *de Veritate q. 10. art. 11. ad 11.* Quare non eſt actu intelligibilis, intelligibilitate proxima, & obiectiua quãdiù intellectui creato non vnitur, vel per ſpeciem creatam, vel per ſe ipſam ad inſtar ſpeciei, vt habet communis opinio.

Eſſentia diuina quomodo ſit præſens.

D.Thom.

52\. Confirmatur præcedens doctrina.

Id ipſum inde confirmatur; quoniam apud aduerſarios obiectum effectiuè concurrit ad notitiam intuitiuam ſui; quæ cũ ſit actio immanẽs, recipitur in intellectu: quare obiectum, quod eſt realiter præſẽs vere agit in intellectum, dum in eo realiter cauſat notitiam intuitiuã ſui. At iuxta receptam Philoſophiam agens, & patiens ſimul ſint, oportet, quando agẽs immediatè agit in paſſum. Obiectum autẽ ſitualiter præſens non eſt ſitualiter ſimul cum intellectu: ergo oportet, vt fiat ſimul cum eo, per aliquid, in quo intus in intellectui repræſentetur ſecundùm eandẽ exiſtentiam, quam in ſuo ſitu habet: nec enim alio modo fieri poterit obiectiuè præſens.

Auguſt.

Quo argumento vſus eſt Auguſt. 10 *de Trinitate cap. 5. dum ait animam noſtrã ideo imagines rerum ad ſe trahere, quia res ipſas in ſuam regionem introrſum inferre non poteſt.* In quo conuenit cum Ariſtotele. 3. *de Anima cap. 8. text. 38. dum ait: ideo formas rerum eſſe in anima, quia res ipſas non poteſt in ſe habere: cum tamen neceſſe ſit, aut res ipſas, aut earum formas eſſe in anima.* Et hæc diximus pro ſolutione. 2. argumẽti.

Ariſtot.

53\. Ad 3.

Ad 3. dicimus, Angelum non ideo ſe ipſum intelligere ſine ſpecie, quia ſe ipſum intuitiuè videt; ſed ideo, quia non per formam ſuperadditam, ſed per ſuam eſſentiam ſuo modo eſt ſimilis ſibi, & ipſemet; de quo multa diximus in materia de Angelis.

Ad 4. ex dictis patet ſolutio; quoniam licèt præſentia realis, & ſitualis illa approximatio ſatis ſit, vt obiectum poſſit effectiuè producere ſpeciẽ in intellectu; non tamen ſatis eſt, vt intellectui fiat præſens præſentia obiectiua, & intelligibili, qua poſſit intelligibiliter mouere intellectũ ad intellectionem. 54. Ad 4.

Ad 5. reſpondetur ſpeciem primò, & per ſe eſſe neceſſariam propter aſsimilationem obiecti cum potentia; quia, vt ſæpe diximus, nihil intelligi poteſt, niſi à ſimili; & ideo oportet, vt intellectus fiat ipſa res. Ex quo infertur ſpeciem etiam requiri, vt repræſentet obiectum, tanquã vera eius imago, qua intellectus fiat ipſum. Vnde etiam eſt neceſſaria, vt indifferentia intellectus determinetur ad hoc potiùs intelligibile, quam ad illud. Denique eſt neceſſaria, vt obiectũ poſſit in actu primo eſſe motiuũ intellectus: quæ omnia ex dictis conſtant. Quæ verò Gabriel in contrarium adduxit, futilia ſunt, vt in materia de Angelis oſtendimus. 55. Ad 5.

Ad 6. reſpondetur ea, quæ in argumẽto tanguntur, largiorem poſtulare diſputationem, tam quoad ea, quæ ſpectant ad intellectum coniuntum, quam ad Angelicum: breuiter tamen attingemus, quę ad tollẽdam difficultatem fuerint neceſſaria. ¶ Et quod attinet ad noſtrum intellectum, nullus locus difficultati relinquitur, ſi cum nonnullis negemus intellectũ pro ſtatu viæ nullã habere cognitionem intuitiuam; quæ fuit ſententia *Capreol. in 2. diſt. 23. q. vnica. art. 3. Durandi q. 3. Prologi art. 2. & Baſſolij ibidem, q. 7. & aliorum*, quorum opinio eſt mihi probabiliſsima. Qua ſuppoſita ab omnibus, quæ dicuntur, difficultatibus liberi ſumus. Verùm quia oppoſitam ſententiam admittunt grauiſsimi Philoſophi (ita enim *placuit Ochamo q. 1. Prologi. Greg. in 1. diſt. 3. q. 3. art. 1. Soto lib. 1. Summularum cap. 1. Curſui Conimbr. 3. de Anima cap. 5. q. 5. art. 2. pag. 351. §. Non eſt tamen propterea negandum, & Fonſecæ 1. Metaphyſ. cap. 2. q. 3. ſect. 6. ad 2. pag. 155. quam nos etiam putamus eſſe probabilem*) operæpretium erit illa ſuppoſita argumẽtum diſſoluere. Admittimus igitur notitiam intuitiuã in noſtro intellectu pro hac vita fieri per ſpecies: Vtrũ verò fiat per ſpecies proprias ipſorum

56\. Ad 6.

Noſter intellectus pro ſtatu viæ nõ habet cognitionẽ intuitiuam apud nonnullos.

Capreol. *Durand.* *Baſſol.*

Alij docent oppoſitum

Ocham. *Gregor.* *Sotus* *Conimb.* *Fonſeca.*

ipſorum ſingularium, quæ illorum exiſtentiam intuitiuè repræſentent, an verò per ſpecies vniuerſalium determinatas, tũ per phantaſmata ſingularium; tum per ſpecies ſenſuum externorum, cum quibus coniunguntur, & ſuo modo continuantur; quæſtio eſt inter Philoſophos ſatis controuerſa.

57. Quidam negãt. Quidam, licèt admittant ſpecies proprias ſingularium abſtractiuas; nullas tamen admittunt, quæ ſingularia intuitiuè repræſentent, vnde recurrunt ad ſpecies naturarum vniuerſalium, prout cũ phãtaſmatibus, & ſenſibus externis coniunguntur: ita *Conimbricenſes.3.de Anima c.5.q.4. art.3.& q.5.art.2.cõcl.10.pag.151 quæ opinio priùs fuit Fonſecæ in 1. Metaph. cap.2.q.3. ſect.5. 6.& 8. ad 1.fol. 151. & fol.165.* Oppoſitam ſententiam alij docent admittentes ſpecies proprias ſingularium, non ſolùm repræſentantes ea abſtratiuè, ſed etiam intuitiuè. Quam ſententiam pluribus probatam, eſſe rationi conſentaneam, non negat Fonſeca *vbi ſuprà ſect.4. in fine,* quamuis affirmet eam Ariſtoteli repugnare: eandem vt probabilem defendit *Curſus Conimbr.in d.cap.5. q.4.art.3.* Quæ harum duarum ſententia ſit verior non eſt huius loci diligentiùs explicare, ſed id pertinet ad Philoſophos *in 3.de Anima,& ad Theologos,1.p. q.86. & in 1.ſententiarum diſt.35.* ſatis nobis ſit vtranque eſſe ſatis probabilem, & in vtraque notitiam intuitiuam fieri per ſpeciẽ, quod intendimus.

Conimb. *Fonſeca.* Alii affirmant. *Fonſeca.* *Conimb.* Vtraque eſt probabilis.

58. Explicatur argumẽtũ 6.de noſtro intellectu. Ad argumentum igitur, quod attinet ad noſtrum intellectum cõiunctum, qui volunt non dari ſpecies proprias ſingularium, dicent notitiam intuitiuam in nobis fieri per ſpecies rerum communium; non quidem abſolutè, vt præciſè naturã communem repræſentant; ſed vt determinantur, & veluti in repræſentando cõplentur per concurſum phantaſmatum, & ſenſuum externorum, vt habes ex *Fõſeca in d.q.3. ſect.6.pag.153.in fin.* & *pag.155.in fine & ſect.8. pag.166. in principio, & Curſu Conimbric. in d.q.4.art.1, in 3. argumento.pag 338.& art.3. pag.343. ad 1. 2. & 3. partis affirmatiuæ.* Qui verò admittunt ſpecies proprias ſingularium, ad 1. obiectionem reſpondebunt quæſtionem eſſe pro vtraque parte probabilem, cum pro vtraq; habeat viros doctiſsimos.

Fonſeca. *Curſu.Con.* Ad 1.obiectũ.

Ad 2. dicimus Curſũ Conimbricenſem in eo ſuam aſſertionem fundare, quod in noſtro intellectu pro hoc ſtatu non dentur vllæ ſpecies propriæ ſingulariũ, quã ſententiam non vt certam, ſed vt probabilem proponit: dum in q.4.antecedent. art 3. rem diſputat pro vtraque parte. Et profectò ſi admittantur ſpecies propriæ, non video, cur ſolùm admittendæ ſint, quę abſtractiuè repræſentent ſingnlaria. Sed vt dixi hac de re non licèt hoc in loco latiùs diſputare. 59. Ad 2.

Ad 7. & vltimum negamus cognitionem intuitiuam in Angelis fieri ſine vlla ſpecie: oppoſitum enim docet cõmunis, & verior opinio, non tantum in cogntione ſingularium immaterialium, ſed etiã materialium. Controuerſia tamen eſt; Vtrùm Angeli ſingularia intuitiuè cognoſcant per ſpecies rerum communium; an per proprias ipſorũ ſingularium? cõmunior antiquorum ſententia vult Angelos ſingularia, tam abſtractiuè, quàm intuitiuè cognoſcere per ſpecies vniuerſales ſibi cum natura congenitas: hæ enim ita communem naturam repræſentant, vt eam repræſentẽt cum omnibus, quæ illi actu conueniunt, quæ eſt communior opinio Thomiſtarum: ita enim *docet D. Thom. vbicunque loquitur de ſpeciebus Angelorum, vt patet.1.p.q.57.ar.2. ad 3.vbi Caietanus cũ cæteris, idem D.Tho. de Veritate.q.8. art.9.ad 3.& art.11.ad 9. & 13.& 2.contra gentes cap. 100. vbi latè Ferrar. §. prædictam concluſionem; in eadem ſententia eſt Capreol.in 2.diſt.3.q.2.art.3, ad 5.6. & 7.Scoti contra 3.fol.94.col.3.& 4.*

60. Ad 7. Angeli non cognoſcunt ſingularia ſine ſpecie. An per ſpeciem rerũ communiũ? *D.Thom.* *Caietan.* *Ferrar.* *Capreol.* *Fonſeca.* *Conimbr.*

Probant Fonſeca 1.Metaphyſ.cap.2.q.3. ſect.5.in princip.Curſus Conim.3.de Anima cap.5.q.4.art.3. ad 2.pag.341.& q.5.art. poſt concluſionẽ 10.pag.351. vbi idem docet de Anima ſeparata cum *D. Thom. 1.p. q. 89.art.4.& de Veritate q.19. art. 2. & de Anima q.vnica art.20.* At qui hanc ſentẽtiam non admittunt (quã pluribus enim non ſatis plana viſa eſt, vt Molinæ 1. p. q. 55. art.2.diſp. 2. membr.5. & Curſui Conimbric. in tractatu de Anima ſeparata diſt.3. art.6. ad poſtremum) vel recurrunt ad opinionem, quæ docet Angelos accipere à rebus ſpecies ſingulares, quæ non poſſunt intuitiuè non repræſentare illa ſingularia, à quibus accipiuntur: vel aſſerunt Deum illis ſpecies intuitiuas ſingu-

Quid de anima ſeparata. Alij non admittũt præcitatam ſententiam. *Molina.* *Conimbr.*

ſingularium infundere, quando incipiũt actu exiſtere: quam ſententiam aliquos Thomiſtarum probaſſe refert Molina 1. *p.q.57.art.4. eandem non improbat Curſus Conimb. vbi ſuprà; imò eam probat tanquam facilem, & ad difficultates diluendas opportunam.* Quæ harum opinionum verior ſit? non eſt huius loci latiùs expendere.

Molina. *Conimb.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrũ ſpecies in intellectu humano, & Angelico admittendæ ſint, vt diſtinctæ ab actu intelligendi?

1. *Ratio queſtionis.*

SVpereſt explicare, vtrùm ſpecies, quas admittimus, diſtinctæ ſint ab actu intelligendi? de hoc enim eſt controuerſia: cuius reſolutio non poteſt non præſupponi ad futuram diſputationem de poſsibilitate ſpeciei diuinã eſſentiam diſtinctè repræſentantis: etenim ſi ſpecies à viſione non diſtinguitur, non poſſumus non admittere talem ſpeciem: quia Fides admittit dari in beatis viſionẽ diuinæ eſſentiæ: datur tamen locus huic dubitationi, ſi ſpecies ab intellectione diſtinguitur.

§. 1.

Refertur opinio, quæ ſpecies non diſtinguit ab intellectione.

2. *Opinio quę non diſtinguit.* *Conimb.* *Godof.* *Aureol.* *Ægid.* *Nymphus*

QVod ſpecies realiter non diſtinguantur ab actu intelligendi, plures docuerunt. Pro hac ſententia Curſus Conimbric. refert *Godofr. quolib. 4. q. 18. Aureolum in 1. diſt. 33. q. 1. art. 1. Propoſ. 4. & 5. Ægid. quolib. 3. q. 12. & 13. Nymphum lib. 5. de Intellectu cap. 9. & nõnullos, quorum meminit Scotus in 1. diſt. 3. q. 7. in 6. opinione lit. G.* Sed Nymphus nec verbum hac de re facit; imò oppoſitum ex eo colligitur, ſi expẽdantur, quæ ſcribit in cap. 8. præcedente. Illi autẽ, quorum meminit Scotus, ſpecies intelligibiles, quas admittunt; diſtinguũt ab intellectione, vt videre eſt apud Scotum. Ægidius verò in duabus citatis quæſtionibus; nec verbum hac de re ſcribit; imò in q. 15 oppoſitam ſententiam docuit in ſpeciebus intelligibilibus, & alijs in locis. Quare ex ijs, quos pro hac ſententia citant Conimbricenſes, ſolùm citari poſſunt Godofred. & Aureol. ij enim volunt ſpecies ab intellectione realiter non diſtingui: quas tamen ab ea diſtinguũt formaliter, ſi expendamus vtriuſque mentem, Addimus tamen eiuſdẽ ſententæ fuiſſe Franciſcum Picolominum in 3. *de Anima cap. 4. text. 5. in annotationibus, num. 3. fol. 160. pag. 2.*

Ægidius. Pro hac Godofr. & Aureol. *Franciſcus Picol.*

§. 2.

Explicatur opinio Godofr. cum fundamentis.

3. Opinio Godofredi.

GOdofr. *quodl. 4. q. 18.* putat ſpeciẽ intelligibilem realiter eſſe ipſam intellectionem; non abſolutè ſumptam, ſed vt eſt recepta in intellectu. Vnde affirmat, intelligere formaliter eſſe ſpeciem recipere. Ita de Godofredo ſcribũt Aureolus *vbi ſupra q. 1. art. 1. pag. 748. col. 2. Capreol. in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. pag. 234. col. 2*, quam ſententiã multis confirmat.

Aureolus. *Capreol.*

4. 1. Ratio pro Godofr.

Et primò, quoniam intellectus ſolùm eſt in potentia ad intellectionem: ergo id, quod ab agente imprimitur in intellectu, erit ipſa intellectio. Sed intellectus agens imprimit in poſsibili ſpeciem, quam abſtrahit à phantaſmate: ergo ipſa ſpecies, vt impreſſa, & recepta in intellectu, erit ipſa formalis intellectio.

5. 2. Ratio.

Secundò; perfectio cuiuſcunque potentiæ paſsiuæ poſita eſt in receptione alicuius formæ impreſſæ ſibi ab agente: etenim potẽtia calefactibilis, quę eſt in ligno, perficitur per calorem receptum à calefaciente: ſed intellectus eſt potentia paſsiua, vt paſsim ait Ariſtoteles: ergo illius perfectio poſita eſt in receptione alicuius formæ ab alio impreſſę: hæc autem forma eſt ſpecies intelligibilis: ergo perfectio intellectus poſita eſt in receptione illius. At perfectio intellectus eſt intellectio: ergo receptio ſpeciei formaliter eſt intellectio.

6. 3. Ratio.

Tertiò, ſicut ſe habet intelligi ad intelligibile, ita intelligere ad intelligentem. Sed intelligi reſpectu obiecti ſignificatur vt paſsio, cum tamen ſit vera actio, quia intelligibile nihil patitur, dũ intelligitur, imò agit in intellectum: ergò intelligere in intelligente erit recipere, & pati, eſto actiuè ſignificetur.

7. 4. Ratio.

Quartò, intellectus dicitur formaliter intelligens; vel quia cauſat intellectionẽ; vel quia eã recipit. Non quia cauſat; alioquin

quin intellectus agens eſſet formaliter intelligens: & ſimiliter efficiens albedinem diceretur album: ergo intellectus erit formaliter intelligens, quia recipit intellectionem, & per conſequẽs intellectio erit formaliter ipſa ſpeciei receptio.

8. Sexta. Sextò; receptio ſpeciei ſenſibilis in ſẽſu formaliter eſt ſenſatio cũ ſpecies ſenſibilis recepta ſit actualis ſenſatio: ergo receptio ſpeciei intelligibilis in intellectu eſt ipſa formalis intellectio. Conſequentia probatur; tũ, quia vtrobiq; eſt eadẽ ratio: tũ etiam, quia ex *Ariſto. 3. de Anima c. 4. tex. 3.* quemadmodũ ſe habet ad ſenſibilia ſenſus; ſic ſe habet ad intelligibilia intellectus: quod etiam ſatis ſignificat cap. 8. text. 37. antecedens verò probatur ex Ariſtotele 3. de Anima cap. 2. text. 139. dum ait *actionem ſenſibilis receptam in ſenſu eſſe ſenſationem.* Verbi gratia, ſonationem corporis ſonãtis receptam in auditu, eſſe auditionem: actionem coloris receptam in viſu, eſſe viſionem. Et idem docet Cõment. 3. de Anima Commẽt. 6. 35. & 38. dum ait *colorationem, hoc eſt ſpeciem coloris, vt ſine materia recipitur in viſu, eſſe viſionem,* & Com. 122. aſſerit *formas, quæ à ſenſibili ad extra producuntur, & in ſenſu ſine materia recipiuntur, eſſe ſenſationes,* Auguſtin. etiam 11. de Trinitate, cap. 2. expreſſè ſcribit *formam, quæ producitur à viſibili, eſſe viſionem.* Ex quibus ſatis patet veritas antecedentis.

Ariſtot.

Cõmentat.

Auguſt.

9. Confirmat. 6. ratio ex Ariſtot. Quod etiam confirmatur ex doctrina Ariſtotelis in 2. de Anima capit. 5. text. 59. dum ait *primam mutationem ſenſitiui fieri ab ipſo generante; ſenſitiuum autem generatum habere ſenſum perinde, atque ſcientiam.* Ex quibus verbis communiter inferunt interpretes ſenſitiuum ſolùm eſſe in potentia eſſentiali ad ſentiendum, antequam generetur: quando ſcilicet adhuc eſt in potentia ſeminis, & ab hac potentia reduci ad actum actione generantis: quatenùs ſcilicet per eam actu recipit ipſam ſentiendi potentiam: factum autem in actu primo per ipſam, habere ſe ad actum ſentiendi, vt ſcientia ſe habet ad actum ſciendi, & ſubinde ſenſum ipſum ſolùm eſſe in potentia accidentali ad actũ ſentiendi. Cum verò adhuc ſit in potentia ad recipiendam ſpeciem ſenſibilem, benè infertur ipſam receptionem ſpeciei formaliter eſſe ſenſationem.

10. 7. Ratio. Ariſtot. Septimò, ratio à Picolominæo ſumitur ex Ariſtotele in 3. de Anima c. 4. tex. 5. dum ait, *mentem antequã intelligat, nihil eſſe actu.* Quod eſſet falſum, ſi ſpecies diſtingueretur ab intellectione: nam cum per ſpeciem fiat ipſum intelligibile, & priùs recipiat ſpeciem, quàm intelligat, vt Aduerſarij putãt; vtiq; mens, antequã intelligat eſſet actu aliquid.

11. Vlt. Ratio. Ariſt. Poſtremò cõſirmatur authoritatibus, prima eſt Ariſtotelis 3. de Anima. cap. 4. tex. 2. dũ ait, *intelligere eſt pati*: intellect⁹ autem patitur, cum recipit ſpecies. Cõmentator etiam. 3. de Anima, Com. 15. & 122. ait, *intentiones rerum in anima eſſe comprehenſionis*: nomine autem *intentionis* intelligit ſpecies; ſicut etiam nomine *comprehenſionis* ipſam intellectionem. Et Com. 31. expreſſè affirmat *intelligere non eſſe aliud, quam intentiones per abſtractionem factas recipere.* Hęc ſunt fundamenta Godofred.

Cõmentat.

§. 3.
Explicatur ſententia Aureoli.

12. Aureol. nõ ſenſit idem qđ Godofr. PLures exiſtimant Aureolũ cũ Godofredo cõſentire: id ſæpe inſinuat *Capreol. in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1.* dum *refert ſententiam Aureoli, idem expreſſè docet Iauellus. 3. de Anima q. 2. de actu intelligendi.* Sed quã falſum id ſit, facilè oſtenditur: quoniã Aureol. in 1. diſt. 35. q. 1. ar. 1. in principio refert opinionem Godofredi; & eam latè impugnat in tertia propoſitione, quam contra Godofredum ſtatuit his verbis: *recipere ſpeciem non eſt formaliter intelligere*: In hoc tamen cum Godofredo conſentit, quod ſpeciem ab intellectione realiter non diſtinguit, vt patet ex propoſitione quarta, vbi ait: *Superfluum eſt vltra ſpeciem intelligibilem aliquam ſpeciem imaginari.* Et propoſitione quinta, pagin. 756. E. ſecundo, & pagin. 757. D. primo, & E. ſecundo, & pagin. 758. B. primo multis docet, *non ſolùm ſuperfluum eſſe, ſed etiam impoſſibile. vltra ſimilitudinem ; ſpeciemque informantem ponere aliam qualitatem.* Et quanuis ſpeciem realiter non diſtinguat ab intellectione, eam tamen aliquo modo ab ea diſtinguere, facilè patet ex quinta propoſitione, pagina 758. B. primo, dum docet *intellectionem ſuperaddere ſupra ſpeciem*

13. In quo cõſentiat cũ eo.

ciem aliquid intentionale. Et pagin. 757. *B.C.* 1. affirmat *ſpeciem eſſe in intellectu non ſatis eſſe, vt detur intellectio.*

14. Quid ſit intellectio apud Aureolum. Quid autem formaliter ſit intellectio, & quomodò diſtinguatur à ſpecie non facilè ex eo colliges: ſi tamẽ cõſideratiùs expendãtur, quæ in toto illo art. ſcribit; intellectio formaliter eſt ſpecies, prout actione intellectus (quã appellat dictionẽ) obiectũ actualiter in ea apparet. Etenim propoſitione. 3. pag. 755. A. 1. ita ſcribit: *quod intelligere ſit ſpecies intelligibilis, aliqualiter verum eſt; conſtitutũ enim ex intellectu, & ſpecie eſt ipſum intelligere*, Et in 5. ꝓpoſitione pag. 757. D.E. 2. ita ait; *Intellectio formaliter, & in recto loquẽdo non eſt aliud, quam intellectus cum ſimilitudine rei, in quantum id, quod poſitum eſt in eſſe apparenti, ſibi apparet.*

15. Apud Aureol. intellectio formaliter non eſt ſpecies. Poſſumus etiã ex eodẽ Aureolo colligere intellectionẽ formaliter nõ eſſe ipſã ſpeciẽ, ſed eſſe ipſam actualẽ apparitionẽ obiecti in ſpecie: hoc enim ſatis ſignificat, dum hanc formalẽ apparitionẽ appellat, *aciem mentis, intuitũ, & conſpectũ* pag. 757. C, D, 2. & dũ ibid. lit. E, affirmat *intellectionem formaliter non eſſe id, quo obiectũ apparens apparet: ſed id, quo obiectũ intellectui formaliter apparet.* Quæ verba ita ſunt intelligenda; vt intellectio nõ ſit, id quo obiectũ effectiuè apparet; quia id, quo effectiuè apparet, eſt dictio ſiue locutio ipſius intellectus, quæ eſt præuia intellectioni; intellectus enim prius dicit, quã intelligat, vt ibidẽ ait. Eſt igitur intellectio id, quo obiectũ formaliter apparet intellectui: quod nõ eſt aliud, quã ipſa formalis apparitio obiecti in ipſa ſpecie, vt in quadã ipſi⁹ imagine: quod ſatis expreſſit in 1. opinion. pag. 752. col. 2. A, B, dũ ait: *Sic ergo intellectio alicuius nõ eſt aliud, quã habitio illius per modum ſibi apparentis.*

Hæc eſt vera explicatio mentis Aureoli, ex qua euidenter colliges ſpeciẽ rea-
16. Nõ tamẽ diſtinguitur realiter ab ea. liter non diſtingui ab intellectione: id ſatis patet; ſi intellectio formaliter eſt ipſa ſpecies, vt in ea obiectũ apparet. Si verò eſt ipſa formalis obiecti apparitio in ſpecie, realiter ab ea non diſtinguitur, quia talis apparito non eſt aliqua qualitas, ſed ſolùm eſt quædam intentio de nouo adueniens ſpeciei, tunc, cũ intellectus actu format obiectũ in eſſe apparentis, intẽtio verò non eſt aliqua realitas ſuperaddita.

Ex ijs, quæ ex Aureolo diximus. 3. aſſertiones colliguntur. 1. eſt ſpecies intelli- 17. Ex Aureol. 3. colliguntur aſſertiones.
gibilis realiter eſt idem cũ intellectione. Hanc multis probat: & primò; quoniam actus ſpeciei eſt repræſentare obiectum, illudq; vt præſẽs intellectui exhibere, ſed hoc ipſum prẽſtat intellectio, vt eſt intel- 1. Concluſ. Aureol.
lectio (formaliter enim non eſt aliud, niſi id, quo obiectum præſentialiter exhibetur per modum apparentis:) ergo ſpecies & intellectio realiter ſunt vnũ. Maiorẽ probat: tũ; quia omnes, qui ponunt ſpecies, admittunt ſpeciẽ eſſe formaliter imaginem, & ſimilitudinẽ repræſentatiuam obiecti. Tum etiã; quia *Ariſtot.* 3. *de Anima, cap.* 4. *tex.* 4. *ait*; *ſi intellectus ex ſe haberet ſpeciem alicuius obiecti, impediret ne aliud appareret.* Ariſtot.
Supponit igitur ſpeciem facere, vt obiectum intellectui appareat. Minorem inde oſtendit; quia intelligere formaliter eſt id, quo obiectum habetur per modum apparentis, vt ſupponit. Cõſequentia verò inde patet; quia aliàs idem obiectum bis appareret intellectui, ſemel per ſpeciem, & iterum per intellectionẽ, quod eſt ſuperfluum.

Confirmatur hæc ratio à nõnullis: vbi eſt eadem ratio obiecti, ibi eſt idem eſſe: ſed ſpecies, & intellectio tendunt in obiectum ſub eadem ratione formali: quia tendunt in illud ſub eſſe apparentis: ergo habent idẽ eſſe, atq; adeo nõ ſunt duæ res. 18. Cõfirmat.

Secundò; intelligere formaliter nõ eſt intueri, quod per ſpeciẽ eſt præſens: ergo formaliter eſt aliquid habere prẽſens. An- 19. 2. Ratio.
tecedẽs probatur: quia intellectu nihil intelligente, obiectum non poteſt eſſe præſens in ſpecie, ſiquidem nihil datur, cui tunc, vt præſens, appareat: ergo intelligere formaliter erit habere aliquid prẽſens; & per conſequens idem erit quod ſpecies.

Tertiò; ſi intellectio eſt qualitas reali- 20. 3. Ratio.
ter diſtincta à ſpecie, vel erit ſimilitudo, ſicut ipſa ſpecies: vel non erit ſimilitudo. Dici non poteſt, quod nõ ſit ſimilitudo: tum; quia oppoſitum colligitur ex verbis primæ. Ioan. primo. *Similes ei erimus; quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Tum etiam, quia ex communi Philoſophia antiquiorum cognoſcere non eſt aliud, quam aſſimilari. Porrò ſi intellectio formaliter eſt ſimilitudo, & realiter diſtinguitur à ſpecie, quæ etiam eſt ſimilitudo, iam in eodẽ intelle-

intellectu darētur duæ ſimilitudines eiuſdem obiecti, quod & ſuperfluū eſt, & impoſsibile: quoniā duę illæ ſimilitudines, vel eſſent eiuſdē ſpeciei, vel diuerſæ. Nō eiuſdē: quia quęlibet formaliter eſſet intellectio. Si diuerſæ; ſequeretur effectū nobiliorē eſſe ſua cauſa æquiuoca: nā intellectio eſt effectus ſpeciei, & illa perfectior.

21. Poſtrema ratio.

Poſtremo id probat Aureol. iiſdē authoritatibus Cōmentatoris, quas pro Gofredo adduximus: nā iiſdem probari videtur ſpecies ipſas eſſe intellectiones. Hæc pro prima concluſione ab Aureolo adducuntur.

22. 2. Concluſio Aureol. Species abſolute non eſt intellectio.

Secundam concluſionem non probat; poteſt tamen confirmari ex iis, quæ ſcribit. Nam quod ſpecies abſolutè ſumpta nō ſit intellectio, inde probat; quoniam ſpecies eſt ſeparabilis ab intellectione: omnes enim concedunt abſolutū ipſius ſpeciei ſeparari poſſe ab actu repræſentādi: quoniā ſpecies manet in intellectu ipſo nihil cogitante, vt fatetur idē Aureol. in dicta propoſitione. 5. pag. 757. A, B, 2. Accedit etiā (inquit Aureolus) quoniam ſpecies ſecundū ſuum abſolutū, quo actu, & intellectu, cōcurrit ad intellectionem: intellectus autem informatus ſpecie format ipſum obiectum in eſſe apparentis.

In quo ſenſu ſpecies ſit intellectio?

Quod verò ſpecies, prout facit obiectum intentionaliter apparere, ſit ipſa intellectio, Aureolus ſæpe affirmat, & tanquam notū ſupponit: ſicut etiam, vt notiſsimū ſupponit intelligere formaliter nihil aliud eſſe, quam habere obiectū actu apparens: hoc autē tunc facit ſpecies, cū intellectus actu cum ea concurrit ad faciendā obiecti apparentiam atque præſentiam.

23. 3. Concluſ. Aureoli.

Ex vtraq; concluſione infertur veritas concluſionis tertiæ: nam cum intelligere non ſit aliud, quàm habere præſens obiectum: hæc autem præſentia ſit quędam intentio; vtiq; intellectio ſuprā ſpeciem nihil realiter ſuperaddit, ſed ſolùm quid intentionale. Hæc omnia diximus pro explicanda mente Aureoli.

§. 4.

Species intelligibiles realiter diſtingui ab intellectione.

24. QVod ſpecies intelligibiles realiter diſtinguātur ab actu intelligēdi vnanimo cōſēſu docēt cæteri omnes Philoſophi, & Theologi: contra Gofredū, & Aureol. latè ſcribunt *Capreolus in 1. diſt. 35. q. 1. ar. 1. Concluſione 1. & in reſponſionibus ad Aureolū contra primā fol 236. col. 3. & contra Godofred. fol. 237. col. 1. idem Capreol. contra Godofred. in 2. d. 3. q. 2. ar. 3. fol. 93. col. 1. latè Didac. Atala in 1. d. 35. q. 1. art. 3. & 4. Soncinas ibi. q. 1. concl. 3. Curſus Conimb. 3. de Anima c. 8. q. 4. art. 1. concl. 1.* qui omnes ſpeciē intelligibilē realiter diſtinguunt ab intellectione. Et hæc fuit expreſſa ſentētia D. Tho. *de Veritat. q. 8. art. 6. vbi affirmat intellectionē eſſe effectū ſpecierū, & ibid. q. 9. art. 5. docet ſpeciem ſe habere ad intellectionem, vt illius principium, eo modo, quo calor eſt principium calefactionis. Idem probat Ægidius quodlib. 3. q. 14. & 15. quatenùs affirmat intellectionem cauſari à ſpecie intelligibili, quod ſæpe docet in quæſtionibus de Cognitione Angelorū, & in 2. diſt. 3. in 2. p. dum agit de eadem cognitione. Idem probat Scotus in 1. diſt. 3. q. 6. vbi latè oſtendit ſpecies intelligibiles priores eſſe actu intelligendi, & q. 7. ex Ariſtotele, & Auguſt. oſtendit intellectionem cauſari, & produci à ſpecie. Probarunt id ipſum Appollinaris. 3. de Anima q. 5. latè Iauellus ibidem q. 1. de actu intellectus. Bellomontanus 1. p. diſp. 43. cap. 3. n. 7. & 8. tanquam notiſsimum ſupponit Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. nu. 7. Et nos id ipſum probauimus ſuprà lib. 4. q. 1. art. 2. num. 56.*

Vera ſententia realiter diſtinguit ſpecies ab intellectu.

Hiſpalenſis.

Conimbr.

D. Thom.

Ægidius.

Scotus.

Appolinaris.

Hæc veriſsima ſentētia multis ꝓbari poteſt; ſed vnica ratio nūc ſatis erit, quæ euidens videtur demonſtratio: nam intellectio eſt à ſpecie, tanquam à principio elicitiuo, & productiuo: ergo realiter diſtinguitur ab illa. Conſequentia eſt nota: antecedens ex eo eſt veriſsimum, quia intellectio omnium conſenſu etiam aduerſariorum eſt actio vitalis: ergo eſt effectiuè producta ab intellectu quia de ratione operationis vitalis eſt, vt effectiuè ſit à principio vitæ, vt tanquam veriſsimum ſupponimus, maximè quia aduerſarij, ſaltem Aureolus in hoc nobiſcum conſentiunt. At non eſt producta ab intellectu, vt eſt in potentia eſſentiali; quia vt ſic eſt in pura potentia, & tanquam tabula raſa potens omnia fieri. Vnde ſub hac ratione non habet rationem actiui, ſed ſolùm poſſibilis, & paſsiui, vt apertè docet *Ariſtoteles*

25. Vera huius opinionis ratio.

Ariſtot.

ſtoteles 3. *de Anima capite* 4. *text.* 2. 3. 4. 5. *&* 14. *& cap.* 5. *tex.* 17. *&* 18. & res eſt in Philoſophia ſatis nota. Intellectio igitur erit effectiuè ab intellectu, vt eſt conſtitutus in actu primo intelligendi, vt manifeſtè docet *Ariſtot. in d. c.* 4. *tex.* 8. *& c.* 8. *tex.* 37. & hanc eſſe peripateticã Philoſophiam latè oſtẽdimus ſuprà ar. 1. §. 4. vbi etiam demonſtrauimus intellectum fieri in actu primo intelligẽdi formaliter per ſpecies intelligibiliũ, quas in ſe ipſo recepit: quod etiã *clare docet Aureol. vbi ſuprà ad fin.* 5. *propoſitionis, totiuſque ar. pag.* 758. *col.* 1. *D.* Vnde mirum eſt, quod ibidem propoſitione 4. pag. 756. col. 1. D. & in 2. diſt. 3. aſſerat Ariſtot. in illis locis non agere de actu primo in ordine ad actũ 2. qui eſt ſimplex intellectio; ſed in ordine ad actũ complexum, qui eſt actus ſcientiæ: nam oppoſitum euidenter colligitur ex verbis, & mente Ariſtotelis, vt contra Aureolum aduertit *Capreolus in* 1. *diſt.* 35. *q.* 1. *art.* 1. *fol.* 13. *col.* 3. *ad* 11. Igitur indubitatum ſit apud Ariſtotelem intellectum per ſpecies receptas conſtitui in actu primo ad intellectionem, quæ eſt prima intellectus operatio: iam verò id, per quod potentia productiua conſtituitur in actu primo ad agendum, concurrit ad actionem effectũque productum, tanquam principium effectiuum: quare cũ intellectus per ſpecies receptas conſtituatur in actu primo ad producẽdum intellectionẽ; vtique intellectio erit ab illis, vt à principio verè effectiuo, quod nõ poteſt realiter non diſtingui ab intellectione.

Aureolus

Aureolus nõ intellexit Ariſtot.

Capreol.

Intellectus apud Ariſt. fit in actu 1. per ſpeciem.

26. Reſponſio pro Aureo.

Fortaſsis reſpondebit aliquis pro Aureolo communem illam Philoſophiam intelligendam eſſe de agente, quod agit actione reali, & producit realem aliquem effectum; ſecùs ſi ſolùm agit actione intẽtionali, & producit id, quod ſolùm eſt intentio, & non res: iam verò intellectus informatus ſpecie, nec agit actione reali, dum intellectionem producit, ſed ſolùm intentionali; nec producit rem aliquam realem, ſed ſolùm intentionem quandã: ſiquidem intellectio formaliter, non eſt res, ſed ſolùm intentio, qua obiectum habet eſſe intẽtionale apud intellectum. Quæ omnia colliges ex Aureolo vbi ſuprà *propoſitio.* 5. *pag.* 757. *col.* 2. *D, &* 758. *col.* 1. *B. C. D.*

27. Sed ſolutio iſta atque opinio verè eſt paradoxa contra communem peripateticorum conſenſum. Pro cuius impugnatione aduertendum eſt intentionem vno modo accipi pro intentione logica, quæ eſt ens rationis. Altero modo, prout intentio idem eſt, quod ens, cuius natura, & quidditas in hoc eſt poſita, vt ſit mediũ, quo in aliud tendimus; vt quæ ex ſua natura ſit ſimilitudo, & repræſentatio alterius: in qua ſignificatione ſumitur in quæſt. apud plures controuerſa, vtrũ lumen in medio diaphano ſit intentio, an res: de qua diſputari ſolet *in* 2. *d. Anima, &* 1. *p. q.* 67. *art.* 3. *& in* 2. *diſt.* 13.

Non recipitur.

Intentio dupliciter ſumitur.

Si Aureolus nomine intẽtionis intelligit intentionẽ logicam, & quæ eſt purũ ens rationis, & velit intellectionem non eſſe ens reale, ſed rationis: rem dicit omninò improbabilem, & ideo dignus non eſt, qui impugnetur. Porro ſi nomine intentionis intelligit id, quod ex ſua natura formaliter eſt imago, & repræſentatio alterius: & intentionẽ iſto modo diſtinguat à re, vt res idẽ ſit, quod ens non repræſentatiuũ; admittimus intellectionẽ non eſſe purã rẽ, quia vera eſt imago obiecti, eiuſq; repræſentatio: attamen negamus intellectionem, non eſſe veram rẽ, & verũ ens reale, prout ens reale diſtinguitur ab ente rationis: nam iſto modo eſt verũ ens reale, & ſubinde admittit realẽ diſtinctionẽ, & verè eſt producibilis productione reali, quæ ipſã à ſuo principio efficiẽte realiter diſtinguat: nã ſpecies, tã intelligibiles, quã ſenſibiles ex ſua natura ſunt intẽtiones: quia ex ſua natura ſunt imagines aliorũ; & tñ vera, & reali ꝓductione producũtur, & verè, atq; realiter diſtinguũtur à ſua cauſa productiua. Quare intellectionẽ eſſe in hoc ſenſu intentionem, non tollit, quominus ſit vera entitas reali actione producibilis, & realiter diſtincta à ſuo efficiente. 28. Ad argum.

Quæ Philoſophia ex eo etiam euidenter confirmatur; quia intellectio formaliter ſumpta eſt actus vitalis, & actio quędam immanens, & per conſequẽs eſt vltima, & ſuprema perfectio potentiæ intellectiuæ, *ex Ariſtotele* 9. *Metaph. cap.* 7. adeo, vt in ea eſſentialiter ponatur beatitudo, tam naturalis, quàm ſupernaturalis intellectualis naturæ; imò etiam in Deo, *ex Ariſtotele.* 12. *Metaphyſic. capite ſexto.* Quæ omnia eſſent falſa, niſi intelle- 29. Probatur data Philoſophia.

tellectio formaliter eſſet vera entitas, ac realis forma intellectus, ab eodem non actione intentionali solùm, ſed etiam reali producta: & ſubinde ab eodem realiter diſtincta; quantumuis ex ſua natura ſit intentio. Futilis igitur ſolutio ſuperiùs adducta.

§. 5.

Impugnatur ſententia Godofredi.

30. Impugnatur Godof. VT veritas communis ſententiæ meliùs appareat, operæpretium erit opinionem, tam Godofredi, quam Aureoli breuiter impugnare.

Intellectio formaliter non eſt receptio ſpeciei. 1. Ratio. Et quod attinet ad Godofredum, ex ijs, quæ immediatè diximus, manifeſtè conſtat, nec intelligere formaliter eſſe recipere ſpeciem, nec intellectionem formaliter eſſe ipſam receptionem ſpeciei: nam ex vera Philoſophia Ariſtotelis intellectus actiuè concurrit ad intellectionem: ſed intellectus, non concurrit actiuè ad receptionem ſpeciei, ſed ſolũ paſſiuè: ergo intellectio formaliter nõ eſt ipſa receptio ſpeciei. Maior patet: cum enim intellectio ex ſua natura ſit actus vitalis, ex ſe habet, quod ſit à principio vitæ intrinſeco, tanquam à principio efficiente. Minor in ſpeciebus Angeli eſt nota, ſiue dicas eas eſſe infuſas à Deo; ſiue ab ipſis Angelis eſſe acquiſitas. At in ſpeciebus noſtri intellectus id manifeſtum eſt apud *Ariſtot.* *Ariſtotelem in 3. de Anima cap. 4. & 5.* in quibus locis docet intellectũ poſſibilẽ ex ſe eſſe in potentia eſſentiali ad recipiẽdas ſpecies; reduciq; actiuè ad actum earũ actione intellectus agentis, à quo recipiendo ſpecies verè patitur. Et quia hoc in Philoſophia eſt quàm notiſsimum, ſatis ſint, quæ adduximus ex Ariſtotele.

31. 2. Ratio. Secundò, idem oſtenditur: quoniã ſi intelligere formaliter eſſet recipere ſpeciem; cum vnius ſpeciei vnica tantum ſit receptio; vtique per vnam ſpeciẽ ſemel intelligeremus rem, cuius eſt ſpecies: imò ſemper eſſemus in actuali intellectione illius. Vtrumq; eſſe falſum docet experientia: experimur enim nos ſæpe ceſſare ab intellectione obiecti: cuius ſpeciem recepimus: & propterea experimur nos eiuſdem obiecti intellectionẽ repetere, *D.Thom* & id docet *D. Thom. de Veritate q. 8. art. 13. ad 2.*

32. 3. Ratio. Tertiò; receptio ſpeciei antecedit intellectionem, ſaltem natura: ergo formaliter non eſt intellectio. Conſequens eſt per ſe notũ. Antecedens probatur: quia intellectus recipiendo ſpecies eſt in actu primo adhuc exiſtens in potentia ad actũ ſecundũ, vt expreſſe docet Ariſtoteles *in* *D.Thom.* *3. de Anima cap. 4. text. 8. & D. Thom. de Veritate q. 8. art. 6. ad 7.*

33. Vlti. ratio. Poſtremò; ſequeretur Deum nõ poſſe, aut ſpeciem in intellectu ſine intellectione conſeruare; aut intellectionem ſine ſpecie: quia nec ſpecies poteſt eſſe in intellectu, niſi in eo recepta ſit: nec receptio ſpeciei dari poteſt ſine ſpecie recepta. Cõſequẽs eſſe falſũ, cõmunis docet ſentẽtia.

34. Opinio Godofredi reijcitur Quare opinionem Godofredi omnes rejecerunt: *Aureolus in primo diſt. 35. q. 1. art. 1. propoſitione 3. & ibidem Capreolus q. 1. art. 1. ad agumenta Godofredi contra primã fol. 237. col. 1. vbi etiam Aiala Hiſpalenſis q. 1. art. 4. fol. 248. idem Capreolus in 2. diſt. 3. p. 3. art. 3. ad argumẽta Godofr. fol. 93. col. 1. vbi pro eadem ſententia citat Bernardum de Ganacho. Eandem reijcit Iauellus 3. de Anima q. 2. de actu intelligendi. & Toletus ibidẽ cap. 7. q. 22. Curſus Conimbricenſ. in eodem loco cap. 8. quæſt. 4. artic. primo.* Denique hanc opinionem reijciunt omnes, qui putant intellectionem, vel eſſe actionem de genere actionis, vel qualitatem. *Aureolus Capreol. Hiſpalenſ. Ganacho. Iauellus. Toletus. Conimb.*

§. 6.

Impugnatur Aureolus.

35. Contra Aureolum. OPinio verò Aureoli, quanuis difficilior ſit impugnatu, in ſe tamẽ eſt omninò improbabilis: quod fiet euidens, ſi duos dicendi modos, quibus ſuam mentem explicat, expendamus: etenim intellectio apud eum, vel eſt ipſa formalis apparitio obiecti; vel eſt ipſa ſpecies, vt in ea obiectum apparet. Vtrunque eſſe alienum à vera Philoſophia facilè oſtenditur.

36 Cõtra 1. dicendi modum illius, 1. Ratio. Contra priorem dicendi modum ita obijcitur; quoniam intellectio, verbi gratia, hominis non ſemper eſt in intellectu, etiam ſi in eo ſit hominis ſpecies. At formalis apparitio hominis ſemper eſt in intellectu ſpecie informato: ergò talis apparitio formaliter non eſt intellectio. Conſequentia eſt nota. Maior eſt ab omnibus recepta, etiam ab ipſo Aureolo, vt ſuprà oſtendimus. Minor verò euidenter

denter probatur: quia ſpecies hominis ex ſua natura eſt imago formalis illius, vt ſupponimus, & admittit Aureolus, ſi expendantur, quæ ex eo adduximus. Hoc autem admiſſo, non poteſt non admitti, obiectũ in ſpecie apparere tãquam terminans ſui repræſentationem: vnde omnes, qui rectè philoſophantur, admittunt pro totypon (id eſt rem imaginatam) habere in imagine quoddam eſſe, ſiue rationis ſit, ſiue reale, diminutum tamen, quod ex dictis Aureoli etiam colligitur. Non poteſt igitur ille non admittere apparentiam obiecti in ſpecie, eſſe ab ea inſeparabilẽ. Quare ſibi contradicit dum pag. 757. col. 1. A, B, aſſerit apparentiam eſſe ſeparabilẽ ab abſoluto ſpeciei: cuius oppoſitum ratio adducta demonſtrat; & ſatis patet ex eo, quòd abſolutum ſpeciei, cum eſſentialiter ſit imago, eſt relatiuum tranſcendẽs in ordine ad rem, cuius eſt imago.

37. Expeditur ſolutio.

Sed dices pro Aureolo hanc Philoſophiam eſſe veriſsimam de apparentia habituali; non tamen de actuali: quia hæc, intellectu ceſſante ab actu, actualiter ſeparatur â ſpecie: intellectio autem apud Aureolum non eſt apparentia habitualis, ſed actualis. At contra hanc explicationem ſit 2. ratio: quoniam veriſsimum eſt, ſpeciem non ſemper actualiter repræſentare intellectui obiectũ; ſed ſolũ, quãdo actuatur, & applicatur ad vſum, vel imperio voluntatis, vel â ſenſibili externo phantaſiam mouẽte: hęc enim eſt cõmunis Philoſophia, de qua cũ D. Thom. diximus ſuprà *art.* 5. §. 5. *ad* 4. negamus tamen hanc actualem obiecti apparentiam formaliter eſſe intellectionem; hæc enim naturaliter eam antecedit, tanquam cauſa ſuum effectũ: nam ex proloquio deſumpto ab Auguſt. *ex potentia, & obiecto paritur notitia:* non quidem ex obiecto habitualiter apparente in ſpecie; quia nihil agit, niſi prout eſt in actu; ſed ab obiecto apparente actualiter. Quare cum talis apparentia natura prior ſit intellectione, nõ poteſt eſſe ipſa intellectio.

[margin: 2. Ratio. — *Auguſt.*]

38. 3. Ratio.

Accedit tertiò; quia illa actualis apparentia obiecti, vel ſolùm eſt quædam denominatio extrinſeca ſumpta â ſpecie, in qua apparet, vt quidam volunt, vel eſt quædam relatio, vt vult *Capreolus in* 1. *diſtinct.* 35. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *ad argumenta Aureoli contra primam fol.* 235. *column.* 3. apparens enim formaliter eſt quid relatiuum: vel denique eſt præſentia quædam intentionalis, & obiectiua, qua obiectum eſt in proſpectu intellectus. Intellectio autem nihil horum eſſe poteſt: nam cum ex ſua natura ſit actus quidam vitalis, non poteſt eſſe aliqua extrinſeca denominatio. Cum verò ſit actio immanens, ex ſe eſt quædam forma abſoluta; quæ licèt includat relationem trãſcendentalem (cum ſit actualis obiecti imago) nullam tamen includit prædicamentalem relationem. Quod etiam ex eo patet; quoniam cum ex ſe ſit actio immanens, ex ſe dicit perfectionem vltimam, & ſummam potentiæ intellectiuæ, ex Ariſtotele *in* 9. *Metaphyſicæ capit.* 11. & ob id in ea ponitur beatitudo: quod non conuenit relationi.

[margin: *Capreol.* — *Ariſtot.*]

Ex quo etiam colliges intellectionem formaliter non eſſe ipſam obiectiuam præſentiam obiecti apud intellectum; ſiue præſentia ſumatur formaliter pro relatione, ſiue materialiter pro ipſo eſſe intentionali, modoque eſſendi in intellectu, in quo relatio præſentiæ fundatur: nam cum ſit actus vitalis, & realis perfectio intellectus, non poteſt eſſe formalis illa præſentia, vt omittamus intellectionem, vel eſſe actionem elicitam ab intellectu; vel habere modum actionis tendentis in obiectum apparens: ex quo patet, apparentiam illam obiecti potiùs eſſe formalem rationem terminandi intellectionem, quam eſſe ipſam formalem intellectionem. 39. Intellectio nõ eſt ipſa obiectiua præſentia obiecti.

Ex quibus infertur impugnatio alterius modi dicendi, quo Aureolus aſſerit intellectionem formaliter eſſe ſpeciem, vt connotat illam obiecti apparentiam: nam talis connotatio, ſi intelligatur de apparentia habituali, eſt inſeparabilis à ſpecie, cum tamen intellectio ab ea ſeparetur: ſi verò intelligatur de apparentia actuali; illa connotatio prior eſt, ſaltem natura, quam intellectio, vt iam diximus. Et hæc ſatis dicta ſint pro confirmanda reali diſtinctione inter ſpeciem, & intellectionem. Vide nonnulla lib. 11. quæſt. 1. art. 2. in ſecunda opinione. Contra 1. dicendi modum.

§. 7.

Soluuntur argumenta Godofredi.

Super-

40. Ad 1. arg. Godofredi.

SVpereſt diſſoluere argumenta tum Godofredi poſita §. 2. tum Aureoli poſita §. 3. Ad primum Godofredi neganda eſt maior: quoniam intellectus tam humanus, quàm Angelicus ex ſe eſt in potentia eſſentiali ad intelligendum: hæc autem potentia ex ſua natura reſpicit actum 1. & 2. vt colliges ex Ariſtotele 3. *de Anima cap. 4. text. 3. 8. & 14.* Falſum eſt igitur, intellectum poſsibilem ſolum eſſe in potentia ad intellectionem: intellectus autem agens impreſsione ſpeciei reducit poſsibilem de potentia eſſentiali ad actum primum; in quo adhuc manet in potentia ad actum ſecundum intellectionis; à qua potentia ipſemet intellectus poſsibilis actuatus ſpecie ſe ipſum reducit ad actum intelligendi, cum ad vsũ applicatur, vel à voluntate, vel ab aliquo alio.

Ariſt.

Secundum argumẽtum ipſa ſua æquiuocatione inutiles reddit omnes tres diſcurſus, quos continet. Aduertendum igitur in eo ſupponi intellectum poſsibilem ſolum eſſe potentiam paſsiuam; quod peripatetica Philoſophia reijcit: quoniam licet ſit potentia paſsiua in ordine ad actũ primum ſpecierum; tamen in ordine ad actum ſecundum intellectionis ſimul eſt potentia actiua, & paſsiua: nam cum intellectio ſit actio vitalis, & immanens, ab eo fit, in quo recipitur, vt eſt communis Philoſophia ex Ariſtotele in 9. Metaphyſi. Quare in ordine ad intellectionem non ſolùm perficitur, cùm eã recipit; ſed etiã cum illam elicit; perfectio enim potentię actiuæ, vt actiua eſt, poſita eſt non in recipiendo, ſed in agendo, vt contra Godofredum aduertit *Capreolus in 2. diſt. 3. q. 2. art. 3. ad 1 Godofredi. fol. 93. col. 1.* Ex qua Philoſophia infertur, nec omnem intellectus poſsibilis perfectionem poſitã eſſe in recipiendo; quia aliqua ponitur in agendo: nec omnem perfectionem in recipiendo eſſe receptionem intellectionis; quia etiam perficitur, dum recipit ſpeciẽ.

41. Ad 2.

Intellectus poſsibilis in quo ſeſe ſit potẽtia paſsiua?

Capreol.

42. Ad formã argumenti.

Ad argumentum igitur in forma admittimus in primo diſcurſu omnem perfectionem potentiæ paſsiuæ, vt paſsiua eſt, poni in receptione formę. Minor verò, quatenus ſumit intellectum poſsibilẽ eſſe potentiam paſsiuam, falſa eſt, ſi intelligatur reſpectu cuiuſcunque actus; quia ad actum ſecundũ intellectionis non ſolùm eſt potentia paſsiua, ſed etiam actiua. Inde patet conſequentiam ęquiuocatione laborare: nam ſi conſequens intelligatur de perfectione intellectus, vt eſt potentia actiua, neganda eſt, quia eius perfectio in agendo ponitur: ſi verò intelligatur de perfectione intellectus, vt eſt potentia paſsiua; admittenda eſt: ſed in hoc ſenſu falſa eſt minor ſecundi diſcurſus; quia forma intellectus, vt eſt potentia paſsiua, non ſolùm eſt ſpecies, ſed etiã intellectio. Quare conſequentia ſecundi diſcurſus etiam laborat æquiuocatione: neganda eſt enim, ſi conſequens ita intelligatur, vt perfectio intellectus, vt eſt potentia paſsiua, poſita ſit in ſola receptione ſpeciei; qui etiam perficitur nobiliori perfectione recipiendo intellectionem, quæ eſt vltima illius perfectio. Ex quo etiam colliges falſam eſſe minorem tertij diſcurſus, ſi ita intelligatur, vt omnis perfectio intellectus ſit intellectio; quia etiã intellectus perficitur recipiendo ſpeciẽ. Porrò ſi minor tertij diſcurſus intelligatur indiffinitè, vt aliqua perfectio intellectus ſit ipſa intellectio, veriſsima eſt: ſed ex indiffinita nihil firmiter infertur.

Conſequẽtiæ explicatio.

43. Ad 3. *Capreol. Hiſpal. Conimbr.*

Ad 3. reſpondent Capreolus, Hiſpalenſis, & Conimbricenſes negationẽ maioris: quia non eodem modo ſe habet intelligi ad intelligibile, quo intelligere ad intelligentem; & ratio eſt, quia intelligi ſolum importat quandam extrinſecam denominationem reſpectu obiecti intelligibilis: nec etiam intelligi eſt aliqua forma realis recepta in intelligibili; ſed eſt denominatio extrinſeca ſumpta ab intellectione, vt eſt vulgaris Philoſophia ex Ariſtotele *in 5. Metaph. cap. 15.* Et quanuis denominetur ab intellectione ſignificata per modum actionis veluti tranſeũtis in obiectum: tamen ab ea denominatur nõ vt habet rationẽ actionis, ſed ſolũ vt terminata ad obiectum eſt veluti paſſio illius. At verò intelligere ſignificat formam realem, quæ vt egreditur ab intellectu, eſt vera illius actio; vt verò recipitur in eodem, eſt paſsio realis, verè prędicamentalis, à qua tanquam à forma realiter intrinſeca intellectus dicitur formaliter intelligẽs. Vtrùm verò formaliter dicatur intelligens ab ea forma, vt habet rationem actionis egredientis ab intellectu, vt nonnulli volunt; an verò ab eadẽ,

Ariſtot.

vt in intellectu recipitur, vt alij malūt, an denique ab eadem, prout intellectus per eam in ſe receptam intentionaliter exit, & terminatur ad ipſum intelligibile; quę mihi eſt verior ſententia. Quilibet dicendi modus ſatis eſt, vt intelligi non eodem modo ſe habeat ad intelligibile, vt intelligere ad intelligentem.

44. Soluitur obiectio. Si verò quis obijciat intelligibile verè & realiter agere; quia ſimul cum intellectu producit intellectionem: reſpondendum eſt, intelligibile ſi ad intellectionem effectiuè concurrat, ad eam concurrere, nō vt actu terminat intellectionē, ſed pro vt, vel in ſe, vel vt relucens in ſua ſpecie, eſt principium intellectionis: quo modo eā antecedit, & dicitur intelligibile, quatenus terminat repræſentationē ſpeciei; quam non intelligitur terminare, niſi vt habet intellectionem paſsiui: quæ paſsiua repræſentatio eſt conditio neceſſaria, vt poſsit intellectum intelligibiliter mouere ad intelligendum.

45. Ad 4. Ad 4. argumentum, iuxta opinionem, quam puto eſſe veram, reſpondendum eſt; intellectum quidem formaliter eſſe intelligētem ab intellectione: at verò nec dici formaliter talem, quia eam cauſat; nec quia eam recipit; ſed quia per eām in ſe receptam intentionaliter, & intelligibiliter tranſit ad obiectum, vt diximus ſuprà libr. 4.q.1. art.2. n. 30. & inferiùs latiùs dicemus: & ita ceſſat vis argumenti. Quod tamen in ſe eſt ſatis futile contra vtranque opinionem, quam impugnat. Nam ſi intellectus ideò formaliter dicitur intelligens, quia intellectionem cauſat; ita opinionem explicabis, vt ideò formaliter ſit intelligens, quia intellectionē ex propria natura in ipſo immanentem cauſat; in quo ſenſu inſtantiæ allatæ futiles ſunt; quoniam nec phantaſma, nec intellectus agens immediatè cauſat intellectionem, ſed ſolam ſpeciem, qua intellectus fit potens intelligere: dealbans autē non cauſat albedinem, quæ ſit forma immanens. Porrò ſi intellectus formaliter ſit intelligens, quia intellectionem recipit; admittes intellectionēm formaliter eſſe paſsionem, non quamcumque; quia non eſt paſsio, quæ eſt receptio ſpeciei, vt argumentum malè ſupponit; ſed illā, qua intellectus recipit ipſam formam, quæ vt recepta formaliter eſt intellectio; talis autem non eſt ſpecies.

Ad quintum neganda eſt maior tanquam manifeſtè falſa: quia recipiens formam, qua conſtituitur in actu primo, per 46. Ad 5.
eandem eſt in potentia ad agendum: ignis enim recipiens calorem, per eundem fit potens calefacere; & artifex recipiendo formam artis fit potens ad opera artis. Quare idem actus, quo potentia eſſentialis ſubiecti actuatur, poteſt eſſe potentia actiua, qua idem ſubiectum potens fiat ad alium actum agendum. Similiter etiā intellectus, quatenus eſt in potentia eſſētiali ad ſpeciem, ſimul per eam actuatur, & fit in actu primo, potentiaq; actiua ad actum ſecundū intellectionis. Vide *Bernardum de Ganacho apud Capreolum in 2. diſt.3.q.2.art.3.ad 2. Godofredi contra primam, fol.93.col.1.in fine, & eundem Capreolum in 1.diſt.35.q.1.ar.1.ad 4. Godofredi, fol.237.col.1. in fine, & Hiſpalenſem ibidē dicto art.4.ad 4. Godofredi, fol.248.col.2.* *Ganach. Capreol. Hiſpal.*

§. 8.
Solutio ſexti argumenti.

SExtum argumentum tangit difficultatem explicatu difficilē: etenim controuerſiā eſt ſatis grauis, vtrûm 47. Ad 6.
receptio ſpeciei ſenſibilis formaliter ſit ipſa ſenſatio? affirmant grauiſsimi Authores *Aegidius q.1. de cognitione Angelorum art.1. vbi latè id defendit, & idem tetigit quodlib.3.q.14. probat Caietanus 2. de* Quid ſit ſenſatio?
Anima c.5.§. circa principalem materiam, 1. ſententia.
Iauellus ibidem q.22. ſatis ſignificat Caietanus Thienenſis in eodem loco c.5. ad text. 59.& 60. referuntur Venetus in Summa de Anima cap. 10. & Nymphus in libello de ſenſu agente: & hanc opinionem aliquando *probauit Toletus*, vt ipſe teſtatur ſtatim citandus. Quæ ſententia probatur rationibus adductis in confirmationem antecedentis.

Sed oppoſitam ſententiam in terminis probarunt *Capreolus in 1. diſt. 35.q.1.ad* 48. 2. ſententia.
8. Aureoli 2. loco contra primam, fol.236. col.3. Hiſpalenſis ibidem q.1. artic.4.ad 8. Aureoli 2. loco contra 1.fol.247.col.1. Ferrar.2.contra gentes cap. 57. §. Aduertendū circa primam, Toletus in 2. de Anima c.5. q.12. concluſione 1.fol.88.colum.2. in fine. *Capreol. Ferrar. Hiſpal. Toletus.*
Qui omnes expreſſè negant ſenſationem formaliter eſſe receptionem ſpeciei ſenſibi-

D. Thom.

ſibilis. Quam ſententiam ſatis colliges ex D. Thom. de *Veritate q.8. art.6. ad 7.* quatenus docet ad paſſionem, qua intellectus recipit ſpecies intelligibiles, & ſenſus ſenſibiles, conſequi intelligere, & ſentire, vt effectus ad ſuam cauſam. Vnde 1. *p. q. 56. art.* 1. ait, *ſpeciem rei viſæ eſſe principiũ viſionis, ſicut forma in alijs agentibus eſt principium actionis.* Ex quibus neceſſariò infertur apud D. Thomam, receptionem ſpeciei ſenſibilis in ſenſu formaliter non eſſe ſenſationem, ſed eam antecedere, ſaltem natura.

Sententia D. Thom.

Quam ſententiam admittere tenentur, qui volunt ſpecies ſenſibiles cõcurrere ad actum ſentiendi, vt principiũ effectiuum illius, quæ eſt communior ſẽtẽtia, vt ſupponimus: ij enim non poſſunt non admittere ſpecies ſenſibiles realiter diſtingui ab actu ſentiendi, & eſſe priores illo. Debent in eodem conſentire, qui docent ſolam potentiam ſenſitiuã concurrere effectiuè ad ſenſationem; diſpoſitam tamen per ſpecies à ſenſibilibus receptas, quæ fuit opinio *Plotoni Æneade. 4. lib. 6. & aliorum*: nam cum potentia ſenſitiua actiuè non concurrat ad receptionem ſpeciei, ſed ſolùm paſſiuè, vtique ipſa ſpeciei receptio non poterit eſſe formalis ſenſatio. Eandem ſententiam probant *Philoponus in 2. de Anima text. 121. Alexander Aphrodiſ. in 1. de Anima c. 12. & in c. de intellectu practico, & ſpeculatiuo*: expreſſè enim ponunt in ſenſu actionem ſentiendi prçter paſſionem ipſius ſenſus.

Plotinus. *Philopon.* *Aphrodiſ.*

49. Secunda ſẽtentia eſt Ariſtotelica.

Hanc ego ſententiam puto eſſe Ariſtotelicam, deducique neceſſariò ex principijs Philoſophiæ: conſtat enim ſenſationem eſſe actum vitalem; iam verò de ratione actus vitalis eſt, vt anima mediãte ſua vitali potentia concurrat, non ſolũ quatenus per eam cognoſcibiliter tendit in obiectum; ſed etiam, quia ſeruato ordine naturali concurrit effectiuè ad entitatem illius. Vnde in recepta Philoſophia ſenſatio eſt actio immanens, de cuius ratione eſt, quod ab eo effectiuè producatur, in quo recipitur, vt patet ex Ariſtot. 9. *Metaphy. tex. 16*: nam ſenſum eſſe potentiam actiuam, & ſentire eſſe agere, colligitur ex multis locis Ariſtotelis, vt patet *in 1. de Anima, text. 63. & 64. & lib. 2. cap. 5. tex. 51.* Denique ſenſum, ſicut & intellectum ſub triplici ſtatu conſiderant omnes græci Ariſtotelis interpretes: primus eſt potentię eſſentialis; quatenus actu nihil eſt eorum, quæ ſentire poteſt, ſed ad illa eſt in pura potentia. Secundus eſt potentiæ accidentalis, & proximæ; quando ſcilicet per formas, ſpecieſque ſenſibiles eſt in actu primo ad ſentiendũ; adhuc tamen in potentia ad actum ſecũdum ſenſationis, idque quantum eſt ex ſe: à qua potentia ſe ipſum reducit ad actum ſenſationis, ſenſibili ad hòc obiectiuè concurrente. Quæ Græcorum Philoſophia recipitur *à Ianduno 2. de Anima q. 15. & ab Appollinari ibidem q. 16. & clariùs in commentarijs ad librum 2. cap. 5. tex. 59. vbi etiam Venetus, & alij.*

Ariſtot.

Senſus, & intellectus ſub triplici ſtatu conſiderantur.

Iandun. *Appollin.*

50. Ad argum.

Ad argumẽtum igitur negandum eſt antecedens: ad probationem communis eſt ſolutio, tam Ariſtotelem, & Commentatorem, quam etiam Auguſtinum nomine ſenſationis accipere ipſum actũ primum ſentiendi, in quo ſenſus conſtituitur per receptionem ſpeciei ſenſibilis: quod colliges ex Ariſtotele. 2. *de Anima cap. 5. tex.* 53. dum ait: ſentire interdum ſumi pro actu primo, qui eſt in potentia ad actum ſecundum: & ex Auguſtino in citato loco, dum ait, ipſam imaginem coloris, quæ eſt viſio, produci non ab anima, ſed à corpore: quod verum non eſt, niſi imago ſumatur pro ipſa ſpecie. Quod ſi id non placet; dicito illos intelligendos eſſe in ſenſu cauſali; vt receptio ſpeciei ſenſibilis ſit ſenſatio, non formaliter, ſed cauſaliter; quia ſcilicet eſt cauſa ſenſationis. Vel dicito intelligendos eſſe aut antecedenter, aut concomitanter, vt receptio ſpeciei ſenſibilis ſit ſenſatio, vel quia ſemper ſimul eſt cum ſenſatione, vel quia eam ſolùm natura antecedit: ita ſoluunt Capreolus loco citato *ad 5. 8. & 12. Aureoli. 2. loco contra 1. fol. 236. col. 2. in fine, & col. 3. in principio, Hiſpalenſis ibidem ar. 4. ad eadem argumenta, fol. 246. col. 4. & 247. col. 1. & 2. Ferrar. & plures alij.* Et vt omittamus Commentatorem, ſi diligentiùs expendamus primum locum Ariſtotelis, ille potiùs contra proferentem vrget: etenim Ariſtoteles diſtinguit duplicem actionem: alteram, quæ eſt operatio potentiæ: alteram, quæ eſt operatio ſenſibilis ad extra. Quas actiones ponit, vt diſtinctas: quanuis in alijs ſenſibus ab auditu vno explicentur nomine; ideò, quia actio ſenſibilis proprio caret nomine. In audi-

Ariſt. *Auguſt.*

Alius ſenſus.

Tertius ſenſus.

Capreol. *Hiſpal.* *Ferrar.*

Argumentum eſt cõtra aduerſarios.

auditu igitur operatio ſenſibilis ſonatiui appellatur ſonatio: quæ verò eſt potentiæ auditiuæ, dicitur auditio. Quare ex ſententia Ariſtotelis, licet, operatio coloris (quæ non eſt aliud, niſi emiſsio ſpecierum viſibilium) ideò dicatur viſio, quia nomine caret; non tamen eſt viſio, ſicut ſonatio, non eſt auditio, & ſic de cæteris.

51. *Ariſt.* Additq; Ariſtoteles vtramque illam operationem recepi in ſenſu, & ideò vtramq; & actionem eſſe, & paſsionem: nam ſonatio (id eſt emiſsio ſpecierum ſoni) quæ eſt actio à corpore ſonatiuo, vt eſt paſsio; recipitur in auditu: ſicut etiam in eodem recipitur auditio, quæ effectiuè eſt à potentia auditus: ſimiliter operatio viſibilis (quæ nomine caret, & eſt ipſa émiſsio ſpecierum viſibilium) quanuis effectiuè ſit à viſibili; tamē recipitur in viſu; in quo etiam recipitur ipſa viſio, quæ eſt actus videndi. Hæc eſt vera illius loci explicatio, de qua plura diximus in noſtris ad eundem locum commentarijs: patet igitur euidenter receptionem ſpeciei ſenſibilis in ſenſu eſſe paſsionem ſenſus, longè aliam à ſenſatione; cum hæc effectiuè ſit à potētia ſenſitiua, illa verò à ſenſibili.

52. Explicatur 2. locus Ariſtotelis. Difficilior eſt poſterior locus Ariſtotelis ex 2. de Anima c. 5. text. 59. Cæterum ſi benè expendatur ex illo non poteſt ſumi argumentum pro antecedente negato; quia ſolùm probat ſenſitiuum conſtitui in actu primo ſentiēdi non per ſpeciem ſenſibilem, ſed per ipſam potentiam ſenſitiuam, quæ eſt quædam naturalis proprietas ipſius ſenſitiui; & ſubindè ſolùm probat, ſenſitiuum actuatum ſua potentia ſenſitiua non eſſe in potentia eſſentiali, ſed in ſola accidentali, reducibili ad actum ſecundum per ipſum ſenſibile ad extra: hoc enim ex verbis Ariſtotelis euidenter colligitur. Sed non video quomodò indè inferatur receptionē ſpeciei formaliter eſſe ſenſationem.

53. 1. notabile. Sed vt mens Ariſtotelis explicetur, & pateat nullitas conſequentię; aduertendū eſt primò, illud hoc loco ab Ariſtotele dici eſſe in potentia ad aliquem actum, quod non natura tantùm, ſed etiam tempore antecedit actum; quia prioritas ſolius naturæ non ſatis eſt, vt id, quod eſt priùs, ſimpliciter, & realiter dicatur eſſe in potentia ad poſterius: & ob hanc cauſam ipſum ſenſitiuum per generationem productum, quanuis natura antecedat ſuam ſenſitiuam vim, & potentiam, non tamen dicitur eſſe in potentia ad illam; quia tempore eam non antecedit, & ob hanc rationem ipſum ſenſitiuū recipiens ſpeciem ſenſibilem, non dicitur eſſe in potentia ad ipſam ſenſationem; nam quanuis ſpecies prior ſit natura, quàm ſenſatio; eam tamen tempore non antecedit, ſed ſimul, & in eodem inſtanti temporis eſt cum ea.

Aduertendum eſt ſecundò, Ariſtotelem non eodem modo philoſophari actū 1. & 2. potentiam item eſſentialem, & accidentariam in natura intellectuali, atque philoſophatur in natura ſenſitiua, quod patebit, ſi conſideratiùs expendantur, quæ de vtraque natura ſcribit. Nam in natura intellectuali hæc omnia philoſophatur non in ordine ad ipſam naturam ſubſtantialem, ſed in ordine ad potētiam intellectiuam, vt facilè colliges *ex d. cap. 5. tex. 55.* cum ſequentibus; vbi actum 1. & 2. potentiam item eſſentialem, & accidētariam (quam alij appellant remotam, & proximam) confert non cum ipſo intellectiuo ſubſtantialiter ſumpto, ſed cum eo, vt eſt ſciens. Clariùs lib. 3. c. 4. id explicat, dum in principio ita ait: *De animæ autem ea parte, qua cognoſcit, & ſapit*, & inferiùs tex. 12. 13. & 54. ita ſcribit: *Atque intellectus potentia quidem eſt.* Igitur in ipſa intellectiua potentia (quam appellat intellectum) expendit potentiam eſſentialem, & puram in ordine ad actum primum intelligendi, in quo cōſtituitur per receptionem formarum intelligibilium; potentiam autem accidentariam, & proximam expēdit in ordine ad actū ſecundum intellectionis. 54. Notabile 2. Potentia eſſentialis, & accidētaria quomodò ab Ariſtot. explicatur.

Non ſic philoſophatur in natura ſenſitiua: ſed rationem actus 1. & 2. potentię item eſſentialis, & accidentalis non confert cum ipſa potentia ſenſitiua, quæ eſt naturalis ipſius ſenſitiui proprietas; ſed cum ſubſtantia ipſius ſenſitiui, vt euidenter patet ex verbis, quæ nobis obijciuntur; hæc enim in hoc ſenſu communiter explicantur: nam docet ſenſitiuum ipſū, non quatenus iam actu eſt in ſe, ſed prout in virtute ſeminis (ex quo generari debet) continetur, eſſe in potentia ad ſuam vim, facultatemque ſentiendi, tanquam ad actum primum; ipſam autem vim ſenſitiuam 55. Aliter philoſophatur Ariſt. in natura ſenſitiua.

ſitiuam eſſe ſolùm in potentia accidentali, & proximā ad actum, quem appellamus ſecundum.

56. Ratio diuerſi modi philoſophandi in hoc puncto.

Si verò à me inquiras rationem diuerſitatis huius Philoſophiæ? facilis erit ſolutio ex primo notabili: nam potentia intellectiua ſecundùm ſe verè eſt in potentia eſſentiali, & pura ad ſpecies intelligibiles; quia ex eodem Ariſtotele à principio ſui eſſe eſt tanquam tabula raſa nullam habens ſpeciem, in qua potentia aliquandiù permanet, & ideò verè eſt in potentia eſſentiali ad actum ſecūdum: à qua potentia non poteſt ad eum reduci, niſi per actum primum ſpecierum: conſtituta autem in actu per illas adhuc verè eſt in potentia accidentaria ad actum intelligendi, quia per aliquod tempus poteſt eſſe abſque illo, vt Ariſtoteles fatetur in dicto cap. 5. text. 60. Oppoſitum reperitur in potentia ſenſitiua: hæc enim cum non poſſit habere ſpecies ſenſibiles, niſi ſimul in eodem inſtanti, cum actuali ſenſatione, quia ſpecies ſenſibilis, & actualis ſenſatio neceſſariò pendent ex præſentia obiecti; nullo modo poteſt conſtitui in actu primo per ſpecies ſenſibiles, niſi ſimul cum ſenſatione actuali: ob quam rationem coactus eſt Ariſtoteles negare potentiam eſſentialem potentiæ ſenſitiuæ in ordine ad actualem ſenſationem; ſed illi ſolùm conceſſit potentiam accidentalem ad actum ſecundum; eſſentialē autem in ea non admiſit, niſi ſolùm prout ſenſitiuum eſt in virtute ſeminis adhuc generandum; quia in ſolo illo ita eſt in potentia eſſentiali ad actum ſenſationis, vt ad illum reduci non valeat, niſi mediāte virtute ſenſitiua, tanquam actu primo, potentiaque accidentaria.

57. Natura ſenſitiua in actu 1. eſt in duplici potentia.

Ex quo infertur ſenſitiuum, vt per ſuam ſenſitiuam potentiam conſtituitur in actu primo ſentiendi ſit in potētia accidentaria ad duplicem actum ſecūdum; ad ſpeciem ſcilicet ſenſibilem (cuius eſſe receptiuum multis in locis docet Ariſtoteles, vt patet ex 2. de Anima c. 12. text. 121. & 124. & lib. 3. cap. 8. tex. 38.) & ad actum ſenſationis, quem, prout iam eſt per ſpeciem actuata, producit, & recipit. Conſtat enim ex primo notabili apud Ariſtotelem emiſsionem ſpecierum ſenſibilium eſſe operationem receptam in ſenſu diſtinctam à ſenſatione. Hac autem ſuppoſita Philoſophia iam patet ex ijs, quæ Ariſtoteles ſcribit in dicto textu 59. non benè inferri receptionem ſpeciei eſſe ipſam ſenſationem: nam cum potentia illa accidentaria (quam ſolā in potentia ſenſitiua admittit) reſpiciat duplicem actum, ſpeciem ſcilicet ſenſibilem, & ſenſationem; & vtrumque ſecundum prius, & poſterius; fallacia erit à pluribus cauſis ad vnam cauſam, ſi ex tali potentia inferatur, receptionem ſpeciei ſenſibilis formaliter eſſe ſenſationem. Aduerſarij autem in hoc ſunt hallucinati, quod putant illā accidentariam potentiam ſolum eſſe ad vnum tantùm actum, actualis ſcilicet ſenſationis. Hæc diximus pro explicatione ſententiæ veriſsimæ, quæ negat antecedens.

Ad inſtitutum conſequentiæ.

58. Solutio ſexti argum.

Et vt veritas principalis difficultatis magis eluceat, addimus admiſſo antecedente huius ſexti argumenti, conſequētiā eſſe inutilem; quam etiam plures ex aduerſarijs negare debent: etenim Aegidius, & plures alij admittunt ſenſationem eſſe receptionem ſpeciei ſenſibilis; & tamen negant intellectionem formaliter eſſe receptionem ſpeciei intelligibilis: & verè eſt neganda talis conſequentia: ratio diſcriminis ſumenda eſt ex differentia, quam Ariſtoteles in dicto cap. 5. tex. 60. conſtituit inter potentiam accidentariā ſcientiæ ad actualem intellectionem, & potentiam accidentariam virtutis ſenſitiuæ ad ſenſationem: etenim potentia ſenſitiua non poteſt habere ſenſationem, niſi in præsētia ſenſibilis externi; ideò quia in ſola illius pręſentia poteſt habere ſpecies ſenſibiles, in quib⁹ ſenſibiliter repręſentetur: ſine qua repræſentatione non datur ſenſatio. At verò potentia intellectiua facta in actu primo per ſcientiam, habet ſpecies intelligibiles, quæ intelligibile intellectui repræſentent, etiamſi præſens non ſit. Et hæc ſatis dicta ſint pro explicatione ſexti argumenti.

§. 9.

Solutio argumenti ſeptimi, & vltimi Godofredi.

59. Ad 7.

AD 7. argumentum facilis eſt ſolutio; quoniam Ariſtoteles in d. c. 4. text. 2. dū ait, *intelligere eſſe quoddā pati*, intelligendus eſt in ſenſu cauſali, & ante-

antecedenter; vt ſcilicet intelligere, ideò ſit pati, quia ipſum antecedit receptio ſpeciei, quæ eſt principium, & cauſa, vt illud eliceatur. Et hæc eſt communis explicatio tum omnium interpretum, tum etiã Capreoli, Hiſpalenſis. Toleti, & aliorum. Vide Iauellum lib. 3. de Anima q. 1. de ſpecie intelligibili. §. primum eſt.

Capreol. Hiſpal. Toletus. Iauellus.

60. Ad poſtremum reſpondetur Ariſtotelem vel eſſe intelligendum de actu cõpleto; vt ſit ſenſus; intellectus nihil eorũ, quæ ſunt, eſt in actu completo, antequã intelligat. In quo ſenſu argum. omnino corruit: vel eſſe intelligendum de intellectione in actu 1. in quo ab eodem Ariſtotele dicitur addiſcere, & inuenire, vt patet ex Ariſtotele in eodem cap. 4. text. 8. vel ideò id dixiſſe, quia prima acquiſitio ſpeciei, ſemper coniuncta eſt cum actuali intellectione.

§. 10.

Soluuntur argumenta Aureoli.

61. Ad argum. Aureoli. Ad 1. AD argumenta Aureoli poſita ſuprà §. 3. reſpondendum eſt. Ad primũ pro prima concluſione neganda eſt maior apud Thomiſtas, qui volunt obiectum non fieri præſens intellectui per ſpeciem, vt inferiùs dicemus q. 11. & 12. Admiſſa tamen maiore, neganda eſt minor: quia intellectio eſt vera qualitas expreſſiua obiecti repræſentati, vel in ſpecie, vt quidam volunt; vel in verbo, vt alij malunt; vel in ſe ipſa, vt vera habet opinio. Quare intellectio formaliter non eſt ipſa apparentia obiecti in imagine: quia eſt vera qualitas: nec ſimpliciter eſt qualitas, in qua obiectum quocunque modo appareat; ſed eſt qualitas, in qua expreſſiuè apparet obiectum; vt quia ſit qualitas ab intellectu expreſſa. Et indè patet in quo deficiat probatio minoris.

62. Ad confirmationem. Ad confirmationem ex dictis patet ſolutio: quia obiectum non eo modo apparet in ſpecie, & in ipſa intellectione, vt intellectio eſt.

Ad 2. Ad 2. reſpõdetur, cum intelligere formaliter nihil aliud ſit, quam exprimere ipſum obiectum; nihil etiam erit aliud, quam exprimendo facere ſibi præſens ipſum obiectum: quo modo obiectum non eſt præſens in ſpecie, ſed in ſola intellectione.

Ad 3. reſpondetur ſpeciem impreſsã, & intellectionem eſſe duas ſimilitudines obiecti, & realiter, & eſſentialiter inter ſe diſtinctas: duas autem ſimilitudines ſpecie diuerſas eſſe eiuſdem obiecti, nec inconueniens eſt, nec impoſsibile. Nec huic reſolutioni obſtat, quòd ſpecies ſit cauſa intellectionis, quæ eſt nobilior, quàm ſpecies, quia non eſt inconueniens, quòd effectus ſit nobilior ſua cauſa æquiuoca, quando illa vel eſt partialis, vel ſolùm vt quo. 63. Ad 3.

Ad vltimum reſpondimus ſuprà ad 7. Godofredi. Ea, quæ adducuntur in confirmatione ſecundæ concluſionis Aureoli in d. §. 3. ſolutione non indigent: quia ſupponunt ea, quæ iam diſſoluimus. 64. Ad vltimũ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſpecies intelligibiles maneant intellectu ceſſante ab intellectione?

CVM hæc quæſtio etiam ad noſtrũ inſtitutum aliquo modo pertineat, non fuit à nobis prætereunda: explicanda tamen eſt quàm breuiſsimè. 1.

Partem negantem probauit Auicena: referri ſolet, & in lib. de Anima, & in lib. naturalium partium cap. 6. Refertur etiã pro ea Commentator 3. de Anima cõm. 39. dum ait: *Formas, quæ ſunt in intellectu, eſſe in eo ſecundùm velocitatem: & eſſe res quaſdam non fixas, ſed velocis tranſmutationis.* Fundamentum eſt: quia id, cuius ſimilitudo, & ſpecies exiſtit in intellectu, actu intelligitur: ergo vbi res definit actu intelligi, deſinit etiam eius ſpecies. Conſequentia patet; antecedens probatur: quoniam quidquid exiſtit in intellectu, exiſtit intelligibiliter; & ſubindè actu intelligitur. Iam verò exiſtente ſpecie in intellectu, in eo intelligibiliter exiſtit res repræſentata per eã: ergo ſpecie in intellectu permanẽte res neceſſariò intelligitur. Pars negãs. *Auicena. Comment.*

Hæc tamen opinio manifeſtè repugnat doctrinæ Ariſtotelis, vt teſtatur *D. Thom. 1. p. q. 79. art. 6. vbi latè eam impugnat, & q. 84. art. 4. & q. 89. art. 5. & ibidẽ Caietanus cum cæteris. Idem D. Thomas. 2. contra gent. c. 74. & ibi Ferrar. & de Veritate q. 10. art. 2. Abulenſis in cap. 25. Matthæi. q. 580. Iauellus in 3. de Anima q. 3. de ſpecie intelligibili. Toletus in eodẽ loco q. 22. conclu-* 2. Non recipitur. *D. Thom. Caiet. Ferrar. Abulenſ. Tolet.*

concluſione 2. Curſus Conimbricenſis ibidem cap. 5. q. 3. art. 2. §. Sciendum eſt autem, pag. 334. & in tractatu de Anima ſeparata diſp. 3. art. 3. poſt principium, id tanquam notiſſimum ſupponit Suarius libr. 2. de Attributis negatiuis, cap. 12. n. 7. Denique eſt omnium, qui admittunt ſpecies intelligibiles.

Conimbr. *Suarius.*

3. Illa ſententia contradicit Ariſt.

Hæc ſententia multis infirmari poſſet; ſed eam nunc accuratè non expendimus: ſatis ſit omnes, qui admittunt ſpecies, eas admittere in intellectu, ceſſante omni intelligendi actione. Addimus hãc ſententiam Ariſtoteli contradicere, vt multis poſſet oſtendi: nunc ſatis ſit Ariſtotelem 3. *de Anima capite. 4. text. 6. docuiſſe animam intellectiuam eſſe locum formarum*, id eſt ſpecierum, quod etiam docuit cap. 8. eiuſdem libri, text. 38. cum dixit, *intellectum eſſe formam formarum*, eſſeque veluti manum, quæ eſt inſtrumentorum inſtrumentum, quatenus ſpeciebus, quas in ſe habet, vti poteſt, cum voluerit: vnde dicto cap. 4. text. 8. aſſerit *intellectum factum ipſum intelligibile per receptionem ſpecierum, adhuc eſſe in potentia, poſſeque operari, cum voluerit.* Quibus verbis euidenter oſtendit ſpecies abſque actu ſecundo permanere in intellectu. Quod etiam ſignificauit lib. 2. de Anima cap. 5. text. 60. dum dixit, *Intelligere quidem, cum quiſpiam voluerit, in ipſo eſt ſitum.* Iam verò ex eodem, intellectus non poteſt intelligere, niſi habeat ſpecies.

4. Alia impugnatio.

Accedit; quia abſurdum eſt admittere ſpecies ſenſibiles manere in ſenſibus internis ſine actu ſentiendi, vt Auicena admittit; intelligibiles autem non poſſe conſeruari ſine actu intellectionis, vt D. Thomas oſtendit, *quem vide, & Curſum Conimbric. vbi ſuprà*: eſt enim intellectus multò firmior, quàm materia corporea in qua ſenſus reſident.

D. Thom. *Conimbr.*

5. Vltima impugnatio.

Poſtremò; niſi ſpecies ſine actu intelligendi conſeruari poſſent, nulla prorſus ratio memoriæ intellectiuæ daretur, aut in noſtra anima, aut in Angelis: quod eſſe falſum docet experientia, nam & Angeli, & animæ ſeparatæ præteritorum recordantur; & anima coniuncta ſæpè recordatur ſe elicuiſſe conceptus, & hæc ſatis diximus contra Auicenam.

6. Ad fũdam. Auicenæ.

Fundamentum illius eſt omninò futile: quia falſum eſt non poſſe rem in ſpecie repræſentatam actũ non intelligi, quandiù ſpecies in intellectu permanet: oppoſitum enim cum communi ſententia docuimus *ſuprà quæſtione prima, §. 5. ad 4.* Quare ad argumentum negatur antecedens; cuius probatio falſam etiam ſumit maiorẽ: non quia quidquid exiſtit in intellectu, exiſtit intelligibiliter exiſtentia obiectiua, vt patet in habitibus ſcientiarum, qui & ſi in intellectu realiter inhæreant, non tamen ſemper ſunt in eo obiectiuè. Imò nec quidquid exiſtit obiectiuè in intellectu, exiſtit in eo intelligibiliter intelligibilitate actuali, quæ neceſſaria eſt, vt actu intelligatur: ſed poteſt exiſtere intelligibilitate habituali; quatenus repræſentatur intellectui ſolùm habitualiter: & hoc modo repræſentatur in ſpecie res ipſa, & hæc de iſta quæſtione prima.

QVÆSTIO II.

De natura ſpeciei intelligibilis.

1. De muneribus ſpeciei.

VT accommodatiùs dicamus de muneribus ſpeciei intelligibilis; oportet aliquid præmittere de illius natura. In qua quæſtione illud ſupponendum eſt; apud patronos ſpecierum intelligibilium indubitatum eſſe, eas eſſe qualitates, vt optimè aduertit *Suarius in Metaphyſica diſputatione 42. ſectione 2. n. 5. & ſectione 5. num. 16*: nec enim poſſunt aliud genus entis participare: dubitant tamen, ad quam nam ſpeciem qualitatis pertineant? an ſcilicet pertineant ad primam ſpeciem, an ad ſecundam, aut tertiã? Quæ quæſtio ad Logicos potiùs ſpectat; ad noſtrum verò inſtitutum parum pertinet vera illius reſolutio. De ea videndi ſunt *Suarius loco citato, & Curſus Conimbricenſis in Prædicament. cap. 8. de Qualitate quæſt. 1. artic. 3. pag. 373. §. Demum concordat.* Illa tamen quæſtio ad noſtrum inſtitutum eſt neceſſaria, an ſpecies intelligibiles, quas vocant impreſſas, formaliter ſint ſimilitudines, & imagines rerũ, quarũ ſunt ſpecies? Quare primo loco hanc quæſtionem reſoluemus in hac 2.

Species eſt qualitas. *Suarius.*

Ad quã ſpeciẽ qualitatis pertineat.

Suarius. *Conimbr.*

quæſtione vnico articulo contenta. Deinde inquiremus de muneribus ſpeciei intelligibilis in quæſtionibus conſequentibus.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm ſpecies intelligibilis impreſſa ex ſua natura ſit imago, & ſimilitudo repræſentans obiectum?

§. 1.

Refertur opinio negatiua.

1. Opinio negans. QVod ſpecies impreſſa non ſit formalis imago, & ſimilitudo rei, cuius eſt ſpecies; nec vllo modo eam formaliter repræſentet, probauit Suarius. *Suarius in Metaphyſ. diſp. 6. ſect. 6. n. 7. & latiùs diſp. 30. ſect. 11. n. 30. & in ea perſiſtit lib. 2. de Attributis negatiuis c. 12. n. 12. & c. 13. n. 10. 13. 20. & 21.* Hanc ſententiam Nauarret. eſſe probabilem putat *Nauarrete 1. parte controu. 34. §. 7. fol. 215. col. 2. in principio.* Quam ſententiam multis confirmat.

Primò, quia ſimilitudo formalis non poteſt concipi ſine aliqua conuenientia, & vnitate formali in ea forma, in qua ratio ſimilitudinis, & imaginis cõſtituitur: ſpecies autem hanc conuientiam non habet cum obiecto, vt patet in ſpecie repræſentante ſubſtantiam Angeli.

2. Prima rat. Deinde; quia nulla eſt neceſsitas fingendi ſpeciem eſſe formalem ſimilitudinem. Tum; quia ſpecies eſt veluti ſemen, & inſtrumentum obiecti: ad hoc autem ſufficit virtualis aſsimilatio, quę poſita eſt in virtute efficiendi intellectionem, quæ eſt vera, & formalis ſimilitudo. Tum ſecundò; quia tota vis repræſentãdi in ſpecie ponitur propter actum ſecundũ: nec enim aliunde illa colligi poteſt; ob quam rationem ex experientia repræſentationis, quæ eſt in actu ſecundo, inferimus nos habere ſpeciem, veluti quoddam ſemen ipſius ſecundi actus. Ex quo infertur actum ſecundum eſſe formalem repræſentationem; ſpeciem verò ſolùm repræſentare, quia eſt principium efficiens Scotus. formalis repræſentationis. Quod (vt ait) Ferrar. optimè viderunt *Scotus in 4. diſt. 49. q. 11. & Ferrarienſ. 1. contra Gentes, cap. 53.*

3. 3. ratio. Tertiò, quoniam docet experientia intentionalem repræſentationem, quæ poteſt eſſe in mẽte, propriè, & actualiter eſſe in ipſo actu: nam actu ceſſantem nullã effigiem, vel idolum obiecti experimur in anima: vnde ſi aliquo modo experimur ſpecies, maximè eſt, quia poſtquàm ceſſamus ab intelligendo, poſsumus iterũ actum formare, & repræſentare obiectũ ex vi interni principij conſeruati in anima, quod ipſum eſt ſignum remanere in anima aliquod ſemen principium effectiuum actualis repræſentationis.

Denique hoc confirmat ex D. Anſelmo in Monologio cap. 31. dicente: *Cum cogito notum mihi hominem abſentem, formatur actus cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorũ in memoriam attraxi, quæ imago ex cognitione verbum eſt.* 4. Vltima ratio.

Ex his concludit Suarius *in dicto cap. 12. n. 12. in fine*, repræſentationem in genere cauſæ formalis fieri per ipſummet actum: ſpeciem verò ſolùm dici repræſentare, quatenus eſt principium conſtituens intellectum in actu ad faciendam, hanc actualem repræſentationem, veluti quoddam ſemen ipſius obiecti. Concluſio ex Suario.

§. 2.

Affirmatiua ſententia vera.

OPpoſitam tamen ſententiam, vt longè veriorem ſemper approbaui: nam & communior eſt, & peripateticæ ſententiæ magis conſentanea, & ſua antiquitate ſuſpicienda. 5. Oppoſita ſententia eſt vera.

Quod opinio iſta ſua antiquitate veneranda ſit, ex eo probatur; quia eam Philoſophorum antiquitas approbauit: eam enim probauit *Democritus, qui, ſi expendantur, quæ de eo ſcribuntur, tum ab Ariſtotele in libro de diuinatione perſomnium cap. vnico, §. de ſomnijs verò, tum ab Auguſtino Epiſtola 56. pag. 102. col. 1. tum etiam à D. Thoma 1. parte quæſt. 84. art. 6. docuit cognitionem fieri per idola, & fluxionesque imaginum:* fieri, inquam, cauſaliter: & ſubindè non per imagines expreſſas, ſed impreſſas. Quem ſenſum colliges ex verbis, quæ de eo ſcribit Ariſtoteles vbi ſuprà: *ſomnia ſimulachris, & defluxibus accepta referens.* Quæ verba ſatis ſignificant Democritum non dixiſſe ſomnia (intellectionem intelligit, quæ noctu fit) eſſe ſimulachra, & defluxiones; ſed fieri ex ſimu-

Antiquitate ſua eſt veneranda. Democrit. Ariſtot. Auguſt. D. Thom. Senſus propoſitionis Democrit.

ſimulachris, & defluxionibus antecedentibus ipſa ſomnia, vt cauſis eorum. Quem ſenſum quiſque colliget ex verbis immediatè conſequentibus : *nam quemadmodum ſiquis aquam, & cæt. ita nihil obſtat motus quoſdam, & ſenſus ad animas ſomniantes peruenire, ab ijs rebus, à quibus ille exuuias, & imagines mitti affirmat*: per motus, & ſenſus ad animam peruenientes intelligit actualem intellectionem, quam à ſenſatione non diſtinguebat, teſte D. Thoma, in dict. art. 6. Agebat igitur Democritus de imaginibus antecedentibus, & cauſantibus motus illos peruenientes ad animam. Et quanuis illius opinio ab Ariſtotele, Auguſtino, & D. Thoma ex multiplici capite, vt inepta reijciatur. Nunquam tamen ex eo fuit reiecta, quòd rerum idola, & imagines in intellectu intellectionem actualem antecedentes, & cauſantes admittebat. Quæ non niſi ſpeciebus impreſsis conuenire poſſunt.

Democritus ex hoc capite non reijcitur.

6. Platonem etiam poſuiſſe ſpecies intelligibiles, vt quaſdam formales ſimilitudines ſatis explicat D. Thomas in dict. quæſt. 84. artic. 4. & 6 : volebat enim *ab ideis ſeparatis effluere in noſtrum intellectũ quaſdam ſimilitudines in eo immobiliter permanentes*. Quæ verba euidenter ſignificant ſimilitudines illas non eſſe actuales intellectiones; quia hæc in intellectu non permanent.

Plato huius opinionis. D. Thom.

7. Auicenam etiam eaſdem poſuiſſe habes ex Diuo Thoma in dicto artic. 4. & quanuis à Platone in hoc diſsideret, quia illas non poſuit permanentes, tamen eas poſuiſſe, vt diſtinctas ab intellectione referunt D. Thomas cum cæteris, vt patet ſuprà q. 9. art. 5.

Idem Auicena.

8. Pro eadem ſententia communiter refertur Ariſtoteles in libro de memoria, & reminiſcẽtia cap. 1 : agens enim de ſpecie tam ſenſibili, quàm intelligibili (vt modò ſupponimus) eam appellat imaginem, ſimilitudinem, imitationem, monimentum, ſimulachrum; picturam, veluti delineatam in tabula. Quod verò agat non ſolùm de ſpeciebus ſenſibilibus, ſed etiam de intelligibilibus, quibus vtraque memoria meminit, facilè intelliget, qui il li⁹ verba diligenter põderauerit. Quòd verò agat de ſpecie, vt diſtinguitur ab actu intelligendi, & memorandi, ſatis declarauit in d. ca. 1. §. *Præterita verò*, poſtquam enim egit de actu memorandi ita ſcribit: *At cum ſcientiam, ſenſum vè ſine actione tenet, tum demum meminiſſe quippiam creditur*. Et clariùs dum immediatè ſubijcit: *Eſt igitur memoria nec ſenſus, nec exiſtimatio; ſed alicuius horum habitus, aut affectio: cum iam aliquantisper inſederit*. Et inferius, §. *Sed quærat aliquis*, his verbis ſcribit: *Scire oportet affectionem quandam, quæ picturæ ſimilis habeatur, per ſenſum in anima, aut certè in parte corporis eam habente inuri : cuius habitum memoriam eſſe dicimus*, & in fine capitis ita habet: *Dictum eſt igitur, quid ſit memoria, quid meminiſſe, habitus ſcilicet phantaſmatis, vt imaginis, eiuſce rei, quæ imaginationi ſubditur*. Dubitari igitur non poteſt Ariſtotelem agere de ſpecie ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua, quæ in memoria intellectiua ſine actu permanet; & ſubinde agere de ſpecie, vt diſtinguitur ab actu intelligendi; & tamẽ eam appellat imaginem, ſimilitudinem, picturam veluti delineatam in tabula, & ſimulachrum aliud referens; quæ omnia non poſſunt conuenire, niſi formali ſimilitudini, & imagini.

Ariſtot. pro eadem ſententia.

Ariſt. agere etiã de ſpecie intelligibili.

9. Eandem ſententiam haud dubiè docuit Auguſtinus multis in locis. Etenim 8. de Trinitate cap. 6. ita ait: *Finxi in animo meo imaginem Alexandriæ: atque intuẽs in ipſam, id eſt, imaginem, & quaſi picturam eius*: quæ verba denotant ſpeciem intelligibilem: ſed apertiùs libro 10. de Trinitate cap. 5. ita inquit; *Quoniam non poteſt omnia ſecum introrſum in regionem incorpoream ipſa corpora anima inferre : imagines eorum, cum voluerit recipit*. Hæc verba intelligenda eſſe de ſpeciebus intelligibilibus iam ſuprà oſtendimus queſtione 9. artic. 1. §. 2. Libro etiam duodecimo ſupra Geneſim ad literam ca. 23. ita ſcribit: *Certum eſt eſſe ſpiritualem quandam naturã in nobis, vbi corporalium rerum formantur ſimilitudines; ſiue cum aliquod corpus ſenſu corporis tangimus, & continuò formatur eius ſimilitudo in ſpiritu, memoriaq; reconditur; ſiue cum abſentia corpora iam nota cogitamus, vt ex eis formatur quidam ſpiritualis aſpectus, quæ iam erant in ſpiritu, & antequam ea cogitamus*. Quæ verba expreſſè loquuntur de ſpeciebus, quæ ante intellectionem permanebant, quales ſunt ſpecies impreſſæ. Videndus eſt Auguſtinus libro decimo quinto de Trinitate,

Auguſtinus in eadẽ ſententia.

Auguſt.

cap. 12. ad finem, & cap. 27. in fine, his enim in locis expreſſè docet in noſtra memoria intellectiua præcedere ſimilitudines rerum, ex quibus formatur verbum. Quare dubitandum non eſt apud Auguſtinum ſpecies intelligibiles, quas vocamus impreſſas, eſſe veras rerum imagines, formaleſque earum ſimilitudines.

§. 3.
Idem confirmatur rationibus.

10. Rationibus confirmatur. 1. ratio. IIs tam apertis teſtimonijs accedunt rationes ex peripatetica Philoſophia deductæ. Prima, & principalis ſumitur ex doctrina Ariſtotelis, quam pro confirmanda neceſsitate ſpecierum in quæſtione præcedente ſæpiùs adduximus: Ariſtoteles enim ex antiquiſsima Philoſophia docuit non poſſe intellectum rem aliquam intelligere, niſi priùs fiat ipſa; idque recipiendo formam intelligibilem illius, quam eſſe ſpeciem impreſſam diligenter oſtendimus in precedente quæſt. art. 1. §. 1. cum ſequentibus. Ex hoc peripatetico fundamento euidenter demõſtratur ſpecies impreſſas nõ poſſe nõ eſſe ipſorum intelligibilium formales ſimilitudines: nec enim intellectus poſſet intelligibiliter eſſe ipſum intelligibile, niſi illius forma, qua formaliter fit ipſum, eſſet eius formalis ſimilitudo: ideò enim apud Ariſtotelẽ, & Philoſophos antiquos intellectus fit ipſa res, quia ſimile non poteſt, niſi à ſimili cognoſci. Quod principium, ſi de ſimilitudine virtuali ſolius efficientiæ intelligeretur; non benè ex eo inferretur, intellectum futurum fore rẽ ipſam, aut in eſſe reali, vt veteres volebant, aut ineſſe intelligibili, & repræſentatiuo, vt vult Ariſtoteles. Virtualis ſiquidem aſsimilatio, quæ datur inter cauſam, & effectum non neceſſariò poſtulat, vt cauſa ſit, aut fiat ipſa res, quæ fit. Vnde non eſt aſsimilatio in repræſentando, ſed in eſſendo, vt in ſequenti argumento dicemus.

11. 2. ratio. Secundò confirmatur communi argumento, de quo egimus in præcedente q. articulo 1. §. 2. in quinta ratione: quoniam intellectus intelligendo format expreſſam ſimilitudinem rei, quæ intelligitur. Eam autem formare non poſſet, niſi ſpecies impreſſa, qua conſtituitur in actu primo ad exprimendũ, eſſet eiuſdẽ rei formalis imago. Maior eſt nota, quia intellectus, dum intelligit, format intellectionem, quæ etiam apud aduerſarios eſt formalis imago, & expreſſa ſimilitudo rei intellectæ. Minorem probat D. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 53. vbi docet ideò intellectum poſſe formare intentionem ſimilem rei, quæ intelligitur; quia habet in ſe ſpeciem, quę eſt eiuſdem rei ſimilitudo. Vbi vide Ferrarienſem: & eſt fundamentum Molinę, & aliorum, quos in præcedente quæſtione loco citato retulimus: etenim, vt ait D. Thomas, quale eſt vnumquodque, talia operatur. *D. Thom. Ferrar. Molina.*

Eandem minorem formaliter ſumit Auguſtinus 15. de Trinitate cap. 12. ad finem his verbis: *Tunc enim verbum eſt ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius; quoniam de viſione ſcientiæ exoritur.* Nomine autem ſciẽtiæ intelligit ſpecies, quas in memoria habet reconditas, vt immediatè anteà dixerat, affirmans ex illis verbum gigni. Idem etiam docuit in eodem libro cap. 27. ad finem, dum ait: *Sitque in acie cogitantis imago ſimillima cogitationis eius, quam memoria continebat: iſta duo tanquam parentem, & prolem tertia voluntate, & dilectione iungente.* Ex quibus eadem doctrina adhuc poteſt confirmari, quoniam ex Auguſtino verbum mentis (quod apud aduerſarios, & veriſſimam doctrinam eſt ipſa intellectiò) eſt proles intellectus: parens autem ſe ipſum exprimit in ſua prole, quatenus eam exprimit ſimilem ſibi. Ex quibus omnibus iam patet apud Auguſtinum intellectionem, ideò eſſe ſimilitudinem rei intellectæ; quia exprimitur ab intellectu ſimili eidem rei, idque per ſpeciem illius. 12. *Auguſt.* Confirmatur eadẽ veritas.

Quam eandem Philoſophiam ſatis colliges ex D. Anſelmo in monologio cap. 31. *Cum cogito (inquit) notum mihi hominem abſentẽ, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius; qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cognitione verbum eſt*, ecce manifeſtè aſſerit in cogitatione hominis abſentis talem formari aciem cogitationis, qualis per ſenſus in memoriam attracta eſt. Iam verò quod ex ſenſibus in memoriam intellectiuam (de hac enim ſermonem eſſe ſatis explicant vltima verba Anſelmi) attractum eſt, abſque dubio 13. Idem colligitur ex Anſelmo.

bio eſt ſpecies impreſſa. Quare ex ſententia D. Anſelmi intellectus exprimit, & format aciem ſuæ intellectionis ad inſtar ſpeciei impreſſæ. ¶ Vera eſt igitur minor huius ſecundæ argumentationis; intellectum non poſſe rei imaginem in ſe ipſo exprimere intelligendo, niſi ſpecies impreſſa ſit eiuſdem rei formalis imago, qua intellectus redatur fœcundus, & veluti prægnans ad eliciendum intellectionem ſimillimam ſibi.

Nec vim huius argumēti elides, ſi pro aduerſarijs reſpondeas, vt intellectio ſit expreſſa ſimilitudo, ſatis eſſe virtualem

14. Reſponſio aduerſariorum. ſimilitudinem, quæ datur in ſpecie, quatenus eſt principium elicitiuum intellectionis: non elides, inquam, vim argumēti; quoniam ſimilitudo virtualis effectiua, quæ reperitur in cauſa efficiente reſpe-

Non recipitur. ctu ſui effectus, non eſt ſimilitudo in repræſentando, ſed ſolùm in eſſendo; quatenus ſcilicet effectus eſt eiuſdem rationis cum ſua cauſa, vel vniuocè, vel analogicè. Hæc autem effectiua ſimiltudo, ſicut longè eſt alia à ſimilitudine, quæ eſt formalis repræſentatio rei, & ſignum formale illius; ita etiam non eſt ſatis, vt exprimat effectum ſimilem ſibi in formali repræſentatione. Vnde intellectus ipſe, qui etiam eſt cauſa effectiua intellectionis, non habet, quod ſit expreſſiuus ſui, expreſſione formaliter repræſentatiua, niſi quia in ſe habet ſpeciem impreſſam rei intelligendæ: nam ex Auguſtino per talem ſpeciem formaliter fit fœcūdus ad ſeipſum exprimendum, non quatenus eſt intellectus, principiumq; effectiuum intellectionis, ſed quatenus in genere, & in eſſe intelligibili eſt ipſa res, quam debet intelligere. Quod in hac materia eſt diligentiſſimè annotandum.

Tertiò hæc ſententia à poſteriori confirmatur; quoniam non ſolùm ex Ariſto

15. Tertia rat. tele, & Auguſtino, ſed etiam ipſa experientia manifeſtè patet, ſpecies ſenſibiles ſenſuum tam externorum, quàm internorum eſſe veras, ac formales ſimilitudines rerum, quarum ſunt ſpecies: id enim expreſſè docet Ariſtoteles *in lib. de Memoria cap.* 1. vbi ipſas ſpecies viſibiles, quas picturas rerum anteà appellauit; ſi-

Ariſt. mulachra etiam, & monimenta earum, non ſemel, ſed iterum, atque iterum appellat imagines. Quod etiam explicat 2. *de Anima cap.* 12. *text.* 121. ſi diligentiùs expendatur. Auguſtinum etiam id ipſum perſpicuè docuiſſe, nullus negabit, qui eum legerit 11. *de Trinitate capite* 2: agens enim de viſione, quæ à ſolo corpore viſibili cauſatur (quam eſſe ipſam ſpeciem viſibilem nullus dubitabit; cum viſio actualis non à ſolo viſibili cauſetur, ſed etiam à viſu, vt ibidem ait pag. 146. D. 2.) eam ſæpiùs appellat ſimilitudinē, & imaginem rei viſibilis. Denique negari non poteſt experiētia tum ſpecierum. quæ in ſpeculo res nobis repræſentant; tum etiam earum, quas memoria ſenſitiua ſubminiſtrat phantaſiæ. Porrò ſi ſpecies ſenſibiles abſque dubio ſunt veræ, & formales ſimilitudines, & imagines rerū ſenſibilium; cur ſpecies intelligibiles non admittentur, tanquam veræ imagines rerum intelligibilium? etenim in vtriſque eadem ratio reperitur. Auguſt.

Denique affirmantem ſententiam omnes ſcholaſtici approbarunt: & contra negantem expreſſè docuit *Herrera in* 2. 16. Vltima ratio.
libro Scoti diſput. 10. *q.* 3. *in ſententia Scoti, pag.* 358. *columna* 1. *in principio, & fine, & contra Suarium (tacito tamen illius nomine) ſcripſit Curſus Conimbricenſis primo de Interpretatione cap.* 1. *quæſt.* 2. *in prima ſectione tertij articuli, pag.* 19. *in fine, & pag.* 20. *per totam*; vbi ſententiam iſtam affirmantem, vt veriſſimam, & ab omnibus receptam probat, eámque ſupponit vt notiſſimam in libris de Anima. Hanc eſſe Thomiſtarum communem ſententiam idem *Suarius fatetur in dicto libro* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 13. *nu.* 10. Eam ſatis ſignificat *D. Thomas* 1. *part. quæſt.* 84. *art.* 4. *& 6. & clariùs* 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 9. *vbi ſpecies modò vocat ſimilitudines, modò imagines, vbi Caietanus, & cæteri interpretes, Cumelius, Bañes, & Molina; idem D. Thomas* 1. *contra Gentes, cap.* 53. *non ſemel, ſed iterum id ipſum repetit, vbi Ferrarienſ.* (*quidquid Suarius oppoſitum velit*) *§. Sed circa iſtas cauſas, & §. Quinta eſt, idem D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 14. *artic.* 11. *ad primum. & ar.* 12. *in corpore; Bellomontan.* 1. *part. diſput.* 220. *cap.* 3. *n.* 19. *&* 20. Eandem ſententiam probauit *Scotiſtarum ſchola cum Scoto quodlibeto* 14. *litera GG. §. Exemplum. vbi clarè docet ſpeciem ex ſe eſſe ſimilitudinem obiecti, quod etiam docuit in primo diſtinctione tertia, quæſtione* 7. *litera AA.*

Herrera. Conimbr. D. Thom. Caietan. Ferrar. D. Thom. Scotus.

§. Benè concedo. Vnde mirum eſt, quod Suarius oppoſitam ſententiam illi tribuat: nam omnes Scotiſtæ eandem tanquam notiſsimam ſupponunt, vt patet ex *Herrera loco citato, & ex Rada 1. parte controuerſia 10. art. 1. pag. 136. §. 3. obſerua.* Ex quibus patet *Curſum Conimbr. 1. de Interpretatione loco citato, pag. 20. §. Ratio qua aduerſarij.* iure optimo cõqueri de aduerſaria opinione, quòd arguat falſitatis Ariſtotelem, & omnes Philoſophos, & Scholaſticos vno ore vocantes ſpeciem obiectorum ſimilitudines. Sed contra hanc ſententiam iterum inſurgemus q. 4. ar. 3. §. 2. vbi oſtendemus non ſatis eſſe ſimilitudinem virtualem, quam Suarius admittit ad verificanda ea, quæ Ariſtoteles, & Auguſtinus, & alij de ſpecie docuerunt.

Herrrera. Rada. Conimbr.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

17. Ad 1. arg.

ARgumenta adducta §. 1. facilem habent ſolutionem. Ad primum neganda eſt maior, ſi intelligatur de cõuenientia in eadem natura ſiue forma in eſſendo: nec enim opus eſt, vt formalis ſimilitudo, ſiue imago ſit eiuſdem naturę ſecũdùm reale eſſe, cum re, cuius eſt imago, vt idem *Suarius docuit in d. cap. 13. n. 13. & 10. & Curſus Conimb. vbi ſuprà q. 2. in 1. part. tertij articuli, pag. 20. §. Ratio qua aduerſarij, & fuit doctrina D. Thomæ* in 4. contra gent. c. 11. poſt medium, verſ. *Eſt enim aliqua imago,* vbi expreſſe docuit nõ omnem imaginem communicare in natura cum eo, cuius eſt imago: nec enim (vt ait) imago Cæſaris cõmunicat in eſſe reali cum Cæſare: nec ſpecies hominis (quam ponit eſſe imaginem hominis) eſt eiuſdẽ rationis in eſsẽdo cũ ipſo homine.

Suarius. Conimbr. D.Thom.

18. Quam doctrinam non poſſunt non admittere aduerſarij: intellectio enim (quæ apud eos eſt vera imago rei intellectę) nõ habet vnitatem naturæ in eſſendo cũ re, cuius eſt intellectio. Quare in præcitato ſenſu maior eſt falſa. Eſt tamẽ veriſsima, ſi intelligatur de conuenientia in repræſentãdo, & quaſi delineando per modum figuræ rem; cuius eſt imago: quæ conuenientia in hoc eſt poſita, vt ita rem exprimat, atque ipſa eſt in ſe, vt idem Suarius locis citatis explicat. Fundatur igitur hęc conuenientia in vnitate proportionis exprimentis ad expreſſum; in qua conuenientia fundatur relatio menſurati ad mẽſuram. Maiore igitur in hoc ſenſu admiſſa neganda eſt eſt minor.

Ad 2. negandum eſt, nullam dari neceſsitatem ponendi ſpeciem, vt formalẽ ſimilitudinem rei, cuius eſt ſpecies: nec enim intellectus per talem ſpeciem poſſet fieri ipſa res, cuius eſt ſpecies, nec eius vicem ſubire, niſi ſpecies ipſa eſſet illius formalis imago, & ſimilitudo. Quæ verò in oppoſitum adducuntur, potiùs pro nobis pugnant: nec enim ſpecies poſſet dici ſemen ad producendam intellectionem, tanquam prolem, niſi eſſet formalis imago obiecti, quod exprimit intellectio, vt §. 2. ex Auguſtino iam oſtendimus. Admittimus igitur totam vim repræſentandi in ſpecie poni propter actum ſecundũ, quia intellectus ideò per ſpeciem fit ipſa res, vt poſsit illam intelligendo exprimere. Nec video, quomodò indè inferatur ſpeciem ideò repræſentare, quia eſt principium efficiens intellectionem: imò indè colligo ſpeciem, ideò eſſe principium efficiens, quia eſt ſimilitudo, & imago: etenim, vt ſępè diximus, intellectus ideô poteſt intelligere rem aliquam; quia per ſpeciem illius fit ipſa: vnde non deſunt, qui dicant ſpeciem repræſentando cauſare intellectionem, vt patet ex Herrera in 2. Scoti, diſp. 10. q. 3. pag. 374. col. 2. ad 4. quorum doctrina ex ratione immediatè poſita euidenter confirmatur. 19. Ad 2.

Ad 3. admittimus repræſentationem, quæ datur in actu ſecundo intelligendi, fieri nobis notam ipſa experiẽtia; admittimus etiam intellectum ex hac experiẽtia deuenire in cognitionem ſpecierum: dicimus tamen hunc diſcurſum fieri ex effectu ad cauſam. Ex quo non benè infertur intentionalem repræſentationem formaliter nõ reperiri in ipſa ſpecie; imò oppoſitum inferri debet, ſi quę diximus, diligentiùs expendantur. 20. Ad 3.

Ad vltimum reſpondetur verba Anſelmi noſtram confirmare ſententiam, vt patet ex 2. argumento §. præcedentis. Ad vltimũ.

Ex quibus concludimus repræſentationem in genere cauſæ formalis non ſolùm fieri per actum intelligendi, ſed etiã per ſpeciem impreſſam: nec enim poteſt ſpecies conſtituere intellectum in actu primo, vt poſsit obiectum intelligendo expri- 21. Concluſio reſolutionis.

exprimere, niſi ſit formalis ſimilitudo illius, qua intellectus formaliter fiat ipſū: ad quod non [illegible] virtualis ſimilitudo cauſæ efficientis; alioquin intellectus ipſe non indigeret per formam intelligibilem in ſe receptam, formaliter fieri ſimilis obiecto: ſiquidem, & ipſe per ſe eſt principium efficiens intellectionis. Quomodò autem duæ iſtę formales ſimilitudines inter ſe differant? alteriùs eſt quæſtionis: nunc ſatis ſit, intellectionem repræſentare obiectum per modum actus ſecundi; ſpeciem verò illud ipſum repræſentare per modum actus primi habitualiter permanentis, de quo plura ſuo loco.

QVÆSTIO III.

Quomodò ſpecies intelligibilis ſe habeat ad intellectum?

1. Quomodo ſpecies ſe habeat ad intellectū? EXplicauimus naturam ſpeciei intelligibilis in hoc eſſe poſitam, vt ſit formale repræſentatiuum ſui obiecti. Operæpretium erit explicare, quomodò illa ſe habeat ad intellectū: & quæ ſint illius munera? hoc enim plurimum conducet ad ea, quæ dicenda ſunt de ſpecie, qua diuina eſſentia intellectui beatorū repræſentatur; qui fuit totius huius diſputationis ſcopus. In hac quæſtione 3. explicabimus, quonā modo ſpecies ſe habeat ad intellectum: in ſequenti quęſtione diſſeremus de illius muneribus.

2 Quod attinet ad primum ſequentes excitabimus articulos, primus erit; vtrū ſpecies ſolùm ſe habeat ad intellectū ex parte obiecti? Secundus; vtrùm ſe habeat ex parte potentiæ intellectiuæ? Tertius; vtrùm ſe habeat tanquam forma, actuſq; intrinſecus intellectui? Quartus; vtrùm actiuè concurrat ad intellectionem? Quintus; vtrùm ad intellectionem ita cō currat cum intellectu, vt illi ſit tota vis, & facultas intelligendi? Sextus; quomodò cum intellectu, ad intellectionem cōcurrat, vt ſe habet ex parte obiecti? Septim⁹; quomodò concurrat, vt ſe habet ex parte intellectus? Vltimus; quomodò cōpleat virtutem intelligendi ipſi intellectui?

Sed antequam ſequentium articulorū diſputationem aggrediamur; vt omnis tollatur æquiuocatio, aduertimus in hac diſputatione de ſpecie intelligibili, non eſſe ſermonē de ſpecie ſumpta pro forma intelligibili, prout tam diuina eſſentia, quàm ſubſtantia Angeli à pleriſque appellantur ſpecies intelligibiles; ſed de ſola illa ſpecie, quæ ex ſua natura eſt formalis ſimilitudo, & imago rei, quę intelligitur: etenim de hac ſola ſpecie egit Ariſtoteles *in 3. de Anima cap. 8. text. 38.* vbi hanc ſolam ſpeciem appellat formam intelligibilem: & de hac ſola egimus in omnibus præcedentibus quæſtionibus, in quibus, & naturā ſpecierum explicauimus, & illarum neceſsitatem multis cō firmauimus: Deniq; de hac ſola excitāda eſt quæſtio, an dari poſsit, & de facto detur ſpecies creata, quæ diuinam eſſentiā clarè repræſentet? Quare in hac diſputatione non eſt admittenda diſtinctio ſpeciei in ſpeciem creatam, & increatam; nec in eam, quæ eſt accidens, & quæ eſt ſubſtantia: nam quanuis tam eſſentia diuina, quàm ſubſtantia Angeli poſsint ſubire vicem ſpeciei, & ad inſtar illius aliqua eius munera exercere; veræ tamen non ſunt ſpecies intelligibiles: nec aliquis conceptus cōmunis abſtrahi poteſt ab illis, qui ſit vniuocus. Hoc ſuppoſito accedamus ad explicandos propoſitos articulos. 3. *Ariſtot.*

ARTICLTVS. I.

Vtrùm ſpecies intelligibilis in ordine ad intellectum ſe habeat ſolùm ex parte obiecti?

QVanuis nec Theologi, nec Philoſophi de hac difficultate vllā excitent quæſtionem; ſed obiter eā attingant, quæſtio tamen eſt in ſe, & cognitu difficilis, & difficilior explicatu. Erit igitur operæpretium eam quàm diligentiſsimè explicare: etenim ex vera illius reſolutione pendet vera explicatio quæſtionum, quas de ſpecie intelligibili in ordine ad diuinam eſſentiam excitabimus. 1.

Sed pro explicatione tituli, & illius quæſtionis, quæ in ſeq. art. excitanda eſt, 2. Annotatio.

præmittimꝰ illud ſe habere ex parte obiecti, quod ad illud pertinet, quatenùs corã intellectu obiectiuè proponitur, & in eius proſpectu veluti aſsiſtit. Illud verò ſe tenere ex parte intellectus, quod ad illum ſpectat, vt eſt potentia apprehenſiua obiecti, & elicitiua intellectionis terminatę ad obiectum.

§. 1.

Refertur ſententia affirmatiua.

3. Sententia affirmans. PArtem affirmantem ſpeciem in ordinem ad intellectum ſolam ſe habere ex parte obiecti, & nullo modo ex parte intellectus, probauerũt pręſtantiſsimi Theologi. Hanc ſententiam ſatis explicauit *Scotus in 1. diſt. 3. q. 7. lit. M. N. §. Reſpondeo ad primam*, dum aſſerit *ſpeciem non per ſe, ſed per accidens inhærere intellectui, & dum in eadem quæſtione 7. & in 8, ſequente ſemper ſpeciem ponit ex parte obiecti, tanquam formam gerentem illius vicem, quod etiam facit quodlib. 15. lit. F. §. de iſto articulo. Eandem vt certiſsimã vbique ſupponunt Scotiſtæ, vt patet ex Lychecto, Bargio, cæteriſque interpretibus Scoti in locis citatis: Satis eam ſignificauit Rada. 2. parte Controu. 8. art. 1. pag. 226. colu. 1. poſt principium, & Herrera in 1. p. ad ſecundum Scoti diſp. 10. q. 3. pag. 359. col. 2. in medio.* Ante Scotum eandem ſententiã probauit *Ægidius in tractatu de Cognitione Angelorum q. 4. fol. 84. col. 4. in fine, & fol. 85 col. 1. in principio. Eandem ſententiã, vt certam ſæpe ſupponit Suarius lib. 2. de Attributis negat. cap. 12. num. 6. 7. 11. & 21. & clariùs num. 25.* vbi verbis expreſsis affirmat ſpeciem non eſſe neceſſariam ex parte intelligẽtis; ſed ex parte obiecti, quod antea affirmauit *ad 3. partem. tom. 1. diſp. 24. ſect. 2. pag. 494. col. prima. A. Eam multis probat Cabrer. ad 3. partem quæſtionis ſecundæ, art. 1. diſp. 6. num. 52. cum ſequentibus, ſatis eam ſignificat Fonſec. in 6. Metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 2. lit. E. fol. 23. col. 1. imò eam refert, vt vulgatum dicterium. Eandem non obſcure innuit Albertinus in ſuis Corollarijs q. 12. Theologica in 7. ratione pag. 78. n. 13. placuit Molinæ 1. p. q. [illegible] art. 2. diſp. 1. §. Neceſsitas ergo, & diſp. 2. poſt. principiũ & clariùs q. 56. art. 1. diſp. 1. in principio §. quid hac de re, & §. Scotus loco citato.* vbi nõ ſolùm docet ſpeciem ſupplere vicem obiecti, & loco illius efficienter cõcurrere ad intellectionem; ſed etiam potiùs ſe tenere ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ: & ob id non per ſe, ſed per accidens inhærere intellectui.

Scotus. *Lychetus.* *Bargius.* *Herrera.* *Ægidius.* *Suarius.* *Cabrer.* *Fonſeca.* *Albertin.* *Molina.*

Pro hac ſententia *Suarius in dict. cap. 12 num. 11. refert Albertum Magnum in ſumma de homine, p. 2. in tractatu de Senſibus; & D. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & 1. contra gentes cap. 51. cum ſequentibus, & Capreol. in 1. d. 35. q. 1. art. 1. concluſ. 1. & argumenta contra illam*; an verò fideliter citentur inferiùs expendemus. Poſſet referre *Soncin. 12. Metaphyſ. q. 59. ad ſecundum, & Cumelũ 1. p. q. 12. ar. 2, q. 2. ar. 1. & inferiùs conc. prima, & q. 14. art. 1. fol. 335. col. 1. in dubio circa diſcurſum art. & q. 56. art. 1. q. 1. ad 1. 6. & 8.* Quibus in locis docet ſpeciem ſubire vicem obiecti, & inhærẽtiam illi conuenire per accidens. 4.

Suarius. *Albertus.* *D.Thom.* *Capreol.* *Soncinas.* *Cumel.*

5. Citari poteſt *Paludanus in 4. diſp. 49. q. 1. ar. 2. cõcl. 2.* dum ait ſpeciem eſſe inſtrumentum obiecti. Poteſt autem citari *Bañes 1. p. q. 85. ar. 2. in dubio circa primã concluſionem D. Thom. ad ſecundum principale in fine*, quatenùs in hoc diſtinguit ſpeciẽ ab habitu, quod habitus ſe tenet ex parte potentiæ, ſpecies verò ex parte obiecti, *Clariùs id docet 1. p. q. 12. art. 2. in dubio 2. poſt. 4. concluſionẽ §. ad hoc dico vbi ita ſcribit: At verò de ratione ſpeciei intelligibilis, vt ſic, ſolùm eſt illud, quod ſe tenet ex parte obiecti.* Quod etiam clarè indicat *1. p. q. 56. art. 1. dubitat. 1. §. ad argumenta dicimus.* Denique Caietanus fatetur hanc ſententiam olim ſibi placuiſſe, *vt patet 1. p. q. 12. art. 2. §. in reſponſione ad tertium poſt principium.*

Paludan. *Bañes.* *Caietan.*

Hæc ſententia multis confirmatur; & primò authoritate *D. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & primo contra gentes cap. 51. cum ſequẽtibus, & prima p. q. 12. art. 2.* Ex his enim locis colligitur, vt plerique putant, D. Thom. ſenſiſſe, ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ. 6.

1. Ratio. *D.Thom.*

Secundò; confirmatur ex Suario in d. cap. 12. num. 11. quia niſi dicamus ſpeciẽ ſolùm dari, vt loco obiecti ſimul cum intellectu coefficiat intellectionem, nulla probabilis ratio, vel neceſsitas fingi poteſt ad ponendas ſpecies. 7.

Secunda.

Tertiò; ſpecies ſunt inſtitutæ, vt coniungant obiectum cum intellectu ad actũ intelli- 8.

Tertia.

intelligendi: ergo ex ſua natura ſolum ſe tenet ex parte obiecti. Antecedẽs ab omnibus recipitur. Cõſequẽtia ex eo poſſet probari, quia non poſſet ſpecies facere talem coniunctionem, niſi ex ſua natura teneret locum obiecti, tanquam vicaria illius.

9. Quarta. Quartò; Species ſolùm eſt neceſſaria, quando obiectum non poteſt ſecundũ ſe eſſe præſens intellectui; ergo ſolùm ſe tenet ex parte obiecti, tanquam eius vicaria. Conſequentia eſt nota; quia ſi ſpecies etiam ſe haberet ex parte potentiæ, adhuc eſſet neceſſaria, quantumvis obiectum ſecundũ ſe eſſet præſens obiectiuè. Antecedens verò probatur, quia grauiſsimi Theologi ideo negant dari ſpecies in cognitione intuitiua, quia obiectũ ꝑ ſe eſt obiectiuè præſens potentiæ: & ob eãdem rationem plures eas non admittunt, vbi inter intellectum, & obiectum datur localis indiſtantia; vt quando duo Angeli ſunt inter ſe localiter indiſtantes.

10. Quinta. Quintò; ſpecies omnium conſenſu inſtituta eſt, vt determinet intellectum ad hanc, vel illam intellectionem: nam cum intellectus ex ſe ſit indifferens, & indeterminatus ad hunc, vel illum actum intelligendi, indiget aliqua determinatione: ſed hæc determinatio ſolùm pertinet ad obiectum, quia ad illud ſolùm pertinet ſpecificatio intellectionis, quæ eſt eſſentialis quædam determinatio: hanc autem determinationem facit obiectum per ſuã ſpeciem: ergo ſpecies ex ſua natura ſolũ ſe habet ex parte obiecti, & nullo modo ex parte potentiæ.

11. Cõfirmat. Cõfirmatur; quoniã ſpecies ex ſua natura eſt inſtituta, vt intellectũ aſsimilet obiecto; ob hanc enim cauſam eſt formalis ſimilitudo obiecti: ſed ex ſolo obiecto habet, quòd ſit talis ſimitudo, & nullo modo ex potentia, vt patet: ergo ſpecies ſolùm ſe tenet ex parte obiecti, non verò ex parte potentiæ.

12. Sexta. Sextò; ſpecies non tribuit intellectui virtutem ad intelligendum; quia hanc intellectus ex ſe habet, vt inferiùs oſtendemus: ergo ſpecies non ſe habet ex parte potentiæ: etenim non ob aliam rationem ſe haberet ex parte illius, niſi quia illi aliquo modo tribuit actiuitatem.

13. Vltima. Poſtremò; ſi ſpecies per impoſsibile poſſet eſſe in intellectu abſque inhærentia per ſolam coaſsiſtentiam obiectiuã; vtique exerceret omnia munera, quæ illi conueniunt, quatenùs eſt ſpecies: etenim faceret obiectum obiectiuè præſens: cõcurreret actiuè ad intellectionem: intellectum formaliter determinaret ad hãc intellectionem: denique illum conſtitueret in actu primo ad intelligendum. Sed poſito illo caſu nullo modo ſe haberet ex parte potentiæ; quia eam non informaret: ergo ſpecies, vt eſt ſpecies, ſolùm ſe habet ex parte obiecti.

His argumentis auctores huius opinionis cõcludunt nõ eſſe de ratione ſpeciei, quatenùs eſt ſpecies, vt actu informet intellectum, illique inhæreat; ſed hoc ei conuenire, quatenùs eſt accidens. Vnde ſi per impoſsibile eſſet ſubſtantia, non inhæreret, ſed ſolùm obiectiuè coaſsiſteret coram intellectu. Cui argumento eſt, quòd diuina eſſentia apud Thomiſtas ſubit vicem ſpeciei reſpectu viſionis beatę: & ſubſtantia Angeli apud eoſdem gerit vicem ſpeciei ad cognitionem ſui per ſolam obiectiuam coaſsiſtentiam: non poſſet autem ſubire vicem ſpeciei, ſi de ratione ſpeciei eſſet actualis informatio per inhærentiam. 14. Concluſio præcedentis opinio.

§. 2.

Species ſe tenet ex parte intellectus per ſe, & non per accidens.

Opinionem iſtam quoad ſenſum excluſiuum, nec admittũt illi, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte intellectus; nec, qui eam ponunt ex parte vtriuſque. Ij omnes in hoc conueniũt, vt ſpecies admittenda ſit ex parte intellectus: & ſubinde negant excluſiuam præcedentis opinionis. Quod ſpecies ſe teneat ex parte intellectus per ſe, & nõ per accidens expreſſè defendit *Caietanus* 1. *p. q.* 79. *art.* 2. *§.* 2 *opinio*: vbi non admittit Scotum, quatenùs ſupponit ſpeciem ad nihil aliud per ſe poni, niſi vt ſit pro obiecto, tanquam vicaria illius; ita enim ſcribit: *quæ tamen ſententia non valet: tũ; quia ſupponit ſpeciem ad nihil aliud per ſe poni, niſi vt ſit pro obiecto: cum tamen in intellectu neceſſariò etiam ponatur pro actuatione intellectus.* Negat igitur Caietanus ſpeciem ſolũ poni ex parte obiecti: quia per ſe etiam ponitur ex parte potentiæ intellectiuæ. 15. Caiet.

Ean-

Eandem ſententiam declarat in verbis immediatè præcedētibus, quę ita habent: *Nec ratio adducta aliquid valet: quoniam, vt ſuperiùs patet, ſimilitudo quæcunque obiecti non ea ratione dicitur vice obiectū, quia ſolùm fungatur officium obiecti, ſed quia ratio operandi natura obiecti, quam repræſentat, eſt.* Iam verò id, quod potentiæ eſt ratio operandi, ſe tenet ex parte ipſius potentiæ, vt ſtatim dicemus.

Bañes.

Eandem ſententiam expreſsè probat Bañes de ſpecie quæ ex ſua natura eſt accidens, qualis eſt ſpecies, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti, vt facilè colligitur, ſi expēdātur, quæ varijs in locis ſcribit, maximè *prima parte, q. 12, art. 2. Dubio 2. concl. 2. & 3.* vbi tanquam certiſsimum ſupponit, id ſe tenere ex parte potentiæ, quod illi eſt principiū effectiuum, quo producit intellectionē. Cum tamen vt veriſsimum ſupponat, ſpeciem, quæ non eſt ſubſtantia, ſed accidēs effectiuè concurrere ſimul cum intellectu ad intellectionem. Igitur ex ſententia huius auctoris, omnis ſpecies, quæ ex ſua natura eſt accidens (de qua ſola agimus) habet ſe ex parte intellectus per ſe & non per accidens, quod etiam ſcribit, *1. p. q. 56. art. 1. dub. 1. §. ad argumentum dicimus.*

16. Placet ſententia.

Nos eandem ſententiam, vt verè peripateticam approbamus: dicimusque neceſſariò admittēdum eſſe ſpeciem intelligibilem per ſe, & non per accidens ſe tenere ex parte intellectus. Vtrùm verò etiam ſe teneat ex parte obiecti? expendemus in ſequenti artic.

Probatur ex Ariſtot.

Quæ reſolutio euidentiſsimè demonſtratur ex Ariſtot. ex eo enim manifeſtè conſtat, intellectū nō poſſe intelligere alia à ſe, niſi fiat ipſa, vt oſtendimus q. 9. art. 1. §. 2. idque *ex 3. de Anima cap. 4. text. 8. cap. 5. text. 18. cap. 7. text. 36. & cap. 8. in principio*: non quidem in eſſe rei, ſed in eſſe quodam intelligibili: intellectus enim debet eſſe homo intelligibiliter, ſi debet hominem intelligere: *Simile enim non poteſt cognoſci, niſi à ſimili,* vt priſci Philoſophi dixerūt, quos in præcitato ſenſu probat Ariſtot. *1. de Anima cap. 2. text. 25. & 26. & cap. 5. text. 76. à lib. 3. Metaphyſ. cap. 4. text. 15.* de quo multa diximus in d. q. 9. Itaque intellectus, vt intelligat quodcunque obiectum, priùs debet fieri, & eſſe ipſum obiectum per ſpeciem ipſius obiecti, quā intelligat illud. Species igitur, prout formaliter facit intellectum eſſe ipſum obiectum, non poteſt [illegible] ſe tenere ex parte ipſius intellectus, quem aſsimilat obiecto.

17. Nota Philoſophiam.

Vt vis huius rationis meliùs intelligatur philoſophanda ſunt duo extrema inter ſe diſtincta: vnum reale, ſcilicet lapis ad extra, qui intelligitur: alterum intelligibile, ipſe ſcilicet intellectus factus lapis in eſſe intelligibili, qui meritò poteſt dici lapis intellectiuus; quia ſcilicet intellectus factus lapis, eſt, qui poteſt intelligere lapidem ad extra poſitū. Ex quo iam patet lapidem ad extra ſe habere ex parte obiecti: quia ad illum terminatur intellectio lapidis: lapidem porrò, qui eſt ad intra, habere ſe ex parte intellectus; quia eſt ipſe intellectus, qui factus lapis intelligit lapidem.

18. Expēditur antiquorū Philoſoph. mens.

Hoc fiet euidentiùs ſi modum philoſophandi priſcorum Philoſophorum expēdamus: volebant enim animam, & intellectum in ipſis realiter eſſe omnia, quæ ſunt ad extra; quia omnia illa poterant intelligere. Itaq; anima in ſe realiter erat lapis, quia poterat intelligere lapidē, qui erat ad extra. Philoſophabantur igitur duos lapides: vnum ad extra, qui intelligebatur: alterum ad intra, qui intelligebat. Quare apud priſcos Philoſophos forma lapidis, qua intellectus in ſe ipſo realiter erat lapis, ſe tenebat ex parte ipſius intellectus; quia per talem lapidis formam formaliter erat lapis potens intelligere lapidem externum, cui aſsimilabatur. Ariſtoteles autem Philoſophis illis non admiſit intellectum realiter eſſe lapidem: admiſit tamen intellectum per formam intelligibilem lapidis, quem recipiebat, eſſe lapidem in eſſe intelligibili, Quare cum ijsdē Philoſophis etiam philoſophabatur duos lapides: vnum realē, & ad extra; alterum intelligibilem, & ad intra. Ille eſt lapis, qui intelligitur, & ſubinde eſt obiectum terminans intellectionē: iſte eſt intellectiuus, qui per ſpeciem lapidis intentionalem fit lapis, vt factus lapis valeat intelligere lapidem, qui eſt ad extra. Quare, ſicut forma realis lapidis, qua intellectus apud antiquos formaliter erat lapis, habebat ſe ex parte intellectus; ita apud Ariſtotelem forma intelligibilis, qua intellectus intelligibiliter fit lapis,

lapis; haud dubiē ſe tenet ex parte intellectus, quatenùs eſt intellectus factus lapis.

His ſi adiungamus intellectum fieri lapidem per ſpeciem intelligibilem lapidis (vt expreſsis verbis docuit *Ariſtoteles 3. de Anima cap.8. text.38. & cum eo D. Thomas 1.p. q. 14. art.2. & q.55. art. 1. ad ſecundum, & aduertimus ſuprà q. 1. art.1. §. 2.*) neceſſariò conuincitur ſpeciem per ſe, & quatenùs eſt ſpecies ſe tenere ex parte intellectus, tanquam formam, qua fit ſimilis obiecto; & tanquam principiū, virtuteque, qua fit proximè potens intelligere rem, cui intelligibiliter aſsimilatur, de quo plura inferiùs.

19. Intellectus fit lapis per ſpeciē lapidis.

Meritò igitur aſſeruit Caietanus ſententiam oppoſitam euidenter repugnare doctrinæ peripateticæ Ariſtotelis, quatenùs negat ſpeciem, vt ſpecies eſt, ſe tenere ex parte intellectus: nam ſicut Ariſtoteli repugnat, qui negat id, quo intellectus fit lapis, ſe tenere ex parte intellectus; ita eidem repugnat, qui inficiatur intellectū formaliter fieri lapidem per ſpeciem lapidis: etenim ſuprà q. 1. art. 1. §. 2. apertis teſtimonijs Ariſtotelis oſtendimus intellectum, nec fieri lapidem per actualem intellectionē lapidis: cū priùs natura ſit lapis, quam actu intelligat lapidem: nec fieri lapidem per ipſum lapidem obiectiuè præſentatum. Vide, quæ ibi diximus. Quomodò autem intellectus per ſpeciē fiat ipſa res intellecta? Vtrùm tanquam per formam, & actum illi intrinſecum; an verò per actum extrinſecū? dicemus artic. 3.

20. *Caietan.*

Ex hoc fundamento infertur, intellectum per ipſam ſpeciem fieri in actu primò, vt intelligat rem, cuius eſt ſpecies: etenim cum intellectus, ideo fiat proximè potens, & in actu primo ad intelligē-dum lapidem, quia fit ipſe lapis, vt diximus ex Ariſtotele: fiat autem talis formaliter per ſpeciem, vt ex eodem Ariſtotele iam oſtendimus; benè infertur intellectum per ſpeciem intelligibilē conſtitui in actu primo ad intelligendum lapidem, quatenùs ex eſſe lapidem ſequitur poſſe intelligere lapidem. Iam verò id, quod potentiæ eſt formalis ratio operandi, non poteſt non ſe tenere ex parte potentiæ: virtus enim agendi neceſſariò ſe tenet ex parte agentis; maximè quando talis virtus eſt actus educens potentiā actiuam de potentia eſſentiali ad actū primum agendi. Sed aduerſaria argumenta diſſoluamus.

21. *Corollariū*

§. 3.

D. Thomas noſtram probauit opinionem.

IN primo argumento obijcitur nobis D. Thom. quaſi illum contrarium habeamus: ſed quantum à mēte D. Tho. alieni ſint, quia ita putant, ex eo primū oſtenditur; quoniam D. Thom. multis in locis docet ſpeciem eſſe perfectionem potentiæ intellectiuæ, vt patet 1.p.q.85. art. 4. ad finem corporis: iam verò perfectio potentiæ ſe tenet ex parte potentiæ. Docet etiam, quod ſpecies ita ſe habet ad intellectum, ſicut calor ad ignem, & forma, quæ eſt principium actionis, ſe habet ad agens: eſt enim ſpecies principium formale intelligēdi ipſi intellectui, *vt patet ex 1.p.q.59. art.1. & de potentia Dei, q.8. art.1. & q.9. art.5.* Iam verò ex doctrina eiuſdē D. Thomæ *1.p.q. 12. art. 2.* id ſe tenet ex parte potentiæ intellectiuæ, quo intellectus fit efficax ad videndum obiectum: iam verò potentia intellectiua fit efficax ad intelligendum per id, quod illi eſt principium agendi.

22. D. Thomā eſſe nobiſcum.

1. locus D. Thom.

2. Locus.

Quę doctrina maximè eſt vera in ſpecie intelligibili: ſiquidē ex intellectu, & ſpecie fit vnum principiū agendi, vt multis in locis docet D. Thom. & ſpecialiter *de Veritate, q.8. art. 6. in corp. & ad tertium:* vnum (inquam) non per aggregationem tanquam ex principijs partialibus; ſed vt vnū, quod per alterum determinatur, & completur in ſua virtute agendi, vt ex D. Thom. dicemus inferiùs art. 6. & 7. Iam verò id, quo virtus actiua intellectus determinatur, & completur, non poteſt non ſe tenere ex parte intellectus, vt eſt agens; cum per id virtus intellectus fiat efficax ad intelligendum, vt diximus ex D. Thom. 23.

Accedat tertiò locus expreſſus de potentia q.9. art.5. dum ait ſimilitudinem, quæ eſt intelligendi principium non habere ſe, vt intelligendi terminum: hoc autem modo ſe haberet, ſi haberet ſe, nō ex parte intellectus, ſed ex parte obiecti. 3. Locus.

Quartò addi poteſt locus ex 1. p. q. 55. art. 3. vbi non ſolùm virtutem intellectiuam ponit ex parte intellectus, ſed etiam 24. 4. Locus.

etiam ſpeciem intelligibilem, quæ illi eſt principium intelligendi: vnde ad 2. expreſſe docet lumen intellectuale, & ſpeciem rei intellectæ eſſe principium intelligendi. Denique in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. aſſerit ſpeciem in ordine ad intelligendũ habere ſe ad intellectum, vt habitũ illius. Conſtat autem habitum in operando habere ſe ex parte potentiæ. ¶ Sed expendamus locos D. Thomæ, quos Suarius nobis obijcit.

25. Non obſtat 1. locus D. Thom.

Primus habetur 1. parte. q. 56. art. 1. agens enim de forma, quæ eſt intelligendi principium, ita ſcribit: *Nihil refert ad hoc, quod forma ſit principium actionis, quòd ipſa forma ſit aliquando inhærens, & quòd ſit per ſe ſubſiſtens.* Ex quibus verbis colligit ſpeciem ex mente D. Thom. non tenere ſe ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti: quomodò autem id colligat, ego planè non video, niſi dicat formam ſubſiſtẽtem non poſſe tenere ſe ex parte potentiæ: ſed quam id falſum ſit ex eo patet, quia D. Thom. in verbis citatis admittit formam intelligibilem eſſe poſſe intellectui formale principium actionis: talis autẽ eſſe non poſſet, ſi ſe teneret ex parte obiecti: quoniam obiectum, vel non concurrit ad intellectionẽ, niſi ſolùm terminatiuè, vel ſi actiuè concurrit; non cõconcurrit vt ratio formalis, qua intellectus intelligit; ſed ſolùm, vt concauſa partialis, per actiuitatem, quæ illi conuenit, quatenùs eſt quoddam intelligibile, vt dicemus artic. 6.

26. Quare cum D. Thom. ſupponat, ſpeciem, ſiue ſit inhærens, ſiue per ſe ſubſiſtens, concurrere vt rationem formalem, qua intellectus formaliter intelligit; vtique ex D. Thom. nõ benè colligitur ſpeciẽ ſe tenere ex parte obiecti; ſed potiùs colligi debet eam ſub illa ratione ſemper ſe tenere ex parte potentiæ; ſiquidem ratio formalis agendi ſemper ſtat ex parte potentiæ; quod ſatis expreſſit Caietan. *in eodem loco* §. *ad obiectiones primo loco. verſ. patet ergo quid dicendum ſit*, dum ait D. Thom. in illo loco formam per ſe ſubſiſtentem non ponere, vt ſeparatam ab intelligente, ſed vt in ipſo ita exiſtentem, vt illi ſit formalis ratio intelligendi. Vnde ſicut calor per ſe ſubſiſtens (ſi nimirũ eſſet idem cũ igne calefaciente) ſe teneret ex parte ignis calefacientis, & non ex

Caiet.

parte obiecti calefactibilis; ita etiam ſpecies, quando eſt per ſe ſubſiſtens (qualis apud D. Thom. eſt eſſentia diuina reſpectu intellectus beati, & ſubſtantia Angeli reſpectu intellectionis ſui ipſius) ſe tenet non ex parte obiecti, ſed ex parte intellectus. Quare mens D. Thom. in eo loco hæc eſt, vt de ratione formę, quę eſt intellectionis principium, nõ ſit inhærere: quia forma per ſe ſubſiſtens poteſt eſſe intellectui principium intellectionis; ipſa ſcilicet diuina eſſentia, & ſubſtantia Angeli.

Secundus locus, qui nobis obijcitur habetur primo contra gentes cap. 51. cũ ſequentibus. Sed locus iſte potiùs pro nobis facit: etenim ex illo ſolùm colligitur, quòd intelligibile in actu eſt intellectus in actu: deinde, quod ex intellectu, & ſpecie fit vnum: tertiò, quòd ſpecies facit intellectum in actu: denique quòd ſpecies intellectui eſt operationis principium. Quæ omnia arguunt ſpeciẽ ſe tenere ex parte potentiæ, vt ex dictis iam intelliges. 27. Ad 2. locũ.

Tertiò, nobis obijcitur locus *ex 1. p. q. 12. art, 2.* Non negamus locum iſtũ poſſe facere difficultatem ei, qui ſuperficie tenus verba D. Thom. conſiderauerit: at nihil contra nos efficit, ſi conſideratiùs explicetur. Verba D. Thom. ſunt iſta: *requiritur ergo ad videndum Deum aliqua ſimilitudo ex parte potentiæ, qua ſc. intellectus ſit efficax ad videndum Deum: ſed ex parte rei, quam neceſſe eſt aliquo modo vniri videnti, per nullam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia videri poteſt.* Et rem magis explicans ad finem articuli ita ait: *Dicendum ergo, quòd ad videndum Dei eſſentiam requiritur aliqua ſimilitudo ex parte potentiæ viſiuæ, ſcilicet lumen gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum: non autem per aliquam ſimilitudinem diuina eſſentia videri poteſt.* Ex his verbis colligunt aduerſarij. D. Thom. ex parte potentiæ ſolùm ponere lumen gloriæ; & per conſequẽs diuinam eſſentiam, vt ſubit vicem ſpeciei intelligibilis non habere ſe ex parte intellectus, ſed ſolùm ex parte obiecti. 28. Ad 3. locũ.

29. Non benè infertur excluſiua.

Sed quam benè inferant excluſiuam ipſi viderint: quoniam D. Thom. nõ dixit ex parte potentiæ ſolùm requiri lumen gloriæ; ſed ſimpliciter dixit lumen glorię requiri ex parte potentiæ. Ex qua propo-

propoſitione non benè infertur nihil aliud requiri ex parte potentiæ: maximè cum ex ſolutione ad tertium ſatis pateat diuinam eſſentiam, ita vniri intellectui, vt per ſeipſam faciat illum in actu primo, ad viſionem: cum verò actus primus ipſam potentiam efficacem reddat ad eliciendam viſionem, non poteſt non ſe habere ex parte ipſius potentiæ; cum idem Diuus Thomas in verbis prioribus ſatis ſignificet, id ſe habere ex parte potentiæ, quo potentia fit efficax ad videndum Deum; Quare nec audien-

Bañes. dus eſt *Bañes prima parte, quæſtione 56. articulo primo, §. ad argumenta dicimus*, nec

Cabrera. Cabrera, dum affirmant D. Thomam in illis verbis expreſſe docuiſſe ſpeciem tantum ſe tenere ex parte obiecti: nec etiam Suarius, dum affirmat id ſatis efficaciter colligi ex verbis allatis.

30. Obiectio: Sed dices D. Thomam in prioribus verbis duplicem ſimilitudinem diſtinxiſſe: vnam ex parte potentiæ; alteram ex parte rei, nempe ſpeciem intelligibilē, qua res vnitur intellectui: ergo ex Diuo Thom. ſpecies non ſe tenet ex parte po-

Reſponſio. tentiæ. Reſpondendum eſt D. Thom. in illo articulo duplicem diſtinxiſſe ſimilitudinem creatam: vnam Dei; quia ſcilicet eſt ſimilitudo participata diuini intellectus: alteram rei, quæ intelligitur. Similitudo prioris generis ex D. Tho. eſt ipſa virtus intellectiua, ſiue illa ſit lumen naturale, ſiue ſupernaturale, qua intellectus fit efficax ad intelligenda ſupernaturalia.

31. Et quamuis dixerit priorem ſimilitudinem ſe tenere ex parte potentiæ; non proinde voluit alteram ſolùm ſe tenere ex parte obiecti: nec enim eas per ſe ita diſtinxit, ſed ita potiùs; quia vna eſt ſimilitudo participata à Deo; altera verò eſt ſimilitudo formalis repræſentatiua rei. Et quanuis prior ſimilitudo ex ſua natura habeat, quòd ſolū ſe teneat ex parte potentiæ, vt quia ex ſua natura ſit virtus intellectiua: poſterior tamen non habet ex ſua natura, quod ſolū ſit ex parte obiecti; cum ex ſua natura etiā habeat, quod ſit forma, qua intellectus fit ipſa res. Sed pro explicatione maiori huius loci vide, quę latè dicemus inferiùs in 2. p. hui⁹ lib. q. 2. art. 8. Hæc diximus pro explicanda mente D. Thom. in locis, qui in 1. art. cōtra nos obijciuntur, & ita patet ſolutio primi argumenti.

§. 4.

Soluuntur cætera argumenta.

AD ſecundū argumentū poſitū §. 1. dicimus neceſsitatē ſpecierum in intelligibiliū magis confirmari, ſi illæ nō ſolū ſe teneāt ex parte obiecti, ſed etiā ex parte potentię. Imò ſi ſpecies ſolū ſe tenerent ex parte obiecti, nō ſatis confirmaretur neceſsitas earū ad cognitionē intuitiuam, quoniam obiectum ſine vlla ſpecie poſſet ſe ipſum obiectiuè præſentare, vt plerique cum Scoto putant. 32. Ad 2. arg.

Ad 3. admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia: quia ſpeciem eſſe vicariam obiecti non benè arguit, eam ſolùm ſe tenere ex parte illius: quia ſpecies poteſt ſuū vicariatū exercere, non ſolū vt ſe tenet ex parte obiecti; ſed etiam vt ſe tenet ex parte potentiæ: de quo plura in quęſtione 4. ſequente art. 3. 33. Ad 3.

Ad 4. reſpondetur in antecedenti ſupponi obiectū; ſecluſa ōni ſpecie aliquādo fieri obiectiuè præſens intellectui; quòd eſſe falſum iam oſtendimus q. 1, art. 3. §. 2. nec enim ſola indiſtantia localis rei intelligibilis cū intellectu ſatis eſt, vt obiectiuè fiat intelligibiliter pręſens, tū, vt intellectū intelligibiliter moueat; tum, vt ſui intellectionem terminet, vt diximus in dicta q. 1. art. 3. §. 4. ad ſecundum, 34. Ad 4.

Ad 5. admittimus ſpeciē determinare intellectū ad hanc, vel illam intellectionem; admittimus etiam ad ſolū obiectum pertinere talē determinationē, & eam exercere per ſuam ſpeciē: negamus tñ inde inferri ſpeciem nō tenere ſe ex parte potentiæ: quoniā ſpecies, vt facit intellectū eſſe ipſum obiectū (quomodò ſe tenet ex parte intellectus) determinat illū ad tale obiectū: quoniam intellectus factus lapis determinatur ad intelligendum ſolū lapidem, de quo plura dicemus in ſequēte quæſtione 4. art. 1. 35. Ad 5.

Ad confirmationē diximus ſpeciē ex obiecto habere, quod ſit talis ſimilitudo, v. g. hominis, aut lapidis: inde tñ nō benè infeꝛres ſpeciē non ſe habere ex parte potētię: etenim obiectum ideo producit ſui ſimilitudinē, vt per eā fiat, & ſit ipſe intellectus: nā per ſpeciē nō ſolū intellectus fit ipſum obiectum, ſed etiam obiectum fit 36. Ad confir.

ipſe intellectus : & hoc modo ſe tenet ex parte intellectus, vt ex dictis facilè intelliges, intellectus enim factus ipſum obiectum poteſt intelligere illud, vt ſe tenet ex parte ſui ipſius, & vt eſt terminus atque obiectum obiectiuè præſens intellectui.

27. Ad 6. Ad ſextum admiſſo antecedente negatur conſequentia : quia licèt ſpecies non tribuat intellectui actiuitatem potentiæ, & principij vitaliter elicitiui actionis vitalis; actiuitatem tamen illius determinat, & complet, vt ſit in actu primò ad intelligendum, forma autem determinatiua virtutis intellectiuæ habet ſe ex parte ipſius virtutis, vt ſæpe dictum eſt.

28. Ad 7. Ad ſeptimum, & poſtremum negandum eſt antecedẽs : quoniam ſpeciês per ſolam coaſsiſtentiam obiectiuam non poteſt facere, vt intellectus ſit res, quam debet intelligere, vt articul. tertio dicemus. Porrò ſi per ſolam obiectiuam coaſsiſtentiam non poteſt facere intellectum ſimilem obiecto; vtique nec per illam faciet, vt obiectum ſit obiectiuè præſens intellectui, ſi ſermo ſit de præſentia in actu primò, & proximo, de quo plura in ſequenti quæſt. art. 3.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm. ſpecies intelligibilis ſolùm ſe habeat ex parte intellectus?

§. I.

Referũtur duæ ſententiæ oppoſitæ.

1. QVæſtio in propoſitis terminis, vel non tangitur à Doctoribus, vel ſatis confusê : ſi tamen, quæ de muneribus ſpeciei ab illis ſcribuntur, diligentiùs expẽdamus; duæ ſunt de hac quæſtione opiniones.

2. Opinio affirmans. Prima ſimpliciter affirmat ſpeciẽ nullo modo ſe tenere ex parte obiecti, ſed ſolũ ex parte potentiæ : & ita ex diametro opponitur opinioni, quam in præcedenti articulo retulimus. Hanc opinionem non poſſunt non probare illi Thomiſtarum, qui negant obiectum repræſentari intellectui, & coram eo obiectiuè proponi in ſpecie impreſſa: hoc enim munus ſoli ſpeciei expreſſæ attribuunt: nam, vt in initio præcedentis articuli aduertimus, id dicitur ſe tenere ex parte obiecti, quòd pertinet ad illud, vt coram intellectu obiectiuẽ propo[illegible] in eius proſpectu veluti [illegible]tur: ergo ſi apud illos Thomiſtas obiectũ in ſpecie impreſſa obiectiuè non repræſentatur, vtique ſpecies apud eos nullo modo poteſt ſe tenere ex parte obiecti. Quod verò obiectũ in ſpecie impreſſa non repræſentetur videtur colligi ex *Torres de Trinit. q. 27. diſt. 5. in prima illius parte in 4. probatione concl. 2.* Torres. *videtur id ſignificare Capre. in 1. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad 7. 2. loco contra primã fol. 206. col. 2. vbi docet ſpeciem impreſſam, nec obijci intellectui, nec eſſe in illius proſpectu, quod etiam ſcribit, ibidem colum. 3. ad 2. & 3. eorum, quæ tertio loco adducuntur contra primam.* Capreol.

3. *Annuit ſatis Ferrar. 1. contra gẽtes. c. 53. §. ad euidentiam huius difficultatis, & §. ad dubium ergo: verſiculo, quod obijcitur 3. loco. Satis id ſignificat Bellomont. 1. p. diſp. 43. c. 3. num. 8. aſſerens obiectum non relucere in ſpecie impreſſa, ſed in expreſſa. Conſentire videtur Conimbric. in 3. de Anima cap. 8. q. 4. art. 1. concl. prima ad primum, & ſecundum pag. 385. non renuit Suarius,* quatenuùs in ſpecie impreſſa nullam admittit formalem ſimilitudinem obiecti, ſed in ſola intellectione. Fauet D. Thom. dum in pluribus locis negat ſpeciem impreſſam repræſentare obiectum in ratione termini, vt patet *de potentia quæſtione quarta, articulo primo, & quæſtione nona, articu. quinto, & primo contra gentes capite 53.* in quibus locis ſcribit ſpeciem habere ſe, non vt intelligendi terminum, ſed vt intelligendi principium : haberet autem ſe, vt terminum intelligendi, ſi obiectum coram intellectu obiectiuè proponeret. Ferrar. Bollomon. Conimb. Suarius. D. Thom.

4. Opinio negans. Oppoſitam, tamen ſententiam nõnulli probauerunt, qui volunt ſpeciem impreſſam tenere ſe, tum ex parte intellectus contra eos, qui ſolùm eam ponunt ex parte obiecti : tum etiam ex parte obiecti contra opinionem immediatè explicatam. Hanc opinionem probaſſe Caietanum facilè quiſque colliget, ex eo, *prima parte, quæſtione 79. articulo 2. vbi contra opinionem Scoti ita ſcribit: quæ tamen non valet; tum, quia ſupponit ſpeciem ad nihil aliud per ſe poni, niſi pro obiecto; cum tamen in intellectu neceſſario ponatur, & pro obiecto, & pro actuatione intellectus.* Quæ verba apertè ſignificant Caieta.

ſpe-

ſpeciem non ſolùm ſe tenere ex parte potentiæ, ſed etiam ex parte obiecti: quod Ferrar. etiam ſatis expreſſit Ferrar. 3. *contra gentes* cap. 51. §. *Circa hanc declarationem, dum ait ſpeciem intelligibilem perficere intellectũ ad intelligendum, quia per eam ſit intellectus potens elicere actũ intelligendi circa id, quod per ipſam obiectiuè præſentatur intellectui*; admittit igitur ſpeciem ſe tenere, tum ex parte intellectus, dum illum conſtituit in actu potentem elicere intellectionem: tum, & etiam ex parte obiecti, dum admittit obiectum obiectiuè repræſentari intellectui in ipſa ſpecie.

§. 2.
Vtraque probabilis.

5. Vtraque eſt probabilis. QVæ iſtarum opinionum ſit verior nõ facilè iudicauerim: vtrãque puto eſſe probabilem. Fundamentum inde ſumo; quia puto probabilem eſſe ſententiam, quæ negat obiectum obiectiuè repræſentari in ſpecie impreſſa in hoc ſenſu, vt coram eo per ſpeciem proponatur, cuius opinionis authores iam retulimus. Nec ſanè id aſſeritur ſine fundamento: quoniam obiectiua repræſentatio obiecti in ratione termini non eſt admittenda in ſpecie impreſſa, vt oſtendemus in quæſt. ſequente articul. 8. Nec etiam admittenda eſt, vt obiectũ in ea effectiuè moueat intellectum, vt articulo ſexto huius quæſtionis, vt probabile, oſtendemus. Adquid igitur talis repræſentatio obiecti admittitur? porrò ſi hęc obiectiua repræſentatio obiecti negetur ſpeciei impreſſæ; profectò illa nullo modo poteſt, ſe tenere ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte potentiæ. Vnde nullo munere obiecti, vt obiectum eſt, fungi poterit.

6. Solutio aduerſariorũ. Huic tamen fundamento occurrent aduerſarij, & negabunt illam cõmunem Thomiſtarum ſententiam: ad rationem illius reſpondebunt: obiectum ideo obiectiuè repræſentari in ſpecie impreſſa, vt in ea effectiuè moueat intellectum, & cũ eo cauſet intellectionem, vt principium Auguſt. *quod* partiale: etenim ex Auguſtin. communique doctrina opus eſt, vt notitia ex intellectũ, & obiecto efficienter producatur, tanquam ex duobus agentibus partialibus: hoc autem modo concurrere non poteſt ad notitiam, niſi in ſpecie repræſentetur priùs natura, quam producatur intellectio. Quare huius opinionis authores, non poſſunt non admittere obiectum in ſpecie obiectiua præſentatum concurrere cũ intellectu, vt cauſam partialem intellectionis: quam ſententiam tanquam probabilem admittimus. artic. ſexto, huius quæſtionis. Quare fundamentum primę ſententiæ facile ſoluetur ab aduerſarijs.

Sed nec fundamenta ſecundæ ſententiæ ſatis vrgent contra primam: ſumuntur autem ex eo, quòd ſpecies intelligibilis, ideo à ſuis authoribus admittitur, vt obiectum intellectui obiectiuè præſentet, illudque vniat cum eodem, non ſolum vt poſsit efficienter mouere intellectum motione obiectiua, ſed etiam vt poſsit intellectionem terminare: quæ omnia ex ſententia authorum huius opinionis latiùs oſtendentur inferiùs. 7. Ad fundamentum 2. ſententiæ.

¶ Hæc tamen priorem ſententiam non conuincunt, quoniam inferiùs diligentiùs explicabimus ſpeciem non obiectiuè repræſentare intellectui obiectũ, nec illud cum eo obiectiuè vnire; ſed alia repręſentatione, & vnione alteriùs rationis; de quo in ſequenti quæſtione latiùs dicemus.

Vtraque igitur opinio ſuam habet probabilitatẽ; quanuis prima videatur probabilior.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies per ſe reſpiciat intellectum, vt forma intrinſeca illius?

§. 1.
Refertur opinio negans.

QVod ſpecies intelligibilis non per ſe, & quatenùs eſt ſpecies, ſed ſolùm per accidens intellectũ actuet intrinſecè illum perficiẽdo, & informando, probat cõmunior ſententia: expreſſè, id docuit *Scot. in 1. d. 3. q. 7. lit. M. §. reſpondeo ad 1, & quodlib. 15. lit. F. §. de iſto art. & vtrobiq. interpretes Lychetus, & Bargius, docuerunt Herrer. in 2. diſp. 12. q. 2. pag. 458. col. 2. §. quod ſi arguas, & Rada 2. p. controuerſ. 8. artic. primo notab. 3. ad finẽ, pagina 226. columna 1. in medio, Molina 1. p. quæſt. 12. diſput. 2. poſt principium,* 1. Opinio negans. Scotus. Lychetus. Bargius. Rada. Molina.

Cumel. Suarius. Bañes. Caietan.

Cumel.1.p.q.56.art.1.q.1.ad ſextum,& ad 8.pag.169.col.1. & 2. Suarius lib.2. de Attributis negatiuis cap.12.n.6.15.16.21. & 22.latè Dominicus Bañes.1.p.q.56.in 1. dubio,§.ad argumenta dicimus,& §.hinc ergo ad primum,& in ſolutionibus argumentorũ,vide illum 1.p.q.12.art.2.dubit.2. ad 1. & ad 3. in eadem ſententia aliquando fuit Caietan.vt ipſe teſtatur 1.p.q.12.art.2.§. in reſponſione ad tertium paulò poſt principium. Denique inter nouiores eſt receptiſsima ſententia: apud quos non per ſe conuenit ſpeciei, vt eſt ſpecies eſſe formam intrinſecè informatiuam intellectus, ſed ſolũ per accidens,quatenùs eſt quędam forma accidentaria, quæ non poteſt intellectui obiectiuè coaſsiſtere, & munera ſpeciei exercere, niſi inhærendo.

2. Confirmatur ſi ſpecies ſe tenet ex parte obiecti.

Hæc opinio varijs medijs à varijs patronis confirmatur. Nam qui putant ſpeciem ſolũ ſe tenere ex parte obiecti, inde fundamẽtum ſumunt, quia obiectũ ideo emittit ſui ſpeciem in intellectũ,quia nõ poteſt ſe ipſum obiectiuè vnire,atq; pręſentare,vt cum eo ad intellectionem effectiuè concurrat: ita fit, vt ſpecies apud intellectũ ex ſua natura ſit vicaria obiecti adhoc, vt illud obiectiuè repræſentet, & repręſentando vniat; ſupponuntque hoc eſſe primũ munus ſpeciei. Iam verò hæc obiectiua præſentatio,& vnio per ſe non requirit intrinſecam intellectus informationem,& actuationem: etenim ſi ſpecies obiectiuè ſe ipſam intellectui præſentaret,& vniret,illũ non informando ſed ſolũ extrinſecè coaſsiſtendo: omnia ſpeciei munera obiret,vt etiam ſupponunt, tanquam veriſsimum: ergo de ratione intrinſeca ſpeciei,vt eſt ſpecies, non eſt intellectum intrinſecè informare,ſed ſolùm illi intelligibiliter, ſiue intentionaliter coaſſiſtere. Igitur ſpecies,vt ſpecies eſt,per ſe non habet, quod informet intellectum, ſed ſolùm per accidens, ex eo ſc. quòd eſt accidentaria, quæ niſi intellectui inhæreat,non poteſt ſeipſam eidem obiectiuè præſentare, & vnire. Ita expreſſè Scotus cum Cæteris, quos citauimus, & ſatis explicat *Curſus Conimbricenſis in tertio de Anima capite quinto,quæſtione tertia articulo ſecundo, pagina 354. poſt principium.*

Scotus. Conimbr.

3. Eodem fundamento vtuntur quidã ex ijs, qui ſpeciẽ ponũt tũ ex parte obiecti, tum ex parte potentię: ſunt enim,qui volunt ſpeciem ex parte vtriuſq; ſe habere; principaliter tamen ex parte obiecti, & inde volunt primũ ſpeciei munus eſſe ſeipſam obiectiuè præſentare intellectui,& cũ illo ex ſe ſe intelligibiliter vnire: quod officium exercet ex parte obiecti: quia obiectũ ſi ſine ſpecie poſſet eſſe in intellectu, primò omnium ſe ipſum intellectui obiectiuè præſentaret. Et quia ex hac obiectiua vnione conſequenter conſtituit intellectũ in actu primo ad intelligendũ; proinde ſecundũ ſpeciei munus eſt intellectũ conſtituere in actu primo, illum obiectiuè actuando, & perficiendo; in quo munere ſe habet ex parte potentiæ, tanquam actus eius.

Confirmatur apud eos qui ponũt ſpeciẽ ex parte vtriuſque.

4. Soluitur quædã obiectio.

Nec obſtat (inquiũt) quod ſpecies, vt ſic extrinſecè ſe habeat ad intellectũ, quoniam forma alicui agenti extrinſeca, licèt non poſsit illud cõſtituere in actuprimo, tanquã forma, quæ ſit propria agendi ratio; poteſt tamen id facere,prout eſt principiũ coefficiens,&coadiuuans ad operãdum. Iam verò ſpecies intelligibilis non cõſtituit intellectũ in actu primo,vt forma,quæ illi ſit propria intelligendi ratio; ſed vt forma,quę eſt principiũ coefficiẽs, & coadiuuãs. Ad hoc autẽ non eſt neceſſaria actuatio intellectus per informationẽ,ſed ſatis eſt actuatio per coaſsiſtentiã, & extrinſecam coniunctionẽ in ordine ad agendum. Quæ fuit doctiſsimorũ Philoſophorum ſententia, quam in noſtris terminis ſcribit *Suarius in d.lib.2.de Attributis negatiuis cap.12.n.15.16.21. & 22.* Igitur apud authores huius opinionis ſpecies,in ratione ſpeciei,ſolùm ſibivendicat obiectum ipſum obiectiuè præſentare intellectui, illudque cum eo vnire; & iſto modo conſtituere illum in actu primo, ad intelligendum, tanquam forma coefficiens, & coadiuuans: ſed quia ex ſe eſt accidens, quod niſi inhæreat, nihil poteſt operari; inde habet, quod intrinſecè intellectum informet.

Suarius.

5. 1. Ratio.

Longè aliter philoſophantur nonnulli (ſit huius opinionis, 3. conformatio) vt oſtendant ſpeciem non per ſe, ſed per accidens eſſe formam intellectus per intrinſecam informationem: etenim, (vt volunt) ſpecies intelligibilis conſiderari poteſt, vel abſolutè, vt eſt ſpecies, vel vt eſt talis ſpecies, ſcilicet creata, quæ eſt quod-

quoddam accidens: dantur enim ſpecies, formæq; intelligibiles, quæ ſunt ſubſtantiæ, vt diuina eſſentia reſpectu beati, & ſubſtantia Angeli reſpectu ſui. Si ſpecies priori modo conſideretur; nō habet per ſe, quod intrinſecè informet intellectū: id tamen per ſe habet, ſi cōſideretur modo poſteriori.

6. Primum ex eo probant: quia nec diuina eſſentia, vt ſubit vicem ſpeciei informat intellectū beati, nec ſubſtātia Angeli ſuum intellectum, cū ſe ipſam intelligit, cum tamen ſit forma, ſpeciesque intelligibilis reſpectu talis intellectionis. Poſteriùs autem ex eo cōfirmant: quia ſpecies, quæ eſt accidēs per ſe inhæret intellectui. Igitur ſpeciei, vt eſt ſpecies, formaque intelligibilis; non conuenit per ſe, quod informet, & inhæreat; benè tamen quatenùs eſt accidentaria. Et inde inferunt ſpeciem intelligibilem non per ſe, ſed ſolùm per accidens habere, quod ſit forma actuās intellectum per informationē; id enim non habet, quatenùs eſt ſpecies, ſed quatenùs eſt talis ſpecies. Hanc ſententiam probant plerique nouiorum ſecuti Dominicum *Bañes 1.p.q.12.art.2. dubit. 2.ad 1.& 3.& q.56.art.1.in primo dubio §. ad argumenta dicimus*, &c. §. *Hinc ergo ad primū, & in ſolutionibus argumentorum.* Bañes.

§ 2.

Pars affirmatiua eſt veriſsima.

7. Affirmatiua eſt vera.

PRo reſolutione quæſtionis aduertimus ſermonem eſſe de ſpecie, quę propriè eſt ſpecies, qualis eſt, quæ ex ſua natura eſt formalis obiecti repræſentatio, vt iam in ſuperioribus aduertimus. De hac ergo agētes dicimus ſpeciē, vt eſt ſpecies, eſſe formam intrinſecè perficientem, & informantem intellectum ad intelligendum; idque non per accidēs, ſed per ſe. Quam ſententiam abſque dubio ſcripſit *Caietanus 1.p.q.12.art.2. §. in reſponſione ad tertium, dum ait primam proportionem ſpeciei ad intellectum eſſe formæ ad materiam; idque per ſe loquendo. Quod ſatis etiam explicat 1.p.q.79.art.2.§. Secunda opinio,* vbi docet, *ſpeciem per ſe poni, & ex parte obiecti, vt illud intellectui proponat, & ex parte potentiæ, vt illā actuet. Et ibidē §. quoad ſecundum tres ſunt, latiſsimè ſcribit intellectum, vt poſsit intelligere, per ſe pati in receptione ſpeciei.* Quæ verba ſatis probant receptionem ſpeciei in intellectu per ſe, & nō per accidēs requiri, vt intellectus poſsit intelligere, de quo ſtatim ex Ariſtot. plura dicemus. Eandē ſententiā ſatis ſignificauit *Ferar.3.contr.gent.c.51. §. Circa hanc declarationem.* Et ſine dubio hæc fuit mens D. Thom. dū in ſua doctrina paſsim ſcribit, ſpeciē intelligibilē eſſe formā perficientē intellectū, vt patet in d.c.51. Et dum ait eā vniri intellectui, ſecundū aliquod eſſe, quo illū informat, vt patet *1.p.q.12.ar.2.ad 3.& q.14.art.2.in Corpor.& ad 2.&* 3. in quibus locis explicat ea, quæ ſpeciei conueniunt per ſe, & nō per accidēs. Nec huic ſententiæ repugnabit Bañes in terminis propoſitis: quia libenter fatetur ſpeciem, quæ eſt accidēs, per ſe, & non per accidens informare intellectum.

Caietan. Ferrar. D. Thom. Bañes.

Quæ opinio euidenter deducitur ex doctrina Ariſtotelis, ſi expendamus, quæ latè diximus ſuprà q.9.art.1.§.2. intellectus enim ex Ariſtotele, vt poſsit rē aliquam intelligere, debet per ſe illi aſsimilari, ita vt priùs natura ſit res illa, quam illam valeat intelligere, vt patet ex 3. *de Anima c.4.tex.8.& c.5.tex.18.& c.7 tex.* 36. Idq; per formā intelligibilē eiuſdem rei, quā appellamꝰ ſpeciē, vt patet ex eiſdē locis, maximè *ex c.7.tex.36. & ex c.8. tex.38. dū ait, non ipſas res eſſe in anima, ſed ipſarū formas intelligibiles, per quas fit ipſæ res.* Hoc autē intelligendū eſſe per ſe, & nō per accidens, ſatis cōuincunt illa verba in d.text.38. *atqui neceſſe eſt, aut res ipſas, aut formas in anima eſſe.* Eſſe, inquā, id eſt ineſſe, vt ſtatim declarat, inquiēs, *atqui res ipſa nō eſt in anima profectò: non enim ipſe lapis eſt in anima. ſed forma lapidis ineſt.* 8. Probatur ex Ariſt.

Prætereà, cōſtat intellectū apud Ariſt. eſſe in potentia eſſentiali ad illas formas, eaſq; recipere, vt materiā per ſe receptiuā earū, idq; vera paſsione alteratiua; perfectiua tn̄, vt patet *ex lib.3.c.4.tex. 2.12.& 14.& ex c.5.tex.19.* vt oſtēdimus in d.§. 2. Quæ omnia efficaciter conuincūt ſpecies intelligibiles ex mente Ariſt. eſſe formas intrinſecè actuātes, & perficiētes intellectū: potentia enim eſſentialis nō poteſt ad actū reduci, niſi per formā actu informantem; nec poteſt realiter alterari, & perfici, niſi per formam, quę informādo, & inhærendo illam perficiat. 9. Alia ratio ex Ariſt.

10. Informatio per ſe conuenit ſpeciei.

Quod verò hæc intrinſeca informatio non per accidens cõueniat ſpeciei, ſed per ſe, & quatenùs eſt ſpecies, inde manifeſtè conuincitur, quòd ſpecies intelligibilis reſpicit intellectũ, vt forma, qua formaliter ita fit ſimilis rei intelligendæ, vt per eam fiat res ipſa, vt patet ex doctrina Ariſtotelis ſuperiùs adducta. Forma autẽ nõ poteſt ſuum effectum formalem cõmunicare, ſiue materiæ, ſiue ſubiecto, niſi ſe illi informãdo vniat, vt docet vera Philoſophia: quod non per accidens conuenit illi, ſed per ſe: nam cauſalitas formalis cuiuſque formæ omnium conſenſu in hoc eſt poſita, vt per realem ſui cum materia coniunctionem, & vnionẽ actuet, & perficiat ſubiectum, *vt patet ex Fonſeca. 5. Metaphyſ. cap. 2. q. 2. ſect. 2. poſt principiũ. & ex Curſu Conimbr. 2. Phyſicorum cap. 7. q. 8. art. 1. Suario in Metaphyſ. diſp. 15. ſect. 6. num. 6. & 7. & ex alijs.* Ergo ſicut ſpecies intelligibilis per ſe habet, & non per accidens intellectum aſsimilare rei, cum iſte ſit proprius, & formalis effectus eius; ita etiam per ſe, & nõ per accidens habet vt talem effectum intellectui nõ tribuat, niſi per actualem eius informationem, & inhærentiam, ſe ſe illi vniat. Quod ex eo etiam confirmatur, quòd inhærentia, formæ accidẽtalis, vel eſt illa ratio cauſandi, vt quidam exiſtimant: vel conditio per ſe neceſſaria ad cauſandum, vt alij veriùs volunt. Ergo forma accidentalis, vt poſſit ſuam formalem cauſalitatem, erga ſubiectum exercere, non per accidens, ſed per ſe vendicat, vt ſubiecto inhæreat, cui ſuum formalẽ effectũ tribuat. Quare qui admittit ſpeciẽ intelligibilẽ per ſe, nõ per accidens eſſe cauſam formalẽ aſsimilationis intellectus, qua ille fit ipſa res, nõ poteſt non admittere, per ſe, & nõ per accidens habere vt intellectum informet, illique inhæreat.

Fonſeca. Conimb. Suarius.

11. Euaſio argumenti.

Nec vim argumenti elidet; qui dixerit Philoſophiam adductã ſolùm eſſe veram, ſi naturalis ordo ſeruetur; non tamẽ ſi attendámus potentiã diuinam: per quã fieri poteſt, vt forma ſuum effectũ formalem det materiæ, quã actu non informat, vt defendit *Fonſeca in 5. Metaphyſic. cap. 2. q. 12. ſect. 2. & lib. 7. cap. 7. q. 3. ſect. 5. litera E. pag. 308. col. 1.* Non elidet (inquam) vim argumenti: tum; quia opinio Fonſecę vt vera ſit in effectu formali extrinſeco alicuius formæ (de quo adhuc maxima eſt dubitatio) non eſt tamen vera, nec à doctiſsimo Fonſeca aſſerta de effectu formali intrinſeco: nec. n. diuina potentia fieri poteſt, vt paries formaliter ſit albus ſine albedine, de quo latiùs dicemus ſecunda parte quæſtion. 4. Tum etiam: quia inde non benè infertur, ſpeciem non per ſe, ſed per accidens eſſe informatiuam intellectus inhærendo illi: quoniam vt forma per ſe habeat nõ poſſe dare materiæ ſuum effectum formalem; niſi illam informet; ſatis eſt, quod ſeruato ordine naturali nõ poſsit dare talẽ effectũ, niſi per intrinſecam informationem, & vnionem cum ſubiecto: etenim non proinde per ſe non conuenit formę ſubſtantiali dare exiſtentiam materiæ per informationem, quòd per diuinam potentiam poteſt illam in exiſtentia continere abſque illius actuali informatione. Quare perſeitas naturalis cauſandi effectum non tollitur ex eo, quod effectus alio modo poteſt ſupernaturaliter cauſari. Igitur ordinem naturalem in cauſando poſſe ſupernaturaliter tolli à cauſa, non impedit quominus talis modus per ſe illi cauſæ conueniat: tollet tamen dependentiam effectus à tali modo eſſe ſimpliciter eſſentialem. Quare vt dicamus ſpeciem non per accidens, ſed per ſe informare intellectum ſi illum debet aſsimilare, ſatis eſt, quod ſpecies ſeruato naturali ordine non poſsit intellectum aſsimilare, niſi per informationem.

Fonſeca.

Impugnatur.

Concludendum eſt igitur ſpeciem intelligibilem ex ſua ratione intrinſeca, & qua eſt ſpecies, eſſe actuatiuam intellectus per intrinſecam informationem, & inhærentiam; idque non ſolùm in genere rei, ſed etiam in genere intelligibili: ſiquidem in tali genere per ſe conuenit ſpeciei facere, vt intellectus ſit res ipſa intelligenda, 12. Concluſio.

Ex quo infertur ſpeciem, ſi per impoſsibile poneretur in intellectu, eum nõ informãs, ſed illi ſolũ coaſsiſtẽs, ñ obiturã fore munera, qui illi cõueniũt per ſe, & vt eſt ſpecies: nec. n. poſſet obiectũ vnire cũ intellectu vnione in actu primo, vt poſſet intelligi: licèt enim apud nonnullos ſit repræſentatiua obiecti in eſſe obiectiuo; nunquam tamen ſua repræſentatione faceret obiectum eſſe intelligibile in actu pri- 13. Corollariũ.

primo, niſi priùs faciat intellectum eſſe obiecto ſimilem, quia obiectum nunquā in actu primo eſt potens intelligi, niſi repræſentetur intellectui iam ipſum facto: intellectus autem non poteſt fieri ipſum, niſi per ſpeciem actuetur, & informetur, vt ex dictis patet. Similiter nec talis ſpecies per ſolam obiectiuam coaſsiſtentiam ſui ad intellectum conſtituet eū in actu primo ad intelligendum: quia ex *Ariſtotele* 3. *de Anima, cap.* 4. *tex.* 8. tunc intellectus fit ſciens in actu primo, cum factus eſt res, quam debet ſcire: talis autē nunquam erit per ſolam ſpeciei coaſsiſtē-
Ariſt. tiam abſque actuali informatione. Cum verò intellectus non influat in actū intelligendi, niſi factus ipſa res intelligibilis; non poterit ſpecies eſſe intellectui ratio, qua intelligat, niſi priùs per eam formaliter ſit ipſa res. Sed de hoc plura in quæſtione ſequenti.

§. 3.
Soluuntur argumenta oppoſita.

Ex ijs, quæ diximus, iam patet ſolutio ad fundamenta partis negantis poſita §. 1. Primum fundamentū
14. Ad 1. falſo nititur principio; ſupponit enim ſpeciem intelligibilē ſolum ſe tenere ex parte obiecti, & nullo modo ex parte intellectus, quod eſſe falſum oſtendimus ſuprà art. 1. Quin potiùs probabilior eſt opinio, quòd ſpecies nullo modo ſe tenet ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte intellectus, vt diximus art. 2. Quare admittimus ſpeciem ex ſua natura eſſe vicariā obiecti. Negamus tamen inde inferri eam non poſſe habere ſe ex parte potentiæ, de quo plura in quæſtione ſequenti, ex qua patebit falſum eſſe id, quod in argumento ſumitur; primum ſcilicet munus ſpeciei eſſe obiectiuè præſentare obiectū intellectui: quoniam vel nullo modo exercet tale munus, vt Thomiſtæ veriùs putant, & diximus artic. 2. vel ſi illud exercet, vt alij probabiliter volunt; negandū eſt illud munus eſſe primum: quia priùs eſt reddere intellectum ſimilem obiecto, vt patebit ex ſequenti quæſtione. Quare negandum eſt obiectiuam illam præſentationem non ſupponere, quod ſpecies informando intellectum faciat illum eſſe rem intellectam; niſi enim illud ſupponeret, non poſſet ſua obiectiua repræſentatione conſtituere obiectum intelligibile in actu primo, vt ſuprà diximus, & in ſequenti quæſtione dicemus.

Secundum fundamentum, cum eodē nitatur fundamēto, ſimiliter diſſoluetur. Negandum eſt igitur etiam ab ijs, qui ſpeciem ponunt ex parte vtriuſque, eam principaliter ſe tenere ex parte obiecti, 15 Ad 2.
vt dicemus in ſequenti quæſt. Etenim principale officium ſpeciei, & à natura primò intentum, eſt facere, vt intellectus fiat res, quæ debet intelligi: & hoc eſt primum munus illius, vt dicemus in ſeq. q. Quare falſum eſt primum munus ſpeciei eſſe præſentare obiectum, & indè conſequi munus ſecundum; aſsimilare, ſcilicet intellectum obiecto, & illum conſtituere in actu primo; oſtendemus enim in quæſtione ſequenti intellectum in actu primo conſtitui per ſpeciem, non vt eſt principium coaſsiſtens, & coadiuuans, ſed vt eſt propria intelligendi ratio, quicquid Suarius oppoſitum velit.

Tertium fundamentum aduerſarios decipit propter latentem in eo æquiuocationem, qua ſublata euidenter apparet 16. Ad 3.
inefficacia argumenti. Aduertendum eſt igitur nec eſſentiam diuinam, nec Angeli ſubſtantiam eſſe veras ſpecies intelligibiles, ſed dici tales impropriē ſatis, & ſecundùm quid: Dicuntur enim tales ex eo præciſē, quia ſubire poſſunt vicē ſpeciei intelligibilis: quod argumento eſt illas ſubſtantias formaliter, & propriè non eſſe ſpecies: quod enim formaliter eſt tale, non ideò dicitur tale, qui poteſt ſubire vicem eius, quod formaliter eſt tale. Porrò ſi velis eas appellare ſpecies, & ab eis, & à proprijs ſpeciebus (quales ſunt ſpecies, quæ ſunt accidentia) abſtrahere vnā communem rationem ſpeciei, formęque intelligibilis; non repugnabo, ſi concedas rationem illam non eſſe vniuocam, ſed analogam.

Hoc præſuppoſito facilè intelliges in argumento duplex committi peccatum. 17. Duplex peccatum.
Primum eſt; quoniā ſupponit in hac reduplicatione, *ſpecies, vt ſpecies,* ſimpliciter prolata reduplicari communem illam analogam rationem. Alterum eſt, quoniā admiſſa tali reduplicatione, non benè ex ea infertur inhærentiam in intellectu per ſe non conuenire ſpeciei, quę vera, & pro-

propria eſt ſpecies, ſed ſolùm per accidẽs.

18. 1. argum. defectus. Primus defectus ex eo patet; quoniam reduplicatio cadens in rem, quæ propriè eſt talis, ſimpliciter prolata non reduplicat rationem analogam, ſed propriam, & formalẽ talis rei: etenim hæc reduplicatio *homo, vt homo eſt*, non reduplicat rationẽ analogam communem homini vero, & picto, ſed ſolam hominis veri. Eadem igitur ratione in hac reduplicatione *ſpecies, vt ſpecies eſt*, ſimpliciter prolata non reduplicabitur, niſi ratio formalis ſpeciei, quæ propriè eſt ſpecies, qualis eſt ſola ſpecies, quæ eſt accidens. Quod ſatis ſuadet doctrina Logicorũ, quæ docet analoga ſimpliciter prolata ſtare pro potiori ſignificato.

19. 2. defectus. Secundus argumenti defectus manifeſtè patet; quoniam licet admitteremus in illa reduplicatione reduplicari rationẽ analogam ſpeciei cõmunem vtrique, adhuc non benè inferretur inhærẽtiam per ſe non cõuenire ſpeciei, quæ verè eſt ſpecies, ſed per accidens tantùm: etenim licet ſubſtantiæ, vt eſt ens, per ſe non conueniat eſſe ens per ſe; quia non omne ens eſt per ſe ens; non tamen infertur *eſſe per ſe ens*, per ſe non conuenire ſubſtantiæ, ſed per accidens. Idem reperies in omni reduplicatione appoſita cuique analogo, quæ reduplicet rationem cõmunem analogam: licet enim iuſtitia creata ſub ratione iuſtitiæ abſtrahente à creata, & increata, non per ſe includat eſſe participatam; quia iuſtitia increata non eſt talis; non benè indè quis inferet *eſſe participatam*, per ſe non conuenire iuſtitiæ creatę. Et hęc pro explicatione huius argumenti, & totius articuli.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſpecies intelligibilis actiuè concurrat ad intellectionem?

§. 1.
Opinio negans.

1. Opinio negans. DE propoſita quæſtione eſt inter Auctores controuerſia. Quidam abſolutè negant ſpeciem actiuè concurrere ad actum intelligendi. Ita abſolutè docet *Toletanus noſter in 3. de Anima q. 2. art. 3. concl. 3.* (Toletan.) *In eadem eſt Toletus* (Toletus.) *in eodem lib. c. 7. q. 22. §. Nos tamẽ dicimus, fol. 192. col. 2. & de ſpecie ſenſibili idem docuit lib. 2. cap. 5. q. 1*[illegible]*fol. 4.* Cum illis conſentit *Iauellus in eodem libr. q. 3. de actu intellectus. §. mihi autem videtur*, vbi non modò docet ſolum intellectum eſſe cauſam actiuam intellectionis, ſed etiam aſſirmat ſpeciem nullam habere actiuitatem reſpectu illius. Iauellus.

2. Non conueniunt in cõcurſu ſpeciei. Et quanuis omnes conueniant in hac abſoluta negatione; non tamen omnes cõueniunt, quomodò ſpecies ad intellectionem cõcurrat. Nam Toletanus vult ſpeciem ad hoc ſolum eſſe neceſſariam, vt ſit diſpoſitio intellectus poſſibilis ad recipiendam intellectionem productam ab intellectu agente, à quo ſolo (vt ait) intellectio producitur. At Toletus ad hoc ſolum requirit ſpeciẽ, vt ſit diſpoſitio quædam modificans, & excitans intellectum poſſibilem ad actum intelligendi, ad quẽ ſolum concurrit, vt obiectum motiuum, & terminatiuum illius. Porrò Iauellus eam ſolùm admittit, vt determinet, & ſpecificet operationem cognoſcentis, quod aliàs indifferens eſt ad hoc, aut illud intelligendum.

3. Prima ratio pro negante. Sententiam negatiuam, in qua conueniunt, variè confirmant. Prima ratio eſt Toleti: quoniam ſpecies nec poteſt eſſe intellectui tota virtus intelligendi, vt patebit ex articulo ſequenti: nec poteſt eſſe cõpartialis ſimul cum intellectu, cuius rationes adducemus artic. 6. Nec poteſt ad intellectionem cõcurrere immediatè, intellectu concurrente ſolùm mediatè, eo modo, quo ſubſtantia ignis concurrit ad calefactionem: nam cum intellectus ſit naturalis potentia actiua animæ, non poteſt non concurrere, vt principium actiuum immediatum: vnde non indiget ſpecie; alioquin potiùs eſſet ſubiectum intellectionis, quàm potentia actiua illius.

4. 2. ratio. Secũda ratio, qua Toletus maximè mouetur, ſpecies ſenſibilis non eſt principiũ actiuum ſenſationis: ergo nec intelligibilis erit principium actiuũ intellectionis. Conſequentiam ex eo probat, quoniam quoad hoc eadem eſt ratio in intellectu, & ſenſu, vt aduertit in d. q. 22. in principio. Antecedens verò ita oſtẽdit: quoniã ſenſatio, cum ſit opus animæ, & facultatis eiuſdem animæ, non poteſt tribui accidenti externo, qualis eſt ſpecies ſenſibilis,

bilis, quæ etiam reperitur in medio: ita enim fieret, vt ſenſatio conueniret animę valdè per accidens.

5. Quarta. Tertia ratio ſumitur ex Toletano: intellectio eſt operatio vitalis hominis, vt homo eſt: ergo debet eſſe ab aliquo principio effectiuo naturali. Talis autem non eſt ſpecies.

6. Tertia. Quarta ratio ex eodem: quia ſequeretur phantaſma habere aliquam cauſalitatem effectiuam in intellectionem, quod negat vera opinio. Sequelam indè probat; quoniam quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Phantaſma autem cauſat ſpeciem.

7. Quinta. Quinta ratio eſt eiuſdem: effectus non eſt maioris perfectionis, quam ratio agendi: nec enim effectus eſt perfectior ſua cauſa: ſed ſpecies eſt minùs perfecta, quàm actus intelligendi: ergo ſpecies nō poteſt eſſe ratio productiua actus intelligendi.

8. Sexta. Sexta ratio adhuc eſt eiuſdem: quoniā intellectus agens eſt cauſa productiua intellectionis; & ex ſua natura eſt completè diſpoſitus ad agendum: ergo non indiget ſpecie vt principio actiuo. Quare ſpecies ſolùm erit neceſſaria, vt diſpoſitio intellectus poſsibilis ad recipiendam intellectionem.

9. Septima. Poſtrema ratio eſt Iauelli contra Scotum: quoniam Scotus putat valere hanc conſequentiam: *ſpecies requiritur ad intellectionem: ergo requiritur, vt concurrat actiuè*: quæ tamen conſequentia non valet; quoniam ſpecies nullam actiuitatem habet in intellectionem, ſed propter alia admittitur.

§. 2.

Opinio affirmatiua eſt vera.

10. Vera eſt affirmatio. OPpoſita tamen ſententia eſt veriſſima, & à cæteris omnibus recepta. Eam recipiunt tum illi, qui volunt ſolam ſpeciem eſſe principium intelligendi, quos citabimus in ſequēti art. tum illi, qui ponunt intellectum, & ſpeciem eſſe duas cauſas intellectionis, quos referemus art. 6. & 7. Hanc eſſe communem ſententiam Thomiſtarum teſtatur *Bañes 1. p. q. 85. circa primam concluſionem in fine ſecundæ ſententiæ.* Nec dubitari poteſt D. Thom. ita docuiſſe, vt patet 1. p. q. 105. art. 3. vbi poſtquam docuit intellectum eſſe quoddam intelligendi principium actiuum, ita ſcribit: *Aliud autem eſt principium intelligendi in actu: ſcilicet ſimilitudo rei intellectæ*, & 1. p. q. 56. art. 1. expreſſè aſſerit *ſpeciem eſſe formam, quæ eſt principium actionis*. Quod etiam exprimit 1. p. q. 85. art. 2. quod intellectus intelligat mediantibus ſpeciebus, docet 1. p. q. 87. art. 1. Et quod illis mediantibus intelligat, vt principijs operandi, ſcribit 1. cōtra gentes cap. 52. Denique in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 2. affirmat *cognitionem conſequi ad formam, per quam cognoſcit*. Cum D. Thoma conſentiunt *Capreol. in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad quintum Scoti contra primam, fol. 237. col. 2. Caietanus 1. parte q. 12 art. 2. circa ſolutionem ad tertium, & q. 55. art. 3. §. Notandum eſt ſecundò poſt princip. & q. 79. art. 2. §. quoad 2. quia hic, verſ. ad cuius euidentiam, Ferrar. 1. contra gentes c. 53. pag. 56. col. 3. §. Quarta autem: videndus eſt lib. 3. de Anima q. 8. pag. 17. col. 2. §. deinde cum dicitur, & inferiùs in ſolutione ad primum, fol. 173. col. 2. Cumel. 1. p. q. 12. ar. 2. q. 2. ad primum, fol. 231. & q. 3. concl. 5. Bañes vbi ſuprà concl. 2. & inferius. §. Ex hac concluſione ſequitur primò.* Eadem ſententia eſt *Scoti in 1. diſt. 3. q. 7. §. Ad quæſtionem, litera V.* vbi docet obiectum in ſua ſpecie non eſſe totam cauſam intellectionis, ſed cum intellectu eſſe duas partiales cauſas, & litera M. & AA. affirmat ſpeciē ita eſſe rationē agendi, vt ex ſua natura ſit talis. In eiſdem locis idem docent omnes Scoti interpretes *Lychetus, ſcilicet & Bargius, ſpecialiter Rada 2. p. controu. 8. art. 1. §. Tertio nota, pag. 225. & Controu. 9. art. 1. §. Tertiò obſerua, pag. 266. col. 1. Herrer. ad 2. librum diſp. 12. q. 1. in tertia ſententia, pag. 449. & diſp. 10. q. 3. pag. 358. col. 2. & clariùs pag. 359. col. 2. in fine. Mayronius in 1. d. 3. q. 6. & 7. Idem docent Fonſeca 1. Metaphy. cap. 2. q. 3. ſect. 6. pag. 153. §. Prætereà formas, Molina 1. p. q. 12. art. 1. diſp. 2. pag. 110. B. C. D. ſatis explicat Bellomontanus 1. p. diſp. 48. c. 4. n. 10. 11. 12. & 13. meliùs Suarius libr. 2. de Attributis negatiuis c. 12. n. 5. in fine, dum inter officia ſpeciei intelligibilis hoc enumerat, efficere ſc. actum intelligendi, vide eum n. 7. 11. 21. & 22. & 1. tom. ad 3. part. diſp. 29. ſect. 2. in 2. ſententia, pag. 555. A. 1.*

Bañes. D. Thom. Capreol. Caiet. Ferrar. Cumelius. Bañes. Scotus. Lychetus. Bargius. Rada. Herrrera. Mayron. Fonſeca. Molina. Bellomon. Suarius.

11. *Conimbr.* Denique ita docuit *Curſus Conimb. lib. 2. de Anima c. 6. q. 2. art. 3. poſt principium.* Vnde

Vnde ſententiam Toleti tanquam falſiſſimam ſpecialiter reiecit *Bañes loco citato concl. 2. §. Ex hac concluſione ſequitur primo. Addimus Ægidium de cognitione Angelorum q. 4. fol. 83. col. 3.* *Bañes. Ægidius.*

12. *1. Confirtio.* Hæc veriſsima ſententia confirmatur: primò, quia intellectus per ſpeciem conſtituitur in actu primo ad intelligendum, vt communis Philoſophia agnoſcit. At omnis actus, & forma, qua agens conſtituitur in actu primo ad agendum ex ſua natura eſt illi principium actiuum agendi. Nam potentia ideò fit in actu primo per aliquam formam, quia per eam fit potens ad eliciendum actum ſecundum.

Secunda. Secundò; intellectus eſt ſimilis intellectioni, quam actiuè producit per ſpeciem: ſed forma agentis, cui per ſe aſsimilatur effectus, concurrit actiuè, vt principium talis effectus, ſiue illa ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, vt inductiuè annotarunt Conimbricenſes: nam forma equi eſt principium actiuum generãdi equm; qui equus genitus in ea aſsimilatur equo generanti: calor etiam eſt igni principiũ actiuum calefaciendi; quia calefactum eſt ſimile in calore igni calefacienti.

13. *Tertia.* Tertiò cõfirmatur impugnatione ſingularum opinionum: nam quòd ſpecies ſolùm concurrat paſsiuè, diſponendo intellectum poſsibilem ad recipiendam intellectionem, vt vult Toletanus, eſt contra Ariſtotelem, qui formas intelligibiles admittit, vt intellectus per eas fiat in actu primo ad intelligendũ, vt ſæpè diximus. Imò nec verum eſt, ſpeciem intellectum poſsibilem diſponere ad recipiendam intellectionem; quia intellectus ex ſua natura eſt ſuſceptiuus illius; vnde eam recipit immediatè in ſe ipſo nudè ſumptus, vt docet verior Philoſophia, de qua *Conimbricenſes 3. de Anima, c. 8. q. 1. art. 1. in vltimis verbis.* Porrò ſi, vt vult Toletus, admittatur ſpecies, vt diſpoſitio modificans, & excitans intellectum ad eliciendã intellectionem; debet effectiuè ad eam cõcurrere: nec enim intrinſecè modificare poteſt, aut ſpecificare intellectionem, niſi ſit principium actiuum, vt dicemus inferiùs, cum oſtenderimus Iauellum non ſatis philoſophicè loqui, cum admittens ſpeciem eſſe principium ſpecificatiuum intellectionis, negat eam eſſe principium actiuum illius. *Toletan. Conimbr. Tolet.*

§. 3.

Solutio argumentorum.

14. *Ad 1.* Nec argumenta in oppoſitum vim habent. Ad primum facilè reſpõdebunt, qui volunt ſpeciem concurrere ad intellectionem, vt cauſam partialem: ſed quia hæc opinio non ſatis nobis inferiùs arridebit; ſecundo loco reſpõdetur & intellectum, & ſpeciem concurrere ad intellectionem, vt principium actiuum immediatum: indè tamen non benè infertur poſſe intellectũ ſine vlla ſpecie operari: nam prima cauſa ſimul cum ſecunda immediatè concurrit ad effectũ; & tamen ſecunda cauſa non poteſt effectum producere ſine generali concurſu primæ. Falſa eſt igitur illa Philoſophia in cauſis ſubordinatis: ſpecies autem habet ſe ad intellectum, vt cauſa inferior illi ſubordinata, vt inferiùs dicemus.

15 *Ad 2.* Ad 2. negatur antecedens: nam ſpecies ſenſibilis ſe habet ad ſenſationem, vt principium actiuum, vt ſupponimus. Quod in cõfirmationem adducitur, facilius eſt, quam poſsit virum doctum mouere: nam licet ſenſatio ſit opus animæ ſenſitiuæ; non tamen immediatè recipitur in ipſa ſubſtantia animæ, ſed in toto coniuncto, mediante potentia ſenſitiua. Cum verò ipſa potentia ſit indifferens ad ſenſationẽ huius, vel illius ſenſibilis, ex ſua natura indiget principio determinãte producto ab externo ſenſibili. Vnde determinatio potentiæ ſenſitiuæ, quæ fit per ſpecies ſenſibiles non conuenit illi per accidens, ſed per ſe. Cum verò anima ſentiat mediante potentia ſenſitiua, vtique ſpecies ſenſibilis non omninò ſe habebit per accidens ad animam in ordine ad actum ſẽtiendi.

16. *Ad 3.* Tertium argumentum ſolùm concludit intellectionem vendicare ſibi aliquod principium actiuum naturaliter inditum animæ; non verò quod intellectio ſolùm ſit à principio actiuo naturaliter indito. Quare poteſt eſſe à ſpecie, vt à principio actiuo, quanuis illa non ſit naturaliter inſita animæ ſenſitiuæ.

17. *Ad 4.* Ad 4. neganda eſt ſequela. Ad probationem dicendum eſt axioma illud abſolutè non eſſe verum, quia non eſt verum in cauſis diuerſi generis, vt explicat *Scotus Theoremat. 22. & in 4. d. 49. q. 2. lit. V.* *Scotus.*

§. In

Fonſeca. Conimbr. Suarius. *§. In illo ſecundo intellectu, Fonſeca in 5.
Metaphyſ. c. 2. q. 16. ſect. 4. ad quartum, pag.
201. Conimbricenſ. 2. Phyſicorum c. 7. q. 9.
art. 3. ad primum, pag. 287. Suarius in Me-
taph. diſp. 27. ſect. 2. n. 24*: & quanuis citati
Auctores ſupponant illud axioma abſo-
lutè eſſe verum in cauſis eiuſdem gene-
ris; hęc tamen doctrina, vt vera ſit, ita ex-
plicari debet, vt ſolum ſit vera, quando
cauſa prior propria virtute cauſat cauſam
ſecundam & proximam; ſecus ſi illam
cauſat virtute mendicata ab alio; vt quia
cauſa ſecũda per ſe non habeat ſuum eſſe
ab illa, ſed ſolùm à cauſa principali. Iam
verò phantaſma non influit in ſpeciem
intelligibilem virtute ſibi propria, ſed
mendicata ab intellectu agente, à quo ele
uatur. Explicari etiam debet præcitata
doctrina, quando vtraque cauſa prima ſc.
& proxima eſt cauſa principalis, & tota-
lis ſui immediati effectus; ſecùs ſi vtraque
vel altera tantùm fuerit cauſa minùs prin
cipalis concurrens, vel partialiter, vel vt
ratio formalis modificans, & determinãs
cauſam principalem, propter eandem ra-
tionem.

Iam verò nec phãtaſma eſt cauſa prin-
18. cipalis ſpeciei, nec ſpecies intellectionis,
quorũ prius ſupponitur ex Philoſophia,
poſterius autem patebit ex art. ſequenti.
Denique doctrina illa explicari debet,
quando cauſa prima eſt cauſa principalis
vltimi effectus: aliter enim effectus vlti-
mus non pendebit in ſuo eſſe à prima
cauſa: nec enim cauſaretur à ſua cauſa im
mediata, & proxima, quatenus eſt virtus
cauſæ prioris. Ob quam rationem intel-
lectus agens non eſt principium effecti-
uũ intellectionis; quia licet ſit cauſa prin-
cipalis ſpeciei intelligibilis, eamque cau-
ſet virtute ſibi propria, non tamẽ eſt cau-
ſa intellectus poſsibilis, à quo, vt à cauſa
principali cauſatur intellectio, à fortiori
igitur nec phantaſma dici poterit princi-
pium actiuum intellectionis, quanuis ef-
fectiuè concurrat ad ſpeciem.

Ad 5. admittimus intellectionem eſſe
19. Ad 3. Scotus. Bargius. perfectiorem ſpecie intelligibili: id enim
docet *Scotus 1. diſt. 3. q. 7. litera G. §. Con-
cluſio iſtarum duarum opinionum, & aduer-
tit Bargius in eadem diſt. q. 6. fol. 137. col. 4.
litera V.* Sed nullum putamus eſſe incõ-
ueniens, ſi effectus ſit nobilior ſua cauſa
æquiuoca, quando illa eſt minus princi-
palis, & veluti inſtrumentalis, quod ſup-
ponimus ex Philoſophia, de quo vide
*Conimbricenſ. 2. Phyſic. cap. 7. q. 5. art. 2. in
ſexta concluſione, Fonſecã 7. Metaphy. c. 7.* Conimbr.
q. 2. ſect. 8. ad vltimum, litera D. pag. 298. Fonſeca.
& Suarium in Metaph. diſp. 26. ſect. 1. n. 5. Suarius.
& 6. Iam verò ſpecies cum non ſit eiuſdẽ
ſpeciei cum actu intelligendi, eſt cauſa il
lius æquiuoca. Quòd verò non ſit cauſa
principalis patebit ex art. 7. Non eſt igi-
tur mirũ, ſi ſpecies producat intellectio-
nem nobiliorem ſe, vt aduertit Suarius
tom. 1. ad 3. partem diſp. 31. ſect. 9. pag.
622. col. 1. in fine: ſicut etiam non eſt mi-
rum, ſi intellectus ſit minus perfectus,
quàm intellectio, vt modò ſupponimus.

Sextum argumentum ſupponit intel 20. Ad 6.
lectum agentem eſſe cauſam actiuam in-
tellectionis, quod eſt falſum; vt contra
Toletanum, & alios nonnullos latè oſtẽ-
dimus in noſtris commentarijs ad libros
de Anima: interim vide Conimbricenſes
in 3. de Anima cap. 5. q. 2. art. 2. §. *Eſt ta-
men adhuc*, pag. 330.

Poſtremum argumentum non indi-
get ſolutione; quia nec Scotus, nec alius 21. Vltimũ.
noſtræ opinionis patronus vtitur illa cõ-
ſequentia in terminis, in quibus propo-
nitur. Quæ tamen erit optima, ſi ita pro-
ponatur: *Species concurrit ad intellectionem
vt actus primus intelligendi: ergo ad eam cõ-
currit actiuè*: quia actus primus potentiæ
actiuæ ex ſua ratione eſt illi ratio agẽdi.

ARTICVLVS V.

*Vtrùm ſpecies ad intellectionem cum intelle-
ctu ita concurrat, vt illi ſit tota vis,
& facultas intelligendi?*

SEnſus quæſtionis eſt, an intellectus Senſus quæſtionis.
influat in intellectionem ſola acti-
uitate ſpeciei, qua actuatur? in qua
quæſtione ſupponimus intellectum acti-
uè concurrere ad actum intelligendi.

§. 1.
Opinio affirmans.

PArtem affirmantem pluribus fuiſſe 1. Opinio affirmans.
probatam ex dicendis patebit. Cu-
ius hęc ſunt fundamenta: primum 1. ratio.
ex eo ſumitur, quòd intellectus ex ſe nul
lam poteſt habere cauſalitatem. Et ratio
ita

ita formari poteſt. Intellectus actuatus ſpecie eſt cauſa effectiua ſuæ intellectionis. Sed non habet hanc cauſalitatem, quatenus eſt intellectus: ergo eam ſolùm habet ratione ſpeciei. Cõſequentia eſt nota. Maior tãquam veriſsima ſupponitur: minor ita probatur; quoniam intellectus poſsibilis eſt pura potentia, non ſolùm in genere intelligibilium, ſed etiam in genere entium: ita de Alexandro refert *Philopon.* *Philoponus in 3. de Anima c. 4. ad illa verba de particula autem animæ, fol. 131. col. 2.* *Toletus.* *& poſt eum refert Toletus in eodem c. 4. ¶. 9.* *Capreol.* *§. In hac re ſunt tres opiniones, fol. 151. col. 1. Aureolum idem ſenſiſſe refert Capreol. in 1. diſt. 3. q. 3. art. 2. fol. 65. col. 1. & inferiùs fol. 67. col. 2. ad 1. Aureoli, & ſatis id explicat idem* *Aureolus.* *Aureolus in 1. diſt. 35. art. 1. in ſecunda propoſitione, fol. 753. col. 1. & 2. & propoſitione 5. fol. 757. col. 1. & 2.* Admiſſa autem hac opinone non poteſt non admitti intellectum poſsibilem ex ſua natura nullam habere vim intelligendi: cũ enim nihil agat, niſi quatenus eſt actu, vt vera habet Philoſophia; quod in genere entis ex ſe eſt pura potentia, nulli poteſt eſſe agendi principium.

2. Ob hanc enim rationem materia prima nulli eſt principium agendi. Quare ſi intellectus poſsibilis ſit pura potẽtia, etiã in genere entis, non poterit eſſe animæ principium agendi. Quod verò intellectus poſsibilis in vtroque illo genere ſit *Ariſt.* pura potentia probant primò, ex verbis Ariſtotelis 3. *de Anima cap. 4. tex. 5. dum ait: quo fit, vt nulla ſit illius natura, niſi ea ſolum, qua poſsibilis eſt.* Vnde in eodem libro ſæpè inculcat intellectum eſſe res, quas intelligit, ſolũ potentia: quod adhuc probatur ratione deſumpta ex doctrina Ariſtotelis: nam intellectus poſsibilis poteſt intelligere omnia entia, tàm materialia, & corporea, quàm incorporea, & immaterialia: ergo in ſe ipſo nec eſt actus corporeus, nec incorporeus, ſed ſecundũ ſuam entitatem ſolum erit potentia pura in genere entis tam materialis, quàm immaterialis. Antecedens huius diſcurſus euidenter patet. Conſequentia probatur *Ariſtot.* ex doctrina Ariſtotelis i[illegible].*cap. 4. tex. 4.* dum ait: *opus eſſe, vt intellectus denudatus ſit à natura rei, quam debet intelligere.* Et indè infert intellectum non eſſe naturæ corporeæ; quia ſcilicet poteſt intelligere omnia corporea. Eodẽ igitur modo nos benè inferemus intellectum non eſſe naturæ immaterialis, [illegible]am ſaltem in ſua ſeparatione valeat intelligere omnes ſubſtantias à materia abſtractas. Et eadem ratione inferendum erit intellectum Angelicum non eſſe naturæ ſpiritualis, ſed eſſe puram potentiam in tali genere.

Confirmatur hæc ratio; quoniam licet intellectus poſsibilis in genere entis ſit 3. Confirmatur. aliquis actus entitatiuus, & formalis; tamen in genere intelligibilium eſt potentia purè paſsiua excludens omnem actũ in eodem genere: ergo intellectus poſsibilis ex ſe nullam habet agendi rationem in genere intelligibili, ſed in eodem genere eſt in potentia eſſentiali ad intellectionem: cum verò actuatur per ſpeciem, ab ea ſola habebit actualitatem ad intelligẽdum, ſicut materia prima per ſolam formam agit in genere entis.

Secundò, eadem opinio generaliùs cõ 4. 2. ratio. firmari poteſt; quoniam intellectus poſſibilis eodem modo ſe habet in genere intelligibilium, quo materia prima in ordine ſenſibilium, vt ex Cõmentatore verbis expreſsis docet *D. Thom. de Veritate,* *Comment.* *q. 8. art. 6. ante finem.* Sed materia prima *D. Thom.* in genere ſenſibilium non eſt principiũ agendi, ſed ſola forma, qua actuatur, vt docet recepta Philoſophia, & explicauit D. Thomas in dicto art. 6. dum ait: *Actionem agentis emanare à forma magis, quàm à materia.*

Tertiò; quoniam ex D. Thom. 1. p. q. 5. 56. art. 1. obiectum intelligibile per ſuã 3. ratio. formam intelligibilem vnitur intellectui *D. Thom.* ad intellectionem, vt formale principiũ actionis, eodem modo, quo calor in igne eſt illi tota agendi virtus, quia eſt illi tota potentia calefactiua, vt vera docet Philoſophia: ergo obiectum mediante ſua ſpecie ita eſt principium formale intelligendi intellectui, vt illi ſit tota intelligẽdi virtus, totaque intelligendi potentia.

Quartò; quia ſpecies intelligibilis ſe ha Quarta. bet ad intellectum, vt quo intelligit ex D. Thoma 1. *p. q. 85. art. 2. vbi ait, intellectum per ſpeciem intelligere, & actionem intelligendi ſecundum eam prouenire.* Iam verò id, quo intellectus intelligit, eſt illi virtus intelligendi.

6. Poſtremò; Caietanus indè probat in- Vltim[a]. tellectum ex ſe nullã habere intelligendi Caie[t]. virtu-

virtutem, ſed eam conſequi ab ſpecie; quia licet intellectus in genere entis ſit aliquis actus, tamen in genere intelligibili eſt pura, & eſſentialis potentia. Repugnat autem intellectum in genere intelligibili eſſe puram potentiam, & ſecũdum ſe eſſe agẽdi rationem: ſi enim talis eſſet, aut eſſet actus, aut includeret actũ, quod repugnat puræ potentiæ.

7. Cõfirm. 1. Confirmatur hæc ratio: quia ſi intellectus ex ſe eſſet actus, ratiovè agendi, non eſſet ſimpliciter pura potentia, ſed ſolum ſecũdùm quid, quatenus ſcilicet eſſet receptiuus ſpecierum: quod dici nõ poteſt; tum, quia repugnat Ariſtoteli, apud quẽ ſimpliciter eſt pura potentia; tum etiam, quia non eſſet bonus diſcurſus, quo Ariſtoteles probat dandum eſſe intellectum agentem: ex eo enim id probat, quia intellectus poſsibilis eſt pura potentia: quę conſequentia non eſſet firma, ſi intellectus poſsibilis ſolum eſſet potentia paſsiua ſecundùm quid: ex his enim; quæ ſint per accidens non benè infertur ordo eſſentialis, qui datur inter actiuum, & paſſiuum. Falſa item eſſet maior, ex qua Ariſtoteles probat ſuam conſequentiam: hęc ſcilicet propoſitio: *in omni natura, in qua eſt potentia paſsiua, oportet poni actiuam*: quia non oportet, vt vbi datur potentia actiua, ideò imperfecta, quia eſt perfectibilis, ibi detur potentia actiua perfecta, à qua alia perficiatur: in multis enim agens imperfectum non patitur ab agente in eadem natura perfectiori.

8. Cõfirm. 2. Confirmatur 2. ex eodem Caietano; quoniam intellectus ideò præciſè poteſt intelligere obiectũ, quia actu fit ipſum: ergo illud erit intellectui pręciſa ratio intelligendi, quo intellectus actu fit ipſum obiectum. Sed fit talis per ſolam ſpeciẽ: ergo ſola ſpecies eſt illi ratio intelligendi. Caietan. Hæc fundamenta habes ex Caiet. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. §. *Dicendum ergo, & q.* 79. *art.* 2. §. *Secunda opinio, &* §. *Ad cuius euidentiã.*

Variæ explicationes huius ſententiæ.

9. Variè explicatur hæc opinio. Prima explicatio. Auctores huius ſententiæ non eodem modo explicant, quo pacto intellectus per ſpeciem conſequatur rationẽ agendi. Quidam volunt intellectum ſolùm concurrere, vt ſuſceptiuum formæ, actusvè intelligibilis; quatenus ſc. in ſe recipit, & ſuſtinet ſpeciem tanquam materia conſtituens cum ea vnũ cõpoſitum, cui cõpetit agere ratione ſolius ſpeciei: & de hoc cõpoſito in genere intelligibili eodẽ modo philoſophantur, quo de compoſito in genere entis, cui conuenit agere per ſolam formã, vt per formalem rationem agẽdi. Et ob id intellectus eo modo cõcurrit ad actũ intelligendi, quo materia prima ad actionẽ phyſicam, & quo aqua calida ad calefactionẽ; ad quam cõcurrit, vt ſuſtentatiuum caloris: ſimiliter intellectus ſolũ cõcurrit vt ſuſtentatiuum ſpeciei. Quare ſicut ſola forma ſubſtantialis ipſi materię eſt tota ratio agẽdi; & ſolus calor eſt aquæ tota virtus calefaciendi; ita ſpecies eſt intellectui tota virtus intelligẽdi. Hac de re ita nonnullos philoſophatos eſſe teſtatur Caietanus in *d. q.* 79. *ar.* 2. §. *Quoad ſecundũ quia hic, vbi in verſ. Sed diligẽter aduertẽdũ*, affirmat hanc opinionẽ tribui D. Thomę à Scoto, alijsq; Theologis. Eadem ſententia colligi videtur ab Alberto, ſi vera sũt, quæ de eo refert *Toletus in* 2. *de Anima c.* 5. *q.* 12. *pag.* 87. *col.* 1. *in* 2. *ſententia*, dũ iſtã rem explicat exemplo aquæ calidæ concurrentis ad calefactionẽ per calorẽ. Huius quæſt. fundamentũ ſumi poteſt ex 1. argum. cum ſua cõfirmatione: quia ſc. intellectus in genere intelligibili eſt pura, eſſentialisq; potentia paſsiua, quę ad agẽdum actuatur per ſpeciem eodem modo, quo materia prima per formam. Caiet. Albert. Toletus. Primum fũdamẽtum.

Alij non recipiunt hunc philoſophandi modum; ſed volunt intellectum concurrere quidem ad intellectionem; non tamen vt ſuſceptiuum ſpeciei, ſed vt principium actiuum, non actuale, & formale, ſed inchoatiuum, & radicale, ſiue virtute. Vnde ij eodem modo philoſophabuntur de concurſu intellectus ad intellectionẽ, quo philoſophamur de forma ſubſtantiali ignis reſpectu calefactionis; nec enim forma ignis ex ſe eſt virtus actualiter, & formaliter actiua calefactionis, ſed ſolùm inchoatiuè, & radicaliter: vnde non concurrit ad calefactionem pręciſè, vt ſuſtẽtatiua caloris; ſed etiam vt eſt virtus radicaliter actiua; & ideò non immediatè influit in calefactionem, nec per diſtinctam actionem ab actione caloris; ſed mediatè tantùm, quatenùs influit mediãte influxu ipſius caloris: & ob id ſolus calor eſt igni actualis, & formalis actiuitas, 10. 2. explicatio.

tas. Auctores igitur huius opinionis ſimiliter philoſophabuntur de intellectu reſpectu intellectionis: vt intellectus concurrat ad eam, non præciſè vt materiale ſuſtentatiuum ſpeciei, vt prior opinio dicebat: ſed vt principium actiuum, non actuale, & formale, ſed inchoatiuum; & radicale, quo influat non immediatè, ſed mediatè, ac veluti remotè, & ita ſola ſpecies eſt intellectui tota intelligēdi virtus. Quem philoſophandi modum ij Auctores fortè deſumunt ex *D. Thom.* 1. *p. q.*

11. *D. Thom.* 56. *art.* 1. *dum ait, ſpeciem eodem modo eſſe principium formale intellectionis, quo calor in igne eſt formale principium calefactionis.* Imò Toletus vbi ſuprà pag. 87. in 3. ſententia hanc opinionem tribuit *D. Thomæ*

Tolet. *in citato loco, & Capreolo in* 3. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *& Scoto in* 2. *de Anima q.* 12. Sed quam longè ſit iſta opinio à mente iſtorum Doctorum ſtatim oſtēdemus. Quare qui in hac quæſtione expreſſè ita philoſophetur, inueni neminem: certiſsimū tamen mihi eſt illam eſſe de mente Caie-

Caietan. tani in d. q. 79: expreſſe enim affirmat *intellectum ex ſe nullam habere intelligendi rationem, ſed eam conſequi à ſpecie intelligibili*: vbi per rationem agendi intelligit virtutem actiuam, vt benè aduertit *Bañes* 1. *p. q.* 85. *art.* 2. *circa primam concluſionem in* 3. *ſententia.* Et hunc ſenſum ſatis

Bañes. colliges ex Caietano, dum, inquit, *intellectum per ſpeciem factum actu ipſum intelligibile habere vim actiuam: ex ſe tamen eam habere inchoatiuè.* i. radicaliter, & virtualiter, vt benè interpretatur Bañes. Quare ex Caietano intellectus ex ſe non habet actu, & formaliter vim actiuam; bene tamen inchoatiuè, & radicaliter: & ideò nō poteſt non admittere intellectum eodem modo ſe habere ad intellectionem mediante ſpecie, quo ſe habet ignis ad calefactionem mediante calore. Igitur Caietanus fatebitur ſpeciem eſſe intellectui totam intelligendi virtutem actualem, & formalem.

12. *Alia aduertentia.* Hæc diximus pro parte affirmante: illud adhuc aduerto *Toletum in* 3. *de Ani-*

Toletus. *ma cap.* 4. *q.* 9. *in prima opinione, fol.* 15. *col.*

Alex. 1. *in fine*, hanc affirmatiuam ſententiam

Aureol. tribuere Alexandro Aphrodiſeo in primo *de Anima in cap. de natura rationali, & Aureolo in* 6. *quodlibeto*: & quidem de Alexandro facilè credam, ſi vera ſunt, quæ Toletus de eo refert: de Aureolo id non credo: nam cum ſpeciem realiter non diſtinguat ab intellectione, vt ſuperiùs oſtēdimus; dicere non poteſt ſpeciem eſſe cauſam verè actiuam illius: etenim cauſa à ſuo reali effectu realiter diſtinguitur.

§. 2.
Sententia negatiua eſt vera.

Hæc tamen ſententia reijcienda eſt tanquam minus peripatetica, & in ſe falſa, ſiue vno, ſiue altero modo explicetur: quoniam vera Philoſophia docet intellectum actiuè influere in intellectionem per virtutem ſibi propriam, & natiuā diſtinctam â virtute actiua ſpeciei. 13. *Sententia negat.*

Quam veritatem docuerunt, non ſolùm qui in ſpecie nullam actiuitatem agnoſcunt, quos citauimus in præcedēti articulo §. 1: ſed etiam qui opinantur intellectum, & ſpeciem ad actum intelligendi concurrere, vt duas cauſas partiales, quos in ſequenti artic. referemus. In terminis contra præcedentem opinionem ſcripſerunt *Fonſeca in* 1. *Metaphyſ. c.* 2. *q.* 3. *ſect.* 14. *Authores illius.*

6. *pag.* 153. *§. Præterea*, dum docet formas intellectus poſsibilis (ſpecies, inquam) nō conferre intellectui vim intelligendi, clariùs *Conimbric. lib.* 2. *de Anima cap.* 6. *q.* 2. *art.* 3. *pag.* 146. *poſt principium. Soncin. libr.* 12. *Metaphyſ. q.* 59. *§. Quantum ad ſecundū, Toletus* 2. *de Anima c.* 5. *q.* 12. *Bellomont.* 1. *p. diſp.* 43. *c.* 4. *n.* 10. *Bañes* 1. *p. q.* 78. *art.* 3. *in prima dubitatione de potentijs ſenſitiuis concl.* 1. *& q.* 85. *art.* 2. *circa primam concluſionem, & in* 3. *concluſione. Suar. libr.* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 12. *n.* 20. *ad finem. &* 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 29. *ſect.* 2. *in* 2. *ſentētia, pag.* 555. *A.* 1. *Fonſeca. Conimbr. Soncin. Bellomon. Bañes. Suarius.*

Hanc fuiſſe expreſſam ſententiā Scoti euidenter patet; nam *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 7. *lit. AA. §. Benè concèdo*, expreſſe negat ſpeciem eſſe intellectui totalē cauſam agēdi: idem aſſerit ibidem lit. k. §. *Ad quæſtionē reſpondeo*, & litera M. §. *Concurrunt ergo*: vbi aſſerit intellectum nullam actiuitatē recipere à ſpecie: ſæpè etiam affirmat intellectionem non eſſe à ſola ſpecie, *vt patet in d. q.* 7. *litera G. §. Cōcluſio harum duarum.* Denique multis in locis docet intellectum, & ſpeciem eſſe duas cauſas partiales intellectionis. Hallucinantur igitur, qui oppoſitam ſententiam tribuunt aut *Scoto, aut Scotiſtis, vt patet ex Lycheto, Bar-* 15. *Eſt ſententia Scoti.* *Lychetus.*

Bargius. Rada. *Bargio, & cæteris in locis citatis, & ex Rada 2.p. controv. 8. art. 1. pag. 226. ad primū.*

16. Eſt etiam D. Thomę. Nec dubitari poteſt noſtram ſententiam probaſſe D. Thomam: ſæpe enim docet intellectum eſſe potentiam actiuã actus intelligendi, vt patet *de Veritate q. 1. art. 9. poſt principium, & in quæſt. de virtutibus in communi articul.* 3. *ad quintum.* Quòd intellectus hanc virtutem habeat ex ſe, expreſſè ſcribit 2. *parte, q.* 87. *art.* 1. Quòd intellectus ſit principium actiuum diſtinctum à ſpecie, ſcribit 1. *p. q.* 105. *ar.* 3. Quare longè ſunt à mente D. Thomæ, qui aſſerunt eum docuiſſe intellectum actiuè influere in actum intelligendi ſola actiuitate ſpeciei; quod in terminis aduertit Soncin. loco citato.

1. ratio. August. Hæc veriſſima ſententia primò confirmatur celebri teſtimonio Auguſtini: *ex potentia, & obiecto paritur notitia,* vt patet 9. de Trinitate cap. vltim. Igitur influxus intellectus eſt diſtinctus ab influxu obiecti, & per cõſequens ab influxu ſpeciei, quæ loco obiecti ad notitiã cõcurrit.

17. Secunda. Secunda ratio eſt ferè omnium: quoniam ſi ſpecies eſſet intellectui tota intelligendi vis; vtique poſſet intelligere, ſi exiſteret ſeparata: nam calor ſeparatus ab igne calefacit, vt patet in aqua calida. Cõſequens tamen eſt falſum. Sed iſta ratio nullam vim habet: quoniam intellectus, ſaltem vt eſt actuatus per ſpeciem, eſt animę tota vis intelligendi: & tamen ſi daretur ſeparatus, non poſſet intelligere, vt oſtendimus ſuprà lib. 4. q. 1. art. 8. §. 6. n. 61. in fine.

18. Tertia rat. Tertia ratio eſt Conimbricenſiũ: quoniam ſi ſpecies eſſet intellectui tota intelligendi virtus, non poſſet intellectus per eandem ſpeciem elicere notitiam eiuſdẽ obiecti intenſiorem, & minus intenſam. Cuius oppoſitum experimur. Sequela patet; quia notitiam illam ſemper eliceret per eandem intelligendi virtutem. Quare cum hæc maior, & minor intenſio circa idem obiectum, non poſsit dari, niſi intellectus propriam intelligendi vim habeat maiorem, vel minorem; neceſſariò infertur non poſſe intellectui negari propriam virtutem actiuam ad intelligendũ. Sed nec iſta ratio videtur ſatisfacere: nam cum maior, vel minor intenſio notitiæ oriatur ex maiore vel minore applicatione cauſæ actiuæ; dicent aduerſarij notitiam magis, vel minùs intendi, quia intellectus per ſpecies magis, vel minus applicatur. Non negamus tamen rationem iſtam ſatis eſſe conformem doctrinæ D. Thomæ *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 2.* dum ait efficaciam maiorem, vel minorem intellectionis oriri ex maiore, vel minore virtute intellectus, quæ etiam fuit doctrina Scoti *in 1. diſt. 3. q. 7. litera H. §. Similiter eadem ſpecies.* D. Thom. Scotus.

19. Quarta ratio. Quarta ratio: intelligere eſt operatio vitalis: ſed operatio vitalis eò diſtinguitur à cæteris nonvitalibus, quia ab anima effectiuè producitur mediante ſua potẽtia: etenim anima eſt principium effectiuũ ſuarum operationum ex Ariſt. *lib. 2. de Anima c. 4. tex. 37*: anima enim dicitur id, quo primo viuimus, ſentimus, & intelligimus. Cum verò non ſit principium, niſi mediante ſua potentia intellectiua; ſit vt potentia intellectiua ſit principium effectiuum intellectionis. Ariſt.

20. Quinta. Quintò poteſt eadem ſententia demõſtrari à priori, ſi interim ſupponamus animam rationalem eſſe principium effectiuum ſuæ intellectionis: nam ex Ariſtot. anima eſt actus primus, vt patet ex deſinitione animæ poſita *lib. 2. de Anima c. 1. tex. 4. & 6.* Omnis autem actus eſt principium operandi. Vnde ibidem text. 5. anima ex eo, quia *anima eſt, & ſomnus eſt, & vigilia,* id eſt, ex eo quòd eſt anima, habet *quod ſit ſomnus.* i. primum operandi principium, quanuis actu nihil operetur: & habet *quod ſit vigilia.* i. quòd ſit in operatione. Idem Ariſtoteles ibidem tex. 8. aſſerit, *Animam eſſe ſui motus, ſtatusq́; principium*: principium, inquam, effectiuum, vt explicat cap. 4. tex. 36. dum ait: *Anima eſt ea cauſa, à qua profluit motus,* id eſt, omnis operatio. Conſtituendum eſt igitur animam eſſe principium effectiuum ſuæ intellectionis; maximè cum ex eodẽ Ariſtotele vnumquodq; ſit propter ſuã operationem. Ariſtot. Ariſtot.

21. Cum verò anima ſit quædam ſubſtantia: & nulla ſubſtantia creata ſit immediatum principium ſuæ operationis, vt vera docet Philoſophia; ſed in omnes influat mediantibus ſuis potẽtijs, tanquam inſtrumentis intrinſecis, & à natura inſitis, vt proprias exerceat operationes; vt facilè patebit ſi ſingulas ſubſtantias creatas percurramus (omnes enim ad operã-

dum operationes ſibi naturales habẽt potentias, & inſtrumenta ſibi naturaliter inſita, aliàs non eſſent naturaliter perfectæ) neceſſariò infertur animam rationalem ad ſuas naturales operationes (intellectiones ſcilicet) habere naturaliter inſitas virtutes, & potentias, quibus actiuè in illas influat. Quod in terminis docuit Ariſtoteles 2. *de Anima cap. 1. text. 6. ita inquiens: Quapropter anima primus eſt actus, perfectioq́; corporis, & talis planè, vt partes iſtius ſint inſtrumenta*, partes (inquam) id

Ariſt. eſt potentia, & virtutes, quas habet à natura inſitas. Quod intellectus ſit naturalis animæ potentia, inſtrumentumque à natura inſitum ad obeundas ſuas operationes intelligibiles, expreſſè docet Ariſtoteles *in dicto lib. 2. cap. 2. tex. 21: de intellectu verò contemplatiuaque potentia*, & tex. 22. *Cæteras autem animæ potentias, & cap. 3. text. 23. atque potentias animæ diximus has, nutritiuam, ſenſitiuam, appetitiuam, loco motiuam, & intellectiuam*, & lib. 3. cap. 4. tex. 1. *De animæ ea parte, qua cognoſcit, & ſapit*, & tex. 5: *animam ipſo intellectu ratiocinari, & exiſtimare*: tex. 8. affirmat *intellectum per ſe ipſum operari*; non eſt igitur dubitandum animam actiuè operari per intellectum, tanquam per principium intelligendi naturaliter ſibi inditũ ad obeũdas operationes intellectiuas, & ſubindè admittendum eſſe intellectũ ex ſe ſuaq́; natura eſſe ipſam actiuam virtutem, qua anima actiuè influit in intellectionem.

Hanc autem virtutem diſtinctam eſſe

22. Virtus intellectus diſtincta eſt à virtute ſpeciei.

à virtute actiua ſpeciei intelligibilis, & ſubindè eſſe propriam ipſi intellectui, indè euidenter demonſtratur, quia virtus actiua, quæ in ſpecie reperitur, nec eſt naturaliter inſita animæ; cum illa à principio ſit, ſicut tabula raſa nullas in ſe habens ſpecies: nec dici poteſt pars animæ, eiuſque potentia; cum tamen virtus actiua intellectus ſit naturaliter inſita animæ, pars illius, & potentia naturalis inſeparabilis ab ea. Quin potiùs intellectus eſt virtus, qua anima in actu primo conſtituitur ad intelligendum, quanuis nullas habeat ſpecies, quod mihi ſatis ſignificat Ariſtoteles *lib. 2. de Anima capite 1. text. 5*: vbi agit de anima, vt cum ſuis partibus, & potentijs, eſt actus corporis potentia vitam habentis, vt patet ex illis verbis: *Quapropter anima primus eſt actus, perfectioque corporis naturalis potentia vitam habentis, vt talis planè, vt partes ipſius ſint inſtrumenta*: Tamen docet animam, vt ſic, habere ſe ad vitam, id eſt, ad operationes vitales perindè, atque ſcientiam; quod falſum eſſet, ſi anima per ſuas naturales potentias non eſſet in actu primo ad ſuas operationes vitales. Quod euidẽter conuincit intellectum, ſecluſa omni ſpecie, ex ſe habere virtutem actiuam naturaliter ſibi inditam; de quo ſtatim plura contra Caietanum.

Poſtremò veritas noſtræ opinionis ſuf-
ficienter confirmabitur, ſi vterque ſen- 23. Confirmatio.
ſus opinionis affirmantis oſtendatur minùs philoſophicus, quod ex ſequentibus facilè patebit.

§. 3.

Intellectum non concurrere præciſè, vt ſuſtentatiuum ſpeciei.

PRimus dicendi modus affirmat in-
tellectum ſolum concurrere ad in- 24. Impugnatio 1. mod.
tellectionem, vt ſuſtẽtatiuum ſpeciei, quæ illi eſt intelligendi virtus, & ſubindè concurrere eo modo, quo aqua calida concurrit ad calefactionem, & materia prima actuata per formam concur-
rit ad actionem totius compoſiti. At iſte 1. impugnatio.
dicendi modus ex eo primum reijciendus eſt, quod ab omnibus improbatur, neminem enim inueni, qui ita de intellectu philoſopharetur; nec Scotus affirmat D. Thomam ita philoſophari, quidquid Caietanus aliter dicat. Nec iſta opinio tribui poteſt Aureolo, vt ſuprà aduertimus: an verò Alexand. Aphrodiſeus huius fuerit opinionis? mihi eſt incertum; ſicut etiam incertum eſt Albertum eiuſdem opinionis fuiſſe.

Deinde ex illo dicendi modo infertur
tam intellectum, quàm animam per in- 25. Secunda.
tellectum intelligere ſolùm denominatiuè: nam aqua calida ſolùm denominatiuè calefacit, & materia prima ſolùm denominatiuè agit: conſequens tamen repugnat Philoſophiæ, quam ex Ariſtotele adduximus; ex qua euidenter conſtat animam actiuè influere in ſuam intellectionem mediante intellectu, vt virtute verè actiua.

Tertiò; authores illius modi non ſatis 26. Tertia.
peripateticè eodem modo philoſophantur

26. Tertia. tur de intellectu, & ſpecie, quo philoſophandum eſt de materia, & forma in genere phyſico, vt benè aduertit Caietanus in dicta q. 39. art. 2. in loco ſæpiùs citato; vbi ſubtiliſsimè oſtendit compoſitionem ex intellectu, & ſpecie in ordine ad agere, eſſe longè alterius rationis à compoſitione materiæ, & formę in ordine ad operari: nam in compoſitione phyſica materia non ita conſtituitur, vt fiat id, quod agit; ſed vt cōſtituit compoſitum, cui per ſe primò conuenit operari. At in compoſitione intellectus cum ſpecie tam anima, quàm intellectus ita per ſpeciem actuantur, vt & anima, & intellectus conſtituātur in eſſe agentis, cui per ſe primò conuenit intelligere: etenim tam anima, quā intellectus fiunt ipſum intelligibile, & in hoc ſenſu fiunt magis vnum, quàm ex materia, & forma, vt ex Auerroe ſæpè diximus.

27. Ex quo infertur potentiam animæ, & intellectus æquiuocè conuenire cum potentia materiæ; etenim potentia ipſa, quę eſt materia prima, dum per formam actuatur non fit ipſum, quod primò poteſt agere: nec enim materia actuata per animam fit homo, vt ipſa dicatur agere operationes hominis: cum tamen potentia tam animæ, quàm intellectus per ſpeciē, qua actuatur, fiat intelligens in actu primo.

28. Præmiſsū. Vt hæc Philoſophia meliùs intelligatur, præmittendum eſt compoſitionem ex materia, & forma eſſe ſubſtantialem, ex anima autem & ſpecie eſſe accidentariam: deſcrimen tamen eſt inter vnam, & alteram compoſitionem, etiam ſi vtraque conſideretur in genere phyſico: nam in compoſitione ſubſtantiali, ſicut materia prima, dum per formam actuatur; non fit ipſum compoſitum, cui primò conuenit agere operationes formæ; ita non fit potēs agere tales operationes: nec enim materia prima per animam conſtituitur, vt illa ſit primum habens eſſe humanum, quia non conſtituitur homo, cui primò illud eſſe conuenit: & ideò materia, etiam vt actuata non eſt id, quod agit operationes humanas, ſed ſolus homo. At verò in cōpoſitione accidentaria ipſa materia ſecunda (nimirum ſubiectum, quod eſt potentia accidentaria) eſt id, quod conſtituitur, & fit ſub eſſe formæ, qua actuatur: etenim homo ſuſcipiēs albedinem, ita fit albus adiectiuè, vt ſubſtātiuè ſit id, quod eſt album: & ſicut homo eſt id, quod habet eſſe album; ita homo eſt id, quod primò operatur operationes albi: homo enī eſt, quod diſgregat viſum. Cum verò cōpoſitio animæ, ſiue intellectus, cum ſpecie etiam in genere phyſico ſit accidentaria, vt patet; hinc eſt, vt anima mediante ſuo intellectu ſit id, quod in genere entis acquirit eſſe formale, quod ſpecies in illo genere tribuit. Cum verò ſpecies v. g. lapis, ſit formalis ſimilitudo, & repræſentatio lapidis; ipſa anima mediante intellectu eſt id, quod formaliter eſt ſimile lapidi, ſimilitudine repræſentatiua; & hinc habet, quod in genere intelligibili ſit ipſe lapis. Hæc eſt peripatetica doctrina Ariſtotelis.

Diſcrimen inter materiam, & formam intellectum, & ſpeciem.

Quare ſicut compoſitio intellectus cū ſpecie facit intellectum ſimilem lapidi; 29.
ita vt formaliter ſit illius repræſentatiuū potens operari operationes proprias talis repræſentatiui; ita etiam in genere intelligibili talis cōpoſitio facit intellectum eſſe intelligibiliter lapidem potentem intelligibiliter ferri in lapidem realem, quē repræſentat: quod eſſet falſum, ſi intellectus recipiens ſpeciem ad intellectionem concurreret ſolùm vt ſuſtentatiuū ſpeciei. Meritò igitur Caietanus loco citato illum dicendi modum appellat modernam ignorantiam: & illum vt verè improbabilem reijciunt *Iauellus 3. de Anima quæſt. 2. de actu intellectus; & Bañes 1. p. q. 85. art. 2. circa primam concluſionem D. Thomæ concluſione 3. in fine, vt alios omittamus.* Vtrûm verò intellectus ſimul cū ſpecie concurrat actiuè immediatè, an verò mediatè? explicabimus in ſequenti §. 4.

Caietan. *Iauellus.* *Bañes.*

§. 4.

Intellectum non concurrere vt principium actiuum radicale ſolum, & inchoatiuum contra Caietanum.

Secundus dicendi modus probatus à Caietano affirmat intellectum concurrere ad intellectionem, vt principium actiuum; non quidem actuale, ſed radicale tantùm, & inchoatiuum; quatenus ſcilicet ex ſua natura eſt vis quędam, quæ actuata per ſpeciem poteſt agere, vt patet ex § . 2. 30. Impugnatur 2. modus.

31. Impugnatio. Hunc tamen dicendi modum eſſe omnino improbabilem facilè oſtendi poteſt ex 5. ratione §. ſecundi: conſtat enim ex dictis ibidem animam, quatenus eſt actus quidam ſubſtantialis, ex ſua natura eſſe principium actiuum operationum intellectualium, & cum non ſit immediatum, vt ibidem oſtendimus, ſed mediatum influēs medio intellectu, vt naturali inſtrumento intelligendi; benè infertur animā in ſe ſumptam non eſſe actualem virtutē intellectiuam, ſed radicalem tantùm, & virtualem, quæ actiuè non poteſt in operationem influere, niſi perficiatur, & actuetur aliqua virtute actuali ad intelligēdum: talis autem eſt intellectus; & ideò ab Ariſtotele dicitur pars animi; potentialis ſc. quia eſt naturalis potentia, naturaleq; inſtrumentum ad intelligendum; etiam ſi nudus ſit ab omni ſpecie intelligibili. Quam Philoſophiā in dicta ratione. 5. deduximus ex *Ariſtotele 2. de Anima. c. 1. text. 5.* quatenus docet animam, vt cum ſuis potentijs conſideratur nullis actuata ſpeciebus, eſſe *perinde, atque ſcientiam*, & ſubindè eſſe in actu primo ad ſuas operationes. *Ariſtot.*

32. *D. Thom.* Eandem Philoſophiam facilè deducemus ex D. Thoma 1. *p. q.* 55. *art.* 3: agens enim de forma, quæ eſt principium operationis, ita ſcribit: *Operationis autem intellectus eſt duplex principium in intelligente: vnum ſcilicet; quod eſt ipſa virtus intellectualis; quod quidem principium eſt etiam in intelligente in potentia. Aliud autem eſt principium intelligendi in actu, ſcilicet ſimilitudo rei intellectæ.* Ecce ex D. Thoma intellectus ita eſt animę principium operationis, vt intelligenti ſit ipſa virtus intellectualis, & addit hanc virtutem dari in intelligente, etiam quando eſt in potentia eſſentiali abſque vllis ſpeciebus. Nec poteſt intelligi D. Thomas de virtute, quæ eſt intellectualis ſolùm inchoatiuè, & radicaliter: tum; quia verba ipſa denotant virtutem intellectualem, quæ ſimpliciter eſt virtus intellectualis, qualis non eſt virtus inchoata, & radicalis, vt patet. Tū ſecundò; quia virtus intelligendi radicalis non eſt aliqua virtus, quæ ſit aliqua qualitas ſuperaddita; ſed ſolùm eſt quædam aptitudo ad intelligendum non diſtincta ab eſſentia animæ, nec ab ea ſeparabilis, iuxta veriſsimam Philoſophiam, quam ſcripſit *Fonſeca in 5. Metaphyſicæ cap. 5. q. 1. ſect. 5. ad 4. pag. 289.* Talis autem non eſt virtus intellectualis, de qua agit D. Thomas: agit enim de virtute, quę eſt ipſa potentia intellectiua ſuperaddita animæ, qualis eſt intellectus. Addimus *Fonſeca.* D. Thom. 1. *p. q.* 87. *art.* 1: agens enim de intellectu in ſe ita ſcribit: *Sic igitur in ſua eſſentia conſideratus ſe habet, vt potentia intelligens: vnde ex ſe ipſo habet virtutem, vt intelligat.* Quæ verba non indigent explicatione. *D. Thom.*

Cōcludendum eſt igitur intellectum, tum apud Ariſtotelem, tum apud Diuum Thomam ex ſe eſſe intelligenti veram, & actualem agendi rationem; ita vt intelligens ab eo habeat vim, & efficaciam intelligendi; idque ſeclusis omnibus ſpeciebus, vt colliges ex D. Thom. *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad* 2. qua potentia anima ſeclusis ſpeciebus eſt potens intelligere, vt colliges ex *D. Thoma 2. contra Gentes cap. 60. ratione 5.* Et ita docet cōmunis ſententia Thomiſtarum, vt patet ex his Thomiſtis, qui volunt intellectum ſuapte natura eſſe cauſam partialē intellectionis, & ex illis, qui docent intellectum eſſe totalem cauſam illius, inter quos eſt *Iauellus 3. de Anima q. 3. de actu intellectus, Bañes 1. p. q. 85. ar. 2. circa primam concluſionem D. Thomæ, concl. 3. Ferrarien. 2. contra gentes cap. 82. fol. 190. col. 3. §. Ad euidentiam primi dubij*, vbi docet intellectum ſecundùm ſe habere virtutem intelligendi, quamuis à principio ſit ſicut tabula raſa. Denique noſtra ſententia eſt Scoti, Scotiſtarum, Fonſecæ, Curſus Conimbricenſis, Toleti, & aliorum: omnes enim intellectui concedunt virtutem propriam ad intelligendum. 33 *D. Thom.* *Iauellus. Bañes. Ferrar.*

Ex dictis infertur non eodem modo ſe habere intellectum ad intellectionem mediante ſpecie, quo ſe habet ignis ad calefactionem mediante calore, quanuis nō nulli ita philoſophentur: nam vt omittamus ignem ſolum concurrere ad calefactionem vt principium actiuum radicale, primum, & mediatum, vt omnes admittunt, cuius oppoſitum diximus de intellectu; vt, inquam, hoc omittamus, ſatis ſit contra illum modū philoſophandi, quod calor eſt igni potentia calefactiua naturaliter emanans à forma ſubſtātiali ignis, ex ſua natura determinata ad vnam ſpecie 34. Corollariū.

cie operationem; cùm tamen ſpecies intelligibilis, nec ſit potentia intellectiua animæ, nec virtus intelligendi naturaliter inſita, cùm anima à principio ſit, tanquam tabula raſa. Species autem Angelicæ, vel de nouo acquiruntur, vt plerique putant; vel à Deo infunduntur, vt verior habet opinio; vel ſi naturaliter emanant à ſubſtantia Angeli; emanant ab ea, non immediatè, ſed mediante intellectu. Et hæc ſatis ſint contra hunc modum philoſophandi.

§. 5.

Pro ſolutione argumentorum expenditur quomodò intellectus ſit pura potentia.

35. Quomodo intellectus ſit potentia pure paſsiua.

PRo ſolutione argumentorum explicandum prius eſt, quomodò intellectus ab Ariſtotele, & à Peripateticis dicatur potentia purè paſsiua: video enim hunc lapidem pluribus eſſe offendiculo.

Res duplici ter conſiderantur.

Præmittenda eſt igitur vulgata Philoſophia de diſtinctione duplicis generis; nõquidem rerũ, ſed cõſiderandi res: nam cum omne ens, vt ens eſt, ſit intelligibile, duobus modis vnaquæque res poteſt cõſiderari: vno modo ſecundùm eſſe reale, quòd habet ſecluſo omni ordine ad intellectum; & ita conſideratur in genere rei, quia conſideratur ſecundùm eſſe, ſecundum quod eſt res quædam. Altero modo ſecundùm eſſe intellegibile, id eſt, quatenùs eſt intelligibilis, & vt ſic dicitur cõſiderari in genere intelligibili.

36. Cum verò intelligibile, vt eſt intelligibile, dicat relationem ad intellectũ, oportet etiam diſtinguere entia intellectiua à non intellectiuis: Intellectiua autem, cum ſint entia immaterialia, conſiderari poſſunt, vel quatenù s ſunt entia; & dicuntur conſiderari in genere rei: vel quatenùs ſunt intellectiua, & vt ſic reſpiciunt intelligibilia, vt ſunt apta intelligi; & hoc modo dicuntur conſiderari in genere intelligibili.

37. Quare tâm intellectiua, quàm intelligibilia, tunc conſiderantur in genere intelligibili, cum conſiderantur, quatenùs hoc intelligi poteſt, illud autem intelligere. Et in hoc ſenſu neceſſariò admittendum eſt duplex genus eſſendi: vnũ reale; alterum intelligibile, quidquid nonnulli hanc diſtinctionem putent eſſe gratis confictam: cõtraquos aliquid diximus *lib.4.q.1.art.2.§.3.num.19. & 20. & ſuprà q.1.art.1.§.6.*

Duplex genus eſſendi.

38. Dubitatio antiquoru.

Suppoſito duplici iſto genere conſiderandi res, dubitarunt antiqui, quænam eſſent neceſſaria, vt & intellectiua poſſent intelligere, & intelligibilia intelligi? Et cum omnes in hoc conuenirent, vt nihil, niſi à ſuo ſimili poſsit, intelligi vt patet ex *Ariſtotele 1.de Anima c.5.text.76.* quidam exiſtimauerũt intellectum, quia poterat omnia intelligere, realiter eſſe omnia, quę poterant intelligi, & ita intellectum eſſe ignem, terram, &c. quia illa poterat intelligere, vt ſcripſit Ariſtoteles in dicto cap.5.text.75.

Nihil niſi à ſimili intelligitur. *Ariſt.*

39. Ariſtot. contra antiq.

Iſtis ſe ſe oppoſuit Ariſtoteles eo ductus fundamẽto; quia id, quod intus realiter latet, impedit, ne, quæ diuerſæ ſunt naturæ, & entitatis, intellectui intelligibilliter appareant: & inde intulit intellectum eſſe realiter denudatũ à natura omnis intelligibilis; in pura tamen potentia ad formas intelligibiles omnium entium intelligibilium; & ideo docuit naturam intellectus hanc eſſe, vt ſit pura potentia ad formas omnium intelligibilium.

40. Philoſophia Ariſt. quomodo intelligatur à nonnullis.

Hanc Ariſtotelis Philoſophiam ita intellexerunt Alexander Aphrodiſeus, & Theophraſtus, vt intellectus ex mente Ariſtotelis, nec in genere rei ſit aliquis actus formalis, nec in genere intelligibili; ſed ex ſua natura ſolùm ſit pura potentia in vtroque genere: ſicut materia prima eſt pura potentia in genere entis. Sed hãc ſententiam, ſi intelligatur de pura potẽtia etiam in genere rei, omnes Philoſophi antiqui, & recentiores vt minùs Philoſophicam vnanimo conſenſu reiecerunt. Contra illam docuerũt *Philoponus, Simplicius & Themiſtius in 3.de Anima c.4.text.5.cum cæteris Ariſtotelis interpretibus, latè Caietanus in eodem loco cap.1. de intellectu poſsibili, dum ad text.5. agit de illius definitione §.circa eandem definitionem aduerte, & ibi Ferrar. q.4.concl.1.& 2. Matthias Aquarius in annotationibus ad Ferrar. q.4.art.1.concl.5.Franſc. Picolomyneus ad eundem locum, Iauellus q.2.de intellectu poſsibili, Toletus in dicto cap.4.q.5.fol.151.col. 2.in 3.ſententia, Conimbricenſes in 3.de Anima cap.8.q.1.art.2. poſt principium, Capreolus in 1.diſt.3.q.3.art.2.ad primum Aureoli* contra

Reijcitur. *Philopo. Simplicius Themiſt. Caietan. Ferrar. Aquarius. Appolina. Picolomy. Iauel. Conimbr. Tolet. Capreol.*

contra primam fol.67.col.2.& fol.68.col.2.& 3.& in 2.diſt.3.q.1.art.3.ad 1. eiuſdem Aureoli fol.72.col.4.idem docuit D.Thom. de Veritate q.8.art.6.& q.22.art.1.ad 7.

D. Thom.

41. ita docuit Ariſt.

Nec dubitari poteſt Ariſtotelem hanc Philoſophiam docuiſſe: multis enim in locis intellectum appellat animę partem, vt patet *lib.1.de anima cap.5. text. 84. & lib.2.cap.2. text.22.& lib.3.cap.4. in principio.* Iam verò anima ſecundùm omnes ſuas partes eſt actus, & forma, cum omnes ſint ſine materia, vt docet *in dicto cap. 4.text.16.* Omne autem ens immateriale ſiue ſubſtantia ſit, ſiue accidens, ex ſua natura eſt actus. Commentatorem ita docuiſſe oſtendit *Capreolus in 1. diſt. 3.q.3. art.2.ad 2.& 3.quartam,& 5.replicam,fol. 68.col.1.2.&3.*

Commentator.

42. Ratione probatur.

Denique cum intellectus ex ſua natura ſit virtus quędam intellectiua, qua anima potens eſt intelligere, vt latè oſtendimus ſuprà §. 2. dicendum eſt intellectũ in genere entis ex ſua natura eſſe actum, & formam accidentariam. Iam verò repugnat formam etiam accidentariam eſſe puram potentiam.

43. Intellectus eſt pura potentia in genere intelligibili.

Cum hoc tamen ſtat, quòd intellectus ſit pura potẽtia in genere intelligibilium: & quanuis nonnulli id negent, vt teſtatur Toletus vbi ſuprà: eſt tamen vera Philoſophia, cum ſit communiter recepta, & vſurpata à D.Thom. tum *locis citatis, tum 1.p.q.87. art. 1. in medio corporis,* quod ſatis eſt, vt ab omnibus probetur: maximè cum ſit Ariſtotelis 3.de Anima cap.4. text.5. dum ait: *quo fit, vt nec vlla ſit eius natura, niſi ea ſolùm, qua poſsibilis,* quæ verba, cum intelligi non poſsint de pura potentia in genere rei, vt immediatè oſtendimus; quia in illo genere ſola materia prima eſt talis; neceſſariò debent intelligi de pura potentia in genere intelligibili, & ab omnibus ita explicatur.

D. Thom. *Ariſtot.*

44. Quomodo intellectus ſit pura potentia. *Caietan. opinio.*

Quomodò autem intellectus poſsibilis in genere intelligibili ſit pura potentia, ita eſt difficile explicatu, vt hoc opus, hic labor ſit, ſicut ſcribit Toletus vbi ſuprà. Rem difficilem facit Caietanus, qui in hoc ſenſu putat intellectum eſſe puram potentiam in genere intelligibili; quia in illo genere ex ſe nullam habet agendi rationem, ſeu actiuitatem, niſi quam à ſpecie conſequitur, vt explicat *1.p.q.79.art. 2. §. Secunda verò opinio in fine, & §. quo ad ſecundũ, quia hic* quæ Caietani ſententia poteſt benè, & malè intelligi. Male; ſi ita intelligatur, vt intellectus abſolute nullã ex ſe habeat actiuitatem, niſi quam ex ſpecie conſequitur: & ideo dicatur pura potentia in genere intelligibili, quia poteſt in ſe recipere ſpeciem, tanquam actum agendi. At in hoc ſenſu eſt omninò improbabilis eius ſententia, & ab omnibus reijcitur; quia intellectus ex ſe habet intellectualitatem potentiæ naturalis, vt patet ex ijs, quæ diximus: & præterea ex eo; quia cum in genere rei ſit actus, & forma naturaliter inſita animæ, vt inſtrumentum agendi (vnumquodq; enim eſt in actu propter operationem) talis etiam erit in genere intelligibili conſideratus in ordine ad intellectionem. ¶ Benè autem intelligetur Caietanus, ſi intellectus præciſè conſideretur penes ea, quę ſolùm habet in genere intelligibili: cum verò in tali genere ſolùm conſideretur, vt poteſt recipere formas intelligibiles, quibus actu fiat ſingula intelligibilia, dicitur eſſe in pura potentia excludente omnem actum, quo determinari queat ad proximè intelligendum.

Explicatio mentis Caietani.

Et vt iſta fiant euidentiora, aduertendum eſt, genus intelligibile ex ſua ratione fundari in natura intellectuali naturaliter perfecta; fundatur enim in genere rei, quod neceſſariò ſupponit, etenim tã intelligere, quàm intelligi ſupponunt eſſe: intelligere quidem ſupponit eſſe immateriale; quia ſola immaterialia ſunt intellectiua: intelligi autem ſupponit eſſe entitatiuum; quia ex Metaphyſica ad eſſe ſequitur intelligi: vnde intelligibilitas eſt paſsio entis, vt ens eſt. At verò res in genere rei ſunt naturaliter perfectæ; quia Dei perfecta ſunt opera, & natura ſemper intendit perfectum. Genus igitur intelligibile per ſe fundatur in natura intellectuali naturaliter perfecta, & eam ſupponit. Cũ verò nulla res ſit naturaliter perfecta, niſi ad ſuas proprias operationes habeat inſtrumenta naturaliter inſita; fit, vt genus intelligibile per ſe ſupponat naturam intellectiuam naturaliter perfectam in genere rei, & talem, vt in eodem genere habeat inſita omnia naturalia inſtrumenta, omneſque naturales intelligendi virtutes, quibus in actu primo ſit potens intelligere omnia intelligibilia ſibi connaturalia. 45. Aduertenda Philoſophia.

naturalia. In actu, inquam, primo; non completo; ſed incompleto: non quidem incōpletione virtutis intellectiuæ, quaſi non habeat totam intelligendi virtutem; ſed incōpletione determinationis eiuſdem virtutis adhoc, vel illud intelligibile: nam cū ipſa natura intellectualis, eiuſque virtus intellectiua ſit ex ſe indifferens, & indeterminata ad hoc, vel illud intelligibile (quia vna, & eadem virtute intellectiua poteſt omnia intelligere) vt ſit in actu completo ad intelligendū, indiget determinetur, ad hoc, vel illud: determinatur autem per ſpecies. Igitur ad illas eſt in pura, atque eſſentiali potentia.

46. Genus intelligibile ſupponit naturam intellectualem.

Igitur genus intelligibile ex ſe ſupponit naturam intellectualem: quia conſiderat intelligibilia, vt talia ſunt: ſupponit autem eam cōſtitutam in actu primo: quia natura ſemper intendit perfectum. At tamē ſupponit eam in actu primo: nō quidem naturaliter completo, & determinato ad omnia, & ſingula intelligibilia: quia talis completio non eſt debita naturæ intellectuali intellectualitatis infimæ, qualis eſt anima noſtra: & hinc incipit conſideratio pertinēs ad genus intelligibile: hoc enim conſiderat animam noſtram, & intellectum illi naturaliter inſitum, vt eſt in potentia eſſentiali ad intelligibilia: quia ſcilic. ex ſe habet actiuitatē ad intelligendum; ſi tamen compleatur, & fiat in actu proximo per ſpecies, quib⁹ determinetū ad hoc, aut illud intelligibile.

47. Intellectus quomodo cōſideratur.

Intellectus igitur noſter, prout primò cadit ſub genere intelligibili redducendus ad actum ſecūdū intelligendi incipit conſiderari, vt perfectibilis per formas intelligibiles, vt illis compleatur, & fiat in actu primo, iam proximo ad intelligēdum. Itaque in hoc genere primo conſideratur, vt denudatus ab omni forma intelligibili: perfectibilis tamen per illas: ad quas dicitur eſſe in potentia eſſentiali, & pura; eſſentialitate tamē, & puritate, quæ illi generi per ſe conuenit: quæ non eſt ad actum, qui ſimpliciter det poſſe (hoc enim ſolū reperitur in pura potentia, quę eſt in genere rei) ſed ad actum, qui complet ipſum naturale poſſe, & talis eſt ſpecies: hæc enim actuat quidē intellectum, non tamen vt ſimpliciter poſſit, ſed vt completè, & proximè poſſit. Quod in hac materia eſt diligentiſsimè aduertendum, vt machina argumentorū deſtruatur. De quo in ſequenti §.

§. 6.

Soluuntur argumenta.

Ex ijs iam facilè ſolui poſſunt argumenta poſita §. 1. Ad primum conceſſa maiore, neganda eſt minor: Iam enim oſtendimus intellectum eſſe naturalem virtutem animæ ad intelligendum: imò eſſe animæ, vel totam virtutē intelligendi, vel principaliorē, vt ex dicendis patebit. Ad probationem ſimpliciter negandum eſt intellectum eſſe puram potentiam in genere entis, vt §. 5. oſtendimus. 48. Ad 1. arg.

Ad primam probationem minoris patet ſolutio ex dictis: nec enim Ariſtoteles eo loco agit de intellectu, vt eſt in genere entis, ſed vt conſideratur in genere intelligibili, in quo conſideratur, non vt eſt potentia reſpiciens actum, quo ſimpliciter poſſit, ſed quo proximè poſſit. 49. Ad 1. probationē Minoris.

Ad ſecundā probationem minoris cōceſſo antecedente neganda eſt conſequētia. Ad confirmationem ſumptam ex verbis Ariſtotelis varij varia reſpondent. Cōmunis, & vera ſolutio eſt Ariſtotelē agere de intellectu in ordine ad intelligibilia alia à ſe; & in hoc ſenſu docere intellectū non poſſe eſſe miſtum, id eſt, eiuſdem naturę cum aliquo ſuorum intelligibiliū, ſed eſſe debere denudatum à propria natura cuiuſque eorum: à propria, inquā; non quidem indiuiduali: quia Empedocles, nunquam dixit intellectum ita eſſe miſtum cum rebus, quas intelligit, vt cū illis habeat eandem numero naturam: ſed à propria natura ſpecifica; ita vt ſuapte natura ſit denudatus à natura ſpecifica cuiuſcunque intelligibilis, ſi omnia debet intelligere: ſi enim eſſet eiuſdem naturæ cum aliquo, non poſſet intelligere, niſi ea tantum, quæ ſunt eiuſdem naturæ; quia ſolis illis eſſet ſimilis, & non alijs: nā ſi guſtus bilioſo humore affectus (qui illi eſt alienus, & extrinſecus) impendit, ne alij ſapores ſyncere percipiantur; à fortiori miſtio intrinſeca naturę ſpecificæ cum aliquo intelligibili impediet, ne alia intelligantur: vt quia eſſent illi diſsimilia. Quare Ariſtoteles non negat intellectum poſſe in genere entis eſſe eiuſdem 50. Ad 2.

dem naturæ genericæ cum ſuis intelligibilibus, vt aduertit *D. Thom. de Veritate q.22.art.1.ad 8.* hæc enim miſtio non impedit eum poſſe actuari determinarique per formas intelligibiles horum aliorum intelligibiliũ, quibus intelligibiliter fiat omnia illa: nam generica natura in genere entis determinabilis eſt per differẽtias. Quomodò autem intellectus in ſe ſit à ſe intelligibilis? alteriùs eſt negotij: ſatis eſt intellectum ſe ipſum non intelligere per ſpeciem ſuperadditam; ſed per ſolam ſuã eſſentiam, quia per eã eſt ſimilis ſibi. Sed de hoc alibi diximus. ¶ Concludendum eſt igitur intellectum poſſe in genere entis eſſe quendam actum, & formã naturalem, cui ex ſua natura conueniat eſſe principium actiuum intelligendi. Quod non impedit, quominùs in genere intelligibili ſit pura potentia in ordine ad formas intelligibiles, & in eodem genere ſit actiua ratio agendi, vt dicemus ad vltimum.

D. Thom.

51. Ad 2.

Ad ſecundũ negandum eſt intellectũ poſſe quoad omnia eodem modo ſe habere in genere intelligibilium, quo ſe habet materia prima in genere ſenſibilium, vt benè aduertit *Capreolus in 1.diſt.3.q.3.ar.2.ad quintum Aureoli contra primam fol. 68. col.3. & Caietanus in dicta q.79. art.2. & Bañes 1.p.q.85. artic. 2. in dub. circa primum ad vltimum argumentum poſt tertiã concluſionem*, & patet ex his, quę diximus §.5. Idem etiam patet ex verbis Commẽtatoris adductis à Capreolo, quibus ſatis ſignificat comparationem illam non eſſe ſimilem in omnibus. Idem ſignificauit D. Thom. in loco, qui nobis obijcitur; dum inter materiam primam, & intellectum poſsibilem hoc ponit diſcrimen, *quod materia prima ita ſit pura potentia, vt nullo modo ſit actus: cum tamen intellectus in genere intelligibili, ita ſit pura potentia; vt in ſe ipſo ſit actus*: in quibus verbis docet illa duo inter ſe non pugnare. Intellectus igitur in hoc tantum aſsimilatur materiæ primæ (vt ait D. Thom. in citato loco Ariſtotelis, lectione 10.) quòd ſicut materia prima in genere ſenſibilium nullo modo eſt actus, ſed ſolùm pura potentia: ita intellectus in genere intelligibiliũ ita eſt pura potentia in ordine ad formas intelligibiles, vt nullo modo actu ſit aliqua illarum: quod non tollit, quominùs in genere rei ſit actus, vt idem D. Thom. aduertit. Et inde eſt, vt ex doctrina Cõmentatoris materia prima non eodem modo componit cum forma in genere rei, quo intellectus in genere intelligibilium componit cum forma intelligibili: quoniam materia prima, ita componit cum forma, vt non fiat ipſa forma: at intellectus ita componit cum ſpecie, vt fiat ipſa res, cuius ſpeciem recipit, vt ſæpe diximus, & aduertit Caietanus *1.p.q.79.art.2.§.quo ad ſecundum verſ. ad cuius intelligentiam.*

Capreol. *Caietan.* *Bañes.* *Cõmentat.* *D. Thom.*

Quomodo intellectus aſsimiletur materiæ primæ?

D. Thom. *Comment.* *Caietan.*

52. Ad 3. 1. ſolutio.

Ad 3. argumentum poſſet negari minor: quia plures negant calorem in igne eſſe igni totam calefaciendi virtutẽ; quia forma ſubſtantialis concurrit ad calefactionem actione ſibi propria diſtincta ab ea, qua concurrit calor. Sed hæc ſolutio ſupponit Philoſophiam ab omnibus reprobatam: nam licèt cõtrouerſum ſit, an ad actus vitales forma ſubſtantialis ſimul cum accidentali immediatè influat actione ſibi propria, & in ſuo ordine immediatè, vt patet ex *Suario in Metaphyſica diſp. 18.ſect.5.num.2.* Communis tamen, & vera Philoſophia docet in actiones non vitales (qualis eſt calefactio) ſolam formã accidẽtariam immediatè influere; nec ad illas neceſſarium eſſe proprium, & immediatum influxum ſubſtantialis formę ſed ſatis eſſe influxum remotum, & mediatum; quatenùs ſcil. forma eſt radix, & principiũ ſuæ potentiæ accidentalis, quæ ſibi data eſt, vt virtus, & principium agendi. Docent igitur in actionibus non vitalibus formam accidentalẽ eſſe totam agẽdi virtutem, totumque principium, influendi, de quo Suarius vbi ſuprà numero 4. & 5.

Non admittitur.

Suarius.

53. Vera ſolut.

Ad argumentũ igitur neganda eſt maior, ſi vniuerſaliter intelligatur; nam licèt ſpecies aliquo modo ſit intellectui principium formale eliciendi intellectionem: non tamen eodem modo ſe habet in omnibus ad intellectionem, ſicut calor ad calefactionem: quoniam calor cum ex ſua natura immediatè fluat à ſubſtantia ignis habet ſe ad ignẽ, vt virtus naturalis eius, potentiaque calefactiua: ſpecies autẽ non fluit à ſubſtantia intellectiua: quoniam in nobis denuo acquiruntur; in Angelis autem, aut infunduntur à Deo; aut emanãt à ſubſtantia mediante intellectu: & inde eſt, vt nec in nobis, nec in Angelis habeãt rationem potentiæ intellectiuæ, ſed ſolũ ſint

ſint principia quędam formaliter determinatiua virtutis intellectiuæ ad hoc, vel illud obiectum. Tantum igitur abeſt, vt ſpecies ſit intellectui tota vis intelligendi, vt potiùs ſupponat intellectum eſſe intelligendi virtutem: oppoſitum reperitur in calore reſpectu ignis: ex ſe enim habet, quod ſit igni tota virtus calefactiua ex ſe completa, & determinata ad calefactionẽ. Meritò igitur negatur illa maior, ſi vniuerſaliter intelligatur. Doctri-
D. Thom. na autem D. Thomæ citati in argumento non eſt vniuerſalis, ſed quoad hoc ſolùm: quod ſicut calor eſt principium formale calefactionis, quatenùs ignis calefacit, mediante calore, ita ſpecies eſt principium formale intellectionis; quia intellectus, niſi determinetur per ſpeciem, non poteſt intelligere. De quo plura inferiùs articul. 8.

54. Ad. 4. Ad 4. admittimus ſpeciẽ eſſe id, quo intellectus intelligit; quia verè eſt principium formale intelligendi, vt docet D. Thom. loco citato, & alibi ſæpe: admittimus etiam ſpeciem dici poſſe virtutem intellectus ad intelligendum: inde tamen non benè infertur ſolã ſpeciem eſſe intellectui intelligendi virtutem; nam idem D. Thom. poſuit duplex intelligẽdi principium *1. p. q. 105. art. 3. & alijs in locis adductis.* §. 2.

55. Ad poſtremum. Ad poſtremũ (quod eſt Caietani fundamentum) patet ſolutio ex dictis §. 4. nam eſſe puram potentiam in genere intelligibili deminuit de ratione potentiæ ſimpliciter ſumptæ; quia (vt diximus) genus intelligibile ex ſua ratione ſupponit genus rei, & fundatur in natura intellectuali ſuis potentijs naturalibus perfecta, & actuata actu ſimpliciter primò tribuente poſſe; non tamẽ proximè poſſe, quia adhuc manet indeterminata ad hãc, vel illam intellectionem; ſecundùm quã potentiam determinatur, & actuatur per formas intelligibiles, quas vocamus ſpecies; & ſecundum hanc potentiam pertinet ad genus intelligibile, in quo eſt in pura potentia, quamuis abſolutè non ſit in potentia pura. Quare repugnat, vt intellectus in genere intelligibili, ſit actuatus forma intelligibili, quæ ſit actus determinatiuus virtutis intellectiuæ; non tamen repugnat, quod ex ſe ſit in actu actuante, vt ſimpliciter poſſit. Igitur pura potentia in genere intelligibili ſe habet ad modum potentiæ accidẽtariæ, quę in genere rei reperitur in ſubſtantijs: hæc enim ex ſe ſupponit actum priorem, quo materia prima ſimpliciter actuatur in eſſe ſubſtãtiali, determinabilem tamen accidentaliter.

56. Ad 1. confirm. Ad primam confirmationem dicimus intellectum ex ſe eſſe actum, optime inferre potentiam illius ad ſpecies non eſſe potentiam abſolutè puram excludentem omnem actũ, qualis eſt ſola potentia materię primæ, quæ eſt potentia ſubſtantialis: benè tamen inferre eam eſſe puram potentiam ſecundùm quid, quæ dicitur potentia accidentaria, quòd tamen non tollit, quominùs potentia intellectus in ordine ad ſpecies ſit per ſe potẽtia, vt per ſe diſtinguitur, à per accidens: nam potentia ad formas accidentarias, quæ reperitur in ſubſtantijs per ſe eſt potentia receptiua accidentium, & non per accidẽs. In hoc igitur ſenſu admittimus intellectum eſſe potentiam ſecundùm quid: & in eodem neganda eſt minor. Nec hoc repugnat Ariſtoteli; quia egit de potentia intellectus ſecundùm præciſam rationẽ, qua conſideratur in genere intelligibili: in quo genere præciſè cõſideratur in ordine ad ſpecies, ad quas eſt in pura potentia; quia eſt in potentia ex ſe nullam earum actu includens, receptiua tamẽ omnium. Nec ex hac doctrina infertur diſcurſum Ariſtotelis eſſe infirmum, vt ſecunda obiectio ſumit; quoniam, vt diximus, potẽtia illa intellectus, licèt ſit potẽtia ſecundùm quid, quia ſcil. eſt potentia talis; non proinde eſt potentia per accidens, ſed per ſe. Vnde inter eam, & ſpecies verè datur ordo eſſentialis, ſicut datur in potentia accidentaria ſubſtantiæ in ordine ad accidentia.

57. Denique ex noſtra opinione non infertur falſam eſſe propoſitionem, ex qua Ariſtoteles infert dandam eſſe potentiã actiuam intellectus agentis: nam quando potentia paſſiua eſt per ſe, & non per accidens ad aliquẽ actum, ſiue ille ſit actus primus, ſiue ſecundarius neceſſariò ſibi vendicat aliquam potentiam actiuam, à qua ad actum reducatur.

58. Ad 2. Ad 2. confirmationem negandum eſt antecedens, nam quamuis intellectus ex eo proximè valeat intelligere obiectum,

41. quia fit ipſum: non tamen fieri ipſum eſt id, quo ſimpliciter fit potens illud intelligere; ſed ideo eſt ſimpliciter potens; quia ex ſe eſt virtus naturaliter indita animæ ad intelligendum, & hæc dicta ſint pro toto articulo.

Annotatio ad ſequentes articulos.

Cum ex 4. & 5. art. iam conſtet, & intellectum, & ſpeciem intelligibilem actiuè concurrere ad intellectionẽ; explicandum conſequenter erit, quomodò ſpecies, & intellectus ad actum intelligendi concurrant. Quam quæſtionẽ Doctores adeo confusè explicant, vt ex illis certa reſolutio vix colligatur. Vt igitur veram reſolutionem huius difficultatis diſtinctè tradamus; aduertimus queſtionem aliter reſoluendam eſſe, ſi ſermo ſit de ſpecie, vt ſe tenet ex parte potẽtiæ intellectiuæ; & aliter ſi ſermo ſit de ea, vt ſe tenet ex parte obiecti: etenim ſpeciẽ ſe tenere ex vna, & ex altera parte ſatis eſt probabile, vt diximus in tertio articulo. Quare vt tota iſta difficultas diſtinctè reſoluatur; duos excitabimus articulos in primo (qui ordine erit ſextus) agemus de ſpecie, vt ſe tenet ex parte obiecti: in ſeptimo autẽ agemus de ſpecie, vt ſe tenet ex parte intellectus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſpecies, vt ſe habet ex parte obiecti actiuè concurrat ad intellectionem. & quomodo?

1. De qua ſpecie ſit ſermo. IN hoc articulo, vt iam aduertimus, ſermo eſt de ſpecie impreſſa, vt ſe habet ex parte obiecti: etenim quod etiam ex parte obiecti ſe teneat, ſatis eſt probabile, vt patet ex tertio artic. Quare ſuppoſita hac opinione quæſtionẽ excitauimus. Articulus autem duo inquirit: vnũ eſt: an ſpecies, vt ſe habet ex parte obiecti, actiuè cõcurrat cum intellectu in actum intelligendi? alterum verò; quomodò concurrat? Vtrunque ſpecialiter explicabimus.

§. I.

An ſpecies tenens ſe ex parte obiecti actiuè concurrat?

Refertur opinio negans.

QVæſtio iſta non habet locum apud eos, qui in ſpecie nullam actiuitatem agnoſcunt: vnde non mirũ eſt, ſi partẽ negantem probauerint, *Toletanus noſter in 3. de Anima q. 2. art. 3. concl. 2. 3. & 4. Toletus ibidem cap. 7. q. 22. & Iauellus in eodem libro q. 3. de actu intellectus §. mihi autẽ videtur.* Quare de his authoribus nihil curandum eſt, cum falsò nitantur fundamento, vt latè oſtendemus artic. 4. explicanda eſt igitur quæſtio inter eos, qui, & intellectui, & ſpeciei actiuam influentiam in intellectionẽ admittunt: inter quos meritò inquiri poteſt, vtrùm ſpecies actiuè in eam influat; tum, vt ſe tenet ex parte potentiæ: tum; vt ſe tenet ex parte obiecti. De primo agemus in ſequenti arti. de hoc ſecundo, in hoc præſenti art. diſputabimus. 2. Opinio negans. Toletan. Toletus. Iauellus.

Qui partem negantem probauerit, ex ijs, qui volunt ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, inueni neminem: & meritò; quia ſi, vt ſic, non haberet actiuitatem, nullam ex ſe actiuitatem haberet, cuius oppoſitum ſupponimus. Partem tamen negantem probant ferè omnes, qui negant ſpeciem ſe tenere ex parte obiecti: ideo enim negant dari ſpeciẽ impreſſam ex parte obiecti; quia nec poteſt ex illa parte poni, vt obiectum repręſentet ſub ratione termini, nec ſub ratione motiui; quia in obiecto nullã obiectiuam efficientiam admittunt: fruſtra igitur ponetur ex parte obiecti. Nec deſũt ex ijs, qui ſpeciẽ ponunt, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti, qui illi actiuitatem denegent, vt ex parte obiecti ſe habet: viris enim doctiſsimis id placuiſſe, ſaltem vt longè probabilius, ego ſcio. huius opinionis fundamẽta hęc ſunt. Primum; quod negandum nõ eſt ſpeciẽ etiã ſe tenere ex parte intellectus, vt patet ex primo articulo: nec item negandũ eſt ſpeciem, vt ſe tenet ex parte intellectus actiuè influere in intellectionem, vt in ſequenti art. euidenter demonſtrabitur. Quomodò igitur iterum actiuè influet in eandem, vt ſe tenet ex parte obiecti? altera enim influentia fruſtra dabitur. 3. De patronis huius ſẽtentiæ.

Deinde; quoniam obiectum, vt obiectũ eſt, non concurrit efficienter ad actũ ſuæ 4. Ad 2.

ſuæ potētiæ, ſed ſolùm formaliter, & fi-
naliter, prout ſcil. potentiæ operatio, &
ab obiecto ſumit ſpeciem, & eſt gratia
illius. Vnde doctiſsimi Theologi obiec-
to voluntatis omnem denegant efficien-
tiam in voluntatis actum: hanc eſſe plu-
Fonſeca. rimorum ſententiam refert Fonſeca *lib.*
9. Metaphyſicæ cap.2. q.6. ſect.1. §. poſterio-
Henric. *rem partem fol. 707. col. 1. Quam probaue-*
Scotus. *runt Henric. quodlib. 9. q. 5. prope finē, &*
Capreol. *Scotus in 2. diſt. 25. q. 1. per totam, maximè*
in ſolutione argumentorū. Capreol. in 2. diſt.
25. q. 1. art. 3. ad primum contra primā Fer-
Gregor. *rarien. 1. contra gentes cap. 44. §. circa iſtam*
propoſitionem. Gregorius in 2. diſt. 25. q. vni
Gabriel. *ca concl. 1. 2. & 3. Gabriel q. vnica artic. 3.*
Ocham. *dub. 3. Ochamus quodlib. 1. q. 16. Dionyſi.*
Ciſterciēſ. *Ciſtercienſis in 2. diſt. 25. q. 3. art. 2. concl. 4.*
Bellomon. *quos refert, & probat Bellomont. 1. 2. diſp.*
Suarius. *36. cap. 3. Suarius in Metaph. diſp. 12. ſect.*
3. num. 17. Nec deſunt, qui idem ſentiant
de omni alio obiecto potentiæ, idem igi-
tur dicendum erit de obiecto intellectus,
vt in ſua ſpecie rationem obiecti exer-
cet.

5. 3. Ratio. Tertiò, quoniam obiectum in ſpecie
non ſolum poteſt eſſe ens reale non exi
ſtens, aut longè abſens; ſed etiam poteſt
eſſe ens non reale, atque fictum; imò li-
cèt ſit ens reale realiter exiſtens; tamen
vt repræſentatur in ſpecie non habet eſſe
reale, ſed eſſe quoddam diminutum, & ſe
cundùm quid: quomodò igitur poterit
agere aliquid reale per realē efficientiā?
Lychetus. quo argumento motus Lychetus, & ſi ſpe
ciei concedat efficientiam in actū intelli-
gendi; eam tamē negat obiecto, vt in ſpe-
cie repræſentatur, vt ſcribit *in 1. diſt. 3. q.*
6. fol. 89. col. 2. Quem in hòc refert, & ſequi-
Herrera. *tur Herrera in 2. diſt. 10. q. 3. §. quartò eſt*
notandum. pag. 359. col. 2. in fine, & in pri-
mo diſt. 7. q. 9. notab. 4. pag. 132. col. 2. ſatis
Bañes. *in hoc conſentit Bañes 1. p. q. 86. ar. 1. dubio.*
1. ad 2. argumentum, dum ſpeciei quidem
tribuit efficientiam in actum intelligen-
di: non tamen obiecto. Hæc pro hac par
te adduci poſſunt.

Refertur opinio affirmans.

6. Opinio affirmans. Quòd ſpecies, vt ſe tenet ex parte ob-
iecti, & illud obiectiuè repræſentat intel-
lectui, actiuè concurrat ad intellectionē,
probant ferè omnes, qui volunt eam
ſolū ſe tenere ex parte obiecti, & nullo
modo ex parte potentiæ. *Ita Scotus in 1.*
diſt. 3. q. 7. lit. V. vbi docet oportere vt Scotus.
obiectum præſens in ſpecie intelligibili
concurrat cum anima, & idem ſæpe ibidē
repetit. Idem docet ibidem q. 6. §. *ad quar*
tum dico, litera L. Idem affirmat quodlib.
15. lit. F. §. *de iſto articulo. Ita enim ait: de*
iſto articulo poteſt dici, quòd vtrumque con-
cludit in ratione principij actiui reſpectu in-
tellectionis: aliquid ſc. ipſius animæ, & ipſum
obiectum, vel aliquid ex parte obiecti. Idem
dixerat antea litera F. §. *Philoſophus au-*
tem videtur, vbi docet *ſpeciem tenere ſe ex*
parte obiecti; & eſſe principium actiuum in-
tellectionis. Vide illum litera I. §. *ad ſecū-*
dum dico. Conſtat igitur apud Scotū, ſpe-
ciem, vt ſe tenet ex parte obiecti (quia
ſc. in ea obiectum relucet) cum intelle-
ctu effectiuè concurrere ad intellectio-
nem. Eandem ſententiam probant om-
nes Scotiſtæ. *Lychetus, Bargius cum cæte-* Lychetus.
ris in locis citatis, Rada 1. parte controu. 9. Bargius.
art. 1. §. 3. obſerua pag. 266. col. 1 cum cæte- Rada.
ris omnibus: omnes enim in hoc conue-
niunt, vt ſpecies, prout vicem obiecti ge
rit in ea relucentis, actiuè moueat intelle-
ctum, & actiuè in intellectionem influat;
quòd etiam docent ij, qui cum Scoto vo-
lunt ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte ob
iecti: inter quos eſt *Suarius lib. 2. de Attri* Suarius.
butis negat. cap. 12. nu. 11. & clariùs nu. 21.
& 22. Conſtanter enim docet ſpeciē ob-
iectumq; in ea relucens cōcurrere cū in-
tellectu, vt principium intellectionis co-
aſsiſtens, & coadiuuans intellectū ad in-
telligendū, quòd etiam docuit *ad 3. par-*
tem 1. tom. diſp. 24. ſect. 2. pag. 494. A. 1.
& clariùs diſp. 31. ſect. 9. pag. 626. A. 2. non
renuit Fonſeca; etenim ſpeciē poſuit ex par-
te obiecti in 6. Metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 2. lit.
E. fol. 23. col. 1. Et tamen admittit ſpeciē
actiuè concurrere ad intellectionem. *1.*
Metaph. cap. 2. q. 3. ſect. 6. pag. 153. §. Præ-
tereà formas, & eadem ratione pro hac ſen
tentia referri poterit *Molina prima parte,* Molina.
quæſt. 12. articul. 2. diſputatione ſecunda,
poſt principium, & clariùs prima parte quæſt.
56. artic. primo, diſputatione prima in prin-
cipio. §. Quid hac de re, & §. Scotus loco
citato: In quibus locis docet ſpeciem ſo
lùm ſe tenere ex parte obiecti, & tamen
cum intellectu efficienter concurrere ad
intellectionem.

8. 1.Ratio. Hæc opinio,& rationibus ſuadetur,& teſtimonio Auguſt. Prima ratio eſt hæc. Species intelligibilis actiuè concurrit ad intellectionẽ, vt diximus art. 4. At non concurrit actiuè ex eo, quòd eſt forma inhærẽs intellectui; quia inhærere per accidens illi cõuenit, vt eſt ſpecies: ergo actiuus ille concurſus illi conueniet ex eo, quòd eſt forma coaſsiſtẽs intellectui, tanquã vicaria obiecti: etenim cum per ſe ſit actiua, actiuitatẽ habebit, nõ ex eo, quòd ſibi conuenit per accidẽs, ſed ex eo, quòd ſibi conuenit per ſe. Et inde eſt, quòd ſi poſſet intellectui cõaſsiſtere ſine inhæſione (vt pleriq; putant de diuina eſſentia) adhuc in intellectionẽ influeret: ergo ſpecies, vt ſe habet ex parte obiecti, actiuè cõcurrit ad intellectionem.

9. Secunda. Secundò; ſpecies, vt ſe tenet ex parte obiecti, eodẽ modo concurrit: ad actũ intelligendi, quo concurreret ipſũ obiectũ, ſi in ſe ipſo, & per ſe ipſũ fieret præſens intellectui: eſt enim vicaria obiecti: ſed obiectũ, ſi per ſe ipſum immediatè fieret præſens intellectui, actiuè illũ moueret, tanquam obiectũ intelligibile: ergo ſpecies, vt ſe tenet ex parte obiecti, habet influentiam in actum intelligendi.

Tertia. Tertiò, obiectũ potentiæ intellectiuę, qua obiectũ eſt, ex ſua natura effectiuè concurrit ad actũ potẽtiæ: ergo ſpecies, vt ſe tenet ex parte illius, tanquã illius repræſentatiua, effectiuè ſe habet ad eundẽ actum. Cõſequentia inde probatur; quia ſpecies eſt vicaria obiecti, & ideo vt tenet ſe ex parte illius, eodẽ modo ſe habet, quo illud. Antecedens oſtẽditur; quia Ariſt. (Ariſtot.) *in 5. Metaph. cap. 15.* cum omnibus interpretibus potentias, & obiecta ita reponit in 3. genere relatorũ, vt velit ipſa obiecta eſſe menſuras potentiarũ, vt patet ex interpretibus, & ex *Fonſeca in Cõmentar. ad illum locũ lit. K. pag. 679. & inferiùs q. 4. ſect. 6. fol. 721. & 723. §. Quod verò additur*, non ob aliam rationẽ, niſi quia obiecta vt talia, effectiuè agunt in potentias, vt idem Fonſeca explicat. (Fonſeca.)

10. Et inde eſt, vt præſtantiſsimi Theologi doceant obiectum voluntatis (de quo maior eſt dubitatio) efficientiam habere in actũ voluntatis: ita *Caiet. 1. p. q. 81. ar. 2. §. in hac dubitatione, & 1. 2. q. 9. art. 2. & q. 22. art. 2. affirmans hanc ſentent. placuiſſe pluribus Thomiſtarum. Cum Caietano conſentit Fonſeca nono Metaphyſicæ capite ſecundo, quæſtione ſexta, ſection. ſecunda, per totam, idem probant Durandus in ſecũdo diſtinctio. 24. & Paludanus in quarto diſtinct. 49. quæſtione tertia, Soncinas 9. Metaphy. quæſt. 11.* Idem igitur dicendum erit de obiecto intellectus (Caietan.) (Fonſeca. Durand. Paludan. Soncinas.)

11. 4.Ratio. Quartò; quoniam intellectio ſpecificatur ab obiecto, vt communiter doceri ſolet. At nõ poteſt illam ſpecificare, niſi ad eam concurrat effectiuè, vt Caietanus ſubtiliter oſtendit *in d. q. 81. art. 2. §. Quoad 2.*

12. Quinta. Quintò, intelligibile, vt intelligibile eſt, non ſolùm habet, quòd terminet intellectionem, ſed quòd intellectum moueat ad intelligendum: intelligibile enim vt tale, ex ſe eſt motiuum intellectus, quòd nos breuiter attigimus ſuprà *lib. 3. q. 5. art. 1. §. 1. nu. 16. & docet Fonſeca in d. q. 4. ſect. 6. pag. 721. & poſt eum Suarius in Metaphyſic. d. 12. ſect. 3. n. 17.* Sed ſpecies, vt ſe tenet ex parte obiecti, repræſentat obiectum ſub ratione intelligibilis, vt patet: ergo vt ſe tenet ex parte obiecti, effectiuè concurrit ad actum intelligẽdi. (Fonſeca. Suarius.)

13. Vltima. Poſtremò; ſuadetur hæc ſententia Auguſtini teſtimonijs, quæ refert *Scotus in 1. diſt. 3. q. 7. contra primam opinionem. §. cõtra iſtam opinionem ante literam A:* Ex Auguſt. enim ſumptum eſt commune illud proloquium: ex potentia, & obiecto paritur notitia.

Reſolutio Quæſtionis.

14. Reſolutio. Pro reſolutione huius difficultatis illud, tanquã omninò certũ, ſtatuendũ eſt, eos, qui ſpeciem ſolũ ponunt ex parte obiecti, & nullo modo ex parte potẽtiæ (quos §. 1. retulimus) non poſſe non admittere ſpeciẽ ſimul cũ intellectu effectiuè concurrere ad actũ intelligendi: nec enim audiẽdi ſunt, quos refert *Bañ. 1. p. q. 56. art. 1. dubio 1. §. alij verò aliter*, qui admittunt ſpeciẽ non concurrere effectiuè, ſed ſolũ vt principiũ formale: etenim cũ illi omnes vno cõſenſu nobiſcũ admittant ſpeciẽ intelligibilẽ ſimul cũ intellectu actiuè concurrere ad actũ intelligendi, vt dictũ eſt ar. 4. cũ nolint admittere eam aliquãdo ſe tenere ex parte intellectus; vtiq, nõ poſſunt negare illi influentiam in intellectionẽ, Coguntur igitur authores huius opinio- (Bañs.)

opinionis diſtinguere duplicẽ efficientiã, influentiamque in intellectionẽ: vnam; quæ ſe habet ex parte potentię intellectiuæ; alteram, quæ ſe habeat ex parte obiecti: & vtranque eſſentialiter diſtinctam, quod aduertit Scotus *in 1. diſt. 3. q. 7. lit. L §. ad propoſitum, & lit. M. §. concurrit ergo*: Etenim ſi vtraq; eſſet eiuſdem rationis, poſſet vna ita intendi, vt ad agendum altera non indigeret: ſicut patet in duobus trahentibus nauim. Quod tamen falſum eſt: quoniam nec obiectũ ſine intellectu, nec intellectus, ſine obiecto poteſt intellectionem cauſare, vt locis citatis bene aduertit Scotus; vbi docet influentias iſtas eſſe ordinis eſſentialiter diuerſi. Vna dici poteſt influentia intellectiua; altera obiectiua: vna eſt influẽtia intelligentis: altera intelligibilis, vt eſt intelligibile: Denique vna eſt influentia elicitiua actus intelligendi, & ideo eſt influentia intellectiua; altera eſt influentia obiectiuè motiua ad talem actum. *Scotus.*

15. Duplex efficientia in obiecto. Quin imò authores huius opinionis duplicem etiam efficientiam coguntur admittere in ipſo obiecto intelligibili: vnã realem, qua ſpeciem ſuam in intellectum producit: alteram intentionalem, qua in actum intelligendi influit. Illam habet, vt ſua reali exiſtentia eſt à parte rei, alteram habet, prout in ſpecie obiectiuè relucet, vt benè aduertit *Scotus in dicta q. 3. & 6. litera L. §. Ad quartum dico.*

16. Dubium. Vtrùm verò duplex hæc efficientia in actum intelligendi admittenda ſit in ſpecie apud eos, qui admittunt ſpeciem tenere ſe, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti? res eſt ſatis dubia. Pro parte negante faciunt, quæ pro eadem parte adduximus §. primo. Partem tamen affirmantem videntur confirmare; quæ pro eadem parte §. ſecundo adducta ſunt. Qui in his terminis quæſtionem explicauerit: inueni neminem. Vtranque partem eſſe probabilem olim iudicaui, cum libros de Anima annis vltra 40. auditoribus interpretarer tractatu 3. quæſtione ſexta concl. vltima.

Pro parte affirmante ſoluuntur argumẽta partis negantis.

17. Pro parte, quæ affirmat ſpeciem, vt ſe tenet ex parte obiecti, concurrere actiuè ad actum intelligendi, etiam ſi eadẽ ſpecies ſe teneat ex parte potentiæ, facile ſoluuntur argumenta partis oppoſitæ.

Ad primum, admittendum eſt ſpeciẽ ex parte potentiæ habere veram actiuitatem in actum intelligendi, vt argumẽtum ſumit, & latè oſtendemus in ſeptimo articulo ſequenti: Dicimus tamen vnam efficientiam alteram nõ excludere; quia vtraque eſt neceſſaria, vt actus intelligendi producatur, altera tamen, & alia ratione: nam obiectum, vt per ſuam ſpeciem aſsimilauit ſibi intellectum, concurrit ad intellectionem, tãquam principium quo agendi: quatenùs aſsimilando ſibi obiectum, ita vt intellectus ſit ipſum, conſtituit intellectum in actu primo determinando illum ad hoc potiùs obiectum, quàm ad illud. At verò idemmet obiectum, vt per ſpeciem obiectiuè proponitur intellectui, tanquam alterum extremum ſimilitudinis, concurrit per efficientiam obiectiuã, quàm habet, vt eſt intelligibile: nã ſuprà diximus, qui admittunt ſpeciem habere ſe ex parte obiecti (ſiue etiam ſe habeat ex parte potentiæ, ſiue non) duplicem influentiam, & actiuitatem eſſentialiter diſtinctam, & eſſentiali ordine ſubordinatam intellectui, tenentur admittere. Ad 1.

Ad 2. dicendum eſt antecedens, quanuis ab aliquibus abſolutè probetur (inter quos eſt Curſus Conimb. 2. Phyſicorũ. cap. 7. q. 2. art. 3. ad 3.) in ſe tamen ſatis eſſe dubium: imò abſolutè negandum: tum; quia fortè veriſsimum eſt omnia obiecta potentiarum vt talia ſunt, effectiuè influere in illarum actus; quòd pro fundamento ſumunt authores ſententiæ, quam modo defendimus, vt patet ex 3. illius argumentõ, quibus ſuffragatur Fonſeca in eodẽ citatus; tum etiã; quia negandũ eſt tale antecedẽs in obiecto intellectus: quoniam intelligibile, vt intelligibile eſt, eſt efficienter motiuũ intellectus, vt dixim⁹ lib. 3. q. 5. art. 1. nu. 16. & abſolutè docet *Suarius in Metaph. diſp. 12. ſect. 3. nu. 17.* & de obiecto voluntatis in ordine ad actum volendi idem docuerunt præſtantiſsimi Theologi, quos in dicto tertio argumento citauimus. Tum denique; quia licèt admittamus obiectum voluntatis effectiuè non cõcurrere, vt volũt auctores in argumento citati, cum quibus conſentit Suarius vbi ſuprà: non proinde cogimur admit- 18. Ad 2. *Fonſeca.* *Suarius.*

admittere id em dicẽdum eſſe de obiecto intellectus, propter diſparẽ rationẽ, quæ in vno, & altero reperitur: obiectũ enim voluntatis, cum ſit bonum, & moueat vt bonum, illi ſoli conuenit motio cauſæ finalis: Obiectum autem intellectus, cũ ſit verum, mouet vt intelligibile; cui conuenit mouere, vt efficiens.

19. Ad 3. Ad 3. admittimus, quòd adducitur: quia obiectum præſentatum in ſpecie poteſt eſſe ens reale non exiſtẽs, aut abſens; imò poteſt eſſe ens fictitium: inde tamen non benè infertur illa obiecta non poſſe efficienter concurrere ad actum intelligendi; quicquid oppoſitum velint *Lychetus*, *& Herrera*, *& poſt eos Bellomontanus prima ſecundæ, diſput.* 14. *cap.* 1. *num.* 6. *& diſput.* 36. *cap.* 2. *num* 7. nam licèt id, quòd realiter non exiſtit ad extra, aut non eſt realiter præſens, aut eſt ens confictum, non poſsit realiter operari, operatione Phyſica, & in genere entis; poteſt tamen habere realem influentiam in genere intelligibili, & ſecundùm operationem intelligibilem: licèt enim hæc realis ſit, vt reale diſtinguitur ab ente per rationem: non tamen requirit, vt omne agens illius generis ſit ens reale ſecundum realem exiſtentiam ad extra, & ſecundùm præſentiam localem; imò ſecundùm talem exiſtentiam nullũ ens poteſt agere in tali genere, quia nullum ens pręciſè ſumptum ſecundùm exiſtentiam realem ad extra eſt actu intelligibile, ſed ſolùm potentia, iam verò intellectus à ſolo ente actu intelligibili poteſt immediatè immutari, quod doctiſsimè aduertit *Rada 2. p. controuer. 8. art. 1. notab. 3. pag. 225. col. 2. in fine.* Igitur ad actiones reales generis intelligibilis requiritur quidem, quòd obiectum ſit ens realitate eſſentiæ, quamuis non ſit ens realitate externę exiſtentiæ. Nam cũ omne ens ratione ſuæ entitatis eſſentialis ex ſe ſit intelligibile, vt ex Metaphyſica ſupponimus; omne ens per realitatẽ ſuæ eſſentiæ erit realiter immutatiuũ intellectus, ſaltẽ in potentia: fiet autẽ actu tale, quando per ſpeciem, & in ſpecie habuerit exiſtentiam obiectiuã in intellectu. Vnde ſub tali exiſtentia (quæ eſt exiſtentia rei actu intelligibilis intelligibilitate proxima) poteſt realiter influere in intellectionẽ: quia illa exiſtentia obiectiua non eſt illi ratio formalis agẽdi actiones intelligibiles; ſed conditio neceſſaria ad agendũ illas actiones. Quod dicimus de ente reali nõ exiſtente, aut localiter abſente, dicemus etiam de ente chimerico, & ficto: hoc enim ens, licèt non ſit ens ad extra, nec poſsit exercere actiones Phyſicas: poteſt tamen realiter operari actiones intelligibiles; quia ad hoc ſatis eſt, quod ſit ens reale ſecundùm ſuas partes, conceptibile tamen in ſua totalitate per intellectum. Quod latiùs explicare non eſt huius loci.

Lychetus. *Herrera.* *Bellomon.* *Rada.*

20.

Pro parte negatiua ſoluuntur argumenta partis affirmantis.

Sed quoniam pars negans facilè defendi poteſt, ſi admittatur opinio, quę in ſpecie impreſſa admittit obiectum repræſentari terminatiuè; ideo ſoluenda ſunt argumenta, quæ pro parte affirmante ſupra adduximus. Si tamen prius aduertamus ſermonem eſſe hoc loco ſuppoſita opinione, quod ſpecies tenet ſe, tum ex parte obiecti, tũ ex parte intellectus. ¶ Qua facta ſuppoſitione iam patet defectus primi argumenti: quoniam authores huius negantis partis admittũt quidẽ ſpeciẽ actiuè cõcurrere ad intellectionẽ; hanc tñ efficientiã illi non attribuũt, niſi vt habet ſe ex parte intellectus: cũ verò ita ſit forma per ſe actuatiua, & informatiua intellectus, per ſe, & non per accidẽs habet, quòd intellectui inhæreat, aſsimilando illũ rei intelligendæ, & faciendo, vt formaliter intellectus ſit ipſa res intellecta; quã formalẽ cauſalitatẽ non exercet, prout rem ipſam intellectui præſentat obiectiuè, ſed prout intellectũ facit eſſe rem ipſam: quem effectum eſſe natura priorem ipſa obiectiua repræſentatione rei, latè oſtendemus in quæſt. 4. conſequente. Quare admiſſa maiore, negãda eſt minor: etenim falſum eſt ſpeciẽ, vt ſpecies eſt, & prout ſpeciei munera exercet, nõ habere per ſe, quòd intellectui inhæreat, vt iam oſtendimus ſuprà art. 3. & inferiùs latè oſtendemus in d. q. 4. vbi etiã patebit ſpeciẽ, vt ſe habet ex parte intellectus, eſſe obiecti vicariã: imò oſtendemus falſum eſſe id, quòd vt indubitatũ aſſumunt, ſpeciẽ ſi abſque inhæſione aſsiſteret intellectui, poſſe in actionẽ influere: nullũ enim ſpeciei munus tunc poſſet exercere, vt ibidẽ dicemus, & iam diximus ſuprà ar. 3. §. 1.

21. Ad arg. partis affirmãtis.

Ad 1.

22. Ad 2. Ad 2. authores huius ſententiæ admittẽt maiorem; quia ſpecies omnia ſua munera exercet, vt vicaria obiecti, ſicut dicemus in quæſtione ſequenti articulo vltimo. Quare in intellectu omnia facit, quæ faceret obiectum, ſi ſine ſpecie ſecundùm ſe ipſum eſſet intra intellectum. Admittent etiam minorem, & concedent, quod obiectum tunc actiuè moueret intellectum, & cum eo influeret ad intellectionem: negarẽt tamen obiectum habere illã actiuam influentiam quatenùs ſe ipſum præſentat intellectui, ſed ſolùmquatenùs ad eum ſe habet ad inſtar ſpeciei aſsimilã do illum ſibi, & ipſa aſsimilatione conſtituendo ipſum in actu primo: vnde quatenùs ſe ipſum præſentat obiectiuè, ſolùm ſe præſentat vt terminum intellectionis; ſub qua ratione nullam habet actiuitatẽ: nam hoc etiam modo eſſentia diuina, vt ſe ſe apud aduerſarios obiectiuè præſentat intellectui, non concurrit actiuè, ſed ſolum terminatiuè abſque vlla cauſalitate, ſaltem efficiente, de quo plura dicenda ſunt inferiùs q. 5.

23. Ad 3. 1. Solutio. Ad tertium plures negant antecedẽs quia putant nullum obiectum potentiæ ad actum eius effectiuè concurrere, ſed ſolùm formaliter; inter quos enumeratur Curſus Conimbriſ. 2. *Phyſic. c. 7. q. 2. art. 3. ad tertium, & ſatis id ſignificat 1. poſteriorum cap. 2. q. 3. art. 2. poſt principium pagin.* 379. ¶ Sed quia in obiecto intellectus oppoſitum eſt veriùs vt ſuprà diximus, & aduertimus *lib. 3. q. 5. art. 1. nu. 16. & abſolutè docet Suarius in Metaph. q. 12. ſec. 3. n. 17. & Fonſeca in 5. Metaph. c. 15. q. 4. ſect. 6 fol. 721. & 723. §. Quod verò additur,* & idẽ non poſſunt non aſſerere, qui ponunt ſpeciem ex parte intellectus, vt patebit ex ſequenti articulo: Ideo authores opinionis, qui ſupponunt ſpeciem tenere ſe ex vtraque parte, admittent quidem obiectum intellectus (intelligibilẽ ſcili.) ex ſua natura effectiuè concurrere ad actum intelligendi: non tamen prout obiectiuè præſentatur intellectui, ſed quatenùs intellectum ſibi aſsimilat, & cum eo ſit vnũ in intelligendo, vt ex Diuo Thoma, & alijs dicemus in ſeptimo, articulo ſequente. Idem igitur dicendum eſt de ſpecie intelligibili, quę eſt vicaria obiecti.

Conimb.

Suarius.

Fonſeca.

3. Solutio.

24. Quare ad argumentum in forma negabunt antecedens, ſi ſermo ſit de obiecto, vt obiectiuè ſe habet ad intellectum. Ad probationem admittent potentias eſſe menſurata; obiecta autem menſuras; idque prout potentijs obiectiuè proponuntur: nam cũ potentias menſurent, prout ſunt normæ quædam, & regulæ cognitionis, & veritatis eius, vt benè aduertit Fonſeca citatus in argumento, non poſſunt non menſurare illas, vt proponuntur obiectiuè: negandum tamen eſt eidẽ Fonſecæ obiecta ideo eſſe normas, & regulas cognitionis, quia in eam actiuè influunt; ſed ideo potiùs cenſebuntur normæ, quia cognitionem ſpecificant, vel in genere cauſæ finalis, vt quidam volunt; vel in genere cauſæ formalis, vt alij malunt, vt patet ex Curſu Conimbricenſ. locis citatis. *Fonſeca.*

25. Ad inſtantiã de volũtate. Quod verò adducitur de obiecto voluntatis, parum ad rem facit, vel quia plures negant illud effectiuè agere, quos citauimus in ſecundo argumento partis negantis; vel quia licet in eo admittatur efficientia; non proinde illa admittenda eſt in obiecto intellectus prout obiectiuè proponitur: diſpar enim reperitur ratio: quia obiectum potentiæ appetetiuæ, cum in ea non agat mediante ſpecie, nullam poteſt efficientiam habere, niſi obiectiuam, cuius oppoſitum reperitur in obiecto intellectus, quòd agens per ſpeciem poteſt agere, vt ſe tenet ex parte intellectus, non verò vt ſe tenet ex parte obiecti.

26. Ad 4. Ad quartum multis modis reſponderi poteſt; vno modo, ſi dicam⁹ Philoſophiã illam non eſſe vniuerſaliter veram in actibus omnium potentiarum: quia plures eorum ſpecificantur à potentijs, vt nonnulli volunt. Secundò reſpondetur ſi dicamus intellectionem ſpecificari ab obiecto intellegibili, prout vt facit intellectũ eſſe ipſum obiectum: intellectus enim factus lapis non poteſt, niſi lapidem intelligere: & cum intellectus priùs natura fiat ipſum obiectum per ſpeciem, quam per eandem obiectiuè repræſentetur intellectui; vtique iã ſupponit in intellectu eſſe propriam rationem ſpecificatiuam intellectionis. Reſpondetur tertiò negando Philoſophiam Caietani, nec enim ad ſpecificationẽ actus opus eſt concurſus effectiuus ſpecificantis; ſed ſatis eſt cõcurſus formalis, vt Conimb. putãt in citat. locis.

Capreol. *tia, & inferiùs concluſione 1. & ante eum id docuit Capreolus in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad quartum Scoti, fol. 237. col. 2.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm, & quomodò ſpecies actiuè concurrat cum intellectu, vt ſe tenet ex parte illius?

1. De actiuitate ſpeciei vt ſe tenet ex parte intellectus. HÆC quæſtio locum non habet apud eos, qui negant ſpeciem ſe tenere ex parte intellectus, ſed ſolùm ex parte obiecti. Verùm quia hãc ſententiam vt omninò improbabilem, & doctrinæ Ariſtotelicæ contrariam rejecimus ſuprà artic. 1. §. 2. vbi oſtendimus negandum non eſſe ſpeciem ſe tenere ex parte potentiæ, ſiue ſolùm ſe teneat ex parte illius, ſiue etiam ex parte obiecti, de quo diximus art. 1. & 2. non poſſumus non inquirere, vtrùm ſpecies, prout ſe habet ex parte intellectus, actiuè influat in actum intelligendi? duo autem inquiremus: primũ eſt; vtrum actiuè influat? alterum eſt; quomodò influat? an vt concauſa partialis; an alio modo?

§. 1.

Species vt ſe habet ex parte intellectus actiuè influit in intellectionem.

2. Quid ſit indubitatum. INdubitatum eſt apud omnes, qui ſpeciem ex parte intellectus agnoſcunt, eam actiuè influere in actum intelligendi: nec aliquis eſt ex iſtis, qui illi negauerit actiuitatem. Id manifeſte docuit D. Thom. 1. p. q. 105. art. 3. *dum agens de ijs, quæ ſunt ex parte intelligẽtis, ita ait: Operationis autem intellectus eſt duplex principium in intelligente: vnum, quod eſt ipſa virtus intellectiua: aliud eſt principium intelligẽdi in actu; ſcilicet ſimilitudo rei intellectæ.* Et in fine corporis docet, *Deum mouere intellectum, & vt dat ei virtutem ad intelligendum; & in quantum ei imprimit ſpeciem intelligibilem. Et ad* 2. dicit, quod *lumen intellectuale ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi.* (D. Thom.)

3. Quod verò agat de ſpecie vt ſe tenet ex parte intellectus, patet; quia agit de principijs, quæ ſunt in intelligente, vt intelligens eſt. Hoc etiam manifeſtè deducitur ex eodem D. Thoma 1. p. q. 56. art. 1. dũ (D. Thom.) ait, *quod obiectum per ſuam ſpeciem vnitum potentiæ, ſe habet ad actionem, ſicut forma, quæ eſt principium actionis in alijs agẽtibus.* Iam verò in alijs agẽtibus forma, quæ eſt principium actionis, ſe tenet ex parte agentis. Quod expreſsiùs declarat, dum addit, *quod ſicut calor eſt principium formale calefactionis in igne, ita ſpecies eſt principium formale intellectionis*, & idem ſcribit *de potentia q. 9. art. 5*: calor autem eſt principiũ ſe tenens ex parte ignis calefaciẽtis.

4. Hæc eſt ſẽtentia Diui Thomæ. Accedat etiam, quod D. Thom. multis in locis docet intellectum, & obiectũ per ſuam ſpeciẽ ſe habere, vt vnum agẽs, vnumque principium actiuum intellectionis, vt patet de potentia q. 8. art. 6. vt vnum (inquam) agens, quod eſt intellectus factus in actu per ſpeciem; ita vt intellectus factus res ipſa ſit vnum influens: intellectus vt *quod*, ſpecies autem vt *quo*. Agit igitur de ſpecie, vt ſe tenet ex parte intellectus, cui eſt principium formale agendi. Dubitari igitur non poteſt D. Thomam exiſtimaſſe ſpeciem intelligibilem ex parte intellectus eſſe principiũ effectiuum intellectionis: quod fatetur *Bañes 1. p. q. 56. art. 1. dubio. 1. §. Ad hoc argumentum poteſt aliquis reſpondere.* Vnde Caietanus in eadem eſt ſententia 1. *p. q. 79. art. 2. §. Secunda opinio*, dum docet ſpeciem ex parte intellectus poni, vt formã eum actuantem, & vt rationem operandi: quod verò actuat intellectum, eſt illi principium intelligendi; & quod intellectui eſt ratio operandi, influit in operationem. (Bañes. Caietan.)

5. Hanc ſententiam eſſe indubitatam, ſi ſemel admittatur ſpeciẽ ſe tenere ex parte potentiæ, affirmat *Bañes 1. p. q. 12. art. 2. dubio. 2. concl. 2. & 3*: nec ſanè ſine fundamento: quoniam quod ſe tenet ex parte potentiæ, eſt actus primus illius: actus autem primus alicuius potentiæ ex ſua natura eſt principium actiuum influens in actiones potentię: nec enim agens ageret, quatenus eſt in actu primo; niſi actus, quo actuatur, ex ſua natura eſſet principium operationis ipſius agentis. Quare cum intellectus fiat in actu primo per ſpeciem, vt eſt conſtans doctrina D. Thomæ, & patebit ex ſequenti quæſtione; aſſerendum eſt ſpeciẽ, vt ſe tenet ex parte potentię, actiuè influere in intellectionem. Quod euidenter colliges ex Ariſt. (Bañes.)

Ariſtot. 3. *de Anima cap. 4. tex.* 8. dum ait intellectum per ſpeciem factum ipſam rem intellectam, poſſe per ſe operari: non ob aliam rationem, niſi quia habet in ſe actiuum operandi principium.

§. 2.

Species, vt ſe tenet ex parte intellectus, non concurrit partialiter vt quod, ſed ſolum vt quo.

SEd iam expedamus, quomodò ſpecies tenens ſe ex parte intellectus,

6. Quomodò ſpecies ex parte intellectus cũ eo concurrat. Caiet. Iauellus.

ſimul cum eo concurrat, & influat in intellectionem; quam queſtionem, qui ſpeciem admittunt ex parte intellectus, vel non attingunt, vel non ſatis explicãt: De ea agit *Caietanus* 1. *p. q.* 79. *artic.* 3. §. *Quoad* 2. *quia hic. Et Iauellus* 3. *de Anima q.* 2. *de actu intellectus*, §. *Sed aduerte*, de ea latè diximus in libris de Anima. Vt eam diſtinctè explicemus, aduertimus Scotũ, & alios, qui volunt ſpeciem cum intellectu partialiter concurrere, non agere de ſpecie, vt ſe tenet ex parte intellectus, cũ neget eam eſſe poſſe ex parte illius: ſolũ igitur agit de ea, vt ſe tenet ex parte obiecti. In quo ſenſu optima eſt ſententia, quæ illi partialem concurſum concedit, vt vidimus in præcedenti art. non ſic phi-

In quo ſenſu ſit vera ſententia Scoti.

loſopharentur, ſi admitterent ſpeciem ex parte intellectus, & ita diſputarent de actiuitate illius. Vnde non eſt, quod Caietanus Scotum arguat, quod contra Ariſtotelem partialem cauſalitatem approbauerit: nam in ſenſu, in quo eam approbat, ſatis philoſophicè loquitur, ſi in intelligibili, quatenus intelligibile eſt, admittatur obiectiua actiuitas: quia vt ſic, non alia, niſi partialis, admitti poteſt, vt diximus in præcedente articulo.

Agendo igitur de ſpecie habente ſe ex

7. Opinio quorundam. Capreol.

parte potentiæ, nonnulli videntur illi cõcedere partialem cauſalitatem. Etenim Capreolus docuit ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte potentiæ, vt patet *in* 1. *diſtin.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 7. *ſecundo loco contra* 1. *fol.* 206. *col.* 2: & tamen ſimpliciter admittit eam partialiter cum intellectu concurrere, vt patet in 1. *diſt.* 35. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *ad*

Caiet.

5. *Scoti contra primam, fol.* 237. *col.* 2. Caietanus etiam, qui ſpeciem ex parte intellectus ſemper admiſit, aliquando illi attribuit partialem cum intellectu concurſu, vt ipſe de ſe teſtatur 1. *p. q.* 12. *art.* 2. §. *In reſponſione ad* 3. *verſ. Dicendum eſt ergo*: quin potiùs ibidem admittit intellectum, & ſpeciem ſe habere quaſi duo partialia agentia.

Sed quicquid ſit de mente Capreoli, & 8.

Vera opin.

Caietani, ad quæſtionem reſpondendum eſt intellectum, & ſpeciem, vt eſt à parte illius, nullo modo ſe habere, vt duo agentia partialia conſtituẽtia vnum totale per aggregationem: quam ſententiam ſimpliciter probarunt Caietanus *in dicta quæſt.* 79. *& Iauell. in q.* 2. *iam citata.* Quæ reſo-

Caietan. Iauellus.

lutio facilè oſtẽdetur, ſi præſupponamus ſpeciem ex ſua natura eſſe principium intelligendi formale, vt docet D. Thom.

D. Thom.

1. *p. q.* 56. *art.* 1. quia ſcilicet eſt principiũ, quo intelligimus, vt idem D. Thom. docet *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2: vnde eſt principium, vt forma ſecundùm quam intellectus intelligit, vt explicat idem D. Thom. 1. *p. q.* 87. *art.* 2. *in corpor. & ad* 1. quæ D. Thomę Philoſophia ab omnibus Thomiſtis recipitur, nec cum fundamento poterit ab alijs negari; ſiquidem ab Ariſtotele vocatur forma rei, qua intellectus formaliter fit ipſa res, & qua actuatus poteſt intelligere, cum voluerit, vt patet ex *Ariſpotele* 3. *de Anima cap.* 4. *text.* 8. *& cap.* 8. *tex.* 38. Ariſt.

Hac ſuppoſita Philoſophia facilè oſtẽ- 9.

Species nõ concurrit partialiter ex parte intellectus.

ditur ſpeciem non poſſe cum intellectu partialiter concurrere ad intellectionem: etenim, vt diximus in præcedenti art. vt duæ cauſæ, verè & propriè dicantur partiales, oportet, vt neutra ſit alteri formalis ratio agendi, vt aſſerit Scotus *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 7. *litera BB.* §. *vel aliter poſſet dici*, ſed vtraque in ſuo ordine concurrat, vt *quod*, & in eodem vtraque ſit completa in hoc ſenſu, quia neutra ab altera habet aut virtutem actiuam, aut intrinſecum ſuæ actiuitatis complementum, vt docet Scotus in *d. q.* 7. *litera L.* §. *Quandoq; autem.* & lit. Scotus.

M. §. *Reſponſio ad primam*: nam quanuis vna ſine altera non ſit ſufficiens ad producendum effectum; tamen vtraque illarum à ſe, & non ab altera habet eam virtutem, qua ad effectum concurrit in ſuo ordine perfectam, vt docet Scotus in d. q. 7. litera M. §. *Sunt igitur cauſæ.* Hæc autem non reperiuntur in intellectu, & ſpecie; quoniam nec ſpecies exiſtens à parte intellectus concurrit vt *quod*, ſed

 ſolùm

ſolùm vt *quo*, & vt ratio formalis agendi, vt oſtendimus: nec intellectus in ſe ipſo ſumptus ſine ſpecie habet virtutẽ in ſuo ordine omnimodè completam completione proxima, vt poſsit actu elicere intellectionem: etenim vt ſic, ſicut non poteſt actu influere; ita nec poteſt ſe ipſum applicare ad influendum: in quo diſtinguitur ab eo, qui cum alio nauim trahit: iſte enim licet habeat virtutem inſufficiẽtem, vt poſsit ſe ſolo trahere nauim; non tamen eam habet inſufficientem ad applicandum eum, quem habet concurſũ: nam cum illum habeat à ſe, poteſt altero non concurrente ſe ſolo ſuum influxum applicare, & connari ad tractum, quamuis fruſtrà, & inutiliter connetur. Et ad hũc ſenſum explicandus eſt Caietanus cum cæteris, qui dicũt intellectum nudè ſũptum non habere virtutem actiuam ad intelligendum: licet enim virtutem intelligendi à ſe habeat, nec eam à ſpecie mendicet; eam tamen habet non dum completam, & proximam ad actualem influxum applicandum, ſed ad hoc indiget ſpecie. *Caietan.*

11. Concluſio. Quare concludendum eſt ſpeciem intelligibilẽ cum intellectu non concurrere vt cauſam partialem partialiter cum eo coagentem, ſi propriè loquendum eſt.

§. 3.

Speciem cum intellectu concurrere, vt agens quo.

12. Concurrit vt agens *quo*. SI quis igitur inquirat, quomodò ſpecies intelligibilis cum intellectu actiuè concurrat ad actum intelligendi? ex ijs, quę de illa immediatè diximus, facilis eſt ſolutio: nam cum ſpecies ex ſua natura ſit principium intelligendi formale, & vt *quo*, concurret cum intellectu, non vt *quod*, ſed vt *quo*.

13. Quomodò hac de re ſit philoſophã dum? Quare de intellectu, & de ſpecie, vt eſt ex parte intellectus, ſic debemus philoſophari, vt de duabus cauſis, nõ eiuſdem, ſed diuerſi generis, quarum altera cauſat, vt *quod*; altera ſolum vt *quod*, & tanquam ratio agendi alterius. Vnde ex intellectu & ſpecie non conſtituitur vnum agens partialiter integratum ex viribus, vt diximus §. 2. ſed conſtituitur vnum agens cõſtitutum in eſſe completo ad agendũ.

14. Et quamuis in agentibus phyſicis, & realibus, vt diſtinguuntur ab agentibus generis intelligibilis, nõ inueniatur agẽs per omnia ſimile; aliqua tamen ſunt ad inſtar quorum licet philoſophari de agẽte intellectiuo in genere intelligibili, qualis eſt intellectus actuatus ſpecie. Quare ſicut ex igne, & calore conſtituitur vnũ agens proximè completum ad calefaciẽdum: & ex potentia, & habitu ſit vnum agens completum ad facile agendum; ita etiam ex intellectu, & ſpecie ſit vnum agens ad intelligendum. Et ſicut ignis cũ ſuo calore non concurrit partialiter, ſed concurrit, vt agens *quod* vt formaliter completum per calorem: & ſicut potentia cum ſuo habitu non concurrit partialiter, ſed vt cauſa vt *quod* completa per habitum vt *quo* ad facile operandum; ita intellectus cum ſpecie non concurrit partialiter, nec vt concauſa, ſed vt cauſa principalis vt *quod* conſtituta in eſſe completo, & proximo ad intelligendum formaliter per ſpeciem. Et ad hunc ſenſum, concurſum ſpeciei intelligibilis cum intellectu comparauit D. Thomas cum cõcurſu caloris cum igne *1. p. q. 56. art. 1. & alijs in locis.* *D. Thom.*

§. 4.

Intellectus, & ſpecies conſtituunt vnum totum concurrens ſecundùm vtranq; partem.

EX dictis patet intellectum, & ſpeciem conſtituere vnum totum intellectiuum in actũ primo: quod ipſum non eſt aliud, quàm intellectus in actu, quod ſatis habes ex Caietano *1. p. q. 79. art. 2. §. Quo ad 2. quia hic. verſ. Ad euidentiam, & ex Iauello in 3. de Anima q. 2. de actu intelligendi, §. Sed aduerte.* Etenim ex D. Thoma conſtat ex intellectu, & ſpecie fieri vnum, vt patet *1. p. q. 55. ar. 1. ad 2. & de Veritate q. 8. art. 1. Et in 4. diſtinct. 49. q. 2. art. 1. in corp. paulò ante finẽ, & ad 8. & paſsim alibi*: quod vnum eſt ipſe intellectus in actu. 15. Intellectꝰ & ſpecies conſtituũt vnũ totum intellectiuũ. *Caietan. Iauel.* *D. Thom.*

Hoc ſuppoſito, poterit aliquis inquirere; an intellectus in actu ſit vna cauſa ſimplex, an compoſita? Reſpondendum erit non eſſe cauſam omninò ſimplicem, ſicut eſt voluntas, & cæteræ potentiæ nõ cognoſcitiuæ, quæ ex ſua natura ſunt ſibi tota, & completa virtus: nec eſſe cauſam compoſitam compoſitione integrali, & per aggregationem ex pluribus partia- 16. An intellectus, & ſpecies ſit vna cauſa ſimplex?

tialibus, vt ex dictis patet; eſſe tamen cōpoſitam ex virtute intellectiua, & complemento ſuæ virtutis, de quo plura in ſequenti articulo.

17. Quomodò illud vnum totum concurrit ad actum? Si rurſus aliquis inquirat, quomodò totum hoc (intellectus ſcil. in actu) concurrat ad actum intelligendi vtrùm ne eo modo, quo totum in genere phyſico concurrit vt *quod*, ratione tamen formæ, quæ ſibi eſt principium agendi; an verò ſe toto, ſuaque totali actiuitate? in hac difficultate non inuenio Doctores vniformiter ſe habentes: etenim qui volunt intellectū ex ſe non habere actiuitatem, ſed eam cōſequi à ſpecie, de quibus egimus ſuprà ar. 5. vt conſequenter loquantur, reſpondebunt hoc totum (intellectum ſc. in actu) 1. opinio. influere in intellectionem, ratione tamē ſpeciei, quæ eſt illi tota agendi virtus: nō ſecus atque totum in genere entis; nempe ignis, qui vt eſt quoddam totum, calefacit vt *quod*; non tamen ratione vtriuſq; partis; quia materia nullam habet actiuitatem, ſed ratione formæ ignis, qua fit actu ignis, quia hæc eſt ei agendi ratio, & virtus: eadem enim videtur ratio in hoc toto (intellectus in actu:) nam ſicut ex materia, & forma componitur ignis, quia eſt quoddam totum, cui primò conuenit actio: ita ex intellectu, & ſpecie componitur vnum totum, qui eſt intellectus in actu. Cui opinioni videtur fauere doctrina Caietani 1. *p. q.* 79. *art.* 2. §. *Quoad ſecūdum quia hic, verſ. Ad cuius euidentiam*, dū Caietan. ait intellectum ex ſe non habere aliquā agendi rationem, eam tamen conſequi ex hoc, quod fit actū ipſum intelligibile per ſpeciem, quia (vt ait) connaturale eſt omni formæ eſſe agendi rationem.

18. Oppoſita eſſe vera. Caiet. Iauellus. Oppoſitam tamen ſententiam defendunt *Caietanus vbi ſuprà, & Iauellus in* 3. *de Anima q.* 2. *de actu intellectus*, §. *Sed aduerte*: vterque enim aſſerit hoc totum (intellectum ſcil. in actu) intelligere, & non ratione partis. Attamen non eodem modo (ſi benè expendantur) rem iſtam declarant: nam licet vterque admittat in- Non eodē modo explicant Caiet. & Iauellus. tellectum, vt eſt in actu, eſſe id, quod agit, tamen Caietanus putat intellectum non habere vim agendi, niſi quia per ſpeciem eſt in actu: Iauellus è contrario docet ſolum intellectum habere agēdi virtutem, non verò ſpeciem; intellectum tamen nō agere, niſi vt eſt in actu.

Sed neutra opinio probanda eſt; primò, quia vtraque falſo nititur fundamē- 19. Neutra probatur. 1. ratio. to: fallitur enim Caietanus, dum putat intellectum ex ſe non habere virtutem intelligendi, niſi vt eſt in actu per ſpeciem. Fallitur etiam Iauellus, dum exiſtimat Iauell. ſpeciem nullam in actum intelligendi habere actiuitatem, ſed totam ineſſe in ſolo intellectu. Contra Caietanum egimus ſu- Caiet. prà art. 5. §. 4. Contra Iauellum autem ſuprà art. 4.

Deinde neutra probanda eſt; quia vtraque incidit in opinionem, quam repro- 20. 2. ratio. bat: vtraque enim non poteſt non concedere hoc totum (intellectum ſc. in actu) non agere ſe toto, ſed ratione partis: quā opinionem vterque reprobat: nam ſi intellectus ex ſe non habet rationem agendi, vt ait Caietanus, ſed eam conſequitur ex ſpecie, qua actuatur; vtique illud totū (ſcil. intellectus in actu) rationem intelligendi non habebit à ſe toto, ſed à ſola ſpecie, qua eſt in actu. Eodem modo ſi ſpecies nullam habet influentiam in actum intelligendi; ſed totam habet intellectus, vt Iauellus opinatur; vtique illud totum non ſe toto intelliget, ſed ratione partis: licet enim illud totum non ſit aliquod tertium diſtinctum à partibus, vt eſt totum phyſicum: eſt tamen totum quoddam conſtitutum in aliquod eſſe, quę cōſtitutio largo modo dicitur compoſitio ex partibus: in quo ſenſu inquirimus, vtrum intellectus in actu ſe toto influat in actū intelligendi; an verò ratione partis?

Omittimus, quod opinio Iauelli vide- 21. tur repugnantia includere: implicat enim 3. ratio. intellectum fieri in actu primo per ſpeciem; & ſpeciem nullam habere influentiam in intellectionem; quia, vt benè aduertit Caietanus, & vera docet Philoſophia, connaturale eſt actui, & formæ eſſe agendi principium. Alia igitur via oportet difficultatem explicare.

Vera explicatio.

Pro vera huius difficultatis explica- 32. Vera explicatio. tione aduertendum eſt, quàm diligentiſ- Compoſitū accidentarium ſupponit pro ſubiecto. ſimè, compoſitum accidentarium (qualis eſt intellectus actuatus ſpecie) ex ſe habere, quod ſupponat pro ſubiecto, quod per formam actuatur: ita vt ipſum ſubiectum

ctũ ſit, quod exercet operationes totius, non nudè ſumptum, ſed vt actuatum per formam accidentariam: album enim, cui primò conuenit diſgregare viſum, ſupponit pro pariete, non nudè, ſed vt eſt affectus albedine: vnde paries habens albedinem eſt, qui diſgregat viſum, formaliter tamen per albedinem. In quo compoſitum accidentariũ diſtinguitur à ſubſtantiali: nam compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma eſt vnum tertium realiter diſtinctũ à ſingulis partibus, cui primò conuenit operari vt *quod* operatione ſuarum partium, ratione tamẽ partis formalis, quæ illi eſt ratio agendi: ignis enim eſt qui calefacit, & comburit, non verò materia, aut forma: & ratio eſt, quia ipſum totum eſt, quod per ſe ſubſiſtit: oppoſitum reperitur in compoſitione accidentaria: nec enim per eam conſtituitur vnum tertium diſtinctum à partibus; ſed altera pars, nempe ſubiectum habens rationem materiæ per formam accidentariam conſtituitur in aliquo actuali eſſe: paries enim per albedinem conſtituitur in eſſe albi; & ob id totum ipſum album ſupponit pro illo in exercendis operationibus; quia ipſe paries eſt, qui diſgregat viſum per albedinem.

23. Probatio reſolutionis. Ex hac veriſsima Philoſophia colligitur difficultatis reſolutio: ex ea enim infertur intellectum in actu eſſe totum, quod ex intellectu, & ſpecie conſtituitur in eſſe intelligentis in actu primo; quæ conſtitutio eſt quædam compoſitio accidentaria, in qua intellectus (qui ſubit rationem materiæ, & ſubiecti) conſtituitur in eſſe intellectiui in actu; & inde eſt, vt totum illud in exercendis operationibus intelligibilibus ſupponat pro intellectu non nudè, ſed vt actuato per ſpeciem: vnde intellectus ipſe eſt, qui intelligit formaliter per ſpeciem, vt per rationẽ agendi. Quare hoc totum (intellectus ſcil. in actu) ſe toto influit in actũ intelligendi, tum ratione intellectus, tum etiam ratione ſpeciei: alio tamen, & alio modo: quia intellectus influit, vt *quod*; ſpecies verò, vt *quo*.

24. Duo obijciuntur. Duo tamen obijci poſſunt. Primum eſt; quoniam intellectus non intelligit, vt quod, ſed anima ſiue homo. Alterum eſt, quoniam compoſitum accidentarium nõ agit ſecundùm omnes ſui partes, ſed ſecundùm ſolam partem formalem: paries enim vt paries non influit aliqua virtute ſibi propria, ſed per ſolam albedinem.

Ad primum dicimus Philoſophos cõmuniter loqui de intellectu, vt de intelligente vt quod: quia in illa compoſitione (quæ eſt accidentaria) habet rationẽ materiæ, & eſt id, quod per ſpeciẽ actuatur. 25. Ad 1.

Ad 2. reſpondetur longum eſſe diſcrimen inter compoſita accidentaria in genere entis, & in genere intelligibili: quia in genere entis ipſa ſubiecta, quæ per formam conſtituuntur in eſſe accidentario, in ordine ad operationes totius conſtituti non habent rationem actus, ſed ſolius potentiæ, quanuis non puræ, quia iam ſunt conſtituta in eſſe. At verò in genere intelligibili, quanuis ſubiectum ſpeciei in ordine ad ſpeciem ſit in pura potentia, tamen in ordine ad operationes intelligibiles ex ſua natura eſt actus, virtusque principalis, vt latè oſtendimus art. 5. §. 5. 26. Ad 2.

Quomodò autem ſpecies intelligibilis, vt ſe tenet ex parte intellectus, habeat actiuitatem, & cuius rationis; & quomodò diſtincta ſit ab actiuitate obiectiua obiecti, vt obiectũm eſt? in ſeq. artic. dicemus. ¶ Hoc tamen loco illud aduertimus ſpeciem, vt ſe tenet ex parte intellectus, ſuã virtutem actiuam habere ab obiecto, non quatenus eſt intelligibile intelligibilitate obiectiua, ſed quatenus tale eſt intelligibilitate aſsimilatiua intellect⁹, id eſt, quatenus habet virtutem aſsimilandi intellectũ ſibi. De quo inferiùs plura dicem⁹. 27.

ARTICVLVS VIII.

Quomodò ſpecies compleat virtutem intelligendi ipſius intellectus?

IN 4. artic. oſtendimus ſpeciem intelligibilem ex ſua natura habere actiuũ concurſum in actu intelligendi: & id in omnibus cõſequentibus articulis tanquam veriſsimum ſuppoſuimus. Diximus prętereà virtutem intellectiuam intellectus per ipſam ſpeciem perfici, & cõpleri: ſed nondùm id pro dignitate declarauimus; cum tamen res digna ſit, quæ diligenter explicetur. Et quia hæc reſolutio admittitur, tam ab ijs, qui ſpeciem ponunt ex parte obiecti, quàm ab illis, qui eam ex parte intellectus admittunt; 1. Quæſtio difficilis.

nec

nec eodem modo ab his, & ab illis explicanda venit; operæpretium erit difficultatem iſtam iuxta vtramque opinionem explicare.

§. 1.

Quomodò ſpecies dicatur complere virtutem intellectus, vt ſe tenet ex parte obiecti?

2. Quomodò ſpecies tenens ſe ex parte obiecti dicatur complere?

QVanuis opinionem, quæ ſpeciē ponit ſolùm ex parte obiecti, putemus non eſſe Ariſtotelicam, vt patet ex 1. artic. tamen quia eſt opinio communiori cōſenſu à recentioribus recepta; operæpretium erit explicare difficultatem, hac ſuppoſita opinione.

3. Hæc quæſtio apud auctores huius opinionis facilem habet reſolutionem: nam cum apud illos virtus intellectus ſit diſtincta à virtute obiectiua ſpeciei: nec intellectus à ſpecie, nec ſpecies ab intellectu ſuam recipiat virtutem; ſed quælibet in ſuo genere ſit completa; ſi propriè loquendum eſt, neutra alteram complet: quia neutra alteram perficit. Quæ omnia ſatis colliges ex *Scoto in 1. diſt. 3. q. 7. litera M. §. Concurrunt ergo, & litera A A. §. Reſpondeo quod alia, & quodlib. 14. §. de ſecunda primi articuli, & §. Sed hîc ſunt duo dubia.* Scotus.

4. Quomodò ſpecies cōpleat?

Dixi: *ſi propriè loquendum eſt*; quia aliquo modo dici poteſt ſpeciem complere actiuitatem intellectus, quatenus ſc. illimitationem ſeu potiùs indifferentiam, quę eſt in intellectu ad omnia obiecta intelligibilia, determinat ad hoc obiectum, & ad hanc intellectionem, ſine qua determinatione intellectus non poteſt in actū exire. Determinatio autem virtutis illimitatę, & indifferentis ad plura, eſt veluti completio illius. Hanc tamen determinationem, & completionem non aliter facit, ſuppoſita hac opinione, quàm approximando obiectum intellectui, & cōcurrendo ſimul cum illo ad agendum in obiectum ſibi præſentatum. Hæc habes ex Scoto in locis citatis maximè *in d. q. 7. litera A A. §. Cum arguitur.* Scotus. Et quia ſuppoſita illa opinione hæc reſolutio nullam habet difficultatem; non eſt quòd in ea immoremur. Aduertimus tamen virtutē actiuam, quæ eſt in ſpecie, eſſe virtutem, actiuitatemque obiectiuam, quæ conuenit intelligibili, vt eſt tale: illi enim per ſe cōuenit non ſolùm terminare actum intelligendi; ſed etiam mouere intellectum ad illum, vt diximus ſuprà art. 5. §. 1. in reſolutione quæſtionis; vbi etiam §. 2. ad finem diximus hanc virtutem, quæ eſt in ſpecie, eſſe minùs principalem: plura de hoc dicemus in ſequenti quæſtione.

§. 2.

Quomodò ſpecies ex parte intellectus compleat illius virtutem?

5. De ſpecie tenēte ſe ex parte intellectus.

MAior eſt difficultas apud eos, qui ſpeciem ponunt ex parte intellectus influentem in actum intelligendi: nec enim ſuppoſita hac veriſſima ſententia facilè explicatur, quomodò virtus actiua intellectus per virtutem actiuam ſpeciei compleatur: quam difficultatem auctores pro dignitate non ſatis explicarunt. Et vt illa clariùs explicetur varios dicendi modos referemus, quibus reiectis vera reſolutio apponetur.

Primus dicendi modus reijcitur.

6. Primus dicendi modus.

Primum dicendi modū approbarunt, qui in intellectu nullam agnoſcunt propriam intelligendi virtutem; & tamen admittunt eum actiuè concurrere ad actū intelligendi. Hi ita rem explicant, vt ſpecies ideò dicatur complere virtutem intellectus, quia ipſa eſt illi tota vis actiua ad intelligendum: ita enim philoſophantur de intellectu actuato ſpecie, atq; de materia prima actuata ſubſtantiali forma; & de ſubiecto informato forma accidentaria: ſicut enim materia ignis, ideò per formam ignis completur ad agendum operationes ignis; quia per ſolam actiuitatem formæ operatur; ſicut etiam aqua calida, ideò per calorem completur ad calefaciendum, quia calor eſt illi tota calefaciendi virtus: ita etiam intellectus ideò dicitur compleri per ſpeciem in ratione intelligendi; quia ipſa ſpecies eſt illi tota intelligendi virtus.

7. Non admittitur.

Sed iſte dicendi modus non eſt admittendus: quia in hac quæſtione ſupponimus intellectum habere propriam virtutem intellectiuam; non ſolùm diſtinctam à virtute actiua ſpeciei; ſed etiam principalio-

paliorem ad intelligendum: cum ſit virtus, quæ intelligit; ſpecies autem ſolùm ſit virtus, qua intellectus intelligit, vt diximus art. 5: vbi oſtendimus falsò philoſophari, qui volunt intellectum ideò præciſè concurrere ad intellectionem, quia in ſe ſuſtinet ſpeciem.

Secundus modus non admittitur.

8. Secundus modus. Caiet. Secundus explicandi modus fortè erit Caietani relati in dicto artic. 5: exiſtimat enim intellectum habere quidem ex ſua natura virtutem actiuam ad intelligendũ; inchoatam tamen, & radicalem, eo modo, quo forma ſubſtantialis ignis habet virtutem calefactiuam, non actualem, & formalem; ſed inchoatam ſolùm, & radicalẽ. Hac opinione ſuppoſita ad noſtram quęſtionem reſpondebit ſpeciem ideò complere virtutem intellectus, quia illi eſt actualis, & formalis vis ad intelligẽdum, qua primò fit actualiter potẽs intelligere.

9. Reijcitur. Sed & iſtum dicendi modum reijcit noſtra ſuppoſitio: ſupponimus enim intellectum ex ſe, ſuaque natura eſſe actualem, & formalem virtutem intellectiuã, qua anima intelligit: quod latè contra Caietanum confirmauimus in d. art. 5.

Tertius modus improbatur.

10. 3. modus. Tertia explicatio erit eorum, qui non admittunt ſpeciem eſſe actiuum principium influens in actum intelligendi, ſed ſolum eſſe diſpoſitionem ad recipiendam intellectionem, vt vult noſter Toletanus; vel ad modificandum intellectum, & ad illum obiectiuè excitandum ad intellectionem, vt ait Toletus; vel denique ad determinandam, & ſpecificandam intellectionem, vt ſit huius, vel illius ſpeciei, vt placet Iauello.

11. Non admittitur. Sed & iſtam explicationem reijcit noſtra ſuppoſitio: ſupponimus enim dari in ſpecie actiuam virtutem, vt oſtendimus articulo quarto: & ea admiſſa inquirimus, quomodò ſpecies compleat virtutem intellectiuam intellectus? Et contra opinionem Caietani illud obijci poteſt; quoniam intellectus ex ſua natura eſt immediatè ſuſceptiuus intellectionis, vt ſupponimus cum communi, & vera ſententia in libris de Anima.

Contra Toletum obijcimus; quoniam ſi ſpecies admittatur, vt excitans intellectum ad intelligendum, iam in ea admittitur actiuitas tenens ſe ex parte obiecti: excitatio enim iſta fieri non poteſt ſine actione obiectiuè motiua: ſi verò cum alijs obiectiua actiuitas non admittatur, vt quia ſolùm concurrat terminando intellectionem; non video, quomodò ſpecies concurrat, vt diſpoſitio ad intelligẽdũ: diſpoſitio enim eſt ex parte ſubiecti, quod diſponitur; terminus autem ſe habet ad potentiam ſolùm obiectiuè ad modum coaſsiſtentis. ¶ Denique contra Iauellum illud vrget, quod ſpeciês, vt ſe tenet ex parte intellectus, non poteſt ſpecificare, & determinare intellectionẽ, niſi ſit principium actiuum illius, de quo inferiùs. 12.

Quartus modus impugnatur.

Quartus dicendi modus fortè confingi poteſt, ſi quis dicat ſpeciem in hoc ſenſu complere virtutem actiuam intellectus, quia illam auget, & intendit, vt poſsit elicere intellectionem, quam anteà elicere non poterat. 13. 4. modus.

Sed modus iſte dicendi minùs eſt admittendus: quia inter omnes conſtat ſpeciem non conferre intellectui vim intelligendi, vt tanquam indubitatum docet *Fonſeca in primo Metaphyſicæ cap. 2. q. 3. pag. 153. §. Præterea formæ, & poſt eum Bellomontanus 1. part. diſput. 47. cap. 6. nu. 38.* dum ait, *ſpeciem nullam virtutem intellectui imprimere.* Addimus Bañes. *1. parte q. 56. artic. 1. dubio. 1. non longè à fine, §. Hinc ergo ad primum, & Scotum in 1. diſt. 3. quæſt. 7. litera L. & M*: etenim virtus intellectiua intellectus, vel in ſe ipſa non recipit intenſionem, etiam apud eos, qui admittunt vnum intellectum eſſe meliorem, & acutiorem, quam alium, vt alibi oſtendimus; vel ſi aliquo modo intenſionem recipit; eam tamen non recipit per ſpeciem. Tum; quia forma; quæ priorem intendit, non dat illi ſimpliciter poſſe producere effectum, ſed poſſe producere effectum meliorem: calor enim vt tria ante aduentum caloris, vt quatuor poterat calefacere vt tria: iam verò ſpecies ſuperaddita intellectui nõ dat illi poſſe producere meliorem intellectionẽ; ſed dat ſimpliciter

(Margin: 14. Non probatur. — *Fonſeca.* — *Bellomon.* — *Bañes.* — *Scotus.* — 15.)

citer eā poſſe producere; quia ſine ſpecie
16. nō poteſt intelligere. Tum ſecūdò; quia intenſio formæ fieri non poteſt, niſi per additionem virtutis eiuſdem rationis: albedo enim non intenditur, niſi per gradus albedinis: iam verò virtus ſpeciei, quæ intellectui ſuperadditur, eſt virtus alterius rationis à virtute, quam intellectus habet ex ſe: nam virtus intellectus eſt virtus potentiæ intellectiuæ, qualis non eſt virtus ſpeciei, vt ſæpè diximus, & aduertit *Capreolus in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad quartum Scoti contra 1. fol. 237. col. 2. ad 4. & ſatis expreſſit D. Thomas 1. part. q. 105. art. 3.* dum virtutem intellectus diſtinguit à virtute ſpeciei, quod illa ſit virtus intellectualis, quæ intelligit; hæc autem ſit virtus ſimilitudinis rei intellectæ, qua intellectus fit in actu, vt intelligat. Quare dici non poteſt ſpeciem complere virtutem intellectus, quia illam auget, & intendit: nec ego vidi, qui hoc complementum ita explicet.

Capreol. *D. Thom.*

Vera reſolutio.

17. *Vera reſolutio.*

Dicendum eſt igitur ſpeciem in hoc ſenſu complere virtutem intellectiuam intellectus, quia abſque vlla noua virtutis intellectiuæ additione, aut intenſione illius indifferentiam determinat ad tale obiectum: cum enim virtus intellectus ex ſe ſit indifferens, & indeterminata ad quodlibet obiectum; quandiù manet ſub illa indeterminatione, eſt in potentia, veluti remota ad quodlibet illorum determinatè ſumptum; & in hoc ſenſu ſuo modo eſt incompleta; complectur autem, & perficitur, cum ad aliquod illorum determinatur, quia per talem determinationem fit in potentia proxima, vt quando libuerit, influat in intellectionem, vt ait Ariſtoteles 3. de Anima cap. 4. text. 8. in quam anteà influere non poterat, non defectu virtutis actiuæ, ſed defectu determinationis ipſius virtutis, ſine qua non poteſt ad intellectionem concurrere.

18. Sed aduertendum eſt intellectum, virtutemque intellectiuam illius, quandiù eſt in hoc indeterminationis ſtatu, eſſe quidem in potentia; non quaſi indigeat ſuperaddi ſibi nouam aliquam actiuitatē; ſed quia indiget determinari ad certum aliquod obiectum, cum in ſe ſit indifferens: & in eodem ſenſu dicitur virtus incompleta; non incompletione virtutis intellectiuæ, cum ex ſua natura eam habeat completam; ſed incompletione determinationis ad certum obiectum, ſine qua non poteſt in actum prodire. Species igitur dicitur complere, & perficere virtutem intellectiuam intellectus, quia illam determinat, & veluti applicat, & appropriat ad tale obiectum. Et hæc eſt cōmunis ferè omnium explicatio, quam ſatis ſignificauit *Capreolus in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad 10. Aureoli ſecundo loco contra primam, fol. 236. col. 3. ad 2. replicam, & clariùs Fonſeca 1. Metaphyſicæ cap. 2. q. 3. ſect. 6. §. Prætereà formæ, pag. 153. & Bellomontan. ad primam partem diſput. 43. cap. 4. num. 10. & 13. Bañes 1. part. quæſt. 56. art. 1. dubio. 1. §. Ad ſecundam reſpondetur nego antecedens, & ſatis expreſſit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. litera AA. §. Cum arguitur*: in hoc tamen non audiendus, quod negat indifferentiam iſtam per ſe non determinari per intrinſecam intellectus informationem, ſed per ſolam approximationem obiecti: ſicut etiam non ſunt audiendi Toletus, & Iauellus, dum admittentes hoc complementum per determinationem, negant ſpeciem habere actiuitatem.

Capreol. *Fonſeca.* *Bellomon.* *Bañes.* *Scotus.*

19. *Nota philoſophiam.* *D. Thom.*

Igitur hac in re ſic eſt philoſophandum, vt de potentia, & habitu philoſophatus eſt D. Thomas 1. *parte, quæſt.* 12. *artic.* 1. *ad primum*; vbi admittit potentiam aduentu habitus fieri potentiorem ad operandum; non quod virtus intellectiua intellectus fiat intenſior; ſed quod & facilior fiat, expeditior ad operationē. Igitur ſicut habitus potentiæ, in qua recipitur, non addit nouam virtutem; ſed ſolùm facilitatem, qua facilius operetur; ita etiam ſpecies non addit virtutem intellectui, ſed illi addit determinationem ad certum obiectum, & determinando facit eum potentem in potentia proxima, ſiue in actu primo, vt appellant.

20. *Quomodò ſpecies determinet indifferentiā.*

Aduertendum tamen eſt ſpeciem determinare indifferentiam virtutis intellectiuæ, non quocunque modo; quia non quæcunque determinatio ſatis eſt ad cōplendum virtutem illius; ſed determinare eam aſsimilando illam ad rem intelligen-

gendam: quæ determinatio ex ſua natura fundat actiuitatem in forma determinante: ſed de hoc plura in ſequenti quæſtione artic. 6. vbi etiam explicabimus, quomodò ſpecies cum intellectu influat, vt cauſa minùs principalis?

QVÆSTIO IIII.

De muneribus ſpeciei intelligibilis.

1. De muneribus ſpeciei. EXPLICATA habitudine, quam ſpecies intelligibilis habet, tum ad obiectum, cuius eſt ſpecies; tū ad intellectum, cui eſt ſpecies: explicata etiam actiuitate ſpeciei in actū intelligendi; & quomodò virtus intellectiua intellectus per eam compleatur: conſequenter diſputandum erit de muneribus illius, quæ ad intelligendum exercet.

2. 7. munera illius. Munera autem ſpeciei intelligibilis, quæ vel ab omnibus, vel ab aliquibus ſolent enumerari, ſunt numero ſeptē. Primum; aſsimilare intellectum obiecto, ita vt faciat intellectum eſſe ipſam rem intellectam. Secundum; conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum. Tertium; præſentare obiectum intellectui, illudque cum intellectu vnire. Quartum; determinare intellectum ad talem ſpeciem actus. Quintum; complere virtutem actiuam illius. Sextum; influere cum intellectu ad actum intelligendi. Septimum, & vltimum; repræſentare obiectum, vt terminum intellectionis.

3. Singula iſta munera ſunt à nobis ſingulatim explicanda: & primò ea explicabimus ſuppoſita veriſsima ſententia, quòd intellectus actiuè influat in actum intelligendi. Deinde ea explicabimus, ſuppoſito quòd intellectus ſolùm ſe paſſiuè habeat ad eum.

4. Cum verò ſpecies ſe teneat, tum ex parte intellectus, tum ex parte obiecti, vt habet opinio ſatis probabilis: de qua in præcedente quæſtione art. 2. in hac quæſtione non ſolùm expendemus, quænam munera verè conueniant ſpeciei; ſed etiā quę illorū exerceat, vt eſt ex parte intellectus; quæ verò, vt eſt ex parte obiecti?

Quia verò dubium eſſe poteſt, vtrùm ſpecies omnia iſta munera exerceat, vt eſt vicaria obiecti; id ipſum etiam erit explicandum. Quare decem in hac quęſtione erunt articuli. Primus; vtrùm ſpeciei cōueniat intellectum aſsimilare obiecto, facereq; vt ſit ipſum? Secundus; vtrùm eidem conueniat conſtituere in actu primo ad intelligendum? Tertius; vtrùm officium illius ſit obiectum præſentare intellectui? Quartus; vtrùm munus eius ſit idem obiectum vnire cum intellectu? Quintus; vtrùm illius etiam ſit determinare intellectum ad talem ſpeciem actus? Sextus; vtrùm ad eam pertineat complere virtutem actiuam intellectus? Septimus; vtrùm ad illam etiam ſpectet influere cum intellectu in actum intelligendi? Octauus; vtrùm illa obiectum prçſentet in ſe, tanquam terminum intellectionis? Nonus, vtrùm omnia iſta munera exerceat, vt eſt vicaria obiecti? Decimus, & vltimus explicabit, quęnam munera haberet, ſi intellectus ſolùm paſsiuè cōcurreret ad ſuam intellectionem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſpeciei intelligibili conueniat ita intellectum obiecto aſsimilare, vt faciat eſſe ipſum?

§. 1.

Hoc munus non poſſe à Peripateticis ſpeciei negari.

AN hoc munus ſpeciei intelligibili impreſſæ tribuendum ſit? fortè aliquis dubitabit. Rationem dubitandi ex eo primùm ſumet; quia nec inter munera ſpeciei enumeratur à Suario *lib. 2. de Attributis negatiuis c. 12. n. 5*: nec aliquis alius huius muneris meminit, quod argumento eſt non paruo ſpeciem hoc munus non habere. 1. Ratio dubitandi. Suarius.

Deinde ex eo poteſt ſumi fundamentum; quia ſpecies intelligibilis non eſt formalis ſimilitudo obiecti, vt exiſtimat Suarius *in Metaphyſica diſp. 6. ſect. 6. nu. 7. & diſp. 30. ſect. 11. n. 30. & lib. 2. de Attribut. negat. cap. 12. n. 12.* Igitur non poteſt intellectum aſsimilare obiecto. 2. 2. ratio. Suarius.

Ter-

3. 3. obiectio.

Tertiò, alij obijcient; quia intellectus non ſit ſimilis obiecto, nec ſit ipſa res, quæ intelligitur, niſi per intellectionem actualem, vt exiſtimant *Ochamus in 2. q. 14. litera S. T. & HH. & Gabr. in 2. diſt. 3. q. 2. artic. vltim. litera VV. §. Ad authoritatem Ariſtotelis, & Suarius in dicta diſp. 30. ſect. 11. num.* 32: quorum ſententia cõfirmatur ex Ariſtotele 3. de Anima cap. 7. tex. 36. vbi ait: *Omnino autem is intellectus, qui actu intelligit, res ipſa eſt.* Intellectus autem, qui actu intelligit, eſt intellectus in actu ſecundo intellectionis.

Ocham. Gabr. Suarius. Ariſt.

4. Affirmatio eſt vera.

His tamen non obſtantibus aſſerendũ eſt proprium munus ſpeciei intelligibilis eſſe intellectum aſsimilare rei cognitę, & efficere vt ſit ipſa. Nec hoc munus poteſt denegari ab ijs, qui peripateticam doctrinam profitentur: etenim peripateticum ſemper fuit, ſimile non poſſe cognoſci, niſi â ſimili: quod fuit proloquium priſcorum Philoſophorum ab Ariſtotele, & à cæteris celebratum, de quo *in 1. de Anima cap. 2. text. 26. & cap. 5. tex. 76. & 3. Metaphy. c. 4. text.* 15: quod animis veterum inſitum fuiſſe teſtatur D. Thom. 1. *p. q.* 84. *art.* 2. vbi Caietanus affirmat illud commune eſſe tam ſapientibus, quâm inſipientibus. Et indè eſt, vt omnes Philoſophi vbique docuerint omnem cognitionem fieri per aſsimilationem intelligentis ad rem, quæ intelligitur, vt aſſerit D. Thom. in 1. *diſt.* 34. *q.* 3. *art.* 1. *ad quartum; & hanc Philoſophiam vt verè peripateticam vbique docuit D. Thomas, ita 1. p. quæſt. 14. art. 2. ad ſecundum, & q. 76. art. 2. ad quartum, & q. 84. art. 2. & q. 85. art. 8. ad tertium,* & *de Veritate q. 2. art. 3. ad 9. & q. 8. artic. 8. in principio, & artic. 9. ad 3.* Et inde eſt, vt intellectus nullã rem poſſit intelligere, niſi prius ſit ipſa, non quidem in eſſe reali, vt veteres ante Ariſtotelem docuerunt, teſte Ariſtotele 1. *de Anima cap. 2. text. 25. & cap. 5. text. 75.* ſed in eſſe intelligibili, vt Ariſtoteles docuit, quem tota peripateticorum ſchola ſequuta eſt, quæ omnis docet non poſſe intellectum rem aliquam intelligere, niſi priùs fiat ipſa; quam Philoſophiam in hac diſputatione ſæpè ſæpiùs inculcauimus, & eam docuit Ariſtoteles 3. *de Anima, cap. 4. text. 8. & 14. & cap. 5. text. 18. & cap. 7. text. 36. denique cap. 8. text. 37. &* 38. Ex quibus locis habemus intellectũ, vt intelligat, debere rei intellectæ ita aſſimilari, vt actu fiat ipſa.

Proloquiũ veterum. Ariſt. D. Thom. Caiet. D. Thom. Ariſt. Ariſt.

Eandem vbique ſcribit D. Thom. dũ paſsim in ſua doctrina ſumit, vt principium notiſsimum, ad omnem cognitionem requiri quòd intelligens ſit ipſum intellectum. i. ſit ipſa res intellecta; ita docuit 1. *p. q. 14. art. 2. in corp. & q. 55. art. 1. ad 2. & q. 85. artic. 2. ad primum, & q. 87. art. 1. ad tertium, & in quæſtionibus de potentia quæſt. 9. art.* 5: ita vt hæc duo conuertantur: intellectus eſt res intellecta, & res intellecta eſt intellectus, vt colliges ex *dicta quæſt. 14. artic.* 2. & in hoc ſenſu paſsim docet D. Thomas ex intelligente, & intelligibili fieri vnum, vt patet *de Veritate quæſt. 8. art. 1. & 6. & alibi ſæpè.* Cui ſi addamus aſsimilationem iſtam in ſchola peripatetica fieri per ſpeciem intelligibilem, & per eandem intellectum fieri ipſam rem intellectam (vt patet ex D. Thoma in citatis locis, & de Veritate q. 2. artic. 2. vbi docet ideò animam eſſe ſuſceptiuam ſpecierũ, vt poſſet fieri omnia intelligibilia, & ſatis docet Ariſtoteles 3. *de Anima cap. 8. text.* 38.) neceſſariò inſertur proprium munus ſpeciei, & officium hoc eſſe aſsimilare intellectum rei intellectæ, & facere, vt ſit ipſamet res.

5. Intelligens eſt ipſum intellectum. D. Thom. Ex intelligente, & intelligibili fit vnum. D. Thom. Ariſt.

Sit igitur huius veritatis hæc breuis demonſtratio: nihil poteſt cognoſci, niſi à ſimili, iuxta proloquium à veteribus ſumptum: ergo non poterit intellectus rem aliquam intelligere, niſi ita fiat illi ſimilis, vt in genere intelligibili ſit ipſa: fit autem ipſa formaliter per ſpeciem, vt ex Ariſtotele, & Philoſophis oſtendimus: ergo proprium, & principale munus ſpeciei erit intellectum ita aſsimilare obiecto, vt faciat intellectum eſſe illud ipſum obiectum: quod agnouit Cumelius 1. *part. q. 12. art. 2. q. 2. ad 1. argumentum principale.* Quomodò autem hoc faciat, an per actualem intellectus informationem; an verò per ſolam coaſsiſtentiã? alterius eſt quæſtionis, de qua in ſequenti §.

6. Probatur doctrina. Cumelius.

§. 2.

Speciem hoc munus exercere, vt formam intellectui intrinſecam.

7. Quomodò ſpecies intellectũ aſſimilet obiecto.

DVbitari poteſt, quomodò ſpecies intelligibilis intellectum obiecto aſsimilet, & faciat vt ſit res ipſa: licet

licet enim omnes admittant hanc aſsimilationem fieri per ſpeciē; non tamen omnes conueniunt, vtrùm id fiat per ſpeciē, vt eſt forma actuans intellectum; an verò, vt eſt forma obiectiuè vniens intellectui ipſum obiectum? ij, qui putant ſpeciem, vt ſpecies eſt, non per ſe, ſed per accidens inhærere; per ſe tamen vnire obiectum intellectui, & illud coram obiectiuè proponere (quę eſt communior ſententia, de qua art. 3. §. 1.) vt conſequenter loquantur, negabunt ſpeciem per ſe facere hanc aſsimilationem, vt intellectum inhærendo actuat; ſed ſolùm prout illud obiectiuè vnit: nam cum ſpecies, vt eſt ſpecies, per ſe ſit aſsimilatiua intellectus cum obiecto; quia omnis cognitio per ſe fit per aſsimilationem, non poteſt hoc munus exercere per id, quod ſibi per accidens conuenit, ſed per id, quod ſibi conuenit per ſe. *Qui negāt.*

8. Quare cum apud iſtos auctores ſpecies, vt ſpecies eſt, non per ſe, ſed per accidens intellectui inhæreat; vtique hoc munus aſsimilandi per ſe non exercebit, vt eſt forma actuans inhærendo, ſed vt eſt forma vniens, ponendo obiectum coram intellectu: & ideò per ſe aſsimilabit coaſsiſtendo intellectui, nō verò illi inhęrēdo.

9. Et hanc opinionem neceſſariò probabunt, qui volunt diuinam eſſentiam in beatis ſubire vicem ſpeciei intelligibilis, vt formam extrinſecam, quatenus ſe ipſam per ſe ipſam facit obiectiuè præſentem: nec enim alio modo poterit hoc munus aſsimilādi exercere ad inſtar ſpeciei; cum apud illos non poſsit intellectum ſe ipſa informando actuare: quorum ſentētiam expendemus 2. p. huius lib. 8. q. 4.

10. Reijcitur hæc opin. Hæc tamen opinio nec in ſe, nec in ſuo fundamento poteſt cum Ariſtotelis Philoſophia conſentire. Quod in ſe cum Ariſtotele non conſentiat facilè patebit ex ijs, quæ de Ariſtotele diximus *q. 1. art. 1. §. 2. & quæſt. 3. artic.* 3. vbi oſtendimus intellectum apud Ariſtotelem fieri rem ipſam per ſpeciem, vt eſt forma per ſe, & non per accidens actuans, & perficiens intellectum. Quod ex eo euidenter patet; quoniam Ariſtoteles explicaturus, quomodò intellectus fiat ipſæ res, illum vbique comparat potentię paſsiuæ in ordine ad formas, quibus in ſe ipſo receptis fit ipſæ res: potentia autem tunc per ſe actuatur per formam, quam vt actum reſpicit, cum illam ita recipit, vt receptione ipſa patiatur, & alteretur. Et indē docet intellectum, & ſenſum fieri ipſas res, cum ita recipit earum formas, vt recipiendo eas patiatur paſsione perfectiua, vt ſatis patet ex locis ibidem citatis, & ſatis declarat Ariſtoteles 3. *de Anima cap.* 5. *tex.* 54. dum agens de potentia ſenſitiua, quæ recipiendo formas ſenſibilium fit ſimilis ipſis ſenſibilibus, ita ait, *At cum eſt paſſa, tum ſimilis eſt, vt patet.* Quæ verba ſatis explicant ſimilitudinem illam, qua, tum ſenſus, tum intellectus fit ipſæ res, per ſe fieri, cum potentia recipiendo patitur: vt omittamus plura, quæ 2. *de Anima cap. 5. tex.* 54. 55. 56. *& lib.* 3. *cap.* 4. 5. 7. *&* 8. *ſcribit Ariſtoteles.* Vide, quæ diximus in d. q. 1. art. 1. §. 2.

Aſsimilatur intellectus per ſpeciem per ſe actuãtem. *Ariſt.* *Ariſt.*

Ex quibus patet opinionem illam, nec in ſuo fundamento conſentire cum doctrina Ariſtotelis: ex dictis enim colligitur ſpeciem, vt ſpecies eſt, & quatenus eſt ſimilitudo, qua intellectus fit ipſa res, non per accidens, ſed per ſe actuare intellectum: quod contra aduerſarios latè oſtendimus in quæſt. præcedenti art. 3. Et profectò ſi ſermo ſit de ſpecie creata, res eſt abſque dubio, ſi philoſophicè conſideretur; vide quę diximus in dicto art. 3. Vnde Bañes cum nonnullis alijs nobiſcū conſentit 1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. ad 1. & 3. & q. 56. art. 1. dubio. 1. §. *Ad argumenta dicimus, &* §. *Hinc ergo ad primum*, & in ſolutionibus argumentorum: Conſentit etiam Caietanus in locis citatis in dicto art. 3. §. 2. 11. *Fundamentum opinionis contrariatur Ariſtot.* *Bañes.* *Caietan.*

Reijcienda eſt igitur præcedens opinio tanquam Ariſtoteli contraria, & in ſe, & in ſuo fundamento.

Sed nec ſatis eſt conſentiens cum doctrina D. Thomæ, qui vbique locorum ſuæ doctrinæ ſimpliciter docet ſpeciem eſſe formam perficientem intellectum, & illi vniri ipſum actuando aliquo eſſe intelligibili, vt diximus *in dict. art.* 3. §. 2. vbi pro eadem ſententia adduximus Ferrarienſem Bañes, & alios, vide de hoc in ſequenti articulo, §. 3. Quod adeò verum eſt, vt nobiliores Thomiſtarum velint diuinam eſſentiam, dum ad inſtar ſpeciei ſe vnit intellectui beati, illum intimè actuare, atque perficere, non verò extrinſecè, de quo in 2. p. huius lib. q. 4. articulo ſecundo. 12. *Opinio nō cōſentit cū D. Thoma.*

Acce-

13. Alia confirmatio. Accedit etiam contra præcedentem opinionem, quoniam quorundam Thomiſtarum opinio negat obiectum fieri obiectiuè præſens per ſpeciem intelligibilem, vt diximus *art.* 2. §. 1. *& dicemus art.* 4. qua ſuppoſita ſententia non poteſt non concedi ſpeciem per ſe aſsimilare intellectum, nō vt illi proponit obiectum, ſed quatenùs ipſum actuat, & informat.

§. 3.

Hoc munus eſſe primum, & principale ſpeciei.

14. Speciem hoc munus exercere, vt eſt ex parte potentiæ, dubitari non poteſt; quia intellectus per eam aſsimilatur. ¶ Dubitari tamen poteſt, an hoc munus, & officium ſit primum, quòd ſpecies exerceret; an verò detur aliud priùs? cui quæſtioni non omnes eodem modo reſpondent: ſunt enim, qui velint primum munus ſpeciei eſſe obiectum intellectui vnire.

Munus aſsimilādi intellectum eſt principale, & primum.

15. Aſſerendū tamen eſt hoc munus eſſe, quod ſpecies primum exercet. Hæc aſſertio generaliter ex eo oſtenditur; quoniam natura intellectus in genere intelligibili nulla eſt alia, quàm eſſe puram poſſibilitatem, vt fiat ipſa intelligibilia, vt expreſſe docet Ariſto. 3. de Anima c4.. tex. 5. his verbis *Quo fit, vt nec vlla ſit ipſius natura, niſi ea ſolū, qua eſt poſſibilis.* Quæ verba eſſe intelligenda de potentia in genere intelligibili, iam oſtēdimus pręced. q. art. 5. §. 5. Vnde hāc potētiam poſſumus appellare eſſentialem in illo genere, ſiquidem in eo nullum actum intelligibilem includit, ſed ad omnem eſt in potentia, vt docet Ariſtoteles in dicto cap. 4. text. 5. & 6. Ergo prima actuatio intellectus, quæ fit per ſpeciem, in eo poſita eſt, quòd fiat ipſa intelligibilia; Actus enim, quo potentia eſſentialis actuatur, ad id primò reſpicit, ad quod reſpicit ipſa potētia. At potentia eſſentialis intellectus primò omniū reſpicit fieri ipſa intelligibilia: quod ſatis ſignificat Ariſtoteles in dicto cap. 4. dum ait: *Nihil eſt actu prorſus eorum, quæ ſunt.* Et ſtatim text. 6. *Nec eſt actu, ſed potentia formæ*: Vnde text. 8. ait. *Factus autem vnumquodque*: quaſi ipſa potentia, vt fiat ipſa res, tunc primò actuetur, cum fit illa. Et idem expreſsit in d. cap. 4. text. 14. dum potentiam intellectus, vt ſit ipſa intelligibilia, comparat cum potentia tabulæ raſæ, vt in ea aliquid depingatur. Quare ſicut prima actuatio tabulę in hoc eſt poſita, quòd in ea fiat pictura: ita prima actuatio intellectus poſita eſt in hoc, quòd fiat ipſa intelligibilia: Et ideo addit hæc verba: *hoc enim in ipſo fit atque accidit intellectu.* Senſus enim eſt, primam intellectus picturam, qua actuatur, eſſe ipſū fieri intelligibilia. Denique ex eo id demonſtratur, quia in quocunque genere eſſe ſupponitur ad poſſe. Sed de hoc in ſequenti art. §. 4.

Ariſtot.

Ariſt.

Eadem veritas facilè etiam oſtendetur, ſi cætera ſpeciei munera cum hoc conferamus: cætera enim exerceri non poſſe, niſi hoc ſuppoſito, euidenter apparebit ex ijs, quæ de ſingulis ſpeciei muneribus dicenda ſunt.

§. 4.

Solutio argumentorum.

Argumenta. §. primo adducta, quæ rationem dubitandi videbantur facere, facilè ſoluētur. 16.

Ad primū reſpondetur Doctores hac de re ex profeſſo non egiſſe; & proinde non eſt mirum, ſi hoc ſpeciei munus inter cætera communiter non enumerent: cum tamen hoc munus aſsimilandi intellectum obiecto, & faciendi vt intellectus ſit ipſum, cum Ariſtotele ab omnibus ſpeciei tribuitur. Nec mirum eſt, quod Suarius huius muneris nullam fecerit mentionem, cum putet ſpeciem impreſſam ex ſua natura non eſſe formalem obiecti ſimilitudinem, in quo omnibus contradicit. Ad Argu.

Ad ſecundum reſpondetur opinionē illam eſſe paradoxam, & contra vnanimum Philoſophorum etiam antiquiſsimorum conſenſum, vt oſtendimus quæſtione 2. 17. Ad 2.

Ad tertium ſimiliter dicimus opinionem illam eſſe contra Ariſtotelem, cæteroſque Philoſophos, vt latè diximus, q. 1: artic. 1. §. 2. vbi locum Ariſtotelis explicauimus. Ad 3.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm ſpeciei intelligibilis munus ſit conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum?

§. 1.

Affirmatio eſt communis, & vera.

1. An ſpecies cõſtituat in actu.1? Nauarre. SPeciem intelligibilem conſtituere intellectum in actu primo, indubitata ſemper fuit doctrina apud eos, qui ſpecies admittunt: Vnde non eſt audiendus quidam *Nauarrete 2. tom. contro. 13. §.3. in principio*, qui hanc receptam Philoſophiam ſine fundamento negauit. Et in his terminis (ſcilicet in actu primo) Capreolus. Durand. communis eſt locutio nouiorum, & antiquiorum: etenim ita docuerunt *Capreolus in 2.d.3. q.2.ad 1. Durandi contra quartam, fol. 97. col.2. & antea id docuerat fol. 93. col. 1. & 4. ad 1. & 7. ſecundo loco contra primam vbi refert Bernardum de Ganapo* Ganapo. Sotus. Cumel. Bañes. Suarius. *ibidem col. 1. Sotus in 4. diſt. 49. q.2. ar,3. concl.3. Cumelius 1.p.q.14. art. 1. in dubio vrgente ad finem §. Iam reſtat explicemus, vbi etiam Bañes §. Circa ſecundam propoſitionem. Suarius lib.2. de attributis negatiuis cap.12. num.5. Molina 1.p.q.12. art.2. diſp.* Conimb. *2. fol. 110. col. 1. D. & col. 2. A. Curſus Conimbric. 3. de Anima cap. 5. q.2. artic. 2. in principio, & primo de Interpretatione cap. 1. q.2. ſect.1. pag. 19.* Denique his terminis D.Thom. communiter ita loquuntur omnes. Et quanuis D. Thom. ſolùm affirmet ſpeciem facere intellectum eſſe in actu (vt patet *1.p.q. 12. art.2. ad 3. & 1. contra gentes cap. 53. & lib.3. cap.51. & lib.4. c.19. & de potentia q.9. art.5.*) dubitari tamen nõ poteſt, quin loquatur de actu primo. Agit enim de actu, qui eſt principiũ operationis, vt euidenter conſtat ex locis citatis ex libro cõtra gentes: Iam verò actus, qui agenti eſt principium agendi, & Ferrar. forma, per quã operatur, non eſt actus 2. ſed primus. Vide Ferrar. *in dicto cap. 51. §. Circa hanc declarationem, & lib. 1. cap. 53* 2. *§. Quod obijcitur tertio.*

Ariſtotel. Nec dubitari poteſt, hãc fuiſſe doctrinã Ariſtotelis, ſi diligenter conſiderentur, quæ ſcribit *in 3. de Anima. cap.4. à tex.2. vſque ad 8. & cap.5. text. 18. & cap.7. tex. 36. & cap. 8. text. 37. & 38.* ex quibus locis conſtat intellectum per ſpecies intelligibiles ita fieri res ipſas, vt quanuis eas nõ actu intelligat, poteſt tamẽ eas intelligere cum voluerit, vt patet ex dicto cap.4. tex. 8. Iam verò actus, quo agens poteſt agere, cum placuerit, non eſt actus ſecũdus, ſed primus. Nulla igitur poteſt eſſe dubitatio, quin hoc munus ſpeciei ſit cõcedendum.

§. 2.

Caietanum oppoſitum non docuiſſe.

NON deſunt tamen, qui velint Caietanum docuiſſe ſpeciem conſtituere intellectum non in actu primo, ſed in actu ſecundo: Etenim *1. p. q. 12. art. 2. paulò ante finem §. ad euidentiam huius ſcito* ſcribit ſpeciẽ, dum vnitur intellectui, eum cõſtituere in actu ſecundo; Ita enim ſcribit: *Scito, quod in communi loquendo ſpeciem intelligibilem vniri perfectè intellectui eſt ipſum conſtituere in actu ſecundo.* Et inferiùs ita ait: *ſpeciem igitur vniri actu intellectui, eſt conſtituere ipſum in hoc, quod eſt eſſe actu intelligentem.* Quæ verba ſatis videntur ſignificare ſpeciem cõſtituere intellectum in actu ſecundo, actualis intellectionis: Vnde in hoc ſenſu intelligitur ab omnibus, qui eius opinionem referunt: Ita intelligitur à *Bañes in eodem loco dubitatione. 2. §. Caietanus nititur. Cumelio ibidem q. 3. §. Caietanus in hoc art. Raphael de Ripa in eodem loco diſp. 2. c. 2. Suario lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. num. 13. Bellemontano 1. p. diſp. 43. cap. 3. num. 8. §. Denique ſi ſpecies: Addimus iterum Bañes 1. p. q. 56. art. 1. §. ad hoc argumẽtũ.* Qui omnes, vno excepto Ripa, Caietanũ in hoc acriter reprehendunt, eiuſque doctrinam non ſolùm vt falſam, ſed etiam vt parum ſibi conſtantem, & vix intelligibilem, præter citatos reijciunt *Valentia 1. tom. diſp. 1. q. 12. puncto 2. pag. 186 B, & Moli. in d. q. 12. ar. 2. diſp. 2. §. His ita conſtitutis, cum cæteris omnibus nouioribus.* 3. Caietanus oppoſitum non docuit Bañes. Cumelius. Ripa Bellomon. Bañes. Valentia. Molina.

Et meritò reprehendendus eſſet, ſi per actum ſecundum intellexiſſet actualem intellectioemn; quanuis in hoc ſenſu eius Metaphyſicam, vt mirabilem defendat Ripa loco citato verbis vanis potiùs quam rationibus Philoſophicis. Sed quàm longè ſit Caietanus, vt per actum ſecundũ, intelligat intellectionem actualem, facilè videbit, qui & mentem, & probationes illius tam *in dicto art. 2. quàm q. 17. art. 3. §. Circa probationem conſequentiæ*, attẽtiùs expenderit. 4.

Vt igitur Caietanum ab imperitia tanto ingenio indigna liberemus, & mentem illius non minùs obſcuram, quam ſubtilem explicemus; præmittendum eſt 1. Ex... Cai...

Caieta-

1. Præmiſſ.

Caietanum eo in loco cū tota Thomiſtarū Schola ſupponere, nec materiam, nec cōpoſitum habere aliud eſſe, aliā ve exiſtentiam, niſi quam illis communicat forma: etenim materia lapidis: & totus ipſe lapis exiſtit per eſſe lapideum, quod illi forma lapidis formaliter communicat; & in eodem modo dicendum eſt de cæteris compoſitis naturalibus. Et putant hāc Philoſophiam adeo eſſe veram, vt materiæ hominis, imò, & toti homini nullam aliam concedant exiſtentiam, niſi humanam communicatam ab anima, imò quæ eſt ipſius animæ. Forma igitur apud Thomiſtas eſt principium eſſendi & materię, & toti cōpoſito, imò & ſibi ipſi, cum forma per eandem exiſtentiam exiſtat, qua exiſtit, tum materia, tum compoſitum. Itaque apud Thomiſtas eſſe ſiue exiſtētia eſt à forma. Quare hac in re ita Philoſophatur Caietanus, vt forma ſit actus primus, tam reſpectu materiæ, quam reſpectu totiùs compoſiti, à qua vtrumque cōſtituitur in actu ſecundo eſſendi, quatenùs per formā, verbi gratia, lapidis vtrūque conſequitur eſſe. i. exiſtentiam lapideam, per quam exiſtunt. Quæ exiſtentia apud Thomiſtas, non ſolū realiter diſtinguitur à re, quæ exiſtit; ſed etiam eſt vnica tantum in quoque compoſito, per quam, & totum exiſtit, & partes.

6. Dixi *conſtituitur in actu ſecūdo eſſendi,* quoniam eſſe, quod eſt à forma, ideo dicitur actus ſecundus, quia in genere eſſēdi eſt actus vltimus. Dixi *in genere eſſendi,* quia licèt eſſe exiſtentiæ in genere eſſendi ſit actus 2. & vltimus: tamen in ordine ad operandum non eſt actus ſecundus, ſed primus; quia eſt primum operandi principium, iuxta illud Ariſtotelis in libris de Cœlo: *Vnum quodque eſt propter ſuam operationem*: Nam genus rei conſiderari poteſt, vel præciſe penes eſſe: vel penes eſſe in ordine ad operari: Siquidem in quolibet genere prius eſt eſſe, quam operari. Igitur forma, quamuis in genere eſſendi conſtituat materiam in actu ſecūdo eſſendi; in genere tamen operandi illā cōſtituit ſolùm in actu primo; quia eſſe materiæ, & agenti eſt principium actus vlterioris, qui eſt operatio, quæ ipſa ab omnibus in genere operādi dicitur actus ſecundus, ideo quia in illo genere eſt vltimus.

Secundò præmittendum eſt Caietanum eodem modo philoſophari de ſpecie, & intellectu in genere intelligibili, quo philoſophatur de materia, & forma in genere eſſendi: quare ſicut forma in genere eſſendi conſtituit materiam in actu ſecundo eſſendi, dum illi communicat ſuum eſſe, verbi gratia, lapideū, ligneū, aut humanum; ita etiam ſpecies intelligibilis (quæ in genere intelligibili eſt prima forma, & primus actus intellectus) eidem intellectui (qui in illo genere habet rationem materiæ, & puræ potentiæ) cōmunicat ſuum eſſe, quatenùs facit, vt intellectus ſit ipſa res, cuius eſt ſpecies. Nā ſicut forma hominis in genere rei dat corpori eſſe humanum; ita ſpecies intelligibilis hominis dat intellectui eſſe hominis in genere intelligibili. Quare ſicut eſſe humanum eſt eſſe, quo corpus hominis exiſtit in genere entis; ita etiā eſſe hominis, quod intellectus per ſpeciem conſequitur in genere intelligibili, eſt ipſum eſſe ſiue exiſtentia, qua intellectus in eo exiſtit: & quia illud eſſe in genere intelligibili eſt vltimum, ideo dicitur actus ſecundus in tali genere, quia in quolibet genere prius conſideratur eſſe, quam operari. Hunc igitur actū ſecundū, qui in ratione eſſendi generis intelligibilis eſt ſecundus, Caietanus penuria vocabulorum appellauit cognoſcere, intelligere, non quidē actuale, qualis eſt intellectio, quia hoc eſſe eſt principium operationis actualis, ſed antecedenter. 7.

2. Præmiſſum.

Caietan.

8. Quem ſenſum idem Caietanus manifeſtè declarat his verbis: *Speciem igitur vniri actu intellectui eſt cōſtituere ipſum actu intelligentem*: Et ne verba iſta intelligerēs de intelligēte intellectione actuali, addidit hæc verba declaratiua priorum: *Eſſe autem actu intelligentem nihil aliud eſt, quā intellectum eſſe perfectè ipſum cognitum. Cognoſcere nāque aliquid inferiùs patebit, nihil aliud eſt, quàm eſſe etiam illud in actu completo.* Quòd actum completum nō intelligat intellectionem actualem, ſatis colligi poteſt ex ijs, quæ ſcribit, tum in *dicto ar. 2. tum inferiùs q. 17. art. 3. §. Circa probationem conſequentiæ*: tum denique ratione, Agens enim in dicto art. 2. de ſpecie iam conſtituta in ſuo eſſe, quod eſt intelligere, in ea duas proportiones conſiderat: Vnā in ordine ad eſſe, cuius eſt principiū for-

Per actum cōpletū nō intelligit intellectionē.

formale, quo intellectus eſt ipſa res: Alterã, quatenùs eſt actiua intellectionis actualis. Agit igitur de ſpecie actuata, & cõpleta per intelligere, quòd eſt principiũ actiuum actualis intellectionis. Quæ verba euidenter conuincunt per intelligere, quod poſuit eſſe actum completum ſpeciei, non eſſe intelligendam intellectionẽ actualem: Hæc enim non eſt principium actiuum ſui.

9. Quod etiam ſatis denotat Caietan. dum in fine commenti ait diuinam eſſentiam, prout in actu vltimo facit intellectũ eſſe Deum, concurrere ad viſionem actualẽ ſui ipſius, tanquam obiectum, & principium actiuum illius. Idem colliges ex eodem Caietano in dicta q. 13. art. 3. quatenùs in verſ. *Circa probationẽ conſequentiæ,* agit de intelligere, quod eſt actus ſpeciei intelligibilis, actuans eam, non medio modo, quo actuatur per inhærentiam, quę in genere rei eſt actus eius, quem actum appellauit actum in habitu tantũ, ideo quia inter illum, & actualem intellectionem mediat aliquis actus: Agit igitur de intelligere, quod eſt actus immediatus ad intellectionem actualem. Iuxta quem explicandi modum facilè intelliges modũ loquendi Caietani in duobus locis citatis. Denique cum agat de intelligere, quo intellectus formaliter fit res ipſa intellecta: fiat autem talis non per intellectionem, ſed per formam intelligibilem ea priorẽ, vt patet ex Ariſtotele, & D. Thoma; non debet intelligi Caietanus de intelligere actuali (qualis eſt intellectio) ſed de intelligere antecedenter, & habituali.

Caietan.

De quo intelligere agat.

10. Nec modus iſte loquendi nouus eſt: ita enim ſumitur ab Ariſtotele, quando dixit *intelligere eſt quoddam pati,* vt communis eſt explicatio. In eodem ſenſu ſumitur à D. Thoma *in dicta q. 13. art. 3. dũ, ait, quod ſicut res habet eſſe per propriam formã; ita virtus cognoſcitiua habet cognoſcere per ſimilitudinem rei cognitæ:* Intelligendus eſt enim de cognoſcere antecedenter, & habituali, quod in genere intelligibili eſt eſſe, quo intellectus eſt, & exiſtit ipſa res cognita.

Intelligere interdũ ſumitur pro intelligere antecedẽter

Ariſt.
D. Thom.

11. Itaque cum Caietanus ait ſpeciẽ, dum vnitur intellectui, cõſtituere illũ in actu ſecundo, & facere eum actu intelligentem, non eſt intelligendus de actuali intellectione, quæ in genere intelligibili eſt actus ſecundus intellectus operantis; ſed de actu ſecundo in ratione eſſendi; quatenùs illi dat eſſe ipſam rẽ intellectam: qui actus in tali genere, vt expenditur ſub ratione eſſendi, ſicut eſt vltimus; ita eſt actus ſecundus; quanuis in ordine ad operari ſit primus, vt ſuprà aduertimus. Vnde quando ait. *Speciem ſe habere ad actum ſecundum, quod eſt intelligere, vt forma ſe habet ad eſſe,* intelligitur de actu ſecundo in ratione eſſendi, non in ratione operandi.

Senſus Caietani.

Hæc diximus, non vt modum loquendi Caietani probaremus; ſed vt illius mẽtem explicaremus: Etenim rem alioquim claram facta æquiuocatione ſine cauſa confundit. Quare nos communem, & vulgatum loquendi modum ſequentes, ipſum eſſe, quo intellectus ſpecie actuatus eſt ipſa res intellecta, appellabimus actum primum, intellectionem verò, actum ſecundum; quia intellectus in genere intelligibili per eam vltimo actuatur. Cum tamẽ actus, quo intellectus eſt ipſa res, ſit actus adhuc cum potentia admixtus, vt ait Ariſtoteles in 3. de Anima cap. 4. text. 8.

12. Caietanus modo ſuo loquendi rẽ confundit.

§. 3.

Speciem hoc munus exercere vt formam intrinſecam.

Sed iam inquirendum eſt, quomodò ſpecies intellectum conſtituat in actu primo? licèt enim omnes admittant intellectum in actu primo conſtitui per ſpeciem; non tamen omnes conueniunt, vtrùm hoc munus exerceat, quatenùs intellectum informat? an verò vt obiectum intellectui obiectiuè vnit, & præſentat? de qua difficultate (quæ in his terminis à Doctoribus vix tangitur) tres inuenio ſententias.

13. Quomodo ſpecies conſtituat intellectũ in actu 1.

Prima ſimpliciter affirmat ſpeciem non per ſe conſtituere intellectum in actu primo, vt eſt forma perficiens, & informans intellectum; ſed prout illi obiectiuè vnit, & pręſentat obiectum. Hanc opinionem tenent ferè omnes, qui putant ſpeciẽ per ſe ſolùm ſe tenere ex parte obiecti; per accidens verò ex parte potentiæ, quatenùs eſt forma accidentaria, quæ non poteſt obiectum præſentare intellectui, niſi illi inhæreat.

14. 1. Opinio.

Fundamentum huius opinionis eſt; quoniam conſtituere intellectum in actu primo

Fun... tum

primo per ſe conuenit ſpeciei, vt ſpecies, vt patet: ergo tale munus exercebit per id, quod per ſe, & non per accidēs ſibi cōuenit, vt eſt ſpecies. At ſpecies, vt eſt ſpecies, per ſe non habet informare intellectum, ſed ſolùm per accidens, vt authores huius opinionis cōmuniter volunt, quos retulimus ſuprà. q. 11. art. 1. & 3. Per ſe autem habet, quod obiectum obiectiuè vniat intellectui; imò apud eos, hoc eſt primum, & principale illius munus: ergo ſpecies per ſe non habet conſtituere intellectum in actu primo, quatenus eum intrinſecè actuat, & informat; ſed quatenus obiectum illi repræſentat, & vnit obiectiuè.

16. Corollariū. Ex quo fundamēto inferunt ſpeciem per ſe conſtituere intellectum in actu primo, quatenùs eſt forma obiectiua, & ſubinde extrinſeca ipſi intellectui: imò ipſū intellectum per ſe non poſſe in actu primo conſtitui, niſi per formam obiectiuè aſsiſtentem, vt aſsiſtens eſt; non verò per formam vt informantem, & inhærētem. Quod corollarium ex eo confirmabunt; quia niſi ita dicatur, nec diuina eſſentia poterit ad inſtar ſpeciei conſtituere in actu primo intellectum beati ad viſionem Dei, nec ſubſtantia Angeli ſuum intellectum ad viſionē ſui, nec denique alia ſubſtantia, ſi ponatur obiectiuè præſens intellectui. Quæ omnia vt abſurda ſupponunt. Inter alios, qui hanc opinionē probauerunt, in terminis eſt Suarius *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. num. 7. 8. & 21. & ſatis eam ſupponit ad 3. partem 1. tom. diſp. 24. ſect. 2. pag. 494. §. ad exemplum ergo*, conſentiunt Bañes *1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. poſt quartā concluſionem, & clariùs q. 56. art. 1. §. ad argumenta dicimus, & §. hinc ergo ad primum, & Conimbricenſes in 1. de Interpretatione cap. 1. q. 2. ſect. 1. pag. 19. §. ex doctrina huius, & ſect. 3. pag. 25. §. ſecundū exemplum.*

Suarius. *Bañes.* *Conimb.*

17. Sententia Molinæ. Secunda ſententia eſt Molinæ 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 2. ſi benè expēdantur, quę ſcribit: licèt enim cum præcedentibus cōſentiat ſpeciem, vt ſpecies eſt, ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, vt patet ex locis, quos ex eo citauimus q. 11. art. 1. §. 1. tamen putat ſpeciem conſtituere intellectū in actu primo, prout ipſum formaliter actuat, & informat, & vt ſic cōcurrere cū intellectu ad actum intelligendi. Fundamentum eius eſt, quia fieri non poteſt, vt intellectus conſtituatur in actu 1. ad intelligendum per formam, qua per informationem non actuatur: vnde concedit, quod ſpecies, ſi abſque inhæſione poſſet eſſe obiectiuè præſens intellectui, poſſet cum eo in actum intelligendi actiuè influere, non tamen in eo caſu intellectum in actu primo conſtitueret. Putat igitur inhærere conuenire per accidens ſpeciei in ordine ad influēdum in actum; non tamen in ordine ad conſtituendum intellectum in actu. Fundamentum.

18. Corollariū. Ex quo Philoſophandi modo benè infertur ex mente doctiſsimi Theologi ſpeciem, nec conſtituere, nec poſſe conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum ex eo, quod vnit obiectum cū eo; ſed ex eo præciſè, quod actuat intellectum, illique inhæret: etenim, vt concedit, ſi poſſet fieri obiectiuè præſens intellectui abſque inhęſione, influeret quidem cum intellectu in intellectionem; non tamen faceret intellectum in actu primo ad intelligendum; inhærendo autē ideo influit, quia facit intellectū in actu. Ex qua Philoſophia colliges de mente huius Doctoris per ſe conuenire ſpeciei, quod influat in actum vniendo obiectum cū potentia; per ſe tamen illi non conuenire, quod inhærendo influat.

19. Vera ſentē. His tamen non obſtantibus vera huius difficultatis reſolutio ſit ſpeciem cōſtituere intellectum in actu primo, quatenùs eſt forma intrinſecè per inhærentiā illū actuans, & informans; non verò pro vt obiectiuè vnit obiectum cum intellectu. Quæ reſolutio non poteſt nō probari ab illis, qui ſpeciem ex parte intellectus admittunt, ſiue illam admittant ſolū ex parte illiùs, ſiue etiam ex parte obiecti. Nam ſi ex ſola parte obiecti illa ponatur, nullò modo poterit, aut vnire, aut repræſentare obiectum obiectiuè: quia vnio, & repræſentatio obiectiua ſe tenet ex parte obiecti. Quibus probatur.

20. Quare vt conſequenter loquantur, negabunt ſpeciem per talem vnionē conſtituere intellectum in actu primo, & ſubinde admittent ſpeciē illud actuandi munus exercere, vt eſt forma per ſe perficiens intellectum. Idem omninò dicent ij, qui ſpeciem ex vtraque parte ponunt: nō enim poſſunt nō fateri ſpeciem primum infor-

informare intellectum, quam illi obiectum obiectiuè proponat, vt latiùs dicemus in ſequenti art. Talis autem informatio non poteſt, non eſſe prima intellectus actuatio, primaque conſtitutio illius in actu primo. Igitur qui ſpeciem ex parte intellectus ſemel admiſerit, admittet etiam ſpeciem cõſtituere intellectum in actu primo, quatenùs eſt quædam forma illum perficiens.

21. Fuit ſententia D. Tho.

Hanc fuiſſe expreſſam ſententiam D. Thomæ nullus inficiabitur, qui illius teſtimonia attentè expenderit: ſunt enim adeo clara, vt nullus dubitationi relinquatur locus. Primum teſtimonium habetur 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *ad* 3. *quod ita habet: ſicut aliæ formæ intelligibiles, quæ non ſunt ſuum eſſe, vniuntur intellectui ſecundũ aliquod eſſe, quo informant ipſum intellectum, & faciunt ipſum in actu.*

22.

Ecce ſpecies informando intellectum facit illum in actu primo. *Et* 1. *p. q.* 14. *ar.* 2. *ita ait: Ex hoc aliquid intelligimus, quod intellectus informatur per ſpeciem rei intelligibilis.* Quæ verba perſeitatem ad intelligendum denotãt. *lib.* 3. *contra gentes cap.* 51. ita ſcribit: *Cum autem intellectus ſubſtantiam aliquam intelligere non poſsit, niſi fiat actu ſecundum aliquam ſpeciem informantem ipſum, quæ ſit ſimilitudo rei intellectæ:* quid clariùs pro perſeitate informationis? Vnde dum inferiùs ait, *Speciem vnitam intellectui illud perficere ad intelligendum:* explicandus eſt de perfectione per informationem, quia in hoc ſenſu de ea agebat: & in eodem ſenſu intelligendus eſt. 1. *p. q.* 14. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. dum affirmat intellectum perfici per ſpeciẽ, nã in corpore agebat de ſpecie informante. In quæſtionibus de potentia q. 9. art. 5. verbis expreſsis affirmat, quod intellectus fit actu, quia per ſimilitudinem informatur. Idem colliges ex q. 8. *de Veritate art.* 1. *& in* 4. *diſp.* 49. *q.* 2. *art.* 1. vbi docet intellectum eſſe vt materiam, ſpeciem verò vt formã. Denique, quòd intellectus fiat in actu, in quantum ſimilitudo rei eſt forma illius, ſcribit 1. *p. q.* 85. *art.* 2. *ad* 1. *& 3. & q.* 105. *art.* 3. *& q.* 55. *art.* 1. *vt mille alios locos omittamus:*

Explicatur D. Thom.

23. Species hoc munus per ſe exercet.

Quòd verò hoc munus ſub ratione formæ informantis non per accidẽs, ſed per ſe exerceat, ſatis conuincit illa reduplicatio poſita in dicta q. 85. art. 2. ad primũ, dum ait: *intellectum fieri in actu, in quantũ ſimilitudo rei eſt forma illius:* Reduplicatio enim reduplicat non quod eſt per accidens, ſed quod eſt per ſe. Idem colliges ex verbis poſitis in dicta q. 9. de potentia, vbi ipſam informationem ſpeciei ponit pro cauſa actuationis inquiens: *intellectum fieri in actu, quia per ſimilitudinem informatur*: Nec enim ſatis Philoſophicè loqueretur, ſi ad cauſam per accidens recurreret. Denique id colligitur, tum ex eo, quòd generaliter id docet; tum etiam, quia ſcribit intellectum aliter intelligere non poſſe: Iam verò quod per accidens eſt, neceſsitatem non inducit.

Doctrinam D. Thomæ ſequuntur nobiliores Thomiſtarum, illam ſatis ſignificauit *Capreolus in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. *ad argumenta* 2. *loco fol.* 93. *col.* 1. *dum ait intellectum fieri in actu primo, in quantum recipit ſpeciem* Igitur apud Capreolũ ſpecies actuat in actu primo intellectum, non in quantum obiectiuè vnit obiectũ illi; quia vt ſic non recipitur in eo; ſed inquantum eſt forma in eo recepta, quæ reduplicatio denotat id, quod eſt per ſe. Caietanus etiam id ſatis diffusè non oſtẽdit, ſed ſupponit 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *in reſponſione ad* 3. *& q.* 79. *ar.* 2. *vbi* §. *Secunda verò opinio* diffusè ſatis oſtendit intellectum fieri in actu primo per ſpeciem, vt per formam, à qua per ſe, & nõ per accidens patitur. Et omiſsis alijs, ſatis ſint, quæ ſcribit Ferrar. 3. *contra gentes dicto cap.* 51. §. *Circa hanc declarationem*; ita enim ſcribit: *conſiderandum diligenter, quod nulla alia ratione ponitur hic ſpeciem conſtituere intellectum in actu, niſi quia perficit ipſum ad intelligendum.* Si nulla alia ratione: ergo ſub illa ratione per ſe, non per accidens dat intellectui actum primum.

24. Probant nobiliores Thomiſt.

Capreolus.

Caietan.

Ferrar.

Quod verbis expreſsioribus docuit, dum inferiùs addidit: *Vnde ſicut intellectus dicitur in actu per ſpeciem intelligibilem in genere intelligibilium, in quantum ab ipſa habet aliquod eſſe reale, per cuius receptionẽ fit potens ad intelligendum per ſpeciem.* Reduplicatio autem perſeitatem denotat, vt diximus. Addit adhuc in eodem loco, *quod ſpecies intelligibilis vnitur intellectui, & actuat ipſum; non per ſe ipſam immediatè, ſed per ſuum eſſe reale.* Quibus verbis excludit rationem actuandi per aſsiſtentiã; & admittit, quę eſt per informationem,

25.

per

per quã tribuitur eſſe intellectui, nimirũ eſſe ipſam rem intellectã. Deniq; docet, vt intellectus fiat in actu, oportere, vt per modum formæ adiungatur potentiæ, vt principiũ intelligendi formale, ſicut ſcribit in primo contra gentes c.53. §. *ad intellectum huius diſſicultatis*, & §. *Quod obijcitur*. 3. Cum iſtis videtur conſentire Cumelius 1.*p.q.*12.*art*.2.*q*.3.*notab*.3. quatenùs docet ſpeciẽ vnitã intellectui conſtituere illũ in actu primo, eo quòd perficit ipſum ad intelligendum: Perficit (inquam) vt per eam, tanquam per formam, fiat ipſum intelligibile.

Cumel.

25\. Hanc ſententiam non poſſunt nõ probare, qui Ariſtotel. doctrinam profitẽtur: conſtat enim apud Ariſt. intellectũ fieri in actu primo, ad intelligendum, quia per ſpeciẽ intelligibilem fit ipſa res. Ex eodẽ etiã cõſtat intellectũ per ſe fieri ipſam rẽ, quia per ſpeciẽ perficitur, & informatur: ergo ipſa ſpecies per ſe habet, quod intellectũ conſtituat in actu primo, ideo, quia per actualẽ informationẽ illi vnitur. Diſcurſus huius argumẽtationis eſt optimus. Maior euidenter patet ex ijs, quæ ex Ariſtot. adduximus ſuprà q. 3. art. 3. §. 2. Et euidẽter patet ex verbis Ariſt. in 3. de Anima c.4. tex.8. *Factus autẽ vnũquodq; perinde atq; is, qui dicitur actu ſciẽs quod quidẽ tũc accidit, cum ipſe per ſe ipſum operari poteſt: Eſt quidem, & tunc quodãmodo in potentia; ſed non perinde, atque erat antea.* Quæ verba ſatis declarant Ariſtotelẽm agere de intellectu facto in actu primo ad intelligendum: & tamẽ docet intellectũ tunc fieri in actu primo, cũ factus eſt ipſa res, quam debet intelligere. Quod doctẽ ſatis aduertit Cumelius 1.*p.q.*12.*art*.2.*q*.3.*notab*.1. dum ait intellectũ conſtitui in actu primo, quia per ſimilitudinẽ rei receptam fit ipſa res. Quæ Philoſophia euidenter probatur ex cõmuni veterũ proloquio, *Simile cognoſcitur à ſimili*: ex quo omnes deducunt omnem cognitionem fieri per aſsimilationem intellectus ad rem intellectam, vt vidimus ſupra art.1. Igitur aſsimilari rei, & fieri ipſam rẽ, eſt primũ eſſe, à quo exit omnis intelligendi actiuitas. Quare ſatis confirmata manet maior ſuperioris diſcurſus. ſc. intellectum fieri in actu primo ad intelligendũ, quia per ſpeciem fit ipſa res.

Ariſt. ſentẽtia probatur. Fundamentum Ariſt. Probatio Maioris. Ariſtotel. Cumel. Proloquiũ veterum.

27\. Minor autem (quod ſc. intellectus per ſe ſit ipſa res, quia per ſpeciẽ illius intrinſecè informatur) euidenter conſtat ex dictis art.1.§.2. etenim ex Ariſtot. patet ſpeciẽ conſtituere intellectũ in eſſe rei intellectæ, vt formã, cuius actuatione intellectus per ſe, & non per accidens patitur, & alteratur alteratione perfectiua, vt cõſtat ex 3. *de Anima*. c.4. *text*. 2. 12. & 14. & ex c.5. *text*. 19. *dum ait*. *At cum eſt paſſa, tũ ſimilis eſt*. Quæ verba clarè probant intellectũ, tunc per ſe fieri ſimilem rei, & ipſam rem, cũ recipiendo illius ſpeciẽ patitur. Veriſsimũ eſt igitur ſpeciẽ per ſe, & nõ per accidẽs facere, vt intellectus ſit res ipſa, quia illũ informando, & alterãdo actuat, & perficit: quæ fuit minor. Quis igitur dubitabit apud Ariſtotelem ſpeciẽ conſtituere intellectum in actu primo, ideo, quia illum informat?

Probatio Minoris.

28\. Tertiò; eadem veritas ſatis efficienter oſtenditur, ſi ſupponamus ſpeciem ita cõſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum, vt ſit illi formale intelligendi principium, & forma, qua intellectus intelligit, quæ eſt expreſſa doctrina D. Thomæ 1.*p.q*.56. *art*.1. & *q*.85. *art*.2. & *q*.87. *art*.1. & *q*.105. *art*.3. & 1. *contra gentes, cap*.53. & *in* 4. *diſt*. 49. *q*.2. *art*.1. *ad* 2. Et eſt doctrina receptiſsima inter Thomiſtas, vt iam oſtendimus art.4. §.2. & latius oſtendemus art.6.

3. Cõfirmatio. D. Thom.

29\. Hac ſuppoſita ſententia, ita licèt argumentari: Id, quod intellectui eſt virtus, principiumque, quo formaliter intelligit neceſſariò eſt forma inexiſtens in intellectu: ſed ſpecies eſt intellectui principium intelligendi, formaque, qua intelligit: ergo ſpecies, vt eſt intelligendi principium, eſt forma intrinſecè inexiſtens in intellectu. Minor huius argumentationis patet ex facta ſuppoſitione. Maior autem inde probatur; quia nihil operari poteſt, niſi per formam, quæ formaliter ſit in ipſo. Quam propoſitionem aſſumit Diuus Thomas *Secundo contra gentes capite 59. & 76. quam deſumpſit ex Ariſtotele ſecundo de Anima capite primo, tex. quarto, & quinto, & cap. ſecundo, text. 24. vt etiam Conimbricenſes fatentur in tertio de Anima, capite quinto, quæſtione tertia artic. 2.*

D. Thom. Ariſt. Conimbr.

30\. Scio plures Thomiſtarum propoſitionem illam ſolũ admittere de virtute, quę agenti eſt primum operandi principium,

Explicatio quorundã.

tituendo intellectum in actu primo; quin priùs det eſſe rem ipſam, in quã operari debet: quam Philoſophiam ſatis docuit *Henric. quodlib. 4. q. 7. lit. Y. dum dicit ſpeciem in hoc eſſe rationem cognoſcendi (talis autem eſt, vt eſt actus primus) quòd eſt ratio aſſimilandi.* Quibus verbis ſatis indicat priùs natura cõuenire ſpeciei eſſe formã aſſimilatiuam intellectus, quàm eſſe formam actiuam: quia priùs natura debet facere ſimile, quàm eidem ſimili ſit ratio agendi. Quod etiam ſubtiliter declarauit *Caietan. 1. p. q. 12. art. 2. §. In reſponſione ad tertium.* verſ. *Dicendum eſt ergo*, dum dixit proportionem ſpeciei cũ intellectu in ratione formæ ad materiam, qua intellectus fit res ipſa, quæ debet intelligi, priorem eſſe, quàm ſit proportio principij actiui cum eodem intellectu. Quod etiam expreſſit §. *Ad euidentiam huius*, dum inquit proportionẽ formalem, quã ſpecies habet ad intellectum, vt ad materiam, cui dat eſſe rem ipſam, priorẽ eſſe, & potiorem, quàm proportionem actiuã in ordine ad operari.

Henric.

Caietan.

14. Prius natura hoc munus exercet quam cætera.

Quòd verò ſpecies hoc munus priùs natura exerceat, quàm cætera, ex eo generaliter oſtenditur, quòd ſicut ad eſſe immediatè ſequitur poſſe; ita ad dare eſſe immediatè ſequitur dare ipſum poſſe.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm munus ſpeciei ſit obiectiuè præſentare obiectum intellectui?

§. 1.

Speciem obiectum repræſentare, indubitatum.

1. Munus ſpeciei eſt repræſentare obiectum.

QVòd ſpecies intelligibilis præſentet intellectui obiectum, eſt omninò indubitatum apud eos, qui ſpecies admittunt. Dixi, *qui ſpecies admittunt*; quoniam qui eas non recipiunt, volunt obiectum præſentari intellectui per phantaſiam: in Angelis verò per ſe ipſum in prima intellectione: ita *Ochamus in 2. q. 17. & 18. Gabriel. in 2. d. 34. q. 2. 3. & 4. Durand. ibidem q. 6. num. 1. 12. 13. & in 4. d. 49. q. 2. num. 19. in fine, Henric. quodlib. 5. quæſt. 14. litera N.* Sed hanc opinionem Schola Peripatetica iam diù relegauit.

Ocham. *Gabr.* *Durand.* *Henric.*

Igitur qui ſpecies admittunt, ad hoc munus illas admittunt, vt obiectum intellectui præſentent. Ex recentioribus ita docent Fonſec. 1. *Metaphyſic. cap. 2. quæſt. 3. ſectione 6. pagin. 154. §. Ad hæc, proprium munus. Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. n. 5. 8. 12. Curſus Conimbric. in 3. de Anima cap. 5. q. 3. art. 2. p. 334. in principio, latius in primo de interpretatione cap. 1. q. 2. art. 3. ſect. prima, §. Ex doctrina huius. & §. ad cæteras inſtantias, Bañes 1. p. q. 12. art. 2. dubio ſecundo, poſt quartam concluſion. & q. 14. art. 4. & q. 56. art. 1. dubio primo. §. Alij aliter.* Ex Antiquioribus id docuit D. Thom. *de Veritate q. 8. art. 1. ad 7. & clariùs art. 10. ad tertium, & 1. contra gentes cap. 87.* vbi docet operationem intellectus ex vnione ſpeciei cum intellectu dependere; & idem vt notiſſimum ſupponit, vbicumq; agit de ſpeciebus. Apertiùs Scot. *in primo. diſtinct. 3. q. 6. litera I. & V, & in ſecundo diſtinct. 3. q. 9. litera N. §. ad aliam probationem, & in tertio diſt. 14. q. 3. litera B.* quibus in locis docet ſpeciem repræſentare obiectum, & facere illud præſens intellectui, Capreol. *in primo. diſt. 35. q. prima, art. 1. ad ſecundum Henrici contra primam fol. 236. col. 3. in fine, & in ſecundo diſt. 3. q. 2. art. 3. ad argum. Durandi contra quartam fol. 97. col. 1. & fol. 99. columna ſecunda, Caietan. prima parte quæſt. 12. articul. 2. ad finem, fuit etiã Aureoli in primo diſtinct. 35. quæſt. prima, articul. primo*, vt patet ex his, quæ de eo diximus ſuprà quæſtione prima, articulo quarto §. primo. Denique eſt indubitata omnium ſententia: nec enim dubitari poteſt obiectum intellectui vniri per ſuam ſpeciem, in qua repræſentatur.

2. *Fonſeca.* *Suarius.* *Conimb.* *Scotus.* *D. Thom.* *Scotus.* *Capreol.* *Caietan.* *Aureolus.*

§. 2.

Speciem repræſentare, non vt eſt principium effectiuum formalis repræſentationis, ſed vt eſt formalis repræſentatio.

SEd iam inquiri poteſt, quomodò ſpecies ſit repræſentatiua obiecti? nec enim ſpeciei repræſentatio eodem modo ab omnibus explicatur. Qui negant ſpeciem eſſe imaginem obiecti; formalemque illius ſimilitudinẽ, in hoc tantum ſenſu volunt ſpeciem eſſe repræſentationem obiecti, quia eſt principium effectiuum 3.

Quomodò ſpecies eſt repræſẽtatiua obiecti?

fectiuum formalis repræſentationis, qualis eſt intellectio. Hanc opinionem placuiſſe quibuſdam Thomiſtis refert Rada *ſecunda parte controuer. 8. art. 1. pag. 261 col. 2.* qui docuerunt ſpeciem non repræſentare formaliter, ſed cauſaliter, ſiue effectiuè, quatenus cauſat intellectionem, quæ eſt formalis repræſentatio: ſed ego nullum inueni Thomiſtam, qui ſpeciei repræſentationem ita explicaret. Eam tamen probauit Suarius *in Metaphyſ. diſp. 6. ſect. 6. num. 7. & diſp. 30. ſectione 11. nu. 30. 31. & 32. In ea perſiſtit libro ſecundo de Attributis negatiuis cap. 12. num. 12. & cap. 13. numero. 13. & 21.* in quibus locis conſtāter negat ſpeciei rationem formalis ſimilitudinis, & repræſentationis, & ſolum illi concedit ſimilitudinem effectiuam, quatenùs eſt veluti quoddam ſemen obiecti ad cauſandum actum intelligendi, in quo ſolo reperit rationem formalis repræſentatiui. Et reprehēdit eos, qui ſpeciei repræſentationem ita concipiunt, vel fingunt, ac ſi in ipſa ſpecie eſſet aliqua ſimilitudo formalis; vel imago depicta ipſius obiecti: quia nec hoc poteſt cōcipi ſine aliqua cōuenientia, & vnitate formali; nec aliqua eſt neceſsitas hoc fingendi.

Rada.

Suarius.

4. Conimbri. conquerntur de Suar. & meritò.

Sed de authore huius ſententiæ ſuppreſſo Suarij nomine meritò conqueritur Curſus Conimbr. 1. *de Interpret. loco citato p. 20. §. Ratio qua aduerſarij*, quod opinionem Ariſtotelis, Auguſtini, D. Thom. & omnium Philoſophorum, non ſolùm arguat falſitatis, ſed etiam fictitionis: quaſi fictitium ſit ſpeciei repræſentationem ita concipere, atque ſi in ea ſit aliqua ſimilitudo formalis, vel imago depicta ipſius obiecti. Nec ſine fundamento conqueri poteſt, qui & apud Auguſt. & apud Ariſt. fuerit verſatus; cum & Auguſtinus, & Ariſtoteles ita de ſpecie fuerint philoſophati. Nam Aug. 8. de Trin. cap. 6. ita ait: *Finxi in animo meo imaginē Alexandriæ, atque intuens in ipſam, id eſt imaginem, & quaſi picturam eius*: quę verba nequaquam intelligi poſſunt de imagine, & pictura, quæ ſit ipſa formalis intellectio, ſed quæ eā antecedat: etenim ſermo eſt de imagine, & pictura, in quam actualis animi intuitus fertur: iam verò intellectio directè non fertur in ſe ipſam. Cæterum quia verba illa accōmodari poſſunt ſpeciei expreſſę, ſiue verbo Thomiſtarum, quod eſt actuale obiectū, in quod fertur intellectio; videndi ſunt loci, quos ex Auguſt. citauimus q. 2. art. vnico §. 2. qui de ſpeciebus impreſsis euidenter loquuntur, Auguſt. igitur ita ſpeciē impreſſam concipit, vt ipſa ſit imago obiecti ab alio depicta, & cauſata in ipſo intellectu.

Auguſt.

Quòd Ariſtot. ita concipiat ſpeciē impreſſam, vt eam concipiat, vt imaginem, & picturam, quæ aliud referat, euidenter patet ex lib. de Memoria, & Reminiſcentia cap. 1. in quo manifeſtè agit de ſpeciebus impreſsis intelligibilibus, & ſenſibilibus, vt ad oculū oſtendimus q. 2. art. vnico: & tamen in toto illo capite haſce ſpecies modo appellat figuras, modo imagines, modo ſimilitudines, modo picturas à natura in intellectu veluti in tabula delineatas, modò ſpectra, modò deniq; ſimulachra, & monimenta, vt patet in eodē c. §. *Sed cum de imaginatione*, vbi eas appellat figuras delineatas in §. *Sed quæras aliquis* vocat picturas, & figuras relictas in memoria: & idem facit in §. *at ſi de memoria*. in §. *an fieri poteſt* eas vocat imagines, monimenta, ſimulachra, & imitationes, quod iterum, & iterū facit vſque ad finē cap. Et vt omnia concludamus, in dicto §. *An fieri poteſt* ſpeciem in memoria relictam (quæ ſola eſt ſpecies impreſſa) cōparat animali depicto in tabula ita inquiens: *Quod ipſum, & animal eſt, & imago eſt, & cum vnūquodque ſit, vtraque eſt; Sed tamen eorum ratio diuerſa exiſtit, conſiderarique poteſt, & vt animal eſt, & vt imago eſt.* Ecce docet Ariſtoteles animal depictum in tabula conſiderari poſſe, vel materialiter, vt eſt quoddam ens depictū, vel formaliter, vt aliud refert: & ſub hac ratione eſt imago. 5.

Ariſt.

Præmiſſo autem hoc exemplo ita ſcribit: *Sic de phantaſmate quod in nobis eſt, cenſere oportet: & ipſum quidpiam in ſe, & alterius ſimulachrum eſſe: Nam quatenùs in ſe ſeorſumq́; ſpectatur, ſpectrū, aut viſū: quatenùs verò aliud refert: imago, & monimentū.* Ipſum igitur phantaſma dupliciter conſiderat: vno modo; materialiter, vt eſt quoddam materiale deliniamentum factum à natura; altero modo, formaliter, vt eſt depictum ad aliud referendum, rem ſcilicet cuius eſt phantaſma: & vt ſic eſt ima- 6.

Phantaſma dupliciter cōſideratur ab Ariſt.

imago, & monimētum atque ſimilitudo, vt in ſequentibus repetit. Quod verò nomine phantaſmatis intelligat, non ipſum actuale phantaſma, quod appellamus expreſſum, ſed ipſum impreſſum, quod non eſt aliud, quam ſpecies impreſſa, euidenter patet ex verbis poſitis ad finem capitis: *Dictum eſt igitur, quid ſit memoria: quidue meminiſſe: habitus, ſcilicet phantaſmatis, vt imaginis eiusce rei, quæ imaginationi ſubditur.*

7. Iā verò ſola ſpecies impreſſa ad memoriam pertinet, vt expreſſe docuit Ariſto. in dicto cap. 1. poſt principium §, *Præterita verò*, & §. *Eſt igitur memoria*, in quibus locis declarat memoriā retinere habitus, qui ſine actione actualique exiſtimatione remanent: Idem repetit inferiùs §. *Sed quærat aliquis.* Quod verò, quæ in eo cap. docet de ſpeciebus ſenſibilibus, etiam doceat de intelligibilibus, patet ex verbis poſitis in §. *Præterita verò*, cum ſcientiam ſenſum ve ſine actione tenet. Quare licèt ibi principalius agat de memoria ſenſibili; tamen quę de vna docet memoria, de alia etiam docenda eſſe ſignificat.

8. Non benè philoſophatur; qui ſpēciē non cōcipit, vt imaginem.

Ex quibus patet non ſatis philoſophari ad mentem Ariſtotelis, qui de repręſentatione ſpeciei, non ita philoſophatur, vt eam concipiat, tanquam formalem ſimilitudinem, & imaginem à naturá depictā in intellectu, vt ſit obiecti repræſētatiua. Quod iā aduertim⁹ q. 10. ar. vnico; vbi nō ſolùm teſtimonijs antiquorum, ſed etiam rationibus euidenter oſtendimus Philoſophiam Ariſtot. defendi non poſſe, niſi ſpecies, vt formales obiectorum ſimilitudines admittantur.

9. Species non poſſet eſſe virtualis ſimilitudo, ſi non eſſet formalis. 1. Ratio.

Quin potiùs, ſi benè philoſophandum eſt, non poſſet ſpecies eſſe virtualis ſimilitudo efficiens intellectionem, niſi eſſet formalis ſimilitudo obiecti: Cum enim ex veterum Philoſohia à Peripateticis recepta intellectus nullam rem valeat intelligere, niſi in genere intelligibili fiat ipſa res (quia ſimile à ſimili cognoſcitur) neceſſariū fuit intellectum priùs fieri ipſam rem, quam illā intelligat: fit autē ipſa res per ſpeciem intelligibilem, vt ex Ariſtotele conſtat: priùs igitur ſpecies eſt intellectui principium eſſendi ipſam rem, quā illi ſit principium intelligēdi illam: Nam ſicut eſſe præcedit poſſe operari; ita principium eſſendi præcedit pricipium operandi: ergo ante ſimilitudinem virtualē, quam ſpecies habet, vt eſt principium operandi, habuit ſimilitudinem priorem, qua intellectui eſt formale principium eſſendi. Hæc autem ſimilitudo non potuit eſſe, niſi formalis.

Eadem veritas euidenter deducitur ex eo, quod ſpecies eſt ſimilitudo virtualis intellectionis (quam Suarius vult eſſe formalem ſimilitudinem:) Inde enim neceſſariò infertur ſpeciem eſſe formalem ſimilitudinem eiuſdem obiecti: Nec enim poſſet intellectus formare intellectionē vt formalem ſimilitudinem obiecti, niſi ſpecies (quæ ponitur virtualis ſimilitudo reſpectu intellectionis) eſſet reſpectu obiecti ſimilitudo formalis. Quod ex D. Thom. Auguſti. & Anſelm. oſtendimus quæſt 10. art. vnico §. 3. in ſecunda confirmatione. 10. 2. Ratio. *Auguſt. Anſelm.*

Denique, quod repræſentatio ſpeciei non ſolum ſit ſimilitudo virtualis intellectionis, ſed etiam ſit formalis ſimilitudo obiecti, inde confirmabimus; quia ſimilitudo virtualis intellectionis, quam ſolam Suar. in ſpecie admittit, nō ſatis eſt ad verificanda, quæ Ariſt. tribuit ſpeciei: nam ſpecies ex Ariſtot. eſt ſimilitudo repræſentans obiectum: Similitudo autem virtualis, ſi quid repræſentat, ſolū repræſentat intellectionem; quia talis ſimilitudo eſt cauſæ ad effectum. Deinde; ſpecies eſt ſimilitudo, qua intellectus formaliter eſt ſimilis obiecto: Similitudo autem virtualis, quæ eſt in ſpecie in ordine ad intellectionem, vt aſsimilet ſpeciem intellectioni, non tamen aſsimilat intellectum obiecto, nec intellectus per eā poteſt eſſe ipſū obiectum. Quare ſpecies non facit intellectum eſſe ſimilē obiecto, quatenùs eſt ſimilitudo virtualis. Aliam igitur rationem ſimilitudinis habet ſpecies, quatenùs intellectum aſsimilat obiecto. 11. 3. Ratio. *Ariſt.*

Concludendum eſt igitur ſpeciem intelligibilem ex ſua natura eſſe formalem ſimilitudinem, atque repreſentationem obiecti, & ſub inde eſſe ſignum formale, de cuius ratione eſt, quod ſit imago, forformaleque repræſentatiuum, vt probāt *Conimbr. 1. de Interperet. cap. 1. q. 2. ar. 1. §. Secundam diuiſionem pag.* 13. Quare ſuppoſita hac veritate explicandum eſt, quo modo ſpecies obiectum repræſentet intellectui. 12. Concluſio reſolutiua. *Conimbr.*

§. 3.

§. 3.

Species ideò repræſentat obiectum, quia facit illud eſſe præſens intellectui.

13. In quo poſita eſt repræſentatio obiecti?

CVm iam conſtitutum ſit ſpeciẽ repræſentare obiectum, vt formale repræſentatiuum illius, cuius naturâ eſt, vt non cognitum repræſentet; oſtendendum eſt, in quo poſita ſit hæc obiecti repræſentatio, quæ ſit per ſpeciẽ. Quæ difficultas, licet facilis videatur; difficilis tamen eſt explicatu, propter varias Philoſophorum, & Theologorum hac de re opiniones, vt ex dicendis patebit. Verum vt rem obſcuram facilè explicemus; priùs explicabimus, in quo omnes conueniunt: deinde, in quo ſit diſſenſio. Tertiò nonnullis præmiſsis difficultatem reſoluemus.

14. Species ideò repræſentat obiectum, quia facit illud præſẽs. *Scotus. Lychetus. Rada. Caietan. Fonſeca. Conimbr. Torres. Ferrarien. Capreol. Bernar. de Ganap.*

Quod attinet ad primũ, omnes in hoc conueniunt, vt ſpecies ideò repræſentet obiectum intellectui, quia facit illud eſſe præſens intra ipſum intellectum. Hæc eſt communis explicatio, ex *Scot. in 1. d. 3. q. 6. lit. K. & in 2. diſt. 3. q. 9. lit. L. §. Ad aliam probationem, conſentiunt omnes Scotiſtæ; Lychet. in 1. diſt. 3. q. 6. fol. 89. col. 2. Herrer. in 2. diſp. 10. q. 3. §. Quarto eſt notãdum, pag. 359. col. 2. in fine, Rada 2. p. controu. 9. ar. 1. pag. 223. col. 1. §. Tertiò obſerua. & pag. 226. col. 1. admittit Caiet. 1. p. q. 27. ar. 1. §. Ad quartam dubitationẽ, Fonſeca 1. Metaphy. c. 2. q. 3. ſect. 6. pag. 154. §. Ad hæc, proprium munus, Conimbricen. 3. de Anima c. 8. q. 4. art. 1. ad 1. & 2. pag. 385, Torres de Trinit. q. 27. diſp. 5. in prima illius parte in principio, & ſatis explicat Ferrarien. 1. contra gentes cap. 53. §. Quod obijcitur 3. probat Capreol. cum Bernard. de Ganapo in 2. diſt. 3. q. 1. art. 3. ad 1. contra 4. fol. 96. col. 3. & in 1. diſtin. 35. q. 1. art. 1. fol. 236. col. 3. & 4. ad 2. 5. & 6. Henric.* Ad cuius probationem ſatis eſt propria ſignificatio verbi *repræſento*: etenim repræſentare nihil aliud eſt, quàm rem præſentem facere.

§. 4.

Quomodò ſpecies faciat rem præſentem, controuerſum eſt.

15. Quomodò ſpecies faciat rem præſentem controuerſum eſt.

TOta difficultas eſt, quonam modo ſpecies faciat obiectum eſſe intellectui præſens? cui difficultati non omnes eodẽ modo reſpondent: ſunt enim, qui volunt ſpeciem facere, vt obiectum ſit intellectui præſens, non immediatè, & proximè, ſed mediatè, & remotè. Ita Suarius *in Metaphyſica diſp. 6. ſect. 6. num. 7*: nam cum apud eum ſpecies nõ ſit formalis ſimilitudo, non poteſt facere obiectum eſſe præſens in ſe ipſa immediatè; quia hoc eſt proprium formalis repræſentatiui; ſed ideò dicitur facere illud eſſe præſens, quia efficit actum intelligendi, in quo obiectũ immediatè ſit præſens; vnde mediatè tantùm, & remotè dicitur illud præſentare. 1. opinio. *Suarius.*

16. 2. opinio.

Ex illis, qui in ſpecie admittunt formalem repræſentationem obiecti, quidã volunt ſpeciem in eo ſenſu facere obiectum præſens intellectui, quia illud obiectiuè proponit veluti è regione corã eo: & indè inferunt ſpeciei munus eſſe facere, vt obiectum habeat in intellectu præſentiam obiectiuam, qua fit actu intelligibile intelligibilitate proxima. Hæc eſt communis ſententia inter eos, qui ponũt ſpeciem ex parte obiecti. Satis id eſt ad mentem *Scoti in 1. diſt. 3. q. 6. lit. I. & K. §. Ad 2. de præſentia, & q. 7. lit. k. §. Ad quæſtionem, & lit. L. M. N. & in quolibet. 15. §. De iſto articulo, lit. F. & §. Ad ſecũdum dico, lit. I.* & ſatis id explicant Scotiſtæ, dum præſentiam intentionalem, qua obiectum in ſua ſpecie eſt præſens intellectui, vocant præſentiam obiectalem, & relucentem, vt videre eſt apud Lychetũ *in dicta q. 6. Scoti, fol. 89. col. 2. §. Hic apparet, & Radam 2. p. controu. 8. ar. 1. in 3. not. pag. 225. col. 2. in princip. Herrer. in 2. diſp. 10. q. 3. not. 4. pag. 359. col. 2. ad finem*, non longè abeſt noſter *Ægidius Rom. de cognitione Angelorum q. 4.* ſi diligenter expendantur, quæ ſcribit *fol. 83. col. 3. & fol. 84. col. 4. in fine, & fol. 85. col. 1.* Clariùs id docet *Ferrarien. 3. contra gentes, cap. 51. §. Circa hanc declarationem*, vbi fatetur obiectum obiectiuè præſentari per ſpeciem. Satis conſentit Caiet. *1. p. q. 79. art. 2. §. Secunda opinio*, dum contra Scotum concedit ſpeciem poni, & pro obiecto, & pro actuatione intellectus. Denique qui admittunt ſpeciem poni ex parte obiecti, quamuis eam etiã admittant ex parte intellectus, non poſſunt non admittere hãc repræſentationem obiectiuam fieri per ſpeciem: quia ex parte obiecti nullũ aliud munus, niſi hoc, poteſt exercere.

Scotus. Lychetus. Rada. Herrera. Ægidius. Ferrarien. Caiet.

17. 3. opinio. Tertia opinio eſt corũ, qui putant ſpeciem nullo modo habere ſe ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte intellectus: hi enim non poſſunt nõ negare ſpeciem repræſentare obiectum intellectui in eſſe obiectiuo, & per modum aſsiſtētis; quod ſimpliciter videtur negare Bellomont. 1. *p. diſp. 43. cap. 3. n. 8.* dum ſimpliciter negat obiectum relucere in ſpecie impreſſa, & ſatis videtur id negare Capreol. *in 1. diſt. 27. loco citato, fol. 206. col. 3. ad 2.* quatenùs docet ſpeciem ideò non eſſe in cõſpectu intellectus in actu; quia eſt pars intellectus in actu. Et verè hæc ſententia tribui debet Caiet. 1. *p. q. 27. art. 1. §. Ad quartam dubitationem*, dum docet præſentare obiectiuè idẽ eſſe, quod præſentare terminatiuè. Quomodò ſpecies non poteſt obiectum repræſentare, vt ibi latè probat.

Bellomon. *Capreol.* *Caietan.*

§. 5.

Vera reſolutio.

18. Vera reſolutio. PRo vera huius difficultatis reſolutione præmittendum eſt, quod ſicut ab authoribus diſtinguenda eſt duplex vnio obiecti cum intellectu, vt patebit ex ſequenti art. Vna, qua obiectũ vnitur intellectui per modum formæ illum ſibi aſsimilantis, altera per modum formæ obiectiuè aſsiſtentis. Ita duplex diſtinguenda eſt repræſentatio obiecti. Vna, quæ obiectum repræſentat, quatenus eſt aſsimilatiuum intellectus, & pro vt loco obiecti illum aſsimilat rei intellectæ, vt ſit ipſa: Altera, quæ obiectum repræſentat per modum aſsiſtentis: obiectum enim cum ſit quoddam intelligibile, duobus modis reſpicit intellectum, vt dicemus art. 9. vno modo, vt poteſt per ſpeciem à ſe emiſſam illum aſsimilare ſibi: altero modo, vt eſt obiectum motiuum intellectus ad intelligendum, & terminatiuum intellectionis. Priori modo repræſentatur per ſpeciem, vt loco eius eſt aſsimilatiua intellectus: Poſteriori modo repræſentatur ſub ratione obiecti, aut mouentis ad agendũ, aut terminãtis intellectionem. A qua Philoſophia non longè eſt Caietan. loco immediatè citato, dum diſtinguit duplicem præſentiam obiecti. Vnam per modum comprincipij intellectionis: alteram per modum obiecti. Prima eſt præſentia obiecti, vt eſt aſsimilatiuum, quia vt ſic principiat actum intelligendi: ſecunda eſt obiecti, vt obiectum eſt.

Duplex vnio obiecti cum potentia.

Duplex repræſentatio obiecti per ſpeciem.

Dubitari igitur poteſt, nec ſine fundamento, an vtraque iſta repræſentatio debeat admitti in ſpecie intelligibili? Qui putant ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, fortè negabunt vtramque repræſentationem illi conuenire, ſed ſolam poſteriorem, vt ſolùm repræſentet obiectũ ſub ratione mouentis, & terminantis. Ex diametro ſunt, qui ſpeciem ſolùm ponũt ex parte intellectus: docebunt enim ſpeciem ſolùm repræſentare obiectum, quatenus eſt aſsimilatiuum intellectus, & vnum cum eo intelligendi principium: nam repræſentationem obiectiuam ſoli verbo concedunt. Quæ ſententia fortè placuit Caiet. vbi ſuprà. Media via incedent, qui ſpeciem ponunt, & ex parte obiecti, & ex parte intellectus: hi non poſſunt non admittere in ſpecie, & repræſentationẽ obiecti per modum formæ aſſimilantis, quatenus ſe habet ex parte intellectus, & repræſentationem obiectiuã, vt ſe tenet ex parte obiecti.

19. Dubium. 1. opinio. 2. opinio. Media opinio.

20. 1. concluſ. Pro reſolutione ſit prima concluſio: in ſpecie admittẽda eſt repræſentatio obiecti formalis, & immediata, ita vt ipſa per ſe, & in ſe obiectum repræſentet. Hæc ſtatuitur contra primam opinionem poſitam §. 4. in principio, quæ probata fuit à Suario. Veritas illius euidenter demonſtratur ex dictis §. 2. huius quæſtionis, & ſuprà q. 2. art. vnico: ſpecies enim ex ſua natura eſt formalis ſimilitudo, & repræſentatio obiecti, vt ibidem diximus.

21. 2. concluſ. Secunda concluſio: non poteſt in ſpecie non admitti repræſentatio obiecti ſub ratione aſsimilantis intellectum, qua fit ipſe intellectus. Probatur, quia non eſt negandum ſpeciem aſsimilare intellectũ obiecto, & efficere, vt intellectus ſit ipſũ: id enim euidenter oſtendimus ex Ariſt. ſuprà ar. 1. Cum verò ſpecies nihil faciat, niſi vt eſt vicaria obiecti & prout illud repræſentat, vt dicemus ar. 9. Vtique Ariſt. repugnabit, qui hanc repræſentationem ſpeciei negauerit. Nec poterit negari, niſi ab illis, qui negauerint intellectum aſsimilari rei intellectæ, & fieri ipſam per ſpeciem, ſed per ſolam intellectionem, quã opinionem iam impugnauimus ſuprà artic. 1. §. 1. & q. 1. art. 1. §. 2. Nec vidi aliquem,

quem, qui hanc repræſentationem neget ſpeciei.

22. Speciem hoc munus exercere, vt eſt à parte intellectus, nullus dubitat: quia nullus negare poteſt aſsimilationem intellectus cum obiecto tenere ſe ex parte intellectus, cum per eam, virtus intellectiua compleatur. Vide q. 3. artic. 1. §. 2. Quem autem ordinẽ habeat hoc munus cõparatione aliorum, dicemus in §. ſeq.

23. 3. concluſ. Tertia concluſio: Quanuis in ſpecie impreſſa non omnes admittant repræſentationem obiectiuam, qua obiectum ponatur ante intellectum: eam tamen eſſe admittendam ideò eſt probabilius, quia communius. Prima pars patet ex §. 4: nec enim defuerunt, qui ſignificauerint obiectũ in ſpecie impreſſa obiectiuè non relucere, ſed in ſola expreſſa: id enim præter alios ſatis ſignificarunt Capreolus, & Bellomont. citati in dicto §. 4. quanuis illi ita explicari poſsint, vt ſolùm negent repræſentationẽ obiectiuam in actu; non tamen in habitu: vterque enim hanc agnoſcit in ſpecie impreſſa. Sed quidquid ſit de mente illorum, non defuerunt, qui nullam obiectiuam relucentiam in ſpecie admittant: quorum fundamentum in eo ponitur, quia vix explicari poteſt, quid ſit obiectum in ſpecie relucere in habitu: Iam verò illud in actu non relucere, niſi in ſola ſpecie expreſſa, cõmunis eſt Thomiſtarum opinio. Secunda pars aſſertionis ex eo habet maiorem probabilitatem, quia communiori calculo recipitur: nec poteſt non recipi ab illis, qui admittunt ſpeciem habere ſe ex parte obiecti, ſiue etiam ſe habeat ex parte intellectus, ſiue non: etenim ſpecies non alio modo poteſt obiectum repræſentare, vt obiectum eſt, niſi pro ponendo illud obiectiuè ante intellectum; vel vt illum moueat ad intelligendum, vt nonnulli volunt; vel vt intellectionem terminet, vt alij malunt; de quo inferiùs.

Capreolus. Bellomon.

24. 4. concluſ. Quarta concluſio. In ſpecie impreſſa non ſolùm admittenda eſt immediata repræſentatio obiecti; ſed etiam duplex repræſentatio: vna aſsimilatiua, quà repræſentatur obiectum, vt eſt aſsimilatiuum intellectus; altera eſt obiectiua, quà repræſentatur obiectum, vt poſitum coram intellectu. Prima pars certa eſt ex prima cõcluſione: ſecunda patet ex concluſione 2. Tertia denique ex tertia. Prima pars eſt omnino certa, quidquid Suarius oppoſitum doceat. Secunda etiam certa eſt ex doctrina Ariſtotelis. Tertia denique eſt longè probabilior, quam oppoſita.

§. 6.

Ex qua parte ſe habeat repræſentatio obiecti, & quem ordinem ſeruet?

Conſequẽter explicandum eſt, ex qua nam parte ſe habeat repræſentatio obiecti: an ſcilicet ex parte obiecti? an ex parte intellectus? an ex vtraque parte, iuxta aliam, & aliam repræſentationis rationem? deinde, quem locum obtineat inter cætera ſpeciei munera? Vtrumque enim eſt aliquo modo controuerſum. 25. Repræſentatio obiecti ex qua parte ſe habeat?

Quod attinet ad primum; variè reſpõderi poteſt. Qui putant ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte intellectus, nullam repræſentationem obiecti admittunt, niſi aſsimilatiuam; quia ſolùm repræſentat obiectum, quatenus per ipſam illum ſibi aſsimilat. Iam verò repræſentatio aſsimilatiua intellectus non poteſt exerceri, niſi ex parte eiuſdem intellectus, quia cum illo fit vnum intelligendi principium. Quod verò ſola repræſentatio aſsimilatiua admitti debeat, ex eo probant; quia repræſentatio obiectiua neceſſariò eſt repræſentatio obiecti per modum terminãtis: quia repræſentari obiectiuè idẽ eſt, quod repræſentari terminatiuè, vt ait Caietan. 1. p. q. 27. art. 1. §. *Ad quartam dubitationẽ*: repræſentare autem obiectum ſub ratione termini ſolius eſt ſpeciei expreſſæ. Volunt igitur in ſpecie impreſſa ſolam admittendam eſſe repræſentationem aſsimilatiuam, quæ neceſſariò eſt ex parte intellectus. 26. Variæ reſpõſiones ad 1. dubium propoſitũ. 1. ſententia.

Caietan.

Hæc ſententia non poteſt non probari à Thomiſtis, ſi velint ſibi conſtare: cum enim omnes ſupponant repræſentari obiectiuè idem eſſe, quod repræſentari terminatiuè; vt ex Caiet. diximus. Iam verò ſola ſpecies expreſſa apud Thomiſtas, obiectum terminatiuè repræſentat. Igitur in impreſſa ſola remanet repræſentatio aſsimilatiua, quæ omnium conſenſu eſt ex parte intellectus. Vnde miror, quod Caiet. Ferrarien. & nonnulli alij ex Thomiſtis in ſpecie impreſſa admittant repræ- 27.

repræſentationem obiectiuam; niſi dicat eam non admitti in actu, ſed in habitu tãtùm: ſed de hoc ſtatim.

28. *Communis ſententia.* Communior ſententia non ſolùm admittit duplicem repræſentationẽ in ſpecie impreſſa; ſed etiam ex parte intellectus ponit eam, quæ repræſentat obiectũ aſsimilando, ex parte verò obiecti, quæ eſt obiectiua. Hanc opinionem neceſſariò admittent, qui ſpeciem ex vtraque parte ponunt: nec enim poteſt eſſe ex vtraque parte, niſi exercendo priorem repræſentationem ex parte intellectus, poſteriorem verò ex parte obiecti.

29. *Reſoluitur dubium.* Certa reſolutio ſit hæc: repræſentatio aſsimilatiua (quæ non poteſt non admitti) neceſſariò ſe habet ex parte intellectus: obiectiua verò (ſi admittatur) ſemper eſt ex parte obiecti.

30. *Reſponſio ad 2. dub.* Quod verò attinet ad 2. cap. quod inquirit de loco, & ordine huius muneris; res eſt abſque cõtrouerſia, quod hoc munus non diſtinguitur à primo, ſi ſermo eſt de repræſentatione aſsimilatiua, quia ſpecies repræſentando aſsimilat, & aſsimilando repræſentat.

31. *Propria opinio.* Res eſt tamen dubia, ſi ſermo ſit de repræſentatione obiectiua: nam qui volunt primum ſpeciei munus eſſe vnire obiectum intellectui (quos in ſequẽti articulo referemus) idem docent de hac obiectiua repræſentatione; quia obiectum intellectui obiectiuè repręſentare idem eſt, quod illud obiectiuè vnire. Nos tamen oppoſitum reſoluemus in artic. ſequenti: priùs enim eſt ſpeciem aſsimilare intellectum obiecto, illudque repręſentare ſub ratione aſsimilatiua, quam illud repræſentando obiectiuè vnire. Vide, quę ibi dicemꝰ.

§. 7.
De repræſentatione obiecti in actu, & in habitu.

32. *De repræſentatione obiecti in actu, & habitu.* QVod admittenda ſit duplex repræſentatio obiecti, duplexque ſit diſtinguenda illius præſentia in ratione obiecti, vna in habitu, altera in actu, receptiſsimum eſt apud Theologos: hanc duplicem repręſentationem admittunt *Gregor. in 2. diſt. 7. q. 3. art. 1. Capreol. in 1. diſtin. 27. q. 2. art. 3. ad 7. ſecundo loco contra primam, fol. 206. col. 1. & col. 3. ad 2. & 3. Ferrarien. 1. contra gentes cap. 53. §.* *Quod obijcitur tertiò, Torres de Trinitat. q. 27. ar. 1. diſp. 5. in 1. p. in principio, & in 4. probatione ſecundæ concluſionis, Conimbr. 3. de Anima c. 8. q. 4. art. 1. §. Argumenta verò, pag. 385. ad 1. & 2. Bellomon. 1. p. diſp. 38. cap. 2. n. 3. & cap. 3. n. 11. & alij.*

Gregor. Capreol. Ferrarien. Torres. Conimbr. Bellomon.

Inquirendum eſt igitur, an ſpecies impreſſa repræſentet obiectum ſolùm in habitu; an etiam in actu? Rem hanc obſcurã ſatis & difficilem fecerunt Capreol. Ferrar. & Torr. in locis citatis: admittentes enim in ſpecie impreſſa repræſentationem obiectiuam nolunt obiectum in ea eſſe præſens in actu per modum terminantis intellectionem, ſed ſolùm in habitu, & hæc eſt communis reſolutio Thomiſtarum. Sed iſte loquendi modus rem hanc reddit difficilem: nam ſi hæc opinio intelligẽda venit de repræſentatione per modum terminantis actum (in quo ſenſu videntur loqui) explicare debuerãt, quidnam ſit ſpeciem in habitu repræſentare obiectum per modum terminantis intellectionem? ſi enim idem eſt ſpeciem repræſentare in habitu, quod repræſentare in potentia (in quo ſenſu ſpeciem eſſe in habitu ad operandum accepit D. Thom. *de Veritate q. 8. art. 14. in corp. & ad 7. & q. 9. ar. 4.*) neceſſariò debent admittere poſſe obiectum in ſpecie actualiter terminare intellectionem: Hæc enim potẽtia, ne fruſtrà ſit, poterit reduci ad actum; reduci autem non poterit, niſi obiectum in ea actu terminet intellectionem: ſicut potentia ad influendum in intellectionẽ, quæ apud D. Thom. in ſpecie impreſſa eſt in habitu, de facto reducitur ad actũ, cum intellectus vtitur illa. Iam verò apud præcitatos auctores, imò apud D. Thom. intellectio nullo modo poteſt terminari ad obiectum in ſpecie impreſſa, ſed ſolũ in expreſſa, de quo art. 8. Explicent igitur nobis, in quo ſenſu ſpecies impreſſa repræſentet obiectum in habitu per modum terminantis actum intelligẽdi. Verum id explicare minimè poterunt.

33. *An ſpecies impreſſa repræſentet obiectũ ſolùm in habitu?* — *Ratio dubitationis.* — *D. Thom.*

34. *Reſolutio.* Dicendum eſt igitur repræſentare in actu nunquam conuenire ſpeciei impreſſæ, ſi repræſentare in actu idem eſt, quod repræſentare ad modum actus intelligẽdi, quia ſpecies impreſſa non eſt actus, ſed habitus; & ideò ſemper repræſentabit in habitu, id eſt, tanquam habitus. Si verò repræſentare in habitu idẽ eſt, quod repræ-

repræſentare in potentia (in quo ſenſu ſumitur à D.Thoma locis citatis) ſpecies impreſſa interdum repræſentat in habitu, interdum autẽ in potentia: Cum enim obiectum per ſpeciem repræſentatũ, nec ſemper actu influat, nec ſemper actu moueat, nec denique ſemper actu terminet; quia intellectus non ſemper actu intelligit: vtique interdum repræſentabit in habitu; quando ſcilicet intellectus non intelligit; interdum verò in actu, quando ſcilicet intellectus eſt in actu intelligẽdi.

Et ita explicandi ſunt Gregor. & Conimbr. dum dicunt ſpeciem facere rem intellectui præſentem in habitu: aliter audiendi non ſunt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſpeciei munus ſit obiectum vnire intellectui?

§. 1.

Speciem obiectum vnire cum intellectu indubitatum eſt.

1. Speciem obiectum vnire intellectui, indubitatum.

D.Thom. Capreol. Caietan. Ferrar. Bañes. Fonſeca. Suarius. Conimbr. Cabrera. Ariſt.

Conueniunt omnes obiectum vniri intellectui per ſpeciem impreſſam. Ita docuit *D.Thom.1.p.q.12.art.2.ad 3.& q.56.art.1.& de Veritate q.8.art.1.ad 7.& art.6.in corp.& ad 2. Cum eo ſunt omnes Thomiſtæ, Capreol. in 2.diſt.3.q.2.art.3. Ad argumenta contra quartã, fol.99.col.1.Caiet.1.p.q.12.ar.2.§. Ad euidentiam huius, Ferrar.1.contra gentes c.53.§.Ad euidentiam huius difficultatis, Bañes 1.p.q.12.art.2.dub.2.poſt 4.concluſionem, §.Ad hoc tamen dico,& q.56.art 1.dub.1.§.Hinc ad primum.ex nouioribus Fonſec.1.Metaph.c.2.q.3.ſect.6.pag.154.§.Ad hæc proprium munus, Suarius lib.2. de Attributis negatiuis c.12.n.5.& 8.& cap.14.n.8. Conimbr.2.de Anima cap.6.q.2.ar.3.pag.146.§.Aduerte autem,& 1. de Interpretatione c.1.q.2.ar.3.pag.19.poſt principium, Cabrer.3.p.q.2.ar.1.diſp.6.n.28.29.30.&* 58. Denique hæc reſolutio ab omnibus recepta colligitur ex Ariſt.3. de Anima cap.8.tex.38.dum ad intellectionem requirit, quod formæ rerum inſint in anima, hoc autem ſine vnione earum ad intellectum fieri non poteſt.

§. 2.

Quomodò ſpecies vniat obiectum intellectui?

Sed iam explicandum eſt, quomodò ſpecies intellectui vniat obiectum? quæ difficultas, licet prima facie facilis videatur; non tamen facilè explicatur. Vt reſolutio fiat euidentior, primũ explicabimus, in quo omnes conueniũt: deinde de quo eſt controuerſia.

2. Quomodò ſpecies obiectiue vniat? difficile.

Quod attinet ad primum; ſi diligẽtiùs expendãtur, quę Doctores ſcribunt, ſpeciem vnire obiectum cum intellectu nihil eſt aliud, quam facere obiectum eſſe vnum cum illo: etenim vnire propriè loquendo eſt ex duobus facere vnum: ſicut enim vnitio terminatur ad vnum ex duobus; ita etiam vnio eſt duorum vnitorum vnitas. Igitur obiectum per ſpeciem intellectui vniri, non eſt aliud, quàm obiectum cum intellectu vnum fieri. Ita rem explicauit *D.Thom. 1.p.q.54.art.1.ad 3.* dum ex eo probat intelligere conſequi ad vnionem obiecti cum potentia; quia conſequitur ad hoc, quod obiectum fit vnum cum ea. Idem colliges *ex q.8.de Veritate art.6.*dum ait, quod ex obiecto, & intellectu ideò fit vnum, quia obiectũ per ſpeciem intellectui coniungitur. Ita etiam explicat Ferrarien. *in dicto §.Propter hanc quoque, ita inquiens: Oportet, vt obiectum per modum formæ coniungatur, ita vt ex potentia, & obiecto fiat vnum.* Denique communis eſt doctrina Commentatoris, quod ex ſpecie, & intellectu magis fit vnum, quàm ex materia, & forma. Nec in re notiſsima oſtendenda oportet ampliùs immorari.

3. Vnire obiectum cũ potentia eſt facere obiectum eſſe vnum cum illa.

D.Thom. Ferrar. Comment.

At tamen, ſi quæ diximus, expendantur, non poteſt non eſſe controuerſum, quomodò ſpecies, ex obiecto, & intellectu faciat vnum? qui volunt ſpeciem non facere præſentiam obiecti in intellectu, niſi obiectiuam (quos citauimus in præcedente artic.§.4.) conſequenter dicunt ſpeciem ex illis duobus facere vnum ſola vnitate obiectiua, qualis datur inter potentiam, & obiectum obiectiuè repræſentatum. Hanc opinionem neceſſariò probabunt, qui ſpeciẽ ponunt ſolùm ex parte obiecti: etenim ex hac parte nullam aliam vnitatem poteſt facere, niſi obiectiuam: ſicut enim apud iſtos ſpeciem repræſentare obiectum non eſt aliud, quàm face-

4. Controuerſum eſt quomodo ſpecies faciat vnum?

1. opinio.

facere, vt illud è regione ſit præſens intel lectui; ita apud eoſdem ſpeciem facere vnum ex intellectu, & obiecto non erit aliud, quàm inter illa conſtituere vnitatẽ obiectiuam ratione obiectiuæ indiſtãtię, &approximationis, quam inter illa facit: nec enim munus vniendi obiectum potentiæ diſtinguunt à munere præſentandi illud intra potentiam: etenim ſpecies repræſentando vnit, & vniendo repræſentat. Et quanuis neminem inuenerim, qui in terminis iſtam opinionem ſcriberet; illa tamen ſatis eſt de mente Scoti, & aliorum, qui nullam aliam obiecti repræſentationem in ſpecie agnoſcunt, niſi ſolam obiectiuam, de quibus egimus in præcedenti artic. §. 4. Suarius tamen ferè ita explicat 2. *de Attribut. negat. c. 12. n. 8. &* 10. vbi docet hanc obiecti vnionem cum intellectu per ſe non eſſe per modum formæ propriè informantis, ſed per modum principij aſsiſtentis, & adiuuantis intellectum ad intelligendum. *Suarius.*

5. 2. opinio. Hanc tamen opinionem, & explicationem non recipiunt, qui ita ponunt ſpeciem ex ſola parte intellectus, vt nullã in ea obiectiuam repræſentationẽ admittant, quos citauimus in dicto §. 4: etenim ſi ſpecies impreſſa non poteſt facere pręſentiam obiectiuam, non faciet obiectiuã vnionem: ſed hanc ſolùm tribuũt ſpeciei expreſſæ, ſiue verbo. Si ab his inquiras, quomodò ſpecies ſua vnione ex obiecto, & intellectu vnum faciat? rem non explicant: ſignificant tamen vnionem illam terminari ad vnitatem intellectus, & obiecti ſecundum eſſe intelligibile; ſpeciẽq; illam vniri ad modum formæ intellectũ actuantis, & perficientis.

6. 3. opinio. Media erit opinio eorum, qui ponunt ſpeciem, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti; vt ſcilicet ſpecies impreſſa vniat obiectum cum intellectu duplici vnione: formali ſcilicet, qua facit intellectum fieri ipſum obiectum: & obiectiua, qua obiectum ponat in proſpectu intellectus.

Vera Reſolutio.

7. Vera ſententia. NOs præmiſſa duplici vnione obiecti cum intellectu difficultatẽ explicabimus poſitis nõnullis cõcluſionibus.

Præmittendum eſt igitur duplicẽ diſtinguendam eſſe vnionem obiecti cum intellectu per ſpeciem, ſiue impreſſam, ſiue expreſſam: Vnam obiectiuam, qua obiectum ſub ratione obiecti in proſpectu intellectus coniungitur: alteram formalem, qua obiectum per modum formę perficientis coniungitur cum intellectu. Duas iſtas vniones ſatis inſinuant *Conimbr. 1. de Interpret. c. 1. q. 2. ar. 3. in 1. p. pag.* 19. dum inquiunt obiectum per ſpeciem à ſe productam vniri cum intellectu in ratione principij efficiẽtis intellectionẽ, nõ verò in ratione termini, quia hoc modo vnitur per ſpeciem expreſſam: diſtinguunt igitur duplicem vnionem obiecti cum intellectu; voluntq; vnam fieri per ſpeciem impreſſam, alteram per expreſſam. Duplex iſta vnionis diſtinctio colligi poteſt ex duplici præſentia obiecti apud intellectum, quam ponit Caietan. 1. *part. q. 27. ar. 1. §. Ad quartam dubitationẽ*: quarum vna (vt ait) eſt per modum comprincipij intellectionis, altera per modũ obiecti. Cum verò præſentia obiecti in intellectu, vel ſit vnio, vel non fiat ſine vnione; ſi duplex diſtinguitur præſentia obiecti, duplex etiam diſtinguenda eſt obiecti vnio. Duplicem etiam vnionem colliges ex Ferrarien. 1. *contra gent. c.* 53. §. *Præter hanc quoque*, vbi agens de obiectiua vnione facta per ſpeciem expreſsã, ita ait: *Neceſſe eſt in potentijs cognoſcitiuis, vt obiectum per modum formæ coniungatur potentiæ, ita quod ex potentia, & obiecto fiat vnum*, & inferiùs: *Similiter etiã requiritur, vt præter præſentiam ſecundum eſſe obiectiuum intra intellectum, obiectum vniatur intellectui per modum formæ per ſui ſimilitudinem.* Admittẽda eſt igitur duplex vnio obiecti cum potentia: vna obiectiua, altera formalis: per illam obiectum ponitur ante intellectum; per iſtam perficit intellectum, de quo iterùm dicemus inferiùs in 2. p. huius lib. 8. q. 4. art. 5. §. 3. Duplex vnio eſt diſtinguenda. *Conimb.* *Caietan.* *Ferrarien.*

Admiſſa igitur duplici iſta vnione obiecti cum intellectu, dubitari poteſt, an vtraque admittenda ſit in ſpecie impreſſa? nec enim omnes in hoc conueniunt: qui primam opinionem ſequuntur, ſolã vnionem obiectiuam agnoſcunt: qui probant ſecundam, admittunt ſolam formalem; qui probant tertiam, vtramque recipiunt. 8. Verum duplex iſta vnio admittenda ſit in ſpecie? Variæ ſententiæ.

Pro

9. 1. concluſ. Pro reſolutione ſit prima concluſio: in ſpecie impreſſa non poteſt non admitti vnio formalis obiecti cū intellectu. Euidenter demonſtratur ex Ariſt. quia negari non poteſt obiectum per ſpeciē impreſſam ita vniri intellectui, vt intellectus fiat ipſum: ſed ex Ariſtot. non poteſt fieri talis per vnionem obiectiuam: ergo fiet per formalem. Maior deſumpta eſt *Ariſt.* ex Ariſt. vt oſtendimus ſuprà art. 1. minorem eſſe eiuſdem Ariſt. ſatis patet ex q. 1. ar. 1. & ex q. 3. ar. 3. & in hac q. ar. 2. §. 3. conſtat enim ex Ariſt. intellectum fieri ipſam rē per receptionē ſpeciei, paſſiuamq; alterationem intellectus. Quod etiā indè patet, quia obiectū poſitū corā intellectu, illiq; coaſsiſtens obiectiuè nō aſsimilat intellectū ſibi, ſed ſupponit illū iā ſibi aſsimilatū, vt ab eo poſsit intelligi: cū enim obiectū, vt obiectiuè propoſitū ſit ſimile, quod debet cognoſci ab intellectu, tanquā à ſimili cognoſcēte, nō poteſt ſub illa ratione facere intellectum ſibi ſimilē; & per cōſequens ſolum illū aſsimilabit, vt eſt forma perfectiua illius. Porrò ſi intellectus nō poteſt fieri res intellecta per vnionem obiectiuam; neceſſariò fiet per vnionem formalem, quam facit ſpecies, vt eſt propria forma intellectus.

10. Hæc eſt mens D. Thomę. Hanc fuiſſe mentē D. Th. euidenter colligitur ex illis locis, in quibus docet intellectū fieri ipſam rē, & vnū cū illa per ſpeciem tanquā per propriā formā, vt patet *1. p. q. 14. ar. 1. & q. 55. ar. 1. ad 2. & q. 85. ar. 2. ad 1. & q. 87. ar. 1. ad 3. & in 4. diſt. 49 q. 2. ar. 1. ad* 10. Quod etiā euidenter ſignificat *in d. q. 55. ar. 1. ad* 2. dum ait: *ex intelligibili, & intellectu fieri vnū; ſicut ex actu, & potētia, & in* 4. *loco citato,* dū aſſerit, *proportionem inter intellectū, & ſpeciē eſſe proportionē materiæ cum forma.* Iam verò vnio obiectiua, cum ſit vnio duarum cauſarum partialiter concurrentiū ad effectum, vt *quod,* non poteſt eſſe vnio ex actu, & potentia, nec habere proportionem cum vnione materiæ, & formæ.

11. *Ferrar.* Eandē ſentētiam ſatis explicat Ferrar. dū in loco cit. ait obiectū per ſpeciē vniri intellectui per modum formæ: cū tamen vnio obiectiua non ſit ad modum formę, ſed ad modū duorum agentiū partialiter cōcurrētiū. Eandē ꝓbare tenētur Caiet. & Conimbr. dū inquiūt obiectū per ſpeciē vniri intellectui per modū principij efficiētis intellectionē: hoc enim niſi intelligatur de principio intelligēdi, vt *quo,* nō eſt verum; quia obiectum concurrens cōcurſu obiectiuo, licet admittatur cōcurrere effectiuè cū intellectu; non tamē admittitur concurere cum eo, vt principiū, ſed vt agens partiale concurrens vt *quod;* porrò ſi velint obiectum per ſpeciē vniri per modū principij, vt *quo,* non poſſunt nō admittere obiectū vniri per ſpeciē, vt per formam, quæ eſt principiū formale, quo intellectus fit ipſa res. Denique ita explicat Cabrera (parū ſibi conſtans) 3. *Cabrera.* *p. q. 2. ar. 1. diſp. 6. n. 29. & 30.* dum ait ſpeciem vniri cum intellectu nil aliud eſſe, quàm efficere illum obiecto ſimilem.

Secunda cōcluſio: vtrùm cum vnione formali, qua obiectum cū intellectu per 12. 2. concluſ. ſpeciem vnitur, vt ex vtroq; fiat vnum, ſimul etiā in eadem ſpecie ſit admittenda vnio obiectiua; ita vt eadem ſpecies, quæ obiectum vnit per modum formæ aſsimilantis, ſimul etiā illud vniat obiectiuè? res eſt mihi dubia. Sed cum communior opinio vtranq; vnionem in eadem ſpecie admittat, non eſt improbabilis hæc ſententia: nec enim improbabile eſt ad intellectionem neceſſarium eſſe obiectiuum concurſum obiecti, vt eſt quoddam intelligibile. Vide q. 3. art. 6. §. 1.

Ex duabus cōcluſionibus infertur tertia: in ſpecie impreſſa admittenda eſt du- 13. 3. concluſ. plex vnio: vna formalis; qua obiectū per ſpeciem fit vnum cum intellectu: altera obiectiua; qua obiectum, vt obiectum eſt, proponitur coram intellectu, vt aſsiſtens illi. Quare nec prima opinio eſt probāda, quam vt improbabilē reiecimus: nec ſecunda, quam vt minus cōmunem nō admittimus. Vtrùm verò in ſpecie impreſſa admittenda ſit vnio obiectiua obiecti ſolùm ſub ratione motiui intellectus ad intelligendum; an etiam ſub ratione terminatiui intellectionis? alterius eſt quæſtionis. Mihi ea ſententia videtur vera, quæ negat illi repræſentationem in ratione termini, de quo in 8. artic.

Si quis inquirat, an vtraque iſta vnio 14. An vtraque iſta vnio ſit realis? ſit realis? reſpondendum erit obiectum vnitum per ſpeciem per modum formæ, realiter vniri: quia verè, & à parte rei vnitur per formam propriam intelligibilis, quæ eſt realis realitate alterius ordinis, & generis ab ea, quam habet à parte rei:

vt verò vnitur vnione obiectiua, vnitur eidem vnione intentionali, quia ſolùm vnitur, ſecundùm quoddam eſſe diminutũ, quale res habet, vt exiſtit in intellectu.

§. 3.

Ex qua parte ſe habeat vna, & altera vnio?

15. Ex qua parte ſe habeat vna, & altera vnio? 1. opinio. AD hanc quæſt. varij variè reſpõdẽt, ſicut varia fuit reſpõſio ad q. de repræſentatione. Qui putãt ſpeciẽ ſolũ eſſe ex parte intellect⁹, nullã in ſpecie impreſſa vnionẽ obiectiuã agnoſcũt, ſed ſolã formalẽ: fundamentũ erit, quia vnio obiecti ua, qua obiectũ ꝓponitur corã intellectu neceſſariò erit per modũ terminãtis intellectionẽ: vnire enim obiectiuè (vt aiunt) idẽ eſt, quod vnire terminatiuè, vt de repræſentatione docet Caiet. 1. *p. q.* 27. *ar.* 1 Caietan. §. *Ad* 4. *dubitationẽ*: iã verò vnio obiecti ſub ratione termini ſolius eſt ſpeciei expreſſæ. Hæc ſententia non poteſt nõ eſſe illorum Thomiſtarũ, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte intellectus. Si qui verò eorum eam etiã ponunt ex parte obiecti (vt Caiet. & Ferrar.) admittẽt in ea vnionem obiectiuã, non in actu, ſed in habitu. Hanc tamen ſententiã iam reiecimus art. Non placet 11. §. 7. Eadem enim ratio eſt de vnione obiectiua in habitu, quæ de repræſentatione in habitu. Iam verò tàm vnio, quàm repræſentatio obiectiua obiecti non ſolũ poteſt eſſe per modum terminantis, ſed etiã per modum motiui. Vnde nõ valet, *non poteſt dari in ſpecie impreſſa, repræſentatio, & vnio obiecti per modum terminantis: ergo non poteſt dari per modum motiui*. Etenim intelligibile ex ſe habet, quod priùs natura moueat intellectum, quàm detur intellectio: quod nõ cernitur in terminatione intellectionis. His accedit, quoniã ſpecies impreſſa non poteſt eſſe vnitiua obiecti in habitu, quin aliquando ſit in actu, vt diximus in præcedenti art. §. 7.

16. Vera opin. Dicendũ eſt igitur cum cõmuniori ſententia, quæ in ſpecie admittit duplicem vnionem, formalem. ſ. & obiectiuã; formalem poni ex parte intellectus, quia facit eum eſſe vnum cum obiecto, ita vt ſit ipſum obiectum: obiectiuam autem poni ex parte obiecti, quia de ratione intelligibilis eſt, quod poſitũ cũ am intellectu obiectiuè cum eo concurrat ad intellectionem.

§. 4.

Quem prioritatis ordinem ſeruent inter ſe duæ iſtæ vniones?

SVpereſt explicare, quem locum habeat munus vniendi obiectum cum intellectu? in qua q. nulla reperitur difficultas in vnione formali, ſi cõferatur cum primo officio ſpeciei, quod eſt intellectum aſsimilare obiecto, de quo art. 1: etenim vnum munus nõ diſtinguitur ab alio; quia ſpecies vniendo aſsimilat, & aſſimilãdo vnit, vt de repræſentatione diximus art. 3. §. 6. Vnde hoc vnionis munus natura antecedit munus cõſtituendi intellectum in actu 1. Nam cum ſpecies vniẽdo det intellectui eſſe rei intelligẽdę, neceſſariò antecedit ipſum poſſe operari: eſſe enim ſemper antecedit operari. 17. De loco huius muneris. Hoc munus antecedit munus conſtituendi in actu primo.

18. Quid ſi due iſtæ vniones inter ſe cõferãtur? 1. opinio. Bañes. Res eſt magis dubia de vnione obiectiua, ſi conferatur cum vnione formali: nec enim deſunt, qui putent vnire obiectum cũ intellectu vnione obiectiua non ſolùm eſſe propriũ; & principale munus ſpeciei impreſſæ, ſed etiã primũ. Id ſatis ſignificat *Bañes* nõ ſolũ 1. *p. q.* 12. *ar.* 2. *dub.* 2. *cõcl.* 4. dum aſſerit propriũ munus ſpeciei impreſſæ eſſe vnire obiectũ intellectui; ſed etiã 1. *p. q.* 56. *ar.* 1. §. *Alij verò aliter, &* §. *Ad argumẽta diximus*, dum ait, ſpeciẽ impreſſam primò, & principaliter inſtitutã eſſe, vt faciat vnionem obiecti cum intellectu, & hoc officium eſſe illi proprijſſimum, & inſeparabile, vt eſt ſpecies: nec defuerunt, qui dixerint prius eſſe ſpeciẽ vnire obiectũ cũ intellectu vnione obiectiua, quam intellectũ obiecto aſsimilare.

19. Vera opin. Hac tamẽ omiſſa opinione tanquã improbabili, aſſerendũ eſt priùs eſſe ſpeciẽ obiectũ vnire intellectui vnione formali intellectũ illi aſsimilando; quã illud vnire vnione obiectiua. Fũdamentũ indè ſumo, quia illa obiectiua præſẽtatio obiecti fruſtra fiet, niſi intellectus ſupponatur fact⁹ ipſum obiectũ: natura autẽ nihil facit fruſtra. Sequela facilè demõſtratur ex axiomate Philoſophorũ: *ſimile non cognoſcitur, niſi à ſimili*. Sic igitur argumentari licet: ſpecies ex intẽtione naturæ ideò obiectũ intellectui obiectiuè vnit, vt ab intellectu cognoſcatur. Erit igitur fruſtra talis obiectiua præſentatio, quæ fiet intellectui adhuc impotẽti ad cognoſcẽdũ id, quod ſibi ꝓponitur. Impotẽs autẽ tãdiù erit, quandiù per ſpeciẽ non fuerit factus ipſum obiectum: quia ſimile non niſi à ſimili cognoſci

noſci valet. Poſtulat igitur naturalis ordo, vt ſpecies prius natura faciat intellectum eſſe ſimilem obiecto; imò eſſe ipſum obiectum, quàm obiectum ante illius cōſpectum veluti è regione proponat. Id ſatis ſignificauit D. Tho. *de Verit. q. 8. ar. 1. ad 7.* dum ait aſsimilationem intellectus *ad cognitionem non requiri, niſi propter hoc, vt cognoſcens aliquo modo cognito vniatur.* Igitur apud D. Thom. priùs natura eſt intellectum aſsimilari, quàm obiectum illi ad cognoſcendum proponi.

D. Thom.

20. Confirmatur.

Accedit; quia obiectiua vnio, & præſentatio pro illo priori non ſatis eſſet, vt obiectum fieret intelligibile in actu primo: etenim nondū poſſet intellectum immediatè mouere ad intellectionem: quia pro illo priori non inueniret intellectum capacem intellectiuæ motionis: nec enim illum inueniret ſimilem, potentemque ad immediatè intelligendum. Quare ſicut intellectus, antequā factus ſit ſimilis obiecto, non eſt in actu primo intelligendi; ita etiam obiectum non eſt in actu primo mouendi intelligibiliter, niſi cum ſic præſens intellectui iam ſibi aſsimilato.

21. Altera confirmatio.

Adde etiā; quoniam quæ pertinent ad eſſe, ſunt priora natura ijs, quæ pertinēt ad operari. Intellectum autem fieri vnū cum obiecto pertinet ad eſſe; quia per talem vnionē intellectus eſt ipſum obiectū. Obiectū verò vniri obiectiuè cū intellectu pertinet ad operari, vt patet. Ergo priꝰ natura eſt obiectū per ſpeciem vniri intellectui vnione formali, quàm obiectiua.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſpeciei munus ſit determinare intellectum ad ſpeciem talis actus?

§. 1.

Hoc munus ſpeciei conuenire.

1. Speciei munus eſt determinare intellectum ad certā actionem.

QVòd ad ſpeciem impreſſam pertineat determinare, & veluti ſpecificare potentiam actiuam intellectus ad hanc, vel illam intellectionem, tanquam proprium illius munus omnes admittunt. Inter munera ſpeciei hoc enumerat *Suar. 2. de Attrib. neg. c. 12. n. 5. & 13. Fonſec. 1. Metap. c. 2. q. 3. ſect. 6. §. Prætereà formæ, pag. 153. Bellom. 1. p. diſp. 43. c. 4. n. 10. & 12. & c. 8. n. 41. Bañ. 1. p. q. 56 ar. 1. dub. 1. §. Alij verò aliter, & §. Ad argumenta diximus, Capr. in 1. diſt. 35. q. 1. ar. 1. ad 10. Aureol. 2 loco contra 1. pag. 236. col. 3. ad 2. replic. Iauel. in 3. de Anima q. 3. de actu intellectus, §. Mihi autē videtur, Tolet. in eod. lib. c. 7. q. 22. §. Nos tamē diximus pag. 192. col. 2. admittit Scot. in 1. diſt. 3. q. 7. lit. AA. §. Cum arguitur,* & patet ex dictis in q. præced. artic. vlt. §. 1. & 2. Quæ reſolutio ex eo fit euidens; quia cū intellectus ex ſe ſit indifferens ad omnia obiecta contenta: ſub ſuo obiecto adęquato, indiget determinari ad hoc, vel illud obiectum: determinatur autem per ſpeciem cuiuſque, quatenùs ſolum illud poteſt intelligere, cuius ſpeciem in ſe habet.

Suarius. Fonſeca. Bellomon Bañes. Capreolus. Iauellus. Toletus. Scotus.

§. 2.

Quomodò ſpecies intellectum determinet?

2. Quomodò ſpecies determinet?

QVòd ſpecies intellectū determinet ad certam & determinatam intellectionē, conueniunt omnes ſuprà citati, ſiue ſpeciē ponant ſolùm ex parte obiecti, ſiue ex parte ſolius intellectus; ſiue deniq; ex vtraq; parte: nō tamen cōueniūt in modo, quo ſpecies hanc determinationem faciat. Et licet vix hoc à doctoribus explicetur; tamen ex his, quæ veluti per tranſitum docent, colligūtur varij dicēdi modi. ¶ Qui ſpeciē ſolū ponunt ex parte obiecti, & in ea nullā aliā repræſentationem, vnionēq; admittunt, niſi obiectiuā; non aliū recipiunt modū determinandi, quàm per præſentationē, & vnionem determinati obiecti, quia circa illud non poteſt, niſi determinatā producere intellectionē: ſpecies enim hominis non aliter determinat intellectū ad intelligendū hominem, niſi quia ipſum hominē facit eſſe obiectiuè præſentē illi; quatenùs præſentato ſibi homine non poteſt aliā intellectionē producere, niſi hominis. Ita rē explicauit *Scot. in d. q. 7. lit. AA. & BB.* docens ſpeciē hanc determinationē facere, dū determinati obiecti præſentiā proponit. Et indè infert ſpeciē determinare indifferētiā intellectus, nō vt formā, quæ intellectui eſt determinata agēdi ratio; ſed vt formā, quæ obiectū proponit obiectiuè. In quo loquitur conſequenter: nam cum ſpecies apud eū in exercēdis ſuis muneribus, nō per ſe, ſed per accidēs inhæreat: nō determinabit per ſe, vt eſt forma informās, ſed vt eſt forma obiectū obiectiuè repræſentās. Nec aliquē vidi ex his, qui ſpeciē ꝑ ſe ſolū ponūt ex parte obiecti, q nō iſto modo, & ſub hac diſtinc. loquatur, niſi Suar.

3. 1. opinio.

Scotus.

2. 2. opinio. Aliter rem explicant, qui ſpeciem ponunt ex parte intellectus, ſaltem principaliter: nam qui eam ex parte ſolius intellectus ponunt, cum in eam non agnoſcãt aut repræſentationem, aut vnionẽ obiectiuã, ſed ſolùm formalẽ; non poſſunt admittere illum modũ determinandi. Qui verò eam ponũt ex vtraq; parte, principaliter tamen ex parte intellectus; admittunt quidẽ illũ determinandi modũ; non tamen illũ ſolum. Inquiunt igitur intellectum determinare per ſpeciẽ ad modũ formæ perficiẽtis, & informãtis; quaten⁹ informãdo intellectũ dat illi eſſe rei intellectæ, quo fit ipſa res: intellectus autẽ factus lapis, v. g. iam eſt determinatus, vt ſolum lapidẽ intelligat; quia ſimile cognoſcere nõ poteſt, niſi ſuũ ſimile. Qui dicẽdi modus, cũ ſit doctrinæ Ariſt. cõſentane⁹, nõ poteſt à veris Philoſophis nõ probari.

5. Suarius. Ad hunc explicãdi modũ fortè aliquis referet Suariũ *in d. c. 12. n. 13.* dum explicans hoc ſpeciei munus ſimpliciter docet determinationẽ intellect⁹ in actu primo, quãdo fit per ſpeciẽ, fieri per eã ad modũ principij formalis, & informãtis. Et quidem verba ſimpliciter prolata id ſonant: ſed mens illius longè eſt à præcedenti ſẽtentia: Mens Suarij. exiſtimat enim intellectũ cõſtitui in actu primo per ſpeciẽ informantẽ per accidens: per ſe verò cõſtitui per eã, quatenùs ſupplet vicẽ obiecti vniendo illud, vt ſit obiectiuè aſsiſtẽs tanquam cõcauſa intelligendi, vt colliges ex eodẽ ibid. n. 9.

6. Probatur præcedens explicatio. Sed quidquid ſit de mente illius, præcedens explicatio admittenda eſt, tanquam cõſentanea Ariſt. vt. ſ. ſpecies determinet intellectum per modũ principij formalis per ſe, & nõ per accidens intellectum informantis: vt quia per ſe ſit inſtituta à natura, vt intellectui det eſſe, quo fiat res ipſa.

§. 3.

Hoc munus non diſtinguitur à primo, & fit ſpecie, vt eſt ex parte intellectus.

7. Quomodò hoc munus diſtinguatur à præcedentibus. 1. corollar. EX dictis 1. colliges hoc munus non diſtingui à primo, quod eſt facere intellectũ rem eſſe intellectã: quoniam ſpecies aſsimilando determinat, & determinando aſsimilat. Et eadẽ ratione non diſtinguetur à munere repræſentandi, & vniendi per modum formæ: quia ſpecies ſicut repræſentando, & vniendo obiectum intellectui, ipſum intellectum determinat; ita determinando repræſentat, & vnit: Hęc igitur munera ſola ratione diſtinguuntur inter ſe: vnde hoc munus determinandi priùs natura conuenit ſpeciei, quam conſtituat intellectum in actu primo.

Secũdò colliges hoc munus per ſe primò cõuenire ſpeciei, vt ſe tenet ex parte intellectus; etenim per ſe primo determinat intellectum ad intellectionem lapidis quia per ſe primo facit intellecũ eſſe lapidem: cum enim omnis cognitio fiat per aſsimilationem; indifferentia intellectus nõ aliter poterit determinari ad intellectionẽ lapidis, niſi per hoc, quod ſit lapis: etenim operari ſequitur ad eſſe, & primũ fundamentum operandi eſt ipſum eſſe. Cum verò ſpecies, dum intellectum aſsimilat obiecto, ſit ex parte intellectus, & non ex parte obiecti, vt patet ex artic. 1. benè infertur ſpeciẽ per ſe determinare intellectum, vt eſt ex parte intellectus. 8. 2. corollar.

Vtrùm verò hoc munus etiam exerceat ex parte obiecti, dum obiectum vnit intellectui? res eſt explicatu difficilis; cuius reſolutionẽ non inueni. Fortè aliquis reſpõdebit affirmatiuè: quoniam obiectum poſitũ coram intellectu facit, vt intellectus non poſsit, niſi circa illud operari, & ideò aliquo modo per obiectũ ipſum determinabitur. Ego tamen puto oppoſitũ eſſe dicendũ: etenim obiectum, ſi per impoſsibile admittatur obiectiuè proponi intellectui nondum aſsimilato, cum nõ poſſit mouere illum ad ſe intelligendũ (quia nõ poteſt intelligibiliter mouere, niſi intellectum ſimilem ſibi) non poterit per ſe illũ determinare ad ſui intellectionem: & ita corruit fundamentum aduerſariæ ſententię. Igitur determinatio intellectus per ſe primo fit per ſpeciem ad modum formæ informantis: ex conſequenti vero, & ſecundario fiet per ſpeciem, vt obiectiuè proponit obiectum: quia ſuppoſita aſsimilatione non poteſt cognoſci aliud obiectum. 9. Vtrum ſpecies ex parte obiecti, hoc munus exerceat? Negatiua vera.

§. 4.

Determinare ad hanc intellectionem idem eſt quod ſpecificare intellectionem.

SI quis inquirat; an determinare intellectum ad hanc intellectionem idem ſit, quod ſpecificare intellectionẽ? Ita vt hoc munus ſpeciei etiã tribuendũ ſit, vt intellectum determinando ad hanc intel- 10. Vtrùm determinare intellectionem idẽ ſit, quod ſpecificare?

intellectionem ſpecificet eam? alterius eſt quæſtionis, & ſanè difficilis: dependet enim ab ea, quę inquirit, vtrũ actio ſpecificetur à principio efficiẽte agentis, an ab obiecto? an ab vtroque? de qua q. variç sũt ſententiæ, vt diximus apud *D. Tho.* 1. 2. *q.* 1. *ar.* 1. Nam D. Tho. in quibuſdã locis docet actionẽ ſumere ſpeciem ab actibus, qui ſunt principia agẽdi, vt patet 1. 2. *q.* 1. *ar.* 3: in alijs aſſerit eas ſpecificari ab obiecto, vt patet 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. *in corp. & ad* 3. deniq; in alijs ſcribit eã ſumere ſpeciẽ ab vtroq;, vt videre eſt: 1. 2. *q.* 77. *ar.* 2. Nec D. Tho. videtur variè docere ſolùm circa actionem in cõmuni; ſed etiã circa actionem, quæ eſt intellectio, de qua modò eſt ſermo: nam 3. *contra gentes, c.* 25. *in* 2. *arg.* agens de intelligere, & ſentire expreſſè docet has operationes ſumere ſpeciẽ ex obiecto. Oppoſitum docet 1. *p. q.* 14. *ar.* 5 *ad* 3. dum aſſerit intellectionẽ ſpecificari per ipſam ſpeciem, quæ eſt principiũ intelligẽdi. In cõciliandis his locis plurimũ inſudant Thomiſtæ; varias illorum ſolutiones adducimus in dicta q. 1. art. 3.

Variæ ſent.

Opinio D. Thomæ incerta.

Variè loquitur D. Th. etiam in intellectione.

11. Sed quod attinet ad intellectionẽ, non inuenio omnes conſentientes: nam *Bañes* 1. *p. q.* 56. *ar.* 1. *dub.* 1. *ad cõfirmationẽ ſecũdi argumenti,* ſimpliciter aſſerit obiectũ *ſpecificare intellectionem non per modũ principij actiui determinantis potentiã per ſuã ſpeciem; ſed per modũ termini.* Quibus verbis ſignificat non idem eſſe determinare, & ſpecificare. Oppoſitum docuit Ferrar. 2. *contra gent. c.* 1. §. *Etſi aliquando, & lib.* 3. *c.* 25. §. *Circa illam propoſitionem,* dum ait, intellectionem ſpecificari per ſpeciem, vt eſt principium intellectionis, ex D. Tho. *in dicta q.* 14. *ar.* 5. *ad* 3. Si verò D. Thom. aliquãdo dixit intellectionem ſpecificari ab obiecto, putat intelligendum eſſe de obiecto, non ratione ſui, ſed in quantum per ſuam ſpeciem eſt formale intelligendi principium. Et hæc eſt communior Thomiſtarum opinio: ad quam Bañes parum ſibi conſtans ſtatim recurrit loco citato ante ſolutionem vltimi argumenti ad finem commentarij.

Nõ omnes Thomiſtæ in hoc conueniunt.

Bañes.

12.

Ferrar.

13. Ego hanc controuerſiã de intellectione ita puto eſſe derimẽdam, ſicut eã olim diremi de actione in cõmuni in d. q. 1. ar. 3. Etenim intellectio, licet ſit quędã qualitas per veram actionem producta; ſignificatur tamen per modũ actionis tendentis in obiectũ, quod per eam intelligitur. Quare conſiderari poteſt, & quatenus habet rationẽ actionis veluti exeuntis ab intelligente, & tendentis in obiectũ: & quatenus vt terminata ad obiectũ cõcipitur vt paſsio, qua obiectum paſsiuè intelligitur. Sub priori cõſideratione ſumit ſpeciẽ à principio actiuo intelligendi, nimirum ab ſpecie intelligibili. Poſteriori autẽ modo ſpeciem ſumit ab obiecto, vt habet rationem termini intelligibilis: ſicut enim omnis operatio, vt talis, per ſe ſpecificatur à forma, quæ eſt operandi principiũ, vt ait D. Tho. 1. *p. q.* 14. *ar.* 5. *ad* 3. & 1. 2. *q.* 1. *ar.* 3. Ita omnis paſsio ſuã accipit ſpeciem ab actu, qui eſt terminus operationis, vt in eiſdẽ locis ſatis ſignificat D. Th. Et iuxta hanc diſtinctionem facilè conciliantur omnia, quæ in D. Thom. videbantur contraria.

Vera reſolutio.

D. Thom.

Hac pręmiſſa reſolutione iam patet ſolutio ad propoſitam difficultatem: ſicut enim ſpeciei munus eſt determinare in differentiam intellectus ad hanc intellectionem, v. g. lapidis: ita etiam eiuſdẽ munus ſit ſpecificare intellectionem, prout habet rationem actionis veluti exeuntis ab intelligente, tendentiſq; in obiectum tanquam in terminũ. Quod nõ impedit, quominus eadem intellectio, vt terminata ad obiectum tanquam ad terminũ ſpecificetur ab obiecto: etenim vnum & idẽ ſub alia, & alia ratione conſideratũ poteſt aliam, & aliam habere ſpeciem eſſentialẽ. 14.

Solutio propoſitæ difficultatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad ſpeciem pertineat complere virtutem actiuam intellectus?

1. Solutio huius quæſtionis facilis eſt ex ijs, quæ diximus in præcedenti quæſtione artic. 8: Omnes enim in hoc conueniunt, vt virtus intellectus per ſpeciem perficiatur; & compleatur, ſiue illa ſit ex parte obiecti, ſiue ex parte intellectus, ſiue ex parte vtriuſque: quare abſq; dubio hoc mun⁹ ad ſpeciẽ pertinet.

Virtus intellectus per ſpeciem cõpletur.

Quomodò autem ſpecies exerceat hoc munus? poteſt in dubium verti: nam qui ponunt ſpeciem ex parte obiecti, nõ aliũ admittunt complendi modum, niſi per præſentationem, & propoſitionẽ obiecti determinati: etenim vt intellectus in actũ prodiret, nihil aliud deerat, niſi præſentia obiectiua rei intelligendæ: obiecto enim præſen-

Quomodò ſpecies exerceat hoc munus?

1. opinio.

preſente non poteſt intellectus non operari circa illud: complet igitur virtutem intellectiuam proponendo obiectum tãquam partialem concauſam, ſine cuius concurſu operari non poteſt.

2. 2. opinio. Longè aliter rem explicant, qui admittunt ſpeciem ex parte intellectus: & quanuis in explicando hoc complementovarij ſint, vt diximus in dicto ar. 8. §. 2. vera tamen reſolutio hæc fuit, quod ſpecies virtutem intellectiuam cõplet abſq; vlla noua virtutis additione, aut intenſione, ea præciſè ratione, quia illius indifferentiam determinat ad tale obiectum, nõ quocunque modo, ſed dando intellectui eſſe talis obiecti, quo fit potens, vt per ipſam ſpeciem circa illud operetur. Vide in dicto art. 8. §. 2. & in artic. ſequenti.

3. Species in hoc munere ſe tenet ex parte intellectus. Ex quibus colliges ſpeciem in pręſtãdo hoc complemento ſe habere ex parte intellectus: & prætereà dare hoc complementum per modum formæ illum perficientis, & informantis: & hoc munus ſola ratione à primo munere diſtingui: quoniam complet vim actiuam intellectus aſſimilando illum obiecto; vnde aſsimilatio ipſa eſt ipſa completio virtutis intellectiuæ. Idem dices de cæteris muneribus: quia ſicut aſsimilando vnit obiectum intellectui, vt ſit vnum cum eo; ita vniendo complet quoad eſſe intelligibile; ex quo ſequitur poſſe, quo fit in actu primo.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm ad ſpeciem pertineat influere cum intellectu in actum?

§. I.

Referuntur opiniones.

1. 1. opinio negat. CVm de actiuitate ſpeciei in actum intelligendi ſit controuerſia, vt vidimus in præcedente q. art. 4. non poteſt non eſſe controuerſum, an munus ſpeciei ſit actiuè concurrere ad actum intelligendi? Nam qui negant actiuitatem, negabunt etiam illi hoc munus. Ita reſpõdebunt Toletanus noſter, & Iauel. citati *in dicto ar.* 4. §. 1. Si ab illis quęras, quodnã munus exerceat ſpecies in ordine ad actũ intelligendi? Toletanus hoc ſolùm illi attribuit, quod diſponat intellectũ poſsibilẽ ad recipiendam in ſe intellectionem productam à ſolo intellectu agente; & ſolùm hoc modo concurrere ad intellectionem.

Toletan. *Iauellus.*

Toletus. Toletus autẽ etiam admittit ſpeciem, vt ſit diſpoſitio; modificans tamen, & mouẽs intellectum ad intellectionem. Vnde hoc ſolum munus [illegible] cõcedit. ſ. diſponere intellectum tanquam obiectum terminatiuè mouens. Denique Iauellus putat ſpeciem ad hoc ſolùm eſſe neceſſariam, vt intellectum determinet ad hanc intellectionem, & vt illam ſpecificet.

Porrò qui agnoſcunt actiuitatem in ſpecie (quorum ſententiam probauimus in dicto art. 4. §. 2.) longè alio modo rem explicant: nam qui ponunt ſpeciem ſolũ ex parte obiecti, & nullo modo ex parte potentiæ, niſi per accidens; nullam aliam in ea actiuitatem agnoſcunt, niſi obiectiuam, quam habet obiectũ obiectiuè propoſitum, quia vt ſic eſt motiuum intellectus actiuitate condiſtincta ab actiuitate intellectus, vt patet ex quæſt. præcedẽte art. 6. §. 1. Admittũt igitur munus ſpeciei eſſe actiuè cõcurrere actiuitate obiectiua. 2. 2. opinio.

Aliter philoſophantur, qui ſpeciẽ ponunt ex parte ſolius intellectus: nam in obiecto obiectiuè præſentato nullam actiuitatem ponunt: nam cum obiectũ obiectiuè præſentetur ſolùm in verbo per modum termini; & terminus intellectionis nullam in eam habeat actiuitatẽ; ideò in obiecto nullam agnoſcunt actiuitatem obiectiuã. Quare in ſpecie ſolùm admittunt actiuitatem per modum formæ, quę eſt principium intelligendi, vt patet ex quæſt. præcedente art. 7. §. 2. 3. 3. opinio.

Illi, qui admittũt ſpeciem, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti, etiam ſunt inter ſe diſcordes: licet enim omnes cõueniant admittendã eſſe in ſpecie actiuitatẽ per modũ formæ, quæ eſt principiũ intelligendi; non tamen omnes in ea admittũt actiuitatẽ, vt obiectũ obiectiuè proponit: & ratio eſt, quia non omnes volunt obiectum ſub ratione obiecti eſſe actiuè motiuũ motione obiectiua, ſed ſolum eſſe in intellectu per modũ termini. Vndevolũt ſpeciem, vt eſt ex parte obiecti, non aliud habere munus, quàm proponere obiectũ per modum termini. Alij verò admittunt obiectum obiectiuè propoſitum eſſe obiectiuè motiuum intellectus, & cum illo partialiter concurrere ad intellectionem. Hi igitur admittunt in ſpecie duplicẽ actiuitatẽ; vnã ex parte intellectus per modum principij actiui; alteram ex parte obiecti, 4. 4. opinio. 5 opinio.

iecti, & hanc volunt eſſe actiuitatem obiectiuam. Hæ ſunt opiniones, quę de propoſita q. diſtingui debent, vt confuſio tollatur.

§. 2.

Vera reſolutio.

5. Premiſſum primum. PRo vera reſolutione præmittendũ eſt primo opinionem, quæ ſpeciei omnem actiuitatem denegat, eſſe improbabilem, vt oſtendimus in præcedenti quæſt. art. 4. Quare admittendum eſt inter munera ſpeciei hoc tanquam pręcipuum eſſe enumerandum, quod actiuè influat in intellectionẽ: quæ eſt indubitata ſententia, vide in dicto art. 4. & quę diximus in eadem q. art. 6. & 7.

6. Alerum pręmiſſum. Deinde certiſsimum ſit ſpeciem, vt ſe habet ex parte intellectus, exercere hoc munus per modum formæ, per quam intelligit; & concurrere cum intellectu, nõ vt concauſam partialem, ſed vt principiũ actiuum *vt quo*, vt oſtendimus in præcedenti quæſt. art. 7.

Vtraq; pars eſt probabilis. Inter eos verò, qui ſpeciem admittũt, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti, non conſtat, an illi ex parte obiecti conueniat influere? quidam affirmant; alij negant: vtramque partem eſſe probabilem patet ex pręcedenti q. art. 6. §. 1. Vnde vtraque pars huius quæſtionis eſt probabilis.

7. Ex qua reſolutione infertur certiſsimum eſſe ſpeciem habere actiuam influentiam in actum, prout ex parte intellectus ſe habet per modum formæ: probabile tamen eſſe eam ex parte obiecti habere obiectiuam actiuitatem, quatenùs repræſentat obiectum per modum motiui. Vnde diſtinguenda eſt duplex actiuitas in ſpecie: vna; per modũ formæ, quæ eſt principium agendi. Altera per modũ obiecti, quę dicitur obiectiua: nam dupli cem iſtam actiuitatem habere obiectum intelligibile in ordine ad intellectum; & vtramque inter ſe diſtinctam, dicemus inferiùs art. 9. & vnam alteri eſſe ſubordinatam, minus principalem, & natura poſteriorem.

§. 3.

De ordine ad munera præcedentia.

8. De ordine huius muneris ad præcedentia. SVpereſt expendere ordinem huius muneris ad cætera. Et facilis eſt reſolutio: nam ſiue exerceatur hoc munus ex parte intellectus, ſiue ex parte obiecti, neceſſariò ſupponit ſpeciem iam conſtituiſſe intellectum in actu primo. Nam influxus iſte actualis nõ datur, niſi quando intellectus actuatus per ſpeciẽ applicatur ad vſũ. Conſtitutio verò intellectus in actu primo neceſſario ſupponit ſpeciem aſsimilaſſe intellectum per formalem repræſentationem, & vnionem. Actualis igitur influxus ſpeciei per modum principij non ſolùm ſupponit aſsimilationem; ſed etiam cætera munera.

Idem dicendum erit de influxu obiectiuo, ſi admittatur in ſpecie ex parte obiecti: nam obiectiuus influxus ex ſua natura ſupponit præceſsiſſe apud intellectum obiectiuam repræſentationem, & vnionem obiecti cum intellectu, per quã obiectum ſit intelligibile in actu primo: Obiectiua autem reprę́ſentatio, & vnio ſupponit intellectum iam eſſe aſsimilatũ, vt diximus artic. 3. & 4. & ſubinde ſupponit eum iam eſſe determinatum ad talè obiectum, vt patet: ergo obiectiuus influxus ſupponit cætera munera, tam ex parte obiecti, quam ex parte intellectus. 9.

De ordine, quem duæ iſtæ actiuitates, & influentiæ in actum intelligendi inter ſe habent, vt per ſpeciem excercentur; dicemus inferiùs art. 9.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm ſpecies impreſſa repræſentet obiectum per modum termini intellectionis?

QVÆſtio iſta longiorem poſtulabat explicationem, vt difficultas eius debitè explicaretur: ſatis ſit nunc illam breuiter explicare. 1.

§. 1.

Opinio affirmans.

PRima opinio affirmat obiectum in ſpecie impreſſa repræſentari per modum terminãtis intellectionem; & ſubinde illi concedit hoc munus, vt præſentet obiectum ſub ratione termini, ad quem intellectio terminetur: & proinde ſpeciem ſub hac ratione ponit ex parte obiecti. Hanc ſententiam quibuſdam placuiſſe inter alios refert Suarius *libro 2. de Attributis negatiuis cap. 12. num 12.* vbi ean- Opinio affirmans. Suarius.

eandem ſententiam tribuit Paludano, locum tamen non refert. Quidam eam tribuit Scoto, & Scotiſtis, falſo tamen, vt patebit ex cap. 2. ex Scotiſtis expreſſe
Rada. eam docet Rada, 1. *p. controu. 7. de verbo mentis poſt. 3. concluſionem pag. 103. col. 2.* poſt medium, & ſatis eſt de mente
Henric. Henric. quodlib. 4. q. 8. lit. M.

2.
1. Ratio. Primum fundamentũ eſſe poteſt; quia omnes affirmant ſpeciem repræſentare obiectum, vt patet ex tertio art. Hoc autem non eſt aliud, quam illud antè intellectum proponere obiectiuè: proponi autẽ obiectiuè idem eſt, quod proponi terminatiuè, ex Caieta. 1. *p. q. 27. art. 1. §. Ad quartam dubitationem.*

3.
3. Ratio. Deinde; ſi ſpecies impreſſa non poſſet obiectum præſentare, vt terminum intellectionis, ex eo eſſet, quia illud pręſentat, vt intellectionis principium: iam verò quod eſt principium actionis, non poteſt eſſe terminus illius: calor enim ignis non poteſt eſſe terminus calefactionis; ideo quia eſt illius principium. At hoc non impedit, quominùs eadem ſpecies, quæ præſentat obiectum vt principium, nõ poſsit illud præſentare vt terminum: nam ſpecies viſibilis eſt principium viſio
Capreol. nis, quatenùs præſentat obiectũ viſibile, vt patet ex *Capreolo in 1. diſt. 35. q. 1. art. 3. ad 1. Scoti contra 1. fol. 237. col. 2. & q. 2. art. 1. concluſione 5. fol. 239. col. 4. & do*
D. Thom. *cet D. Thom in eodem loco q. 1. art. 2.* & tamen eadem repræſentat obiectum in ratione termini: quia ipſa eſt, quæ videtur, vt ex Auicen. ait D. Thom. de Verita. q. 8. art. 15. inquiens *ſpeciem viſibilem in hoc ſenſu eſſe viſam, quia eſt id, in quo obiectum videtur*: obiectum enim non aliter aproximatur viſui, vt ab eo attinguatur, niſi quia per ſpeciem viſibilem fit obiectiuè præſens. Accedit etiam; quia ſubſtantia Angeli ſimul eſt formale principium intellectionis, & terminus illius: ergo nullũ eſt incõueniens, ſi id, quod eſt principiũ intellectionis, ſit etiam terminus illius.

4.
4. Ratio. Tertiò; apud Ariſtotelem 3. de Ani
Ariſt. ma c. 8. text. 38. Species ſunt in intellectu, quia res in eo eſſe non poſſunt, & ideo ſunt vicariæ rerum. Sed ſi res ſecundum ſe ponerentur in intellectu, ponerentur obiectiuè, & vt termini intellectionis: ergo res ipſæ in ſua ſpecie intellectui præſentantur per modum termini.

§. 2.

Opinio negans.

Oppoſitam tamen opinionem probauit communis ſententia ferè omnium: omnes enim negant ſpeciem præſentare obiectum in ratione termini intellectionis. Ita expreſſè D. Thom. de potentia q. 8. ar. 1, & q. 9. ar. 5. *& 1. contra gentes cap. 53. & ſatis inſinuat 1. p. q. 14. & Capreol. in 1. diſt. 35. q. 1. concluſione 1. hanc ſtatuens concluſionem: intelligere in nobis eſt actio intellectus, cuius principium eſt ſpecies intelligibilis; & terminus eſt conceptio, ſeu verbum, idem ſcribit in 2. diſt. 3. q. 2. art. 1. ad 1. Durandi contra primam fol. 97. col. 2. & ad 2. confirmationẽ argumenti primi fol. 99. col. 3. Caietan. 1. p. q. 27. art. 1. §. ad 4. dubitationem, & q. 85. art. 2. ad finem. Ferrar. in dicto. cap. 53. §. ad euidentiam huius, & §. quarta eſt, vbi in hæc verba: Species eſt principium intelligendi, nõ terminus: ſatis ſignificat Torr. de Trinitat. q. 27. art. 1. diſp. 5. in 4. probatione. Bañes 1. p. q. 27. art. 1. in 2. concluſione, & q. 85. ar. 2. §. Circa ſecundam, Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. num. 17. in fine Bellomontanus 1. p. diſp. 43. cap. 3. num. 8. Conimbri. in 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 2. §. His iſta conſtitutis pag. 379. & 1. de interpretatione c. 1. q. 2. ſect. 1. tertij. ar. pag. 19.* quibus in locis ſpeciei tribuit eſſe principium intellectionis; verbo autẽ eſſe illius terminum; ſed etiam Scotiſtæ in eodẽ cõueniunt; quia omnes vno excepto Rada affirmant eam terminari ad obiectum, vt in verbo repræſentatur, ita docet *Herer. in 2. diſp. 11. q. 7. pag. 439. col. 2. dum ait intelligere eſſe attingere obiectum præſentatum in verbo. & diſp. 12. q. 2. pag. 484. col. 1. &* 2. aſſerit per verbum, tanquam per rationem formalem cognoſcendi intelligi obiectum relucens in ipſo. *Et diſp. 12. q. 3. ad 2. pag. 296. col. 2. & in 1. diſp. 10. q. 12. not. 6. pag. 328. col. 2.* vbi concludit intellectum in ipſo verbo habere obiectum ſibi proportionatum. Et hanc eſſe mentẽ Scoti facilè oſtenderemus, niſi ſtuderemus breuitati: illum tamen oppoſitum non docuiſſe vide §. 4. ad 1.

5. Opinio negans eſt cõmunis.

D. Thom. *Capreol.* *Caietan.* *Ferrarien.* *Torres.* *Bañes.* *Conimbr.* *Suarius.* *Bellomon.* *Herrera.*

Fundamentum huius opinionis ex eo ſumitur, quod principiũ operationis non poteſt eſſe terminus illius; nec enim calor ignis poteſt terminare calefactionem. 6.

Dein-

2. Ratio. Deinde; ſpecies impreſſa repræſentat obiectum non in actu, ſed in habitu tantum, vt communis Thomiſtarum docet, quam probarunt Capreolus. Ferrarienſ. & Torr. & pręter eos Gregor. Conim. & Bellomotan. citati art. 3. §. 7. Iam verò quod intellectui pręſẽtatur, vt terminus intellectionis, præſentatur in actu, cum ad illud intellectio actu terminetur.

3. Ratio. Tertiò; quia ſpecies impreſſa repræſentat obiectum per modum actus primi; obiectum autem per modum termini nõ poteſt repræſentari, niſi per modum actus ſecundi.

§. 3.

Has rationes non conuincere.

7. Non cõuincunt rationes adductę. Ad 1. EGo puto has rationes non ſatis rem conuincere. Nam ad 1. dici poteſt principium illud indubitatum eſſe in operationib⁹ Phyſicis in genere rei; nõ tamen in operationibus generis intelligibilis: eſt enim diſpar ratio in his, & in illis: nã operationes Phyſicæ ex ſua natura ſunt productiuæ ſuorum terminorũ, iam verò nihil poteſt à ſe ipſo produci. At verò operationes intelligibiles, quanuis ſignificentur ad modum operationum: non tamen ſunt verę operationes ſuorum terminorum: nec enim intellectio Petri eſt vera actio productiua Petri, quanuis ſignificetur, vt actio terminata ad Petrum. Vnde non erit abſurdum, ſi idem obiectum, quod in ſua ſpecie cõcurrit, vt principium intellectionis poſsit in eadem repræſentari vt terminus eiuſdem. Quare argumentum ſolùm concludit fieri non poſſe, vt ſpecies, quæ eſt principiũ intellectionis, quæ eſt qualitas quędam, ſit terminus actionis, quam ipſa producit: at verò non concludit obiectum, quod in ſua ſpecie eſt principium intellectionis, in eadem ſpecie non eſſe terminum illlius.

8. Ad 2. Ad 2. reſponderi poteſt argumentum potius conuincere oppoſitum, ſi repræſẽtare in habitu idem eſt, quod repræſentare in potentia, vt ſatis colliges ex his, quę diximus art. 3. Si enim ſpecies obiectiuè reprę́ſentat obiectum in potentia, profectò illud repræſentabit in actu, & ſubinde terminatiuè, cum intellectus ea vſus fuerit.

9. Ad 3. Ad 3. ex dictis patet ſolutio: nam ſpecies, vt eſt actus primus, ſicut conſtituit intellectum in actu primo, prout per modum formæ illum perficit: ita conſtituit obiectũ in actu primo intelligibilis, prout illud obiectiuè repræſentat: conſtituit enim illud in potentia proxima, vt poſsit intellectionem terminare: repræſentabit autem illud, vt actu terminans, quando illa fuerit in actuali vſu: nam ſicut ſpecies, vt eſt principium agendi, conſiderari poteſt, vel ſimpliciter, vel vt applicata ad actũ ſecundum: ita obiectũ terminatiuè præſentatum conſiderari poteſt, vel ſimpliciter, vt adhuc eſt in potentia ad terminandum; vel vt applicatum ad actualem terminationem. Hoc poſteriori modo quanuis non ſit actus ſecundus, eſt tamen cum actu ſecundo, quia actualiter illum terminat.

§. 4.

Confirmatur pars negans.

QVanuis opinio negans adductis argumentis non conuincatur; ea tamen longè eſt verior. Primò; quia vno excepto Rada ab omnibus probatur. 10. Veræ negãtis partis cõfirmationes Prima. Deinde; quia conſentaneũ eſt, vt in operationibus generis intelligibilis idem ſeruetur, quod in operationibus generis rei. Secund. Quare cum in his principium actionis non poſsit eſſe terminus, illius idem dicendum erit in actionibus intelligibilibus.

Accedit 3. quoniam ſi expẽdamus naturam intellectionis, nulla eſt neceſsitas, 11. Tertiò. vt obiectum pręſentetur per modum termini in aliqua intelligibili forma, re aut ratione diſtincta ab intellectione: nam cũ actualis intellectio ex ſua natura ſit notitia expreſsiua eius, â quo producitur, tãquam proles parentem exprimens; ipſa in ſe ipſa, & intra ſe ipſam exprimit obiectum, tanquam terminum per ipſam expreſſum. Nam licèt de notitia, quæ eſt formalis expreſsio obiecti, benè philoſophentur, qui illam apprehendunt, vt actionem tendentem in obiectum; quia eſt veluti quędam notionalis apprehenſio illius; non tamen probo Philoſophiã, quæ illam apprehendit, vt actionem terminatam ad obiectum extra ſe, relucens vel in ſpecie impreſſa, vel in expreſſa, quæ ſit diſtincta ab intellectione: nam cum ipſa actua-

actualis notitia ſit formalis, actualis expreſsio obiecti exiſtentis in intellectu, ipſa met intra ſe habet repræſentatum obiectum, cum ſit illius actualis ſimilitudo. Vnde ad obiectiuam præſentationem obiecti per modum termini, nec eſt neceſſaria ſpecies impreſſa, vt volunt authores partis affirmantis: nec expreſſa diſtincta ab intellectione, quanuis Thomiſtæ oppoſitum opinentur. Sed de hoc latiùs diſputare ad alium locum pertinet.

§. 5.

Soluuntur argumenta.

12. Ad 1. arg. ARgumenta poſita §. 1. facilè ſoluũtur. Ad primũ dicimus ſpeciẽ abſque dubio repræſentare obiectum, vt omnes volunt, non tamen omnes admittunt eam repræſentare illud per modum termini: hoc enim negant, tum illi, qui nullam obiectiuam repræſentationẽ in ea admittunt: tum etiam plerique eorum, qui volunt obiectum in ſpecie obiectiuè repræſentari: nam cum obiectũ dupliciter poſsit repręſentari obiectiuè, vel per modũ motiui; vel per modũ termini; ferè omnes negant illud repræſentari in ſpecie per modum termini. Hi negabunt Caiet. & Thomiſtis, idem eſſe præſentari obiectiuè, & terminatiuè. Quare hallucinãtur, qui volunt Scotum probaſſe ſententiam affirmantem. *in 1. diſt. 3. q. 6. lit. K, & diſt. 27. q. 1. §. Non eſt autem verbũ.* Etenim Scot. in illis locis ſolũ dicit quòd ſpecies antè actũ intelligendi repræſentat obiectum; & facit illud eſſe præſens in ratione intelligibilis; ex quo non benè infertur, Scotum velle ſpeciem repræſentare obiectum per modum termini: ſed eſt fallacia à pluribus cauſis ad vnam cauſam: quia obiectum poteſt fieri præſens, vel per modum motiui, vel per modum termini: & ſi doctrinã Scoti expendamus, mens illius eſt, quòd fiat præſẽs per modum motiui: nam apud Scotum obiectũ in ſpecie concurrit obiectiuè cum intellectu, vt cauſa partialis: terminus autẽ ſub ratione termini nullam habet actiuitatẽ: & ita Scotum explicauit *Lychetus in 1. diſt. 3. q. 6. fol. 89. col. 1. ad finem. §. Iſta reſponſio*, dum ait obiectum in ſpecie dici pręſens, vt cauſatiuum intellectionis.

Scotus non eſt pro parte affirmãte

Lychetus.

13. Ad 2. Ad ſecundum dicimus. Fundamentũ non ſatis eſſe firmum, vt oſtendimus §. 3. Neutram tamen inſtantiam illud ſatis impugnare. Non prima; quoniam non probat viſibile pręſentari in ſpecie terminatiuè: hoc enim modo, vel pręſentatur ſe ipſo, vt plerique volunt; vel in ipſa viſione, vt alij malunt. Non ſecunda; quoniam controuerſum eſt, an ſubſtantia Angeli ſubeat vicẽ ſpeciei? Apud illos autem qui illud admittunt, dicendum erit ſubſtantiam Angeli non repræſentari terminatiuè per ſe ipſam, vt ſubit vicem ſpeciei, quia vt ſic eſt principium intellectionis: repræſentari tamen terminatiuè in verbo, quod formant, quidquid illud ſit.

Ad tertium reſpondetur Ariſtotelem agere de rebus, prout per ſuas ſpecies ſũt in intellectu illum aſsimilantes ſibi: quo modo ſi res eſſent in intellectu, nõ eſſent in eo obiectiuè, & per modũ termini; quia prout habent rationem termini, non aſsimilant: vnde vt ſic non terminarent, ſed ſe ipſis. 14. Ad 3.

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm ſpecies omnia ſua munera exerceat, vt vicaria obiecti?

QVÆſtio eſt ſcitu dignisſima: ſed quia non ſatis explicari poteſt, niſi priùs explicentur, quæ conueniunt obiecto, quatenùs eſt intelligibile; ideo hæc priùs explicanda erunt. 1.

§. 1.

Quænam conueniant obiecto, vt eſt intelligibile?

QVod attinet ad primũ cap. apud omnes eſt indubitatũ, intelligibile, quatenùs tale, duo in ſe includere, quòd ſit terminatiuum operationis intellectiuæ; & quòd ſit motiuum intellectus; ita *Capreol. in 1. diſt. 8. q. 2. fol. 112. col. 1. §. Ad aliud etiam: notauit Suarius in Metaphyſic. diſt. 8. ſect. 7. num. 27. inſinuat Caietan. 1. p. q. 16. art. 3. §. Ad hoc dicitur.* Quòd habeat rationem termini intellectionis, declarat ipſa nominis etymologia: nã omne ens intelligi poteſt. Quòd verò ſit motiuum intellectus ad intelligẽdum, patet ex Auicena *in ſua Metaphyſ. lib. 2. cap. 4. quem refert, & probat D. Thom.* primo

Intelligibile vt eſt terminatiuum intellectionis, & motiuum intellectus.

Capreol. Suarius. Caietan.

Auicena, D. Thom.

primo contra gentes cap. 60 in 4. ratione, dũ ait vnamquamque rem intelligibilem natam eſſe facere de ſe veram æſti…tionem in intellectu. Quod adeo verum eſt, vt intellectus ab ipſis rebus, quatenùs ſunt quædam intelligibilia, tanquam à ſuo intelligendi principio accipiat cognitionem, ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 5. ad 2. & in hoc ſenſu communiter dicitur intelligibile perficere intellectum. (Intelligibile perficit intellectũ.)

2. Hinc infertur duplicem in re intelligibili diſtinguẽdam eſſe intelligibilitatem: vnam paſſiuam; quatenùs habet rationẽ termini intellectionis; quia vt ſic eſt id, quod intelligitur. Alteram actiuam; qua habet mouere intellectum ad actualẽ intellectionem. Et inde eſt, vt obiectum intelligibile, vt tale eſt, dicatur principium cognitionis, vt benè aduertit Suarius in dicta ſect. 7. num. 27.

3. (Quęſt. an in obiecto ſit duplex intelligibilitas actiua.) Dubitari tamen poteſt, an in obiecto, vt eſt motiuum intellectus, vna tantum admittenda ſit intelligibilitas, actiua, an duplex: quarum vna concurrat, vt principium *quo* intelligendi; altera vt concauſa partialis vt *quod?* Quidàm ſolam hanc poſteriorem admittunt, quam appellãt intelligibilitatem, & actiuitatem obiectiuam, vt quia conueniat obiecto, vt obiectum eſt. Ita ſentiunt, qui ſpeciem ſolùm ponũt ex parte obiecti, de quibus in præcedenti q. art. 1. Alij priorem tantũ intelligibilitatem agnoſcunt; quia putant ſpeciem ſolùm poni ex parte intellectus, de quibus egimus in eadem q. art. 2. Alij denique vtramque recipiunt, & eam, quæ eſt formæ, vt eſt principium agendi; & eam, quæ eſt formæ, quatenùs eſt obiectiua.

4. (Soluitur q. aſſertione bimembri.) Quæſtio dirimenda eſt hac vnica bimembri aſſertione. Certum eſt in obiecto intelligibili admittendam eſſe intelligibilitatem actiuam, qua moueat intellectum, vt forma, quæ illi eſt agendi principium: Solùm tamen eſt probabile in eo etiam admittendam eſſe intelligibilitatẽ obiectiuam, quetenùs proponitur coram intellectu. Vtraque pars nota eſt ex dictis ſuprà art. 4. nam cum ſpecies loco obiecti duplicem illam habeat influentiam; vnam indubitatam, alteram probabilem; vtramque neceſſariò habebit obiectum, vt eſt intelligibile.

5. Prior pars aſſertionis ex eo patet: quoniam aduerſarij admittunt obiectum, vt à parte rei eſt quoddam ens, & quoddam verum, mouere intellectum emiſſione ſuæ ſpeciei. (1. Pars cõfirmatur.) Quæ Philoſophia indubitata eſt in ordine ad noſtrum intellectum, & ad Angelicum, ſi ille ſumit ſpecies à rebus. Vnde Scotus nobis aduerſarius id docet *in 1. diſt. 3. q. 6. lit. L. §. Ad 4. dico,* (Scotus.) vt aduertimus art. 6. præcedẽtis quæſtionis. Huic receptæ Philoſophiæ ſi addamus obiectum ex doctrina Ariſtotelis ideo ex ſe emittere ſpeciem ſui, vt per eã aſsimilet ſibi intellectum, & faciat, vt ille ſit ipſum, vt ſæpe diximus, & patet ex 1. art. huius quæſt. dubitari nõ poteſt, quin obiectum intelligibile, vt tale eſt, ſit aſsimilatiuũ intellectus, & cõmunicatiuum ſui proprij eſſe, in alio tamen eſſendi genere. Cum verò ad eſſe ſequatur operari (ex Ariſtotele in lib. de Cœlo) profectò ſi obiectum dat intellectui ſuum eſſe, vt principium eſſendi in tali genere; vtique etiam illi dabit poſſe per tale eſſe operari, vt per principium operandi.

6. (Probatur 2. pars aſſertionis.) Ex eodem fundamento infertur probabilitas poſterioris partis, obiectum ſc. intelligibile habere intelligibilitatem obiectiuam: nam cum ex ſua natura habeat poſſe emittere ſpeciem, vt in ea obiectiuè præſentatum moueat intellectum iam ſibi aſsimilatum, & mouendo influat in intellectionem, vt habet probabilis opinio, de qua in præcedẽti quæſtione art. 6. profecto ex ſe etiam habebit intelligibilitatem obiectiuam, qua poſsit cum intellectu iam ſibi ſimili influere in actum influxu obiectiuo.

7. (Vtraq; intelligibilitas.) Vtraque iſtam intelligibilitatem eſſe eſſentialiter diſtinctam ex eo oſtẽditur, quod vna habet actiuitatem formæ, quæ eſt principium agendi, & actiua, *vt quo:* altera eſt actiuitas agentis, *vt quod,* partialis tamen. Vna ſe tenet ex parte intellectus, tanquam complementum virtutis, quæ eſt potentia intellectiua: altera ſe tenet ex parte obiecti, quatenùs eſt quoddam verũ natũ cauſare ſui cognitionem, vt ait Auicena. Vna ex ſua natura eſt prior altera: quia priùs eſt obiectum aſsimilare ſibi intellectum, & fieri vnum cum eo ad agendum, quàm obiectum obiectiuè mouere intellectum ad ſui intellectionem: quoniam hæc motio, ne ſit inutilis, ſupponit intellectũ eſſe ſimilem; niſi enim

enim ſimilis ſit, non poteſt in actū influere, vt ſuprà diximus. Et inde eſt, vt hæc poſterior intelligibilitas ſubalternetur priori, tanquam eſſentialiter ſuperiori.

8. Vtraque diſtinguitur à virtute intellectiua. Vnum ſupereſt aduertendum, vtramque iſtam intelligibilitatem, quæ datur in ipſo intelligibili, eſſe diſtinctam, à virtute intellectiua, quæ eſt in intellectu, vt cū Scoto, & alijs iam aduertimus in præcedenti quæſt. art. 6. §. 1. Nam virtus intellectus, eſt virtus intelligens, quia intellectus eſt qui intelligit: quæ verò eſt in obiecto, eſt virtus intelligibilis, quæ non denominat intelligentem, quanuis ad intellectionē cōcurrat. Virtus etiā intellect⁹ eſt vitalis, à qua intellectio habet, quod ſit operatio vitæ: quæ verò eſt in obiecto, non eſt vitalis, quanuis concurrat ad operationem vitalem. Denique virtus intellectus, non ſolùm elicit intellectionē, ſed principaliter eam elicit: quod non conuenit virtuti, quæ eſt in intelligibili: hæc enim, vel non elicit, *vt quod*, ſed *vt quo*, vt patet in virtute obiecti, vt eſt aſsimilatiuum intellectus: vel ſi elicit *vt quod*; non elicit vt agens principale, vt diximus cum Scoto in dicto artic. 6. & hæc de priori capite.

§. 2.

Reſolutio quæſtionis.

9. Reſolutio Quæſtion. in titulo propoſitæ. QVod attinet ad quæſtionem in titul. propoſitam, ad illam reſpōdemus affirmatiuè, ſcilicet ſpeciē omnia ſua munera exercere, vt vicariam obiecti, & in virtute illius. In quo omnes conueniunt: cum enim obiectum ſecundum eſſe ad extra non poſsit eſſe in intellectu, eſt in eo per ſuam formam intelligibilem, ex Ariſtotele 3. de Anima cap. 8. num. 38. non ob alium finem, niſi vt per eam faciat omnia, quæ pertinent ad rationem intelligibilis. Quare ſpecies, quæ in intellectu exercet, omnia exercet, vt viceobiectum; quia omnia efficit, quę faceret obiectum, ſi intra intellectum per ſe ipſum eſſet.

10. Et cum ex ſua natura ſit aſsimilatiuū intellectus, quia ex ſua natura eſt intelligibile; nec poſsit ſe ipſo illum aſsimilare, emittit ſpeciem, vt per eam intellectui cōmunicet ſuum eſſe illumque aſsimilet ſibi. Idem dicito de cæteris muneribus: omnia enim obiectū per ſe faceret, ſi per ſe poſſet eſſe in intellectu. Etenim per ſe ſe ipſum vniret per modum formæ, vt cum intellectu fieret vnum principium intelligendi. Vnde per ſe ipſum conſtitueret intellectum in actu primo, nec ſolùm ſe ſe vniret per modum formæ, ſed etiam obiectiuè, vt obiectiuè in actum influeret. Et cum iſta omnia nequeat per ſe præſtare, emittit ſpeciem ſui, vt per eam omnia exerceat.

Nec inde cum nonnullis inferas ſpeciem ſolùm ſe habere ex parte obiecti, & nunquam ex parte intellectus, contra ea, quæ diximus in præcedenti quæſtione articulo primo: quoniam hæc illatio in eo fundatur, quòd idem ſit ſpeciem gerere vicem obiecti, & obiectiuè illud proponere intellectui: quod eſt falſum: quoniam ſpecies pluribus alijs modis poteſt vicariatum ſuum obire, quàm obiectiuam repræſentationem obiecti. Quare ſpeciem gerere vicem obiecti, non eſt aliud, quàm ſpeciem in intellectu efficere, quod efficeret obiectum, ſi ſecundùm ſe eſſet in intellectu. Iam verò ſi in eo, ita eſſet, non ſolùm faceret, quæ ſibi conueniunt, vt eſt forma obiectiua; ſed etiā, quæ ad ſe ſpectant, vt eſt forma aſsimilatiua, & communicatiua ſui eſſe, ſub qua ratione ſe teneret ex parte intellectus; quia illum ſibi aſsimilando fieret cū eo vnum principium intelligendi, vt cum Diuo Thoma, & alijs diximus articulo primo huius quæſtionis. Et hæc dicta ſint de muneribus ſpeciei intelligibilis. 11.

ARTICVLVS X. & Vltimus.

De neceſsitate ſpecierum, ſi intellectus ſolùm paſsiuè concurrat ad actum.

QVanuis non ſit ſatis probabilis opinio, quod intellectus ſolùm paſsiuè concurrat ad intellectionem, vt oſtendemus libro decimo; tamen quoniam illa opinio, viris doctis placuit, nec omninò reijcitur à Scoto, non erit alienum ab inſtituto, an adhuc ſint admittendæ ſpecies intelligibiles? 1. Quod intellectus paſsiuè ſe habere ad intellectionem non eſt probabile.

Huic quæſtioni omiſsis opinionibus (nec enim res eſt ſine cōtrouerſia) quæſtionem 2.

Poſita opinione adhuc ſpecies ſunt admittēdæ.

ſtionem dirimet vnica concluſio: *Species intelligibiles adhuc admittendæ forent, ſi intellectus ſolùm paſſiuè concurreret ad intellectionem.* Demōſtratur vnica ratione: quoniam licèt intellectus actiuè non influeret, ſed intellectionem ſolùm reciperet productam, vel à Deo, vel ab alio, adhuc per eam formaliter intelligeret, & ſubinde rem intellectam notionaliter attingeret, & apprehenderet. Non poſſet autem illam apprehendere ſublatis ſpeciebus: ergo ſpecies adhuc eſſent neceſſariȩ. Maior patet; quia apud iſtos intelligere, formaliter non eſſet producere intellectionem; quia eam non producit intellectus: nec item eſſet intellectionem recipere: nam per intellectionem poſitam in lapide (quod à Deo fieri poteſt) lapis non intelligeret: ergo intelligere formaliter eſſet, per ipſam intellectionem receptam intelligibiliter apprehendere obiectum; quam philoſophiam alio in loco explicuimus. Porrò minor inde oſtenditur; quoniam antiquorū celebre proloquiū; *Simile non niſi à ſimili cognoſcitur*; abſolutè verum eſt, quocumque modo fiat intellectio. At intellectus non poteſt fieri ſimilis obiecto, antequam intelligat, niſi per ſpecies, vt ex Ariſtotele latè oſtendimus: ergo ſublatis ſpeciebus adhuc intellectus intelligere non poſſet.

3\. Quomodo ſpecies tūc eſſent neceſſariȩ.

Eſſent igitur ſpecies neceſſariȩ, vt diſpoſitio vltima, qua intellectus fieret in potentia proxima, & veluti in actu primo paſſiuo, vt per receptā notitiam poſſet obiectum ſibi præſentatum intelligibiliter attingere. Vnde ſpecies adhuc compleret potentiam intelligendi ipſius intellectus: quia non poſſet intelligibiliter apprehendere obiectum, niſi priùs eſſet obiectum. Quare ſpecies adhuc habet officium aſſimilandi intellectum obiecto, & illum reponendi in actu primo paſſiuo, vt per notitiam receptam poſſit notionaliter tendere in obiectum, illudque intelligibiliter apprehēdere. Et hæc diximus de neceſſitate ſpecierum, & de illarum muneribus.

Finis Primæ partis huius libri octaui.

INDEX QVAESTIONVM SECVNDÆ PARTIS Huius Libri Octaui.

¶*Præfatio ad totum librum.*

QVÆSTIO PRIMA.

De neceſsitate ſpeciei formalis, vel æquiualentis in ordine ad diuinam eſſentiam.

Articulus Vnicus de eodem titulo.

§. *primus. Refertur pars negans.*

§. 2. *Probatur, & explicatur pars affirmans.*

§. 3. *An hæc neceſsitas ſit etiam in ordine ad abſolutam potentiam?*

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm Deus poſsit videri per ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ?

Articulus 1. *Referuntur authores, & argumenta partis negantis.*

§. 1. *Authores, qui expreſsè eam probarunt.*

§. 2. *Adducuntur argumenta negantis partis.*

Articulus 2. *Adducuntur patroni partis affirmantis.*

§. 1. *Pars affirmans eſt vera.*

§. 2. *Ponitur communis probatio.*

§. 3. *Impugnatur prima ſolutio huius probationis.*

§. 4. *Refertur ſecunda ſolutio.*

§. 5. *Impugnatur ſecunda ſolutio.*

Articulus 3. *Pro ſolutione primi argumenti expenditur; an ſpecies ſit inferioris ordinis reſpectu diuinæ eſſentiæ?*

§. 1. *An abſolutè ſpecies inferioris ordinis poſsit repræſentare, quod eſt ordinis ſuperioris?*

§. 2. *An omnis ſpecies creata ſit ordinis inferioris in repræſentando reſpectu diuinæ eſſentiæ?*

§. 3. *Explicatur duplex ratio, cur vna ſpecies non poteſt repræſentare aliquod obiectum.*

§. 4. *Soluuntur argumenta quibus minor primi argumenti confirmatur.*

Articulus 4. *Pro ſolutione ſecundi argumenti expenditur, vtrùm obiectum, quod eſt ſuum eſſe, requirat ſpeciem, quæ in repræſentando ſit ſuum eſſe?*

§. 1. *Adducitur communis ſolutio.*

§. 2. *Reſponſio Thomiſtarum ad præcitatas inſtantias.*

§. 3. *Impugnatur præcedens Philoſophia.*

§. 4. *Solutio ſecundi argumenti principalis.*

Articulus 6. *Pro ſolutione* 3. *argumenti expenditur, an ens infinitum neceſſariò poſtulet ſpeciem, quæ ſecundùm aliquod eſſe reale ſit infinita?*

Articulus 6. *Pro ſoluenda quarta ratione expenditur, vtrùm ſpecies diuinæ eſſentiæ poſsit eſſe finita in repræſentando?*

§. 1. *Species diuinæ eſſentiæ non neceſſariò eſt infinita in repræſentando.*

§. 2. *Soluuntur quatuor probationes priores maioris negatæ.*

§. 3. *Pro ſoluenda quinta probatione oſtenditur ſpeciem non neceſſariò eſſe, aut immaterialiorem, aut æquè materialem cum ſuo obiecto.*

§. 4. *Solutio* 6. 7. & 8. *probationis.*

§. 5. *Soluitur vltima probatio maioris.*

Articulus 7. *Soluuntur reliqua omnia argumenta partis negantis poſita* §. 2.

Articu

Articulus 8. *Quænam fuerit Diui Thomæ, & Scoti ſententia de poſsibilitate ſpeciei creatæ diuinæ eſſentiæ?*
§. 1. *Opinio* Bellomont[illegible]i, *quòd D. Thomas hanc poſsibilitatem non negauerit.*
§. 2. *Reijcitur hæc opinio, vt aliena à mente Diui Thomæ.*
§. 3. *Quid de hoc ſenſerit Scotus?*

QVÆSTIO TERTIA.

An Deus de facto videatur per ſpeciem creatam?

Articulus 1. *Referuntur variæ opiniones, & ſolùm duæ, vt probabiles, proponuntur.*
Articulus 2. *Refertur opinio negans cum ſuis fundamentis.*
Articulus 3. *Probabilior eſt ſententia affirmans, & confirmatur.*
§. 1. *Authores huius opinionis.*
§. 2. *Confirmatur rationibus.*
Articulus 4. *An prima ratio ſatis ſit efficax?*
§. 1. *Prima ſolutio impugnatur.*
§. 2. *Reijcitur ſecunda ſolutio.*
§. 3. *Non admittitur ſolutio tertia.*
§. 4. Refellitur *quarta ſolutio.*
Articulus 5. *Vtrùm ſecunda ratio poſita in tertio articulo efficaciter probet dandam eſſe ſpeciem creatam?*
§. 1. *Impugnatur prima ſolutio ſecundæ rationis.*
§. 2. *Reijcitur ſecunda ſolutio.*
§. 3. *Non admittitur ſolutio tertia.*
Articulus 6. *Vtrùm tertia ratio ſufficienter probet dandam eſſe ſpeciem creatam?*
Articulus 7. *Soluuntur argumenta ſententiæ negantis.*

QVÆSTIO QVARTA.

An poſsibile ſit diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei aliquod ſpeciei munus obire in ordine ad viſionem?

Articulus 1. *Vtrùm diuina eſſentia poſsit omnia, vel aliqua ſpeciei munera obire?*
§. 1. *Refertur opinio affirmans.*
§. 2. *Diuum Thomam huius ſententiæ fuiſſe.*
§. 3. *Quid ſenſerit Scotus.*
§. 4. *Ponuntur argumenta partis affirmantis.*
§. 5. *Pars negatiua pluribus probatur.*
§. 6. *Pars negans eligitur, & ponitur verum fundamentum eius.*
§. 7. *Soluuntur argumenta poſita §. quarto.*
Articulus 2. *Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei poſsit aſsimilare ſibi intellectum Beati; & facere, vt ille ſit Deus?*
§. 1. *Præmittuntur nonnulla.*
§. 2. *Refertur opinio affirmans.*
§. 3. *Sententia negatiua eſt longè probabilior.*
§. 4. *Expenditur prima ſolutio, qua explicata Philoſophia negatur.*
§. 5. *Expenditur ſecunda ſolutio admittens datam Philoſophiam in formis intrinſecis.*
§. 6. *Expenditur tertia ſolutio admittens datam Philoſophiam in genere rei, non verò in genere intelligibili*
§. 7. *Tertio confirmatur negatiua ſententia impugnando modos, quibus defenditur.*
Articulus tertius. Vtrùm diuina eſſentia poſsit obire aliquod ſpeciei munus, ſi præcedens non exerceat?
§. 1. *Refertur opinio affirmans.*
§. 2. *Non recipitur hæc opinio.*
§. 3. *Soluitur obiectio contra datam ſolutionem.*

Artic. 4. *Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei conſtituere intellectum in actu primo, ad videndum?*
§. 1. *Refertur pars affirmans.*
§. 2. *Opinio negatiua eſt tenenda.*
§. 3. *Soluuntur agumenta poſita* §. 1.
Articulus 5. *Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei poſsit ſe ipſam obiectiuè vnire intellectui?*
§. 1. *Refertur pars affirmans.*
§. 2. *Quomodo in hac opinione diuina eſſentia vniatur intellectui?*
§. 3. *Vera Reſolutio.*
Articulus 6. *Vtrùm diuina eſſentia loco ſpeciei poſsit ſe ipſam intellectui præſentare?*
§. 1. *Opinio affirmans.*
§. 2. *Quomodo eſſentia in hac opinione ſe ipſam repræſentet?*
§. 3. *Explicatio difficultatis.*
§. 3. *Quæſtio incidens.*
Articulus 7. *Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei determinet intellectum ad talem actum?*
Articulus 8. *Vtrùm eſſentia diuina ad inſtar ſpeciei compleat virtutem intellectus ad videndū?*
Articulus 9. *Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei actiuè influat in viſionem?*
§. 1. *Explicatur titulus quæſtionis.*
§. 2. *Sententia affirmans.*
§. 3. *Refertur pars negatiua.*
§. 4. *Quid de propoſita quæſtione ſenſerit D. Thomas?*
§. 5. *Vera reſolutio.*
§. 6. *Pro ſecunda concluſione ſoluuntur argumenta partis affirmantis.*
§. 7. *Pro tertia concluſione ſoluuntur argumenta partis negantis.*
Articulus 10. *Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei vniat ſe ipſam, vt terminum viſionis.*
Articulus 11. *& vltimus. Vtrum, ſi diuina eſſentia ſubiret vicem ſpeciei, id faceret modo connaturali, an miraculoſo?*

QVÆSTIO QVINTA.

De neceſsitate ſpecierum ad cognitionem abſtractiuam diuinæ eſſentiæ.

Articulus 1. *Vtrùm implicet diuinam quidditatem repræſentari abſtractiuè, & non intuitiuè?*
§. 1. *Opinio affirmans.*
§. 2. *Pars negans eſt vera.*
§. 3. *Soluuntur argumenta.*
Aarticulus 2. *Vtrùm poſsibilis ſit ſpecies creata abſtractiuè repræſentans Dei quidditatem?*
§. 1. *Pars negans.*
§. 2. *Affirmatiua eſt tenenda.*
§. 2. *Solutio argumentorum.*
Artitulus 3. *An ſpecies abſtractiua diuinæ eſſentiæ ſit naturalis ſecundùm ſubſtantiam, an ſupernaturalis?*
§. 1. *Refertur opinio Scoti.*
§. 2. *Hanc ſpeciem eſſe ſubſtantialiter ſupernaturalem.*
§. 3. *Soluitur argumentum in oppoſitum, & explicantur quædam dubia.*
Articulus 4. *Vtrùm Deus de facto alicui hanc ſpeciem conceſſerit?*

FINIS.

SECVNDA PARS
Huius Libri Octaui.
DE NECESSITATE SPECIEI Intelligibilis in ordine ad Viſionem diuinæ eſſentiæ.

EXPLICAVIMVS eſſentiam, ſiue naturam ſpecierum intelligibilium, earumque neceſsitatem, vt intellectus, tam Angelicus, quã humanus res creatas corporeas, & incorporeas valeat intelligere: ſimulque explicauimus in prima parte huius libri, varia earũ munera, tam ex parte intellectus, quàm ex parte obiecti: conſequenter in hac ſecunda parte huius libri octaui agendũ eſt de neceſsitate ſpeciei intelligibilis in ordine ad cognitionem diuinæ eſſentiæ, tam intuitiuam, quàm abſtractiuam: & inquirendum eſt, an ſpecies intelligibiles aliquo modo ſint neceſſariæ ad cognoſcendam diuinam eſſentiam?

Pro explicatione aduertendum eſt hoc loco non agi de ſpecie ſimilitudine vè, quæ appellari ſolet obiectiua, vt quia cognita in ſe ipſa ducit in cognitionem alterius: quia nulla talis ſpecies creata poteſt ducere in claram, & diſtinctam cognitionem diuinæ eſſentiæ, vt in ſuperioribus iam oſtendimus. Nec etiam hoc loco agimus de ſpecie, quæ dicitur expreſſa, & communiter appellatur verbum: hæc enim, vel non datur in beatis, vt plures volunt; vel ſi datur, non diſtinguitur à viſione, vt verior habet opinio: vel ſi diſtinguitur; non concurrit ad eam effectiuè, ſed ſolùm terminatiuè: nos autem agimus de ſpecie intelligibili, quæ intellectui eſt intelligendi ratio. Quare hoc loco ſolùm agimus de ſpecie, quæ dicitur impreſſa, cuius eſſentiam, munera, & neceſsitatem in præcedentibus explicauimus.

Aduertendum 2. ſpeciem iſtam duobus modis poſſe conſiderari: vno modo; formaliter in ſe ipſa: altero modo; equiualenter, ſiue virtualiter, quatenùs conſideratur in alia, quæ illius vicem gerit, & loco eius omnia exercet munera: etenim ſubſtantia Angeli in ordine ad cognitionem, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, ſubit vicem ſpeciei, ideo quia eodem modo ſe habet ad intellectum Angeli, quo ſe haberet ſpecies impreſſa, ſi Angelus per eã ſe ipſum cognoſceret. Quare ſubſtantia Angeli, vt ſuo intellectui eſt ratio intelligibilis, eſt ſpecies in ordine ad talem intellectionem, non quidem formaliter, ſed virtualiter, & æquiualenter. Patet igitur in quo ſẽſu agimus de neceſsitate ſpeciei intelligibilis in ordine ad cognitionem diuinæ eſſentiæ.

Et primò agemus de neceſsitate illius in ordine ad cognitionem intuitiuam; deinde ad abſtratiuam.

Quod attinet ad primum, quatuor ſũt explicanda. Primum eſt; vtrùm ad viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſaria ſit ſpecies intelligibilis, quæ formaliter, vel æquiualenter ſit talis?

Deinde; an Deus videri poſsit per aliquam creatam ſimilitudinem, vel ſpeciẽ diuinæ eſſentiæ?

Et ſuppoſita opinione affirmante, tertio loco inquirendum eſt, an beati de facto videant diuinam eſſentiam per aliquam ſpeciem creatam? an verò per ſolam increatam, diuinam ſc. eſſentiam ſubeuntem vicem ſpeciei formalis?

Et ſuppoſito quod videant per creatã; inquirendum eſt quarto loco, an diuina

eſſentia aliqua munera ſubeat ſpeciei intelligibilis? Et quomodo?

QVÆSTIO I.

De neceſsitate ſpeciei formalis, vel æquiualentis in ordine ad Viſionem diuinæ eſſentiæ.

ARICVLVS VNICVS.

Vtrùm ad Viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſaria ſit ſpecies formaliter, vel æquiualenter?

§. 1.

Refertur pars negans.

1. Senſus quæſtionis. SENSVS eſt; vtrùm ad viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſaria ſit ſpecies, vel aliquid, quòd illius vicẽ ſubeat? quod idem eſt atq; inquirere, an ad videndum diuinam eſſentiam, vel neceſſaria ſit ſpecies creata, vel quod eſſentia diuina ſubeat vicem ſpeciei? hæc enim quæſtio aliquantulum eſt dubitabilis.

Ocham. Gabr. Nominal. Durand. Partem negantem probare tenentur, qui ſpecies à peripatetica ſchola relegant tanquam ad intelligendum inutiles, quæ fuit opinio *Ochami, Gabriel. & Nominalium, atque etiam Durandi,* quos ſuprà retulimus 1.p.huius libri q.1.art.1.§.1.nu.3. Si enim ſpecies non admittunt, quomodò admittent eſſentiam diuinam ſubire vicem ſpeciei? Inter eos, qui ſpecies admittunt, qui negantem partẽ in terminis probauerit, inueni neminem: ad eam Molina. tamen referri poteſt *Molina, ſi ſermo ſit de potentia Dei abſoluta, in locis citandis §. 2. De facto eam non eſſe improbabilem videtur admittere 1.p.q.12.art.2.diſp.2.pag. 111. col. 2. b.* quatenùs non putat improbabile, eſſentiam diuinam de facto non concurrere ad inſtar ſpeciei: etſi adiungas apud iſtum diuinam eſſentiam non videri per ſpeciem creatam, vt ibi ſcribit diſp.1. cõc.2.neceſſariò inferes apud iſtũ viſionẽ diuinę eſſentię, & fieri poſſe, & de facto fieri ſine ſpecie, & ſine aliquo, quod vicẽ ſpeciei ſubeat, non eſſe improbabile. Nõ deſunt, qui pro eadem ſententia referant *Henric. 1.p.Summæ art.33. q.2. & quodli. 4.q.7. & Richardũ in 3.diſt.14.art.1. q.3. & Mayron. in* [illegible] *diſp. 12, q.1. & Marſiliũ in 3.q.10. art.2.in 1.p.articuli concl.3. fol. 415. col.3. quatenùs nec admittunt in beatis ſpeciem creatam, nec diuinã eſſentiam illius vicem ſubire.* Henric. Richard. Mayron. Marſil. Verum hæc ſententia Henrico tribui non poteſt: licèt enim neget dari in beatis ſpeciem creatam; tamen ſi diligenter expendatur, admittit diuinam eſſentiam ſubire vicem ſpeciei, de quo inferiùs q. 4.art. 1. §. 1. *Tribui tamen poteſt Marſilio, quia nec admittit in beatis ſpeciem creatam; vt patet, ex 2. concl. fol.414.col.4. ad finem, & fol.415.col.3.ad 3. obiectionem. nec admittit diuinam eſſentiam actiuè concurre ad Viſionem, vt patet ex concl.3. ſed ſolũ terminatiuè, in quo vicem ſpeciei gerere non poteſt. Et cum Mayronius cum eo conſentiat, ad eandem negantem partem tacitus accedit. eadem ratione dici poteſt Richard. ad eam magis inclinare, quia magis probat opinionem 4. quæ cum Marſilio conſentit: ſed quanuis in eam magis inclinet, non reijcit tamen oppoſitam, dum ſecundam putat eſſe probabilem, vt ſtatim videbimus, & q.4, art.1. §. 5. Poteſt pro hac ſententia referri Argẽtina in 4.diſt. 49. q.2.ar.2. quoniam nec admittit ſpeciem creatam, nec eſſentiam diuinam ſubire vicem ſpeciei.* Argentin. Hæc pro parte negante dici poſſunt: cuius nullum inueni, vel apparens fundamentum. Pars negans nullum habet fundamentum.

§. 2.

Probatur, & explicatur pars affirmans.

2. Pars affirmans probatur. Cabrera. PArs tamen affirmans proculdubio eſt probãda, & aſſerendũ ad viſiõnẽ diuinæ eſſentię, vel neceſſariam eſſe ſpeciẽ creatam; vel quòd diuina eſſentia ſubeat vicẽ ſpeciei priùs natura, quã detur viſio illius. Quę reſolutio ſatis probatur, *Cabreræ 3.p.q.2.ar.1.diſpu.4.nu.12. & ſatis eſt de mente eorũ, qui volunt ſpecies eſſe neceſſarias: & ſatis conſentiunt tũ hi, qui in beatis agnoſcunt ſpeciẽ creatam; tum illi, qui negantes eam conſtanter affirmant diuinam eſſentiam vicẽ ſpeciei ſubire. Quod adeo putant eſſe verum, vt doceant diuinam eſſentiam etiam in Deo ſpeciei vicem habere, dum ſe ipſum intelligit.*

3. 1. Fũdamẽ partis affir. Fundamentum ex eo ſumitur, quòd intellectus nihil poteſt intelligere, niſi priùs natura fiat id, quod intelligitur, iuxta vete-

veterum Philoſophiam ab Ariſt. probatã, de qua ſuprà 1. p. huius libri q. 1. art. 1. §. 2. Oportet igitur, quod intellectus, vt poſsit Deũ videre, priùs natura fiat Deus in eſſe quodam intelligibili: talis autem fieri non poteſt, niſi per formam intelligibilem diuinæ eſſentiæ: nam ſicut Deus in eſſe reali formaliter eſt Deus per formam realẽ Dei, quæ eſt diuinitas; ita etiã intellectus non poteſt eſſe Deus intelligibiliter, niſi per formam intelligibilem Deitatis: hæc autem alia eſſe non poteſt, niſi vel ſpecies creata, quę ſit formalis repræſentatio diuinæ eſſentiæ: vel ipſa diuina eſſentia, quatenus eminenter continet talem ſpeciem, cuius vicem ſubire poteſt. Igitur vt intellectus poſsit Deum videre, neceſſariò indiget, vel ſpecie creata, vel diuina eſſentia, vt ſubeunte vicem ſpeciei.

4. 2. fundam. Accedit; quoniam intellectus non poteſt intelligere aliquod obiectum, niſi prius fiat in actu primo ad intellectionẽ illius, vt habet recepta Philoſophia. Sed intellectus ad videndum Deum non poteſt fieri in actu primo, niſi vel per ſpeciẽ creatam, vel per increatam, quæ vicem gerat ſpeciei: quia nullo alio modo poteſt Deo aſsimilari, vt patet ex 1. ratione: ergo vt intellectus Deum videre poſsit, neceſſariò indiget vel ſpecie creata, vel diuina eſſentia ſubeunte vicem illius. Quod adeò verum eſt, vt Deus ſe ipſum intelligat per ſuam eſſentiam, vt habet rationẽ ſpeciei.

§. 3.

An hæc neceſsitas ſit etiam in ordine ad abſolutam potentiam?

5. Dubitari tamen poteſt, an data reſolutio ſolùm intelligenda ſit de potentia ordinaria, an etiam de abſoluta? quòd intelligenda non ſit in ordine ad potentiam abſolutam, affirmat Molina. *Molina 1. p. q. 12. ar. 2. diſp. 1. §. Petet aliquis, pag. 108. col. 2. & diſp. 2. pag. 114. col. 1. §. Hæc autem: in quibus locis aſſerit viſionem Dei fieri poſſe ſine concurſu diuinæ eſſentiæ ſubeuntis vicem ſpeciei, & ſine quacunque alia ſpecie impreſſa.* Fundamẽtum Fundamentum Molinæ. indè ſumit; quia concurſus aut ſpeciei, aut diuinæ eſſentiæ reſpectu viſionis, ſolùm eſt in genere cauſę efficientis, quem Deus poteſt ſupplere.

Hoc tamen argumentum ſolùm concludit poſſe Deum efficere viſionem ſui, & eam intellectui infundere, nec intellectu, nec aliqua ſpecie creata, vel increata ad eam actiuè concurrente: quod puto eſſe verum: non tamen concludit poſſe Deum efficere, vt intellectus abſque vna vel altera ſpecie poſsit producere viſionẽ Dei, ita vt per eã intellectus videat: quia licet concurſus vnius, vel alterius ſpeciei in ordine ad viſionem pertineat ad genus cauſæ efficientis; concurſus tamen vtriuſque in ordine ad intellectum, qui producit viſionem, pertinet ad genus cauſæ formalis; quia intellectus fit Deus, & fit in actu primo ad videndum formaliter per vnam, vel alteram ſpeciem: Deus autem non poteſt ſupplere cauſam formalem intrinſecam, vt dicemus inferiùs quæſt. 4. art. 2. §. 3. 6. Quomodò Deus poſsit efficere viſionem ſui?

Dicendum eſt igitur vnam vel alteram ſpeciem abſolutè eſſe neceſſariam, etiam ad potentiam abſolutam Dei, vt intellectus poſsit producere viſionem, & per eam Deum videre. Quæ ſententia expreſſè probata eſt Cabreræ, vbi ſuprà, & de neceſsitate ſpecierum ad videndum Deum hæc ſatis ſint. Inquirendum eſt igitur cõſequenter, vtrùm ad viſionem ſatis ſit ſpecies creata; an ſit neceſſaria ſpecies increata ſubiens vicem ſpeciei? 7. Cabrera.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Deus poſsit videri per ſimilitudinem, ſpeciemq́ creatam diuinæ eſſentiæ?

EXPLICATVRI an diuina eſſentia videatur, aut videri poſsit per ſpeciẽ creatam; an ſolùm per diuinam eſſentiam gerẽtem vicem ſpeciei? non poſſumus non priùs inquirere, an poſsibilis ſit ſpecies creata, quæ diuinam eſſentiam intuitiuè repræſentet? etenim ſi illa eſt poſsibilis; poſsibile etiam erit Deum videri per ſpeciem creatam: ſin minus; non poterit videri, niſi per diuinam eſſentiam, vt ſubeuntem vicem ſpeciei intelligibilis.

Quæſtio iſta nõ minus eſt inter Theologos controuerſa; quàm in ſe difficilis explicatu, propter varias difficultates, à qui-

quibus pendet vera illius reſolutio. Eam igitur per articulos diſtinguemus, vt ſingulæ difficultates, quas inuoluit, diſtinctiùs explicentur.

In 1. artic. referemus auctores, & argumenta partis negantis. In 2. adductis patronis partis affirmãtis eam vt veriſsimã confirmabimus. In 3. pro ſolutione primi argumenti aduerſariorum expendemus, an, & quomodò ſpecies creata ſit inferioris ordinis reſpectu diuinæ eſſentię? In 4. pro ſoluenda 2. ratione illorum expendetur, vtrùm obiectum, quod eſt ſuũ eſſe, neceſſariò exigat ſpeciem, quæ in repræſentando ſit ſuum eſſe? In 5. pro ſolutione tertiæ rationis examinabitur; an ens infinitum neceſſariò poſtulet ſpeciem, quę ſecundùm aliquod eſſe reale ſit infinita? 6. artic. verſabitur in explicanda 4. ratione, & excutietur, vtrùm ſpecies repræſentans diuinam eſſentiam poſsit eſſe finita in repræſentando? 7. art. ſoluet reliqua aduerſariorum argumenta. 8. & vltimus inquiret, quænã de propoſita quæſt. fuerit ſententia tam D. Thomæ, quàm Scoti.

ARTICVLVS. II.

Referuntur auctores, & argumenta partis negantis.

§. I.

Auctores qui expreſsè eam probarunt.

1. Qui putent ſpeciem impreſſam eſſe impoſsibilem.

QVòd impoſsibile ſit dari ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, etiã per abſolutam potentiam conſtanter docent omnes Thomiſtæ, vno, vel altero dempto: quin potiùs omnes putant hanc eſſe D. Thomæ ſententiam: ſed quia nonnulli dubitant de mẽte D. Tho. id in vltimo artic. diligenter inquiremus. Hãc ſpeciem ſimpliciter eſſe impoſsibilẽ docuerunt *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 1. concl. 1. & ar. 3. ad argum. contra 1. & in 2. d. 3. q. 2. art. 3. ad 2. Scoti contra 6. fol. 101. §. Ex quo patet, vbi cõcludit in hæc verba. Ex quo patet, quod impoſsibile eſt ponere aliquã ſpeciẽ perfectè diuinã eſſentiã repræſentantẽ: agit autem de viſione intuitiua diuinæ eſſentiæ. Conſentit Hiſpal. in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. & 4. latè Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. §. Quo ad 2. & §. Contra has rationes, vbi Bañes dubio 2. concluſ. 2. & 3. Cumelius q. 2. concl. 1. vbi Seraphi. à porrecta. Syluest. in conflato, Ripa dub. 2. q. 1. Iauel. ibid. cum cæteris interpretibus, adde Caiet. 1. p. q. 50. ar. 2. §. In reſpõſione ad 2. Ferrar. 3. contra gent. cap. 49. §. Aduerte quod fundamentum, Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. concl. 2. Soncin. ibid. q. 5. concl. 1. Nauarrete 1. p. controuerſia 34. §. 2. concl. 2. fol. 203. col. 4. & §. 6. concl. 6. fol. 214. col. 2. Viguer. in inſtitu. Theolog. c. 14. verſ. 3. Velloſill. in aduertentijs ad Ambroſium quæſito 14. latè Cabrer. 3. p. q. 11. ar. 1. diſp. 5. concl. 2. nu. 118. & eſt recepta ſententia: pro qua non bene citatur Conrad. 1. 2. q. 50. ar. 6. ad finem. Ex Scotiſtis expreſſè hanc ſententiam probat Baſſol. in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. §. Dico igitur quod abſolute, & §. Dico igitur quod impoſsibile. Ioſeph. Angl. ad 4. in quæſtione de Beatitudine art. 2. diffic. 6. Ex antiquioribus pro hac ſententia verè ſtat Henric. quodlib. 3. q. 1. lit. S. §. Sed tamen dicta opinio, & lit. T. §. Credo igitur, & quodl. 4. q. 7. lit. X. §. Et quod Deus præſens, & lit. Y, §. Per quod patet. Clariùs 1. p. ſuæ ſummæ ar. 33. q. 2. ad 3. poſt eam Durãdus in 4. diſt. 49. q. 2. n. 13. & in Prologo q. 3. Citari etiam poſſunt Palud. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. concl. 3. n. 31. & D. Antonin. 3. p. tit. 30. cap. 4. §. 1: licet enim quæſtionem non diſputent in ſenſu de poſsibili, tamen tertia ratio etiam probat impoſsibilitatem.*

Capreol. Hiſpal. Caietan. Bañes. Cumel. Seraph. Syluest. Ripa. Iauellus. Ferrarien. Sotus. Soncin. Nauarret. Viguer. Velloſil. Cabrera. Baſſol. Ioſep. Angl. Henric. Durand. Palud. D. Anton.

Pro eadem ſententia à Suario, & Belmont. citatur *Ægidius in tractatu de influentia Dei in beatis cap. 1. & in defenſorio D. Thom. c. 1. Sed in primo loco non agit de ſpecie repræſentatiua Dei, in 2. in principio art. aliquo modo fauet in 2. & 3. ratione, citari etiam ſolet quodlib. 3. q. 16. ſed ibi quæſtionem non diſputat de poſsibili, ſed de facto. Citari etiã ſolet Albertus Magnus in 1. p. Sũmæ de mirabili ſcientia Dei tractat. 3. q. 13. memb. 4. liter. E. ad 3: ſed ibi nihil ſcribit, ex quo colligatur negari poſsibilitatem. Citatur à nonnullis Alenſis, 1. p. q. 2. memb. 3. art. 1. ad 2. & q. 7. memb. 1. & 2. p. q. 23. memb. 3. in fine, & q. 24. memb. 1. At tamen in primo loco ſolùm agit de facto, vel (quod verius eſt) ſolùm loquitur de imagine obiectiua. In 2. loco ſolùm dicit Deum in patria non videri per aliquas ſimilitudines, ſed per ſe, & in ſe: quæ verba ſignificant Deum in patria non videri per ſimilitudines obiectiuas, vt in via, ſed immediatè in ſe ipſo: nec tertius locus vrget; quia ſolùm docet cognitionem rerum in verbo conceſſam*

2. Non bene citatur Aegidius.

Nec Albertus Magn.

Alenſis fauet aliquo modo. *ceſſam Angelis, quæ non eſt beatifica. Tandẽ in vltimo loco aliquo modo fauet, quatenus docet ex parte obiecti nullam dari ſimilitudinem, qua Deus cognoſcatur, quia lux increata eſt ineffigiabilis per aliquod idolũ, vel ſpeciem, per quam veluti delineari valeat, quæ verba impoſsibilitatem denotant. Citatur adhuc*

Bonau. *D. Bonauent. in 1. diſt. 23. art. 2. q. 3. ad finem: ſed ex illo loco opinio iſta ſaltem de poſsibili colligi nullo modo poteſt.*

Ocham. Marſil. Altiſiod. *Citatur etiàm Ochamus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. & in 4. q. 13. ſed neutro in loco aliquid ſcribit, quod ad rem faciat. Citatur etiam Marſilius in 3. q. 10. propoſit. 2. pag. 414. col. 4. ſed ſi bene expendatur non agit de poſsibili, ſed de facto. Citatur adhuc Altiſiodorenſis*

Scotus. *lib. 3. tract. 11. q. 3. ſed nec ſomniauit aliquid de hoc: denique citatur Scotus in 3. diſt. 14. q. 3. & in 4. diſt. 49. q. 11. ſed de mente Scoti agemus in vltimo art.* Hæc omnia aduertimus, vt admoneamus recentiores noſtri temporis, ne in citandis auctoribus liberales ſint, ſi nolint mendacij argui. Sed iam argumenta huius opinionis afferamus.

§. 2.

Argumenta opinionis negantis.

3. 1. fundam. partis neg. PRimum & præcipuum huius opinionis fundamentum ſumitur ex eo, quod quæcunque ſpecies à Deo producibilis eſt ordinis inferioris reſpectu diuinæ eſſentiæ. Sic igitur argumentantur: impoſsibile eſt ſpeciem inferioris ordinis in eſſendo, & repræſentando repræſentare id, quod eſt ſuperioris ordinis. Sed quæcunque ſpecies creabilis eſt inferioris ordinis, reſpectu diuinæ eſſentiæ, tàm in eſſendo, quàm in repræſentando: ergo impoſsibilis eſt ſpecies creata, quæ diuinam eſſentiam diſtinctè repræſentet. ¶ Maior huius diſcurſus cõfirmatur primò, quia illa eſt

Dionyſ. *Dionyſij de diuinis nominibus cap. 1. non longè à principio, quem refert D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2.* Deinde probatur ratione: quoniam ſpecies ex ſua natura eſt eiuſdem ordinis cũ re, cuius eſt ſpecies: nam cum intellectus per ſpeciem fiat ipſa res in genere intelligibili, vt ſæpè oſtendimus ex *Ariſtot. in 3. de Anima, c. 4. 5. & 8.* non poteſt ipſa ſpecies non eſſe eiuſdem ſpeciei, & quidditatis cum ipſa re, & per cõſequens eiuſdem ordinis cum illa. Quare ſi ſpecies eſt inferioris ordinis non poterit repræſentari, quod eſt ordinis ſuperioris. Probatur adhuc illa maior inductiuè, quoniam per ſpecies ſenſus externi non poſſunt repræſentari imaginabilia: nec per ſpecies imaginationis, & phantaſiæ poſſunt præſentari intelligibilia; nec denique per ſpecies rei materialis poteſt repræſentari natura Angelica. Quod non aliundè prouenit, niſi quia illæ ſpecies ſunt ordinis inferioris. 4.

Minor autem (in qua poſita eſt difficultas) probatur primò à Caietano, quia omnis ſpecies creata in repræſentando eſt determinata, & dearticulata, vt neceſſariò repræſentet rem ſub aliqua determinata ratione: ergo omnis ſpecies creata eſt inferioris ordinis in repræſentando reſpectu naturæ, quæ eſt intelligibilitatis indeterminatę, & illimitatę, qualis eſt eſſentia diuina. Hoc eſt totum Caietani, & Thomiſtarum fundamentum, quod volunt eſſe deſumptum ex *D. Tho. 1. p. q. 12. ar. 2.* Caietan. D. Thom. 5.

Secundò eandem probat Caietan. ex Ariſtot. 12. Metaphy. cap. 8. text. 44. vbi (inquit Caiet.) docet Deum non ſolùm eſſe ſuperiorem omni creato intellectu, ſed etiam ordinis altioris. 6.

Tertiò à quibuſdam cõfirmatur; quoniam ſpecies, vt eſt talis, habet quod ſit ordinis inferioris, vel ſuperioris ex immaterialitate magis, vel minus eleuata. Sed nulla dari poteſt ſpecies, quæ non ſit inferioris immaterialitatis, quam ſit immaterialitas diuinæ eſſentiæ: ergo nulla poteſt dari ſpecies, quæ in repræſentando non ſit inferioris ordinis reſpectu illius. Maior patet; quia ſpecies ſenſibiles ideò ſunt in infimo ordine ſpecierum, quia infimam habent immaterialitatem. Minor indè oſtenditur, quoniam Deus eſt actus purus expers omnis materialitatis: nulla autem ſpecies creata poteſt eſſe ita immaterialis, vt ſit actus purus; ſed omnis habet aliquid potentialitatis. Ita *Cabrera 3. p. q. 11. art. 1. diſp. 5. §. 6. n. 128. & 129.* Cabrera. 7.

Quartò ex eodem: quoniam ratio eſſendi eiuſdem ordinis in repræſentando cum diuina eſſentia per ſe poſita eſt in hoc, vt formale repræſentatiuum illius participet eſſe diuinum ſecundum eundẽ gradum, & modum immaterialitatis, & actua-

actualitatis, quem eſſe diuinum habet in Deo. Sed nulla ſpecies creata ſecundùm formalem repræſentandi ratione͂ ſic poteſt participare diuinum eſſe: ergo nulla ſpecies poteſt eſſe eiuſdem ordinis in repræſentando cum diuina eſſentia, ſed omnis erit ordinis inferioris. Minor huius argumenti ſupponitur vt nota confirmãda in ſecunda ratione principali.

Maiorem multis confirmant. Primò; quoniam repræſentatio debet eſſe per modum immaterialitatis: ergo nulla ſpecies poteſt in repræſentando eſſe eiuſde͂ ordinis cum re repræſentata, niſi vt minimum ſit eiuſdem immaterialitatis cum ea. Secundò; quia naturalis ſimilitudo cõtinet quidquid perfectionis eſt in re repræſentata; aliter non poſſet eã quidditatiuè repræſentare. Tertiò; quoniam ſpecies quidditatiuè rem repræſentans neceſſariò eſt eiuſdem quidditatis in aliquo eſſendi modo ex Caiet. in dicta q. 12. ar. 2. §. *Ad euidentiam horum.* Quartò deniq; ex eodem §. *Et exigit*: quoniam ſpecies aut debet eſſe nobilior, aut ſaltem æque nobilis, quàm ſit nobilitas modi eſſendi obiecti, vt inductione patet, atque etiam ratione, quia cognoſcens, vt ſic, habet nobiliorem modum eſſendi, quam habeat ipſum cognitum in ſe ipſo, prout cognitionem terminat. *Doctrinam Caiet. probat Cabrera in dicta diſp. 5. n. 129. & 130.*

8.
Secunda ratio Thomiſtarum. D. Thom.

Secunda ratio principalis apud Thomiſtas ſumitur ex *D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 2. in 2. ratione; & tangitur ab eodem 3. cont. gent. c. 49. in 5. argum.* nulla ſpecies creata poteſt eſſe ſuum eſſe: ergo nulla poteſt Deum diſtinctè repræſentare in ſe ipſo. Antecedens patet; nam quocunque modo ſpecies habeat eſſe, illud habet per participationem. Conſequentiam probat *Caiet. in dicto artic. 2. §. Secunda quoque ratio:* (Caiet.) quoniam cum Deus ſit ſuum eſſe non poteſt repræſentari, niſi per ſpeciem, quæ ſit ſuum eſſe. Et quoniam in hac propoſitione poſita eſt tota vis argumenti, eam multis probant. Primò à Caietano, (Prima probatio.) quoniam ſpecies in intellectu eſt forma rei repræſentatæ; v. g. ſpecies domus in mente eſt forma domus, & ſpecies hominis, eſt forma hominis: ergo ſpecies in mente habet eſſe rei repræſentatæ, non quidem naturale, quod in ſe ipſa habet res, ſed in aliquo modo eſſendi, reali tamen: quia eſt forma, & ſimilitudo naturalis illius: alióquin (inquit Caiet.) non eſſet forma, & ſimilitudo eius: ergo ſi daretur ſpecies creata diuinæ eſſentiæ, ipſa haberet eſſe Dei, & eſſet ſuum eſſe, ſicut & Deus eſt ſuum eſſe.

Secundò ex eode͂, quia ſpecies in me͂te eſt ipſa res, quam repræſentat, iuxta doctrinam Ariſtotelis, ita vt ſpecies hominis in mente ſit homo: ergo in mente habebit eſſe hominis. Species igitur Dei in mente (ſi daretur) eſſet Deus; & ſubindè ita haberet eſſe Dei, vt eſſet ſuum eſſe. (Secunda.)

Tertiò ex *Ferrar. 3, contra gent. c. 49. in 5. ratione D. Thom. fol. 272. col. 2. in principio*; quia oportet ſpeciem eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ, & eiuſdem quidditatis cum re, cuius eſt ſpecies. Id autem, quod non eſt ſuum eſſe, non poteſt eſſe eiuſde͂ rationis, & quidditatis cum eo, quod eſſentialiter eſt ſuum eſſe. (Tertia. Ferrar.)

Quartò ex *Cabrera in dicta diſp. 5. §. 6. n. 137.* quia vt ſpecies ſit eiuſdem ordinis in repræſentando cum Deo, debet participare eſſe diuinum ſecundùm eundem immaterialitatis, & actualitatis modum, quem habet in Deo: ergo cum Deus ſit ſuum eſſe, & ipſa in repræſentando erit ſuùm eſſe. At nulla ſpecies creata poteſt ita participare diuinum eſſe. Maior huius diſcurſus à ſuis auctoribus multis probatur: primò, quia in hoc conſiſtit ratio eſſendi eiuſdem ordinis in repræſentando, quòd in repræſentando habeat ſimilitudinem cum re repræſentata: hanc autem habere non poteſt ſpecies, niſi participet eſſe diuinum ſecundùm eundem immaterialitatis modum, quo eſſe eſt in Deo. Secundò; quia repræſentatio per ſpeciem eſt per modum immaterialitatis: nulla ergo ſpecies poteſt in repræſentando eſſe eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia, niſi ſit eiuſdem immaterialitatis. Tertiò denique; quia vt ſpecies ſit eiuſdem ordinis in repræſentãdo cum diuina eſſentia, debet eſſe illi adæquata: cũ eam enim quidditatiuè repræſentet, & ſit naturalis illius ſimilitudo, debet cõtinere quicquid perfectionis eſt in diuina eſſentia; & per cõſequens debet participare diuinum eſſe ſecundùm eundem modum, quo eſt in Deo. Quæ fuit maior, & per conſequens debet eſſe ſuum eſſe, quod eſt probandum. (Quarta. Cabrera.) (Speciẽ Dei repræſentãtem debere eſſe ſuũ eſſe variè probaturã Thomiſtis.)

Quintò.

9. *Caietan.* Quintò, *Eadem Caiet. propoſitio confirmatur à Nauarrete in dict. cont. 34. §. 2. fol. 195. col. 3. in principio*: Quoniam ſpecies cōponitur ex genere, & differentia: omne autem tale compoſitum ſecundùm vtranque partem eſt finitum. Oportet ergo vt differentia, qua ſpecies vltimò conſtituitur in eſſe ſpeciei ſit quid finitum, Et cum in tali eſſe conſtituatur per repræſentationem alterius, vtique repræſentatio illius non poteſt non eſſe limitata, ita vt ratio, quæ illi correſpondet ex parte obiecti tanquam ratio ſpecificatiua, ſit ratio limitata: ergo nulla ſpecies creata poteſt repræſentare infinitum. Opus eſt igitur, vt ſpecies repræſentatiua Dei ſit extra omne genus; & ſubinde ſit ens, quod ſit ſuum eſſe, quod erat probandū.

10. *Sexta.* Sextò *ex eodem*: quoniam repræſentatio ſpeciei eſt realis; eſt enim ſimilitudo naturalis ſui obiecti. Ergo debet fundari in aliqua reali entitate, & immaterialitate, ad quam conſequatur. Sed impoſsibile eſt, quod ex realitate, & immaterialitate aliqua conſequatur repræſentatio rei ſecundùm quod eſt illimitata, & ſuum eſſe, niſi ipſa ſpecies, cuius eſt repræſentatio, ſit ſuum eſſe: nam cum repreſentatio ſpeciei ſit ad mòdum eſſendi ipſius, ſi ipſa non eſt ſuum eſſe, nec infinita in repræſentando, non poterit repræſentare ens infinitum, & quod eſt ſuum eſſe.

11. *Vltima probatio.* Poſtremò *ab eodē vbi ſuprà §. 8. fol. 218. col. 2*: quoniam ſpecies, quæ in eſſe repræſentatiui cōtinet obiectum, quod eſt ſuū eſſe, & ſub hac ratione formaliter illud continet in repræſentando, debet habere repræſentationem puriſsimam, & omnino indiuiſibilem, ita vt non componatur ex actu & potentia, nec contineatur ſub aliquo genere: alioquin repræſentatio illius rei erit ſub aliqua limitatione: ergo impoſsibile eſt, quod illi correſpondeat tanquam obiectum formale id, quod eſt purus actus, & ſuum eſſe, quatenus eſt actus purus, & ipſum eſſe. Quare vt ſpecies repræſentet tale obiectum, opus eſt, vt ipſa ſit ſua repræſentatio, & ſuum eſſe repræſentatiuū, quæ fuit propoſitio probanda. ¶ His rationibus confirmatur ſecunda ratio à ſuis auctoribus.

12. *3. ratio principalis.* Tertia ratio principalis adducitur à Thomiſt. *ex D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 2. in 3. ratione*, in hunc modum: Ens in ſua intelligibilitate infinitū, & incircunſcriptū non poteſt quidditatiuè repreſentari per ſpeciem limitatam, & determinatam, aut ſecundùm eſſe, aut ſecundum aliquā formalem rationem; ſed neceſſariò debet repræſentari per ſpeciē, quæ ſit ens quoddam infinitum, aut ſecundum eſſe naturale, aut ſecūdum aliquod eſſe reale. Sed Deus eſt ens quoddam incircūſcriptū, & infinitum, continens in ſe infinitam intelligibilitatem: ergo non poteſt quidditatiuè repræſentari, niſi per ſpeciem, quæ ſit ens quoddam infinitum, aut ſecūdum eſſe naturale, aut ſecundum aliud reale; ſed non poteſt dari ſpecies creata, quæ ſecundùm aliquod eſſe reale ſit infinita: ergo nulla poteſt dari, quæ Deum repræſentet. Vis huius rationis ſumitur ex *Caiet. in d. art. 2. §. Tertia autem ratio, qua vtitur Cabrer. in d. diſp. 5. n. 164.* Minor primi diſcurſus eſt nota ſimul cum minore poſterioris: Maior verò à Caiet. probatur ita; quia alias inter ſpeciem, & ens infinitum per eam repræſentatū non daretur realis ſimilitudo, & adæquata, qualem exigit cognitio talis infiniti. Eadem maior pluribus medijs probatur à Cabrera, quæ & futilia ſunt, & ad maioris confirmationem accommodari nequeunt. Alia adducemus inferiùs q. 5. art. 2. §. 1. in 6. ratione.

Quarta ratio principalis ex eo ſumitur, quod non poteſt dari ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, quæ repræſentet Deū finitè, & ſub aliqua ratione limitata, ſed neceſſariò debet eam repræſentare ſub adæquata illius intelligibilitate, & ſubindè infinitè, & comprehenſiuè. Talis autē ſpecies eſt impoſsibilis. Hoc fundamentum non ſolum eſt omnium Thomiſt. ſed etiam *Henrici, Marſilij, Baſſolij, & quorundam recentiorum, qui illud tanti faciunt, vt plerique putent eſſe demonſtrationē.* Cuius minorem, vt euidentem ſupponunt; probari autem poteſt, quia perfectio ſpeciei in repræſentando eſt perfectio quædam realis; & cum ſit creata, non erit infinita, ſed participata; vnde non erit infinita in repræſentando, nec Deum adæquatè repræſentabit. 13. *Quarta ratio principalis.* *Henric. Marſil. Baſſol.* Speciē Deū repræſentātem debere eſſe infinitā varie probant Thomiſtæ.

Porrò Maiorem (in qua poſita eſt tota difficultas) varijs modis probant: primò; quia ſpecies Deum quidditatiuè repræſentans debet eſſe eiuſdem ordinis cum diui- 1. probatio Maioris.

diuina eſſentia, quæ in ſua intelligibilitate eſt infinita.

2. Secundò; quia opus eſt, vt ſpecies repræſentans Deum ſit ſuum eſſe.
3. Tertiò; quoniam ſi ſpecies diuinæ eſſentiæ non eſſet infinita in repræſentando, non eſſet adæquata Dei ſimilitudo.

14. Quarta. Quartò; quia ſpecies eò eſt perfectior in repræſentando, quò obiectum repræſentatum eſt perfectius: ergò quæ repræſentauerit infinitum, illa erit infinita in ſuo eſſe repræſentatiuo.

15. Quinta. Quintò; quoniam omnis cognitio diſtincta, quæ fit per ſpeciem, neceſſariò debet fieri per ſpeciem, quæ aut ſit magis immaterialis, quàm ipſa res, aut non minus quàm illa: ergo Deus diſtinctè cognoſci non poteſt, niſi per ſpeciem, quæ vt minimum ſit ęquè immaterialis cum eo. Et cum Deus in eſſendo, & in intelligendo ſit infinitè immaterialis non poterit diſtinctè intelligi, niſi per ſpeciem in repræſentando infinitam. Vtraque conſequentia eſt nota: antecedens latè probat

Bañes. *Bañes in dicta concl.* 3. diſcurrendo per omnes ſenſus: omnium enim obiecta ſunt materialia; cum tamen ſpecies ſenſibiles in eis recipiantur ſine materia: imò ipſi ſenſus eò ſunt excellentiores, quò ſpecies immaterialiori modo in ipſis recipiũtur, & immaterialiores ſunt ſuis obiectis. Species etiam intelligibiles noſtri intellectus, licet ſint rerum materialium: eas tamen immaterialiter reprę́ſentant. Species autẽ Angeli, licet non ſit immaterialior Angelo; eſt tamẽ æquè immaterialis. Inductione igitur patet omnẽ cognitionẽ fieri per ſpeciẽ aut immaterialiorẽ obiecto, aut æqualis immaterialitatis. Quare cum Deus in intelligi habeat infinitã immaterialitatem, cognoſci non poteſt, niſi per ſpeciem, quæ ſit infinita in repræſentando: quæ fuit Maior probanda.

16. Sexta. Sextò, probatur à ſigno: quoniam ſpecies ſenſibilis v. g. coloris ita ſe habet in repræſentando colorem, vt repræſentet viſui, quidquid in colore eſt viſibile: habet enim in repræſentando correſpondẽtiam ad ea, quæ in colore ſunt viſibilia. Iã verò ſpecies illa ita ſe habet in repræſentãdo Deum, vt ſe habet ſpecies coloris in repræſentando colorem. Hanc rationem

Henric. tangit *Henric. in* 1. *part. Summæ loco citato.* Quam alij ita corroborant: quoniam ſpecies ſenſibilis in quacunque diſtantia, etiã ſi tenuiſsima ſit, & valdè remiſſa, idem prorſus repræſentat, atque cum eſt vicina obiecto, vt patet experientia: nam ſi à remotis ponatur animal acutiſsimi viſus, æquè benè videbit obiectum, atque illud ex propinquo videt alius viſus obtuſus. Quod fieri non poſſet, niſi ſpecies ex remoto loco reprę́ſentaret idem obiectum ſecundùm omnia, quæ repræſentat ex propinquo.

Septimò, quoniam cum ſpecies ſe habeat ex parte obiecti, ſicut non poteſt in repræſentando non menſurari ab obiecto; ita nec poteſt in repræſentando illi nõ adæquari. Quare ſi obiectum fuerit intelligibilitatis illimitatæ, qualis eſt diuina eſſentia, neceſſariò illud repræſentabit illimitate, & comprehenſiuè. Hanc rationem quidam putant ſumptam eſſe ex D. Thom. 3. contra gent. c. 49. & 1. p. q. 12. ar. 2. & Opuſc. 2. c. 9. & in cap. 1. Ioannis lect. 11. quibus in locis ideò negat ſpeciẽ impreſſam Dei, quia Deus eſt incircunſcriptus, & continens omne eſſe intelligibile. 17. 7. probatio Maioris.

Confirmatur hæc ratio, quoniam ex ſententia D. Thomę in dict. c. 49. ratione 4. omnis ſpecies per quam intelligitur eſſentia alicuius rei (qualis eſt impreſſa) cõprehendit in repræſentando rem ipſam: ergo ſi daretur ſpecies diuinæ eſſentiæ, illa eſſet comprehenſiua. 18. Confirmatio. 1.

Cõfirmatur adhuc; quoniam talis ſpecies nihil haberet, vnde in repræſentando limitaretur, vt diuinam eſſentiam finitè repræſentaret: ergo non poſſet eam non repræſentare modo infinito. Conſequentia patet; antecedens probatur: quoniam nec poſſet limitari ex parte efficientis: quia cum à ſolo Deo produceretur, ad illius productionẽ nullum agẽs finitum cooperaretur, à quo ſumeret limitationem; à Deo autem non poteſt limitari; quia Deus eſt infinitæ virtutis. Nec etiam limitaretur ex parte intellectus recipientis: quoniam ſicut ille poteſt in ſua intelligendi virtute magis & magis in infinitum accreſcere: ita poteſt in infinitum recipere ſpeciem perfectiorẽ, & perfectiorem in repræſentando. Denique non limitaretur ex parte obiecti: quia diuina eſſentia eſt infinitæ intelligibilitatis, vt patet. Nihil igitur habet talis ſpe- 19. Confirm. 2

ſpecies, â quo in repræſentando limitetur.

8. probatio eiuſdē maioris. Octauò. Alij idem oſtendunt; quoniam vis productiua ſpeciei ideò ineſt in rebus, vt potentias intelligentes conſtituat in actu, quò poſsint ab illis cognoſci: ergo ipſæ res producendo ſpeciem ita debent ſe exprimere ſecundum eſſe intelligibile, vt ſpecies ſit proportionata cuiuis intellectui: intellectus autem in ſuo genere nō habet certum terminum, ſed poteſt magis ac magis in infinitum accreſcere: ergo nec ipſa ſpecies habebit terminum in repræſentando, ſed erit infinita: aliàs non eſſet adæquata omni potentiæ cognoſcenti in infinitum perfectiori.

12. Vltima probatio maioris. Poſtremò alij fundamentum ſumunt, quod illa ſpecies non produceretur liberè â diuina eſſentia, ſed naturaliter: ergo non poſſet eam non repræſentare ſecundùm adæquatam illius intelligibilitatem. Ita arguunt Marſilius, & Baſſol. & Nauarrete 1. *part. controuerſ.* 34. §. 2. *fol.* 204. *col.* 2. *in fine concluſione.* 3. *in principio*, & quidam ex modernioribus. *Marſil.* *Baſſol.* *Recent.* Antecedens probat Marſilius; quia ſi ſpecies illa produceretur liberè, repræſentaret diuinam eſſentiam ex inſtituto: quod repugnat, quia omnis ſpecies eſt naturalis imago rei. Alij efficaciùs id probant: quia cum illa ſpecies foret ſemen obiecti continēs in ſe illius intelligibilitatem, eamq; communicans intellectui, vt vicaria obiecti, non poſset produci ab alio, quàm ab obiecto, vel ab alia cauſa ſuperiori, in qua obiectum ipſum virtute, eminenterque continetur. At eſsentia diuina virtualiter, aut eminenter non continetur in voluntate, aut omnipotentia, aliovè attributo diuino: tum; quia eſt radix omniū attributorum, & prior illis noſtro modo intelligendi; priùs autem virtute non cōtinetur in poſteriori. Tum etiam; quia eſt ens à ſe, & ideò contineri non poteſt in alicuius virtute, aut cauſalitate: ergo illa ſpecies produceretur ab eſsentia, non vt voluntas, ſed vt eſsentia, & ſubindè naturaliter. ¶ Quod adhuc confirmant: quoniam eſsentia eſt obiectum intelligibile priùs voluntate: ergo per ſe ipſam debet communicare intellectui ſuam intelligibilitatem. Non poteſt autem eam ita cōmunicare per aliquam ſpeciem: nam ſi naturaliter producat ſpeciem, ſe totam neceſſariò exprimet in illa, communicando ſcilicet ei totum ſuum eſſe intelligibile: etenim apud Diuum Thomam. 1. *parte, quæſtione.* 19. *articul.* 4. ſi Deus ageret ad extra, non in quantum vult, ſed in quantum eſt; produceret aliud ens à ſe infinitum in eſſentia: eodem igitur modo, ſi diuina eſſentia non voluntate, ſed naturaliter produceret ſpeciem; cum vt ſic ſit infinitè intelligibilis, communicaret illi totam ſuam intelligibilitatem; nec enim haberet; à quo vis illa limitaretur: Totam igitur ſuam intelligibilitatem illi communicaret, vt totam totaliter repræſentaret: cum verò hæc ſit infinita, & infinitè intelligibilis; vtique illa ſpecies in repræſentando eſſet infinita. *D. Thom.*

¶ His argumentis plerique putant ſatis ſufficienter demonſtratum eſſe fundamentum huius quartæ rationis principalis, ſcilicet non poſſe dari ſpeciem diuinæ eſſentiæ, quæ illam finitè repræſentet.

13. 5. ratio principalis. Quinta ratio principalis ponitur ab alijs cum *Capreolo in* 4. *diſtinctione.* 49. *q.* 5. *articul.* 3. *ad Aureolum primo loco contra primam folio.* 213. *columna.* 1. §. *Dicitur ſecundò*; nulla ſpecies poteſt à Deo creari repræſentationis adeò eleuatæ, vt non poſſit dari aliqua creatura, quæ totam illius repræſentationem adæquet: ergo nulla poteſt dari ſpecies, quæ diſtinctè repræſentet diuinam eſſentiam. *Capreol.* Conſequentia videtur nota; quia diuina eſſentia in repræſentari longè excedit omnem creaturam: ergo etiam excedet repræſentationem ſpeciei, cuius repræſentatio adæquatur ad aliquam creaturam, & per conſequens omnis ſpecies creata in repræſentando erit inferior diuina eſſentia. Antecedens ſupponit Capreolus: ab alijs primò probatur; quia data quacunque ſpecie ſenſibili, quantumcunque illa ſit perfecta, poteſt dari corpus adæquans repræſentationem eius: ergo data quacunque ſpecie intelligibili poteſt dari res creata adæquata illius repræſentationi. Secundò; quia illa ſpecies, cum ſit ſimilitudo creata, erit limitatæ perfectionis, etiam in repræſentando. Igitur poterit dari creatura, quæ illam adæquet. Ita arguit Cabrera *in dicta diſp.* 5. §. 6. *n.* 121. 122. 126. & 142.

14. **Sexta ratio principalis.** Sexto loco ad mentem Marſilij ita arguitur: quoniam cum illa ſpecies eſſet finita, poſſet Deus aliam, & aliam producere: at non poſſunt diuerſæ ſpecies ita produci: nam cum viſio beatifica ſit vna ſpecies, poſtulat vnum tantum principium ſpecificum.

15. **7. rat. principalis.** Septimò, *Ita arguit Cumelins vbi ſuprà concluſione prima, §. & confirmatur, pagina. 229. columna prima*: ſi Deus poſſet talem ſpeciem producere, poſſet etiã producere ſubſtantiam, quæ in perfectione adæquaret repræſentationem ſpeciei infinitæ. Conſequens eſt falſum, imò & hæreticum: quia talis ſubſtantia eſſet Deus. In probanda ſequela multa inutiliter ſcribit; ex his tamen, quæ adduxit, ita probari poteſt: illa ſpecies Deum repræſentans eſſet infinita in repræſentando: ergo poſſet Deus producere ſpecies in infinitum magis ac magis perfectas. Poſſet igitur producere ſubſtantias in infinitum perfectiores, quæ eſſent obiecta illarum ſpecierum, & quæ adæquarent perfectiones illarum: poſſet igitur producere vnam ſubſtantiam, quæ ita ſit perfecta, vt adæquet omnem repræſentationem ſpeciei infinitæ in repręſentando; quod erat probandum.

Confirmat. Cabrera. Confirmatur hæc ratio à Cabrera *vbi ſuprà numero decimo nono*: implicat dari aliquam ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, quæ Deum repræſentet, vt naturalis illius ſimilitudo: ergo implicat dari ſpeciem, quæ Deum diſtinctè repræſentet. Antecedens probat; tum, quia illa ſubſtantia eſſet ſimilitudo Dei obiectiua, in qua poſſet Deus diſtinctè cognoſci, quod repugnat. Tum etiam; quia talis ſubſtantia eſſet ens per ſe infinitum, & naturalis, ſubſtantialiſque Dei ſimilitudo, quod implicat. Sequelam verò probat; quia cum de ratione ſpeciei non ſit eſſe ſubſtantiam vel accidens; vtique ſi eſt impoſsibilis ſpecies; quæ ſit ſubſtantia, erit etiam impoſsibilis ſpecies, quæ ſit accidens. Et indè concludit repugnantiam ſumendam eſſe ex ratione formali ſpeciei, vt eſt ſimilitudo naturalis: quæ ratio æqualiter probat impoſsibilitatem ſpeciei, ſiue illa ſit ſubſtantia, ſiue accidens.

16. **8. rat. principalis.** Octauò, quidam ita arguunt, & vt putant ad mentem Diui Thomæ *de Veritate quæſtione octaua articulo primo, & Opuſculo. 2. capite decimo quinto*. Repugnat ſubſtantiam quidditatiuè cognoſci per ſpeciem accidentis, vel hominem per ſpeciem equi, aut album per ſpeciem nigri. Sed quæcunque ſpecies creata multò magis diſtat à Deo, quàm ſpecies accidentis à ſubſtantia, & hominis ab equo: ergo repugnat Deum cognoſci per aliquam ſpeciem creatam. Maior, & conſequentia patent, vt volunt; minor eſt euidẽs: tum; quia omnis res creata infinitè diſtat à Deo in eſſendo, & in repræſentando. Tum etiam; quia equus, & homo; nigredo, & albedo; ſubſtantia, & accidens inter ſe diſtant in eodem ordine cognoſcibilium: Deus autem eſt ordinis altioris. **Cabrera.** Ita *Cabrera vbi ſuprà, n. 131*.

17. **9. rat. principalis. Durand. Ferrar. Cabrera.** Nonò, ita arguit *Durandus in 4. diſtinctione. 49. quæſtione. 2. numer.* 13. *& Ferrarienſ. 3. contra gentes, cap. 49. in quinta ratione, fol. 272. columna. 2. in principio, & Cabrera in dicta diſputation. 5. ratione quarta, numer.* 184. Si talis ſpecies eſſet poſſibilis, illa eſſet eiuſdem naturæ, & eiuſdem rationis ſpecificæ cum Deo. At hoc eſt impoſſibile: ergo, & cæt. Minor ſupponitur vt nota; ſequela multis probatur: Primò à Durando; quia ſpecies coloris in medio, & ipſe color ſunt eiuſdem rationis, & naturæ, ſicut lux in medio, & in ipſo luminoſo, & calor in ſubiecto, & in igne. Secundò ex eodem: quia ſpecies non ducit in cognitionem rei, niſi per quandam ſimilitudinem, & expreſsionẽ. Similitudo autem non datur, niſi inter res eiuſdem ſpeciei. Tertiò; ab alijs ita oſtenditur: quia inter ſpeciem, & ipſum Deum eſſet relatio ſimilitudinis: hæc autem fundari debet in vnitate, vel æqualitate in forma, ſiue natura. Quartò; quia illa ſpecies, cum repræſentaret obiectum infinitum, eſſet infinita in ratione repræſentationis. At non poſſet habere eſſe infinitum, niſi eſſet eiuſdem naturæ cum Deo. Poſtremò; quia hæc eſt communis ſententia inter Thomiſtas, qui putant ſpeciem eſſe eiuſdem rationis, & naturæ cum re, cuius eſt ſpecies; imò quidditatiuè eſſe ipſam, vt patet ex D. Thoma *tertio contra gentes, cap. 49. in ſecunda ratione, & de Veritate quæſtione. 8. articul. 1. & in 4. diſtinct. 49. q. 2. artic. 1. quæſtiuncula vnica, & Opuſculo. 2. cap. 15.*

Speciẽ Deũ repræſentã tem futurã eiuſdem rationis ſpecificę cũ Deo arguũt nonnulli.

D. Thom.

Deci-

18. 10. ratio principalis. *Henric.* Decimò; ita arguit *Henricus in d. quodlib.4.q.7.lit.X.* quoniam ſi aliqua ſpecies eſſet ratio videndi Deum, illa plus repræſentaret de eſſentia Dei, quàm quæcunque alia creatura, etiamſi eſſet imago Dei, qualis eſt homo, & Angelus. Conſequens eſt falſum; quia talis ſpecies potius dicenda eſſet imago Dei, quàm Angelus, aut homo: & præterea eſſet intellectualis, & capax, vt per ſe Deum videret: nam homo ideò eſt capax viſionis Dei, quia eſt imago Dei.

19. Vndecima ratio principalis. *Henric.* Vndecimò ex eodem *Henrico in Summa loco citato ad tertium, litera D. fol.207. pagina prima, & ſecunda, ita argumentantur nonnulli*: quoniam ſi daretur talis ſpecies, poſſet Angelus virtute naturali illam cognoſcere: eſſet enim aliquid creatum: Hoc autem eſſe falſum indè probat Henricus, quia poſſet Angelus naturaliter cognoſcere diuinam eſſentiam: nam cum illa foret diſtincta ſimilitudo Dei, poſſet Angelus in ea videre Deum: ſicut enim per ſpeciem in ſpeculo refractam videmus rem, quam repræſentat, vt docet Diuus Thomas *D. Thom.* *Caietan.* *1. parte, quæſt. 14. articul. 5. & 3. contra gentes, cap.49. in principio, & Caietan. 1. part. quæſt. 12. artic. 8. §. Ad horum euidentiam, & ſatis ſignificat Auguſtinus 15. de Trinitate cap.8.* *Auguſt.* Ita etiam per ſpeciem obiectiuè cognitam, & quaſi refractam poſſet Angelus ſua virtute Deum diſtinctè cognoſcere: quod non eſt admittendum.

20. Duodecima ratio principalis. Duodecimo; Ita poſſumus argumentari: ſpecies ſuam repræſentationem per ſe ſumit ex modo eſſendi intellectus, & naturæ, in qua recipitur: ergo nulla ſpecies poterit repræſentare obiectum, niſi ad modum eſſendi naturæ ipſius cognoſcentis. Sed diuina eſſentia non habet eundem eſſendi modum cum cognoſcente creato, ſed longè altiorem: ergo nulla ſpecies poterit diſtinctè repræſentare diuinam eſſentiam. Minor poſterioris diſcurſus patet: ſimiliter, & conſequentia diſcurſus prioris. Porrò antecedens illius ita demonſtratur: quoniam cognitum eſt in cognoſcente ad modum eſſendi ipſius cognoſcentis, vt latè oſtendimus ſuprà quæſtione ſecunda: ergo ſpecies non poterit cognoſcenti aliquid repræſentare, niſi ad modum ipſius cognoſcentis: quoniam cognoſcens nullum obiectum poteſt cognoſcere, niſi illud ſibi præſentetur ad modum eſſendi ſibi proprium. Vnde vera Philoſophia docet ſpeciem ſuam repræſentationem per ſe ſumere ex modo eſſendi cognoſcentis, in quo recipitur.

Decimo tertio; ita arguit Argentina *in 3. quæſtione Prologi, articulo primo, concluſione. 2. & Baſſolius in 3. diſtinct. 14.* 21. 13. ratio principalis. *Argentin.* *Baſſolius.* *quæſtione prima, articulo primo, §. Dico igitur, & quidam ex Nouioribus*: ex eo enim probant hanc ſpeciem eſſe impoſſibilem, quia eſſet omninò fruſtrà: vt quia ad intelligendam diuinam eſſentiam nihil conduceret; Deus autem, & natura nihil faciunt fruſtrà. Quod talis ſpecies fruſtrà foret, multis oſtendunt. Et primò; quoniam ſpecies non datur, niſi propter abſentiam obiecti: 1. probatio. eſſentia autem diuina non poteſt non eſſe ſemper præſens intellectui. Secundò; quoniam forma actiua ad alium finem non ordinata, Secundò. quàm vt concurrat ad actionem vitalem, conſtituendo potentiam in actu primo, neceſſariò debet eſſe potens aliquando ita concurrere: aliàs eſſet fruſtrà: ſed illa ſpecies non poſſet concurrere ad viſionem: ergo eſſet fruſtrà, & per cõſequens impoſſibilis. Hæc vltima conſequentia indè probatur; quoniam ex impoſſibilitate concurſus ad actum ſecundum rectè concluditur impoſſibilitas actus primi, & ex impoſſibilitate abſoluta conſequẽdi finem benè demonſtratur impoſſibilitas medij ad finem.

Prima conſequentia patet, ſimul cum maiore. Minor oſtenditur: quoniam repugnat, vt idem effectus ſit à duabus cauſis habentibus in ſuo genere vim adæquatam producendi illum, & concurrentibus ſecundùm totam ſuam vim: id verò continget poſito concurſu illius ſpeciei ad viſionem: etenim ſpecies illa in genere cauſæ obiectiuæ eſt cauſa adæquata: eſſentia autem diuina neceſſariò concurret ad eandem viſionem; habet enim vim naturalem obiectiuè concurrendi ad eam, vt ſupponunt: nec poteſt ex ſe deficere, aut ceſſare ab agendo, aut ab alio impediri: ergo neceſſariò aget. Quod diuina eſſentia nõn poſſit ex ſe deficere, aut ceſſare patet; quoniam eſt ens neceſſarium, immutabile, & naturaliter

liter concurrens : quod nequeat impediri, facilè oſtenditur ; quoniam cauſa impeditur, vel per actionem contrariam agentis, vel per ſubſtractionem concurſus ſuperioris. Non poteſt impediri primo modo: quia actualis repræſentatio diuinæ eſſentiæ, nec habet contrarium; nec ſi haberet, poſſet ab eo impediri. Nec ſecundo modo: tum, quia eſſentia, vt obiectiuè concurrit, ſufficiens eſt ad ſuũ cõcurſum: tum etiam; quia non ſubordinatur vniuerſali concurſui omnipotentiæ; ſed in genere obiecti ſola ſua præſentia poteſt mouere intellectum. Quare cum omnipotentia nequeat reddere eſſentiam indiſtantem ab intellectu, nec eam priuare propria intelligibilitate, aut vi mouendi intellectum; non poterit per ſe, & directè eam impedire, ne agat.

22. Vltima ratio principalis. Henric. Auguſt.

Poſtremò impoſsibilitatem probat Henricus *in dicto quodlibeto 4. quæſt. 7. lit. V. authoritate Auguſtini. 10. de Trinitate c. 15. vbi agens de diuina eſſentia ita ſcribit: Nec ipſa ſibi; nec ei quidquam ſufficit recedente ab eo illo, qui ſolùm ſufficit.* Quibus verbis probat Auguſtinus per ſolam diuinam eſſentiam poſſe Deum videri, nec aliud poſſe ſufficere, vt videatur. Solet etiam citari idem D. Auguſtinus 15. *de Trinitate, cap. 9. quaſi doceat omnem ſimilitudinem creatam eſſe ſpeculum, & ænigma.*

Hæc ſunt vel omnia, vel præcipua fundamenta, quibus auctores ſententiæ negantis volunt demonſtratam eſſe impoſſibilitatem ſpeciei creatæ, quæ diſtinctè diuinam eſſentiam repræſentet.

ARTICVLVS II.

Adducuntur patroni partis affirmantis, quæ eſt vera.

1. Authores partis affirmantis.

QVod diuina potentia poſsibilis ſit ſpecies impreſſa, qua diuina eſſentia intuitiuè videatur, eſt opinio inter recentiores receptiſsima, quã etiam probarunt plures antiquiorum. In ea non poſſunt non conſentire, qui volunt diuinam eſſentiam à beatis de facto videri per ſpeciem creatam. In ea in proprijs terminis conuenire omnes Scotiſtas affirmat Herrera *in primo Scoti diſputatione decima quæſtione quarta, articulo primo, pagina 298. in principio, & ad ſecundum principale, pagina. 300. colum. 1. quam etiam probauit diſputatione. 7. quæſt. 9. concluſione quarta, probauit etiam Rada 1. parte controuerſ. 10. articul. 1. concluſione tertia, pag. 136. Ouandus in 4. diſtinctione 49. propoſitione. 10. & in 2. diſtinctione. 3. propoſit. 8. in terminis Mayronius quodlib. 4. in ſexta difficultate, affirmans non dari rationem euidentem, quæ impoſſibilitatem probet: plerique referunt eam probaſſe Victoriã. Probarunt eandem Molina prima parte quæſtione. 12. articulo 2. diſputatione prima concluſione. 4. pag. 109. columna 1. Suarius in Metaphyſica diſputatione 30. ſectione. 11. n. 27. & libr. 2. de Attributis negatiuis cap. 13. numer. 10. latiſsimè Bellomontan. 1. parte diſputatione. 38. capite ſecundo, & diſputatione. 39. & 43. capite ſeptimo, num. 32. & 33. Valenti. primo tomo diſputatione. 1. quæſtione. 12. puncto 2. pag. 188. §. Quoniam igitur, eſſe longè probabiliorem latè oſtendit Salas. 1. 2. quæſtione. 3. tractatu. 2. diſputatione. 5. ſectione ſecunda, numer. 19. & 33. pag. 341. col. 1. Conſentit Pezantus 1. parte, quæſtione. 12. artic. 2. diſputat. 1. §. Tertio dico, pag. 53. columna. 1. Accedit Palatius in 1. diſtinct. 1. diſputatione 4. fol. 31. col. 2. dum putat rationes Diui Thomæ non conuincere huius ſpeciei impoſsibilitatẽ; quamuis in 4. diſtinctione. 49. diſputatione 1. pag. 164. col. 1. in oppoſitum videatur inclinare.*

Herre Rada. Ouan May Molin Suariu Bellom Valtn Salas. Pezan Palati

Ex antiquioribus hanc ſententiã expreſſè probauit *Aureolus apud Capreolum in 4. diſtinctione 49. quæſtione. 5. artic. 2. in principio ; referri etiam poteſt Richard. in 3. diſtinctione. 14. artic. 1. quæſtione tertia,* quatenus defendit vt probabilem opinionem, quæ aſſerit animam Chriſti Domini de facto videre diuinam eſſentiam per ſpeciem creatam, & ideò ſoluit primum, & quartum argumẽtum, quod oppoſitum videbatur confirmare, Bellom. pro eadem ſententia refert Alexandrum 2. part. quæſt. 24. M. I. quatenus docet ad viſionem diuinæ eſſentiæ aliquam ſimilitudinem requiri ex parte intellectus : verum ille in oppoſitam ſententiam referri debet, cum ibidem neget dari poſſe ſimilitudinem aliquam ex parte obie- 2.

2\. Cap Ric

obiecti: nec enim per ſimilitudinem ex parte potentiæ intelligit ſpeciem impreſſam, ſed ſolùm lumen, aut naturæ, quoad cognitionem naturalem, aut gratiæ, quoad cognitionem fidei, aut gloriæ, quoad cognitionem Patriæ. Quidam pro eadem ſententia referunt Scotum; ſed de illius mente dicemus artic. 8. §. 4.

§. 1.

Eligitur vt vera ſententia affirmans.

3. Sententia affirmans vera eſt. Hanc opinionem affirmãtem ego puto eſſe longè veriorem: etenim in ea opinione ſemper ero, vt nihil diuinæ omnipotentiæ denegem, niſi aliqua contradictio, ſaltem probabiliter deducatur: nullam autem hic vel probabilem dari contradictionem patebit ex ſolutionibus argumentorum, quæ pro parte negante tam latè adduximus in præcedenti art.

Sed nec deſunt rationes ſatis efficaces ad illius veritatem confirmandam: varij varias adducunt: quas tamen omittimus; tum, quia longum eſſet eas referre: tum etiam; quia ferè omnes aut nullam, aut ſaltem paruam efficaciam habent. Expendemus tamen eam, qua vtitur Suarius, vt infirmata illius efficacia recurramus ad commune fundamentum, quo hæc opinio ab omnibus confirmatur.

3. Suarij ratio. Suarius igitur in Metaphyſica *diſput. 30. ſectione. 11. nnmer. 27. vſque ad 33. & libr. 2. de Attributis negatiuis, cap. 13. numer. 17. in fine.* Hoc vtitur diſcurſu: quoniam vbi in aliquo ordine poſsibilis eſt actus creatus repræſentans aliquod obiectum, & præterea poſsibilis eſt virtus creata intellectualis elicitiua talis actus in ſuo ordine; poſsibilis etiam eſt ſpecies intelligibilis creata eiuſdem ordinis cõmenſurata tali actui, & virtuti. Sed poſsibilis eſt actus creatus diuini ordinis, quo videatur, & repræſentetur Deus, prout eſt in ſe; poſsibilis eſt etiam virtus intellectualis eiuſdem ordinis elicitiua talis actus, quam Theologi vocant lumen gloriæ: ergo poſsibilis eſt ſpecies creata eiuſdem ordinis. Conſequentia eſt euidens: minor eſt certa, vel ex fide, vel vt magis conſentanea fidei: fides enim docet Deum videri à beatis, & ad hoc illis infundi lumen gloriæ. Maior (in qua eſt vis argumenti.) Primò ſuaderi poteſt inductione: quoniam extra exemplum, de quo agimus, in omnibus alijs vera inuenitur. Secundò; quia nulla ratio impoſsibilitatis fingi poteſt in ſpecie, quæ in actu, & virtute illa intellectiua non procedat.

Confirmat eandem hac ratione: quoniam viſio, lumen, & ſpecies ſeruant inter ſe proportionem: ergo ſicut datur lumen ſuperioris ordinis, quod ex parte potentiæ poteſt eſſe principium viſionis; ita poteſt dari ſpecies, quæ ex parte obiecti ſit principium eiuſdem viſionis, & eiuſdem ordinis cum illa, illique commenſurata. Confirmat. 3. rationis.

Hæc ratio non eſt omninò efficax, niſi recurrat ad medium commune, de quo ſtatim: etenim licet in ordine ad obiectum creatum detur proportio inter ſpeciem, actum, & virtutem; vt ſi poſsibilis eſt virtus, & actus intelligendi aliquod obiectum, poſsibilis etiam ſit ſpecies repræſentans illud obiectum; tamen in ordine ad obiectum increatũ talis proportio non eſt ab aduerſarijs admittenda, propter diſparem rationem, quæ datur inter vnum, & alterum obiectum: obiecta enim creata, quę ſunt extra intellectũ, cum non poſsint ſe ipſis vicem ſpeciei ſubire, & intellectum ſibi aſsimilare, vt illũ in actu primo reponant, neceſſariò indigent ſpecie impreſſa, qua intellectum in actu primo conſtituant: cuius oppoſitũ reperitur in obiecto increato diuinæ eſſentiæ: hæc enim non ſolùm ſe ipſa abſq; verbo creato poteſt viſionem ſui terminare; ſed etiam (iuxta iſtos authores) vicem ſpeciei ſubire, & intellectum reponere in actu primo ad eliciendam viſionem. Quare (iuxta eoſdem authores) licet valeat hæc conſequentia etiam in ordine ad obiectum increatum: *Poſsibilis eſt potentia, & virtus intellectualis valens intelligere obiectũ; poſsibilis item eſt actus, quo illud intelligatur: ergo poſsibilis eſt vel ſpecies formalis talis obiecti, vel aliquid, qđ ſubeat vicẽ ſpeciei:* Non tamen valet, ſi inferatur: *ergo poſsibilis eſt ſpecies formalis repræſentãs tale obiectum:* quia poſsibilitas virtutis, & actus ſaluatur cum impoſsibilitate ſpeciei formalis poſita poſsibilitate alicuius, quod ſe habeat ad inſtar ſpeciei. Quare abſolutè loquendo poſsibilitas ſpeciei 4. Suarij ratio non eſt efficax.

ciei diuinæ eſſentiæ, non ſatis ſufficienter oſtenditur ex poſsibilitate virtutis intellectiuæ, & actus intelligendi in ordine ad diuinam eſſentiam. Poſsibilitas enim virtutis, & actus, tunc infert poſsibilitatem ſpeciei, cum talis poſsibilitas ſine poſsibilitate ſpeciei conſtare non poteſt; & indè etiam habent commenſurationem ad ſpeciem.

Poſsibilitas virtutis intellectiuæ non infert poſsibilitatem ſpeciei

5. Soluitur ratio Suarij.

Ad rationem igitur principalis rationis aduerſarij negarent maiorem, ſi abſolutè intelligatur in ordine ad quodcunque obiectum; quoniam in obiecto increato eam non admittunt. Nec prima maioris probatio quidquam facit; quoniam alia obiecta ſupernaturalia, gratia, ſcilicet & charitas, ſunt obiecta creata, quæ ſe ipſis non poſſunt ſubire rationem ſpeciei reſpectu intellectus extrinſece, nec illum poſſunt conſtituere in actu primo, ſed vt intelligantur ab intellectu extrinſeco, neceſſariò indigent ſpecie: nec aduerſarij impoſsibilitatem ſpeciei ſumunt ex ſupernaturalitate obiecti, vt malè in argumento ſupponitur; quia ad obiecta ſupernaturalia admittunt ſpecies; ſed eam ſumunt ex obiecti infinitate.

Secunda autem probatio eiuſdem maioris ſumit id, de quo eſt controuerſia: quia aduerſarij plures rationes impoſsibilitatis fingunt.

Ad confirmationem verò conſequentiæ apud aduerſarios erit inefficax, vt ex dictis patet. Quare recurrendum eſt ad communem rationẽm, quam iam explicamus.

§. 2.

Ponitur communis probatio.

6. Communis probat. partis affirmãtis.

PATRONI igitur ſententiæ affirmantis ad illam confirmandam indè ſumunt argumentum, quòd in beatis datur ſpecies, & ſimilitudo expreſſa repræſentans diuinam eſſentiam, vt eſt in ſe. Ergo non repugnat dari in illis ſpeciem impreſſam, quæ eandem repræſentet, vt in ſe eſt. Conſequentiam probant; non ſolùm ex eo, quòd par ratio datur in vtraque ſpecie; ſed etiam, quia in impreſſa datur minor ratio repugnantiæ: nam cum expreſſa actu repræſentet ſuum obiectum, perfectior eſt in repræſentando, quàm impreſſa, quæ apud Thomiſtas illud repræſentat non actu, ſed habitu. Quare ſi non repugnat dari ſpeciem perfectiorem; cur repugnabit dari minùs perfectam?

7.

Hæc difficultas maximè vrget aduerſarios. Nonnulli eorum quaſi ſuccumbentes, illam relinquunt inſolutam, *vt Pereſius (ſi aliquibus credimus) 1. parte, quæſtione. 12. articulo. 2.* Alij oppreſsi vi illius negant dari in beatis ſpeciem expreſſam, ſiue Verbum, quod apud eos idem eſt. Alij denique admittunt quidem ſpeciem expreſſam diuinæ eſſentię: negant tamen indè benè inferri admittendam eſſe ſpeciem impreſſam. Vtramque ſolutionem accuratè expendemus.

Pereſius. 1. ſolutio.

2. ſolutio.

§. 3.

Impugnatur prima ſolutio.

8.

QVOD attinet ad priorem ſolutionem, quam plurimi conſtanter negant in beatis dari verbum, ſpeciemque expreſſam diuinæ eſſentiæ. Hanc opinionem, tanquam cum mente D. Thomæ conſentientem probat *Caietanus 1. parte, quæſtione. 12. artic. 2. §. Ad tertium dubium dicitur. Caietanum ſequuntur Bañes in eodem loco dubio primo ad tertium argumentum principale, & quæſtione 27. articul. 1. dubio. 1. ad quintum, Cumelius in dicta quæſtione 12. quæſt. 2. concluſione tertia, & in dicta quæſtione 27. articul. 1. quæſtione 2. concluſione. 3. latè Cabrer. 3. parte, quæſtione. 11. articulo. 1. diſputatione. 5. §. 9. numer. 289. Ferdinandus Velloſillus in aduertentijs ad Ambroſium quæſito. 14. concluſione 2. pag. 186. colum. 1. Soncinas in epitome ad Capreolum in primo diſputatione. 27. quæſtione ſecunda ad quartum Durandi contra primam in fine.* Hanc eſſe communem ſententiam affirmat *Capreol. in 2. diſt. 49. q. 5. art. 3. ad 1. contra 1. fol. 213. col. 1. in principio, quanuis ſuam in hoc ſententiam non explicet.* Ex antiquioribus eandem ſentẽtiam probarũt *Ægidius quodlib. 5. q. 9. §. Viſo quot modis: & Henricus quodlib. 3. q. 1. lit. T. §. Credo igitur, & quodlib. 4. q. 8. lit. Q. per totam.* Fundamentum Caietani, & aliorum, ex eo ſumitur, quia admiſſa ſpecie expreſſa, non poteſt cum probabilitate negari, poſsibilitas impreſſæ.

Authores qui negant ſpeciem expreſſam. Caiet. Bañes. Cumel. Cabrera. Velloſil. Soncin. Capreol. Ægidius. Henric.

Sed

9. Impugna- r 1. ſolut. Sed hæc ſolutio nequaquam eſt admittenda: quoniam negari non poteſt dari in beatis, expreſſam ſimilitudinem, quę diuinam eſſentiam repræſentet, ſiue in illis admittatur verbum; ſiue nō admittatur. quod multis oſtendi poteſt. Et primò ex eo vel euidenter oſtenditur; quoniam fides docet beatos intuitiuè Deum videre, iuxta illud primæ Ioan. 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt.* Ergo in beatis neceſſariò admittenda eſt intuitiua quædam intellectio diuinæ eſſentiæ. Iam igitur quæro; quid nam ſit talis intellectio? An ne ſit aliqua qualitas de prædicamento qualitatis? vt communis, & vera habet opinio: an verò ſit actio de genere actionis? vt aliqui volunt: intellectionem enim formaliter ſumptam, vel eſſe qualitatem, vel actionem omnes cōmuniter admittunt. Oſtendemus igitur, ſiue hæc, ſiue illa, admittatur opinio, neceſſariò admittendam eſſe in beatis formam creatam, quę ſit actualis, & expreſſa ſimilitudo diuinę eſſentiæ, quod aduerſarij negant.

beatis ne ſſariò dez i ſpecies preſſa. Impugna tio. Ioan. 3.

Si viſio beatifica, & intellectio diuinæ eſſentiæ formaliter eſt qualitas de prædicamento qualitatis; non poteſt non eſſe expreſſa, & formalis ſimilitudo diuinæ eſſentiæ: nam cum neceſſariò admittendum ſit beatos per viſionem formaliter videre Deum; & apud aduerſarios non detur verbū, ſi illa viſio eſt qualitas, vtiq; per eam beati Deum intelligibiliter attingent, & apprehendent. Cum verò nihil intelligibiliter apprehendatur, niſi per formalem notitiam, neceſſariò admittendum erit qualitatem illam ex ſua natura eſſe notitiam diuinæ eſſentiæ expreſſam illius: omnis enim notitia ex ſua natura eſt formalis quædam expreſsio rei cognitæ; quia omnis fit per aſsimilationem, ſiue potiùs per expreſsionem aſsimilatiuam illius. Vt omnes Philoſophi docent teſte Curſu Conimb. 3. *de Anima cap.* 8. 3. *art.* 4. *ad* 5. quam Philoſophiam, vt notiſsimam ſupponimus.

Conim.

11. Idem etiam dicendum erit, ſi viſio, qua beati vident Deum, eſt actio de genere actionis, vt plures nouiorum volūt: nam cum omnes actiones prædicamentales neceſſariò ſint productiuę alicuius termini (actio enim prædicamentalis eſt id, quo agens aliquid efficit, vt ex *Gilberto Porretano, & ex libro ſex* principiorum docet communis Philoſophia) vtique viſio diuinæ eſſentiæ erit actio quædam realis, realiter productiua alicuius termini: quia implicat agens per actionem realiter agere, & nihil agere. Cum verò termin⁹ ille productus, nec poſsit eſſe ſubſtantia, nec quantitas, vt patet, nec relatio; quia nulla relatio poteſt eſſe terminus immediatus alicuius veræ actionis, vt ſupponimus ex Philoſophia, erit aliqua qualitas de prædicamento qualitatis: cum verò actio intelligentis, vt eſt intelligens, non poſsit terminari, niſi ad notitiam; quia obiectum intelligibile non poteſt attingere, & apprehendere, niſi per notitiam; vtique beatus per actionē intellectionis beatificæ producet notitiam, qua diuinam eſſentiam intelligibiliter apprehendat. Cum verò omnis notitia intellectiua ſit qualitas formaliter expreſsiua ſui obiecti, vt immediatè oſtendimus, vtique notitia, qua beatus apprehendit eſſentiam diuinā, ex ſua natura erit naturaliter expreſsiua eiuſdem eſſentiæ.

Gilbert.

Author ſex principiorum.

12. Concluſio diſcurſus. Ex his iam patet non poſſe nō admitti in beatis formam aliquam intelligibilem, quæ naturaliter ſit ſimilitudo expreſsiua diuinæ eſſentiæ: nam ſi viſio eſt qualitas de genere qualitatis, formaliter eſt notitia, qua Deus videtur: ſi vero eſt actio de genere actionis, ex ſua natura eſt productiua talis notitiæ: ergo neceſſariò admittendum eſt dari in beatis notitiam, qua Deum formaliter cognoſcant: hæc autem, vt diximus, ex ſua natura eſt ſimilitudo diuinæ naturæ expreſſa ab intellectu conſtituto in actu primo: cum verò omnis ſimilitudo intellectualis obiecti ſit ſpecies formaque intelligibilis, notitia meritò dicetur ſpecies expreſſa diuinæ eſſenriæ: & ſubinde talis ſpecies admittenda eſt in beatis, ſiuè in illis admittatur verbum, ſiue non.

13. 1. Defectus ſolutionis. Quare data ſolutio in hoc primo claudicat, quòd ex negatione verbi infert negationem ſpeciei expreſſæ: quæ conſequentia infirma eſt, ſi verbum ab intellectione diſtinguatur, vt volunt aduerſarij: quia ſi diſtinguitur ab ea, benè poteſt nō dari verbum in beatis manente in illis viſione beata, quæ ex ſe eſt ſimilitudo expreſſa diuinæ eſſentiæ.

14. 2. Defectus. Secundo claudicat, quia ſupponit verbum aliquo modo diſtingui ab intellectione

tione: nam ſi re, & ratione eſſet idem cū ea, cum in beatis, non poſsit non admitti formalis viſio eſſentiæ, nec poterit non admitti verbum. Iam verò diſtinctio verbi à formali intellectione noſtro tempore communiter non admittitur, quam ſententiam ego puto amplectendam eſſe, vt dicemus lib. 11. in queſt de verbo diuinæ eſſentiæ.

15. 3. Defectus. Deniq; claudicat; quia doctiſsimi Thomiſtarum, vel dubij ſunt, an in beatis dandum ſit verbum diuinæ eſſentiæ; vel affirmant quæſtionem eſſe problematicam, inter quos eſt, *Ferrar. 1. contra gentes cap. 13. concluſione quinta, & Sylueſter in conflato quæſt. 12. art. 2. & Torres q. 27. artic. 1. diſp. 5. dubio 5.* Porrò ſi probabile eſt in Beatis dari verbū; vtique probabile etiam erit ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ eſſe probabilem: nam Caietanus, & cæteri, qui hanc primam ſolutionem probant, exiſtimant non ſatis probabiliter negari poſsibilitatem ſpeciei impreſſæ, ſi admittatur poſsibilitas expreſſæ, quam appellant verbum. Et hæc pro impugnatione primæ ſolutionis.

Ferrar. Sylueſter. Torres.

§. 4.

Refertur ſecunda ſolutio.

16. 2. Solutio impugnatur. Conſequenter expendenda eſt ſecunda ſolutio poſita §. 4. Sunt igitur, qui ad noſtram rationem admiſſo antecedente negant conſequentiam: nec enim ex poſsibilitate ſpeciei expreſſæ diuinæ eſſentię, benè infertur poſsibilitas ſpeciei impreſſę. *Ita Ferrar. primo contra gentes cap. 53. concluſione quinta, Sylueſter in conflato quæſt. 12. art. 2. verſiculo Item, §. eodem pro quarta ratione, Sotus in quarto diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 3. poſt ſecundam concluſionē §. Reſpondetur igitur aliter: Torres de Trinitate quæſt. 27. art. 1. diſputatione 5. in 2. parte illius dubio 4. fol. 20. col. 2. Velloſillus in aduertētijs ad Ambroſium quæſito 14. in ſecundo modo dicendi ad ſecundum pag. 186. col. prima, Satis inſinuat Nauarrete in dicta controuerſia 34. §. ſeptimo, ad primum fol. 215. col. 3. conſentiunt plures ex Nouioribus:* qui omnes volunt non valere conſequentiam à ſpecie expreſſa ad impreſſam, nec è conuerſo, propter diſparem rationem, quæ in vna, & altera reperitur. Varia autem diſcrimina aſsignantur.

Ferrarien. Sylueſter. Sotus. Torres. Velloſil. Nauarret.

17. 1. Diſcrimē inter ſpeciē expreſſam, & impreſſā. Primum eſt; quoniam ſpecies impreſſa ita repreſentat rem, vt eius repræſentare ſit efficere cognitionem illius: quod nec conuenit ſpeciei expreſſæ, ſiue verbum ſit, ſiue actualis intellectio: quia nec verbum repreſentando efficit cognitionem rei, cuius eſt verbū, vt omnes admittunt, nec actualis intellectio. At authores ſententię negantis abſolutè non negant creaturam, quæ ſit repræſentatio Dei; ſed ſolùm negant creaturam aliquam ita poſſe repræſentare Deum, vt repręſentando efficiat illius viſionē: fieret enim, vt creatura poſſet efficienter nos beare, quod eſſe abſurdum inde probatur; quia ſicut fieri non poteſt creatura, quæ ex ſua natura faciat gratiam, & amicitiam cū Deo, quamuis, & gratia, & amicitia ſint res creatæ; ita fieri nequit creatura, quæ efficienter faciat, aut viſionem Dei, aut verbum illius, quamuis vtrumque ſit creatum. *Ita Sotus vbi ſuprà §. Reſpondetur igitur, & §. Et ſimiliter reſpondetur, quem ſequitur Torres vbi ſuprà.*

Sotus Torre

1 2. Di Secundo differunt; quoniam ſpecies expreſſa in Beatis (viſio, ſc. & verbum) exprimitur à diuina eſſentia, vt ſubit vicē ſpeciei impreſſæ; & inde habet, quod poſsit eſſe clara ſimilitudo eſſentiæ diuinæ. Quæ ratio non reperitur in ſpecie impreſſa Dei, ſi daretur; ſicut etiam non reperitur in ſpecie expreſſa Dei quę produceretur à ſpecie impreſſa creata, ſi in Beatis poneretur. *Ita ſoluunt Ferrarie. & Sylueſter vbi ſuprà.* Ex quibus patet ratio, cur apud iſtos non valeat hæc conſequentia: *Datur in Beatis ſpecies expreſſa diuinæ eſſentiæ: ergo dari poteſt impreſſa:* Nā ſpecies expreſſa, quæ eſt in Beatis, cum exprimatur, non ſolū ab intellectu Beati, ſed etiam à diuina eſſentia vnita ad inſtar ſpeciei, ab ea conſequitur infinitatē, vt poſsit diſtinctè eſſentiam infinitam repræſentare. Iam verò in ſpecie impreſſa non datur, vnde habeat infinitatem ad repręſentandum ens infinitum: & eadem ratione dari non poſſet in Beatis ſpecies expreſſa Dei, ſi non exprimeretur à diuina eſſentia concurrente ad inſtar ſpeciei, ſed ab aliqua creata.

il. us.

Si verò ab illis inquiras; cur verbum expreſſum à diuina eſſentia loco ſpeciei poteſt eſſe perfecta ſimilitudo Dei, quamuis ſit creatum: non tamen poſsit eſſe talis

lis, aut ſpecies impreſſa, aut quę expreſſa ſit ab aliqua ſpecie creata? Sylueſter ex eo ſummit rationem diſcriminis, quia ſpecies expreſſa, ſiue verbũ ſemper retinet immitationem ſpeciei, à qua exprimitur. Vnde cum verbum, quod de facto datur in Beatis exprimatur ab eſſentia diuina, vt ad inſtar ſpeciei ſe ipſam repræſentat, eandem cum illa habet immitationem, & repræſentationem: ſpecies autẽ inpreſſa non habet, vnde ſummat repræſentationem rei infinitæ: & ſimiliter haberet ſpecies expreſſa Dei, ſi à ſpecie impreſſa creata exprimeretur. Hæc eſt reſponſio Syluestri.

o. diſcri Fe Ferrarienſ. autem rationem diſcriminis ſumit ex eo, quia ſpecies intellectualis & verbum ab ea expreſſum habent rationem vnius perfecti, & totalis repræſentatiui rei intellectæ. Quę verba pluribus ſũt difficilima; vnde variè explicantur, vt patet ex his, quæ ſcribunt *Suarius in dicto capite 13. num. 16. & 17. & Bellomontanus in dicta diſp. 38. cap. 3. num. 11. Salas in dicta ſect. 2. num. 25.* Sed quàm longè ſint à mente Ferrar. facilè intelliget, qui verba adducta attentius expenderit. Verba igitur Ferrariẽſ. facilia ſunt intellectu: vult enim ſpeciem, & verbum ab ea expreſſũ habere rationem vnius perfecti, & totalis repræſentatiui rei intellectæ. Quaſi inferat, nunquam verbum poſſe repræſentare rem infinitam, niſi quando cum ſpecie cõſtituit vnum totale repræſentatiuũ in ſe infinitũ: quod nunquam poteſt habere, niſi quando vnitur cum eſſentia in ratione ſpeciei; quia tunc, & non aliter poteſt cum ſpecie, à qua exprimitur, habere rationem vnius infiniti repræſentatiui. Hæc eſt propria, & genuina mens Ferrar. ex qua, ſi vera fuerit, benè infertur non valere conſequentiam à poſsibilitate ſpeciei expreſſę, quę in Beatis datur ... diuina eſſentia, ad poſsibilitatẽ ſpeciei impreſſæ eiuſdem, & expreſſæ à diuina ...ſentia.

Coni. II. Tertiam rationem diſcriminis ponit ...tus *in dicta quæſt. 2. art. 3. loco citato*, ...am ſumit ex eo, quod ſpecies impreſſa ...enet ex parte obiecti: non tamen ex...ſſa: inde enim eſt, vt impreſſa debeat ... immaterialior, quàm obiectum, cuius vicem gerit. Cum verò nulla ſpecies ...ri poſsit, quę non ſit minus immaterialis, quam Deus; fieri non poteſt, vt detur ſpecies impreſſa Dei. Quod abſurdũ locum nõ habet in ſpecie expræſſa: cum enim illa non ſe teneat ex parte obiecti, ex ſe non habet, quod ſit immaterialior, quàm obiectum.

Quartam diſcriminis rationem pleriq; ex eo ſumunt, quod ſpecies impreſſa nihil habere poteſt, à quo limitetur, vt finitè, & inadæquatè repręſentet eſſentiam diuinam; & ob id non poteſt eam repræſentare, niſi adæquatè, & comprehenſiuè, vt putant ſe probaſſe in 4. argumento poſito art. 1. cuius oppoſitum reperitur, tũ in verbo, tum in viſione. Nam viſio non ſolùm limitatur à virtute finita intellectus beati, ſed etiam à lumine gloriæ, quia tantum exprimit de diuina eſſentia, quãtum illuminatur: verbum autem, & limitatur à virtute intellectus, & à limitatione viſionis. Et inde ſumunt diuerſam rationem in repræſentando in vna, & altera ſpecie. Hanc rationem nõnullis fuiſſe probatam referunt Bellomontan. Salas, & Cabrera. Quin potiùs Salas eã tribuit Ferrariẽſ. ſed quàm longè illa ſit à mente illius patet ex dictis. Hanc tamen rationem adduxit *Nauarrete primo tom. controuerſia 34. §. 7. ad primum fol. 215. columna 3. litera B.* 22. 4. Diſcrim. *Nauarret.*

Quinta, & vltima ratione diſcriminis ſumi poteſt ex eo, quod ſpecies expreſſa (ſiue illa ſit verbum, ſiue viſio) oritur ex eſſentia diuina vnita intellectui ad inſtar ſpeciei impreſſæ: inde enim cõſequitur quandam infinitatem, vt poſsit rem infinitam repræſentare: at verò ſpecies impreſſa nihil habet, vnde illam infinitatem in repræſentando cõſequatur. Hanc rationem eſſe Ferrarienſis affirmat Salas, ſed falsò, vt ex dictis patet. 23. 5. Diſcrim.

Ex his, quæ adduximus, authores citati in principio huius §. fundamentum ſumunt, vt dicant non valere conſequentiam à poſsibilitate ſpeciei expreſſæ ad poſsibilitem impreſſæ.

§. 5.

Impugnatur hæc ſecunda ſolutio.

HÆC tamen ſolutio ex eo non eſt admittenda, quia poſita diſcrimina, vel falſum ſupponunt, vel vim conſequentiæ non elidunt: vnde Caietanus 24. Impugnatur 2. Solut.

nus cum nonnullis alijs melius affirmat admiſſo antecedente non poſſe probabiliter conſequentiam negari. Quod idem ego iudico; & id facilè apparebit, ſi ſingula diſcrimina expendamus.

Impugnatur primum diſcrimen.

25. Contra 1. diſcrimen. *Bañes. Cumel. Molina. Suarius. Pezant. Salas.* Primum diſcrimen, probatum à Soto, & à Torres, nec ab aduerſarijs admittitur, illud nõ recipit *Bañes* 1. *parte q.* 12. *ar.* 2. *dubio primo ad ſecundum* §. *Sed tamen hæc doctrina*, nec *Cumelius ibidem quæſt.* 2. *poſt ſecundam concluſionem. Ex noſtris illud reijciunt Molina in dicta quæſt.* 12. *art.* 2. *diſput. prima poſt quartam concluſionem* §. *Ad rationem igitur, Suarius* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 13. *num.* 15. *Pezantius in dicta q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 1. *in tertio dicto, pag.* 53. *col.* 2. *Salas* 1. *tom. ad primam ſecundæ. tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 21. *in prima, ſolutione, & communiter recentiores.*

26. 1. Ratio. Et meritò: primò, quia non ſatis conſentit cum mente D. Thom. nec enim D. Thomas vnquam poſuit impoſsibilitatẽ ſpeciei impreſſæ in efficientia viſionis, qua beamur; ſed ſolùm in impoſsibilitate repræſentationis. Secunda. Secundò; quia nullũ eſt abſurdum rem creatam efficienter cõcurrere ad viſionẽ beatam; ad eam enim effectiuè concurrit tum intellectus, tum lumen gloriæ. Reſponſio. Si verò reſpondeas nullũ eſſe abſurdum creaturam nos effecienter beare, ſi concurrat ex parte potentiæ; benè tamen; ſi teneat ſe ex parte obiecti: tũ quia ſolus Deus eſt noſtra beatitudo obiectiua; tum etiam; quia ſolus ille poteſt ſe facere obiectiuè præſentem. Non recipitur. Hæc reſponſio non ſatis eſt ſufficiens: Primò; quia tàm Sotus, quàm Torres abſolutè aſſerunt abſurdum eſſe creaturam efficienter nos beare; cuius oppoſitum oſtendimus. Deinde; quia ſpecies impreſſa, licèt ſit vicaria obiecti, tamèn nõ ſe tenet ex parte illius, ſed ex parte potentiæ, vt oſtendimus 1. p. q. 1. Vnde ſi daretur ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ, nõ ſe teneret ex parte illiꝰ, quaſi eã obiectiuè repræſentans, ſed teneret ſe ex parte intellectꝰ dum vice diuinę eſſentiæ faceret intellectum eſſe Deum: nam eſſentia diuina ſi ſe vnit intellectui ad inſtar ſpeciei impreſſæ, non tenet ſe ex parte ſui, vt obiectũ obiectiuè concurrens; ſed tenet ſe ex parte intellectus, tanquam conſtituens eum in actu primo, de quo multa dicemus q. quarta. Quare ſi intellectus poteſt efficienter concurrere ad viſionẽ, quia eſt potentia intellectiua, atq; etiã lumẽ gloriæ, quia ſe tenet ex parte potentię, ipſam eleuando, vt poſsit; vtique & ſpecies (ſi daretur) poſſet effectiuè concurrere ad viſionem, intellectum determinando ad obiectum beatificum, vt proximè poſsit in eam, quod in hac materia annotandũ eſt.

Contra hoc nihil concludit, quod ſola diuina eſſentia eſt beatitudo obiectiua. Sicut etiam nobis nihil obſtat, quod ſolus 27. Deus poſsit ſe facere obiectiuè præſentem: tum; quia ſpecies illa non ad hoc daretur; nec enim apud Thomiſtas ſpeciei impreſſæ conuenit facere rem præſentẽ intellectui, ſed ſoli expreſſæ, vt oſtendimus ſuprà 1. p. q. 4. art, 3. tum etiam, quia licèt abſurdũ ſit rem creatam facere Deũ obiectiuè præſentem intellectui præſentia intelligibili in genere cauſæ efficientis; non eſt tamen aut impoſsibile, aut abſurdum, ſi fiat præſens in genere cauſæ formalis: etenim apud eos, qui in Beatis admittunt verbum, Deus fit præſens intellectui, pręſentia obiectiua, & terminatiua (imò etiã effectiua) per verbũ productum ab intellectu beati. Cur igitur non poterit iſto modo fieri præſens per ſpeciem impreſſam? etenim præſentia diuinæ eſſentiæ per modum obiecti terminantis viſionem ſuo modo eſt maior, quam præſentia eiuſdẽ eſſentiæ per modum principij ex parte intellectus viſionem producentis: nam ſecundùm illam præſentiam obiectiuè beat; non verò per iſtam.

Concludendum eſt igitur contra Sotum, nullum eſſe abſurdum admittere rẽ 28. Cõcluditur cõtra Sotũ creatam poſſe nos efficienter beare. Nec obſtat, quod obijcit Torres; quia longè diſpar ratio eſt inter actum ſecundũ qualis eſt viſio, & actum primum, qualis eſt gratia, vt benè aduertit Suarius in dicto *Suarius. Salas.* cap. 13. nu. 15. & poſt eum Salas loco citato num. 21. actus enim ſecundus etiam ſupernaturalis, cum ex ſua natura pendeat, tum à potentia, tum ab actu primo illius; ex ſua natura habet principium effectiuum ſibi connaturale; ipſam, ſc. potẽtiã, & formam, qua potẽtia conſtituitur in actu primo. Oppoſitũ reperitur in forma,

ma, quæ eſt actus primus: is enim, cũ potentiæ, cuius eſt actus, ſit principiũ agendi vt *quo*, per ſe non dependet ab alio principio vt *quo*, ſed ab efficiente vt *quod*: & ſi talis actus eſt per ſe infuſus, & ſupernaturalis, à ſolo Deo eſt producibilis. Quare licèt non poſsit dari creatura, quæ ſit principium connaturale gratiæ, non proinde benè inferes non poſſe dari creaturam, quæ ſit connaturale principium actus ipſius gratiæ, & charitatis. Idem igitur dicendum de viſione, quæ eſt actus ſecundus.

Reijcitur ſecundum diſcrimen Ferrarienſis, & Syluestri.

29. Contra 2. diſcrimen. Nec ſecundum diſcrimen excogitatũ à Ferrarieñſi, & Syluestro vim habet ad infirmandam conſequentiam: quoniã ſupponunt hi authores ſpeciem expreſſam ſiue verbum in Beatis ex eo habere vim repræſentandi diuinam eſſentiam, quod exprimitur ab ea, quæ eſt infinita, prout ſubit vicem ſpeciei: quod tamen eſt negãdum: etenim ſi res iſta ſubtiliùs expendatur, verbum in Beatis non ex eo præciſè habet repreſentare diuinam eſſentiam, quòd exprimitur ab ea, vt materialiter eſt diuina eſſentia; ſed ex eo, quòd exprimitur ab ea, prout eſt formale repræſentatiuum ſui, quòd non ſolùm conuincitur ex ratione exprimendi denotata per illã veluti reduplicationem, *vt ſubit rationem ſpeciei*: ſed etiam, quia diuina eſſentia aliter ſe habet, vt exprimit verbum in Beatis, & aliter, vt terminat repræſentationem verbi expreſsi: conuincitur quidem ex primo: quoniam illa reduplicatio denotat verbum exprimi à diuina eſſentia, non vt res eſt materialiter ſumpta, ſed vt eſt formale repræſentatiuum ſui ipſius, faciens intellectum ſimilem ſibi, nẽpe eſſe Deum intelligibiliter. Conuincitur etiam ex eo, quoniam diuina eſſentia terminat repræſentationẽ verbi, vt à parte rei eſt in ſe ipſa materialiter ſumpta: exprimit autem ipſum verbum, nõ ſumpta materialiter, ſed ſub ratione formalis repræſentatiui ſui pſius, & ſubide prout habet rationem ſigni formalis ſignificantis & repræſentantis ſeipſam. Et quamuis ſit ſignum infinitum: non tamen exprimit, vt eſt ſignum infinitum, ſed præciſè, vt eſt ſignum ſui repræſentatiuum: eandem enim repræſentationem haberet, ſi per impoſsibile manens obiectum ordinis ſuperioris non eſſet infinita, dummodo tamẽ poſſet ſe ipſa ſubire rationem ſpeciei ſui ipſius. Quod mihi maximo eſt argumento, quod diuina eſſentia exprimat verbum in Beatis, non vt eſt repræſentatiuum infinitum, ſed præciſè vt eſt repręſentatiuum ſui ipſius.

Ex hac Theologia iam patet, diſcrimẽ poſitum non infirmare noſtram conſequentiam: quoniam vt admittamus ſpeciem expreſſam, quæ datur in Beatis, exprimi ab eſſentia vicem ſpeciei ſubeunte (de quo eſt maxima dubitatio inferùs explicanda) inde non benè infertur impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam: quin potiùs re benè expenſa ſupponit illius poſſibilitatem: quoniam nihil poteſt vicem alterius ſubire, quoad aliquem effectum pręſtandum, niſi illud alterum ſupponatur poſsibile. Si reſpondeas diuinam eſſentiam in hoc ſolo ſenſu ſubire vicẽ ſpeciei in intellectu beato, quia in eo exercet illa munera, quæ ſpecies creata exercet in ordine ad obiecta creata; ſi id negetur (vt de facto negandũ eſt) nec poſsit probari, niſi ſupponatur ſpeciem impreſſam eſſe impoſsibilem, iam in probatione petis principium, cum ſupponas id, de quo eſt controuerſia. Sed quidquid ſit de ſuppoſitione: dicendum eſt ſpeciem expreſſam, quæ eſt in Beatis exprimi à diuina eſſentia, non benè arguere dari nõ poſſe aut ſpeciem impreſſam creatam, quæ ſit formale repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ, aut expreſſam, quæ exprimatur ab aliqua impreſſa creata. 30. Diſcrimen hoc non infirmat rationem. Non infertur impoſsibilitas ſpeciei impreſſæ.

Quod non benè inferatur hoc poſteriùs, ex dictis patet; quoniam ſpecies expreſſa, quæ eſt in Beatis, licèt ex ſententia aduerſariorum exprimatur ab eſſentia diuina (de quo ego maximè dubito) tamen ab ea non exprimitur, prout eſt repræſentatiuum infinitum (vt aduerſarij malè ſupponunt) ſed præciſè prout habet rationem repræſentatiui ſui ipſius, vt oſtendimus. Quare cum non repugnet dari ſpeciem impreſſam formale repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ (vt iam oſtẽdimus) vtique non repugnabit dari ſpeciem expreſſam illius, quæ exprimatur ab aliqua creata ſpecie. 31.

Quod

32. Alia ratio, quod nõ inferatur impoſsibilitas illa.

Quod verò ex eadem propoſitione nõ benè inferatur non poſſe creari ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, euidēter etiã oſtenditur: quoniam licèt propoſitio illa (ſi admittatur) benè inferat diuinam eſſentiam poſſe ſubire vicem formalis repræſentatiui ſui ipſius; non tamen infert nullum repræſentatiuum diuinæ eſſentię dari poſſe: etenim poſſe ſubire vicem formalis repræſentatiui entis infiniti arguit perfectionem infinitam: eam tamen non arguit eſſe formale repræſentatiuum illius. Ratio ex eo ſumitur: quoniam poſſe ſubire vicem formalis repręſentatiui entis infiniti non ex eo arguit perfectionē infinitam, quod repræſentat ens infinitũ, vt inferiùs oſtendemus; ſed ex eo, quia arguit id, quod ſubit vicem formalis repræſentatiui, non eſſe formaliter repræſentatiuum, ſed eminenter illud continere: quæ eminentia neceſſariò arguit infinitam perfectionem, vt patet; quàm tamen non arguit ratio formalis repręſentatiui. Quare propoſitio aſſumpta ab aduerſarijs non benè arguit non poſſe creari formale repręſentatiuũ diuinę eſſentię.

Nec ea, quæ adducuntur pro ratione diſcriminis aliquid efficiunt. Nam reſponſio Syluestri vim non habet ſine petitione principij: etenim ſpeciē expreſſam retinere immitationem ſpeciei, à qua exprimitur, quatenùs cum illa repræſentat idem obiectum, infert quidem ſpeciē expreſſam à diuina eſſentia vnita ad inſtar ſpeciei repræſentare ipſam diuinam eſſentiam; non tamen infert ſolam illam, quæ à diuina eſſentia exprimitur, poſſe illam repræſentare: illa enim propoſitio, quæ à Syluestro ſumitur, etiam verificatur in ſpecie, quę exprimitur ab alia creata: nam ſpecies expreſſa, non poteſt non repræſentare obiectum ſpeciei, à qua exprimitur. Cum verò à nobis ſtatuatur poſsibile eſſe ſpeciem impreſſam, vtique ſpecies ab ea expreſſa eandem eſſentiam repræſentabit. Igitur illa excluſiua, *quod ſola ſpecies expreſſa à diuina eſſentia poteſt eam repræſentare*, non benè probatur ex propoſitione aſſũpta, niſi ſupponatur ſpeciem impreſſam eſſe impoſsibilem, quod eſt petere principium.

33. Non recipitur reſpõſio Ferrar.

Porrò reſponſio Ferrar. non recipitur à Suario, Syluestro, & Sala, & meritò quidem: quoniam ex repræſentatiuis diuerſarum rationum, quomodo poteſt fieri vnum repræſentatiuum? Iam verò ſpecies impreſſa repræſentat habitu, expreſſa verò actu, vt Ferrarienſ. admittit cum Thomiſtis. Præterea ſpecies impreſſa repræſentat obiectum, prout eſt aſsimilatiuum potentiæ, & principium actiuum viſionis: verbum autem illud repræſentat, vt poſitum obiectiuê, tanquã terminatiuum intellectionis elicitæ à ſpecie impreſſa. Iam verò principium elicitiuum actionis, & terminus illius inter ſe opponuntur; quia illud eſt actiuum, hoc verò ſolùm paſsiuum, vt docent Thomiſtæ. At vix poteſt intelligi, quomodo ex modis repræſentandi inter ſe oppoſitis poſsit fieri vnum totale repræſentatiuũ. Inquiram etiam, vtrùm illud totale repræſentatiuum conſtitutũ ex verbo, & ex ſpecie habeat diuerſam repræſentationem à repręſentatione, tùm verbi, tùm ſpeciei, â qua exprimitur? dici non poteſt, quod habeat eandem; cum repræſentationes ſingularum partium ſint nõ ſolùm diuerſę, ſed etiam oppoſitæ. Si verò habet diuerſam; quæ nã eſt illa? etenim cum ſit vnum repræſentatiuum, vnam debet habere totalem repræſentationem. Denique verbum actiuè producitur ab eo repræſentatiuo, à quo exprimitur, vt patet: ergo cum exprimatur à repræſentatiuo totali, quod ex ipſo verbo componitur; vtique ipſum verbum à ſe ipſo producetur: quod dici non poteſt. Quare propoſitio Ferrar. non ſolùm reijcienda eſt, vt inintelligibilis, ſed etiam vt falſa.

Impugnatur tertium deſcrimen Soti.

Tertiam rationem diſcriminis, quam poſuit Sotus, non recipiunt Molin. *prima parte, q. 12. art. 2. diſp. 1. poſt 4. concluſionem 6. Ad id verò, quod Sotus, Suar. in dict. cap. 13. num. 14. Bellomont. in dicta diſp. 38. c. 3. num. 12. Salas in dict. diſp. 5. ſect. 2. num. 23. & alij: & meritò*: quia deficit in pluribus: primum; quia ſupponit ſpeciem impreſſam neceſſariò eſſe immaterialiorē ſuo obiecto: cuius oppoſitum oſtendem⁹ art. 6. ſiue illa ſumatur in eſſendo, ſiue in repræſentando: quod aduerterunt præcitati authores. 34. Impugnatur 3. diſcrimen. 1. Defectus

Secundò, falſo nititur fundamento, dum aſſerit ſpeciem impreſſam tenere ſe ex 35. 2. Defectus.

Species im preſſa non ſe tenet ex parte obiecti. ex parte obiecti nō tamen expreſſam: vtrūque enim eſt falſum: ſi tenere ſe ex parte obiecti propriè ſumatur, vt idē ſit, quòd gerere vicē obiecti, & ad illud pertinere: quatenùs corā intellectu obiectiuè proponitur, ac veluti aſsiſtit; nam tenere ſe ex parte potentiæ idē eſt, quod pertinere ad potentiā, vt eſt apprehēſiua obiecti, & elicitiua intellectionis terminatę ad illud, vt aduertimus 1. p. huius lib. q. 3 art. 1. in princ. nam in via Thomiſtarum ſpecies impreſſa nō proponit obiectum ante intellectū, nec aliquod munus illius exercet, quaten⁹ intellectui obiectiuè aſſiſtit, ſed ſola ſpecies expreſſa, quā appellāt verbū, vt patet ex d. q. 3. ar. 2. §. 1. quare ſpecies impreſſa licèt gerat vicē obiecti; nō tamen ſe habet ex parte illius, vt obiectū eſt, ſed prout aſsimilat ſibi potentiā, & illā conſtituit in actu 1. ob quā rationem ſimpliciter ſe habet ex parte ſolius potentiæ, iuxta ſententiā Thomiſtarū, quā plures Nouiores ſequūtur, & nos veriorem diximus in d. art. 2. §. 3. Porrò, ſe tenere ſe ex parte obiecti idē eſt, quod gerere vicem obiecti, quocūq; modo illā gerat; vt Sotus explicat; vtraque ſpecies ſi tenet ex parte obiecti; aliter tñ, & aliter; quia impreſſa gerit vicē illius in efficiendo; expreſſa verò in terminando, vt benè aduertit Salas, vbi ſuprà, & dixim⁹ ſuprà 1. p. q. 4. vbi aduertimus obiectum, & eſſe aſsimilatiuum potentię, & terminatiuum intellectionis. Species igitur impreſſa, gerit vicem obiecti, quatenùs eſt aſsimilatiuū intellectus: cū enim obiectū ſe ipſo nō poſsit immediatè eſſe in intellectu, vt illū ſibi aſsimilet, id facit per ſuam ſpeciē tanquā per formā intelligibilē, vt patet ex Ariſt. 3. *de Anima c. 8. text.* 38. & ſubinde ſpecies, vt hoc munus obiecti ſubit, tenet ſe ex parte potentię, quia illā intrinſecè conſtituit in actu 1. tanquam principiū agēdi vt *quo*. At verò expreſſa, quæ eſt verbū, gerit vicem obiecti, vt terminatiuū intellectionis: proponit enim illud ante intellectū, tanquā terminū, ad quem per ſuā intellectionē terminatur, vt cum cōmuni Thomiſtarum, ſatis ad mentē D. Thom. diximus ſuprà, & ideo tenet ſe ex parte obiecti, vt formaliter eſt obiectum. Si verò ſermo ſit de ſpecie expreſſa, quæ eſt intellectio (de qua ſola Sotus agit) cum illa ex mente eiuſdem Soti ſit formalis expreſsio obiecti: vtiq; in ipſa obiectiuè relucet ipſum obiectū, vt terminans expreſsionem, & repræſentationem ipſius intellectionis: quod arguit eam aliquo modo ſe tenere ex parte obiecti. Falſa eſt igitur propoſitio, quàm Sotus aſſumit pro fundamento, vt oſtendat ſpeciem impreſſam eſſe immaterialiorem ſuo obiecto.

26. 3. Defectus. Tertiò loco deficit: quoniam mediū, quod ſumit; potiùs infert ſpeciem expreſſam ſuperare ſuum obiectum in immaterialitate: etenim, ſi ſpeciem tenere ſe ex parte obiecti eſt per ſe cauſa, vt ſpecies ſit immaterialior ſuo obiecto; cum ſpecies impreſſa in via Thomiſtarum non ſe teneat ex parte obiecti, ſed ſola expreſſa, vt immediatè diximus, profectò ſpecies impreſſa nō erit immaterialior ſuo obiecto, ſed ſola impreſſa. Et ita argumentum non probat impoſsibilitatem ſpeciei impreſſæ, ſed ſolius expreſſæ.

4. Defectus. Denique, medium à Soto aſſumptum ineptum eſt ad inferendam maiorem immaterialitatem: quoniā ſpeciem poni ex parte obiecti, & ſubire illius vicē potiùs arguit minorem perfectionem, minorēque immaterialitatem, quàm, aut maiorē, aut æqualem, vt contra eundem Sotum oſtendemus art. 6.

Impugnatur quartum, & quintum diſcrimen.

27. Contra 4. & 5. diſcrim. Bellomon. Salas. Gabr. Suarius. Quarta ratio diſcriminis inter ſpeciē impreſſam, & expreſſam, reprobatur à *Bellomont. in d. diſp.* 38. *c.* 3. *num.* 13. *& à Salas in d. q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *in* 3. *ſolutio. nu.* 22. *& à Cabrera ad* 3. *p q.* 11. *ar.* 1. *diſp.* 5. §. 9. *num.* 297. *Nec eam recipit Suarius in Metaph. diſp.* 30. *ſec.* 11. *n.* 28. *&* 29. deniq; cōmuniter reprobatur: & meritò; quoniā ſicut gratis in ea aſſeritur, ſpeciē impreſſam non poſſe in repręſentando nō adæquari ſuo obiecto: ita ſine fundamento negatur ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, ſi daretur, nihil habere, vnde in repræſentando limitaretur: contra vtrūque aſſertum plura dicemus art. 6. ad 4.

28. Salas. Sed nec quintam, & vltimam rationem diſcriminis admittit Salas, & in hoc benè: nam ſi ſermo ſit de repręſentatione infinita, infinitè repræſentante infinitū, falſum ſupponit: quia ſpecies expreſſa (ſi ne ſumatur pro verbo, ſiue pro viſione) quan-

quantumuis oriatur ex diuina eſſentia, vt vnita in ratione ſpeciei, nec repræſentaret infinitè diuinã eſſentiã, nec repręſẽtare poſſet, quoniã nõ orirerur ex diuina eſſentia vniente ſe ſecũdũ adæquatã ſui repræſẽtabilitatẽ, ſed ſolũ ſecũdũ inadęquatã. Porrò, ſi ſermo ſit de repræſentatione infinita obiectiuè, quæ ideo dicitur infinita, quia terminatur ad obiectũ infinitũ; admittimus ſpeciẽ expreſsã habere obiectiuã infinitatẽ ex diuina eſſentia vnita, vt poſsit repræſentare ipſam eſſentiã infinitã: negamus tñ ſpeciẽ impreſſam habere nõ poſſe eandẽ infinitatẽ obiectiuã ex eo, quod à Deo immediatè producitur: quia ad hoc ſatis eſt, quod eã producat ad inſtar diuinæ eſſentiæ, quæ productionis eſt exẽplar: nã ſi diuina eſſentia concurrens vt principiũ effectiuũ, vt *quo* poteſt dare verbo, & viſioni infinitatẽ obiectiuã; cur nõ poterit Deus eã tribuere ſpeciei impreſſę, vt eſt agens vt *quod*? profectò non ſolùm id non repugnat, ſed maximè conſentit cum recta Philoſophia, quæ docet ſpeciem ſpecificari ab obiecto, ad quod repræſentandum producitur. Quin potiùs ſicut diuina eſſentia, vt principians viſionẽ, & verbũ, ſatis eſt, vt vtriq; tribuat infinitatem obiectiuam; ita etiã eadem, vt exẽplariter cauſãs, & ſpecificãs ſpeciem impreſſam (Deus enim in productione ſpeciei ſumit ſuã eſſentiã, tanquã exẽplar productionis) poteſt illi tribuere obiectiuã infinitatẽ, etenim exẽplariter cõcurrens efficit, vt ipſa ſit terminus repræſentationis.

Species expreſſa Dei habet infinitatem obiectiuam.

Species impreſſa eãdẽ infinitatẽ habet.

39. Firmã eſt cõſequẽtia communis fundamẽti.

Concluditur diſcurſus cõtra 2. ſolutionẽ.

Ex ijs, quæ tam latè diximus, patet negari non poſſe, ſaltẽ cũ probabilitate, conſequentiã communis fundamenti, quod iecimus §. 4. ſi antecedẽs illius admittatur: patet enim ex dictis eandem eſſe rationẽ in ſpecie expreſſa diuinæ eſſentiæ, quæ in beatis datur, & in impreſſa. Quare, ſi expreſſa eſt poſsibilis: vtiq; impreſſa poſſibilis etiã erit. Quare meritò dixit Caiet. conſequentiam illam probabiliter negari non poſſe, ſi antecedens admittatur. Cũ igitur antecedens negari nequeat, vt patet ex §. 5. benè infertur fundamentum cõmune noſtræ opinionis firmum eſſe, & ſtabile. Sed ſtabilior erit noſtra opinio, ſi aduerſaria fundamenta poſita §. 1. euerterimus: quod in ſequentib. art. faciemus.

ARTICVLVS III.

Pro ſolutione primi argumẽti expenditur, an ſpecies crea[illegible] ſit inferioris ordinis reſpectu diuinæ eſſentiæ?

PRimo igitur loco ſoluendũ eſt primum argumentum poſitum art. 1. §. 2. Illud à quibuſdam ſoluitur negatione maioris, ab alijs negatione minoris: vtraq; ſolutio diligenter expendetur; quia vtraque difficultatem tangit explicatu dignam.

§. I.

Expenditur, an abſolutè ſpecies inferioris ordinis poſsit repræſentare id, quod eſt ordinis ſuperioris?

1. An ſpecies inferioris ordinis repręſentet rẽ ſuperiorem? Opinio affirmans.

PRo explicatione primi argumenti, aduertendũ eſt controuerſiam eſſe de veritate maioris, quatenùs ſumit ſpeciem inferioris ordinis, non poſſe repræſentare rem ordinis ſuperioris. Quidam abſolutè id negant: quia per ſpeciem ſubſtãtiæ (quę cũ ſit accidens, eſt ordinis inferioris) repræſentatur ſubſtantia, quę eſt ſuperioris ordinis: & per ſpeciem Angeli inferioris repręſentatur Angelus ſuperior. Docent igitur per ſpeciem, quæ repræſentat res inferioris ordinis nõ poſſe repræſentari rem, quæ eſt ordinis ſuperioris; nec enim per ſpeciem corporis poteſt repræſentari ſpiritus: addunt tamen ſpeciem, quæ in eſſendo eſt inferioris ordinis, poſſe repræſeneare rem, quæ eſt ordinis ſuperioris, vt patet de ſpecie repræſentatiua ſubſtantiæ, & de ſpecie Angeli inferioris, quæ repræſentat ſuperiorem: vtraque enim in eſſendo eſt ordinis inferioris, quàm ſuũ repræſentatũ; & tamen illud repræſentat. Fieri igitur poteſt, vt Species, quæ in eſſẽdo ẽ inferioris ordinis reſpectu ſui obiecti, ſit eiuſdẽ ordinis cũ eo in repręſentãdo. Ita *Aureol. apud Capreol. in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 2. fol. 211 col. 1. §. Ad motiua, cũ quo conſentit cõmunis Recentiorũ in ſcholis, & cũ illis Mol. 1. p. q. 12. ar. 2. diſp. 1. in ſolut. primi argumẽti, & poſt eũ Pezã. ibid. diſp. 1. §. dico probabiliꝰ.*

Aureol. Molina. Pezan.

Alij tñ putant maiorẽ illã abſolutè ſũptã ſimpliciter eſſe verã: nec admittũt dari poſſe ſpeciẽ, quę in eſſendo ſit inferioris ordinis cum ſuo obiecto, & in repræſentãdo ſit eiuſdẽ ordinis cũ eo: etenĩ ſpecies quæ in eſſendo eſt ordinis materialis, & corporei, & ideo inferioris ordinis ad ſpiritum.

2. Sententia negans.

ritũ, nullomodo eſſepoteſt eiuſdẽ ordinis in reſpondendo cũ eodẽ ſpiritu. Hi ſimpliciter admittunt maiorem, & eam confirmãt rationibus in argumẽto adductis.

3. Ego hanc difficultatem puto eſſe diſſoluendam duplici concluſione. Sit prima concluſio: ſpecies, quæ in repræſentando eſt inferioris ordinis (quocumq; modo ſit inferior) nullo modo poteſt repræſentare obiectum, quod in ſua paſsiua repræſẽtatione eſt ordinis ſuperioris. In concluſione (ni fallor) conueniunt omnes vnius, & alterius opinionis. Res patet in illis, qui ſecundam probant opinionem: de alijs verò, id ex eo patet; quia volunt ſpeciem in eſſendo inferiorem nõ eſſe inferiorẽ in repræſentãdo, ſed eiuſdẽ ordinis. Concluſio ex eo primũ cõfirmatur, quia nulla poteſt afferri inſtantia.

1. Concluſ. Species in repræſentã do eſt eiuſdẽ ordinis cum obiecto repræſentato.

1. Ratio.

Secunda.

2. Quia cũ inter repræſentatiuũ, & repræſentatũ debeat dari proportio obiectiua, vt. ſc. vnũ valeat repræſẽtare, & aliud repræſentari; non poſſunt repræſentans, & repræſentatũ nõ eſſe eiuſdem ordinis, & generis in repræſentando: quoniam inter res diuerſi generis, nec datur comparatio, nec proportio.

Tertia.

Tertiò, idem ex eo conuincitur; quia fieri non poteſt, vt ſpecies, quatenùs eſt repræſentatiua ſui obiecti, formaliter faciat intellectũ eſſe ipſum obiectũ in eſſe genereq; intelligibili, niſi ſpecies ſit eiuſdẽ generis, & ordinis cũ obiecto ſecundũ eſſe intelligibile, & repræſentabile.

4. Secunda concluſio: admittendũ eſt ſpeciẽ, quæ in eſſendo eſt inferioris ordinis, quàm ſuum obiectũ, eſſe eiuſdẽ ordinis in repræſentando cũ illo. Statuitur pro prima ſententia contra ſecundã: eam probãt Aureol. Mol. Pez. & alij citati in prima opinione: probatur; quia ſpecies repręſentatiua ſubſtantiæ in eſſendo eſt inferioris ordinis, quã ſubſtantia; & tamen in rępræſentando eſt eiuſdẽ ordinis; cũ ſubſtantia per eã repræſentetur. Prætereà ſpecies Angeli inferioris eſt inferioris ordinis in eſſendo, quâm ſubſtantia Angeli ſuperioris; & tamẽ in repręſentando eſt in eodẽ ordine cum illo; cũ inferior Angelus per eam cognoſcat ſuperiorem.

2. Concluſ. Species, quę eſt eiuſdem ordinis cum obiecto in repræſentã do, poteſt eſſe illo inferior in eſſendo.

5. Sed fortè hæc exempla aduerſarios non conuincent: Reſpondebunt enim, inferioritatem, & ſuperioritatẽ in eſſendo per ſe non ſumi, niſi penes modos eſſendi generales, nimirũ penes eſſe ſenſibile, & intelligibile; materiale: & ĩmateriale, creatũ & increatũ; nõ verò penes eſſe accidẽtis, vel ſubſtantiæ, nec penes eſſe ſpecificũ immaterialitatis diuerſæ rationis: & proindè licèt ſpecies ſubſtantiæ habeat eſſe accidentale, ſubſtantia verò repræſentata ſubſtantiale, quod eſt nobilius: tamẽ ipſa ſpecies intellectiua, cũ habeat eſſe immateriale, nõ erit inferioris ordinis in eſſendo cũ ſubſtantia immateriali, ſed eiuſdem ordinis: at verò cum ſubſtãtia materiali, quàm repræſentat, tantum abeſt, vt in eſſendo ſit inferioris ordinis cũ illa, vt potiùs ſit ordinis ſuperioris; quia ſubſtãtia in eſſendo eſt materialis, ſpecies verò immaterialis. Eodem modo ſpecies, quæ in Angelo inferiori repræſentat ſuperiorẽ, licèt vt eſt accidens, ſit minus nobilis in eſſendo: tamen vt eſt ens immaterıale, habet eundem eſſendi modũ generalem cũ Angelo ſuperiori. Negabunt igitur aduerſarii ſpeciem repræſentatiuã ſubſtantiæ eſſe in eſſendo inferiorẽ, quàm ſit ſubſtantia repræſentata: negabunt etiã ſpeciẽ, quæ in Angelo inferiori repræſentat ſuperiorem, eſſe in eſſendo inferiorẽ. Quæ ſolutio ſatis conſentit cum ijs, quæ ad mentẽ D. Thomæ diximus ſuprà lib. 6. q. 2. art. 2. §. 3.

Euaſio.

Quare pro confirmanda ſecunda concluſione ſolũ ſumi poteſt inſtãtia ex ſpeciẽ repræſentatiua eſſentiæ diuinæ, cuiꝰ poſsibilitatẽ defendimus: hæc enim non poteſt non eſſe inferior in eſſendo, quia eſt ens quoddã creatum, diuina autẽ eſſẽtia increatũ, qui eſſendi modi ſunt generales, quorũ vnus per ſe eſt inferior, alter verò ſuperior: & tñ talis ſpecies in repræſentando eſt eiuſdẽ ordinis; alioquin per eã non poſſet diuina eſſentia diſtinctè cognoſci. Quæ doctrina non poteſt non admitti ab ijs, qui ſpeciẽ diuinæ eſſentiæ vt poſsibilem agnoſcunt. 6.

Præcluſio.

Ex duabus concluſionibus præmiſsis patet, nec primã ſententiã eſſe admittendã, quatenùs abſolutè negat maiorẽ: nec ſecundã; quatenùs aſſerit omnem ſpeciẽ in eſſendo inferiorẽ ſuo obiecto eſſe quoque inferiorm illo in repræſentando: etenim priori ſẽtentiæ reſiſtit prima concluſio: ſecundã verò poſteriori. 7.

Quare controuerſia propoſita ita eſt diſſoluenda: vt maior primi argumenti ſim-

ſimpliciter admittatur, quatenùs aſſerit ſpeciem inferioris ordinis in repræſentãdo non pôſſe repræſentare obiectum ordinis ſuperioris; & à fortiori illum nõ poterit repręſentare, ſi & in eſſendo, & in repræſentando fuerit inferior, vt maior huius primi argumenti ſumit. Nec Aureolus cæterique eam negant, ſi benè expendantur: quia eam negant, ſi intelligatur, quòd ſpecies inferior in eſſendo non poteſt repræſentare obiectum in eſſendo ſuperius: quia fieri poteſt, vt quamuis in eſſendo ſint illo inferiores: in repræſentando tñ ſint eiuſdẽ ordinis. Itaq; nobiſcũ conſentiunt, quòd ſpecies ordinis inferioris in repræſentando nullo modo poteſt repræſentare obiectum, quod in ſua repræſentabilitate eſt ordinis ſuperioris; quod in prima concluſione aſſerimus.

§. 2.

Pro negatione minoris expenditur, an omnis ſpecies creata ſit ordinis inferioris in repræſentando reſpectu diuinæ eſſentiæ?

9. ADmiſſa igitur maiore primi argumenti, neganda eſt minor; quaten⁹ habet, *quamcunque ſpeciem creatam eſſe inferioris ordinis in repræſentando reſpectu diuinæ eſſentiæ.* Hanc propoſitionem non poſſunt non negare, qui admittunt ſpeciẽ creatam diuinæ eſſentiæ eſſe poſsibilem, & cũ ex prima concl. poſita §. 1. iam conſtet per ſpeciem, quæ in repræſentando eſt inferioris ordinis, non poſſe repræſentari rẽ, quę in ſua repræſentabilitate eſt ordinis ſuperioris, vtique, ſi ſemel admittamus poſsibilem eſſe ſpeciẽ diuinę eſſentiæ (vt nos admittimus); non poſſumus non admittere dari poſſe ſpeciẽ creatam, quæ in repræſentando ſit eiuſdẽ ordinis cum diuina eſſentia. Vnde id admittunt *Suar. in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 11. nu. 33. Bellomont. 1. p. diſp. 38. c. 4. num. 19. & Pezan. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. §. dico igitur: Et ante eos idẽ docuit Aureol. apud Capreol. in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 2. fol. 211. col. 1. §. Ad motiua verò* Nam quãuis eſſentia diuina, vt eſt totaliter, & adæquatè intelligibilis ſit ordinis in infinitũ altioris, tũ in eſſẽdo, tũ in repręſentando reſpectu cuiuſq; ſpeciei creatæ, & per cõſequens per nullam poſsit adæquatè repræſentari: tñ prout in ſe eſt entitas quædã intelligibilis ab intellectu creato (etenim intellectus beatus totam illam videt, vt Fides docet) in ſua intelligibilitate & repræſentabilitate nõ eſt altioris ordinis in repræſentãdo quacũq; ſpecie creata: nã cũ in cognoſci nõ ſit ſuperior quacũq; cognitione creata (quia verè tota cognoſcitur per beatã viſionẽ) ita etiã in ipſo repræſentari non eſt ſuperior quacũq; formali, & creata repræſentatione: etenim quod in ſe eſt cognoſcibile per notitiã creatam, in ſe etiã eſt repræſentabile per creatã ſpeciẽ, quod eſt noſtræ opinionis fundamentũ. Dicimus igitur omnẽ ſpeciẽ, quę ex ſe eſt repræſẽtatiua creaturę, eſſe inferioris ordinis in repræſentãdo reſpectu diuinę eſſentiæ, & per conſequens per nullã talem poſſe repræſentari, non tamẽ omnẽ ſpeciẽ creatã eſſe in repræſentando inferiorem diuina eſſentia, ſed poſſe dari ſpeciẽ eiuſdem ordinis; illam ſc. quæ ex ſua natura eſt ſpecies ſolius diuinæ eſſentię.

Aureol.

§. 3.

Explicatur duplex ratio, cur vna ſpecies non poteſt repræſentare aliquod obiectũ?

VT huius veriſsimæ Theologiæ veritas magis appareat, notandũ eſt duobus modis poſſe cõtingere, vt vna ſpecies nõ poſsit aliquod determinatũ obiectũ repræſentare: vno modo; quia tale obiectũ non cõtinetur ſub adæquato obiecto potẽtiæ, in qua ſpecies recipitur. Altero modo; quia obiectũ non cõtinetur ſub obiecto adęquato ipſius ſpeciei. Exẽplis res fiet euidẽtior: nã ſpecies ſenſibiles, ſiue externæ ſint, ſiue internę, non poſſunt repræſentare obiecta intelligibilia, ob eã præciſè cauſam, quia obiectũ intelligibile excedit adæquatũ obiectũ potẽtiæ ſenſitiuę, in qua ſpecies ſenſibiles recipiuntur; & inde habet, quòd ſpecies ſenſibilis per nullã potentiã eleuari poſsit ad repræſentandũ rẽ intelligibilẽ; ſicut etiã, nec ipſa potentia ſenſitiua eleuari queat, vt rẽ intelligibilẽ, & ſpiritualem cognoſcat. Species etiam intelligibiles intellectus noſtri coniuncti non poſſunt repræſentare immaterialia: quia obiectũ immateriale excedit obiectũ adæquatum noſtri intellectus pro ſtatu viæ. Denique ſpecies, quæ recipiuntur in intellectu creato, ſiue pro ſtatu naturali, ſiue pro ſtatu

10. Species aliquando nõ poteſt repręſentare vel ob defectũ ſui, vel defectum potentiæ.

tu Patriæ, non poſſunt repræſentare ens increatum, ſecundùm totalem, & adęquatam ſuam intelligibilitatem: quia obiectũ increatum ſub illa ratione ſimpliciter excedit obiectũ adęquatum intellectus creati. At tamen ſpecies albi non ideo non poteſt repræſentare nigrum, quod nigrũ excedat obiectum potẽtiæ ſenſitiuæ; ſed ideo potiùs, quia nigrum non continetur ſub obiecto adæquato ſpecici, quæ repræſentat album. Eodem modo ſpecies hominis ideo non poteſt repræſentare leonẽ, quia leo non continetur ſub obiecto adæquato ſpeciei hominis, quamuis contineatur ſub obiecto adæquato intellectus. Patet igitur duplici de cauſa aliquã ſpeciem non poſſe aliquod obiectum repræſentare: vel enim illud repræſentare non poteſt, quia non continetur ſub obiecto adæquato potentiæ; vel quia non continetur ſub obiecto adæquato ſpeciei.

11. Non omnis ſpecies eſt inferior obiecto, quod repræſentare nõ valet.

Siquis inquirat, an omnis ſpecies ſit inferioris ordinis in repræſentando reſpectu omniũ obiectorum, quæ repręſentare non valet? Negatiuè reſpondendum eſt, ſi propriè loquendum ſit: etenim ſpecies hominis non ordinis eſt inferioris in repræſentando reſpectu leonis; cum obiectum illius perfectius ſit, & in entitate, & in intelligibilitate, quàm leo: cum tamen ſpecies, quæ eſt inferioris repræſentationis minus nobilis ſit, quam obiectũ, quod in repræſentari eſt ordinis ſuperioris. Quare ſi propriè loquendum eſt, ſolę illæ ſpecies dici debent inferioris ordinis in repræſentando, quæ ideo non repræſentant obiectum, quia illud non continetur ſub obiecto adæquato potẽtiæ, in qua recipiuntur: nam ideo ſub illo non continetur, quia & in entitate, & intelligibilitate excedit in perfectione obiectum adæquatum potentiæ; in quo exceſſu fundatur ratio inferioris, & ſuperioris inter repræſentationem ſpeciei, & repræſentabilitatem obiecti. At verò ille ordo perfectionis in repręſentare ex parte ſpeciei, & in repræſentari ex parte obiecti non reperitur in ſpeciebus generis poſterioris, ideo illa ſpecies dici nõ poſſunt ordinis inferioris reſpectu illorũ obiectorũ. Nos hoc loco ſolũ agimus de ſpeciebus, quæ verè, & propriè ſunt ordinis inferioris reſpectu illorum obiectorum, quæ repræſentare non valent.

12. Ex inferioritate potẽtiæ habet ſpecies inferioritatem in repræſentando.

Si rurſus aliquis inquirat, vnde nam quæque ſpecies habeat inferioritatem in repræſentando reſpectu obiecti? Reſpõdetur eam ſumendam eſſe ex inferioritate potentiæ reſpectu eiuſdem obiecti: nã ſi potentia in cognoſcendo tale obiectũ fuerit inferioris ordinis, quia habet inferiorem immaterialitatem; vtique ſpecies in ea recepta, erit inferior in repræſentãdo reſpectu talis obiecti: nam ſicut potẽtia propter exceſſum in immaterialitate non poteſt illud cognoſcere; ita etiã ſpecies propter exceſſum intelligibitatis, & repræſentabilitatis talis obiecti non poterit illud repræſentare. Quare inferioritas in ſpeciebus reſpectu obiectorum ſolùm dabitur inter ſpecies diuerſarum potentiarũ, quæ inter ſe habent ordinẽ inferioris, & ſuperoris: vnde ſolũ dabit inter ſpecies potentiæ ſẽſitiuæ, & intellectiuæ, & inter ſpecies potẽtiæ intellectiuæ creatæ, & increatæ. Ita fit, vt ſicut õnis ſpecies ſenſibilis eſt ordinis inferioris in repręſentãdo reſpectu intelligibiliũ; ita omnis ſpecies intelligibilis creata erit ordinis inferioris reſpectu intelligibilis increati, prout in ſe eſt quoddam intelligibile infinitum infinitè, & totaliter: quia vt ſic ſimpliciter excedit obiectum extenſiuè adæquatum cuiuſcumque intellectus creati, cum ſit proprium, & adæquatum obiectum intellectus increati. Non ita dicendum eſt de ſpecie creata reſpectu eiuſdem obiecti infiniti, prout finitè, & inadæquatè eſt cognoſcibile, & repræſentabile: etenim vt ſic, nec excedit vim intellectiuam creatam, nec repræſentationem ſpeciei creatæ. Quod eſt communis opinionis firmiſsimum fũdamentum.

13. Species, quę eſt inferior aliquo obiecto in repręſentando eſt etiã illo inferior in eſſendo.

Ex quo infertur omnem ſpeciem, quę in repręſentando eſt inferior aliquo obiecto, ſimul etiam inferiorem eſſe in eſſendo: etenim talis ſpecies ideo in repræſentando eſt inferior, quia obiectũ in repræſentari excedit obiectum adæquatũ potentiæ: Iam verò omnia obiecta, quæ in repręſentari excedunt potentiam, habent ſuperiorem eſſendi modum, quàm potẽtia, aut ſpecies illius, vt ex dictis colliges, & diximꝰ q. 2. ar. 5. & patet inductiuè tũ in ſpeciebꝰ ſenſibilibꝰ, reſpectu obiecti intelligibilis; tũ in ſpeciebꝰ creatis reſpectu obiecti infiniti infinitè cognoſcibilis.

Et ſi vis ſpecies noſtri intellectus cõiuncti eſſe inferioris ordinis reſpectu ſubſtãtiarũ ſeparatarũ, quis dubitat ſpecies rerũ materialiũ eſſe inferiores in eſſendo ſubſtantijs ſeparatis?

14. Quid inter ſit inter inferioritatẽ in eſſendo, & inferioritatẽ in repræſentãdo?

Admittendum eſt igitur ſpeciem, quę in repræſentando per ſe eſt inferior ad aliquod obiectum, eſſe etiam inferiorem in eſſendo. Ex hoc tamen non benè inferes ſpeciem, quæ in eſſendo eſt inferior aliquo obiecto, inferiorem etiam eſſe in repræſentando: datur enim diſpar ratio inter vnam, & alteram inferioritatem: nam inferioritas in repræſentando neceſſariò infert ſuperioritatem in intelligibilitate obiecti ſuperioris, ratione cuius ita excedit potentiam in intelligendo, & ſpeciem in repręſentando, vt nullo modo contineri poſſit ſub obiecto adæquato, aut potentiæ, quoad intelligere; aut ſpeciei, quoad repræſentare. Non ita res habet in inferioritate in eſſendo, quia licèt inferat obiectum eſſe ſuperius in eſſendo: non tamen neceſſariò infert obiectum eſſe ſuperius, aut in intelligi, in ordine ad potentiam, aut in repræſentari, in ordine ad ſpeciem: & ratio eſt, quia dari poteſt obiectum ſuperius in eſſendo, quod non vno modo, ſed pluribus ſit intelligibile; & ſecundum vnum modum excedat obiectum adæquatum, & potentiæ, & ſpeciei; non tamen ſecundùm alium: etenim diuina eſſentia propter ſuam infinitatem in eſſendo, non ſolùm eſt intelligibilis infinitè ſecundum ſuam adæquatum intelligibilitatem (nimirum à ſuo intellectu:) ſed etiam finitè, ſecundùm intelligibilitatem inadæquatam. Et quamuis priori modo ſit extra obiectum adæquatum potentiæ, quoad intelligere, & ſpeciei, quoad repræſentare: tamen poſteriori modo continetur ſub obiecto adæquato vtriuſque. Quo fit, vt infinitas diuinæ eſſentię in eſſendo non ita inferat infinitatem in intelligi, vt nunquam poſsit intelligi, niſi infinitè: & eodẽ modo nõ ita infert infinitatem in repræſentari, vt nunquam niſi infinitè repræſentari queat. Itaque inferioritas ſpeciei in eſſendo reſpectu obiecti infert quidẽ obiectũ eſſe ſuperius in eſſendo: At tamen non neceſſariò infert eſſe ſuperius quoad intelligi, aut repræſẽtari: quia vt dictum eſt, ſuperioritas in eſſendo non neceſſariò infert ſuperioritatẽ in intelligendo, & repræſentando. Quod in hac materia eſt diligentiſsimè annotandum, vt omnis tollatur confuſio.

Siquis inquirat; vtrũ obiectum, quod in repræſentari eſt altioris ordinis, quàm obiectum ordinis inferioris, ſit etiam altioris ordinis in eſſendo, quã illud? Reſpondetur negatiuè: quoniam eſſentia diuina, vt eſt quoddã obiectum totaliter, & adęquatè intelligibile, eſt obiectum altioris ordinis reſpectu cuiuſcumque ſpeciei creatæ, & tamen ipſamet, vt inadæquatè intelligi poteſt, & repræſentari, eſt obiectum eiuſdem ordinis, & in intelligi, & in repræſentari cũ potẽtia, & ſpecie creata, vt ſupponimus: & tamen in ea habet idem eſſe, quod habet repręſentata per ſpeciem increatam. Hæc tam latè explicuimus, vt primi argumenti ſolutio faciliùs intelligatur, & confirmetur negatio minoris.

15. Obiectum quod eſt altioris ordinis in repręſentari, non ſemper eſt altioris ordinis in eſſendo.

§. 4.

Soluuntur argumenta, quibus minor argumẽti primi confirmatur.

His ita ſuppoſitis; ad primũ argumẽtum conceſſa maiori, neganda eſt minor; quatenùs habet omnẽ ſpeciem creatã eſſe inferioris ordinis in repræſentãdo reſpectu diuinæ eſſentiæ: id enim falſum eſt, ſi ſermo ſit de diuina eſſentia inadæquatè, & finitè à nobis cògnita. Quod ex dictis facilè oſtenditur: quoniam ſi talis ſpecies daretur (dari autem poſſe putamus) illa nec eſſet inferioris ordinis ratione potentiæ, nec ratione ſui primi obiecti: non ratione potentiæ; quia diuina eſſentia, vt eſt inadæquatè cognoſcibilis, non excedit obiectum extẽſiuè adæquatũ intellectus creati, vt docet Fides in Beatis: iam verò omne, quod eſt viſibile per notitiam creatam, eſt etiam repræſentabile per creatã ſpeciem: nec oppoſitũ aduerſarij vnquam probabũt. Nec etiam eſſet inferioris ordinis, ratione ſui obiecti adæquati, à quo per ſe ſpecificaretur: quia talis ſpecies, cum nullũ obiectũ creatum repræſentet, ſed ſolũ increatũ, non eſt inferioris ordinis ex parte ſui obiecti, vt ex dictis patet. Quare minor illa non ſine maximo fundamento negatur.

16. Ad 1. argu.

Prima probatio minoris, quæ eſt Caietani parum habet efficaciæ; nam admiſſo antecedente, negãda eſt conſequẽtia quoniã ſpeciẽ creatam eſſę in repræſentando deter-

17. Ad 1. probationem.

determinatam, & dearticulatam, licet inferat eſſe ordinis inferioris ad diuinam eſſentiam, vt eſt adæquatè intelligibilis: non tamen, vt eſt intelligibilis finitè, & inadæquatè: quia vt ſic eſt repræſentabilis ſecundùm determinatas, & dearticulatas rationes; vnde non excedit adæquatū obiectum intellectus creati, quod erat neceſſarium, vt in genere intelligibili eſſet ordinis ſuperioris ad quamcũque ſpeciē creatam. Quare ſpeciem eſſe in repræſentando dearticulatam, licet impediat poſſe repræſentare infinitum infinitè; non tamē finitè & inadæquatè: & ratio eſt; quia non eſt neceſſe, vt id, quod eſt intelligibile infinitum, ſemper infinitè intelligatur; ſed poteſt intelligi ſecundùm certas, & determinatas rationes intelligibiles: vnde licet in eſſendo nullam habeat proportionem ad intellectum creatum; eam tamen habet in intelligendo, vt inferiùs dicemus, & eam etiam habebit in repræſentando. Hæc omnia colliges ex *Scoto in 2. diſt. 3. q. 9. ad 1. Henrici, litera I. & K. quem cæteri ſequuntur.*

Scotus. Henric.

18. Ad 2. probationem.

Secunda probatio minoris eiuſdē Caietani minoris eſt efficaciæ; quoniã Ariſtot. in loco citato ſolùm dicit inter ſubſtantias æternas (quas ponit motrices orbium) dari ordinem prioris, & poſterioris ſecundùm ordinem orbium motorū, ita vt illa ſubſtantia ſit prior, quæ priorē orbem mouet: ex quo ſolùm colligitur primam ſubſtantiam eſſe alijs ſuperiorem nobilitate ſuæ naturæ, nec ibi declarat, quomodò ſe habeat quoad intelligi. Sed cum alibi doceat inferiores ſubſtantias diſtinctè cognoſcere ſuperiores, ipſam etiam primam, idque per ſuam ſubſtantiam; cum illa in eſſendo ſit ordinis inferioris, vtique admittit per repræſentatiuum in eſſendo inferius poſſe repræſentari ſuperius. Et ita argumentum potiùs eſt pro nobis.

19. Ad 3. probationem. Tunc ſumitur ſpecies formaliter, quando ſumitur in repræſentando.

Tertia eiuſdem minoris probatio ſumit maiorē falſam: quoniam ſpecies tunc ſumitur formaliter, vt eſt ſpecies, cum ſumitur in repræſentando; quia formalis ratio ſpeciei, vt eſt ſpecies, eſt repræſentatio obiecti. Iam verò ordo ſuperioris, & inferioris in repræſentando per ſe nō ſumitur ex maiori, vel minori immaterialitate. Quod & teſtimonio D. Thomę, & ratione euidenter demonſtratur. Teſtimonio quidem Diui Thomæ, quoniã *q. 3. de Veritate art. 1. ad 2.* in ſpecie duo conſiderat inter ſe diſtincta, repræſentationem ſcilicet, & immaterialitatem: *docetq́; immaterialitatem conuenire illi ex ſubiecto, in quo eſt; repræſentationem verò, ex maiori propinquitate ad obiectum.* Igitur ex D. Thoma ſpecies non ſumit repræſentationem ex immaterialite, ſed aliundè: & per conſequens ordinem repræſentationis ſuperioris, aut inferioris non ſumet ex ordine maioris, vel minoris immaterialitatis, ſed ex alio capite. Quod etiam exprimit ibidem ad tertium, dum docet cognitionem accipere ſuam immaterialitatem ex immaterialitate ſpeciei, quam habet ex potentia; determinationē verò ad cognitum ex determinatione repræſentationis ad illud ipſum. Clariùs id explicat *art. 2. ad quintum*: conſiderans enim in ſpecie duplicem reſpectum, vnũ ad obiectum, quod repræſentat; alterum ad ſubiectum, *docet ſpeciem ex priori reſpectu non dici aliqualem, hoc eſt immaterialem, ſed ex poſteriori.* Porrò, ſi ex repræſentatione non dicitur immaterialis, vtique repræſentationis ordo, non diſtinguetur ex ordine immaterialitatis.

Oſtenditur ex D. Thoma.

20. Oſtenditur ratione.

Sed ratione etiam oſtenditur falſitas maioris: quoniam fieri poteſt, vt ſpecies inferioris immaterialitatis, quam ſit immaterialitas obiecti, ſit eiuſdem ordinis in repræſentando cum obiecto immaterialiori: & è conuerſo ſpecies maioris immaterialitatis ſit in repræſentando eiuſdem ordinis cum ſuo obiecto. Primum patet in ſpecie, quę eſt in Angelo inferiori, per quam quidditatiuè cognoſcit ſuperiorem: hęc enim minus immaterialis eſt, quã Angelus ſuperior: ſumit enim ſuam immaterialitatem ex Angelo inferiori, qui eſt minus immaterialis: & tamē cum Angelum ſuperiorem quidditatiuè reprę ſentet, vt indubitatum eſt, eiuſdem erit ordinis in reprę ſentando cum illo. E conuerſo autem ſpecies obiecti materialis, v. g. hominis, aut lapidis, eſt in ſua entitate ſpiritualis; & tamen in reprę ſentãdo eſt eiuſdem ordinis cum homine, & lapide. Falſum eſt igitur, ordinem ſuperioris, & inferioris in reprę ſentatione ſpecierum per ſe eſſe ſumendum ex maiori, vel minori immaterialitate ipſarum reſpectu obiectorum.

21. Secundò idem confirmatur: quoniam ex doctrina Diui Thomæ locis citatis ſpecies ſumit ſuam immaterialitatem ex ſubiecto, in quo eſt. Ergo ex D. Thoma ordo maioris, vel minoris immaterialitatis in ſpeciebus per ſe expenditur penes inferioritatem, & ſuperioritatem ipſarũ in eſſendo, vt illa ſit inferioris, vel ſuperioris immaterialitatis, quæ in eſſendo fuerit ſuperior, vel inferior. Iam verò ordo inferior, vel ſuperior in repræſentando per ſe non ſumitur ex ordine ſuperiori, vel inferiori in eſſendo: quia fieri poteſt, vt ſpecies inferioris ordinis in eſſendo reſpectu obiecti, ſit eiuſdem ordinis cum eo in repræſentando, vt iam diximus. Meritò igitur neganda eſt maior ad tertiam iſtam confirmationem. Ad illius probationem admittimus ſpecies ſenſibiles habere infimum locum, & ordinẽ tum in eſſendo, tum in repræſentando: negamus tamen eas ex ſua infima immaterialitate habere infimam repræſentationem; hanc enim vendicant ex infima cognoſcibilitate ſui obiecti, qualis eſt cognoſcibilitas ſenſibilis, quod alibi latius oſtenditur.

22. Ad 4. probationem.

Quarta eiuſdem minoris confirmatio vel ſumit maiorem apertè falſam, vel minorem: nam ſi maior intelligatur, quòd ſpecies diuinæ eſſentiæ debeat participare eſſe diuinum ſecundùm eundem immaterialitatis modum, quem realiter habet in Deo; propoſitio in quacũque ſpecie repugnat Philoſophiæ: quia eſſe, quo obiectum in ſe exiſtit, eſt reale, & immaterialitas ſimiliter eſt realis. Iam verò ſpecies in repræſentando non poteſt habere eſſe ſui obiecti, niſi intentionaliter; quia non realiter, ſed intentionaliter eſt ſuum obiectum, vt docent Philoſophi in 3. *de Anima cap. 4. text. 8. & cap. 5. text. 18. & cap. 7. tex. 36. & cap. 8. text.* 38. dum explicant celebre Ariſtotelis axioma: *Intellectus, dum recipit ſpeciem rei, eſt ipſa res:* non ſecundùm eſſe reale; quod in ſe habet, ſed ſecundùm eſſe intentionale, & intelligibile, vt ſuprà latè oſtendimus, & docet D. Thomas *quodlibet. 8. artic.* 4. ita ſcribens: *Vnde ſpecies intelligibilis, eſt ſimilitudo ipſius eſſentiæ rei, & eſt quodammodò ipſa quidditas, & natura rei ſecundum eſſe intelligibile, non ſecundum eſſe naturale, & prout eſt in rebus.* Si verò maior intelligatur quod ſpecies diuinæ eſſentiæ, vt in repræſentando ſit eiuſdem ordinis cum illa, debeat intentionaliter participare eſſe diuinum ſecundum eundem modum immaterialitatis, quem diuina eſſentia habet in ſe ipſa; adhuc poteſt habere falſum & verum ſenſum; falſum, ſi intelligatur, quòd ſpecies diuinæ eſſentiæ debeat in repræſentando intentionaliter participare eſſe diuinum ſecundum omnẽ, & adęquatam immaterialitatem, & intelligibilitatem, quam diuinum eſſe habet in ea: nam cum eodem modo intentionaliter participet eſſe Dei, quo illum repræſentat; illum autem non repræſentet totaliter, & adæquatè; vtique ſicut ſecundùm eſſe intentionale, non eſt totaliter Deus; ita nec totaliter, & adæquatè participabit diuinum eſſe. In hoc igitur ſenſu maior eſt falſa: quia poteſt ſpecies eſſe eiuſdem ordinis in repræſentando cum diuina eſſentia, quanuis diuinum eſſe non participet adęquatè, ſed inadęquatè.

Immaterialitas ſpeciei non eſt realis, ſed intẽtionalis.

D. Thom.

Probationes autem, quibus maior cõfirmatur, eodem pede claudicant. 23. Ad primam admittimus ſpeciem eſſe eiuſdem ordinis in repræſentando cum re repræſentata in hoc conſiſtere, quòd in repræſentando habeat cum ea ſimilitudinem: negamus tamen hanc ſimilitudinem habere non poſſe cum diuina eſſentia, niſi adæquatè, & totaliter participet eſſe illiꝰ. Quod etiam verum eſt in ſpecie rei creatæ: nam vt dicemus inferiùs, vt ſpecies in repræſentando ſit eiuſdem ordinis cum obiecto creato, non neceſſe eſt, vt adæquatè participet eſſe illius, ſed ſatis eſt, quod participet illud, quanuis non totaliter: ſpecies enim Angeli inferioris eſt eiuſdem ordinis in repræſentando cum ſuperiori (etenim totam illius quidditatem repræſentat) & tamen illam non repræſentat totaliter, aut comprehenſiuè, iuxta ſententiam doctiſsimorum Theologorum. Idem reperitur in ſpecie hominis, quę eſt in noſtro intellectu: hęc enim eſt eiuſdem ordinis cum homine in repræſentando: & tamen non totaliter repræſentat illum; de quo latiùs inferiùs. Secunda eiuſdem maioris probatio vt vera ſit indiget explicatione: eam in hoc ſenſu admittimus, vt repræſentatio, quæ fit per modum immaterialitatis obiecti in hoc ſenſu, quia repræſentat immaterialitatem

tatem eius: ex quo nõ bene infertur, nullam ſpeciem poſſe in repræſentando eſſe eiuſdem ordinis cum obiecto, niſi adæquatè, & totaliter habeat eandem immaterialitatem ſecundùm eſſe intentionale, quam habet obiectum: quia ſatis eſt, ſi intentionaliter habeat totam illius immaterialitatem, quanuis inadæquatè, vt ſuprà diximus. Tertiam probationem maioris aſſumere antecedens falſum ex dictis patet: cuius confirmatio tangit cauſam deceptionis: quia putat Cabrera cum quibuſdam alijs omnem repręſentationẽ quidditatiuam obiecti eſſe adæquatam illi, quod eſſe falſum inferiùs patebit.

Igitur maior, de quo agimus, omninò
24. eſt falſa, ſi ita intelligatur, vt ſpecies diuinę eſſentiæ in repręſentando debeat intẽtionaliter participare eſſe diuinum ſecundùm adęquatam immaterialitatem, & intelligibilitatem, quam habet in diuina eſſentia: id enim non requiritur, vt abſolutè ſit eiuſdem ordinis cum illa. Erit tamen vera, ſi ita intelligatur, vt debeat participare in repræſentando totum diuinũ eſſe, non tamen totaliter & adæquatè: in quo ſenſu minor eſt falſa, de quo plura in ſolutione ſecundę rationis principalis. Et hæc ſatis dicta ſint pro ſolutione primi argumenti principalis.

ARTICVLVS IIII.

Pro ſolutione ſecundi argumenti expenditur, Vtrùm obiectum, quod eſt ſuum eſſe, requirat ſpeciẽ, quæ in repræſentando ſit ſuum eſſe?

IN hoc articulo ſoluenda eſt ſecunda ratio poſita art. 1. §. 2. quæ tangit fundamentum aduerſariæ ſententiæ, ideò non contemnendum, quia ſumptum eſt ex Diuo Thoma: & plures putant illud non ſolùm eſſe certiſsimum, ſed etiam efficaciſsimum ad expugnandam noſtram ſententiam: & omnes hallucinari, qui eo non conuincuntur ad aſſerendam impoſsibilitatem ſpeciei creatæ, de qua agimus. Porrò noſtræ ſententiæ patroni in eo vel nihil, vel parum difficultatis inueniunt: adeò, vt plures nullam illius faciãt mentionem. Et verè parùm vrget, ſi ſublata omni æquiuocatione benè intelligatur Philoſophia, quæ aduerſarijs eſt cauſa deceptionis.

§. 1.

Adducitur communis ſolutio.

AD argumentũ igitur conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quam negauit Aureolus apud *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 5. artic. 2. §. Ad 1.* quem *ſequuntur Nouiores, Molin. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. ad ſecundam rationem D. Thomæ in fine diſput. vbi etiam Pezant. diſp 1. concl. 3. Suarius 2. de Attributis negatiuis, cap. 13. n. 19. Bellomont. 1. p. diſp. 38. cap. 4. n. 19. Ex Scotiſtis Rada 1. p. controu. 10. art. 1. poſt quartam concluſionem ad 2. pro ſententia Diui Thomæ, pag. 139. col. 1. & communiter alij*: qui omnes in eo conueniũt, vt neceſſarium nõ ſit ſpeciem eſſe ſuum eſſe, ſi debet repræſentare Deum, qui eſt ſuum eſſe. Ad probationem conſequentiæ negant Caietano Deum, ex eo quòd eſt ſuum eſſe, non poſſe repræſentari, niſi per ſpeciem, quæ ſit ſuum eſſe. Fundamentum ex eo ſumunt, quia non neceſſe eſt, ſpeciem habere eſſe per ſe ſubſiſtens, vt repræſentet ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem: nec ſimiliter neceſſe eſt ſpeciem habere eſſe intellectiuum, ſi debet repræſentare naturam intellectiuã. Igitur eadem ratione non erit neceſſe ſpeciem eſſe ſuum eſſe, vt repræſentet Deum, qui eſt ſuum eſſe. Quod adhuc indè confirmant, quoniam viſio beata non eſt ſuum eſſe; & tamen repræſentat Deum, qui eſt ſuum eſſe: verbum etiam diuinæ eſſentiæ apud eos, qui illud admittunt, repræſentat diuinam eſſentiam, quæ eſt ſuum eſſe; cum tamen non ſit ſuũ eſſe. Quæ omnia efficaciter conuincunt ſpeciem habere poſſe diuerſum eſſendi modum ab eo, quẽ habet res per eam repræſentata: nec enim repræſentatio ſpeciei fundatur in eſſe, quo eſt, ſed in conformitate, & conuenientia repræſentantis ad rem repræſentatam, vt. ſ. repræſentet rem, ſicut ipſa eſt in ſe, vt ait *Aureol. vbi ſuprà, conſentiũt Bellomontanus loco citato cap. 4. nu. 18. & Suarius vbi ſuprà*, de quo plura inferiùs: Iam verò hæc conformitas, & conueniẽtia in repræſentando dari poteſt, & de facto datur inter ſpeciem repręſentantem, & rẽ repræſentatam, quanuis ſpecies, non habeat eſſe rei repræſentatæ, nec modum eſſendi illius.

1. Ad 2. arg. *Aureolus. Recẽtiores*

Non eſt neceſſariũ ſpeciẽ eſſe ſuũ eſſe, vt Deũ repræſẽtet.

Aureol. Recent.

§. 2.

Reſponſio Thomiſtarum ad præcitatas inſtantias.

2. Hanc tamen argumẽti ſolutionem multis impugnant defenſores allatæ rationis, ſ. *Caiet. in dict. q. 12. art. 2. §. Ad euidentiam horum ſcito; & §. 2. quoque ratio, Ferrar. 3. contra gentes cap. 49 in 5. ratione Diui Thomæ, Hiſpalenſis in 4. diſt. 49. q. 5. artic. 4. ad argumenta Aureoli contra primam, fol. 221. col. 2. §. Nec valet ſecunda reſponſio. Cabrera. 3. p. q. 11. art. 1. diſp. 5. §. 6. n. 161. & 162. Nauarrete 1. p. controuerſia. 34. §. 2. fol. 195. col. 3. in principio, & §. 8. fol. 218. col. 2. Capreol. in 4. d. 49. q. 5. art. 3. ad argumenta Aureoli primo loco contra primam, fol. 213. col. 1. & Soncinas ibidem concl. 1. fol. 90. col. 2. §. Secunda etiam non valet.*

Caietan. Ferrarien. Hiſpal. Cabrera. Nauarr. Capreol. Soncin.

3. *Species dupliciter ſumitur ſecũdum Thomiſtas.* Pro impugnatione igitur ſolutionis ſuperiùs allatæ, omnes cum Caietano aduertunt ſpeciem intelligibilem duobus modis ſumi poſſe: vno modo formaliter; altero materialiter. Formaliter ſumitur, vt eſt quoddam repræſentatiuum; materialiter verò, cum ſumitur ſecundùm id, quod eſt. Addunt deinde, ſpeciem, cum conſideratur formaliter, conſiderari per ſe, & ſecundùm ea, quæ illi per ſe conueniunt, quatenus eſt ſpecies: per ſe autem illi conuenit eſſe quoddam repræſentatiuum alterius: conſiderari tamen per accidens, cum conſideratur materialiter; quia vt ſic, conſideratur ſecundùm ea, quæ illi conueniunt per accidens: etenim ſpecies materialiter ſumpta interdum eſt accidens, interdum verò ſubſtantia: vnde ſpecies, qua homo intelligit lapidem, materialiter ſumpta, atq; in eſſendo, eſt quoddam accidens, vt patet: ſpecies verò, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, eſt ſua ſubſtantia; & ſpecies, qua beatus videt Deũ, eſt ipſa diuina eſſentia: indè inferunt ſpeciei intelligibili; vt eſt ſpecies, per accidẽs conuenire eſſe ſubſtantiam, vel accidens.

4. Hac diſtinctione præmiſſa, inquiunt ſpeciem materialiter ſumptam, & per accidens non neceſſariò habere idem eſſe cum re repræſentata; benè tamen prout formaliter ſumitur. Species igitur ſubſtantiæ, ſi ſumatur materialiter, & in eſſendo, non habet eſſe ſubſiſtens, ſed inhærens, quia in eſſendo eſt verum accidens: at verò, ſi ſumatur formaliter, vt eſt quoddam formale repræſentatiuum ſubſtantiæ, non poteſt non habere eſſe per ſe ſubſiſtens. Quòd verò ſpecies formaliter accepta neceſſariò habeat idem eſſe cum re repræſentata, putant ſe euidenter probaſſe. Cum verò in hac quæſtione ſermo ſit de ſpecie, non vt ſumitur materialiter, & ſecundùm ea, quæ habet in eſſendo; ſed formaliter, & ſecundùm ea, quæ illi conueniunt, vt formaliter eſt ſpecies; fatendum eſt, inquiunt, ſpeciem non poſſe repræſentare rem, niſi in ſuo proprio eſſe habeat idem eſſe cum illa, licet in alio eſſendi modo. Cum verò impoſsibile ſit, ſpeciem creatam in aliquo modo eſſendi eſſe ſuum eſſe, quia hoc proprium eſt ſolius Dei; impoſsibile etiam erit dari ſpeciem creatam, quæ ſit ſpecies diuinæ eſſentiæ.

Ex hac Thomiſtarũ Philoſophia benè infertur expugnatio ſolutionis ſuperiùs allatæ: deficit enim, inquiũt, in ſuo fundamẽto, quia nõ diſtinguit inter ſpeciẽ sũptam materialiter, & formaliter: nam ſpecies ſubſtantiæ licèt materialiter accepta non habeat eſſe per ſe ſubſiſtens; nec ſpecies naturæ intellectiuæ habeat eſſe intellectiuum; tamen, ſi vtraque formaliter ſumatur, quæ eſt ſpecies ſubſtantiæ, habet eſſe ſubſiſtens per ſe, & quæ eſt hominis, habet eſſe intellectiuum, in alio tamen eſſendi modo. Concludit ergo Caietan. deceptionẽ ex eo cauſari, quia inter duo illa non diſtinguitur. 5.

§. 3.

Impugnatur præcedens Philoſophia.

Hoc Thomiſtarum fundamentum deberet à noſtris impugnari; quoniam ſi verum foret, nõ ſolùm expugnaret datam ſolutionem, ſed euidenter demonſtraret impoſſibilitatẽ ſpeciei, quam inquirimus. Quare in hoc innitemur, vt expugnemus hanc, quam excogitarunt, Philoſophiam. 6.

In hac doctrina illud diſplicet, quod in ea loquantur Thomiſtę de ſpecie intelligibili, vt abſtrahit ab ſpecie, quę eſt ſubſtantia, & ab ea, quę eſt accidens: cum tamen in hac quęſtione ſolùm ſermo ſit de ſpecie, quę ex ſua natura ſolùm eſt formalis repręſentatio alterius, vt aduertim⁹ 7. *Impugnatur Thomiſtarum fundamentum.*

ſuprà

ſuprà 1. p. q. 3. in principio: de qua ſola agit Diuus Thomas in omnibus locis, in quib⁹ agit de impoſſibilitate ſpeciei, quæ diuinam eſſentiam repræſentat. Et meritò; quia hæc ſola propriè eſt ſpecies intelligibilis: ſubſtantia enim Angeli, & diuina eſſentia propriè non ſunt ſpecies, ſed ideò ſpecies dicuntur, quia ſubeunt locum illius ſpeciei, quæ ſimpliciter eſt ſpecies: iam verò quod dicitur tale, quia ſubit vicem eius, quod ſimpliciter eſt tale, ſimpliciter non eſt tale: nec enim prorex ſimpliciter eſt rex. Deindè in hac quęſtione ſolùm eſt controuerſia de ſpecie, quæ eſt accidens formaliter repræſentatiuum alterius: cum indubitatum ſit dari non poſſe ſubſtantiam creatam, quæ aut ſit formalis ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, aut ad illam videndam poſsit ſe habere ad inſtar ſpeciei.

Subſtantia non eſt propriè ſpecies

8. Species nõ abſtrahit à ſubſtantia, & accidẽti.

Secundò; illud diſplicet in eadem doctrina, quod docent ſpeciem, vt eſt ſpecies, reduplicare rationem repræſentatiui, vt abſtrahit à repræſentatiuo, quod eſt accidens (qualis eſt ſpecies repræſentans hominem) & ab eo, quod eſt ſubſtãtia, qualis eſt diuina eſſentia in viſione beata, & ſubſtantia Angeli in cognitione ſui; tum; quia in hac controuerſia non eſt ſermo de illa ſpecie ſumpta in tali abſtractione, vt diximus: tum etiam; quia ab vtraque illa ſpecie vix abſtrahi poteſt aliqua communis ratio etiam analoga, ſicut à rege, & prorege vix abſtrahi poteſt vna communis ratio regis. Quare ſicut quando diſputatio ſimpliciter eſt de rege, rex, vt rex, non reduplicat rationem regis communem proregi; ſed eam, quæ ſimpliciter verè eſt ratio regis: ita ſimiliter in propoſito: maximè cum reduplicatio illa communis ad ſpeciem, quæ verè eſt ſpecies, & ad eam, quæ ideò dicitur ſpecies, quia habet locum ſpeciei, nihil ad inſtitutum conducat, vt ex dicendis patebit.

9. Species per ſe eſt accidens.

Tertio loco, illud maximè diſplicet quod docent ſpeciem, vt formaliter eſt ſpecies, non per ſe, ſed per accidens eſſe accidens, & inhærens. Falſitas huius doctrinæ euidenter oſtenditur: quoniam, vel ſermo eſt de ſpecie in abſtractione, quam fingunt: vel de ſpecie, quæ ſub illa communi ratione continetur.

10. Si ſermo eſt de ſpecie in ficta illa abſtractione: licet illa per accidens ſit, aut ſubſtantia, aut accidens, per accidens inquam, id eſt extrinſecè: tamen vt contracta ad quodlibet membrorum inferiorũ non per accidens erit ſubſtantia, aut accidens, ſed per ſe: nam licèt animali, vt abſtrahit ab homine, & à bruto, per accidẽs conueniat eſſe, aut hominem, aut brutũ; quia ex Ariſtotele differentia accidit generi; animali tamen contracto ad hominem, aut ad brutum, per ſe conuenit eſſe hominem, & eſſe brutum; quia hoc animal. ſcil. homo eſſentialiter eſt homo, & hoc animal. ſ. brutum, eſſentialiter eſt brutum; idem reperitur in ente, vt analogicè abſtrahit à ſubſtantia, & accidente: licet enim ens, vt ens eſt, per accidens habeat, quod ſit, aut ſubſtantia, aut accidens: tamen in ſubſtantia per ſe eſt ſubſtantia; & in accidente per ſe eſt accidens. Quare, ſicut non valet hæc conſequentia, *enti, vt ens eſt, per accidens conuenit eſſe ſubſtantiam, aut accidens; ergo enti ſubſtantiæ per accidens conuenit eſſe ſubſtantiam; & enti accidenti, per accidens conuenit eſſe accidens.* Ita non valet iſta: *ſpecies, vt ſpecies eſt, per accidens habet, quod ſit ſubſtantia, & quod ſit accidens. Ergo ſpecies, quæ eſt ſubſtantia, per accidens eſt ſubſtantia; & ſpecies, quæ eſt accidens, per accidens habet, quod ſit accidẽs.* Imò ſuperius, quod ab inferioribus abſtrahitur, non per accidẽs, ſed per ſe contrahitur ad ſua inferiora: vnde nec differentiæ generis per accidẽs diuidunt genus, ſed per ſe; nec modi eſſendi entis per accidens contrahunt ens ad ſubſtantiam, & ad accidens. Quare euidenter patet, aduerſarios in hoc ſenſu (ad quem recurrunt) malè philoſophari.

11. Si verò ſermo ſit de ſpecie, quæ eſt mẽbrum inferius ad ſpeciem ſumptam in ſua abſtractione, euidentiùs demonſtrabitur ſpeciem formaliter ſumptam eſſentialiter eſſe accidens. Pro quo ſupponimus, ſpeciem v. g. hominis ex ſua natura eſſe quandam formam de prædicamẽto qualitatis, quæ materialiter ſumpta eſt qualitas; formaliter autem eſt repræſentatiua hominis. Hãc materialiter acceptam per ſe eſſe accidens fatẽtur aduerſarij. Quod illa eadem formaliter ſumpta non per accidens, ſed per ſe ſit accidens, euidenter demonſtratur; quia formalis illa repræſentatio, qua formaliter eſt ſpecies, eſt diffe-

differentia ſpecifica, qua conſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico ſpeciei: etenim cũ ſpecies illa hominis ſit natura quædam ſpecifica de prædicamento qualitatis, vt patet, non poteſt non componi ex genere, & differentia: genus eſt qualitas, & habet rationem materię; differentia autem, qua qualitas contrahitur ad hanc ſpecificam qualitatem, eſt ipſa formalis repræſentatio, qua qualitas per ſe conſtituitur in eſſe, eſſentiavè ſpeciei intelligibilis. Cum verò natura ſpecifica accidentis prædicamentalis non poſsit eſſentialiter componi, niſi ex accidentibus, ſicut ſubſtantiã, niſi ex ſubſtantijs, ſit, vt ſpecies illa hominis eſſentialiter ſit accidens, nõ ſolùm ſecundùm eſſe qualitatis, quod eſt genericum, & veluti materiale, ſed etiam ſecundum eſſe formale repræſentatiui, ex quo habet, quòd formaliter ſit ſpecies. Concedendum eſt igitur ſpeciem hominis eſſentialiter eſſe accidens, ſiue ſumatur materialiter, vt eſt qualitas, ſiue formaliter, vt eſt repræſentatiua hominis. Quis enim Philoſophiam, vel primis, vt aiunt, labris attingens admittet illud eſſe formalis repræſentatiui eſſe differentiam per ſe conſtitutiuam vnius naturæ ſpecificæ de genere qualitatis, & ſimul admittat eam eſſe ſubſtantiam, & non verum accidens: ſi verò vt vim demonſtrationis quis elidat, neget ſpeciem intelligibilem eſſe vnam naturam per ſe, & aſſerat eſſe vnum compoſitum veluti accidentarium ex qualitate, & ex ſubſtantia, irridendus potiùs erit, quàm impugnandus.

12. Ex dictis euidenter colliges, quàm ſit alienum à vera Philoſophia, quod Caiet. cum cæteris tam cõſtanter affirmat, ſpeciem formaliter ſumptam, id eſt, ſecundũ eſſe, quod habet, vt eſt formalis repræſentatio, habere idem eſſe cum re repræſentata; & ſubindè ſpeciem ſubſtantiæ formaliter, & eſſe ſubſtantiam, & habere eſſe ſubſiſtens: non quidem illud naturale, quod ſubſtantia repræſentata habet à parte rei; ſed in aliquo eſſendi modo, reali tamen. Hoc autem non ſolùm eſſe falſum, ſed in Philoſophia paradoxum, ex dictis euidenter demõſt[illegible]tur: indè enim infertur naturam accidentariam de prædicamento qualitatis eſſentialiter componi ex accidẽte, & ſubſtantia: illa enim ſpecies eſt vera natura ſpecifica, quæ materialiter eſt quędam qualitas, formaliter verò eſt realiter ſubſtantia. Non poteſt igitur Caietani doctrina vel apparenter defendi, niſi dicatur ſpeciem illam eſſe vnũ ens per accidens: quæ reſponſio potiùs riſu digna eſt, quàm impugnatione; quia omnes admittunt ſpecies intelligibiles tam noſtri, quàm Angelici intellectus eſſe qualitates prædicamentales eſſẽtialiter conſtitutas in eſſe ſpeciei intelligibilis per formalem repræſentationem, reſpectumque tranſcendentalem ad res repręſentatas, vt omittamus Philoſophiã talis cõpoſiti omninò eſſe monſtruoſam.

§. 4.

Solutio ſecundi argumenti principalis.

Expugnata aduerſariorum peregrina Philoſophia, redeamus ad ſolutionem ſecundi argumenti principalis, cuius ſolutionem incœpimus §. 1. Communis ſolutio admittit antecedens, nullam. ſ. ſpeciem creatam eſſe poſſe ſuũ eſſe: negat tamen indè bene inferri nullã dari poſſe ſpeciem creatam, quæ Deum diſtinctè repræſentet. Ad probationem conſequentiæ negauimus Deum ex eo, quòd eſt ſuum eſſe, non poſſe repræſentari, niſi per ſpeciem, quæ ſit ſuum eſſe: nec enim neceſſe eſt, vt ſpecies formaliter habeat idem eſſe, quod habet res repræſentata; vt patet in ſpecie ſubſtantiæ, & in ſpecie naturæ intellectiuæ, & denique in ſpecie expreſſa diuinæ eſſentiæ, quæ eſt in beatis, ſiue illa ſit viſio, ſiue verbum, vt habes ſuprà in §. 1. Quare ſupereſt expendere probationes, quibus illa confirmatur, adductas ſuprà §. 2. 13. Ad 2. argu. principale.

Ad primam probationem admittimus ſpeciem in intellectu eſſe formam rei repræſentatæ; id enim diſertis verbis ſcribit Ariſtoteles 3. *de Anima cap.* 8. *tex.* 38. dum ait: *lapis non eſt in anima, ſed forma lapidis*: dicimus tamen ſpeciem in intellectu eſſe formam rei repræſentatæ, nõn in eſſendo, ſed in repræſentando, aſsimilandoque, vt docet D. Thomas *de Veritate, q.* 8. *art.* 1: antecedente autem admiſſo in hoc ſenſu, conſequentia, ſicut eſt inutilis, vt inferat ſpeciem lapidis habere eſſe reale lapidis ad extra, vt Caietanus concedit ex Diuo Thoma; ita etiam inutilis eſt, vt inferat 14. Ad 1. confirmat. *Ariſt.* Species eſt forma rei re præſentatę. *D. Thom.*

inferat ſpeciem lapidis habere eſſe ſubſtantiale lapidis in aliquo reali eſſendi modo: quis enim Philoſophus admittet ſpeciem lapidis, vt formaliter eſt talis, facere intellectum eſſe ſubſtantialiter lapidem in aliquo reali eſſendi modo? iam enim demonſtrauimus ſpeciem lapidis, vt formaliter eſt repræſentatiua lapidis, eſſentialiter eſſe accidens de genere qualitatis, conſtitutum in tali ſpecie per formalem illam repræſentationem, tanquam per vltimam differentiam conſtitutiuam ſpeciei in eſſe ſpeciei intelligibilis. Quomodò igitur in illo formali eſſe repræſentatiui dabit eſſe ſubſtantiale in aliquo reali genere eſſendi? At, inquit Caietanus, niſi ſpecies det tale eſſe, non poterit eſſe forma & ſimilitudo lapidis. Sed iſta cõſequentia infirmior eſt, quàm præcedẽs: continet enim apertam petitionem principij, dum ſupponit formam lapidis, quæ in repræſentando eſt talis, non poſſe repræſentare lapidem, niſi in aliquo eſſendi modo habeat eſſe ſubſtantiale lapidis; quod tanquam improbabile negamus: nec ſane ſine fundamento ſũpto non ſolùm ex vera Philoſophia, quam explicauimus; ſed etiam ex doctrina D. Thomæ, & antiquorum Philoſophorũ; etenim Diuus Thomas *in dicta quæſtione*

D. Thom. 8. *de Veritate artic.* 1. in eo ſenſu vult ſpeciem lapidis eſſe formam lapidis in repræſentando, eiuſque formalem ſimilitudinem, quia in repræſentando habet conuenientiam cum lapide, ita enim ait: *In omni cognitione, quæ eſt per ſimilitudinem, modus cognitionis eſt ſecundùm conuenientiam ſimilitudinis, ad illud, cuius eſt ſimilitudo; & dico conuenientiam ſecundùm repræſentationem; ſicut ſpecies in anima conuenit cum re, quæ eſt extra animam non ſecundùm eſſe naturale*. In repræſentando autem ideò conuenit cum re repræſentata, quia talem eam repræſentat, qualis ipſa eſt in ſe, vt idem Diuus Thomas expreſſè ſcribit in tertio *de Anima capite* 7. *lectione*. 12. *comment. penultimo*, ita inquiens, *& omnino intellectus in actu per ſpeciem, eſt res intellecta; quia ſicut res in ſua ratione habet materiam, vel non habet, ſic ab intellectu percipitur*. Quare ex Diuo Thoma ſpecies lapidis in anima eſt forma lapidis in repræſentando, quia in repræſentando habet conuenientiam cũ lapide, vt eſt à parte rei: habet autem hanc conuenientiam, quia talem illum repræſentat, qualis ille eſt in ſe: & hæc fuit omnium Ariſtotelis interpretũ explicatio *in libro*. 3. *de Anima capite ſeptimo, textu* 36. ad illa verba: *omnino autem intellectus in actu eſt res ipſa*: ſcilicet ſecundùm repræſentationem, quatenus informatus ſpecie talem illam repræſentat, & concipit, qualis ipſa in ſe eſt: ita *Ægidius, Apollinaris, Venetus, Nymphus, Pallatius cum cæteris interpretibus*. Hæc autem repræſentatio & conuenientia poteſt cõuenire ſpeciei alicuius ſubſtantiæ, quanuis eſſe, quo eſt formaliter repræſentatiua, non ſit ſubſtantiale, ſed accidentale: nec oppoſitum vlla vel aparenti ratione oſtendi poteſt. Quare, ſi ſpecies ſubſtantiæ formaliter, vt eſt repræſentatiua, poteſt repræſentare ſubſtantiam, quanuis in nullo eſſendi modo habeat eſſe ſubſtantiale; neceſſariò infertur ſpeciem formaliter ſumptam non neceſſariò habituram fore in aliquo eſſendi modo, illud ipſum eſſe, quod habet res repræſentata: & per conſequens nihil cogere, vt ſpecies repræſentatiua Dei formaliter ſumpta ſit ſuum eſſe in aliquo eſſendi genere.

Ex dictis patet ſolutio ad ſecundam confirmationem: quoniam ſpecies in mente, ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, eſt ipſa res repræſentata ſolùm in repræſentando; quatenùs ſcilicet eam talem repræſentat, qualis ipſa eſt in ſe, vt immediatè diximus. Species igitur hominis in mente eſt homo, ideò, quia hominem taliter repræſentat, qualis in ſe eſt: indè autem non benè infertur, ſpeciem in aliquo reali eſſendi modo habere eſſe ſubſtantiale hominis: quia benè poteſt hominem repræſentare, quanuis formaliter ſumpta habeat eſſe accidentale. Idem igitur dicendum eſſet de ſpecie repræſentatiua Dei: ſicut enim formaliter ſumpta eſſet accidens, ita formaliter ſumpta haberet eſſe accidentarium, quod in repræſentando haberet conuenientiam cum eſſe diuino; quatenus ita illud repræſentaret, ſicut illud eſt à parte rei; inadæquatè tamen, vt ſtatim dicemus. 15. Ad 2. confirmat.

Eodem modo ſoluitur tertia confirmatio; quoniam ſpecies in eo ſenſu eſt 16. Ad 3. confirmat.

eiuſdem rationis in repræſentando cum re repræſentata, quia talẽ eam repræſentat, qualis ipſa eſt, vt ex dictis patet, & aduertunt Suarius libro ſecundo de Attributis negatiuis capite decimo tertio, numero 13. & 14. & Bellomontan. prima parte, diſputatione. 38. capite quarto, numer. 18. & 19. Valentia 1. tomo, diſp. 1. q. 12. puncto 2. pag. 187. & 188. Similitudo igitur & conuenientia, quam in repræſentando cũ re repræſentata habet ſpecies, cum ſit formalis, non fundatur in identitate, & vnitate alicuius naturæ, quæ in vtroq; extremo ſit eiuſdem rationis, vt malè aduerſarij ſupponũt; ſed ſolùm in vnitate adæquationis in repræſentando vnius ad alterum, quæ, vt diximus, in eo eſt poſita, vt ſpecies talem repræſentet rẽ, qualis illa eſt: & in hac vnitate fundatur relatio ſimilitudinis, quam ſpecies repræſentans habet ad rem repræſentatam: quæ relatio alterius eſt rationis à relatione ſimilitudinis; quæ reperitur inter duo alba: hæc enim fundatur in vnitate eiuſdem naturæ, & dicitur relatio æquiparentiæ, & eiuſdem denominationis in vtroque extremo: illa autem fundatur in ſola vnitate, & identitate adęquationis in repræſentando, & eſt relatio diſquiparantiæ, quia vnum extremum eſt ſimile in repræſentare rem, vt ipſa eſt; alterum verò in repræſentari eo modo, quo eſt. Iam verò non repugnat dari hanc identitatem repræſentationis inter Deum, & ſpeciem creatam, quando eſt inadęquata, vt ſæpè dictum eſt.

Recentiores.

Similitudo inter ſpeciẽ & rem repræſentatã fundatur in vnitate adęquationis in repræſentãdo.

Relatio ſpeciei ad rem repręſentatam eſt diſquiparãtię.

17. Ad 4. probationem.

Quarta probatio tangit difficultatem explicandam inferiùs in ſolutione quarti argumenti principalis: vtrùm. ſ. ſpecies debeat eſſe immaterialior, vel ſaltẽ ęquê immaterialis cum ſuo obiecto. Quod verô ad rem pertinet, ex dictis patet quàm inefficax ſit hæc confirmatio: etenim, ſi daretur ſpecies Dei, in eodem ſenſu participaret eſſe diuinum, & diuinam immaterialitatem, actualitatemque, in quo eſt eiuſdem ordinis cum Deo. Quare cum in hoc ſolo ſenſu ſit eiuſdem ordinis in repræſentando, quia talem repræſentat Deum, qualis Deus eſt in ſe, quanuis non totaliter; ita etiam in repræſentando eſt eiuſdem immaterialitatis cum Deo, quia immaterialitatem diuinam talem repræſentat, qualis ipſa in ſe eſt, quanuis non totaliter. Quare ſicut non oportet, vt ſpecies creata Dei ita participet eſſe diuinũ, vt in aliquo reali eſſendi modo ſit ſuum eſſe, vt ſæpè diximus: ita non eſt neceſſe, vt ita participet diuinam immaterialitatem, vt in aliquo reali modo eſſendi ſit eiuſdem immaterialitatis, & actualitatis. Ad argumentum igitur neganda eſt maior, cuius probationes nullius ſunt momenti. Prima continet falſam aſſumptionem; quia vt ſpecies ſit eiuſdem rationis in repræſentando cum re, ſatis eſt, quòd eam repræſentet, vt ipſa eſt in ſe; in hac enim repræſentationis vnitate poſita eſt identitas rationis in repræſentando. Hoc autem præſtare poteſt ſpecies, quanuis ſit accidens, quatenus eſt formaliter repræſentatiua. In ſecunda probatione illa propoſitio: *repræſentatio per ſpeciem eſt per modum immaterialitatis*, parit confuſionẽ, imò deceptionẽ, niſi explicetur: ſi enim ſenſus eſt, quòd ſpecies intelligibilis ſolùm repræſentat immaterialia; falſa eſt, vt patet: vera autem ſi ſenſus eſt, quod ea, quæ repræſentat; repræſentat immaterialiter: ſed in hoc ſenſu futilis eſt conſequẽtia. Et futilior eſt tertia probatio: quia vt ſpecies in repræſentando ſit eiuſdem ordinis cum re repræſentata, non oportet, vt in repræſentando ſit obiecto adæquata, & illius comprehenſiua, vt inferiùs dicemus; ſed ſatis eſt, quòd res repræſentata eo modo, quo repræſentatur, contineatur ſub obiecto extenſiuè adæquato intellectus, in quo recipitur, vt diximus ad primum argumentum principale. Nec opus eſt, vt ſpecies rem aliquam quidditatiuè repræſentans, repræſentatiuè contineat, quidquid in re repræſentata eſt repræſentabile; ſed ſatis eſt, quòd ſub aliqua ratione illi eſſentiali eam repræſentet, vt dicemus: hoc autem facere poteſt, quanuis non ſit ſuum eſſe, vt ſæpè diximus.

Non oportet quod ſpecies Deum repræſentãs ita ſit immaterialis, atq; Deus ipſe.

Quàm debilis ſit quinta probatio èx Nauarrete, vel cæcus videbit: admittimus enim omnem ſpeciem creatam eſſe in repræſentando limitatam & finitam: inde autem inferre, nullam poſſe repræſentare obiectum infinitum, arguit craſſam huius Theologiæ ignorantiam, quia ſupponit infinitum non niſi infinitè repræſentari poſſe, quod in hac materia deceptionem cauſat; nam ſicut infinitũ po-

18. Ad 5. probationem.

Infinitum poteſt repræſentari finitè.

poteſt cognoſci finitè; quia Deus finitè cognoſcitur à beatis; ita finitè repræſentari poteſt: quia omne intelligibile eo modo poteſt repræſentari, quo eſt cognoſcibile, quod eſt noſtræ opinionis inconcuſſum fundamentum, de quo ad tertiam rationem principalem.

19. Ad 6. probationem. Sexta eiuſdem auctoris probatio in priori diſcurſu non ſeruat modum loquẽdi philoſophicum: quoniam repræſentatio ſpeciei non conſequitur ad entitatem illius, tanquam proprietas conſequens eſſentiam, ſed eſt differẽtia, qua ſpecies per ſe primò cõſtituitur in eſſe ſpeciei, vt idẽ auctor immediatè admiſit, quare non eſt proprietas, ſed eſſentia. Ad argumentum ergo concedimus repræſentationem ſpeciei realem eſſe, & naturalem: ſimul etiã admittimus eam in hoc ſenſu fundari in aliqua entitate reali, quia intrinſecè conſtituit qualitatem quandam repræſentatiuam alterius. Vnde in eodem ſenſu admittenda eſt conſequentia prioris diſcurſus; minor verò poſterioris, ne æquiuocatione confuſionem pariat, explicãda eſt; ſi enim ita intelligatur, vt impoſsibile ſit repræſentationẽ rei creatæ repræſentare rem, quæ eſt illimitata & ſuum eſſe; negãda eſt; quia, vt diximus, poteſt eam limitatè repræſentare abſque hoc, quod in repræſentando ſit infinita, & ſit ſuum eſſe, vt ex dictis patet. Si verò ſignificet, fieri non poſſe, vt res creata repræſentet rem illimitatam illimitatè: vera eſt; ſed nihil contra nos.

Repræſentatio eſt eſſentia ſpeciei & nõ proprietas.

20. Poſtrema confirmatio in idem vitium incidit: ſupponit enim obiectum infinitum non poſſe repræſentari, niſi infinitè: quod negauimus, & iterum negamus: licet enim non poſsit infinitè repræſentari, niſi per ſpeciem, quæ & in eſſendo, & in repræſentando ſit puriſsima, & actualiſsima, qualis ſola eſt ſpecies increata: tamen poteſt in ſe ipſo finitè repræſentari, ſicut poteſt finitè cognoſci: & iſto modo poteſt repræſentari per ſpeciem creatã.

21. Hæc tam latè dixiſſe non pœnitet: nã cum fundamentum ſumptum ſit ex D. Thoma, non poteſt non magni fieri, maximè cum aduerſarij putent patronos noſtræ ſententiæ omninò decipi, dum huius rationis efficacia non conuincuntur. Oportebat igitur illius inefficaciam pluribus oſtendere.

ARTICVLVS V.

Pro ſolutione tertij argumenti expeditur, an ens infinitum neceſſariò poſtulet ſpeciẽ, quæ ſecundùm aliquod eſſe reale ſit infinita?

Tertia ratio principalis poſita ar. 1. §. 2. etiã eſt D. Thomæ 1. *p. q.* 12. *art.* 2. de cuius ſolutione pauca dicenda ſunt, quoniam ex ijs, quę diximus in præcedenti artic. ſatis ſuperque ſoluta manet: ex illis enim patet maiorem negandam eſſe: primò propter inſtantiam ſumptam ex ſpecie expreſſa diuinæ eſſentiæ, quam beati habent, ſiue illa ſit viſio, ſiue verbum: hæc enim repræſentat diuinam quidditatem; & tamen limitata eſt in repræſentando. Non igitur repugnat ens, quod in ſua repręſentabilitate eſt infinitum, repræſentari per ſpeciem limitatã tum in eſſendo, tũ in repræſentãdo. 1. Ad 3. arg.

Secundò; quia non oportet, vt obiectũ in ſua intelligibilitate infinitum ſemper cognoſcatur, aut repræſentetur ſecundũ omnem ſuam intelligibilitatem, vt ſæpè diximus: cum enim contineatur ſub obiecto adæquato intellectus creati, nec ſub illo contineatur, vt infinitè eſt cognoſcibile; neceſſariò ſub illo cõtinebitur, vt eſt cognoſcibile modo quodã finito, & quoad aliquas determinatas illius perfectiones formales, vel eminentiales. Quod autem exiſtẽs infinitum limitatè cognoſci poteſt, poteſt etiam repræſentari per ſpeciem finitam, & limitatam in repræſentando: quare licet obiectum infinitum, vt totaliter, & infinitè eſt cognoſcibile, non poſsit repræſentari, niſi per ſpeciem, & in eſſendo, & in repræſentando infinitam, & quæ ſit ſuum eſſe: tamen id non eſt neceſſarium, prout in ſe ipſo, & ſecundùm ſuam totam entitatem, & quidditatem finito modo eſt cognoſcibile: vt ſic enim ſicut limitatè eſt intelligibiliter attingibile; ita etiam & limitatè eſt repręſentabile; meritò igitur neganda eſt maior illa, quę in priori diſcurſu, vt fundamentum proponitur, cuius probatio indigna eſt ingenio Caietani; quoniam ſupponit omnem cognitionẽ infiniti indigere ſimilitudine, & repræſentatiõne infinita totaliter adæquata; quod eſt falſiſsimũ; nã diuina eſſẽtia, vt vnita intellectui beato in ratione ſpe- 2.

ſpeciei nõ adæquatè & totaliter repræſentat ſe ipſam intellectui, ſed inadæquatè, & finitè: vnde dicere poſſumus non diſtinguere inter repræſentari adæquatè, & inadæquatè occaſionem errandi aduerſarijs tribuiſſe.

ARTICVLVS VI.

Pro ſoluenda quarta ratione, expenditur, Vtrùm ſpecies diuinæ eſſentiæ, poſsit eſſe finita in repræſentando?

§. I.

Pro negatione maioris oſtenditur ſpeciem diuinæ eſſentiæ non neceſſariò futuram eſſe infinitam in repræſentando.

1. Non oportet vt ſpecies Deum repræſentans, cũ repræſentet adæquatè.

QVarta ratio principalis poſita art. 1. §. 2. maiorem ſumit omnino negandam, dum aſſerit non poſſe dari ſpeciem creatam, quæ Deum finitè repręſentet: hæc enim propoſitio & theologicè, & philoſophicè eſt falſa. Theologicè quidem, quia non oportet, vt omnis ſpecies diuinæ eſſentiæ ſit infinita in repræſentando; & ratio eſt, quia ſicut non oportet, vt diuina eſſentia totaliter, & adęquatè repræſentetur intellectui creato; quia de facto apud aduerſarios finitè repreſentatur per ſe ipſam, vt intellectui beato vnitur ad inſtar ſpeciei; ita non oportet, vt ſpecies repræſentatiua diuinæ eſſentię eam totaliter, & adæquatè repræſentet; ſed fieri poteſt, vt eam repræſentet inadæquatè, & modo finito; nam iſtò modo ipſamet ſe ipſam repræſentat, vt in intellectu eſt ad inſtar ſpeciei. Quod argumẽto eſt non repugnare, vt ſpecies diuinam eſſentiam finitè repræſentet: etenim non poſſet diuina eſſentia ſubire vicem ſpeciei in repræſentatione finita ſui ipſius, ſi ſpecies, ad inſtar cuius ponitur, eam finitè repræſentare non poteſt.

2. 1. confirm. Quæ Theologia ex eo efficaciter confirmatur; quoniam non neceſſe eſt, vt omnis cognitio quidditatiua diuinæ eſſentię eam totaliter, & adæquatè intelligibiliter repræſentando attingat: nam de facto à beatis videtur viſione inadæquata, & finita. Iam verò diuina eſſentia eo modo eſt repræſentabilis per ſpeciem, quo eſt attingibilis per cognitionem; & ideò à ſe ipſa, vt vicem ſubit ſpeciei, eo modo repræſentatur, quo à beatis cognoſcitur.

Confirmatur adhùc nec minus efficaciter, ſi in beatis admittatur verbum diuinæ eſſentiæ, quæ apud Thomiſtas eſt verior ſententia: etenim verbum ex ſua natura eſt formalis, atque expreſſa ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, vt authores illius libenter fatentur: & tamen eam non repræſentat infinitè, & ſecundùm adæquatam illius intelligibilitatem, ſed finitè, & ſecundùm intelligibilitatem certam, & definitam. Igitur non repugnat diuinam eſſentiam finito modo per ſpeciem creatam repræſentari. Cur igitur repugnabit ita repræſentari per ſpeciem impreſſam? profectò nulla ratio diſcriminis aſsignabitur, vt oſtendimus art. 2. §. 6. 3. 2. confirmatio.

Denique cum diuina eſſentia, vt ſubit vicem ſpeciei (quod communiter admittitur) ſe ipſam repræſentet, non infinitè, ſed finitè; bene infertur ex parte diuinæ eſſentiæ, vt intelligibiliter eſt repræſentabilis, non repugnare finite repræſentari, cur igitur repugnabit finitè repræſentari per ſpeciem creatam? 4. 3. confirm.

Sed id ipſum philoſophicè haud dubiè euidenter oſtenditur: quoniam non neceſſe eſt, vt omnis ſpecies, quæ obiectum diſtinctè repræſentat, ſit in repræſentando illi adæquata. Cuius oppoſitum in hac ratione falsò ſupponitur. Hæc Philoſophia inductiuè oſtenditur, ſi omnes ſpecies tam intelligibiles, quã ſenſibiles percurramus. Et in ſpeciebus Angelorũ facilè id oſtenditur: quoniam hę eò ſunt in repræſentando minùs vniuerſales, quò Angeli ſunt in natura inferiores, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 55. *art.* 3. & tota illius ſchola. Iam verò ex eodem D. Thoma. 1. *p. q.* 89. *art.* 1. ſpecies, quò in repræſentando ſunt minùs vniuerſales, eò minùs ſunt efficaces ad cognitionem rerum, quas repræſentant, ea præciſa ratione, quia eas non repræſentant ſecũdùm omnes rationes intelligibiles illis proprias, ſecundùm quas cognoſci valẽt, quod ſatis ſignificauit Diuus Thomas in dicto *artic.* 3. *ad* 2. Accedit etiam, quia probabiliſsima eſt ſẽtentia, & fortè verior, quod Angeli inferiores per ſpecies ſibi inditas diſtinctè, & quidditatiuè cognoſcunt ſuperiores, nec tamen eos comprehendunt, vt videre eſt apud Cumelium 1. *parte, quæſtione.* 56. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *concluſ.* 3. Et hanc eſſe inter Recentiores communem ſententiam affir-

5. Idem oſtenditur in aliis ſpeciebus Angelorũ.

D. Thom.

affirmat Bellomont. 1. p. *diſp.* 205. *cap.* 3. *n.* 8. *vbi n.* 9. affirmat nec Angelos ſuperiores comprehendere inferiores.

6. Idem oſtenditur in ſpeciebus animæ ſeparatæ.

Quod etiam de anima ſeparata communior aſſerit ſententia, quæ illi cognitionem quidditatiuam Angelorum concedit: negat tamen comprehenſiuam. Et hanc ſententiam longê veriorem exiſtimamus cum Fonſeca 2. *Metaphyſicæ cap.* 1. *quæſt.* 2. *ſect.* 6. *in fine*, *Curſu Conimbric. in tractatu de Anima ſeparata diſput.* 5. *art.* 1. *pronun.* 3. *pag.* 516. Oppoſitum tamen dicendum foret tam in Angelis, quàm in animabus, ſi ſpecies illorum infuſæ in hoc ſenſu eſſent ſuis obiectis adæquatæ in repræſentando, vt ea repræſentarent ſecundùm omnes rationes intelligibiles illis proprias: nec enim audiendi ſunt, qui volunt ſpecies illas eſſe quidem in repręſentando adæquatas obiecto; Angelos tamen inferiores, & animas ex defectu aut luminis, aut virtutis intellectiuæ, ſua obiecta non comprehendere: nam etſi fortè id poſſet admitti, ſi ſpecies vniuerſaliores, quæ ſuperioribus ſunt propriæ, communicarentur, & inferioribus Angelis, & animabus, vt ſignificat D. Thomas *in dicta quæſt.* 89. *artic.* 1. *ante finem*; admitti tamen id non poteſt in ſpeciebus, quę Angelis inferioribus ſunt connaturales, & animabus ſeparatis naturaliter infuſæ, vt doctè aduertit Fonſeca vbi ſuprà, cum Curſu Conimbricenſi in dicto tract. diſput. 4. artic. 2. dubio. 3. pagina. 510. in principio, & Cumelius 1. p. q. 56. art. 2. q. 2. poſt tertiam concluſionem, §. *Reſpondent aliqui.* pag. 179. col. 2. nec enim credibile eſt, tales ſpecies naturaliter recipi in Angelis inferioribus, & in animabus; & tamen per eas naturaliter attingi non poſſe, quę per eas naturaliter repræſentantur: ſi enim illi intellectus proportionati ſunt, vt ſpecies illas naturaliter recipiant; cur non erunt proportionati, vt naturaliter intelligant obiecta per eas naturaliter repræſentata? alioqui illis intellectibus naturaliter darentur ſpecies vniuerſaliores in repræſentando, quàm requirat virtus naturalis illorum intellectuum, quod veræ Philoſophiæ repugnat, quæ docet ſpecies intellectui ſeparato cōnaturales eſſe naturaliter proportionatas; tum virtuti intellectiuæ, tum lumini.

Eadem veritas etiam manifeſtatur in ſpeciebus, quas noſter intellectus abſtrahit à ſenſibus: has enim non repræſentare obiecta ſecundùm adæquatam illorum intelligibilitatem, ſed ſecundùm certas, & determinatas rationes indè patet; quoniam ſpecies naturam vniuerſalem repręſentant, non repræſentata ſingularitate, ſecundùm quam eſt intelligibilis: ſpecies etiam hominis, licet diſtinctè illum repræſentet ſub gradu rationalis, non tamen ſub gradibus ſuperioribus in homine actu incluſis. Nec omnis ſpecies repræſentans quidditatem hominis, repræſentat omnia prædicata, omnes item proprietates, cum quibus naturalem habet connexionem. 7. Idem oſtenditur in ſpeciebus intellectus coniuncti.

Denique eadem Philoſophia certa eſt in ſpeciebus ſenſibilibus: nec enim opus eſt, vt eadem ſpecies in quocunque ſpatio, & ſub quocunque lumine repræſentet obiectum ſecundùm totam, & adæquatam illius ſenſibilitatem: ſed poteſt perfectè, & minus perfectè illud repræſentare repræſentatione ſibi eſſentiali: etenim iuxta maiorem, vel minorem diſtantiam diſtinctiùs, aut minùs diſtinctè illud repræſentat; ita vt eadem potentia, quæ in hoc ſpatio B. minus diſtante, adæquatè videt album ſecundùm omnes rationes viſibiles, etiam minutiſsimas, illud non ita diſtinctè videat in ſpatio C. magis diſtante, vt dòcet experientia, & ſupponimus ex Philoſophia, & aduertit Cumelius *vbi ſuprà*, *pagina* 179. *colum.* 2. *ad finem*: quod argumento eſt, vel euidentiſsimo, vnam, & eandem ſpeciem ratione maioris, vel minoris diſtantiæ repræſentare obiectum magis vel minus perfectè; & ſubindè non ſemper illud repræſentare adæquatè etiam in ordine ad potentiam, quæ tale obiectum valet adæquatè cognoſcere. Quare inæqualitas viſionis eiuſdem obiecti in eadem parte ſpatij, non ſemper prouenit ex inæqualitate virtutis viſiuæ, ſed etiam ex inæqualitate eſſentialis repræſentationis. 8. Idem oſtenditur i ſpeciebus ſenſibilibus.

Ex quibus manifeſtè patet non eſſe neceſſarium, vt omnis ſpecies intelligibilis, quæ obiectum diſtinctè repræſentat, illud adæquatè repræſentet. Quæ Philoſophia etiam eſt vera in ſpecie, quæ obiectum quidditatiuè repræſentat: etenim plus requiritur ad repræſentationē adæqua- 9. Corollar.

adæquatam obiecti; quam ad quidditatiuam, vt iam aduertimus ſuprà lib. 4. q. 9. art. 1. in fine, & aduertit Suar. *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 18. n. 7*: etenim beati habent viſionem quidditatiuam Dei: & tamen viſio illa non eſt in repræſentando, & cognoſcendo adæquata diuinæ intelligibilitati. Quare non valet hæc conſequentia: *eſt repræſentatio quidditatiua, ergo eſt adæquata*. Porrò, ſi neceſſe non eſt, vt omnis ſpecies rei creatæ obiectum ſuũ adæquatè repræſentet, vt probatum eſt; cur neceſſe erit ſpeciem diuinæ eſſentiæ eam non poſſe, niſi adæquatè repræſentare? nec oppoſitum probant, quæ in cõfirmationem illius adducuntur, vt iam explicamus.

§. 2.

Soluuntur quatuor probationes priores maioris negatæ.

10. PRobationes autem, quibus maior illa confirmatur ſuprà art. 1. §. 2. in quarta ratione principali facilè diſſoluuntur.

Ad 1. probationẽ quarti argumenti. Nam prima manet ſoluta ex dictis articul. 3. §. 2: admittimus enim ſpeciem creatam repręſentatiuam diuinæ eſſentię eſſe eiuſdem ordinis in repræſentando cum eſſentia repræſentata: non quidem, vt illa eſt totaliter intelligibilis, ſed vt eſt intelligibilis inadæquatè, & finitè: nam cum hoc modo ſit finitè repræſentabilis, poteſt repręſentari per ſpeciem in repręſentando finitam. Quare non valet hęc conſequentia: *eſſentia diuina in ſua intelligibilitate eſt infinita; ergo non poteſt repræſentari, niſi infinitè*: & ratio eſt, quia illa infinita intelligibilitas in eſſendo, poteſt finitè repręſentari, ſicut finitè poteſt intelligi.

11. Ad 2. probationem. Secunda probatio ſumit fundamentũ falſum: quia non opus eſt, vt ſpecies, quę diuinam eſſentiam repræſentat, ſit ſuum eſſe, vt oſtendimus art. 4.

12. Ad 3. probationem. Tertia etiã probatio in eo deficit, quia ſupponit omnem ſpeciem diuinæ eſſentiæ futuram eſſe adæquatam illi in repręſentando, cuius oppoſitum in hoc articulo demonſtrabimus.

13. Ad 4. probationem. Quarta probatio apud aduerſarios eius eſt efficacię, vt putent, nos falſitatis conuincere; at tamen philoſophicè conſiderata adeò eſt futilis, vt à noſtris nihili fiat: vnde nec ab illis adducitur, niſi ab vno Herrera *in 1. Scoti diſp. 7. q. 9. in 7. ratione quartæ ſentẽtiæ, pag. 130. col. 2. quam diſſoluit pag. 138. col. 1. ad 7.* vbi aſſerit probationem iſtam ſolùm concludere in ſpecie, quæ infinitam Dei quidditatem repræſentat infinitè, ſecus ſi finitè: Sed deberet ſolutionem iſtam alioquin optimã, & communem ad formam argumenti applicare, vt futilitas argumenti euidentiùs appareret. Nos in forma admittimus antecedens: nam ſicut ſpecies, vt eſt ſpecies & formalis quædam repræſentatio, ſpecificatur à ſuo obiecto; ita ab illo ſumit ſuam eſſentialem perfectionem, quæ eſt indubitata Philoſophia: conſequentia tamen verè eſt inutilis: & ratio eſt; quoniã obiectum ſpeciei non ſpecificat ſpeciem, vt res eſt, ſed, vt obiectum eſt formaliter: nam hoc modo ſpecificat tum intellectũ, tum actum intelligendi: eſt autem formaliter obiectum; prout eſt intelligibile, & ſecundùm rationem intelligibilem, ſecundùm quam cognoſcitur, & repręſentatur, vt in Philoſophia eſt notum. Igitur obiectum infinitum non ſpecificat ſpeciẽ ſuam, vt res eſt, ſed vt intelligibile eſt, & ſecundùm rationem intelligibilem ſecundùm quam repræſentatur; hæc autem in ordine ad intellectum creatũ non eſt infinita in modo cognoſcendi, ſed finita; ſicut etiam finita eſt in ordine ad viſionem; ſpecificat igitur non vt eſt intelligibile infinitum, ſed ſolùm vt eſt finitũ quoad repræſentari, & cognoſci; quia repræſentatur ſecundùm limitatas intelligibilitates, non in eſſendo (quia quælibet illarum per ſe ſumpta in eſſendo eſt infinita) ſed in modo, quo cognoſcuntur, & repræſentantur, qui eſt finitus. Itaque obiectum infinitum, vt eſt intelligibile ab intellectu creato, quamuis quoad eſſe ſit infinitum; non eſt tamen tale quoad cognoſci, & repræſentari, ſed finitum: & indè eſt, vt in ratione obiecti ſpecificantis non excedat in infinitum obiectum creatum in ratione obiecti cognoſcibilis: & ideò ſpeciei intelligibili, quam ſpecificat, non tribuit infinitatem in repræſentando, & hæc non diſtinguere, eſt cauſa deceptionis. Valeret igitur illa conſequẽtia, ſi obiectum infinitũ ſemper ſpecificaret ſpeciem, vt formaliter eſt infinitum in ratione obiecti: at tamen non ſemper ſub

Herrera.

ſub illa ratione ſpecificat, niſi ſolam ſpeciem increatam in ordine ad diuinum intellectum: nam ad intellectum creatum, & illius ſpeciem non concurrit, vt formaliter eſt infinitum, ſed vt eſt finitum modo explicato.

§. 3.

Pro ſolutione quintæ probationis oſtenditur ſpeciem nõ neceſſariò futuram eſſe, aut immaterialiorẽ, aut æquè immaterialem cũ ſuo obiecto.

14. Ad 5. probationem. QVinta probatio poſita art. 1. §. 2. in antecedente falſam ſumit Philoſophiam, quatenùs aſſerit cognitionem neceſſariò fieri per ſpeciẽ, quæ vel ſit immaterialior, quàm obiectum, vel æque cum illo immaterialis. Quam Philoſophiam noſtri recentiores vnanimiter negant: *ita Molin. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. poſt quartam concluſionem, §. Ad id verò, quod Sotus addit; Suarius in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 11. num. 33. & lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 13. num. 14. Bellom. 1. p. diſp. 38. cap. 3. num. 12. quos refert, & ſequitur Salas tom. 1. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 23. fol. 335. col. 2. & inferiùs ad ſecundum argum. ſecundæ ſententiæ num. 32. §. ad 2. reſpondetur, fol. 348. colum. 2.* & inter Scotiſtas eſt cõmunis ſententia, vt patet *ex Rada 1. p. controuerſia 10. art. 1. pag. 138 colum. 2. §. Si talis ſpecies, Herrera ad 1. Scoti diſp. 7. q. 9. ad 6. 4. ſententiæ pag. 138. col. 1. in principio*: qui omnes volũt ſatis eſſe, ſi ſpecies ſit eiuſdem ordinis cum re repræſentata in genere intelligibili, quamuis ſit minoris immaterialitatis.

Recentior.

Scotiſtæ.

15. Id autem probant; quia ſpecies, qua Angelus inferior ſuperiorem cognoſcit, minoris eſt immaterialitatis, quàm ſit Angelus ſuperior: recipitur enim in ſubiecto minus immateriali.

16. Secundò, quia ſpecies expreſſa poteſt eſſe minus immaterialis, quàm obiectũ: ergo, & ſpecies impreſſa: antecedens patet, non ſolùm in verbo, quod Angelus inferior format de ſuperiori, ſed etiam in verbo, quod formãt beati de diuina eſſentia. Conſequentia verò probatur; quoniam ſpecies impreſſa, non maiorem immaterialitatem poſtulat, quàm expreſſa vt contra Sotum admittit *Nauarrete primo tom. cõtrouerſ. 34. §. 7. fol. 215. columna ſecunda C.*

Reſponſio aduerſariorum, & eius impugnatio.

Aduerſarij in defenſionem ſuę ſententiæ aduertunt hoc loco non eſſe ſermonem de ſpecie conſiderata in eſſendo, ſed in repræſentando: admittuntque ſpeciem in eſſendo minus immaterialem poſſe repræſentare obiectum immaterialius, vt argumenta conuincunt: negant tamẽ ſpeciem, quæ in repræſentando eſt minus immaterialis, poſſe repręſentare obiectũ immaterialitatis nobilioris: & cũ ſolùm loquantur de ſpecie in repræſentãdo, nõ benè à nobis impugnari argumẽto ſumpto à minori immaterialitate in eſſendo. Ita colliges ex Soto *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. poſt ſecundam concluſionem §. Hæc verò argumenta pag. 587. col. 1. & ſolutio ſatis eſt de mente Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. §. Ad euidentiam horum ſcito, vbi Bañes dubio 1. concluſione 3. Cumelius q. 2. concl. 1. ante finem. §. Sed dices.* Quæ ſolutio ſupponit duplicem immaterialitatem reperiri in ſpecie intelligibili: vnam in eſſendo, alteram in repræſentando. Nec ſolùm volunt ſpeciẽ in repræſentando per ſe habere ĩmaterialitatem, ſed addunt eam per ſe primò habere, vt ſic; & per conſequens ſpeciẽ per ſe primò habere immaterialitatẽ ex obiecto. 17. Euaſio Thomiſtarum.

Sotus.

Caiet. *Bañes.* *Ouand.*

In hac ſolutione plura continentur, & contra Diuum Thomam, & contra verã Philoſophiam, vt omittamus, quod repugnantia includit. Singula perſequamur, vt videamus quàm parum difficultatis habeat hæc quinta probatio.

Solutionem allatam eſſe contra doctrinam Diui Thomæ.

Quod hæc ſolutio non conſentiat cum doctrina Diui Thomæ, quatenus ſupponit ſpeciem habere immaterialitatem, vt eſt repræſentatiua, euidenter oſtenditur ex ijs, quæ ſcribit. q. 3. *de Veritate art. 1. ad ſecundum, & tertium, & art. 2. ad quintũ*: in his enim locis manifeſtè docet ſpeciẽ non vendicare ſibi immaterialitatem in repræſentando, ſed in eſſendo: ita enim habet in dicto art. 1. ad ſecundum: *ad ſpeciem, quæ eſt medium cognoſcendi, requiruntur duo, ſcilicèt repræſẽtatio rei cognitæ, quæ competit ei ſecundum propinquitatem ad cognoſcibile; & eſſe ſpirituale, vel immateriale,* 18. Præcluſio.

Species habet immaterialitatẽ ex ſubiecto, nõ ex obiecto. *D. Thom.*

quod ei competit ſecundùm quòd habet eſſe in cognoſcente. Ecce in ſpecie duo conſiderat, & diſtinguit, ſcilicet eſſe ſpirituale & immateriale, & repræſentationẽ obiecti; & declarat, vnde vnum habeat, & alterũ; & verbis expreſsis docet eam habere immaterialitatem ex intellectu, in quo eſt: repræſentationem verò ex conueniẽtia, & propinquitate ad obiectum, quatenùs illud refert eo modo, quo eſt in ſe. Porrò, ſi Diuus Thomas in ſpecie immaterialitatem diſtinguit à repræſentatione, quo modo ſpecies ex repræſentatione habet immaterialitatem? & ſi docet ſpeciem immaterialitatem ſuam habere ex ſubiecto, in quo eſt; quo modo illam habet ex formali repræſentatione? Rurſus ad 3. ita ſcribit: *Dicendum, quod in cognitione eſt duo conſiderare; ſcilicet ipſam naturam cognitionis; & hæc conſequitur ſpeciem ſecundùm comparationem, quam habet in intellectu, in quo eſt; & determinationem cognitionis ad cognitum, & hæc ſequitur relationem ſpeciei ad rem ipſam.* Per naturam cognitionis intelligit immaterialitatẽ illius in eſſendo. Cum igitur doceat cognitionem naturã ſuam, & immaterialitatem habere ex intellectu ſecundùm eſſe, quod ſpecies habet in intellectu, vtique ſatis docet ſpeciẽ immaterialitatem habere ex intellectu, atque in eſſendo; nam in repræſentando ſolùm determinat cognitionem ad cognitum. Denique idem art. 2. ad 5. ita habet: *Dicendum, quod forma, quæ eſt in intellectu habet duplicem reſpectum: vnum ad rem cuius eſt, alium ad id, in quo eſt. Ex primo autẽ reſpectu non dicitur aliqualis, ſed alicuius tantum: non enim materialium eſt forma materialis, nec ſenſibilium eſt forma ſenſibilis, ſed ſecundùm alium reſpectum aliqualis dicitur; quia ſequitur modum eius, in quo eſt.* Dubitari autẽ non poteſt, quòd per formã, quę eſt in intellectu, Diuus Thomas intelligat ſpeciem intelligibilem. Quòd verò per *aliquale* intelligat modum entitatis, ſatis declarant illa verba: *non enim materialium eſt forma materialis*, quorum ſenſus eſt, quòd ſpecies non ideo dicitur materialis, quia repræſentat materialia. Igitur cum Diuus Thomas aſſerat ſpeciem ſuã aliqualitatem non ſumere ex reſpectu, quem habet ad obiectum repręſentatum, ſed ex reſpectu ad intellectum, in quo eſt; ſatis aſſerit ſpeciem non habere ſuam immaterialitatem ex repræſentatione, ſed ex intellectu; & ſubinde eſſe immaterialem, non habere niſi in eſſendo, non verò in repręſentando. Quare dum aduerſarij in ſua ſolutione admittunt immaterialitatem, & in eſſendo, & in repræſentando, non ſatis conſentiunt cum doctrina Diui Thomæ. Porrò ſi in ea ſola immaterialitas in eſſendo eſt admittẽda: falſa eſt maior quintæ probationis: etenim ipſimet argumenti authores fatẽtur fieri poſſe, vt ſpecies, quæ in eſſendo eſt minꝰ immaterialis, repræſentet obiectum magis immateriale: quare ſi ſpecies nullam aliam immaterialitatem habet ex mente Diui Thomæ, niſi in eſſendo, benè infertur, maiorem falſam eſſe etiam apud Diuum Thomam.

Maior eſt falſa etiam in immaterialitate in repræſentando.

Sed nec ſolutio veram habet Philoſophiã 19.
etiam ſi in ſpecie admittamus (vt verè admittenda eſt) immaterialitatem in repræſentando: adhuc enim fieri poteſt, vt ſpecies, quę in repręſentãdo eſt minùs immaterialis, repræſentet obiectum maioris immaterialitatis. Et vt id clariùs demonſtremus, primo loco oſtendemus ſpeciem habere immaterialitatem, tum in eſſendo in ordine ad ſubiectum; tum in repræſentando in ordine ad obiectũ. Deinde probabimus vnam immaterialitatem eſſe ab altera diſtinctam. Tertiò loco reſoluemus ſpeciem priùs natura habere immaterialitatem in eſſendo, quàm in repręſentando. Quartò probabimus ſpeciem immaterialitatem in repræſentando habere ex obiecto, & non ex ſubiecto. Vltimo inferemus falſitatem maioris aſsũptæ.

Oſtenditur primum.

20. Species habet immaterialitatẽ tũ in eſſendo, tũ in repræſentando.

Quod attinet ad primum, admittimus cũ aduerſarijs in ſpecie dari immaterialitatẽ tum in eſſendo in ordine ad naturam intellectualem, in qua eſt; tum in repræſentando in ordine ad obiectũ, cuius eſt formalis repræſentatio. Primum patet ex eo, quòd recipitur in natura intellectuali Angeli, vel animæ mediante intellectu: iam verò in natura intellectuali nihil recipi poteſt, niſi quod in ſuo eſſe eſt immateriale,

D. Thom. teriale, vt patet ex Philoſophia, & ex D. Thoma *in dicta q.3. de Veritate art. 1. ad 2.* vbi verbis expreſsis affirmat ſpeciem ſuũ eſſe ſpirituale habere, vt eſt in ſubiecto. Quòd verò etiam habeat immaterialitatem, vt eſt repræſentatiua obiecti, euidẽter demonſtratur ex eo, quòd conſtituitur in eſſe ſpeciei per eſſe repræſentatiuũ obiecti, tanquam per differentiam conſtitutiuam illius in tali eſſe qualitatis immaterialis, tanquam ſub genere immediato, & ſubalterno: iam verò ſicut ſpecies generis ſubſtantiæ nõ poteſt componi niſi ex ſubſtantijs; & ſpecies de genere qualitatis componi nõ poteſt, niſi ex qualitatibus; ita qualitas ſub genere qualitatis immaterialis non poteſt componi, niſi ex qualitatibus immaterialibus; materiale enim non poteſt eſſe differentia conſtitutiua naturæ immaterialis. Quare cum ſpecies intelligibilis componatur ex formali repræſentatiuo, tanquam ex propria differentia, non poteſt gradus ille eſſendi nõ eſſe immaterialis, & fortè id non negauit D. Thomas locis citatis.

Oſtenditur ſecundum.

21. Immaterialitas ſpeciei in eſſendo ẽ diſtincta ab immaterialitate in repræſentãdo.

Quod attinet ad ſecundum dubitari poteſt, vtrùm immaterialitas ſpeciej in repræſentando ſit diſtincta ab immaterialitate in eſſendo? Ego aliquando exiſtimaui non eſſe diſtinctam; vt quia ſolùm eſſet determinatiua immaterialitatis in eſſendo. Fundamẽtum mihi tribuebat Diuus Thomas loco citato ad tertium, dum dixit *in cognitione duo conſiderari: naturã, ſcilicet cognitionis, & determinationem illius.* Et art. 2. ad quintum ita ſcribit: *Formã, quæ eſt in intellectu ex reſpectu, quem habet ad rem, cuius eſt ſpecies, non dici aliqualem,* (ſcilicet immaterialem) ſed alicuius: immaterialitas igitur ſpeciei in repræſentãdo ſolùm determinat immaterialitatem in eſſendo.

22. Sed re diligentiùs conſiderata, ſicut non poſſum non cognoſcere gradum poſitiuum immaterialitatis in ſpecie, quatenùs eſt formalis repræſentatio, ita nõ poſſum non concedere gradum illum dicere immaterialitatem ex natura rei diſtinctã ab ea, quam habet in eſſendo, & ſecundũ gradum genericum: nam compoſitio Metaphyſica ex genere, & differẽtia eſt ex gradibus inter ſe formaliter, & actualiter diſtinctis.

Oſtenditur tertium.

Tertio loco expendendum eſt vnde immaterialitatem primò ſibi vendicet ſpecies? Aduerſarii putant eam ſibi primò vẽdicare in repræſentando, ſed in hoc propriam vocem ignorant: nam ex dictis patet ſpeciem componi ex qualitate immateriali vt ex genere, & ex gradu repręſẽtatiui, tanquam ex differentia, qua conſtituitur in eſſe ſpeciei intelligibilis. Iam verò gradus eſſendi genericus pręſupponitur à gradu eſſendi ſpecifico. 23. Species per ſe 1. ſumit immaterialitatẽ a gradu eſſendi generico.

Oſtenditur quartum.

Sed iam reſtat oſtendendum, à quo nam habeat ſpecies vnam, & alteram immaterialitatem? Et indubitatum eſt immaterialitatem in eſſendo per ſe habere ex ſubiecto, id expreſſe docuit Diuus Thomas *in dicta q. 3. de Veritate art. 1. ad ſecundùm & tertium, & art. 2. ad quintũ*, vt ſuperiùs adduximus: nam omnis natura accidentaria habet eſſe à ſubiecto in quo eſt. At vnde habeat immaterialitatem in repræſentando? fortè dubitabit aliquis. Aduerſarij putant ſpeciem eam habere ex obiecto. Dicendum tamen eſt, eam habere quidem in ordine ad obiectum; non tamen ex obiecto: primum colliges ex D. Thoma in locis citatis, & ex eo patet, quia talis immaterialitas per ſe includit reſpectum tranſcẽdẽtalem ad obiectum: ſpecies enim, vt eſt quoddam repræſentatiuum, eſt relatiuum tranſcendens: de cuius intrinſeca ratione eſt habere ordinem ad terminum, quem reſpicit. Quòd verò immaterialitatem illam nõ habeat ex obiecto, manifeſtè colliges ex Diuo Thoma *in dicta q. 3. de Veritate art 2. ad. 5.* dũ aſſerit, *ſpeciem non eſſe aliqualem ex reſpectu, quem habet ad obiectum, cuius eſt ſpecies.* Per aliqualitatem intelligit modum entitatis ſuæ naturę; id autem inde probat: *quia ſpecies materialium, non eſt materialis*: eſſet autem talis, ſi aliqualitatẽ modumque eſſendi ſuæ entitatis ſumeret ex obiecto. Porrò ſi ſpecies rei materialis nõ cõſequitur immaterialitatem ex obiecto materiali, quod reſpicit; vtique nec ſpecies 24. Species habet immaterialitatẽ in eſſendo.

cies rei immaterialis accipiet immaterialitatem ex obiecto immateriali; Accedit, quia ſi ſpecies immaterialitatem in repræſentando per ſe ſumeret ex obiecto, non poſſet eſſe immaterialior, quam obiectũ; ſed ſemper eſſet æquè immaterialis cum illo: nam quod ex alio recipitur, non poteſt eſſe nobilioris entitatis, quàm ſit entitas eius, à quo entitatem recipit. Conſequens tamen eſt contra id, quod aduerſarij in ſua maiore ſupponunt.

25. Vnde ergo ſpecies ſumet immaterialitatem, vt formaliter ex repræſentatiua? Reſpondetur eam ſumere eſt ſubiecto: nā cum etiam vt ſic ſumpta, ſit forma accidētaria (incompleta tamen) non poteſt nō includere inhærentiam in ſubiecto; vnde illa formalitas eſſentialiter includit eſſe, in, ratione cuius habet reſpectum tranſcendentalem ad ſubiectum immateriale, tanquam ad cauſam ſui eſſe: nec enim vt ſic abſtrahit à ratione eſſendi: Iam verò quęquè forma immaterialis ab eo habet immaterialitatem, à quo habet eſſe.

26. Quanuis obiectum det ſpecificationem, non tamen dat eſſe.

Nec huic reſolutioni obſtat, quod ſpecies, vt formaliter eſt ſpecies, ſubit ſpecificationē ſuæ entitatis ex obiecto, vt omnes fatentur: quoniam quod ſatis eſt ad ſpecificandum aliquam entitatem, non ſatis eſt ad dandum talem entitatem: nam eſſe terminum entitatis relatiuæ (ſiue illa ſit prædicamentalis, ſiue tranſcendentalis) ſatis eſt ad ſpecificandum talem entitatem; non tamen ſatis eſt ad dandum entitatem, quam terminat. Iam verò obiectum ſpeciei ſpecificat ipſam relatiuam entitatem ſpeciei, quatenus illam terminat: ſub qua ratione non ſatis eſt ad dandum entitatem immaterialitatis relatiuę, quam ſpecies habet, vt eſt talis.

Oſtenditur quintum.

27. Species minus immaterialis, tam in eſſēdo, quā in repræſentādo poteſt repræſentare obiectum magis immateriale.

Ex dictis infertur ſpeciem, quæ in repræſentando eſt minus immaterialis, poſſe repræſentare obiectum maioris immaterialitatis; & ſubinde falſam eſſe maiorem huius quintæ probationis, non ſolùm in ſpecie ſumpta in eſſendo, ſed etiam in repræſentando: nam cum immaterialitas in repręſentando ſumatur, non ex obiecto, ſed ex ſubiecto, in quo eſt, vt immediatè diximus; profectò, ſi ſpeciem eſſe minoris immaterialitatis in eſſendo nō impedit eam poſſe repræſentare obiectum immaterialius; nec etiam impediet, ſi ſpecies fuerit in repræſentando minoris immaterialitatis: etenim tota ratio, cur immaterialitas in eſſendo, quā habet ſpecies ratione ſui generis, quatenùs ſcilicet eſt qualitas immaterialis abſolutè ſumpta, poteſt, etiam ſi minor ſit, repræſentare obiectum immaterialius, eſt, quia per ſe ſumitur à natura intellectuali, ſub cuius adæquato obiecto obiectũ illud immaterialius per ſe continetur.: ergo cum ſpecies ſuam immaterialitatem in repræſentando etiam ſumat ab eadem natura intellectuali, in qua eſt; poterit etiam repræſentare obiectũ immaterialius, quàm ipſa ſit in repræſentando; etenim repræſentatio ſpeciei in ordine ad obiectum per ſe ſumitur ab immaterialitate naturę cognoſcentis tale obiectum. Quare ſi fieri poteſt, vt natura intellectualis minoris immaterialitatis valeat cognoſcere obiectũ immaterialius, vt aduerſarij fatentur, vtique ſpecies, quæ ab eadem intellectuali natura ſumit immaterialitatem, tàm vt eſt qualitas, quàm vt eſt repræſentatiua, ab ipſa etiam ſumet repręſentationem, vt ſcilicet valeat repræſentare quidquid ſub obiecto illi naturæ adæquato continetur, licet ſit immaterialius.

Ad quorum euidentiam aduertimus immaterialitatem relatiuam, quam ſpecies habet ex ſua differentia, qua conſtituitur in eſſe ſpeciei, & quam philoſophamur, vt formam accidentariam incompletam, in ſe ipſa habere duplicem eſſendi modum, ſcilicet eſſe, in, & eſſe, ad; hi enim duo modi eſſendi ſunt inſeparabiles à quacumque forma relatiuà accidentaria: nam ipſum, ad, vt eſt entitas, includit eſſe, in; quia intrinſecè includit reſpectũ tranſcendentalem ad ſubiectum, in quo recipitur, & à quo habet eſſe. Quare cum ipſum, ad, non poſsit abſtrahere ab eſſe, in, profectò ipſum, ad, conſiderari poteſt in eſſendo, & ſub hac conſideratione habet immaterialitatem à ſubiecto, vt ſuprà aduertimus. Igitur cum non repugnet immaterialitatem in eſſendo, etiam ſi minor ſit, repræſentare id, quod eſt immaterialius; vtique non repugnabit ſpeciem, quæ in repræſentando eſt minus immaterialis, repræſentare, quod eſt magis immateriale. Quod contra aduerſarios,

rios, & contra antecedens ſumptum ab illis nitebamur oſtendere ſuprà articulo primo, §. ſecundo.

Soluuntur probationes antecedentis.

29. Quæ in confirmationem propoſitionis, quæ in quinta probatione pro antecedēte ſumitur, adducuntur, facilè ſoluuntur; Nec enim inconueniens eſt, quòd ſpecies magis materialis ſuppleat vicē obiecti minùs materialis, quidquid ſine fundamento oppoſitum ſcribat Sotus vbi ſuprà: nā quod ab alio, loco ſui, ſufficitur, minoris debet eſſe perfectionis: ille enim, qui vicem Regis ſubit minorem habet maieſtatem. Iam verò obiecta ſimilitudinem ſui producunt, vt apud intellectum loco ſui ſufficiatur. Cui accedit, quia ſpecies ſubit vicem obiecti, non præciſa ratione immaterialitatis (quia non omnia immaterialia id habent) ſed ratione ſimilitudinis: at nihil impedit quominùs magis materiale in eſſendo, ſit formalis ſimilitudo rei minùs materialis: nec oppoſitum poterit vnquam probare Sotus.

30. *Non eſt neceſſe vt cognoſens habeat ſēper nobiliorem eſſendi modum.* Similiter non opus eſt, vt cognoſcens ſemper habeat nobiliorem eſſendi modū, quàm ipſum cognitum habet in ſe ipſo: licèt enim id veriſſimū ſit in obiecto materiali; non tamen eſt verum, quando obiectum eſt ſubſtantia immaterialis, vt diximus lib. 4. q. 8, art. 5. n. 61. Quare fundamentum Caietani ſatis eſt debile. Cui nihil fauet inductio, quam ſupponit, & quam latè perſequitur Bañes: quoniam licèt inductio verum habeat in ſpeciebus ſenſibilibus, & intelligibilibus rerum materialium; quia iſtę recipiuntur in potētijs aliquo modo immaterialibus, fallit tamen in ſpeciebus repræſentantibus ſubſtantias ſpirituales, & actu intelligibiles, vt benè aduertunt Doctores ſuprà citati, & cum illis Suarius *in dicto cap. 13. nu. 14. in fine.* *Suarius.* Nam licèt ſpecies, quæ in Angelis ſuperioribus repræſentāt inferiores, ſint magis immateriales; quia Angeli ſuperiores ſunt maioris immaterialitatis; tamen ſpecies, quæ in Angelis inferioribus repræſentant ſuperiores, ſunt minùs immateriales, vt diximus, quidquid ſine fundamento Bañes doceat oppoſitum. Species item infuſæ animæ ſeparatæ ad intelligendos Angelos minoris ſunt immaterialitatis in eſſendo, cùm anima, à qua habent immaterialitatem ex ſententia Diui Thomæ, ſit immaterialitatis longè minoris.

Denique datam ab aduerſariis ſolutionem, nihil iuuat, quòd ſpecies intelligibilis in repręſentādo eſt abſtractior, quàm res repręſentata: quia abſtractio in repręſentando, quæ reperitur in ſpecie, tum ab eſſe obiecti, tum à pluribus intelligibilibus rationibus eius, cum arguat imperfectionem in ipſa repræſentatione obiecti, non poteſt arguere in ea aliquam immaterialitatem, cū immaterialitas in ſua ratione perfectionem dicat. 31. Quòd verò vtraque illa abſtractio denotet imperfectionem in ſua repręſentandi ratione, res eſt manifeſta in abſtractione à propria, & ſpecifica ratione rei repræſentatæ: hæc enim cum ſolùm rem ipſam repræſentet, ſub ratione cōmuni, & generica, minùs eſt diſtincta, & perfecta: etenim ſpecies repræſentans hominem ſub ratione ſenſitiui habet repræſentationem minùs diſtinctam, quàm illa, quæ hominem repræſentat, vt eſt rationalis: vnde talis repræſentatio eſt minùs actualis: quomodo igitur erit magis immaterialis? Porrò ſi ſermo ſit de abſtractione, qua ſpecies abſtrahit ab eſſe rei repræſentatę, illa abſtractio nō eſt in repræſentando: quia ſpecies diſtincta rem ipſam intellectui obijcit cum proprio eſſe, quod habet: ſed eſt abſtractio in eſſendo, quia ideo dicitur abſtrahere ab eſſe rei repræſentatæ, quia licèt illud obiectiuè repræſentet; recipitur tamen in potētia ſine tali eſſe: in hoc enim ſenſu docuit Ariſtoteles *in 2. de Anima, c. 12. text. 221. ſpecies ſenſibiles recipi ſine materia*: *Ariſtot.* Quare hęc abſtractio eſt in eſſendo, non verò in repræſentando. Quæ abſtractio non ſemper arguit maiorem immaterialitatem in ſpecie, vt ex dictis colliges: fieri enim poteſt, vt illud eſſe, à quo abſtrahit, ſit perfectius, quàm eſſe, ſecundū quod recipitur, vt patet in ſpecie repræſentāte naturam Angelicā, quę in eſſendo eſt minùs immaterialis, vt ſæpe diximus.

Ex quibus iam patet veriſſimam eſſe doctrinam ſuperiùs datam, non ſemper eſſe neceſſarium, vt ſpecies ſit, aut immaterialior re repręſentata, aut æquè immaterialis; vt quia ſpecies minùs immaterialis

lis poteſt repræſentare rem immaterialiorem; vnde omninò corruit fundamentum quintæ probationis, quam nitimur diſſoluere.

§. 4.

Solutio ſextæ, ſeptimæ, & octauæ probationis.

32. IN hoc articulo 6. nitimur diſſoluere quartum argumentũ principale, quod pro negante ſententia adduximus art. 1. §. 2. Ad hoc argumentum ſuprà negauimus maiorem, quæ aſſerit nõ poſſe dari ſpeciem creatam Deum finito modo repræſentantem. Falſitatem huius propoſitionis confirmauimus §. 1. huius articuli. In reliquis autem ſoluimus priores quinque probationes, quibus maior illa confirmabatur In hoc §. 4. diſſoluemus tres conſequentes probationes.

33. Ad 6. probationem. Ad ſextam igitur probationem negandum eſt ſpeciem coloris ſemper repræſentare viſui, quidquid in colore eſt viſibile, vt patet ex ijs, quæ diximus, §. 1. Variatur enim repræſentatio, tum multis modis, tũ ex variatione diſtantiæ. Quod verò in confirmationem ſumitur de animali accutiſsimi viſus, nihil cogit: quoniam illa inæqualitas nõ prouenit ex parte repręſentationis, ſed ex parte defectus virtutis viſiuę, quę ſi intenderetur, etiam in eadem parte ſpatij æqualiter videret. Concluderet tamẽ argumentum, ſi idem viſus adæquatus viſibilitati obiectiuæ in quacumque parte ſpatij intra latitudinẽ repræſentationis diſtinctè, & adęquatè videret ipſum colorem, quod negamus. Vnde ſi daretur viſus illo perfectior, non videret diſtinctiùs idem obiectum in eadem parte ſpatij, ex ea præciſa ratione, quia ſpecies in illa diſtantia omnes rationes viſibiles nõ repræſentat. Quare probatio petit principium.

34. Ad 7. probationem. Ad ſeptimam probationem admittimus ſpeciem in hoc ſenſu, ſe habere ex parte obiecti, quia vel ab eo producitur, vel ad inſtar illius, tanquam cauſæ exemplaris: menſuratur igitur ab obiecto in ſua repræſentatione, quia illud ſecundũ eas intelligibilitates repręſentat, ſecũdũ quas ad eas vel effectiuè, vel exemplariter concurrit. Inde tamen non infertur ſpeciem non poſſe in repræſentando nõ adæquari ſuo obiecto. Hoc autem euidẽter patet in ſpeciebus, quæ non efficienter producuntur ab obiecto, ſed à Deo, vt ab agente libero: hæ enim cum ab obiecto menſurentur, vt à cauſa exemplari, menſurabuntur ab eo ſecundùm eas ſolas rationes intelligibiles, quas Deus voluit repræſentari: & ſubinde ſolas, & nõ alias naturaliter repræſentabit: nam imago à pictore liberè depicta ſolas eas delineationes in exemplari repræſentabit, quas pictor liberè voluit depingere. Et res iſta manifeſtè apparet in ſpecieb[9] vniuerſalibus, quas Deus Angelis ſuperioribus infudit: hæ namque, licèt per ſe primò repræſntent naturam aliquam genericã; tamen actu non repræſentant omnes ſpecies ſub eadem natura creabiles, ſed ſolũ eas quas Deus de facto voluit creare. Imò talis ſpecies, cum non ſit comprehenſiua omnium intelligibilium rationum, quæ cum generica illa natura naturalem habẽt connexionem, vt ſupponimus, eas ſolas rationes intelligibiles repræſẽtabit, quas Deus repræſentari voluit. Patet igitur conſequentiam efficaciter non deduci ex antecedente in ſenſu ſuperiùs explicato: & per conſequens non habere locum in ſpecie diuinæ eſſentiæ, de qua agimus; quia iſta non naturaliter produceretur à diuina eſſentia, vt eſt obiectum, ſed liberè, vt ſtatim oſtendemus: poterit igitur Deus illam efformare, vt has ſolûm diuinæ eſſentiæ intelligibiles rationes repræſentet, & non illas: ſicut etiam infundit lumen gloriæ, quo iſtæ, & non illę perfectiones illuminantur, & ideo viſio ad eas ſolas, & non ad alias terminabitur.

Nec ſolùm fundamentum aduerſariorum deficit in ſpeciebus ab obiecto non productis, ſed ab agente libero: verum etiam in illis, quæ ab obiecto efficienter non producuntur: ſed ab alio agente naturali, quales ſunt ſpecies, quas intellectus abſtrahit à ſenſibus: conſtat enim has ſpecies produci ab intellectu agente, vel ſolo, vel, vt à cauſa principali: & tamẽ nõ ſunt in repræſentando adæquatę ſuo obiecto, vt ex dictis patet: ratio à priori eſt, quia intellectus agens eas non abſtrahit ab omni ratione intelligibili, quę obiecto conuenit, ſed ab ea ſola, quam in phantaſmate illuminat. 35. Fundamentũ aduerſariorum multipliciter deficit.

Denique deficit dictum fundamentũ in ſpeciebus ſenſibilibus; licèt ab obiecto, 36.

vt

vt à cauſa totali naturaliter producantur: quamuis enim obiectum ſenſibile ſublatis omnibus impedimẽtis non poſſit non producere in aliqua parte medij ſpeciem in repræſentando ſibi adæquatam: non tamen poteſt in quacumque diſtantia talem producere: ſicut enim luminoſum, & ſi poſsit producere in medio lumen intenſiuè adæquatum ſuæ virtuti illuminatiuæ; tamen non poteſt lumen producere in quacumque diſtantia: lumen enim per medium diffundit vniformiter difformiter: vt communis habet Philoſophia, & ideo lumen eò eſt remiſius, quò ſpatium eſt diſtantius. Eodẽ igitur modo philoſophandum eſt de virtute productiua ſpecierum, quæ eſt in obiecto ſenſibili. ¶ Concludendum eſt igitur ſpeciem non poſſe non eſſe in repræſentando adæquatam obiecto, non benè deduci ex eo, quòd ſe habet ex parte obiecti in ſenſu à nobis explicato. Nec D. Thomas in locis primo citatis vſus eſt hoc medio, vt ex eo patet.

37. Quod verò in prima confirmatione adducitur ex tertio contra gentes, nihil ad rem facit: quoniam repræſentationem adæquatam obiecto non colligit ex hoc medio, ſed ex eo, quod ſpecies repræſentans rem debet aliquo modo habere idem eſſe cum ea; vt ibidem explicat Ferrarienſis.

38. *Limitatio ſpeciei in repræſentando ex triplici capite poteſt prouenire.* Id verò, quod in ſecunda confirmatione adducitur, omninò negãdum eſt; quoniam ſpecies illa ex multiplici capite limitaretur: nimirum ex parte Dei illam efficientis: & ex parte intellectus: & aliquo modo ex parte obiecti. Limitaretur quidem ex parte Dei efficientis; quia licèt ſolus Deus illam immediatè produceret abſque alicuius agentis creati cooperatione; tamen cum eam liberè produceret, poſſet ſuam infinitam virtutem attemperare, vt eſſet ſimilitudo huius, & non illius perfectionis diuinæ; cum quælibet diuina perfectio, & quælibet ratio intelligibilis Diuinæ naturæ, ex ſe ſit repræſentabilis ſine alijs, vt patet in viſione beata. Quare ſicut Deus, dum ſuam eſſentiam intellectui beato liberè vnit ad modum ſpeciei, poteſt facere, vt hanc, & non illam perfectionem repręſentet; cur non poterit facere ſpeciem impreſſam, quæ eodẽ modo repræſentet? profectò nulla dabitur ratio diſcriminis. Poſſet etiam ſpecies illa limitari ex parte intellectus recipientis: quoniam licèt intellectus Syncategorematicè ſit infinitus in recipiendo ſpeciem ſemper perfectiorem in repræſentando; non tamen eſt infinitus Categorematicè; quia nunquam poteſt recipere ſpeciem, niſi finitam in repræſentando. Quare licèt intellectus non determinet repræſentationẽ ſpeciei, quoad hanc, vel illam rationem intelligibilẽ (hoc enim modo ſolùm determinatur à voluntate diuina) tamen ex ſua natura determinat ſpeciem, quæ finitè repræſẽtet, tàm diuinam eſſentiam, quàm ſingulas illius rationes intelligibiles. Denique aliquo modo limitaretur ex parte obiecti: quia licèt diuina eſſentia ſit infinito modo repræſentabilis; talis tamen nõ eſt in ordine ad intellectum creatum, cum ab eo ſolùm ſit finitè intelligibilis. Iam verò, quod eſt finitè intelligibile, eſt etiam finitè repræſentabile, vt ſæpè diximus.

Ad octauam probationem ex dictis patet ſolutio: ſolùm enim probat, quòd ſicut intellectus creatus eſt infinitæ virtutis in intelligendo Syncategorematicè; quia virtus intellectiua eius poteſt in infinitum ſemper creſcere; ita etiam eſt Syncateorematicè infinitus in recipiendo ſpeciem ſemper perfectiorem: quæ infinitas ſimul ſtat cum finitate categorematica virtutis, tùm intellectiuæ, tùm repræſentatiuæ: nam cum ſit creatus, ex ſua natura eſt finitus, & in agendo, & in recipiendo. Vnde ſicut non poteſt habere virtutem intelligendi, niſi actu finitam; ita non poteſt recipere ſpeciem, niſi finita ſit, & in eſſendo, & in repræſentando. 39. *Ad 8. probationem.*

§. 5.

Soluitur vltima probatio maioris.

SVpereſt diſſoluere nonã, & vltimam probationẽ maioris 4. argum. principalis, quã §. 1. negauimus, quatenùs aſſerit non eſſe dabilẽ ſpeciẽ creatã, quæ Deũ finito modo repræſentet, quæ probatio ab aduerſarijs, tanquam demonſtratio proponitur. Verùm illa, & in antecedente deficit, & in conſequentia. Quare dupliciter ſolui poteſt. 40. *Ad 9. probationem.*

Prima ſolutio ſpeciem iſtam non naturaliter produci à diuina eſſentiâ, ſed liberè.

41. Species diuinę eſſentię ab ea liberè, & non naturaliter producitur. *Recentior.* *Scotiſtæ.*

Prima ſolutio negat antecedens, quatenùs aſſerit ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ non liberè, ſed naturaliter ab ea produci. Hoc autem eſſe friuolum, & nullius momenti affirmat Suarius *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 12. nu. 22. & cap. 13. n. 11. & in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 11. nu. 29. negatur à Bellom. 1. p. diſp. 38. cap. 3. n. 15. & 16. à Sala. 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. ad 7. pag. 340. colu. 2.* negant Scotiſtæ ferè omnes, dum aſſerunt hanc ſpeciem non produci naturaliter à diuina eſſentia, ſed liberè à diuina voluntate: Ita Herrera *in 1. Scoti diſp. 7. q. 9. concl. 3. & 4. pag. 135. & 136. Rada 1. p. Cōtrouerſia 10. art. 1. concl. 3. §. 3. oberſerua, pag. 137. col. 1.* nec poteſt non eſſe improbabile; nam improbabile eſt fundamentum, quo illius authores nituntur; ita enim hac in re Philoſophantur, vt diuina eſſentia ad productionem huius ſpeciei concurrat obiectiuè, & per efficientiam obiectiuam, quam habet, vt eſt quoddam obiectum intelligibile: cum verò ex ſe ſit intelligibilis, erit prior (noſtro intelligendi modo) intellectu, & voluntate: in illo autem priori, cum non poſsit concurrere, niſi naturaliter, infertur diuinam eſſentiam non liberè, ſed merè naturaliter ad illam ſpeciem concurrere. Qui tamen Theologizandi modus multiplici ex capite eſt improbabilis.

42. Diuina eſſētia, vt eſt natura non cō currit ad hanc ſpeciē vt agēs, qd ſed vt quo.

Et primum ex eo, quòd ſupponit eſſentiam diuinam, vt eſt natura, concurrere ad hanc ſpeciem, vt agens, quod: hoc autem eſt falſum: quoniam agens, vt quod, huius productionis non poteſt non eſſe Deus, vt ſubſiſtens in eſſentia: actiones enim ſunt ſubſiſtentium ex Ariſtotele in Metaphyſica. Quare hæc ſpecies produci nequit, niſi à Deo ſubſiſtente in diuina eſſentia: Eſt enim effectus ad extra, ad quem diuina eſſentia ſolùm concurrit, vt quo; Quare Deus, vt ſubſiſtens in eſſentia, eſt obiectum concurrens, vt quod ad hanc ſpeciem, non ſolùm eam terminando, ſed etiam efficiendo, ſi aliqua obiectiua efficientia eſt admittenda: nec enim ad productionem ſpeciei viſibilis color concurrit, vt quod, ſed coloratum mediante colore: & eſſentia diuina non vnitur intellectui, vt ſpecies, ſed Deus ſubſiſtens in ea. Sit igitur in hac quæſtione indubitatum Deū ſubſiſtentem in diuina eſſentia eſſe obiectū concurrens, vt quod ad productionem huius ſpeciei, eſſentiam verò ſolùm eſſe obiectum, vt quo.

43. Deus ad productionē huius ſpeciei nō ſolū cōcurrit efficiētia obiectiua particulari, ſed etiā concurſu generali propriè effectiuo.

Deinde deficit in eo, quod ſupponit ad productionem huius ſpeciei Deum ſolum concurrere concurſu, & efficientia obiectiua, non verò concurſu, & efficientia generali, qua, vt Author rerum ad cæteras omnes res actiuè concurrit: imaginantur enim huius argumenti Authores Deum eo modo concurrere ad hanc ſpeciem, quo coloratum concurrit ad ſpeciem viſibilem ſui, ad quam ſolùm concurrit, vt obiectum, & per ſolam efficientiam obiectiuam: quod eſt omninò improbabile: quoniam neceſſariò concedendum eſt Deum ad hanc ſpeciem cōcurrere generali concurſu, quo ad cæteras omnes res concurrit: Quanuis in hac productione ſpecialiter etiam concurrat, vt obiectum, quod per talem ſpeciem videri debet. Hæc doctrina ex eo, vel euidenter oſtenditur; quoniam ſpecies iſta eſt effectus ad extra: Deus autem quidquid ad extra producit, producit, vt primus omniū rerū effector, iuxta illud Ioānis primo: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, & Apocalypſis. 4. *quia tu omnia creaſti.* Admittendū eſt igitur Deū eodē actionis genere hāc ſpeciē producere, quo cætera ad extra immediatē producit, hoc tantū excepto, quod ad eam etiā cōcurrit, vt obiectū. Vtrū verò vt ſic concurrat ſolū terminatiuè, an verò etiā motiuè: alterius eſt quæſtionis. Nūc illud ſolū ſtatuimus, Deū ad hanc ſpeciē concurrere eodē efficientiæ genere, quo ad cæteras res cōcurrit, quas ſe ſolo producit. Quæ Theologia neceſſariò eſt admittenda, ſi vera eſt ſentētia, quæ in obiecto, vt obiectū eſt, nullā agnoſcit efficiētiā obiectiuā in ordine ad ſpeciē; ſed ſolā obiectiuā terminationē, nec enim poteſt negari ſpeciem iſtam produci à Deo vera efficientia. Neceſſariò etiam eſt admittēda apud eos, qui obiectiuam efficientiam, non putant eſſe veram efficientiam, ſed impropriam: quoniam productio, qua Deus hanc ſpeciem producit, eſt vera, & propria productio cauſæ efficientis.

Tertio

44. Tertio, ille philoſophandi modus in eo euidenter deficit, quòd docet eſſentiam diuinam ad hanc ſpeciem effectiuè concurrere, vt noſtro modo intelligendi antecedit intellectum, & voluntatem; & ob id non liberè, ſed naturaliter eam producere: in quo authores iſti hallucinari ex ijs, quæ immediatè diximus, poteſt euidenter oſtendi: nam cum Deus hanc ſpeciem producat, vt author rerum, vtique eam producet mediate ſua eſſentia, vt ſubit rationem potentiæ actiuæ: nam quidquid Deus ad extra producit, illud producit per ſuam actiuam potentiam. Iam verò diuina eſſentia non poteſt ſubire rationem potentiæ actiuæ, niſi vt intelligitur coniuncta cum intellectu, & voluntate, vel formaliter (iuxta eorum opinionem, qui putant potentiam actiuam in Deo eſſe formaliter, aut intellectum, aut volũtatem, aut vtrumque) vel antecedenter apud eos, qui volunt eſſentiam diuinam in ſe ipſa formaliter eſſe potentiam actiuam; præcedente tamen voluntate, vt applicante, & intellectu, vt dirigente. Ex quibus infertur Deum vt ſubſiſtentem in diuina eſſentia non concurrere ad hãc ſpeciem pro aliquo priori, in quo intelligitur antecedere intellectum, & voluntatem, quia licèt in illo priori ex ſe ſit primum, & radicale agendi principium; nõ tamen eſt completum, & proximum, vt Deus ea mediante poſſit ſpeciem producere. Allucinantur igitur, qui volunt Deum pro illo priori, in quo antecedit intellectum, & voluntatem, non poſſe non producere illam ſpeciem; Oppoſitũ enim demonſtrat ratio adducta, & patet ex cap. 4. Apocalypſis: *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*: & Ariſtoteles, licèt docuerit Deum ad extra agere de neceſsitate naturæ; docet tamen eum agere per intellectum, & voluntatem, vt tanquam indubitatũ ſupponimus, & probant Conimbricenſes 8. Phyſicorum cap. 2. quæſt. 5. articul. 2. in principio.

45. Ad 1. cõfir. antecedẽtis Sed argumenta diſſoluamus, quibus confirmatur antecedens, quod tam latè impugnauimus. Ad primam confirmationem, quæ eſt Marſilij, negandum eſt ſpeciẽ illam non poſſe repræſentare diuinam eſſentiam naturaliter, ſed ſolùm ex inſtituto, ſi à Deo non naturaliter, ſed liberè producatur: id enim eſſe gratis dictum euidenter probant ſpecies infuſæ Chriſto Dño, Adamo, & Angelis; quæ omnes fuerunt à Deo liberè productæ, & tamen naturaliter repræſentant ſua obiecta, tanquam naturales eorum ſimilitudines, & imagines: imago etiam Cæſaris nõ ex inſtituto, ſed naturaliter repræſentat Cæſarem, & tamen ab artifice fuit liberè producta.

Ad ſecundam cõfirmationem admittimus ſpeciem illam non poſſe produci, niſi à ſolo Deo: dicimus tamen Deum illam producere per ſuam eſſentiam volũtariè applicatam ad talem effectum: quia Deus non poteſt ad extra applicari, niſi voluntariè: Quare ſpecies illa non producitur ab obiecto ſuperiori, quod aut virtualiter, aut eminenter contineat diuinã eſſentiam, ſed producitur à Deo formaliter ſubſiſtente in eſſentia diuina, qua in illa productione vtitur, tanquam vera potentia, quam formaliter continet, & qua ſemper vtitur ad agendum applicata tamen non naturaliter, ſed liberè. Quare non opus eſt, vt voluntas, qua Deus ſuã eſſentiam applicat, contineat virtualiter, aut eminenter diuinam eſſentiam; cum voluntas non ſit agens, vt quod, ſed vt quo: non quidem tanquam virtus diſparatè diſtincta à diuina eſſentia, ſed tanquã virtus complens eſſentiam in eſſe potentiæ proximæ, & completæ. 46. Ad 2. cõfir. Species producitur à diuina eſſentiã voluntariè applicata.

Ad tertiam confirmationem admittimus eſſentiam diuinam in illo priori, in quo ad noſtrum intelligendi modum eſt prior voluntate, eſſe obiectum quoddam intelligibile, poſſeq; intelligibiliter communicari intellectui increato, & creato: Addimus tamen eam, vt ſic, diuerſo modo eſſe communicabilem vtrique intellectui: quia increato communicatur naturaliter citra omnem actum volũtatis noſtro intelligendi modo antecedentem: Deus enim in illo priori, in quo à nobis concipitur, vt nõdum cognitus à ſe ipſo, ſuam eſſentiam intellectui ſuo communicat naturaliter citra vllum actum, aut intellectus, aut volũtatis; & ideo nõ poteſt non cõmunicare ſuo intellectui omnẽ, & adæquatã ſuæ eſſẽtiæ intelligibilitatẽ. At intellectui creato nõ poteſt intelligibiliter cõmunicare ſuã eſſentiã, niſi volũtariè volũtate antecedẽte. Ratio diſcriminis ex- 47. Ad 3. cõfir.

eo ſumitur; quia communicatio ſuæ intelligibilitatis in ordine ad ſuũ intellectũ fit ad intra: etenim noſtro intelligendi modo Deus priùs vnit ſe ipſum ſuamque eſſentiã ad inſtar ſpeciei impreſſæ, quàm ſe ipſum, & ſuam eſſentiam intelligat, & amet; & ob id talis vnio, & communicatio fit naturali neceſsitate, quia fit citra omnem actum intellectus, & voluntatis: At verò communicatio intelligibilitatis diuinæ in ordine ad intellectum creatum fit ad extra: Iam verò Deus ſicut ad extra non poteſt ſuam entitatem rebus creatis communicare, niſi per intellectum, & voluntatem, vt etiam apud Ariſtotelem eſt indubitatum; ita nec poteſt intelligibilitatem ſuæ eſſentiæ communicare, niſi per intellectum, & voluntatẽ; vnde ſuam eſſentiam non poteſt vnire intellectui beatorum, ad inſtar ſpeciei impreſſæ, niſi voluntate illam applicet, & intellectu applicationem dirigat. A fortiori igitur ſine intellectu, & voluntate non applicabit ſuam eſſentiam ad producendam ſpeciem ſui, & hæc duo non diſtinguere, fuit cauſa errandi.

48. Itaque eſſentia diuina, licèt citra omnem actum intellectus, & voluntatis ſit in ſe ipſa intelligibilis: non tamen eſt applicabilis cuicumque intellectui ſine omni actu intellectus, & voluntatis: nam eadem eſſentia diuina citra omnem actum intelligendi, & volendi eſt communicabilis rebus creatis; actu tamen cõmunicari non poteſt ſine actu intellectus, & voluntatis. Quare licèt pro illo priori, in quo ſine intellectu, & voluntate eſt intelligibilis, non poſsit concurrere ad ſpeciem ad extra; poteſt tamen ad eam concurrere pro illo poſteriori, in quo cum intellectu, & voluntate conſideratur: Nam licèt pro illo priori non poſsit ſe ipſam entitatiuè communicare; benè tamen ſe communicabit pro poſteriori, in quo iam eſt cum voluntate, & intellectu.

49. D. Thom. Nec huic Theologiæ repugnat D. Thomas *prima parte, quæſtione* 19. *articulo quarto*, quia agit facta ſuppoſitione, quòd Deus ageret neceſsitate naturæ excludente actum intellectus, & voluntatis, quo modo conſideratur pro illo priori, in quo à nobis intelligitur eſſe, antequam intelligat, & velit: facta autem hac ſuppoſitione, non poſſet nõ producere effectum infinitum: At ſuppoſitio eſt falſa, & impoſsibilis, quia pro illo priori non poteſt aliquid agere ad extra; ſic dicendũ eſt in propoſito. Et hæc pro prima ſolutione.

Secunda ſolutio eiuſdem argumenti.

Secundo modo poteſt argumentum allatum diſſolui, ſi dicamus conſequentiam eſſe nullam, quamuis gratis daretur antecedens: nec enim neceſſe eſt, vt agens naturale ſemper producat effectũ ſuæ virtuti adæquatum; & ratio eſt, quia actio agentis naturalis limitatur tùm ex capacitate, & diſpoſitione paſsi, tùm ex capacitate effectus producti: Sol enim nõ ſemper, nec in omni parte ſpatij illuminat adæquatè ad ſuam illuminandi virtutem, ſed quantum requirit, vel diſpoſitio paſsi, vel diſtãtia ſphęræ: vnde intra illam vniformiter difformiter diffundit lumen. Eodem modo obiectum ſenſibile naturaliter emittit ſpeciem intra ſuam ſphæram; & tamen non in omni diſtantia illius emittit adæquatam ſuæ viſibilitati, vt ſuprà aduertimus. Nobiſcum in hac Philoſophia conſentit Suarius *in Metaphyſica diſput.* 30. *ſect.* 11. *num.* 29. Conſentit etiam hæc Philoſophia cum Ariſtotele, qui abſq; dubio exiſtimauit Deũ in productione vniuerſi ſe habuiſſe, vt agens ex neceſsitate naturæ carens omni agendi libertate, vt olim oſtendimus in 8. Phyſicorum, vbi poſtea idem ſcripſerunt Conimbricenſes *cap.* 2. *quæſtione* 5. *artic.* 2. §. *Itaque non videtur dubitandum:* Et tamen non produxit vniuerſum in entitate adæquatum ſuæ infinitæ virtuti, cum ſit entitatiuè finitum. Quare apud Ariſtotelem non valet hæc conſequentia: *Deus agit naturaliter, ergo non poteſt producere effectum, niſi ſuæ virtuti adæquatum*: Etenim licèt naturaliter ageret, non tamen totum ſuum infinitum impulſum neceſſariò imprimeret, ſed limitaretur ex natura effectuũ, qui ex Ariſtotele nec perfectione, nec numero poſſunt eſſe infiniti. Ariſtot. autẽ errauit quidem, dũ exiſtimauit Deum agere ex neceſsitate naturę: at tamen cõtradictoria nõ dixit, dum in Deo infinitam agnouit virtutem, & in vniuerſo nullam agnouit infinitatem 50. Ariſtot.

tem, quidquid nonnulli eum à contradictione non liberent, cuius oppoſitum nos olim oſtendimus in libris Phyſicorum, & aduerterunt Conimbricenſes *in libro 8. Phyſicorum, capite 10. quæſtione 3. artic. ſecundo ad primum, & antea idem ſenſit Soncinas 12. Metaphyſica quæſtione 41. ad primum,* cuius ſenſum non benè præcipit Suarius *in dicta diſputatione 30. ſect. 16. numero 52. & 53.* Quaare licèt antecedens argumenti admittatur, (quod tamen non admittimus) adhuc argumenti conſequentia eſt inutilis: quia applicatio illa intelligibilitatis diuinæ eſſentiæ limitaretur à finitate ſpeciei, quia nec in eſſendo, nec in repræſendo eſſet infinita.

Ex quibus patet, quam longè ſit à demonſtratione probatio nona, quam aduerſarij vt demonſtrationem adducunt. Et hæc tam latè dicta ſint pro ſolutione quarti argumenti principalis.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur reliqua omnia argumenta poſita articulo primo §. ſecundo.

1. Ad 5. arg. SEd iam accedamus ad ſoluenda reliqua argumenta, quæ pro parte negante ſunt adducta ſuprà articulo 1. §. ſecundo.

Ad quintum argumentum reſpondet Herrera *in primo Scoti diſput. 2. quæſt. 9. ad quartum, quartæ opinionis, pag. 137. columna ſecunda*: Sed ſolutio potiùs rem confundit, quàm explicet difficultatem. Illa igitur omiſſa, negandum eſt antecedens; quatenùs habet nullam dari poſſe ſpeciem repræſentationis adeo eleuatæ, vt non poſsit dari creatura, quæ totam illius repræſentationem non valeat adæquare: quia cum nulla creatura poſsit eſſe ſuum eſſe, quantumuis illa ſit eleuatæ perfectionis, nulla poteſt repræſentari per ſpeciem, quæ per ſe primò repræſentat rem ſub modo eſſendi puro, & irrecepto: ſicut enim res, quæ in eſſendo eſt materialis, quantumcumque in ſuo genere ſit perfecta, & excellens, nõ poteſt repræſentari per ſpeciem, quę per ſe primò repræſentat rem immaterialem ſub modo eſſendi immateriali: ita etiam res creata, quantęcumque ſit perfectionis, non poteſt repręſentari per ſpeciem, quæ primò repręſentat Deum ſub eſſe puro, & irrecepto. Quare, cum ſpecies repręſentatiua Dei ponatur per ſe repræſentare id, quod repræſentat ſub modo eſſendi puro, & irrecepto, ſub quo modo nulla creatura quantumcumque perfecta repræſentari valet, omnino negari debet antecedens, quod à Capreolo, vt veriſsimum ſine probatione ſumitur.

Prima autem probatio habet conſequentiam infirmam: diſpar enim ratio reperitur inter ſpecies ſenſibiles, quæ repræſentant corpus, & intelligibiles, quę res immateriales repræſentant: nam quòdcumque corpus continetur ſub ratione formali, ſub qua ſpecies ſenſibilis repræſentat rem ſenſibilem: Iam vero non omnis res intelligibilis per ſe continetur ſub formali ratione repræſentandi cuiuſcũque intelligibilis ſpeciei. Quare, ſicut ſubſtantia materialis per ſe non continetur ſub ratione formali ſpeciei, quæ per ſe primò repræſentat rem ſub ratione immateriali; ita res creata per ſe non continetur ſub ratione formali ſpeciei, quæ per ſe primò repræſentat Deum ſub modo eſſendi puro, & irrecepto. Quare non valet argumentum à ſpecie ſenſibili, quæ per ſe repræſentat corpus ſub modo eſſendi ſenſibili, ad ſpeciem, quæ per ſe repræſentat rem intelligibilem. In ſecunda probatione admittimus omnem ſpeciem creatam habere limitatam repræſentationem, vt in antecedente ſumitur: negamus tamen inde inferri poſſe dari creaturam, quæ cuiuſcumque ſpeciei creatæ repræſentationem adæquet; quia poteſt dari ſpecies, quæ per ſe primò repręſentet ens ſub modo eſſendi infinito, finitè tamen, ſub quo formali, & adæquato repręſentandi modo nulla creatura cõtineri poteſt, ſed omnis eſt extra formalem illam rationem. Admittimus igitur poſſe dari aliam, & aliam ſpeciem diuinæ eſſentiæ, quæ illam perfectiùs repræſentet: negamus tamen dari poſſe creaturam, quæ contineatur ſub formali & adæquata ratione, ſub qua illa ſpecies diuinam eſſentiam repræſentat. 2. Diſcrimen inter ſpecies ſenſibiles & intelligibiles.

Sextum argumentum, quod eſt Marſilij, facilè ſoluitur apud eos, qui volũt viſiones 3. Ad 6. argu.

ſiones Patriæ (quæ inter ſe ſunt inæquales) eſſe ſpecie diſtinctas: quæ fuit aliquorum opinio, inter quos eſt Paludanus *in 4. diſt. 49. q. 5, art. 1. nu. 6.* quę licèt à Belmont. abſurda, & ridicula videatur 1. *p. diſp. 50. c. 5. n. 32. §. Præterea alij*: Eſt tamen in ſe probabilis, vt lib. 12. oſtendemus. Hac igitur opinione ſuppoſita argumentum nullam habet vim, quia ſupponit viſiones beatificas, etiam inæquales, eſſe eiuſdem ſpeciei. Quo deſtructo fundamento corruit argumentum: quia poſſet Deus producere plures ſpecies ſpecie diuerſas iuxta diuerſitatem viſionum, ad quas effectiuè concurrent. Sed quoniam longè verior eſt opinio, quod omnes beatificæ viſiones, etiam inæquales, ſint eiuſdem ſpeciei, ad argumentum admittimus poſſe Deum producere plures ſpecies diuinæ eſſentiæ cum finito modo repræſentantes; quæ licèt in repræſentando eſſent finitæ, non proinde differrent inter ſe ſpecie, vt ſine fundamento ſupponit Marſilius, vt benè aduerterũt Bellom. *in dicta diſp. 38. cap. 4. num. 21. & Salas in dicta diſp. 5. ſect. 2. ad decimum argumentum pag. 340. colum. 2.* nihil enim in illis daretur, quòd diſtinctionem ſpecificam argueret, ſiue conſiderentur ſecundùm rationem ſub qua repræſentarent diuinam eſſentiam; quia omnes eam repræſentarent ſub modo eſſendi ſupernaturali, & diuino, quæ ratio eſt vna ſpecie; ſiue conſiderarentur ſecundum rationem formalem diuinę eſſentiæ, quam repræſentarent, de quo libro. 8. latiùs dicemus.

Paludan.

Bellom. Salas.

14. Ad. 7 arg. Subſtantiæ repugnat eſſe imaginẽ formalem.

Ad ſeptimum argumentum neganda eſt maior; non ſolùm, quia repugnat dari ſubſtantiam, quæ in eſſendo ſit imago obiectiua diuinę eſſentiæ, diſtinctè eam repræſentans, vt oſtendimùs libro ſexto, queſt. 2. artic. 3: ſed etiam, quia abſolutè repugnat ſubſtantiæ eſſe imaginem formalem in repræſentando alicuius rei: imago enim formalis in repræſentando ex ſua intrinſeca ratione habet, quòd ſit accidens, vt ſuprà oſtendimus. Cum verò in hac quæſtione ſermo ſit de ſpecie imagineque formali, quæ ſolùm eſt imago; maior ſimpliciter eſt neganda. Nec obſtat, quod ſubſtantia poteſt ſubire rationem imaginis formalis: quoniam, vt id admitteremus (quanuis id ſatis ſit dubium) non tamen admitteremus ſubſtantiam eſſe poſſe imaginẽ formalem; quia longè aliud eſt ſubſtantiam ſubire poſſe vicem ſpeciei formalis, & aliud eſſe ſpeciem formalem: hoc ſimpliciter repugnat ſubſtantiæ; illud verò fortè non repugnat, ſaltem ſubſtantię increatæ. Itaque maior eſt neganda. Cuius probatio magis indiget riſu, quam ſolutione. Primò, quia ſumit vt certũ, quod erat probandum, ſcilicet *ſpeciem, quæ Deũ diſtinctè repræſentaret, futuram fore infinitam in repræſentando*, quod ſine fundamẽto dicitur, vt diximus ſuprà, ad quod aduerſarij nolunt aduertere. Poſſet igitur Deus producere ſpecies intelligibiles, quæ in repræſentando eſſent magis, ac magis perfectæ, modo tamen finito, vt prima habet conſequentia in hoc ſenſu admittenda. Porrò ſecunda conſequentia futilis eſt: quoniam ſupponit (nec ſine petitione principij) dari poſſe ſubſtãtias creatas, quæ ſub obiecto formali illarum ſpecierum continerentur, cuius oppoſitum contra Capreolum oſtendimus in hoc art. ad quintum. Vltima tandem conſequentia ſumitur non ſiue petitione principij; ſumit enim quod probãdum erat.

Confirmatio huius ſeptimi argumenti ſolutione non indigebat: ſed quia omnibus debitores ſumus, ita explicabitur, vt antecedens ſit verum, ſiue loquamur de ſimilitudine obiectiua, ſiue de formali: vtroque enim modo implicat dari ſubſtantiam, quę Deum diſtinctè repræſentet. Nam ſicut implicat, quod ſubſtantia creata ſit ſimilitudo obiectiua, diſtinctè repræſentans Deum, vt eſt in ſe, vt ſæpe diximus: ita etiam repugnat, vt ſubſtantia aliqua ſit formalis alteriùs ſimilitudo, vt ad ſextum diximus. Conceſſo igitur antecedente, neganda eſt conſequentia: cuius probatio ſumit fundamentum ſuo authori ſępe iam impugnatum; nec enim agimus de ſpecie, ſub ratione analoga, vt ſæpe diximus; ſed de ea; quæ verè, & propriè eſt formalis in repræſentando: hæc autem non poteſt abſtrahere ab accidente, cum intrinſecè ſit accidens, vt contra Caietanum, & alios iam ſuprà oſtendimus. Vnde corruit argumẽti machina. Quæ etiam curruerет ſi admitteremus ſpeciẽ ſub illa anagolica, ſiue potiùs æquiuoca ratione, nec habere, quod

15. Ad confir. argum.

quod ſit ſubſtantia, nec quod ſit accidẽs: hoc enim admiſſo non benè infertur impoſſibilitas ſpeciei, quæ ſit accidens, ex eo, quod impoſſibilis ſit ſpecies eſſentiæ diuinæ, quæ ſit ſubſtantia: datur enim manifeſta inſtantia: quoniam ens in ſua analogica ratione ex ſe non habet, quod ſit aut ſubſtantia ſupernaturalis, aut ſupernaturale accidens: & tamen non benè infertur impoſſibile eſſe accidens ſupernaturale, ſi impoſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis: talis enim ſubſtantia verè eſt impoſſibilis, vt cum communi ſententia contra Molinam ſupponimus: cum tamẽ de fide ſit dari accidens ſupernaturale: & ratio eſt; quia, vt ens, quatenus eſt ens, abſtrahat à ſubſtantia, & accidente ſupernaturali, ſatis eſt, quod detur ſupernaturalis ſubſtantia increata, quamuis impoſſibilis ſit creata ſupernaturalis. Eadem igitur ratione non valet hæc conſequentia: *ſi impoſſibile eſt creari ſpeciem diuinæ eſſentiæ, quæ ſit ſubſtantia, impoſſibile etiam erit creari ſpeciem eiuſdem, quæ ſit accidẽs*: quoniam, vt detur illa abſtractio analogica in ſpecie, ſatis eſt, quod detur ſubſtantia increata, quæ ſit ſpecies in ſenſu explicato. Quare ſicut in inſtantia à nobis allata, repugnantia, quæ datur in ſubſtantia, non eſt ſumenda ex ratione entis, quatenus ens eſt; ſed ex ratione talis ſubſtantię, nẽpè creatæ: ita etiam repugnantia, quæ datur in ſubſtantia, ne ſit naturalis ſimilitudo Dei, non eſt ſumenda ex ratione analogica ſpeciei, vt eſt ſpecies; quia non repugnat dari ſpeciem increatam, quæ ſit naturalis ſimilitudo ſui; ſed ſumenda eſt ex repugnantia talis ſpeciei: quia. ſ. repugnat ſubſtantiæ non ſolùm eſſe ſimilitudinem obiectiuam Dei, ſed etiam eſſe formalem ſimilitudinem alterius; quod tamen non repugnat ſpeciei, quæ eſt accidens. Et hæc non diſtinguere cauſat deceptionem.

6. Ad 8. arg. Octauum argumentum tribuitur D. Thomæ, *tum Opuſculo. 2. cap. 15. tum q. 8. de Veritate art. 1*: ſed in dicto cap. 15. D. Thomas nihil hac de re agit, & in dict. ar. 1. longè alio vtitur argumento. Sed cuiuſcunque illud ſit, admiſſa maiore, negãda eſt minor, ſi ſermo ſit de ſubſtantia in repræſentando, de qua ſola eſt ſermo: quoniam ſubſtantia eſt extra obiectum adæquatum ſpeciei, quæ repræſentat accidens: & homo extra obiectum adęquatum ſpeciei equi. At tamen Deus continetur intra repræſentationem adæquatã ſpeciei, quam vt poſſibilem admittimus. Quare licet Deus in ſuo eſſe magis diſtet ab eſſe ſpeciei diuinæ eſſentiæ, quam eſſe ſubſtantiæ differat ab eſſe accidentis; & eſſe hominis ab eſſe bruti: non tamen magis diſtat in ſuo repræſentari; quia homo non poteſt diſtinctè repræſentari per ſpeciem bruti; cũ tamen non repugnet Deũ finitè repræſentari per ſpeciem creatam, vt defendimus. Probationes minoris negatæ nullius ſunt efficaciæ. Nam prima petit principium, dum ſumit omnem ſpeciem creatam infinitè diſtare à Deo, & in eſſendo, & in repræſentando: nam quamuis in ſua adæquata repręſentabilitate infinitè diſtet à repræſentatione cuiuſque ſpeciei creatæ; non tamen in repræſentabilitate inadæquata. Secunda probatio in eo claudicat, quod ſupponit ſpeciem iſtã non eſſe in repręſentando eiuſdem ordinis, cum Deo inadæquatè repræſentato: de quo multa diximus ſuprà art. 3.

Ad nonum argumentum neganda eſt maior, vt patet ex dictis art. 4: quoniam nulla vera Philoſophia docet ſpeciem eſſe eiuſdem naturæ, eiuſdemque ſpecificæ rationis cum re repræſentata, vt benè aduerterunt Bellomontanus *in dict. diſp. 38. cap. 4. n. 10. & Suar. in dicto lib. 2. c. 13. n. 20. & Valentia 1. tom. diſp. 1. q. 12. puncto 2. pag. 187. C. & pag. 388. C. D*: nec id negant aduerſarij, ſi ſermo ſit de ſpecie in eſſendo: idem autem dicendum eſſe de ea in repræſentando, patet ex dicto artic. 4. vbi oſtendimus decipi aduerſarios, dum ſcribunt ſpeciem formaliter, & in repræſentando habere idem eſſe cum re repręſentata, in alio tamen eſſendi modo: quod eſt aduerſariorum fundamentum. 7. Ad 9. arg. Recentiores.

Nec probationes illius aliquid faciũt. 8. Nam prima continet Philoſophiã ab omnibus reprobatam. Ad ſecũdam dicimus ſpeciem ideò ducere in cognitionem rei, quia in repræſentando eſt illius ſimilitudo; non quidem obiectiua, ſed formalis: hæc autem non fundatur in vnitate naturæ, aut alicuius eſſe, ſed in vnitate adæquationis in repręſentando, quatenus talem eam repræſentat, qualis illa eſt in ſe, vt patet ex dicto art. 4. Ad tertiam reſpõdetur inter ſpeciem, & rem repræſentatã

ſolùm dari relationem repræſentantis ad repræſentatum: hæc autem ſicut eſt alterius rationis à relatione fundata in vnitate formæ, qualis datur inter duo alba: ita etiam non fundatur in vnitate, aut naturæ, aut alicuius eſſe, ſed in vnitate adæquationis in repræſentando; in hoc enim eſt illi ſimilis, quia eam repræſentat, vt illa eſt in ſe, vide Bellom. *in dict. c. 4. n. 21. §. Secunda ratio.* Quarta probatio ſupponit infinitum non poſſe per ſpeciem repræſentari, niſi infinitè; quod eſt falſum. Denique ad vltimam negamus propoſitionem à nobis negatam eſſe D. Thomę, quod facilè eſt oſtendere, ſi quæ ſcribit D. Thomas in locis citatis, expendamus.

9. D. Thomas nõ fauet ad uerſarijs. Aduertendum eſt igitur D. Thomam Opuſculo. 2. cap. 15. nihil ſcribere, quod ad inſtitutum pertineat. In q. 8. de Veritate art. 1. admittit quidem conuenientiam inter ſpeciem, & rem repræſentatã; non quidem in eſſendo, ſed ſolùm in repræſentando: & quamuis ibi ſolùm neget cònuenientiam ſecundum eſſe naturale: tamẽ in 4. loco citato abſolutè negat omnem conuenientiã in aliquo eſſe, ita enim ait; *Ad hoc, quod intellectus intelligat aliquam quidditatem, oportet, quod in eo fiat ſimilitudo eiuſdem rationis ſecundùm ſpeciẽ, quamuis fortè non ſit idem modus eſſendi vtrobique.* Idem repetit, ita inquiens: *non enim forma exiſtens in intellectu eſt principium cognitionis ſecundùm modum eſſendi, quem habet vtrobique.* Iam verò ſpecies in intellectu eſt principium cognitionis ſecundûm conuenientiã ſimilitudinis, quã habet cum re repræſentata, quia ſimile à ſimili cognoſcitur. Igitur, cum non ſit principium cognitionis ſecundùm modum eſſendi naturalem, quem habet res repræſentata; quia talem modum eſſendi non habet, vt cum D. Thoma aduerſarij fatentur: nec etiam ſit principium cognoſcendi ſecundum modum eſſendi, quẽ habet in intellectu, vt expreſſè ſcribit D. Thom. in dicta diſt. 49. dum ait, *ſpeciem non eſſe principium cognitionis ſecundùm modum eſſendi, quem habet vtrobique*: vtique ex mente Diui Thomæ conuenientia in repræſentando, quam ſpecies habet cum re repræſentata (ſecundũ quam eſt principium cognitionis) non eſt conuenientia in aliquo eſſe ipſius ſpeciei, ſed aliundè eſt ſumenda, quâm ex conuenientia in aliquo eſſe, quod habeat in intellectu, vt eſt repræſentatiua. Qualis autem debeat eſſe hęc conuenientia explicat idem D. Thom. *in 3. de Anima cap. 7. lect. 12. com. penult.* vbi declarat, in hoc eſſe poſitam, vt talem repræſentet rem, qualis ipſa eſt in ſe; nam in hoc ſenſu dicitur eſſe ipſa res, vt patet ex ſolutione ſecundi argumenti. Poteſt autem in repræſentando iſto modo conuenire cum re repræſentata, quamuis cum illa non conueniat in aliquo eſſe eiuſdem rationis, vt ſæpè diximus. D. Thom.

10. Itaque ſpecies apud D. Thom. dicetur eſſe eiuſdem rationis cum re repræſentata, non per conuenientiam in aliquo eſſe, ſed per conuenientiam in repræſentare modo explicato. Et ita optimè explicantur, quæ ſcribit in dicta diſt. 49. dum ait: *Species eſt principium cognitionis ſecundum rationem, in qua communicat cum re externa*: nam hæc communicatio, cum non ſit in aliquo eſſe, quod habeatur in vtroque extremo, vt ibidem declarat, erit in repræſentando. In repræſentando autem, ideò communicat cum re externa, quia talem eam repræſentat, qualis ipſa eſt in ſe. Quare locus nihil fauet aduerſarijs. Nec etiam fauet illis locus ex 3. contra gent. c. 49. vbi ita ait: *Similitudo intelligibilis, per quam intelligitur aliquid, oportet, quod ſit eiuſdem ſpeciei: vel magis ſpecies eius*: hanc enim disiunctiuam ideò appoſuit, quia loquebatur de ſpecie tàm obiectiua, quàm formali, vt legenti patebit. Iam verò ſimilitudo obiectiua fundatur in ſimilitudine vnius naturæ. Quare disiunctiuè loquens ſatis declarat ſpeciem formalem habere aliquam conuenientiã; quæ non fundatur in aliqua vnitate naturæ, ſed in alia longè diuerſa, qualis eſt vnitas adæquationis in repręſentando, vt diximus in dicto art. 4.

11. Ad 10. arg. Ad decimum argumentum, quod eſt Henrici, admittimus, quòd ſpecies illa (ſi daretur) plus repræſentaret de diuina eſſentia, quàm alia quæcunque creatura; quia repræſentaret eam diſtinctè, vt eſt in ſe; quomodò nulla alia creatura eam poteſt repræſẽtare. Ratio diſcriminis eſt, quia alia quæcunque creatura ſolùm eſt ſimilitudo obiectiua, quæ repræſentat, vt cognita: illa autem ſpecies eſſet ſimilitudo formalis: cui, ſi eſt diſtincta, proprium eſt

eſt repræſentare omnia, quæ ſunt in re repræſentata: ſpecies enim Petri repræſentat Petrum etiam ſecundùm rationes indiuiduantes, quod non poteſt conuenire ſimilitudini obiectiuæ: hæc enim non conuenit in omnibus cum re repræſentata, ſed in illis tantùm, in quibus cum illa habet eſſendi vnitatem: nulla autem res creata conuenit in omnibus cum alia, & ideò vt cognita non poteſt aliã in omnibus repræſentare, nec enim homo, vt cognitus conuenit cum bruto, niſi in animali, nec Petrus conuenit cum Ioanne, niſi in ratione ſpecifica hominis: & indè eſt, vt nulla res, vt eſt ſpecies obiectiua, poſſit aliam repręſentare in omnibus, & per conſequens non poteſt eſſe diſtincta ſimilitudo alterius. Non eſt igitur mirum, ſi ſpecies, quæ eſſet formalis ſimilitudo Dei plus repręſentaret de Deo, quã poſſet repræſentare quæcunq; alia creatura, ſiue homo, ſiue Angelus. Nec indè infertur hanc ſpeciem potiùs dicendam fore imaginem Dei, quàm aut Angelum, aut hominem, contra doctrinam Auguſtini; quoniam ratio imaginis, quæ ſoli naturæ rationali conuenit, non eſt poſita in conuenientia in repræſentando; ſed in eſſendo; non ſecundum quemcunque eſſendi gradum (hæc enim conuenientia eſt ſolùm veſtigij diuinitatis, quæ reperitur in quacunque creatura) ſed ſecundùm gradum eſſendi intellectualem, in quo ſolo reperitur ratio imaginis Trinitatis; & ideò ſi talis ſpecies daretur, nec eſſet naturæ intellectualis, nec capax, vt Deum videret; vide Suarium in dicto cap. 13. n. 21. ad finem.

12. Ad 11. arg.

Species illa non poteſt naturaliter cognoſci ab Angelo.

Recentiores.

Vndecimum argumentũ in terminis propoſitis facilè ſoluitur; ſupponit enim ſpeciem illam poſſe ab Angelo naturaliter cognoſci; quod eſſe falſum affirmant ferè omnes authores noſtræ ſententię, & meritò, quia talis ſpecies ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſet ſupernaturalis: iam verò ſupernaturales habitus nõ poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci. Ita reſpondet Bellom. *in dicta diſp. 38. cap. 4. n. 23. & Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. ad 5. pag. 339. col. 2. & ſatis Suarius 1. de Trinit. cap. 11. n. 21:* nec enim hac in re audiendi ſunt Scotiſtæ cum Rada *1. p. controu. 10. art. 1. ad 4. & 5.* dum admittunt illã ſpeciem, eſſe quidem ſupernaturaliter productam; in ſua tamen ſubſtantia non eſſe ſupernaturalem, & proinde poſſe naturaliter cognoſci ab Angelo. Et quamuis fortè hæc opinio fuerit Scoti, non debet tamẽ admitti. Itaque nẽganda eſt maior; cuius probatio ſumpta ex viſione ſpeciei refractę in ſpeculo nihil ad rem facit; ſiue dicas rem ipſam per talem ſpeciem in ſe ipſa videri, ſiue id neges: quia talis ſpecies naturaliter videri poteſt: noſtra autem minimẽ.

13. Diximus argumentum facilem habere ſolutionem propoſitum de cognitione naturali talis ſpeciei: quoniam maiorem habet difficultatem, ſi ſupponat ſpeciem illam eſſe in ſe ipſa viſibilem ſupernaturaliter: indè enim infertur poſſe Deum diſtinctè, & intuitiuè cognoſci in ipſa ſpecie quidditatiuè cognita: nam cum ex ſua natura ſit naturalis Dei ſimilitudo, non poteſt Deus in ea cognita non cognoſci diſtinctè, & intuitiuè. Cuius oppoſitum cum communi ſententia docuimus ſuprà q. 3. art. 3.

14. Huic difficultati quidam ſuccumbentes negant talem ſpeciem poſſe in ſe ipſa diſtinctè cognoſci; ſicut nec viſio beata cognoſci poteſt in ſe ipſa. Hæc tamen opinio eſt omnino improbabilis: quia, cũ ſpecies illa ſit quoddam ens, ex ſua natura eſt intelligibilis ſaltem ſupernaturaliter; ſicut etiam viſio beata ex ſua natura eſt cognoſcibilis, etiam ab intellectu creato, vt diximus in d. q. 3. libri ſexti art. 3. §. 2. in prima ſolutione, & §. 3. ad primam inſtantiam, vbi argumenta in oppoſitum diſſoluimus.

15. Alij, vt difficultatem fugiant, negant ſpeciem impreſſam eſſe ſimilitudinem, imaginemque obiecti; & ſubindè in ea cognita non poſſe Deum cognoſci; ſed ſolutionem non admiſimus in dicto art. 3. §. 3.

16. Tertia ſolutio eſt eorum, qui putant nullum eſſe abſurdum Deum quidditatiuè videri in hac ſpecie obiectiuè cognita: nam communis illa doctrina Deum non poſſe cognoſci, aut intuitiuè, aut abſtractiuè in aliquo obiecto cognito, intelligenda eſt de obiectis, quæ ad Deum habent ordinem extrinſecũ; qualis eſt ordo
18. effectus ad cauſam; non verò de illis, quæ intrinſecum ordinem habent ad Deum; qualis eſt ordo ſpeciei tàm impreſſæ, quã expreſ-

expreſſæ, quatenus vtraque eſt naturalis ſimilitudo Dei. Itaque licet ſpecies illa ſub ratione effectus non poſsit ducere in diſtinctam Dei cognitionem; benè tamẽ, vt cognoſcitur ſub ratione formalis ſimilitudinis. Ita Salas *vbi ſuprà ad* 5. *pag.* 339. *col.* 2. vbi hanc ſententiam tanquam probabiliorem contra Bellomontanum agnoſcit: addit tamen talem Dei viſionem, vel non eſſe beatificam, ideò, quia non eſt viſio immediata Dei; vel ſi admitteretur vt beatifica, eſſet talis, non quatenus eſt viſio illius ſpeciei, ſed quatenus eſt diuinæ eſſentiæ. Ad hanc ſententiam videntur accedere Cumelius 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 2. *pag.* 232. *col.* 1. & *Bellom.* 1. *p. diſp.* 135. *c.* 4. *n.* 9. & 10: admittunt enim eum, qui videret, aut ſpeciem iſtam, aut viſionem beatam, viſurum quidem Deum; nõ tamen ex vi illius viſionis, qua videt ſpeciem, ſed per aliam immediatè terminatã ad Deum, & in hoc differunt à priori dicendi modo.

Salas. Cumel. Bellomon.

17. Poteſt videri ſpecies, quin videatur Deus.

Hæc temen ſententia, quocunque modo explicetur, placere non poteſt: nam ſicut communiter non admittitur Deum viſa viſione beata, neceſſariò videri, vt ex Scoto, Gregorio, & alijs diximus ſuprà lib. 6. q. 3. art. 3. §. 2. in 3. ſolutione; ita nõ eſt admittendum, Deum neceſſariò videri viſa iſta ſpecie; eadem enim eſt vtrobique ratio: vnde in iſtis terminis eam nõ admiſimus in dict. art. 3. §. 2. & 3: nec ſimpliciter admittitur à Bellom. *in dicta diſp.* 38. *c.* 4. *n.* 24. & 25. vnde nec illi firmiter adhæſit *in dicta diſp.* 135. *cap.* 4. *n.* 10. ſicut nec firmiter adhæret, aut Cumelius, aut Salas. Tota difficultas poſita eſt in impugnanda diſtinctione, qua vtitur Salas, de obiecto, in quo Deus cognoſcitur: illa enim ſuppoſita non conuincit argumentum, quo tanquam efficaciſsimo vtitur Suarius *in dicta diſp.* 30. *Metaphyſicæ ſect.* 11. *nu.* 9. quia ſpecies illa, etiam vt refert Deum tanquam obiectum, poteſt eſſe medium cognitum: illa enim relatio, ſeu formalis repræſentatio Dei, cum ſit quędam differentia ſpeciei, eſt quædam entitas, & ſubindè eſt quoddam intelligibile. Quare oportet impugnare diſtinctionem obiecti, quam Salas excogitauit.

18. Ille igitur ex hoc capite primum poteſt impugnari, quoniam illa diſtinctio ordinis penes intrinſecum, & extrinſecũ ſine fundamento ponitur inter obiecta, quæ, vt cognita repræſentãt Deum: etenim, ſi talis ordo comparetur cum ipſis obiectis, omnibus eſt intrinſecus, quia in omnibus eſt quidam reſpectus tranſcendens; extrinſecus autem, ſi comparetur cum Deo, vt eſt terminus: quia terminus relationis non intrinſecè, ſed extrinſecè includitur in relatione, cum non in recto, ſed in obliquo in illa includatur. Igitur, cum omnia obiecta creata eundem ordinem habeant in repræſentando Deum penes intrinſecum, vel extrinſecum; omninò concedendum eſt, vel omnia diſtinctè repræſentare Deum, quod eſt falſum; vel nullum; deinde omne obiectũ, quod eſt repræſentatiuum Dei, vt cognitum, quamuis in ſua entitate ſit formalis, & eſſentialis ſimilitudo Dei; tamen prout illũ repræſentat, vt cognitum, non poteſt eũ repræſentare ſecundùm conuenientiam, quam in repræſentando habet cum Deo, in repræſentari; quia vt ſic, neceſſariò repræſentat, vt non cognitum; ſed ſecundũ conueniẽtiam in eſſendo, quatenus cum Deo conuenit in aliquo eſſendi gradu; is enim repræſentandi modus eſt proprius ſimilitudinis obiectiuæ, vt recepta docet Philoſophia. At ſecundum hanc conuenientiam, non poteſt Deum diſtinctè repræſentare, quia cum eo non conuenit in gradu proprio, & quidditatiuo Dei, ſed ſolùm in conceptu analogico, vt patet. Ergo obiectum, quod intrinſecè eſt formalis ſimilitudo Dei, ſi repræſentat, vt cognitum, nunquam Deum poterit diſtinctè repræſentare; quia vt ſic non repręſentat Deum formaliter, nec ſecundùm conuenientiam in repræſentando; ſed ſolùm materialiter ſecundùm conuenientiã in eſſendo, ſecundùm quam licet ſit id, quod eſt formalis repræſentatio; non tamen repræſentat, vt repræſentatio formalis.

Impugnatur diſtinctio, quam induxit Salas.

Omiſſa igitur tertia iſta ſolutione, vera ſolutio negat ſequelam: quoniam licet admittamus ſpeciem iſtam poſſe in ſe ipſa obiectiuè cognoſci, ſaltem ſupernaturaliter: non tamen admittimus eam cognoſci non poſſe, quin Deus in ea diſtinctè cognoſcatur: licet enim ſit formalis ſimilitudo Dei, & habeat ad eum relationem non ſolùm tranſcendentem, vt eſt quædam ſpecięs, ſed ętiam prædicamentalem 19.

19. Vera ſolutio.

talem repræſentantis ad repræſentatum: tamen poteſt in ſe ipſa intuitiuè videri, Deo diſtinctè non viſo: nec enim oportet, vt terminus relationis etiam transcendentalis diſtinctè videatur, ſi ipſum relatiuum diſtinctè videtur, de quo latè diximus ſuprà lib.6.q.3.art.3. §.2.3.& 4. & 1.tom. lib.5.q.5.art.4.n.20.

Duodecimũ argumentum facilè ſol-
20. uitur, ſi dicamus Philoſophiam in eo ad-
Ad 12. arg. ductam veram eſſe de ſpecie, connaturali intelligenti; non tamen de ea, quæ eſt ſupra naturã illius, qualis eſt hæc, de qua agimus: hæc enim non ſumit ſuam repræſentationem ex modo eſſendi cognoſcẽ-
Caiet. tis, vt ſignificat Caiet. 1. *p. q.*12. *art.*4. *ad finem.* Sed nos datam Philoſophiam etiam admiſimus in cognitione ſupernaturali Dei ſuprà q.2. art.5. §.7. ad 2: hæc enim etiam ſpecificari, & determinari debet ex modo eſſendi cognoſcentis, ita, vt obiectum in modo eſſendi ſuæ immaterialitatis non excedat modum eſſendi cognoſcentis. Quæ ibi diximus de cognitione, modò dicimus de ſpecie, vt. ſ. non poſſit repræſentare obiectum, quod fuerit altioris ordinis in eſſendo, quàm ſit modus eſſendi naturæ cognoſcentis. Ad argumentum igitur admittimus antecedẽs, & conſequentiam primi diſcurſus, & negamus minorem diſcurſus ſecundi, quãuis, vt nota ſupponatur. Nam licet eſſentia diuina habeat in ſe ipſa altiorem modum eſſendi in genere rei, quàm cognoſcens creatum; quia illius eſſe eſt increatum, & per eſſentiam: tamen in genere intelligibilium ſimpliciter non habet altiorem eſſendi modum, quàm habeat intellectus ſupernaturaliter eleuatus: cum enim ens increatum, & diuinum aliquo modo ſit intelligibile ab intellectu creato, vt eſt in ſe, ſicut fides docet, habet aliquam quoad intelligi proportionem cũ eo; in qua reponitur per eleuationem ad eſſe ſupernaturale & diuinum; vide quæ diximus libr.6.q.2.art.5. §.7. ad 2. inde intelliges eſſe increatum & per eſſentiã dupliciter conſiderari poſſe: vno modo; vt ſimpliciter eſt eſſe per eſſentiam; altero modo; vt ita eſt eſſe per eſſentiam, vt ſit omne eſſe. Priori modo habet eſſe ſubſtantialiter diuinum: poſteriori autem habet eſſe diuinum ſuperſubſtantiale, vt appellat Magnus Dionyſius: & ratio eſt, quia ſecundùm illum eſſendi modum, cũ ſit omninò imparticipabile, & incommunicabile, eſt etiam ſuperintelligibile; cum tamen ſecundum prius eſſe ſit intelligibile ab intellectu creato, non quidem naturaliter, ſed ſupernaturaliter. Quare minor argumenti vera eſt, ſi ſermo ſit de eſſe ſuperſubſtantiali diuinæ eſſentiæ, & prout eſt omne eſſe: in hoc enim ſenſu modus eſſendi diuinæ eſſentiæ omninò excedit omnes creatas intelligendi vires tam naturales, quàm ſupernaturales; ſed in hoc ſenſu nihil cõcluditur contra nos. Eſt autem falſa, ſi ſermo ſit de eſſe increato per eſſentiam, vt ſimpliciter eſt tale; quia, vt ſic, cum ex ſe ſit intelligibile ab intellectu creato ſupernaturaliter eleuato, eſt eiuſdem ordinis cum intellectu in genere intelligibili. Vnde Philoſophia aſſumpta ſemper eſt vera.

13. argumentum Argentinæ falſum 21.
habet antecedens, quidquid ſit de conſe- Ad 13. arg.
quentia. Cuius prima probatio ſatis eſt friuola. Et omiſſa cuiuſdam nouioris ſolutione, vera ſolutio indè eſt ſumenda, quia licet eſſentia diuina ſit ſemper præſens intellectui creato præſentia reali indiſtantiæ localis: non tamen ſemper eſt præſens præſentia obiectiua, vt cum D. Thoma, & Scoto ſæpè diximus: iſto autem modo præſens eſſe non poteſt, niſi vel per ſpeciem, vel per ſe ipſam, vt vicẽ ſubit ſpeciei. Et quanuis dubium ſit, an de facto fiat pręſens per ſpeciem creatã, vt patebit ex quæſt. ſequente, non eſt tamen negandũ poſſe iſto modo præſentẽ fieri. Secunda probatio ſumit minorem falſam: cuius confirmatio plura ſupponit, contra huius rei veram Philoſophiã, quam explicauimus ſuprà 1.p.lib.8.q.3. & 4. Supponit enim hanc ſpeciem, ſi daretur, habere efficiẽtiam obiectiuam reſpectu viſionis beatæ, quod tamen communior Thomiſtarum Philoſophia negat. Deficit ſecundò; quoniam, quanuis cum Scoto, & alijs admittamus ſpeciem ſe habere ex parte obiecti, & ſubindè habere poſſe veram efficientiam obiectiuã; falſum eſt, ſpeciem illam concurrere ad viſionem, vt cauſam diſtinctam ab eſſentia, vt malè ſupponit argumentũ: etenim, qui ſpeciei impreſſæ concedunt efficientiam obiectiuam, non concedunt eam eſſe diſtinctam ab efficientia obiecti: nam, cum

cum ſpecies in hoc ſenſu ſit vicaria obiecti, obiectum ipſum in ea repręſentatum, eſt, quod mouet intellectum, & concurrit ad actum intelligendi: vnde ſpecies vicem obiecti gerit in efficiendo, in actu tamen ſignato. Quare deficit argumentum, dum ſupponit, eſſentiam diuinam, & iſtam ſpeciem eſſe duas cauſas obiectiuas totales reſpectu viſionis. Quod eſt negandum, etiam ſi ſpecies teneret ſe ex parte obiecti. Deficit tertiò argumentũ etiamſi ſpecies teneret ſe, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti: nam authores huius opinionis, vel negant obiectum in ſpecie repræſentatum vllam habere efficientiam obiectiuam; vel negant vtrãq; eſſe eiuſdem rationis. Quare, vel argumẽtum falſum ſupponit; vel extra rem ſaltat: quoniam nullus negauit duas cauſas diuerſæ rationis poſſe ad eundem effectum ſimul & totaliter concurrere. Denique deficit; quia fortè probabilior eſt ſententia, vnum numero effectum poſſe diuina virtute per ſe pendere à pluribus cauſis totalibus eiuſdem generis, quod probat Caiet. 1. *p. q.* 52. *art.* 3. & 3. *p. q.* 3. *artic.* 6. *cum Suario in Metaphyſica diſp.* 26. *ſect.* 5. *n.* 14.

Caiet. Suarius.

22. Ad poſtremum. Poſtrema ratio ſumpta ex Auguſtino nihil officit: nam verba Auguſtini primo loco adducta *ex lib.* 10. *de Trinitate. c.* 15. nec in eo inueniuntur, nec liber habet tot capita. Auguſtinus autem 15. de Trinitate c. 9. loquitur de ſimilitudinę, & ſpecie, quæ cognita ducit in cognitionẽ Dei: omnis autem talis verè obſcura eſt, nec poteſt Deum diſtinctè repræſentare, vt in ſuperioribus latè oſtendimus.

Explicatur Auguſtinus

ARTICVLVS VIII.

Quænam fuerit Diui Thomæ, & Scoti ſententia de poſsibilitate ſpeciei creatæ diuinã eſſentiam repræſentantis?

§. 1.

Opinio Bellomontani, quod D. Thomas hanc poſsibilitatem non negauerit.

1. QVid D. Thomas ſenſerit de poſſibilitate ſpeciei diuinæ eſſentię, dubium facit vnus Bellomontanus 1. *p. diſp.* 39. *c.* 1. & 2. & *diſp.* 43. *c.* 7. *n.* 33. quibus in locis contendit D. Thomam non ſolùm non negaſſe poſsibilitatem huius ſpeciei, ſed etiam de facto eam admiſiſſe. De hoc poſteriori agemus in ſeq. q. Quod attinet ad prius; promittit Bellomont. ſe præſpicuè demonſtraturũ, quod Diuus Thomas nunquam docuerit hanc ſpeciem eſſe impoſsibilem, docetq; hanc fuiſſe opinionem doctiſsimi Victoriæ in Commentarijs ad primam partem *q.* 12. *art.* 2. Sed cum ſcripta Victoriæ nõ habeam, ſolùm afferam, quæ Bellomont. adducit.

Totum fundamentum illius eſt, quòd D. Thomas, vbicunque negat dari ſimilitudinem diuinæ eſſentiæ, agit non de ſpecie impreſſa, ſed de obiectiua (quam ille vocat expreſſam) quæ cognita ducit in alterius cognitionem: quin potiùs in aliquibus locis ſatis ſignificat ſpeciem impreſſam eſſe poſsibilem. 2. 1. argumẽtum Bellomontani.

Quod D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 2. ſolùm loquatur de ſpecie, & ſimilitudine Deitatis, quæ viſa ducat nos in claram ipſius viſionem, multis oſtendit. Et imprimis; quia in eo loco ſolùm loquitur de ſimilitudine obiectiua diuinæ eſſentiæ. Id primum oſtendit ex argumento *Sed contra*: volens enim probare non poſſe dari ſimilitudinem diuinæ eſſentiæ, id ex eo probat, quia in patria Deus non videtur per ſimilitudinem ænigmaticam, cũ Paulus eam diſtinguat à viſione faciali. Similitudo autem ænigmatica eſt obiectiua, vt patet. Ergo quando in illo artic. negat dari poſſe ſimilitudinem diuinę eſſentiæ, ſolùm agit de obiectiua. 3.

Deinde id probat ex artic. 4. eiuſdem quæſtionis ad primum; vbi ideò negat Angelum diuinam eſſentiam cognoſcere per ſuam ſubſtantiam, quæ eſt ſimilitudo obiectiua Dei, quia per nullam ſimilitudinem creatã poteſt Dei eſſentia cognoſci, vt oſtenſum eſt, inquit; nimirum art. 2. eiuſdem quæſtionis. Ergo Diuus Thomas fatetur ſe in dicto artic. 2. egiſſe de ſimilitudine obiectiua. Quod etiam argumentum ſumitur ex art. 11. eiuſdem quæſtionis; vbi ex eo probat Deum in hac vita cognoſci non poſſe per res materiales, quę ſunt ſimilitudines obiectiuę; quia (vt ait) oſtenſum eſt ſuprà (ſ. in dict. art. 2.) quod cognitio Dei per quancũq; ſimilitudinem creatam non eſt viſio eſſentiæ ipſius. 4. 2. argum.

5. 3. argum. Tertiò ex eo ſumit argumentum, quia Diuus Thomas in dicto artic. 2. admittit ſimilitudinem creatam Dei tenentem ſe ex parte potentiæ; nullam tamen ex parte rei viſæ. Sed omnis ſpecies ex parte rei viſæ apud Diuum Thomam eſt expreſſa & obiectiua. Ergo dum in dict. artic. 2. negat dari poſſe ſimilitudinem creatam diuinæ eſſentiæ, ſolùm agit de expreſſa obiectiua. Maiorem propoſitionẽ probat tum ex 1. *contra gentes cap.* 53. *& lib.* 4. *cap.* 11. *& ex quæſt.* 9. *de potentia artic.* 2. vbi Diuus Thomas verbum, & ſpeciem expreſſam appellat intellectionem intellectam, primùmque obiectum intellectus, ita vt verbum hominis ſit homo intellectus; ideò, quia eſt ſimilitudo hominis apprehenſa ab intellectu. Aſſeritq; idem ſenſiſſe Capreolum *in* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *poſt quintam concluſionem.* Tum etiam, quoniam ſi Diuus Thomas intelligatur de ſpecie formali & impreſſa, futiles eſſent rationes, quibus negat dari poſſe ſimilitudinem creatam diuinæ eſſentiæ. Tum denique; quia D. Thomas de ſimilitudine, quam negat, nunquam dixit eam eſſe neceſſariam ad viſionem, aut ad conſtituendum intellectũ in actu primo; ad quæ duo ſpecies impreſſa eſt omninò neceſſaria.

6. 4. arg. Quartò; quòd Diuus Thomas non negauerit, ſed admiſerit ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ indè probat; quia admiſit dari ſimilitudinem tenentem ſe ex parte potentiæ, vt patet 1. *part. q.* 12. *artic.* 2. non ſolùm quæ ſit ſimilitudo natiua, qualis eſt vis intellectiua intellectus creati; ſed quæ ſit extrinſecùs adueniens, qualis eſt lumen gloriæ, quod apud D. Thomam non diſtingui à ſpecie impreſſa, oſtendit in dicta *diſp.* 39. *cap.* 1. *n.* 4. *& diſp.* 43. *cap.* 7.

7. 5. argum. Denique pro hac opinione illud poteſt adduci, quod Diuus Thomas in dicta q. 12. art. 2. non reijcit, ſed admittit ſimilitudinem ex parte potentiæ; talis autem eſt ſpecies impreſſa, vt diximus 1. p. huius lib. 8. q. 3. & 4. His adducitur Bellom. vt credat Diuũ Thomam affirmaſſe dari poſſe ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ.

§. 2.

Reijcitur hæc opinio, vt aliena à mente Diui Thomæ.

Hæc tamen opinio in explicanda mente D. Thomæ, & à prioribus nõ recipitur, & à poſterioribus, vt improbabilis, impugnatur; inter quos eſt Suar. *lib.* 2. *de Attributis negatiuis c.* 13. *n.* 4. *& Salas* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *n.* 14. *&* 15. *pag.* 331. *&* 332. *latè Nauarrete* 1. *p. contr511.* 34. §. 3. *à princip. Raphael Ripa* 1. *p. q.* 12. *artic.* 2. *dub.* 1. *c.* 1. qui omnes in hoc vehementer reprehendunt Bellom. & meritò; quia omnes Thomiſtæ ſuam opinionem quam pluribus Diui Thomæ teſtimonijs confirmant, vt Capreol. Hiſpalenſ. Sôc. Ferrar. Caiet. Sylueſt. Bañes, & alij: cum quibus ego conſentio; nec ſolùm puto impoſsibilitatem huius ſpeciei cum mente Diui Thomæ conſentire; ſed ab eo expreſſè aſſertam eſſe. Quod ex locis ſequentibus euidenter oſtenditur. 8. Recẽtiores non recipiunt Bellomontanũ. Thomiſtæ.

Primus locus ex quodlib. 7. *q.* 1. *art.* 1.

¶ Primus locus ſumitur *ex quodlib.* 7. *q.* 1. *art.* 1. vbi inquirens, vtrùm intellectus creatus poſsit immediatè videre diuinam eſſentiam, vt partem affirmantem defendat, triplex diſtinguit medium in viſione intellectiua: vnum ſub quo intellectus videt; ſecundum, quo videt: tertium, in quo videt. Deinde inquirens, vtrùm in patria detur ſecundum medium, vt *quo*, ita ſcribit: *ſimiliter non eſt ibi medium ſecundum, ſ. aliqua ſpecies eſſentiæ diuinæ intellectum informans*: id probat ex eo, quòd ſpecies illa cum ſit recepta in intellectu creato, non poteſt repræſentare diuinam eſſentiam, niſi per modum recipientis: & indè concludit impoſsibilitatem huius ſpeciei his verbis; *Impoſsibile eſt in intellectu ſimilitudinem diuinæ eſſentiæ recipi, quæ eam perfectè ſecundum totam ſuam rationem repræſentet*: cum verò agat de ſpecie, quæ eſt medium *quo*, hanc negat dari poſſe in patria; hæc autem eſt ſpecies intelligibilis. Poteſt iſte locus confirmari ex D. Thoma *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 15: adducto enim triplici medio intellectionis ſub quo, quo, & in quo; & docens medium quo eſſe formam intelligibilem, qua intellectus determinatur ad certũ obiectũ, docet eam in patria dari non poſſe. 9. Adducitur 1. locus ex D. Thoma.

10. Bellomontanus in dicta *diſp.* 39. *cap.* 2. *numer.* 11. ſolùm adducit locum citatum ex dicta diſt. 49. nullam faciens mentio-

nem loci ex dicto quodlib. 7. qui lõgè eſt vrgentior. Quare ſi ſuccumbit loco minus vrgenti, à fortiori ſucumbet loco efficatiori. Parceremus illi, ſi his locis adductis manus daret; ſed in ſua pertinacia perſiſtens nulla dignus eſt venia. Inquit igitur defendi poſſe locos illos intelligẽdos eſſe, non de ſpecie impreſſa, ſed de ſola expreſſa, & obiectiua; nam & hęc eſt ſpecies intelligibilis faciens intellectum in actu: additque appellari medium quo; nõ ideò, quia non cognoſcitur, ſed quia eſt medium, vt aliud cognoſcatur, & ideò appellatur medium *quo*. Sed quoniam ſtatim aderat inſtantia, quòd hæc explicatio confundat medium ſecundum cum tertio; negat ſequelam: quia medium tertiũ, in quo aliquid cognoſcitur, eſt medium exiſtens extra, cuius eſſe non eſt cognoſci: cum tamen medium ſecundum, ita videatur vt *quod*, vt ſit intra intellectum.

11. Sed iſte error poſterior eſt peior priori: in quem incidit, quia non vidit locum ſumptum ex dicto quodlibeto 7: nam in eo expreſſè docet D. Thomas ſecundum medium appellari, medium *quo*, quia non mediat vt cognitum, ſed vt non cognitũ: conſtituens enim diſcrimen inter tertiũ medium in *quo*, & duo priora, ſub *quo*, & *quo* ita ſcribit: *primum medium & ſecundũ non faciunt mediatam viſionem; immediatè enim dicitur aliquis videre lapidem: quanuis enim per ſpeciem eius in oculo receptam, & per lumen videat; quia viſus non fertur in hac media tanquam in viſibilia, ſed per hæc media fertur in vnum viſibile, quod eſt extra oculum*. Porrò, ſi medium vt *quo* in dicto quodlibet. 7. eſt medium, non cognitum, & ſub eo ponitur ſpecies intelligibilis ex eodem D. Thoma; negari non poteſt D. Thomam in illis locis ſolùm agere de ſpecie impreſſa.

12. Confirmatur ſecũdò. Et vt id euidentiùs appareat ſit ſecunda ratio: quoniam D. Thomas in locis citatis agit de ſpecie, quæ intellectum poſſibilem determinat: cõſtituens enim ſpeciem ſub medio, vt quo, ita ſcribit: *aliud medium eſt, quo videt: & hoc eſt ſpecies intelligibilis, quæ intellectum poſsibilem determinat*. Et eadem verba ſcribit in 4. ad 15: determinat, inquam, quoad indifferentiã ad intelligẽdum hoc, vel illud obiectum, vt patet ex dicto quodlibet. 7. ad primũ, & clariùs in quarto ad 15. ita ſcribens: *ſecundum eſt medium, quo videtur: & hoc eſt forma viſibilis, qua determinatur vterque viſus ad ſpeciale obiectum*. Iam verò ſpecies expreſſa hanc intellectus indifferentiam non determinat, ſed eam ſupponit iam determinatam: tum; quia apud D. Thomam verbum ſolum ponitur vt terminus intellectionis: terminus autem determinare non poteſt, niſi intellectionem certam, & determinatam. Tum etiam; quia in doctrina Diui Thomæ verbum producitur ab intellectu, vt exprimat ſe ipſum iam factum ipſam rem, cuius eſt verbum, vt ſupponimus. Ergo in illis locis non agit de ſpecie expreſſa, ſed de impreſſa.

Tertiò idem confirmatur ex illis verbis, quæ immediatè conſequuntur in 4. loco citato: *habet ſe ad intellectum poſsibilem, ſicut ſpecies ad oculum: & ſicut ſpecies lapidis ad cognoſcendum lapidem*. Hæc verba eſſe intelligenda de ſpecie impreſſa lapidis, quæ non viſa ducit in cognitionem lapidis, manifeſtè patet ex verbis ſuperiùs adductis, in quibus declarat Diuus Thomas viſum non ferri in ſpeciem lapidis tanquam in viſibile: ferretur autem, ſi ſermo eſſet de ſpecie lapidis expreſſa. Id etiam ſatis colligitur, dum in fine corporis in viſione lucis, ſi per ſe ſubſiſteret, negat dari ſpeciem: non quidem expreſſam (quia hæc ſemper eſt neceſſaria) ſed impreſſam. Quare de illa anteà loquebatur. 13. Confirmatur. 3.

Confirmatur adhùc; quia ſatis dubium eſt apud Thomiſtas, an in viſione ſenſitiua ſit admittenda ſpecies expreſſa: eam enim negat Capreol. *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 2. *art.* 1. *poſt.* 5. *concluſionem*: quę opinio mihi eſt verior; cum mihi ſit verius in cognitione intuitiua non dari verbum: quare Diuus Thomas intelligendus eſt de ſpecie impreſſa lapidis. 14. Confirmatur. 4. Capreol.

Tandem, quod D. Thomas *quodlib.* 7. *art.* 1. agat de ſpecie impreſſa, efficaciter oſtenditur ex 2. argum. & eius ſolutione: argumentum enim ex eo, quod intellectus nihil poteſt intelligere, niſi fiat in actu primo per aliquid, quo informatur, inferebat eſſentiã diuinã videri nõ poſſe, niſi per aliquã ſpeciẽ conſtituatur in actu primo. Cum verò intellectus beati cõſtitui non poſſit in actu 1. per diuinã eſſentiam, quia per eam informari nequit; inde argu- 15. Confirmatur. 5.

argumentum inferebat dandam eſſe ſpeciem creatam. Ad hoc argumentum D. Thomas negat conſequentiam; quia lumen gloriæ conſtituit intellectum beati in actu primo. Ex qua ſolutione patet D. Thomam illam ſpeciem creatam negare, qua intellectus conſtituitur in actu primo: hæc autem non eſt ſpecies expreſſa, ſed ſola impreſſa, vt Bellom. fatetur.

Secundus locus ex quaſt. 8. de Veritate Art. 1.

16. Adducitur 2. locus D. Thomæ. ¶ Secundus locus habetur *de Veritate q. 8. art. 2. in corp. & ad primum*: nam poſtquam impugnauit quorundam errorem, quòd Deus non poterat in ſe ipſo videri; nititur explicare modum, quo videri valet. Et iſte eſt illius diſcurſus. Cum in omni viſione intellectiua poni debeat id, quo videns videt, & id, quod videtur: hoc autem in viſione diuinæ eſſentiæ eſſe nequeat, niſi vel ipſa eſſentia, vel aliqua illius ſimilitudo; vt oſtendat Deum videri à beatis per diuinam eſſentiam, oſtendit fieri non poſſe, vt videatur per aliquam ſimilitudinem creatam: & ratio eſt; quia cum in omni cognitione modus cognitionis ſit ſecundùm conuenientiam in repræſentando cum re repræſentata: nec poſſit dari ſimilitudo creata, quæ in repræſentando habeat conuenientiam cum diuina eſſentia: ideò fieri non poteſt, vt per aliquam videatur. Quod idem repetit ad primum.

17. Occurritur pro Bellomontano. Reſpondebit Bellomont. in his locis Diuum Thomam ſolùm negare dari poſſe ſimilitudinem creatam, quæ ſe habeat ex parte eſſentiæ: hanc autem non eſſe impreſſam, ſed expreſſam. Reſpondetur. Verum ſi expendantur, quæ ibi ſcribit, euidenter cõſtabit illum agere de ſpecie impreſſa. Pro quo expendo, quòd generaliter negat diuinam eſſentiam videri poſſe per ſimilitudinem creatam: quæ generalis negatio omnem excludit. Deinde expendo, quòd Diuus Thomas agit de ſimilitudine, quę eſt medium *quo*: ita enim ait: *In omni viſione oportet ponere aliquid, quo videns viſum videat.* Agit etiam de ſimilitudine, per quam ex intelligente & intelligibili fit in intelligendo vnum, vt manifeſtè ſcribit. Agit adhuc de ſimilitudine, qua intellectus intelligit, tanquam forma intelligendi, vt manifeſtè patet in textu. Denique agit de ſimilitudine, qua intellectus fit in actu, vt patet ex 5. arg. Hęc autem omnia non conueniunt ſimilitudini expreſſæ, & obiectiuæ, ſed ſoli impreſſæ, & formali: hæc enim ſola eſt mediũ *quo*, vt in primo loco oſtendimus: ſola iſta facit vnum ex intellectu & intelligibili; quia hæc ſola facit, vt intellectus ſit ipſa res intellecta, vt oſtendimus 1. p. huius lib. 8. q. 1. & 3. hæc ſola per ſe eſt forma informans intellectum: denique hæc ſola eſt forma, qua intellectus conſtituitur in actu primo ad intelligẽdum. Quare D. Thomas in dicta q. 8. agit de ſpecie impreſſa; & hanc putat eſſe impoſſibilem.

Tertius locus ex 4. diſt. 49. q. 2. artic. 1.

¶ Accedat tertius locus *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1.* vbi agit de ſimilitudine, qua intellectus intelligit. Et poſtquam multis oſtendit omnes eſſe inſufficientes ad viſionem diuinæ eſſentiæ, concludit his verbis: *& ita patet, quòd per nullam ſimilitudinem receptã in intellectu creato poteſt Deus intelligi, quòd eſſentia eius videatur.* Et poſtquam oſtendit Deum videri à nobis per diuinam eſſentiam, vt eſt forma noſtri intellectus, ita ait: *quia quacunque alia forma informaretur intellectus, non poſſet per eam duci in eſſentiam diuinam.* Denique agens de ſimilitudine recepta in intellectu expreſſè negat *poſſe aliquam ſimilitudinem huius generis ducere noſtrum intellectum in Deum.* 18. Adducitur 3. locus.

Quòd in hoc artic. agat de ſpecie impreſſa diuinæ eſſentiæ, dubitari non poteſt: etenim nititur oſtendere diuinam eſſentiam videri non poſſe ad modum, quo Auicena poſuit ſubſtantias ſeparatas à nobis videri, vt in litera patet. Auicenam autem poſuiſſe ſubſtantias ſeparatas videri à nobis per ſpecies ab ipſis noſtro intellectui impreſſas, manifeſtè patet ex his verbis: *Alius modus ponitur ab Auicena, ſ. quòd ſubſtantiæ ſeparatæ intelliguntur à nobis per intentiones ſuarum quidditatum, quæ ſunt quædam ſimilitudines impreſſæ ab eis in animabus noſtris.* Idem patet ex verbis Diui Thomæ: *conſtat, quòd omne, quod recipitur in aliquo, eſt in eo per modum* 19. Confirmatur.

recipientis; & ideò ſimilitudine diuinæ eſſentiæ impreſſa ab ipſo in intellectu noſtro, erit per modum noſtri intellectus. Verba ſunt adeò expreſſa, vt nullum aut dubitationi locum relinquant, aut explicationi Bellomontani. Quare laudo, quod hæc verba contra ſe non adduxerit.

Quartus locus ex 1. p. q. 12. art. 2.

20. Adducitur 4. locus. ¶ Quarto loco adducimus D. Thomam 1. p. q. 12. art. 2. Nam in ſine corporis, ita concludit: *Non autem per aliquam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia videri poteſt, quæ ipſam repræſentet, vt in ſe eſt.* Quæ verba, cum generalem contineant negationem, omnem videntur excludere, ſiue illa impreſſa ſit, ſiue expreſſa, & obiectiua. Ob quam rationem non deſunt, qui velint D. Thomam de vtraque agere; inter quos eſt Bañes ibidem dubio. 1. concluſ. 2. Quod ſi verum eſt, intentum obtinemus.

21. Reſponſio Bellomontani. Occurrit tamen Bellomont. *in dicta diſp. 39. cap. 1. n. 2.* & pluribus nititur oſtẽdere Diuum Thomam in hoc artic. non agere de ſimilitudine impreſſa, ſed de ſola expreſſa, & obiectiua, quæ retulimus §. 1. Nec deſunt ex Thomiſtis (ſi aliquibus credendum eſt) qui velint D. Thomam in hoc art. ſolùm agere de ſimilitudine obiectiua. Qui tamen cum Bellom. non conueniunt, quid per ſimilitudinem obiectiuam intelligendum ſit: quoniam Thomiſtæ per eam intelligunt, illam, quæ in ſe ipſa eſt medium veluti inſtrumentale, quod vt cognitum alterum repræſentat: quo modo effectus repræſentat cauſam, & imago Cæſaris ipſum Cæſarem, & hanc ſimilitudinem obiectiuam diſtinguũt à verbo, ſeu conceptu, quem format intellectus, vt in eo res ad extra terminatiuè cognoſcatur: cum tamẽ Bellom. per ſimilitudinem obiectiuam intelligat ſimilitudinem expreſſam ab intellectu, quæ cognita interius ducit ad cognitionem rei, cuius eſt ſimilitudo. Putat igitur Bellom. D. Thomam intelligendũ eſſe non de ſimilitudine obiectiua ad extra, qualis eſt effectus reſpectu cauſæ, & imago reſpectu Cæſaris; ſed de ſimilitudine, quæ eſt imago expreſſa ab intellectu, quæ vt cognita ducit intellectum ad cognitionem rei, quæ cognoſcitur.

Ego cum Bellomontano conſentio, D. Thomam non agere de ſimilitudine obiectiua prioris generis: conſtat enim ex principio articuli eum ſolùm agere de ſimilitudine, quæ ad quamcunque viſionem intellectualem ſimpliciter eſt neceſſaria: prima eſt ſimilitudo participata à virtute intellectiua increata, qualis eſt potentia intellectus; ſecunda eſt ſimilitudo, quæ rem intelligendam vnit cum intellectu, & eam ponit in ipſo intellectu; vt patet ex illis verbis initio poſitis: *ad viſionem tam ſenſibilem, quàm intellectualem, duo requiruntur: ſcilicet, virtus viſiua, & vnio rei viſæ cum viſu: non enim fit viſio in actu, niſi per hoc, quod res viſa eſt in vidente.* Ex illis etiam, quæ in medio corporis ponuntur: *ſed ex parte rei viſæ, quam neceſſe eſt aliquo modo vniri videnti, per nullam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia videri poteſt.* Iam verò ſimilitudo obiectiua, de qua Authores illi loquuntur, nec neceſſaria eſt ad omnem intellectiuã viſionem, vt patet; nec vnit obiectum cum potentia, ita vt per eam obiectum ſit in potentia; quin potiùs ipſæ per aliam ſui ſimilitudinem eſt in intellectu, vt patet. Illa igitur opinio, tanquam aliena à verbis Diui Thomæ reijciatur. 22.

Tota igitur controuerſia erit cum Bellom. quatenus affirmat D. Thomam in hoc art. non agere de ſimilitudine impreſſa, quę non cognita ducit in cognitionem obiecti, ſed de expreſſa, & obiectiua, qualis eſt conceptus, verbumq; intellectus. Hanc igitur opinionem admittere non debent, qui in beatis admittunt verbum diuinæ eſſentiæ, de quibus art. 2. §. 6. nullus enim iſtorum admittet, D. Thomam ſibi eſſe contrariũ. Sed quidquid de hoc ſit, oportet diligentiùs oſtendere Diuum Thomam in hoc art. vel ſolùm egiſſe de ſimilitudine impreſſa, vel ſaltem principalius. 23.

Suarius Bellomontanum non conuincit.

¶ Suarius 2. *de Attributis negatiuis c. 13. num.* 5. ex eo contra Bellomontanum id probat, quia Diuus Thomas ad viſionem requirit, & virtutẽ intellectiuam, & vnionem obiecti cum intellectu. Hanc autem vnionem fieri per ſpeciem impreſſam, probat: tùm; quia adducit exemplũ ocu- 24.

li

li corporalis: tùm ſecundò; quia incredibile eſt, quod Diuus Thomas loquatur de vnione obiecti cum potentia per ipſumet actum, & ſpeciem expreſſam, nam cum ſpecies expreſſa ſit ipſa viſio, ſenſus eſſet, *ad viſionem requiri virtutem videndi; & viſionem*: quod eſt ineptum. Tùm tertiò; quia D. Thomas agit de ſimilitudine, per quam fit viſio; viſio autem non fit per viſionem, ſed per ſpeciem: illud enim *per* non dicit cauſam formalem, ſed principiũ agendi; aliàs non diceret viſionem fieri per ſimilitudinem, ſed eſſe ſimilitudinem.

25. Hæc tamen fundamenta, nec Bellòmontani explicationem expugnant; nec inſtitutum, vel leuiter, confirmant. Nam ad primum dicemus Bellomon. in ea eſſe ſentẽtia, vt in doctrina D. Thomæ in ſenſu externo etiam detur ſpecies expreſſa; & ideò putat citata verba D. Thomæ intelligenda eſſe de ſpecie expreſſa lapidis.

Ad 2. diceret Bellom. argumentũ vim habere, ſi in doctrina D. Thomæ ſpecies expreſſa formaliter eſſet viſio; cum tamẽ apud Thomiſtas ſit conceptus, & qualitas diſtincta à viſione; & ita ceſſat abſurdum. Nos autem quærimus rationem, cur D. Thomas explicari non debeat de ſpecie expreſſa, quam ille ponit. Ad tertium Bellomont. vbi ſuprà c. 2. n. 8. negat illud *per* apud D. Thomam dicere principium effectiuum: & tamen admittit illorum verborum hunc eſſe ſenſum, neceſſariã ſcil. eſſe ſimilitudinem, per quam videns videt, quæ non ſit viſio, ſed ſpecies expreſſa ad habendam viſionem.

Vera expugnatio Bellomontani.

26. Expugnatur Bellom. 1. ratio. ¶ Miſsis igitur probationibus doctiſsimi Suarij, ego puto ex illis verbis: *ad viſionẽ duo requiruntur; virtus viſiua, & vnio rei viſæ*, neceſſariò conuinci ſermonem eſſe de ſola ſpecie impreſſa: etenim hãc vnionem fieri per ſimilitudinem tenẽtem ſe, non ex parte potentiæ, ſed ex parte rei viſæ, docet D. Thomas in medio corporis, in illis verbis: *ſed ex parte rei viſæ, quã neceſſe eſt vniri videnti, per nullam ſimilitudinem creatam, &c.* Oportet igitur oſtendere vnionem iſtam ex mente D. Thomæ fieri non per ſpeciem expreſſam, ſed per impreſſam. Hoc iſto diſcurſu euidẽter demonſtratur; nam ex principio articuli conſtat D. Thomam agere de ſimilitudine, quæ rem obiectam ita vnit cum intellectu, vt faciat illam eſſe in vidente: non quocunque modo, ſed ita, vt per eã fiat viſio in actu, vt ſatis declarant verba immediatè ſequentia: *ſicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, per quam fit viſio in actu* fiat, inquam, viſio in actu, tanquam per principiũ agendi, vt benè aduertit Suar. Iam verò ex doctrina D. Thomæ ſpecies expreſſa, ſiue verbum (cum ſolùm ponatur, vt terminus) non poteſt eſſe principium effectiuum, quo fiat viſio in actu. Agit igitur D. Thomas de ſimilitudine impreſſa, quia per eã verè fit viſio, vt per principium effectiuum. Sed occurrit Bellom. in his locis illud *per* non dicere cauſam efficientem, ſed formalem, vt ſit ſenſus: *per quam fit viſio in actu*; id eſt, *quæ formaliter eſt viſio in actu.* Sed quomodò ſimilitudo expreſſa ſiue verbum poteſt in via D. Thomę eſſe formaliter viſio, actualiſque intellectio, ſi verbum apud Thomiſtas diſtinguitur ab actuali intellectione, vel realiter, vel formaliter? ſi verò ſimilitudo expreſſa formaliter non eſt viſio; quo modo verba illa explicari poſsũt ad mentem D. Thomæ in ſenſu formali? porrò, ſi ſimilitudo expreſſa ſolùm eſt terminus viſionis, dici nullo modo poteſt, eam eſſe ſimilitudinem, per quam fit viſio: terminus enim actionis, non eſt id, per quod fit actio. Si verò admittatur, verba illa explicari non poſſe, niſi de ſpecie impreſſa, vtique de illa agit D. Thomas.

Secundò idem colligitur ex ſolutione 27. 2. ratio. ad tertium; vbi generaliter negantur beatis omnes formæ intelligibiles, quæ informãtes intellectum, faciunt ipſum in actu. Iam verò ſpecies impreſſæ tales ſunt ipſo etiam Bellomont. teſte. At occurrit, verba illa intelligenda non eſſe de actu primo, ſed de actu ſecundo. Sed quã aliena ſit à mente D. Thomæ hæc explicatio, ex eo conuincitur: quoniam D. Thomas in illo argumento 3. agit de illis formis, quibus intellectus fit ipſum intelligibile, vt patet ex verbis argumenti: talem autem fieri per ſpeciem impreſſam, & ex Ariſtot. & ex D. Thoma oſtendimus ſuprà in 1. p. huius lib. q. 2. & 3. ergo quãdo D. Tho. vniuerſaliter negat, Deũ videri poſſe per ſpecies intelligibiles, non

poteſt nõ negare ſpeciẽ impreſſam. Accedit, quia ſi D. Thomas ageret de actu ſecũdo, negaret dari in beatis viſionem actualem Dei, quia ſub illa ſola intellectus eſt ſub actu ſecundo. Non eſt igitur admittenda explicatio Bellomontani.

28. Tertiò accedit; quia non eſt admittendus, dum docet ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ ex mente Diui Thomæ, non eſſe referendam ad ſimilitudinẽ ex parte rei viſæ, ſed ex parte potentiæ viſiuæ: etenim Diuus Thomas ſolam eam ſimilitudinẽ ponit ex parte potẽtiæ, quæ eſt ſimilitudo diuinæ eſſentiæ in participando diuinum intellectum, quatenus eſt prima virtus intellectiua, vt ideò dicatur ſimilitudo eſſentiæ diuinæ, quia eſt quædam virtus intellectiua participata à prima intellectiua virtute: quæ verò eſt ſimilitudo repræſentans, eam refert ex parte rei viſæ: nam in corpore ſimilitudinem ex parte potentiæ appellat participatam à diuino intellectu; quæ verò eſt ex parte rei viſæ, vocat ſimilitudinem repræſentantem, vt patet ex illis verbis: *non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam*: & meritò; quia indè habet, quòd ſit ſimilitudo vniẽs rem viſam cum potentia vidente, quod eſt proprium ſimilitudinis; quæ eſt ex parte rei viſæ. Sed ſpecies impreſſa, ſi daretur, ex natura ſua non eſſet ſimilitudo participata à prima virtute intellectiua; quia nulla ſpecies impreſſa eſt virt⁹ intellectiua, vt oſtendim⁹ 1. p. l. 8. q. 3. ar. 1. ſ. 2. ſed eſſet ſimilitudo repræſentãs diuinã eſſentiam, eamque vniens cum intellectu beati. Igitur talis ſpecies non eſſet ex parte potentiæ, ſed ex parte rei viſæ. Quod etiam confirmatur, quòd apud D. Thomam diuina eſſentia, dum vnitur intellectui tanquam principium intelligendi, habet ſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ, vt dicemus quæſtione 4. ſed eſſentia diuina iſto modo non habet ſe ex parte potẽtiæ, ſed ſolùm ex parte rei viſæ: quia habet ſe vt vniẽs rem viſam intellectui, vt eodem loco dicemus. Ergo iſta ſpecies, ſi daretur, haberet ſe ex parte rei viſæ. Quare, cum D. Thomas generaliter negat dari poſſe ſimilitudinem repræſentantem diuinam eſſentiam; vtique negat dari poſſe ſpeciem impreſſam illius.

§. 3.

Soluuntur argumenta Bellomont.

Sed iam diſſoluamus, quæ Bellom. adducit §. 1. Nam ex dictis patet, quantum erret, dum ait, dari non poſſe locum D. Thomæ, in quo agens de ſpecie impreſſa, eam neget: nam in 4. loco citato expreſſè agit de ſpecie impreſſa; & tamen illam negat. Quæ verò pro ſua fictione adducit, nihil efficiunt. 29.

Nam ad 1. reſponderi poſſet, argumẽtum parum vrgere, etiam ſi daremus 1. p. loco citato eum agere de ſimilitudine expreſſa, & obiectiua: quoniam in alijs locis expreſſè agit de ſpecie impreſſa. Sed negamus eum in 1. parte agere de ſola ſpecie obiectiua. Et pro explicatione, aduertimus, D. Thomam eo in loco agere de ſimilitudine ex parte rei viſæ, qualis eſt ſimilitudo repræſentans rem viſam, & illam vniens cum potentia vidente. Hanc autem comprehẽdere ſpeciem impreſsã iam oſtendimus; quod autem non ſolam illam comprehendat, ſed etiam obiectiuã (qualis eſt ſubſtantia Angeli, & quælibet alia res creata, per quam intellectam poſſumus deuenire in cognitionem Dei) ſatis conuincitur ex dicto art. 4. & 11: etenim ſimilitudo obiectiua, quę cognita ducit nos in cognitionem Dei, eſt vera ſimilitudo, non ſolùm repræſentans Deũ, ſed etiam illum vniẽs cum noſtro intellectu, mediatè tamẽ: quare tenet ſe ex parte rei viſæ. Igitur D. Thomas agit de ſimilitudine repræſentatiua rei viſę, & vnione ei⁹ cum potẽtia vidente, abſtrahendo ab impreſſa, & obiectiua. Vult Bellomontanus ſub hac generalitate cõprehendi obiectiuã expreſsã, quæ à Thomiſtis appellatur verbũ. Vtrũ id verũ ſit? videãt qui verbũ diuinæ eſſentiæ admittunt in beatis: id enim ad noſtrũ inſtitutum parùm refert.

Ad 1. arg. Bellomontani reſpondetur primò.

30. Hoc ſuppoſito, iam facilè eſt diſſoluere, quæ Bellom. adducit. Nam ad 1. ſumptum ex argumento *Sed contra*, admittimus D. Thomam excludere omnem ſimilitudinem obiectiuam, quæ eſt ænigmatica: nulla enim talis dari poteſt, quæ Deum facialiter repræſentet: inde tamen non conuincitur ibi ſolùm agi de ſimilitudine obiectiua; quia nõ ſola vnit illa intellectui rẽ viſam; ſed etiã ſimilitudo impreſſa, vt oſtendimus: imò hæc ſola eam vnit immediatè; quia obiectiua ſolùm mediatè vnire poteſt.

Vera ſolut.

Ad

31. Ad ſecundum eodem modo reſpondemus: agit enim D. Thomas in citato art. 2. de ſimilitudine obiectiua Dei, qualis eſt ſubſtantia Angeli; non agit tamen de ſola illa, vnde conſequentia inutilis eſt.

32. Ad tertium diſcurſum, dicimus Bellomontanũ decipi, dum vult omnem ſpeciem ex parte rei viſæ eſſe obiectiuam, & expreſſam, vt contra eum iam oſtendimus; nec enim ex eo, quod Diuus Thomas verbum, & ſpeciem expreſſam appellat intentionem intellectam, & primum intellectus obiectum, benè infertur omnem ſimilitudinem ex parte rei viſæ eſſe expreſſam, & obiectiuam: nam omnis ſimilitudo repræſentans rẽ intellectã & illam vniens intellectui, eſt ſimilitudo ex parte rei viſæ, ſi verba, & mentem D. Thomæ expendamus: iam verò non ſola ſimilitudo expreſſa id facit, ſed etiam impreſſa; quod eſſe de mente D. Thomę, & Thomiſtarum oſtendimus ſupra 1. p. huius libri q. 3. & 4. & in hac ſecunda p. quæſt. 1.

33. Ad 3. argu. Ad ſecundum argumentum non erit abſurdum admittere rationes D. Thomę non conuincere; illas enim latè diſſoluimus ſuprà art. 3. 4. & 5. Quin potiùs nec magnam habent efficaciam ad probandam impoſsibilitatem ſpeciei expreſſæ, quæ eſt verbum.

34. Ad 2. argu. Fallitur etiam in tertio argumento, dũ putat Diuum Thomam nunquam dixiſſe, ſimilitudinem, quam negat, effectiuè concurrere ad viſionem: oppoſitum oſtendimus in quarto loco contra eum adducto. Vbi etiam diximus Diuum Thomam egiſſe de ſimilitudine, qua intellectus fit in actu primo, vt manifeſtè monſtrauimus; & ſatis colligitur ex quæſt. 8. de veritate: vide, quæ adduximus in primo, & ſecundo loco ſumpto ex Diuo Thoma.

35. 4. Ad argu. Quartum argumentum ſupponit, opinionem propriam Bellomontani contra communem, dum vult lumen gloriæ eſſe ſpeciem impreſſam, quod ſuo loco impugnabimus.

36. Ad vlt. arg. Ad vltimum dicimus, D. Thomam *in dicta q. 12. art. 2.* admiſſe ſimilitudines ex parte potentiæ; illas ſcil. quæ ſunt virtutes intellectiuæ, & ſimilitudines participatæ à prima intellectiua virtute. Et has ſolas ponere ex parte intellectiuæ potētiæ: talis autem non eſt ſpecies impreſſa; nec enim eſt intellectiua virtus; quin potiùs ſe tenet ex parte rei viſę, quia ex ſua natura eſt vicaria obiecti, vt aduertimus ſuprà 1. p. huius lib. q. 3. & 4. exequitur enim plura officia, quæ res obiecta per ſe præſtare non poteſt: & quanuis in facienda vnione obiecti cũ potentia, aliquando ſe teneat ex parte potentiæ, & aliquãdo ex parte obiecti; ſemper tamen ſe tenet ex parte obiecti in hoc ſenſu; quia ſemper illud vnit potentiæ, vel formaliter, vel obiectiuè, & vtroque modo eſt vicaria obiecti: Sicut enim illud per ſuã ſimilitudinem facit, vt intellectus ſit ipſum (hoc enim ipſi obiecto tribuitur) ita etiam per ſuam ſimilitudinẽ fit obiectiuè præſens intellectui. Quare in hoc ſenſu dicitur interdum ſe habere ex parte potentiæ, & interdũ ex parte obiecti; quia interdum loco obiecti aſsimilando intellectum illi, facit eum in actu primo; interdum autem facit ipſum obiectum eſſe præſens intellectui obiectiuè. Quod in hac materia eſt aduertendum pro tollenda ęquiuocatione inter ſimilitudinem ex parte potentiæ, quæ eſt virtus intellectiua, & quæ eſt forma determinatiua ipſius virtutis: hæc enim poſterior, dum eſt ex parte potentiæ, vicariatum gerit obiecti, vt ex dictis patet.

§. 4.

Quid de hoc ſenſerit Scotus?

Quid Scotus ſenſerit de poſsibilitate ſpeciei diuinam eſſentiã repræſentatis, non conſtat inter omnes. Quidam putant, eum hac de re nihil definiuiſſe, inclinaſſe tamen magis in partem negantem: ita de eo affirmat Cumelius *1. p. q. 12. art. 2. q. 2. in 1. corollario.* Oppoſitum affirmant Scotiſtæ, *Herrera: & Rada. cum quibus eſt Bellomontan. in dicta diſp. 38. cap. 1. num. 2.* *Salas* putat Scotum plurimum fauere parti affirmanti. 37.

38. Scotus de ſpecie ad cognitione intuitiuam nihil definiuit. Ego nec video, vnde Cumelius collegerit Scotum magis inclinaſſe in impoſſibilitatem talis ſpeciei; nec ex quo loco Scotus ad partẽ affirmantem adduci valeat. Quare ſi ſermo ſit de ſpecie ad cognitionem abſtractiuam diuinæ eſſentiæ: Scotus eam admiſit *in 2. diſp. 3. q. 9.* vt inferiùs

ſeriùs dicemus. Si verò ſit ſermo de ſpecie ad cognitionem intuitiuam; Scotus nec pro affirmante, nec pro negante parte mentem ſuam explicauit. Nec enim in fauorem partis affirmantis adduci poteſt *in 4.diſt.49.q.11.lit.C.§. Ad primam rationem alterius Doctoris*: quoniam licèt dicat rationes, quòd non requiratur ſpecies ad videndum Deum, non conuincere; Addit tamen hæc verba; *Quidquid ſit de concluſione*, quibus explicat ſe nihil definire. Imò, ſi benè expendatur, nō agit de poſsibili, ſed de facto: ſi enim alicubi impoſsibilitatem definiret, definiret etiā eam de facto non dari. Quare cum ſub dubio relinquat factum, ſub dubio etiam relinquit poſsibilitatem: vnde ibidem litera C. & litera G. ſemper loquitur ſub diſtinctione.

39. Nec ſecundò adduci poteſt *in 2. diſt. 3. q. 9.* quoniam ſolùm admiſit ſpeciem abſtractiuam, nihil agens de intuitiua, vt patet ex §. *Hac diſtinctione, lit.D.& §. dico igitur litera H.* Et quando litera O. ad vltimum primæ opinionis agit de viſione Trinitatis, ſolùm agit de abſtractiua. Quare Salas non ſatis locum expendit.

40. Et eadem ratione nulla coniectura poteſt deduci, aut ex *Quodlib.7.artic.2.in 2. & 3.concl.* aut ex *Quodlib.14.artic.2.* quia in illis locis ſolùm loquitur de ſpecie abſtractiua, & in via Scoti non valet argumentum de vna ad alteram ſpeciem.

41. Quomodo autem quidam ex Scoto *in 3.diſt.14.q.3.* colligant impoſsibilitatem ſpeciei intuitiuæ; non video: quia nec verbum ſcribūt de ſpecie diuinę eſſentię. Quare Scotus, nec pro vna, nec pro altera parte referri poteſt. Et hæc de poſsibilitate ſpeciei diuinam eſſentiam repræſentantis.

QVÆSTIO III.

An Deus de facto videatur per ſpeciem creatam?

SVPPOSITA poſsibilitate ſpeciei repræſentantis diuinam eſſentiam; inquirendum eſt, An beati de facto videant Deum per ſpeciē à Deo creatam? eſt enim quæſtio digna ſcitu, & à noſtris non ſatis explicata. Nos quæſtionem per articulos diſtinguemus, vt illius veritas facilius percipiatur.

In primo articulo varias referemus opiniones, & dicemus ſolùm duas eſſe probabiles.

In ſecundo referemus negantem ſententiam cum ſuis authoribus, & fundamētis.

In tertio confirmabimus affirmantem, vt longe probabiliorem.

In quarto expendemus primum affirmātis ſententiæ fundamentum.

In quinto examinabimus fundamentum ſecundum.

In ſexto expendemus fundamentum tertium.

In ſeptimo, & vltimo ſoluemus argumēta poſita in ſecundo articulo pro parte negante.

ARTICVLVS PRIMVS.

Referuntur variæ opiniones, & ſolùm duæ vt probabiles proponuntur.

HÆC quæſtio ſolùm habet locum apud eos, qui admittunt dari poſſe ſpeciem diſtinctè repræſentatiuam diuinæ eſſentiæ. Et licèt Valentia *1.tom.diſp.1.q.12.puncto 2.in principio*, putet negantem partem eſſe extra controuerſiam; eam tamen controuerſam eſſe ſatis probat varietas opinionum; ex qua colliges Bellom. ſatis oſcitāter ſcripſiſſe nullum Scholaſticorum dixiſſe beatos videre Deum per ſpeciem creatam, plures enim, nec infimę claſsis, illud affirmaſſe patebit ex tertio art.

Prima opinio negat talem ſpeciem de 1.
facto dari: & hæc eſt inter Theologos ſē 1.Opinio.
tentia cōmuniori calculo recepta. Oppo 2.Opinio.
ſitum plures admittunt, cum Henrico, 3.Opinio.
vt oſtendemus in 3.art. Tertia ſententia,
quæ pluribus placuit, putat vtramq; par-
tem eſſe probabilem. Non deeſt quarta 4.Opinio.
opinio, quæ duas oppoſitas conciliet; vt
negatiua vera ſit in hominibus beatis: af-
firmatiua autem in Angelis. Hanc ſentē-
tiam inſinuat Franciſcus Ouandus *in ſuo*
Breuiloquio ad quartum diſt.49. propoſitio-
ne 10. fol. 115. pag. 2. vbi docet Scotum,
dum hanc ſpeciem negat, agere de homi- 5.Opinio.
nibus, non de Angelis. Quinta tandem
opinio ſumitur ex eodē fol. 110. pag. 1.

&

& 2. ex quo colliges ſpeciem creatam nō dari in beatis, vt per eam viſionē eliciāt: ea tamen elicita, beatum formare ſpeciē, quæ diuinam eſſentiam diſtinctè repræſentet.

3. Reiiciūtur duæ poſtremæ. Ex his opinionibus duę poſtremæ ſūt reijciendæ: nam vltima ad noſtrum inſtitutum non pertinet. Vtrùm autem vera ſit? alterius eſt quæſtionis, de qua agēdum eſt in lib. 11.

4. Quarta opinio, ex eo primum reijcitur quia nulla ratio diſcriminis cū fundamēto, vel apparēti afferri poteſt, vt hominib⁹ ſit impoſsibilis; poſsibilis tamen Angelis. Deinde, quia fruſtrà ponitur in Angelis talis ſpecies impreſſa abſtractiuè repræſentans eſſentiam; & oſtendemus q. 5.

Tertio, quia ſi illa ſpecies ad modum Scoti admittatur, non poterit concurrere ad viſionem; vnde ad noſtrum inſtitutū parum refert, an illa admittenda ſit: etenim apud Scotum illa non eſt ſatis, vt diuinam eſſentiam faciat præſentem intellectui, vt patet ex 2. *diſt.* 3. *q.* 9. *litera D.* §. *Hac diſtinctione præmiſſa in principio, & clarius in fine*, dum ſcribit; *talem ſpeciem in Angelis non eſſe principium actus glorioſi.* Et §. *Dico igitur* litera H. affirmat ſpeciem illam intuitiuè non repræſentare eſſentiā, quod ſæpè ibidem repetit: & ſatis id eſt de mente Scotiſtarum, quamuis obſcurè loquantur, vt colliges ex Rada 1. *parte Controuerſia* 10. *art.* 1. *pag.* 137. *col.* 1. §. *Prætereà dico*: vbi aſſerit ſpeciem illam Deum naturaliter repræſentare, non vt præſentem, ſed abſtractiuè. His accedit; quia hæc ſpecies apud Scotum, licèt ſit ſupernaturalis Angelis in hoc ſenſu, quia à nullo agente naturali produci potuit, ſed à ſolo Deo; eſt tamen illis naturalis, quia propria virtute poſſunt ea vti, vt patebit inferiùs q. 5. Iam verò Angelus nō poteſt naturali virtute concurrere ad viſionem beatam, ſed indiget ſupernaturali eleuatione.

5. Quare non ſatis ad mentem Scoti loquetur, qui dicet ſpeciem hanc Angelis inditam adueniente præſentia obiectiua eſſentiæ diuinæ eſſe illis principiū viſionis beatificæ. Vnde non benè Scotizat Ouandus, vbi ſuprà fol. 115. pag. 2. dum aſſerit, quòd talis ſpecies ex obiectu diuinæ eſſentiæ eſſet actiuum principium viſionis, & quòd eſſet eiuſdem rationis cū ea, quæ beatis à Deo infunderetur ad videndam diuinam eſſentiam: nam ſi illis infunderetur, eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & intuitiua ex ſua natura; idque ad mentem Scoti: illa verò, quæ data eſt Angelis, & eſt abſtractiua, & ſecundum ſubſtantiam naturalis. Quare cōſonantius ad Scotum loqueretur, qui diceret ſpeciem illam adueniente pręſentia diuinæ eſſentiæ in ingreſſu patriæ, aut nō manſiſſe in Angelis, quia iam eſſet fruſtra; aut non ita manſiſſe, vt ſit principiū actiuum viſionis, ſed ſolùm cognitionis abſtractiuæ, ſed de hoc plura q. 5.

Reiectis duabus poſtremis opinionibus, quarta, ſc. & quinta, ſolùm remanent priores duæ, affirmans, ſc. & negans, quæ poſsint, vt probabiles admitti. Vtramque eſſe probabilem affirmat Argentina *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *& Laurentius Amolinus apud Ægidium quodlib.* 1. *q.* 3. *& poſt eos Ouandus in* 4. *diſt.* 49. *propoſitione* 10. *in principio*; quamuis omnes potiùs inclinēt in negantem. Neutram illarum determinat Petrus de Tarantaſia apud Cathuſianum *in* 3. *diſt.* 14. quem imitatur Palatius *in* 1. *diſt.* 3. *diſp.* 4. *pag.* 31. *colum.* 2. *in fine*, dum aſſerit ſolùm Deum noſſe, an viſio beata fiat per ſpeciem creatam. Nos vtramque diligentiùs expendemus, & affirmantem, vt probabiliorem amplectemur. 6. *Argentin. Laurenti. Amolinus Ouandus. Taranta. Pallatius.*

ARTICVLVS II.

Refertur opinio negans cum ſuis fundamentis.

OPinio negans inter antiquiores, & Recentiores eſt longè communior. Eam non poſſunt non probare, qui putant ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ eſſe impoſsibilem. Ex alijs eam negant Molin. 1. *p. q.* 12. *diſp.* 1. *concluſione* 2. *pag.* 108. *colum.* 2. *Valent.* 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *puncto* 2. §. *Secundum quod extra controuerſiam, Suarius lib.* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 12. *num.* 21. *& in Metaphyſ. diſp.* 30. *ſect.* 11. *num.* 35. *in principio, & in fine. Salas* 1. *ſecūda* 1. *tom. q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 36. *pag.* 342. *colum.* 2. *Pezantius* 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 1. *concluſ.* 2. *pag.* 52. *colum.* 2. *Ex antiquioribus eandem probauit Ægid. quodlib.* 3. *q.* 16. *& in defenſorio* 1. Authores partis negātis. *Molina. Valentia. Suarius. Pezant. Ægid.*

Albert. Mag. Altiſiodo. D. Bonau. Gerſon. rio art. 1. *Eam inſinuat Albertus Magnus in 4. diſp. 49. art. 5. §. Reſpondeo: dicendum: Clarius 1. p. Summæ de mirabili ſcientia Dei tract. 3. q. 13. membr. 4. ad tertium litera F. & in 1. diſt. 1. art. 15. Expreſſe Altiſiodorẽ ſis lib. 3. tract. 14. q. 3. D. Bonauent. in 1. diſ tinct. 3. 1. p. q. 1. ad vltimum num. 12. Gerſon tom. 3. tract. 5. in Magnificat p. 2. litera Q. fol. 84. colum. 3. §. Cæterum lumen.* Poteſt pro eadem citari Alenſis *1. p. quæſt. 2. memb. 3. art. 1. ad 2. & q. 7. membr. 1. & 2. p. q. 23. memb. 3. in fin. & q. 24. memb. 1.* dũ ſimpliciter negat viſionem in patria fieri per aliquam ſpeciem ſiue ſimilitudinem; & quanuis fortè intelligi poſsit de ſimilitudine obiectiua; tamen etiã intelligi poteſt de formali. Expreſsè hanc negantẽ ſententiam probauerunt Paludanus *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. concl. 3. num. 31. & D. Antoninus 2. p. titul. 30. cap. 4. §. 1.* Ex Scotiſtis eam amplectitur Baſſolius *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. §. neutram iſtarum, & §. Dico igitur.* Falsò pro eadẽ citantur Herrera, & Rada. in hanc ſententiam magis inclinant Argentin. *vbi ſuprà ad 3. cum Amolino, & Durando locis citatis, & Palatio in dicta diſput. 4. pag. 31, columm. 2.* Quare non eſt audiendus Bellomontan. *1. p. diſp. 34. cap. 7. num. 4.* dum aſſerit præter Thomiſtas nullum Scholaſticum hãc negantem ſententiam approbaſſe,

Alenſis. Paludan. D. Anto. Baſſolius.

2. Scotus negantem partem probauit.

Quid ſenſerit Scotus poterit aliquis dubitare: cum approbaſſe affirmantem partem aſſerit Bellomont. ſed nullum citat locum, & in hoc ſatis prudẽter. Eum probaſſe negantem ſententiam pròbauit Ouandus, *vbi ſuprà fol. 110. pag. 2.* Quod ego etiam puto: nam quanuis *in 4. diſt. 49. litera C. §. Ad primam rationem*, nihil de hoc definierit, ſed solùm dixerit rationes pro parte negante non concludere; licèt ibidem, & inferiùs litera *G. §. Ex hoc ſequitur,* solùm loquatur ſub conditione; tamen *quodlib. 10. art. 2. lit. V. §. Contra 2. ſic:* & *§. Ad 2. diceretur* abſolutè concludit ante actualem viſionem nullã formã in intellectu beati cauſari à Deo, quæ diuinam eſſentiam repræſentet. Quòd etiam ſupponit *quodlib. 14. art. 2. lit. BB.* Quare mirum eſt, quòd Bellomont. ſcripſerit Scotum in beatis admiſiſſe ſpeciẽ creatam.

3. D. Thom. eandẽ probauit.

De Diuo Thoma, an hanc negantem partem docuerit, dubitabilè fecit Bellomontan. *vbi ſuprà, & diſp. 39. cap. 1. & 2.* affirmans Diuum Thomam admiſiſſe in Beatis ſpeciem impreſſam creatam. Sed ſicut improbabiliter loquutus eſt affirmans D. Thomam nunquã docuiſſe ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentię eſſe impoſsibilem, vt patet ex artic. 8. & vltimo præcedentis quæſtionis: ita improbabilius loquitur, dum aſſerit eum admiſiſſe talem ſpeciem in Beatis: Imò arguendus eſt negligentię in legendo Diuo Thoma: etenim *in 4. diſp. 49. q. 2. art. 1.* hanc ſpeciẽ expreſsè negat Beatis, ita ſcribens: *Eſt alius modus dicendi Auicenæ intelligẽdi ſubſtantias ſeparatas, ſc. quòd intelliguntur à nobis per intentiones ſuarum quidditatum, quæ ſunt quædam earum ſimilitudines impreſſæ in noſtris animabus: ſed hic modus etiam non videtur nobis ſufficere ad viſionem diuinam, quam quærimus.* Ecce agit Diuus Thomas de ſpeciebus impreſsis: & tamen negat eas in patria eſſe admittendas. In argumẽto 9. ſermo erat de ſpeciebus impreſsis; vt patet ex illis verbis: *Deus non eſt in intellectu noſtro, vt intelligatur à nobis, niſi in quantum impreſsio eius eſt in intellectu. Sed illa impreſsio non poteſt ducere in cognitionẽ diuinæ eſſentiæ:* quid clarius? Accedit id, quòd ſcribit ad 15. dum ait; *in viſione patriæ non erit ſecundùm medium: quia ipſa eſſentia diuina erit, qua intellectus noſter videbit Deum.* Si eſſentia diuina ſubit locum ſpeciei, quomodo in patria erit ſpecies? Adde quodlib. 7. art. 1. in hæc verba: *Similiter etiam non eſt ibi medium ſecundùm. ſc. aliqua ſpecies eſſentiæ diuinæ intellectum informans.* De veritate quæſt. 8. articu. 1. poſtquam multis oſtendit diuinam eſſentiam à Beatis nec videri, nec videri poſſe per ſimilitudinem creatam; ita cõcludit: *reſtat igitur, vt id, quo intellectus creatus Deũ per eſſentiam videt, ſit ipſa diuina eſſentia.* Quæ conſequentia, vt firma ſit, non solùm negare debet ſpeciem expreſſam, ſed etiã impreſſam, poſset enim reſpõderi adhuc reſtare ſpeciem impreſſam, per quam fieret viſio. Quare melius mentẽ D. Thomæ intellexit Ægidius noſter tanti præceptoris diſcipulus, qui in defenſorio art. 1. affirmat Diuum Thomam negaſſe beatis ſpeciem impreſſam, qua viderent Deum.

Primum fundamentum huius opinionis: quoniam ſpecies solùm requiritur, vel 4. argum.

vel propter abſentiam obiecti, ratione cuius non poteſt ſe ſe ponere ante intellectum, & illum mouere: vel propter illius impotentiam; quia cum non ſit actu intelligibile, indiget, vt per ſpeciem fiat intelligibile actu. Ergo ſpecies nõ eſt ſimpliciter neceſſaria, quando obiectum ex ſua natura eſt actu intelligibile, præſenſq; intellectui. Sed eſſentia diuina ex ſua natura eſt actu intelligibilis, vt patet: cum verò non ſolùm ſit vbique, ſed per illapſum ſit intima omnibus rebus, nõ poteſt non eſſe præſens intellectui beato, illiq; intimè vnita: ergo ſpecies non eſt neceſſaria ad viſionem diuinæ eſſentiæ. Ita Suarius in dicto cap. 12. num. 14. & 21. & Salas vbi ſuprà num. 34. pag. 342. colum. 1. in principio.

5. 2. argum. Secunda ratio eſt eiuſdem Salas in eodẽ loco col. 2. & Pezantij loco citato in 2. concl. pag. 52. col. 2. D. quia Deus de potentia ordinaria nihil facit ſuperfluum, & fruſtra. At poſito obiectò debitè approximato, & vnito cum ſufficiente virtute ad cauſandum ſui viſionem, ſuperflua eſt ſpecies: diuina autem eſſentia debitè eſt vnita cum intellectu beati, & habet ſufficientem virtutem ad cauſandum ſui viſionem: ergo fruſtra datur ibi ſpecies creata.

6. 3. argum. Tertio arguit Suarius vbi ſuprà num. 21. quia non oportet multiplicare principia, quæ non ſunt neceſſaria iuxta naturas rerum: ſed oſtenſum eſt poſſe Deum videri ſine ſpeciè, concurrente ipſo per ſe tanquam obiecto intelligibili: & id ſatis eſt, vt viſio fiat connaturali modo.

7. 4. argum. Quarto arguit Salas vbi ſupra: Angelus cognoſcit ſe ſine aliqua ſpecie per ſolam ſuã eſſentiam loco ſpeciei: ergo beati per ſolam Dei eſſentiam loco ſpeciei Deum intuentur. Antecedens eſt Diui Thomæ & Thomiſtarum. Conſequentia probatur, quia nõ datur diſpar ratio: imò facilius defenditur, eſſentiam diuinã concurrere ad viſionem ſui loco ſpeciei, quã eſſentiam Angeli ad viſionem ipſius Angeli: etenim creatura non poteſt immediatè agere per ſuam ſubſtantiam; benè tamen Deus. Præterea ſubſtãtia Angeli ibi agit naturaliter; Deus autem ſolùm liberè, cum agat ad extra applicando ſuã eſſentiam ad inſtar ſpeciei.

8. 5. argum. Quinto arguit Palatius in 1. diſt. 2. diſput. 4. pag. 31. col. 2. quoniam Deus beatis demonſtrat creaturas, non per ſpecies creatas, ſed per ſuam eſſentiã. Cur igitur ſe ipſum non demonſtrabit ſine vlla ſpecie? hoc enim cedit in maiorem beatorũ gloriam.

Poſtremo arguitur: quia eſſentia diuina poteſt ſine ſpecie ſe ſe vnire intellectui ad inſtar ſpeciei: etſi ita ſe vniet, ſatis id erit, vt intellectus ſine ſpecie videat Deum. Cur igitur non vniet ſe ſine ſpecie? 9. 6. argum.

ARTICVLVS III.

Probabilior eſt ſententia affirmans, & confirmatur rationibus.

§. 1.

Authores huius opinionis.

PArtem tamen affirmantẽ eſſe multorum, & magnorum Doctorum aſſerit Henricus in ſumma, *art.* 33. *q.* 2. *ad tertium lit. D.* Eandem plures approbaſſe affirmat Richardus ſtatim citãdus. Idem affirmat Mayronius, *quodlib.* 4. *in* 6. difficultate. Famoſos in Theologia viros eam ſuo tempore defendiſſe teſtatur Laurentius Amolinus, mox referẽdus. Eam noſtra iſta tempeſtate approbaſſe Andream à Veiga affirmat Ouandus *in* 4. *diſt.* 49. *propoſitione* 10. *poſt. principium*: eandem plures noſtri temporis viros doctos, vt doctrinæ Diui Thomæ cõſentaneam fuiſſe amplexos refert Salas *ad* 1. 2. *primo tom: q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 11. *&* 12. *pag.* 328. *colum.* 1. *&* 2. Pro eadem referri poteſt Vldaricus apud Carthuſianum *in* 3. *diſt.* 14. *q.* 3. *ad finem*: ex antiquioribus eam eſſe probabilem putat Richardus *in* 3. *diſt.* 14. *artic.* 1. *q.* 3. §. *Qui vult tenere ſecundam*: & ſatis *in* 4. *diſt.* 49. *art.* 3. *q.* 1. §. *Alij dicunt*: Vnde oſcitãter pro parte negante eum refert Bellomont. *vbi ſuprà num.* 35. non omninò eam improbant Argentina *in* 3. *diſt.* 14. *q. vnica art.* 1. *ad* 3. Amolinus apud Ægidium, *quodlib.* 1. *q.* 3. Ouandus *vbi ſuprà in dicta propoſitione* 10. *in principio, & paulò ante finem* §. *ad* 1. *dubium*. Qui omnes licèt in partem negantem magis inclinent, hanc tamen eſſe probabilem affirmant: nec eã reijcit Petrus de Taranthaſia apud Carthuſia-

1. Qui partem affirmante probauerint. Andreas à Veiga. Vldaricus. Richard. Argentin. Amolinus Ouandus.

Palatius. thuſianum vbi ſuprà, quem imitatur Palatius *in 1. diſt. 1. diſp. 4. pag. 31 col. 2. in fine* dum reſoluit ſoli Deo cognitum eſſe, an **Bellom.** in beatis viſio fiat per ſpeciem creatam, an ſine illa. Nouiſsimè Bellomonta. *in dicta diſp. 43. cap. 7. num.* 32. *&* 34. affirmat poſita poſsibilitate huius ſpeciei potius dicendum eſſe eam de facto dari, quàm diuinam eſſentiam ſupplere vicem illius, & num. 37, concludit nihil abſurdi eſſe, ſi dicamus beatos per ſpeciem creatam videre Deum. Non eſt igitur audiẽdus Valentia, dum affirmat partem negantem apud omnes eſſe extra controuerſiã: nec ſimiliter audiendus eſt Suarius dum docet *in dicto capite 12. num. 21.* negantem ſententiam eſſe ferè cõmuni cõſenſu receptam. Ego communiorem illam dixerim; non tamen ita, vt ferè omnes eam probent; cum & olim, & modo quamplurimi viri doctiſsimi, vel vt probabiliorẽ, vel ſaltem, vt probabilem eam admittãt.

2. **Pariſienſis pro hac parte referri nõ poteſt.** Pro hac ſententia citat Bellomont. & Scotum, & D. Thomam: cũ tamen hallucinari iam oſtendimus in præcedenti artic.

Plures pro eadem citant Guillermũ Pariſienſem *in tract. de Retributionibus Sanctorum in propria quæſtione, quam excitat columna* 4. Sed quanuis eo in loco ſæpe reſoluat beatos videre Deum non imediatè, ſed per impreſsionem ſuæ ſimilitudinis, & ſigillatione animarum: tamen ſi benè expendatur, nomine ſimilitudinis, & ſigillationis non intelligit ſpeciem impreſſam, de qua agimus, ſed illuſtrationẽ, qua intellect⁹ beati illuminatur; ita enim ait: *Igitur & proximus eſt mentibus noſtris eſſentialiter, & remotiſsimus, quantum ad illam coniunctionem, qua eo mentibus noſtris approximat, vt eas lumine ſuo illuſtret, & alijs bonitatis ſuæ redundantiis repleat.* Quẽ ſenſum expreſsiùs declarat exemplo Solis ſic immediatè dicens: *Solem videri à nobis non ſola propinquitate ſuæ ſubſtantiæ, ſed illuxione illuſtrationeque radiorum.* Igitur per impreſsionem ſimilitudinis ſuæ non intelligit ſpeciem impreſſam, de qua agimus; ſed illuſtrationes, quibus mẽtes beatorum conſigillat: etenim in noſtro intellectu non admittit ſpecies, ſed habitus; quare pro ſententia affirmante referri nõ poteſt Pariſienſis.

3. **Nõ bene refertur Diuus Bonau.** Sicut non benè refertur Diuus Bonauent. *in 3. diſt 14. art. 1. q. 1. num. 7. & 8. & q. 3. in fine*: licèt enim vtrobiq; concludat Deum à beatis cognoſci per aliquam influentiam, quæ faciat intellectum Deiformem, & ſubinde per aliquid creatũ, quo anima informetur; tamen ſępè declarat hanc influentiam eſſe cuiuſdam luminis, cum etiam non recipiat ſpecies intelligibiles. Non negauerim tamen tàm Pariſienſem, quàm Diuum Bonauenturam ſententiam affirmantem probaturos, ſi ſpecies intelligibiles admitterent.

Pezantius prò eadem refert Aureolũ apud Capreolum *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2.* Sed ille ſolùm ait rationes contra iſtam opinionem non concludere, ſi ſpecies admittantur. Quibus verbis fauet huic ſententiæ; ſimpliciter tamen eam non probat, probaturus tamen, ſi ſpecies admitteret. 4. **Nec Aureol.**

§ 2.

Eligitur, & confirmatur ſententia affirmans.

Ego in partem negantem non ſolũ inclinaui ſemper, ſed etiam vt veriſsimam ſuppoſui: nunc verò re diligentius conſiderata hanc affirmantem partem puto eſſe longè veriorem. Adducor autem in eam; quia pro ea video plures, eaſque vrgentiſsimas rationes ſumptas ex probata Ariſtotelis Philoſophia: cum tamen pro negante nullę adducantur, quæ ſeruatis Philoſophiæ principijs facilè non ſoluantur, vt aduerterũt Aureolus *vbi ſuprà art. 2. in argumentis cõtra primam, & Scotus in 4. diſt. 49. q. 11. litera C.* & facilè patebit ex illarum ſolutione. 5. **Pars negatiua probatur rationis**

Prima ratio, eaq; vrgentiſsima ex eo ſumitur: quoniam intellectus, vel ſimpliciter nõ poteſt aliquod obiectum intelligere, niſi priùs natura fiat ipſum in eſſe intelligibili; vel ſaltem nullum poteſt intelligere modo connaturali, niſi priùs fiat illud: Ergo neceſſarium eſt, vt intellectus beati priùs natura fiat Deus intelligibiliter, vt poſsit videre Deum, vel ſimpliciter, vel modo ſibi connaturali; Sed intellectus creatus nullo modo poteſt intelligibiliter fieri Deus per diuinam eſſentiam, vt ſupplentem vicem ſpeciei; ſed per ſolam ſpeciem creatam: ergo neceſſariò eſt admittenda talis ſpecies. 6. **1. Ratio.**

Antecedens prioris diſcurſus deducitur 7. **Ariſto.**

Ariſtot. tur ex veterum, & Ariſtotelis Philoſophia, *Simile non poteſt cognoſci, niſi à ſimili.* Ex qua infertur eſſe omninò neceſſariū, vt intellectus priùs natura fiat res ipſa, quàm eam valeat intelligere: quod multis Ariſtotelis teſtimoniis oſtendimus ſuprà 1. *p.q.* 1. *art.* 1. §. 2. Hanc Philoſophiā plures volunt eſſe neceſſariam etiam in ordine ad potentiam diuinam: nec ſine fundamento; quoniam licèt Deus poſsit ſupplere actiuitatē intellectus in intellectionē, qua intelligit; vt quia eā poſsit producere, & intellectui infūdere, intellectu ad eā efficienter non concurrente, vt verior habet opinio: tū efficere nō poteſt, vt intellectus non dū factus ſimilis obiecto tēdat in illud intelligibiliter; quia ſimpliciter neceſſarium eſt, vt ſimile à ſimili cognoſcatur. Et quamuis daremus hoc abſolutè non eſſe neceſſarium, ſed poſſe à Deo fieri, vt intellectus non ſimilis rei intelligendæ intelligat; negandum tamen non eſt oportere, hoc eſſe neceſſarium, vt intellectio fiat modo connaturali: etenim proloquium ex veteribus citatum cum animis omnium, tam ſapientium, quàm inſipientium communiter ſit inſitum; vt ait D. Thomas. 1. *p.q.*84. *art.* 2. *in princ. & Caietan. ibidem*, euidenter probat hunc eſſe connaturalem intelligendi modum, vt intellectus priùs natura in ſe ſit res ipſa, quàm eam valeat intelligere: in quo ſenſu (ni fallor) hæc Philoſophia apud omnes Peripateticos erit indubitata. (D. Thom. Caietan.)

8. Illa autem ſuppoſita firma eſt conſequentia: etenim ſi neceſſarium eſt, vt intellectus fiat res ipſa, vt eam intelligere valeat, vel ſimpliciter in ordine ad potentiam diuinam, vel ſaltem modo connaturali, qui in viſione diuinæ eſſentiæ ſeruandus eſt, vt ſtatim dicemus; euidenter infertur neceſſarium eſſe, vt intellectus priùs fiat Deus, vt poſsit Deū intelligere. Vnde Caietanus ex illo antecedēte admittit illam conſequentiam 1. *p. q.* 12. *art.* 2. §. *in reſponſione ad* 3. Ita ſcribens: *oportet igitur ſaluare, quòd intellectus vidēs Deum priùs natura ſit Deus, vt poſt videat Deum.* Minor poſterioris diſcurſus probatur, quoniam ſi expendamus Philoſophiam Ariſtot. intellectus fit res ipſa per formam intelligibilē, qua intrinſecè perficitur, idque non per accidens, ſed per ſe, vt apertis teſtimonijs Ariſtotelis oſtendimus 1. p. huius lib. q. 1. art. 1. §. 2, & q. 3. art. 3. eſſentia autem diuina non poteſt intrinſecè perficere intellectum beati, non modo in genere rei, ſed nec in genere intelligibili, vt communis aduerſariorum ſententia contra Caietanum admittit. Ergo intellectus beati non poteſt intelligibiliter fieri Deus per diuinam eſſentiam. Fiet igitur talis per ſpeciē creatam. De efficacia huius rationis plura dicemus in ſequenti articulo. (Caietan.)

Secunda ratio ex hac prima, tanquam ex radice ſumitur, quæ ſi benè explicetur, nō parū vrget: quoniam intellectus creatus nullum obiectum poteſt intelligere, niſi priùs natura fiat in actu primo ad intellectionem illius. Ergo neceſſe eſt, vt intellectus beati priùs natura fiat in actu primo ad viſionem diuinæ eſſentiæ, quā illam videat. At non poteſt fieri in actu primo ad viſionem per diuinam eſſentiā, ſaltem modo connaturali. Ergo neceſſariò admittenda eſt ſpecies creata, qua fiat in actu primo ad videndum. Antecedēs primi diſcurſus apud Philoſophos eſt indubitatum: etenim nullum agens poteſt agere, quandiù eſt in potentia eſſentiali ad agendum, ſed neceſſario debet reduci ad actum primū agendi per aliquam formam, quæ illi ſit agendi principiū, vt expreſsè ſcribit Diuus Thomas de potentia q. 9. art. 5. poſt principium; & de intellectu docet Ariſtoteles 3. *de Anima cap.* 4. *text.* 2. & 8. & *cap.* 8. *text.* 37. & 38. & affirmat Diuus Thomas vbi ſuprà ita inquiens; *intellectus non poteſt intelligere, niſi ſecundum quod ſit in actu per hanc ſimilitudinem: ſicut nihil aliud poteſt operari ſecundum quod eſt in potentia, ſed ſecundum quod ſit in actu per aliquam formam.* Ex hoc antecedente neceſſariò infertur prima conſequentia. Minor autē ſecundi diſcurſus primò oſtēditur; quia intellect⁹ ex eo reponitur in actu 1. ad rē intelligendā, quia per formā intelligibilem illius fit ipſa: cū enim operari ſequatur ad eſſe, per id potētia fit in actu primo operandi, per quod habet actū eſſendi, ad quem conſequitur operatio. Intellectus igitur beati per id reponetur in actu primo viſionis Dei, per quod reponitur in eſſe Dei: ex eo enim, quòd intelligibiliter eſt De⁹, poteſt operari operationes intelligibiles circa (9. 2. Ratio. — Ariſtot. D. Thom.)

Deum. Sed in prima ratione oſtenſum eſt, intellectum non poſſe fieri Deum intelligibiliter per diuinam eſſentiam; ſed per ſolam ſpeciem creatam. Ergo per ſolam creatam ſpeciem poterit reponi in actu primo ad vidẽdum Deum; quæ fuit minor ſecundi diſcurſus. De vi huius rationis plura dicemus art. 5.

10. Accedit 2. quoniam intellectus creatus ex ſua natura habet, quod conſtituatur in actu primo ad intelligendum obiectum, vel per ſpeciẽ, quæ ſit formalis illiꝰ ſimilitudo; vel ꝑ aliquã formã intelligibilẽ, quę ſuppleat vicẽ talis ſpeciei: quæ eſt cõmunis doctrina Thomiſtarũ, à qua alij nõ diſcedũt. Sed diuina eſſentia nõ poteſt ſupplere vicẽ ſpeciei creatæ in ordine ad viſionẽ. Ergo nõ poteſt cõſtituere in actu primo intellectũ ad videndũ; ſed neceſſariò conſtituetur per ſpeciẽ creatam. Maior ab omnibus recipitur; Minorẽ ex eo nonnulli probant, quia Deus non poteſt ſupplere cauſam formalẽ, vt cõmunis habet Philoſophia, quæ eſt veriſsima de cauſa formali intrinſeca, vt inferiùs dicemus. Accedit etiã, quia non poteſt intellectus conſtitui in actu primo in ordine ad obiectum, quod eſt extra, niſi per intrinſecã informationem, vt patebit ex ſequenti art. Sed de hac ratione latiùs artic. 5.

11. Confirmatur eadem minor: quia diuina eſſentia per ſe ipſam non poteſt habere vllam efficienciam in viſionem. Ergo non poteſt conſtituere intellectum in actu primo ad eam. Conſequentia patet; quia actus primus habet actiuam influentiam in actum ſecundum. Antecedẽs probatur; quia licèt fortè eſſentia diuina poſsit habere influentiam obiectiuam in viſionem, quatenùs vt obiectum eſt coram intellectu; nullam tamen poteſt habere influentiam formalem formæ, qua intellectus videt; ſub qua ſola conſideratione poteſt conſtituere intellectum in actu primo: nam efficientia obiectiua cũ ſit cauſę partialis, agentis vt *quod*, non poteſt conſtituere intellectum in actu primo ad agendum; quia in tali eſſe ſolũ cõſtituitur per principium agendi, vt *quo*.

12. 3. Ratio. Tertia ratio principalis mihi ſatis eſt probabilis ad ponendam ſpeciem creatã: etenim inter omnes conuenit viſionem non ita ponendam eſſe in beatis, vt illorũ ſtatui non ſit connaturalis: nam quãuis illa in ſe ſit ſupernaturalis intellectui conſtituto in naturali ordine; illi tamen lumine gloriæ illuſtrato, non eſt ſupernaturalis, & miraculoſa; ſed connaturalis potiùs, & naturaliter ab eo elicita: nã ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt quæ ibi fiunt, naturaliter, & non miraculoſè fiant: ſupernaturalia enim ſuam habere naturam omnes concedunt; nam lumen gloriæ ſecundum ſuam naturam inhæret in ſubiecto, ita vt ſi non inhæreret, id miraculoſè fieret. Et ſicut Deus in ordine naturali ſinit res ſuas actiones naturaliter agere; quia id ad perfectionẽ illius ſtatus pertinet: ita in ordine ſupernaturalium ſinit ſupernaturalia agere ſecundum ſuam naturam, quia id ad perfectionem ſui ſtatus conducit. Quare cũ viſio beatifica ſecundum ſuam naturam ſit actio vitalis, naturaliter habet, quòd ab intellectu potentia vitali eliciatur.

Suppoſita hac veriſsima reſolutione ſimul cum poſsibilitate ſpeciei creatæ, ꝓbabilitas noſtrę opinionis inde ſumitur; quoniam ſi conſideremus modum operandi, & Deo, & intellectui creato connaturalem; ſemper inueniemus concurſum ad viſionem per ſpeciem creatam ex vtraque parte eſſe connaturalem, ſupernaturalem autem, & miraculoſum, ſi fiat ſine ea per eſſentiam diuinam ad inſtar ſpeciei. Quod ex parte Dei connaturale ſit concurrere ad viſionem per ſpeciem creatam, oſtendit Bellomontanus: *in dicta diſp. 43. cap. 7. numero 34.* quoniam modus operandi ad extra Deo connaturalis eſt, vt quæ poteſt efficere media aliqua forma, non faciat per ſe ipſum, ſed eam aſſumat, tanquam cauſam ſecundã. Quẽ ordinem operandi ſeruat, tàm in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus: etenim in rerum naturalium generationibus per cauſas ſecundas facit, quę per ſe ſolùm poterat efficere: ſinit etiam, vt intellectus intelligat per intellectionẽ à ſe elicitam; cum tamen poſſet eã infundere intellectu ad eam nõ concurrente. In ſupernaturalibus autẽ efficit viſionẽ beatã per infuſionẽ luminis glorię, quam poſſet efficere ſine eo, vt cõmuniter dicitur: poſſet etiã facere, vt beati viderẽt Deũ intellectu ad viſionẽ actiuè nõ cõcurrẽte; & tñ illã nõ efficit ſine tali cõcurſu: & ſicut homo nõ genitꝰ ab alio hõc diceret miraculoſè genitꝰ; 13.

ita

ita etiam ſi beatus videret Deum, aut ſine lumine gloriæ, aut viſione à ſe nõ elicita, miraculoſè, & non connaturaliter Deum videret,. Concedendum eſt igitur Deũ ad extra connaturaliter operari, quando per cauſas ſecundas facit, quę per ſe ipſum poſſet efficere: ergo, cũ viſiones cæterarũ omnium rerum producat mediãte ſpecie; & poſſit viſionẽ ſui producere ea mediante, vt oſtendimus; vtiq; ordini cõnaturali cõgruit, vt illã producat mediante ſpecie creata. Quòd verò etiã cõnaturale ſit intellectui, videre Deũ non per diuinam eſſentiam, ſed per ſpeciẽ creatam, ex eo oſtenditur; quia connaturale eſt intellectui ſuas intellectiones elicere non modo per ſpecies, quæ ſint rerum formales ſimilitudines, ſed etiam quę ſint formæ intrinſecè eum perficientes. De efficacia huius rationis agemus art. 6.

14. 4. Ratio. Quarta ratio ſatis mihi efficax ex eo ſumitur; quoniam diuina eſſentia non poteſt ſubire vicem ſpeciei, ſaltẽ quoad principaliora ſpeciei munera ad viſionem neceſſaria. Ergo neceſſariò admittenda eſt ſpecies creata. Conſequentia patet ex ijs, quæ diximus ſuprà *q. 1. art. vnico. §. 2.* vbi oſtendimus ad viſionem Dei neceſſariam eſſe, vel ſpeciem, vel aliquid, quod vicem ſpeciei gerat. Quare ſi diuina eſſẽtia non poteſt gerere vicem ſpeciei; vtiq; nõ poteſt nõ admitti ſpecies creata. Antecedẽs porrò latè oſtendemus in ſequente quæſtione 4.

15. Expenditur locus Pauli 2. Cor. 5. Poſtremò nonnulli teſte Bellomontano *in dicto cap. 7. num.* 37. eandem ſententiam deducunt ex Paulo ſecũdæ Corin. 5. *Per fidem enim ambulamus; & non per ſpeciem*: etenim Paulus cognitionem patriæ oppoſitam cognitioni viæ, quæ eſt per fidem, appellat ſpeciem. Sed argumentum vim haberet, ſi ſpecies ibi idem eſſet, quod ſimilitudo, & imago: cum tamẽ ſpecies ibi ſumatur pro forma facieq; vt colligitur ex eodem 1. Corint. 13: *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*: nam ſpecies non solùm ſumitur pro idea, & formali ſimilitudine, ſed etiam pro forma faciali, vt patet ex porphyrio in cap. de ſpecie, *Priami ſpecies digna eſt imperio.* Senſus igitur Pauli eſt; nunc cognoſcimus per fidẽ; quia non intuemur diuinam faciem vultumque, id eſt diuinam naturam, vt in ſe eſt.

His rationibus adductus, puto eam ſententiam eſſe veriorem, & dignam, quæ amplectatur; diuinam ſc. eſſentiã videri à beatis per ſpeciem creatam: Quorum argumentorum efficacia magis apparebit, ſi oſtenſum fuerit ea ab aduerſarijs non ſatis diſſolui; cum tamen oppoſita argumẽta ſatis diſſoluantur. Singula oſtendamus. 16.

ARTICVLVS IIII.

An prima ratio ſatis ſit efficax?

VT affirmãtis ſententiæ probabilitas melius apareat, expendemus quam diligentiſsimè, an prima ratio præcedẽtis articuli efficaciter probet de facto dari in beatis ſpeciem creatam, eo, quod intellectus non poteſt Deum videre, niſi in eſſe intelligibili fiat Deus? Aduerſarij putant hoc medium non ſatis eſſe efficax; Ego verò puto eſſe efficaciſsimum, ſi Ariſtotelis, & Peripateticorum Philoſophia admittatur. 1.

Vt verò id clariùs oſtendamus, aduertimus aduerſarios varijs modis vim huius rationis diſſoluere. Quidam negant propoſitionem illam, ſi abſolutè intelligatur: Si vero ſolùm intelligatur pro ſtatu viæ, libenter eam admittunt: ſed hoc modo medium eſſe ineſſicax. 2.

Alij eandem negant, quatenùs aſſerit neceſſarium eſſe intellectum priùs natura fieri rem ipſam, quàm eam intelligat: Volunt enim intellectum fieri rem per ipſam intellectionem. 3.

Tertiò accedunt, qui agnoſcunt propoſitionem: nolunt tamen ex ea efficaciter deduci dandam eſſe talem ſpeciem: quia intellectus poteſt fieri res ipſa per formam intelligibilem extrinſecam, extrinſecè vnitam intellectui: quod non repugnat diuinæ eſſentiæ. 4.

Denique ſunt alij, qui libenter agnoſcunt neceſſariam eſſe formam intelligibilem, quæ intrinſecè intellectum actuet, & perficiat in genere intelligibili; negant tamẽ inde inferri neceſſariam eſſe in beatis ſpeciem creatam; ideo, quia diuina eſſentia ſine illa ad inſtar ſpeciei per ſe ipſã poteſt intellectum perficere. 5.

Ex quibus patet alios ſimpliciter negare propoſitionẽ aſſũptã, ſi abſolutè ſumatur 6.

alios verò in ea nullam inuenire efficaciam. Nos oſtendemus eam, & abſolutè eſſe veram, & eſſe efficacem ad probandam neceſsitatẽ ſpeciei creatæ. Quare ſingulos dicendi modos percurremus.

§. 1.

Prima ſolutio impugnatur.

7. 1. Solutio ad prima rationem impugnatur.

PRima ſolutio ad primam rationem ſuprà adductam abſolutè negat ſimpliciter eſſe neceſſarium, quòd intellectus priùs fiat res, quàm poſsit eam intelligere, & ſubinde minimè neceſſariũ eſſe, quòd intellectus fiat Deus, vt poſsit videre Deũ. Fundamentũ eſt; quia vt intellectꝰ poſsit rẽ intelligere, ſatis eſt, quòd eã habeat ſibi præſentẽ, vel per ſe ipſam, vel per ſpeciem. Cũ verò intellectus per ſolã ſpeciem fiat res ipſa, vtiq; ſi ſine ea poteſt res fieri præſens intellectui, poterit intellectus eã intelligere, licèt nõ fiat ipſa. Philoſophiã autem Ariſtotel. qua nitimur, nõ recipiunt, ſi vniuerſaliter ſumatur, benè tñ, ſi intelligatur pro ſtatu viæ. Et ratio eſt, quoniã ꝑ illo ſtatu nulla res poteſt fieri præſens intellectui ſe ipſa, ſed per ſolam ſuã ſpeciem: & ſicut nõ poteſt rẽ intelligere, niſi priùs illius ſpecie informetur; ita nõ poteſt eã intelligere, niſi per ſpeciẽ fiat ipſa. Et inde inferunt noſtrum argumentũ in beatis nõ habere locũ; quia cũ diuina eſſentia poſsit ſe ipſa abſq; ſpecie fieri præſens intellectui, poteſt ab intellectu intelligi, quãuis ille non fiat ipſa.

8. Vt intellectus intelligat, debet fieri ipſa res. D. Thom.

Hæc tamen ſolutio reijciẽda eſt: quia Philoſophia receptiſsima ad omnem cognitionem per ſe requirit, vt ſimile cognoſcatur à ſimili. Vnde D. Thomas abſolutè docet omnem cognitionem fieri per aſsimilationem cognoſcentis ad cognitũ: Ita de veritate *q. 8. art. 5. in princ. & art. 9. ad 3. & q. 2. art. 3. ad 9. & 1. contra gentes cap. 72. in 2. ratione, & ſatis exprimit 1. p. q. 12. a. 9.* dum generaliter ſumit vnumquodque cognoſci, ſecũdum quòd ſimilitudo eius eſt in cognoſcente. Vnde hanc Philoſophiã non ſolũ docet in intellectu pro ſtatu vię, ſed etiam in Angelis, & beatis.

9. Quæ Philoſophia ex eo confirmatur, quia proloquium veterum; *Simile ſimili cognoſci*: ab ipſa natura eſt veluti inſitum hominum animis, ex D. Thoma *1. p. q. 84 art. 2.* vbi Caietan. ait, illud & ſapientibus & inſipientibus eſſe cõmune; quod efficaciter probat proloquium illud abſolutè eſſe veriſsimum in omni intellectione. Quod etiã conuincitur ex fundamento, quo Authores illi conuincunt neceſſitatẽ ſpecierũ, de quo egimus 1. p. li. 8. q. 1. ar. 1. §. 2. ad finem: nec enim poſſet intellectus imaginem obiecti intelligendo exprimere, niſi aliquo modo eſſet eidẽ ſimilis, vel per ſpeciem, vel per aliud vice ſpeciei. In quo ſenſu cæteri omnes nobiſcũ admittunt Philoſophiam Ariſtotelis.

Caiet.

10. Concludendum eſt igitur in omni intellectione, tàm viæ, quàm patriæ ad intelligendum neceſſariò requiri intellectum fieri ipſam rem in eſſe intelligibili: & ſubinde intellectum priùs futurũ eſſe Deum intelligibiliter, quàm poſsit Deũ videre: quæ fuit doctrina Caietani, & cæterorum omnium.

§. 2.

Impugnatur ſecunda ſolutio.

11. 2. ſolutio

SEcunda ſolutio primæ noſtræ rationis eſt eorum, qui licèt vniuerſaliter admittant intellectum intelligendo eſſe rem, quam intelligit; non tamen admittunt priùs natura eſſe illam, quàm eã intelligat: putant enim intellectum fieri ipſam rem per intellectionem actualem, non per ſpeciem intellectioni præuiam. Et ideo ex Ariſtotelis Philoſophia non benè inferri dandam eſſe ſpeciem creatã, quia intellectus beati fit Deus per ipſam viſionẽ. Hæc ſententia pleriſque placuit, nec poteſt non placere Nominalibus, qui ſpecies de medio tollunt. Vnde placuit Ochamo *in 2. q. 14. litera HH.* & ante lit. S. & T. vbi docet ante actum intelligendi nullam præcedere aſsimilationem per ſpeciem. In quo etiam conſentit Gabriel *in 2. diſt. 3. q. 2. art. vlt. litera K: §. ad authoritatem Ariſtotelis*; non poteſt non conſentire Suarius: licèt enim ad intelligendũ admittat ſpecies antecedentes intellectionem: non tamen putat eas eſſe formales ſimilitudines, & imagines, ſed ſolam intellectionem. vt patet in Metaphyſica *diſp. 30. ſect. 11. num. 32.* vbi admittens cognitionem fieri per aſsimilationem, nullam aliam agnoſcit, niſi intellectionem. Quare, vt fortè admittat intellectum intelligendo fieri ipſam rem (nec enim in eo hanc propoſitionem inueni) quia admittit intellectum recipere ſimilitudinem, rei quam intelligit; nõ tamen admittit intellectum priùs natura fieri

Ocham. Gabriel. Suarius.

fieri ipſam rem, quam eam intelligat; quia non admittit ſpeciem eſſe formalem ſimilitudinem obiecti. Quare negabit noſtrũ fundamentum.

12. Impugnat. Hanc ſolutionem repugnare Ariſtoteli oſtendimus ſuprà 1. p. huius lib. q. 1. art. 1. §. 2. ſatis modo ſint verba *in* 3. *de Anima cap. 4. text.* 8. vbi agens de intellectu, ita ait: *Factus autem vnumquodque, perinde atque ſciens: quòd quidem tunc accidit, cum ipſe per ſe ipſum operari poteſt: eſt quidē & tunc quodammodo potentia; ſed non perinde atque erat antea.* Agit autem, vt diximus, de intellectu, vt priùs erat in pura potentia denudatus ab omni forma: receptis autem formis factus eſt vnumquodq; & adhuc exiſtit in potentia ad actū ſecũdum intellectionis: ergo ante intellectionem iam factus eſt res: non igitur fit illa per intellectionē, ſed per aliā formā priorem. Et hanc fuiſſe Ariſtotelis doctrinā docuerunt omnes interpretes, tàm Græci, quàm Latini, vide in dicto §. 2.

Intellectus prius quam intelligat debet fieri ipſa res intellecta. Ariſtot.

13. Ex quo infertur Nominales expreſſè loqui contra Ariſtotelem, dū dicunt ante actū intellectionis nullā in intellectu præcedere aſsimilationē per aliquā ſpeciē formāq; intelligibilē: nam ante actū intelligēdi intellectus fact⁹ eſt vnūquodq; idq; per formas intelligibiles, quas recipit. Quare, ſi intellectus intelligēdo per aſsimilationē fit res, quæ intelligitur; vtique priùs natura, quā intelligat fit ipſa res.

14. Opinio Suarij contradicit Ariſt. Infertur etiā opinionē Suarij expreſſē cōtradicere Ariſtotel. etenim intellectus ante intellectionē factus eſt ipſū obiectū, vt oſtendimus. Sed ante intellectionem nō habet alias formas, niſi ſpecies, vt admittit: ergo per eas formaliter fit vnumquodq;. Non poteſt autē fieri talis, niſi ſpecies ſint formales ſimilitudines ſuorū obiectorum, vt patet: intellectus enim non fit ipſum obiectum, niſi per ſimilitudinem illius: ergo concedendum eſt ſpecies eſſe formales ſimilitudines, per quas intellectus formaliter fit res ipſa, priùs natura, quàm eam intelligat; & per conſequens non fit ipſa per intellectionem.

15. Euaſio. Nec ſatis reſpondebis, ſi dicas, vt intellectus per ſpeciem fiat ipſa res, ſatis eſſe, quòd ſpecies ſit virtualis ſimilitudo, & repræſentatio effectiuè, quam in ſpecie Suarius admittit: non ſatis, inquam reſpondebis: tùm, quia illa repræſentatio effec-

præcluſio.

tiua non eſt obiecti, ſed ſolius intellectionis, quia hanc, & non illud cauſat: Tùm ſecundò; quia ſimilitudo effectiua ſolùm eſt in eſſendo: intellectus autem non fit ipſa res in genere eſſendi, ſed intelligēdi, ad quod neceſſaria eſt ſimilitudo in repræſentando, vt omnes concedunt, & ſatis idem Suarius loco citato. Et hæc pro impugnanda ſecunda ſolutione.

§. 3.

Impugnatur tertia ſolutio eiuſdem primæ rationis.

IN antecedentibus egimus contra eos, qui ad primam noſtram rationem negabant intellectum priùs natura fieri rem, quàm eam intelligat. Conſequenter agendum eſt contra eos, qui illam propoſitionem, tanquam Ariſtotelicam admittunt, & tamen negant ex ea benè inferri ſpeciem creatam in beatis, qua intellectus fiat Deus. 16. 3. Solutio.

Quidam eorum inde oſtendunt illationem illam non eſſe firmam; quoniam licèt ſeruato ordine naturali intellectus fiat res ipſa per ſpeciem, qua perficitur; non tamen per ſe fit ipſa, per ſpeciem, vt ipſum actuat, ſed prout rem ipſam intellectui obiectiuè proponit; etenim (vt inquiunt) intellectum actuari, & perfici per ſpeciem non per ſe requiritur, vt intellectus fiat ipſa res, ſed ſolū per accidēs: quatenùs ipſa ſpecies, ideo, quia eſt accidens, nō poteſt rem ipſam obiectiuè præſentare, vt ita faciat intellectū eſſe ipſam, niſi priùs in intellectu inhæreat: nam ſi ſine inhærentia rem intellectui præſentaret, adhuc per ſolam obiectiuam præſentationem intellectus fieret ipſa res. Vnde ſi daretur aliqua forma intelligibilis, quæ abſq; inhærentia poſset ſe ipſam intellectui obiectiuè proponere, per ipſam intellectus fieret ipſa res. Et ita concludunt intellectum, vt fiat res ipſa, per ſe non poſtulare formam actuantem, & informantem ipſum, ſed ſatis eſſe formam obiectiuè aſsiſtentem, ſiue aſsiſtat in ſpecie inhærente, ſiue in ſe ipſa. 17.

Hęc Philoſophia eſt ad mentem illorum, qui volunt ad viſionē beatam ſatis eſſe, quod eſſentia diuina vniatur intellectui per modū formę extrinſecę pręſentātis ſe ipſā obiectiuè: quæ eſt opinio inter 18.

Nouiores receptiſsima, quos referemus inferiùs q.4. etenim cum non poſsint non admittere intellectum creatum priùs natura eſſe Deum, quàm eũ intelligat; fateri debent intellectum fieri Deum per diuinam eſſentiam intelligibiliter aſsiſtentẽ. Eãdem ſententiam admittent, qui ſpeciẽ ſolùm ponunt ex parte obiecti, vt illud obiectiuè vniat cum intellectu: hi enim, vt conſequenter loquantur, non poſſunt non admittere intellectũ apud Ariſtotel. fieri ipſam rem per ſpeciem; prout tamen illam obiectuê proponit: cum verò illam adhuc proponeret, ſi illi poſſet aſsiſtere ſine inhærentia; nõ poſſunt non colligere non eſſe de ratione ſpeciei actuare intellectũ, adhoc, vt faciat illũ eſſe rem ipſã, ſed id habere per accidens; Authores huius opinionis retulimus in 1. p. huius lib. q.3. art.1. §.1. & alios referemus inferiùs q.4. art.2. §.3. Inde inferunt formã extrinſceê aſsiſtentẽ ſatis eſſe, vt per eam intellectus fiat res ipſa. Cũ verò diuina eſsẽtia poſsit ſine ſpecie ſe ipſam intellectui præſentare, vt ſupponunt, inde inferunt poſſe intellectum fieri Deum intelligibiliter per diuinam eſſentiam ſine vlla ſpecie. Qua ſuppoſita Theologia mediũ noſtræ primæ rationis inefficax eſt, vt probet dandam eſſe in beatis ſpeciem creatã, qua intellectus fiat Deus: quia poteſt talis fieri per eſſentiã diuinã extrinſecè aſsiſtentẽ: vnde ad noſtrã primã rationẽ negant minorẽ prioris diſcurſus.

19, Impugnat. Hæc tamen Philoſophia ſtare nõ poteſt cum Philoſophia Ariſtol. apud quem intellectus non fit res per formam intelligibilẽ, quatenùs eam obiectiuè proponit, ſed quatenus intellectum actuat, & informat: & ſubinde, ſi mentẽ Ariſtotel. inſpicimus, intellectus ad hunc effectum non per accidẽs, ſed per ſe actuatur per ſpeciẽ. Quæ ſententia fuit Caietani, & Ferrarienſis, Soti, & aliorum, ſatis conſentanea doctrinæ D. Thomæ, quod in §. ſequẽte oſtendemus.

20. Quòd hæc ſit mens Ariſtotelis & Priſcorum Philoſophorum, inde patet, quoniã ex Ariſtotele intellectus ſe habeat ad formas, quibus fit res ipſæ, vt materia receptiua earũ, & ita receptiua, vt eas recipiat paſsione alteratiua, perfectiua tamẽ, vt oſtendimus ſuprà. 1. p. huius lib. q.1. art.1. §.2. Iam verò vnio obiectiua, nec formaliter eſt paſsio alteratiua, nec per ſe eam ſupponit, vt fatẽtur aduerſarij: ergo, ſi mentẽ Ariſtotelis inſpiciamus, intellectus nõ fit res ipſæ per ſpecies, vt res obiectiuè vniunt cum intellectu; quia vt ſic eas nõ vniunt cũ alteratione. Quare fiet res ipſę per ſpecies ſub aliqua ratione, quã erga intellectũ exercere nõ valeant ſine illius alteratione: Ita enim verificabitur doctrina Ariſtot. quã adduximus. Quod in hac materia eſt diligenter aduertendũ: hæc autẽ ratio nõ eſt alia, quàm ratio ſimilitudinis aſsimilantis intellectũ ipſi obiecto: etenim ſpecies ideo præciſe facit intellectũ eſſe rem, quia illũ aſsimilat illi, vt ſimile à ſimili cognoſcatur: iam verò ſpecies nõ poteſt intellectũ aſsimilare obiecto, quin ipſum alteret informando, & perficiendo.

21. Pro huius rationis efficacia (et ſit ſecũda ratio) aduertim⁹ id, quod iã notauimus *ſuprà in 1 p.q.3. art.1. §.2. verſiculo ſed huius vis rationis*; Si ad mentẽ Ariſt. & Priſcorum Philoſophorũ in hac materia philoſophandum eſt, duo conſtituenda ſunt extrema intra intellectũ, inter ſe ſimilia, & ideo ad inuicẽ diſtincta. Nempe intellectus ſimilis obiecto, & obiectũ cui intellectus aſsimilatur: intellectus eſt ſimilis, vt intelligens; obiectũ autem ſimile eſt, vt intelligibile: ita enim fit; vt ſimile à ſimili intelligatur. Sed ſpecies vt obiectiuè proponit corã intellectu ipsũ obiectum, tanquã id, quod ab eò intelligendũ eſt, ſe habet ex parte obiecti, vt aduerſarij fatẽtur: ergo illud proponit, tanquam extremũ ſimile contrapoſitũ intellectui, vt eſt ſimilis illi: etenim intellectus eſt extremũ ſimile, vt intelligẽs; obiectũ verò obiectiuè vnitũ eſt alterũ ſimile, tanquã extremum intelligibile. Quomodo igitur poterit vt ſic facere intellectum eſſe ipsã rem ſibi contra poſitam, tanquam extremum ſimile condiſtinctum?

22. Accedit tertiò; quoniã ſpecies vel non proponit obiectũ intellectui, vt cõmunis Thomiſtarũ habet, de qua 1. p. hui⁹ lib. q. 3. & 4. vel ſi illud obiectiuè repræſentat, nõ poteſt illud ita repræſentare, niſi priùs natura faciat ipſum intellectũ eſſe ſimilẽ obiecto, quod eidẽ obiectiuè proponit: neceſſariò igitur ſupponit intellectum iam eſſe ipſam rem, vt diximus 1. p. huius lib. 8. quæſtione 4. Quomodo igitur facit in-

tellectum eſſe ipſam rem vniendo eam illi obiectiuè. Quòd verò illa obiectiua repræſentatio ſupponat intellectum iam eſſe factum rem ipſam, inde cõuincitur, quoniam obiectiua illa repræſentatio fit à natura ipſa, vt obiectum, quod vnitur, fiat intelligibile in actu primo: tale autem eſſe non poteſt, niſi intellectus iam ſit ipſum (quia ſimile non niſi à ſimili poteſt cognoſci) ergo talis repræſentatio, ne prępoſterè & inordinatè fiat, neceſſariò ſupponit intellectum iam eſſe rem ipſam, & ſibi ſimilem: nam ſicut intellectus non fit in actu primo ad intelligendum obiectũ, niſi prius fiat ipſum; ita obiectum non eſt intelligibile in actu primo, niſi obiectiuè præſentetur intellectui iam ſibi aſsimilato & facto ipſum. Fieri igitur non poteſt, vt intellectus ſit res ipſa per obiectiuam eiuſdem præſentationem: id enim, quod eſt priùs, non conſtituitur in eſſe prioris per id, quod eſt poſterius.

23. Poſtremò ex eo refelli debet hæc opinio; quia vnio obiectiua obiecti cum potentia non ſatis eſt, vt potentia fiat ipſum obiectum: nec enim voluntas fit obiectũ, quod ſibi obiectiuè vnitur. Reijcienda eſt igitur hæc opinio; quod nobiſcum admittunt Caietanus, Ferrar. Sotus, & alij cum D. Thoma, de quo in ſequenti §.

§. 4.

Refellitur quarta ſolutio.

24. *Quarta ſolutio.* QVarta ſupereſt ſolutio Caietani, & aliorum, qui contra duos priores dicendi modos admittũt Ariſtotelis Philoſophiam poſitam in maiori noſtræ primæ rationis; intellectum, ſcil. non poſſe rem intelligere, niſi priùs natura fiat ipſa per illius ſpeciem: admittũt etiam contra tertiam ſolutionem; intellectum non poſſe fieri rem ipſam per formam extrinſecè aſsiſtentem, ſed neceſſariam eſſe formam, quæ ipſum perficiat, & actuet: negant tamen diuinam eſſentiam non poſſe intellectum intelligibiliter actuare, & perficere, vt intellectus per ipſam fiat Deus. Vnde conceſſo toto priori diſcurſu noſtræ primæ rationis, negant minorem poſterioris.

25. Pro huius ſolutionis explicatione duplicem actuationem, & informationem diſtinguunt: vnam in eſſendo, ſiue in genere rei; qualis eſt actuatio phyſica, quã forma actuat materiam, & accidens ſubiectum: alteram in intelligendo, genereq; intelligibili, qua forma intelligibilis actuat, & perficit intellectum, actuatione intelligibili; non vt cum eo conſtituat aliquod tertium, ſed vt per eam intellectus fiat ipſa res: ſpecies enim lapidis perficit intellectum, non realiter, vt phyſicè ſit lapis, ſed intelligibiliter, vt intellectus intelligibiliter lapis fiat. Inquiunt igitur repugnare quidem, vt diuina eſſentia perficiat intellectum ſecũdum eſſe reale, non tamen ſecundum eſſe intelligibile: hæc enim actuatio, & perfectio poteſt fieri abſque vlla intrinſeca informatione, aut inhærentia: Et ideò non repugnat diuinę eſſentiæ. Hanc ſolutionem expreſſè probarunt Caietanus, Ferrar. & Sotus, qui contendunt eam eſſe Diui Thomæ. Quę Theologia ſi admittatur, admittendum etiam erit, noſtram primam rationem cõtinere minorem falſam in poſteriori diſcurſu.

Verum hanc Theologiam eſſe omninò inintelligibilem, ſcilicet *dari poſſe actuationem, perfectionemq́, intellectus per formã intelligibilem, abſque vlla informatione, & inhærentia*, affirmant omnes Nouiores, Molina, Bañes, Cumelius, Valentia, Suarius, Salas, & Pezantius, & cæteri ferè omnes, quam nos etiam reijcimus, vt veræ Philoſophiæ repugnantẽ: putamusq; fieri non poſſe, vt diuina eſſentia illo modo intellectum perficiat, vt faciat illum eſſe Deum. Quod patebit ex ſequenti quæſtione art. 2. vbi hæc difficultas diligentiùs expendetur. Admiſſa autem illa impoſsibilitate, noſtra prima ratio omninò demonſtrat eſſe admittendam in beatis ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ. 26. *Impugnatur.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſecunda ratio poſita art. 3. efficaciter probet, dandam eſſe ſpeciem creatam in beatis?

SEcũda ratio poſita in tertio articulo, ex eo deducit ſpeciem creatam in beatis eſſe ponendam; quia intellectus non poteſt obiectum intelligere, niſi priùs fiat in actu primo ad illud intelligendum: intellectus autem beati non 1.

poteſt fieri in actu primo ad viſionẽ Dei, niſi per ſpeciem creatam.

2. Ad hanc rationem tres inuenio ſolutiones; prima negat antecedens prioris diſcurſus; quia putat non eſſe neceſſariũ, vt intellectus ad omnem cognitionẽ fiat in actu primo: & indè infert intellectum beati non ſolùm poſſe Deum videre non conſtitutum in actu primo; ſed de facto eum videre abſque tali actu.

3. Secunda ſolutio admittit illud antecedens: ſimul etiam intellectum non fieri in actu primo per diuinam eſſentiam: negat tamen dandam eſſe ſpeciem creatam; quia intellectus fit in actu primo per lumen gloriæ.

4. Tertia ſolutio admiſſo priori diſcurſu negat minorem poſterioris: intellectum ſcilicet non poſſe fieri in actu primo per diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei vnitam. Non tamen eodem omnes ducuntur fundamẽto. Quidam ex eo admittũt intellectum conſtitui in actu primo per diuinam eſſentiam; quia conſtitui poteſt in tali actu per obiectum extrinſecè aſſiſtens. Alij autem putant formam intrinſecam eſſe neceſſariam, actuantem, & perficientem in eſſe intelligibili: quæ actuatio cum poſſit fieri abſque actuali informatione, & inhærentia, non repugnat diuinæ eſſentiæ. ¶Hę ſunt ſolutiones, quibus ab aduerſarijs efficacia ſecundæ rationis eliditur. Sed ſingulas impugnemus.

§. 1.

Impugnatur prima ſolutio.

5. 1. ſolutio ſecũdæ rationis.

PRima ſolutio eſt eorum, qui volunt Philoſophiam Ariſtotelis. ſ. *intellectum prius fieri in actu primo, quàm intelligat*, ſolùm eſſe veram de intellectu noſtro pro ſtatu viæ: falſam tamen, ſi vniuerſè ſumatur. Ita Molina 1. *p. q.* 12. *ar.* 2. *diſp.* 2. §. *His ita conſtitutis ad finem, pagina* 111. B: etenim, vt ait, ad intellectionem ſatis eſt, quòd res per ſe ipſam ſine ſpecie ſit obiectiuè præſens intellectui. Fundamentum eſt; quia ad actionem nulla alia coniunctio eſt neceſſaria, quàm præſentia realis agentis cum re patiente, interueniente ſemper debita proportione eorum, quæ tanquam partes vnius integræ cauſæ cum eo debent concurrere. Et indè infert, quòd ſi principium effectiuum cognitionis (qualis eſt ſpecies & obiectũ in illa relucens) non informaret intellectum, ſed ſolùm aſſiſteret reali præſentia minimè diſtans ſecundùm ſpatium, poſſet potentia cum illo elicere intellectionem, quamuis per illud non conſtitueretur in actu primo; ideò, quia per illud nõ actuaretur, nec informaretur: ſupponit enim nihil poni in actu primo ad agendũ, niſi per formam, qua informatiuè actuatur. Quia verò pro ſtatu viæ intellectus noſter non poteſt habere obiectum ſibi præſens per ſe ipſum, ſed per ſolam ſpeciem, quæ eſt accidens illi inhærens; ideò pro illo ſtatu intelligere non poteſt, niſi fiat in actu primo per ſpeciem ſibi inhærentem. Lõgè alia ratio eſt in patria; quia diuina eſſentia per ſe ipſam eſt præſens intellectui, & ab eo indiſtans; vnde ab intellectu lumine gloriæ eleuato poteſt intelligi abſque vlla ſpecie creata, & abſque vlla informatione, qua in actu primo cõſtituatur.

Molina.

Hæc tamen Molinæ opinio reijcienda eſt tanquam contraria Philoſophiæ indubitatæ: 6. Impugnatur. qui enim peripateticè philoſophantur, Philoſophiam Ariſtotelis vniuerſè recipiunt; & ideò docent, ad omnẽ intellectionẽ tàm viæ, quàm patriæ, tàm in nobis, quàm in Angelis intellectũ prius cõſtitui in actu 1. quà intelligat, imò noſtro intelligendi modo ita philoſophãtur de diuino intellectu, quẽ prius conſiderãt conſtitutum in actu primo per eſſentiam vnitam ad modum ſpeciei, quàm eum cõſiderent, vt actu intelligentem. Cum igitur generaliter ab omnibus recipiatur intellectum nòn poſſe intelligere, niſi fiat in actu 1. intelligendi; & hanc Philoſophiã, vt notiſſimam omnes ſupponãt etiã in patria, vt patet ex controuerſia de modo, quo intellectus in ea fiat in actu primo; parum refert, quòd vnus Molina eã non recipiat: maximè, cum in hac generalitate ex receptis Philoſophiæ principijs confirmetur: etenim indubitatum eſt nullum agens poſſe agere, quandiù eſt in potentia eſſentiali ad agendum: ſed oportet, quòd fiat in actu; quia omne agens agit, quatenus eſt in actu. Quam Philoſophiam tanquam notiſſimam ex Ariſtotele ſæpè aſſumit D. Thomas; D. Thom. ita 1. *p. q.* 2. *art.* 2. *& q.* 4. *art.* 1. *& de potentia q.* 8. *ar.* 1. *& q.* 9. *art.* 5. *paulò poſt principium*, ita inquiens:

quiens: *nihil poteſt operari, ſecundum quod eſt in potentia, ſed ſecundum quod fit actu per aliquam formam.* Intellectum autem in ſe ipſo eſſe in potentia eſſentiali ad intelligenda intelligibilia, docet Ariſtoteles 3. *de Anima c.4. tex.3.8. & 14. & c.8. tex.38. & de ſenſu id docuerat lib. 2. cap.5. tex.* 53: ex quibus locis omnes interpretes græci, & latini hanc colligunt Philoſophiam, & eandem collegit Scotus *quodlib.15. §. de ſecundo primi articuli litera E*: eſt enim in ſe ipſo tanquam tabula raſa ex Ariſt. *in dict. cap.4 tex.14.* Iam verò, quod ex ſe eſt in potentia eſſentiali ad actum ſecundum, vt poſſit agere, debet reduci ad actum agendi per aliquam formam, quæ illi ſit principium agendi, tanquam actus primus, vt cum communi Philoſophia docuit Ariſtot. in præcitatis verbis. Cum igitur intellectus ſit in potentia eſſentiali ad intellectionem, vt poſſit intelligere debet fieri in actu per aliquam formam intelligibilem, vt idem D. Thomas ſcribit *in dicta q.9. art.5.* his verbis: *intellectus non poteſt intelligere, niſi ſecundum quod fit in actu per ſimilitudinem*, & docet Scotus vbi ſuprà. Iam verò ille actus, quo potentia fit proximè potens ad agendum communiter appellatur actus primus: & ita ſolet appellari ab interpretibus Ariſtotelis, qui triplicem ſtatum in intellectu diſtinguunt, cum quibus conſentit Scotus *in 1. diſt.3. q.7. litera Z. §. Sed illa authoritas.* Hanc Philoſophiam habere locum etiam in patria, patet ex locis citatis D. Thomæ, & ex communi omnium conſenſu: omnes enim agnoſcunt, intellectum beati antequam Deũ videat, fieri in actu primo videndi, quamuis ſit contentio, per quid fiat in tali actu: & ratio allata id demonſtrat; quia intellectus ex ſe eſt in potentia eſſentiali ad omnia intelligibilia ſibi extenſiuè adæquata, inter quæ enumeratur diuina eſſentia clarè viſa. Valeat igitur Molin. & eius Philoſophia in hoc puncto à ſchola Peripatetica longè ablegetur.

Ariſt.

Scotus.

§. 2.

Reijcitur ſecunda ſolutio.

7. 2. ſolutio ſecũdæ rationis.

SEcunda ſolutio ſumitur ab ijs, qui negant intellectum beati fieri in actu primo per diuinam eſſentiam, ſed per lumen gloriæ: quæ fuit opinio Nauarrete *tom.1. controu.39. §.3. fol.249. col.3. ad 8. & clariùs 2. tom. controu.13. §.3. fol.172. col.2. & fol.173. col.1.* Nec deſunt, qui pro ea adducant Mol. 1. *p. q.12. art.2. diſp.2. pag.110. col.2. A. B.* ſed falluntur: in ea enim diſputatione negat intellectũ beati indigere actu primo, vt Deum videat; quare ſolùm ait intellectũ cũ lumine gloriæ perindè ſe habere ad viſionem, atque ſe habet cum ſpecie ad res naturales: ſicut enim cũ ſpecie non indiget alio, vt intelligat; ita cum lumine gloriæ nullo alio indiget ad videndum diuinam eſſentiam ſibi præſentem. Solum igitur inueni Nauarrete, qui illam probarit ſententiam. Quare illa ſuppoſita, noſtra ratio parum vrget; quia intellectus cõſtitutus in actu primo per lumen gloriæ, nec indiget ſpecie, nec diuina eſſentia loco ſpeciei, vt fiat in actu primo.

Nauarret.

8. Impugnatur.

Hæc tamen ſolutio non eſt admittenda; quia non eſt admittendum intellectũ beati fieri in actu primo per lumen gloriæ, de quo latiùs lib.9. q.5. art.6. Quod indubitatum erit, ſi lumen gloriæ ad viſionem efficienter non concurrit, vt plurimi opinantur: actus enim primus potẽtiæ operatiuę ex ſua natura influit in operationem, cum ſit principium actiuum. Si verò cum alijs influentia actiua illi cõcedatur; adhùc non poterit conſtituere intellectum in actu primo: quia lumen gloriæ ſolùm concurrit ad viſionem, vt actus confortans intellectũ, & complens virtutem intellectiuam eius, vt ſimpliciter poſſit; non tamen vt actus, quo proximè poſſit: nec enim virtutem illius determinat ad hanc, vel illam viſionem. Sed adhuc eam relinquit indeterminatam, & indifferentem, & per conſequens in aliqua eſſentiali potentia, cum adhuc non proximè poſſit influere, ſed adhuc indigeat determinari: cum tamen actus primus omnem ab intellectu excludat potentiam eſſentialem, & ſolam relinquat accidentalem, & proximam, vt patet ex Ariſtotele 3. de Anima c.4. tex.8. ſatiſq; patet ex natura actus primi. Impugnata autem hac ſentẽtia, & admiſſo primo diſcurſu, cum minore ſecundi, non poteſt non admitti vltima conſequentia: nam ſi intellectus neceſſariò conſtituendus eſt in actu primo videndi; in eo autẽ nec cõſtitua-

ſtituatur per lumen gloriæ, nec per diuinam eſſentiam loco ſpeciei, neceſſariò conſtituendus eſt per ſpeciem creatam.

§. 3.

Reijcitur ſolutio tertia.

9. *Tertia ſolutio ſecundæ rationis.* Tertia ſolutio admittit diuinam eſſentiam conſtituere intellectũ beati in actu primo ad videndum; & hæc ſententia communis eſt inter aduerſarios: apud quos admiſſo priori diſcurſu, neganda eſt minor poſterioris: qua negata ruit argumentum.

10. *Impugnatur.* Ego tamen puto minorem eſſe veriſſimam, & ſatis ſufficienter probari rationibus adductis art. 3. §. 2: quia tamen hæc difficultas longiorem poſtulat diſputationem, latiùs explicanda eſt in ſeq. quæſtione: in qua diſputabitur, an diuina eſſentia in ordine ad intellectum poſsit habere ſe ad inſtar ſpeciei; vbi artic. 1. & 4. veritatem illius minoris diligentiùs oſtẽdemus. Admiſſa autem minore noſtra ſecunda ratio efficaciter probat dandam eſſe in beatis ſpeciem creatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm tertia ratio ſufficientèr probet dandã eſſe ſpeciem creatam?

1. Tertia ratio poſita art. 3. §. 2. ſumit pro fundamento viſionem beatam non poſſe elici ab intellectu modo connaturali, niſi per ſpeciem creatam: & ſine illa elici quidem poſſe per diuinam eſſentiam; non tamen connaturaliter, ſed modo ſupernaturali, & miraculoſo. In qua ratione ſupponimus eſſentiam diuinam poſſe ad inſtar ſpeciei concurrere cũ intellectu: vt oſtendamus data hac poſſibilitate adhuc admittendam eſſe ſpeciem creatam. Fundamentum eſt, quia viſio nõ poteſt eſſe connaturalis intellectui, niſi fiat mediante ſpecie creata: quæ fuit opinio Bellomontani 1. *p. diſp.* 43. *c.* 7. *n.* 34. & anteà fuit Aureoli, ſi credendum eſt Pezantio ſtatim citãdo in 5. notabili, fol. 1. col. 2.

2. Aduerſarij oppoſitum docent, affirmãtes viſionem per ſpeciem creatam miraculosè fieri; connaturaliter autem per diuinam eſſentiam. Ita Suar. 2. *de Attributis negatiuis c.* 12. *n.* 20. *&* 21. *Pezantius* 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 1. *concl.* 2. *pag.* 52. *col.* 2. *in fine, & quidam alij*: Quorum nonnulli eam vt certã ſine probatione ſupponunt. Alij verò eam probant. Primò; quia ſatis eſt, Deum ratione ſuæ obiectiuæ perfectionis (eſt enim intelligibile perfectiſsimum) poſſe ſupplere vicem ſpeciei, vt viſio fiat connaturali modo.

Secundò; quia modus ille videndi per diuinam eſſentiam eſt melior, & perfectior, quam ſi fieret per ſpeciem. 3.

Tertiò denique; quia ſpecies illa creata eſt ſuperflua, & per conſequens non poteſt eſſe connaturalis, aut viſioni, aut intellectui illuſtrato. Quòd ſit ſuperflua, ex eo probant, quia cum Deus ſit ſummè intelligibilis, & immaterialis, præſenſq; intellectui, nulla opus eſt ſpecie, vt viſio fiat. 4.

Pro reſolutione illud tanquam certiſſimum ab omnibus ſupponitur, viſionẽ, quæ de facto datur in beatis eſſe illis cõnaturalem, quod oſtendimus art. 3. in hac ipſa ratione, quam defendimus. Supponendum eſt etiam, quòd ſicut apud eos, qui negant dari poſſe ſpeciem creatam, dubitari non poteſt viſionem per diuinã eſſentiam fieri connaturali modo; quia virtus intellectus creati ad videndũ Deũ non poteſt eſſe connaturalis viſioni, niſi connaturalis eſſet illi talis concurſus; ita etiam apud eos, qui putant fieri non poſſe, vt diuina eſſentia concurrat ad inſtar ſpeciei, non eſt dubitandum viſionem nõ aliter poſſe eſſe cõnaturalem intellectui, niſi ſpecies creata ſibi connaturaliter debeatur. Quare in hac quæſtione ſolùm datur locus dubitandi, cum ſupponitur & ſpeciem creatam eſſe poſsibilem, & poſsibile eſſe diuinam eſſentiam poſſe ſubire vicem ſpeciei: ſuppoſita vtraque poſſibilitate meritò inquiritur, quinam concurrendi modus ſit connaturalis intellectui eleuato per lumen gloriæ? Ego puto in his terminis eam ſententiam eſſe longè probabiliorem, quæ aſſerit concurſum per ſpeciem creatam eſſe connaturalem intellectui; ſupernaturalem verò & miraculoſum, qui fieret per concurſum diuinæ eſſentiæ, quæ fuit opinio Aureoli, & Bellomontani: etenim fundamenta poſita in tertio articulo magnam habent efficaciam; paruam verò, aut nullam, quæ pro oppoſita ſententia adducuntur. 5. *Tertia ratio firma eſt.*

Pri-

6. Primum patet; quia dubitari non poteſt modum operandi ad extra mediante cauſa ſecunda eſſe Deo connaturalẽ, ſiue ſermo ſit de operatione ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, vt in tertia ratione ſatis oſtenditur: nec enim in vno, aut altero ordine poteſt dari inſtantia: quæ enim in vtroque fieri poſſunt, tum immediatè à Deo, tum mediantibus cauſis ſecundis, omnia de lege ordinaria per cauſas ſecũdas fiunt: & ſi aliquando ſine illis fiant, dicuntur fieri ſupernaturaliter, & miraculoſè. Nec obijci poteſt, habitus ſupernaturales viæ, & patriæ (.ſ. gratiam, charitatem, & lumen gloriæ) fieri poſſe mediante cauſa ſecunda; & tamen connaturaliter fieri immediatè à Deo: quoniam hi habitus non poſſunt fieri mediante cauſa ſecunda, vt in ſuo ordine principali, ſed vt inſtrumentaria: nos autem agimus de effectu producibili per cauſas ſecundas, vt principales in ſuo ordine: talis autem eſſet ſpecies creata, ſi ad viſionem concurreret. Similiter negari non poteſt, abſolutè loquendo connaturale eſſe intellectui creato intelligere per ſpeciem, qua intrinſecè fiat ipſa res. Et quidem in cognitione rerum creatarum, id eſt certum: quia naturale eſt intellectui intelligere res creatas per ſpecies, quibus formaliter fiat ipſæ res, tanquam per formas intrinſecas perficientes illum per ſe, & non per accidens, vt ſæpè oſtendimus, maximè in 1. p. huius lib. 8. q. 3. art. 3: nam ſi intellectus per ſpecies non informantes, ſed obiectiuè aſsiſtentes rem aliquam intelligeret, eam non intelligeret connaturaliter, ſed miraculoſè Deo ſupra ordinem naturalem ſupplente actualem ſpeciei informationem, ſi tamẽ illam ſupplere poteſt. Quare cum ſpecies creata intellectũ beati informet; vtique connaturale erit illi fieri intelligibiliter Deum intrinſeca informatione: præter naturam verò fieri talem per diuinam eſſentiam, aut extrinſecè aſsiſtentem, vt quidam volunt, aut intrinſecè, non tamen per actualem informationem, vt alij malunt. Negari igitur non poteſt hoc fundamentum hanc opinionem reddere ſatis probabilem.

7. Quòd verò rationes oppoſitæ ſententiæ paruam vim habeant, facilè oſtenditur. Nam prima ratio futilis eſt: quia non ſatis eſt, aliquid poſſe à Deo fieri, vt ab eo dicatur connaturaliter fieri: etenim poteſt Deus cæco viſum reſtituere; & tamẽ modus erit miraculoſus.

8. Simili modo ſoluitur ſecunda ratio: nec enim ſatis eſt modum operandi eſſe perfectiorem, vt dicatur cõnaturalis operanti: nam modus ſupernaturalis ſemper eſt perfectior, quàm naturalis.

9. Ad tertium negandum eſt, ſpeciem creatam ſimpliciter eſſe ſuperfluam: licet enim ſimpliciter non ſit neceſſaria ad videndum Deum, vt in hoc articulo ſupponimus: eſt tamen neceſſaria, vt intellectus connaturaliter Deum videat. Nec ſatis eſt, Deum eſſe ſummè intelligibilem, & præſentem præſentia reali, vt fiat viſio; ſed opus eſt, vt fiat præſens præſentia obiectiua, & intelligibili. Ita autem fieri non poteſt, niſi vel per ſpeciem, vel per eſſentiam ad inſtar ſpeciei, vt aduerſarij fatebuntur; quare, ſicut non valet; *Deus eſt ſummè intelligibilis, & realiter præſens præſentia reali. Ergo ſuperfluus eſt concurſus, vel ſpeciei, vel eſſentiæ ad inſtar illius*: ita etiam non valet: *ergo ſuperfluus eſt concurſus ſpeciei creatæ*. Quod non aduertere, cauſat deceptionem. ¶ Ex dictis iam patet efficacia tertiæ rationis, quam poſuimus articulo tertio.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur argumenta ſententiæ negantis.

1. Ad 1. arg. SVpereſt reſpõdere ad fundamenta, quæ pro parte negante articulo ſecundo poſita ſunt. Ad primum negandum eſt antecedens: nec enim ſpecies neceſſaria eſt ex ſolo illo duplici capite, ſi ſermo ſit de abſentia reali: aut de impotẽtia ratione intelligibilitatis, ſi agatur de intelligibilitate ſumpta pro immaterialitate: admittendum tamen eſt, ſi ſermo ſit, tum de abſentia obiectiua, tum de obiectiua intelligibilitate, & proxima: quia ſpecies verè eſt neceſſaria, & vt obiectũ fiat obiectiuè præſens, & vt fiat intelligibile intelligibilitate proxima, & obiectiua; etenim ſicut id, quod realiter, & localiter eſt præſens cenſetur intelligibiliter abſens, ſi in intellectu non habeat ſpeciẽ, vt ex Scoto, & D. Thoma ſtatim dicemus. Ita quod actu eſt immateriale, eſt intelligibile in potentia intelligibilitate obiectiua

tiua, quãdiu in ſpecie actu non repræſentatur, vt colliges ex D. Thoma, & Scoto, & ex dictis ſuprà libr. 6. q. 1. artic. 4. §. 7. Quare negandum eſt, diuinam eſſentiam ex ſua natura eſſe vbique præſentem, ſi ſermo ſit de præſentia obiectiua, vt expreſſè docet D. Thomas de Veritate q. 10. art. 11. ad 11. & in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 6. ad 4. & ibidem Scotus q. 11. litera F. §. *Præterea viſio*: licet enim vbique ſit præſens præſentia reali; non tamen vbique, aut omni intellectui eſt præſens præſentia obiectiua, & intelligibili; quia non eſt talis intellectui viatorum, vt D. Thomas, & Scotus docent: & eadem ratione licet ſit ſummè & actu intelligibilis, intelligibilitate reali, quæ idem eſt cum immaterialitate; non tamen talis eſt intelligibilitate obiectiua; quia non ſemper & omni intellectui eſt obiectiuè præſens; ſine qua præſentia nihil eſt actu intelligibile, vt annotauit Scotus *in 1. diſt. 3. q. 6. & 7. vtrobique litera K.* Ad argumentum igitur negandum eſt antecedens, ſi intelligatur vel de abſentia reali, & locali, vel de reali intelligibilitate ſumpta pro immaterialitate: nec enim ſpecies neceſſaria eſt, vt faciat obiectum, aut realiter præſens, aut actu immateriale, vt patet: admittendum tamen eſt, ſi intelligatur de præſentia, & intelligibilitate obiectiua: quia nullum obiectum ſine ſpecie poteſt eſſe, aut verè præſens præſentia obiectiua, aut actu intelligibile ſine obiectiua intelligibilitate. Et in hoc ſenſu neganda eſt cõſequentia, ſi in eodẽ cõſequens intelligatur, quia in hoc ſenſu falſũ eſt antecedẽs: porrò ſi intelligatur de præſentia, & intelligibilitate obiectiua, ſupponit vnum falſum, ſcilicet dari poſſe obiectum, quod ſine ſpecie ſit, aut præſens, aut actu intelligibile: etenim nec ipſa eſſentia diuina apud D. Thomam eſt obiectiuè præſens, & intelligibilis ſine aliquo, quod ſubeat vicem ſpeciei: nos autem dicimus eam non eſſe actu talem ſine ſpecie creata. Et non diſtinguere inter duas iſtas pręſentias, & intelligibilitates parit confuſionem.

D. Thom. Scotus.

2. Ad 2. arg. Secundum argumentum eodem pede claudicat; quia ſupponit poſſe aliquod obiectum ſine ſpecie aut eſſe debitè approximatum, aut cum proxima intelligibilitate ad cauſandam intellectionem, quod negamus, vt patet ex ſolutione primi argumenti. Quare admiſſa maiore, minor ſupponit id, de quo eſt controuerſia. Et in confirmationem aduertimus, aduerſarios non poſſe non ita diſſoluere argumentum, ſi afferatur ad viſionem non modo non eſſe neceſſariam ſpeciem creatam, ſed nec eſſentiam ſubire vicem ſpeciei: quod plerique putarunt.

Tertiam rationem eſſe omninò futilẽ patet ex dictis in præcedenti articulo. Admittimus igitur non eſſe multiplicãda principia, quæ iuxta naturas rerum nõ ſunt neceſſaria: negamus tamen ſpeciem creatam non eſſe neceſſariam, vt viſio ab intellectu illuſtrato connaturaliter producatur: nec enim ad id ſatis eſt, poſſe videri Deum ſine ſpecie, diuina eſſentia cõcurrente, tanquam obiecto intelligibili. 3. Ad 3. arg.

Ad quartum, admiſſo antecedente, negatur conſequentia: eſt enim diſpar ratio in ſubſtãtia Angeli ad intellectum ipſius, & in diuina eſſentia ad intellectum beati: quoniam ſubſtantia Angeli eſt idem ſecum, & quatenus eſt intelligens ſe, & quatenus eſt intellecta à ſe: vnde ſine ſpecie ſuperaddita eſt ſimilis ſibi, vt ſe ipſam intelligat; quod aduertit Ariſtoteles 3. *de Anima c. 4. text. 15.* vbi ex eo probat immaterialia eſſe per ſe, & à ſe intelligibilia ſine ſpecie ſuperaddita, quia in illis intelligens, & intelligibile idem ſunt; ita enim ſcribit: *In hiſce quidem, quæ ſine materia ſunt, intelligens, & id, quod intelligitur, idẽ ſunt.* Quaſi in his ſine ſpecie verificetur veterum Philoſophia, *ſimile à ſimili cognoſcitur.* Quæ identica ſimilitudo non reperitur inter intellectum beati, & diuinã eſſentiam; & ideò oportet, vt intellectus fiat ſimilis diuinæ eſſentię, & fiat ipſa per aliquam ſpeciem ſuperadditam: cum verò diuina eſſentia non poſsit ſubire vicẽ ſpeciei, vt oſtendemus in quæſtione ſequente, neceſſariò eſt admittenda ſpecies creata. Ex quibus patet non facilius defendi eſſentiam diuinam concurrere ad viſionem loco ſpeciei, quam ſubſtantiam Angeli ad viſionem ſui: nam Angeli ſubſtantia eſt idem ſibi, & vt eſt intelligens, & vt eſt intellecta; cum tamen eſſentia diuina nec naturaliter idem ſit cum intellectu creato, nec ſupernaturaliter eſſe poſsit. Quæ in contrarium adducuntur, parum habent efficaciæ; quia non repugnat creaturam ſe ipſa immediatè operari opera-

4. Ad 4. arg.

Ariſt.

operationes intelligibiles, quas operatur, vt intelligibile obiectum: nam ſicut color immediatè emittit ſpecies ſenſibiles; ita ſubſtantia creata poteſt ex ſe immediatè emittere intelligibiles, & immediatè agere influentia obiectiua: naturalis autem obiectiua influentia, vel libera, nihil facit, vt diuina eſſentia poſsit, vel non poſsit vnire ſe ad inſtar ſpeciei.

5. Ad 5. arg. Quintum argumẽtum futile eſt; quoniam cognitio creaturarũ in Deo eſt mediata, cum eſſentia diuina concurrat, vt cognita: viſio autem diuinæ eſſentiæ à beato eſt immediata: vnde indiget ſpecie, vel aliquo, quod ſubeat vicem ſpeciei. Cõcurſus autem diuinæ eſſentiæ ad modum ſpeciei, cum non ſit cõnaturalis, vt diximus, non cedit in maiorẽ illius ſtatus perfectionem, vt patet ex art. præcedente.

6. Ad vltimũ argum. Ad poſtremum, non admittimus diuinam eſſentiam poſſe ſe vnire ad inſtar ſpeciei: & ſi id admitteremus, non proinde de facto daretur; quoniam talis vnio nec intellectui, nec viſioni eſſet connaturalis, vt diximus articulo ſexto.

QVÆSTIO IIII.

An poſsibile ſit diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei aliquod ſpeciei munus obire in ordine ad viſionem?

QVæſtio iſta excitatur, vt magis confirmetur probabilitas opinionis, quæ in beatis ſpeciem creatam diuinæ eſſentię admittit: illius enim probabilitas euidentiùs apparebit, ſi oſtenſum fuerit diuinam eſſentiam ſe ipſa nullum poſſe ſpeciei officium exercere; vel ſaltem nullum exercere poſſe modo connaturali, aut intellectui, aut viſioni. Vtrunque in hac quæſtione explicabitur.

Munera autem ſpeciei, quæ vel ab omnibus, vel ab aliquibus ſolent enumerari, ſunt hæc. Aſsimilare intellectum obiecto, facereque, vt ſit res intellecta: conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum: præſentare obiectum intellectui, illudque cum intellectu obiectiuè vnire; determinare intellectum ad talem ſpeciem actus: complere virtutem actiuã illius; influere cum intellectu ad actum intelligendi: denique repræſentare obiectum, vt terminum intellectionis: de quibus latè egimus ſuprà 1. p. huius lib. q. 4. Explicandum eſt igitur, vtrùm diuina eſſentia poſsit ſe ipſa, aut omnia iſta munera, aut illorum aliqua obire? primo igitur loco id generaliter inquiremus, deinde ad ſingula deſcendemus. Quare ſequẽtes articulos excitabimus.

Primus eſt generalis; an diuina eſſentia poſsit omnia, vel aliqua horum munera ad inſtar ſpeciei obire? ¶ Secundus; vtrùm ad inſtar ſpeciei poſsit aſsimilare ſibi intellectum, vt ille ſit Deus intelligibiliter? ¶ Tertius; vtrùm poſsit aliquod horum munerum exercere, abſque hoc, quod det intellectui eſſe Deum?

Quartus; vtrùm poſsit ſe ipſa conſtituere intellectũm in actu primo?

Quintus; vtrùm loco ſpeciei poſsit ſe obiectiuè vnire intellectui?

Sextus; vtrùm poſsit ſe obiectiuè præſentare intellectui?

Septimus; vtrùm ad inſtar ſpeciei determinet intellectũ ad talem ſpeciem actus?

Octauus; vtrùm loco ſpeciei compleat virtutem intellectus ad videndum?

Nonus; vtrùm cum intellectu actiuè influat in viſionem?

Decimus; vtrũ tanquam ſpecies ſe ipſam obijciat, & vniat, vt terminũ viſionis?

Vndecimus, & vltimus; vtrùm dato, quòd poſſet ſubire ſpeciei vicem, id faceret modo connaturali intellectui; an ſupernaturali, & miraculoſo?

ARTICVLVS I.

Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei omnia, vel aliqua illius munera obire?

ADuertendum eſt ſpecies intelligibiles ſua munera in intellectu exercere priùs, ſaltem natura, quàm fiat intellectio. In hoc igitur ſenſu quæſtionem excitamus; vtrùm diuina eſſentia, priùs natura, quàm fiat viſio, ſe ipſa efficiat, quæ faceret ſpecies intelligibilis, ſi in intellectu poneretur? Ad hunc enim ſenſum dicetur concurrere ad inſtar ſpeciei. 1.

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

QVi ſpeciem creatam in beatis non admittunt, vnanimo ferè cõſenſu non ſolùm affirmant diuinam eſſentiam 2.

Qui affirment diuinã eſſentiã ſubire vicẽ ſpeciei.

Thomiſtæ. Caiet. Sylueſter. Bañes. Cumel. Iauell. Pezan. Ripa. Capreol. Sotus. Nauarret. Molina. Fonſeca. Suarius. Salas. Cabrera. Henricus.

in intellectu beati eſſe ad inſtar ſpeciei,& illius vicem ſubire; ſed id,vt notiſsimum vbique ſupponunt. Conſtans eſt hæc opinio in ſchola Thomiſtarum, *in 1.p.q.12. art.2.vbi Caietanus §. in reſponſione ad tertium, Sylueſter in conflato §. item, §. eodem ratione 5. Bañes dubitatione 2.concluſ.3.& 4.Cumelius q.3. concl.3. Iauellus §. Quantum ad primum, & §. Quantum ad ſecundũ, Pezantius diſp.1.in 5.not. & concl.1. Ripa dub.2.c.1. §.Diuina itaque natura cum cæteris,docet Capreol. in 3.diſt.5.q.2.art.1. concluſ.3.& in fine art.& in 4.diſt.49.q.5. art.1.concluſ.2.Sotus ibi q.2.art.3.concl.3. Nauarrete 1.tomo controu.37.§.7.fol.235 col.1.§.Circa id quod ſecundo loco.Inter Moderniores ita docent Molina 1.p.q.12.art.2. diſp.1.concl.2. & diſp.2.§.Licet autem,& clariùs ad finem diſputationis,Fonſeca 5.Metaphyſicæ cap.2. q.12.ſect.2.pag.155.in principio,Valent.1.tom.diſp.1.q.12.puncto.2.§.Primo intelligitur, pag.185. Suar. 3.p.tom.1.q.2.in commentario art.1.§.Ad primum reſpondet Caiet.pag.28, A.2. & q. 9.art.1.diſp.24.ſect.2. §.Ad exemplum ergo,pagin.494.B.1.ſatis id ſupponit lib.2.de Attributis negat.c.12.n.14.Salas 1.tom.ad primam 2. q.3.tract.2. diſp.5. ſect.2.n.36. pap.342. & inferiùs in 5. obiect. pag.343. col.1.Cabrera 3.p.q.2.art.1.diſp.2.§.3. concl.1.n.19.& concl.2. n.26.* Ex antiquioribus expreſſè Henricus *1.p.Summæ art. 1.q.3.fol.9.pag.1.lit.D.*ita ſcribens,*Deus dicitur à Sanctis,aliquando ratio intelligendi,vt lux;aliquando, vt ſpecies, ſiue forma; aliquando,vt exemplar,ſiue idea. Et inferiùs lit.F.fol.10.pag.1. in principio ita ait: Secundo modo Deus eſt ratio cognitionis,vt forma,& ſpecies,&c.* Vbi explicat Deum vt ſic non eſſe obiectum cognitum. Clariſſimè id explicat *quodlibeto.3.q.1.liter.V. fol.48.pag.1.* vbi expreſſè docet eſſentiã diuinam facere ad actum videndi, quidquid faceret informatio ſpeciei: diſponit enim intellectum ad actum (vt ait) perfectius,quàm ſpecies,& intellectum conſtituit in actu: denique eſt illius forma in eſſe intelligibili: eundem ſenſum colliges ex eodem *quodlibeto 4. q.7.lit.A.fol.94. pag.2.& quodlibet.5.q.14.lit.D.fol.175. pag.1.* Hos authores infrà ni aſſerẽtes diuinam eſſentiam ſubire vicem ſpeciei in intellectu beati. Pro eadem ſententia citantur à nõnullis Altiſidiorenſis *lib.3.tract. 14.q.3. Alenſis 1.p.q.7.mẽb.2. Albertus in 1.diſt.1.ar.15. Adamus q.2.prologi ad 6. Supplem.Gabrielis in 4.diſt.49.q.5.art.2. propoſit.4:* ſed vel nihil hac de re ſcribũt; vel ſolùm dicunt eſſentiam diuinam per ſe ipſam, & in ſe ipſa videri; non tamen explicant, vtrùm cõcurrat ad inſtar ſpeciei. Richardum hanc opinionem,vt probabilẽ admiſiſſe oſtẽdemus inferiùs §. 5. Quid autem ſenſerit,aut D.Thomas, aut Scotus;in ſequenti §.explicabimus.

Qui perperam citentur.

§. 4.

Diuum Thomam huius fuiſſe ſententiæ.

D.Thomas in negãtem partem malè adducitur.

3. AN D.Thomas fuerit ſententiæ affirmãtis, vnus Bellomontanus fecit dubiũ *1.p.diſp.43.c.6.n.27.* vbi affirmat D. Thomã nõ modò eam nõ affirmare, ſed oppoſitã non obſcurè docuiſse. Sed de eo meritò admiratur Nauarrete; quoniã D.Thomas verbis adeò expreſsis hanc ſententiã declarauit, vt clarioribus eã, ſi cũ doctis agendũ eſt, declarare nequiuerit: nam 3.*contra gent. c.51.* ita ait: *Manifeſtũ eſt igitur, quòd eſſentia diuina poteſt cõparari ad intellectũ creatũ, vt ſpecies intelligibilis,qua intelligit.* Verbis etiã expreſsis docet in eodẽ lib.*c.53.in 2.& 4.ratione eã fieri ſpeciẽ intelligibilẽ, & vt ſpeciẽ copulari.* Quod etiã expreſsè ſcribit *1.p. q.12.ar.5.& 3.cont.gent.c.52.in 3.ration. & de Veritate q.8.art.1.& art.3. in principio.* Accedit,quoniam multis in locis ſcribit, *diuinam eſſentiam eſſe, quo videtur*, vt patet 3.contra gent. c.51. & de Veritate loco citato,& in 4.diſt.49.q.2.ar.1. ad 2: non poſſet autem eſſe forma, qua Deus videtur,niſi ſubiret vicem ſpeciei.

4. Accedit, quoniam ita vnitur intellectui,vt faciat eum in actu, vt patet 1.*p. q. 12.art.2.ad3.* vbi docet, *quod ſicut ſpecies vniuntur intellectui,& faciunt ipſum eſſe in actu;ita diuina eſſentia vnitur intellectui tãquam intellectum in actu.* Idem colliges ex eodem de Veritate vbi ſuprà, ſi ſolutio argumenti quinti cum argumento conferatur,& ex quodlib.7. q.1. ſi ſolutionẽ ſecundi argumenti cum argumento cõferas: Iam verò conſtituere intellectum in actu primo eſt proprium munus ſpeciei: ſicut etiam munus proprium illius eſt facere vnum cum intellectu:& tamen D.Thomas fatetur,ex eſſentia diuina,& intellectu fieri vnum in intelligendo, vt

patet

patet *de Veritate q.* 8. *art.* 1. *& in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *artic.* 1. *in fine corporis, & ad octauum.*

5. Reſponſio Bellomonti. His tamen omnibus reſpōdet Bellom. vbi ſuprà *n.* 27. 29. *&* 30. D. Thomam in illis locis, aut alicubi nunquam dixiſſe eſſentiam eſſe in intellectu beati loco ſpeciei impreſſę ad eliciendam viſionem; ſed ſolùm dixiſſe eam eſſe in intellectu, vt ſpeciem, formamq; intelligibilē, qua intellectus videt Deum: & eſſe id, quo intellectus Deum videt, & per eam fit in actu. Hos autem loquēdi modos non ſoli ſpeciei impreſſę accommodari; ſed etiam expreſſæ, quæ dicitur verbum: nam hanc D. Thomas etiam appellat formam intelligibilem, *de Veritate q.* 3. *art.* 2. & proinde ſpecies expreſſa eſt forma, qua intellectus intelligit, & fit in actu, non primo, ſed ſecundo, & ex intellectu fit vnum in actu ſecundo. Et indè concludit ex verbis citatis non benè inferri D. Thomam docuiſſe diuinā eſſentiam poni loco ſpeciei impreſſæ, vt principium viſionis. Et hanc eſſe mentem D. Thomæ ex eo etiā colligit, quòd nunquam dixit diuinam eſſentiam facere intellectum in actu primò, ſed ſolùm in actu; quæ verba eſſe intelligenda de actu ſecundo, ex eo colligit, quia *in dicta q.* 12. *art.* 2. *ad* 3. dicit, *eſſentiam diuinam vniri intellectui creato, ſicut intellectum in actu*, id eſt, ſicut rem actu intellectam, qua intellectus redditur actu intelligens. Et quando de Veritate q. 8. art. 1. aſſeruit ex diuina eſſentia, & intellectu fieri vnum in intelligendo, nō ibi ſubſiſtit, ſed addidit: *Dum intellectus intelligit, & eſſentia intelligitur*; quibus ſatis ſignificat ex illis fieri vnum, non in actu primo per ſpeciem impreſſam, ſed in actu ſecundo, quando actu per verbum intelligit: nam, vt ait, axioma, *ex intellectu, & intelligibili fit vnum*, meliùs intelligitur de intellectu in actu ſecundo, quā in actu primo. Hæc habes ex Bellomont.

6. Impugnatur Bellom. Sed ſi ille conſideratiùs expenderet, quæ D. Thomas hac de re ſcribit, abſque dubio intelligeret, D. Thomam egiſſe de diuina eſſentia, vt in intellectu eſt ſpecies intelligibilis, tanquam principium actiuū viſionis. Et ſubinde non negaret Diuum Thomam egiſſe de diuina eſſentia poſita loco ſpeciei impreſſæ. Hanc fuiſſe mentem D. Thomæ primo conuincitur ex modo loquendi: docet enim diuinam eſſentiam eſſe formā, qua intellectus Deū videt, & eſſe id, quo Deus videtur. Qui ablatiuus, cum non denotet cauſam formalem; quia intellectus formaliter non intelligit diuina eſſentia, ſed viſione creata; non poterit denotare niſi cauſam efficientē, vt *quo*, qualis eſt forma, quæ agenti eſt agēdi principium. Quod ex eo etiā patet, quia multis in locis docet diuinam eſſentiam eſſe formam, per quam intellectus videt Deum, vt patet 1. *p. q.* 12. *art.* 10. *in fine, & in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *artic.* 1. *ad* 2. quaſi idem ſit, quo videtur, & per quod videtur, ex eodem D. Thoma *de Veritate q.* 8. *art.* 1. Iam verò præpoſitio *per* propriè denotat principium efficiendi. Cum verò ablatiuus ille denotare non poſſit, niſi aut principium formale, aut rationē agendi; & eſſentia non ſit principium *quo* Deus formaliter videtur; in citatis locis non denotabit, niſi principium agendi; & per conſequens ex mente Diui Thomæ erit ſpecies, vt principium agendi.

Accedit, quia ille loquēdi modus, nullo modo conuenire poteſt formæ intelligibili, quæ apud D. Thomam eſt verbū: 7. etenim ſi ſententiam D. Thomæ inſpiciamus, de cuius explicatione agim⁹, verbum eſt forma intelligibilis, non formalis, ſed obiectiua, vt fatetur Bellomont. & ſatis patet ex D. Thoma *de Veritate q.* 14. *art.* 1. dum ait, verbum eſſe id, quod per intellectum cōcipitur; repræſentat enim, vt forma obiectiua, quæ cognita repræſentat rem cuius eſt forma: vnde potiùs eſt id, in quo res intellecta videtur, quàm quo videtur, vt Bellom. admittit, docens res alias in verbo videri, non verbo: quare diuina eſſentia, ſi loco verbi poneretur, potiùs poneretur vt forma in qua, & intellectus intelligeret Deum, & Deus intelligeretur, quàm vt forma, qua intellectus intelligit Deum, & Deus intelligitur ab intellectu. Adde etiā, quòd verbum apud D. Thomam ponitur vt terminus intellectionis, ex Diuo Thoma 1. *contra gentes cap.* 53. *& de potentia q.* 8. *articulo* 1. *& de Veritate quæſtione* 14. *art.* 1. At quis dicet terminum intellectionis eſſe id, quo intellectus rem intelligit? D. Thom. Adde etiam, quòd verbum apud Diuum Thomam eſt quid formatum & conſtitutum per intellectionem, & effectus per eam productus, vt communiter docent Thomi-

Thomiſtæ cum Diuo Thoma in locis citatis: quomodò igitur erit id, quo intellectus intelligit? id enim, quo aliquid eſt, non cõſequitur illud, ſed antecedit. Quare modus loquendi, quo D. Thomas vtitur in citatis teſtimonijs, non ſolùm excludit formam intelligibilẽ, quę Thomiſtis eſt verbum; ſed etiam conuincit in illis ſermonem eſſe de ſpecie, quæ cum intellectu elicit viſionem, qualis eſt ſola impreſſa.

8\. Adducũtur alia loca D. Thomæ in confirmationem.

Secundò id ipſum oſtenditur, ex pluribus locis, in quibus D. Thomas agit de diuina eſſentia, vt eſt forma, qua intellectus intelligit. Primus locus habetur *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1.* ſi ſolutio octaui argumẽti cum ipſo argumento conferatur: probabat enim argumentum intellectum nõ poſſe videre diuinam eſſentiã ex eo, quia oportebat eum informari per ſimilitudinem, quæ eſt principium intellectionis, ſicut calor eſt principiũ calefactionis: & indè inferebat, intellectum informandum eſſe aliqua ſpecie, quæ ſit principiũ viſionis: & cum talis ſpecies dari non poſſit, nec diuina eſſentia poſsit eſſe talis ſpecies, indè concludebat, intellectum creatum Deum videre non poſſe. Hæc eſt vis & efficacia argumenti, quod etiã adducitur *de Veritate q. 8. art. 1. in 5. argum. & 3. contra gent. c. 51.* Huic argumento in illis locis negat D. Thomas non poſſe diuinam eſſentiam eſſe quaſi formam, qua intellectus Deum intelligat. Quæ ſolutio ſatis ſupponit, diuinam eſſentiam ſupplere formam, de qua erat ſermo; illã ſcil. quæ eſt principium intellectionis.

9\. Secundus locus habetur in eadem *q. 8. art. 2. ad 3*: vbi argumentum probabat, intellectum beati viſione comprehendere Deum: argumentum autem ex eo ſumebat, quia efficacia actionis menſuratur ſecundùm formam, quæ agenti eſt principium agendi. Cum verò forma, qua intellectus beati intelligit, ſit diuina eſſentia; ex perfectione illius ſumenda eſt mẽſura viſionis. Sed hæc eſt comprehenſiua, ergo, &c. Reſpondet D. Thomas, ideò non dari comprehenſionem Dei; quia nõ oportet, vt actio ſit ita perfecta, ſicut eſt forma, quæ eſt principium actionis, quãdo forma ipſa non perfectè capitur ab agente. Cum verò diuina eſſentia non perfectè capiatur ab intellectu, cui eſt principium actionis, ideò non oportet, vt viſio, quæ ab ea eſt; vt à principio actiuo, ſit comprehenſiua. Qui locus eſt omni ſolutione maior.

Accedant, quæ ſcribit *3. contra gentes cap. 52.* in eo capite probat intellectum non poſſe ad viſionem Dei peruenire, niſi per actionem Dei: & in omnibus rationibus ſupponit intellectum videre Deũ per diuinam eſſentiam vnitam illi, vt formam elicitiuam viſionis, quod ſatis euidenter ſupponitur in tertia ratione. 10.

Denique, quòd D. Thomas agat de diuina eſſentia, vt gerit vicem ſpeciei impreſſæ, ex eo patet, quia apud D. Thomam diuina eſſentia illius ſpeciei locum ſupplet, quam negat dari poſſe ad videndum Deum: inde enim infert diuinam eſſentiam locum illius ſubire, vt patet ex *dicta q. 8. de Veritate art. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. §. Et ideò accipiendus eſt alius modus.* Sed ibidem negat dari poſſe ſpeciem impreſſam, vt contra Bellomont. oſtendimus ſuprà q. 2. art. 1. & ſatis patet ex D. Thoma in dicta quæſt. 2. artic. 1. dum explicat opinionem Auicenæ, & ex dicta q. 8. artic. 1. Ergo diuina eſſentia ex mente Diui Thomæ ſubit locum ſpeciei impreſſæ; & id ſatis explicat Capreol. *in 1. diſt. 35. q. 2. art. 2. contra 5. & 6. fol. 248. col. 3.* dum ait diuinam eſſentiam eſſe ſpeciem, vt ſpecies eſt actui præuia, qualis eſt ſola impreſſa. 11. Capreol.

Hinc facilè intelliges decipi Bellomõtanum, dum putat D. Thomam, quando aſſerit intellectum beati fieri in actu per eſſentiam diuinam, & vnum in actu cum ea intelligendum eſſe non de actu primo, ſed de ſecũdo: etenim ſi eſſentia ex mẽte D. Thom. perficit intellectũ, vt forma in ordine ad viſionem tanquam principiũ intelligendi, vt iam oſtendimus; vtique ex mente illius intellectus per eam fit in actu primo. Quod euidenter explicat D. Thomas de *Verit. q. 8. art. 6.* ita inquiens: *Et ideò oportet, quod intelligens, ſecundum quod intelligit ſit actu, prout ex eis eſt effectum vnumquid, quod eſt vnum principium huius actus, qui eſt intelligere.* Quo nihil clariùs dici poterat. Ex quo loco inferes, quomodò explicandus ſit, dum ait, *ex eſſentia, & intellectu fieri vnumquid intelligendo*: ſenſus enim eſt, quod fiat vnũquid ad intelligendum. Quem ſenſum expli- 12. Deceptio Bellomontani.

explicauit *in 4. diſtin. 49. q. 2. art. 1. ad* 8. dum ait, *ex eſſentia & intellectu fieri vnum quid, quantum pertinet ad actum intelligendi*: ſenſus enim eſt, quantum pertinet ad eliciendum actum. Vnde ex eodem *in dicta quæſt. 8. art. 1. ad* 5. diuina eſſentia, vt eſt forma, ſe habet in intelligendo, ſicut forma, quæ eſt principium in eſſendo. Iam verò forma in eſſendo eſt principium conſtituens in actu primo.

13. Ex quibus patet explicatio eorum, quæ pro ſe Bellomontan. adducit. Nam quando 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *ad* 3. ait, *eſſentiam vniri intellectui, vt intellectum in actu*, intelligendus eſt de actu primo: quia res intellecta non poteſt vniri intellectui, niſi priùs ſit intelligibilis in actu primo. Et eodem modo explicanda ſunt verba illa ex q. 8. de Veritate artic. 1. *dum intelligit, & eſſentia intelligitur*, ſcilicet in actu primo. In eodem enim ſenſu intelliguntur alia ſimilia eiuſdem quæſtionis art. 6. intelligens, *ſecundum quod intelligit, eſt in actu. ſ. primo*, tanquam principium actus, qui eſt intelligere, vt idem D. Thomas ibidem expreſsit.

§. 3.

Quid ſenſerit Scotus?

14. QVid de eadem re ſenſerit Scotus, dubium eſt; nam Mol. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 2. *pag.* 111. *col.* 1. affirmat Scotum negaſſe eſſentiam diuinam concurrere ad inſtar ſpeciei, & idem ſentit Bellomont. 1. *p. diſp.* 43. *cap.* 6. *num.* 26. Alij volunt Scotum id affirmaſſe *quodlibeto.* 14. atque Lychetum *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 3. *ad finem.* In Lycheto nihil eo in loco inuenio: de Scoto res eſt ſatis dubia; ſi tamen expendatur *in dicto quodlib.* 14. *art.* 2. *litera CC.* §. *Hinc videtur ſequi* & §. *Sed ſi quæratur*; Vna & altera pars ex eo deducitur; quamuis negans ideò, quia priori loco poſita probabilior ſupponatur.

15. Vt mentem Scoti facilè percipias, aduerte eum in eo loco inquirere, vtrùm viſio in beatis habeat rationem verbi? cuius reſolutio ex eo pendet, vtrùm eſſentia priùs natura ſe ipſam repræſentet, vt fiat in memoria, quàm detur viſio: nam ſi ſe ita non repræſentat, viſio ex ea non gignetur, vt in memoria, & ita non habet rationem verbi: ſecus ſi repræſentatio viſionem præcedat. Et ex dicto §. *Hinc videtur ſequi*, colligitur, eſſentiam diuinam non eſſe repræſentatiuam ſui Michaeli prius natura, quàm viſio cauſetur in Michaele: ita, quod ipſum repræſentare, non eſt præcedens ipſam intellectionem obiecti, quod dicitur repræſentari. Et ideò putat eſſentiam in beatis nunquam præfuiſſe in memoria, ex qua viſio formaretur, & ob eã cauſam non habere rationẽ verbi. Qua ſuppoſita ſententia non poteſt non concedi Scotum negare eſſentiã ſubire rationem ſpeciei prius natura, quã producatur viſio: nam ſi rationem ſpeciei ſubiret, vtique prius natura ſe ipſam repræſentaret. *Scotus negantem ſẽtẽtiam probauit.*

16. Cæterum, quia Scotus non ita probat hanc opinionem, vt oppoſitam putet improbabilem; ideò in §. *Sed ſi quæratur*, admittit repræſentationem eſſentiæ, quodammodò eſſe priorem viſione, & reperiri in memoria, & illi tribuere actum primum, & ideò ipſam viſionem habere rationem verbi. Addit tamen eſſentiam in illo priori actuare intellectum ſola ſua præſentia obiectiua, quod apud Scotum eſt proprium officium ſpeciei. *Scotus non putauit improbabilem ſententiam affirmantẽ.*

17. Lychetus tamen *in dicto quodlibet.* 14. *fol.* 76. *col.* 4. *in fine* putat apud Scotum repræſentationem eſſentiæ actu non prę cedere viſionem, poſſe tamen eam præcedere. Et hæc diximus pro explicanda mente D. Thomæ, & Scoti. *Mens Lycheti.*

§. 4.

Ponuntur argumenta partis affirmantis.

18. PRimùm huius opinionis fundamentum: quoniam intellectus nihil poteſt intelligere, niſi fiat in actu intelligendi, vel per ſpeciem rei intellectę, vel per formam, quæ vicem illius ſubeat. Intellectus igitur, vt videat diuinam eſſentiam, indiget vel ſpecie, vel eſſentia loco ſpeciei, vt patet ex 1. q. huius 2. part. Sed intellectus non poteſt videre Deum per ſpeciem creatam, vt ſupponitur, ergo eã videbit per eſſentiam loco ſpeciei. Hoc argumento vtitur D. Thomas 3. *cont. gẽt. c.* 51. *& de Veritate q.* 8. *art.* 1. & ſatis illud inſinuat 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *&* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. & eſt commune apud Thomiſtas, & eos, qui putant dari non poſſe ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ. *1. arg. partis affirmantis.* *D. Thom.*

19. 2. argum. Secundo loco, qui eam admittunt, vt poſſibilem, ſed negant eam de facto dari, indè ſumunt fundamentum, quod eſſentia diuina ex ſe eſt actu intelligibilis, immediatè præſens intellectui. Vnde ſic argumentantur: quando obiectum ex ſua natura eſt actu intelligibile, & immediatè præſens intellectui, non indiget ſpecie intermedia, vt intelligatur, ſed ſe ipſo poteſt vicem ſpeciei ſubire. At diuina eſſentia ex ſe eſt actu intelligibilis, & intimè præſens cuicũque intellectui creato. Ergo, vt intelligatur, non indiget ſpecie, ſed ſe ipſa poteſt habere vicem ſpeciei. Minor ex eo probatur, quia diuina eſſentia, cum ipſum intellectum (ſicut & omnes res creatas) conſeruet, illi eſt intimè præſens. Maiorem autem indè probant; quia ſpecies non eſt neceſſaria, niſi aut propter abſentiam obiecti, ratione cuius non poteſt ſe ponere ante intellectum, vt illum moueat; vel propter obiecti impotentiam, quia indiget fieri actu intelligibile: quare ſi ſecundum ſe fuerit intelligibile actu, & intellectui præſens, poteſt per ſe ipſum obire omnia munera, quæ ſpecies poterat obire: etenim hoc ſatis eſt, vt ſine ſpecie per ſe ipſum concurrat loco ſpeciei, quæ fuit maior. Quã etiam ex eo confirmant, quia ob hanc rationem ſubſtantia Angeli poteſt obire munus ſpeciei in ſui cognitione, quia & ſecundum ſe eſt actu intelligibilis, & ſibi intimè præſens. Hoc argumento communiter vtuntur Valentia 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *puncto.* 2. §. *Secundum quod eſt extra controuerſiam, Pezantius* 1. *p. q.* 12. *artic.* 2. *Suarius in dicto libr.* 2. *cap.* 12. *n.* 14. & 21. *Salas* 1. 2. *tom.* 1. *q.* 3. *tract.* 2. *diſput.* 5. *ſect.* 2. *num.* 34. 35. & 36: plures hoc argumentum tribuunt Alberto Magno in 4. diſt. 49. art. 5. & Adamo q. 2. Prologi ad ſextum argumentum.

Valentia. Pezant. Suarius. Salas.

20. 3. argum. Tertiò; quia diuina eſſentia eſt prima veritas, prima intelligibilitas obiectiua, primumq; obiectum intelligibile in actu. Ergo poteſt ſe ipſa ſubire vicem ſpeciei. Hoc argumento vtitur Diuus Thomas 3. *contra gentes. cap.* 51. *vbi Ferrarienſis* §. *Quantum ad* 2. & *in* 4. *diſtinct.* 49. *q.* 2. *artic.* 1. *in fine, ſatis colligitur ex* 1. *p. q.* 12. *artic.* 2. *vbi omnes interpretes, Bañes dubio* 2. *concluſione* 4. *in vltima ratione, Cumelius quæſt.* 3. *concluſione* 3. §. *Prætereà probatur, Sotus in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *poſt tertiam concluſionem,* §. *Ad hoc autem reſpondetur, Nauarrete* 1. *tomo controuerſ.* 34. §. 4. *fol.* 209. *colum.* 3. §. *Reſpondetur quod ex perfectione, Suarius lib.* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 12. *num.* 16. & 20. *Cabrera vbi ſuprà diſputat.* 2. *n.* 21. & *communiter Nouiores.* Antecedens eſt indubitatum; conſequentiam ex eo probat D. Thomas; quia prima veritas ex ſua ratione eſt prima forma intelligibilis, prima intelligibilitas obiectiua, primumque obiectum actu intelligibile: poterit igitur ſe ipſa ſupplere omnem ſpeciem intelligibilem, & ad inſtar illius concurrere ad viſionem ſui; tum; quia aliæ formæ creatæ ideò poſſunt actuare intellectum, quia ſunt formæ intelligibiles. Tum etiam, quia prima veritas, & intelligibilitas obiectiua eminenter continet quidquid perfectionis reperitur in obiecto intelligibili, quæ nullam imperfectionem includit: iam verò ſubire vicem ſpeciei, & per ſe ipſum immediatè cõcurrere ad viſionem ſui, eſt quædam perfectio nullam includens imperfectionem: vnde perfectionis eſt ſubſtantiam Angeli actu concurrere ad inſtar ſpeciei ad ſui viſionem: & ob id noſtro intelligendi modo ita philoſophamur de diuina eſſentia in cognitione ſui. Quod adhuc confirmatur; quia perſonalitas diuina, quia eſt infinita & prima perſonalitas continens eminenter omnem perſonandi rationem, poteſt ſe ipſa ſupplere vicem perſonalitatis creatæ: eadem igitur ratione prima veritas, & prima forma intelligibilis eminenter continebit omnem formam, & ſpeciem intelligibilem, & per ſe ipſam poterit illam ſupplere.

D. Thom. Ferrar. Bañes. Cumel. Sotus. Nauarret. Suarius. Cabrera.

Quartò; quia nulla datur repugnantia, ſi diuina eſſentia ſuppleat vicem ſpeciei: quoniam, vel illa orietur ex cauſalitate formali, quam ſpecies habet circa intellectum, conſtituendo illum in actu primo: aut ex cauſalitate effectiua: ſed ex neutro capite dari poteſt repugnantia. Ita Suar. *in dicto cap.* 12. *n.* 14. *in fine,* vbi minorem ſumit ſine probatione. Eodem medio vtitur Cabrera *in dicta diſp.* 2. *concluſ.* 1. *n.* 20: nec enim repugnat ex parte intellectus; quia poteſt in actum reduci per quãcunque formam in genere intelligibili, cum ſit pura potentia in eodem gene- 21. 4. argum.

Suarius. Cabrera.

genere. Nec repugnat ex parte Dei; quia eſt perfectiſsimus actus in genere intelligibilium. Latiùs eandem non repugnãtiam perſequitur nouus quidam Theologus: quia vel repugnantia ſumitur ex eo quia diuina eſſentia eſt eſſentia, vel quia eſt ſubſtantia, aut quia eſt diuina, aut denique ex aliqua cauſalitate, quam debeat exercere in intellectum. Non quia eſt eſſentia; quia ex Auguſtino intelligimus Fidem, & actus intellectus, & voluntatis per ipſorum præſentiam, abſque vlla ſpecie, & ad eos intelligendos per ipſorum inexiſtentiam determinamur. Nõ quia eſt ſubſtantia; nam ex Ariſtotele 12. Metaphyſicæ text. 51. & ex Commentatore com. 49. & ex Platone, & Magno Dionyſio teſte Ferrar. *2. contra gentes. cap. 98.* Ferrar. Subſtantiæ ſeparatæ per proprias ſubſtãtias ſe ipſas intelligunt. Et de animabus D. Thom. ſeparatis idem docuit Diuus Thomas *1. p. q. 89. art. 2.* & quanuis controuerſia ſit; vtrùm vnus Angelus intelligat alium per eſſentiam ipſius? affirmante Scoto, negante Diuo Thoma; tamen teſte Ferrar. vbi ſuprà Diuus Thomas ſolùm probabiliter loquitur, & ideo non repugnat, vt ſubſtantia per ſe ipſam ſit immediatum principium intelligendi in genere obiecti. Nec tertiò repugnat, quatenùs eſt diuina; vt enim fuſè probat D. Thomas *1. contra gent. cap. 46. & 1. p. q. 14. art. 2.* diuina eſſentia eſt ipſi Deo ratio, & principium viſionis noſtro intelligendi modo. Ergo ex eo, quòd diuina ſit, non eſt ſpecialis difficultas, ne concurrat immediatè in genere obiecti: nam ſi ſubſtantia creata immaterialis ita immediatè per ſe ipsã concurrit; multo magis id faciet increata. Nec denique repugnat ratione alicuius cauſalitatis, quam debeat exercere: quoniam non neceſſe eſt, vt diuina eſſentia erga intellectum aliam exerceat cauſalitatem, niſi efficientem, & obiectiuã, tanquam cauſa partialis, quæ non repugnat diuinæ eſſentiæ: vel ſi alia eſt ibi cauſalitas: illa non erit formalis intrinſeca, ſed ſolùm extrinſeca, qualis eſt obiectiua: hæc autem cum nullam inuoluat imperfectionem, non repugnat diuinæ eſſentiæ.

22. 5. argum. Quintò; quia aliquo modo pertinet ad excellentiam naturalem ſtatus beatifici, vt diuina eſſentia loco ſpeciei ſit in intellectu, quod tanquam notum ſupponunt. Non eſt igitur hoc denegandum diuinæ eſſentiæ; nihil enim cogit Deum inuertere hunc ordinem.

Sextò arguunt Bañes, & Cumelius; quoniam in patria diuina eſſentia vnitur cum intellectu vnione cauſæ conſeruantis illum ſimul cũ lumine gloriæ: & prætereà datur vnio obiecti terminatiui; quia illa verè terminat viſionem ſui. Ergo illi concedenda eſt vnio formæ intelligibilis. 23. 6. argum.

Septimò arguit Pezantius, & Cabrera cum nonnullis alijs; quia concurſus ſpeciei pertinet ad genus cauſæ efficientis: determinat enim, & vnit potentiam cum obiecto, vt poſsit in actionem. Deus autem poteſt ſupplere cauſam efficientem. 24. 7. argum.

Octauò Capreol. ita arguit: quandocumque aliqua duo ſunt in vno tertio, quorum vnũ eſt perfectius altero, quod perfectius eſt, ſemper eſt forma imperfectioris. Sed diuina eſſentia, & intellectus ſunt in anima beata; & eſſentia diuina eſt perfectior intellectu. Ergo illius eſt forma. Minor patet, maiorem declarat ſenſibili exemplo: quia videmus, quòd quãdo color, & lux ſunt in diaphano, lux eſt forma coloris, ideo, quia eſt eo perfectior. Ita Capreol. *in 3. diſt. 5. q. 2. art. 1. in fine, & fuit D. Thomæ in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 1. & de Veritate, q. 8. artic. 1.* 25. 8. argum. Capreol.

Poſtremò ita arguit Capreol. *in 4. diſt. 49 q. 5. art. 1. in fine,* ad intelligendũ aliquod obiectum requiritur, & ſufficit forma illud perfectè repræſentans. Sed diuina eſſentia ſola ſufficit repræſentare ſe ipsã in viſione intellectuali. Ergo illa ſola ſufficit, vt videatur. 26. Vlt. argum.

§. 5.

Pars negatiua pluribus probatur.

SEntentia, quæ negat poſſe diuinam eſſentiam vicem ſpeciei ſubire, pluribus probatur. Expreſsè eam probat Argentina Noſter. *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. §. Sed iſtud non videtur benè dictum,* dum negat diuinam eſſentiam vniri intellectui, vt formam elicitiuã viſionis; iam verò nõ aliter poteſt vicem ſpeciei ſubire. Clariùs hanc ſententiã probauit Bellomontan. *1. p. diſpu. 43. cap. 6. in principio.* 27. Authores qui fuerũt ſententiæ negatiuæ. *Argentin. Bellomon.*

vbi concludit, eam ſententiam ſibi maximè probari, quæ aſſerit diuinam eſſentiã non coniungi intellectui loco ſpeciei, ſed ſolùm concurrere ad viſionem, vt obiectum terminatiuum illiùs: non eſſe hanc ſententiam omninò reijciedam ſatis colliges ex Molina 1.*p.q.*12.*art.*2.*diſp.*2. *ad finem.* In eadem fuiſſe plures Theologos refert Henricus *in ſumma art.*33. *q.*2. *ad* 3. *litera D. fol.*207. *pag.* 1. *& quodlib.*3.*q.*1. *litera V. fol.*47. *pag.*1. *& quodlib.*4.*q.*7. *litera A. fol.*94. *pag.* 2. & hanc fuiſſe illorum Theolog. mentem patet ex 3. arg. poſito in dicto art. 33. vt probarent Deũ videri per ſpeciem creatam: hoc enim ex eo deducebant, quia eſſentia diuina nulli poterat eſſe forma: ſi autem vicem ſpeciei ſubiret, eſſet forma intellectus.

28. *Scotus. Lychetus. Richardus eſt dubius.* Hanc partẽ, vt probabiliorem probaſſe Scotum oſtendimus §.3. vbi diximus Lychetum eam ſimpliciter vt veram approbaſſe. An Richardus eam probauerit? res eſt mihi dubia: puto tamen eum vtramq; partem dixiſſe probabilem; inclinaſſe tamen magis in negantem *in* 3.*diſt.*14. *art.* 1.*q.*3. *& in* 4. *diſt.*49.*art.*3.*q.*1. Et quidẽ, quod illi pars affirmans ſit probabilis, ex eo patet, quod in 3. citato loco diſſoluit argumenta ſecundæ ſententiæ; vnde non ſolùm admittit diuinam eſſentiam influere in viſionem, tanquam obiectũ, vt patet ex ſolutione primi argumenti, ſed etiam influere, tanquam rationem vidẽdi, vt patet ad 2. & 3. In ſolutione etiam quinti admittit, verbum per ſe ipſum ſe ſe intellectui exprimere: hæc autem duo ſunt munera ſpeciei. Quòd tamen non poſsit ſubire ſpeciei vicem, ex eo primò ſuadetur, quòd in 3. loco citato admittit, vt probabile dari in beatis ſpeciem creatam. Secundò; quia in quarto, vbi ſuprà, dum ſecundã opinionem defendit, aſſerit lumen gloriæ habere locum ſpeciei. Tertiò; quia in dicta diſt. 14. ideo impugnat ſecundam opinionẽ, quatenùs docet verbum cum ſpecie creata ſimul concurrere, vt rationem vidẽdi, quia non poteſt ita concurrere, niſi inhærendo: quaſi ſentiat non ſatis eſſe concurſum formæ aſsiſtentis, vt intellectui ſit ratio videndi.

§. 6.

Pars negans eligitur, & ponitur verum fundamentum eius.

EGo puto negantẽ ſententiam eſſe probabiliorem, vt etiam diximus in 3. art. vbi probationem illius in hunc locum reiecimus. Priùs expendemus fundamentum Bellomontani; & reiecto illo, tanquam minùs efficaci, verũ fundamentum iaciemus. 29. *Negatiua pars eſt probabilior.*

30. Bellomont. 1.*p.diſp.*43. *à cap.* 3. *vſque ad* 7. & fusè, & confusè nititur hanc opinionem facere euidentem: Primum teſtimonijs Richardi, Scoti, & D. Thomæ, quæ adducit cap. 6. Deinde rationibus in cap. 2. 4. & 5. ſed adeo diffusè, vt confuſionem potiùs pariat, quàm explicationẽ. Expenſis tamen omnibus ex eo hoc vnicum argumentum deducimus. Quoniam vel diuina eſſentia influit in viſionem, vt proprium & proximum illius principiũ; vel non influit. Si non influit; nullo modo poteſt ſubire vicem ſpeciei: ſi verò influit, & vicem ſpeciei ſubit; ſuperuacaneus eſt habitus luminis gloriæ; quod eſt omninò abſurdum. In hoc poſita eſt tota efficacia eorum, quę adducit in dicto cap. 3. 4. & 5. Sed probationes breuiter referamus. *Fundamentũ Bellom.*

31. Quod diuina eſſentia non poſsit ſubire vicem ſpeciei, ſi in viſionem non influit, vt particulare illius principium, oſtendit in dicto cap. 3. vis probationum in hoc eſt poſita: quoniam ſi ſpecies actiuè non influit in intellectionem, ſe habet ad eam, vel vt receptio eius ſit formalis intellectio, vt nonnulli putant; vel vt cõditio determinans intellectum ad videndum. Neutro autem modo diuina eſſentia poteſt vicem ſpeciei ſubire: nam cum non inhęreat, ſed ſolùm aſsiſtat, tanquam obiectum cognitum, nec poteſt recipi in intellectu, vt ſit formalis viſio; nec poteſt eum determinare, vt conditio. Neutro igitur modo poteſt habere locũ ſpeciei; quia neutro modo exercere poteſt id, quod exerceret ſpecies, ſi daretur. Quòd nõ poſsit vicem habere ſpeciei in primo munere explicato, inde patet; quia cum non poſsit recipi in intellectu, non poteſt eſſe formalis viſio. Quòd verò nec poſsit ſubire ſpeciei vicem in ſecũdo munere, ex eo patet; quia determinatio intellectus ad modum conditionis non poteſt fieri ſine inhærentia: & inde eſt, vt ſpecies intelligibilis ideo poſsit, vt conditio determinare intellectum ad videndum

dum, quia poteſt in eo inhærere: quare cum diuina eſſentia in intellectu beati in hærere non poſsit, ſed ſolùm aſsiſtere; nõ poterit eum, vt conditio determinare, vt videat Deum. Hæc eſt tota vis argumenti, quo Bellomontanus in dicto cap. 3. n. 7. & 8. nititur probare diuinam eſſentiã, ſi in viſionem non influit, vt proprium illius principium, non poſſe ſubire vicem ſpeciei.

22. Quod verò nec illius vicẽ ſubire poſſit, ſi in viſionem influat, vt principium proximum illius, ex eo probat *in toto cap. 4. & 5.* quia ſuppoſita hac influentia non poteſt ſubire vicem ſpeciei, quin habitus luminis gloriæ in beatis ſit ſuperuacaneus: nullum enim poſſet habere effectum ſibi proprium, quia omnem præſtaret diuina eſſentia influens ad inſtar ſpeciei. Et hoc in duobus illis capitibus non minùs fusè, quàm cõfusè nititur explicare. Verum, quia huius rei explicatio fieri non poteſt, niſi percurrendo ſingulos luminis effectus, ſingulaque illius munera, quod ad hunc locum non pertinet, ideo horum explicationem relinquimus ad diſputationẽ, quã de lumine gloriæ inſtituemus. lib. 9. ¶ Hoc fundamento concludit Bellomont. *vbi ſuprà cap. 6. in principio*, maximè ſibi placere hanc noſtram ſententiam: diuinamque eſſentiam non cõiungi intellectui loco ſpeciei: ſed cõcurrere ad viſionem, ſicut primum mouens, & ſolùm eſſe obiectum illius.

23. Bellom. doctrina non ſibi cõſtat. Hoc tamen Bellomont. fundamentũ, nec conuenit cum doctrina, quam ſcribit in dicta *diſput. 43. cap. 7.* nec in ſe eſt ſatis efficax. Primum patet; quia in dicto *cap. 7. num. 34.* affirmat ſuppoſita huius ſpeciei poſsibilitate potiùs dicendum eſſe eã de facto communicari intellectui, quàm diuinam eſſentiam eſſe loco ſpeciei. Et numero 37. concludit, nihil abſurdi eſſe Deum de facto videri per ſpeciem creatam: agit autem de ſpecie impreſſa diſtincta à lumine gloriæ: nam in hoc ſenſu dubitatur, tùm de poſsibilitate illius; tùm de actuali eius communicatione. Igitur doctrina Bellomont. in hoc ſenſu explicata, ſatis oſtendit argumentum ab eo adductum, non eſſe ſatis efficax ad probandum, diuinam eſſentiam ſubire non poſſe vicem ſpeciei: nam ſi argumentum ſatis eſt, vt lumen gloriæ fruſtrà detur, ſi diuina eſſentia influens in viſionem ſubeat vicem ſpeciei; ſatis etiam erit, vt idẽ lumẽ ſit fruſtrà, ſi in beatis datur ſpecies impreſſa: Nam ſicut diuina eſſentia loco ſpeciei præſtaret omnes effectus, qui lumini gloriæ tribuuntur; ita etiam ſpecies impreſſa eoſdem præſtaret, vt dicemus in q. de lumine gloriæ lib. 9. quare, ſi ideo eſt abſurdum, diuinam eſſentiam habere vicem ſpeciei, quia fruſtra daretur lumen gloriæ; cum idem abſurdũ ſequatur ex ſpecie impreſſa, vtique abſurdũ etiam erit, eam de facto admittere: cõtra id, quod Bellom. docuit.

Quod verò fundamentum illud in ſe minùs ſit efficax, patebit ex quæſt. de lumine gloræ: in ea enim oſtendemus, dari plures effectus lumini proprios, quos diuina eſſentia concurrens ad inſtar ſpeciei præſtare non poteſt. Sicut etiam eos non præſtabit ſpecies impreſſa, quam admittimus: vnde in præcitato loco oſtẽdemus ſpeciem illam eſſe realiter diſtinctam à lumine gloriæ. His etiam accedit, quoniam plures admittunt, diuinam eſſentiã abſq; actiua influentia ſubire vicem ſpeciei, vt patebit ex ijs, quæ inferiùs dicemus. 24. Bellom. fundamẽtũ nõ eſt efficax.

Nos omiſſo fundamento Bellomont. hoc vnicum ſtatuimus: quoniam, vel ſimpliciter eſt impoſsibile, effectus ſpeciei per aliquam formam intelligibilem intellectui præſtari abſque ipſius informatione; vel ſi abſque illa poſſunt præſtari; nunquam connaturaliter præſtari poterunt, niſi per formam inhærentem. Prior huius fundamenti pars probat ſimpliciter eſſe impoſsibile diuinam eſſentiam vicẽ ſpeciei ſubire: poſterior verò ſolùm conuincit diuinam eſſentiam de facto non ſubire ſpeciei vicẽ. Quòd attinet ad poſteriorem partem, de illa ex profeſſo agemus in nono art. huius queſtionis. Quòd verò attinet ad priorem partem, impoſsibilitas ex duplici capite eſt deducenda. Ex primo quidem; quia ſimplicirer eſt impoſsibile intellectum beati fieri Deũ, niſi per formam inhærentem. Ex ſecundo autem; quia ſimiliter eſt impoſsibile intellectum conſtitui in actu primo ad videndum Deum, niſi per formam, qua intrinſecẽ informetur. Huic fundamento, ſi addamus diuinam eſſentiam non poſſe informare intellectum; neceſſariò infertur, eam non 25. Verum fundamentum.

poſſe

poſſe ſubire hæc duo munera, ſcilicet facere, vt intellectus ſit Deus, & illum cõſtituere in actu primo videndi. Cum verò cætera omnia ſpeciei munera nequeãt exerceri ſine his duobus, vt diximus 1. p. lib. 8. & de ſingulis inferiùs oſtendemus: bene infertur diuinam eſſentiã nulla ſpeciei munera obire poſſe.

37. Status igitur præſentis quæſtionis per ſe pendet ex duplici illo capite: vtrumq; demonſtrabimus in 2. & 3. art. ne articulus præſens ſua longitudine, aut confuſionem pariat, aut tædium. Priùs tamen diſſoluemus argumenta in oppoſitum adducta.

§. 6.

Soluntur argumenta poſita §. 4.

38. Ad 1. arg. ARgumenta partis affirmantis poſita §. 4. facilè ſoluuntur. Et primũ vim non habet apud eos, qui ſpeciẽ impreſſam diuinæ eſſentiæ, vt poſsibilẽ admittunt, quorum ſententiam, vt veriſsimam confirmauimus ſuprà quæſtio. 2. Argumentum igitur continet minorẽ falſam.

39. Ad 2. arg. Secundum argumentum eſt totũ fundamentum quorũdam recentiorum; ſed debilius eſt, quàm poſsit firmitatem præſtare: etenim neganda eſt maior, ſi intelligatur de præſentia reali, ac veluti ſituali fundata in reali indiſtantia: nec enim talis præſentia ſatis eſt, vt obiectũ intelligatur, quantumcũque ſit actu intelligibile, niſi per aliquam formam intelligibilem fiat præſens intellectui præſentia obiectiua, vt oſtendimus *libro 7. q. 2. art. 1. §. 4. ad primum, & lib. 8. 1. p. q. 1. art. 3. §. 4. ad 2.* vbi citauimus D. Thomam, Ægidium, Scotum, & plures alios; etenim diuina eſſentia, quantumcũque ſit actu intelligibilis, & intellectui viatoris ſit realiter præſens, ideo non intelligitur ab eo, quia non eſt illi obiectiuè præſens, ſed abſens, vt expreſsè ait D. Thomas *de Verit. quæſt. 11. art. 11.* Nec intelligitur, niſi per aliquam intelligibilem formam fiat illi obiectiuè præſens. Per quam autem formã iſto modo fiat præſens? eſt controuerſia: Vtrùm ne per ipſam eſſentiã loco ſpeciei; an per ſpeciem? Certum tamen eſt ſolam realem præſentiam indiſtãtiæ, ſatis non eſſe. Et in hoc ſenſu negatur maior. In quo etiam ſenſu nullã vim

D. Thom.

habet illius probatio: negamus enim ſpeciem eſſe neceſſariam propter realem abſentiam obiecti: nec enim ſpecies facit hanc obiecti præſentiam: Solùm igitur eſt neceſſaria propter præſentiam obiectiuam; hanc enim nullum obiectũ, quantũcunque ſit actu intelligibile, habere poteſt ſine ſpecie, ſi ſermo ſit in ordine ad intellectum alienum. Quod dicimus vt occurramus confirmationi ſumptæ ex Angeli ſubſtantia: hæc enim non ideo ſubire poteſt munus ſpeciei ex eo, quia eſt ſibi realiter præſens, ſed ex eo potiùs; quia realiter eſt vnum cum Angelo intelligente, ratione cuius vnitatis per ſe ipsã ſemper eſt obiectiuè præſens ſuo intellectui: ad præſentiam enim obiectiuam neceſſarium eſt, vt intelligens, & res intellecta ſit vnum, ita vt intellectus ſit ipſa res; ſiue id fiat per realem vnitatem intelligẽtis, & rei intellectæ, vt cernitur in ſubſtantia Angeli ſe intelligentis; vel per ſpeciẽ ſuperadditam. Et hoc eſt fundamentum eorum, qui volunt ſubſtantiam Angeli fungi vice ſpeciei reſpectu intellectionis ſui ipſius: nam ſi ſpecies ſuperaddita, ideo quia intellectui dat eſſe ipſius obiecti, & facit, vt intellectus ſit ipſum, efficit in ſuo obiecto præſentiam obiectiuam, vt valeat intelligi: à fortiori ſubſtantia Angeli, ideo, quia realiter habet eſſe Angeli, & realiter eſt ipſe Angelus poterit efficere ſe ipſam obiectiuè præſentem. Sed de hoc in materia de Angelis latiùs diximus. Hæc ratio non reperitur in obiectis intelligibilibus reſpectu intellectus alieni: nam cum realiter non ſit ipſum intelligẽs, oportet, vt per aliquam intelligibilem formam fiat ipſum, vt obiectiuè fiat illi præſens. Per quam autem intelligibilem formã debeat fieri ipſum intelligẽs? verſatur in controuerſia. Nos dicimus fieri non poſſe, niſi per ſpeciem impreſſam; nec ad hoc ſatis eſſe præſentiam realem obiecti, quod ideo dicitur intelligibile actu, quia caret materia: oppoſitum autem ſumere ſine probatione, eſt petere principium. Quare maior, vel principiũ petit, ſi intelligatur de præſentia obiectiua; vel eſt falſa; ſi intelligatur de præſentia reali.

Et vt euidentiùs appareat ineſſicacia argumenti, aduertimus maiorem in terminis propoſitis negandam eſſe à Diuo Thoma, 40.

Thoma, ſi vniuerſaliter intelligatur: etenim apud D. Thomam non quodcũque obiectum actu intelligibile realiter præſens, ſatis eſt, vt ſubeat vicẽ ſpeciei, ſed illud ſolũ, quod eſt prima veritas, vt expreſsè docet 3. contra gent.cap. 51. Cuius doctrinam probant Thomiſtæ, ſi intelligatur de præſentia obiecti in ordine ad intellectũ alienum, vt docet Ferrariẽſ. ibidem ad finem capitis in reſponſione ad ſecundum dubium. Vnde quodcunq; aliud obiectum etiam actu intelligibile indiget ſpecie, qua fiat obiectiuè præſens. Porrò, ſi maior intelligatur in hoc ſenſu, iam ſumit id, de quo eſt controuerſia.

41. Quin potiùs argumentum non habet efficaciam apud eos, qui putant in caſu poſito in maiori, dari viſionem, non ſolũ abſque ſpecie, ſed abſque vllo obiecto vicem ſpeciei ſubeunte: nec enim ad omnẽ intellectionem vnum, vel alterum requiritur. Quæ opinio ſatis eſt de mente Argentinæ, Marſilij, Maironis, & Molinæ, vt oſtendimus *ſupràquæſt.1.art.1.§.1*, Hi igitur Authores negabunt maiorẽ, quia in illis terminis daretur viſio ſine ſpecie, & ſine obiecto locum illius gerente. Quare argumentũ ex multiplici cap. redditur inefficax, vt probet diuinam eſſentiam poſſe ſubire vicem ſpeciei.

42. Ad 3. argum. Ad tertium argumentum (quod eſt cõmune aduerſariorum fundamentum) cõceſſo antecedente, neganda eſt conſequẽtia. Ad probationem admittimus primã veritatẽ eſſe primã formã actu intelligibilem, & primã intelligibilitatem obiectiuam: negamus tamen inde inferri eã poſſe ſe ipſa formaliter ſupplere ſpeciem intelligibilem, & concurrere ad viſionẽ ad inſtar illius. Diximus *formaliter ſupplere*; quia facilè fatebimur primam veritatem, ideo, quia eminenter continet omnem ſpeciem intelligibilem, poſſe efficienter ſupplere efficientiam ſpeciei in viſionem; quia poteſt non ſolùm ſine ſpecie, ſed etiam ſine intellectu efficere viſionem cuiuſcumque obiecti, etiam ſui ipſius, & eam intellectui infundere: negamus tamen poſſe ſe ipſa ſupplere ſpeciẽ, ſi intellectus debet effectiuè concurrere ad viſionem: nam cum intellectus non poſsit in viſionẽ influere, niſi fiat Deus, vt ſuprà diximus, & fatetur D. Thomas cum ſuis; ſi prima veritas non poteſt ſe ipſa facere intellectum intelligibiliter eſſe Deum, quia talem effectum ſine informatione dare non poteſt, vt oſtendemus in 2. art. profectò non poterit formaliter ſupplere ſpeciem intelligibilem. Quare primam veritatem, primãque formam intelligibilem continere eminenter omnẽ intelligibilẽ formam creatam, ſatis quidẽ eſt, vt ſine ſpecie efficienter faciat viſionem: non tamen, vt formaliter faciat intellectum eſſe Deum. Ad primam probationem conſequentię negandum eſt formã intelligibilem creatam ideò poſſe actuare intellectum, quia eſt forma intelligibilis; ſed ideo, quia eſt creata. Ad ſecũdam probationem negamus, ſubire vicẽ ſpeciei reſpectu intellectus creati nullam denotare imperfectionem: denotat enim informationẽ intellectus, & inhærentiã, vt ſequenti art. probabimus. Subſtantia autem Angeli non ideo ſubire poteſt vicem ſpeciei, quia eſt forma perfecta, ſed quia ex ſe eſt vnum cũ Angelo intelligẽte, vt ſuprà diximus ad 2. prima autem veritas, cum realiter non ſit vnum cum intellectu beati, non poteſt ſubire rationem ſpeciei, niſi cum eodem fiat vnũ per informationem, vt dicemus in 2. art. Tertia etiam probatio parum vrget propter diſparem rationẽ, quę reperitur in prima perſonalitate ad perſonandũ, & in prima veritate ad perficiendũ intellectũ: etenim perſonalitas diuina cõmunicari poteſt naturæ ſubſtantiali, & fieri vnum perſonaliter cum illa abſque vlla informatione, vt diximus in materia de Incarnatione: prima autem veritas, primaque forma intelligibilis, non poteſt cõmunicari intellectui, aut fieri vnũ cum illo, niſi eũ informet, quod eſt noſtræ opinionis vnicum fundamentum in ſequenti art. latiùs explicandum.

Ad quartum argumentũ negandum eſt nullam dari repugnantiã. Cum verò 43. Ad 4. argu. inquirit Suarius, vnde nam illa oriatur? ex dictis patet reſponſio: quia oritur ex cauſalitate formali, ſine qua intellectus nec poteſt fieri res intellecta; nec conſtitui in actu primo intelligẽdi illam, vt oſtendemus in 2. & 3. art. Et cum hoc ſit vnicum huius opinionis fundamentum, à Patronis illius ſæpius repetitum, debuerat Suarius non ſine probatione ſumere, quod non poteſt non negari, & argu-

argumentis oſtendere talem actuationẽ minimè eſſe neceſſariam.

44. Quæ à Cabrera adducuntur indigna ſunt ſolutione: dicimus tamen repugnantiam illam oriri, & ex parte Dei, & ex parte intellectus: ex parte quidem Dei; quia nõ poteſt intellectum actuare inhærendo, ſine qua inhærentia non poteſt agere vicem ſpeciei, vt noſtra habet opinio. Ex parte verò intellectus; quia cum ex ſe ſit pura potentia in genere intelligibilium, non poteſt fieri intelligibiliter Deus ſine paſsione, & alteratione, vt ſæ-
Ariſtot. pè diximus ex Ariſtotele 3. *de Anima c. 4. text. 2. 12. & 14. & cap. 5. text. 19.* iunctis, quæ clarius ſcribit lib. 2. cap. 5. text. 54. & 57. Iam verò repugnat potentiam creatam ab actu increato paſsiuè alterari, non ſolùm corruptiuè, ſed etiam perfectiuè.

45. Diſcurſus Moderni illius Theologi longus eſt, & plura continens mẽbra à materia longè aliena: Vltimum membrum ad rem facit: nos dicimus, repugnantiã illam oriri ex cauſalitate formali, quam diuina eſſentia neceſſariò debet exercere in intellectum beati, ſi rationem ſpeciei ſubire debet: nec enim ſatis eſt cauſalitas, aut cauſæ efficientts, aut formalis extrinſecæ, vt in ſequenti art. latè dicemus.

46. Ad 5. argu. Quintum argumentum ſumit antecedens falſum, vt patebit ex vltimo art. huius quæſtionis, vbi oſtedemus concurſum diuinę eſſentæ ad inſtar ſpeciei, ſi vt poſsibilis admittatur, non poſſe non eſſe ſupernaturalem ſtatui beatifico.

47. Ad 6. argu. Sextum argumentum inutilem habet conſequentiam: qnoniam nec vnio conſeruatiua intellectus, & luminis, nec terminatiua viſionis vllam inuoluit imperfectionem, ſed perfectionẽ potiùs; Cum tamen vnio formalis ratione formæ intelligibilis ſecum inuoluat inhærentiam, repugnantem diuinæ eſſentiæ.

48. Ad 7. argu. Septimum argumentũ non benè philoſophatur de vnione ſpeciei cum intellectu; nec enim ita philoſophandum eſt, vt ſpecies vniatur intellectui, tanquam concauſa partialis concurrens ad intellectionẽ: ſed ita potiùs, vt illi vniatur, vt cauſa formalis, dans ei eſſe rei intellectæ: ad quod eſſe ſequitur poſſe in intellectionẽ influere. Quare allucinantur, qui putãt ſpeciem, dum facit intellectum eſſe rem intelligendam, efficienter vniri; cum nõ vniatur, niſi formaliter, tanquam principium formale, quo intellectus conſtituitur in eſſe ipſius rei: & quia ad eſſe ſequitur poſſe, inde eſt, vt ſicut ſpecies eſt intellectui formale principium eſſendi rem intellectam, ita illi eſt principiũ formale, quo intellectus rem ipſam intelligit. Itaque in ſpecie duplicem concurſũ philoſophamur: vnum formalẽ, quo dat eſſe intellectui; alterum effectiuum, quo concurrit ad intellectionem. Hunc poſteriorem poteſt Deus ſupplere; quia poteſt ſine intellectu & ſpecie, & facere viſionem, & illam infundere. Priorem autem ſupplere non poteſt: quia ſe ipſo nõ poteſt formaliter facere, vt intellectus ſit res intellecta. Quare philoſophamur de ſpecie reſpectu intellectus, & intellectionis, ſicut philoſophamur de calore reſpectu ignis, & calefactionis: Calor enim, & facit ignem calidum, & cum illo influit in calefactionem, vt principium *quo* calefaciendi: Deus ſe ipſo poteſt ſupplere influxum in calefactionem; quia poteſt eã producere ſine igne, & calore: non tamen ſe ipſo poteſt facere ignem eſſe calidum ſine calore, de quo in ſequenti artic. Et non diſtinguere inter hos concurſus, eſt occaſio errandi.

Ad octauũ reſpondet noſter Argentina negando maiorem propter inſtantias 49. Ad 8. argu.
ſequentes: etenim in eodem lactè eſt albedo, & dulcedo, in quo albedo eſt perfectior, quam dulcedo, vt patet; & tamen albedo non eſt forma dulcedinis: et ſi in vno homine ſimul eſſent anima, & Angelus; angelus non eſſet forma animæ: ſimili modo, ſi in homine eſſent tres animæ realiter diſtinctæ .ſ. vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, quæ fuit plurimorum ſententia; anima intellectiua (quæ cæteris ſimplicior eſt, & perfectior) non eſſet cæterarum forma: quia cæteris non eſſet ratio formalis, aut informandi corpus, aut operandi operationes ſibi proprias. Quare maior illa vniuerſaliter ſumpta nõ eſt vera. Nec conuincitur exemplo lucis & caloris: quia duo iſta non concurrunt in eodem ſubiecto, ſi lumen non ſe tenet ex parte coloris, ſed in ſolo medio, quod eſt perſpicuum interminatũ, quod plures docent. Si vero magis placet lumen requiri, & ex parte medij, & ex parte caloris

caloris

coloris; & ſubinde ſimul eſſe cum colore in eodem perſpicuo terminato, & eſſe illius formam, aut veram, vt cum Auicena vult Caietanus; aut aliquo modo, quatenùs facit, vt color actu immutet diaphanum, vt alij malunt; non proinde inferas maiorem illam eſſe vniuerſaliter veram: quoniam ſolùm erit vera, quando duæ illæ formæ ſunt in vno tertio eiuſdem ordinis; ita vt in eodem ſubiecto ad aliquem, effectum veluti ſubordinentur, vt ſe res habet in luce, & colore, quæ eſt ſententia Argentinæ. Et tūc ex hac maiore non benè infertur diuinam eſſentiam eſſe poſſe formam intellectus: quia nec eſt eiuſdem ordinis, & ſub alternationis cū intellectu; nec ſimul cū eo inhæret in eadem anima.

50. Ad vlt. arg. Ad vltimum negamus, vt obiectum aliquod cognoſcatur, ſatis eſſe, quòd forma ſit illius repræſentatiua; ſed adhuc neceſſarium eſt, vt ita ſit repræſentatiua illius, vt poſſit intellectum illi aſſimilare, quod non conuenit diuinæ eſſentiæ; vt ſæpe diximus, & magis patebit ex ſequenti art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei poſſit aſſimilare ſibi intellectum beati, & facere, vt ille ſit Deus?

§. I.

Præmittuntur nonnulla.

1. VT quæ in præcedente art. generaliter diximus pro negāte ſentētia, fiant euidentiora; operæpretium erit enumeratis ſingulis ſpeciei muneribus oſtendere diuinam eſſentiam nullum eorum exercere poſſe.

Primū munus ſpeciei eſt facere intellectū rē intellectam. Pro maiore explicatione ſupponimus primum ſpeciei munus eſſe facere intellectum eſſe rem ipſam, quæ debet intelligi, vt ex Ariſtote. euidenter oſtendimus ſuprà 1. parte q. 4. art. 1. Hunc autem effectum tribuit intellectui, cum illi communicat eſſe eiuſdem rei, non reale, ſed intelligibile, cuius cōmunicatione intellectum ita aſſimilat eidem rei, vt faciat eū eſſe ipſam. Et quamuis pauci de hoc munere ſcribant; non poteſt tamen non cōcedi apud Ariſtotelem: in quo nobiſcum conuenit Diuus Thomas, & cum eo omnes Thomiſtæ, vt loco citato diximus. Inquirimus igitur, vtrùm diuina eſſentia poſſit in intellectu beati hoc munus exercere aſſimilando eum ſibi, & faciendo, vt ille ſit Deus in eſſe intelligibili?

Sed vt clariùs hoc explicetur, & vt à modo loquendi inuidia tollatur, ſupponimus id, quod ſæpe ſupponimus, ſcilicet, duplex genus formarum diſtinguendum eſſe, & ſimiliter duplex eſſendi genus: vnum formarum realium, vt reale diſtinguitur ab intentionali, & repræſentatiuo alteriùs: Alterum formarum intelligibilium, vt intelligibile idem eſt, quod intentionale, & repræſentatiuū. Primū dicitur genus in genere rei, quia ſcilic. in eo ponuntur res, vt ſunt à parte rei abſque vllo ordine ad intellectum. Secundùm verò dicitur genus intelligibile; quia ad illud ſpectant res, quatenùs per ſuas formas intentionales, & intelligibiles aptæ ſunt intelligi. Formæ prioris generis reſpiciunt potentiam, tàm actiuam, quàm paſſiuam in ordine ad eſſe, quod à parte rei poſſūt habere; qualis eſt potentia realis agentis, & potentia materiæ primæ ad formas ſubſtantiales, & accidentales. Formæ autem poſterioris generis reſpiciunt intellectum, tùm; prout in genere intelligibili poteſt intelligere res per formas intelligibiles earū; tùm etiam; prout in eodem genere eſt potentia paſſiua ad recipiendas omnium rerum intelligibiles formas, vt factus omnes res poſſit omnes intelligere. 2. Formæ aliæ ſunt reales, aliæ intelligibiles.

3. Hoc duplex eſſendi genus quidam putant eſſe fictitium; quia verum diſtinctionis ſenſum non percipiunt: nec enim fictitium dici poteſt, quod placuit Ariſtoteli, Diuo Thomæ, & vniuerſis Philoſophis, vt latè oſtendimus ſuprà prima parte huius libri quæſtione prima articulo primo, §. ſexto, & antea iam aduertimus ſuprà libro 4. quæſtio. prima, articulo ſecundo, num. 20. etenim in hac diſtinctione eſſe reale non ſumitur, vt diſtinguitur ab eſſe rationis, quaſi eſſe intelligibile ſit eſſe dependens ab intellectu; ſed ſumitur, prout eſſe reale diſtinguitur ab eſſe, quod à natura inſtitutū eſt, vt ſit alterius repreſentatiuū potentiæ cognoſcenti, in quo ſenſu apud nonnullos lumen in medio non habet eſſe reale, ſed intentionale; quia ex ſua natu-

natura inſtitutum eſt, vt viſus per illud tendat in obiectum, & obiectum tendat in viſum. Nec eſt fictitia neceſsitas horum entium: nam cum cognitio dari nequeat, niſi inter ſimilia iuxta Peripateticam Philoſophiam Ariſtotelis, neceſſe fuit inſtitui entia, quæ ex ſua natura eſſent rerum intelligibilium repræſentationes formales, vt intellectus per eas factus ipſæ res, non realiter, ſed intentionaliter poſſet eas intelligere. Quare vera Philoſophia ſuadet dari genus entium intelligibilium, vt intelligibilia ſunt. Ad hoc igitur genus pertinet eſſe lapidis, quod intellectus conſequitur ex ſpecie lapidis, per quam notionaliter fit lapis. Vnde eſſe lapidem in genere intelligibili, nihil aliud eſt, quàm eſſe lapidem repræſentatiuè.

4. Admittendum eſt igitur duplex genus formarum: vnum realium, vt reale diſtinguitur ab ente rationis. Alterum intelligibilium, vt intelligibile idem eſt, quod intentionale: quam diſtinctionem communiter admittunt Thomiſtæ, & expreſsè Caietanus, 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 2. §. *In reſponſione ad* 3. *vſque in finem.* *Ferrarienſ.* 3. *contra gentes cap.* 51. §. *Circa hanc declarationem*, & ſatis Diuus Thomas ibidem: ſicut enim ibi diſtinguit duplex genus rei; vnū reale, & in eſſendo; alterum intelligibile pertinens ad intelligendum; ita diſtinguit duplex genus formarum: vnum; quod eſt formarum naturalium; alterum, quod eſt intelligibilium.

Caietan. *Ferrar.*

5. Quare, ſi admittendum eſt, diuinam eſſentiam eſſe formam intellectus repræſentatiuam ſui ad inſtar ſpeciei ad hoc genus ſpectabit: notiſsimum eſt enim eam eſſe non poſſe formam intellectus in eſſendo, quaſi poſsit facere intellectum eſſe realiter Deum. Vtrùm verò poſsit eſſe forma intellectus in genere intelligibili, ita, vt vnita intellectui formaliter tribuat illi eſſe Deū? (quod nihil eſt aliud, quam eſſe Deum repræſentatiuè) controuerſia eſt: Aduerſarij affirmant; nos autem negamus.

6. Intellectus ad intelligēdū debet fieri res intellecta in eſſe intelligibili per aſsimilationem

Præmittendum eſt tertiò, In hac quæſtione ſupponi ad intelligendum ſiue in via, ſiue in patria ſimpliciter eſſe neceſſarium, vt intellectus per aliquam formam intelligibilem aſsimiletur rei intelligendæ, ita vt intelligibiliter fiat ipſa, vt contra nonnullos oſtendimus, ſuprà art. vnico, & q. 3. artic. 4. §. 1. Hoc ſuppoſito iam datur locus quæſtioni, vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei poſsit aſſimilare ſibi intellectum beati, & facere, vt intelligibiliter ſit Deus?

§. 2.

Refertur opinio affirmans.

Qvanuis pauci huius quæſtionis mentionem faciant; tamen, qui hoc officium in ſpecie intelligibili agnouerunt, ſententiam affirmantem probant. In terminis eam probat Caietanus 1. *parte quæſt.* 12. *art.* 2. *in reſponſione ad tertium Diui Thomæ* §. *Dicendum eſt ergo*: vbi poſtquam meminit huius muneris, & illud authoritate Auerrois confirmauit, ita ſcribit: *Oportet igitur ſaluare, quod intellectus videns Deum prius natura ſit Deus, & tamen nulla intentio intellecta ſit in eo, & poſt videat Deum*; & immediatè oſtendit, intellectum fieri Deum per ipſam diuinam eſſentiam. Ad finem etiam commenti concludit; *diuinam eſſentiam per ſe ipſam formaliter facere intellectū in actu vltimo eſſe Deum intelligibiliter.* Quare non eſt dubitandum, Caietanum ſenſiſſe, diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei ſubire hoc munus. Idem docet Raphael de Ripa *in dicta quæſtione* 12. *artic. ſecundo, capite ſecundo*; *conſentit Cumelius ibidem quæſtione* 3. *notab.* 3. *in fine, & concluſione quinta ad medium pagina* 236. *col. prima, poſt principium*: id in omni ſententia eſſe veriſsimum affirmat Cabrera 3. *parte quæſtione ſecunda, articulo primo. diſputatione ſecunda.* §. *ſeptimo, n.* 76. *&* §. 6, *num* 41.

7. Authores qui affirm.

Caietan.

Ripa. *Cumel.*

Cabrera.

Hanc ſententiam probaſſe Diuū Thomam euidenter intelliget, qui conſideratius expenderit, eum *in quarto diſtinctione* 49. *quæſtione ſecunda. articulo primo, ad* 10. *& de Veritate, quæſtione octaua, articulo primo, ad quintum, & ſeptimum*, Si in vtroque loco ſolutio conferatur cum difficultate argumenti. Nam in quarto, poſtquam poſuit primam opinionem aſſerit fuiſſe nonnullos, qui dixerunt intellectum humanum non poſſe peruenire ad videndum Deum per eſſentiam: quia vt ait, difficile erat, quod intellectus crea-

8. *D. Thom.*

creatus fieret eſſentia increata, quaſi ſentirent, non aliter cum poſſe diuinam eſſentiam intelligere. Vnde in decimo argumento eandem difficultatem tangens probat intellectum nõ poſſe videre Deũ per eſſentiã; quia non poteſt ad hoc pertingere, vt fiat diuina eſſentia. Eadem difficultas ponitur de Veritate loco citato. Quare in præcitatis locis tota difficultas in hoc erat poſita, quòd diuina eſſẽtia apud illos Theologos non poterat per ſe ipſam ſupplere illud ſpeciei munus, vt intellectum faceret Deum; & tamen Diuus Thomas in ſolutione admittit intellectum beati poſſe fieri diuinam eſſentiam, vnumque cum illa, non in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibilis. Fatetur igitur D. Thomas, diuinam eſſentiam poſſe ſubire hoc ſpeciei munus. Quod etiam ſatis colligitur ex eodem D. Thoma, dum multis in locis docet ex intellectu, & diuina eſſentia, tanquam ex forma, fieri vnum in intelligendo, vt patet ex duobus locis citatis, & ex tertio contra gentes, cap. 51. Iam verò apud Diuum Thomam ex intellectu, & forma intelligbili fieri vnum, non eſt aliud, quàm intellectum fieri ipſum intelligibile. Non eſt igitur dubitandum Diuum Thomam, hanc affirmantem ſententiam approbaſſe.

9. *Fundamentum partis affirmantis*

Præter fundamenta generalia articulo primo adducta, quòd attinet ad hoc munus, hoc eſt vnicum: quia non repugnat, diuinam eſſentiam aſsimilare ſibi intellectum beati, & facere, vt ille ſit Deus. Hanc tamen non repugnantiam, non eodem modo omnes confirmãt.

Primus modus explicãdi hanc ſententiam.

Quidam ex eo illam probant; quia, vt diuina eſſentia poſſit facere hanc aſsimilationem, ſatis eſt, quòd ſe habeat ad intellectum per modũ formæ extrinſecæ, & aſsiſtentis intellectui: quod non repugnat diuinæ eſſentiæ. Qui in terminis ita ſcripſerit, inueni neminem: deducitur tamen iſte dicendi modus ex Cabrera: etenim conſtanter affirmat, intellectum beati per diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei vnitam fieri Deum intelligibiliter; vt patet 3. *parte quæſtione ſecunda artic.* 1. *diſput. ſecunda,* §. 7. *ad quartum, principale, num.* 53. *& diſput.* 4. *num.* 13. & tamen docet diuinã eſſentiam id præſtare per modum formæ extrinſecæ obiectiuè aſsiſtentis. Et quàm plurimi nullam aliam vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu admittunt, niſi aſsiſtentiæ obiectiuæ: Ita Suarius *libro* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 12. *numero* 22. & *ſæpe alibi.* quam ſententiam vt probabilem ſcribit *Salas prima ſecundæ, tom.* 1. *quæſtione* 3. *tractat. ſecundo. diſput.* 5. *ſectio.* 2. *ad octauam obiectionem. & inferiùs* §. *Nos tamen ſequimur*; Idem ſentit Bañes, dum ait diuinam eſſentiam ſolùm concurrere, vt formam ſubſiſtentem, quæ non poteſt non eſſe aſsiſtens, & extrinſeca. Ita *prima parte, quæſtio.* 12. *art. ſecundo, dubio.* 2. *poſt quartam concluſionem ante ſolutionem argumentorum, & quæſt.* 56, *ar.* 1. *dub.* 1. §. *Hinc ergo ad argumenta,* ſatis conſentit Pezant. 1. *p, q.* 12. *art.* 2. *diſput.* 1. *ad* 6. Nauarrete, quatenùs vnionem iſtam vbique explicat penes ſolam præſentiam diuinæ eſſentiæ in eſſe intelligibili, vt patet *Controu.* 37. *primo tom.* §. 7. *fol.* 235. *col.* 1. *A. &* 2. *tom. controu.* 13. §. 3. *fol.* 172. *col.* 2. *A.* agit autem de præſentia obiectiua, quæ eſt extrinſeca. Denique hanc opinionem non poſſunt non probare, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte obiecti, de quibus diximus prima parte huius libri q. 3. art. 1. §. 1. Quòd verò non repugnet eſſentiæ diuinæ aſsimilare ſibi intellectum, & illum facere Deum, prout illi vnitur vt forma extrinſeca obiectiuè aſsiſtens, ex eo probatur, quoniam ſpecies per ſe non eſt aſsimilatiua intellectus, quatenùs illi inhæret, ſed quatenùs obiectum ante intellectum proponit: nam ſi abſque inhærentia poſſet eſſe in intellectu per ſolam obiectiuam repræſentationem rei, ad hoc faceret, vt intellectus eſſet ipſa res. Quare, cum diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei per ſe ipſam vniatur intellectui per modum formæ aſsiſtentis, vt vult illa opinio; vtique poterit intellectum facere Deum.

Cabrera. Suarius. Salas. Bañes. Pezant. Nauarret.

10. *2. modus explicandi.*

Alij hunc dicendi modum nõ admittunt; quia putant, non ſatis eſſe vnionẽ illam obiectiuã per modũ formæ aſsiſtẽtis, vt intellectus ſit Deus; ideo docẽt diuinã eſſentiam vniri intellectui per modũ formæ intrinſecè actuãtis, & perficiẽtis; & iſto modo illũ ſibi aſsimilare, vt ſit Deꝰ abſq; vlla inhærẽtia, & informatione. Et inde probant non repugnare, vt diuina eſſentia ſubeat hoc munus: quia ſicut illis

illis non repugnat, vniri per modum formæ abſque informatione perficientis, & actuantis; ita non repugnat abſque ea facere, vt intellectus ſit Deus. Is dicẽdi modus placuit Caietan. 1. p. q. 12. art. 2. §, *In reſponſione ad tertium*, quem defendit Ripa ibidem *dubio 2. cap. ſecundo*, ſatis eſt de mente Fonſecæ *in 5. Metaphyſicæ cap. 2. quæſtione 12. ſectio. ſecunda, pagina 155. in principio* & clariùs *lib. 7. cap. 8. quæſt. 4. ſectio, 5. concluſione 9, pagin. 366. C. & Soti in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 3. concl. 3. §. Ad hoc autem reſpondetur*: qui omnes admittunt, diuinam eſſentiam dare intellectui eſſe Deum, illum actuando, & perficiendo abſque vlla informatione. Et ad hunc modum explicant non repugnare diuinæ eſſentiæ hoc munus obire.

Caietan. Ripa. Fonſeca. Sotus.

11. Et quamuis hi Theologi vix propriã mentem explicant; ab illis tamen triplicem colligo explicandi viam; Prima eſt, vt diuina eſſentia intima cum intellectu vnione illum actuet, & perficiat, & faciat eſſe Deum, communicando illi ſuum eſſe increatum, quatenùs eminenter continet illud eſſe Deum notionaliter, quod ſpecies creata tribueret, ſi daretur. Quem modum ſatis ſignificat Caietan. loco citato in prima explicatione, dum ait, *diuinam eſſentiam ex hoc quòd eſt ſuum eſſe, habere hoc ſingulare, vt ſit illud eſſe intelligibile, quod exiſtimaretur dare intellectui, ſi illi non per ſe ipſam, ſed per ſpeciem creatam vniretur*. Cum verò ſe ipſa ſit tale eſſe, vtique poteſt illud communicare intellectui immediatè per ſe ipſam abſque vlla media ſpecie, per quod intellectus fiat Deus in genere intelligibili, non ſecundùm eſſe eiuſdem ordinis, id eſt creati, ſed ſecundùm eſſe ordinis ſuperioris, & increati: etenim propoſitio illa (inquit Caietanus) *cognitio quidditatiua non fit, niſi per eſſe rei cognitæ*, intelligenda eſt, vel de eſſe eiuſdem ordinis, vel ſuperioris. Hæc mihi videtur prima explicatio Caietani; ſi conſiderate legatur, & ſatis eſt de mente Soti, quamuis non ſatis ſe explicet; imò non longè abeſt à mẽte D. Thomæ 3. contra gentes, capit. 51. Quæ explicatio non repugnat Theologiæ Thomiſtarum, qui putant, naturam humanam in Chriſto formaliter exiſtere per exiſtentiam increatam diuinæ naturæ ſibi communicatam abque vlla intrinſeca informatione: ſi enim nõ repugnat, exiſtentiam increatam ita communicari naturæ humanæ ex ea præciſè ratione, quia diuinum eſſe eminenter eſt illud eſſe, quod anima retribueret naturæ humanæ, ſi non aſſumeretur: ita cùm diuina eſſentia ſit ſuum eſſe, & in genere rei, & in genere intelligibili, eminenter eſt illud eſſe, quod ſpecies creata tribueret intellectui: & ſubinde poterit tale ſuum eſſe communicare intellectui, cui vnitur.

12. Sed mens Caietani in hoc dicendi modo non quieſcit, vt ipſe teſtatur, ideo aliam viam excogitauit, quæ ſua obſcuritate ſe deſtruit, vt omnes fatentur: & quamuis ſolus Ripa in dicto capite ſecũdo eam vt planam, & claram fuerit intuitus, neſcio, an eam perceperit. Ita igitur ſententiam Caietani interpretatur, vt illud eſſe Deum, quod diuina eſſentia cõmunicat, ſit eſſe quoddam creatum, quod vt forma intelligibilis impertit ad eũ modum; quo forma naturalis impertit eſſe, ſcilicet per emanationem: ſicut enim, inquit Ripa, à forma in eſſe naturæ emanat eſſe naturale; ita à forma intelligibili, emanabit eſſe eiuſdem generis. Cùm verò apud Thomiſtas eſſe realiter diſtinguatur à forma, à qua emanat; ita etiam illud eſſe Deum (quo intellectus eſt Deus) realiter diſtinguetur à diuina eſſentia, ſicut realiter diſtingueretur ab ſpecie intelligibili, ſi ab ea daretur. Ita Caietanum explicat Ripa in dicto cap. ſecundo poſt principium, & ad ſecundum Suarij, & ſatis ad mentem Caietani. Quod ſi à Caietano inquiras, quodnam ſit hoc eſſe? reſpondet eſſe ipſum intelligere, per quod intellectus beati conſtituitur in actu ſecũdo. Per hoc autem intelligere Ripa cum cæteris intelligunt actualem intellectionem. Ego tamen non ita Caietanum intelligo, vt dixi *ſuprà 1. p. q. 4. artic. 2. §. 2.* Iuxta hunc explicandi modum, ita philoſophãdum eſt, vt ex diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei vnita formaliter emanet illud eſſe, quo intellectus fit Deus, cõmunicatum ſibi à diuina eſſentia abſque hoc, quòd eum informet.

Mens Caietani.

13. Tertia dicendi via colligi poteſt ex Fonſeca vbi ſuprà, vbi ſupponit illud eſſe diuini ordinis, quod intellectus cõſequitur ex vnione eſsẽtiæ, ſit quoddam eſſe

eſſe creatum communicatum ſibi ab ea in genere cauſæ formalis ipſa ſe ipſa ſupplere concurſum ſpeciei, ſi daretur; ſupplente inquam, non per modum informantis, ſed per modum continentis in eſſe ipſũ eſſe, quo intellectus eſt Deus, & quod Deus illi immediatè tribuit in genere cauſæ efficientis. Sic igitur vir doctiſsimus philoſophatur, vt Deus quidem in genere cauſæ efficientis impertiat intellectui illud eſſe abſque vlla ſpecie intelligibili: eſſentia tamen diuina concurrẽte in genere cauſæ formalis formaliter cõtinendo intellectum in tali eſſe; & continendo illud abſque informatione, ſupplet concurſum ſpeciei, cuius vicẽ gerit.

Hæc collegi ex doctoribus, qui partem affirmantem defendunt, vt curioſus Lector intelligat, qua philoſophandi via quiſque illorum in ſua opinione defendenda incedat.

§. 3.

Sententia negatiua eſt longè porobabilior.

14. *Authores partis negatiuæ.* Nos tamen negantem ſententiam putamus eſſe longè probabiliorem: quam probare tenentur illi, qui abſolutè negant, diuinam eſſentiam poſſe in aliquo ſubire vicem ſpeciei, quos citauimus articul. primo. In terminis hanc ſententiam negantem probauerunt quidam Theologi, quos refert D. Thomas *in 4. diſtinctio. 49. quæſtione ſecũda, articulo primo, poſt principiũ*: ideo enim negabant beatos videre poſſe diuinam eſſentiam, quia illa facere non poteſt, vt intellectus creatus ſit ipſa, de quo munere nunc inquirimus. Pro eadem ſententia non poteſt non referri Ferrarienſ. 3. contra gentes cap. 51. §. *Circa hanc declarationem*, quatenùs negat diuinam eſſentiam vnione ſui cum intellectu dare ei aliquod eſſe; daret autem, ſi intellectus per ipſam formaliter conſequeretur eſſe Deum. Et ob eandem rationem pro eadem ſtabit Cabrera 3. *p. q. 2. art. 1. diſp. 2. §. 6. concl. 4. num. 31.* vbi conſentiens cũ Ferrar. multis probat intellectum beati ex vnione cum diuina eſſentia nullũ eſſe conſequi: ſed in hoc parum ſibi conſtat; quoniam multis in locis affirmat intellectum per talem vnionem fieri Deum, vt patet, *diſp. 2. §. 7. ad quartum principale nu. 53. & diſp. 4. num. 13. & alijs in locis.* Denique pro eadem ſententia referre poſſemus eos, qui admittunt diuinam eſſentiã ſubire poſſe vicem ſpeciei; & tamen huius muneris nunquam meminerũt: quaſi tacitè negent, illud diuinę eſſentiæ poſſe conuenire. Hanc ſententiam primo loco confirmabimus ratione Philoſophica; deinde impugnando omnes modos, quibus aduerſaria ſententia defenditur.

Ferrar.

Cabrera nõ ſibi cõſtat.

Quod attinet ad primum: hæc ſententia efficaciter demonſtratur ex communi, & recepta Philoſophia, quòd Deus ad extra nihil poteſt cauſare in genere cauſæ formalis; & ſubinde non poteſt cauſam formalem ſe ipſo ſupplere: quare, cum eſſe Deum intelligibiliter ſit effectus formalis formæ intelligibilis, vt patet, & admittunt Authores partis affirmantis, neceſſariò infertur non poſſe diuinam eſſentiam ad modum cauſæ formalis dare hoc eſſe intellectui beato, & ſubinde nec obire poſſe hoc ſpeciei munus. 15. Demonſtratur ſententia negatiua

Quòd verò Deus ad extra nihil valeat cauſare in genere cauſæ formalis, eſt cõmunis Philoſophia, probata ab aduerſarijs: omnes enim, vno excepto, docent Deum ad extra nihil poſſe ſeipſo, & immediatè cauſare, niſi in genere cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis; nullo autem modo in genere cauſæ formalis, aut materialis. Hanc Philoſophiam latè cõfirmat Suarius in Metaph. *diſp. 22. ſect. 1. n. 26.* Antonius Rubeus 2. *Phyſ. tract. 4. de Cauſa efficiente quæſt. 7. in 2. ſententia*: & ego puto hanc ſententiam eſſe abſque dubio amplectendam: quæ ſatis eſt de mente Diui Thomæ; volens enim multis in locis probare Deum eſſe primam cauſam omnium rerum, ſolùm illi tribuit genus cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis, vt videre eſt *in 1. parte. quæſtio. 44. per totam, & 2. contra gentes. cap. 6. 15. & 16. & de Veritate q. 20. artic. 2.* & inde eſt, vt ex mente eiuſdem, & ex communi Theologorum, Deus ad omnem cauſæ ſecundæ operationem non alia ratione concurrat, niſi efficienter exemplariter, & finaliter; nec D. Thom. aliũ concurſum in Deo vnquã agnouit; adeò vt ſi cõcurſũ materię, aut formę, aliquãdo ſuppleat; illũ non ſuppleat, niſi in genere 16. Deus ad extra nihil poteſt cauſare in genere cauſa formalis.

Suarius. Rubeus. D. Thom.

Caietan. Ægidus.

cauſę efficientis, vt colliges ex D. Thoma.1.p.q.105.art.5.*vbi Caiet. Probat Ægidius Theoremate* 37.*colu.*2.*ad finem*, quã communem doctrinam nos confirmauimus in materia de Euchariſtia in tract. dẽ accidentibus, de quo etiã Conimbricenſ. 2.*Phyſ. cap.*9.*q.*6.*art.*3.*pag.* 181. *in principio, Rubeus vbi ſuprà pag.*332.*col.*1.§.*Veritas ergo, & in ſolutionibus argumentorum, & Suar. vbi ſuprà.*

17. Deus nõ poteſt ſupplere effectũ cauſæ formalis.

Durand. Capreol. Ferrar. D.Thom.

Hinc etiam eſt, vt communis ſit Philoſophia, Deum ſe ipſo ſupplere nõ poſſe effectum cauſæ formalis, ita vt ſine ea immediatè illum efficiat: Ita Durand. *in* 2.*diſt.*13.*q.*2.*num.*12. *& Capreol. ibidem q.*1.*art.*3.*ad* 10.*contra primam fol.*171.*col.*2. *& Ferrar.*3.*contr.gent.cap.*4.*ad.*2.*Scoti fol.*227.*col.*3.*Conimbricẽſes vbi ſuprà in dicta q.*6.*art.*4. *ad* 1.*fol.*183.*& ſatis ſignificat D.Thomas de potentia q.*4 *art.* 1. dum ideo negat materiam eſſe poſſe ſine forma, quia forma eſt cauſa formalis, qua illa eſt. Quare apud aduerſarios hæc Philoſophia eſt veriſsima.

18. Nec poteſt non eſſe veriſsima, ſi intelligatur de effectu formali intrinſeco ipſi cauſæ; quale eſt eſſe album, quod albedo tribuit ſubiecto, & eſſe animatum, quod anima tribuit corpori; & eſſe lapideum, quod forma lapidis tribuit materiæ. Dixi; *de effectu formali intrinſeco*, quia dantur alij effectus formales, qui ſunt extrinſeci ſuæ formæ: talis eſt exiſtentia materiæ: hæc enim per ſe pendet à forma, in genere cauſæ formalis; vel quia materia illam non habet, niſi à forma, vt volunt Thomiſtæ; vel quia in tali eſſe continetur concurſu formæ, quamuis eam habeat à ſua creatione, vt vult communis Philoſophia. Quare exiſtentia materiæ, omnium conſenſu, eſt effectus formalis formæ: vnde forma ſaltem ſubſtantialis, & conſeruat materiam in exiſtentia, quam in creatione accepit, & & dat illi eſſe formale ſuæ propriæ entitatis; quia dat illi eſſe animatum, ſi eſt anima: eſſe lapideum, ſi eſt forma lapidis; denique eſſe album, ſi eſt albedo: etenim forma per realem ſui coniunctionem cum materia communicat illi aliquam perfectionem ſibi propriam, & quæ ſit perfectio ſui ipſius, vt docet

Fonſeca.

Fonſeca *in quinto Metaphyſicæ cap. ſecundo quæſtione ſecunda, ſection.*2.*pagina* 67.*poſt principium, & quæſtione* 13.*ſecti. ſecunda, pagina* 169.§. *Præterea vt de cæteris*: hæc autem perfectio, cum non ſit ipſa exiſtẽtia materiæ, in qua forma materiam continet (quia exiſtentia materiæ non eſt propria perfectio formæ, ſed ipſius materiæ) erit alia perfectio, quæ ſit propria ſuæ entitatis, verbi gratia, eſſe animatum, lapideum, aut album: quod longè aliud eſt ab eſſe exiſtentiæ ipſius materiæ; cum materia ſeparata forma amittat hoc eſſe, non tamen propriam exiſtentiam, cum qua ſemper permanet iuxta veriorem ſententiam. Itaque duplex eſt diſtinguendus effectus formalis formæ; vnus illi intrinſecus, vt eſſe album, qui idem eſt realiter cum ipſa albedine: alius extrinſecus, vt exiſtentia materiæ, quam forma formaliter continet, & conſeruat, qui realiter diſtinguitur ab ipſa 19.
forma.

Datam Philoſophiam (non poſſe Deum ſine cauſa formali dare ſe ipſo formalem effectum) putamus omninò eſſe amplectendam; ſi intelligatur de effectu formali intrinſeco; quidquid ſit de extrinſeco, qualis eſt exiſtentia materiæ reſpectu formæ, de quo poteſt eſſe aliqua dubitatio; nec enim hoc ad noſtrum inſtitutum pertinet: imò puto præcitatam Philoſophiam nullum habere contradictorem. Cùm verò de hoc ſolo agamus (nam intellectum eſſe Deum intelligibiliter, eſt effectus intrinſecus formæ intelligibilis, vt eſſe album, eſt albedinis) ideo præcitata Philoſophia multis à nobis confirmabitur. Quare, hoc loco nitemur oſtendere, Deum non poſſe cauſare effectum formalem intrinſecum formæ ſine ipſa forma: & per conſequens, nec illam poſſe ſupplere, nõ modo in genere cauſæ formalis; ſed nec in genere cauſæ efficientis.

Prima ratio.

¶ Sit igitur prima ratio, quoniã ſi Deus poteſt effectum intrinſecum cauſæ formalis ſe ipſo immediatè ſupplere, verbi 20. Probatio. 1.
gratia dare eſſe album ſine albedine, aut eſſe animatum ſine anima, & cætera, effectus intrinſecus formæ realiter diſtingueretur à forma: conſequens tamen eſt falſum. Sequela ex eo patet; quoniam, quæ ita ſe habent, vt vnum ſine altero mutuò manere poſsit, realiter diſtin-

ſtinguūtur, vt ſupponim⁹, & docet Suar. in Metaph. *diſp. 7. ſect. 2. n. 19. cum ſequentibus*. Iam verò ſi Deus poteſt ſine cauſa formali dare eſſe formale, iam ipſum eſſe formale manere poteſt ſine ſua forma, verbi gratia eſſe album ſine albedine, & eſſe animatum ſine anima. At negari non poteſt, cauſam formalem ſaltem diuina potentia eſſe poſſe ſine ſuo effectu formali: quia poteſt Deus eam conſeruare abſque vnione cum ſua materia; poteſt enim conſeruare albedinem abſtractam à ſubiecto, & animam ſine corpore. Ipſe igitur effectus formalis realiter diſtinguetur à ſua forma intrinſeca, quæ fuit ſequela. Porrò falſitas conſequentis patet ex receptiſsima Philoſophia, quæ docet effectum formalem intrinſecum realiter eſſe ipſam cauſam formalem, non abſolutè ſumptam, ſed vt cōmunicatam: quam Philoſophiam vt notiſsimam tradunt Conimbricenſes in cap. de Quantitate *q. 1. art. 2. pag. 314. §. 2. docuit Capreol. in 3. diſt. 5. q. 2. art. 3. ad 10. fol. 28. col. 2. ſatis ſignificat Fonſeca 5. Metaphyſicæ c. 2. q. 2. ſect. 2. in principio*, dum ait: cauſam formalem per realem ſui coniunctionem cum materia illi communicare propriam ſui ipſius perfectionem, & entitatem: nec aliquem vidi, qui oppoſitum doceret, ſed nec docere poterit, niſi exiſtimet cauſalitatem formalem eſſe aliquid productum à ſua cauſa formali; quæ ſententia, vt improbabilis, ab omnibus reijcitur. Igitur eſſe album realiter eſt ipſa albedo, vt communicata ſubiecto, atque in concreto, vt communiter dicitur; etenim ſe ipſam immediatè communicat ſubiecto, & abſque vlla media entitate facit album, vt docent ōmnes, qui diſputant de formali cauſalitate, & ſatis Fonſeca cum Conimbr. locis citatis: & indè eſt, vt albedo ſit ipſa eſſentia albi, vt docet communis Philoſophia, de qua Suar. in Metaph. *diſp. 31. ſect. 6. n. 24*: & inde eſt, vt album, & albedo ſint ad inuicem inſeparabilia, docent Capreol. & Suar. tanquam Philoſophiam indubitatam, patet igitur falſitas conſequentis, & ſubindè fieri non poſſe, vt Deus effectum intrinſecum conſeruet ſine ſua intrinſeca cauſa formali.

ar.

Fonſeca. Capreol.

Secunda ratio.

21. Probatio. 2 ¶ Secunda ratio (quæ eſt præcedentis confirmatio) ſumi poteſt ex alijs Philoſophiæ principijs: etenim eſſe formale intrinſecum neceſſariò prærequirit actualem informationem eius, cui eſſe tribuitur, vt benè aduertit Bellomontanus *1. p. diſp. 43. c. 3. n. 14*: quæ Philoſophia euidēter demonſtratur, ſi expendamus principia Philoſophiæ cōmuniter recepta, vno dempto Fonſeca: quoniam forma nec poteſt formaliter operari, nec tribuere ſuū intrinſecum effectum, niſi mediante cauſalitate formali ſibi propria: eſt enim certiſsimum, nullam cauſam poſſe aut cauſare, aut ſuum effectum producere, niſi media ſua cauſalitate. Cauſalitas autē formalis per ſe poſita eſt in actuali informatione potentiæ, quæ perficitur: ita communiter docetur *in 2. Phyſic. vbi Conimb. c. 7. q. 8. art. 1. & in 5. Metaph. vbi Fonſec. c. 2. q. 1. ſect. 2. in principio, Suar. in Metaph. diſp. 15. ſect. 6. n. 7*. & diximus ſuprà lib. 4. q. 6. art. 5. n. 131. Fieri igitur non poteſt, vt cauſa formalis ſuum formalem effectum cauſando alicui tribuat, niſi actuet, & informet: ſeruatis enim Philoſophię principijs, non eſt poſsibile, vt albedo faciat parietem album, quem actuali inhærentia non informat: nec anima dare poteſt corpori eſſe animatum (humanū ſcilicet vel equinū) niſi ſua propria, & immediata entitāte corpus informet, & actuet.

Bellomon.

Fonſeca. Suarius.

Quæ Philoſophia eſt omninò veriſsima, ſi ſermo ſit de effectu formali intrinſeco; quale eſt eſſe album reſpectu albedinis, & eſſe humanum reſpectu animæ humanæ: cum enim effectus iſte realiter ſit idem cum ſua forma, non poterit afficere ſubiectum, quin forma ſua entitate illi vniatur, & vniendo actuet, & afficiat. Quod nihil eſt aliud, quàm informare: alioqui ipſe formalis effectus ab ipſa forma realiter diſtinguetur: nec enim vna & eadem forma poteſt eſſe in aliquo, & non in illo. Paries autem non poteſt eſſe formaliter albus per eſſe album, quod in ſe non habet: ſi verò illud in ſe intrinſecè habet ſine albedine, iam daretur realis diſtinctio inter albedinem & ſuum eſſe album. Implicat igitur formam formaliter alicui intrinſecè vniri, & illud non informare. 22.

Huic Philoſophiæ, ſi adiungamus eſſentiam diuinā nullo modo poſſe aliquid informare, propter intrinſecam imperfectionem, quam includit, infertur, Deum nihil poſſe cauſare in genere cau- 23. Confirmatur. 1.

ſæ formalis. Quare licet fortè admittendum ſit, diuinam eſſentiam poſſe habere aliquam cauſalitatem obiectiuam in genere cauſæ efficientis, præter generalem (fortè enim obiectiuè mouet intellectum beati, & influit in viſionem, vt agens partiale, de quo inferiùs) nunquam tamen admittendum eſt, eam habere aliquã cauſalitatem formalẽ cauſæ formalis intrinſecæ. Et ſi his adiungamus, intellectum beati intelligibiliter eſſe Deum, eſſe quẽdam effectum formalem intrinſecũ formæ intelligibilis; neceſſariò concluditur non poſſe diuinam eſſentiam illum effectum formaliter cauſare, quia illum cauſare nequit abſque informatione.

Confirmatur. 2.

§. 4.
Expenditur prima ſolutio, qua explicata Philoſophia negatur.

24. AD præcedentes duas rationes triplex afferri poteſt ſolutio. Prima; ſi adducta Philoſophia vniuerſaliter negetur. Secunda; ſi ſolùm admittatur in formis intrinſecis, non verò in extrinſecis. Tertia denique; ſi ſolùm intelligatur de cauſa formali in genere rei, & naturæ; non verò in genere intelligibili. Singulas ſolutiones diligentiùs expendemus.

25. Quod attinet ad primam; Fonſec. libenter fatetur, explicatam Philoſophiam eſſe omnium conſenſu receptiſsimã; oppoſitam tamen ab omnibus eſſe amplectendam, ſi res iſta in ſano ſenſu exquiſitiùs tractetur. Ita *in 5. Metaph. c. 2. q. 12. ſect. 2. poſt principium*, vbi docet, non ſolũ poſſe Deum ad extra aliquid ſe ipſo immediatè cauſare in genere cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis; ſed etiam in genere cauſæ materialis, & formalis; non quidem ſecundùm omnem rationẽ cauſandi vtriuſque cauſæ; quia in vtraque datur aliqua cauſandi ratio, quæ imperfectionem includit: ſed ſecundùm rationem cauſandi primam & generalem, quę in vtraque nullam denotat imperfectionem, ſed perfectionem potiùs. Aſſerit igitur, Deum non ſolùm de facto concurrere cum omni cauſa materiali, & formali, tanquam cum cauſis ſibi eſſentialiter ſubordinatis in proprio cuiuſque genere; ſed etiam tanquam primam cauſam in ſingulo quoque genere cauſarum poſſe ſe ipſo proprios cuiuſque effectus ſine ipſa cauſare: & ſubindè non ſolùm poſſe, vt cauſam efficientem ſe ipſo cuiuſque efficientis cauſæ effectus producere; ſed etiã vt cauſam, aut materialem, aut formalẽ, vtriuſque effectus immediatè cauſare. Hæc latiſsimè proſequitur, & confirmat *in 2. Metaph. c. 2. q. 1. ſect. 2*; dum agit de ratione eſſentialis ſubalternationis cauſarum, *& lib. 5. c. 2. q. 3. ſect. 2. pag. 72. ad finem, & q. 9. ſect. 2. pag. 123. & latiùs in dicta q. 12. ſect. 2. cum ſequentibus, quod iterũ confirmat lib. 7. c. 7. q. 3. ſect. 5. lit. E. pag.* 308. *col.* 1.

In his locis duas in cauſa formali diſtinguit cauſalitates; vnam, quæ poſita eſt in actuali informatione: alteram; quæ ſolùm conſiſtit in continere materiam in ſuo eſſe; cuius, vt ait, meminit D. Greg. lib. 2. Moral. c. 8. de vtraque cauſandi ratione agit in dicta *pag. 72. & pag.* 153. *& in 7. c. 7. q. 3. ſect. 4. pag.* 302. *col. 2. A. & ſect. 5. pag. 307. D.* Deinde docet priorem cauſalitatem neceſſariò includere informationem; poſteriorem verò non item. Vnde infert priorem cauſalitatem non poſſe conuenire Deo: benè tamen poſteriorem. 26.

His ita poſitis ſolutio Fonſecæ negat Philoſophiam primæ noſtræ rationis, ſi abſolutè ſumatur: ita, vt Deus nullo modo poſsit ſe ipſo aliquem formalem effectum cauſare; eam tamen concedit, ſi intelligatur, quod Deus non poſsit, vt cauſa formalis aliquid cauſare informando; cum quo tamen ſtat, quod poſsit aliquid cauſare formaliter continendo alicuius eſſe. Et in hoc ſenſu putat, poſſe diuinam eſſentiam ſupplere cauſalitatem formalẽ ſpeciei intelligibilis, quatenus ſcilicet poteſt ſe ipſa abſque vlla ſpecie continere intellectum beati in eſſe diuino altiſsimi ordinis, quo fit Deus, & quod Deus effectiuè illi tribuit. Ita Fonſecam ſuam explicaſſe opinionem, diximus ſuprà §. 2. in fine. 27. Solutio. 1. Fonſecæ.

Hæc tamen ſolutio nec ipſis aduerſarijs probatur: omnes enim conſtanter impugnant, hanc Fonſecæ opinionem: inter quos eſt Suar. *in Metaph. diſp. 22. ſect. 1. n. 26.* vbi affirmat Philoſophiam illam eſſe nouam, & præter dogmata recepta de Deo, & debilibus nixam fundamẽtis, 28. Reijcitur.

quem

quem in hoc ſequitur Antonius Rubeus 2. *Phyſic. tract.* 4. *de cauſa efficiente q.*7. in ſua ſententia: denique illa Fonſecæ opinio nulli ſuorum vnquam placuit. Quare, nec priores Philoſophi ante Fonſecā, nec poſteriores poſt illū, eā vnquam probauerunt. Quare duplicem illam in cauſa formali cauſandi rationem, vel non admittunt, vel aſſerunt vnam ſine altera ad nullum effectum poſſe concurrere: nec enim forma poteſt continere aliud in aliquo eſſe, ſine informatione: nec informare, quin in eſſe contineat.

29. Quomodò intelligenda ſit cōmunis doctrina de cauſa formali. Ego hanc difficultatem exquiſitiſsimè pertractans, puto à communi Philoſophia non eſſe recedendum, ſi in ſano ſenſu expendatur: ſanus autem ſenſus eſt, vt illa intelligatur, non de effectu formali extrinſeco, ſed de ſolo intrinſeco: in quo ſolo communem Philoſophiam, & intelleximus, & confirmauimus; & in eodem eam ſemper intellexerūt Doctores, quos citauimus, dum ſumunt cauſam formalē eſſe cauſam intrinſecam, qualis non eſt, niſi ordine ad intrinſecum effectum: vnde in exemplum adducunt album in ordine ad albedinem, ſine qua album nulla potentia, etiam diuina, poteſt cōtineri, & conſeruari.

30. Cauſa formalis alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. Et pro maiori explicatione, vt omnis tollatur æquiuocatio confuſionē pariēs, aduertendum puto, quod in libris Phyſicor. adhuc iuuenis olim aduerti: duplicē diſtinguendam eſſe cauſam formalē: vnā intrinſecam, quia ſuo effectui intrinſeca eſt, eum intrinſecè denominans: alteram extrinſecam, quæ ideò dicitur cauſa formalis alicuius, quia eſt ratio, cur illud illi inſit. Cauſa formalis intrinſeca eſt albedo reſpectu albi, & anima reſpectu animati, & cætera. Extrinſeca eſt rationale reſpectu riſibilis: rationalitas enim eſt ratio formalis, cur riſibilitas inſit in homine; vnde quando riſibile demonſtratur de homine per rationale, demonſtratur per cauſam formalem, vt omnes docent in 1. Poſteriorum. Et in hoc ſenſu exiſtere apud Thomiſtas dicitur effectus formalis formæ ſubſtantialis; quia hæc eſt ratio, & cauſa, per quam exiſtentia conuenit, tum materiæ, tum compoſito. Duplex igitur eſt diſtinguendum genus cauſæ formalis: vnū continet cauſas intrinſecas ſuis effectibus, vt quia intrinſecè in illis inſint; albedo enim intrinſecè ineſt albo, & anima animato. Alterū continet cauſas extrinſecas, vt quia, nec ſuis effectis intrinſecè inſint, nec illos intrinſecè denominent; quin potiùs & cauſa poteſt eſſe ſine ſuo effectu, & effectus ſine ſua cauſa: etenim diuina potentia, & rationale poteſt eſſe ſine riſibili, & riſibile ſine rationali: vnde inter ſe realiter diſtinguuntur: cuius oppoſitum reperitur in cauſis intrinſecis, vt ſuprà diximus; nec enim album ſine albedine eſſe poteſt; nec albedo vnita ſine albo: eſt enim eſſentialiter in albo.

Hinc iam inferes, in cauſa formali generaliter ſumpta duplicem diſtinguendū eſſe effectum formalem: vnum intrinſecum; alterum extrinſecum. Intrinſecus eſt ille, qui ſuæ cauſæ eſt ipſa perfectio, quam communicat: etenim formalis cauſa intrinſeca non communicat perfectionem aliquam à ſe diſtinctam ei, quod formaliter perficit, vt facit cauſa efficiens, ſed ſuam perfectionem, quæ eſt ipſa, vt idem Fonſeca docet *in* 5. *Metaph. c.* 2. *q.* 2. *ſect.* 2. *pag.* 67. *poſt principium*, & eſt communis Philoſophia ex Suar. *lib.* 2. *de Attributis negatiuis c.* 12. *n.* 7. *ad finem, & in Metaph. diſp.* 15. *ſect.* 6. *n.* 7: forma enim nihil à ſe diſtinctum communicat, ſed ſe ipſam, & ſuum formale eſſe: albedo enim communicat ſe ipſam, id eſt ſuum eſſe album, & anima ſuum eſſe animatū: nam quamuis anima in ſe, vt non eſt vnita, non ſit animata; vnita tamen, & afficiens ſubiectum, eſt ipſum ſuum eſſe animatum, & albedo ſuum eſſe album: & hinc eſt, quod realiter non diſtinguuntur à ſuo eſſe formali. Porrò effectus extrinſecus, non eſt ipſa ſuæ cauſæ perfectio, ſed realiter ab ea diſtinguitur: nam cauſa extrinſeca, dum cauſat, non communicat ſe ipſam, ſed perfectionem aliquam à ſe diſtinctam, vt patet in rationalitate reſpectu riſibilitatis, cuius dicitur cauſa formalis: eā enim communicat homini tanquam ratio, per quam illi conuenit; homo enim ideò eſt riſibilis, quia rationalis: forma etiam ſubſtantialis non communicat materiæ exiſtentiam, quia eam immediatè habet à Deo in ſua creatione, vt vera habet ſententia; ſed ſolùm continet eam in materia, quatenus materia in eſſe naturaliter conſeruari nequit, niſi per aliquā ſubſtan-

31. Effectus formalis alius eſt intrinſecus, alius extrinſecus.

ſubſtantialem formam actuetur. Si verò cum Thomiſtis velis, adueniente noua forma, nouam materiæ exiſtentiam āduenire, vt quia eſſe exiſtentiæ ſit à forma; Dices, ideò formam ad talem exiſtentiā concurrere, vt cauſam formalem, quia eſt ratio, vnde exiſtentia naturaliter emanat, & veluti effluit, tanquam quid realiter ab ea diſtinctum: & ideò forma, dum exiſtentiam communicat materiæ, non ſuam ipſius perfectionem communicat, id eſt, perfectionem, quæ ſit ipſa, ſed aliā à ſe emanantem. Quare, ſicut oportet duplicem cauſam formalem diſtinguere, ita neceſſe eſt, diſtinguere duplicem effectū formalem. Si verò inquiras, an vtraque iſta formalis cauſa ſit propriè cauſa formalis? negatiuè reſpondebo: quia nomine cauſæ formalis ſimpliciter intelligitur ſola intrinſeca, vt docet D. Thomas in 5. Metaph. c. 2. lect. 2. & Fonſeca in comm. ad eundem locum litera D. pag. 51. Vndè cauſa formalis ſimpliciter diffinitur, eſſe id, quod intrinſecè dat eſſe effectui. Quare extrinſeca cauſa ad formalem reducitur.

32. Reſolutio quæſtionis. His ita præmiſsis, pro reſolutione difficultatis, dicimus Philoſophiam à nobis explicatam, ſcilicet *Deo nullo modo conuenire rationem cauſæ formalis, nec poſſe cauſare effectum formalem in genere cauſæ formalis*, veriſsimam omnino eſſe, ſi ſermo ſit de cauſa formali intrinſeca in ordine ad intrinſecum effectum: & exiſtimamus eam eſſe veriſsimam, non ſolùm quoad cauſalitatem informatiuam (in qua Fonſ. nobiſcum conſentit) ſed etiam quoad cōtentiuam in eſſe, vt ille appellat, ſi illa admittatur: nam cum formalis effectus intrinſecus ſit ipſamet perfectio cauſæ formalis, & ipſamet illius entitas, communicata tamen illi (vt eſſe communicatur, vt cum Fonſeca diximus:) & implicet diuinam eſſentiam ſuam increatā perfectionem, ſuumque diuinum eſſe alicui intrinſecè communicare (id eſt per denominationem intrinſecam:) implicabit etiam, diuinam eſſentiam eſſe alicuius formalis effectus cauſam intrinſecam, verbi gratia, implicabit eam poſſe ſe ipſa ſine albedine facere album, aut animatum ſine anima: qui enim fieri poteſt, vt eſſe formaliter cauſatum, licet per cauſam contentiuam, ſit eſſe diuinum alicui cōmunicatum? maximè, cum ex eodem Fonſeca concurſus continens aliud in eſſe formali ſemper ſecum habeat concurſum effectiuum eiuſdem eſſe, vt idem Fonſeca ſcribit 7. *Metaphy. cap. 8. q. 4. ſect. 5. concl. 9. pag.* 366. *C.*

Nec puto doctiſsimum Fonſecam ſuā opinionem in hoc ſenſu intellexiſſe; ſed ſolùm egiſſe de cauſa formali extrinſeca, extrinſecoq; effectu. Quòd facilè intelliget, qui eum attentè legerit: in omnibus enim locis agit de forma in ordine ad exiſtentiam materiæ, & hanc putat poſſe Deum, vt cauſam formalem continere in ipſa materia ſine forma, concurrendo ad illam, tum concurſu efficiente, tum formali; non quidem informante, ſed continente. Vtrùm verò in hoc ſenſu illius opinio aliquam habeat probabilitatem? alterius eſt quæſtionis. Forte exercitij gratia poterit defendi: nec enim omnimoda caret probabilitate, quidquid dicant Suarius, & Rubeus. 33. Mens Fonſecæ.

Soluitur fundamentum Fonſecæ.

¶ Et in hoc ſenſu parum vrgent argumenta Fonſecæ. Non vrget primū ſumptum ex ſubalternatione eſſentiali ſecūdarum cauſarum cum prima: cui Suar. & Rubeus deberent occurrere: quoniam nō eſt de ratione ſubalternationis eſſentialis, vt ſuperior in eodem genere cauſę ad eūdem numero effectum cum inferiori cōcurrat: ſed ſatis eſt, quod concurrat cum eo ſaltem in genere cauſæ efficientis, vt viri doctiſsimi voluerunt. Sed meliùs dices ſubalternationem eſſentialem cauſarum in cauſando ſumi poſſe, tum latè, tū ſtrictè: latè; ſi ſubalternatio eſſentialis idē eſt, quòd ſubalternatio per ſe: ſtrictè verò, & propriè; ſi præter perſeitatem depēdentiæ ad eundem effectum, includit perſeitatem dependentiæ in ordine ad ipſam cauſalitatem, qua inferior ad effectum cōcurrit; vt inferior non ſolùm dependeat à concurſu ſuperioris ad eundem numero effectum, ſed etiam dependeat in ipſa ſua cauſalitate, qua in effectū influit; quatenus ſcilicet illa eadem influat ſuperior. Si ſermo ſit de eſſentiali ſubalternatione largè ſumpta, vt ſubalternatio eſſentialis idem ſit, quod ſubalternatio per ſe; optima eſt ſolutio allata: quia ad ſubalternationem 34.

tionem per ſe,ſatis eſt dependentia vnius ab altera ad eundem numero effectum; quanuis vna cõcurrat in vno genere cauſandi, alia in alio: quo modo omnia quatuor cauſarum genera ſunt per ſe mutuô ſubordinata: cum enim mutuò ſibi ſint cauſæ, mutuò inter ſe dependent in cauſando effectum, quanuis quælibet ad eũ cõcurrat cauſalitate diuerſi generis. Verùm hæc perſeitas non ſatis eſt, ad ſubalternationem inferioris, & ſuperioris: nec enim quatuor genera cauſarum inter ſe ſubalternantur tanquam ſuperius, & inferius, eo modo, quo cauſa ſecunda ſubalternatur primę. Quare ſubalternatio eſſentialis propriè ſumpta vltra perſeitatẽ dependentiæ in cauſando eundem numero effectum, etiam requirit perſeitatem dependentiæ in ipſo cauſandi actu, vt diximus: vndè Philoſophi eſſentialem ſubalternationem ſtrictè ſumptam per ſe ponunt in duplici explicata dependentia; vt ſcilicet vna ab alia per ſe pendeat, tum in cauſando effectum; tum in ipſa effectus cauſalitate, vt. ſ. ſuperior ita ſibi inferiorem ſubalternet, vt eadem cauſalitate cũ illa cauſet effectum; vt diximus ſuprà *lib. 2.q.4.art.1.§.2.n.3.cum Fonſeca 2. Metaphy.c.2.q.1.ſect.2.& Conimbricenſibus.2. Phyſi. c.7.q.12.art.2.§. Porrò noſtra concluſio,& ſatis colligitur ex Ariſtotele 2.Metaph.c.2.tex.5.& 6.*

Ariſt.

35. Nõ omnes cauſæ eſſentialiter ſubalternentur Deo, quoad cauſalitates

Quare, ſi ſermo ſit de eſſentiali ſubalternatione (de qua ſola agit Fonſeca) ad argumentum negandum eſt, omnes cauſas ſecundas eſſentialiter eſſe ſubalternatas primæ cauſæ: licet enim omnes per ſe ſubalternentur Deo, vt primæ cauſæ, in hoc ſenſu, vt nulla cuiuſcũq; ſit generis, valeat ſuum effectũ producere, niſi Deus eundem producat in genere cauſæ efficientis: non tamen omnes ita ſubalternãtur Deo, vt Deus eadem, qua ille, cauſalitate producat effectum; hæc enim ſubalternatio ſolùm reperitur in cauſa efficiẽte, exemplari, & finali: in his enim ſolis Deus eodem numero concurſu, quo ille, concurrit ad effectum: non tamen id reperitur, aut in cauſa materiali, aut formali: quælibet enim in ſuo genere eſt totalis & integra; ita vt Deus per propriam vtriuſque cauſalitatem ad effectum non cõcurrat. Quæ eſt omnium Theologorum, & Philoſophorum ſententia, de qua Capreol. *in 2.diſt.25.q.1.art.3.ad 6.Scoti, cõtra ſecundam.fol.248.col.4.in fine,& Herrera ad 1.Scoti diſp.11.§.14. notab.2. pag. 419.* & nos olim diximus in materia de Euchariſtia in tract. de accidentibus. Fũdamentum eſt, quia duo iſta cauſarum genera in ſua cauſalitate neceſſariò includunt imperfectionem. *Capreol. Herrera.*

Occurrit tamen Fonſec. formam non ſolùm cauſare informando, ſed etiam cõtinendo in eſſe: materiam etiam cauſare, tum recipiendo, tum ſuſtinendo in eſſe. Et quanuis cauſare informando, & recipiendo intrinſecam dicat imperfectionẽ; eam tamen non dicit, cauſare continendo, & ſuſtinendo: & proinde poſſe cauſam materialem, & formalem eſſentialiter ſubalternari primæ cauſæ. 36. Euaſio Fonſecæ.

Nos tamen huic Philoſophiæ multis modis occurrimus. Et primò; quia noua eſt, & terminis inuſitatis explicata: nullus enim eſt, qui aut diſtinctione illa vſus ſit, aut illis terminis. Nec Diuus Gregor. illis vſus eſt in explicandis diuinis cauſandi generibus, & cauſalitatibus: nam *in 2.lib. Moralium non cap.8. (vt mendoſè citatur) ſed cap.12.* non explicat diuinas cauſalitates more Philoſophorum, ſed ſolũ explicat ea, quæ Dei immenſitati conueniunt: niſi velis dicere, ad diuinas cauſalitates pertinere gyrum cœli circumire; orbem terrarum replere: omnia palmo metiri: omnia creata exterius circundare, & intra ſe concludere, eſſe ſuprà, & infra omnium: omnia penetrare, & ambire: denique omnibus pręſidere, de quibus agit, vt Dei immenſitatem explicet. Quare in hoc ſenſu dicit, Deum omnia continere, quia intra, & infra ſe omnia concludit, & veluti circundat: ſuſtinere autem omnia; quia omnia in eſſe conſeruat. Vnde, nec continentia, de qua agit pertinet ad cauſam formalem; nec ſuſtinentia ad materialem. 37. Occurritur 1. *D.Greg.*

Deinde noua eſt Philoſophia, nec ſatis firma diſtinguere in cauſa materiali, & formali duas illas cauſandi rationes; recipiendi ſcilicet & ſuſtinendi; informandi, & continendi: nàm vt omittamus, nec res nec diſtinctiones rerum ſine cauſa eſſe multiplicandas iuxta commune proloquium, fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: hæ duæ cauſalitates in ordine ad eũdem effectum eodem modo poſſunt 38. Occurritur 2.

poſſunt impugnari, quo Fonſeca ipſe impugnat, dari in materia, & forma duas cauſalitates reſpectu cōpoſiti: ſicut enim per vnam & eandem cauſandi rationem, & materia ſuſtinet formam, & forma informat materiam, & vtraque eſt pars cōpoſiti; ideò, quia compoſitum ex mutua materiæ & formæ cauſalitate reſultat, quæ ideò, quia eſt naturalis, noua non indiget cauſalitate, vt ipſe ſcribit *in 5. Metaph. c. 2. q. 1. ſect. 3. in principio, & q. 2. ſec. 2. in principio*: ita etiam per vnam & eandem generalem cauſandi rationem materia recipit formam, & eam ſuſtinet in eſſe; & forma per eandem informat materiam, & eam in eſſe continet: nam recipere formam, vel idem eſt, quòd eam ſuſtinere, vel vnum neceſſariò ſequitur ad aliud: ſimiliter etiam formam informare materiam, vel idem eſt, quòd eam continere in eſſe; vel ipſum continere ſequitur naturaliter ad informationem: iam verò, quod naturaliter conſequitur ad aliud, non indiget noua cauſalitate, vt reſultet: inde enim eſt, quòd paſsiones nō reſultant per nouam efficientem cauſalitatem, ſed per eandem, qua ſubiectum producitur. Quæ ratio maiorem habet efficaciam in propoſito, quàm in noua cauſalitate reſpectu compoſiti: etenim mutua dependentia materiæ & formæ inter ſe longè diuerſa eſt à dependentia compoſiti ex vtraque: nam compoſitum ab vtraque dependet, vt à componente, & ſubindè, vt à cauſa intrinſeca: forma autē pendet à materia, vt à recipiente, & materia à forma, vt ab actuante, quæ dependentia eſt à cauſa extrinſeca: quod doctè aduertere Conimbricenſes *in 2. Phyſ. c. 7. q. 8. art. 1. pag. 281. & 282.*

39. Occurritur 3. Tertiò accedit; quia, vt admittantur duæ illæ cauſalitates in materia, & forma in ordine ad effectum extrinſecum: nullo tamen modo admitti poſſunt in cauſa formali reſpectu effectus intrinſeci, verbi gratia, in albedine reſpectu albi, & in anima reſpectu animati: in hoc enim effectu vna tantùm cauſandi ratio admitti debet: quia eſſe intrinſecum, cum ſit idem realiter cum ſua cauſa formali, & ab eo eſſentialiter dependeat, nihil habet in quo fundetur diuerſa ratio dependentiæ: cuius oppoſitum reperitur in effectu extrinſeco, qualis eſt exiſtentia materiæ in ordine ad formam: cum enim dependeat ab ea, vt à cauſa extrinſeca, & realiter diſtincta, licet neceſsitate naturali dependeat à cauſalitate informatiua materiæ; abſolutè tamen ab ea non dependet; ſed poteſt in materia conſeruari per aliam cauſam, aut in genere cauſæ efficientis, vt communis docet; aut formalis, vt contendit Fonſeca; vnde datur locus nouæ illius Philoſophiæ.

Accedit quartò; quia ſuppoſita duplici illa cauſalitate in materia, & forma, efficaciter infertur, ſolutionem Fonſecæ non tollere noſtri argumenti efficaciam; ſcilicet eſſentialem ſubalternationem, nō eſſe ſimpliciter neceſſariam in omni cauſa ſecunda reſpectu primæ: quoniam nec cauſa materialis illi eſſentialiter ſubalternatur in recipiendo; nec formalis in informando, vt Fonſeca libenter fatetur. Porrò ſi ſemel admittatur, non omnem cauſam ſecundam in omni ſuo modo cauſandi eſſentialiter ſubalternari primæ; abſolutè concedendum eſt, eſſentialem ſubalternationem non eſſe ſimpliciter neceſſariam in omni cauſalitate cauſæ ſecūdæ. Nec ſatis eſt, ſi reſpondeas; eſſentialem ſubalternationem non eſſe abſolutè neceſſariam ad omnem modum cauſandi cauſæ ſecundæ; eſſe tamen neceſſarium, quòd omnis cauſa ſecunda in aliquo proprio cauſandi modo ſubalternetur primę cauſæ; ita, vt nulla cauſa ſecunda poſsit ſuum concurſum præſtare, quin Deus in eodem genere cum illa concurrat, ſaltem in aliquo concurrendi modo, ſine quo cauſa ſecunda concurrere non valeat. Nō eſt, inquam, ſatis: quoniam, ſi vera eſt Philoſophia Fonſecæ; quãuis nulla cauſa formalis poſsit naturaliter concurrere informando, quin etiam concurrat continendo; tamen per diuinam potentiam ſine cōtinentia poteſt informare; nimirũ ſi Deus conſeruata vnione, & informatione formæ cum materia ſuſpendat concurſum, quo cum eadem forma concurrebat ad continendum, & ſe ipſo ſine forma materiam contineat in eſſe; quod factu eſſe poſſibile, ſcribit *in 7. Metaph. c. 7. q. 13. ſect. 5. pag. 388. col. 1.* Poteſt igitur forma concurrere ad eſſe informando materiam, Deo cum illa non concurrente in aliqua, quam forma exerceat, cauſalitate: etenim poſito illo caſu forma concurrit informādo,

40. Occurritur 4.

do, non verò cõtinendo: niſi dicas poſito illo caſu formam informare quidem, ſed nullum eſſe cauſare. Sed mirum eſt, ſi vir doctus poſſit admittere, dari cauſam cũ actuali cauſalitate, abſque aliquo eſſe, & effectu à ſe cauſato. Porrò, ſi admittamus formam, diuina potentia poſſe complete cauſare dando eſſe Deo non concurrente eadem cauſalitate, qua cauſa ipſa cauſat; non poteſt non admitti non omnẽ cauſam ſecundam in ſua cauſalitate eſſentialiter pendere à prima.

Reditur ad ſolutionem argumenti Fonſecæ.

41. ¶ Et vt ad inſtitutum primũ redeamus, concludendum eſt, non poſſe non negari omnem cauſam ſecundam eſſentialiter eſſe ſubalternatam primæ cauſæ, ſi ſermo ſit de ſubalternatione eſſentiali propriè ſumpta; de illa inquam, quæ poſita eſt in dependentia, tum in ordine ad eundem numero effectum; tum ad eandem numero cauſalitatem.

42. Prima obiectio Fonſecæ. At, inquit Fonſeca *in 5. Metaph. c. 2. q. 12. ſect. 2. pag.* 153. vnaquæque cauſa in ſuo genere dat eſſe; & omnis effectus, cũ ſit à ſua cauſa, ſuſcipit eſſe. At, nihil dat eſſe, quocumque modo id fiat, non concurrente ad eum modum dandi eſſe illa cauſa, cui primò conuenit dare eſſe. Et hanc propoſitionẽ putat apertiorem eſſe, quam indigeat probationẽ. Soluitur. ¶ Sed profectò, ſi eſt ſenſus, quòd nihil poſſit dare eſſe, niſi prima cauſa concurrat ad eum modum dandi eſſe; ita vt ille modus, ipſaque cauſalitas, quæ dat eſſe, ſit etiam à prima cauſa; tantùm abeſt, vt propoſitio ſit per ſe nota, vt ab omnibus negetur: vnde vir doctiſsimus deberet eam probare. Igitur nihil dat eſſe, niſi prima cauſa (cui proprium eſt dare eſſe) ſimul concurrat cauſalitate efficiẽte cũ illo modo dandi eſſe: non tamen oportet, vt cum cauſa ſecũda ſimul influat in illum modum dãdi eſſe.

43. Secunda obiectio Fonſecæ. Obijcit adhuc Fonſeca; quoniam ſi qua res cauſat aliquid, Deo cum illa non concurrente ad ipſum cauſandi actum; iam illa in cauſando non eſſet dependens ab eo: quod accedit ad opinionem Durandi, quæ ab errore non liberatur. Soluitur. ¶ At ſequela viri doctiſsimi eſt ſatis inefficax: quia vt cauſa ſecunda in cauſando per ſe depẽdeat à Deo, ſatis eſt, quòd cauſare nequeat Deo non concurrente in aliquo genere cauſandi: nam in hoc ſenſu quatuor genera cauſarum mutuam habent in cauſando dependentiam, non per accidens, ſed per ſe. Quare, ad dependentiã in cauſando non eſt neceſſaria dependentia in eodem genere cauſæ: & cum in hoc ſit ſtatus controuerſiæ, probanda erat conſequentia.

Obijcit tertiò; quoniam cum cauſæ efficientes, exemplares, & finales eſſentialiter ſubalternentur Deo, non eſt, cur illi non ſubalternentur materiales, & formales. 44. 3. obiectio Fonſecæ. ¶ At non æqua eſt in omnibus ratio; Soluitur. quoniam cauſalitates illarum nullam dicunt imperfectionem, ſed perfectionẽ potiùs: cum tamen harum cauſalitates imperfectionem intrinſecè denotent: etenim ſicut ſubſtinentia materialis in eſſe, intelligi non poteſt ſine receptione eius, quod ſuſtinetur (quomodò enim materia ſubiectiuẽ ſuſtinebit in eſſe id, quod non recepit?) ita continentia formalis concipi nequit ſine actuatione informatiua: quo modo enim forma formaliter continebit in eſſe id, cui tribuit eſſe, niſi illud actuet informãdo? etenim forma, cum ſit actus, actuando dat eſſe; ſicut materia, cum ſit potentia receptiua, dat eſſe recipiendo: quæ Philoſophia in formis intrinſecis eſt neceſſaria, vt oſtendimus. Quare, ſicut harum cauſarũ rationes cauſandi imperfectionẽ includunt; ita effectus illarũ, vt ſunt ab illis ſine imperfectione nõ cauſantur.

Igitur in hac materia ſic philoſophandũ eſt, vt ſuſtinere in eſſe non ſit cauſalitas 45. cauſæ materialis, ſed materialis effectus, naturaliter cõſequens ad receptionẽ eius, quod in eſſe ſuſtinet: recipiendo enim illud in ſe, ſuſtinet illud in eſſe: ſimiliter cõtinere aliud in eſſe nõ eſt cauſalitas cauſæ formalis, ſed formalis effectus cauſatus in eo, quod formaliter actuatur, & informatur: ad actuationẽ enim & informationẽ naturaliter reſultat cõtinentia in tali eſſe. Quin potiùs cõtinere, & ſuſtinere in eſſe ſine improprietate accommodantur alijs cauſis: nam cauſa efficiens efficienter ſuſtinet, & continet aliud in eſſe, quod illi tribuit. Vnde D. Gregorius loco citato agens de Deo efficienter & finaliter concurrente, modo hoc termino vtitur, modo illo. Omnes etiam cauſæ cauſando eſſe, dant, ſuſtinent, & continent aliud

in eſſe, ad quod cauſandum cõcurrunt: diſtinguuntur autem; quia efficiens efficiẽter ſuſtinet illud eſſe, & illud idem continet: materia autem recipiendo in ſe actum, actus verò actuando materiam; finis denique finalizãdo, vt tale eſſe detur gratia ſui. Et oppoſitum ſicut intelligi non poteſt, ita nec probari. Sed de hoc ſatis diximus ratione inſtituti: nam res iſta latiorem poſtulabat diſcutionem.

§. 5.

Expenditur ſecunda ſolutio admittens datam Philoſophiam in formis intrinſecis.

46. *Solutio ſecunda.* SEcunda ſolutio ad Philoſophiã poſitam §. 3. ſumi poteſt ex opinione, quòd Deus eſſe non poteſt cauſa formalis intrinſeca, benè tamen extrinſeca; & ratio eſt, quia hæc poteſt ſine informatione cauſare, vt ſatis probat ipſa denominatio; quod enim extrinſecum eſt, non informat id, ad quod extrinſecè ſe habet, vt patet in viſione, quæ eſt cauſa formalis viſibilis, in quo tamen non recipitur, ſed in ſolo viſu. Satis etiam id patet in ſex vltimis prædicamentis, vno paſsionis excepto: omnia enim ſuum effectum formalem exercent abſque vlla informatione: veſtis enim formaliter facit veſtitum, non informans hominem; & locus facit locatum abſque vlla inhæſione in re locata, & ſic de cæteris. Ob quam rationem eſſentiæ diuinæ non repugnat eſſe formã extrinſecam, & formalem cauſalitatem exercere, vt omnes admittunt. Et ſatis confirmari poteſt ex opinione Thomiſtarum, qui conſtanter docent humanitatem Chriſti non habere propriam exiſtentiam, ſed formaliter exiſtere per exiſtentiam diuinam illi formaliter cõmunicatam. Natura etiam humana Chriſti formaliter ſubſiſtit per ſubſiſtẽtiam verbi: ita vt & ſubſiſtentia perſonalis verbi, & diuina exiſtentia non ſolùm ſint formæ, quibus natura humana formaliter ſubſiſtit, & exiſtit; ſed etiam in illam habeant veram cauſalitatem formalem, dũ ei formaliter communicantur, vt doctiſſimis placet Theologis, quorũ ſentẽtiam diximꝰ eſſe probabiliſſimã in materia de Incarnatione. Hoc autẽ non aliunde prouenit, niſi, quia talis forma, cum ſit extrinſeca poteſt ſine actuali informatione formalem cauſalitatem exercere; quomodò formalis cauſalitas nullã includit imperfectionem; quare cõmunis Philoſophia à nobis adducta. ſ. Deũ non poſſe eſſe cauſam formalẽ, nec ſupplere formalem cauſalitatẽ, intelligenda eſt de cauſa formali intrinſeca, non verò de extrinſeca.

Qua ſuppoſita explicatione, argumẽta poſita §. 3. nullam habent efficaciã: quoniam intellectus fit ipſa res per ſpeciem, non vt per formam intrinſecam, ſed extrinſecam: fit enim ipſa res per ſpeciem; non quidẽ, vt illi inhęret (hoc enim illi cõuenit per accidens) ſed vt illi obiectiuè proponitur, & coaſsiſtit: quæ eſt cõmunior Philoſophorum, & Theologorum ſententia, vt patet ex dictis in 1. p. huius libri q. 4. art. 1. §. 2. & art. 3. §. 1: etenim ſi ſpecies poſſet aſsiſtere intellectui obiectiuè, illi non inhærendo; adhuc poſſet intellectũ facere rem ipſam. Quare, cũ diuina eſſentia ob ſuam infinitatem, & eminentialem excellentiam, poſsit abſque informatione intellectui aſsiſtere obiectiuè; vtique poteſt formaliter facere, vt intellectus intelligibiliter ſit Deus, exercens in hoc munus ſpeciei. ¶ Hæc ſit ſecunda ſolutio ad noſtrum fundamentum poſitum §. 3. 47.

Sed ſolutio iſta nec Philoſophiam cõmunem philoſophicè interpretatur, nec ſolido nititur fundamento. Primum ex eo patet; quia Philoſophia explicata agit de cauſis formalibus, quæ ſunt veræ cauſæ, & verã exercent cauſalitatẽ; tales autẽ non ſunt formæ extrinſecæ: hæ enim, quamuis aliquam habeant ſimilitudinem, & proportionem cauſæ formalis ad res, quas denominant; tamen non ſunt veræ cauſæ, nec veram cauſalitatem exercent, vt patet ex principijs Philoſophię, & latè probat Suar. *in Metaph. diſp.* 16. *ſect.* 1. vbi inquirens, vtrùm omnia accidentia verã exerceant cauſalitatem formalẽ, num. 3. diuidit formas accidentarias in intrinſecas, & extrinſecas; & multis oſtendit ſolas intrinſecas eſſe veras cauſas formales, non verò extrinſecas, vt oſtendit *n.* 24. §. *Dico tertiò*: nulla enim forma poteſt verã cauſalitatem exercere, quin tribuat aliquod verũ eſſe; nã cauſa definitur id, quod dat eſſe rei, vt patet ex definitione Auic. *in ſua Metaph. tract.* 6. *c.* 1. ad quam cæterę definitiones reducuntur, vt docent omnes: Fonſec. *in* 2. *Metaph. cap.* 7. *q.* 1. *ſect.* 1. 48. *Reijcitur præcedens ſolutio.* *Suarius.* *Auicena.*

Conim-

Conimbr. 2. Phyſic. cap. 7. q. 1. art. 1. Suar. in Metaph. diſp. 12. ſect. 2. n. 3. Iam verò forma extrinſeca nullum eſſe reale tribuit, ſed ſolam quandam extrinſecam denominationem, vt idem Suarius docet in dicta *diſp. 16. ſect. 1. n. 24*: quod & inductione, & ratione patet: inductione quidem; quoniam viſio, quæ eſt forma extrinſeca, nullum eſſe reale tribuit rei viſæ, ſed denominationem tantùm. Idem inuenies in cæteris actionibus immanentibus ſenſus, intellectus, & voluntatis: etenim intellectio ſolùm denominat rem intellectam, volitio rem volitam, ſcientia ipſum ſcibile, ſenſus ſenſibile, & manus dextra nihil reale ponit in columna, quæ eſt à dextris. Idem reperitur in formis extrinſecis ſex vltimorum prædicamentorum: actio enim nihil ponit in agente, niſi denominationem, iuxta veriſsimam ſententiam: veſtis etiam nihil ponit in re veſtita, aut ſuperficies in re locata, & ita de cæteris: ſolum enim ſunt formæ quędam adiacentes. Denique nulla dabitur forma extrinſeca, quæ aliquod eſſe reale tribuat, ſed puram & nudam denominationem. Quod adeò eſt verum, vt ſana ſententia non admittat, eam in re denominata cauſare, aut pônere aliquid rationis, vt latè probat Suar. *in Metaphy. diſp. 54. ſect. 2. à num. 6.*

49. Ratio etiam philoſophica idem oſtendit: etenim nullum verum eſſe dari poteſt à vera cauſa, niſi media vera cauſalitate, vt habet recepta Philoſophia: iam verò nulla cauſa formalis poteſt veram habere cauſalitatem, niſi mediante reali vnione cum eo, cuius eſt cauſa: quia formalis cauſalitas, vel eſt ipſa formalis vnio, vel ſine vnione dari non poteſt, vt Philoſophia indubitata habet vno excepto Fōſeca. Forma autem extrinſeca realiter nō vnitur ei, cuius eſt forma; aliàs eſſet intrinſeca. Nec ad hoc ſatis eſt vnio obiectiua: licet enim hęc ſatis ſit ad terminandum actionem; non tamen eſt ſatis ad cauſandum eſſe, niſi in genere cauſæ efficiētis. His accedit, quia effectus formalis, ſi aliquis tribueretur à forma extrinſeca, non poſſet realiter non diſtingui ab ipſa forma: ſi enim non diſtingueretur eſſet illi intrinſecus, cui forma eſt extrinſeca: at verò eſſe formale eſt idem realiter cū ipſa forma.

Ex his iam patet, formas extrinſecas non poſſe enumerari inter cauſas formales: quo ſuppoſito non ſatis explicatur communis Philoſophia, de qua agimus. ſ. *Deum non poſſe ſe ipſo eſſe cauſam formalem*, vt ſolùm ſit vera in formis intrinſecis, nō verò in extrinſecis: nam ſi formæ extrinſecæ non ſunt veræ cauſæ formales, limitare non poſſunt veritatem Philoſophię, quæ de veris cauſis formalibus agit. 50. Cauſa formalis extrīſeca nō eſt propriè cauſa formalis.

Quòd verò prædicta ſolutio falſò nitatur fundamēto, ex eo patet, quia ſumit ſpeciem intelligibilem facere intellectum eſſe rem, non vt intrinſecè intellectum perficit, & informat, ſed prout illi obiectiuè veluti aſsiſtit ad modum formæ extrinſecæ: quæ Philoſophia licet pluribus arrideat; non tamen conſentit cū doctrina Ariſtotelis: hęc enim euidenter docet, ſpeciem reſpicere intellectum, vt forma reſpicit materiam; ita vt intellectum intrinſecè perficeat, actuet, & informet per veram perfectionem perfectiuam; non quidem per accidens, ſed per ſe, vt cum Caietano, & alijs oſtendimus in 1. p. huius lib. q. 1. ar. 1. §. 2. & latiùs q. 3. art. 3. §. 2. & iterum q. 4. ar. 1. §. 2. & ar. 2. §. 3. Ex quibus locis euidenter intelliges, intellectum fieri rem ipſam per ſpeciem, vt per formam intrinſecam, ad quod non aduertere eſt cauſa multiplicis erroris. Quare, licet admitteremus communem Philoſophiam locum non habere in formis extrinſecis; adhuc id nihil iuuaret aduerſarios; quia licet daremus diuinam eſſentiā habere poſſe rationē formæ extrinſecæ; hoc non ſatis eſſet, vt ad inſtar ſpeciei faceret, vt intellectus beati eſſet Deus; quoniam iſte effectus non eſt à ſpecie intelligibili vt à forma extrinſeca (vt malè ſupponitur) ſed vt ab intrinſeca, vt vera habet Philoſophia. Quare ſi Deus non poteſt ſupplere cauſam formalem intrinſecam, vt nobiſcum Authores huius ſolutionis admittunt: vtique in hoc munere non poterit ſupplere vicem ſpeciei, cum effectus ille ſit ipſi ſpeciei intrinſecus. Meritò igitur hæc ſolutio non eſt recipienda. 51.

§. 6.

Expenditur tertiò ſolutio admittens datam Philoſophiam in genere rei, non verò in genere intelligibili.

52. Tertia ſolutio. Tertia ſolutio ad duas rationes poſitas §. 3. habet Deo verè repugnare eſſe cauſam formalem in genere rei, & naturæ; non tamen in genere intelligibili: & ſubindè poſſe Deum supplere vicem ſpeciei in genere cauſæ formalis in intellectu beati. Ita pro aduerſaria ſententia datam Philoſophiam explicauit Cabrera 3. *p. q.* 2. *art.* 1. *diſp.* 2. §. 7. *n.* 56. *& ante eum Caietanus* 3. *p. q.* 2. *artic.* 1. §. *Circa rationem illam*, & verè ſolutio ſumpta eſt, ex D. Thoma 3. *contra gentes cap.* 51. vbi docet, diuinam eſſentiam nullius formam eſſe poſſe in eſſe rei, & naturæ; bene tamen in genere intelligibili, *& in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. *in vltima opinione, & de Veritate q.* 8. *art.* 1. *& alijs in locis*: quin potiùs 3. *p. loco citato ad finem corporis* aſſerit, diuinam eſſentiam eſſe non poſſe formam alicuius, præſertim corporei: his verbis ſignificans eam eſſe poſſe formam intelligibilem intellectus in genere intelligibili, vt ibidem aduertit Caiet.

Cabrera. Caietan. D. Thom.

53. Rationem diſcriminis ex eo ſumit D. Thomas, quia forma in genere rei cum eo, cuius eſt forma, conſtituit vnam naturam; quod tamen non requiritur in forma intelligibili: ad hanc enim ſatis eſt, quod intellectum perficiat ad intelligendum: hoc autem non repugnat diuinæ eſſentiæ, vt vult D. Thomas cum Caiet. & Cabrera locis citatis.

54. Accedit, inquit Cabrera, quia cauſalitas in eſſe rei, & naturæ ex ſua ratione eſt intrinſeca, cum ſit intrinſecè conſtitutiua vnius naturæ: cauſalitas verò in eſſe intelligibili, ex ſe non eſt intrinſeca, ſed poteſt eſſe extrinſeca: Deus autem poteſt ſupplere cauſam formalem extrinſecam, quia hæc perficit ad operandum abſque informatione.

55. Hanc tamen ſolutionem non admittit Suar. 3. *p. q.* 2. *art.* 1. *in comm.* §. *Ad primũ reſpondet Caietanus*, vbi abſolutè reſoluit diuinitatem nec eſſe poſſe formam corporis, nec ſpiritus: quia ratio formæ ſemper includit imperfectionem partis, & alicuius dependentiæ: licet autem ex parte ſubiecti imperfectioris, & extenſi magis repugnet diuinitatem informare corpus: aliundè tamẽ magis repugnat, quod informet ſpiritum: nihil enim obſtat, ſi corpus formæ ſubſtantiali afficiatur: ſpiritus autem ſolùm affici poteſt accidentali; cuius ratio diuinitati magis repugnat.

Accedit, inquit, quia non eſt verum in beatitudine, diuinam eſſentiam eſſe propriè formam intellectus beati; quia re vera non informat, ſed ſolùm ſupplet efficientiam formæ intelligibilis: ob quam rationem dicitur habere vicem formæ, non quoad rationem informãdi; ſed quo ad vim efficiendi. 56.

Sed hæc ſolutio, nec percipit mentem D. Thomæ, nec vim ſolutionis illius: etenim D. Thomas 3. *p. q.* 2. *art.* 1. non ideò addidit, particulam illam *præſertim corporei*, quaſi velit, diuinitatem eſſe poſſe formam ſpiritus in genere rei, & naturæ: ſemper enim oppoſitum docuit in locis citatis, quorum oportebat meminiſſe; ſed ideò, quia diuinitas, nec in genere rei & naturæ, nec in genere intelligibili poteſt eſſe forma corporis; cum tamen poſſit eſſe forma ſpiritus; non quidem in genere naturæ, ſed in genere intelligibili; quia ſubſtantia ſpiritualis, cùm ex ſua natura ſit ens, & intelligens, poteſt in ea diſtingui duplex genus eſſendi; vnum in eſſe entis; alterum in eſſe intelligentis; in quo ſolo dari poſſunt formæ intelligibiles. Itaque admittunt Thomiſtæ, diuinitatem in genere naturæ nullius rei corporeæ, ſiue incorporeæ poſſe eſſe formã; benè tamen in genere intelligibili; in quo poteſt eſſe forma, non corporis, ſed intellectus; & ideò addidit præcitatam particulam, vt ſatis doctè aduertit Caietanus. Quare, quæ Suarius adducit, ſolutionem non impugnant: quia ſolùm habent locũ in forma in eſſe naturæ, non verò in genere intelligibili; in hoc enim (vt volunt Thomiſtæ, & in hoc poſitus eſt ſtatus quæſtionis) dari poteſt forma abſque informatione. Et in hoc ſenſu oportet Thomiſtas impugnari. 57. Suarius nõ impugnat ſolutionem D. Thomę.

Omiſsis igitur, quæ Suarius adducit, ego datam Thomiſtarum explicationem ideò non admitto; quia non video, cur Deus in genere rei, & naturæ non poſſit eſſe cauſa formalis, nec dare aliquod eſſe per formalem concurſum; benè tamen in eſſe intelligibili: nec enim vnquã aſsignabitur ratio diſcriminis. Quin potiùs, ſi res iſta cõſideratius attẽdatur, eandem eſſe rationẽ in vtroq; genere ex eo deducitur; quia tam Ariſtoteles, quàm D. Thomas formas intelligibiles in ordine ad 58. Vera ſolutionis impugnatio.

ad intellectum eodem modo philoſophatur, quo naturales in ordine ad materiam primam, vt oſtendemus in §. ſequente. Quod ſuadere videtur in vtroque genere eandem rationē reperiri quoad eſſe cauſam; & ſubinde valere conſequentiam de vno genere ad alterum, niſi aliqua euidēs ratio oppoſitum ſuadeat: nam quæ pro oſtendendo deſcrimine inter vtrunque genus adducuntur, paruam habent efficaciam, vt videbimus.

59. Deindè; formæ intelligibiles in omnibus conueniunt cū naturalibus, niſi quòd hæ ſunt formæ ſolùm ad eſſendum ſecūdum eſſe naturale ad extra; illæ verò ſūt formæ ad repræſentandum ipſas formas naturales, & proindè ſunt formę cuiuſq; entis, prout eſt intelligibile; cum tamen naturales ſint formæ cuiuſque entis, vt ens eſt habens quidditatem, & naturam. ¶ Hoc autē facilè patebit, ſi ſingula percurramus; nam formæ intelligibiles verè ſunt formæ reales, vt ens reale diſtinguitur ab ente rationis: quanuis non ſint reales, vt reale diſtinguitur ab intentionali atque repræſentatiuo alterius, vt oſtēdimus ſuprà 1.p.q.1.art.1.§.6. Vnde intellectui, (quem reſpiciunt vt puram potentiam in genere intelligibili) tribuunt verum eſſe reale: quia formaliter faciunt, vt intellectus ita ſit ſimilis rei, vt realiter ſit ipſa; non realitate naturæ ad extra, ſed realitate notionali, quatenus intellectus repræſentatiuè eſt ipſa res, quę eſt ad extra: quæ repræſentatio verè eſt realis. Cū verò nullum eſſe reale detur, vt reale diſtinguitur ab ente rationis, ſine concurſu cauſæ formalis, à qua realiter in ſuo eſſe dependeat: tale eſſe eſt verus, & realis effectus formæ intelligibilis, formaliter ab ea cauſatus: non quidem, vt à forma extrinſeca (vt aduerſarij malè ſupponunt) ſed vt ab intrinſeca, vt in §. ſequente dicemus: quare tale eſſe eſt effectus formalis, ab ea indiſtinctus: ſicut eſſe album, eſt indiſtinctū ab albedine. Quare eadem ratio implicationis, quæ reperitur in formis naturalibus in ordine ad eſſe reale, quod illis eſt formalis, & intrinſecus effectus, reperitur etiam in formis intelligibilibus in ordine ad eſſe intelligibile, quod intellectui tribuunt. Sicut enim effectus intrinſecus in genere reali, eſt realiter indiſtinctus à ſua forma, verbi gratia albū ab albedine: ita in genere intelligibili indiſtinctus eſt à forma intelligibili, verbi gratia eſſe intelligibiliter hominem, aut lapidem, eſt effectus realiter indiſtinctus à ſpecie hominis & lapidis: vnde ſicut eſſe formale in genere rei non poteſt alicui ſubiecto communicari, quin realiter communicetur entitas formæ naturalis; ita etiam eſſe formale generis intelligibilis (verbi gratia eſſe notionaliter hominem) non poteſt communicari intellectui, niſi ipſa forma intelligibilis eidem communicet ſuam entitatem. Cum verò non minùs impoſsibile ſit, Deum realiter communicare ſuam entitatem in genere rei, quàm in genere intelligibili; quia vtraque communicatio eſt realis: vtique eadem ratio impoſsibilitatis, quæ eſt in formis naturalibus, vt Deus nequeat ea ſupplere in genere cauſę formalis; eſt etiam in formis intelligibilibus, vt eas in genere formalis cauſę Deus ſupplere non poſsit.

60. Nec ratio deſcriminis ſumpta ex doctrina D. Thomæ aliquid efficit, quoniā ſi ſermo ſit de natura propriè ſumpta, qualis eſt ſubſtantialis, negandum eſt omnem formam in genere rei conſtituere vnam naturam cum eo, cuius eſt forma: nec enim ex ſubiecto, & accidente aliqua conſtituitur natura, nec aliquod ens per ſe; imò nec conſtituitur vnum compoſitum, quod ſit vnum tertium aliquo modo diſtinctum à partibus, vt omnes fatētur: ſolùm enim ipſum ſubiectum conſtituitur in actu talis formæ; verbi gratia paries in eſſe albi per albedinem, lignum in eſſe calidi per calorem; quod ipſum propriè non eſt vnum, ſed aliquo modo; vide Suar. *in Metaph. diſp. 16. ſect. 1. n. 10. & 11.* Quare cauſa per ſe, cur Deus in eſſe naturæ non poſsit eſſe cauſa formalis, nec formaliter poſsit dare eſſe, non eſt, quòd in genere rei forma cum eo, cuius eſt forma, conſtituat vnam naturam: hęc enim non conſtituitur ex ſubiecto, & forma accidentali; & tamen Deus non poteſt eſſe cauſa formalis albi. Porrò, ſi nomine naturæ largè ſumpto intelligatur compoſitum accidentarium, ſiue ens cōſtitutum in actu accidentario; negandum eſt formam intelligibilē non conſtituere vnum compoſitum accidētarium, vnūq; ens in actu, notionali quidem; at tamen reali, vt dicemus in ſequenti §.

¶ Ratio verò ſecundo loco adducta à Cabrera non ſolùm claudicat eodem pede; ſed etiam ſumit falſum. ſ. cauſalitatem in eſſe intelligibili, qua intellectus fit ipſa res, eſſe poſſe à forma extrinſeca, vt in ſequenti articulo oſtendemus, vbi etiam dicemus diuinam eſſentiam, vt facit intellectum eſſe Deum, habere rationem formæ intrinſecæ.

Hæc tam latè diximus pro defenſione rationum, quibus ex Philoſophia confirmauimus, diuinam eſſentiam non poſſe ad inſtar ſpeciei facere, vt intellectus ſit Deus.

§. 7.

Tertiò confirmatur negatiua ſententia impugnando modos, quibus defenditur.

61. Noſtram ſententiam negantẽ cõfirmauimus duab⁹ rationibus ex Philoſophia petitis: nunc tertiò confirmanda eſt impugnando ſingulos modos, quibus affirmans ſententia à ſuis patronis defendi ſolet, quos adduximus ſuprà §. 2.

Impugnatur primus dicendi modus.

¶ Primus dicendi modus ex eo ſumit fundamentum, quoniam vt intellectus beati formaliter fiat Deus per diuinam eſſentiam, ſatis eſt, quòd illa concurrat, vt forma extrinſeca obiectiuè aſsiſtens intellectui. Is tamen dicendi modus nec cõuenit cum modo philoſophandi D. Thomæ; nec cum Philoſophia Ariſtotelis; nec denique cum communi Philoſophia, de cauſalitate cauſæ formalis.

62. Quòd non conueniat cum modo philoſophandi Diui Thomæ, ex eo patet; quòd D. Thomas vnionem diuinę eſſentiæ cum intellectu vbique explicat ad modum formæ cum materia, & actus formalis cum ſuo formali perfectibili. Qui philoſophandi modus accommodari non poteſt vnioni per aſsiſtentiam obiectiuam, qua intellectui vnitur. Quod D. Thomas vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu philoſophetur modo explicato, patet ex ijs, quæ ſcribit *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1*: explicans enim modum Alexandri, & Auerrois ita ait: *quod quidem non debet intelligi, quaſi diuina eſſentia ſit vera forma intellectus noſtri, vel quod ex ea, & intellectu noſtro efficiatur vnum ſimpliciter, ſicut in naturalibus ex forma, & materia naturali: ſed quia proportio eſſentiæ diuinæ ad intellectum eſt ſicut proportio formæ ad materiam.* Et in eodem modo philoſophandi perſiſtens in fine corporis his verbis concludit, *& ideò magiſter dicit in 1. diſt. 2. ſententiarum, quòd vnio animæ ad corpus eſt quoddam exemplum illius beatæ vnionis, qua ſpiritus vnietur Deo.* In eadem Philoſophia perſeuerat de Veritate q. 8. art. 1. ferè per totum; in medio autem ita ait: *Non autem oportet, quod ipſa diuina eſſentia fiat forma intellectus ipſius, ſed quòd ſe habeat ad ipſum, vt forma; vt ſicut ex forma, quæ eſt pars rei, & ex materia efficitur vnum ens actu: ita, licet diſsimili modo, ex eſſentia diuina, & intellectu creato fiat vnum in intelligendo.* In reſponſione ad 5. ita habet: *forma, qua intellectus per eſſentiam videt Deum, eſt ipſa eſſentia diuina: nec tamen ſequitur, quod ſit forma, quæ eſt pars rei in eſſendo; ſed quod ſe habeat hoc modo in intelligendo, ſicut forma, quæ eſt pars in eſſendo*: faciunt, quæ ibidem ſcribit ad 6. Denique eundem philoſophandi modum ſeruat *3. contra gent. cap. 51.*

Primus dicendi modus non conuenit cum doctrina Diui Thomæ.

Quia verò forma in naturalibus ita ſe habet ad materiam, vt eam actuet, & perficiat, & vt agenti ſit principium agendi, vt quo, ſicut vera docet Philoſophia; ideô D. Thomas diuinam eſſentiam reſpectu intellectus creati non ſolùm philoſophatur, vt formam actuantem, & perficientẽ intellectum; ſed etiam, vt formam, quæ intellectui eſt agendi principium vt quo; etenim diuina eſſentia (vt ait D. Thomas *de Veritate q. 8. art. 1. ad 5.*) ſic ſe habet ad intellectum in intelligendo, vt ſe habet forma ad materiam in eſſendo. Quare, cũ forma in eſſendo, materiam actuet, perficiat, & ſit illi principium formale agendi: non immeritò diuinam eſſentiam reſpectu intellectus philoſophatur, tum, vt formam actuantem illum, & perficientẽ, vt patet *3. contra gentes cap. 51. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 10.* Tum etiam, vt formam, quæ illi eſt principium formale intelligendi, id eſt eliciendi intellectionem, vt ſatis explicat in quarto loco citato ante finem corporis articuli primi, vbi non ſemel, ſed iterum, & iterum docet, *diuinam eſſentiam eſſe formam, qua intellectus creatus videt Deum*, & idem repetit ad 63.

2. &

2. & 8. Id ipſum longo diſcurſu concludit in dicta q. 8. art. 1. ita inquiens: *reſtat ergo, vt illud, quo intellectus beatus Deum per eſſentiam videt, ſit diuina eſſentia.* Iterum idem ſcribit ibi *ad* 5. & 3. *contra gent. cap.* 51. & in hac doctrina perſiſtit vbicumque agit de eſſentia diuina concurrẽte vt forma intellectus beati. Et in eodẽ ſenſu explicat, ex diuina eſſentia, & intellectu fieri vnum in intelligendo; quia ſcilicet eſt forma, qua intellectus videt Deum, vt videre eſt ex dicta *quæſt.* 8. *de Veritate, art.* 1. & *in* 4. *loco citato*, dum propriam explicat ſententiam.

Hæc tam latè explicauimus, vt pateat D. Thomam diuinam eſſentiam vbique Philoſophari, vt formam intelligibilem habentem ſe ad intellectum ad modum, quo in naturalibus ſe habet forma ad materiam; ita vt intellectum actuet, perficiat, & ſit illi principium vt *quo*, intelligẽdi. Quem philoſophandi modum ſecuti ſunt nobiliores Thomiſtarũ. ſ. Capreol. Caietan. Ferrar. & alij, quos ſtatim citabimus contra ſecundùm dicendi modũ.

64. Quòd verò iſte modus philoſophandi non poſsit accõmodari vnioni, per aſsiſtẽtiam obiectiuam obiecti cum intellectu, fatentur plures, & qui hunc dicendi modũ probant, nec iurant in verba D. Thomæ: etenim forma, quæ ſolùm extrinſecè aſsiſtit, nec poteſt intellectum perficere, & actuare, vt patet, & probat Suar. *in Metaphyſic. diſp.* 16. *ſect.* 1. *num.* 24. nec poteſt illi ita vniri, vt cum eo conſtituat vnum principium agendi, vt *quo*; ſed ſolùm poteſt cum illo coniungi, vt cõprincipium partiale concurrens, vt *quod*, vt fatentur Authores illius ſententiæ, qui rem intimius penetrarunt, & nos diximus ſuprà 1. p. q. 3. art. 6. §. 2. & expreſsè agnoſcit. Suar. *lib.* 2. *de Attributis negatiuis capit.* 12. *num.* 21. cum pluribus alijs. Concludendum eſt igitur iſtum dicẽdi modum non ſatis conuenire cum doctrina Diui Thomæ, nec poſſe à Thomiſtis recipi.

65. Nec idẽ modus cõuenit cum doctrina Ariſt.

Quòd verò etiam non ſatis conueniat cum Philoſophia Ariſtotelis explicantis hoc munus ſpeciei, quod eſt facere intellectum eſſe rem ipſam, inde euidẽter oſtenditur; quoniam ſpecies apud Ariſtotelem reſpicit intellectum, vt veram ſuam materiam potentiamque ſubiectiuam in genere intelligibili, ita vt intrinſecè perficiat intellectum ipſum verè actuando, & informando per veram paſsionem perfectiuam; idque per ſe, & nõ per accidens, vt cum Caietano, & alijs oſtendimus ſuprà *prima parte q.* 1. *art.* 1. §. 2. & *latiùs q.* 3. *ar.* 3. §. 2. & *q.* 4. *ar.* 1. §. 2. & *art.* 2. §. 3. in quibus locis euidenter oſtendimus, intellectum fieri rem ipſam per ſpeciem intelligibilem ad modum formæ intrinſecæ per ſe illum informantis. Ex qua Philoſophia manifeſtè conſtat ſpeciem creatam ſuppleri non poſſe per eſſentiam diuinam adinſtar eius, niſi diuina eſſentia concurrat per modum formæ intrinſecæ actuando, & perficiendo intellectum vt propriam materiam. Quare ex Philoſophia Ariſtotelis etiam cõſtat modum philoſophandi Diui Thomæ eſſe ſatis Philoſophicum, quem probarunt Caietan. & alij, de quibus in ſecundo dicendi modo. Quare ſatius eſt negare, diuinã eſſentiam hoc munus ſpeciei ſupplere poſſe; quam aſſerere eam illud ſupplere, vt formam extrinſecam.

Denique iſte dicendi modus non ſatis conſentit cum Philoſophia de cauſalitate cauſæ formalis. Latè enim oſtendimus formam extrinſecam nullo modo habere poſſe rationẽ cauſæ formalis, nec poſſe alicui formaliter dare aliquod eſſe. Oſtẽdimus etiam §. 6. hanc Philoſophiã non ſolũ veram eſſe in formis in genere naturæ, ſed etiam in genere intelligibili. Quare fieri non poteſt, vt ſpecies faciat intellectum eſſe rem ipſam intellectam, prout obiectiue aſsiſtit intellectui. 66.

Vtrùm verò aut ſpecies intelligibilis, aut diuina eſſentia per obiectiuam aſsiſtẽtiam poſsit ſimul cum intellectu actiuè concurrere ad viſionẽ? Alterius eſt quæſtionis: cuius reſolutio ad noſtrum inſtitutum non pertinet; Cũ ſolùm inquiramus, An diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei faciat, vt intellectus ſit Deus? ad quod eſſe non poteſt concurrere, niſi in genere cauſæ formalis, quod illi denegam⁹, quidquid ſit de efficientia actiua in ordine ad viſionem.

Impugnatur ſecundus dicendi modus.

67. ¶ Secundus modus defendẽdi ſententiã affirmantem poſitus ſuprà §. 2. eſt eorũ, qui

qui admittunt eſſentiam diuinam vniri intellectui beato, vt formam intrinſecè actuantem, & intimè perficientem, & vt talem facere, vt intellectus ſit Deus; & tamen hunc effectum formalem tribuere abſque vlla intellectus informatione. Ita Caietan. Ripa, Sotus, & Fonſec. quos in dicto §.2. citauimus.

68. *Pezaut.* Hunc tamen dicendi modum non recipiunt plures Theologi, vt Pezantius 1. *parte, q.12. ar.2. diſp.1. ad 6. pag.54. col.* *Cabrera.* 2. *& Cabrera 3. parte. q.2. art.1. diſp.2. con-* *Valent.* *cluſione 4. §.6. num.37. & antea illam non* *Suarius.* *recepit Valentia ad primam partem diſp.1. q.12. punct. 2. pag.186. B. nec Suar, libro 2. de Attributis negatiuis cap.12. nu.*10. Nec eũdem approbabunt Theologi, quos pro noſtra ſententia refert D. Thomas. Quorum hoc eſt vnicum fundamentum: quia fieri non poteſt, vt diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei hunc effectum tribuat intellectui, niſi illum formaliter actuet, & in- *Argentin.* formet, quod ipſum probauit Argenti. *in 4. diſp.49. q.1. art.2. §. Sed iſtud non videtur bene dictum.* Quo eodem nos nitimur, vt demus in beatis ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, vt patet ſuprà q.3. & diximus art.1. huius quæſtionis. Cuius cõfirmationem in hunc locum retulimus.

Omnes citati Doctores non admittũt, diuinam eſſentiam etiam vnitam intellectui dare illi poſſe aliquod eſſe, & per conſequens poſſe dare, quod ſit Deus prius natura, quàm videat Deum. Quòd ſi verum eſt conſentiunt nobiſcum, nõ poſſe diuinam eſſentiam ſe ipſa hoc exercere munus. Ego hanc opinionem puto eſſe veriſsimam; ſed cum ſententia Aduerſaria ſit D. Thomæ; & Magnorum Theologorũ, opportet accuratiſsimè impugnari.

69. Impugnati. Suarii non eſt efficaX. Non ſatis autem impugnatur per id, quòd obijcit Suar. ſc. obiectum in alijs intellectionibus (ſiue vniatur per ſpeciem, ſiue ſe ipſo) non ideo conſtituere intellectum in actu primo, quod ei tribuat aliquod eſſe; ſed ideo ſolùm; quia ita aſsiſtit intellectui, vt compleat actiuitatem eius: hæc enim Philoſophia euidenter cõtrariatur Ariſtoteli 3. *de Anima capit. 4.* *Ariſtot.* *text.* 8. vbi docet intellectum ideo conſtitutum eſſe in actu primò intelligendi rẽ, quia per ſpeciem factus eſt ipſa. Imò in bona Philoſophia omnis actus primus fundatur in aliquo eſſe; quia poſſe operari, ſequitur ad eſſe. Vnde illam Philoſophiam ſæpe reiecimus, & iterum reijciemus in art. ſequente. Quare aduerſaria ſententia impugnanda erit ſuppoſita cõmuni Philoſophia, quòd intellectus per ſpeciem ſit ipſa res: & ea ſuppoſita oſtendemus, diuinam eſſentiam non poſſe hoc mun⁹ exercere, vt ſe ipſa faciat intellectũ eſſe Deum, niſi ipſum informet: in hoc enim poſitus eſt ſtatus totius controuerſiæ.

Vera igitur impugnatio ſumenda eſt 70. Vera impugnatio. ex ijs, quæ diximus ſuprà §.3.4. & 6. nam aduerſariorum opinio docet, diuinã eſſentiam vt formam intelligibilem in genere cauſæ formalis efficere, vt intellectus ſit Deus abſque vlla informatione; & ſimul etiam docet, diuinam eſſentiam ſe ipſa actuare, & perficere intellectum; vt patet ex Diuo Thoma 3. *contra gentes cap.* 51. *vbi Ferrarienſ. §. Circa hanc declarationẽ* & inferiùs §. *Ad primum horum*: Idem D. *D. Thom.* Thomas *in 4. diſt.49. q.2. art. 1. ad* 10. *&* *Ferrar.* 1. *p. q.12. art.2. ad tertium vbi Caieta. §. In reſponſione ad* 3. Hæc autem omnia repugnant cum vera Philoſophia: nam quòd Deus ſe ſolo non poſsit eſſe cauſa formalis intrinſeca, nec aut in genere rei, aut in genere intelligibili, aliquod eſſe tribuere concurſu formali intrinſeco latiſsimè oſtendimus ſuprà §.3. 4. 5. & 6. Quòd verò implicet cauſam formalem dare ſuum effectum intrinſecum ſine actuali informatione, oſtendimus §.3. in 2. ratione: implicat enim cauſam aliquam actualiter agere ſine actuali ſua cauſalitate, vt patet: iam verò cauſalitas cauſæ formalis per ſe eſt poſita in actuali informatione eius, cuius eſt forma, vt cõmunis habet Philoſophia, quam ſolus Fonſec. negauit, dum in cauſa formali præter informationem poſuit continentiam in eſſe, tanquam cauſalitatem formalem à priori diſtinctam: in quo ab omnibus reijcitur. Denique intelligere non poſſum, quomodo diuina eſſentia ſe ipſa, ſuaque ſubſtantia, ad modũ formę, intellectũ actuet, & perficiat, quin illum informet: etenim in cauſa formali vnio formæ cum eo, cuius eſt forma, & actuatio perfectioque illius ſunt cauſalitates formales ſola ratione diſtinctæ ab actuali informatione: nam forma, dum ſe ſe vnit cum potentia, illi immediatè cõmunicat ſuam entitatem, & eam cõmuni-

municando perficit, actuat, & informat ipſam potentiam: de qua Philoſophia diximus *lib. 1. q. 6. art. 5. §. 5. num. 31.* & aduertit Fonſeca *in 5. Metaphyſic. cap. 2. q. 2. ſection. 2. pag. 67. & 68. in princ. Conimbric. 2. Phyſ. cap. 7. q. 8. art. 1. & Suar. in Metaphyſic. diſp. 15. ſect. 6. num. 7.*

71. Contra eandem ſententiam poſſumus argumentari cum Pezantio, & alijs ſuprà citatis: quoniam illud eſſe, quo intellectus eſt Deus, vel eſt ipſum eſſe increatũ diuinæ eſſentiæ cõmunicatũ intellectui; vel ẽſt aliquod eſſe creatum; primũ non eſſe dandum, tanquam notiſsimum ſupponit Suar. *de Attributis negatiuis cap. 12 num. 10.* Sed poſſet illud non ſupponere, cum affirmatio non longè abſit à mente Caietani, & Soti; imò etiam, nec à mente D. Thomæ, vt oſtendimus §. 2. Pezantius verò, & Cabrera illud nituntur impugnare: Cabrera quidem ex eo, quòd nihil noui aduenit, propter quod eſſe increatum modo conueniat intellectui, & non antea. Sed ridicula eſt inſtantia: quoniam reſponderi poteſt, illud eſſe increatum, ideo modo cõmunicatum eſſe intellectui, & non antea, quia Deus modo voluit, ſe intelligibiliter vnire, & antea nolebat. Meliùs arguit Pezantius; quia non videtur eſſe intelligibile, quomodo intellectus habeat iſtud eſſe ſibi vnitum. At tamen reſpondebunt aduerſarij, illud eſſe increatũ cõmunicari intellectui effectiuè quidem à Deo; formaliter autẽ à diuina eſſentia, eo modo, quo eſſe diuinũ apud Thomiſtas cõmunicatur naturæ humanę Chriſti. Reſponderet etiã Caietanus, diuinam eſſentiã ex eo, quòd eſt omne eſſe, etiam intelligibile, quod per ſpeciẽ datur, habere hoc ſingulare, vt poſsit ſe cõmunicare intellectui abſque informatione: ob hanc enim rationem ſinę vlla informatione cõmunicauit naturæ humanæ Chriſti, non ſolũ ſuam ſubſiſtẽtiam perſonalẽ, ſed etiam ſuam increatã exiſtentiam. Oportebat igitur oſtendere, hanc cõmunicationem ad inſtar Formæ intelligibilis eſſe impoſsibilem.

Euaſio ex Caietano.

72. Occurritur. Ego hanc opinionem ex eo puto non eſſe recipiendam, quia recurrit ad cõmunicationem diuini eſſe ſuperantem omnẽ intellectus creati intelligentiam: id enim, quod aſſeritur ab omni intellectu creato inintelligibile, nõ debet affirmari, niſi vbi fides intellectũ captiuet: Iam verò in hac materia, nec fides ſuadet non dari in beatis ſpeciem, niſi increatam, nec ratio vrget, vt ſola increata admittatur. Quare non videtur probabilis modus dicendi, quòd hoc eſſe increatum cõmunicetur intellectui cõmunicatione quadam à nobis inintelligibili; & quãuis hoc ſatis ſuperq; ſit, vt hanc cõmunicationem eſſe increati non admittamus (nam ob eandem rationem in hoc dicendi modo intellectus Caietani non quieuit) tamen alijs modis innitemur eam impugnare.

Et primũ ex eo impugnabitur; quia licèt perſonalitas diuina, & ſit cõmunicabilis, & de facto cõmunicetur humanitati Christi; tamen diuina exiſtentia nulli creaturæ ita communicari poteſt, vt per eam formaliter exiſtat: vnde nec communicata eſt naturę humanę Chriſti, nec potuit communicari iuxta veriorẽ ſententiã, quam ſupponimus. Porrò ſi nulla creatura poteſt ſubſtantialiter exiſtere per increatã exiſtẽtiam, quæ eſt ſubſtãtialis; quo modo poterit per eam exiſtere exiſtentia accidentali, qualis eſſet eſſe Dei, ſi per ſpeciem creatam intellectui daretur? 73.

Et quanuis Thomiſtis daremus, naturam humanam Chriſti exiſtere per exiſtentiã increatam verbi: nunquam tamen dabimus, intellectum beati poſſe per eã exiſtere: longè enim diſpar eſt ratio inter vnam, & alteram vnionẽ: nam vnio per modum formæ intelligibilis eſt vnio cauſæ formalis intrinſecę, quæ in intellectu cauſat effectũ formalem ſibi intrinſecũ, vt iam oſtendimus: diuina autem eſſentia nõ poteſt ſe ipſa exercere formalẽ cauſalitatem. At verò vnio hypoſtatica, qua perſona diuina vnitur humanitati nullam exercet formalem cauſalitatẽ, vt docet Caietan. *3. p. q. 4. art. 2. dub. 1.* quem probat cõmunior recẽtiorum ſententia, & cum illis Medina *3. p. q. 2. art. 1. ad 5. dubitationem*, & ſatis docuit Scotus *in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 1.* etenim cum vnio ſit hypoſtatica, & in ſubſiſtendo; perſona diuina ad eam ſolùm concurrit in ratione termini terminantis dependentiam hypoſtaticã humanæ naturæ: terminus autem nullam in terminando exercet cauſalitatem. Oppoſitũ reperitur in vnione formę intelligibilis; hæc enim ideo fit, vt intelle- 74.

Caietan. Medina. Sotus.

intellectus aſſequatur eſſe rem, quam debet intelligere: At verò, vbi datur eſſe, intercedat neceſſe eſt cauſalitas formalis. Quare non valet hæc conſequentia: *eſſe diuinum poteſt hypoſtaticè communicari. Ergo poteſt communicari formaliter.*

75. Accedit eò; quia intellectus per ſpeciẽ intelligibilem non conſequitur eſſe naturale rei, cuius eſt ſpecies, ſed ſolùm eſſe quoddã notionale illius; intellectus enim per ſpeciem hominis non fit naturalis homo, ſed ſolùm intentionalis; quod non eſt aliud, quàm eſſe hominem repræſentatiuè. Quare intellectus beati, quãdo fit Deus, non fit Deus naturaliter, ſed ſolũ notionaliter, & repræſentatiuè. At eſſe increatum diuinę eſſentię, eſt ipſum eſſe naturale Dei, non verò notionale, aut repræſentatiuum. Igitur non poteſt cõmunicari intellectui, vt per illud repræſentatiuè fiat Deus. Si reſpondeas, illud eſſe naturale Dei eminenter eſſe repræſentatiuum, ob quam rationem diuina eſſentia ſubit vicem ſpeciei in intellectione, qua Deus ſe ipſum intelligit, quatenus eſt repræſentatiua ſui ipſius in eſſe intelligibili. Hæc reſponſio non tollit difficultatem; quoniam diuinam eſſentiã eſſe eminenter omne eſſe, licèt inferat, poſſe efficienter dare omne eſſe, & ſupplere quãcunque cauſam agentem: tamen nõ infert, poſſe formaliter cauſare omne eſſe: etenim licet diuina eſſentia eminenter contineat eſſe album, & eſſe calidum; non tamen poteſt ſe ipſa ſupplere albedinem, aut calorem. Quòd verò adducitur de diuina eſſentia ſubeunte rationem ſpeciei in intellectione ſui ipſius, nihil officit; quia illud facit non realiter, ſed noſtro modo intelligendi.

67. Ex his patet Caietani fundamentũ nõ eſſe ſatis firmum, dum ex eo, quòd diuina eſſentia eminenter eſt illud eſſe Deum, quod daret ſpecies creata, infert eam poſſe ſe ipſa formaliter dare tale eſſe ſine informatione: inde enim ſolùm infertur eam hoc habere ſingulare, quòd ſe ſola poſsit efficienter dare illud eſſe, nõ tamen ſine aliqua forma intelligibili informante, vt patet de eſſe albo, & calido, vt diximus: in hoc enim non datur diſcrimen inter formas naturales, & intelligibiles, vt iam oſtendimus.

¶ Quare in hac ſolutione meritò nõ quieuit ingenium Caietani, ſicut etiam non quieuerunt ingenia aliorum, & Fonſecæ, Pezantij, Cabreræ, & Ripæ.

Illud eſſe non poteſt eſſe creatum.

¶ Supereſt oſtẽdere, nec illud eſſe Deũ, quod aduerſaria opinio admittit dari per diuinam eſſentiam, eſſe aliquid creatum, quamuis ita doceant, Ripa, & Fonſeca. Id multis oſtendunt Pezantius, Cabrera, & Suar. Primò, quia ſi illud eſſe eſſet creatum, non comunicaretur intellectui formaliter, ſed efficienter, & ſubinde diuina eſſentia illud non communicaret ad inſtar ſpeciei. Sed reſpondere poſſunt aduerſarij, negando conſequentiam: quia licèt à Deo effectiuè cauſaretur; formaliter tamen cauſaretur à diuina eſſentia; cui non repugnat ratio formæ intelligibilis. Imò nec in genere rei hoc illi repugnare, reſpondebit Fonſeca: licèt enim nõ cauſaret tale eſſe informando: cauſaret tamen illud continendo: quare vtrũque impugnandum erat à Pezantio. 77. 1. Impugnatio. Solutio.

Secundò; quia Deus intellectui vniretur mediante aliquo accidente; cum tamen diuina eſſentia immediatè intellectui vniatur. Sed hæc ſequela (quæ eſt Cabreræ) non percipit terminos Philoſophiæ: etenim effectus cauſæ, etiam ſi à cauſa diſtinguatur, non eſt medium, quo cauſa effectum cauſat, vt contra eũ in ſequenti art. dicemus. 78. 2. Impugn. Solutio.

Tertiò; quia intellectus per illud eſſe mutaretur realiter, quod eſſe falſum inde oſtendit Suarius: Tùm; quia nec fingi poteſt, per quid fieret talis mutatio: tùm etiam, quia aduerſarij nullam mutationem admittunt in intellectu beati, niſi per lumen gloriæ. Sed aduerſarij negabunt minorem, & ſatis ad mentem Ariſtotelis et Philoſophorum: quia intellectus per illam vnionem de nouo verè, & realiter acquirit eſſe Deũ notionaliter, & repræſentatiuè; quod eſſe verè eſt reale, vt ens reale diſtinguitur ab ente rationis, vt contra eundem Suar. ſæpe diximus. Et mirũ eſt, quòd ſcribat Thomiſtas nullam in intellectu beati agnoſcere mutationem in actu primo, niſi per lumen gloriæ, vt contra eundem benè aduertit Ripa 1. p. q. 12. art. 2. *dub. 1. cap. 2. in fine*: Sed de hoc plura in diſp. de lumine gloriæ lib. 9. 79. 3. Impugn. Solutio. Ripa.

Quar-

80. 4. Impugn. Quartò obijciunt; quia ex intellectu, & eſſentia fieret vnum aliquod cōpoſitū reale: quòd non eſſe admittendum affirmat Suarius. Hæc tamen impugnatio facilè ſoluitur ex doctrina Diui Thomæ: nā quanuis ex diuina eſſentia, & intellectu non fiat vnum cōpoſitum reale, & in eſſendo, ſicut fit ex materia & forma; in genere tamen intelligibili ſit quædā veluti cōpoſitio, vt expreſsè fatetur Diuus Thomas in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. paulò ante finem: quæ non terminatur ad vnum tertium, vt fit in compoſitione ſubſtantiali ex materia, & forma; ſed ad hoc, quod intellectus ſit ipſa res, ad eum modum, quo in genere rei per compoſitionē parietis cum albedine, non ſit aliquod tertium, ſed paries conſtituitur in eſſe albi. Quare ex intellectu, & diuina eſſentia ex ſententia D. Thomæ fit vnū in intelligendo, non verò in eſſendo; vnde ratio iſta non ſatis concludit.

Solutio.

81, Vlt. impug. Poſtremò obijcitur; quoniā illud eſſe nō poteſt intellectui communicari, quin inter diuinam eſſentiam, & intellectū intercedat mutua cauſalitas. Ad hanc impugnationem (quæ eſt Suarij) Thomiſtæ negabunt ſequelam: quia putant diuinam eſſentiam ſine vlla cauſalitate, & informatione poſſe dare intellectui illud eſſe: Quod fundamentum erat à Suario impugnandum. Fonſeca verò facilè admittet mutuam cauſalitatem inter diuinam eſſentiam, & intellectum: illam ſc. quæ nec ex parte formæ, nec ex parte materiæ vllam imperfectionem includit. Quod etiam oportebat impugnare.

Solutio.

82, Vera impugnatio. His igitur, & alijs impugnationibus omiſsis, vera impugnatio poſita eſt in probatione conſequentiæ, quam Pezantius in prima ratione ſine probatione faciebat: etenim ſi eſſe Deum, eſſet aliquod eſſe creatum, illud à diuina eſſentia intellectui non poſſet formaliter communicari, ſed ſolùm efficienter: vnde nō comunicaretur ad inſtar ſpeciei: ſpecies enim illud eſſe intellectui non cōmunicat effectiuè, ſed formaliter. Porrò noſtra conſequentia e[illegible] eo efficaciter probatur; quoniam, ſi ill[illegible] o eſſe eſt creatum, neceſſariò eſſet diſti[illegible] realiter à diuina eſſentia. Iam verò eſſe, [illegible]od forma formaliter tribuit, non poteſt realiter diſtingui à forma, ſed eſt idem realiter cū illa, vt oſtendimus art. 2. §. 4. forma enim nihil aliud, niſi ſe ipſam, cōmunicat, vt ibidem diximus ex Fonſec. & Suario, & ſatis docet Ariſtoteles 2. *de Anima c. 2. tex. 26.* dū ait ex corpore, & anima ideo fieri vnū, quia anima ſe ipſa eſt actus, & corpus ſe ipſo eſt potentia; & idem de forma, & materia generaliter docuit lib. 8. Metaph. cap. 6. text. 15. ad finem, & arguit veteres, quòd ad hanc vnitatem medium aliquod vinculum requirebant; ex quo inferes apud Ariſtotelem, formam nulla media entitate perficere ſuum perfectibile, ſed ſolùm ſe ipſa; nec aliud eſſe eidem tribuere, niſi ſe ipſam, & inde habere, quòd ſit actus intrinſecus ſuo effectui, & perfectibili in tali eſſe conſtituto: in quo diſtinguitur à cauſa efficiente; hæc enim ita tribuit eſſe alteri, vt ipſa in ſe, ſuaque entitate ſit extra tale eſſe: ob quam rationē vera, & recepta Philoſophia in ſola cauſa efficiente admittit cauſalitatē realiter diſtinctam ab agente: nam cum à ſuo effectu non poſsit realiter non diſtingui, non poteſt non habere cauſalitatem realiter à ſe diſtinctā; realiter tamen indiſtinctam ab ipſo effectu: cum verò effectus cauſæ formalis ab ipſa cauſa formali realiter non diſtinguatur, quia forma nihil aliud, niſi ſe ipſam poteſt communicare, vt ex Ariſtotele oſtendimus; inde eſt, vt cauſalitas cauſæ formalis (quę ab ipſo effectu formali indiſtincta eſt) idem ſit realiter cum ipſa forma. Quare vera Philoſophia non admittit, vt effectus formalis formę (ipſum nimirum eſſe, quod forma tribuit) ſit ens à forma realiter diſtinctum. Quapropter, ſi eſſe notionaliter Deum (de quo agimus) eſt creatum, cū non poſsit realiter non diſtingui à diuina eſſentia, à qua cauſatur, non poteſt eſſe ab illa; vt à cauſa formali, ſed ſolùm vt à cauſa efficiente: quæ erat conſequentia à nobis probanda. *Ariſtotel.*

At occurrit Ripa in dicto *cap. 2. §. Sed mens Caiet.* illud eſſe Deū, quod intellect⁹ cōſequitur à diuina eſſentia, emanare ab ea eo modo, quo eſſe reale emanat à forma in eſſe naturæ: nā ſi à forma naturali emanat eſſe naturale; cur à forma intelligibili non emanabit eſſe intelligibile? qua poſita Philoſophia putat non ſolùm perire totam huius nodi difficultatem, ſed etiam prorſus euaneſcere. Et vt omnia 83. *Occurrit Ripa.*

appareant

appareant eſſe vana aduertit ipſum eſſe ſiue exiſtere ſpeciei intelligibilis eſſe ipſũ intelligere, ipſamque intellectionem actualem: quæ, vt ait, poteſt eſſe à ſpecie ad inſtar formalis effectus. Ego tamē puto verè euaneſcere, quæ vana iſta Philoſophia ſolidantur.

Reiicitur Ripa. 1. ¶ Et vt omnia vana appareant, aduerto in hac quæſtione agi de quodã eſſe, quod ex ſententia Caietani, & aliorum intellectus habet à diuina eſſentia prius natura, quàm Deum videat, quod ipſe met Ripa admittit. Sed quæſo, ſi intellectus beati te authore habet illud eſſe priùs natura, quàm in eo ſit viſio Dei actualis; quomodo tale eſſe eſt ipſum actuale intellgere? etenim, ſicut effectus ſine ſua cauſa dari non poteſt, ita nec intelligi poteſt, ante quàm ſit illa. Deinde; quomodo intelligere actuale eſt ipſum eſſe, & exiſtere intelligibilis ſpeciei; ſi ipſa ſpecies, & poteſt eſſe, & de facto eſt, quando non datur actualis intellectio? ſpecies enim intelligibiles manent intellectu actu non intelligēte, ſed otiante. Si dicas, manere quidem, ſed non in actu completo; etiam ego dicam calefacere eſſe ipſum eſſe, ipſumque exiſtere ignis calefacientis: quia ignis nũquam eſt in actu completo, niſi quando actu calefacit. Quare, ſi dum Caietanus aſſerit, intelligere eſſe ipſum eſſe ſpeciei intelligibilis, per intelligere intelligit ipſam actualem intellectionem, vt vult Ripa; illius Metaph. ab omnibus reijcitur, non ſolùm vt falſa, ſed vt omnino improbabilis, & inintelligibilis, vt diximus ſuprà 1. p. q. 4. art. 2. §. 2. vbi vt eum ab imperitia tanto ingenio indigna liberaremus, in alio ſenſu non longè ab illius mēte eum explicauimus: Ripam verò, cum explicare non valeam, in ſua vana Philoſophia relinquam.

84. *Reiicitur 2.* Qui & ſecundo loco eſt reijciendus, dum ait intelligere actuale eſſe effectum formalem ſpeciei intelligibilis: nam cum pendeat ab ea, vt à principio efficiēte, vt oſtendimus 1. p. q. 4. non poteſt ab ea pēdere, vt à cauſa formali: nam cum cauſa formalis ſit intrinſeca, efficiens verò extrinſeca, non poteſt vnus, & idem effectus ab vno, & eodem pe[n]dere formaliter & efficienter; nec enim in hoc ſenſu cauſa formalis, & efficiens poſſunt coincidere.

Tertiò loco reijciendus eſt dum ſupponit, intelligere actuale naturaliter emanare à ſpecie, vt eſſe ſiue exiſtere naturale naturaliter emanat à forma: nã vt hoc poſterius illi, & Thomiſtis daremus; dare tamen non poſſumus illud prius: quia intelligere emanat à ſpecie non in genere cauſæ formalis, ſed efficientis; emanat enim ab ea, vt à principio, quo intellectus influit in actionem. 85. *Reiicitur 3.*

Quartò adhuc eſt reijciendus, dũ ſupponit intelligere actuale, quo beati Deũ vidēt, naturaliter emanare à diuina eſſētia: quod nec admittit Schola Scotiſtarũ, quę in diuina eſſentia ad extra nullũ admittit concurſum naturalem, ſed ſolùm liberũ: nec Moli. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 2. *pag.* 111. licèt enim in ordine ad extra admittat cõcurſum naturalem, præſuppoſito tamen libero; illum tamen ſolùm admittit in genere cauſæ efficientis obiectiuæ, non verò formalis. Sed de hoc inferiùs latius erit agendum. 86. *Reiicitur 4.*

Poſtremò in hoc eſt arguendus, quòd ſupponit intelligere actuale, quo beatus videt Deum, eſſe id, quo intellectus fit Deus. Quod eſſe falſum iam oſtendimus, & ſatis patet ex Caietano, dum ait, oportere, vt intellectus priùs natura fiat Deus quàm intelligat Deum, & quàm poſsit influere in viſionem. Et hæc ſatis ſint, vt euaneſcat Ripę Philoſophia. 87. *Reiicitur 5.*

Impugnatur tertius dicendi modus.

88. ¶ Supererat impugnanda tertia dicendi via, quam probauit doctiſsimus Fonſeca, vt diximus §. 2. in fine: Sed quia Philoſophia, qua nititur iſte tertius dicendi modus, ſatis eſt impugnata §. 4. ideo ab hoc labore ſuperſedemus. ¶ Hæc tã latè diximus, vt appareat vis, & efficacia fundamenti, quo amplexi ſumus, vt longè probabiliorem ſententiam illam, quæ negat poſſe diuinam eſſentiam facere ad inſtar ſpeciei, vt intellect⁹ ſit Deus: quod erat primum, & principale munus ſpeciei intelligibilis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm poſsit diuina eſſentia obire aliquod ſpeciei munus, ſi præcedens non exercet?

In

1. IN præcedente articulo latè oſtendimus, diuinam eſſentiam nonpoſſe exercere primum, & principale munus ſpeciei, quod eſt facere, vt intellectus ſit ipſa res intellecta: quia ſe ipſa non poteſt facere, vt intellectus beati ſit Deus. Conſequenter agendum erat de alijs ſpeciei muneribus, vtrùm poſsint per diuinā eſſentiam exerceri? ſed quia inter aliquos dubitatur, an diuina eſſentia poſsit exercere reliqua ſpeciei munera, ſi primum (de quo egimus) exercere non poteſt; operæpretium erit hoc dubiū prius explicare.

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

2. Ferrarien. PArtem affirmantem probauit Ferrarienſis 3. *contra gentes cap.* 51. §. *Circa hanc declarationem*: vbi docet, diuinam eſſentiam vnione ſui cum intellectu ad inſtar ſpeciei actuare quidem, & perficere intellectum beati; nec tamen illi vllum eſſe tribuere, etiam de genere intelligibili. Ex quo infertur, diuinam eſſentiam non dare eſſe Deum intellectui beato; ſed vnione ſui cum eo ad inſtar ſpeciei reddere illum potentem ad intelligendum Deum. Quòd hæc fuerit Ferrarienſis ſententia, patet ex verbis, quæ ſcribit: *diuina eſſentia exiſtens in intellectu per modum intelligibilis actuat intellectum, non per aliquid aliud ab ipſa diſtinctum, quod ſit eius effectus formalis, ſed per ſe ipſam: quia ipſa non diſtinguitur à ſuo eſſe, ſed eſt ipſum eſſe ſuū, tàm in intellectu, quàm extra.* Et ſtatim: *ex quo patet, quòd non ſic dicitur vniri eſſentia diuina intellectui in eſſe intelligibili, tanquam forma, quaſi det aliquod eſſe formaliter intellectui, quod dicatur eſſe intelligibile; ſed quia eſt intellectui per ſe ipſam ratio, & principium formale intelligendi*, & inferiùs in ſolutione primi dubij in fine habet hæc verba: *eſſentia autem diuina non eſt talis forma* (agit de forma, quæ nō eſt ſuum eſſe) *imò ipſa eſt ſuū eſſe: ideo per ſe ipſam poteſt intellectum actuare ad intelligendum abſque eo, quod det illi eſſe formale*. Et addit, diuinam eſſentiam intellectui vniri ad inſtar ſpeciei intelligibilis, quia per ipſius vnionem intellectus fit potens eam intelligere; ad hoc enim ſolùm ſpecies intelligibilis intellectui vnitur: hæc enim ſunt illius verba: *Conſiderandum eſt diligenter, quòd nulla alia ratione ponitur hic ſpecies intelligibilis conſtituere intellectum in actu, niſi, quia perficit ipſum ad intelligendum, hoc eſt, quia ex eius vnione ad intellectum fit intellectus potens elicere actum intelligendi circa id, quod per ipſam obiectiuè repræſentatur intellectiui, quod abſque ipſa non poterat: & quia diuinæ eſſentiæ nō repugnat ſic vniri intellectui, vt per ipſam intellectus ſit potens eam intelligere, ideo conuenienter dicitur, quod vnitur intellectui, vt forma intelligibilis.* Tria igitur habemus ex Ferrarienſi. Primum eſt; quòd diuina eſſentia ſe ipſa perficit, & actuat intellectum beati. Secundum: quòd nullum illi dat eſſe formale, & per conſequens non facit intellectum eſſe Deum. Tertium denique, quòd vnita intellectui facit eum potentē eam intelligere. Et ex his omnibus infertur quartū (quod ad inſtitutum pertinet) diuinam eſſentiam non exercere primum munus ſpeciei, quod eſt facere intellectum eſſe rem intellectam: & tamen obire aliqua munera ſpeciei, ſc. actuare, & perficere intellectū ad inſtar formæ intelligibilis, & facere eū potentem, vt Deum videat.

Cabrera *ad tertiam partem quæſtione* 2. *artic.* 1. *diſput.* 2. §. 6. *concluſione* 4. *num.* 31. conſentit cum Ferrarienſi, quatenùs docet eſſentiam diuinam vniri cum intellectu nullū eſſe illi communicando: diſſentit tamen ab eo, quatenùs docet, eam vniri intellectui, non per aliquid aliud ab illa, quod ſit eius effectus formalis: licèt enim vniatur intellectui, nullum eſſe illi dando; non vnitur tamen abſque hoc, quòd illi det aliquem eſſendi modum: ita enim cōcludit concluſione quarta ratione prima: *Ergo nullum confert eſſe, ſed modum tantum eſſendi, qui ſupponit ipſum eſſe in cauſa.* Clariùs id exprimit *in dicto* §. 6. *num.* 43. *&* 44. Et *diſput.* 3. *concluſione* 2. *num.* 33. *vſque ad* 39. Tria igitur in hac difficultate admittit. Primum eſt; diuinam eſſentiam ſui vnione actuare, & perficere intellectum perfectione quadam abſoluta: & hæc eſt ſecunda concluſio poſita *in dicta diſputatione* 2. §. 5. *num.* 28. Secundum eſt; perficiendo intellectum nullum ei eſſe tribuere. Tertium eſt; eam tribuere intellectui quemdam eſſendi modum realiter indiſtinctum ab intellectu, diſtinctum tamen formaliter, 3. Cabrera.

vt ſcribit in dicta diſp. 2.§.6.*num.*31. & 43. & *diſput.*3.*num.*33. Ex quibus infertur, Cabreram in hoc etiam conſentire cum Ferrarienſi, vt eſſentia diuina plura exerceat ſpeciei munera, quamuis non exerceat primũ, de quo ſuprà.

§. 2.

Non recipitur hæc opinio.

4. Opinio affirmans includit repugnantia.

HÆc tamen opinio non eſt recipienda, quia in ſuis fundamentis plura includit inter ſe repugnantia: admittit enim cum Diuo Thoma, diuinam eſſentiam ſua vnione cum intellectu actuare, & perficere intellectum; & tamẽ nullum eſſe ei largiri: quod pugnat cum principijs Philoſophiæ: id quod ſatis ſignificat Pezantius 1.*parte quæſt.*12. *art.*2. *diſput.*1.*ad ſextum,* dum putat hanc conſequentiam eſſe notiſsimam, *diuina eſſentia, vniendo ſe ad inſtar ſpeciei, actuat, & perficit intellectum. Ergo dat illi aliquod eſſe*: & in hoc quidem ſatis doctè: quoniam de intrinſeca ratione formæ eſt, dare eſſe, vt eſt nota Philoſophia, & patet inductione; deniq; demõſtratur ex definitione cauſæ formalis ſumpta ex Auicena *in Metaphiſic. tractatu ſexto cap. primo*; ex Boetio *in Topicis*, probata à Diuo Thoma, cæteriſque Philoſophis, vt habes ex Curſu Conimbricenſi 2.*Phiſicor. cap.*7. *artic.* 2. & 3. *forma eſt, quæ dat eſſe rei*; quæ definitio colligitur ex Ariſtotele 2.*Phyſico. cap. primo textu.* 11. ex qua patet, eſſe de intrinſeca ratione formæ, vt det eſſe ei, cuius eſt forma. Vnde nulla forma poteſt officium formæ exercere, niſi det eſſe ei, cui eſt forma. Quod etymologia nominis ſatis conuincit: ideo enim dicitur forma, quia efformat, & cõcinnum reddit id, cuius eſt, vt aduertit idem Curſus in eodem libro. cap.9. quæſt.10. artic.2. in fine: efformare autem, & cõcinnare non poteſt, niſi dando eſſe. Quæ Philoſophia non ſolùm habet locum in formis generis rei, ſed etiam generis intelligibilis: nam cum in genere intelligibili reperiatur eſſe intelligibile, quo intellectus fit res ipſa, vt docet Ariſtoteles, & admittit Diuus Thomas, non poteſt in eodem genere non dari cauſa formalis illius eſſe.

Pezantius. Auicena. Boetius. Ariſtot.

5. Confirmatur hæc Philoſophia; quoniam idem Ferrarienſis admittit diuinam eſſentiam per modum formæ actuare, & perficere intellectum: hoc enim admittit D.Thom.3. *cõtra gentes c.*51. & *in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſtione ſecunda, artic.* 1. *ad decimum*: iam verò cauſalitas cauſæ formalis non eſt aliud, quàm actuatio illius, cuius eſt forma; quæ ab alijs dicitur actualis vnio ſui cum eo: & hæc eſt communis Philoſophia, de qua diximus libro 1, quæſtione 6. artic. 3. §. 5. numer. 31. & aduertit Fonſeca *in quinto Metaphiſicæ capit.2. quæſtione 2. ſectione 2. pagin.67. in principio, & pagina 68. in principio, & Suarius in Metaphyſic. diſput.* 15. *ſectione 6. num.7. Conimbricenſes 2. Phyſic. cap. 7. quæſtione 8. articulo primo.* Et eſt vulgata Philoſophia. At verò intelligi non poteſt cauſam actu exercere ſuam cauſalitatẽ, & non dare ſuum effectum; quòd in cauſa formali eſt euidentius: nec enim deſunt, qui dicant, idem eſſe formam actuare ſubiectum, & dare illi ſuũ eſſe formale, de quo videndus eſt Suar. *in dicta diſput.* 15. *ſectione* 6. *num* 4. 5. & *ſeptimo*: cum enim actuando faciat, vt id, quod actuat, ſit actu, non poteſt non cõmunicare illi perfectionem ſibi propriã, vt ait Fonſec. *in dicta quæſtione 2. ſectione 2. pagina* 67. perfectio autem non datur ſine aliquo eſſe. Implicat igitur, diuinam eſſentiam ad inſtar formæ intelligibilis actuare, & perficere intellectum intelligibili perfectione, & non dare illi eſſe Deum intelligibiliter: etenim eſſe formę intelligibilis, eſt eſſe rei, cuius eſt forma; & inde eſt, vt Diuus Thomas admittens diuinam eſſentiam eſſe formam intelligibilem intellectus beati, ſimul admittat in intellectum per eam eſſe Deum, vt oſtendimus in præcedente art. §: ſecundo: vbi etiam diximus hanc eſſe cõmunem Thomiſtarum: & id in omni ſententia eſſe cõcedendum ſcribit Cabrera in dicta *diſputatione ſecunda. §. ſeptimo, ad ſecundam confirmationem argumenti ſexti, numero* 67. & §. *ſexto numero* 41. Sed non eſt mirum, quòd obliuiſcatur ſui, qui ſua non ſcribit.

D. Thom.

6. Sed inquit Ferrarienſis, ſpeciem intelligibilem nulla alia ratione perficere intellectum, niſi quia illum facit potentem ad intelligendum, nec recurritur ad aliquod eſſe, quod intellectui tribuat. Diui-

na autem eſſentia poteſt intellectum reddere potentem ad videndum Deum, quamuis illi non det eſſe Deum: & ſubinde poteſt perficere nullum dando eſſe. Sed hoc, & repugnat Philoſophiæ Ariſtotelis, & ſumit maiorem falſam, & contrariam doctrinæ D. Thomæ. Primum patet, quia repugnat Philoſophiæ aliquid reddi potens in actu primo ad operari, & non habere eſſe, ad quod conſequitur tale operari: etenim ex Ariſtotele in libris de Cœlo ad eſſe ſequitur operari: ita vt nullũ agens ſit in actu primo operandi, niſi per aliquod eſſe: nec enim aliquid poterit calefacere, niſi ſit calidum; nec operari actiones humanas: niſi habeat eſſe humanum. Implicat igitur intellectum conſtitui potentem ad intelligendũ rem aliquam, & non habere eſſe notionale talis rei, ita vt ſit ipſa: nec audiendus eſt Cabrera in dicta diſputat. ſecunda §. ſexto, numero 39. dum ait: hanc Philoſophiam ſolùm eſſe veram in genere rei, non verò in genere intelligibili: non eſt, inquam, audiendus, quoniã eadem ratio cernitur in vtroque genere: Vnde, & Ariſtoteles, & Diuus Thomas eodem modo in vtroq; genere philoſophantur: nam Ariſtoteles 3. *de Anima capite quartò, text. octauo*, docet intellectũ, tunc primò poſſe operari ſuas operationes circa aliquam rem, cum primò factus eſt res ipſa per formam intelligibilem: & ſemper cum Antiquis docuit ad poſſe intelligere ſemper requiri, quòd intellectus ſit ſimilis rei intelligendæ. Et cum Cabrera id admittat in dicto numero 41. imò aſſerat, adeo id eſſe verum, vt oppoſitum, nec per potentiam diuinam fieri valeat, vt ſcribit in dicta diſputatione quarta, numero 12. mirum eſt, quòd neget poſſe operari in genere intelligibili neceſſariò ſequi ad eſſe eiuſdem generis. Igitur hæc Philoſophia; *operari ſequitur ad eſſe*, veriſsima eſt, & in genere rei, & in genere intelligibili: nam in vtroque
D.Thom. genere eodem modo Philoſophatur D. Thomas *tertio contra gentes cap. 51.* dum ait: *Hoc autem ſicut in eſſe ſubſtantiali, & naturali reperitur; ſic etiam in eſſe intelligibili conſiderandum eſt.* Vnde in genere intelligibili ſemper Philoſophatur ad modum generis realis: & ſatis ad mentem Commentatoris, vt patet 1. *p. q. 12. artic.* 2. *ad* 2, & *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. dum propriã explicat ſententiã, & *de Veritat. q.* 8. *art.* 1. Vide quæ diximus ſuprà ar. 2. §. 6.

7. Patet igitur argumentum Ferrarieñſis, falſa niti Philoſophia, dum ſumit intellectum per diuinam eſſentiam fieri potentem ad uidendum Deum, abſq; hoc, quòd illi det eſſe Deum. Nec mirum; quia ſumit maiorem falſam, dum aſſerit, ſpeciem intelligibilem nulla alia ratione perficere intellectum, niſi vt illum faciat potentẽ ad intelligendum: id enim eſſe falſum docet tum Diuus Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *ad* 3. dum ait, *ſpeciem vniri intellectui per aliquod eſſe, quo informat ipſum, & conſtituit in actu primo*: Tum etiam idem Ferrarienſis, dum eodem loco aſſirmat, *ſpeciem vniri intellectui, & illum actuare in eſſe intelligibili, non per ſe ipſam immediatè, per ſuum eſſe reale, cuius receptione intellectus fit potẽs*. Species igitur perficit intellectum, dum illi ſuum eſſe communicat, & facit, vt ſit res ipſa; per quod eſſe, & cõſtituitur in eſſe, & fit primò potens intelligere. Quare ſi diuina eſſentia ad inſtar formæ facit intellectum potentem videre Deũ, ideo facit: quia dat illi eſſe Deũ; quæ fuit Philoſophia Caietani, & aliorũ, Caieta. vt oſtendimus in §. præcedente.

8. Ex dictis iam patet, diuinam eſſentiã, nec poſſe ad inſtar formæ intelligibilis actuare intellectum, nec illũ reddere potentem ad intelligendum Deum, niſi ad inſtar ſpeciei exerceat primum ſpeciei munus, quod eſt dare intellectui eſſe rei intellectæ.

§. 3.

Soluitur obiectio contra datam reſolutionẽ.

9. Argum cõtra partẽ negantẽ.

Contra reſolutionem explicatam multis inſurgit Cabrera *in dicta diſp. 2. §. 6. num.* 31. præcipuum, & magis efficax argumentum eſt; quoniã diuina eſſentia eſt ſuum eſſe: eſt ſummè intelligibilis: eſt pura veritas: deniq; eſt pura actualitas in genere intelligibilium. Ergo poteſt ſe ipſa perficere, & actuare intellectum. Ergo poteſt illum actuare nullum illi dando eſſe. Alias, vt ait, iam eum immediatè non perficiet per ſe ipſã: & prætereà non perficiet, niſi dependenter ab alio à ſe cauſato. Ergo non implicat, diuinam eſſentiã actuare, & perficere intellectum nullum eſſe illi dando.

10. Solutio. Ad hoc argumentum, neganda erat prima cõſequentia, tanquam inepta; ſed quoniam noſtrum inſtitutum ſolùm agit de ſecunda; ideo conceſſa prima, neganda eſt ſecunda, quam negare debet Caietanus, & illi, qui admittunt diuinam eſſentiã ſe ipſa actuare, & perficere intellectum: & in hoc quidem rectè: quia repugnat verę Philoſophiæ, formam actu exercere ſuam cauſalitatem (quæ poſita eſt in ipſa actuatione) & non dare eſſe intellectui, quem actuat: Cauſa enim poſita in actu ſuæ cauſalitatis non poteſt non cauſare ſuum effectum, nec per aliquam potentiam poteſt à Deo impediri: poteſt enim Deus cõſeruare albedinẽ ſine illã ſubiecto, & ponere indiſtantem ab eo abſque hoc, quòd illud faciat album; quia vt ſic ponitur ſine vlla cauſalitate: nec enim vt ſic actuaret, aut perficeret ſubiectum: at verò ſi ponatur non ſolùm indiſtans à ſubiecto, ſed etiam illud actuans, & perficiens non poteſt non dare eſſe album, nec ab hoc effectu impediri. Similiter dicendum erit de diuina eſſentia.

Caietano.

11. Quòd verò obijcitur, quòd ſe ipſa immediatè non perficeret; neganda eſt ſequela: quoniam illud *eſſe Deum*, quod tribuit non mediat inter eſſentiam, & actuationẽ intellectus, cum ſit effectus talis actuationis, & cauſalitatis. Quin potiùs ipſa actuatio, & ipſum actualiter perficere poſitiuè mediat inter diuinam eſſentiam, quæ eſt cauſa, & ipſum *eſſe Deum*, quod eſt effectus cauſatus. Hoc euidenter declaratur exemplo ſumpto ab albedine, quæ facit parietẽ album: nec enim eſſe album mediat inter albedinem, & actuationem parietis, ſed è conuerſo ipſa actuatio mediat inter albedinem, & eſſe album, quia inter cauſam & effectum ſemper mediat cauſalitas: quæ mediatio non tollit, quominùs albedo ſe ipſa immediatè det eſſe album: cauſalitas enim cauſæ formalis non diſtinguitur ab ipſa cauſa ſed eſt illa, vt ſic ſe habens. Similiter dicendum eſſet de diuina eſſentia, ſi admitteretur, vt forma actuans, & perficiens intellectum: & quia Cabrera hãc Philoſophiam non agnouit, ideo putat conſequentiam eſſe falſam.

12. Decipitur Cabrera. Et eadem de cauſa decipitur, dum infert, tanquam abſurdum, quòd diuina eſſentia non perficeret, niſi dependenter ab ipſo eſſe cauſato. Hoc autem nullum eſt abſurdum, ſi ſemel admittatur, diuinam eſſentiã in actuare, & perficere intellectum: etenim dependere ab eſſe cauſato, idem eſt, quòd non poſſe perficere, & actuare, niſi conferendo eſſe. Fatemur, quòd talis dependentia abſolutè non cõuenit diuinæ eſſentiæ, quia poſſet non ſe vnire, & ſubinde, nec perficere: at tamen facta ſuppoſitione, quod ſe vnit intellectui, & vllum perficit, neceſſariò pendet ab ipſo eſſe; quia non poteſt illud nõ producere. Quæ Theologia notiſsima eſt in Deo effectiuè concurrente ad aliquid producendum: licèt enim ſimpliciter nõ dependeat à tali effectu, quia poteſt ad illum actu non concurrere; tamen, ſi ponatur in actuali concurſu, non poteſt in efficiendo non dependere à tali effectu: quare dependebit ab eo, non ſimpliciter, ſed prout eſt concurrens. Et ſicut depẽdentia iſta non tollit, quin Deus immediatê ſe ſolo producat illum effectum, ita in agendo talis dependentia nullam ponit imperfectionem. Simili modo Theologizare deberet Cabrera in diuina eſſentia, cum admittat, eam ſe ipſa intellectũ perficere, & actuare. Quare futiles omninò ſunt probationes Cabreræ. Sed iam accedamus ad explicanda reliqua munera ſpeciei intelligibilis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm diuina eſſentia poſsit ſe ipſa ad inſtar ſpecie conſtituere intellectum in actu primo ad videndum?

SEcundum ſpeciei munus eſſe conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum receptiſsima eſt antiquiorum, & recentiorum ſententia, vt oſtẽdimus in prima parte huius libri, nec vidi, qui hanc Philoſophiam negaret, niſi vnum Nauarrete: cã tamen ſine fundamento negat cum illa, & Ariſtotelis ſit & Diui Thomę, vt ibidem diximus. Inquirendum eſt igitur, vtrùm diuina eſſentia poſsit hoc munus ſe ipſa exercere in intellectu beati? Eſt enim nonnulla de hoc controuerſia. 1.

§. 1.

Refertur pars affirmans.

Par-

2. Authores partis affirmatiuæ.

PArtem affirmantem communem eſſe inter Theologos plerique aſſerunt: eam tenet Capreolus *in 3. diſtinct. 14. q. 1. art. 3. ad ſecundũ, 1. loco contra primam. fol. 57. colum. 4. & fol. 60. col. 4. ad ſecundum 2. loco contra primam*, Caietanus *1. p. q. 12. art. 2. ad finem Cõmenti*, Ferrarienſis *3. contra gentes cap. 51. §. Circa hanc declarationem*. Sylueſter *in Conflato q. 12. art. 2. in vltimis verbis*, Sotus *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. poſt tertiam concluſionem, §. Ad hoc autem reſpondetur*, Bañes *1. parte q. 12. art. 2. ad quintum argum. ad finem Cõmenti*, Cumelius *ibidem q. 3. concluſione 5. pag. 236. col. 1. ante mediũ. & in fine ad 6. argum*. Pezant. *ibidem diſp. 1. in 1. concluſ. pagin. 52. colum. 2. dicto primo* Ex alijs Valentia *primo tomo. diſputatione prima, quæſt. 12. puncto ſecundo, pag. 186. A.* Suarius *2. de Attributis negatiuis cap. 12. numero 7. & 22.* ex Antiquioribus Henrichus *quodli. 3. quæſt. 1. V. fol. 48. pagin. 1. quodlibeto quarto, quæſtione 7. A. fol. 94. pagina ſecunda*, denique inter recentiores eſt receptiſsima.

Capreolus. Caietan. Ferrar. Sylueſter. Sotus. Bañes. Cumel. Pezant. Valent. Nauar. Henric. Recentior.

3. *Sententia affirmatiua eſt D. Thom.*

Hanc ſententiam eſſe Diui Thomæ patet *1. p. q. 12. art. 2. ad 3.* vbi poſtquam docuit ſpecies creatas ita vniri intellectui, vt faciant ipſum in actu, addit hæc verba: *Ita diuina eſſentia vnitur intellectui creato, vt intellectũ in actu per ſe ipſam faciens intellectum in actu*. Quæ verba non indigent explicatione. Satis idem euincunt verba Diui Thomæ, *de Veritate quæſt. 8. art. 1.* dum ait: *diuinam eſſentiam ita eſſe formam, qua intellectus beati ita videt Deũ, vt cũ eo fiat vnũ in actu in intelligendo*. Idẽ aſſerit in eadem *quæſt. 8. art. 8. in corp. & ad tertium, & 8.* Satis idẽ ſignificat *in. 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. in corp. & ad 8.* dum ait: *ex eſſentia, & intellectu fieri vnum*. Vnum, inquam, in actu intelligendi, vt ſæpius ibidem explicauit. Deniq; ſatis id ſignificat, dũ ait *diuinam eſſentiam ſe habere ad intellectum, vt forma ſe habet ad materiam, & ad perfectibile*, vt ſcribit *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. in corp. & ad decimum, & in art. 6. eiuſdem quæſtionis, & de Veritate q. 8. art. 3. in principio*. Iam verò forma, cum ſit actus, ita ſe habet ad materiam atque ad perfectibile, vt illud conſtituat in actu primo.

4. Illud eſt hoc loco aduertendum, patronos huius opinionis non conſentire inter ſe de modo, quo eſſentia diuina cõſtituit intellectum in actu primo. Quidam volunt eam hoc munus exercere ad modum formæ intrinſecæ, qua intellectus abſque informatione actuatur: habet enim ſe ex parte intellectus. Hanc ſententiam mihi probat Diuus Thomas, & Nobiliores Thomiſtarum. ¶ Alij volũt eam actuare intellectum ad modum formæ extrinſecæ, quatenùs ſcilicet eſt obiectiuè præſens, & veluti aſsiſtens intellectui. Ita docent, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte obiecti. Vnde in hoc ſenſu intellectum per eſſentiam actuari admittit Suarius cum nonnullis Thomiſtarum: & ſuppoſita opinione affirmatiua, hunc dicendi modum probat Scotus.

Totum huius opinionis fundamentum in eo eſt poſitum, quòd intellectus nihil poteſt intelligere, niſi ſit in actu primo intelligendi, vt eſt communis Philoſophia: & per conſequens non poteſt aliquis videre Deum, niſi fiat in actu primo videndi per aliquam formam intelligibilem creatam, vel increatam, quę vicem ſpeciei ſubeat: non poteſt autem conſtitui in actu primo videndi per aliquam ſpeciem creatam, quia vel talis ſpecies eſt impoſsibilis, vt communis Theologorum docet, vt vidimus ſuprà in hac ſecunda parte; vel ſi admittatur vt poſsibilis, de facto tamen non datur in beatis. Ergo neceſſariò intellectus beati conſtituitur in actu primo per diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei concurrentem. 5. Arg. 1. huius ſententi

Secundo; quia eſſentia diuina ex ſe eſt actu intelligibilis, nec poteſt non eſſe præſens intellectui. Ergo per ſe ipſam ſine ſpecie creata poteſt actuare intellectum, vt ſit in actu primo videndi. Antecedens eſt notum: conſequentia inde probatur; quoniam ſpecies ſolùm requiritur, quando obiectum, aut non eſt præſens, aut non eſt actu intelligibile: nam ſi ex ſe eſt intelligibile actu, atque præſens, ex ſe poteſt actuare intellectum. 6.

Confirmatur; quia ſpecies creata non poteſt non eſſe fruſtrà in conſtituendo intellectum in actu primo. Ergo nõ eſt admittenda. Conſequentia patet: quia Deus de potentia ordinaria non facit aliquid ſuperfluum. Antecedens probatur; Confir. 1.

tur; quia eſſentia diuina ex ſe habet ſufficientem virtutem ad ponendum intellectum in actu primo; ex ſe enim eſt actu intelligibilis, & debitè approximata, & vnita intellectui, vt illum actuet: non eſt igitur, quod adhoc requiratur aliqua ſpecies.

Confir. 2. Confirmatur ſecundò: quia poteſt Deus ſine ſpecie cõcurrere vt obiectum intelligibile actuatiuum intellectus. Ergo ſatis id erit, vt intellectus per eum fiat in actu primo, vt connaturaliter poſsit videre Deum.

7. 3. argum. Tertiò; eſſentia Angeli per ſe ipſam conſtituit intellectum in actu primo ad intelligendum ſe ipſum. Ergo diuina eſſentia ſe ipſa conſtituet intellectum in actu primo. Antecedens eſt Diui Thomæ, & Thomiſtarum: Conſequentia probatur: quia eadem eſt ratio.

8. 4. argum. Quartò; quia Deus, dum beatis per ſuam eſſentiam oſtendit creaturas, per eandem conſtituit eos in actu primo ad videndum illas. Ergo per ſuam eſſentiam eos conſtituet in actu primo ad vidẽdum Deum.

9. Vlt. argum. Poſtremò; Deus poteſt per ſe ipſum vnire ſe intellectui, & illum conſtituere in actu primò, & id cedit in maiorem honorem beatorum. Ergo de facto per ſuam eſſentiam illos conſtituet in actu primo.

§. 2.

Opinio negatiua eſt tenenda.

10 Sentent. negatiua eligitur. *Scotus.* Opinionem negantem, vt probabiliorem probare debet Scotus, quatenùs putat probabilius eſſe, diuinam eſſentiam non ſe præſentare in memoria prius natura, quâm detur viſio, ſed ſolùm eſſe terminũ viſionis. Ex quo infertur Scotum magis inclinaſſe, quòd eſſentia non conſtituit intellectum in actu primo, id quòd ſentit Lychetus, vt patet ſuprà articu. primo, §. tertio. Sed quidquid ſit de Scoto, & Lycheto, ego puto hanc opinionem omninò eſſe tenendam, ſi vera ſunt, quæ diximus articulo ſecundo: Eandem probauerunt quidam Theologi relati à Durando *in 4. diſtinctione 49. quæſtione 2. numero 12.* inter quos eſt Molina *1. parte, quæſtione 12. articul. 2. diſput. 2. pagin. 110. colum. 1. E. & colum. 2. A.* & poſt eum Nauarrete *primo tom. controuer. 39. §. 3. fol. 249. colum. 3. ad octauam, & 2. tom. controuer. 13. §. 3. fol. 172. colum. ſecunda. & fol. 173. columna prima*: Vterque tamen diuerſo ducitur fũdamento. (*Molina. Nauarret.*)

Nam Molina, ex eo mouetur, quia intellectus non poteſt conſtitui in actu primo per formam, qua non informatur: diuina autem eſſentia, nec informat intellectum, nec illum poteſt informare. Addit etiam intellectum beati, eo quòd habeat diuinam eſſentiam præſentem, ſuppoſito lumine gloriæ poſſe in viſionem, quanuis non ſit conſtitutus in actu primo: nec enim in his terminis, id eſt neceſſarium. Vtrùm verò eſſentia diuina concurrat cum intellectu ad viſionem ad inſtar ſpeciei? facilè admittit partem negantem: quanuis in affirmantem magis inclinet, vt videre eſt in dicta diſputatione ſecunda, pag. 111. colum. 2. A. B. Sed quidquid de hoc ſit, nobiſcum conuenit, dum aſſerit diuinam eſſentiam non conſtituere intellectum in actu primo. 11. *Fundamentũ Molin.*

Nauarrete alio ducitur fundamento; putat enim eſſe impoſsibile eſſentiam diuinam ſe ipſa actuare intellectum, vt principium operandi, vt patet in dicta controuerſ. 13. §. *tertio, colum. 4. A*: etenim, vt ait, diuina eſſentia non concurrit ad vnionem in genere cauſæ efficientis, ſed ſolùm cauſæ formalis, quia ſolùm concurrit in ratione termini: at verò ſicut terminus nullam poteſt habere efficientiam in viſionem; ita id, quod efficienter non concurrit, non poteſt intellectui eſſe actus primus videndi. Igitur apud Nauarrete eſſentia diuina in hoc ſubit vicem ſpeciei, quòd ſe ipſam facit obiectiuè præſentem in ratione obiecti terminantis viſionem; non verò, vt intellectum faciat actu potentem in viſionem. Quin potius, nec ſpecies creata conſtituit intellectum in actu primo ad videndum rem repræſentatam, vt ſcribit in dicta *controuer. 13. §. 3. in principio.* Igitur diuina eſſentia actuat quidem intellectum, & complet illius virtutem, nõ vt principium operandi, ſed vt terminus operationis. Quare apud eum intellectus non conſtituitur in actu primo videndi per diuinam eſſentiam, ſed per lumen gloriæ. 12. *Fundamentũ Nauarrete.*

13. In vtroque iſto doctore aliqua diſplicent

cent, quanuis placeat negatiua vtriuſque reſolutio. In Nauarrete illud omninò diſplicet, quod conſtituit intellectum beati in actu primo per lumen gloriæ: quod iam non recepimus ſuprà q. 3. art. 5. §. 2. nec inferiùs recipiemus lib. 9. q. 5. art. 6: oportet enim intellectum cõſtitui in actu primo videndi per aliquam formam intelligibilem, quę vel ſit vera ſpecies, vel ſubeat vicem ſpeciei, vt oſtendimus ſuprà in hac 2. parte q. 2. art. vnico. Quare ſi non poteſt conſtitui in actu primo per diuinam eſſentiam (in quo nobiſcum cõuenit) neceſſariò conſtituetur per aliquã ſpeciem creatam, quæ eſt noſtra opinio. Fundamentum tamen, quo nititur; mihi quidem placet; quia cum actus primus agenti ſit principium agendi, vt *quo*, id, quod non poteſt concurrere ad viſionẽ, vt principium efficiens, non poteſt eſſe actus primus intelligendi. At tamen cum hoc fundamentum repugnet, & D. Thomæ, & communi ſententię, vt videbimus art. 9. deberet illud probare, & non ſupponere. ¶ In Molina illud etiam diſplicet, quòd ſupponit intellectũ beati poſſe in viſionem, quanuis non ſit conſtitutus in actu primo videndi: oppoſitum enim iam docuimus ſuprà in hac 2. p. q. 3. ar. 3. §. 2. in 2. ratione, & art. 5. in principio, & §. 1. Fundamentum tamen, quo nititur, mihi eſt optimum; ſed tamen cum ab aduerſarijs negetur, non erat ſine probatione ſumendum.

14. Verum fũdamentum partis negatiuæ.

His igitur relictis, vera fundamenta huius opinionis negantis ſumenda ſunt ex ijs, quæ diximus ſuprà q. 3. art. 3. §. 2. Et ratio à priori ſumenda eſt ex artic. 2. huius quæſtionis. Sit igitur hæc demonſtratio. Intellectus beati non poteſt conſequi eſſe Deum formaliter per diuinam eſſentiam. Ergo non poteſt per eam conſtitui in actu primo ad videndum. Antecedens ibi multis confirmauimus: conſequentia inde patet: quia operari ſequitur ad eſſe ex Ariſtotele in libris de cœlo. Ergo intellectus per id fiet in actu primo operandi, per quod habet actum eſſendi, ad quem talis operatio conſequitur. Ergo intellectus beati per id reponetur in actu primo videndi Deum, per quod reponitur in eſſe Dei: ſicut enim intellectus ex eo, quòd intelligibiliter eſt homo, poteſt intelligibiliter operari circa hominẽ, vtpotè conſtitutus in actu primo ad intelligendum hominẽ; ita intellectus beati ex eo, quòd intelligibiliter eſt Deus, poteſt operari operationes intelligibiles circa Deum. Ergo ſi non poteſt fieri intelligibiliter Deus per diuinam eſſentiam, vt in antecedente ſumitur; nec etiam poterit per eandem conſtitui in actu primo ad videndum Deum, quæ fuit conſequẽtia.

Vis huius rationis efficaciter confirmatur ex Ariſtotele in 3. de Anima c. 4. tex. 8. dum ait; *Intellectum, cum factus eſt vnumquodque intelligibilium, habere ſe, vt actu ſcientem: poſſeq́ per ſe ipſum operari, nec iam eſſe in potentia eſſentiali, ſed in potentia proxima, quæ appellatur actus primus.* Ex quo loco omnes interpretes cum Diuo Thoma vnanimiter colligunt, intellectũ ideò per ſpeciem fieri in actu primo ad intelligendum, quia per eam ſit ipſa res, quæ debet intelligi; non ob aliam rationẽ, niſi quia in omni genere poſſe operari ſequitur ad eſſe; cum vnumquodque ideo ſit, vt operetur. Et inde eſt, vt apud omnes hęc Philoſophia ſit indubitata per eãdem formam agens conſtitui in actu primo ad operandum, per quam habet eſſe: vt inductiuè patet; calor enim, quia igni dat eſſe calidum, ideò illum conſtituit in actu primo ad calefaciendum. Et idem inuenitur in cæteris formis: ex eo enim, quod ſunt principia eſſendi, ſunt principia operandi tanquam quidam actus primi. Non poteſt igitur negari, intellectum beati indè habere, quòd ſit in actu primo videndi, ex quo habet, quòd ſit Deus. Quod ſatis ſignificauit Caiet. 1. p. q. 12. artic. 2. §. In reſponſione ad 3. dum ait: *Oportere, vt intellectus prius natura ſit Deꝰ, quàm videat Deum.* 15. Ariſt. Caietan.

16. Molina.

Ex hoc fundamento vim habet fundamentum Molinæ, ſcilicet *intellectum non poſſe conſtitui in actu primo, niſi per formam intrinſecè actuantem, & informantem illum*: nam cum intellectus non conſtituatur in actu primo ad intelligendum rem, niſi per formam, qua fit ipſa res, vt diximus: non poſsit autem fieri ipſa res, niſi per formam, qua intrinſecè actuetur, & informetur, vt oſtendimus art. 2. neceſſariò infertur, non poſſe conſtitui in actu primo, niſi per formam illum actuãtem, & informantem: cum verò diuina

eſſentia non poſsit informare intellectũ; ſit, vt ſicut non poteſt facere, vt intellectus ſit Deus; ita non poteſt illum conſtituere in actu primo ad videndum Deum. Ex quo colliges excludi opinionem, quę docet diuinam eſſentiam actuare intellectum ad inſtar formæ extrinſecæ: etenim hoc modo non poteſt facere, vt intellectus ſit Deus.

17. *Nauarrete* Ex eodem noſtro fundamento vim habet fundamentũ, quo nititur Nauarrete: ſcilicet *diuinam eſſentiam non poſſe efficienter concurrere ad viſionem*; Nam licèt fortè poſsit habere influentiam obiectiuam, quatenùs ex parte obiecti ponitur coram intellectu (de quo inferiùs) nullo tamen modo poteſt effectiuè concurrere vt principium videndi, vt *quo*, & ratio eſt, quia quod non poteſt eſſe ratio eſſendi Deum, non poteſt eſſe ratio videndi illum: Sed de hoc latiùs art. 7.

§. 3.

Soluuntur argumenta poſita §. 1.

18. Solutio argum. Ad 1. Argumenta poſita §. 1. facilè explicantur. Ad primum Mol. negabit maiorem: nos eam concedimus, vt patet ex ſuprà dictis quęſt. 3. art. 3. §. 2. & art. 5. in principio, & §. 1. Admittimus igitur, intellectum nõ poſſe videre Deũ, niſi priùs fiat in actu primo videndi, vt diximus ſuprà q. 1. art. 1. §. 2. & 3. At negamus non poſſe conſtitui in actu primo ad videndum per ſpeciem creatã, vt etiã diximus ſuprà q. 3. §. 2. num. 7.

19. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, ſi intelligatur de intelligibilitate obiectiua, & proxima, & de obiectiua præſentia apud intellectum: etenim, quod eſt actu immateriale, eſt intelligibile in potentia intelligibilitate obiectiua, quandiù in ſpecie actu non repræſentatur: ſicut etiam, quod localiter eſt præſens, cenſetur intelligibiliter eſſe abſens, ſi nullam ſui ſpeciem habeat in intellectu

D. Thom. vt ex D. Thoma, & Scoto diximus lib. 6. q. 1. art. 4. §. 7. & q. 5. art. 1. §. 3. & ſuprà in quæſtio. 3. articulo. 7. ad primum; vbi negauimus, diuinam eſſentiam ex ſua natura eſſe vbique præſentem, ſi ſermo ſit de præſentia obiectiua, vt expreſſe ſcribit Diuus Thomas de Veritate q. 10. art. 11. ad 11. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 6. ad quartum, & Scotus ibidem q. 11. lit. F. §. *Præterea viſio*: licet enim vbique ſit præſens præſentia reali; non tamen vbique, aut omni intellectui eſt præſens præſentia obiectiua; quia non eſt talis intellectibus viatorum, vt docent Diuus Thomas, & *Scotus* Scotus ¶ Et eadem ratione, licèt diuina eſſentia ſit ſummè intelligibilis intelligibilitate reali, quæ idem eſt cum immaterialitate, non tamen ſemper eſt intelligibilis intelligibilitate obiectiua; quia nec ſemper, nec omni intellectui actu objicitur, & ſit obiectiuè præſens; ſine qua pręſentia nihil eſt actu intelligibile, vt annotauit Scotus *in 1. diſt. 3. q. 6. & 7. litera K.* quare in hoc ſenſu negandum eſt antecedens. Admittendum verò, ſi intelligatur de præſentia reali, ſiue locali, & de intelligibilitate ſumpta pro immaterialitate: at neganda eſt conſequẽtia: quia nec immaterialitas illa, neque præſentia ſatis eſt, vt diuina eſſentia poſsit ſe ipſa facere, vt intellectus ſit Deus, vt patet ex 2. art.

Ad probationem verò conſequentiæ negamus ſpeciem ſolùm eſſe neceſſariam ex duplici illa cauſa, ſi ſermo ſit de intelligibilitate ſumpta pro immaterialitate, & de præſentia locali: quia ſpecies eſt neceſſaria, tum vt obiectum ſit præſens intellectui pręſentia obiectiua; tùm etiã, vt immateriale fiat actu intelligibile intelligibilitate obiectiua, & proxima, vide quæ diximus ſuprà q. 3. artic. 7. ad primum. 20.

Ad primam confirmationem negandum eſt antecedens; cuius probatio ſumit id, quod eſt probandum; nimirum poſſe aliquod obiectum ſine ſpecie, aut eſſe debitè approximatũ intellectui, aut eſſe cum intelligibilitate proxima ad cauſandum intellectionem, quod negamus. Ad 1. cõfir.

Secunda cõfirmatio eodẽ pede claudicat; ſumit enim id, quod à nobis negatur. Ad 2.

Ad tertium admiſſo antecedente, negãda eſt conſequentia: eſt enim diſpar ratio in ſubſtantia Angeli reſpectu ſui, & in diuina eſſentia in ordine ad intellectum beati; vide quæ diximus in dicto articulo 7. ad quartum. 21. Ad 3.

Quartum argumentum iam diſſoluimus in dicto articulo 7. ad quintum. Ad 4.

Ad poſtremũ, negandũ eſt, diuinã eſſẽtiã poſſe ſe vnire ad inſtar ſpeciei; quatenùs ſpecies eſt aſsimilatiua intellectus, de quo dicemus in ſequenti articulo. 22. Ad vltimũ

AR

ARTICVLVS V.

Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei ſe ipſam obiectiuè vnire intellectui?

1. IN hoc art. ſupponendũ eſt, eſſe apud omnes indubitatum, ſpeciem vnire obiectum cum intellectu, vt oſtẽdimus ſuprà 1. p. q. 4. art. 4. §. 1. Indubitatũ etiã eſſe, vnire obiectum cum intellectu nihil eſſe aliud, quàm facere, vt obiectum vnũ ſit cum intellectu: etenim vnire eſt vnũ facere ex duobus, vt diximus in dicto art. 4. §. 2. ex Diuo Thoma 1. p. q. 54. art. 1. ad tertium, & q. 8. de Verit. art. 6. Ex his iam patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtart ſpeciei ſe ipſam immediatè vnire cum intellectu, vt cum eo fiat intelligibiliter vnum.

§. 1.

Refert pars affirmas.

2. D. Thom. PArtem affirmantem probant ferè omnes Theologi: eam probauit D. Thomas *1. p. q. 12. art. 2. vbi latè probat, diuinam eſſentiam non poſſe vniri intellectui creato per aliquam creatam ſpeciem*: & inde infert eam per ſe ipſam vnire: & idẽ concludit ad 3, ita ſcribens: *Ita diuina eſſentia vnitur intellectui creato, vt intellectũ in actu; per ſe ipſam faciens intellectum in actu.* Idem docet *3. cont. gent. cap. 52. in. 3. ratione, & cap. 53. ratione 2. & 4. de Veritate q. 8. art. 1. in corp. & ad 3. & articulo. 3. in principio*; in quibus etiam locis docet; ex intellectu, & diuina eſſentia fieri vnũ in intelligendo; eſt ſententia inter Thomiſtas receptiſsima:

Capreol. Caietanus. Capreol. *in 3. diſt. 5. q. 2. art. 1. concl. 3. fol. 21. col. 3. & in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. concl. 2.* Caiet. *1. p. q. 12. art. 2. in reſponſione ad 3. & clarius ante finem*

Bañes. Cumelius. Pezantius Ferrar. Nauarret. *Commenti; vbi etiam Bañes dubitatione 2. concluſ. 3. & 4. Cumelius ibidem q. 3. concl. 3. & 4. Pezantius diſp. 1. concl. 1. pagin. 51. col. 2. Ferrar. 3. contr. gent. dicto cap. 52. Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. concluſ. 3. pagina 587. Nauarrete 1. tom. cõt. 37. §. 1. fol. 233. in fine § Circa id, quod, & contro. 35. in principio, concl. 1. fol. 220. col. 2. in fine. & concl.*

Cabrera. Valentia. *2. col. 3. Cabrer. 3. p. q. 2. art. 1. diſp. 2. §. 3. n. 20. & §. 4. concl. 2. ex alijs Valentia 1. tom. diſp. 1. q. 12. punct. 2. pag. 185. D. & 187. C.* Suarius. Salas. *Suar. lib. 2. de Attributis negatiuis capit. 12. num. 24. concl. 1. pag. 104. Salas, 1. tom. ad 1. ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. nu. 36. in 3. concl. pag. 342. & inferiùs ad 8. arg. num. 40. pag. 343.* Denique eſt receptiſsima ſententia inter eos, qui volunt, diuinã eſſentiam in intellectu beati ſubire vicem ſpeciei: omnes enim volunt, eam hoc vniendi munus ſe ipſa exercere: vnus eſt Bellomont. qui negat, Diuum Thomam in hac fuiſſe ſententia, ſi ſermo ſit de ſpecie impreſſa: vult enim. Diuum Thomã ſolùm dixiſſe, eam vniri, vt ſpeciem expreſſam: ſed illius ſententiam iam latè impugnauimus ſuprà ar. 1. §. 2. Scotum hãc opinionem non omninò improbaſſe, ſatis colliges ex ijs, quæ ibidem diximus §. 3. Ex Scotiſtis eam probat Angles in ſuis floribus ad 4. in tract. de beatitudine art. 2. diſſicul. 6. concluſione 2. & in primo dubio pagin. 327. Ouandus in 4. diſt. 49. propoſitione 10. omnia confundit.

3. opinionis fũdamentum. Huius opinionis fundamentum, ex eo ſumi poteſt: quia diuina eſſẽtia apud iſtos gerit vicem ſpeciei: eam autẽ gerere non poteſt, niſi priùs ſe ſe vniat intellectui: quia ſine hac vnione viſio fieri non poteſt, ex Diuo Thoma. *1. p. q. 12. art. 2. & de Veritate q. 8. art. 1.* D. Thom.

§. 2.

Quomodo in hac opinione diuina eſſentia vniatur intellectui?

4. Quod iſta vnio ſolùm ſit obiectiua. AVthores præcitatæ ſententiæ non conueniunt in modo, & qualitate huius vnionis. Communior ſentẽtia docet, hanc vnionem eſſe ſolùm obiectiuam; & proinde diuinam eſſentiam ſolùm vniri cum intellectu per modum obiecti præſentati corã intellectu: nam ſpecies intelligibilis, vt volunt, hoc ſolo modo ſe ſe, & ſuum obiectũ intellectui vnit. Et inde inferunt, talem vnionem nõ eſſe formalem, & intrinſecam, ſed extrinſecã ſolùm; hæc autem non repugnat diuinæ eſſentiæ, cũ fiat abſque vlla informatione per ſolam extrinſecam aſsiſtentiam, quæ nullam imperfectionẽ includit: imò perfectionem dicit: quia intelligibile poſſe fieri vnum cum intellectu vnitate obiectiua pertinet ad perfectionem intelligibilis, vt eſt intelligibile.

Hanc

5. Hanc opinionem non poſſunt non tenere, qui ſpeciem ſolùm admittunt ex parte obiecti, quos citauimus 1.p. huius lib.q.3.ar.1.§.1. nã ſi ſpecies ſolùm ſe tenet ex parte obiecti, non poterit obiectũ ipſum vnire cum intellectu, niſi quia facit illud obiectiuè præſens. Igitur eſſentia diuina, hoc ſolo modo poterit vicem ſpeciei ſubire, cum ſpecies nullo alio mo-

Suarius. do obiectum vniat. In terminis hanc ſententiam tenet Suar. *in dicto cap.12.nume.* 15.20.*&* 21. vbi nullam aliam vnionem admittit, niſi principij coefficientis; & coadiuuantis, quę non eſt alia, niſi coniunctio duorum agentium concurrentiũ ad eundem actum. Obiectum autem ſufficienter applicatum eſt partiale quoddam principium coefficiens cum intellectu, & illum coadiuuans ad eliciendum actũ.

Salas. Valentia. Pezantius. In eadem ſententia eſt Salas vbi ſuprà, & Valentia loco citato, dum ait hanc vnionem fieri per modum obiecti, & eadem ratione idem ſentit Pezantius 1.*p.q.* 12. *art.*2.*diſp.*1.*concluſione* 2.*§.Obijcies, & Ca-*

Cabrera. Scotus. *brera vbi ſuprà §.*4.*num.*27.*& §.*6.*nu.* 39. *&* 41. Et Scotus hanc opinionem admittendam eſſe docet, ſi admittatur diuinam eſſentiam in aliquo priori naturæ intellectui præſentari, antequam eliciatur viſio, vt videre eſt apud Scotum *quodlib.*14.*ar.* 2.*lit.CC.§.Sed ſi quæratur*, & diximus ſuprà art.1.§.3.

6. *Oppoſita ſententia.* Sententiam ex diametro oppoſitã probare tenentur, qui volunt ſpeciem nullo modo ſe tenere ex parte obiecti, ſed ſolũ ex parte intellectus: ſicut enim in ſpecie nullam admittunt repręſentationem obiectiuã; ita nec aliquam obiectiuam vnionem. Authores huius opinionis citauimus ſuprà in prima.p.q.3. art.2. §.1. & q.4.art.3.§.4.num.17. Hi vt conſequenter loquantur, negare debent, diuinã eſſentiam poſſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ ſe ipſam obiectiuè vnire cum intellectu, aut in ratione termini, aut in ratione motiui: nam cum ſpecies impreſſa apud eos hoc munus non habeat, non poteſt diuina eſſentia vice illius hoc munus exercere, vt benè aduertit Cabrera 3.*p.q.*2.*artic.*

Cabrera. 1.*diſp.*3.*num.*7.*&* 8. Quomodo autẽ ad inſtar ſpeciei impreſſæ faciat illam vnionem; non explicant, quãuis multa de hac vnione ſcribant, adeo tamen confuſè, vt vix intelligas reſolutionem. Qui melius loquuntur, vel recurrunt ad vnionem ineffabilem, vel ſolùm dicunt, hanc vnionẽ eſſe in genere intelligibili, in quo ex diuina eſſentiâ, & intellectu fit vnum in intelligendo. Denique dicunt, diuinã eſſentiam vniri intellectui per modum formæ ſine informatione actuantis, & perficientis. Et in hoc ſatis loquuntur ad mentem Diui Thomæ *in* 4.*diſt.* 49.*q.*2. *D.Thom.*
*art.*1.*in corp.& ad* 8.*&* 10.*de Veritat.q.*8. *art.*1.*in corp.& ad* 5.*&* 7.*&* 3.*contra gentes cap.*51.

Inter vtramque ſententiam mediabunt, qui ſpeciem impreſſam ponũt, & ex parte intellectus, & obiecti: ita vt obiectum vniat cum intellectu, & ad modum formæ actuantis intellectum, vt ſit ipſum obiectum; & admodum formæ obiectiuę proponentis obiectum coram intellectu. Authores huius opinionis citauimus ſup. 1.p.q.3.art.2.§.1.num.4. Admittent igitur hi Authores, diuinam eſſentiã vtroq; modo ſubire vicẽ ſpeciei impreſſæ; quoniam ad inſtar ſpeciei ſe ſe obiectiuè vnit, vt ſe tenet ex parte obiecti; atque etiam ad modum formę perficiẽtis, vt per eam intellectus ſit Deus; quo modo ſe tenet ex parte intellectus. Et quamuis neminem inuenerim, qui in terminis hanc ſcribat opinionem; tamẽ eam facilè colliges, ex ijs, quæ plerique confuſè ſcribunt; modo hanc, modo illam opinionem approbantes. 7. *Medina opinio.*

§. 3.
Vera reſolutio.

PRo vera reſolutione præmiſſa duplici annotatione nonnullas ponemus concluſiones. ¶ Prima annotatio ſit, duplicem in hac materia diſtinguendam eſſe vnionem obiecti cum intellectu per formam intelligibilem impreſſam, vel expreſſam, vt oſtendimus ſuprà 1.p.q.4.art.4.§.2.num. 7. cum ſequentibus. Vna eſt obiectiua; qua obiectum ſub ratione obiecti reponitur ante intellectum veluti illi aſsiſtens. Altera eſt formalis; qua obiectum cum intellectu coniungitur per modum formę illũ actuantis, & perficientis: hanc duplicem vnionem ibidem collegimus ex Caietan. Ferrar. & Conimb. nec poteſt non admitti, ſi ſpecies impreſſa ponatur, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti: nam vt 8. *Vera reſolutio. Duplex dãda eſt vnio.*

vt eſt ex parte obiecti, obiectiuè vnit; formaliter autem, vt eſt ex parte intellectus. Duplicem etiam vnionem admittent Thomiſtæ, ſi abſtrahamus à ſpecie impreſſa, & expreſſa: etenim vnionem obiectiuam ſolùm tribuunt ſpeciei expreſſæ, ſiue verbo; formalem autem ſoli impreſſæ. Quare hanc duplicē vnionem ſoli illi non admittent, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte obiecti. Verum horum opinionem, vt Ariſtoteli contrariam impugnauimus ſuprà 1.p.q.3.art.1. vbi oſtendimus apud peripateticos negari non poſſe ſpeciem impreſſam ſe tenere ex parte intellectus, cum illum formaliter aſsimilet obiecto, & faciat, vt ſit ipsū, quòd facere nō poteſt per vnionem obiectiuam, ſed per ſolam formalem: quæ apud Ariſtotelem neceſſariò eſt admittēda, vt 1.p. huius libri oſtendimus q.4.ar.4. §.2. 2.concl, num. 12. ¶ Vnionem autem obiectiuam, non poſſe non admitti, non indiget probatione: quoniam euidens eſt, nullam viſionem fieri poſſe, niſi detur res, quæ videatur: licèt enim intellectio ſit actio immanens; ſignificatur tamen per modum tranſeuntis in id, quod intelligitur.

9. An vtraque vnio detur in ſpecie.

Admiſſa igitur duplici vnione, dubitari poteſt, an vtraque detur in ſpecie impreſſa? & ratio eſt, quia dubitatur, an ſpecies impreſſa ſe teneat, & ex parte obiec- & ex parte intellectus. Sed licèt de hoc dubitari poſsit; non poteſt tamē dubitari vnionem obiectiuam fieri per aliquā formam intelligibilem; quia dubitari nequit obiectum præſentandum eſſe coram intellectu, vel, vt illum obiectiuè moueat, vel, vt illius actionē terminet. Hæc igitur prǣter formalē eſt admittēda; ſiue fiat per ſpeciem impreſſam, ſiue per expreſſam.

10. Vtraq; pars eſt probabilis.

Secunda annotatio ſit, probabilem eſſe vtrãque partem quæſtionis; an in ſpecie impreſſa præter vnionem formalem admittenda ſit vnio obiectiua? quia probabilis eſt vtraque pars alterius, quæ inquirit, vtrùm ſpecies impreſſa ſe teneat ſolū ex parte intellectus, an etiam ex parte obiecti; vt diximus 1.p. huius libri, q. 3. art.2. §.1. quare in hac quæſtione ſupponamus, tanquam probabile in ſpecie impreſſa dari duplicem illam vnionem; ita, vt eadem ſpecies, & vniat obiectum intellectui per modum formæ, & illud obiectiue præſentet intellectui iam aſsimilato, de quo etiam diximus ſuprà 1. p. q. 4.art.4. §.2.

11. 1. Concluſ.

His ita præmiſsis, pro ſolutione ſit. 1. concluſio. *Diuina eſſentia nullo modo poteſt ad inſtar ſpeciei impreſſæ ſe ſe intellectui vnire vnione formali ad modum formæ perficientis.* Statuitur contra Authores ſecundæ ſententiæ, & contra priorem partem ſententiæ mediæ; habet autem pro ſe Authores primæ opinionis: At nos eam lōgè alio fundamento confirmabimus: nā illi ex eo illam confirmabunt; quia in ſpecie ſolùm admittunt vnionem obiectiuā: nos autem admittimus etiam formalem. Qua admiſſa concluſio ex eo probatur; quia vnio formalis obiecti cum intellectu fieri non poteſt ſine actuatione, qua conſequatur eſſe Deum: formalis enim vnio, vel eſt ipſa cauſalitas, qua ſpecies dat intellectui eſſe ipſam rem; vel nō poteſt dari ſine tali cauſalitate: & inde eſt, vt ſpecies, vniendo det intellectui eſſe ipſam rem; & dando eſſe illam rem, etiam vnit intellectui, vt diximus 1.p. q.4. art. 4. §.4. Iam verò diuina eſſentia non poteſt ad inſtar ſpeciei ita perficere intellectum, vt illi det eſſe Deum, vt iam oſtēdimus in 1. articul. huius quæſtionis; & ideo art. præcedente negauimus, poſſe diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei impreſſæ conſtituere intellectum in actu primo videndi.

Ex hac opinione infertur, eos, qui in ſpecie ſolùm admittūt vnionem formalem, non poſſe non negare, diuinam eſſentiam poſſe ad inſtar ſpeciei fungi hoc munere. At verò, qui in ſpecie etiam admittunt vnionem obiectiuam, adhuc hoc munus poſſunt illi concedere, ſed de hoc inferiùs. 12.

13. 2. Concluſ.

Secunda Concluſio: *Qui in beatis nobiſcum admiſerit ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, ſicut cum prima concluſione negat, poſſe diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei impreſſæ ſe ipſam cum intellectu vnire vnione formali; ita etiam negabit, eam poſſe ſe vnire vnione obiectiua*, quanuis in ſpecie vtranque admittat vnionem: nam ſi ſemel admittatur ſpecies impreſſa in beatis, tanquam neceſſaria ad vnionem formalem eſſentiæ cum intellectu; neceſſariò etiam erit admittenda, tanquam neceſſaria ad vniouē obiectiuā: etenim ſpecies impreſſa apud Autho-

authores huius opinionis ex ſua natura habet, vt vtranque faciat vnionem: quare ſi illa ſimpliciter eſt neceſſaria ad vnionẽ formalem; vtique ſatis erit ad vnionem obiectiuam. Vnde ſuperfluum erit, diuinam eſſentiam ſe ſe obiectiuè vnire ad inſtar ſpeciei impreſſæ.

14. Species ex ſe habet qd vtramque vnionem faciat. Quod verò apud auctores illius opinionis ſpecies impreſſa ex ſua natura habeat, vt vtranque faciat vnionem, ex duplici capite probari poteſt. Ex primo; quoniam cum ex ſua natura ſit formalis repræſentatio obiecti, & faciat, vt intellectus repręſentatiuè ſit illud; non poteſt illud non referre obiectiuè; quoniam ex vera Philoſophia imago ſemper obiectiuè repræſentat ſuum imaginatum. Ex ſecundo autem; quoniam obiectum, vt eſt quoddam intelligibile, ex ſua natura habet, quòd ſit motiuum intellectus motione quadam, & efficientia obiectiua: quoniam notitia ex potentia, & obiecto paritur, vt diximus ſuprà 1. part. huius libri q. 3. art. 2. §. 2. & art. 6. §. 1. Oportet igitur obiectum ante intellectum proponi per aliquam formam intelligibilem priùs natura, quàm detur intellectio, vt ibidem diximus: non poteſt autem obiectiuè proponi per modum motiui per ſpeciem expreſſam, ſiue verbum; quia per illam ſolùm proponitur per modum termini, vt cum D. Thoma volunt Thomiſtæ; termino autem nulla conuenit efficientia: neceſſariò igitur proponetur obiectiuè per impreſſam. Quare, ſi in intellectu beati admittenda eſt ſpecies impreſſa creata (vt veriùs exiſtimamus) eſſentia per illam vnietur, tum per modum formæ aſsimilantis, tum per modum obiecti mouentis. Non eſt igitur, quòd admittatur diuinam eſſentiam vnire ſe ipſam obiectiuè.

15. Dubium incidens. Si quis inquirat; vtrùm nulla poſita in beatis ſpecie creata, poſsit eſſentia diuina ſe ipſam aliquo modo vnire ad inſtar ſpeciei impreſſæ? Quæſtio ſimpliciter reſolui non poteſt. Pro reſolutione, ſit tertia

3. concluſ. concluſio: ſi ſpecies impreſſa ſolùm ſe tenet ex parte intellectus; eſſentia nullo modo poteſt ſubire munus vniendi ſe ipſam. Concluſio repugnat communi Thomiſtarum ſententiæ: admittunt enim intellectum beati fieri Deum per diuinam eſſentiam vnitã ad inſtar ſpeciei impreſſæ. Cui opinioni reſiſtit prima concluſio ſuprà poſita: repugnat enim intellectum fieri Deum abſque vnione informatiua, quæ diuinæ eſſentiæ repugnat. Quare, ſi ſpecies impreſſa ſolùm ſe tenet ex parte intellectus, nec aliam vnionem poteſt facere, niſi formalem; vtique diuina eſſentia nullo modo poterit exercere hoc vniendi munus: & per conſequens, ſi ſe obiectiuè vniret, ſolùm ſe vniret ad inſtar ſpeciei expreſſæ.

Sit quarta concluſio: *ſi ſpecies impreſſa ſolùm ſe tenet ex parte obiecti* (quæ fuit plurimorum opinio) *non repugnat, diuinam eſſentiam ſe ſe intellectui vnire ad inſtar ſpeciei impreſſæ.* Facilè probatur: quoniam ſuppoſita illa opinione, ſpecies impreſſa nullam aliam vnionem facit, niſi obiectiuam. Hæc autem non repugnat diuinæ eſſentiæ, ſiue ſumatur in ratione motiui, ſiue in ratione termini. 16. 4. concluſ.

Vtrum verò apud huius opinionis auctores de facto, aut motiuè, aut terminatiuè ſe ſe vniat ad inſtar ſpeciei impreſſę? non conuenit inter auctores. Reſolutio pendet ex reſolutione alterius quæſtionis; an ſpecies impreſſa repræſentet obiectum ſolum terminatiuè; an verò ſolũ motiuè; an denique vtroque modo? qui putant, obiectum in ea vtroque modo repræſentari (quam fuiſſe aliquorum opinionẽ oſtendimus 1. p. huius libri 8. q. 4. art. 8. §. 1.) admittunt, diuinam eſſentiam vtroque modo ſe ſe vnire. Verum opinionem illam non admiſimus in dict. art. 8. §. 4. vbi oſtendimus, nec Scotum illam admiſiſſe. Qui putant, obiectum in ſpecie impreſſa nullo modo repræſentari terminatiuè (quæ fuit opinio Thomiſtarum, & Scotiſtarum, vt diximus in dicto art. 8. §. 2.) negabunt eſſentiam ſe vnire terminatiuè ad inſtar ſpeciei impreſſæ: nec enim poteſt vicẽ illius gerere in eo, quod illi non conuenit. ¶ Porrò, qui volunt, obiectum per modum motiui repræſentari in ſpecie impreſſa (quæ eſt communior ſententia) adhuc inter ſe differunt: nec enim deſunt, qui velint, eſſentiam de facto non ſubire vicem ſpeciei impreſſę; quia de facto non concurrit cum intellectu in aliquo priori naturæ, quàm fiat viſio. In hanc opinionem potiùs inclinat Scotus; Lychetus autem ſimpliciter illã probat; vt oſtendimus art. 1. huius quæſtionis

17. Dubium incidens.

1. opinio.

Alia opinio

18. 3. opinio.

Propria ſẽ-tentia. ſtionis §. tertio. Ego tamen puto, hanc opinionem non poſſe non probari, ſi ſpecies impreſſa ſolùm admittatur ex parte obiecti: nam cum authores iſti non admittant obiectum in ea repræſentari in ratione termini, non poſſunt non admittere, illud repræſentari per modum motiui cum efficiẽtia obiectiua, vt diximus lib. 8. prima parte, quæſtione 3. articulo ſexto, §. primo. Quare, cum nec obiectiua vnio, nec efficientia obiectiua repugnet diuinæ eſſentiæ, vt authoribus huius ſententiæ placet; nec etiam repugnabit, eam ad inſtar ſpeciei ſeſe vnire per modũ obiecti motiui, vt partialiter concurrat ad viſionem.

19. Vltima conclusio. Sit vltima concluſio, *Si ſpecies ſe tenet, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti* (quæ fuit doctiſsimorum ſententia admittens in ea vnionem formalem, & obiectiuam) *non repugnabit eſſentiam ſubire vicem ſpeciei expreſſæ quoad vnionem obiectiuam, quãuis illi repugnet vnio per modum formæ*; quoniam nulla dabitur ratio repugnantiæ: licèt enim in ſpecie creata vnũ ſine altero non detur; non repugnat tamen vnum ſine altero exerceri à diuina eſſentia, ſi ſemel admittatur eam ſubire poſſe vicem ſpeciei impreſſę.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei ſe ipſam intellectui præſentare?

1. Species impreſſa repręſẽtat obiectum. QVod ſpecies impreſſa repræſentet intellectui obiectum, indubitatum eſt, vt oſtendimus lib. 8. prima parte, quæſt. 4. art. 3. §. 1. vbi §. 2. diximus contra nonnullos, eam repręſentare obiectum, vt formalem illius repræſentationem; diximus etiam in tertio §. ſpeciem repræſentare obiectum nihil aliud eſſe, quàm facere illud eſſe præſens intellectui. Inquirimus igitur, An diuina eſſentia ſecluſa omni ſpecie creata poſſit ad inſtar ſpeciei facere ſe ipſam intellectui intelligibiter præſentẽ? de hac enim pręſentia eſt hoc loco ſermo, non de reali ſiue locali, ſecundum quam nullibi poteſt eſſe abſens, cum tamen præſentia intelligibili poſsit eſſe abſens alicui intellectui, vt diximus lib. 8. 2. parte q. 3. artic. 7. ad primum, ex Diuo Thoma *de Veritate quæſtione* 10. *articulo* 11. *ad* 11. *& in* 4. *diſtinct.* 49. *q.* 2. *art.* 6. *ad quartum*, *& ex Scoto ibidem quæſtione* 11. *lit. F.* Hanc autem pręſentiam eſſe neceſſariam ad intellectionem, nullus dubitat; vnde diuina eſſentia noſtro intelligendi modo priùs ſe ipſam ſuo intellectui præſentat, quàm ab illo intelligatur. Inquirimus igitur, vtrùm poſsit ſine ſpecie creata ſeſe intellectui beati intelligibiliter præſentare, prius natura, quàm ab eo videatur? D. Thom. Scotus.

§. 1.

Opinio affirmans.

2. Opinio affirmãs ẽ vera. PArtem affirmantem, tanquam veriſsimam probant omnes Theologi, qui admittunt, diuinam eſſentiam vicem ſpeciei ſubire: nam ſicut ſpecies nullum munus exercere poteſt, niſi obiectum intellectui faciat eſſe præſens; ita nec eſſentia diuina nullũ ſpeciei munus poterit exercere, niſi ſe ipſam faciat præſentem intellectui. Et hæc opinio non poteſt non probari ab illis, qui negant ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ: nam cum oporteat Deum fieri præſentem intellectui beato, vt poſsit ab eo videri; cum nõ poſsit intelligibiliter eſſe præſens per ſpeciem creatam, neceſſariò fiet præſens per ſe ipſam. Vnde, quòd diuina eſſentia ſe ipſam intellectui præſentet, habes ex D. Thoma *de Verit. q.* 10. *arti.* 11. *&* ſatis 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *in corp.* & paucis exceptis id omnes ſupponunt. D. Thom.

§. 2.

Quomodo eſſentia in hac opinione ſe ipſum repræſentet?

3. Quomodo eſſentia ſe ipſam reprę ſentet. SEd quemadmodum apud eos, qui volunt, eſſentiam diuinam ſeſe vnire intellectui, controuerſum fuit, quomodo, & qua vnione ſeſe vniat, vt vidimus in præcedente art. §. 4. ita hic cõtrouerſum eſt, quomodo ſeſe præſentet intellectui: Sicut enim ibi duplicem diſtinximus vnionem, formalem, ſc. & obiectiuam; ita hic duplex diſtinguẽda eſt intelligibilis repręſentatio: formalis; qua obiectũ repręſentatur tanquam aſsimilatiuum intellectus, vt fiat ipſũ: altera obiectiua; qua obiectũ fit præſens obiectiuè, & aſsiſtens intellectui: de vtraq; diximus in hoc lib. 8. 1. p. q. 4. art. 3. §. 5. Duplex repręſentatio obiecti.

4. Ratio dubitandi. Dubitari igitur poteſt: Vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei impreſſæ ſe ipſam repræſentare intellectui? de quo non facilis eſt dubitatio, ſi diligentius expendantur, quæ hac de re ſcribuntur. Fundamentum ſumitur ex controuerſia, vtrùm ſpecies ſolùm ponatur ex parte obiecti: An ſolùm ex parte intellectus; An denique ex vtraq; parte? Nam qui primum probant, ſolùm admittunt in ſpecie repræſentationem obiectiuam: qui verò probant ſecundum; ſolùm admittunt formalem: vtramque tamen agnoſcunt, qui tertiam opinionem defendunt. Hinc igitur ortum habet varietas opinionum de hac difficultate.

5. 1. opinio. Qui volunt ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, defendunt, diuinam eſſentiam ſolùm ſeſe poſſe repræſentare intellectui obiectiuè per modum formæ ſeſe ante intellectum proponentis: fundamentum eſt, quia ſpecies impreſſa nullam aliam poteſt facere repræſentationem: quare, cum eſſentia diuina ei us vicem ſubeat, non aliter ſeſe repreſentabit, niſi obiectiuè. Et cum hæc repræſentatio ſit extrinſeca, & poſsit fieri ſine informatione, non repugnat eſſentiæ, imò potius ad illius perfectionem pertinet, quatenùs eſt intelligibilis: quia ad perfectionem intelligibilis pertinet; poſſe intellectui obiectiuè præſentari. Hanc opinionem non poſſunt non admittere, qui in eſſentia nullam admittunt vnionẽ, niſi obiectiuam, de quibus in præcedente articulo, §. ſecundo, in prima opinione: etenim ſpecies repræſentando vnit, & vniendo repræſentat, vt diximus in prima parte huius libri quæſtione quarta artic. 3. §. 6.

6. 2. opinio opposita. Oppoſitam ex Diametro ſententiam docere debent, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte intellectus: hi enim, cum nullam in ſpecie admittant repræſentationem obiectiuam, negare tenentur, diuinam eſſentiam poſſe ad inſtar ſpeciei impreſſæ facere ſe ipſam obiectiuè præſentem, aut in ratione termini, aut obiecti motiui. Fundamentum eſt; quia ſpecies impreſſa apud iſtos non poteſt repræſentare obiectum obiectiuè; quia hoc ſolùm pertinet ad expreſſam. Iam verò diuina eſſentia non poteſt gerere vicem ſpeciei in munere, quod ſpeciei non conuenit. Quare ſi eſſentia ad inſtar formæ intelligibilis ſeſe intellectui obiectiuè præſentat, id facit, vt gerit vicem ſpeciei expreſſæ, ſiue verbi, apud eos, qui in beatis verbum diuinæ eſſentiæ admittunt.

Quomodo autem poſita hac opinione, diuina eſſentia ſe ipſam repræſentet? hi authores non explicant, deberent tamen explicare: nam cum admittant diuinam eſſentiam vice ſpeciei aſsimilare ſibi intellectum, & facere illum eſſe Deũ, vt patet ex primo articulo huius quæſtionis; ſicut non poſſunt non admittere eam vniri intellectui ad modum formæ perficientis ad tale eſſe, vt diximus in præcedente articulo: ita non poſſunt nõ agnoſcere diuinam eſſentiam intellectui præſentari; vt det tale eſſe. Cum verò negent, eam vice ſpeciei impreſſæ ſeſe præſentare obiectiuè, neceſſariò debent in ea admittere aliam repræſentationem, quam explicare tenebantur. 7. Non ſatis ſe explicãt hi authores.

Inter duas iſtas ſententias media erit eorum, qui ponunt ſpeciem, & ex parte intellectus, & obiecti: Cum enim vtramque repræſentationem in ea admittant; formalem, ſcilicet ex parte intellectus: & obiectiuam ex parte obiecti; conſequenter admittent, diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei ſe ipſam repræſentare per modum formæ aſsimilantis, prout ſe tenet ex parte intellectus; & per modum obiecti veluti aſsiſtentis, vt ſe tenet ex parte obiecti. 8. 3 Sententia eſt media.

Hæc opinionum varietas facilè colligitur in ijs, quæ Theologi ſatis confuſè hac de re ſcribunt quanuis vix reperies, qui difficultatem iſtam, aut tangat, aut explicet.

§. 3.

Explicatio difficultatis.

HÆC difficultas eodem modo diſſoluenda eſt, quo eam diſſoluimus in præcedente articulo de modo vnionis. Primò igitur loco præmittendum eſt, quòd ſicut non poteſt non admitti duplex vnio; vna formalis, obiectiua altera, vt oſtendimus in dicto §. tertio; ita non poteſt non recipi duplex repræſentatio, ſi abſtrahamus à repræſentatione per ſpeciem impreſſam, 9. Reſolutio vera.

&

& expreſſam: ſpecies enim repræſentando vnit, & vniendo repræſentat. Et facilè id oſtenditur: nam cum obiectum, vt eſt intelligibile, ex ſua natura ſit, & aſsimilatiuum intellectus, & motiuum illius motione obiectiua, atque etiam terminatiuum intellectionis, non poteſt nõ eſſe præſens intellectui, & vt aſsimilatiuum illius per modum formæ illum perficientis; & vt motiuum eiuſdem per modum obiecti, vt ex eo cum intellectu pariatur notitia, & præterea per modum termini terminantis intellectionem. Cú vero duæ poſteriores præſentiæ ſint obiectiuæ, prima autem ſit aſsimilatiua; nõ poteſt non admitti duplex repræſentatio facta, tùm per ſpeciem impreſſam, tùm per expreſſam.

10. 2. præmiſsũ

Præmittendum eſt ſecundo, controuerſum eſſe, vtrùm in ſpecie impreſſa duplex illa repræſentatio admittenda ſit, vt diximꝰ in prima parte huiꝰ lib. q. 4. articulo tertio, §. quinto, vbi in ſecunda concluſione oſtendimus, non poſſe non admitti repræſentationem formalem, ſiue aſsimilatiuam; vtrùm verò ſimul cum ea habeat admitti repræſentatio obiectiua? affirmatiuam partem diximus eſſe probabiliorem.

11. 1. concluſio

His ſuppoſitis ſit prima concluſio: Diuina eſſentia nullo modo poteſt ſe ipſam ad inſtar ſpeciei impreſſæ formaliter repræſentare, & per modum formæ aſsimilatiuæ intellectus. Hæc concluſio nec admittit ſecundam opinionem, nec priorem partem tertiæ; habet tamen pro ſe authores primæ. Fundamentum eſt; quoniam nulla forma intelligibilis poteſt repræſentare obiectum repræſentatione formali, & aſsimilatiua, niſi vt aſſimilat intellectum rei repræſentatæ, & facit, vt ille ſit ipſa. Sed diuina eſſentia non poteſt loco ſpeciei impreſſæ facere, vt intellectus ſit Deus. Ergo nec poteſt loco illius ſe ipſam repræſentare ad inſtar formæ aſsimillatiuæ intellectus. Minorem probauimus ſuprà articulo primo: maiorem verò admittunt aduerſarij: nam ſicut apud eos ſpecies impreſſa ideo repræſentat obiectum, vt faciat intellectum eſſe ipſum; ita ideo diuina eſſentia in hac repræſentatione vicem gerit ſpeciei impreſſæ, vt faciat intellectum eſſe Deum: quæ fuit maior.

Quare, qui ponunt ſpeciem ſolùm ex parte intellectus, non poſſunt non negare, diuinam eſſentiam fungi poſſe munere repræſentandi vice ſpeciei impreſſę.

12. 2. concluſio

Secunda concluſio: qui nobiſcum admiſerit in beatis ſpeciem creatam, ſicut negare debet diuinæ eſſentiæ repræſentationem formalem, & aſsimilatiuam (quam in prima concluſione abſolute negamus) ita eidem negabit obiectiuam; quamuis in ſpecie impreſſa vtramque admittat. Concluſio ex eo confirmatur: (1. ratio) quoniam, ſi in beatis ſpecies creata eſt neceſſaria, vt diuinam eſſentiam intellectui repræſentet, vt forma aſsimilatiua; ex conſequenti etiam ponenda eſt, vt eandem repræſentet obiectiuè: & ratio eſt; quia ſpecies impreſſa ex ſua natura vtramque habet repræſentationem: quare, ſi ponitur in beatis propter vnam, ponenda etiam eſt propter alteram. Quòd verò ex ſua natura habeat vtramque repræſentationem, patet: quia ex ſua natura eſt formalis repræſentatio, & imago obiecti: in imagine autẽ nõ poteſt nõ repræſentari obiectiuè ipſum imaginatũ.

13. 2. ratio

Accedit ratio, qua vſi ſumus in præcedente articulo §. tertio: quoniam, cum obiectum, ideo, quia eſt intelligibile, ſit motiuum intellectus efficientia obiectiua (quia ex potentia, & obiecto fit notitia) oportet, vt priùs natura, quàm detur intellectio obiectum proponatur, & fiat obiectiuè præſens: obiectiuè autem per modum motiui non poteſt eſſe præſens per ſpeciem expreſſam, ſiue verbum; quia in verbo ſolùm præſentatur per modum termini apud Thomiſtas; termino autem nulla conuenit efficientia; igitur neceſſariò obiectiuè repræſentabitur per ſpeciem impreſſam. Quare, ſi in intellectu beati admittenda eſt ſpecies impreſſa creata, vt verius exiſtimamus; per illam repræſentabitur eſſentia, tùm per modum formæ aſsimilantis; tùm per modum obiecti mouentis. Vnde non eſt, quòd diuina eſſentia ſe ipſam obiectiuè repræſentet.

§. 4.

Quæſtio incidens.

14. Dubium incidens.

SI quis inquirat, vtrùm nulla poſita in beatis ſpecie creata poſsit diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei impreſſæ ſe

 ipſam

ipſam aliquo modo repræſentare? Reſolutio multiplici indiget diſtinctione.

15. 1. propoſit. Sit prima propoſitio: Si ſpecies ſe tenet ex parte intellectus; diuina eſſentia ſicut non poteſt obire munus vniendi ſe cum intellectu; ita nec poteſt obire munus ſe repræſentandi: nam in 1. concluſione diximus, eſſentiã nullo modo poſſe ſe ipſam intellectui repræſentare, vt formam aſsimilatiuam ipſius intellectus. Vide concluſionem tertiam præcedentis articuli §. 3.

16. 2. propoſitio. Secunda propoſitio: ſi ſpecies impreſſa ſe tenet ſolùm ex parte obiecti; nõ repugnat, diuinam eſſentiam ſe ipſam intellectui repræſentare obiectiuè. Probatur: quia talis repręſentatio non repũgnat diuinæ eſſentiæ. Vide in dicto §. 3. concluſione 4.

17. 3. propoſit. Tertia propoſitio: ſi in ſpecie impreſſa obiectũ repræſentatur ſolùm terminatiuè; poterit diuina eſſentia iſto modo ſe ſe repræſentare ad inſtar ſpeciei. Verum opinio illa non eſt admittenda. Vide in dicta concl. 4.

18. 4. propoſit. Quarta propoſitio: qui volunt in ſpecie impreſſa repræſentari obiectum per modum motiui; & eam ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, neceſſariò admittent, poſſe diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei ſe ipſam obiectiuè repræſẽtare: quia hæc repræſentatio illi non repugnat. Vide dictam concluſionem quartam.

19. Vlt. propo. Vltima propoſitio: ſi ſpecies ſe tenet, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti: non repugnabit diuinæ eſſentiæ ſe ſe repræſentare obiectiuè; bene tamen aſsimilatiuè. Vide in dicto §. 3. concluſione vltima ¶ Hæc aduertimus pro tollenda confuſione ab opinione, quę probat, diuinam eſſentiam gerere vicem ſpeciei impreſſæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei determinet intellectum ad talem actum?

1. Propriũ munus ſpeciei eſt determinare intellectum. HANC quæſtionem eodem ordine dirimemus, quo duas præcedẽtes diremimus. Sit igitur indubitatum eſſe proprium munus ſpeciei impreſſæ, determinare intellectum ad hoc, vel illud obiectum, & ad hanc, vel illam intellectionem, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 4. art. 5. §. 1. vbi §. 2. oſtendimus controuerſum eſſe, an ſpecies hanc determinationẽ faciat, per ſolam obiectiuam vnionem, quatenùs obiectum ante intellectũ proponit; an verò per vnionem formalem, qua facit intellectũ eſſe rem ipſam: etenim ſicut intellectus non poteſt intelligere, niſi hominem, dum illum habet ſibi obiectiuè vnitum; ita factus intelligibiliter homo non poteſt intelligere, niſi hominem. Controuerſum eſt igitur, an ſpecies impreſſa hoc vel illo modo determinet intellectum. Quomodo determinet? controuerſum.

2. Variæ opiniones. Qui volunt ſpeciem impreſſam ſolùm ſe tenere ex parte obiecti; admittũt priorem tantum determinandi modum. Agnoſcunt tamen ſolùm poſteriorem, qui ſpeciem tantum ponunt ex parte intellectus. Sed qui illam admittunt ex parte vtriuſque, volunt intellectum per ſpeciem vtroque modo determinari; primò tamen, & principaliter per eam, quatenùs facit, vt intellectus ſit res ipſa; ſecundario autem, & ex conſequenti, prout obiectiuè ponit obiectum ante intellectum. Et hanc opinionem probauimus in dicto §. 2.

3. Concluſio. His præmiſsis quæſtionem hanc vnica concluſione diſſoluemus. *Diuina eſſentia nullo modo poteſt ad inſtar ſpeciei impreſſæ determinare intellectum beati ad viſionem ſui: ſed neceſſariò determinabitur ad illam per ſpeciem creatam, quam in beatis ponimus.* Probatur hæc concluſio: quia prima, & principalis determinatio intellectus ad certam intellectionem fit per formam intelligibilem, qua intellectus eſt res ipſa: nam ſicut intellectus non poteſt intelligere rem, niſi priùs natura fiat ipſa, vt ex Ariſtotele ſæpe diximus; ita res ipſa non poteſt intellectionem ſui determinare, niſi priùs, aut per ſuam formam intelligibilem, aut per ſe ipſam ad inſtar illiùs faciat, vt intellectus ſit ipſa. Sed diuina eſſentia non poteſt ſe ipſa ad inſtar ſpeciei efficere, vt intellectus ſit Deus, vt diximus in primo articulo; ſed ad hoc eſt neceſſaria ſpecies creata. Ergo diuina eſſentia non poteſt ſe ipſa primò & principaliter determinare intellectum ad vnionem ſui: ſed talis deter-

determinatio neceſſariò debet fieri per ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, quatenus facit, vt intellectus ſit Deus. Admiſſa autem ſpecie creata, ſicut per eandem debet diuina eſſentia præſentari, & vniri, vt diximus in duobus articulis præcedentibus; ita per eandem obiectiuè determinabit intellectum ad viſionem ſui; ſecundario tamen. ¶ Quare non admittimus, quę docent Cumelius 1. *p. q. 56. art. 1. q. 1. ad 8. pag. 169. col. 1. & Bañes ibidem dubit. 1. §. Ad confirmationem reſpondetur*, & à fortiori non admittemus, quod ſcribit idem *Bañes 1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. §. Sed obſerua maximè.*

Non probatur Cumelius, nec Banhes.

4. Viſio diuinæ eſſẽtiæ vndè ſpecificetur.

Ex dictis patet, viſionem diuinæ eſſẽtiæ, vt ſignificatur per modum actionis, veluti ex euntis ab intellectu, per ſe non ſpecificari, niſi ab intellectu facto in actu Dei. Cum verò intellectus non fiat talis per diuinam eſſentiam, ſed per ſpeciem creatam; hinc eſt, vt viſio ſignificata per modum exeuntis non ſpecificetur à diuina eſſentia ratione ſui, ſed ratione ſpeciei creatæ, per quam dat intellectui eſſe Deum. At tamen vt ſignificatur per modum paſsionis terminatæ ad eſsentiam vt viſam, per ſe ſpecificabitur à diuina eſſẽtia, vt terminat viſionem, ſiue per ſe ipſam, ſi verbum illius non admittis in beatis; ſiue vt repræſentata in verbo, ſi illud admittatur. Vide quæ diximus ſuprà 1. p. huius libri q. 4. art. 5. §. 4. Et hæc ſatis dicta ſint de hoc articulo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm eſſentia diuina ad inſtar ſpeciei impreſſæ compleat virtutem intellectus ad videndum?

1. Species cõplet virtutẽ actiuam intellectus.

SPeciem impreſſam complere virtutem actiuam intellectus, omnes agnoſcunt, vt diximus ſuprà 1. p. q. 4. ar. 6. & latiùs q. 3. ar. 8. in quibus locis aduertimus, controuerſum eſſe, quomodò ſpecies impreſſa cõpleat virtutẽ intellectus. Et quãuis omnes in hoc conueniãt, quòd eam non cõpleat addendo aliquam nouam virtutẽ, aut intendendo eam, quã habet, ſed ſolùm determinando indifferẽtiam eius ad hoc vel illud obiectum, & ad hanc, vel illam intellectionem; non cõueniũt tamẽ in modo determinationis. Qui dam volunt; ſpeciem facere illam determinationem per repræſentationem, & vnionem obiectiuam. Alij per ſolam formalem, quatenus loco obiecti aſsimilat intellectum illi, & facit, vt ſit ipſum: quã opinionem diximus eſſe Ariſtotelicam.

Quomodò compleat?

2. Diuina eſſẽtia ſe ipſa non cõplet.

Ea ſuppoſita, patet, diuinam eſſentiam non poſſe ſe ipſa ad inſtar ſpeciei cõplere virtutem intellectus ad vidẽdum: nam cum hæc virtus compleatur determinãdo indifferentiam illius, vt. ſ. ſit ad obiectum diuinũ, & viſionẽ eius; nõ quocũq; modo, ſed dando illi eſſe Deum, vt poſsit Deum videre; & eſſentia non poſsit ad inſtar ſpeciei illo modo determinare intellectũ, vt diximus ar. 7. & antea in ar. 1. vtique nec poterit illius virtutem complere, ſed neceſſariò cõplebitur per ſpeciem creatam, quã in beatis admittimus.

3. Nauarrete improbatur.

Aduertam tamen, non ſatis philoſophicum videri complementum virtutis excogitatum à Nauarrete 2. tom. contr. 13. §. 3. pag. 172. de quo fortè aliquid dicemus in ſeq. lib. 9. q. 5. art. 6. Nunc dicimus illud cõplementum non poſſe fieri per diuinam eſſentiam vice ſpeciei, quia in ſpecie nõ reperitur talis modus cõplendi.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei actiuè influat in viſionem?

§. 1.

Explicatur titulus quæſtionis.

1. Species actiua influit in actũ intelligendi.

IN hoc articulo ſupponimus ſpeciem impreſſam ſimul cum intellectu actiuè influere in actum intelligendi, vt oſtendimus 1. p. huius lib. q. 3. ar. 4. vnde inter munera ſpeciei impreſſæ hoc munus tanquam principale enumerauimus in eadem 1. p. q. 4. art. 7. §. 1.

2. Quomodo ſpecies concurrat? controuerſum.

Et quanuis hæc ſit ferè omnium indubitata ſententia; cõtrouerſum tamen eſt, quomodò cõcurrat, vt ibidem diximus. Qui ſpeciem ponunt ex parte ſolius obiecti ſolùm admittunt in ea efficientiam obiectiuam; quatenus vice obiecti obiectiuè mouet intellectum ad actum, & cũ eo partialiter concurrit, vt agens *quod*, vt diximus ſuprà 1. p. q. 3. art. 6. & q. 4. articul. 7. vtrobique §. 1. Qui verò eam admittunt ex parte ſolius intellectus, admittunt ſolùm in ea actiuitatem principij

cipij vt *quo*, quia ſcilicet intellectui eſt forma, qua intelligit, vt diximus in dicta q.3.art.7.§.2.& q.4.art.7.§.1. At qui eã admittunt, & ex parte intellectus, & ex parte obiecti, non conueniunt, an vtraq; illa efficientia ſit in ſpecie admittenda? Quidam vtramque admittunt: alij ſolùm admittunt eam, quæ eſt ex parte intellectus, cui eſt principium intelligendi, vt *quo*, non verò obiectiuam, vt diximus in duobus citatis locis. Nos reſoluimus non poſſe non admitti in ſpecie efficientiam principij vt *quo* ex parte intellect⁹. Vtrũ verò ſimul admittenda ſit efficientia obiectiua? diximus eſſe problema, ſi admittatur, obiectum terminatiuè repræſentari in ſpecie, ſin minus, non poſſe eam ſimul non admitti.

3. In quo poſita eſt difficultas.

His ita ſuppoſitis, iam patet, in quo poſita ſit quæſtionis difficultas: inquirimus enim, vtrùm diuina eſſentia poſsit ad inſtar ſpeciei impreſſæ influere in viſionẽ? Cum verò influxus iſte poſsit explicari, vel de influxu formali principij, vt *quo*; vel de obiectiuo principij coadiuuantis, vt *quod*, tanquam concauſa; iam patet, nõ poſſe de propoſita quæſtione non eſſe varias ſententias: quas primùm explicabimus, deinde noſtram reſolutionem ſcribemus.

§. 2.

Sententia affirmans.

4. Diuinam eſſentiam actiuè concurrere; eſt cõmunis.

Suarius. Molina. Salas. Cabrera. Valentia. Capreol.

SEntentia, quæ affirmat, diuinam eſſentiam vt formam intelligibilẽ actiuè concurrere ad viſionem ſimul cum intellectu, eſt inter Theologos cõmuniſsima: ex nouioribus, eam probant *Suarius 3.p.q.9.art.1.diſp.24.ſect.2.pag.494.A.1.& 2.de Attribut.negat.c.12.n.17.& 18. Molin.1.p.q.12.art.2.diſp.2.§. His ita conſtitutis, Salas 1.tom.ad 1.2.q.3.tract.2.diſp.5.ſect.2.concl.2.n.36.pag.342 Cabrera 3.p.q.2.art.1.diſp.6.concl.1.n.10.pag.572.* ſatis eam inſinuat *Valentia 1.to.diſp.1.q.12.puncto.2.* denique noſtris tẽporibus eſt communiſsima. Inter Thomiſtas eſſe axioma plerique teſtãtur. Ita *Capreol.in 3.diſt.14.q.1.art.3.ad 2.contra primã, §. Ex quibus patet, fol.58.col.2.in fine, & col.3.§. Ad 2.improbationẽ, clariùs in 4.diſt.49.q.4.ar.3.ad 2.Durandi contra 2.fol.209.col.3.* vbi probat, diuinam eſſentiam eſſe actum primum elicitiuũ actus ſecundi, qui eſt viſio, & *ad argumenta Aureoli 2.loco fol.207.col.3.* affirmat eã eſſe formam principiantem viſionẽ. Eam docet *Caiet.1.p.q.12.art.2.ad finem cõmenti,* dum ait: diuinam eſſentiam cõcurrere ad viſionem vt principium formale illius cõſtitutiuum intellectus in actu: & §. in reſponſione ad 3. non obſcurè explicat, eam concurrere cum intellectu, vt agens partiale. Sotus clarè docuit eam vniri cũ intellectu ad producendum viſionem *in 4.diſt.49.q.2.ar.3.concl.3. Sylueſt.in conflato q.12.ar.1.ad 11. Ferrar.3.cont.gent.c.51.§. Ad primum dubium,* dum ait, diuinam eſſentiã eſſe principiũ formale perfectiuum ad operandum, quo intellectus eſt potens videre Deũ. Hanc ſentẽtiam eſſe multò probabiliorem affirmat *Cumelius 1.p.q.12.ar.2.q.3.concl.5.pag.235.col.2.* eam eſſe probabilẽ teſtatur *Nauarrete 2.p.contr.13.§.3.pag.172.col.2.B.* Ex alijs eã expreſſè probant *Ægid. quodlib.3.q.15. Henric.in Sũma ar.33.q.1.lit.O.* affirmãs diuinam eſſentiam eſſe principium formale mouens ad actum intellectionis, idẽ affirmat *quodlib.4.q.7.fol.94.pag.2.* multa in eandem ſententiam ſcribit in *Sũma q.33.art.1.fol.9.D.& fol.10.in principio, & quodl.3.q.1.lit.V.fol.48.pag.1.* vbi ait, eam eſſe rationẽ videndi, eſſe primam rationem intellectualis operationis, & alia huius generis, quæ ſatis indicãt efficiẽtiã. Eandẽ defẽdunt auctores ſecũdę opinionis apud Richardũ *in 4.diſt.49.art.3.q.1:* quorum opinionẽ putat eſſe probabilẽ.

Caieta. Sotus. Sylueſt. Ferrar. Cumelius. Nauarre. Ægid. Henric. Richard.

5. Quid ſenſit Scotus?

Quid de hac re ſenſerit Scotus? non ſatis cõſtat, quãuis nonnulli in citando nimium liberales eum ad hanc ſententiam referant: ſed quid de illius mẽte dicendũ ſit, colliges ex dictis ſuprà art.1.§.3: licet enim magis inclinet, quòd eſſentia diuina nõ ſit in memoria beati, priùs natura, quã cauſetur viſio, vt patet *quodl.14.ar.2.lit.CC.§. Hinc videtur ſequi, & quodl.15.ar.2.lit.X.§. Ad ſecundum diceretur:* tamen nõ putat eſſe improbabile, eam ante viſionẽ eſſe in memoria, vt ex ea cauſetur viſio, actuareq; intellectum in ratione obiecti, quod apud eum actiuè concurrit ad actũ cum intellectu, vt colliges ex eodem quodlibet.14. vbi ſuprà, §. *Quod ſi quæratur.* Igitur non improbat hanc affirmatiuam ſententiam, & idem colliges ex eodem *in 4.diſtinctione 49.q.11.litera C.*

§. Ex

§. *Ex hoc ſequitur corollarium*, vbi ſuppoſito, quòd intellectus concurrit actiuè ad
Angles. viſionem, non reijcit illam actiuitatem. Ex Scotiſtis vnus eſt Angles, qui affirmantem ſententiam ſcripſerit in ſuis floribus de *Beatitudine art. 2. difficult. 6. concluſione vltima.* Vtrùm D. Thomas hanc affirmantem partem probauerit? controuerſum eſt: de quo vidè §. 4.

6. 1. Probatio Totum huius opinionis fundamentũ eſt, quia diuina eſſentia ſupplet vicem ſpeciei intelligibilis. Sed ſi in intellectu beati daretur ſpecies, illa concurreret actiuè ad viſionem. Ergo diuina eſſentia cõcurrens vice ſpeciei, ad eandem actiuè concurrit. Maior recipitur etiam ab aduerſarijs; minor ex eo patet, quia ſpecies actiuè concurrit ad actum intelligendi, vt fatentur aduerſarij, & oſtendimus ſuprà 1. p. q. 3. art. 4. §. 2, & q. 4. art. 7. §. 2. Cur igitur talis ſpecies, ſi daretur, nõ concurreret obiectiuè?

7. 2. Ratio. Secundò arguit Suar. *lib. 2. de Attrib. negat. cap. 12. num. 17.* quia implicat, diuinam eſſentiam actiuè non influere in viſionem, & ſubire vicem ſpeciei, illamque ſupplere: ſecluſa enim efficientia, nulla relinquitur neceſſaria vnio obiecti cum potentia, ſine qua eſſentia nõ poteſt ſupplere vicem ſpeciei. Quòd nulla detur neceſsitas talis vnionis, ex eo probat; quia nulla ibi datur vnio formalis, vt putat ſe probaſſe ibidem num. 8. Ergo ſola relinquitur vnio efficientiæ in ordine ad viſionem. Igitur, hac ſublata, tollatur neceſſe eſt vnio obiecti cum potẽtia: & per conſequens nihil remanet, in quo eſſentia vicem ſpeciei ſupplere poſsit.

8. Confirmatur. Confirmatur; quoniam obiectum duplicem habitudinem habere poteſt ad actum; vnam principij, alteram termini. At habitudo termini, nec conuenit ſpeciei, nec requirit vnionem. Ergo ſi tollitur habitudo principij efficientis, nulla datur in diuina eſſentia habitudo obiecti cum intellectu, & per conſequens nihil remanet in ea, in quo ſuppleat vicem ſpeciei. Implicat igitur diuinam eſſentiam non concurrere actiuè ad viſionem, & ſupplere vicem ſpeciei.

9. 3. Ratio ex Bellomont. Tertiò; eandem repugnantiam probat Bellomont. *1. diſp. 43. cap. 3.* quoniam ſi diuina eſſentia effectiuè non concurrit in viſionem efficientia quadam ſpeciali: ſolùm ad eam concurrit, vt obiectum terminatiuum illius: hoc autem modo non poteſt ſupplere vicem ſpeciei impreſſæ: quia mun⁹ ſpeciei nõ eſt præſentare obiectum, vt terminum. Sequelam latè probat: vis probationis in eo eſt poſita, quia, ſi diuina eſſentia actiuè non influit in viſionem, in nullo alio poteſt gerere vicem ſpeciei.

Poſtremò: efficiẽtia iſta actiua ita dicit perfectionẽ, vt nihil admixtũ habeat imperfectionis. Ergo nõ repugnat, eam dari in diuina eſſentia, vt vicem ſpeciei ſubit. 10. Vlt. Ratio.

§. 3.

Refertur pars negatiua.

SEntentiam negantem, non poſſunt non probare, qui generaliter negãt, diuinam eſſentiam ſubire poſſe vicẽ ſpeciei intelligibilis. Vnde Argentina *in 4. diſp. 49. q. 2. art. 2. §. Sed illud non eſt benè dictum*, ſpecialiter negat diuinam eſſentiã poſſe, vt formam intelligibilẽ actiuè concurrere ad viſionem. Eandem ſententiã probant communiter Scotiſtæ docentes, diuinam eſſentiam ad viſionem ſolùm cõcurrere terminatiuè, & nullo modo, vt obiectum motiuũ intellectus; quare nullam actiuam efficientiam obiectiuam illi tribuunt, nullamuè obiectiuam vnionem ad inſtar ſpeciei, ſed ſolam efficientiã productiuã mediante ſua voluntate, qua ſupplet concurſum effectiuum obiecti, vt eſt motiuum intellectus, ita expreſsè Herrera *in 1. Scoti diſp. 15. q. 4. §. Pro explicatione huius quæſtionis, pag. 504. culumn. prima in principio, Rada 1. p. contro. 6. pag. 89. col. 2. §. Tertio obſeruat*, & hanc ſententiam tribuunt Scoto *quodlib. 14. art. 2. lit. V. X. Y. & quodlib. 15. art. 2. lit. X.* & verè hæc eſt illius ſententia, quanuis oppoſitã non omninò reijciat, vt §. 2. aduertimus. In eadem ſentẽtia eſt Lychetus *in dict. quodl. 14. fol. 76. col. 4. in fine.* 11. Sentẽtia negatiua. Argentina. Herrera. Rada. Scotus. Lychetus.

Hanc ſentẽtiam probauit Bañes *1. p. q. 12. art. 2. dub. 2. nam concluſione* 4. admittit, diuinam eſſentiam vniri cum intellectu ad modum formæ intelligibilis; & tamen cõcluſione 3. conſtanter affirmat, eam, vt ſic vnitam actiuè non influere in viſionẽ, nec in hoc vicem illius ſubire. Idem repetit *1. p. q. 56. art. 1. dub. 1. §. Tertiò ſequitur.* Hanc ſententiam eſſe probabilem, 12. Bañes.

Cumelius. *Pezantius* *Nauarre.* exiſtimat Cumelius *ibidem q.3.concluſio. 4.pag.235,col.2.Pezantius ibidem diſp. 1. pag.55. col.1.§.Quæres num eſſentia*, ſatis eam ſignificat Nauarrete 1.*p.contro.*39.§. 3.*ad primam,& ſecundã confirmationem octaui argumenti fol.*249.*col.*3.*&*2.*p.contro.* 13.§.3.*fol.*172.*col.*2.*C.& pag.*173.*col.*1. *A.* quamuis ita hac de re loquatur, vt nec terminos Philoſophiæ intelligas.

14. 1.argum. Pro hac ſententia hæc argumenta adduci poſſunt. Primum, & principale: quoniam, ſi diuina eſſentia effectiuè concurreret ad viſionẽ ſimul cum intellectu, ſubalternaretur illi, tanquam inſtrumẽtum, quod repugnat. Sequela probatur; quoniam ſpecies impreſſa, cuius vicem gerit, eſt inſtrumentum intellectus, qui illa vtitur; & generaliter omne principiũ formale, quo agens operatur, ſubalternatum eſt ipſi agenti.

15. 2.argum. Secundò; quia ſi effectiuè concurreret cum intellectu, teneret ſe ex parte illius: intellectus enim ea mediante produceret viſionem, vt principio effectiuo. Species autem non tenet ſe ex parte intellectus, ſed obiecti.

16. 3.argum. Tertiò; viſio eſt actio vitalis, ergo non poteſt elici niſi à principio vitali: At diuina eſſentia non poteſt eſſe principiũ vitale ipſi beato, cũ illi non ſit intrinſeca.

17. 5.argum. Quartò; impoſsibile eſt potentiam operari per principium formale, quod illi non eſt intrinſecum, vel ſubſtantialiter informando, vel accidentaliter inhærendo. Sed diuina eſſentia neutro modo poteſt eſſe principium intrinſecum intellectui beato. Ergo non poteſt illi eſſe principium operandi, vt *quo*.

18. Confirma. Confirmatur; quia ſi concurreret actiuè, conſtitueret vnum cum intellectu: nã ex intellectu & ſpecie conſtituitur vnũ: Sed diuina eſſentia non poteſt conſtituere vnum cum intellectu, quia non poteſt illi inhærere.

19. 4.argum. Quintò; ſi concurreret effectiuè, non poſſet non cauſare viſionem adæquatam ſibi, & ſubinde compræhenſiuã: quod eſt impoſsibile. Sequela probatur: tùm, quia diuina eſſentia ex ſe non eſt limitata ad hunc, vel illum viſionis gradum, nec poteſt ab aliquo limitari. Tùm etiam; quia non libere, ſed naturaliter concurreret ad viſionem: concurreret enim vt ſecundum ſe eſt obiectum intelligibile, noſtro modo intelligendi prius intellectu, & voluntate; quomodo non poteſt concurrere vt cauſa libera, ſed vt naturalis: hæc autem non poteſt non agere ſecundùm ſuam totam adæquatam agendi potentiam.

Sexto; quia Deus non eſt actiuus, niſi per ſuas potentias. Ergo diuina eſſentia non poteſt in viſionem influere immediatè per ſe ſolam, ſed mediatè potentia actiua. Concurreret igitur, nõ vt cauſa particularis, ſed vt vniuerſalis; cuius oppoſitum aduerſarij ſupponunt. 20.

Poſtremò id confirmant authoritate Diui Thomæ 1.*p.q.*12.*art.*2.*& quodlib.* 7.*art.*1, etenim in dicto art.1. ponit lumẽ gloriæ ex parte intellectus, quo redditur efficax ad viſionem; diuinam verò eſſentiam vnitam ad inſtar ſpeciei ponit ex parte obiecti, vt ſe ipſam vniat cum intellectu. Iam verò vnire non eſt efficere. Et quodlib.7. nullam aliam virtutem actiuam agnoſcit in intellectu beati, niſi lumen gloriæ. 21. Poſtremò. D. Thom.

Si verò his obijcias ſpeciẽ impreſſam actiuè concurrere ad actum intelligendi; cur igitur diuina eſſentia, vt gerit illius vicem, non concurret actiuè ad viſionem? Reſpondent, diſparem rationem inueniri in ſpecie creata reſpectu aliorum intelligibiliũ, & in diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis ſui ipſius. Prima ratio diſcriminis ſumitur à Diuo Thoma in dicto quodlib. 7. quoniam cum lumen gloriæ deſcendat à diuina eſſentia, quæ eſt ipſa lux intelligibilis, ex ſe habet, quòd in beato reſpectu diuinæ eſſentię ſe ipſo ſolo faciat quidquid facit, tùm lumen, tùm ſpecies in ordine ad intelligibilia, quæ eſſentialiter non ſunt lux. Quare lumen gloriæ ſe ipſo actuat intellectum, & vt lumen, & vt ſpecies. Quod tamen non reperitur in intellectu reſpectu aliorum intelligibilium, reſpectu quorum ad aliud ponitur lumen, & ad aliud ſpecies. Secunda ratio diſcriminis: quoniam licèt intellectus cum lumine naturali habeat virtutem actiuam ad intellectionem; non tamen habet virtutem determinatam ad talem cognitionem, & ideo præter lumẽ indiget ſpecie, vt determinetur. At verò intellectus cum lumine gloriæ nõ ſolùm habet virtutem ad eliciendam viſionem, ſed eſt ſufficienter determinatus ad talem 22. Obiectio. Reſponſio.

talem viſionem. Et inde eſt, vt diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei non ſit determinatiua virtutis intellectiuæ, ſed ſolùm repręſentatiua; & vnitiua ſui ipſius cum intellectu, quæ vnio neceſſariò requiritur, vt poſsit ab eo videri. Quare in hoc poſteriori fungitur vice ſpeciei, non tamen in priori.

§. 4.

Quid de propoſita quæſtione ſenſerit Diuus Thomas?

23. Quid ſenſerit D. Tho.

QVid de propoſita quęſtione ſenſerit Diuus Thomas, dubium eſt: nam Bañes loco citato in tertia concluſione, & Cumelius in concluſione 4. negantem ſententiam deducunt ex D. Thoma citato in vlt. arg. partis negātis. Et Bellomont. in dicta diſp. 43. cap. 6. num. 27. 28. & 30. conſtanter affirmat Diuum Thomam nuſquam dixiſſe, diuinam eſſentiam eſſe in intellectu beati loco ſpeciei ad eliciendam viſionem. Affirmantem tamen partē deducit Cumelius in dicta concl. 5. ex nonnullis locis Diui Thomæ.

24. Eſſentia apud D. Th. elicere viſionem.

Ego puto non poſſe probabiliter negari, D. Thomam docuiſſe, diuinam eſſentiam eſſe principium actiuè elicitiuum viſionis, prout in intellectu gerit vicem ſpeciei. Et quanuis id latè oſtenderimus ſuprà art. 1. §. 2. idem hoc loco accuratius oſtendemus. Primum fundamentum ſumimus ex eo, quòd ſæpiſsimè docet diuinam aſſentiam eſſe formam, qua intellectus videt Deū, *vt patet 3. contra gentes c. 51. poſt principium, de Veritate q. 8. art. 1. & in 4. diſtinctione. 49. q. 2. art. 1. ad 2.* & veluti explicans ſenſum illius ablatiui, *qua*, multis in locis ſcribit, eam eſſe formam per quam intellectus Deum videt, vt patet *in 4. loco citato, & 1. p. q. 12. artic. 10. in fine.*; Qui ablatiuus explicatus per præpoſitionem, *per quam*, denotat cauſam efficientem nec enim denotare poteſt cauſam formalem, quia intellectus Deū formaliter videt per actualem viſionem. Quare, cum D. Thomas ait, *diuinam eſſentiam eſſe formam, qua, ſiue per quam intellectus videt Deum,* ſenſus eſt, quòd per eam videat, vt per principium elicitiuum.

25. Reſponſio Bellom.

Reſpondet Bellomonta. D. Thomam in his locis non agere de diuina eſſentia vt ſubit vicem ſpeciei impreſſæ, ſed ex-

preſſæ. Explicatio tamen eſt omninò improbabilis: quoniam nomine ſpeciei expreſſæ, nec intelligi poteſt ipſa viſio actualis, nec verbum à viſione diſtinctum. Non poteſt intelligi viſio: quia hæc nec ſuppletur, nec ſuppleri poteſt à diuina eſſentia; quia intellectus beati formaliter non intelligit eſſentia diuina, ſed viſione à ſe elicita. Nec poteſt intelligi verbum; quia apud nobiliores Thomiſtarū in beatis de facto ponitur verbum eſſentię; vnde non ſuppletur per ipſam eſſentiam. Tùm etiam; quia in doctrina Diui Thomæ intellectus non intelligit verbo, cum ſit res ipſa intellecta, terminuſque intellectionis, ex D. Thoma 1. *contra gentes cap. 53. & lib. 4. cap. 1. & de potentia q. 8. artic. 1. & q. 9. art. 5. & paſsim alibi.* Quare D. Thomas in locis citatis agit de diuina eſſentia prout ſubit vicē ſpeciei impreſſæ, vt iam oſtendimus ſuprà art. 1. §. 2.

Non recipitur.

D. Thom.

26. Non placet 2. reſpoſio.

Nec ſatis eſt reſponſio Bañes in dicta concluſione 4. vt ideo eſſentia dicatur forma, per quam intellectus videt Deū: quia eſt forma, qua vt vnita illum videt: nam inquiri poteſt, quomodo per illam vnitam videat Deum? formaliter, an efficienter? etenim forma vnita nō poteſt eſſe id, quo Deus videtur, niſi illa ſit videndi prncipium, vel formale; vel efficiens. Quare, ſi non eſt formale; quia intellectus per eſſentiam formaliter non videt Deum: vtique erit principium efficiens.

27. Nec placet 3. reſpoſio. Bañes. Nauarret.

Nec tertiò ſatis erit quorundam reſpōſio, quàm vt probabilem refert Bañes 1. *p. q. 56. art. 1. dub. 1. §. Ex hac doctrina, & §. Tertiò ſequitur*, quam probauit Nauarrete 2. p. contro. 13. §. 3 fol. 172. col. 4. ad finem, vt diuina eſſentia ſit forma, qua intellectus videt Deum, vt principio formali viſionis, non quidem elicitiuo illius, ſed cōpletiuo virtutis intellectiuæ: non eſt inquam ſatis: primò; quoniam authores illius reſponſionis fatentur, diuinam eſſentiam concurrentē in ſenſu explicato non concurrere, vt principium formale, quo intellectus operatur, vt habes ex Nauarrete 1. p. contro. 39. §. 3. fol. 249. colum. 3. §. *Ad ſecundam confirmationem, & colu. 4. lit. B. & 2. p. loco citato, pag. 173. colum. 1. A.* Iam verò Diuus Thomas docet, diuinam eſſentiam eſſe formam, qua, & per quam intellectus videt Deum. Deinde oſtenditur

ditur ratione: quoniam non poteſt diuina eſſentia determinare virtutem intellectiuam, vt principium formale in ſenſu explicato, quin etiam illum determinet, vt principium efficiens. Quòd facilè patet, ſi determinat vt forma extrinſeca, vt Bañes, & alij volunt: etenim vt ſic nõ poteſt determinare, niſi determinatione obiectiua proponendo, & repræſentando ſe ipſam, vt obiectum; cum verò non repręſentet ſe ipſam vt terminum; quia hæc repreſentatio non conuenit ſpeciei impreſſæ, cuius vicem gerit: neceſſariò ſe ipſam repræſentabit, vt motiuum intellectus, iuxta ea, quæ diximus in artic. præcedẽte, & ſuprà 1. p. huius lib. q. 3. ar. 8. §. 1. & q. 4. art. 6, vt omittamus, quia vt ſic, non poteſt eſſe forma, qua intellectus videat: quia vt ſic, concurrit, vt principium efficiens partialiter coadiuuans, & vt ſic non poteſt eſſe ratio agendi, vt benè aduertit Suar. *in dicto lib. 2. cap. 12. num. 21.* Idem oſtenditur, ſi determinat, & complet intellectum beati, vt forma intrinſeca, & perficiens illum, quæ eſt mens Diui Thomę: nam non poteſt intellectum determinare. & complere, niſi dando illi eſſe Deum, vt diximus in articulo præcedente: hæc autẽ determinatio ex ſua natura fũdat actiuitatẽ in forma determinante, vt ibidẽ diximus. Ex his patet efficacia hui⁹ fundamẽti, vt dicamus, D. Thom. docere diuinam eſſentiam, vt formam intelligibilem efficienter concurrere in viſionẽ.

Suarius.

29. 2. locus D. Thom. Secundum fundamentum ſumitur, quia D. Thomas multis in locis docet, diuinam eſſentiam facere intellectũ in actu vt patet *1. p. q. 12. art. 2. ad 3. & de Verit. q. 8. art. 1. ad quintum, & quodlibet. 7. q. 1. ad 2.* Iam vero apud omnes conſtat, formam, qua potentia fit in actu primo operandi, actiuè concurrere ad actionẽ. Quę ratio adeo eſt efficax, vt coactus ſit Bellomont. negare, Diuum Thomam in illis locis agere de actu primo, ſed de ſolo ſecundo. Sed eum in hoc decipi, iam oſtendimus art. 1. §. 2. ad finem. Nam vt omittamus, nunquam poſſe benè explicari, quomodo intellectus fiat in actu ſecundo per diuinam eſſentiam, niſi per eam priùs fiat in actu primo; mentem Diui Thomę longè aliam fuiſſe, ex eo patet; quia ad tertium docet, diuinam eſſentiam eodem modo facere intellectũ beati in actu, quo ſpecies intelligibiles illum faciunt in actu, vt patet ex illis verbis: *Vnde ſicut aliæ formæ &c. ita diuina eſſentia &c.* Iam verò ſpecies ita facit intellectũ in actu, vt poſſit elicere actum ſecundum, vt patet *de Veritate q. 8. art. 6. in corp. ad 8. & 11.* & fatentur aduerſarij. Accedit; quia eſſentia diuina ſe habet cum intellectu ad intelligendum, ſicut forma, quæ eſt pars in eſſendo; ex Diuo Thoma *de Veritate q. 8. art. 1. ad 5.* Sed cõpoſitũ in eſſendo per formam fit in actu primo ad operandum. Ergo intellectus beati per diuinam eſſentiam fit in actu primo ad intelligendum. Adde etiam, quia apud D. Thomam diuina eſſentia eſt forma, quæ eſt operationis principium: hæc autem conſtituit agens in actu primo, vt patet,

Bellom. decipitur.

D. Thom.

Tertium fundamentum; quia Diuus Thomas ſæpius aſſerit, ex diuina eſſentia & intellectu fieri vnum in intelligendo, & in ordine ad actum intelligendi, vt patet *de Veritate q. 8. art. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 1. in corp. ad 8.* Quod verô id intelligat de vno principio elicitiuo viſionis, patet; quia in locis citatis, agit de vnitate intellectus, & formæ intelligibilis per analogiam ad vnitatem materiæ, & formæ, in naturalibus. Iam verò compoſitum naturale per formam actiuè influit in operationem. Quem ſenſum ſatis explicant illa verba: *vnum quid in intelligẽdo* id eſt in eliciendo intellectionem; & clariùs illa alia: *Fiunt vnum quid, quantum pertinet ad actum intelligendi.* maximè, cum ad illum concurrant, vt intelligendi principium. 30. 3. locus D. Thom.

Vltimum fundamentum euidenter concludit efficientiam diuinæ eſſentiæ, *ex q. 8. de Veritate art. 2. ſi 3.* argumentũ conferatur, cũ ſolutione eius: ex eo enim probabat intellectum ſua viſione comprehendere diuinam eſſentiam; quia illa erat forma, qua beatus videt: menſura autem actionis ſumitur ex forma, quæ agẽti eſt principium agendi: quæ difficultas nulla eſt, niſi ſupponatur, diuinam eſſentiam eſſe principium actiuum viſionis. Eam autem diſſoluit admittẽdo id, quod ſupponitur; & explicando propoſionem pro medio aſſumptam eſſe veram, ſi forma, quæ eſt actionis principium, perfectè capitur ab agente: eſſentiam verò non perfectè capi ab intellectu; & ideo licèt beato 31. Vlt. locus D. Thom.

beato ſit principium agendi, non facit viſionem eſſe compræhenſiuam. Qui locus eſt omni ſolutione maior.

32. Idem argumentum ſumi poteſt *ex 4. diſt.49.q2..art.2.* ſi vis octaui argumenti cum ſolutione conferatur: argumentum enim ex eo probabat, intellectum non poſſe videre diuinam eſſentiam: quia intellectus nihil poteſt videre, niſi actuetur ſimilitudine, quæ ſit principium viſionis, vt calor eſt calefactionis. Iam verò nec dari poterat ſpecies creata, quæ eſſet principium viſionis, nec diuina eſſentia poterat ſe ipſa eſſe talis ſimilitudo. Quam eandem difficultatem tetigit *in q. 8. de Veritat.art.1.in quinto argum. & 3. contra gentes cap.51.* Ad illam reſpondet, admittendo maiorem, & negando poſteriorem partem minoris: quia licèt diuina eſſentia non poſſit eſſe vera forma intellectus beati, vt quę illum non poteſt informare: poteſt tamẽ eſſe quaſi forma actuans, & perficiens intellectum abſque informatione. Et ita ſupponit, eam habere cæteras cõditiones propoſitas in maiore, tanquam neceſſarias ad viſionem. ¶ Ex his puto negari non poſſe, Diuum Thomam ſtare pro parte affirmante.

§. 5.
Vera reſolutio.

33. Vera reſolutio quæſtionis.

PRo vera reſolutione præmittimus id, quod iam diximus ſuprà 1. p. q. 3. art.6.§.1.& q.4.artic.7.§.2. duplicem efficientiam eſſe diſtinguendam; vnam formalem, quæ ſe tenet ex parte potentiæ: alteram obiectiuam, tenentem ſe ex parte obiecti. Illa eſt efficientia principij influentis, vt *quo*; quia eſt influentia formæ, qua intellectus intelligit. Iſta verò eſt efficientia principij coefficientis, & coinfluentis, vt *quod*, tanquam agens partiale. Cum verò in hoc articulo inquiramus, vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei impreſſæ actiuè influat, non poſſumus non expendere, an vna, & altera efficientia illi conueniat.

Duplex efficientia.

34. 1. cõcluſio

Hoc præmiſſo; ſit prima concluſio: qui ſpeciem impreſſam ſolùm ponit ex parte obiecti, & putat diuinam eſſentiam in hoc ſolo ſenſu vicem ſpeciei ſubire; ſi admittit eam habere vicẽ ſpeciei, non poteſt in ea nõ admittere efficientiã obiectiuã. Quare, aut abſolutè negãdũ eſt, diuinam eſſentiã in aliquo genere habere vicem ſpeciei; aut ſi id quis admittat, neceſſariò debet admittere, eam actiuè influere in viſionem influentia obiectiua; authores enim huius opinionis, hanc ſolam influentiam admittunt in ſpecie. Hæc aſſertio ſtatuitur contra Bañes, & eos, qui negantem opinionem admittunt, vt probabilem: facta enim illa ſuppoſitione, nõ poteſt non admitti opinio affirmans.

Hæc concluſio probari poteſt, primo, & ſecundo argum. partis affirmantis, ſi vtrumque melius confirmetur. Sit igitur noſtræ aſſertionis hæc confirmatio. Si diuina eſſentia tenens ſe ex parte obiecti (vt in concluſione ſupponitur) nullam habet influentiam actiuam obiecti in viſionem, non eſt, quòd vice ſpeciei intellectui vniatur. Cum verò ſine vnione non poſſit ſpeciei vicẽ habere; profectò, ſi nõ habet actiuam influentiam, nullo modo habere poteſt vicem ſpeciei. Quare, ſi vicem gerit ſpeciei, neceſſariò in viſionem actiuè influit. Quòd verò ſublata influentia fruſtrà ſit vnio eſſentiæ cum intellectu; quidam ex eo probant: quia nulla poteſt dari vnio formalis eſſentiæ cum intellectu, cum iſta non fiat, ſine informatione. Sola igitur manet vnio per influẽtiam actiuam. Addunt alij: quia obiectũ, vel vnitur vnione termini, vel principij efficientis: diuina autem eſſentia, vt gerit vicem ſpeciei, nõ poteſt vniri vnione termini; quia in ſpecie impreſſa non repræſentatur obiectum, vt terminus. 35. Probatur cõcluſio. Aliorũ probatio.

Hæ tamen probationes aduerſarios non cogunt; quia præter habitudinẽ termini, & principij efficientis datur tertia habitudo, ſc. principij formalis, non elicitiui viſionis, ſed completiui, & determinatiui virtutis intellectiuæ: ita plures reſpõdent, quos refert, & probat Bañes, & cũ eo Nauarrete ſuprà citati in §.4. quam ſolutionem oportebat in pugnare. Nos eam impugnauimus in eodem loco verſiculo *nec tertio ſatis eſt*, vbi oſtendimus fieri nõ poſſe, vt diuina eſſentia cõcurrat, vt principium formale complens, & determinans virtutem intellectus: quin ètiam concurrat, vt principium elicitiuum viſionis. Ec hoc modo ſatis ſufficienter probatur ſequela. Quare meliùs philoſophãtur Scotiſtæ, & Argentin. relati §.3. qui negan- 36. Non admittuntur.

negantes diuinæ eſſentiæ efficientiam obiectiuam, ſimul illi negant omnem ſpeciei impreſſæ vicariatum. ¶ Hanc cõcluſionem ſtatuimus pro illis, qui ponũt ſpeciem ſolùm ex parte obiecti, quam tamen opinionem impugnauimus prima parte huius libri q. 3. art. 1. vnde ſublato fundamento, corruat ædificium, neceſſe eſt.

37. 2. Cõcluſio. Secunda concluſio: diuina eſſentia per ſe ipſam abſque ſpecie creata nullam poteſt habere actiuam influentiam in viſionem, aut formalem, aut obiectiuam. Hęc ſtatuitur contra ſententiam affirmãtem. Prior pars probatur: quia diuina eſſentia vice ſpeciei vnita non poteſt habere efficientiam formalem, niſi ſe ipſa det intellectui eſſe Deum: nam cum omne operari ſequatur ad eſſe; non poterit intellectus operari circa Deum, niſi habeat eſſe Dei, vt latè oſtendimus ſuprà q. 3. art. 3. §. 2. in 1. ratione, & latius art. 4. & art. 1. huius quæſtionis. Sed diuina eſſentia vice ſpeciei non poteſt dare intellectui eſſe Deum, vt ibidem demonſtrauimus. Ergo non poteſt ſe ipſa vice ſpeciei influere influxu principij formalis elicitiui, vt *quo*. Ex hoc enim fundamento oſtendimus neceſſariam eſſe ſpeciem creatam, qua fiat Deus.

38. Probatio 2. partis concluſionis. Et hinc ſumitur probatio poſterioris partis: nam ſi in beatis admittitur ſpecies impreſſa, tanquam neceſſaria ad formalẽ influentiam; ex conſequenti illa etiam erit neceſſaria ad influẽtiam obiectiuam: quod facilè probatur, ſi ſpecies ponitur, & ex parte intellectus, & obiecti: in hac enim opinione ſpecies, quæ vt aſsimilans intellectum Deo, eſt illi principium formale eliciendi viſionem; ipſa eadem, vt obiectiuè repræſentans eſſentiã erit principium obiectiuè mouens, & influens in viſionem: Vnde ſuperfluè diuina eſſentia ſe vniet ad efficientiam obiectiuam, vt patet art. 6. 7. & 8.

39. Idem etiam dicendum erit, ſi ſpecies ſolùm ponitur ex parte intellectus: hæc enim opinio in ſpecie impreſſa nullam admittit obiectiuam repræſentationẽ, aut vnionem: ſed hæc vnio ſolùm conuenit ſpeciei expreſſæ. Quare diuina eſſentia non poteſt ſe vnire obiectiuè vice ſpeciei impreſſę, ſed ſolùm vice verbi, apud eos, qui in beatis nõ admittunt verbũ. Porrò, ſi nullum erit abſurdum, diuinam eſſentiam, vt obiectum ſe ipſa intellectũ beati obiectiuè mouere, vt ex illa & intellectu pariatur notitia, nihil contra nos inferetur.

40. 3. Aſſertio. Tertia aſſertio: quamuis eſſentia diuina vice ſpeciei vnita per ſe ipſam nullam habeat efficientiam in viſionem; vtramq; tamen habet in ſpecie creata, quam ponimus. Probatur; quia verior eſt opinio, quæ ponit ſpeciem impreſſam, & ex parte intellectus, & obiecti, vt diximus 1. p. q. 3. art. 2. Ergo ſpecies diuinæ eſſentiæ, quam admittimus, tenebit ſe, & ex parte intellectus, & ex parte Dei, vt eſt obiectum. Ex parte quidem intellectus; quia per eam habet, quod ſit Deus: ex parte vero Dei: quia per eam diuina eſſentia fit obiectiuè præſens intellectui. Priori modo habebit efficientiam formalẽ, vt principium, quo intellectus videt Deum: poſteriori autem; habebit efficientiam obiectiuam, qua intellectum obiectiuè mouet, tanquam concauſa partialis. Iam verò obiectum per ſuam ſpeciem facit, id quod ſe ipſo faceret, ſi ſe ipſo vniretur intellectui. ¶ Supereſt, vt argumenta vtriuſque partis diſſoluamus: affirmatiuæ quidem; quatenùs ſecundæ concluſioni opponitur: negatiuæ verò; quatenùs aliquo modo opponitur tertiæ concluſioni.

§. 6.

Pro ſecunda concluſione ſoluuntur argumenta partis affirmantis.

41. Ad 1. partis affirmantis. ARgumenta poſita §. 2. pro ſententia affirmante facilè ſoluuntur. Nã primum petit principium, ſumens id, quòd negamus: de hoc enim eſt cõtrouerſia; An diuina eſſentia poſsit in aliquo ſubire vicem ſpeciei impreſſæ? Illi affirmant; nos negamus. Vnde, dum id ſine probatione ſumunt, petunt principium. Argumentum tamen vim habet apud eos, qui maiorem admittunt, vt patet ex prima concluſione.

42. Ad 2. & 3. Secundum, & tertium contra nos nullius ſunt efficaciæ: quia admittimus, diuinam eſſentiam non poſſe gerere vicem ſpeciei impreſſæ. Quare noſtram primã concluſionem confirmãt.

Ad poſtremum. Ad poſtremum negatur antecedens: quia

quia

quia licèt efficientia actiua abſolutè ſumpta dicat perfectionem ſimpliciter: tamē efficientia actiua principij formalis, quo agens agit, includit imperfectionem informationis, & inhærentiæ; Idem dicimus de efficientia obiectiua, quando fit per formam intelligibilem gerentem vicem ſpeciei: hæc enim fieri non poteſt, niſi eadem forma, quæ ad intellectionem obiectiuê concurrit, ad eandem ſimul etiam concurrat formaliter, vt principium formale intellectus: iam verò diuina eſſentia non poteſt concurrere ad viſionem, vt principium formale videndi. Porrò, ſi ſpecies ſe habeat ſolùm ex parte intellectus, nihil nobis obſtat, ſi diuina eſſentia obiectiuè influat; quia iam non influet vice ſpeciei impreſſæ. Et quanuis apud eos, qui ſpeciem ſolùm ponunt ex parte obiecti, efficientia obiectiua abſolutè nihil habeat imperfectionis, quia abſque vlla informatione fit: tamen opinionem illam, vt minus Ariſtotelicā ſæpius reprobauimus. Illa tamen admiſſa, nō negarem hanc efficientiam diuinæ eſſentiæ, etiam vt gerit vicem ſpeciei, quidquid Scotiſtę dicant, ſed id nihil contra nos.

§. 7.

Pro tertia Concluſione ſoluuntur argmenta partis negantis.

43. Argumenta partis negātis, ſi applicētur contra tertiam conclnſionem, nihil habent efficacię.

Ad 1. partis negantis. Ad primum dicimus, nihil eſſe abſurdi, ſi diuina eſſentia per ſpeciem creatam intellectui noſtro ſubalternetur; quoniam ſpecies in intelligendo ſubalternatur intellectui. Quare argumentum tertiæ aſſertioni non officit. Vtrùm verò vim habeat contra opinionem, quæ ponit diuinam eſſentiam ad inſtar ſpecici actiuè influere in viſionem? nihil ad nos attinet: illud tamen ſoluunt Suarius in dicto cap. 12. num. 20. ad finem, & Cumelius prima parte quæſt. 12. art. 2. q. 3. ad 2. principale.

44. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt ſpeciem ſolùm ſe tenere ex parte obiecti, vt diximus ſuprà prima parte, quæſt 3. art. 1.

45. Ad 3. Tertium, nec nos, nec aduerſarios vrget: quia licèt actio vitalis neceſſariò debeat elici à principio intrinſeco vitę: non tamen à ſolo illo elicitur: quia elicitur, & ab habitibus intellectus, & voluntatis, vt eſt communis doctrina.

Quartum argumentum noſtram ſecundam concluſionem non impugnat: cum in beatis admittamus ſpeciem creatam: quare pro nobis facit. Et eodem modo ſoluitur confirmatio. 46. Ad 4.

Ad quintum, ſimiliter reſpondetur; nec enim, aut nos, aut aduerſarios impugnat: vt patet ex 1. p hui⁹. li. q. 2. ar. 6. §. 5. 47. Ad 5.

Sextum etiam nihil contra nos arguit: quia diuina eſſentia in viſionē influit, non per ſe ipſam, ſed per ſpeciē creatam: Hāc autem produxit Deus immediatè per ſuā voluntatem. Ad 6.

Poſtremum denique, noſtram ſententiam non petit. Quid autem ſenſerit D. Thomas; diximus ſuprà §. quarto: eius tamen opinionem in hoc (licet inuiti) non recipimus. 48. Ad vlt.

ARTICVLVS X.

Vtrùm diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei vniat ſe ipſam, vt terminum viſionis?

Partem affirmātem fortè probabit, qui vult ſpeciem impreſſam repræſentare obiectum per modum termini, quos citauimus 1. p. huius libri art. 8. §. 1. Cum enim putent, diuinam eſſentiam gerere vicē ſpeciei impreſſæ, in hoc etiam illius vicem geret, quòd ad inſtar eius ſe ipſam obiiciat, vt terminatiuam viſionis. 1. opinio quę affirmat.

Sed cōmunis, & vera opinio negat, obiectū repræſentari in ſpecie impreſſa per modum termini, vt diximus in dict. art. 8. §. 4. Cum igitur hoc munus illi non cōueniat, nec etiam conuenire poterit diuinæ eſſentiæ, etiam ſi cōcedatur ſubire vicem ſpeciei: & à fortiori, ſi in nullo illius vicem gerit, vt exiſtimamus. Quare opinio negans proculdubio eſt veriſſima. 2. Opinio negans eſt vera.

ARTICVLVS XI.
& Vltimus.

Vtrùm, ſi diuina eſſentia ſubiret vicē ſpeciei, id faceret modo cōnaturali, an miraculoſo?

Ne aliquid deſit huic quæſtioni, & vt clarius videatur, ſpeciem creatā eſſe admittendam in beatis, hanc quæſtionem excitamus, cuius reſolutio iam 1. Dubium neceſſarium.

iam patet ex dictis ſuprà q. 3. huius ſecũdæ partis artic. 3. §. 2. & latiùs articul. 6. vbi aduertimus, apud eos, qui putant, nec diuina potentia fieri poſſe ſpeciem creatã diuinę eſſentiæ negari non poſſe vnionem illius ad inſtar ſpeciei, eſſe connaturalem intellectui illuſtrato lumine gloriæ: ſicut apud illos, qui putant, fieri non poſſe, vt diuina eſſentia in aliquo gerat vicem ſpeciei impreſſæ, haud inficiari poteſt, ſpeciem creatam diuinæ eſſentię eidem intellectui eſſe connaturalem. Quare huic quæſtioni ſolùm datur locus ſuppoſita probabilitate, quòd ſpecies creata dari poteſt, & quòd poſsibilis eſt vnio diuinæ eſſentiæ cũ intellectu ad inſtar ſpeciei: ſuppoſita namque vtraque poſsibilitate, meritò inquiri poteſt, quinam iſtorum modorum ſit viſioni beatificæ connaturalis?

Non vna erit omniũ ſententia.

2. Quòd connaturale ſit intellectui beato videre Deũ pèr eſſentiã ad inſtar ſpeciei vnitam, probarunt, & Pezantius & nonnulli ex nouioribus: quorũ alij putant, hanc ſententiam adeò eſſe veram, vt eam ſine probatione ſupponant; alij verò aliquibus argumentis eam confirmant. Vnde putant, ſpeciem creatam, ſi daretur, eſſe ſupernaturalem ſtatui beatorum, & ſuprà ordinem connaturalem illius ſtatus beatis infundi.

Quod videre per eſſẽtiã loco ſpeciei; ſit connaturale.

3. Oppoſitam ſententiam eſſe longè probabiliorem cum Aureolo, & Bellom. probauimus in dicta q. 3. vbi aduerſaria argumẽta diſſoluimus. Quare nõ eſt, quòd acta iterum agamus.

Oppoſitũ eſt verius.

Epilogus totius diſputationis,

4. Ex dictis concludimus, ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ de facto admittendam eſſe, etiam ſi admitteremus, diuinam eſſentiam poſſe vicem ſpeciei ſubire: etenim in hoc omnes conuenimus, quòd viſio, quę in beatis datur, eſt connaturalis illorum ſtatui. Debet igitur produci ab intellectu modo connaturali: connaturaliter autem producitur per ſolam ſpeciem creatam.

Epilogus diſputationis.

Et hęc de neceſsitate ſpeciei intelligibilis ad viſionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ. Reſtat, vt dicamus de neceſsitate illius ad cognitionem abſtractiuam eiuſdem eſſentię.

QVÆSTIO V.

De neceſsitate ſpecierũ ad cognitionem abſtractiuam diuinæ eſſentiæ.

IN ſecũda parte huius libri à q. prima vſque ad quartã egimus de neceſsitate ſpeciei ad viſionem intuitiuã diuinæ eſſentiæ; ſupereſt, vt iuxta ordinem poſitum in 1. p. eiuſdẽ libri q. 1. dicamus de neceſsitate ſpeciei ad cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam eſſentiæ diuinæ.

De qua quæſtione plura ſunt inquirẽda. Primum eſt; vtrùm implicet, diuinã eſſentiam quidditatiuè repræſentari repræſentatione non intuitiua, ſed abſtractiua?

Suppoſito, quod non implicet; inquirendum eſt ſecundo loco; An poſsibilis ſit ſpecies creata, quæ Dei quidditatem abſtractiuè repræſentet?

Et poſita huius ſpeciei poſsibilitate, erit tertia dubitatio; An talis ſpecies ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ſupernaturalis?

Poſtrema dubitatio erit, vtrùm hæc ſpecies de facto alicui data ſit?

ARTICVLVS I.

Vtrùm implicet diuinam quidditatem repræſentari abſtractiuè, & non intuitiuè?

§. 1.

Opinio affirmans.

QVod attinet ad primũ; partẽ affirmantẽ, dari ſcilicet implicationẽ, ex modernis in terminis probat Suarius *in Metaphyſ. diſp. 30. ſectio. 11. nu. 22. & 23. & 1. tom. ad 3. partẽ diſp. 27. ſec. 5. §. primus modus dicendi pag. 544. A. 1. & libro 2. de Attributis negatiuis cap. 18. num. 5. & libro primo de Trinitat. cap. 11. num. 16. & Cabrera ad tertiam partẽ quæſt. 11. artic. 1. diſput. 5. §. 7. numer. 244. & 245. & 246. ſatis ſignificat præceptor Frater Franciſcus à Chriſto in 2. quæſt. prologi concl.* 1.

Opinio affirmans. Suarius. Cabrera. Frãciſcus à Chriſto.

concluſione vnica, & inferiùs ad quintum argumentum. §. quod verò attinet, & §. tandem ex hac noſtra doctrina, ex antiquioribus idem docuerunt Durand. *in* 3. *q. prologi numero* 12. *&* 13. *Capreol. in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad* 2. *contra ſextam fol.* 101. *col.* 1. §. *Ex quo patet, & Argentina quæſt.* 3. *prolog. artic.* 1. *ad finem fol.* 11. *col.* 4. §. *Quod autem imperfecta notitia, & plures alij.*

Durandus. Capreolus. Argenti.

2. 1. Fundamentũ huius opinionis.

Primum, & principale fundamentum eſt: quia ſi illa ſpecies repræſentat Deum quidditatiuè, repræſentat illum exiſtentem, & præſentem. Ergo neceſſariò illum repræſentat intuitiuè, & nullo modo abſtractiuè. Conſequentia eſt nota; quia ſicut cognitio terminata ad rem exiſtentem, & præſentem, non poteſt non eſſe intuitiua; ita repræſentatio ſpeciei terminata ad rem exiſtentem, & præſentem neceſſariò erit intuitiua, & nullo modo abſtractiua: nam abſtractiua neceſſariò terminatur ad rem, vt abſentem, vel ſaltem abſtrahendo à præſentia. Antecedens patet; quia tàm exiſtentia, quàm immenſitas, qua Deus vbique eſt præſens, eſt de quidditate Dei. Ergo ſpecies Deum quidditatiuè repræſentans neceſſariò illum repræſentabit, vt exiſtentem & præſentem, quod fuit antecedens.

3. Corroboratur ex Suar.

Hoc fundamentum latiùs corroborat Suarius in dicta ſectio. 11. num. 22. nam cum dicitur Deum per illam ſpeciem repræſentari, vt abſentem; vel id intelligitur de abſentia ſecundum locum; aut ſecundum durationem, ſeu exiſtentiam; nec enim aliud membrum ſingi poteſt. Non poteſt id intelligi de abſentia ſecundum locum; quia cum talis repræſentatio ſit quidditaua, & diſtincta repræſentat illum, vt immenſum, & vbique præſentem. Et eadem ratione non poteſt id intelligi de abſentia ſecundum durationem realis exiſtentiæ; quia Deus, cum eſſentialiter ſit ſuum eſſe, ſecundum ſuam eſſentiam eſt æternus. Ergo talis ſpecies repręſentabit Deum præſentem, & exiſtentem: nec enim poteſt præſcindere, aut ab exiſtentia, aut à præſentia; quia hæc duo ſunt de intrinſeca quidditate Dei. Porrò, ſi ita Deum repræſentat, nullo modo poteſt eſſe abſtractiua, ſed neceſſariò erit intuitiua. Et hoc argumento Suarius notat Scotum, quaſi rem iſtam non ſatis perpenderit.

Secundò alij ita arguunt: aut illa ſpecies immediatè repræſentat diuinam eſſentiam, aut mediatè. Si immediatè; non eſt abſtractiua, ſed intuitiua: quia terminatur ad eſſentiam, vt eſt in ſe. Si mediatè; aut illa repræſentat, vt medium cognitum; aut vt non cognitum. Primum dici non poteſt; quia Deus per nullum medium creatum, vt cognitum, poteſt diſtinctè, & quidditatiuè præſentari. Si dicatur ſecundum; non poteſt eſſe abſtractiua, ſed intuitiua; quia medium non cognitum non impedit, quominùs repræſentatio ſit intuitiua. Ita *Durandus, Argentina, Franciſcus à Chriſto, & Cabrera.* 4. 2. Argum.

Tertiò ex Cabrera; quoniam poſſet Deus dare oculo ſpeciem, quæ colorem abſtractiuè repræſentaret: quod eſt impoſſibile. 5. 3. Argum.

Poſtremò, quoniam impoſſibile eſt, dari cognitionem quidditatiuam diuinæ eſſentiæ, quæ non ſit intuitiua. Ergo impoſſibile etiam erit, dari ſpeciem, quæ diuinam eſſentiam quidditatiuè repræſentet, niſi intuitiuè. Antecedens probant argumentis adductis *ſuprà lib.* 7. *quæſt.* 5. *articulo primo.* §. 1. Conſequentia ex eo patet; quia ſpecies ideo dantur, vt intellectus per eas eliciat cognitionem. Quare ſi cognitio alicuius obiecti eſt impoſſibilis; impoſſibilis etiam erit ſpecies elicitiua illiùs. Vlt. argu.

§. 2.

Pars negans eſt vera.

Veriſsima tamen eſt opinio, quæ negat, implicare dari ſpeciẽ, quæ Dei quidditatem diſtinctè repræſentet abſtractiuè tantum. Quam ſententiam probare tenẽtur, qui admittunt, dari poſſe ſpeciem impreſſam, quæ diuinã eſſentiam quidditatiuè repręſentet solũ abſtractiuè, quorum opinio communior eſt, & verior, vt videbimus articulo ſecundo; hac enim opinione ſuppoſita, neneceſſariò conuincitur nullam in hac dari repugnantiam. 6. Opinio negans eſt vera.

Confirmatur; quoniam non implicat, dari notitiam quidditatiuam diuinę eſſentiæ, quæ solùm ſit abſtractiua, vt latè oſtendimus *libro* 7. *quæſtione* 5. *articulo* 1. 7 Confirmatur.

§. 2. & *lib. 4. q. 9. art. 2. num. 6.* quam opinionem non ſolùm admittũt omnes Scotiſtæ, & Nominales, ſed etiam Capreol. vt loco citato aduertimus. Ergo non repugnat, dari ſpeciem, quæ diuinam quidditatem ſolùm abſtractiuè repræſentet: quæ conſequẽtia eſt neceſſaria apud eos, qui ſpecies intelligibiles admittunt, tanquam neceſſarias ad intelligendum,

§. 3.

Soluuntur argumenta.

8. Ad 1. 1. Solutio. QVÆ in oppoſitum adducuntur, facilè ſoluuntur ex dictis *lib. 7. quæſt. 5. art. 2. §. 3.* Ad primum fundamentum dupliciter reſpondetur. Vno modo; negando antecedens ex vi terminorum; quia ſupponit exiſtentiam, & præſentiam Dei eſſe de quidditate diuinæ eſſentiæ; quod negat Salas, & nos negauimus *in dicta quæſt. 5. art. 2. §. 3. & latiùs lib. 5. quæſtione 8. art. 2. num. 11. & 12.* Quare non ex eo capite ſpecies illa repræſentat Deum exiſtentem, & præſentem, quia illum quidditatiuè repræſentat. Quin potiùs ex eo capite non repugnaret Deum in hac ſpecie repræſentari, præſcindendo, & ab exiſtentia, & à præſentia: deberet igitur id alio medio demonſtrari: maximè cum Scotus in dicta *quæſtione nona, D. E.* expreſsè doceat, hanc ſpeciem non repræſentare diuinam eſſentiam, vt in ſe exiſtentem, & actualiter præſentem. Ex quibus verbis plures colligunt, diuinam eſſentiam in hac ſpecie repræſentari præſcindendo à ratione exiſtentis, & actualiter præſentis. Quod ſatis eſt, vt dicatur etiam repræſentari abſtractiuè.

Salas. Scotus.

9. 2. Solutio. Sed quia vtraque Schola Thomiſtarũ, & Scotiſtarum probauit oppoſitam ſententiam, ſaltem de exiſtentia, vt aduertimus in dicto *§. tertio: & latiùs libro quinto, quæſtione 7. articulo ſecundo, numer. 67.* ſit ſecunda ſolutio negatione conſequentiæ: ſicut enim ad notitiam intuitiuam non ſatis eſt, quòd immediatè feratur in rem exiſtentem, & præſentem; ſed neceſſe eſt, vt feratur in illam prout per ſuam præſentiam, & exiſtentiam formaliter exercet, non ſolùm motionem potentiæ, dum ſpeciem emittit, ſed etiam terminationem notitiæ; ita vt, & exiſtentia, & realis præſentia ad extra ſit formalis ratio, ſub qua terminat notitiam, vt diximus *in dicta quæſtione 5. ar. primo §. 3. & latius lib. 4. quæſtione 9. articulo ſecundo, numero primo, & ſexto,* ita etiam ad repræſentationem intuitiuam ſpeciei non ſatis eſt, quòd repræſentet rem exiſtentem, & præſentem; ſed adhuc eſt opus, vt eam repræſentet ſub formali ratione exiſtentiæ, & præſentiæ ad extra. Quare non eſt de ratione repræſentationis abſtractiuæ, quòd repræſentet rem, quæ à parte rei, aut non exiſtat, aut non ſit localiter præſens, vt malè ſupponitur; ſed quòd non repræſentet rem formaliter ſub ratione exiſtentiæ, & præſentiæ, quã habet ad extra.

Quod fortè ſenſit Scotus, dum in citatis verbis ait, *hanc ſpeciem non repræſentare diuinam eſſentiam, vt præſentialiter exiſtentẽ in ſe, & ſub ratione præſentis actualiter:* quibꝰ verbis ſignificat rẽ realiter exiſtentem, & localiter præſentem ipſi cognoſcenti poſſe abſtractiuè repræſentari, & cognoſci exiſtentem, & præſentem, dummodo ipſa exiſtentia, & localis præſentia ſit, quæ cognoſcitur, & repræſentatur, nõ tamen ſit ratio, ſub qua, aut repræſentatur, aut cognoſcitur. Sed de hoc latiùs agere non eſt huius loci. 10. Scotus.

Ex his iam patet ſolutio ad idem argumentum, vt proponitur à Suario: in quo aduertimus id, quod pro notitia abſtractiua Dei iam aduertimus libro ſeptimo, quæſtione quinta, articulo primo, §. tertio, neminem dixiſſe, Deum in illa ſpecie repræſentari, aut vt non exiſtentem, aut vt localiter abſentem; plures tamen dixiſſe in ea repræſentari repræſentatione præſcindente ab exiſtentia, & locali præſentia: hæc enim repræſentatio non repugnat apud eos, qui negant exiſtentiam, & immenſitatem eſſe de quidditate Dei: apud eos verò, qui id concedunt; dicendum eſt, ſpeciem repræſentantem Deum quidditatiuè, non poſſe repræſentare illum exiſtentem, & vbique præſentem; poſſe tamen eum non repræſentatare ſub formali ratione exiſtentis, & præſentis, quod ſatis eſt, vt illum abſtractiuè repræſentet, & non intuitiuè, vt ex dictis patet. 11. Ad confirmationẽ ex Suario.

Ad

12. Ad 2. Ad ſecundum dicimus, illam ſpeciem immediatè repræſentare diuinam eſſentiam; & tamē eſſe medium formale, quo intellectus illam videt. Et ex neutro iſto modo bene infertur, ipſam eſſe intuitiuam. Non quidem ex primo; quoniam, vt ſpecies dicatur intuitiua, non ſatis eſt, quòd immediatè repræſentet rem, vt eſt in ſe; ſed requiritur, vt eam repræſentet ſub reali præſentia, vt ſub ratione formali repræſentādi, vt ex dictis colliges. Nec ex ſecundo; quia medium formale non cognitum, licèt non impediat cognitionem eſſe intuitiuam; non tamen cogit, vt ſit intuitiua, vt diximus in dicta q. 5. art. 1. §. 3. ad vltimum.

13. Ad 3. Ad tertium neganda eſt ſequela: cum enim repugnet ſenſum externū aliquid cognoſcere abſtractiuè, etiam repugnabit, ſpeciem ſenſibilem externam repræſentare abſtractiuè rem ſenſibilem. At verò cum non repugnet, intellectum abſtractiuè Deum intelligere: nec etiam repugnabit, dari ſpeciem, quę illum abſtractiuè repræſentet.

14. Ad vltim. Ad vltimum quidam negabunt conſequentiam; illi, ſci. qui putant, notitiam quidditatiuam Dei abſtractiuam non eſſe impoſſibilem: eſſe tamen impoſſibilem ſpeciem, quæ illum diſtinctè repræſentet, ſiue intuitiuè, ſiue abſtractiuè. Ita *Toletanus.* Toletanus 1. *q. prologi ar. 2. cōcl.* 1. Sed melius eſt negare antecedēs, de quo egimus ſuprà *lib. 7. q. 5. art. 1. §. 2. & latius lib.* 4. *q. 9. art. 2. num.* 6.

ARTICVLVS II.

Vtrùm poſſibilis ſit ſpecies creata abſtractiuè repræſentans Dei quidditatem.

1. Vtrū ſit impoſſibile diuinam eſſētiam per ſpeciē creatam abſtractiuè præſentari? Oſtendimus in 1. art. ſpeciem repræſentantem diuinam eſſentiā abſtractiuè nō ex eo eſſe impoſſibilem, quia impoſſibile eſt dari ſpeciē abſtractiuam diuinæ quidditatis, & non intuitiuam: nunc inquirendum eſt, vtrū dari talem ſpeciem ideo ſit impoſſibile; quia impoſſibile eſt, diuinā eſſētiam per ſpeciem creatam quidditatiuè repræſentari? Hoc enim controuerſum eſt: *Variæ opiniones.* quidam abſolutè negant: alij abſolutè affirmant: alij media via ambulant: dicunt enim eam impoſſibilem eſſe in homine; poſſibilem tamen in Angelo. Quare negatiuam ſententiam putant eſſe veram reſpectu hominum; affirmatiuam autem reſpectu Angelorum. Ita Ouand. *in* 4. *Ouandus.* *diſt. 49. propoſitione* 10. *fol.* 115. *pagina* 2. Sed hanc ſentētiam iam reiecimus ſuprà q. 3. art. 1. Quare duas alias oppoſitas ſententias diligenter expendemus.

§. I.
Pars negans.

Qvod talis ſpecies ſimpliciter nō ſit poſſibilis, etiā per diuinam potentiam, probare debent, qui generaliter negant, dari poſſe ſpeciem creatam, quæ diſtinctè repræſentet Deum, vt in ſe eſt: hi enim cū generaliter loquantur, negant, & ſpeciem intuitiuam diuinæ eſſentiæ, & abſtractiuam: maximè, cum ferè omnia fundamenta vnam, & alteram impugnent. Quare pro hac ſentētia referri poſſunt Capreol. *in 2. diſt. 3. q. 2. art. 3. ad 2. Scoti contra ſextam fol.* 101. *Capreol.* *§. Ex quo patet: & eadem ratione citari poſſunt Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. concluſione 2. Bañes 1. p. q. 12. art. 2. dubio 1. concl. 1. & 2. & q. 56. ar. 3. dub. 1. cōcl. 1. Nauarrete 1. p. cōtro. 34. §. 2. fol. 23. col. 4. cōl. 2. & communiter Thomiſtæ*: nec id longè eſt à mente D. Thomæ, quia pluribus in locis generaliter negat, dari poſſe ſpeciē creatā, quæ diuinam eſſentiam diſtinctè repræſentet, vt patet ex locis, quos ſuprà *q. 2. ar. 8. §. 2. adduximus, maximè ex* 1. *parte, quæſtione* 12. *artic.* 2. — 2. Opinio negans. *Sotus. Bañes. Nauarrete*

3. *Argentin* In proprijs terminis hanc ſententiam probant Argent. *in 3. q. prologi artic. 1. ad finem §. Quod autem perfecta notitia. fol.* 11. *colum.* 4. vbi poſſibilitatem huius ſpeciei nō ſolūm negat ex eo, quòd nulla ſpecies diuinæ eſſentiæ dari poteſt, quæ non ſit intuitiua; ſed etiā, quia nulla poteſt quidditatē illius repræſentare, quæ non ſit infinita. In eadē ſententia eſt Toletan. noſter *in prima quæſtione prologi articulo ſecundo, concluſione prima, Cumelius* 1. *p. q. 56. art. 3. quæſt. 1. §. Sed his non obſtantibus, Cabrera 3. parte, quæſt. 11. art. 1. diſp. 5. §. 6. concl. 2. num. 118. & inferius §. 8. ad 7. num.* 264. poteſt etiam citari Suarius *in Metaphyſc. diſputat. 30. ſectione 11. num.* 23. dum arguit Scotum, quod admiſerit, — *Toletanus* *Cumelius. Cabrera. Suarius.*

ſpeciem abſtractiuam diuinę eſſentiæ, nõ tamen intuitiuam; pro eadem ſententia *Durandus* ſatis eſt Durandus *in 3. q. prol. num. 4. &* *Caietanus* *Caietan. 1. p. q. 56. art. 3. §. Quoad 2. ex parte repræſentatiui.*

4. Hęc opinio confirmari poteſt iiſdem argumentis, quibus q. 3. art. 1. §. 2. probatur, dari non poſſe ſpeciem intuitiuam diuinæ eſſentiæ. Et præter illa adducuntur ſequentia.

5. 1. Argum. Primum eſt: quia per talem ſpeciem, vel repræſẽtaretur Deus, prout eſt in ſe, ita vt formaretur proprius, & diſtinctus conceptus diuinæ eſſentiæ; vel nõ: ſi detur hoc poſteriùs; ſpecies non repræſentabit Deum quidditatiuè: Si detur prius; talis ſpecies eſſet infinita in repræſentando: cùm enim gerat vicem Dei, cuius eſt ſpecies, repræſentabit eum totaliter. Ita Cumelius.

6. Secundum. Secundò eandem infinitatem probat Caietanus; quoniam impoſsibile eſt, naturaliter dari in creatura cognitionẽ diſtinctam Dei. Ergo impoſsibile eſt naturaliter dari ſpeciem, quæ Deum diſtinctè repræſentet, Conſequentia eſt nota; quia repræſentatiuum eſt propter cognitionem rei repræſentatæ: vnde, ſi aliqua cognitio eſt impoſsibilis: impoſsibile etiam erit repræſentatiuum illius. Antecedens ex eo probat Caietanus; quoniam cognoſcere diſtinctè, eſt cognoſcere vltimam differentiam, vel id, quod ſe habet, vt vltima differentia. Cognoſcens autem rem vſque ad vltimam differentiam, cognoſcit rem ſecundũ quòd terminat quid eſt: cognoſcens verò rem quoad quid eſt, cognoſcit ex natura rei à priori omnia illi rei conuenientia: ſermo enim definitiuus ſoluit omnes difficultates, cum ipſum quodquid eſt ſit principium omnis demonſtrationis. Iam verò creaturæ naturaliter non conuenit cognoſcere omnia, quæ Deo conueniunt: hoc enim requirit cognitionem infinitam.

7. Tertium. Tertiò ex Nauarrete; quoniam ſpecies, quæ diſtinctè, & quidditatiuè repræſentat Deum, debet participari à Deo, tãquam ab obiecto, ita vt adæquet illius virtutẽ in eſſe intelligibili. Sed impoſsibile eſt, dari talem adæquationem in ſpecie creata. Ergo impoſsibile eſt, dari aliquã, quæ diuinam eſſentiam quidditatiuè repræſentet. Minor probatur: quia intelligibilitas propria, & quidditatiua Dei diſtat in infinitum à quacumque intelligibilitate reperta in ſpecie creata. Ergo non poteſt creata ſpecies adæquari intelligibilitati quidditatis diuinæ. ¶ Maior verò ex eo primum confirmatur; quia obiectum tunc cognoſcitur diſtinctè, quando cognoſcitur ſecundum id, quod eſt ſibi proprium; & ſubinde tunc per ſpeciẽ diſtinctè repræſentabitur, quando repręſentatur ſecũdum id, quod eſt proprium ſibi. Sed non poteſt ita repræſentari, niſi ipſa ſpecies ſit immediata participatio obiecti repræſentati. Ergo ſpecies Deum diſtinctè repræſentans, debet immediatè participari à Deo tanquã ab obiecto cognito. Minorem huius ſecundi diſcurſus ita probat: quoniam ſi talis ſpecies immediatè participatur ab alio obiecto, iam non eſt propria, & vniuoca ſimilitudo talis obiecti, ſed illius, à quo primum participatur; quod explicat exemplo entis realis: nam ſpecies, quæ eſt immediata participatio entis realis, non poteſt eſſe immediata ratio cognoſcendi ens rationis. 1. Confirmatio maioris

8. 2. Confir. Secũdò eandem maiorem confirmat; quoniam obiectum eſt in ſpecie, ſeu repræſentatiuo. Ergo, vt obiectum in ea immediatè reluceat, neceſſe eſt, quòd illa immediatè participetur à tali obiecto: illud enim eſſe repræſentatiuum ſumitur ex participatione formali obiecti. Ergo ſi ſpecies diſtinctè repræſentat obiectum ſecundum propria illius, oportet, vt ab eo participetur ſecundũ propriam illius rationem, & per conſequens opus eſt, vt ſpecies diſtinctè repræſentans Deum immediatè participetur à Deo, tanquam ab obiecto, ita vt adæquet virtutem illius in eſſe intelligibili: quæ fuit maior,

9. 3. Confir. Quam tertiò confirmat; quoniam ſpecies propria alicuius obiecti in eſſe intelligibili dicit quandam adæquationem cum ipſo obiecto, taliter, quòd nulla intelligibilitas, vel actualitas reperiatur in obiecto, quæ non inueniatur in ſpecie ſecundum eſſe intelligibile, & repræſentatiuũ: etenim ſpeciem immediatè diſtinctè, & vniuoce repræſentare obiectum non eſt aliud, quàm ſecundum ſuum eſſe repræſentatiuum continere eandem naturam, quam habet obiectum; ita vt totum repręſentet, quod pertinet ad naturã obiecti.

Ergo

Ergo ſpecies diſtinctè repræſentās Deū, debet in ſuo eſſe repræſentatiuo contine re totam Dei naturam, vt diſtinctè repræſentet totum id, quod a Dei naturā pertinet: & ſubinde debet dicere quandam adæquationem cum ipſo Deo, vt nulla intelligibilitas reperiatur in Deo, quæ ſecundum eſſe repræſentatiuum nō reperiatur in tali ſpecie. Quæ fuit maior probanda.

10. Vis arg. ſumitur extrinſecus. Vis huius argumenti deſumpta eſt ex *Ferrar. 3. contra gentes cap. 49. in 3. ratione Diui Thomæ*, vbi ita arguit: oportet inter ſpeciem, & rem intellectam eſſe adæquationem, vel continentiam ſecundum eminentiam ſpeciei ad rem intellectam; ita, vt quidquid ſubſtantialiter eſt in re, intelligibiliter contineatur in ſpecie. Sed nulla forma creata habere poteſt hanc adæquationem cum infinito. Ergo & cæt. Minor patet; maiorem probat; quia intelligibile, ſi quidditatiuè intelligitur, debet perfectè vniri intellectui: non ſic autem vniretur, niſi ſpecies intelligibiliter contineret quidquid ſubſtantialiter, & naturaliter eſt in re intellecta. Quod *Henricus.* mediū etiam ſumptū eſt ab Henrico *quodlibet. 3. q. 1. 4. 7. & 9.*

11. 4. Argum. Quarta ratio eiuſdem Nauarrete vbi ſuprà fol. 204. col. 2. probat eandem infinitatem in repræſentando: quia talis ſpecies non haberet, vnde in eſſe ſpeciei limitaretur: nam ex ſua natura, vt eſt ſpecies, non poteſt limitari ex ſubiecto: quia, vt ſpecies eſt, non habet, quòd ſit accidens; cum ſubſtantia Angeli, & diuina eſſentia ſint ſpecies, formæque intelligibiles. Solùm igitur, vt eſt ſpecies limitari poteſt ex obiecto. Iam verò ſpecies, ſi diſtinctè repræſentat Deum, non poteſt ex parte Dei habere limitationem. Vnde infert implicare ſpeciē repræſentare diſtinctè, & eſſe accidens.

12. 5. Argum. Quintam rationem ponit fol. 24. col. 2. in fine: quoniam talis ſpecies procederet à Deo neceſſariò, & naturaliter. Ergo non poteſt non eſſe infinita. Conſequentia patet; antecedens probatur: quoniam communicatio, qua diuina eſſentia ſe communicat in eſſe intelligibili, noſtro intelligendi modo debet antecedere voluntatem Dei, & liberum modum operā di illius. Ergo non communicat ſe libere, ſed neceſſariò. Conſequentia patet: antecedens probatur: quoniam in cæteris agentibus creatis etiam liberis communicatio in eſſe intelligibili antecedit omnē libertatem, & ideo naturaliter fit. Ergo idem communicandi modus concedendus eſt Deo, dum ſe communicat in eſſe intelligibili.

Cōfirmat hanc rationem in dicta col. 3. B. quoniam intelligibilitas, quæ reperitur in diuina eſſentia, non ſubordinatur voluntati diuinæ, ſed communicatur ſpeciei ex vi ipſius intelligibilitatis. Ergo talis communicatio antecedit diuinam voluntatem. ¶ Inde infert implicationem, ſi talis ſpecies admittatur: cum enim ſit effectus ad extra, non poteſt non liberè produci. Cum verò ſit communicatio in eſſe intelligibili, non poteſt non eſſe naturalis, & neceſſaria. Ergo ſpecies illa producitur, & liberè, & neceſſariò. Quæ eſt manifeſta implicatio. 13. Cōfirmatio

Sextam rationem ponit Caietan. loco citato: infinitum entitatiuè, vt ſic, non eſt diſtinctè repræſentabile: ſed proprium conſtitutiuum Dei (ſc. Deitas) ens eſt entitatiuè infinitum. Ergo vt ſic, eſt irrepræſentabile diſtincta repræſentatione. Quæ ratio ponitur à Diuo Thoma *1. p. quæſt. 12. art. 2. in 3. ratione, & 3. contra gentes, cap. 49.* Ferè in his terminis adducitur à Toletano noſtro *1. q. prol. artic. 2. concluſione 1. à noſtro Gerardo ibidem q. 2. artic. 3. & à præceptore Fratre Franciſco à Chriſto in eodem loco q. 2.* 14. 6. argum. *D. Thom. Toletanus. Gerard. Franciſc. à Chriſto.*

Minorem probat Caietan. quia infinitas non ſe habet ad Deitatem, vt ad rationes attributales: nam ſapientia, & cætera attributa ſortiuntur infinitatem, tanquam modum quendam quantitatis perfectionalis: infinitas autē eſt ipſum quod quid eſt ipſius Deitatis. Eſt igitur Deus entitatiuè, & quidditatiuè ens infinitum. Eandem minorem probat Gerardus alijs rationibus: efficacior eſt hæc: Deitas nec ex parte rei, nec ex parte noſtri modi intelligendi in ſuo quidditatiuo conceptu includit aliquam limitationem. Ergo in illo includit infinitatem. Conſequentia eſt nota: prima pars antecedentis patet; quia res, quæ eſt Deus, nullam patitur limitationem. Poſterior autem inde oſtenditur; quia per hoc diſtinguimus rationē Deitatis à rationibus eorum, quæ ſunt in Deo; quia ratio Deitatis nec per intellectum 15. Probatio minoris.

ctum reſtringitur, aut limitatur; cum tamen ratio cuiuſque attributi per noſtrũ intellectum reſtringatur ad certam rationẽ, qua diſtinguitur ab alijs attributis.

16. Probatio maioris. Maiorem Caiet. tanquam notam non probat; eam tamen iam probauerat 1. p. q. 12. art. 2. in 3. ratione, probationem adduximus ſuprà *quæſtione 2. art. 1. §. 2. in 3. ratione principali*. Probari etiam poteſt ſequentibus rationibus.

1. confirm. maioris. Prima ex Diuo Thoma loco citato adiuncto commento Caietani: omnis forma creata eſt determinata ſecundum aliquam rationem. Sed infinitum entitatiuè eſt repræſentabile infinitis perfectionibus, vt patet. Ergo non eſt repræſentabile per repræſentatiuum finitum.

17. 2. confirm. illius. Secunda ratio ex Toletano: quia tale repræſentatiuum eſſet naturaliter perfectionis infinitæ. Quod eſt impoſsibile. Probatur ſequela: quoniam illud repræſentatiuum, & in mouendo intellectum, & in terminando ſuppleret cauſalitatem infiniti, quod quodcunque aliud infinitũ excedit in perfectione: etenim loco Deitatis (quod eſt obiectum excedens quodcunque aliud obiectum infinitum) cauſaret viſionem, & eam terminaret, quam ipſa Deitas poſſet per ſe ipſam, & cauſare, & terminare. Ergo in perfectione eſſet naturaliter, & entitatiuè infinitum: nam ſupplere cauſalitatẽ alicuius obiecti perfecti, eſt alicuius perfectionis: erit igitur infinitæ perfectionis ſupplere cauſalitatem obiecti, quod in perfectione in infinitum excedit quodcunque aliud obiectum.

18. 3. confirm. eiuſdẽ maioris. Tertia ratio eiuſdem maioris: quoniam ſi infinitum entitatiuè eſſet diſtinctè repræſentabile per aliquod repræſentatiuũ creatum; illud eſſet in ſe ipſo adeo perfectum, vt nullum aliud poſſet dari perfectius; quia nullum repræſentatiuum dari poteſt, quod ſit perfectius repræſentatiuo Deitatis. Ergo in ſe ipſo eſſet infinitæ perfectionis: ſi enim eſſet perfectionis finitæ poſſet dari aliud maioris perfectionis. At implicat aliquod creatum eſſe perfectionis infinitæ. Ergo implicat infinitum entitatiuè eſſe repræſentabile per aliquod repræſentatiuum creatum, quæ fuit maior.

19. 7. argum. Septima ratio: repræſentare infinitas creaturas ſecundũ proprios earum conceptus, includit infinitam perfectionem in repræſentando. Ergo repræſentare infinitum, vt infinitum eſt, includet infinitam perfectionem; quæ non eſt admittẽda in ſpecie creata. Conſequentia patet; quia maioris perfectionis eſt repræſentare infinitum entitatiuè, quàm repræſentare infinitas creaturas. Antecedens probatur: quia vbicunque pluralitas arguit maiorem perfectionem, ibi infinitas numeralis concludit perfectionem infinitam: nam ſi poſſe mouere decem arguit maiorem vim motiuam, quàm mouere quinque; vtique mouere infinita arguet vim motiuam infinitam. Sed ſpeciem repræſentare duas creaturas arguit maiorẽ perfectionem in repræſentando, quàm repræſentare vnam. Ergo repræſentare creaturas infinitas arguet infinitam perfectionem in ſpecie in repræſentando, quod fuit antecedens.

Octauo loco arguit præceptor Franciſcus à Chriſto: finitum in eſſendo eſt finitum in repræſentãdo. Sed omnis ſpecies creata eſt finita in eſſendo. Ergo omnis erit finita in repræſentando. Igitur nulla poteſt repræſentare infinitum. 20. 8. argum.

Poſtremò arguit Suar. ad hominem contra Scotum in dicta diſp. 30. ſect. 11. n. 23. & cum eo Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 2. ſect. 1. in fine: ſi poſsibilis eſt ſpecies creata diuinam eſſentiam diſtinctè repræſentans abſtractiuè; cur non etiam intuitiuè? nec enim repugnat, notitiam intuitiuam fieri per ſpeciem, vt fatetur Scotus; nec aſsignari poteſt ratio, cur vna ſit poſsibilis, & non altera. Hac ratione concludit, Scotum immeritò negaſſe, ſpeciem intuitiuam, & affirmaſſe abſtractiuam. ¶ Hæc pro hac ſententia ſatis ſit adduxiſſe. 21. Poſtremũ.

§. 2.

Affirmatiua ſententia eſt tenenda.

Mihi maximè placet ſententia affirmatiua, quam probauit Scotus in 2. *diſt. 3. q. 9. lit. D. §. Hac diſtinctione præmiſſa, & lit. N. §. Ad aliud poſſet dici, & lit. O. §. Poſſet dici, id ſupponit quodlib. 7. art. 2. H. § Iuxta iſtam concluſionem, & quodlib. 14. N. §. De ſecundo principali*: & eſt recepta ſententia inter Scotiſtas: *Lychetus in diſt. q. 9. fol. 104. col. 4.* 22. Affirmatiua eſt vera. Scotus. Lychetus.

Fla-

Flauius. *Flauius ibidem q. 9. & 10. Orbellis q. 3. §.*
Orbellis. *Hoc enim eſt perfectionis, Ouand. propoſitio-*
Ouand. *ne 8. Nicolaus de Nyſſe tractat. 2. p. 2. fol.*
Nyſſe. *136. pag. 2. Baſſolius in 2. diſt. §. q. 3. art. 2.*
Baſſolius. *fol. 37. col. 1. & 1. q. Prologi fol. 5. colum. 3.*
Mayron. *Mayronius quodlib. 4. Herrera in 1. diſp. 7.*
Herrera. *q. 9. concl. 4. pag. 136. & in 2. diſp. 9. q. 5.*
concl. 1. pag. 330. col. 2. & concluſ. 5. pag.
332. col. 2. in quibus locis agit de ſpecie
abſtractiua diuinæ eſſentiæ, *Rada 1. p. cō-*
Rada. *trou. 8. art. 2. concl. 6. pag. 239. col. 1. Vide*
Scotus. *Scotum in reportatis in 2. diſt. 3. q. 9. Cū Sco-*
Maior. *tiſtis conſentit Maior in eodem loco q. 2. con-*
cl. 5. ex Recentioribus *Mol. 1. p. q. 56. art.*
3. concl. 1. quam etiam explicauit *q. 1. ar.*
Molina. *2. diſp. 3. ad 3. conſentit Salas 1. tom. ad 1. 2.*
q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. n. 30. pag. 337. In
Salas. eadem fuiſſe Caietanum, & Capreol. af-
Cumelius. firmat Cumelius *1. p. q. 12. artic. 2. q. 2. §.*
Caietanus: vterque tamen oppoſitum do-
cuit, vt diximus §. 1: nec aliquid officit,
Capreol. quod ſcribit Capreol. *in 2. diſt. 23. q. 1. ar.*
3. ad 1. Scoti contra ſecundam fol. 223. col.
4. quoniam eo in loco ſolùm admittit, da-
ri poſſe diuina virtute cognitionem clarā
abſtractiuam diuinæ eſſentiæ; idque præ-
miſſa viſione intuitiua, in cuius virtute
formetur abſtractiua; in hoc autem caſu
fortè non requiritur ſpecies impreſſa, ſed
ſatis erit diuina eſſentia, vt ſubiens locum
Nec Caiet. ſpeciei. Caietanus autem *3. p. q. 11. art. 1.*
§. Aduerte ſecundò, non dixit animā Chri
ſti per ſcientiam infuſam, & per ſpecies
inditas diſtinctè cognouiſſe diuinam eſ-
ſentiam: ſed ſolùm dicit eam cognoſcere
Deum trinum & vnum clara reuelatio-
ne, hoc autem non eſt cognoſcere euidē-
ter.

23\. Placet auctori. Ego hanc opinionem puto eſſe veriſ-
ſimam; ſemper enim in eā ero opinione,
vt nihil denegem diuinæ omnipotentiæ,
niſi inde aliqua contradictio ſaltem pro-
babiliter deducatur. Nullam autem hic
1\. fundam. dari vel probabilem contradictionem pa
tebit ex ſolutionibus argumentorum.
Quo fundamento, vt probabiliorem ele-
gi opinionem, quæ admittit, vt poſſibilē
ſpeciem intuitiuam diuinæ eſſentiæ, vt
patet ex q. 2. huius ſecundæ partis art. 2.
§. 2. in principio.

24\. 2. fundam. Et indè ſumitur aliud fundamentum:
quoniam, ſi ſemel admittatur poſſibilitas
ſpeciei intuitiuæ, non eſt, quòd negetur
poſſibilitas abſtractiuæ: eadem enim eſt
ratio in vtraque, ſuppoſito repræſenta-
tionem abſtractiuam non repugnare di-
uinæ eſſentiæ: imò minor ratio impoſſi-
bilitatis reperitur in abſtractiua, quàm in
intuitiua.

Accedit, quoniam dari poteſt cogni- 25. Tertium.
tio abſtractiua quidditatis diuinæ. Ergo
dari poteſt ſpecies abſtractiua illius. An-
tecedens latè confirmauimus lib. 7. q. 5.
art. 1. §. 2. Conſequentia ex eo probatur;
quia hæc conſequentia ſaltem in non bea
tis ſimpliciter eſt neceſſaria. De hoc ar-
gumento vide *Molinam 1. p. q. 1. artic. 1.*
diſp. 3. ad 3. & Radam 2. p. controu. 8. art. 2. Molina.
concl. 6. Rada.

§. 3.

Solutio argumentorum.

AD primum argumentum in con- 26. Ad 1. partem negantis.
trarium admittimus talem ſpeciē
repræſentare Deum ſub proprio
conceptu: negamus tamen indè inferri il-
lam in repræſentando eſſe infinitam: id
enim, quod eſt infinitum, ſicut poteſt nō
infinitè cognoſci, vt patet in beatis; ita
poteſt non infinitè repræſentari, vt latè
diximus ſuprà q. 2. art. 5. & 6. Probatio
conſequentiæ futilis eſt: quia ſpecies illa
non gerit vicem diuinæ eſſentiæ, vt eſt
totaliter intelligibilis, & repræſentabilis;
ſed vt eſt repræſentabilis, & intelligibilis
finito modo ſub certis, & determinatis
rationibus intelligibilibus.

Secundum argumentum indiget ex- 27. Ad 2.
plicatione, vt confuſio tollatur: hæc enim
propoſitio, *impoſſibile eſt, vt naturaliter*
detur cognitio diſtincta Dei, poteſt habere Multiplex ſenſus quæſtionis.
triplicem ſenſum; primus eſt, vt illud *na-*
turaliter idem ſit, quòd *viribus agentis na-*
turalis. Secundus; vt idem ſit, quòd *virtu-*
te naturali intellectus, poſita tamen ſpecie
ſupernaturaliter cauſata. Tertius deniq;
vt idem ſit, quòd *naturalitate ipſius cogni-*
tionis. ¶ Primo modo ſenſus erit, vt im- Explicatur 1. ſenſus.
poſſibile ſit, dari cognitionem diſtinctam
Dei actione agentis naturalis: quem ſen-
ſum facit propoſitio ſimpliciter prolata:
& in eo eſt veriſsima, tàm in cognitione
intuitiua, quā in abſtractiua: nullus enim
intellectus creatus etiam angelicus actio-
ne agentis naturalis poteſt habere cogni-
tionem Dei diſtinctam, & quidditatiuā,
ſiue intuitiuam, ſiue abſtractiuam, vt la-
tiſsimè oſtendimus libr. 6. q. 1. 2. & 3:
vnde

vnde lib. 7. q. 1. & 2. ſtatuimus ad cognitionem diſtinctam Dei neceſſarium eſſe cõcurſum aliquem ſupernaturalem. Argumentum autem in hoc ſenſu nihil cõtra nos concludit; quia & antecedens admittimus & conſequentiã: nec enim ſpecies abſtractiua diuinæ eſſentiæ dari poteſt actione agentis naturalis, vt Scotus expreſſè docet.

28. Explicatũr in 2. ſenſu. In ſecundo ſenſu propoſitio facit hũc ſenſum: vt impoſſibile ſit dari cognitionẽ diſtinctam Dei virtute naturali elicitam, etiam poſita ſpecie ſupernaturaliter infuſa. In quo ſenſu propoſitio eſt cõtra Scotum, quatenus putat, poſita ſpecie quidditatiuè diuinam eſſentiam repræſentante, intellectum creatum ſua naturali intelligendi virtute abſque vlla ſupernaturali eleuatione poſſe habere diſtinctam cognitionem Dei. Sed quanuis id daremus Caietano (vt contra Scotum ſtatim dabimus) id nullo modo impedit poſſibilitatem ſpeciei, de qua agimus: quia poteſt eſſe poſſibilis, quanuis ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ſupernaturalis, & excedens connaturalem virtutem cuiuſcunq; intellectus creati. Quare in illo ſenſu admittendum eſt antecedens: quanuis ratio Caietani ſit minus efficax, dum ſupponit omnem cognitionem diſtinctam diuinę quidditatis eſſe comprehenſiuam, quod eſt falſum. Admiſſo autem antecedente in illo ſenſu, nihil contra nos infertur.

29. Explicatur in 3. ſenſu. In tertio ſenſu propoſitio aſſumpta ſignificat cognitionem creatam, quæ naturaliter, id eſt, ſecundum ſuam naturam ſit cognitio diſtincta Dei, eſſe impoſſibilem: quod abſolutè eſt falſum: fides enim admittit in beatis viſionem Dei, quæ naturaliter, id eſt, naturalitate ſuæ ſubſtantiæ vere eſt cognitio Dei diſtincta, & naturalis eius imago. Nec ſolum eſt falſa, ſi abſolutè ſumatur, abſtrahẽdo à cognitione intuitina, & abſtractiua; ſed etiam, ſi intelligatur de ſola abſtractiua: hãc enim eſſe poſſibilem latè oſtendimus lib. 7. q. 5. ar. 1. §. 2. quod etiam affirmat Capreolus cum quibuſdam alijs Thomiſtis. Ad probationem Caietani admittimus cognitionem illam, cum ſit quidditatiua, apprehẽdere diuinam eſſentiã quoad quod quid eſt proprium illius; negamus tamen per eam apprehendi diuinam eſſentiam ſecundum omnia, ſecundum quæ eſt intelligibilis: nec enim oportet, vt omnis cognitio quidditatiua ſit comprehenſiua rei, cuius quodquid eſt cognoſcitur, vt oſtendimus ſuprà q. 2. artic. 6. §. 1. & aduertimus lib. 4. q. 9. art. 1. in fine; quæ eſt communis ſententia, teſte *Bellomon. 1. p. diſp. 205. c. 3. n. 8. & 9. probant Fonſeca in 2. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 6. in fine, Conimbricenſes de anima ſeparata diſp. 5. art. 1. pronunc. 2. pag. 516. & Suar. lib. 2. de Attrib. negatiuis c. 18. n. 7*: quæ Theologia euidenter conuincitur; quia viſio beata eſt quædam cognitio Dei quidditatiua; & tamen non eſt comprehenſiua, nec apprehendit omnia, quæ in Deo ſunt cognoſcibilia: à fortiori igitur non repugnabit dari cognitionẽ abſtractiuam, qua Deus quidditatiuè cognoſcatur, quæ non ſit cõprehenſiua, nec attingat omnes rationes intelligibiles, quę ſunt in Deo. Quæ Philoſophia etiã eſt vera in cognitione quidditatiua rerum creatarũ: nec enim oportet, vt omnis ſit etiam comprehenſiua, vt patet ex dictis ſuprà q. 2. art. 6. §. 1. Et quanuis Philoſophia illa admitteretur in cognitione quidditatiua rei creatæ (quod tamen non admittitur) nullo tamen modo admitti poſſet in cognitione quidditatiua Dei: quia licet tota Dei quidditas poſſit per creatam notitiam cognoſci; nõ tamen cognoſci poteſt totaliter, vt communis docet Theologia. 30. Bellom. Fonſeca. Conimbr. Suarius.

Quod verò ſumit Caiet. *ſermonem definitiuum ſoluere omnes difficultates, & ſubinde per eum à priori cognoſci omnia, quæ rei conueniunt*: abſolutè non admittitur à Scotiſtis, vt patet ex Lycheto *in 2. diſt. 3. q. 9.* & vt verum ſit, duplicem habet modificationem. Prima eſt; vt ſolum intelligatur de ijs, quæ per ſe primo rei conueniunt: nec enim oportet, vt cognita quidditate rei cognoſcantur omnia, quæ cum ea habere poſſunt cõnexionem etiam naturalem; quia ipſa quidditas non eſt per ſe ratio omnium. Secunda eſt; vt quidditas in ſe ipſa cognoſcatur, non ſolùm tota, ſed etiam totaliter: quæ cognitio licet dari poſſit in rebus creatis; quia in illis tota quidditas poteſt totaliter cognoſci: nullo tamen modo dari poteſt in diuina eſſentia; quia licet ſecundum ſe totam cognoſci poſſit; non tamen totaliter, id eſt ſecundum totalitatem ſuæ intelligibilita- 31.

bilitatis, vt patet. Quare in Deo ſermo definitiuus non explicat intellectui creato omnes rationes intelligibiles, ſed ſolū ad menſuram penetrationis diuinæ quidditatis.

32. Ad 3. arg. Tertium argumentum facilem habet ſolutionem, ſi explicemus, ſpeciem participare obiectum nihil eſſe aliud, quàm illud repræſentare: auctor enim argumēti concedit, ſpeciem non participare obiectum in eſſendo, ſed ſolùm in repræſentando; ab eo enim habet, quòd repræſentet id, quod in eo eſt. Cum autem veritas repræſentationis in eo ſit per ſe poſita, vt id, quod ſpecies de eo repræſentat, verè ſit in obiecto (nam veritas notitiæ intuitiuæ per ſe poſita eſt in hoc, vt id, quod videtur, verè exiſtat in re, quæ videtur (vt diximus lib. 5. q. 11. art. 4. §. 3. & §. 4. ad 5.) hinc fit, vt de ratione repræſentatiui abſolutè, & per ſe non ſit repræſentare omnia, quæ ſunt in re repræſentata; ſed hoc tantùm, vt id, quod repræſentat, verè ita ſit in re, ac repræſentatur: ſicut etiam de ratione notitiæ intuitiuæ non eſt, quòd ſit ſimilitudo omnium, quæ ſūt in re viſa, ſed quòd ſit ſimilitudo eius, quod in re videtur, vt ibidem diximus. Hoc ita eſſe dicendum neceſſariò concludit viſio, quæ eſt in beatis; quæ, cum non terminetur ad omnes rationes intelligibiles, quæ ſunt in diuina eſſentia (quia eam non videt totaliter) non eſt naturalis ſimilitudo & expreſsio omnium rationum intelligibilium, ſed ſolùm earū, ad quas terminatur. Vnde ipſamet diuina eſſentia, prout apud Thomiſtas ſubit vicem ſpeciei, non repræſentat omnes diuinitatis intelligibilitates, ſed eas ſolas, quæ penetrationi diuinæ eſſentiæ correſpondent. Idem etiam patet in creatis: nec enim ſpecies noſtri intellectus abſtractę à phantaſmatibus repræſentant omnia, quæ à parte rei ſunt in natura abſtracta, ſed ipſam ſolam naturam. Species etiam Angelorum non repræſentant omnia, quæ à parte rei ſunt in rebus repræſentatis, quanuis ea, quæ repræſentant, verè ſint in re repræſentata. Et in hoc ſolùm poſita eſt adæquatio, conuenientia, ſiue participatio ſpeciei in ordine ad obiectū.

33. Duplex cognitio quidditatiua. Vnde, qui hac de re benè philoſophātur, ſicut duplicem diſtinguūt cognitionem quidditatiuam: vnam comprehenſiuam, qua omnis quidditatis intelligibilitas cognoſcitur: Alteram nō compræhēſiuam, qua verè cognoſcitur id, quod eſt in re, quanuis non cognoſcantur omnia, quæ ſunt in ea; ita duplicem diſtinguunt repræſentationem quidditatiuam: comprehenſiuam vnam; non comprehenſiuā alteram. Docentque repræſentationem adæquatam intelligibilitati obiecti ſolū conuenire repræſentationi comprehenſiuæ, vt latè diximus ſuprà q. 2. art. 6. §. 1. & alijs in locis. Quare, cum ſpeciem participare obiectum in repræſentando, nihil ſit aliud, quàm illud repræſentare; duplex eſt diſtinguenda participatio obiecti in ſpecie: vna comprehenſiua, altera non comprehenſiua. De ratione prioris eſt, quòd ſit adæquata in participando intelligibilitatem obiecti; non tamen de ratione poſterioris: etenim de per ſe ratione huius ſolùm eſt, quod intelligibilitas, quam participat, verè ſit in re.

His poſitis, ad argumentum neganda eſt maior: quia ſpecies quidditatiuè repræſentans Deum poteſt participari à Deo non ſecundum omnem intelligibilitatem paſsiuam, ſed ſecundum aliquam determinatam: quia poteſt repræſentare totam Dei quidditatem, non tamen totaliter. Nec poſſum non mirari, quòd hi auctores quidditatiuam viſionē Dei, qua totus Deus videtur, non tamen totaliter, admittant; ſimiliter etiam diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei vnitam ſe ipſam totam repræſentare intellectui beato, & non totaliter: & tamen doceant, hanc repræſentationem repugnare ſpeciei creatæ, cuius eſſentia vicem gerit. Quarè meritò neganda eſt maior. 34. Ad argum. in forma.

Rationes, quibus confirmatur, futiles ſunt. Ad primam admittimus totum diſcurſum: *Speciem ſcilicet, quæ diſtinctè & quidditatiuè repræſentat Deum, illum repræſentare ſecundum id, quod conuenit ei ſoli, nō verò alij obiecto*; quæ eſt maior. Similiter agnoſcimus, *non poſſe Deum ita repræſentari, niſi ſpecies ſit immediata participatio Dei repræſentati*: quia ſicut nullum aliud obiectum repræſentat; ita nec cum alio habet propriam, & vniuocam conueniētiam, vt verbis arguentis vtamur Deniq; admittimus conſequentiam cum ſuo cōſequenti, *ſcilicet ſpeciem diſtinctè, & quidditatiuè repræſentantem Deum immediate parti-* 35. Ad 1. probationem maioris.

participari à Deo, tanquam ab obiecto cognito: quia immediatè illum repræſentat. Conceſſo autem toto iſto diſcurſu, non video vnde Theologus poſsit inferre: *ergo talis ſpecies debet adæquatè participari à Deo, ita vt repræſentet in eſſe intelligibili omnem Dei intelligibilitatem.* Nam totus diſcurſus verificatur, ſi ſpecies participetur à diuina eſſentia ſecundum aliquam determinatam rationem intelligibilem, quæ verè ſit in ea: in hoc enim per ſe poſita eſt participatio diuinæ eſſentiæ in ratione obiecti repræſentati.

36. Ad 2. probationem maioris.

Secunda ratio verbis ſolùm differt à prima: vnde libenter admittimus totum diſcurſum, & concluſionem vltimi, quatenus habet, *opus eſſe, vt ſpecies diſtinctè repræſentans Deum immediatè participetur à Deo tanquam ab obiecto*: negamus tamen concluſionem ex præmiſsis deduci, quatenus habet, *opus eſſe, vt ſpecies diſtinctè repræſentans Deum ita participetur à Deo, vt totam Dei intelligibilitatem adæquet.* Iſte enim terminus in nulla præmiſſarũ reperitur; & ſi in aliqua poneretur, illa eſſet falſa.

37. Ad 3. probationem maioris.

Et ob hanc rationem falſum eſt antecedens tertiæ rationis: nam licet admittamus, in ſpecie propria alicuius obiecti dari adæquationem cum obiecto in eſſe intelligibili, & repræſentatiuo, in hoc ſenſu; quoniam id, quod ſpecies de obiecto repræſentat, eſt in obiecto eo modo, quo repræſentatur, vt diximus: non tamen admittimus adæquationem in ſenſu in antecedente explicato: talis enim adæquatio in repræſentando conuenit ſoli ſpeciei, quæ repræſentationem habet cõpræhenſiuam, vt ſuprà aduertimus. Vnde antecedens petit principium: ſicut etiã illud petit illius confirmatio: quia licet concedamus, ſpeciem immediatè, diſtinctè, & vniuocè (vt verbis loquamur arguentis) repræſentare obiectum, non eſſe aliud, quàm ſecundum ſuum eſſe repræſentatiuum continere eandem naturam, imò & totam naturam obiecti; non tamen repræſentare obiectum idem eſt, quòd ita in repræſentando totam naturã continere, vt illud totaliter contineat. Et hoc non diſtinguere ĩ eſt cauſa deceptionis, vt patet in viſione beata, quæ ſua actuali repræſentatione continet totam naturam diuinam, non tamen totaliter. Hæc tam latè diximus, quia etiam inſipientibus debitores ſumus. ¶ Ex dictis patet, quam futilis ſit confirmatio ſumpta ex Ferrarienſi, & Henrico: etenim maior propoſitio cum ſua probatione ſumit, vt verum, quod erat probandum. Vide, quæ diximus ſuprà q. 2. art. 5. & 6. Ad confirmationem.

Ad quartum negandum eſt, ſpeciem illam non habere, vnde in eſſe ſpeciei limitaretur: quoniam limitaretur; tum ex parte Dei producentis; tum ex parte intellectus recipientis; tum denique ex parte obiecti repræſentati, vt oſtendimus in dicta q. 2. art. 6. §. 4. ad ſecundam probationem ſeptimę probationis. Ad id, quod in confirmationem adducitur, negamus, hanc ſpeciem non poſſe limitari ex parte Dei. In obiectione autem ſine probatione ſumitur id, quod obijcitur in dicto §. 4. Negamus etiam non poſſe limitari ex parte intellectus: ad probationem negamus ſpeciem, quæ formaliter eſt ſpecies, & formalis ſimilitudo obiecti per ſe, & eſſentialiter non eſſe accidens, vide in dicto §. 4. & ſuprà 1. p. q. 3. art. 1. §. 2. 38. Ad 4. arg.

Quinti argumenti difficultas latè ſoluta eſt ſuprà q. 2. art. 6. §. 5. Quod in argumento obijcitur, & futile eſt, & omnino improbabile. Negandum eſt enim antecedens: imò noſtro intelligendi modo cum talis communicatio ſit ad extra, non poteſt non ſupponere voluntatem diuinam, vt liberè applicantem ſuam eſſentiam. Nec obſtat obiectio; quoniam longè diſpar ratio reperitur in Deo, & in agente creato etiam libero: quoniã Deus ad extra neceſſariò dependet à ſua volũtate, vel formaliter in ordine ad effectus, qui fiunt à Deo, vt à primo efficiente (omnes enim iſti fiunt immediatè à voluntate, tanquam à potentia, qua Deus ad extra efficienter operatur) vel antecedẽter in ordine ad effectus, qui à Deo fiunt, vt eſt quoddam obiectum intelligibile: licet enim hi non fiant immediatè à voluntate, vt elicientе: fiunt tamen ab ea, vt antecedenter applicante ſuam eſſentiam ad intellectum creatum, vt diximus in loco citato. Ita ſit, vt voluntas Dei ſemper concurrat ad effectus ad extra, ſiue formaliter, ſiue antecedenter. Hoc non reperitur in agente creato etiam libero: quia non omnes effectus agentis liberi per ſe dependent à voluntate, aut formaliter, 39. Ad 5. arg.

liter, aut antecedenter: licet enim ſit liberum; plures tamen effectus producit, vt agens merè naturale: & inter hos effectus, eſt concurſus illius, vt eſt quoddam ens intelligibile, & ſenſibile.

40. Ad confirmationem.

Ad confirmationem, Scotus cum ſuis negabit antecedens, ſi intelligatur, prout communicatur ad extra: quia non poteſt ſe actiuè communicare, niſi mediante voluntate, vt eſt potentia immediatè actiua. Nos etiam illud negamus, ſi intelligatur, quòd vt ſic nullo modo ſubordinatur voluntati: quia licet non ſubordinetur illi, vt potentiæ, qua immediatè communicatur, vt contra Scotum ſupponimus; ſubordinatur tamen quoad applicationem, qua ſe intellectui obiectiuè coniungit; quæ applicatio libera eſt: vnde per ſe ſubordinatur voluntati antecedenter. Et quia Nauarrete hæc duo non diſtinxit, ideò putauit contradictionem eſſe firmam.

41. Ad 6. arg.

In ſexto argumento (quod eſt Caietani) minor eſt falſa: nam cum infinitas formaliter ſumpta non ſit entitas, ſed ſolùm modus entis intrinſecus cuique enti infinito, non poteſt eſſe de eſſentia diuinæ naturæ, vt diximus lib. 5. art. 4. §. 8. n. 137. Sed quia ad noſtrum inſtitutum id parũ refert, nihil de minore curamus. Ad argumentum igitur, maior eſt falſa: quia diuina eſſentia verè repræſentatur, vel per verbum (ſi in beatis admittitur) vel per ipſam viſionem, quæ non poteſt non eſſe ſpecies expreſſa, vt oſtendimus ſuprà q. 2. art. 2. §. 4. in impugnatione primæ ſolutionis. Accedit etiam, quoniam omne ens eo modo eſt repræſentabile, quo eſt intelligibile. Quare cum ens infinitum ſit à nobis diſtinctè intelligibile, vt fides docet, erit etiam nobis diſtinctè repræſentabile: vnde aduerſarijs teſtibus Deus per ſuam eſſentiam ad inſtar ſpeciei priùs nobis repræſentatur, quàm intelligatur. Quare mirum eſt, quod Caietanus hanc propoſitionem ſine probatione ſumat.

42. Ad 1. probationem maioris.

Probationes autem facilè ſoluuntur ex doctrina à nobis ſæpiùs repetita. Prima (quæ eſt Caietani) ſolùm probat, nullam ſpeciem creatam poſſe diuinam eſſentiam adæquatè repræſentare adæquatione comprænſiua, quod ſæpè faſſi ſumus, & iterum fatemur. Quòd non tollit, quominus appræhenſiuè poſſit eam repræſentare. Infinitum autem entitatiuè, non ſolùm eſt repræſentabile infinitè, ſed etiam finitè, vt diximus ſuprà quæſtione. 2. artic. 6. §. 2. ad quartam probationem.

43. Ad 2. probationem.

Secunda probatio Toletani futilẽ habet ſequelam. Ad probationem dicendum eſt, eſſentiam entitatiuè quidem excedere omne aliud infinitum, ſi aliquod daretur: at in ratione motiui intellectus non excedere in infinitum, quodcunque aliud intelligibile, reſpectu intellectus creati; quia nullum intellectum creatum mouere poteſt motione infinita, & ſibi adæquata, ſed ſolùm intellectum increatum, vt noſtro intelligendi modo conſideratur, & ita ceſſat argumenti machina.

44. Ad 3. probationem maioris.

Tertia ratio facilè ſoluitur ex dictis ſuprâ quæſtione 2. artic. 7. ad ſeptimum principale: negandum eſt enim antecedens; quia licet dari non poſſit repræſentatiuum perfectius diuinitate repræſentata; tamen dari poteſt repræſentatiuum creatum perfectius in modo repræſentandi eandem diuinitatem: quia dari poteſt repræſentatiuum eam repræſentans ſub pluribus intelligibilibus rationibus; idque in infinitum ſyncathegorematicè; ſicut enim viſio beata poteſt eſſe maior, & maior in infinitum; ita repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ poteſt in infinitum eſſe perfectius, & perfectius. Ad quod non aduertit doctiſsimus noſter Toletanus.

45. Ad 7. arg.

In ſeptimo argumento antecedens eſt ſatis dubium; quidam illud admittunt, & ideò nolunt animam Chriſti per ſcientiam infuſam cognoſcere omnes creaturas poſsibiles; quia talis cognitio eſſet infinita; ita *Molina prima parte quæſtione 12. articulo octauo, diſputatione ſexta, dubio. 3. cum alijs.* Eo tamen ſub conditione admiſſo, ſi foret poſsibile, quidam negant conſequentiam: ſed mihi illa videtur ſatis firma, ex probatione Diui Thomæ de Veritate quæſtione vigeſima. articul. 5. ad primum, quam probat Suarius primo tom. ad tertiam partem diſputatione 27. ſection. 4. ante finem: quamuis enim ad incompoſsibile ſequatur quodlibet; non tamen ad impoſsibile. Quare, ſi antecedens admittatur, dicendum erit, ideò non

1. ſolutio. *Molina.*

valere conſequentiam, quia infinitæ creaturæ creabiles non poſſunt repræſentari per vnam ſpeciem, niſi ſub infinitis rationibus intelligibilibus: intelligibilitas enim vnius naturæ eſt eſſentialiter diſtincta ab intelligibilitate alterius, & ideò repræſentatio vnius ſpeciei, non poteſt ad illas omnes extendi, niſi repræſentatione ſecundùm ſe infinita. Longè diſpar ratio eſt in infinitate Dei: hæc enim poteſt repræſentari ſub determinatis rationibus intelligibilibus; vnde non requirit infinitatem in repræſentando: & ideò non valet conſequentia.

46. 2. ſolutio. Hæc dicta ſint iuxta eorum ſententiam, qui admittunt antecedens, & volũt dari non poſſe vnam ſpeciem, quæ repræſentet infinitas naturas numero, & ſpecie diſtinctas. Alij tamen ſunt, qui putant non ſolùm dari poſſe talem ſpeciem, ſed de facto dari in anima Chriſti, in qua datur ſpecies repræſentans omnes creaturas poſsibiles, quanuis ſint numero infinitæ: etenim talis ſpecies non eſſet infinitæ perfectionis in repræſentãdo; quia licet repræſentatio illa eſſet extenſiuè infinita, vt quæ infinitas creaturas repręſentaret; eas tamen repræſentaret ſub vno gradu perfectionis finito; & ideò nõ haberet repræſentationem infinitam, ſed finitam potiùs; quia ſub vna finita indiuiſibilique ratione omnes repræſentaret. Quæ opinio non eſt improbabilis, vt patet ex *Suario 1. tom. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 4. & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. n. 105. ad finem*, & ſatis eſt de mente D. Thomę *de Veritate q. 20. art. 5. ad 1.* Ea ſuppoſita negandum eſt antecedens. In probatione, maior eſt dubia; ea tamen admiſſa, neganda eſt minor; quia pluralitas in repræſentando non arguit maiorem perfectionem, quando illa plura ſub vna, & indiuiſibili ratione repræſentantur; de quo plura in diſput. de comprehenſione beatorum.

Suarius. Salas. D. Thom.

17. Ad 8. arg. Ad octauum, admittimus primum diſcurſum, cum concluſione illius; omnem. ſ. ſpeciem creatam eſſe finitam in repræſentando: inde tamen non bene infertur, eam non poſſe repræſentare infinitum; quia infinitum entitatiuè, poteſt finitè repræſentari.

10. Poſtremum argumentum nihil faceret, contra Scotiſtas: negarent enim conſequentiam: quoniam apud Scotum cognitio intuitiua nullam admittit ſpeciem impreſſam, vt diximus libr. 8. 1. p. q. 1. art. 3. §. 1: vnde Scotus non admittit notitiam ſenſitiuam externam (quæ eſt intuitiua) fieri per ſpeciem: licet enim admittat ſpecies ſenſibiles; non tamen ad hoc, vt per eas notitia ſenſitiua producatur, vt diximus in dicto art. 3. §. 3: quare Scotus non ſatis fideliter citatur, quaſi non neget viſionem corpoream fieri per ſpeciem. In 4. autem diſt. 49. q. 11. H. nõ ſimpliciter ait probabilius eſſe ponere in beatis ſpeciem, quam lumen; ſed ſolùm ſub conditione, ſi alterum illorum eſt ponendum; vnde abſolutè negat in beatis aliquod repræſentatiuum præcedere viſionem, vt patet quodlib. 14. CC. §. *Hic videtur ſequi*: quod eſſet falſum, ſi Scotus in illis aliquam ſpeciem admitteret: vnde nec admittit diuinam eſſentiam ad inſtar ſpeciei concurrere, vt repræſentatiuum ante viſionem, vt colliges ex eodem loco. Facilè igitur liberaretur Scotus ab hoc argumento, quod diximus in fauorẽ Scotiſtarum. Ad poſtremum arg.

ARTICVLVS III.

An ſpecies abſtractiua diuinæ eſſentiæ ſit naturalis ſecundum ſubſtantiam, an ſupernaturalis?

§. 1.

Refertur opinio Scoti.

QVod talis ſpecies ſecundum ſuã ſubſtantiam ſit naturalis; ſupernaturalis quoad modum ſuę productionis probat Scotus *in 2. diſt. 3. q. 9. D. §. Hac diſtinctione præmiſſa, & inferiùs N. & O. & in reportatis eadem diſtin. & q. Lychetus ibidem. fol. 104. col. 4. Orbellis q. 3. §. Hoc enim eſt perfectionis, Baſſolius q. 3. art. 2. fol. 37. col. 1. §. Contra iſtam propoſitionem dico tertiò; Rada 2. p. controuer. 8. art. 2. concl. 7. pag. 240.* & ſatis eſt de mente aliorum Scotiſtarum, cum quibus cõſentit Maior *in 2. diſtinct. 3. quæſtione. 2. concl. 5. & ad 5.* Hi omnes conueniunt, hanc ſpeciem haberi non poſſe virtute naturali aut intellectus, aut alterius agentis

1. Opinio Scoti. *Scotus. Lychetus. Orbellis. Baſſolius. Rada. Maior.*

tis, ſed à ſolo Deo: non quidem, vt authore naturæ, quaſi ſit perfectio naturaliter debita intellectui creato, ſed vt agente gratis, & liberaliter: & tamen admittunt, talem ſpeciem eſſe naturalem ſecundum ſubſtantiam: & inde inferunt, intellectum poſſe ea vti ſua virtute naturali, ita vt naturaliter eliciat notitiam abſtractiuam quidditatiuam diuinæ eſſētiæ. Volunt igitur in hoc ſolo ſenſu hanc ſpeciem eſſe ſupernaturalem, quia à ſolo Deo eſt producibilis, non vt ab agente naturali, ſed vt ab agente ſupra naturam merè gratis, & liberè: & hanc ſupernaturalitatem diſtinguunt à ſupernaturalitate, quæ pertinet ad gratiam, & gloriam. Eo igitur modo concurreret Deus ad hanc ſpeciem, quo concurrit ad viſum, qui cæco nato reſtituitur: hic enim viſus licet ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit naturalis; in eo tamen ſenſu dicitur ſupernaturalis, quia ſupernaturali modo fuit reſtitutus.

Fundamentum huius opinionis ex eo
2. Fundamentum Scotiſtarum. ſumitur, quia authores illius cum pleriſque alijs volūt notitiam abſtractiuam, ad quam eliciendam ponitur talis ſpecies eſſe naturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam, vt diximus libro ſeptimo. Cum igitur ab hac ſpecie naturaliter producatur, ſimiliter & ab intellectu, non poteſt illa ſpecies non eſſe naturalis ſecundum ſuā ſubſtantiam.

§. 2.

Hanc ſpeciem eſſe ſubſtantialiter ſupernaturalem.

Oppoſitam tamen ſententiam docent alij Theologi, qui illam ſpe-
3. Quod talis ſpecies ſit ſupernaturalis. ciem admittunt, vt poſsibilem; inter quos eſt Molina 1. *part. q.* 56. *artic.* 3. *concl.* 2. Quam ego opinionem puto eſſe verisſimam. *Molina.*

Prima ratio eſt Molinæ: quoniam
4. 1. ratio. ſpecies repræſentans abſtractiuè, & notitia per eam elicita, non datur, niſi poſt notitiam intuitiuam. Ergo ſpecies & no-
Non placet titia, quæ fuerit antecedente notitia viſionis diuinæ eſſentiæ, non erit naturalis. Sed hæc ratio ſupponit id, quod Scotus, & alij negant; ſpeciem ſcilicet & notitiam abſtractiuam ſupponere intuitiuā. Imò inefficacia huius rationis patet ex doctrina eiuſdem Molinæ 1. *p. q.* 1. *art.* 2. *diſp.* 5. *ad* 2. *pag.* 14. *col.* 1. *E.* dum docet *Molina.*
notitiam abſtractiuam naturaliter non poſſe eſſe primam; bene tamen, ſupernaturaliter. Qua ſuppoſita doctrina, patet antecedens ſolùm eſſe verum ſeruato naturali ordine; in quo ſenſu conſequentia eſt inutilis; quoniam Scotus non admittit, hanc ſpeciem naturaliter produci, ſed ſupernaturaliter.

Quare omiſſa hac ratione, ego noſtrā 5. Vera opinionis confirmatio.
ſententiam inde confirmo, vnde aduerſarij ſuæ ſententię fundamentum ſumūt: quoniam notitia quidditatiua diuinæ eſſentiæ, etiam quæ eſt abſtractiua, non poteſt non eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, vt euidenter oſtendimus ſuprà lib. 7. q. 5. art. 2. n. 11. & latiùs oſtendemus lib. 11. quęſt. 5. ar. 7. Ergo ſpecies elicitiua illius non poteſt eſſe naturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed ſupernaturalis: quæ conſequentia & admittitur ab aduerſarijs, & patet ex ſe: quia nihil ſecundum ſubſtantiam naturale, niſi ſupernaturaliter eleuetur, poteſt actiuè concurrere ad ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam: etenim actus & forma, quæ eſt illius principium ſeruant inter ſe proportionem, & ſua natura pertinent ad eundem ordinem, vt eſt recepta doctrina, de qua Suarius in Metaphy. diſp. 30. ſect. 11. n. 34: ad omnes enim actus ſecūdum ſubſtantiam ſupernaturales, tàm viæ, quâm patriæ, & nobis, & Angelis infunduntur virtutes eiuſdem ordinis, quod argumento eſt inter actum, & formam, quæ eſt principium illius, dari entitatiuā proportionem. Quare ſi notitia abſtractiua Dei eſt ſubſtantialiter ſupernaturalis; ſpecies illius neceſſariò erit ſupernaturalis ſubſtantialiter.

Secundò; quoniam ſpecies, quæ per ſe 6. 2. confirm.
repræſentat obiectum ſecundum modū eſſendi ſubſtantialiter ſupernaturale, non poteſt non eſſe ſubſtantialiter ſupernaturalis. Sed ſpecies iſta per ſe repræſentat Deum ſecundum modum eſſendi ſupernaturalem. Ergo non poteſt non eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. Minor patet; quia repræſentat Deum ſecundum modum eſſendi eſſentialiter irreceptum, purum, & ſimpliciter incompoſitum. Maior probatur; quoniam ſpecies, quæ ſubſtantialiter eſt

eſt naturalis cum naturaliter conueniat cognoſcenti creato in puris naturalibus, non poteſt repræſentare obiectum, niſi ſecundùm modum naturalem ipſi cognoſcenti, iuxta veriſsimam Philoſophiã, de qua ſuprà libr. 6. quæſt. 3. artic. 2. §. 4: modus enim cognoſcendi cuique cognoſcenti naturalis, licet abſtractiuus ſit, naturaliter conſequitur modum eſſendi connaturalem cognoſcenti, vt ibi oſtendimus. Ergo ſi ſpecies ex ſua natura habet, quod repræſentet obiectum ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale, neceſſariò erit ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis prærequirens aliquod cognoſcẽs ad ordinem ſupernaturalem eleuatum, cui connaturale ſit cognoſcere obiectum ſecundum modum eſſendi ſupernaturalem.

7. Tertia confirmatio. Accedit tertiò; quia nonnulla, quæ docet Scotus videntur ſecum pugnare: docet enim hanc ſpeciem eſſe ſupernaturalem, quia datur à ſolo Deo, non naturaliter debita, ſed liberaliter donata, & tamẽ intellectum ea vti poſſe virtute ſibi naturali: hæc autem duo inter ſe pugnant, vt contra Scotum nos olim aduertimus in materia de Angelis, & poſteà aduerterunt *Molina vbi ſuprà, Suarius in Metaph. loco citato, n. 24. & 25. & lib. 1. de Trinitate cap. 11. n. 17. & Bellomon. 1. p. diſput.* 134. *cap. 2. n. 4. & 5.* & præter ea, quæ ab illis adducuntur, repugnantia euidenter patet: quod enim ſecundum ſubſtantiam eſt ſupernaturale, non poteſt cadere in vſum naturalem: ſed quia Scotus id negat; ego inde repugnantiam ſumo; quia ſupernaturalitas ſumpta ex liberali dono, non eleuat intellectum creatum ad ordinem altiorem, ſed illum adhuc relinquit in ſuo naturali ordine: implicat autem, vt virtus naturalis intellectus creati feratur in Deum quidditatiuè repræſentatum per illam ſpeciem: etenim virtus creata ſumpta in pura ſua naturalitate, nihil poteſt intelligere, niſi præſentetur ſecundum modum eſſendi ſibi connaturalem: cum verò eſſe connaturale cognoſcentis creati in ſe ſit receptũm, & verè compoſitum, nihil naturaliter poteſt cognoſcere, niſi ſibi præſentetur ad modum eſſe recepti, & compoſiti, vt diximus libro. 6. quæſtione. 3. articul. 2. §. 4. Ergo naturali ſua virtute non poteſt Deum apprehendere prout in illa ſpecie repræſentatur; quia in illa repræſentatur ſecundum eſſe irreceptum, & omnino purum. Implicat igitur ſpeciem iſtam repræſentare Deum quidditatiuè, & intellectum illum appræhendere virtute ſibi connaturali.

Molina. *Suarius.* *Belloman.*

Simili modo implicat, hanc ſpeciem eſſe naturalem intellectui, & non infundi à Deo, vt ab authore naturæ, quãtumuis merè gratis, & liberaliter infundatur; quod ex eo euidenter demõſtratur; quoniam quòd creaturæ in ſua pura natura aliquo modo eſt naturale, aliquo etiam modo eſt naturalis ipſius perfectio: nam cum omnis forma ſit actus, omnis etiam eſt perfectio ei, cui eſt forma. Quare, ſi illi eſt forma naturalis, vtique pertinebit ad naturalem perfectionem eius: iam verò Deus, vt author naturæ ad omnem naturalem perfectionem concurrit, etiamſi illam merè gratis, & liberaliter donet; vt euidenter patet in iuſtititia originali, quã nullus negat eſſe naturalem perfectionem naturæ humanæ: ſicut etiam negari non poteſt, Deum, eam gratis & liberaliter Adamo conceſsiſſe, cum eam potuerit non concedere, vt ſupponimus; & tamen eam conceſsit, vt author naturæ, cum pertineret ad bonum homini naturale; nempe ad ordinationem potentiarum inferiorum cum recta ratione, & ad ſubiectionem rationis ad Deum homini naturaliter debitam naturalitate morali, vt ait Diuus Thomas 1. 2. *quæſt. 85. art. 1.* Quare formam eſſe à ſolo Deo producibilem, & ab eodem gratis donatam, non tollit, quominus illa ſit à Deo, vt auctore naturæ. Quare, ſola illa à Deo, vt auctore naturæ non producuntur, quæ ad ordinẽ gratiæ, & gloriæ pertinent: ſed de hoc latiùs agere, non eſt huius loci.

8. Implicatio in doctrina

D. Thom.

§. 3.

Soluitur argumentum in oppoſitum, & explicantur quædam dubia.

9. FVndamentum partis oppoſitæ ex noſtro primo fundamento ſatis ſolutum manet: falſum eſt enim, notitiam abſtractiuam, ad quam eliciendam ponitur iſta ſpecies, eſſe naturalem ſecundum ſubſtantiam, vt dictum eſt in §. 2.

Suppo-

'10. Vtrum illa ſpecies poſſit actiuè influere in viſionem? Opinio Ouandi.

Suppoſita noſtra ſententia, nonnulla ſunt explicanda: primum eſt, vtrum hæc ſpecies poſsit eſſe principium actiuè influens in viſionem beatam? affirmat Ouand. in 4. diſt. 49. propoſitione. 10. fol. 115. pag. 2. vbi docet, quod talis ſpecies ex obiectu diuinæ eſſentiæ poſſet fieri principium viſionis beatæ: & ſubinde, quòd eſſet eiuſdem rationis cum ſpecie, quam de facto in beatis ponimus. ¶ Sed hæc ſententia apud Scotum defendi non poteſt, vt oſtendimus ſuprà q. 3. artic. 1: etenim hæc ſpecies apud Scotum eſt ſecundum ſubſtantiam naturalis. Ergo nō poteſt eſſe eiuſdem rationis cum ſpecie, quam ponimus; nec etiam poteſt actiuè influere in viſionem: vtrūq; enim eſt ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam.

Non placet.

11. In quo ſenſu Ouandus poſsit defendi.

Poſſet hæc ſententia habere apparentiam, ſi ſpecies illa foret ſubſtantialiter ſupernaturalis: ceſſarent enim duo illata abſurda. Et poſſet corroborari, ſi ſpecies abſtractiua, & intuitiua de eodem obiecto ſolùm different accidentaliter. Quæ fuit opinio eorum, qui volunt ſpeciem intuitiuam poſſe fieri abſtractiuam, ſi tollatur præſentia obiecti, & abſtractiuam fieri intuitiuam, ſi obiectum fiat præſens. Poſſet igitur hæc ſpecies obiectu diuinæ eſſentiæ fieri intuitiua, & influere in viſionem. Sed fundamentum eſt falſum: quia ſpecies ex ſua natura abſtractiua eſſentialiter differt ab intuitiua, & ſic ſpecies iſta nunquam fieret intuitiua.

12. 2. dubium.

Inquiri etiam poteſt; vtrùm ad vſum huius ſpeciei requireretur aliquod ſupernaturale lumen? Sed de hac quæſtione dicemus in libro ſequente.

13. 3. dubium.

Tertiò poteſt quis inquirere; vtrùm beatus videns diuinam eſſentiam poſsit formare ſpeciem, quæ eandem abſtractiuè repræſentet? Affirmat Ouandus *vbi ſuprà fol.* 110. *pagina.* 1. *&* 2. fauet Capreol. *in* 2. *diſtin.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. *Scoti contra ſecundam, fol.* 223. *col.* 4. *Vide Baſſolium in* 2. *diſt.* 2. *q.* 3. *art.* 1. § *Secundo dico, pag.* 37. *col.* 1. Sed de hoc dicimus lib. 11.

Ouand. Capreol. Baſſolius.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Deus de facto alicui hanc ſpeciem conceſſerit?

1. Opin. quod fuerit conceſſa Angelis.

QVAESTIO eſt aliquo modo controuerſa. Affirmant nonnulli, qui volunt hanc ſpeciem de facto Angelis in ſua creatione fuiſſe conceſſam: deinde Adamo in ſtatu innocētiæ: tandem Paulo poſt raptum.

Scotus. Lychetus. Flauius. Ouandus. Nyſſe. Rada. Baſſolius.

Quod fuerit conceſſa Angelis, affirmat Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 9. *D. §. Hac diſtinctione præmiſſa, & H. §. Dico igitur, & ibidem Lychetus, Orbellis q.* 3. *Flauius q.* 9. 10. *& vltima, Ouand. propoſitione.* 8. *Nyſſe tract.* 2. *part.* 2. *portione* 1. *q.* 2. *fol.* 136. *Rada* 2. *p. controu.* 8. *concl.* 7. *&* 8. *pag.* 240. *&* 241: *non omnino renuit Baſſolius in* 2. *diſt.* 3. *q.* 3. *art.* 2. §. 3. *Dico, fol.* 37. *col.* 1. *probabile putat Maior ibidem q.* 2. *concl.* 5.

2. Contraria ſententia vera.

Thomiſtæ. Molina. Bellom. Angles.

Oppoſita ſententia inter Theologos eſt cōmunior: probant Thomiſtæ 1. *p. q.* 56. *art.* 3. *Molina ibidem concl.* 3. *Bellomon.* 1. *part. diſp.* 206. *c.* 1. *Ex Scotiſtis Ioſephus Angles in* 2. *diſt.* 3. *q.* 4. *difficult.* 8. *concl.* 1: quorum ſententiam diximus eſſe veriſſimam in materia de Angelis, & ob id à longiori diſputatione ſuperſedemus.

3. Vtrum illa ſpecies fuerit conceſſa Adamo? & Paulo?

Vtrùm Adamo fuerit conceſſa? Etiam eſt controuerſum; plerique affirmant, alij negant. Et eadem eſt controuerſia de Paulo poſt raptum. Quòd attinet ad Paulum; de hoc dicemus lib. 12. vbi negantem ſententiam amplectemur. Et ibidem fortè dicemus de Adamo; cui etiam negabimus conceſſam fuiſſe cognitionem quidditatiuam intuitiuam, aut abſtractiuam diuinæ eſſentiæ: interim vide Doctores in *Prologo Sentent. &* 1. *p. q.* 94. *art.* 1. *Durandum in q.* 3. *Prolog. Capreol. in* 1. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *contra ſextam, Bellomon.* 1. *p. diſp.* 134.

Negatiua placet.

Doctores in Prolog. Sentent. Durand. Capreol. Bellom.

4.

Hæc diximus de toto tractatu de neceſsitate ſpecierum intelligibilium ad videndum Deum. Et ſic finitur liber octauus.

Finis Libri octaui.

***

INDEX QVÆSTIONVM
Huius Libri noni.

¶ Præfatio ad totum librum.

QVAESTIO I.

¶ Vtrùm in omni intellectione ad intelligendum ſimpliciter ſit neceſſarium aliquod lumen?

Articulus vnicus, De eadem quæſtione.

QVAESTIO II.

¶ De neceſſitate luminis ad quæcunque obiecta non beatifica.

Articulus. I. Vtrùm in nobis detur naturale lumen ad obiecta non beatifica? Quid ſit? & quæ eius munera?

§. 1. Dari in nobis naturale lumen.

§. 2. Quidnam ſit hoc naturale lumen?

§. 3. Vnicum tantum lumen naturale intellectus agentis eſſe admittendum, & quæ ſint eius munera?

§. 4. Soluuntur argumenta aduerſariorum.

Articulus. 2. Vtrùm in Angelis admittendum ſit lumen naturale? Quid ſit? & ad quid ponatur?

§. 1. In Angelis dari lumen naturale.

§. 2. Quid in illis ſit hoc lumen?

§. 3. De muneribus huius luminis.

Articulus. 3. Vtrùm in Chriſto Domino præter lumen intellectus agentis detur aliud lumen, per quod cognoſcat ea, quæ per ſcientiam infuſam cognoſcit?

§. 1. In Chriſto datur lumen, quo cognoſcit, quæ pertinent ad ſcientiam infuſam.

§. 2. Vtrum hoc lumen ſit per ſe infuſum?

§. 3. Hoc lumen in Chriſto eſt vnum,

§. 4. Hoc lumen eſt ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam.

§. 5. Hoc lumen diſtinguitur à lumine gloriæ.

§. 6. Ponuntur nonnullæ propoſitiones de hoc lumine.

§. 7. Quæ ſint huius luminis officia?

Articulus. 4. Vtrùm in Adamo fuerit lumen infuſum ad ea, quæ per ſpecies infuſas cognoſcebat?

Articulus. 5: Vtrùm in animabus ſeparatis detur aliquod lumen per ſe infuſum?

Articulus. 6. Vtrùm in viatoribus hominibus, & Angelis detur lumen fidei? Et ad quid detur?

Articulus. 7. Vtrùm in beatis detur ſpeciale lumen ad ea, quæ cognitione veſpertina cognoſcuntur?

Articulus. 8. & vltimus: Vtrùm, ſi in intellectu daretur ſpecies abſtractiua diuinæ quidditatis, ſimul etiam daretur aliquod lumen ad Deum abſtractiuè cognoſcendum?

QVAESTIO III.

¶ Quid per lumen gloriæ in hac diſputatione intelligendum ſit?

Articulus vnicus. De eadem quæſtione.

§. 1. Referuntur variæ luminis gloriæ acceptiones, & opiniones.

§. 2. Reſolutio pro quarta ſententia.

§. 3. Tertiam ſententiam eſſe reijciendam.

§. 4. Secunda ſententia non eſt probanda.

§. 5. Tertia ſententia non recipitur.

QVAE-

QVÆSTIO IIII.

¶ De neceſsitate luminis gloriæ.

Articulus 1. Vtrùm lumen gloriæ de facto detur in beatis ad videndum Deum?
§. 1. Referuntur authores partis negantis.
§. 2. Fundamenta negantis ſententiæ.
§. 3. Affirmatiua eſt tenenda.
§. 4. Reſolutio quæſtionis.
§. 5. Soluuntur, quæ in contrarium obijci poſſunt.
Articulus 2. Vtrùm ſit de Fide dari in beatis lumen gloriæ?
§. 1. Referũtur variæ ſententiæ.
§. 2. Vera reſolutio.

QVÆSTIO V.

¶ De muneribus lumine gloriæ.

Articulus primus. Vtrùm lumen gloriæ ſolùm admittendum ſit, vt ornamentum, & decor intellectus?
Articulus ſecundus, Vtrùm neceſſarium ſit hoc lumen, vt intellectus actiue inſluat in viſionem?
§. 1. Refertur pars negans.
§. 2. Opinio affirmans eſt vera.
§. 3. Soluuntur argumenta partis negantis.
Articulus tertius, Vtrùm neceſſarium ſit ad vnionem formalem diuinæ eſſentiæ cum intellectu per receptionem formæ intelligibilis?
§. 1. Præmittuntur nonnulla pro explicatione tituli.
§. 2. Refertur opinio negans cum ſuis argumentis.
§. 3. Sententia affirmans approbatur.
§. 4. Eadem confirmatur.
§. 5. Adducuntur alia argumenta.
§. 6. Soluuntur argumenta partis negantis.
Articulus quartus: Vtrùm neceſſarium ſit ad vnionem obiectiuam eſſentiæ cum intellectu?
§. 1. Explicatur titulus quæſtionis.
§. 2. Opinio negans cum argumentis.
§. 3. Opinio affirmans eſt tenenda.
§. 4. Soluuntur argumenta partis negantis.
Articulus quintus: Quomodo lumen gloriæ intellectum illuminet ad duo explicata munera?
Articulus 6. Vtrùm lumen gloriæ conſtituat intellectum in actu primo ad videndum?
§. 1. Pars affirmans.
§. 2. Negatiua eſt aſſerenda.
§. 3. Reſponſio ad argumenta in contrarium.
Articulus 7. Vtrùm lumen gloriæ actiuè concurrat ad viſionem? Et quomodo concurrat, tum cum intellectu; tum cum diuina eſſentia?
Articulus octauus: Vtrùm lumen gloriæ ſit neceſſarium, tanquam medium videndi ſub quo?
§. 1. Refertur opinio quæ diſtinguit.
§. 2. Præmiſsis nonnullis reſoluitur quæſtio.
§. 3. Soluuntur argumenta in oppoſitum.
Articulus 9. Vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit, vt intellectus recipiat viſionem à ſe productã?
§. 1. Referuntur variæ opiniones.
§. 2. Affirmans ſententia variè explicatur.
§. 3. Reſolutio quæſtionis.
§. 4. Prima Concluſio defenditur ab impugnatione argumentorum.
§. 5. Defenditur ſecunda concluſio ab aduerſarijs.
§. 6. Agitur de alijs concluſionibus poſitis in 3. §.
Articulus 10. Quænam beatis appareant ſub lumine gloriæ?
Articulus 11. Quo ordine lumen gloriæ ſua munera exerceat?
Articulus 12. Vtrùm lumen gloriæ ſit ſuperfluum ſi ponatur aut diuina eſſentia loco ſpeciei, aut ſpecies creata.

QVAESTIO. VI.

¶ De neceſsitate luminis gloriæ in ordine ad potentiam abſolutam Dei,

Articulus vnicus: Vtrùm lumen gloriæ de potentia Dei abſoluta ſit neceſſarium ad videndum Deum?

§. 1. Refertur opinio ſimpliciter affirmans.

§. 2. Refertur opinio negans.

§. 3. Præmiſsis nonnullis reſoluitur quæſtio pro parte affirmante.

§. 4. Argumenta adducta pro parte aſſirmante non conuincunt negantem.

§. 5. Ponitur verum fundamentum partis affirmantio.

§. 6. Soluuntur argumenta partis negantis.

QVAESTIO VII.

¶ De neceſsitate luminis gloriæ, ſi intellectus ſolùm paſsiue concurrat ad viſionem.

Articulus primus: Vtrùm neceſsitas luminis glriæ locum haberet, ſi intellectus ad viſionem concurreret ſolùm paſsiuè?

§. 1. Opinio negans.

§. 2. Opinio affirmans.

§. 3. Reſolntio quæſtionis.

§. 4. Adducuntur, & ſoluuntur argumenta partis negantis.

Articulus ſecundus: Quænam ſint munera luminis gloriæ ſuppoſita præcitata opinione?

Articulus 3. Vtrùm facta eadem ſuppoſitione lumen foret neceſſarium de potentia Dei abſoluta?

§. 1. Opinio negans.

§. 2. Vera eſt opinio affirmans.

§. 3. Soluuntur argumenta in oppoſitum.

QVAESTIO VIII.

¶ De natura, & entitate luminis gloriæ?

Articulus primus: Vtrùm lumen ſit idem, quod ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ? An aliquid ab ea diſtinctum?

§. 1. Refertur prima opinio Bellomontani, quod realiter ſit idem.

§. 2. Ponitur ſecunda opinio Lorcæ, quod ſola ratione ab ſpecie diſtinguatur.

§. 3. Explicatur vera ſententia.

§. 4. Confirmatur concluſio poſita.

§. 5. Soluuntur argumenta primæ, & ſecundæ opinionis.

Articulus ſecundus: Vtrùm lumen realiter ſit ipſa viſio beata?

Articulus tertius: An ſit ipſa gratia gratum faciens?

Articulus quartus: An ſit aliquid infinitum?

Articulus quintus, & vltimus: In quenam genere, & ſpecie ponatur lumen gloriæ?

QVAESTIO NONA, ET VLTIMA.

¶ De neceſsitate lnminis gloriæ ad cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis

Aarticulus vnicus: Vtrùm lumen gloriæ foret neceſſarium ad cognitionem abſtractiuam, quidditatiuam tamen, diuinæ eſſenitæ?

FINIS.

LIBER

LIBER NONVS.

DE NECESSITATE LVMINIS GLORIAE.

Præfatio in totum Librum.

IN Lib. 7. egimus de neceſsitate ſupernaturalis cõcurſus, vt intellectus creatus poſsit diuinam eſſentiam videre: & quæſt. 6. eiuſdem libri oſtendimus Theologos duplicem concurſum antecedentem ipſam viſionem conſtituere: ſc. ſpeciem, formamque intelligibilem, & lumen glorię. De priori egimus in toto libro 8. præcedente maximè in ſecunda illius parte; vbi oſtendimus neceſſariam eſſe aliquam ſpeciem creatam, quæ ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ſupernaturalis: ſupereſt, vt in hoc libro nono dicamus de lumine gloriæ.

De hoc lumine, plura ſunt inquirẽda. Primo generaliter inquiremus; An omni intellectui ſimpliciter ſit neceſſarium aliquod lumen ad intelligendum.

Deinde deſcendendum erit ad ſingulos intellectus creatos; humanum, ſc. & Angelicum in ordine ad obiecta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia non beatifica.

Tertio loco agemus de neceſsitate luminis glorię, vt intellectus creatus videat Deum: & explicabimus cæteras quæſtiones, quæ de lumine gloriæ à Theologis excitantur.

Vltimô agemus de lumine gloriæ in ordine ad cognitionem abſtractiuam diuinæ quidditatis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in intellectu ad intelligendum ſimpliciter ſit neceſſarium aliquod lumen?

QVæſtio poſita nullam habet difficultatem, ſi in ſua generalitate ſumatur: conſtat enim inter omnes, nihil ab aliquo intelligi poſſe ſine lumine: ſicut etiam nihil poteſt corporaliter videri ſine lumine corporali. Hanc veritatem multis in locis ſcribit D. Thomas: nam de *Veritate q. 9. artic. 1. ad 2. ita ait: omne, quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoſcitur, & 1. p. q. 12. art. 11. ad 3. & de potentia q. 5. artic. 1. ad 18. docet, omnem cognitionem diriuari à lumine increato, & 1. p. q. 84. art. 5. & de ſpiritualibus creaturis art. 10. ad 8. affirmat animam humanam omnia cognoſcere in rationibus æternis,* denique eandem veritatẽ ſupponit tanquam notiſsimam *de Veritate q. 18. art. 1. ad primũ,* dum oſtendit, in omni viſione, tàm corporea, quàm intellectuali, dari lumen, ſub quo res cognoſcitur. Ex quibus concludit Capreol. omnia cognoſci, & iudicari per participationem diuini luminis, vt patet *in 2. diſt. 3. q. 2. ad 3. Durandi contra octauam, fol. 106. columna ſecunda, §. Item in libro de vera religione.*

1. Vtrum lumen ſit neceſſariũ ad intelligendum.

Nihil poteſt intelligi ſine lumine. *D. Thom.*

Capreolus.

Probatur eadem veritas ex Auguſtino (vt plures referunt) 12. *de Ciuitate Dei, cap. vltimo, vbi ait: nihil videri poteſt, niſi in luce intelligibili. Et lib. 1. Soliloquiorum cap. 8. in principio ait, diſciplinarum ſpecimina videri non poſſe, niſi aliqualiter de ſuo ſole, nempe Deo, illuſtrentur. Et lib. 12. Confeſſionum ita inquit: Ambo videmus verum eſſe, quod dicis: & ambo videmus verum eſſe quod dico. Vbi quæſo videmus? nec ego in te; nec tu in me; ſed ambo in ipſa luce, quæ ſuprà mentem eſt, incõmunicabilis veritatis,* participata tamen à nobis.

2. Probatur ex Auguſt.

Indu-

3. **Probatur inductiue.** Inductione etiam patet: quia Deus, cũ eſſentialiter ſit ipſa lux, omnia cognoſcit in ſua increata luce: nos autem, & Angelos omnia naturalia cognoſcere naturali lumine nobis indito, ſupernaturalia verò lumine infuſo, ſtatim oſtendemus. Chriſtum Dominum lumine naturali, & infuſo omnia, & naturalia, & ſupernaturalia cognoſcere, monſtrabimus in ſequente quæſtione: Vbi etiam idẽ dicemus, tàm de beatis quoad cognitionem veſpertinã; quàm de intellectu, cui Deus infunderet ſpeciem, quæ quidditatiuè, ábſtractiuè tamen diuinam eſſentiam repræſentaret.

4. ***Colligitur ex Pſal. 6.*** Nonnulli eandem veritatem colligunt ex Pſalmo 4. *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba ab aliquibus explicantur de lumine fauoris, protectionis, & beneuolentiæ, quæ in vultu apparere ſolet: ita Caietanus, & Ianſenius in eodem loco, & fuit explicatio Euthymij in Gloſſa ordinaria. Foret hæc explicatio probabilis poſita verſione Caietani; in qua ita legitur: *leua ſuper nos lumen vultus tui Domine*: peteret enim Dauid oſtendi ſibi hanc beneuolentiam in vultu Domini. Sed non eſt accõmodata verſioni vulgatæ, quæ eſt amplectenda: cuius verba denotant lumen, non quod ineſt in vultu Dei protegentis; ſed quod à vultu Dei eſt nobis conſignatũ, & impreſſum.

5. ***Explicatio verborum Pſalm. 4.*** Quare verba illa accommodatius explicantur de lumine nobis impreſſo; vel ſupernaturaliter ad ſupernaturalia; vel naturaliter ad ea, quæ naturaliter cognoſci valent. Vnde quam plurimi ex patribus illa intelligunt de lumine gratiæ, vt Origenes, Didymus, & Auguſtinus relati in Gloſſa ordinaria. Alij eadem interpretantur de lumine naturali rationis, quos referemus q. 2. art. 1. Quare puto illa explicanda eſſe de lumine creato abſtrahendo à naturali, & ſupernaturali, excepto tamen lumine gloriæ, de quo non ſatis accommodatè ad inſtitutum factæ interrogationis explicari poſſunt. Etenim verba illa *ſignatum eſt ſuper nos*; continent reſponſionem ad quæſtionem factam in illis verbis: *multi dicunt, quis oſtendet nobis bona*? quam proponunt ijs, quibus ſupra dictum eſt: *Filij hominum, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Et quibus etiam dicitur: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Hi autem per modum deſperantium (quæ eſt communior, & verior expoſitio) reſpondentes, inquirunt: *quis oſtendet nobis bona*? quæ à Dño ſperare iubemur: his inquã dicitur, hæc bona nobis innoteſcere lumine vultus Domini, nobis adhoc conſignato, & impreſſo, vt vera bona intelligamus. Cũ autem in illis verbis; *Sacrificate, & ſperate* nõ ſolùm ſit ſermo de bonis naturalibus, ſed etiam de ſpiritualibus, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, accommodatè ſatis intelliguntur præcedentia verba de lumine, tùm naturæ, tùm gratiæ; non verò gloriæ.

Alij eandem veritatem deducunt ex Pſalmo 35. *In lumine tuo videbimus lumẽ.* Sed cum hæc verba accommodatius intelligantur de ſolo lumine gloriȩ, quȩ eſt communior explicatio: vel etiam de lumine Fidei, vt patet ex Ianſenio ibi, non videntur accommodata ad noſtram reſolutionem. 6. ***Ex Pſalm. 35.***

Adduci poteſt locus Ioannis primo: *Erat lux vera, quæ illuminatiomnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed etiã iſta verba intelliguntur de lumine Fidei, quod omnibus hominibus datur à Chriſto; vel omnibus quantum eſt ex ſe, quia paratus eſt omnibus dare, vt explicat Chryſoſtomus; vel omnibus, qui illuminãtur, vt vult Auguſtinus, de quo Toletus ibi annotatione 29. Quare ſatis ſint ad generalem concluſionem, quæ adduximus. 7. ***Ex cap. 1. Ioann.***

QVÆSTIO II.

De neceſsitate luminis ad quæcumque obiecta non beatifica.

GEneralis concluſio in præcedente quæſtione propoſita efficatius confirmabitur, ſi ad ſingnla obiecta cognoſcenda deſcẽdamus. Et quia principaliter intendimus diſputare de neceſsitate luminis gloriæ ad videndum obiectum beatificum; operæpretiũ erit, prius oſtendere neceſsitatem luminis ad alia obiecta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, & agere de qualitate illius atq; muneribus. De quo diſputabimus in hac 2. quȩſtione.

In ea ſequentes excitabimus articulos. Primus erit; vtrùm in hominibus detur naturale lumen ad obiecta naturalia? quidnam illud ſit? & quæ ſint illius munera?

Secundus; vtrùm in Angelis reperiatur naturale lumen ad cognoſcendum? quid ſit? & ad quid ponatur?

Tertius; vtrùm in Chriſto Domino præter lumen intellectus agentis detur aliud infuſum ad ea, quæ per ſcientiam infuſam cognoſcit?

Quartus; vtrùm in Adamo fuerit tale lumen ad ea, quæ cognoſcebat per ſpecies infuſas?

Quintus; vtrùm idem lumen detur in animabus ſeparatis præter lumen intellectus agentis?

Sextus; vtrùm in viatoribus hominibus, & Angelis detur lumen ſupernaturale fidei ad ea, quæ ſunt à Deo reuelata? Et quid ſit?

Septimus; vtrùm in beatis detur ſpeciale lumen ad ea, quæ cognitione veſpertina cognoſcunt?

Octauus, & vltimus; vtrùm, ſi intellectui creato daretur ſpecies abſtractiua diuinæ quidditatis, eidem daretur aliquod lumen ſpeciale ad cognoſcendum Deum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in nobis detur naturale lumen ad obiecta naturalia? quid ſit? Et quæ eius munera?

§. I.

Dari in nobis naturale lumen.

1. Dari in nobis lumen naturale. QVòd in noſtro intellectu detur lumen quoddam naturale ad intelligenda, quæ naturaliter poſſunt intelligi, eſt veritas apud omnes indubitata. Eam docuit Ariſtoteles 3. de Anima cap. 5. tex. 18. dum aſſerit, *intellectum agentem eſſe quoddam lumen.* Ex quo loco omnes Philoſophi idem docent. In animabus noſtris dari ſolem quendam aſſeruit Themiſtius in 3. de Anima, relatus a Diuo Thoma 1. p. q. 79. articulo 5. in fine.

2. Colligitur ex Pſal. 4. Dari in nobis tale lumen ferè omnes colligunt ex Pſalmo 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba ab Scholaſticis, & interpretibus ſacræ Scripturæ intelliguntur de lumine naturali nobis naturaliter inſito, vt patet ex DiuoThoma 1. *p.* q. 79. art. 4. *in fine, & q.* 84. *art.* 5. *&* 1. 2. q. 19. art. 4. *& q.* 91. *art.* 2. *ad primũ, & de veritate q.* 16. *art.* 3. *ex ſacris interpretibus ita Lyra, Hugo Cardinalis, Thomas Iorgus Card. & Gloſſa ordinaria ex Hugone de S. Victore; adde Diuum Thomã in eodem Pſalmo in expoſitione Pſalmorum primi nocturni.* D. Thom. Alii interpretes Sacræ ſcripturæ.

3. De eodem naturali lumine plerique ex patibus intelligunt illa verba Ioannis 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* inter quos eſt Cyrillus li. 1. in Ioannem cap. 9. ex interpretibus eiuſdem loci probat Caietan. ibidem cum nonnullis ex iunioribus; non reſpuit Ianſenius, ſatis probat Diuus Thomas ibidem lectione 5. & hęc ſatis ſint pro confirmanda veritate omnibus indubitata: cum enim nihil intelligi valeat ſine lumine, vt in præcedẽte quęſtione oſtendimus; & multa naturaliter intelligamus, vt patet; non potuit nõ infundi nobis naturale lumen ad ea intelligenda. Ioan. 1. Cyrillus. Caietan. Ianſenius. D. Thom.

§. 2.

Quidnam ſit hoc lumen naturale?

4. Quid ſit lumen naturale in nobis. Ariſtotel. HOc lumẽ in nobis eſſe lumẽ intellectus agentis communis eſt omnium explicatio: quæ ſatis ſumitur ex Ariſtotele in dicto cap. 5. tex. 18. vbi ita ſcribit: *Quidam eſt intellectus talis, vt omnia fiat; quidam, vt omnia agat, atque efficiat: qui quidem vt habitus eſt quidam, & perinde ac lumen.* Ex quibus verbis patet hoc naturale lumen eſſe lumen intellectus, quem agentem appellamus; ſiue ille ſit potentia animæ, vt communiter dicitur; ſiue ſolùm lumen habituale, vt aliqui volunt.

5. An præter lumen intellectus agentis detur aliud lumen. In hac Philoſophia ſupponimus, vnũ tantum dari in nobis lumen naturale intellectus agentis; de quo aliqui dubitant. Sunt, qui præter lumen intellectus agentis; (quod nullus negat) agnoſcũt aliud in intellectu poſſibili; ipſam .ſc. vim natiuam intelligendi, quæ in poſſibili datur: hanc enim natiuam vim appellant lumen intellectuale. Hanc opinionẽ vnico verbo tetigit Curſ. Conimb. 3. *de Anima* Conimbr.

ma cap.5.q.1.art.3.ad ſecundum, vbi affirmat ipſam intellectus poſsibilis vim ad intelligendum ex ſua natura eſſe quoddam lumen ſpirituale; *& cap.8.q.1.art.3.ad quartum, pag.372. in principio*: hoc lumẽ non diſtinguit ab ipſa vi intelligendi. Co-
Bellomon. nimbricenſes, illis tamen non relatis, ſequutus eſt Bellomont. 3.*p.diſp.54.cap.3. in principio, & Cabrera 3.p.1.tom.q.9.artic. 2.diſp.6.num.19.& 20.*

6. Probatio ſecunda. Hæc opinio à Conimbricenſibus ex eo probatur, quia vis illa diriuatur ex fonte lucis æternæ: Bellomont. autem ex eo illã probat; quia intellectio eſt quædã manifeſtatio, & ſubinde illuminatio quædam ipſius obiecti, quod manifeſtatur. Igitur ipſa vis natiua erit quoddam natiuum lumen diſtinctum à lumine intellectus agentis, & illo perfectius; lumen enim intellectus agentis manifeſtat obiectum ſolùm in actu primo; at verò lumen poſsibilis illud manifeſtat in actu ſecundo, qui longè eſt præſtantior, quàm primus.

7. Tertia. Tertiò confirmari poteſt; quoniam intellectui agenti hæc tantum officia ab Ariſtotele, & peripateticis tribuũtur; illuminare phantaſmata: elicere ſpecies ab illo, & eas ponere in intellectu poſsibili: conſtituere intellectum in actu primo: denique facere, vt obiectum ſit actu intelligibile; nec aliud officium ab Ariſtotele illi tribuitur, de quo Conimbricenſes 3.*de Anima cap.5.q.2.artic.1.in prin.* Ergo præter lumen intellectus agentis, eſt ponendum aliud lumen ad intelligẽdum ipſa obiecta, & prima principia: nec enim intellectus poſsibilis hæc intelligere poteſt ſine lumine; cum tamen ea non intelligat lumine intellectus agentis. Non dabitur autem aliud lumen, niſi ipſa vis natiua poſsibilis intellectus ad intelligendum; etenim (vt ait Bellomontanus.) Friuola eſt opinio, quæ aſſerit obiecta intelligibilia, & principia illuſtrari lumine intellectus agentis; aut illud lumen immediatè concurrere ad intellectionẽ, ſed ſolùm mediatè.

8. Quarta D.Thom. Confirmatur hæc ratio: quoniam, ſi intellectus agens faceret euidentiam primorum principiorum, eſſet habitus illorum: quod negat Diuus Thomas *2.contra gentes cap.78. in tertia ratione.*

9. Poſtremò confirmatur ex Diuo Thoma 1.*p.q.12.artic.2. in corpore*, vbi ita ait: vnde & virtus intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur, quaſi à prima luce diriuatum; ſiue hoc intelligatur de virtute naturali, ſiue de aliqua perfectione ſuperaddita gratiæ, & gloriæ. In eandem ſententiam quidam referunt eũdem de veritate q.9.art.1. & Capreol. in 4.diſt.49.q.4.art.3. ad argumenta Aureol. 3.loco contra ſecundam. Poſtrema ratio. D.Thom. Capreolus.

§. 3.

Vnicum tantum lumen naturale intellectus à gentis eſſe admittendum: & quæ ſint illius officia?

Hæc opinio minimè eſt admittenda: ſi enim de lumine propriè loquendum ſit, vnicum tantũ in nobis datur lumen ad res naturales intelligẽdas, quod ipſum eſt lumen intellectus agentis. dixi: *Si propriè loquendum ſit de lumine*, quoniam ſi de eo generaliter loquamur, non ſolùm intellectus agens, ſed etiam ſpecies ipſæ, principia, tâm prima, quàm ſecunda, & denique omnia, quę ad intellectionem, vt principia concurrunt, poſſunt dici lumina, quatenùs ſunt aliquo modo alterius manifeſtatiua, vt docet Capreol. *vbi ſuprà ad 3. Aureoli fol. 208.col.3.§.dicitur tertio.* At verò, ſi propriè loquendum eſt, illud ſolùm in intellectu poteſt, & debet dici lumen, quod eſt medium quo ſiue ſub quo ipſum intelligibile actu illuſtratur, vt intelligibiliter appareat: etenim lumen intellectuale dicitur lumen ad ſimilitudinem luminis corporalis, vt aſſerit D. Thomas de Veritate q.9.art.1. lumen autem corporale eſt forma, qua perſpicuum fit formaliter perſpicuum, & apparens, ex Ariſtotele *2.de Anima cap.7.text.69.* iuxta communem interpretationem. Quare lumẽ naturale noſtri intellectus eſt id quo, & ſub quo intelligibile apparet. In hac autẽ ſignificatione non datur aliud lumẽ in noſtro intellectu, niſi intellectus agentis. nec ad res naturales intelligendas aliud lumen requiritur. Quæ fuit opinio Aureoli apud Capreol. *vbi ſuprà col.1.in primo, & 3.argum.* vbi expreſſè negat intellectum poſsibilem verè, & propriè poſſe dici lumen, ſed ſolùm agentem. Cum eo conſentit Capreol. ibidem col. 4. in fine con-

10. Vnicum tãtum lumen eſt admittẽdum.

Capreol.

In intellectu quid nã proprie dicatur lumen.

Ariſtot.

concludens, nullo modo admtti poſſe, intellectum poſsibilem eſſentialiter eſſe lucem, ſed ſolùm agentem: Docet etiam ibidem omne lumen naturale intellectus eſſe ex parte intellectus agentis. Denique Diuus Thomas *in* 3. *diſtinctione* 34. *quæſtione* 1. *articulo* 3. *quæſtiuncula ſecunda* ipſam potentiam intellectus natiuam diſtinguit â lumine.

D. Thom.

11. Fundamentū opinionis. Fundamentum noſtræ huius opinionis eſt; quia intellectus agens ſuo lumine non ſolum concurrit ad illuſtrationem phantaſmatum, & generationem ſpecierum, in quibus obiecta intelligibilia in potentia, fiũt actu intelligibilia; ſed etiam ad faciendam euidentiam cognitorum, vt intelligibiliter actu appareant, & intellectum moueant: quæ eſt doctiſsimorum ſententia, quàm tanquam veriſsimã probauimus, dum olim annis vltra quadraginta quinque libros de Anima auditoribus interpretaremur: vbi vltra duo explicata intellectus agentis munera hoc tãquam principale enumerauimus, quod eſt illuſtrare obiecta intelligibilia, vt in ipſa ſpecie appareant in eſſe actualis obiecti, quo & poſsibilem intellectum obiectiue moueant, vt ab eo actualiter apprehendi valeant; denique, vt faciat euidentiam primorum principiorum.

12. *Nota* *Bellom.* Et mira eſt Bellomontan. audacia, dum opinionem iſtam friuolam appellat, quam & doctrina Diui Thomæ efficaciter cõfirmat, & viri doctiſsimi vt Ariſtotelicam tradunt. Eam ex Ariſtotele adducit Caietan. 3. parte, quæſt. 11. art. 6. §. *In reſponſione ad tertium ita ſcribens: nota, quod ſicut Ariſtoteles poſuit ad intellectionem noſtram concurrere tria: ſcilicet obiectum in ſua ſpecie intelligibili, & intellectũ poſsibilem elicientem intellectionem: & lumen intellectus agentis, quo clarent immediatè principia, & illis mediantibus reliqua (cõcurrere enim intellectum agentem non ſolùm ad generationem ſpecierum intelligibilium, ſed etiam ad faciendam euidentiam cognitorum, eo patet; quod ipſe, vt inquit Aueroes in Proemio de Anima; eſt cauſa primarum propoſitionum, proculdubio quoad euidentiam: & ex conſequenti reliquarum mediantibus illis primis) ita proportionabiliter author. &c.* Ex quibus verbis patet, doctiſſimum Caietanum affirmare doctrinam in noſtro fundamento poſitam, & Ariſtotelicam eſſe, & conſentaneam Philoſophiæ Commentatoris: Ariſtotelicã quidem; quia Ariſtoteles *in tertio de Anima capite quinto text.* 18. nullum aliud lumen in noſtro intellectu admiſit, niſi intellectus agentis, quo intelligibilia in potentia fiant actu intelligibilia; non in habitu tantum, abſtrahendo ſpecies, in quibus habitu repræſentantur, & apparent; ſed etiam in actu; dum illuſtrando ea facit, vt actu obiectiuè moueant intellectũ ſpeciebus informatum: nam vtrumque facit lumen ſenſibile.

Caiet.

Caetan.

Ariſto.

13. Comment. Conſentaneum autem doctrinæ Cõmentatoris: quia in Proemio de Anima ait *lumen intellectus agentis eſſe cauſam primarum propoſitionum*, quas prima principia appellamus; non quidem quoad habitudinem extremorum; quia hanc naturaliter habent, etiam antequam illuminẽtur; ſed vt talis illa habitudo intelligibiliter apparendo fiat euidens, vt doctiſſimè interpretatur Caietanus. Vnde idẽ Comentator *lib.* 3. *de Anima* (quem refert, & probat Diuus Thomas *de veritate quæſt.* 9. *art.* 1. *ad ſecundum*) expreſſè docet, prima principia eſſe quædam inſtrumenta intellectus agentis, quatenùs, dum participant lumen illius, in virtute eius confortant virtutem intellectiuam poſsibilis, vt illa percipiat: ob quam rationem ratio naturalis ex eodem Commentatore dicitur vigere lumine intellectus agentis. Quod etiam ex eodem Commentatore refert idem Diuus Thomas ibidem *quæſtione* 10. *art.* 13. *poſt principium, & quæſtione* 11. *articulo tertio, & quæſtione* 12. *tertio articulo*. Quare non ſolùs Commentator, ſed etiam Diuus Thomas in ea ſunt ſententia, vt prima principia ab intellectu poſsibili videantur ſub lumine intellectus agentis. Quam doctrinam pluribus in locis docuit Diuus Thomas, & ſatis eam expreſsit ſecunda, ſecundæ, quæſtione octaua, articulo primo ad primum inquiens, *quod per lumen naturale nobis inditum, ſtatim cognoſcuntur, quædam principia communia, quæ ſunt naturaliter nota.* Et ad 2. ait *eodem lumine cognoſci, quæ primordialiter cognoſcuntur.*

D. Thom.

D. Thom.

D. Thom.

14. Et ne recurras ad lumen intellectus poſsibilis, quod Bellom. fingit, vide, quæ idẽ D. Thomas docet de ſpiritualib⁹ creaturis art. 10. in 9. arg. & eius ſolutione: ex

ex eo enim habes prima principia, tâm in agibilibus, quàm in ſpeculatiuis cõſpici à nobis per lumen intellectus agentis: imò ait intellectum poſsibilem iudicare de veritate per agentem; & ad decimum quintum aſſerit, animam per vtrumque intellectum intelligere: non ideo, quòd abſtrahendo ſpecies facit intelligibilia in actu; quia id non ſatis eſt, vt poſsibilis ſub lumine agentis dicatur iudicare; ſed ideo potius, quòd in ipſis ſpeciebus iam abſtractis agens obiecta in habitu repræſentata actu illuminat, vt intelligibiliter

16. apparendo moueant poſsibilẽ ad illa cognoſcenda.

Intellectus agens etiam concurrit vt obiectũ fiat intelligibile ipſi intelligenti.

Vt verò hæc fiant euidentiora, illud diligentiſsimè aduertendum eſt, lumen intellectus agentis non ſolùm concurrere ad abſtrahendum ſpeciem, vt intelligibile in potentia fiat in ſe ipſo actu intelligibilẽ; ſed etiam, vt fiat actu tale ipſi intelligenti: fieri enim poteſt, vt id, quod in ſe ipſo iam eſt actu intelligibile (vt quia iam in ſpecie repræſentatur) adhuc ſit intelligibile in potentia in ordine ad ipſũ intelligentẽ: nã vt intelligẽti ſit actu tale, oportet, vt actualiter obiectiuè appareat intellectui poſsibili actualiter illũ obiectiuè mouendo: hoc autẽ non habet præciſè ex eo, quòd repræſentatur in ſpecie habiatualiter; ſed ex eo, quòd ſub lumine intellectus agentis in eadem ſpecie actu apparet; quia tunc iam poteſt intellectum actu obiectiuè mouere. Quare obiectum repræſentatum in ſpecie, ſi actu non illuminatur, repræſentatur ſolùm in habitu, quo pacto non poteſt mouere intellectum: At verò cum ab agente illuminatur, actu præſentatur, vt actualiter mouens. Quod in hac materia eſt diligentiſsimè aduertendum: nec hoc dicimus ſine fundamento: quoniam hoc reperitur in lumine ſenſibili: hoc enim primum illuminat, tùm medium, tùm ipſum obiectum, vt emittat ſpeciem in viſum; emiſſa autem ſpecie, & viſu per eam actuato, adhuc concurrit, vt ſenſibile ſimul cum ſenſu influat in viſionem influentia obiectiuã: quod ex eo patet; quoniam ſi Deus (ſicut poteſt) ſpeciem Petri in oculo conſeruet ſine lumine obiectiuè Petrũ illuminãte, non fiet viſio, de quo alibi latius dixim⁹.

Annotanda doctrina.

17. Hanc Philoſophiam conſentire cum mente Diui Thomæ colliges ex eodem *de Veritate quæſtione nona, articulo primo ad octauum*, vbi diſtinguit inter eſſe actu intelligibile in ſe, & eſſe actu intellligibile ipſi intelligenti: quod non ob aliam rationem eſt verum; niſi quia ad primum ſatis eſt, quòd repræſentetur abſtractum à materia repræſentatione habituali (quo modo præſentatur, quando intellectus actuatus ſpecie actu non intelligit) ad illud verò poſterius, oportet, quod præſentetur, vt actu mouens intellectum, & cũ eo ſimul obiectiuè concurrens ad intellectionem; quod non habet, niſi poſt abſtractionem ſpeciei, actu illuminetur lumine intellectus agentis.

Conſentio hæc doctrina cum D. Thom.

Accedit, quoniam Diuus Thomas expreſſè docet, lumen agentis illuminare prima principia, vt patet *de Veritate quæſtione* 16. *articulo tertio. dum ait: prima principia tàm in ſpeculatiuis, quàm in operatiuis nobis innoteſcere lumine intellectus agentis*: idque tanquam ratione intelligendi, vt docet *tertia parte, quæſtione* 11. *articulo* 6. *ad tertium inquiens, quod lumen intellectus agentis eſt ratio intelligendi ea, quæ naturaliter cognoſcuntur*: Eſt inquam ratio, ſub qua illa coguoſcuntur, tanquam medio ſub quo intellectus intelligit: etenim in omni intellectione eſt neceſſarius intellectus agens, vt medium intelligẽdi, ex D. Thoma in *primo, diſtinctione tertia quæſtio. quarta, artic.* 5. Medium inquam ſub quo intelligit, vt ſcribit *quodlib.* 7. *quæſtione* 1. *artic.* 1. *in principio. & in* 4. *diſtinctione* 49. *quæſtione ſecunda articulo* 1. *ad* 15. *& de Veritat. quæſtione* 18. *articul. primo*, & admittit Cabrera ſui oblitus 1. *tom. ad tertiã partem quæſtione* 9. *articulo ſecundo, diſput*, 6. *num.* 37. Hæc autem omnia nõ poſſunt conuenire intellectui agenti, quatenùs illuminando phantaſmata abſtrahit ſpecies: etenim hęc illuminatio eſt ſolius phãtaſmatis, non verò intellectus poſsibilis, aut principiorum, vt patet; & præterea ſolùm eſt illuminatio mediante ſpecie; ſpecies autem ex Diuo Thoma locis citatis, non eſt medium ſub quo intellectus intelligit, ſed qno intelligit, vt etiam aſſerit Caietan. 3. *parte q.* 11. *art.* 6. *ad tertium iu vltimis verbis*. Porrò, ſi lumen intellectus agentis eſt lumen ſub quo obiectum in ſpecie actualiter apparet intellectui poſsibili, vt obiectiuè mouens illum, & cum

18, *D. Thom.*

Cabrera.

Caietan.

cum eo influens; vtique concurrit ad intellectionem faciendo euidentiam obiectiuam extremorum, vt Caietanus ſuprà citatus non friuolè, ſed doctiſsimè aduertit.

19. Confirmatur. Albert. Eadem Philoſophia adhuc confirmatur authoritate Alberti Magni *libro 4. de coeuis prima parte, quæſtione quinta, articulo 11. & 12. & in ſumma ſecunda parte, tract. 4. quæſtione 14. membr. 3. ad primum*, dum admittens in Angelis intellectum agentem, ſicut in nobis, illum admittit, tùm ad abſtrahendum ſpecies, tùm ad illas abſtractas illuminandum, de quo in ſequenti articuli.

20. Alia confirmatio. Accedit, quoniam cætera lumina admittuntur ad faciendam obiectiuam euidentiam extremorũ, vt in ſingulis videbimus. Denique noſtram, & Caietani ſententiam viri inter nouiores doctiſsimi probauerunt; inter quos fuit Molina; Molin. dum olim interpretaretur tertiam partẽ Diui Thomæ *quæſtione 11. articulo quarto concluſione ſecunda*, vbi cum Caietano fatetur, intellectum agentem vltra abſtractionem ſpecierum illuſtrare ſpecies iam acquiſitas, vt in illis obiecta appareant, & facere euidentiam veritatũ naturalium: idem docet Cano *ſecundo de locis c. 8. pag. 57. poſt principium, & noſter Aragonius 2. ſecundæ quæſt. 1. articulo primo fol. 5. §. Dico tamen.* Canus. Aragoni⁹

21. In intellectu poſsibili non datur aliqđ lumẽ. Suppoſito hoc veriſsimo fundamento, intellectum, ſcilicet, agentem illuſtrare prima principia, neceſſariò infertur non eſſe admittendum aliquod verum lumẽ in intellectu poſsibili: quia fruſtra poneretur. Quæ fuit ſententia Capreoli *in 4. diſtinctione 49. quæſtione quarta articulo tertio. fol. 28. columna tertia poſt principium §. Dicitur tertio, & col. 4. in fine*, vbi affirmat, ſolùm intellectum agentem eſſe lumen per eſſentiam; poſsibilem verò minimè; quibus verbis non admittit, vim ipſam intellectiuam poſsibilis ſecundum ſuam naturam eſſe lumen; conſentit Soncinas *in quarto diſtinctione 49. quæſtione 4.* ad argumenta Aureoli contra ſecundam, & idem docuerat Aureolus, vt iam diximus. Capreol.

Cõſentit cũ Commentatore. Nec hoc alienum eſt à mente Commentatoris, dum in loco citato aſſerit, rationem naturalem (ipſam, ſcilicet vim intellectus poſsibilis) vigere, atque roborari lumine intellectus agentis; quatenus, ſcilicet ſub illius lumine habet euidentiam, tùm obiecti intelligibilis, tùm primorum principiorum. In quo etiam ſenſu Diuus Thomas docuit, vim intellectus poſsibilis lumine intellectus agentis confortari; quatenùs ab obiectis illo illuſtratis moueri poteſt ad eadem ſub illo lumine percipienda. Nam hoc modo viſus corporeus lumine ſolis confortatur, & vigoratur.

Concludimus igitur, in intellectu agente admittenda eſſe duo officia: illuſtrare, ſcilicet, phantaſmata, vt ſpecies abſtrahantur; & illuſtrare ipſas ſpecies iam in intellectu poſitas, vt in illis obiecta appareant, & appareat euidentia principiorum, & concluſionum 22. Concluſio.

§. 4.

Soluuntur argumenta aduerſariorum.

AD primum argumentum in oppoſitum (quod eſt fundamentum Conimbricenſium) reſpondetur, vim illam intellectiuam deriuari quidem à fonte lucis æternæ: non tamen quatenùs eſt lux increata; ſed quatenùs eſt vis intellectiua, quæ noſtro modo intelligendi illuminatur luce increata, quatenùs formaliter eſt lux. 23. Ad 1. arg.

Ad ſecundum, (quod eſt Bellomontani) negandum eſt intellectionem eſſe formaliter manifeſtationem, ſiue illuminationem: nam cum vis ipſa natiua formaliter, & propriè non ſit lumen (potiùs enim illuminatur, quàm illuminet ex Capreolo, & ex Commentatore, & Diuo Thoma, & potius vigetatur, & confortatur à lumine, quàm vigoret, & confortet) dici non poteſt intellectionem formaliter eſſe illuminationem, & manifeſtationem: ſolùm enim eſt obiecti illuminati quædam appræhenſio, & formalis expreſsio; nam intellectus poſsibilis intelligendo, non illuminat aliquid, aut formaliter manifeſtat; ſed ſolùm exprimit id, quod iam illuminatũ ſibi intelligibiliter apparet. Quare allucinatur Bellomont. dum aſſerit, lumen intellectus agentis ſolùm manifeſtare obiectum in actu 1. producendo ſpeciem; quoniam etiam manifeſtat, vt illuminat obiectum in actu ſecundo apparentiæ 24. Ad 2.

rentiæ obiectiuæ; quia facit, vt actu intelligibiliter appareat apparentia obiectiua, & motiua, quæ eſt actus ſecundus obiectiuæ apparentiæ, cum ſit apparentia actualis, cuius actus primus eſt apparentia habitualis, quæ datur in ſpecie, dum ſolùm habitualiter repræſentat. Intellectus autem poſsibilis nullam facit apparentiam obiecti, ſed ſolam expreſsionem eius ſibi iam apparentis. Vtrùm autem præſtantius ſit exprimere id, quod ſub lumine apparet, & manifeſtatur; quàm manifeſtare? alterius eſt quæſtionis, quæ ad inſtitutum parum refert.

25. Ad 3. Ad tertium negandum eſt id, quod in antecedente ſumitur; nam præter munera in eo explicata, admittendum eſt aliud præcipuum, ſcilicet illuminare ſpeciem, & facere euidentiam principiorum, vt late olim oſtendimus in libris de Anima, & docuit Caietan. *tertia parte, quæſtione 11. articulo ſexto*; cum quo ſentit Molin. (*Molina.*) præcipuus Theologus inter eos, quos Societas Conimbricenſis habet, & ſatis conſentanee ad doctrinam Commentatoris, & Diui Thomæ, vt iam diximus. (*Bellom. arguitur.*) Vnde temerarius cenſendus eſt Bellomont. dum ſententiam tantorum Philoſophorũ friuolam appellat.

26. Ad confir. Ad confirmationem quidam admittũt ſequelam, quos refert Diuus Thomas 2. contra gentes capitulo 78. illorum tamẽ opinio meritò reprobatur à Diuo Thoma: nec enim intellectus agens eſt habitus, prout habitus eſt qualitas de ſecunda ſpecie qualitatis; quanuis dicatur habitus, prout habitus condiuiditur contra carentiam alicuius actus, quo pacto dicitur habitus, quia tollit priuationem, & eſt forma, qua ſubiecti potentia actuatur: vnde Ariſtoteles (*Ariſtot.*) 3. *de Anima capite quinto text. 18. ait, intellectum agentem eſſe vt habitum quendam, & perinde ac lumen.* Lumen autem non eſt habitus de ſecunda ſpecie qualitatis, ſed eſt actus, quo potentia diaphani actuatur. Igitur intellectus agens non eſt habitus principiorum, (*D. Thom. Ferrar. Caietan.*) qui ab Ariſtotele in Ethycis dicitur intellectus, vt aſſerit Diuus Thomas *vbi ſuprà, & Ferrar. ibidem §. Aduertendum cum dicitur, & ſatis affirmat Caietanus 1. ſecundæ. quæſtione 51. articulo primo. §. Ad primam dubitationem.*

27. Quid autem ſit habitus principiorum, qui in ſpeculatiuis dicitur intellectus, in agibilibus autem ſynderesis; alterius eſt quæſtionis; ſicut etiam alia eſt quæſtio, vtrùm habitus principiorum ſit naturalis, an acquiſitus: de quo Philoſophi *in 6. Ethycorum*, & Theologi apud Diuum Thomam in dicta *quæſtione 51. articulo primo, Maior in 2. diſtinctione 23. quæſtione ſecunda, Almainus tractat. primo capite 17. & Angeſtus in ſuis Moralibus fol. 40. vt alios omittamus.* (Quid ſit habitus principiorum? An ſit naturalis? An acquiſitus? *Maior. Almainus Angeſtus.*)

28. Satis nobis ſit, animam, ſiue intellectum in hoc ſenſu naturaliter habere notitiam primorum principiorum; quia illi naturaliter inditum eſt, quòd cognitis terminis ſub lumine agentis intellectus faciente euidentiam extremorum, naturaliter elicit notitiam illorum, vt doctiſsimè aduertit Caietanus *prima, ſecundæ, quæſtione 51. articulo primo. §. Ad primam dubitationem*, conſentanee ad doctrinam Cõmentatoris, & Diui Thomæ adductam paragrapho tertio. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt Doctores, qui aſſerunt intellectum poſsibilem ſuapte natura inclinatum eſſe ad aſſentiendum primis principijs: id enim verum eſt, ſi termini prius cognoſcantur, vt ait Diuus Thomas *in dicto articulo primo*: termini autem ſicut cognoſci non poſſunt ſine ſpeciebus, ex Diuo Thoma in eodem loco; ita cognoſci non poſſunt ſine illuſtratione ſpecierum facta lumine intellectus agentis, vt ait Caietanus (*Caietan.*), & ſatis Diuus Thomas cum Commentatore in locis adductis §. tertio. Hanc autem illuſtrationem poteſt facere intellectus agens, quamuis non ſit habitus primorum principiorum. Vnde ad argumentum neganda eſt ſequela, quæ ſine probatione ſumitur. (intellectũ inclinari ad aſſenſum principiorum; quomodo intelligatur?)

29. Ad poſtremum. Ad poſtremum patet ſolutio ex dictis ad primum: ſi enim Diuus Thomas intelligatur, de virtute intellectiua, quę eſt vis intelligendi; ita explicabitur, vt deriuetur à prima luce, quatenùs eſt intellectus primus, non verò, quatenus eſt lumen: quod ſatis ſignificant illa verba:

Relinquitur, quod ſit aliqua participata ſimilitudo ipſius, qui eſt primus intellectus.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Angelis admittendum ſit lumen naturale? Quid ſit? Et ad quid ponatur?

§. I.

In Angelis dari lumen naturale.

1. In Angelis datur lumẽ naturale.

QVòd in Angelis ad res naturales intelligendas detur lumen naturale, concors eſt Theologorum ſententia: quam probare debent, qui in illis admittunt intellectum agentem: nã ſi intellectus agens in nobis eſt lumen, vt ex Ariſtotele diximus articulo primo. cur in Angelis non erit lumen? Ex illis verò, qui illis intellectum agentem denegant (quæ eſt ſententia Thomiſtarum, & communis) omnes ferè in illis admittunt naturale lumen. Hoc docuit *D. Thom.* Diuus Thomas 1.p.q.58. *art.4. ibi cum in Angelo ſit lumen intellectuale perfectum. Et q.106. art. 1. ad ſecundum ibi confortando lumen naturale ipſius. Et de veritate q. 8. articulo. 9. ad 8. ibi non eſt proportio inter lumen intellectus Angelici, & res ſenſibiles. Vide quæſtione nona, articulo primo ad ſecũdum 14. & 17.* *Aureolus* *Idem docuit Aureolus apud Capreolum in ſecundo diſtinctione 11. quæſtione ſecunda, articulo ſecundo ad finem fol. 161. columna quarta.* Et tanquam notum id ſupponunt *Capreolus.* Capreolus ibidem *art. tertio ad argumenta Durandi contra ſecundam fol. 162. columna ſecunda & tertia, & columna quarta ad ſecundum Aureoli,* *Durand.* *conſentit Durandus ibidem quæſtione tertia, & in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 2. num. 7. & 8. vt alios omittamus.*

2. *Dionyſius*

Quæ doctrina confirmatur. & authoritate Dionyſij, & ratione: nam Dionyſius de Cœleſti Hierarchia capite ſeptimo, *docet ſubſtantias ſuperiores eſſe altiori lumine repletas*. Probatur ratione: quia in præcedente quæſtione generaliter oſtendimus nihil poſſe ab aliquo cognoſci, ſine lumine. Cũ verò Angeli plurimarũ rerum habeat cognitionem naturalem, non poteſt in illis non admitti lumen aliquod naturale: nam res ſupernaturales gratiæ, & gloriæ lumine ſupernaturali cognoſcunt, vt dicemus.

§. 2.

Quid in illis ſit hoc lumen.

DVo tantum ſunt, de quibus poteſt eſſe aliqua dubitatio: Vnum eſt: quidnam in Angelis ſit hoc naturale lumen? Alterum eſt; ad quid ponatur? & quæ ſint illius munera? 3.

Quod attinet ad primum; facilis eſt ſolutio apud eos, qui in Angelis admittunt intellectum agentem: Quid nã ſit hoc lumen. hi enim, ſicut in nobis non admittunt aliud naturale lumen, niſi intellectus agentis; ita nec in Angelis. In hac ſententia eſt Scotus *in 2. diſt.* *Scotus.* *3. quæſt. vltima A. §. Contra ex iiſdem, & diſtinct. 9. q. 2. ad 8. N. quem ſui ſequuntur, Albertus Magnus lib. quarto, de Coeuis* *Alb. Mag.* *1. p. quæſt. 5. artic. 11. & 12. & in ſumma 2. parte, tract. 4. q. 14. membr. 3. art. primo ad primum primæ partis articuli, Alenſis 2.* *Alenſis.* *parte, quæſt. 22. membr. 3. & quæſtione. 66.* *Richard.* *memb. 3. art. 3. Richardus in 2. diſt. 3. artic. 6. q. 2. ex nouioribus Molin. in ſcriptis ad tertiam partem q. 11. art. 4. concluſione prima.* *Molina.* quam nos eſſe probabilem olim diximus, cum Scotum olim interprætaremur in dicta quæſtiane vltima.

Hanc opinionem non debent recipere, 4. qui in Angelis non cognoſcunt agentem intellectum, Oppoſita ſẽtentia. quæ fuit opinio Diui Thomæ 1. p. q. 54. *art. 4 ibi Caiet. Bañes,* *D. Thom.* *Cumelius cum cæteris, idem Diuus Thomas* *Ferrar.* *2. contra gentes cap. 96. in ſexta ratione, vbi* *Capreol.* *Ferrar. Capreol. in 2. diſtinct. 3. q. 2. artic. 2.* *Bellom.* *concluſione* 3. & eſt communis inter Recenſiores, inter quos Bellomont. 1. *p. diſputatione* 199. *cap.* 2. Quitamen authores non explicant, quidnam in Angelis ſit hoc naturale lumẽ: inueni apud Capreol. hoc lumen eſſe qualitatem quandam de *Capreol.* ſecunda ſpecie qualitatis, vt ſcribit *in 2. diſt. 11. q. 2. art. 3. ad ſecundum, Aureoli fol. 162. col. 4. in princ.* Durand. tamen ibidem *Durand.* *q. 3. num.* 17. docet, lumen intellectuale Angeli non eſſe aliud, niſi ipſum Angeli intellectum; quibus verbis ſignificat hoc *Bellomon.* lumen in Angelis eſſe ipſam natiuam vim intelligẽdi; quod fortè placebit Bellomõtano *vbi ſuprà nu.* 3; cum enim admittat in nobis ipſam natiuam intelligẽdi vim eſſe naturale lumen, idem dicet de naturali vi intelligendi Angelorum. Cum enim in illis non admittat intellectum agentem, nec aliud lumen ad abſtrahendũ ſpecies, vtique in ipſo intellectu ponet lumen intellectuale: Conimbricenſes autem ſatis ſignificant, hoc lumen in Angelis eſ-

ſe

ſe ipſas ſpecies repræſentantes obiecta, vt patet in tractatu de Anima ſeparata diſp. 1. art. 7. ad finem §. *In qua ſolutione.*

5. Propria opinio. Ego puto lumen naturale Angelorũ, nec eſſe ipſam natiuam vim intelligendi, nec habitum ſcientiæ: nec ipſas ſpecies inditas: ſed eſſe, vel ipſum intellectum agẽtem, ſi in Angelis datur; vel eſſe qualitatem quandam ſpiritualem, quæ eſt perfectio ſubſtantiæ intellectualis, vt eſt ſpiritualiter lucida, ſiue illuminabilis, veluti ſpirituale quoddam diaphanũ, ſiue perſpicuum. Statuo igitur ſequentes concluſiones.

6. 1. Concluſ. Prima concluſio: lumen naturale Angelorum non eſt ipſa vis natiua intelligẽdi, Statuitur contra Durandum, & Bellomontanum. Probatur primò; quia in nobis vis natiua non eſt formaliter lumen, 1. probatio. vt oſtendimus in 1. art. Ergo nec in Angelis: nec enim aſsignari poteſt ratio, cur in nobis nõ ſit lumen, benè tamen in Angelis.

7. 2. probatio. Secundò quoniam, ſi vis illa in Angelis eſſet lumen formaliter; lumen hoc differret ſpecie in Angelis ſpecie differentibus: conſequens eſt falſum: vt docet D. D.Thom. Thomas *de Veritate q. 9. artic. 1. ad 17. in hæc verba: Dicendum, quòd in Angelis ſpecie diſtinctis non oportet, quòd ſit lumen intelligibile ſpecie differens: ſicut & in corporibus ſpecie differentibus eſt idem ſpecie color.* Imò eſt idem ſpecie lumen. Sequela probatur: quia in Angelis ſpecie differentibus intellectus ſpecie etiam differunt, iuxta veriorem opinionem; quam Capreol. expreſſe probauit Capreol. *in 2. diſtinct. 11. quæſtione ſecunda, articulo tertio ad ſecũdum Aureoli contra ſecundam. fol. 162. col. quarta. §. Ad improbationem probationis,* eſſe peripateticam, & conſentientem D. Caietan. Thomæ teſtatur Caietan. *prima parte, q. 79. articulo ſeptimo. §. Ad euidentiam horum ſciendum:* licèt enim Diuus Thomas D.Thom. in terminis eam non doceat, tamen ex ijs, quæ docet, ſatis colligitur, hanc eſſe illius ſententiam: *Nam in quæſtionibus de Anima articulo ſeptimo, ad quartum,* generaliter docet, vnamquamque rem habere ſpeciem ſecundùm propriam ſuam naturam; & inde infert, operationem cuiuſcunque rei ſpeciem ſumere ex propria natura, & ex proprio modo operandi illius. Et ob hanc rationem ibidem ad primum docet, ſi formæ, quæ ſunt principia operationum differunt ſpecie, operationes etiam differre.

Et ad quintum ex eo, quòd Angeli 8. ſunt ſpecie diuerſi, & inter ſe eſſentialiter ſuperiores, infert ſpecies intelligibiles eorum, interſe eſſentialiter differre. Cur igitur diuerſitas ſpecifica Angelorum non arguet diuerſitatem ſpecificam in intellectibus eorum? Et quanuis plura Diui Thomæ teſtimonia in cõtrarium adducta rem iſtam apud Diuum Thomã faciant ſatis implexam, vt aduertit Cur- Conimbr. ſus Conimbricenſis *vbi ſuprà pagina 469. §. Altera ſolutio*: tamen cum eodem Curſu exiſtimo ex mente Diui Thomæ diuerſitatem ſpecificam naturarum, & modi naturalis intelligendi inferre diuerſitatem ſpecificam intellectuum, tùm inter intellectum Angelicum, & humanum, tùm inter ipſos intellectus Angelicos: nam hoc ſatis eſt conſentiens cum vera Philoſophia: ſi enim hæc diuerſitas efficaciter arguit modum naturalem intelligendi eſſe ſpecificè diſtinctum; cur non arguet ipſos intellectus ſpecificè diſtinctos eſſe? Hanc igitur Philoſophiam, vt veriorem ſupponamus. Porrò, ſi intellectus Angelici inter ſe ſunt ſpecie diſtincti; non poteſt ipſa vis natiua in ipſis ſpecificè non diſtingui, cum illa eſſentialiter ſit ipſe intellectus. Quare, ſi vis natiua in Angelis eſſentialiter eſt lumen; ipſum lumen Angelicum in ſingulis ſpecie diſtinguetur, quæ fuit ſequela. Cuius conſequens falſum eſſe iam diximus.

Hæc eadem ratio, & concluſio adhuc confirmatur ex Diuo Thoma *in ſecundo* 9. Confirmat. *diſtinctione 9. quæſtione prima, artic. 6. ad* D.Thom. *ſecundum, & tertium,* dum ait lumen, tàm naturale, quàm gratuitũ in omnibus Angelis eſſe vnum, tam ex parte principij, quàm finis; quod eſſet falſum, ſi lumen naturale in illis eſſet ipſa vis natiua intelligendi.

Denique concluſio ex eo probatur: 10. quoniam vis natiua intelligendi eſt, quæ Altera probatio. intellectionem elicit: lumen verò eam non elicit, ſed eſt medium ſub quo vis illa natiua elicit: Vnde Diuus Thomas D.Thom. *in tertio diſtinctione 14. quæſtione prima, articulo tertio, quæſtiuncula ſecunda,* natiuam vim intelligendi generaliter diſtinguit à lumine.

Secunda concluſio: lumen naturale in
11. 2. concl. Angelis non eſt ipſæ ſpecies intelligibiles. Colligitur ex Diuo Thoma *in dicta q. 2.* dum ait lumen naturale in Angelis eſſe vnum: ita in dicto art. 6. ad 3: vnum, inquam ſpecie: cum tamen in ſingulis ſint plures ſpecies. In eodem etiam loco ad 2. ait; ea, quæ in qualibet hyerarchia differunt, connecti nõ ſolùm in fine hyerarchiæ, & in communi ratione illius; ſed etiam in lumine hyerarchiam perficiente: cum tamen Angeli eiuſdem hyerarchię non connectantur in ſpeciebus, cum in ijſdem aliæ ſint vniuerſaliores, & aliæ minus vniuerſales. Accedit, quoniam lumen naturale in ſingulis eſt medium, ſub quo intellectus intelligit; cum tamen ſpecies ſint medium, quo quiſque intelligit, vt ex D. Thoma oſtendimus ſuprà §. 1. Denique lumen gratuitum, & infuſum diſtinguitur ab ipſis ſpeciebus, vt in ſequentibus oſtendemus; in nobis etiam ab illis diſtinguitur: cur igitur non diſtinguetur in Angelis?

12. 3. concl. Tertia concluſio: lumen naturale in Angelis non eſt habitus ſcientiæ: probatur primò: quia lumẽ in ſingulis eſt vnũ: habitus autem ſcientiarum ſunt plures, vt plerique volunt. Deinde, quia lumen eſt naturaliter inſitum: habitus autem ſcientiarum ex plurimorum ſentẽtia ſunt acquiſiti. Denique in alijs lumen diſtinguitur à ſcientia. Ergo & in Angelis.

13. 4. concl. Quarta concluſio: qui in Angelis admiſerit intellectum agentem, lumen naturale non diſtinguet à lumine intellectus agentis: qui verò in Angelis agentem intellectum non admiſerit, dicet lumen naturale Angeli nihil eſſe aliud, quàm qualitatem quandam ſpiritualem, quæ eſt perfectio ſubſtantiæ intellectualis, vt eſt veluti quoddam ſpirituale diaphanũ. Prior pars ex eo patet: quia in nobis lumen naturale eſt ipſum lumen agentis intellectus. Poſterior verò oſtenditur: & quidem quòd lumen illud ſit quædam qualitas teſtatur Capreol. *in 2. diſt. 11. q.*

Capreol. *2. art. 3. ad 2. Aureoli, fol. 162. col. 4. in prin-*
D. Thom. *cipio*: nam ex D. Thoma ſic ſe habet lumen intellectuale in natura intellectuali, ſicut lumen corporale in natura corporea: lumen autem corporeum eſt qualitas perficiens diaphanum, vt patet ex libris de Anima. Ergo lumẽ ſpirituale erit etiam quædam qualitas, & perfectio ſubſtantiæ intellectualis, vt ſe habet ad inſtar diaphani ſpiritualis: ſicut enim diaphanũ in natura corporea eſt corpus ratione diaphaneitatis actuabile per lumen; ita natura intellectualis potens intelligere ex ſe eſt actuabilis, & illuminabilis per lumen ſpirituale, non ſolùm naturaliter reſpectu obiectorum naturalium; ſed etiam ſupernaturaliter reſpectu ſupernaturalium: & hæc illuminabilitas eſt veluti quædam ſpiritualis diaphaneitas, & perſpicuitas, cuius actus & perfectio eſt ipſum lumẽ. Quomodò autem lux ſpiritualis intellectum illuminet? & vtrum illuminet immittendo radios, tum in proprium intel- Quomodò lumen gloriæ illuminet? eſt quęſtio.
lectum, tum in eos, quos illuminat? alterius eſt quæſtionis, de qua aliquid tangit Capreol. vbi ſuprà. *Capreol.* Sicut etiam altera eſt quæſtio, ad quam qualitatis ſpeciem hoc lumen pertineat? cuius ſolutio pertinet ad Philoſophos in libris de Anima, & ad Logicos in prædicamẽtis capite de Qualitate. Capreol. vbi ſuprà, putat eam eſſe de ſecunda ſpecie qualitatis.

§. 3.

De muneribus huius luminis.

Qvod attinet ad ſecundum; quænam ſint munera huius natura- 14.
lis luminis Angelici? nihil, aut parum hac de re ſcribitur à Theologis; cum tamen id non parum conducat ad quæſtionem de lumine gloriæ, ratione cuius hæc diſputamus. Ego puto lumen hoc non poſſe non admitti tum ad faciẽdam euidentiam principiorum, & concluſionum; tum etiam ad illuſtrãdas ſpecies, vt obiecta in illis non iam habitu (vt antea) ſed actu appareant, tanquam actu motiua intellectus ad actualem intellectionem, vt de noſtro agente intellectu dicebamus in primo articulo, & dicemus de lumine infuſo in articulis ſequẽtibus. Hanc opinionem ex his, qui in Angelis admittunt intellectum agentem probat Albertus Magnus citatus §. 2. quem in vtroque probat Molina ibidem citatus. Quæ opinio non poteſt non admitti ab ijs, qui licet non admittant in Angelis agentem intellectum, tamen hoc lumen diſtinguunt à vi natiua ipſius intellectus: nam cum in hac opinione hoc lumen nõ pona-

Ad quid admittatur lumen Angelicum? Propria ſententia. *Albert.*

ponatur ad abſtrahẽdum ſpecies à rebus, nullum aliud munus illi poteſt tribui.

Quid ſi in Angelis datur intellectus agens.

Res eſt controuerſa inter eos, qui in Angelis admittũt intellectum agentẽ: Nam

Albert. *Molina.*

Albertus, & Mol. affirmant, hoc lumen in Angelis non poni, vt abſtrahat ſpecies à rebus; ſed præciſè, vt illuſtret ſpecies infuſas, & faciat euidentiam veritatum principiorum, & concluſionum, quæ in illis continentur.

Scotus.

Oppoſitum docere debet Scotus cum ſuis; quam opinionem puto veriorem: etenim quanuis hoc lumen in Angelis non illuminet phantaſmata, cum in Angelis non dentur; tamen illuminat ipſas res ſenſibiles, non vt ſenſibiles, ſed vt intelligibiles. Quomodò autem hoc fiat? latiùs diximꝰ in materia de Angelis. Sed ad noſtrum inſtitutum parum refert, vtrum hoc, vel illo modo dicas; quia ad nos modo ſolùm pertinet, quòd lumen iſtud in Angelis illuminat ſpecies, & principia modo ſuperiùs explicato.

16. Bellomontani obiectio.

Obijcit tamen Bellom. nobis contrarius 1.p.diſp.199.c.2. in principio, quoniam illuſtratio iſta & ſuperuacanea eſt, & explicari non poteſt. Eſſe ſuperuacaneam ex eo oſtendit; quia ſola ſpecies cũ intellectu eſt ſufficiens principium cognitionis. Quòd verò explicari nequeat; inde deducit; quia explicari non poteſt, quid operetur, aut in intellectu, aut in ſpeciebus.

17. Decipitur.

Sed ideò decipitur; quia ſupponit vim natiuam intelligendi eſſe lumen; quod eſſe falſum iam oſtendimus §.2. concl.1. Porrò, ſi præter vim illam natiuam neceſſarium eſt aliquod lumen; falſum eſt intellectum Angeli cum ſpecie eſſe ſufficiens principium intellectionis: conſtat enim inter omnes, intellectũ nihil poſſe intelligere, niſi ſub aliquo lumine, vt ſuprà q.1. iam oſtendimus: lumen enim intelligibile ita ſe habet ad intellectũ, & ad intelligibilia, vt lumen corporeum ad viſum, & viſibilia: viſus autem, etiam actuatꝰ ſpecie. ſine lumine nihil videre poteſt: vtrumque enim lumen eſt medium ſub quo vis cognoſcitiua cognoſcit quidquid cognoſcit. Quare nec ipſa vis natiua, quæ eſt virtus intellectiua, poteſt intelligere, niſi ſub lumine; nec ſpecies, niſi illuſtrata, poteſt eſſe, aut principium quo intelligendi; aut præſentare ipſa intelligibilia, vt actu motiua: vtrũque autem facit mediante lumine, tanquam medio ſub quo. Opus eſt igitur, vt & ſpecies lumine illuſtrentur, vt intellectum obiectiuè moueant; & vt ipſe intellectus eodem lumine actuetur, vt ſub eo poſſit tendere in obiecta ſub lumine actu ſibi præſentata.

Et hæc de lumine naturali intellectus Angelici.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Chriſto Domino præter lumen intellectus agentis detur aliud lumen, ſub quo cognoſcat, quæ per ſcientiam infuſam cognoſcit?

§. 1.

Datur aliquod lumen, quo intelligat, quæ pertinent ad ſcientiam infuſam.

IN anima Chriſti dari ſcientiam infuſam tanquam veriſsimũ ſupponimus; 1.
& inquirimus; vtrùm ſicut in ea datur lumen intellectus agentis ad intelligẽda, quæ intelligit per ſcientiam acquiſitam; ita detur aliquod lumen ad intelligendũ per ſcientiam infuſam? de quo diſputant Theologi cum D.Thoma 3.p. q.11. art. 4.5.& 6. & apud Magiſtrũ in 3. diſt.14.

Datur in Chriſto lumen infuſum.

In hoc articulo, ſicut in præcedentibus, inter omnes conuenit neceſſarium eſſe aliquod lumẽ, vt anima Chriſti intelligat, quæ per ſpecies infuſas, infuſamq; ſcientiam intelligit: ita colliges ex Diuo Thoma *in dicta q.11. art.4. & art.6. ad 3. & in 3. diſt.14. q.1. art.3. quæſtiunc. 2. & quæſtiunc.4. ad 3. Caietano in dicta q.11. ar. 4. & clariùs art.6* §. *In reſponſione ad 3. cum cæteris. quos citauimus*: etenim ſuprà q.1. art. vnico oſtendimus ad omnem intellectionem neceſſarium eſſe lumen.

D. Thom. Caietan.

Tria de hoc lumine dubitari poſſunt: vtrùm ſcilicet ſit naturale, vel infuſum? vtrùm ſit vnum tantum? & quæ ſint eius officia, & munera?

2. Tria de hoc lumine inquiruntur.

§.2.

Vtrùm hoc lumen ſit per ſe infuſum?

QVòd attinet ad primum, vnus Bellomontanus facit dubitationem: nam 1.tom. *ad 3.p.diſp.54. cap.2.n.31. & cap.3. n.9. & 10.* docet in Chri-

3. Opinio Belmont. negatiua.

Chriſto præter lumen naturale intellectus poſsibilis (ipſam. ſ. natiuam vim intelligendi) nullum aliud lumen infuſum eſſe neceſſarium ad vſum ſcientiæ infuſæ: ſed ad hoc ſatis eſſe proprias ſpecies obiectorum Chriſto infuſas. Quod etiam docuerat 1. *p. diſp.* 43. *c.* 5. *n.* 22. Fundamẽtum ex eo ſumit; quoniam præter propriam ſpeciem obiecti, & lumen natiuũ intellectus ad nullum genus cognitionis requiritur aliud lumen ſiue naturale, ſiue infuſum. Per lumen autem natiuum intelligit efficaciam, intellectus ad intelligendum, quam ſupponit eſſe natiuum lumen: cum enim intellectio ſit quædam manifeſtatio, & quædam illuminatio obiecti, quod manifeſtatur; vis ipſa natiua intellectus meritò dicetur lumen ſpirituale: præter quod & propriam ſpeciem obiecti, aut aliquid loco illius, nihil aliud requiritur ad cognitionem cuiuſcunque obiecti tam naturalis, quàm ſupernaturalis: ex his enim duobus conſtituitur vnũ integrum principium cuiuſcunque cognitionis, vt probat in dicto *cap.* 2. *n.* 5. §. *Porrò autem.*

Fundamentum.

4. Quòd verò illa duo vnum principium conſtituant, indè oſtendit; quoniam in quacunque cognitione tantùm datur ratio cognitionis, & talis cognitionis, nempe talis obiecti. Ipſe autem intellectus per ſe eſt ſufficiẽs ratio cognitionis: operatio enim intellectus ex eo præciſè eſt notitia, cognitio, ſiue intellectio, quia eſt ab intellectu; cognitio enim, vt cognitio, à nullo alio proficiſci poteſt. Quòd verò cognitio ſit talis obiecti, ſufficiens principiũ eſt ſpecies impreſſa illius: ideò enim intellectus intelligit hãc rẽ potiùs, quàm aliam, quia inſtructus eſt ſpecie huius rei, & non alterius. Ergo notitia ex eo eſt propria talis rei; quia exit ab intellectu habente ſpeciem illius. Ergo in ipſa notitia, ſiue cognitione nulla reſtat ratio, quæ poſtulet ex parte intellectus aliud lumen, aliudvè principium præter natiuum lumen intellectus, & ſpeciem obiecti. Cum verò in anima Chriſti detur natiuum lumen intellectus poſsibilis, & dẽtur ſpecies infuſæ eorum, quæ per ſcientiam infuſam à Chriſto cognoſcuntur; bene infertur ipſam natiuam vim intelligendi informatam ſpeciebus infuſis eſſe ſufficiens principiũ cuiuſcunque cognitionis infuſæ, & per conſequens ſuperfluum eſſe aliud lumen infuſum.

Confirmat hanc rationem: quoniam in beatis præter natiuam vim intelligendi (quæ eſt ipſum natiuum lumen) nullũ aliud lumen ſupernaturale, & infuſum requiritur ad viſionem, ſi in illis datur, aut ſpecies creata, aut diuina eſſentia loco ſpeciei, vt idem Bellom. affirmat in dicta diſp. 54. c. 2. n. 4. §. *Fundamentum verò eſt,* & latiùs 1. p. diſp. 43. c. 7. 5.

Confirmatur.

Nec obſtat (inquit c. 3. n. 10.) quod in aſſenſu fidei præter ipſam natiuam vim intelligendi, & ſpecies rerum, datur lumẽ infuſum fidei: quoniam, vt ait, fundamẽtum ſupra poſitum intelligitur, quando cum ipſo natiuo intellectus lumine dantur ſimul ſpecies propriæ obiectorum: quæ tamen non dantur in aſſenſu fidei; quia intellectus non habet ſpecies proprias eorum, quæ fide cognoſcuntur, ſed alienas; & ob id neceſſarium eſt lumen infuſum fidei: nam in beatis neceſſariò dabitur lumen gloriæ diſtinctum ab ipſo natiuo intellectus lumine, ſi in illis nec detur ſpecies creata propria diuinæ eſſentiæ, nec eſſentia locum ſubeat ſpeciei, vt idem Bellomont. ſcribit in dicta *diſp.* 54. *c.* 2. *n.* 41. & 1. *p. diſp.* 43. *c.* 7. Hæc eſt ſententia Bellomontani non ſolùm fideliter relata, ſed clariùs explicata. 6.

Occurrit obiectioni.

Reijcitur Bellomontanus.

¶ Ea tamen ſingularis eſt, & contra commune placitum Theologorum: omnes enim in ſcientia infuſa Chriſti agnoſcunt lumen infuſum ſuper naturam ipſius animæ, & ſubinde diſtinctum à naturali vi intelligendi illius. Hoc lumen admittit *D. Thomas* 3. *p. q.* 11. *art.* 4: *lumen, inquit, ſpiritualis gratiæ, quod eſt inditum animæ Chriſti. Et art.* 6. *ad* 3: *dicendum eſt, quòd lumen diuinitus infuſum; & in* 3. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *in corp. cum Chriſtus abũdanter lumen gratiæ haberet, id eſt lumen intellectuale gratuitum. vide eum art.* 3. *quæſtiunc.* 4. *ad* 3. Non eſt igitur negandum, Diuũ Thomam admiſiſſe in Chriſto lumen infuſum ad vſum ſcientiæ infuſæ. Idem lumen admiſit Caiet. in *dicta q.* 11. *art.* 4. *& clariùs art.* 6. §. *In reſponſione ad* 3. *ita inquiens: Ita proportionabiter auctor poſuit lumen alterius ordinis, ſub quo clarè cognoſ-* 7.

Non probatur Bellom.

Qui admittant lumen infuſum in Chriſto.

D. Thom.

Caiet.

cognoſceret, quæ per ſpecies infuſas repræſentantur. Idem lumen agnoſcit Bergomenſis *concor.* 1216. *& Medina in dicta q.* 11. *art.*4. *his verbis: Et quoniam lumen gratuitum diuinitus infuſum animæ Chriſti excellentius eſt; quod iterum aſſirmat art.* 5. *& ar.* 6. §. *Sed dubitabit aliquis. Suar.* 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 29. *ſect.* 2. §. *Secunda ſententia, &* §. *Ex his vltimo tandem, Cabrera in dicta q.* 11. *art.* 6. *diſp.* 4. *Præceptor Frater Franciſcus à Chriſto libr.* 4. *de Incarnatione q.* 6. *& in* 3. *diſt.* 14. *q.* 4. *concl.* 2. *& ad* 3. *argum. & q.* 6. *ad* 1. *& iterum in* 4. *propoſitione.* Idem lumen admiſit *Richard. in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3: *q.* 4. & communiter Recentiores in dicta *q.* 11. *articul.* 4. *&* 6. *vbi Molina in ſuis commentarijs.* Et probat Salas 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 3. *ad finem, pag.* 354. *col.* 1. §. *Nodus hic.*

Bergomenſis. Medina. Suarius. Cabrera. Franciſcus à Chriſto. Richard. Molina.

8. Argumenta contra Bellomontan. Primum.

Quare ſententia Bellomon. ex eo primum non debet admitti; quia ſingularis eſt, & veluti paradoxa: deinde, quia ſupponit, vim natiuam cuiuſque intellectus eſſentialiter eſſe lumen, quod falſum eſſe iam oſtendimus ſuprà art. 1. §. 3. ad finē, & §. 4. ad 2. Tandēvim iſtā in Angelis nō
2. eſſe lumen diximus in præcedente artic. §. 2. concl. 1: iam verò eadem ratio eſt de lumine animæ Chriſti ad vſum ſcientiæ infuſæ; cum ſcientia illa in Chriſto, & ſpecies eius, vel ſint eiuſdem ordinis cum ſcientia Angelorum, vel altioris, vt ſupponimus. Accedit tertiò, quia in omni ſciē-
3. tia, & cognitione præter natiuam vim intellectus requiritur medium ſub quo obiectum intelligitur ex D. Thoma de *Veritate q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. *& in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 15. *& quodlib.* 7. *q.* 1: hoc autem medium non eſt aliud, niſi lumen, vt ex eodem D. Thoma in eiſdem locis colliges. Igitur in anima Chriſti præter ipſam vim natiuam admitti debet lumen ſpirituale, ſub quo videt, quæ per ſcientiam inditam videt; nec enim ipſa poteſt eſſe vis, quæ intelligit, & medium ſub quo intelligit?

D. Thom.

9. Fundamentum Bellomont. friuolum.

Denique fundamentum Bellomontani friuolum eſt: patet enim ex dictis apertiſsimè in eo principium peti: nam (vt diximus ex Diuo Thoma) in omni intellectionē præter ipſam natiuam vim (quæ eſt potentia intelligens) & præter mediū, quo intelligit (ſpeciem inquam) neceſſarium eſt medium ſub quo intellectus intelligit: oportet enim, vt obiectum actualiter obiectiuè appareat intellectui, vt oſtendimus art. 2. §. 3: in ſpecie autem, vt eſt ſpecies, non ſemper ita apparet; ſed solùm in habitu, niſi quando actuatur imperio voluntatis applicante lumen, quo illuſtratur. Quare ipſa vis natiua, quantumuis ſit informata ſpecie, niſi in ſe, & in ipſa ſpecie ſit illuſtrata, vt ſub aliquo lumine appareat, non eſt ſufficiens principium intellectionis. Nec oppoſitū probat Bellomontani fundamentum: quoniā licet ipſa vis natiua intelligendi ex ſe ſit ratio adæquata cognitionis, vt cognitio eſt; quia re vera non eſt cognitio, niſi quia eſt, aut eſſe poteſt ab intellectu: licet etiā ſpecies ſit adæquata ratio, quòd cognitio ſit talis; quia indifferentia cognitionis ab ſpecie determinatur; tamen nec vis ipſa poteſt in actum intelligendi, nec ſpecies in actum determinandi, niſi ſub aliquo lumine: licet enim lumen ex ſe non ſit ratio, aut entitatis ipſius cognitionis, aut determinationis eius (quia iuxta probabilē ſententiā nec actiuè ad cognitionem cōcurrit, nec ad determinationem, cum ſit ratio communis, vt ait D. Thomas) tamē eſt conditio neceſſaria, vt illa principia *D. Thom.*
effectiua actu concurrant ad cognitionē, cum ſine lumine nec detur obiectiua motiò potentiæ, quæ ad intelligendum prærequiritur; nec actualis influxus; aut potentiæ, aut ſpeciei in cognitionem. Et quia ad hanc Philoſophiam non aduertit Bellomōtanus, ideò paradoxè loquutus eſt.

Confirmatio falſum ſupponit: quoniā licet in beatis detur natiua vis intellectus, 10. Ad confirmationem.
detur etiam ſpecies propria diuinę eſſentiæ, aut aliquid loco ſpeciei; nunquam tamen dabitur viſio beata ſine lumine, vt contra eundem oſtendemus in quæſt. 8. huius libri, vbi de hac difficultate, & de hoc Bellomontani fundamento iterum agemus.

Sit igitur conſtitutum in anima Chriſti, neceſſariò eſſe admittendum lumen 11. Reſolutio.
infuſum ad vſum ſcientiæ inditæ: infuſum, inquam, per ſe; quatenus ex ſua natura habet, quòd non niſi per infuſionem alicui creaturæ cōmunicari valeat. Vtrū autem ſit ordinis naturalis, an ſupernatulis? ſtatim dicemus.

§. 3.
Hoc lumen in Chriſto eſſe vnum.

13. Vtrum hoc lumẽ ſit vnum?

SEcundo loco explicandum eſt, An hoc lumen infuſum Chriſto ſit vnũ, vel plura? huius enim articuli reſolutio plurimum conducit ad diſputationẽ de lumine gloriæ: quam breuiter reſoluemus; quia latior explicatio pertinet ad tertiam partem q. 11. art. 4. & 6. & ad 3. Sententiarum diſt. 14.

14. Quod ſit vnum qui ſentiant. Richard. Marſilius. Suarius. Medina. Molina. Bergom. D. Thom.

Variæ ſunt ſententiæ: quidam volunt, illud eſſe vnum tantum: alij eſſe plura: & inter vtriuſque ſententiæ auctores datur etiam diſsidentia. Quòd lumen in Chriſto ſit vnum, ſcribunt *Richard. in 3. diſt. 14. art. 3. q. 4. Marſil. in 3. q. 10. art. 2. in 4. part. articuli concl. 4. Suar. 1. tom. ad 3. partẽ diſput. 29. ſect. 3. §. Nihilominus dicendum, pag. 557. C. 2. ex Thomiſtis Medina 3. p. q. 11. art. 6. vbi etiam Nouiores, & Molin. in ſuis ſcriptis ar. 4. Adde Bergomenſem in con cord. dub.* 1216. vbi ſignificat, hanc eſſe mentem Diui Thomæ *in 3. diſtin. 14. q. vnica art. 3. quæſtiunc. 4.* dum in fine corporis docet *in anima Chriſti vnum tantùm dari habitum, quo cognoſcat res per inditam ſcientiam*: quibus verbis ſatis ſignificat, habitum ibi accipi pro lum ne. Idem clariùs ſignificat D. Thomas *in dicta quæſtiunc. 4. ad 3.* vbi propter luminis claritatem non admittit in ſcientia infuſa Chriſti diuiſionem habituum, quod ſatis efficaciter arguit vnitatem luminis: nec enim claritas luminis impediret habituũ diuiſionem, ſi plura eſſent lumina.

15. D. Thom.

Eandem luminis vnitatem ſatis inferunt verba Diui Thomæ *3. p. q. 11. art. 6. ad 3.* vbi ex eo, quod lumen infuſum eſt communis ratio intelligendi, quæ in ſciẽtia infuſa Chriſto reuelantur, infert in ea dandas eſſe proprias ſpecies ſingularum rerum: quæ illatio non teneret, ſi in Chriſto plura eſſent lumina: licet enim illa lumina ſub ratione communi luminis non ſatis eſſent ad diſtinctam rei cognitionẽ; quia omnia illa lumina in ratione luminis cõuenirent: tamen illa ſub propria ratione luminis, qua inter ſe diſtinguerentur ſatis eſſent ad cognoſcendam rem, cuius quodque eſſet lumen. Ad quod non aduertit Cabrera *in dicta diſp. 6. n. 8.*

Cabrera nõ bene aduertit.

16. Quare non dubito Diuum Thomam in Chriſto vnum tantum lumen admiſiſſe. Cui ſuffragatur, quia in dicta ſolutione ad tertium ſatis ſignificat lumen infuſum ita ſe habere ad omnes res reuelatas, ſicut ſe habet intellectus agens ad res naturales; quaſi eodem modo lumen illud ſit communis ratio intelligendi reuelata, quo lumen intellectus agentis eſt communis ratio intelligendi naturalia. Iam verò lumen intellectus agentis eſt vnum. Ob quam rationem puto hanc fuiſſe mẽtem Caietani *in dicta q. 11. art. 6. §. In reſponſione ad 3.*

Hæc ſentẽtia eſt Diui Thomæ.

Caietan.

17. Quod ſint plura lumina?

D. Bonauẽtura nihil.

Alij putant lumen illud non eſſe vnũ, ſed plura. Pro qua ſententia communiter citatur D. Bonauentura *in 3. diſt. 14. art. 3. q. 2*: ſed ibi nihil agit de lumine, ſed de habitibus, quos docet eſſe plures: nec ex eo colliges lumen idem eſſe, quòd habitum: quare ex eo, quòd docet, in Chriſto dari plures habitus, non benè colligitur, eum admittere plura lumina: nam D. Thomas in hac ſcientia admittit plures habitus *3. p. q. 11. art. 6.* & tamen non admittit plura lumina, vt iam oſtendimus. Eadem ſententia communiter tribuitur Caietano *1. 2. q. 54. art. 4. §. Quoad quartũ poſt medium, verſiculo, in 3. demum ſententiarum.* Sed in illo loco nullum verbum ſcribit de vnitate, vel pluralitate luminis: ſed ſolùm dicit, Diuum Thomam emendaſſe ſententiã; quare non video quomodò Caietanus in illo loco poſsit citari pro pluralitate luminis. Nec ego vllum inuenire potui, qui hanc luminis pluralitatem probaret; quamuis Suar. in dicta diſp. 29. ſect. 3. in principio teſtetur, plures docuiſſe in Chriſto dari, & plures habitus, & plura lumina: putetq; opinionem eſſe probabilem, ſi benè explicetur in dicta ſect. 3. §. *Secundum fundamentum*, in vltimis verbis.

D. Thom.

Caiet. non eſt pro hac ſententia.

18. Non omnes conueniunt quidnã ſit illud lumẽ?

1. opinio. Marſil. Suarius.

Auctores ſingularum opinionum non omnino inter ſe conueniunt. Qui vnum tantùm lumen admittunt, inter ſe cõtrouertunt, quidnam illud lumen ſit? Quidã illud non diſtinguunt à lumine gloriȩ, vt Marſilius vbi ſuprà, quæ opinio aplaudet Suario, quam abſque dubio probaret, niſi eſſet noua, vt patet in dicta *diſp. 29. ſect. 4. in tertio dicendi modo, & in fine ſectionis.* Hæc ſententia alijs non placet, ſed lumen iſtud diſtinguũt à lumine gloriæ. In quo teſte Suario ferè omnes cõueniunt. Vtrũ verò lumen iſtud ſit habitus diſtinctus à ſcien-

2. opinio.

ſcientia infuſa; an verò ſit ipſa? non ſatis
Vtrum lumen ſit diſtinctum ab habitu infuſo? declarant auctores huius opinionis. Quidam hanc poſteriorem ſentētiam amplectuntur, in quam ſatis inclinat Medina in dicta *q. 11. art. 6. in vltimis verbis*; quibus ſatis ſignificat, habitum ſcientiæ infuſæ eſſe ipſum lumen, ſicut habitus fidei eſt lumen fidei.
Quorundā opinio. Quæ ſententia nonnullis iunioribus probatur. Alij, licet admittant in Christo vnum tantum habitū ſcientiæ infuſæ, diſtinctum à ſpeciebus; illum tamen diſtinguunt à lumine infuſo.
Aliorū opinio. Quam ſentētiam inter alios ſatis probat Molina in ſcriptis *ad dictam quæſtionē 11. art. 4. propoſitione. 2. & ſatis art. 6.*
Molina. Sed nullus eorum declarat, quidnam ſit hoc lumen: quanuis omnes doceant, illud eſſe eiuſdem ordinis cum ſcientia infuſa, & eſſe longè excellentius, quàm ſit lumen infuſum Angelis.

19. Alia quæſt. an lumē diſtinguatur à ſpecie? Nec ſolùm inter ſe diſſentiunt, qui in Chriſto vnum tantùm lumē admittunt; ſed etiam, qui in eo plura ponunt: ſi vera ſunt, quæ de illis ſcribit Suar. *in dicta diſp. 29. ſect. 3. in prima ſententia*. Nam quidam, cum hoc lumen à ſpecie non diſtingant, tot ponunt lumina in hac ſcientia, quot ſpecies.
Variæ ſententiæ. Alij licet lumen à ſpecie diſtingant, tot ponūt lumina, quot ſpecies, quaſi multiplicatio luminum per ſe conſequatur ad multiplicationem ſpecierum: lumina tamen non diſtinguunt ab habitibus. Tertiam ſententiam refert Suar. in dicta ſect. 3. §. *Secundum fundamentum*, quæ non diſtinguit lumen ab habitu; vnde ſicut duos tantùm admittit habitus, vnum circa res naturales; alterum circa ſupernaturales; ita etiam duo tantùm admittit lumina: addunt tamen lumē, quod circa ſupernaturalia verſatur, non diſtingui à lumine gloriæ; ab eò tamen diſtingui, quod eſt circa naturalia.

Hæc diximus pro oſtendenda difficultate quæſtionis, quæ benè colligitur
20. Concluſio. ex opinionum varietate. Quam hac vnica concluſione diſſoluimus. *Lumen infuſum animæ Chriſti eſt vnum tantùm*. Statuitur pro prima opinione. Et quanuis
1. probatio hæc concluſio longiorem poſtulet diſcutionem ſpectantem ad materiam de ſcietia indita Chriſto: illam tamen primum confirmamus; quia abſq;.e dubio eſt opinio Diui Thomæ, vt iam oſtendimus.
21. 2. probatio Secundò; quia eſt cōmunis; nec inueni, qui expreſſè doceat in hac Chriſti ſcientia dari plura lumina: etenim nec D. Bonauentura, nec Caietanus in contrarium citati loquuntur de lumine huius ſcientiæ, ſed ſolùm de habitu, vt iam aduertimus. Nec Suarius, qui in *dicta ſection. 3. in principio, & inferiùs §. Secundum fundamētum*, aſſerit plures eam docuiſſe; nullum tamen alium doctorem nominat, niſi D. Bonauenturam, & Caietanum, qui tamē eam non docent.

Tertiò; quia de lumine intellectuali in quocunque intellectu oportet nos loqui 22. 3. probatio
ad ſimilitudinem luminis corporalis, vt D. Thom.
ſæpè docet D. Thomas, & expreſſè de *Veritate q. 9. artic. 1. in principio, & 1. p. q. 12. art. 1. ad 1*: lumen autem corporale eſt vnum. ¶ Quartò; quia ex eodem D. 23.
Thoma ita ſe habet hoc lumen ad obiecta 4. probatio
ſcientiæ infuſæ, ſicut lumen intellectus agentis ad obiecta nobis connaturalia, vt docet 3. p. q. 11. art. 6. ad tertium: lumen autem intellectus āgētis in nobis eſt vnū.
Quintò; quia lumen intellectuale non ſo 5. proban.
lùm in nobis eſt vnum, ſed etiam in Angelis, vt oſtendimus; & vnum erit in beatis, vt inferiùs dicemus; vnū fuit in Adamo, & vnum eſt in anima ſeparara, vt inferiùs patebit. Cur igitur non erit etiam
vnum in hac Chriſti ſcietia? Sextò; quia 6. probatio
vnum lumen ſatis eſt, vt ſub illo, tanquā medio *ſub quo* diuerſa illuminentur, vt patet in lumine corporeo, & in intellectuali noſtri intellectus, & Angelici.

Poſtremò; quia nihil cogit hæc lumi- 24.
na in Chriſto multiplicare; etenim falſū
eſt hoc lumen non diſtingui à ſpeciebus, Poſtrema.
vt ſtatim dicemus. Falſum etiam eſt, obiecta diuerſa, quorum alia ſunt ordinis inferioris, alia ſuperioris, neceſſariò poſtulare diuerſa principia, diuerſos habitus, & diuerſa lumina; quoniam obiecta ordinis inferioris poſſunt contineri ſub obiecto luminis ſuperioris, modo tamen nobiliori, & abſtractiori, quàm contineātur in lumine inferioris ordinis, vt docet
communis Philoſophia, & idem Suarius Suarius.
1. *tom. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 1. §. Dico tamen primò, pag. 535. C. 2. & diſp. 29. ſect. 4. §. Tertius tandem modus*: nam obiecta ſenſibilia, vt intelligibilia ſunt, ſūt diuerſorum ordinū; & tamen, quia lumen intellectus eſt ordinis altioris, quàm lumen ſenſibile, ideò obiecta ſenſibilia con tinentur ſub obie-

obiecto intellectualis luminis, & ab eo attinguntur, modo tamen nobiliori, & abſtractiori. Obiecta itē materialia, & im materialia ſūt diuerſorū ordinū, vt patet; & tamen, quia lumen Angelicum eſt altioris ordinis, quàm humanum, ideò materialia ipſa attingi poſſunt à lumine Angelico. Quare licet res naturales ſint diuerſi ordinis ab ordine ſupernaturalium; adhuc tamen poſſunt attingi ab vno, & eodem lumine Chriſti, cum ſit longê altioris ordinis, quàm ſit lumen naturale; vnde ab eo altiori modo colluſtrantur.

25. *Suarius.* Ob quas rationes idem Suarius in dicta *diſput.* 27. fatetur lumen ſcientiæ infuſæ ideò, quia eſt ordinis ſuperioris ſub ſuo obiecto comprehendere, non ſolùm res ſupernaturales, ſed etiam naturales, attingendo illas nobiliori modo. In eodem etiam loco §. *Et hinc facilè ſoluitur.* Fatetur, eandē rē cognoſci poſſe diuerſis luminibus. Quare non video, cur Suar. *in dicta diſputatione* 29. *ſect.* 3. §. *Secundum fundamentum, pag.* 557, *C.* 2. admiſerit tanquam probabile fundamentum ſententiæ, quòd in Chriſto ſupernaturalia vno lumine cognoſcuntur, & alio naturalia: nullam enim in hoc video probabilitatē. Statuimus igitur lumē ſcientiæ inditæ in Chriſto eſſe vnum tantùm.

§. 4.

Hoc lumen eſſe ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam.

26. *Infuſum p ſe duobus modis dicitur.* VT intelligamus in quo ſenſu hoc Chriſti lumen ſit per ſe infuſum; aduertimus duobus modis aliquid poſſe dici infuſum per ſe. Vno modo; quia non poteſt acquiri actione alicuius agentis naturalis, ſed ſola infuſione Dei; quomodò, & lumen, & ſpecies Angelorum dicuntur per ſe infuſa: hæc tamen infuſio non tollit, quin forma ipſa ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ordinis naturalis: ſpecies enim Angelorum, & lumen naturale illorum ſunt entia naturalia ſecundum ſubſtantiā, quia ſunt perfectiones naturaliter illis debitæ; vnde pertinēt ad Deum Autorem naturæ, cuius opera ſunt naturaliter perfecta. Altero modo dicitur aliquid per ſe infuſum, quia ex ſe eſt ordinis ſupernaturalis pertinens non ad naturam, ſed ad gratiam, quę ex ſe vēdicat, vt infundatur à Deo, vt ab autore ſupernaturalis gratiæ. Et quæ iſto modo ſunt per ſe infuſa, ſunt ſupernaturalia ſecundùm ſuam ſubſtantiam.

Dubitari iam poteſt, ad quodnam genus infuſionis lumen infuſum animæ Chriſti pertineat? Cui quæſtioni abſque dubio reſpondendum eſt, illud pertinere ad poſterius genus. Quod ex eo probatur; quoniam hoc lumen eſt eiuſdem ordinis cum ipſa ſcientia Chriſto indita; & cum ſpeciebus illi infuſis: ſcientia autem Chriſti, & ſpecies illius ſecundum ſubſtātiam ſūt ſupernaturales, & infuſæ à Deo, vt eſt autor gratiæ, & beatitudinis, vt doctè aduertit Suar. in dicta *diſp.* 27. *ſect.* 1. *dicto.* 1. *pag.* 536. *C.* 1. *& poſt eum Bellom.* 1. *p. diſp.* 200. *c.* 3. *n.* 12. & id tanquam veriſsimum ſupponimus, ſatis ad mentem Diui Thomæ 3. *p. q.* 11. *art.* 4. *& Richard. in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *q.* 4. vbi doctiſsimè aduertit, & cum eo Suar. perfectionem hāc ſcientiæ, & luminis eſſe Chriſto debitam ratione vnionis hypoſtaticæ tanquā proprietatem conſequentem ipſam vnionē, & tanquam ornamentum illi veluti connaturale: quoniam ex hac vnione habet Chriſtus Dominus, quòd ſit autor totius gratiæ, & gloriæ; vnde ad eum per ſe ſpectabat, cognoſcere etiam ea, quæ naturaliter, nec ab homine, nec ab Angelo cognoſci poſſunt; ſiue illa ſint ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam (vt ſunt omnia myſteria gratiæ & gloriæ) ſiue naturalia: excedentia tamen naturalem virtutē cuiuſcunque intellectus creati: qualia ſunt cogitationes cordiū, actus liberi arbitrij, & futura contingentia: quæ omnia Chriſtus cognouit per ſcientiā inditā; ad quæ tamen non ſe extenderet, niſi ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſet ſupernaturalis.

27. *In quo ſenſu lumen Chriſti ſit per ſe infuſum?* — *Eſt infuſū ſecūdo modo.* — *Suarius.* — *D. Thom.* *Richard.*

28. *Lumē iſtud eſt ſupernaturale ſecūdum ſubſtātiam.* Admittendum eſt igitur lumen huius ſcientiæ ſubſtantialiter eſſe ſupernaturale, & illius infuſionem pertinere ad Deū, non quidem autorem naturæ, ſed gratiæ, gloriæ, & vnionis hypoſtaticæ. Et ad hūc ſenſum dicimus, hoc lumen eſſe altioris ordinis, quàm ſit lumē infuſum Angelis. *D. Thom.* Quæ doctrina ſatis eſt de mente D. Thomæ *in dicta q.* 11. *art.* 4. vbi hoc lumen appellat ſpiritualis gratiæ, & art. 6. ad 3. ait hoc lumen eſſe diuinitus infuſum ad ea, quæ diuinitus reuelantur, & hæc omnia etiam ſcribit in 3. *diſt.* 14. *q. vnica art.* 3. *ad* 1. *quæſt. & ad* 2. *in corp. & ad* 1: in quibus

locis idem eſt diuinitus infundi, & reuelari, quod infundi, & reuelari ſupernaturaliter: quæ reuelatio non ſolùm extenditur ad obiecta ſupernaturalia, ſed etiam ad naturalia; quia etiam hæc modo ſupernaturali reuelari poſſunt.

§. 5.
Hoc lumen diſtingui à lumine gloriæ.

29. *Lume hoc diſtinguitur à lumine gloriæ.* SVpereſt explicandum, quidnam ſit lumen iſtud Chriſto infuſum? ſit prima propoſitio. *Hoc lumen diſtinguitur à lumine gloriæ*. Hanc ab omnibus probari teſtatur *Suarius.* Suar. *in dicta diſp. 29. ſect. 4. in ſecundo dicendi modo, & in fine articuli*: nullum tamen pro ea doctorem citat. *Bellom.* Probat eam Bellomont. 3. *p. diſp.* 54. *c.* 2. *n.* 4. latè *Cabrera.* Cabrera 3. *p. tom.* 1. *q.* 11. *artic.* 6. *diſp.* 5. vbi pro eodem ſumit ſcientiam infuſam, & lumen gloriæ: quod ſi verum *Fundamentum nō probatur.* foret, concluſio iſta eſſet omnium Theologorum: omnes enim ſupponunt ſcientiam iſtam in Chriſto diſtingui à ſcientia beata: hoc tamen fundamentum non eſt omninò certum; quia non omnes fatentur, lumen infuſum in Chriſto realiter eſſe ipſam ſcientiam infuſam, vt ſtatim videbimus. Hac autem ſententia ſuppoſita hæc conſequentia non eſſet ſatis firma: *Scientia infuſa Chriſti eſt alia à ſcientia beata, ergo & lumen infuſum eſt aliud à lumine gloriæ*: dicerent enim aduerſarij, lumen gloriæ eſſe poſſe principium videndi diuinam eſſentiam, & res in ea, & principium cognoſcendi res in proprio genere: nec enim deſunt, qui hoc admittant in cognitione veſpertina beatorum: quare oportebat probare hæc duo, non poſſe lumini gloriæ conuenire.

30. *Verum fūdametum.* Quare vera probatio propoſitionis eſt hæc: quoniam lumen gloriæ per ſe ſpecificatur à diuina eſſentia, vt diuina eſt; ita, vt ratio diuinitatis ſit formalis, & adæquata obiecti ipſius luminis, vt inferiùs oſtendemus. Ergo lumen gloriæ in nullum obiectum poteſt tendere illuminando, niſi ſub formali ratione diuinitatis, ita, vt & in ipſam diuinam eſſentiam tendat, & in res, quas in ea videt, quatenus per eam repræſentantur. Ergò lumen gloriæ nullo modo poteſt directè tendere in res creatas, vt ſunt in proprio genere, ſed præciſè, vt ſunt in verbo, & in eo repræſentantur: nullus enim habitus poteſt tendere in ea, quæ ſunt extra ſuam formalem rationem.

Ex hoc fundamento infertur generalis demonſtratio, quòd lumen infuſum *31. Oſtenditur concluſio.* in Chriſto diſtinctum ſit à lumine gloriæ: nam ſicut in habitibus intellectualibus diſtinctio ſpecifica ſumitur ex modis tendendi in obiecta formaliter diſtinctis; quia habitus per ſe ſpecificantur ex ſuis obiectis formaliter ſumptis, vt vera habet Philoſophia; ita etiam in luminibus intellectualibus diſtinctio ſpecifica ſumetur ex modis illuminandi formaliter diuerſis; ſed lumen infuſum Chriſti habet modum illuminandi formaliter diuerſum à modo illuminandi luminis gloriæ: quia illuminat ſua obiecta, vt ſunt in ſe ipſis, & ſub ratione, quam habent in ſe ipſis, abſtractiore, vel minus abſtracta, vt omnes agnoſcunt: lumen autem gloriæ, vt dictum eſt, illuminat eaſdem res, vt ſunt in verbo, & quatenus in eo ſunt. Ergo lumen animæ Chriſti formaliter, & ſpecificè diſtinguitur à lumine gloriæ.

Confirmatur; quoniam lumen, quo 32. *Confirmatur.* beati; ſiue homines, ſiue Angeli, cognitione veſpertina cognoſcunt res in proprio genere, eſt diſtinctum à lumine gloriæ, quo cognitione matutina, & beata cognoſcunt verbum, & res in eo, vt dicemus libro 11. Ergo lumen, quo Chriſtus per ſcientiam inditam cognoſcit res in proprio genere erit diſtinctum à lumine gloriæ, quo res eaſdem cognoſcit per ſcientiam beatam. Conſequentia patet; quoniam cognitio Chriſti per hanc ſcientiam eſt quędam cognitio veſpertina communicata Chriſto, etiam, quando fuit viator. Quare, ſi in beatis lumen cognitionis veſpertinæ diſtinguitur à lumine glorię, etiam diſtinguetur in Chriſto.

Hanc concluſionē non admittit Mar- 33. *Marſilius, & Suarius ſunt contrarij.* ſilius *in* 3. *quæſtione* 10. *articulo* 2. *in quarta parte articuli, concluſione* 4. *& ſatis in negationem illius* inclinat Suarius *in dicta diſputatione* 29. *ſectione quarta*, §. *Tertius tamen modus dicendi*, & in eam iret, niſi noua foret. Vnde contra noſtram propoſitionem multis inſurgit: & vis totius *Fundamentum Suarij.* diſcurſus in hoc eſt poſita; quia lumen gloriæ eſt ſufficiens principium ad cognoſcendum ſe ipſum, & alia à ſe in proprio genere. Ergo erit ſufficiens principium

cipium ad cognoſcenda obiecta ſcientiæ inditæ in Chriſto. Conſequentiam indè deducit; quia obiecta huius ſcientiæ ſunt eiuſdem ordinis cum lumine glorię, nec ſunt perfectiora, quàm illud, nec denique ad illa cognoſcenda maior virtus requiritur, quã ſit virtus luminis gloriæ. Antecedẽs multis probat: & primò; quia nullum aliud intellectuale lumen videtur eſſe ita accõmodatum ad habendam ſciẽtiam perfectam in proprio genere, ſicut eſt ipſum lumen gloriæ; eſt enim cæteris perfectius. Secundò; quia ad cognoſcendum ipſum lumen gloriæ ſine cauſa requiritur aliud lumẽ perfectiùs; cum perfectius dari non poſsit. Tertiò; quia lumẽ Angelicum, & quodcunque aliud intellectuale clarum, & euidens, eſt ſufficiens principium manifeſtandi ſe ipſum. Hæc eſt vis totius diſcurſus.

34. Confirmatio 1. Confirmat eundem; quoniam virtus, quæ verſatur circa obiectum, quod eſt tale per eſſentiam, poteſt attingere participationes illius obiecti, quæ pertinent ad eundem ordinem: nam potentia, quæ eſt principium videndi lumen, eſt etiam ſufficiens ad videndos colores: & charitas, quæ amat Deum propter bonitatem increatam, eſt ſufficiens ad amandum ſe ipſam, & proximum propter ſanctitatem ſupernaturalem creatam.

35. 2. confirm. Cõfirmatur ſecundò; quia lumen Angelicum reſpicit propriam eſſentiam Angeli tãquam obiectum maximè propriũ; & tamen ſimul extenditur ad cognoſcẽdas res alias per proprias ipſarum ſpecies. Ergo quanuis lumen gloriæ reſpiciat eſſentiam diuinam, vt obiectum maximè proprium, & proportionatum, extendi poteſt ad cognoſcendas res alias per proprias ipſarum ſpecies.

36. Poſtrema. *D. Thom.* Poſtremò; putat hanc ſententiam non eſſe omninò alienam à Diuo Thoma 3. *p. q.* 11. *art.* 4. *&* 6. Hæc adduximus ex Suario contra noſtram propoſitionem.

37. Ad 1. Sed parum vrgent; quia facilè ſoluuntur ex præiacto fundamento, & ea diſſoluit Cabrera in dicta *diſp.* 5. *n.* 11. Ad primũ iure optimo negat antecedens, quidquid ſit de conſequentia: nec ego video, vnde antecedens potuerit Suario apparere per ſe clarum. Quæ autem in illius cõfirmationem adducuntur, ſatis oſtendũt noſtrum fundamentum non eſſe ſatis penetratum. ¶ Ad primam probationem antecedentis negat Cabrera id, quod ſumitur; quia lumen gloriæ ex ſe non eſt accommodatum ad cognoſcendum, aut ſe ipſũ, aut alia in proprio genere. Quòd autem non ſit accõmodatum, facilè oſtẽditur; quia nec ipſum lumen gloriæ, nec alia, vt in proprio genere ſunt cognoſcibilia, continentur ſub formali ratione, ſub qua illud tendit in ſuum obiectum: quoniam, nec poteſt directè tendere in aliquod obiectum, niſi ſub ratione diuinę eſſentię, vt diximus: iam verò ſub hac nec in ſe ipſum poteſt tendere, nec in alia, vt in proprio genere ſunt cognoſcibilia: etenim ſub illa ratione nec tendit, nec poteſt tẽdere, niſi in verbum, & in res in verbo. Quare illud ſolum lumen erit accommodatum ad cognoſcendum lumen gloriæ in ſe ipſo, & in proprio genere, ſub cuius formali ratione ipſum lumen, vt in ſe ipſo eſt quoddam ens, cõprehenſum fuerit. 38. Ad 1. probationem antecedentis.

Et eadem ratione illud ſolũ lumen erit accommodatum ad cognoſcendas res in proprio genere, quod ſub ſua formali ratione illas comprehenderit. Vtrùm verò lumen infuſum animæ Chriſti directè tẽdat ad cognoſcendum ipſum lumen gloriæ, vt eſt in proprio genere? alterius eſt quæſtionis. Ego puto partem affirmantẽ eſſe veram: quia cognitio ipſius luminis glorię in quocunque beato; & ipſius gratiæ conſummatæ; imò etiam ipſius viſionis beatæ materialiter ſumptæ, pertinet ad perfectionem animæ Chriſti ratione vnionis. Oppoſitũ dicam de lumine cognitionis veſpertinę, quod datur in beatis. Si verò inquiras, vtrùm lumen accõmodatum ad cognoſcendum ipſum lumen gloriæ in ſe ipſo debeat eſſe ipſo perfectius? negatiuè reſpondebo; quia obiectũ luminis gloriæ eſt longè perfectius ipſo lumine. Inde inferes lumen eſſe accõmodatum ad cognoſcendum ipſum lumen gloriæ in ſe, non pendere ex maiore, vel minore perfectione luminis. Vnde futilis eſt probatio adducta ad confirmandũ id, quod negatur. 39. Vtrum per lumen in Chriſto cognoſcatur lumen gloriæ? Affirmatio vera.

Ex quo patet, quàm futilis etiam ſit ſecunda probatio antecedentis: nec enim ad cognoſcendum ipſum lumen gloriæ in ſe requiritur lumen ipſo perfectius; quin potiùs non poteſt non eſſe minus perfectum, vt immediatè diximus. 40. 2. probatio inutilis.

41. Ad 3: *Cabrera.* Ad tertiam probationem antecedentis non ſatis accommodatè reſpondet Cabrera *in dicta diſp. 5. num. 12*: facilè tamen diſſoluetur, ſi dicamus id, quod ſumitur, verum quidem eſſe in lumine Angelico, non tamen in quocunque lumine. Pro cuius explicatione aduertimus, triplex genus luminis diſtingui poſſe. Primum illius, quod in ſua propria entitate eſt eiuſdem ordinis cum ſuo obiecto adæquato: cuius eſt generis lumẽ corporale: hoc enim in ſua entitate eſt ordinis corporei cum ſuo obiecto, quod eſt viſibile corporeum.

42. Triplex genus luminis. Secundum genus eſt illius luminis, quod in ſua entitate eſt altioris ordinis, quàm ſit proprium ſuum obiectum: tale eſt lumen intellectus agentis in nobis, cuius obiectum adæquatum eſt quidditas rei materialis, quia hanc ſolam poteſt illuminare: cũ tamen propria entitas agentis intellectus ſit immaterialis, & ſubinde ordinis ſuperioris, quàm ſit ſuũ obiectũ.

43. Tertium denique genus luminis eſt, quod in ſua entitate eſt ordinis inferioris, quàm ſit ſuum obiectum: huius generis eſt lumen gloriæ, cuius obiectum, nẽpè diuina eſſentia, eſt ordinis longè altioris, quàm ſit entitas ipſius luminis: cum
44. diuina eſſentia ſit ordinis increati, entitas verò luminis ſit creati ordinis. ¶ Dicimus igitur id, quod in probatione ſumitur verum eſſe de lumine primi generis: quia entitas huius luminis continetur ſub ratione formali proprij obiecti; vnde ſicut illuminat alia, quæ ſub ſuo obiecto formali continentur; ita illuminare poteſt ſe ipſum ſuo proprio lumine, vt patet: lumẽ enim corporeum, ideò ſe ipſum illuminat, & ſuo proprio lumine videtur, quia in ſe ipſo eſt quoddam obiectum corporaliter viſibile, quam Philoſophiam ſupponimus ex libris de Anima.

Oppoſitum dicendum eſt de lumine
45. ſecundi, aut tertij generis: neutrum enim ſatis eſt, vt illuminet ſe ipſum: hoc patet in lumine intellectus agentis: hoc enim non eſt ſatis, vt ſe ipſo in ſua entitate cognoſcatur; ſed ſicut indiget ſpecie altioris generis, per quam in proprio genere intellectui poſſibili repræſentetur (nec enĩ poteſt repræſentari per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus) ita etiam indiget ſuperiori lumine, quo illuminetur, vt poſſit per propriam ſpeciẽ in ſe ipſo cognoſci. Eiuſdẽ generis erit lumen infuſum, quod animæ in ſua ſeparatione ſimul cum ſpeciebus infuſis communicatur: vnde nec ipſa anima ſeparata ſuũ intellectum agẽtem videbit per lumen ipſius intellectus agentis, ſed per aliud ordinis ſuperioris. Patet id ipſum in lumine gloriæ, quod ad tertium genus pertinet: hoc enim per ſe ipſum cognoſci non poteſt, quia in ſe ipſo eſt extra formalem rationem ſui obiecti, vt diximus. Quare ſicut, vt in ſe ipſo cognoſcatur, indiget ſpecie diſtincta alterius ordinis ab ea, qua cognoſcitur Deus; ita vt in ſe ipſo obiectiuè illuminetur, indiget alio lumine inferioris ordinis, vt ſæpè diximus. ¶ Porrò lumen Angelis in-
ditum pertinet ad primum genus lumi- 46.
nis; quoniam in ſe ipſo eſt eiuſdem ordinis cum ſuo obiecto adæquato, & ſub illo per ſe continetur; & ideo poteſt ſe ipſum illuminare, vt in ſe ipſo ſe ipſo videatur. Quare ad tertiam probationem antecedentis admittimus lumen Angelicũ poſſe ſe ipſum manifeſtare; negamus tamen hoc cuicunque lumini conuenire, vt ex dictis patet. Et ita ſolutum manet fundamentum Suarij.

Ad primam confirmationem admittimus, doctrinam datã in terminis, in quibus proponitur: quia participationes talis obiecti, cum ſint eiuſdem ordinis, vt proponitur, continentur ſub eadem ratione formali ſui obiecti, vt patet in exẽplis adductis: inde tamen non benè infertur lumen gloriæ ſufficiens eſſe, vt in proprio genere ſe ipſo ſe ipſum illuminet: quoniam ſumptum in proprio genere non eſt eiuſdem ordinis cum ſuo obiecto, vt ſæpè diximus. 47. Ad primam cõfirmationem.

Ad ſecundam confirmationem reſpõdemus, lumen Angelicum per ſe primò reſpicere obiectum, quod intellectui Angeli eſt intenſiuè adæquatum; ex conſequenti verò, & ſecundariò reſpicere omnia obiecta contenta ſub illo, inter quæ eſt ipſa Angeli ſubſtantia: licet enim illa ſit primum obiectũ ſui intellectus in hoc ſenſu, quia primò omnium cognoſcitur; non tamen eſt primum in hoc ſenſu, vt in eo cognito cætera cognoſcantur. Iam verò lumen gloriæ ita reſpicit diuinam eſſentiam, vt nihil, niſi ſub ratione illius reſpiciat, & prout in ea cõtinentur: vnde eſſen- 48. Ad 2.

eſſentia diuina ideò eſt obiectum primarium, quia in ea cognoſcuntur cætera, quæ à beato viſione beatifica cognoſcuntur. Tale autem non eſt ipſum lumen gloriæ, vt in proprio genere eſt cognoſcibile, vt iam diximus.

49. Ad vltimũ. Ad poſtremum mirum eſt, quòd dicat Suarius non eſſe alienum à ſententia Diui Thomæ, quòd lumen Chriſto inditum ſit ipſum lumen gloriæ: nec enim video, quomodò id colligatur, aut ex eò, quòd quæſtione 11. artic. 4. lumen Chriſto infuſum appellet lumen ſpiritualis gratiæ; aut ex eo, quòd articulo ſexto diſtingat habitus huius ſcientiæ ratione ſpecierum; aut denique ex eo, quòd in dicto art. 6. ad tertium dicat, lumen diuinitus infuſum eſſe communem rationem intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur: etenim eſſe lumen ſpiritualis gratiæ non conuenit ſoli lumini gloriæ; cum lumen fidei etiam pertineat ad gratiam ſpiritualem. Quòd verò habitus ſcientiæ infuſæ ſolùm diſtingantur ratione ſpecierum, non arguit lumen, quo illæ ſpecies illuſtrantur, eſſe lumen gloriæ: ſicut etiã illud non arguit lumen infuſum eſſe communem rationem intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur: nam lumen fidei eſt communis ratio intelligendi, quæ reuelantur per fidem. Certa igitur & indubitata ſit noſtra prima propoſitio.

§. 6.

Ponuntur aliæ propoſitiones.

50. Hoc lumen diſtiguitur à ſpeciebus. *Richard.* *Caietan.* SIt ſecunda propoſitio. Hoc lumen infuſum animæ Chriſti diſtinguitur à ſpeciebus inditis. Hæc eſt Richardi *in* 3. *diſtinct.* 14. *articul.* 3. *quæſt.* 4. quatenus ſupponit in hac Chriſti ſcientia dari vnum tantum lumen; ſpecies autem eſſe plures. Eandem ſupponit Caietanus 3. *p. q.* 11. *artic.* 6. §. *In reſponſiene ad tertium, vbi etiam Medina, docet Bergomenſis in concord. dub.* 1216. *probat Suar. in dicta diſp.* 29. *ſect.* 2. *&* 3. Hoc lumen realiter eſſe diſtinctum à ſpeciebus ſcribit *Cabrera* 3. *p.* 1. *tom. q.* 11. *art.* 6. *diſp.* 4. *concl.* 2. *n.* 13. Deniqne eſt receptiſsima ſententia inter Nouiores: omnes enim affirmãt hanc ſententiam eſſe Diui Thomæ: etenim, ſi diligentiùs expendantur, quæ docet *in* 3. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. *in fine, & ad tertium, atque etiam* 3. *p. q.* 11, *art.* 6. *ad tertiũ,* vnum tantùm lumen recipit in hac ſcientia, vt diximus §. 3: conſtat autem eum plures ſpecies in ea admiſiſſe, vt patet in *dicta diſt.* 14. *q.* 1. *quæſtiuncula* 4. *& in dicta q.* 11. *art.* 6. *& in corp. & ad tertiũ.* Ex quo 1. confirm. fundamento euidenter infertur veritas ſecundæ propoſitionis: nam ſi ſpecies sũt plures, & lumen vnum tantùm; non poteſt lumen non diſtingui realiter à ſpeciebus. Accedit; quia lumen eſt medium ſub quo cognoſcuntur, quæ per ſpecies 2. cognoſcuntur; ſpecies autem ſunt mediũ quo intellectus cognoſcit, quæ per eas repræſentantur. Denique lumen illuminat ipſas ſpecies, & ſpecies illuminantur 3. à lumine, vt diximus artic. 1. §. 3. & 4. ad primum. Igitur nec lumen eſt ſpecies, nec ſpecies lumen.

Margin: *Medina.* *Bergom.* *Cabrera.* *D. Thom.*

51. Vtrum hoc lumẽ diſtinguatur à ſcientia infuſa? dubium. Tertia propoſitio: Vtrùm lumen iſtud ſit qualitas, diſtincta à ſcientia infuſa? An verò realiter ſit ipſa ſcientia? res eſt ſatis dubia. Quidam illud à ſcientia non diſtinguunt, vt Suarius 1. *tomo ad tertiam partem diſputatione.* 29. *ſectione.* 2. *in principio, ſatis Medina tertia parte quæſt.* 11. *art.* 6. *in fine,* eandem ſupponit *Richardus in* 3. *diſtinct.* 14 *art.* 3. *quæſt.* 4. cum Cabrera *in dicta q.* 11. *artic.* 6. *in omnibus ferè diſputationibus maximè diſputatione* 4. *&* 5. in quibus lumen pro habitu ſcientiæ, & habitum ſcientiæ pro lumine indeſcriminatim ſumit, quaſi ſupponat, lumen & ſcientiam idem eſſe; denique ex Recentioribus plures eam ſequuntur in ſuis prælectionibus ad 3. p. quæſt. 11.

Margin: *Suarius.* *Medina.* *Richard.* *Cabrera.*

52. Aliorũ opinio. Alij volunt præter lumen dari in Chriſto habitum ſcientiæ infuſæ diſtinctum à lumine. Hoc quibuſdam placuiſſe refert Suarius in dicta ſectione 2. in princ. placuit Molinæ in ſuis ſcriptis ad *dictam quæſtionem* 11. *art.* 4. *propoſit.* 2. *& artic.* 6. Facilè cum hac ſententia conſentient, qui ſcientiam in Chriſto non diſtinguunt à ſpeciebus: hi enim, cum vnum tantum lumen admittant, & plures ſpecies; admittent etiam vnum lumen, & plures habitus ſcientiæ; vnde præter lumen & ſpecies, nullam aliam qualitatem ponunt.

53. 3. opinio. Oppoſitum tamen docent alij, qui volunt præter ſpecies intelligibiles dari in Chriſto duas qualitates diſtinctas, ſ. lumẽ & habitum ſcientiæ, qui licet vnus ſit, diſtinguitur tamen à lumine, & à ſpeciebꝰ.

Res iſta longiorem poſtulabat diſpu-
54. Propria opinio. tationem. Sententia, quæ præter ſpecies lumen diſtinguit ab habitu ſcientiæ, nũquam placuit Suario: mihi autem nunquam placuit, quæ affirmat lumen idem eſſe, quod habitum ſcientiæ ſola ratione ab ea diſtinctum. Quare præter ſpecies intelligibiles duplex qualitas eſt admittenda in anima Chriſti: vna luminis, vt ſub eo intelligat, quæ per hanc ſcientiam intelligit: alteram ſcientiæ, quæ ſit habitus iudicatiuus concurrens ad aſſenſum eorum, quæ ſub lumine intellectui apparent. Fundamentum ex eo eſt ſumendũ, quia alia eſt ratio luminis, & alia ſcientiæ: ſicut etiam neceſsitas luminis aliunde ſumitur, & aliundè neceſsitas ſcientiæ: etenim habitus intellectualis ſcientiæ, ideò ponitur, vt intellectus iudicium ferat de veritate connexionis terminorũ, qui in ſpeciebus actu repræſentantur. Lumen autem ponitur, tum, vt faciat apparentiam ipſorum terminorum; tum etiã, vt faciat euidentiam connexionis illorũ. Iam verò euidentia terminorum prærequiritur ad aſſenſum, iudiciumvè propoſitionis: ſicut enim intellectus non poteſt iudicãdo aſſentiri propoſitioni, niſi priùs habeat euidentiam connexionis terminorum; ita habitus non poteſt iuuare intellectum ad tale iudicium, niſi præcedat eadem euidentia. Et inde eſt, vt lumen intellectuale ſit medium ſub quo intellectus cognoſcit; habitus verò ſiue principiorum, ſiue concluſionum ſolum eſt medium quo intellectus aut ſimpliciter aſſentitur, aut cum facilitate. Quare, ſi lumen ideò diſtinguitur à ſpecie, quia eſt medium, ſub quo intellectus intelligit; ſpecies autem eſt medium quo determinatè intelligit; ita etiam diſtingueturab habitu; cum habitus ſolum ſit medium, quo intellectus facilè intelligit.

55. Argumentũ pro Suario. Sed obijcit Suarius: quòd ſuperuacaneum ſit, & ſine vllo fundamento, diſtinguere illas duas qualitates; quoniam eadem qualitas, quæ eſt habitus, poteſt dare intellectui facilitatem ad intelligendum, & manifeſtare obiectum, vt poſsit lumen appellari: & ita inter iſta duo ſolùm erit diſtinctio rationis, & ſolius denominationis: nec enim, vt ait, ex effectibus vtriuſque alia diſtinctio colligi po-
Solutio. teſt. ¶ At tamen ex dictis iam patet, quàm ſine fundamento dicatur ex effectis non poſſe aliam diſtinctionem colligi: etenim eſſe medium *ſub quo* intelligendi (quod conuenit lumini) & eſſe medium *quo* (quod conuenit habitui ſcientiæ) longè maiorem arguit diſtinctionẽ: nam ſub vna ratione eſt principium actiuum influens in actum; ſub altera verô minimè, vt ſuperiùs diximus. Et indè colliges eandem qualitatem non poſſe dare intellectui facilitatem ad intelligendum, & manifeſtare obiectum: quia nulla eadem qualitas poteſt eſſe medium *ſub quo* obiectum manifeſtetur, & medium *quo* actus circa ipſum obiectum eliciatur. Nec verum eſt, lumen & habitum, aut præbere intellectui vim intelligendi, aut eam augere. Cum intellectus ex ſe habeat vim intelligendi, quæ nec intendi poteſt, nec remitti; quanuis fateamur vtrumque ſuo modo complere virtutem intellectus abſque hoc, quòd det illi, aut intelligendi vim, aut augmentum.

Obijcit ſecundò; quòd nec lumen fi- 56. 2. argum. pro Suario.
dei requirit habitum à ſe diſtinctum; nec lumen gloriæ; ſed vtrumque eſt vnus habitus, qui, vt manifeſtat veritatem, dicitur lumen; habitus autem, prout dat facultatem operandi. Poſſet etiam obijcere, quòd lumen intellectus agentis non requirit habitum à ſe diſtinctum ad intelligenda prima principia: ſimili modo nec in Angelis præter lumen & ſpecies nullus alius habitus admittitur. ¶ Sed Solutio. hæc nihil obſtant datæ reſolutioni. Nam quod attinet ad fidem, negamus eam non eſſe habitum diſtinctũ à lumine, de quo inferiùs.

Quòd verò attinet ad lumen gloriæ, 57.
admittimus in beatis præter lumen, & ſpeciem non dari habitum diſtinctum. Sed indè non poteſt ſumi argumentum, vt nec talis habitus detur in Chriſto: eſt enim diſpar ratio. Quoniam lumen gloriæ, cum ſit ſupremi ordinis, & longè excellentius quàm cætera lumina, ex ſua excellentia habet, quòd ſit formaliter lumen & virtualiter habitus: ſicut etiam viſio beata eſt formaliter incomplexa, complexa autem, & iudicatiua eminenter, ſiue virtualiter, vt cum communi ſententia diximus libro quarto quæſt. 9. art. 3. §. 2.

Quod attinet ad noſtrum intellectum 58.
reſpe-

An in nobis habitus primorū ſit diſtinctus a lumine intellectus agentis? reſpectu primorum principioru, res eſt ſatis dubia, an præter lumen intellectus agentis, & vim intellectiuam poſsibilis, dandus ſit habitus primorum principiorum ſuperadditus intellectui poſsibili, & diſtinctus à lumine agentis? In qua difficultate opinio, quæ affirmat, fortè magis conſentit cum Ariſtotele, & D. Thoma; ex vtroque non improbabiliter colligi videtur, habitum primorum principiorum (quem Ariſtoteles appellat intellectum) eſſe ſuperadditū intellectui poſſibili; non acquiſitum de nouo, ſed naturaliter inditum, quamuis experientia ipſa perficiatur. Iuxta quam opinionē exēplum intellectus agentis noſtram opinionem potius confirmat.

D. Thom. *Ariſtot.*

59. Sed nec illam infirmabit, ſi admittamus præter ipſum lumen, & vim natiuā poſsibilis non dari aliquem habitum à natura inſitum in ordine ad ſimplicem cognitionem primorum principiorum; ſed ipſum intellectum cum lumine agentis ſatis eſſe ad aſſentiendum primis principijs, & iudicandum de illis; quæ ſententia fuit Richardi *in 3. diſtinctione 33. art. 2. q. 2. & Durand. ibidem quæſ. 1. ad 2. Almaini in Moralibus tract. 1. cap. 17.* vbi citat Scotū: non infirmat, nquam; quoniam licet admitteremus talem opinionem; inde tamē non infertur, non dari habitum diſtinctū â lumine in ſcientia indita animę Chriſti. Ratio diſcriminis inde ſumitur; quoniā ſcientia animæ Chriſti eſt altioris ordinis, & excedit naturalem intelligendi virtutem, tàm noſtri intellectus, quàm Chriſti, & ideo indiget eleuatione, vt poſsit habere efficientiam in actus talis ſcientiæ, vt idem Suar. fatetur in dicta *diſput. 29. ſect. 2. §. Ex his vlterius cōcluditur pag. 556 A. 1.* vbi etiam docet eam ſufficienter nō eleuari per ſpecies infuſas: nos addimus, nec eleuari poſſe per lumen: Cum enim lumen ipſum non habeat efficientiam actiuam in actum intellectus, vt patet in intellectu agente, & in lumine corporeo iuxta veriorem Philoſophiam; non poteſt intellectum eleuare ad talem efficiētiam actiuam. Quæ omnia ſupponimus â nobis alibi probata. A ſufficiente igitur enumeratione bene infertur, neceſſariū eſſe habitum, qui eleuando potētiam faciat, vt ſimpliciter poſsit in tales actus, in quos ſola ſua naturali virtute non poteſt.

Richard. *Durand.* *Almainus* *Scotus.*

Oppoſitum reperitur in noſtro intellectu in ordine ad obiecta ſibi connaturalia ſiue incomplexa, ſiue complexa: ad illa enim omnia ex ſe habet ſufficientem efficientem efficaciam, & actiuitatem, tùm ad notitiam ſimplicem terminorum, tùm ad complexam principiorū, ſi tamen termini per ſpecies repræſententur, & connexio illorum lumine intellectus agentis fiat euidens; & ideo ſuperuacaneus erit habitus ad præcitatos actus. Idem dicendum erit de lumine connaturali Angelorum in ordine ad obiecta cōnaturalia. Et hæc ſatis pro confirmādā tertia propoſitione.

Quarta, & vltima propoſitio: hoc lumen animæ Chriſti infuſum eſt quædam qualitas ſpiritualis ſupernaturaliter perficiens animam Chriſti Domini, quatenus eſt quoddam diaphanum, ſiue perſpicuū ſpirituale: Sicut de lumine naturali Angelis infuſo diximus ſuprà art. 2. §. 2. cōcluſione vltima, vbi vide. Ad quam verò ſpeciem qualitatis pertineat? Eſt difficultas logicalis parum referens ad inſtitutum. 60. 4. Propoſitio.

§. 7.

Quæ ſint huius luminis officia.

SVpereſt explicare, quænam ſint officia huius luminis in ordine ad intellectum animæ Chriſti; cuius difficultatis reſolutio plurimum conducit ad diſputationem de lumine gloriæ, vt ſuo loco videbimus; de qua tamen difficultate Doctores vel nihil, vel parū ſcribūt. 61. Officia huius luminis.

Suppoſitis tamen his, quæ diximus, reſoluendum eſt hoc lumen in iſta ſcientia ideo poni, vt illuſtret ſpecies inditas, & vt faciat euidentem connexionem terminorum, tùm principiorum, tùm concluſionum. Ponitur quidem ad illuſtrandas ſpecies; quia ponitur, vt obiecta, quæ in illis ſolùm habitualiter apparent, appareant actualiter, tanquā obiecta actualiter motiua ad intellectionem. Ponitur deinde ad faciendam euidentiam connexionis, quę datur inter extrema propoſitionū: quia hæc connexio, & habitudo nō poteſt apparere, niſi ſub lumine: in hac autem ſcientia nullum aliud lumen datur, niſi hoc infuſum, vt §. 3. diximus. 1. Officium 2. Officium

Quod hæc duo munera huic lumini tribuenda ſint probari poteſt: Primò; quia illa 62. Probatur reſolutio.

illa duo conueniunt non ſolùm lumini Angeli infuſo, vt diximus art. 2. §. 3. ſed etiam lumini intellectus agentis, vt patet ex primo articulo §. 3. Secundo, quia cùm hoc lumen non ponatur ad abſtrahendas ſpecies huius ſcientiæ; quia illæ ſunt per ſe infuſæ, nullum aliud munus illi reſtat, niſi illuminare obiecta, tùm quoad ſimplicem appræhenſionem eorũ; tùm quoad complexam; ad vtrãque enim neceſſarium eſt lumen, vt ſuprà diximus.

Quare de hoc lumine; & de muneribus eius idem dicendum erit, quod de lumine Chriſti: eſſet enim vnum; diſtingueretur à lumine gloriæ, & à ſpeciebus intelligibilibus eiuſdẽ ſcientiæ; imò etiã ab habitu ſcientiæ. Munus proprium illi eſſet illuſtrare ſpecies inditas, & facere euidentiam propoſitionum, quæ per talem ſcientiam cognoſcerẽtur. Vide, quæ de lumine animæ Chriſti diximus ſuprà artic. 3. 3.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in Adamo fuerit lumen infuſum ad ea, quæ per ſpecies infuſas cognoſcebat?

1. Quæſtio de lumine infuſo primo parenti.

SVpponimus id, quod inter Theologos eſt ſatis controuerſum in Adamo fuiſſe ſcientiam per ſe infuſam ſimul cum ſpeciebus infuſis. Nam licèt Deus Adamo in ſua creatione infuderit ſpecies omnium naturalium; illæ tamen non erant infuſæ per ſe, ſed per accidens, vt omnes fatentur cum Diuo Thoma 1. *p. q. 94. art. 3. ad 3. vbi Caietanus, Bañes, & Cumelius cum cæteris, probat Molin. 1. p. in tract. de opere ſex dierum diſp. 25.* Vnde patet ſcientiam rerum naturalium, quam Adamus ſtatim in ſua creatione habuit, non eſſe inditam per ſe, ſed ſolùm per accidens, ad quam ſatis erat lumen intellectus agentis.

Sciẽtia rerũ naturaliũ Adamo data non fuit per ſe infuſa.

2. Adamus habuit cognitionem rerum ſupernaturalium

Vtrùm verò habuerit cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ ad illum ſtatum pertinebant præter cognitionem fidei? Affirmat D. Tho. vbi ſuprà cũ Caietano, & cæteris. An verò illi fuerint infuſæ ſpecies illarum cum ſcientia permanente? Controuerſum eſt. Nonnulli negant cum *Molina vbi ſupra §. Quod ſi petas pag. 743. col. 1.* Alij affirmant. Quæ harum opinionum ſit verior? non pertinet ad hunc locum. Dicam tamen: Si Adamo fuit ſcientia infuſa per ſe, tàm ſupernaturalium, quàm naturalium; & cũ ea ſimul fuerunt infuſæ ſpecies intelligibiles; non poteſt non concedi illi ſimul fuiſſe infuſum lumen, ſicut etiam infuſum fuit Animæ Chriſti, quamuis longè inferius: nec enim ad actus talis ſcientiæ ſatis eſſet lumen intellectus agentis, vt patet: at ſine lumine non poterat vti tali ſcientia.

An habuerũt ſpecies per ſe infuſas? cõtrouerſũ eſt.

Adamo datum fuit lumen infuſũ

ARTICVLVS V.

Vtrùm in animabus ſeparatis detur aliquod lumen per ſe infuſum?

RESolutio huius articuli pẽdet à reſolutione quæſtionis, An in Anima ſeparata admittendæ ſint ſpecies per ſe infuſę, ſimul cum infuſa ſciẽtia præter eas, quas hinc aſportauit? Etenim ſi nec tales ſpecies ſint admittendæ, nec talis ſcientia: ſatis eſt lumen intellectus agentis: Si verò illæ admittantur; non poteſt non ſimul admitti aliquod lumen per ſe infuſum.

1. Quæſtio de lumine infuſo animæ ſeparatæ.

De illa igitur ſpecierum infuſione eſt inter Theologos controuerſia. Quòd anima ſeparata in ſua ſeparatione nullas habeat ſpecies per ſe infuſas, exiſtimat Scotus *in 4. diſtinct. 45. q. 2. §. Contra iſtam poſitionem*, quem ſui ſequuntur. Oppoſitã tamen ſententiam probauit Diuus Thomas *de Veritate quæſt. 19. art. 1. ad finem, & in 4. diſt. 50. q. 1. art. 1. & in quæſtionibus de Anima q. 15. ad finem, & ad argumenta, eam explicat 1. p. q. 89. artic. 1. ad 2. & art. 3. in princip.* ſequuntur omnes Thomiſtæ late *Capreol. in 4. diſt. 50. q. 1. art. 1. Caieta. 1. p. q. 89. art. 3. in principio*: hanc opinionẽ eſſe probabiliorem putant Conimbricenſes *in tractat. de Anima ſeparata diſput. 3. art. 5. aſſertione prima*: eſſe ſimpliciter veram docet Valentia *1. tom. diſp. 6. q. 7. pũcto 4. §. Quoad ſecundum pag. 1183. &* ego *tanquam veriſſimam ſuppono.*

2. An animæ ſeparatæ inſũdãtur ſpecies? Affirmat Scotus. D. Thom.

Capreol. Caietan. Conimbr.

Hac opinione ſuppoſita negari nõ poteſt, in anima ſeparata non ſolùm dari ſcientiam per ſe infuſam, ſed etiam infuſum lumẽ. Illud priùs neminem inficiari poſſe ſcribunt Conimbricenſes vbi ſuprà: hoc autem poſterius euidenter demonſtratur ex ijs, quæ diximus: etenim ad omnem

3. Animæ ſeparatæ infũduntur ſpecies & lumẽ

omnem cognitionem requiri lumen,oſtendimus ſuprà quæſtione prima. Cum verò ad ſcientiam per ſe infuſam,infuſaſque ſpecies,non ſatis ſit lumē intellectus agentis; quia tàm ſcientia infuſa, quàm infuſæ ſpecies ſunt alterius ordinis; benè infertur ad illas requiri lumen per ſe infuſum. Quod ſatis videtur ſignificare D.
D.Thom. Thomas *de Veritate q.19.art.1.* vbi in anima ſeparata admittit intellectuale lumen, non obligatum ad corpus, quale non eſt lumen intellectus agentis,ſed aliud per ſe infuſum.

4. Hoc lumen eſt vnū.
Et quanuis dubitari poſsit, an hoc lumen ſit diſtinctum à ſpeciebus,& ab habitu ſcientiæ; tamen ex his, quæ diximus de lumine Chriſto,& Angelis infuſo, ſatis patet hoc lumen eſſe vnum, atque diſtinctum, tùm à ſpeciebus, tùm ab habitu ſcientiæ.

Officia illi9
Quòd ad hoc lumen per ſe pertineat illuminare obiecta,tàm incomplexa ad primam eorum apprehenſionem; quâm cōplexa, vt connexio terminorum fiat euidens, dubitari non poteſt: Cum enim hoc lumen non ponatur in anima ſeparata ad abſtrahendum ſpecies, vt ſupponimus; ad nullum aliud munus poteſt inſeruire, niſi ad illuminandas ſpecies, & obiecta.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm in viatoribus hominibus, & Angelis detur lumen Fidei; & ad quid detur?

1. In nobis,& in Angelis eſt fides.
IN hac quæſtione ſupponendum eſt, tanquam veriſsimum,tàm in nobis viatoribus, quàm in Angelis, dum fuerunt in via, fuiſſe fidem ſupernaturalem ad aſſentiendum ijs, quæ à Deo ſunt reuelata. Quòd in nobis viatoribus detur hæc ſupernaturalis fides, patet ex ſacris literis: quòd etiam fuerit in Angelis pro ſtatu viæ, eſt cōmunis,& indubitata Theologia.

2. Fides dicitur habitus & lumen.
Deinde ſupponendum eſt, fidem ſupernaturalem non ſolùm à Theologis appellari habitum; ſed etiam lumen. Quòd fides verè ſit habitus intellectualis infuſus,res eſt indubitata: id enim docēt om-
D. Thom. nes cum Diuo Thoma *ſecunda ſecundæ q.4.art.6.& in 3.diſt.4.q.2.art.2. quæſtiunc.3.ad primum*; etenim eam eſſe virtutem intellectualem ſaltem Theologicam omnes fatentur cum eodē D. Thoma in dicta q.4. art. 5. At quòd etiam ſit, & dicatur lumen,eſt certiſsimum: Theologi enim agentes de fide eam explicant per lumen fidei. Et ſatis ad hoc ſit Diuus Thomas *ſecunda ſecundæ, q.1.art.4.ad 3. & art.5.ad* D. Thom.
primum, vbi ait, quòd lumen fidei facit videre: quæ creduntur: & in vtroque loco Caietanus cum cæteris. Adde Albertum Magnum *in 1.diſt.1.art.15.ante finem.* Id patet ex Sacra Scriptura:nam Paulus ſecūdæ Corinth.4. *Nam Deus,qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis.* Et ad Coloſſ.1.*gratias agētes Deo,qui dignos nos fecit in partes Sanctorum in lumine.* Caiet. Alb.Mag. Paulus 2. Cor.4.
Et 1.Petri 2. *vt annuncietis virtutes eius, qui vocauit nos de tenebris in admirabile lumen ſuum*,in quibus locis ſermo eſt de Fide. Sed ratione idem demonſtratur: nam apud omnes conſtat, Deum nobis demōſtrare res ſupernaturales, quas credimus, vt patet Ioannis 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: & c. 17. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus,quos dediſti mihi.* Omne autem,quod manifeſtatur,in lumine manifeſtatur, vt ait Paulus ad Epheſeos 5. Ergo Deus in lumine hęc omnia nobis manifeſtauit: non in alio, quam in lumine fidei: vnde communiter omnes dicimus, intellectum fidelium lumine fidei à Deo illuminari. D.Petrus 1.cap.2. Ioan. 15. & 17. Ad Epheſ. 5.

Hoc lumen eſſe vnum nullus vnquam dubitauit, ſed nec dubitari poteſt: quoniam vel idem eſt, quòd habitus, vt plerique volunt; habitus autem fidei vnus eſt, ex Diuo Thoma 3 *p. q.4.artic.6.* vel ſi ab habitu diſtinguitur, vnam tantùm habet illuminandi rationem; quia omnia illuminat ſub ratione diuinæ reuelationis. Hinc inferes hoc lumen realiter diſtingui à ſpeciebus, quibus repræſentantur, quæ fide creduntur: ſpecies enim ſūt plures, vt patet, lumen autem eſt vnum tantum, vt diximus. His adde,quoniam ſpecies,quibus vtitur intellectus illuſtratus lumine fidei,ſunt ordinis naturalis,vt ſupponimus ex materia de Fide; lumen autem eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturale,& infuſum. 3. Lumen Fidei eſt vnū

Vtrùm verò lumē fidei realiter diſtinguatur ab habitu fidei? non omnes conueniunt 4.

Quod non diſtiguatur

ueniunt. Quidam volunt lumen,& habitum fidei eſſe vnam, & eandem qualitatem, quæ vt inclinat ad aſſenſum, dicitur habitus: lumen verò, quatenus obiecti veritatem manifeſtat. Ita *Suar. 1. tom. ad tertiam partem diſput. 29. ſect. 2. poſt. princ.* & ante eum Bañes *ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. art. 1. dubitatione prima, ad tertium principale.* Fundamentum eſt: quia ipſum lumen eſſentialiter eſt habitus; cum ſit qualitas, per quã diſponitur potentia ad operandum.

Suarius. *Bañes.*

5. Quod diſtiguatur.

Oppoſitam ſententiam, quod lumen fidei, & habit⁹ ſint duæ qualitates realiter diſtinctæ, diximus ar. 3. §. 6. verſ. 2. obijcitur; quam opinionẽ poſtea inueni probatã fuiſſe noſtro Aragoni 3. p. q6. ar. 2. §. dubium eſt, & concl. 2. & 3. Vbi eam inde confirmat; quoniam in qualibet ſcientia præter lumen naturale eſt neceſſarius habitus, quo intellectus inclinetur ad aſſentiendum concluſionibus. Ergo in fide præter lumen neceſſarius erit habitus ad eſſentiendum ſupernaturalibus. Sed ego inde ſumo fundamentum, quòd alia eſt ratio luminis, & alia habitus intellectualis: habitus enim ideo ponitur, vt intellectus ferat iuditium de veritate connexionis terminorum, ex quibus prima principia componuntur: lumen autẽ ponitur, vt faciat apparentiam veritatis præcitatæ cõnexionis, vt patet ar. 3. §. 6. euidentia autem connexionis non ſolũ ſupponitur ad aſſenſum, ſed etiã eſt medium *ſub quo*: cum tamen habitus ſit medium *quo*. Quare ſicut in dicto §. 6. ex hoc fundamento diximus, lumen in nobis, in Angelis, & in Chriſto eſſe diſtinctum ab habitu, quo aſſentimur: ita dicimus in lumine fidei.

Aragonis.

6. ad arg.

Contra hanc reſolutionem præter fũdamentũ ſuperiùs poſitũ, ea omnia poſſunt obijci, quæ ex nonnullis contra diſtinctionem luminis Chriſti ab habitu ſcientiæ obiecim⁹ art. 3. §. 6. Sed illa omnia ſatis eo in loco diſſoluimus; vbi etiam oſtendimus diuerſam eſſe rationem in lumine gloriæ, & in cæteris luminibus. Ad fundamentum ſuprà poſitum dicendum erit; lumen quidem omnium cenſenſu eſſe qualitatem de genere qualitatis: ad quam verò illius ſpeciẽ pertineat? quęſtionem eſſe ad Logicos pertinentem.

7.

Si inquiras, quæ nam ſint munera officia vè huius luminis fidei? Ex dictis facilis eſt ſolutio: dicendũ eſt enim ad hoc lumen pertinere, hoc, quod eſt illuminare illuminatione quadam confuſa certitudinem connexionis terminorũ, ex quibus fidei propoſitio componitur.

Officia huius luminis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in beatis detur ſpeciale lumen ad ea, quæ cognitione veſpertina cognoſcuntur?

1. De lumine ad cognitionem veſpertinam.

QVæſtio iſta commodius explicabitur inferiùs lib. 11. in quo agemus de ijs, quę beatitudinẽ perficiunt: Vide, quæ ibi dicemus in diſput. de Cognitione veſpertina. Nunc ſatis ſit in beatis ad verſpertinam cognitionẽ neceſſarium eſſe lumen aliquod; & hoc diſtinctum à lumine gloriæ. Hanc veritatẽ in præcitata diſp. diligentius confirmabimus.

ARTICVLVS VIII. & Vltimus.

Vtrùm, ſi in intellectu daretur ſpecies abſtractiua diuinæ quidditatis; ſimul etiam daretur aliquod lumen ad Deum quiditatiue cognoſcendum?

1. an ad cognitionẽ quidditatiuã abſtractiuã detur lumen. Negabit Scotus.

QVæſtio iſta in his terminis non excitatur à Theologis: quæ tamẽ poteſt eſſe controuerſa. Nam Scotus cum ſuis non poteſt non probare partem negantem: licèt enim fateatur ſpeciem iſtam, quam admittit, eſſe ſupernaturalem quoad modum ſuæ productionis; quia à nullo agente creato produci poteſt: negat tamen eam eſſe ſupernaturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed pertinere ad ordinem naturalem, ita vt intellectus per eam naturali ſua virtute abſque vlla ſupernaturali eleuatione poſſit Deum abſtractiuè videre. Hanc fuiſſe Scoti ſententiam, & ſuorum oſtendimus ſuprà lib. 7. q. 5. art. 2. §. 2. & latiùs lib. 8. in 2. p. q. 5. art. 3. & 4. Ex quo fundamento infertur ad intelligendam quidditatẽ diuinæ eſſentiæ per hanc ſpeciẽ ſatis eſſe lumen intellectus agentis; quoniam omnis cognitio naturalis eſt eiuſdem ordinis cum illo.

Op-

2. *affirmat. eſt vera.* Oppoſita tamen ſententia eſt omninò teneda: admiſſa enim tali ſpecie intellectus neceſſariò indigeret ſuperiori aliquo lumine diſtincto à lumine naturali intellectus agentis. Fundamentum huius veriſsimæ reſolutionis erit; quia illa ſpecies non poteſt non eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam; ſimiliter, & cognitio ipſa quidditatiua Dei, quæ per talem ſpeciem â creato intellectu eliceretur, vt in duobus citatis locis oſtēdimus. Quo admiſſo non poteſt non admitti lumen aliquod per ſe infuſum, & ſupernaturale ſecundum ſubſtātiam: etenim ſpecies, cognitio, & lumen habent inter ſe eādem proportionem, & ad eundem ordinē ſpectant; vt in dicto lib. 8. 2.p. loco citato diximus. Quid autem ſit hoc lumen? Et vtrùm poſsit dici lumen gloriæ? & ſit diſtinctum ab eo, quod modo eſt in beatis? in hoc libro explicabimus.

QVÆSTIO III.

Quid per lumen gloriæ in hac diſputatione intelligendum ſit?

Cur appellatur lumen gloriæ.

TERTIO loco diſputandum eſt, de lumine gloriæ in ordine ad viſionem intuitiuā. Exordiemur autem à quæſtione quid nominis, quę inter omnes eſt prima, vt patet ex primo lib. Poſteriorum. Illud tamen præmitimus, lumen, quod in beatis omnes admittunt, appellari lumen gloriæ: vel quia ſolùm reperitur in cœleſti gloria; vel quia glorioſos facit, quibus communicatur.

ARTICVLVS VNICVS

Quid per lumen gloriæ intelligendum ſit?

§. 1.

Referuntur variæ luminis gloriæ acceptiones.

1. *Variæ acceptiones luminis. Suar. Salas.* LVmen gloriæ varijs modis à Theologis ſumi, ſatis colliges ex ijs, quæ ſcribit Suar: *2. de Attributis negat. c. 14. à num. 5. Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 3. tracta. 2. diſp. 5. ſect. 3. num. 51. pag. 348. & alij.*

Quidam per lumen gloriæ intelligunt lumen increatum intellectui beato vnitū, & illum eleuans ad videndum: ita ſenſiſſe nonnullos refert Suar. nullo tamen citato, & poſt eum Salas vbi ſuprà in 3. explicatione, vbi lumen increatū appellat auxilium ſupernaturale in actu primo. Hāc ſentētiam aliquibus placuiſſe colliges ex Bachonio *q. 1. Prologi ad finem*, dicebant enim intellectum eleuari lumine increato. Forte aliquis citabit pro eadem D. Antoninum *1. p. ſuæ Summæ titulo 3. cap. 6. §. 20. fol. 50. columm. 1. 2. & 3.* Sed hæc ſententia non poteſt illi tribui. Sunt, qui eam tribuunt Baſſolio *in 3. diſtin. 14. q. 1. art. 1. ad 2. quatenus docet diuinam veritatē manifeſtari animæ creatæ in lumine, quod eſt Deus ex parte obiecti*: nullum enim aliud lumen admittit. Solet etiam tribui Mayronio. *in 3. diſtin. 12. q. 2. vbi in §. Sed dubium eſt*, in ordine ad viſionem ſolùm admittit lumen increatum: nam lumē creatum ſolùm ponit, vt quoddam ornamentum, & decorem animæ. Tribuitur etiā Lycheto *in 1. diſt. 3. q. 3. ad finem fol. 78. colum. 3. §. Ad illud de Clementina, vbi ponit, Deitatem ipſam dici lucem increatam, & lumen gloriæ dans intellectui, vt glorificetur in ipſa.* Quin potiùs hæc ſententia nō longē eſt à mente Scoti: etenim agnoſcit lucem increatam *in 1. diſtinctione 3. q. 3. H, & in 4. diſt. 49. q. 11. H.* Et tamen in eam opinionem inclinat, vt præter lucem increatam nullum increatum lumen admittatur. Id non omninô reijcit Salas vbi ſuprà num 23. Denique hanc ſententiam Recentioribus placere nōnulli affirmāt. Eandem non poteſt non probare Ripa, dum exiſtimat viſionem increatam communicari beato, vt per eam Deum videat; inde enim infertur nō eſſe dandum aliud lumen gloriæ. 2.

1. Opinio. Bachon. Baſſolius. Mayron. Lychetus. Scotus. Ripa.

Hæc opinio à ſuis Patronis confirmatur teſtimonio Origenis 1. Peri Archō c. 1. vbi ita inquit: *Quid aliud lumen Dei dicēdum eſt, in quo quis videt lumen, niſi virtus Dei, per quam quis illuminatus veritatē omnium præuidet, vel ipſum Deum cognoſcit, quæ veritas appellatur? Tale eſt ergo quod dicitur, in lumine tuo videbimus lumen: hoc eſt in verbo, & ſapientia tua, quæ eſt filius tuus: in ipſo te videbimus Patrē.* Eundem loquendi modum ſeruat Baſilius lib. 4. *aduerſus Eunomium non longè poſt principium pag.* 3.

Confirmatur teſtimoniis Patrū. Baſilius.

pag.283.D.& in cap.9. Iſaiæ poſt principiū pag.724. & *Hieronymus ad præcitata verba Pſalmi 35. In lumine tuo videbimus lumen: Et Auguſt. in ſoliloquiis animæ cap.36.tomo 9. & in Manuali cap.7.eodem tom.* Accedat *Diuus Gregor.lib.2.Dialogorum capit.* 35. vbi poſtquam dixit Sanctum benedictum totum mundum vidiſſe in diuino lumine, ſubdit: *Sed non eſt aliud lumen, vel claritas Dei, quam ipſe Deus.* Quòd etiam habetur in Gloſſ. Ordinaria Exodi 33. ad illa verba. *Non videbit me homo, & viuet.*

Hieron.

Gregor.

Gloſſ.

4. *Confirmatur ex Scriptura. Iſai. 60. Pſal.35.*

Deinde cōfirmatur ex verb. Iſaiæ 60. *Erit tibi Deus in lucem ſempiternam.* Et Apocalypſis 21. *Claritas Dei illuminauit eā, & lumen eius eſt agnus.* Denique Pſalmo. 35. *In lumine tuo videbimus lumen:* In lumine, inquam, tuo, id eſt, qui eſt es tu ipſe, vt Patres citati explicāt, Adduci etiā ſolet quidā Hymnus Eccleſiæ ita habēs: *Diuinum lumen cernentes increato lumine.* His igitur teſtimonijs, quidam volunt nullum aliud dari lumen gloriæ, niſi lumen increatum vnitum intellectui beati, & illum eleuans.

5. 2. Opinio.

Secunda ſententia docet per lumē gloriæ nihil aliud intelligendum eſſe, niſi auxilium actuale, actualemque concurſum Dei, quo Deus ipſe cum intellectu beati concurrit ad viſionem. Hanc ſententiam tanquam diſtinctā à priori referūt Suar. *in dicto cap.14. nu. 7. & Salas vbi ſuprà in 2. & 3. explicatione,* voluntq; Sotum eam tribuere Scoto, Durando, & Nominalibus: Scotus tamen ſolùm refert hos exiſtimaſſe lumen gloriæ ſumi pro ſpeciali Dei concurſu; nunquam tamen dixit Sotus præcitatos Doctores explicaſſe, qualis nam ſit iſte concurſus; vtrùm ſit in actu primo, cum prima opinione; An in actu 2. cum 2. Verum, quidquid de hoc ſit, hęc opinio in ſenſu explicato quibuſdam placuit, vt illi teſtantur. Voluntque hunc concurſum ideo dici lumen: quia efficiendo viſionem manifeſtat obiectū.

6. 3. Opinio.

Aureol.

Adamus.

Tertia ſententia per lumen gloriæ intelligit ipſam viſionem, qua beati. Deum vident, nec aliud lumen in beatis admittunt. Nonnullos ita docuiſſe teſtatur Aureol. apud Capreol. *in 4. diſt.49. q.4. artic. 2. in Argumentis Aureoli contra ſecundam, fol.205. col.2. §. quinto loco; quorum ſententiam ipſe Aureol videtur approbare.* Eandem probat Adamus *in 2. diſt. 1. q.8. cōcl. 1. fol.107. col. 1. in principio,* vbi docet nullum aliud lumen dari in beatis, niſi ipſam beatificam viſionem. Quidam eandem tribuunt Gerſoni 3. *p. in Anagogito de verbo lit. P. fol.97. colum.3.* in medio: relatis enim duabus ſententiis, quarum vna dicebat lumen gloriæ eſſe habitum, altera negabat, concludit in beatis ponendam eſſe viſionem, docetque eam eſſe formoſam, illuminoſam, & ſpecioſam, cum ſit formalis beatitudo. Quibus verbis ſatis innuit, ipſam viſionem eſſe lumen gloriæ.

Fundamentū huius opinionis nō aliud legi, niſi, quòd viſio ipſa eſt quoddam lumen. Magnus enim Dionyſius *de diuinis nominibus cap.4, ipſam veritatis cognitionē lumen appellat.* Hilarius docet beatos viſione contemplatę maieſtatis illuminari, vt ſcribit *in Pſalm.118. ad illa verba de precatus ſum faciem tuam. Auguſt. in libro Meditationum cap.19. tom.9.* aſſerit naturam ſpiritualem contemplatione luminis lumen eſſe, *Bernard. ſermone 51. in Cantica pag.934.F.* ipſam contemplationē appellat lumen. *Diuus Bonauent. in 2. diſt.4. art.3. q.2. in principio,* aſſerit cognitionem Dei eſſe diem, & lumen. Denique viſionem eſſe lumen perfectum affirmat Scotus *in 3. diſtinctione 14. quæſt.1. B. §. Itaque poteſt dici.*

Fundamentum.

Dionyſius

Hilarius.

Auguſtin.

Bernard.

Bonauent.

Scotus.

Quarta ſententia, eaque communis affirmat lumen gloriæ in hac diſput. ſumi pro qualitate, & habitu creato ordinis ſupernaturalis per ſe infuſo, diſtincto à viſione. Hanc ſententiam eſſe inter Scholaſticos indubitatam affirmat Bellomon. Eam docet Diuus Thomas 1. *p. q.12. art. 5. & 3. contra gentes cap.53. & 54. & in 4. diſt.49. q.2. art.7. de Veritat. q.20. art.3. ad finem,* eandem ſcripſerat *quæſt.8. artic.3. & quodlib.7. art.1.* Cum eo eſt tota ipſius Schola. *Capreol. in 4. diſt.49. q.4. art.1. concluſione.2. & art.3. ad Scotum contra ſecundā fol.207. col.1. & ad Aureol. contra eandē maximè fol. 209. colum.2. Caietanus 1. p. q. 12. art.5. & ibi Cumelius q.1. Bañes dubio 1. & 2. Ripa dubio 1. cap.1. idem Caietanus 1. ſecundæ q.67. art.5. §. Ad aliud. Ferrarie. 3. contra gentes cap.53. ſed latius cap.54. Sotus in 4. diſt.49. q.2. art.4. Nauarrete 1. tom. cōtrouerſ. 37. per totam, vt cæteros Thomiſtas omittam.*

7. 4. Opinio.

Bellomon.

D. Thom.

Capreolus.

Caiet.

Cumelius.

Bañes.

Ripa.

Ferrar.

Nauarrete

Ex alijs idem docuerunt, Diuus Bonauent. *in 3. diſt.14. art.1. quæſtione tertia ad vltimum*

8. *D. Bonau.*

Richard. Argentina Henric. Bachonius Gabr. Marſil. Holcot. Angles. Medina. Valentia. Bellomon. Suarius. Salas. Pezant. D. Anto.

vltimum. & art. 2. q. 1. ad 3. Richard. ibidem artic. 1. q. 3. & in 4. diſt. 49. artic. 3. q. 2. vbi etiam Argentina q. 2. art. 1. concl. 2. Henricus quodlib. 3. q. 1. Bachonius in 1. q. prologi ad finem §. Sed contra præmiſſa, & in 3. diſt: 12. q. 1. ar. 1. in princ. & in fine. Ex Nominalibus Gabriel *in 1. diſt. 2. q. 2. articul. 3. Marſilius in 3. q. 12. art. 2. in 1. p. articuli, concl. 2. fol. 414. col. 1. Holcot in ſuis determinationibus q. 8. art. 1. lit. E;* Ex Scotiſtis, Angles *art. 2. diſſicul. 7. pag. 327.* Ex Recentioribus Molin. 1. *p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 2. Valentia 1. tom. diſput. 1. q. 12. puncto 3. pag. 191. Bellomontan. 1. p. diſp. 42. cap. 1. Suar. lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 14. num. 2. Salas prima ſecundæ, tom. 1. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. fol. 346. Pezantius 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1.* Hanc ſententiam abſque dubio probauit D. Antoninus 1. *p. Summæ titulo 3. cap. 6. §. 20. fol. 50. colum. 1. in princ.* vbi fatetur lumẽ gloriæ eſſe quid creatum communicatum tamen intellectui per lumẽ increatum; nec enim increatum lumen videri poteſt; niſi per lumen ſuũ, id eſt per lumen à ſe diffuſum: ſicut Sol non videtur, niſi per lucem à ſe diffuſam per medium. Quare, cũ ait lucem increatã non videri, niſi per ſe ipsã efficique lumen gloriæ, quando intellectui cõmunicatur; intelligendũ eſt de communicatione per lucem à ſe diffuſam, quę eſt quid creatum.

§. 2.

Reſolutio pro quarta ſententia.

9\. Vera ſententia.

Lumen gloriæ eſt qualitas.

HÆc vltima ſententia eſt omninò amplectenda: tum; quia eſt communiſsima: tum etiam: quia Philoſophiæ, & Theologiæ eſt conſentanea. Quare ſtatuendum eſt in hac diſputatione per lumen gloriæ non poſſe non accipi qualitatem quandam ſupernaturalem per ſe infuſam, & diſtinctam à viſione beata. Qua qualitate eſſẽtia intellectui obiectiuè manifeſtatur, & apparet tanquam obiectum intelligibile. Et de hoc lumine excitantur omnes quæſtiones,

10\. 1. Impoſitio vocis lumẽ. Extenſio illius vocis.

Pro cuius explicatione aduertendũ eſt, hanc vocem, lumen primò impoſitam fuiſſe ad ſignificandũ lumẽ corporũ, quod viſui facit manifeſtationem viſibilium, ita vt ſub illo viſus omnia videat: Vſus tamen loquentium vocem ipſam extendit ad ſignificandũ omne id, quod facit manifeſtationem alicuius ſecundũ quamcunque cognitionem, vt notauit Diuus Thomas 1. *p. quæſt. 67. art. 1. & de potentia q. 4. artic. 2. ad tertium*, & ſatis patet ex Paulo ad Epheſios 5. iuxta plurimorum explicationem, *Omne, quod manifeſtat, lumen eſt*: quæ verſio non eſt aliena à participio græco: *τὸ φανερȣμενον*, quod cum ſit mediæ coniugationis, ſignificationem habet, & actiuã, & paſsiuam. Ita ſit, vt vox, lumen, ex communi vſu loquentiũ iam propriè dicatur de lumine intellectuali: imò proprius; quia intellectuale lumen res melius manifeſtat, vt aduertit D. Thomas vbi ſuprà.

D. Thom. Ad Epheſ. 5.

11\. 2. Aduertentia.

Secundò aduertendum eſt id, quod ſuprà ãnotauim⁹ q. 2. ar. 1. §. 3. in prin. vocẽ, lumen, accipi poſſe, & ꝓpriè & largê; propriè tunc ſumitur, cũ ſumitur pro formali manifeſtatiuo alterius: lumẽ enim eſt, quòd aliquid potentiæ cognoſcenti formaliter manifeſtat: Vnde propriè ſumptum eſt ipſa formalis manifeſtatio eius, quod erat occultum.

12\. Quid propriè ſignificat lumen?

Hanc eſſe huius vocis propriam ſignificationẽ patet ex ijs, quæ de lumine ſenſibili docent Philoſophi ex Ariſtotel. in 2. *de Anima cap. 7. tex. 6.* ſcili. lumen eſſe actum perſpicui, vt perſpicuum eſt: quia ipſum perſpicuũ (ſiue diaphanum) lumine, quod in ſe recipit, ſit actu perſpicuũ, id eſt apparens, & manifeſtum viſui. Cũ verò lumen intellectuale eodem modo dicatur lumen, quo corporale ex Diuo Thoma *de Veritate q. 9. art. 1. in principio*, lumen intellectuale, erit actus intellectualis perſpicui, id eſt rei intelligibilis, vt intelligibis eſt, quia ipſo lumine intellectuali redditur actualiter perſpicuum, id eſt apparens, & manifeſtũ intellectui. Quod explicant verba Sapientiæ 17. num. 28. *Omnis Orbis terrarũ limpido illuminabatur lumine*: id eſt apparebat, & manifeſtabatur, idq; formaliter ipſo limpidiſsimo lumine. Paulus ad Epheſ. 5. *Omnia, quæ arguuntur, à lumine manifeſtãtur.* Impropriè autẽ tũc accipitur lumẽ, cũ accipitur per trãslationẽ: etenim hæc vox, lumen, tranſlata eſt ad ſignificandũ non modo, quæ illuminãtur, ſed etiã quæ lucẽt, & à ſe lumẽ emittũt; ea deniq; quę ipſũ lumẽ, aliquo modo participãt, quæ omnia formaliter nõ ſũt lumen, ſed ſolũ participatiuê. Quæ antea

Sapiẽt. 17. Ad Epheſ.

occulta lumine manifeſtetur, appellatur lumẽ à Paulo in dicto c. 5. iuxta cõmunẽ, & vulgatam verſionem, quæ ita habet: *Omne, quod manifeſtatur, lumẽ eſt*; nam prædictum participium græcum φανερούμενον, & actiuam habet ſignificationem, & paſsiuam. Iam verò, quod à lumine manifeſtatur, formaliter nõ eſt lumẽ, ſed ſolùm participatiuê, quatenùs lumine in ſe recepto apparet, & manifeſtatur. Per eãdem tranlationem ipſum lucens appellatur lumen: Deus enim in ſe ipſo lux eſt: primę Ioannis primo, & Chriſtus dicitur lux Ioannis 1. *Non erat ille lux*, inquit de

Ioan. 1. Ioanne. *ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine*: erat lux vera. Nimirum Chriſtus; quia ſc. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt immediatè addit.

Ad Epheſ. Viri Sancti etiam dicuntur lux Matthæi 5. *Vos eſtis lux mundi*; ad Epheſ. 5. *Eratis enim ali quando tenebræ; nunc autem lux in Dño*: quia ſcilicet emittunt lumen bonorũ operum, quo alios illuminant. Ipſa etiam bona opera dicuntur lux iuxta illud Chri

Matth. 5. ſti Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, &c.* adhuc ipſa potentia, quæ illuminata videt, per translationem dicitur lumen, iuxta

Pſalm. 37. illud Pſalmi 37. *Reliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum*, quæ verba plerique de virtute viſiua interpretãtur. Denique non ſolùm viſio ipſa, ſed etiam ſpecies intelligibiles, habitus, & cætera, quæ ad intelligendum iuuant, à pluribus dicũtur lumina, vt cum Capreolo aduertimus ſuprà quęſt. 1. art. 1. §. 3. in princ. Concludendum eſt igitur, lumen interdum ſumi propriè interdum impropriê: quia interdum ſumitur pro lumine formali; interdum pro participato.

14. Lumen gloriæ propriè ſumptum. Quare lumen gloriæ propriê accipitur, cum accipitur pro lumine formaliter ſumpto, nimirum pro illo, quod intellectui formaliter manifeſtat diuinam eſſentiam, tanquam obiectum intelligibile, quod antea erat occultum: impropriè autem, & per translationem, cum aliter ſumitur. Iam verò certum eſt, cum de re aliqua ſimpliciter diſputatur, eam ſumendam eſſe in propria atque primæua ſua ſignificatione; quia iuxta commune proloquium: Sermo debet eſſe formalis, & proprius. In hac igitur diſputatione de lumine gloriæ, lumen ſumendum erit in ſignificatione propria luminis iuxta vltimam ſententiam. Cui etiam ſuffragatur; quia omnes quæſtiones excitandæ de hoc lumine intelligũtur, vt ex dicendis patebit. Confirmatur; quia viſio beata, vel dari non poteſt, etiam de potentia abſoluta, ſine qualitate intellectum eleuante; vel ſaltem dari non poteſt ſine ea, vt viſio dicatur connaturalis intellectui, vt inferiùs oſtendemus.

§. 3.

Primam ſententiam eſſe reijciendam.

Ex hac veriſsima reſolutione infertur primò; lumẽ gloriæ in hac diſputatione ſumi non poſſe pro lumine increato: non quòd negemus lumẽ increatum eſſe verum lumen, & veram lucem, (cum per eſſentiam ſit lux, & lumen, & in ordine ad diuinum intellectũ noſtro intelligendi modo ipſam diuinam eſſentiam, & quę in ea continentur, intellectui diuino manifeſtet) ſed quia negamus lumen ipſum increatum eſſe poſſe illud lumen, quo creatus intellectus illuſtratur, & quo diuina eſſentia eidem intelligibiliter apparet. Eſt quidem ipſum increatum lumen, quo Deus effectiuè producit omne lumen; nõ tamen eſt, quo intellectus formaliter illuminatur: vt dicemus inferiùs quæſt. 4. art. 1. §. 4. num. 41. & quęſt. 6. articulo vnico §. 6. ad 17. etenim ſicut intellectus nec videt, nec videre poteſt Deum formaliter per viſionem increatam, vt contra Ripam oſtendimus lib. 4. quæſt. 1. articulo 2. §. 3. num. 51. ita nec formaliter, aut videt, aut videre poteſt Deũ lumine increato: nec enim fieri poteſt, vt lumen increatum ſe ipſo ſine aliquo creato formaliter eleuet intellectum beati, illique formaliter vniatur, vt forma conſtituens eum in actu primo; ſicut fieri non poteſt, vt ſpecies increata (qualis noſtro modo intelligendi eſt diuina eſſentia in ordine ad diuinum intellectum) ſe ipſa immediatè vniatur intellectui ad inſtar intelligibilis formæ, vt latiſsime oſtendimus lib. 8. in ſecũda parte. Cui etiam accedit, quòd voluntas nõ poteſt eleuari ad amandum Deum per charitatem increatam, vt modo ſupponimus. 15. 1. Sententia reijcitur.

Qui-

16. *Suarius.* Quibus fundamentis hanc ſententiam tanquam omninò improbabilem ab omnibus reijci teſtatur Suar. vbi ſuprà *capit. 14. numero quinto, reijcitur à Cumelio prima parte, quæſt. 12. art. 5. quæſtione prima, cõcl.* 1. & tacitè reijcitur ab omnibus, quos pro quarta ſententia citauimus: admittentes enim lumen gloriæ, vt qualitatem creatam, ex conſequẽti negant lumen increatum non eſſe tale lumen, quanuis in terminis hanc ſententiam non impugnent.

17. *Ad Hilarium.* Quæ in contrariũ pro illa adduximus nihil probant: nam Hilarius agit de lumine, in quo beati vident veritatem omniũ; hoc autem lumẽ eſt verbum; in eo enim beati vident Patrem, & cætera, quæ vident; *Ad Baſol.* nos autem agimus de lumine, ſub quo Deus videtur. In eodem etiam ſenſu Baſilius expli cat verba Pſalmi 35. vt ſcilicet in lumine, quod eſt verbum, tanquam in obiecto *in quo* videre debemus ipſum lumen increatum, qui eſt Deus. In poſteriori autem loco agit de lumine, quod effectiuè illuminat, vt cuique legẽti facilè patet; quod non eſt lumen gloriæ, quo beati formaliter illuminantur.

18. *Ad Hieronymum.* Diuus verò Hieronymus, vel intelligitur in eodem ſenſu, quo Hilarius, vel illa verba, *In lumine tuo*, ita accipit, vt idem ſint, quòd *per lumen tuum,* qui eſt Chriſtus, per quem, vt ait, omnes illuminamur, ſcilicet effectiuè, & meritoriè. In quo etiam ſenſu intelligitur Auguſtin. in *Ad Aug.* libro citato, ſi tamen liber eſt illius: agit enim de lumine increato, quod effectiuè illuminat oculos Angelorum, & lætificat iuuentutem Sanctorum; idque lumine quodam creato, vt ex eo ſatis colliges. Quando autẽ dicit illud lumen eſſe Deũ, agit de lumine, quod videtur, non quo videtur. Et in eodem ſenſu intelliguntur, quæ ſcribit in Manuali, ſi liber eſt *AdGrego.* illius. Porrò verba ex Gregorio relata apud Gregorium non inueni; inueniuntur tamen in Gloſſa ex Gregorio, quæ ſcribit contra docentes beatos non videre naturam Dei, ſed quandam illius claritatem: his enim reſpondet claritatem Dei viſam nõ eſſe aliud à natura Dei: nõ igitur negat dari claritatem Dei, qua ipſa Dei claritas increata videatur.

19. *Ad locum Iſaiæ 60.* Verba Iſaiæ 60. vel intelliguntur de luce obiectiua, quæ videtur: quia Deus in ſe ipſo in ſempiternum videbitur; vel intelliguntur de luce, quæ effectiuè illuminat, non formaliter. Nec etiam obſtant verba Apocalyſis capite vigeſimo *Ad locum Apocalyp.* primo; quia intelliguntur de illuminatione effectiua, quæ eſt Deus ipſe & agnus. Verba autem Pſalmi 35. ita explicantur: *Ad Verba Pſalm.* *In lumine tuo*, nobis à te infuſo, *Videbimus lumen*, ſcilicet, increatum, qui es tu: & hæc eſt literalis explicatio, quanuis citati Patres aliter ea explicent. *Ad verba Hymni.* Denique verba ex Hymno adducta ita legenda ſunt, vt præpoſitio, in, ſeparatim ponatur, vt ſit ſenſus *diuinum lumen cernentes in lumine creato*. Si verò coniuncta ſint, vt dicatur *increato lumine* ablatiuus ille non dicit cauſam formalem, ſed ſolam efficientem.

§. 4.

Secunda ſententia non eſt recipienda.

INfertur deinde ſecundam ſententiam recipiendã non eſſe: conſtat enim ex 20. 2. Sententia non recipitur. 1. Ratio. dictis lumen propriè ſumptum, ſiue ſenſibile ſit, ſiue intelligibile; naturale aut ſupernaturale, eſſe actu quendam, quo ipſum perſpicuum, tàm ſenſibile, quàm intelligibile ſit actu perſpicuum, id eſt apparens, & manifeſtum potentiæ videnti: diximus enim lumen formaliter ſumptum eſſe id, quo occulta formaliter illuminantur, vt potentiæ cognoſcenti obiectiuè manifeſtentur, & appareant; & inde eſt vt lumen propriè ſumptum ſit qualitas formaliter manifeſtatiua. Iam verò concurſus, quicumque ille ſit, formaliter ſumptus nihil eſt aliud, quàm quædam cauſalit as, & ideo non eſt ens, ſed modus entis, vt vera docet Philoſophia. Quomodo igitur poteſt eſſe lumen? Cõcurſus igitur actualis cauſæ illuminantis ex ſe non eſt lumen, ſed terminatur ad lumen ab illuminante productum. Et per conſequens lumen gloriæ non erit ipſe cõcurſus ſupernaturalis, quo Deus actiuè illuminat Beatum, ſed erit aliquid productum per ipſum concurſum: omnis enim concurſus cauſatiuus, cũ ſit formalis cauſalitas, neceſſariò terminatur ad aliquem terminum cauſatum.

Accedit etiam; quia nec lumẽ naturale 21. 2. Ratio. intellectus humani, aut Angelici; nec ſupernaturale, aut fidei, aut ſcientiæ per ſe

ſe inſuſæ formaliter eſt concurſus, ſed aliquid productum per concurſum illuminantis, vt patet. Cur igitur lumen gloriæ erit ipſe formalis concurſus Dei actiuè illuminantis, & nõ potius vera qualitas? Etenim concurſus Dei illuminantis beatificè ex ſua natura eſt productiuus alicuius termini, cum ex ſua natura ſit vera cauſalitas effectiua. Quare hæc ſententia meritò reijcitur à Suario, Sala, & alijs.

§. 5.

Tertia ſententia non recipitur.

22. Non probatur 3. ſententia. INfertur tertio, non eſſe recipiendam tertiam ſententiam, quæ aſſerit *in beatis nullum aliud lumen gloriæ dari, niſi ipſam viſionem beatificam.* Hanc ſententiam eſſe falſam ex eodem fundamento conuincitur: quoniam conſtat, lumen propriè ſumptũ ſub ratione luminis eſſe actum, quo obiectũ illuminabile (quod ſæpè appellauimus perſpicuum abſtrahendo à ſenſibili, & intellectuali) actu fit manifeſtum, & apparens potentiæ videnti: quod Aduerſarij non negabunt.

23. Fundamentum. Cui fundamento, ſi adiungamus talem apparentiam, & manifeſtationem natura antecedere ipſam viſionem; neceſſariò infertur quodcũque lumen, etiam ipſum lumen gloriæ, diſtinctum eſſe à viſione. Quòd verò manifeſtatio ipſa, & apparentia obiecti illuminabilis natura antecedat viſionem, ex eo patet; quoniam potentia viſiua, (ſiue ſenſibilis ſit, ſiue intellectualis) non poteſt ſua viſione tendere in obiectum obiectiuè ſibi non apparens; quia non poteſt obiectiuè moueri ab eodem, quandiù obiectiuè ſibi non manifeſtatur & apparet: hęc enĩ obiectiua motio antecedit viſionem; ſiquidem ex celebri Auguſtini doctrina ex intellectu, & obiecto paritur notitia: ob quam rationem *Auguſt.* ſuprà *lib. 8. in prima parte, quæſtione quarta, articulo ſeptimo*, oſtendimus obiectum in ſpecie obiectiuè præſentatum mouere intellectum ad intelligendum obiectiua quadam, & actiua motione, qua partialiter ad intellectionem concurrit: & hanc obiectiuam motionem habere diuinam eſſentiam erga intellectum beati oſtendimus in ſecũda parte eiuſdem libri, quæſtione quarta, articulo nono, §. quinto. Admiſſa autem hac Philoſophia neceſſariò cõuincitur lumen gloriæ diſtinctum eſſe à viſione.

Deinde negandum non eſt, intellectũ creatum ad videndum Deum indigere ſupernaturali eleuatione, idque non ſolùm de lege ordinaria, ſed etiam de potẽtia abſoluta, vt oſtendimus libro ſeptimo, & inferiùs in hoc libro oſtendemus. Nec ſimiliter negandum eſt, eum ad videndum Deum eleuari per lumen gloriæ, ſaltem de lege ordinaria (quidquid ſit de potẽtia abſoluta) id enim ſtatim oſtendemus ex Concilio Vienenſi: idque in hoc ſenſu; vt per lumen gloriæ eleuetur ad eliciendam viſionem.; quanuis Molina, & Bellomontan. dicant Concilium in alio ſenſu poſſe explicari. In ſenſu autem explicato patet intellectum non poſſe ipſa viſione eleuari; quoniã nec ipſa viſio poteſt ſe ipſam antecedere; nec eſſe actiuũ principium ſui ipſius. 24. Aliud fundamentum

Accedit tertiò; quoniam cætera omnia lumina, de quibus egimus in ſecunda quæſtione, diſtinguuntur à viſione, vt ex illa facile patet. Cur igitur non idem erit in lumine gloriæ? Nulla enim ſufficiens ratio diſcriminis aſsignabitur. 25. 3. Fundam.

Denique modus loquendi Scripturæ, dum agit de hoc lumine, non poteſt benè accommodari viſioni. Qòod facilè patet ex Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*; Iam verò ſicut dici non poteſt nos in viſione videre obiectum, ſed ipſa viſione; ita non ſatis accommodatè dicemus beatos in viſione videre Deum lumẽ increatum, ſed viſione ipſa. Verba etiam Apocalypſis 21. *Ciuitas illa nõ eget Sole, & Luna; Sed claritas Dei illuminauit eam*, accommodari non poſſunt viſioni: tum quia verba illa intelliguntur de claritate, quæ eſt à Solo Deo: Solus enim Deus illam producit: viſio autem non eſt à ſolo Deo, vt veriſsima habet opinio, de qua in libro decimo: Tum etiam; quia in illo loco agitur de claritate, in qua beati ambulant: immediatè enim dicitur: *Et ambulabunt gentes*, id eſt beati, de quibus Solis ibi agitur, *In lumine eius.* Beati autem beatificè ambulant ipſa viſione; quia ambulare illorum eo in loco non eſt aliud, quàm videre, quæ vident. Iam verò ambulatio non fit in ipſa ambulatione, ſed in lumine, & ſub lumine manifeſtante viam, quam ambulamus. 26. 4. Fundam. *Pſal. 35.* *Apoc. 21.*

Deinde

27. Auctores noſtræ ſententiæ. *Capreol. Hiſpalenſ. Suarius. Salas. Pezant. Bachonius*

Et hæc ſatis ſint pro impugnanda tertia ſententia; quam impugnant Capreol. *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad Aureolum quinto loco contra ſecundam fol. 209. col. 2. Hiſpal. ibidem q. 4. artic. 4. ad Aureol. 6. loco fol. 215. col. 2. Suar. 2. de Attributis negatiuis cap. 14. num. 6. Salas 1. tom. ad primam ſecundæ, q. 3. tract. 2. diſput. 5. ſect. 3. num. 51. pag. 348. Pezant. 1. part. quæſt. 12. artic. 5. diſput. 1. notabili. 4. pag. 57. col. 2. B. Bachonius 1. q. prologi ad finem fol. 4. col. 2. §. Sed contra, Ferrarienſ. etiam in 3. contra gentes cap. 54. ad 4. Scoti fol. 277. colum. 4. §. Aduertendum*: Denique omnes illi, qui volunt lumen gloriæ dari, vt intellectus eleuetur ad eliciendam viſionem. ¶ Cui reſolutioni non obſtant, quæ in contrarium adducuntur; quia admittimus viſionem dici poſſe lumen: non tamen formale: ſed participatum, vt diximus.

Ad contraria.

28. Reſolutio.

Ex quibus iam patet lumen gloriæ in hac diſputatione ſumi pro qualitate ſupernaturali, per ſe infuſa, diſtincta à viſione, qua diuina eſſentia intellectui manifeſtatur, & apparet tanquam obiectum beatificum, vt diximus §. ſecundo in principio.

QVÆSTIO IIII.

De neceſsitate luminis gloriæ, vt Deus videatur.

DE LVMINE gloriæ ſumpto pro qualitate ſiue habitu diuinam eſſentiam manifeſtante intellectui, plura ſunt generaliter inquirenda. Primò inquiretur, Vtrùm in beatis ſit admittendum?

Secundò, ad quidnam ſit admittendum?

Tertiò, vtrùm diſtinguatur ab alijs, quæ ſunt in beatis?

Poſtremò; An ad viſionem ſit neceſſarium, etiam de potentia Dei abſoluta?

¶ Quòd attinet ad primum; duos excitabimus articulos.

Primus inquiret; vtrùm hoc lumen de facto detur in beatis?

Secundus; vtrùm ſit de Fide illud de facto dari?

ARTICVLVS I.

Vtrùm lumen gloriæ de facto detur in beatis, vt Deum videant?

§. I.

Referuntur Authores partis negantis.

PArtem negantem plures probauerunt, varijs tamen ducti fundamentis. Pro ea primò enumerandi ſunt Begardi, & Beguinæ, quorũ quintus error erat iſte: *Quod anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndũ*, vt patet ex Concilio Vienenſi ſub Clement. 5. relato in Clement. *ad noſtrum* de Hæreticis. Fundamentum huius erroris ex eo ſumebatur; quoniam quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata. Naturaliter, inquam; id eſt per ſuam naturalem virtutẽ: quod etiam plures alij Hæretici docuerunt, quos citauimus libro 6. quæſtione prima & ſecunda, vtrobique articulo primo, §. primo. Vnde illi etiam conſentiunt cum Begardis, & Beguinis, vt intellectus creatus non indigeat lumine gloriæ ad videndum Deũ. Et quanuis id non exprimant, vt expreſſere Begardi, & Beguinæ; non poſſunt tamen non negare lumen gloriæ, & quodcumque aliud ſupernaturale auxilium, aliamvè gratiam, & liberalitatẽ ex parte Dei; quia apud illos ſatis erit generalis influentia, & concurſus, quo Deus cum omnibus rebus concurrit. Ita igitur argumentabantur: intellectus creatus per ſuam naturalem virtutem poteſt videre diuinam eſſentiam. Ergo ad videndum Deum non indiget lumine gloriæ. Conſequentia ex antecedente benè infertur. Porrò antecedens probabant multis, & varijs fundamentis, quæ adduximus libro ſexto in dicta quæſtione prima, & ſecunda.

1. Partes negãtis fautores.

Begardi. Beguinæ.

Clem. ad noſtrũ de Hæreticis.

Durandum, & Baſſolium eſſe pro eadem ſententia.

¶ Secundo loco Durandus, & Baſſolius in beatis nullũ lumen admittunt creatũ, aut increatũ, quocũq; illud nomine ſignificetur. Hui⁹ opinionis fuerũt auctores 3. 2. Durandus, & Baſſolius pro ſententia negante

modi

modi dicendi, quem refert Durand. *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. numer. 11.* quos probat ipſe Durandus, ſi cōſideratiùs expendatur: etenim, quòd in beatis non debeat ad mitti lumen, quod ſit habitus intellectui ſuperadditus, multis ſcribit *in dict. art. 2. num. 21. 22. 23. & 24.* vbi abſolutè negat talem habitum, aut dari, aut eſſe neceſſarium ad videndum Deum; quia nec dari poteſt ad eliciendam viſionem, ſi intellectus eam actiuè elicit; nec ad illam recipi-
3: endam, ſi concurrat ſolùm paſsiuè.

Quòd verò nullum aliud lumen ſuper naturale admittat, ſiue increatum per modum cōcurſus applicatum, ſiue creatum, quod ſit concurſus actualis, & in actu ſecundo, aut etiam ipſa viſio; facilè patet ex ijs, quæ ex Durando adduximus ſuprà lib. 7. q. 3. art. 1. §. 1. num. 2. vſque ad 7. vbi euidenter oſtendimus Durandum, vt intellectus poſsit Deum videre, nullā aliam ſupernaturalitatem agnoſcere, niſi ſolam mutationem ordinis naturalis, quē Deus immutabit, dum gratis, ac liberaliter aufert impedimenta, quibus impediebatur ne Deum videret; idque merè gratis, & liberaliter ſe obiectiuè præſentando. Vnde nihil ſupernaturale requirebat ex parte intellectus, quo naturalis eius virtus immutaretur: etenim diuina eſſentia gratis, præſentata, intellectus ſua naturali virtute abſque vllo ſupernaturali concurſu poſſet elicere viſionem illius. Quare nullū admittebat ſupernaturale lumen, quo intellectus ad videndum eleuaretur.

4. *Suarius nō bene percepit Duran.* Et cum hæc omnia Durand. expreſsis verbis ſcribat, mirum eſt, quod *Suar. 2. de Attributis negatiuis cap. 16. numer. 5.* dicat ſine cauſa imponi Durando, quòd neget neceſſarium eſſe, vel lumen, vel maius quoddam auxilium Dei, quod luminis efficientiam ſuppleat, vt contra eum ad-
Salas reprehenditur. uertimus loco citato num. 4. Salas autē non poteſt à reprehenſione liberari, dum affirmat Deum apud Durand. tollere impedimenta naturalia à creato intellectu, dum ſe illi vnit ad inſtar ſpeciei: etenim Durand. nullibi dixit, diuinam eſſentiā ſubire vicem ſpeciei, imò oppoſitum docuit, vt alibi diximus. ¶ Non eſt igitur negandum, ſententiam, quæ abſolutè negat, dari in beatis lumen gloriæ placuiſſe Durando: vnde communiter illi hæc ſentētia tribuitur à Soto *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4.* à Bellom. *1. p. diſp. 45. cap. 2. & à Sala 1. tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5. art. 3. num. 51. pag. 350. col. 1. & ab Albertino q. 1. Theologica 1. corollarii in 3. dubit. pag. 22. C, 1. imò ab ipſo Suario in dicto 2. lib. cap. 14. num. 2.* Sotus. Bellomon. Salas. Suarius.

Cum Durādo abſolutè conſentit Baſſolius, ſi expendantur, quæ ſcribit *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. & in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1.* vt iam aduertimus lib. 7. q. 3. art. 1. §. 1. nu. 1. etenim dicta q. 5. art. 2. fol. 57. col. 4. refert opinionem, quòd præſentata diuina eſſentia in ratione obiecti beatifici; adhuc neceſſarius ſit habitus luminis gloriæ, vt intellectus viſionem eliciat, & eā ſtatim improbat *fol. 158. col. 1. §. Sed quātum ad præſentem*: non ſolùm quatenus aſſerebat, intellectū actiuè influere in viſionem; ſed etiam quatenus dicebat poſita eſſentiæ præſentatione lumen gloriæ ad talem actiuam influentiam eſſe neceſſarium. Et lumen abſolutè non eſſe neceſſarium, ex eo probat, quia putat, intellectum ad viſionem ſolùm paſsiuè concurrere, vt latè probat in dicto *§. Sed quantum ad præſentem*, & antea probauit *fol. 156. col. 4. & fol. 157. col. 1. & fol. 159. col. 2. in fine col. 3. ad 4.* Eadem docet *in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. vbi fol. 50. col. 3.* hæc verba ſcribit: *Dico, quòd in intellectu nullus eſt habitus neceſſarius ad actū diuinæ viſionis.* Et hanc reſolutionem intelligit, ſiue intellectus actiuè concurrat ad viſionem, ſiue ſolùm paſsiuè, & idem repetit ibidem *col. 4. §. Dico igitur; & fol. 51. col. 1. in ſolutionibus argumentorum.* Quare Baſſolius cum Durand. conſentit in hoc, quòd ex parte intellectus, præter lumen naturale, nullum ſupernaturale lumen, aut habitū requirit. Vnde abſque dubio partem negantem probat. 5. *Baſſoli⁹ cōſentit cum Durando.*

Authores huius opinionis inde ſumūt fundamentum, quòd ſublatis diuina libertate impedimentis naturalibus, voluntaria diuinæ eſſentiæ repræſentatione intellectus naturali ſua virtute cum ſola generali influentia Dei poteſt videre Deum. Ergo lumen gloriæ fruſtrà datur ad Deum videndum. Conſequentia patet; antecedens probant argumentis adductis *libro ſeptimo quæſtione tertia, articulo primo, paragrapho primo, numero 11.* 6. Fundamentum Durandi & Baſſol.

Tertio

7. Alij auctores pro eadem negante ſentẽtia.

Tertio loco pro eadem negante ſentẽtia ſtant authores, qui in beatis admittũt quidem dari lumen gloriæ; ſed nullum aliud niſi increatum. Quare omnino negant dari aliquod lumen creatum, ſiue illud ſit qualitas, & habitus, ſiue concurſus actualis. Hanc ſententiam probaſſe nonnullos diximus ſuprà *q.* 3. *huius libri art. vnico*, §. 1. vbi fundamenta adduximus.

8. Authores 2. & 3. opinionis ſunt pro negante ſẽtentia.

Quarto loco pro eadem ſententia referri debent authores ſecundæ & tertiæ opinionis, quos q. 3. loco citato adduximus: nam cum ſecunda opinio nullum lumen admittat, niſi concurſum diuinæ eſſentię actiuè concurrentis cum intellectu, ex conſequenti negat dari aliquod lumen, quod ſit qualitas, & habitus: concurſus enim actualis nec qualitas eſt, nec habitus, ſed potiùs habet ſe per modum actionis. Tertia verò opinio, cum admittat, lumen glorię eſſe ipſam viſionem, ex conſequenti negat eſſe qualitatem, quæ ſit habitus ad viſionem conducens. Meritò igitur authores vtriuſque illius opinionis pro hac negante ſententia referri poſſunt: vtriuſque fundamenta adduximus in præcedente quæſtione.

Scotum pro hac ſententia ſtare.

9. Scotus eſt pro ſententia negãte.

¶ Quinto loco pro hac negante ſententia ſtare Scotum mihi eſt ſatis certum; quãuis plerique, aut id negent, aut dubitent. Cum igitur de mente illius ſit controuerſia, operæpretium erit mentem eius attẽtiùs explicare. Quidam volunt, Scotum ſentire cum Durando, & ſimul cum eo docere ſuppoſita voluntaria pręſentatione diuinæ eſſentiæ, intellectum nullo ſuperaddito videre Deum, & ex conſequẽti non admittere lumen gloriæ. Hanc sẽtentiam plures tribuiſſe Scoto diximus lib. 7. q. 3. art. 1. §. 1. n. 7. inter quos enumerauimus Sotum, & Cumelium. Alij fatentur Scotum in hanc ſententiam ſatis eſſe propenſum, ita Suarius in dicto *cap.* 15. *n.* 2. Quod etiam ſentire videtur Salas vbi ſuprà affirmans Scotum ſatis dubitaſſe, an de facto detur lumen gloriæ? At Bellom. 1. *p. diſp.* 41. *c.* 2. *n.* 9. *& diſp.* 42. *c.* 1. *n.* 1. affirmat Scotũ hac de re nihil pronunciaſſe. Denique Ouand. *in* 4. *diſt.* 49. *propoſit.* 7. ſimpliciter aſſerit, lumen gloriæ dandum eſſe de potẽtia ordinaria nõ

Suarius. *Salas.*

Quid de Scoto ſentiat Bellomont.

Quid de Scoto ſentiat Ouand.

tamen de abſoluta. ¶ Ego pro explicanda mente Scoti ſequentes ſtatuo propoſitiones.

Propria de Scoto ſentẽtia.

10. 1. concl.

Prima propoſitio: Scotus longè eſt ab opinione Durandi, quòd attinet ad quæſtionem, vtrùm præſentata diuina eſſentia intellectus indigeat aliqua ſupernaturali eleuatione; an ſatis ſit virtus naturalis, vt Deum videat? In hac enim quæſtione Durand. nihil ſupernaturale requirit, aut ex parte intellectus, aut ex parte diuinæ eſſentiæ: Scotus autem oppoſitũ docet: etenim ſaltem ex parte diuinæ eſſentiæ aliquam requirit ſupernaturalitatem præter ipſam voluntariam præſentationem; quod contra Sotum, & alios oſtendimus lib. 7. q. 1. art. 1. §. 1. n. 7. & 8: etenim Scotus, ſi expendantur, quæ ſcribit, ſemper ad viſionem requirit aliquod auxilium ſupernaturale; ſi non intrinſecum intellectui, quale eſt lumen gloriæ (quia dubium eſt an illud admittat) ſaltẽ intrinſecum, ſine quo nec intellectus poteſt in viſionem influere, nec illam recipere.

11. In quam ſẽtentiã magis inclinet Scotus.

Pro quo aduerte Scotum potiùs inclinare, quòd intellectus actiuè in viſionem non influat: & quanuis difficultatem de neceſsitate luminis gloriæ reſoluat, illa præſuppoſita; tamen vtroque modo, pręter voluntariam præſentiam obiecti in ratione termini, requirit auxilium ſupernaturale, ſaltem ex parte obiecti: nam ſi ſolùm paſsiuè ſe habeat ad viſionem, licet non requirat lumen gloriæ, vt potentiam receptiuam eleuet ad viſionem recipiendam; tamen requirit ſupernaturalem viſionis infuſionem, vt explicat in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2. D. in hæc verba: *In quocũq; inſtanti priori naturaliter ipſa viſione nulla eſt cauſa naturaliter prior ipſa viſione: vſque enim ad illud inſtans naturæ, quo intellectus videt, non habet intellectus vnde poſſit in iſtam viſionem; ſed tantùm præcedit naturaliter ipſe intellectus in ſe. & obiectum, quod poteſt elicere ipſam viſionem: quia non eſt motiuum naturaliter proportionatum huic paſſo, nec natum naturaliter mouere ipſum.* Ex his verbis patet Scotũ docere in illo priori naturæ, antequam ſit viſio, nullam dari cauſam naturalem antecedentem ipſam viſionem, & intellectum in illo priori nõ habere, vnde naturaliter poſsit in viſionem: nam quanuis ipſe naturaliter præcedat

cedat (quia apud Scotum intellectus per ſuam naturalem potentiam paſſiuam capax eſt, vt viſionem in ſe recipiat) nullũ tamen præcedit obiectum, quod naturaliter moueat intellectum; quoniam obiectum ipſum beatificum, quod viſionem ipſam præcedit, vt cauſa productiua illius, non eſt naturale viſionis productiuum, ſed ſupernaturale, vt expreſsè docet in verbis immediatè ſequentibus. Quare ſuppoſito concurſu ſolùm paſsiuo ad recipiendam viſionem, præter voluntariam repræſentationem diuinæ eſſentiæ per modum termini, Scotus ad recipiendam viſionem requirit concurſum ſupernaturalis efficientis: quod tamen Durand. non requirit, cum doceat intellectum, & obiectum beatificum habere inter ſe naturalem proportionem.

12. Quòd verò etiam requirat aliquid ſupernaturale, ſi intellectus actiuè influat in viſionem, expreſsè ſcribit loco citato litera B. dum ait, ideo lumen creatum nõ requiri, quia diuina eſſentia ex ſe eſt lumen potens perfectiſsimè mouere intellectum; quod etiam docet *in 4. diſt. 49. q. 11. H.* Quare Scotus, etiam ſuppoſita actiuitate, præter obiectiuam præſentiam requirit actiuum concurſum obiecti, quo moueat intellectum ad videndum, & cũ eo partialiter concurrat; qui concurſus eſt ſupernaturalis: cum tamen Durand. præter concurſum diuinæ eſſentiæ in ratione termini, nullum in ea admittat actiuum concurſum ad viſionem, & doceat totam actiuitatem ſe habere ex parte intellectus naturaliter concurrentis.

13. *Secũda propoſitio Scoti.* Secunda propoſitio: ſuppoſito ex parte intellectus ſolo paſsiuo concurſu in viſionem, Scotus ſimpliciter negat de facto dari lumen gloriæ. Hanc eſſe mentem Scoti iam aduertimus lib. 7. q. 4. art. vnico n. 13. & idem aduertit Ouand. *in 4. diſt. 49. propoſitione 7.* Quòd hæc ſit mens Scoti patet ex 3. *diſt. 14. q. 2. art. 2. B. §. Similiter ad recipiendum, & in 4. diſt. 49. q. 11.* vbi litera C. in hæc verba: *Si autem intellectus ſit merè paſsiuus habens ſe in ratione ſuſceptiui ad actum viſionis; cum non requiratur propter ſolam receptionem aliqua forma ex parte intellectus, vt ſuprà oſtenſum eſt. Tunc non requiritur lumen gloriæ.* Et quia in hoc ſenſu, clara eſt mens Scoti, ſatis hæc ſint.

Ouand.

Tertia propoſitio: Scotus nunquam abſolutè ſcripſit lumen gloriæ, aut alium habitum ſupernaturalem eſſe neceſſariũ ad eliciendam viſionem ſuppoſita actiuitate intellectus in eam: ſed ſolùm dixit, ſi aliquid ſupernaturale ponitur in beatis prius viſione, illud poni non propter receptionem viſionis, ſed propter eam eliciendam: nam in *dicta q. 11. litter. C. §. Ex hoc ſequitur*, poſtquam dixit in beatis nihil ſupernaturale poni prius operationibus, ita habet: *Si tamen aliquod ſupernaturale ponitur in beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionẽ, ſed propter actionem, vt eliciatur operatio.* Et ſtatim: *hinc ſequitur, quòd ſi ſit aliqua forma ſupernaturalis in anima Beati prior operationibus, quòd illa requiritur propter operationem eliciendam.* Nec dabitur locus, in quo ſimpliciter affirmet lumen gloriæ dari in Beatis, ſi intellectus actiuè concurrit. 14. *Tertia propoſitio Scoti.*

Quarta propoſitio: Suppoſita actiuitate intellectus in viſionem, Scotus potiùs negat, quàm concedat, lumen gloriæ dari in Beatis. Hanc propoſitionem mihi ſatis probant verba Scoti in dicta q. 11. lit. H. nam poſtquam docuit, ſi voluntas ſit merè paſsiua reſpectu fruitionis, charitatem non eſſe neceſſariam ex parte voluntatis, ita ſcribit: *Sed quia ſecundum ſcripturam, & fidem habemus ponere charitatem, ſaltem neceſſe eſt eam ponere in Beato propter operationem eliciendam. Lumen autem gloriæ ad viſionẽ non videtur mihi neceſſe poni.* Quæ verba ſatis ſignificant apud Scotum non eſſe de fide in Beatis dari lumen gloriæ: hoc ſuppoſito putat Scotus nihil cogere, vt dicamus intellectum actiuè influere in viſionem: & per conſequens lumen gloriæ ex hoc capite non eſſe neceſſarium: cum verò nec neceſſarium ſit, vt viſionẽ recipiat; inde ſimpliciter affirmat lumen gloriæ de facto non dari in Beatis. Eum autem loqui ſecundum legem ordinariã ex eo conuincitur, quia ſecundum illam loquitur de charitate. Vnde ſicut ſecundum legem ordinariam ponit in Beatis charitatem (cum tamen apud eum neceſſaria non ſit ſecundum potentiam abſolutam) ita ſecundum legem ordinariam negat dari lumen gloriæ. 15. *Quarta propoſitio Scoti.*

Quare mentem Scoti non præcepit Ouand. in dicta propoſitione 7. dum ait, Scotum nunquam negaſſe dari lumen 16.

gloriæ

Bellomont. non percepit Scotũ. gloriæ ſecũdum legem ordinariam. Nec mentem Scoti percepit Bellomont. dum aſſerit Scotum nihil hac de re definiuiſſe: etenim oppoſitum patet ex verbis citatis, quanuis in illis id non definierit, niſi cum formidine. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Salas, dum ait Scotum hac de re dubitaſſe: non quòd neutram partem definierit, ſed quòd definierit negantem ſub probabilitate. In eodem etiam ſenſu recipio dictum Suarij, Scotum in negantem partem inclinaſſe; quoniam in eam inclinauit aſſenſu probabili; quod tamen ſatis eſt, vt Scotum pro negante ſententia abſque dubio proferamus.

Salas.

Suarius.

Gabriel, & Mayronius pro eadem ſunt, non tamen Aureolus.

17. Gabriel eſt pro negante ſententia

¶ Poſtremò; pro eadem negante ſententia referri poſſũt Gabriel, & Mayronius. Nam Gabriel abſolutè probat, lumen habituale nou eſſe neceſſarium, aut ad eliciendam viſionem, aut ad eam recipiendã, vt patet *in 3. diſt. 31. q. vnica, art. 3. dub. 1.* In quo etiam conſentit Mayronius in 3. diſtin. 12. q. 2: quanuis enim admittat in beatis dari lumen gloriæ; illud tamen ſolum admittit ad ornamentum, & decorẽ beati; non verò aut ad viſionem eliciendam, aut recipiendam; & ſubindè illud non admittit, vt qualitatem eleuantem ad videndum.

Pro eadem eſt Mayronius.

18. Suarius, & Salas nõ bene referunt Aureolum.

Pro eadem negante ſententia nonnulli referunt Aureolum, inter quos eſt *Suarius 2. de Attrib. negatiuis c. 15. n. 2. & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. n. 47. pag. 346. col. 1.* Sed oppoſitum docuiſſe Aureolum & probaſſe affirmantẽ ſententiam euidenter oſtendemus in §. ſequente.

§. 2.

Fundamenta huius negantis Sententiæ.

19. Argumenta ſententiæ quæ negãt.

PRæter fundamenta, quæ ſingulæ explicatæ ſententiæ in ſui confirmationem adducunt, nonnulla adducuntur, quæ directè impugnant dari lumẽ gloriæ, quod ſit qualitas diſtincta à viſione: omnia tamen ad hoc vnum reducuntur, quod eſt potiſsimum. Quoniam lumen creatũ in ſenſu explicato eſt omnino ſuperfluum in beatis. Non eſt igitur in illis admittendum. Conſequentia

1. arg.

eſt nota; nam, ſi Deus vt author naturæ, nihil facit fruſtra, à fortiori nihil ſuperfluum faciet, vt eſt author gratiæ. In probando antecedente latè ſpaciantur, vt videre eſt apud Scotum *in 3. diſt. 14. q. 2. & in 4. diſt. 49. q. 11. & apud Durand. ibidem q. 2. Gabrielem, & alios*: qui omnes hoc vtuntur medio: quoniam lumen gloriæ non requiritur, vt diſpoſitio ad vnionem eſſentiæ cum intellectu; nec vt virtus eleuans intellectum, aut ad eliciendam viſionem, aut ad recipiendam; nec denique ad munus aliud exercendum in ordine ad viſionem. Singula multis argumẽtis perſequuntur, quæ inferiùs adducemus in ſequenti queſt. in qua de muneribus, atq; officijs luminis gloriæ diſputandum erit.

Scotus. Durand. Gabr.

Secundò loco ſpecialiter adducitur: quoniam obiectum, quod ſuapte natura eſt lux ſiue lumen, non indiget alio lumine, vt videatur, ſed ſua propria luce videri poteſt, vt patet in Sole, qui cum ſuapte natura ſit quoddam lucidum, non indiget alio lumine, ſed videtur ſua propria luce. Deus autem ſuapte natura eſt lux, vt patet. Ergo cum vult videri à nobis, non indiget alia luce, ſed ſua ipſius videtur. 2. argum.

Confirmatur hæc ratio: quoniam lumen præcedens viſionem non præ requiritur, niſi propter imperfectionem obiecti: vel quia eſt intelligibile in potentia, indigens, vt fiat actu intelligibile; vel ſi ex ſe eſt actu intelligibile, non eſt ſufficiens ad mouendum intellectum ad actũ ſecundum, niſi ſub lumine. Ob hãc enim rationem ad naturalem intellectionem requiritur lumen intellectus agentis ante viſionem; & idem cernitur in cæteris intellectionibus, quæ terminantur ad obiecta non beatifica. At diuina eſſentia eſt ſumma lux, eſt ex ſe actu intelligibilis, & motiua intellectus ad viſionẽ. Ergo nullum requirit aliud lumen à ſe, quod ſit cooperatiuum ſecum. Vide Scotum in 3. *diſt. 14. q. 1. ad 3. principale, litera F.* 20. Confirmatio.

Scotus.

Tertia ratio: quia ſi in alijs actionibus intellectus requiritur habitus luminis, ideò eſt, vt intellectus tranſeunte actu habeat notitiam habitualem ipſius intelligibilis. Ergo ſi daretur actus ex ſua natura permanens, non eſſet neceſſarius habitus ad illum: ex ſe enim haberet rationẽ actus primi, & ſecundi: talis autẽ eſt viſio beata 21. 3. argum.

beata, quæ ex ſua natura eſt permanens, vt videbimus lib. 12. Ergo ad eam nullus requiritur habitus, aut luminis, aut alterius rationis.

22. 4. arg. Quarta ratio: ſi lumen ponitur, vt forma, qua intellectus ſit ſufficiens ad videndum Deum, ſequitur, intellectum per aliquam formam creatam naturaliter videre Deum: quod eſſe falſum omnes Catholici agnoſcunt. Sequela probatur: quoniã ſicut cæcus ſupernaturaliter illuminatus naturaliter videt; ita intellectus creatus illuminatus per lumen gloriæ naturaliter videret Deum: quamuis enim lumen ſupernaturaliter detur intellectui; naturaliter tamen intellectum perficit.

23. 5. argum. Quinta, & vltima ratio: quia magis videtur neceſſarium ponere ſpeciem intelligibilem Dei, quàm lumen gloriæ. Sed illa non ponitur. Ergo nec lumen ponẽdum erit. Minor ferè ab omnibus probatur: maior oſtenditur; quoniam ſpecies ponitur propter perfectionem intellectus, vt eſt memoria: lumen autem ponitur propter actum ſecundum; ſ. viſionẽ; ad quam ſufficit obiectum in ſe ipſo eſſe præſens. ¶ Hæc generaliter diximus pro negante ſententia.

§. 3.

Affirmatiua ſententia eſt tenenda.

24. Eligitur opinio affirmans. Affirmatiua tamen ſententia inter Theologos ſemper fuit communior; ſcilicet lumen gloriæ habituale dari in Beatis. Et hanc ſententiam eſſe indubitatam plerique ſcribunt; eam probauit *D. Thomas 1. p. q. 12. art. 5. & 1. 2. q. 5. art. 5. & 6. & 3. contra gent. c. 53. & 54. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7. & de Veritate q. 8. art. 3. & alijs in locis*, conueniunt omnes Thomiſtæ; *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1. concl. 2. Hiſpalen. ibidem q. 4. ar. 1. concl. 2. Soncinas q. 4. concl. 2. Sotus q. 2. ar. 4. Caietanus 1. p. q. 12. art. 5. vbi Syluester in conflato, Bañes dub. 1. & 2. Cumel. q. 1. concl. 1. Raphael Ripa dub. 1. c. 1. cum cæteris eiuſdem ſcholæ in eodem loco; & in 1. 2. q. 5. art. 5. & 6. vbi Medina, Ferrar. 3. cont. gent. c. 53. & 54. Viguerius in ſuis inſtitutionibus c. 14. verſu. 2. Nauarrete 1. p. controu. 37. per totam.* Ex antiquioribus *Albert. Magn. in 1. diſt. 1. art. 15. ante finem ad quæſtionem de Theophanijs, §. Ad hoc, quod vlterius, & in 4. diſt. 49. art. 4. & 5. Diuus Bonauent. in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. ad vltim. n. 24. & art. 2. q. 1*: nam in dicta q. 3. admittit aliquid influi in animam, & licet non declaret, an illa influentia ſit lumen gloriæ; tamen ſatis id declarat in dicta q. 1. vbi n. 29. appellat lumen gloriæ, & n. 25. iam appellauerat Deiformitatem gloriæ, & nu. 26. vocat influentiam luminis æterni, vbi etiam hoc lumen appellat habitum; non eſt igitur de mente Diui Bonauenturæ dubitandum; idem docet *Richar. in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. & in 4. diſt. 49. art. 3. q. 2. vbi Argentina q. 2. art. 1. Palud. q. 1. art. 3. Henric. quodlib. 3. q. 1. lit. T. V. Y fol. 48. col. 1. & 2. vbi latè de eo agit, illud etiã admittit quodlib. 4. q. 7. Y. fol. 94. pag. 2. in princ. Heruæus quodlib. 5. q. 7. Bachonius in 3. diſt. 12. q. 1. art. 1. in fine, fol. 24. col. 1. Carthuſianus diſt. 14. q. 1. in fine.*

Capreolus. Hiſpalen. Caietanus. Syluest. Bañes. Cumelius. Ripa. Medina. Ferrar. Viguerius Nauarret. Alb. mag.

D. Bonau. 25.

Richard. Argent. Palud. Henric. Heruæus. Bachonius Carthuſ.

26. Ex Nominalibus *Gabriel in 1. diſt. 1. q. 2. art. 3. ad finem, Maior in 3. diſt. 14. q. 2. concl. 2. & 4. idem in 4. diſt. 49. q. 4. concl. 3. & in fine quæſtionis, Marſilius in 3. q. 10. art. 2. in 1. p. concl. 2. fol. 414. col. 1. & inferiùs col. 4. concl. 1. poſt quartam opinionem dubij incidentis. Holchot. q. 8. determinationum art. 1. lit. E.* Ex Scotiſtis *Ouandus in 4. diſt. 49. propoſitione 7. Angles de Beatitudine ad 4. Sententiarum art. 2. difficult. 7. concl. 1. pag. 327.* Ex Recentioribus *Palatius in 4. diſt. 49. diſp. 1. concl. 7. & 8. pag. 161. col. 2. Mol. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 2. pag. 115. col. 1. Suar. 2. de Attributis negatiuis c. 14. & 15. Valent. 1. tom. diſp. 1. q. 12. punct. 3. Bellom. 1. p. diſp. 42. c. 1. & 2. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. n. 49. Albertinus in ſuis corollarijs coroll. 1. q. 1. Theologica n. 17. Pezant. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 1. Lorca 1. 2. q. 5. diſp. 30 & 31.* Denique inter nouiores eſt omnino indubitata.

Gabriel. Maior. Marſilius.

Holcoth. Ouand. Angles.

27. Palatius. Molina. Suarius. Valentia. Bellomon. Salas. Albertin. Pezant. Lorca.

28. Aureol. Pro eadem abſque dubio eſt Aureol. ſi vera ſunt, quæ de eo ſcribit Capreolus *in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 2. fol. 204. col. 3. & Hiſpalenſis ibidem q. 4. ar. 2. fol. 209. col. 3*: nam licet in primo dicto neget lumẽ gloriæ ad hoc requiri, vt intellectus agens illo mediante cooperetur diuinæ eſſentiæ in cauſando viſionem; & in 2. affirmet, illud non exigi ad vigorandum intellectum poſſibilem, vel vt in illam poſſit, vel, vt illam recipiat; tamẽ in 3. dicto, fol. 205. col. 1. expreſſè aſſerit lumen gloriæ dire-

directè ponendum eſſe propter intellectum agentem, conſecutiuè autem propter poſsibilem. Quomodò autem hęc tria inter ſe cohæreāt; inferiùs explicabimus: nunc hęc adduximus, vt oſtendamus falli eos, qui Aureol. citant pro ſentētia negante, cum verè pro affirmante ſcribat.

§. 4.
Reſolutio quæſtionis.

29. Affirmatiua eſt vera. NOs cum communi iſta ſententia affirmante quæſtionem reſoluimus. Sed pro clariori explicatione aduertimus quæſtionem iſtam excitari poſſe vel abſolutè abſtrahendo à diffinitione Concilij Viēnenſis, vel poſt illam. Hoc poſteriori modo de ea diſputabimus in 2. art. Nunc de ea agemus abſtrahendo ab illa definitione, & abſolutè expendendo illius veritatem.

30. Lumen gloriæ de lege ordinaria poni, ſemper fuit verum. Fundamentum primũ reſolutionis. In hoc igitur ſenſu dicimus, ſententiā, quæ ponit in Beatis lumen habituale gloriæ tanquam de lege ordinaria neceſſariũ ad habendam viſionem diuinæ eſſentiæ, ſemper fuiſſe longè veriorem. Fundamētum inde ſumimus; quia ſemper fuit certiſsimum non ſolùm in fide, ſed in naturali ratione intellectum creatum viribus ſuæ naturæ non poſſe videre Deum, vt latiſsimè oſtendimus libr. 6. q. 1. & 2. Et inde in lib. 7. q. 1. 2. 3. & 4. intulimus intellectum creatum ad videndum Deũ indigere ſupernaturali quadam eleuatione, tàm ex parte diuinæ eſſentiæ, vt intellectui vniatur, quàm ex parte intellectus vt illam ſibi vnitam videat, & oſtendimus id ſemper fuiſſe certiſsimum, tàm certitudine fidei, quàm luminis naturalis: hæc enim eleuatio & naturaliter demonſtratur, & ex ſacris literis, Patruumque doctrina euidenter deducitur. Cum verò hæc eleuatio ſit ad videndum Deum; nulla autem viſio, ſeu cognitio fiat ſine lumine (vt docet & Philoſophia, & communis Theologia, vt ex Auguſtino, Diuo Thoma, & alijs oſtendimus ſuprà q. 1. & ſatis colligitur ex Paulo ad Epheſios. 5: *Omne, quod arguitur, in lumine manifeſtatur*) neceſſariò infertur hanc eleuationem fieri non poſſe ſinè ſupernaturali lumine, vt in dicta q. 1. diximus.

31. 2. confirm. Deinde confirmatur: quoniam ſicut ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt intellectus beati viſionem eliciat modo connaturali tali ſtatui, ita vt viſio ſit illi connaturalis cōnaturalitate ſtatus: ita ad eiuſdem ſtatus perfectionem ſpectat, vt intellectus per principia illi ſtatui cōnaturalia habeat viſionem ſibi connaturalem. Sed lumen gloriæ (quod eſt principium habendi viſionē) non poteſt eſſe connaturale, aut intellectui videnti, aut viſioni, qua videt, niſi ſit habituale. Ergo lumen gloriæ in beatis eſt habituale. Diſcurſus eſt legitimus: maior ex eo generaliter probatur; quia Deus ſolet creaturis ꝓuidere de principijs, quibus agant (quātũ fieri poteſt) naturaliter: maximè enim eſt congruum naturæ, vt principia operationum immanentium ſint in potentijs per modum habitus. Deinde; quia ſicut Deus author naturæ ad operationes connaturales confert principia ipſi agenti cōnaturalia connaturalitate ſui ſtatus naturalis (igni enim ad calefaciendum dedit virtutem agendi illi connaturalem, nimirum calorem, & ſic de cæteris) ita etiam vt eſt author ſupernaturalis naturæ ad operationes illi ſtatui connaturales, dedit ipſis agentibus ſupernaturaliter eleuatis principia connaturalia connaturalitate talis ſtatus: etenim ad operationes fidei, quę connaturales ſunt intellectui eleuato, dedit habitum fidei cōnaturalem illi ſtatui: & ad amandum dedit charitatem, habitũ illi ſtatui connaturalem. Sed Deus eleuās intellectum ad ſtatum gloriæ eum eleuat ad operationem viſionis connaturalem illi ſtatui (hoc enim pertinet ad perfectionem ſtatus beatifici, vt diximus) ergo dat illi principium videndi, quod illi ſtatui ſit connaturale. Et per conſequens lumen gloriæ, quo intellectum eleuat ad videndum, debet eſſe lumen connaturale tum ſtatui, tum viſioni, quæ fuit maior. Minor autem ex eo fit euidens; quia hoc lumen, cum ſit principium viſionis, non poteſt eſſe viſio, vt ſupponimus: erit igitur vel lumen habituale, vel cōcurſus aliquis ſupernaturalis, qui habeat luminis rationem. At concurſus ſupernaturalis nec viſioni, nec ſtatui poteſt eſſe connaturalis. Ergo neceſſariò erit lumen habituale. Minor huius ſecundi diſcurſus inde conuincitur; quia eleuatio alicuius cauſæ per modum concurſus non poteſt eſſe, niſi cauſæ inſtrumentarię. Iam verò concurſus,

32. (margin, beside "ſtatui, tum viſioni, quæ fuit maior. Mi-")

ſus, quo inſtrumentum eleuatur, ſicut nō poteſt eſſe connaturalis inſtrumento; ita nec operatio facta per inſtrumentum po teſt eſſe illi connaturalis. Quare, ſi illud lumen, quod Beatis confertur, debet eſſe connaturale intellectui, connaturalitate & ſtatus, & viſionis, vt oſtenſum eſt; profectò non poteſt eſſe lumen habens rationem concurſus, ſed habitus.

33. 3. confirm. Confirmari adhuc poteſt: quoniam principium agendi agenti cōnaturale, ex ſua natura debet eſſe permanens: id enim maximè congruit naturæ cuiuſque agētis; & ob hanc rationem principia connaturalia in omnibus ſunt permanentia: etenim quæ connaturalia ſunt, permanentia ſunt. Iam verò cōcurſus, licet aliquo modo poſsit habere rationem luminis (quod mihi eſt dubium) tamen ex ſua natura nō eſt permanens: etenim, cum ex ſe ſit cauſalitas quædam, ex ſua natūra potiùs habet rationem tranſeuntis, quàm permanētis. De vi huius rationis latiùs agemus in quæſt. vtrùm lumen gloriæ de potentia Dei abſoluta ſit neceſſarium ad videndum? Illius vim tetigit *Bellom. 1. p. diſput. 43. c. 2. n. 7. & Cumelius* (diminute tamē) *1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 4. & inferiùs §. Ex his omnibus manifeſtatur.* *Bellom. Cumelius.*

34. 4. confirm. ex Pſal. 35. Nec parum faciunt pro hac ſententia verba Pſalmi 35: *In lumine tuo videbimus lumen*: quæ communiter à Patribus explicantur de lumine gloriæ: ab *Origene 1. Periarchon cap. 1. Baſilio libr. 4. aduerſus Eunomium non longè poſt princip. pag. 283. D. & c. 9. Iſaiæ pag. 724. C. Hieronymo eodem loco, Auguſtino in ſoliloquijs animæ c. 36. tom. 9.* & ab alijs, & loquendi modus ſatis euincit verba illa accommodari non poſſe lumini increato, qui eſt Deus: quia non in illo, aut formaliter aut obiectiuè videmus Deum, ſed effectiuè per illud. Nec etiam accommodari poſſunt lumini ſumpto pro concurſu: quia concurſus Dei eſt Dei cauſalitas; qua licet intellectus effectiuè aliquo modo eleuari poſsit ad videndum Deum: in illo tamen Deum non videmus: Nec tertiò accommodari poſſunt lumini ſumpto pro viſione: quia illa & per illam videmus Deum; non tamen in illa: vnde quātumuis daremus viſionem ipſam eſſe lumen (quod tamen non damus) adhuc non benè dixeris in viſione Deū videri, ſed viſione. Quare lumen, in quo Deum videmus, eſt lumen habituale, & de hoc communiter verba illa intelligunt Carthuſianus Titelmanus, Genebrardus, Ianſenius, & alij. *Origen. Baſilius. Hieron. Auguſt.* 35. *Carthuſia. Titelman. Genebrar.*

36. Reijcitur Bellomon. *Apoc. 21.* ¶ Vnde non eſt audiendus Bellom. *in dicta diſp. 43. c. 1. n. 6.* Sicut non eſt audiendus, dum verba illa Apocalypſis 21: *Non eget Ciuitas illa Sole, & Luna; quia claritas Dei eluminauit eam*, explicat de viſione beata: cum tamen nomine claritatis debeat intelligi claritas emanans à ſolo Deo, vt à quodā Sole increato: talis autem nec poteſt eſſe lumen increatum, cum ab illo emanet; nec concurſus, cauſalitasvè Dei; tum, quia cauſalitas nō propriè emanat à cauſa: tum etiā; quia cauſalitas non datur ſine termino cauſato, cui potiùs conueniat ratio luminis. Nec denique ipſa viſio beata, quidquid Bellomont. reclamet: primò; quia propriè non eſt lumen, vt iam diximus. Secundò; quia non eſt lumen à ſolo Deo, cum etiam ſit ab intellectu. Tertiò; quia claritas, de qua ibi, eſt claritas in qua Beati ambulant: nam ſtatim dicitur: *& ambulabunt gentes* (id eſt Beati) *in lumine eius*: Beati autem viſione ambulant, quia ambulare in illis eſt videre: nullus autem in ambulatione ambulat, ſed ambulatione. Quare claritas in illo loco nihil aliud eſſe poteſt, niſi lumen habituale creatum emanans à luce, claritateque increata, quæ eſt Deus. Quomodò autem intellectus hoc lumine habituali eleuetur; & ad quid eleuetur? in ſequentibus explicabimus.

Denique ex Patribus ſatis colligitur dari in Beatis lumen infuſum. Etenim Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 9. pag. 308. F. agens de Spiritu Sācto ita ſcribit: *Lucem intelligibilem, vniuerſæ potentiæ rationali ad veritatis inueſtigationem veluti illuſtrationem quandam ex ſe ſe præbentem*; vbi etiam alia in hunc ſenſum, & vbicunque agit de lumine, quo à Deo illuminamur, ſemper agit de lumine infuſo per modum habitus: vide eum in Exameron homilia 6. pag. 26. E. F. & in cap. 9. Iſaiæ pag. 724. C. D. 37. Confirmatur ex Patribus. *Baſilius.*

¶ Optima ſunt verba authoris libri de Spiritu, & anima apud Aug. tom. 3. c. 12. vbi de Deo ſanctos illuminante ita ſcribit: *Lux ergo ſplendorem emittens ex ſe, quē retinet in ſe, illuminat intelligentiam ad cognitionem veritatis: ignis verò calorem de ſe emit-* Author lib. de Spiritu, & anima.

emittens, ſed non amittens inflammat affectũ ad amorem virtutis: & ſicut Solem non videt oculus, niſi in lumine Solis; ſic verum, ac diuinum lumen non poterit intelligentia videre, niſi in ipſius lumine: in ipſius inquam lumine emiſſo ab ipſa increata luce, vt iam dixerat. Faciunt quæ in eundem ſenſum
Cyrill. ſcribunt Cyrillus lib. 10. in Ioannẽ c. 1.
Bernard. Diuus Bernard. ſerm. 31. in Cantica, & S.
Laur. Iuſtinianus. Laurentius Iuſtinianus in tract. de Caſto Connubio verbi, & animæ c. 15. Hæc ſatis dicta ſint pro ſententia affirmante.

§. 5.

Soluuntur, quæ in contrarium obijci poſſunt.

38. Ad argum. hæreticor. QVæ §. 1. in contrarium ſunt adducta, facilè ſoluuntur. Nam quæ adduximus pro errore Begardorũ, & Beguinarum, cæterorũq; hæreticorũ, ſatis ſuperque ſoluta ſunt lib. 6. q. 1. & 2.

39. Ad argum. pro Durãd. Ad ea, quæ 2. loco adduximus pro Durando, & Baſſolio, negandum eſt id, quod pro fundamento ſumitur: etenim nec admitti poteſt diuinam eſſentiã ſine aliquo ſupernaturali auxilio ex parte intellectꝰ poſſe illi præſentari, & vniri, vt diximus lib. 7. q. 2. art. 1. §. 2. n. 5. & dicemus in ſequente quęſtione: nec hoc admiſſo poterit intellectus ſua naturali virtute Deum videre, ſed adhuc indiget ſupernaturali eleuatione, vt latè oſtendimus lib. 7. q. 3. art. 1. & 2. & in vtroque diſſoluimus fundamenta cõtraria: imò ar. 2. §. 3. diximus opinionem oppoſitam indigere cenſura, de quo iterum dicemus in ſequenti art.

40. Ad argumẽta adducta 3. & 4. loco. Ad 1. aliorum. Ea, quæ 3. & 4. loco in cõtrarium ſunt adducta, iam diſſoluimus in præcedente quæſtione art. vnico, §. 3. & 4.

Ad primum eorum, quæ de nouo adduximus, negandum eſt lumen glorię habituale eſſe ſuperfluum, vt patet ex §. 2. huius articuli. Quæ verò à Scoto, & alijs in contrarium latè adducuntur, diligenter diſſoluentur in q. 5. conſequente.

41. Ad 2. Ad 2. neganda eſt maior, ſiue intelligatur de obiecto, quod eſſentialiter eſt lux, quale eſt Deus; ſiue de obiecto, quod ex ſe vendicat habere lucẽ, qualis eſt Sol, & cætera lucida: omnia enim, vt videantur, indigẽt lumine realiter diſtincto à ſua luce, vt ſub illo videantur. Hoc patet in Sole: ille enim nõ poteſt in ſe ipſo videri, niſi per lumen per mediũ à ſua luce diffuſum: niſi enim mediũ interiacens per lumen ab ipſo diffuſum illuminetur, nõ poterit à nobis vederi: etenim nec ſui ſpeciẽ per tale medium emittet, ſine qua nõ videbitur, vt habet vera Philoſophia, de qua diximus in 2. de Anima c. 7. tract. 6. q. 2. art. 2. in fine, & ad 4. Quare lux exiſtens in Sole; eſt quidem forma, qua Sol formaliter eſt lucidum, vt viſibile: non tamẽ eſt forma, ſub qua Sol videtur, ſed talis forma eſt lumen, quod per medium diffunditur. Deus etiam (qui eſt lux increata) licet ſua increata luce ſit viſibilis in ſe ipſo tanquam obiectũ, quod videtur; quia per ipſam eſt formaliter intelligibile; nõ tamen ſua luce poteſt eſſe forma, ſub qua ab intellectu videatur, ſed neceſſariò videtur ſub lumine ab eo producto, & intellectui infuſo: quod vno verbo declarauit *Suar. 2. de Attrib. negat. c. 14. n. 5. Vide quæ diximus in præcedente quæſt. 3. art. vnico §.* Suarius.
3. & Ferrarienſem 4. contra gent. c. 12. fol. Ferrarien.
410. col. 2. in fine, §. Pro declaratione coroll. & vide inferiùs q. 6. art. vnico §. 6. ad 17.

42. Ad confirmationem. Ad confirmationem negamus, lumen præcedens viſionem ſemper prærequiri propter imperfectionem obiecti, vt falsò ſupponitur: etenim lumen intellectuale per ſe eſt neceſſariũ, vt obiectũ fiat actu intelligibile, non quidem intelligibilitate reali, quæ immaterialitatẽ cõſequitur; ſed intelligibilitate obiectiua: nihil enim poteſt eſſe iſto modo actu intelligibile, niſi obiectiuè repræſentetur in aliqua ſpecie ſub aliquo lumine, quo intellectui manifeſtetur: hoc autẽ nullã arguit imperfectionẽ in obiecto: etenim diuina eſſentia nõ ſemper eſt actu intelligibilis hoc intelligibilitatis genere in ordine ad intellectũ creatũ, vt diximus lib. 6. q. 1. ar. 4. §. 6. & lib. 8. in 2. p. q. 3. art. 7. ad 1. & fuit ſentẽtia expreſſa *D. Thomæ de Verit. q. 10. art.*
11. ad 11. & in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 6. ad 4. & D. Thom.
Scoti ibidẽ q. 11. F. §. Præterea viſio. Cum verò nihil poſſit eſſe motiuũ intellectus in actu primo motione obiectiua, niſi actu ſit intelligibile obiectiua intelligibilitate (nihil enim poteſt intellectum obiectiuè mouere, niſi illi obiectiuè repræſentetur repræſentatione actuali) bene infertur, nullam arguere imperfectionem in obiecto, ſi non ſemper ſit motiuum intellectus in actu primo motione obiectiua, ſed interdum ſit tale in potentia.

Ad argumentum ergo, & maior neganda eſt, ſi abſolutè ſumatur, & minor. Quia ſicut diuina eſſentia non ſemper eſt actu intelligibilis intelligibilitate obiectiua; ita non ſemper eſt ſufficiens motiuũ intellectꝰ motione obiectiua, vt ex dictis patet.

43. Ad 3. Tertium argumentum ſumit antecedens falſum: quoniam non ob eam rationem requiritur habitus luminis intellectualis; ſed vt obiectum per illud, & ſub illo intelligibiliter manifeſtetur, & appareat, vt ſæpe in hac quæſt. diximus.

44. Ad 4. *Caiet.* Ad 4. ſatis ſufficienter reſpondet Caietanus 1. *p. q.* 12. *art.* 5. §. *Ad 2. dicitur*, in forma diſtinguendum eſt conſequens: nam ſi ſenſus eſt, vt per aliquam formam creatam connaturalem intellectus Deum videat, neganda eſt conſequentia; quoniã lumen gloriæ non eſt connaturale intellectui creato, cum ſit forma ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. Si verò eſt ſenſus, vt per formam creatam nõ connaturalem tamen intellectui, ſed ſupernaturalẽ intellectus naturaliter Deum videat; admittenda eſt cõſequentia: quia intellectus ſupernaturali forma informatus naturaliter elicit viſionẽ; etenim ſupernaturalia ſuam etiã habent connaturalitatem, vt alibi diximus: nec in hoc ſenſu Catholici minorẽ reprobãt, ſed in priori. Quare lumen gloriæ ideò ſupernaturaliter datur intellectui; quia eſt ſecundũ ſubſtantiam forma ſupernaturalis, quæ licet ſupernaturaliter infũdatur; infuſa tamen non ſupernaturaliter, ſed naturaliter operatur: charitas enim ſupernaturaliter infũditur; intellectus tamen per eã non miraculoſè operatur, ſed naturaliter. Vnde exemplũ viſus cæco reſtituti non eſt accõmodatũ: quia oculus licet ſupernaturaliter & miraculoſè viſum receperit; non tamen recipit formã ſibi ſupernaturalem, ſed connaturalẽ potiùs, & ideò ea vtitur virtute ſibi naturali. Vide de hoc Ferrarieſem 3. cont. gent. c. 54. circa quartam obiectionem, & Bellom. 1. p. diſp. 44. per totam.

45. Ad 5. Ad 5. omiſſa ſolutione *Caietani vbi ſuprà*, §. *Ad* 4; quia fortè non eſt ad mentẽ Scoti; negãda eſt maior: quia ad videndũ Deũ æquè neceſſarium eſt lumen gloriæ, atque ſpecies, vel aliquid loco ſpeciei. Si verò maior intelligatur de ſpecie creata, cõmunis ſententia (quæ eã non admittit) negaret maiorem: nos verò, qui illam admittimus, admiſſa maiore, negamus minorem.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſit de fide lumen gloriæ habituale dari in beatis?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

Secundò inquirendum eſt; an ſit de fide, lumen gloriæ habituale dari in beatis diſtinctum à viſione? dubitationem facit definitio Concilij Viẽnenſis ſub Clem. V. electo anno 1305. poſita in Clementina *Ad noſtrum*, de hæreticis, vbi inter errores Begardorũ, & Biguinarum in Concilio damnatos iſte 5. loco refertur: *quòd quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata: quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum.* 1. An ſit de fide dari in beatis lumẽ habituale? *Conc. Viẽnenſ.*

Ex quibus verbis plures Theologi colligunt Concilium de fide diffiniuiſſe in beatis dari lumen gloriæ habituale, & per conſequens iam eſſe hæreticum negare tale lumẽ. Ita affirmant *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad argumenta Aureoli 5. loco fol. 209. col. 2. ad finem, & ibidem Hiſpalenſis q. 4. art. 4. ad eadem argumenta Aureoli 6. loco, fol. 215. col. 2. in fine, Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. ad 4. Scoti, & 1. 2. q. 67. art. 5. §. Ad aliud, Ferrar. 3. contra gent. c. 54. ad 4. Scoti, fol. 277. col. 4. §. Aduerte autem, Ripa 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. concl. 1.* vbi expreſſè docet, oppoſitam ſententiam poſt illam definitionem ſine errore ſuſtineri non poſſe. Ex Scotiſtis id affirmant *Ouãdus in 4. diſt. 49. propoſitione. 6. & Angles in tractatu de Beatitudine art. 2. difficult. 7. concl. 1. pag. 327. Quòd ſit definitum de fide, affirmat Argent. in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. cõcluſ. 2. Conſentit Bachonius q. 1. Prologi ad finem, fol. 4. §. Sed contra*, dum ait, Eccleſiã cogere ad ponendum lumen habituale de facto, potentiaque ordinaria, & idem docet in 3. *diſt. 12. q. 1. art. 2. in vltimis verbis, fol. 24. col. 1.* eandem ſententiã mihi probat Diuus Antoninus 1. *parte Summæ titulo 3. c. 6. §. 20 fol. 50. col. 1*: agẽs enim de lumine gloriæ creato, quod admittit, vt diſtinctum à viſione, ſimpliciter affirmat eſſe hæreticum, qui illud negaret. Eccleſiam cogere ad illud ponendum teſtatur *Holchot quæſtione 8. determinationum*, litera 2. Opinio qd ſit de fide. *Capreol. Hiſpalen. Caiet. Ferrar. Ripa. Ouand. Angles. Argentin. Bachonius D. Anton. Holchot.*

Maior. Cumelius. litera E. ſatis conſentit *Maior in 3. diſtin. 14. q. 2. concl. 2. ſatis in eam inclinat Cumelius 1. p. q. 12. art. 5. q. 1. concl. 4. poſt principium, & inferiùs §. Ex his omnibus pag. 247. col. 2.* Hanc ſententiam; vel eſſe determinationem Eccleſię, vel eſſe ei quam ſimillimam, & proximam, affirmat *Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. §. Eſt tamen notandum, pag. 590. col. 1. in fine.* Quòd ſit diffinitum ſatis inclinat *Palatius ibidem diſp. 1. concl. 7. pag. 161. & id ſupponit pag. 164. col. 1. §. Reſtat autem breuicula, & pag. 165. col. 1. §. Porrò hac omiſſa,* vbi concludit ex dicta Clementina lumen eſſe neceſſariũ ad eleuandum.

Sotus. Palatius.

3. Secunda opinio quod non ſit de fide putant alij. Quòd tamen illa Eccleſiæ determinatio ſimpliciter non cogat ad ponendum lumen gloriæ habituale, docet *Mayronius in 3. diſt. 12. q. 2. §. Sed dubium,* quod etiam ſcribit *Albertinus corollario. 1. in 1. quæſt. Theologica in 3. dubitatione nu. 22. fol. 23. col. 2. in principio, & Lychet. in 1. diſt. 3. q. 3. ad finem, §. Ad illud de Clementina folio 78. col. 3. expreſsè Bellom. 1. p. diſp. 43. C. 2. n. 3. & 4.* vbi ait in ea Clementina nihil definitum eſſe de habitu luminis gloriæ. Quidam pro ea referunt *Scotum in 4. diſt. 49. q. 11. H.* quatenus agnoſcit eſſe de fide dari in beatis habitum charitatis; non tamen agnoſcit dari in illis habitum luminis gloriæ; imò affirmat illud non eſſe neceſſarium. Sed cum Scotus ſcripſerit ante Concilium Vienenſe, non eſt, quòd Scotum pro hac ſentẽtia referamus: obijt enim anno 1308. Concilium autem incepit celebrari anno 1311. cuius acta non fuerunt publicata in vita Clementis V. vt patet ex proœmio Clementinarum, & ex Gloſſa ibidem. Quare pro indubitato teneo, Scotum decreta Concilij non vidiſſe; quomodò igitur potuit illius mentem explicare? Auctores huius opinionis, ſi diligentiùs expendantur, in hoc ſenſu docent non eſſe de fide dari lumen gloriæ habituale, vt ſententiam oppoſitã adhuc ſub probabilitate relinquant, vt patet ex Bellomõtano: ob eam enim rationem putat, verius eſſe admittere tale lumen, vt intellectus eo eleuatus connaturaliter eliciat viſionem: quæ ratio optima eſt, vt partem iſtã faciat probabiliſsimã; non tamen certam.

Mayoron. Albertin. Lychetus. Bellomon.

Scotus non poteſt pro hac ſententia referri.

4. 3. opinio. Eſt adhuc tertia opinio, quòd non ſit definitum de fide dari lumen gloriæ habituale, ita vt oppoſitum ſit hæreticum: diffinitionem tamen Concilij ſatis eſſe, vt oppoſitum cenſeatur erroneum, aut temerarium, periculoſum, & minùs tutũ. *Ita Molin. 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 1. & 2. pag. 115.* vbi indicat poſt illam definitionem temerarium eſſe, atque periculoſum diſcedere ab opinione Diui Thomæ. Idem affirmat Valentia, adiungens oppoſitam ſententiam putari poſſe re ipſa contra fidem, & ideò eſſe errorem, vt patet *1. tom. diſp. 1. q. 12. punct. 3. pag. 191. §. Dico tertio, conſentit Suarius in dicto lib. 2. c. 14. n. 9.* vbi ait definitionem Concilij non ſatis eſſe apertam; multum tamen fauere communi ſententiæ, quæ in beatis admittit habitum luminis; imò addit non videri minus certum dari tale lumen ad videndum, quam charitatem ad amandum. Fauet *Bañes 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. concl. 1.* dum aſſerit oppoſitam ſententiã poſſe quidem teneri ſalua fide; definitionem tamen vix intelligi poſſe ſine lumine, qui ſit habitus: ſatis igitur ſignificat periculoſum eſſe oppoſitum defendere. In eadem ſententia videtur eſſe *Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. n. 51. pag. 348. col. 1.* vbi licet rem adeò confũdat, vt vix colligas, quid ſentiat; inclinat tamen, quòd non ſit definitum, additque communem opinionem cum illa definitione maximè conſentire. *Pezantius etiã 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. notabili. 4. pag. 57. col. 2.* affirmat tutius eſſe interpretari Cõcilium de lumine habituali. Denique *Lorca 1. 2. diſp. 30. pag. 165. col. 1.* affirmat negari non poſſe dari lumen habituale; id tamen non eſſe de fide. Hæc ex noſtris Theologis collegimus.

Molin. Valentia. Suarius. Bañes. Salas. Pezantius Lorca.

§. 2.

Vera reſolutio.

5. Vera opinio. 1. concl. PRo vera reſolutione ſequentes ſtatuo concluſiones. Sit prima concluſio: *Concilium definiuit de fide dandũ eſſe lumen gloriæ eleuans animam ad videndum Deum.* Probatur quoniam damnauit 5. errorem Begardorum, & Beguinarum, aſſerentium animã non indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum Deũ; ergo diffiniuit animam tali lumine indigere, & per conſequens diffiniuit de fide dari in beatis lumen gloriæ eam eleuans, vt Deũ videat. Quare, qui ſub his terminis hanc propoſitionem negauerit, erit hęreticus.

Et quanuis controuerſum ſit, quidnam per lumen gloriæ intelligendum ſit, vt ex dicendis patebit, tamen certiſsimum eſſe debet, & omninò indubitatum, animã de facto eleuari per aliquod lumen gloriæ, quodcumque illud ſit. Concluſio iſta poſt præcitatam definitionem apud omnes, qui poſtea ſcripſerunt, eſt indubitata. Dixi, qui poſt illam ſcripſerunt: quoniam Scotus anteceſsit eam, vt iam aduertimus; & ideò non eſt mirum, ſi hanc propoſitionem ſub præcitatis terminis nunquam ſcripſerit. An verò Durand. ſcripſerit ante illam, an poſt; non ſatis mihi cõſtat: nam quanuis vixerit poſt Concilium Viennenſe (floruit enim tempore Ioannis. 22. qui Clementi ſucceſsit anno Domini 1316.) tamen fortè obijt ante annũ 1318. in quo menſe Nouembri Clementinarum opus publicatum fuit à Ioanne 22. vt conſtat ex proœmio Clementinarum. Vnde dubium eſſe poteſt, an Durand. huius definitionis vllam habuerit notitiam, & quod nullam habuerit, ideò mihi fit probabile, quia in ſua diſp. de lumine gloriæ, huius decreti, & definitionis nullam fecit mentionem. Dubito etiam an Baſſolius illius aliquã habuerit notitiam: fuit enim diſcipulus Scoti, qui Cõcilium illud præceſsit: vnde potuit mori vel ante Concilium, vel ante generalem illius publicationem: nam & illius nullam mentionem fecit.

Scotus nihil de hoc. Nec Dur. Nec Baſſol.

Secunda concluſio.

6. 2. concl. ¶ Secunda concluſio: *Quanuis definitio Cõcilij de anima loquatur; non eſt tamen negandum eam intelligendam etiam eſſe de Angelis.* Vt ſcilicet illi etiam indigeant lumine gloriæ eleuante eorum intellectum ad videndum Deum. Hæc concluſio probata eſt *Palatio in 4. diſt. 49. diſp. 1. ad finẽ pag. 164. §. Quæret aliquis, & fol. 165. §. Quod ſi demum: & Albertino in 1. corollario q. 1. Theologica dub. 1. aſſertione. 1. pag. 18. A.* 1: nam quanuis verba Angelos non comprehendant, vt aduertit Maior *in 4. diſt. 49. q. 4. in vltimis verbis*: ratio tamen eos comprehendit. Quod euidenter concluditur ex dãnatione erroris poſiti in priori parte; ita enim habet: *Quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata*: naturaliter, inquam, id eſt viribus ſuæ naturæ. Et cum iſte error generaliter loquatur de quacunque intellectuali natura, Angelos comprehendit. Ex ſola autem damnatione præcitatæ propoſitionis neceſſariò infertur Angelos indigere lumine eleuante ad videndum: etenim ſi illi ſua virtute naturali impotentes ſunt ad videndum Deum; vtique ad illius viſionem indigebunt aliqua eleuatione ſupra naturales eorum vires: hæc enim propoſitio ex antecedente neceſſariò infertur: iam verò quando aliqua propoſitio definitur de fide, etiam diffinitum cenſetur, quidquid in conſequentia neceſſaria ex illa infertur, quãuis ſub proprijs terminis formaliter non exprimatur. Quare cum Concilium damnet hanc propoſitionem, *quælibet natura intellectualis in ſe ipſa viribus ſuæ naturæ eſt beata*: ſimul etiam damnat *Angelos non indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum Deum.* Meminit autem Cõcilium ſolius animæ in ſecunda erroris parte, quia hæretici principaliter de ea agebant.

Palatius. Albert. Maior.

Tertia concluſio.

¶ Tertia concluſio: *definitio Concilij neceſſariò eſt intelligenda, ſiue intellectus actiuè concurrat ad viſionem, ſiue ſolùm paſsiuè.* 7. 3. concluſ. Hanc concluſionem annotauimus lib. 7. q. 3. art. 1. §. 2. n. 15. facilè probatur; quoniam definitio illa generalis eſt, & abſoluta. Ergo ſemper erit vera, quocunque modo intellectus concurrat: etenim hæretici negantes illud lumẽ nihil curabãt; an intellectus ad videndum hoc, vel illo modo ſe haberet, ſed abſolutè illud negabant: Concilium autem in eodem ſenſu illorum aſſertionem damnat, in quo illi eam proferebant, de quo vide lib. 7. q. 4. art. vnico, §. 2. n. 5. vbi oſtendimus eleuationem hanc neceſſariam eſſe, etiam ſi ſolùm admittatur concurſus paſsiuus, de quo iterum inferiùs dicemus q. 7. art. 1. §. 3.

Quarta concluſio.

¶ Quarta concluſio: *Ex definitione Concilij colliguntur tres conditiones eleuationis ad videndum Deum*: prima; quòd ſit ſupernaturalis, id eſt ſupra ordinem totius naturæ, & ſubinde ſupra vires naturales intellectus. 8. 4. concl. Secunda; quòd eleuet per modum concurrentis ad viſionem. Tertia denique; quòd ſit lumen; & ſubinde quòd eleuet ſicut lumen.

9. 1. conditio luminis. Prima conditio euidenter patet ex priore parte erroris: hæretici enim aſſerebant, *quancunque naturam intellectualem naturaliter eſſe beatam*: & inde inferebant, *quòd non indigebat lumine gloriæ eleuante ad videndum Deum*: etenim ſufficientia virtutis naturalis neceſſariò excludebat omnem virtutem ſupra naturalem ordinem, quæcunque illa ſit. Quare Concilium vtrunque errorem damnans ſatis diffinit intellectum indigere eleuatione, quæ ſit ſupra totum ordinem naturalem, & quæ excedat naturales vires intellectus, de quo diximus libro 7. quæſt. 3. art. 1. §. 2.

10. 2. conditio. Secunda conditio manifeſtè colligitur ex illis verbis *eleuante ad Deum videndum*: quorum iſte eſt ſenſus, vt indigeat eleuante, vt poſsit in viſionem: eleuatio autem intellectus in ordine ad videndum propriè loquendo non poteſt fieri ſine aliquo concurſu, vel actiuo, vel diſpoſitiuo, ſiue ille ſit intrinſecus, ſiue extrinſecus.

11. 3. conditio. Tertia denique conditio nota eſt ex illis verbis hæreticorum, *non indiget lumine gloriæ eleuante*: quæ ſatis ſignificant eleuationem iſtam faciendam eſſe per modum concurſus, qui rationem luminis aliquo modo participet. Quod etiam ex eo patet; quoniam hæretici ideò negabant neceſsitatem luminis, quia exiſtimabant ad videndum Deum ſatis eſſe lumen naturale intellectualis naturæ. Concilium igitur condemnans illorum aſſertionem, ſatis diffinit neceſſariam eſſe eleuationem, quæ per modum luminis concurrat, cum lumen naturale impotẽs ſit ad Deum videndum; & ſine lumine nulla fiat viſio.

12. 1. corollar. Ex prima conditione infertur Concilium directè damnare errorem Begardorum, & Beguinarum; qui formaliter negabant indigentiam eleuationis ſupernaturalis in ſenſu explicato. Infertur etiã Concilium per neceſſariam conſequentiam damnare eoſdem hæreticos, cum cæteris omnibus, qui aſſerebant poſſe hominem viribus ſuæ naturæ Deum videre: ex hoc enim errore neceſſariò infertur nulla opus eſſe eleuatione ſupernaturali. Quam aſſentionem abſque dubio Cõcilium condemnat.

13. Non deſunt ex nouioribus, qui velint hac diffinitione damnari opinionem Durandi, & Scoti: volunt enim vnum, & alterum docere intellectum viribus ſuæ naturæ poſſe Deum videre abſque vlla ſupernaturali eleuatione. Falluntur tamen hi nouiores: quia nec Durandus, nec Scotus illam propoſitionẽ abſolutè aſſeruit; imò vterque oppoſitum docuit. Et de Durando id manifeſtè patet: quia agnoſcit præſentationem diuinæ eſſentiæ (ſine qua non poteſt dari illius viſio) non pertinere ad ordinem naturalem, ſed gratiæ: ita enim ſcribit in 4. diſt. 49. q. 2. nu. 24: *Sufficit, quòd diuina eſſentia immediatè præſentetur intellectui creato; quod vtique non poteſt fieri ſecundum ordinem naturæ, quem experimur: ſed poteſt fieri ſecundum ordinem gratiæ.* Admittit igitur ſaltem ex parte eſſentiæ diuinæ, aliquam gratiam ſupra naturam; qua diuina eſſentia ſupra totum ordinem naturalem, & nullo mediante effectu creato, vt cognito, ſe ipſam præſentet: quod ſatis eſt, vt intellectus creatus viribus naturæ nõ poſsit videre Deũ. Idem etiam euidenter patet de Scoto: ideò probat animam non poſſe attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam (qualis eſt viſio beata) ex perfectione ſua naturali; quia nulla virtus naturalis poteſt facere, vt diuina eſſentia fiat obiectiuè præſens intellectui: ita Scotus in primo diſtinctione. 3, quæſtione 2. D. §. *Tertiò dico*, & clariùs quodlibeto 14. articul. 2. N. in principio: hæc autem præſentia cum ex parte Dei ſit voluntaria (vt Scotus ibi oſtendit) eſt quoddam donum gratuitum ſupra ordinem naturalem.

Opinio Scoti, & Durãdi non damnatur.

Liberatur Durand.

Liberatur Scotus.

Quare longè ſunt Scotus, & Durandus à præcitato errore hæreticorum, ſi ille in tota latitudine ſumatur: ſuũ enim errorem hæretici ita explicabant, vt ad videndum Deum nihil admitterent, quod virtute naturæ præſtari non poſſet: & ita volebant diuinam eſſentiam viribus naturæ fieri præſentem intellectui: vnde nullam gratiam admittebant, quæ ad ordinem ſupernaturalem pertineret, qua intellectus etiam impropriiſſimè eleuaretur. Ab hoc igitur errore ita explicato longiſsimè abſunt Scotus, & Durandus, vt etiam oſtendimus libro ſeptimo quæſtione prima, articulo primo. 14.

15. Baſſolius vix liberari poteſt.

Vnus eſt Baſſolius, qui vix liberari poteſt à ſenſu hæreticorũ; nec deſunt, qui velint eum in eodẽ fuiſſe errore, vt quia admiſerit puras naturæ vires ſatis eſſe, vt Deus videatur. Fundamentũ inde ſumũt: quoniã *in 1. q. prologi ar. 2. §. Adducunt autem aliqui*, aſſerit Deum in ratione obiecti intelligilis eſſe æqualiter præſentem beatis, damnatis & viatoribus: quaſi ſentiat præſentationem obiectiuam diuinæ eſſentiæ ad ordinem naturalem pertinere Cum verò doceat pręſente diuina eſſentia intellectũ ſine vlla eleuatione poſſe ſuis puris naturalibus Deum videre; videtur aſſerere nullam dari indigentiam ſupernaturalis eleuationis, modo ſuperiùs explicato. Cui fauet quod ſcribit *in 3. diſt. 14. q. 1. ar. 1. ad tertiũ principale fol. 51. col. 1.* vbi concludit intellectum ex puris naturalibus concurrere abſque vlla ſpeciali motione, ſiue ſe habeat paſsiuè, ſiue etiam actiuè. Et verè Baſſolius confuſè loquitur, & ſatis ſignificat ſenſum hæreticorũ. Alia tamen ſcribit, ex quibus colligitur, eum ab illo errore eſſe alienum: etenim ſemper ſupponit eſſentię præſentationẽ; nec vnquam dixit illam viribus naturæ

16. dari poſſe; quin potius oppoſitum ſignificat *in 3. diſt. 14. q. 1. ar. 1. fol. 51. col. 2. ad 3. argum. pro ſpecie*; dum ait Deum quidẽ in ratione obiecti ita eſſe præſentem viatori, atque beato; tamen intellectum viatoris non mouere ſpeciali motione, & influentia, ſicut mouet intellectum beati. Et ibidem ad ſecundam contra habitum fol. 51. col. 1. admittit Deum ad viſionẽ ſpecialiter influere, & operari aliter, quã communiter in cæteris operatur: quibus verbis ſatis ſignificat in beatis dari ſpecialem influentiam, & motionem ſuprà ordinem communem, & naturalem. Denique *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. fol. 158. colum. 2. § Sic igitur dico*, admittit in intellectu potentiam obedientialẽ in ordine ad Deũ, vt viſionem operatur: quanuis in ordine ad actum viſionis ſolùm habeat naturalẽ. Agnoſcit igitur Deum in beatis concurrere non naturali modo ad viſionem, ſed ſupernaturali, in quo diſſenti ab hæreticis.

17. Diffinita ẽ indigẽtia luminis eleuãtis.

Ex ſecunda conditio[illegible] quartæ concluſionis infertur, Concilium diffinire indigentiam eleuationis ſupernaturalis factã per modum concurſus ad habendam viſionẽ: etenim ſola illa eleuatio poteſt habere veram, & propriam rationem eleuationis pot[illegible]æ ad actum: definitiones autem fidei explicandæ ſunt in propria ſignificatione verborum, quibus proponũtur. Quare, cum Concilium ſimpliciter diffiniat indigentiam eleuationis ad vidẽdum Deum; vtique illius diffinitio intelligenda eſt de eleuatione, quę veram, & propriam habet eleuationis rationẽ, qualis eſt illa ſola, quæ eleuat per modũ concurſus.

Durandus non liberatur à nota erroris.

¶ Ex qua reſolutione infero opinionem Durandi, eo modo, quo proponitur ab eo, non poſſe à nota erroris liberari, ne amplius dicam; id, quòd iam aduertimus lib. 7. q. 3. art. 2. num. 21. cum Bellom. Albertino, Soto, & Cumelio.

18. Fundamentũ inde ſumo; quoniam Cõcilium ſimpliciter definiuit indigentiam eleuationis, quæ animã eleuet per modũ concurrentis ad viſionem. Durand. autẽ licèt admittat gratiam, & liberalitatẽ Dei ſuprà naturalem ordinem, qua Deus non ex debito, ſed gratis ſuam eſſentiam intellectui præſentat; non tamen admittit diuinã eſſentiã liberaliter pręſentatã influere in viſionẽ. Admittit quidẽ Durand. Deum gratis mutare ordinem naturalem, cui alligatus intellectus non poterat Deũ intelligere, niſi per creaturas; & eo mutato diuinam eſſentiam in ſe ipſa præſentari, non vt obiectiuè motiuam intellectus (quia hanc obiectiuam influentiam non agnoſcit) ſed ſolùm, vt terminatiuam viſionis: terminus autem viſionis, nec actiuè, nec diſpoſitiuè ad eam concurrit, vt patet ex Philoſophia. Mutatio autem ordinis naturalis, licèt reddat intellectũ naturaliter non impeditum; non tamen illum facit ſupernaturaliter eleuatum; vnde Durand. ipſe fatetur mutato naturali ordine intellectum ſua naturali virtute poſſe in ipſam eſſentiam præſentatã. Ex quo infertur, gratiam, quàm admittit, nullo modo dici poſſe eleuantem, concurrentemque ad videndum, cuius indigentiam Concilium definit.

19. Poſſe intellectũ præſentato obiecto videre cũ generali influẽtia: error.

Secundo infertur reijciendam eſſe, tanquam erroream ſententiam, quæ aſſerit præſentato obiecto beatifico, poſſe intellectum elicere viſionem ſolo generali cõcurſu Dei. Hanc fuiſſe aliquorum ſentẽtiã refert Baſſolius *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2.*

in

in princ. fol. 157. *col.* 4. quam ipſe non improbat: eſt tamẽ neceſſariò improbanda; quoniam ex definitione Concilij patet, vt intellectus poſsit in viſionem, indigere eleuatione per aliquem ſpecialem concurſum: concurſus autem generalis non poteſt ſupernaturaliter eleuare id, cũ quo concurrit. Ergo nunquam ſatis erit, vt intellectus eliciat viſionem, ſed neceſſariò requiritur concurſus ſpecialis, vt meliùs docet ſecunda opinio relata ab eodẽ Baſſolio, quæ eſt inter Theologos cõmuniſsima, & poſt Concilium neceſſariò tenenda.

20. Præſentato obiecto etiã cũ ſpeciali concurſu intellectũ naturaliter videre; error.

Infertur tertio reijciendam etiam eſſe quorundam ſententiam, qui volunt præſentato obiecto, & poſito ſpeciali concurſu, adhuc intellectum ex ſuis naturalibus elicere actum viſionis, ita vt mera virtus naturalis ſufficiat; quam ſententiam non nullos probaſſe refert Baſſolius vbi ſuprà. Sed opinio apertam continet repugnantiam: nam ſi adeſt ſpecialis concurſus, quicumque ille ſit, intellectus per eũ ſupernaturaliter eleuatur ad agendum, vt patet: quomodo igitur ex meris naturalibus intellectus influit in viſionem?

21. Concilium non repugnat concurſui extrinſeco.

Poſtremò infertur definitionem Cõcilij ex capite indigentiæ eleuationis per modum concurſus nõ repugnare opinioni, quæ docet concurſum Dei extrinſecum ſatis eſſe ad videndum: etenim apud eos, qui admittunt concurſum extrinſecum Dei ſupernaturaliter concurrentis, ille ſatis eſt ad ſupernaturalem eleuationem intellectus; de quo plura dicemus in quæſtione, vtrùm lumen gloriæ de potẽtia abſoluta neceſſarium ſit ad videndum Deũ? Vtrũ verò ex alio capite hæc opinio definitioni repugnet? Statim dicem⁹.

22. Negare indigentiã eleuationis per modum luminis: damnatur.

Ex tertia conditione (*quòd Concilium definiat indigentiam eleuationis per modum luminis*) infertur damnari ſententiã, quæ abſolutè negauerit eleuationem per modum luminis: nam cum Conciliũ abſolutè defineat indigentiam luminis eleuantis ad videndum; abſolutè damnat tan quam hæreticam eam ſententiam, quę abſolutè non requirit lumen eleuans. Opus eſt igitur, vt in omni opinione ponatur eleuatio, quæ aliquo modo poſsit habere rationem luminis eleuantis; alioqui non ſatis tuta erit opinio, de quo in ſequenti concluſione.

Quinta Concluſio.

¶ Quinta Concluſio: *Non omnino certum eſt Concilium definiuiſſe indigentiam luminis gloriæ habitualis: vnde non eſt certum hæreticum eſſe negare beatis habituale lumen gloriæ.* Hæc aſſertio confirmatur. Primò; quia doctiſsimi Theologi non audent aſſerere id in Cõcilio eſſe diffinitum: quin potiùs id negant authores ſecundę, & tertiæ opinionis. *ſ. Mayronius, Lichetus, Albertinus, Bellomontan. Molina, Valentia, Suarius, Bañes, Salas, Pezantius, & Lorca & ſatis admittit Sotus ſuprà* §. *primo, dum ait dari lumen gloriæ habituale, vel eſſe determinationem Eccleſiæ, vel eſſe ei quam ſimillimam*: qui diſiunctiuè loquendi modus ſatis declarat Sotùm non omninò eſſe certum, id eſſe ab Eccleſia diffinitum, Cumelius autem, & Palatius ſuprà §. 1. non cum certitudine, ſed cum ſola probabilitate affirmant, dari talem definitionẽ. Ex quibus patet noſtram aſſertionẽ non minus eſſe communem, quàm oppoſitam; imò erit longè communior, ſi præcitatis adiũgamus Nouiores, qui in Scholis modo docent: omnes enim, aut ferè omnes aſſerunt Conciliũ illud non definiuiſſe. 23. 5. Conclu. Negare habitualem lumen an ſit hæreticum? non eſt certum. 1. Confirm.

Accedit ſecundo; quia Concilium dãnando vt hæreticam quintam propoſitionem Begardorum, & Beguinarũ, qua negabant indigentiam luminis eleuantis ad videndum, poſitiuè definiuit indigentiam luminis gloriæ illius, quod hæretici negabant, & in ſenſu, in quo illud negabant. Illi autem non negabant hoc, vel illud lumen determinatè ſumptum, ſed quodcumque indeterminatè: nam ex eo, quòd volebant naturam intellectualem viribus ſuæ naturæ poſſe eſſe beatã (quæ erat prior pars erroris) inferebant animã non indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum. Iam verò ſufficientia naturalis virtutis, quãm admittebant, excludebat eleuationem cuiuſcumque luminis ſupernaturalis, ſiue habitualis, ſiue per modum concurſus. In hoc igitur ſenſu dãnata eſt à Concilio negatio luminis gloriæ, vt damnetur negatio, non huius determinanti luminis, aut illius, ſed indeterminate: nam qui diffinit oculum eſſe neceſſarium ad videndum, non diffinit hũc oculum eſſe neceſſarium, ſed vnum, vel alterum. 24. 2. Cõfirm.

25. Concilium noluit diffinire controuerſiã, quæ erat inter Theologos

Ex quibus iã patet negandũ eſſe Capreolo, Caietano, & cæteris citatis pro prima opinione Conciliũ voluiſſe diffinire controuerſiam inter Theologos de neceſsitate luminis habitualis: ſolùm enim damnauit negationem indigentię luminis glorię eleuãtis ad videndum, quam hæretici generaliter negabant. Nec fundamentum Caietani, & aliorum vim habet: nec enim ſequitur: *Concilium diffiniuit dandum eſſe lumen gloriæ eleuans intellectum. Ergo definiuit dandum eſſe habitum luminis gloriæ:* hæc enim conſequentia indigna eſt ingenio Caietani: cũ enim Theologi duplex admittant lumen glorię, habituale vnum; & alterum, quod ſolùm ſit concurſus: & ſimul admittant intellectum per vtrùmque ſupernaturaliter eleuari ad videndũ; non valet: *lumen eſt neceſſarium, ergo lumen habituale eſt neceſſarium*: quia eleuatio illa non ſolùm fieri poteſt per habitum luminis, ſed etiam per concurſum habentem rationem luminis.

Ad fundamentum cõtrarium.

Sexta Concluſio.

26. ¶ Sexta concluſio: *Poſita diffinitone Concilij, negare beatis lumen habituale gloriæ, nõ ſolùm temerarium erit, & periculoſum; ſed etiam erroneum.* Quòd ſit temerarium, & parum tutum, conſentiunt Molin. Valētia, Suar. Bañes, Salas, Pezantius, & Lorca citati, §. 1. pro 3. opinione. Quòd ſit erroneum ſatis probat Sotus dum ait, *dari lumen habituale, vel eſſe definitionem fidei, vel eſſe quàm ſimillimam illi*: quæ verba denotant errorem in fide. In eandem ſententiam ſatis inclinant Cumelius, & Palatius, dum potiùs probant dari definitionem. Idem ſatis ſignificat Valentia, dũ ait, *Sententiam illam putari poſſe re ipſa contra fidem.* Nec longè erit Bañes, dum affirmat definitionem Concilij *vix intelligi poſſe ſine lumine, qui ſit habitus.*

Negare lumen eſt error. *Molina. Valentia. Suarius. Bañes. Salas. Pezantius. Lorca. Sotus. Palatius.*

27. Fundamentum mihi efficaciſsimũ ex eo ſumitur; quoniam definitiones Eccleſiæ ſunt explicandæ non in ſenſu improprio verborũ, ſed in ſenſu proprio: aliàs nihil certum haberemus in diffinitionibus Eccleſiæ, vt benè aduertit Suar. in dicto lib. 2. c. 14. nu. 7. Iam verò hæc vox *lumen* propriè ſumpta ſignificat formale manifeſtatiuum alterius, vt latè oſtendidimus q. 1. art. 1. §. 3. in principio, & latius q. 3. art. vnico §. 2. etenim lumen eſt id, quod potentię cognoſcenti aliquid formaliter manifeſtat: eſt enim actus perſpicui, vt perſpicuũ eſt, ex Ariſtotele 2. *de Anima cap. 7. tex.* 69. id eſt, quo perſpicuũ formaliter apparet, & manifeſtatur; quod non faceret, niſi in ſe eſſet formalis manifeſtatio. Ex his, quæ diximus in locis citatis, facilè intelliges, quod Ariſtot. dicit de lumine ſenſibili; dicendum etiam eſſe de lumine intelligibili, ſi propriè ſumatur: Cum verius, & proprius ſit lumē, quam ſenſibile. *Ariſto.*

28. Quare lumen gloriæ propriè ſumptũ ſumi debet formaliter pro formali manifeſtatiuo diuinæ eſſentiæ, & ſubinde pro eo lumine, quod formaliter eam manifeſtat intellectui, & facit eam intelligibiliter apparentem, vt citato loco oſtendimus. Ergo definitio Concilij intelligenda eſt, de lumine gloriæ ex ſua natura manifeſtatiuo diuinæ eſſētiæ antea occultę, quod eleuet intellectum ad habendam viſionem: hęc enim eſt propria huius vocis *luminis* ſignificatio, quam habet ex prima ſui impoſitione, quæ licèt primo fuerit impoſita lumini ſenſibili; vſus tamen loquendi eam extendit ad lumen intelligibile, tanquam ad id, quod verius rationē luminis participabat, vt ex D. Thoma in citatis locis oſtendimus.

Lumen gloriæ propriè pro quo ſumatur.

29. Lumen autem gloriæ ita ſumptũ non poteſt non eſſe lumen habituale. Tum; quia lumen, quod eſt formalis manifeſtatio, abſolutè eſt actus, & forma eius, quod manifeſtatatur: vt patet ex definitione luminis ſuperiùs adducta ex Ariſtotele: quæ licèt data ſit de lumine ſenſibili; locum tamen habet in lumine intelligibili, vt immediatè diximus. Nam in genere intelligibili ſicut datur, quod indiget illuminari, vt intelligibiliter appareat: ita datur ratio perſpicui intelligibilis: quoniam, & intellectus ipſe illuminatur ad intelligendum, & obiectum intelligibile, vt intelligibiliter appareat. Iã verò, quod eſt actus, & forma illuminandi, non poteſt non eſſe qualitas, & habitus, vt patet in lumine ſenſibili. Tum ſecundo; quia eſſe formale manifeſtatiuũ alicuius nulli lumini conuenire poteſt, niſi habituali, vt facilè patet ex dicta quęſtione 3. art. vnico §. 3. & 4. & faciliùs, ſi ſingula lumina percurramus.

Lumen gloriæ propriè eſt habitus.

Nam

30. Lumen increatum nō formaliter illuminat.

Nam lumen increatum, licèt in ordine ad intellectum diuinum habeat rationem formalem luminis noſtro intelligendi modò; tamen in ordine ad intellectũ creatum non poteſt dici lumen formaliter illuminans, ſed ſolùm effectiuè, vt diximus in dicta q. 3.

31. Cauſalitas luminis increati nō poteſt habere rationem luminis manifeſtatiui.

Concurſus verò, quo lumen increatũ (quod eſt Deus) concurrit cum intellectu beati, cum ſolùm ſit cauſalitas, cauſatiuuſque influxus Dei, quo aut effectiuè producit lumen creatum, quod beatis infundit; aut effectiuè ſupplet actiuitatem luminis creati, ſi nimirum de potentia abſoluta ſine lumine habituali ſimul cũ intellectu concurrit ad viſionem; aut denique ſine intellectu eam efficit; talis inquã cauſalitas, vt talis eſt, non poteſt habere rationem luminis formaliter manifeſtatiui; quia Deus dum effectiuè aliquid illuminat, non illuminat ſua cauſalitate, tanquam per cauſam formalem illuminandi; ſed ipſo lumine, quod effectiuè producit, ſiue illud ſit lumen habituale, vt vera habet opinio; ſiue ſit ipſa viſio apud alios; ſicut enim dealbans effectiuè non facit eſſe album ipſa cauſalitate, quæ eſt dealbatio, ſed ipſa albedine, vt patet: ita Deus illuminans non illuminat ſua cauſalitate (quidquid illa ſit) ſed forma per talem cauſalitatem producta: hæc enim eſt, quę eſt lumen, quo intrinſecè, & formaliter aliquid fit illuminatum. Quod ſatis perſentiunt Aduerſarij, dum apud eos talis concurſus non alio modo ſortitur rationem luminis, niſi cauſet id, quod propriè eſt lumen, & formaliter illuminatiuũ.

32. Viſio nō eſt formaliter lumen. 1. Ratio.

Denique viſionem ipſam non eſſe formaliter lumen, euidenter patet ex ijs, quę contra Bellomontan. diximus ſuprà q. 2. art. 1. §. 4. ad 2. vbi oſtendimus intellectionẽ, qua formaliter intelligimus, nõ eſſe formale lumẽ: eſt enĩ illa formalis apprehenſio, & expreſſio obiecti illuminati, non verò lumen: etenim intellectus intelligẽdo non illuminat, aut ſe ipſum, aut obiectum; ſed illuminatus apprehendit id, quod illuminatum obiectiuè apparet: ob hanc enim rationem lumen, tam ſenſibile, quàm intelligibile eſt mediũ videndi *ſub quo*, viſio autem eſt mediũ *quo*, ex D. Thoma in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15. & alijs in locis.

2. Ratio.

Accedit; quoniã nulla potẽtia viſiua ſiue ſenſibilis, ſiue intelligibilis poteſt viſione tendere in obiectũ, niſi illud ſibi cognoſcibiliter appareat: quidquid enim manifeſtatur, à lumine manifeſtatur, ex Paulo ad Epheſios 5. oportet igitur, vt obiectum priùs ſiat illuminatũ & apparens ipſi potentiæ, quàm illa viſione tendat in illud: & per conſequens opus eſt, vt lumen in intellectu præcedat viſionem.

33. Confirm.

Quod etiam inde conuincitur, quòd intellectus, prius quàm intelligat debet obiectiuè moueri ab obiecto, vt ex potẽtia, & obiecto pariatur notitia, iuxta celebrem P. Auguſtini Philoſophiam: vt obiectum autem non poteſt mouere intellectum, niſi illi obiectiuè manifeſtetur, & appareat; hoc autem ſine lumine fieri non poteſt. Oportet igitur, vt lumẽ & viſionem antecedat, & ab ea diſtinguatur. Quomodo igitur ipſa viſio erit formaliter lumen? Vide in dicto §. 4. Quæ Philoſophia ſpecialiter locũ habet in lumine gloriæ, de quo agit Concilium: ex definitione enim illius conſtat lumẽ gloriæ dari, vt intellectum eleuet ad viſionem: id autem, quo res aliqua eleuatur ad aliquid faciendum, eſt quid antecedẽs, & diſtinctum ab eo, ad quod efficiendũ eleuatur, vt doctè ſatis contra hanc opinionem aduertit Molina 1. *p. q.* 12. *art.* 5. *diſp.* 1. *in* 2. *propoſitione*: nec facilè intelligi poteſt, quomodo intellectus beati eleuari poſſit, vt Deum videat. Quare etiamſi admitteremus viſionem eſſe formale lumen (quod tamen non admittimus) adhuc dici non poſſet intellectum ipſa viſione eleuari ad videndũ: ſẽper enim eleuatio antecedit id, ad quod eleuatur. Quare opinio iſta nullo modo poteſt ſaluare definitionem Concilij, quidquid Bellomontan. repugnet *in dicta diſp.* 43. *capite* 2. *num.* 5. Molina.

34. Alia confirmatio.

Quod etiam inde confirmari poteſt cum eodem Molina, quoniam Conciliũ eodem modo accipit lumen gloriæ, quo accipitur in cõtrouerſia inter Catholicos, & hæreticos agitata circa illius indigentiam ad videndum Deum. Iam verò nulla fuit inter eos controuerſia, an neceſſaria ſit viſio ad vidẽdum Deum: ſed ſolùm erat, an ad viſionẽ neceſſaria eſſet aliqua eleuatio ſupernaturalis: hæretici, cũ eam ponerent, vt connaturalem intellectui, negabant omnem eleuationem ſupernaturalem

turalem; è contrariò Catholici ponentes contra primum errorem viſionem ſuper naturalem contra ſecundum admittebãt indigentiam ſupernaturalis eleuationis. Quare cum Concilium de illo lumine loquatur, de quo erat controuerſia, lumē gloriæ accipit, vt quid diſtinctumà viſione. Suar. in dicto libro 2. de Attributis negatiuis cap. 14. num. 7. confirmat eandem ſententiam, magis ſubtiliter, quam efficaciter.

35. Lumen intellectuale pro quo accipiatur.

Ex dictis jam patet, lumen intellectuale propriè ſumptū, nec accipi poſse pro concurſu illius, nec denique pro viſione; ſed ſolùm pro habitu luminis. Ergo de illo eſt intelligenda definitio Cōcilij; ſiquidem non licet Conciliorum definitiones impropriè explicare. Quare noſtra Concluſio veriſsima eſt, quatenùs docet non modo temerarium eſſe, & periculoſum, ſed etiam erroneum negare dari in beatis lumen gloriæ habituale. Quare non ſunt audiendi Bellomontan. & Albertinus, dū inſinuant oppoſitā ſententiam poſſe ſine cenſura, tanquam probabilem defendi.

Vltima Concluſio.

36. Vlt. Concl.

¶ Septima & vltima Concluſio: *Si definitio Concilij explicetur de lumine habituali, vt verè eſt explicanda, illa intelligenda eſt de potentia ordinaria. Vtrùm autem vera etiam ſit de potentia Dei abſoluta? Controuerſum eſt*; Controuerſiam inferiùs dirimemus. In hoc autem ſenſu hæc Concluſio eſt indubitata apud Authores citatos in ſexta Concluſione.

Et hæc dicta ſint de quæſtione, vtrùm lumen gloriæ habituali ſit admittendum in Beatis? Conſequenter agemus de quæſtione, ad quidnam ſit admittendū?

QVÆSTIO V.

De muneribus luminis gloriæ.

EXPLICATA neceſsitate luminis gloriæ ſecundum legem ordinariam, ſecundum quam de facto datur in beatis; conſequenter explicandum eſt, ad quid ponatur? Et quæ ſint illius munera? Et vt in hac grauiſsima difficultate diſtinctè procedamus, illam primo loco explicabimus ſuppoſita veriſsima ſententia, quòd intellectus actiuè concurrit ad viſionem. Deinde eam explicabimus ſuppoſita ſententia contraria, quòd ſolùm concurrat paſsiuè: nec enim in vna, & altera ſententia eadem illius ſunt munera.

Suppoſita actiuitate intellectus in viſionem, pro explicandis muneribus luminis gloriæ, primo loco generaliter inquiremus; An illud ponēdum ſit in beatis ſolùm ad ornamentum decoremque intellectus? An etiam ad eleuandam illius virtutem actiuam? Deinde explicandum erit; quomodo virtutem illius eleuet?

Quod attinet ad primum duo erunt articuli. Primus; Vtrùm lumen gloriæ ſolū ſit admittendum, vt ornamentum intellectus, & ad illius decorem?

Secundus; Vtrùm neceſſarium ſit, ad eleuandum intellectum, vt poſsit actiuè influere in viſionem?

ARTICVLVS I.

Vtrùm lumen gloriæ ſolùm ſit admittendum, vt ornamentum decorq; intellectus?

QVōd attinet ad primum; non cōuenit inter Doctores, an lumen gloriæ admittendum ſit, tanquam aliquid conducens ad habendam viſionem; an verò ſolùm ad decorem ornamentumque intellectus? 1. Vtrū lumē gloriæ ſolū detur vt ornamentum.

Quod ſolùm admittendum ſit, vt ornamentū probarunt Mayronius in 3. diſt. 12. q. 2. in vltimis verbis, & Baſſolius in 3. diſt. 14. q. 1. artic. 1. §. *Sic ergo*, fol. 51. col. 1. in princ. ita ſcribens: *Secundo dico; quòd poteſt concedi ibi eſſe lumen gloriæ ad decentiam, & ornamentum: ſed puto, quod nihil facit ad actum.* Quidam pro eadem opinione citant Nicolaum de Nyſſe: ſed certum locum non deſignant. Huius opinionis fundamentum non aliunde ſumitur, niſi, quia nec conducit ad eliciendā viſionem, nec ad illam recipiendam: vnde ad actum viſionis nihil poteſt conducere. 2. Qui ſūt pro parte affirmat. *Mayron. Baſſolius.*

Hæc ſententia non ſolùm eſt improbabilis in ſe ipſa, ſed poſt definitionem Cōcilij Viēnenſis eſt formaliter hæretica, ſi abſolu- 3. Sententia ē improbabilis: & poſt Concilium eſt hæretica.

abſolutè intelligatur; quoniam Conciliũ abſolutè definiuit animam indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum Deũ. Eſt igitur contra definitionem Concilij lumen gloriæ dari in beatis non in ordine ad viſionem, ſed ſolùm ad ornamentũ intellectus: ſi enim non datur in ordine ad viſionem, non datur ad eleuandum intellectum ad videndum. Vide, quæ contra Baſſolium diximus in præcedente q. art. 2. concl. 4. 5. & 6.

4. *Probatur improbabilitas.* Quòd verò opinio in ſe ipſa ſit improbabilis, ſatis conſtat ex ijs, quæ ibidem diximus articulo primo: vbi oſtendimus intellectum indigere ſupernaturali eleuatione ad videndum Deum, ex Sacris literis communique Patrum doctrina: & ratione naturali demonſtrari id viribus naturæ fieri non poſſe.

5. *Scotus.* Vnde Scotus *in 4. diſt. 49. quæſt. 11. lit. G. §. Ex hoc ſequitur corollarium*; hanc opinionem vt improbabilẽ reijcit ita inquiens: *Non enim poni poteſt aliqua forma in Beato ſolùm ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionẽ.* Quæ Scoti propoſitio ex diametro opponitur propoſitioni Baſſolij. Quare hæc opinio ab omnibus Nouioribus reijcitur. Fundamẽtum autem, quo nititur, falſum eſſe non ſolùm patet ex definitione Concilij Vienenſis; ſed etiam ex ijs, quæ in ſequentibus quæſtionibus dicemus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit vt intellectus actiuè influat in viſionem?

§. I.

Refertur pars negans.

1. *Pars negãs.* Qvod attinet ad primum; controuerſũ eſt inter Theologos, vtrũ intellectus creatus indigeat lumine gloriæ, vt poſsit actiuè influere in viſionem? Pro parte negante communiter referuntur, qui negant intellectũ actiuè influere in viſionem: quaſi ex conſequenti negent, intellectum non indigere lumine gloriæ, vt eleuetur ad agendũ: hos Authores pro parte negante refert *Bellom.* Bellomontan, *1. p. diſp. 43. cap. 1. in princ.* Sed re diligentius expenſa hi Authores non ſunt pro parte negante: licèt enim intellectui negent actiuitatem in viſionẽ: non negant tamen ſuppoſita actiuitate in tellectũ indigere tali lumine, in quo ſenſu quæſtio iſta excitatur: quare pro hac negante ſententia ſolùm illi Theologi citandi ſunt, qui admiſſa actiuitate negant indigentiã eleuationis, quaſi ſine illa poſſint viſionem elicere.

In hoc igitur ſenſu plures ſũt, qui probant ſententiam negantem: nam quanuis omnes cõueniant contra errorem Begardorum, Beguinarum, Anomæorũ, atque Pelagianorum intellectum creatum ſolis virib⁹ naturæ nõ poſſe videre diuinã eſſentiam: ſed ad hoc neceſſarium eſſe aliquem concurſum non naturalem, vt vidimus lib. 6. q. 2. ar. 1. & lib. 7. q. 1. 2. & 3. non tamen omnes conueniunt, vtrùm intellectus ad actiuum influxum indigeat eleuatione ſuæ actiuitatis? plerique enim id negant, & ideo negant indigentiam luminis gloriæ ad eleuandam potẽtiam actiuam. Ita nonnullos ſenſiſſe refert Baſſolius, quos ipſe probat *in 4. diſtinctione. 49. q. 5. artic. 2. ſed clariùs in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. fol. 50. colum. 3. & fol. 51. ad 3. & 4. vt oſtendimus ſuprà q. 4. huius libri art. 1. §. 1. & ſuprà lib. 7. q. 4. art. 1. num. 10.* Et in vtroque loco latè demonſtrauimus Durand. in hac fuiſſe opinione *in. 4. diſtinct. 49. q. 2.* quidquid repugnet Suar. & Salas. Pro eodem citari poteſt Marſilius *in 3. q. 10. art. 1. in 1. p. articuli concluſio. 3. fol. 415. colum. 3.* quatenùs probat animam etiam lumine gloriæ informatã nõ poſſe ꝑducere viſionẽ diuinę eſſentiæ, etiamſi illã habeat præſentem: vnde putat lumen eſſe ſuperfluum etiamſi in anima admittatur actiuitas in viſionem.

Baſſolius. *Durand. eſt pro parte negante.* *Marſilius etiam.*

Pro hac ſententia abſque dubio citari debet Scot⁹: licèt enim fateatur intellectũ creatum, ſi actiuè concurrat ad viſionem, indigere ſupernaturali aliqua eleuatione per aliquem, ſupernaturalem cõcurſum, vt latè oſtendimus, lib. 7. q. 3. arti. 1. §. 1. num. 8. & ſuprà q. 4. huius libri propoſitione 1. 3. & 4. licèt etiam doceat, ſi hoc lumen admittatur, non poſſe admitti niſi ad eleuandam actiuitatem, vt oſtendimus in dicta q. 4. in 4. propoſitione Scoti: abſolutè tamen docet, admiſſa actiuitate in intellectu non neceſſariò admitti lumen gloriæ, vt ibidem diximus: vnde licèt ad- 3. *Pro eadem eſt Scotus.*

admittat, intellectum indigere eleuatione ſupernaturali; non tamen admittit talem eleuationem de facto fieri per lumen gloriæ, ſed per concurſum diuinæ eſſentiæ obiectiue aſsiſtentis, quo abſque lumine gloriæ eleuatur. Hæc eſt ſentẽtia Scoti, ſi conſideratius penetretur. Quare admiſſa actiuitate non admittit lumen gloriæ; & ſubinde nec admittit officium luminis glorię eſſe intellectũ eleuare. Pro eadem negante ſententia poteſt etiam citari Bellomontan. non quidem abſolutè

Pro eadem eſt Bellom. (quia ſimpliciter admittit lumen gloriæ ad eleuandam actiuitatem) ſed ſuppoſito, quòd in intellectu beati admittatur, aut diuina eſſentia loco ſpeciei, aut ſpecies creata diſtincta à lumine: admiſſa enim vna, vel altera ſpecie, putat lumen gloriæ omninò eſſe ſuperfluũ ad eleuandam intellectus actiuitatem: ita colliges ex eodem *in dicta diſp:43.cap.5.nu.17.& ad 3.*

Paludanus non eſt pro hac ſententia. *partem tom.1.diſp.54.cap.2.* Quidam pro hac negante ſententia citant Paludanum; ſed pro eadem citari non poſſe oſtendimus lib.7.art.1.num.10.

4. Argum. Primum huius opinionis fundamentũ ſumitur ex Baſſolio *in 3.diſt.14.loco citato, & ex Durando in 4.diſt.49.q.2.n°22 in fine. §. Itẽ contra vtrãq;* Si actiuitas intellectus indigeret eleuatione per lumẽ gloriæ, ex eo eſſet, quia ex ſe eſſet improportionata ad influendum in viſionẽ circa obiectum infinitum. Quod tamen eſt falſum: Si enim ex ſe eſſet improportionata, non poſſet proportionari per lumẽ gloriæ; quia cum illo adhuc in infinitum diſtaret à diuina eſſentia, vt eſt obiectum intelligibile.

5. Secundum. Secundò; quoniam ſi indigeret eleuatione per lumen gloriæ, eſſet, quia indigeret per illud reponi in actu primo in ordine ad obiectum Beatificum; quod eſt falſum: cũ enim intellectus ex ſe ſit actiuus, non habet rationem potentiæ, & materię, vt indigeat reponi in actu primo ad agendum.

6. Tertium. Tertio, ex Durando *vbi ſuprà num.24.* quoniam licèt intellectus viribus naturæ non poſsit facere diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè præſentem; ſi tamẽ illa fiat debitè præſens, poteſt ſua naturali virtute illam videre. Ergo ad videndum Deum non indiget eleuatione ſuę naturalis virtutis; ſed ſolùm vt diuina eſſentia fiat debitè præſens in ratione obiecti: quod ſatis arguit ſupernaturalitatem ad videndũ Deum non eſſe neceſſariam ex parte actiuitatis intellectus, ſed ſolùm ex parte eſſentię, vt eſt obiectum intelligibile. Vtraque conſequentia patet: antecedens verò hac ratione vult Durandus eſſe demonſtratum: pręſentato obiecto naturaliter ſequitur viſio illiꝰ. Sed intellectus de ſe poteſt in diuinam eſſentiam tanquã in ſuũ per ſe obiectum. Ergo ſi diuina eſſentia ſe ſe libere intellectui præſentaret, naturaliter ſequeretur viſio; & per conſequens vis actiua intellectus nõ indiget eleuari per aliquod lumen.

Vltima conſequentia eſt euidens: maiorem prioris diſcurſus ſupponit, vt notã: 7.
Minorem verò probat in dicto num.24. quia ex communi ſententia Philoſophorum Deus eſt quędam natura ex ſe intellectualis, habens in ſe omnem perfectionem; ſi verò naturaliter non cognoſcitur à nobis, ideo eſt, quia naturaliter non poteſt nobis pręſentari, niſi in ipſis creaturis, quæ cum ſint inferioris ordinis, non poſſunt repręſentare diuinam eſſentiam, vt ipſa in ſe eſt. Ergo ſi illa libere (ſicut poteſt) ſe ipſam intellectui præſentaret; vtique ab intellectu poſſet videri: ipſa enim eſſentia ſecundum ſe cõtinetur ſub obiecto illius. Hoc eſt fundamentũ Durandi: nec deſunt, qui velint, Scotum eodẽ vſum fuiſſe *in 1. diſt.3.q.2.§.3. dico D, & in 4.diſt.49.q.11.F.& quodlibeto.14. §. De ſecundo principali N,* quatenùs ex eo probat intellectum ex viribus ſuæ naturæ non poſſe Deum videre: quia viribus naturæ non poteſt facere Deum ſibi obiectiuè pręſentem. Supponit igitur poſſe intellectum creatum virtute ſua naturali abſque vlla eleuatione videre Deum, ſi Deꝰ liberè ſe illi præſentaret: ita de Scoto cenſuerunt *Sotus Bellomont. & Cumelius,* vt diximus lib.7.q.3.§.1.num.7. *Placet Scoto.*

Quarto, ex eodem Durando *in dicta q. 2.num.21. in primo argum.* quoniam ſententia affirmatiua ex eo præciſè docet, neceſſariam eſſe eleuationem per lumẽ glorię, quia intellectus non poteſt ex ſuis naturalibus videre Deum: quę illatio non videtur firma. Primò; quia hæc conſequẽtia abſolutè non valet: *Hoc eſt naturaliter impoſsibile. Ergo ſupernaturaliter erit poſsibile:* alioquin nihil daretur ſimpliciter impoſsi- 8. Quartum

poſsibile. Secundo; quia licèt viſio Dei naturaliter non ſit poſsibilis; poteſt tamen eſſe talis ſine aliquo ſupernaturali intellectui ſuperaddito; quia poteſt eſſe poſsibilis, vel ablatione naturalis impedimenti, vel quia Deus ſe liberè intellectui præſentat. Tertio: denique; quia, vt valeret illa cõſequentia, deberet oſtendi, quomodo lumen gloriæ dat intellectui poſsibilitatem, quam ex ſe non habet.

9. Quintum. Quintò; ex eodem in ſecundo argumento numero 21. quoniam hæc actiuitatis eleuatio per lumen gloriæ, vel fit, quia lumen intendit ipſam virtutem actiuam intellectus, vt ſit potens elicere viſionem: vel quia lumen ipſum eſt partiale quoddam agens conſtituens cum intellectu vnum agens totale, quod viſionem eliciat. Primum dici non poteſt: tùm; quia intellectus non eſt forma ſuſcipiens magis, & minus. Tùm etiam; quia virtus actiua luminis non eſt formaliter intellectiua, vt patet. Ergo non poteſt formaliter intendere virtutem intellectiuam intellectus: Calor enim intendi non poteſt niſi per calorem.

10. Nec ſatis eſt, ſi reſpondeas lumen gloriæ non eſſe formaliter vim intellectiuam; eſſe tamen talem eminenter; & ſubinde poſſe intendere virtutem intellectuam; ſicut Sol, ideo quia eſt eminenter calidus, poteſt intendere calorem calidi. Non eſt, inquam ſatis hæc reſponſio; quia ſi lumen gloriæ eſſet intellectiuum, non formaliter, ſed eminenter; virtutẽ intellectus eleuaret non formaliter ſe ipſo, ſed ſolùm efficienter, producendo, ſcilicet, in intellectu virtutem aliquam formaliter intellectiuam eo modo, quo Sol intendit calorem producendo alium calorem. Quod tamen nullus dixit, nec dici poteſt; quia lumen gloriæ iam non ſe ipſo formaliter eleuaret intellectum; Cum tamen nos inquiramus de forma ſuperaddita intellectui, qua formaliter eleuetur. Quòd verò non poſsit dari ſecundum; ex eo patet; quia duo partialia agentia eiuſdem generis, & ordinis, debent habere virtutem eiuſdem ſpeciei, vt conſtituant vnum totale, & perfectum agens, vt patet in duobus, qui trahunt nauim; vterque enim habet virtutem tractiuam eiuſdem ſpeciei: iam verò virtus actiua luminis non eſt eiuſdem ſpeciei cum virtute actiua intellectus, vt patet.

Poſtremò ita obijci poteſt: quoniam in intellectu Beati neceſſariò eſt admittenda ſpecies creata, vel aliquid loco ſpeciei, vt oſtendimus libro octauo, ſecunda parte, quæſtione prima: ſed admiſſa in intellectu vna vel altera ſpecie actiuitas illius non indiget eleuatione per habitum luminis gloriæ, ſed ille omninò eſt ſuperfluus, vt multis contendit Bellomontan. in locis ſuprà citatis. Hæc ſunt præcipua argumenta opinionis negantis. 11. Vlt. argum.

§. 2.

Opinio affirmans eſt vera.

His tamen non obſtantibus probanda eſt opinio, quæ affirmat neceſſarium eſſe lumen ad eleuandam, & confortandam actiuitatem intellectus, vt poſsit in viſionẽ influere. Hæc ſententia, admiſſa actiuitate intellectus eſt omnium ferè Theologorum conſenſu receptiſsima, exceptis, Baſſolio, Durando, & Marſilio atque etiam Bellomontano, ſi in beatis admittatur ſpecies diſtincta à lumine. Hanc eſſe ſententiam eorum, qui admiſſa actiuitate intellectus in viſionem non admittunt ſpeciem creatam in beatis, ſed ſolam diuinam eſſentiam loco ſpeciei teſtatur Suarius: ego addo eandem etiam admitti, etiam ſi ſpecies creata admittatur, vt videbimus. Hanc etiam eſſe ſententiam omniũ Thomiſtarum idem Suarius affirmat. Eam probant, *Capreolus in 4. diſtinctione 49. quæſtione 4. articulo primo, in fine in prima ratione, & articulo tertio ad primum Scoti contra ſecundam fol. 207. columna prima in hæc verba: ſecundò tale lumen requiritur ad eliciendum actum viſionis, & columna ſecunda §. Dicitur tertiò, & ad argumanta Aureoli tertio loco fol. 208. columna quarta §. Dicitur ſecundò, & iterum ad argumenta Durandi fol. 209. columna tertia in principio Hiſpalenſis ibidem articulo primo, concluſione 2. & articulo quarto ad primum Scoti contra ſecundam, fol. 214. columna ſecunda, & ad argumenta Durandi, fol. 215. columna tertia, Soncinas ibidem quæſtione quarta, concluſione ſecũda, & ad*

12. Eligitur opinio affirmãs

Quorũ eſt hæc ſetent.

Eſt Tohmiſtarum.

Capreol.

Hiſpalenſ.

ad argumenta Scoti,& aliorum, Sotus quæ-
Sotus. *ſtione 2.art.4.§. Ad rei ergo intelligentiam,*
Caiet. *fol.589.colum.2.latè Caietan.1.parte,q.12*
artic.5.§.Circa probationem ſecundæ conſe-
quentiæ,& ad argumenta Scoti, & Duran-
di,& ibidem Bañes dubio 2. §. Pro deciſio-
Bañes. *ne,& ad quintum. Cumelius quæſtione 1.*
Cumelius. *concluſione 3.& ad primum atque quintum,*
Viguerus in ſua reſolutione cap.14.verſu 3.
Viguerius *ad finem: Ripa in dicto artic.5.dubitatione 1.*
Ripa. *cap.2.Propoſitione 2.Ferrarienſ,in 3.contra*
Ferrar. *gentes cap.53.in 4.ratione Diui Thomæ §.*
Circa probationem maioris, Nauarrete primo
Nauarre. *tomo,contro.37.§.2.concluſione 4.fol.227.*
colum.3.& concluſione 8.fol.229.colum.1.
Lædeſma. Denique Petrus de Lędeſma de diuina
perfectione cap.8. concl.2.pag.572.col.
1. Quare non eſt dubitandum, hanc opi-
nionem eſſe omnium Thomiſtarum.

Quòd hæc ſententia fuerit Diui Tho-
13. Eſt opinio D.Thom. mæ dubitari non poteſt, vt benè aduer-
tit Suarius lib.2. de Attributis negatiuis
cap.15. nu.2.etenim 1.parte,quæſt.12.
artic. 5. Poſtquam dixit diuinam eſſen-
tiam eſſe formam intelligibilẽ addit hæc
verba: *Cum igitur virtus naturalis intellec-*
tus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam vi-
dendam, oportet, quòd diuina gratia ſuper
accreſcat ei virtus intelligendi; & iſtud aug-
mentum virtutis intellectiuæ illuminationem
intellectus vocamus, docetque hanc illumi
nationem fieri per lumen gloriæ. Et ad
primam,ita ait: *lumen creatum eſt neceſſa-*
rium ad videndum Dei eſſentiam, non quòd
per hoc lumen Dei eſſentia intelligibilis fiat,
quæ ſecundùm ſe intelligibilis eſt; ſed adhoc
quòd intellectus fiat potens ad intelligendum.
Et ad ſecundum ita ſcribit: *lumen iſtud*
non requiritur ad videndum Dei eſſentiam,
quaſi ſimilitudo, in qua Deus videatur; ſed
quaſi perfectio quædam intellectus confor-
tans ipſum ad videndum. Satis id docet in
eadem quæſtione 12. articulo ſexto, &
3. contra gentes capitulo 53. in quarta ra
tione,& capit.54. ad ſecundam rationem
& capitulo 55. in principio, & quodlib.
ſeptimo quæſtione prima: Addimus eun
dem prima parte, quæſtione 12. articulo
5. ad 1.dũ ait intellectum lumine gloriæ
fieri fœcundum ad videndum: citari etiã
ſolet *in 4.diſtinctione 49.[a]rticulo ſexto, &*
de Veritate quæſtione octaua,articulo tertio,
ſed in his duobus locis directè id non do-
cet.

Ex Nouioribus hanc ſententiam pro- 14.
barunt Molina *prima parte quæſt.12.arti.* Molina.
5. concluſione 2. & 3. & in princip. diſpu- Valenta.
tationis poſt principium §.Placet tamen ma-
gis pag.113.Valentia 1.tomo diſputat.1.q.
12.puncto 3.§.quoad tertium attinet pagin.
193.D.& pag.194.§. His igitur opinioni
bus. Eam eſſe certam putat Suarius 2. de Suarius.
Attributis negatiuis cap.15. num.1. Suppo Pezantius
nit Pezantius prima parte quæſtione 12.art.
3.diſput.1.in 3.ſententia, & inferiùs nota-
bili 1. Suppoſita actiuitate intellectus a-
pertam eſſe neceſsitatem luminis teſta- Salas.
tur Salas *primo tomo ad primam ſecundæ, q.*
3.tract.2.diſput.5.ſectio.3. num. 53 & 54.
Palatius in 4. diſtinct.49. diſput.1. concluſ. Palatius.
8.pag.161.Lorca ad primam ſecundæ diſpu. Lorca.
3.§.Dicendum igitur fol.169.col.1.& diſp. Ouand.
31.membr.1.& 2. Ouand. in 4.diſt.49.pro Angles.
poſitione 8.& ſatis Angles in Floribus de
Beatitudine articulo 2,difficultat.7.concl.1.
pag.327.
Ex Antiquioribus hanc opinionem ex- 15.
preſsè probauit Hericus *quodlibe.3.q.1.*
lit.T.pag.1, vbi ita ait: In iſta viſione ſuper
naturali circa obiectum ſummè excellens invi
ſibilitate, cuiuſmodi eſt diuina eſſentia tria
requiruntur. Primo oculus viſus intellectus
creati, quòd ſit ſanus,& fortis: quòd ſit per
lumen gloriæ,quo eleuatur, & diſponitur,&
fortificatur, vt ideoneus fiat ad videndum il-
lud viſibile. Et ſtatim, *lumen illud ex gra-*
tia promeretur,vt intellectus poſsit videre, ſi
ei manifeſtetur viſibile. Et ad finem quæ-
ſtionis litera Y, *requiritur lumen gloriæ*
creatum oculum intellectus ad videndum pa-
rans. Ecce ex ſententia Henrici lumen Henric.
gloriæ requiritur, vt intellectus fiat for-
tis, & idoneus ad videndum: vt fortifi-
cetur: vt præparetur & denique, vt poſ-
ſit videre. Idem docuit D. Antoninus D.Antoninus.
1.p.tract.3.cap.6.fol.50.col.2. vbi agens
de intellectu, & lumine increato dicit:
quouſque oculus illud videat virtute luminis
ab extra venientis.

Eandem ſentẽtiam expreſsè docuit Ri 16.
chardus (quidquid nonnulli contradi-
cant) vt patet ex *4.diſt.49.art.3.quæſtio-*
ne ſecunda vbi ita ſcribit: *ſiue in viden-*
do Deum intellectus ſit purè paſsiuus, ſiue
aliquo modo actiuus, ad illam tamen viſio-
nem requiritur lumen intellectus agentiscum
lumine gloriæ. Et inferiùs: *Si autem ali-*
quo modo eſt actiuus, vtroq; lumine iuuatur
ad

ad ſuam actionem: vnde habens fortius lumen intellectus agentis, cum æquali habitu luminis gloriæ intenſius Deum videt; naturalis enim virtus fortior per æquale adiutorium ſupernaturale efficacius poteſt in actum ſupernaturalem. Idem ſatis ſignificat quæſtione prima eiuſdem articuli, §. *Alij dicunt.* Conſentit Heruæus *quodlibeto quinto quæſtione 7. in vltimis verbis*, non omnino reijcit Maior *in 4. diſtinctio. 49. quæſtione 4. ad finem, §. Epilogando*: expreſſe probat Carthuſianus *in 3. diſtinct. 14, quæſtione 1. ad finem, & Diuus Antoninus prima parte, titul. 3. cap. ſexto, §. 20. fol. 50. col. prima. 2. & 3.* expreſſe Paludanus *in 4. diſtinctione. 49. quæſtione prima, articulo 3. concluſione prima numero 33.* Vbi non ſolùm aſſerit lumẽ gloriæ eſſe neceſſarium de lege ordinaria: ſed etiam affirmat numero 34. ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem etiam de potentia abſoluta eſſe neceſſarium, non quidem, vt formaliter exiſtens in intellectu, ſed illi aſsiſtens. Quare non ſunt audiendi, qui ſententiam negantem Paludano tribuunt, vt iam aduertimus lib. 7. quæſtio. 3. articulo 1. §. 1. num. 10.

Heruæus. Maior. Carthuſia. D. Anton. Paludan.

17. Poſt Concilium nõ poteſt non admitti.

Hęc ſententia non ſolùm eſt admittenda, quia omnium ferè antiquiorum conſenſu approbatur; ſed quia poſt Concilium Viennenſe ſine periculo non poteſt non admitti: etenim poſt illius definitionem temerarium eſt, imò etiam erroneũ, negare beatis lumen gloriæ habituale, vt oſtendimus quæſtione quarta, articulo 2. §. primo, concluſione ſexta, & vltima, Simpliciter enim damnat, vt errorẽ, *quòd anima non indigeat lumine gloriæ eleuante ad videndum Deum*, quæ verba eſſe intelligenda de lumine habituali ibidem oſtendimus. Suppoſita igitur hac definitionis explicatione neceſſariò admittendum eſt vim naturalem intelligendi intellectus eſſe inſufficientem, & ſimpliciter impotentem ad vidẽdum Deum, reddi tamẽ potentem per lumẽ gloriæ. Quare licèt controuerſum ſit, quomodo ipſa actiua vis intellectus lumine gloriæ fiat potens ad influendum in viſionem (de quo articulo quarto) iam non poteſt non eſſe certiſsimum virtutem illam actiuam ex ſe eſſe impotentem; fieri autem potentem per lumen gloriæ.

18. Et hæc fuit communis Patrum doctrina, vt oſtendimus libro ſeptimo, quæſtione tertia, articulo primo, numero 17. Epiphanius enim expreſſe aſſerit Deum facere potens, quod impotens erat. Cyrillus Hieroſolymitanus vocat nos infirmos ad videndum Deum, & Angelos appellat ignorantes. Nazianzenus docet intellectum creatum eſſe infirmum, & deſtitutum viribus ad videndum Deum. Cyrillus Alexandrinus ait creaturas intellectuales indigere ſuper luce; Deum autem eam largiri, denique nõ poſſe propria virtute fructum luminis edere, Deumque videre. Quòd viſio Dei ſit ſuper vires intellectus creati affirmant *Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Dionyſius, Athanaſius, Cyrillus Alexandrinus; Sanctus Maximus Sipariſiota, & Plotinus Philoſophus cum Diuo Auguſtino*, quos citauimus in dicto §. ſecundo numero 20. & varijs rationibus intellectus impotentiam oſtendimus. Oſtenſa autem hac impotentia, neceſſariò conuincitur intellectum creatum indigere ſupernaturali eleuatione: Cum verò hæc ſecundum legem ordinariam neceſſariò fiat per lumẽ gloriæ habituale; benè concluditur hoc munus eleuandi actiuitatem naturalem intellectus non poſſe ſine periculo denegari huic lumini, quidquid ſit de modo quo eam eleuat, de quo in 4. art.

Patres docent. *Nazian.*

19. Oppoſitũ ſine periculo nõ poteſt defendi. Scotus non poteſt defẽdi.

Ex quo iam infertur ſententiam negantem ſine periculo Fidei defendi non poſſe in terminis, in quibus quæſtio proponitur. Vnde iam defendi non poteſt ſententia Scoti, dum aſſerit ſuppoſita actiuitate intellectus nullam dari indigentiam luminis, nec Fidem cogere ad illud admittendum, ſicut cogit ad admittendum charitatem: nam quamvis adhuc defendi poſsit talem indigentiam luminis abſolutè non eſſe neceſſariam; quia neceſſitas non eſt in ordine ad potentiam abſolutam, vt plerique volunt, tamen quoad potentiam ordinariam talis indigentia ſine periculo negari non poteſt.

20. Nec Durãn-

Opinionem Durandi non poſſe liberari à nota erroris contra nonullos iam oſtendimus libro 7. quæſtione 3. articulo 2. §. 3. numero ſecundo: quamuis enim admittat gratuitam Dei liberalitatẽ, qua ſuam eſſentiam obiectiuè præſentat (in quo differt à Begardis, & Biguinis) tamen

tamen cum ſolùm præ requirat liberalem præſentationem eſſentiæ in ratione termini; (quo modo nullam actiuitatem exercet in viſionem) nullum admittit concurſum ſupernaturalem, quo diuina eſſentia aliquo modo influat in viſionem, ſine quo concurſu nulla datur ſupernaturalis eleuatio actiuitatis intellectus: vnde ponit intellectum naturali virtute nullo modo eleuata elicere viſionem; & ſubinde admittit talem virtutem ex ſe eſſe ſufficientem; quod à Concilio abſque dubio damnatur.

21. Nec Baſſolius liberari poteſt. Sed nec ab errore liberari poteſt Baſſolius, dum probat, tanquam veram opinionem eorum, qui dicebant, præſentato obiecto beatifico poſſe intellectum cum ſola generali influentia elicere viſionem, per conſequens non indigere lumine gloriæ: quæ ſententia coincidit cũ Durando: vnde omninò reijcienda eſt, tanquam damnata.

§. 3.

Soluuntur argumenta partis negantis.

22. Præmittitur primo. Argumẽta partis negantis facilè ſoluuntur, Et vt ineſſicacia primi argumenti percipiatur, præmittendum eſt, inter Deum, & intellectum creatum, nec entitate, nec in intelligibilitate adæquatè ſumpta dari poſſe proportionem Geometricam, ſiue quantitatiuam, quæ poſita eſt in adæquatione vnius ad alterum, vel ſimpliciter, vel per repetitionem eius, quod exceditur: ſicut enim entitas finita etiam infinities repetita nũquam adæquabitur entitati infinitæ ſub aliqua determinata proportione dupli, vel tripli, & cæt. vt patet; ita etiam nec finita cognoſcendi virtus, quantumuis infinities repetatur, adæquari poterit infinitæ cognoſcibilitati diuinæ eſſentiæ. Et in hoc ſenſu veriſsimum eſt, nullam dari proportionem finiti ad infinitum; quia nulla datur proportio Geometrica, ſiue quantitatiua adæquationis vnius ad alterum. Quæ proportio detur inter Deũ & intellectum creatum. Sed quamuis inter Deum, & creaturam dari non poſsit hæc proportio; poteſt tamen dari proportio alterius generis, quæ per ſe non requirat adæquationem quantitatiuam, ſiue Geometricam: hæc autem proportio poſita erit in aliqua habitudine, & ordine vnius ad alterum: etenim nomen proportionis tranſlatum eſt, vt etiam ſumatur pro habitudine, & ordine duorum inter ſe, vt expreſsè docet Diuus Thomas *de Veritate quæſtione octaua, articulo primo, ad ſeptimum*: D.Thom. Vnde inter materiam, & formam datur proportio habitudinis; quia materia reſpicit formam, & forma materiam abſque vlla adæquatione quãtitatiua.

23. Et in hoc ſenſu poteſt dari proportio inter finitum, & infinitum, & inter Deum, & creaturam: quia inter Deum, & creaturam verè datur habitudo, & ordo cauſæ ad effectum, operationis ad terminum, potentiæ cognoſcentis ad obiectum cognitum: Deum enim vere eſt cognoſcibilis à creatura, etiam vt eſt in ſe, ſicut fides docet: nec proportio iſta requirit adæquationem Geometricam, aut quantitatiuam: quia non oportet, vt effectus à Deo productus poſsit Geometricè adæquari, aut diuinæ entitati, aut virtuti. Similiter proportio, ſiue habitudo potentiæ ad obiectum, quæ datur inter Deum, & intellectum creatum, non exigit adæquationẽ Geometricam: quaſi neceſſe ſit, vt virtus intelligendi repetita valeat adæquari intelligibilitati diuinæ eſſentiæ; ſed ſolùm requirit adæquationem inter cognitionem, & cognitum, vt id quod cognoſcens de Deo, & in Deo cognoſcit, ita ſit in Deo, prout cognoſcitur; ſicut oſtendimus primo tomo, lib. 5, quæſtione 11. articulo quarto §. tertio poſt principiũ, & §. quarto, ad quintum, argumentum; & quæſtione 14. articulo tertio. §. ſexto, num. 32. in fine. Hanc Philoſophiam colliges ex Diuo Thoma ſuper Boetium *in libro de Trinitate Opuſc. 70. quæſtione 1. articulo 2. ad tertium pag. 503. columna ſecunda in medio, & de Veritate loco citato*, & ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 11. C. §. *Reſpondeo ſi loquamur.*

24. Præmiſſa. Præmittendum eſt deinde intellectũ creatum, quatenus eſt cognoſcens, dupliciter conſiderari poſſe in ordine ad diuinã eſſentiam; vt in ſe ipſa eſt cognoſcibilis; Vno modo; vt eſt naturaliter perfecta, & ſecundũ ſuam naturalem virtutẽ. Altero modo ſecundũ ſuam innatam actiuitatem abſtrahendo à potentia naturali, vel obedientiali. Priori modo negandum

dum non eſt, eam eſſe naturaliter improportionatam ad videndum Deum, vt multis oſtendimus libro ſexto, quæſtione ſecunda, articulo quinto, & ſexto: ob quam improportionem ſuis viribus eſt impotens ad viſionem Dei, vt ex communi doctrina Patrum iam oſtendimus: hanc tamen improportionem non habet, ſi modo poſteriori conſideretur: licèt enim poſitiuè non habeat potentiam ad videndum Deum: habet tamen non repugnantiam, vt illum videat: ſi non virtute naturæ, ſaltem virtute gratiæ, vt optimè aduertit Capreolus *in 4. diſtinctio. 49. quæſtione quarta, articulo tertio, ad tertium Scoti contra primum fol. 206. col. 3. in fine*: vbi in noſtro intellectu admittit proportionem ad diuinam eſſentiam ſecundùm naturam; non quidem in proxima potentia, ſed in remota: quia ex natura ſuæ primæuæ entiratiis habet illam non repugnantiam ad viſionem Dei, & inde eſt, vt ipſum Deum clare viſum contineat ſub obiecto extenſiuè ſibi adæquato: & ideo ex ſua primæua naturalitate habet, quòd per gratiam poſſit eleuari: quod ex doctrina Dionyſij & Patrũ, & ex principijs Philoſophiæ oſtendemus in libro 10. ſequente. *Capreol.*

25. Ad 1. Ex his patet ſolutio primi argumenti: admiſſa enim maiore, neganda eſt minor: etenim virtus actiua naturalis intellectus ex ſe verè eſt naturaliter improportionata, & impotens ad videndum Deum. Ad probationem minoris, neganda eſt ſequela: quia licèt actiuitas illa ſit naturaliter improportionata; & ideo viribus ſuæ naturæ non poſſit ad viſionem pertingere; Simpliciter tamen non eſt improportionata: imò habet radicalem, & remotam proportionem, vt ad illam poſſit per gratiam proximè proportionari: Deus enim licèt naturaliter ſit inuiſibilis à nobis; ſuis tamen muneribus eſt viſibilis, vt ex Beda, & Epiphanio diximus libro ſeptimo, quæſtione prima, articulo primo, numero quarto, & quinto. Quare per lumen gloriæ actiuitas creati intellectus fit proximè proportionata. Cui non obſtat, quòd adhuc in infinitum diſtet à diuina eſſentia, vt eſt obiectum intelligibile: quoniam licèt id verum ſit in ordine ad adæquatam intelligibilitatem diuinæ eſſentiæ, quam ſibi vendicat in ordine ad ſe: non tamen eſt verum ſecundùm intelligibilitatem inadæquatam, ſecundùm quam eſt intelligibilis à nobis: hoc enim modo non diſtat in infinitum, cum vt ſic ſit nobis intelligibiliter proportionata. Vide Diuum Thomam *de Veritate quæſtione 8. articulo 3. ad 14. & tertio contra gentes cap. 54. ad quintam, & ſextam obiectionem, & Ferrarienſ. ibidem, Capreolum in dicta quæſtione 4. articulo tertio ad tertium Durandi fol. 209. colum. 3. & Bellomontanum prima parte diſput. 43. cap. 8. numero 42. & 43. & diſput. 37. capit. 3: & diſput. 40. capitul. ſecundo.* Et ad hunc modum explicabis, quæ in ſolutione huius argumenti ſcribit Sotus *in 4. diſtinctione 49. quæſtione ſecunda. concluſione 4. §. Aliud verò pag. 592. col. 2.* *D. Thom.* *Ferrar.* *Capreol.* *Bellomon.* *Sotus.*

26. Ad 2. Ad ſecundum admittimus intellectũ creatum indigere lumine gloriæ, vt aliquo modo reponatur in actu primo, vt inferiùs explicabimus; negamus tamen minorem. Cuius probatio arguit ignorantiam vulgatæ Philoſophiæ: quoniam intellectus poſſibilis ex ſe eſt actiuus actus intelligendi, ſaltem circa naturalia: & tamen indiget, vt per ſpeciem reponatur in actu primo, vt patet ex Ariſtotele *in tertio de Anima capitulo quarto, text. octano.* Quare intellectum eſſe actiuum ſui actus non tollit, quin antecedenter ſit potentia, & habeat ſe ad inſtar materiæ in ordine ad formas, quibus actiuitas eius completur. Iam verò actiuitas intellectus ad viſionem completur non ſolùm per formam, quæ vel eſt ſpecies, vel eſt ad inſtar ſpeciei; ſed etiam per ipſum lumen gloriæ, vt in ſequente quæſtione oſtendemus. *Ariſto.*

27. Ad 3. Tertium argumentum (quod eſt præcipuum Durandi fundamentum) ſicut à nullo Theologorum adducitur; ita à nullo ſoluitur: indiget tamen ſolutione. Vis illius in hoc eſt poſita; An ſuppoſita obiectiua præſentatione diuinæ eſſentiæ à Deo liberaliter facta, indigeat intellectus eleuatione per lumen gloriæ; An verò abſque illa poſſit ſua naturali virtute in viſionem? quam difficultatem explicauimus ſuprà libro ſeptimo, quæſtione 3. articulo ſecundo, dum egimus de neceſſitate ſupernaturalis eleuationis in hoc caſu: nunc candẽ explicamus, dũ agimus de

de neceſsitate luminis gloriæ, per quod ſecundùm legem fit talis eleuatio: habet enim ſpecialem difficultatem. Durandus vtroque modo negat: quia nullam agnoſcit indigentiam ſupernaturalis eleuationis, ne dum illius, quæ fit per habitum luminis. Quæ opinio ab omnibus reijcitur, imò erroris damnatur, vt vidimus in dicto art. 2. num. 21.

28. Eſſentia 2. modis intellectui præſentatur.

Et vt hoc magis appareat, aduertendũ eſt, duobus modis intelligi poſſe diuinam eſſentiam vltra vires naturæ liberaliter ſe ipſam intellectui præſentare. Vno modo; vt ſe præſentet ſolùm ſub ratione ſimplicis termini terminantis viſionẽ: ſub qua ratione nullam habet actiuam, aut motionem in intellectum, aut influentiam in viſionem. Altero modo, vt non ſolùm ſe præſentet ſub ratione ſimplicis termini, ſed etiam ſub ratione obiecti mouentis intellectum ad viſionem, motione, & influentia obiectiua actiuè influẽte in eam. Plurimum autem intereſt, an vno, vel altero modo præſentetur: nam ex præſentatione priori modo nulla in intellectum reſultat ſupernaturalis eleuatio, ſed intellectus relinquitur in pura natura ſuę actiuitatis: at tamen eleuatio ſupernaturalis neceſſariò reſultat, ſi poſteriori modo præſentetur, vt plurimorũ eſt ſententia. Quia verò in hoc poſteriori ſenſu reſolutio pertinet ad quæſtionem ſequentem ideo in eam differatur. At verò Durandus agit de præſentatione priori modo facta: nullum enim concurſum effectiuum agnoſcit in diuina eſſentia præſentata, niſi terminatiuum viſionis: vnde ex parte intellectus nullam actiuitatis eleuationem admittit, ſed ſolam ipſius virtutis naturalitatem. Imò nec ex parte eſſentiæ agnoſcit aliquid ſupernaturalitatis, ſed ſolam remotionem impedimentorũ naturalium: quibus liberaliter amotis eandem præſentiam oſtendit, quam antea habebat per generalem illapſum. Cuius oppoſitũ alij docent: nam præter præſentationem in ratione termini, admittunt aliam in ratione obiecti actiuè concurrentis, & ſimul cum intellectu influentis in viſionem, quæ influentia eſt quidam ſupernaturalis concurſus.

29. Solutio vera arg. 3.

Omiſſa horum opinione (de qua agẽdum eſt, tum in quęſtione ſequente, tum in libro decimo) vbi argumentum diſſoluendum erit iuxta opinionem Durandi: In forma ad illud negandum eſt antecedens, tanquam in fide periculoſum: quia illa immediata præſentatio eſſentiæ in ratione termini, licèt tollat omnia impedimenta extrinſeca; non tamen tollit, quod intellectui eſt intrinſecum; nimirum non poſſe ferri in obiectum, niſi ſibi proponatur ſecundùm modum eſſendi ſuæ propriæ naturæ, vt diximus libro ſeptimo, quæſt. 3. articulo primo, §. 3. ad primum. numero 40. vbi vide. Inde eſt vt diuina eſſentia nunquam in ſe ipſa intellectui de facto præſentetur, niſi eum priùs eleuando ad ſuperiorem modum eſſendi, in quo maneat proportionatus ipſi eſſentiæ, vt diximus ſuprà libro 6. quæſtione ſecunda, articulo quinto. §. 7. numero 49. 50. & 51. Quin potiùs ſupernatutali eleuatione non præcedente, nec de potentia abſoluta præſentari poteſt, ita vt viſio ſequatur: quãtumuis eleuatio non fiat per lumen habituale, ſed per ſupernaturalem concurſum, vt in propria quæſtione dicemus. Quare, ſi per impoſsibile admittamus Deum, vt eſt in ſe ipſo, & ſecundùm ſuum eſſe irreceptũ, præſentare ſe intellectui, nulla præcedente eleuatione ſupernaturali, intellectus non poterit in Deum intelligibiliter ferri: vnde nec ſequetur viſio. Quare in hoc ſenſu meritò negatur antecedens.

Ad cuius probationem, admiſſa maiore in terminis, in quibus proponitur, in eiſdem neganda eſt minor, tanquam minùs tuta in fide, & improbabilis in Philoſophia: quia diuina eſſentia in ſe ipſa, & ad modum habentis eſſe irreceptum præſentata, non eſt obiectum naturaliter proportionatum intellectui creato, ſumpto in ſuis puris naturalibus, vt cũ D. Thoma ſæpe diximus, & oſtendimus lib. 6. q. 2. art. 5, per totum. Cum ergo ad confirmãdam minorem ſumitur Deum eſſe naturam intellectualẽ ſummè perfectam: agnoſcimus. Cum verò additur, Deũ ideo non poſſe à nobis naturaliter cognoſci; quia naturaliter non poteſt nobis præſentari, niſi in creaturis cognitis; negamus illã eſſe cauſam à priori: admittimus enim nos non poſſe naturaliter Deum cognoſcere, niſi per creaturas, & in creaturis: dicimus tamen cauſam à priori hanc eſſe, quia 30.

30. Ad probationem antecedentis.

quia nihil poſſumus naturaliter cognoſcere, niſi nobis ad noſtrum eſſendi modú præſentetur. Cum verò Deus in ſe ipſo habeat modum eſſendi ordinis longè altioris, non poteſt in ſe ipſo nobis naturaliter præſentari ad noſtrum eſſendi modum, niſi in ipſis creaturis cognitis; quia in illis præſentatur ſecundùm prædicata generica nobis & Deo communia: quæ prædicata poſſunt nobis pręſentari ad noſtrum modum eſſendi, vt oſtẽdimus lib. 6. in dicta q. 2. art. 5. vbi vide §. 5. n. 37. Quare, ſi per impoſsibile Deus ſe ſe præſentet intellectui ſecũdum ſuum purum eſſendi modum, non poterit cognoſci. Probatio verò in oppoſitum adducta parum habet efficaciæ: quoniam licet Deus in ſuo eſſe puro, & omnino irrecepto cõtineatur ſub obiecto intellectus creati adæquato extenſiuè; non tamen contineтur ſub adæquato intenſiuè: & ideò indiget ſupernaturali eleuatione. Cum verò hæc eleuatio de lege ordinaria fiat per lumen gloriæ habituale, ſecundum eandem legem indiget eodem lumine.

31. Quid ſenſerit Scotus? Quid ſenſerit Scotus, ſæpè explicauimus: nec enim admiſit præſentationem diuinæ eſſentiæ per modum ſolius termini, ſed per modum obiecti mouentis intellectum, & influentis in viſionem influentia obiectiua; quæ, cum ſit ſupernaturalis, ſupernaturaliter etiam eleuat actiuitatẽ intellectus, vt putat Scotus. Quomodo autem hoc verum ſit? dicemus inferiùs in hoc lib. & latiùs lib. 10.

32. Ad 4. Quartum argumentum iam diſſoluimus lib. 7. q. 3. art. 1. §. 3. ad 2. n. 44. Dicimus igitur, indigentiam luminis gloriæ ſecundum legem ordinariam neceſſariò conuinci ex eo, quòd intellectus non poteſt ſuis viribus Deum videre. Suppoſito tamen, quòd non ſolùm poteſt eum videre, ſed quòd de facto eum videat, vt fides docet; conſequentia eſt formalis, & neceſſaria: etenim, vt de facto videat, indiget lumine lege diuina ita ſtatuente. Quare ad argumentum, conceſſa maiore, neganda eſt minor. Ad 1. probationem. Cuius prima probatio futilis eſt; quia non omnia naturaliter impoſsibilia ſunt ſimpliciter impoſsibilia; ſed plura poſsibilia ſunt viribus agentis ſupernaturalis, de quo intelligitur noſtra conſequentia. Ad 2. Ad ſecundam probationem ex dictis patet ſolutio: quia ſupponit poſſe omnia impedimenta auferri ſine ſupernaturali eleuatione, cuius oppoſitum ſæpè docuimus: vide ſupra ad primum, & in dicto lib. 7. loco citato.

Ad 3. Ad tertiam dicimus authores noſtræ ſententiæ in hoc plurimum laborare, vt explicent, quomodò lumen gloriæ det poſsibilitatem intellectui, quam naturaliter non habet: de hoc enim diſputandũ erit in ſequenti q. & latiùs in lib. ſequent.

33. Ad 5. arg. Ad 5. dicemus eleuationem illam nec vno, nec altero modo fieri: quomodò autem fiat? ex ſequente quæſt. patebit.

34. Ad poſtremum. Poſtremum argumentum petit difficultatem; Vtrùm admiſſa in beatis ſpecie creata, vel increata loco illius, neceſſariũ ſit lumen gloriæ? Bellom. negat: nos cum cæteris affirmamus, de quo latior eſt habenda diſputatio inferiùs quæſtione 5. art. 12.

ARTICVLVS III.

Vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit ad vnionem formalem diuinæ eſſentiæ cum intellectu per receptionem formæ intelligibilis?

§. 1.

Pro explicatione tituli nonnulla præmittuntur.

1. EXplicata neceſsitate luminis gloriæ ad eleuandam actiuitatem intellectus in viſionem: explicanda eſt neceſsitas illius ad vnionem diuinę eſſentiæ cum intellectu beati; vt inde videamus; an munus luminis glorię ſit vnire diuinam eſſentiam cum intellectu? An lumen neceſſariũ ſit ad vnam & alteram vnionem? Cũ verò duplex detur vnio obiecti cum potentia; vna formalis; qua obiectum vnitur intellectui per modum formæ illum actuantis, & perficientis; altera obiectiua, qua obiectum vnitur intellectui per modum aſsiſtentis coràm eo, vt oſtendimus lib. 8. in 1. p. q. 4. art. 4. §. 2. n. 7. & in 2. p. q. 4. art. 5. §. 3. neceſſe eſt expendere, an lumen gloriæ neceſſarium ſit ad vnam, & alteram vnionem? de vnione formali dicemus in hoc articulo; de obiectiua verò in ſequenti.

2. Et pro explicatione quæſtionis, quæ eſt de vnione formali, qua obiectum formaliter vnitur intellectui per modum

formæ actuantis, vt intellectus fiat ipſa res obiecta; ſupponimus intellectū prius conſiderari in potentia ad recipiendum ſpeciem, quàm formaliter vniatur cum obiecto: cum enim hæc vnio ſit effectus formalis ſpeciei, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 4. art. 3. & 4. vtique prius natura intellectus recipiet ſpeciem obiecti, vel ipſum obiectum ad inſtar ſpeciei, quàm formaliter vniatur cum eo. Hinc iam intelliges intellectum beati prius eſſe conſiderandum ſub potentia eſſentiali ad recipiendum in ſe formam intelligibilem diuinæ eſſentiæ; vel creatam, vt ego exiſtimò; vel ipſam diuinam eſſentiā ad inſtar ſpeciei, vt vult cōmunis opinio, quàm vnione formali vniatur eidem diuinę eſſentię, vt formæ intelligibili, qua formaliter fiat Deus. Inde colliges non ſine fundamento inquiri, vtrùm intellectus indigeat eleuari per lumen gloriæ, vt poſsit in ſe recipere vnam vel alteram ſpeciem diuinæ eſſentiæ? cum enim intellectus per vnam vel alteram vniatur eſſentiæ vnione formali, qua intelligibiliter fiat Deus, vt in hac quæſt. ſupponimus; hinc eſt, vt inquirendo, an indigeat lumine ad recipiēdam formam diuinæ eſſentiæ; ex conſequenti inquirimus, vtrùm illud ſit neceſſarium ad vnionem formalem: hæc enim duo mutuo ſe conſequuntur; quanuis receptio formæ prior ſit, quàm vnio intellectus cum eſſentia.

Intellectus prius eſt in potentia ad ſpeciē, quā vniatur cū obiecto.

3. Sed adhuc eſt aduertendum, quæſtionem iſtam longè aliam eſſe ab ea, qua inquiritur, vtrùm lumen gloriæ ſit neceſſarium, vt intellectus poſsit in ſe recipere viſionem: etenim potentia intellectus ad viſionem recipiendam, eſt ad recipiendū actum ſecundum, quæ potentia dicitur accidentalis: at verò potentia ad recipiendum diuinam eſſentiam, vt eſt forma intelligibilis, eſt potentia ad recipiendùm actum primum, quæ à Philoſophis appellatur eſſentialis. Quare de neceſsitate luminis gloriæ ad recipiendam viſionem inferiùs diſputabimus: nunc agimus de neceſsitate illius ad recipiendam formam intelligibilem, qua eſſentia cum intellectu vnitur vnione formali; quæ vnio antecedit ipſam viſionem, vt actus primus antecedit ſecundum.

Hæc quæſtio alia eſt ab ea: an lumen ſit neceſſariū ad recipiendā viſionem.

§. 2.

Refertur opinio negans cum ſuis argumentis.

4. In hac quæſtione non eſt curandum de illis, qui aut nullas agnoſcunt ſpecies; aut illas non ſolùm beatis negant, ſed nec admittunt diuinam eſſentiam vicem ſpeciei ſubire: vtranque enim opinionem, vt improbabilem reiecimus in 1. & 2. p. libri octaui. Quare ſolùm agendum eſt cum illis, qui ad viſionem requirunt, aut ſpeciem creatam, aut eſſentiam diuinam loco ſpeciei: hac enim opinione ſuppoſita inquirimus, vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit, vt intellectus proportionatus reddatur ad recipiendum vnam vel alteram ſpeciem?

Opinio negans.

5. Qui in his terminis partem negantem probauerit, tres tantùm authores inueniре potui; quorū duo abſolutè id negant; tertius verò facta ſuppoſitione. Priorem ſententiam probarunt Palatius *in 4. diſt. 49. diſp. 1. ad finem, pag. 164. col. 2. §. Porrò cum eſſentia diuina, & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. pag. 351. col. 1. in principio*: hi duo ſimpliciter admittunt, diuinam eſſentiā ſe habere ad inſtar ſpeciei; & lumen non admittunt, vt diſponat intellectum ad recipiendam eſſentiam, tanquam ſpeciem; ſed ad alia munera. Poſteriorem verò ſententiam approbauit Bellom. *1. p. diſp. 43. c. 4. & 5. vtrobiq; in principio*: cum enim contēdat, non eſſe ponendum lumen gloriæ diſtinctum à ſpecie, nititur oſtendere fruſtra illud admitti, ſi in beatis admittatur, aut ſpecies creata, aut diuina eſſentia loco ſpeciei: & ideò oſtendit, admiſſa vna, vel altera ſpecie, lumen non eſſe neceſſarium ad vnā, vel alteram recipiendam.

Authores huius opinionis.

Palatius.

Salas.

Bellom.

6. Primum fundamentum ex eo ſumit Bellom. vbi ſuprâ c. 5. in principio; quia argumenta partis affirmantis non conuincunt neceſsitatem luminis ad hoc munus; vnde vnam & alteram rationem diſſoluit.

Primum fundamentum.

7. Secundò ex eo arguit, quia forma ſupernaturalis ex ſua natura non indiget diſpoſitione, vt in ſubiecto recipiatur; ſed ſubiectum per ſe ipſum poteſt immediatè eam recipere: alioquin daretur proceſſus in infinitum: aut enim ſubiectum deberet ad eam diſponi per aliam formā ſupernaturalem, aut per naturalem: per naturalem non poſſet magis aptari ad ſupernaturalem, quam ſecundum ſe erat antea. Si per ſupernaturalem; iam ad eam reci-

Secundum.

Bellom. Durand. recipiendam alia requiretur, & ſic in infinitum. Ita *Bellom. vbi ſuprà c.1.num. 1.* quam rationem ſumpſit ex Durando *in 4.diſt.49.q.2.n.22.§.Secunda etiã opinio.*

8. Tertium. Tertiò; ſi eſſentia diuina indigeret diſpoſitione, eſſet forma inhærens intellectui: quod tamen eſt falſum; quia ſolùm illi aſsiſtit: vt autem aſsiſtat, non indiget diſpoſitione ex parte intellectus. Bellomont. *vbi ſuprà cap.4.poſt principium.*

9. Confirm. Confirmatur ex Palatio; quoniã nulla diſpoſitio requiritur ex parte ſubiecti ad formam, quæ non eſt verè forma: talis autem eſt diuina eſſentia, vt dictum eſt.

10. Quartum. Quartò; diſpoſitio ſolùm requiritur ad formam principalem, & vltimam. Sed neutra illarum ſpecierum eſt talis; ergo ad neutram recipiendam neceſſarium eſt lumen. Minor patet; quia principalis, & vltima forma eſt ipſa viſio. Maior etiam probatur; quoniam in generatione ignis ſolùm ponitur diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, quæ eſt vltimus terminus.

11. Quintum. Quintò; viſio beata eſt forma ſupernaturalis, vt patet: & tamen ad eam recipiẽdam intellectus non indiget lumine gloriæ, aut alia ſupernaturali diſpoſitione, vt melior habet opinio. Ergo nec etiam indigebit lumine, vt diſpoſitione eleuante ad recipiendum ſpeciem diuinæ eſſentię.

12. Sextum. Sextò; diuini Verbi ſubſiſtentia eſt forma longè excedens naturam humanã; & tamen humanitas Chriſti abſque vlla media diſpoſitione vnitur Verbi ſubſiſtentiæ ex Diuo Thoma *3.p.q.7.art.vlt.* Ergo intellectus abſque vlla media diſpoſitione vnitur diuinæ eſſentiæ, quantumuis ſit ſupra naturam illius. D.Thom.

13. Septimum. Septimò; intellectus in via non indiget aliquo ſupernaturali medio, vt vniatur ſpeciebus, quibus vtitur ad obiecta ſupernaturalia. Ergo nec etiam indigebit ſupernaturali lumine, vt in Patria vniatur diuinæ eſſentiæ.

14. Octauum. Octauò; eſſentia diuina, vt eſt forma intelligibilis; eminenter eſt ipſum lumen gloriæ, & alia quæuis diſpoſitio, qua intellectus poteſt illam recipere. Ergo nulla indiget diſpoſitione per lumen gloriæ ad talem vnionem. Probatur conſequentia; quoniam perſonalitas diuina ideò nulla indiget diſpoſitione ex parte naturæ humanæ, vt illi communicetur, quia eminenter eſt ipſa perſonalitas humana.

Nonò; lumen gloriæ ſolùm datur tanquam actiuum principium habens ſe ex parte intellectus. Ergo non datur, vt eſſentia diuina, tanquam forma intelligibilis vniatur intellectui: quia talis vnio antecedit principium actiuum viſionis. 15. Nonum.

Poſtremò; ita licet argumentari: lumẽ gloriæ eſt ipſa potentia actiua ad videndum. Ergo non eſt potentia receptiua alicuius formæ, quæ ſit in beatis. Hæc argumenta collegi à varijs pro confirmanda hac negante ſententia. 16. Poſtremũ.

§. 3.

Sententia affirmans approbatur.

Pars tamen affirmatiua, & veriſsima eſt, & inter antiquiores, & recẽtiores eſt cõmuniter recepta. Quòd intellectus creatus indigeat diſpoſitione ſupernaturalis luminis, vt diuina eſſentia ſit illi forma intelligibilis, & illi copuletur, expreſſe docet Diuus Thomas 1.p. *q.12.art.4.& expreſsiùs 3.contra gent.cap. 53.argum. 1. 2. & 3. docet enim, intellectũ indigere lumine gloriæ, vt diſpoſitione, qua eleuetur, vt diuinæ eſſentiæ, tanquam ſpeciei intelligibili copuletur.* Et iterum id repetit *de Veritate* q.8.arti.3. *affirmans lumen gloriæ facere, vt intellectus creatus ſit eiuſdem ordinis cum eſſentia diuina, & ita ſit in vltima diſpoſitione, vt illi coniungatur, tanquam formæ intelligibili.* Idem docent omnes diſcipuli Diui Thomæ: ita *Capreolus in 4. diſt.49.q.4.art.1, in fine, & art. 3.ad primũ Scoti contra primam fol.207.colu.1. vbi docet, lumen gloriæ primò requiri in intellectu ad recipiendum diuinam eſſentiam per modũ formæ actualis, & vt diſpoſitionem intellectus poſsibilis ad recipiendum actum primum, qualis eſt ſpecies; ſecundariò autem ad eliciendum actum ſecundum viſionis.* Idem repetit *art.3.ad 1. Aureoli 2.loco contra ſecundã fol.208.col.3.& ad 2. Durandi contra eandem, fol.209 col.3. Ita etiam Caieta. 1.p.q. 12.artic.5. vbi ſæpe docet lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem eleuantem, & vnitatem intellectus cum diuina eſſenria, vt eſt forma intelligibilis*, vt patet in principio Commenti, & inferiùs §.*Circa probationem.2.*& clariùs in reſponſione ad tertium, vbi in hæc verba: *Lumen gloriæ nihil aliud eſt, quàm vis, & propriè diſpoſitio vnitiua diuinæ eſſentiæ, vt eſt forma intelligibilis.* Adde *Ferrarien* 17. Vera eſt ſẽtentia affirmans. D.Thom. Capreol. Caietan.

Ferrar. *rarienſem 3. contra gent. d.cap.53. in explicatione primarum trium rationum. Sed clarius c.54.ad finem ſecundæ abiectionis, vbi ita ait: lumen gloriæ facit intellectum eſſe eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia in eſſe intelligibili, tanquam faciens ipſum eſſe propriam potentiam, & proportionatum ſuſceptiuum diuinæ eſſentiæ per modum formæ intelligibilis, & inferiùs §. Ad primam dicitur,* ita ſcribit: *non requiritur lumen gloriæ ad hoc, vt intellectus ſit viſionis ſuſceptiuus; ſed bene ad hoc, vt ſit ſuſceptiuus diuinæ eſſentiæ per modum formæ intelligibilis:* Idem probat Cumelius *1.p.q.12.art.5.q.1. con-*

Cumelius. *cl.3. & inferiùs ad 5.& 9. conſentit* Bañes

Bañes. *ibidem dub.2.concl.1. & Ripa c.2, propoſi-*

Ripa. *tione 1. ſatis ſupponit Sotus in 4.diſt.49.q.2.*

Sot. *art.4.§.Hoc ſuppoſito probatur, fol.589.col.*

Ledeſma. *2.Petrus de Ledeſma lib.8. de diuina perfectione c.8.concl.3.pag.574,col.2.in fine, & inferiùs fol.575.col.2.§.Ex hac concluſione, latè Nauarrete 1.tom.controu.37.§.1. con-*

Nauarret. *cl.1.fol.224.col.3.& 4.& controu.39.§.4.*

Cabrera. *fol.250.col.2.ad finem. latè Cabrera 1. tom.*

Soncin. *ad 3.p.q.9.art.2.diſp.7. nu. 16.* His addo

Hiſpalen. *Soncinatem in 4.diſt.49.q.4.ad 1. contra 2. pag.87.col.1.Hiſpalenſem ibidem q.4.artic. 4.ad primum Aureoli 1. loco contra ſecundã fol.214.colu.3.& ad 2.eiuſdem 3. loco, fol. 214.col.4.& ad ea, quæ ſecundo loco contra eandem obijcit Durand. fol. 215. colum. 3.*

Durand. Quare inter Thomiſtas eſt receptiſsima ſententia. Et nouioribus in eiſdem ter-

Valentia. minis eam probat *Valentia 1.tom. diſp. 1. pũcto.3.pagin.193. §. Porrò fundamentum, & clarius pag.194. §.His igitur opinionib.* vbi concludit, *lumen gloriæ etiam requiri, vt diſpoſitionem ad diuinam eſſentiam, tanquam ad formam intelligibilem,* expreſsiùs *Pezantius 1.p.q.12.art. 5. diſp.1. notab. 1.*

Pezant. *& 3.& inferiùs §. Ex his colligitur, fol.57. col.1. affirmans lumen gloriæ hoc etiam habere munus, vt tanquam diſpoſitio intellectũ eleuet ad recipiendam diuinam eſſentiam loco ſpeciei.* Probat hoc ipſum *Albertin. in*

Albertin. *ſuis corollarijs q.1.Theologica in 1. corollar. pag.23.col.1.§. Quarta congruentia.* Denique inter nouiores eſt in ſcholis receptiſſima. Quam etiã mihi ſatis expreſsit Hẽ-

Henric, ricus *quodlib.3.q.1.fol.48.lit. T.V. & Y. aſſerit enim, intellectum per lumen gloriæ fieri idoneum, & aptum: vt Deus poſsit ſe illi manifeſtare exhibendo ſe præſentem in eſſe intellectuali, idque per ſuam eſſentiam, vt eſt ratio videndi:* quæ verba ſatis declarant, intellectum per lumen gloriæ eleuari, vt diuina eſſentia poſsit ſe illi vnire ad in- 20.

ſtar ſpeciei.

Quod hi authores ſuam iſtam opinionem intelligant de diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis, non aſsiſtens intellectui, ſed illum formaliter actuãs, & perficiens, euidenter colliges, ſi quæ ſcribũt, cõſideratiùs expendas. Et quidem quòd hæc ſi mens Diui Thomæ, ex eo patet quia docet diuinam eſſentiam ita eſſe formam intelligibilem intellectus, vt vnita illum actuet, perficiat, & faciat eſſe Deũ intelligibiliter, tanquam forma, per quã intelligit, vt per principium intelligẽdi, vt *quo*, ſicut patet ex ijs, quæ diximus lib. 8, 2.p.q.3.& 4. vbi oſtendimus hæc conuenire non poſſe diuinæ eſſentiæ, vt obiectiuè intellectui aſsiſtit, ſed ſolùm vt illi vnitur, tanquam forma intrinſecè perficiens, & actuans ſine vlla informatione, vbi videbis hanc fuiſſe mentem Capreoli, Caietani, & aliorum Thomiſtarum. 1.

Intelligitur de diuina eſſẽtia vt perficiente, nõ vt aſsiſtẽte.

Ex quo patet, hãc ſententiam non ſatis ad mentem Diui Thomæ explicare, qui eam intelligunt de forma extrinſecè aſsiſtente: hæc enim non actuat, aut perficit, nec eſt principium agendi, vt *quo*, vt oſtendimus in dicto libro 8. Quare ſatis aliena eſt à mente Diui Thomæ explicatio Suarij *lib.2.de Attrib.negat.c.15.n.21. & Molina 1.p.q.12.diſp.1.pag.116.col.2. B.C.* Et quamuis iſta Thomiſtarum ſententiá de diuina eſſentia actuante, & perficiente mihi non placeat, vt in dicto lib. 8.in 2.p. oſtendi; illa tamen ſuppoſita nõ poteſt non placere Theologia, quæ ita de intellectu philoſophatur, vt priùs debeat in ſe recipere diuinam eſſentiam, vt ad inſtar ſpeciei, eſt forma intelligibilis, quã viſionem eliciat: etenim priùs natura eſt, potentiam conſtitui in actu primo agendi, quâm agere.

Suarius, & Molina nõ loquuntur ad mentem D. Thom.

Quare locus datur quæſtioni, an intellectus creatus indigeat lumine gloriæ, vt in ſe recipiat diuinam eſſentiam, vt formam eum intrinſecè perficientem. Cuius quæſtionis partem affirmatiuam in ſenſu explicato probarunt Theologi, quos citauimus, quidquid Salas eos explicet, non de receptione eſſentiæ diuinæ, vt eſt ſpecies, ſed de receptione viſionis, vt ſcribit *1.tom.ad 1. 2.q.3.tract.2.diſp.5.ſect.3.*

pag.

pag.351.col.1.§. Et primò ex his: etenim Capreolus cum cæteris expreſſè ſcribũt, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium ad receptionem viſionis, benè tamen ad receptionem diuinæ eſſentiæ, vt eſt forma intelligibilis; vt videre eſt apud Capreol. in *4.diſt.49.q.4.artic.3. ad 1. Scoti contra 2. fol.207.col.1.& ad 1. Aureoli 2. loco contra eandem, fol.208. col.3.& apud Hiſpalenſem ibidem q.4.art.4.ad 1. Durandi, 2. loco, fol.215.col.3.* Accedit etiam; quia D. Thomas expreſſè agit de diſpoſitione ad recipiendam diuinam eſſentiam, vt eſt forma intelligibilis. Quare melius eſt opinionem non admittere, quàm eam perperam interpretari. Quare opinionem affirmantem in ſenſu explicato confirmabimus.

Capreol.

Hiſpalen.

§. 4.

Confirmatur hæc ſententia.

23. *Ratio huius opinionis. D. Thom. Ferrar. Ledeſma. Nauarre.*

SEntentiam in ſenſu explicato pluribus rationibus confirmat D. Thomas *1.p.q.12. art.5.& ibi interpretes, & 3.contra gent.c.53. vbi Ferrarienſis, & de Veritate q.8.art.3. aliàs adducunt Petrus de Lædeſma de diuina perfectione q.8. art.8.concl.3.& Nauarrete tom.1.controu. 37.§.1.concl.1.fol.224.col.3.* Nos primo loco expendemus commune fundamentum; deinde cætera, quæ adducuntur.

Adducitur commune fundamentum.

24. Commune fundamentum.

¶ Commune huius opinionis fundamentum eſt hoc: quòd eleuatur ad formam, quæ eſt ſupra ſuam naturam, indiget eleuari per diſpoſitionem, quæ ſit ſupra ſuã naturam. Sed forma intelligibilis, qua intellectus, tanquam ſpecie Deum videt (ſiue illa ſit creata, ſiue diuina eſſentia habens locum ſpeciei) eſt forma ſupra naturam intellectus creati. Ergo intellectus indiget, vt ad eam eleuetur per aliquam diſpoſitionem ſupernaturalem. Hæc autem nulla eſſe poteſt, niſi habitus luminis gloriæ. Ergo intellectus eo indiget tanquam diſpoſitione, qua poſſit recipere in ſe diuinam eſſentiam, vt formam intelligibilem. Hoc eſt vnicum fundamẽtum Diui Thomæ in dicto art.5.& in dicto cap.53.in 2.ratione. Quod à Thomiſtis ita magni fit, vt plures eorum dicant, concluſionem nulla alia indigere probatione.

At tamen fundamentum iſtud in ſua maiore propoſitione (quæ eſt argumenti medium) verè eſt difficile ijs, qui conſideratiùs illud expendunt: vnde maior illa negatur à *Durando in 4.diſt.49.q.2.n. 22.§.Secunda etiam opinio, & ab Argentina ibidem q.2.art.1.§.Sed primum iſtorum, & à Bellom.1.p.diſp.43.c.1.& 4.& à Sala 1. tom.ad 1.2.q.3.tract.2.diſp.5.ſect.3.pag. 351.col.2.§. Hæc ſolutio non placet*, & à pluribus alijs. Et cum à præſtantiſsimis Theologis vel negetur, vel dubia cenſeatur; non debet, vt certiſsima ſupponi. Sed vt illius difficultas euidentiùs appareat, illam quatuor medijs impugnabim⁹.

25. Maior fundamenti eſt dub. *Durand. Argentin. Bellom. Salas.*

Primo loco contra eam obijcitur, quia ex ea infertur proceſſus in infinitum, vt patet ex 2. argumento partis negantis: ſi enim ad formam, quę eſt ſupra naturam, ideò requiritur ſupernaturalis diſpoſitio quia ipſa forma eſt ſupra naturam ſubiecti, cum ipſa diſpoſitio etiam ſit ſupra illius naturam, vt volunt eius auctores; ad eam etiam neceſſaria erit alia diſpoſitio ſupernaturalis: & ſic in infinitum. Ita cõtra propoſitionem illam inſurgunt Durand. Argentina, & Bellom.

26. Prima ratio contra illã.

Secundò idem Bellom. vbi ſuprà *c.1. n.2.& 3.* & Salas loco citato contra eam inſurgunt: quoniam licet inter formas ſubſtantiales, & accidentarias detur ordo, vt ſubſtantialis forma per ſe requirat diſpoſitionem, vt recipiatur in ſubiecto; tamen in formis accidentarijs tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus non eſt neceſſe hunc òrdinẽ conſtituere, niſi quando vnum accidens alio mediante ineſt in ſubiecto; vt ſe habet qualitas materialis ad quantitatem, & habitus ad potentiam operantem: qualitas enim corporea non poteſt ineſſe in ſubiecto, niſi mediantè quantitate; & habitus non poteſt ineſſe in anima, niſi media potentia: in his igitur illud, quo mediante aliud recipitur in ſubiecto, eſt veluti diſpoſitio ad illud: in alijs verò accidentibus ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus non datur talis ordo; ſed ſubiectum ex ſe eſt idoneum, vt quodcunque illorum recipiat, quare Bellomont. & Salas maiorem illam negant in formis accidentarijs, niſi ex ſua natura ita ſe habeant, vt vna nequeat eſſe in ſubiecto, niſi mediante alia. Cum verò forma intelligibilis (quæ eſt ſpecies) non habeat talem

27. 2. ratio contra eandem

talem ordinem ad lumen, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale (nec enim ſpecies recipitur in anima mediante lumine) fit, vt forma intelligibilis ſupernaturalis ſua natura non exigat lumen gloriæ, tanquam diſpoſitionem, vt poſsit recipi in beatis. Quod etiam dicendum eſt de quacunque alia forma ſupernaturali. Hæc eſt ſententia Bellomontani *in dicta diſp. 43. cap. 4. in princip.*

28. 3. obiectio. Tertio loco nonnulli maiorem illam ſolū admittunt in formis intrinſecis ſubiecto, non verò in extrinſecis: hæ enim nullam diſpoſitionem exigunt in ſubiecto, quod denominant, licet ſint ſupernaturales. Ita docuerunt Palatius *in 4. diſt. 49. diſp. 1. ad finem, pag. 164. col. 2. §. Porrò, cum diuina eſſentia, & Bellomon. vbi ſuprà cap. 4. in principio, & ſatis eſt de mente Salæ loco citato*: etenim diſpoſitio prærequiritur in forma, quia debet inhærere, aliàs fruſtra prærequireretur. Iam verò forma extrinſeca non inhæret. Suppoſita autem hac maioris explicatione argumentum vim non habet; quoniam diuina eſſentia, vt intellectui coniungitur, tanquam ſpecies, illi non coniungitur per informationem, & inhęrētiam, ſed per extrinſecam aſsiſtentiam.

Palatius. Bellom. Salas.

29. 4. obiectio. Quartò; contra eandem maiorem exurgit non contemnenda difficultas: quoniam, vt maior illa vera ſit, in formis de genere rei, in quibus ſolis probatur à D. Thoma; non tamen videtur neceſſaria in formis de genere intelligibili: etenim ſpecies intelligibilis (quę à patronis illius maioris ponitur eſſe vltima) abſque vlla media diſpoſitione recipitur in intellectu, vt patet; quod argumento eſt in genere intelligibili non dari ordinem mediationis diſpoſitiuæ inter formam vltimam, & ſubiectum. Vnde non valet argumentū à forma vltima de genere rei ad vltimam de genere intelligibili: & meritò; quia in vtroque genere diſpar ratio reperitur: nam forma vltima generis rei eſt forma ſubſtantialis, quæ eſt actus per ſe reſpiciens materiam primam, quæ eſt pura potentia; & ideò eſt ordinis altioris, ratione cuius indiget eleuari per diſpoſitiones altioris ordinis reſpectu materiæ, quales formæ ſunt accidentariæ, quę pertinent ad ordinem actus. Quæ ratio non reperitur in ſpecie intelligibili, quæ licet in ſuo genere ſit vltimus actus; non tamē eſt actus ex ſua natura reſpiciens puram potentiam: etenim intellectus, in quo recipitur, eſt quidam actus, & nobilioris generis; & ideò non indiget eleuatione, vt in ſe recipiat ſpeciem, ſed ex ſua natura eſt immediatè receptiuus illius. Porrò ſi in genere intelligibili ordinis naturalis nullus datur ordo mediationis diſpoſitiuæ inter formam intelligibilem, & intellectum, in quo debet recipi; cur talis ordo dabitur in genere intelligibili ordinis ſupernaturalis? ¶ Hæc ſunt, quæ maiorē illam aſſumptam, tanquam indubitatam reddunt, aut dubitabilem, aut falſam.

Solutio primæ obiectionis.

30. Defenditur commune fundamentum. ¶ Sed tamen hæc vim communis fundamenti non elidunt. Primi argumenti cōmunis ſolutio in hoc eſt poſita, vt maior illa, quam aſſumit D. Thomas non ſit intelligenda de quacunque forma ſupernaturali, ſed de ea ſola, quæ eſt principalis, & vltima: in his enim eodem modo philoſophandum eſt, quo philoſophamur in formis naturalibus de genere rei: in illo enim genere non quæcunque forma, quę in illo eſt ſupra naturam, indiget diſpoſitione, ſed illa tantùm, quæ in tali genere eſt vltima; qualis eſt ſola forma ſubſtantialis: hæc enim non poteſt immediatè recipi in materia, ſed mediante aliqua diſpoſitione: vnde in illo genere ceſſat proceſſus in infinitum. Simili modo dicendū eſt, in formis ſupernaturalibus, vt non quæcunque exigat præuiam diſpoſitionem, vt recipiatur in anima; ſed illa tantùm, quæ in ſuo genere eſt principalis, & vltima; qualis in genere intelligibili eſt forma ſupernaturalis, quæ vel eſt ſpecies, vel ſubit locum ſpeciei; & ita ceſſat proceſſus in infinitum, quia non omnis forma ſupernaturalis eſt vltima in ſuo genere. Hæc eſt communis explicatio illius maioris: ita *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad 2. Durandi contra ſecundam, fol. 209. col. 3. Hiſpalenſ. ibidem q. 4. art. 4. ad ea, quæ ſecundo loco Durand. obijcit, fol. 215. col. 3. Soncinas ibi ad 2. Durandi contra ſecundam, pag. 89. col. 2. Ferrar. 3. contra gent. c. 53. in 2. ratione D. Thomæ, §. Circa aſſumptam*: cū illis conſentit *Caietan. 1. p. q. 12. artic. 5. poſt principium, §. Ad primum horum*, vbi docet maio-

Communis ſolutio.

Capreol. Hiſpalen. Soncinas. Ferrar. Caiet.

maiorem eſſe veram in forma, quæ eſt terminus generationis, non vero in ea, quæ eſt via ad terminum. Quæ ſolutio cum priori coincidit: forma enim, quæ eſt terminus generationis eſt principalis, & vltima, & è conuerſo, quæ eſt vltima, & principalis, & terminus generationis. Cum his concordat *Cumelius 1. p. q. 12. artic. 5. q. 1. ad 8. pag. 248. nec reijcit Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 4. pag. 592. col. 2. §. Aliud adhibetur, admittit Iauellus in dicta quæſt. 12. art. 5. Nauarrete 1. tom. controu. 37. fol. 230. col. 4. §. Circa illud de forma, latè Cabrera 1. tom. ad 3. partē, q. 9. artic. 2. diſputatione 7. num. 23. Petrus de Ledeſma vbi ſupra ad confirmationem ſecundi argumenti, pagina 578. column. 2. D. probauit Suarius 2. de Attributis negatiuis cap. 15. num. 22.*

Cumelius. Sotꝰ. Iauellus. Nauarret. Cabrera. Ledeſma.

31. Quare ad argumentum negādum eſt, ex illa maiore inferri proceſſum in infinitum in formis ſupernaturalibus: nec enim diſpoſitio præ requiritur ad formā ſupernaturalem, ideò, quia ſupernaturalis eſt, & ratione ſupernaturalitatis; ſed quia in ſuo ordine eſt forma principalis, & vltima, vt benè aduertit Suarius. Quæ ratio non reperitur in omni forma ſupernaturali.

32. Obijcitur contra communem ſententiam.

Sed vna ſe ſe offert difficultas: quoniam admiſſa maiore in ſenſu explicato, minor eſt neganda: quoniam in genere intelligibili vltima, & principalis forma non eſt, aut ſpecies diuinæ eſſentiæ, aut ipſa diuina eſſentia, vt habet vicem ſpeciei; ſed ipſa viſio beata: ſicut etiam in proceſſu ordinis naturalis vltima, & principalis forma non eſt ſpecies intelligibilis, ſed ipſa intellectio: hæc enim eſt vltimus actus illius ordinis: & longè nobilior, quā ſpecies, vt patet ex Philoſophia.

33. Reſponſio Caietani. *Cabrera. Ledeſma.*

Ad hanc difficultatem reſpondet Caietanus *in dicto artic. 5. §. Circa primæ conſequentiæ, verſiculo. Ad ſecundum autem dicitur*, quem ſequuntur Ledeſma, & Cabrera locis citatis, ſpeciem intelligibilem, & intellectionem in proceſſu intelligibili pro vna, & eadem forma computari, quæ in tali genere eſt principalis, & vltima: ſicut enim in genere rei forma ſubſtantialis, & illius eſſe, ſiue exiſtentia pro vna, & eadem forma computantur; ita etiam in genere intelligibili ſpecies, & actuale intelligere pro vna, & eadem forma computari debent; quia intelligere eſt ipſum eſſe ſpeciei intelligibilis, vt ex Caietano idem Ledeſma aduertit *in citato loco in ſecunda confirmatione quartæ concluſionis, pag. 577. column. 1.* Sed cum hęc ſolutio fundetur in doctrina quadam paradoxa, vt alibi oſtēdimus, non eſt, quod admittatur.

Non recipitur ſolutio.

34. Quomodo doctrina D. Thomæ ſit defendenda

Quare, ſi communis illa Thomiſtarū doctrina probanda eſt; ex eo capite eſt defendenda; quia in ea ſolùm eſt ſermo de vltima forma, quæ ex intentione naturæ in tali motitione per ſe eſt vltimatè intenta: talis autem ſola illa eſt, quæ per ſe eſt conſtitutiua agentis, quod in illo genere eſt principale, & agens, *vt quod*: etenim natura in vtroque genere per ſe intendit tale agens. Cum verò in genere rei ſola forma ſubſtantialis ſit conſtitutiua compoſiti ſubſtantialis, quod in genere rei eſt agens principale; ideò in genere rei ſola forma ſubſtantialis eſt vltimatus terminus generationis. Cum verò genus intelligibile ex mente D. Thomæ philoſophandum ſit ad modum generis rei, vt oſtendimus lib. 8. in ſecunda parte, quæſt. 4. artic. 2. §. 7. numero 62. in eo ita philoſophabimur, vt natura in ſua motione per ſe intendat conſtituere vnum compoſitum, & vnum agens, quod ſit intelligens, operāſque, *vt quod*. Quare in hac intelligibili motione, ſeu generatione illa forma erit vltima, per quam per ſe conſtituitur vnum intelligens, & vnum operans: talis autem non eſt intellectio (quia cum illa emanet à tali compoſito, vt ab agente, *vt quod*, ex ſua natura ſupponit illud iam eſſe conſtitutum) ſed erit ſpecies intelligibilis, ex qua, tanquam ex forma, & ex intellectu, tanquam ex materia conſtituitur, & veluti generatur vnum intelligens, vt D. Thomas multis in locis docet, vt patet de *Veritate q. 8. art. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 1. in fine, & ad 8.*

D. Thom.

35. Ad argu. in forma.

Ex hac noſtra Philoſophia iam colligitur, clara ſolutio propoſitæ difficultatis: negandum eſt enim intellectionem eſſe vltimam formam à natura intentam in motione, qua anima, ſiue intellectus ex potentia eſſentiali conſtituitur in actu primo intelligentis: ſicut enim in genere rei natura vltimatè non intendit operationes exercendas à ſub-

ſtantia generanda; ſed per vnionem formæ cum materia conſtituere compoſitum, quod per ſe valeat operari, ob quam rationem ſola forma ſubſtantialis eſt vltima in tali genere; ita etiam in genere intelligibili, quando intellectus de potentia eſſentiali mouetur ad actum, vltimatè non intenditur actus ſecundus intellectionis, ſed vnire ſpeciem cum intellectu ad conſtituendum cõpoſitum, quod poſſit res intelligere.

36. Liberatur à proceſſu in infinitũ.

Et hoc modo maior ſumpta à Diuo Thoma facilè liberatur ab abſurdo proceſſus infiniti; quia diſpoſitio ſupernaturalis non requiritur ad quamcunque formam ſupernaturalem, ſed ad eam, quæ in illa intelligibili motione eſt principalis, & vltima: quale non eſt lumen gloriæ: cũ ex ſua natura ſit diſpoſitio, & via ad vlteriorem, & principalem formam, quæ eſt ſpecies intelligibilis, qua intellectus beati conſtituitur in actu primo, & completo intelligentes.

Ad ſecundam obiectionem.

37. Ad 2. obiectionem.

SEcunda etiam obiectio facilè ſoluitur: ad quam primum dicimus, eam vim non habere apud eos, qui volunt, lumen gloriæ eſſe potentiam ipſam ſuſceptiuam diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei, quæ fuit opinio Petri de Ledeſma *de diuina perfectione quæſt. 8. articul. 8. concluſione 3. pag. 575. col. 2. §. Tertio probatur, & §. Ex hac propoſitione ſequitur, & inferiùs pag. 577. col. 2. §, Ad rationem dubitandi, & Nauarrete 1. tom. controuer. 37. §. 1. fol. 224. col. 4. C. & latius fol. 225. col. 1. & aliorum, quos citabimus inferiùs articulo quinto, & lib. 10. quæſt. 3.* etenim cum ex ſententia Bellomontani maior illa vera ſit in accidentibus, quorum vnum in ſubiecto ineſt altero mediante; & ſubindè detur ordo ille inter habitus potentię, & ipſam potentiam: quia in anima ineſſe nequeunt, niſi mediante potentia; vtique talis ordo dabitur inter ſpeciem diuinæ eſſentiæ, & lumen gloriæ; quoniam apud præcitatos Doctores lumẽ gloriæ eſt ipſi beato potentia, qua videt Deum. Nos hanc ſolutionem non admittimus; quia nec inferiùs admittemus lumẽ gloriæ eſſe totam potentiam actiuamque virtutem intellectui beato.

Ledeſma.

Nauarret.

38. Bellomon. aberrat à vera Philoſophia.

Dicimus igitur, doctrinam Bellomontani longè eſſe à vera, & recepta Philoſophia: nam ſicut veriſsimum eſt, inter duo accidentia dari ordinem cauſæ materialis, & ſubiectiuæ, ita vt inſit in ſubſtantia mediante altero, in quo ſubiectetur, & inhæreat (vt eſt communis ſententia, de qua latè *Suarius in Metaphyſ. diſp. 14. ſect. 4. num. 4. pag. 362. colu. 2. & docet Diuus Thomas 3. p. quæſt. 77. art. 2. in corpore, & ad primum, & 1. 2. quæſt. 7. art. 1. ad 3. & q. 56. art. 1. ad 3. & de ſpiritualibus creaturis quæſt. 11. ad 13. & Capreol. in 1. diſtinc. 3. quæſt. 3. art. 2. ad ſecundum Scoti contra primam fol. 66. col. 4. & Durand. in 1. diſt. 8. in 2. p. diſtinctionis q. 4. nu. 15. vt alios omittamus:*) ita etiam, tanquam veriſsimum haberi debet inter accidentia dari ordinẽ cauſæ ſimpliciter diſpoſitiuæ; ita vt vnũ non poſſit in ſubiecto ineſſe, niſi median te alio, vt pura diſpoſitione abſque vlla inhæſione ſubiectioneve cauſæ materialis: de qua Philoſophia nulla vnquam fuit controuerſia; nec vlla eſſe poteſt dubitatio, vt doctiſsimè aduertit Suarius loco citato: cum tamen de priori Philoſophia, quam Bellomontanus vt certam admittit, quamplurimi, dubitauerint: eam enim negauit Gregor. *in 2. diſtin. 12. q. 2. art. 3. & negarunt Nominales*: nec ſine fundamento: quia hunc ordinem inter accidentia negauit Ariſtoteles in 4. Metaphyſic. capite quarto, text. 14. ad finem, vt patet ex Diuo Thoma ibidem lectio. 7. in fine.

Inter duo accidentia datur ordo cauſæ materialis.

Suarius

D. Thom.

Capreol.

Inter accidẽtia datur ordo cauſæ diſpoſitiuæ

Bellomon. philoſophis negatur.

Gregor.

Ariſtot.

Sed omiſſa Ariſtotelis explicatione (illam enim Philoſophiam putamus eſſe veriſſimam) ſatis ſit, ordinem, de quo agimus, non ſolùm dari inter formam ſubſtantialem, & accidentia; ſed etiam inter ipſa accidentia inter ſe; non ſolùm quoad diſpoſitionem cauſæ materialis, & ſubiectiuæ; ſed etiam quoad diſpoſitionem puram; quando vnum ad eſſendum in ſubiecto alterum prærequirit, vt medium recipiendi abſque vlla materiali inhærentia; de quo meritò nunquam dubitatum fuit. Pro cuius confirmatione ſatis modò ſit, quòd figura ineſt ceræ median te mollitie, tanquam diſpoſitione; cum tamen in ipſa mollitie ſubiectiuè, & materialiter non recipiatur. Intellectio etiam neceſſariò requirit in intellectu ſpeciem intelligibilem, vt patet ex libro octauo 39.

prima

prima parte; & tamen in eo non recipitur mediante ſpecie, ita vt in ea ſubiectiuè, & materialiter recipiatur; ſiquidem recipitur in intellectu nudè ſumpto, vt Capreol. vera habet Philoſophia, de qua *Capreol. in 2. diſt. 3. q. 2. art. 3. ad argumenta 2. loco ad 4. probationem, fol. 93. col. 3. §. Item in* Caietan. *principali, & Caiet. 1. p. q. 79. art. 2. §. Ad* Ianellus. *huius euidentiam, & §. Rationes autem, Ia-* Conimbr. *nellus in 3. de Anima q. 2. de actu intelligendi in fine, & Conimbricenſes eodem lib. c. 8. q. 1. art. 1. in fine.* Quam Philoſophiam

40. ipſe Bellom. non poteſt non recipere in viſione beata, ſi conferatur cum lumine gloriæ, quod ipſe non diſtinguit à ſpecie, vt videbimus: etenim viſio non poteſt recipi in intellectu beati, niſi mediante lumine gloriæ, vt ſpecie diuinæ eſſentiæ; & tamen admittit, viſionem non recipi in ipſa ſpecie, ſine lumine. Quare non eſt audiendus Bellomont. dum abſolutè aſſerit nullam formam ſupernaturalem ex ſua natura indigere aliqua diſpoſitione, vt recipiatur.

Ad tertiam obiectionem.

41. Ad 3. obiectionem. ¶ Ad tertiam communis fundamenti impugnationem primum dicimus eam non habere vim contra ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, quam cum pleriſque admittimus tanquam formam ſubſtantialem: Primum dictum. hæc enim (ſi ponatur) ex ſua natura erit forma intrinſeca intellectui beato per inhærentiam, ſiue id illi conueniat per accidens, vt plerique putant; ſiue per ſe, vt nos verius exiſtimamus. Quare hæc impugnatio potiùs confirmat neceſsitatem luminis gloriæ, vt intellectus hanc creatam ſpeciem recipiat, quàm illam impugnet.

42. 2. dictum. Deinde dicimus, ſine fundamento negari neceſsitatem diſpoſitionis ſupernaturalis ad hoc, vt intellectus ſuo modo veluti recipiat diuinam eſſentiam, vt formã aſsiſtentem, quatenus coniungi illi, eſt eam recipere; nam ad hoc neceſſaria eſt diſpoſitio ſupernaturalis, vt dicemus art. ſequente. Quare diſpoſitio illa non eſt ſimpliciter neceſſaria propter receptionẽ per inhærentiam, vt malè ſupponit Bellomontanus; ſed etiam propter coniunctionem per obiectiuam coaſsiſtentiam, vt patebit ex ſequenti articulo.

Tertio loco reſpondebunt illi Thomiſtæ, qui volunt, diuinam eſſentiam intellectui beato coniungi, non per extrinſecam coaſsiſtentiam tenentem ſe ex parte obiecti (id enim plures reijciunt, vt vidimus libr. 8. in 2. p. q. 3. art. 4. §. 3. n. 19. & q. 4. art. 2. §. 5.) ſed per intrinſecam actuationem intellectus abſque vlla informatione (quæ opinio pluribus placuit, vt vidimus in eodem lib. 8. 2. p. q. 4. art. 2. §. 2. n. 19.) hi enim admittunt diuinã eſſentiam eſſe formam intrinſecam intellectui abſque vlla informatione. Quare hi negabunt, diſpoſitionem requiri propter ſolam inhærentiam; quia etiam requiritur propter actuationem, & perfectionẽ abſque informatione. Et quanuis hanc opinionem latè impugnauerimus in dicta q. 4. artic. 2. §. 7. nu. 68: illa tamen admiſſa, non videtur illi deneganda diſpoſitio neceſſaria ad formas, quæ ſubiectum actu informant. 43. 3. ſolutio.

Ad quartam obiectionem.

¶ Ad quartam, & vltimam obiectionem contra fundamentũ cõmune dicendũ eſt maiorẽ ſumptã à D. Thoma intelligendã eſſe de forma, quæ ſiue in genere rei, ſiue in genere intelligibili ita eſt ſupra naturã eius, in quo debet recipi, vt ſit principalis, & vltima, vt diximus ad primam obiectionem. Iam verò ſpecies intelligibilis, quæ eſt ordinis naturalis, licet ſit vltima forma in genere intelligibili, reſpectu intellectus; non tamen in illo genere eſt ſupra naturam ipſius intellectus; quia virtute naturalis agentis poteſt in eo recipi. Oppoſitum reperitur in ſpecie formaque intelligibili ordinis ſupernaturalis; qualis eſt, tum diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei, tum ſpecies creata illius, ſi admittatur: vtraque enim ex ſe eſt ſupra naturã intellectus creati, & ex ſe eſt forma vltima in genere intelligibili. Quare non valet hæc conſequentia: *non datur ordo mediationis diſpoſitiuæ inter intellectum, & ſpeciem ordinis naturalis. Ergo nec dabitur inter intellectum, & ſpeciem, formamque intelligibilem ex ſua natura ſupernaturalem.* 44. Ad quartã obiectionẽ.

Reſoluitur efficacia communis fundamenti.

¶ Ex his, quæ tam latè diximus infertur reſolutio efficaciæ cõmunis fundamen- 45.

Reſoluitur efficacia fũdamenti cõmunis. ti initio huius §. 4. adducti. Fundamentũ in forma ita proponendum eſt. Quod eleuatur ad recipiendam formam, quæ excedit naturam eius, quod eleuatur, & ex ſua natura eſt in ſuo genere vltima, indiget eleuari diſpoſitione, quæ ſit ſupra naturam illius. Sed forma intelligibilis, quę eſt ſpecies diuinæ eſsẽtię (ſiue illa ſit creata, ſiue ipſa diuina eſſentia loco ſpeciei) eſt forma excedens naturam intellectus, & in ſuo genere eſt vltima. Ergo, vt intellectus eam recipiat, indiget eleuari per aliquam diſpoſitionem, quæ ſit ſupra naturam ipſius intellectus: hæc autem nulla alia eſſe poteſt, ſaltem de lege ordinaria, niſi habitus luminis gloriæ. Ergo intellectus ad recipiendam formam intelligibilem diuinæ eſſentiæ, indiget eleuari per habitum luminis gloriæ. De poſteriori diſcurſu nulla poteſt eſſe dubitatio; quia & conſequentia legitima eſt, & minor ita certa, vt ſine errore negari nequeat, vt patet ex q. 4. huius libri art. 2.

46. Minor primi diſcurſus. Minor autem prioris diſcurſus nota eſt, quatenus aſſerit, formam intelligibilem, qua videtur diuina eſſentia, eſſe ſupernaturalem, & ſupra naturam intellectus. Quod verò illa in genere intelligibili ſit vltima, patet ex ſolutione primæ obiectionis; quoniam in proceſſu, quo intellectus de potentia eſſentiali reducitur ad actum primum, natura per ſe, & vltimatè intendit conſtituere vnũ agens, vt quod, cui per ſe primò conueniat operari intelligibiles actiones, quod conſtituitur per ipſam formam intelligibilem.

Vbi poſita ſit difficultas. Tota difficultas poſita eſt in probanda maiore eiuſdem diſcurſus; cum enim negetur, vel poſsit negari, non eſt ſine probatione aſſumenda. Probatio autem, qua vtitur D. Thomas in dicto art. 5. ſumpta ex natura aeris, & ignis, in eo facit difficultatem, quidnam ſit formam eſſe ſupra naturam eius, quod ad eam eleuatur: nam ſi idem eſt formam eſſe ſupra naturam, quòd eam actione naturalis virtutis non poſſe recipi in ſubiecto, vt vult Caiet. in dicto art. 5. poſt princ. §. *Circa illam maximam*, non ſatis accommodata eſt probatio: quoniam ignis ex aere naturaliter generari poteſt, & ex cõſequenti forma ignis non eſt ſupra naturam aeris.

47. Si verò dicas illam formam eſſe ſupra naturam ſubiecti, quæ eſt ſuperioris ordinis; verè ſaluabis formam ignis eſſe ordinis ſuperioris ad materiam aeris; quoniam materia pertinet ad ordinem potẽtiæ, forma autẽ ad ordinem actus, qui ex ſua natura eſt ſuperior: etenim in ordine naturæ, qui inferior eſt ad ordinem gratiæ, & gloriæ, duplex ordo eſt diſtinguẽdus: vnus potentiæ, & alter actus.

In hoc igitur ſenſu maior illa efficaciter ꝓbatur à D. Thom. à poſteriori tamẽ: nã ſi in ordine inferiori naturæ id, qđ eſt ordinis inferioris ad recipiẽdã formã ordinis ſuperioris, indiget diſpoſitione ſupranaturã illiꝰ, qđ eleuat (vt patet in materia aeris in ordine ad formã ignis, quæ ad eã eleuari non poteſt, niſi per diſpoſitionẽ ſupra naturam eiuſdem materiæ, qualis eſt diſpoſitio accidentaria, quæ, cum ſit actus, eſt ordinis ſuperioris ad ipſam materiam) à fortiori id, quod ex ordine naturali eleuatur ad formam ordinis ſupernaturalis, totam naturam excedentis, indigebit diſpoſitione ſupra totam naturam, vt talem formam recipiat. Hæc eſt mens D. Thomæ, & probatiò maioris aſſumptæ, ſatis efficax à poſteriori. 48. Probatio à poſteriori,

Sed à priori ex eo probatur à D. Tho. 3. cont. gent. c. 53. in 2. ratione, & de Verit. q. 8. art. 3. in princ. quoniam actus nõ poteſt recipi, niſi in propria potentia ex Ariſt. 2. *de Anima* c. 2. *tex.* 24. & 26: propria inquam, id eſt, diſpoſita, & proportionata. Ex qua Philoſophia ita licet arguere: quod eſt ſuſceptiuum alicuius formæ ſublimioris, & ſupra naturam illius; ſi ſecundum ſe ſumatur, non eſt potentia propria, proportionataque reſpectu talis formæ; alioqui illa non eſſet ſupra naturã eius, vt benè aduertit Ferrar. in dict. c. 53: etenim propria potentia alicuius actus, in eodẽ ſunt ordine. Ergo tale receptiuũ, vt illam formã poſsit recipere, debet eleuari, vt fiat propria potẽtia, & proportionata ad illã: non poteſt autem fieri talis, niſi per diſpoſitionẽ, quæ ſit ſupra naturam illius, & eiuſdẽ ordinis cũ forma vltima, ad quã diſponit: etenim vltima diſpoſitio ad formã eſt eiuſdẽ ordinis cũ forma, vt docet Philoſophia. Ergo quod eſt receptiuum formæ in ſuo genere vltimæ, & ſupra naturã illius, indiget eleuatione, quæ ſit ſupra naturam; quæ fuit maior. Hæc dicta ſint pro explicatione communis fundamenti. 49. Probatio à priori. *Ariſt.*

§. 5.

Adducuntur alia fundamenta affirmantis ſententiæ, & expenduntur.

50. Alia fundamenta. Primum. Sed eiuſdem opinionis affirmantis, alia clariora fundamenta adducamus, & expendamus.

Primum, & facillimum eſt hoc: quoniam ad viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſe eſt, vt illa in intellectu beati recipiatur tanquam forma intelligibilis, vt cum D. Thoma, & Thomiſtis ſupponimus. Sed non poteſt diuina eſſentia recipi in intellectu, tanquam illius forma, & actus, niſi intellectus ipſe ſit propria, & proportionata illius potentia, propriumque perfectibile à tali actu; quia iuxta Philoſophiam Ariſtotelis modo explicatam, actus ſit in propria potentia: intellectus autem nudè ſumptus non eſt propria potentia, ſed improportionata in ordine ad diuinam eſſentiam; quia ſecundum ſe eſt inferioris ordinis, vt patet. Ergo indiget ſupernaturali diſpoſitione, qua eleuetur ad eundem ordinem, & fiat propria potentia, propriumque perfectibile per talem actum. Quod etiam oſtendimus ſuprà lib. 7. q. 3. art. 1. & ſuprà hoc lib. q. 4. art. 1: hæc autem ſupernaturalis eleuatio de lege ordinaria fit per lumen gloriæ, vt patet ex dicta q. 4. art. 2. Ergo de primo ad vltimum, vt diuina eſſentia recipiatur in intellectu, tanquam forma intelligibilis, neceſſarium eſt lumen gloriæ. Hæc ratio ſumpta eſt ex Diuo Thoma de Veritate q. 8. art. 3. in principio.

Expenditur ſecunda ratio ex D. Thoma.

51. Secunda ratio ex Diuo Thoma. ¶ Secunda ratio ſumi poteſt ex eodem D. Thoma 3. contra gent. cap. 53. in prima ratione: quoniam diuina eſſentia eſt propria, & connaturalis forma intelligibilis, qua diuinus intellectus noſtro intelligendi modo veluti perficitur, & actuatur ad videndum diuinam eſſentiam. Ergo nō poteſt fieri forma intelligibilis intellectus creati, niſi ille participet aliquã ſimilitudinem diuini, quatenus vendicat ſibi habere eandem eſſentiam, vt formam intelligibilem ſibi connaturalem: etenim id, quod eſt propria, & connaturalis forma alicuius rei, non poteſt alteri communicari, niſi res illa participet aliquam ſimilitudinem alterius, quatenus vendicat talem formam, vt ſibi connaturalem: lux enim, quia eſt propria, & connaturalis forma diaphani, vt diaphanũ eſt, non poteſt communicari alicui corpori opaco, niſi illud participet aliquam ſimilitudinem diaphaneitatis, ratione cuius lux eſt cōnaturalis corporis diaphani. Sed intellectus creatus nullam aliam ſimilitudinẽ diuini intellectus, quatenus vendicat ſibi diuinam eſſentiam, tanquam connaturalem formam ad intelligendum, participare poteſt, niſi lumen gloriæ. Ergo indiget tali lumine, vt coniungi poſsit diuinæ eſſentiæ, tanquam formæ intelligibili ad videndum. In hoc ſenſu explicanda eſt hæc ratio Diui Thomæ, vt vim habeat.

In qua tamen deſideratur probatio minoris ſecundi diſcurſus: poſſet enim quis dicere (vt benè aduertit Ferrar. ibidem) lumen naturale intellectus eſſe ſimilitudinem intellectus diuini: ſed probatio illius ſatis ſumitur ex diſcurſu ipſius rationis, ſi benè explicetur: ex illa enim infertur ſimilitudinem illam debere participari ab eo, quod in re, cui forma illa eſt connaturalis, ſit cauſa, & ratio connaturalitatis ad talem formam: talis enim eſt ſimilitudo, quæ in corpore opaco reperitur, vt illi lux communicetur; eſt enim non quæcũque ſimilitudo, ſed ſimilitudo ipſiꝰ diaphaneitatis, quę in corpore diaphano cauſat cōnaturalitatem lucis: hanc autem habet corpus opacum, cui lux communicatur. Quare ſimilitudo participata diuini intellectus debet eſſe ſimilitudo eius, quod in diuino intellectu noſtro intelligendi modo cauſat connaturalitatẽ ad diuinam eſſentiam, vt ad formam intelligibilem, qua veluti actuatur ad vidédum. Quod ſatis expreſsit D. Thomas in *dicto lib. 3. contra gent. c. 54. ad 3. obiectionẽ*, quatenus ait, *talem ſimilitudinem, non eſſe quamcunque, ſed ſolùm eam, quæ perducat ad videndum Dei ſubſtantiam*: qualis eſt ſola ſimilitudo virtutis intellectiuæ, quæ in diuino intellectu eſt veluti ratio connaturalitatis ad habendam diuinam eſſentiam, tanquam formam intelligibilem, qua veluti actuatur ad videndum: quod etiam ſatis expreſsit Diuus Thomas 1. *parte, quæſt.* 12. *art.* 2. dum declarat, ſimilitudinem participatam neceſſariam ad

52. Quid in hac ratione deſideretur.

53. D. Thom.

ad videndum Deum, eſſe ipſam virtutem intellectiuam, qua intellectus poteſt intelligere, vel naturalem in ordine ad naturalem Dei cognitionem, quæ habetur per lumen intellectus agentis; vel ſupernaturalem in ordine ad claram Dei viſionem, qualis eſt virtus intellectiua ſuperaddita intellectui per lumen gloriæ: hæc enim ſola eſt efficax ad viſionem beatā. Vide D. Thomam in dicto art. 2. Et ad hunc modum explicabis Ferrarienſem in *dicto cap.* 54. dum aſſerit, ſimilitudinem, quam Diuus Thomas in hac ratione requirit, non eſſe quācunque; ſed eam, quæ ex ſua natura eſt diſpoſitio ad viſionem: ne in explicanda ratione Diui Thomæ videatur petere principium, vt ego aliquando exiſtimaui.

Ferrarien.

Expenditur tertia ratio Diui Thomæ.

54. 3. ratio ex D. Thoma. ¶ Tertia ratio eſt eiuſdem Diui Thomæ *lib. 3. contra gent. c. 53. in 3. ratione*: quoniā beato, qui de nouo incipit videre Deum, de nouo coniungitur diuina eſſentia, tāquam ſpecies, formaq; intelligibilis. Hæc autem coniunctio non fit ſine aliqua mutatione: quæ enim antea non erant vnita, & de nouo vniuntur, per aliquam mutationem vniuntur. Non per mutationem diuinæ eſſentiæ; quia eſt expers omnis mutationis. Ergo fiet per mutationem intellectus: hæc autem non poteſt eſſe, niſi per aliquam diſpoſitionem de nouo acquiſitam, quæ non erit alia, niſi lumen gloriæ. Hanc rationem plerique Thomiſtarum probant, vt Petrus de Ledeſma *de diuina prouidentia q. 8. art. 8. concl. 3. argum. 2. fol. 575. col. 1. & Suar. lib. 2. de Attrib. negatiuis cap. 15. n. 28. & Bellom. 1. p. diſp. 41. cap. 2. n. 11.*

Ledeſma. Suarius. Bellomon.

55. Argument. non conuincunt. Sed argumentum iſtud rem non conuincere contra Suarium, & Bellomont. latè oſtendimus lib. 7. q. 3. art. 2. §. 2. à n. 4. vſque ad 11: etenim Durand. & Baſſolius (de quibus ibidem) facilè admitterent hanc vnionem fieri poſſe abſque vlla reali mutatione, vel ex parte eſſentię, vel ex parte intellectus; quia diuina eſſentia ſine vlla, aut ſua, aut intellectus noua mutatione reali poteſt ſe ipſam facere de nouo præſentem; non quidem præſentia reali, ſed obiectiua; quæ nullam in ea poneret mutationem intrinſecam realem, ſed extrinſecam ſolùm, & obiectiuam, intentionalemque: hæc autem nullam in Deo imperfectionem denotat: vide, quæ loco citato diximus: ex illis enim intelliges argumentum iſtud ſimpliciter non conuincere neceſsitatem luminis gloriæ, non ſolùm ad habendam viſionem, ſed nec ad recipiendam diuinam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis ad modū actus primi.

Expenditur quarta ratio.

¶ Quarta ratio ponitur à Ledeſmio vbi ſuprà in 3. ratione, pag. 575. col. 2. quam latè, ſatis tamen confuſè, perſequitur Nauarrete *1. tom. controuer. 37. §. 1. pag. 224. col. 4. & pag. 225. col. 1. & 2. & cum eo Cabrera 3. p. q. 9. art. 2. diſp. 7. n. 19.* Vis illius in hoc eſt poſita, quoniam ſpecies, & forma intelligibilis non poteſt recipi in anima, niſi mediante potentia intellectiua. Sed lumen gloriæ in ordine ad viſionem eſt tota potentia intellectiua. Ergo nec ſpecies diuinæ eſſentiæ, nec ipſa eſſentia ad inſtar ſpeciei poteſt recipi in anima, niſi mediante lumine gloriæ: ita, vt radicalis ratio capacitatis, vt anima poſsit vniri diuinæ eſſentiæ, ſit lumen gloriæ, vt illi eſt quædam videndi potentia. Minorem huius diſcurſus ſupponunt hi authores, vt veriſsimam. Maiorem verò inde probant, quoniam inter potentiam intellectiuam, & ſpeciem, actumque intelligendi datur per ſe ordo mediationis; ita vt, tam actus, quàm ſpecies neceſſariò ſupponant potentiam intellectiuam, vt poſsint recipi in anima: etenim non ſolùm inter accidentia materialia (qualitatem ſcilicet, & quantitatem) datur per ſe ordo; ſed etiam inter accidentia ſpiritualia. 56. Quarta ratio ex Ledeſma. *Nauarre. Cabrera.*

Hanc rationem confirmat Nauarrete in dicto fol. 225. col. 1: quoniam ſicut impoſsibile eſt, quòd gradus ſenſitiui adueniat, niſi præſuppoſito gradu vegetatiui; idque propter eſſentialem depēdentiam ſenſitiui à vegetatiuo; ita impoſsibile eſt, quòd diuina eſſentia adueniat intellectui loco ſpeciei; niſi illuſtrato: quia ſub ratione formæ intelligibilis dependet à lumine gloriæ, vt à primo, & radicali ſuſceptiuo in ratione potentiæ. 57. Confirmatio rationis.

Hæc tamen ratio claudicat in minori, quate- 58.

quatenùs ſupponit lumen gloriæ eſſe ipſi animæ totam potentiam, imò eſſe ipſam potentiam ad videndum, quod & falſiſsimum eſt, & communiter reprobatur, vt dicemus lib. 10. quæſtione 3. ¶ Ad confirmationem concedimus, ſenſitiuũ eſſentialiter ſupponere vegetatiuum; quia vegetatiuum eſſentialiter includitur in ſenſitiuo, tanquam genus in ſpecie: inde autem inferre, diuinam eſſentiam loco ſpeciei ſupponere lumẽ gloriæ, eſt argumentari à diſparatis.

Expenditur quinta ratio.

59. 5. Ratio. Quinta ratio eſt eiuſdem Nauarrete *in dicto fol. 225. col. 3.* impoſsibile eſt, quòd voluntas feratur in obiectum ſupernaturale, niſi media qualitate ſupernaturali cõſtituẽte ipſam in actu primo ad eliciendũ actum. Ergo impoſsibile eſt, quòd intellectus recipiat eſſentiam diuinã in ratione ſpeciei, niſi conſtituatur in actu primo per lumen gloriæ. Probatur conſequentia; quoniam, ſicut voluntas eſt potentia appetitiua, ita intellectus eſt potentia apprehenſiua. Sed ad tẽdendum in illud obiectum, voluntas indiget forma ſupernaturali; ergò ad apprehendendum formã ſupernaturalem intellectus indiget ſuper naturali diſpoſitione.

60. Confirmatio. Confirmatur ab eodem: quoniam, ſicut voluntas operatur, in quantum eſt in actu, & ad modum, quo eſt in actu: ita intellectus debet recipere formam ad modum proprium, & ad modum, quo forma eſt ſuſceptibilis.

61. Argumentũ ſte debil. Hoc argumentum reſponſione nõ indiget, ſed admiratione: at tamen ſapientibus, & inſipientibus debitores ſumus. Ad argumentum igitur poterat dubitari de antecedente, ſi ſermo ſit de impoſsibilitate ſimpliciter ſumpta: quia diuina potentia fieri poteſt, vt ſine habitu charitatis voluntas feratur in obiectum ſupernaturale. Sed admiſſo antecedente, conſequentia eſt inutilis: nec enim ſi ad agendum neceſſaria eſt qualitas, qua agens fiat in actu primo, neceſſaria etiam erit ad recipiendum: etenim ſpecies eſt neceſſaria, vt intellectus eliciat actũ intelligendi, & tñ nulla indiget media qualitate, ad recipiendum illum actũ: voluntas etiam ad agẽdum indiget habitu charitatis: non tamen eo indiget, vt volitionem ſuam recipiat.

Denique intellectus beati indiget lumine ad eliciendam viſionem, & diuinã eſſentiam loco ſpeciei, vt ipſe Nauarrete probat; & tñ vt viſionem recipiat, nulla indiget diſpoſitione receptiua, vt in intellectu recipiatur, vt in hac quæſtione oſtendemus. Quare non valet conſequentia à neceſsitate formæ ad agendum, ad neceſsitatem illius ad recipiendum. Si autem non valet in eadem potentia, à fortiori nõ valebit in potentiis diuerſis. Quare voluntas indiget charitate ad agendũ, quia ſecundùm ſe, & nude ſumpta ſimpliciter non poteſt agere: intellectus verò ex ſentẽtia aduerſariorum ſecundùm ſe eſt receptiuus, non ſolùm viſionis, quę eſt actus ſecundus; ſed etiam diuinæ eſſentiæ loco ſpeciei, quæ eſt actus primus. Neganda eſt igitur conſequentia: cuius probatio ineptiorem habet conſequentiã; quia in ea ſupponitur intellectum apprehendere diuinam eſſentiam, vt eſt ſpecies; cum tamen eam non apprehendat, niſi vt eſt obiectum, quod intelligitur. 62. Nauarret

Confirmatio futilem etiam habet diſcurſum: quoniam aduerſarij fatebuntur, intellectum recipere illam formam intelligibilem, tùm ad proprium ſuum modum; tùm ad modum exigentiæ ipſius formæ: nam apud aduerſarios, & intellectus eſt immediatè receptiuus illius formæ intelligibilis: & ipſa forma eſt immediatè receptibilis in eo; cuius oppoſitum ſupponitur, non ſine turpi petitione principij. 63. Ad cõfirmationem.

Expenditur ſexta ratio, & ſeptima.

¶ Sexta adhuc eſt ratio, quam ponit idẽ Nauarrete *fol. 225. colum. 3. litera C.* ſi daretur ſpecies creata, repræſentans diuinã eſſentiam, lumen gloriæ neceſſarium eſſet ad illam recipiendam: Ergo illud erit neceſſarium ad recipiendam diuinam eſſentiam loco ſpeciei. Probatur conſequẽtia: quoniam diuina eſſentia formaliter ſupplet vicem ſpeciei creatæ; ergo quidquid prærequiritur ad recipiendam ſpeciem creatam, [illegible]iam requiritur ad recipiendã eſſentiã loco ſpeciei. ¶ Sed argumentũ vim haberet, ſi antecedens admitteretur ab aduerſariis. 64. Expẽditur 6. ratio.

65. 1.& vltima ratio. Septima ,& poſtrema ratio ponitur à Cabrera vbi ſuprà n.20.intellectus beati reſpectu diuinæ eſſentię loco ſpeciei eſt pura potentia in genere intelligibili: diuina autem eſſentia, vt eſt ſpecies, eſt purus actus. Ergo intellectus debet diſponi per lumen gloriæ, vt habeat proportionem ad talem ſpeciem. Antecedens patet quoad vtramque partem. Conſeqnentiã probat; quia materia prima ex eo non poteſt habere exiſtentiã ſine forma, quia ex ſua natura eſt pura potentia, & actus exiſtentiæ eſt maximè actualis, nihil ferè habens de potentialitate, ob quam rationem indiget forma, vt ſit proportionata actualitati ipſius exiſtentiæ. Idẽ igitur dicendum erit in intellectu reſpectu diuinæ eſſentiæ, vt eſt ſpecies. ¶ Hoc tamen argumentum in omnibus videtur puerile,

66. Argum. eſt puerile. Et quod attinet ad antecedens, admittendum eſt intellectum beati reſpectu diuinæ eſſentiæ loco ſpeciei eſſe puram potentiam in genere intelligibili: negandũ tamen eſt, eam, vt eſt ſpecies, eſſe actum purum; licèt enim in genere rei ſit actus omninò purus; quia non poteſt actu non eſſe omnia, quæ eſt; tamen in genere intelligibili non eſt actus purus; quia poteſt actu non ſubire vicem ſpeciei, & non actuare, & perficere aliquem intellectum actuatione formæ intelligibilis: vnde illi non repugnat eſſe in potentia ad actuandum intellectũ: imò in tali potentia fuit, antequam Angelos bearet; & in eadem potentia modo eſt in ordine ad prædeſtinatos, qui vel non dum ſunt, vel adhuc ſunt viatores: nam illi etiam non repugnat, eſſe abſentem ab intellectu abſentia intelligibili, vt ex D. Thoma, Scoto, & alijs ſepè diximus. Quare, ſicut intellectus in illo genere eſt pura potentia, cum tamen in genere rei ſit actus: ita diuina eſſentia, vt eſt forma, & ſpecies intelligibilis, habet admixtam aliquam potentiã; ob quam rationẽ in tali genere poteſt eſſe proportionata potẽtiæ intellectus ad immediatè recipiendam diuinam eſſentiam vt eſt actus intelligibilis de genere intelligibili.

67. Nec conſequentia valet. Admiſſo autem antecedente, conſequentia eſt inutilis: cuius probatio ſatis eſt futilis: nam admiſſa opinione Thomiſtarum de exiſtentia materiæ primæ (quæ tamen communiter iam non recipitur) non poteſt fieri argumẽtum à potentia materiæ primæ in genere rei ad potentiam intellectus in genere intelligibili: nam materia prima apud Thomiſtas non poteſt eſſe ſine forma ſubſtantiali: cum tamẽ intellectus poſſit eſſe ſine vlla ſpecie, formaque intelligibili: imò à principio in pueris eſt ſicut tabula raſa, vt Ariſtoteles docet in libris de Animæ.

¶ Hæc tam latè adduximus, vt oſtenderemus ſolidum fundamentum ſententiæ affirmantis. Etenim commune fundamẽtum plures habet difficultates, quamuis in ſe ſit firmum, vt patet ex §. quarto. Solidũ tamen, & ſatis facilè ſit, quod in hoc §. 5. poſuimus in principio.

§. 6.

Soluuntur argumenta.

68. Ad 1. arg. SEd iam diſſoluamus argumenta poſita §. 2. pro parte negante. Et ad primum dicimus, Bellomontanum, nec adduxiſſe primum fundamentũ, quo in §. quinto affirmantem ſententiam cõfirmauimus, nec ſatis impugnaſſe cõmune fundamentum, quo D. Thomas cum cæteris eandem ſententiam confirmatui, ſumptum ex eo, quòd forma intelligibilis, qua beatus Deum videt, eſt ſuprà naturam intellectus, & vltima in ſuo genere, vt patet ex dictis §. 4. ad primam, & 2. obiectionem Argumentũ verò, quod diſſoluit in dicta diſp. 43. cap. 5. in principio de roboratione intellectus, ne ab excellentia diuina eſſentia lędatur, non ſatis eſt firmum: vnde nec eo vſi ſumus.

69. Ad 2. Ad ſecundum ſatis dictum eſt §. 4. ad primam obiectionẽ; vbi oſtẽdimus diſpoſitionem ſupernaturalem nõ prærequiri ad recipiẽdam ſupernaturalem formam, ideo, quia ſupernaturalis eſt, & ratione ſupernaturalitatis; ſed ex eo, quòd eſt ſupernaturalis, & in ſuo genere vltima: Vide, quæ ibi diximus. Conſentit nobiſcum Suar. lib. 2. de Attributis negatiuis capit. 15. num. 22.

70. Ad 3. Ad tertium dicimus, argumentum nõ habere vim, ſi in beatis ponatur ſpecies creata diuinę eſſentiæ. Dicimus præterea hanc conſequentiam non valere: *eſſentia diuina indiget lumine, vt intellectui ſit forma intelligibilis, ergo eſt forma inhærens*: etenim ſem-

ſemper illud eſt neceſſarium, ſiue ponatur forma extrinſeca coaſsiſtens intellectui, vt dicemus in ſequẽti articulo: ſiue ponatur forma intrinſeca actuãs intellectum ſine informatione: quia ſine lumine, nec coaſsiſtere poteſt in ratione formæ intelligibilis, nec poteſt actuare, & perficere intellectum, vt forma illi intrinſeca.

71. Ad confirmatioem. Ad confirmationem dicimus primò, eam locum non habere, ſi ponitur ſpecies creata. Secundò dicimus Thomiſtas negare, diuinam eſſentiam in ratione ſpeciei eſſe formã extrinſecã, & coaſsiſtẽtẽ; etenim ponunt eam, vt formã intrinſece actuãtem abſque informatione. Dicimus denique, falſum eſſe non requiri diſpoſitionem ad formam extriſecam, de quo in ſequenti articulo.

72. Ad 4. Ad quartum iam latè reſpondimus §. quarto ad primam obiectionem.

Ad 5. Ad quintum admittimus, viſionẽ beatam eſſe formam ſupernaturalem. Vtrũ verò indigeat lumine gloriæ, vt recipiatur in intellectu? controuerſum eſt, ſi ſermo ſit de diſpoſitione materiali, & ſubiectiua: Omnes tamen admittunt, neceſſariam eſſe diſpoſitionem puram, quæ ita mediet, vt in ſe materialiter non recipiat ipſam viſionem, de quo inferiùs art. 9.

73. Ad 6. 1. Solutio. Ad ſextum negabunt ſecundam partẽ antecedentis, qui putant vnionem naturæ humanæ cum perſona verbi factam fuiſſe mediãte gratia, id eſt, mediante qualitate, qua natura humana facta eſt aſſumptibilis; quam ſententiam probaſſe nonnullos teſtatur Scotus *in 3. diſt. 1. q. 1, art. 3. litera H.* cum quibus conſentit Alexãder Alenſis *3. parte, quæſt. 7. membr. 2. art. 1.* & in alijs locis, vt omittamus eos, qui volunt, illam vnionem factam fuiſſe mediatè gratia habituali, vt præuia diſpoſitione, non quidem neceſſaria, ſed cõgrua. *Scotus. Alenſis.*

2. Solutio. Sed quia hæc opinio communiter nõ recipitur, ſecunda ſolutio eſſe poteſt, vnionem illam non fieri immediatè, ſed mediante quodam modo poſitiuo, & ſubſtantiali, quo natura humana facta eſt aſſumptibilis; quæ fuit opinio doctiſsimi Suar. *1. tomo ad 3. p. diſp. 8. ſect. 3. pag. 256*; quam eſſe veram, ſi ſuppoſitum creatum ſolùm dicit modum poſitiuum, latè oſtendimus in noſtris prælectionibus *ad 3. p. q. 2. ar. 8. diſp. 2. §. 2.* *Suarius.*

3. Solutio. Facilior erit ſolutio, ſi cõceſſo antecedente (communiter enim admittitur) negetur conſequentia, quam negarunt Ledeſma *in dicta quæſt. 8. art. 8. ad 3. principale pag. 579. col. 1. & Nauarrete rem iſtam confundens in dicta contro. 37. §. 1. fol. 224. col. 4. in fine, & pag. 225. col. 1. & Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 4. pag. 352. col. 1. ad confirmationem primi argumenti.* Satis eam negauit Caietan. *3. parte, q. 2. art. 10. §. prima igitur concluſio*, apud quem videbis clarã diſcriminis rationem; quam latè explicat Cabrera in eodem art. 10. num. 36. hæc tamen ratio ſatis erit: quia vnio perſonalis naturæ cum ſuppoſito, ex ſua natura eſt immediata; vnio autem formæ cum materia, & actus cum potentia mediam diſpoſitionem non reſpuit. *Ledeſma. Salas. Caietan.*

74. Ad 7. Ad ſeptimum neganda etiam eſt conſequentia: quoniam ſpecies, quibus in via intellectus vtitur ad obiecta ſupernaturalia Fidei, ſunt ordinis naturalis, vt ſupponimus: ſunt enim ſpecies rerum naturalium, quarum cognitione deuenimus ad cognitionem ſupernaturalium obiectorum: non quidem quidditatiuam, ſed generalem, & confuſam: iam verò forma intelligibilis diuinæ eſſentiæ (quęcumque illa ſit) eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam.

75. Ad octauum admittimus diuinam eſſentiã, quæ eſt forma intelligibilis, eminenter eſſe lumen gloriæ, & quãvis aliã diſpoſitionẽ, qua mediante recipitur in intellectu: negamus tamen eam habere talem eminentiam, vt eſt forma intelligibilis; quia ſub illa ratione nullam habet eminentiam aliarum entitatum, quia eam ſolùm habet ratione ſuę diuinæ entitatis; & inde eſt, vt ſub ratione formæ intelligibilis non poſsit facere, quod facit lumẽ gloriæ: nec enim poteſt diſponere intellectum, vt ſit ſuſceptiuus ſui in ratione ſpeciei. Iam verò diuinam eſſentiam, quę eſt forma intelligibilis, eminenter eſſe lumen gloriæ, non benè infert, eam non indigere ipſo lumine, vt eo mediante recipiatur in intellectu; ſicut illam eminẽter eſſe ipſum intellectum beati, non benè infert, eam non indigere intellectu, vt eo mediante recipiatur in anima beati. Quare diuinam eſſentiam eminenter eſſe lumen gloriæ ſolùm infert, eam poſſe efficienter producere ipſum lumen, & ſe

ipſa ſupplere actiuitatem illius: non tamẽ infert, quòd ſe ipſa ſupplere poſsit cauſalitatem diſpoſitiuam eius: quoniam cauſalitas diſpoſitiua reducitur ad materialẽ, vt docet communis Philoſophia; materialem autem cauſalitatem Deus non poteſt ſupplere, vt contra Fonſecam oſtendimus libro 8. in 2. p. quæſt. 4. art. 2. §. 4. Poterit fortè diuina eſſentia ſine lumine, aliauè qualitate diſpoſitiua ſe ipſam vnire iutellectui, vt formam intelligibilem ſui ipſius: id tamen non ideo poteſt, quia eminenter eſt lumen gloriæ, ſed ob aliam rationem. Igitur ad argumentum conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ad probationem negandum eſt, perſonalitatem diuinam ideo non indigere diſpoſitione media, vt terminet dependentiam hypoſtaticam naturæ humanæ, quia eminenter continet perſonalitatem propriam eiuſdem naturæ; ſed ideo: quia ipſa propria perſonalitas non indigebat diſpoſitione, vt humanam naturam perſonaret: nam ſi ad hoc neceſſaria eſſet media diſpoſitio, vtique diuina perſona ea mediãte ipſam naturam perſonaret, ſicut materiam ſuppoſitat mediante anima, & partes mediante tota natura, iuxta probabiliorem ſententiam.

76. Ad 9. Ad nonum negamus lumen gloriæ ſolùm dari, vt ex parte intellectus ſit principium actiuum intellectionis; quoniam etiam datur ad plura alia munera, vt patet ex his, quæ dicimus in tota iſta quæſtione: & inter alia etiam ad hòc datur, vt diſponat intellectum ad recipiendum diuinam eſſentiam, vt formam intelligibilem. Hoc autem munus antecedere illud aliud, non infert non eſſe vtrumque admittendum. Sed de ordine, quo lumen gloriæ ſua munera exercet, inferiùs dicemus.

77. Ad poſtrem. Ad poſtremum negandum eſt, lumen gloriæ eſſe potentiam actiuam; admittẽdum tamen eſt, illud eſſe actiuum principium, *vt quo*, de quo dicemus ſuo loco: hoc autem nõ impedit, quominus intellectui poſsit eſſe diſpoſitio ad recipiendum formam intelligibilem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit ad vnionem obiectiuam diuinæ eſſentiæ cum intellectu?

§. 1.

Explicatur titulus quæſtionis.

IN articulo præcedente oſtendimus, lumen gloriæ eſſe neceſſariũ ad vnionem formalem diuinæ eſſentiæ cum intellectu, vt ſcilicet intellectus poſsit in ſe recipere formam intelligibilem diuinę eſſentiæ; vel creatam, ſi admitti debet; vel ipſam diuinam eſſentiã loco ſpeciei. Sed quoniam non omnes admittunt vnionẽ iſtam in ſenſu explicato, ſed ſolam vnionem obiectiuam, qua diuina eſſentia vnitur intellectui, vt forma intelligibilis, illi coaſsiſtens, ſicut diximus lib. 8. in 2. parte q. 4. art. 5. §. 3. ideo ſuppoſita hac opinione explicandum eſt, an ad hanc etiam obiectiuam vnionem ſit neceſſarium lumen gloriæ tanquam diſpoſitio neceſſaria, vt intellectus habere poſsit diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè coaſsiſtentem? 1. ſenſus quæſtionis.

Aduertendum eſt deinde, controuerſum eſſe inter Theologos, an ad viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſaria ſit aliqua ſpecies, vel aliquid loco ſpeciei? nonnulli negant; quia putant intellectum ad videndã diuinam eſſentiam, nec vna, nec altera ſpecie indigere: quam ſententiam reiecimus lib. 8. in 2. parte q. 1. art. vnico, vbi oſtendimus ad videndam diuinam eſſentiam vnam, vel alteram ſpeciem eſſe ſimpliciter neceſſariam. Verum ad præſentem difficultatem parum refert, vnam vel alteram opinionem probes; quia ſemper admittendum eſt, neceſſariam eſſe vnionẽ diuinæ eſſentiæ cum intellectu, qua ſe illi obiectiuè præſentet, & vniat; ſiue per modum obiecti coaſsiſtentis in ratione motiui ad coagendum cum intellectu: ſiue in ratione ſolius termini; ita vt ſolùm ante intellectum coaſsiſtat ad terminandũ intellectionem: quocumque enim modo iſtorum ſe vniat intellectui, ſemper datur locus ad inquirendum; Vtrùm ad talem vnionem neceſſarium ſit lumen gloriæ, vt diſpoſitio ex parte intellectus, vt diuina eſſentia poſsit ſe illi obiectiuè vnire, & præſentare? 2. 2. Nota. Vnio diuinæ eſſentię cum intellectu ſemper eſt neceſſaria.

§. 2.

Opinio negans cum argumentis.

NOnnullos probaſſe partem negãtem in ſenſu explicato plerique teſtantur. Eam abſq; dubio probauit 3. Opinioni negãtis argumentis.

bauit Durandus, ſi expendatur, quæ ſcribit *in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 2. num. 22. 23. & 24:* etenim admittit, diuinam eſſentiam intellectui vnitam eſſe ſufficienter præſentatam, (viſio enim ſine hac præſentatione non datur) & tamen ad hanc viſionem, ſicut nullam admittit ſpeciem, aut aliquid loco ſpeciei, vt diximus libro 8. 2. p. q. 1. art. vnico; ita nec admittit lumen gloriæ vt etiam diximus ſuprà quæſtione quarta huius libri ar. 1. §. 1: etenim ad hanc præſentationem, & vnionem ſatis eſſe putat, Deum auferre omnia impedimenta naturalia, quibus ligatur, ne poſſit Deum intelligere, niſi ex creaturis: ſublatis autem his impedimentis, diuina eſſentia ſe ipſa ſatis ſufficienter manet præſentata, & vnita, cum ex ſe ſit vbique præſens, vt latè ſcribit in *dicta quæſtione 2. nu. 24.* Patet igitur Durandum ad hanc vnionem obiectiuã non requirere lumen gloriæ, quòd iam oſtendimus ſuprà q. 4, art. 1. §. 1. & lib. 7. q. 3. art. 1. §. 1. nu. 2. Eandẽ probaſſe Baſſolium patet ex ijs, quæ ſcribit *in 4. diſt.* 49. *q. 5. artic. §. Sed quantum ad præſentem, & in ſolutione ad quartũ, fol. 159. colum. 3. & in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. §. Neutram iſtarum, & §. Dico igitur, & in 1. q prologi artic. 2. §. Adducunt autem aliqui fol. 3. colum. 3.* Ex quibus locis ſatis colliges, in beatis de facto dari hanc obiectiuam vnionem, & præſentationem diuinæ eſſentiæ per modum obiecti: in quibus tamen nullum admittit lumen: *Vide lib. 7. q. 3. art. 1. §. 1. num. 1. & in hoc lib. q. 4. art. 1. §. 1. & art. 2. §. 2.*

Probant eã dem Baſſol.

4. Scotus in eadẽ fuit.

Scotum in eadem negante ſententia fuiſſe ideo mihi perſuadeo, quia admittit diuinam eſſentiam intellectui beatorum obiectiuè præſentari: & tamen ſimpliciter non admittit, dari in illis lumen gloriæ, vide, quæ de Scoto diximus q. 4. huius libri art. 1. §. 1.

5. Eandẽ probare tenentur quidam Theologi.

Eandem negantem ſententiam probabunt, qui putant, hanc vnionem obiectiuam fieri per ſolam indiſtantiam diuinæ eſſentiæ ab intellectu creato: cum enim hæc ſit naturalis (quia Deus à ſingulis rebus naturaliter eſt indiſtans) non indiget lumine gloriæ, aut ſupernaturali alia eleuatione, vt intellectui vniatur: Vnde authores huius opinionis tenentur admittere, lumen gloriæ neceſſarium quidem eſſe, vt intellectus beati poſſit in viſionẽ influere: ad vnionem tamen non eſſe neceſſarium.

6. Palatius eſt pro eadem.

Denique eandem negantem mihi probant Palatius, & Bellomontanus: nam Palatius *in 4. diſt. 49. diſput. 1. non longè ante finem pag. 164. col. 2. ad finem* generaliter docet, veram, & propriam diſpoſitionem non exigi ad id, quod non eſt verè forma, ſed extrinſeca: talis autem eſt diuina eſſentia, quam ponit, vt formam coaſſiſtentem. Quod clariùs expreſſit Bellom. *1. p. diſput. 43. cap. 3. in principio*; vbi ex eo, quòd diuina eſſentia eſt forma non in exiſtens, ſed coaſſiſtens, infert fruſtrà intellectũ ad hoc diſpoſitione aliqua coaptari.

Bellomont. quoque.

7. 1. argum. ex Durand.

Hæc opinio varijs medijs cõfirmatur. Et à Durando, quia ſi intellectus indigeret lumine gloriæ, vt diuina eſſentia obiectiuè illi vniretur, ideò eſſet, quia diuina eſſentia eſſet forma ſupernaturalis, & ob id indigeret ſupernaturali diſpoſitione. Sed ex hac ratione infertur proceſſus in infinitum; cum lumen ipſum ſit forma ſupernaturalis.

8. 2. ex Baſſol.

Secundò ex Baſſolio, intellectus creatus ex ſe, ſuoque naturali lumine ſufficienter eſt diſpoſitus, vt poſſit influere in viſionem Deo ſimul cum eo cooperãte. Ergo ex ſe, ſuoque naturali lumine eſt ſufficiẽter diſpoſitus, & proportionatus, vt poſſit Deo coniungi, & obiectiuè vniri, vt concauſa. Antecedens expreſſe ponit *in 3. diſtinct. 14. q. 1. art. 1. §. Ad primũ aliorum, fol. 51. col. 1. verſiculo ad ſecundum dico.* Conſequentia patet: quoniam, quæ cauſa partialis ex ſe eſt proportionata, vt concurrente alia concauſa, partialiter influat in effectum, ex ſe etiam erit proportionata, vt cum alia poſſit coniungi ad coagendum.

9. Confirmatio.

Confirmatur; quoniam intellectus nõ indiget lumine, tanquam diſpoſitione ad recipiendam viſionem, ſed ex ſuis naturalibus eſt capax illius, vt idem Baſſolius aſſerit in præcitatis locis; & in hoc quidẽ ſatis ad mentem Scoti, qui non requirit lumen ad recipiendam in ſe viſionem à Deo infuſam, vt ſuo loco dicemus; & tamen intellectus per talem viſionem videbit diuinam eſſentiam; non poteſt autem illam videre, niſi eam ſibi habeat præſentatã in ratione termini: viſio enim ad obiectum terminatur. Ergo intellectus non indi-

indiget lumine ad vnionem diuinæ eſſentiæ per modum obiecti viſionem terminantis.

10. 3. Argum. Tertiò; qui quarto loco referuntur, ita arguunt: viſio diuinæ eſſentiæ in ratione obiecti, eiuſque motio obiectiua ex parte ipſius eſſentiæ eſt naturalis. Ergo ad eã non modo non eſt neceſſariũ lumen, ſed nec aliquid ſupernaturale. Conſequentia eſt nota: antecedens inde probatur; quoniam ratio vnionis obiectiuæ eſt indiſtãtia obiecti ad intellectum. Ergo obiectũ localiter indiſtans poteſt per ſe ipſum ſe vnire intellectui, illumque obiectiuè mouere: etenim vnus Angelus ideo poteſt ſe vnire obiectiuè intellectui alterius Angeli, ita vt alter Angelus illum actu cognoſcat; quia per ſe ipſum poteſt ſe facere indiſtantem ab intellectu alterius. Sed diuina eſſentia ex ſe eſt indiſtans ab intellectu beati (eſt enim vbique.) Ergo poteſt ſe ipſam immediatè vnire intellectui beati, & per conſequens ad talem vnionẽ nõn indiget lumine gloriæ.

11. Quarto. Quartò ſi ſpecies creata poneretur in intellectu, aut diuina eſſentia loco ſpeciei abſque lumine gloriæ ſe illi coniugeret; vtique beatus videret Deum: & tamen nullam aliam haberet vnionem obiectiuam, niſi quę ſequitur ad indiſtantiã, quę eſt naturalis. Ergo vnio eſſentiæ cum intellectu non eſt ſuprà naturam intellectus, & per conſequens ad eam non requiritur lumen.

12. Quinto. Quintò; nihil cogit, vt dicamus formã extrinſecam neceſſariò requirere diſpoſitionem ex parte ſubiecti, qua aptũ fiat, vt illi vniatur. Sed in hac vnione obiectiua diuina eſſentia eſt forma extrinſeca. Ergo ex parte intellectus non prærequirit lumen, vt illi poſſit vniri.

13. Poſtremũ. Poſtremò; diſpoſitio ex parte ſubiecti, vt formæ vniatur, ſolùm eſt neceſſaria ratione inhærentiæ: forma enim non poteſt inhærere, niſi ſubiecto diſpoſito. Sed diuina eſſentia non eſt forma inhærens intellectui, ſed ſolùm coaſſiſtens. Ergo ad talem vnionem non eſt neceſſaria diſpoſitio per lumen gloriæ aliamvè ſupernaturalem qualitatem. Hæc pro hac ſententia negante collegimus.

§. 3.

Sententia affirmans eſt tenenda.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, neceſſarium eſſe lumen glorię, vt diſpoſitionem, qua intellectus fiat aptus, & proportionatus, vt diuinæ eſſentiæ, vt formæ coaſſiſtenti vniri valeat. Qui hanc opinionem in his terminis probent, pauci ſunt; quamuis plures ſint, qui non poſſint eam non probare. In terminis expreſſè eam probat Suarius 2. *de Attributis negatiuis cap.* 15. *nu.* 21. vbi docet, lumen gloriæ requiri, vt diſpoſitionem intellectus ad vnionem cũ eſſentia in ratione obiecti aſſiſtentis, & coagentis. Ante eum in eo ſenſu eandem probauit *Molina* 1. *p. q.* 12. *artic.* 2. *diſput.* 2. *pagina* 110. *colum.* 1. §. *His ita conſtitutis*: expreſſè enim docet lumen gloriæ requiri, vt intellectus illo fiat habilis, & reddatur aptus, vt cum eo cõcurrat eſſentia diuina ad eliciendam viſionem abſque alia coniunctione. Idem repetit in dicta *q.* 12. *artic.* 5. *diſput.* 1. *pag.* 116. *col.* 2. *B.C.* affirmans, intellectũ lumine gloriæ reddi accõmodatum ad concurrendum cum diuina eſſentia ſubeunte vicem ſpeciei: quã ſubit, quatenùs intellectui coaſſiſtit, vt alibi explicat. Satis eſt de mente Cumelij *in dicto art.* 5. *quæſt.* 1. *ad* 9. *pag.* 248. *col.* 2. *ad finem*, vbi docet Deum non eſſe præſentem, aut in ratione obiecti, aut in ratione ſpeciei, niſi habenti lumen gloriæ. 14. Vera eſt ſententia affirmans. Suar. Molina. Cumel.

Hanc opinionem non poſſunt non probare, qui admittentes diuinam eſſentiam vniri, vt formam extrinſecam, & coaſſiſtentem; ſimul admittunt dari lumen gloriæ: quos nõ citamus, quia mentem ſuam non ſatis explicant. Non poſſum tamen pro hac opinione non expẽdere Henricum *quodlibet.* 3. *q.* 1. *lit. T. fol.* 48. *pag.* 1. vbi docet lumen gloriæ nõ poni ad manifeſtandum obiectum diuinũ, ſed ſolùm ad optandum intellectũ, vt illi ſibi præſentato vniatur. Eandem ſententiam probabit Scotus, ſi ſupponatur actiuitas intellectus in viſionem: quia tunc admittet vnionem concauſæ partialis ad coagendum. Scio Molinam, & Suarium cum nonnullis alijs in hoc ſenſu explicare D. Thomam, quatenùs ait, intellectum indigere lumine, vt diſpoſitione, qua eleuetur, vt diuinæ eſſentiæ, tanquam ſpeciei copuletur: vt ſit ſenſus de copulatione cum diuina eſſentia extrinſecè, & obiectiuè coaſſiſtẽte. In quo ſenſu D. Thomam 15. Pro hac eſt Henricus. Quid de D. Thoma.

mam explicare debent illi Thomiſtę, qui volunt, diuinam eſſentiam ſubire vicem ſpeciei, tanquam formam extrinſecam, & coaſſiſtentem. At quàm longè hi ſint à mente Diui Thomæ oſtendimus artic. 3. §. 3.

1. Fundam. Huius opinionis hoc erit vnicum, & firmiſsimum fundamentũ: quoniam inter potentiam, & obiectum neceſſaria eſt debita proportio, vt patet ex Philoſophia: hac enim de cauſa non quælibet potentia quodlibet obiectum attingit, nec quodlibet obiectũ reſpicit quamlibet potentiam, vt annotauit Fonſ. *in 1. Metaph. cap. 2. q. 3. ſect. 1. in 3. arg. & ſect. 9. in ſolutione* 3. Ex qua Philoſophia omnes colligunt, inter potentiam cognoſcentem, & obiectum, neceſſariam eſſe proportionẽ, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *ad* 4. *& de Veritate q.* 2. *art.* 3. *ad* 9. *& q.* 8 *art.* 1. *ad* 6.

Fonſec. Inter p'tẽtiã & obiectũ debet dari proportio. *D. Thom.*

16. Cum verò obiectum potentiæ intellectiuæ ſimul etiam ſit terminatiuũ intellectionis, & motiuum intellectus, tanquam concauſa partialiter cum eo concurrens ad intelligendum, iuxta veriorem ſententiam, *de qua lib.* 8. *in p.* 1. *art.* 9. §. 1. (nam ex Auguſtino ex potentia, & obiecto paritur notitia) præcitata Philoſophia non ſolùm eſt vera de obiecto, vt habet rationem termini intellectionis, ſed etiam, vt eſt motiuum intellectus, tanquam cauſa partialiter influens in actum intelligẽdi: nam ſicut intellectus non poteſt in aliud obiectum ferri, niſi intelligibile; ita etiam à nullo alio obiecto poteſt obiectiuè moueri, niſi ab intelligibili: & cum nulla alia cauſa poteſt partialiter concurrere, niſi cũ eo. Oportet igitur, vt inter intellectũ, & obiectũ intelligibile detur debita proportio, ſiue obiectum ſumatur in ratione termini, ſiue vt eſt concauſa.

17. Confirmatio huius opinionis. Hac ſuppoſita Philoſophia iam patet huius affirmantis ſententiæ vera demonſtratio: quoniam, vt intellectus poſsit vniri obiectiuè cum diuina eſſentia, vel ſub ratione obiecti terminatiui, vel ſub ratione motiui, nulla poteſt dari proportio, niſi intellectus lumine gloriæ eleuetur; ergo lumẽ gloriæ neceſſariũ eſt, vt intellectus vniatur diuinæ eſſentiæ, ſiue vt vt termino, ſiue, vt concauſæ. Antecedẽs patet ex dictis: conſequentia ex eo probatur, quia intellectus non poteſt habere debitam proportionem ad diuinam eſſentiam vno, vel altero modo ſumptam, niſi ſit eleuatus per lumen glorię; etenim non poteſt eſſe proportionatus, niſi ſit eiuſdem ordinis cum ea in ratione intelligibilis: eiuſdem autem ordininis eſſe non poteſt, niſi eleuetur ad eſſe ordinis diuini; quoniam intellectus, & intelligibilè debent eſſe eiuſdem ordinis eſſendi, vt oſtẽdimus lib. 6. q. 2. artic. 5. ex Authore libri de cauſis, proculo, Dionyſio, Athanaſio, & S. Maximo: ad diuinum autem eſſendi ordinem eleuari non poteſt, niſi per lumen gloriæ. Igitur non poteſt eſſe proportionatus in ordine ad diuinam eſſentiam ſub ratione obiecti intelligibilis, niſi lumine gloriæ eleuetur.

Adhuc id confirmari poteſt; quoniam conſtat tùm Fide, tùm Philoſophia, intellectũ viribus ſuæ naturæ non poſſe Deũ videre, vt patet *ex lib.* 6. *q.* 1. *&* 2. *art.* 5. *& lib.* 7. *q.* 1. *&* 2. non ob aliam rationem, niſi quia cum Deus ſit ſuprà vires naturales illius, non datur inter intellectum nude ſumptum, & Deum clarè viſum debita proportio potentiæ ad obiectum, vt latè oſtendimus in dicta quæſt. 2. artic. 1. §. 3. ex quam plurimis Patribus; & libr. 7. quæſt. 1. & 2. inde intulimus, vt inter Deũ, & intellectum detur debita proportio obiecti cum potentia, neceſſariam eſſe eleuationem ſuprà naturam intellectus, quæ lumine ſupernaturali fiat; vt oſtendimus lib. 6. q. 2. art. 1. §. 3. & lib. 7. q. 1. Cum verò de lege ordinaria intellectus ad videndum Deum eleuetur lumine gloriæ, vt diximus q. 4. huius libri articulo ſecundo: efficaciter infertur lumen gloriæ ſaltem de lege eſſe neceſſarium, vt intellectus ſit proportionatus ad obiectiuã vnionem diuinæ eſſentiæ, ſiue per modũ termini, ſiue concauſæ. Quod generaliter docuit Capreolus *in 4. diſt. 49. q. quarta, articulo 1. concluſione prima in fine. fol 204. columna prima poſt principium, & art. 3. ad 3. Scoti contra primam fol. 206. colu. tertia, & columna quarta ad quintũ ſatis id expreſsit Diuus Bonauentura in tertio diſtinctione 14. articulo ſecundo, quæſtione prima ad tertiũ, numero vigeſsimo nono*, dum ait, lumen habilitare intellectum ad videndum, & Henricus *quodlibet.* 3. *quæſt.*

18. Altera confirmatio.

19. Intellectus debet obiectio proportionare. *Capreol. D. Bonau.*

1. *lit. T. fol.* 48. *pag.* 1. dum ſcribit, intellectum per lumen aptari ad vnionẽ. Quam doctrinam mihi expreſsit Nazianzenus oratione ſecunda de Theologia pagina 249. colum. 1. inquirens enim, an Deus à nobis aliquando videndus ſit? ita ait: *mea quidem ſententia tum demum hoc eueniet, cum Dei forma hoc diuinum, hoc eſt mẽtem noſtram, & rationem Deus rei cognitæ, & familiari adiunxerit: atque imago noſtra ad exemplar illud ſuum, cuius deſiderio flagrat, aſcẽderit.* Quibus verbis ad coniunctionem, ſiue vnionem mentis noſtræ cũ diuina eſſentia exigit, vt mens noſtra diuina ſit, & aſcendat ad ſuum diuinũ exẽplar: fit autem diuina, & ad ſuum aſcendit exemplar, cum per lumen gloriæ ad eſſe ordinis diuini, ac beatifici eleuatur. Idem ego colligo ex magno Dionyſio capite ſeptimo de diuinis nominibus: explicans enim quomodo mens noſtra poſſit aſcendere ad videndum ea, quæ ſũt ſupra ipſam, ita ſcribit: *Oportet autem mentem noſtram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inſpicit. Vnitionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quæ ſunt ſupra ipſam: ſecundum hanc igitur oportet, diuina intelligere; non ſecundum nos, ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos deificatos.* Requirit igitur Magnus Dionyſius, vt mens noſtra ſit ſupra ſe ipſam deificata: quòd habeat vnitionem, & coniunctionem ad ea, quæ ſunt ſupra ſe ipſam, qualis eſt diuina eſſentia. Vnde ex præcitatis verbis habemus requiri proportionem inter intellectum, & diuinam eſſentiam, & hanc proportionem tunc habere, cum ſit ſuprà ſe ipſam: tunc autem eſt ſupra ſe ipſam, cum tota eſt deificata, quæ deificatio non datur, ſine eſſe ordinis diuini; ad hoc autem de lege eleuatur per lumen gloriæ.

Naziauz. Dionyſius

20. Applicatur ad intentũ dicta Philoſophia.

Ratio adducta ſumpta ex proportione, quæ inter potentiam, & obiectũ datur, generaliter concludit, lumen gloriæ neceſſarium eſſe, vt diuina eſſentia obiectiuè vniatur cum intellectu, ſiue vt terminus viſionis, ſiue per modum concauſæ: ad vnionem enim vtroque modo ſemper neceſſaria eſt proportio intellectus ad diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum intelligibile. Et quidem de vnione per modum obiecti terminantis viſionem, res eſt nota: quia Philoſophia, quæ inter potentiam, & obiectum requirit proportionem, maximè habet locum in obiecto ſub ratione terminantis actionem: nam cum tale obiectum terminando actionem patiatur, & conſtet inter actiuum, & paſsiuum dari proportionẽ; fit, vt inter intellectum, & diuinam eſſentiam terminantem viſionem neceſſaria ſit proportio. Quòd verò etiam neceſſaria ſit ad diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum concauſans, ex eo patet; quia iuxta veram Philoſophiam inter duas cõ cauſas neceſſaria eſt proportio, vt ſimul ad eundem effectum concurrãt: nec enim quælibet cauſa poteſt cum qualibet partialiter coniungi, ad eundem effectum cauſandum, vt patet.

Quare, vt diuina eſſentia tanquam partialis cauſa poſsit coniungi cum intellectu ad cauſandam viſionem, debet ipſe intellectus eſſe proportionatus, & eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia: talis autem non erit, niſi lumine glorię eleuetur; quia ſine lumine, nec completam virtutem ad agendum habet, nec connaturalẽ, vt optimè aduertit Suarius *ſecundo de Attributis negatiuis capit.* 15. *num.* 21. *& ſatis Molina prima parte, quæſtione* 12. *articulo* 2 *diſput. ſecunda pag.* 110. *colum.* 1. §. *His ita conſtitutis.* 21.

Suarius. Molina.

§. 4.

Soluuntur argumenta:

22. Ad 1. arg.

NEc contra hanc reſolutionem aliquid efficiunt argumenta poſita §. primo. Difficultas primi argumenti ſolùm militat aduerſus eos, qui lumen gloriæ ponunt, vt diſpoſitionem ad recipiendam diuinam eſſentiam, vt formam intrinſecè actuantem intellectum: de qua opinione diximus in præcedente articulo: nullam tamen vim habet contra eos, qui admittunt lumen, vt diſpoſitionem, qua intellectus fiat proportionatus, vt diuina eſſentia ei cõiungatur, aut in ratione termini viſionis, aut in ratione cõcauſæ influentis in viſionem: quoniam in neutro iſto ſenſu eſſentia vnitur, vt forma recepta in intellectu, ſed vt forma coaſsiſtens, & extrinſeca: ſublata autem receptione tollitur fundamentum proceſſus in infinitum. Intellectus igitur in hac opinione ideo indiget diſpo

diſpoſitione eleuante; quia coniungendus eſt diuinæ eſſentiæ, vel vt concauſæ ſupernaturali, vel vt ſupernaturali termino: in vtraque autem coniunctione neceſſaria eſt debita proportio inter intellectum, & eſſentiam, vt diximus.

23. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt antecedens: oſtendimus enim intellectum ſecundum ſuas naturales vires improportionatum eſſe, vt coniungi poſſit eſſentiæ, aut vt concauſæ, aut vt termino. Imò opinio Baſſolij poſita in antecedente, vix liberari poteſt ab errore, vt diximus ſuprà quæſtione 4. articulo ſecundo, §. 2. & lib. 7. quæſtione tertia, articulo 2. §. ſecundo.

24. Ad confir. Ad cõfirmationem patebit ſolutio ex dicendis articulo nono: plures enim negant, lumen eſſe neceſſarium, vt intellectus in ſe recipiat viſionem: plures admittunt; quorum opinionem probamus, ſi ſermo ſit de diſpoſitione materiali, & ſuſceptiua: negamus autem, ſi ſermo ſit de ſimplici, & pura diſpoſitione. Vide in dicto. art. 9.

25. Ad 3. Ad tertium negandum eſt antecedẽs: ad probationem negandum eſt, indiſtantiam localem eſſe rationem vnionis obiectiuæ eſſentiæ cum intellectu, vt oſtendimus lib. 7. quæſtione 2. articulo vnico §. quarto, ad primum argumentum numero 14.

26. Ad 4. Ad quartum iam reſpondimus in dicto libro 7. vbi ſuprà ad ſecundum numero 17. negandum eſt enim poſſe diuinam eſſentiam ſe ſe intellectui obiectiuè vnire, aut ſine lumine gloriæ de lege ordinaria, aut ſine aliqua alia ſupernaturali eleuatione de potentia abſoluta: quia intellectus cum non dum habeat completam intelligendi virtutem, vt poſſit cum diuina eſſentia partialiter influere in viſionem, ex ſe eſt improportionatus ad talem vnionem.

27. Ad 5. Ad quintum neganda eſt maior, ſi forma iila extrinſeca fuerit ſuprà naturam ſubiecti, & vniatur illi, aut tanquam concauſæ ad viſionem, aut tanquam termino viſionis: Vtraque enim vnio requirit debitam proportionem vnitorum inter ſe.

28. Ad poſtrem. Ad poſtremũ neganda eſt maior: quia illa diſpoſitio poteſt eſſe neceſſaria ad formam coaſſiſtentem; vel in ratione termini, vel in ratione concauſę partialis, vt ex dictis patet. Quare argumentum (quod eſt Bellomontani) ſatis eſt futile, cum à pluribus cauſis ad vnã cauſam procedat.

ARTICVLVS V.

Quomodo lumen gloriæ intellectum eleuet ad duo explicata munera?

IN tribus articulis immediatè præcedẽtibus explicauimus duo munera luminis gloriæ: primum eſt, eleuare actiuitatem intellectus, vt poſſit influere in viſionem. Secundum eſt, eleuare eundem, vt poſſit vniri cum diuina eſſentia, prout habet rationem formæ intelligibilis, vnione tùm formali, de qua in articul. tertio; tùm obiectiua, de qua in 4. articul. Conſequenter explicandum erat, quomodo intellectum eleuet ad duo iſta munera exercenda? De hoc enim eſt controuerſia. Sed quia quæſtio iſta accommodatiùs explicabitur in libr. 10. quæſt. 3. ideo huius quæſtionis explicationem in illum locum reſeruamus. 1. Quomodo intellectus ad illa officia eleuetur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm lumen gloriæ intellectum conſtituat in actu primo ad videndum?

§. 1.

Pars affirmans.

PArtem affirmãtem probat Nauarrete 1. *tom. controu.* 39. §. 3. *fol.* 249. *col.* 3. *ad* 8. *& in* 2. *contro.* 13. §. 3. *pag.* 172. *colu.* 2. *& pag.* 173. *col.* 1. Pro eadem plures referunt Molinam 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *diſp.* 2. *pag.* 110. *col.* 2. *A. B.* quatenus ait, *diuinã eſſentiam non conſtituere intellectum in actu primo ad videndum, vt conſtituere ſolet ſpecies: ſed intellectum illuſtratum lumine gloriæ in præſentia diuinæ eſſentiæ ſolùm ſe habere ad illam videndam, ad modum, quo ſe habet intellectus, dum eſt in actu primo ad intelligendum.* Satis igitur ſignificat, intellectum per ipſum lumẽ gloriæ eſſe in actu primo vidẽdi. Sed clarius id exprimit D. Thomas *quodlib.* 7. *art.* 1. *ad* 2. dũ ait. *quòd intellectus creatus fit in actu ad videndũ per lumen gloriæ.* 1. Pars affirmans. *Nauarre. Molina.*

Fundamentum huius opinionis in hoc 2.

 poni-

ponitur; quoniam intellectus creatus, non poteſt fieri in actu primò ad videndum, niſi, aut per diuinam eſſentiam, vt gerit vicem ſpeciei, aut per lumen gloriæ. Sed impoſsibile eſt, quod fiat in actu primo per diuinam eſſentiam, vt gerit vicem ſpeciei. Ergo neceſſariò ſit in actu primo, per lumen gloriæ. Conſequentia legitima eſt: maior autem ferè ab omnibus conceditur: minorem inde probant; quoniam id, quod non poteſt concurrere ad viſionem, vt principium efficiens, non poteſt conſtituere intellectum in actu primo ad videndum. Sed diuina eſſentia non poteſt concurrere ad viſionem, vt principium efficiens. Ergo non poteſt conſtituere intellectum in actu primo ad videndum. Maior huius poſterioris diſcurſus ex eo patet, quia

Actꝰ 1. agēti eſt principium agēdi

actus primus ex ſua natura eſt ipſi agenti principium agendi; vt *quo*. Minorem

Nauarrete

verò ſupponit Nauarrete *in dicta controuerſia* 39. *in dicto fol.* 249. *columna tertia ad ſecundam confirmationem, & ſecundo tomo dicta controuerſia* 13. *dicta pag.* 172. *columna ſecunda in fine, & pag.* 173. *colum.* 1. *in principio.* §. *Ad confirmationem.* Ex Thomiſtis eandem ſententiam probauit Bañes *prima parte, quæſtione* 12. *articul.* 2.

Bañes.

dub. ſecundo, vbi concluſione 3. conſtanter affirmat diuinam eſſentiam (quam in 4. concluſione admittit vniri intellectui ad modum formæ intelligibilis) actiuè non influere in viſionem; nec in hoc ſubire vicem ſpeciei.

3. Confirmatur.

Cōfirmatur ex mēte eiuſdē; quoniam ſpecies creata non conſtituit intellectū in actu primo ad videndum rem repræſentatam, vt ſcribit in dicta *controuerſia* 13. §. 3. *in principio pag.* 172. *columna prima.* Ergo nec diuina eſſentia, vt ſubit vicem ſpeciei, cōſtituet intellectum in actu primo: etenim cum gerat vicem ſpeciei, nihil facit, niſi quod faceret creata ſpecies, ſi daretur.

§. 3.

Negatiua eſt aſſerenda.

4. Negatiua ē vera. 1. Impugnatio.

HAnc tamen opinionem, vt improbabilem iam reiecimus ſuprà lib. 8. 2. parte, quæſt. 3. artic. 5. §. 2. & iterum nunc reijcimus. Primum ex eo, quòd pro hac ſententia tantum inueni vnum Nauarrete, vt in dicto §. 2. iam aduerti: etenim *Molina in dicta diſp.* 2. nunquam dixit, intellectū beati conſtitui in actu primo videndi per lumen gloriæ: imò oppoſitum videtur ſentire; ſi enim rectè expēdatur, ſatis innuit intellectum nō poſſe conſtitui in actu primo, niſi per ſpeciē, quæ ſit ſimilitudo obiecti. Et quāuis expreſſè doceat, intellectum non conſtitui in actu primo per diuinam eſſentiam, vt habet vicem ſpeciei; non proinde concedit illum cōſtitui in actu primo per lumen: quoniam libenter admittit, poſſe intellectum, vbi obiectum eſt præſens, elicere intellectionem, quamuis nō cōſtituatur in actu primo; & licèt in hoc admittendus non ſit, vt diximus libro 8. ſecunda parte, quæſtione 4. artic. 4. §. ſecundo, num. 13. tamen hæc illius opinio ſatis eſt, vt non inferatur eum ſenſiſſe intellectum conſtitui in actu primo per lumen gloriæ. Quomodo autem illius verba explicanda ſint, habes in dicta quæſt. 3. §. 2.

Molina nō eſt huius ſētentiæ.

Diuus Thomas *quodlibeto ſeptimo art.* 1. vt ſecum conſentiat (pluribus enim in locis docet, intellectum beati fieri in actu per diuinam eſſentiam) explicari debet, vt intellectus per lumen gloriæ ſit quidem in actu, non tamen primo, & completo, qui dicitur actus proximus ad agendum; ſed in actu virtutis intellectiuæ completæ; quia virtus illius per lumen gloriæ verè completur in actu virtutis intellectiuæ. 5. *Quomodo ſit explicādus D. Thomas.*

Secundò ex eo eſt reiecienda; quia communis ferè omnium opinio docet, intellectum beati conſtitui in actu primo ad videndum, aut per diuinam eſſentiam loco ſpeciei, aut per ſpeciem creatam, ſi admittatur. Qua ſuppoſita ſententia, dici non poteſt, intellectum conſtitui in tali actu per lumen gloriæ; quia actus primus eſt tantum vnicus. Quòd vero, ſi admittitur ſpecies creata, per illam intellectus conſtituatur in actu primo, dubitari non poteſt: quoniam ex Ariſtotele, & communi Philoſophia ſpecies eſt forma, per quam intellectus fit in actu primo. Porrò, ſi diuina eſſentia in intellectu beati ponitur loco ſpeciei, ferè omnes docent intellectum beati per eam conſtitui in actu primo. Hanc fuiſſe ſententiā Diui Thomæ oſtendimus libro 8. 2. p. q. 4. art. 4. §. 1. num. 3. id enim expreſſè docet

6. 2. Impugn.

Intellectus cōſtituitur in actu 1. vidēdi per ſpeciē vel per id, quod eſt loco ſpeciei

Intellectus fit in actu 1 per ſpeciē.

docet *prima parte, quæſt. 12. artic. 2. ad 3. & ſatis colliges ex quæſtione 8. de Veritate artic. 1*, dum affirmat, *Diuinam eſſentiam eſſe formam, qua cum intellectus fit vnum in intelligendo*. Quod etiam docuit *in quæſt. 8. artic. 8. in corpor. & ad 3. & octauum, & in 4. diſtinct. 49. quæſtione 2. art. 1. in corp. & ad octauum*. Denique idem confirmat, dum ait, *Diuinam eſſentiam ſe habere ad intellectum, vt forma ſe habet ad materiam*, vt ſcribit *in 4. vbi ſuprà in corpor. & ad decimũ & artic. 6. & de Veritate dicta quæſt. 8. art. 3. in principio*. Vnde omnes D. Thomæ diſcipuli hãc ſententiã vnanimiter defendũt vt Capreolus, Caiet. Ferrarienſis, Sylueſter, Sotus, Bañes, & Cumelius, quos citauimus in dicta quæſtione 4. articul. 4. §. 1. num. 2. vbi etiam citauimus Pezantium, Valentiam, Suarium, & communiter recentiores. Cum igitur hæc ſit, & Thomiſtarum, & aliorum cõmunis ſententia; non eſt, quod vnus Nauarrete audiatur, dum dicit, illum conſtitui in actu primo per lumen gloriæ.

7. 3. Impugnatio. Tertiò, ideo non eſt audiendus: quia ad intelligenda cætera obiecta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, intellectus noſter, & Angeli conſtituitur in actu primo intelligendi, non per lumen ipſius intellectus (quod ad omnem intellectionem concurrere oſtendimus quæſtio. 1. 2. & tertia huius libri) ſed per ſpeciem intelligibilem obiecti: etenim proprium munus ſpeciei eſſe intellectum conſtituere in actu primo ad intelligendum, eſt indubitata Philoſophia apud eos, qui ſpecies admittunt, vt oſtendimus lib. 8. in 1. p. queſt. 4. articul. 2. vbi diximus hanc fuiſſe Ariſtotelis doctrinam *in 3. de Anima cap. 4. text. 2. vſque ad 8. & cap. 5. text. 18. & cap. 7. text: 36. & cap. 8. text. 37. & 38.* quæ doctrina ex eo conuincitur; quoniam apud Ariſtotelem, & Philoſophos tunc intellectus fit in actu primo, cũ fit in potentia proxima, & immediata, vt per ſe ipſum poſſit operari, vt explicat Ariſtoteles *in 3. de Anima c. 4. tex. 8.* agens enim de intellectu in actu, ita ait: *quod quidem tunc accidit, cum ipſe per ſe ipſum operari poteſt*: iam verò intellectus in hoc ſtatu nunquam eſt, niſi cum factus eſt res ipſa, quæ debet intelligi, vt in eodem loco docet Ariſtoteles inquiens, *Factus autem vnumquodque, perinde atque is, qui dicitur actu ſciens, & cætera*: etenim nihil niſi à ſimili intelligi poteſt, iuxta antiquiorum proloquium. Fit autem vnũquodque, non per ipſum lumen intellectus, ſed per ſpeciem obiecti, vt ex Ariſtotele ſæpè oſtendimus. Quare nunquam intellectus poterit eſſe in actu primo ad intelligendum, niſi per obiecti ſpeciem actuetur. Vnde dubitari non poteſt intellectum ad cætera omnia intelligibilia naturalia, & ſupernaturalia conſtitui in actu primo intelligendi, non per lumen ſubquo intelligit, ſed per ſpeciem, qua intelligit. Cur igitur hoc non ſeruabitur in viſione diuinæ eſſentiæ?

Propriũ eſt ſpeciei conſtituere intellectũ in actu. — *Ariſtote.* — *Intellectus in actu 1. poteſt per ſe operari.* — 8.

Sed reſpondebit Nauarrete diſparem rationem inueniri inter lumen gloriæ, in ordine ad videndum Deum, & cætera lumina in ordine ad alia intelligibilia, vt ſatis explicat Diuus Thomas in dicto quodlibeto ſeptimo, articulo primo in corpor. dum ait lumen gloriæ ideo, quia deſcendit a diuina eſſentia, ſe ipſo ſolo facere quidquid facit, tùm lumen, tùm ſpecies in ordine ad intelligibilia, quæ eſſentialiter non ſunt lux. Ex quibus verbis patet apud Diuum Thomam, lumen gloriæ actuare, & vt lumen, & vt ſpeciem. 9. Reſponſio.

¶ Sed hac ſolutio non eſt recipienda: ex ea enim infertur, diuinam eſſentiam fruſtrà ſe habere ad intellectum beati ad inſtar ſpeciei: nam ſi lumen gloriæ actuat intellectum, & vt lumen, & vt ſpecies; non poterit diuina eſſentia aliquid facere tanquam ſpecies: quod directè repugnat doctrinę Diui Thomæ, & Thomiſtarum. Non recipitur 1. Ratio.

Accedit ſecundò: quia lumen non poteſt in intellectu beati facere id, quod ſpecies facit in alijs intelligibilibus: etenim lumen gloriæ, licèt ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, ſolùm eſt ſimilitudo participata, non verò formalis: Vnde licèt ſatis ſit, vt in genere rei eleuet intellectum ad eſſe ordinis diuini, non tamen ſatis eſt, vt in genere intelligibili faciat intellectum eſſe Deum intelligibiliter: hoc enim fit, aut per ſpeciem creatam, quam admittimus; aut per diuinam eſſentiam loco ſpeciei, vt Caietanus cum cæteris exiſtimat. Igitur lumen non facit in beato, quod in alijs intelligibilibus facit ſpecies. Accedit tertiò; quia licèt lumen concurrat ad viſionem, vt confortans 10. Secunda.

Tertia. tans intellectum, compléſque illius virtutem intellectiuam; non tamen concurrit, vt actus, quo proximè poſsit: quia virtutem illius non determinat ad hãc vel illam viſionem, ſed adhuc eam relinquit indeterminatam, & indifferentem, & ob id in aliqua eſſentiali potentia; cum adhuc non proximè poſsit influere: cum tamẽ ſpecies omnem ab intellectu excludat potentiam eſſentialem, & ſolùm relinquat accidentalem, & proximam, vt patet ex Ariſtotele 3. *de Anima capit*. 4. *text*. 8. Patet igitur lumen gloriæ nullo modo ſe ipſo habere rationem ſpeciei. Quare D. Thomas in dicto quodlibeto ſeptimo, nõ ita intelligi debet, vt lumen ſe ipſo formaliter faciat in intellectu in ordiue ad diuinam eſſentiam id, quod in alijs intelligibilibus facit ſpecies, ſed ſolùm cauſaliter; quia ſcilicet, ex ſe poſtulat, vt uon ſit neceſſaria ſpecies creata, ſed ſolùm increata ad inſtar ſpeciei. ¶ Et ita ſatis confirmata manet pars negatiua, quam putamus eſſe veriſsimam.

§. 3.

Ad argumenta in contrarium.

11. Ad 1. NEc aliquid contra eam faciunt, quæ in contrarium objiciuntur. Primum non habet vim, ſi in beatis ponitur ſpecies creata: nam maior eſt neganda; quia deeſt tertium membrum, nempe ſpecies creata, qua iutellectus poteſt conſtitui in actu primo, ad videndum. Sed nec conuincit, quamuis admittatur diuina eſſentia loco ſpeciei: admiſſa enim maiore, neganda eſt minor: cuius probatio continet minorem falſam; quia ſuppoſita illa opinione recepta eſt ſententia, quòd diuina eſſentia actiuè influat in viſionem, vt oſtendimus libro 8. ſecunda parte, quæſtione 4. arti. 9. §. ſecũdo, vbi ex Thomiſtis citauimus Capreolum, Caietanum, Sotum, Syluestrum, Ferrarienſẽ, & Cumelium: ex nouioribus verò Suarium, Molinam, Salam, Cabreram, & Valentiam: at ex antiquioribus, Ægidium, Henricum, & Richardum, imo etiam Scotum, & Ouandum. Quin potius ibide § quarto num. 23. oſtendimus hanc eſſe expreſſam ſententiam Diui Thomæ, imò hoc iam verſum eſt in Axioma inter Thomiſtas, vt ibidem §. primo confirmauimus: nec inueni apud illos, qui oppoſitum doceret, niſi vnum Bañes, & alterum Nauarrete: imò idem Nauarrete veluti ſui oblitus communem ſententiam putat ſatis eſſe probabilem ſecunda parte, controuer. 13. §. 3. pag. 272. col. 2. B.

12. Ad cõfirm. Ad confirmationem mirum eſt, quòd Nauarrete doctrinæ peripateticæ ſine vllo, vel apparente fundamento repugnet: etenim inter eos, qui ſpecies admittunt, indubitatum eſt, intellectum conſtitui in actu primo per ſpeciem, vt diximus §. 2. huius articuli, & latius prima parte libri 8. quæſtione quarta, articulo ſecundo.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm lumen gloriæ actiuè concurrat ad viſionem? quomodo concurrat, tùm cum intellectu, tùm cum diuina eſſentia?

1. COnſequenter inquireddum erat; Vtrùm lumen gloriæ actiuè concurrat ad viſionem? & ſi actiuè concurrit; quomodo ſe habet, tùm ad intellectum beati, tùm ad diuinam eſſentiam ad eandem viſionem actiuè concurrentem? Sed de hac difficultate agemus lib. ſequente quæſtiõne tertia, vbi commodius explicabitur, quæ ad actiuitatem luminis gloriæ ſpectant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm lumen gloriæ ſit neceſſarium, tanquam medium videndi ſub quo?

§. 1.

Referter opinio, quæ diſtinguit.

1. Opinio, quę diſtinguit. *Cabrera*. QVi hanc quæſtionem excitaret vnum tantum inueni Cabreram *ad tertiam partem q. 9. art. 2. diſp. 10. pag.* 827. vbi nonnullis præmiſsis obſeruationibus, & adhibitis tribus concluſionibus propoſitam quæſtionem ſub diſtinctione reſoluit hac concluſione: lumen

meh gloriȩ eſt medium ſub *quo* tenens ſe ex parte intellectus; non verò, vt eſt ex parte obiecti.

2. Quod ſit mediũ ſub quo ex parte potentiæ.

Quòd lumen gloriæ ex parte potentiæ ſit medium ſub *quo* neceſſarium, vt intellectus beati tendat in Deum, ex eo probat; quia medium ſub quo ex parte potentiæ eſt id, quod conſtituit potentiã in actu primo, confortans eam ad eliciendum actum ſecundum, vt putat ſe probaſſe in ſecũda obſeruatione poſita n. 11. vſque ad 16. Iam verò lumen gloriæ (vt ait) conſtituit intellectum in actu primo, illumq; confortat ad viſionem eliciendã.

3. Non verò ex parte obiecti.

Quòd verò illud non ſit medium ſub quo ex parte obiecti, diuinæ. ſ. eſſentiæ, inde confirmat; quia medium ſub quo ex parte obiecti eſt id, quod ipſum obiectũ conſtituit intelligibile, vt putat ſe probaſſe in eadem ſecunda obſeruatione: iam verò lumen gloriæ non conſtituit Deũ actu intelligibilem, cum Deus ex ſe ſit actu intelligibilis. Igitur non erit mediũ ſub quo Deus intelligitur; ſed tale mediũ erit (vt ait) tum ipſa eſſentia diuina, vt habet locum ſpeciei; tum ipſa actualitas diuinæ eſſentiæ, qua eſt abſtracta ab omni materia, vt laté probat ibidem in 3. cõcl.

4. Corollariũ ex Cabrera.

Ex hac reſolutione infertur, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium ad illuſtrandum obiectum beatificum (diuinam. ſ. eſſentiam) vt intellectui intelligibiliter appareat, aut in ratione terminantis viſionem, aut in ratione concauſæ partialiter influentis in eam. In qua ſententia cum eo fortè conſentient, qui volunt in beatis nullum dari lumen ad videndum Deum, niſi increatum, quos citauimus ſuprà q. 3. art. vnico n. 2: hi enim non poſſunt non docere, lumen increatum non per aliud lumen, ſed per ſe ipſum illuſtrari, vt intellectui appareat.

5. Fundamentum.

Fundamentum huius opinionis inde poteſt ſumi, quòd obiectum beatificum (diuina. ſ. eſſentia) eſſentialiter eſt ipſa lux & lumen. Ergo ſe ipſum ſe ipſo illuſtrabit, vt appareat intellectui. Quod fũdamentum ſatis coroborari poteſt ex ijs, quæ pro illa opinione adduximus in dicta q. 3. art. vnico, §. 1. nu. 3. & 4: etenim intellectus lumine increato illuſtratus cognoſcit Deum, vt ibidem adduximus ex Origene, Baſilio, Hieronymo, Auguſtino, & Gregorio; qui omnes præcitata Pſalmi verba explicant de lumine increato, vt ſcilicet ipſo increato lumine videamus ipſum increatum lumen: videre autem illud per illud non poſſemus, niſi ipſum ſe ipſo intelligibiliter intellectui appareret.

6. 2. confirm.

Secundò confirmari poteſt eadem ſententia; quia diuina eſſentia ſuapte natura eſt intelligibilis in actu, cum ſit actus puriſsimus. Ergo non indiget lumine creato, vt fiat actu intelligibilis: indigeret autem eo, ſi per illud fieret intelligibiliter apparens. Quo argumento videtur vti D. Thomas quodlib. 7. art. 1. vt oſtendat lumen gloriȩ non dari, vt diuinam eſſentiam reddat actu intelligibilem.

§. 2.

Præmiſsis nonnullis, reſoluitur quæſtio.

7. Not. 1.

Pro vera reſolutione oportet nonnulla præmittere, vt omnis æquiuocatio, confuſioque tollatur, quæ fuit cauſa deceptionis. Præmittendum eſt igitur, ab omnibus concedi ad omnem intellectionem neceſſarium eſſe medium ſub *quo* intellectus videat: quod tàm in logica, quàm in Metaph. eſſe notiſsimum idem Cabrera fatetur in dicta *diſp. 10. in principio*; & in hoc quidem rectè; quoniã eadem eſt ſententia D. Thomæ *in dicto quodlib. 7. art. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15. & de Veritate q. 18. art. 1. ad primũ.* In quibus omnibus locis affirmat, lumen tàm in viſione corporali, quàm in intellectiua eſſe medium ſub *quo* intellectus intelligit obiectum ſibi præſentatum.

Mediũ ſub quo neceſſarium eſt in omni intellectione.

8. Not. 2.

Aduertendum eſt ſecundò; media, de quibus agit D. Thomas in citatis locis, nõ eſſe cõfundenda cum rationibus formalibus, quas Philoſophi diſtinguunt in obiecto, de quibus diximus 1. tom. lib. 1. q. 5. art. 3. n. 5. & lib. 4. q. 10. art. 4. §. 3. n. 22. & Conimbricenſes 2. *de Anima c. 3. q. 5. art. 2. poſt principium*: etenim media, de quibus agit D. Thomas, ſunt media extrinſeca intellectioni, & obiecto: lumen enim corporale, ſub *quo*, tanquam ſub medio coloratum videtur, eſt quid extrinſecum ipſi colorato: & idem patet de medio, *quo* (qualis eſt ſpecies) & de medio, *in quo*, quale eſt ſpeculum: cum tamen ratio formalis obiecti, quocunque modo illa ſumatur, ſit intrinſeca ipſi obiecto, vt patet

Conimbr.

tet in ratione formlai, *vtquæ* qualis eſt ratio coloris, & in ratione formali *ſub qua* qualis eſt ratio viſibilis, de quibus cum Conimbricenſibus egimus in locis iam citatis. Ex quo iam patet medium *ſub quo* quale eſt lumen, non eſſe rationem formalem ex parte obiecti, cum ſit medium extrinſecum; vnde adducere diſtinctionem rationis formalis potiùs rem iſtam confundit, quàm explicet; cum medium *ſub quo* (de quo agimus) nunquam ſit ratio formalis ipſius obiecti.

9. Not. 3.

Triplex me diũ concurrens ad intellectionẽ.

Præmittendum eſt tertiò, D. Thomã in præcitatis locis triplex diſtinxiſſe medium ad intellectionem concurrens: medium *ſub quo*; medium *quo*, & medium *in quo*. Medium *ſub quo* apud D. Thomam eſt lumen intelligibile: medium *quo* eſt ſpecies; medium *in quo* eſt res, per quam, vt cognitam, intellectus venit in alterius rei cognitionem; vt creatura, per quam cognoſcimus creatorem. Quare non ſatis ad mentem D. Thomæ loquitur Cabrera, dum ſcribit, ſpeciem intelligibilem eſſe medium *ſub quo* intellectus tendit in obiectum. Ad mentem illius loqueretur, ſi ſolum lumen poneret eſſe medium *ſub quo*. Sicut etiam ad mentem illius, imò cõſentaneè ad veram Philoſophiam loqueretur, ſi diceret medium *ſub quo* non conſtituere intellectum in actu primo ad intelligendum: nam in 4. loco citato ſcribit D. Thomas, medium *ſub quo* perficere quidem intellectum in ordine ad intellectionem; in genere tamen, quia non perficit determinando intellectũ ad aliquod particulare obiectum: cum tamen id, per quod intellectus conſtituitur in actu primo, determinet intellectum ad obiectũ certum, & determinatum. Vnde lumen ipſum nec viſum, nec intellectum conſtituit in actu primo, ſed ſola ſpecies; quod de lumine gloriæ iam oſtendimus ſuprà art. 6.

Mediũ ſub quo nõ conſtituit intellectũ in actu primo.

10. Not. 4.

Lumen illuminat faciẽdo manifeſtationem occulti.

D. Thom.

Ad Epheſ. 5.

Quarto loco præmittendum eſt, lumẽ ad omnem cognitionem eſſe neceſſariũ, vt latè oſtendimus q. 1. & 2. huius libri. Nunc addimus proprium eſſe luminis illuminare faciendo manifeſtationem alicuius, vt aduertit D. Thomas 1. p. q. 67. art. 1. & ſatis patet ex Paulo ad Epheſios 5: *Omne, quod manifeſtatur* (ſiue vt alij legunt) *omne quod manifeſtat, lumen eſt*; faciendo. ſcil. manifeſtationem eius, quod abſconditum erat, & non apparebat, iuxta eundem Paul. in eodem loco: *quæ enim in occultò fiunt, à lumine manifeſtantur*, & clariùs ad Epheſios. 3: *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data eſt gratia illuminare omnes, quæ ſit manifeſtatio ſacramenti abſconditi*: & 1. Corinth. 4: *qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit abſcondita cordis*. Apud Iob. 20. *abſcondita produxit in lucem*, vt. ſ. manifeſtarentur. Denique 2. Corinth. 4: *qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ, & claritatis*: quæ verba ſatis probant proprium eſſe lucis facere, vt ſplendeant, quæ in tenebris ſunt, & non apparent. Quare manifeſtare idem eſt, quod palam facere id, quod eſt abſconditum, vt ſatis ſignificat verbum φανερόω, quod idem eſt, atque palam facio; in conſpectu, & coram oculis propono.

Ad Epheſ. 3.

Iob. 20.

2. Cor. 4.

11. 1. concl.

His ita præmiſsis, pro reſolutione ſit prima cõcluſio: *Lumen gloriæ neceſſarium eſt ad viſionem diuinæ eſſentiæ, tanquam medium* ſub quo *intellectus eam videt*. Hæc concluſio eſt Diui Thomæ *quodlib. 7. art. 1. de Veritate q. 18. art. 1. ad 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15. & 1. p. q. 12. art. 5. ad* 2. in quibus locis expreſsè docet, lumen gloriæ eſſe medium ſub quo Deus videtur. In terminis eam probat Cabrera in dicta diſp. 10. concl. 1. n. 17. generaliter probatur; quia omnis cognitio fit ſub aliquo lumine. Ergo viſio beata fiet ſub lumine: nullum datur in patria, niſi lumen gloriæ. Ergo lumen gloriæ eſt medium ſub quo Deus videtur. Antecedens ab omnibus conceditur, vt in primo præmiſſo aduertimus; & facilè probatur: quoniã ex D. Thoma *de Veritate q. 9. art. 1. in principio*, de lumine intellectuali loquendum eſt ad ſimilitudinem luminis corporalis: quia nomen luminis â lumine corporeo extenſum eſt ad intellectuale ex eodem D. Thoma: ſed lumen corporeum eſt medium ſub quo viſus videt viſibilia, vt docet D. Thomas in locis citatis, & omnes concedunt.

D. Thom.

D. Thom.

12. 2. concluſ.

Secunda concluſio: *Lumen gloriæ, vt eſt medium ſub quo, tenet ſe ex parte diuinæ eſſentiæ, vt eſt obiectum intellectui repræſentatum*; ſtatuitur contra Cabrera vbi ſuprà concl. 2. n. 20. & 21. Probatur ex 4. præmiſſo: etenim proprius effectus luminis,

vt

vt eſt medium *ſub quo*, eſt illuminatione ſua manifeſtare potentiæ, quod illi eſt abſconditum: hoc autem non eſt aliud, quàm illuminando facere, vt quod abſcõditum eſt, palam fiat, & coram appareat in conſpectu potentiæ: quod verbum græcum φανερόω, ſatis ſignificat: idem enim 2. Cor. 4. eſt, quod palam facio, & in conſpectu propono, & declarat Paul. 2. Corinth. 4. in verbis citatis: *de tenebris dixit, lumen ſplendeſcere*, id eſt apparere. Et vt vno verbo dicam manifeſtare illuminando, non eſt aliud, quàm facere, vt appareat intellectui, quod antea non apparebat. Igitur effectus luminis, vt eſt medium *ſub quo*, exerceri non poteſt circa ipſum intellectum, quia intellectus non eſt, quod intelligibiliter apparet; ſed exercetur circa obiectum intelligibile: hoc enim eſt, quod anteà nõ apparebat, & modò apparet: anteà non erat palam, ſed clam; modo ipſo lumine palam fit coram intellectu.

13. Apparentia obiecti eſt effectus formalis luminis.

Cum verò hæc illuminatio, & intelligibilis apparentia coram intellectu ſit effectus formalis luminis, vt eſt medium *ſub quo*, non poteſt non conuenire lumini gloriæ; cum formaliter ſit lumen intelligibile, vt patet ex q. 3. huius libri art. 1. §. 2. nu. 11. 12. 13. 14. Quare proprium, & intrinſecum munus illius erit diuinam eſſentiam nobis anteà intelligibiliter occultam, facere nobis palam, & apparentem; vt poſſit non ſolùm intelligibiliter mouere intellectum, vt ſecum viſionem concauſet; ſed etiam terminare viſionem à ſe cum intellectu cauſatam. Quod etiã ex eo confirmatur; quoniã cætera lumi- Confirm. na naturalia, & ſupernaturalia (de quibus ſuprà q. 2.) prout concurrunt tanquam medium *ſub quo*, exercent ſuum formalẽ effectum circa obiecta; faciunt enim, vt illa obiectiuè fiant coram intellectu, vt facilè intelliges, ſi ſingulos articulos quæſtionis ſecũdæ diligenter percurras. Hoc autem in diuina eſſentia nullam denotat imperfectionem; ſicut etiam nullam denotat eam eſſe intellectui modo abſentẽ, modo præſentem abſentia, & præſentia intelligibili, & obiectiua, prout eſt forma intelligibilis, & terminus viſionis.

14. Quam abſentiam, & præſentiam in ea admittunt Theologi, D. Thomas *in 4. d. 49. q. 2. art. 6. ad 4. & de Veritate q. 8. art. 3. ad 19. & q. 10. art. 11. ad 11. Ægid. Henricus, & Scotus*, quos citauimus lib. 8. in 1. p. q. 1. ar. 3. §. 4. n. 46: iam verò, quòd ſine imperfectione poteſt eſſe abſens, & præſens præſentia intelligibili, poterit ſine vlla imperfectione eſſe clàm, & palam coramque in ordine ad intellectum: hæc enim præſentia cum in diuina eſſentia de nouo ponat ſolùm eſſe quoddam intẽtionale, quod nullam denotat perfectionẽ, poteſt ſine imperfectione de nouo illi aduenire.

D. Thom. Ægidius. Scotus.

15. 3. concl.

Tertia concluſio: *Lumen gloriæ, vt eſt medium* ſub quo, *non poteſt ſe tenere ex parte intellectus: ſed ſolùm ex parte eius ſe tenet, prout eſt forma illum illuſtrans.* Hæc etiam ſtatuitur contra Cabrera in d. 2. concluſ. Probatur 1. p. primam illius partem eodem fundamento, quo ſecundam concluſionem, confirmabimus; nam lumen gloriæ, vt eſt medium *ſub quo*, nullum alium formalem effectum habet, niſi facere, vt diuina eſſentia, quæ antea clam erat, & occulta, fiat coram intellectu, & illi appareat, atque innoteſcat, vt oſtendimus. Hunc autem effectum non poteſt exercere circa intellectum, ſed ſolùm circa diuinam eſſentiã, vt diximus.

16. Probatur 2. p.

Secunda pars inde oſtenditur; quoniã intellectus beati recipit in ſe ipſum lumẽ tanquam formam: cuius receptionis formalis effectus non eſt alius, quàm intellectum manere ſubiectiuè illuſtratum, vt appareat lucidus, & tranſparẽs: ſicut enim lumen corporale, dum recipitur in diaphano, & perſpicuo, illud formaliter reddit actu perſpicuum, id eſt actu tranſparens, & perlucidum *ex 2. de Anima c. 7.* Ariſt. *tex. 69.* ita etiam intellectus ipſe (quem eſſe quoddam perſpicuum, & diaphanum intellectuale diximus ſuprà q. 2. art. 2. cõcl. 4. n. 13.) dum ipſo lumine gloriæ fit in actu, fit quoddam tranſparens, & perlucidum perluciditate glorioſa, qua intellectus in ſe ipſo per lumen in ſe receptũ redditur potentia proportionata, vt diuina eſſentia fiat illi palam, & intelligibiliter appareat coram eo: etenim, ſicut potentia viſiua nequit videre, niſi in ſe ipſa, & in ſuis organis lumine corporeo actu illuſtretur, vt ſit proportionata, & apta ad recipiendas ſpecies viſibiles, in quibus coloratum illi viſibiliter eluceat, & corã appareat, vt colliges ex D. Thoma *q. 9. de* D. Thom. *Veritate artic. 1. & plures docent, inter quos*

eſt Salas 1.tom.ad primam 2.q.3. tractat.2. diſp.5.ſect.3.pag.350.col.2.in fine; ob quã rationem,& potentia ipſa viſiua, & organa illius ſunt perſpicua, & diaphana: ſicut etiam intellectus nequit videre, niſi in ſe ipſo illuſtretur lumine, aut intellectus agentis, aut fidei, vt in ſe ipſo factus intellectualiter perlucidus, & transparẽs aptus ſit ad recipiendas ſpecies, in quibus obiectum luceat,& appareat;ita etiam intellectus beati ipſo lumine gloriæ, quod in ſe recipit, fit lucidus, & tranſparens, luciditate quadam glorioſa,& ordinis diuini; vt ita ſit proportionatus non ſolùm ad recipiendum in ſe ſpeciem diuinæ eſſentiæ, vel ipſam eſſentiam loco ſpeciei, vt in ea ipſamet eſſentia coram intellectu intelligibiliter appareat.

17. Ex quibus iam patet, veritas noſtrę tertiæ aſſertionis: ſcilicet lumen gloriæ non illuminare intellectum beati, quatenùs eſt medium ſub quo,ſed quatenùs eſt forma actuãs intellectum, vt factus perlucidus proportionatus ſit, vt obiectum beatificum poſſit illi illuceſcere,& apparere; idque ſub ipſo lumine, vt habet rationem medij *ſub quo*.

18. Corollariũ. Inde inferes lumen glorię non eodem modo ſe habere ad intellectum beati,quo ſe habet ad diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum beatificum: etenim ad intellectũ ſe habet, tanquam forma in eo recepta, qua redditur formaliter lucidus,& tranſparens: ad obiectum autem diuinamque eſſentiam ſe habet, vt ad terminum, quẽ ſua illuminatione terminatiuè attingit, vt poſſit ipſi intellectui iam tranſparenti intelligibiliter lucere, & apparere. Hoc autem poteſt facere abſque hoc, quòd illi ſit forma intrinſeca, qua formaliter eluceat; quia ſatis eſt, quòd illuminatio illa ad eam terminetur.

19. Quam Theologiam facile intelliget, qui attentè perceperit Philoſophiam luminis ſenſibilis, quatenus ſe habet, tùm ad corpus diaphanum,tùm ad coloratum: nam apud eos,qui volunt,lumen nontenere ſe ex parte obiecti,ſed ſolùm ex parte medij (quæ fuit opinio Auerroes *in 2. de Anima com.*68. *Diui Thomæ, Ægidij, & aliorum*) lumen tenet ſe ex parte medij (quod eſt corpus diaphanum) illud actuando, tanquam vera illius forma, qua formaliter fit tranſparens: in colore autẽ non recipitur, tanquam forma illum intrinſecè actuans; ſed ſuo modo ad illum terminatur, quatenùs illuminat totũ medium interiectum vſque ad illud, quod ipſi colorato eſt immediatum; vt color, alioquin ex ſe viſibilis,emiſſis per mediũ vſque ad viſum ſpeciebus poſſit ipſi viſui iam illuſtrato elucere,& viſibiliter apparere: & ad hunc ſenſum dicitur lucere viſui ſub lumine, tanquam medio *ſub quo*.

Auerroes. D.Thom. Ægidius.

Ad eundẽmodum lumẽ gloriæ ad intellectum ſe habet, vt forma intrinſeca, cum tãquam quoddam diaphanum materiale formaliter actuãs, & illuminans, ſimiliter, & ſpecies formaſque intelligibiles, quæ ſunt veluti medium,*quo* diuina eſſentia intellectui obiectiuè cõiungitur: ad ipſam verò eſſentiam ſe habet, veluti ad terminum, vt coniuncta cum intellectu mediante intelligibili forma, poſſit illi illucere,apparereque. Ita fit, vt lumẽ glorię non ſit forma actuans diuinã eſſentiam; nec illam reddens actualiter lucidã (illa enim ex ſe eſt lux)ſed ſolùm eſt forma, quæ illuſtrando intellectum, & formam intelligibilẽ illius,habet ſe tanquam medium *ſub quo* diuina eſſentia fit coram intellectu. Quare eſſe medium *ſub quo* ad viſionem nihil eſt aliud, quàm eſſe diſponem quandam neceſſariam, vt diuina eſſentia fiat coram intellectu: ſiue illa diſpoſitio ſit conditio ſine qua non, ſiue ratio aliqua extrinſeca in ordine ad diuinã eſſentiam. 20.

§. 3.
Soluuntur argumenta.

SVpereſt diſſoluere argumenta, quæ ſecundam,& tertiam concluſionem impugnãt: nam prima apud omnes eſt indubitata. Ad fundamentum Cabrerę contra ſecundam negandũ eſt medium *ſub quo* tenens ſe ex parte obiecti conſtituere ipſum obiectum actu intelligibile: hoc enim nunquã probabit: lumen enim ſenſibile apud illum num. 12. eſt mediũ *ſub quo* ex parte coloris: & tamen vel nõ conſtituit colorem in actu primo apud eos,qui negant, illud poni ex parte obiecti; vel ſi illum conſtituit in actu primo, vt alij volunt; id facit, non vt eſt mediũ *ſub quo*,ſed vt eſt forma actuans ipſum colorem in eſſe coloris in actu: lumẽ etiam intellectus agentis eſt medium *ſub quo* 21. Ad 1.arg.

obiecta

obiecta intelligibilia apparent, & veritas connexionis principiorum, & concluſionum, vt diximus q. 2, art. 1. §. 3. & tamen non conſtituit ipſa obiecta intelligibilia in actu primo intelligibilis; nec tale munus poteſt exercere in prima principia, quæ illuminat. Quare negandum eſt id, quod tanquam veriſsimum ſuppònit Cabrera.

22. Ad fundamentum opinionis, quæ nullum lumē in patria admittit in beatis, niſi increatum, iam reſpondimus ſuprà q. 3. art. 1. §. 3. n. 17.

23. Ad 2. Ad ſecūdum contra eandem dicimus, diuinam eſſentiam eſſe quidem actu intelligibilem intelligibilitate, quæ conſequitur negationem materiæ; non tamen intelligibilitate obiectiua, quæ eſt in ordine ad intellectum, vt cum D. Thoma, & alijs diximus q. 4. huius libri art. 1. §. 4. n. 42. & lib. 8. in 2. p. q. 3. art. 7. n. 1. & ſatis lib. 6. q. 1. art. 4. §. 6. n. 61. Cum verò hoc intelligibilitatis genere interdum ſit intelligibilis in potentia abſque vlla imperfectione; inde eſt, vt non ſemper ſit coram intellectu, nec ſemper illi obiectiuè appareat; ratione cuius indiget non ſolùm ſpecie, in qua obiectiuè repræſentetur, tanquam medio *quo*; ſed etiam lumine, vt per illud, tanquam per medium *ſub quo* actualiter appareat intus intellectū.

24. Ad argumēta contra 3. concl. Contra tertiam concluſionem objicit idem Cabrera: quoniam medium *ſub quo* ex parte potentiæ eſt id, quod conſtituit potentiam in actu primo ad videndum: iam verò lumen gloriæ intellectum beati conſtituit in actu primo.

25. Reſponſio. Sed in vtroque decipitur: quoniam nec potentia cognoſcens conſtituitur in actu primo per medium videndi *ſub quo*, ſi propriè loquendum eſt; nec lumen gloriæ conſtituit in actu primo intellectum beati. Hoc poſterius iam oſtendimus ſuprà artic. 6: illud verò prius ſatis oſtendit D. Thomas *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15.* dū ait, medium *ſub quo* perficere potentiam ad videndum in generali, non determinans eam ad aliquod determinatum obiectum. Iam verò id, quo potentia conſtituitur in actu primo determinat potentiam ad obiectum certum, & determinatum: inde enim eſt, vt potentia in actu primo conſtituta iam ſit in potentia proxima, & immediata ad operandum; quia operari poteſt, cū voluerit, vt docet Ariſtoteles 3. *de Anima c. 4. text. 8.* Patet igitur, doctrinam, quam author ille, tanquā veriſsimam ſupponit, longè eſſe à doctrina, & explicatione, qua D. Thomas explicat medium *ſub quo* potentia intelligit. *Ariſto.*

D. Thom.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit, vt intellectus recipiat viſionem à ſe productam?

TITVLVS quæſtionis ſatis explicat hoc loco ſermonem eſſe de lumine gloriæ ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem beatam: nam inferiùs q. 7. huius libri explicandum erit, vtrùm lumen gloriæ ſit neceſſarium ad recipiendam viſionem, ſi intellectus ſolū paſsiuè ſe habeat ad eam? etenim diuerſa ſunt huius, & illius quæſtionis fundamēta. Illud primum aduertemus, quæſtionē iſtam factam eſſe, & intellectu, & explicatu difficilem confuſione opinionum: vix enim intelliges quæ plerique tum in ſua explicanda opinione; tum in referendis opinionibus aliorum ſcribunt; enitemur autem eam ita explicare, vt ſingulorum ſentētijs explicatis, ſingularum probabilitas appareat. 1. Dē quo lumine ſit ſermo.

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

DE propoſita difficultate in ſenſu explicato, variæ reperiuntur opiniones. Quidam ſimpliciter probant partem negantem in terminis à nobis propoſitis, ita *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 3. ad 1. Scoti contra 2. fol. 207. col. 1.* vbi admittit lumen gloriæ in intellectu, vt eliceat viſionem; non tamen vt eam recipiat: ſolùm enim illud ponit ad recipiendum diuinam eſſentiam per modum formæ intelligibilis, & actus primi; & aſſerit, hanc eſſe mentem D. Thomæ. Eandem ſententiam ſcribit *ad argumenta Aureoli 2. loco contra eandem ſecundā, fol. 208. col. 3.* Cum Capreolo generaliter conſentit *Hiſpalenſis in eodem loco q. 4. artic. 4. ad ea, quæ 2. loco objicit Durād. fol. 215. col. 3.* eandem explicauit *Soncinas ibidem q. 4. ad 1. Scoti contra ſecundam, fol. 87. col. 2.* vbi etiam 2. Partis negātis Patroni. *Capreol.* *Hiſpalen.* *Soncinas.*

Sotus. Ferrarien. Ripa. *etiam Sotus q.2.art.4.§.Vnde ad argumentum pag.590.col.1.poſt principium, Ferrar. 3.contra gent.c.54.fol.277.col.3. §.Ad 1. dicitur primo, Ripa 1.p.q.12.art.5.dub.1.c. 2.concl.2.ad finem fol. 52. col. 3. in principio.* Suarius. In proprijs terminis eandem ſimpliciter probauit *Suar.lib.2.de Attrib.negat. c.15:* diſputans enim hanc quæſtionem à n.22. pluribus opinionibus relatis,ac reiectis, hanc negantem abſolutè probat n. 27.in fine, ita inquiens: *& ideò dicendum videtur, illud lumen non habere rationem potentiæ receptiuæ, ſed tantùm principij actiui viſionis; quia re vera intellectus per ſe ſufficienter eſt capax actus ſupernaturalis, quamuis non ſit per ſe ita ſufficiens ad efficiendum illum.* Quibus verbis ſatis explicat ſe loqui de intellectu eleuato per lumen ad eliciendam viſionem:& tamen expreſſè docet, tale lumen non habere rationem potentiæ receptiuæ; quia per ſe ſufficienter eſt capax ad recipiendum actum ſupernaturalem,&ſubinde ipſam ſupernaturalem viſionem. *Vbi n.24.pro eadem negante ſententia refert Scotum in 4.diſt. 49. q. 15. & latè in 3.diſt.14.q.2:* Scotus in locis citatis à Suario nihil dicit. ſed in primo loco nihil hac de re ſcribit; in ſecundo autem ſupponit, intellectum ſolum paſsiuè cõcurrere ad viſionem, vt facilè intelliges, ſi attentè perlegas, quæ ibi ſcribit à principio litera A.B.C. maximè in §. *Si autem quæratur.* Sed tamen negantem iſtam opinionem in noſtris terminis ſatis mihi probat idem *Scotus in 4.diſt.49.q.11. litera E. in 1.concl.* Scotus pro hac ſententia. ibi enim ſimpliciter docet, animam ex puris naturalibus eſſe ſuſceptiuam viſionis: quam ſententiam non ſolũ intelligit, ſi intellectus ſit merè paſsiuus, vt declarat litera C. ſed etiã ſi ſit actiuus, vt patet ex §. *Ex hoc ſequitur corollarium,* dum ait, *ſi aliquid ſupernaturale reperitur in intellectu, illud reperiri propter actionem; non verò propter receptionem:* his verbis ſupponens poſſe intellectum eleuari, vt actiuè concurrat ad viſionem, quin eleuetur ad eam ſuſcipiẽdam; vt quia ſuis naturalibus ſit illius ſuſceptiua. Eandem negantem ſententiam abſolutè probauit *Mol.1.p.q. 12.art.5.diſp.1. concl. 3. §. Probatur verò concluſio, pag.116. col.2.E. F.* Molina. vbi ſimpliciter ſcribit, nullam dari rationem conſtituendi lumen ad ſuſcipiendam viſionem: cum tamen in prima concluſione indubitanter affirmet, intellectum actiuè concurrere ad viſionem, ſimiliter & lumen, vt declarat concluſ. 3. Eandem ſententiã in noſtris terminis magis probat *Pezantius 1.p.q.12.art.5.diſp.1. §. Vtrum lumen ſit diſpoſitio pag.57.col.1.ad finem, eandem magis probat Salas 1.tom.ad 1.2. q.3.tract. 2.diſp.5.ſect.3.in 2.difficult.pag.352.col. 2.§.Sed tenenda eſt.* Pezantius. Salas. Bellolom. Bellomont. negat lumen ponendum eſſe ad recipiendam viſionem: quamuis non ſatis explicet, an teneat illam ſententiam ſuppoſita actiuitate intellectus, vt patet *ex 1.p.diſp.43.c.1. n.1.* Quod etiam inuenio apud Durand. *in 4.diſt.49. q.2.n.22.& 23:* Durand. negat enim lumen concurrere ad receptionem viſionis; nihil tamen explicat, an id affirmet, etiamſi intellectus actiuè concurrat, an verò ſi ſolum concurrit paſsiuè: communiter tamen citari ſolet pro hac ſententia negante. Hos Theologos inueni pro illa in terminis à nobis propoſitis.

5o Patroni partis affirmãtis. Opinionem tamen affirmantem lumẽ gloriæ neceſſarium eſſe, vt intellectus recipiat in ſe viſionem à ſe elicitam pleriq; probauere. In terminis eam recipiunt *Salas vbi ſuprà pag.351.col.1.poſt principium,* Salas. Cabrera. Ledeſma. *Cabrera ad 3.p.q.9.art.2. diſp.8. concl. 1. expreſſè Ledeſma de diuina perfectione q.8. art.8.concl.4.pag.576.col.2.vbi in hæc verba: quarta concluſio: lumen gloriæ eſt neceſſarium, vt diſponat intellectum ad ſuſcipiendã viſionem, quam ipſe lumine gloriæ illuſtratus elicit:* vbi affirmat, aliquos ex modernis Theologis hanc ſententiam tenere. Eandem abſque dubio tenet *Carthuſianus in 3.diſt.14.q.1.ad finem, §. Ad quod dico.* Carthuſia. Ouandus. Et ſi ſermo ſit de potentia ordinata, idẽ ſentit *Ouand. (quidquid oppoſitũ ſcribat Salas) in 4.diſt.49.propoſitione.7.fol.105.pag.1.* vbi vult hanc eſſe mentem Scoti, de quo tamẽ maximè dubito, vt ex dictis patet. Pro eadem ſententia affirmante Salas vbi ſuprà refert *Capreol.& Ferrar.locis citatis:* ſed hos doctores minimè legit; ſi enim eos legiſſet, vtique inueniſſet, eos verbis expreſsis ſtare pro ſententia negante. Ab eodem & communiter ab alijs citatur *Paludanus in 4.diſt.49.q.1.art.3. concl. 1. & 2.* ſed ſi diligentiùs expendatur, non loquitur in terminis noſtræ quæſtionis; quia ſupponit intellectum ad viſionem habere ſe merè paſsiuè. Quin potiùs, ſi actiuè ſe habeat ad negantem partem potiùs accedit: etenim, ſi intellectus actiuè

con-

cõcurrit, cõcurrit ſolùm, vt inſtrumentũ, vt ipſe Palud. explicat n. 41. & ideò non requirit diſpoſitionẽ aliquã, niſi eſſe motum. Quare non benè citatur Palud. pro hac affirmatiua ſentẽtia; ſicut etiã non be-

Nec bene citatur Marſilius. nè pro eadẽ adducitur *Marſil. in 3. q. 10. cõcl. 1. poſt dubiũ incidens fol. 414. col. 4.* quia ex ſequẽtibus apparet, eũ ſupponere intellectũ paſſiuè tantùm ſe habere.

7\. *Nec Rich.* Solet etiã citari *Richard. in 4. diſt. 49. art. 3. q. 2.* ſed cum non ſatis explicet, an intellectus actiuè concurrat; non ſatis conſtat, an affirmatiuam ſententiã probet, in terminis à nobis propoſitis.

Nec Heru. Sicut etiam nõ cõſtat, an Heruæus *quodlib. 5. q. 3.* in ijſdem eam approbet.

Nec Palat. Pro ea eſt Maior. Sed nec inuenire potui, quomodò pro ea citari poſsit *Palatius in 4. d. 49. diſp. 1.* Poteſt tamen pro ea citari *Maior ibidẽ q. 4. §. Iſta argumenta inquirunt, & inferiùs in Epilogo concl. 1.* vbi ſimpliciter requirit lumen ad recipiẽdam viſionem; cũ tamen non reijciat intellectum habere actiuitatem in eam.

8\. *Bene facit Caiet.* Denique pro eadem ſentẽtia adduci poteſt *Caiet. 1. p. q. 12. ar. 5.* ſi quæ ſcribit, ſubtiliter expendantur: nam cũ expreſſè doceat, formam intelligibilẽ, & ipſam intellectionẽ, pro vno termino, formaq; computari, vt patet ex §. *Circa primæ conſequentiæ probationem, verſ. Ad 2. autem dicitur:* & ſimul doceat, lumẽ gloriæ eſſe neceſſarium, vt intellectus ſuſcipiat diuinam eſſentiam, tãquam formã intelligibilem; vtiq; ſatis docet, illud etiã neceſſarium eſſe ad viſionem recipiendã: quamuis id clarè non ſcribat. Hos Theologos inueni pro hac affirmatiua ſententia, in terminis à nobis propoſitis.

9\. *Opinio media.* Sententia veluti media non admittit lumen gloriæ, vt veram diſpoſitionem ad recipiendam viſionem; admittit tamen illud tanquam neceſſarium, vt illa in intellectu recipiatur. Hæc opinio colligitur

Nauarret. Lorca. ex *Nauarrete 1. tom. contron. 38. §. 2. & ex Lorca ad 1. 2. diſp. 31. mẽb. 1. pag. 170. col. 2.* Et quãuis ambo cõueniant, quòd lumẽ gloriæ non ſit neceſſarium, vt diſpoſitio ſimpliciter: diſſentiunt tamen in modo explicandi, quomodò neceſſarium ſit ad

Lorcæ opinio. recipiendã viſionem. Etenim Lorca *vbi ſuprà §. 2. certum exiſtimo*, ideò putat lumen eſſe neceſſarium, vt intellectus in ſe recipiat viſionem, quia neceſſarium eſt, vt naturalis capacitas intellectus ad viſionem recipiendam augeatur, & vt ab ea tollatur defectus ad talem receptionem: ſicut enim virtus naturalis intellectus ad viſionem eliciendam indiget lumine, vt ſuppleatur inſufficientia, & defectus virtutis naturalis ad videndum; ita etiam capacitas naturalis ad recipiendam viſionẽ indiget lumine, vt ſuppleatur defectus ad recipiendum. Hæc ex Lorca: apud quem lumen non requiritur, vt diſpoſitio, qua intellectus diſponatur ad viſionem recipiendam; ſed vt auferens à naturali intellectus capacitate inſufficientiam naturalem ad receptionem.

10\. *Opinio Nauarre. inintelligibilis.* Quomodò Nauarrete ſuã explicet opinionẽ, planè non intelligo: ita enim omnia confundit, vt aut nihil percipias; aut pugnantia; explicabo tamẽ, quę ex eo potui colligere. Fatetur intellectũ nõ poſſe immediatè recipere viſionẽ: ita enim ſcribit, fol. 239. col. 3. A: *dicimus ergo; quòd potentia illa non poteſt immediatè per ſe ipſam recipere actũ viſionis, ſed debet eſſe actuata per lumen gloriæ:* per lumen, inquã, tanquã per actũ medium: ita enim ſcribit literaB. *ſimiliter ergo actus viſionis eſt actus vltimus; & conſequenter ad eũ recipiendum redditur ſubiectũ capax per actum medium, cuiuſmodi eſt lumen gloriæ.* Addit tamen, lumen diſponere intellectũ ad ſuſcipiendã viſionẽ; non ſimpliciter tanquã ad actum, ſed tãquam ad cõplementũ ipſius luminis. Ita formaliter ſcribit fol. 240. col. 1. §. *Dicimus ergo. 2.* Ex quo infert, lumen nõ eſſe in potentia ad recipiendam viſionẽ, tanquam diſpoſitionẽ ſimpliciter, ſed quatenus per ipſam viſionẽ perficitur, & completur ipſum lumẽ eo modo, quo habitus perficitur per actũ. Cum verò omne perfectibile ratione ſuæ potentialitatis reducatur ad genus cauſæ materialis, indè infert, lumen antecedere viſionẽ in eo genere cauſæ, tanquã diſpoſitionem illius; non quidẽ ſimpliciter, ſed ſecundũ quid: & inde rurſus infert, intellectũ mediante lumine recipere viſionẽ, non vt cauſam ſimpliciter materialẽ, ſed ſecundũ quid: Hæc collegi ex ſubtiliſsimo Theologo gratia exercendi ingenij: ex quo fit, opinionem iſtam nec conſentire cum negãte, nec cum affirmante ſententia; ſed mediam tenere viam tali dignam ingenio.

11\. *4. opinio.* Quartã adhuc inuenio opinionem; quę docet viſionẽ nõ recipi in intellectu tanquã in ſubiecto primo, ſed in toto cõpoſito

ſito cōſtituto ex intellectu, & lumine; ſicut apud nōnullos quātitas nō recipitur in materia prima, ſed in toto compoſito. Apud authores huius opinionis negandū erit viſionē recipi in ſuo ſubiecto mediate lumine, cū recipiatur in toto cōſtituto ex lumine, & intellectu: ſicut enim ab illo toto immediatè emanat viſio; ita in illo toto immediatè recipitur. Qui hanc opi-
Salas. nionē ex profeſſo probaret, inueni nemi nem: vnus eſt Salas, qui dicat non eſſe incōuenions, ſi id dicamus, vt patet 1. *tom.*
Suarius. *ad* 1.2.*q.*3.*tract.*2.*diſp.*5.*ſect.*4.*pag.* 353. *Suar. eam refert* 2.*lib. de Attribut. negat. c.* 15.*n.* 27. & putat eam nōn eſſe certam, non tamen omnino improbabilem.

§. 2.

12. *Sententia affirmans variè explicatur.*

Vera eſt opinio affirmans. Sed antequā ſentētiam explicemus, quā putamus verā, operæ pretium erit explicare varios modos, quibus patroni ſentētiæ affirmantis eam explicant: mira enim etiam eſt in hoc ingeniorum varietas, vt colliges ex Suario *lib.* 2.
Suarius. *de Attributis negatiuis c.* 15. *in quinta explicatione n.*22.*cum ſequentibus.*

13. Præmiſſ. 1. Pro huius explicatione oportet nōnulla prȩmittere. Primū eſt, diſpoſitionē hoc loco nō ſumi latiſsimè pro quacunq; forma ſubiectū afficiēte: nam cū iſto modo omnis forma appelletur diſpoſitio, nullꝰ dubitat, lumē gloriæ intellectū informās eſſe diſpoſitionē. Nec ſimiliter ſumitur ꝑ
Ariſtotel. diſpoſitione definita ab Ariſt. in 5. Met. c. 19. pro ordine habēte partes, aut ſecundū locū, aut ſecundùm virtutem, ſeu poteſtatē, aut ſecundùm formā: nullus enim poteſt dubitare, lumen gloriæ iſto modo eſſe diſpoſitionē. Quomodò autē habeat partes, quę inter ſe ordinētur? alterius eſt quæſt. Nec 3. ſumitur diſpoſitio pro prima ſpecie qualitatis, ſiue illa eſſentialiter diſtinguatur ab habitu, ſiue ſolū accidētaliter: quia diſpoſitio iſto modo ſumitur ꝑ qualitate bene, vel malè diſponēte ſubiectū ad ſuas operationes, vt cōmuniter explicāt interpretes *in prædicamentis c. de qualitate, vbi Conimbr. q.* 1.*ar.*3.*ſect.*1.*pag.*
Conimbr. Suarius. 372.§.*Diſpoſitio quoq́, & latè Suar. in Metaph. diſp.*42.*ſect.*4.*n.*15.*cū ſequētibus*: nec enim agimus de diſpoſitione ad agendū. Quare ſumitur diſpoſitio nimis preſſè ꝑ forma præparāte ſubiectū ad recipiendū aliquā vlteriorem formā, & perfectionē: in quo ſenſu frequētiſsimè ſumitur à Philoſophis agentibus de præparatione materiæ ad formā ſubſtātialē, vt aduerterūt Conimbricēſes vbi ſuprà, & de hac diſpoſitione agit D. Thomas *in* 4. *diſt.* 7. *q.* 2. D. Thom.
art. 5. *quæſtiuncula* 1. In hoc igitur ſenſu inquirimus; vtrum lumen gloriæ requiratur ad recipiendā viſionem beatificam.

Præmittendum 2. duplex genus diſpoſitionis eſſe diſtinguendū. Primū eſt, 14. Præmittendum. 2.
diſpoſitionis ſuſceptiuæ eius, ad cuius receptionē diſponit, vt quia eā in ſe recipit, & per eam forma recipitur in ſubiecto. Hoc modo quātitas ſuo modo eſt diſpoſitio ad qualitates materiales, & corporeas, v.g. ad colorem: ita enim diſponit, vt color recipiatur in ipſa quātitate, & mediante ea in ſubſtātia. Eodem etiā modo ſe habet potētia tàm cognoſcitiua, quàm appetitiua ad ſuas actiones: etenim intellectio nō poteſt recipi in anima, niſi recipiatur in intellectu; nec volitio, niſi recipiatur in volūtate. Secundū genus eſt diſpoſitionis nō receptiuæ formæ, ad quam diſponit; quia ita diſponit ſubiectū ad recipiendam formā, vt eam in ſe non recipiat: talis eſt diſpoſitio caloris ad formam ignis: ita enim diſponit, vt in ſe formā ignis nō recipiat. Eodē modo ſpecies intelligibilis ſuo modo diſponit ad receptionē actus intelligendi in intellectu, vt ipſa eū in ſe nō recipiat, vt ſupponimus. Duplex iſtud genus diſpoſitionis eſſe diſtinguendū, docet Philoſophia, de qua *Palud.* Diſpoſitionis duplex genus.
in 4.*diſt.*49.*q.*1.*ar.*3.*cōcl.*2.*n.*34.*& Suar.* Palud.
*lib.*2.*de attrib. neg. c.*15.*n.*25.*& Cabrer. ad* Suarius.
3.*p.q.*9.*art.*2.*diſp.*8.*concl.*2.*n.*16.*pag.*817 Cabrera.
*col.*1.*& ſatis ſignificauit D. Thomas de ſpi*- D. Thom.
*ritualibus creaturis q.*1.*artic.*3. *de quo vide ſuprà art.*3.*huius quæſtionis* §.4.*n.*38.

His ita præmiſsis referēdæ ſunt variæ 15.
opiniones eorū, qui probant 2. opinionē Opinio quorundam.
ſimpliciter affirmatiuā. Quidam putant, lumen gloriæ non ſolū eſſe diſpoſitionē, qua mediante viſio recipiatur in intellectu; ſed etiā eſſe diſpoſitionē ſubiectiuam, receptiuāq; ipſius viſionis, ita vt viſio recipiatur in ipſo lumine, tanquā in ſubiecto: eo modo, quo color recipitur in quātitate. Hanc opinionē probaſſe nōnullos refert *Suar. in d. c.* 15. *n.* 26. *Quā vt probabiliorē defendit Cabrera in d. diſp.* 8. *concl.* 3. Suarius.
*n.*22: nec poſſunt non probare, qui putāt Cabrera.
lumen gloriæ eſſe totam potentiam intelle-

tellectus; etenim actus potentiæ in ipſa potentia ſubiectatur.

16. Oppoſita ſententia. Oppoſitam ſententiã probant alij: admittentes enim lumen, vt diſpoſitionem ad recipiendam viſionẽ, eam non admittunt, vt receptiuam illius, eo modo; quo calor diſponit ad formam ignis, illam tamen non recipit, vt ſubiectũ, ſed ipſa forma immediatè recipitur in materia prima. Hanc etiam ſententiam refert *Suar. in dicto c. 15. n. 25.* & quanuis ibidem eã non probet, non negat tamen eſſe probabilem: quam vt probabilem defendit *Cabrera vbi ſuprà concl. 2. n. 16.* Suarius. Cabrera.

17. 3. opinio. Tertia ſententia admittit quidem lumen, vt diſpoſitionem ad viſionem; non tamen primò, & per ſe diſponit ad eam, ſed conſequenter & ſecundariò; quatenus primò & immediatè diſponit ad recipiendam diuinam eſſentiam, vt actum primum; ex conſequenti verò diſponit ad ipſam viſionem, vt ad actum ſecundũ. Quam opinionem refert *Nauarrete in dicta controu. 38. §. 2. fol. 239. col. 4. C.* & mihi ſatis eam probat *Ledeſma in d. q. 8. art. 8. concl. 4.* ſi expendantur, quæ ſcribit *pag. 577. col. 1. §. Itaque imaginandum eſt.* Hanc opinionum varietatem circa quæſtionem propoſitam non ſine magno labore ex ſcriptoribus potui colligere. Quid tamen dicendum nobis videatur, iam dicimus. Nauarre. Ledeſma.

§. 3.

Reſolutio quæſtionis.

18. Reſoluitur quæſtio: 1. concluſ. Vera quęſtionis reſolutio his aſſertionibus continetur. Sit prima aſſertio: *Admitti debet lumen gloriæ, vt vera diſpoſitio intellectus ad recipiendũ in ſe viſionem beatam.* Hæc aſſertio ponitur pro ſecunda opinione contra primã: Fundamentum. probatur; quoniam forma, quæ verè pręparat ſubiectum ad recipiendum aliquam vlteriorem formam, & perfectionem, eſt vera & propria diſpoſitio ſubiecti ad talem formam. Sed lumen gloriæ non ſolũ diſponit intellectum, vt agat in viſionem; ſed etiam verè & propriè præparat illum ad eam in ſe recipiendã. Ergo lumen gloriæ eſt vera, & propria diſpoſitio intellectus ad recipiendũ in ſe viſionem. Diſcurſus eſt legitim⁹: maior autẽ ſatis patet ex primo notabili: Philoſophi enim agentes de diſpoſitionibus materię ad formam, & potentiæ ad actũ, in hoc ſenſu ſumũt diſpoſitionẽ, tanquã hoc ſit verũ, & propriũ huius nominis ſignificatum; imò in hoc ſenſu diſpoſitionem preſſè ſumi, aſſerũt Conimb. loco citato; Minor verò (in qua eſt difficultas) facilè probatur ex recepta Ariſt. Philoſophia *in 2. de Anim. c. 2. tex. 24. & 26.* quæ docet actũ nec fieri poſſe, nec recipi, niſi in propria potentia, qualis eſt, quę eſt ipſi actui proportionata, & diſpoſita ad ipſum recipiendũ. Sed intellectus in ſe ſumptus eſt omnino improportionatus in ordine ad viſionẽ. Ergo indiget ſupernaturali aliqua eleuatione, vt fiat proportionata potẽtia ad recipiendã viſionem. Minor huius ſecundi diſcurſus neganda eſt ab Scoto, & Baſſolio, qui expreſſè docẽt oppoſitũ. Sed profectò ſine vllo fundamento negabitur; quoniam euidenter demõſtratur: docet enim vera Philoſophia diſpoſitionẽ, qua potẽtia eſt proportionata actui, eſſe eiuſdem ordinis cũ ipſo actu: nõ ſolũ in hoc ſenſu, vt ſi vna eſt ordinis naturalis, & altera naturalis ſit ordinis, & è cõuerſo, ſi vna ſit ſupernaturalis, ſupernaturalis ſit & altera: ſed etiam in hoc ſenſu, vt cui vna eſt naturalis, cõnaturalis ſit & altera; ſicut etiã, cui vna ſuper naturalis fuerit, altera etiã ſupernaturalis ſit: in quo ſenſu Philoſophiã iſtam explicauit *Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. §. In reſpõſione ad 3.* quẽ refert, & ſequitur doctiſsimus *Fonſeca in 7. Met. c. 1. q. 2. ſect. 3. lit. F. pag. 243. col. 1. & cõmuniter alij.* Hac ſuppoſita Philoſophia iam patet demõſtratio illius minoris: quoniã intellectus, quaten⁹ eſt potentia paſsiua ad recipiendum actũ intelligendi, ſi ſumatur ſecundũ ſuas virtutes paſsiuas, quibus eſt illius receptiuus eſt ordinis naturalis, vt patet. Ergo ſecũdum naturales diſpoſitiones nõ eſt potentia proportionata ad viſionẽ recipiendã. Probatur cõſequentia; quia diſpoſitiones illæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt eiuſdem ordinis cum viſione beata, cum hæc ſit ſupernaturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt dicemus lib. 11. Iam verò potentia receptiua non poteſt eſſe ꝓportionata actui, niſi per diſpoſitiones, virtuteſq; paſsiuas, quæ ſint eiuſdẽ ordinis cum eo. Ariſt. 19. Minor negari non debet. Caiet. Fonſeca.

20. 2. ratio. Accedit etiã; quia ex eadẽ Philoſophia, diſpoſitio, qua potentia aptatur ad recipiendũ actũ, in h[illegible] ſẽſu debet eſſe eiuſdẽ ordinis cũ eo, vt ſi actus fuerit ſupernaturalis ipſi potẽtiæ, & diſpoſitio eidẽ debeat eſſe ſupernaturalis. Sed viſio beata non

nõ eſt cõnaturalis potentiæ intellectiuę, ſed ſupra naturam illius, vt docet fides. Ergo ipſa etiã diſpoſitio, quã intellectus debet proportionari viſioni, non debet eſſe connaturalis illi, ſed ſupra naturam eius. Qui igitur fieri poteſt, vt intellectus ſecundum ſuam naturalem virtutẽ,
21. 3. ratio. potentiamque paſsiuam ſit proportionatus ad recipiendam viſionem?

Tertiò accedit; quoniam virtus actiua intellect⁹ creati nudè ſumpta in ſuis pręciſè naturalibus, improportionata eſt ad agendũ in viſionem beatam. Ergo virtus paſsiua illius, ſi nudè ſumatur, erit etiam improportionata ad eam recipiendã. Antecedens eſt de fide, vt oſtendimus lib. 6. q. 2. & lib. 7. q. 3. Cõſequentia probatur, quia aliàs ſequeretur dari potentiã paſsiuam naturalẽ receptiuã alicuius actus, cui
Ariſto. non reſpõdeat naturalis potentia actiua; quod eſt contra receptũ axioma ſumptũ ex Ariſt. ex 9. *Metaph.* (vt communiter dicitur) *omnis potentiæ paſsiuæ naturali correſpõdet aliqua naturalis actiua.* Quã Philoſophiã docuit Cõmentator, affirmans nõ inueniri potentiam paſsiuã in natura, niſi
Commentator. reſpectu eorũ, ad quę aliqua potẽtia actiua naturalis ſe poteſt extendere, Cõmentatorem
D. Thom. ſequitur *D. Thom. de Verit. q. 18. art. 2. & 5. poſt princip. & in 3. diſt. 26. q. 1. art. 2. & in 3. cont. gent. c. 45. in medio, vbi*
Ferrar. Fonſeca. Suarius. *Ferrar. §. Circa illã propoſitionẽ, Fonſeca 1. Met. c. 1. q. 2. ſect. 3. pag. 62. §. Ex his collige, & Suar. in Met. diſp. 43. ſect. 2. n. 12.* Si verò in intellectu dari non poteſt potẽtia paſsiua naturalis, reſpectu viſionis beatæ, quin reſpectu eiuſdem in eodẽ intellectu detur etiam naturalis actiua; à deſtructione cõſequentis ad deſtructionem antecedentis, bene infertur, non poſſe virtutem actiuam intellectus eſſe improportionatã ad eliciendam viſionem; quin virtus naturalis paſsiua in eodem ſit improportionata ad viſionẽ recipiendam: quæ fuit minor ſecundi diſcurſus. Porrò ſi intellect⁹ improportionatus eſt ad recipiendam viſionem: ergo indiget lumine gloriæ, vt fiat potentia illi proportionata. Et ex cõſequenti lumen gloriæ erit vera & ꝓpria diſpoſitio intellectus ad recipiendã viſionem, cũ illũ diſponat ꝑ vlteriorẽ formã, & perfectionem, quod eſt proprium veræ diſpoſitionis. Veriſsima eſt igitur noſtra prima aſſertio.

Si verò quæras, quomodò lumen intellectum paſsiuè diſponat ad viſionem recipiendam? Reſpondebo, non ſolùm diſponere eleuando illũ ad eſſe ordinis diuini; ſed etiam actuando immaterialẽ illius diaphaneitatem, dum illum facit eſſe actu illuminatum, & tranſparens: vtrũq; enim neceſſarium eſt, vt intellectus ſit debitẽ diſpoſitus, aptuſq;, vt recipiat viſionem. 22. Quomodò lumen diſponat paſsiuè.
Quòd primum ſit neceſſarium, patet ex immediatè dictis: quoniam potentia & actus debent eſſe eiuſdem ordinis quoad cõnaturalitatem, in hoc ſenſu, vt ſi actus ſit ordinis ſupernaturalis, potentia etiam ſupernaturalis ſit ordinis. Sed viſio eſt actus ordinis ſupernaturalis, vt patet. Ergo potentia illi propria debet eſſe ordinis ſupernaturalis, & diuini: talis autem eſt intellectus lumine gloriæ illuſtratus: eſt enim ſupra ſe eleuatus ad ordinem diuinũ; quia poſitus ſupra ſe eſt totus deificatus, vt ait *Dionyſius c. 7. de diuinis nomi. in illis* Dionyſius
verbis, Sed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos deificatos. Quòd verò illud ſecundũ etiã ſit neceſſariũ, facilè oſtẽditur: quia ſicut potentia viſiua debet eſſe actu illuminata lumine ſenſibili, vt poſsit in ſe viſionem recipere, vt ex vera Philoſophia ſupponimus; ita etiã potentia intellectiua debet eſſe actu illuminata, vt poſsit in ſe recipere intellectionem. Itaq; lumen gloriæ eleuando intellectum ad eſſe diuinũ, dat poſſe operari diuinam viſionem; quia ad eſſe ſequitur operari: illuminando autem diſponit ad recipiendam viſionem, quam intellectus virtute eiuſdem luminis operatur. Quod in hac materia eſt diligenter annotandum.

Secunda concluſio: *Lumen gloriæ non* 23.
eſt diſpoſitio receptiua viſionis, ſed eſt diſpo- 2. concluſ.
ſitio quædam pura, & ſimplex diſponens intellectum ad receptionẽ illius abſque eo, quòd eam ſubiectiuè recipiat. Nõnullos hanc cõcluſionem probaſſe teſtatur *Nauarrete in* Nauarre.
dicta controu. 38. §. 2. fol. 239. col. 4. in principio, vbi lit. B. eam videtur probare, ſed clarius fol. 240. col. 2. in 3. dicto, vbi expreſſè ſcribit, lumen non recipere in ſe viſionẽ. Satis eam probauit *Paludanus in 4. diſt. in.* Palud.
49. *q. 1. art. 3. concl. 2. n. 34.* & ſuppoſito, quod lumen ſit diſpoſitio, noſtram concluſionem putat eſſe veriſsimam Suar. *in* Suarius.
dicto lib. 2. de Attribut. negat. cap. 15. n. 26. affirmans oppoſitã ſententiã eſſe falſam.

Putat

Cabrera. Putat eſſe probabilem Cabrera 3. *p. q.* 9. *art.* 2. *diſp.* 8. *concl.* 2. *n.* 16. quanuis oppoſitam putet eſſe probabiliorem.

24. 1. ratio. Huius cōcluſionis fundamētum ex eo ſumit n. 19. & 20: quoniam diſpoſitiones, quib⁹ materia prima redditur apta ad ſuſcipiendū formā ſubſtantialē, nō recipiunt in ſe ipſam formā, ſed forma immediatê recipitur in materia. Ergo diſpoſitio luminis gloriæ, qua intellectus recipit viſionē, nō recipit in ſe viſionē, ſed eam immediatè recipit intellectus. Conſequentiam tamen non probat: at poſſet eā probare; quia intellectus in genere intelligibili eſt pura potentia, & viſio eſt vltima forma: eodem igitur modo eam debet recipere, quo materia prima recipit formā. ¶ Sed hæc ratio parum habet efficaciæ.

Non placet. 25. 2. ratio. Secūdò idem ex eo id probat; quoniam actus virtutū acquiſitarum non recipiūtur in ipſis habitibus, quibus potētia diſponitur ad recipiēdos actus. Idem dicitur de actibus virtutum infuſarum fidei, ſpei, & charitatis. Deniq; idem dicēdum eſt de quocunq; habitu, qui effectiuè concurrit ad actū. Ergo nec viſio beata recipietur in habitu luminis. ¶ Sed nec iſta ratio ſatis videtur: quia ſumit mediū cōtrouerſum. Non ſatis placet.

26. 3. ratio. 3. fundamentum eſt Paludani: quando diſpoſitio ſuſceptiua formæ ſeparatur à ſubiecto, trahit ſecū formā, ad quā diſponit, vt patet in quātitate ſacroſanctæ Euchariſtię; hęc enim ſeparata à ſubiecto trahit ſecū colorē, & cætera accidentia, quæ ea mediante in ſubſtātia inhærebāt: quod tamen nō reperitur in diſpoſitione nō ſuſceptiua: nec enim diſpoſitiones formę igni, ſi ſepararentur, traherent ſecū ipſam formā: nec mollities ceræ ſeparata ſecum traheret figurā, ad quam recipiendā diſponebat. Sed lumen gloriæ, ſi à ſubiecto ſepararetur, nō traheret ſecum viſionē beatam; quia non poſſet intelligere. Ergo lumē gloriæ non eſt diſpoſitio, in qua viſio immediatè ſuſcipiatur. ¶ Argumentum cæteris videtur vrgentius; ſed tamen non videtur ſatis; quia aduerſarij diſparem rationem aſsignant inter quantitatem, & diſpoſitiones materiæ ad ſubſtantialem formam, vt videre eſt apud Cabreram vbi ſuprà ad 3. principale n. 32. & 33. Non eſt ſatis firma.

27. Verum fundamentum Ariſt. Quare puto, verū fundamentum ſumēdum eſſe; quoniā ex Philoſophia Ariſt. *in* 4. *Met. c.* 4. *tex.* 14. hæc debet conſtitui regula, abſolutè loquēdo vnum accidens nō accidere, aut inhærere alteri accidenti, tanquā ſubiecto; non ſolum principali, & vltimo (qualis ſola eſt ſubſtantia) ſed nec primo, & immediato: quam regulā Nominales putant eſſe vniuerſaliter verā, vt patet ex Greg. *in* 1. *diſt.* 12. *q.* 2. *ar.* 3. vnde putant nec quantitatē eſſe ſubiectū aliorum accidentium materialiū: quæ ſententia, quāuis falſa ſit, tamē nō facilè impugnabitur. Dicimus igitur regulā illam poſitam ab Ariſt. nō eſſe vniuerſaliter verā; ſunt enim ab ea aliqua accidentia excipiēda, vt ſatis ſignificat *D. Tho. in d. lib.* 4. *Metaph. lect.* 7. *in vltimis verbis, & latè oſtēdit Suar. in Met. diſp.* 14. *ſect.* 4. *n.* 7. *cū ſequētib.* Addimus tamen, ab illa regula non eſſe pro libito excipienda quæcunque accidentia: quare in quibus ſufficiens fundamentum non fuerit, in illis ſeruanda erit regula Ariſtotelis. Oportet igitur expendere, an in lumine glorię detur ſufficiens fundamentum, vt viſio in illo, tanquam in primo ſubiecto inhæreat? Gregor. D. Thom. Suarius.

28. Difficultas. In hac difficultate ſemper deſideraui principiū aliquod, quo generaliter diffiniri valeat, quando vnū accidēs poſsit eſſe immediatum ſubiectū alterius accidētis. Vnum ſolū inueni Suariū *vbi ſuprà n.* 12. *&* 13. qui hanc attingens difficultatē docet attendendū eſſe ad naturā accidentis, & ad effectū formalē eius. Si enim ex ſua natura nō poſtulat immediatū concurſū ſubſtātię, habet alterū accidens pro ſubiecto immediato, cui inhæreat: ſi verò ex natura ſua requirit immediatam inhærentiā in ſubſtātia, nullū poteſt habere aliud accidēs pro ſubiecto. Sed hoc eſt ignotū per ignotius explicare: quoniā adhuc inquiremus, vnde poſsimus definire, & cognoſcere naturā accidētis per ſe poſtulare immediatā, aut mediatam inhęrentiam in ſubſtantia? Ego puto regulā Ariſtotelis regulariter eſſe ſeruandam, vt accidēs regulariter nō ſit alterius accidentis ſubiectū, niſi vel ipſius accidētis propria ratio à priori cōuincat talē ſubordinationē; vel aliquod ſignū, aut indiciū à poſteriori illā ſuadeat. Hanc ſubordinationem inter habitum & potentiam reſpectu ſubſtantiæ ſatis denotat natura, & propria ratio habitus: cū enim habitus ordinetur à natura ad iuuandā potentiā, vt facilius poſſit; ex ſua natura habet, q͂d in potētia immediatè ſubie- Nō ſatis eſt explicatio Suarij. Propria ſententia.

ſubiectetur, & ea mediante in ſubſtantia. Quod etiam reperitur in habitu infuſo fidei, ſpei, & charitatis: iſte enim habitus ad hoc per ſe infunditur, vt virtutem potentiæ ſimpliciter cõpleat: complere autẽ eam non poteſt, niſi in ipſa potẽtia ſubiectetur: hinc eſt, vt omniũ conſenſu habitus ſciẽtiæ recipiatur in intellectu, tãquã in ſubiecto immediato; & fides in intellectu, atque charitas in volũtate, vt aduertit

Suarius. Suar. *vbi ſuprà n.8. pag. 363. col. 1. A. B.* Eadem ratione actus vitales, & immanẽtes ex ſua ratione ſubordinantur potentijs, à quibus producuntur, vt idem Suar. aduertit vbi ſuprà n. 7. ad finem: nam cũ ex ſua natura habeant, quòd immediatè producantur, non ab anima, ſed à potentia animæ; ex ſua natura habent immediatè ſubijci, recipique in ipſa potentia: cum enim vitales ſint, & immanentes, ex ſua natura habent, quòd in ipſo ſubiectentur, à quo producuntur.

31. Ratione probatur. Denique eandem ſubordinationẽ qualitatum materialium in ordine ad quantitatem ſatis conuincit ratio earum, non ob eam rationem, quam adnotat *Suar. in d. n. 7.* ſed ideò, quia qualitates illæ ex eo, quòd materiales ſunt, & corporeę, ex ſua natura ſunt quantitatiuè extenſibiles, & diuiſibiles: cum verò actualem extenſionem, & diuiſionem formaliter habere nequeant, niſi à quantitate, & per quantitatem, vt docet vulgata Philoſophia; ex ſua natura habent, quòd in ipſa quantitate immẽdiatè ſubiectentur; etenim quantitas, quæ eſt ipſa formalis extenſio, non poteſt facere extenſum, & diuiſibile, niſi aut ſubiectum, quod actuat; aut formam, quam in ſe ſubiectat.

32. Vera demõſtratio. Hac præmiſſa Philoſophia, hæc erit noſtræ ſecundæ aſſertionis vera demonſtratio: ex regula Ariſtot. adducta ſuprà, nullum accidens poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis, niſi propria ipſius ratio poſtulet dari ſubordinationem inter ipſum & alterum. Sed propria ratio viſionis non ſolùm non conuincit dari talẽ ſubordinationem inter ipſam & lumen gloriæ; ſed nec ad eam ſuadet. Ergo viſio non recipitur in lumine gloriæ, vt in primo, & immediato ſubiecto. Maior ex dictis patet; minor autem ex eo ſatis ſufficienter probatur; quia non apparet, vnde ex ratione viſionis beatæ aut conuincatur, aut ſuadeatur talis ſubordinatio ſubiectiua: quod ſatis ſuperque eſſe debet, vt regula Ariſtotelica in ea locum habeat.

33. Non bene id deducitur ex ratione actus vitalis. Si dicas id ſatis oſtendi ex eo, quòd viſio, & eſt actus vitalis, & immanens: obijciam, talem ſubordinationem ex neutro conuinci poſſe. Non conuincitur ex eo, quòd eſt actus vitalis: quoniã ex hoc ſolùm habet, quòd tàm actiuè, quàm paſſiuè ſit à principio vitæ; talis autẽ eſt ſolus intellectus; intellectio enim per ſe non habet vitalitatẽ aut à ſpecie intelligibili, aut ab aliquo habitu intellectuali; quamuis ille actiuè ad eam concurrat, vt modò ſupponimus. Viſio igitur, quatenus eſt actus vitalis, ſolùm infert eã eſſe ab intellectu, vt à principio vitæ, & in eòdem recipi, vt in potentia vitali. Et inde eſt, vt viſio, quatenus eſt vitalis, non habeat per ſe recipi in omni eo, à quo actiuè producta eſt, ſed in eo ſolo, à quo producta eſt vitaliter; vt benè aduertit *Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2 diſp. 5. ſect. 4. pag. 353. col. 2. §. Sed retinẽda eſt.* Cum verò ex eo immanens ſit, à quo eſt vitalis; bene infertur eam, ideo quia immanẽs eſt, per ſe nõ habere, quòd ſubiectiuè recipiatur in omni eo, à quo actiuè producitur, ſed ſolũ in eo, à quo producitur vitaliter: vitaliter autem non producitur, niſi à ſolo intellectu, quia ſolus ille eſt principium vitæ proximum. Et hæc ſatis ſint dicta pro confirmanda ſecunda noſtra aſſertione.

Actus vitalis non per ſe habet recipi in omni eo, à quo producitur

Salas.

34. 3. concluſ. Tertia concluſio: *Lumen gloriæ per ſe & primò diſponit ad recipiendam viſionem: non verò ſecũdariò, & ex conſequẽti.* Statuitur contra 3. opinionem poſitam §. 3. in fine. Probatio. Facilè probatur: primò; quia oppoſita ſententia nullum habet fundamentũ. Deindè; quoniam potentia paſſiua intellectus ad recipiendã viſionem eſt diſtincta à potentia paſſiua ad recipiendam ſpeciẽ intelligibilem, aut ipſam diuinam eſſentiã loco ſpeciei: nam cũ illi actus ſint diſtincti; quia vnus eſt actus primus, & alter ſecundus; diſtinctę etiã erunt potentiæ paſſiuę ad vnum, & ad alterum; vnde vna eſt potentia eſſentialis, altera ſolùm accidentalis. Cur igitur quælibet earum nõ exiget propriam diſpoſitionem per ſe primò terminatam ad proprium actum? nam ſicut actus primus, quantum eſt ex ſe, poteſt eſſe ſine ſecundo: ita potentia poteſt eſſe actuata ad vnum, & non ad alterũ. Accedit

dit etiã; quia eadem ratio, quæ cernitur in productione actus penes eſſe terminũ primariũ, aut ſecũdarium, cernitur in receptione illius: nulla enim poteſt dari diſpar ratio. Iam verò ſeruatis verę Philoſophię principijs, ratio termini primarij, & ſecũdarii in productione alicuius formæ ſolũ habet locum in his, in quibus vna forma per naturalem emanationem cõſequitur ad aliam. Secùs ſi ad eam conſequatur per nouam & veram actionem: etenim generatio hominis ideò primariò terminatur ad hominẽ, & ſecundariò ad riſibile, quia riſibile naturaliter cõſequitur, & ſimpliciter emanat à rationali: at tamen non terminatur ſecũdariò ad intellectionem, nec ad actũ riſus; quia non naturaliter hi actus emanant à rationali; ſed indigent noua actione, quæ non eſt à generante, ſed ab homine genito.

35. Eodem igitur modo in receptione alicuius actus ratio primarij termini, & ſecundarij tunc ſolùm habebit locum, cum receptio vnius actus naturaliter ſequitur ad receptionem alterius: tunc enim diſpoſitio, quæ primò, & per ſe requiritur ad recipiendum vnum actum, ſecundariò erit ad recipiendum alterum: Secùs erit, ſi actus poſterior naturaliter non conſequatur ad alterum, ſed indigeat diſtincta actione: quia tunc diſpoſitio, quæ eſt ad recipiendum actum priorem, nõ erit ad actum poſteriorem: ſicut nec actio productiua prioris ſatis erit ad producendum poſteriorem. Talis autem eſt viſio, quæ eſt actus ſecundus in ordine ad vnam, vel alteram ſpeciem intelligibilem, quæ eſt actus primus: licet enim viſio vnionem illius ſpeciei naturaliter comitetur; quia eſt notitia intuitiua; non tamen naturaliter ab illa emanat, nec per eandem actionem vnitur, ſed per nouam, & diſtinctam, quæ primariò ad ipſam terminatur: vnde noua, & propria indigebit diſpoſitione, quæ per ſe primò ad ipſam terminetur.

36. Quomodo intellectus diſponatur ſi eſſentia é aſsiſtens.

Hæc diximus ſuppoſita ſentẽtia, quæ vult intellectum recipere diuinam eſſentiam loco ſpeciei per modum perficientis intrinſecè abſq; informatione: adhuc enim lumen gloriæ ſpecialiter diſponet intellectum ad recipiẽdam viſionẽ. Nam apud eos, qui volunt diuinam eſſentiam eſſe formam coaſsiſtentem, & concauſantem, intellectus non diſponitur ad recipiendum diuinam eſſentiam, tanquam potentia paſsiua; ſed ſolum, vt poſsit coniungi cum diuina eſſentia ad concauſandam viſionem: vnde, indiget vera diſpoſitione ad recipiendum viſionem, non ſecundariò, ſed primariò.

37. 4. cõcluſio contra 3. opinionem.

Quarta concluſio: *Lumen gloriæ non poteſt eſſe neceſſarium ad tollendum defectũ intellectus ad recipiendam viſionẽ, niſi per modũ veræ, & propriæ diſpoſitionis eleuet naturalem capacitatem ad viſionem recipiendam.* Hæc ſtatuitur contra Lorcam relatum §. 1. in 3. opinione. Probatur; (Probatio.) quia defectus ille, qui cernitur in intellectu, tũ ad producendum viſionem, tùm ad eam recipiẽdum, non prouenit ex impedimentis naturalibus, quibus ligatur, ne poſsit Deum intelligere, niſi ex creaturis, & per creaturas: nec enim credendum eſt Theologum ſatis doctũ, & Catholicũ ſuſcitare errorẽ Durandi, vt dicat intellectũ ſuis viribus aptum eſſe, & ſufficientẽ ad viſionem producendã, & recipiendã ſi tollantur impedimenta: id enim ſine temeritate dici non poſſe contra Durand. oſtẽdimus lib. 7. q. 3. art. 1. & 2. & ſupra q. 4. huius libri artic. 1. Defectus igitur ille, de quo agit Lorca, erit inſufficientia, & incompletio virtutis, tùm actiuæ, vt influat, tùm paſsiuæ, vt recipiat: ratione cuius indiget intellectus ſtatui ſupra ſe, & deificari, vt ait Magnus Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus: niſi enim habeat eſſe diuini ordinis, ſicut non poteſt operari diuinam operationẽ, qualis eſt viſio beata; ita nec poteſt eã recipere: quoniam ſicut ad operandum viſionem ſupernaturalem eſt neceſſaria ſupernaturalis forma vigorans, & complens virtutem actiuam ad agẽdum; ita ad eandẽ viſionem recipiendam opus eſt forma ſupernaturali, quæ potentiam paſsiuam compleat, & proportionatam reddat ad recipiendum: iam enim oſtendimus in 1. concl. actum recipi non poſſe, niſi in propria potentia hęc autẽ nũquã poteſt eſſe ꝓpria, niſi fuerit ꝓportionata. Iam verò forma, quę verè præparat ſubiectũ ad recipiendũ aliquam vlteriorẽ formã, eſt vera, & propria diſpoſitio ſubiecti ad illam, vt diximus in 1. concl. Philoſophi enim nihil aliud exigunt ad veram rationem diſpoſitionis, vt oſtendimus §. 2. notabili primo. Quare puto implicare lumen

men gloriæ tollere ab intellectu defectū inſufficientiæ, & incapacitatis ad recipiendam viſionem, & non eſſe verā, & propriam diſpoſitionem ad eam recipiendā.

38. 5. Concluſio cōtra 4. opinionem.

Quinta, & vltima concluſio: *Lumen gloriæ non ſolum non eſt immediatum ſubiectum viſionis: ita vt viſio in illo primò ſubiectetur, & eo mediante in intellectu; ſed nec eſt ſubiectum partiale illius.* Hæc ſtatuitur contra quartam opinionem §.2. adductā vltimo loco, quatenùs volebat viſionem immediatè ſubiectari in toto conſtituto ex intellectu, & lumine: & per conſequens ſubiectari in lumine, tāquam in ſubiecto partiali Noſtra concluſio ſatis probatur *Scoto in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2. litera B.* & ſatis eſt de mente *Suarij lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 15. num. 27.* quatenùs putat oppoſitam ſententiam eſſe incertam. Probatur primo; quia ſicut nullus datur illius patronus; ita tanquam conficta nullū habet, vel apparens fundamentum.

Scotus. Suarius.

39. Probatio 1.

Deinde; quia ſatis vrget argumentum, quo Suarius contra illam inſurgit: nam illud totum conſtitutum, ita primò & immediatè influit in viſionem, tanquam vna integra cauſa, vt illius efficientia ſit indiuiſibilis, ad hunc ſenſum, vt tota ſit ab intellectu, & tota à lumine: nec enim ita eſt diuidenda, vt intellectus viſionem efficiat in ſe ipſo, & lumen eandem in ſe: nā hæc efficientiæ diuiſio cōmētitia eſt, nec in Philoſophia vnquā audita: ſicut enim efficientia vnius cauſæ totalis, ex duabus partialibus integra, non ita eſt diuidenda, vt vna efficiat vnam partem effectus, & altera alteram, vt ſupponimus: ita etiam non eſt diuidenda in ordine ad paſſum, vt efficientia vnius agat in vnam partē paſſi, & efficientia alterius in aliam: Sed ſicut vtraque eadem numero efficientia totū effectum producit; ita etiam vtraque eūdem effectū efficiet in omni paſſo, in quo ille recipitur. Cum igitur viſio, iuxta iſtā ſententiam, recipiatur, & in intellectu, & in lumine, vt in vno totali receptiuo; illa viſio ab vtroque indiuiſibiliter producetur in intellectu, & ab vtroque in lumine. Quare intellectus aget viſionem in ipſū lumen, & lumen eandem aget in intellectum: imò vtrumque eandem aget in ſe ipſum. At quis non videt hæc omnia eſſe paradoxa, & abſurda? nam licet Philoſophia admittat, intellectū agere in ſe ipſū, quia eſt potentia vitalis agēs actione immanente; nunquam tamen agnouit intellectū agere in lumen, nec aliqua ratio id ſuadet.

Simili modo licet Philoſophia admittat, intellectum agere in ſe ipſum, quia vitaliter agit; non tamen admittit, lumen agere in ſe ipſum, quia ex ſua natura non eſt principium vitæ: quamuis enim ex ſe habeat non conuenire, niſi ſoli viuenti; non tamen habet ex ſua natura, quòd ſit principium vitæ communicatiuum vitalitatis: Vnde anima, quæ eſt prima radix vitæ, & influens in vitam actualem, qualis eſt viſio, non influit in eam mediante lumine, ſed mediante intellectu completo, & vigorato per lumen. Iam verò agere in ſe ipſum ſolius eſt principij, quod ex ſe vitalitatem communicat. 40.

Accedit etiam (vt adnotat idem Suarius) quia difficile eſt, & nouum in Philoſophia, quod eadem forma æque primo educatur à duabus potentijs materialiter receptiuis. Quod abſurdum ex prædicta ſententia infertur. Sed quoniam id, quod infertur tanquam abſurdum, nō debet abſurdum cenſeri; imò admitti debet, ſi quantitas, & accidentia materialia primò, & immediatè recipiuntur in toto cōpoſito (hac enim ſuppoſita opinione accidentia illa adæquatè educuntur de potentia totius, inadæquatè autem de duabus potentijs partialibus, & æque primo ab vtraque, vt Philoſophi doctiſsimi admittunt, & nos admiſimus in libris de generatione) ideo fundamentum noſtræ aſſertionis à priori ſumendum eſt ex eo; quòd viſio eſt vnum ens per ſe; illud autem conſtitutum eſt vnum per accidens: iam verò vnum per accidens non poteſt eſſe ſubiectum eius, quod eſt vnum per ſe, vt aduertit *Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. lit. B.* & ſatis expreſsit *Ariſtoteles in 4. Metaphyſ. cap. 4. tex. 14.*: vbi ex eo negat poſſe aliquod vnum accidens recipi in Socrate albo, tanquam in ſubiecto, quia Socrates albus non eſt per ſe vnum. Quare præcitata opinio reijcienda eſt, tanquā parum Philoſophica, & amplectēda noſtra aſſertio, tanquam principijs Philoſophiæ ſatis conſentanea.

41. 2. Probatio

Scotus.

Ariſtotel.

42. Opinio Nauarret. inintelligibilis.

Nihil diximus de opionione Nauarrete, quam §.2. adduximus in tertia ſententia; quia nō ſolùm eſt inintelligibilis; ſed etiam

etiam nõ videtur ſatis philoſophica: quare cum nihil certi ex ea habeamus, nõ eſt, quòd in incertum digladiemur

§. 4.

Impugnatur, & defenditur prima Concluſio.

43. Argumenta cõtra 1. Concl. SVpereſt, vt ſingulas ſtatutas concluſiones ab aduerſariorum impugnationibus vindicemus. Contra primã multis inſurgunt authores primę opinionis: quædam argumenta ſunt oſtenſiua: quædam autem ducunt ad abſurda: alia verò ſumuntur ex impugnatione aliarũ opinionum. Et quæ ſunt oſtẽſiua primo loco ponentur.

Argum. 1. loco adducta. Primò ex Scoto ſic argui poteſt: lumen eſt habitus: viſio autem eſt actus. Ergo lumen non poteſt eſſe diſpoſitio ad recipiendam viſionem. Antecedens patet: conſequentia probatur: quia habitus non diſponit ad recipiendum actum: tùm; quia actus prius recipitur in potentia, quàm generetur habitus. Tùm etiam; quia actus potius diſponit potentiam ad habitum; quàm è contrario: etenim actus frequentati diſponunt ad comparandum habitũ acquiſitum: actus etiam pœnitentiæ diſponunt ad iuſtificationẽm, gratiam, ſcil. &charitatẽ, vt patet ex Tridentino *ſectione 6. c. 5. 6. & 7. de iuſtificatione.* Sumitur ex Scoto *in 4. diſt. 49. quæſt. 11. E. & in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2. litera B. §. Similiter ad recipiendum.* *Tridentin. Scotus.*

44. Secundò. Secundò ex eodem locis citatis: quoniã viſio beata eſt actus ex ſua natura permanens. Ergo ex ſua natura non requirit in intellectu aliquem habitum, etiam ſupernaturalem priorem ſe, & ex conſequenti nõ requirit lumen, vt diſpoſitionem. Vltima conſequentia eſt nota: antecedens prioris diſcurſus patet: conſequentiam inde deducit Scotus; quia habitus ideo requiritur in potentia, verbi gratia, intellectiua, quia actus intelligẽdi ex ſua natura non eſt permanens: ideo enim ponitur habitus, vt tranſeunte actu, notitia obiecti maneat in habitu: hæc autem neceſsitas tollitur, ſi actus natura ſua permaneat: tunc enim ſemper in intellectu manebit actualis notitia obiecti.

45. Tertiò. Tertiò ex eodem Scoto in quarto, loco citato: Suſceptiuum, quod ordinatur ad plures formas inter ſe ordinatas, maximè ordinatur ad perfectiſsimam earum. Sed intellectus per ſe ordinatur ad plures intellectiones. Ergo maximè ordinatur ad perfectiſsimam earum; talis autem eſt viſio beata. Ergo ſi ex ſe eſt immediatè ſuſceptiuus alicuius ex illis; vtique ex ſe erit immediatè ſuſceptiuus ipſius viſionis.

Quartò ex eodem Scoto in 3. vbi ſuprà: intellectus præſente obiecto beatifico, diuina. ſ. eſſentia, poteſt abſque alio ſuperaddito, & elicere viſionem, & eandem in ſe recipere. Sed Deus poteſt facere ſuã eſſentiam eſſe obiectiuè præſentem intellectui abſq; vllo lumine, aliauè ſuperaddita diſpoſitione: quia videtur; quando vult; & quando vult, non videtur. Ergo intellectus ſine aliqua diſpoſitione luminis poteſt recipere viſionem. 46. Quarto.

Quintò ex Durando *in 4. diſtinct. 49. q. 2. num. 22. §. Secunda etiam opinio*: Si lumen gloriæ requiritur, vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, ex eo erit, quia viſio eſt forma ſupernaturalis: ad recipiẽdũ verò formam ſupernaturalem neceſſaria eſt diſpoſitio ſupernaturalis: Sed hæc ratio infert proceſſum in infinitum: nam cũ lumen glorię ſit forma ſupernaturalis, requirit aliã priorem ſupernaturalem, vt recipiatur, & ita in infinitum. 47. Quinto.

Sextò ex eodem Durando: quoniam ſi lumẽ illud requireretur, vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, eſſet propter infinitum exceſſum obiecti ſupra potẽtiam receptiuam viſionis; vt ſc. per lumen intellectus fieret potẽtia proportionata obiecto. Sed poſito lumine adhuc intellectus manet improportionatus; quia adhuc in infinitum diſtat à tali potentia. 47. Sexto.

Septimò alij ita arguunt: Intellectus ex ſe habet, quòd ſit immediatum ſuſceptiuum luminis. Ergo ex ſe habet, quòd immediatè poſsit recipere viſionem. Antecedens patet; quia aliàs daretur proceſſus in infinitum. Conſequentia probatur: tùm; quia intellectus recipit lumen propter viſionem: tùm etiam, quia magis ordinatur ad viſionem, quàm ad lumen. 48. Septimo.

Octauò; intellectus per ſe ſuaque natura eſt immediatè ſuſceptiuus cuiuſcumq; viſionis; aliàs nec de potentia abſoluta poſſet aliquam viſionem immediatè recipere. Ergo ſecluſo lumine gloriæ per ſe erit immediatè ſuſceptiuus viſionis. 49. Octauo.

Nonò

51. Nono. Nonò quidam ita arguunt: de ratione actus immanentis eſt, immediatè procedere à potentia vitali. Ergo de ratione illius erit immediatè in eadem recipi. Viſio autem eſt actus immanens.

52. Decimo. Decimò nonnulli objiciunt: lumē gloriæ non ſequitur efficienter ad viſionem; imò viſio effectiuè eſt à lumine. Ergo lumen non eſt diſpoſitio ad eam. Antecedens patet: Conſequentia inde probatur: quia vltima diſpoſitio ad formam fit à forma in genere cauſæ efficientis, vt patet, tùm in vltima diſpoſitione ad formam ignis; tùm in actibus charitatis: etenim vltima diſpoſitio ad formam ignis effectiuè fit ab ipſa forma: actus etiam Charitatis, qui eſt diſpoſitio ad habitū, effectiuè eſt à Charitate.

53. Vndecimo. Vndecimò quidam ita arguūt. Intellectus ſub lumine gloriæ comparatur ad viſionem, vt in actu. Ergo ſub eodem lumine non poteſt ad eandem comparari, vt in potentia: aliàs idem reſpectu eiuſdem ſub eadem ratione eſſet in actu, & in potentia, quod eſt abſurdum.

54. Argum. adducta 2. loco. 1. Argum. Secundo loco ponuntur argumenta, quæ deducunt ad abſurdum. Primum eſt Scoti *in 3. vbi ſuprà*: Si intellectus indigeret lumine gloriæ, vt diſpoſitione ad recipiendum viſionem, intellectus eſſet beatus antequam viſionem reciperet. Quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur: quia receptiuum multarum formarum quietatur in forma vltima, & perfectiſſima. Sed intellectus non ſolùm eſt receptiuus viſionis, ſed etiam luminis; lumen autem, ſi eſt diſpoſitio, eſt forma perfectior, quia per illud recipitur viſio, ergo intellectus quietaretur receptione luminis, & ante viſionem fieret beatus.

55. Secundo. Secundò ex eodem loco citato: quia ſequeretur poſſe lumen gloriæ recipere in ſe viſionem, ſi exiſteret per ſe, & ſubinde poſſet beatificari. Quod eſt falſum. Sequela oſtenditur: quia forma abſoluta, quæ eſt ratio recipiendi aliam formam, ſi per ſe eſt, poteſt illam aliam in ſe recipere: etenim ſuperficies, ideo quia eſt ratio recipiendi colorem, dum in Sacroſancta Euchariſtia ſeparata manet, fert ſecū colorem, & cætera accidētia. Ergo lumen gloriæ, ſi ſepararetur, poſſet in ſe recipere viſionem, & per eam videre Deum, ſi intellectui eſt diſpoſitio, ratioque recipiendi viſionem, quæ fuit ſequela.

Tertiò ex eodem Scoto in 3. vbi ſuprà quoniam ſi lumen eſſet diſpoſitio ad viſionem recipiendam, intellectus non per ſe, ſed per accidens beatificaretur, & Deū videret: quod patet eſſe falſum. Sequela probatur, quia ſubſtantia, ideo quia colorem immediatè in ſe non recipit, ſed mediante quantitate, non dicitur per ſe, ſed per accidens colorata. Igitur intellectus nō diceretur per ſe videre Deum, ſed ſecundùm quid, & per accidens. 56. Tertio.

Quartò ex eodem Scoto in 4. in dicta q. 11. littera E: ſequeretur animam ſimpliciter perfici ipſo lumine; viſione autem ſecundùm quid. Quod tamen eſt falſum. Cum enim anima ſimpliciter ſit beata ipſa viſione: quia viſio eſt formalis beatitudo, ſimpliciter perficietur viſione, nō autem lumine. 57. Quarto.

Quintò alij inde inferunt, quòd lumē principalius eſſet potentia ad videndum, quàm ipſe intellectus: etenim omne receptiuum eſt potētia reſpectu eius, quod recipit. Ergo ſi lumen eſt receptiuū viſionis, eſt potentia ad eam, & cum immediatius eam recipiat, erit potentia propinqua reſpectu illius; intellectus autem remota: iam verò ex 9. Metaphyſi. potentia propinqua veriùs eſt potentia, quā remota. 58. Quinto.

Tertiò loco improbatur noſtra concluſio impugnatione aliarum, & ſolutionum, quibus argumenta primæ ſententiæ ſoluuntur. 59. Argumēta adducta 3. loco.

Et Suarius *in dicto lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 15. num. 25. vſque ad 28.* ita videtur argumentari contra primam iſtā concluſionem, vt colligitur ex ijs, quæ ſcribit *num. 27. §. Et ideo dicendum*: quoniam ſi lumen gloriæ eſſet diſpoſitio materialiter concurrens ad viſionem; vel cōcurreret ſolùm per modum diſpoſitionis non tamen per modum potentiæ receptiuæ: vel concurreret, vt vera potentia viſionis receptiua: vel denique concurreret, vt partiale ſubiectum recipiens viſionem primò, & immediatè receptam in toto conſtituto ex intellectu, & viſione: etenim his tantum tribus modis lumen poteſt concurrere, tanquā diſpoſitio. Sed nullo illorum poteſt concurrere: non concurrit enim ſecundo modo, vt potentia immediatè receptiua, vt docet ſecunda aſſertio: nec concurrit tertio modo, 60. 1. Ex *Suario.*

modo, tanquam partiale ſubiectum; ex vltima concluſione. Quòd autem primò modo non concurrat, probatur: Tùm; quia nulla occurrit ratio, qua efficaciter ea opinio probetur. Tùm etiam; quia in formis accidentarijs non ſolent requiri diſpoſitiones huius generis, niſi ſimul ſint, vel potentiæ receptiuæ, vel concurrãt aliquo modo ad actionem, aut vt principium, efficiens, aut minuendo reſiſtentiam paſsi. Igitur non concurrit lumen gloriæ, vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, ſed ſolùm vt principium actiuū illius: Hoc argumẽto putat vir doctiſsimus intellectum ex ſe eſſe ſufficienter capacẽ actus ſupernaturalis.

61. 2. Ex Sala. Secũdò Salas *vbi ſuprà pag. 353. §. Sed retinenda eſt*, contra eandem primam concluſionem ex eo arguit; quòd argumenta primę opinionis non benè ſoluantur: id autem oſtendit; quoniam ſicut actus intellectus non recipitur in naturali habitu, quia eſt cauſa illius; ita nec actus ſupernaturalis recipietur in habitu ſupernaturali, quia ſæpè ad illum diſponit. Deinde; ſi in quolibet principio actiuo deberet actus recipi, omnis actus intelligendi reciperetur in ſpecie, habitu, & potentia; imò etiam in actu, cum ex eo procedat: quæ ſunt abſurda. Ergo non eſt de ratione actus immanentis recipi in omni ſuo principio actiuo, ſed in ipſa potentia.

62. Tertiò addit, quoniam nõ neceſſe eſt, vt potentiæ actiuæ ſupernaturali reſpondeat paſsiua ſupernaturalis receptiua: quia daretur proceſſus in infinitum; Deinde, quia ſiue viſio recipiatur in ſolo lumine, ſiue in toto coniuncto, potentia paſsiua ſupernaturalis non reſpondet ſupernaturali actiuę; nam ſi viſio in ſolo lumine recipitur, potentia naturalis intellectus poneret viſionem in lumine; cum verò potentia receptiua luminis ſit ſupernaturalis, iam illi non reſponderet, niſi potentia actiua naturalis. Si verò viſio eſt in toto coniuncto; lumen ſupernaturale agit in ſubiectum non omnino ſupernaturale: intellectus etiam, quia eſt potentia naturalis, agit in lumen ſupernaturale. Igitur non oportet, vt potentiæ paſsiuæ ſupernaturali reſpondeat ſupernaturalis actiua.

63. Tandem adiungit Salas, nullum eſſe inconueniens, ſi potentia naturalis quoad ſubſtantiam ſit totale principium receptiuum actus ſupernaturalis; quanuis potẽtia actiua naturalis non poſsit eſſe totale principium actiuū actus ſupernaturalis: & ratio eſt; quia cauſalitas receptiua eſt valde imperfecta; actiua autem eſt perfectiſsima. ¶ Hæc inuenire potui contra primam noſtram aſſertionem.

Solutio horum argumentorum.

¶ Hæc tamen argumenta noſtram aſſertionem primam non impugnant. Ad primum conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: nec enim ex hoc, quòd lumen eſt habitus intellectus, & viſio eſt actus eiuſdem, benè infertur, lumen eſſe non poſſe diſpoſitionem ex parte intellectus; vt eſt potentia receptiua luminis: nec enim repugnat habitui potentiam diſponere, vt eſt receptiua actus. Ad probationem conſequentiæ dicendum eſt; antecedens à pluribus negari, etiam in habitibus acquiſitis; ſi loquamur de actibus elicitis poſt habitum: plures enim volunt habitum acquiſitum cõcurrere ad actum, non actiuẽ, ſed ſolùm diſpoſitiuè, vt ideo potentia faciliter prompte, atque delectabiliter operetur, quia iam eſt diſpoſita ad recipiendum actum. Hanc opinionem eſſe probabilẽ teſtatur Scotus *in 1. diſt. 17 quæſt. 2. litera M. §. Qui vellet tenere concluſionem, & litera X. §. Qui vult tenere quartam viam: Idem colliges ex Durando in 3. diſtinct. 23. q. 2. 3. & 4.* nonnullos ita cenſuiſſe ſcribit *Bachon. in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. in princip. & eam tanquam probabilẽ ſupponit in fine §. Qui vult tenere.* citari ſolent *Paludanus in 3. diſt. 23. quæſt. 2. Guilielmus de Rubione ibidem q. 1. art. 3. concluſione 4. & Aliacus in tract. de Anima capite 15. pag. 1. & Antonius Andreas in 1. diſt. 17. q. 2.* Sed in illis nihil inuenio: ſatis modo ſit antecedens negandum eſſe ad mentem Scoti, cuius argumentũ diſſoluimus: quod non ſolùm negandum eſt, ſi habitus actiuè ad actum non concurrit; ſed etiam ſi concurrat actiuè, quæ eſt verior, & cõmunior ſententia D. Thomæ, & aliorum vt videre eſt apud Fonſecam *9. Metaphy. cap. 5. q. 4. ſect. 2. Suarium in Metaphy. diſp. 44. ſect. 5. num. 6. Bellomontan. prima ſecundæ diſp. 83. cap. 2. & 3. Salam innumeros referentem tom. 2. ad primam ſecundæ q. 49. tract.*

64. Soluuntur præcedentia argum. Ad 1.

65. Scotus. Durand. Bachonius. Paludan. Rubius. Aliacus. Ant. And.

Negandum eſt antecedens.

Fonſeca. Scotus. Sal as.

tract. 10. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 24. etenim ſi habitus eſt diſpoſitio intellectus ad eliciendam viſionẽ, erit etiam diſpoſitio eiuſdem ad eam recipiendam: nam cum potẽtia intellectiua, in qua reſidet habitus, ſimul ſit actiua, & paſsiua, forma, quę eam diſponit ad agendum, diſponit etiam ad recipiendum: hæc enim duo inter ſe non pugnãt.

67. Ad 1. probatione m.

Quare ſiue habitus acquiſitus ſolùm concurrat diſpoſitiuè ad actũ, ſiue etiã actiuè; ſemper negandũ eſt antecedẽs. Cuius prima probatio nullam vim habet; quia ſolùm loquimur de habitu ad actus conſequentes. Cum enim actus antecedentes ſint imperfecti, ſicut non requirunt potentiam diſpoſitã per habitum, vt producantur (producuntur enim à potentia nuda): ita nec, vt recipiantur: Conſequentes verò, cũ iam ſint perfecti (iam enim fiunt facilè, & delectabiliter) ſicut indigent potentia perfectè diſpoſita ad ſui productionem; ita ad ſui receptionem.

68. Ad 2. prob.

Buridanus. *D. Thom.* *Suarius.* *Bellomon.* *Salas.*

Secunda probatio antecedẽtis vim nõ habet apud cõmunem, & veram ſententiam, quæ negat actum diſponere potentiam ad habitum: ad illũ enim ſolùm concurrit, vel vt actio, qua potẽtia actiuè producit habitum, vt vult Buridanus *in* 2. *Ethicorum q.* 3. *cum nonnullis alijs*; vel vt cauſa efficiens, quæ eſt communior ſentẽtia *in* 3. *diſt.* 23. *&* 33. *& in prima* 2. *q.* 51. *art.* 2. *& q.* 63. *art.* 2. quæ ſatis eſt de mẽte Diui Thomę ibidem, *de qua late Suarius in dicta diſp.* 44. *ſect.* 8. *num.* 6. *Bellomontan. prima* 2. *diſp.* 79. *cap.* 9. *Salas plures referens in dicto* 2. *tom. q.* 51. *tract.* 10. *diſp.* 3. *ſec.* 1. *num.* 3. quam ſententiam putamus eſſe veriſsimam, vnde negandum eſt antecedẽs.

69. *Durand.*

Quod ſolùm habet vim apud Durandum *in* 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *num.* 9. *&* 10. qui docet actum cauſare habitum, non vt cauſam efficientem, ſed vt diſpoſitiuam: illum enim cauſat, vt diſpoſitio neceſſariò præuia ad hoc, vt potentia habitum producat. Fortè Durandus non reputabit abſurdum inter actum, & habitum dari mutuã cauſalitatem diſpoſitiuã.

Cabrer.

Quod putat Cabrera 3. *p. q.* 9. *art. diſp.* 8. *ad* 6. *nu.* 46. dum ait actus imperfectos diſponere ad acquirendum habitum; habitum verò acquiſitum diſponere ad actus perfectos: quod tamen mihi non placet: quare ſatis ſit prima ſolutio, quæ abſolutè negat antecedens.

70. Ad conſequentiam.

Ex dictis iam patet in probatione cõſequentiæ falſum eſſe, habitũ non diſponere ad recipiendum actum: hæc enim propoſitio à pluribus negatur, etiam in habitibus acquiſitis. Porro ſi potius placet habitum actiuè concurrere ad actus conſequẽtes, non verò diſpoſitiuè ad illos recipiendos; admiſſo antecedente in habitibus acquiſitis, negandum erit in infuſis, vt benè aduertit Suarius cum nouioribus *lib.* 2. *de Attributis negatiuis cap.* 15. *num.* 24. hi enim ſicut diſponũt, & eleuant potentiam ad agendum actus ſupernaturales; ita etiam diſponunt ad illos recipiendos. Nec in his locum habet prima probatio antecedentis: hi enim cum non generentur ex actibus, ſed à ſolo Deo infundantur, nullum habent actum antecedentem in potentia receptum: etenim hi habitus, cũ dent potentię ſimpliciter poſſe, ſine illis potentia nullum actum poteſt producere, vt habes ex Suario in dicto cap. 15. num. 24.

Suarius.

71. Ad 2. probationem.

Ad ſecundã probationem dicendum eſt actus illos; quibus impius diſponitur ad iuſtificationem, diſponere ad eam diſpoſitione alterius generis ab ea, de qua agimus, vt benè aduertit Nauarrete *in dicta controuer.* 38. §. 2. *ad* 3. *ſol.* 240. *coln.* 4. diſponunt enim diſpoſitione quadam morali, & non Phyſica, quod latiùs explicare ad alium locum pertinet. In hoc autẽ ſenſu nullum eſt abſurdum dari mutuam diſpoſitionem inter actum, & habitum: vnde in hoc ſenſu admittenda eſt ſolutio Cabreræ *vbi ſuprà ad* 6. *num.* 46. Et hæc dicta ſint pro ſolutione primi argumenti.

Nauarre. *Cabrera.*

72. Ad 2. arg.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia: cuius probatio in habitibus infuſis ſumit falſum: hi enim infunduntur potentijs ad ſimpliciter poſſe, vt communis habet Theologia; vnde etiam forent neceſſarij, quanuis actus forent permanentes: adhuc enim a potentia produci non poſſent, niſi eleuata per habitum: & ob id in patria neceſſarius eſt habitus infuſus, ſaltem de lege ordinaria. Quare in via neceſſarij ſunt, non ex eo, quòd actus non ſunt permanẽtes; ſed ex eo, quòd potententiæ ſine habitu ſunt ſimpliciter impotentes ad eliciendũ ſupernaturales actus. Eſt etiam, id, quòd ſumitur minus Philoſophi-

ſophicum in habitibus acquiſitis: hi enim licet non forent neceſſarij, ſi actus forent permanentes; quia potentia producere poſſet talem actum: adhuc tamen forent neceſſarij, vt actus ille permanens foret perfectior, quia cum habitu perfectius produceretur. Quare actū potentiæ eſſe, vel non eſſe permanentem non eſt per ſe ratio neceſsitatis habituum acquiſitorū; ſed ratio per ſe eſt, vt potentia actus perfectè poſsit producere.

73. Ad 3. Cabrera. Ad tertium, plures admiſſo priori diſcurſu, negant conſequentiam poſterioris: quia (vt aiunt) mutatur ordo principalitatis in ordinem immediationis. Inter alios ita reſpondet Cabrera *in dicta diſput. 8. ad primum numero* 30. Sed optima eſſet ſolutio, ſi argumentum ex eo, quòd intellectus maximè, & principaliter ordinatur ad viſionem, inferret illum immediatè ordinari ad eam recipiendam: Cum tamen non ex eo inferat conſequẽtiam: ſed ex hac potius propoſitione: *Si intellectus immediatè eſt ſuſceptiuus vnius formæ ex illis, ad quas ordinatur, immediatè ſit etiam ſucceptiuus illius, quæ eſt perfectiſsima*: quæ tamen propoſitio falſiſsima eſt, ſi ſermo ſit de formis per ſe ordinatis: in his enim neceſſariò datur ordo in ipſo recipi: quia vna recipitur mediante alia, aliter non haberent inter ſe ordinem: Cum verò non poſsit dari proceſſus in infinitum; vna tantum earum immediatè recipietur in ſubiecto, illa ſcilicet, quæ minus fuerit perfecta: nam licet ordine intentionis forma vltima, & perfectiſsima immediatè intendatur, & ea mediante intendantur aliæ; tamen in ordine executionis, quæ minus eſt perfecta, immediatè recipietur in ſubiecto; cæterę autē mediante illa. Quare non valet: *Lumen gloriæ immediatè recipitur in intellectu, ergo viſio, quæ illo eſt perfectior, & immediatè intenta, immediatè in ſubiecto recipietᷓ.*

74. Ad 4. Ad quartum patet ſolutio ex dictis libro ſeptimo, quæſtione tertia, articulo ſecundo, quæſtione quatta, articulo vnico: neganda eſt enim maior, quoad vtrãque partem, tanquam temeraria, ne dicam erronea. Neganda etiam eſt minor: quia diuina eſſentia non poteſt obiectiuè fieri præſens, niſi intellectui illuſtrato lumine gloriæ, aut aliàs ſupernaturaliter eleuato, vt diximus ſupra articulo octauo. Quare, ſi per impoſsibile admitramus, diuinam eſſentiam ſe ipſam præſtare intellectui in eſſe obiectiuo, vel in ſpecie creata, ſi admittatur; vel in ſe ipſa loco ſpeciei, intellectu non illuſtrato; vtique intellectus non videbit eam, vt diximus. Doctrina verò Patrum, *quòd Deus videtur, quando vult: & quando non vult, non videtur*, vera eſt; quia quando vult videri, infundit lumen, & ſe ipſum vnit ad inſtar ſpeciei: ſi verò vult non videri, nec infundit lumen, nec ſe ipſum vnit: ſuppoſito tamen lumine, & vnione, non poteſt non videri, niſi denegет intellectui ſuum generale auxilium, quod poteſt facere.

Ad quintum patet ſolutio ex articulo tertio, §. quarto: negamus enim lumen gloriæ ideò requiri, tanquam diſpoſitionem ad recipiendum viſionem, quia viſio eſt forma ſupernaturalis; ſed ideò, quia in ſe eſt forma perfectiſsima, & vltima in tali ꝓceſſu. Vide, quæ ibi diximꝰ. 75. Ad 5.

Ad Sextum omiſſa ſolutione *Salæ* 1. *tom. ad primam ſecundæ, quæſtio.* 3. *tractat* *ſecundo, diſput.* 5. *ſectione* 3. *fol.* 352. *colum.* 2. *ad* 6. dicimus in hac quęſtione ſermonem eſſe de lumine gloriæ, vt eſt diſpoſitio ad recipiendam viſionem: iam verò inter intellectum, vt eſt potentia receptiua actus, & viſionem, vt eſt actus potentiæ intellectiuæ, non datur infinitus exceſſus, ſed ſolùm datur improportio ordinis inferioris ad ſuperiorem, quæ poteſt tolli per eleuationē intellectus ad ordinem diuinū, & ſupernaturalē viſionis. 76. Ad 6.

Quare maior non ſumit cauſam per ſe neceſsitatis luminis ad recipiendū viſionem: admittimus tamen non poſſe recipi viſionem in intellectu, niſi ille ſit proportionatus obiecto infinito, qui eſt Deus at negamus inter Deū, vt eſt obiectum intellectus, & ipſum intellectum, dari exceſſum infinitum: quia licet Deus, vt eſt obiectum intelligibile, ſumptum ſecundū totam, & adæquatā ſuam intelligibilitatē, in infinitū excedat quęcumq; intellectū creatū: & ideo in ordine ad adęquatā intelligibilitatē, intellectus creatꝰ nullo modo poſsit illi intelligibiliter proportionari, quantocũq; lumine eleuetur; tñ cũ Deꝰ nõ ſolũ ſit cognoſcibilis ſecũdũ adæquatã ſuã intelligibilitatē; ſed etiã ſecũdùm inadæquatam, & determinatã; & 77.

ſecūdùm illam non infinitè, ſed finitè intellectum excedat: hinc eſt, vt poſsit intellectus proportionari illi proportione intelligibili: proportionatur autem per infuſionem luminis gloriæ. Vide, quæ diximus lib.8. in 2. p. q.2. Et hæc ſolutio melior eſt, quam ſolutio Ioannis de Sala, quæ admittit exceſſum infinitū inter intellectum creatū, & Deum, vt eſt obiectū à nobis intelligibile, & tamē admittit intellectum eſſe proportionatum: etenim ſi admittatur exceſſus infinitus in ratione intelligibilitatis, nunquā poſſet fieri proportionatus, vt oſtendimus. Quare ad argumentum in forma neganda eſt maior: nec enim lumen gloriæ requiritur ad recipiendam viſionem propter infinitū exceſſum obiecti; quia vt diximus, Deus, vt intelligibilis à creatura, non in infinitum diſtat ab ea: ſed requiritur propter exceſſum ordinis ſuperioris, quem Deus clarè viſus habet ad intellectum, quandiù eſt in ſuo ordine naturali; qui exceſſus tollitur per lumen gloriæ, vt eleuat intellectum ad ordinem diuinum, & eleuando facit illum eſſe aptum, vt viſionem producat, & productam recipiat.

Salas nō recipitur.

78. Ad formā argumenti.

79. Ad 7. *Suarius.*

Ad ſeptimum omiſſa ſolutione Suarij *in dicto capite* 15. *num.* 24. quæ fortè difficultatem non tollit; facilior eſt ſolutio, ſi admiſſo antecedente, negetur conſequentia. Cuius vtraque probatio potiùs pro nobis facit, quàm contra nos. Admittimus igitur, intellectum recipere lumen propter viſionem, & magis ordinari ad eam, quàm ad lumen: inde autem tantùm abeſt, vt inferatur intellectum immediatè recipere viſionem, ſi immediatè recipit lumen; vt potiùs inferatur intellectum non poſſe viſionem immediatè recipere: tùm; quia forma, quæ eſt finis obtineri nequit, niſi mediante ea, quæ eſt ad finem. Tùm ſecundò; quia ſubiectum aliàs ſuſceptiuum formæ ſupra ſuam naturam; ſi talis forma in ſuo genere eſt perfecta, & vltima, indiget eleuari, & diſponi per formam aliquam ſupernaturalem, quæ ad illam per ſe ordinetur, vt oſtendimus articulo tertio, §. 4. Viſio autem eſt forma perfecta, & vltima in proceſſu videndi diuinam eſſentiam: lumen autem per ſe ordinatur ad viſionem, vt vtraque probatio ſumit: intellectus igitur ad recipiendam viſionem eleuabitur lumine gloriæ, tanquam diſpoſitione illum proportionante ad receptionem viſionis. Quare lumen eſſe propter viſionem, & ad illam ordinari, euidenter arguit non valere conſequentiam, ad quam confirmandam vtraque probatio adducitur.

Ad octauum negandum eſt antecedens in generalitate, in qua proponitur: negamus enim intellectum eſſe immediatè ſuſceptiuum viſionis beatæ, & viſionis fidei, quarum vtraque eſt ſupra naturam. Quin potiùs nec abſolutè verum eſt de viſione naturali; quoniam intellectus, vt recipit viſionem, debet eſſe informatus, & diſpoſitus ſpecie intelligibili, quæ eſt diſpoſitio non ſuſceptiua, ſed ſimplex, & pura. 80. Ad 8.

Ad nonum (quod eſt Suarij) negandū eſt antecedens, ſi idem eſt immediatè procedere, quòd procedere nulla mediante forma diſponente ad producendum actum vitalem, & immanentem; quoniam intellectus ad actus ſupernaturales diſponitur, vt ſimpliciter poſsit in illos; ad naturales autem indiget ſpecie, veluti quodam habitu, vt producat actum vitalem intelligendi. Quare licet de ratione actus vitalis ſit procedere à potentia vitali; non tamen de ratione eius eſt, quod procedat ab ea nudè ſumpta, & nullo modo habituata. Eodem igitur modo, licet de ratione actus vitalis ſit recipi in potentia vitali; non tamen de ratione illius eſt, recipi in ea nullo modo diſpoſita, quanuis non diſponatur diſpoſitione receptiua, vt patet ex ſecunda concluſione. 81. Ad 9.

Ad decimum multa dicit Cabrera *in dicta diſputatione* 8. *ad* 7. *numer.* 47. 48. & 49. Sed facilè ſoluitur; habet enim futilem conſequentiam; & futilior eſt probatio illius: etenim ex eo, quòd lumen effectiuè non erat à viſione, abſolutè infert omnem diſpoſitionem actiuè eſſe à forma, ad quam diſponit: ad hanc autem conſequentiam probandam ſumitur pro medio, quòd diſpoſitio vltima eſt actiuè à forma: quæ probatio non eſt adæquata; quoniam licet admittatur in vltima diſpoſitione; non tamen admittēda eſt in omni: quoniam mollities eſt diſpoſitio ad figuram; & tamen non eſt actiuè à figura: lumen etiam eſt diſpoſitio ad reci- 82. Ad 10. *Cabrera.*

recipiendũ, tùm ſpeciem viſibilẽ, tùm viſionem; & tamen nec eſt à ſpecie, nec à viſione.

83. Obiectio. Sed dices: ſi lumen gloriæ ponitur, vt diſpoſitio ad viſionẽ, neceſſariò ponitur, vt vltima diſpoſitio; quia ad lumen neceſſariò ſequitur viſio; & tamen ſi actiuè non fit à viſione, non poteſt poni, vt vltima diſpoſitio. Ad hanc obiectionem reſponderet *Cabrera ex ijs, quæ ſcribit vbi ſuprà n.* 49. Philoſophiam illam de vltima diſpoſitione non eſſe veram de quacũq; forma, ad quam vltima diſpoſitio diſponit; ſed de ſola ea, ad quam diſponit immediatè; etenim diſpoſitio vltima eſt actiuè à forma ſubſtantiali, ad quam immediatè diſponit; non tamen eſt actiuè à proprietate illius formæ, quia ad illam diſponit mediatè. Iam verò lumen gloriæ immediatè non diſponit ad viſionem, ſed ad diuinam eſſentiam, vt ſubit locum ſpeciei; vnde ab hac eſt effectiuè; non verò à viſione.

Solutio Cabreræ non recipitur.

84. 1. ratio. Sed hæc ſolutio primùm non eſt admittenda; quia ſupponit lumẽ gloriæ immediatè diſponere ad diuinam eſſentiam, vt eſt ſpecies; mediatè verò ad viſionem, eo modo, quo diſpoſitio diſponit ad formam immediatè, mediatè autem ad proprietatem illius: quod eſſe falſum oſtendemus in art. ſequẽti: nec enim ad viſionẽ diſponit ex conſequenti, & tanquam ad terminum ſecundarium; ſed tàm ad diuinam eſſentiam, quàm ad viſionem diſponit per ſe, & ratione ſui, quanuis ad vnam priùs, quàm ad alteram: cum enim viſio fiat propria actione, non fit ad actionem alterius. 2. ratio. Deinde non eſt admittẽda, quatenus concedit lumen gloriæ effectiuè eſſe à diuina eſſentia, vt eſt loco ſpeciei: etenim lumen gloriæ fit à Deo, non efficiẽtia obiectiua, qua obiectiuè concurrit cũ intellectu ad viſionem: hæc enim efficiẽtia ſupponit lumen gloriæ iam eſſe intellectui infuſum: vnio enim actus cum potentia ſupponit potentiam iam eſſe proportionatam; fit igitur à Deo, vt eſt author rerum omnium ſua virtute actiua.

85. Vera reſpõſio. Relicta igitur hac reſpõſione, dicimus diſpoſitionem vltimam nõ habere, quòd actiuè fit à forma, pręciſè, quia eſt vltima, vltimò neceſſitans ad eam: etenim ſi corruptio nõ fiat vſque ad materiam primã, ſed accidentia corrupti eadẽ numero maneant in genito (quæ eſt doctiſſimorum opinio) diſpoſitio vltima actiuè non fiet à forma ſubſtantiali, ad quam diſpoſuit: quare ideò illa fit à forma ſubſtãtiali, quia corruptio fit vſque ad materiam primã: corrupta autem diſpoſitione, quæ fuit in toto tẽpore immediatè antecedẽte inſtãs generationis, neceſſe fuit, vt alia numero diſpoſitio reſultet à forma geniti, qua illa in materia conſeruetur. Vnde talis diſpoſitio fit à forma ſubſtantiali, non propria actione, ſed naturali reſultantia, & emanatione. Inde colliges Philoſophiam illã locum non habere in vltima diſpoſitione, in qua nulla fit præcedentis corruptio, qualis eſt diſpoſitio ad formam accidentariam: ita fit, vt illa Philoſophia nihil nobis officiat. Addimus lumẽ gloriæ in hoc proceſſu intelligibili non eſſe vltimam diſpoſitionem ad actum viſionis; ſiquidẽ interiacet media ſpecies intelligibilis, vel eſſentia loco ſpeciei.

86. Ad 11. Ad 11. omiſſa ſolutione Nauarrete in d. contro. 38. §. 2. fol. 240. col. 4. ad 4. dicimus lumen gloriæ reſpicere viſionẽ, vt principiũ, & agendi, & recipiendi, ſub alia tamen, & alia ratione: nam prout actuãdo intellectum, eũ eleuat ad eſſe diuinum, eſt illi principium agendi; quia ad eſſe ſequitur operari; & ideò eleuando eum ad eſſe diuini ordinis, perficit, & iuuat virtutem actiuam eius, vt poſſit operari operationes diuinas. At verò prout actuat intellectum illuminando eũ, vt eſt quoddã perſpicuũ, diaphanumq; immateriale, eſt illi ratio recipiendi, tùm formam intelligibilẽ, quę eſt actus primus; tùm ipſam viſionem, quæ eſt actus ſecũdus: etenim lumẽ corporeũ actuando diaphanũ, eſt illi ratio recipiendi in ſe, & ſpeciẽ viſibilẽ, & viſionem: nam, vt ſæpè diximus ex D. Thoma, in lumine intellectuali philoſophari debemus ad modum luminis corporalis.

87. Ad argum. 2. loco. Deinde ſoluenda ſunt argumenta ſecundo loco adducta, quæ ad abſurdum deducunt. Ad 1. *Cabrera.* Ad primum (quod eſt Scoti) omnes negant ſequelam, & inter eos *Cabrera in dicta diſput. 8. ad 2. numer.* 31: cuius probatio parùm habet probabilitatis: quoniam tantùm abeſt, vt lumen gloriæ; ideò ſit forma [p]erfectior viſione, quia viſio per illud recipitur; vt ob eam cauſam ſit forma minus nobilis: cum enim ſit medium recipiendi viſionem, quæ eſt

vltima intellectus perfectio ordinatur ad eam, tanquam ad finem.

88. Ad 2. Ad ſecundum primò reſpondetur; argumentum nullam vim habere ſuppoſita noſtra ſecunda concluſione, quòd lumen gloriæ ſit quidem diſpoſitio, vt intellectus recipiat viſionem; non tamen ſuſceptiua illius: vt quia eam in ſe non recipiat: diſpoſitio autem huius generis, ſi fiat per ſe ſubſiſtens, non trahit ſecum formam, ad quam diſponit: ſi enim diſpoſitio ad formam ignis diuina virtute per ſe exiſteret, non traheret ſecum ipſam formam: ſicut etiam mollities, ſi per ſe exiſtat, non portabit ſecum figuram, ad quã diſpoſuit.

89. Quid ſi lumen recipiat viſionẽ? Vtrùm verò argumentum vim habeat, ſi lumen gloriæ in ſe recipiat viſionem? alterius eſt quæſtionis. Cabrera vbi ſuprà ad tertium num. 32. & 33: negat omnem formam abſolutam, quæ eſt diſpoſitio ſuſceptiua alterius formæ, ſi per ſe exiſtat, deferre ſecum formam, ad quam diſponit: hæc enim doctrina (vt ait) in ſola quantitate eſt vera, non autem in qualitate, quę eſt alterius formę ſuſceptiua. Sed profectò vix poterit ſufficiens ratio diſcriminis aſsignari. Quare

Propria ſententia. ego concederem, intellectum ſeparatum poſſe ſecum deferre ſpecies intelligibiles, & habitus, quos habebat; imò etiam ipſam viſionem; per eam tamen non intelligeret, vt oſtendimus libr. 4. q. 1. art. 2. §. 6. n. 61. & q. 4. art. 1. §. 9. n. 70. A fortiori lumen gloriæ ſeparatum deferens ſecum viſionem non poſſet videre Deũ, nec beatificari, vt benè aduertit Cabrera in dicto nu. 33. Vtrum verò ſeparatum ab intellectu poſſet deferre ſecum viſionem, ſi eam in ſe reciperet? negantem par tem defenderem: nam ſicut accidentia, quæ recepta in quantitate alia in ſe recipiunt, non poſſent ea retinere, ſi à quantitate ſepararentur; ita accidentia, quæ in intellectu recepta recipiunt viſionem, vt hæc putat opinio, ſi ab intellectu ſepararentur, non poſſent ea in ſe retinere; quia ratio prima recipiendi illis erat potentia intellectiua.

90. Ad 3. Pro ſolutione tertij multa ſcribit Cabrera *vbi ſuprà ad quartum num.* 34. *vſque ad* 44. quæ potiùs rem confundunt, quã explicent. Facilè tamen ſoluitur negatione ſequelæ. Cuius probatio ſumit pro poſitionem falſam: etenim ſubſtantia, licet calorem recipiat mediante quantitate, dicitur per ſe colorata, & non per accidens, ſi id philoſophicè explicetur: nec enim, vt aliquid dicatur tale per accidens, ſatis eſt, quòd id, à quo dicitur tale, ſit accidens; alioquin homo per accidens eſſet riſibilis, & intellectiuus. Nec etiam ſatis eſt, quòd illi conueniat contingenter, id eſt, nòn neceſſariò; quia homo licet contingenter rideat, non per accidens ridet: nec denique ſatis eſt, quòd illi non conueniat, niſi mediante alio; quia homo non per accidens eſt riſibilis, ſed per ſe; cum tamen riſibilitas homini non conueniat, niſi mediante intellectiuo, & admiratiuo. Quare ideò aliquid dicitur tale per accidens, quia nullum per ſe ordinem habet ad illud, ratione cuius poſsit illi conuenire: in quo ſenſu id, quod eſt tale per aliud, dicitur tale per accidens: homo enim dicitur moueri per accidens, quando mouetur ad motum nauis, aut equi, à quo vehitur: & album dicitur calidum per accidens, quia in vno tertio accidentaliter coniunguntur: quæ verò ſunt talia propter aliquem ordinem, quem habent inter ſe, per ſe, & non per accidens ſunt talia. Quia verò ſubſtantia corporea mixta habet ordinem ad colorem, dicitur per ſe colorata, licet colorem recipiat, tùm mediante quantitate, tùm mediante mixtione primarum qualitatum. Eodem modo, quia homo per ſe habet ordinem ad riſibilitatem, ideò per ſe eſt riſibilis, quãtumuis riſibilitas illi conueniat, quia intellectiuus eſt, & admiratiuus. Vide, quę hac de re ſcribit Suarius in Metaphyſic. *Suarius.* diſp. 14. ſect. 4. n. 14. Quare, cũ anima habeat per ſe ordinem ſecundùm potentiã obedientialem ad viſionem diuinæ eſſentiæ, per ſe, & non per accidens illam videt, quanuis illam videat, tùm mediante intellectu, tanquam potentia; tùm mediante lumine, tanquam complemento virtutis potentialis.

91. Ad 4. Ad quartum ſimili modo neganda eſt ſequela: etenim non proinde ſubiectum ſimpliciter non perficitur, quia perficitur mediante alio, vt diſpoſitione neceſſaria: etenim homo ſimpliciter perficitur reſibilitate, quamuis ea perficiatur media potentia intellectiua, & admiratiua; ſubſtantia mixta ſimpliciter perficitur

ficitur colore, quamuis perficiatur mediante quantitate, & admixione primarum qualitatum, & ſic de cæteris. Quare licet anima recipiat viſionem mediante intellectu, & lumine gloriæ, non proinde deſinit ſimpliciter perfici ipſa viſione.

92. Ad 5. Ad quintum non deſunt, qui ſimpliciter admittant lumen gloriæ eſſe ipſam potentiam, qua beatus videt Deum, vel ſaltem habere rationem potentiæ. Sed hanc ſententiam in ſequenti libro q. 3. latè impugnabimus: etenim lumen gloriæ propriè non eſt potentia, quamuis ſit virtus complens virtutē potentiæ. Quare ad argumentum negabitur ſequela: cuius probatio nihil contra nos facit: quia non ponimus lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem receptiuam viſionis, vt patet ex
93. Vera ſolut. ſecunda concluſione. Sed nec aliquid probat, ſi lumen gloriæ ponatur, vt diſpoſitio viſionis receptiua, dummodò æquiuocatio tollatur, quæ latet in hoc nomine, potentia; quam omnino ſubſtulit *D. Thom.* *Diuus Thomas Opuſculo 48. cap. 3. & Heruæus* *Heruæus.* *quodlibet. 1. quæſt. 13. ad primum principale, §. Nunc quarto reſtat. & quodlib. 3. quæſt. 8. artic. 2. ad tertium*; videndus eſt *Suarius.* *Suarius in Metaphy. diſput. 42. ſect. 4. num. 9. & latiùs diſput. 43. in principio, & clariùs diſput. 44. ſect. 6. num. 11*: nam licet omne receptiuum alterius poſſit lato modo dici potentia reſpectu illius; tamen propriè loquendo ſolum illud dicitur potentia actiua, aut paſsiua, quæ eſt proprium, & primum principium ad operandum, vel recipiendum. Quare potentia paſsiua propriè ſumpta eſt illa, quæ aliam priorem potentiam non determinat, ſed potiùs determinatur ab alio ſuſceptiuo. Tales ſunt ſolæ potentiæ, quæ à natura ſunt veluti inſtrumenta ſubſtantiæ ad recipiendum, ſiue ad patiendum. Quare, cum lumen gloriæ determinet potentiam actiuam intellectus beati ad tale poſſe, & ad recipiendam talem formam, nempe viſionem, quam non poterat proximè recipere, ſed remotè, & veluti inchoatiuè, non poteſt dici potentia, ſi propriè loquendum eſt, quamuis in ſe recipiat viſionem.

94. Argumēta 3. loco. Ad 1. Ad primum eorum, quæ tertio loco obijciuntur, & quod eſt totum Suarij fundamentum, facilè reſpondetur negatione minoris: etenim lumen gloriæ verè ad viſionem concurrit, vt diſpoſitio non receptiua, vt patet ex prima, & ſecunda concluſione. Quòd verò in contrarium obijcitur, nullam videtur habere difficultatem. Nam ad primam obiectionem ſatis patet ſolutio ex ijs, quibus primam, & ſecundam concluſionem confirmauimus: illa enim ſatis probant lumen gloriæ eſſe quidem diſpoſitionem ad viſionem; non tamen receptiuam eius. Ad ſecundam dicimus, non ſolùm dari diſpoſitiones huius generis in formis ſubſtantialibus, ſed etiam in accidentarijs: etenim mixtio primarum qualitatum neceſſaria eſt, tanquam diſpoſitio ad ſecundas qualitates, verbi gratia ad colorem; quæ tamen non eſt receptiua coloris. Mollities etiam neceſſaria eſt, tanquam diſpoſitio ad figuram, & durities ad permanentiam eiuſdem figuræ; & tamen figura nec recipitur in mollitie, nec in duritie. Idem dicimus de riſibili, ad quod neceſſariò præcedit tàm intellectuale, quàm admiratiuum; & tamen non recipitur in illis. Denique lumen tùm in medio, tùm in ipſa potentia viſiua eſt diſpoſitio neceſſaria ad recipiendum viſionem; cum tamen viſio non recipiatur in ipſo lumine. Quare, ſi à lumine corporali licet philoſophari ad intellectuale, vt ex Diuo Thoma ſępè diximus; idem dicendum erit de lumine intellectuali, atque etiam de lumine gloriæ. Quare nihil obſtat, quominus lumen gloriæ poſsit eſſe diſpoſitio ad viſionem, non receptiua eius. Non eſt igitur, quod vir doctiſsimus putet hoc argumento conuinci intellectum per ſe eſſe ſufficiētet capacem ad recipiendum quencunque actum ſupernaturalem.

Secundum argumentum, quod eſt totum fundamentum Salæ, ſatis eſt debile. 95. Ad 2. Nam argumenta, quæ pro prima opinione contra noſtram ſunt adducta, ſatis ſuperque ſunt ſoluta, vt quilibet, vel mediocriter doctus facilè intelliget. Quæ verò ille in cōtrarium affert, nullius ſunt efficaciæ: nam primum & ſecundum nobis non officiunt; quia non admittimus viſionē recipi in lumine glorię: & quāuis reciperetur in eo, nihil eſſet abſurdi apud aduerſarios. Admittunt enim actum naturalem intellectus recipi, & in habitu, à

quo producitur, & in ſpecie intelligibili, vt patet ex Cabrera in d. diſp. 8. concl. 3.

96, Ad 3. Ad tertiũ argumentum negamus non eſſe neceſſarium, vt omni potentiæ actiuæ ſupernaturali reſpondeat ſupernaturalis paſsiua; quomodo autem inde ſequatur proceſſus in infinitum? planè non video. Ad confir. Cõfirmatio omninò corruit; quia nõ damus viſionem recipi, aut in ſolo lumine gloriæ, aut in toto coniuncto, ſed in ſolo intellectu, non quidem nude ſumpto, ſed lumine iam eleuato, & diſpoſito: nec hoc debet mirum videri; quoniam forma ſubſtantialis immediatè recipitur in materia prima, vt vera doct Philoſophia; nõ quidem nude ſumpta, ſed vt diſpoſita diſpoſitionibus antecedentibus. Quæ Philoſophia facilius intelligetur, ſi ſupponamus ſentẽtiam, quę non admittit in corruptione fieri reſolutionem vſque ad materiam primam: forma enim ſubſtantialis immediatè recipitur in materia prima, vt tamen eſt diſpoſita. Simili modo viſio beata immediatè recipietur in intellectu; non quidem nudo, ſed diſpoſito.

97. Ad vlt. confirm. Vltimum argumentum petit principium: controuertimus enim, vtrùm pòtentia naturalis in ſe nudè ſumpta poſsit eſſe totale principium receptiuum cuiuſque actus ſupernaturalis? Nos negamus: quia actus ſupernaturalis in ſuo genere vltimus ex ſe requirit pòtentiam paſsiuam ſibi propriam, & proportionatam, vt ex Ariſtotele diximus. Iam verò potentia naturalis paſsiua ſecundum ſe, cum ſit inferioris ordinis, non poteſt eſſe proportionata actui ſupernaturali vltimo, & perfectiſsimo in ſuo genere. Quin potiùs, nec ſecundum ſe eſt capax talis actus, ſed ſolùm ſecundum capacitatem obedientialem. Quare non ex eo præciſè eſt incõueniens potentiam paſsiuam naturalem ſecundum ſe eſſe totale receptiuum actus ſupernaturalis; quia eſt inconueniens potentiam actiuam naturalem ſecundum ſe eſſe totale principium actiuum eiuſdem actus; ſed ex eo præcipuè; quia potentia paſsiua naturalis, ſecundum ſuas naturales patiendi vires, nõ poteſt eſſe proportionata actui ſupernaturali.

§. 5.

Impugnatur, & defenditur ſecunda Concluſio.

Inter eos, qui admittũt lumen eſſe diſpoſitionem ad recipiendum viſionem, nullum inueni, qui ſecundam concluſionem ſimpliciter reijciat: non deſunt tamen, qui putent oppoſitam ſententiam eſſe probabiliorem: vnde docent probabilius eſſe lumen gloriæ ita eſſe diſpoſitionem ad viſionem recipiendam, vt eam in ſe recipiat. Inter alios ita exiſtimat Cabrera *ad tertiam partem q. 9. art. 2. diſput. 8. concl. 3. num. 22.* — 98. Argumẽta contra 2. cõcluſ. — Cabrera.

99 1. Argum. Hoc probat primo; quia principium intrinſecum immediatè effectiuũ actus immanentis eſt etiam immediatum ſuſceptiuum eius. Sed lumen gloriæ eſt immediatum effectiuum viſionis. Ergo eſt immediatum ſuſceptiuum illius. Conſequẽtia eſt nota: antecedens probat: tùm; quia id videtur eſſe de ratione actus immanentis: tùm etiam; quia quem locũ obtinet principiũ viſionis in productione illius, eundem obtinet in illius receptione.

100 Secundum. Secundò habitus acquiſiti ſunt diſpoſitiones immediatè ſuſceptiuæ actuũ, qui ab illis eliciuntur; ita vt actus producti ab habitibus non ſuſcipiantur immediatè in potentia, ſed medijs habitibus. Simili modo habitus infuſi fidei, ſpei, & charitatis ſunt immediatè ſuſceptiui ſuorum actuum, ita vt immediatè ſuſcipiantur in ipſis habitibus, & illis mediantibus in potentia. Ergo lumen gloriæ eſt diſpoſitio immediatè ſuſceptiua viſionis. Conſequentia probatur: quia par eſt ratio vtrobiq;, cũ lumen etiã ſit quidã habitus. Antecedens quoad priorem partem non aliter probat Cabrera, niſi quia id eſt probabile. Poſteriorem verò partem probat argumento ſumpto à fortiori: quoniam naturalis potentia non eſt ſuſceptiua illorum actuum, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modũ: nec eadem potentia eſt immediatè ſuſceptiua illorum, per potentiam obedientialem; quia hæc prius reſpicit habitum infuſum, & eo mediante actum. Ergo immediatè eſt ſuſceptiua habituum, & illis mediantibus actuum.

101. Tertium. Tertiò; omnis potẽtia ordinata ad plures formas ordine quodam ſuſcipiendas, ſuſcipit poſteriores medijs priorib⁹. Sed intellectus in ratione potentiæ obedientialis ordinatur ad plures formas per ſe ordinatas, ita vt priùs ordinetur ad ſuſcipien-

piendum lumen gloriæ, & eo mediante viſionem. Ergo intellectus ſuſcipit viſionem mediante lumine gloriæ.

102. Quartum. Quartò; omnis diſpoſitio neceſſaria ad aliquam formam, ipſamque concomitãs, vel eſt aliquo modo ſubiectum formæ, ad quam diſponit, vel ipſa forma eſt aliquo modo ſubiectum ſuæ diſpoſitionis. Sed lumen gloriæ eſt diſpoſitio neceſſaria ad viſionem; ipſamque concomitans: & viſio nullo modo habet rationem ſubiecti reſpectu luminis. Ergo lumen eſt ſubiectum receptiuum viſionis, quod eſt intentum. Conſequentia eſt nota; ſimul cum minore: maiorem probat: tùm inductione, tùm ratione. Inductione; quoniã id patet tâm in formis ſubſtantialibus, quàm in accidentarijs: etenim diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, cum in illis ſubiectiuè non recipiatur forma, vt patet, recipiuntur in materia mediante forma: imò recipiuntur in toto compoſito, & ex conſequenti in ipſa forma. Diſpoſitiones etiam ad formas accidentarias recipiuntur in forma, ad quam diſponunt, tanquam in ſubiecto *quo*. Ratione autem probatur: quoniam potentia. diſpoſitio, & forma habent inter ſe ordinem: nec enim diſparatè coniunguntur: Potentia autem eſt ſuſceptiua vtriuſque, non indeſcriminatim, ſed ordine quodam. Ergo vel immediatè ſuſcipit diſpoſitionem, & illa mediante formam; vel ſi formam ſuſcipit immediatè, debet ipſa forma ſuſcipere ipſam diſpoſitionem: nec enim inter ſe inordinata ſunt quoad ipsũ recipi.

103. Quintum. Quintò; quæcunque potentia vitalis eſt ſuſceptiua ſui actus immanentis. Sed lumen gloriæ, vel eſt potentia ſupernaturalis conſtituens intellectum in ratione potentiæ vitalis ad viſionem: vel ſaltẽ habet modum potentiæ, vt putat ſe alibi probaſſe. Ergo lumen gloriæ eſt ſubiectum viſionis.

104. Sextum. Sextò alij ita arguunt: lumen gloriæ habet vim actiuam viſionis. Ergo illi correſpondet potentia connaturalis receptiua illius. Hæc non eſt in intellectu, vt patet. Ergo eſt in ipſo lumine. Ita, vt lumẽ ſit actiuum circa ſe ipſum, ſicut quælibet potentia animæ: habet igitur rationem potentiæ receptiuæ.

105. Poſtremũ. Poſtremum argumentum colliges ex Suario in d. c. 15. n. 25: quoniam ſi lumẽ non concurreret, vt potentia receptiua, non poteſt concurrere, vt diſpoſitio. Ergo ſi concurrit, vt diſpoſitio, vt vult ſecũda concluſio, debet concurrere, vt potentia receptiua. Conſequentia patet: antecedens probatur; quoniam in formis accidentarijs non ſolent requiri diſpoſitiones huius generis, niſi ſimul ſint potentię receptiuæ, vel concurrant ad actionem, aut per ſe tanquam principium efficiens; vel minuendo reſiſtentiam paſsi; vel alio modo. Sed lumen gloriæ non concurrit, vt cauſa efficiens; nec vt minuens reſiſtẽtiam paſsi; nec alio modo. Ergo ſi non cõcurrit, vt potentia receptiua, non concurrit, vt diſpoſitio, quæ fuit ſequela. ¶ Hæc argumenta inuenire potui contra noſtrã ſecundam concluſionem.

Illa tamen eam non expugnant. Ad primum dicimus maiorem eſſe veram de principio intrinſeco per ſe vitali; falſam verò, ſi intelligatur de quocunque principio intrinſeco actiuè cõcurrente ad actum immanentem: etenim actus vitalis, vt eſt vitalis, per ſe non habet recipi in omni principio, à quo actiuè productus eſt, vt Cabrera malè ſupponit, & diximus §. 3. in fine ſecundæ concluſionis: etenim actus intelligendi actiuè producitur à ſpecie, vt oſtendimus lib. 8. 1. p. q. 3. art. 5. & tamen non recipitur in ſpecie, ſed immediatè in intellectu, vt diximus in libris de Anima cum *Caietano 1. p. q. 79. art. 2. & aduertit Salas citatus in d. art. 5.* Quare ſi maior intelligatur de quocunque principio actiuo; neganda eſt: concedenda autem, ſi intelligatur de principio actiuo ex ſua natura vitali: in quo ſenſu neganda eſt minor; quia lumen gloriæ ex ſe non eſt principium vitale, ſed ſolus intellectus, vt ſupponimus. 106. Soluuntur adducta argumenta. Ad 1. Caiet. Salas.

Ad ſecundũ negandum eſt actus productos ab habitibus acquiſitis recipi in illis, & mediãtibus illis in potẽtia: quæ fuit expreſſa ſententia *Scoti in 1. diſt. 17. q. 2. litera N. §. Qualiter autem, & lit. X. §. Ad aliud de inclinatione.* Nec oppoſitum videtur probabile. Etenim non eſt improbabilis opinio, quæ negat habitus acquiſitos diſponere ad recipiendos actus à ſe elicitos, vt vidimus ſuprâ §. 4. ad 1: ſi verò dubium eſt, an illi diſponant ad actus accipiendos, non ſatis erit probabile, illos in ſe recipere eoſdem actus. Accedit; quia non 107. Ad 2. Scotus.

non videtur probabile, actum intelligendi recipi in ſpecie, vt diximus ad primũ: & tamen ſpecies eſt quidam habitus.

108. Quod dicimus de habitibus acquiſitis, dicendum eſt de infuſis: nihil enim vel apparenter ſuadet, vt aliter de his, atque de illis philoſophemur: etenim quod nõnulli dicunt habitum infuſum eſſe totam potentiam ſuorum actuum; & per conſequens eſſe ſuſceptiuum illorum; negãdum eſt illis, vt de lumine gloriæ dicemus in lib. 10: licet enim potentia naturalis nudè ſumpta non poſſit in ſubſtantiam illorum actuum; tamen vt eleuata actiuè influit in eam, vt libr. 10. dicemus Habitus igitur infuſus dat potentiæ ſimpliciter poſſe; non tamẽ dat totum poſſe, quia non dat illi virtutem radicalem, & inchoatam, qua vt eleuata influit. Non eſt igitur admittendum habitũ infuſum eſſe totam virtutem, & potentiam, qua intellectus, & voluntas influunt in actũ. Et quamuis nonnulli velint habitum infuſum concurrere per modum potentię, vt Suar. *in dict. c.* 15. *n.* 24. in hoc tamen ſenſu id volunt, quia ſimpliciter eſt neceſſarius ad ſubſtantiam actus; quia dat potentiæ ſimpliciter poſſe: cuius oppoſitum reperitur in habitu acquiſito. Sed *Suarius.*

109. ex hoc non benè infertur, habitum infuſum recipere in ſe actum, quẽ elicit: nam intellectus ſine ſpecie ſimpliciter non poteſt in ſubſtantiam actus, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 1. art. 1. & in 2. p. q. 1. art. vnico, §. 3: & tamen actus intelligendi non recipitur in ipſa ſpecie, vt diximus ad primũ. Ad probationem admittimus, potentiam naturalem nudè ſumptam non ſolùm nõ eſſe immediatè ſuſceptiuam actuum ſupernaturalium; ſed nec etiam mediatè: negamus tamen eam non eſſe ſuſceptiuã ipſorum, ſi eleuetur per habitum infuſũ. Et quamuis ipſa naturalis potentia, vt eſt obedientialis eſſet receptiua, tàm habitus, quàm actus; non proinde infertur ipſum habitum infuſum recipere actum: quia potentia obedientialis indifferens eſt ad vnum, vel alterum modum recipiendi. Cum verò obijcitur, potentiam recipere actum mediante habitu; negandum id erit, ſi ita intelligatur, vt actũ recipiat, habitu eum in ſe recipiente: admittendũ tamen; ſi ſenſus ſit, quòd recipiat actum mediãte habitu, veluti diſpoſitione quadam ſimplici, & pura. Sed in hoc ſenſu obiectio non probat intentum.

Ad tertium ex dictis patet ſolutio: maior enim eſt falſa, ſi intelligatur de mediatione ſuſceptiua: eſt tamen veriſsima de mediatione non ſuſceptiua. Minore autem admiſſa in hoc ſenſu, conſequentia non valet. Deceptus autem eſt bonus iſte Theologus, quia æquiuocationem mediationis nec agnouit, nec diſtinxit. 110. Ad 3.

Ad quartum neganda eſt maior: quæ nec inductione, nec ratione probatur. Non quidem inductione: nam quòd attinet ad diſpoſitiones formæ ſubſtantialis, ſupponitur diſpoſitiones illas recipi in forma, & mediante forma recipi in materia: quod eſſe falſum ſatis docet Philoſophia illorum, qui qualitatem, & diſpoſitiones materiales ponunt immediatè recipi in materia prima, quæ eſt opinio in ſcholis recepta, & fuit Commentatoris, & grauiſsimorum Philoſophorum, qui docent, diſpoſitiones iſtas primò, & immediatè recipi in materia prima, prout tamen eſt actuata forma ſubſtantiali, vt conditione ſine qua non: etenim ſi reciperentur in materia, forma eas immediatè in ſe recipiente, iam non reciperentur immediatè in materia. Illud etiam falſum eſt, ſi quantitas, & huius generis diſpoſitiones primò, & immediatè recipiuntur in toto compoſito, & ratione illius in materia, & forma: nam ſi immediatè diſpoſitiones illæ recipiuntur in toto compoſito; quomodò immediatè recipiuntur in forma? Quare probatio iſta arguit Philoſophiæ ignorantiam. Quam etiam arguit probatio ex diſpoſitionibus ad formam accidentariam: ſumit enim tanquam notum id, quod in Philoſophia eſt falſiſsimum: etenim mollities diſponit ad figuram; & tamen nec mollities recipit figuram, nec figura mollitiẽ. Permixtio etiã primarum qualitatum eſt diſpoſitio ad colorem; cum tamen nec qualitates primæ in ſe ipſis recipiant colorem, nec color ipſas qualitates. Ratio autem, qua eãdem maiorem probat, futilis eſt: vel enim petit principium, vel nihil probat: quoniam potentia, diſpoſitio, & forma habẽt quidem inter ſe ordinem, non tamen in recipi; ſed quia forma non poteſt recipi in ſubiecto, niſi diſpoſito: & in hoc ſenſu dicitur potentia recipere formam mediante 111. Ad 4.

diante diſpoſitione, vt ſæpè diximus.

112. Ad 5. Ad quintum, admiſſa maiore, neganda eſt minor: quia lumen gloriæ nec eſt potentia vitalis, nec habet modum vitalis potentiæ, vt iam aduertimus ad ſecundũ, & latè dicemus lib. 10.

113. Ad 6. Sextum argumentum puerile eſt: cõcedimus enim lumen gloriæ habere vim actiuam ad producendam viſionem: habere inſuper potentiam cõnaturalem receptiuam viſionis ſibi correſpondentem: hæc autem non eſt ipſum lumen, ſed intellectus lumine eleuatus. Minor autem ſecundi diſcurſus admittenda eſt, ſi intellectus nudè ſumatur; neganda tamen, ſi ſumatur, vt eleuatus: & in hoc ſenſu conſequentia nihil valet.

114. Ad vltimũ. Ad vltimum, neganda eſt ſequela poſita in antecedente: ad probationem patet ſolutio ex dictis in §. 4. ad 1. 3. loco adductum: negandum eſt enim in formis accidentarijs ſæpè non requiri diſpoſitiones non ſuſceptiuas formæ, ad quam diſponunt. Vide, quæ ibi diximus.

§. 6.

115. Aliæ cõcluſiones non impugnantur. Reliquum erat aliquibus argumentis impugnare reliquas tres concluſiones poſitas §. 3: cæterum ab hoc labore nos liberarũt aduerſarij; quia nulla apud eos inuenio, quibus aut aſſertiones illę impugnentur, aut confirmentur oppoſitæ. Sicut etiam nulla inuenio, quibus Nauarrete ſuam ingenioſam opinionem, inintelligibilem tamen, confirmet. Quare finem accipiat hic nonus articulus.

AATICVLVS X.

Quænam beatis appareant ſub lumine gloriæ?

1. Quæ ſub lumine appareant? Conſtituimus art. 8. lumen gloriæ eſſe medium *ſub quo* beati vident, quæ beatifica viſione vident: cõſequenter explicandum erat, quænam ſub illo lumine videantur? In hac quæſt. certiſsimum eſt, quidquid à beatis viſione beatifica videtur, videri ſub lumine gloriæ: cum enim omnis viſio neceſſariò fiat ſub aliquo lumine, vt oſtendimus q. 1. & 2. neceſſarium fuit, vt viſio beata ſub aliquo lumine fieret; nimirum ſub lumine gloriæ: quare quidquid viſione beatifica videtur à beatis, videtur ſub lumine gloriæ, tanquam medio videndi *ſub quo*, vt latè oſtendimus ſuprà artic. 8. & ſatis docet *D. Thomas quodlib. 7. art. 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15. & de Verit. q. 18. art. 1. ad 1. & 1. p. q. 12. art. 5. ad 2.* D. Thom.

Ex hac generali reſolutione infertur, lumen glorię obiectiuè illuſtrare omnia, quę beati ipſa beata viſione, & ex vi illius, vident: & cũ ſit medium *ſub quo* viſio tendit in obiecta, formaliter facit, vt illa omnia coram intellectu intelligibiliter appareant. Quæ autem ſint illa, quæ beatus vi ipſius viſionis intuetur? Alterius eſt quęſtionis, de qua diximus in 1. tom. lib. 5. per totum: ſicut etiam alterius eſt quęſtionis, quomodò, & quo ordine ea illuſtret, vt appareant. Satis modo ſit lumen eo modo illuſtrare, quæ videntur, quo ab ipſis beatis obiectiuè videntur: ſicut enim quædam videntur tanquam obiecta primaria, quædam verò tanquam ſecundaria; ita etiam lumen hoc, quædam immediatè illuſtrat, quædam mediatè: de quo diximus in d. lib. 5. 2. Lumen illuſtrat omnia obiecta.

Vtrùm autem lumen gloriæ ea illuminet, quæ extra diuinam eſſentiam de nouo reuelantur beatis? ea item, quorum cõceptus intra cognitionem matutinam beati formant? ſuis locis explicabimus: ſicut etiam ſuo loco oſtendemus, beatos, quæ cognoſcunt cognitione veſpertina, non cognoſcere ſub lumine gloriæ, ſed ſub alio diſtincto. 3. Incidens quæſtio.

ARTICVLVS XI.

Epilogantur munera luminis gloriæ, & expenditur, quo ordine illa exerceat?

Pro complemento huius quæſtionis breui epilogo recenſenda ſunt omnia munera luminis gloriæ, vt expendamus, quonam ordine illa exerceantur. 1. Quo ordine officia exerceãtur?

Primum igitur officium, & munus illius eſt, intellectum eleuare ad eſſe quoddam ſupernaturale, & diuinum; vt conſtitutus in eſſe diuini ordinis poſsit ea, quæ diuini ordinis ſunt, & operari, & recipere. Secundum munus eſt, iuuare intellectum, vt poſsit actiuè influere in viſionem. Tertium erit vnire intellectum Officia luminis.

 cum

cũ diuina eſſentia vnione formali. Quartum eandem diuinam eſſentiam intellectui obiectiuè vnire. Quintum officium eſt diſponere intellectum, vt fiat in actu primo ad videndum. Sextum munus actiuè influere in viſionem. Septimum; cõcurrere ad viſionem, vt medium *ſub quo.* Poſtremum denique munus eſt, intellectum diſponere ad recipiendam viſionẽ â ſe productam. Octo igitur ſunt luminis gloriæ munera, & officia, quorum ſingula diligenter confirmauimus.

2. De ordine illius. Sed iam videndũ eſt, quo ordine munera iſta ab ipſo lumine exerceantur? nec enim omnes in hoc conueniunt; omiſsis igitur aliorum ſententijs; ego hunc inter illa ordinem conſtituendum puto. Primum locum omnium conſenſu obtinet eleuatio intellectus ad eſſe diuini ordinis; nã cũ operari ſequatur ad eſſe (quia agẽs, vt agat, debet eſſe in actu) oportet, vt primo omnium intellectus eleuetur ad eſſe diuini ordinis, vt habeat poſſe in ea, quæ ordinis diuini ſunt. Quod ſatis explicauit Magnus Dionyſius c.7. de diuinis nominibus, dum ait, *Neceſſarium eſſe, vt nos ſupra nos ſtatuamur, & deificemur.* Et ratio id oſtendit: nam cum iuxta vulgatã Philoſophiam potentia, & actus debeant eſſe eiuſdem ordinis, vt inter ſe debitam habeant proportionem; oportet, vt intellectus ex eſſe naturali ordinis inferioris transferatur ad eſſe ſupernaturale ordinis diuini, vt aptus fiat ad operandum, & recipiendum diuinas operationes. Igitur primum luminis gloriæ officium eſt, eleuare intellectum ad eſſe ordinis diuini; non quidem ſolius pulchritudinis, & decoris gratia, vt quidam malè ſcribunt; ſed ad exercenda ea, quæ iam explicauimus.

Quod ſit primum.

Dionyſius

3. De ſecũdo. Eleuato iam intellectu ad eſſe ſupernaturale, & diuinum, ordine naturæ lumen gloriæ illi tribuit poſſe influere in viſionem beatam; idque complendo virtutem potẽtialem illius, quatenus eſt potentia intellectiua, tributa animę ad intelligendum; quæ diſtincta eſt, & alterius rationis à virtute actiua, qua in actum intelligendi influunt cæteræ virtutes actiuæ, quæ ſe tenent ex parte potentiæ, vt lib. 10. oſtendemus. Quòd hoc munus ordine naturali immediatè conſequatur ad eſſe deificum, ad quod lumen gloriæ intellectum euexit, ex eo vel euidenter oſtenditur, quòd operari immediatè ſequitur ad eſſe, cum ipſum eſſe ſit actus quidam: actus autẽ propriũ ſit eſſe principium operandi.

Cum verò intellectiua potentia ſit potentia vitalis, cuius operationes ex ſua natura ſunt immanentes; ſeruato ordine naturæ lumen glorię immediatè tribuit intellectui poſſe in ſe recipere ipſam viſionem, ad quam producendam intellectus factus eſt potens. Igitur ſeruato naturæ ordine lumen gloriæ tertio loco diſponit intellectum, vt eſt potentia paſsiua ad recipiendam viſionem; quòd ratio philoſophica ſatis oſtendit: nam cum omni potentiæ actiuæ neceſſariò correſpondeat aliqua paſsiua, in quam ſuum effectum cauſet; non poterit lumen gloriæ intellectum conſtituere potentiam actiuam, potentem elicere viſionem, quin inſeparabiliter conſtituat eum in potentiam receptiuam eiuſdem viſionis: dixi (inſeparabiliter;) quia cætera officia poſſunt ſaltem diuina potẽtia ſeparari ab intellectu iam per lumen conſtituto in eſſe potentis ad eliciendum viſionem (quia poteſt Deus ſe ſe non vnire, aut formaliter, aut obiectiuè cum illo:) at tamen facere non poteſt, vt intellectus, iam actiuè potens in viſionem, non ſimul ſit potens paſsiuè eam recipere. Quare hæc duo munera. ſ. eleuare intellectum ad agendum viſionẽ, & diſponere eundem ad illam recipiendam, per ſe requirunt coexiſtentiam in eodem temporis inſtanti; cætera autem munera per ſe non requirunt hanc coexiſtentiam, ſed ratione legis à Deo ſtatutæ, qua ſtatuit, vt infundens lumen intellectui, ſimul ſe illi vniat, & formaliter, & obiectiuè; quem ordinem de potentia abſoluta poteſt non ſeruare. 4. De 3.

Si quis obijciat, intellectum, vt eſt potentia receptiua, priùs recipere formam intelligibilem, quæ eſt actus primus, quã recipiat viſionem, quæ eſt actus ſecundus; & ſubindè prius eſſe intellectum fieri potentiam aptam ad recipiendam formam intelligibilem, quę eſt actus primus (ſiue illa ſit ſpecies creata, ſiue eſſentia loco ſpeciei) quàm illum diſponat, & aptet ad recipiendam viſionem; occurrendum eſt, intellectum ordine executionis prius recipere actum primum ad viſionem, quã ipſam viſionem; ordine tamen intẽtionis priùs 5. Inſtantia.

Solutio.

priùs eum diſponi ad recipiendam viſionem, quàm ad recipiendam formam intelligibilem per modũ actus primi: nam ſicut actiuitas intellectus beati eſt propter viſionem, tanquam propter finem; ita diſpoſitio paſsiua per ſe reſpicit viſionem vt finem: & inde eſt, vt intellectus ſit receptiuus actus primi, formæ. ſ. intelligibilis, quia eſt receptiuus viſionis. Iam verò Deus in rerum diſpoſitione ſequitur ordinem intentionis, non verò executionis. Itaque ſeruato ordine naturæ lumen gloriæ 3. loco diſponit intellectum, vt ſit receptiuus; primò quidem viſionis, vt eſt actus ſecundus (quia habet rationem finis, & formæ vltimæ, quæ in intentione eſt prima) deinde formæ intelligibilis, vt eſt actus primus; quia eſt veluti medium ad habendam viſionem.

6. De 4. Diſpoſito intellectu, vt poſsit, tùm agere, tùm recipere viſionem, immediatè diſponitur, vt actu vniatur diuinæ eſſentiæ vnione formali per receptionem formæ intelligibilis, quæcunque illa ſit. Quare lumen gloriæ quarto loco diſponit intellectum, vt aptus ſit receptione formæ intelligibilis fieri Deus in eſſe intelligibili. Hæc dicimus iuxta veriſsimam opinionem, quæ in intellectu admittit vnionem formalem intellectus cum obiecto mediante ſpecie, qua formaliter ſit res ipſa, quæ debet intelligi. Hac enim ſuppoſita opinione (de qua diximus 1. p. libri octaui q. 4. art. 1.) quartum locum obtinebit munus vniendi eſſentiam vnione formali cum intellectu; quidquid nonnulli velint oppoſitum. Hoc ex eo facilè conuincitur; quia vnio actus cum potentia naturaliter ſupponit potentiam iam eſſe illi actui propriam, & eiuſdem ordinis cum illo, vt ſæpè oſtendimus. Vnio igitur formalis diuinæ eſſentiæ cum intellectu non poteſt non ſupponere intellectum eſſe iam diſpoſitum ad recipiendam vnionem illius actus. Quare lumen priùs natura diſpoſuit intellectum, vt eſſet aptus, proportionatuſque ad talem vnionem, & conſequenter fecit vnionem ipſam: ſicut etiam priùs natura diſponitur materia, & deinde vnitur formæ. Inde infertur hoc munus vniendi etiam cõſequi ad completionem intellectiuæ virtutis, quod fuit ſecundum munus luminis: etenim cum hæc vnio fiat, vt intellectus conſtituatur in actu primo ad eliciẽdam viſionem: fieri autem nequeat intellectus in actu primò ad videndum, niſi virtutem videndi in ratione potentię habeat completam; neceſſariò infertur hoc munus naturaliter etiam ſupponere eleuationem, & completionem virtutis intellectiuæ.

Quinto loco ordine naturæ accedit munus vniendi diuinam eſſentiam cum intellectu vnione obiectiua, vt tanquam obiectum intelligibile poſsit, tanquam cauſa partialis cum intellectu obiectiuè influere in viſionem: etenim vnio obiectiua, ex qua obiectum habet, vt poſsit obiectiuè influere in actum intelligendi, naturaliter ſupponit vnionem formalẽ, vt diximus lib. 8. 1. p. quęſt. 4. art. 3. & 4. 7.
¶ Hæc diximus ſuppoſita opinione, quę duplicem admittit vnionem obiecti cum intellectu; vnam formalem, & alteram obiectiuam: ad vtranque enim diſponit lumen gloriæ, vt patet ex 3. & 4. art. huius quæſtionis. Cum verò diſpoſitio obiectiua ſupponat formalem, vt iam aduertimus, hæc diſpoſitio obiectiua habebit quintum locum: quartum tamẽ apud eos, qui vnam tantùm vnionem, obiectiuam. ſ. admittunt. Sed nos priorem ſequimur ſententiam, vt patet ex lib. 8. 1. part. q. 4. art. 4.

Ex vtraque iſta vnione conſequitur intellectus, quòd fiat in actu primo ad videndum: etenim per vnionem formalem intellectus fit Deus intelligibiliter: quo eſſe fit non ſimpliciter potens, ſed proximè potens ad videndum. Quare lumẽ gloriæ ſexto loco habet diſponere intellectum, vt fiat in actu primo videndi. Diſponere, inquam; quoniam intellectus formaliter non fit in actu primo videndi per lumen gloriæ, vt oſtendimus art. 6. ſed vel per ſpeciem creatam, vel per diuinam eſſentiam loco ſpeciei, vt diximus lib. 8. 2. p. q. 4. art. 4. At tamen, quia lumẽ gloriæ antecedenter diſponit, vt intellectus poſsit actuari, & perfici per vnam, vel alteram ſpeciem; ideò hoc munus cõſtituendi intellectum in actu primo ad videndum, poteſt inter munera luminis connumerari, & inter ea ſextum locum obtinebit. 8. De 6.

Septimum locum cõſequetur munus, officiumq; actiuè influendi in viſionem: idque 9. De 7.

idque apud eos, qui hanc actiuitatem lumini concedunt, quæ ſententia eſt veriſſima, de qua latè agemus in lib. 10.

10. De vltimo. Vltimum tandem locum habebit munus, & officium illuminandi, & obiectiuè illuſtrandi, quæ in diuina eſſentia videntur: etenim lumen eſt medium *ſub quo* illa omnia intelligibiliter coram intellectu apparet, vt diximus art. 8. Quod munus ideò vltimum habet locum, quia tunc actu exercetur, cum viſio in obiecta tendit; quæ cũ ſit vltimus actus, vltimaq; forma totius proceſſus intellectiui; ideò vltimo loco exercetur, cum non poſſit, niſi in ipſam viſionem exerceri. Hoc munus ſolùm tribuimus lumini, prout illuſtrat, & apparere facit, quæ à beatis videtur: ſub hac enim ratione vltimum locũ ſortitur, vt ratio allata probat: nam munus illuminandi intellectum, vt ille eſt potentia intellectiua, & quoddam diaphanum immateriale, ſtatim à principio cœpit exercere: quia mediante ſua illuminatione, & eleuauit intellectum ad eſſe diuinum, & eidem tribuit poſſe agere, & recipere viſionem, vt oſtendimus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm lumen gloriæ ſit ſuperfluum, ſi diuina eſſentia ponatur loco ſpeciei, aut detur ſpecies creata?

§. 1.

Refertur opinio Bellomontani.

1. Affirmat Bellom. HANC quæſtionem fecit dubiam vnus Bellomont. 1. *p. diſp.* 43. *à c.* 3. *cum ſequentibus*: vbi, vt oſtendat lumen gloriæ realiter, & formaliter eſſe ſpeciem eſſentiæ, nititur oſtendere, illud fore ſuperfluum, ſi diuina eſſentia admittatur loco ſpeciei. Et idem dicet, ſi admittatur ſpecies creata diſtincta à lumine. Et quia in illo loco tàm diffuſè, quàm confuſè rem iſtam diſputat; operæpretiũ erit ea, quæ docet, ad formam ſyllogiſticam reducere.

2. Fundamentum. Totum igitur fundamentum ex eo ſumit: quoniam ſi diuina eſſentia eſt loco ſpeciei, intellectus non indiget lumine, vt eam in ſe recipiat: nec ſecundò eſt neceſſarium, vt intellectui tribuat virtutẽ, & efficaciam actiuam, vt poſſit in viſionem. Nec tertiò; vt viſio Dei ab intellectu, vt à cauſa ſecunda cõnaturaliter procedat. Nec denique; vt conditio. Singula perſequamur.

Quòd attinet ad primum; probat intellectum non indigere lumine, vt poſſit recipere eſſentiam loco ſpeciei: 3. Primum caput. etenim vel illo indigeret ex eo, quòd eſſentia eſt forma ſupernaturalis: vel quia eſt forma inhærens: vel quia viſio non poteſt recipi ſine diſpoſitione: vel denique; quia nõ poteſt eam recipere, niſi per lumen fiat efficax ad eam eliciendam. Sed propter nullum horum eſt neceſſariũ. Non propter primum; quia nulla forma ſupernaturalis indiget diſpoſitione, vt recipiatur in ſubiecto, vt putat ſe probaſſe c. 1. n. 1. & 2. Nec propter ſecundum; quia diuina eſſentia non inhæret, ſed ſolùm aſſiſtit: diſpoſitio autem ſolùm requiritur propter inhærentiam. Non propter tertium; quia viſio non indiget lumine, aliavè diſpoſitione, vt in intellectu recipiatur, vt oſtendit in *eadem diſputatione c.* 1. Deniq; non requiritur propter quartum; quoniã vt potentia poſſit recipere ſpeciem obiecti, indiget quidem, vt aliquo modo ex ſe ſit efficax erga illud (nam ob id auditus non poteſt recipere ſpeciem coloris: nec ſenſus ſpeciem intelligibilem; quia nec auditus aliquam vim habet circa colorem; nec ſenſus circa intelligibile) non tamen indiget, vt ex ſe habeat virtutem determinatam circa tale obiectum; ſed ſatis eſt, quòd ex ſe eam habeat in genere, atque vniuerſim, in rationem generalem talis obiecti: etenim viſus, quia ex ſe habet virtutem circa genericam coloris rationem, ideò ex ſe capax eſt, vt recipiat ſpeciem albedinis. Quare, vt intellectus ex ſe capax ſit recipere eſſentiam loco ſpeciei, non requiritur, vt ex ſe habeat virtutem actiuam determinatam ad videndũ Deum; ſed ſatis eſt, ſi ex ſe habeat vim intelligendi omne intelligibile, vt intelligibile eſt. Nec enim vera eſt ſententia, quæ docet facultatem intellectus nullam ex ſe habere efficacitatem ad videndum Deum, ſed totam eam habere à lumine gloriæ, vt probat in d. c. 4. n. 11. His concludit, lumen non neceſſariò requiri, vt intellectus capax ſit recipere eſſentiam loco ſpeciei.

4. 2. caput. Quòd attinet ad ſecundũ: quòd ſcilicet

lumen

lumen non ſit neceſſarium, vt intellectui tribuat virtutem actiuam in viſionem, probari poteſt ex ijs, quæ ſcribit *in dicto n. 11. vſque ad finem.* Ratio ita formari poteſt. Quoniam non eſt dicendum intellectum reſpectu viſionis nullam ex ſe virtutem habere, qua in viſionem influat; ſed neceſſariò admittenda eſt in eo aliqua virtus natiua inchoata ad videndum Deũ. Hac autem admiſſa, lumen gloriæ omnino eſt ſuperfluum, ſi eſſentia eſt loco ſpeciei. Ergo ſimpliciter dicendum eſt lumen non eſſe neceſſarium, vt intellectus in viſionem influat. Quòd in intellectu admittenda ſit aliqua virtus, inde probat; quia non eſt vera ſententia, quæ docet, intellectum virtutem actiuam habere à lumine. Quod multis probat, quæ omnia referemus, & expendemus libro decimo.

Maior.

5. Minor.

Porrò minorem eiuſdem rationis ponit *in dicto cap. 4. in vltimis verbis,* & eam non minori cõfuſione probat *in toto cap. 5.* Et ex dictis ab eo is diſcurſus formari poteſt. Quoniam admiſſa eſſentia loco ſpeciei; vel lumen eſt neceſſarium ad roborandam virtutem illam natiuam, vt poſsit ſuſtinere excellentiam diuinæ eſſentiæ, quam ex ſe ſuſtinere non poteſt; vel vt cum illa tanquam principium efficiens integret vnum principium ex intellectu, & lumine integratum. Propter neutrum eſt neceſſarium. Maior patet; quia nulla alia cauſa neceſsitatis excogitari poteſt, ob quam lumen ſit neceſſarium, vt virtutem actiuam tribuat intellectui. Priorem partem minoris latè probat à principio capitis vſque ad §. *Præterea neceſſarium non eſt*: poſteriorem verò ab eo loco, vſque ad §. *Tandem reſpondebit aliquis.*

Maior ſecundi diſcurſus.

6. Prior pars minoris.

Ad priorẽ partem ex ijs, quæ indigeſtè adducit, ſatis ſit hæc ratio. Quia potentia ideò indiget roboratione ad cognoſcendum obiectum excellens; quia dum ab illius excellentia læditur, non poteſt eius ſpeciem recipere: ideò enim externus ſenſus indiget roborari, quia læditur â vehementi ſenſibili: hæc autem ratio locum non habet in intellectu, qui ab excellenti obiecto lædi non poteſt: & ſi lædi poſſet, non poſſet lædi à diuina eſſentia: quia non inhæret intellectui, ſed ſolùm aſsiſtit: læſio autem cum ſit actio corruptiua, fieri non poteſt, niſi per formam inhærentem.

7. Poſterior pars minoris.

Poſteriorem verò partem minoris latê confirmat numero decimo octauo cũ ſequentibus. Vis argumenti eſt hæc: quia ad eundem effectum plures cauſæ proximæ, & propriæ, etiam inuicem ordinatæ concurrere nequeunt, niſi in eo cuique cauſæ alia ratio peculiaris reſpondeat: iam verò nihil eſt in viſione, quod ſpecialiter correſpondere poſsit lumini, ſi eſſentia eſt loco ſpeciei: nam viſio, vt eſt intellectio, correſpondet intellectui; quia ratio intellectionis, vt eſt intellectio, non poteſt ſumi, niſi à ſolo intellectu. Vt verò eſt intellectio diuinæ eſſentiæ, ſumi debet ab ipſa eſſentia, vt eſt ſpecies: quia cognitio intellectiua, non habet, quòd ſit intellectio talis, id eſt huius obiecti, ab intellectu; quia intellectus, vt intellectus eſt, indifferens eſt ad omnem intellectionem; habet igitur, quòd ſit talis intellectio, ab ipſa ſpecie, quæ actuat, & complet intellectum determinando illius indifferentiam ad tale obiectum. Quare viſio beata, vt eſt talis viſio, ſcilicet eſſentiæ, id habet ab ipſa eſſentia, ſi illa tanquam ſpecies ſui admittatur. Quòd verò viſio ſit cognitio clara, & quidditatiua Dei, ſumitur ab eadem eſſentia, vt eſt ſpecies quidditatiua, & intuitiua ſui: nam à ſpecie vtrunque ſumendum eſſet, ſi in beatis poneretur. Quare, cum in viſione beata nulla alia ratio, ſiue generica, ſiue ſpecifica reperiatur, quàm ratio intellectionis: talis intellectionis & intellectionis claræ, & intuitiuæ; & harum nulla ſumi valeat à lumine, ſed ab intellectu, & ab eſſentia, ſi loco ſpeciei ponitur; benè infertur lumen gloriæ ſuperfluum eſſe, cum in viſione nihil ſit, quod illi correſpondeat.

¶ Hoc eſt totum fundamentum Bellomontani, vt probet lumen non poni, vt intellectui tribuat virtutem, & efficaciam ad videndum, ſi eſſentia loco ſpeciei ponatur, quod erat ſecundum caput fundamenti initio poſiti.

8. 3. caput.

Quod attinet ad tertium caput: ſcilicet, quòd lumen non ſit neceſſarium, vt viſio beata ab intellectu connaturaliter procedat; oſtendit in dicto capite quarto, numero 22. §. *Tandem reſpondebit aliquis,* & §. *Verum nec ad hunc effectum:* quo-

quoniam nulla forma poteſt conſtitui in aliquo agente, vt per illam cõnaturaliter operetur, niſi in ipſo effectu aliqua ratio correſpondeat tali formæ: cum enim forma illa fruſtra ponatur, nullo modo poni poteſt, vt effectus per eam connaturaliter producatur. Quare cum lumini in viſione nihil correſpondeat, & ob id fruſtra ponatur; vtique admitti non debet, vt intellectus per illud connaturaliter operetur: idque, ſi admittatur eſſentia loco ſpeciei.

9. 4. capu. Quod attinet ad caput 4. ſcilicet, quòd lumen non ſit admittendum tanquam cõditio ad recipiẽdum, tùm eſſentiam, tùm viſionem, probat in d. cap. 4. n. 24. §. *Cæterum audius.* Primò; quia non ſatis intelligitur, quæ ſit hæc conditio. Deinde, quia quoties aliqua qualitas ita eſt neceſſaria ex parte agentis, vt illa poſita, ponatur effectus, & ablata auferatur, non eſt, cur negemus, talem qualitatem eſſe principium illius. ¶ Hæc ſunt, quæ ex Bellomontano colligi poſſunt pro corroborando fundamento, quo illius opinio innititur.

§. 2.

Reijcitur opinio Bellomontani.

10. Reijcitur Bellomon. HÆc tamen opinio ab omnibus poſterioribus communiter reijcitur: omnes enim affirmant, lumẽ gloriæ admittendum eſſe, quantumuis diuina eſſentia loco ſpeciei ponatur: imô etiam licet ponatur ſpecies creata. In terminis opinionem Bellomontani tanquã improbabilem reiecit *Lorca* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 5. *art.* 1. *diſp.* 30. *pag.* 165. *col.* 2. *& pag.* 166. *col.* 1. *& Nauarrete* 1. *tom. contro.* 37. §. 5. *fol.* 230. *col.* 3. & eandem ego cum alijs reijcio, vt verè improbabilem. *Lorca. Nauarret.*

11. Primum fũdamentum Primum fundamentum ſit; quia & noua eſt, & contra communem doctrinam: omnes enim, qui in beatis admittunt ſpeciem, vel creatam, vel increatam, ſimul cum illa admittunt lumen gloriæ, tanquam neceſſarium ad aliquod munus, ad quod ſpecies non ſufficit. Res eſt indubitata apud eos, qui admittentes diuinam eſſentiam ſubire vicem ſpeciei (de quibus libro octauo in ſecunda parte, quæſtione 4. artic. 1. §. 1. & 2.) ſimul admittunt lumen gloriæ, vt patet quæſtione 4. huius libri artic. 1. §. 2. Illi etiam, qui in beatis admittunt ſpeciem creatam (quos citauimus in dicto libro octauo 2. parte, quæſt. 3. articul. 3. §. 1.) ſimul etiam admittunt lumen gloriæ; vt patet ex Argentina, Vlderico, Bonauentura, Ouando, de quibus quæſtione 4. art. 1. §. 2. nu. 26. Cum quibus etiam eſt Richardus, apud quem probabile eſt dari in beatis ſpeciem creatam; *Richard.* & cum ea admittit lumen gloriæ realiter ab ea diſtinctum, vt dicemus inferiùs q. 8. articulo primo, §. 3. Denique vno Bellomontano excepto, nullus eſt, qui dicat, poſita vna, vel altera ſpecie, lumen gloriæ eſſe ſuperfluum. Quare opinio Bellomontani ſingularis eſt, & noua, & ideò reijcienda, maximè cum nullum habeat probabile fundamentum.

Ratione à quibuſdã impugnatur: quoniam, quando ad aliquem effectum per ſe requiruntur plures cauſæ diuerſi ordinis; ſi altera ipſarum eſt incompleta, quãtumuis altera ſit in ſuo genere perfecta, non proindè erit ſuperfluus habitus ſupplens defectum prioris, & complens virtutem actiuam illius. Sed ad viſionem per ſe requiritur concurſus obiectiuus obiecti per ſpeciem, & ſimul potentiæ vitalis: quæ reſpectu viſionis eſt inſufficiens, & incompleta. Ergo non eſt ſuperfluus habitus, per quem compleatur: completur autem per lumen gloriæ. Ergo quantumuis eſſentia concurrat, vt ſpecies; & quantumuis concurrat ſpecies creata, nõ eſt ſuperfluum lumen. ¶ Hæc tamen ratio facilè ſolui poteſt â Bellomontano; qui admittit potentiam intellectus ſatis compleri per ſpeciem; hoc erat illi impugnandum. 12. Ratione im probatur. Ratio 1. Non cõcludit ratio.

Secundò ita nonnulli argumentantur: vbi ſunt effectus diſtincti, non ſuperflue ponuntur diſtinctæ cauſæ. Sed eleuare intellectum ex parte potentiæ, & illum conſtituere in actu primo ex parte obiecti per repræſentationem, & determinationem, ſunt effectus formaliter diſtincti; ad quorum primum ponitur lumen gloriæ; ſecundus verò tribuitur eſſentiæ, vt eſt loco ſpeciei. ¶ Sed vt diximus ad primũ, ex ſententia Bellomontani vterque effectus tribui poteſt per ſpeciem eſſentiæ, quæ propter ſuam excellentiam poteſt eleuare intellectum, & illum conſtituere in actu primo. 13. 2. ratio. Non recipitur.

Nauar-

14. Nauarrete tertiam videtur adhibere rationem: quia potentia eſt neceſſaria ſimul cum ſpecie: iam verò lumen ipſi intellectui eſt tota potentia intelligendi. ¶ Sed hoc fundamentum iam ſæpè reiecimus, tanquam improbabile, & iterum reijciemus lib. 10.

3. ratio

Non admittitur.

15. Vera igitur impugnatio huius opinionis ex eo ſumenda eſt, quòd illa inſufficientia ad videndum Deum, quę datur ex parte intellectus, nec poteſt ſuppleri per eſſentiam, vt eſt ſpecies; nec per ipſam ſpeciem, ſi daretur, vt oſtendemus quæſtione 8. art. 1. §. 4. in 6. argumento, vbi vide. Porrò, ſi ſpecies non poteſt tollere inſufficientiam, quæ datur in virtute intellectiua ad videndum Deum; non poteſt non concedi neceſſitas luminis ad eleuandum intellectum ad ordinem ſupernaturalē generis rei: & iſto modo vim habent argumēta adducta ab illis nouiorib⁹.

16. Sed ex alio etiam capite impugnabitur Bellomontanus; quia proprium & principale munus luminis gloriæ (illuminare ſcilicet, & manifeſtare obiecta, quæ à beatis ſunt videnda) non poteſt cōuenire, aut diuinæ eſſentiæ loco ſpeciei, aut ſpeciei creatæ, vt dicemus in dicta q. 8. art. 1. §. 4. in ſeptimo argumento. Hoc autem ſuppoſito, efficaciter conuincitur, lumen gloriæ non modo ſuperfluum nō eſſe, admiſſa in beatis, vna vel altera ſpecie; ſed etiam ſummè eſſe neceſſarium. Vide in dicto 7. argum.

Poſtremò ſatis impugnabitur, ſi oſtendamus fundamentum, quo nititur, infirmum eſſe, & debile.

§. 3.

Soluitur Bellomontani fundamentum.

17. SVpereſt diſſoluere fundamentum poſitum §. 1. Admittendū eſt enim lumen gloriæ non eſſe neceſſariū, vt conditionem; quamuis nonnulli id affirment, contra quos argumenta Bellomontani fortè nō cogunt. Sed quidquid de hoc ſit; dicimus primò, argumentum vim non habere, licet daremus lumen neceſſarium non eſſe propter aliquam ex cauſis, quas adducit: quoniam ſatis eſt, quòd ſit neceſſarium ad manifeſtāda obiecta videnda à Beatis; cum id non poſſit conuenire, vel ſpeciei creatæ, vel eſſentię loco ſpeciei. Secundò dicimus lumen eſſe neceſſarium propter tres cauſas in argumento adductas: & vt id fiat manifeſtius, ſingulas expendamus.

Quòd lumen ſit neceſſarium ad recipiendam diuinam eſſentiam loco ſpeciei vnitam, ſi talis vnio admittatur, oſtendimus ſuprà q. 5. art. 3. §. 3. 4. & 5. Ad argumentum, quo in contrarium inſurgit: dicimus primò: lumen non præciſè neceſſarium eſſe ex eo, quòd eſſentia ſit forma ſupernaturalis; ſed ideò, quia eſt forma ſupernaturalis principalis, & vltima in genere intelligibili, vt diximus in dict. art. 3. §. 4. n. 24. vbi n. 30. & 37. diſſoluimus argumenta in contrarium poſita. n. 26. & 27. Deinde dicimus apud eos, qui ponunt ſpeciem creatam, neceſſariū eſſe lumen propter inhærentiā illius ſpeciei: apud eos autem, qui eſſentiam ponunt loco ſpeciei, lumen eſſe neceſſarium, non propter inhærentiam, ſed propter actuationem, & perfectionē intrinſecam abſq; informatione, quam nobiliſsimi Thomiſtarum cū D. Thoma admittunt, de quibus lib. 8. in 2. p. q. 4. art. 2. §. 5. & ideò negamus, diſpoſitionem ſolùm requiri propter inhærentiam; cum etiam requiratur propter intrinſecam actuationem, etiam ſi fiat ſine inhærentia; nec oppoſitum Bellomon. probare poterit. His addimus diſpoſitionem per lumen etiam eſſe neceſſariam, vt eſſentia poſsit intellectui vniri vnione obiectiua, & per coaſsiſtentiam, vt contra Bellom. & alios oſtendimus in dicto lib. 8. 2. p. q. 5. art. 4. §. 3. n. 14. cum Cumelio, Molina, Suario, & Scoto. Vnde fallitur Bellomont. dum oppoſitum aſſerit. Tertiò dicimus lumen gloriæ neceſſarium eſſe, vt viſio recipiatur in intellectu, vt latè probauimus ſuprà q. 5. art. 9. §. 3. & q. 7. art. 1. §. 2. 3. & 4. vbi argumenta in oppoſitum diſſoluimus. 18.

Vtrum verò lumen ſit neceſſarium ex eo, quod intellectus non poteſt recipere viſionem, niſi per lumen fiat efficax ad eam eliciēdam? negabunt, qui intellectui actiuitatē negant: adhuc enim lumē requirunt, vt vidimus q. 7. art. 1. Affirmabunt tamen, qui actiuam influentiam in intellectu agnoſcunt: cum enim viſio ſit actio vitalis, & immanens, non poterit intellectus viſionem recipere, ſi eam non poteſt producere; vnde apud iſtos receptio viſionis neceſſario ſupponit eleuationem 19.

virtutis actiuæ. Contra quam ſententiam nihil facit argumentum à Bellom. adductum: quoniam ex eo non benè infertur, intellectum in ſe ſuiſque naturalibus puris ſecluſa quacunque ſupernaturali diſpoſitione eſſe complete, & proximè capacem ad recipiendam eſſentiam, vt formam intelligibilem. Pro cuius explicatione aduertendũ eſt id, quod libr. 10. latiûs explicabimus; intellectum ſecundùm ſuam natiuam virtutem habere efficacitatem in omne obiectum intelligibile, quatenus eſt intelligibile, quæ eſt ratio generica: at tamen actiuitatem illam non eodem modo ſe habere ad omne intelligibile; quoniam reſpectu intelligibilis naturalis eſt actiuitas, & efficacia completa ex parte potentiæ, quæ ſolùm indiget determinatione ad tale obiectum mediante illius ſpecie: at verò reſpectu intelligibilis ſupernaturalis ſolùm eſt actiuitas incompleta, & remota; vnde non ſolùm indiget determinari ad tale obiectum; ſed etiam compleri virtute aliqua ſupernaturali, quæ ſe habeat ex parte potentiæ. Ratio diſcriminis eſt; quoniam cum ſit eiuſdem ordinis cum obiecto naturali, habeatque eundem eſſendi modum cum illo; & ad eſſe ſequatur poſſe operari; ex ſe habet vires naturales vt poſſit ſe reducere ad actum. Oppoſitum cernitur in ea reſpectu obiecti ſupernaturalis; cum enim ſit inferioris ordinis, & habeat eſſendi modum longè inferiorem ad modum eſſendi obiecti ſupernaturalis; ex ſe non habet naturale poſſe operari in illud, ſed ſolùm obedientiale; ſi nimirum eleuetur ad eſſe ſupernaturale, vt habens tale eſſe, habeat ſupernaturale poſſe. Itaque illa natiua virtus, licèt habeat efficaciam in omne intelligibile ſecundùm rationem genericam intelligibilis; non tamen illam habet completam ex parte potentiæ in ordine ad omne intelligibile; ſed ad naturale habet eam completam; & ideò ſolùm indiget completione determinationis per ſpeciem, quam naturaliter in ſe poteſt producere; ad ſupernaturale verò eam habet incompletam; quia obedientialem tantùm; & ideò indiget compleri, vt diximus: compleri autem debet, non per vires ſuas naturales, ſed per ſupernaturales.

Hoc ſuppoſito, iam patet argumentum non benè inferre intellectum ſecundùm ſe, & ſecundùm ſolas vires naturales eſſe proximè capacem ad recipiendam eſſentiam, vt formam intelligibilem: licet enim, vt potentia cognoſcitiua aliquo modo ſit receptiua ſpeciei alicuius obiecti, neceſſarium ſit, vt ex ſe habeat natiuam virtutem elicitiuam, viſionis talis obiecti; nec opus ſit, vt ex ſe habeat virtutem determinatam ad viſionem illius; non tamen eſt neceſſariũ, vt virtus illa natiua ſecundùm ſe ſit virtus completa ad talem viſionem; ſed ſatis eſt, quòd ſit potens influere in illam potentia quadam remota, & incompleta, qualis eſt obedientialis: ob hanc enim rationem viſus ex ſua natura non poteſt recipere ſpeciem diuinæ eſſentiæ; quam tamen recipere poteſt intellectus; quia ſcilicet viſus non habet natiuam virtutem ad videndum Deum; quã tamen habet intellectus: & ideò ſi illa per lumen gloriæ compleatur, ideò poteſt Deum videre, quia poteſt in ſe recipere eſſentiam, vt formam intelligibilem. Quare, vt intellectus poſsit eſſentiam illo modo recipere potentia proxima, & completa, oportet, vt natiua illius actiuitas per lumen gloriæ fiat efficax efficacitate ſe tenente ex parte potentiæ, vt poſsit in viſionem influere: & hæc eſt huius rei vera Theologia. 20

Quòd etiam lumen ſit neceſſarium, vt intellectus habeat virtutem perfectam, & completam ad eliciendam viſionem (quæ eſt ſecunda cauſa neceſsitatis, quam Bellomontanus impugnat) latè oſtendimus quæſtione quinta articul. 2. §. 2. Ad argumentum verò in oppoſitum neganda eſt minor. Ad probationem illius dicendum eſt, lumen propter vtranque cauſam eſſe neceſſarium, ſi vtraque benè explicetur: eſt enim neceſſarium ad roborandum intellectum, vt ſuſtinere valeat excellentiam obiecti beatifici: non quia læditur ab excellentia illius (hoc enim ſolum reperitur in ſenſu) ſed quia eſt inferioris ordinis: potentia autem inferior non ſuſtinet obiectum ſuperius, propter improportionem in modo eſſendi. Eſt etiam neceſſarium, vt cum intellectu concurrat, tan- 21.

tanquam principium coefficiens, in ſenſu explicando libr. 10. quæ eſt poſterior neceſsitas in argum. tacta. Ad impugnationem dupliciter ſolet reſponderi. Vno modo negando maiorem; quam negat

Suar. Salas. Lorca.

Suar. 1. *tom. ad tertiam partem diſp. 29. ſect. 2. pag. 555. col. 1. & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 3. ad finem, pag. 354. col. 1. & Lorca 1. tom. ad 1. 2. q. 5. artic. 1. diſp. 30. ad 1. argum. pag. 169. col. 2.* apud quos non eſt opus, vt in effectu aliqua ratio correſpondeat vni cauſæ, & alia alteri: ſed omnis illius ratio omnibus cauſis correſpondet: quorum opinio confirmari poteſt exemplo prolis, ad quam mas & fœmina concurrunt, vt cauſæ partiales per virtutes diuerſæ rationis; & tamen in ipſa prole nulla ratio correſpondet vni, quæ non correſpondeat alteri. Altero modo, reſponderi ſolet negatione minoris: plures enim negant non dari in viſione beata aliquam peculiarem rationem, quæ ſpecialiter correſpondeat lumini: ratio enim ſupernaturalitatis ſpecialiter illi correſpondet, vt aduertit Salas vbi ſuprà, quem nouiorum nonnulli ſequuntur, nec diſplicet Lorcæ: apud quem lumini etiam correſpondet claritas, & euidentia viſionis. Sed de hoc latiùs agemus lib. 10. in q. de coefficientia luminis in viſionem.

22. Denique quòd lumen ſit etiam neceſſarium, vt intellectus connaturaliter viſionem producat (quæ eſt tertia cauſa neceſsitatis) euidenter oſtenditur: cum enim viſio ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ſupernaturalis, non poteſt connaturaliter produci, niſi à potentia, quæ ſit ordinis ſupernaturalis; quia operari ſequitur ad eſſe; iam verò intellectus eleuatur ad eſſe ſuperuaturale per lumen, vt ſæpè diximus. Et inde eſt, vt veriſsima ſit Theologia Caietani, & aliorum, qui volunt, connaturale eſſe intellectui illuſtrato elicere viſionem beatam; etenim ſæpè aduertimus, ſtatum ſupernaturalem ſuas etiam habere connaturalitates. Argumentum, quo Bellomontanus hoc impugnat, ex ijs, quæ diximus, ſatis ſolutum manet: quia vel non neceſſe eſt, vt in effectu detur aliqua ratio, quæ ſpecialiter cuique ex cauſis efficientibus correſpondeat: vel in viſione beata lumini ſpecialiter correſpondet, tùm ratio ſupernaturalitatis; tùm ratio claritatis, & euidentiæ. ¶ Et ita ſatis ſoluta manent, quę Bellomont. pro confirmanda ſua noua opinione tam latè, & confuſè ſcribit.

QVÆSTIO VI.

De neceſsitate luminis gloriæ in ordine ad potentiam abſolutam Dei.

IN præcedentibus quæſtionibus egimus de neceſsitate luminis gloriæ ſuppoſita lege ordinaria à Deo ſtatuta: conſequenter agendum eſt de neceſsitate illius in ordine ad potentiam Dei abſolutã. Agemus autem de lumine habituali; cuius officium & munus eſt illuminare: nam in eodem ſenſu de illo egimus in pręcedentibus quæſtionibus. 1.

Quæſtio iſta in hac materia eſt celebris, & inter Theologos maximè controuerſa. Vnicum tantùm continebit articulum: is autem inquiret; vtrùm lumen gloriæ habituale ſimpliciter ſit neceſſarium ad videndum Deum, etiam in ordine ad abſolutam Dei potentiam?

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm lumen gloriæ habituale etiam de potentia Dei abſoluta ſit neceſſarium ad viſionem diuinæ eſſentiæ?

LOrca *ad 1. 2. q. 5. diſp. 30. in 2. dicto pag. 165.* ſimpliciter aſſerit, omnes in hoc conuenire, vt de potentia abſoluta non ſit neceſſarium lumen gloriæ habituale: ſed profectò oſcitando, aut dormitando hoc ſcripſit: cum inter ſcribentes adeò celebris ſit hac de re controuerſia, vt quidam partem aſſerentem aſfirment; quidam autem negantem. Quin potiùs præſtantiſsimi Theologi incerti ſint, in quam partem inclinent; alij denique putant varias de ea haberi ſententias. Nos duas tantùm inuenimus inter ſe oppoſitas; quarum patronos ſimul cũ fundamentis primum referemus; deinde noſtram ſententiam explicabimus. 2. Lorca decipitur.

§. 1.

Refertur opinio ſimpliciter affirmans.

3. Opinio affirmans. QVòd lumen gloriæ ad videndum Deum ſit neceſſarium etiam de potentia Dei abſoluta; ita vt nec per illam fieri valeat, vt intellectus ſine habitu luminis gloriæ Deum intuitiuè videat; cõmunior eſt ſententia inter Thomiſtas, & quoſdam alios: in terminis eam probat *Dominicus Bañes 1. p. q. 12. art. 5. dub. 3. §. Nobis igitur placet*: quam iterum *confirmat 2. 2. q. 23. art. 2. dub. 2: conſtanter eam defendit Nauarrete 1. tom. controu. 39. §. 1. concl. 1. fol. 245. col. 1. & clarius §. 2. concl. 3. fol. 246. col. 3. cum illis ſimpliciter conſentit Cabrera ad 3. p. q. 9. art. 2. diſp. 11. concl. 1. n. 36*: hi omnes abſolutè fatentur ſimpliciter eſſe impoſsibile, vt Deus videatur ſine lumine gloriæ habituali. Ante illos idem tenuit *Capreol. in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad 4. Durandi ad finem artic. fol. 210. col. 1. §. Dicitur 2. vbi teſtatur hanc fuiſſe vltimatam Diui Thomæ ſententiam: ſatis eandem innuit in eodem loco ad 3. dub. eorum, quæ contra ſecundam 4. loco adduxit Aureol. fol. 209. col. 1. ſatis conſentit Soncinas ibidem q. 4. concl. 2. ad 3. dub. eiuſdem Aureoli fol. 88. col. 4. & ad 4. Durandi in fin. fol. 89. col. 2. Eandem abſolutè probauit Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. dum in principio commenti declarat, intellectum indigere lumine gloriæ, vt Deum videat; non propter melius, ſed ſimpliciter, & abſolutè.* Quibus verbis ſatis explicat, lumen gloriæ ita ſimpliciter eſſe neceſſarium ad viſionem, vt oppoſitum ſimpliciter fieri nequeat. Quod ſatis etiam explicat ad 3. Scoti: quare pro hac negante ſententia meritò citatur Caietan. quidquid Ripa, & Cumelius velint eum poſſe aliter explicari. Et eadem ratione pro eadem ſententia citari debet *Syluester in conflato ad 1. p. q. 12. art. 5. in principio*: explicans enim titulum quæſtionis docet illum eſſe intelligendum de neceſsitate ſimpliciter. Et eadem ratione pro illa debet citari Iauellus in eodem loco: vult enim in hoc ſenſu, intellectum indigere lumine gloriæ ad videndum, vt aliter videre non poſsit. Citatur etiam *Ferrar. in 3. contra gent. cap. 54. & merito*, quoniam ibidem ad 4. Scoti paulò ante finem commenti expreſſè fatetur, poſſe quidem Deum ſe ſolo abſque lumine, & intellectu producere viſionem beatam: non tamen poſſe efficere, vt viſio illa producatur à beato ſecluſo lumine gloriæ. Sotus etiam relicta ſentẽtia negante, quã aliquando probauerat, hanc affirmantem tanquam veriorem vltimatè probat *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. §. Caiet. quidẽ, pag. 590. col. 2.* Eandem vt longè probabiliorem admittit *Petrus Ledeſma de diuina perfectione q. 8. in ſubarticulo articuli octaui concl. 2. pag. 593. col. 1. In qua etiam ſententia eſt Raphael Ripa 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. c. 1. concl. 2.* Hos authores pro hac affirmatiua ſententia inueni, qui aut eam ſimpliciter probant; aut vt probabiliorem amplectuntur. An verò hæc opinio fuerit Diui Thomæ? dubitari poteſt. Capreol. vbi ſuprà fatetur D. Thomam oppoſitã ſententiam habuiſſe *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. & de Veritate q. 10. art. 11.* ſed poſteà, aut mutaſſe ſententiam, aut eam explicuiſſe: vnde plerique negant oppoſitam ſententiam aliquando placuiſſe D. Thomæ, & ideò laborant in explicandis locis in oppoſitum citatis. Et quòd D. Thom. hanc affirmantem ſententiam probauerit, plures colligunt ex quæſtionibus de *Veritate q. 2. art. 2. & q. 13. art. 2. & q. 20. art. 2. & 2. 2. q. 175. art. 3. ad 2.* in quibus locis, vt aiunt, D. Thomas agit de potentia abſoluta: & in eodem ſenſu intelligũt neceſsitatem luminis, quam ſtatuit *1. p. q. 12. art. 5. vt vidimus ex Caietano, Syluest. & Iauello*: ſed ſtatim oſtendemus hunc ſenſum ex D. Thoma in citatis locis non ſatis colligi.

Banes. Nauarret. Cabrera. Capreol. Soncinas. 4. Caetan. Syluest. Ferrar. Sotus. 5. Ledeſma. Ripa. An hæc opinio ſit D. Thomæ? Capreol.

Authores huius opinionis varia formant argumenta, vt oſtendant implicationem, ſi intellectus videat Deum ſine lumine, vt videre eſt apud Bannes, Ledeſmam, Nauarrete, & plures alios; quæ omnia ad hoc vnum medium reducuntur, quòd lumen gloriæ vel intellectui ſit tota videndi potentia, & virtus actiua; vel ſine illo non detur in eo virtus completa aptaque ad videndum. Adducemus ea, quæ potiora ſunt. 6. Fundamentum huius opinionis.

Primum igitur argumentũ (quod omnibus eſt commune) eſt hoc: quia cauſa efficiens etiam per diuinam potentiam agere non poteſt, niſi fiat in actu ad agẽdum. Sed intellectus ſine lumine gloriæ nullo modo poteſt eſſe in actu ad videndum Deum. Ergo nec per diuinam potentiam 7. 1. argum.

tentiam poteſt Deum videre ſine lumine gloriæ. Maior patet ex Philoſophia Ariſtotelis in tertio Phyſicorum, quæ docet de ratione intrinſeca cauſæ efficiẽtis eſſe, vt agat, quatenùs eſt actu; aliàs nunquam erit proportionata ad agẽdum effectum, cum effectus ex ſe ſit quidam actus: & inde eſt, vt per nullam potentiam fieri poſsit, vt aqua calefaciat, niſi habeat calorem. Minorem ex eo probant; quia lumen gloriæ eſt virtus, & facultas intellectus ad videndum Deum, ſine quo intellectus nunquam erit proportionatus ad videndum. Hoc vno fundamento vtitur Sotus, & Bañes, qui putat eo rem demõſtrari, ſi ſupponatur intellectum ad viſionem concurrere non poſſe, tanquam inſtrumentum, ſed vt cauſam principalem.

8. Secundum. Secundò alij ita arguunt: nulla virtute fieri poteſt, vt aliquis intelligat ſine potentia intelligendi. Sed lumen gloriæ eſt intellectui potentia ad videndum. Ergo nec diuina potentia fieri poteſt, vt ſine eo intellectus Deum videat. Maior eſt per ſe nota: minorem hi authores, tanquam veriſsimam ſupponunt: in ea enim ſunt opinione, vt intellectus ad viſionem non concurrat ſua virtute naturali, ſed lumen ipſum ſit illi tota potentia, & vis actiua ad videndum. Ita Cumelius, Ledeſma, & alij.

9. Cõfirmat. Confirmatur hęc ratio: quoniam ſicut implicat intellectum intelligere ſine potentia intellectiua; ita etiam implicat eum intelligere ſine virtute, quæ ex ſe eſt virtus potentiæ neceſſaria ad intelligẽdum. Sed lumen gloriæ, ſi non eſt ipſa potentia ad videndum; eſt tamen virtus neceſſaria intellectui, vt poſsit videre Deum. Ergo ſicut implicat animam videre Deũ ſine potentia intelligendi; ita implicat videre Deum ſine lumine gloriæ.

10. Tertium. Tertiò arguunt Ledeſma, & Cabrera: implicat beatum videre Deum, niſi diuina eſſentia vniatur intellectui in ratione ſpeciei. Sed diuina eſſentia ſine lumine gloriæ nec per diuinam potentiã vniri poteſt intellectui per modum ſpeciei. Ergo implicat beatum videre Deum ſine lumine gloriæ. Maior ſupponitur, vt nota: probari tamen poteſt; quoniam ad intelligẽdum neceſſaria eſt ſpecies, vel aliquid loco ſpeciei, etiam in ordine ad diuinam potentiam, vt diximus lib. 8. 2. p. q. 1. artic. vnico §. 3. Ergo cum ſpecies creata diuinæ eſſentiæ ſimpliciter ſit impoſſibilis apud Authores huius rationis, non poterit Deus videri, niſi diuina eſſentia ad inſtar ſpeciei illi vniatur: quæ fuit maior. Minorem probant: quia lumẽ gloriæ eſt intellectui tota potentia videndi; vel ſaltem eſt virtus complens virtutem potentiæ, vt eſt potentia. Iam verò ſpecies ſub ratione ſpeciei non poteſt vniri, niſi potentiæ, quæ in ſua virtute principij potẽtialis ſit completa.

Quartò arguunt ijdem: Viſio beata dicit intrinſecum ordinẽ ad lumen gloriæ, ſicut actus naturalis intellectus ad ipſum intellectum. Sed Deus etiam de potentia abſoluta non poteſt facere actum naturalem intellectum ſine intellectu. Ergo nec poterit facere viſionem ſine lumine gloriæ. Cõſequentia patet: minor (vt aiunt) eſt per ſe nota: maiorem probant ex eodem fundamento: quia lumẽ gloriæ reſpectu viſionis, vel eſt potentia, vel virtus potẽtiæ. Iam verò viſio beata habet intrinſecum ordinem ad ſuam potentiam, vt habet completam potentiæ virtutem. 11. Quartum.

Quintò arguũt: omnis actio, quę procedit ab aliquo, tanquam à cauſa principali, exigit in ea principium intrinſecum, & formale, vt ſit proportionata cum effectu. Sed intellectus ad viſionem beatam neceſſariò concurrit, vt cauſa principalis. Ergo neceſſariò habebit aliquam formã, quæ ſit principium proportionatum viſioni: nullam autem habere poteſt, niſi lumen gloriæ. Ergo ſine illo non poterit Deum videre. Minor prioris diſcurſus ſupponitur, vt nota: maior autem ex eo probatur; quia omne agẽs principale agit in quantum eſt actu: debet igitur habere in ſe aliquod principiũ formale, quo ſit in actu agendi: nihil enim eſt in actu, niſi per formam ſibi intrinſecam; quia extrinſeca non eſt ſatis, vt ipſum agens principale conſtituat in actu. 12. Quintum.

Sextò ex eodem Ledeſma: implicat, quòd intellectus creatus eliceat viſionem Dei abſque aliqua virtute ſibi intrinſeca: hæc virtus non poteſt eſſe ipſa vis naturalis intelligendi. Ergo erit virtus aliqua ſupernaturalis: non alia, niſi lumen gloriæ. Conſequentia eſt nota ſimul cũ minore; quia virtus illa naturalis eſt improportionata viſioni, & ordinis inferioris. 13. Sextum.

Maiorem autem indè probat; quia implicat, quod potentia eliceat actionem ſine virtute ad eliciendum.

14. Confirm. Confirmatur (inquit): quoniam noctua, etiam de potentia Dei abſoluta, non poteſt videre Solem, niſi ei communicetur aliqua videndi virtus. Ergo nec intellectus poteſt videre Deum, niſi ei communicetur aliqua virtus, qua Deum videat: antecedens eſt notum; quia per ſuã naturalem virtutem non poteſt videre Solem. Conſequentia patet: quoniam magis eleuatur Deus ſupra intellectum creatum, quam Sol ſupra oculos noctuę.

15. Septimum. Septimò ex eodem Ledeſma: lumen gloriæ non ſolùm ſe habet, vt principiũ actiuum viſionis, ſed illi aliquid admiſcetur dè principio formali. Ergo non poteſt Deus ſupplere concurſum luminis gloriæ. Conſequentia eſt euidens; quoniam Deus, ideò non poteſt ſupplere concurſum principij vitalis, reſpectu intellectionis; quia intellectus non ſolùm concurrit ad eam, vt principium effectiuum; ſed etiam aliquo modo, vt formale: actus enim vitalis intrinſecum ordinem includit ad principium vitale. Antecedens verò oſtendit ex principio ſæpe aſſumpto; quoniam lumen gloriæ, vel eſt totalis virtus vitalis reſpectu viſionis; vel eſt complementum vitalis virtutis. Ergo viſio intrinſecè dicit ordinẽ ad lumen, vt ad principium vitale.

16. Octauum. Octauò arguit Nauarrete; quoniam intellectus, cum ſit cauſa principalis (vt ſupponitur) debet in ſe ipſo, & ex parte ſua, proportionari viſioni, quã elicit: etenim in hoc differt cauſa principalis ab inſtrumentali, quòd inſtrumentalis ſecundum ſe nò debet proportionari effectui; benè tamen principalis. Sed intellectus non poteſt eſſe proportionatus viſioni, niſi per lumen gloriæ: nec enim illi proportionatur ſua naturali forma, & virtute.

17. Nonum. Nonò idem ita arguit: actus viſionis eſt ſupernaturalis. Ergo proximum illius principium, tenens ſe ex parte potentiæ, erit ſupernaturale. Ergo per aliquã qualitatem ſupernaturalem debet potentia eleuari, prius, quàm operetur.

18. Decimum. Decimò ex ijs, quæ indigeſte ſatis, & confuſè congerit idem Nauarrete, poteſt hæc ratio ita formari: Deus immediatè per ſe ipſum non poteſt ſupplere rationẽ formalem *ſub qua*, quando illa actum ipſum propriè ſpecificat. Sed lumen gloriæ eſt ratio formalis *ſub qua*, viſio beata propriè ſpecificatur. Ergo Deus in ipſa viſione non poteſt ſupplere rationem formalem *ſub qua* lumen gloriæ viſionẽ ſpecificat. Diſcurſus videtur bonus: maiorẽ vt notiſsimam ſumit: minorem ita oſtendit; quoniam in viſione debet dari ratio formalis *ſub qua* intellectus tẽdit in Deũ, & à qua ſpecificatur: hæc autem non debet eſſe naturalis, ſed ſupernaturalis: erit ergo ratio luminis glorię. Igitur lumẽ gloriæ eſt ratio formalis *ſub qua* viſio ſpecificatur, quæ fuit minor. Hunc ſyllogiſmũ colliges ex his, quæ indiſtinctè ſcribit, quæ omittimus.

19. Vndecimũ. Vndecima ratio ex eodem ſumi poteſt: quoniam beatus Deum videre non poteſt, niſi Deo ſimul cum ipſo ad viſionem concurrente. Sed non poteſt potẽtia ſine lumine gloriæ ſimul cum Deo cõcurrere ad viſionem. Ergo fieri non poteſt, vt intellectus ſine lumine Deum videat. Maior eſt nota; minorẽ probat; quoniam viſio illa non poteſt ſpecificari, aut limitari ex parte Dei, vt eſt obiectum: etenim ſicut iſto modo non poteſt habere aliquam limitatam rationem; ita nec poteſt habere ſpeciem. Debet igitur limitari, & ſpecificari ex parte principij actiui tenentis ſe ex parte potentiæ: & per conſequẽs neceſſarium eſt ſtatuere qualitatem aliquam particularem, à qua, & ſub qua illa limitetur: etenim in actibus naturalibus ratio *ſub qua* tendendi in obiecta, limitat eoſdem actus, vt procedunt ab agentibus. Hæc autem qualitas nõ poteſt eſſe ordinis naturalis: quia oportet ſit eiuſdem ordinis cum ipſa viſione, quæ eſt ſupernaturalis. Erit igitur qualitas illa ordinis ſupernaturalis, quę actuando intellectum, eſt ratio ſub qua viſio limitata elicitur. Talis autem nulla eſſe poteſt, niſi lumen gloriæ.

20. Duodecim. Duodecimò arguit Cabrera *in dicta diſput.* 11. §. 3. *num.* 41. 42. 43. 44. vbi tribus medijs argumentatur; quorum omnium vis ad hoc vnicũ reduci poteſt: viſio beata ex ſua natura eſt actus vitalis, & ſecundum ſubſtãtiam ſupernaturalis. Ergo implicat eam eſſe, niſi à potentia vitali ſupernaturali. Sed intellectus ſine lumine glo-

gloriæ non eſt potentia vitalis ſupernaturalis; quia talis non eſt ſecundum ſe. Ergo talis erit per lumen gloriæ: hoc enim, vel eſt illi tota potentia vitalis; vel illum conſtituit in eſſe vitalis potentiæ. Ergo implicat dari viſionem ſine lumine gloriæ.

21. Poſtremum *Auguſt.*

Poſtremò confirmari poteſt hæc ſententia teſtimonio Auguſt. 10. de Ciuitate Dei cap. 1. poſt principiũ: vbi ex ſententia Platonicorũ ita ſcribit: *Eligimus enim Platonicos omnium Philoſophorũ merito nobiliſsimos; propterea, quia ſicut ſapere potuerunt, licèt immortalem, & rationalem, vel intellectualem hominis animam, niſi participato lumine illius, à quo, & ipſa, & mundus factus eſt, beatam eſſe non poſſe: ita illud, & cætera.* Author etiam libri de Spiritu, & Anima c. 12. apud Aug. tom. 3. ita ait: *Verum, ac diuinum lumen non poterit intelligentia videri, niſi in ipſius lumine.* ¶ Hęc ſunt, vel omnia, vel præcipua huius opinionis affirmantis fundamenta.

Author libri de Spiritu, & anima.

§. 2.

Refertur opinio negans.

22. Opino negans.

OPinio, quæ negat lumen gloriæ neceſſarium eſſe etiam in ordine ad potentiam abſolutam Dei, inter Theologos eſt communior. Ex recẽtioribus eam probarunt Molin. 1. p. q. 12 artic. 5. *diſp.* 1. §. *Contraria tamen ſententia. pag. 117. A. 1. vbi docet hanc opinionem procul dubio eſſe amplectendam, & eandem ſimpliciter probauit in concord. diſp. 26. in fine, Valent. 1. tomo diſp. 1. q. 12. puncto 3. §. Nec tamen negandum eſt pag. 191. D. E. Bellom. 1. p. diſp. 46. cap. 2. longe eſſe veriorem putat Suar. 2. de Attributis negatiuis cap. 16. nu. 5. hanc ſimpliciter eſſe tenendam affirmat Salas 1. tom. ad primam ſecundæ, q. 3. tractat. 2. diſp. 5. ſect. 4. pag. 354. colum. 2. ad finem, & pag. 355. col. 2. §. Secundo dicimus: in ea omnes conuenire affirmat Lorca prima ſecundæ, q. 5. diſp. 30. in 2. dicto pag. 165. colum. 1. conſentit Aragon ſecunda ſecundæ, q. 23. art. 2. §. His ſuppoſitis, dico. Albertinus. q. 1. Theolog. in primum corollariũ ad 2. §. Quæres ſecundò pag. 23. colum. 2. B. C. eandẽ ſententiam probaſſe Victoriam, & Melchiorem Canum plerique referunt:* imò Sotus affirmat, ſe olim eandem probaſſe, eſſe inter Thomiſtas nouiores ſatis receptam ple-

Molin. Valẽtia. Bellom. Salas. Lorca. Aragon. Albertin. Victoria. Canus. Sotus.

rique aſſerunt: ex antiquioribus eam in terminis probauit Paludan. *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3. concluſione 2. num. 34. Argentina ibidem q. 2. art. 1. concluſio. 1. Baſſolius in 3. diſt. 14. q. 1. §. Neutrã, & §. Dico Maior in 4. diſt. 49. q. 4. §. Secũdo dico, & in Epilogo, D. Antoninus 3. p. titul. 30. cap. 4. §. 1. paulo ante finem, Hiſpalenſis in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. notab. 5. fol. 213. colum. 1. & art. 5. ad 3. 4. & 5. quæ contra ſecundam 2. loco obijcit Durand. fol. 215. colum. 4. citari etiam aliquo modo poteſt Durand. ibidem q. 2. nu. 22. & 23. quatenus cum D. Thom.* conſentit in ſenſu de poſsibili, quidquid ſit de facto. Hi omnes ſimpliciter probant lumen gloriæ non eſſe abſolutè neceſſarium in ordine ad potentiam abſolutam Dei, ſed poſſe Deum efficere, vt intellectus ſine lumine gloriæ videat diuinam eſſentiam. Non deſunt, qui vtramque ſententiam putent eſſe probabilem, vt Cumel. & Ripa. *quorum ille hanc negantem putat eſſe longè probabiliorem; iſte verò probabiliorem putat affirmantem. Ita habes ex Cumelio 1. p. q. 12. ar. 5. q. 2. concluſ. 3. pag. 252. & ex Ripa ibidẽ dubio 1. cap. 1.*

Palud. Argentin. Baſſolius. Maior. D. Anton. Hiſpalenſ. Durand. Cumel. Ripa.

23. Quid ſenſerit D. Tho. controuerſ.

Quid ſenſerit D. Thomas; dubitatur. Quidam putant eum ſententiam affirmãtem tenuiſſe, & id colligunt ex *quæſtionibus de Veritate q. 2. art. 2. & q. 13. art. 2. & q. 20. art. 2. & ſecunda ſecundæ, q. 175. art. 3. ad 2.* Ita de D. Thoma exiſtimat Capreol. *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad 4. Durand. ad finem articuli fol. 210. colu. 1. §. Dicitur ſecundo,* vbi teſtatur D. Thomam tenuiſſe quidem hanc ſententiam; ea tamẽ mutata vltimatè tenuiſſe affirmantem in locis citatis. Alii tamen volunt. D. Thomã hanc negantẽ ſẽtẽtiam ſemper tenuiſſe, nec vnquam eã retractaſſe: quoniam ſententia videtur ſatis conſentiens cum his, quæ ſcribit *de Veritate q. 10. artic. 11. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7.* etenim in dicto artic. 11. poſt quam docuit Deum per eſſentiã videri non poſſe, niſi ad viſionem intellectus per lumen gloriæ diſponatur; vt explicet reſolutionem illam intelligendam eſſe de potentia ordinaria, non de abſoluta, hæc ſcribit verba: *Sicut autem diuinæ omnipotentiæ ſubiecta ſunt corpora; ita & mentes, Vnde, ſicut poteſt aliqua corpora producere ad effectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus non inuenitur, ſicut Petrũ fecit ſuper aquas ambulare, ſine hoc, quod ei do tem*

D. Thom. Capreol. D. Thom.

tem agilitatis tribuere: ita poteſt mentem ad hoc perducere, vt diuinæ eſſentiæ vniatur in ſtatu viæ, modo illo, quo vnitur ſibi in Patria ſine hoc, quòd à lumine gloriæ perfundantur:

D. Thom. Quibus verbis cõcinunt alia, quæ ſcribit in 4. in d. ar. 7. *poteſt miraculo ſe fieri, quòd diuina virtute aliquis intellectus non habens, niſi diſpoſitiones viæ eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam.* Quæ verba adeo ſunt

24. *D. Thom. non benè explicatur à Capreol.* expreſſa, vt explicatione non indigeant: nec patiuntur explicationem Capreoli aliquibus probatam, vt intelligenda ſint de lumine gloriæ per modum permanentis perfuſo, non verò per modum tranſeuntis: quaſi ſentiat D. Thomas fieri quidem poſſe diuina omnipotentia, vt intellectus videat diuinam eſſentiam ſine lumine gloriæ permanente; nõ tamen ſine eo, ſaltem tranſeunte: non patiuntur, inquam, hanc explicationem: nam vt omittamus, quòd in illis locis abſolutè loquitur de lumine gloriæ; prædictæ expoſitioni reſiſtunt illa verba articuli ſeptimi: *Non habens, niſi diſpoſitiones viæ*: iam verò lumen gloriæ, etiam per modum tranſeuntis, non eſt diſpoſitio viæ, ſed eiuſdẽ ordinis cum lumine permanenter cõmunicato. Mirum eſt autem, quòd Deus de potentia abſoluta non poſſit permanenter conſeruare viſionem, quàm in tranſi-

D. Thom. non mutauit ſententiã. tu conſerat. Nec D. Thomas mutauit ſententiam in locis in contrarium adductis, vt benè aduertit Salas: quia in illis ſolùm dixit Paulo, dũ raptus eſt, nõ fuiſſe communicatum lumen gloriæ, niſi per modũ paſſionis, & in tranſitu. Vtrùm verò ſine eo, etiam in tranſitu, viſio communicari nõ poſſit, etiam per Dei potentiã, nec verbum ſcribit, vt benè aduertit Ripa vbi ſuprà capit. 1. in fine, non eſt igitur, quòd ex illis inferamus D. Thomam, aut mutaſſe ſententiam, aut ſenſum prioris explicaſſe.

Quid de hac difficultate ſenſerit Sco-

25. *Quid ſenſerit Scotus.* tus? plerique dubitant. Ouandus putat Scotum nunquam negaſſe lumen gloriæ eſſe neceſſarium de lege ordinaria, ſed ſolùm id negaſſe de potẽtia abſoluta. Alij putant, eum hac de re nihil diffiniuiſſe. Ego exiſtimo, Scotum hanc negantem ſententiam abſolutè approbaſſe; nam cũ doceat illud de lege ordinaria nõ eſſe neceſſarium, vt oſtendimus ſuprà q. 4. art. 1. concluſione 4. num. 15. à fortiori docebit, illud nec potentia abſoluta eſſe neceſſarium: quod etiã confirmatur; quia Scotus docet eodem modo Theologizandum eſſe de lumine, atq; de charitate, *vt patet ex 3. diſt. 14. q. 1. lit. D. §. Hic ſupponendo*: & tamen *in 4. diſt. 49. q. 11. H.* ſcribit, habitũ charitatis de lege pôni in beatis; at tamen ſecundum potentiam abſolutam non eſſe neceſſarium.

¶ Sed iam adducamus fundamenta, qui- 26.

bus Patroni huius ſententiæ probant, nõ *Arg. huius*

implicare, dari viſionem diuinæ eſſentiæ *ſententiæ.*

ſine lumine gloriæ; & ſubinde de potentia abſoluta poſſe intellectum creatũ nullo perfuſum lumine Deum videre.

Primum igitur, & generale fundamẽ-

tum in hac materia non contemnendum 27. Primum.

ſumitur ex eo, quòd nihil eſt diuinæ omnipotentiæ denegandum, niſi contradictionis implicatio, aut euidenter, aut ſaltẽ efficaciter oſtendatur: quæ eſt conſtans, & indubitata doctrina: *Cum enim non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum* Lucæ 1. non ſatis eſt intellectum viæ poſſe aliquid cõcipere, vt abſolutè cenſeatur Deo impoſſibile. Sed contraria ſententia non habet fundamentum, quo vel probabili-

ter oſtendat implicationẽ, vt aſſerit Suar. *Suarius.*

vbi ſuprà num. 5; Imò non habet fundamẽta, quæ efficaciter oſtendant contradictionem, vt ait Cumelius; omnia enim facilè ſolui poterunt, vt ſtatim oſtendemus.

Confirmatur ex Argentina; quoniam 29.

intellectum habere viſionem, & non ha- Confirm.

bere lumen gloriæ, non includit aliqua cõtradictoria: nec enim idem affirmatur de eodem, & negatur: ſed affirmatur viſio, & negatur lumen: qui termini non ſunt contradictorij.

Secunda ratio principalis cõmuniter 28. 2. Ratio.

tribuitur Scoto: quidquid Deus facit mediante cauſa ſecunda efficiente, poteſt facere ſe ſolo, vt eſt vulgaris Philoſophia: ſed Deus facit viſionem mediante lumine gloriæ ad eam efficienter cõcurrente, vt etiam cõmuniter recipitur. Ergo poteſt viſionem producere ſine eo.

Confirmatur hæc ratio ex Bellomon- 30.

tano 1. *p. diſp. 46. capit. 2.* quoniam poteſt 1. Confirm.

Deus ſe ſolo ſupplere efficientiam cuiuſcumque principij, etiam intrinſeci, dummodo illud non ſit vitale. Sed lumen gloriæ, licèt ſit principiũ viſionis, non tamẽ eſt prinpipium illius, vt eſt actio vitalis.

Ergo poteſt Deus ſe ſolo ſupplere actiuitatem luminis, & efficere viſionem abſq; eo. Maior, vt ait, omnibus Philoſophis, & Theologis eſt indubitata: nullus enim vnquam dubitauit, ſolùm Dei cõcurſum in locum principij non vitalis poſſe ſubrogari, & poſſe Deum facere operationẽ vitalem ſine principio intrinſeco, à quo illa vitalitatem nõ habet, quæ fuit maior. Minorem probat: quia operatio vitalis à ſolo intellectu habet vitalitatẽ: Cæterę enim qualitates, quæ ſunt in intellectu, ſiue ſpecies ſint, ſiue habitus, non ſunt natiuæ ipſi viuenti, ſed veniunt ab extrinſeco.

31. 2. Confirm. Confirmatur adhuc ab eodem: quia Deus poteſt ſe ipſo ſupplere virtutẽ ſpeciei; & de facto diuina eſſentia eam ſupplet, quia ponitur loco ſpeciei. Poteſt etiam Deus mouere voluntatem ſine habitu charitatis, aliauè qualitate diſtinctà à dilectione. Ergo ſimpliciter poteſt ſupplere virtutem luminis ad faciendam viſionem.

32. 3. Ratio. Tertia ratio apud Molinam apertiſſima, adeo obſcure, & confuſè ab eo ponitur, vt vix ad formam ſyllogiſticam reduci valeat: vis illius hæc eſt: lumen gloriæ non eſt tota virtus, & potentia, quâ beatus elicit viſionem, eo modo, quo calor aquæ eſt tota virtus, qua aqua calida calefacit; ſed ipſe intellectus ſimul cum lumine influit in viſionem, vt concauſa partialis. Ergo nulla eſt repugnantia, ſi intellectus influat in viſionem Deo ſupplente actiuitatẽ luminis. Antecedẽs quoad vtramque partem oſtenditur: nã quod lumen non ſit intellectui tota virtus, & potentia intelligẽdi, tenentur fateri Thomiſtæ,
33. quia eſt ſentẽtia D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 5. Quod autẽ intellectus ſimul cũ lumine influat in viſionẽ, inde oſtẽdit; quia alioquin viſio non erit ab aliquo principio vitæ, & ſubinde nec erit vitalis actio. Vtraque igitur pars antecedentis eſt vera. Conſequentiam ita confirmat; quoniã ſi intellectus cum lumine gloriæ partialiter influit in viſionem, nulla erit repugnantia, ſi in eam influat Deo ſupplente luminis influentiam.

34. Solutio Molinæ. Nec vim huius rationis elidet (inquit Molina) qui cum Soto reſponderit, virtutem intellectus, influere quidem in viſionem; non tamen ſatis eſſe ad influendũ ſine lumine. Non elidet, inquã, vim argumẽti: quia virtus intellectus ſine lumine, ea præciſè ratione eſt inſufficiẽs, quia eſt virtus partialis, quæ cum virtute luminis conſtituit vnam cauſam integram, & totalem viſionis; eo modo, quo duo trahentes nauim conſtituunt vnam integrã cauſam, quarum vtraque eſt partialis, & ideo vtraque per ſe inſufficiens; ſufficiẽs tamen, ſi ab altera partialiter adiuuetur; nõ quidem intrinſecè per informationẽ, ſed per extrinſecam coniunctionem: id enim eſt de ratione impotentiæ cauſę partialis, vt extrinſecè, & per extrinſecam coniunctionem adiuuetur. Quare, ſicut virtus partialis Petri influentis in nauim, non eſt impotens ad trahendã nauim præciſè ex ablatione virtutis tractiuæ; ſed abſolutè ex ablatione alterius virtutis partialis; ita etiam virtus intellectus ad videndum Deum, impotens quidem eſt ſe ſola, & inſufficiens ad videndum; non ideo, quia non habet lumen gloriæ, ſed quia nõ habet ſecum coniunctam alteram partialem virtutem, quæ habeat eandem influendi vim, quam habet lumẽ. Quare nulla erit repugnantia, ſi intellectus influat in viſionem Deo ſupplente luminis influentiam.

Ex hac philoſophãdi ratione poteſt hæc opinio, & ratio pręcedẽs cõfirmari. Quo- 35. Explicatur 3. ratio.
niã lumẽ gloriæ, & intellectus cõcurrunt ad viſionem, tanquam duæ cauſæ partiales; integrantes vnam totalem, eo modo, quo duo trahentes nauim partialiter concurrunt ad nauim. Sed hæc eſt conditio cauſarum, quę partialiter concurrunt ad effectũ, vt licèt quælibet per ſe ſit inſufficiens, & impotens, & indigeat adiuuari ab altera; non tamen per ſe indiget adiuuari ab hac, vel illa determiuatè ſumpta, ſed præciſè ab aliqua, quæ ex ſe habeat virtutem influendi in eundem effectum: etenim virtus ad trahendum nauim, quæ eſt in Petro: indiget quidem adiuuari coniunctione alterius virtutis influentis in nauim; non tamen per ſe indiget adiuuari ab hac pręciſè virtute, quæ eſt in Ioanne, aut Franciſco; ſed abſolutè ab aliqua partialiter influente: & ideo quæcũque virtus partialis poteſt ſuppleri ab alia, vel eiuſdem ordinis, vel altioris, quæ ſit influens. Nec hoc ſolùm verum eſt in duabus virtutibus partialibus eiuſdem rationis,

ſed

ſed etiã rationis diuerſæ, quales ſũt vir, & fœmina ad generandã prolem: licèt enim virtus generandi, quæ eſt in viro naturaliter indigeat coniungi virtuti generatiuę, quæ eſt in fœmina: tamen abſolutè non indiget coniungi virtuti fœmineæ; ſed ſatis eſt, ſi coniungatur virtuti generatiuæ, quæ ſuppleat efficaciam fœmineæ virtutis: & ideo virtus generatiua virginis potuit influere in generationẽ Chriſti Domini, quia virtus virilis à Deo ſuppleta fuit. Quare cum intellectus concurrat partialiter cum lumine ad viſionem; licèt de lege, & vt concurſus ſit connaturalis, indigeat lumine gloriæ; tamen abſolutè non indiget virtute luminis, ſed aliqua virtute, quę eminenter contineat luminis influentiam.

36. 4. Ratio. Quarta ratio eſt Suarij: quia lumen ſolùm requiritur, vt ſuppleat efficientiã, quæ deeſt intellectui. Sed virtutem luminis poteſt Deus per ſe ipſum supplere. Ergo poteſt Deus facere, vt intellectus videat ſine lumine. Maior ſupponitur: quia intellect⁹ ſua propria virtute influit in viſionem: minorem probat; quia talis efficientia non præciſè requiritur ad actum vitæ, & ad effectionem, quaſi formalem illius; quia hæc ſolius eſt intellectus: efficientia autem intellectus ſemper manet, ſiue Deus per lumen, ſiue per ſe ipſum ſupleat id, quòd deeſt intellectui: ad hoc enim ſolùm requiritur, vel lumen, vel aliud auxilium, quod luminis efficiẽtiam ſuppleat.

37. 5. Ratio. Quinta ratio ex Moli. Suario, & alijs: ſicut in intellectu non eſt virtus, quę ſatis ſit ad producendam viſionem; ita in eodẽ intellectu, atque etiam in voluntate, non eſt virtus, quæ ſatis ſit ad producendum actum fidei, aut charitatis, aut contritionis, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam; & tamen per ſolùm ſpeciale auxiliũ abſque efficientia alicuius habitus, principijque, quòd intellectui, aut voluntati inhęreat, poteſt intellectus habere actum fidei, & voluntas actum charitatis, atque etiam actum contritionis. Ergo per ſolùm ſpeciale Dei auxilium, abſque habitu luminis, alteriusuè principij inhærentis poteſt intellectus elicere actum viſionis. Maior eſt nota: minorem autem, vt veriſsimam, & communem, & aduerſarijs probatam confirmant: quoniam cũ quis elicit actum charitatis intenſiorem, quàm ſit habitus; talis exceſſus fit à voluntate, non mediante habitu, ſed ideo, quia à proportione minoris inæqualitatis non fit actio. Ergo talis exceſſus fiet à voluntate cum ſolo ſpeciali auxilio. Et per conſequens poteſt voluntas ſine habitu cum ſolo auxilio ſpeciali producere totũ ipſũ actum; etenim eadem eſt ratio de actu, & de intenſione eius; quæ fuit minor. Cur igitur non poterit intellectus ſine lumine producere viſionem?

Confirmari poteſt hæc ratio: quoniã eadem eſt ratio de intellectu in Patria, in ordine ad viſionem, quæ eſt de voluntate in Patria, in ordine ad dilectionem. Sed Deus de potentia abſoluta poteſt facere, quòd beatus illum diligat ſine habitu charitatis. Ergo poteſt facere; vt eum videat ſine habitu luminis. Maior patet; quia vtraque illa potentia nudê ſumpta eſt improportionata ad illos actus. Minoris veritas ex eo liquet, quia communis ſententia admittit, viatorem ſine habitu charitatis cum ſolo ſpeciali auxilio, elicere actũ dilectionis ſupernaturalis: à fortiori igitur id poterit facere in Patria. 38. Confirm.

Sexta ratio: intellectus ad viſionẽ non concurrit, vt cauſa principalis, ſed vt inſtrumentalis tantùm. Ergo non neceſſariò requiritur lumen, aliauè diſpoſitio intrinſecè inhærens; ſed ſatis erit motio Dei per auxilium ſpeciale. Antecedens multis à ſuis authoribus cõfirmatur, quæ afferentur lib. 10. in propria hac quæſtione. Conſequentia probatur: Tùm; quia ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 62. art. 4. ad actionem inſtrumenti ſatis eſt motio facta ab agẽte principali; tùm etiam; quia in inſtrumentis non eſt neceſſaria forma, à qua procedat operatio; ſed ſatis eſt, quòd hæc ſit in agente principali; nam & effectus non aſsimilatur inſtrumento, ſed principali agenti. Quare, ſi intellectus ad viſionem ſolùm concurrit vt inſtrumentum; vt ill Deum videat, ſatis erit motio per ſpeciale auxilium. 39. 6. Ratio.

Septima ratio, & præcipuum Cumelij fundamentum: Deus ſe ipſo poteſt ſupplere omnia officia luminis gloriæ. Ergo poteſt facere, vt intellectus videat Deum ſine lumine. Conſequentia patet: antecedens probatur percurrendo ſingula luminis officia. Primum eſt diſponere intellectus 40. 7. Ratio.

tellectum, vt illi vniatur diuina eſſentia, tanquam forma intelligibilis. Hoc autem officium poſſe Deũ ſe ipſo ſupplere, probatur: quia non implicat formam introduci in ſubiecto abſque vlla diſpoſitione antecedente: Deus enim ſua potentia poteſt vnire formam materiæ, ſine præuia diſpoſitione: & de facto abſque vlla diſpoſitione ſe ipſum hypoſtaticè vniuit naturæ humanæ: Cur igitur non poterit ſe vnire in ratione formæ intelligibilis ſine

41. lumine? Secundum officium luminis eſt adiuuare intellectum, & illum efficere Deiformem, vt ſit principium productiuum viſionis. Deus autem hanc luminis efficientiam ſupplere poteſt, & efficere, vt intellectus ſine lumine Deum videat: tùm; quia poteſt ſe ipſo ſupplere actiuitatem cuiuſcumque cauſæ efficientis, vt dictum eſt. Tùm etiã: quia de facto ſe ipſo ſupplet efficientiam ſpeciei intelligibilis, quia de facto ſubit locum ſpeciei. Tùm tertiò; quia abſque vlla qualitate ſuperaddita facit, vt aqua baptiſmi effectiuè cauſet gratiam. Cur igitur non poterit facere, vt intellectus ſine lumine ſit

42. principium actiuum viſionis? Tertium luminis officium eſt, diſponere intellectum, vt ſit ſuſceptiuus viſionis. At hoc officium poſſe Deum ſe ipſo immediatè præſtare, ex eo probat; quia gratia in anima recipitur nulla mediante diſpoſitione; & pueris in baptiſmo gratia infunditur, ſine vlla diſpoſitione in illis recepta: Cur igitur non poterit facere, vt viſio ſine lumine recipiatur in intellectu? Vltimum tandem officium luminis eſt, eſſe ipſi potentiæ rationem ſub qua videat Deum. Hoc autem officium poſſe Deũ ſupplere, inde nonnulli probant; quia diuina eſſentia in ratione ſpeciei vnita, eſt ratio *ſub qua* intellectus videt. Patet igitur Deum poſſe ſupplere omne officium luminis. Cur igitur non poterit facere, vt intellectus ſine lumine Deum videat?

43. 8. Ratio. Octaua ratio: Deus ſe ſolo potuit eleuare naturam humanam ad eſſe hypoſtaticum ſine aliquo dono infuſo: & per ipſam naturã eleuatã facit opera miraculoſa. Cur ergo per ſolam vnionem eſſentiæ in ratione ſpeciei, ſimul cum motione auxilij ſpecialis, non poterit efficere, vt intellectus videat diuinam eſſentiam? profecto non eſt, cur id nõ poſsit, inquit Cumelius.

Nona ratio: Viſio beata ſemel producta mediante lumine, poteſt de potentia abſoluta conſeruari in intellectu ſine lumine. Ergo intellectus poteſt continuare viſionem ſine lumine. Cur igitur non poterit ſine eo illam producere? Antecedens ex eo quidam probant; quia paſſionem ſemel productam mediante eſſentia rei, poteſt Deus conſeruare extra ſubiectum, ſine ipſa eſſentia. 44. Nona.

Confirmatur; quia poteſt Deus ſine lumine gloriæ ponere viſionem in lapide, vt communis fatetur opinio. Cur igitur viſionem productam à Petro mediante lumine, nõ poterit ponere in Ioanne ſine lumine? 45. Confirm.

Decimò: quidam ita arguunt: Si non poteſt Deus facere, vt intellectus Deum videat ſine lumine gloriæ; nec poterit facere, vt anima, etiam illuſtrata lumine, videat Deum ſine gratia, aliauè forma gratiam ſupplente. Conſequens eſt falſum, vt patet: ſequelam probant; quia ſicut viſio, quia eſt actus vitalis per ſe pendet à potentia vitali vitalitate ſupernaturali; ita, imò magis, pendet ab eſſentia, vt eſt vita ſupernaturaliter eleuata. Ergo ſi viſio non poteſt fieri à Deo, niſi per potentiam vitalitate ſupernaturali eleuata per lumen gloriæ; ita non poteſt fieri, niſi per eſſentiam eleuatam vitalitate ſupernaturali per gratiam. 46. Decima.

Vndecima ratio ſumitur à noſtro Argentina: quia Deus ſua omnipotentia poteſt ſine lumine fieri præſens intellectui ſub ratione obiecti, & illum ſufficienter mouere ad viſionem. Ergo poteſt facere, vt intellectus ſine lumine videat Deum. Antecedens videtur notũ; quia neutrum implicat; maximè cum Deus ex ſe ſit lux intelligibilis potens mouere ad viſionem. Conſequentia etiam videtur certa: quia ſi potentia non cognoſcit aliquod obiectum, vel non cognoſcit, quia non habet illud præſens in eſſe obiecti; vel ſi eſt præſens; ab eo ſufficiẽter nõ mouetur. Ergo non poteſt illud nõ cognoſcere, ſi ab eo præſente ſufficienter mouetur. Intellect⁹ igitur nõ poteſt Deũ nõ cognoſcere, ſi illũ habeat præſentem, & mouentem: Deus enim cõtinetur ſub obiecto intellectui adæquato. 47. Vndecima.

48. Duodecima Duodecimò arguit idem Argentina: ſi Deus id facere non poſſet, vel ideo non poſſet, quia viſio, cum ſit actus ſupernaturalis, neceſſariò indiget ſupernaturali diſpoſitione: vel quia Deus in infinitũ excedit intellectum deſtitutum lumine gloriæ. Sed neutro modo datur impoſſibilitas: nec enim dari poteſt propter primum; quia ſequeretur proceſſus in infinitum. Nec propter ſecundũ; quia Deus in infinitum excedit intellectum lumine illuſtratum. Argumentum hoc etiam eſt de mente Durandi.

49. Decima 3. Decimo tertiò ex eodem Argentia: ſicut ſe habet Deus reſpectu materiæ primæ, quæ eſt pura potentia in genere ſenſibilium; ita ſe habet reſpectu intellectus, qui eſt pura potẽtia in genere intelligibili. Sed Deus poteſt in materiã primã immediatè inducere non ſolùm formam, ad quam illa eſt in potentia naturali; ſed etiã ad quam eſt in obedientiali. Ergo in intellectu poteſt immediatè inducere omnem formam intelligibilem, ad quam ille eſt in potentia, tùm naturali, tùm obedientiali. Iam verò ad viſionem beatam intellectus eſt in potentia obedientiali. Ergo poteſt illam immediatè ponere in intellectu ſine lumine.

Decima 4. Decimo quartò arguit Maior: Viſio, licèt de facto informet intellectum diſpoſitum per lumen gloriæ; tamen non recipitur in lumine, ſicut in ſubiecto, vt oſtenſum eſt ſuprà articulo octauo concluſione ſecunda. Ergo poteſt ſubtrahere lumen manente viſione.

50. Confirmat. Confirmatur ex eodem: quia poteſt Deus de potentia abſoluta tollere diſpoſtiones formæ ignis, manente forma in materia. Ergo poteſt ſublato lumine conſeruare viſionem in intellectu.

51. Decima 5. Decimo quintò ex Baſſolio: Omnis forma abſoluta realiter ab alia diſtincta diuina potentia poteſt poni in ſubiecto ſine illa. Sed viſio eſt forma abſoluta realiter diſtincta à lumine. Ergo poteſt diuina virtute dari viſio ſine lumine.

52. Decima 6. Decimo ſextò alij ita objiciunt: ſic ſe habet intellectus creatus ad videndũ Deũ, ſicut oculus noctuę ad videndum Solem, vt multis in locis docet Diuus Thomas, & ſpecialiter *prima parte q. 12. art. 1.* Sed poteſt Deus eleuare oculum noctuę ad videndum Solem, nulla illi ſuperaddita virtute videndi. Ergo poteſt eleuare intellectum ad viſionem Dei, nulla illi ſuperaddita videndi virtute.

Decima ſeptima ratio ex mente Scoti: quoniam Deus eſſentialiter eſt lux. Ergo ſe ipſo poteſt intelligibiliter manifeſtare intellectui ſuam eſſentiam. 53. Decima 7.

Poſtremò quidam ita argunt: quoniã viator poteſt habere in via viſionem Dei ſine vllo lumine gloriæ. Ergo poteſt facere, vt in Patria illa habeatur ſine vllo lumine. Conſequentia patet: Ancecedẽs ponitur à D. Thoma *in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 7. & de Veritate q. 10. art. 11. & ſecunda ſecundæ q. 180.* 54. Poſtrema. D. Thom. ¶ Hæc ſunt omnia, vel ferè omnia argumenta, quibus authores partis negantis probant nullam dari contradictionem, ſi Deus faciat viſionẽ diuinæ eſſentiæ abſque omni lumine gloriæ.

§. 3.

Præmiſſis nonnullis, eligitur pars affirmans.

EXplicatis duabus oppoſitis opinionibus, adductiſque vtriuſque fundamẽtis, ſupereſt explicemus, quid de hac difficillima quæſtione ſentiamus. 55. Affirmatiua eſt vera.

Pro faciliori explicatione præmittimus, illam ſententiam referendam eſſe ad affirmantem, quæ docet lumen gloriæ infuſum per modũ permanentis, non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad viſionem: benè tamen, vel per modum permanentis, vel per modum tranſeuntis. Præmiſſũ primum. Quare nõ eſt, quòd Suarius mediam ſententiã cõſtituat vtramque conciliantem: etenim, qui ita docent, non mediam ſententiam volunt cõſtituere, ſed explicare ſenſum ſententiæ affirmãtis, quam probant. Vnde nullus vnquam docuit, Deum ſimpliciter videri non poſſe, niſi infuſo lumine permanẽte, & perpetuò: ſicut etiam nullus vnquam dixit, viſionem diuinæ eſſentiæ abſolutè communicari non poſſe per modum paſſionis tranſeuntis: quin potius in quæſtione; vtrùm Moyſes, & Paulus in via diuinam viderint eſſentiam, omnes ſupponunt viſionem illius poſſe cõmunicari per modum tranſeuntis: & ſolũ dubitãt; an ad eã neceſſarius etiã ſit habitus luminis gloriæ cõmunicatus in trãſitu, & per modũ paſſionis? Quare in hac quęſtione inquirimus vtrùm lumen gloriæ

ad viſionem diuinæ eſſentiæ ſimpliciter ſit neceſſariũ, etiam per diuinam potentiam, aut per modum permanentis, ſi viſio fuerit permanens; aut per modum tranſeuntis, ſi viſio ſolùm in tranſitu cõmunicetur? Quidam abſolutè affirmãt:
56. alij abſolutè negant. Ego in hac difficultate diù dubius, & anceps manſi: ſed tandem incidi in ſententiam affirmantẽ, quàm iuuenis probaui: nec pudet mihi in hac quæſtione contigiſſe, quod doctiſſimo contigit Soto, qui negantem antea ſequutus, ſenex affirmantem approbauit. Puto igitur ſententiam, quæ neceſſitatem habitus luminis gloriæ, etiam in ordine ad abſolutam potentiam affirmat, eſſe veriſsimam. Fundamento tamen longè diuerſo ab illis, quæ communiter afferuntur. Quare in explicanda, hac grauiſsima difficultate hoc ordine procedemus: Primò enim loco oſtendemus, argumenta §. 1. pro affirmante adducta nõ conuincere negantem. Secundò loco verum ſententiæ affirmantis fundamentũ explicabimus, & diligenter confirmabimus. Tandem diſſoluemus argumenta, quæ §. 2. adduximus, in confirmationem negantis opinionis.

§. 4.

Argumenta partis affirmantis non conuincunt negantem.

Præmittuntur nonnulla.

57. Pro negante ſoluũtur argumenta affirmantis. 1. *Not.*

ANtequam pro parte negante argumenta affirmantis diſſoluamus, nonnulla ſunt aduertenda, vt facilius intelligamus fundamenta, quibus opinio negans diſſoluit argumenta affirmantis.

Primum igitur aduertendum eſt, controuerſum eſſe inter Theologos; Vtrùm intellectus beati ſimul cum Deo ad viſionem concurrat effectiuè, vt cauſa in ſuo ordine principalis; an verò, vt inſtrumẽtalis? de qua quæſtione agemus inferiùs lib. 10. Quòd ſolûm concurrat, vt cauſa inſtrumentalis, aſſumpta à Deo concurrente, vt cauſa principali, probauit Paludan. *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3. n. 42. & Medina prima ſecundæ, q. 3. art. 2. dubio. 1. ad 7. pag. 48. columnn. 2. eam placuiſſe pluribus ex nonioribus teſtatur Salas ſtatim citandus*, cũ *quibus eſt Suar. 2. de Attributis negatiuis cap. 10. num. 14. in fin. & latiùs 1. tom. ad tertiam partem diſp. 31. ſect. 6. ad 4. pag 613. colum. 2. & lib. 3. de Auxilijs cap. 15. num. 19, à quibuſdam refertur Ægidius in 2. diſt. 26. quæſt. 2. ar. 3. Sed in alio ſenſu loquitur.*

Paludan. *Medina.* *Suarius.* *Ægidius.*

¶ Communior ſententia oppoſitum docet, affirmans intellectum ad viſionem cõcurrere, vt cauſam principalẽ: ita Bañes *1. p. quæſt. 12. art. 5. dub. 3. §. Nobis igitur placet ſecunda ſententia, & ſecunda ſecundæ q. 23. art. 2. dub. 2. poſt principium, Cumelius 1. p. q. 12. art. 5. q. 2. concl. 2. pag. 251. col. 1. §. Cæterum vrget, & pag. 253. col. 1. §. tandem hæc concluſio.* Et idem dicendum eſſe in qualibet potentia vitali in ordine ad quemcunq; actum ſupernaturalem generaliter affirmat *prima ſecundæ q. 109. art. 1 diſp. 1. concl. 2 pag. 12. col. 1. & q. 111. art. 2. diſput. 3. pag. 271. col. 1. in fine, de Viſione beata idem probat Bellom. 1. p. diſp. 43. cap. 4. in fine, & diſp. 176. cap. 4. num. 20. & c. 5. nu. 26. Petrus de Ledeſma de Diuina perfectione in ſubarticulo articuli* 8. *concl. 1. pag. 591. col. 1. C. D. latè Cabrera ad 3. partẽ q. 9. art. 2. diſp. 11. §. 3. concl. 1. nu. 36. pag. 855, & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. in 3. ſent. pag. 359. col. 1. in princ.* vbi innumeros citat, quãuis non omnes id dicant. Quorũ ſententiam eſſe veriſsimam oſtendemus lib. 10. Satis nunc ſit, controuerſiam eſſe hac de re, etiam inter authores, qui partem negantem probant.

Qui dicunt eũ eſſe cauſam principalem. Bañes. Cumelius. Bellom. Cabreræ. Salas.

Aduertendum 2. inter eoſdem controuerſum eſſe, quomodo De⁹ suppleat efficientiam luminis gloriæ? Licèt enim omnes conueniant Deum eam ſupplere per concurſum ſpecialem ſupernaturalem, quo intellectum eleuat; non conueniũt tamen in explicanda qualitate talis concurſus. Quidam enim volunt, Deum per ſpecialem ſuam motionẽ, & concurſum, quo mouet, & applicat intellectum, imprimere in eo qualitatẽ quãdam ſupernaturalẽ, per modũ formæ conſtituentis eum in actu ad operandũ; & hanc diſtinctam eſſe à lumine gloriæ. Hanc ſententiam plures probaſſe teſtatur Ledeſma *vbi ſuprà in 3. modo dicendi pag. 592. col. 2*, quã ipſe, vt probabiliſſimã amplectitur, & cõmunis eſt inter Theologos, etiã in eleuãdis inſtrumẽti[illegible] vt li. 10. oſtẽdem⁹. Alij volũt illã ſpecialẽ motionẽ, & concurſum fieri abſque vlla qualitate, virtuteque ſuper-

58. 2. *Not.* Quàlis ſit iſte Dei cõcurſus? Dubium. 1. Opinio. *Ledeſma.* 2. Opinio.

ſuperaddita: vnde volunt lumen gloriæ ſuppleri per ipſum extrinſecum concurſum Dei, auxiliumque, quo eleuando intellectum cum eodem concurrit ad viſionem. Hunc dicendi modũ nõnullos approbaſſe refert Ledeſma *vbi ſuprà in 2. modo dicendi pag. 591. col. 2. & in 3. dicẽdi modo in prima explicatione pag. 592. col. prima* *Authores illius.* *quem probarũt Valentia, Suar. Bellomontan. Salas, Molina, Cumelius, Albertinus, cum cæteris, quos citauimus §. 2. & ſatis Paludan. in dicta q. 1. art. 3. num. 42.*

59. 3. *Not.* Aduertendum eſt tertio, eos, qui putãt Deum ſupplere efficaciam luminis gloriæ per ſuum extrinſecum concurſum, & auxilium ſpeciale, non eodem modo explicare, quomodo id fiat; licèt enim omnes concedant, intellectum non elicere viſionem per potentiam actiuam, quæ *Salas.* eſt in Deo; ſed per eam, quæ eſt in ipſo, *vt benè aduertit Salas in dicta ſect. 4. ad 3. pag. 357. col. 2.* quia nullus poteſt agere per potentiam, quæ eſt in alio; non conueniunt tamen; an intellectus agat per 1. Opinio. principium agendi, quod eſt in ſe; an per illud, quod eſt in Deo? Quidam putant, intellectum agere, & per potentiam, & per virtutem agendi, quam in ſe habet; cõpletã tñ, & roboratã per auxiliũ ſpeciale, quo Deꝰ luminis efficientiã ſuppleat. Fundamentum eſt; quia Deus per illum
60. extrinſecum concurſum concurrit cum intellectu, vt cauſa partialis: iam verò partialis cauſa ſuo concurſu, non dat alteri concauſæ virtutem, qua agat; nec principium agendi illi proprium, eſt principiũ agendi, quo agit ſua cõcauſa: ſed ſicut altera cõcurrit ſua propria potẽtia; ita etiã ſua propria agendi virtute; adiuta tamen, & roborata ex concurſu alterius: ideo, quia cum ea conſtituit vnam totalem cauſam, & vnum integrum agendi principium, vt patet in duobus nauim trahentibus, quorum neuter ſe ſolo poteſt eam trahere: quilibet enim trahit eam ſua trahendi virtute, quam habet à ſe, & non ab alio: trahit tamen ſimul cum alio; quia cũ illo integrat vnam totalem, & adæquatam virtutem. Cum igitur Deus ſuo ſpeciali concurſu concurrat cum intellectu, vt cauſa partialis; quia ſe ipſo ſupplet efficientiam luminis, quæ erat partialis; non ideo eleuat, atque iuuat virtutem actiuam intellectus ad videndum, quòd eã augeat, aut quòd illi det virtutem videndi; ſed ideo, quia partialiter coniunctus cum eo, facit vnã integram videndi cauſam, vnumque totale principium. Hunc explicandi modum colliges ex Molina *Molin. Valentia.* *in d. diſput. 1. pag. 117. col. 2. B. Valentia in dicto pũcto 3. pag. 191. D. E. & pagi. 192. A. B, & Sala loco citato, & ſatis ex Suario* *Suarius. Salas.* *in dicto cap. 16. numero. 5. & 6. & ex alijs,* qui volunt, lumen, & Deum ſupplentẽ illud influere in viſionem cum intellectu, vt cauſas partiales.

61. 2. Opinio. Alij tamen aliter philoſophantur: volunt enim intellectum, agere quidem per propriam videndi potentiam, quàm ex ſe habet; non tamen per agendi principiũ, quod habeat in ſe, ſed per principiũ actiuũ quod eſt in Deo, cõmunicatum illi per actualem concurſum, quo ad viſionem concurrit; ita vt intellectus ad viſionem concurrat per ipſummet principium actiuum, quo Deus concurrit, communicatũ ſibi ipſa ſupernaturali eleuatione: hæc enim eſt vis, & efficacia diuinæ omnipotentiæ, vt ſatis explicat Cumelius *1. p. quæſtione 12. art. 5. quæſt. 2. concluſione 2.* *Cumelius.* *pag. 251. colum. 1. §. Hæc ratio viſa eſt, & nonnulli, alij, quos refert Petrus de Ledeſma* *Ledeſma.* *vbi ſuprà pag. 592. col. 1. B.*

62. 3. Opinio. Non deſunt, qui tertio modo difficultatẽ explicent, aſſerentes ex illo ſpeciali concurſu, quo Deus ſupplet luminis efficientiam, reſultare motionem quandam ſupernaturalem, recipique in intellectu; cuius virtute intellectionem elicit. Hanc explicationem quibuſdam placuiſſe, teſtatur Ledeſma *vbi ſuprà in dicta pagina 592 D:* ſed non explicant, quid nam ſit hæc motio. ¶ Hæc aduertimus, vt intelligantur fundamenta, quibus Authores opinionis negantis argumenta affirmantis diſſoluunt.

Solutio Argumentorum,

63. Ad 1. AD primum igitur argumentum admittent maiorem, negabunt verò minorem: quia intellectus nõ ſolũ poteſt fieri in actu ad videndũ per lumẽ gloriæ; ſed etiam per qualitatem ſupernaturalem à lumine gloriæ diſtinctam, quã Deus ſuo ſpeciali cõcurſu, & motione in illo imprimit, vt quidam volunt, quos adduximus.

duximus in 2. notabili; aut per ipſum extrinſecum auxilium, & cōcurſum, vt alij malunt: Vnde negant ſolius luminis gloriæ eſſe, virtutem intellectus eleuare, iuuare, atque cōplere, vt poſſit videre Deũ; cum illius virtus actiua ſatis iuuetur, & compleatur, vt ſit in actu ad videndum, vel per poſitiuam qualitatem, quæ loco luminis datur; vel per extrinſecum concurſum, & auxilium. Quare minor illa nō ſine petitione principij ſumitur. Quæ etiam euidenter committitur, dum ſupponitur ſolũ lumen gloriæ eſſe intellectui virtutem, & facultatem videndi, & ſine illo intellectum non poſſe reddi proportionatũ ad viſionē: de hoc enim eſt tota cōtrouerſia. Quæ ſolutio non ſolùm tollit vim argumenti, ſi intellectus inſtrumentaliter concurrit; ſed etiam ſi concurrit principaliter: cum enim intellectus, ſiue vno, ſiue altero modo concurrat, ſemper indigeat eleuatione; eleuatio autem apud negantis ſententiæ Patronos non ſolùm fieri valeat per lumen gloriæ; ſed etiã per ſpecialem concurſum; parũ refert, quòd intellectus hoc, vel illo modo concurrat: etenim agentia principalia poſſe eleuari, non ſolùm per formam intrinſecam, ſed etiam per auxilium ſpeciale, doctè ſatis aduertit Fonſeca 9. *Metaph. cap. 1. q. 4. ſec.*
Fonſeca. *8. lit. C. §. Aduertendum pag. 622. col. 2. & lit. F. pag. 623. col. 2. in fine*, de quo latiùs dicemus lib. 10. Quare nō eſt, quòd Bañes
Bañes. putet, argumentum iſtud eſſe demonſtrationem, ſi intellectus eſt cauſa principa-
Cumelius. lis, vt contra eum aduertit Cumelius *vbi ſuprà concl. 2. pag. 251. colu. 1. §. Hæc ratio viſa eſt.*

64. Ad 2. Secundum argumentũ parum vrget; quoniam continet minorem falſam, & conſequentiam inutilem. Quòd minor ſit falſa, ex eo patet; quia improbabilis eſt opinio, quæ docet lumen gloriæ eſſe intellectui totam videndi potentiam, atque virtutem, vt oſtēdemus libr. decimo. Vnde Patroni ſententiæ negantis oppoſitum ſumunt, tanquam fundamentum veriſſimum, ad impugnandum ſententiam affirmantem, vt patet ex Molina, Valentia, Suario, & alijs. Quòd verò conſequentia ſit inutilis, etiam ſi minor concederetur, ex eo patet; quia, vt intellectus ſine lumine, nec diuina potentia, poſſit Deum videre, non ſatis eſt, quòd lumen ſit intellectui tota potentia ad videndum, ſed neceſſariò etiam requiritur vt ſolùm lumen ſit, & eſſe poſſit talis potentia: nec enim aliter inferri poteſt impoſſibilitas conſequentis: hæc enim non ſolùm arguit, lumen gloriæ eſſe potentiam videndi; ſed etiam nihil aliud à lumine eſſe poſſe videndi potentiam: quod negant Patroni ſententiæ negantis: quorum alij putāt dari poſſe qualitatem, quæ ſuppleat vicem luminis: alij verò docent ſpeciale Dei auxilium concurrens cum intellectu ſatis eſſe, vt illi ſit potentia, & facultas ad videndum. Itaque, niſi minor aſſumpta aſſumatur in ſenſu excluſiuo, vt aſſerat, *ſolum lumen gloriæ eſſe poſſe potentiam videndi*, conſequentia nō tenet. Sumpta autem in illo ſenſu quoad vtramque exponentem erit falſa: quia falſum eſt lumen gloriæ eſſe intellectui totam videndi potētiam: ſimiliter etiam falſum eſt, nihil à lumine gloriæ poſſe eſſe intellectui virtutem intelligendi.

Ad confirmationem conceſſis maiore, & minore, neganda eſt conſequentia: 65. Ad confir.
eſt enim inutilis, niſi proponatur in ſenſu excluſiuo, vt ſolùm lumen ſit virtus, qua intellectus poteſt videre Deum; in quo ſenſu negatur ab authoribus ſententiæ negantis, vt diximus.

Ad tertium plures negarent maiorem: 66. Ad 3.
nec enim deſunt, qui dicant, poſſe intellectum videre Deum ſine ſpecie, aut creata, aut increata. Sed ego eam admitto; quia puto vnam, vel alteram ſpeciem eſſe ſimpliciter neceſſariam, etiam in ordine ad potentiam diuinam, vt diximus libro octauo loco citato. Quare neganda eſt minor: cuius probatio ſumit Theologiam falſam, & improbabilem, ſi intelligatur, quòd ſolùm lumen gloriæ poſſit complere virtutem videndi, vt diximus ad ſecundum.

Quartum argumentum eodem pede 67.
claudicat: quia ſupponit lumen gloriæ, Ad 4.
aut eſſe intellectui totam videndi potentiam, quod eſt improbabile; aut ſolùm lumen eſſe poſſe complementum virtutis viſiuæ, quæ eſt in intellectu, quod negauimus ad 2. & 3.

Quintum argumentum vim non habet apud eos, qui putant intellectũ ad vi- 68. Ad 5.
ſionem concurrere, vt inſtrumentũ, quæ fuit doctiſſimorum ſententia, vt diximus

in primo notabili. Vtrùm verò hæc ſententia falſitatis conuincatur argumentis Ledeſmæ, & Cabreræ? Alterius eſt quęſtionis. Ergo puto de facto eſſe cauſam principalem. Vtrùm verò poſſit eſſe inſtrumentalis? diſputabimus lib. 10. Nunc ſupponimus negantem ſententiam, eſſe veram, vt expendamus vim huius quinti argumenti. Et quidem manifeſtum eſt, illud non cõuincere eos, qui volunt Deũ ſuo ſpeciali concurſu ſupplere efficientiam luminis gloriæ per poſitiuam quandam qualitatem, alterius rationis à lumine: admiſſo enim primo diſcurſu, negabitur minor poſterioris, quæ ſine probatione ſupponitur, cum tamen ab aduerſarijs negetur, quorum ſententiam vt probabiliſsimam defendit
Ledeſma. Ledeſma *vbi ſuprà pag. 592. col. 2. B. C. D, & pag. 593. colu. 1. per totam.* Nec deſunt ex Patronis affirmantis ſententiæ, qui probent hunc dicendi modum, ſi ſermo ſit de viſione alterius ſpeciei ab ea, quæ modo eſt à lumine gloriæ:
Nauarrete inter quos eſt Nauarrete *in dicta controuerſia 39. §. 2. fol. 247. colum. 3. verſiculo Nihilominùs.*

69. Sed nec agumentũ conuincet, ſi Deus ſuppleat lumen gloriæ ſolo ſuo extrinſeco concurſu, abſque vlla media qualitate: Authores enim huius opinionis abſolutè negabunt maiorem: etenim apud eos fieri poteſt, vt agens, quod in ſuo genere eſt principale, ſi alteri agenti ſuperiori per ſe ſubordinetur, nõ habeat in ſe principiũ actiuũ agendi, ſed in ipſo ſuperiori, ab illo tamen ſibi cõmunicatũ, quando ad agendũ mouetur, & veluti aſſumitur: per illam enim cõmunicationem, & participationem talis principij, fit in actu ad agendũ. Quam Philoſophiam colliges
Fonſeca. ex doctiſsimo Fonſeca, *loco citato pag. 622 & 623. vtrobiq; col. 2. in fine:* in ea enim eſt opinione, vt voluntas ad actus ſupernaturales liberos concurrat, non vt inſtrumentũ, ſed vt agens principale: & tamen cũ à Deo ad illos mouetur ante habitus infuſos, concurrit ad eoſdẽ per principium actiuum, quod eſt in ſolo Deo, cõmunicatũ ſibi actu efficaci diuinæ volũtatis, cuius ſola extrinſeca cõmunicatione cõſtituitur in actu primo ad agendũ: quæ Theologia fortè eſt cõmunis; quamuis non ſatis explicetur. Eandem Philoſophiam Cumelius, & alij adducti in 3. notabili agnouerunt in intellectu in ordine ad viſionem beatam. Hac autẽ ſuppoſita Philoſophia, ad argumentum neganda eſt maior; quia fieri poteſt, vt agens principale interdũ proportionetur effectui, fiatq; in actu 1. ad illum per principium, quod non eſt in illo, ſed in ſuperiori agente, cui ſubordinatur? Non implicat igitur intellectũ in ordine ad viſionem fieri in actu proportionato per principium actiuũ, quod eſt in Deo, cõmunicatum ſibi per ſpecialẽ concurſum, quo Deus vult ſine lumine ad viſionem concurrere. Ad probationẽ maioris admittendũ erit, omne agens principale agere inquantũ eſt actu: hoc enim cõmune eſt omni agenti etiã inſtrumentario: negandũ eſt tamẽ nullum agens etiã principale poſſe fieri in actu, niſi per principium actiuum, quod in ſe habet: ſatis eſt enim, vt fiat in actu per principium agendi, quod eſt in ſuperiori agente.

Hæc ſolutio ſatis eſt ad mentẽ illorũ, 70.
qui putant intellectum ad videndũ Deũ indigere virtute ſupernaturali ſibi intrinſecè ſuperaddita, quæ illi ſit principium *quo* videndi: nam qui putant, nullam videndi virtutem ſuperaddi virtuti intellectiuæ; ſed illam corroborari, iuuari, & cõpleri per coaſsiſtentiam ſupernaturalis concurſus, partialiter cõcurrentis, etiam negabunt maiorem; non quatenùs in omni agente principali requirit principium intrinſecum ſibi proprium, quò agat (id enim fatentur); ſed quatenùs ſupponit principium illud, quo virtus agentis principalis proportionatur, futurũ eſſe in eo.
Aduertunt igitur virtutem videndi, quæ 71. Quomodo apud nõnullos corroboretur intellectus.
eſt in intellectu, nõ proportionari viſioni per aliquam virtutem ſupernaturalem in tellectui intrinſecè ſuperadditam; ſed per virtutem concauſæ ſupernaturalis partialiter concurrentis cũ ea, ad integrandam vnam totalem videndi virtutẽ: ſicut enim duo trahẽtes nauim non ita ſe habent, vt concurſus vnius aliquã agendi vim alteri ſuperaddat; ſed ideo dicitur iuuare, & cõplere virtutẽ eius; quia ſimul cũ ea conſtituit vnã integram virtutẽ mouẽdi: quòd ſimili modo inuenitur in cõcurſu virtutis generatiuę viri, & fœminæ: ita etiã virtus videndi Deum, quæ eſt in beato, non accreſcit per concurſum Dei partialiter concurrentis (ſicut nec accrecebat per concurſum luminis); ſed ideo ſolùm eleua-

eleuatur, iuuatur, & completur; quia aduentu, aut luminis, aut concurſus diuini, virtus, quæ antea erat, adueniente virtute partiali integrat cum ea vnam totam virtutem ſufficientem ad eliciendum viſionem. Ad hunc modum in hac explicanda difficultate theologizant *Molina, Valentia, Salas, Suar. & alij citati in 3. notabili.* Suppoſita hac Theologia ad argumentum negãda eſt maior in terminis, in quibus proponitur; ſupponit enim in omni agente neceſſarium eſſe principium intrinſecum, quo virtus eius effectui proportionetur: quod Doctores illi non poſſunt non negare: licet enim requirant, vt in omni agente principali detur principium intrinſecum, quo in effectum influat; non tamen requirunt, vt in omni agente principium illud proportionetur, & aptetur per virtutem agendi, quæ ſit in ipſo: etenim virtus, vt duo ad mouendum nauim non proportionatur ad motum eius per aliquid, quod intrinſecè in ea ponatur; ſed per coaſſiſtentiam, & cõcurſum actualẽ alterius virtutis, vt duo, cum qua integrat virtutem, vt quatuor: ſicut etiam virtus virilis ad generandum non ſit proportionata, & in actu, niſi per extrinſecum cõcurſum, coniunctioneq; virtutis fœmineæ: per hunc enim concurſum integratur vna tota virtus ad generandum; quanuis neutra per coniunctionem alterius in ſe fiat maior, quam anteà erat. Igitur maior illa neganda eſt in ſenſu à nobis iam explicato. Cuius probatio deficit: nam licet verum ſit omne agens agere, prout eſt in actu; non tamen omne ſit in actu per principium intrinſecum, quod in ſe habeat; ſed poteſt fieri per extrinſecum, quando illud partialiter concurrit, vt *quod.* Hæc tam latè diximus, vt oſtendamus non ſatis eſſe adducere propoſitiones philoſophicas nudè ſumptas, ſed philoſophicè intellectas.

Auctores explicatæ theologiæ.

72. Ad 6. Ad 6. argumentum ex dictis patet ſolutio: Maior enim concedenda eſt in terminis, in quibus proponitur: quia ad intelligendum neceſſaria eſt aliqua virtus intellectiua intrinſeca. Conceſſa autem maiore in ſenſu explicato, minor etiam eſt concedenda, ſi intelligatur de virtute intelligendi indita à natura nudè ſumpta; & in eodem ſenſu firma eſt conſequentia; quia verè neceſſaria eſt aliqua virtus ſupernaturalis, qua naturalis illa eleuetur ad ordinem ſupernaturalem. At tamen neganda eſt minor ſecundi diſcurſus, quę ſumitur non ſine petitione principij: etenim aduerſarij reſpondebunt virtutem illam intellectui ideò naturalem, quia à natura inditam, ſupernaturaliter eleuari vel per qualitatem ſupernaturalẽ diſtinctam à lumine; vel per ipſum extrinſecũ ſupernaturalem concurſum, quo Deus ſuum actiuum principium illi communicat; vel denique per partialem coniunctionem, qua Deus partialiter concurrit, de quo diximus ad 5.

73. Ad confir. Ad cõfirmationem negandum eſt antecedens cum *Molina in d. diſp. 1. pag. 118 col. 2. B. & Sala in d. ſect. 4. pag. 357. col. 2. ad quartum, & cum Durando in 4. diſt. 49. q. 2. n. 29. ad 2:* non ſolùm ob eam rationem, quia per actualem Dei concurſum, etiam ſi nulla illi ſuperaddatur virtus viſiua, ſatis eleuatur ad videndum Solem modis ſuperiùs explicatis; ſed etiam; quia ſi impedimẽta organorum, aut tollantur, aut vigorentur, ne lędantur ab excellentia lucis ſolaris; virtus, quæ anteà erat, ſe ipſa poterit Solem videre, idque ad mentem Durandi. Quare, ſicut ſenex æquè videret, atque iuuenis, ſi haberet organa iuuenis, vt docet Ariſtoteles; ita noctua æquè videret, atque aquila, ſi haberet organa aquilæ. Vnde licet organa oculi noctuæ ſine extraordinario concurſu auferri nequeant, aut fortificari: illis tamen ſublatis, aut fortificatis, noctua propria virtute naturali Solem videret. Quare nõ eſt, quòd *Sotus in d. q. 2. art. 4. pag. 590. col. 2.* ſcribat intelligi non poſſe, quomodò Deus poſſit facere, vt noctua videat Solem, niſi illi altior videndi virtus ſuppeditetur, quàm ex ſe habet.

Molina. Salas. Durand.

Sotus non auditur.

74. Ad 7. Septimum argumentum ideò decipit; quia de cauſa formali nõ diſtinguit: nam quædã eſt cauſa formalis intrinſeca, quæ proprijſsimè eſt cauſa formalis: talis eſt albedo reſpectu albi. Hæc nec per potentiam diuinam ſuppleri poteſt; quia nihil poteſt eſſe album, niſi per albedinem. Huius cauſalitatis formalis nihil poteſt admiſceri in lumine reſpectu viſionis; quoniã cauſa formalis huius generis realiter identificatur cũ ſuo effectu formali: album enim eſt idem realiter, quod albedo: lumen autem realiter diſtinguitur à viſio-

Multiplex genus cauſæ formalis.

1. genus.

2. genus. viſione. ¶ Alia eſt cauſa formalis extrinſeca; quæ realiter eſt diſtincta à ſuo effectu: tale eſt rationale reſpectu riſibilis: nã riſibilitas demonſtratur de homine per rationale à priori, tanquam per cauſam formalem, vt docetur in 1. Poſteriorum. Hæc autem ideò dicitur cauſa formalis, quia eſt ratio formalis, per quam effectus habet eſſe: & ad hoc genus Thomiſtæ reducunt formam ſubſtantialem reſpectu exiſtentiæ. Sed nec hæc formalis cauſalitas reperiri poteſt in lumine erga viſionem: quia cauſa huius generis, licet ſit formalis ratio, à qua effectus naturaliter emanat; non tamen eſt vera cauſa efficiens: nec enim rationale vera efficientia efficit riſibile; nec forma ſubſtãtialis apud Thomiſtas vera actione efficit exiſtentiam. Iam verò lumen gloriæ vera actione efficit viſionẽ. His addimus hanc formalẽ cauſam non ita eſſe neceſſariam ad effectum, vt non poſsit diuina virtute ſuppleri: etenim diuina virtute fieri poteſt riſibilitas ſine rationalitate; & materia prima poteſt exiſtere ſine forma, vt verior habet opinio. Quare, licet in lumine gloriæ hæc cauſalitas ineſſet, adhuc argumentũ vim non haberet. ¶ Tertium genus cauſalitatis formalis nonnulli excogitarunt

75. docentes, id, quod eſt ratio ſpecificans alterum, eſſe cauſam formalem illius. Vnde apud iſtos obiectum eſt cauſa formalis actus, quem ſpecificat; & principium

3. genus. actiuum, quando ſpecificat actum. An hoc genus cauſæ formalis poſsit dari in lumine reſpectu viſionis? dubitari poteſt. Affirmant nonnulli; & indè ſumunt argumentum, vt nec per diuinam potentiã poſsit dari viſio ſine lumine: cum enim viſio per ſe habeat ſpeciem à lumine, in ipſo lumine reperitur aliqua ratio cauſæ formalis in ordine ad viſionẽ. Nauarrete

Opinio Nauarrete. particularem quandam probat ſententiã, vt præcedens vera ſit in ordine ad viſionem, quæ de facto datur; non tamen in ordine ad alias, quas Deus poteſt facere. Fundamentum eſt; quia viſio, quæ de facto datur, ex ſua natura ſpecificatur à lumine gloriæ: aliæ verò, quæ ſine lumine gloriæ fieri poſſunt, ſunt diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ de facto datur; & ideò non ſument ſpeciem à lumine, ſed ab alijs formis eminentioribus, quibus lumen gloriæ ſuppletur. Concludit igitur lumen gloriæ ex ſe quidem eſſe ſpecificatiuum viſionis, quæ modo eſt in beatis: non tamen eſſe ſpecificatiuum omnis viſionis diuinæ eſſentiæ: & ob id repugnare quidem, vt viſio, quæ modò eſt, fiat à Deo ſine lumine gloriæ: ſimpliciter tamen nõ repugnare dari viſionem ſine tali lumine. Hanc ſententiam colliges ex *Nauarrete* Nauarret.
1. tom. cõtro. 39. §. 2. fol. 247. col. 1. 2. & 3. ¶ Sed neutram ſententiam probabunt, qui volunt viſionem beatam non recipere ſpeciem à lumine. Nam cum lumen commune ſit omni viſioni beatæ, non poteſt eam determinare, vt ſit talis, vel talis viſio; & ſubindè nec poteſt eam ſpecificare. Vnde ceſſat vis argumenti: negandum eſt enim in lumine gloriæ reſpectu viſionis aliquid admiſceri de principio cauſavè formali. Probatio autem antecedentis parum vrget: quia authores huius opinionis dicent, viſionem ſolùm ſpecificari ab obiecto: vnde apud iſtos parum refert, quod lumen ſit intellectui, aut tota potentia videndi, aut complementum talis virtutis. ¶ Quæ iſtarum opinionũ ſit verior? fortè explicabimus libro 11. Nunc pro ſolutione ſeptimi argumenti ſatis ſit aduertere illud abſolutè non habere vim, ſi vera eſt opinio Nauarrete: quia licet viſio, quæ modò eſt, ſpeciem ſumat à lumine; non tamen omnis viſio, quæ diuina potẽtia dari poteſt, ab eo ſpeciem ſumit: vnde, quamuis in lumine admiſceatur aliquid cauſalitatis formalis reſpectu viſionis, quę modo eſt; nihil tamen illius admiſcetur reſpectu aliarum viſionum poſsibilium. Quare argumentum ſolùm habet vim contra eos, qui ſimpliciter volunt omnem viſionẽ, etiam, quæ de facto datur, poſſe à Deo fieri ſine lumine gloriæ, quorum opinionem modò defendimus. Qua ſuppoſita, prima ſolutio ſumi poteſt ex opinione, quæ negat, viſionem ſumere ſpeciem à lumine: apud quos negandum eſt antecedens: nam ſi viſio non ſumit ſpeciem ab illo lumine; vtique in eo nihil explicatæ cauſalitatis reperitur. Probatio autem antecedentis parum vrget: quoniam ſi lumen non ſpecificat viſionem, parum refert, quòd illud ſit intellectui, vel tota vis intelligendi, vel complementum virtutis propriæ. Secũda ſolutio ſit, conſequentiam non valere: etenim, cum cauſalitas formalis, de qua eſt

Margin notes (right column): 76. Aliorum ſententia. — Ad argum. — 77. 1. ſolutio. — 2. ſolutio.

eſt ſermo, non ſit intrinſeca, ſed extrin-
78. ſeca (principium enim actiuum ſpecificans realiter diſtinguitur ab effectu, quē ſpecificat) poteſt Deus eam ſupplere; vel ſolo ſuo extrinſeco concurſu, vel mediāte alia forma, quæ eminenter contineat efficientiam luminis gloriæ: etenim intellectio, vt eſt intellectio, ſpeciem ſumit à potentia intellectiua (ab ea enim formaliter habet, quòd ſit actus intellectiuus) & tamen poteſt à Deo fieri ſine intellectu, vt oſtendemus lib. 10. q. 1. art. 4. Idē igitur dicemus de viſione reſpectu luminis gloriæ: licet enim ſpecificetur ab eo, ſpecificatione iſta extrinſeca (de quo tamen eſt dubium) poteſt tamē à Deo produci ſine lumine: & ratio eſt; quia ſpecificatio iſta, licet neceſſariò inferat viſionem ex ſua natura habere, quòd ſit producibilis à lumine gloriæ, & ita hoc ab ea, nec per diuinam potentiam, ſeparari poſsit: non tamen arguit eam à ſolo lumine eſſe producibilem, vt de viſione diximus reſpectu intellectus. Ex quo infer-
Doctrina annotanda. tur, talem ſpecificationem non neceſſariò arguere dependentiam eſſentialē propriē ſumptam, qualis eſt illa, qua effectus ex ſe habet, non poſſe produci, niſi à tali cauſa: arguere tamen dependentiam naturalem inter viſionem, & lumen; vt ſcilicet non poſsit connaturaliter produci, niſi mediāte lumine; cum quo ſtat, quòd miraculosè poſsit produci ſine eo. Quod in hac materia eſt annotandum: vide, quę dicemus lib. 10. q. 1. art. 4. Admiſſo igitur antecedēte de formali cauſalitate tertij generis; neganda eſt conſequentia. Cuius probatio ſupponit, Deum nō poſſe ſupplere concurſum principij actiui vitalis; ita vt actum vitalem producat ſine potentia vitali (verbi gratia intellectionē ſine intellectu) cuius oppoſitum oſtendemus in q. art. 4.

79. Ad 8. Octauum argumentum ſatis eſt debile, vt ex dictis patet: admittimus enim cauſam principalem debere proportionari ſuo effectui; vel ſecundum ſe, ſi effectus eſt ſibi connaturalis; vel per eleuationem ſupernaturalem, ſi ille ſit ſupra naturam eius. Admittimus etiam intellectū ſecundum ſe non eſſe proportionatum viſioni; cum hæc ſit ſupernaturalis ordinis, ille autem naturalis. Authores autē, quos modò defendimus, communi conſenſu negant, intellectū ſolo lumine glo-

rię poſſe proportionari: vnde mirum eſt, quòd ſine probatione id ſumatur. Nec valet: *intellectus ſua naturali formā non eſt proportionatus ad eliciendam viſionem. Ergo non poteſt proportionari, niſi ſolo lumine gloriæ*: quia, vt volunt illi authores, poteſt eleuari, vel per aliam formam ſupernaturalem, ſpecie diſtinctam à lumine gloriæ; vel per ſpecialem concurſum modis ſuperiùs explicatis. Quare illa conſequentia continet ſophiſma à pluribus cauſis ad vnam cauſam.

Nonum argumentum eodem modo 80.
claudicat: admittimus enim viſionem eſſe Ad 9.
actum ſupernaturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam; & proindè indigere principio ſupernaturali. Quando verò infertur intellectum eleuandum eſſe per ſupernaturalem qualitatem, quæ ſit in eo; quidā admittent conſequentiam; illi. ſ. qui volunt, Deum ſuo ſpeciali concurſu imprimere qualitatem ſupernaturalem, quæ luminis efficaciam ſuppleat. Alij negabunt conſequentiam; illi ſcilicet, qui volunt, Deum ſupplere lumen gloriæ nulla mediante qualitate; ſed aut ſe ſe partialiter coniungendo cum intellectu, vt quidam volunt; aut communicando illi ſuū actiuum principium, quo agat, vt alij malunt.

Ad 10. ex Miſcellania deſumptum, pa
tet ſolutio ex ijs, quæ diximus ad ſepti- 81. ad 10.
mum: neganda eſt enim maior: nam cum 1. ſolutio.
illa ratio formaliter ſpecificatiua, non ſit ratio formalis intrinſeca, ſed extrinſeca, poteſt illius cauſalitas ſuppleri à Deo: & ratio eſt, quia talis ſpecificatio non arguit eſſentialem dependentiam, vt diximus ad ſeptimum. Quare maior illa probanda erat, & non ſupponenda. ¶ Et quanuis 82.
hæc ſolutio ſatis ſit, vt argumentum cor- 2. ſolutio.
ruat; vt tamen illius inefficacia magis appareat, maiore gratis admiſſa, negāda erit minor: plures enim ex aduerſarijs negāt, lumen glorię ſpecificare viſionem, vt patet in ſolutione ad 7. vbi huius opinionis fundamentum adduximus: nec hoc longè eſt à *D. Thoma in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. ad 15. de quo ſuprà q. 5. art. 8. §. 2. in 2. præ-
miſſo*. D. Thom.
Inde infertur lumen gloriæ nihil cauſalitatis formalis habere in ordine ad viſionem: cuius oppoſitum ſumit minor, quam negamus. Illius probatio ſumit ꝓpoſitiones ſatis obſcuras, quæ niſi diſtinguantur, confuſionem parient, & decep-

tionem. Quare pro tollenda confuſione aduertendum eſt, viſionem tendere in Deum per formam ſub qua, dupliciter intelligi poſſe: vno modo, vt tendat, tanquam ratione formali, ſub qua tendit: altero modo, vt tẽdat, tanquam medio ſub quo tendit. Primum patet; quia viſio tẽdit in Deum, ſub ratione intelligibilis, quæ eſt ratio formalis, ſub qua omnis actus intellectus tendit in ſuum obiectum: ſicut omnis actus voluntatis in obiectum tendit ſub ratione appetibilis; & omnis actus videndi ſub ratione viſibilis: quia iſtæ potentię ſpecificãtur ab obiecto, ſub ratione formali ſub qua, vt communis habet Philoſophia, de qua *tom. 1. lib. 4. q. 10. art. 4. n. 22. & 23. & aduerterunt Conimbricenſes 2. de Anima c. 3. q. 5. artic. 2. poſt principium*. Tendit etiam viſio in Deum per medium ſub quo: quod ad omnem viſionem ſenſitiuam, vel intellectiuam eſſe neceſſarium, docet *D. Thomas in 4. loco citato, & de Verit. q. 18. art. 1. ad primũ, & quodlib. 7. art. 1.* Tale autem medium eſt lumen, vt in iiſdem locis docet Diuus Thomas. Nec alia poteſt dari ratio, ſub qua potentia per ſuum actum tendat in obiectum. Nam formalis ratio obiecti materialiter ſũpti, & vt res eſt (qualis eſt ratio coloris in obiecto ſenſibili; & ratio ſpecifica cuiuſque entis, v. g. hominis, vel lapidis in obiecto intelligibili) non eſt ratio ſub qua potentia, & actus tendant in obiectum; ſed eſt ratio per quam attingitur res, quæ eſt obiectum; imò etiam eſt ratio formalis, quæ in obiecto attingitur, vt diximus lib. 4. q. 8. ar. 3. n. 11. & aduerterunt *Fonſeca 6. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 3. litera G. & Conimbricenſes 2. de Anima loco citato, & 1. de Interpretatione c. 4. q. 3. art. 4.* Et idem dicendum eſt de ratione ſpecificandi, ſi quæ datur in principio actiuo: nec enim illa eſt ratio ſub qua, actus tendit in obiectum. Quæ ſupponimus ex Philoſophia. Igitur ratio ſub qua viſio beata tendit in Deum, ſolum eſt duplex, vt diximus: vel enim eſt ratio formalis ſub qua tendit; vel eſt medium ſub quo tendit. ¶ His ſuppoſitis authores,

83. quos modò defendimus, ad probationẽ minoris admittent in viſione beata dari rationem formalem, ſub qua tendit in Deum, & à qua ſpecificatur, vt habet maior aſſumpta: ſed negabunt hanc rationẽ eſſe ipſum lumen, vt in minore malè ſubſumitur; hæc enim ſolùm eſt ratio intelligibilis. Hoc primum probatur; quoniã omnis actus intellectus tendit in ſuũ obiectum ſub ratione intelligibilis, tanquã ratione ſub qua, & ab ea ſpecificatur, extrinſecè tamen, prout ſubordinatur potentiæ intellectiuæ: nam cum intellectus per ſe ſpecificetur ab obiecto ſub ratione intelligibilis, vt loco citato cum Fonſeca, Conimbricenſibus, & communi Philoſophia oſtendimus; ab ea etiã ſpecificatur actus; non quidem intrinſecè (quia plures actus intellectus inter ſe ſpecie diſtinguũtur) ſed extrinſecè, vt aduertimus in q. 10. art. 4. n. 23. *cũ Conimbricenſ. in 2. de Anima c. 3. q. 5. art. 2. pag. 120. per totam.* Igitur viſio beata tendit in Deum ſub ratione intelligibilis, tanquam ſub ratione ſub qua, & ab eadem ſpecificatur modo explicato. Quod etiam ex eo probatur;

quoniam lumen non beatificum, ſiue naturale ſit, ſiue ſupernaturale, licet ſit medium ſub quo actus tendit in obiectum; non tamen illum ſpecificat: nec enim viſio corporea ſpecificatur à lumine, ſub quo tendit in obiectum viſibile, vt patet; nec intellectio lapidis, aut ligni ſpecificatur à lumine intellectus agentis, vt notũ eſt; nec denique actus fidei ſpeciem ſumit à lumine fidei: etenim quodlibet iſtorum luminum eſt vnum ſpecie; actus autem, qui ſub illo tendunt in obiectum, poſſunt inter ſe ſpecie diſtingui, vt ſupponimus. Igitur viſio beata non ſpecificatur à lumine gloriæ; cum in omnibus eadem ſit ratio. Et licet lumen gloriæ determinet intellectum ad viſionem ſub ratione generali diuinæ eſſentiæ; tamen ex ſua natura eam non determinat ad certã viſionem: imò ſub eodem ſpecie lumine poſſunt viſiones ſpecie diſtinctæ tendere in eandem diuinam eſſentiam: & de facto viſiones hominum, & Angelorum; omnes item, quæ ſunt inæquales, tendũt in Deum ſub eodem lumine; & tamen apud grauiſſimos Theologos ſunt inter ſe diuerſæ ſecundùm ſpeciem; cum tamẽ lumen in omnibus beatis ſit eiuſdem ſpeciei, vt cum *D. Thoma aſſerit Caietan. 3. p. quæſt. 10. art. 4.* affirmans, nec diuina potentia dari poſſe aliud lumen ſpecie diuerſum, de quo tamen libro 11. plura dicemus.

Quot modis viſio tẽdat in Deũ per formã ſub qua?

Conimbr.

Fonſeca. Conimbr.

Reſponſio ad probationem minoris.

Conimbr.

84.

Lumen in omnibꝰ eſt idem.

D. Thom. Caiet.

Ad

85. Ad 11. Ad 11. ex eodem Nauarrete adductū authores, quos defendimus, negabunt minorem. Cuius probatio, vt debitè applicetur, ſupponit, intellectum non poſſe concurrere cum Deo ad eliciendam viſionem, niſi eliceat viſionem determinatę ſpeciei, quod non poteſt non admitti. Cū verò additur viſionem non poſſe limitari ad certam ſpeciem ex parte Dei; ſi intelligatur de Deo, vt eſt obiectum intelligibile, præcitati authores id negabunt: quia ſicut potentiæ, ita etiam actus ſpecificantur per obiecta, vt obiecta ſunt; ſicut habet communis Philoſophia: viſio igitur beata ſpecificabitur per obiectum; & ideò à viſione non beata ſpecie diſtinguetur per diuinam eſſentiam, vt eſt obiectū quoddam intelligibile intelligibilitate ſupernaturali, & diuini ordinis: quanuis autem ſecundùm ſuam adæquatam intelligibilitatē ſemper ſit altioris ordinis, quā ſit intellectus quocūque lumine illuſtratus: eſt tamen eiuſdem ordinis cum intellectu illuſtrato, ſi inadæquatè, & limitatè ſumatur; vnde ab illa poteſt viſio habere limitatam ſpecificationem. Cuius oppo-

86. Alia ſolutio ſitum ſine probatione ſumitur. ¶ Et quāuis gratis daretur viſionem non poſſe ſumere ſpeciem à Deo propter ſuam infinitatem; adhuc argumentum vim non haberet: dicerēt enim doctores pro quibus nunc agimus, viſionem beatam ſpecificari ab aliquo principio actiuo tenente ſe ex parte potentiæ; non quidem naturalis ordinis, ſed ſupernaturalis. Cum verò inde infertur, principiū illud eſſe aliquā qualitatem ſupernaturalem; quidam negarent illationem; alij eam admitterent, vt patet ex ijs, quæ diximus ad 7. 8. & 9. Quare argumentum ſemper petit principium ſumendo id, de quo eſt controuerſia.

87. Ad 12. 12. argumentum (quòd eſt Cabreræ) tangit difficultatem, vnde nam viſio beata habeat ſuam vitalitatem? quam varij variè reſoluunt, de ea agemus lib. 11: nūc dicimus, viſionem vitalitatem non habere à ſolo lumine; nec à ſolo intellectu nudè ſumpto, ſed ab intellectu ſupernaturaliter eleuato: etenim conſtitutus in eſſe diuini ordinis poteſt elicere operationem ordinis ſupernaturalis: nam per ſupernaturalem eleuationem virtus natiua illius fit potens in actus ſecundùm ſubſtantiā ſupernaturales. Hoc ſuppoſito iam patet, quàm debile ſit argumentum: admittenda eſt enim conſequentia prioris diſcurſus, & neganda minor poſterioris. Quāuis autem intellectus nudè ſumptus non ſit potentia ſupernaturalis; non proindè benè infertur, eum eſſe talem per ſolum lumen: dicerent enim aduerſarij in hoc argumēto committi fallatiam à pluribus cauſis ad vnam cauſam; quia virtus illa vitalis, quę eſt in intellectu, licet nudè ſumpta non ſit ſupernaturaliter vitalis; habet tamen ex ſe, quòd poſsit fieri talis per eleuationem ſupernaturalem: iam verò ſupernaturaliter eleuari poteſt, non ſolùm per lumen gloriæ, quod modo eſt in beatis, ſed etiam per aliam qualitatem diſtinctam à lumine, vt quibuſdam placet; vel ſine vlla qualitate per ſolum concurſum extrinſecum, vt placet alijs: quo concurſu vel Deus ſuum actiuum principium ſupernaturale intellectui cōmunicat, vel ſe illi coniungit, vt concauſam ſupernaturalem partialiter concurrentem, vt ſæpè diximus. Quare etiam in hoc argumēto petitur principium.

Ad poſtremum authores, quorum partes modò agimus, admittent cum Augu- 88. Ad poſtremum.
ſtino animam non poſſe eſſe beatam, niſi lumine participato ab increato lumine: negarent tamen illud lumen participatū ſolum eſſe lumen gloriæ, quod beatis de facto datur; quoniam particulare auxiliū ſemper eſt quædam participatio luminis increati.

Ex ijs, quæ tam latè diximus, iam pa- 89. Argumenta affirmatiꝰ non conuincunt negantem.
tet, argumenta partis affirmantis non efficaciter conuincere opinionem negantem: etenim ſi ſingula diligenter expendantur, omnia, vel laborāt petitione principij, dum ſumunt, vt indubitatum, quod in controuerſia verſatur: vel committūt ſophiſma à pluribus cauſis ad vnam cauſam. Quare alio modo confirmari debet illa impoſsibilitas, de quo in ſequenti §. iam dicimus.

§. 5.

Adducitur verum fundamentum partis affirmantis, quæ eligitur.

PArtem affirmantem, quæ olim no- 90. Verum fundamentum affirmantis
bis placuit, vt veriſsimam elegimus §. 3. Cum verò argumenta, quæ §. 1. pro illa ſunt adducta, non ſatis ſint efficacia;

cacia; oportet verum illius fundamẽtum diligenter exponere; quo impoſsibilitas viſionis ſine lumine gloriæ aut demonſtretur, aut efficaciter perſuadeatur.

91. Ego ad illud idem fundamentum recurro, ad quod olim recurrebam: quia ſcilicet, per nullam potentiam fieri poteſt, vt detur aliqua viſio, ſiue corporalis, ſiue intellectualis, ſine aliquo vero lumine. Cui propoſitioni adiungenda eſt altera. ſ. Deum nec per ſe, nec per aliam formam, quæ formaliter non ſit lumen, poſſe ſupplere formam, quę eſt verum lumen. Ex vtraque conficio hanc argumentationẽ. Fieri non poteſt, etiam per diuinam potentiam, vt aliquid aut corporaliter, aut intellectualiter videatur ſine aliquo vero, & formali lumine. Ergo nec in patria id fieri poteſt; cũ verò lumen, quo Deus in patria videtur, ſit lumen gloriæ, benè infertur fieri non poſſe; etiam per abſolutam potentiam, vt Deus videatur ſine vero, & formali lumine glorię, cuiuſcũq; illud ſit rationis, & ſpeciei: de hoc enim nihil modò curamus, ſed ſolùm contendimus, Deum non poſſe facere, vt ſine aliquo vero, & formali lumine patriæ Deus videatur; ſiue illud ſit vnum tantũ ſpecie, ſiue plura ſpecie diſtincta. ¶ Huius argumentationis poſterior diſcurſus ſatis eſt notus. Conſequentia prioris legitima eſt; quia nulla dari poteſt ſpecialis ratio, cur Deus cæteras viſiones non beatificas ſine aliquo vero, & formali lumine facere non poſsit; poſsit autem facerè viſionem beatam.

92. Confirmatur anteceдens. Tota igitur difficultas eſt in confirmando antecedẽte diſcurſus prioris. Pro illius confirmatione aduertimus, omnes in hoc conuenire, vt nulla viſio poſsit naturaliter dari ſine lumine: id enim ſatis oſtendimus q. 1. huius libri: & de viſione ſenſibili id expreſſè docet *Ariſtot. 2. de Anima c. 7. tex. 67. & 73*: ait enim colores, cæteraque viſibilia ſine lumine non videri. Quod etiam aduertit *D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 3*: & quamuis non omnia ſenſibilia lumine ſolis videantur: quia ſcilicet ſine eo videntur, quæ in tenebris apparent, vt ait Ariſt. *in d. c. 7. tex. 72.* ea tamen in proprio, quod ex ſe habent, lumine, videntur, vt omnes agnoſcunt. Viſionem verò intelligibilem non fieri ſine intellectuali lumine explicat Auguſtin. (vt plures volunt) *12. de Ciuitate Dei cap. vlt. & 1. Soliloquiorum c. 8.* Omnia à nobis cognoſci per participationem luminis diuini docet *D. Thomas 1. p. loco citato, & q. 84. art. 5. & de potentia q. 5. art. 1. ad 18. & de ſpiritualib. creaturis ar. 10. ad 8. & ſatis explicauit Capreolus 2. diſt. 3. q. 2. ad 3. Durandi contra octauam fol. 106. col. 2, 5. Item in lib.* Denique id facilè patebit, ſi ſingula viſionum genera percurramus: omne enim cognoſcens, ideò quia cognoſcens eſt, habet in ſe ipſo lumen, vel naturaliter congenitum ad intelligenda naturalia, vel ſupernaturaliter infuſum, ad ſupernaturalia percipienda: vide quæ diximus ſuprà q. 1.

Aristt. *D. Thom.* *Ariſt.* — *Auguſt.* *D. Thom.* *Capreol.*

93. Confirmatur teſtimonio Aug. Quòd verò hæc veritas ita ſit explicãda, vt nec per diuinam potentiam aliqua viſio poſsit fieri ſine vero, & formali lumine, primum oſtendimus ex *Auguſtino 12. de Ciuitate Dei loco citato ſimpliciter affirmante, nihil videri poſſe, niſi in luce intelligibili, & lib. 1. Soliloquiorum d. cap. 8. ita ait: Quæ ſcibilia ſunt, videri non poſſunt, niſi quodlibet illorũ à ſuo ſole illuſtretur.* Quod ſatis etiam expreſsit author libri de ſpiritu, & anima apud Auguſtinum c. 129. *tom. 3, dum ait. Quòd ſicut Solem non videt oculus, niſi in lumine ſolis, ſic verum, & diuinum lumen non poterit intelligentia videri, niſi in ipſius lumine.* *Auguſt.* *Liber de ſpiritu, & anima.*

94. Confirmatur ratione. Deinde ratione idem efficaciter oſtenditur: quoniam per nullam potẽtiam fieri poteſt viſio, niſi id, quod videtur, ipſi videnti obiectiuè appareat, & manifeſtetur. Sed per nullam potentiam fieri poteſt, vt aliquid obiectiuè appareat potentiæ cognoſcenti, niſi per verum, & formale lumen. Ergo per nullam potentiam fieri poteſt viſio ſine lumine vero, & formali. ¶ Maior huius diſcurſus ex eo patet; quia per nullam potentiam fieri poteſt, vt viſibile videatur, quandiù potentiæ cognoſcenti eſt abſconditum, & non manifeſtum: etenim neceſſe eſt illi manifeſtetur, ſi videri debet: nam ob hanc rationem, quæ ab aliquo ignoratur, prius quàm cognoſcantur; illi manifeſtantur, & coram eo proponuntur, vt ait *Cicero in Catelinam*: imò id docet Paul. *ad Ephesios 5. dum ait: quæ occultè fiunt, à lumine manifeſtantur*, vt ſcilicet manifeſtata videantur. Et *Pſal. 50: Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, id eſt, coram me mani- *Cicero.* *Paulus.* *Pſal. 50.*

manifeſta propoſuiſti, vt à me videri poſſint. Et hunc ſenſum faciunt verba Pauli *ad Epheſios 5: Omne, quod manifeſtatur, lumē eſt*: quia. ſ. manifeſtata iam poſsūt videri. Ex quibus ſatis patet, per nullam potentiam fieri poſſe, vt detur viſio, niſi id, quod videtur, fiat ipſi videnti manifeſtū, & apparens, quæ fuit maior. *Paul.*

95. Demonſtratur minor. Porrò minor facilè demonſtrabitur, ſi oſtenſum fuerit proprium, & formalem effectum luminis eſſe manifeſtare obiecta cognoſcibilia, vt potentiæ cognoſcēti palàm appareant; quod latè oſtendimus *ſuprà q. 5. art. 8. n. 10*: & fuit expreſſa ſententia *D. Thomæ 1. p. q. 67. ar. 1. vbi docet, proprium eſſe luminis, facere manifeſtationē ſecundum quamcunq; cognitionem, quod iterum ſcribit in 2. diſt. 13. q. 1. art. 2.* Et ſatis conuincitur ex citatis verbis Pauli: *quæ in occulto fiunt, à lumine manifeſtantur*: nimirum formaliter. Vnde illuminationē Sacramenti abſconditi factam eſſe à Deo per lumē, tanquam per cauſam formalē, ſatis ſignificat idem Paul. ad Epheſios. 3. dum ait: *Mihi minimo ſanctorum data eſt gratia illuminare omnes, quæ ſit manifeſtatio ſacramenti abſconditi*: Paul. igitur effectiuè fecit illuminationem, formaliter tamē per lumen fidei. *Et 1. Cor. 4. ait: Qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationē ſcientiæ*: Senſus eſt; Deus, qui fecit in tenebris lumen ſplendeſcere, ipſo lumine fecit illuminationem. Vnde, quando dixit ad Epheſios 5: *Quod manifeſtatur, lumē eſt*, in hoc ſenſu eſt intelligendum: quoniam, quod manifeſtatur, ipſo lumine formaliter manifeſtatur. Conſtat igitur ex Paulo formalē luminis effectum eſſe manifeſtare, quod illuminatur. Quem effectum exercet circa ipſa obiecta, quæ videri debent, vt oſtendimus in dicta q. 5. artic. 8. concl. 2. n. 12. *D. Thom.* *Ad Eph. 3.* *Paulus.* *Epheſ. 5.*

96. Ratione probatur minor. Quod etiam conuincitur: quia lumen eſt medium, ſub quo, & potentia formaliter tendit in obiecta; & obiecta formaliter potentiæ apparent, & manifeſtantur, vt diximus in dicto artic. 8. concl. 1. & 2. & docet *Diuus Thomas in locis ibidem citatis*. Medium autem ſub quo verè & propriè eſt cauſa, ratioque formalis, & tendentiæ ipſius potentiæ, & apparentiæ, ſeu manifeſtationis obiecti: nam ratio formalis ſub qua obiectum formaliter terminat, & ſpecificat potentiam, & actum illius, verè & propriè eſt cauſa formalis illius terminationis, & ſpecificationis: viſibilitas enim ſub qua coloratum ſpecificat viſum; & intelligibilitas, ſub qua intelligibile ſpecificat intellectū (vt cum Conimbricenſibus diximus ſuprà §. 4. ad 10. argumentum) eſt vera cauſa, & ratio formalis ſpecificandi, & terminandi viſum, & intellectum. *D. Thom.*

97. Alia confirmatio. Denique id ſatis confirmabitur, ſi ſingulas luminis ſpecies percurramus. Etenim nullus dubitabit, proprium, & formalem effectum luminis ſenſibilis eſſe ipſam ſenſibilium obiectorum manifeſtationem, & apparentiam: Ariſtoteles enim de ſenſu, & ſenſibili cap. 6. in vltimis verbis docet, *lumen efficere viſionem*: cum verò illam non efficiat in genere cauſæ efficientis, efficiet eam in genere cauſæ formalis: quem ſenſum explicat idem Ariſtoteles *dum 2. de Anima cap. 7. tex. 67. & 73. ſcribit, lumine omnia videri*; qui modus loquendi formalem cauſalitatem denotat. Quòd lumen intellectus agentis formaliter faciat, vt prima principia intellectui innoteſcant, expreſſè docuit D. Thomas de *Veritate quæſt. 16. artic. 3. dum ſcribit; prima principia tam in ſpeculatiuis, quàm in practicis nobis innoteſcunt lumine intellectus agentis*: quòd verò ille ablatiuus denotet cauſam, & rationem formalem, expreſſè declarat idē *Diuus Thomas 3. parte quæſt. 11. articul. 6. ad 3. dum ait; quòd lumen intellectus agentis eſt ratio intelligendi ea, quæ naturaliter cognoſcuntur*. Vide quæ de hoc lumine diximus quæſtione 2. huius libri art. 1. §. 3. ex *Caietano, Diuo Thoma, Molina, Cano, & Aragonio*. Quod diximus de lumine ſenſibili, & intelligibili intellectus agentis, dicendum eſt de lumine ſupernaturali, tùm fidei, tùm ſcientiæ infuſæ, vt videre eſt in dicta quæſt. 2. art. 3. cum ſequentibus. *Ariſt.* *D. Thom.*

98. Formales effectus luminis. Ex ijs, quæ præmiſimus, ſatis patet, proprium, & formalem effectum luminis in hoc conſiſtere, vt potentiæ cognoſcenti manifeſtet obiecta cognoſcenda, ita, vt coram, palamque appareant. Qua ſuppoſita Philoſophia, iam euidēter demōſtratur minor noſtræ argumētationis; quatenꝰ habet per nullā potentiā fieri poſſe, vt aliquod viſibile obiectiuè mani-

feſtetur, & appareat potẽtiæ cognoſcẽti, niſi per verũ, & formale lumen: etenim indubitatũ eſt, Deũ non poſſe ſe ipſo ſupplere cauſã formalẽ in ordine ad effectũ intrinſecũ: nã licet dubitari fortè poſsit, vtrũ Deus valeat ſupplere cauſã formalẽ extrinſecã (putat enim Fõſeca id poſſe fieri:) nullus tamen vnquã dubitauit, aut dubitare poteſt, Deũ ſupplere non poſſe cauſam formalẽ effectui intrinſecam: nec Fonſeca de hoc vnquã dubitauit, vt oſtẽdimus in 2.p.lib.8.q.4.art.2. Quare cum effectus formalis luminis nõ ſolùm ſit illuminare potentiã cognoſcentẽ; ſed etiã manifeſtare obiecta, vt obiectiuè appareant, ſicut immediatè diximus; neceſſariò infertur, nec per potentiam diuinam fieri poſſe, vt detur formalis manifeſtatio, & apparentia obiecti ſine vero, & formali lumine, quę fuit noſtra minor.

99. Iſte effectꝰ per nullum concurſum ſuppleri poteſt.

Et vt hæc veritas magis appareat oſtẽdemus nec per diuinam potentiam fieri poſſe, vt effectus iſte formalis ſuppleatur per aliquem ſpecialem concurſum Dei. Et vt id facilius oſtendatur, aduertimus, quæ diximus ſuprà §.4.in 2.& 3. aduertentia: licet enim omnes aduerſarij cõueniant, Deũ efficientiam luminis ſupplere per ſpecialem, & ſupernaturalem cõcurſum: illũ tamen non omnes eodem modo explicant.

Specialis cõcurſus Dei non eodem modo explicatur.

Quidã volunt, Deũ per ſpecialẽ concurſũ imprimere in intellectu qualitatem quandam ſupernaturalẽ diſtinctã à lumine gloriæ. Alij docẽt, hoc fieri per ſolum concurſum extrinſecũ Dei, abſq; vlla media qualitate: qui adhuc ſubdiuiduntur;

1. modus.

quidam enim volunt, Deum per ſpecialẽ concurſum ſupplere lumen gloriæ, quatenus ſe ipſum cũ intellectu coniungit, vt cauſam partialẽ; & hac coniunctione, & partialitate eleuari potentiã intellectus, vt poſsit in viſionem.

Secundus.

3. modus.

Alij verò docent, Deũ per illum concurſum cõmunicare intellectui ſuũ principium actiuũ ſupernaturale, quo ad eandem viſionem concurrit. Vide in d. §.4. His ſuppoſitis, oſtendemus, lumen gloriæ nullo illorum trium modorum poſſe ſuppleri. Singulos igitur modos impugnabimus.

100. Non ſuppletur per ſecũdum modum.

Quòd lumen gloriæ non poſsit ſuppleri per hoc, quod Deus ſe [illegible] cũ intellectu cõiungit, vt cõcauſam partialem, vt vult ſecundus dicendi modus, latiùs oſtẽdemus lib.10. in q. Quomodò lumen gloriæ cõpleat virtutem actiuam intellectus? Et vt omittamus hunc modũ dicẽdi ſupponere lumen gloriæ non addere vllam virtutẽ intellectui, ſed ſuo partiali concurſu adiuuare eam, quę in intellectu datur; ita vt in hoc ſenſu dicatur eam cõplere, quia cum illa ad agendũ coniungitur: quod loco citato impugnabimus: modus iſte dicendi ex eo nõ eſt recipiẽdus; quia illa coniunctio partialis cauſalitatis, licet ſupplere poſsit lumen, vt eſt principiũ actiuũ videndi; non poteſt tamen ſupplere illud; quatenus eſt principiũ formale manifeſtãdi ipſum obiectũ, & apparentiæ illius corã intellectu: etenim lumen quatenus eſt tale; actiuè non cõcurrit ad viſionem, ſed ſolũ eſt ratio formalis ſub qua eſsẽtia beato manifeſtatur, & apparet; lumẽ enĩ gloriæ actiuè non cõcurrit ad viſionem, quatenus eſt formalis manifeſtatio, ſed quatenus dat eſſe ſupernaturalis ordinis, nam cũ ad eſſe ſubſtantiale ſequatur operari; ſicut eſt principiũ eſſendi ſecundum eſſe diuini ordinis; ita etiã erit principiũ operãdi operationes ordinis diuini. Cui ſi addamꝰ lumẽ gloriæ, vt eſt forma formaliter manifeſtans eſſentiã diuinã, nõ dare intellectui aliquod eſſe ex ſua natura actiuum (etenim eſſe manifeſtum potẽtiæ cognoſcẽti non eſt aliquod eſſe operatiuum, quia eſt veluti intẽtionale) benè infertur lumen gloriæ ſub ratione manifeſtantis obiectũ, non habere, quòd ſit principium operandi: hoc enim cuicunque lumini cõuenit; nec enim lumen ſenſibile, vt illuminat obiectũ, actiuè concurrit ad viſionẽ; nec lumen intellectus agentis ad intellectionẽ. Quare, cum diuinus cõcurſus, vt eſt cauſa partialis, ſolùm pertineat ad cauſalitatẽ efficientẽ; nõ verò ad formalẽ; ſi ille poteſt ſupplere lumẽ, illud ſolũ ſupplebit, vt eſt principiũ actiuũ, nõ verò, vt eſt principium manifeſtatiuum obiecti: & ideò Deus non concurrit partialiter cum lumine, vt eſt forma manifeſtatiua obiecti; ſed ſolum vt eſt principium actiuum viſionis.

Sed nec recipiendus eſt tertius explicandi modus, dum aſſerit cõcurſum illũ ſpecialem Dei ideò poſſe ſupplere lumen gloriæ, quia per illum communicatur intellectui principium actiuum viſionis, quod eſt in Deo. Et vt omittamus, quòd non facilè intelligitur, quomodò princi-

101. Non eſt recipiẽdus 3. modus.

pium

pium actiuum viſionis (quod in Deo eſt ſua potentia executiua) poſsit intellectui beati cōmunicari, vt dicemus in libro decimo; iſte etiam dicendi modus ex fundamento iam explicato eſt reijciendus: nam vt admitteremus, poſſe principium iſtud actiuum communicari intellectui, vt per illud in viſionem ageret: inde ſolum inferretur, poſſe lumen gloriæ ſuppleri, prout eſt principium actiuè influens; quia talis efficientia eminenter continetur in actiua Dei potentia: non tamen benè inferretur, ſuppleri poſſe lumen, quatenus eſt principium formale manifeſtationis obiecti; quoniam principium illud actiuum (quod eſt ipſa potentia executiua Dei) formaliter quidem eſt actiuum viſionis; non tamen formaliter eſt manifeſtatiuum obiecti; nec vllus vnquam dixit dari in Deo potentiam, quæ formaliter ſit illuminatiua obiecti, aut ſenſibilis, aut intelligibilis; eſt quidem ipſa Dei potentia eminenter illuminatiua, & manifeſtatiua obiecti; non tamen formaliter: vnde ſe ſola poteſt facere lumen, quo obiectum illuminetur: ſicut etiam ſe ſola poteſt facere lumen ſenſibile, quo manifeſtentur, & appareant colores; non tamen ſe ſola poteſt ipſos colores formaliter illuminare, vt appareant viſui. Quod ſatis docēt Patres, dum aiunt, Deū quidē illuminare; emittēdo tamen ex ſe creatū quendam ſplendorem, & illuſtrationem, vt patet ex Baſilio *in lib. de Spiritu Sancto cap. 9. pag. 308. E. Cyrillo lib. 1. in Ioannem* Baſilius. Cyrillus. Lib. de ſpiritu, & anima. *cap. 3. litera F. G. & lib. 10. cap. 1. ad finem, & ex authore libri de ſpiritu, & Anima apud Aug. c. 12. tom. 3.* Et hæc ſatis ſint contra iſtum tertium dicendi modum, nam pluribus eum impugnabimus lib. 10.

102. Impugnatur primus modus. Supereſt impugnanda prima ſentētia, quæ docet poſſe Deum ſupplere lumen gloriæ per ſpecialem concurſum, imprimendo aliquam formam, qua lumen formaliter ſuppleatur. Pro illius impugnatione aduertimus, in hac noſtra opinione ſolū negari, intellectum poſſe Deum videre ſine lumine, quod ſit verū, & formale lumen: nec enim negamus diuina potētia poſſe beatū videre Deum per aliud lumen verum, diſtinctū tamen ab eo, quod in beatis datur: nam licet controuerſum ſit, an poſsit à Deo creari aliud lumen gloriæ ſpecie diſtinctū ab eo, quod eſt in beatis? de quo dicemus q. 8. huius libri; ſi tamen poteſt creari, per illud Deus abſque dubio videbitur. Vtrùm verò videretur viſione, ſpecie diſtincta ab ea, qua beati Deum vident? alterius eſt quæſtionis, de qua aliquid dicemus lib. 11. Nunc autem ſolùm negamus, diuina potentia fieri poſſe, quòd Deus videatur ſine vero lumine. Et ideò negamus fieri poſſe, vt Deus ſuppleat lumen gloriæ per aliquam formam, quæ non ſit verum lumen, quantūcunq; illa ſit eminentiſsimæ perfectionis.

Hoc autē ex eo probatur; quoniam eſſentiæ rerum ex ſe ſunt impermixtæ, ita 103. Confirmatio præcedentium. vt vna nō poſsit ſupplere effectū formalem alterius, licet ſit excellentiſsima; nec enim eſſentia hominis, quæ longè excellētior eſt, quam eſſentia lapidis, aut equi, poteſt etiā per diuinam potentiam dare eſſe lapideū, aut equinū: ſicut etiā quidditas Angeli nō poteſt formaliter dare eſſe rationale, & humanū. Sed eſſentia formæ eſt poſſe ſuum effectum formalem cōmunicare: v. g. eſſentia albedinis eſt, poſſe formaliter facere album; & caloris facere calidum. Ergo fieri non poteſt, vt eſſentia albedinis ſe ipſa formaliter faciat calidū, & vt calor formaliter faciat albū. Deniq; fieri non poteſt, etiam per diuinam potētiam, vt aliqua forma ſe ipſa formaliter det effectum alterius formæ, à qua eſſentialiter diſtinguitur, vt benè aduertit *Nauarrete 1. tom. controu. 39. §. 2. fol. 247. col. 1. §. Reſpondetur tamen.* Nauar.

Si verò aliquis obijciat, Philoſophiam 104. Obiectio. iſtam veram eſſe in formis eiuſdem ordinis; non tamen in illis, quæ ordinis ſunt altioris, & eminenter continent formas inferiores: Reſpondebimus, agentia ſupe- Reſponſio. riora, quādo eminenter cōtinent virtutes actiuas inferiorū, poſſe quidē ſe ipſis ſine inferioribus efficienter cauſare effectus, quos inferiora efficiēter cauſant: quia poteſt Deus ſine igne producere calorē, ſicut Sol ſine eo calorē cauſat: at tamen nō poſſe etiā diuina potētia ſine ipſis formis facere effect⁹ formales ipſarū. Nam licet virtualis calor, qui eſt in Sole, lōgè ſit excellētior, quā calor formalis, qui eſt in igne; tamē per nullā potentiā poterit facere formaliter calidū ipſum Solē, aut lignū, ſi in eo poneretur; poterit quidem ipſa virtualis potentia calefaciendi, quæ eſt in Sole efficienter producere calorem

in ligno ſiue igne: quia in genere cauſæ efficientis virtute cōtinet ipſum formalē calorem, quo ignis calefacit; at tamen nullo modo poterit formaliter facere calidū. Idem dicendum eſt de virtuali, & eminentiali calore, qui eſt in Deo. Fieri igitur non poteſt etiam diuina potentia, vt effectus formalis vnius formæ formaliter ſuppleatur per aliam formam alterius ſpeciei, quantumcunque illa ſit excellentiſsima. Quare cum illa forma, per quam ponitur ſuppleri lumen gloriæ, formaliter non ſit lumen, ſed à lumine eſſentialiter diſtinguatur, vt aduerſarij admittunt, fieri nullo modo poteſt, vt lumen glorię per aliquam formam ſuppleatur quoad ſuos formales effectus. Quod eſt noſtræ opinionis ſolidum fundamentum.

Hæc longiorem poſtulabant diſputa-
105. Soluuntur inſtantiæ cōtra datā doctrinam. tionem; ſed modo ſatis ſit, nonnullas inſtantias diſſoluere. Prima ſumitur; quia diuina eſſentia ſe ipſa ſupplet effectum formalem ſpeciei intelligibilis: etenim lo-
1. inſtantia. co illius ponitur in intellectu beati. Sed
Solutio. hæc inſtantia nobis non officit, qui non admittimus diuinam eſſentiā ſubire poſſe vicem ſpeciei, vt diximus 2. p. libri 8. q. 4. Vtrùm verò ab ijs, qui illam Theologiam admittunt, hoc argumentum ſufficienter ſoluatur? alterius eſt negotij. Ego ſufficientem ſolutionem non dum vidi.

106. 2. inſtantia. Secunda inſtantia ſumitur; quia ſpecies vniuerſales in Angelis ſuperioribus differunt ſpecie ab illis, quæ ſunt in inferioribus; & tamen continent eundem effectum formalem, quia habent eandem
Solutio repræſentationem. Huic obiectioni reſpondet *Nauarrete in d. contro. 39. §. 2. fol. 247. col. 3. A:* ſed ſolutio non ſolū ſupponit falſam Philoſophiam; ſed nec vim argumenti diſſoluit. Negandum eſt igitur ſpecies vniuerſaliores in Angelis habere eandem formalem repræſentationem cū ſpeciebus minus vniuerſalibus; nec enim ſub eadem ratione repræſentant obiecta, vt ſupponimus, ſuppoſita Thomiſtarum opinione, quæ in Angelis ſuperioribus admittit ſpecies vniuerſaliores: quod Scotiſtæ negant, quorum opinione ſuppoſita vis argumenti corruit.

107. 3. Inſtantia. Tertia inſtantia eſt; quia vnio hypoſtatica ſine habituali gratia ſupplet formalem gratiæ effectum; quia ſine illa facit hominem Deo gratiſsimum. Sed reſpon- Solutio.
detur, vnionem hypoſtaticam non reddere Chtiſtum hominem Deo gratū gratitudine eiuſdem rationis, ſed longe altiori, & eminentiori. De quo in materia de gratia Chriſti.

Quarta inſtantia ſumitur ex eo; quia 108
intellectum creatum fieri formaliter po- 4. Inſtantia.
tentem ad videndum Deum, eſt effectus formalis luminis gloriæ; quia de facto intellectus per lumen gloriæ fit potens influere in viſionem: & tamen poteſt formaliter fieri potens ad videndum per ſpecialem Dei concurſum, ſine lumine gloriæ, vt authores negantis ſententiæ defendunt, quorum opinionem quoad ſupplementū actiuæ virtutis ſemper putauimus eſſe veriſsimam.

¶ Ad hanc obiectionem facilè reſponde- 109
bunt, qui putant intellectum eleuari per Solutio quorundam.
concurſum concauſę partialis, ſiue ille ſit lumen gloriæ, ſiue cōcurſus ſpecialis Dei: apud quos intellectus ſimpliciter non fit potens ad videndū per ipſum lumen gloriæ, quia ab eo non recipit nouam aliquā virtutem; ſed fit proximè potens: cum enim ſit cauſa formalis, non poteſt actu influere, niſi coniungatur alteri partiali cauſæ: etenim coniunctio, & concurſus Ioannis ad trahendum nauim, non facit Petrū ſimpliciter potentē trahere; quia Petrus ex partiali Ioannis concurſu non conſequitur nouam aliquā vim, qua fiat maior propria illius virtus; ſed per eandē, quam habet, accedente concurſu Ioannis actu influit, ſine quo non influeret. Similiter dicendum eſt de vi generatiua, quæ eſt in virô: nec enim aliquam nouam vim ad generandum accipit ex concurſu partiali virtutis fœmineæ; ſed accipit ſolùm actualiter poſſe, quod antea non poterat. Negabunt igitur hi authores intellectum fieri formaliter potentem per lumen gloriæ, & per conſequens negabunt, intellectum eſſe potentem ad videndum Deum eſſe formalem effectum luminis gloriæ; cum ſolùm concurrat, vt cauſa partialis extrinſecà coniuncta, vt concurrit Ioannes cum Petro ad motum nauis.

Sed quoniam verius eſt intellectui ſu- 110
peraccreſcere virtutem ad videndum, vt Vera ſolut.
ait Diuus Thomas; admittendum eſt, intellectum per lumen gloriæ fieri potentem ad videndum, tanquam per formale prin-

principium videndi: quo ſuppoſito argumentum vrget. Dicendũ tamen eſt Philoſophiam ſuperiùs explicatam intelligendam eſſe de formis, per quas agens formaliter agit; non verò de formis, quibus agens formaliter conſtituitur in eſſe potentis agere, quod in hac materia eſt diligenter aduertendum: etenim ignis efficienter facit calidum formaliter per calorem, quem producit: & talem effectum nec ignis, nec Deus poteſt efficienter facere, niſi per calorem: & ſic de cæteris effectis, quæ efficienter fiunt ab agentibus mediante cauſa formali formaliter ad eũdem effectum concurrente. Secus dicendum eſt de formis, quibus agentia formaliter conſtituuntur in eſſe potentis agere: quales ſunt potentiæ, quibus actiuè agunt, vt calor, qui igni eſt potentia calefactiua: & frigiditas, quæ aquæ eſt frigefactiua potentia: & riſibilitas, quæ homini eſt potẽtia elicitiua riſus; & ſic de alijs huius generis formis. Effectus formales harum formarum; quatenus ſubiecta formaliter conſtituunt in eſſe potentium, poſſunt formaliter ſuppleri per alias virtutes, quæ eminenter ſunt actiuæ eorundem effectuum: poteſt enim Deus illas virtutes, potentiaſque eminentiales, quæ eminenter continent eoſdem effectus, cõmunicare agenti inferiori, virtutique radicali, quæ eſt in illo: etenim poteſt Deus facere ignem potentem calefacere ſine calore: ſi nimirum igni communicet, aut ſuam virtutem, quæ eminenter eſt calefactiua, aut virtutem, quę eſt in Sole, quę eſt virtualiter calefactiua: ignis enim, ſublato calore, aſſumptus ad communicationem illarum virtutum eminentialium poterit calefacere. Quid enim hoc implicat?

111. Ratio diſcriminis. Ratio diſcriminis inter formas vnius, & alterius generis inde ſumitur; quia effectus formarum, quæ ab agentibus producuntur, vt per eas agant, ſemper ſunt vnius rationis: calidum enim, quo aliquid eſt formaliter calidum, habet vnam, atq; infimam rationem calidi; & ideò habet eſſentialem dependentiam ad calorem, qui eſt formaliter calor. At verò formales effectus potentis influere in formas, quibus effectus ſunt producendi, nõ ſunt vnius generis: quia vnum agens eſt potens facere calorem, vel per potentiam formaliter calefactiuam; vel per potentiam calefactiuam virtualiter ſiue eminẽter. Quare virtus radicaliter actiua alicuius effectus v.g. caloris (qualis eſt ſubſtãtialis forma) poteſt fieri formaliter potens calefacere, vel per potentiam formaliter calefactiuam ſibi connaturalem, qualis eſt calor reſpectu ignis: vel per potentiam virtualiter, ſiue eminenter calefactiuam, ſupernaturaliter ſibi communicatam: cum id non implicet.

Igitur Philoſophia à nobis ſuperiùs explicata (quod ſcilicet cauſa formalis non poteſt per aliam formalem cauſam diuerſi generis ſuppleri) intelligenda eſt de forma producta ab agente, vt per eam formaliter agat aliquem effectum; non verò de forma, per quam agens fit formaliter potens agere talem effectum. Hæc autem Philoſophia iſto modo intellecta adhuc ſatis eſt efficax ad impugnandam opinionem, quæ docet, poſſe Deum ſupplere effectum luminis gloriæ per aliquam formam intellectui impreſſam: quoniam licet non conuincat, ne poſſit Deus per aliam formam eminentiorem ſupplere lumen gloriæ, quatenus intellectum reddit formaliter potentem ad videndum, vt patet ex ijs, quæ immediatè diximus: conuincit tamen, quod non poſsit ſupplere idem lumen, quatenus intellectum formaliter illuminat, & ipſa obiecta à beatis videnda: etenim lumen gloriæ per hunc effectum non facit intellectum potentem videre, tanquã principium videndi, *vt quo*: quin potiùs ſupponit illum iam eſſe potentem: quia manifeſtatio, & apparentia obiecti ex ſe ſupponit potentiam iam aptam, vt influat in viſionem obiecti, ſi ſibi intelligibiliter manifeſtetur, vt appareat. 112. Verus intellectus datur Philoſophiæ.

His ita explicatis, iam patet vis, & efficacia noſtri fundamenti: quoniam lumen gloriæ, quoad formalem effectum manifeſtandi obiecta, vt intelligibiliter appareant coram intellectu, non poteſt per aliquem ſpecialem concurſum Dei vllo modo ſuppleri: quia nec illum ſupplere poteſt Deus, imprimendo in intellectu aliquam eminentiorem formam eſſentialiter à lumine diſtinctam: nec coniungendo ſe ſe intellectui, vt partialem concauſam: nec denique communicando illi ſuum actiuum principium, 113. Oſtenditur arg. proprij fundamenti.

quo efficienter influit in viſionem: vt ex ijs, quæ diximus, ſatis patet. ¶ Sed hoc etiam magis confirmabitur, ſi argumenta in contrarium diſſoluatur

§. 6.

Soluuntur argumenta §. ſecundo adducta pro opinione negante.

114 Ad 1. partis negantis. AD primum argumentum (quod eſt præcipuũ) ex dictis patet ſolutio, quia implicat poſſe Deum, aut per ſe immediatè, aut mediante alia forma ſupplere effectum formalem proprium, & intrinſecum alicui formæ: talis autem eſt formalis manifeſtatio, & apparentia intelligibilis obiecti in ordine ad lumen, vt in §. quinto iam oſtendimus. Quare non eſt audiendus Suarius, dum ait, ſententiam affirmantem nullum habere fundamentum, quo vel probabiliter oſtendat contradictionis implicationem. Hoc autem vir doctiſsimus ideo aſſeruit, quia in lumine gloriæ ſolùm agnouit rationem actiuam influentem in viſionem, non verò cauſalitatem formalem illuminandi, & manifeſtandi intellectui obiecta, quę licet per ſpeciem intellectui repræſententur; non tamen per eam illuminantur, vt manifeſtētur, & appareant iã apta ad terminandam viſionem, aut ad mouendum intellectum, vt cum eo in viſionem influant: ſi enim Deus (ſicut poteſt) ſpeciem coloris ſine lumine poneret, tùm in medio, tùm in viſu, viſus ipſe nullo modo poſſet videre colorem, quantumvis ſpecies illum repræſentaret: quia illum ſolùm repræſentaret repræſentatione habituali, quæ poteſt eſſe ſine actuali apprehenſione obiecti; non verò repræſentatione actuali, quæ ſimul eſt cum obiecti apprehenſione; hanc enim repræſentationem ſpecies habere nõ poteſt, niſi actuata ipſo lumine. Idem dicendum erit de ſpeciebus intelligibilib⁹, ſi ponerētur in intellectu ſine lumine illas actuante: etenim, vt iam oſtendimus, viſio nullo modo poteſt fieri ſine lumine obiecta formaliter manifeſtante. Hoc eſt noſtrum contradictionis fundamentum, quod velim impugnari. Scio Patronos noſtræ ſententiæ implicationem ex eo ſumere, quòd intellectus haberet, & non haberet potentiam ad viſionem eliciendam: haberet quidem, quia id admittunt aduerſarij; non haberet autem; quia eãm ſine lumine habere non poteſt in eſſe completo. In quo abſque dubio videntur petere principium, cum de hoc ſit controuerſia; vtrùm ſc. virtus actiua ad videndum poſsit ſine lumine compleri: etenim authores partis negantis conſtanter aſſerũt, poſſe illam virtutem compleri per ſpecialem Dei concurſum vno ex tribus modis explicatis ſuprà §. 4. in 3. aduertētia.

Ad confirmationem ex Argentina dicimus has duas propoſitiones, ſc. *intellectum habere viſionem: & intellectum non habere lumen*, non conſtare ex terminis formaliter contradictorijs; benè tamen virtualiter; quoniam negatio luminis infert negationem viſionis; cum ſine lumine viſio fieri non poſsit, quod eſt noſtræ opinionis vnicum fundamentum. Quare idem erit non habere lumen, quòd non habere viſionem. 115 Ad confirmationem.

Solutio 2. argumenti cum confirmatione.

¶ Ad ſecundum variè occurritur à patronis noſtræ affirmantis ſententiæ. Prima ſolutio negat maiorem, ſi abſolutè, & generaliter ſumatur: nec enim vera eſt in ijs, quæ à Deo fiunt mediante cauſa ſecũda vitali, quales ſunt actus vitales: hi enim ex ſua intrinſeca definitione habēt, quòd non fiant ſine ſuo principio vitali. Ita Cumelius 1. *p. q.* 12. *art.* 5. *q.* 2. *paulò ante finē pag.* 253. *col.* 1. *ad* 3. *Ripa ibidem dub.* 1. *c.* 1. §. *Hæc cum multis*, *Bañes ibidem dub.* 3. *ad* 1. *Ledeſmius in dicto ſubarticulo* 8. *ad* 1. *argum. pag.* 594. *col.* 1. ¶ Solutio tamen eo modo, quo proponitur, non tollit vim argumenti, niſi dicatur viſionem beatam ſumere ſuam vitalitatem ſupernaturalem ab ipſo lumine; quæ fuit quorundam opinio: eam tamen eſſe falſam vera docet Theologia, & Philoſophia, vt oſtēdemus lib. 11. Suppoſita autem vera ſententia, quòd viſio ſolùm habeat vitalitatem ab intellectu; ſolutio ſolùm concludit non poſſe dari viſionem, niſi ad eam actiuè cõcurrat intellectus; non verò, quòd non poſsit dari ſine lumine glorię. Vtrùm verò implicet, viſionem dari ſine actiuo cõcurſu intellectus? Alterius eſt quæſtionis, de qua in lib. 10. q. 1. art. 4. 116 Ad 2. variæ ſolutione. *Cumelius. Ripa. Bañes. Ledeſm.* Non recipitur.

Secunda Solutio eſt Caietani *prima p. q.* 12. *art.* 5. *ad* 3. *Scoti*; putat enim argumentũ 117. 2. Solutio. Caietan.

mentum continere ſophiſma figuræ dictionis; quia mutatur quid in quale, ſeu ad aliquid: viſio enim, vt ait, non ſignificat rem abſolute, ſed ſignificat actum in ordine ad agens creatum. Simile eſt argumẽtum (inquit Caietanus) ſi quis ita arguat: *Deus producit actum meritorium mediante voluntate, & charitate Petri. Ergo poteſt illum producere ſine eis*: etenim actus meritorius nõ ſignificat actum abſolutè, ſed actum in ordine ad principium merendi. Quare ex Caietano maior ſolùm eſt vera in actibus, qui ſunt omninò abſoluti; ſecus, ſi includant aliquem ordinem ad cauſam efficientem, mediante qua fiunt. Poteſt igitur Deus, ſe ſolo, producere calorem, quem producit mediante igne; quia calor eſt quidam actus abſolutus nullum includens ordinem ad ignem, à quo producitur; viſio autem non eſt actus abſolutus & purus; ſed dicit intrinſecum ordinem ad intellectum, mediante quo fit. Hæc Caietani ſolutio pluribus placuit.

118 Non placet. Sed ſolutio in his terminis eodem laborat defectu, quo prima; quia ſolùm cõcludit, non poſſe, etiam diuina potentia dari viſionem ſine actiuo intellectus concurſu; non verò ſine actiuo concurſu luminis: quoniam viſio beata, ſi ſignificat actũ non abſolutè, ſed in ordine ad aliquod agens creatum, non ſignificat illũ in ordine ad lumen gloriæ, ſed ſolùm in ordine ad intellectum: etenim viſio talem ordinẽ habet ratione vitalitatis; hanc autem non habet ex lumine, ſed ex ſolo intellectu. Si verò Caietanus hunc ordinẽ in ea admittit reſpectu Intellectus, & luminis; iam ſupponit id, de quo eſt controuerſia cum aduerſarijs: hi enim dũ negant, dari poſſe viſionẽ ſine lumine gloriæ, ex conſequenti negant viſionem dicere ordinẽ eſſentialem ad lumen: quod ſatis expreſſit D. Thom. *de Veritate q.* 10. *artic.* 11. *& in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 7. cuius verba adduximus ſuprà §. 2. Nec ſoli aduerſarij illud Caietano negant, ſed plures ex illis, qui nobiſcum conſentiunt: hi enim non ſolũ putant, actum illum viſionis beatæ produci poſſe à Deo ſine lumine; ſed etiam ſine actiuo concurſu intellectus, ita Capreolus, Ferrarienſ. Sotus, Bañes, Gregorius, Holcot. & alij, quos referemus *lib.* 10. *q.* 1. *art.* 4. *in* 2. *ſententia*. Quare maior propoſitio tertij argumẽti apud iſtos etiã vera eſt in actibus, qui habẽt ordinem ad cauſam agentem, ſi intelligatur de actibus ſumptis præciſè quoad entitatem.

D. Thom.

119. 3. Solutio. Tertia ſolutio eſt eorum, qui volunt fieri quidem poſſe, vt Deus ſine lumine efficiat actum viſionis beatæ; non tamen poſſe fieri, vt intellectus ſine lumine gloriæ videat Deum, quamuis Deus mediante illo faciat viſionem. Hi igitur ad maiorem reſpondent, eam ſolum eſſe veram, quando Deus aliquid facit mediante cauſa ſecunda, quæ ſolùm eſt efficiens; ſecus ſi ſimul ſit, aut materialis, aut formalis: in hoc enim caſu licèt Deus poſſet ſupplere cauſalitatem efficientem illius; non tamen formalem, aut materialem. Iam verò lumen gloriæ, mediante quo Deus facit viſionem, non ſolùm eſt cauſa efficiẽs illius, ſed etiam materialis, & diſpoſitiua intellectus, vt recipiat diuinam eſſentiam tanquam formam intelligibilem: formalis autem in ordine ad intellectum; quia eſt forma, qua intellectus fit potens videre Deum, quare licèt Deus ſe ipſo poſſit ſupplere cauſalitatem effectiuam luminis; non tamen ſupplere poteſt cauſalitatem materialem, qua intellectus fit aptus ad recipiendam eſſentiam in ratione formæ intelligibilis; nec formalem, qua formaliter facit intellectũ eſſe potentem videre. Ad hanc ſolutionem reducuntur omnes, quæ cõmuniter afferuntur. In terminis ita reſpondet *Ledeſma in dicto ſub articul. pag.* 594. *col.* 1. *ad primum, & Cabrera in d. diſp.* 11. §. 5. *ad* 3. *num.* 76. *& ſatis Nauarrete in d. contro.* 39. §. 3. *ad* 2. *fol.* 248. *col.* 2. *ad hanc ſolutionẽ reducitur ſolutio Ferrar. in* 3. *contra gent. cap.* 54. *fol.* 277. *col.* 4. *ad* 4. *Scoti, & ſolutio Soti in* 4. *diſt.* 49 *q.* 2. *art.* 4. *pag.* 590. *col.* 2. §. *Caiet. quidem, denique Cumelii* 1. *p. q.* 12. *artic.* 5. *q.* 2. *pag.* 253. *col.* 2. *ad* 3. Ex quorũ mente lumen gloriæ, vel referri poteſt ad intellectũ elicientẽ, vel ad viſionẽ elicitã. Si referatur ad viſionẽ, cũ habeat rationem cauſæ efficientis, poteſt Deus ſine eo viſionẽ efficere: ſi verò referatur ad intellectũ; reſpectu illius non eſt cauſa efficiens, ſed formalis, quam Deus ſupplere non poteſt.

Ledeſm. Cabrera. Ferrar. Sotus. Cumelius.

120 Non recipitur. ¶ Hæc tamen ſolutio ſupponit id, quod præcitati authores nunquã probauerunt: ſupponit enim lumen gloriæ eſſe formã ita neceſſariam, vt intellectus formaliter fiat potens, vt niſi per illud non poſſit ta-

 lis

lis fieri. Quod aduerſarij conſtantiſsimè negant, contra quos id probandum erat. Vnde licet hæc opinio ſit ſatis, vt ea ſuppoſita, ſoluatur argumentum; non tamen ſatis eſt, vt ſuppoſitionem certam faciat, vt facilè colliges ex ijs, quæ diximus §. 3. Et vt id facilius oſtendatur, aduertimus aduerſarios non poſſe non admittere intellectum per nullam potentiam poſſe videre Deum, ſine completa potentia ad videndum: id enim ex terminis eſt notũ: ſed patroni noſtræ ſententiæ nec oſtendunt, nec poterunt oſtendere, intellectũ non poſſe fieri potentem ad videndum, niſi lumine gloriæ: in quo eſt ſtatus difficultatis. Nam ignis non poteſt calefacere, niſi habeat potentiam calefaciendi; quamuis autem de facto fiat formaliter potens calefacere per calorem; nunquam tamen admittam, ignem per ſolum calorem poſſe fieri talem; quia poteſt Deus abſque calore eum reddere potentem ad producendum calorem; vel communicando illi formam eminenter calefactiuam, vel communicando principium calefaciendi; quod in ſe habet, ſi eum ſine calore aſſumat ad calefaciendum, vt doctiſsimi volunt Philoſophi: vel denique tribuendo illi virtutem virtualiter calefactiuam, qualis eſt ſolis: quid enim hoc implicat? ex quo infertur ſubſtantiam radicaliter actiuam habere quidem dependentiam connaturalem ad ſuam connaturalem potentiam, vt per eam fiat formaliter potens agere; non tamen habere dependentiam eſſentialem ad ſolam illã; ſed ad quancunque aliam, quæ eminenter contineat actum ſecundum, cuius illa eſt naturaliter actiua. Quare, cum intellectus creatus habeat virtutem actiuam ſuo modo radicalem ad viſionem beatã, vt lib. 10. oſtendemus, habet quidem cõnaturalem dependentiam, obedientialẽ tamen, vt per lumen fiat potens ad vidẽdum Deum: non tamen habet ad illud dependentiam eſſentialem, vt ſcilicet per nullam aliam formam poſsit potens fieri: hanc enim ſolùm habet ad formam, quæ aut formaliter, aut eminenter habeat eandem efficientiam in viſionem.

121. Quid ſi cũ aliis ſẽtias? ¶ Hæc diximus apud eos, qui volunt intellectum non habere totam virtutem ad videndum, ſed per lumen gloriæ nouam illi accreſcere: nam ſi cum alijs dixeris, intellectum in ſe ipſo habere totam videndi virtutem, & ſolum indigere eleuatione per concurſum partialem concauſæ ſupernaturalis (quod viris doctiſsimis placuit) intellectus ſolum fiet completè potens per concurſum ſupernaturalis cõ cauſæ, ſiue illa ſit lumen gloriæ, ſiue concurſus extrinſecus Dei, ſe coniungentis, vt partialem cauſam; ſiue alia forma eminenter continens eandem efficientiam. Quocunque igitur modo dicatur, ſemper habemus in intellectu non dari eſſentialem dependentiam ad lumen, vt fiat potens ad videndum: cuius oppoſitum nec probatur, nec probari poterit, ſi ſermo ſit de forma, qua intellectus formaliter fit potens videre, vide ſuprà §. 5. in 4. inſtantia. Quare cum hæc ſolutio falſo nitatur fundamento, licet ſatis ſit, vt illo ſuppoſito argumentum vim non habeat; non eſt à nobis admittenda.

Vera igitur ſolutio ſit iſta, vt maior vera ſit, ſi Deus illud faciat mediante cauſa ſecunda, quæ ad effectum ſolùm concurrat in genere cauſæ efficientis; falſa tamen, ſi ad illum concurrat, & vt efficiens, & vt formalis: quia licet poſſet Deus ſe ſolo ſupplere cauſalitatem actiuam illius; non tamẽ ſupplere poſſet cauſalitatem formalem: quia cauſam formalem veram, & intrinſecam ſupplere non poteſt, vt vera habet Philoſophia; & in hoc nobiſcum conſentiunt authores tertiæ ſolutionis. Quòd verò attinet ad minorem, admittimus, lumen ſimul cum intellectu efficienter influere in viſionẽ (quidquid nonnulli id negent:) non tamen admittimus illud ſolum concurrere efficienter; quia etiã concurrit in genere cauſæ formalis: non ſolùm, quia intellectus de facto per lumen fit formaliter potens videre; ſed etiam, quia eſt ratio formalis ſub qua videtur diuina eſſentia, & apparet apparentia obiectiua: & quamuis prior cauſalitas formalis ſuppleri poſsit, quia eſt cauſalitas cuiuſdam eſſe generici, vt ex dictis patet: tamen poſterior non poteſt ſuppleri, vt diximus §. 5. 122. Vera ſolut.

123. Ad 1. confirmationem. Ad primam confirmationem eiuſdem argumenti (quæ continet totum Bellomontani fundamentum) eodem modo reſpondemus: poſſe quidem Deum ſupplere omnem efficientiam cuiuſcumque princi-

principij actiui non vitalis, ſi ad effectum ſolùm concurrit actiuè; Secus ſi ſimul concurrit formaliter, vt diximus. Iam verò lumen gloriæ non ſolùm actiuè cõcurrit ad viſionem, ſed etiam formaliter; non ſolùm faciendo intellectum formaliter potentem videre; ſed etiam formaliter illuſtrando eſſentiam, vt intellectui obiectiuè manifeſtetur, & appareat: lumen enim, cuiuſcumque ſit generis, eſt ratio formalis ſub qua obiecta formaliter manifeſtantur: quę formalis cauſalitas nõ poteſt ſuppleri à Deo, aut ſe ipſo immediatè, aut media aliqua forma, quæ nõ ſit verum, & formale lumẽ, quod eſt noſtrũ particulare fundamentum §. quinto explicatum. Vtrùm verò Deus poſſit ſupplere efficientiam cauſæ vitalis? alterius eſt quæſtionis, de qua lib. 10. quæſtione 1. artic. 1.

124 Ad. confir. Ad ſecundam confirmationẽ, quæ eſt eiuſdem Bellomontani: quòd attinet ad ſpeciem intelligibilem, non ſolùm negamus diuinam eſſentiam poſſe ſubire vicẽ ſpeciei, vt oſtendimus in 2. p. libri 8. q. 4. per totam; ſed etiam poſſe ſpeciem ſuppleri, quoad effectum, qui eſt facere, vt intellectus ſit ipſa res intellecta. Quòd verò attinet ad alteram partẽ antecedẽtis, quæ ſumit poſſe Deũ mouere voluntatẽ ad actum ſupernaturalis dilectionis ſine habitu charitatis, aliaue qualitate diſtincta ab ipſa dilectione; res eſt apud Theogos controuerſa: quidam id negant, & ceſſat vis argumenti; alij concedunt, ſed conſequentia non tenet, propter diſparem rationem, quæ datur in lumine reſpectu viſionis, & in charitate reſpectu dilectionis: nam habitus charitatis ad dilectionem ſolùm concurrit efficienter; lumen verò gloriæ ad viſionem concurrit, & efficienter, & formaliter, manifeſtando obiectũ, præſentiam diuinæ eſſentiæ, & eorum, quæ in ea videntur à beatis.

Solutio aliorum argumentorum.

125 Ad 3. ¶ Tertium argumentum (quod eſt totũ fundamentum Molinæ) nullam habet efficaciam: quoniam & falſam doctrinam ſupponit; & illa admiſſa inutilem habet conſequentiam. Primum patet; quia ſupponit lumen gloriæ concurrere cum intellectu, vt cauſam partialem vt *quod*; eo modo, quo duo concurrunt ad mouendã nauim ponderis, vt ſex, quorum quilibet concurrit virtute, vt tria, quam ex ſe habet, non mendicatam ab altero; eo etiam modo, quo vir, & fœmina concurrunt ad prolem; ad quam & vir partialiter concurrit vt *quod*, & mulier; concurſu tamen diuerſæ rationis: ita vt nec vir virtutem habeat à fœmina, nec fœmina à viro; quá uis cuiuslibet virtus ex ſe ſit inſufficiens, ſi virtus alterius ſimul non cõcurrat. Hãc Theologiam eſſe falſam oſtendemus in lib. ſequenti. Quòd verò illa admiſſa argumentum nullam vim habeat, vt probet poſſe Deum ſupplere lumen gloriæ; facilè patet ex dictis ſuperius: nã vt admittam' poſſe Deũ ſupplere efficientiã cuiuſcũque cauſæ efficientis, quę partialiter cum alia concurrit: non tamen admittemus poſſe ſupplere cauſalitatem formalem illius, ſi cum efficienti eſt coniuncta: iam verò lumen gloriæ, & habet actiuam influentiam in viſionẽ, & formalẽ. Quare licèt argumentum concludat, poſſe actiuam luminis influentiam ſuppleri à Deo; non tamen inde infertur, poſſe ſuppleri formalem illius cauſalitatem, qua influit in illuminationem, & manifeſtationem diuinæ eſſentiæ, vt eſt obiectum intelligibile. Fruſtra igitur Molina tantam argumenti molem conſtruxit.

Ad confirmationem ſimili modo reſpondetur: quia ſolùm concludit, potuiſſe quidẽ ſuppleri efficientiam luminis, niſi ſimul cum ea daretur effectus formalis obiectiuę apparentiæ, & formalis cauſalitas manifeſtationis. 126. Ad confir.

Quartum argumentum (quod Suario eſt fundamentum) eodem laborat vitio: ſupponit enim lumen gloriæ ſolûm requiri, vt ſuppleat defectũ virtutis intellectiuæ; quod nos negamus: licet enim ad hoc etiam requiratur lumen, vt verior habet opinio; non tamen ad hoc ſolùm requiritur; ſed etiam vt præſentia diuinæ eſſentiæ in eſſe obiectiuo intelligibiliter manifeſtetur, & appareat intellectui, quę antea nõ apparebat. Hęc autem formalis manifeſtatio eſt effectus habens eſſentialem dependentiam ad verum lumen formale: nam ſub lumine increato non poteſt diuina eſſentia intellectui manifeſtari, vt dicemus ad 17. Vtrùm autem argumentum vim habeat, ſi lumen principaliter 127 Ad 4.

liter ponatur, vt intellectus formaliter fiat potens videre? non eſt noſtrum expendere.

128 Ad 5. Quinta ratio, quæ Molinæ, Suario, & alijs eſt efficax, nullam habet efficaciam ſuppoſito noſtro fundamēto: etenim nos impoſsibilitatē ſuppletionis luminis gloriæ non ex eo ſumimus, quòd inſufficiētia intellectus ad videndum, formaliter completur per lumen; ſed ex eo, quōd viſio beata nullo modo fieri poteſt ſine illuminatione, & manifeſtatione obiectiua diuinæ eſſentiæ, quæ nec per diuinam potentiam fieri poteſt, niſi per verum, & formale lumen, vt §. 5. iam oſtēdimus. Vnde fruſta conſtructa fuit tanta argumenti moles, fundata in ſola efficientia intellectus, & luminis. Quare nō eſt, quod examinemus, quæ tam latè adducuntur, vt probetur ſatis eſſe ſpeciale auxilium, vt actus fidei ab intellectu ſine habitu fidei eliciatur, & dilectio ſine habitu charitatis: quoniam, vt omnia illa concedamus; licèt ex illis inferri poſſet efficientiam luminis ſine lumine poſſe ſuppleri; non tamen inferri valet, poſſe diuinam eſſentiam ſine lumine apparere, & manifeſtari: quia iſte effectus eſt formalis, ille autem efficiens.

129 Ad confir. Ad confirmationem neganda eſt maior; quoniam intellectus, vt videat, non ſolùm indiget propria efficientia in viſione; ſed etiam formali illuminatione, vt diuina eſſentia manifeſtetur: voluntas autem ſolum indiget efficientia, & quòd obiectum ſibi proponatur ſub ratione boni: quod fieri poteſt, quanuis in voluntate non detur habitus charitatis.

130 Ad 6. Sexta ratio parum vrget: quoniam ſolùm nititur probare lumen ſuppleri poſſe ſola ſpeciali motione Dei: quod fortè non negabimus; quia facilè dabimus luminis efficientiā poſſe ſuppleri: ſed nō ꝓbat ſuppleri poſſe lumē, quatenùs eſt manifeſtatiuum, & illuminatiuum diuinæ eſſentiæ, vt præſentia illius obiectiua intellectui appareat: quoad hunc effectū (quem lumen præſtat, vt formalis cauſa) parum refert, quòd intellectus cōcurrat, vel vt inſtrumentum, vel vt cauſa principalis: quia vtroque mo[do], indiget illuſtratione obiecti: Vtrùm autem intellectus concurrat, vt cauſa principalis, an vt inſtrumentalis? altera eſt quæſtio. Argumētum ſumit, quod concurrat, vt inſtrumētum; quod non eſt ſatis probabile, vt lib. 10 dicemus. Quare etiam ex hoc capite argumentum vim non habet.

131 Ad 7. Ad ſeptimam rationem (quæ eſt totū fundamentum Cumelij) prima ſolutio negabit poſſe Deum ſe ipſo ſupplere omnia munera luminis: etenim, vt cætera ſupplere valeat (de quo nihil modo agimus) hoc vnū ſupplere nō poteſt, quod eſt formaliter manifeſtare obiectum beatificum, vt intellectui obiectiuè appareat, vt diximus ſuprà §. 5. Quare Deus non poteſt ſupplere officium luminis, vltimo loco adductum. Quod in contrariū adducitur, parum vrget: quia negamus diuinam eſſentiam ſubire poſſe munus ſpeciei, vt diximus lib. 8. in 2. parte q. 4. etenim ſi ſemel id admittatur, non video, cur admittendum non ſit poſſe Deum ſe ipſo ſupplere cauſam formalem: nec enim negandū eſt ſpeciem eſſe formaliter repræſentatiuam obiecti. Quare ſi effectus formalis intrinſecus ſuppleri non poteſt, nō erit admittendū diuinam eſſentiam poſſe ſupplere vicem ſpeciei in repræſentādo, quod nobis modo ſatis eſt.

132 Ad 8. Ad octauā admittimus, naturam humanam aſſumptā fuiſſe ad eſſe hypoſtaticū nullo mediante dono poſitiuo. At nō video, quomodo inde inferatur, poſſe Deū efficere, vt beati eum videant ſine lumine: etenim vnio hypoſtatica ex ſua natura eſt immediata. Vnde ſicut natura humana habet naturalem inclinationem immediatam ad propriam hypoſtaſim; ita etiam habet immediatam inclinationem, obedientialem ad hypoſtaſim diuinam; & ideo non indiget aliquo medio dono, quo formaliter fiat apta aſſumptioni. Sed ex ſe obedientialiter apta eſt aſſumi: nec etiā indiget aliquo medio nexu, quo formaliter fiat vnita; ſed vnita manet ipſa actuali terminatione dependentiæ hypoſtaticæ, vt in materia de Incarnatione latè diximus. At verò viſio beata ex ſua natura requirit, tùm vnionem intellectus cum eſſentia, quæ connaturaliter non fiet ſine ſupernaturali eleuatione ad eſſe ordinis diuini: tùm etiam manifeſtationem, & apparētiam obiectiuam diuinæ eſſentiæ, quæ eſt formalis effectus luminis. Et quāuis Deus forte poſſet efficere, vt vnio fieret ſine vlla diſpoſitione; non tamē poteſt effice-

efficere, vt fiat ſine manifeſtatione, & apparentia eſſentiæ: & talis effectus ſit formalis ipſius luminis, non poterit à Deo ſuppleri. Quare longè diſpar ratio cernitur in aſſumptione naturæ humanæ, & in viſione diuinæ eſſentiæ: quam ſi Cumelius vidiſſet, non diceret conſequentiam eſſe firmam.

133. Ad. 9. Ad nonum negandum eſt antecedens: nam ſicut viſio produci nequit ſine lumine; ita nec ſine eo poteſt conſeruari. Probatio autem antecedẽtis puerilis eſt: quia emanatio paſsionis ab eſſentia eſt vera efficientia. Vnde ſicut Deus poteſt proprietatem producere ſine eſſentia; ita etiã poteſt eam iam productam conſeruare extra ſubiectum, ſine eſſentia. Viſio autem præter efficientiam ab intellectu, & lumine, etiam requirit illuminationem, & manifeſtationem obiecti, tùm infieri, tùm in conſeruari. Illuminatio autẽ ſuppleri non poteſt, vt ſæpè diximus.

134 Ad confir. Ad confirmationem ex dictis patet ſolutio: quoniam viſio poſita in lapide non facit lapidem videntem, & ideo in eo ponitur entitas viſionis ſine formali effectu, ratione cuius indiget lumine. At verò Ioannes eſt ſubiectum capax, vt in eo viſio producta à Petro exerceat ſuum formalem effectum, & eum faciat vidẽtem: vnde etiam in ordine ad Ioannem neceſſarium eſt lumen. Niſi dicas Deũ præter hoc, quòd viſionem productã à Petro ponit in Ioanne, ſimul impedire, ne viſio ſuã cauſalitatem formalem in Ioanne exerceat; ſi tamen eam impedire poteſt: tunc enim poſſet poni in Ioanne ſine lumine, ſicut poteſt poni in lapide. Itaque lumen nõ requiritur, vt viſio producatur; ſed vt per viſionem obiectum percipiatur.

135 Ad 10. Ad decimũ neganda eſt ſequela: ad probationem admittimus, viſionem; ideo, quia eſt actus vitalis, & ſupernaturalis, per ſe pendere, tùm à potentia vitali, tùm ab anima, vt vtraque eſt eleuata: quia nec anima, nec potentia intellectus influeret in viſionem ſupernaturalẽ ſine eleuatione: negamus tamen viſionem per ſe pendere ab anima, vt eſt eleuata per gratiam; nam licet de lege lumen infundatur ſuppoſita gratia in anima: de potentia tamen abſoluta anima non habens gratiam poſſet videre Deum, ſi lumine gloriæ ad videndum eleuaretur. Viſio igitur per ſe non pendet ab eleuatione animæ per gratiam; à qua tamen dependet dilectio Patriæ, vt ſit intrinſecè accepta, & grata, vt ſupponimus. Viſio igitur, vt eſt actus vitalis ſupernaturalis, depẽdet ab anima ſupernaturaliter eleuata; non quidem immediatè per qualitatẽ exiſtentẽ in eſſentia animæ, ſed mediatè per qualitatem, qua eleuatur intellectus ad videndum. In quo ſenſu probatio ſequelæ inutilem habet conſequentiam: quia eleuatio per lumen eſt neceſſaria, vt anima per intellectum percipiat obiectum beatificum; ad quam perceptionem nihil conducit eleuatio per gratiam.

Ad vndecimum negandum eſt, obiectum beatificum, etiam per diuinam potentiam, poſſe fieri præſens præſentia obiectiua ſufficienti ad motionem intellectus, ſi in beato non datur lumen: nam obiectum beatificum, aut quodcũque aliud, non poteſt fieri præſens ad mouendũ intellectum, & ad terminandum viſionem, niſi intellectui obiectiuè manifeſtetur, & appareat: ſi enim ſupponamus obiectum viſibile eſſe intellectui præſens obiectiuè per ſpeciẽ, diuina potẽtia in viſu conſerua tã ſine vllo lumine, tale viſibile nõ erit ſufficienter præſens ad mouendũ viſum, ex eo præciſè, quia illi non manifeſtatur, & nõ apparet. Ita in propoſito; ſi admittamus diuinam eſſentiã ſine lumine vniri intellectui, ſiue per ſpeciẽ creatã, ſiue per ſe ipſá loco ſpeciei; erit illa quidẽ præſens præſentia reali, & obiectiua; non tamen erit ſufficienter præſens ad mouendum: non ob aliam rationem, niſi quia intellectus non poteſt moueri ad percipiendum obiectum, niſi illi ſit manifeſtum, & apparens: talis autem non erit diuina eſſentia, niſi formaliter per lumen, vt ſæpe diximus. 136 Ad 11.

Ad 12. patet reſponſio ex noſtro fundamento: quoniam impoſsibilitas illa ex neutro explicato capite ſumenda eſt; ſed ex eo, quòd viſio, etiam ſupernaturalis, dari non poteſt, niſi obiectum manifeſtetur potentiæ, & illi viſibiliter appareat: vnde neganda eſt maior argumenti. Et quanuis illa concederetur; argumentum vim non haberet: quia nec ſequeretur proceſſus in infinitum, vt oſtendimus in præcedente quæſt. art. 3. nec *Deus*, vt eſt intelli- 137 Ad 12.

intelligibilis à creatura, in infinitū diſtat ab ea lumine gloriæ perfuſa; quia vt ſic non eſt intelligibilis, niſi ſub aliqua intelligibilitate inadæquata, vt diximus ſuprà quæſt. 5. art. 2. §. 3. ad 1. nu. 25.

138 Ad 13. Ad 13. negāda eſt maior, ſi vniuerſaliter intelligatur: plura enim ſunt, in quibus Deus aliter ſe habet ad intellectum, atque ſe habet ad materiam primam; & vt alia omittamus, ad materiam primam ſemper ſe habet, vt ad potentiam cōcurrentem ſolùm paſsiue: vnde cum materia prima ad nullam formam poteſt actiuè concurrere, quia materiæ primæ nulla conuenit actiuitas; iam verò intellectus cum Deo ad actum intelligendi actiuè cō currit. Quare maior ſolùm poteſt eſſe vera, ſi intellectus conſideretur in pura ſua potentialitate: quomodo conſideratur ſolùm in ordine ad ſpecies, quibus fit in actu primo: & in hoc ſenſu facilè admittemus, poſſe Deum facere vnionem eſſentiæ cum intellectu abſque lumine, quatenùs eſt diſpoſitio: ſed inde non infertur, poſſe facere viſionem ſine eo; quia ad viſionem neceſſariò requiritur manifeſtatio, & apparentia obiecti.

139 Ad 14. 14. argumentum vim non habet; quia neceſsitas luminis non ſumitur ex officio diſponendi ad viſionem; ſed ex officio illuminandi, & manifeſtandi, quæ videnda ſūt: illuminatio autem, & eſt neceſſaria ad omnem viſionem, & eſt effectus formalis luminis, qui per nullam potentiam ſupleri poteſt.

140 Ad confir. Ex quo iam patet reſolutio confirmationis: conceſſo enim antecedente, negāda eſt conſequentia; quia lumen non ſolùm concurrit diſponendo, ſed etiam illuminando. Et quanuis ſine diſpoſitione poſsit fieri viſio; non tamen ſine illuminatione obiectorum, quæ videri debent.

141 Ad 15. Ad 15. reſpondetur, maiorē eſſe dubiā eam enim nonnulli negant: ſed quanuis concedatur, argumentū ſolùm poteſt cōcludere poſſe Deum entitatem viſionis ponere, & cōſeruare in aliquo ſubiecto ſine lumine: quod licet à pluribus non admittatur, ego puto eſſe admitteddum: inde tamen non infertur, poſſe Deū facere, vt ſubiectum, in quo ponitur, videat obiectum: quia potentia non poteſt apprehendere, quod ſibi non apparet.

142 Ad 16. Ad 16. facilis erit ſolutio apud eos, qui negant, poſſe oculum noctuæ ſolem videre, niſi illi ſuperaddatur virtus ad videndum, quæ fuit opinio Soti *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. §. Caietanus quidē pag. 590. col. 2. ad finem, & Ledeſmæ de diuina perfectione q. 8. in ſubart. articuli 8. pag. 590. col. 2. §. 4. igitur:* apud quos conceſſa maiore, negāda eſt minor. Sed mirū eſt, quod potentiæ diuinæ id denegetur, vt cū Molin. & Sala diximus ſuprà §. 4. ad confirmationē 6. argumenti. Quare melior erit ſolutio, ſi negetur maior; quia ex ſententia *Durandi in 4. diſt. 49. quæſtione 2. numero 29.* potentia viſiua noctuæ ex ſe ſatis eſt ad videndum Solem, ſi inſtrumenta vigorētur: cum tamen virtus intellectus creati ex ſe non ſit ſufficiens ad videndū Deū. Igitur potentia viſiua noctuæ ſolùm eſt inſufficiens ratione imbecillitatis, & inſufficientiæ organorum: vide in dicto §. 4. Sed omiſſa vna, & altera ſolutione argumentum non concludit poſsibilitatem viſionis ſine lumine: quia poſsibilitas, vel impoſsibilitas non eſt ſumenda ex ſufficientia virtutis intellectiuę ſecundum ſe: nec etiam ex eo, quòd per eleuationem ſuperaddatur illi virtus ad videndum; aut ſolùm vigoretur illa, quam ex ſe habet: ſed præciſè ex eo, quòd viſio fieri nō poteſt, niſi obiectum manifeſtetur, & appareat. Quare licèt admittamus de lege per lumen ſuperaddi nouam videndi vim; nō admittemus tamen illam vim non poſſe ſuperaddi, niſi per lumen gloriæ; quāuis comilitones noſtri ad hoc fundamentum recurrant; putamus enim longè eſſe probabilius, poſſe hanc vim ſuperaddi intellectui per ſolùm cōcurſum ſpecialem, vt diximus §. 4. Quare impoſsibilitas viſionis ſine lumine ex eo ſumēda eſt, quòd viſio per nullam potentiam fieri poteſt ſine manifeſtatione obiectiua diuinæ eſſentię, qui eſt formalis luminis effectus, ab eo inſeparabilis.

Sotus. Ledeſma. Verior ſolutio. Durand.

143 Ad 17. Ad 17. admittimus, Deū eſſentialiter eſſe ipſam lucem, & lumen; negamus tn̄ poſſe Deū ſuam eſſentiam formaliter manifeſtare intellectui creato ſuo increato lumine: quòd iam oſtendimus ſuprà *q. 3. art. vnico §. 3. num. 15. & q. 4. nu. 41. quod etiam docuit Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 14. nu. 5. & colliges ex Ferrarienſi 4. contra gentes cap. 10. fol. 410. col. 2. in fine §. Pro declaratione corollarij,* vbi docet

Suarius. Ferrar.

cet, quòd lux increata effectiuè quidem illuminat, ſed formaliter per ſplendorem à ſe emiſſum. Quæ etiam fuit communis doctrina Patrum, vt aduertimus §. 5. nã

D. Thom. Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 9. F. ait; *Lucem Intelligibilem vniuerſæ potentiæ rationali ad veritatis inueſtigationem veluti illuſtrationem quandam ex ſeſe præbentem*. Vide etiam Cyrillum *lib. 10. in Ioannem cap. 1. ad finem*: annotanda ſunt verba authoris *libri de Spiritu, & Anima cap. 12. apud Auguſt. tom. 3. lux ergo* (inquit) *ſplendorem emittens ex ſe, quem retinet in ſe, illuminat intelligentiam ad cognitionem veritatis*. Et ratione id confirmatur: Sicut enim fieri nõ poteſt, vt intellectus formaliter videat per intellectionem Dei increatam: ita nec fieri poteſt, vt intellectus formaliter videat per lumẽ increatum obiecta intelligibilia; ſed per creatũ, quòd ipſum eſt lucis increatæ ſplendor; vt annotauit Ferrar. & ſatis patet ex Patribus citatis. Quæ autem in contrarium obijci poſſunt ex Patribus, & ex ſacris literis, diſſoluimus ſuprà q. 3. artic. vnico §. 3. nec aliquam imperfectionem denotat diuinam eſſentiam obiectiuè apparere, & manifeſtari noſtro intellectui per lumen creatum.

Cyrillus. Liber de Spiritu. & Anima.

144 Ad poſtremum. Ad poſtremum negandum eſt, poſſe viſionem diuinæ eſſentiæ ſine lumine cõmunicari in via, etiam per modum tranſeuntis. Vndè cum Deus Moyſi, & Paulo adhuc viatoribus viſionem ſui communicauit, eam non communicauit ſine lumine, vt vult Diuus Thomas *de Veritate q. 2. articulo 2. & quæſtione 13. artic. 2. & ſecunda ſecundæ quæſt. 175. articulo 3. ad 2.* Ad probationem dicimus, dubium eſſe, quid in illis locis ſenſerit D. Thomas, vt diximus ſuprà §. ſecundo: Ego putò illum approbaſſe antecedens in illis locis. Et hæc ſatis diximus de hac difficili quæſtione.

D. Thom.

QVÆSTIO VII.

De neceſsitate luminis gloriæ, ſi intellectus ad viſionem concurreret ſolùm paſsiuè.

EXPLICAVIMVS neceſsitatẽ luminis gloriæ, vt Deus videatur, ſuppoſita ſententia, quòd intellectus ad viſionem actiuè concurrat: Supereſt explicemus, an illud foret neceſſariũ, ſi intellectus ſolùm paſsiuè ſe haberet ad eã? quanuis enim opinio iſta vt verè falſa reijciatur à nobis lib. 10. q. 1. ar. 3. & 5. tamen cùm nulla digna ſit cenſura, vt dicemus in dicto art. 5. §. 3. & à quam pluri mis grauiſsimiſq; Theologis defẽdatur, vt in dictis locis videbimus, non erit iniucundũ, nec inutile, ſi explicemus, an lumen gloriæ etiam hac ſuppoſita opinione ſit neceſſarium.

In qua quæſtione tres erunt articuli. Primus inquiret; an neceſsitas luminis gloriæ, ſaltem de lege, admittenda ſit, hac opinione ſuppoſita.

Secundus explicabit illius munera.

Tertius deniq; diſputabit, vtrùm prædicta ſuppoſita opinione lumen foret neceſſarium, etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam?

ARTICVLVS I.

Vtrùm neceſsitas luminis gloriæ locum haberet, ſi intellectus ſolùm paſsiuè ad viſionem concurreret?

§. 1.

Ponitur opinio negans.

QVòd nulla detur neceſsitas luminis, ſi intellectus in viſionem actiuè non influit, ſed ſolùm paſsiuè eam in ſe recipit, productam à Deo, plures ex Theologis probauerunt. Ex Nominalibus in terminis ita docuit Gabriel *in 3. diſt. 31. q. vnica ar. 3. dub. 1. his verbis: Si viſio beatifica eſt à ſolo Deo, vt quidã probabiliter tenent, non eſt neceſſarius habitus ad infuſionem eius à Deo*, nimirum vt intellectus diſponatur ad eum recipiendũ: agit autẽ de habitu luminis gloriæ. In eadẽ ſententia eſt Mayronius *in 3. diſt. 12. quæſtione. 2. nam in 1. conclu.* ſupponit id, quòd in prima quæſtione iam probauerat, intellectum. ſ. actiuè non influere in viſionem: & tamen in ſecunda, & 4. concluſ. ſcribit lumen gloriæ non requiri ad eam recipiendam. Expreſsius eandẽ ſententiam tenet Baſſolius *in 4. diſtinctio. 49. q. 5. etenim art. 2. §. Sed quantum ad præſentem fol. 158. col. 1.* tenet intellectum ad viſionem concurrere ſolùm paſsiuè; & tamen

1. Opinio negans.

Gabriel.

Mayron.

Baſſol.

men multis probat, intellectum per ſua naturalia nudè ſumpta abſque vlla ſupernaturali forma viſionē recipere, ita etenim habet *ad primū principale fol. 159. col. 2. in fine: dico, quòd benè cōcludit, quòd creatura rationalis, vel intellectualis immediatè ex ſuis naturalibus puris eſt capax Dei, & beatificabilis, & poteſt paſsiuè attingere ad beatitudinem: nec requirit, vel habitum, vel formam aliquam in ratione receptiui.* Et col. 3. ad 4. ita ait: *Dico, quòd natura non eſt beatificabilis paſsiuè per aliquid additum, nec per habitum, nec per aliquid aliud, ſed per ſe ipsā; & ex puris naturalibus poteſt attingere paſsiuè ad beatitudinē.* Expreſsiùs id tenuit in 3. diſt. 14. q. 1. vbi non ſolùm probat fol. 50. col. 3. §. *Sed neutram*, ad recipiendam viſionem non eſſe neceſſariū aliquem habitū, ſed de lumine gloriæ ita ſcribit: *dico, quòd ſi intellectus ſit purè paſsiuus reſpectu viſionis, lumen non eſt neceſſarium*, vt patet fol 51. col. 1. ad 4.

2. *Scotus idē tennit.*

Scotum, ſuppoſita prædicta ſententia, hanc negantem partē tenuiſſe negari non poteſt, vt oſtendimus *ſuprà q. 4. art. 1. §. 1. nu. 13. & lib. 7. q. 4. art. vnico nu. 3.* etenim *in 3. diſt. 14. q. 2. art. 2. B. §. Similiter ad recipiendum*, agens de lumine gloriæ ita ſcribit: *Similiter ad recipiendum ipſam viſionē non requiritur habitus aliquis prior ipſa viſione:* probauerat autem intellectum non habere ſe actiuè ad viſionem. *In 4. diſt. 49. q. 11. lit. C.* ita habet: *ſi autem intellectus ſit merè paſsiuus habens ſe ſolū in ratione ſuſceptiui ad actum viſionis; cū non requiratur propter receptionem ſolam aliqua forma ex parte intellectus, vt ſuprà oſtenſum eſt; tunc non requiritur lumen gloriæ.* Quod autē id doceat non ſolū de potentia abſoluta, ſed de

Ouandus.

ordinaria, diximus *q. 4. art. 1. in 1. propoſitione Scoti nu. 15. quanuis Ouādus in 4. diſt. 49. propoſitione 7. oppoſitum doceat.*

4. *In eadem eſt Durādus.*

Eadem ſententia ſatis eſt de mente Durandi, ſi expendantur, quæ docet contra ſecundam opinionem relatam *in 2. dicendi modo in 4. diſt. 49. q. 2. & inferiùs ad ſecūdum principale num. 28.* etenim opinio illa aſſerebat, intellectum ſolùm paſsiuè ſe habere ad viſionem; & tamen illa ſuppoſita opinione contra illius authores negat, lumē gloriæ eſſe neceſſari.. Eandē ſenten-

Bellom. in eadem.

tiam probat Bellomont. *1. p. diſp. 43. cap. 1. num. 1.* dum abſolutè docet, lumen gloriæ ad recipiendum viſionem nullo modo eſſe requiſitum; ideo, quia ſubiectum per ſe ꝓximè valet illud ſuſcipere. Eiuſdem ſententiæ foret Molin. ſi illam opinionem admitteret: etenim *1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concl. 3. §. Probatur verò concluſio pag. 116. colu. 1. E. F.* abſolutè affirmat. *nullam dari rationem conſtituendi lumen ad recipiendum viſionem:* quibus verbis ſatis ſignificat de intrinſeca ratione luminis eſſe, quòd ſolùm ſit principium actiuum viſionis, non verò receptiuum. Quod ſatis etiam expreſſit Suar. *2. de Attributis negat. cap. 15. num. 27.* ita enim ſcribit: *Et ideo dicendum videtur lumen non habere rationem potentiæ receptiuæ, ſed tantum principij actiui viſionis; quia re vera intellectus per ſe ſufficienter eſt capax actus ſupernaturalis.* Quare cum Molin. ſatis ſignificat, eſſe principium receptiuum viſionis repugnare naturæ, & rationi luminis. Ob quam etiam rationem poſſet pro eadem ſententia citari Sotus *in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4.* dū abſolutè docet, lumen non eſſe diſpoſitionem paſſiuam ad recipiendum viſionem, *vt patet pag. 590. colu. 1. & 591. col. 1. & vtrobique in principio.*

Moli. etiā. *Suarius in eadem.* *Facit Sot.*

Denique in hanc ſententiam, vt probabiliorem magis inclinat Pezantius *1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. pag. 57. col. 1. §. Vtrùm lumen ſit diſpoſitio.* Nec deſunt, qui pro eadem citent Capreolum, quatenùs docet lumen gloriæ non dari, vt intellectus viſionem recipiat, vt ſcribit *in 4. diſt. 49. q. 4 art. 3. ad 1. Scoti contra ſecundam fol. 207. col. 1. & ad argumenta Aureol. 2. loco cōtra eandem fol. 208. col. 3.* idem enim diceret, ſi ſuppoeret, intellectū ſolū paſsiuè ſe habere ad viſionem. Eadem ratione citari poſſet *Ferrar. 3. cont. gent. cap. 54. fol. 277. col. 3. §. Ad 1. dico* & *Hiſpalenſ. in 4. diſt. 49. q. 4. art. 4. ad ea, quæ 2. loco adducit Durandus fol. 215. col. 3. & Soncinas ibidem q. 4. ad 1. Scoti contra 2. fol. 87. col. 2. & Ripa 1. p. q. 12. art. 5. dubio 1. cap. 2. concl. 2. ad fin. fol. 52. col. 3. in princ.* qui omnes idem cū Capreolo affirmāt. Sed non ſatis mihi conſtat, quomodo hi authores ad hanc negantē ſententiam referri valeant, niſi dicas eos docuiſſe lumen gloriæ ex ſua natura ſolùm habere, quod ſit principium ad immediatè recipiendū diuinā eſſentiā, vt eſt forma intelligibilis, & actus 1. ad vidēdū; ad recipiendū verò viſionē nō poſſe cōcurrere, niſi mediatè, quaten⁹. ſ. diſponens

4. *Pezantius* *Capreol.* *Ferrar, Hiſpalenſ.* *Soncin.* *Ripa.*

nens ad recipiendum actum primũ vidẽdi mediatè, & ex cõſequenti diſponit ad recipiendã viſionem, quę fuit quorundã opinio ânobis relata, *q.5.art.9.§.2.n.17.* Iam verò ſi intellectus ſolùm paſsiuè cõcurrit, tollitur vnio illius cũ diuina eſſentia in ratione actus primi, & per conſequens tollitur diſpoſitio ad talem vnionem: qua ſublata etiam tollitur ratio diſpoſitionis mediatæ. Fundamenta huius opinionis adducemus §. 4.

§. 2.

Refertur opinio affirmans.

5. Opinio affirmans. Oppoſitam tamen ſententiã; quòd ſ. lumen gloriæ neceſſarium ſit, ſaltem de lege, etiãſi intellectus ſolùm paſsiuè concurrat ad viſionem, probarũt quã plurimi Theologi ita Richardus *in 4.diſt.49. art.3.q.2. vbi in hæc verba: reſpondeo, quod ſiue in videndo Deum intellectus ſit purè paſsiuus, ſiue aliquo modo actiuus; ad illam tamen viſionem requiritur lumen gloriæ.* Et q. 2. præcedente refert opinionem quorundã, qui ita exiſtimabant, quorũ opinionem, vt probabilẽ defendit: *Marſilius etiam in 3.q.10. art.2.* docet enim intellectũ habere ſe ſolùm paſsiuè, *& in 6.concluſ.fol.415.col.4.* & tamen affirmat intellectum indigere lumine gloriæ, vt patet *concl.2. & 3.fol.414.col.1. & 4. & fol.415.col.3.* Idem probat Maior *in 4. diſt.49.q.4. in Epilogo quæſtionis*: docet enim probabilius eſſe, intellectum actiuè non concurrere; & tamen affirmat lumen eſſe neceſſarium. Pro eadem ſententia eſt Paludanus *in 4.diſt.49.q.1.* quoniam ſupponit tanquam probabile, quòd viſio ſit à ſolo Deo, vt patet *art.3. nu.36. & tamen in 1.concl.nu.33.* abſolutè docet de potentia Dei ordinata requiri lumen gloriæ. Satis facit ſupplementũ Gabrielis *in 4.diſt.49.q.2.art.2. dub. 2. ad finem. §. Quidquid ſit de illis.* Idem docet Ouandus *in eodẽ loco propoſitione 7.fol.105.pag.1.* Si ſermo ſit de potentia ordinaria, & teſtatur, hanc fuiſſe mentẽ Scoti; ſed falli tur, vt iam oſtendimus. In eadẽ ſententia eſt D. Antoninus *3.p.tit.30.cap.4.§.1.fol 426.col.4. poſt principiũ*: docet enim viſionem eſſe à ſolo Deo; & tamen in §. *Circa quod dicitur*, requirit lumen. Poſſunt pro

6. eadem ſententia citari, qui putant lumen eſſe neceſſarium, vt intellectus recipiat viſionem à ſe productã, quos citauimus q.5.ar.9.§.1.n.5: nam argumẽta, quibus nituntur, æque concludunt in viſione ab intellectu producta, & à ſolo Deo. Pro eadẽ ſententia nõnulli referunt Grabriel. *in 1.diſt.1.q.2. etenim ar.2. in corollario poſt 4.concl.lit.C. in fine*, docet viſionem fieri à ſolo Deo; *& tamen art.3. §. Sed de lumine*, admittit indigentiã illius: & quãuis ibidẽ lumen nõ diſtinguat à gratia; admittit tamen indigentiam ſupernaturalis eleuationis per lumen, in quo contradicit neganti ſententiæ. Vnde nõ ſine fundamento eũ pro hac ſentẽtia adduximus lib.7.q. 4.ar. vnic.§.1.n.2. vtrùm autem hæc pugnent cum ijs, quæ ſcribit in 3. loco citato, non eſt noſtrum diſcutere.

Richard. Marſilius. Maior. Palud. Supplemẽtũ Gabri. Ouandus. D. Anto. Gabriel.

§ 3.

Reſolutio quæſtionis.

Nos in dicto lib. 7. q. 4. art. vnico latè diſputauimus, an cõcurſus ſupernaturalis ſit neceſſarius ex parte intellectus, ſi ille ad viſionem cõcurrit ſolùm paſsiuè? & ex his, quę reſoluimus, præſentem quæſtionẽ reſoluemus. Dicim⁹ igitur ſententiã affirmantem eſſe omninò tenendã etiãſi intellectus ad viſionẽ ſolùm paſsiuè concurrat, & ſermo ſit de lege ordinaria. 7. Propria ſẽtentia.

Hæc concluſio ex diffinitione Cõcil. Viennenſis ita confirmatur, vt oppoſita iam non ſit tuta, vt patet ex ijs, quæ ex Concilio adduximus lib.7.q.4.art. vnic. §.2. nu.2. & 6. & latius ſuprà q.4. huius libri. Nam definitio Concilij condẽnãs hanc propoſitionem, *anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deũ videndũ*, abſoluta eſt, & generalis, & per cõſequẽs neceſſariò illi dabitur locus in quacumq; opinione, quæ admiſerit animam Deum videre: beatum autẽ videre Deum admittũt authores vnius, & alterius opinionis. Non poſſunt igitur authores vtriuſq; nõ admittere neceſsitatem luminis gloriæ. Quare ſemper verũ erit lumẽ gloriæ eſſe neceſſariũ, ſiue intellectus Deum videat viſione à ſe elicita, ſiue ſolũ in ſe recepta, vt aduertimus in locis citatis. 8. Cõc. Vien.

Quod etiam confirmatur; quoniã hæretici negantes neceſsitatem luminis nihil curabant, an intellectus actiuè, an verò paſsiuè concurreret ad viſionẽ; ſed abſolutè negabant illam indigentiam. Conciliũ autẽ in eodẽ ſenſu dãnauit illorum aſſertionẽ in quo illi eã aſſerebant. Quare 9. Confirm.

cum in Concilio abſolutè definiatur neceſsitas huius luminis; abſolutè eſt admittenda talis neceſsitas, ſiue Deus videatur viſione elicita ab intellectu, ſiue à ſolo Deo producta. Poterit eſſe controuerſũ, quidnam per lumen gloriæ in illa definitione ſit intelligendum: nullo tamen modo controuerti iam poteſt, an intellectus poſsit ſine lumine videre Deum per viſionem paſsiuè receptam, aut per viſionẽ ab intellectu productam.

10. Alia confirmatio. Huic veriſsimæ reſolutioni ſi addamꝰ, id, quod *ſuprà q.4.art.2.§.2.concl.6.num.* 26. reſoluimus, poſt Concilium temerarium eſſe, & periculoſum, imò etiã erroneum, negare, lumen habituale non eſſe de lege neceſſarium, vt Deum videamus, neceſſariò admittendum eſt, pluſquã temerariũ eſſe negare intellectum indigere lumine ad viſionem non elicitam à ſe, ſed ſolùm receptam: etenim definitio Concilij ſemper habet locum, vbi datur Deum ab aliquo videri.

11. 1. Ratio. Hæc veritas euidẽtibus rationibus cõfirmari poteſt: plures adduximus lib. 7. q.4.art.vnico §.2. à n.7. cũ ſequentibus. Prima, & principalis ſit iſta, quã tetigimus ſuprà q.5.art.9.§.3.n.18. quoniã ex recepta Philoſophia Ariſtot. 2. de Anima cap.2. tex.24. & 26. actus recipi non poteſt, niſi in propria potentia, qualis eſt, quæ proportionata eſt, & diſpoſita ad eũ recipiendum. Sed potentia paſsiua intellectus ſumpta in puris naturalibus nõ eſt propria, ſed improportionata viſioni ſupernaturali. Ergo indiget ſupernaturali

Maior. eleuatione, qua fiat propria ipſi viſioni, & apta ad recipiendũ eam. Maior eſt Ariſtotelis, quæ licèt ſimpliciter non ſit neceſſaria in ordine ad potentiam abſolutã (poteſt enim Deus inducere formam ſubſtãtialem in materia prima ſine vllis diſpoſitionibus) eſt tñ neceſſaria de lege ordinaria, quã Deus ſeruare ſtatuit, tàm in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus: etenim ad perfectionẽ ſtatus beatifici ſpectat, vt quæ in eo fiunt, fiant ſeruato ordine cõnaturali tali ſtatui, vt ſæpè diximus, Quare maior eſt veriſsima.

12. *Minor.* Minor autem ex ijs, quæ diximus in locis citatis, multis demõſtrari poteſt. Et & primum quidẽ; quia vera Philoſophia docet, potentiã receptiuã, vt ſit propria & ꝓportionata alicui actui, futurã eſſe eiuſdem ordinis cum illo, in hoc ſenſu, vt ſi actus eſt ordinis naturalis, potentia etiã ſit naturalis ordinis; & è conuerſo, vt potentia ſit ſupernaturalis ordinis, ſi actus ſit ordinis ſupernaturalis. Hanc Philoſophiã eſſe veriſsimam in diſpoſitione reſpectu actus, ad quẽ diſponit; iam diximus cum Caietano, Fonſeca, & cõmuni ſententia in d.art.9.§.3.n.19. & 20. Quòd verò etiam ſit veriſsima, ſi actus cum potentia conferatur, facilè oſtenditur: quoniam quòd eſt inferioris ordinis, quãdiù ad ordinem inferiorem pertinet, nõ poteſt eſſe proportionatũ illi, quòd eſt ordinis ſuperioris; quæ propoſitio videtur nota ex terminis. Ea autẽ ſuppoſita euidenter patet, non ſolũ dari proportionẽ, quæ potentiã diſponit ad actum, & ipſum actũ; ſed etiã inter ipſam potentiã, & actũ; ita vt ſi potentia ſit ordinis naturalis, actus etiam ſit naturalis ordinis; & è conuerſò, ſi actus fuerit ſupernaturalis ordinis, potentia etiã ſit ordinis ſupernaturalis.

Sed vt omnis æquiuocatio tollatur, oportet explicare, quando potentia dicatur eſſe ordinis naturalis: nec enim ſatis eſt potentiã eſſe inditã à natura, vt dicatꝛ ordinis naturalis: quia poteſt aliqua potentia in ſua entitate eſſe indita à natura; & tamen nõ pertinere ad ordinẽ naturalẽ, & inferiorẽ, ſed ad ſuperiorem, & ſuo modo ſupernaturalem. Auertendum eſt igitur, quòd potentia paſsiua tunc dicetur ordinis naturalis, & inferioris reſpectu alicuius actus, cũ illum recipit mediantibus diſpoſitionibꝰ ordinis naturalis, actione alicuius naturalis agentis: talis eſt materia prima in ordine ad formas, quas poteſt recipere actione agentis naturalis, & mediãtibus diſpoſitionibus naturalibus: nam cũ diſpoſitiones naturales ſint quædã virtutes, quibus potentia fit proximè, & in actu primo receptiua; tunc dicetur virtute ſibi naturali poſſe recipere aliquẽ actum, cum illis virtutibus mediantibus eũ recipit. Talis etiam eſt intellectus, vt eſt potentia paſsiua reſpectu actus intelligendi, quẽ actione agentis naturalis, mediantibus lumine naturali, & naturali ſpecie, tanquã proprijs, & naturalibus ad intelligendũ virtutibus eũ poteſt recipere. 14.

13. Potẽtia quã do dicatur ordinis naturalis.

At verò potentia paſsiua tunc dicetur ordinis ſupernaturalis reſpectu alicuius actus, cum illum, nec reſpicit, nec recipit, niſi

iſi aut mediante aliqua diſpoſitione ſu-
ernaturali; aut immediatè per ſe ipſam,
t eſt in potentia obedientiali: hæc enim
otentia paſsiua ideo pertinet ad ordinẽ
upernaturalem; quia non poteſt reduci
ad actum, niſi actione agentis ſupernatu-
ralis, & mediãte actu ſupernaturali. Nec
ſanè id dicitur ſine fundamento; quia hac
obedientiali potentia, ipſa potentia paſ-
ſiua, tanquam ſupremum infimi ordinis
(qualis eſt potentia naturalis, vt eſt obe-
dientialis) coniungitur cum infimo or-
dinis ſupremi: anima enim noſtra (quæ
in naturalibus eſt forma ſuprema) vt ha-
bet in ſe potentiam obedientialẽ, à ſe rea-
liter indiſtinctam (quæ eſt infimum ordi
nis ſupremi) realiter coniungitur cũ acti
bus ſecundum ſubſtantiam ſupernatura-
libus. Itaque potentia paſsiua noſtri in-
tellectus erit ordinis naturalis in ordine
ad actus, ad quos eſt in potentia naturali
reducibili ad actum actione agentis natu-
ralis, & mediantibus virtutibus naturali-
bus: ſupernaturalis autẽ ordinis dicetur
in ordine ad actus, ad quos eſt in potentia
obedientiali reducibili ad actũ, tùm actio
ne agẽtis ſupernaturalis, tũ per actus ip-
ſos ſupernaturales. Quæ omnia in hac ma
teria ſunt diligenter ad notanda, vt tolla-
tur æquiuocatio potentiæ naturalis.

15. Demonſtratur Minor. His omnibus præmiſsis iam patet de-
monſtratio minoris, quã nitimur oſten-
dere; quoniam vt potentia ſit propria ali-
cuius actus, & illi proportionata, debet
eſſe eiuſdem ordinis cum ipſo actu; ita vt
ſi potentia ſit naturalis ordinis, actus etiã
ſit ordinis naturalis: ſi vero actus fuerit
ordinis ſupernaturalis, ipſa etiam poten-
tia ſuo modo ſit ſupernaturalis ordinis.
Sed anima ſecundũ ſua pura naturalia (id
eſt, vt eſt receptiua actus ſecundũ diſpo-
ſitiones ſibi naturales, quibus naturaliter
aptatur ad recipiendũ actum intelligen-
di) eſt ordinis naturalis: viſio autem bea-
ta eſt ſupernaturalis ordinis. Ergo anima
ſecundum ſe, & ſecundum ſua pura natu
ralia non eſt potentia paſsiua proportio-
nata ad recipiendam viſionem: quæ fuit
minor. Maior huius diſcurſus patet ex
Philoſophia Ariſtotelis ſuperius poſita,
& recepta. Minor autẽ nota eſt ex ijs, quę
immediatè diximus: etenim anima, vt eſt
potẽtia paſsiua, tunc tẽporis accipitur ſe-
cundũ ſua pura naturalia, cum ſumitur ſe-
cundũ ſuas naturales diſpoſitiones, & vir-
tutes, quibus proximè ſit apta ad recipiẽ-
dum actũ: & in hoc ſenſu dicitur eſſe in
potentia naturali, vt naturalis potentia
diſtinguitur ab obediẽtiali. Igitur anima
nudè ſumpta in puris naturalibus, eſt or-
dinis naturalis, & inferioris reſpectu vi-
ſionis beatæ: & per conſequens vt ſic eſt
improportionata ad recipiendã viſionẽ:
quam improportionẽ ſatis conuincit im
potentia, & infinitas ad videndũ Deum,
quã Patres agnoſcunt in noſtro intellec-
tu ſecundũ ſe ſumpto, quos adduximus
lib. 7. q. 3. art. 1. §. 2. nu. 17. Et ratione hu-
ius improportionis Deus dicitur inuiſibi-
lis noſtro intellectui in ſuis puris natura-
libus, vt diximus lib. 6. q. 2. art. 1. §. 3. n.
14. & lib. 7. q. 1. art. vnico n. 4. Concludẽ
dum eſt igitur, potentiã paſsiuam intelle
ctus reſpectu viſionis beatæ eſſe impro-
portionatam, & inferioris ordinis; & ſub-
inde indigere eleuatione ſupernaturali
per habitum luminis gloriæ.

Huic efficaciſsimo argumento poſſet aliquis occurrere, (& ſatis ad mentẽ Scoti *in 3. diſt. 14. q. 2. lit. C. §. Reſpõdeo, & dico*) 16. Solutio aliquorum. Scoti.
animã, & intellectum eius ſumptũ ſecun-
dũ ſuas naturales vires, ideo à Patrib⁹ dici
impotentẽ, & infirmũ ad videndũ: quia
per illas nõ poteſt producere viſionẽ, ſed
eã poſtulat à Deo authore ſupernaturali:
at tũ poſtquã eã à Deo recepit, poſſe ſuis
naturalib⁹ viribus per eã tendere in Deũ,
eumq; videre. Sed ſolutio iſta non eſt ad- Non admititur.
mittenda: primo; quia in ea ſupponitur in
tellectũ ex ſe non eſſe productiuũ viſio-
nis, ſed eã poſtulare productã à Deo. Er- 1. Ratio
go ſi viribus ſuæ naturæ, per eã ab alio re
ceptã, poteſt Deũ videre, iam non indiget
lumine ad videndũ Deum: quod repug-
nat Concilio Vienenſi.

Deinde; quia ſupponit, intellectũ rece 17. Secunda.
pta viſione à Deo infuſa poſſe ſine lumi-
ne naturaliter in Deum videndo tendere;
quod eſſe falſum ſtatim oſtendemus.
Tertiò hæc ſolutio videtur admittere pu 18. Tertia.
gnantia: etenim cũ Scoto admittit Deum
hanc viſionẽ producere, vt quoddã agens
ſupernaturale: intellectũ verò eã recipe-
re, tanquã potentiam paſsiuã naturalem
reſpectu illius: quæ duo repugnant rece-
ptę Philoſophiæ Ariſtotelis, & cõmen-
tatoris, quæ docet omni paſsiuæ potentię
naturali reſpondere aliquam naturalẽ ac-
tiuam;

tiuam; nec poſſe dari potentiã paſsiuã in natura, niſi reſpectu eorũ, ad quæ aliqua potentia actiua naturalis ſe poſsit extẽdere; quam Ariſtotelis, & Commentatoris Philoſophiam cõmuniter recipiunt D. Thom. Ferrar. Fonſeca, Suarius, & communiter alij, vt aduertimus q. 5. huius lib. art. 9. §. 3. num. 21. Fieri igitur non poteſt, vt detur in anima potẽtia paſsiua naturalis, ad recipiendum viſionem, qua naturaliter Deũ videat, & quòd ſolus Deus ad eam concurrat, non vt agens naturale, ſed vt ſupernaturale. Quare, vel admittẽdum eſt, Deum ad viſionem concurrere, vt agens naturale, vt concurrit ad creationem animæ, quod dici non poteſt, quia viſio eſt ſupernaturalis in ſua entitate; vel ſi Deus nõ poteſt concurrere ad eã, niſi vt agens ſuprà totam naturam; concedendũ eſt intellectum reſpectu illius nõ eſſe potentiam paſsiuam naturalem, ſed ſupernaturalem; qualis eſſe nequit, niſi ſupernaturaliter eleuetur.
19. Quarta. Quartò adhuc ſolutio ideo nõ eſt recipienda; quia ſupponit viſionẽ, quæ ſubſtantialiter eſt ſupernaturalis, & à ſolo agente ſupernaturali producibilis, naturaliter recipi in intellectu; quod non videtur admittendũ: nam quomodo naturaliter poteſt recipi in ſubiecto actus ſecundũ ſubſtantiam ſupernaturalis, & producibilis actione ſupernaturalis agentis? Licèt enim, quod eſt ſupernaturale ſolùm quoad modum, poſsit recipi per actionem ſubſtantialiter naturalẽ (vt quando viſus rẽſtituitur cæco): nõ tamen id, quod, & quoad modum, & quoad ſubſtantiã eſt ſupernaturale; quia fieri non poteſt, vt forma ſit ſupernaturalis, quatenùs eſt actio; naturalis autem, quatenùs eſt paſsio: actio enim, & paſsio realiter ſunt idem.
Non admittit Scoti. Non eſt igitur admittenda Scoti Theologia. ſ. Deum ſupernaturaliter viſionem producere; & intellectũ eam naturaliter recipere: ſed omninò dicendũ eſt cum Patribus, intellectũ, vt eſt potentia quædã paſsiua purè ſumpta, eſſe impotentẽ, infirmum, & omninò viribus deſtitutum, improportionatũ, & ordinis inferioris reſpectu viſionis beatæ: & per conſequens indigere ſupernaturali eleuatione per habitum luminis, vt per viſionem receptam poſsit Deum videre.

20. Ad confir. Quod adhuc euidenter confirmatur: quoniam fieri nullo modo poteſt, vt intellectus per viſionem, quã recipit, vel à ſe elicitã, vel à Deo infuſam, videat Deũ ſine aliquo lumine; quia omnis viſio, etiã beata, neceſſariò requirit lumen, ſub quo tendat in obiectũ, vt oſtendimus q. 1. huius libri, & latiùs q. 5. art. 8. latiſsimè q. 6. art. vnico §. 6. Ergo intellectus recipiens in ſe viſionẽ beatã à Deo productam indiget aliquo lumine, ſub quo tẽdat, in eſſentiam diuinam ſibi per illud manifeſtatam, & apparentem. Sed non poteſt in eã tendere ſub lumine naturali intellectus agentis, nec ſub alio naturali lumine; quia nullũ poteſt ſe ipſo formaliter illuſtrare diuinam eſſentiã, vt intellectui appareat; quia omne ſecundum ſe eſt inferioris ordinis. Ergo ad videndum Deum indiget lumine aliquo ſupernaturali, quo eleuetur, vt patet ex Cõcilio Vienenſi, de quo q. 4. art. 2. §. 2. concl. 4. nu. 8. de lege verò ordinaria nullo alio eleuatur, niſi lumine gloriæ habituali, vt oſtendimus vbi ſuprà concl. 6. num. 26. Ergo intellectus, qui viſionẽ ſolum paſsiuè recepit, neceſſariò indiget lumine gloriæ, vt Deum videat. Quare non puto tutum eſſe intellectum naturaliter videre Deũ per viſionem, quã à Deo ſupernaturaliter recepit.

Huic argumento addimus: quoniã fieri nullo modo poteſt, vt intellectus per viſionem, etiam ab alio receptam, videat Deũ ſine aliquo lumine; quia omnis viſio etiam beata, neceſſariò requirit lumẽ, ſub quo tendat in ſuũ obiectum per ipſũ lumen intellectui manifeſtatũ, & apparens, vt oſtendimus locis citatis. Ergo intellectus, qui ſolũ paſsiuè recepit viſionẽ à Deo productã, nõ poteſt per eã videre Deũ, niſi ſub aliquo lumine: ſub nullo autẽ, niſi ſub lumine glorię, ſaltẽ de lege ordinaria. Ergo hoc lumẽ de lege neceſſariũ eſt ad viſionẽ ab intellectu non elicitam, ſed ſolũ receptam, ſi per eam debet Deũ videre. 21. Confirmatur adhuc. Deniq; id confirmatur; quia intellectus non dicitur formaliter intelligere per ipſũ recipere viſionis; ſed ex eo, quia per viſionẽ in ſe receptam notionaliter tẽdit in obiectum, illudq; intelligibiliter attingit, & percipit; vt dicemus lib. 10. q. 1. art. 2. vbi patebit, talem tendentiam eſſe actũ vitalem; non quidem productiuum viſionis, qua intellectus formaliter apprehendit obiectum; ſed apprehenſiuũ obiecti; ſecundum quem non poteſt non habere

propor-

proportionem ad ipſum obiectum, vt oſtendimus lib. 7. q. 4. art. vnic. §. 2. n. 11. Proportionatus autem eſſe nequit, quãdiù eſt ordinis inferioris, conſideratus ſecundum naturales ſuas virtutes. Debet igitur ſupernaturaliter eleuari aliquo lumine: nullum autem aliud de lege datur, niſi lumen habituale gloriæ. Et hæc pro confirmatione ſententiæ affirmantis dicta ſufficiant.

§. 4.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta partis negantis.

22. Sed adducamus, & ſoluamus argumenta, quæ pro negante ſententia formari poſſunt.

1. argum. Præcipuum fundamẽtum ſumitur ex Scoto: quoniam intellectus ex puris naturalibus eſt immediatum ſuſceptiuum viſionis beatæ. Igitur ſi intellectus ad viſionem concurrit ſolùm paſsiuè, non indiget ſupernaturali lumine, quo ad receptionem viſionis diſponatur. Ita habes ex
Scotus. *Scoto in 4. diſt. 49. q. 11. §. Reſpondeo ergo ad quæſtionem litera E. in principio*: inde enim infert, intellectui nihil ſuperaddi ad recipiendam viſionem, vt ſcribit ibidem in 1. concl. In eodem fundamento conueniunt *Baſſolius, Bellom. Suarius, & Pe-*
Qui cum Scoto conueniant. *zantius, & ſatis eſt de mente Molinæ vbi ſuprà, atque etiam Durandi in 4. diſt. 49. q. 2. n. 29. & Paludani ibidem q. 1. art. 3. n. 36. in fine*, dum inquiunt, omnem potentiã ex ſe eſſe proportionatam his, quæ ſub adæquato obiecto continentur. Et hoc ſit primum antecedentis fundamẽtum. Secundum verò ſumitur ex eodem *Duran-*
23. 2. fundam. *do, & Paludano, quos etiam probat Bellom.*
Durand. Palud. Bellom. *1. p. diſp. 43. c. 1. n. 1. & 2*: quia ſequeretur proceſſus in infinitum; ex quo fundamẽto infert Bellom. inter accidentia, etiam ſupernaturalia, non dari per ſe ordinem, niſi quando vnum mediante alio ineſt in ſubſtantia: iam verò viſio non ineſt in anima medio lumine, ſed medio intellectu.
3. fundam. Tertium fundamentum erit eiuſdẽ Durandi, & quorundam aliorum; quia ſi intellectus ex ſe non eſt proportionatus ad recipiendam viſionem; nec lumine ipſo poterit proportionari; cum ſemper maneat infinitus exceſſus diuinæ eſſentiæ ſupra intellectum, ſiue purè ſumptum, ſiue lumine illuſtratum. Quarto deniq; loco illud antecedens non aliter probat 24. 4. fundam.
Suarius, quam impugnando opiniones, quæ requirunt lumen gloriæ, vt diſpoſitionem intellectus ad recipiendum viſionem, vt patet ex *lib. 2. de attrib. negat. cap. 16. n. 27.* ¶ Hoc tamen fundamentum 25.
non ſolùm in ſe eſt falſum, ſed etiam parum tutum poſt definitionem Concilij Solutio argum. Vienenſis, vt patet ex his, quæ diximus in §. 3. ex ea enim colligitur, animam indigere ſupernaturali eleuatione, vt poſsit Deum videre, ſiue illa actiuè eliceat viſionem, ſiue ſolùm paſsiuè recipiat. Accedit; quia ex doctrina Patrum intelle- 26.
ctus ſumptus ſecundum ſe, impotens eſt, & improportionatus ad videndum Deũ, ſiue illum videat eliciendo viſionem, ſiue eam ſolùm recipiendo: hoc enim parùm refert, ſi intellectus vno, & altero modo Deum videt. Quare negandum eſt antecedens. Ad primum fundamentum ne- 27.
gandum eſt id, quod ſumitur, ſi ſermo ſit Ad 1.
de omnibus, quæ continentur ſub obiecto adæquato extenſiuè; qualia ſunt obiecta ſupernaturalia; ad hæc enim potentia intellectiua ſecundum ſe ſumpta non eſt proportionata; ſed ſolùm vt eſt in potentia obedientiali: vnde indiget eleuatione, vide lib. 7. q. 4. art. vnico, §. 4. ad 5. 28.
n. 24. Ad 2. negatur proceſſus in infini- Ad 2.
tum, vt diximus ſuprà q. 5. art. 9. §. 4. ad 5. n. 75: etenim ſtatus eſſet ad formam, quæ immediatè recipitur in intellectu; in quo tamen non recipitur, vt eſt in potentia naturali, ſed obedientiali; quæ iam pertinet ad ordinem ſupernaturalem, & aliquo modo ad naturalem: eſt enim infimum ſupremi, & ſupremum infimi, per quam naturalia cum ſupernaturalibus cõnectuntur; vide dicta in §. præcedente. Ad 3.
Ad 3. neganda eſt ſequela, cuius probatio ad rem non facit; quia inter potentiã paſsiuam intellectus, & viſionem non datur infinitus exceſſus: quare potentia non ideò dicitur improportionata, quia viſio in infinitum diſtat ab ea, ſed quia eſt ordinis ſuperioris: hæc autem improportio tollitur per eleuationem ad ſuperiorem ordinem; & ideò potentia intellectiua, vt eſt in potentia obedientiali, pertinet ad ordinem ſupernaturalem, vt diximus. Si verò dicas inter intellectum, & diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum beatificum dari exceſſum infinitum; ne-

gandum eſt, ſi ſermo ſit de diuina eſſentia, vt eſt obiectum beatificatiuum intellectus creati: quia illum non beatificat ſecundum ſuam adæquatam intelligibilitatem, ſed ſecundum inadæquatam: in quo ſenſu non diſtat in infinitum. Vide q.5.art.9.§.4.ad 6.n.76.

Ad poſtremum. Ad poſtremum dicimus, doctiſsimum Suarium non ſatis impugnaſſe opinionem, quæ ponit lumen gloriæ, vt diſpoſitionem ad viſionem; non tamen ſuſceptiuam eius, quam probamus; vide in d.art.9. n.94.

30. 2. ratio. Secundò arguit Scotus: quia lumen eſt habitus: habitus autem non diſponit ad actum, & ſubinde nec ad viſionem.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondimus ſuprà q.5.art.9. §.4.ad 1.n.65: negandum eſt enim id, quod ſumitur.

31. 3. ratio. Tertiò obijcit idem Scotus: viſio beata eſt permanens. Ergo non requirit habitum luminis: quia habitus ideò ſolùm ponuntur; quia actus non ſunt permanẽtes.

Solutio. ¶ Neganda eſt conſequentia: cuius probatio falſam ſumit Philoſophiam: vide in d.art.9.§.4.ad 2. n.72.

32. 4. ratio. Quartò arguit idem Scotus: ſuſceptiuum multorum actuum maximè ordinatur ad actum perfectiſsimum: talis autem eſt viſio beata. Ergo intellectus ex ſe eſt ſuſceptiuus illius.

Solutio. ¶ Hoc argumentum iam diſſoluimus; tùm lib.7. q.4. art. vnico, §.4. ad 6.probationem n. 30. tùm etiam ſuprà q.5.art.9.§.4. ad 3.n.73: vide quæ ibi diximus: nunc addimus, non valere conſequentiam in forma, in qua proponitur. Si verò ita arguatur: *Suſceptiuum plurium formarum, ad quas per ſe ordinatur; ſi immediatè eſt ſuſceptiuum vnius, immediatè eſt ſuſceptiuum illius, quæ eſt perfectiſsima*: argumentum bonam haberet conſequentiam; ſed tamen maior non eſt admittenda; vide in d.n.73.

5. ratio. Quintò arguunt nonnulli: ſi intellectus indigeret lumine ad recipiendã viſionem; immediatè reciperet ipſum lumen: ne daretur proceſſus in infinitum. Ergo poſſet immediatè recipere viſionẽ: nam cum propter eam lumen recipiat, fruſtra eſſet lumen.

33. Solutio. ¶ De hoc argumento diximus lib.7. loco citato, & in d.q.5. art.9.§.4. ad 7.nu.79. in forma, admiſſo antecedente, neganda eſt prima conſequentia: cuius probatio nobis fauet, vide in d.n.79: ex ibidem dictis intelliges falſò quoſdam aſſerere nullam dari poſſe rationem, cur intellectus non ſit immediatum ſuſceptiuum viſionis, ſi eſt immediatum ſuſceptiuum luminis: etenim lumen datur propter viſionem tanquam propter finem; & per conſequens ordinatur ad viſionem tanquam ad formam ordine executionis vltimam: vltima autẽ forma, propter quam ſunt aliæ, per ſe poſtulat, vt non recipiatur, niſi alijs mediãtibus.

Sexto loco arguit Scotus: quia eſſet beatus ipſa receptione luminis ante viſionem, quod eſt abſurdum. Sequela patet, quia cum viſio per lumen recipiatur, eſſet perfectior, quam ipſa viſio; & ſubinde intellectus in ea quietaretur. 34. 6. ratio.

¶ Sed argumentum ineptam habet ſequelam; cuius probatio ineptiorem ſumit probationem: vide, quæ diximus lib.7. in d.q. 4.art. vnico, §.4.ad 2.argum.n.32. & ſuprà q.5. huius libri art.9. §.4. ad 1. corũ, quæ ſecundo loco afferuntur n. 87. Solutio.

Septimo loco ex eodem Scoto: ſequeretur lumen, ſi per ſe exiſteret, poſſe beatificari; quia deferret ſecum viſionem. 35. 7. ratio.

¶ Ad hoc argumentum diximus in duobus præcitatis locis; in 7. lib. n.32. ad 3. & in d.art. 9.n. 88: ſequela enim neganda eſt: quoniam lumen eſt diſpoſitio ad viſionem illius non receptiua; vnde non neceſſariò ſecum ferret viſionẽ. Et quanuis eſſet diſpoſitio ſuſceptiua, & deferret ſecum viſionem, non proinde videret Deum. Vide in d. n.88. Solutio.

Octauò arguit Scotus; quia ſequeretur, quòd intellectus non per ſe, ſed per accidens beatificaretur; quia reciperet viſionem non immediatè, ſed mediatè. 36. 8. ratio.

¶ Sed ſequelam eſſe inutilem, & falſam habere Philoſophiam, iam oſtendimus in d.lib.7.ad 4.n.33. & clariùs in d. artic.9. ad 3.n.90. Solutio.

Nonò arguit Mayronius; quia ſequeretur, intellectum ſublato lumine non poſſe fieri beatum; quod non videtur admittendum. 37. 9. ratio.

¶ Ad argumentum admittimus, nec de lege, nec de potentia abſoluta intellectum ſine lumine poſſe Deum videre. Quòd de lege id non poſsit; ſuperiùs oſtẽdimus. Vtrùm autem in noſtris terminis id poſsit de potentia abſoluta? videbimus in 3.art. vbi affirmatiuam partem, tanquam probabiliorẽ defendemus. Solutio.

Qui

Qui oppoſitum ſenſerit, negabit ſequelam; quia lumen ſolum eſt neceſſarium de lege ordinaria.

38. 10. ratio. Decimò arguitur ex mēte Suarij: quia ſi lumen eſſet diſpoſitio aptans intellectum ad recipiendam viſionem à Deo elicitam; vtique diſponeret ad eam, vel per modum diſpoſitionis receptiuę illius; vel non receptiuæ. Neutro modo pòteſt eſſe diſpoſitio, vt putat ſe oſtendiſſe in dicto cap. 16. n. 25. & 26. ¶ Ad argum. neganda eſt minor: cōcurreret enim lumen per modum diſpoſitipnis non recipientis in ſe viſionem. Vide in d. art. 9. num. 94. vbi argumenta diſſoluimus.

Solutio.

39. 11. ratio. 11. nonnulli arguunt: quoniam lumen ex ſe eſt diſpoſitio, vt intellectus ſit immediatè receptiuus diuinæ eſſentiæ, vt habet vicem ſpeciei, & actus primi. Ergo ex ſe non poteſt eſſe diſpoſitio ad viſionem, niſi mediata, cum viſio ſit actus ſecundus: talis autem eſſe non poteſt, ſi intellectus ad viſionem ſolùm concurrit paſsiuè: hoc enim ſuppoſito, diuina eſſentia non poterit vniri cum intellectu per modum ſpeciei, & actus primi.

40. Solutio. ¶ Ad hoc argumentum neganda eſt conſequentia: etenim lumen gloriæ diſponit intellectum, vt immediatè ſit ſuſceptiuus, tùm diuinæ eſſentiæ per modum actus primi: tùm viſionis, quæ eſt actus ſecundus, vt oſtendimus in d. art. 9. §. 3. concl. 3. n. 34: licet enim viſio ſupponat actum primū; non tamen ſe ad illam habet, vt terminū ſecundariū: etenim ab illo naturaliter nō emanat, ſed ſit per nouam, & diſtinctam actionem. Et inde eſt, vt plures eorum, qui volunt, intellectum ad viſionem ſe habere, & actiuè, & paſsiuè; admittant lumen gloriæ, vt immediatè diſponat, tum vim actiuam ad eliciendum viſionem; tū potentiam paſsiuam ad eam recipiendū: vide ſuprà q. 5. art. 11. n. 3. & 4. Id verò, quod additur, ſuppoſito ſolo paſsiuo concurſu diuinam eſſentiam non poſſe vniri cum intellectu per modum ſpeciei, & actus primi, falſum eſt, vt patebit ex ſequenti articulo.

41. Poſtrema ratio. Poſtremò arguit Molina, & ſatis ad mentem Suarij: quoniam nulla dari poteſt ratio, cur lumen conſtituatur in ratione potentiæ receptiuæ viſionis; cum ex ſe habeat rationem principij actiui illius. Ergo ſi intellectus ſolùm concurrit paſsiuè, non poterit diſponi per lumen gloriæ. ¶ Sed fundamentum iſtud doctiſsimi Molinæ non multum vrget: etenim non poteſt non negari ab illis, qui lumen requirunt, vt diſponat intellectū, tum ad agendum, tum ad recipiendum, quorum opinionem probauimus in dict. art. 9. §. 3. n. 18: hac enim opinione ſuppoſita lumen ex ſe habet, quòd diſponat, & ad agendum, & ad recipiendum: nec hoc dicetur ſine fundamento; quoniam lumen neceſſarium eſt, tanquam diſpoſitio eleuans intellectum ad videndum Deum: ergo ex ſua natura erit diſpoſitio ad omnem potentiam intellectus, quæ per ſe neceſſaria eſt ad viſionem: ad viſionem autem apud iſtos authores neceſſarium eſt, quòd intellectus, & viſionem eliciat, & eam recipiat; & ſubinde per ſe erit diſpoſitio, tum actiua, tum receptiua. Quin potiùs ſi veram Philoſophiam attendamus, principalius requiritur, vt diſponat ad recipiendum viſionem, quàm ad eliciendum: quia Deus videri poteſt per viſionem ab intellectu non elicitam, vt oſtendemus lib. 10. cū tamen per nullam potentiam videri poſsit per viſionē non receptā, vt omnes admittunt. Quare ſi lumen ex ſua natura diſponit ad viſionem; vtique principalius diſponet, vt recipiatur, quàm vt producatur. Concedēdum eſt igitur, lumen gloriæ ex ſe habere, quòd ſit & diſpoſitio actiua, & paſsiua: nec enim hæc inter ſe repugnant. 42. Solutio.

¶ Hæc omnia confirmari poſſunt ex natura luminis corporei; ex qua philoſophandum eſt ad lumen incorporeum, & beatificum, vt ex D. Thom. ſæpè diximus: lumen autem corporeum ex ſua natura habet, quod ſit diſpoſitio actiua, & paſsiua. Et quidem quòd ſit paſsiua diſpoſitio eſt apud Philoſophos indubitatum; cum enim ſit actus diaphani ex Ariſtotele in libris de Anima, ex ſua natura diſponit ipſum diaphanum, vt ſit receptiuum ſpecierum viſibilium: imò etiam diſponit potentiam viſiuam, vt ſit receptiua viſionis, vt ſupponimus: quòd verò ſit diſpoſitio actiua, non poſſunt non concedere, qui ponunt lumen, & ex parte medij, & ex parte obiecti; quorum opinio placuit præſtantiſsimis Philoſophis, & ſatis eſt probabilis: qua ſuppoſita, lumē erit diſpoſitio actiua; quia eſt diſpoſitio, 43. Confirmatur ſolutio.

qua color actiuè emittit ſpecies viſibiles: imò etiam eſt diſpoſitio iuuans virtutem viſiuam, vt viſionem eliciat, vt docuit D. Thomas. Quare ſi de lumine corporeo ad lumen gloriæ eſt philoſophandũ, vt diximus ex D. Thoma, lumen gloriæ principalius erit diſpoſitio receptiua viſionis, quàm actiua illius: etenim indubitatum eſt, lumen corporeum eſſe diſpoſitionem receptiuam; cum tamẽ plerique dubitent, an ſit diſpoſitio actiua. Ex quibus patet, quam fragili fundamento doctiſsimus Molina vſus fuerit.

ARTICVLVS II.

Quænam ſint munera luminis gloriæ, ſi intellectus ad viſionem concurrit ſolùm paſsiuè?

1. De muneribus luminis. CONſequenter explicanda ſunt munera, quæ lumen exerceret, ſi intellectus ad viſionẽ ſe haberet purè paſſiuè.

1. munus. Primum munus erit eleuare intellectum ad eſſe ſupernaturale, & diuinum, vt conſtitutus in eſſe diuini ordinis poſſit & recipere, quæ diuini ordinis ſunt; & illa ſuo modo præſtare, quæ in ordine ad viſionem illi conueniunt. Quod ratio perſuadet: cum enim intellectus ſit potẽtia, cui plura ordinis diuini conuenire debent; non poteſt eſſe apta ad illa, niſi à ſuo naturali ordine ad ordinem diuinum eleuetur: etenim iuxta vulgatam Philoſophiam, potentia (ſiue actiua ſit, ſiue paſsiua) debet eſſe eiuſdem ordinis cum actu, vt inter ſe habeant debitam proportionem. Oportet igitur, vt intellectus, ex ſuo naturali, & inferiori ordine transferatur ad ſupernaturalem, & diuinum, vt aptus fiat, & præſtare, & recipere, quæ diuini ſunt ordinis.

2. 2. munus. Eleuato intellectu ad eſſe ſupernaturale, & diuinum, lumen gloriæ ordine naturæ immediatè eidem tribuit eſſe receptiuum viſionis; idque complendo illius potentiam paſsiuam, & capacitatem, vt poſsit in ſe recipere viſionem: nam cum lumen detur beato propter viſionem, tãquam propter finem; itique ex intẽtione naturæ ad ipſum eſſe ſibi communicatum immediatè conſequitur aptitudo ad recipiendam viſionem; quantumuis ordine executionis vltimo loco eam recipiat. Igitur ſeruato ordine naturæ ſecundum luminis officium erit, diſponere intellectum, vt ſit viſionis ſuſceptiuus: quod tamen munus tertium locum obtinet, ſi in intellectu admittatur actiuitas, vt diximus q. 5. art. 11: nam ſicut in potentijs actiuis ad eſſe ſequitur eſſe operatiuum; ita in paſsiuis ad eſſe ſequitur eſſe receptiuum.

Intellectus iam conſtitutus in eſſe receptiui viſionis, immediatè diſponitur, vt aptus ſit vniri diuinæ eſſentiæ vnione formali recipiendo formam intelligibilem, quæcunque illa ſit. Quare tertium munus luminis erit diſponere intellectũ, vt ſit ſuſceptiuus diuinæ eſſentiæ, vt eſt forma intelligibilis. Fundamentum eſt; quoniam intellectus, vt per actum receptum poſsit intelligere, neceſſariò indiget ſpecie, qua fiat res ipſa, quam debet intelligere, vt oſtendimus lib. 8. 1. p. q. 4. art. vltimo. Illi igitur, qui volunt, intellectũ ad viſionem ſolùm paſſiuè cõcurrere, nõ poſſunt non admittere ſpeciem intelligibilem, ſiue creatam, ſiue increatam, vt diximus in eodem libr. 8. 2. p. q. 1. artic. vnico, §. 3. Quare ſicut intellectus actiuè influens in viſionem, factus potens videre, immediatè diſponitur, vt ſit ſuſceptiuus vnius, vel alterius ſpeciei; ita ſi ſolùm viſionem recipit, eo ipſo, quòd factus eſt ſuſceptiuus viſionis, ſtatim eodem lumine diſponitur, vt ſit ſuſceptiuus ſpeciei, per quam diuinam eſſentiam eſt viſurus. 3. 3. munus.

Quarto loco conſequitur munus actualiter vniendi intellectum cum diuina eſſentia, vnione formali, qua intellectus formaliter fiat Deus, de qua vnione diximus lib. 8. 1. p. q. 4. art. 1: cum enim intellectus Deum videre non poſsit, niſi intelligibiliter fiat Deus; fiat autem Deus per actualem receptionem formæ intelligibilis; oportet, vt intellectus iam factus ſuſceptiuus illius, actu eam recipiat, vt ea recepta formaliter vniatur cum diuina eſſentia, vt eſt obiectum, vt vnione ipſa fiat ipſa eſſentia diuina in eſſe intelligibili. Quod etiam munus exercet lumẽ gloriæ, quando intellectus actiuè viſionẽ elicit; ſed tunc vnitur, vt agat; nunc autẽ vnitur, vt recipiat. 4. 4. munus.

Poſt actualem vnionem intellectus cũ forma, qua fit Deus, quinto loco conſequitur 5. 5. munus.

quitur cõſtitutio intellectus in actu primo, & proximo ad recipiẽdum viſionẽ; ſicut etiam, quando actiuè concurrit immediatè cõſtituitur in actu primo ad producendam viſionem.

Sexto loco accedit munus vniendi di-
6. 6. munus. uinam eſſentiam cum intellectu vnione obiectiua; non quidem motiua ad intellectionẽ, ſed terminatiua illius. Pro quo aduerte, apud eos, qui intellectui nullum actiuum concurſum tribuunt, non eſſe admittendam vnionem obiectiuam diuinæ eſſentiæ cum intellectu in ratione obiecti motiui eiuſdem, vt actiuè influat: & eadem ratione nõ eſt admittenda vnio eſſentiæ cum eodem intellectu in ratione concauſę partialis; benè tamen admittenda eſt vnio obiectiua eſſentiæ in ratione termini; quia viſio ad illam debet terminari: terminus enim nullam habet actiuitatem in actum, quem terminat: vnde poteſt obiectum obiectiuè vniri cũ intellectu, quanuis ille ad viſionem nullum habeat concurſum, niſi paſſiuum. Quomodò autem lumen hanc obiectiuã, & terminatiuam vnionem faciat? ſtatim dicemus.

Adhuc reſtat ſeptimum luminis offi-
7. 7. munus. cium maximè neceſſarium, etiamſi intellectus ad viſionem ſolùm paſſiuè cõcurrat: hoc autem munus eſt illuſtrare, & illuminare, quæ à beato videri debent, ita vt obiectiuè præſentialiter appareant intellectui, & illi manifeſtentur: etenim lumen eſt medium ſub quo intellectui apparent, quæ ab eo ſunt videnda, vt diximus q. 5. art. 8. Quod munus neceſſariũ eſt, ſiue intellectus actiuè influat in viſionem, ſiue ſolùm eam recipiat: cũ enim per viſionem, ſiue elicitã à ſe; ſiue ab alio receptam, debeat notionaliter tendere in obiectum, & illud intelligibiliter apprehendere, vt omnes fatentur; hoc munus illuminandi obiecta ſemper exercetur à lumine, ſiue intellectus ſolùm paſſiuè, ſiue etiam actiuè ad viſionem concurrat.

¶ Poteſt tamen dubitari, quomodò, &
8. Quomodò obiecta illuſtrentur. vbi obiecta iſta illuſtrentur à lumine? Cuius difficultatis reſolutio pẽdet à quęſtione, vtrùm obiectum in ratione termini repræſentetur in ſpecie; an verò in ſola viſione? De qua quæſtione egimus lib. 8. in 1. p. q. 4. art. 8. Qui putant obiectum in ratione termini præſentari in ſpecie, priùs natura, quàm eliciatur viſio; neceſſariô docebunt ipſa obiecta illuſtrari in ſpecie, qua intellectus fit in actu primo: cum enim priùs natura ſit obiectum ſub ratione termini apparere, quàm viſionem ad illud terminari; vtique illuminabitur in ipſa ſpecie, vt in eadem terminatiuè appareat. Oppoſitum docebunt, qui nolũt, obiectum in ratione termini repræſentari per ſpeciem, quorum opinionem probauimus in d. art. 8. Nam ſi repręſentatur in verbo ab intellectione diſtincto, vt Thomiſtæ volunt; in eodem illuminabitur. Si verò repræſentatur in ipſa formali intellectione, quæ nec ratione diſtinguitur à verbo, vt communis habet opinio; illuminabitur in ipſa intellectione; quatenus intellectus illuſtratus in ſe exprimit illud obiectum, cuius ſimilitudinem in ſe habet.

Octauum, & vltimum luminis offi- 9.
cium eſt iuuare, & complere vim intelle- Poſtremũ munus.
ctiuam intellectus, vt per viſionẽ à Deo receptam intelligibiliter tendat in diuinam eſſentiam, illamque apprehendat; in qua tendentia, & apprehenſione poſita eſt formalis ratio intellectionis, vt dicemus lib. 10. q. 1. art. 2. §. 8. Quæ tendentia, & apprehenſio ſignificatur per modum actionis tranſeuntis ad obiectum, cum realiter non tranſeat, ſed ſolùm notionaliter: eſt tamen verè quædam tendentia vitalis, quæ per ſolas naturæ vires non poteſt tendere in diuinam eſſentiã, ſed eleuata, & completa per lumen gloriæ. Quare ſicut lumen iuuat, & complet virtutem actiuam ad producendum viſionem, apud eos, qui in intellectu virtutem viſionis productiuam agnoſcunt: ita etiam iuuat, & complet hanc vim intellectiuam, quæ eſt apprehenſiua obiecti. Quare hoc officium exercet lumen, ſiue
intellectus actiuè influat in viſionem, ſi- 10.
uè ſolùm paſſiuè: quia ſẽper habet quòd formaliter intelligat Deum per hanc formalem apprehenſionem, vt dicemus in d. §. 8. Et hæc diximus de muneribus luminis gloriæ, ſi admittatur, intellectum ad viſionem concurrere ſolùm paſſiuè.

ARTICVLVS III.

Vtrùm lumen neceſſarium foret de potentia abſoluta, ſi intellectus ſolùm recipit viſionem?

§. 1.

Opinio negans.

1. Opinio negans. PArtem negantem non poſſunt nõ probare, qui lumen gloriæ de facto non requirunt ad viſionem, ſi intellectus ad eam concurrit ſolùm paſsiuè, quos citauimus art. 1. Ouand. Eandem abſolutè probat *Ouand. in 4. diſt. 49. propoſit. 7.* vbi docet, hanc fuiſſe ſententiam Scoti; quem putat poſitis noſtris terminis abſolutè non negaſſe, lumen eſſe neceſſarium; quia id non negauit de potentia ordinaria, ſed de abſoluta tantùm. Sed quidquid ſit de Scoto hanc negantem ſenten- Palud. tiam in noſtris terminis tenet *Palud. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 3. concl. 2. n. 34:* docet enim viſionem à ſolo Deo produci, vt patet n. 36. & tamen exiſtimat, lumen eſſe neceſſarium de lege, non tamen de potentia abſoluta. Paludanum in ijſdem D. Antoninus. terminis refert, & ſequitur *D. Antoninus 3. p. titul. 30. cap. 4. §. 1. fol. 426. col. 4. §. de potentia abſoluta:* cum tamen antea ſcripſerit, viſionem eſſe à ſolo Deo. Eandem ſententiam ſatis expreſsit *Maior in 4. diſt.* Maior. 49. q. 4. vbi probabilius putat, intellectũ ſolum paſsiuè ſe habere ad viſionem; & tamen docet lumen requiri ſecundùm legem, non verò de potentia abſoluta. Vide illum §. *Secundo dico,* & in epilogo quęſtionis. Hanc ſententiam ſatis ſignificauit *Marſilius in 3. q. 10. art. 2. concl. 2. pag.* Marſilius. *414. col. 1.* dum ait, lumen gloriæ ad viſionem communiter requiri; ſentit igitur illud abſolutè non eſſe neceſſarium: agit autem in terminis noſtræ quæſtionis.

2. Huius opinionis fundamenta ſumi poſſunt ex ijs, quæ poſita ſunt q. 6. art. vnic. §. 2. Quæ ad inſtitutum noſtræ quæſtio- 1. fundam. nis faciunt, ſunt iſta. Primum, & principale; quia nulla inde infertur cõtradictio.

3. Secundum. Secundò; quia Deus poteſt ſupplere omnia officia luminis gloriæ.

Tertium. Tertiò; quia Deus ſine aliqua diſpoſitione eleuauit naturam humanam ad eſſe hypoſtaticum. Cur igitur non poterit ſine lumine eleuare intellectum ad viſionem à ſe non elicitam?

4. Quartum. Quartò; quia poteſt ponere viſionem in lapide, vbi nulla datur diſpoſitio. Cur igitur non ponet viſionem in intellectu non diſpoſito?

Confirm. Confirmatur, quia poteſt ponere formam ſubſtãtialem in materia ſine aliqua diſpoſitione. Cur igitur non ponet viſionem in intellectu ſine lumine?

Quintò; quia poteſt Deus ſe facere 5. Quintum. præſentem, tanquam obiectum in ratione termini ſine lumine. Ergo poterit intellectus ſine lumine Deum videre: etenim intellectus poteſt ferri in obiectum debitè applicatum.

Sextò; impoſsibilitas iſta non poteſt 6. Sextum. oriri ex indigentia diſpoſitionis; quia daretur proceſſus in infinitum. Nec oriri poteſt ex improportione intellect[9]: quia ſi ex ſe eſt improportionatus, etiam cum lumine improportionatus manebit; quia adhuc Deus in infinitum ab eo diſtat.

Septimò; viſio non ſuſcipitur in lu- 7. Septimum. mine, quo de facto diſponitur, tanquam in ſubiecto. Ergo potuit Deus tollere lumen manente viſione.

8. Octauò; Viſio eſt forma abſoluta rea- Octauum. liter diſtincta à lumine. Ergo diuina potentia poteſt manere ſine lumine.

Nonò; Deus de facto ſine lumine vi- Nonum. ſus eſt à Moyſi, & Paulo ex D. Thom. 2. 2. q. 181. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7. & de Veritate q. 10. art. 11.

Poſtremò; quia Deus eſſentialiter eſt Poſtremũ. lux. Ergo ſe ipſo abſque alio lumine poteſt ſe manifeſtare intellectui. ¶ Hæc ſunt, quibus opinio negans confirmatur.

§. 2.

Vera eſt opinio affirmans.

OPinio tamen affirmans lumẽ glo- 9. Affirmatio riæ de potentia abſoluta eſſe ne- eſt vera. ceſſarium, etiãſi intellectus ſolũ paſsiuè ſe habeat ad viſionem, eſt amplectenda, tanquam longè probabilior: nam eandem neceſsitatem probauimus ſuppoſita veriſsima opinione, quòd intellectus actiuè ſe habet ad viſionem, quam in ſe recipit. Qui hanc affirmantem ſententiam in terminis à nobis propoſitis probauerit, inueni neminem: etenim Richar- Richardus dus, qui noſtris terminis eam aſtruit, non non ſe explicat, an id intelligat de potentia Dei plicat. abſoluta, an de ſola ordinaria. Illi verò, qui ſuppoſita actiuitate intellectus abſolutè negant ſine lumine Deum videre poſſe, de quibus q. 6. art. vnico, §. 1. hanc impoſsibilitatem non ſumunt, niſi ex eo, quia actiuiuitas illa eſt improportionata: cum

cum tamen potentia paſsiua ex ſe proportionata ſit. Vnde ſi in intellectu actiuitatem non admitterent; vtique non negarent, id eſſe poſsibile. Quare ego ſolus ſum in certamine.

10. 1. fundam. Fundamentum primum ſit illud ipſũ, quod poſuimus q. 6. art. vnico, §. 5: quia nulla viſio, etiam diuina potentia, fieri poteſt, niſi obiecta intellectui manifeſtētur, & appareant: quod fundamentum locum habet, ſiue intellectus actiuè concurrat ad viſionem, ſiue ſolùm paſsiuè. Cum verò illa obiectiua manifeſtatio ſit effectus formalis luminis gloriæ; is autem nec per diuinam potentiam ſuppleri poſsit, benè infertur eſſe omnino impoſsibile Deum ſine lumine videri, ſiue viſio fiat ab intellectu actiuè, ſiue ſolùm paſsiuè. Vide in d. §. 5.

11. 2. fundam. Eadem impoſsibilitas euidenter ſumitur ſuppoſito ſolo paſsiuo concurſu: etenim Deus, nec per abſolutam potentiam, poteſt ſupplere cauſam materialem, vt contra Fonſecam communis habet Philoſophia: iam verò ſi intellectus ſolùm cõcurrit paſsiuè ad viſionem, ad eam ſolùm concurret concurſu materiali: cum verò ſecundum ſe ſit improportionatus, neceſſariò indigebit ſupernaturali eleuatione: nec enim admittimus, intellectum ex ſua natura eſſe ſuſceptiuum viſionis, vt diximus art. 1. §. 3. Porrò ſi capacitas paſſiua ad viſionem indiget eleuatione; non poterit materialiter concurrere, niſi virtus iſta materialis eleuetur: Deus autem non poteſt ſe ipſo materialiter concurrere, quia cauſam materialem ſupplere non poteſt. Igitur hanc potentiam paſsiuam neceſſariò eleuabit per aliquam formam, quæ ſit materialis diſpoſitio, qualis eſt lumen.

12. Solutio allata nõ tollit vim. Nec difficultatem tolles, ſi reſpõdeas, Deum ſe ipſo non poſſe materialem cauſalitatem ſupplere; poſſe tamen formam introducere in ſubiecto abſque diſpoſitione: poteſt enim abſque ea introducere formam in materia: non tolles, inquam, difficultatem; quoniam Deus tunc poterit formam introducere in materia ſine diſpoſitione, quando ipſa materia ex ſe ſimpliciter eſt ſuſceptiua formæ; quanuis non ſit connaturaliter ſuſceptiua illius ſine diſpoſitione: quia tunc per diſpoſitionem diſponitur, & eleuatur, non vt ſimpliciter poſsit; ſed vt connaturaliter poſsit. Iam verò, quando materia ex ſe non habet potentiam paſsiuã proportionatam, ſed improportionatã potiùs; tunc non poteſt Deus formam introducere abſque diſpoſitione, qua formaliter eleuetur, vt ſimpliciter poſsit materialiter cõcurrere; quare cum potentia paſsiua intellectus ſecundum ſe ſit ad viſionẽ improportionata, & indigeat eleuatione, vt proportionata ſit ad materialiter concurrendum; non poterit Deus viſionem ponere in intellectu ſine paſsiua diſpoſitione: etenim eam eleuare non poterit ſuo ſpeciali concurſu. Nec eſt eadem ratio in eleuatione ad agendum in viſionem, & ad cõcurrendum ſuo materiali concurſu: quoniam ideò Deus poteſt eleuare cauſam efficientem ad effectum ſupernaturalem; quia habet principium actiuum proportionatum tali effectui, quod ipſa eleuatione poteſt illi cõmunicare, iuxta Philoſophiam Fonſecæ, de qua *in d. q. 6. art. vnico, §. 4. in 3. aduertentia*: illo autem cõmunicato ipſa cauſa efficiens iam manet proportionata, & eiuſdem ordinis. Hæc autem Philoſophia locum non habet in cauſa materiali: cum enim Deus in ſe formaliter non habeat principium concurſus materialis, vt contra Fonſecam ſupponimus; non poterit eleuare cauſam materialem, communicando illi ſuum materialem concurſum. Vnde in propoſito locum non habet modus eleuandi, qui Fonſecæ placuit. Sed nec locum habet modus eleuandi, qui placuit Molinæ, per coniunctionem cauſalitatis partialis: quia Deus ad viſionem, aliumvẽ ſupernaturalem effectum non poteſt concurrere, vt cauſa materialis partialiter concurrens cum alia materiali. Sed nec locum habebit tertius eleuandi modus per impreſſionem ſupernaturalis qualitatis, quæ lumen ſuppleat, quia ex *dicta quæſt. 6. art. vnico*, §. 5. manifeſtatio, & apparentia obiecti eſt proprius effectus formalis veri luminis, & ideò ſuppleri non poteſt per formam, quæ non ſit verum lumen. Quare nullo modo datur locus concurſui ſpeciali, quo Deus poſsit potentiam paſsiuam intellectus eleuare, vt materiali concurſu influat in viſionem. Admittam poſſe Deũ efficiẽter ſupplere cauſalitatẽ materialem, ita vt effectum faciat cauſa

13. (margin, beside "Nec eſt eadem ratio")

Modus dicendi Fonſecæ nõ habet locum.

14. Nec modus Molinæ.

materiali non concurrente; vt facit, quãdo conſeruat accidens ſine ſubiecto: non tamen admittam poſſe Deum eleuare cauſam materialẽ, vt materialiter cauſet, ſupplẽdo per ſe ipſum id, quo materialis cauſa cõpletur, vt poſsit materialiter influere. Quod eſt diligenter aduertendũ.

Concluſio dictorum. ¶ Concludimus igitur his duobus fundamentis ſatis conuinci non poſſe Deum efficere, vt intellectus ſine lumine gloriæ Deum videat, quantumuis ad viſionem ſolùm paſsiuè concurrat.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

15. Ad arg. ARgumenta adducta §. 1. pro ſententia negante parum habent efficaciæ; nam vel omnia, vel ferè omnia ſoluta ſunt ex dictis quæſt. 6. art. vnico, §. 6. Singula breuiter diſſoluemus.

Ad 1. Ad primu patet ſolutio: quoniã implicatio ex eo ſumitur, quia Deus non poteſt ſupplere, aut cauſam formalem, aut materialem. Lumen autem, & eſt cauſa formalis illuminationis obiecti; & eſt diſpoſitio materialis complens potentiam paſſiuã, vt materialiter concurrat ad viſionẽ.

16. Ad 2. Ad ſecundum, negatur id, quod ſumitur: quia nec poteſt ſupplere officium illuminandi, vt diximus in d. §. 6. *ad primam confirm. 2. argum. & ad argum.* 4. & 7: nec etiam poteſt complere virtutem paſsiuam intellectus, vt materialiter influat in viſionem.

17. Ad 3. Ad tertiũ patet ſolutio in d. §. 6. *ad* 8.

Ad 4. Ad quartum reſpondimus ibidem ad confirmationem noni argumenti: quoniam viſio poſita in lapide non indiget lumine, cum eum non faciat videntem.

18. Ad confirmationẽ. Ad confirmationem patet ſolutio ex dictis: poteſt enim Deus ſine diſpoſitione ponere formam in materia, quæ ex ſe apta eſt recipere formam: talis autem nõ eſt intellectus ſine lumine: tum; quia indiget eleuatione, vt ſit potentia proportionata ad recipiendum viſionem: tum etiam; quia viſio ſine lumine non poteſt facere intellectum eſſe videntem.

19. Ad 5. Ad quintum facilis eſt ſolutio ex d. q. 6. §. 6. ad 11: ſicut enim obiectum nec diuina potẽtia poteſt ſine lumine fieri præſens præſentia obiectiua ad mouendum intellectum ad eliciendum, apud eos, qui in intellectu admittunt actiuitatem; ita nec ad terminandum viſionem: etenim ſi fieri non poteſt, vt intellectus ſine lumine obiectum apprehendat; nec fieri poterit, vt obiectum ſine lumine illi fiat præſens, vt viſionem terminet. Antecedens igitur eſt falſum; & conſequentia eſt nulla: quia intellectus ſine lumine non poteſt tendere in obiectum, etiamſi per impoſſibile admittatur præſens terminatiuè.

Sextum argumentum diſſoluimus in d. §. 6. ad 12: vide quæ ibi diximus. Ad 6.

Ad ſeptimum, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequẽtia: quia neceſsitas luminis non præciſè ſumitur ex officio diſponendi ad viſionem; ſed ex officio illuminandi, & manifeſtandi, quæ videnda ſunt, vt patet ex d. §. 6. ad 14. & ad illius confirmationem; vnde, quanuis ſine diſpoſitione poſſet manere viſio, quæ ſemel producta eſt (quod tamen negamus) non tamen manere poteſt ſine illuminatione; quod eſt noſtrum fundamentum. 20. Ad 7.

Ad octauum reſpondimus in d. §. 6. ad 15. ſatis ſint, quæ ibi diximus. 21. Ad 8.

Ad 9. etiam diximus in eodem loco ad poſtremum argumentum: negandum eſt enim Deum in via ſine lumine fuiſſe viſum, aut â Moyſi, aut â Paulo. Ad 9.

Ad poſtremum patet ſolutio ex dicto §. 6. ad 17. arg. nec enim oportet eadem iterũ repetere. ¶ Et hæc de iſto art. & q. Ad poſtremum.

QVÆSTIO VIII.

De natura, & entitate luminis gloriæ.

IN ſuperioribus egimus de neceſsitate luminis gloriæ ad videndum Deum, ſecũdum potentiam, & ordinariam, & abſolutam; idque ſiue intellectus actiuè concurrat ad viſionem, ſiue paſsiuè. Explicauimus etiam omnia illius munera: ſupereſt, vt aliqua dicamus de natura, & entitate illius. De hoc plura inquiremus.

Primò; vtrùm lumen gloriæ nihil aliud ſit, quàm ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ?

Deinde; vtrùm realiter ſit ipſa viſio beata?

Tertio loco; an ſit ipſa gratia gratum faciens, quæ eſt in beatis?

Quartò; vtrùm ſit aliquid infinitum?

Poſtremò, in quonam genere, & ſpecie ponatur?

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm lumen gloriæ realiter ſit ipſa ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ?

§. 1.

Opinio Bellomontani affirmans.

1. Opinio affirmans. *Bellomon.* HAnc opinionem vnus Bellomōt. fecit dubitabilem : in ea enim eſt opinione, vt lumen gloriæ nihil aliud ſit, quàm ſpecies impreſſa eſſentiæ diuinæ. Ita 1. *p. q.* 43. *c.* 7. *n.* 32. §. *Deinde ego non dubitarem*; quam iterum probat ad 3. *partem diſp.* 54. *c.* 2. *n.* 5.

2. 1. ratio. Hanc opinionē primùm probat; quia nullus ex antiquioribus vnquã diſtinxit lumen gloriæ à ſpecie eſſentiæ diuinæ.

3. 2. ratio. *D. Thom.* Deinde; quia hæc fuit mēs D. Thomæ: id autem colligit ex 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *& ex* 3. *cont. gent. c.* 54. *ad* 3. *rationem,* in quibus locis, *lumen gloriæ vocat ſimilitudinē Dei:* non quidē eo modo, quo omnis creatura dicitur Dei ſimilitudo, vt malè explicant quidam ex diſcipulis illius; ſed ideò, quia ſicut ſpecies impreſſa fœcundat intellectum, vt intelligat obiectum; ſic etiàm lumen gloriæ intellectum fœcundat. Nec obſtat, inquit, quòd D. Thom. vocat lumen ſimilitudinem Dei, quę ſe tenet ex parte potentiæ, non verò ex parte obiecti: quoniam D. Thom. per ſpeciem ex parte obiecti intelligit ſolùm eam, quæ priùs viſa facit obiectum videri, vt putat ſe probaſſe diſp. 39. pręcedente: quare per ſimilitudinem ex parte potentiæ, intelligit ſpeciem impreſſam; & per conſequens vult, lumen gloriæ eſſe talē ſpeciē. Nec ſecūdò obſtat, inquit, quòd D. Tho. ipſum lumen gloriæ appellat habitum 1. p. q. 12. art. 5. ad 1: quoniam D. Thom. ipſas ſpecies intelligibiles vocat habitus, vt patet 1. 2. q. 50. art. 6. dum Angelis concedit habitus intellectuales, nimirū ſpecies, vt explicat. Nec tertio loco obſtat, inquit, quòd D. Thom. ſæpè doceat, diuinam eſſentiam in beatis eſſe loco ſpeciei, & nullam aliam in illis dari creatam ſpeciem: quoniam falſum eſt id, quod ſumitur: nec enim, vt ait, D. Thom. vnquã illud docuit, vt putat, ſe probaſſe in eadē diſp. 43. cap. 6. Exiſtimat igitur D. Thomam ſenſiſſe, lumen gloriæ eſſe ſpeciem quandam impreſſam repręſentatiuam diuinæ eſſentiæ.

4. 3. ratio. Tertiò ita arguit *n.* 33. §. *Adde quod:* lumen complet efficacitatem intellectus, vt viſionē eliciat. Ergo lumen repræſentat Deū habitualiter, ſiue in actu primo. Ergo eſt ſpecies impreſſa Dei. Antecedēs cōmuniter admittitur: cōſequentiam ex eo probat; quoniam ideò aliqua qualitas dicitur repręſentare obiectum habitualiter, & in actu primo, quia eſt principium eliciēdi viſionem: viſio enim eſt actualis, & expreſſa Dei repręſentatio, vt putat ſe demonſtraſſe ibidem diſp. 38. c. 2. Quare cum lumen gloriæ ſit principium elicitiuum viſionis, erit repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ. Secundam verò conſequentiam, vt notam ſupponit; quia nihil, niſi ſpecies impreſſa poteſt eſſe habituale repręſentatiuum Dei, quo intellectus conſtituatur in actu primo ad videndum.

5. 4. ratio. Quartò ita arguit nu. 34: Species impreſſa diuinæ eſſentiæ eſt poſſibilis: id enim probauit in d. diſp. 38. Ergo potiùs dicendum eſt, ſpeciem impreſſam eſſe cōmunicatam beatis, quam diuinam eſſentiam loco ſpeciei: quæ enim Deus poteſt facere media aliqua forma, ea facit mediãte tali forma; quia in operando ſeruat modum connaturalem rebus. Et inde infert, lumen gloriæ eſſe ſpeciem creatam. Quę conſequentia ex ijs, quæ ſcribit, ita probari poteſt: quia dari ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, & illam eſſe diſtinctam à lumine, inter ſe non conſentiunt; eſſet enim lumen omnino ſuperfluúm; ſicut etiam ſuperfluum erit, ſi diuina eſſentia ſubeat vicem ſpeciei, vt putat ſe probaſſe.

6. 5. ratio. Quinto loco ex ijs, quæ non minus latè, quàm confuſè ſcribit in d. diſp. 43. c. 3. 4. & 5. plerique hoc argumentum deſumunt, quod ſatis tangitur *in d. cap.* 7. *n.* 33. §. *Adde quod.* Intellectus, & lumen gloriæ ſunt vnum integrum principium viſionis. Ergo diuina eſſentia non poteſt ſubire vicem ſpeciei. Ergo lumen gloriæ erit ipſa ſpecies. Hanc vltimam conſequentiam, vt notam ſupponit. Antecedens primi diſcurſus putat ſe probaſſe in cap. 6. eiuſdem diſputationis. Primam verò conſequentiam ex eo probat; quia, ſi ſemel admittatur diuina eſſentia loco ſpeciei, lumen gloriæ erit ſuperfluum, vt putat ſe iam oſtendiſſe in d. cap. 3. 4. & 5.

7. Vltima. Poſtremò ex ijs, quæ locis citatis docet, poteſt adduci hoc argumentū: quoniam

in ſcientia infuſa Chriſti,& aliorũ,lumen infuſũ nõ diſtinguitur à ſpeciebus. Ergo nec in ſcientia beata lumen gloriæ diſtinguetur à ſpecie impreſſa diuinæ eſſentię. Conſequentia videtur nota; quia eadem videtur ratio in vna,& altera ſciẽtia. Antecedens probauit *in d. diſp.43. c.5. n.22. & latiùs 1.tom.ad 3.partem diſp.54. c.2.*

Hæc fundamenta potui colligere ex Bellomõtano in d.diſp.43. Ex quibus c. 7. concludit, lumen gloriæ rectè vocari poſſe ſpeciem intelligibilẽ diuinæ eſſentiæ:& n.36.infert, nõ ſolùm nullum eſſe abſurdum, ſed etiam optimè dici poſſe, Deum de facto videri per ſpeciem impreſſam à Deo creatam.

§. 2.

Opinio ſecunda.

8. Opinio.2. *Lorca.* QVanuis hæc opinio Bellomõtani vehementer diſpliceat *Petro de Lorca 1.2.q.5.art.1.diſp.30.pag.166.col.1 in princ.* in eo tamẽ ſenſu diſplicèt,ſi intelligatur, quòd lumen gloriæ re, & ratione idem ſit, quòd ſpecies diuinæ eſſentiæ:nõ tamẽ omnino diſplicet, ſi ita intelligatur, vt lumen re quidem idẽ ſit, quod ſpecies diuinæ eſſentiæ;ratione tamẽ ab ea diſtinguatur,vt explicat *pag.169. col.1. §. Aduertendum tamen:* vbi cõcludit vno modo poſſe lumen gloriæ,& ſpeciẽ abſque nota cõfundi; ſi dicamus eãdem qualitatem ſimul eſſe ſpeciẽ,& lumen: quæ tamen ratione differat,quaten' eſt ſpecies,& quatenus eſt lumẽ: etenim,quatenus eſt ſpecies,erit pro obiecto, & illud vniet intellectui,quod eſt proprium ſpeciei: at verò, quatenus eſt lumen, eleuabit intellectum,& illum confortabit.

9. Confirmatio. Hanc opinionẽ ex eo confirmat; quia poſita illa,effectus,& ſpeciei, & luminis vni,& eidem qualitati tribuuntur;prout tamẽ ipſa à ſe ratione diſtinguitur, vt eſt ſpecies,& vt eſt lumen. Sed quanuis hãc opinionem ita explicatam putet probabilem; probabiliorem tamen eſſe aſſerit opinionem, quæ lumẽ realiter diſtinguit à ſpecie, quæ eſt communis opinio.

§. 3.

Vera opinio lumen realiter diſtingit à ſpecie.

10. Vera opin. realiter diſtinguit. COntra vtráque opinionem ſtatuẽda eſt hæc concluſio: *Lumen gloriæ eſt qualitas realiter diſtincta à ſpecie diuinæ eſſentiæ.* Hęc cõcluſio,vno excepto Bellomontano, ab omnibus communi cõſenſu recipitur,reiecta tanquam noua, & improbabili opinione Bellomontani. Concluſio. Ex domeſticis,eiuſdemq; familiæ reijcitur à *Suario 1.tom.ad 3.p. diſp.29. ſect. 2. pag.556.col.1.B.C.§.Tertiò ſi obiectum,& clariùs lib.2.de attrib.negat.c.14. n.8. & à Sala 1.tom.ad 1.2.q.3.tract.2. diſp. 5. ſect. 3.ad finem in 3.difficult.pag.354. col.1.* & Suar. Salas. cõmuniter ab alijs eiuſdẽ familiæ Theologis. Ex extraneis eam reijcit Nauarret. *1.tom.contro.37.§.7.pag.235.col.2.& 3.* eandem,tanquam nouam improbat *Ripa 1.p.q.12.art.5.c.2.dubitatione 1. in 3.propoſ.fol.52.col.3.* Nauarret. Ripa. Vehemẽter diſplicet Lorcæ in d.diſp.30:vnde mirũ eſt,quod tanquã probabile admittat,lumen ſola ratione diſtingui à ſpecie:ſed quidquid de hoc ſit,putat noſtrã opinionẽ longè eſſe probabiliorem. Denique opinio, quæ inter lumen,& ſpeciẽ reale deſcrimen non admittit, in ſcholis à Recentioribus cõmuniter reijcitur,vt improbabilis: & pro noſtra ſentẽtia eſſe omnes Theologos, qui de lumine glorię loquũtur,teſtatur Suar. ad 3.p.loco citato:omnes enim,vt ait,per lumen gloriæ intelligunt rem à ſpecie diſtinctam. Et meritò ſane; quoniam non ſolũ id affirmant omnes, qui poſt Bellomontanum ſcripſerunt,quos ſuprà retulimus;ſed etiam omnes,qui ante eum fuerunt,tam recentiores,quàm antiquiores.

11. Quibus nã hæc opinio debet placere. Satis eſt de mente eorũ, qui in beatis nullam ſpeciẽ admittũt, aut creatam, aut increatam,poſitã loco ſpeciei, quos adduximus lib.8. in 2.p.q.1.art. vnic. §.1. & tamen plures eorum admittunt lumen in beatis;inter quos enumerãdi ſunt Nominales, qui omnes ſpecies intelligibiles tũ à nobis, tũ ab Angelis cõſtãter relegarũt, vt diximus 1.p.lib.8.q.1.ar.1.n.3.&ar. 2.§.1.n.1.&ex conſequenti negant dari in beatis, aut ſpeciem creatã diuinæ eſſentię,aut ipſam diuinã eſſentiã loco ſpeciei, vt aduertimus in eodem lib. 8. in 2.p.q. 1.art.vnic.§.1.n.1:&tamen plures eorũ, Nominal. poſitionem luminis gloriæ, tanquam indubitatam admittunt, vt *Gabriel, Maior, Marſilius,& Holcoth,* quos citauim' *ſuprà q.4.art.1.§.2.n.26.* Inter eoſdẽ authores enumerãdus eſt Argẽtina:is enim *in 4. d. 49.q.2.ar.1.col.2.* docet eſſe de fide,dari lumẽ glorię;& tamẽ ibidẽ *art.2.in impugnatione*

natione primæ opinionis, §. Sed iſta opinio, negat in beatis dari ſpeciẽ creatam; & in impugnatione ſecũdæ opinionis, *§. Sed iſtud non videtur*, ſimpliciter negat eſſentiam diuinam ſubire vicem ſpeciei. Inter eoſdem eſt enumerandus Molina, qui non
Molina. ſolùm negat, beatos videre Deum per ſpeciem creatam, vt patet *1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. concl. 2*: ſed etiam putat non eſſe improbabile, diuinam eſſentiam non ſubire vicem ſpeciei, vt ibidem docet diſp. 2. pag. 111. col. 2. B: & tamẽ putat ita eſſe certum dari lumẽ gloriæ, vt id negare ſit minus tutum, vt patet in d. *diſp. 1. concl. 1. & 2. pag. 115.* Inter eoſdem enumera-
Richard. ri poſſunt Richardus, & Mayronius: v-
Mayron. terque enim nullam in beatis recipit ſpeciem, vt diximꝰ lib. 8. in 2. p. q. 1. ar. vnic. §. 1. n. 1: & tamen vterque admittit lumẽ gloriæ, vt diximus ſuprà q. 4. art. 1. §. 2.
D. Bonau. n. 25. & art. 2. §. 1. n. 3. Cum eiſdem nu-
Pariſienſis merandi ſunt D. Bonauent. & Pariſiẽſis: admittentes enim lumen gloriæ, nullas in beatis ſpecies admittunt, vt aduertimꝰ lib. 8. 2. p. q. 3. art. 3. §. 1. n. 2. & 3. Hi omnes cum admittant lumen gloriæ in beatis, & in illis nec admittant ſpeciem creatam, nec eſſentiam loco ſpeciei, non poſſunt non admittere realem diſtinctionẽ inter lumen, & ſpeciem.

13. In qua etiam ſententia non poſſunt non eſſe, qui in beatis ſpeciem creatam non admittunt, ſed ſolam diuinam eſſentiam loco ſpeciei, quos citauimus lib. 8. in 2. p. q. 2. art. 2. §. 1. & q. 3. art. 2: & tamen admittunt, lumen gloriæ, de quibus ſuprà q. 4. art. 1. §. 2: inter quos eſt Diuus
D. Thom. Thomas cũ tota ſua ſchola. Hi igitur non poſſunt realiter non diſtinguere lumen gloriæ à ſpecie; cum lumen ſit quid creatum, ſpecies autem ſit increata. In eadem opinione ſunt plures eorum, qui cum lu-
Thomiſtæ. mine gloriæ admittunt ſpeciem creatã, de quibus in 2. p. libri 8. q. 3. art. 3. §. 1. Quod ſatis colligitur ex Argentina, qui
Argent. putat eſſe de fide dari lumen gloriæ; ſpeciem autem creatam in beatis dari, putat non eſſe improbabile, vt patet *in 3. diſt. 14. q. vnica art. 1. ad 3*: quod ſatis arguit
14. apud eum lumen realiter diſtingui à ſpe-
Richard. cie. Accedat etiam Richardus, qui putat probabile eſſe dari in beatis ſpeciem creatam, quam putat recipi in intellectu poſſibili: cum tamen lumen gloriæ non po-

nat, niſi in intellectu agente, vt patet *in 4. diſt. 49. art. 3. q. 2*: quæ duo ſatis arguunt ex ſententia Richardi lumen realiter diſtingui à ſpecie, cum ſit in ſubiecto realiter diſtincto. Id ipſum colliges ex *Ouando*, ſi expendantur, quæ ſcribit *in 4. diſt. 49. propoſit. 10*: admittit enim ſpeciẽ creatam, & tamen docet non eſſe confundendam cum lumine. Quod etiam ſatis declarat, quatenus in Angelis, & in Paulo admittit ſpeciem creatam, eiuſdem rationis cum ea, quæ eſt in beatis; & tamen in vtroque eam admittit ſine lumine. Id ipſũ confirmat *Scotus in 4. diſt. 49. q. 11.* dum ad finem corporis ita ſcribit: *Vnde minus videtur mihi neceſſe ponere lumẽ, quàm ſpeciem*: quæ verba ſatis declarant realem diſtinctionem: nam ſi idem eſſet cum illa; æqualis eſſet vtriuſque neceſsitas. Denique ſatis id expreſſè docuit *Richardus in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. §. Qui vult quartam opinionem ad 4. arg.* vbi formaliter negat lumen gloriæ eſſe ſpeciem.

Ouand. · 15. *Scotus.* · *Richard.*

§. 4.

Confirmatur poſita Concluſio.

QVanuis opinio Bellom. communiter reijciatur à poſterioribus, vt noua, & improbabilis; non tamen omnes ſufficienter eam impugnant. Quare agendum erit de illius impugnatione, & de confirmatione noſtræ opinionis. 16. *Confirmatur concluſio.*

Pro clariori explicatione præmittendum eſt opinionem Bellomontani defẽdi nullo modo poſſe, ſi Deus à beatis videtur per ipſam eſſentiam loco ſpeciei poſitam: nam cum lumen gloriæ ſit qualitas creata, non poteſt non diſtingui realiter à ſpecie, qua Deus videtur. Quare, qui putant ſpeciem creatam, vel omnino eſſe impoſsibilem, vel de facto non dari; ſatis impugnabunt opinionem Bellomõtani, & hoc medio eam impugnat *Ripa 1. p. q. 12. art. 5. c. 2. dub. 1. in 3. propoſit.* vbi ſuppoſita opinione præcitata, ex eo probat lumen gloriæ non eſſe ſpeciem; quia darentur duæ ſpecies eiuſdem viſionis. Suarius etiã *tum in 2. de attrib. neg. c. 14. n. 8. tũ 1. tom. ad 3. p. diſp. 29. ſect. 2. pag. 556. col. 1.* eodẽ medio Bellomõtanũ cõuincit. Sed efficaciter eum conuincerent, ſi Bellomont. aut admitteret, diuinam eſſentiã loco ſpeciei; aut negaret dari in beatis ſpeciem creatam: cum tamen ille nec illud prius admittat, nec neget hoc poſte-

17. *Præmiſſum* · *Ripa.* · *Suarius.* · *His non ſatis conuincitur.*

rius: Non admittit illud prius; quia putat lumen omnino eſſe ſuperfluum, ſi admittatur diuina eſſentia loco ſpeciei: vt ſuperiùs vidimus q. 5. art. 12: non negat verò illud poſterius; quia ſuppoſita poſſibilitate ſpeciei creatæ, quam probat 1. p. diſp. 38. putat longè eſſe probabilius dari ſpeciem creatam, vt ſcribit *in d. diſp.* 43. *c.* 7. *n.* 34.

18. Quare ex hoc cap. non ſatis cõuincitur Bellomontanus; quia, dum aſſerit lumen realiter eſſe ſpeciem diuinæ eſſentię, id intelligit de ſpecie creata; ita fit, vt qui contra Bellom. pugnare debet, ſolùm pugnabit ſuppoſita ſpecie creata diuinæ eſſentiæ, & quod eſſentia in beatis non gerit vicem ſpeciei. His igitur duobus ſuppoſitis, oſtendendum eſt, lumen realiter diſtingui à ſpecie creata.

In quo ſenſu Bellom. debet impugnari.

19. In hoc ſenſu fortè aliquis dicet, opinionem Bellomontani, nec antiquis fuiſſe ignotam; nec eſſe omnibus modis improbabilem. Quòd non fuerit antiquis ignota, ſatis colligi videtur ex *Richardo in* 4. *diſt.* 49. *art.* 3. *q.* 1. §. *Alij dicunt*, vbi nonnullos refert, qui agentes de hac ſpecie creata ita ſcribunt: *ſiue realiter differat à lumine gloriæ, ſiue non*: quibus verbis nõ omnino reijcit, lumen glorię realiter eſſe idem cum ſpecie creata. Ego pondero verba D. Thomæ *quodlib.* 7. *artic.* 1. *ad* 4. *dum ait, diuinam eſſentiam, ideò quia eſt pura lux, non requirere aliam ſpeciem, quam lumen.* Quæ verba ſatis ſignificant, lumen gloriæ in beatis eſſe ſpeciem. Quòd illa opinio aliquo modo ſit tollerabilis nonnulli nouiorum fateri videntur, aſſerentes tollerabile quidem eſſe, ſi lumini concedatur, & munus eleuandi intellectum in genere potentiæ, & determinandi illũ ex parte obiecti, quod proprium eſt ſpeciei. Huic opinioni accedit *Lorca relatus* §. 2. qui identitatem realem luminis cum ſpecie, tanquam probabilem admittit, cũ diſtinctione tamen rationis vnius ab alio: ita, vt illa qualitas, quæ realiter eſt lumẽ, & ſpecies, ſub alia ratione ſit lumen, & ſub alia ſpecies.

An hęc opinio ſit noua? ***Richard.*** ***D. Thom.*** ***Lorca.***

20. ¶ His tamen non obſtantibus ego puto, opinionem Bellomontani, vt ab eo explicatur, & in ſe eſſe falſam, & improbabilem. Pro quo aduerto, Bellomontanũ ita probare realem identitatem luminis cum ſpecie; vt nullam in ea admittat rationis diſtinctionem: nihil enim tribuit lumini, niſi, quod pertinet ad ſpeciem: in quibus terminis, nec Lorca, nec nouiores loquuntur, vt ex dictis patet. In his igitur terminis opinio Bellomontani, & falſa eſt, & improbabilis.

Opinio iſta eſt improbabilis.

Primùm fundamentum ſumimus ex eo, quòd opinio ita explicata, & reijcitur à poſterioribus, & contradicit antiquioribus. Quare opinio contraria non poteſt non eſſe probabiliſſima, ne dicam certa, quæ ab omnibus, & antiquioribus, & poſterioribus, vno excepto, vnanimiter approbatur. Dixi, vno excepto, quia neminem inueni, qui aſſertiuè dixerit, lumen eſſe ſpeciem: nam licet Theologi, quos refert Richard. addant verba iam adducta, non proinde approbant luminis cum ſpecie omnimodam identitatem realem: ideò enim illa verba addiderũt, quia quæſtio de identitate ſpeciei cum lumine nihil conducebat ad quæſtionem, quam ſtatuebant: imò dum ſtatim lumen à ſpecie diſtinguunt (adducunt enim quatuor cauſas in viſionem influentes intellectum, lumen, ſpeciem, & diuinam eſſentiam) ſatis explicant ſe illa verba non appoſuiſſe, vt ſignificarent vtranque quæſtionis partem eſſe probabilem. Nec pro Bellomontano adduci poteſt D. Thomas, quia verbis citatis non ſignificat, lumen eſſe ſpeciem, nec diuinam eſſentiam requirere aliam ſpeciem, niſi lumen: aliâs ſecum pugnaret, dum præter lumen requirit diuinam eſſentiam loco ſpeciei; quare ſolũ docet eſſentiam diuinam, ideò quia eſſentialiter eſt lux, præter lumen non requirere aliquam ſpeciem creatam, quam tamen requirunt alia obiecta, quæ eſſentialiter non ſunt lux. Lorca autem, & nouiores citati, licet putent probabile eſſe ponere realem identitatem luminis cum ſpecie; ponunt tamen diſtinctionem rationis inter vtrunque.

21. Fundamentum. **Qui citantur à Richa. nõ ſunt pro hac opinione.** **Nec D. Th. eſt pro illa.**

Secundum fundamẽtum ſumi poteſt ex eo, quòd nec ſpecies à Philoſophis, & grammaticis ſolet appellari lumen, nec lumen ſpecies, niſi valde impropriè, & metaphoricè, vt benè aduertit *Suarius in d. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 8. *& alij plures cum eo.* Hoc poſterius ſatis patet; illud verô priùs iam aduertimus q. 2. art. 1. §. 3. n. 9. & q. 3. art. vnic. §. 1. n. 13. & aduertit *Capreol. in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 3. *Aureoli* 3. *loco fol.* 208. *col.* 3.

22. 2. fundam. ***Suarius.*** ***Capreol.***

Ter-

23. Fundamentum. Tertiò contra eandem opinionem inſurgit Suarius deducendo ad abſurdum 1. tom. ad tertiã partẽ diſp. 29. ſect. 2. pag. 556. col. 1. C: quia hæc opinio nõ poteſt non admittere in beatis dari ſpeciem creatam, ſi lumen realiter eſt ſpecies. Conſequens tamen non ſolum eſt contra recentam Philoſophiam, ſed etiam contra rationem; quia ſpecies non eſt neceſſaria, vbi obiectum eſt actu intelligibile, & per ſe ipſum adeſt potentiæ. ¶ Sed argumentum parũ vrget; quia admittere ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, nec à Bellomontano reputatur eſſe abſurdum, vt declarat in dicta diſp. 43. cap. 7. num. 34. nec à nobis: quin potius exiſtimamus non ſolùm eſſe veriſſimum dari in beatis ſpeciẽ creatam; ſed etiam non poſſe diuinam eſſentiam gerere vicem ſpeciei, vt diximus *in 2. p. libri 8. q. 3. ar. 43. 5. & 6. vbi ar. 7. ad* 12. & vltimum diſſoluimus rationem adductam à Suario.

Parum vrget.

Expenditur quarta ratio.

24. An 4. ratio vim habeat. ¶ Quartò loco quidam ex Nouioribus ſic argumẽtatur; quoniã ſi lumen eſt ſpecies, intellectus creatus non minus erit proportionatus eliciendæ viſioni beatæ, quàm cuiuis notitię connaturali; quòd eſt abſurdum. Sequela probatur; quoniam ſicut ex parte intellectus eſt vis ſufficiẽs ad producendam intellectionem obiecti connaturalis, ſi adſit ſpecies illius, ita de mente Bellomontani ex parte intellectus eſt vis ſufficiens ad eliciendam viſionem beatam, ſi adſit ſpecies impreſſa repræſentatiua Dei. Ergo ſicut virtus ex parte potentiæ eſt proportionata vſioni connaturali; ita erit proportionata viſioni beatæ: etenim, ſicut quæ eſt ad viſionẽ beatam, poteſt, ſi adeſt ſpecies; & ſine illa nõ poteſt; ita quæ eſt ad intellectionem connaturalem, poteſt, ſi adeſt ſpecies obiecti; non poteſt autem, ſi non adeſt. Igitur, virtus, quantum eſt ex parte potentiæ, erit æque proportionata ad vnam, & alteram viſionem. Hoc autem abſurdum non ſequitur, ſi lumen gloriæ realiter diſtinguitur à ſpecie: quia falſum eſt virtutẽ ex parte intellectus eſſe ſufficientem ad viſionem beatam, ſi adſit ſpecies: niſi enim per lumẽ eleuetur, & proportionetur, quantumuis admittamus diuina potentia ſpeciẽ creatã poni in intellectu, non poterit viſionem producere.

Hæc ratio re benè inſpecta non conuincit Bellomontanũ: neganda enim eſt ſequela. Cuius probatio indiget explicatione, vt tollatur latens æquiuocatio, quę ſicut confuſionem, ita etiam deceptionẽ cauſat. Præmittendum eſt igitur virtutem intellectus tenentem ſe ex parte potentiæ, præſente ſpecie, ſemper eſſe ſufficientem ad obiecta naturalia, & ſupernaturalia: quia ſeruata lege intellectus non conſtituitur in actu primo per ſpeciem obiecti, niſi virtus ex parte potentiæ iam in ſe ſit completa, & proportionata: actus enĩ (qualis eſt ſpecies) nõ recipitur, niſi in potentia proportionata. Sed tamen, quãuis omnis talis virtus, quando adeſt ſpecies, iam ſit ſufficiẽs: negabit tamen Bellomont. inde inferri omnem talem virtutem eſſe ſecundùm ſe ſufficientẽ ſine ſpecie: nam licet id reperiatur in virtutẽ intellectiua reſpectu obiecti, & actus naturalis; non tamen id reperitur in ea, reſpectu obiecti, & actus ſupernaturalis. 25. Ratio non conuincit. Præmiſſum

26. Ratio diſcriminis. Ratio diſcriminis eſt; quia virtus intellectiua, quæ ſe tenet ex parte potentiæ, & ex parte ipſius virtutis, ſecũdum ſe eſt ſufficiens, & completa in ordine ad obiecta, & actus connaturales, ſufficientia, quæ ſe tenet ex parte ipſius intellectus, & ſolùm indiget determinatione indifferentiæ, quam habet ad obiecta, & actus: quæ determinatio ex ſe nõ dat virtutem ad itelligendum, ſed eam ſupponit, quanuis indifferentem ad omnia obiecta, & ad omnes actus. Oppoſitũ reperitur in virtute intellectiua reſpectu actuum, & obiectorum ſupernaturalium: ea enim nudè ſumpta, eſt incõpleta, inſufficiens, & improportionata, vt ſæpè oſtendimus; vnde indiget cõpleri per aliquam formam ſupernaturalem. Per quam autem compleatur? verſatur in controuerſia: nos dicimus eam compleri per lumen gloriæ realiter diſtinctum à ſpecie: Bellomontan. autem vult, eam compleri quidem per lumen, quòd realitur, & formaliter ſit ſpecies: nec in hoc Bellomont. eſt ſolus, ſed pro ſe habet, & Lorcam, & nonnullos ex Nouioribus, qui volunt lumen à ſpecie ſolùm diſtin[gui] ratione; contra quos argumentum e[ti]am vrget, quòd tamen facilè illi ſoluun[t], dum ponunt qualitatẽ illam Bellomõt. Lorca.

illam eſſe adeò excellentẽ, vt habeat munus eleuandi, & complendi virtutem intellectiuam, quatenùs eſt lumen; & determinandi eam, quatenùs eſt ſpecies. Quare apud iſtos virtus intellectus, quãdo adeſt ſpecies diuinæ eſſentiæ, iam eſt ſufficiens ad viſionem; & tamen negant virtutem iſtam ſecundùm ſe ſine tali qualitate eſſe ſufficientem, & completam: nam quanuis apud iſtos benè inferatur; *Ergo virtus intellectus eſt ſufficiens, antequam adſit ſpecies ſub ratione ſpeciei*: quia qualitas illa prius natura eleuat, & eleuando complet, quàm ſe ſe intellectui coniungat in ratione ſpeciei: non tamen benè infertur; *Ergo virtus illa, antequam coniungatur illi qualitati* (quæ ſimul, & lumen eſt, & ſpecies) *Secundum ſe eſt ſufficiens, vt ſi adſit ſpecies, poſſit in viſionem.*

27. Quid reſpõdebit Bellomont. ¶ Eodem modo dicet Bellomontanus: apud quem lumen, & realiter, & formaliter eſt ſpecies: dicet enim lumen eſſe ſpeciem ita excellẽtem, vt ſub ratione ſpeciei ſimul cõpleat inſufficientiam virtutis, & eam completã determinet. Quid enim implicat dari talẽ ſpeciem? quare apud Bellomontanum inter ſpecies naturales, & ſupernaturales hoc erit diſcrimẽ: quod naturales ex ſua natura ſolum habeãt complere virtutem intellectus, completione determinatiua in differentiæ; non verò cõpletione virtuali: cum tamen ſpecies ſupernaturales ex ſe habeant vnam, & alteram complendi virtutem. Et inde eſt, vt viſio beata ſuam ſupernaturalitatem poſſit ſumere à ſpecie; licet viſio naturalis ſuam naturalitatẽ accipere nequeat ab ea, ſed à virtute intellectiua ipſius intellectus: etenim ſpecies naturalis ex ſua natura non eſt completiua virtutis naturalis, ſed ſolùm determinatiua illius: cum tamen ſpecies ſupernaturalis vtrumque habeat: cum verò actus intelligendi naturalitatem, vel ſupernaturalitatẽ accipiat à virtute intellectiua, cuius eſt forma, vt ſupponimus; inde eſt, vt viſio naturalis naturalitatem non accipiat à ſpecie: benè tamen ſupernaturalis. Et ita ſoluitur argumentum, quo nõnulli vtuntur, ad mentẽ Suarij *in dicto cap. 14. num. 8. in fine*: dum inferunt, ſi lumen à ſpecie realiter non diſtinguitur, viſionem non habere, vnde ſumat ſuam ſupernaturalitatem.

28. His ita ſuppoſitis, facilè patet, & inſufficientia argumẽti, & ſolutio illius in forma: neganda enim eſt ſequela. Ad probationem negatur antecedens, ſi illud *ſicut* dicat ſimilitudinem in omnibus; *vt eodẽ modo ſe habeat vis intellectiua ad actum naturalem, & ſupernaturalem, quoad eſſe ſufficientem in ſe ipſa, ſi adeſt ſpecies*: quoniã vis illa in ordine ad actũ naturalem in ſe eſt completa, & ſufficiens, ſufficientia virtutis, habentis ſe ex parte potentiæ; quæ eſt ſufficientia actualis, ſecum admittens potentiam eſſentialem completam, etiam antequam adueniat ſpecies: quam tamen ſufficientiam, & completionem, nec admittit Bellomontanus, nec eſt admittẽda, in ordine ad actum ſupernaturalem: quia talis virtus, etiamſi natiua ſit, in ſe nõ eſt completa, & ſufficiens ante aduentum ſpeciei, ſed incompleta potius, & inſufficiens, exiſtens in potentia obedientiali, vt compleatur. Oſtenditur inſufficientia 4. arg.

Quare in ſenſu explicato negandũ eſt antecedens: concedendum tamen; ſi ita intelligatur; vt ſicut virtus intellectiua, quandò adeſt ſpecies naturalis, eſt completa, & ſufficiens ad actum naturalem; ita etiam, quando adeſt ſpecies ſupernaturalis, eſt ſufficiens ad actum ſupernaturalem: ſpecies enim ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ſupponit potentiam intellectus eſſe ſibi propriam, & proportionatã. Sed in hoc ſenſu neganda eſt conſequentia: virtus enim illa, quando adeſt ſpecies ſupernaturalis, eſt quidem ſufficiens ad actum; non tamẽ ex propria natura, ſed ratione eleuationis, quam ſpecies ſupernaturalis prius natura facit, quàm virtutem ipſam determinet ad viſionem. Quod nõ reperitur in ſpecie naturali; quoniam ex ſua natura ſolùm eſt determinatiua virtutis, non verò eleuatiua, & cõpletiua; quin potius ex ſe ſupponit virtutem ex ſe cõpletam, quæ ſolùm indigeat determinatione. 29. Antecedens in quo ſenſu concedatur.

30. Ad probatione cõſequentiæ. Ad probationem conſequentiæ dicimus, virtutem illam neutrum illorum actuum elicere poſſe ſine ſpecie: diuerſo tamen modo; quoniam actum ſupernaturalem ideò ſine ſpecie non poteſt elicere; quia ſine ea, nec habet virtutem completam, nec determinatam; & ideò indiget, & compleri, & determinari: actum verò naturalem ideò ſine ſpecie non elicit; quia licet habeat virtutem cõpletam; nõ tamẽ eam

eam habet determinatam adhoc obiectũ, & adhanc intellectionem. Porrò, quando adeſt ſpecies, ſufficiens eſt ad vtroſq; actus: ad naturales quidem; quia per ſpeciem determinatur ad eos: ad ſuperaaturales verò; quia per ſpeciem ſupernaturalem, & eleuatur, & determinatur. Quæ in hac difficultate ſunt diligentiſsimè annotanda.

Nec quinta ratio vim habet.

31. 5. Ratio nõ habet vim. ¶ Ex his patet nullam habere vim argumentum quinto loco à nonnullis adductum. Intellectũ.ſ. indigere ſpecie ad notitiam connaturalem, non facit virtutem ex parte potentiæ eſſe incompletam, & improportionatam reſpectu intellectionis connaturalis; ſed benè admittit eam eſſe completam, & proportionatam ſine ſpecie. Ergo intellectum indigere ſpecie ad viſionem beatam, non facit virtutem ex parte potentiæ intellectiuæ eſſe incõpletam, & improportionatam; ſed benè admittit virtutem illam eſſe proportionatam, & completam ſine ſpecie. Ergo ſpecies quantumuis ſit ſupernaturalis, nõ erit ſatis ad tollendam inſufficientiam virtutis intellectiuę reſpectu viſionis, ſed neceſſariũ erit lumen, quod non ſit ſpecies.

32. Oſtenditur inſuficiẽtia. Hoc argumentum vim non habet, ſi expendantur, quæ diximus ad quartũ: conceſſo enim antecedente, neganda eſt conſequẽtia, propter diſparem rationem, quæ datur in virtute intellectiua in ordine ad act⁹ naturales, & ſupernaturales. Nã vis intellectiua ad actum connaturalem, ideo indiget ſpecie: quia indiget determinatione adhunc, vel illum actum: cum tamen ad actum ſupernaturalem non ſolùm indigeat determinatione, vt poſsit in hunc actum determinatum; ſed etiam eleuatione, & completione, vt ſimpliciter poſsit in actum ſupernaturalem: & cum vtrumque fiat per ſpeciem ſupernalem (quod eſt fundamentum Bellomontani) ad vtrumque indiget ſpecie. Et ob hanc rationem indigentia ſpeciei ſupernaturalis ad actum ſupernaturalem, etiam vt eſt ſpecies, arguit inſufficientiam virtutis ex parte potentię ſine ſpecie: cum tamen indigentia ſpeciei ad actum naturalem, non arguat inſuffientiam virtutis ex parte potentiæ, ſed inderminationem illius ad hunc, vel illum actum.

Nec vim habet ratio ſexta.

¶ Sexto loco contra Bellomontan. communiter ſumitur pro medio, quòd inſufficientia ad viſionem, quæ datur ex parte intellectus, vt eſt principium condiſtinctum à principio obiectiuo, non poteſt ſuppleri, complerique per ſolam ſpeciẽ diuinæ eſſentiæ; imò nec per ipſam eſſentiam loco ſpeciei; cum tamẽ illa compleatur per lumen gloriæ, vt ſupponimus: & inde inferunt lumen gloriæ non eſſe ſpeciem, ſed quid realiter diſtinctum ab ea. Iſta ratio tangitur à Suario, *tum ad tertiã partem loco citato pag. 556. colu. 1. §. Cum enim ſpecies habeat; tum etiam in dicto cap. 14. n. 8. in tertia ratione, & quibuſdã recẽtioribus poſt eũ*: ſed ita confuſè, vt ad formã Syllogiſticam vix reduci valeant. Quòd igitur inſufficientia per lumen gloriæ tollatur, non eſt dubitandum, ſaltem poſt Concilium Viennenſe. Quòd verò illa auferri nequeat per ſpeciẽ diuinæ eſſentiæ (in quo eſt poſita difficultas) ita probatur à ſuario: quia ſpecies obiecti ex ſua natura ſolùm requiritur ad coniungendũ obiectum potentiæ. Hæc autem coniunctio non ſufficit ad eleuandam potentiã; cum illa etiam reperiatur in actibus naturalibus; ad quos neceſſaria etiam eſt coniunctio obiecti cũ potentia: & tamen per illam non eleuatur potentia intellectus. 33. Nec 6. ratio vim habet.

Hæc ratio nec concludit eos, qui ponunt lumẽ à ſpecie ſola ratione diſtingui: nec Bellomontanum, qui illud nec re, nec ratione diſtinguit à ſpecie. Non concludit quidem primam opinionem: quoniã authores illius libenter admittent, inſufficientiam intellectus non tolli per qualitatem ſupernaturalem, quam ponunt, quatenùs eſt ſpecies; tolli tamen per eandem, quatenùs eſt lumen. Quare hoc argumento non ſatis probatur, lumen realiter diſtingui à ſpecie. ¶ Sed nec ſatis eſt ad conuincendum Bellomontanum: Primò; quia ſumit id, quòd Ariſtoteli contradicit: etenim ſpecies non ſolùm ſe tenet ex parte obiecti; ita vt munus eius ſolùm ſit coniungere, & vnire obiectum intellectui, vnione obiectiua; hoc enim eſſe falſum, & Ariſtoteli contrarium contra eundem Suariũ & alios oſtendimus lib. 8. 1. p. q. 3. art. 1. §. 2. imò ſpecies primò, & principalius ponitur ex parte intellectus, 34. Inſufficiens eſt argumẽtum contra diſtinctionẽ rationis. *Nec cõtra ſenſu Bellomont.*

ctus, vt illi cõiugat, & vniat obiectũ, vnione formali, & aſsimilatiua, qua det illi eſſe ipſum obiectũ. Cum igitur ſpecies primo, & principaliter ſe teneat ex parte intellectus (vt conceditBellomontanus negante Suario) dicet Bellomont. ſpeciem poſſe eleuare intellectũ, nõ vt facit vnionem obiectiuam, ſed vt facit formale, qua intellectui dat eſſe Deum, quod eſſe eſt ſuperioris ordinis. Quare id erat impugnandum.

Ponitur 7. argument. & efficax.

35. 7. arg. eſt efficax. ¶ Reiecta hac impugnatione à Suario adducta, ego putò medium aſſumptum in præcedẽte argumẽto eſſe ſatis efficax ad impugnandum Bellomontanum, ſi illius efficacia aliunde deducatur. Hoc autem fiet, ſi aduertamus ad ea, quæ ex D. Thoma, & veriori ſententia diximus q. 5. art. 3. num. 24. & 30. oſtendimus enim formam, quæ eſt ſuper naturam potẽtiæ actuandæ, ſi eſt in ſuo genere principalis, & vltima, neceſſariò exigere in ipſa potentia ſupernaturalem diſpoſitionem præuiam, & ideo realiter ab ipſa diſtinctam: nam cum illa potentia ex ſe ſit ordinis inferioris, & improportionata formæ, vt fiat proportionata, & eiuſdem ordinis cũ ipſa, indiget præuia aliqua diſpoſitione, mediante qua illa forma reſpiciat, & actuet potentiam: in hoc enim diſtinguitur ab alijs formis ſupernaturalibus, quæ nec principales ſunt, nec vltimo intẽtæ: ſicut enim in formis naturalibus generis rei, nõ quæcũque forma, quæ in illo genere eſt inferior, quàm potentia (eſt enim actus) indiget diſpoſitione realiter diſtincta; ſed illa tantũ, quæ in tali genere eſt principalis, & vltima, qualis eſt forma ſubſtantialis, qua conſtituitur compoſitum; ita etiã in formis ſuperntiralibus generis intelligibilis, non quæcũque ſupernaturalis forma exigit prẽuiam diſpoſitionem diſtinctam à ſe; ſed illa ſola, quæ eſt principalis, & vltima, qualis eſt ſola ſpecies; quoniam ſola illa cum intellectu, tanquam cum potentia, conſtituit vnum compoſitum, cui primò, & per ſe conuenit elicere actum, vt aduertimus in dicto art. 3. § 4. nu. 30. & 34. Hoc fundament. D. Thom. cum ſuis oſtendit diuinam eſſentiam poſitam loco ſpeciei neceſſariò indigere lumine gloriæ, vt diſpoſitione præuia, & antecedente. Et eodem fundamento idem dicẽdum eſt de ſpecie creata, de qua agit Bellomontanus, vt plures Thomiſtarum admittunt: nam cum illa ſit ſupernaturalis, & in ſuo genere principalis, & vltima (cõſtituit enim cum intellectu vnum compoſitum intelligens, vt quod) neceſſariò exiget diſpoſitionem aliquam à ſe diſtinctam, qua intellectus fiat aptus ad eam recipiendam.

Hac ſuppoſita Philoſophia efficaciter probatur, ſpeciem iſtam non poſſe per ſe ipſam immediatè tollere inſufficientiam intellectus, & improportionem, quam ex ſe habet, etiam prout eſt ex parte intellectus, & illi dat eſſe Deum: etenim cum etiam ſub illa ratione, non ſolùm ſit forma ſupra naturam intellectus; ſed etiam vltima, & principalis in ſuo genere, neceſſariò indiget prẽuia diſpoſitione ſupernaturali realiter à ſe diſtincta, qua intellectus eleuetur ad ordinem ſupernaturalem, & fiat potẽtia proportionata ad eam recipiendam. 36. Probatio.

Vt autem huius rationis efficacia magis appareat, præmittendum eſt, quòd ſicut in ordine naturali, & inferiori, diſtinguendum eſt duplex genus: vnum reale, quod dicitur genus rei: alterum intentionale, quod cõmuniter vocatur genus intelligibile: (homo enim eſt ens naturale pertinens ad genus rei: ſpecies autem hominis eſt ens naturale pertinẽs ad genus intelligibile, in quo intellectus informatus ſpecie hominis dicitur homo intentionaliter) ita etiam in ordine ſupernaturali, & diuino, duplex etiã genus eſt diſtinguendum: vnum reale, quod dici debet genus rei ſupernaturale, & diuinũ: alterũ intẽtionale, quod appellari poteſt genus intelligibile ordinis diuini. Hoc ſuppoſito aduertimus illud eſſe diuini ordinis, ad quod intellectus eleuari debet, vt proportionetur viſioni, pertinere ad genus rei diuini ordinis; & ſubinde eſſe diſtinctũ ab illo *eſſe Deum*, quod intellectus per ſpeciẽ eſſentiæ cõſequitur: etenim illud eſſe nõ facit intellectum eſſe realiter Deũ, ſed intentionaliter, & repræſentatiuè: cum tamen eſſe diuini ordinis, ad quod intellectus per eleuationem euehitur, ſit verum, & reale eſſe generis rei diuini, diſtinctum ab eſſe intentionali. Ex quo infertur tale eſſe

37. Præmiſſũ.

Notanda doctrina.

eſſe non poſſe cõmunicari intellectui per ſpeciem eſſentiæ: ſpecies enim communicare non poteſt, niſi eſſe intentionale: hoc autẽ licet ſit ordinis diuini: quia non recipitur, niſi in intellectu ad eſſe diuinũ eleuato; tamen cum ſit eſſe intentionale generis intelligibilis, ſupponit in ipſo intellectu verum, & reale eſſe diuini ordinis, pertinens ad genus rei eiuſdem ordinis diuini: nam ſicut in naturalibus genus intentionale naturalis ordinis ſupponit genus reale (quia intellectus non poteſt eſſe intentionaliter homo per ſpeciẽ hominis, niſi in genere rei ordinis natura lis habeat eſſe reale) ita etiã in ſupernaturalibus eſſe intẽtionale generis intelligibi lis, ſupponit eſſe rei reale generis rei in eo dem ordine.

38. Oportet igitur, vt intellectus eleuetur ad eſſe ordinis diuini, quod pertineat ad genus rei eiuſdẽ ordinis, per aliquam formam, quę in eodem diuino ordine ſit generis rei; non verò per formam, quæ in ordine diuino ſit generis intentionalis. Cũ verò ſpecies eſſentiæ diuinæ, vt exer cet munus ſpeciei, pertineat ad genus intẽ tionale diuini ordinis, non poteſt eleuare ntellectũ ad eſſe generis rei eiuſdẽ ordinis, quòd in hac materia eſt diligenter ad

39. Concluſio argum. notandũ. ¶ Ex quibus ſatis patet, ſpeciẽ diuinæ eſſentię, nõ poſſe per ſe ipſam tol lere inſufficientiam, & improportionem intellectus ad videndũ Deum: hæc enim tolli nõ poteſt, niſi intellectus ab eſſe verò, & reali, quod habet, vt eſt in ordine naturali, & inferiori, eleuetur, & transferatur ad eſſe verum, & reale ordinis diuini, quod verè pertineat ad genus rei eiuſdem ordinis. Eleuabitur igitur per lumẽ gloriæ, prout eſt forma ſupernaturalis ordinis, pertinens, non ad genus intentionale, ſed reale ordinis dinini. Quo ſuppoſito, non poteſt lumen gloriæ realiter nõ diſtingui à ſpecie diuinæ eſſentię.

Argumentum octauum, & nonum.

40. Argum. 8. efficax. ¶ Octauo loco eadem opinio ex eo impugnatur, quòd proprium, & principale munus luminis gloriæ non poteſt conuenire ſpeciei creatæ diuinæ eſſentiæ, quam Bellomont, nobiſcum ponit; ſicut nec cõueniret eidem eſſentiæ, ſi loco ſpeciei poneretur: etenim principale munus luminis gloriæ, vt rationem habet luminis, eſt illuminãdo manifeſtare obiecta, vt beatis obiectiuè appareant: diuina enim eſſentia antea illis nõ apparebat, ſed abſcõdita erat; poſita autem illuſtratione luminis fit illis manifeſta, vt diximus q. 5. arti. 8. & in hoc lib. tanquam receptum ſupponimus. Iã verò manifeſtare obiecta, vt actualiter appareant, non poteſt conuenire ſpeciei, vt eſt ſpecies; nec aliquis hoc illi munus vnquã conceſsit: ſolùm enim illi conuenit repræſentare obiectum repræſentatione habituali; quæ repræſentatio, cum admittat obiectũ eſſe intellectui occultum, & non apparẽs, efficaciter infert talem repræſentationẽ, nec eſſe lumẽ, nec effectum illius; quoniam obiectum præſente lumine, non poteſt actu non apparere. Et inde eſt, vt luminis officium ſit illuminare ſpeciem, & illuminãdo eam actuare, vt in ea obiectum actu appareat, vt cum Caietano, & alijs diximis q. 2. art. 1. num. 15. & 20. Inde etiam eſt, vt obiectum in ſpecie habitualiter repræſentatũ præſente lumine actu appareat, tanquam ſub medio, ſub quo videtur, vt diximus in dicto art. 1. §. 3. & q. 5. art. 8. §. 2. num. 20. Ex quibus colliges ſpeciem ex ſua natura nõ illuminare, ſed illuminari, & hac illuminatione actuari, vt loco obiecti intellectum obiectiuè moueat, præſentando illi obiectum actu apparens, & manifeſtum.

Ex quo fundamento conuincitur lumen gloriæ non eſſe ſpeciem adæquatê: 41. Concl. arg. quia aliquod habet munus, quod ſpeciei conuenire non poteſt: vnde corruit opinio Bellomontani, quatenùs lumen cum ſpecie eſſentiæ, re & ratione adæquatè cõ uertit. ¶ Quare non poteſt Bellomont. non admittere ſecũdam opinionem. Sed idem ipſum fundamentum eandem deſſtruit: qui enim fieri poteſt, vt eadẽ qualitas ſe ipſam realiter illuſtret? Igitur ſicut hoc munus luminis cætera lumina realiter diſtinguit à ſpeciebus; ita etiam ſufficienter arguit realem diſtinctionem inter lumen gloriæ, & ſpeciem creatam eſſentiæ.

Nonnulli adhuc vtuntur nono argumento: quia cætera omnia lumina reali- 42. Argum. 9. non ſatis efficax. ter diſtinguuntur à ſpeciebus. Etenim in dubitatum eſt, tàm lumen corporale diſtingui realiter à ſpecieb⁹ viſibilib⁹, quàm lumen

lumen intellectus agentis ab intelligibilibus: eas enim abſtrahit, & realiter producit. Quòd idem admittendum eſſe in lumine naturali Angelorum contra nonnullos ex mente Bellomontani oſtendimus q.2.art.2.§.2.concluſione 2.nu.17. Certiſsimum etiam eſt lumen fidei realiter diſtingui à ſpeciebus, quibus vtitur,
Bellomon. vt diximus in d.q.2.art.7.num.3. & fatetur Bellomon. *in dicto diſp.*43.*cap.*5.*num.* 21. Lumen etiam infuſum animæ Chriſti Domini realiter diſtingui à ſuis ſpeciebus, contra eundem docet verior ſententia, de qua in d.q.2.art.3.§.2.num.7. Cur igitur lumen gloriæ realiter non diſtinguetur à ſpecie diuinæ eſſentiæ?

43. *Reſponſio Bellomon.* Reſpondet Bellom. ibidem num. 22. diſparem eſſe rationem in lumine fidei, & gloriæ: quoniam licet ſimplex apprehenſio extremorum in actu fidei poſsit reſpondere ſpeciebus; quia extrema illa apprehendimus ad inſtar rerum naturalium: illis tamen non poteſt reſpondere ipſe aſſenſus fidei; nam cum ſupernaturalis ſit nullo modo haberi poteſt per ſpecies naturales; & ob id requirit lumē infuſum à ſpeciebus realiter diſtinctum. At tamen in viſione beata, tàm ſimplex apprehenſio, quàm aſſenſus, ſiue iudiciū eidem principio reſpondere poſſunt. Et ea dē ratione in actibus ſcientiæ infuſæ, tàm ſimplex apprehenſio, quàm iudicium poteſt reſpondere ſpeciebus: etenim illæ ſunt propriæ, & quidditatiuæ. Nō valet igitur argumentum, inquit, ſumptum à lumine fidei ad lumen gloriæ.

44. Non recipitur à Lorca Nec à Sala, Nec à Suar. Hanc tamen ſolutionem nō admittūt Lorca *in d.diſp.*30.*fol.*168.*col.* 2.§.*tertio principaliter Salas in d.diſput.*5.*ſect.*3.*pag.* 354.*col.*1.*ad finem* §.*Ad confirmationem, & Suarius ad tertiam partem tom.*1.*diſp.*29. *ſect.* 2.p.555.*col.*1.*B.C*: ſed nullus eorū ſolutionē ſatis expugnat: quoniam Lorca vim ſolutionis non percipit; Suar. verò, & Salas nō ſatis probabiliter negāt, neceſſariū eſſe, vt in actu aliquid reſpōdeat ſpeciei; & aliquid lumini, ſi ſenſus Bellomontani teneatur. Quare hoc argumentum nō ſatis eſt ad impugnandum Bellomontanum.

Non ſatis expugnatur ſolutio.

45. Vltimū argum nō habet vim. Sicut etiam non ſatis eſt poſtremum argumentum ſumptū ex Concilio Vienenſi, quo vtuntur Lorca *vbi ſuprà* §.*Tādem confirmo, & Suar.* 3.*p.loco citato pagin.* 556.*col.*1.*in fine, &* 2.*de Attributis negatiuis cap.*14.*num.*8.etenim Concilium ſolùm definit indigentiam luminis gloriæ eleuantis ad videndum Deum. Et nihil curat, an illud realiter diſtinguatur à ſpecie; nec ne? quia indigentia illa luminis eleuantis cū vtraque opinione ſaluatur: etenim ratio illius definitionis nō eſt, aut diſtinctio, aut identitas luminis cū ſpecie; ſed ſola impotentia virtutis naturalis ad videndum. ¶ Et hæc ſatis ſint dicta pro impugnatione Bellomontani.

Lorca. Suarius.

§. 5.

Soluuntur argumenta poſita §.primo.

SVpereſt diſſoluere argumenta, quæ §.1.à Bellomontano adducta ſunt. 46. Ad 1.arg.
Ad primum, negandum eſt id, quôd ſumitur: tùm; quia in terminis lumen à ſpecie realiter diſtingunt Theologi, quos pro ſecunda ſententia refert Richardus *in* 4.*diſt.*49.*ar.*3.*q.*1.§. *Alij dicunt*: non ſolū quia non reijciūt opinionem poſitam in illis verbis: *Siue ſpecies realiter differat à lumine, ſiue non*: ſed etiam, quia fatentur ad viſionem concurrere intellectum, lumen, ſpeciem, & diuinam eſſentiam. Tū etiam; quia ferè omnes, ſi non formaliter, ſaltem per neceſſarias cōſequentias lumē à ſpecie realiter diſtingunt: ob quam rationem Suarius non ſine fundamento dixit, omnes Theologos per lumen gloriæ intelligere rem à ſpecie impreſſa realiter diſtinctam.

Ad ſecundùm negandū eſt, hanc fuiſſe mentē Diui Thomæ: nec enim dubitari 47. Ad 2.
poteſt Diuum Thomam lumen realiter diſtinxiſſe à ſpecie impreſſa: etenim expreſſē docuit, dari non poſſe ſpeciem creatam impreſſam diuinæ eſſentię, vt contra Bellomont. euidenter oſtendimus lib. 8. in 2.p.q.2.art.8.§.1.& 2: & tamen euidēter admittit, dari in beatis lumen gloriæ: quod ſatis efficaciter cōuincit D.Thom. negaſſe lumen gloriæ eſſe ſpeciē impreſſam; ne cogatur admittere duas ſpecies eſſentiæ diuinæ: vnam; quæ eſt lumen gloriæ: alteram; quæ eſt ipſa diuina eſſentia, quam loco ſpeciei poſuiſſe contra Bellomontanum ſatis conuicimus in d. lib.8.p.2.art.1.§.2. Cuius agumēti vim non aliter potuit fugere Bellomontanus, quàm negando D.Thomam, aut negaſſe ſpeciem

D.Tho. nō aſſerit lumē eſſe ſpeciem.

Bellomon. non placet.

ſpeciem impreſſam eſſe poſsibilem; aut docuiſſe eſſentiam in beatis ſubire vicem ſpeciei. Sed vtrumque contra illum de-
Nauarre. monſtrauimus in citatis locis. Quare Nauarrete meritò aſſeruit 1. tom. controu- 37. §. 7. fol. 235. col. 2. in prin. opinionem Bellom. in via D. Thomæ nullã habere apparentiam: eam D. Thomæ repu-
Lorca. gnare ſcribit Lorca 1. *tom. ad* 1.2. *diſp.* 30 *pag.* 166. *col.* 2. §. *Imprimis ergo.*

48. *Explicatur D. Th. 1. p. q. 12. art. 2.* Nec obſtat locus ex 1. p. q. 12. artic. 2. quatenùs *lumen gloriæ appellat ſimilitudinem Dei*: quoniam, cum ibi duplicem diſtinguat ſimilitudinem Dei: vnam; quæ ſe tenet ex parte potentiæ intellectiuæ; alterã ex parte rei viſæ, ſiue obiecti; lumen gloriæ ponit nõ ſub poſteriori mẽbro, ſed ſub priori, vt patet ex illis verbis, *Vnde & virtus intellectualis, &c.* & ex illis poſitis in fine *Dicendum ergo.*

49. Decipitur autem Bellomont. dum putat D. Thomam per ſimilitudinem ex parte potentiæ intelligere ſimilitudinem impreſſam; per ſimilitudinem verò ex parte rei viſæ, intelligere ſimilitudinem obiectiuam, & expreſſam; vtrumq; eſſe falſum oſtendimus lib. 8. in 2. p. q. 2. art. 8. §. 2. & 3. Et quidem quòd primum ſit falſum, præter ea; quæ in loco citato diximus, ex eo euidenter oſtenditur, quòd ipſam virtutẽ intellectiuam naturalẽ noſtri intellectus enumerat inter ſimilitudines ex parte potentiæ, vt patet ex verbis poſitis paulò poſt principium: *Et cum ipſa intellectiua virtus creaturæ nõ ſit Dei eſſentia, relinquitur, quòd ſit aliqua participata ſimilitudo ipſius, qui eſt primus intellectus.* At quis dicet ipſam virtutem intellectiuam intellectus eſſe ſpeciem impreſſam?

50. Quia verò non ſolùm ipſa virtus naturalis intellectus dicitur lumen; ſed etiam virtus ſupernaturalis ſuperaddita, ſiue gratiæ, ſiue gloriæ; ideo omne lumen intellectuale, tàm naturale, quàm gloriæ appellat ſimilitudinem deriuatam, & participatam à virtute intellectiua diuini intellectus. Quare Diuus Thomas lumẽ gloriæ in eo ſenſu appellat ſimilitudinem Dei, in quo naturalem intellectus virtutem appellauit Dei ſimilitudinem; quia ſcilicet vtrumque lumen, & vtraq; virtus eſt ſimilitudo participata à virtute intellectiua diuini intellectus, quæ eſſentialiter eſt lumen. Vnde hanc ſimilitudinem diſtinxit à ſimilitudine repræſentante intellectui ipſam Dei eſſentiam, vt patet ex illis verbis: *Non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam.* Eandem etiam ſimilitudinẽ diſtinxit à ſimilitudine, quæ eſſentiam videnti vnit, vt patet ex verbis illis: *Sed ex parte rei viſæ, quam neceſſe eſt aliquo modo vniri videnti, per nullam ſimilitudinem creatam Dei eſſentia videri poteſt.* Quare ſimilitudo formalis ſpeciei impreſſæ ex mente D. Thomæ ponenda eſt, in ſecundo mẽbro; quanuis non ſola illa ſub eo ponatur, vt contra nonnullos oſtendimus in dicto artic. 8. §. 2. & 3. vbi habes alia plura, quibus Bellomontan. ſententia ſatis expugnatur.

Et ita patet ex verbis D. Thomæ *in dicta q.* 12. *art.* 2. nullum poſſe ſumi argu- 51. *Explicatur D. Th. 3. contr. gẽtes cap. 54*
mentum, vt dicamus Diuũm Thomam lumen gloriꝫ appellaſſe ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ. Sed nec ſumi poteſt ex verbis eiuſdem tertio contra gentes capite 54. in ſolutione ad tertiũ: licèt enim lumen gloriæ appellet ſimilitudinem Dei, diſtinctam à ſimilitudine, qua ſubſtantia intellectualis eſt eiuſdem ſimilitudo, in eo ſolo ſenſu illud appellat Dei ſimilitudinem, quia ad videndum Dei ſubſtantiam perducit ad quam tamen videndam non perducit ipſa ſubſtantia intellectualis, vt eſt quoddam intellectuale lumen: hæc enim non perducit ad videndam Dei eſſentiam in ſe ipſa, ſed ſecundũ prædicata generalia: lumen autem perducit ad claram illius viſionẽ: idque vel eleuando, & diſponendo intellectũ, vt vniatur diuinæ eſſentiæ, tanquam formæ intelligibili, ſicut explicat Ferrarienſis: vel illuſtrando, & manifeſtando eam intellectui; non tamen repræſentando illã, tanquam formalis ſimilitudo, & ſpecies.

Ad 3. argum. dicendũ eſt, lumẽ cõple- 52. *Ad 3.*
re quidem efficacitatem actiuam intellectus, vt poſsit in viſionem; non quidem determinando eam ad certum actum, & obiectũ; ſed conſtituẽdo ipſam in actu cõpleto virtutis, dũ eam eleuat ad eſſe ſuper naturale. Cõceſſo autẽ antecedẽte in hoc ſenſu, cõſequẽtia eſt inutilis; quia ſumit lumẽ eſſe formam repræſentatiuam eſſentiæ, quod in antecedente non datur: lumen enim non complet virtutem intellectus ratione alicuius formalis repræſentationis

tationis (quia hoc modo illam compleret determinando ad obiectum) ſed quia eſt forma abſoluta ex ſua natura eleuatiua intellectus ad genus eſſendi ſupernaturale, & diuinum; inde enim complementum ſuſcipit: nam ideo, quia per lumen eleuatur ad eſſe reale diuinum, completur per ipſum lumen illud poſſe, quod ex ſe habet inchoatiuè; vt. ſ. poſsit in diuinas operationes: ſicut enim ad eſſe humanum veluti reſultat poſſe in operationes humanas; ita ad eſſe diuinum in genere eſſendi veluti reſultat in intellectu ipſum poſſe in diuinas operationes. Et hoc modo, & non alio dicitur per lumen gloriæ compleri virtus, actiua intellectus. Illa igitur conſequentia ideo eſt inutilis; quia ex antecedente ſumit, quod in antecedẽte non datur. Cui etiam accedit; quia intelllectus non conſtituitur in actu primo per lumen gloriæ, vt diximus quæſtione quinta huius libri articulo ſexto, §. ſecundo, & lib. 8. in 2. p. quæſt. 3. art. 5. §. 2.

53. Ad 4. Quartum aagumentum etiam habet conſequentiam non legitimam: admittimus enim ſpeciem creatam eſſentiæ, & eſſe poſsibilem, & dari in beatis, vt modo cõnaturali viſionem eliciant, vt diximus in dicto lib. 8. 2. p. q. 3. art. 6. Sed non video, quomodo inde inferatur (niſi diſparatè) lumen gloriæ eſſe ſpeciẽ impreſsã. Probatiò autẽ, ſupponit, lumẽ eſſe ſuperperfluum, ſi detur, aut diuina eſſentia loco ſpeciei, aut ſpecies creata diſtincta à lumine: quod eſſe falſum contra Bellomontan. oſtendimus ſuprà q. 5. art. 10.

54. Ad 5. Quintum argumentum ſumit antecedens falſum: ſcilicet intellectum, & lumen gloriæ eſſe vnum integrum principium viſionis: quod Bellomontan. nec probauit in dicta diſp. 43. c. 6. nec vnquã probare poterit: quia ad viſionem præter potentiam intellectiuam ex parte ſua per lumen gloriæ completam, neceſſariò requirit ſpeciẽ, qua determinetur ad tale obiectum. Dẽſtructo autem fundamento corruit ædificium.

55. Ad poſtremum. Ad poſtremum negatur antecedens: quia lumen ſcientiæ infuſæ in Chriſto diſtinguitur à ſpeciebus infuſis, vt diximꝰ ſuprà q. 2. ar. 3. §. 6. in 2. propoſitione. ¶ Et hæc contra ſententiam. Bellomon. ſatis dicta ſint.

ARTICVLVS II.

Vtrùm lumen ſit ipſa viſio beata?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

De hac quæſtione pauca dicemus, quia de ea iam diximus ſuprà q. 3. art. vnico, vbi §. 1. nu. 6. nonnullos citauimus pro parte affirmante, Aureolum. ſ. Gerſonem, & Adamũ: is enim *in 2. d. 1. q. 8. cõcl. 1. fo. 107. col. 3. in prin.* expreſſè docet nullũ aliud lumẽ dari in beatis, niſi ipsã viſionẽ beatã. Et fol. 108. *col. 1.* ad finẽ concludit lumẽ gloriç, de quo agit Concil. Viennenſe, eſſe ipſam viſionẽ luminoſã, quæ, vt ait, formaliter eſt quoddã lumen immiſsũ à Deo. Molin. pro hac ſententia citat Durand. & Scotum, vt patet 1. *p. q. 12. art. 5. diſp. 1. pag. 115. propoſ.* 1. ſed deberet citare locũ, quia apud iſtos Doctores hanc opinionem nunquã legi. 1. Opinio affirmans. *Adamus.* *Mol. falſo citat.*

Nos in d. §. 1. nu. 6. vnicũ huius opinionis fundamentũ adduximus: quia. ſ. viſio à Patribus appellatur lumen, quos ibi citauimus. 2. Fundamentum.

Adamus alia adducit fundamẽta: præcipuũ ſumitur ex eo, quòd lumẽ nõ poteſt eſſe aliquid diſtinctũ à viſione, eiq; prçſuppoſitum. Hoc autem probat: primò, quia ſi eſſet quid ab ea diſtinctum, eſſet cauſa illius, & ſubinde poſſet Deus ſine lumine facere viſionem. 1. Argu. ex Adamo.

Secũdò; quia anima nõ eſſet immediatè beata: quia non immediatè, ſed mediatè reciperet beatitudinem. Secundo.

Tertiò; quia vel tale lumen eſſet corporale; vel proportionatum lumini corporeo; vel eſſet lumen ſpirituale intellectus agentis; vel denique eſſet lumen eleuans potentiam per modum habitus, diſponens illum ad videndum. Omnia iſta membra latè impugnat *fol. 107. col. 4. §. ſecundo ſic, & fol. 108. col. 1. & in fine concludit lumen eſſe ipſam viſionem.* Tertio.

§. 2.

Vera eſt opinio negans.

His tamen non obſtatibus, dicendũ eſt, lumen gloriæ eſſe aliquid realiter diſtinctum à viſione beata: quam opinionem plures probauerunt, quos citauimus *in dicta q. 3. art. vnico §. 5. num.* 3. Vera eſt opinio negans.

Capreol. *num.27.ſcilicet,Capreol.in 4.diſt. 49. q. 4. artic.3.fol.209. col.2. ad ea quæ 5. loco adducuntur ab Aureolo,Hiſpalenſis ibidem q.* Hiſpalenſ. *4.art.4.ad Aureolum 6.loco fol.215. col.2.* Bachonius *Bachonius in 1 q.Prologi ad finem fol.4.col. 2.Sed contra,Suarius 2.de Attributis negat. cap.14.num.6.Salas 1.tom. ad primam ſecũdæ q.3.tract.2. diſp.5.ſect.3.num.51.pag.* Suarius. Salas. *348.Pezantius 1.p.q.12.art.5.diſp.1.notabili 4.pag.57. col. 2.B. Nunc addimus D.* Pezant. D.Thom. *Thomam in 4.diſt.49.q.4. art.2. ad 3.* dum ait,viſionem, prout ſumitur pro claritate gloriæ, qua anima illuſtratur ad videndum Deum,non eſſe viſionem, quæ eſt actus ſecundus.

4. Ratio. Hanc opinionẽ latê confirmauimus in d.q. 3.art.vnico §.5.nu. 22. Primo; quia lumen propriè ſumptum eſt actus, quo obiectum fit manifeſtum,& apparens,apparentia viſionem antecedente, vide ibi num. 23.

5. Secunda. Deinde; quia cætera lumina realiter diſtinguntur à viſione: cur igitur lumen gloriæ à viſione beata non diſtinguetur? nulla enim ratio diſcriminis dari poteſt. Antecedens eſt euidẽs in lumine naturali, tùm corporeo, tùm intellectus agẽtis: etenim viſio ſenſitiua ſubiectatur in ſola ſenſitiua potẽtia; intellectiua autem in intellectu poſsibili: cum tamen lumen corporeum ſubiectetur in medio, in obiecto, & in organo viſus: lumen autem intellectus agentis,cum realiter diſtinguatur ab intellectu poſsibili, realiter diſtinguetur à viſione,quæ in eo ſubiectatur. Idem patet, tùm in lumine fidei, tùm in lumine infuſo Chriſto, Adamo,& animæ ſeparatæ,vt patet ex.q.2.ar.3.4.& 5.namtâm lumen fidei,quàm lumen infuſum,& eſt per ſe infuſum,& vnum tantum: cum tamen actus fidei, & ſciẽtiæ infuſæ ſint plures, & eliciti ab intellectu.

6. Tertia. Tertiò; quoniam ex Concilio Vienneñſi intellectus lumine gloriæ eleuatur ad videndum Deum: intellectus autem ipſa viſione formaliter videt Deum, nec poteſt formaliter ea eleuari ad vidẽdum. Cui obiectioni debuiſſet occurrere Molina: nam explicatio Bellomontani 1. p. diſp.43.cap.2. num.16. ad finem ineptã eſſe,& friuolã, nullus non videt: quomodo enim intellectus recipiendo viſionem ideo eleuatur,quia à Deo, ſupernaturaliter producitur, ſi & Nominales, & ipſemet docent, intellectũ non indigere eleuatione ad recipiendum vnionem? Quare meritò hęc explicatio cõmuniter reijcitur, etiam à Salas vbi ſuprà. Nam cum eleuare ad videndum propriè non conueniat viſioni,non eſt,quôd per eleuationẽ, quam requirit Concilium, intelligamus viſionem; ne abutamur terminis, & occaſionem demus hæreticis, vt illis poſsint abuti,vt aduertit *Suar.1.tom. ad tertiã partem diſp.29.ſect.2.pag.556.col.1.C.* Suarius. Quare definitio Concilij in hoc ſenſu eſt explicanda, vt intellectus indigeat lumine ad videndum Deum;id eſt, vt poſsit Deũ videre,vel eliciendo viſionem, vel eam à Deo productam recipiendo. Ex quo ſenſu euidenter patet intellectum non poſſe ipſa viſione eleuari;& ex conſequenti lumen gloriæ non eſſe ipſam viſionem, vt annotauimus in d.§.5.num.24.

Vbi nu.26. idipſum confirmauimus; 7. Quarta.
quia modus loquendi Scripturę, dũ agit de luminẽ, non benê accõmodari poteſt viſioni. Vide,quæ ibidem diximus.

§. 3.
Ad argumenta.

Nec quæ obijciuntur, aliquid officiunt: nam, quæ ex Patribus adducũtur, facilè explicantur,ſi dicamus viſionẽ beatam à Patribus ideo dici lumen, quia fit cũ lumine: viſio enim ſub lumine tendit in obiectũ, vt facilè patebit, ſi percurrantur teſtimonia adducta *in d.q.3.art.vnico,§.1.num.6.* 8. Ad Patres.

Ad 1. Adami admittimus lumen eſſe cauſam actiuã viſionis; negamus tñ inde inferri, poſſe Deum facere viſionem ſine lumine: quia licèt poſsit ſupplere efficientiam luminis; non tamen ſupplere poteſt effectum illuminãdi obiecta, vt diximus q.6.art.vnico §.3.& 5. 9 Ad 1.

Ad 2. negatur ſequela: quia lumen nõ eſt diſpoſitio receptiua,& ideo nõ tollit, quominus viſio immediatè informet animam; ſicut diſpoſitio materiæ non impedit,quominus forma ſubſtantialis immediatè eam actuet. *Vide q.5.art.9.§.2.& 5.* 10. Ad 2.

Ad tertiũ dicendum eſt, lumen glorię, quôd à viſione diſtinguitur, eſſe lumen ſpirituale eleuans intellectum per modũ habitus. Quæ in contrarium adducuntur, indigna ſunt ſolutione. Et ideo additio 11. Ad 3.

ditio ad Adamum *in dicta quæſt.8.fol.*108. *colum.* 2. §.*Sciendum eſt tamen*, libêter fatetur, eam eſſe definitionem Concilij.

ARTICVLVS III.

Vtrùm lumen gloriæ ſit ipſa gratia:, & Charitas, quæ eſt in beatis?

1. Affirmatio Zabarelæ. GAbriel *in* 1.*diſtinct.*1.*quæſt.*2.*artic.* 3. *ad finem*, teſtatur Franciſcum Zabarelã in clementina *ad noſtrum* de hæreticis docuiſſe lumen, de quo agit Clementina, nõ eſſe aliud à gratia, & charitate: & affirmat, hoc ſonare totum apparatum gloſſæ in dicta Clementina. Sed ego nec in Zabarela, nec in Gloſſa hanc opinionem inuenio.

2. Gabriel Supplemẽtum. *Ad Coloſ. Pſalm.* 35 Sed quidquid de illis ſit; ipſe Gabriel illam opinionem videtur approbare, & clarius ſupplementum Gabrielis *in* 4.*diſt.* 49. *quæſtione* 2.*articulo* 3.*dubio* 2. *poſt principium.* Vbi nullum aliud fundamentũ ponit, niſi verba Pauli ad Coloſenſ. primo, *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sãctorum in lumine.* Et verba Pſalmi 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Non recipitur. Sed opinio iſta, nec vera eſt, nec aliquod apparens habet fundamentum, nec colligi poteſt, ex locis adductis; imò ex illis oppoſitum colligitur: nam vt demus locos illos eſſe explicandos de lumine gloriæ (de quo eſt dubium) ex illis potius colligitur, lumen diſtingui à Charitate; cum Charitas ad voluntatem pertineat; lumẽ verò ad intellectum, cuius munus eſt videre; Gratiam etiam, licèt beatos faciat Deo charos; non tamen eos facit videntes Deum. Reijcienda eſt igitur hæc opinio, vt verè improbabilis. Vnde nec authorem habet.

ARTICVLVS IIII.

An lumen gloriæ ſit aliquo modo infinitum?

1. Affirmat Nauarrete. HVic quæſtioni occaſionem dedit vnus Nauarrete 1. *tom. controuer.* 37.§.2.*fol.*225.*col.*4. *vbi fol.*236. *col.*1. ponit hanc concluſionem: *Lumen gloriæ in eſſe luminis, atque in ratione diſpoſitionis ad vnionem cum diuina eſſentia in ratione ſpeciei, eſt aliquid infinitum.*

2. Probatio 1. Hanc concluſionem probat: primo, quia diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit. Sed vnio illa, ad quam lumen diſponit, eſt aliquid infinitum formaliter loquendo. Ergo lumen in eſſe luminis, & quatenùs eſt diſpoſitio, eſt quid infinitum.

Secundo; lumen gloriæ non reſpicit formaliter vnionem cum eſſentia, quatenùs eſt ens finitum; ſed ſub illa dignitate infinita, quam participat. Ergo in ratione diſpoſitionis habet infinitatem. Suppoſita conſequentia, antecedẽs probat: quoniam lumen inclinat poſitiuè potentiam ad Deum clarè videndum, & ad obiectũ, quatenùs eſt infinitum. 3. Secunda.

Tertiò, denique: quoniam D. Thõm. 1.*p.q.*12.*art.*5.*ad* 3. docet, lumen nõ diſponere ſubſtantiam creatam per modum illi cõnaturalem: ſed neceſſarium eſſe, vt ratio diſpoſitionis deſumatur ex participatione ipſius Dei. 4. Tertia.

Vt mentem huius Theologi percipiamus, cum illo aduertendum eſt, dupliciter agi poſſe de vnione, qua intellectus cum eſſentia diuina vnitur. Vno modo entitatiuè, ſiue materialiter: altero modo formaliter, ſecundùm illam dignitatem, & perfectionem, quam participat ab eſſentia diuina, & quam communicat intellectui. Hoc declarat ex vnione hypoſtatica naturæ humanæ ad Verbum: hæc enim materialiter ſumpta, & ſecundum ſuam entitatem eſt quid creatum: ſumpta tamen formaliter ſecundùm dignitatem, & perfectionem, quam habet à verbo, & quam communicat naturæ humanę, eſt quid infinitum. 5. Aduertitur.

Hæc præſtantiſsimi Theologi Theologia ipſa ſua ſubtilitate ſe deſtruit: illa enim infinitas ſecundùm dignitatem, & perfectionẽ, verè eſt inintelligibilis: ſicut enim in vnione hypoſtatica nullam aliam infinitatem agnoſcũt Theologi, quę realis ſit, niſi obiectiuã: quia. ſc. eſt vnio terminata ad pẽrſonam infinitam; quæ nec in eam, ne in natura humana ponit infinitatem entitatiuam, ſed ſolam dignificantẽ ipſam naturam humanam dignificatione quadã morali, quia à Deo ita eleuata eſt, vt ſecundùm ſuam hypoſtaticam dependentiam terminetur ad hypoſtaſim diuinam: ita in hac vnione intellectus cum diuina eſſentia nulla alia infinitas reperitur, niſi dignitatis, & excellentiæ obiectiuæ; quia. ſc. intellectum vnit 6. Non recipitur.

cum

cum eſſentia entitatiuè infinita. Quæ infinitas eius eſt naturæ, vt ſecum admittat magis, & minus: Licèt enim vnio intellectus cum eſſentia in omnibus beatis in hoc ſit æqualis dignitatis; quòd omnis terminatur ad formam entitatiuè, & intelligibiliter infinitã; ratione cuius excedit omnem aliam formam: tamen non omnis vnio in omnibus in hac obiectiua dignitate eſt æqualis: quia talis vnio eò eſt dignior, & perfectior, quò eſſentia ſub maiori, & perfectiori intelligibilitate ſe communicat: nam licèt diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis, non poſsit entitatiuè eſſe maior, & dignior; poteſt tamen maior eſſe, & perfectior obiectiuè; quia poteſt magis, & minus ſuam perfectionẽ, & intelligibilitatem cõmunicare.

7. In quo ſenſu recipiatur. Quare, ſi bonus iſte Theologus ſuam opinionẽ intelligit iuxta normam à nobis explicatam; admittimus eius opinionem; ſecus, ſi aliter eam intelligit: etenim argumenta aliam infinitatem non probant.

8. Ad 1. Primum habet minorem falſam, ſi aliter intelligatur, quàm explicatum eſt. Illa autem propoſitio: *Vltima diſpoſitio eſt eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit*, intelligitur non de ordine entitatis (quia diſpoſitio poteſt eſſe accidens, forma autẽ poteſt eſſe ſubſtantia) ſed de ordine iuxta modũ eſſendi naturalem, & ſupernaturalem: creatum, vel increatum, vt alibi explicauimus.

Ad 2. admittendum eſt antecedens, ſi intelligatur de infinitate à nobis explicata: in quo ſenſu conceditur conſequẽtia.

Ad 3. dicimus D. Thomam in illo loco ſolùm probare lumen gloriæ eſſe non poſſe connaturale alicui creaturæ. Qui ſenſus longè eſt à noſtro inſtituto.

ARTICVLVS V.

In quonam genere; & ſpecie ponatur lumen gloriæ.

1. Quæſtio ad Logicos ſpectat. HÆC Quæſtio parui momenti eſt & potiùs pertinet ad Logicos, & Metaphyſicos, quàm ad Theologos. Satis modo ſit conſtituere lumẽ gloriæ in genere qualitatis. In qua verò ſpecie illius generis ponendum ſit? Logici, & Metaphyſici diſputent: nec erit piaculum alias ponere ſpecies vltra eas, quas Ariſtot. poſuit in prædicamento qualitatis. De hoc remitto Lectorem ad Lorcã 1. tom. ad primam 2. q. 5. art. 1. diſp. 31. in vlt. difficult. pag. 174. col. 1.

QVÆSTIO NONA, & Vltima.

De neceſsitate luminis gloriæ ad cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam diuinæ eſſentiæ.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm lumen gloriæ ſit neceſſarium ad cognitionem abſtratiuam quidditatis diuinæ eſſentiæ?

EGimus in ſuperioribus de lumine gloriæ in ordine ad cognitionẽ intuitiuã diuinæ eſſentię: conſequẽter agendum eſt de eodem lumine in ordine ad cognitionem abſtractiuam quidditatis eiuſdem eſſentiæ: nec enim implicat dari notitiam quidditatiuã illius, quæ non ſit intuitiua, ſed abſtractiua, vt oſtendimus lib. 7. q. 5. art. 1. §. 2. Vnde nec etiã implicat dari ſpeciem, quę diuinam eſſentiam quidditatiuè repræſentet, nõ intuitiuè, ſed ſolùm abſtractiuè: quòd etiam oſtendimus lib. 8. in 2. p. q. 5. art. 1. Quare, ſicut poſsibilis eſt notitia ſolùm abſtractiua diuinæ quidditatis; ita etiam poſsibilis eſt ſpecies, quæ eam ſolùm repræſentet abſtractiuè, vt diximus in dicta q. 5. artic. 2. 1. Præmiſſũ 1.

Præmittimus etiam iſtam abſtractiuam diuinæ quidditatis notitiam eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, vt contra nonnullos diximus in dicto lib. 7. q. 5. art. 2. §. 3. num. 11. & ſubinde indigere ſupernaturali concurſu ex parte intellectus, vt ibidem diximus §. 3. num. 4. Et inde intulimus indigere ſpecie, quæ ſubſtantialiter ſit ſupernaturalis, vt probauimus lib. 8. in 2. p. q 5. ar. 3. §. 2. Quare ſupereſt explicandum, an ad illam ſit etiã neceſſariũ aliquod ſupernaturale lumen? 2. Præmiſſũ 2.

Huic quæſtioni in hac generalitate iam reſpondimus ſuprà quæſt. 2. huius libri art. 8. vbi affirmantem ſententiam probauimus: cùm enim, & ſpecies diuinam

nam eſſentiam abſtractiuè repræſentans, & ipſa cognitio abſtractiua eiuſdem eſſentiæ, non poſsint, non eſſe ſupernaturales ſecundùm ſuam ſubſtantiam; non poteſt lumen, quod & illam, ſpeciem, & illã cognitionem comitatur non eſſe ſupernaturale: cognitiò enim, ſpecies, & lumen habent inter ſe proportionem, vt ad eundem ordinem ſpectent; quod contra Scotum oſtendimus in dicta q. 5. libri 8. art. 3. §. 2. in 1. ratione. *Scotus.*

4. Quæſtio præſens. Solum ſupereſt nũc explicare; vtrùm hoc ſupernaturale lumen, ſit aliquod lumen diſtinctum à lumine glorię, quod in beatis ponitur ad viſionem intuitiuam?

Opinio negans. Cui quæſtioni negatiuè reſpondebunt, qui viſionem intuitiuam, & abſtractiuam eiuſdem obiecti inter ſe ſpecificè nõ diſtingunt; quæ fuit aliquorum ſententia: cum enim vtraque notitia ſit eiuſdem rationis, haberi poterit ſub lumine rationis eiuſdem.

Sed ego putò, quòd tale lumen foret eſſentialiter diſtinctum à lumine gloriæ, quod eſt in beatis. Fundamentũ eſt; quia lumen gloriæ in beatis ex ſua natura eſt beatificum: ideo enim dicitur lumen gloriæ, vel quia nõ eſt, niſi in beatis: vel quia facit beatos, nõ quidẽ formaliter, ſed cauſaliter. At verò cognitio aſtractiua quantumuis ſit quidditatiua, non eſt beatifica, vt contra Bellomontanum, & nonnullos alios oſtendimus libro quarto, quæſtione nona, articulo ſecundo, §. primo, & ſecundo. ¶ Et hac ſatis ſit pro hac quæſtione, & articulo. 5. Propria ſententia.

FINIS LIBRI NONI.

INDEX QVAESTIONVM HVIVS LIBRI DECIMI.

Præfatio in totum Librum.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ *Vtrùm intellectus creatus ad viſionem diuinæ eſſentiæ actiuè ſe habeat; an ſolùm paſsiuè?*

Articulus I. Vtrùm intellectus creatus videat Deum, vt eſt in ſe?

Articulus II. In quo nam poſita ſit formalis ratio viſionis diuinæ eſſentiæ?

§. 1. *Reijcitur prima opinio; quòd videre diuinam eſſentiam ſit beatum eam reſpicere.*

§. 2. *Reprobatur ſecunda opinio; quòd videre Deum, ſit Deum apparere in ſpecie intelligibili.*

§. 3. *Non recipitur opinio Godofredi.*

§. 4. *Impugnatur quarta opinio.*

§. 5. *Non admittitur quinta opinio.*

§. 6. *Nec admittitur ſexta opinio.*

§. 7. *Explicatur vera reſolutio.*

§. 8. *Corollaria contra impugnatas ſententias.*

§. 9. *Epilogus eorum, quæ dicta ſunt.*

Articulus. III. Vtrùm intellectus creatus poſsit actiuè influere in viſionem?

§. 1. *Refertur opinio negans.*

§. 2. *Opinio affirmans eſt veriſsima.*

§. 3. *Soluuntur argumenta.*

Articulus IIII. Vtrùm Deus poſsit cauſare viſionem intellectu ad eam actiuè non cõcurrente?

§. 1. *Referuntur variæ opiniones.*

§. 2. *Prima concluſio veræ reſolutionis.*

§. 3. *Referuntur argumenta contra primam conconcluſionem.*

§. 4.

§.4. Pro ſolutione primi argumenti explicatur, vnde actus vitalis habeat, quòd ſit vitalis.
§.5. Soluuntur cætera argumenta contra primam conclusionem.
§.6. Secunda concluſio veræ reſolutionis.
§.7. Quæ fuerit mens D.Thomæ?
Articulus V. Vtrùm intellectus beati de facto influat in viſionem?
§.1. Refertur opinio negans.
§.2. Opinio affirmans eſt tenenda.
§.3. Vtrùm opinio affirmans ſit de fide?
§.4. Vtrùm poſsit naturali ratione demonſtrari?
§.5. Vera confirmatio affirmãtis ſententiæ.
§.6. Soluuntur argumenta in oppoſitum.
Articulus VI. Vtrùm ſubſtantia animæ beatæ actiuè, & immediatè concurrat ad viſionem?

QVÆSTIO SECVNDA.

¶ De potentia obedientiali in genere.

Articulus primus: Vtrùm in rebus detur potentia obedientialis paſsiua, & actiua?
Articulus 2. Vtrùm potentia obedientialis generaliter ſumpta ſit quid poſitiuum?
§.1. Diſtinguitur inter eſſe potens, & eſſe potentiam obedientialem.
§.2. Apud quoſdam potentia obedientialis eſt non repugnantia.
§.3. Eligitur opinio, quòd ſit quid poſitiuum?
§.4. Solutio argumentororum.
Articulus 3. Vtrùm ſit danda in nobis potentia obedientirlis paſsiua?
Articulus 4. Vtrùm danda etiam ſit potentia obedientiæ actiua?
§.1. Argumenta partis negantis.
§.2. Affirmatiua eſt vera.
§.3. Solutio argumentorum in oppoſitum.
Articulus 5. Vtrùm potentia actiua obedientiæ Phyſicè cooperetur ad effectum?
§.1. Opinio generaliter negans.
§.2. Secunda opinio diſtinguit.
§.3. Vera ſententia.
§.4. Ad argumenta in oppoſitum.
Articulus 6. Vtrùm hæc potentia obedientialis actiua ſit in rebus ante ſupernaturalẽ eleuationẽ?
§.1. Præmittuntur nonnulla.
§.2. Ponitur opinio negans.
§.3. Opinio affirmans explicatur.
§.4. Verus ſenſus reſolutionis.
§.5. Solutio argumentorum.
Articulus. 7. Vtrùm principium poſitiuum, quo res ante eleuationem dicuntur obedientialiter petentes, habeat actiuitatem influentem in effectum ſupernaturalem?
§.1. Opinio negans.
§.2. Affirmatio eſt vera.
§.3. Argumenta vim non habent.
Articulus. 8. Vtrùm potentia obedientialis poſitiua, & actiua ſit aliquod ens poſitiuum, creaturæ ſuperadditum ab ipſo ortu?
§.1. Opinio affirmans.
§.2. Vera ſententia negat.
§.3. Solutio argumentorum.
Articulus. 9. Vtrùm potentia obedientialis actiua, quæ eſt in rebus ante eleuationem, dicat aliquam virtutẽ, actiuitateq́; innatam, qua res obedientialiter influat in effectũ ſupernaturalẽ?
§.1. Qui impugnant virtutem actiuam innatam? & quibus argumentis?
§.2. Quomodo authores, qui negant, explicent potentiam obedientialem, quam ponunt ante eleuationem?
§.3. Refertur opinio affirmans.
§.4. Explicatur propria authoris ſententia poſitis duabus concluſionibus.
§.5. Pro prima concluſione, ſoluuntur argumenta partis negantis.

§.6. *Pro concluſione ſecunda ſoluuntur argumenta in oppoſitum.*
*Articulus.*10. *De diſtinctione potentiæ obedientialis ab entitate rei creatæ.*
§.1. *Explicatur titulus quæſtionis.*
§.2. *Referuntur varij modi dicendi.*
§.3. *Explicatur propria ſententia nonnullis propoſitis concluſionibus.*
§.4. *Soluuntur argumenta contra tres priores concluſiones.*
§.5. *Soluuntur argumenta contra quatuor vltimas concluſiones.*
Articulus 11. *Vtrùm potentia obedientialis actiua dicenda ſit ſimpliciter naturalis? an ſupernaturalis?*
§.1. *Quæſtio pro vtraque parte ſit dubia.*
§.2. *Referuntur variæ ſententiæ.*
§.3. *Explicatur propria opinio.*
§.4. *Soluuntur argumenta in contrarium.*
*Articulus.*12. *Vtrùm, & quomodò potentia obedientialis actiua diſtinguatur à potentia naturali ipſius entitatis naturalis?*
§.1. *Referuntur opiniones.*
§.2. *Explicatur difficultas.*
§.3. *Soluuntur argumenta oppoſita.*
*Articulus.*13. *Varia inquiruntur de potentia obedientiali actiua.*
§.1. *Vtrùm habeat aliquam ſpeciem?*
§.2. *A quo ſumat ſpeciem?*
§.3. *Vtrùm ſit vna ſpecie?*
§.4. *Vtrùm ſit finita, vel infinita?*
§.5. *Vtrùm in omnibus ſit æqualis?*
Articulus 14. *De eadem potentia obedientiali nonnulla inquiruntur.*
§.1. *Vtrùm reperiatur in omni creata entitate?*
§.2. *Ad quæ ſe extendat?*
§.3. *Vtrùm in omnibus, & quoad omnia concurrat cum Deo, vt cauſa ſolùm inſtrumentalis?*
*Articulus.*15. *& vltimus: Quomodo potentia obedientialis actiua eleuetur à Deo ad actualem vſum?*
§.1. *Referuntur opiniones.*
§.2. *Prima opinio reijcitur, vt improbabilis.*
§.3. *Secunda opinio, tanquam probabilis defenditur.*
§.4. *Expenditur tertia opinio, quæ eſt Caietani.*
§.5. *Vltima opinio eſt cæteris longè probabilior.*
§.6. *Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in oppoſitum.*

QVAESTIO III.

¶ *Qua virtute, & quomodò intellectus creatus iufluat in viſionem beatam?*

*Articulus.*1. *An lumen gloriæ actiuè influat in viſionem?*
*Articulus.*2. *Suppoſito quòd influat; an intellectui ſit tota vis, qua in viſionem influit?*
*Articulus.*3. *Suppoſito quod influat virtute ſibi propria; an illa ſit virtus obedientialis innata, diſtincta à virtute, quæ à natura eſt intellectui inſita?*
*Articulus.*4. *Suppoſita negante ſententia, inquiritur, an influat per virtutem inchoatam, & incompletam, quæ illi ſit potentia obedientialis, per quam ad viſionem eleuatur?*
*Articulus.*5. *An intellectus per hanc virtutem inchoatam cocurrat ad viſionem, vt cauſa inſtrumentaria; an verò, vt principalis?*
*Articulus.*6. *Quomodò hæc virtus inchoata eleuetur, & compleatur ad eliciendam viſionem?*
*Articulus.*7. *Suppoſito, quod eleuatur per lumen gloriæ, inquiritur, quomodò hæc virtus cum lumine gloriæ ad viſionem concurrat?*
*Articulus.*8. *& vltimus: Quomodò ad eandem viſionem concurrat cum diuina eſſentia?*

FINIS.

LIBER DECIMVS.

DE POTENTIA, ET VI INTELLECTIVA INTELLECTVS CREATI in ordine ad Viſionem diuinæ eſſentiæ.

Præfatio ad totum Librum.

1. Relatio præcedentium.

IN 1. tomo egimus de viſione, vt eſt formalis beatitudo : in hoc autem tomo 2. imprimis quatuor libris,6. inquam 7. 8. & 9. egimus de ijs, quæ viſionem antecedunt: etenim in lib. 6. conſiderauimus, virtutem intellectus creati ad Deum videndum nudè ſumptã ſecluſa omni ſupernaturali eleuatione, & oſtendimus intellectum creatum in ſuis puris naturalibus non poſſe clarè, & diſtinctè Deum videre, & indigere ſupernaturali eleuatione. In 7. libro eundem intellectum conſiderauimus iam ſupernaturaliter eleuatum,tùm ex parte obiecti diuinæ.ſ.eſſentiæ; tùm ex parte ipſius intellectus. In lib.8.egimus de ſpecie intelligibili, qua intellectus eleuatur ad viſionem Dei:vtrùm.ſ.illa ſit aliqua ſpecies creata repræſentatiua diuinæ eſſentiæ;an verò ſit ipſa diuina eſſentia, vt vicem ſpeciei ſubit,& ad inſtar illius eleuat intellectum. Tandem in lib.9.diſputauimus de lumine gloriæ, quo intellectus ad Deum videndum eleuatur. In omnibus illis libris ſuppoſuimus, intellectum ſupernaturaliter eleuatum videre Deum:non dũ tamen explicuimus,qua virtute illum videat, & quo modo ad eum videndum eleuetur:cuius quæſtionis explicatio neceſſaria eſt,vt diſputatio de beatitudine animæ completa ſit,& abſoluta. Hanc igitur diſputationem ad hunc librum reſeruauimus.

In illius explicatione hunc ordinem obſeruabimus. Primo loco videbimus; 2. Ordo dicendorum.
quomodò intellectus creatus etiam ſupernaturaliter eleuatus ſe habeat ad beatam viſionem? Vtrum nè ad eam concurrat actiuè;an ſolùm paſsiuè? Deinde explicabimus, qua virtute actiuè influat in eam?

QVÆSTIO I.

Vtrùm intellectus creatus ad viſionem diuinæ eſſentiæ actiuè ſe habeat, an paſsiuè?

QVod attinet ad primũ; inquirendum eſt, vtrùm intellectus creatus habeat ſe actiuè ad viſionem diuinæ eſſentiæ;an verò ſolum paſſiuè? & pro faciliori quæſtionis explicatione, primo loco inquiremꝰ de eo, quod ſupponitur: vtrùm. ſ. intellectus creatus Deum videat? Deinde;in quonam poſita ſit formalis ratio viſionis Dei? Tertio loco; vtrùm intellectus creatus poſsit actiuè influere in viſionem ? Quartò; vtrùm ſolus Deus poſsit eam producere, intellectu ad eam actiuè non concurrente? Poſtre-

Poſtremo; vtrùm de facto ſolus Deus ad eam actiuè concurrat; an verò ſimul cum intellectu?

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectus creatus Deum videat, vt eſt in ſe?

1\. QVoniam in tota hac diſputatione de beatitudine animæ ſupponimus, tanquam firmiſsimum fidei fundamentum, intellectum creatum clarè, & intuitiuè Deum videre; vt ordo doctrinæ ſeruetur, hunc articulum excitabimus, quanuis de eo iterum latiſsimè ſit agendum lib. 12. q. 1.

Diffinitum de fide. Nunc ſatis eſt, aduertere, diffinitum eſſe de fide, beatos clarè, & intuitiuè Deũ videre, vt eſt in ſe. Hanc veritatem definiuit Concilium Florentinum ſeſsione vltima in literis vnionis: & Concilium Viennenſe in Clementina *Ad noſtrum*, de hæreticis: Benedictus 12. in Extrauagãte, *Benedictus Deus*, quæ habetur in Summa Constitutionum Summorum Pontificum, & eſt prima eiuſdem Benedicti: Euariſtus etiam Papa in prima ſua Epiſtola decretali, quæ habetur in 1. tomo Conciliorum. Addi poteſt Concilium Francofordienſe in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Denique hæc fuit traditio ab initio Eccleſiæ.

Concilium Florentin. Viennenſ. Bencd. 12. Euariſtus Papa. Francofordienſe.

2\. Ex ſacris literis. Expreſſè colligitur ex pluribus locis ſacræ Scripturæ: nam 1. Ioannis 1: *Videbimus eum, ſicuti eſt.* Matthæi. 5: *Beati mũdo corde; quia ipſi Deum videbunt.* Matth. 18: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cœlis eſt.* 1. Corinth. 13: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Denique Apocalypſis 22. *Et ſerui eius ſeruient ei, & videbunt ſemper faciem eius.* Quos omnes locos ad literam intelligendos eſſe de viſione clara, & intuitiua diuinitatis, euidenter oſtendemus lib. 12. q. 1. art. 5. vbi art. 6. explicabimus locos eiuſdem ſcripturæ, qui Catholicam iſtam veritatem videbantur impugnare; & ibi art. 3. & 4. oſtendemus, hunc fuiſſe omnium Patrum latinorum, & græcorũ vnanimem conſenſum, nullo contradicente: quanuis non defuerint ex hæreticis, qui oppoſitum docuerint, quos in dicto lib. 12. q. 1. art. 1. §. 1. citabimus: in quem locum latiorem huius Catholicæ veritatis confirmationem reſeruamus. Nunc ſatis ſit, eam ſuppoſuiſſe, tanquam tutum dicendorum fundamentum.

Matth. 5. & 18. 1. Cor. 13. Apoc. 22.

ARTICVLVS II.

In quonam ſit poſita formalis ratio viſionis diuinæ eſſentiæ?

HVnc etiam articulum in hac diſp. præmittimus, ne in ſequentibus quæſtionibus per ignota procedamus; maximè in 3. art. ſtatim excitando, cuius vera reſolutio pendet ex reſolutione præſentis articuli: etenim ſi intelligere formaliter eſt agere, cum intellectus beati verè & propriè Deum intelligat, verè aget in ipſam viſionem: quod tamẽ nòn continget, ſi intelligere verè non eſt agere. 1. De ratione formali viſionis.

Huius quæſtionis reſolutio pẽdet ex reſolutione alterius, quæ generaliter inquirit, quidnam formaliter ſit intelligere? & quænam ſit formalis ratio intellectionis, vt intellectio eſt? nam cum viſio beata formaliter ſit intellectio, in eo poſita erit formalis illius ratio, in quo poſita fuerit, formalis ratio intellectionis. Explicandum igitur erit hoc loco, quid formaliter ſit intelligere? & quid formaliter ſit intellectio? de quo variæ fuerunt Philoſophorum, & Theologorum opiniones, vt patet ex ijs, quæ diximus lib. 4. q. 2. art. 3. & 4. 2. Vnde pendet reſolutio. Quid formaliter ſit intelligere?

§. 1.

Reijcitur prima opinio.

PRima opinio docet, intellectionem formaliter ſumptam non eſſe formam aliquam abſolutam; ſed ſolũ eſſe reſpectum quendam ad obiectum: & ſubindè intelligere nihil aliud erit, quam intellectum reſpicere ipſum obiectum: nonnullos ita docuiſſe refert Gregorius; imò hanc fuiſſe ſententiam Durandi, teſtatur Capreol. Apud quos intellectus ideò formaliter dicetur intelligens, quia reſpicit obiectum. Iuxta hanc opinionẽ viſio beata non erit aliqua forma abſoluta, ſed reſpectus quidam, quo intellectus beati reſpicit diuinam eſſentiã, vt quoddam obiectum intelligibile. 3. 1. opinio. *Gregor. Durand.*

Hæc

4. Opinio eſt improbabilis. Hæc tamen ſententia ab omnibus reijcitur, tanquam omnino improbabilis in Philoſophia. Eam reijcit Gregorius in 2. *diſt. 7. q. 2. art. 1. §. Contra tertiam concluſ. fol. 49. col. 4. & fol. 50. col. 1. §. Ad 1. contra 1. partem. Eandem reijcit Capreolus in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. fol. 84. col. 2. & inferiùs art. 3. fol. 91. col. 1. & in 1. diſt. 35. q. 1. fol. 234. col. 4. & fol. 237. col. 2. ad 1. Durandi. Non recipit eam Heruæus quodlib. 3. q. 8. art. 1. nec Rada 1. p. controu. 7. in dubit. ſcitu digniſsima, concl. 1. pag. 107. col. 2. Eam latè impugnauimus in 3. de Anima tract. 3. q. 6. concl. 2:* cõſtat enim inter Philoſophos intellectionem eſſe actum quendam, vt patet ex *Ariſtotele 9. Metaph. cap. 11.* eſſe actum optimum, & maximè delectabilem, aſſerit idem Ariſtoteles 12. *Metaph. cap. 7.* vbi eam appellat vitam, cuius principium primum eſt anima, vt patet ex diffinitione animæ, quam ponit Ariſtot. *lib. 1. de Anima c. 1. & 2:* vnde eſt notitia ex intellectu, & obiecto producta, vt ait Aug. 9. de Trinitate cap. 12. Hæc autem reſpectui, ſiue relationi conuenire non poſſunt; cum relatio per ſe non ſit terminus actionis, nec dicat perfectionem. Et hæc ſatis dicta ſint contra hanc primam opinionem.

Gregor. Capreol. Heruæus. Rada. Intellecto eſt actus. Ariſt. Eſt actus optimus.

§. 2.

Reprobatur ſecunda opinio.

5. 2. opinio. Secunda opinio eſt Aureoli *in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1.* apud quem (ſi benè ex pendantur, quæ de eo adduximus ſuprà lib. 8. in 1. p. q. 1. art. 4. §. 3.) intellectio formaliter nihil eſt aliud, quàm ipſa formalis apparitio obiecti in ſpecie intelligibili: intelligere autem formaliter erit intellectum formare ſibi obiectum in eſſe apparentis; habereque illud ſibi obiectiuè apparens.

6. Non recipitur. Hanc ſententiam iam non recepimus ſuprà lib. 8. in dicto art. 4. §. 6. n. 35. vbi eam impugnauimus, non ſolùm quatenus docet intellectionem realiter eſſe ipſam ſpeciem intelligibilem, *quod ibidem fecimus §. 4.* ſed etiam quatenus aſſerit, intellectionem formaliter eſſe ipſam obiecti apparentiam in ſpecie intelligibili, *quod fecimus §. 6:* nec enim poteſt eſſe ipſa habitualis apparentia, quam habet in ſpecie; quoniam hæc de facto datur in ſpecie, quando intellectus nihil intelligit. Nec eſſe poteſt apparentia actualis in eadem ſpecie: primò; quia hæc apparentia natura prior eſt, quàm intellectio. Deinde; quia intellectio, vt eſt intellectio, eſt quidam actus optimus, & maximè delectabilis, vt diximus ex Ariſtotele: relatio autem non eſt actus optimus. Tertiò, quia intellectio eſt actus immanens & vitalis; eſt enim quædam vita, vt ex Ariſtotele dictum eſt: relatio autem formaliter non eſt actus vitalis. Quartò; quia intellectio eſt actus immediatè productus vel ab intellectu, vel à ſolo Deo: cum tamen relatio non poſsit eſſe terminus immediatè productus, vt patet ex cõmuni Philoſophia Ariſtotelis in 5. Phyſicorum. Denique hæc opinio nõ poteſt habere locum in viſione beata, ſi diuina eſſentia cum intellectu concurrit ad viſionem ad inſtar ſpeciei: etenim viſio beata non poteſt eſſe ipſa formalis apparentia, quam diuina eſſentia habet in ſe ipſa, vt eſt quædam ſpecies: nam cum talis apparentia de nouo adueniat diuinæ eſſentiæ, nõ poterit eſſe aliquod ens reale, aut abſolutum, aut reſpectiuum, ſed erit ens rationis: abſurdum autem eſt dicere, viſionem beatam formaliter eſſe ens rationis. Et eodem fundamento non poteſt dici, quòd viſio beata ſit ipſa diuina eſſentia, vt eſt apparens in ſe ipſa gerente vicẽ ſpeciei (quæ eſt altera Aureoli explicatio) quia licet diuina eſſentia iuxta communem opinionem poſsit ſubire vicem ſpeciei intelligibilis; nunquam tamen poteſt eſſe formalis viſio, qua beatus Deum videt. Meritò igitur hæc Aureoli opinio reijcitur à *Capreolo in 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad 1. Aureoli contra primam, fol. 234. col. 3. & ab Hiſpalenſi in eodem loco q. 1. art. 4. ad 1. Aureoli. 2. loco. fol. 246. col. 3. & à Soncinate ibidem q. 1. concl. 3. ad argumenta Aureoli.*

7. 8. Impugnatur 2. explicatio. Capreol. Hiſpal. Soncin.

§. 3

Tertia opinio non recipitur.

9. Contra tertiã opinionem Godofredi. Tertia opinio eſt Godofredi, qui vult, intelligere formaliter non eſſe aliud, quàm recipere ſpeciem intelligibilem: vnde ipſa ſpecies, vt recepta, ſiue potiùs ipſa formalis receptio ſpeciei, in intellect[u] eſt ipſa intellectio: ita colliges ex *Godo[fr]edo quodlib. 4. q. 8. quem referunt Aureolu[m i]n 1. diſt. 35. q. 1, art. 1. fol.*

fol.748.col.2.& *Capreol.ibidem q.1.art.1. fol.234.col,2.cuius fundamenta adduximus ſupra lib.8.1.p.q.1.art.4.§.2.n.4.*

11. Eandem latè impugnauimus in eodē loco §.5. vbi nu. 34. citauimus authores, qui eam impugnauerunt.ſ. *Aureolum, Capreol. Hiſpalenſem, Bernardum de Ganapo, Iauellum, Toletanum, & Conimbricenſes.* Et

Noua impugnatio.

præter argumenta, quæ ibi adduximus, nnnc aduertimus illam opinionem accōmodari non poſſe viſioni beatificæ, ſi diuina eſſentia in beatis ſubit vicem ſpeciei intelligibilis: nam ex opinione Godofredi intellectio realiter eſt idem cum ſpecie, vt recepta: iam verò viſio beata realiter diſtinguitur ab eſſentia diuina, cum ſit ens creatum. Deinde viſio beata eſt forma intrinſeca intellectus beati; diuina autem eſſentia, vt habet vicem ſpeciei, non eſt forma intrinſeca illius, ſed ſolùm extrinſeca, vt patet,

§. 4.

Quarta opinio impugnatur.

12. Reijcitur 4. opinio, quod intelligere ſit producere intellectionem.

QVarta opinio docet, intellectionem formaliter eſſe ipſam productionem conceptus, ſiue verbi; & inde colligit, intelligere formaliter non eſſe aliud, quàm producere conceptum; ita vt ipſum producere conceptum, formaliter ſit intelligere. Hanc opinionem probaſſe plures ex Conimbricēſibus, cum adhuc in docenda Philoſophia eſſent tyrones, teſtatus ſum lib.4.q.2.ar.4.n.7. nobiſcum conſentit *Bellom. 1.p. diſp.141.c.4.n.17.in 2.ſententia,* dum nullis citatis refert quoſdam ita docuiſſe. Et verè eandem ſententiam tenuit *Mol.1.p. q.12.artic.2.diſp.1.& latiùs q.27.artic.1. diſp.8.m.2.* vbi non ſolùm aſſerit, intellectionem non eſſe qualitatem, ſed actionē de genere actionis, ſed ſæpiùs declarat intellectum formaliter intelligere per intellectionem, vt eſt actio; ita, vt intelligere formaliter ſit vitaliter producere, & actiuè exprimere ipſam qualitatem, quæ eſt cōceptus, & verbum; vitaliter, inquā, producere, id eſt, per actionem vitalem elicitam ab anima: ita ſcribit in *dicta diſp. 1. in principio, §. Præmittendem eſt deinde, pag.105.& 106. vtrobiq; columa.1.& inferiùs concl.1. §. Tertiò; [illegible]tia, & concl.3.§. Quanuis autem, pag.10[illegible] col.2.& in dicta diſp.8.m.2.poſt principium, §. Pro intelligētia, & §. Tres inquit, pag.407.& 408.& alibi paſſim.*

Auctores huius opinionis. Conimbr. Bellom. Molina.

13. Sotus. Nauarret.

Eandem opinionem tenet Sotus in 4.diſt.49.q.2.art.3. concl.1.§. Hæc autē opinio. Nouiſſimè hanc ſententiam tenet Nauarrete 1.tom.controu.39.§.1.fol.245.col.4.C. vbi expreſſè ſcribit intellectum formaliter videre per ipſam viſionē, vt eſt ab intellectu, etiā antequā intelligatur in eo recepta, & affirmat hoc eſſe certiſsimū. Quare apud eum intellectio formaliter eſt ipſa productio conceptus, etiam pro illo priori naturæ, in quo conceptus intelligitur productus, non tamen receptus. Quare intelligere formaliter apud eum nihil erit aliud, quàm producere conceptum, ita vt per ipſum, quatenus præciſè eſt ab intellectu, etiam antequam recipiatur, ſit formaliter intelligens. Hanc opinionem non poſſunt non tenere, qui cum præcitatis authoribus volunt, intellectionem formaliter eſſe actionem de genere actionis: quam ſententiam in terminis probarunt *Conimbricenſes in 3. de Anima c.8.q.3.artic.3.§. Contraria tamen opinio,* affirmantes eam eſſe verā, & Ariſtotelicam, & eandem tanquam veriſsimam ſupponunt *in 1. de Interpretatione c.1.q.4.art.1.pag.39.§. Et probatur:* & ante eos ſatis probat *Torres de Trinitat.q.27 art.1.in 1.p.quartæ diſp.fol.15.col.2. Eſſe opinionem probabilem putat Capreolus in 4. diſt.49.q.5.ar.3. ad 1. Aureoli conta primā fol.213.col,1.poſt principium.* Quod verò authores iſti non poſsint non tenere pręcitatam opinionèm in ſenſu explicato, facilè oſtenditur; quia intellectus formaliter dicitur intelligens ab intellectione, vt formaliter eſt intellectio. Ergo ſi intellectio, vt eſt intellectio, formaliter eſt actio, vt docent, intellectus dicetur formaliter intelligens ab intellectione, vt eſt actio emanans ab intellectu, ſub ea ratione, vt ab eo emanat, ſicut actio.

Quod intelligere ſit actio de genere actionis, qui probēt. Conimbr. Torres. Capreol.

15. Non placet

Hæc tamen opinio in ſenſu explicato ſemper mihi diſplicuit; eam annis abhinc vltra 46. cum adhuc iuuenis auditoribus interpretarer libros de Anima, multis impugnaui: & cōtra eandē iam ſenex ſcripſi 1.tom.lib.4.q.2.art.4.§.2. & in eadem ſententia modò firmiùs perſiſto; quia & ab antiquioribus, & à nouioribus video eam cōmuniter impugnari: eam ex profeſſo impugnat *Bellom.1.p.diſp.38.cap.2. n.5.*

Bellom.

16. *Velloſillus*

n.5.& diſp.141.c.4.n.16. & in terminis eam non recipit *Velloſillus in aduertentijs ad Ambroſium quæſito. 14. fol.284. col.4. §. Quod ſi quæras.* Non poſſunt eam non impugnare, qui negant intellectionem formaliter eſſe actionem de genere actionis: quæ opinio expreſſè probata fuit D. Thomæ *Opuſcul.48.tract.5. cũ agit de prædicamento actionis c.1.* vbi ita ſcribit: *intelligere, & ſentire ſunt actiones immanẽtes, quia dicunt actum intelligendi, & ſentiendi eſſe actu in intelligente, & ſentiente: hæc autem actio immanens non eſt directè de prædicamento actionis.* Hæc ſententia nõ poteſt non recipi ab ijs, qui putant, intellectionẽ per ſe eſſe qualitatem: ex Schola Thomiſtarum ita ſentiunt *Capreol. Caiet. Ferrar. Soncinas, Iauellus: ex Scotiſtis Scotus, Antonius Andreas, Herrera, & Rada: ex alijs Ægidius, Henricus, Durand. Heruæus, Ochamus. & Gabriel: ex nouioribus Suarius,* quos omnes citaui in *dicto art.4.n.4.* Porrò, ſi intellectio formaliter non eſt in prædicamento actionis; vtique formaliter nõ erit ipſa productio conceptus; & per conſequẽs intelligere formaliter non erit agere, ſeu producere conceptũ.

Apud D. Thom. intellectio nõ eſt actio de genere actionis.

Qui putãt intelligere eſſe qualitatem. *Thomiſtæ. Scotiſtæ. Suarius.*

17. Qui docet intelligere non eſſe agere. *Capreol.*

Quod in terminis docuit *Capreol. in 1. diſt.35.q.1. art.1. ad 6. Godofredi contra 1. fol.237. col.1. in fine,* dum affirmat non ſatis eſſe, vt quis ſit intelligens, quòd cauſet intellectionẽ: *& ibidem col.2. ad 2. & 6. Ripa* expreſſè docet id, quod producitur ab intellectu, non ideò formaliter eſſe intellectionem, quia eſt ab intellectu: iam verò, quòd producitur ab agente, eſt actio illius, vt eſt ab illo. Intellectio igitur apud Capreol. non ideò erit intellectio, quia eſt actio, qua intellectus conceptum producit.

Caietanus pro nobis.

Contra eandẽ ſententiã expreſſè ſcripſit *Caiet. 1. p.q.79. art.2. §. Quoad ſecundum ante finẽ;* vbi nõ ſolũ affirmat actiones immanẽtes nõ eſſe actiones; ſed ſæpiùs repetit, intelligere propriè loquendo non eſſe formaliter agere. Et idem ſignificat *1. p. q. 34. ar.1. ad finem.*

18. Idẽ ait Hiſpalenſis.

Nõnullos ita eſſe philoſophatos, vt intelligere formaliter nõ faciat intelligentem, vt eſt ab intellectu; nec det tale eſſe formaliter, vt eſt actio; teſtatur *Hiſpalenſ. in 1. diſt.35. q.1. art.4. fol.243. col.3. & 4. & vtrobique in fine, & hanc doctrinam approbat: ſatis conſentit Iauellus in 3. de Anima q.2. de actu intelligendi,* dum ait, intelligens, vt intelligens eſt, potiùs habere modũ agentis, quàm verè ſit agẽs: quibus verbis ſatis declarat, rationem intelligentis per ſe non poni in hoc, quòd ſit producens cõceptum, cuius rationem interiùs aſſignabimus.

Iauellus.

Nec ſolus Diuus Thomas cum ſuis hanc pinionem reijcit, ſed etiã Scotus cum ſequacibus: etenim non ſolùm affirmat *in citatis locis dicto ar. 4.* intellectionẽ formaliter non eſſe de genere actionis; ſed etiã in terminis docet, nos non dici formaliter intelligentes ex eo, quod intellectionẽ cauſamus, vt patet *in 1. diſt.3. q.7. ad argumenta quintæ opinionis, lit: Y. quod iterum repetit quodlib.13. litera EE. §. Ad 2. poteſt dici, vbi in hæc verba: eſt igitur intelligere, recipere intellectionem: quia licet intellectus ſecundum aliquam operationẽ cauſaret in ſe intellectionem; tamẽ non diceretur intelligens in hoc, quod cauſat.*

Idem Scotus cũ ſuis. *Scotus.*

19. *Rada.*

Quod etiam in iiſdem terminis aſſerit *Rada 1. p. contro.7. vbi non ſolùm negat, intellectionem formaliter ſumptam eſſe actionẽ de genere actionis, vt patet ibi pag.107. col.1. ad 4. & pag.108. col.2. & pag.109. col.1. ſed etiam docet, ibidem pag.111. col.1. ad 4.* quod intellectus non diceretur intelligere, in quantum cauſat.

Herrera.

Eandem doctrinã ſcribit Herrera in 1. *Scoti diſp.10. q.1. vbi notabili.4. pag.288. col.2. probat, intellectionem formaliter nõ eſſe de genere actionis, & notabili.5. pag.289. col.1.* negat tã apud Scotum, quàm apud D. Thomam, intelligere, formaliter eſſe producere conceptum, aut verbum: idem repetit *in 2. libro diſp.1. notabili.1. pag.56. col.1.*

20. *Idem Heruæus.*

Ex alijs idẽ expreſſè docuit Heruæus, qui non ſolũ docet intellectionem formaliter nõ eſſe productionẽ; ſed nec intelligere formaliter importare ipſum producere, vt patet *in 2. quodlib. q.8. §. Quantũ ad 2. fol.48. col.4. & fol.49. col.3. §. Ad 1. iſtorũ, & col.4. §. Et ad probationẽ, & quodlib. 3. q.8. art.1. fol.79. col.1. §. Secundũ, quod ipſi, & art.2. fol.80. col.3. §. Ad 2. dicendum, & §. Ad illud, quod contra:* quibus in locis expreſsè docet, opinionem illam, & falſam eſſe, & contra cõmunẽ; his addo *Bellom. 1.2. diſp. 9.c.5. n.32.* vbi ſcribit productionẽ ſpeciei expreſſæ nõ pertinere ad rationẽ formalẽ cognitionis.

Bellom.

4. ſententia eſt contra antiquiores.

Ex quibus patet, quartã iſtã opinionem eſſe cõtra antiquiores, & nouiores: & per conſequens non eſſe audiendos tres nouiores, quos citauimus: maximè cum Curſus Conimbr. *in eodem*

Curſus Conimbr. retractat opinionem.

lib.3.de Anima c.8.q.4.art.1.ad 2. abſque dubio opinionem tacitè retractet, dum negat, intelligere formaliter, eſſe producere intellectionem, cum formaliter ſit illam recipere, cum eius productione, quæ eſt quinta opinio, de qua ſtatim.

21. Nec ſolùm præcitata opinio reijcienda eſt, quia ſine efficaci fundamento tot, tantisque Philoſophis, & Theologis repugnat; ſed etiam, quia rationibus ſufficienter impugnatur. Et vt omittamus, quæ pro vera ſententia explicanda ſtatim adducemus, ex quibus huius opinionis falſitas euidenter apparebit; ſatis vrgent, quæ contra eam adduximus ſuprà lib.4.q.2.art.4.n.8: nam cum intellectio, vt eſt intellectio, dicat habitudinem ad rem intellectam; vtique illud intelligetur, ad quod intellectio, vt talis eſt, dicit habitudinem: nam id calefit, ad quod calefactio, vt eſt calefactio, habitudinem habet: ſed ſi intellectio, vt formaliter eſt intellectio, eſt realis productio qualitatis, quæ dicitur conceptus, ſiue verbum; vtique, vt formaliter eſt intellectio, dicet habitudinem ad talem qualitatem productā: ipſa igitur qualitas producta, erit id, quod intelligitur. Quod nullus con-

Impugnatur rationibus.

22. cedet. Si dicas intellectionem non dicere ſolam habitudinem ad terminum productum, ſed ad obiectum intelligibiliter perceptum; non poteris non concedere, intellectionem, vt præciſè eſt productio conceptus, non habere rationem intellectionis, quia ſub illa præciſa ratione non poteſt facere intellectum formaliter intelligentem. Sequeretur etiam intellectionem, vt talis eſt, non eſſe vltimum actum, vltimamq; intellectus perfectionē: nam ſi formaliter eſt actio, formaliter eſt via ad formam, per quam debet perficere intellectum. Denique intelligere in Deo formaliter non eſt producere: ergo nec in nobis. Antecedens patet; quia Deus formaliter intelligit intellectione eſſentiali, qua nihil producitur. Conſequentia probatur: quia ratio formalis intellectionis, qua intelligens formaliter ſit intelligēs, cōmunis eſt Deo, & nobis. Et quāuis hæc communitas ſit analogica, non tollit vnitatē omnimodā rationis formalis, vt patet ex Metaphyſica: vnde ratio formalis iuſtitiæ, vt eſt Deo, & nobis cōmunis, & in Deo, & in nobis reperitur.

Intelligere in Deo non eſt producere.

Ariſt.

23. Quâm verò falſum ſit id, quod addit Nauarrete, *intellectionem. ſ. vt eſt actio, facere intellectum intelligentem, etiam pro illo priori naturæ, in quo intelligitur non recepta in intellectu* cōtra eundē ſtatim oſtēdem⁹.

Nauarret. fallitur.

24. Nec huic opinioni quidquam fauet Ariſtoteles, dum intellectionē cæterasq; actiones immanentes vocat actiones, ſiue operationes, vt oſtendimus lib.4.q.2.ar.4.§.3.n.14. & ſtatim latiùs dicemus.

Ariſt. non cōtradicit.

§. 5.

Quinta opinio non admittitur.

25. QVinta opinio ponit intellectionē in ipſa productione cōcept⁹, eiusq; receptione: ita colliges ex *Conimbr.3. de Anima c.8.q.4. art.1. ad 2. Godofredi pag.385. & ex Fonſeca 7. Met. q.8.ſect.6.lit.D.pag.338. & ab alijs.* Sed nō omnes eodē modo rē explicant: nam Conimbricenſes ita hanc ſententiā vidētur explicare, vt intelligere formaliter ſit agere, ſeu ꝓducere intellectionē, ſiue cōceptū, cū receptione illius: adhuc enim in ſua perſiſtunt opinione, vt intelligere ſit agere, id enim in verbis immediatè præcedētibus in ſolutione ad 1, ſimpliciter cōcedūt: volunt igitur; intelligere, non eſſe agere ſimpliciter; ſed agere recipiēdo in ſe id, quod agitur. At tamē Fōſeca alia videtur via incedere, vt. ſ. intelligere formaliter ſit conceptū ipſum in ſe recipere, non ab alio productū, ſed à ſe: ita enim ſcribit: *dicimus intelligere apud nos, nihil eſſe aliud, quàm conceptū in intellectu ab ipſo intellectu productū recipi: hac enim ratione intellectus noſter intelligit, quia à ſe ipſo ſpecie intelligibili informato recipit expreſſam ſimilitudinem rei, quàm intelligit.*

Contra 5. opinionem

Explicatio Conimbricenſium.

Explicatio Fonſecæ.

26. Intereſt autem plurimū, inter vnum & alterū dicendi modum; quoniam apud priorem intelligere eſt agere conceptū, illum tamen in ſe recipiendo: vnde intelligere eſt quidē producere conceptū, nō tamen ſimpliciter, ſed illum recipiēdo in ſe ipſo. Apud poſteriorem verò; intelligere formaliter eſt recipere conceptum, nō ſimpliciter, ſed à ſe productū. Vterq; iſte dicendi modus nititur teſtimonio Ariſtotelis. Prior quidem: quoniam Ariſtoteles ſæpiſsimè docet, intelligere eſſe agere, ſiue operari. Poſterior verò, quia Ariſtoteles expreſſè aſſerit, intelligere eſſe quoddam pati; non quidem ante-

Inter vnam & alteram explicationē intereſt.

tecedenter; quaſi intelligere ſupponat, intellectum pati, dum recipit ſpeciẽ; ſed formaliter, vt intelligere formaliter ſit ipſum recipere intellectionem. Quare apud priores authores intellectio formaliter erit productio conceptus connotãdo, quòd ſit in intellectu receptus. Apud poſteriores verò, intellectio formaliter erit ipſa receptio conceptus, connotando, quòd illum à ſe ipſo recipiat.

27. Affirmans opinio. Non deſunt, qui ponentes ipſum intelligere ſimul eſſe producere conceptũ, & illum recipere, velint æquè primò eſſe vtrunque; ita vt intelligere æque primò ſit producere conceptum, & illum recipere. Nonnullos ita ſenſiſſe refert *Bellomon. 1. p. diſp. 141. c. 3. n. 18. & 1. 2. diſp. 9. c. 5. n. 29.*

Bellom. Fundamentum. Authores huius opinionis hoc pro ſe adducunt fundamentum: quoniam ſi fieri poſſet, vt intellectus expreſſam ſimilitudinem produceret, nec tamen eam reciperet; per eam non intelligeret. Simili modo, ſi eam reciperet, nec tamen produceret: vt ſi Deus illam produceret in noſtro intellectu, illo ad eã nõ cõcurrẽte.

28. Non probatur opinio. Ego tamen iſtam opinionem probare non poſſum, quocunque modo illa explicetur: nullo enim modo attingit veram & formalem rationem intellectionis, vt patebit ex ijs, quæ in explicanda vera reſolutione ſtatim dicemus §. 7. Sed contra vltimum explicãdi modum illud objicio: nam cum intellectio, vt eſt intellectio, ſit verum ens, eſſentialiter erit vnũ ens, & per conſequens in ſua eſſentiali ratione non poterit includere rationes duorum prædicamentorum; actionis, inquam, & paſsionis. Quare in hoc duæ priores opiniones meliùs philoſophãtur; quanuis non videantur attingere veritatis ſcopum. Vide, quæ contra ſingulas ſcribit Bellomontanus in locis ſuperiùs citatis. Fundamentum autem huius opinionis inferiùs diſſoluetur.

§. 6.

Nec admittitur ſexta opinio.

29. Reijcitur 6. opinio. Sexta adhuc eſt opinio, quæ docet intelligere formaliter nihil eſſe aliud, quàm recipere ipſam qualitatẽ, quæ eſt intellectio, ſiue conceptus; ſiue illam à ſe ipſo recipiat, ſiue ab alio. Hæc ſententia videtur eſſe Scoti *in 1. diſt. 3. q. 7. litera Y. §. Ad authoritatem Philoſophi,* (*Scotus.*) vbi expreſſè docet, intellectũ intelligere, in quãtum habet intellectionẽ, vt formã. Quod etiam aſſerit *quodlib. 13. art. 3. lit. EE. §. Ad 2.* & cum eo ſatis conſentit *Rada 1. p. contro. 7. ad finem in ſolutione 4. argumenti. pag. 111. col. 2. in principio.* (*Rada.*) Satis etiam videtur conſentire *Bellom. 1. p. diſp. 112. c. 4. n. 13. & diſp. 141. c. 3. n. 17.* (*Bellom.*) dum ait intelligere non eſſe aliud, quàm intellectum informari actuali obiecti ſimilitudine, quod etiam ſatis ſcribit *1. 2. in dicta diſp. 9. c. 5. & 6.* Conſentit etiam Velloſillus *in aduertentijs ad Ambroſium, quæſito 14. fol. 184. col. 4. §. Quòd ſi quæras.* (*Velloſill.*)

Sed quomodò intelligẽdus ſit Scotus, imò, quomodò ipſe ſe ipſum intelligat, ſtatim dicemus. 30. Sed cuiuſcunque ſit hæc opinio, illa non ſatis exprimit formalem rationem intellectionis, vt patebit ex §. ſequente.

§. 7.

Explicatur vera reſolutio.

31. Vera opin. Reiectis ſuperioribus opinionibus, ego in ea ſemper fui ſententia, vt intelligere formaliter nihil aliud ſit, quàm intellectũ qualitate in ſe recepta intẽtionaliter, atq; intelligibiliter percipere obiectũ, quod intelligitur; intellectio autẽ formaliter nõ ſit aliud, quã ipſa qualitas recepta, vt intelligibiliter eſt perceptiua obiecti: vel ſi mauis, erit ipſa formalis perceptio obiecti, vt eſt quoddã intelligibile, ſicut diximꝰ lib. 4. q. 1. art. 2. n. 30. & q. 2. ar. 4. §. 2. n. 7. & iterũ diximus in hoc 2. tom. lib. 8. in 1. p. q. 1. art. 4. §. 7. nu. 45. Quia verò hæc intentionalis, ſiue intelligibilis perceptio rei intellectę, nec cõcipi, nec explicari poteſt ſine quadam veluti tendẽtia, & quodã veluti tranſitu, ſiue exitu intellectꝰ ad rẽ intellectã, ideò ſignificatur per modũ actionis; cũ tamen talis trãſitus & tẽdentia nõ ſit vera, & realis actio, ſed ſolũ ſignificetur, & apprehẽdatur grãmaticaliter ad modum actionis. Hanc opinionẽ olim docui, cũ libros de Anima auditoribus explicarem: ea ſemper mihi placuit, & modò vehementiùs placet; (Olim ita ſenſit auctor.) quia video; & D. Thomæ placuiſſe, & Scoto, ſi benè expendantur, atque etiã doctoribus vtriuſque ſcholę Theologiæ. ſ. & Philoſophiæ, alijsq; grauiſsimis Theologis antiquioribus, & recẽtioribus.

31. Bargius ita ſenſit. Hanc noſtram ſententiam, ſi non ita clarè; tamen ſatis aptè ſignificauit *Bargius in 1.*

in 1.diſt.39.fol.285.col.3.litera I. dum ait, intellectum formaliter intelligere, *non quia recipit, ſed quia percipit,* ſcilicet obiectum: & hanc intelligibilem rei intellectæ perceptionem ex receptione qualitatis, quæ eſt intellectio, appellat vitalē immutationem; & meritò; quia nihil, niſi viuens poteſt intelligibiliter in aliud tendere, & illud percipere. *Commentator.* Quam Philoſophiam mihi ſatis ſignificat Commentator 12. *Metaphyſicæ commento.* 39: *Ariſt.* explicans enim illa verba Ariſtotelis in cap.7. eiuſdem libri in eodem text. 39. *actio intellectus eſt vita,* addit hæc, quæ ſequuntur: *actionem intellectus tunc eſſe vitam, cū eſt comprehenſio:* nimirum obiecti: etenim ſine hac comprehenſione intellectus non viuet vita intellectiua, quantumuis ipſum actum intelligendi producat: ſi enim intellectu actiuè producente qualitatē, quæ

33. dicitur conceptus, Deus impediret, ne eā in ſe reciperet (quod factu eſt poſsibile: poteſt enim eam ponere vel in alio intellectu, vel in lapide) vtique per eam non intelligeret, quia nihil perciperet: vnde productio talis conceptus, quanuis eſſet à viuente, non tamen illi eſſet vita; quia illi non eſſet formalis intellectio, per quā fieret intelligens. Hanc Commentatoris Philoſophiam ſatis mihi expreſsit Ariſt.

34. *in dicto lib.12.Metaph.c.7.text.39:* explicans

Ariſt. enim, quomodò intellectus ſe ipſū intelligat, ideò, quia alia intelligit, ita ſcribit: *ſe ipſum verò intellectus intelligit aſſūptione intelligibilis,* id eſt, dum intelligit aliquod intelligibile: *intelligibilis nāq; fit attingens, & intelligēs.* Quibus verbis ꝓbat præcedentē cōcluſionē; intellectū.ſ.intelligere ſe ipſū, dū alia priùs intelligit; quā ex eo probat, quia dū fit attingens alia, & ita fit cognoſcens illa; ipſe in ſe ipſo fit attingibilis, & perceptibilis. Verba igitur illa Ariſtotelis manifeſtè probant, intellectū fieri intelligentē, quia attingit intelligibiliter ipſum intelligibile. Quē ſenſū etiā denotāt verba immediatè poſita: *ſuſ-*

Ariſt. *ceptiuū enim intelligibilis, & ſubſtantiæ* (.ſ. quæ intelligitur) *intellectus eſt: operatur autē habēs,* id eſt, dū habet ipſū intelligibile: habet autē illud, dū illud intelligibiliter attingit, & attingēdo apprehēdit. Hęc eſt cōmunis illorū verborū explicatio. Vn-

D. Thom. de D. Thomas ibidē ex his verbis ita cōcludit: *Sequitur, quod intellectus, in quantū attingit intelligibile, fiat agens, & operās, id eſt intelligens.* Vide Aphrodiſæū, Scotū, & nouiſsimè Fōſecā in eodē loco: omnes *Communis explicatio Ariſt.* enim ita explicāt Ariſtotelē, vt dicat intellectū fieri intelligentē tactu, ſiue attinctione, cōprehēſioneve ipſi⁹ intelligibilis.

Quod ſatis docuit D. Thomas de malo q.16.art.12. dum ait, *intellectionem fieri* 35. *D. Thom.* *per apprehenſionem rei intellectæ.* Eam fieri per quandam protenſionem cognoſcentis ad cognoſcibile, docet *D. Bonauent. in 3. diſt.14. art.1.q.3.n.24. ad vltimum.* *D. Bonauentura.* Et inde eſt, vt intellectus à Philoſophis dicatur potentia apprehēſiua obiecti, quod apprehendit per intelligibilem intuitum ad ipſum obiectum: intelligere enim formaliter per ſe includit intuitum ad ipſum intelligibile, vt idem ſit intelligere formaliter, quod intellectum intueri rem in 36.

D. Thom. tellectam, vt habes ex D. Thoma *in 1. d. 3. q.4. art.5. vbi ita ait; intelligere dicit nihil aliud, quàm ſimplicem intuitum intellectus in id, quod ſibi eſt præſens intelligibile.* Et ſtatim ait, *quod ad intelligere requiritur intentio cognoſcentis,* per quam cognoſcēs ad rem ſibi præſentem deducatur, vt ex Auguſtino ibidem docet in 2. arg. & in illius ſolutione. Quare optimè Hiſpalen- *Hiſpalne.* ſis docuit, intelligere, eſſe quoddam intueri id, quod intellectui apparet, vt ſcribit *in 1. diſt.35.q.1.art.4.fol.246.col.1. & 2.* quem intuitum nonnulli aduerſariorum appellant contemplationem obiecti, quę contemplatio & intuitus non fit ſine illa intentionali tendentia, de qua diximus: in quo nobiſcum conſentit Nauarrete *Nauarret.* oblitus ſui, dum fatetur, intellectionem eſſe contemplationē obiecti in verbo 1. *tom. cōtr.34.ar.2.§.4.fol.211.col.1.in fin.*

Hanc Philoſophiam, & explicationē, confirmant, qui docent intellectionem, 37. *Confirmatur.* in ratione intellectionis, formaliter compleri per reſpectum, & habitudinem ad obiectum; ita vt ſub ratione intellectionis concipi non poſsit, niſi concipiatur obiectum intelligibile, vt expreſſè ſcribit Soncinas 9. *Metaphy.q.21. concl.2. &* *Soncin.* *ad 3.* Quod antea docuerat Capreol. *in 1.* *Capreol.* *diſt.35.q.1.art.3. ad argumēta Ripæ contra 1.fol.238.col.1.ad 2. & 3.* vbi docet intellectū formaliter fieri intelligētē per qualitatē, quæ eſt intellectio, receceptā in intellectu; nō quidē ſimpliciter, ſed vt includit, & denotat habitudinem ad obiectum.

Quæ

D. Thom. Quę abſque dubio fuit ſentẽtia D. Tho. *1.p.q.34.art.1. ad tertium*, vbi ita ſcribit: *intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſola informatio quædam in noſtro intellectu, prout intellectus noſter fit actu per formam rei intellectæ.* Quæ verba ita ſunt explicanda, vt intelligere formaliter ſolum dicat habitudinem (tranſcendentem, ſcilicet, quæ eſt de eſſentia qualitatis abſolutæ) intelligentis ad rem intellectam; quia per ſolam iſtam habitudinem, & tranſcentalem reſpectũ conſtituitur in ſuo eſſe, quatenus eſt in-
38. telligere. Quæ habitudo cum ſit reſpectus tranſcendentalis, eſſentialiter eſt forma, & actus, quo informatus intellectus fit formaliter intelligens, dum reſpicit rem intellectam, & illam reſpiciendo intelligibiliter attingit, & apprehendit. In quo ſenſu Diuum Thomam intelleximꝰ ſuprà lib.4.q.2.art.4.n.7.in quo nobiſcũ conſentit Herrera *in 1. Scoti diſp. 10. q. 11. in 3. notabili, pag.289. col.2.* *Herrera.*

39. *Explicatur 5. opinio.* Et ad hunc ſenſum intelligendi ſunt, qui ſuprà §.6. probauerunt quintam opinionem, quæ aſſerit intelligere non eſſe aliud, quâm intellectionem recipere, & per eam informari: nec enim ſignificant ipſum intelligere formaliter poni in illo recipere intellectionem; ſed quia intellectionem recipiendo intellectus intuetur obiectum, & intuendo illud attingit, & percipit: qui eſt proprius effectus formalis intellectionis, quem exercere non poteſt, niſi recipiatur: etenim ipſum recipi in intellectu eſt formalis intellectionis cauſalitas, qua intellectum formaliter reddit intelligentem, dum recepta formaliter facit illum intelligibiliter attingentem, & percipientem obiectum: nam ſicut calor, vt receptus, facit calidum; ita qualitas intellectionis, vt recepta, facit
40. *In quo ſenſu intellectio dicatur actio.* intelligentem. Quia verò ipſa intelligibilis attingentia & perceptio obiecti non poteſt concipi, aut explicari, niſi ad modum actionis, & cuiuſdam tendentiæ in obiectum; ideò intellectio, vt eſt formaliter intellectio, dicitur actio; & intelligere formaliter dicitur agere. Vnde talis actio dicitur actio grammaticalis; quia ſignificari non poteſt, niſi per verbum actiuum. Quæ doctrina communiter recipitur vt Scotica, ſumpta ex Scoto in *Scotus.* *dicto quodlib.13.§. Ad iſta, litera DD.* Sed verè eſt Thomiſtica, quam expreſſè aſſeruit D.Tho. *in 1.diſt.40.q.1.ar.1.ad finẽ:* *D. Thom.* vbi poſtquam docuit intelligere non eſſe veram actionem de genere actionis, ita ſcribit: *Omnes igitur tales operationes non habent operationes reſpondentes, niſi per modum ſignificandi tantùm: ſicut cum dicitur aliquid ſciri, non ponitur aliqua paſsio ſecũdùm rem in ſcito, ſed ſolùm quidam reſpectus ad ſcientem, ſecundum rationem, qui per modum paſsionis ſignificatur à grammatico, ſicut operatio per modum actionis: vnde dicit, quod ſcire eſt actiuum, & ſciri paſsiuum.* Ecce fatetur Diuus Thomas, intelligere, ideò dicere actionem, quia ſignificatur â grammatico per verbum actiuum ad modum actionis. Quod etiam ſatis ſignifica-
uit Caietanus 1.*p.* q.34.*art.*1.*ad finem*, §. *In reſponſione ad ſecundum*, dum ait, *intelligere, dici actionem: ſed habere magis eam ſignificare, quàm eam eſſe*; quia ſcilicet ſignificatur, vt actio; non tamen eſt actio. Vnde ſapientes ita ſentire aſſerit 1.*p.q.*79. *art.*2.§. *Quoad ſecundum, verſiculo quicunque.* Idem aſſerit Iauellus *lib.3.de Anima q.2.de actu intellectus*, affirmans, intelligẽtem, vt eſt intelligens, potiùs habere modum agentis, quàm ſit verè agens. Id ſatis clarè docuit *Diuus Bonauentura in 3. diſt.14.art.1.q.3. ad vltimum nu. 24.* vbi vide. Itaque intelligere eſt agere, & intellectio eſt actio, non realis & vera, ſed grãmaticalis; quatenus ſignificatur per modum tendentis in obiectum, & percipiẽtis illud, vt ex dictis patet, & ſatis probat *Bellom.1.2.diſp.9.c.4.n.16.& c.5.n.30. pag.88.col.2. in principio.* 41. *Caiet.* *Ita ſentiũt ſapientes.* *Iauell.* *D.Bonau.* *Bellom.*

§. 8.

Corollaria ex data reſolutione contra præcedentes ſententias.

EX his, quæ tam latè diximus, patet veritas noſtræ opinionis, vt intellectio formaliter nihil aliud ſit, quã intelligibilis attingentia, & perceptio rei intellectæ: intelligere autem formaliter ſit tẽdere notionaliter in rẽ intellectã, & illã intelligibiliter attingere, percipereq; vt patet ex Ariſt. *Cõmentatore D.Thoma, & cæteris, quos citauimus.* Diximus *notionaliter tendere, & percipere*; quia ad intelligere requiritur intentio cognoſcẽtis, per quam cognoſcens ad rẽ cognitam veluti fertur, & deducitur, vt ex Auguſtino 42. *Concluſio dictorum.* *Quid ſit intellectio? quid intelligere?* *Auguſt.*

D. Thom.

docet D.Thomas *in* 1.*diſt*.3.*q*.4.*art*.5.*in corpore*, & *ad* 2. ex quorum doctrina nec intuitus intellectus ad rem intellectam, nec tendentia ad illam, nec denique eius apprehenſio erit realis, ſed ſolùm intentionalis; quia fit contemplando ipſam rē, & ipſo contemplationis intuitu eam intelligibiliter apprehendendo; in quo nulla ratio originis importatur, vt ait Diuus Thomas 1.*p*.*q*.34.*art*.1.*ad* 3.

D. Thom.

43. Quomodo ſit philoſophandū de intellectione.

Quare de intellectione formaliter ſūpta ita eſt philoſophandum, vt ſit qualitas ex ſua natura intentionaliter perceptiua rei intellectæ. Vnde eſſentialiter eſt quoddam relatiuum tranſcendens reſpiciens rem intellectam per modum attingentis, & apprehendentis illam: nam & ſcientia actualis eſſentialiter includit trāſcendentem reſpectum ad rem ſcitam. Ita fit, vt effectus formalis intellectionis ſit intellectum, in quo recipitur, reddere attingentem, & percipientem rem intellectam: hoc enim modo reddit eum formaliter intelligentem.

44. 1. corollar.

Nauarrete non loquitur philoſophicé.

Ex hac Philoſophia primò infertur, non eſſe ſatis philoſophicam opinionem Nauarrete, dum ait intellectum reddi formaliter intelligentem per productionem intellectionis, etiam pro illo priori, in quo concipitur non dum recepta. Quod arguit euidentem Philoſophiæ ignorantiam: etenim licet ignis pro illo priori naturæ, in quo producitur calor, antequam intelligatur receptus, verè dici poſſit producens calorem; non tamen poteſt dici calefaciens: vt enim dicatur calefaciens, opus eſt, quòd ipſa caloris productione (quæ eſt calefactio) effectiuè attingat effectum formalem caloris, nimirum eſſe calidum, quem calor receptus formaliter cauſat: etenim agens in eſſe completo agentis eundem effectum facit efficienter, quem forma producta efficit formaliter: & ob hanc rationē ignis producens calorem in lignum, non dicitur calefaciens, antequam ſimul cum calore producto, & mediante eo, producat eſſe calidum, qui eſt formalis effectus caloris. Et in hoc ſenſu agens non producit vltimum effectum ſuæ actionis, niſi mediante forma producta: nec enim dealbans facit album, niſi albedine ſimul cum eo ad eundem effectum formaliter concurrente. Quæ Philoſophia in omni agente eſt veriſsima: licet enim ante receptionē formæ productæ verè dicatur producēs ipſam formam: tamen completè nōdum dicitur agens vltimū ſuum effectū: quia actio illa; licet pro illo priori terminata ſit ad terminum *quo*: non dum tamen terminata eſt ad terminum *quod*, qui eſt terminus vltimus ab agente intentus; à quo agens completè dicitur agens.

45. Hæc Philoſophia vera eſt in omni intelligente.

46.

Intellectus igitur pro illo priori, in quo producit qualitatem intellectionis, licet dici poſsit producens intellectionem; non tamen dici poteſt intelligens; quia ante receptionem intellectionis, non attingit effectiuè eſſe intelligentis, quod in ſe producit: hoc enim ſibi dare non poteſt, niſi intellectionis forma illud idem eſſe formaliter cauſante: hæc autem non poteſt formaliter dare intellectui tale eſſe, niſi in eo recipiatur. Igitur opinio Nauarrete implicat in adiecto. In eo autem deceptus eſt, quòd non diſtinxit inter producere qualitatem, quæ eſt intellectio; & producere effectum formalem illius, qui eſt eſſe intelligens. Hoc autem eſſe dare non poteſt intellectui, niſi in eo recipiatur; quia cauſa ſine ſua cauſalitate non poteſt effectum cauſare.

Opiniō Nauarrete implicat.

47. Alia confirmatio.

His etiam accedit; quoniam pro illo priori dari non poteſt habitudo illa, quam intellectus intelligendo habet ad rem intellectam, qua formaliter dicitur intelligere, vt ex D. Thoma iam oſtendimus: etenim habitudo non datur in intellectu, niſi mediante qualitate intellectionis, quæ ex ſua natura eſt formalis expreſsio rei intellectæ.

48.

Quare, qui benè hac de re philoſophantur, docent intellectum non poſſe concipi formaliter intelligentem, antequam concipiatur recipiens intellectionem, de quo Capreol. *in* 1. *diſtin*.35.*q*.1. *artic*.3. *ad ſextum Godofredi contra primā*, *fol*.237.*col*.1. *in fine*, & *ad argumenta Ripæ contra eandem*, *fol*.238. *colu*.1. *ad* 3. *Et ſatis fatentur Conimbricenſes cum Fonſeca, quos in quinta opinione citauimus ſupra* §.6. Vnde, qui dicunt intelligere formaliter eſſe agere actione vera, & reali, vt benè philoſophentur, ita ſuam opinionem debent explicare, vt intelligere nihil aliud ſit, quàm dare ſibi eſſe intelligentis, mediante qualitate à ſe producta.

Capreol. *Conimbr.* *Fonſeca.*

49. 2. corollar.

Secūdò infertur quartam opinionem cum vera Philoſophia non ſatis conſentire,

Contra 4. opinionem tire, quatenus ait, intelligere formaliter eſſe producere conceptum: conſtat enim ex dictis, intelligere formaliter nihil aliud eſſe, quàm notionaliter, ſiue intelligibiliter attingere, concipere, & apprehendere obiectum, vt ex Ariſtotele, Commentatore, Diuo Thoma, & pleriſq; alijs oſtendimus: & ſatis ſignificauit D. Thomas 1. *p. q. 34. art. 1. ad tertium, dum ait, intelligere, importare ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam*: quæ excluſiua ſatis conuincit, intelligere apud D. Thomam per ſe primò cōſtitui in ſuo eſſe per ſolam habitudinem illam trāſcendentem, quam eſſentialiter includit ad rem intellectam, quatenùs per illam rem ipſam attingit. Quare intellectus per ſe primò conſtituetur in eſſe intelligētis per hoc, quod notionaliter attingit, & concipit rē intellectam. Hanc autem habitudinem ad rem intellectam non habet per productionem conceptus, nec per ipſum cōceptum, vt eſt ab intellectu; ſed vt eſt qualitas expreſſiua rei intellectæ, & apprehēſiua illius apprehenſione quadam notionali. Itaque intellectus formaliter fit intelligens per ipſam qualitatem conceptus, quæ eſt formaliter intellectio: efficienter verò per eandem, vt eſt ab intellectu.

D. Thom.

50. Notanda diſtinctio. Quare ſi in hac re volumus benè philoſophari, diſtinguere oportet, inter intellectum fieri intelligentem efficienter, & fieri intelligentē formaliter: ſicut diſtinguendum eſt, inter facere calidum efficienter, & formaliter; ignis enim efficienter facit calidū per calorem, vt eſt ab eo; non tamen facit formaliter calidum, quia hoc pertinet ad formā caloris, vt eſt cauſa formalis ipſius calidi. Eodem modo intellectus per qualitatē, quę eſt intellectio, vt eſt ab ipſo, facit ſe intelligentem efficienter, non tamen formaliter: quia eſſe intelligentis, id eſt, attingentis rem intellectam, non habet ab intellectione, vt eſt ab eo, ſed vt eſt in eo: recepta enim in intellectu formaliter cauſat in eo ipſum intelligere, & ipſum percipere rem intellectam. Itaque vnus, & idem intellectus eſt intelligens effectiuè, & formaliter: effectiuè; per intellectionē, vt eſt ab ipſo; formaliter verò per eaudē, vt eſt in ipſo. Et hoc non diſtinguere, eſt cauſa deceptionis.

51. Obiectio. Si obijcias: agens formaliter fit agens per actionem, ſiue per formam actam, vt eſt ab ipſo. Ergo intellectus formaliter fit intelligeńs per intellectionem, vt eſt ab eo. Si, inquam, ita obijcias cum Nauarrete, tolle æquiuocationē, & intelliges veritatē: etenim intelligēs duobus modis ſumitur, & actiuè, & paſsiuè. Actiuè ſumitur, vt eſt efficiēs, tū intellectionis, tū ipſi⁹ eſſe intelligētis, quod efficit in ſe ipſo. Paſsiuè autem ſumitur, prout intelligēs idem eſt, quod attingens rem intellectā, & eam notionaliter concipiens. Intellectus igitur fit actiuè intelligens formaliter ab intellectione, vt eſt ab eo: quia ſicut ignis ſua calefactione fit calefaciēs in actu; ita intellectus ipſa productione conceptus facit in ſe ipſo ipſum eſſe intelligētis, id eſt, concipientis rem intellectam: quod quidem eſſe non habet per intellectionem, vt eſt ab eo, ſed vt eſt in eo. Sublata igitur æquiuocatione huius vocis *intelligens*, omnia manent luce merediana clariora.

Nauarret.

Intelligens dupliciter ſumitur.

52. 3. Corollarium. Infertur tertio rationem intellectionis, vt formaliter eſt intellectio, optimè ſaluari, quanuis ab intellectu non producatur: etenim (vt diximus) intelligere per ſe primò ponitur in ipſo attingere rē intellectam, vt ex Ariſtotele, & Commentatore oſtendimus: ipſum autem attingere rem intellectam, per ſe non pendet ex hoc, quòd intellectio fit ab intellectu; Sed ſolùm ex eo, quòd in intellectu recipitur. Ergo formalis ratio intellectionis benê ſaluatur, quanuis illa ab intellectu non producatur. Maior ex dictis eſt nota. Minor autē (in qua eſt ſtatus quęſtionis) ita probatur. Nam quando ſubiectum ex ſua natura eſt capax alicuius effectus, licèt in habendo illum per ſe pēdeat ab agente; ita tamen pendet, vt talem effectum poſsit recipere, à quocumque agente ille producatur: etenim ſubiectū, quod capax eſt fieri calidū per calorem, licèt per ſe pendeat ab aliquo calefaciente, indeterminatè ſumpto; à nullo tamen eorum determinatè accepto per ſe pendet, ſed à quocunque producatur calor, poteſt eum recipere, quo fiat calidū. Sed intellectus ex ſua natura eſt capax intellectionis, per quam formaliter attingat rē intellectam. Ergo quanuis in habendo intellectionem, qua formaliter illo modo fiat intelligens, per ſe pendeat à producente

Intelligere ſaluatur etiam ſi non ſit productum ab intellectu.

Fundamentum minoris.

cente intellectionem; quia ab aliquo debet illam habere; non tamen per ſe pendet ab hoc, vel illo determinato producẽte; ſed à quocumque illam habeat, per eã poteſt intelligere.

53. Reſponſio quorundã. Huic argumento reſpondent aduerſarij, doctrinam datam eſſe veriſsimam in actionibus tranſeuntibus, non verò in immanentibus: hæ enim, cum ex ſua natura ſint vitales, non poſſunt eſſe, niſi à principio vitæ; & ob id per ſe pendent ab eo, in quo recipiuntur. Ad hoc dicimus actiones immanentes verè eſſe vitales, & non poſſe ſuum formalem effectum exercere, niſi in eo, qui per eas vitaliter operetur: negamus tamen has actiones ex eo per ſe dici vitales, quia effectiuê ſunt à principio vitæ; ſed ex eo per ſe primò, & adæquatè eſſe vitales; quia ſua obiecta vitaliter attingunt, & percipiunt, vt ſatis docuit Commentator 12. Metaph. com. 39. dum ait, *actionem intellectus ideo eſſe vitam, quia eſt comprehenſio obiecti.* Quare ratio vitalitatis in his actionibus per ſe primò in hoc eſt poſita, quòd ſunt notionaliter apprehenſiuæ ſuorũ obiectorum, vt in principio §. ſeptimi dicebamus.

Non recipitur.

Comment.

54. Quod ex eo probatur; quoniã ſi intellectus actiuê producens conceptum diuina potentia in ſe illum nõ recipiat (quod factu eſt poſſibile) talis conceptus non eſſet illi vita, quia per eum non intelligeret, vt fatebuntur aduerſarij: eſſet quidẽ talis conceptus à viuente; viuens tamen per illum formaliter non viueret. Quare vita actualis intellectus, qua formaliter actu viuit, non eſt ipſum producere conceptũ, ſed ipſum attingere rem intellectam per conceptũ. Vnde ſi intellectus per conceptum à ſe non productum conciperet rem intellectam; vtique intelligeret, & intelligẽdo viueret, & ſubinde intellectum conceptu in ſe recepto concipere, & apprehendere rem intellectam, eſſentialiter eſt vita intellectiua. Quare intellectio ex eo, quòd eſt ab intellectu, habet, quòd ſit actio viuentis; nõ tamen, quòd ſit illi vita actualis; ſed ex eo, quòd eſt illi formalis rei intellectæ conceptio. Talis autem non erit, niſi viuenti; quia ſolus viuẽs poteſt per conceptum in ſe receptum notionaliter tendere in rem ſibi obiectam. Habemus igitur, quòd ex capite vitalitatis non implicat, intellectũ formaliter poſſe intelligere per intellectionẽ à ſe non elicitam: quia intellectio per ſe, & eſſentialiter nõ eſt vitalis, quia effectiuè eſt à viuente; ſed quia viuens per eam intuetur, & percipit obiectum. Sed de hoc plura dicemus inferius articulo 4. §. 4. ad primum argumentum.

Nota Philoſophiam.

Poſtremò ex dictis infertur intelligere eſſentialiter pendere ab ipſo recipere intellectionem: non tamen ab ipſo producere. Vnde repugnat, intellectum intelligere per intellectionem, quam in ſe non recipit: non repugnat tamen, eum intelligere per conceptum à ſe non productum. Ratio diſcriminis eſt; quòd actiua productio poteſt à Deo ſuppleri, quia pertinet ad cauſam efficientem: paſſiua autem receptio ſuppleri non poteſt, cũ pertineat ad cauſam formalẽ: ipſa enim receptio, & vnio paſsiua intellectionis cum intellectu, vel eſt ipſa formalis cauſalitas, qua intellectus fit attingens rem intellectam; vel ſine ea dari non poteſt. Sed de hoc vide plura *in 4. articulo §. 5. ad tertium.* 55. Vltimũ corolarium.

Intellectio per ſe nõ depẽdet à producere, ſed à recipere.

§. 6.

Epilogus eorum, quæ dicta ſunt.

Vt ea, quæ tam latè diximus, breui Epilogo reſoluamus; dicim⁹, Deũ videre, formaliter non eſſe intellectum beati Deum reſpicere reſpectu puro videntis ad rem viſam, vt dicebat prima opinio: etenim intelligere formaliter non eſt purus reſpectus, ſeu relatio, vt patet ex §. 1. 56. Quid ſit videns Deũ.

Nec videre Deum formaliter, erit formare ſibi Deum in eſſe apparentis, vt ſecunda opinio volebat: nec enim viſio eſſe poteſt ipſa formalis apparentia obiecti, vt patet ex §. 2. 57.

Tertiò; videre Deum non erit recipere ſpeciem intelligibilem diuinæ eſſentię: hoc enim nullo modo poteſt accommodari viſioni, qua beati Deum vident, vt §. 3. oſtendimus. 58.

Quartò; nec videre Deum formaliter erit producere viſionem ipſius eſſentiæ, vt patet ex his, quæ latè adduximus §. 4. 59.

Nec erit intellectum beati producere, & recipere in ſe viſionem vt etiam; oſtẽdimus §. 5. Nec denique erit recipere in ſe viſionem, vt diximus §. 6. 60.

Quare beatum videre Deum, formaliter 61.

ter nihil aliud erit, quàm beatum exprimendo in ſe ſimilitudinem diuinæ eſſentiæ notionaliter attingere, & apprehendere ipſam eſſentiam diuinam, iuxta ea, quæ latè diximus ſuprà §.7. & 8. Et hæc de hoc art. ſint dicta.

ARTICVLVS III.

Vtrùm intellectus creatus poſsit actiuè influere in viſionem?

1. EXplicata ratione formali viſionis diuinæ eſſentiæ, explicandum eſt conſequẽter, à quonam illa effectiuè producatur? quoniam verò de hac difficultate adeò variæ ſunt Theologorum ſententiæ, vt ſine confuſione ſimul explicari non poſsint, prò illius diſtincta explicatione primù inquirendum erit, vtrũ ab intellectu creato produci valeat? Deinde vtrùm poſsibile ſit, eã produci à ſolo Deo, intellectu ad eã actiuè non concurrẽte? Tertiò loco dicemus, quid de facto fiat? Et in hoc articulo agemus de poſsibilitate in ordine ad intellectum beati.

§. I.

Refertur pars negans.

2. Pars negãs. *Ocham.* PArtem negantem, etiam de poſsibili, tanquam probabiliorem defendit Ochamus *in 1. diſt. 1. q. 2. concl. 2. lit. E*: ſi enim vis argumentorum expendatur, ſatis probat viſionem diuinæ eſſentiç beatificam ita eſſe à ſolo Deo, vt nõ poſſit eſſe ab intellectu beati. In eodem ſenſu eadem opinio probatur *Gabrieli in 1. diſt. 1. q. 2. concl. 4.* & licèt ſolùm agat de fruitione, tamen idem declarat eſſe dicẽdum de viſione. In eodẽ ſenſu de poſsibili partem negantẽ ſatis probat Supplementum *illius in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 3. dub. 2. in fine*, dum aſſerit repugnare, quòd actus beatificus actiuè ſit à potentia. Ochamũ in omnibus ſequitur Petrus de Aliaco *in 1. ſententiarum q. 2. art. 1. ad primam rationem poſt quartam propoſitionem fol. 59. colum. 1.*

Gabriel. *Supplemẽ.* *Aliacus.*

3. *Almain.* Poteſt pro eadem parte citari Almainus *in 3. diſt. 14. q. 1. fol. 35. col. 1. & Adam godam lib. 2. diſt. 1. q. 8. concl. 1. fol. 107. col. 3.* *Adamus.* *Marſilius.* *Marſilius item, cum ferè iiſdem argumentis vtatur, quæ impoſsibilitatem redolent. In eodem ſenſu eandem negantem ſententiam videtur approbare in 3. q. 10. articulo. 2. in 1. p. articuli ad ſecundum contra corollariũ poſt ſecundam concluſionem dubij incidentis fol. 415. col. 2. ad finem*, vbi expreſſè docet viſionem beaticam nõ eſſe natam fieri, niſi à Deo. Vide eum *concluſione 4. fol. 415. col. 4. & fol. 416. col. 1. in princ. poſt ſextam concluſionem*. In eadem ſententia expreſſè eſt Baſſolius *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. §. Sed quantum ad præſentem fol. 158. col. 1.* vbi in ſecundo, & quarto argum. docet hoc eſſe impoſsibile. *Baſſolius.* Idem probat Diuus Bonauent. *in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. num. 24.* *D. Bonau. 4.* *Paludanus etiam in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. concluſ. 3. num. 31.* vbi docet ſpeciem in beatis non poni, vt poſsint actiuè influere in viſionem; quia viſio produci non poteſt, niſi per creationẽ à ſolo Deo. *Paludan.* Hanc opinionem eſſe meliorem, & ſecuriorẽ, ſcribit Durand. *in 4. diſt. 49. q. 2. num. 28. Et eam ſimpliciter probat in 3. diſt. 14. q. 1. nu. 9.* *Durand.* Eſſe probabiliorem affirmat Maior. *in 4. diſt. 49. q. 4. in Epilogo ad finem quæſtionis, quamuis in 3. diſt. 14. q. 2. §. ſecundò dici poteſt*, ſolùm dicat eam eſſe probabilem, vel ſaltem non eſſe improbabilem. *Maior.* Denique eam, vt multum rationabilem defendit Richard. *in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. & vt probabilem in 3. diſt. 14. articulo 1. q. 3.* *Ricdard.*

Quid de hac quæſtione ſenſerit Scotus? Dubium eſt. Nonnulli volunt, eum ſemper loquutum fuiſſe dubitatiuè, & cõditionaliter, quæ eſt opinio Ouandi *in 4. diſt. 49. propoſitione 8. At Bellom. inferius citandus*, vult Scotum fauere opinioni oppoſitæ *in 1. diſt. 3. q. 8. §. Reſpondeo*: nam quamuis ibidem nihil definiat: oppoſitæ tamen ſententiæ ſatis fauet: imò addit, Scotum eam apertè docuiſſe *in 3. diſtinct. 14. ad tertiam quæſtionem lit. O*: quod etiã ſentit Suar. citans eundem Scotum *in 4. diſt. 50.* In alio extremo poſitus eſt Salas ſtatim citandus, affirmans Scotum negãtem iſtam ſententiam expreſſè docuiſſe quodlib. 14. artic. 2. at nulla tamen Scoti verba referens. 5. Quid de hoc ſenſer Scotus. *Ouand.* *Bellomon.* *Suarius.* *Salas.*

Ego puto Scotum, vbicumque hanc excitat quæſtionem, ſemper dubium manere; quoniam, vel loquitur facta ſuppoſitione, quòd actiuè concurrat, vel loquitur ſub diſiunctione. Addo contra Bellomontan. & Suarium, Scotum non ſolùm nunquam ſimpliciter declaraſſe, intellectum 6. Vera explicatio mentis Scoti.

ctum actiuè influere in viſionem beatam; ſed nunquam id ſimpliciter inſinuaſſe. Imò potius negantem ſententiam ſimpliciter poſſe ab eo deduci ex quodlib. 11. art. 2. & ideo putò, Scotum potius inclinaſſe in hanc ſententiam negantem, quod fuit iudicium Ioannis de Salas. Primum patet ex omnibus locis, in quibus hac de re expreſſè loquitur: *nam in 4. diſt. 49. q. 11. litera C. §. Ex hoc ſequitur corollarium, & lit. K. §. Ad aliud*, loquitur facta ſuppoſitione, quòd actiuè concurrat, eandē ſuppoſitionem facit *in 3. diſt. 14. litera C*, ita ſcribens: *hic ſupponendo vnum, quòd intellectus poſſit ſe habere actiuè reſpectu viſionis. Et in 1. diſt. 3. q. 8. §. Reſpondeo liter. C. ita habet: tamen aliquod obiectum excedens multum facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum, vt clarè viſum, poſſet poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis; aut principaliorem, quàm pars intellectiua, hoc propter excellentiam talis obiecti, & & propter defectum partis intellectiuæ: ſed hac de re in 4. lib.* Quomodo hæc verba faueant actiuitati intellectus in viſionē, explicet nobis Bellomontanus: ego enim neutrius partis fauorem inuenio in illis, ſed ſimplicem indifferentiam. Quomodo autem actiuitatem doceat *in 3. diſt. 13. ad tertiam quæſtionem, etiā nō video*: nam, vt omittamus, quòd diſiūctiuè loquitur; ſolùm agit de voluntate in ordine ad fruitionem, de qua docuit, de fide eſſe voluntatem concurrere actiuè ad eam, vt ſcribit *in 4. dicta quæſtione. 11. lit. H. ita inquiens: ſed quia ſecundum Scripturam, & fidem habemus ponere charitatem; ſaltem neceſſe eſt, eā ponere propter operationē eliciendam*; dixerat enim antea, quòd ſi quid ſupernaturale in intellectu, & voluntate ponitur prius operationibus, hoc nō eſſe propter receptionem, ſed propter actionem, vt ſcilicet à beato eliciatur operatio, qua attingit Deum: Et ideo addidit, ſi in intellectu admittatur aliquid ſupernaturale prius viſione, illud admitti, vt beatus poſſit viſionem elicere. At tamen inter intellectum, & voluntatē, hoc poſuit diſcrimen, quòd ſecundum fidem Charitas admittenda eſt in voluntate; cum tamen fides nō declaret, an in intellectu admittendum ſit lumen glor[ia]. Ob hanc rationem Scotus ſemper fu[it] certus de actiuitate volūtatis in fruiti[o]nē; incertus verò, & dubius de actiuitate intellect⁹ in viſionem. Ex quo patet, Bellomontanum nō benè arguere actiuitatem intellectus ex actiuitate volūtatis, quam Scotus admittit in d. diſt. 13. Vnde, quandò Scotus *in 3. diſt. 14. q. 2. lit. C*, ſe remittit ad ea, quę de voluntate dixerat in diſt. 13. præcedēte; nō ſimpliciter ſe remittit, ſed facta ſuppoſitione, quòd intellectus in viſionem actiuè influat; At inquit Suar. Scotū actiuitatē intellectus ſatis inſinuaſſe in 4. diſt. 50: ſed debuiſſet, & quęſtionē certam, & locum deſignare: nam Scotus in illa diſtinctione excitat ſex quæſtiones, in quarum nulla aliquid reperi, quod actiuitatē, vel à longè inſinuet.

Scotus in his locis loquitur facta ſuppoſitione.

7. *Scotus in 3. d. 13. nō docet actiuitatem.*

8.

Bellomon. nō benè arguit.

9. *Dicendum eſt cū Sala*

Quare cum Sala potius eſt dicendum, potius ex Scoto colligi non eſſe dandam actiuitatem in intellectu in viſionem beatam: & quanuis ille nihil in ſpecie referat, ex quo mentem Scoti colligamus; facilè tamen colliges hanc eſſe illius mentē, ſi attente expendas, quæ ſcribit *quodlib. 14. ar. 2. lit. BB. §. Et propter iſtud*: vbi ſimpliciter aſſerit, beatum non habere verbum de Deo viſo, ex ea præciſe ratione, quia non naſcitur, nec gignitur ex eo: nā licet viſio, qua beatus Deū videt, ſit imago diuinæ eſſentiæ, naturaliter eam repræſentans; non tamen poteſt dici verbum, quia naturaliter non producitur à mente memoriaque fœcunda, tanquam proles genita ab ea: quæ ratio euidēter probat, Scotum ſimpliciter negaſſe intellectui beato actiuitatem in viſionem; quod ſatis expreſſit *in quodlib. 15. art. 2. lit. X. §. vel aliter diceretur*; *ita inquiens: vel aliter diceretur, quòd illa viſio immediatè cauſatur à voluntate diuina, ſicut dictū eſt in quæſtione proxima præcedente: & ſimiliter viſio lapidis: & per conſequens neutra gignitur à memoria, non ſolum ipſius videntis; ſed nec ab aliqua memoria.* Quæ verba ſatis explicant, & mentem Scoti, & verba quæ ex quodlib. 14. immediatè adduximus. Et ideò puto Scotum pro hac negante parte eſſe referendum.

Mens Scoti.

Argumenta huius partis negantis.

¶ Pars iſta negans aliquibus rationibus confirmatur. Prima, & præcipua eſt hęc: quando habitus, & act[u]s ſunt ſupernaturales; ſi id, quod eſt imperfectius, à ſolo Deo producitur, à ſolo eo producetur, quod 10.

1. Argum. partis negātis.

eſt perfectius: ſed lumen gloriæ eſt quid ſupernaturale, ſimiliter etiam viſio diuinæ eſſentiæ: & lumen gloriæ eſt imperfectius, quàm viſio. Ergo cum lumen gloriæ ſit à ſolo Deo, vt omnes admittimus, viſio ipſa à ſolo illo erit. Minor conceditur: Maior autem inde probatur; quoniã, ſi quod eſt imperfectius eſt, à ſolo Deo, à ſolo illo erit, quod eſt perfectius: iam verò habitus apud omnes eſt imperfectior, quàm actus illi coreſpondens. Hoc eſt

Ocham. *Gabriel.* *Marſilius.* *Baſſolius.* vnicum fundamentum *Ochami, & Gabrielis: cum illis conſentiunt Marſilius vbi ſuprà concluſione 6. fol. 415. col. 4. in fine, & Baſſolius vbi ſuprà in 1. arg.*

12. 2. Argum. Secundò; arguit Baſſolius: quoniam Deus non minus mirabiliter beatificat creaturam, quàm illam iuſtificat: ſed ſe ſolo animam iuſtificat, nec poteſt creatura aliqua ad illius iuſtificationem actiuè concurre: Ergo impoſsibile eſt, aliquam creaturam actiuè concurre ad animam beatificandam.

13. 3. Argum. Tertiò; ex eodem Baſſolio, ſicut ſe habet vltima forma ſubſtãtialis in generabilibus; ita vltima forma, & perfectio creaturæ intellectualis: ſed ad vltimam formam ſubſtantialem (animam ſcilicet rationem) in ordine generabiliũ nulla creatura actiuè concurrit, ſed totaliter eſt à ſolo Deo. Ergo ad vltimam formam creaturæ intellectualis, qualis eſt viſio diuinæ eſſentiæ, nulla potentia creata actiuè poterit concurrere.

14. 4. Argum. Quartò; voluntas non poteſt actiuè cõcurrere ad actum beatificum fruitionis. Ergo nec intellectus ad actũ beatificũ viſionis. Cõſequẽtia patet; quia eadẽ eſt ratio in vtraq; potentia. Antecedẽs probat Baſſolius: q̃a ſequeretur, voluntatẽ beatã eſſe in potẽtia proxima ad peccãdũ, quòd non eſt admittẽdum. Sequela probatur; quoniam voluntas, non poteſt non eſſe libera ad actum fruitionis. Vnde quantũ eſt ex ſe, poteſt eũ ſuſpendere: Cum verò poſsit ad eum obligari à Deo (quia id non implicat) ſi voluntas poteſt ſuſpendere talem actum, poterit etiam peccare, quæ fuit ſequela.

15. 5. Argum. Quintò; viſio illa eſt ens ſummè perfectum, & omnium nobiliſsimum. Ergo ex ſua natura eſt producibile per ſolam creationem: creatio autem ſoli Deo conuenit. Ita Paludanus.

Cõfirmatur hæc ratio: quoniam viſio ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt ſupernaturalis. Ergo non poteſt produci à potentia naturali, qualis eſt intellectus creatus. Confirmat.

16. 6. Argum. Sextò; ſequeretur, quòd intellectus ſe ipsũ effectiuè beatet; effectiuè enim produceret viſionem, quę eſt formalis beatitudo. Conſequens tamen eſt falſum; *quia gratiam, & gloriam dabit Dominus*, vt dicitur in Pſalmis.

17. 7. Argum. Septimò; intellectus nõ poteſt influere in viſionem viribus ſuæ naturæ, vt cõtra Begardos, & Beguinas definitum eſt in Concilio Viennenſi in Clementin. *ad noſtrum* de hęreticis. Nec poteſt influere, vt eleuatus; quia ſi ita influeret, vtique influeret per ſolam virtuem ſupernaturalẽ ſibi communicatam; vnde iam ille nõ influeret. Si verò influit per virtutem ſibi innatam; iam influit per virtutem ſibi naturalem: quod fieri non poteſt.

18. 8. Argum. Octauò; ſi actiuè concurreret; vel cõcurreret, vt cauſa totalis, vel vt cauſa partialis. Non vt cauſa totalis, vt patet: non vt partialis; quia non poteſt concurrere, vt cauſa principalis; cum concurrat eleuatus per alteram cõcauſam. Nec vt cauſa inſtrumentalis: quia iam non concurreret per propriam virtutem.

19. 9. Argum. Nonò, viſio illa eſt præmiũ. Ergo eſt à ſolo Deo: etenim præmium eſt à ſolo præmiante.

20. Vlt. arg. Poſtremò arguit Marſilius: quia intellectus non poteſt influere in viſionẽ, per ſpeciem creatam: hæc enim dari non poteſt. Nec immediatè: quia, vt ait, oppoſitum probauit *in* 3. *concluſione fol.* 415. *col.* 3. Hæc ſunt huius opinionis potiſsima fundamenta.

§. 2.

Affirmatio eſt veriſsima.

21. Probatur affirmatiua opinio. His tamen non obſtantibus, amplectenda eſt ſentẽtia, quæ affirmat, poſſe intellectũ creatũ diuina virte influere in viſionẽ eſſentię dininę. Hęc ſententia, & inter Theologos iam eſt cõmunis, & inter Thomiſtas receptiſsima: Imo etiam inter Nouiores. Hanc eſſe ſententiam Diui Thomæ, dubitari nõ poteſt *D. Thom.* quanuis enim formaliter non dixerit, intellectum actiuè poſſe influere in viſionem: id tamen non ſupponit modo, ſed docet æquiualentibus verbis: *nam* 1. *p. q.* 12. *art.* 5. ex eo, quod naturalis virtus intellectus

tellectus non ſufficit ad Dei eſſentiam videndam, infert oportere, quòd ex diuina gratia ſuper accreſcat ei virtus intelligendi, quod augmentum virtutis intellectiuæ appellat illuminationem. Ergo ex Diuo Thoma intellectui creato augetur virtus intellectiua, vt poſsit videre Deũ. quod clarius expreſsit ad primum, inquiens, lumen dari intellectui creato ad hoc, vt ſit potens ad intelligendum, per modũ quo potentia fit potens ad operandum. *Et 3. contra gentes. cap. 53.* expreſsè aſſerit
22. tale virtutis augmentum fieri, vt intellectus ad viſionem perueniat. *Et in 4. diſt. 49. q. 1. articul. 2. quæſtiuncula 2.* affirmat, quòd homo non ſolùm poteſt operari ſuã vltimam perfectionem; ſed etiam, quòd actu eam operatur: & ad ſecundum docet, omnia coadiuuare ad hanc operationem faciendam, & ſubſtantiam viſionis eſſe à naturali potentia, tanquam à principio effectiuo; de hoc enim agit. Et ibidẽ *q. 2. artic. 7. poſt princ.* ſcribit, intellectum diſpoſitum potentem eſſe in viſionẽ. Denique *de Veritate q. 8. art. 1.* expreſse docet ex diuina eſſentia, & intellectu fieri vnum principiũ effectiuum viſionis. Nõ eſt dubitandum Diuum Thomam, & agnouiſſe, & docuiſſe actiuitatem intellectus in viſionem. Vnde hanc fuiſſe ſententiam
Capreol. tiam Diui Thomæ affirmat Capreol. *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad argum. Scoti contra ſecundam fol. 207. col. 2. §. Dicitur tertio*; & ibidem eandem ſententiam, & expreſsè, & conſtanter affirmat;
23. Vnde mirum eſt, quòd Suarius dicat, Capreolum non omninò contradicere; quaſi ſupponat, eũ aliquando eidem contradixiſſe. Quòd intellectus actiuè in viſionem influat, docet
Caietan. Caietanus *1. p. q. 12. art. 5. §. Circa probationem*, ita ſcribens: *Cum intellectus creatus ex ſe ſit inſufficiens; illa diſpoſitio eſt ipſa eleuatio, ſeu augmentatio virtutis intellectiuæ reddẽs ipſam ſufficientem ad videndum.* Et id magis declarans ſtatim ita habet, *augmẽtum hoc ad duo poni inſinuatur: ad diſponendum intellectum pro tam excelſa forma inelligibili; & ad vires præbendum eidem, vt poſſit elicere actum viſionis.* Ita etiam ſentit
Ferrar. Ferrar. *3. contra gentes cap. 54. §. Ad primum dicitur fol. 277. col. 3.*
24. *Bañes.* Bañes *1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. §. Alterum ſupponendum eſt*, vbi putat oppoſitum eſſe periculoſum.
Cumelius Quòd ſcribit Cumelius *ibidem q. 1. concl.*
2. *Ripa dubio 1. cap. 1. & clarius cap. 2. propoſitione 2. ſatis Pezantius ibi diſput. 1. in 2. ſentẽtia in fine, & ſatis id ſupponit Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 3. concl. 1. pag. 585. col. 2.* *Ripa. Pezantius. Sotus.* Ex alijs *Molina 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. concluſione 1. pag. 114. f. 2.* *Molin.* vbi putat hãc opinionem adeò eſſe veram, vt nec diuina potentia fieri poſsit, vt beati Deum videant, niſi viſionem eliciant, Suar. *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 10. concluſione 1. num. 5. & in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. nu. 46.* *Suarius.* *Bellomont. 1. p. diſp. 43. cap. 5. & diſp. 176. cap. 4. num. 19. Valentia tom. 2. diſp. 1. q. 3. puncto 4. pag. 61. B, & 1. tom. q. 12. puncto 3. Salas 1. tom. ad primã ſecundæ q. 3. tractat. 2. diſp. 2. ſect. 4. concluſione 1. pag. 160. col. 2. Palatius in 4. diſt. 49. diſp. 1. pag. 156. col. 2. Ouand. ibi propoſit. 8. Angles de Beat. artic. 2.* *Bellomon. Valentia Salas. Paratius. Ouandus. Angles.* Ex Nominalibus eandem ſententiã ſimpliciter probauit *Holcoth. q. 8. Suarum determinationum art. 1. litera E. refertur Petrus de Aliaco, tanquam ſibi contrarius, ſed non aſſignatur locus*, eodem vitio à Suario. & Sala refertur Scotus *in 4. diſt. 50.* *Aliacus. Scotus.* Hanc ſententiam eſſe probabilem aſſirmant *Richard. & Maior citati* pro parte negante. *Richard. Maior.*

25. *Fundamentum.* Fundamentum huius ſententiæ ferè ab omnibus ſumitur, quia viſio beata ex ſua natura eſt actio vitalis, & immanens, & inde inferunt implicare, beatum per eã poſſe videre Deum, ſi eam non eliciat. Hoc tamen fundamentum, nec mihi placet, nec placuit *Valentiæ in 1. tom. loco citato*: *Non placet Valent.* quoniam actio vitalis, & immanens in ſua ratione eſſentiali non includit eſſe effectiuè ab eo, in quo recipitur. Quod iam oſtendimus in præcedenti articulo, & dicemus in ſequenti.

26. *Verum fundamentum* Quare, cum in hoc articulo ſolùm inquiramus, vtrùm poſsibile ſit intellectum creatum concurrere actiuè ad viſionem: verum fundamentum erit: quia nihil diuinæ potentiæ eſt denegandum, niſi ſaltem cum vrgente probabilitate oſtendatur impoſsibilitas: hæc autem in re propoſita, nec apparenter oſtendi poteſt, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum. *Cõfirmas.*

Quin potius ratio naturalis nõ ineſſicaciter ſuadet, non dari talem impoſsibilitatem: etenim cæteræ omnes actiones non beatificæ, tam naturalès, quàm ſupernaturales ſeruatis principijs Philoſophiæ ab eo intellectu ſunt producibiles, in quo reci-

recipiũtur, vt oſtẽdemus inferius artic. 5.
Ergo viſio beata ex ſua natura eſt ꝓduci-
bilis ab intellectu beati; cù in eo recipia-
tur. Conſequentia inde patet, quia viſio
beata cũ cęteris viſionibus non beatificis
vniuocè cõuenit in ratione cõmuni intel
lectionis, vt habet cõmunis doctrina; quid
Molina. quid aliter doceat Mol. 1. *p. q.* 12. *ar.* 6. *diſp.*
5. Quare ſi alię ex eo, quòd intellectiones
ſunt, habent ex ſua natura poſſe produci
ab intellectu, in quo recipiuntur; vtique
viſio beata ex ſua natura habebit, poſſe
produci ab intellectu beati.

28. Confirmatur. Cõfirmatur hæc ratio: quia viſio beata
eſt ſumma noſtri intellectus perfectio, &
vltima beatitudo. Iam verò ex Ariſtote.
felicitas eſt animæ, mentiſq; operatio, vt
patet 1. *Ethicorũ cap.* 7. *tex.* 36. *& lib.* 9. *c.*
9. *tex* 38. *&* 2. *Ethicorum c.* 13. *& lib.* 10. *c.*
7. Deniq; felicitas poſita eſt in benè ope-
Ariſtot. rando, ex Ariſt. *in d. cap.* 9. *& lib.* 1. *magno
rum Moraliũ cap.* 4. *&* 9. *Metaph. c.* 9. *text.*
16. Cur igitur hæc philoſophia Ariſtote-
lis locũ nõ habebit in beatitudine Patrię?
Quare, ſi poſsibilis eſt Patriæ beatitudo;
& illa in viſione conſiſtit; vtique ſeruatis
philoſophię principijs poſsibile erit, viſio
nẽ eſſe ab intellectu: quod in hoc articulo
perſuadere nitimur. Sed iam argumẽta in
oppoſitum diſſoluamus.

§. 3.

Diſſoluuntur argumenta.

29. Ad 1. AD 1. (quod eſt præcipuũ) facillima
eſſet ſolutio, ſi vera foret opinio quo
rundã, probata Bellom. 1. 2. *diſp.* 9. *c.* 6. *ad*
1. qui negant viſionẽ beatã perfectiorem
eſſe lumine glorię, quod etiam negant de
fruitione reſpectu charitatis: hac enim po
ſita opinione negãda erit minor. Sed opi-
nio iſta nõ eſt admittenda, vt alibi oſtẽdi-
mus, & aduertit Salas vbi ſuprà. Quare ad
argumentũ neganda eſt maior, quã negãt
Mol. Valentia, & Salas: nec enim ideo ens
perfecti⁹ à ſolo Deo eſt producibile; quia
imperfectius ab illo ſolo produci poteſt:
etenim productio illorũ per ſe non pẽdet
ab excellẽtia, ſed à natura cuiuſq;. Iã verò
natura luminis, & viſionis, eſt lõgè diſpar:
nã lumen ex ſua natura eſt habitus per ſe
infuſus, adiuuãs intellectũ ad videndum:
viſio autẽ eſt actus, quo intellectus forma
liter videt. Iã verò de ratione principij, à
quo potentia habet poſſe operari, nõ eſt,
quòd effectiuè ſit ab ipſa: quin potius ex
ſe habet, quod ab alio effectiuè illi cõmu-
nicetur: viſio autem cũ ex ſe ſit actus po-
tentiæ intellectiuæ, ex ſe habet, quòd ab
ea ſit producibilis, tùm, quia eſt actio im-
manens; tum, quia eſt actio vitalis: nihil
autem horũ reperitur in lumine gloriæ,
quia nec eſt actus operatiovè potentiæ;
nec eſt actus, aut immanẽs, aut vitalis. Et
inde eſt, vt virtutes Theologales; fides, in
quam, Spes, & Charitas, à ſolo Deo ſint
effectiuè, vt fides docet: & tamen actus
illarũ effectiuè fiunt à potentijs, vt veriſ-
ſima habet doctrina, quã ſupponimus, &
quæ ſatis cõuincitur ex interrogatione
iuuenis Matth. 19. *Quid faciendo vitã æter
nam poſſidebo?* & ex reſponſione Chriſti:
Diliges Dñm Deũ tuũ. Quæ reſponſio eui
denter probat, nos diligẽdo facere, & ope
rari: quod ſatis diffinit Tridentinũ ſeſſ. 6.
Cano. 4. Quare ad argumentum meritò
negatur maior; cui⁹ probatio eandẽ repe-
tit propoſitionẽ, quam probare nititur.

Ad 2. (quod eſt Baſſolij) conceſſa ma- 30.
iore neganda eſt minor: etenim ſatis eſt Ad 2.
conſonũ modo loquendi Sacræ Scriptu-
ræ, & Sanctorũ Patrum, quòd homo ſan Homo ſe ipſum ſanctificat.
ctificet, & iuſtificet ſe ipſum, vt ſcribit
Lorinus in primã Ioannis cap. 3. verſ. 3,
ita ſcribens: *Hoc ſenſu concedi poteſt, quòd* Lorinus.
peccator ſanctificat, & iuſtificat ſe ipſum: Nã
Ezechielis 18. nu. 27. de pœnitente dici- Ezech. 18.
tur, *quod facit iuſtitiam, & quod ſe ipſum vi
uificat*: & Eccleſiaſtici 2. nu. 20. *in conſpe
ctu Dei ſanctificabit animam ſuam.* Secũdæ
Timothei 2. nu. 21. *qui emundauerit ſe ab
iſtis, erit vas in honorẽ ſanctificatũ.* Deniq; 2. Timot. 2
1. Ioan. 3. nu. 4. *& omnis, qui habet hãc ſpẽ,* 1. Ioan. 3.
in eo ſanctificat ſe, Vbi vidẽdi ſunt Aug, Be
da, & alij, vt omittamus Clementẽ Alexã
drinũ, Didymũ, Tertulianũ, Oecumeniũ
& Heronym. relatos à Lorino. Et quãuis
modus iſte loquendi Patrũ, & Scripturæ
intelligẽdus ſit, vt peccator ſe ipſũ iuſtifi-
cet, & ſanctificet præparatiuè, & diſpoſi-
tiuè: quia per actus ſuos ad iuſtificationẽ
actiuè præparatur, & diſponitur, vt diffi-
nit *Trid. Seſſ.* 6. *in doctrina de iuſtificatione* Tridentin.
cap. 5. *& Canone* 4. illa tamen actiua prępa
ratio per gratiæ auxilium ſatis eſt, vt ho-
mo dicatur ſe iuſtificare.

Tertium argumentũ ſumit mediũ om 31.
ninò diſparatum, & improbabile: primò;
quia ſumit animam rationalẽ in generabili-
b⁹ eſſe vltimã formã ſubſtantialem; cũ ta-

men ſolũ ſit vltima in generatione hominis: niſi dicatur vltima dignitate, quòd ad rem non pertinet. Deinde; quia nõ video vnde Baſſolius probare poſsit, quòd ſicut ſe habet anima rationalis in generatione hominis; ita ſe habeat vltima perfectio creaturæ intellectualis: etenim inter animã rationalem, & viſionem beatã dantur quã plurimæ improportiones: nã anima nõ educitur de potentia materię, ſed creatur ex nihilo: viſio autem nõ creatur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ, vt dicemus ad 5. Anima eſt actus primus ſubſtãtialis, & primũ principiũ vitę actualis: viſio autem eſt ipſa actualis vita, quæ ex ſe habet, poſſe eſſe à principio vitæ.

32. Ad 4. Ad 4. negãdum eſt antecedens: ad probationem negatur ſequela; cuius probatio continet fundamentũ apertè falſum: voluntas enim non concurrit libere ad actum fruitionis, ſed neceſſariò, & ad modum naturæ; de quo latè dicemus lib. 11. vbi etiam diſputabimus de cauſa impeccabilitatis, quæ datur in voluntate beati.

33. Ad 5. Ad 5. poteſt eſſe dubitatio de antecedẽte; quia nõ eſt neceſſe, vt beatitudo ponatur in actu omniũ nobiliſsimo; vt exiſtimat Bellom. 1. 2. *diſp.* 11. *c.* 7. *n.* 36. *&* *c.* 8 *n.* 83. *Suar. in Metap. diſp.* 44. *ſect.* 8. *n.* 18. *cũ pleriſq́; alijs.* Sed cõmunior ſentẽtia oppoſitũ docet. Quare, admiſſo antecedẽte, negãda eſt cõſequentia: quoniã ratio creabilis in ente per ſe nõ pẽdet ex nobilitate entis: ſed ex natura cõditioneq; eſſentiali illius; quatenus .ſ. talis eſt naturę, vt nõ poſſit produci, niſi ex nihilo: ob hãc rationẽ ſubſtantiæ ſeparatę ex ſua natura nõ poſſũt eſſe, niſi per creationẽ: & ſimiliter materia prima, & inter actus ſubſtãtiales ſola anima rationalis. Quare nullus actus accidentalis, ſiue naturalis ſit, ſiue ſupernaturalis, ex ſua natura eſt producibilis per creationẽ; quia omnis eſt educibilis de potẽtia ſubiecti, vel naturali, ſi naturalis fuerit, vel obediẽtiali, ſi fuerit ſupernaturalis vt docet Molin. *in d. diſp.* 1. *in fine ad* 4. *argumentũ, & Salas vbi ſuprà pag.* 162. *col.* 1. *ad* 9. quã philoſophiã cõtra nõnullos, vt veriſsimã ſupponimus: & inde eſt, vt gratia, & cæteri habitus ſupernaturales, ſi ſuæ naturæ relinquãtur, nõ poſsint habere eſſe, niſi in ſubiecto; extra ſubiectũ verò, ſolũ miraculoſè. Cũ igitur viſio beata ex ſua natura ſit actus accidentalis, quantũuis, ſit omniũ actuũ actus nobiliſsimus, ex ſua natura ſibi vẽdicabit, nõ produci per creationẽ, ſed dependenter à ſubiecto.

Ad confirmationẽ admittimus antecedens, tanquã veriſsimũ, vt dicemus in lib. ſequente: illo tamen admiſſo admittenda eſt cõſequentia, ſi cõſequens intelligatur de potentia naturali nudè ſumpta; negãda verò, ſi intelligatur de potentia naturali ſupernaturaliter eleuata: vt ſic enim poteſt effectiuè cõcurrere ad actum ſupernaturalẽ. Quomodo autẽ intellectus eleuatus actiuè concurrat ad viſionem? diligenter explicabimus in hoc lib. q. 3. 34. Ad confir.

35. Ad 6. Ad ſextum doctiſsimi Theologi nõ reputãt abſurdũ, ſi beatus diuinitus adiutus efficiat id, quo formaliter beatur: quin potius putant id pertinere, tùm ad diuinam liberalitatem; tùm etiam, ad dignitatem beati, vt optimè aduertunt Valentia vbi ſuprâ *in dicta pagin.* 61. *D, & Salas in dicta pagin.* 162. *col.* 2. *ad confirmationem* 2. Ego addo id maximè congruere, cum natura beatitudinis formalis: cum enim ex ſua natura ſit actus vitalis, & immanẽs, ex ſua natura potens erit produci ab intellectu beati. Quare non modo, non eſt abſurdũ, ſed etiam congruentiſsimum naturæ rerum, ſi homo in hoc ſenſu dicatur ſe beare, quia effectiuê producit in ſe beatitudinem, qua formaliter fit beatus. Et quidem, ſi intellectus ſolùm concurreret, vt inſtrumentũ Dei, vt plures volũt, nullũ eſſet abſurdum; quia ſatis ſaluaretur ſolum Deum nos beare. Si verò concurrit, vt cauſa in ſuo ordine principalis (quæ eſt verior ſententia) adhuc nullum abſurdum eſſet; quia hoc non tollit, quominus ſolus Deus ſimpliciter dicatur dare gloriam; quia ſolus ille ſimpliciter dat ſupernaturalem eleuationem, ſine qua intellectus concurrere non poteſt. *Valentia. Salas.*

36. Ad 7. Ad ſeptimum dicimus, intellectum influere in viſionẽ, vt ſupernaturaliter eleuatum. Quomodo autem influat; an per ſolam virtutem ſupernaturalem; an per virtutem ſibi innatam? dicemus inferius quæſtione tertia Interim ſatis ſit, fidem ſolùm docere, intellectum non influere in viſionem per virtutem naturalem nudê ſumptam. Vnde patet, quàm debilis ſit impugnatio, quæ adducitur; cum ſolũ inferat, intellectum influere per virtutẽ naturaliter innatam; eleuatam tamen.

37. Octauũ argum. tãgit difficultatem, q.
3. diſputandam, vbi diligenter expende-
mus, quomodo intellectus eleuatus con-
currat? nũc dicimus, eum non concurre-
re, vt cauſam inſtrumentalẽ; quidquid nõ
nulli id affirment: eſſe tamen probabile,
quòd cõcurrat, vt cauſa partialis ſimul cũ
diuina eſſentia, vt eſt obiectũ cõcurẽs ob-
iectiuè: & in hac opinione, cõcurrit quidẽ
vt cauſa partialis; quæ tamen in ſuo gene-
re eſt principalis: ſecus, ſi cõferatur, aut cũ
lumine gloriæ, aut cũ ſpecie intelligibili.
ſiuê illa creata ſit, ſiue increata: quia, vt ſic
concurrit, vt vnũ principiũ, *vt quod* com
pletum per illa duo principia, vt per duas
rationes agendi, de quo plura in d. q. 3.

38. Ad 9. Ad nonum admiſſo antecedente, negã
da eſt conſequentia: nec enim præmium
ex ſe habet, quod ſit à ſolo pręmiante, vt
Valentia. benê aduerterunt Valentia *vbi ſuprà ad 2.*
Salas. *rationem pag. 61. & Salas in d. pag. 162. col.*
Molina. *2. ad ſecundũ, & Molin. in dicta diſp. 1. ad 2.*
Sotus, *Ochami paulò ante finem diſputationis pagin.*
118. col. 2. & Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3.
concl. 1. pag. 586. col. 1. Et in humanis res
eſt nota; ſæpe enim datur in præmiũ po-
teſtas ad aliquid faciendum. Quare non
eſt abſurdum, ſi beato detur, quòd actiuè
concurrat in ſuũ præmium. In hoc autẽ
ſenſu præmium dicitur eſſe à Deo præ-
miante, quia gratis, & liberaliter cõceſsit,
quæ neceſſaria ſunt ad illud merendum.
Solus igitur Deus in hoc ſenſu præmiat;
quia ſolus ille dedit in via gratiam ad me-
rendum, & in Patria ſolus dat principia
ad eliciendum viſionem. Vnde in rigore
loquendo operari præmium, ſimpliciter
non eſt præmiare.

39. Ad vltimũ. Ad vltimũ negandum eſt, intellectum
nõ poſſe influere in viſionem, aut per ſpe
ciem creatam, apud eos, qui illam in bea-
tis admittunt; aut per eſſentiam diuinam
loco ſpeciei, quæ eſt communis opinio: in
tellectus enim beati vna, vel altera ſpecie
indiget, vt poſsit in viſionem influere, vt
diximus lib. 7. q. vltima.

ARTICVLVS IIII.

*Vtrùm Deus poſsit cauſare viſionem, intelle-
ctu ad eam actiuè non concurrente.*

1. CVm oſtenſum ſit, poſſe intellectũ
creatum à Deo eleuatum actiuè in
fluere in viſionem diuinæ eſſentiæ:
inquirendum eſt, an intellectu ad eam nõ
concurrente, poſsit ſolus Deus eã produ-
cere, & intellectui infundere.

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

DE hac q. tres inuenio opiniones in 2.
ter ſe oppoſitas. Quarũ prima ab- 1. Opinio.
ſolutê, & ſimpliciter negat. Hãc
probaſſe Molin. mihi eſt certum; *quoniã*
1. p. q. 12. ar. 5. diſp. 1. ad 2. & 4. Ocham. in fi. *Molina.*
diſp. pag. 118. col. 2. in fi. & pag. 119. col. 1.
B, abſolutè ſcribit, implicare dari viſionẽ
beatã, intellectu ad eã actiuè nõ concurrẽ-
te. Idem ſcribit Medin. 1. 2. q. 3. *art. 2. in* *Medina.*
propria iſta q. pag. 51. col. 2. poſt mediũ. Ita
etiã abſolutê aſſerit Bañes 1. p. q. 15. artic. 2.
concl. 3. Cumel. 1. 2. q. 111. art. 2. diſp. 3. in Bañes.
2. ſententia pag. 270. col. 2. & pag. 272. col. Cumelius.
1. *§. Firma igitur, & col. 2. §. Ad fundamen*
ta, in quib⁹ locis ſimpliciter docet, repug-
nare actũ vitalẽ nõ eſſe à principio vitali,
& oppoſitũ eſſe inanem, & abſurdã imagi
nationẽ excogitatã contra omnẽ rationẽ:
idem etiã docuit 1. *p. q. 12. art. 5. q. 1. concl.*
2. pag. 245. col. 1. In terminis idem probat 3.
Lorca 1. 2. diſp. 16. mẽbr. 2. in 3. ſent. pag. 80. *Lorca.*
col. 1. ſatis Cabrera ad 3. partẽ q. 9. ar. 2. diſp. *Cabrera.*
11. §. 3. *nu.* 43. dũ abſolutè affirmat, actũ
vitalem ſecundũ omnem potentiã produ
ci non poſſe ſine potentia vitali. Eandem
ſententiã latê confirmat Bellom. 1. 2, *diſp.*
9. à cap. 3. cum ſequentibus: facit Curſus Co *Bellom.*
nimbr. 2. de Anima cap. 3. q. 4. artic. 2. ad 4. *Curſus Co*
pag. 118. in princ. Pro eadẽ à quibuſdã cita *nimb..*
tur Gregorius *in 1. diſt. 42. q. 1. ad 1. contra*
2. ad finem quæſtionis fol. 147. col. 4. & in 2. *Gregorius*
diſt. 7. q. 2. fol. 50. col. 1. ad 4. ſed oppoſitũ *non eſt pro*
potius ille docet, vt videbimus in ſecũda *ea.*
ſententia; ſimili modo citari ſolet Caiet.
3. p. q. 9. articulo 2, & prima parte quæſt. *Nec Caie*
12. articulo. 5. & quæſt. 26. articulo 6. ſimi- *tanus, nec*
liter, & Sotus in quarto diſt. 49. q. 2. art. 4. *Sotus eſt*
§. Caietan. quidem pag. 590. Columna ſecun- *pro ea.*
da; ſed neuter pro iſta eſt opinione, ſed
pro ſecunda, vt vid bimus. In eam tamẽ
magis inclinat Banhes, ſi expendantur, *Inclinat*
quæ ſcribit prima parte quæſtione 12. artic. *Bañes.*
quinto dubio 3. ad primum principale, & cla-
rius quæſtione 70. dubio ſecundo, concluſione
1. §. Cæterum quamuis, & concluſione ſe-
cunda.
Eſſe probabilem ſententiã affirmat Sua 4.

rius *lib.2.de Attributis negat.c.10.num.7.* quatenùs docet valde eſſe probabile, implicare cōtradictionem fieri actū, ex natura ſua vitalē, ſine efficientia principij vitalis, & in eandem ſatis inclinat *in Metap. diſp.48.ſect.2.nu.9.* Denique pro hac ſententia videtur eſſe D.Thom.1.*p.q.34.ar.1.ad ſin.corporis*: ita enim ait: *Ipſe autem conceptus cordis de ratione ſua habet, quòd ab alio procedat. Et 2.2.q.23.artic.2.* docet, actum charitatis eſſe non poſſe à Spiritu Sancto, abſq; hominis concurſu: *Quia hoc eſſet contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipſo eſſe. Vnde ſequeretur, quod diligere non eſſet voluntarium, quod implicat contradictionē; cum amor de ſui ratione importet, quòd ſit actus voluntatis.* Sed de mente D.Tho. dicemus in fine huius ar.

D. Thom.

5, Secunda ſentētia admittit quidē poſſe Deum, ſine vllo actiuo intellectus cōcurſu, producere viſionem beatam, & quancumque aliam vitalem, & immanentem: fieri tamen non poſſe, etiam per diuinam potentiam, vt intellectus per eam diuinā eſſentiam videat. Quę opinio partim cōſentit cū priori, partim diſſētit. Diſſentit quidem; quoniam admittit viſionem beatam & quamcunque aliam vitalem, & immanētem actionem produci poſſe à ſolo Deo, intellectu ad eam non concurrente: conſentit verò; quia negat fieri poſſe, vt intellectus formaliter Deum videat, aut aliquā rem intelligat, ſi ad illius viſionem, & intellectionē actiuè non cōcurrat. Hanc opinionem in terminis probarunt Capreol. *in 4.diſt.49.q.4.art.3. ad quartum eorum, quæ contra ſecundam 4. loco adducta ſunt ab Aureolo fol.209.colu.2. in princ. ſatis eam inſinuauit ibidem ad primum Scoti cōtra ſecundam fol.207.col.2.ad finem verſiculo cum obijcit arguens*: quibus in locis aperte docet, poſſe Deum ſine intellectu facere illud accidens, quod eſt viſio; intellectum tamē per illud nihil poſſe videre. Idem ſæpè docet *in 2.diſt.37. art. 2.ad primum fol.296. col.3. in princ.* dum ait, poſſe Deū ſe ſolo cauſare actum voluntatis, qui eſt peccatum; imò illum, qui eſt odium Dei: non tamen ita, vt volūtas per illum actum Deum odio habeat, aut peccet. Quod clarius ſcripſit Ferrar.
6. *3.cont. gent.cap.54.ad fi[n] in ſolutione quarti argumēti fo.277.col.4.* *Holcoth. in ſuis determinationibus q.8. a[r]t.2. litera P*, dum

Capreol.

Ferrar. – *Holcoth.*

docet poſſe Deum totaliter, & ſe ſolo producere viſionē; eā tū non eſſe operationē vnde per eam intellectus nō videbit. Hāc opinionē eſſe probabilem affirmat Bañes *1.p.q.79.ar.2.dub.2.cōcl.2.& ſatis eam, vt probabilē relinquit 1.p.q.12.art.5.dub.3.ad primum principale.* Nec omninò eam reijcit Suar. *in d.cap.10.nu.7.* dum ait, difficilē probari poſſe, ita intrinſecū eſſe viſioni, aut cuiuſcūque alij actioni vitali, depēdere à principio vitali intrinſeco, vt ſine illo non poſſit à Deo fieri; quanuis fieri nequeat, vt intellectus per talem viſionem videat. Hanc opinionem probaſſe Sotum mihi eſt indubitatum, quidquid nonnulli eū referant ad primā opinionē: 7. *etenim in 4.diſt.49.q.2.ar.4.§.Caiet. quidē f.590.col.2.* expreſsè admittit, poſſe Deū ſe ſolo ſine oculo producere viſionē; non tamen facere, vt per eā oculus videat, ſi virtutem nō habet, vt in eā actiuè cōcurrat. Idem docet de viſione beata. Caietan. in eadē eſſe ſententia ex eo mihi perſuadeo; quia nunquā dixit, Deū non poſſe ſine intellectus concurſu producere viſionē; ſed ſolū dixit eſſe inintelligibile, quòd intellectus intelligat per intelligere, quod non eſt ab eo: idem dicit de appetitu; vt. ſ. impoſſibile ſit, animā appetere, & velle per appetitionē, quæ nō eſt ab anima: deniq; fieri non poſſe, vt quis viuat, & vitaliter operetur; & operationē non eſſe ab eo: ita inuenies apud Caiet. *3.p.q.9.art.2.& 1.p. q.26.art.3.* & vbicūq; hac de re loquit[ur]; videtur igitur fateri, fieri quidē poſſe, vt viſio, vitaliſq; operatio fiat à ſolo Deo, vidēte ad eā nō cōcurrente; factu tū eſſe impoſſibile, vt viuens formaliter videat per viſionē, quę nō eſt ab eo. Deniq; hanc eſſe opinionē Gregorij ex eo mihi perſuadeo; *quia in 1.diſt.42. loco citato affirmat.* poſſe Deū ſe ſolo pducere actū odij, nō tū ſub formalitate odij: & in 2.diſt.7. vbi ſupra admittit, poſſe Deum intellectionem ſeparare ab intellectu; non tamen ſub ratione intellectionis.

Bañes dicit eſſe probabilem.

Suar. etiā.

Sotus videtur pro ea.

Caietanus, eſt in ea ſententia.

Eſt etiam Gregorij.

Tertia ſentētia duabus pręcedentibus ex diametro repugnat; 8. quia nō ſolū docet poſſe Deū ſe ſolo producere viſionē beatā, intellectu ad eā nō cōcurrente, & quācūq; aliā vitalē operationē; ſed etiā poſſe intellectum per eam in ſe receptam formaliter Deum videre. Ita ſcribit Soncinas *9.Metaph.q.20. ad quartum*: idem indu*bitanter*

3. Opinio.

bi tanter defendit *Andreas à Veiga lib. 6. in Concil. Tridentinum cap. 8.* affirmans hanc ſententiam communem eſſe Theologorum, & Philoſophorum. *Andreas à Veiga.* Eiuſdẽ opinionis eſt Valentia 1. *tom. q. 12, puncto 3. pag. 192. litera E, in fine, & 2. tom. diſp. 1. q. 3. pũcto 4. dub. 1. pag. 61. B,* *Valentia.* fatetur Vellozillus *in aduertentijs ad D. Ambroſium quæſito 14. fol. 184. col. 4.* *Vellozill.* Putat eſſe veriſſimam Salas 1. *tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 2. ſectione 4. num. 27. pag. 161. colu. 1 §. Saltem de potentia abſoluta:* *Salas.* admittit *Victoria,* ſi vera ſunt, quæ de illo ſcribit Me dina *prima ſecundæ, quæſtione 3. articulo 2. in propria hac quæſtione pag. 51. columna 2. poſt medium.* *Victoria* Hanc opinionem ſatis eſſe ad mentem Scoti ex eo patet; *Eſt de mente Scoti.* quia multis in locis docet, poſſe Deum ſe ſolo producere viſionem, qua beatus videat. Imò affirmat, viſionem à ſolo Deo de facto produci in beatis, vt dicemus in ſequenti articulo: Vnde Rada *prima parte controuer. 7. ad finem in ſolutione quarti argumenti fol. 111. colum. 1. & 2.* *Rada.* aperte ſcribit intellectum poſſe intelligere per intellectionem, quam habet à ſolo Deo. Denique hanc ſententiam probare tenentur, qui volunt beatos de facto non elicere viſionem, qua Deum vident; ſed eam à ſolo Deo accipere.

§. 2.

Reſolutio quæſtionis.

NOs tertiam iſtam ſententiam putamus eſſe veriſsimam: pro cuius explicatione duas ſtatuimus concluſiones.

Prima Concluſio.

9. *1. Concluſ.* ¶ Sit prima Concluſio: *Non poteſt cum probabilitate negari, poſſe Deum ſe ſolo abſq; vllo concurſu intellectus viſionem beatã producere, & quamcunque aliam actionem vitalem, & immanentem:* Hæc Concluſio primum ex eo mihi probatur; quoniam in terminis, in quibus proponitur, omniũ ferè conſenſu eſt receptiſsima: eam enim probant omnes, quos pro ſecũda, & tertia ſententia retulimus. *A quibus negatur.* Et in præcitatis terminis ſimpliciter non negatur, niſi à Cumelio, Molina, Bellom, Lorca, & Cabrera: nam cæteri, quos pro eadem ſententia citauimus, aut id nõ dicunt, imò nobiſcũ conſentiunt; aut eam ſolũ probant, nõ vt certam, ſed vt probabilem. Quin potius Molina, qui contradictionẽ in noſtra ſententia ſimpliciter agnouit in locis ſuprà citatis; oblitus ſui nullam in ea agnouit *in dicta q. 12. ar. 2. diſp. 1. poſt tertiã concl. §. Quanuis autem:* *Molin. pro nobis.* agens enim de verbo, ſiue de intellectione (idẽ enim ſũt apud ipsũ) expreſsè fatetur ſe nullã videre contradictionẽ, ſi Deus ſe ſolo verbũ producat, intellectu ad eam non concurrente. Et Suarius, qui in locis ſupra adductis oppoſitã ſententiam putat probabilem, noſtram hanc aſſertionẽ ſimpliciter probat in Metaph. loco citato num. 12.

10. *Fũdamẽtũ.* Solidũ huius aſſertionis fundamentũ ex eo ſumendum eſt; quia nihil Diuinæ Omnipotentiæ erit negãdum, niſi, quòd in ſe implicationẽ continet: iã verò nulla dari poteſt implicatio, ſi viſio diuinæ eſſẽtiæ, aut quæcũq; alia actio intellectus à ſolo Deo ſine intellectu producatur. Quã minorẽ non aliter probare poſſum⁹, quã diſſoluendo aduerſariorum fundamenta.

11. *Viſio 2. modis conſiderari poteſt.* Quod faciemus, ſi pro explicatione poſitæ cõcluſionis illud aduertamus, duobus modis poſſe cõſiderari viſionem beatam, & quamcunq; aliam intellectionẽ. Vno modo; in ſe ipſa, ſuaque entitate præcisè ſumpta: altero modo; vt ſuam formalem cauſalitatẽ exercet erga aliquod ſubiectũ, tribuendo illi ſuũ formalem effectũ; qui effectus in viſione, & intellectione eſt facere formaliter videntẽ, & intelligentem eũ, quem actuat, & informat. Etenim calor conſiderari poteſt, tũ in ſua præciſa entitate; tũ etiam, vt ſuã formalem cauſalitatẽ exercet erga ſubiectũ, quod facit calidũ; nec enim ſatis eſt producere calorẽ, vt producens dicatur calefacere; quia poteſt Deus producere calorẽ extra ſubiectum, vt omnes fatentur; & tñ non dicetur calefaciẽs, ſed ſolũ producens calorẽ. Similiter, nec ignis dicetur calefacere, ſi Deus calorem ab eo productũ conſernet extra ſubiectũ. Quare, vt is, qui producit calorẽ, dicatur calefacere, nõ ſatis eſt, quòd calorem producat; ſed neceſſe eſt, vt illũ producat in ſubiecto; ita vt per calorẽ à ſe ꝑductũ efficienter det illi eſſe calidũ. Igitur, ſicut poſſumus cõſiderare calorẽ, vno modo ſecundũ ſuã propriã entitatẽ; altero modo, vt exercet in ſubiecto ſuã formalẽ cauſalitatem: ita etiã duobus modis cõſiderare poſſumus viſionẽ, aliãq; intellectionẽ: vno modo; ſecundũ ſuã præciſam entitatẽ: altero modo; vt recepta in ſubiecto

cto ſuã formalẽ cauſalitatem exercet in eo, dando illi formale eſſe intelligentis.

12. Intellectio, 1. modo. Et quidẽ, quòd intellectio poſsit priori modo conſiderari, præſcindendo à cauſalitate formali, nec aduerſarij negare poterunt, ſi benè philoſophantur: quia poteſt Deus facere, vt intellectus actiuè producat intellectionem, & eam in ſe nõ recipiat; ſi nimirum Deus eam conſeruet extra intellectum: quid enim hoc implicat? Vnde id libenter fatetur Albertinus *in ſuis Corollarijs in quæſtione 2. Theologica ad ſecundum Corollarium ex 6. principio philoſophico pag. 357. num. 21.* At, qui benè philoſophabitur nõ dicet, intellectum per illam intellectionem formaliter aliquid intelligere; quia niſi eam in ſe recipiat non poterit per eam intelligibiliter attingere, & concipere obiectum, cuius intellectio eſt ſimilitudo expreſſa, vt diximus ſuprà art. 2. §. 7. & 8. vbi reiecimus opinionem Nauarrete, qui vult, intellectum formaliter dici intelligentem pro illo priori naturæ, in quo producit qualitatẽ intellectionis, antequam cõcipiatur, vt in eo recepta. Poterit igitur intellectio ipſa conſiderari in ſua præciſa entitate, antequam recipiatur, aut exerceat ſuã formalem cauſalitatem in intellectu, in quo recipitur.

Albertin.

Reijcitur Nauaret.

13. Intellectio 2. modo. Vtrùm autem intellectio poſteriori modo cõſiderata, poſsit intellectum reddere formaliter intelligentem, ſi ab eo nõ producatur? expendemus in ſequente concluſione: nunc ſolum expendimus, an Deus ſe ſolo ſine intellectu poſsit producere intellectionem, actumque vitalem, & immanentem extra ſubiectum? noſtra prima Concluſio affirmat: fundamentũ ſumit; quia nullam implicat contradictionem, quòd Deus entitatem illam, quæ eſt intellectio, ſine vllo actiuo intellectus concurſu, producat extra ſubiectũ, ſicut poteſt producere quamcunque formam non vitalem, nec immanentem, vt calorem albedinem, &c.

Quid hoc loco inquiratur?

14. An intellectio poſsit poni in lapide aut equo? An verò poſsit illam entitatem ponere in aliquo ſubiecto, aut nõ viuente, verbi gratia, in lapide; aut nõ intellectiuo, v. g. in equo? alterius eſt quæſtionis: Ego non video id implicare; quia licèt non poſsit illa entitas reddere formaliter intelligens tale ſubiectum; ſatis eſt, quòd illud reddat quale; vnde lapis, aut equ⁹ dicetur habere intellectionem, & ab ea entificari, atque qualificari. Sed quidquid ſit de hoc; nullam vnquam, vel apparens, dabitur cõtradictio, ſi Deus intellectionẽ, vel quẽcunque alium vitalem actum ſe ſolo producat extra intellectũ. Quod fundamentum ſemper mihi erit efficaciſsimum, vt nihil denegem omnipotentiæ diuinæ, ſi nulla ſaltem probabiliſsima detur implicatio. Quòd verò nulla dari poſsit, ſi De⁹ intellectionẽ abſque intellectu extra ſubiectum producat, & conſeruet; non aliter melius oſtendi poteſt, quàm ſi argumenta implicationem arguentia diſſoluamus. Quod præſtabimus in ſequentibus.

§. 3.

Adducuntur argumenta contra explicatam Concluſionem.

Contra propoſitam concluſionem, aduerſarij multis argumentantur. 15. 1. arg. cõtra 1. concl. Primum argumentum ſumitur ex eo, quòd viſio diuinæ eſſentiæ, & quęcũque alia intellectio, eſt operatio vitalis, vt patet, & docet Ariſtoteles *12. Metaph. c. 7. text. 39.* vbi intellectionem appellat vitã. *Ariſtot.* Iam verò de ratione intrinſeca, & eſſentiali actionis vitalis eſt, vt ſit à principio vitæ, nimirum ab anima; vt omnes fatentur, & patet, tũ ex prima definitione animæ, poſita *in 2. de Anima capit. 1. tũ ex 2. quæ ponitur in eodem lib. capit. 2. tex. 18.* Prima ita habet: *anima eſt actus primus ſubſtantialis corporis organici, potentia vitã habentis*: potentia inquam habentis vitam; nimirum vitalem operationẽ: quod ſatis conuincit animam eſſe actum primum, à quo procedit omnis operatio vitalis. 2. definitio hæc eſt: *anima eſt, quo primo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Ex qua clarius eadem veritas demonſtratur: euidenter enim probat animam eſſe primum principium omnis actus vitalis. Deus autẽ non poteſt ſupplere, quod eſt de ratione eſſentiali alicuius.

Secũdò arguitur ex eo, quod viſio, & quælibet alia intellectio, eſt actio immanens, vt vera habet Philoſophia. 16. 2. Arg. Ex qua etiam patet de intrinſeca ratione actionis immanẽtis eſſe, quòd effectiuè fiat ab eo, in quo recipitur: nam ideo dicitur immanens ex Ariſtotele. *9. Metaph. c. 9. tex. 16.* *Ariſt.*

Tertiò ex vtraque præcedente ratione 17. 3. Arg.

ne nonnulli colligunt de intrinſeca ratio-
Intellectio an habeat dependentiam eſſentialẽ à cauſa producętiua?
ne intellectionis, & cuiuſcũque alterius
actionis vitalis, & immanentis eſſe, vt ha-
beat eſſentialem depẽdentiam ab anima,
intellectuque, tanquam à cauſa propria
efficiente. Iam verò Deus non poteſt ſe
ipſo ſupplere efficientiam cauſæ ſecun-
dæ, quando effectus ad eam habet eſſen-
tialem dependentiam: dependeret enim
ab ea, & non dependeret: depẽderet qui-
dem; quia id ſupponitur: non dependeret
autem; quia poteſt produci, & non ab il-
1.&2. ratio dependentiæ. la: quod dependentiæ intrinſecę, & eſſen-
tiali repugnat. Quòd verò intellectio, &
18. quiuis alius actus vitalis, habeat eſſentialẽ
dependentiam ad animam, & intellectũ,
plures probant ex primo, & ſecundo ar-
gumento: etenim de intrinſeca, & eſſen-
tiali ratione actus vitalis eſt, quòd ſit à
principio vitæ intrinſeco; vt patet ex pri
mo argumento: de ratione etiam eſſen-
tiali actus immanentis eſt, produci ab eo,
Bañes. in quo recipitur, vt probat ſecundum ar-
Lorca. gumentum: ita habes ex *Bañes 1. p. q. 12. dub. 3. ad 1. principale.* Lorca ex eo id pro
bat; quia intellectus ex ſua natura eſt po-
tentia per ſe productiua intellectionis.
Ergo intellectio ex ſua ratione habet eſ-
19. ſentialem dependentiam ab intellectu.
3. ratio. Tertiò, alij teſte Bellomontano, ex eo
hanc dependentiam demonſtrant; quia
intellectio per ſuam eſſentiam proximè
pendet ab aliqua facultate creata; tanquã
ab efficiẽte: proximè, inquam, id eſt nul
la media productione ex natura rei di-
ſtincta ab intellectione: iam verò, quæ
à ſua cauſa efficiente proximè dependẽt,
habent ab ea eſſentialem dependentiam:
nam res creata ideò habet eſſentialem de
pendentiam à ſolo Deo, quia proximè
ab eo producitur per creationem, quæ ex
natura rei realiter non diſtinguitur ab ea,
Bellom. vt plerique volunt, & inter eos *Bellom. 1.*
20. *p. diſp. 173. c. 3.* Denique alij hanc eſſen-
Alia ratio. tialem dependentiam inde probant: quia
de intrinſeca ratione intellectionis eſt,
quòd ſit operatio circa obiectum cogni-
tum: intelligens enim per eam dicitur
operari circa obiectum, & ad illud atten-
dere. Iam verò attentio iſta intellectus
ex ſe denotat conatum eius, qui attendit:
conatus autem attendentis eſſentialiter
includit operationem attentionis efficiẽ
ter procedere ab intelligente; quod ne-

ceſſariò arguit eſſentialem dependentiã
ab ipſo intelligente, vt eſt quoddam vi-
uens. Hoc vnico fundamento putat Bel- *Bellom.*
lomont. demonſtratam eſſe dependentiã
eſſentialem intellectionis ab anima, vt pa
tet ex ijs, quæ ſcribit *1. 2. diſp. 9. c. 5. n. 27. §. Deinde eadem opinio, & n. 32. verſiculo Ex dictis ſequitur, & c. 6. n. 35. §. Concludamus igitur; denique c. 7. ad finem, §. Dicimus itaque. Illum ſequitur Lorca 1. 2. diſp.*
16. memb. 2. §. Tertiò; quòd non poſſit, pag. *Lorca.*
81. col. 1. in principio.

Quarto loco quidam ita arguũt: quo-
niam ſi intellectio, ſine vllo actiuo con- 21.
curſu intellectus, poteſt à ſolo Deo pro- 4. argum.
duci extra ſubiectum; vtique à ſolo Deo
abſque intellectu actiuè influente poſſet
poni in intellectu. At impoſsibile eſt,
quòd intellectio ab intellectu non pro-
ducta, ponatur in intellectu. Ergo impoſ-
ſibile eſt, quòd illa à ſolo Deo extra ſub-
iectum producatur. Minorem inde pro-
bant; quia ſi illa intellectio ponatur in in-
tellectu, non poteſt non eum reddere in-
telligentem. Quod implicat. Sequela au-
tem in ſequenti concluſione probabitur
à Bellomontano.

Poſtremò arguunt, qui putant intel- Poſtremũ
lectionem formaliter eſſe actionem de argum.
genere actionis: nam ſi intellectio ex ſua
natura eſt actio de genere actionis, cum
ex ſua natura habeat, quòd ſit vitalis, &
immanens; ex ſua natura habebit eſſen-
tialem dependentiam ad principium vi-
tæ, quod eſt anima, tanquam ad princi-
pium à quo habet ſuam vitalitatem, &
immanentiam.

Confirmatur: quoniam ſi intellectio 22.
ex ſe eſt actio de genere actionis, non po Confirm.
terit produci à ſolo Deo: pductio enim,
quæ immediatè eſt à Deo, non eſt actio
de genere actionis; cum ſit ſimplex quę-
dam emanatio ab intellectu practico, di-
uinaque Dei potentia. Hæc ſunt, quæ
contra noſtram primam aſſertionem ab
aduerſarijs adducuntur.

§. 4.

Soluitur primum argumẽtum: & explicatur, vnde actus vitalis habeat, quòd ſit vitalis.

HÆc tamen argumẽta implicatio- 23.
nem non conuincunt: vnde viri
doctiſsimi libenter fatẽtur, difficile pro-
bari

bari poſſe dari implicationem: ego puto eam probari non poſſe; quod patebit ex ſolutione argumentorũ, quæ adduxim⁹.

24. Ad 1. Ad primum, quod inter omnia eſt potiſsimum patet ſolutio ex dictis artic. 2. *huius quæſtionis* §. 8. *illatione* 3. ibi enim diximus actionem vitalem non ex eo intrinſecè, & eſſentialiter dici vitalem, quòd effectiuè eſt à principio vitæ, anima. ſ. & intellectu; ſed ex eo, quòd per eam ſola anima poteſt percipere, & attingere rem, quæ intelligitur. Quare ad argumentum neganda eſt minor, quatenus ſumit eſſe de intrinſeca ratione actus vitalis, quod effectiuè ſit à primo vitæ principio: quam minorem iam negauimus 1. tomo lib. 4. q. 1. art. 2. §. 3. n. 17. & à viris doctiſsimis iam negatur. In illo citauim⁹ *Valentiam in 1. tom. mendoſe tamen impreſſorum vitio; cum citari debuerit in 2. tomo, diſp. 1. q. 3. puncto 1. §. Solent præterea in 1. impreſsione pag. 48. in ſecunda verò pag. 39. Addimus eundem 1. tom. diſp. 1. q. 12. puncto 3. pag. 193. A. & Salam 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 4. pag. 355. col. 1. §. Hæc concluſio, Velloſillum in aduertentijs ad Ambroſium quæſito 14. fol. 184. col. 4. atque Soncinam 9. Metaphy. q. 20. ad 4.* vbi expreſſè negat eſſe de intrinſeca ratione intellectionis, quòd ab anima effectiuè producatur. Quam opinionem non poſſunt non admittere, qui putant poſſe Deum ſe ſolo producere intellectionem, ſaltem extra intellectum: eam enim producere non poſſet, ſi illa eſſentialiter includeret eſſe ab anima, & intellectu. At tamen nullus horum authorum explicat, vnde intellectio, actuſque vitalis per ſe habeat, quod ſit vitalis; oportebat autẽ hoc explicare. Cuius difficultatis reſolutionem ad hunc locum ſæpè reſeruauimus.

Vnde actio vitalis dicatur vitalis. *Valentia.* *Salas.* *Velloſillus* *Soncin.*

25. Eam facilè explicabimus, ſi aduertamus, duo genera operationum vitalium eſſe diſtinguenda: primum eſt actionum tranſeuntium; quales ſunt actiones animæ vegetatiuæ, vt nutritio, accretio, generatio, & huius generis aliæ. Alterum eſt actionum immanentium; quales ſunt animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ: quarum ſenſitiuæ ſunt corporeæ, ſiue ſint ſenſus, ſiue appetitus; quæ verò ſunt animæ intellectiuæ, ſunt ſpirituales, vt intellectio, & volitio.

Duo ſunt genera operationum vitalium.

26. Aduertendum eſt ſecundò, operationes prioris generis, animæ. ſ. vegetatiuæ, ideò præciſè dici vitales, quia effectiuè ſunt ab anima: nec enim generatio habere poteſt rationem generationis, niſi ab anima procedat; nec nutritio dici poterit nutritio, niſi actiuè fiat ab anima: vnde viuẽs nulla ratione dicetur generare, niſi per ſemen à ſe ipſo actiuè deciſum, actiuè influat in rem, quæ producitur: eodẽ modo viuens non dicetur ſe nutrire, niſi ſua nutritiua potentia actiuè conuertat alimentum in ſuam ſubſtantiam: vnde ſi Deus ſe ſolo, anima ad id non concurrente, conuerteret alimentum in ſubſtantiã viuentis, talis conuerſio non eſſet nutritio, nec actus vitalis, nec viuens ipſum nouam illam ſubſtantiam ex alimento conuerſam recipiens, diceretur ſe nutrire; ſicut etiam ſi Deus ſe ſolo ſemen non productum aut deciſum à potentia ſeminatiua poneret in ventre mulieris, & ita fœtum produceret, nec vir diceretur generare, nec fœtus diceretur genitus, vt omnes concedunt, & cum illis *Bellom. 1. 2. diſput. 9. c. 4. n. 14. & 15.* idque non ob aliam rationem, niſi quia talis actio nec ex ſe eſſet vitalis, nec ipſi viuenti vegetatiuo eſſet vita. Vtraque illa actio terminaretur quidem ad viuens, quia & fœtus productus à tali ſemine, eſſet viuens; & ſubſtantia ex alimento cõuerſa eſſet animata: neutra tamen eſſet vitalis, aut in ſe, aut ipſi viuenti. Ex quo infertur actiones vitales prioris generis nimirum vegetatiuæ, ex eo præciſè dici vitales, quia effectiuè ſunt ab anima vegetatiua; nec enim aliam rationem vitalitatis habere poſsũt: vnde effectus per has actiones producti, ex eo præciſè ſunt vitales, quia ab anima actu producuntur: ſi enim ab ea actu non producerentur (quod factu eſt poſsibile, vt diximus) non eſſent vitales, quanuis eſſent viuentes: nec hæc duo inter ſe opponuntur; quia viuens poteſt produci per actionem non vitalem, vt patet in productione primorum parentum.

Operationes vegetatiuæ vnde ſint vitales. *Bellom.*

27. Longè aliter philoſophandum eſt de actionibus poſterioris generis; ſenſitiuis inquam, & intellectiuis: hæ enim eſſentialiter habent, quod ſint ab anima, prout reſpicit obiectum reſpectu quodam trãſcendentali, quem eſſentialiter includũt. Et vt diſtinctiùs procedamus, hanc philoſo-

Operationes ſenſitiuæ, & intellectiuæ vnde ſint vitales.

loſophiam demõſtrabimus in intellectione: hæc enim eſſentialiter habet, quòd ſit ab anima, vt eſt appræhenſiua obiecti intelligibilis: Vtrũ autem eſſentialiter etiã id habeat ab anima, vt eſt productiua ipſius? ſtatim expendemus. Nunc autem illud ſtatuimus, intellectionem eſſentialiter habere, quòd ſit actus vitalis, ab anima, vt intelligibiliter attingit obiectum, & illud apprehendit.

Intellectio vnde per ſe habeat qd ſit vitalis.

29. Hæc aſſertio hoc diſcurſu demõſtratur: quoniã intellectio ex eo eſſentialiter habet, quòd ſit vitalis, ex quo eſſentialiter habet, quòd ſit intellectio. Sed ex eo habet eſſe intellectionem: quia eſt formalis tendentia in obiectum, & formalis illius apprehenſio, qua anima formaliter tendit in obiectum, & illud intelligibiliter attingit, & apprehẽdit. Ergo intellectio eſſentialiter habet, quòd ſit actus vitalis ab anima, prout eſt apprehenſiua obiecti intelligibilis. Maior huius diſcurſus patet ex

30. *Ariſtot.* Ariſtotele 12. *Metaph. cap. 7. text. 39. dum ait: intellectio eſt vita,* ſcilicet intellectiua in actu ſecundo, qua viuens intellectuale actu viuit: actus autem vitalis dicitur talis à vita. Habet igitur intellectio, quòd ſit actus vitalis ex eo, quòd eſt intellectio; quæ fuit maior. Minorem verò in termi-

Comment. nis probat Commentator *in dicto lib. 12. Metaph. Comment. 39.* dum explicans prę citata Ariſtotelis verba, ita ſcribit: *Actus intellectus, tunc eſt vita, cum eſt comprehenſio,* ſcilicet obiecti, quod intelligitur, quæ verba expoſitione non indigent. Eadem

31. *Ariſtot.* minor ſatis deducitur ex Ariſtotele *in dicto cap. 7. text. 39. dum ait: Intellectum tũc intelligere, cum aſſumit, & attingit intelligibile: & tunc operari, eum illud habet,* ſcilicet in ſe apprehenſum: verba Ariſtotelis formalia adduximus *ſuprà art. 2. §. 7.* Acce-

32. *D. Thom.* dat tertio loco Diuus Thomas *in dicto c. 7. Ariſtotelis*: explicans enim prę citata verba Ariſtotelis concludit, *intellectum fieri agentem, & operantem, intelligenteq́ue, in quantum attingit ipſum intelligibile.* Quæ verba ſatis clarè explicant, in quo poſita ſit formalis ratio intellectionis.

33. *Alexand. Scotus. Fonſeca. D. Bonau.* Quartò Aphrodiſæus, Scotus, & Fonſeca, cæterique interpretes præcitati loci Ariſtotelici affirmant, *intellectum fieri in telligentem ipſo tactu, apprehenſioneve intelligibilis.* Quintò accedat D. Bonauent. *in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. num. 24. ad vltimũ.* dum ſcribit, *intellectionem formaliter fieri per quandam protenſionem cognoſcentis ad cognoſcibile.* Ex Auguſtino concludit D. Thomas, *intelligere formaliter poſitum eſſe in ſimplici intuitu intellectus ad ipſum intelligibile, quod ſibi eſt præſens; & in quadam intentione cognoſcentis ad illud,* vt habes apud Diuum Thomam *in 1. diſt. 3. q. 4. ar. 5.* idem teſtatur Hiſpalenſis *in 1. diſtinct. 35. q. 1. articul. 4. fol. 246. collumna. 1. & 2.*

Auguſtin. D. Thom. Hiſpaleſis

34. *Bargius.* Denique ipſam perceptionem obiecti eſſe vitalem immutationem, teſtatur Bargius *in 1. Scoti d. 39. fol. 235.* Ex his, & ex alijs, quæ adduximus *ſuprà art. 2. §. 7.* ſatis euidenter patet veritas minoris aſſumptæ; ſc. intellectionem ex eo eſſentialiter habere, quòd ſit intellectio: quia eſt formalis apprehẽſio intelligibilis, qua intellectus formaliter obiectum attingit, percipit, & apprehendit. Et ita concludendum eſt, intellectionem eſſentialiter ſibi vendicare eſſe actum vitalem ab anima, vt eſt apprehenſiua obiecti, tanquam actus primus, & ſubſtantialis vitæ.

35. *In quo ſenſu intellectio ſit vitalis ab anima vt eſt productiua. Opinio aduerſariorũ.* Vtrùm verò intellectio eſſentialiter etiam habeat; eſſe actum vitalem ab anima, vt eſt productiua qualitatis, quæ eſt intellectio? cõtrouerſum eſt. Affirmant omnes aduerſarij: ex eo enim probãt, intellectionem, nec extra ſubiectum produci poſſe à ſolo Deo; quia intellectio ex ſua eſſentia habet actiuè eſſe ab anima: hoc enim eſt illorum fundamentum in 1. argumẽto. quod nitimur diſſoluere. In

36. *Bañes.* terminis id expreſſit Bañes *1. p. q. 79. art. 2. dub. 2. concluſione 2. in ſecũda illius parte. & q. 105. ar. 2. conc. 2.* idem docuit *1. p. q. 12 art. 5. dub. 3. ad primum principale,* dum ſupponit, intellectionẽ, & quemcunque actum vitalem in ſua diffinitione includere, quòd proficiſcatur ab intellectu. Satis id etiam exprimit Cumelius *prima ſecundæ, q. 11. membr. 2. diſp. 3. pag. 272. col. 1. §. Firma igitur ſit,* expræſsius Medina *prima ſecundæ, q. 3. art. 2. in propria hac q. pag. 51. col. 2. §. Ad huius quæſtionis,* Lorca *ibidem diſp. 16. membr. 2. pag. 80. col 1. §. Radicale huius ſententiæ,* Conſentit Cabrera *1. tom. ad tertiam partem q. 9. art. 2. diſp. 11. §. 3. num. 41.* Satis videtur id explicare D. Thomas *1. p. q. 34. art. 1. ad finem,* dum ait, *eſſe de ratione conce[p]tus, quòd ab alio procedat.* Hi omnes cõſ[ta]nter aſſerunt, actũ vitalẽ eſſentialiter in[cl]udere eſſe à principio vitæ actiuo,

Cumelius. Medina. Lorca. Cabrera. D. Thom.

 Ne-

37. Negantem tamen partem probarunt omnes, quos in princip. huius §. citauimus; ſcilicet *Valentia, Salas, Velloſillus, & Soncinas,* & id omnino negare tenentur, qui nobiſcum probant, poſſe Deum ſe ſolo abſque vllo intellectus cõcurſu producere intellectionem; & ex aduerſarijs idem negauit *Bellom. 1.2. diſp. 9. c. 5. num.* 32. vbi verbis claris docet productionem ſpeciei expreſſæ (quam intellectionem vocat) nullo modo pertinere ad rationem formalem cognitionis, vt cognitio eſt. Porrò, ſi ad eſſentiam intellectionis nullo modo pertinet eſſe ab intellectu productam; vtique intellectio eſſentialiter non habebit rationem actus vitalis ex anima, vt eſt productiua intellectionis.

Qui negēt

Bellom.

38. Ego hanc negantem ſententiam puto eſſe veriſsimam, ſi intelligatur de actuali productione. Dico igitur intellectionem eſſentialiter non includere, vt actu efficienter producatur ab anima. Hæc ſententia ex eo mihi probatur; quia nulla ratio adduci poteſt, quæ vel apparenter hanc eſſentialitatem probet; nulla enim dari poteſt dependentia eſſentialis inter actum vitalem, & animam, quatenus eſt principium productiuum vitæ actualis: imò efficaciter probari videtur non poſſe dari hanc eſſentialitatem: nam cum Deus ſit ipſum eſſe per eſſentiam, eminenter continet omne eſſe communicabile creaturis, vt apud omnes eſt indubitatum: & cum Deus ſit omnipotens, non ſolùm poterit communicare omne tale eſſe, ſed etiam poterit communicare illud, modo, quo voluerit: id enim ad omnipotentiam pertinet: quare poterit illud cõmunicare, vel mediante cauſa ſecunda: vel immediatè ſe ipſo, iuxta illud vulgare principium: *quidquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda efficiente, poteſt facere ſe ipſo ſolo;*

Opinio negans in quo ſenſu ſit vera.

39. quod principium puto eſſe veriſsimum in omni cauſa efficiente, quæcumque illa ſit: quod ſatis clarè docet *D. Thomas 1. p. q. 105. art. 2.* dum non ſolùm generaliter docet, Deum per ſe ipſum poſſe facere omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque cauſam creatam; ſed etiam affirmat, oppoſitum eſſe erroneũ; cum eo ſimpliciter tranſit *Caiet. ibidem, & poſt eum Seraphinus à Porecta, atque Curſus Conimbr. in 2. de Cœlo c. 5. q. 6. art. 1. §. Cæterum Diuus Thomas, pag. 233.* & quanuis Bañes ibidem *concl. 3.* velit propoſitionem illam locum non habere in actibus vitalibus; & hæc ſit generalis explicatio inter aduerſarios; tamen principium illud habere locum etiam in viuente, non ſolùm probari poteſt ex eo, quòd etiam in illa nulla dari poteſt cõtradictio, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum: ſed etiam ex eo, quòd Deus in ſe ipſo eſt in actu primo ad producendum actum vitalem, cum eminenter contineat, non ſolùm ipſum vitalem actum; ſed etiã ipſum eſſe, tum animæ, tum intellectus, & vtriuſque actiuitatem. Cur igitur ſe ſolo non poterit omnem actum vitalem producere, & communicare? etenim ridiculum eſt recurrere ad rationem cauſæ formalis extrinſecæ, quę cum efficientia eiuſdem cauſæ coniuncta eſt, vt volunt aduerſarij, quia id ſine fundamento dicitur. Hoc autem, ſi admittatur, euidenter demonſtratur, actum vitalem eſſentialiter non habere, quòd actu producatur ab anima, ſed ſolũ, quòd producatur ab eo, quod vel formaliter, vel eminenter eſt principium vitæ; quod in hac materia eſt diligenter annotandum.

D. Thom.

Caiet.

Seraphin.

Conimbr.

Bañes non recipitur.

Eandem doctrinam adhuc confirmamus; quoniam non eſt negandum actus vitales animę vegetatiuę poſſe à ſolo Deo produci, id enim ex aduerſarijs admittit Bellom. in dicta diſp. 9. c. 4. n. 14. & 15: quis enim negabit potuiſſe Deum ſe ſolo producere eundem numero Petrum, qui à Ioanne eſt genitus? potuiſſe etiam ex eodem numero alimento ſe ſolo producere eandem numero ſubſtãtiam, quæ vi nutritiua Petri in ſubſtãtiam eiuſdem Petri conuerſa eſt? Cur igitur non poterunt à ſolo Deo produci actus vitales animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ? profectò nulla dari poteſt ſufficiens ratio diſcriminis: etenim his actibus hoc repugnare nõ poteſt, quatenus vitales ſunt; ſiquidem id non repugnat actibus animæ vegetatiuę, vt patet ex antecedente admiſſo: nec etiã repugnat, quatenus illi actus ſimul ſunt immanentes: quoniam actus immanens in ſua eſſentia non includit, quòd efficienter ſit ab eo, in quo recipitur, vt patebit in ſequenti capite ad 2. Cum igitur nulla dari poſsit ſufficiens ratio deſcriminis, conſequentia iſta videtur ſatis efficax. Concludẽdum eſt igitur intellectionem 40.

Confirmatur.

ex

ex ſua eſſentia non habere, quod actu eſſe nequeat, niſi ad eam anima actu concurrat.

41. Intellectio ex ſe habet quod poſsit eſſe actiuè ab anima. Si verò à me inquiras; vtrùm intellectio, & alius quiuis actus vitalis eſſentialiter habeat, quòd ſaltem aptitudine poſſit actiuè eſſe ab anima? facilè annuam: cum enim cuicunque intellectioni connaturale ſit actiuè eſſe ab anima, vt patet ex duplici animæ diffinitione, de qua lib. 2. de Anima c. 1. & 2. vtique omnis intellectio ex ſua eſſentiali natura habebit, vt apta ſit eſſe ab anima effectiuè: nec enim cõnaturalitatem illam aliunde habere poteſt, niſi ab aptitudine eſſentiali, vt ab ea eſſe poſsit. Cui ſententiæ etiã fauet, quòd intellectio, & quicunque alius actus vitalis, eſt actus ſecundus, & vita actualis ipſius viuentis, ex Ariſtotele 12. *Metaphy.* Ariſt. *c. 7. text.* 39. Iam verò actus ſecundus habet intrinſecum reſpectum ad actum primum, ſaltem ad illum, qui ſubſtantialis eſt, & ſimpliciter primus; in hoc ſenſu, vt ſaltem aptitudinaliter poſsit eſſe ab illo: nam anima (quæ eſt actus ſubſtantialis & primus reſpectu actuum vitalium) habet potentia vitam ipſam actualem, & ſecundam, vt patet ex prima definitione animæ, de qua in 2. de Anima c. 1. Iam verò ſi anima ex ſua natura eſt potentia habẽs vitam ſecundam, actumq; vitalem; vtiq; ipſe actus vitalis ex ſe habebit, quòd ab anima ſit producibilis. Ita fit, vt eadem

42. numero intellectio, quæ à ſolo Deo produceretur, potuerit etiam produci ab anima; ſicut etiam idem numero accidens, quod à Deo extra ſubiectum eſt productum, potuit produci in ſubiecto, etiam mediante cauſa ſecunda, quæ philoſophia eſt receptiſsima: nec enim admittenda eſt illorum ſententia, qui volunt variato principio producente, variari etiam effectum, vt ſit diſtinctus ſaltem numero: licet enim verum ſit variato producente principio, neceſſariò variari productionem; non tamen neceſſe eſt variari entitatem effectus, vt modò ſupponimus, & tanquam notiſsimum ſupponit *Suar. in Metaph. diſp. 48. ſect. 2. n. 13. & ſect. 3. nu. 22. & de intellectione* latiùs probat *Bellomont. 1. 2, diſp. 9. cap. 7. n. 42. & 43. §. Verum ſine fundamento, & §. Quare multò probabilius videtur.* Suar. Bellom.

43. Quanuis autem admittamus intellectionem, & quemcunque actum vitalem, etiam dici poſſe vitalem, ex eo, quod pro ducibilis ſit ab anima; non proinde cogimur admittere, intellectionem non poſſe actu produci ſine anima: nam accidens eſſentialiter aptum eſt inhærere; non tamen eſſentialiter habet, quod actu inhæreat. Quare non valet hæc conſequentia: *Intellectio ex ſua eſſentia habet, quòd poſsit produci ab anima: ergo ex ſua eſſentia habet, quòd non poſsit produci ſine anima.* Occurritur obiectioni.

Reſolutio difficultatis.

¶ Ex his iam patet, à quonam intellectio per ſe primò, & eſsẽtialiter habeat, quòd ſit actus vitalis: id enim habet quidem ab anima; quia omnis actuum vitalitas eſt ab ea, cum ſit prima vita viuentis: at tamen id non habet ab ea, quatenus eſt productiua qualitatis, quæ eſt intellectio; ſed quatenus eſt apprehenſiua obiecti intelligibilis: etenim eſſentialiter eſt intellectio, non quia eſt productio talis qualitatis, ſed quia eſt formalis apprehenſio obiecti; vt iam oſtendimus, & indè manifeſtè demonſtratur; quia ſi ponamus animam producere qualitatem illam; nec tamen per eam attingere obiectum (quod fiet, ſi diuina potentia eam in ſe non recipiat, Deo illam conſeruante extra ſubiectum; quod non implicat, vt admittit Albertinus vbi ſuprà pag. 357. E.) vtique anima per talem intellectionem nec diceretur intelligere, nec viuere, vt ex dictis patet: cum tamen non poſsit non intelligere, & non viuere, ſi ſemel admittatur, animam per intellectionem à ſe non productam attingere obiectum, & illud intuendo percipere: quod euidenter conuincit, intellectionem per ſe primò habere, quòd ſit vita, & actus vitalis, ab anima, non quatenus eſt productiua intellectionis, ſed quatenus eſt apprehenſiua obiecti intelligibilis. 44. A quo per ſe intellectio dicatur vitalis.

Nec his obſtat, quòd intellectio eſſentialiter includat, quod ſit producibilis ab anima: quoniam intellectio hoc habet, quatenus eſt actus vitalis, quæ eſt ratio generica, non quatenus eſt intellectio. Vnde illud prius pertinet ad rationem genericam intellectionis, vt eſt actus vitalis: hoc autem poſterius ſpectat ad differentiam ſpecificam, qua conſtituitur in eſſe intelle- 45. Occurritur obiectioni.

intellectionis: ſicut etiam anima, quatenus eſt anima, habet, quod ſit productiua ſui actus; at verò, vt eſt intellectiua, per ſe primò habet, quòd intelligibiliter in obiectum tendat.

Solutio ad primum argumentum.

46. Ad 1. ¶ His ita præmiſsis, redeundum erit ad ſolutionem primi argumenti: & ex illis iam patet negandam eſſe minorem, quatenus habet, de ratione intrinſeca, & eſſentiali actus vitalis eſſe, quòd actualiter ſit ab anima: quod ſuprà negauimus, & modò iterum negamus: nam quanuis de ratione eſſentiali actus vitalis ſit, eſſe actum animæ operantis; non tamen de illius eſſentiali ratione eſt, eſſe actum actiuè ab anima operatum; ſi ſermo ſit de actu vitali in communi, abſtrahendò ab hac, vel illa ratione actus vitalis: quia (vt diximus) poteſt dari actus vitalis, qui non ſit actiuè ab anima productus: etenim apprehẽſio obiecti intelligibilis eſt actio vitalis; quia ſolus viuens poteſt obiectum intelligibiliter attingere: & tamen poteſt hãc vitalitatem habere per intellectionem à ſe non productam. Idem dices de cæteris actionibus immanentibus. Quare ſolis actibus vitalibus animæ vegetatiuæ conuenit, vt ab anima actiuè producantur, ſi rationem actus vitalis habere debent. Et ratio eſt; quia illi actus vnam tantùm habere poſſunt rationem vitalitatis, quæ eſt eſſe producibiles ab anima: cum tamen actus immanentes animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ, præter rationem vitalitatis explicatam (quòd. ſ. poſsint produci ab anima) habent aliam erga obiectum, in quod vitaliter tendunt per cognitionẽ, vt actus ſenſus, & intellectus; vel appetendo, vt actus voluntatis, & appetitus; quæ tendentia, cum nequeat conuenire niſi viuẽti, ſenſitiuo, aut intellectiuo, ex ſua ratione intrinſeca eſt vitalis: cum verò hi actus hanc vitalem tendentiam habere poſsint abſque actiuo animæ concurſu, poſſunt eſſe vitales abſque productione animæ, aut ſenſitiuæ, aut intellectiuæ. Quod reperiri non poteſt in actibus vegetatiuis, vt oſtendimus.

47. Diſcrimen inter actus vegetatiuos & ſenſitiuos & intellectiuos.

48. Patet igitur negandam eſſe minorem, ſi ſermo ſit de actu vitali, vt abſolutè eſt vitalis, & ſecundum rationem genericam illius. Quæ adducuntur ex diffinitione animæ, nihil officiunt; quia Ariſtoteles explicauit animam, prout eſt actus primus connaturalis, non verò, vt eſt eſſentialis. Iam verò, vt eſt actus primus connaturalis, ex ſe habet, quòd vita, cuius eſt actus primus, actiuè ſit ab ea, vt diximus ſuprà 1. tom. lib. 4. q. 1. artic. 2. §. 5. n. 51. in fine. Et inde eſt, vt intellectio, vt connaturalis ſit animæ, & intellectui, debet ab vtroque efficienter produci. Quare ex diffinitione animæ data ab Ariſtotele non benè conuincitur, dari non poſſe actum vitalem, niſi actiuè ſit ab anima; quia Ariſtoteles non diffiniuit animam per actum eſſentialem vitæ, ſed per connaturalem: quæ connaturalitas non impedit, dari poſſe actum vitalem, ſine actiuitate animæ. Anima igitur in ordine ad vitalem tendentiam in obiectum, eſt actus primus eſſentialis; quia iſta tendentia ſine anima dari non poteſt: in ordine verò ad vitalem productionem non eſt actus primus eſſentialis, ſed ſolùm connaturalis.

Intellectio connaturalis viuenti eſt ab anima.

§. 5.

Soluuntur cætera argumenta.

Soluto primo argumẽto (quod erat aduerſariorum præcipuum fundamentum) ad aliorum ſolutionem veniamus.

Solutio ſecundi.

¶ Ad 2. igitur (quod etiam aduerſarijs eſt Achiles) admittimus viſionem beatã eſſe actionẽ immanentẽ: negamus tamẽ eſſe de ratione intrinſeca immanentis actionis, quòd actiuè ſit ab eo, in quo recipitur. Vt expreſsè negat Soncinas 9. Metaph. q. 20. ad 4. nec poſſunt id non negare, qui putant intellectum poſſe intelligere per intellectionem in ſe receptam, non tamen à ſe productam. Actio igitur immanens ex ſua natura habet, quod ſit producibilis ab eo, in quo recipitur; non tamen, quod actualiter ſit ab eo; quanuis, vt illi ſit connaturalis eſſe debet ab eodẽ: & in hoc ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles 9. Metaph. c. 9. tex. 16: ibi enim explicat ordinem connaturalem actionis immanentis; non verò eſſentialem. 49. Ad 2. arg.

Solutio tertij.

¶ Ad tertium negamus ex ratione actus vitalis, & immanentis colligi dari eſſentialem 50. Ad 3.

tialem dependentiam illorum ad animã, vt ad cauſam efficientem; ſi ſermo ſit de eſſentiali dependentia propriè ſumpta, quæ tũc datur, cum effectus ex ſe habet, vt non niſi à tali cauſa produci poſsit. Quare admittimus inter intellectionem, & animam, vt eſt ſui actus productiua, dari naturalem dependentiam; quia intellectio naturaliter eſſe non poteſt, niſi effectiuè ſit ab anima; negamus tamen inter eam, & animam dari eſſentialem dependentiam in ſenſu explicato. Nec oppoſitũ colligitur ex ratione intellectionis, vt eſt actus vitalis, & immanens: imò ex illa colligitur oppoſitum: ſiquidem intellectio ex ſua eſſentia non habet, eſſe ab anima, vt à cauſa efficiente ſuæ entitatis, vt in §. præcedente oſtendimus, & in hoc §. 5. ad 2. Quare ad argumentum neganda eſt maior. Cuius prima probatio petit principium; quia ſumit, quod probandum erat.

Ad 1. probationem maioris.

51. Ad ſecundam (quæ eſt Lorcæ) negamus dari eſſentialem dependentiam inter intellectionem, & animam, ſi ſermo ſit de productione actuali: eam tamen admittimus de aptitudinali: etenim ſicut anima ex ſe eſt productiua cuiuſcumque intellectionis; ita quæcumque intellectio ex ſua natura eſt producibilis ab anima, vt diximus ad primum: & eodem modo, ſicut anima ex ſua eſſentia non habet, quòd ab ea omnis intellectio producatur; ita intellectio non habet ex ſua eſſentia, quòd actu ab anima producatur. Anima igitur ex ſua natura habet, quòd naturaliter ſit productiua intellectionis; non verò habet eſſentialiter, quòd actu omnem intellectionem producat. Ariſtoteles autem definiuit animam ſecundum ordinem naturalem; non tamen ſecundum eſſentialem, vt diximus ad 2. Et ob id ex diffinitione Ariſtotelis ſolũ colligitur dependentia naturalis, non verò eſſentialis.

Ad 2. probationem.

52. Tertia probatio in pluribus claudicat; & primum, quia ſupponit, intellectionem proximè fieri ab anima, id eſt, nulla mediante actione ab ea ex natura rei diſtincta: quod abſq; vllo probabili fundamẽto ſumitur, vt doctè aduertit *Bellom. in dicta diſp. 9. c. 7. n. 40. & 41. & latè Suar. in Metaph. diſp. 48. ſect. 2. à n. 11. vſq; ad 15*: etenim qualitas, quæ formaliter eſt intellectio (de hac enim agim⁹) producitur per veram actionẽ, de genere actionis, vt ſupponimus: nihil enim cogit admittere aliã illius productionẽ. Iam verò actio de genere actionis ex natura rei diſtinguitur à re acta, quia diſtinguitur ab ea ſaltẽ modaliter, vt etiã ſupponimus cum doctrina cõmuni. Et quãuis admitteremus, intellectionis qualitatẽ nõ produci media actione prędicamentali; nullo tamen modo admittemus, eam non produci media actione, quæ verè, & realiter ſit actio: licet enim pleriq; dixerint, dari poſſe effectũ, qui procedat à cauſa, nulla media actione prædicamentali; nullus tamen dixit, dari poſſe effectum, qui ita proximè procedat à ſua cauſa, vt nulla mediet vera actio; quia non poteſt nõ mediare realis influxus pullulatio, ſiue emanatio illius à ſua cauſa: iã verò realis emanatio, ſaltẽ, vt eſt paſsiua, non poteſt nõ diſtingui, ſaltẽ modaliter, ab effectu, qui emanat: modalis autẽ diſtinctio eſt diſtinctio ex natura rei, vt ſupponimus. Quare fieri non poteſt, vt entitas aliqua producta immediatè pendeat à ſua cauſa ſecundum ſuam purã entitatẽ, vt benè aduertit Suar. *vbi ſuprà n. 13.* ſed neceſſariò pendebit mediante productione, diſtincta à tali entitate, ſaltẽ ex natura rei: qua diſtinctione ſuppoſita, ipſimet aduerſarij admittũt, dari nõ poſſe eſſentialẽ dependentiã: quãuis in hoc decipiãtur; quia res creata eſſentialiter pendet à creatore; & tamen creatur mediante creatione, quæ vel eſt actio de genere actionis, vt ego verius exiſtimo; vel eſt vera actio, ſiue productio, quæ vt paſsiuè ſumitur, modaliter diſtinguitur à re creata. Vnde autẽ per ſe ſumatur eſſentialis dependentia? alterius eſt quæſtionis: nobis modò ſatis ſit, eã nõ reperiri in qualitate, quæ eſt intellectio, in ordine ad animam.

Ad 3 probationem.

Bellomon. Suarius.

53. Intellectio producitur media actione.

54. Quarta probatio (quæ eſt Bellomontani) ſoluitur à Sala *tom. 1. ad 1. 2. q. 3. tractatu 2. diſp. 5. ſect. 4. pag. 355. col. 2. §. Nec item obſtat*: & videtur admittere, ſi ordo naturalis ſeruetur, nec intellectionẽ fieri ſine attẽtione; nec attentionẽ ſine conatu & actiuo influxu intellectus in intellectionẽ: de potẽtia tamẽ abſoluta, dari poſſe attentionẽ ſine actiuo conatu, & influxu. Quo ſuppoſito [pro]batio Bellom. vim non habet: quia ſicut [p]oteſt Deus facere, vt intellectus intellig[a]t, & percipiat obiectum abſque

Ad 4. probationem. Solutio Salæ.

abſque eius influxu actiuo in intellectionem; ita etiam poteſt facere, vt abſque eodem actiuo conatu attendat ad rem intellectam. Quam ſolutionem ex eo Bellomontan. non recipit, quia putat abuti ſignificatione huius vocis *conatus*. Sed an in hac ſolutione detur aliquis abuſus? ſtatim expendemus: ſolutionem tamen ego non recipio, ſi de attentione propriè dicta loquendum ſit.

Non recipitur.

55. Indagatur vera ſolut.

Quare pro ſolutione argumenti, notandum eſt, attentionem, conſiderationem, & aduertentiam idem eſſe: poſſe autem attentionem, ſiue conſideratione͂ accipi, vel propriè, vel impropriè atque latè. Si latè ſumatur; omnis operatio intellectus dici poteſt attentio, ſiue conſideratio, vt expreſſè docet Diuus Thomas 2.2, *q*.180.*art*.3.*ad primum*, idque ex Ariſtotele *in* 3. *de Anima*: nullo tamen citato loco, nec ego eum inuenire potui, vnde in nulla exacta impreſſione locus ille ad marginem annotatur. Porrò ſi attentio, & conſideratio propriè ſumatur, illa pertinet ad iudicium, nec ſine eo datur, vt ſatis colliges ex Diuo Thoma *vbi ſuprà, & ex q.*53. *art.*4. *& de malo q.* 15. *art.*4. *& ſatis explicat in* 1. *diſt.* 4. *q*.4. *art.* 5: imò non ad quodcunque pertinet iudicium, ſed ad conſultiuum, vt ſatis colliges ex Ariſtotele *libr.* 2. *Ethicorum ad Eudemium pag.* 1008. *in principio, & ex Richardo de Sancto Victore citato à Diuo Thoma in dicta quæſt.*180. *artic.* 3. *ad* 1.

Conſideratio & aduertentia ſolù ſu͂t lato modo.

D. Thom. *Ariſt.*

Non ſunt idem propriè.

D. Thom. *Ariſt.*

Richard. de S. Vict.

56. Ad probationem Bellomont.

Hoc ſuppoſito dicimus, probationem Bellomontani nullam habere vim, ſiue attentio propriè ſumatur, ſiue impropriè & latè. Nam ſi latè ſumatur, idem erit, quòd intellectio, & attendere, ſiue conſiderare idem erit, quòd intelligere. Quare ſicut intelligere eſſentialiter non eſt producere intellectionem, ſed per intellectionem productam attingere obiectum, illudque percipere; ita etiam conſiderare, ſiue attendere latè ſumptum nõ erit actiuè producere, ſeu conari, ſed aduertenter, & conſideratè obiectum attingere: & ſicut intelligere poteſt dari ſine actiua productione; ita etiam attendere dari poteſt ſine actiuo conatu. Et ſicut intelligere formaliter eſt agere, & operari actione, & operatione grammaticali, quæ nullam rationem originis importat, vt diximus ex Diuo Thoma 1. *parte quæſt.* 34. *art.* 1. *ad tertium*; ita etiam attendere ſiue conſiderare formaliter erit agere, ſiue conari, conatu quodam grammaticali, qui nullam importat rationem originis, productionisvè actiuæ. Nec hoc eſt abuti voce *attentionis*, quia attentio latè ſumpta idem eſt, quòd intellectio, vt diximus. In hoc igitur ſenſu ad probationem, admiſſa maiore, dicimus, attentionem formaliter ſumptam non denotare connatum realem & phyſicum, ſed grammaticalem, qui ex mente Diui Thomæ dari poteſt ſine origine.

D. Thom.

Porrò, ſi attentio, & conſideratio ſumatur in ſtricta, & propria ſignificatione, vt iam communiter ſumitur à Philoſophis, probatio minus habet efficaciæ; quoniam attentio, & conſideratio, non ſolùm eſt diſtinctus actus à ſimplici intellectione, ſed nec ad eam pertinet, nec eam comitatur; ſolùm enim pertinet ad actum iudicij & conſultationis: vnde ſimplex intellectio datur ſine attentione, & conſideratione, vt expreſſè docet Diuus Thomas *in* 1. *ſentent. diſt.* 4. *q.* 4. *art.* 5. *in corpore, & ad* 3. & in hoc deceptus eſt Salas, dum docuit, ſeruato naturali ordine, non poſſe dari intellectionem ſine attentione. Hac ſuppoſita ſententia, ad probationem neganda eſt maior, dum habet de intrinſeca ratione intellectionis eſſe, vt intelligens attendat ad obiectum cognitum: nec Diuus Thomas in dicto art. 5. id docet, vt nonnulli volunt, ſed oppoſitum: attentionem enim (quam ibi appellat intentionem) ſolum requirit ad actu͂ diſcernendi, & cogitandi, ſiue conſultandi, non verò ad actum intelligendi, vt ex dicto loco patet. Deſtructo autem probationis fundame͂to, corruit argumentu͂.

57. Intellectio non eſt atte͂tio propriè.

Si verò cum Sala præter attentionem, & conſiderationem perfectam (de qua egit Diuus Thomas) velis admittere, attentionem ſiue conſiderationem, & aduertentiam diſtinctam ab intellectione, minus tamen perfectam, quàm ſit attentio requiſita ad iudicium; nõ repugnabo: docet enim experientia dari attentione͂, & conſiderationem ſumptam pro aduertentia in pluribus, de quibus nec iudicamus, nec conſultamus, vt patet in atte͂tione requiſita in oratione, in miſſa, cæteriſq; diuinis precibus, & in pluribus alijs actibus intelligendi ſimplicibus. Quam atten-

58. Non reijcitur Salas.

Deficit Bellomont.

attentionem admiſit Salas; adhuc probatio Bellomontani in multis deficit. Et primò; quia licet regulariter intellectio tendat in obiectum, comitante attentione; hæc tamen comitantia naturaliter non eſt neceſſaria; quia multa intelligimus ſine attentione, & inconſideratè; & indè eſt, vt non omnium, quæ cognoſcimus, maneat memoria.

Multa intelligimus ſine attentione.

Quin potiùs cognitio iudicatiua ſæpè fit cum inconſideratione; ratione cuius iudicium, & conſultatio eſt imperfecta, & moraliter mala, vt patet ex Diuo Thoma 2.2.q.180. *art.3. ad primum*: quod verò naturaliter contingit in cognitione iudicatiua, naturaliter etiã continget in ſimplici intellectione: hoc autem admiſſo, corruit fundamentũ probationis: nam ſi naturaliter dari poteſt intellectio ſine attentione, & aduertentia, vtique falſò ſumitur, intellectionẽ eſſentialiter habere, quòd in obiectum tendat cum attentione; & ita ceſſat fundamentum eſſentialis dependentiæ, ſumptum ex attentione; quia nec intellectio naturalem habet dependẽtiam ad attentionẽ.

D. Thom.

59. 2. ſolutio quartæ probationis.

Sed demus (& erit ſecunda ſolutio) quòd intellectio naturaliter dari nequeat ſine attentione (quæ videtur eſſe mens Salę) non tamen dabimus intellectionem habere dependentiam eſſentialem ad illã; ita, vt nullo modo poſsit dari ſine illa; quia de potentia abſoluta id fieri poteſt, vt aduertit Salas: quid enim id implicat? Hoc autem ſuppoſito, etiam corruit fundamentum eſſentialis dependentiæ; quia intellectio ſolùm habet dependentiam naturalem ad attentionem; non verò eſſentialem.

60. 3. ſolutio eiuſde probationis.

Tertia ſit ſolutio; quoniam licet actus attentionis, & aduertẽtiæ naturaliter ſibi vendicet eſſe actiuè ab attendente, & cognoſcente; & ſubinde naturaliter includat actiuum conatum cognoſcentis; illum tamen non vendicat de potentia abſoluta, vt notat Salas: nam ſicut poteſt dari intellectio, producta à ſolo Deo; ita poteſt dari actus attentionis ſine actiuo conatu potentiæ cognoſcentis; quãuis dari non poſſit ſine conatu grammaticali tendentiæ actus in obiectũ. Quare ſicut in actu attentionis ad actiuum animæ conatum nõ datur eſſentialis dependentia; ita non dabitur in actu intellectionis ad actiuã productionem. Nec hoc eſt abuti ſignificatione huius vocis *attentio*, ſed eſt philoſophicè, & theologicè expendere naturam talis actus.

Accedat adhuc quarta & vltima ſolutiò: quoniam non implicat produci intellectionem à ſolo Deo; & intellectum per eã formaliter intelligere, intellectu actiuè conante ad actũ attentionis, & aduertentiæ: quoniam & vnus actus eſt diſtinctus ab alio: & nihil impedit, quominus intellectione recepta, intellectus actiuè attendat ad obiectum, quod per illam intellectionem percipitur. ¶ Non eſt igitur, quod Bellom. putet, per illud mediũ ſatis demonſtrari dependẽtiam eſſentialem intellectionis, vt ad cauſam efficientem, quam nititur probare tertiũ argum. 61. 4. ſolutio eiuſdem.

Bellom. nõ demõſtrat.

Solutio quarti, & quinti.

62. Ad 4. argũ.

¶ Quartum argumentum, ſi quid habet efficaciæ, eam ſolùm habet contra ſecundam ſententiam: nullam autẽ contra tertiam, quam in ſequente concl. vt veriſſimam probabimus. Admiſſa igitur ſequela, neganda eſt minor: ad cuius probationem dicimus, nullam dari implicationẽ, ſi intellectus formaliter intelligat per intellectionem à ſe non productam, vt ſtatim dicimus.

63. Ad 5. argũ.

Quintum argumentum; cum falſa nitatur opinione, nihil cõtra nos arguit; ſed eos conuincet, qui volunt intellectionem eſſe actionem prædicamentalem: ſicut enim implicat calefactionem eſſe, niſi à calefaciente; ita implicat, actionem intelligendi eſſe, niſi ab intelligente; Deus autem, ſi ſe ſolo produceret qualitatem, quę per actionem intelligendi producitur, nõ intelligeret, quia productio illius non eſſet formalis intellectio.

64. Ad confirmat.

Confirmatio eodem pede claudicat; quia ſupponit opinionem omnino falſã. Deficit etiam in eo, quia ſumit propoſitionem inter authores ſatis dubiam; Deũ ſcilicet ad extra non agere actione de genere actionis, quod communiter non recipitur.

§. 6.

Secunda concluſio huius articuli.

2. concl. huius 4. art.

Sit ſecunda concluſio huius articuli: *nõ repugnat intellectum intelligere per intellectio[nem] in ſe receptã, à ſe tamẽ non productã.* Quar[e] qui admittit poſſe Deũ producere intel[le]ctionẽ intellectu ad eã

non concurrente, non ſatis philoſophicè negat poſſe intellectum per eam intelligere. Inde inferes, ſi Deus viſionem beatam ſe ſolo produceret, non ſolùm poſſet eam intellectui infundere, ſed etiam intellectus per eam ſibi infuſam poſſet Deum videre. Hæc concluſio ſtatuitur pro tertia ſententia, quam puto eſſe veriſsimam: Eſt pro 3. ſententai. ſatis eſt de mente Soncin. Soncinatis 9. *Metaphy.* q. 20. *ad* 4. *& Velloſilli in aduertentijs ad* Velloſill. *D. Ambroſium quæſito* 14. *pag.* 184. *col.* 4. Veiga. *expreſsè probatur à Veiga lib.* 6. *in Trident.* Valentia. *cap.* 8. *& à Valentia* 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *pūcto* 3. *pag.* 193. *in principio, à* Salas. *Sala* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 4. *pag.* 161. *col.* 1. *§. Et ſaltem de potentia abſoluta, & col.* 2. *§. Nec verum eſt; ex Scotiſtis eam probat* Rada. *Rada* 1. *p. controu.* 7. *ad finem, fol.* 111. *col.* 1. *&* 2. *ad quartum argumentum*, dum aſſerit intellectum poſſe intelligere per intellectionem, quam à ſolo Deo habet; ſatis eam probauit Scotus *in* 1. *diſtinct.* 3. Scotus. *quæſtione* 7. *litera Y. dum ait: ſi Deus intellectionem cauſaret, & eam intellectui noſtro imprimeret, non minus ea intelligeremus*, idem exprimit *quodlib.* 13. *art.* 3. *lit. E.F. §. Ad ſecundū poteſt dici*, dum ait, *quòd ſenſus ſentiret, ſi Deus in eo ſenſationem cauſaret:* clariùs id expreſsit quodlib. 15. lit. L. vbi ait: *quòd ſi Deus cauſaret intellectionem, Deus per eam non itelligeret, ſed intellectus, in quo eam poneret.* Quare non eſt dubitandum Scotum noſtram approbaſſe ſententiam. Quam etiam approbare tenentur, qui putant beatos de facto videre per viſionem à ſolo Deo receptam. Victoria. Eandem approbaſſe Victoriam plures affirmant cum Molina. Denique hanc opinionem eſſe tenendam, ſi ſemel admittatur Deum poſſe intellectionē extra ſubiectum ſe ſolo producere, latè probat Bel-Bellom. lom. 1. 2. *diſp.* 9. *cap.* 4. *n.* 21. *&* 22. *in* 1. *&* 2. *ratione.*

67. Concluſio euidenter demonſtratur ex ijs, quæ in præcedentibus articulis latè oſtendimus: diximus enim intelligere formaliter non eſſe intellectionem cauſare; ſed eſſentialiter eſſe per qualitatem, quæ eſt intellectio, intelligibiliter apprehendere obiectum, quod latê probauimus ex Ariſtotele, Commentatore, Di-1. ratio. uo Thoma, & alijs art. 2. huius quæſtionis §. 7. & 8: oſtendimus etiam nec in intellectione, nec in quocunque alio actu vitali dari dependentiam eſſentialem ad animam, vt ad cauſam efficientem; ſed ſolum dari dependentiam naturalem; eſſentialem autem ſolum habere in ordine ad animam, vt eſt apprehenſiua intelligibilis obiecti, vt diximus in §. 5. præcedente ad 3. argumentum. His ſuppoſitis euidēter demonſtratur noſtra aſſertio: quoniā intelligere non eſt aliud, quàm animam intelligibiliter attingere, & percipere obiectum intelligibile: ſed anima per intellectionem in ſe receptam, & ab alio productam poteſt obiectum intelligibiliter attingere; ergo per intellectionem ab alio productam, in ſe tamen receptam, poteſt reddi verè, & formaliter intelligens. Ma- 68.
ior patet ex dictis; quia intellectio formaliter non eſt aliud, quàm ipſa formalis attingentia, & apprehenſio obiecti; ſiue potiùs eſt ipſa qualitas, & forma, qua anima obiectum formaliter attingit, & percipit. Minor autem ex eo patet; quia anima intellectiua ex ſe eſt capax talis apprehenſionis; & præterea ex ſe eſt receptiua actus, qui eſt intellectio. Ergo ſi talem actum recipiat, non poteſt non apprehēdere intelligibiliter obiectū: poſita enim cauſalitate formali in proprio ſubiecto, non poteſt ſubiectum nō habere formalem illius effectum: iam verò ipſa receptio formę in ſubiecto, vel eſt ipſa formalis cauſalitas formæ, vt plures volunt; vel ad eam neceſſariò conſequitur propria formæ cauſalitas, vt vera habet Philoſophia. Ergo ſi intellectio eſt in intellectu recepta, in eo ſuam exercebit cauſalitatē, cauſabitq; ſuum effectum formalem, qui eſt animam attingere, & percipere obiectum, quæ fuit minor. Conſequentia verò ex præmiſsis eſt neceſſaria: etenim ſi ſemel admittatur, intellectionem recipi in intellectu, ſicut non poteſt non admitti, intellectum per eam percipere obiectū; quia iſte eſt formalis effectus intellectionis; ita non poteſt non admitti intellectū per eam formaliter fieri intelligentem; vt optimè aduertit Bellom. vbi ſuprà.

Expenditur ſolutio huius argumenti.

¶ Huic argumento poſſunt occurrere aduerſarij, negando fieri poſſe, vt intellectio ab intellectu non producta, in eo recipiatur: quare licet facta ſuppoſitione, 69. Solutio aduerſariorū.

quæ

quæ fit in minore, ſcilicet *intellectionem ab intellectu non productam in eo recipi*, argumentum habeat maximam efficaciã: nullam tamen habet, ſi ſuppoſitio, tanquam impoſsibilis negetur, quam negant authores ſecundæ ſententiæ: hi enim licet admittant poſſe Deum ſine concurſu intellectus intellectionem extra intellectum producere; non tamen admittunt; ſed negant poſſe Deum talem intellectionem ponere in intellectu; non ob aliã rationem, niſi, quia illud prius nihil implicationis inuoluit; cum tamen implicationem inuoluat hoc poſterius, ideò, quia eſt actus vitalis. Hoc eſt totum fundamentum ſecundæ ſententiæ.

Hæc ſolutio impugnatur à Bellomontano.

70. Impugnatur ſolutio à Bellom. ¶ Bellomontanus tamen hoc fundamẽtum latè impugnat in dicta *diſp.* 9. *cap.* 4. *n.* 21. *&* 22. Et primum ex eo, quia ſi ſemel admittatur dari intellectionem extra intellectum, ſine intellectu productã;

1. impugnatio. non poteſt cum probabilitate negari, poſſe Deum ſine intellectu eam in intellectu ponere: etenim cum iam ſit producta, & nihil noui in ea producendum ſit, quod ad eſſentiam, & rationem formalẽ illius pertineat; ſolùm indiget concurſu intellectus in genere cauſæ materialis eã recipientis. Cur igitur non poterit diuina potentia ſine vllo actiuo intellectus concurſu eidem coniungi?

71. 2. impugn. Accedit inquit; quoniam omnis forma accidentaria producta extra ſubiectum, ſuapte natura exigit ſubiectum, cui inhæreat: cum enim contra internum ſuæ naturæ impetum ſit extra ſubiectum; ex ſua natura appetit eſſe in ſubiecto. Illa igitur cauſa efficiens, quæ contra naturalem impetum eam extra ſubiectum poſuit, poterit abſque alia cauſa efficiente eandem ponere in ſubiecto, in quo naturaliter eſſe appetit.

72. Hoc duplici argumento putat Bellomontanus contradictionis cõuiciſſe Patronos ſecundæ ſententiæ, quaſi implicet, intellectionem poſſe à Dèo fieri ſine actiuitate intellectus, & tamen intellectũ non poſſe per eam intelligere. Fundamẽtum eſt; quia ſi poteſt fieri extra intellectum, poteſt etiam fieri in intellectu, eo actiuè ad eam non concurrente: ſi verò poteſt recipi in intellectu ſine actiuo intellectus concurſu, poteſt per eam intellectus intelligere, quod ſecunda negat ſententia. Hoc argumento concludit, nõ eſſe admittendum, poſſe Deum intellectionem cauſare extra intellectum ſine ipſo intellectu. Hęc eſt mens Bellomontani.

Non recipitur impugnatio Bellomontani.

¶ Sed ſi Bellomontanus huius rei philoſophiam conſideratiùs expendiſſet, vtiq; intellexiſſet his argumentis viros doctiſſimos, ſecundæ opinionis authores, nihil contradictionis habere in ſua doctrina. Nam ſi ſemel admittatur dari dependentiam eſſentialem in intellectione ad animam, in exercendo ſuum effectum formalem, qui eſt facere intelligentem intellectum, in quo recipitur; quam dependentiam admittunt authores ſecũdę opinionis, & cum illis admittit Bellomontanus in dicta diſp. 9. cap. 7. in fine, §. *Dicimus itaque:* ſi ſemel, inquam, admittatur talis eſſentialis dependentia, non poteſt non concedi in intellectu eſſentialis incapacitas ad recipiendum intellectionem à ſe non productam: etenim inter materiam & formam debet dari proportio; vt ſcilicet & forma reſpiciat materiam ſibi proportionatam, & materia formam pro portionatam ſibi. Implicabit igitur intellectum poſſe materialiter concurrere ad intellectionem à ſe non productam. Hac facta ſuppoſitione, argumenta Bellomõtani nihil habent efficaciæ; quia niſi intellectio ſit efficienter dependens ab anima, nullam habet aptitudinem, vt intellectũ actuet. 73. Impugnatio Bellom. non habet vim.

Et vt hæc Philoſophia melius appareat, & inefficacia vtriuſque rationis, illud aduertimus, veram Philoſophiam docere, nullum agens operari poſſe, niſi in paſſum ſufficienter diſpoſitum: inter diſpoſitiones autem, prima, & eſſentialis reputatur capacitas ipſius paſsi; & quia hæc deficit in materia cœli, ſi illa ſpecie diſtinguitur à materia inferiorum; ideò nec diuina potẽtia poteſt aliquam formã rerum ſublunarium recipere, nec diuina potentia talis forma poteſt cum materia cœli coniungi; & idem dicendum eſt de 74. Aduertẽtia contra Bellomontanũ

de forma cœli cum materia horum inferiorum. Quare, ſi intellectus incapax eſt ad recipiendam intellectionem à ſe actiuè non dependentem, vt authores ſecūdæ opinionis, vt notiſsimum ſupponūt; vtique intellectio à ſolo Deo producta extra ſubiectum, quandiù à ſolo Deo efficienter dependet, inepta eſt ad informandum intellectum; cum intellectus illius ſit incapax.

75. Alia aduertentia. Diximus, *quandiù à ſolo Deo efficienter dependet*: quia eadem numero intellectio, quæ extra ſubiectum ab intellectu efficienter non dependet, poteſt ab eodem efficienter dependere: ſicut enim Deus illam eandem à principio potuit producere, ſimul cum intellectu actiuè ad eam concurrente, vt diximus ſuprà §. 4. ita etiam poteſt eandem numero ſine intellectu iam productam, cum eodem producere, & eam ab intellectu iam dependentem in intellectu ponere: nam Deus, quem calorem extra ſubiectum ſe ſolo produxit, poteſt eundem ſimul cum igne producere in ſubiecto: id enim nihil implicat. Vtrùm verò illa intellectio poneretur in intellectu per aliam numero actionem? Reſpondendum eſt affirmatiuè; quia prior actio immediatè erat à Deo, tanquam à cauſa particulari; nunc autem eſt à Deo, tanquam à cauſa prima, & vniuerſali; ab intellectu verò tanquam à cauſa ſecunda: vnde non poſſunt non eſſe diſtinctæ illæ actiones: & quanuis vtraque terminetur ad eandem numero entitatem; imò etiam ad eandem numero exiſtentiam; prior tamen terminata fuit ad eandem exiſtentiam habentem modum eſſendi per ſe; poſterior verò terminata eſt ad eandem, modificatam tamen per modum eſſendi in alio: nec eſt abſurdum eandem rem cum eadem exiſtentia bis produci, vt ſupponimus.

76. Solutio argumentorū quæ fecit Bellom. Ex his iam patet inefficacia argumentorum Bellomontani, ad impugnandum ſolutionem aduerſariorum: negamus enim, quod ille putat, non poſſe cum probabilitate negari: imò dicimus non poſſe cum probabilitate affirmari, poſſe Deum intellectionem à ſe ſolo productam ponere in intellectu ſine ipſo intellectu, ſi ſemel admittatur (quod cum aduerſarijs Bellomontanus admittit) intellectionem habere eſſentialem dependentiam ad animam in dando eſſe intelligentis: etenim ſi intellectio in dando tale eſſe, dependet eſſentialiter ab anima, non poteſt eſſentialiter non habere, quòd non poſsit intellectum informare, niſi ſit ab eo. Quare, hoc ſuppoſito, non poteſt non negari, poſſe intellectionem, quæ non eſt ab intellectu, eidem materialiter coniungi. Quare ſine probabilitate ſumitur à Bellomontano propoſitio oppoſita.

Cuius prima probatio ex eo eſt inutilis, quia ſupponit intellectionem illam, quandiù ab intellectu non habet actiuam dependentiam, aptam eſſe materializari, recipique in intellectu; cuius oppoſitum cum aduerſarijs iam oſtendimus. Aliud etiam falſum in eadem probatione ſupponit: nempè poſſe Deum ſine intellectu intellectionem illam intellectui coniungere, abſque noua eiuſdem productione: quod negandum eſt, etiam ſi daremus intellectionem ſine intellectu poni poſſe in eo: nam prior productio terminabatur ad eam, vt per ſe exiſtentem; fuit enim producta extra ſubiectum; ſi verò vniatur intellectui, acquirit nouum eſſendi modum, nempè eſſe in alio, quem modum ſine noua actione habere non poteſt; quare prima probatio dupliciter deficit. 77. Ad primam probatione.

Ad ſecundam admittimus, intellectionem illam extra ſubiectum eſſe contra internum ſuæ naturæ impetum: admittimus etiam, eam ex ſua natura appetere eſſe in ſubiecto: negamus tamen illud appetere ſine concurſu intellectus: habet enim naturalem illum appetitum, quia ex ſe apta eſt dependere ab intellectu, vt à cauſa efficiente; quia (vt iam diximus) poteſt Deus eam in intellectu ponere, intellectu ad id actiuè concurrente, & non aliter. Quare ex illo naturali appetitu bene infertur, eam poſſe poni in intellectu dependenter ab eo; non tamen eam poni poſſe ſine actiuo intellectus concurſu: diximus enim, intellectionem illam, quandiù eſt ab intellectu actiuè independens, ineptam eſſe, & incapacem, vt in intellectu ponatur. Quare ſuppoſita illa eſſentiali dependentia, nullam vim habent probationes Bellomontani. 78. Ad 2. probationem.

Non recipitur argumentum Valentiæ, & Veigæ.

¶ Sed

79. Argum. Valentiæ, & Veigæ non habet vim. ¶ Sed nec vim habet argumentũ, quo Valẽtia, Veigá, & alij cõmuniter vtuntur, dũ ita argumentantur: intellectio producta à ſolo Deo, eſt eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ eſt à Deo, & ab intellectu. Sed hæc ſecunda poteſt in intellectu recipi, & receptapoteſt facere intellectum eſſe intelligentem. Ergo illa prima poterit recipi in intellectu, & recepta poteſt eum reddere intelligentẽ. Quod argumentũ ſuppoſita eſſentiali dependentia non habet vim: aduerſarij enim admiſſo toto antecedente, negarent conſequentiam: quia intellectio actiuè facta ab intellectu proximè eſt apta in eo recipi: illa verò prior, cum actu non depẽdeat ab intellectu, ſed ſolùm aptitudine, actu impeditur, ne recipiatur, quandiù non eſt ab intellectu.

Vera ſolutionis impugnatio.

80. Vera impugnatio ſolutionis datæ. ¶ Quare vera impugnatio ſolutionis, qua aduerſarij noſtrũ fundamentũ diſſoluũt, ex eo petenda eſt; quia ſupponunt in intellectione, actuque vitali dari eſſentialẽ dependentiam ad animam, vt ad cauſam efficientem: qua facta ſuppoſitione efficaciter probant, intellectum eſſe incapacem ad eam recipiendam, quandiù ab eo efficienter non dependet. At tamen ſuppoſitio eſt apertè falſa: oſtendimus enim §. quarto non dari in intellectione eſſentialem dependentiam; qua ſublata, ſicut Deus poteſt facere intellectionem extra ſubiectum, vt aduerſarij fatentur, nõ eſt, cur non poſſit eam in intellectu ponere: etenim ſublata eſſentiali dependentia, poſitio eius in intellectu non neceſſariò arguit actiuum intellectus concurſum, ſed ſolùm arguit, concurſum eius ad attingẽdum, & apprehẽdendum obiectum; quæ apprehẽſio nullam denotat originem, vt ſæpè diximus eſt D. Thoma 1. p. q. 34. art. 1. ad tertiũ: arguit tamen eam ex ſua natura eſſe vitalem, vt ſupra diximus.

81. Non recipiuntur Suar. -Albertinus. Quare deficiunt Suar. *lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 10. nu. 7. & Albertinus q. 2. Theologica in 2. Corollario ex 6. principio philoſophico pag. 357. D. 1.* dum volũt, nec viuens intelligi poſſe ſine efficientia vitæ, nec intellectionem recipi ſine actiuo concurſu; vtrumque enim eſſe falſum ex dictis: ſatis patet; etenim, & intellectio ſine intellectus efficientia formaliter eſt vita, & nullam habet eſſentialem depẽdentiam ad productionem animæ. Quod præter dicta in dicto §. 4. inde etiam ſatis efficaciter probatur; quia nulla ſufficiens ratio reddi poteſt, cur intellectio non habeat eſſentialem dependentiam ab anima in eſſendo; eam autẽ habeat in informando. Quare, ſi Suar. cum authoribus ſecundæ opinionis admittit, intellectionẽ non habere eſſentialemdependentiam ab actiuitate animæ in eſſendo; cur non admittet nullã etiam habere in informãdo?

¶ Concludendum eſt igitur, ſublata illa eſſentiali dependentia, non poſſe cũ probabilitate negari, poſſe Deum ſine vlla intellectus actiuitate ponere intellectionẽ in intellectu, quam ſine intellectu extra intellectum produxit. Cõcluſio rẽ ſolutionis.

§. Septimus: & vltimus.

Quænam fuerit mens Diui Thomæ?

DVbitare quis poterit, quænam in hac difficultate fuerit mens Diui Thomæ? plures volunt, eum cum prima opinione ſenſiſſe, argumentum ſumentes ex locis §. 1. adductis. At oppoſitum videtur affirmare Salas 1. *tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 4. pag. 355. col. 1. in fine. vbi ſcribit, D. Thomã in illis locis agere, tùm de dilectione, tùm de intellectione, vt ſunt intellectui, & voluntati connaturales*: in quo ſenſu omnes admittunt, dari non poſſe intellectionem, aut dilectionem, quæ ab intellectu, & volũtate non ſit elicita. 82. *De mente D. Thom.* *Salas.*

83. Propria ſententia. *Ad 1. locũ D. Tho.* Res eſt mihi dubia; puto tamen probabile, Diuum Thomam id diuinæ potentiæ non negaſſe: Et primus locus ex 1. *p.* q. 34. art. 1. nihil obſtat; quoniam Diuus Thomas in eo non agit de actu intelligendi, qui eſt notitia; ſed de verbo mentis, quod apud eum realiter diſtinguitur ab intellectione: & quanuis Diuus Thomas aliquãdo dubius fuerit, an verbum ex ſua ratione dicat realẽ productionẽ ex notitia; & ob id dubitauerit, an verbum in diuinis ſolùm eſſet nomen perſonale; tamẽ in ſumma reſoluit, nomen illud perſonale dici, eo motus fundamento; quia verbũ ex ſua ratione i[illegible]cludit realiter procedere à notitia. Nec al[illegible] hoc ſumi poteſt argumẽtum ad ipſam notitiam, propter diſparem ratio-

rationem, quę apud Diuum Thomam inter verbũ, & notitiam reperitur: etenim verbum apud Thomiſtas rationem actus vitalis habere non poteſt, niſi ab anima, vt eſt actiuum vitæ principiũ: nec enim ex ſe habet, tendere in obiectum notionaliter; ſed illud repræſentare, & ante intellectum obiectiuè proponere: cum tamen notitia ex duplici capite vitalitatem ſibi vendicet: ab anima. ſ. vt eſt productiua ſuæ actionis; & ab eadem, vt eſt apprehenſiua obiecti intelligibilis. Cũ verò hoc poſteriori modo eſſentialiter ſit vitalis; non poteſt habere vitalitatem priori modo abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolùm ſeruato naturali ordine.

84. *Ad 2. locũ D. Thom.* Secundus locus optimè poteſt intelligi de dilectione, vt eſt voluntati cõnaturalis, vt aduertit Salas, & ſatis eſt de mente Caietani ibidem: in quo ſenſu locus nihil obſtat; quia ex eo non infertur, dilectionem non poſſe non eſſe à voluntate: quia licet debeat eſſe voluntarius actus, ſatis eſt talis, ſi per voluntatem tendat in obiectum, quod diligitur; quamuis actu à voluntate non procedat; ſatis enim eſt, quod ex ſua natura ſit producibilis ab ea, vt de intellectione diximus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intellectus beati de facto influat in viſionem?

1. IN præcedentibus articulis non ſolùm oſtendimus, intellectũ beati poſſe actiuè influere in viſionẽ; ſed etiã poſſe Deum ſe ſolo abſque actiuo concurſu intellectus eandẽ viſionem cauſare, & eam intellectui influere, vt Deum videat: ſupereſt diſcutere, quid de facto fiat? an. ſ. intellectus beati de facto in eam actiuè influat? an verò ſolus Deus eam cauſet in intellectu beati?

§. I.

Opinio negans.

2. *Opinio negans.* PArtem negantem probant, qui probarunt, fieri non poſſe etiam per diuinam potentiã, vt intellectus creatus in viſionem actiuè influat: hi enim non poſſunt non aſſerere, intellectũ beati de facto, nec totaliter, nec partialiter influere in viſionem. Quare hanc negantẽ partem, tanquam probabiliorem ſequitus Ochamus *in 1. diſt. 1. q. 2. cõcl. 2. lit. E, in primo argumento; in illis verbis, Cum viſio nuda ſit à ſolo Deo: & litera F, ita concludit: teneo tamen iſtam partem negantem. tanquam probabiliorem, quia reſpectu beatitudinis, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ſolus Deus eſt cauſa effectiua.* Idem docuit in 4. q. 12. ar. 3. ad ſecundum litera M. affirmans, *intellectum, nec naturaliter, nec aliquo modo poſſe in viſionem.* Quod idem aſſerit *q. 13. ad 6. litera V.* Idem ſimpliciter docet Gabriel *in 1. diſt. 1. q. 2. art. 2. concl. 4. in 1. argum. & in 2. diſt. 19. art. 1. notabili 1. litera G, conſentit Supplementum illius in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. dubio 2. in fine. Aliacus in 1. q. 2. art. 1. fol. 59. col. 1. B. & col. 2. D. in 4. propoſitione. Adamus in 2. diſt. 1. q. 8. cõcl. 1. fol. 107. col. 3. Almainus in 3. diſt. 14. q. 1. fol. 35. col. 1. poſt principium, Marſilius in 3. q. 10. art. 2. fol. 415. col 2. ad finem, & col. 4. in principio concluſ. 4. & 6. & fol. 416. col. 1. in primo Corollario, expreſsè Baſſolius in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 2. fol. 158. col. 1. §. Sed quantũ ad præſentẽ, & col. 2. ad finẽ §. Sic igitur dico, & col. 3. ad quartum. Simpliciter probat Diuus Bonauentura in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. num. 24. Scotum* ita ſimpliciter docuiſſe, oſtendimus ſuprà art. 3, §. 1. 3. In hanc ſententiam magis inclinat Durandus *in 3. diſt. 14. q. 1. num. 9. & in 4. diſt. 49. q. 2. num. 28.* vbi eam appellat, & meliorem, & ſecuriorem: Paludanus ibidẽ *q. 1. in 3. concl. num. 31. in principio, & in fine, & art. 3. num. 42. quibus locis, quamuis cum formidine, in hanc inclinat: Maior eam appellat probabilem in diſt. 14. q. 4. §. Secundo dici poteſt,* eam eſſe probabiliorem fatetur *in 4. diſt. 49. q. 4. ad finè in Epilogo quæſtionis, eodem modo loquitur Richardus; nam, vt probabilem eam defendit in 3. diſt. 14. art. 1. q. 3. at tamen eam eſſe multum rationalem teſtatur in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1.* quibus verbis declarat, eam magis placere. Denique hanc opinionem neceſſariò probabunt, qui volunt, intellectum non ſolùm non poſſe elicere viſionem beatam propter ſuam excellentiam; ſed nec ad aliquam intellectionem, etiam naturalem, actiuè concurrere, quam opinionem aliquibus placuiſſe plerique referunt.

Ochamus. Gabriel. Supplemẽtum. Aliacus. Adamus. Almainus. Marſilius. Baſſol. D. Bonau. Durand. Paludan. Maior. Richard.

Hæc opinio primò confirmatur; quia intellectus ad omnem intellectionem ſe habet 4. *1. Ratio.*

habet merè paſsiuê. Ergo merè etiã paſ-
ſiuè ſe habebit ad viſionem beatam. Con-
ſequentia inde ſit nota; quia eadem ratio
reperitur in viſione beata, quę in cæteris;
imò maior; plura enim ſunt, quæ ſuadẽt
conuenientius eſſe, quòd ad viſionem ac-
tiuè non concurrat etiam ſi cæteras acti-
uè cauſaret. Antecedens cõmuniter tri-
buitur Ochamo *in* 1.*diſt.*1.*q.* 2. *&* *in* 4.*q.*
13. Sed in illis locis ſolũ agit de viſione
beata: Citari poteſt *in* 2.*q.*25, vbi latè diſ-
ſoluit argumenta, quę probant, intellectũ
eſſe potẽtiam actiuam ſuę intellectionis,
non verò paſsiuam: & quãuis in fine op-
poſitum teneat; declarat tamẽ ſe eam opi-
nionem probare, nõ propter efficaciã ra-
tionum, ſed propter ſanctorum, & philo
ſophorũ authoritates. Quare Ochamus
huic opinioni neganti, non negat proba-
bilitatem. Quod etiam videtur concede-
re Salas, dum aſſerit lumine naturali non
eſſe certum, quòd actus intelligendi acti-
uè eliciatur; quòd ea ſit probabilis plures
referunt Scotum *quodlib.*13. ſed in eo ni-
hil inuenio. Negantem tamẽ ſententiam
expreſsè probauit *Godofredus quodlibeto*
quinto, quæſtione ſecunda, & quodlibeto
6.*q.*7.*& quodlib.*9.*q.*3. in quibus locis do
cet, intellectum produci à ſolo obiecto,
quòd etiã cenſuit *Thienenſis lib.*3.*de Ani-
ma ad tex,*19.§.*Hic dubitatur.* Idem negat
Toletanus noſter in 3.*de Anima q.*2.*artic.*3.
*concluſ.*5.*&* 6. vbi exiſtimat intelligendi
actũ actiuè produci à ſolo intellectu agẽ-
te; quem in hoc ſequuntur *Iandunus in* 2.
*de Anima q.*16.*& in* 3.*q.*13.*&* 24.*& Ve-
netus in Summa ad libros de Anima ad* 3.*li-
brum cap.*40.*concluſione* 1. poſſunt pro ea-
dem opinione referri, qui putant intel-
lectionem formaliter eſſe ipſam receptio
nem ſpeciei, quæ fuit opinio Godofredi
*quodli.*4.*q.*80. receptio autem iſta actiuê
non fit ab intellectu poſsibili. Hi ſunt au
thores, qui pro illo antecedente referri
poſſunt.

Intellectũ ad omnem intellectio ne ſe habere paſsiue: qui dixerint

Ochamus opinioni neganti nõ negat probabilitatem.

Nec Salas

Godofred.

5. 2.Arg. partes negatis. Secunda ratio; quoniam viſio beata
eſt præmium: ſed rationalius eſt, & decẽ-
tius, quòd præmium fit à ſolo præmian-
te, ſcilicet à Deo, quàm à præmiato; ſcil.
à beato.

6. 3.Arg. Tertiò; quia ſolus Deus iuſtificat ani-
mam in via. Ergo rationabile eſt, quòd ſo
lus ille eam glorificet in patria. Quartò;
4.Arg. quoniam ſequeretur, quòd intellectus ſe
ipſum bearet: hoc autem nõ eſt dicendũ,
quia gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Quintò; voluntas in Patria actiuè non
concurrit ad fruitionem. Ergo nec intel- 7. 5.Arg.
lectus ad viſionem. Antecedens proba-
tur; quia ſi voluntas actiuè concurreret
ad fruitionem, cum illa eſſentialiter ſit li-
bera, poſſet ſuſpendere ſuum actum; &
proinde ſi ad illum ex præcepto obligare
tur (quod eſt poſsibile) poſſet peccare;
quôd in beatis non eſt admittendum. Cõ
ſequentia verò oſtenditur: tùm; quia ea-
dem eſt ratio in vtraque potentia; Tùm
etiam; quia idem ſequeretur abſurdum:
nam voluntas poteſt facere, vt intellectus
ceſſet à ſuo actu: poſſet igitur peccare; ſi
poſito præcepto ceſſaret à viſione.

Sextò; intellectus non poteſt actiuê cõ 8.
currere virtute ſua naturali, vt diffinitũ 6.Arg.
eſt in Concilio Viennenſi. Si verò acti-
uê concurrat per virtutem, & actiuitatẽ
ſupernaturalem, iam ipſe non ageret.

Septimò; intellectus beati actiuè non 9.
cauſat lumẽ gloriæ: ergo nec actiuê cau- 7.Arg.
ſabit viſionem. Antecedens patet: conſe
quentia probatur; quia, quod non cauſat
id, quod eſt imperfectius, nec etiam cau-
ſabit, quod eſt perfectius: iam verô viſio
perfectior eſt, quam lumen gloriæ.

Octauò; Si actiuè concurrit; qui me- 10.
lioris eſſet intellectus, meliorem haberet 8.Argum
viſionem, etiam ſi inferioris eſſet meriti.
Quod eſt abſurdum.

Nonò; quia anima ſolùm paſsiuè ſe ha 9.Argum.
bet ad virtutes infuſas: eas enim Deus in
nobis operatur ſine nobis. Ergo paſsi-
uè ſolùm ſe habebit ad viſionem, cum illa
ſit donum excellentius.

Poſtremô; viſio eſt ens ſupernaturale Poſtremũ.
ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſummè per
fectum, & omnium nobiliſsimum. Ergo
non eſt producibile, niſi à ſolo Deo. Hæc
ſunt huius opinionis, vel omnia, vel po-
tiora fundamenta.

§. 2.

Opinio affirmans eſt tenenda.

His tamen non obſtantibus omni- 11.
nò tenenda eſt opinio, quæ affir- Opinio affirmans.
mat, intellectum beati actiuè cau-
ſare viſionem, hæc, & inter antiquiores,
& inter recentiores eſt, quàm receptiſsi-
ma. Inter recentiores eam tenent Molin. *Molina.*
1.*p.*

Ledeſma. Suarius. Valentia. Salas. Ouandus. Angles. Cabrera. Lorca. Capreol.

1.p.q.12.art.5.diſp.1.concluſ.1. pag. 114. F.2. Petrus de Ledeſma de diuina perfectione q.8.art.8.ad quartum argumentum articuli pag. 579. col.2. §.*Dicendum tamen eſt* Suarius lib.2.de Attributis negatiuis cap.10 concl.1.num.5.Bellomantanus prima ſecundæ diſp.9.cap.3.num.11.& 12.Valentia 1. tom.diſp.1.q.12.pũcto 3.pag.193.A, & 2. tom.diſp.1.q.3.puncto 4.pag.61. A, Salas ad primam ſecundæ q.3.tract.2. diſp.2.ſect. 4.nu.25.pag.160. col.2. Ouand. in 4.diſt. 4. propoſitone 8. Angles in ſuis Floribus ad quartum ſentent.in q. de Beatitudine art. 2. Cabrera ad tertiam partem q.9.art.2.diſput. 9.§.3.concl.1.pag.821. in 1.tom. Denique Lorca prima ſecundæ diſp.16.memb.1. pag. 79.col.2.§.*Cæteri Theologi.* Ex Thomiſtis Capreol.*in 4.diſt.49.q.1.art.3.ad ſecundã confirmationem Scoti contra primã fol. 189. col. 1.§.Nunc ad primam improbationẽ, ſed clarius ibidem q. 4. art. 3. ad primum, Scoti contra ſecundam fol.207.colu. 2. §.Dicitur tertio, & §.Cum autem obijcitur,* Vbi in hęc verba: *quid ſit de potentia abſoluta, tamen de facto viſio beatifica dependet effectiue à potẽtia intellectiua*: Vnde nõ eſt, quòd Suar. dicat, Capreol. huic opinioni non contra dicere. Satis eandem exprimunt Caieta. *1.p.q.12.art.5.§.Circa probationem ſecũdæ conſequentiæ, & Ferrarienſ.3. contra gentes cap.54.Sotus in 4.diſt.49.q.2.art.3.conl.1. contra Ochamum §.Hæc tamen opinio, Medina prima ſecundæ q.3.art.2.in 3.q. articuli concl.1.& ſecunda, pag.50.col.2. & pag. 51.col.1.Soncinas in 4.diſt.49.q.1. ad ſecũdum principale contra primam fol.78. col. 3. & 4.& inferiùs q.4.ad primum contra ſecũdam.fol.87.col.2.vbi etiam Hiſpalenſis q. 4.ſæpe hanc opinionem aſſerens, Bañes prima p.q.12.art.5. dubio .1. §. Alterum ſupponendum eſt, & ibidem Cumelius q.4.concl.* 2.

Non benè Capreolus citatur in contrariũ. Caietan. Ferrar. Sotus. Medina. Soncin. Hiſpalenſ. Bañes. Cumel.

12. *D. Thom. pro hac ſententia.*

Quare apud Thomiſtas indubitata eſt ſentẽtia: & meritò; quia licèt Diuus Thomas formaliter nõ dicat, intellectum actiuè cauſare viſionem; id tamen, vt notiſſimum ſæpiſſime ſupponit: agens enim de virtute naturali, quàm intellectus habet ad intelligendum, docet eam lumine intellectus accreſcere, & augeri, vt poſſit ad viſionem peruenire; ita formaliter ſcribit *1.p.q.12.art.5.& 3. contra gentes cap. 53.in 4.ratione.* Eandem naturalem virtutem fieri potentem ad videndum Deum, eo modo, quo potentia per habitũ fit potentior ad operandum, ſcribit *in dicto art. 5.ad primum.* Eandem confortari per lumen, docet *in dicto art.5.ad ſecundum, & art.13.* Intellectum habere virtutem, ſiue facultatem ad viſionẽ, docet *prima parte q.12.art.6.& 3.contra gentes cap.54. ad ſecundam rationem*, quæ verba denotant actiuitatem: *& quodlib.7.q.1.ad 2.* aſſerit intellectũ fieri in actu primo ad vidẽdũ, quòd ſoli potentiæ actiuæ conuenit.

13. *Capreolus hanc ſent. tribuit D. Thomæ.*

Denique Diuum Thomam hanc intellectus actiuitatẽ docuiſſe teſtatur Capreol. *in 4.diſt.49. q.4. fol.207.* & id colligit ex eodem Diuo Thoma *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiuncul. 2. ſecundum*, vbi docet, *Deum quidem eſſe cauſam perfectionis, quæ eſt in viſione beata; Subſtantiæ verò illius cauſam eſſe virtutem noſtram naturalẽ.* Meritò igitur dici poteſt, totam D.Thomæ Scholam hanc vim actiuam admittere. Ex alijs ſatis id explicat Alenſis *1. p. q.7. M.2.& clarius Albert.Mag.in 1.p. Sũmæ tract.3.q.13.M. 4. vbi poſt multa ad finem quæſtionis litera F.fol.14.col.4.expreſsè docet, mentem ex ſe elicere intuitum, quem in Deum figit.* Eandẽ ſentẽt. expreſsè probat Dionyſius Carthuſianus *in 3. diſt.14. q.1.ad finem, Holcoth.in ſuis determinationibus q.8. artic.1.litera F, Maior in 4. diſt.* 49.q.9.& 10.vbi oblitus ſui hanc ſentẽt. ſimpliciter probat. Suarius refert Scotũ hanc eandem ſentent. ſatis inſinuaſſe in 4.diſt.50, ſed cũ ibi ſex excitet quæſtiones, debuiſſet certam quæſtionem, atque locum in illa deſignare; Ego nihil in illis inuenire potui: eam tamen ſatis inſinuat Henrricus *quodlib.3.q.1.lit.T.fol.48.pag.* 1, dum ait, *oculum intellectus ſupernaturali eleuatione fieri ſanum, fortem, atque fortificatum, vt poſſit videre*, quæ verba actiuitatẽ denotant: eandem inſinuat Diuus Antoninus *1.p.ſummæ titul.3. cap. 6. §.20. fol. 50. col.2.& 3. Denique Richard. affirmat, hanc ſententiam eſſe multum rationalem in 4.diſt.49.art. 3.q.1.& illam vt probabilem defendit in 3.diſt.14.art.1.q.3.* Eam ſimpliciter eſſe tenendam latè oſtendimus lib. 4.quæſt.2.art.2.§.5.à num. 51. cum ſequentibus, & in eadẽ modo perſiſtimꝰ.

Alenſis. Albertus Magn. Carthuſianus. Holcoth. Male citatur Scotus. Pro ea eſt Henric. D. Anto. Richard.

§. 3.

Vtrùm opinio affirmans ſit de fide.

EX ijs, quæ adduximus, iam patet, hãc affirmantem ſentẽtiam authoritate, 14.

tot

tot tantorumque Theologorum confirmatam, non poſſe non eſſe maximè probabilem. Dubitari tamen poteſt; an ita ſit certa, vt oppoſita non ſit tenenda? cui dubitationi quidam reſpondent, eam ita eſſe veram, vt oppoſita, & à fide ſit aliena, & à vera Philoſophia: Vtrumque expendemus. In hoc §. videbimus, an ita ſit certa, vt ſit de fide, & oppoſita digna cenſura? Deinde vtrùm illius veritas, & certitudo naturali ratione poſsit conuinci?

15. 1. Opinio. Quod attinet ad primum; Salas refert Ouandum aſſerentem ſententiam oppoſitam ſapere hæreſim; ſed Ouand. oppoſitum docet, vt videbimus. *Medina.* Oppoſitam ſententiam eſſe periculoſam, & temerariam ſcribit Medina *loco citato, concl. 2.* *Ledeſma.* *Cumeli.* *Conſentiunt Bañes, & Petrus de Ledeſma, vbi ſuprà, &* ſatis *Cumelius 1. p. q. 12. art. 5. q. 1. ad finem quartæ concluſionis pag. 249. col. 1. aute finem, dum ait eſſe contra fidem, beatos non videre Deum actione ſibi propria,* *Holcoth.* & ante eos id ſatis ſignificauit Holcoth. *in dicta q. 8. lit. E,* *Caietan.* & ſatis videntur conſentire Caiet. *1. p. q. 12. art. 5. ad 4. & Ferrar. 3. contra gentes cap. 54.* *Suar.* *nec omninò reſiſtit Suar. in dicto lib. 2. capit. 10. num. 6. in fine,* dum affirmat, valde repugnare principijs fidei, negare fieri poſſe, vt viſio ſit effectiuè à beato; at tamen de facto non ita eſſe certũ, an repugnet principijs fidei: at tamẽ id negare non ſatis cum illis conſentire. *Valentia.* Et idem videtur ſentire. Valentia *2. tom. vbi ſuprà pag. 61. B,* dũ ait, opinionem oppoſitam non ſatis tuto defendi.

16. 2. Opinio quod ad fidem nõ pertinet. Alij tamen putant, affirmantem ſententiam eſſe quidem veram; oppoſitam tamen nulla dignam eſſe cenſura. *Bellom.* *Salas.* Ita exiſtimarunt Bellom. *prima ſecundæ diſp. 9. cap. 3. num. 12. & 1. p. diſp. 43. cap. 2. Salas 1. tom. ad primã ſecundæ in dicta diſp. 2. ſect. 4. num. 26. pag. 160. col. 2. & pag. 161. col. 1.* *Lorca.* *Ouand.* *Lorca in dicta diſput. 16. M. 1. &* ſatis ex*preſsit Ouand. in 4. diſt. 49. propoſitione 8. paulò ante finem,* & nos idem ſenſimus *1. tom. lib. 4. q. 1. art. 2. §. 4. n. 49.* & nunc idẽ ſentimus. Probatur hæc ſent. Falſam igitur putamus ſententiam oppoſitam, poſſe tamen defendi ſine vllo fidei periculo: Satis enim eſt, vt illa dicatur probabilis, & nihil habeat periculi contra fidẽ, quòd tot ac tantis Theologis, aut ſimpliciter probata ſit, aut vt probabilis iudicata. Cui probabilitati accedit, quòd fundamenta in contrarium nullum fidei periculum conuincunt, vt patet ex eorum ſolutionibus.

17. Cõc. V. Authores huius cenſuræ primum fundamentum ex eo ſumunt; quia poſt Concilium Viennenſe, vel eſt de fide neceſſarium eſſe lumen gloriæ habituale, ſaltem de potentia ordinaria; vel ita hoc eſſe proximum fidei, vt oppoſitum nõ ſolùm ſit temerariũ, & periculoſum; ſed etiam erroneum. Non eſſet autem neceſſarium, ſi intellectus actiuè non concurrit ad viſionem. Ergo intellectum beati ad eam actiuè concurrere, vel eſt de fide, vel ita eſt proximum fidei, vt id negare periculoſum ſit, & erroneum. Maior patet *ex lib. 9. q. 4. art. 2. §. 1. & §. 2. concl. 5. & 6.* Minorem, vt veriſsimam ſupponunt huius argumenti authores. Conſequentia ex eo patet, quia neceſſariò infertur, ex vna propoſitione, quæ eſt proxima fidei.

18. Solutio argum. Ad hoc argumentum conceſſa maiore, neganda eſt minor; continet enim friuolam conſequentiam, vt oſtẽdimus lib. 4. q. 1. art. 2. §. 4. num. 46. etenim lumen gloriæ non ſolùm eſt neceſſarium ad eliciẽdam viſionem, ſed etiam ad plura alia, vt loco citato aduertimus, & latè oſtendimus ſupra lib. 9. q. 5. eſt enim neceſſariũ, vt intellectus ſupernaturaliter eleuetur ad ordinem diuinum: & præterea, vt fiat capax, vt diuina eſſentia ſe illi obiectiuè vniat, vt ita fiat in actu primo per ſpeciẽ creatam, vel increatam; atque etiam, vt fiat in actu ſecundo, vt poſsit intelligibiliter attingere diuinam eſſentiam, ſibi præſentatam per modum termini, & illam intelligibiliter percipere: & ad vtramque hanc vnionem indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. Itaque neceſſariũ eſt lumen gloriæ, non ſolùm, vt diuina eſſentia vniatur intellectui vnione obiectiua, tanquam actus primus, quo poſsit viſionem producere; ſed etiam; vt vniatur obiectiuè per modum actus ſecundi vnione obiecti terminantis intellectionem. Cum igitur neceſſarium ſit, tum ad producendam viſionem, tùm ad illam recipiẽdam; conſequentia ſatis eſt inutilis, cum arguat à pluribus cauſis ad vnã cauſam. Id, quod docuerunt Suar. *1. tom. ad tertiam partem diſp. 24. ſect. 2. ad finem §. Reſpondeo, ita aſſerere pag. 494. B. 2. Salas, & Lorca vbi ſuprà, & fuit explicatio Maioris in 4. diſt. 49. q. 4. in Epilogo quæſtionis,* & ſatis placuit Bellom. *Suarius.* *Salas.* *Lorca.* *Maior.*

Bellom. Ouand. Bellomontano *prima ſecundæ.in dicta diſp. 9.cap.3.num.12.& prima parte diſp.43.c. 2.& in terminis Ouand.in dicta propoſitione* 8. expreſsê docens opinionem noſtram, nec ſapere fidem, nec oppoſitam ſapere hæreſim: quare decipitur Salas, dum refert Ouandum pro opinione Medinæ.

19. Aduertẽtia pro intelligẽdo Cõc. In huius rei confirmationem aduerto, Cõcilium, cũ generaliter damnat, tanquã hæreticam hanc propoſitionem Begardorum: *quòd anima non indiget lumine, eam eleuante ad Deum videndum*; generaliter diffinire, lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad videndum Deum. Quare diffinitioni Concilij nullo modo contradicet, qui ſaluauerit animam Deum videre poſita eleuatione per lumen. Opinio autem, quæ docet intellectum advisionem concurrere ſolùm paſsiuè, ſufficienter ſaluat Dei viſionem, ſuppoſita luminis eleuatione. Ergo nullo modo contradicit Concilio. Quod philoſophicè ſaluet intellectũ Deũ videre per viſionem in ſe receptam, à ſe tamen non productam, euidenter patet; quia per talem viſionem poteſt intelligibiliter attingere, & percipere diuinam eſſentiam; in qua obiecti attingentia, & perceptione per ſe poſita eſt formalis ratio intellectionis, vt ex Ariſtotele, Comment. D. Thoma, D. Bonanẽt. & alijs latiſsimè oſtẽdimus art. 2. & 4. huius quæſtionis, & probat Ouand. vbi ſuprà. Si verò aduerſarij reſpondeant, hanc opinionẽ eſſe falſam; non ſolùm in hoc decipiuntur, ſed turpiter principium petunt, cũ ſumant, vt verum, & indubitatum, quod in cõtrouerſia verſatur. Quare abſtineãt à cenſura; cum concluſio inferatur ex altera propoſitione in Philoſophia non ſatis certa. Ob hoc enim fundamentum diximus, diffinitionẽ Cõcilij abſtrahere ab hoc, quod Deꝰ videatur viſione ab intellectu producta, vel non producta; dummodo ſaluetur, Deum per eam videri, vt aduertimus lib.7.q.3.art.1.nvm.15. & lib. 9.q.4.art.2.concluſione 3.

20. 2. arg. pro cenſura. Secundò authores cenſurę arguunt ex Tridẽtino Seſsione 6. Canone 4. vbi anathema pronunciatur aduerſus eum, qui dixerit, *hominem in ſua iuſtificatione ſe habere merè paſsiuè, nihilq; operari*, à fortiori pronunciandum eſt anathema in eũ, qui dixerit hominẽ in beatitudine nihil operari, ſed habere ſe merè paſsiuè, ita Medina. ¶ Ad hoc argumentum reſpondet Salas vbi ſuprà pag. 161. col. 1. ad ſecundũ, Nos dicimus, nõ valere argumentum ab actibus, quibus in via ad iuſtificationem diſponimur, ad actum viſionis beatificæ; quoniã actus illi ſunt liberi; liberè enim de peccatis dolemꝰ, & liberè in Deũ amorè ferimur: iam verò de intrinſeca ratione actus liberi eſt, quòd actiuè ſit à volũtate, vt omnes fatentur. At verò viſio in Patria eſt actus neceſſarius, ſicut etiã eſt amor, vt lib. 11. oſtendemus. Solutio.

21. 3. arg. pro cenſura. 6. Synodus Tertiò; poteſt ſumi argumentum ex 6. Synodo Generali actione 17. in cõfeſſione fidei contra Macharium: diffiniens enim Concilium dari in Chriſto Domino duas operationes, ita ait: *Agit vtraque forma cum alterius communione*: verbo, *ſcilicet operante, quod verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt*, id eſt verbo operãte, quod Dei eſt; homine autem exequẽte, quod eſt hominis; exequente, inquã, id eſt efficienter operante: de his enim operationibus erat controuerſia.

22. Solutio. Suarius. Ad hoc argumentum patet ſolutio, ex ijs, quæ diximus lib.4.q.1.art,2.§.4.nu. 43. & ex ijs, *quæ ſcribit Suar.1.tom.ad tertiam partem diſp.24.ſect.2. ad finem §.Reſpondeo pag.494.B.2.* etenim ex diffinitione Cõcilij ſolùm colligitur hæreſim eſſe, negare intellectui, & voluntati Chriſti omnem creatam, & naturalem operationem; ita, vt intellectus, & voluntas humana Chriſti omnia intelligat, & velit per intellectionem, & volitionem increatam. Quare non fuit mens Concilij diffinire omnem actum intellectus Chriſti eſſe actiuè ab intellectu; ſed actiones intellectus, ita eſſe ab anima Chriſti, vt per eas verè dicatur intelligere, & intelligibiliter operari. Iam verò intellectus intelligens intellectione à ſe non producta, verè dicitur operari; operatione tamẽ intẽtionali, quàm ipſe intellectus exequitur, cũ per eam in obiectum tendit.

23. 4. Arg. pro cenſura. Quarto loco ſumunt argumentũ; quia ex Sacris literis, beatitudo Patriæ ſita eſt in viſione. Videre autem in vera, & recepta Philoſophia nihil aliud eſt, quàm viſionẽ producere. Ergo de fide eſt beatum actiuè producere viſionem. Maior patet ex illo Matthæi 1. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, & primæ Ioannis 3. *quoniam videbimus eũ, ſicut eſt.*

Mino-

Minorem tanquam certam lumine naturali ſupponunt. Conſequentiam inde deducunt; quia ex vna de fide, & altera lumine naturæ nota, infertur concluſio de fide.

24. Confirmatio arg. Confirmatur hæc ratio: quoniam ſi beatus actiuè non produceret viſionem, impropriè videret Deum; ſicut etiam impropriè diceretur ambulare, qui ſua motiua virtute non moueret pedes, ſed ab alio illi mouerentur. Iam verò temerariũ eſt, explicare propoſitiones de fide in ſenſu improprio.

25. Solutio ad 4. Ad quartum ex dictis iam patet ſolutio; quoniam concluſio illa non deducitur ex propoſitione lumine naturali certa; imò ex eodem lumine videtur improbabilis; quoniam falſum eſt, intelligere formaliter eſſe producere intellectionem, vt patet ex art. 2.

26. Ad cõfirm. Quod in confirmatione adducitur, friuolum eſt; nec enim aliquid poteſt dici impropriè tale, quod eſſentialiter eſt tale: intelligere autem eſſentialiter non eſt producere intellectionẽ, ſed per eam receptam attingere obiectum, vt ſæpè dictum eſt. Vnde, licèt, qui intellectione à ſe producta, obiectum intelligibiliter perciperet, diceretur naturaliter intelligere, ideo, quia intelligit per intellectionem à ſe productam; non tamen diceretur eſſentialiter intelligere, quatenus eam producit, ſed quatenus per eam attingit obiectum. Exemplum, quod adducitur, arguit Philoſophiæ ignorantiam: quoniam actiones potentiæ loco motiuæ intrinſecè habent efficiẽter eſſe à tali potentia; quia non aliter poſſunt eſſe vitales: quare illa pedum motio, nec propriè, nec impropriè poteſt dici vitalis: oppoſitum reperitur in actionibus intellectus: hæ enim non ex eo eſſentialiter ſunt vitales, quia ſecundum ſuam entitatem ſunt ab anima; ſed quia anima per eam obiectum intelligibiliter attingit, vt ſæpè diximus.

¶ Concludendum eſt igitur, ſententiam negantem eſſe quidem falſam; nulla tamen dignam cenſura.

§. 4.

Vtrùm noſtra opinio poſſit ratione naturali demonſtrari?

27. Explicatur 2. caput. QVod attinet ad ſecundum caput; dubitari poteſt, vtrùm opinio affirmans ratione naturali poſſit demonſtrari? Affirmant Medina, & Banhes locis citatis: etenim Medina apertè aſſerit opinionem negantem ab omni ratione, & Philoſophia eſſe alienam; Bañes autẽ affirmat, authores illius, ideo excuſandos eſſe ab errore contra fidem, quia in Philoſophia ſunt ignorantes; exiſtimant igitur hi Theologi ſententiam affirmantẽ adeo eſſe notam lumine naturali, vt euidenter demonſtretur: quòd etiam ſatis eſt de mẽte Cumelij *1. p. q. 12. art. 5. q. 1. cõcl. 2.* 1. Opinio affirm. *Medina. Bañes.* *Cumelius.*

Fundamentum inde ſumunt, quia viſio beata ex ſua natura eſt actio vitalis, & immanens. Iam verò de ratione intrinſeca, & eſſentiali actionis vitalis eſt, quòd ſit à principio actiuo vitæ: ſicut etiam de ratione intrinſeca actionis immanentis eſt, quòd actiuè ſit ab eo, in quo recipitur. Quare cum viſio beata recipiatur in intellectu, ex ſua ratione intrinſeca habebit ab eo actiuè produci. Quæ õnia putãt, ita eſſe notiſsima, & indubitata, vt ſine probatione ſcribant, videre, nihil aliud eſſe, quã viſionẽ producere; ſicut etiam amare non eſt aliud, quàm producere amorem. 1. Argum.

Confirmatur adhuc; quoniã viſio beata, ſi actiuè nõ eſt ab intellectu, neceſſariò erit à ſolo Deo: ſi verò à ſolo Deo eſt, nõ poteſt non eſſe actio tranſiens: quia trãſit extra ipſum Deũ, & recipitur in intellectu beati: hoc autẽ non ſolùm eſt cõtra Ariſtot. ſed etiã contra totã Philoſophiã. 28. Confirma.

Sed ego hanc Philoſophiæ ignorantiã libenter profiteor: puto igitur ſentẽtiam affirmantem, in ſe quidem eſſe veriſsimã; at tamẽ ratione naturali demonſtrari non poſſe: rationes verò, quæ adducũtur ſũptę ex natura actus vitalis, & immanentis, lõgè ſunt à demonſtratione; ſumũt enim propoſitionẽ, non ſolũ controuerſam, ſed etiã falſam; quia falſũ eſt, intelligere formaliter nihil aliud eſſe, quàm intellectionem producere, vt latè oſtendimus artic. 2. huius quæſtionis §. 4. Vbi diximus cõmunem ſententiam Recentiorum, & antiquiorum illam propoſitionem non recipere: imò, nec eã recipit Diuus Thomas, cuius Scholam aduerſarij profitentur: nam apud Diuum Thomam non ſolùm intellectio non eſt de genere actionis, vt ſcribit Opuſculo 48. *tract. quinto, cum agit de prædicamento actionis cap. 1.* ſed etiam docet, intelligere formaliter eſſe appre- 29. Non poteſt naturali ratione demõſtrari. *Sentẽt D. Thom. de intellectione.*

apprehendere obiectum,& illud intueri, vt patet, ex quæſtionibus *de malo quæſt.* 16.*art.* 12.*ad* 12.*& in* 1.*diſt.*3.*q.*4.*art.*5. & 1.*p.q.*34.*art.*1.*ad* 3.*& lib.*12.*Metaph. cap.*7.*tex.* 39. in quibus locis non ſolùm docet intellectionem fieri per apprehenſionem rei intellectę;ſed etiam per ſolam eam fieri; ita,vt intellectus in tantum dicatur intelligere, in quantum attingit intelligibile; & in dicto art. 2. §. 4. videbis hanc fuiſſe expreſſam Ariſtotelis, & Commentatoris doctrinam.

30. Ratio intelligentis ſaluatur, licet non producat intellectionem. Ex qua ibidem collegimus,optimè ſaluari poſſe rationem intellectionis, & intelligentis per intellectionem receptam in intellectu,nõ tamen ab eo productam. Ex eadem etiam collegimus, intellectionem,nõ ſolùm poſſe produci à ſolo Deo; ſed etiam poſſe intellectum per eam formaliter intelligere, de quo latè diximus art.4. §. 6. Denique oſtendimus intellectionem, etiam ſi ab intellectu nõ ſit producta, dummodo in eo ſit recepta,eſſe vitam ipſi intellectui,quatenùs formaliter facit, vt intelligibiliter attingat obiectum, quod ipſum eſſentialiter eſt viuere, vt videre poteris in dicto art.4.§.5. ad 3.

31. Actionẽ vitalẽ eſſe ab intellectu ñ eſt notũ ratione naturali. Ex quibus iam patet, non eſſe lumine naturale notum actionem vitalem eſſentialiter pendere à principio actiuo vitæ, nec ab anima, vt eſt productiua intellectionis; ſed vt eſt apprehenſiua obiecti intelligibilis: & licèt hæc apprehenſio naturaliter fieri non poſſit,niſi per intellectiõnem productam ab intellectu; id tamen eſſentialiter non habet;& ideo nõ repugnat,eam fieri per intellectionem ab intellectu non productam. Et idem dicendũ eſt de actione immanẽte,vt talis eſt: licèt enim in ſua ratione includat,quôd ſit producibilis ab eo,in quo recipitur,& in hoc per ſe diſtinguatur ab actione trãſeunte; nõ tamen eſſentialiter includit, quòd actu producatur ab eo,in quo eſt recepta.

32. Non cõcludunt rationes allatæ. Et dictis iam patet, rationes adductas longè eſſe à demonſtratione; cum ſumãt propoſitionem, aut falſam, aut ſaltem dubitabilem. Ad confirmationem dicimus, eſſe contra rationem actionis tranſeuntis eſſe naturaliter producibilem ſolùm ab eo,in quo ſubiectatur.

§. 6.

Vera confirmatio affirmantis ſententiæ.

Quamuis ex principijs philoſophiæ demonſtrari nequeat, viſionem beatam à beatis de facto produci; efficaciter tamen confirmatur ſuppoſita communi Theologorum doctrina, 33. Confirmatur ſententia affirmãs. ad perfectionem ſtatus beatifici pertinere, vt anima actiones producat modo intelligendi ſibi, & ſuo ſtatui cõnaturali: quam doctrinam, nec aduerſarij negant; etenim ſicut Deus,vt Author naturę ſtatuit,vt res omnes ſuas operationes exerceant,modo connaturali ſibi,& ſuis potẽtijs; ita etiam, vt Author gratiæ, & gloriæ non inſtituit ordinem extraordinarium,& ſupra naturam ſtatus ſupernaturalis, & beatifici; ſed ordinarium potiùs, & conſentaneum naturis rerum,& perfectionum, quas confert: nec enim decet perfectionẽ ſtatus beatifici, vt Deus in eo perpetuò vtatur miraculo, vt aduertimꝰ 1.*tom.lib.*4.*q.*1.*art.*2.*§.*5.*num.*52.*in fine, vbi num.*51. oſtendimus non ſolùm cõnaturale eſſe animę,viuere vita à ſe producta,vt patet ex vtraque diffinitione animę poſita ab Ariſtotele 2.*de Anima cap.*1.*&* 2.*tex.*18. ratione cuius cõnaturale eſt animæ intellectiuæ,intelligere intellectionẽ à ſe cauſata; ſed etiam cõnaturale eſſe actui vitali, vt actu producatur ab anima, tanquam à prima,& ſubſtantiali vita: nam actus vitalis,vt vitalis eſt,eſſentialiter habet, quòd efficienter ſit producibilis ab anima,vt diximus arti.4. §.4. quæ eſſentialis aptitudo,ne in Patria ſit fruſtrà, facit, vt viſio beata cõnaturaliter producatur ab anima. Accedit etiam; quoniã cõnaturale eſt lumini gloriæ, eſſe actiuum principium viſionis,& non ſolũ paſſiuum, vt diximus lib.9.& dicemus inferiùs in 3.q. Cum igitur actiuitas in viſionem cõnaturalis ſit, tùm animæ beatæ, tùm lumini gloriæ: imò etiam ipſi viſioni ſit cõnaturale,actu eſſe ab anima; ex præmiſſa Theologia benè infertur,beatos de facto actiuè influere in viſionẽ, qua Deum vident, & videndo viuunt. Meritò igitur iam inter Recẽtiores obtinuit,vt recurratur ad hoc fundamentũ,vt patet ex Valẽtia, Sala,& Lorca, quo etiam nos vſi ſumus in dicto lib.4.art.2. §. 5.

Intelligere per actuũ productum eſt naturale animæ. *Ariſt.*

Actus vitalis eſſentialiter eſt producibilis ab intellectu.

Valentia. Salas. Lorca.

34. Quod veriſsimum fundamentum alijs etiam rationibus probabiliter confirmari poteſt: nimirum ex fundamento communi, quòd viſio beata ex ſua natura eſt actio

actio vitalis, & immanens: iam verò licêt de eſſentiali ratione actionis vitalis, & immanentis non ſit, eſſe efficienter ab anima; id tamen eſt illi connaturale, vt ſuprà diximus. Deinde, quia anima ad actiones naturales actiuè concurrit, vt patebit in reſponſione ad primum partis negantis: cur igitur actiuè non concurret ad viſionem beatam? etenim nulla dabitur ratio, cur ad illas actiuê ſe habeat, non verò ad iſtam: etenim ſupernaturalitas illius hoc non impedit; quia actus virtutum Theologalium fidei, ſpei, & charitatis ſunt ſupernaturales ſecundum ſuam ſubſtantiam, vt oſtendemus libro 11. & tamen actiuè ſunt ab anima, vt definit Tridentinum Seſsione ſexta capite quinto, & Canon. ſexto de iuſtificatione. Nec ſimiliter actiuitatem iſtam impediet excellentia viſionis ſupra cæteros omnes actus ſupernaturales, vt dicemus ad vltimum argumentum.

§. 6.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

35. Ad 1. partis negantis. SVpereſt diſſoluere argumenta §. 1. adducta pro ſententia negante. Ad primum negandum eſt antecedens; etenim Godofredo, & Thienenſi exceptis, nullus Philoſophorum negauit, animam mediante intellectu actiuè concurrere ad ſuas intellectiones, vt in libris de Anima latè oſtendimus, & oſtendũnt Conimbricenſes *in* 3. *libro de Anima capit.* 8. *quæſt.* 1. *artic.* 1: nam licèt controuerſum ſit, an intellectio actiuè ſit ab intellectu agente, an verò à poſsibili; (Toletanus enim eam à ſolo agente fieri autumat) cõuenit tamen, eam actiuê fieri ab anima, quod ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt. Licèt etiam controuerſum ſit, an naturali ratione conuinci queat, intellectum poſſibilẽ actiuè concurrere; (Ochamus enim putat, id cõuinci non poſſe:) idẽ tñ Ochamus fatetur Patrũ, & Philoſophorũ auctoritate id ſatis cõuinci: quare Ochamus non admittit opinionem noſtram naturaliter demonſtrari; eam tamen recipit; in quo cum Ochamo conſentit Salas. Igitur vno, vel altero dempto, omnes fatentur intellectum actiuè concurrere ad ſuã intellectionem; ſaltem ad naturalem. Et hanc ſententiam cõmunem eſſe latè oſtendimus in dictis libris de Anima, & cõfirmant Conimbricenſes *loco citato, cum Iauello ibidem quæſtione ſecunda, & tertia de actu intellectus*. Imò vno excepto Toletano, omnes fatentur, intellectionem actiuè produci ab intellectu poſsibili, quod, vt notiſsimum, ſupponimus.

Conimbr.

Omnes fatentur intellectum producere intellectionẽ naturalem.

Conimbr. Iauel.

Ad ſecundum admiſſa maiore, neganda eſt minor: nullum enim abſurdum eſt, ſi præmium ponatur in actu cauſato ab eo, qui præmiatur: imò hoc maximè pertinet ad perfectionem ſtatus beatifici, de cuius ratione eſt, quòd ponatur in operatione ipſius beati. Vide ſuprà articulo 3. §. 3. ad nonum. 36. Ad 2.

Ad tertium dicimus, ſolùm Deum in via iuſtificare, & ſanctificare animam, infuſione habitus iuſtitiæ; gratiæ, inquam, & charitatis: homo tamen iuſtificat ſe diſpoſitiuè, vt diximus in dicto §. tertio ad ſecundum. Nunc addimus antecedens in rigore ſimpliciter eſſe concedendum; quia iuſtificatio formaliter poſita eſt in receptione habitus gratiæ, & charitatis: admiſſo tamen antecedente, neganda eſt conſequentia; & ratio eſt, quia iuſtificatio formaliter non ponitur in operatione iuſtificati, ſed ſolùm antecedenter, & diſpoſitiuè; cum tamen beatitudo formaliter ponatur in operatione beati. 37. Ad 3.

Ad quartum iam reſpondimus in dicto articulo tertio, §. tertio, ad ſextum, non modo non eſſe abſurdum, beatum ſe actiuè beare, in hoc ſenſu, quia actiuè cauſat in ſe id, quo formaliter beatur; ſed id maximè conducere, tùm ad Dei liberalitatem; tùm ad dignitatem beati; tùm denique ad perfectionẽ ſtatus beatifici. 38. Ad 4.

Ad quintum negatur antecedens; cuius probatio ſupponit, volũtatẽ in Patria libere influere in actum fruitionis: quod eſſe falſum patet ex dictis in dicto §. 3. ad quartum. 39. Ad 5.

Ad ſextum admittimus, intellectum non influere in viſionem, virtute ſua naturali, nude ſumpta; benè tamen, vt eleuata lumine gloriæ, vt diximus in dicto §. 3. ad ſeptimum, ſed de hoc inferiùs quæſtione 3. 40. Ad 6.

Ad ſeptimum, conceſſo antecedente, neganda eſt cõſequentia. Vide, quæ dicta ſunt in dicto §. 3. ad primum. Ad 7.

Octauum argumentum vim non habet, ſi vera eſt ſententia, quòd intellectus con- 41. Ad 8.

concurrit ad viſionem per actiuitatem, quam habet à lumine gloriæ. Nec etiam vim habet, ſi intellectus influit in viſionem, non per virtutem ſuam naturalem, ſed per potentiam obedientialem, à virtute naturali diſtinctam, ſiue illa ſit innata, ſiue ſuperaddita. Sed quia has opiniones latè impugnabimus inferiùs q. 3. vbi dicemus intellectum influere in viſionem virtute ſua naturali, eleuata tamen; nunc dicimus argumentum petere difficultatem, an intellectus melioris virtutis ad intelligendum, cum æqualibus meritis perfectius videat? de qua variȩ ſunt ſententiæ, vt videbimus lib. 12, in quem locum huius argumenti latiorem explicationē reſeruamus. Cōmuniter negatur ſequela; quia poſitis æqualibus meritis non infunditur æquale lumen; ſed de hoc latiùs in dicta quæſtione.

42. Ad 9. Ad nonū conceſſo antecedente, ſi ſermo ſit de habitu virtutum infuſarum, neganda eſt conſequētia; quia alia ratio cernitur in tali habitu, & alia in viſione, quæ ex ſe eſt actus vitalis. Nec valet probatio; quia inepta eſt hȩc conſequentia: *viſio eſt perfectior, quàm habitus. Ergo ſi intellectus ad habitum paſſiuè ſe habet; paſſiuè etiam ſe habebit ad viſionem.* Vide ſolutionem ad ſeptimum.

43. Ad vltimū. Ad poſtremum, admiſſo antecedente; negatur conſequentia: quam iam negauimus ſuprà art. 3. ad quintum. Et hȩc de iſta quæſtione.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſubſtantia animæ beatæ actiuè, & immediatè concurrat ad viſionem?

1. 1. opinio affirmans. IN hac quæſtione duæ reperiuntur oppoſitæ ſententiæ. Prima affirmat, nō ſolùm intellectum beati immediatè influere in viſionem; ſed etiam ipſam animam eandem elicere, influxu, & actione diſtincta ab influxu, & actione intellectus. Ita nonnullos ſenſiſſe, refert Salas 1. *tom. ad primam ſecundæ tractat. 2. diſput. 5. ſectione 6. in principio.* Oppoſitam tamen ſententiam, vt probabiliorem probat idē Salas *in dicta ſect. 6. in 2. opinione §. Sed probabilius pag. 378. col. 2.* 2. Negat.

2. Ego hāc poſteriorem ſententiam puto eſſe veriſsimam: fundamentum inde ſumo; quia puto veriſsimam eſſe opinionem, quòd nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe principium immediatum ſuæ operationis; ſed omnia operari mediante ſua potentia, quæ illi eſt principium agendi, vt quo; & proinde eadem actione producere effectum cum potentia. Quæ ſententia eſt cōmmuniter recepta; imò ab omnibus, vno Suario dempto, & altero Rubeo, apud eos, qui potētias realiter diſtingunt ab anima; & à natura ſubſtātiali. Iſta fuit opinio Diui Thomæ 1. *parte quæſtio. 54. articulo. 3. & quæſtione 77. articulo primo,* & alijs in locis: receptiſsima eſt inter Thomiſtas, Capreol. *in 1. diſt. 3. quæſt. 3. art. 2. ad primum contra primam fol. 66. colum. 4. & ad 3. contra eandem fol. 67. col. 1. & paſsim alibi, Caietan. 1. p. q. 54. artic. 3. §. Circa concluſionem, & inferiùs §. Ad primam autem rationem Scoti, Heruæus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 4. ad quintū*: Ex Nouioribus Fonſeca *in 5. Metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſectio. 3. §. Tertia igitur ſententia, pag. 89. Conimbricenſes lib. 2. Phyſicorum capite 7. quæſtio. 18. concl. 2. pag. 321. & art. 4. in fine. & 2. de Anima cap. 3. q. 4. ar. 2. pag. 116. Valentia 1. tom. q. 5. puncto 3. Salas vbi ſuprà, & Nos cum communi idem docuimus in libris de Anima.* Et nunc vt veriſsimam eam ſupponimus. Quare dicendum eſt, animam beati elicere viſionem mediante intellectu, & per eandem actionem, qua intellectus illam elicit: quam intellectus elicit immediatè; anima verò remotè. Quomodo autem ſe habeat anima ad intellectū in productione viſionis? communis eſt difficultas ad omnem formam ſubſtantialem, agentem per ſuam potentiam, cuius explicatio pertinet ad Philoſophiam. Argumenta tamen Suarij *latè diſſoluit Salas vbi ſuprà, quem vide.*

[Vera eſt opinio negans. — Eſt cōmunis. — D. Thom. — Capreol. — Caietan. — Heruæus — Fonſeca. — Conimbr. — Valentia. — Salas.]

Si quis vellet exercitij gratia defendere ſubſtantiam, formamque ſubſtantialem illius, non ſolùm poſſe eſſe principiū immediatum alicuius operationis; ſed etiā de facto ad omnes actiuè concurrere, ſimul cum potentijs, per diſtinctam actionem; non repugnabo; dum gratia oſtentandi ingenij id faciat: habet enim huius opinionis authorem Antonium Rubeū *lib. 2. Phyſicorum tract. 4. de cauſa efficiente quæſt. 5.* vbi generaliter in omni ſubſtātiali forma hanc defendit opinionem: quam eandem in operationibus vitalibus animæ 3. Oppoſita ſentētia eſt improbabilis. Rubeus.

animæ latè etiam defendit doctiſsimus Suar. *in Metaphyſica diſput.* 48. *ſectione* 4. 5. *&* 6. Suar.

4. Hac autem ſuppoſita ſententia, idem dicendum erit de viſione beatifica, quod citati Authores dicunt de cæteris vitalibus actionibus: animam, ſcilicet beatam ſimul cum intellectu actiuè influere in viſionem; ita vt, & anima immediatè in eam influat, & immediatè intellectus; idque diſtinctis actionibus. Sed non video, cur altera non ſit ſuperflua; nec ſatis intelligo, quomodo lumen gloriæ ad vtramque illam actionem concurrat; ſed de his ſatis.

Idem de viſione beata.

QVÆSTIO II.

De potentia obedientialis in genere.

1. IN prima quæſtione huius libri oſtendimus, intellectum creatum ſupernaturaliter eleuatum ad viſionē cōcurrere, non paſſiuè, ſed actiuè; idque per aliquam actiuitatem, quam in ſe habet: Conſequenter inquirendum erit de hac actiua virtute, quænam illa ſit? & quomodo in viſionem influat? Quoniam verò hæc difficultas obſcura eſt, & difficillima, nec poſsit cōmodè explicari, niſi prius explicemus rationem potentiæ obedientialis, quæ datur in rebus creatis ad recipiendum, & ad agendum omnia, quæ Deus voluerit; ordo doctrinæ poſtulat, vt priùs explicemus, quidnam ſit iſta potentia obedientialis? & vtrùm in omnibus rebus creatis ſit admittenda? quæ diſputatio principaliter ſuſcipitur de potentia obedientiali actiua. Et difficultate iſta generaliter explicata, ſpecialiter agemus de potentia obedientiali intellectus creati in ordine ad viſionem beatam.

Quod attinet ad primū, in explicanda potentia obedientiali actiua hoc ordine procedemus. In primo articulo expendemus, vtrùm in omnibus rebus detur potentia obedientialis, tàm paſſiua, quàm actiua ad omnia, quæ Deus voluerit.

In ſecundo videbimus, an potentia obedientialis in genere ſumpta ſit quid poſitiuum; an verò, aliquid negatiuum?

Tertius articulus inquiret, vtrùm danda ſit in nobis potentia obedientialis paſſiua?

Quartus explicabit, vtrùm præter potentiam obedientiæ paſsiuam, danda ſit potentia obedientialis actiua?

Quintus expendet, vtrùm potentia actiua obedientialis phyſicè cooperetur ad effectum?

Sextus diſputabit, an poſitiua iſta potentia actiua ſit aliquid exiſtens in rebus ante ſupernaturalem eleuationem?

Septimus: Vtrùm principium poſitiuum, quo res ante eleuationem dicuntur obedientialiter potentes; habeant actiuitatem in effectus ſupernaturales?

Octauus; Vtrùm potentia obedientialis actiua ſit aliquod ens poſitiuum ab ipſo ortu ſuperadditum creaturæ?

Nonus; Vtrùm potentia obedientialis actiua, quæ eſt in rebus ante eleuationem, dicat aliquam actiuitatem innatam, qua res creata obedientialiter influat in effectum ſupernaturalem?

Decimus aget de diſtinctione potentiæ obedientialis innatæ ab entitate rei creatæ.

11. Explicabit; Vtrùm potentia obedientialis actiua dicenda ſit ſimpliciter naturalis; an ſupernaturalis?

12. Inquiret; Vtrùm, & quomodo potentia obedientialis actiua diſtinguatur à potentia naturali ipſius entitatis?

13. Varia inquiret de potentia obedientiali.

14. De eadem potentia nonnulla alia expendet.

15. & vltimus explicabit; quomodo potentia obedientialis eleuetur à Deo ad actualem vſum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in rebus detur potentia obedientialis, paſſiua, & actiua ad omnia, quæ Deus voluerit?

PRæter potentiam naturalem, quæ conuenit rebus creatis ſecundum ſuas naturas, in ordine ad ea, quæ ſunt naturalis ordinis, admittendam eſſe in iiſdem rebus potentiam obedientialē in ordine ad ea, quæ vires naturæ excedunt, vel quoad ſubſtantiam rei operatę, vel quoad modum operandi, indubitatū ſem- 1.

1. Admittēda eſt potentia obedientialis.

ſemper fuit etenim omnis creatura diuinæ voluntati, & omnipotentiæ ad nutũ obedit; cum illius dominio in omnibus, & per omnia ſubijciatur, vt ait Auguſt. ſtatim citandus: ob hanc enim rationem hæc potentia dicta eſt potentia obedientiæ, vt ait Diuus Thomas 3. *p. q.* 11. *artic. primo, & de potentia quæſt.* 1. *art.* 3. *ad primum, & quæſt.* 6. *articulo* 1. *ad* 18. *& de Veritate q.* 8. *articul.* 4. *ad* 13. Vnde iam ab omnibus appellatur potentia obedientialis. De hac igitur agendum eſt. Quid autem illa ſit? inferiùs explicabimus: nũc ſatis ſit potentiam obedientialem generaliter loquendo eam dici, qua res creata apta eſt, & potens Deo ad nutum obedire ad omnia, quæ Deus voluerit, vt aduertit Fonſeca *lib.* 9. *Metaphy. cap.* 1. *q.* 4. *ſect.* 1. *pag.* 607. *col.* 2. *E.*

D. Thom.

Quæ dicatur potẽtia obedientialis.

Fonſeca.

2\. Quod ſatis docuit Auguſt. *lib.* 9. *ſuprà Geneſim ad literam cap.* 17. *&* 18, ex vtroque capite colliges, Auguſtinum duplices rationes, & cauſas rerum diſtinguere: vnas naturales; ſupernaturales alteras. Ex naturalibus, tanquam ex primordijs cauſis omnia gignuntur, vt latè oſtendit in dicto cap. 17. ex illis verbis: *Omnis iſte naturæ vſitatiſsimus Curſus, &c.* Et de his rationibus ſeminalibus, ita ait in dicto c. 17: *Horum, & talium modorum rationes, nõ tantùm in Deo ſunt; ſed ab illo etiam rebus creatis inditæ, atque concreatæ.* De ſupernaturalibus autem rationibus docet, eas eſſe in Deo abſconditas, nec rebus ab ortu inditas; ſed ſuo tempore communicatas; quando, ſcilicet aliquid ex eis, & per eas aliquid facit ſuprà naturam: ita enim ſcribit in dicto cap. 17: *Super hunc autem motum, Curſumque naturalem, poteſtas Creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum, quaſi ſeminales rationes habent: non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri abſque ipſo poſsit.* Has etiam rationes, quas plerique obedientiales vocant, in ſolo Deo eſſe abſconditas, iterum repetit in cap. 18. Sed quanuis in Deo ſint abſconditæ hę ſupernaturalium cauſæ, rebus tamen conditis dedit Deus, vt ex eis, & hæc ſupernaturalia fieri poſſent: ita enim ait in dicto capit. 17: *Et hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt poſſet.* Et inferiùs agens de his ſupernaturalibus, ita ſcribit: *Dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis hæc fieri poſſent.* Quòd iterum repetit cap. 18. inquiens: *Sed tantum hoc habuit; quia & ſic fieri poſſet.* Quomodò autem hoc rebus creatis dederit? explicat ad finem capitis 17. dicens: *Verumtamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali; ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorũ natura voluntati potentiori ampliùs ſubiaceret.* Ex quibus verbis manifeſtè habes fundamentum, & cauſam per ſe huius potentiæ obedientialis: etenim res creatæ, ex eo habent potentiam obedientiæ ad omnia, quæ Deus voluerit: quia ex ſua natura habent, quòd voluntati diuinę (quæ omnia poteſt) omnimodè ſubiaceant. Quia igitur Deus ex ſe poteſt de rebus creatis facere, quæ voluerit, ideò creatura in ſe ipſa habet obedientialiter poſſe omnia, quæ Deus voluerit.

Auguſt.

Duplex ratio ſeminalis.

Rationes obedientiales.

ARTICVLVS II.

Vtrùm potentia obedientialis generaliter ſumpta ſit quid poſitiuum; an negatiuum?

§. 1.

Diſtinguitur inter eſſe potens, & eſſe potentiam obedientialem.

SED poteſt quis inquirere, quid nã ſit ipſa potentia obedientialis in genere ſumpta? Vtrũ ne dicat aliquid poſitiuum? an verò ſolum aliquid negatiuum? Pro cuius difficultatis explicatione illud prius aduertam, diſtinguendũ eſſe inter id, quod obedientialiter eſt potens, *vt quod*, & ipſam potentiam obedientialem; vt aduertit Fonſeca 9. *Metaphyſic. cap.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. *litera B. pag.* 612. *columna prima in fine*: etenim ipſæ creaturæ ſunt, quæ dicuntur potentes, tùm recipere, tũ agere, quod Deus vult; vnde ipſæ aſſumuntur à Deo tanquam concauſæ, vel inſtrumentales, vel etiam principales in ſuo proprio ordine, de quo inferiùs: ita fit, vt ipſæ ſint, quæ in ſe ipſis recipiunt actus ſupernaturales, quos Deus in ipſis operatur; & eædẽ ſint, quæ agũt opera ſupernaturalia, quæ Deus per eas vult agere. Cum verò id, quòd eſt potens aliquid cauſare, per aliquam potentiam ſit potens cauſare illud; concedendũ eſt, creaturas, quę obediẽtialiter ſunt potentes, 1.

Quid nam ſit potentia obedientialis in genere?

Fonſeca.

tentes, fieri tales per aliquam potentiam obedientialem, nam ex Philoſophia quid quid ad aliquid eſt potẽs, per aliquam po tentiã fit ad illud potens. Quare ipſa creatura eſt potens, *vt quod*, idque per potentiam obedientialem, *vt quo*. Explicandum eſt igitur, quidnam ſit ipſa potentia obedietialis in genere ſumpta? nec enim video omnes conuenire in explicatione huius difficultatis, vt videre eſt apud Cabreram 1. *tom. ad tertiam partem q.* 1. *art.* 1. *diſp.* 6. *dubio* 1. *pag.* 40.

§. 2.

Apud quoſdam potentia obedientialis eſt non repugnantia.

2. Opinio quod ſit nõ repugnantia.

SI credimus Cabreræ loco citato, quidam volunt, potentiam obedientialem ſub nomine abſoluto obedientialis potentiæ, non dicere quid poſitiuũ, ſed quid negatiuum, nimirum non repugnantiam ad omne, quod Deus voluerit. Hanc opinionẽ plerique probarunt teste Soncinate 9. *Metaph. q.* 17. §. *Quid autem ſit. Refertur pro ea Ferrar.* 1. *contra gentes c.* 5. *in fine* §. *Ad argumenta Scoti*, quatenùs dicit, dari in homine potentiam obedientialem, quæ eſt non repugnantia. Citatur etiam Cumelius *prima ſecundæ q.* 112. *art.* 1. *diſp.* 3. *in prima opinione in fine pag.* 355. *col.* 1. *in principio*, vbi aſſerit, potentiam obedientialem, tàm paſsiuam, quàm actiuam, nihil aliud eſſe, quàm non repugnãtiam creaturæ ad Deũ, vt ex ea fiat, quod Deus voluerit. Refertur etiam Fonſeca *in* 1. *Metaph. cap.* 1. *q.* 2. *ſect.* 3. *ad* 2. *pag.* 61, *dum ait, in homine inueniri potentiam obedientialem, ſiue non repugnantiam ad claram Dei viſionem.* Quibus verbis ſignificat potentiam obedientialem, & non repugnãtiam idem eſſe. Clariùs id aſſerit 9. *Metaphyſ. cap.* 1. *q.* 4. *ſect.* 4. *poſt principium pag.* 612. *col.* 1. dum ex impugnatione cæterarũ opinionum ait, nihil aliud relinqui, cui obedientialis potentiæ nomen conuenire poſsit, quàm nõ repugnantiam. Vnde addit non eſſe alienum ab vſurpata loquendi conſuetudine, vt negationes repugnantiarum dicantur potentiæ in aliqua potentiæ ſignificatione: quod enim non repugnat fieri, hoc eſt, quod non eſt impoſsibile fieri. Vnde, cum nihil ſit in creaturis, à quo poſsibile dicatur fieri ab eis aliquid ſupernaturale, cum ad id aſſumuntur à Deo, niſi negatio repugnantiæ ad concurrendum cum Deo ad huiuſmodi opus, non eſt cur ea negatio non dicatur earum potentia, in latiſsima quadam potentiæ ſignificatione. Et inde infert, (*litera B.* §. *Secundo loco dicendum*) entitates ipſas rerum, ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidentia, ab hac non repugnantia dici poſſe potentes, non ſimpliciter, ſed obedientialiter, reſpectu actionum ſupernaturalium. Quinpotiùs ſatis ſignificat ipſas rerum entitates non poſſe dici potentias nomine abſoluto *Potentiarum*, niſi in ſenſu identico; quatenùs negatione ipſæ repugnantiæ non ſunt res aliæ ab ipſis naturis rerum, quarum ſunt potentiæ. In eadem ſententia eſt Nauarr. 1. *tom. controu.* 33. §. 4. *fol.* 194. *col.* 2. *A. B. & in* 2. *tom. cõtrouer.* 32. §. 2. *pag.* 686. *col.* 2. *B. ſatis id ſignificat Pezantius ad* 3. *p. q.* 13. *art.* 1. *diſp.* 3. *in* 1. *concl. pag.* 814. *& Ioann. Vincentius de Gratia Chriſti q.* 6. *pag.* 795.

Sontinas. Ferrar. Cumel. Fonſeca. Nauarr. Pezantius.

3.

§. 3.

Eligitur opinio, quod ſit poſitiuum.

4. Eſt quid poſitiuum.

EGo tamen hanc opinionem nunquam probare potui, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali, quæ eſt, aut paſsiua ad recipiẽdum, aut actiua ad agẽdum, quæ diſtinguitur à potentia obiectiua, quam habent res, antequam fiant, vt poſsint fieri eo modo, quo Deus voluerit: ſi enim de hac potentia obiectiua obedientiali ſermo ſit, facilè admittimus illam nihil aliud eſſe, niſi quandam non repugnantiam, vt eſſe poſsint, modo quo Deus voluerit, vt nunc ſupponimus cũ Diuo Thoma *de Potentia q.* 3. *art.* 1. *Capreol. in* 1. *diſt.* 42. *q.* 1. *artic.* 2. *ad argumenta Aureol. contra quartam fol.* 281. *col.* 4. *ad finem, probat Suar.* 1. *tom. ad tertiam partem diſp.* 31. *ſect.* 6. §. *At verò dicunt alij, pag.* 602. *col.* 2. *ad finem.* Porrò loquẽdo de potentia obedientiali, quæ actu eſt in rebus exiſtentibus, vt Deus in eis, & ex eis, & per eas faciat, quod voluerit; puto potentiam obedientialem eſſe aliquid poſitiuum in ipſa re, quæ eſt potens, quatenùs diuinæ omnipotentiæ eſt ſubiecta, & quatenùs illi non repugnat, paſsiuè, vel actiuè cauſare, quidquid Deus voluerit. Quare ſubiectionem illam creaturæ ad Deum non puto

Potẽtia obedientialis obiectiua eſt non repugnantia. D. Thom. Capreol. Suar.

formaliter eſſe ipſam nõ repugnantiam, ſed eſſe fundamentum ipſius non repugnantiæ. Singula perſequatur.

5. Autores huius opinionis.

Quòd potentia obedientialis (de qua loquimur) ſub nomine abſoluto, & abſtracto potentiæ, formaliter ſit aliquid reale poſitiuum in re, in terminis probauit *Medina*. 1. 2. *q*. 3. *art*. 8. *ad* 3. §. *Quid ſit hæc potentia*. *pag*. 79. *col*. 2. *vbi expreſsè docet, potentiam obedientialem eſſe ipſam naturam ſubditam Deo.* Eandem ſententiam probat Suar. *in Metaph. diſp*. 43. *ſect*. 4. *nu*. 16. *pag*. 440. *col*. 1. *litera C. &* 1. *tom. ad* 3. *p. diſp*. 31. *ſect*. 6. *fol*. 602. *col*. 2. §. *At verò dicunt, & inferiùs fol*. 604. *col*. 2. *ad* 1. *argu*. vbi aſſerit falſum omnino eſſe, potentiã obedientialem formaliter eſſe nõ repugnantiam. Eandem ſententiam ſatis probat *Cabrera* 1. *tom. ad* 3. *p. q*. 1. *art*. 1. *diſp*. 6. *in* 1. *dub*. §. 2. *n*. 7. *vbi refert Bañes* 1. *p. q*. 9. *art*. 2. *ad* 2. *& q*. 48. *art*. 4. *in*. 4. *concluſione*: ſed in primo loco ſolùm dicit, potentiam obedientialem eſſe ſupernaturalẽ; in ſecundo verò ſolùm aſſerit, eam eſſe aptitudinem ad recipiendam gratiam; quæ verba explicari poſſunt de aptitudine negatiua, quæ idem eſt, quòd non repugnantia; hoc enim modo illa explicarunt Conimbricenſes. Citat etiam *Marſilium in* 4. *q*. 13. *art*. 1. *in corolario poſt tertiam cõcluſionem, fol*. 689. *col*. 3. *in principio*; ſed ibi ſolùm ſcribit, dari potentiam obediẽtialem, quæ ſubeſt creatori, & illius imperio. Refert etiam Paludanum *in* 4. *diſt*. 49. *q*. 8. *art*. 2. *concl*. 2. ſed ibi ſolùm ait, potentiam obedientialem eſſe ſupernaturalem. Citat etiam Caietanum quaſi propendentem in hanc ſententiam 1. *p. q*. 12. *art*. 1. §. *Ad* 1. *Scoti. &* 1. 2. *q*. 113. *art*. 10. ſed planè non video, quomodo propendat in noſtram ſententiam; ſicut etiam non ſatis clarè in eam inclinat *Ferrar*. 3. *cont. gent. c*. 156. *ad finem*, §. *Ad euidentiam huius rationis.* Deinde pro eadem ſententia allegat *Capreolum in* 1. *q. prologi. artic*. 2. *ad* 1. *contra* 6. *fol*. 7, ſed eo in loco ſolum aſſerit potentiam obediẽtialem eſſe quãdam relationem.

Medina. Suar. Cabrera. Bañes nõ ſatis explicat. 6. Nõ ſatis eã probat Marſil. Nec Palud. Nec Caiet. Nec Ferrar. Nec Capreolus in hoc loco.

7. Eſt Capreoli in loco hic citato.

Pro noſtra tamen ſententia verè eſt idem Capreol. in 1. *diſt*. 42. *q*. 1. *art*. 2. *ad arg. Aureoli contra quartam, pag*. 281. *col*: 4. *&* 282. *col*. 1: etenim non ſolùm dicit potentiam illam eſſe realem, vt patet ad primum, ſed addit potentiam obedientialem receptiuam non eſſe aliud, quàm ipſam eſſentiam materiæ ſecundum rem, vt patet in ſolutione ad 5. Quare apud Capreolum potentia obedientialis eſt ipſa eſſentia materiæ, vt tamẽ reſpicit Deũ agentem ſupernaturalem: & quanuis ſolùm loquamur de potẽtia obedientiali receptiua; tamen idẽ dicet de potentia obedientiali actiua, quæ datur in quacunq; alia entitate, & natura, vt idem declarat *in d. diſt*. 42. *fol*. 282. *col*. 1. *in princ*. Nobiſcum etiam conſentit *Soncinas in* 5. *Metaphy. q*. 17. quatenus explicans propriam ſententiam aſſerit potentiam obedientialem materiæ nihil eſſe aliud, quàm ipſam materiam, accedat etiam *Molin*. 1. *p. q*. 12. *art*. 1. *diſp*. 2. *pag*. 101. dum ait, potẽtiam obedientiæ eſſe naturam capacem actus per ordinem ad diuinam potentiã.

Soncinas. Molina.

8. Confirmatio generalis.

Hæc ſententia pluribus confirmatur à Suario, & Cabrera; ſed vterque ſolùm agit de potẽtia obediẽtiali paſsiua. Quare noſtrã aſſertionem in ſua generalitate, & vt comprehendit vtrãque potentiam, inde poſſumus efficaciter demonſtrare; quoniam ex recepta Philoſophia cõſtat, agens, vt quod, per id agere, tanquam per potentiam, quod illi eſt ratio agendi, principiumque, quo influit in effectum: id enim, quod igni eſt principium formalẽ calefaciendi (nimirum calor) eſt illi potẽtia calefactiua, qua formaliter eſt potens calefacere. Et id, quod dicimus de cauſa efficiente, dicemus etiam de cauſa materiali; cui illud erit potẽtia receptiua, quod illi fuerit formalis ratio recipiendi, & materialiter ſubſtentandi actum, quem recipit. Ergo creaturæ illud formaliter erit potentia obedientialis, quo formaliter eſt potens cauſare, vel materialiter, vel efficiẽtèr effectus ſupernaturales, quos Deus in ea, & per eã vult cauſare: etenim agens per potentiam agendi eſt potens agere, & cauſans ponens eſt cauſare per potentiam cauſandi, quam in ſe habet. Iam verò creatura per id erit formaliter potens cauſare, per quod tanquam per principiũ formale ſuam cauſalitatem exercet in effectum. Igitur illud ei erit potentia obedientialis cauſandi, quod illi eſt principiũ formale exercendi ſuam cauſalitatem. Sed creatura per ipſam non repugnantiam, nec formaliter cauſat, nec cauſare poteſt id, ad quod cauſandum aſſumitur;

9.

ſed

ſed per aliquid poſitiuum, quo Deo eſt ſubiecta. Ergo ipſa non repugnantia formaliter nec eſt, nec eſſe poteſt, ipſa potētia obedientialis, ſed entitas poſitiua in ea exiſtens.

10. Probatio minoris. Supereſt probatio minoris propoſitionis. Et quidem quòd ipſa non repugnantia, nec ſit, nec eſſe poſsit ratio, principiumq; cauſandi effectum ſupernatulē, res eſt indubitata: cum enim ſit quædam negatio, non poteſt eſſe principium cauſatiuum, & influxiuum in effectum, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, cum in vno, & altero genere detur vera cauſalitas effectus, quæ negationi conuenire nō poteſt, vt notum eſt in Philoſophia. Accedit, quoniam creatura, in qua datur potentia obedientialis, eſt ſupernaturaliter eleuabilis per rationes, virtuteſque obedientiales ſibi communicādas (quidquid illæ ſint) vt fiat in actu primo cauſandi per id, quod ſibi eſt potentia, & principiū cauſandi: agens enim ſicut per naturalem potentiam fit in actu primo, in ordine ad effectus ſibi naturales; ita per potentiam obedientialem perficitur in actu primo, dum ad ſupernaturales effectus eleuatur.

11. At quis dicet, illam negationem repugnantiæ, vt intrinſecè eſt negatio, ſupernaturaliter eleuari, vt in effectum habere poſsit influxum cauſatiuum? vnde creatura per ipſam non repugnantiam non eſt formaliter ſubiecta Deo, ſed per aliquid poſitiuum, vt ſtatim dicemus. Quare certiſsimum eſt, creaturam per ipſam non repugnantiam, tanquam per formalem cauſandi potentiam non poſſe cauſare effectum ſupernaturalem, ad quē cauſandum aſſumitur; quæ fuit minor: cauſabit igitur illum per aliquid poſitiuum, quod illi ſit formalis potentia obedientialis. Quid nam illud ſit? in ſequentibus explicabimus; modo illud ſolum intendimus, potentiam obedientialem formaliter non dicere non repugnantiam, ſed aliquid poſitiuum, in quo talis non repugnantia fundatur.

12. Confirmatur. Accedit in huius rei confirmationem argumentum ſumptū ad hominem: quoniam ex ſententia doctiſsiſsimi Fonſecæ, potentia obedientialis actiua non reperitur in omnibus rebus, ſed in ſolis illis, quę ex ſua natura poſſunt aliquid agere: vnde non reperitur, aut in materia prima, aut in relationibus, vt inferiùs patebit ar. 14. §. 1. Iam igitur inquiro; ſi potētia obedientialis formaliter ſolū eſt non repugnātia, cur nō reperitur in illis rebus, quę ex natura ſua non ſunt actiuæ? etenim ipſa non repugnantia, ideò, quia negatio, non ſolùm debet habere fundamentum in re, ratione cuius conueniat huic rei; ſed etiam debet habere fundamentum, cur huic rei conueniat, & non illi. Profectò nullum aliud dabitur, niſi quia hę res, nimirum, quæ ex ſua natura ſunt actiuę, ex ſua natura habent aptitudinem poſitiuam obedientialem, vt eleuari poſſunt ad agendum id, quod eſt ſupra naturam; illæ verò non habent: nam cum ex ſua natura ſint actiuæ, ſunt ſubiectæ diuinæ voluntati, vt illæ ſua actiuitate eleuata poſſint influere in actus ſupra naturam. In hac igitur obedientiali ſubiectione fundatur non repugnantia. Hæc autem obedientialis ſubiectio eſt ipſa poſsibilitas obedientialis, â qua creatura dicitur obedientialiter potens; & ipſa entitas creaturæ, vt ſubiecta, eſt ipſa potentia obedientialis. Quæ Philoſophia ex Aug. euidenter deducitur: etenim *9. ſupra Geneſim ad literam c. 17. Deus rebus dedit, vt ex ipſis poſſet fieri, quod rationes ſeminales excedit*: ecce Deus dedit rebus potentiam obedientialem. Quænam illa ſit? declarat in verbis immediatè ſequentibus: *id tamen in hoc ſenſu illis dediſſe dicitur, quia illis dedit, vt in ſua natura voluntati potentiori omnimodè ſubiaceant.* Ecce per ſe cauſam potentiæ obedientialis: ex eo enim creatura per ſe primò habet, quòd obedientialiter poſsit cauſare, quod Deus voluerit; quia ex ſua natura diuinæ voluntati ſubijcitur: igitur ex ipſa ſubiectione eſt obediētialiter potens. Quæ ſubiectio, quanuis â nobis explicari non poſsit, niſi per non repugnantiam; tamen ex ſe plus dicit, quàm non repugnantiam: quia dicit purum quendam, & poſitiuum eſſendi modum, quæ eſt ratio fundandi non repugnantiam; qui modus eſſendi, cum ſit purus, eſt omnino indiſtinctus ab ipſa entitate creata: hæ igitur creaturarum ſubiectiones ſunt rationes obedientiales, quas Deus dedit rebus diſtinctas à rationibus ſeminalibus. Quibus addimus hanc ſubiectionem, ſupponere in re ſubiecta quādam radicalem aptitudinē, vt ſubijciatur; 13. quæ

Probatio ex Aug.

quæ apud Fonſecam eſt ipſa naturalis actiuitas, qua poteſt aliquid agere: & quia hæc non reperitur in materia, nec in relationibus, ſed oppoſitũ, nimirũ non eſſe actiua, & ꝑ cõſequẽs repugnat illis ſubijci diuinæ volũtati, & ideò habent repugnãtiam, vt eleuentur ad agendum. Quare ſicut illa repugnantia ad agendum ſupponit in materia radicalem ineptitudinem (ſcilicet non eſſe actiuam) quæ eſt ratio non ſubiectionis; ita non repugnantia in rebus ex ſua natura actiuis ſupponit radicalem quandam aptitudinem, vt eleuatæ agant: & hæc eſt ipſa obediẽtialis poſſibilitas. Sed de hoc iterum inferiùs.

14. Alia confirmatio. Confirmari id ipſum poteſt, ſi ſingulas ſpecies potentiæ obedientialis percurramus. Nam quòd potentia obedientialis paſsiua formaliter non dicat non repugnantiam, ſed poſitiuum aliquid, in terminis docent Capreol. Soncinas, Mol. Suarius, & Cabrera locis citatis. Probari id poteſt: primò; quia potentia paſsiua naturalis, vt formaliter eſt potentia, non dicit non repugnantiam, ſed quid poſitiuũ; ipſam. ſ. eſſentiam materiæ, ſiue ſubiecti, vt expreſſè docet *D. Thomas* 1. *p. q.* 77. *ar.* 1. *ad* 2. Ergo potentia obedientialis paſsiua formaliter non dicet non repugnantiam. Quo argumento vtitur *Capreol. in dicta diſt.* 42. *loco citato ad* 5. *fol.* 282. *col.* 1.

D. Thom.

Capreol.

Accedit; quia indubitatum eſt, actus ſupernaturales ita recipi in potentia paſſiua obedientiali, quæ eſt in natura intellectuali, vt ab illa, tanquam à cauſa materiali, dependeant: in quo nullus dubitat, ſiue id ſit educi de potentia obedientiali, ſiue non. Ergo naturæ intellectuali illud erit potentia paſsiua, & materialis actus ſupernaturalis, quod habet influxum materialem in eſſe talis actus: etenim (vt diximus) cauſa formaliter cauſat per ſuã potentiam cauſandi. At non repugnantia, quæ eſt in natura intellectuali ad talẽ actum, non poteſt habere influxum materialem in illum, quia eſt negatio. Ergo nec illi erit potentia obedientialis paſsiua, ſed aliquid poſitiuum, de quo ſtatim inquiremus.

15. Alia ratio.

16. Idem dicendum erit de potentia obedientiali actiua, qualis eſt in creatura, vt eleuata influat in effectum ſupernaturalem: nec enim poterit eſſe ipſa non repugnantia, quoniam, cum ſit negatio influere non poteſt: erit igitur aliquid poſitiuũ.

Si quis pro Fonſeca dicat, Philoſophiã à nobis adductam veram eſſe in potentia, quæ verè eſt potentia, non erit audiendus; quia potentia obedientialis, licet non ſit perfecta potentia, vera tamen eſt potentia; vnde eleuata verè influit in effectum, & proindè principia Philoſophiæ etiam in illa debent eſſe veriſsima. 17. Non admittitur quædam ſolut.

§. 4.

Solutio argumentorum.

EX his iam patet ſolutio ad 1. arg. Fonſecæ: dicimus virum doctiſsimum ſatis quidem expugnaſſe opiniones, quas adduxit; non tamen adduxiſſe omnes, vt patebit ex dicendis. 18. Ad 1.

Ad id, quod addit, non eſſe alienum ab vſurpata loquendi conſuetudine, vt negationes repugnantiarum dicantur potẽtiæ, in aliqua potentiæ ſignificatione; admittimus, ſi ſermo ſit de potentia obediẽtiali obiectiua, quam habent res, antequã fiant, vt fieri poſsint: hanc enim nihil aliud eſſe, niſi quandam non repugnãtiam, iam ſuprà admiſimus cum D. Thoma, & alijs: ab hac enim non repugnantia res illæ in ſe ipſis (eo modo, quo ſunt) dicuntur poſsibiles. Porrò, ſi ſermo ſit de non repugnantijs, quæ in rebus creatis repeiuntur ad ea, quæ Deus in illis, & per illas facere voluerit; negamus res primò, & per ſe dici obedientialiter potentes ab ipſa non repugnantia: dicuntur enim tales à potentia obedientiali poſitiua, quam Deus illis indidit, vt cum Aug. iam diximus: quæ ſubiectio cum ſit quidam modus poſitiuus eſſendi, indiſtinctus ab entitate creaturæ, quæ obedientialiter eſt potens; potiùs eſt dicendum, creaturam dici obedientialiter potentem ab ipſa ſubiectione, vt ait Auguſtinus; & potentiam obedientialem eſſe ipſam entitatem creaturæ: vt tãquam ſerua Dei dominio ſubiecta eſt. 19. Ad 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm danda ſit in nobis potentia obedientialis paſſiua?

QVòd potentia obedientialis paſſiua in omnibus rebus admittẽda ſit, vt in eis, & ex eis fiat, quid quid 1. Ab omnibus admittitur.

quid Deus voluerit, ſemper fuit inter
D. Thom. omnes indubitarum : id expreſſè docuit D. Thomas in 4. diſt. 8. q. 2. art. 3. ad 4. dum aſſerit, *in omni creatura ineſſe potentiam obedientialem, vt in ea fiat, quidquid creator diſpoſuerit.* Vide apud Cabreram 1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dubio 6. n. 1. & apud Suarium 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 602. col. 1. vbi refert plures alios locos D. Thomæ, & teſtatur omnes eius diſcipulos eam admittere.

Hæc indubitata ſententia primũ pro-
2. batur authoritate Auguſtini 9. ſupra Ge
Auguſt. neſim ad literam c. 17. vbi in hunc ſenſum ſcribit: *Eorum, quæ ſupra curſum naturalem fiunt, cauſas ſolus Deus habet in ſe ipſo abſconditas, quas rebus conditis non inſeruit: nam licet eis dederit, vt ex ipſis poſſit fieri, quæ rationes earum ſeminales excedit.* Quæ verba ſatis denotant, potentiam obedientialem paſsiuam.

3. Probatur ratione. Deinde probatur ratione: quoniam potentia obedientiæ per ſe ſumitur ex omnimoda ſubiectione, qua res quæque creata in omnibus, & per omnia ſubijcitur dominio, & voluntati diuinæ, vt ex Auguſtino diximus. Ergo quælibet creatura ex ſua natura habet, quod ſit in potentia paſsiua ad recipiẽdum in ſe, quidquid Deus voluerit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm præter potentiam obedientiæ paſsiuã, danda ſit potentia obedientiæ actiua?

1. Qui ſunt pro parte negante. DVbitant doctores, an præter potentiam obediẽtialem paſsiuam, danda etiam ſit potentia obedientialis actiua? partem negantem nõnullos probaſſe, refert Suar. 1. *tom. ad 3. partem diſp. 31. ſect. 6. pag. 602. col. 1. §. Tandem probatur conſequentia*; eam tamen probat Ioan. Vincẽt. in relectione de gratia Chriſti q. 6. pag. 795. neminem tamen citat.
Non benè citatur Cumelius à Cabrera, & Nauarrete. Hanc ſententiam placuiſſe Cumelio teſtatur *Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dub. 6. §. 2. Nauarrete controu. 41. in principꝰ fol. 253*: ſed falsò; vt patet ex ijs, quæ ſcribit *Cumelius ad 1. 2. q. 112. art. 1. diſp. 3. in 7. propoſitione pag. 367. colum. 1. & 2*:
Senſus Cumelij. quanuis enim doceat potentiam obediẽtialem actiuam non ita eſſe admittẽdam, vt ſit membrum omnino condiſtinctum à potentia obedientiali paſsiua; in hoc ſenſu, vt ſit omnino independens à paſsiua, & ſine illa poſsit exercere ſuum effectũ (etenim ipſa eſt in potentia obedientiali paſsiua, vt ea vtatur Deus, eam eleuando ad producendos effectus ſupernaturales) tamen ſimpliciter admittit, potentiã obedientialem actiuam, qua creatura (eleuata tamen) poſsit ſupernaturalia operari.

§. 1.

Argumenta partis negantis.

CViuſcunque tamen ſit illa opinio, 1.
his argumentis confirmari poteſt. 1. argum.
Primum & præcipuum eſt; quoniam de intrinſeca ratione potentiæ obedientialis eſt, quòd ſit paſsiua: etenim potentia obedientialis abſolutè diffinitur, Definitio potẽtiæ obedientialis.
vt ſit ſubiectio quædam, & aptitudo ad recipiendum, quidquid Deus voluerit: ita eam definit *Curſ. Conimbr. 1. Phyſicorũ* Conimbr.
c. 9. q. 12. art. 4. quæ diffinitio non videtur aliena à mente Diui Thomæ: potentiam enim obedientialem ſemper explicat per aptitudinem ad recipiendum, vt patet in 1. diſt. 42. D. Thom.
q. 2. art. 2. ad 4. & in 2. diſt. 18. q. 1. art. 2. §. Secundo ex parte formæ, & in 3. diſt. 2. q. 1. art. 1. poſt principium, & 1. p. q. 115. art. 2. ad 4. & 3. p. q. 1. art. 3. ad 3. & q. 11. art. 1. & de Veritate q. 8. art. 4. ad 13. in quibus omnibus locis rationem potentiæ obedientialis ponit in receptione eius, quod Deus in ſua creatura voluerit inducere. Eandem doctrinam indicant ferè omnes Thomiſtæ; *Capreol. in q. 1. prologi*
art. 3. ad 1. contra ſextã, fol. 7. col. 2, & diſt. Conſentiũt Thomiſtæ.
42. q. 1. art. 2. ad argumenta Aureoli contra Capreol.
quartam, fol. 281. col. 4. vbi ad 3. expreſſè docet, potentiam obedientialem ſumptam pro non repugnantia, eſſe ſolum in materia. Satis explicat *Caiet. 1. p. q. 1. art. 1. §. Ad euidẽtiam huius difficultatis, & 3. tom. opuſculorum tract. 3. q. 2. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 5. & lib. 3. c. 156. recipiunt* Scotiſtæ id colligentes ex Scoto 9. *Metaph. q. 12.* & ſatis Caietan. Ferrar. Scotus.
explicat *Herrera in 1. diſp. 1. q. 5. col. 2. §. Tertia autem ſententia. & in 2. diſp. 3. q. 4. pag. 120. col. 2. & Rada 1. p. controu. 1. art. 1. concl. 1.* Ex quibus omnibus ſatis patet; potentiam obedientialem poni in receptione eius, quod Deus in re creata vult fieri. Quin potiùs id ſatis videtur colligi ex Auguſt. 9. *ſupra Geneſim ad literam* Herrera. Rada.

cap.

cap.17. dum ita ſcribit; *Eorum, quæ ſuprà curſum naturalem fiunt, cauſas ſolùm Deus habet in ſe ipſo abſconditas, quas rebus conditis non inſeruit: nam licet illis dederit; vt ex ipſis poſſet fieri, quod rationes earum ſeminales excedit; id tamen in hoc ſenſu illis dediſſe dicitur; quia illis dedit, vt in ſua natura voluntati potentiori omnimodè ſubiacerent.*

4. 2. Ratio. Ex quibus Auguſtini verbis deſumitur eiuſdem ſententiæ ſecunda confirmatio: nam hęc potentia dicitur obedientialis; quia creatura ſubijcitur Deo, vt illius imperio obediat: hæc autem obedientia denotat paſsiuam ſubiectionem ad imperiũ alterius: ſicut enim imperare eſt agere; ita obedire eſt ſubiici.

5. 3. Ratio. Tertio confirmatur; quoniam potentia obedientialis nõ dicit aliquid poſitiuũ, ſed tantum quandam nõ repugnantiam. Ergo non eſt potentia actiua: quia potentia actiua naturalis eſt aliquid poſitiuum.

Confirm. Confirmatur: quoniam potentia obedientialis paſsiua non dicit poſitiuum, ſed ſolam non repugnantiã: ergo nec actiua dicet poſitiuũ. Antecedẽs probatur: quia aliàs non differret à potentia paſsiua naturali.

6. 4. Ratio. Quartò; omnes potentiæ obedientiales ſunt æquales. Ergo non eſt vna actiua & altera paſsiua. Conſequentia probatur: quoniam potentia actiua eſt perfectior, quam paſsiua. Antecedens inde oſtenditur: quoniam ſi aliqua inæqualitas interueniret, illa ſumeretur ex maiori potẽtialitate ad formã ſupernaturalẽ: hæc autem nõ interuenit; qa forma illa eſt ſuprà naturã, & ꝓuenit à virtute diuina extrinſecè.

7. 5. Ratio. Quintò; potentia actiua dicit poſitiuã inclinationem ad actum. Ergo ſi datur potentia actiua obediẽtialis, illa inclinat poſitiuè ad actum, reſpectu cuius dicitur actiua. Quod dici non poteſt.

8. 6. Ratio. Sextò; vel illa virtus actiua conſideratur, prout iam habet formam ſupernaturalem, per quam poteſt operari: vel antequam illam habeat. Si primum; non eſt potentia obedientialis, ſed naturalis: nam illa ſupernaturalis forma, eſt naturale principium illius actus. Si ſecundum; iam immediatè ordinatur ad recipiendum illam formam; non igitur poteſt eſſe actiua. Hæc ſunt huius opinionis argumenta.

§. 2.

Affirmatiua eſt vera.

His tamen non obſtantibus, admittenda eſt in rebus creatis potentia obedientialis actiua ſimul cum paſſiua, modo inferiùs explicando: ita Diuus Thomas *in 4. diſt. 8. q. 2. ar. 3. ad quartũ ita inquiens: quia ſicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia, vt in ea fiat, quidquid creator diſpoſuerit: ita etiã, vt ea mediante fiat: quæ eſt ratio inſtrumenti.* Hæc verba euidenter probant, dari in creatura duplicem potentiã obedientiæ: paſsiuam quidem; in illis verbis: *vt in ea fiat, quidquid. & cætera,* quæ verba denotant paſsionem: actiuam verò in illis: *vt ea mediante fiat, & cætera,* quæ etiã clarè ſignificant obedientiam actiuã, qualis eſt obedientia inſtrumẽti: inſtrumentum enim in ſolo genere cauſæ efficientis datur. 9. Danda eſt potẽtia obedientiales actiua. D. Thom.

Eandem obedientiam actiuam agnouit Diuus Bonauentura *in 4. diſt. 10. art. 1. q. 2. ad 2, num. 47.* dum ſcribit, potentiam obedientiæ fuiſſe, tùm in carne virginis ad concipiendum verbum: tùm in conſecratione ad tranſubſtantiandum panem: vtrãque enim iſtam obedientiam eſſe actiuã patet: Vnde idem D. Bonauent, *in q. 3. ſequente num. 49. & 50.* explicat verba conſecrationis, ſuppoſita Chriſti inſtitutione, habere efficaciam ad tranſubſtantiandum: An illa ſit Phyſica, an verò moralis? modo nõ curamus; quia ſolùm intendimus probare, dandam eſſe obedientiam actiuã, quæcumque illa ſit 10. D. Bonau.

Eandem etiam agnouit Alenſis 4. *p. q. 34. membr. 1. art. 2. ad ſeptimum in antiquis, in nouis autem quæſt. 10. memb. 4. art. 2. §. 6. q. 2. ad vltim. fol. 142. colu. 1. dum aſſerit, virtutem creatam per ſe non habere, quod poſſit in aliquid, quod eſt ſupra communem naturã; id tamen poſſe, vt adiutã à virtute increata.* *Alenſis.*

Denique verba Auguſtini ſuperius adducta, dum aſſerunt, quòd & ſi Deus in ſe ipſo abconditas habeat cauſas corũ, quę fiunt ſupra naturalẽ curſum, nec illas rebus creatis communicauerit; illis tamen dediſſe, vt ex eis poſſet fieri, quod rationes ſeminales excedit; idque, dũ eas volũtati potẽtiori ſubiecit: cũ verò eas ſubiecerit nõ ſolũ, vt accipiãt id, quod voluerit; ſede tiã, vt faciant, quidquid per eas fieri ille voluerit: vtique illa verba, *vt ex eis poſſet fieri, & cætera,* ita explicanda ſunt, vt ex eis, tàm paſsiuè, quàactiuè fieri valeat, quod eſt ſupra rationes earum ſeminales: nam ſubiectio obedientiæ coreſpondet 11. *Auguſt.*

põdet dominio, quod Deus habet in ſuas res creatas: cũ verò dominiũ ſe extendat, nõ ſolùm, vt ex illis faciat, quod voluerit; ſed etiã, vt per eas operetur, quidquid voluerit (nam Deus ſuis creaturis vtitur, vt inſtrumẽtis ad facienda miracula, vt omnes admittunt) vtiq; obedientia, & ſubiectio creaturæ ad Deũ extẽditur ad vtrúque, vt notat *D. Thom. in d. diſt.* 8. Vnde miracula fiunt præter virtutes naturales, tàm paſsiuas, quàm actiuas, vt patet 1. *p. q.* 115. *art.* 2. *ad* 4. Quare nõ eſt, quòd nõ admittatur potentia obedientialis actiua. Quod tanquam ſatis notum ſupponit *Fõſeca* 9. *Metap. c.* 1. *q.* 4. *ſect.* 3. *lit. B. pag.* 610 *col.* 2. Eam admittũt omnes Theologi recẽtiores, inter quos *Suar. in d. diſp.* 31. *ſect.* 6. *pag.* 604. *col.* 2. *ad* 1. *arg.* cum cæteris, quos citabimus. In terminis probant *Cabrera* 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *diſp.* 6. *dub.* 6. §. 2. & 3. & *Nauarrete* 1. *tom. controu.* 41. *in princ. fol.* 253. *col.* 1.

D. Thom. — Fonſeca. — Suarius. — Cabrera. — Nauarret.

13. Potẽtia obedientialis actiua nõ reducitur ad actum ſine paſsiua.

Illud tamen diligenter aduertendum eſt, potentiam obedientiæ ad agendum non poſſe reduci ad actum, niſi mediante obedientia ad recipiendum: ideò enim non repugnat, creaturam cooperari Deo in effectus ſuam naturã excedentes; quia illi non repugnat recipere à Deo virtutẽ ſupernaturalem (quidquid illa ſit) quæ illi ſuo modo ſit ratio ad agendum: etenim potentia iſta actiua, vt ſit in actu primo ad cooperandum Deo, indiget ſupernaturali eleuatione, vt iam oſtendimus: prius igitur debet habere id, quo eleuatur, quàm Deo cooperetur. Hoc aliquo modo explicari poteſt exemplo aquæ in ordine ad calefactionem: ideò enim illi non repugnat calefacere, quia illi non repugnat recipere calorem, mediante quo calefaciat. Sicut igitur potentia ad calefaciendum, quæ eſt in aqua, illi non conuenit, niſi mediante potentia paſsiua ad recipiendum calorem: ita creaturæ non cõuenit potentia obedientiæ ad agendum, niſi mediante obedientia paſsiua ad recipiendum à Deo virtutem ſupernaturalem communicatam ſibi modò inferiùs explicando.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

14. Ad 1. arg.

NEc contra hanc veriſsimam reſolutionem quidquam facit primũ argumentum contrariæ ſententiæ: negandum eſt enim de intrinſeca ratione potentiæ obedientialis eſſe, quod ſit ad recipiendum: vnde diffinitio adducta non eſt vniuerſalis, & adæquata, vt benè aduertit Suar. *loco citato.* Quare in genere ita eſt definienda, vt ſit ſubiectio, & aptitudo ad cauſandũ, quidquid Deus voluerit: nam eſſe cauſam conuenit potentiæ actiuæ, & paſsiuæ. Quare Curſus Conimbr. non ſatis accommodatè definiuit potentiam obedientialem, ſi illam abſolutè, & in tota ſua generalitate voluit explicare. Diuus Thomas cum cæteris ſolùm voluit explicare potentiam obedientialem materiæ, vt ex verbis illius patet.

Conimbr. nõ bene explicarunt.

Ad ſecundum dicendum eſt, creaturã ſemper Deo ſubijci, ſiue patiatur, ſiue cooperetur: quanuis autem hæc ſubiectio non niſi per modum paſsionis explicari poſsit; tamen vſus ipſius ſubiectionis, & obedientiæ, non ſemper eſt paſsio, ſed interdum eſt actio: vnde quod ſubijcitur, modo ſubijcitur per potentiam paſsiuã, vt ſupernaturalem formam recipiat; modo verò per potentiam actiuam, vt agat effectus ſupernaturales. 15. Ad 2.

Ad tertium patet ſolutio ex dictis in §. 2. negandum eſt enim potentiam obedientialem non dicere aliquid poſitiuũ. Ad 3.

Ad cõfirmationem negandum eſt antecedens cum Suario vbi ſuprà pag. 604. col. 2. in fin. dicit enim entitatẽ ipſã creaturæ, vt eſt ſubiecta Deo, vt à ſua paſsiua potentia educatur obedientialiter actus ſupernaturalis. Diſtinguitur autẽ à naturali, quia illa eadẽ entitas, vt eſt ordinata ad recipiendum actũ ſibi naturaliter debitum, dicitur potentia paſsiua naturalis: obedientialis autẽ, vt ordinatur ad actum non debitum, ſed excedentem ordinem naturæ. Vide Suarium. 16. Ad 1. cõfirmat.

Ad 4. omiſsis, quæ ſatis confuſè ſcribit *Nauarrete in dicta controuerſia* 41. *fol.* 255 *ad* 2. admittimus potentias obedientiales eſſe æquales in ratione ſubiectionis ad diuinam voluntatem, quæ eſt ratio, ſemẽq; obediẽtiale: omnes enim creaturæ æqualiter ſunt ſubiectæ volũtati diuinę: quod non tollit, quominus ipſæ potentiæ obedientiales, in ſuis rationibus agendi ſumptis, veluti materialiter ſint inæquales: quoniam ratio potentiæ actiuæ pręſtantior eſt, quàm paſsiuæ: omnes igitur crea- 17. Ad 4.

creaturæ ſunt æqualiter ſubiectæ, & omnes æqualem habent obedientiam Deo: hæc tamen obedientia non eſt ad ęquales rationes agendi, ſed ad inæquales.

18. Ad 5. Ad quintũ admittimus, potentiam actiuam dicere poſitiuam inclinationem ad actum, naturalem quidem, ſi actus fuerit naturalis; obedientialem verò, ſi ille ſupernaturalis fuerit; quia potentia obedientialis actiua reſpicit reſpectu quodã obedientiali (reali tamen) actum ſupernaturalem; ſed de hoc inferiùs.

19. Ad vltimũ. Ad vltimum omiſſis, quæ loco citato pag. 256. col. 1. ad 4. ſcribit Nauarrete; dicimus potentiam obedientialem actiuam conſiderari poſſe vno, & altero modo; & ſub neutro amittere rationem potentiæ obedientialis actiuæ. Nam ſi conſideratur, antequam eleuetur, habet obedientiam, vt eleuata poſſit agere: licet enim non poſſit influere in effectum, niſi prius ꝑ aliquid ſupernaturaliter eleuetur (quidquid illud ſit:) eleuari autem non poſſit, niſi recipiat id, per quod debet eleuari; nõ tamen reſpicit ipſam formã, quæ eſt eleuanda, vt terminum ſuæ actiuitatis, ſed vt medium, ſiue conditionem, ſine qua non conſtituetur in actu primo ad influendũ. Actuata autem, quanuis totum id, quod influit, naturaliter influat; non proinde ipſa creatura non obedientialiter influit; hoc eſt per actiuitatem radicalem, quam habet ex ipſa naturali ſubiectione, qua Deo ſubiecta eſt, vt faciat, quidquid Deꝰ vult per eam fieri: etenim ſemper verum eſt, creaturam influere per influxũ obediẽtialem, ſibi naturaliter datum; de quo quidnam ſit? inferiùs dicemus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm potentia actiua obedientiæ phyſicè cooperetur ad effectum?

1. Notabile. PRo explicatione tituli quæſtionis aduertendum eſt, per actionẽ phyſicam intelligi actionem veram, & realẽ influentẽ in effectũ: quæ actio omniũ conſenſu diſtinguitur ab actione morali, quæ non eſt aliud, quam quædã moralis efficientia ſine vlla influẽtia reali, & phyſica. Inquirimus igitur vtrũ odebiẽtia actiua, quam admittimus, cõcurrat ad effectũ reali aliqua, & phyſica influentia? ita vt effectꝰ verè, & realiter in ſuo eſſe ab ẽa depẽdeat? an ſolũ cõcurrat cauſalitate morali?

§. 1.

Opinio generaliter negans.

IN hac quæſt. non omnes conueniunt. Prima igitur fortè generaliter negabit, potentiã obedientię actiuã phyſicè cõcurrere ad vllũ effectũ ſupernaturalẽ. 2. Opinio negans. Qui in his terminis hoc generaliter neget; inueni neminem: fortè generaliter id negabunt, qui & Chriſti humanitati ad facienda miracula, & Sacramentis ad cõferendam gratiam, & igni inferni ad torquẽdos ſpiritus, omnẽ realem, & phyſicã influentiam denegant: etenim fundamẽta, quibus nituntur, generaliter cõcludũt in omni potentia obedientiæ actiua.

Primum fundamentũ eſt: quoniam, vt creatura verè, & phyſicè efficiat, quod na turã excedit; indiget, vt in ſe recipiat aliquã agendi virtutẽ: nihil enim verè, & realiter poteſt agere ſine vera, & reali virtute agẽdi. 3. 1. argum. Sed potentia iſta obediẽtiæ actiua nullã poteſt in ſe virtutẽ recipere, quę illi ſit ratio agendi: quia talis virtus nec poteſt eſſe qualitas aliqua, nec aliquis motus, nec aliquid aliud; ergo iſta potentia actiua non poteſt in effectum ſupra ſuam naturam influere influentia aliqua phyſica, & reali. ¶ Secundum fundamentũ eodẽ medio vtitur: nam res, quæ in ſe ipſa immutata manet, nõ poteſt aliquid efficere, ad quod efficiendũ de ſe virtutem nõ habet. 4. 2. argum. Sed potẽtia obedientię actiua ex ſe nõ habet virtutẽ ad effectus ſupra ſuã naturam. Ergo oportet, vt illã recipiat per aliquã realem immutationẽ, & receptionem alicuius rei. Quomodò enim potens fiet ad agendum, ſi manet, vt antea, quando agere non poterat? ¶ Tertium fundamentum eſt ferè idem: quia intelligi non poteſt, vt duæ res, quæ ex ſua natura nõ habent cõnexionem, aut dependentiam cauſæ, & effectus, incipiant illam habere abſque receptione alicuius, quod conferat virtutem agendi, & ſit principium, & ratio huius dependentiæ. 5. 3. argum.

Hæc ſũt argumẽta, quæ pro hac opinione ſumi poſſunt, ex ijs, quę ꝓ eadẽ adducit Suar. 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 3. *poſt princ. pag.* 579. *col.* 2. Ex quibꝰ patet apud authores huius opinionis actiuitatẽ obediẽtiæ actiuę in hoc eſſe poſitã, vt res creata apta ſit ex diuina ordinatione, vt ad 6. *Suarius.*

actua-

In quo ſenſu explicatur actiuitas.

actualem illius aſſumptionē Deus infalibiliter producat effectũ ſupernaturalē, adquē producendũ eſt aſſumpta. Quare in hac opinione hęc actiua obediētia, ideò dicitur habere actiuā virtutē ad ſupernaturalē effectũ; quia habet ordinationem efficacem, vt Deus ad illius præſentiā effectũ illũ infallibiliter operetur. Ipſa igitur efficacitas diuinæ ordinationis ad producendũ effectũ, præſente ipſa creatura, eſt ipſa virtus eleuās talem potentiā, & aptitudo, quā res creata habet ex diuina ordinatione, vt ea præſente producatur ſupernaturalis effectus, eſt ipſa potētia obediētialis actiua, quæ ponitur in rebus. Hoc modo explicatur actiua obedientia, quæ eſt in verbis cōſecrationis ad trāſubſtantiandū panem, & vinũ; & in cæteris Sacramentis ad producendā gratiā, vt patet ex *D. Bonau. in 4. diſt. 10. in 2. p. ar. 1. q. 3. n. 50. & 51. ſatis explicat Dur. in 4. diſt. 1. q. 4. n. 19. & ante eũ Scotus ibid. q. 4. & 5. §. Ad 1. ergo D. E. Adde Bellom. 1. p. diſp. 176. c. 6. n. 32.* Et eodē modo explicabitur iſta actiuitas actiuæ obedientiæ in cęteris rebus, quæ à Deo aſſumuntur ad effectus ſupernaturales.

D. Bonau. Durand. Scotus. Bellom.

§. 2.

7. 2. opinio diſtinguitur.

Secunda ſententia diſtinguit.

SEcunda ſententia eſt eorũ, qui diſtinctione vtūtur: ſunt enim quidā effectus ſupernaturales, qui ex ſua natura ſaltē generica, per ſe reſpiciūt virtutē aliquā creaturę innatā, ſaltem inchoatā, & remotā, à qua in ſua productione pendēt. Alij ſunt, qui nulla eſſendi ratione vel ſpecifica, vel generica pendent à natiua virtute alterius creaturæ. Prioris generis ſunt actus ſupernaturales intellęctus, & volūtatis, tam viæ, quàm patriæ: etenim viſio beata ex ſua ratione generica (quatenus ſ. eſt intellectio) per ſe reſpicit natiuam virtutē intellectus; quia ex ſua natura vēdicat non eſſe, niſi ab intellectu eliciatur, vel ſaltē poſſit elici. Et idem vendicat ſibi actus ſupernaturalis charitatis, quatenus eſt volitio: ſub hac enim ratione ex ſua natura per ſe pendet à volūtate. Poſterioris generis ſunt gratia, habitus fidei, ſpei, & charitatis, luminis gloriæ; deniq; cætera opera ſupernaturalia, quæ nō ſunt operationes vitales: imò etiā viſio reſpectu auditus, & auditio reſpectu viſus, frigus reſpectu caloris, & alia id genus. ¶ Inquiūt

Duo genera effectuũ ſupernaturalium.

1. genus.

8. 2. genus.

9. igitur nōnulli ad effectus prioris generis potentiā obedientialē actiuā poſſe phyſicè cōcurrere; nō tamen ad effectus generis poſterioris. Hanc ſententiā ego colligo ex Bellomontano, ſi attentiùs expendatur *1. p. diſp. 176. c. 3. n. 14. & c. 4. & 5. & diſp. 188. c. 2. n. 8. & diſp. 243. c. 3. n. 11.*

Hæc ſententia eſt Bellomontani.

10. Fundamentũ huius opinionis, quantũ ego poſſum colligere, eſt hoc: quoniam nullũ agens poteſt ad aliquē effectũ phyſica actione cōcurrere, niſi ad illũ habeat aliquā virtutem, ſaltē inchoatā, & remotā. Cum verò hæc inchoata virtus ad effectus ſupernaturales in omnibus rebus nō inueniatur, ſed in ſolo intellectu, & volūtate ad effect⁹ prioris generis; hinc eſt, vt potentia actiua obedientialis in ſolo intellectu, & volūtate poſſit phyſicè influere in effectus prioris generis: in cæteris autē rebus obedientia iſta actiua nullā poteſt habere phyſicā influentiā ad effectus ſupernaturales, cuiuſcunq; illi ſint generis, ſed ſolā moralē. Ex quo fundamēto in ea eſt ſententia, vt nec Chriſti humanitas ad miracula; nec ſacramenta ad gratiam ſint cauſæ phyſicæ, ſed ſolùm morales.

Fundamentum.

§. 3. *Vera ſententia.*

11. DIcendũ eſt tamē cũ cōmuniori, & lōge veriori ſententia, etiā ad effectus poſterioris generis, potentiā obediētialem actiuā aſſumptā à Deo poſſe concurrere cōcurſu phyſico, & reali. Quæ ſētentia ex eo primũ cōfirmatur, quia non ſunt audiendi, qui in Chriſti humanitate reſpectu miraculorũ, & in ſacramētis reſpectu gratiæ, ſolā moralē cauſalitatem agnoſcunt, vt alibi diligentiùs oſtendimus, & nobiſcũ demōſtrat *Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 5. & 6. & 3. tom. diſp. 9. ſect. 2:* etenim moralis cauſalitas nō videtur ſatis ad ſaluandā ꝓprietatem loquendi ſacræ Scripturæ, Cōciliorũ, & ſanctorũ Patrũ, vt ſupponim⁹ alibi diligentiùs demōſtratum: eſſetq; eccleſiaſticũ dogma riſui Philoſophis gentilibus, qui cum Ariſtotele nullam aliam moralem cauſalitatem agnoſcunt, niſi eam, quæ fit conſulendo, imperando, & rationibus perſuadendo, atq; inducendo agens liberum ad aliquid operandum: nec Philoſophia naturalis aliam cauſalitatē moralē approbabit, niſi quam explicuimus. Porrò ſi ad miracula faciēda, & ad cōferendā gratiā Deus ſuas creaturas aſſumit, vt veras cauſas phyſicas; cur

Vera ſententia ſimpliciter affirmat

1. ratio.

Suar.

cur ad quoſcunque alios ſupernaturales effectus producendos illis non vtetur?

12. 2. ratio. Deinde accedat vnicum, & ſufficiens fundamentum ad demonſtrandum, quæ diuinam omnipotentiã concernunt: nulla enim apparet repugnantia, ſi Deus ſuã creaturam, vel eleuet, vel vt inſtrumentũ phyſicum aſſumat ad producendum ſupernaturalem effectum, quem voluerit.

13. 3. ratio. His adiungimus rationem non improbabilẽ: nam ſi naturalia inſtrumenta ſubſtantiæ, ideò, quia ſunt ſubſtantiæ virtutes, ab ea naturaliter dependẽtes, & in eſſendo, & in agendo, ſimul cum ipſa phyſicè influunt in effectus virtutem eorum propriã excedentes (accidentia enim actione phyſica, & inſtrumentali attingũt ſubſtantiã, vt ſupponimus) cur creaturæ ideò, quia ſunt participationes diuinæ ſubſtantiæ, dependentes ab ea tum in eſſendo, tum in agendo, non poterũt à Deo inſtrumẽtaliter eleuari, vt ſua actiua obedientia phyſicè operentur effectũ, etiam ſi ille excedat adæquatũ natiuæ ſuæ actiuitatis obiectum? nam intellectus, & voluntas ad actus ſupra ſuam naturalem virtutem à Deo eleuantur. Vnde igitur talis eleuatio repugnabit? nam gratis, & ſine probabili fundamẽto dicitur à Bellomõt. ad phyſicã inſtrumẽti eleuationẽ neceſſariò requiri, vt effectus ſecundũ aliquã eſſendi rationẽ reſpiciat ipſum inſtrumẽtum tanquã per ſe cauſã, à qua pendeat: id enim rationi veri, & proprij inſtrumenti potiùs officit, quàm proficiat: talis enim depẽdentia ex ſua natura arguit dependẽtiam ab alio, vt à cauſa in ſuo ordine principali, & excludit dependentiã, vt à cauſa inſtrumentaria. Et inde eſt, vt intellectus ad viſionem beatam eleuetur, non vt inſtrumentum, ſed vt cauſa in ſuo genere, & ordine principalis, vt dicemus inferiùs q. 3. vide etiam art. 9. huius q. §. 5.

§. 4.

Ad argumenta in oppoſitum.

14. Ad argum. ARgumẽta adducta pro vna, & altera opinione vim nõ habent. Nam quę pro prima opinione adducũtur, petunt grauẽ difficultatẽ inferiùs explicandã; quomodo ſ. & qua virtute obedientia iſta actiua influat in effectũ ſupernaturalẽ, in quẽ ſe ſola influere non poteſt? Cui difficultati variè à varijs reſpondetur, vt videbimus, tum in hac q. tum in quęſt. 3. ſequẽte. Quare breuiter illa diſſoluemus. 51

Ad 1. Ad 1. cõceſſa maiore, negãda eſt minor.

Ad 2. Ad 2. admittendus eſt totus diſcurſus: quomodo autẽ virtus illa ſuperaddatur? an cum reali immutatione; an ſine illa? quidam realem admittunt; alij eam negant; vera reſolutio ex dicendis patebit.

Ad 3. Ad 3. dicendũ eſt potentiam obedientialem actiuã habere connectionẽ obediẽtialem cũ effectis, ad quæ aſſumi poteſt: & quanuis hæc non in omnibus ſit poſitiua, ſed in ſolo intellectu, & voluntate, vt plerique volunt; in omnibus tamen reperitur per non repugnantiam.

Ad fundamentũ opinionis mediæ. Fundamẽtum ſententiæ mediæ (quod eſt Bellomõtani) ſine fundamento ſumit nullum agens poſſe actione phyſica concurrere ad aliquem effectum, niſi ad illud habeat virtutem ſaltem inchoatam, & remotam; quod plerique negant.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm hæc potentia actiua obedientialis poſitiua ſit aliquid exiſtens in rebus ante ſupernaturalem eleuationem? 1.

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

DIximus ſuprà art. 2. potentiã obedientialẽ, ſiue actiuã, ſiue paſſiuã, eſſe quid poſitiuũ, quod ipſi creaturę eſt principiũ formale, quo obediẽtialiter eſt potens facere, quod Deus per eã vult facere. In 5. art. oſtendimus, creaturã per hanc potentiã obedientialẽ poſitiuã phyſicè cũ Deo cooperari ſupernaturalia, ad quæ aſſumitur. Cõſequenter inquirendũ eſt; an hæc poſitiua, & actiua obediẽtialis potẽtia ſit aliquid præexiſtens in rebus ante ſupernaturalẽ eleuationẽ? ex quo patet quæſtioni non eſſe locũ apud eos, qui volunt, potentiã obedientialem actiuam ante eleuationẽ nihil aliud eſſe, quàm nõ repugnantiã: nec apud eos, qui huic potẽtiæ denegant phyſicã efficientiã in opera ſupernaturalia, quæ per eam fiunt. 2. Notabil. 1.

Notandũ etiã eſt, inter omnes conſtare creaturã quę habet potentiã obedientialẽ actiuã, nunquã eſſe in actu 1. producendi ſupernaturales effectus, niſi per aliquod principiũ effectiuũ ſupernaturale prius eleuetur, quod ad eã aliquo modo pertineat, vt benè annotauit *Fonſeca 9. Metaphyſic. cap. 1. quæſt. 4. ſect. 4. pag. 612. col. 2.* & eſt communis doctrina, quæ ex 3. Not. 2. Fonſeca.

co

eo eſt manifeſta; quia principia effectiua ſupernaturalium non poſſunt non eſſe ſupernaturalia: cum enim effectus ipſi ex ſe ſint ſupernaturales, ex ſe poſtulant principia eiuſdẽ ordinis. Vnde ſi res creatæ concurrunt actiuè ad effectus ſupernaturales (vt verè concurrunt) aliquod principium ſupernaturale hebeant, neceſſe eſt, à quo actiones ſupernaturales, & ſupernaturales effectus actiuè procedãt.

4. Not. 3. Hæc autem ſupernaturalia principia Deus rebus non dedit, cum eas condidit; ea tamen illis communicat, quando ad effectus ſupernaturales illas aſſumit; quod inferiùs latiùs oſtendemus: interim ſatis ſit, id expreſſè docuiſſe Auguſtinum. 9. ſuper Geneſim ad literam cap. 18. vbi ita ait: *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas cauſas, quas rebus conditis non inſeruit; eaſq; implet non illo tempore prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint; ſed quo eas adminiſtrat, vt voluerit, quas vt voluit condidit.* Id ipſum dixerat cap. 17. præcedente: *Nec enim potentia temerariæ, ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt; & hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit, vt poſsit.* Deus igitur, ex ſententia Auguſtini, tunc rebus communicat principium ſupernaturale, quod apud ſe habet, quando effectus ſupernaturales, quos vult, per eas adminiſtrat. Vnde res creatæ non ſimpliciter habent principium ſupernaturale, quo eleuantur, & fiunt in actu primo ad agendum; ſed tunc cum Deus actualiter illis vtitur ad producendos effectus ſupernaturales, quos vult.

Auguſt.

5. Quid inquiratur? Hoc ſuppoſito, inquirendum eſt; vtrũ antequam res creatæ eleuentur ad opera ſupernaturalia, habeant in ſe ipſis potentiam iſtam obedientialem actiuam? cuius quæſtionis reſolutio neceſſaria eſt ad quæſtiones ſtatim excitandas.

§. 2.

Opinio negans.

6. Quidam negant. NOn defuerunt ex nouioribus, qui partem uegantem probauerint: qui licet admittant in rebus potẽtiam paſsiuam innatam, in illis exiſtentẽ ante ſupernaturalem eleuationem; non tamen admittunt potentiam obedientialem actiuam rebus ipſis inditam, & ante ſupernaturalem eleuationem in ipſis exiſtentem. Quæ opinio aliquando non diſplicuit.

Fundamentum iſtorum eſt; quia nihil dicitur potens agere, niſi in ſe habeat aliquod agẽdi principium: agens enim ideò dicitur potẽs agere, quia in ſe habet principium, vt agat. Sed res creatæ ante ſupernaturalem eleuationem nullum in ſe ipſis habent principium actiuum ad agẽdum opera ſupra naturam: etenim cum non dum ſint eleuatæ non habent in ſe principium ſupernaturale; principiũ autem natutale, quod habent, non poteſt eſſe illis principium actiuum ad opera ſupernaturalia. 7. Fundamentum 1.

Confirmatur; quoniam potentia obedientialis actiua nullum habet fundamẽtum in ipſa re creata: etenim nec illi immediatè conuenit ratione alicuius actus formalis; quia non omne ens eſt forma, ne dum forma actiua: nec ratione actus entitatiui; nam quãuis omne ens ſit actus entitatiuus, etiam ipſa materia prima; nõ tamen omnis actus entitatiuus, quatenus entitatiuus, ex ſe habet, quod ſit actiuus. 8. 1. confirm.

Secundò confirmatur; quoniam potẽtia obedientialis ad agendum non datur in creatura, niſi mediante obedientia ad recipiendum: ideò enim non repugnat creaturæ cooperari Deo in effectus ſuam naturam excedentes; quia non repugnat illi recipere à Deo ſupernaturalem virtutem, quæ illi ſit prima, & tota ratio agendi. Quare eodem modo non repugnat creaturæ cooperari Deo in agendo, quo non repugnat aquæ calefacere: aquæ autem ideò hoc non repugnat, quia ei non repugnat recipere calorem ab igne, mediante quo calefaciat. Sicut igitur potentia ad calefaciendum non conuenit aquę, niſi mediante potentia paſsiua ad recipiẽdum calorem; ita creaturæ non conuenit potentia ad ſupernaturaliter agendũ, niſi mediante potentia paſsiua ad recipiendũ à Deo ſupernaturalem virtutem: ob quã rationem communis ſentẽtia potentiam obedientialem explicat per potẽtiam ad recipiendum; quia hæc ſola immediatè conuenit creaturæ; actiua verò non, niſi mediante paſsiua. Quare potentia obediẽtialis actiua creaturæ non conuenit, niſi ſecundario, & ex conſequenti, & præſuppoſito ſupernaturali principio in ea recepto. 9. 2. confirm.

§. 3.

Opinio affirmans variè explicatur.

10. Opinio affirmans eſt vera. OPinio tamen affirmans eſt tenenda, quæ aſſerit, nõ ſolùm in rebus admittendam eſſe potentiam obedientialem paſsiuam, antequam à Deo eleuentur; ſed etiam actiuam. Hæc ſententia ab omnibus eſt recepta, tanquàm indubitata; nec aliquem inueni, qui expreſsè oppoſitum docuerit. *Fonſeca.* Eam in terminis docuit Fonſeca 9. *Mataph. cap. 1. q. 4. ſect. 2. pag. 609. litera C. vbi col. 1. ad finem expreſsè docet, potentiam actiuam ab ipſo ortu res comitari, nec vnquam eas deſerere; & ideo in illis reperiri ante impreſsionem cuiuſcumq; alienæ qualitatis: & col. 2. poſt princ.* docet potẽtiam obedientialem actiuam in ipſis creaturis reperiri ante eleuationem. *Suarius.* Idẽ ſatis ſignificauit Suar. 1. *tom. ad tertiam partem diſput. 31. ſectione ſexta pagin.* 600. *columna* 2. §. *Quæ hactenus diximus.*

11. Denique hanc ſententiã omnes ſupponunt, vt veriſsimam, quanuis in terminis eam non explicent. Et meritò; quoniam *Probatur ex Auguſtino.* cõfirmatur expreſsis Auguſtini teſtimonijs: nam 9. ſupra Geniſim ad literam cap. 17. ita ſcribit: *Et hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit, vt poſsit.* Ecce ex Auguſtino res creata, antequàm ad agendum aſſumatur, & illi communicetur principiũ ſupernaturale, iam in ſe ipſa habet poſſe facere id, ad quod faciendum à Deo aſſumitur. Et inferiùs agens de operibus, quæ ſunt ſuprà naturam, ita habet: *Vt autem lignum de terra excifum, aridum, præpolitum, ſine radice vlla, ſine terra, & aqua repente floreat, & fructum gignat: vt per iuuẽtã ſterilis fœmina in ſenectute pariat: vt aſina loquatur; & ſi quid eiuſmodi eſt; dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis hæc fieri poſsint.* Eccè Deus ipſis rebus in earum conditione dedit, vt per eas hęc ſupernaturalia poſsint fieri. Et cap. 18: *Non habuit hoc prima rerum conditio, quando 6. die dictum eſt, maſculum, & fœminam fecit eos, vt fœmina omninò ſic fieret; ſed tantum hoc habuit; quia & ſic fieri poſſet.* Non eſt dubitandum Auguſtinum docuiſſe potentiam obedientialẽ, qua res quæque Deo ſubijcitur, vt faciat, quidquid Deus per eã vult fieri, ineſſe in qualibet re creata, ſtatim ab ipſa ſua conditione; etiam antequã à Deo aſſumatur. Qua-

12. Senſus opinionis. re veriſsimum eſt id, quòd aduertit Fonſeca *in dicta quæſt. 4. ſect. 4. pag. 612. col. 1. §. Nec obijcias,* potentiam obedientialem actiuam in hoc ſenſu ineſſe in creaturis, vt illa in ſe ipſis eam habeant, antequamcũque ſupernaturalem eleuationem: niſi enim in ſe ipſis hanc poſsibilitatem haberent; vtique ex parte earũ illud eſſet omninô impoſsibile: vt idem Fonſeca benê aduertit. *Fonſeca.*

Sed quomodo iſta potẽtia actiua ante eleuationem in rebus inſit? non omnes eodem modo explicant. Etenim, qui putãt potentiam obedientialem actiuã formaliter non eſſe aliquid poſitiuum, ſed ſolam non repugnantiam, vt valeant aſſumi ad agendum; ideo ante eleuationem in rebus ipſis admittunt hanc actiuam potentiã; quia in ipſis ante eleuationem illã non repugnantiam agnoſcunt: vnde pro illo ſtatu ideo res dicuntur obedientaliter potentes agere; quia illis non repugnat ad agendum aſſumi. *Ita habes ex Fonſeca in dicta ſect. 4. pag. 612. poſt principium:* quæ ſententia pluribus non diſplicet. 13. Quomodo hæc actiuitas inſit ante eleuationem idubitatur. 1. Opinio.

Eam tamen Nos latè impugnauimus ſuprà articulo ſecundo, vbi §. tertio oſtendimus, potentiam obediẽtialem actiuam formaliter dicere aliquid poſitiuum, quo res ante eleuationem dicuntur potentes agere: etenim pro illo ſtatu per illud dici debent potentes ad agendum, per quod aſſumptæ debent Dẽo actiuè cooperari, vt diximus art. 5: iã verò cooperari Deo non poſſunt per non repugnantiam, cum ſit pura negatio. Itaque pro illo priori ſtatu, per aliquid poſitiuum dici debent obedientialiter potentes agere: id quod idem Fonſeca ſatis ſignificauit *in dicta q. 4. ſect. 3. pag. 610. col. 2. ad fin.* dum ita ait: *Nõ ergo ex principio actiuo, quod ex ſe habeat, ante quã eleuentur; ſed ex eo, quod illud in Deo eſt, habent, vt poſsint ad ea concurrere.* In quibus verbis, in rebus, antequàm eleuẽtur, admittit principium actiuum, à quo habent, quod poſsint concurrere. Et quanuis doceat, tale principiũ non eſſe in ipſis rebus, ſed in Deo (quod illi non recipimus) tamen docet ab eo actiuo principio, licèt extrinſeco, habere, quod ſint obedientialiter potentes. Non igitur pro illo ſtatu potentes ſunt per ſolam nõ repugnantiam; ſed per aliquod principium poſitiuum. 14. Non placet hæc opin. *Nobiſcum videtur cõ ſentire Fonſeca.*

Secunda ſententia referri poteſt ex ijs, quæ ex Fonſeca adduximus *in dicta q. 4. ſect. 3. pag. 610. colu. 2. ad finem:* vt ſcilicet, 15. 2. Opinio *Fõſeca.*

res

res creatæ, antequàm à Deo eleuentur, dicantur obedientialiter potentes ad agendum, per principium aliquod agendi actiuum, & ideo poſitiuũ, non quod in ſe ipſis habeant, ſed ex illo, quod eſt in Deo, vt patet ex verbis ſuperiùs allatis: & ſatis idem ſignificat (quanuis non ſatis clare) *pag.* 612. §. *Tertio dicendum eſt, & pag.* 613 *col.* 1. *per totam, & tandem ſect.* 8. *in ſolutione primi argumenti pag.* 622. *col.* 1. vbi admittit, quemlibet actum ſecundum ſupponere principium aliquod actiuum, vt actum primum: non tamen tale actiuum principium ſemper requirendum eſſe in ipſo inſtrumento, ſed in principali agente duntaxat. Id probat pluribus adductis exẽplis: & primũ ſumitur ex inſtrumentis artis, pingendi, ſcilicet, & ſcribẽdi, quæ actiuè concurrunt ad opera artis; & tamẽ principium actiuũ non habent in ſe ipſis, ſed in artificibus: nec enim principiũ actiuum pingendi, aut ſcribendi eſt in pennicillo, aut calamo, ſed in pictore, & ſcriptore. Principium etiam effectiuum motus, quo primũmobile rapit inferiores orbes, eſt in ſola intelligentia motrice: principium item effectuum percutionis, qua baculo globumpropellimus, non eſt in baculo, ſed in nobis. Prætereà, ſi Deus ſine lumine gloriæ abſolutè ſua potentia faceret viſionem beatam, qua beatus videt Deum, principium effectiuũ viſionis non eſſet in intellectu, ſed in ſolo Deo, cum intellectu concurrente.

Probatur exemplis.

16. Idem dicendum erit, ſi Deus ſine ſupernaturalibus habitib⁹ fidei, & charitatis ſe ſolo nobiſcũ cõcurreret ad act⁹ charitatis, & fidei: etenim principiũ effectiuũ nõ eſſet in noſtro intellectu, quo Deus tunc vteretur, tãquàm inſtrumẽto, ſed in ipſo Deo. Denique principium effectiuũ miraculorum Chriſti Domini nõ erat in rebus, quibus ipſe vtebatur ad facienda miracula; ſed in ſe ipſo. His exemplis vtitur doctiſsimus Fonſeca, vt oſtẽdat creaturas, antequàm eleuentur, non dici potentes ex aliquo principio actiuo, quod in ſe habeant, ſed ex eo, quod eſt in Deo.

17. Iſte tamen Philoſophandi modus viri doctiſsimi nũquam mihi placuit, ſed nec placuit Suario 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 6. *pag.* 590. *col.* 1. *&* 2. *& pag.* 594. *& pag.* 600. *col.* 2. in quibus locis, pluribus adductis argumẽtis, confirmare nititur nullũ agens poſſe agere, licèt ſit inſtrumentum, niſi per principium actiuum, virtutẽque agendi, quam habeat non in alio, ſed in ſe ipſo. Quam efficatiam habeant argumenta ab eo adducta, ad impugnandum modum philoſophandi à Fonſeca excogitatum?, aliorum ſit iudicium. Nos ideo illum non recipimus; quia ſingularis eſt cõtra communem cæterorum omnium doctrinã: omnes enim, aut docent, aut ſupponunt, omne agens ex eo habere, quòd poſsit agere, quia in ſe formaliter habet principium actiuum, quod illi eſt agendi ratio, & potentia. Plures ita docentes refert Suarius, qui licèt in terminis id non doceant; id ſupponunt tamen. In terminis id docuerunt Valenria 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *puncto* 3. *pag.* 192. *B.* dum ait neceſſarium eſſe, vt res formaliter habeat in ſe virtutẽ per quam agit: & Salas 1. *tom. ad primam ſecundæ q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *ad primum pag.* 357. *col.* 2. generaliter affirmat, nihil agere, per virtutem in alio exiſtentem. Quam doctrinam omnes, vt veriſsimam, ſupponunt, tàm in agente principali; ſiue totale ſit, ſiue partiale; quàm in inſtrumentali: & omiſsis alijs, ſatis nobis modo ſit D. Thomas: etenim 3. *p. q.* 13. *art.* 2. docet animam ChriſtiDomini, quę eſt Dei inſtrumentum, habere in ſe ipſa inſtrumentalem virtutem. Idem 3. *p. q.* 62. *art.* 4. Scribit, eandem ineſſe in ſacramentis: denique 1. *p. q.* 45. *art.* 5. generaliter affirmat inſtrumenta per aliquid ſibi proprium, operari.

Non Probatur iſte modus. Nec placuit Suario.

Eſt contra cõmmunẽ doctriuam.

Valentia.

Salas.

D. Thom.

Hæc communis doctrina probari poteſt, tùm generaliter in Philoſophia; tùm ſpecialiter in proprijs noſtris terminis. Generaliter quidem; quia iuxta receptã Philoſophiam, agens per id agit, per quod eſt actu tale: omne enim agens agit, quatenùs eſt actu: quare ſicut nullum agens poteſt eſſe actu tale per formam, quæ eſt in alio, vt patet; ita nullum poteſt agere per principium actiuum, quod eſt in alio. 18.

Ratione generaliter impugnatur.

Nec exempla, quæ Fonſeca adducit, aliquid ei fauent, imò reſiſtunt: nam inſtrumenta artis, licèt ante eleuationem nõ habeant in ſe ipſis principium actiuum, quo debent eleuari: tamen in ſe ipſis habent principium actiuũ, quod debet eleuari, & quod eleuatum ab artifice inſtrumentaliter influit in opus artis: Serra enim in ſe ipſa habet acutiem dentiũ, qua po- 19.

Exẽpla adducta potius reſiſtunt Fonſecæ, quam ei faueant.

poteſt lignum ſcindere; quam niſi in ſe ipſa haberet, non poſſet ſumi in inſtrumẽtum. Calamus etiam, & pennicillus in ſe ipſis habent actiuam formam aptam ad deducendas lineas, & ad communicandũ attramentum, & omnem colorandi materiam, ſine qua virtute nihil ad artem pertinerent. Exemplum autem ſumptum ex primo mobili ad rem non pertinet. Primo: quoniam primum mobile orbes inferiores ſecum rapit ab ortu ad occaſum, & ab occaſu ad ortum, motu vectionis, vt doctè aduertit *Fracaſtorius in homocentricis ſect. 1. cap. 8. quem referunt, & probant Conimbricenſes in 2. de Cœlo cap. 5. q. 4. arti. 2. in fine*: cum enim orbes inferiores contineantur in primo mobili, dum ad motũ eius mouentur, dicuntur moueri motu vectionis, ex Ariſtotele 7. Phyſic. cap. 2. tex. 10. Vnde non per ſe, ſed per accidẽs mouentur, ex Ariſtotele in eodem loco. Quare hoc exemplum ad rem non pertinet; cum primum mobile, nec vt inſtrumentũ actiuè influat in orbes inferiores.

Exemplum ex 1. mobili nihil facit.

1. Mobile rapit orbes motu vectionis.

Fracaſtori. *Conimbr.*

20. Et quanuis in eo admitteremus inſtrumentalem actiuitatem, adhuc exemplum non eſſet pro Fonſeca, ſed pro nobis: quoniam ſi ſermo ſit de actuali motu, primũ mobile non mouet orbes inferiores per principiũ actiuum, quod ſit in intelligentia mouente; ſed per principium actiuũ, quod in ſe habet: mouet enim illos per impulſum in ſe ipſo receptum ab intelligentia, vt verior habet Philoſophia iam recepta, de qua Conimbricenſes *in 7. Phyſicor. cap. 2. q. 1. art. 8. pag. 681. §. Contraria ſententia, & in 2. de Cœlo cap. 3. q. 4. art. 2. pag. 168. poſt principium*. Hunc autem impulſum inferioribus communicat. Si verò ſermo ſit de primo mobili, antequàm per impulſum receptum eleuetur, habet in ſe ipſo qualitatem ſoliditatis, qua aptũ eſt actiuè impellere orbes inferiores, ſi ipſe moueatur. Sed prior ſolutio eſt Philoſophiæ magis conſentanea.

Primũ mobile mouet alios per impulſum receptum ab intelligentia.

Conimbr.

21. Ad id, quod adducit de intellectu ſine lumine gloriæ eleuato ad vidẽdum Deũ, plures negarent, id eſſe poſſibile; & hanc ſententiam eſſe veriorem oſtẽdimus lib. 9. q. 6. art. vnico §. 3. & 5. ſed admiſſo caſu negamus intellectum eſſe obedientialiter potentẽ per principium actiuũ, quod eſt in deo; ſed per propriam actiuitatem radicalem, prout eſt à Deo eleuabilis; vnde per eandem actiuitatem iam eleuatam videt Deum, vt potentia, quæ videt; idque per principium, quo eleuatur, tanquàm per principium, quo proximè videt. Sed de hoc plura dicemus in hôc libro. Et eodem modo ſoluitur, quod adducitur de Deo ſe ſolo ſine habitibus concurrẽte ad act⁹ fidei, & Charitatis: etenim intellect⁹ obedientialiter eſt potens per radicalem ſuam actiuitatem, vt eleuabilem. Quod vltimo loco adducitur de rebus, quibus Chriſtus Dominus vtebatur, tanquàm inſtrumentis ad facienda miracula, nihil obſtat: quoniam in illis rebus datur actiuum principium, quo obediẽtialiter erãt potentes, vt eleuatæ inſtrumentaliter ſe ipſis influerẽt in opera miraculoſa, vt ex dicendis patebit.

Ad exemplũ de intellectu ſine lumine

Ad res quibus Chriſt⁹ faciebat miracula.

22. Nec modus iſte Philoſophandi ſolùm impugnatur ex Philoſophia generaliter recepta; ſed ex ſpeciali Theologia propria noſtræ quęſtionis: in ea enim inquirimus, à quo nam principio actiuo quæque creatura ante eleuationẽ dicatur obedientialiter potens; non verò, à quonam principio actiuo dicatur completè, & proximè potens poſt eleuationem. Iam verô principium actiuum, quod eſt in Deo, eſt illud ipſum, quo creatura eleuatur, vt proximè poſſit; etenim per illud ſibi cõmunicatum (quodcũque illud ſit, de quo inferiùs) fit in actu primo completo, & proximo. Ergo per illud non poteſt dici obedientialiter potẽs, ſed per illud prius: hoc enim obedientialiter eſt eleuabile per illud, quod eſt in Deo: nam ex Auguſtino Deus eas cauſas, quas in ſe habet abſcõditas (quæ ſunt rationes obedientiales, & principia actiua, quibus creaturæ eleuantur ad miracula patranda) tunc rebus cõmunicat, cum illas actu adminiſtrat, & ad agendum aſſumit, vt patet *ex 9. ſuprà Geneſim ad literam cap. 18. cuius verba adduximus §. 1.* Cum tamen ex eodem Auguſtino ante hanc communicationem creaturæ iam ſint obedientialiter potẽtes per id, quod in ſua creatione Deus illis dedit, vt poſſint; quod ſatis explicat in eodem loco *cap. 17.* dum ait: *Et hoc in vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit. vt poſſit*; quæ verba ſatis ſignificant, Deũ ante eleuationem, communicationemq; cauſarum abſconditarum, actiuorumque principiorum, in ipſa creatura feciſſe aliquid

Ex proprijs ipugnatur.

Auguſt.

quid, quod poſsit; dum id, quod in ea fecit, diuinæ voluntati obedientialiter ſubiecit, vt in dicto cap. 17. explicat inquiẽs: *Nam licet illis dederit, vt ex ipſis poſsit fieri, quod rationes earum ſeminales excedit, id tamen in hoc ſenſu illis dediſſe dicitur; quia illis dedit, vt in ſua natura voluntati potentiori omnimodè ſubiaceret.*

23. Dedit igitur illis, vt ex ijs, quæ in illis fecit, poſsit fieri, quod naturam earum excedit: & in hoc ſenſu id illis dedit, quia id, quod dedit, voluntati diuinæ ſubiecit. Habemus igitur ex Auguſtino, creaturã non ſolùm in ſe ipſa habere aliquid poſitiuum, quo pôſsit; non proximè, ſed obedientialiter; ſed etiam eã ideo illud poſſe, quia Deo eſt ſubiecta. Igitur creatura obedientialiter eſt potens per poſitiuum, quod in ſe habet; non ſimpliciter: (quia id, in quod obedientialiter poteſt, naturalem eius potentiam excedit) ſed quia eſt Deo ſubiecta, vt eleuari, & aſſumi poſſit ad agendum omnia, quæ Deus voluerit. Quare meritò inquirimus, quodnam ſit hoc principium poſitiuum, & actiuũ, quo creatura, vt Deo ſubiecta, obedientialiter eſt potens.

§. 4.

Verus ſenſus reſolutionis.

24. Vera ſentẽtia. OMiſſa igitur vtraque explicatione doctiſsimi Fonſecæ, vera reſolutio ſit, vt creatura ſit obedientialiter potens in omnia, quæ Deus voluerit per potentiam obedientialẽ actiuam, quæ eſt in ipſa, vt cum eodem Fonſeca, & alijs iam oſtendimus. Quælibet autem dicitur obedientialiter potens, non per ſolam nõ repugnantiam, vt Fonſeca volebat; ſed per aliquod principium actiuũ poſitiuũ, vt etiam monſtrauimus articulo ſecũdo: non quidem per principium actiuũ, quod eſt in alio, vt contra Fonſecam immediatè diximus; ſed per illud, quod eſt in ipſa creatura à ſuo ortu, vt ex Auguſtino in §. præcedente oſtendimus. Denique, quod hoc poſitiuum principium actiuũ ab ipſo ortu ſit in creatura; ſatis patet ex verbis adductis ex dict. cap. 17: *Et hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit, vt poſsit.* Ecce antequam per creaturas aliquid agat in tempore, iam illis dedit, vt poſsint illud agere. Et inferiùs agens de ijs. quæ per creaturas in tempore facit, ita ſcribit: *Dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis hæc fieri poſsint.* Igitur id, quo creaturæ poſſunt agere, naturis illarum dedit, & ſubinde illis eſt innatum. Denique ibidem cap. 18. agens de creatione fœminæ ex coſta, ita inquit: *Non habuit hoc prima rerum conditio, quando ſexto die dictum eſt, maſculum, & fæminã fecit eos, vt fœmina omninò ſic fieret: ſed tantum hoc habuit, quia & ſic fieri poſſet.* Igitur non eſt dubitandum ex Auguſtino, potentiam obedientialem, tàm paſsiuam, quàm actiuam eſſe potentiam quãdam innatam: ita vt ſicut innatũ eſt illud principium paſsiuum, quo quælibet res potens eſt recipere, quod Deus voluerit, ita etiam innatum ſit, & natiuũ cũ creatura principium illud, quo creatura potens eſt agere cum Deo, quæ cum illa Deus agere voluerit.

Creatura ẽ obedientialiter potens per virtutẽ quæ eſt in ipſa.

§. 5.

Solutio argumentorum.

QVæ verò §. ſecundo in contrariũ obijciuntur, nihil faciunt. Ad primum; conceſſa maiore, neganda eſt minor; oppoſitũ enim docuit Auguſtinus: creaturæ enim in ſua creatione dedit Deus principium poſitiuum, quo obedientialiter eſt potens agere, quæ Deus per illam voluerit agere. Ad probationẽ concedimus res ipſas ex ſuo ortu non habere cauſas illas ſeminales, quas Deus habet in ſe abſconditas; has enim rebus non communicat, niſi quando in tempore eas ad agendum aſſumit, vt diximus ex Auguſtino. Quare creaturæ à ſuo ortu non ſunt potentes in actu primo, & proximo; ſunt tamen potentes in actu incompleto, & remoto, vt ſatis manifeſtè probãt, quę ex Auguſtino adduximus; in quo actu ſunt per principium poſitiuum actiuum, ideo naturale, quia natiuũ; per quod creatura potens eſt; potentia tamen remota, quia poteſt cum Deo agere, quando ad agendum fuerit aſſumpta. 25. Ad 1.

Ad primam confirmationem negandum eſt, id, quod ſumitur: probatio autẽ petit id, de quo eſt cõtrouerſia, quodnam ſit illud poſitiuum, in quo iſta actiua potentia fundatur, de quo inferiùs art. 9. & 12. quidam enim volunt eam fundari in actu entitatiuo: alij veriùs dicunt, illam fundari in actu formali actiuo. 26. Ad 1. cõfir.

Ad

27. Ad 2. cõfir. Ad ſecundam confirmationem negamus, potentiam obedientialem actiuam immediatè non conuenire rebus; ſed ſolũ mediante obedientiali paſsiua: nam quãuis potẽtia obedientialis actiua nõ poſsit ad actum reduci, niſi ipſa in ſe ſit obediẽtialis paſsiua ad recipiendas rationes ſibi à Deo communicandas, quando in tempore ad agendum aſſumpta fuerit; tamen ipſa in ſe immediatè conuenit rei creatæ; quia conuenit illi ratione formæ actiuæ, quę ipſa, vt diuinæ potentiæ ſubiecta eſt, eſt ipſa potentia obediẽtialis actiua. Quare aliud eſt potentiam actiuam obedientialem non reduci ad actum immediatè, ſed mediante potentia paſsiua; & aliud eã non conuenire immediatè ipſi creaturæ, de quo iterum dicemus in ſequenti articulo §. tertio.

Annotatio ad ſequentes articulos neceſſaria.

1. ¶ Ex ijs, quæ diximus, iam patet potentiam obedientialem actiuam eſſe aliquid poſitiuum, & creatũ: & rem ipſam creatam pro ſtatu, in quo nondum eleuatur, eſſe obedientialiter potẽtem per aliquod principium poſitiuum, quod eſt in ipſa.

2. Inquirendum eſt igitur, quodnam ſit hoc poſitiuum principium? & in quo ſenſu dici debeat actiuum? quæ difficultas inter Nouiores non minùs controuerſa eſt, quàm difficilis explicatu: in ea enim variæ inueniuntur ſententiæ, quas oportet referre, & ſingulatim explicare, vt difficultas iſta faciliùs intelligi valeat. Quare in art. 7. ſequente expendemus ſententiam eorum, qui volunt poſitiuum illud, quo res creata ante eleuationem, dicitur obedientialiter potens, nullam in ſe habere actiuitatem. In art. 8. referemus opinionem, quæ docet poſitiuum illud eſſe quidem principium agendi actiuum; eſſe tamen aliquid creaturæ ſuperadditum in ſua creatione. In nono latè examinabimus opinionẽ, quæ ponit potentiam obedientialem actiuam eſſe virtutem aliquã rebus innatam. In decimo articulo expendemus; quomodo hæc virtus actiua innata, & ab ipſis rebus creatis, & à virtute earum naturali, diſtinguatur? & tandẽ cætera inquiremus, quæ in principio huius quæſtionis explicanda propoſuimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm principium poſitiuum, quo res ante eleuationem dicuntur obedientialiter potentes, habeant actiuitatem influentem in effectum ſupernaturalem?

§. 1.

Opinio negans.

1. Opinio negans. QVod attinet ad id, quod ſeptimo loco erat inquirendum, expendẽdum eſt, an principium illud poſitiuum, quo res, antequam eleuentur, dicuntur obedientialiter potẽtes, habeat in ſe actiuitatem, qua influant in ſupernaturalem effectum, ad quẽ eleuantur? partem negantem nonnulli probant; vt Cabrera 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *diſpu.* 6. *nam poſtquam dub.* 1. §. 2. *num.* 7. *pag.* 41. *colum.* 1. docuit potentiam obedientiale deformali dicere quid poſitiuum, explicans dubium ſextum §. 4. *num.* 7. *in* 2. *concluſione pag.* 53. *col.* 1. expreſsè ſcribit, potententiam obedientialem actiuam nullum importare actum, aut vim actiuam, & cauſatiuam effectus; ſed ſolùm dicere ordinem ſuſceptiui ad diuinam virtutem, à qua effectus eſt producẽdus. Et inde infert potentiam obedientiæ actiuam ideo dici actiuam, quia ex diuina virtute eſt receptiua virtutis actiuæ, quæ in vſu debet operari in effectũ. Admittit igitur rem creatam per potentiam obedientialem actiuã concurrere efficienter ad actum ſupernaturalem, ad quem producendum aſſumitur; non tamen concurrere, niſi poſtquam eſt eleuata, & per virtutem actiuam, qua eleuatur: etenim ante eleuationem non habet in ſe aliquem actum, quo actiuè influat in effectum: ſed ſolùm habet potentiam paſsiuam, vt poſsit recipere virtutem actiuam, à Deo ſibi cõmunicandam. In eadem ſententia eſt Ioann. Vincentius de gratia Chriſti q. 6. p. 795. *Cabrera.*

2. Fundamentum. Huius opinionis totum fundamentũ ex eo ſumitur; quoniam potentia obedientialis actiua non poteſt poni in rebus, tanquam aliqua virtus illis ſuperaddita, vt oſtendemus in ar. 8. nec etiam poni poteſt, tanquam aliqua virtus innata, cuius argumẽta referemus art. 9. §. 1. Ergo poſitiuum illud, quod potẽtia actiua formaliter

liter dicit, non erit aliquis actus habens in ſe aliquam actiuitatem, etiam incompletam, & remotam, qua res creata actiuè influat in ſupernaturalẽ effectum: & per conſequens non ob aliam rationem poſitiuum illud dici debet potentia obedientialis actiua, niſi ratiõe paſsiuę, quã habet, vt in ipſa eleuatione poſsit in ſe recipere actiuam virtutem, per talem eleuationem ſibi communicatam, qua ſola vt totali virtute in effectum influat.

3. Olim ita ſẽ ſit auctor. Quam ſententiam ex eodem fundamento ego aliquando probabilem duxi; & exiſtimaui veteres Theologos in hoc tantum ſenſu admiſiſſe in rebus obedientiam actiuam ante eleuationem; quia entitas cuiuſque habet obedientiam paſsiuã, ſimul cum non repugnantia, vt recipiat à Deo ſupernaturalem agendi virtutem, qua in effectum influat. Quare, licèt talis creata entitas immediatè ſit obedientia paſsiua illius virtutis, quam debet recipere; dicitur tamen actiua; quia eſt in potẽtia, vt recepta præcitata virtute poſsit agere. ¶ Inde inferebam non dari in creatura obedientiam actiuam ad agendum, niſi mediante potẽtia paſsiua ad recipiendum: vt ideo obedientialiter dicatur potens agere effectus ſupernaturales; quia obedientialiter eſt potens recipere virtutem, quæ illi ſit prima, & tota ratio agendi. Secundo inferebam ſolam potẽtiam obedientialem paſsiuam dici poſſe ſimpliciter innatam; actiuam verò minimè: quia ſcilicet potentia obedientialis actiua illi non conuenit, niſi ſecundariò, & ex conſequenti. Imò ſi propriè loquẽdum eſt, potentia illa obedientialis actiua non poteſt conuenire, niſi per puram nõ repugnantiam; cum immediatè non fundetur in aliquo reali fundamẽto; ſed mediante non repugnantia paſsiua, ratione cuius entitas creaturæ non eſt illi fundamentum proximum, ſed remotum.

Illatio.

4. Cõfirmatio Et hãc doctrinam coroborabam; quoniam potentia iſta actiua nullũ in re creata habere poteſt immediatum fundamentum: quod tamen benê habet potentia paſsiua: hęc enim ideo in quaque re creata immediatè fundatur; quia quælibet ex ſua natura habet actum admixtum cum potentialitate; & inde eſt, vt ex ſua natura ſit potentialis ad recipendas ſuas naturales perfectiones: & prætereà, quod ſit in obedientia, vt in ſe recipiat quidquid Deus voluerit. Porrò potentia obedientialis actiua nullũ habere videtur ĩmediatũ fundamentũ, in quo fundetur: etenim hæc obediẽtialis actiuitas immediatè conuenire nõ poteſt rei creatæ ratione potẽtialitatis; qa potẽtialitas nõ poteſt fũdare actiuitatem. Nec ſecũdo poteſt cõuenire ratione alicuius actus formalis; quia non omne ens eſt forma: nec tertio conuenire poteſt ratione actus entitatiui: nam quamuis omne ens ſit actus entitatiuus, etiam materia prima (ſi hoc benè explicetur:) non tamen omnis actus entitatiuus, vt talis, ex ſe habet, quod ſit actiuus. Quare potentia obedientialis actiua nullo modo poteſt rei creatæ conuenire immediatè; ſed mediatè ſolùm, & remote: ſcilicet mediante pòtentia paſsiua, qua apta eſt recipere virtutem ſupernaturalem, quæ illi ſit prima, & tota virtus agendi.

§. 2.

Affirmatio eſt vera.

His tamen non obſtantibus, aſſerenda eſt ſententia, quæ affirmat poſitiuum illud habere aliquam actiuitatem, qua, poſtquam eleuatum fuerit ad actum primum, actiuè influat in ipſos effectus ſupernaturales. Quam ſententiã non poſſunt non probare: tum; qui voluut, hoc poſitiuum eſſe formam actiuam ſuperadditam entitati creaturæ, de quibus in ſequenti articulo: tùm etiã illi; qui volunt, illud poſitiuũ eſſe virtutẽ actiuã, innatã quos referemus art. 9. Cum verò ſententiam de virtute innata, vt probabiliorem approbaturi ſimus; non poſſumus in hoc articulo non approbare ſententiã affirmantem. Quare ſicut in hoc pũcto ſententia negans ſolùm fundatur in negatione alicuius virtutis actiuæ, ſiue ſuperadditæ, ſiue innatæ; ita hæc affirmans ſatis ſuperque cõfirmata manet, ſi in rebus creatis admittẽda ſit aliqua virtus actiua, non ſuperaddita, ſed innata. 5. Vera eſt opinio affirmãs

Quòd illud poſitiuum habeat in ſe ipſo aliquod poſſe actiuum in effectus ſupernaturales, mihi ſatis probant verba Auguſtini ſæpius allata, ex 9. ſuprà Geneſim ad literam cap. 17: nam poſtquam docuit cauſas rerum ſupernaturalium non eſſe rebus inditas in ipſo earum ortu; ſed eſſe 6. Probatur ex Auguſt.

in

in Deo abſconditas, ſuo tempore rebus communicandas; addidit Deum in ipſa creatione rerum ipſis rebus dediſſe, imò etiam in eis feciſſe, & poſuiſſe, quòd in ea poſsint; ita enim ait: *Et hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit, vt poſsit*: & inferiùs: *Dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis hæc fieri poſsint.* Hæc, inquam, id eſt effecta ſupernaturalia. Imò declarat, Deum in ipſis rebus poſuiſſe hoc poſſe; ſcilicet cooperari in effectus earum naturam excedẽtes. Hoc autem poſſe tunc in eis fecit, poſuitque, cũ voluntati ſuæ eas ſubiecit: ex qua ſubiectione res habuerunt aptitudinem, vt illos effectus ſupernaturales poſsint agere, vt oſtendimus articulo decimo.

7. Quare ex doctrina Auguſtini ſimpliciter admittendum eſt, res creatas abſolutè loquendo eſſe potẽtes (potentia quadã obedintiali) facere, quæcumque Deus per illas vult facere. Quanuis per illud poſſe non potentes ſint, vt abſque ſpeciali Dei concurſu poſsint exire in actum, vt declarat in illis verbis: *Non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri abſque ipſo poſsit.* Quæ verba ſatis declarant illud poſſe non eſſe aliquod poſſe completum, ſed incompletum potiùs, & inchoatum, & adhuc indigens ſupernaturali aliquo Dei concurſu. Eſt igitur tale actiuum poſſe quoddam poſſe adhuc exiſtẽs in potentia, vt cõpleatur, & ſubinde adhuc exiſtens in potentia eſſentiali, vt Philoſophi appellãt: quod actiuum quidem eſt, indigẽs tamen actu primò, vt fiat poſſe proximum, quod appellatur poſſe in potentia accidẽtali. Quæ omnia mihi ſatis ſufficienter probant falſum eſſe in rebus ante eleuationẽ ſolũdari potentiã paſsiuã, & paſsiuã nõ repugnantiam ad recipiendũ, & aſſequendum ipſũ poſſe proximũ, & in actu primo: etenim potentia paſsiua ad recipiendum ipſum poſſe completum, formaliter non facit, ſed ſupponit, dari aliquòd poſſe, quod eleuatum fiat poſſe proximũ, & in actu primo. Quod in hac materia eſt ſubtiliter annotandum. Quod etiã annotabimus inferiùs art. 9. §. 5. in impugnatione ſecundi modi dicendi.

§. 3.

Argumenta negantis vim non habent.

EX quo fundamento facilè ſoluuntur, quæ pro negante ſentẽtia ſunt adducta. Nam fundamentum Cabreræ falſo nititur fundamento, dũ ſupponit in rebus non eſſe admittendam virtutẽ obedientialem actiuam innatam, & congenitam. Argumenta in contrarium ſoluemus art. 9. 8. Ad fundamẽtũ Cabreræ.

Quæ nos primo loco adducebam⁹, in eo claudicant, quòd ſupponunt potentiam obedientiæ actiuam ineſſe rebus mediante potentia obedientiali paſsiua ad recipiendum actum primum, quo eleuatur: id enim eſt falſum; quia ipſa obedientia actiua immediatè conuenit rei creatæ, quatenùs eſt actus; ſicut & paſsiua eidem cõuenit, quatenùs eſt potentia, ratione materiæ. Vnde ſicut obedientia paſsiua realiter eſt ipſa entitas creaturæ, vt ratione materiæ entitatiuè eſt paſsiua; ita obedientia actiua realiter eſt ipſa entitas creaturæ, vt ratione actus entitatiuè eſt actiua. 9. Ad ea quæ 1. loco adducuntur.

Quare vtraque potentia immediatè cõuenit ipſi rei creatæ: vna ratione ſuæ formæ, quæ eſt actus; altera ratione ſuæ materiæ, quæ eſt potentia. In hoc autem eſt deceptio, quia ex eo, quòd potentia actiua non poteſt immediatè redduci ad actum operandi, niſi mediãte potentia paſſiua, quam in ſe habet (cum non ſit actus purus) ad recipiendum actum primum, in quo prius debet reponi, quàm agat; inferunt eam non poſſe immediatè conuenire rei creatæ, ſed mediante potẽtia paſſiua: quæ tamen conſequentia non valet: quia non eſt eadem ratio in vno, & in altero: etenim ipſe actus rei creatæ, vt eſt ſubiectus diuinæ omnipotentiæ, eſt ipſa potentia actiua obedientialis: qui tamen, cum non ſit purus actus (eſt enim actus creatus) ex ſua natura eſt in potentia eſſentiali ad actionem ſupernaturalem; & per conſequens eſt in potentia obedientiali paſsiua ad recipiẽdum actum primũ. Quòd non tollit, quin immediatè inſit ipſi creaturæ, vt eſt actus: nam ipſa etiam potentia obedientialis paſsiua immediatè conuenit creaturæ, vt eſt entitas paſsiua; & tamen plures formas ſupernaturales, quarum eſt ſuſceptiua, non poteſt immediatè recipere, ſed mediante aliqua ſupernaturali diſpoſitione, ad quam eſt in obedientiali potentia paſsiua. Quare potentiam actiuam in ordine executionis non 10.

exire in actũ, niſi mediãte potẽtia paſsiua, non arguit eã nõ conuenire ipſi creaturæ immediatè, ſed mediante potẽtia paſsiua.

11. Ad adducta 2. loco. Quod verò 2. loco à nobis adducebatur, vim non habet: quia falsũ eſt potentiã obedientialem actiuã nullũ habere immediatũ fundamentum in ipſa re creata: quoniã habet ipſum actum formalem, & actiuum, prout omnipotentia diuinæ ſubiectum eſt, vt latiùs dicemus art. 10.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm potentia obedientialis paſsiua, & actiua ſit aliquod poſitiuum ens creaturæ ab ortu ſuperadditum?

1. EX ijs, quæ ad finẽ articuli præcedẽtis in poſita annotatione diximꝰ, patet in hoc articulo ſupponi, rẽ eſſe obedientialiter potentem potentia actiua per aliquod principiũ, quod ante eleuationẽ eſt in ipſa. Hoc ſuppoſito, vt explicetur, quodnã ſit hoc principiũ, excitamus præſentẽ quæſtionẽ in titulo propoſitã.

§. 1.

Opinio affirmans.

2. Opinio affirmans. PLures referunt quoſdã Theologos affirmare, potentiã obedientialem actiuã ſuperaddere aliquod poſitiuũ ens ipſi creaturæ: id nonnullos aſſeruiſſe

Nõnulli eã probarunt. teſtatur Soncinas *in 5. Metaph. q. 17. §. Quid autẽ ſit huiuſmodi potentia, & cum Soncinate cõuenit Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 1. ar. 1. diſp. 6. dub. 3. n. 2.* Medina etiam refert quoſdã dixiſſe, hanc obedientialẽ potentiã actiuam eſſe donũ ſuperadditũ naturæ: ita teſtatur *1. 2. q. 3. ar. 8. ad 2. §. Quod verò ſit pag. 79. col. 2.* Nonnullos docuiſſe eam eſſe qualitatẽ extrinſecus à Deo impreſſam rebus, teſtatur Suar. *1. to. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 5. pag. 584. col. 2. & ſect. 6. pag. 590. col. 2. §. 2. principium eſt, & pag. 600. col. 2.* B. C. Quin potius eam tribuit Capreolo

Capreol. *in 4. diſt. 1. q. vnica art. 3. ad argumenta contra quartam, & diſt. 13. q. 1. ad argum. contra primam, &* Ferrar. *3. contra gent. cap. 56.* Paludano *in 4. diſt. 1. q. 1. num. 32. & 51*, imò

Scotus. teſtantur hanc fuiſſe ſententiam Scoti *in 4. diſt. 1. q. 4. & 5. Sed in hoc loco nihil de hoc ſcribit, citari debet in 4. diſtinct. 6. q. 5. citatur*

Richard. *etiã Richar. in 4. diſt. 11. art. 4. q. 3. Hos Doctores huius fuiſſe ſentẽtiæ teſtatur Pezantius 3. p. q. 13. art. 1. diſp. 3. in principio.*

Sed quidquid ſit de his Doctoribus; pars iſta affirmans nullũ pro ſe habet authorem; poteſt tamen hoc argumẽto cõfirmari: quoniã omnis potentia effectiua in creaturis inter qualitates ſolet enumerari: ſed potentia obedientialis actiua, de qua agimus, eſt quædã potẽtia effectiua reperta in creaturis. Ergo erit quædã qualitas. Non poteſt autẽ eſſe qualitas naturaliter illis innata: quia diceretur naturalis. Ergo erit extrinſecus impreſſa. 3. Confirmatur opinio.

Cõfirmatur; quia D. Thomas multis in locis in Sacramentis, & in Chriſti humanitate, ante eleuationẽ ad effectus ſupernaturales, admittit virtutẽ quandã inchoatam: & agnoſcit eã eſſe qualitatem à Deo impreſſam. Videtur igitur ſentire, potentiã iſtam obedientialẽ actiuam eſſe qualitatẽ illis ſuperadditã. Quòd hæc ſit mens D. Thomæ patet *in 4. diſt. 1. q. 1. artic. 4. q. 2. ad 2.* & multis alijs in locis, de quo etiam Capreol. *ibidẽ art. 3. ad 10. Durandi contra 4. fol. 14. col. 4. §. Cũ verò dicit vlterius, & ad 3. Scoti cõtra eãdẽ f. 15. col. 3.* 4. Alia confirmatio. D. Thom. Capreol.

Confirmatur adhuc; quoniã ex doctrina D. Thomæ de veritate q. 27. ar. 4. ad 4. Sacramenta non operãtur ad gratiam per virtutẽ propriæ formæ, ſed per virtutem Dei exiſtentem in illis. Cum verò operentur per potentiã obedientialem, vt patet; fit, vt ex mente D. Thomæ potentia obedientialis non ſit aliquid poſitiuũ proprium, & naturale ipſi creaturæ; ſed aliquid ſuperadditum illi, quãuis incompletum. Cui etiam accedit, quod D. Thom. in dicto arti 4. ad 11. docet, quod corpus virtute propria naturæ non poteſt agere in animam; benè tamen virtute à Deo accepta, quæ illi erit potentia obedientialis actiua. 5. 3. Confirm.

Vera ſententia negat.

6. Vera ſententia. DIcendũ tamen eſt: *Illud principiũ, quo creatura ſit obedientialiter potẽs potentia actiua, ſumptũ ſecundũ ſe, ante eleuationem, nec eſſe aliquid poſitiuũ, nec qualitatem ſuperadditã creaturæ.* Hæc ſententia in noſtris terminis expreſsè probatur doctiſsimo Fonſecæ *9. Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 2. pag. 608. vt ſatis patet ex ijs, quæ ſcribit ibidẽ litera C. pag. 609. §. Alijs ergo rationibus;* ſatis eam explicauit Cabrera *1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. §. 3. in 1.* Fonſeca. Cabrera.

Suarius. *concl. num. 15.* Satis eſt de mẽte Suarij vbi ſuprà, quanuis nõ ſatis explicet, an loquatur in noſtris terminis: etenim Doctores, quos citat pro cõtraria ſentẽtia, in illis nõ loquũtur, vt ſtatim dicem⁹. Accedit etiã; quia agit de virtute, qua creatura eleuatur: nos autẽ non agimus, niſi de virtute principioue actiuo obedientiali, quod à Deo tũc eleuatur, cũ ad vſum aſſumitur: quæ, niſi diſtinguantur, potiùs cõfundũt, quàm difficultatẽ explicent: nihilomin⁹ tamen, ſi benè expendatur, negabit in noſtris terminis creaturam formaliter eſſe obedientialiter potentẽ per aliquid ſuper additũ: etenim putat creaturã fieri obedientialiter potentẽ per actiuitatem innatã, realiter identificatã cũ ipſa creatura. Quare, cum inquirit, per quidnã creatura fiat obedientialiter potens ante eleuationem: negabit eã fieri talem per qualitatẽ ipſi ſu peradditã: quare abſque dubio pro noſtra ſententia referendus eſt: & præter iſtos tres Theologos nullum inueni, qui in terminis explicatis, aut quæſtionem excitet, aut ſententiam negantem probet.

Doctores citati à Suar. non loquũtur in noſtris terminis.

7. 1. Cõfirmatio.

Hæc ſententia primũ ex eo cõfirmari poteſt; quia in propoſitis terminis nullũ habet impugnatorẽ: nam quanuis pro ſententia affirmante à Suario, & Cabrera citentur *Capreol. Palud. Ferrar. Scot. & Richard. in locis citatis:* illi tamen nõ loquuntur in terminis noſtræ quæſtionis; quia ſolũ agunt de virtute cõmunicata inſtrumentis à Deo aſſumptis in ipſo aſſumptionis vſu, vt facilè intelliges, ſi Doctores illos legas; quod etiã aduertit Fõſeca *in d. q. 4. ſect. 2. in fin:* nec enĩ aliquis eorũ vnquã docuit potentiã obedientilẽ, quã ponim⁹ ante eleuationẽ eſſe aliquã qualitatẽ ſuper additã. Imò Capreolus docet potentiam obedientialẽ realiter eſſe ipſã creaturã, & ſolũ ſuperaddere quandã relationẽ, *vt patet ex 1. q. prologi ar. 3. ad 1. contra 6. fol. 7. col. 1. & in diſt. 42. q. 1. ad argum. Aureol. cõtra 4. fol. 283. col. 1. Ferra. etiã in 3. cõt. gẽt. c. 156. ad fin. ipſã potẽtiã obedientialẽ realiter identificat cum potentia naturali.*

Fonſeca.

Potẽtia obedientialis ſuperaddita relationẽ apud Capreol.

Ferrar.

8. 2. Cõfirm.

2. Loco quidã eandẽ ſentẽtiã cõfirmãt ferè omnibus argumẽtis, quibus impugnatur qualitas ſoperaddita in eleuatione, & vſu huius potentię obediẽtialis: ſed quã vim habeant, inferiùs expendemus.

9. 3. Cõfirm.

Tertiò quidã ita argumẽtãtur: quoniã ſequeretur talẽ qualitatem habere virtutem infinitã, quod non eſt admittendum: virtus enim infinita in agente creato, ſiue illud principale ſit, ſiue inſtrumentũ, dari non poteſt. Sequelam ita probant: quoniã qualitas illa eſſet vna; quia vna eſt potentia obedientialis actiua. Eſſet etiam permanẽs; quia daretur rebus ſimul cum ipſa natura ab ipſo ortu; imò nunquã deſerit creaturã, cum illa ſemper ſubiecta ſit diuinę voluntati. Eſſet adhuc principium obedientiale operandi omnia, quæ poſsũt à Deo ſupernaturaliter fieri: etenim potentia obedientialis actiua conceſſa eſt creaturæ ad omnia, quæ Deus per eam facere voluerit, vt art. 1. diximus ex Auguſtino; quæ ſunt, & numero, & ſpecie infinita, cum Deus ſit omnipotens. Erit igitur illa qualitas infinita: quia non poterit non habere omnipotentiam ſibi communicatam. Ob quam rationem D. Thomas *ſecunda ſecũdæ q. 178. art. 1. ad 1.* putat eſſe impoſsibile dari vnam aliquã qualitatem permanentẽ, quę ſit principium operandi omnia, quæ ſupernaturaliter poſſunt à Deo fieri. Hoc argumento vtitur Fonſeca in dicta ſectione ſecunda literat C. *D. Thom.*

Sed ſi res iſta conſideratiùs expendatur, nõ vidẽtur ſatis ad conuincendã opinionẽ contrariã: etenim eodẽ argumento conuinceretur, nõ dari in creatura potentiã obedientialem actiuã, quæ ſit in ea, antequã à Deo eleuetur, cuius oppoſitũ in præcedentibus cõſtituimus. Sequela patet: quoniam ſicut illa qualitas, quæ apud aduerſarios eſt potentia obedientialis actiua, eſſet principiũ obedientiale operandi omnia, quę poſſunt à Deo ſupernaturaliter fieri, quæ & numero, & ſpecie ſunt in finita; ita etiã illud poſitiuũ, quod apud veram ſentẽtiam eſt potentia obedientialis actiua, eſt principiũ obedientiale operandi omnia, quæ à Deo poſſunt fieri. Quare ſi id ſatis eſt, vt qualitatem ſuperadditam faciat infinitam; ſatis etiam erit, vt illud poſitiuum ſit virtutis infinitæ: eadem enim ratio reperitur in eo, quæ reperitur in qualitate: quæ fuit ſequela. Cum verò conſequens à nobis non admittatur; in antecedẽte, vel ſumitur aliquid falſum, vel aliquid, quod explicatione indigeat. 10. Argum. nõ conuincit.

Aduertendum igitur eſt, in argumento vel eſſe ſermonem de virtute infinita ſimpliciter; vel de ea, quæ non eſt ſimpliciter infinita, qualis eſt infinitas extenſiua ex 11. Notabile.

parte

parte obiecti ſumpta, vel ex parte obiectorum numero, vel ſpecie differentium; vel ex parte intenſionis eiuſdem actus, qui in infinitum poteſt eſſe magis, & magis intenſus. Aduertendum eſt etiam infinitatem extenſiuā ex parte obiecti non ſemper arguere infinitatē ſimpliciter: id facilè probatur; quoniam vera Philoſophia admittit in intellectu creato dari infinitatem extenſiuam ex parte obiecti, tàm quoad numerum, quàm quoad intēſionem: intellectus enim eſt in potentia obedientiali, vt poſsit producere actum intelligendi in infinitum ſemper intenſiorem: & præterea, vt poſsit videre obiectum ſemper nobilius in infinitum, quę eſt infinitas Syncathegorematica: denique, vt ſimul videat obiecta in infinitum plura: & tamen hæc infinitas extenſiua non arguit dari in intellectu virtutem infinitam ſimpliciter. Si verò inquiras; quando talis infinitas extenſiua arguat in potentia virtutem infinitam ſimpliciter? reſpondendum erit, tunc eā arguere: cùm illud obiectum, quod in eadem infinita extenſione, ſi non dari, conſtitui tamen poteſt, cōtineretur ſub actiuitate virtutis, ſi daretur: tunc enim virtus illa non poſſet in illud, niſi ex ſe, ſuaque eſſentia haberet virtutem infinitam ſimpliciter: ob hanc enim rationem infinitas extenſiua eorum, quæ Deus poteſt facere, arguit diuinam virtutem eſſe ſimpliciter infinitā, & omnipotentem: licet enim Deus non poſsit facere aliquid actu infinitum, vel quoad intenſionem gradualem, vel quoad perfectionē eſſentialē, vel deniq; quoad numerū, iuxta veriorē ſententiā, ſed ſolùm poſsit facere infinitū infinitate Syncathegorematica, idq; ex virtute ſibi propria, & eſſentiali; tamen ideo hæc infinitas in eo arguit virtutē infinitā ſimpliciter; quia ex ſe habet, quod infinitū actu, & cathegorematicū in infinitum diſtans à quocūque contento in illa Syncathegorematica infinitate, ſi daretur, cōtineretur ſub actiuitate Dei. Quod nō reperitur in virtute creata Syncathegorematicè infinita per potentiam obedientialem, quæ eſt in illa: hęc enim licèt poſsit eleuari ad aliquod infinitū Syncathegorematicè: non tamen ad aliquid cathegorematicè infinitū, ſi daretur: & ratio eſt; quia ſicut illud infinitū, ſi daretur, in infinitū diſtaret à quocūque cōtento ſub illa ſerie Syncathegorematicè infinita; ita etiā virtus productiua illius diſtaret in infinitū à virtute productiua infinitorū Syncathegorematicè: virtus autē, quæ in infinitū diſtat à quacūque virtute finita, non poteſt nō eſſe ſimpliciter infinita, ſiue illa ſit virtus propria, & in ſuo genere principalis; ſiue inſtrumentaria, inſtrumentaliter attingens effectum. De quo aliquid dicemus art. 13. num. 4.

Notabile 2.

12. In quo deficiat argu.

His ita præmiſsis, iam patet defectus rationis allatæ: in hoc enim deficit, quòd ex infinitate extenſiua ex parte obiecti (quæ admittenda eſt in potentia obedientiali actiua, quæcūque illa ſit) infert virtutē obedientialem eſſe infinitam ſimpliciter; quæ illatio nō eſt firma: etenim plures Theologi in potentia obedientiali actiua admittunt infinitatē extenſiuam ex parte obiecti; & tamen in ea nō admittūt infinitatē ſimpliciter: inter ipſos eſt Suar. *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. in ſolut. 7. & 8. argumenti pag. 619. col. 2. A. B.* vbi docet ſatis eſſe notam Philoſophiā, quæ in intellectu, prout eſt in potentia obediētiali, admittit infinitatē, & illimitationē in ordine ad actū intelligendi, tùm vt poſsit eum producere ſemper intenſiorē in infinitū; tùm etiā, vt poſsit tendere in obiecta, & numero, & ſpecie infinita Syncathegorematicè; cum tamen eadem Philoſophia doceat virtutem illam obedientialem nō eſſe infinitam ſimpliciter.

13. Ad argumē. forma.

Ad argumentū igitur in forma admittenda eſt ſequela, ſi cōſequēs intelligatur de virtute infinita, non ſimpliciter, qualis eſt virtus infinita infinitate extēſiua modo explicato. Et in hoc ſenſu neganda eſt minor: quia virtus iſto modo infinita eſt ſimpliciter finita in ſua entitate, cū creata ſit; & ideo nō repugnat eā dari in agente creato, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale: datur enim in intellectu creato, qui ad actū in infinitū intenſiorē cōcurrit, vt cauſa principalis; datur etiā in igne, & in quolibet alio agente creato in ordine ad Deum. Porrò ſi conſequens intelligatur de virtute infinita ſimpliciter; negāda eſt ſequela. Ad probationem dicimus, illud poſitiuum principium, quod eſt potentia obedientialis (ſiue ſit qualitas, ſiue nō) eſſe vnum, & permanens, & præterea eſſe principium agendi obedientiale ad

omnia, quæ Deus voluerit; remotum tamen, & inchoatum. Quæ infinitas arguit quidem virtutem eſſe infinitam, non tamen ſimpliciter infinitam; quia ſolùm arguit infinitatem extenſiuam ex parte obiecti, quæ non eſt infinitas ſimpliciter, vt ex dictis patet. Quomodo autem ſit intelligenda doctrina allata ex D. Thoma; explicabimus articulo 15. §. 4.

Vera confirmatio.

14. *Confirmatur ex Auguſtino.* ¶ His igitur, & alijs rationibus omiſsis, noſtram, & communem ſententiam primum confirmabimus teſtimonio Auguſtini nono ſuper Geneſim ad literam cap. 17. & 18. in vtroque enim capite docet, res à Deo conditas in ſe ipſis non habere cauſas eorum, quæ ſunt ſuprà curſum naturæ: poſtquam enim docuit res naturales in ſe ipſis habere rationes ſeminales, quibus agant, quæ ſecundum naturæ ſuæ curſum agere poſſunt; explicans ea, quæ ſunt ſupra naturam ita ſcribit: *Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalem poteſtas creatoris habet apud ſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum, quaſi ſeminales rationes habent: non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſq; ipſo poſsit.* Ex quibus verbis patet, Deum ita poſuiſſe in rebus, vt de illis fierent, quæ ſunt ſupra ipſarum naturam; vt tamen ſine Deo nihil poſsint facere: ſine Deo, inquam, ſpecialiter cum illis concurrente, & eas ſupernaturaliter eleuãte Ex quo ſatis patet hoc, quod in illis poſuit, (quod ad potentiam obedientialem pertinet) eſſe aliquid, quo res eſt potẽs, incõpletè tamen, & inchoatè. Deus igitur horum ſupernaturalium cauſas apud ſe habet abſconditas, & rebus ſolùm dedit, vt ex eis hæc fieri poſſent; vt eiſdem verbis ſcribit in dicto capit. 17. & 18. de quo vide ſuprà quæſtione ſecunda, articulo primo. Explicans autem quomodo hoc rebus creatis dederit inquit: *Verumtamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret.* Ex quibus verbis patet, illam potentiam (quæ eſt obedientialis) non ob aliam rationem conuenire rebus creatis, niſi ex ſubiectione, quã habent ad omnipotentem voluntatem Dei: etenim ex Auguſtino ideo illis dedit, vt ex illis, & per illas fierent ſupernaturales effectus; quia ſunt ſubiectæ diuinæ omnipotentiæ. Subiectio autem iſta non dicit aliquam qualitatem, aut aliquid poſitiuum rebus ſuperadditum, quo formaliter ſubijciantur, vt patet; ſed dicit purum eſſendi modũ ab ipſa naturali entitate realiter indiſtinctum, vt diximus quæſt. 2. artic. 2. §. 3. Quare Auguſtino expreſsè contradicit, qui potentiam obedientialem ponit, eſſe aliquid poſitiuum ſuperadditũ, ab ipſa re realiter diſtinctũ: etenim quælibet creatura ſe ipſa eſt Deo ſubiecta. Quomodo autem potentia obedientialis à potẽtia naturali diſtinguatur? inferiùs explicabitur.

Ratione etiam id ipſum confirmatur (& ſit quarta in ordine:) quoniam illa qualitas ſuperaddita, vel eſt ſupernaturalis ordinis, vel naturalis. Non eſt admittendum eam eſſe ſupernaturalem: ſi ponatur naturalis; illa omninò eſt ſuperflua. Ergo non poteſt eſſe qualitas ſuperaddita. Quòd non ſit ſupernaturalis, euidenter oſtẽditur ex Auguſtino in dicto cap. 17. vbi ita ſcribit: *Super hunc autem motũ, curſumque rerum naturalem, poteſtas creatoris habet apud ſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum quaſi ſeminales rationes habent; nõ tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſsit.* Ex quibus patet, Deum apud ſe habere, quidquid excedit motum, & curſum naturalem rerum: quo modo igitur id, quod in rebus poſuit, eſt ſupernaturale? etenim omne ſupernaturale, eſt ſuper rerum naturalem curſum. Quòd verò illa qualitas omninò ſit ſuperflua, ſi ponatur eſſe naturalis, ex eo patet; quia ipſæ res naturales in ſe ipſis ante impreſsionem cuiuſcumque extrinſecæ qualitatis, non poſſunt non eſſe ſubiectæ diuinæ voluntati, vt per ſe patet, & ſatis docet Auguſtinus in dicto cap. 17. dũ ait Deum id, quod rebus dedit, vt ex ipſis fieri poſsit, quod eſt ſupra earum naturam, ideo dediſſe, quia ita eas creauit, vt earũ natura voluntati diuinæ ſubiecta eſſet: & inde eſt, vt omnis res creata, ideo, quia creata, ſentiat creatorẽ, vt ait D. Hieronymus in cap. 8. Matthæi. Cum verò quælibet res in ſe ipſa ante impreſsionem cuiuſcumque extrinſeci, verè ſit creata; verè, & inſeparabiliter habet ſubiectionem ad diuinam voluntatem: & ſubinde pro illo priori habet potentiam obedientialem

Margin notes (right column): 15. *Probatur ratione.* — *Auguſt.* — *Auguſt.*

entialem: & per conſequens ſuperflua eſt qualitas ſuperaddita, vt per eam formaliter fiat obedientialiter potens. Hoc eſt huius opinionis ſolidum fundamentum, quod tangitur à Fonſeca *in dicta ſect.* Fonſeca. *2. litera. C. §. Alijs ergo rationibus, & à* Cabrera. *Cabrera in dicta diſput. ſexta. §. tertio numero. 15.*

§. 3.
Solutio argumentorum.

16. Ad argum. AD argumentũ §. primo adductum pro ſententia oppoſita reſpõdendũ eſt, maiorem eſſe veram in potentijs, quæ ex ſua natura ordinatæ ſunt ad agendum erga aliquod certum, & determinatum obiectum, per aliquem actum determinatæ rationis, quales ſunt omnes potentiæ, tàm naturales, quàm ſupernaturales: cuius generis non eſt põtẽtia obedientialis; hæc enim non habet aliquod determinatum obiectũ, nec aliquem actum rationis determinatæ.

17. Ad 1. cõfirmationem. Ad primam confirmationem dicimus, Diuum Thomam, nec in ſacramentis, nec in Chriſti humanitate agnoſcere qualitatem ſuperadditam, quæ illis ſit potentia obedientialis; ſed ſolùm eam agnoſcere in vſu, aut miraculorum, aut productionis gratiæ, vt diximus ſuprà §. 2. in 1. argum. Illa autẽ qualitas, licèt in Sacramentis, & in Chriſti humanitate ſit principiũ agendi; non eſt illis potentia obedientialis, ſed eſt eleuãs potentiam obedientialem, quã in illis ſupponit: nec enim Deus illis vteretur ad ſupernaturales effectus, communicando eis cauſalitates ſupernaturales, quas in ſe habet abſconditas, niſi prius illis dediſſet, quod poſſint in illos: ita August. enim ait Auguſtinus in dicto capite 17. ad finem. *Nec enim ex eis, vel ille faceret* (quando ſcilicet res creatas ad agendum aſſumit) *quod ex eis fieri non poſſe ipſe perfigeret*. Et paulò ſuperiùs ita ſcribit: *Et hoc de vnaquaq; re in ſuo tempore facit, quod antea in ea fecit, vt poſſit*; dum ſcilicet illi dedit poſſe obedientiale.

18. Ad Diuũ Thom. Quæ verò adducuntur ex Diuo Thoma agnoſcente in Sacramentis virtutem quandam inchoatam, & remotam ante eorum vſum, potiùs ſunt contra proferentem: quia licèt Diuus Thomas admittat in vſu communicari Sacramentis qualitatem ſupernaturalem ſuperadditam; non admittit tamen illam virtutem inchoatam, & remotam, quàm in illis ante vſum ponit, eſſe qualitatem: hæc enim virtutis inchoatio apud Diuum Thomam non eſt aliud, quàm aptitudo, & idoneitas, quæ rebus Sacramentalibus data fuit in ipſa Sacramentorum inſtitutione, in qua Chriſtus Dominus res illas Sacramentales Sanctificauit, & Sanctificando aptauit, aptatione quadam incompleta, vt illæ, & non aliæ ad Sacramenti Confectionem aſſumi valeant: ex qua deputatione, & aptatione res illæ præ alijs habent quandam aptitudinem, vt ad cauſandam gratiam aſſumi poſſint, quàm antea non habebant; quanuis iam haberent potentiam obedientialem, vt ad gratiam producendam aſſumi valerent, quam eandem habent aliæ res non ſacramentales, ſi de potentia abſoluta ad eandem gratiam conferẽdam à Deo aſſumantur. Hæc diximus ad explicandam mentem Diui Thomæ.

Vtrùm verò illius ſententia ſit vera? 19. expendemus articulo 15. ad noſtrum inſtitutum modo ſatis ſit illam inchoatam virtutem, quam Diuus Thomas in rebus Sacramentalibus ante vſum admittit, non eſſe virtutem obedientialem, de qua agimus; quia hæc data eſt rebus in ipſa creatione; cum tamen hæc virtus ſolùm data ſit in tempore, quando Chriſtus Sacramenta inſtituit; ex qua inſtitutione iam habent proximiorem aptitudinem ad gratiam producendam; quæ aptitudo non eſt aliqua qualitas. Vnde argumentum nihil nobis officit, de eo tamen latiùs dicemus art. 15.

Ad ſecundam confirmationem dicendum eſt, Diuum Thomam in eo ſenſu 20. Ad 2. cõfirmationem. affirmare Sacramenta non operari ad gratiam, per virtutem propriæ formæ; quia ad eam non operantur per illam nude ſumptam, ſed vt actu eleuatam per qualitatem, quæ ex ſententia Diui Thomæ in ipſo vſu eis communicatur: & quamuis operentur per virtutem obedientialem (quia illa eſt, quæ eleuata actu influit in gratiam) non operantur tamen per eam, prout eſt in põtẽtia eſſentiali (vt appellãt Philoſophi); ſed prout iam eſt in põtẽtia accidentali, & proxima, conſtituta in actu primo, in quo non erat ante vſum. Quæ diſtin-

diſtinctio potentiæ obedientialis ſecundum ſtatum potentiæ eſſentialis, & accidentalis, neceſſariò eſt facienda, vt confuſio tollatur, & deceptio euitetur. Eodẽ modo explicandus eſt D. Thomas ſecundo loco adductus.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm potentia obedientialis actiua, quæ ante eleuatiouem in rebus ponitur, dicat aliquam virtutem, actiuitatemq́; innatã, qua res obedientialiter influat in effectum ſupernaturalem?

1. Quęſtio eſt celebris, & dubia.

QVæſtio iſta his noſtris temporibus inter Nouiores celebris eſt, & ſatis dubia. Partem affirmantem omnes tribuunt vni Suario; negantẽ verò contra illum cæteri omnes conſtanter defendunt. Ego cum communi olim affirmantem partem accerrimè impugnui: eamque reieci; non quidem, vt improbabilem (vt plerique faciunt) ſed vt nouam, & ſatis dubiam: nunc tamen re cõſideratiùs expenſa, & diligentiùs conſiderata non modo non reijcio, ſed vt probabiliorem probo in hoc puncto de admittenda, vel reijcienda virtute actiua innata exiſtente in rebus, antequàm ad vſum eleuentur. Nam vtrùm illa ſit admittẽda in omnibus rebus? & ad omnem effectum? alterius eſt quæſtionis: ſicut etiam alia eſt quæſtio; quomodo hęc virtus innata diſtinguatur à naturali? & an illa ſolùm ſit inſtrumẽtaria? denique quomodo ad vſũ eleuetur? quas quæſtiones inferiùs explicabimus. Quare in hoc art. ſolũ erit quęſtio de admittenda, vel recijcienda virtute innata ante eleuationẽ ſupernaturalẽ.

2. Ordo in explicanda difficultate.

In hac difficultate explicanda hoc ordine procedemus. Primò loco relatis oppugnatoribus huius virtutis innatæ, adducemus omnia argumenta, quibus impugnatur. Deinde explicabimus, quomodo authores iſti explicent potentiã obedientialem actiuam, quæ in rebus datur, antequàm eleuentur. Tèrtio loco referemus, qui nam pro innata vitute propugnent, & adducemus eorũ fundamenta. Quarto loco oſtẽdemus illa rem omninò non cõuincere. Quinto defendemus dãdam eſſe virtutem iſtam. Poſtremô omnia argumenta in contrariũ diſſoluemus.

§. 1.

Quinam virtutem obedientialẽ innatam oppugnent? & quibus argumentis?

3. Oppugnatores potentię innata.

CVm virtus iſta obediẽtialis actiua, & innata à Doctiſsimo Suario primum ſit excogitata; ſolùm eos habet oppugnatores, qui poſt eum ſcripſerunt. Primus, & acerrimus illius oppugnator eſt; *Gabriel Vaſquez Bellom. in 1. p. diſp. 176. cap. 4. 5. & 6. breuiter eam reiecit 1. p. diſp. 43. cap. 4. ad finem. Eãdem impugnat doctiſsimus Fonſeca 9. Metaph. cap. 1. q. 4. per totam: latè Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dub. 6. §. 4. in 2. concl. nu. 11. pag. 53. col. 1.* Ex propoſito Ioan. Vincẽtius in Relectione de gratia Chriſti in 3. dicẽdi modo pag. 793. Et *aliquo modo Nauarrete 1. tom. contro. 41. in princip. fol. 253 col. 3. §. Vnde nõ placet, latiùs id diſputat in 2. tom. contr. 15. §. 3. concl. 5. pag. 196. & §. 4. per totũ pag. 202. Ripa 1. p. q. 45. art. 5. dubitat. 2. pag. 218. col. 1. §. quod verò. vt innumeros* ex nouioribus omittam⁹. Varijs medijs hęc natiua virtus impugnatur. nos, vt res iſta clariùs explicetur, ſingulorum argumenta adducemus.

Bellom. *Fonſeca.* *Cabrera.* *Nauarret.*

Argumenta ex Bellomontano.

4. 1. *Arg. ex Bellomon.*

¶Bellom. *in d. diſp. 176. cap. 4. nu.* 19. hoc vnico vtitur argumento. Quoniam virtus illa innata ad quemlibet effectum, aut eſt completa, aut inchoata, Sed neutro modo poteſt eſſe virtus ad quemcunq; effectũ; ergo nullo modo in rebus creatis admitti poteſt. ¶Pro confirmatione huius argumenti in d. num. 19. pręmittit, illã virtutem dici cõpletam, cui in effectu, producto non ſolũ reſpondet aliqua ratio; ſed adæquatè reſpondet totum, quod in effectu producitur; ita vt illi effectus tribuatur ſecundũ omnem ſuam rationẽ: illam verò dici inchoatã, cui non reſpondet effectus ſecundũ omnem rationẽ, ſed ſecundũ aliquam duntaxat: & inde eſt, vt indigeat cõpleri aliquo principio perfectiuo adiuuante, & cooperãte. Quod etiã docuit *in d. diſput. 43. cap. 5. nu. 18. & 1. tom. ad 1, 2. diſp. 34. c. 3. nu. 11. & diſp. 23. cap. 2.* ¶Hac ſuppoſita doctrina, probat minorem adducti argumenti.

Quid ſit virtus cõpleta & incõpleta apud Bellomontanũ

5. Probatur 1. pars. Et primo eã probat quoad priorẽ partem, ſc. *quòd virtus illa innata non poſsit eſſe completa in ordine ad operandum quemcunque effectum*: Probatio eſt hæc. Quoniam ſi à virtute natiua procederet quicumque effectus ſecundũ omnem eius rationem, non eſſet neceſſaria alia cauſa ſecunda, & proxima ad talem effectum; ſed ſatis eſſet cauſa prima cum ſuo generali concurſu, quo cum omni creatura concurrit. Conſequens autem eſt falſum. Sequelã ex eo probat; quia poſita cauſa creata alicuius effectus ſecundum omnem rationem, quæ eſt in effectu, non eſt neceſſaria alia cauſa proxima, vt putat ſe oſtendiſſe *in d. diſput.* 43. *c.* 5. ex quo loco *num.* 18. demonſtratio ſumitur ex quodã principio: *quod. ſ. aliqua cauſa propria, & proxima non poteſt aſſumi ad effectum, cui in eo peculiaris aliqua ratio non reſpondet*: intellectus enim, & ſpecies ideò ſunt propria, & proxima cauſa viſionis albi; quia ab intellectu habet, quòd ſit viſio; à ſpecie autem, quòd ſit viſio albi: etenim viſio albi non habet, quòd ſit viſio à ſpecie, ſed ab intellectu; ſicut etiam non habet, quòd ſit viſio albi, ab intellectu, ſed à ſpecie albi; ob quam rationem, & intellectus indiget ſpecie ad viſionem albi, & ſpecies ad eandem viſionem indiget intellectu: non indigeret autem ſpecie, ſi viſio albi ſecũdum omnem rationem, quam habet, reſponderet intellectui. Quare, ſi quicunq; effectus ſecundum omnem ſuam rationẽ adæquatè reſponderet virtuti illi natiuæ (reſponderet autem ſi illa ponatur completa, vt patet ex doctrina prẽmiſſa) profectò ad talem effectum non eſſet neceſſaria alia cauſa ſecunda, & proxima; ſed ſatis eſſet ſolus concurſus generalis cauſę primæ; quæ fuit ſequela.

6. Falſitas cõſequentis. Quod verò conſequens ſit falſum, oſtendit primò; quia nulla creatura eſſet inſtrumentum Dei ad quencũque effectũ; ſed omnis eſſet cauſa principalis: quia ſola indigentia concurſus generalis primæ cauſæ non facit cauſam ſecundam eſſe inſtrumentalem. Secundò; quia concurſus, quo Deus concurreret cum qualibet creatura habente prædictam natiuam virtutem, non eſſet ſupernaturalis; quia eſſet ad id, quod creatura ex ſe ſuaque natiua virtute adæquatè operatur in tali effectu: concurſus autem ad id, quod creatura ſecundum ſe poteſt operari, non eſt ſupernaturalis. Hac ratione probat Belomont. virtutem illam natiuam eſſe non poſſe completam: quę fuit prior pars minoris.

Quòd verò non poſsit eſſe inchoata (quæ eſt ſecunda minoris pars) probat *in d. cap.* 4. *n.* 20. §. *Nec verò poteſt eſſe inchoata*. Nam ſi eſſet inchoata, concurreret ad quencunque effectum ſecundum aliquam eiuſdem effectus rationem; vt patet ex doctrina ſuperiùs præmiſſa: concurreret igitur ad illam ſpecialem rationẽ, vt cauſa propria, & principalis illius: hoc autem non eſt concedendum. Ergo nec concedendum eſt, virtutem illam natiuam eſſe inchoatam. Quòd illud conſequens non ſit concedendum ex ijs, quæ non minus latè, quàm indigeſtè adducit, ex eo probat, quia talis virtus abſque vllo fundamento diceretur obedientialis; quia verè eſſet cauſa ſecunda principalis, vt concludit in d. cap. 4. n. 22. ad finem. Primi diſcurſus conſequentia, ex eo oſtenditur; quia cauſa, quæ virrute ſibi propria, & innata aliquid confert ad effectũ, & ipſum producit ſecundum aliquam illius rationem, eſt cauſa principalis illius, licet indigeat alia cauſa ſecunda eandem adiuuante; aut naturali, vt intellectus indiget ſpecie, vt producat cognitionẽ huius obiecti, & non illius; aut ſupernaturali, vt intellectus indiget lumine gloriæ ad videndum: & tamen ad vnam, & alteram rationem concurrit, vt cauſa principalis. 7. Probatur 2. pars.

Secundò; quòd illa virtus innata non ſit inchoata, ex ijs, quæ docet n. 20. & 21. hæc ratio poteſt colligi: quoniam ſi eſſet inchoata, aliqua ratio ſpecialis in effectu illi reſpõderet; ideò enim dicitur inchoata, vt patet ex doctrina præmiſſa. Sed vel non apparet, quæ ratio in quolibet effectu ei poſsit attribui, vel ſi aliqua aſsignetur, illa non poſſet dici obedientialis, & inſtrumentalis, ſed propria, & principalis. Ergo talis virtus non poteſt dici inchoata. Prior pars antecedentis inde patet; quia nulla ratio in quolibet effectu, ad quem producendum ponitur, aſsignari poteſt. Poſterior autem inde oſtenditur: quia virtus illa, ſi in quolibet effectu eſſet productiua alicuius ſpecialis rationis, poſſet coniungi cum alia cauſa ſecũda, 8. 2. argumẽt. Bellomontani.

da; vel naturali, quæ efficacitatem eius compleret ad effectum ſupernaturalem quoad modum tantùm, qualis eſt reſtitutio viſus alicui cæco; vel ſupernaturali ad effectum ſecundum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalem. Hoc autem dato, non poteſt non dari virtutem illam eſſe propriam, & principalem. Non erit igitur obedientialis, & inſtrumentaria, qualis à ſuis authoribus admittitur. Quòd talis virtus coniungi poſsit cum alia cauſa ſecunda, vel naturali, vel ſupernaturali, ex eo probat n. 21. quia illa natiua virtus à ſuis authoribus ponitur ad quencunque effectum ſupernaturalem, aut ſecundum modum, aut ſecũdum ſubſtantiã; vtroq; enim modo effectus excedit naturalem facultatem ipſius creaturæ. Sed talis virtus fruſtra poneretur ad effectum ſupernaturalem ſolum quoad modum; ſi non poſſet alia cauſa ſecunda naturali compleri ad talem effectum: ſicut etiam fruſtra eſſet ad effectum ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam, ſi non poſſet coniungi cum aliqua forma ſupernaturali, qua inchoata eius efficacitas ad talem effectum eleuaretur, & compleretur. Ergo admittendum eſt virtutem illam poſſe coniũgi cum alia cauſa ſecunda, vel naturali, vel ſupernaturali, ad producendum effectum ſupernaturalem, quæ fuit antecedentis prima pars. Quòd verò illo admiſſo, non poſsit non admitti virtutem illam eſſe propriam & principalem (quæ eſt altera pars antecedentis) licet expreſſè non probet; ex eo tamen probare videtur; quia illa cauſa ſecunda (ſiue naturalis ſit, ſiue ſupernaturalis) non poteſt eſſe, niſi cauſa propria, & principalis eiuſdem effectus: & ſubinde cauſa ex vtraque integrata eſſet principalis.

9. Argumentum Bellomontani. Tertia ratio ſumi poteſt ex n. 22: quoniã illa virtus natiua nec poteſt eſſe obedientialis, nec eius effectus poteſt eſſe ſupernaturalis: cum tamen patroni illius eam vocent obedientialem, & eam ponant ad ſupernaturales effectus. Hoc autem ita oſtendit: quoniam illa virtus natiua ideò admittitur, vt aliquid conferat ad quencunque Dei effectum: aliàs non poſſet dici cauſa cuiuſcunque effectus. Porrò ſi illa aliquid conferre poteſt ad quencunque effectũ, nihil illi deeſt, quominus ſit propria, & naturalis: nam cum ipſa ſit natiua, ſecundum ſe erit naturalis ſecundum ſubſtantiam; & perconſequẽs concurſus ex parte Dei illi reſpondens non poteſt eſſe, niſi naturalis: etenim eſſe non poteſt ſupernaturalis ſecũdum ſubſtantiam; quia virtus ipſa non eſt ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, ſed naturalis; cum ſit natiua, & fluens ex principijs ipſius creaturæ. Nec poteſt eſſe ſupernaturalis quoad modũ: quia talis Dei concurſus daretur creaturæ illum poſtulanti natiua & naturali virtute. Ergo Dei concurſus illi coreſpondens non poſſet eſſe, niſi naturalis: & per conſequens effectus productus nec poſſet eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum modum, quod erat probãdum: cum tamen authores illius natiuæ virtutis velint, & concurſum eſſe ſupernaturalem, & effectum.

10. 4. arg. eiuſdem. Quarta & vltima ratio colligitur ex n. 23: quoniam fieri non poteſt, vt creatura ſit cauſa inſtrumentaria Dei ad quẽcunque effectum, & quod in ea detur virtus innata ad effectum quencunque. Ergo vel talis virtus innata non eſt admittenda; vel non eſt admittendum, creaturam eſſe Dei inſtrumentum ad quencũque effectum. Cum verò poſterius non poſsit non admitti, vt patet; non eſt admittendum illud prius. Conſequentia eſt nota: antecedens probat; quoniam virtus illa, ſi eſt innata, ex ſe aliquid confert ad productionem effectus; aliàs fruſtra poneretur, vt cauſa illius. Si verò aliquid cõfert ad effectum, non poteſt non eſſe proportionata, & adæquata illi; alioqui nihil poſſet effectui conferre. Porrò ſi ex ſe eſt proportionata effectui, nõ poteſt eſſe cauſa inſtrumentaria in ordine ad quencunque effectum; quia cauſa inſtrumentaria ex ſe eſt inferior, & ſubinde improportionata, vt omnes fatentur. Hoc argumento putat Bellomõt. ſecum pugnare, qui dicunt dari virtutem natiuam ad quẽcunque effectum, & illam eſſe cauſam inſtrumentariam; quod fuit primum antecedens huius diſcurſus. Et ita concludit, ſi admittendũ eſt creaturam eſſe Dei inſtrumentum ad quencunque effectũ, non poſſe non reijci ab illa hanc innatam virtutem. ¶ Hæc collegi ex ijs, quæ indigeſtè ſatis ſcribit Bellom. contra virtutem innatam.

Argumenta ſumpta ex Fonſeca.

11. ¶ Doctiſsimus Fonſeca 9. Metaph. c. 1. q. 4. ſect. 3. litera C. pag. 610. col. 2. eandem virtutem obediẽtialem actiuam rebus congenitam ideò non probat; quia ex ea plura inferuntur abſurda.

1. ratio ex Fonſeca. Nam primò infertur rem creatam eſſe non poſſe operum ſupernaturaliũ cauſam inſtrumentalem, ſed neceſſario futuram eſſe principalem, ſubordinatã principaliori: quod eſt abſurdum. Sequelam probat; quia inſtrumentum, cum operatur, vt inſtrumentum, non agit virtute propria, ſed virtute principalis agentis, vt omnes Philoſophi admittunt: licet enim aliquando diſponat ad operationem principalis agentis; non tamen ſemper, ſed rariſsimè. Iam verò ſi res creata habet in ſe virtutem actiuam congenitã ad opera ſupernaturalia, nec expectat à Deo, niſi proportionatum concurſum ad ea faciẽda; vtique ea facit virtute ſibi propria; & ſubinde non erit cauſa inſtrumentalis illorum, ſed principalis.

12. 2. ratio eiuſdem. Secundò infertur potentias ipſas obedientiales rerum eſſe potentias naturales earum; quod eſt abſurdum. Sequela probatur; quia potentiæ obedientiales apud iſtos ſunt ipſæ entitates rerum: nihil autẽ tam naturale eſt cuique rei, quã ipſa eius entitas. Quòd conſequens ſit abſurdum ex eo probat; quia huiuſmodi obedientiales potentiæ non diſtinguerẽtur ab ijs, quæ dicuntur naturales, tanquam non naturales à naturalibus: cum tamen in hac controuerſia ab omnibus iſto modo diſtinguantur.

13. 3. ratio. Tertiò infertur entitatibus rerum naturalium plenè cognitis (quod naturaliter fieri poteſt ſaltem ab Angelis) poſſe cognoſci effecta omnia ſupernaturalia, quæ à Deo poſſunt fieri. Quod non eſt dandum. Sequela probatur; quia cognita plenè potentia actiua (ſi eſſentia quædam eſt) cognoſci poſſunt omnia, ad quæ illa vim habet. Quæ doctrina non ſolum eſt vera in potentia agentis principalis; ſed etiam inſtrumentalis, ſi illa poſitiua ſit in inſtrumento, & diſtincta à potentia, quæ eſt in agente principali.

14. 4. ratio. Quartò ſequeretur, gratiam, & gloriã, & cætera ſupernaturalia dona deberi à Deo creaturis horum donorũ capacibus. Quod tamen pugnat cum multis ſacræ Scripturæ locis. Sequela probatur; quia Deus tanquam naturæ author ſuo modo debet rebus à ſe creatis, quidquid neceſſarium eſt, vt earum naturalis appetitus expleri poſsit. Iam verò ex iſtorum ſententia virtus illa innata eſt naturalis. Igitur, ſi illa potentia eſt ad opera ſupernaturalia, ad illa creaturæ ipſæ erunt propenſæ. Nec ſatis eſt, ſi dicas, creaturas naturaliter eſſe propenſas, non ſimpliciter, ſed inchoatè. Primò; quoniam Deus nec inchoatè poteſt dici debitor ſupernaturalium donorum, niſi quis velit aliquo modo conniuere Pelagianorũ reliquijs. Deinde; quia ſi res creatæ ex totis ſuis naturis ſunt propenſæ ad hæc ſupernaturalia; non poſſunt dici inchoatè propenſæ: nec enim dici poſſunt propenſæ inchoatè, quia expectant à Deo proportionatũ concurſum, vt earum propenſio, & appetitus expleatur: hoc enim, vt ait, habent omnes cauſæ naturales ſecundæ reſpectu primæ, & aliarum, quæ interiectæ ſunt, comparatione eorum actuum, ad quos ſunt naturaliter propenſæ: & tamen non dicuntur inchoatè propenſæ, ſed integrè, & ſimpliciter.

Quinto loco concedendum eſſet, potentiam obedientialem ſimul eſſe naturalem, & ſupernaturalem: quod eſt abſurdum: eſſet quidem naturalis: quia virtus iſta apud ſuos authores eſt quid poſitiuũ, ipſis rerum naturis congenitum; imò eſt ipſæ rerum naturæ. Eſſet verò ſupernaturalis; quia authores iſti volunt, vnanquanque creaturam per talem virtutem eſſe productiuam in actu primo in ordine effectorum ſupernaturalium, tanquã per proprium, & peculiare principium actiuum, antequam eleuetur ad ſupernaturalem operationem. Quod nulli naturali potentiæ conuenit. 15. 5. ratio.

Sextò; potentia obedientialis, ſi eſt quoddam poſitiuũ, ſimul erit vnius ſpeciei, & diuerſarum. Vnius; quia eſt vnius obiecti, nimirũ huius, quidquid per creaturam fieri non implicat. Diuerſarũ verò; quia ponunt, eam identificatam formaliter cum diuerſis, & penè infinitis ſpecie entitatibus. 16. 6. ratio.

Septimò ſequeretur, quamlibet creaturam habere potentiam obedientialem actiuam ſpecie, aut quaſi ſpecie diſtinctã à po- 17. 7. ratio.

à potentia obedientiali actiua cuiuſlibet alterius. Quod authores illi non admittunt. Sequelam probat: tum, quia obiectum potentiæ obedientialis actiuæ non eſt quidquid per creaturam fieri non implicat, quanuis illi id velint. Tum etiam; quia nulla creatura poteſt fieri per ſe ipſam; bene tamen per aliam, vt iſti volũt. Ergo potentia obedientialis vnius, ſpecie, aut quaſi ſpecie diſtinguitur ab ea, quæ eſt cuiuſlibet alterius.

18. Poſtrema ratio. Poſtremò in fine eiuſdem ſectionis ita arguit: quia potentia obedientialis, quatenus obedientialis eſt, ſuapte natura reſpicit actus ſupernaturales, & ſupernaturalia obiecta; idque primaria, imò verò omnimoda intentione; quia non alia intentione obedientialis eſt: at entitates rerum creatarum, vt ſunt earum entitates, nullo modo reſpiciunt actus, & obiecta ſupernaturalia. Ergo non idem formaliter eſt potentia obedientialis actiua cuiuſque rei creatæ, atque ipſa eius entitas.

¶ Hæc ſunt doctiſsimi Fonſecæ omnia fundamenta, quibus impugnat, virtutem actiuam innatam potentiæ obedientialis.

Argumenta ex Cabrera.

¶ Contra eandem innatam virtutem latè inſurgit Cabrera vbi ſuprà concl. 2. n. 13. pag. 53. col. 1.

19. 1. argu. ex Cabrera. Primò ita arguit: quoniam vel illa vis innata eſt naturalis, vel ſupernaturalis. Non naturalis; tum, quia eſſet improportionata ad effectus ſupernaturales: tum etiam; quia ex principijs naturæ emanaret principium effectiuum effectus ſupernaturalis, vt gratiæ, & cætera, quod dicere non eſt tutum. Nec etiam ſupernaturalis: quia non eſſet congenita, & innata: quod enim ſupernaturale eſt, non poteſt naturali entitati eſſe congenitũ; alioquin oriretur ex principijs naturæ: quod non eſt admittendum.

20. Secundum. Secundò arguit n. 15: quia creatura nihil ſupernaturale poteſt efficere ſine auxilio ſpeciali Dei. Vel igitur hoc auxiliũ eſſet ipſi naturæ tota virtus ad agendum: vel ſupponeret in ea virtutem inchoatã, quam compleret, deducendo eam de actu primo ad ſecundum: vel denique ſupponit in ea totam virtutem proximam, & completam ad agendum; ita vt ſolùm concurrat, vt cauſa prima cum ſecunda. Nec ſecundum, nec tertium dari poteſt. Ergo neceſſariò dandum eſt primum. Quod nec ſecundum, nec tertium dandum ſit, ita oſtendit: quia ſi vnum, vel alterum detur, talis virtus (ſiue inchoata illa ſit, ſiue completa) ſimul erit naturalis, & ſupernaturalis: quod repugnat. Eſſet quidem naturalis; quia ponitur orta ex principijs naturæ, & illi congenita. Eſſet etiam ſupernaturalis; quia eſt ad effectus ſupernaturales, & ex conſequenti eiuſdem ordinis cum illis. Et ſpecialiter oſtenditur, virtutem illam eſſe nõ poſſe completam: quia talis virtus ex ſe haberet ſufficientẽ virtutem ad opera ſupernaturalia, & ſolum indigeret auxilio generali primæ cauſæ: & ita confunderetur ordo naturæ cum ordine gratiæ; nam iſto modo ſe habet habitus charitatis ad eliciendam dilectionẽ Dei ſuper omnia: ex ſe enim habet ſufficientem virtutem, & ſolùm indiget concurſu generali primæ cauſæ. Confundere autem vtrunque ordinem, naturæ. ſ. & gratiæ, ſapit errorem Pelagij, vt plerique volunt. Porrò ſi nec ſecundum, nec tertium admitti poteſt, neceſſariò admittendum eſt primum; ſcilicet, auxilium ſpeciale Dei eſſe ipſi creaturæ totam agendi virtutem. Quòd ſi admittatur; nullo modo admitti poteſt dari in creaturis innatã illam actiuam virtutem.

Tertiò arguit n. 22: quia ſi daretur illa virtus innata, creatura ex ſe eſſet in actu primo, ſaltem inadæquatè, ad producendum effectum ſupernaturalem. Quòd nõ eſt admittendum. Maiorem ſupponit, vt admiſſam ab aduerſarijs. Minorem verò probat; quia talis virtus innata eſſentialiter cõtineretur intra ordinẽ naturæ entis creati: ſed ordo naturæ eſt inſufficiẽs, vt creatura per eum dicatur eſſe in actu primo, etiam inadæquato, reſpectu effectuum ſupernaturalium. Ergo talis virtus erit inſufficiens, vt creatura reſpectu ſupernaturalium ſit in actu primo, etiam inadæquato. Maior huius poſterioris diſcurſus eſt nota; quia virtus illa admittitur eſſe ex principijs intrinſecis naturę creatæ. Minor autem probatur; quia eſſe in actu primo, etiam inadæquato, reſpectu effectuum ſupernaturalium, eſt eſſe in actu primo ſupernaturali, vt patet. Iam verò actus primus ſupernaturalis, quantumuis 21. 3. ex eodẽ.

tunuis ſit inadæquatus, non poteſt intrinſecè conuenire creaturæ ex principijs ipſius naturæ; quia ſimpliciter excedit totam naturam. Ergo ordo naturalis eſt inſufficiens, vt per eum, & intra eum creatura ſit in actu primo, etiam inadæquato ad effectus ſupernaturales. Quare, ſi virtus illa natiua ex ſe continetur intra ordinem naturalem, non poterit eſſe creaturæ actus primus, etiam inadæquatus, in ordine ad effectus ſupernaturales. Ergo minor nullo modo eſt admittenda.

22. Poſtremũ ex eodem. Poſtremò ex n. 24. hæc poteſt formari ratio: virtus actiua, etiam inchoata ad ſupernaturales effectus, non poteſt non eſſe potentia ſupernaturalis: nam ſi actus eſt ſupernaturalis, ſimiliter & terminus, & obiectum illius, potentia etiam erit ſupernaturalis: quoniam potentia, actus, & obiectum eiuſdem ſunt ordinis; ergo virtus, quę eſt ad effectus ſupernaturales, nõ poteſt eſſe natiua alicui creaturæ: quia nulla creatura poteſt habere ſupernaturalitatem, etiam inadæquatè, niſi ratione alicuius eleuationis ſupernaturalis: non igitur illam habere poteſt ſibi congenitã, & innatam. ¶ Ex ijs concludit Cabrera, in rebus creatis nullo modo admittendã eſſe virtutem obedientialem actiuam, & innatam ad effectus ſupernaturales.

Alia argumenta contra eandem.

23. 1. argumentũ ex alijs. ¶ Quarto loco adducemus alia argumẽta, quæ contra eandem innatam virtutem ab alijs adducuntur. Primum eſt; quia ſi talis actiua virtus eſſet natiua, creaturæ non agerent per illam, vt inſtrumenta Dei, ſed vt cauſæ principales; quod eſt falſum. Sequela probatur: quia non eſsẽt inſtrumenta Dei, vt agentis ſupernaturalis; nec vt agentis naturalis. Primum ex eo patet; quoniam cum illa natiua virtus ſit craturis cogenita, non procedit à Deo, vt agente ſupernaturali, nec fit per actionem ſupernaturalem. Ergo nõ erunt inſtrumenta Dei agentis ſupernaturalis: Deus enim, vt agens ſupernaturale, agit per actionem ſupernaturalem, emanantẽ à ſupernaturali virtute. Secundum verò inde probatur; quia Deus, vt agens naturale non facit ſupernaturales effectus: iam verò effectus producti per hanc virtutem innatam ſunt ſupernaturales.

Secundò; quia iſta virtus innata, vel eſt materialis, vel ſpiritualis. Non ſpiritualis; quia nõ poſſet reperiri in rebus materialibus: non materialis; quia non reperiretur in creaturis ſpiritualibus; & ita non eſſet communis omnibus entibus; cuius oppoſitum volunt. Nec dici poteſt virtutem illam eſſe de ſe indifferentem ad creaturam materialem, & immaterialem: quia tunc in rebus materialibus eſſet materialis, & ſic non poſſet in effectus immateriales. 24. Secundum.

Tertiò; omnis actio, & dependentia, quatenus talis eſt, dicit ex ſua natura dependentiam eſſentialem, & connaturalẽ habitudinem ad ſuum proprium principium, & potentiam, à qua fluit. Sed nulla actio productiua effectus ſupernaturalis ſecundum ſuam ſubſtantiam, qualis eſt gratia, dicit eſſentialem, & connaturalem habitudinem ad entitatem materialem, imò nec ad naturalem. Ergo nec in entitate materiali, nec in vlla naturali poteſt dari vlla potentia actiua obedientialis reſpectu actionis productiuæ gratiæ, alteriusvè effectus ſupernaturalis. Maior ſupponitur, vt vera, & recepta: etenim actio, vt actio, intrinſecè includit rationem actualis dependentiæ effectus à cauſa. Minor autem probatur; quia actio productiua effectus ſecũdum ſuam ſubſtantiam ſupernaturalis, eſt ſpiritualis: quia idẽtificatur cũ ſuo ſupernaturali effectu, qui eſt res ſpiritualis. Actio autem ex ſe ſpiritualis, quanuis fortè per Dei potentiam poteſt dependere à potẽtia materiali; nõ poteſt ab ea connaturaliter dependere, vt patet. Optima eſt igitur conſequẽtia; in nulla. ſ. entitate materiali, aut etiam naturali, licet ſit ſpiritualis, dari poſſe vllam potentiam actiuam obedientialem, & innatam, productiuam gratiæ, alteriusvè ſupernaturalis effectus. 25 3. argum.

Quartò; omnis potentia ſumit ſpeciẽ à ſuo actu, & obiecto: ſed illa potentia obedientialis, & actiua à nullo actu, & obiecto poteſt ſumere ſpeciem. Ergo nullo modo eſt admittenda. Conſequentia probatur; quia nulla poteſt dari potẽtia, quæ non ſit alicuius determinatę ſpeciei. Maior autem ex eo patet; quia ex Ariſtotele potentiæ ſumunt ſpeciem ex actibus, & actus ex obiecto. Minor verò probatur; quia nec res materialis poteſt ex ſua natura 26. 4. argum.

turá

natura habere intrinſecam habitudinem ad actionem ſpiritualem: nec res naturalis ad ſupernaturalem actionem. Igitur nec res materialis poterit ſpeciem ſumere ab aliqua actione ſpirituali; nec res naturalis ab actione ſupernaturali. Iam verò ſicut potentia obediētialis non poteſt habere habitudinem, niſi ad effectus ſupernaturales; Ita nec habere poteſt actionem, niſi ſpiritualem, & ſupernaturalem. Quare ſi à nulla actione ſpirituali poteſt ſumere ſpeciem; vtique nec poterit ſpecificari ab aliquo actu, vel obiecto.

27. 5. argum. Quintò; illa potentia innata, vel eſt diſtincta ex natura rei ab entitate rei creatæ; vel non; neutrum eſt dandum. Quòd talis potentia nequeat admitti, vt quid indiſtinctum à rei entitate, ex eo patet; quia nullo modo poteſt fieri, vt in conceptu eſſentiali cuiuſque entitatis creatæ includatur habitudo ad actionē ſupernaturalem. Quòd etiam admitti nequeat, vt quid diſtinctum, inde principaliter oſtēditur; quia nullum dari poteſt veſtigium, aut fundamentum diſtinctionis inter entitatem rei creatæ, & potentiam illam innatam: etenim vel diſtinguuntur modaliter, vel vt res omnino diſtinctæ. Non poteſt diſtingui, vt modus entitatis: nam cum modus rei non poſsit eſſe principiū agendi; vtique nec illa potentia innata erit agendi principium; cuius oppoſitum docent aduerſarij. Nec etiam diſtingui poteſt, vt res à re: tum; quia non poteſt mente concipi, quæ, & qualis ſit entitas huius potentiæ: Tum etiam; quia ſequeretur, non omnem entitatem creatam habere hanc obedientialem potentiam, vt facilè patet, ſi potentia illa ſeparetur ab entitate creaturæ; quod non videtur implicare: ſi enim in illa entitate adhuc maneret potentia obediētialis actiua; vtique ſuperflua eſſet illa alia, quæ ſeparata eſt: ſi verò non manet; datur entitas, quæ nō habet potentiam obedientialem. Cum verò in illa tunc darentur omnia, quæ cogunt huius innatæ potentiæ authores, vt in omni ente creato eam ponant; ſatis euincitur, eam ſine firmo fundamento poni. Accedit etiam; quoniam ſi hæc potentia eſt res diſtincta ab entitate creaturæ; cum illi ſit congenita, erit illius proprietas. Quod non debet admitti; quia talis entitas potentiæ eſſet minoris perfectionis, quàm entitas eſſentiæ: quomodò igitur dicet habitudinem ad res ordinis perfectioris? hæc enim habitudo maiorē arguit perfectionem.

Sextò; talis actiua potētia, cum debeat eſſe proportionata entitati, cuius eſt potentia; vtique ſicut entitas ipſius rei eſt finita; ita & ipſa potentia finita erit, in genere, & in ratione potentiæ. Cum verò omnis potentia in ratione potentiæ finita habeat determinatum, & limitatum obiectum, & certam latitudinem actionum; ita etiam obedientialis potentia habebit finitum obiectum, & finitas actiones. Hoc autem dici non poteſt; cum illa extendatur ad omnia, quę non implicāt; & ideò includit quandam infinitatem, & illimitationem; & meritò: quia non eſt maior ratio, cur ad hos potiùs effectus, & actiones extendatur, quàm ad alios. Cū verò ex ſe habeat hanc infinitatem, & illimitationem, non poteſt rei creatæ conuenire: imò non poteſt æqualiter inueniri in rebus inæqualiter perfectis. 28. 6. argum.

Septimò ego olim ita arguebam: quoniam virtus iſta innata ſine vlla neceſsitate ponitur, vt creaturæ poſsint Deo inſtrumentaliter cooperari ad effectus ſupernaturales, quos per eas Deus facere voluerit. Quod fundamentum ex eo primùm confirmabam: quoniam omnia argumenta, quibus illa virtus ponitur, vt neceſſaria, facilè explicantur. Deinde, quoniam ſi naturam diuinorum inſtrumentorum ad actiones tranſeuntes, & ad effectus ſupernaturales creaturis improportionatos expendamus; vt creaturæ Deo poſsint inſtrumentaliter cooperari, ſatis eſt actiuitas ſupernaturalis, quam à Deo in ipſo vſu conſequuntur; quanuis in creaturis nulla detur innata actiuitas, etiam inchoata, & remota. 29. 7. argum.

Et vt id facilius explicetur, illud, tanquam fundamentum ſupponendum eſt, de diuinis inſtrumentis theologizandum nobis eſſe, ad analogiam naturalium inſtrumentorum: etenim ex naturalibus ad diuina aſcēdimus ad Romanos 8. Porrò naturalia inſtrumēta (quod ad noſtrū inſtitutum pertinet) ad duo reuocantur genera: nam quanuis omnia in hoc conueniant, quòd inſtrumētarij effectus excedunt, naturales, & proprias ipſorum virtutes: ſunt tamen quædam, quorum virtu- 30. Ab inſtrumentis naturalibus arguitur ad diuina.

Duplex genus naturalium inſtrumentorum.

virtutes effectibus ipſis ſunt ſuo modo proportionatæ, & cōnnaturales; alia verò, quorum naturalis virtus, vel repugnat effectui inſtrumentario; vel ad eū nihil cōducit. Prioris generis ſunt omnia inſtru-

31. Inſtrumēta prioris generis.

menta, quæ appellantur coniuncta, & ipſis ſubſtantijs naturaliter conceſſa ad agēdum; qualia ſunt accidentia actiua ſubſtātijs congenita ad generandam ſubſtantiā, vt calor reſpectu ignis, frigus reſpectu aquæ, & alia ſimilia, quæ ad geneneranduū diſponunt. Omittimus cætera accidentia actiua, quæ licet actiua ſint; non tamē agunt, vt propriam agentis naturam cōmunicent; ſed vt ipſum agens perficiant: cuiuſmodi ſūt potētię naturales, & habitꝰ illis ſuperadditi, de quibus modò non curamus, an propria ſint ſubſtantiæ inſtrumenta: id enim parum refert ad noſtrum inſtitutum. In inſtrumentis igitur coniunctis ad naturam communicandam cōceſsis, licet effectus excedant virtutes naturales eorū, tanquam illis nobiliores; ſūt tamen ſuo modo eis cōnaturales; vnde ab eis effectus dependent, & in fieri, & in cōſeruari; calor enim ignis habet vim actiuam connaturalem reſpectu formę generandæ, vt ſupponimus, & probat Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 604. col. 1. in principio. Eiuſdem generis ſunt inſtrumenta artis: hæc enim aliquam habent connaturalitatē reſpectu formæ artis: ſiquidem propria virtute, mota tamē ab artifice, vel ſcindendo poſſunt amouere impedimenta, vt forma artis ſuo modo reſultet; vel deducere attramentum, quo voluerit artifex, ad iacienda delineamenta; vel denique ſua duritie, & ponderē poſſunt vim facere in aliud corpus, vt patet in baculo, quo lapis iacitur. Ad idē

32. etiam genus referuntur inſtrumenta naturalia ſeparata; quale eſt ſemen animalis ad generandum, & alia id genus. Inde eſt, vt ad effectus inſtrumētarios non quodlibet inſtrumentum aptum ſit ad quenlibet effectum; ſed quælibet determinata actio determinatum ſibi vendicat inſtrumentum, ex Diuo Thoma 1. p. q. 45. art. 5. non ob aliam rationem, niſi quia virtus illius aliquo modo eſt connaturaliter proportionata cum tali effectu. Poſterioris

Inſtrumēta poſterioris generis.

generis ſunt inſtrumenta, in quibus reſpectu effectuum nulla datur connaturalis proportio; quia ſecundum ſuam naturalem actiuitatem, vel repugnant effectui; vel ad eum nihil conducunt: talis eſt aqua reſpectu ignis ad calefaciendum, ex D. Thoma in d. art. 5: & inde eſt, vt ad huiuſmodi actiones, & effectus nulla ſint â natura inſtituta determinata inſtrumenta: nec enim ſola aqua, ſed etiam aer, ferrum, & cætera corpora materialia poſſūt eſſe igni inſtrumenta ad calefaciendum.

¶ His ita præmiſsis, inquiunt huius argumēti authores, non poſſe cōnumerari 33. Vis argum.
diuina inſtrumenta cū inſtrumētis prioris generis, ſed ad genus poſterius eſſe referenda: conſtat enim naturalem cuiuſq; creaturæ actiuitatem nullam prorſus habere cōnaturalitatem cum effectibus miraculoſis, ad quos aſſumuntur: quin potiꝰ vel illis interdū repugnāt, vt patet in luto, quo viſus cęco miraculoſè reſtituitur; vel ſaltē nihil cōducūt ad ſupernaturales effectus, quod proprium eſt inſtrumentorum poſterioris generis; & inde eſt, vt quælibet creatura ad quēlibet effectum, quē Deus voluerit, ſit indifferens, & ideò ad quenlibet poteſt eſſe Deo inſtrumentum. Ex quo infertur, de diuinis inſtrumentis theologizandū eſſe ad modū inſtrumentorum generis poſterioris. Cum verò illa ita ſe habeant ad agentia principalia, vt ab illis totam agendi vim ſumāt, & per ſolam illorum virtutem agere dicantur, vt patet in aqua calida, & ferro cādente; ſimiliter dicendum erit de creaturis, vt ſunt Dei inſtrumēta: ita enim Deo ſubordinabuntur in agendo, vt totā agendi virtutem à ſolo Deo tunc accipiant, cū ad agendum eleuantur. Quod fuit antiquorum fundamentum: quo ſuppoſito, nequaquā poteſt cōſtare actiuitas obediētialis innata: ſi enim illa admittatur in rebus; virtus illa, quā in ſua eleuatione accipiunt, dici nequaquā poteſt totā agendi virtus, cum ſupponat hanc innatam, incōpletā; & remotā, quæ ſupernaturaliter eleuata actiuè influat in effectꝰ ſupernaturales. ¶ Ex quibus infertur id, quod initio

34. Illatio.

dicebamus; actiuitatē. ſ. innatā nō eſſe neceſſariā, vt creaturæ Deo inſtrumētaliter cooperētur, quia ſatis cooperabūtur per ſolā virtutem ſupernaturalē, quā in ipſa eleuatione conſequuntur: nam aqua calida, & ferrum candens ſatis cooperantur cum igne ad calefaciendum, per ſolum calorem, quem habent ab igne abſque vlla re-

la remota, & natiua actiuitate. Cur igitur creaturæ non poterunt Deo cooperari, per ſolam, quam ab eo recipiunt, virtutẽ? profectò nulla eſt ratio, cur id nõ poſsint. ¶ Nec vim rationis elides, ſi dixeris inſtrumenta generis poſterioris, cum per ſe, & propriè non ſint agentia, ſed ſolùm materialiter (quatenus ſuſtentant formam extraneam, quæ eſt principium agendi) per ſe etiam & propriè non eſſe inſtrumenta, ſed ſolùm materialiter, & tanquam vehicula quædam formæ, quã receperunt: aqua enim calida propriè nõ dicitur calefacere; quæ ſententia non ſolùm fuit Suarij virtutis innatæ authoris in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 596. col. 2. C. & pag. 597. col. 1. C. ſed etiam placuit Bellomontano huius virtutis innatæ impugnatori 1. p. diſp. 47. cap. 6. n. 35. dum ait, aquam ſolum eſſe ſubiectum, cui calor adhæreſcit, vt exiſtere poſsit, & cooperari, & ob eam rationem à Philoſophis appellari vehiculum caloris. Non elides, inquam, vim huius rationis: quoniam ſolutio falſo nititur fundamento, dum aſſerit inſtrumenta poſterioris generis ſolùm agere per accidens, & quaſi materialiter; oppoſitum enim ſimpliciter eſſe verum, & principijs Philoſophiæ conſentaneum, eleganter probat doctiſsimus *Fõſeca 1. Metaph. cap. 1. q. 5. ſect. 4. poſt princ. pag. 91. & ſatis eſt de mente Conimbricenſiũ 2. Phyſic. c. 7. q. 18. art. 4*: etenim aqua calida verè calefacit, vt ſuppoſitum immediatum talis actionis, & ab ea tanquam ab agẽte, *vt quod* elicitur calefactio; etenim, vt aliquod agens dicatur per ſe agere, nõ neceſſariò requiritur, vt per aliquam virtutem ſibi propriam, & intrinſecam influat in effectum, vt in hac ſolutione malè ſupponitur. Quare, vt creaturæ verè ſint inſtrumenta Dei, & illi per ſe inſtrumentaliter cooperentur, ſatis eſt, quòd in ſe ipſis habeant ſupernaturale agẽdi principium, à Deo ſibi communicatum, in quo tanquam ſuppoſita ſuo modo ſubſiſtant, *vt quod*: hoc enim ſatis eſt, vt per illud actiuũ principiũ, tanquã illius ſuppoſita dicantur agere, & influere in effectus, vt agentia *vt quod*. Et ad hunc modũ verè ſaluatur cõmunis antiquorum ſententia, quòd ſacramẽta verè influũt in gratiã per ſolã ſupernaturalẽ virtutẽ, quam à Deo in ipſo vſu cõſequuntur: nam cum in ea verè ſubſiſtant, verè per eã agũt, *vt quod*.

35. Reſponſio ad arg. 7.

Soluitur.

Fonſeca. Conimbr.

Octauo loco eandẽ innatã virtutẽ olim ita impugnabam: quoniã cum virtus illa innata ponatur potens influere in quẽcũ que effectũ, ad quẽ Deus eã aſſũpſerit, nõ poteſt non habere virtutẽ infinitã in genere virtutis inſtrumentariæ. Hoc autem eſſe falſum facilè probatur: quoniã virtus illa poſitiua, & innata eſt entitas quædam creata. Iam verò quælibet creata entitas ex ſe eſt determinata, & habet determinatam actiuitatẽ in ſuo genere, cõpleto. ſ. vel incõpleto. Illa igitur virtus innata nõ poteſt nõ eſſe determinata in genere virtutis actiuæ; & per cõſequens nõ poterit eſſe infinita, quæ fuit minor. Maior verò ex eo oſtenditur; quoniã cum illa virtus innata ſit, illa ipſa eadem numero permanens ex ſe vim habet ad influendum in omnẽ effectum: quem Deus voluerit; & cum illi effectus & numero & ſpecie ſint infiniti, virtualiter cõtinebit effectus infinitos. Erit igitur virtus quædã infinita in ſuo genere. ¶ Vis huius argumẽti nõ tollitur, ſi dicatur cum Suario in d. diſp. 31. ſect. 5. ad finem, hanc actiuitatem, cũ remota ſit, & inchoata, nec conſtituere rẽ ſimpliciter potentẽ operari, nec ſimpliciter cõtinere virtualiter effectus; ſed ſolũ cõſtituere ipſam creaturã capacẽ, vt eleuari valeat ad cooperandũ Deo: & id cõfirmatur; quia potentia obedientialis paſſiua, quę reperitur in materia cœli, vt poſſit ſeparari à ſua forma, nõ ſimpliciter cõſtituit illam materiam potentẽ ſeparari; Non tollitur inquã vis argumẽti: quoniã potentiã, & illius actiuitatẽ ex ſua natura eſſe remotã, & inchoatã, indigentemque ſupernaturali concurſu, & agendi modo, nõ tollit, quominus res habens talem potentiã in eodẽ actiuitatis ordine cõtineat illos effectus virtualitate quadã remota, & inchoata: iam verò cauſa eo modo, quo cõtinet effectũ, diciturpotens in illũ: nam intellectus noſter, ideò, qui innatã habet actiuitatẽ ad actus ſupernaturales, licet remotã, & inchoatã, verè dicitur poſſe in tales actus, vt cõtra kymnitiũ ex ſententia D. Auguſtini, & aliorum Patrum oſtendit Bellarminus *lib. 6. de gratia, & libero arbitrio, cap. 15. in 2. & tertia ſententia*: & quia habet hoc poſſe, ideò eleuabilis eſt per diuinam gratiam, vt actu influat in eoſdẽ actus, vt fatetur idẽ Suarius in d. diſp.

36. 8. argum.

37. Occurritur ſolutioni.

38. *Bellarm.*

diſp. 31. ſect. 6. pag. 599. col. 2. ad finē. Quod etiā probat exemplū adductū ex materia cœli: licet enim talis potentia nō ſit ſatis, vt materia naturaliter ſit ſeparabilis à ſua forma; ſatis tamen eſt, vt verè & propriè dicatur ſeparabilis ab illa. Quare creatura, licet per illam innatam actiuitatem non poſsit ſimpliciter eſſe potēs in effectus ſupernaturales; quia non eſt completè potens: poteſt tamen ſimpliciter dici potens remotè: nam ſimpliciter dici poteſt eleuabilis, vt proximè poſsit. Hoc autem ſatis eſt, vt eminentia, & virtualitas inſtrumentaria in ſe contineat effectus, in quos obedientialiter poteſt. Et cum iſto modo ſit potens in omnes, ad quos Deus voluerit illam aſſumere; & hi ſint infiniti; profectò continebit infinitos effectus diuerſæ rationis; & ideò habebit infinitatem: quod erat probandum.

39. Poſtremū arg. Poſtremum argumentum ex eo ſumitur; quia hęc opinio, & noua eſt, & ab omnibus, qui ante Suarium ſcripſerunt, ſi non expreſſè, tacitè tamen improbata: nullus enim eorum, qui de virtute diuinorum inſtrumentorum ſcripſerunt in ordine ad effectus ſupernaturales actione tranſeunte producibiles, vllam in illis natiuam actiuitatem, non dico completā, ſed nec remotam, & inchoatam agnouit: imò omnes in illis ſolùm agnoſcunt virtutem diuinitus ſuperadditam per concurſum ſupernaturalem, ſiue extrinſecū ratione diuinæ aſsiſtentiæ, & ſubordinationis eorum ad diuinam voluntatem; ſiue intrinſecum, vel per aliquam qualitatem, vel per motum virtuoſum, qui ipſis inſtrumentis ſit tota virtus, vis, & potentia actiua, vt aduertit Bellarminus *tom. 2. in 2. lib. de effectu ſacramentorum c. 11. pag. 147. in fine in prima impreſsione; in noua autem tom. 3. pag. 181. C.* Quæ virtus ſuperaddita non eſſet illis tota virtus, ſi in eis aliquam aliam innatam ſupponeret, licet remotam, & inchoatam. (Bellarm.)

40. Quid Diu. Tho. vim innatā non recipiat. ¶ Quod hæc ſit mens D. Thomæ, ex eo patet, quia in omnibus locis, in quibus de virtute inſtrumentorū ſcribit, nullā aliā in ſacramētis virtutē actiuā agnoſcit, niſi quā à Deo habent, dum ad operandū aſſumuntur, vt patet 3. p. q. 62. art. 1. vbi generaliter affirmat, *cauſā inſtrumentalē non agere per virtutē ſuæ formæ, ſed ſolū per motum, quo mouetur à principali agente*: hoc eſt per virtutē, quam ab eo cōſequitur, dum ad agendum aſſumitur: quæ verba expēdit *Caiet. in d. q. 62. ar. 4. §. Sed quoniam hic ſenſus*: etenim illa excluſiua *ſolum* manifeſtè probat, D. Thomā ab inſtrumento excludere omnem aliam agendi rationē: præter eam, quā in ipſo vſu conſequitur, & expreſſè excludit ab omni inſtrumēto actiuitatem per ſuam natiuam formā. Clariùs id colliges ex D. Thoma de potentia q. 6. art. 4. in hæc verba: *Non quaſi aliqua virtute habitualiter in eis permanēte, vel gratuita, vel naturali, in actum miraculi poſsint: ſed virtus ad cooperandum Deo in miraculis, in ſanctis colligi poteſt ad modum formarum, quæ non permanēt, niſi ad præſentiā agentis principalis.* Vbi per virtutem naturalem intelligenda eſt virtus natiua. Idē D. Thomas de Veritate q. 27. art. 4. ad 4. ita ait: *Dicendum, quod ſacramenta non operantur ad gratiam per virtutem propriæ formæ, ſed per virtutem principalis agētis in eis exiſtentem.* Cū verò ſolùm admittat operationem per virtutem ſupernaturalem, excludit omnem virtutem propriæ formæ, ſiue completam, ſiue inchoatam, & natiuam: nam ſi ſacramenta operarentur illa virtute obedientiali natiua, iam non operarentur per ſolam virtutem in ipſo vſu ab agente mēdicatam. Denique 3. p. q. 62. art. 4. & vbicunque agit de virtute ſacramentorum ad gratiam, & ſanctorū ad miracula, nullam aliam virtutem actiuam agnoſcit, niſi, quæ à Deo in ipſo vſu acquiritur: Quam appellat tranſeuntem, & per modū tranſeuntis; quia in ſolo vſu permanet ad pręſentiā agētis principalis. (D. Thom.)

Contra eandem virtutem innatam videtur expreſſè ſcripſiſſe Alenſis 4. p. q. 8. memb. 3. art. 5. §. 1. in antiquis; in nouis autem q. 5. memb. 3. art. 5. §. 1. pagina 52. col. 3. §. *Dico igitur*, & §. *Si obijciatur*, vbi ait, *Corpus non agere in ſpiritum ex ſua virtute naturali primitus data, ſed virtute ſanctificationis mirabiliter collata.* Vbi dictio aduerſatiua *ſed* omnem aliam virtutem à ſupernaturali excludit, & ſubinde excludit omnem natiuā actiuitatem, ſiue naturalē, ſiue obedientialē; naturale enim ibi idem eſt, quod innatū, & congenitū. Euidentiùs id expreſsit in antiquis in d. §. 4. ad finem; in nouis autem in d. q. 5. memb. 3. art. 5. §. 4. in hæc verba: *Ad quod dicendum eſt, quòd actio ſacramenti, vt* (41. Quod Alenſis illi contradicat.)

vt eſt ſacramentum, non eſt per ſenſibilem qualitatem in ſe; ſed per virtutem formæ intelligibilis, quæ eſt benedictio. Per ſenſibilem, inquam, qualitatem: id eſt per virtutem, quam ſenſibilis qualitas habeat ex ſe, ſuaque natiuitate. Quem ſenſum euidenter expreſsit: agens enim de virtute aquæ baptiſmi, affirmat *eam non eſſe ex principijs ipſius aquæ: & illam actionem nō habere principium, naturam, ſed gratiā.* Alēſis igitur nullam natiuam actiuitatem agnoſcit in ſignis ſacramentalibus; imò omnem reijcit, dum affirmat, ſigna illa præciſè, & totaliter agere per ſolam virtutem ſupernaturalem illis ſuperadditam, tanquam per totā agendi virtutē, & potētiā.

4. Cōtradicit Richardus. Contra eandem virtutem innatam expendo Richardum in 4. diſt. 1. art. 4. q. 3. vbi ita ſcribit: *Cum ergo ſacramenta ſint inſtrumenta diuinæ miſericordiæ: non tamen in eis eſt virtus, quam habent, ex ſua conditione: ſed alia, quæ eis ineſt tantummodò, dum ſunt in vſu, hoc eſt, dum diuina miſericordia eis vtitur.* Ecce in ſacramentis nullā virtutem in ipſa rerum conditione, id eſt, conſtitutione agnoſcit.

5. Repugnat Caietanus. Caietanus, ſi attentiùs expēdatur, actiuam obedientiam natiuā reprobat: vbiq; enim docet cum D. Thoma, omne inſtrumentū tunc primò habere virtutē inſtrumentalē, & tunc primò fieri inſtrumētū ex non inſtrumento; cum primū ab agēte principali ad agendū ſumitur; vt ſcribit 3. *p. q.* 13. *art.* 2: hoc autē nō eſſet verū, ſi ante vſum haberet aliquam inſtrumētariam actiuitatē, etiam remotam; etenim non fieret inſtrumentū de non inſtrumēto: ſed de inſtrumento incompleto, fieret cōpletum. Idem 3. p. q. 62. art. 4. cum D. Thoma omnem aliam agendi virtutem â diuinis inſtrumentis reijcit, quæ à principali agēte in ipſo vſu nō cōmunicatur: & ideò cū eodē D. Thoma negat inſtrumentum aliquod per virtutē ſuæ formæ, & entitatis aliquo modo influere in effectū. Et ideò in *d. q.* 13. *art.* 2. in inſtrumētis diuinis nullam agnoſcit virtutem naturalē, & ſubindè nec natiuam. Denique in *d. q.* 62. *art.* 4. nullam virtutē inchoatā agnoſcit in aqua, niſi eam, quam accepit in Iordane ex cōtactu carnis Chriſti: *tūc enim* (inquit) *aqua ſanctificata eſt, accipiēdo inchoatiuè vim regeneratiuam:* & poſt med. §. *Ad euidentiam horum*: nullam in ſacramentis agnoſcit virtutem permanentem aut naturalem, aut gratuitam.

Et vt cōcludamus argumēta ab authoritate, nōnulli cōtra virtutē innatā expēdunt Aug. *lib.* 9. *de Geneſi ad literam c.* 17: agens enim de cauſis eorū, quæ fiunt, ſupponit tanquā notiſsimū, alia fieri naturali cōcurſu, alia verò ſupra curſum naturalē. Deinde docet naturalē curſum habere in ipſis rebus quaſdā rationes primordiales (quas vocat ſeminales) quibus ſingulę res creatæ ex ſua natura ſunt determinatæ ad agendū hoc, & non illud: nam ex grano tritici non naſcitur faba, vt ait; nec ex faba triticū: vel de pecore homo; vel de homine pecus. Et addit ſupra hunc naturalē motū, & curſum, poteſtatē creatoris habere apud ſe poſſe, de rebus creatis facere nō id tantū, quod in rebus poſuit, vt de illis fieri poſsint: ſed etiā aliud, quâm earū rationes ſeminales habēt. Ex hoc infert aliū eſſe modū rerū, quæ naturaliter fiūt; aliū verò eorū, quæ fiūt ſupra naturę curſum: nam rationes, & cauſæ eorum, quæ naturaliter fiunt; nō tantùm ſunt in ipſo, ſed ab ipſo rebus creatis inditæ ſunt, & concreatæ: eorū verò, quæ ſupra curſum naturalem fiunt, cauſas, ſolus Deus habet in ſe ipſo abſconditas, quas rebus conditis non inſeruit: nam, licet illis dederit, vt ex ipſis poſſēt fieri, quę rationes earum ſeminales excedunt; id tamen in hoc ſenſu illis dediſſe dicitur, quia illis dedit, vt in ſua natura voluntati potentiori ſubiacerent. Ex hac veriſsima Auguſtini doctrina euidēter colligitur cauſas, id eſt, actiuitates eorum, quæ ſupernaturalitèr fiunt, ita in Deo eſſe abſconditas, vt eas rebus creatis non inſeruerit; communicet tamen eas, cum voluerit. Hæc autem reſolutio non eſſet omnibus modis vera, ſi Deus rebus in ſui conſtitutione inſeruit obedientialem actiuitatem, quæ eſſet principium agendi, licet remotum, & inchoatum: tunc enim ſola completa, & proxima actiuitas ſupernaturalium effectorum eſſet in Deo pro libito voluntatis rebus cōmunicanda: incompleta verò, & inchoata actiuitas eſſet rebus innata, & congenita: cum tamen verba Aug. videātur ſignificare vniuerſalē negatiuā: etenī ſimpliciter negat cauſas. i. (actiuitates) ſupernaturalium effectorum in ſolo Deo eſſe, & reb⁹ creatis minimè fuiſſe inſertas.

6. Obijcitur Auguſt.

7.

Hæc

Hæc ex mente Doctorũ adduximus contra actiuitatem obedientialem rebus creatis congenitam, & innatam, qua poſſent Deo inſtrumentaliter cooperari.

§. 2.

Quomodò authores negantis ſententiæ explicent potentiam obedientialem actiuam, quam admittunt in rebus ante eleuationem.

8. QVanuis authores, quos in principio adduximus, non admittũt in rebus creatis potentiam obedientialem actiuam illis innatam, & congenitam; omnes tamen in rebus creatis admittunt dari potentiam obedientialem actiuam, etiam antequam aſſumantur, vt efficienter Deo cooperentur ad effectus ſupernaturales. Quæ autem ſit hæc potentia actiua? non omnes eodem modo explicant, ſed varijs modis; quos oportet hoc loco referre, vt hæc difficultas facilius intelligatur.

Quænã ſit hæc potentia actiua ante vſum.

Sunt igitur nonnulli, qui volunt res creatas ab ipſo ſuo ortu habere potentiã obedientialem actiuam; non quidem, vt phyſicè influant in effectus ſupernaturales; ſed vt in eos influant influentia quadam morali, vt diximus art. 5. §. 1. Apud iſtos potentia obedientialis actiua, qua res creatæ ſunt obedientialiter potẽtes, non eſt aliud, quàm aptitudo quædã, quam res creata habet ex diuina ordinatione, vt ad illius actualem aſſumptionẽ Deus ſe ipſo producat effectum ſupernaturalem, quem per ipſam vult producere. Illa igitur aptitudo, quam ex diuina inſtitutione, & ordinatione habet res ſacramentalis, vt ad illius præſentiam Deus gratiam producat, eſt ipſa potentia obedientialis actiua, quæ in ipſa re ſacramentali datur ad gratiam, etiam antequã aſſumatur. Simili modo hæc erit potentia obedientialis, quam habet ignis inferni ad torquendos malos ſpiritus. Hæc explicatio ſatis eſt ad mentem D. Bonauenturæ, Scoti, Durandi, & Bellomontani, quos loco citato adduximus.

Prima opinio quod ſit ſolum potẽtia moralis.

Ex illis verò, qui potentiæ obedientiali actiuæ ante eleuationem concedunt phyſicum influxum in ſupernaturales effectu, ſunt nonnulli, qui potentiam illam obedientialem actiuam non admittunt per aliquod poſitiuum, quod in illis ante eleuationem ſit actiuũ; ſed per obedientialem potentiam paſsiuam, quam in ſe habent, vt in ipſo vſu accipiant à Deo principium actiuũ, quo fiant in actu primo agendi. Quare res creatæ, ideò ſunt obedientialiter potentes agere in ſupernaturales effectus; quia in ipſo vſu poſſunt recipere à Deo principium actiuũ, quo in illos effectus influant. Hunc dicendi modum probauerunt Theologi, quos art. 7. adduximus.

9. 2. opinio quod res ſint potẽtes quia poſſũt recipere prĩcipium actiuum.

Tertio loco ſunt alij, qui ante eleuationem admittunt in rebus potentiã obedientialem per aliquod principium actiuum, non quod in ſe habeant, antequam eleuentur; ſed quod habent in Deo, vt poſsint per illud ad ſupernaturalia concurrere. Hæc fuit opinio doctiſsimi Fõſecæ 9. *Metaph. c. 1. q. 4. ſect. 3. lit. C. pag.* 610. *col. 2. ante finem*; vbi in hæc verba: *Non ergo ex principio actiuo, quod ex ſe habeant, antequam eleuentur; ſed ex eo, quod illud in Deo eſt, habent, vt poſſint ad ea concurrere.* Cuius opinionem explicauimus ſuprà art. 6. Quare apud Fonſecam potẽtia obedientialis actiua, quæ eſt in rebus, antequam eleuentur, eſt potentia, quam res habent ex principio actiuo, quod eſt in Deo: ideò enim pro illo ſtatu dicuntur obedientialiter potentes, quia aliquo modo poſſunt in ſe habere illud principium, quod eſt in Deo.

10. 3. opinio res ſunt potentes per principium actiuũ, quod eſt in Deo.

Fonſeca.

§. 3.

Refertur opinio affirmans.

OPinio tamẽ, quæ affirmat, potẽtiã obedientialẽ actiuã in rebus creatis dicere quandam virtutem innatam, & congenitã, conſtanter defenditur à doctiſsimo Suario 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 5. *pag.* 586. *col.* 2. *& latiùs ſect.* 6. *pag.* 600. *col.* 2. *ſub titulo de neceſsitate potentiæ obedientialis actiuæ*; & in eadẽ permanet, vbicunque agit de hac potentia: eã enim recipit *in* 3. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 9. *ſect.* 1. *pag.* 108. *col.* 1. *§. Tertia difficultas, & in Meta. diſp.* 43. *ſect.* 4. *n.* 6. *& lib.* 2. *de attrib. negat. c.* 10. *n.* 14. in quibus locis reſoluit, in entitate rei creatæ, vt ſubſtat diuinæ voluntati, admittendã eſſe actiuitatẽ innatã ad quencũque effectũ ſupernaturalem; idq; antequã à Deo in tẽpore eleuetur, & aſſumatur ad producendũ talẽ effectum. Hãc autem potentiam non putat eſſe aliquid diſtinctũ à rebus, earumque entitate; ſed ipſam cuiuſq; rei entitatẽ per ſe ipſã eſſe

11. Opinio affirmans.

Suarius.

virtutem obedientialem actiuam ad agēdum; ita vt ſicut calor per ſe eſt virtus naturalis ignis ad calefaciēdum; ita ipſa entitas cuiuſque rei ſit ipſa virtus obedientialis ad agendum, quæ Deus per ipſam facere voluerit: & inde infert virtutem iſtam obedientialem nihil addere entitati rei; quin potiùs includi in eſſentiali illius conceptu; & ob id eſſe quandam virtutē innatam, & congenitam; remotam tamē, & inchoatam in ordine ad ſupernaturales effectus; quia. ſ. requirit ſupernaturalem concurſum, vt eleuetur, & fiat potentia proxima, virtusque completa. Hæc omnia colliges ex *Suario in locis citatis, maximè in dicta diſp. 31. ſect. 5. pag. 586. col. 2. & pag. 587. col. 1. & 2.* Cum Suario conſentit *Albertinus in ſuis corollarijs q. 1. theologica in primum corollarium, dubitatione 1.* ſi expendantur, quæ ſcribit ibidem *§. Quare ad argumentum, pag. 184. col. 1. D. & in 2. & 3. dubitatione.*

Suarius. Albertin.

12. 1. arg.

Hanc ſuam opinionem multis confirmat Suarius. Et primò; quia iſta opinio nullam repugnantiam inuoluit: in ſe eſt veriſimilis: & poſita illa facilè expediūtur difficultates, quæ occurrunt in eleuatione inſtrumentorum diuinorum. ſ. in Chriſti humanitate, in Sacramentis, alijſque inſtrumentis: ita in d. *ſect. 5. pag. 586. col 2. B.*

13. 2. arg.

Secundò; in creaturis datur potentia paſſiua obedientialis innata ad recipiendas formas ſupernaturales, & præternaturales. Ergo in ijſdem admittenda etiam eſt potentia obedientialis actiua innata. Antecedens probat; quia admittitur à D. Thoma *in 1. diſt. 42. q. 2. art. 2. ad 4. dum ait*, Deum indidiſſe materiæ primæ duplices rationes; ſcilicet cauſales, & obediētiales, per quas omnes res natæ ſunt obedire Deo: quod etiam repetit *in 2. diſtin. 18. q. 1. art. 2. & in 3. diſt. 2. q. 1. artic. 1. de Veritate q. 8. art. 4. ad 13. ſatis indicat 1. p. q. 115. art. 2. & 4 & 3. p. q. 1. art. 3. ad 3. & q. 11. art. 1. in quo à ſuis communiter recipitur, ſcilicet à Capreolo in 1. q. prologi, & ibidem ab Hiſpalenſi q. 1. ab eodem Capreolo in 4. diſt. 1. q. 1. Caietano 1. p. q. 1. art. 1. & to. 3. Opuſculorum tract. 2. q. 2. à Ferrar. 1. contra gent. c. 5. & lib. 3. cap. 156.* Denique antecedens ab omnibus recipitur. Conſequentiam probat: primò; quia ea videtur vti D. Thomas *de potentia q. 6. art. 4.* dum ex eo, *quod datum eſt hominibus filios Dei fieri:* (quod pertinet ad potentiam paſſiuam) *infert non eſſe mirum, ſi ex poteſtate filiorū Dei, poſſint mira efficere*, quod pertinet ad potentiam obedientialem actiuam. Deinde; quia nulla eſt ratio, cur ſi vna in rebus datur, altera non detur: maximè cum non ſolùm non repugnet dari talem actiuam obedientiam; ſed etiam arguat maiorem obedientiæ perfectionē, ſi res creata non ſolùm paſſiuē, ſed etiam actiuè Deo ſubijciatur. Tertiò, quia omnes difficultates, quæ militant aduerſus vnam potentiam, militant aduerſus alteram. Quartò, quia non minus pertinet ad omnipotentiam Dei, quòd creaturæ illi ſubijciantur in agendo, quàm in recipiendo: at non poſſunt obedire in recipiendo, niſi habeant potētiam paſſiuam. Ergo non poterunt obedire in agendo, niſi habeant potētiam actiuam: & cū eam de nouo non recipiant, vt ſupponit, neceſſariò habebunt eam innatam. Poſtremò; quia non maior eſt repugnantia, imò minor, quòd potentia actiua creaturæ poſſit extendi extra terminos ſuæ naturæ, quâm paſſiua. Cum actio exeat à creatura, paſſio verò maneat in ea. Ita habes apud Suarium *in dicta ſect. 5. pag. 586. col. 2. C. §. Deinde conſtat, & ſect. 6. pag. 601. col. 2. in fine, §. Secunda ratio.*

Antecedēs eſt D. Tho. & Thomiſtarum. *D. Thom. Capreol. Hiſpalen. Caiet. Ferrar.*

1. probatio conſequentiæ. *D. Thom.* Secunda. Tertia. 4. probatio. 5. probatio.

14. 3. argum.

Tertiò; ad omnipotentiam Dei pertinet, poſſe vti creatura ſua non ſolùm ad omnem effectum non repugnantem, ſed etiam ad omnem modum, & rationem, quæ non includit contradictionem. Ergo datur in qualibet creatura ſufficiens fundamentum, per quod poſſit obedire Deo ad omnem effectum, & modum nō repugnantem. Sed modus operandi per potentiam actiuam creaturæ innatam nō inuoluit contradictionem: nulla enim dabitur. Ergo in creatura admittenda eſt hæc innata obedientia, qua apta ſit Deo cooperari ad quemlibet effectum, per ſolam extrinſecam ſubordinationem, & coniunctionem cum diuina virtute eam eleuante, & principaliter operante. Ita *in dicta ſectione 6. pag. 601. col. 1. §. Vnde formatur prima ratio.*

15. 4. argum.

Quartò ſi Deus non poteſt vti ſua creatura mediante virtute innata, de qua agimus; vel hoc eſt, quia non potuit illam talem condere, vt iſto modo ſibi deſeruiret,

ret; aut quia noluit. Non quia nō potuit; quia, cum non inuoluat repugnantiam, non eſt negandum Deo. Non quia noluit condere talem creaturā, quanuis poſſet: primo; quia hoc nullo veriſimili nititur fundamēto: vnde enim conſtat, Deū noluiſſe? Deinde; quia cum voluerit condere creaturam, neceſſariò voluit eam cōdere cum omnimoda ſubiectione ad ſupremum dominium; maximè, cum talis ſubiectio non ſit aliquid diſtinctum ab entitate creaturæ. Ita d. p. 601. col. 1. §. *Et confirmatur.*

16. 5. Argum. Quintò ita arguit *in dicta ſect. 6. pagin.* 603. *col.* 1. §. *Tertia ratio*: vis argumenti in forma, in hoc eſt poſita: in noſtro intellectu, & voluntate datur potentia obedientialis actiua, & innata ad actus ſupernaturales Fidei, Charitatis, & viſionis beatificæ. Ergo eadem dāda eſt in omnibus rebus, ad actus naturam excedentes. Antecedens probatur: quoniam admittendū eſt, prædictos actus effectiuè emanare, ab illis potentijs; ita vt ipſæmet potentiæ per ſuas entitates, & proprias actiuitates influant in eos ſimul cum habitibus infuſis; quod ſupponendum eſt. Quòd verò illa potentia actiua influens non ſit naturalis, ſed obedientialis, inde patet; quoniā potentia paſsiua animæ ad illos recipiendos eſt obedientialis, & non naturalis. Porrò conſequentia ita confirmatur vbi ſuprà col. 2. B. C. primo; quia eadem videtur ratio in alijs rebus; cum in illis non detur maior repugnantia. Secundò, quia ex capacitate obedientiali, quam ex effectibus colligimus, tùm in Chriſti humanitatate ad vnionem hypoſtaticam: tùm in noſtris potentijs ad actus ſupernaturales, rectè inferimùs dari ſimilem, & proportionalem capacitatem in alijs rebus ad effectus ſupra vires totius naturæ. Ergo ex potentia obedientiali actiua, & innata intellectus, & voluntatis ad præcitatos actus, rectè colligemus in alijs rebus dari potentiam obedientialem actiuam, & innatam.

17. 6. Arg. Sextam rationem ponit idem Suar. *in dicta ſectione* 6. *pag*: 603, *col.* 2. §. *quarto non videtur*: inſtrumenta, tàm naturalia, quàm artis habent aliquam vim actiuam inſtrumentariam ſibi connaturalem & innatam, reſpectu effectuum, ad quos aſſumuntur: calor enim, qui igni eſt inſtrumentum ad generandum alium ignē, habet vim actiuam inſtrumentariam, & connaturalem reſpectu ſubſtantiæ ignis generandi: & idem cernitur in dolabra, cæteriſque artificum inſtrumentis. Quid igitur mirum eſt, ſi creaturæ, vt ſubordinatæ ſuo creatori habeant aliquam natiuā vim, qua poſsint Deo cooperari?

Cōfirmatur ab eodem; quoniam ſicut materia naturalis eſt in quadam potentia obedientiali reſpectu humanæ facultatis, & ingenij ad recipiendas formas artis; ita in ratione inſtrumenti ſubijcitur eidem arti ad efficienda mira opera, quæ vim naturalem talium inſtrumentorum excedere videntur. Ergo credibile eſt, poſſe Deum altiori modo vti ſua creatura, vt inſtrumento ad ſupernaturalia opera diuinæ artis, & omnipotentiæ: & ex conſequenti, quòd in eiſdem rebus ſupponatur aliqua vis actiua, qua poſsit Deo cooperando obedire. 18. Cōfirmatio

Septimo loco arguit *in dicta ſect. 6. pag.* 604. *col.* 1. §. *quinto non videtur*: quia ſine hac virtute innata intelligi non poteſt, quòd creatura eleuetur ad cooperandum Deo vltra id, quod naturaliter agere poteſt: quod (vt ait) in ſuperioribus demōſtratum eſt, dū ſinguli eleuandi modi impugnati ſunt: nam eleuationem per qualitatem ſuperadditam impugnauit *in dicta ſect. 6. pag.* 590. *col.* 2. §. *Secundum principiū eſt.* Eam non fieri per motum aliquē phyſicum rebus ſuperadditum probauit *pag.* 592. *col.* 2. §. *Tertium principium eſt.* Quòd etiam non fiat per ſolam extrinſecam eleuationem; oſtendit *pag.* 593. *col.* 2. §. *His ita ſuppoſitis.* Denique quòd non fiat per ſolam ſubordinationē, ſi nulla rebus ipſis ſuperaddatur potentia, latè cōfirmat *pag.* 595. *col.* 2. Cum igitur non facilè intelligatur, quomodo creatura à Deo poſsit eleuari ſine iſta potentia obediētiali innata, ſatis illa videtur confirmata: quam ex eodem medio concludit *pagin.* 600. *col.* 2. §. *Quæ hactenus diximus.* 19. 7. Arg.

Octauò, ita arguit: quoniam videmus Deum immutare naturas rerum, & eas eleuare ad aliquid præter, & ſupra naturam, nihil eis addendo, ſed illis ſua voluntate vtendo: etenim corpus, quod vnum ſolùm locum naturaliter replet, poteſt replere plura loca: & duo corpora, quæ naturaliter replent diuerſa lo- 20. 8. Arg.

ca, poſſunt ſimul eſſe in eodem loco: anima etiam, quæ natura ſua non poteſt informare, niſi corpus determinatæ quantitatis, poteſt diuina virtute informare corpus quantitatis maioris: denique albedo, quæ naturaliter in vno eſt ſubiecto, poteſt diuina virtute eſſe in pluribus. Eſt igitur in his rebus potentia obedientialis ad iſtos effectus, nulla illis ſuperaddita entitate. Cur igitur non erit in rebus obedientialis potentia, vt agant vltra naturæ terminos nulla illis addita entitate? Ita inuenies *in dicta pag.* 604. col. 1. *B. & latius pag.* 586. *col.* 2. *§. Tertio: quia vnum corpus.*

21. 6. argum. Nonò, Accedit ex eodem pagin. 604. *§. Et poteſt confirmari*: quia Sancti ſæpè numero mirantur, quod Deus interdum operetur aliquos effectus, adhibendo res, vel nullius virtutis, vel repugnantis: nam Chtiſtus vngendo oculos luto, illuminauit Cęcum. Non admirantur autem, niſi quia res illæ ad tales effectus aliquid conferunt. In illis igitur aliqua ineſt vis à natura inſita ad obediendum Deo, etiam contrà ſuam naturam.

22. Confirma. Id coufirmat; quia plures putant, aquam moueri ſurſum ad replendum vacuũ per virtutem obedientialem, quæ eſt in grauitate, ad imperium Dei.

23. Vltim. arg. *Auguſt.* Poſtremò eandem ſententiam confirmat authoritate Auguſtini, & aliquorum Theologorum, quos refert *pag.* 604. *col.* 1. *§. ſexto poſſumus.* Etenim Auguſtinus lib. 9. non quidem de Trinitate, vt falsò refert, *ſed ſupra Geneſim ad literam cap.* 17. poſtquá docuit eſſe in rebus naturalibus virtutes agendi iuxta leges naturales, ſubdit: *Super hunc autem motum curſumque rerum naturalium, poteſtas Creatoris habet apud ſe, de his omnibus facere aliud, quàm eorum quaſi rationes ſeminales habent*, non ſolùm quidem paſsiuè, vt in eis ponat formas ſupernaturales; ſed etiam actiuè, vt per eas agat, quę corũ naturas excedunt, vt ex eodem Auguſtino ibidem probat. Ergo ex Auguſtino poteſt Deus facere, vt creaturæ aliquid operentur, vltra virtutem ſuam naturalem, idque ex ſolo imperio, & voluntate Dei. Admittit igitur in illis virtutem obedientialem actiuam, & innatam.

24. *Bonauent.* *Caietan.* Adducit etiam D. Bonauenturam *in* 4. *diſt.* 10. *in* 2. *p. art.* 1. *q.* 2. *art.* 2. *num.* 47. & *Caietanum* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. vbi ita ſcribit: *Qui vſus eſt vis actiua ipſius in eſſe inſtrumenti; ac per hoc in eſſe cauſæ effectiuæ inſtrumentaliter operis miraculoſi: reducitur enim res illa de potentia obedientiali ad actũ, cum de non inſtrumento, fit inſtrumentum. Quod fieri conſtat ex hoc ſolo, quòd Deus vtitur illa inſtrumentaliter ad opus miraculoſũ.* Ergo ex Caietano Deus efficit miracula per creaturam, non dando illi aliquã gratuitam virtutem, quam per potentiã obedientialem recipiat; ſed vtendo illius actiua virtute, vt inſtrumento. Eam igitur habebat non gratis datam, ſed congenitã, & eundem Caietanum iam adduxerat 3. *p. q.* 78. *art.* 4. Similiter, & D. Thomam *in* 4 *diſt.* 8. *q.* 2. *ar.* 3. *ad* 4. & Alenſ. 4. *p. q.* 34. *Membr.* 1, *art.* 2. *in antiquis; in nouis autem q.* 10. *membro* 4. *art.* 2. *§.* 5. *quæſito* 1. *ad finẽ, fol.* 142. *colum.* 1. *in fine.* *Caietan.* *D. Thom.* *Alenſis.*

Cõcludit igitur *in dicta ſect.* 5. *pag.* 587. *col.* 1. *A.* admiſſa hac virtute innata optimè intelligi, quòd nulla actio fiat ſiue virtute agendi; quia hæc ſupernaturalia fiũt per creaturas per hanc innatam virtutẽ, dum concurſu proportionato ad agendũ applicatur. Addit hinc optimè intelligi, quomodo duæ res, quæ ex ſua natura nõ habent connexionem cauſæ, & effectus, poſsint illam habere, etiam ſi nihil illis addatur: quia ſcilicet creaturæ eam habent cum effectibus ſupernaturalibus per obedientialem potentiam, qua capaces ſunt illius depẽdentiæ, & habitudinis. ¶ Hæc ex Suario collegimus pro confirmanda virtute actiua obedientiali, & innata, quã conſtanter defendit. 25. Concluſio opinionis.

§. 4.

Explicatur propria authoris ſententia.

QVæſtionem iſtam dubiam eſſe, & difficilem, ad initium huius articuli iam aduertimus. Opinionẽ negantem, & affirmantem iam explicaui mus, attulimusque vtriuſque fundamenta: diximus etiam nos olim in noſtris prę lectionibus accerrimè impugnaſſe hanc obedientiam actiuam rebus innatam: nũc verò re conſideratius expenſa, & diligentius conſiderata, putamus vtramque opinionem conciliari poſſe. Dicimus igitur potentiam obedientialem actiuam, & innatam abſolutè non eſſe neceſſariam, vt res creatę, tanquam inſtrumenta aſſumãtur 26. Propria opinio.

tur

tur à Deo ad effectus ſupernaturales effi ciendos: de facto tamen eſſe admittendã in ipſis rebus, conceſſam illis à Deo ſuper naturali authore. In priori ſenſu ſententia negans eſt veriſsima: affirmans verò in poſteriori eſt omninò tenẽda. Quare duas in hac difficultate ſtatuimus concluſiones. Prima eſt: *potentia obedientialis poſitiua, & actiua rebus innata de facto eſt admittenda; qua res creatæ de facto ſint aptæ, & potẽtes ante eleuationẽ ad inſtrumentaliter Deo cooperandum ad effectus naturam excedentes; idque aptitudine quadam, & potentia poſitiua.*

27. 2. Cõcluſio Secunda Concluſio: *Hæc potentia obedientialis innata abſolutè nõ eſt neceſſaria, vt creaturæ poſsint aſſumi à Deo, tanquã inſtrumẽta ad miracula ſuper naturam perpatrãda.*

¶ Primam concluſionẽ ponimus pro ſententia afirmatiua, quæ à doctiſsimo Suario, tàm conſtanter defenditur, quanuis longè à ſenſu noſtræ concluſionis. Secũdam verò ſtatuimus pro ſententia negante, quæ à viris doctiſsimis conſtantiſsimè aſſeritur contra ſenſum opinionis Suarij. Singulas has duas Concluſiones: diligentiſsime explicabimus, & cõfirmabimus.

¶ Priùs tamen nonnulla præmittemus, quæ ad illarum explicationem non parũ conducunt

28. 1. Præmiſſ. Primo loco præmittendum eſt, non omnem rem creatam, quæ eſt in potentia obedientiali actiua ad effectum ſupernaturalem, eſſe eleuabilem à Deo, tanquam inſtrumentum; ſed aliquam eleuari, vt cauſam principalem: etenim intellectus, & voluntas ad actus ſupernaturales intelligendi, & volendi, tàm viæ, quàm Patriæ eleuantur, non vt inſtrumẽta, ſed vt cauſæ principales, vt q. 3. latius oſtendemus. Quare duplex diſtinguenda eſt potentia obedientialis actiua: vna, quæ apta eſt Deo cooperari, vt cauſa in ſuo genere principalis. Altera, quæ ex ſua natura habet, vt Deo cooperari non poſsit, niſi tãquam cauſa inſtrumentaria. Potẽtia obedientialis prioris generis reperitur in ſola creatura intellectuali, quatenùs eſt intellectualis: vnde ſolùm datur in ordine ad actus ſupernaturales vitales, & immanentes; prout natura intellectualis per illos vitaliter attingit, & percipit ſua obiecta, & ea percipiendo formaliter fit intelligens, & volens. Potentia autem obedientialis generis poſterioris ſemper eſt ad actus tranſeuntes, qui in ipſis obiectis realiter recipiuntur, cum ipſorum immutatione.

Non omnis potentia eſt eleuabilis vt inſtrumẽtũ

Duplex potentia obedientialis actiua.

29. *De qua potentia obedientialis hic agendum ſit* Præſuppoſita hac duplici obedientia actiua; expendendum eſt, An in vtroque obedientiæ genere admittenda ſit virtus innata, de qua agimus? Quidam illam admittunt in ſolo priori genere; non verò in poſteriori. Nos tamen in vtroque genere illam admittimus. Sed quoniam fundamẽta vnius, & alterius difficultatis ſũt diuerſa; vt omnis tollatur cõfuſio, de vtraque ſpecialem faciemus diſputationem. De potentia prioris generis, quæ in ſolo intellectu, & volũtate reperitur, dicemus in ſequente q. 3. in qua diſputabimus, vtrùm in intellectu creato admittenda ſit virtus obedientialis innata ad viſionem beatam: de potentia verò obedientiali inſtrumẽtaria in hoc articulo diſputabimus. In quo ſolùm agemus de potentia obedientiali actiua in ordine ad actus tranſeuntes.

30. 2. Præmiſſ. Præmittendum eſt ſecundo in hoc articulo ſolùm inquiri; vtrùm in rebus creatis, antequã à Deo eleuentur, admittenda ſit virtus iſta innata, de qua agimus, in ordine ad actiones ſupernaturales tranſeuntes? nam quomodo illa diſtinguatur ab entitate rei creatæ; & à potentia naturali illius? & vtrùm in omnibus rebus ſit admittenda? & quomodo eleuetur? & alia huius generis in ſingulis articulis explicabuntur. Quare in hoc art. ſolùm agimus de quæſtione, an eſt?

Expenditur prima Concluſio.

31. *Expenditur 1. Concl.* ¶ His præmiſsis, expicanda eſt, & expẽdenda prima Concluſio, qua ſtatuimus potentiam iſtam innatam de facto admittendam eſſe in rebus creatis. Iſtam concluſionem puto euidenter deduci ex D. Auguſtino, ex cuius doctrina verũ illius ſenſum deducemus. Auguſtinus igitur *9. ſuprà Geneſim ad literam cap. 17.* agens de rebus creatis, antequam Deus illis in tempore communicet rationes, & cauſas rerum ſupernaturalium, quas in ſe habet abſconditas (vt patet, ex illis verbis cap. 17. *Hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod in ea ante fecit, vt poſſit.* Et capit. 18. *Sed tantum hoc habuit, quia & ſic fieri* *Augu.*

poſsit

poſſet. Quæ verba ſatis probant Auguſtinum agere de rebus, antequàm in tempore aſſumantur ad agendum) agens igitur de rebus pro hoc ſtatu expreſsis verbis docet, Deum in rebus, quas creauit, feciſſe, & poſuiſſe ipſum poſſe in ſupernaturalia, quæ naturam earum excedunt: ita enim ait; *Et hoc de vnaq; re in ſuo tẽpore facit, quod antea in ea fecit, vt poſsit,* Et ſtatim ita ſcribit: *Dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis hæc fieri poſsint.* Et in eodẽ cap. dixerat, Deum hoc poſſe in eis poſuiſſe, ita inquiens: *Non tamen id, quod*
32. *in eis poſuit, &c.* Non eſt igitur negãdum, docere Auguſtinum, Deũ rebus creatis in ipſa creatione dediſſe quoddam poſſe, quo poſſent facere, quæ naturam excedunt. Cum verô hoc poſſe rebus dederit, quando eas condidit, nõ poteſt tale poſſe non eſſe innatum: etenim tunc rebus dedit iſtud poſſe, quando earum naturas cõdidit, vt expreſſè docet. Accedit; quia illud poſſe dedit, antequam in tẽpore ex eis faciat, quod illis datum eſt, vt per eas fieret, vt declarant verba ſuperiùs allata. Accedit etiam; quia idem Auguſtinus declarat, Deum hoc poſſe tunc in rebus feciſſe, cum eas ſuæ voluntati ſubiecit: ita enim ait; *Dedit quidẽ naturis, quas creauit. vt ex eis hæc* (ſcilicet ſupernaturalia) *fieri poſſent; verumtamen alio modo dedit, vt nõ hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori ampliùs ſubiaceret.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, Deum rebus creatis tunc dediſſe illud actiuum poſſe in ea, quæ ſunt ſupra naturam; cum ſuæ omnipotenti voluntati eas ſubiecit: quod ſatis arguit tale poſſe eſſe innatum.

33. Nõ eſt recipienda 1. explicatio. Nec benè explicabis hoc poſſe de non repugnantia; quomodo aliqui forte illud explicabunt: etenim, quæ de hoc poſſe docet Auguſtinus, non ſatis accõmodatè explicari poſſunt de non repugnantia: tũ; quia non benè dixeris, Deũ feciſſe hãc non repugnantiam; quia negatio ſecundùm ſe non fit. Tùm etiam; quia res per non repugnantiam, nihil poſſunt facere, ſed per aliquid poſitiuum: vnde oportet concedere illud, quo res formaliter poſſũt in hæc ſupernaturalia, eſſe aliquo modo poſitiuum.

34. Nec 2. Nec verba Auguſtini benè explicabis, vt ideo Deus rebus dederit poſſe in res ſupernaturales; quia eis dedit potentiã paſſiuam, vt recipiant actiuum principium in vſu à Deo ſibi cõmunicandum: quoniã illud poſſe datum fuit illis, antequam Deus illas aſſumeret ad agendum: quare ante illud poſſe completũ, quod res creata in vſu recipit, iam habet aliquod poſſe, quanuis non habeat actu poſſe, niſi cum Deus illam ad agendum aſſumit: iam verò poſſe recipere principium agendi, non facit, quod res poſitiuè poſsit agere, quod per tale principium actura eſt: nec enim aqua, antequàm recipiat calorem, poſitiuè poteſt calefacere: quare res, quæ ſolùm eſt apta recipere principium agendi, antequam illud recipiat, non eſt poſitiuè potẽs agere, ſed ſolùm per quandam non repugnantiam ſatis remotam, quæ in nullo poſitiuo immediatè fundatur, ſed in ſola non repugnantia ad recipiendum tale principiũ: ideo enim illi non repugnat agere per illud principium, quia non repugnat recipere tale principium. Et quanuis illa prior non repugnantia immediatè fũdetur in entitate poſitiua, receptiua illius principij, tamen illa poſterior nõ repugnantia ad agendum per tale principium nõ ſupponit aliquod poſſe actiuũ, & poſitiuum, in quo immediatè fundetur, ſi vera eſt horum authorum explicatio; ſed immediatè fundatur in priori nõ repugnantia: quod non eſt ſatis, vt rem illam reddat verè potentem agere, etiam incompletè. Iam verò ex Auguſtino res creata ante eleuationem, receptionemvè principij actiui, quod in vſu recipit, iam in ſe ipſa eſt obedictialiter potens agere: Deus enim ex Auguſtino in ipſa creatione dedit illi poſſe agere, potentia quadam poſitiua, in qua immediatè fundatur non repugnantia ad agendum, quam res habet ante eleuationem, vt aduertimus ſuprà art. 7. §. 2. & 3.

Tertio loco verba Auguſtini nõ poſ- 35. Nec 3.
ſunt explicari, vt res creata ante eleuationem dicatur actiuè potens per principiũ actiuũ, quod habet in Deo, & non in ſe; quanuis iſte philoſophandi modus placuerit Fonſecę: etenim, vt omittamus rationes, quibus hunc dicendi modum art. 6. reiecimus; ille ſatis reijcitur verbis ipſius Auguſtini: expreſſè enim docet, Deum, quando res creauit, non ſolùm eis dediſſe hoc actiuum poſſe, ſed etiam illud in

in eis poſuiſſe. Quomodò igitur in ſe ipſis habent poſſe per poſſe quod eſt in Deo?

Nec 4. Dedique; nõ poteſt explicari Auguſtinus de poſſe morali; vt ſcilicet creaturæ, ideo dicantur poſſe in illa ſupernaturalia; quia ex diuina ordinatione ad præſentiã earum Deus operatur miraculũ: etenim actiuitas moralis, non facit rem in ſe ipſa eſſe potentem; Nec Deus illam moralem actiuitatem, aut fecit, aut poſuit in re; ſed ſolum ſtatuit ad præſentiam rei facere. Iam verò ex Auguſtino Deus in ipſa re fecit, & poſuit ipſum poſſe, vt per illud

36. *Auguſt.* ipſamet poſſit. Quod ſatis expreſſit Auguſtinus, dum occurrens obiectioni, inquit: *Non tamen id, quod in eis poſuit, ita poſuit, vt ipſæ abſque eo id facere poſſent*: etenim indubitatũ erat, actiuitatem moralem nihil facere poſſe abſque Deo; cum illa actiuitas in rebus nihil aliud habeat, quàm ordinationem diuinam, vt ad earũ præſentiam Deus faciat, quod ſupra rerũ naturam facit. Ne igitur dicamus Auguſtinũ ſine aliquo fundamento obiectioni occurriſſe, dicendum eſt eũ in rebus poſuiſſe quoddam actiuum poſſe, nõ cõpletum, ſed adhuc indigens ſpeciali Dei concurſu, vt cõpleatur.

37. Conclusio dictorum. Concludimus igitur ex doctrina Auguſtini ſatis conuinci, dandam eſſe in rebus creatis obedientiam actiuam innatam, qua aptæ ſunt, vt per eam iam eleuatam poſitiuè influant in effecta ſupernaturalia, ad quæ à Deo fuerint aſſũptæ.

38. Quid intelligatur nomine potentiæ obedientialis actiuæ? Sed operæ pretiũ erit explicare, quid nomine potentiæ obedientialis actiuæ intelligamus. Nam licèt in hoc articulo ſolùm excitetur quæſtio, an eſt; illa tamen ſemper ſupponit quid nominis. Dicimus igitur per potentiam obedientialem actiuam, qua res creata poteſt in effecta ſuper naturalia, intelligi ipſam entitatem rei; nõ ſimpliciter, ſed vt ex Dei ordinatione ſubiecta eſt omnipotenti Dei volũtati: in quo nobiſcum conſentit Suarius; & ſatis deducitur ex Auguſtino, Deum hoc poſſe obedientiale dediſſe rebus, ideo, quia eas volũtati potẽtiori ſubiecit: vt patet ex verbis iam adductis: *Sed in eo* (ſc. dedit illis hęc poſſe) *quo ita creatæ eſſent, vt eorũ na*

Auguſt. *turæ voluntati potentiori amplius ſubiaceret.* Quare res creata ideo in ſua entitate habet poſſe in effectus miraculoſos; quia Deus ſuę omnipotenti voluntati eam ſub iecit: idque cum decreuit multa miracula facere per ipſam: cũ verò hoc ordinauerit, quando res ipſas condidit (vt ex Auguſtino iam diximus) ſtatim illis dedit tale poſſe, cum eas condidit; & ideo dicitur poſſe innatum. Quod poſſe vno verbo expreſſit Guillerm⁹ Alanus de Sacramentis in genere cap.35. pagina 128. in principio.

Iſte noſter modus Theologizandi facilius intelligetur ex doctrina D.Thomæ, 39. Cõfirmatur ex doctrina D.Thomæ qua docet, res Sacramentales, ex eo, quia Chriſtus Dominus eas in Sacramentũ inſtituit, ſtatim ab ipſa inſtitutione aſſecutas eſſe virtutem quandam inchoatam ad conferendam gratiam; idque ante ipſum actualem vſum. Quam doctrinã expreſſè docet D.Thomas *in 4.diſt.1.q.1.art.4. quæſtiuncul.2.ad 2.*& illã ſequuntur Thomiſtæ, vt patet ex Capreolo *in 4.diſt.1.q. 1.art.3.ad 10.Durandi contra quartam fol. 14.col.4.ad finem, & Caietano 3.p.q.62.ar. 4.§. Sed quoniam hic ſenſus. & Bergomenſi concor.683. & ex pluribus alijs*, hanc inchoatam virtutem res illæ habent ex ipſa Chriſti inſtitutione. D.Thom. Capreol. Caetan. Bergomen

Nec ſolùm ex Diuo Thoma Sacramẽta ex ſui inſtitutione (& ideo ante vſum) habent, quòd conferant gratiam, vt docet D.Thom, 3.*p.q.66.art.2.* ſed generaliter quodcumque inſtrumẽtum ex eo, quòd conſtituitur in ſpecie inſtrumenti, accipit virtutem quandam inchoatam, vt poſſit in principalem effectum, vt ſatis declarat D.Thomas in locis citatis. Hæc autem inchoata virtus nõ eſt aliud, quàm aptitudo quædã, & idoneitas, ſiue habilitas, vt eleuata poſſit in ipſa effecta ſupernaturalia, vt benè explicat Caietanus vbi ſupra, & Sotus in 4, diſt. 1. q. 3. art. 4. §. eſt ergo mens D.Thomæ in fine. 40. Quid ſit virtus inchoata in rebus Sacramentalibus.

Quòd D.Thomas, & Thomiſtæ docẽt de rebus ſacramentalibus, cum à Chiſto Domino fuerunt inſtitutæ in Sacramentum; dicimus nos de rebus creatis, cum à Deo in ipſa creatione fuerunt inſtitutæ in inſtrumenta eorum miraculorum, quę Deus per eas facere decreuit: ſicut enim res Sacramentales ex eo, quòd Chriſtus eas inſtituit, in inſtrumenta ſacramentalia ad gratiã, in ipſa, & ab ipſa inſtitutione ſtatim habuerunt virtutem quandam inchoatam conferendi gratiam, vt D.Thomas docet cum ſuis; ita etiam res creatæ 41.

ex eo, quod à Deo ſelectæ ſunt inſtitutæ, & ordinatæ, vt per eas multa miracula operetur; ſtatim habuerũt virtutẽ quandam inchoatam ad facienda illa miracula: etenim D. Thomas in quarto loco citato vniuerſaliter docet, inſtrumenta ex eo, quòd conſtituuntur in ſpecie inſtrumenti, accipere virtutem quandam inchoatam actiuam in effectum inſtrumentariũ. Et ſicut illa virtus in Sacramentis nihil aliud eſt, quàm habilitas quædã, idoneitas, aptitudoque poſitiua, vt eleuata per vſum actiue influat in gratiã; ita etiam hæc virtus inchoata in rebus creatis nõ eſt aliud, quã poſitiua illa idoneitas, & habilitas, vt eleuatæ influant in opera miraculoſa, quæ Deus per eas voluerit operari. Diximus *habilitas, & aptitudo poſitiua*; quia aptitudo, & habilitas purê negatiua, (quæ eſt pura non repugnantia) eſt in illis ex ſe abſque poſitiua Dei ordinatione, qua cõſtituantur in eſſe inſtrumenti, vt dicemus in 2. concl. Cum verò ex verbis Auguſtini conſtet, Deum rebus creatis, cum primum creatę ſunt, ideo dediſſe illud poſſe, quia eas omnipotenti Dei voluntati ſubiecit; negari non poteſt, Deum illas poſitiuè inſtituiſſe in inſtrumenta ad miracula, quæ per eas inſtituit facere; & ex hac inſtitutione eis dediſſe virtutem illam actiuam, & inchoatam, quam explicauimus.

42. Concluſio ex dictis.

Ex ijs, quę diximus, iam patet, quidnã ſit virtus iſta obediẽtialis, quam in rebus innatam ponimus: nihil eſt enim aliud, quàm ipſa rei creatæ entitas; non ſimpliciter, ſed prout diuinæ omnipotentiæ nõ negatiuê, ſed poſitiuè, eſt ſubiecta: quia Deus poſitiue voluit per eas multa edere miracula.

43. Potẽtia obedientialis nõ [illegible]it ex principijs creaturæ.

Addimus his, hãc potentiam obedientialem nõ conuenire rebus ex principijs earum; ſed ex dono gratuito, & ſupernaturali. Vnde infertur, hanc obedientiam non eſſe datam rebus à Deo, vt authore naturæ, ſed, vt authore ſupernaturali; & per conſequens non fuiſſe datam rebus ex debito, ſed ex gratia. Hoc & ratione confirmabimus, & teſtimonio Auguſtini.

Ratione id probatur.

Ratione quidem; quoniam Deus vt eſt Author naturæ, non ſubijcit ſibi res, niſi ad eas operationes, quæ ipſis ſunt cõnaturalis; vnde effectus naturales non facit, niſi vt concurrẽs tanqua cauſa prima, cõcurſu generali naturaliter illis debito. Vnde ſicut, vt Author naturæ, non facit effectus ſupra naturam, ſed ſolos eos, qui ſunt de ordine naturæ; ita etiam vt Author naturæ non ſubijcit ſibi res ad effectus ſupra naturam. Quare cum Deus ex Auguſtino res, quas condidit, ſibi ſubiecerit ad effectus ſupra naturam; vtique talẽ ſubiectionẽ facit, vt author ſupernaturalis: nam ſicut effectus ſupernaturales non facit, niſi vt author ordinis ſupernaturalis; ita res creatas non ſubijcit ſibi ad effectus ſupernaturales, niſi vt eſt author ordinis ſupernaturalis.

44. Probatur ex Auguſtin.

Quam Theologiam ſatis expreſſit Auguſtinus, dum explicãs diſcrimen inter poſſe datum rebus creatis ad naturalia, & illud, quod datum eſt illis ad ſupernaturalia, ita ſcribit: *Veruntamen alio modo dedit,* (nimirum poſſe in ſupernaturalia) *vt nõ hoc haberent, in motu naturali* (eccè nõ dedit hoc, vt Author naturæ) *ſed in eo, quo ita creatæ eſſent, vt earum natura voluntati potentiori,* (quàm ſit voluntas naturalis) *amplius ſubiaceret.* Hæc autem poſterior voluntas, eſt voluntas Dei ſupernaturaliũ authoris. Quòd etiam ſatis expreſſit, dũ dixit, *Deum in vnaquaque re in ſuo tempore facere* (ſcilicet, ſupernaturaliter) *quod antea in ea fecit, vt poſſit.* Quæ verba ſatis expreſsè ſignificant, Deum, qui in tempore in rebus, & per res facit ſupernaturalia, dediſſe ipſis rebus, vt in ea poſſint: quare cum Deus ſupernaturalia faciat, vt author ſupernaturalis; ipſe vt ſupernaturalis author dedit rebus ipſum poſſe obedientiale, quo in ſupernaturalia poſſunt. Ex quibus puto, non ſatis conſentaneè ad Auguſtinum docuiſſe Suarium, potentiã obedientialem datam eſſe rebus à Deo, vt Authore naturæ. Sed de hoc iterum dicemus art. 12. huius quæſtionis.

45. Potuit Deus non dare hanc obedientialem potentiam.

Cum verò, quæ Deus, vt author ſupernaturalis, rebus largitur, non ex debito largiatur, ſed gratis, & merè liberaliter; profectò, cum hoc poſſe obedientiale rebus dederit, vt author ſupernaturalis; vtique potuit non dediſſe, vt patet: nec proinde non poſſet res creatas aſſumere in inſtrumenta ad effectus ſupernaturales, vt dicemus in 2. cõcl. vnde nec in hoc audiendus eſt Suarius, dum ait, potentiã iſtam obedientialẽ poſitiuã, nec per Dei abſolutã potentiã poſſe à rebus creatis ſeparari; ſed de hoc inferiùs iterũ dicemus.

46. Cur Deus eam dederit? Si inquiras, cur Deus voluit de facto dare hoc poſſe rebus creatis: & obijcias fruſtra fieri per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora: reſpondebo, Deũ ideo de facto hoc poſſe obedientiale, & feciſſe, & potuiſſe in rebus, vt ordo naturalis inferior ſuauius, & congruentius coniungeretur, & veluti cõtinuaretur cũ ordine ſuperiori, & ſupernaturali: quæ continuatio ſuo modo pertinet ad perfectionẽ totius vniuerſi, ex naturalibus, & ſupernaturalibus cõſtituti: quod docuit Magn. Dionyſius, dũ ſcribit, ad perfectionẽ totius vniuerſi pertinere, vt inferiora cũ ſuperiorib⁹ copulẽtur, & veluti cõtinuentur. Cõtinuantur autẽ, vt idẽ Dionyſi. ait, cũ infimũ ſupremi eſt ſupremũ infimi: quæ cõtinuatio inter vniuerſũ corporeũ, & incorporeũ fit mediante homine, qui ſimul corporalis eſt, & ſpiritualis: ideo inter corporalia eſt ſupremus: infimus autẽ inter ſpiritualia. Eodẽ igitur modo naturalia cõiungi debuerũt cũ ſupernaturalibus: nõ ſolũ in creatura intellectuali, homine, ſ. & Angelo: quia vt cauſę principales habent virtutẽ inchoatã principalẽ in effectus ſupernaturales: ſed etiã in rebus materialibus, & corporeis, quę cũ ſupernaturalib⁹ ideo ſolũ coniũgi poſſunt, tanquã inſtrumẽta ex ſe naturalia, quoad entitatẽ: ſupernalia verò, quod modũ, ratione ſubiectionis obedientialis, tã in pati, quã in agere. Ita fit, vt entitas naturalis, quatenus ſubiecta omnipotentiæ diuinę, in ordine naturali ſit ſuprema: in ſupernaturali verò infima. Cũ igitur hæc naturaliũ cũ ſupernaturalibus cõtinuatio ad totius vniuerſi perfectionẽ pertineat, licèt abſolutè nõ ſit neceſſaria, eſt tñ neceſſaria ſecũdũ cõgruẽtiã: quia decet diuinã bonitatẽ cõſtituere vniuerſum quoddã perfectiſsimũ: Nã ob hãc etiã rationẽ voluit, vt creata ſubſtantia cũ increata cõiungeretur per myſteriũ Incarnationis. ¶ Et hæc dicta ſint pro explicatione primæ concluſionis.

Expenditur 2. Concluſio.

47. 2. Cõcluſio. Quomodo ordo naturalis abſolute coniungi poteſt cum ſupernaturali. ¶ Secunda cõcluſio aſſerit, *potentiã obediẽtialẽ actiuã, & innatã nõ eſſe abſolultè neceſſariã, vt creaturæ poſsint aſſumi à Deo in inſtrumẽta ad faciẽda ſupernaturalia effecta*: in quo ſenſu putamus primã ſententiã eſſe veriſsimã; ſecundã verò eſſe falsã. Huius concluſionis fundamentũ inde ſumimus; quia ſi ſermo ſit de potẽtia abſoluta Dei, ordo naturalis agendi coniungi poteſt, & cõtinuari cũ ordine ſupernaturali, per ſolã puram non repugnantiã, quæ in rebus creatis neceſſariò reperitur, vt De⁹ in eis, & per eas poſsit agere, quæcũq; ſupernaturalia voluerit: etenim ſubiectio, & obediẽtia purè negatiua nõ poteſt non conſequi ad entitatẽ creatã, quatenùs creata eſt, vt patet: hæc autẽ ſatis eſt, vt Deus poſsit abſolutè facere in rebus creatis, & per res creatas, quęcũq; voluerit: Deus enim poteſt facere, quęcũque nõ repugnãt, & per quencũq; modũ, qui nõ repugnet. Quarè ſi Deus res creatas in ipſa creatione poſitiuè nõ ordinaſſet ad vllos ſupernaturales effectus; adhuc poſſet illas aſſumere, vt per eas faceret, quęcũq; vellet facere. Hic Theologizandi modus explicari poſſet ſumpto exẽplo ab aqua baptiſmi, & à cęteris rebus ſacramẽtalibus, ſuppoſita doctrina D. Thomæ à ſuis recepta: etenim apud D. Thomã conſtat, Chriſtum Dñm aquam ſanctificaſſe, dum in Iordane, fuit baptizatus; ſanctificãdo autẽ eam, atq; ordinãdo ad gratiã baptiſmalẽ, illi dediſſe inchoatiuè vim quandã actiuã ad talem gratiã; & eandẽ inchoatã virtutẽ dediſſe cæteris rebus ſacramentalibus, dũ eas in Sacramentũ inſtituit, & ad gratiã ordinauit. 48. Qua ſuppoſita opinione, quis dubitare poterit potuiſſe Deũ ſine tali cõtactu, & ſacrametali ordinatione illas eaſdẽ res aſſumere inſtrumentũ, vt per eas eoſdẽ produceret effect⁹? quis etiã dubitabit, poſſe Deum de potentia abſoluta hominem regenerare ad gratiã per aquã non naturalẽ, ſed roſaceã? quare, ſicut Deus, abſque vlla ſacramẽtali inſtitutione, & ordinatione, abſolutè potuit per eaſdẽ res eoſdẽ effectus ꝓducere: imò etiã poſſe modo ꝓducere eoſdẽ per res, quas in Sacramentũ nũquã ordinauit; ita etiã poſſet per res creatas producere effect⁹ ſupernaturales, quã tunuis eas ſuæ omnipotẽtię poſitiuè non ſubieciſſet, ad hoc enĩ ſatis erat ipſa pura negatio repugnãtiæ, quã quæq; res creata ex ſua natura habet, vt obediat creatori. Nã hæc etiã ſatis eſt, vt Deus quacunque creatura vti poſsit ad effect⁹ ſupernaturales, quos nunquã eſt effecturus: ſi tñ aliquẽ eorũ velit efficere, quantũuis ipſam creaturã poſitiuè ad eos non ordinauerit: etenim potẽtia obediẽtialis actiua, & innata, quã ponim⁹, ñ eſt ad omnes effect⁹ poſſibiles

ſibiles, ſed ſolũ ad eos, quos Deꝰ facere decreuit, q̃ nõ ſũt numero infiniti, ſed finiti.

49. Soluitur obiectio. Nec huic doctrinæ obſtat, quòd illa nõ repugnãtia rebus naturaliter cõuenit, data illis à Deo naturæ authore; cũ eſſentiã cuiuſq; rei neceſſariò ſequatur, ideo, quia creata eſt. Nõ poteſt igitur ordo naturalis cũ ſupernaturali cõtinuari per talẽ non repugnantiã; ſiquidem illa non poſſit eſſe infimũ ſupremi: non obſtat inquã; quia doctrina Magni Dionyſij, quòd inferiora cũ ſuperioribus ita continuẽtur, vt ſupremũ infimi ſit infimũ ſupremi, non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſecundũ congruentiã; quia, ſc. inferiora cũ ſuperioribus perfectiori modo cõtinuãtur: vnde quanuis hæc continuatio de facto ſemper ita fiat: ſimpliciter tamen nõ neceſſe eſt, vt ſemper illo modo fiat: quare ad cõtinuationẽ, de qua modo agimus, ſatis eſt nõ repugnantia negatiua, quę in inferiori reperitur vt cũ ſuperiori cõtinuetur, Niſi velis dicere illã ñ repugnantiã aliquo modo eſſe ſupernaturalẽ; nõ entitatiuẽ, ſed formaliter, ratione eius, cuius repugnantiam negat.

50. Quid abſolutè ſit hęc potẽtia obedientialis actiua, in ſenſu 2. concl. Suppoſita hac 2. concluſione, ſupereſt explicare, quidnam ſit hęc potentia obedientialis actiua? Cui quæſtioni reſpõdemus hanc obediẽtialem potentiã realiter eſſe ipſam entitatẽ rei creatæ: nõ ſimpliciter, ſed vt in ſe habet negationẽ repugnãtiæ. Et inde eſt, vt talis potentia materialiter quidẽ ſit poſitiua, formaliter autẽ ſolùm negatiua: in quo differt à potẽtia obedientiali, quã ponit prima concluſio: hæc enim, & materialiter, & formaliter eſt poſitiua; illa autem formaliter negatiua eſt, quod ſatis eſt, vt ipſæ res creatæ per eam aliquo modo dicantnr potẽtes, etiam antequam eleuentur: etenim apud dialecticos, quod nõ eſt impoſſibile fieri, dicitur poſſibile, vt benè aduertit *Fiſeca 9. Metap. cap. 1. q. 4. ſect. 4. poſt princ.* Nec hoc tollit, vt ipſamet entitas creata, eleuata ad actũ primum agendi, cũ ad vſum ſumitur, effectiuè influat in ſupernaturalem effectũ, Sed de hoc inferiùs latius dicemus.

51. In quo fundetur hæc non repugnantia. Illud ſolùm aduertimus, hanc non repugnantiam ad agendum, non fundari in non repugnantia, quæ rebus creatis ineſt ratione materiæ; ſed in ipſa forma actiua, quanuis in ea ſupponat potentiam paſſiuã ad recipiendum actum primum, quo in ipſo vſu eleuanda eſt: ob quam rationem hæc actiuitas non poteſt ad actũ reduci, niſi mediante potentia paſſiua; non quidem materiæ primę, ſed ipſiuſmet formæ actiuæ; quæ cum non ſit actus purus, admixta eſt cum aliqua potentia, de quo iam diximus ſupra q. 2. 52.

Et hæc ſatis ſint pro explicatione noſtræ ſententiæ, quam vt mediam inter affirmantem, & negantem conſtituimus: quanuis ſententia affirmans, vt à Suario explicatur, longè diuerſa ſit ab iſta noſtra affirmante, vt ex dictis iam patet, & facilè patebit ex 10 ar. cum ſequentibus. Sed iam vtranqne concluſionem ab aduerſarijs argumentis liberemus.

§. 5.

Pro prima Concluſione ſoluuntur argumenta partis negantis.

Contra noſtram primã concluſionẽ obijci poſſunt argumenta, quę initio huius articuli §. 1. ex varijs adduximus, quæ potentiam obedientialem actiuam, & innatam impugnant. Soluentur autẽ eo ordine, quo adducta fuerunt. Vnde primo loco ſoluemus, quę à Bellomontatano obijciuntur. 53. *Ad Arg. contra primam cõcl.*

Ad argumenta Bellomontani.

¶ Ad primum igitur Bellomontani argumentũ, conceſſa maiore, neganda eſt minor; quia virtus illa innata eſt quædã virtus ad quemcũque effectum; inchoata tamen, & incõpleta, vt ſæpè diximus. Ad impugnationem verò dicimus, Bellom. non ſatis Philoſophicè explicare; quæ nã potentia actiua ſit dicenda cõpleta, quęve incõpleta, & inchoata: vult enim virtutẽ actiuam ideo dici inchoatam; quia nõ omnis ratio, quæ eſt in effectu producto, illi correſpõdet, ſed aliqua duntaxat; cõpletam verò ideo appellari; quia omnis ratio eſſendi, quæ eſt in effectu, correſpondet illi: quæ tamen explicatio, tanquam minus Philoſophica multiplici ex capite nõ eſt recipienda: primò; quia ſupponit Philoſophiam ſatis dubiam: ſcilicet, quando plures cauſæ ſubalternatæ ad vnum effectum per ſe concurrunt, non omnes rationes formales eſſendi omnibus illis cauſis correſpondere; ſed vnam vni cauſæ, & aliam alij; hanc Philoſophiam plures non admittunt; inter quos ſunt Suar. *1. tom. ad 3. p. diſputat. 29. ſectione 2. pag. 555. col. 1. & lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 15. n. 16. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp.* 54. *Ad 1. Bellomont.* *Nõ admittitur Philoſophia Bellomont.*

2.diſp.5.ſect.3.ad finem pag.354.col.1. in fine,& Lorca 1.tom. ad primã ſecundæ q.5. art.1.diſp.30. ad primum argumentum pag. 169.*col.2.* qui omnes volunt, non ſolùm totam entitatem effectus à ſingulis cauſis produci, ſed etiã omnes illius rationes ſingulis illis correſpondere, licèt interſe per ſe ſubordinẽtur. Qua ſuppoſita ſententia, negandũ eſt cauſam dici cõpletã, vel incõpletã ex correſpõdentia adæquata, vel in adæquata rationũ formaliũ, quæ ſunt in effectu. ¶ Deinde nõ eſt recipienda; quia admiſſa Philoſophia, quã ſupponit (quę ſi benè explicetur eſt admittenda) ex ea ſequeretur, potentiã virtutẽq, intellectiuã, ad quæcũq; obiecta cõparetur, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, nunquã eſſe virtutem cõpletã, ſed ſemper eſſe incõpletã, & inchoatã: etenim ipſo Bellomontano cõſentiente, nõ omnis ratio formalis, quę eſt in actu intelligẽdi, correſpõdet intellectui: licèt enim intellectio, vt eſt intellectio, per ſe ſit ab intellectu; non tamen ab eo eſt, quòd ſit intellectio talis, v. g. hominis, aut lapidis; id enim habet à ſpecie intelligibili, à qua ſumit ſuã ſpecificationẽ. Et quanuis Bellom. non putet eſſe abſurdũ id, quod infertur; verè tamen abſurdũ eſt, & falſum, vt ſępè diximus, & inferiùs iterum dicemus.

Lorca.

55. *Non recipitur ex alio capite.*

56. *Ex 3. capite reijcitur*

Accedit tertiò; quia licet daremus Philoſophiam, quã ſupponit; illa nihil ipſum iuuaret ad impugnandã actiuam virtutẽ obèdientiæ, quam admittimus: etenim virtus illa innata, quam defendimus, eſt inſtrumentaria, vt ſupponimus. Iam verò Philoſophia Bellomontani locum nõ habet in cauſis inſtrumentarijs, ſed ſolùm principalibus: quod facilè eſt demonſtrare: effectus enim productus ideo habet correſpondentiam ad ſuam cauſam, tùm in ſua entitate, tùm in ſuis rationibus formalibus; quia tàm entitas illius, quàm rationes formales cõtinentur in virtute actiua ſuæ cauſæ; vel formaliter, ſi eſt effectus vniuocus; vel eminenter, ſi eſt æquiuocus; omnis enim cauſa efficiens in ſua virtute, vel formaliter, vel eminenter continet, & entitatem effectus, & rationes eſſendi illius, vt vera habet Philoſophia: niſi enim effectum, & modum eſſendi illius in ſua virtute, aut formaliter, aut eminenter contineret, illum edere nõ poſſet: ſiquidem cauſæ, (vt communiter dicitur) non poſſunt ſuis effectis cõferre, quæ in ſe ipſis non habent. Hęc autem Philoſophia ſolùm eſt vera in cauſis principalibus, non verò in inſtrumentarijs, vt in terminis docuit Fonſeca 7. *Metaphyſ.cap.3.q.1.ſect.2.in fine pag.256.col. 2.in fine,& poſt eum Curſ. Conimbricẽſ. in 1. poſteriorũ c.2.q.2.art.6. pag.374.poſt principium §.Hæc propoſitio.* Quæ doctrina ſatis eſt de mente Alexandri, & Comentatoris, *quos refert, & probat D. Thom. in 4. diſt.1.q.1.art.4.quæſtiuncul.1.ad 4.* dum ſcribit, habere ſimilitudinem cum effectu non eſſe cauſæ inſtrumentalis, ſed ſolius principalis: quod etiam docuit D. Thom. *3.p.q.62.art.1.in corp. & multis alijs in locis docet,* effectus non aſsimilari inſtrumẽtis, ſed ſoli cauſæ principali: inde etiam eſt, vt effectus nõ proportionetur inſtrumento, ſed principali agenti, vt idem D. Thom. docet *in dicta quæſtione 1.ad 3.* Denique ratio cauſæ vniuocæ, aut æquiuocæ non conuenit inſtrumentis, vt idem D. Thom. aſſerit in dicta quæſtiuncula prima ad quartũ. Quæ omnia ſatis arguunt effectus, nec formaliter, nec eminenter contineri in virtute cauſæ inſtrumentariæ. Quod ſi in illa non continentur, vtique non poterunt habere aliquam per ſe correſpondentiam ad cauſam inſtrumentariam, aut in ſua entitate, aut in aliqua ratione formali illius: etenim hæc correſpondentia ideo datur in effectu in ordine ad cauſam, quia effectus in cauſa continetur. Porrò ſi Philoſophia Bellomontani locũ non habet in cauſa inſtrumentaria: vtique, nec locũ habebit, in virtute innata, de qua agimus, cum illa ſolũ ſit inſtrumẽtaria. Quare non video, quomodo ex illa Philoſophia poſsit Bellomõtanus argumentum ſumere contra actiuitatem innatam, quam defendimus.

Effieiens correſpõdet cauſę principali & non inſtrumentariæ.

Fonſeca. *Conimbriſ.*

Alexand. *Cõmentat.* *D. Thom.*

57. Effectus ſolũ aſsimilatur cauſæ principali.

Ratio cauſę vniuocę, v. æquiuocæ non conuenit inſtrumento.

Ad primum igitur argumentum negamus minorem; quia virtus iſta innata eſt virtus quædam inchoata. Ad impugnationem verò huius partis iam patet negandum eſſe, quod tanquam indubitatum, & notum aſſumit: etenim, nec vera eſt illa virtutis inchoatæ explicatio: nec ſi vera foret, illa foret vera in cauſis inſtrumentarijs, vt oſtendimus: iam verò noſtra virtus innata non eſt principalis, ſed inſtrumentaria; & proinde nihil haberet in ſupernaturali effectu per eam in-

58. Solutio forma.

ſtrumentaliter producto, quod ei per ſe coreſponderet; quia in ſua inſtrumentali virtute nihil illius, aut formaliter, aut eminenter haberet: ſed totus coreſponderet virtuti Dei principalis agentis, in qua totus eminenter contineretur. Deſtructo autem fundamento corruit argumento machina; & ideo fruſtra adducuntur, quæ in probaitone primæ conſequentiæ, & ſecundi diſcurſus tàm fusè afferūtur.

59. *Ad 2. Bellomont.* Ad ſecundum eodem modo reſpondetur: quoniam machina illius tota fundatur in eo, quòd virtuti inchoatę oportet ex parte effectus reſpondeat aliqua ſpecialis ratio, Quæ Philoſophia, vel abſolutè neganda eſt; quia virtus inchoata non ob eam rationem dicitur inchoata, vt diximus; vel ſi in aliqua virtute admittenda eſt, ſolùm admittenda eſt in cauſis principalibus, non verò in inſtrumētarijs. Vnde fruſtra cōſtructa eſt tanta moles ædificij: cum enim virtus illa innata ſit inſtrumentaria, in virtute illius, nec totus effectus, nec aliqua illius ratio, aut formaliter, aut eminenter continetur, ſed in ſola virtute Dei principalis agentis, iuxta Philoſophiam Commentatoris Alexandri, & D. Thomæ explicatam.

60. *Ad 3. eiuſdē* Ad tertium negandum eſt virtutem illam, nec eſſe obedientialem; nec effectū ad quem aſſumitur eſſe ſupernaturalem. Ad probationem verò dicimus, virtutem illam, admitti quidem, vt ad quencūque Dei effectum aliquid conferat: non tamen, aut naturaliter, aut principaliter, ſed obedientialiter, & inſtrumētaliter. Cum verò inde infert, nihil illi deeſſe, vt & cauſa principalis ſit, & naturalis; id illi negamus: nam cū ſit obedientialis in ordine ad quencūque effectū, nec poteſt eſſe principalis, nec naturalis. Cū verò objicit, virtutem illā, ſi eſt natiua, non poſſe nō eſſe naturalem ſecundū ſuam ſubſtantiam; dicimus virtutem illam, & habere, quod quod ſit natiua, & quod ſit obediētialis: ideo, quia natiua eſt, non poteſt non eſſe naturalis ſecundū ſuam ſubſtantiā, ſi naturale idem eſt, quod ordinis naturalis; qa vt diximus §.4. & dicemus in ſequēti art. eſt realiter indiſtincta ab ipſa entitate rei creatę: & cū hoc bene ſtat, qđ aliquo modo ſit ordinis ſupernaturaiis, tanquā infimū illius ordinis, & ſupremū ordinis naturalis, vt ita iuxta magni Dionyſij doctrinā inferiora cū ſupernaturalibus cōiungātur: nec enim quę ſecundū ſuā ſubſtantiā ſunt ordinis inferioris ſeruata cōgruentia poterant aliter copulari, & continuari cū ordine ſuperiori, niſi per aliquā potentiā, tàm paſsiuam, quàm actiuā, quæ ſecundū ſubſtantiā ſit naturalis, ſupernaturalis autem ſecundū ſubiectionē, qua quęq; creatura Dei omnipotētiæ in omnibus, & per omnia ſubijcitur, quod ex Auguſtin. §.4. oſtendimus. Igitur potentia iſta obedientialis actiua, ideo, quia innata, eſt ordinis naturalis ſecundū ſuam ſubſtantiā, & ex cōſequenti realiter indiſtincta ab entitate creata: at verò, qnia ſubiecta diuinæ omnipotentiæ ſupernaturali, ſpectat ad ordinem ſupernaturalē: ſicut enim ſecundū hanc ſubiectionem, & obedientiā, ſolùm 61.
reſpicit agens ſupernaturale; ita ſolùm *Non bene*
reſpicit ſupernaturales effectus. Quare *infert Bel-*
Bellomont. nec Theologicè, nec Philoſo *lomont.*
phicè infert huic virtuti non deberi, niſi naturalem concurſum Dei, omni rei creatæ debitū: nam licèt virtuti natiuæ, quæ & in ſua entitate, & actiuitate ſimpliciter eſt naturalis, (quia ſolum reſpicit effect⁹ naturales, & naturalē concurſum naturalium agentiū) ſolùm debeatur naturalis Dei concurſus; tamen virtuti, quę ſecundū entitatem eſt ordinis naturalis; ſupernaturalis verò ſecundū modum ſuæ actiuitatis, ſemper coreſpondet concurſus ſecundū ſubſtantiā ſupernaturalis: non naturaliter debit⁹, ſed ſimpliciter gratuitus, cōnaturalis tñ illi prout eſt obediētialis; quia vt talis eſt, nō poteſt ad actū cōnaturaliter reduci, niſi per cōcurſum ſpecialē.

Nec hæc Theologia debet cenſeri no- 62.
ua, aut paradoxa: quia ipſe Bellomon- *Non eſt no*
tanus virtutem iſtam innatam, agnoſcit *ua Theolo*
in intellectu creato in ordine ad viſio- *gia.*
nem beatam, quæ licèt ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ordinis naturalis; tamen vt eſt obedientialis, non poteſt reduci ad actum, niſi per ſpecialem concurſum luminis gloriæ, quia, eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam: & inde eſt, vt ipſe intellectus ſecundum ſuam naturalem capacitatem, vt tamen eſt obedientialis, ſit receptiuus luminis, & eleuatus per ipſum lumen eſt connaturaliter actiuus viſſonis. Quare Bellomontanus ſui fuit oblitus; dum ex eo, quod iſta virtus obedientialis eſt innata, & realiter indiſtin-

indiſtincta ab entitate rei creatæ, infert illi ex parte Dei non poſſe coreſpondere, niſi concurſum naturalem, quo Deus cum rebus naturalibus ad effectus naturales concurrit. Nec probatio, qua vtitur ad probandā conſequentiam aliquid valet: quia licèt illa virtus obedientialis non ſit ſupernaturalis ſecūdum ſubſtantiam; tamen, vt illi ſupernaturalis concurſus coreſpondeat, ſatis eſt, quòd ſit ſupernaturalis, qnoadmodum.

63. *Ad 4. Bellomont.* Ad quartum, & vltimum Bellomontani negamus illa duo, quæ in argumento ſumit, ſecum pugnare, ſcilicet virtutem illam eſſe innatam, & eſſe inſtrumentariam; probatio autē in eo deficit, quòd ſupponit omnem virtutem innatā ex ſe aliquid conferre ad productionem effectus: id enim falſum eſt; quia non repugnat dari virtutem innatam, quę ſit inſtrumentaria, quidquid Bellomontanus falſo ſupponat oppoſitum. Porrò ſi datur virtus innata inſtrumentaria, falſa eſt propoſitio, quam ſumit; ſc. virtutem illam ſi eſt innata, aliquid ex ſe conferre effectui: nam quanuis propoſitio illa ſit vera, in virtute innata, quæ eſt cauſa principalis; non tamen vera eſt in virtute innata inſtrumētaria: hæc enim ex ſe, & per ſe nihil confert effectui; cū illum, nec formaliter, nec eminenter cōtineat, vt diximꝰ ad primū; & inde eſt, vt effectꝰ illi nō ꝓportionetur, ex D. Tho. *in 4. diſt.* 1. *q.* 1. a. 4. q. 1. *ad* 3. *D. Tgom.* Porrò ſi effectus nō proportionatur inſtrumento; vtiq; nec virtus inſtrumētaria ex ſe, aut ratione ſui, erit proportionata effectui: quod non impedit, quominùs illa in effectū influat: quia influit non per virtutem ſibi propriam, ſed per virtutem agentis principalis ſibi communicatam. Quare hæc duo benè interſe cōueniunt; eſſe virtutem innatam, & eſſe inſtrumentariam, quiquid fruſtra reclamet Bellomontanus.

Ad argumenta Fonſecæ.

64. *Ad 1. Fonſecæ.* ¶ Facilè etiam diſſoluuntur argumenta, quæ ſecundo loco ex Fonſeca adduximus. Ad primum neganda eſt ſequela, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali actiua, & innata, in ordine ad actiones tānſeūtes, de quibus ſolis nunc agimus. Ad probationem dicimus, virtutem, qua iſtrumēta conſtituuntur in actu primo ad agendum, nōn eſſe propriam ipſius inſtrumenti, ſed mendicatam ab agente principali, quidquid illa ſit: oppoſitum tamen dicendum eſt de virtute inchoata, & remota, quam inſtrumenta ex ſe habent, & quæ eleuabilis eſt ab agente per virtutem in vſu illi cōmunicatam: hæc enim eſt propria ipſi inſtrumento. *De virtute inſtrumentaria.* Quæ Philoſophia recepta eſt in inſtrumentis artis, & in cæteris naturalibus, vt nunc ſupponimus, & oppoſitum ſumere ſine probatione, eſt petere principium. Eandem nos damus creaturis, vt ſunt inſtrumenta diuina: imò eandem illis dedit Auguſtinus libro nono ſuper Geneſim ad literam cap. 17. *Auguſtin.* dum docet, *Deum rebus, quas condidit, dum illas condidit, dediſſe, quod poſſent in ſupernaturalia: non tamen illis dediſſe, vt per illud poſſe datum illis, poſſent actu agere abſque Deo.* Quæ doctrina ſatis explicat, res creatas habere quoddam poſſe innatum, illis proprium; inchoatum tamen, & adhuc indigens eleuatione ad actum primum, idque per aliud auxilium ſpeciale, quod Deus illis tunc communicat, cū in tempore illas aſſumit ad edenda miracula, vt ex Auguſtino latè oſtendimus §.5.

Igitur virtus illa obedientialis innata, eſt propria ipſis creaturis: in hoc tamen ſenſu, quia in ſua creatione eam habent à Deo, nō quidem, vt eā actu eleuāte (quia hāc eleuationē non habet, niſi in ipſo vſu) ſed eam coaptante, & idoneam reddente, non preciſè, vt eſt Author naturæ, ſed vt aliquo modo eſt author ſupernaturalis, vt iā oſtendimus §.4. 65. Cum verò inde infertur, hanc virtutē neceſſariò eſſe principalē, non verò inſtrumetariam; neganda eſt illatio: quia licèt omnis virtus propria cōpleta, ſit principalis, & nō inſtrumentalis: nō tamē oportet, vt omnis virtus propria inchoata in ordine ad effectus naturam excedentes, ſit principalis, ſed poteſt eſſe inſtrumentalis; vt patet in rebus, quæ ad effectus artis aſſumuntur, qui aliquo modo virtutē naturalē illarū excedūt; etenim in ferra, aliiſq; huius generis, eſt virtꝰ quę dā inchoata ipſis ꝓpria, vt ſupponimus, licèt Fōſeca id neget, & tñ poſsūt eleuari, tanquā artificiū inſtrumenta: calor etiā in ordine ad generandū ignē habet virtutē propriam, incompletam tamē, ad generationem ſubſtantiæ: & tamen iuxta verio-

rem ſententiam, ab ipſa natura eſt inſtrumentũ ad ſubſtantiam generandã. Quare virtutem incompletam eſſe propriam agenti, non impedit eam eſſe poſſe inſtrumẽtariam: nec oppoſitũ poterit probari.

66. *Ad 2. Fonſeca.* Ad ſecundũ omiſsis illis, qui volunt, hãc innatam potẽtiam ſimpliciter dicendam eſſe naturalem, quos inferiùs reijciemus: vera ſolutio negabit ſequelam: quoniam potentia iſta obedientialis, quam volumus eſſe innatam; ſimpliciter non eſt dicenda naturalis, ſed aliquo modo ſupernaturalis: non quidem ratione entitatis, (quia illius entitas eſt naturalis ordinis.) ſed ratione obedientialis actiuitatis: quia illa entitas, quæ alioquin eſt naturalis ordinis, prout ex poſitiua Dei inſtitutione ſupernaturalis authoris facta eſt apta ad obediendũ Deo ad omnia, quæ Deus voluerit eſt ordinis ſupernaturalis, & ideo vendicat ſibi quendam agendi modum ſuo modo ſupernaturalem, vt diximus §. quarto, & ad tertiũ Bellomontani: Ob quam rationem habet, quod ſit ſupremum ordinis naturalis, & infimum ſupernaturalis. Ad probationem ſequelæ admittimus, actiuitatem illam obedientialem naturaliter ſibi vendicare illam entitatem (eſt enim entitatiuè ordinis naturalis) dicimus tamen entitatem illam naturaliter ſibi non vendicare illam actiuitatem obedientialem: etenim Deus vt eſt Author naturæ, non dedit illi illam obedientiam in ordine ad ſupernaturalia; quia nec vt Author naturæ poterat cum illis ad ea concurrere; ſed talem obedientialem potentiam dedit, vt author ſupernaturalium, vt diximus §. quarto. Iam verò, vt aliqua potentia dicatur ſimpliciter naturalis, opus eſt, vt & potentia naturaliter ſibi vendicet illam entitatem; & illa entitas naturaliter vendicet ſibi illam potentiam, dandam ſibi à Deo naturali rerum authore. Quod in hac materia eſt aduertendum.

67. *Ad 3. eiuſdẽ* Tertium argumentum ſupponit hanc potentiam obedientialem cognoſci naturaliter, plenè cognita rei entitate; quod eſt falſum: etenim hæc innata potentia naturaliter non conuenit illi naturali entitati, ſed ſolũ ſupernaturaliter, vt diximus. Vnde neganda eſt ſequela, ſi ſermo ſit de cõprehenſione naturali illius entitatis. Probatio ſupponit id, quod negamus. Deficit etiã argumentum; quia putat cognita actiuitate inſtrumentataria cognitione naturali, & plena, cognoſci etiã effectus, qui per eã poſſunt inſtrumẽtaliter fieri: quod negandũ eſt, ſi vera eſt Philoſophia, quã ex eodem Fonſeca cũ cõmentatore, Alexandro, & D. Thoma adduximus ad primum Bellomontani: cũ enim effectus, nec formaliter, nec eminenter contineantur in virtute inſtrumẽtaria, vt docet illa Philoſophia; nõ poteſt cognitio virtutis inſtrumẽtariæ, quantũuis ſit plena, perducere ad cognitionem omniũ effectuum: ſiquidem ideo effectus in cauſa cognoſcuntur, quia in ea virtute continentur. Quæ Philoſophia nõ ſolùm eſt vera in virtute inſtrumentaria incõpleta, & inchoata, ſed etiam in illa, quæ in vſu inſtrumento cõmunicatur: hæc enim nõ ſemper eſt vna ad omnes effectus, ſed alia, & alia, vt ſuo loco dicemus.

Quartũ argumentnm habere inutilem ſequelam, ex dictis patet: cuius probatio nobis imponit, quod negamus: licèt enim hæc potentia ex ſua natura vendicet ſibi entitatẽ, ideo naturalem, quia ordinis naturalis; illa tamen entitas naturaliter ſibi non vendicat talẽ obedientialem potentiã, vt iam diximus: vnde nec Deus eſt debitor talis potentiæ, vt eſt author illius naturalis entitatis, vt §. 4. oſtẽdimus. Quare negam' potentiã illam innatã eſſe ſimpliciter naturalẽ; & ſimpiiciter negabim' entitatem, cuius illa eſt potentia, eſſe naturaliter propenſam ad talẽ obedientiam. Non eſt igitur, quod recurramus ad ſolutionem in argumento poſitam. 68. *Ad 4. eiuſdẽ*

Ad 5. negandum eſt id, quod infertur: quia illa potentia licèt materialiter ſit naturalis, id eſt naturalis ordinis; formaliter tamen eſt aliquo modo ſupernaturalis; ideo, quia illa entitas eſt obedientitliter, actiua ſupernaturaliũ ex ſpeciali Dei ordinatione, qua illam ſubiecit imperio ſuo ſupernaturali: quæ ordinatio, & ſubiectio ex ſua natura ſupponit entitatem ordinis naturalis: hanc enim aliquo modo eleuat ad ſupernaturalemordinem, non completè, ſed incõpletè, vt iamdiximus §. 4. & dicemus art. 11. 69. *Ad 5.*

Sextum argumentum petit difficultatem in ſequentibus articulis explicandã, ibi videbis reſolutionem. 70. *Ad 6.*

Idem dicemus ad 7.

Ad

71. Ad vltimũ. Ad poſtremum admittimus id, quod in maiore ſumitur. Ad minorẽ dicimus entitates rerum creatarum ex ſe, ſuaque natura non reſpicere actus, & obiecta ſupernaturalia: at tamen ex ſe non reſpuere, vt ex diuina ordinatione poſsint aliquo modo illa reſpicere. Quo fit, vt potentia obedientialis, vt talis, non omnino ſit idem cũ ipſa naturali entitate; de quo dicemus in art. ſequente.

Ad argumenta Cabreræ.

72. Ad 1. Cabreræ. ¶ Ad argumenta, quæ tertio loco ex Cabrera adduximus facilè reſpondebimus. Et ad primum iam patet ſolutio ex ijs, quæ diximus: etenim illa potentia innata nec ſimpliciter eſt naturalis, nec ſupernaturalis. Non eſt ſimpliciter naturalis; quia naturaliter non conuenit illi entitati, cum qua identificatur, ſed aliquo modo ſupernaturaliter; & ideò non emanat à principijs naturæ illius entitatis. Nec ſimpliciter eſt ſupernaturalis; quia non eſt talis ſecundum ſubſtantiam: quare dicenda eſt naturalis entitatiuè, ſiue materialiter; formaliter tamen, ſupernaturalis, vt ſuprà diximus §. 4. & dicemus art. 11. In quo ſenſu nihil obſtant, quæ obijciũtur: etenim quod entitatiuè eſt naturale, quanuis, vt eſt intra cancellos ordinis naturalis, omnino ſit improportionatum ad ſupernaturales effectus; poteſt tamen ad illos proportionari vno modo, ſolùm inchoatè, & remotè; altero modo complètè, & proximè. Primam proportionem habet à ſua creatione, non præciſè ratione creationis; quia potuit non habere talem inchoatam proportionem; ſed quia ſtatim atque creata eſt, facta eſt ſubiecta imperio ſupernaturalis omnipotentiæ; non negatiuè; quia hæc negatio intrinſecè illi conuenit, quia creatura eſt; ſed aliquo modo poſitiuè per poſitiuam ordinationem, Dei authoris ſupernaturaliũ, ex qua conſequuta eſt coaptationẽ quãdam poſitiuam, vt ſupernaturaliter eleuari poſsit. Quod autem iſto modo eſt ſupernaturale, poteſt eſſe congenitum, & innatum, in hoc ſenſu, quia datum eſt ſimul cum natura, non ex naturali debito, ſed ex dono gratuito.

73. Ad 2. eiuſd. Ad 2. admittimus creaturam nihil ſupernaturale poſſe efficere ſine auxilio ſpeciali Dei, quo in actu primo, & proximo ad ſupernaturaliter agendum conſtituatur. Quando verò inquiritur; quomodò ſe habeat hoc auxilium ad creaturam? nec dandum eſt primum membrũ, nec tertium, ſed ſecundum. Ad impugnationem, negamus ſequelam, ſi ſimpliciter de naturali, & ſupernaturali loquẽdum eſt: quia omnino repugnat aliquid eſſe ſimpliciter naturale, & ſimpliciter ſupernaturale: non repugnat tamẽ, quòd vnum, & idem aliquo modo ſit naturale, & ſupernaturale: talis autem eſt hæc potentia innata: quia (vt diximus) eſt naturalis entitatiuè, & veluti materialiter; ſupernaturalis autem, formaliter, & ſub ratione potentiæ obedientialis. Iam verò quod naturale eſt ratione ſolius entitatis, non oportet, vt ex principijs entitatis oriatur; quia poteſt illi entitati conuenire, non naturaliter, ſed ſupernaturaliter. Sicut id, quod ſupernaturale eſt, ſolũ formaliter, bene poteſt eſſe entitatiuè ordinis naturalis: vnde erit infimum in ordine ſupernaturali, cui non repugnat aliquo modo eſſe eiuſdem ordinis cum effectis ſecundum ſubſtãtiam ſupernaturalibus: de quo latiùs art. 11.

Ad 3. duobus modis reſpondere poſſumus. Vno modo, negando minorem, quam Cabrera ſupponit, tanquam veriſſimam, & à nobis admiſſam: cum tamen omnino ſit neganda, ſi de actu primo loquendum ſit in rigore philoſophico: hoc enim ſeruato, agens tunc eſt in actu primo ad agendum, cum iam illi nihil deeſt, vt poſsit agere, vt omnes colligunt ex Ariſtotele 3. *de Anima c. 4. tex.* 8: explicans enim quando intellectus eſt in actu primo ad intelligendum, ita ſcribit: *quod quidem tunc accidit, cum ipſe per ſe operari poteſt.* Iam verò agens tunc per ſe poteſt operari, quando nihil illi deeſt ad operãdum: & ob hanc rationẽ intellectus tunc eſt in actu primo ad intelligendum, cum eſt actuatus ſpecie; quia tunc iam nihil illi deeſt, quominus ex parte ſui poſsit elicere intellectionem: & ideò licet ipſe ſit quidam actus, & quædã intellectiua virtus, ante ſpeciem erat in potentia eſſentiali; quia erat in potentia ad formã, quæ eſt ad intelligendum neceſſaria; ob quam rationem aliquid illi deerat, vt poſſet intelligere: factus autem in actu per ſpeciẽ, 74. Ad 3. Cabreræ. Quando agens in rigore eſt in actu primo agendi. *Ariſt.*

iam nihil illi deeſt ex parte virtutis intellectiuæ. Id, quod dicimus de intellectu, dicendum eſt de quocunque alio agente naturali, & non intellectiuo: tunc eni erit in actu primo ad agendũ, cum habuerit completam ipſam agendi virtutem; ita vt iam nihil illi deſit, vt poſitis alijs ad agendum neceſſarijs, poſsit per ſe ipſum agere, vt patet ex verbis Ariſtotelis ſupra adductis. Quare ſi in rigore loquendum eſt, nullus dari poteſt actus primus incõpletus; nec aliquod agens dici poteſt eſſe in actu primo ad agendum, quandiù aliquid deeſt ſuæ virtuti, vt poſsit in actum ſecundum exire: ſed tunc erit in actu primo, cum fuerit in actu completo, cui ad agendum ex parte ſui nihil deſit. Nam ob hanc rationem dicitur actus primus agendi; quia per illum agens per ſe primò iam poteſt agere actum ſecundum. Quare aliud eſt eſſe in actu, & aliud eſſe in actu primo: poteſt enim dari actus completus, & incompletus; actus verò primus ſemper eſt actus cõpletus. Igitur maior illa non ſumit veram Philoſophiam; quia per talem potẽtiam innatam creatura nõ poteſt dici in actu primo; cum per illam ſolum ſit in actu incompleto, & inchoato, cui ratio actus primi conuenire non poteſt.

75. 2. ſolutio. ¶ Sed gratis demus dari poſſe actum primum incompletum, & creaturam ratione illius virtutis innatæ eſſe in actu primo: erit tunc ſecũda ſolutio, quæ admiſſa maiore contra rigorem philoſophicum, negabit minorem: hæc enim eundem habet defectum, quem cætera argumenta habuerunt: quia ſupponit, hanc innatam virtutem ſimpliciter contineri intra ordinem naturæ entis creati; & oriri à principijs intrinſecis creaturæ; quod ſæpè negauimus: quia licet ratione ſuæ entitatis in eo contineatur: non tamen in eo continetur ratione obedientialis actiuitatis: hæc enim (vt ſæpè diximus) pertinet ad ordinem ſupernaturalem; licet in eo infimum locum habeat; vt per eam ordo ſupernaturalis copulari poſsit cum ordine naturali iuxta doctrinam magni Dionyſij. Cum verò addit, ordinem naturæ eſſe inſufficientem, vt creatura dicatur eſſe in actu primo, etiam inadæquato reſpectu effectuum ſupernaturalium; verũ eſt in ordine naturæ ſecundum ſe conſiderato; ſecus, ſi conſideretur, vt iam eleuatus per diuinam ordinationem ad ſupernaturales effectus; quam eleuationem non habet creatura ex principijs ſuæ naturæ, vt ſæpè diximus. Et quia Cabrera ad hæc non aduertit: ideò putat, ſe virtutem iſtam innatam omnino expugnaſſe.

Poſtremum argumentum eodem modo ſoluitur; quia eundem habet defectũ: in forma admittimus maiorem, quia virtus illa innata aliquo modo eſt ſupernaturalis: non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, quem ex diuina ordinatione in ſua ſubiectione cõſequuta eſt, vt ſæpè diximus: & ideò admittimus potentiam iſtam innatam, actum illius, & obiecta, quæ reſpicit, eſſe eiuſdem ordinis. Ex quo licet benè inferatur, virtutẽ iſtam non poſſe eſſe innatam, id eſt ex principijs naturæ fluentem, non tamen infertur, eam non poſſe eſſe innatam, id eſt, ſimul cum ipſa natura receptam: in quo ſolo ſenſu dicimus, illam eſſe innatã: vnde poteſt conuenire, & de facto conuenit cũ aliqua ſupernaturali eleuatione, vt iam ſæpè diximus, & inferiùs dicem⁹. 76. Ad vltimũ Cabreræ.

Ad argumenta vltimo loco adducta.

¶ Supereſt, vt diſſoluamus ea argumenta, quę §. 1. vltimo loco adduximus contra actiuitatem obedientialem innatam, quam defendimus. Ad arg. vltimo loco.

Ad primum neganda eſt ſequela, quã iam negauimus ad primum Fonſecæ. Ad probationem admittimus, virtutem illã natiuam non eſſe inſtrumentum Dei, vt agentis naturalis, vt argumentum benè probat: Deus enim, vt eſt auctor naturæ, non facit effectus ſupernaturales: negamus tamen eam eſſe non poſſe inſtrumẽtum Dei, vt eſt agens ſupernaturale, cuius probatio ſatis indicat aduerſarios non ſatis percipiſſe noſtræ opinionis fundamentum: nec enim ponimus virtutem illam, ideò eſſe innatam, quia oritur ex principijs naturæ, tanquam potentia, & virtus illi naturaliter debita; ſed ideò eſſe innatam, quia conceſſa eſt à Deo rei creatæ, ſimul cum ipſa natura. Quod non arguit eam non eſſe conceſſam à Deo, vt ſupernaturali agente, & per ordinationem ſupernaturalem, quæ eſt veluti actio, qua Deus illam rebus conceſsit. Quid enim impedit, Deum ſimul cum natura dare rei creatę aliquod donum ſupernaturale, & 77. Ad 1.

& gratuitum? etenim Deus creauit Adamum cum gratia, & eundem creauit cũ originali iuſtitia, quæ iuxta veriorẽ ſententiam erat donum ſupernaturale, dicebatur tamen naturale, non quòd oriretur ex principijs naturæ, ſed quòd data fuerit ſimul cum natura, vt expreſſẽ ait D.
D. Thom. Thomas 1. *p. q.* 100. *art.* 1. *in corp. & ad* 3. & eſt cõmunis Theologorum doctrina.

78. Ad 2. Ad 2. latiùs dicemus in ſequentibus articulis: nunc dicimus potentiam iſtam innatam, cum realiter identificetur cum entitate, cui conuenit, materialem eſſe in creaturis materialibus, immaterialem verò in ijs, quæ ſunt immateriales. Cum verò inde infertur, eam in rebus materialibus non poſſe in immateriales effectus; id admittimus, ſi illius entitas conſideretur ſecundum ſe; negamus tamen, ſi conſideretur, vt eleuata, de quo inferiùs.

79. Ad 3. Tertium argumentum petit difficultatem, quomodò effectus dependeat à cauſa inſtrumentaria; quam inferiùs in particulari art. explicabimus. Ad illum igitur locum ſolutio huius argumenti differatur.

Ad 4. Idem dicimus ad 4: petit enim difficultatem inferiùs explicandam; vtrùm iſta potentia innata ſit alicuius determinatæ ſpeciei? & vnde ſumat ſpeciem?

Ad 5. Simili modo ſolutionem quinti argumenti reſeruamus vſque ad articulum ſequentem, in quo agemus de diſtinctione huius potẽtiæ ab entitate ipſius creaturę.

Ad 6. Sextum etiam argumentum petit difficultatem de infinitate, quam hæc potẽtia videtur includere, quæ etiam inferiùs ſpecialiter eſt explicanda.

Ad 7. Ad 7. eodem modo dicimus: quoniam petit difficultatem, an iſta innata actiuitas ſimpliciter ſit neceſſaria, vt creaturæ poſsint Deo inſtrumentaliter cooperari? quam ſoluemus in ſequenti art. §. 4. in 2. concluſione.

Ad 8. Octaui argumenti ſolutio petenda erit à reſolutione difficultatis, quænam infinitas huic innatæ potentiæ debeatur? ad quam reſolutionem etiam reſeruauimus ſolutionem ſexti argumenti.

Ad authoritates in contrarium.

80. ¶ Quod attinet ad ſolutionem vltimi argumenti, quod ex eo ſumitur, quòd hæc opinio actiuitatis obediẽtialis innatæ noua ſit, & ab omnibus, tam recentioribus, quàm antiquioribus reprobata; primò dicimus non proinde reijciendam eſſe, quia noua eſt, ſi firmis nitatur fundamentis. Deinde dicimus opinionem iſtam in ſe ipſa eſſe antiquam, cùm ex Auguſtino, & alijs deducatur: ſolùm igitur erit noua, quia de nouo explicata. Denique dicimus eam ab antiquis non fuiſſe reprobatam, ſi illi benè explicentur. Ad auctoritates in oppoſitum citatas.

Quòd igitur attinet ad D. Thomam, ex locis adductis non colligitur illũ hanc virtutem innatam reieciſſe. ¶ Nam primus locus ex 3. p. q. 62. art. 1. ſolùm probat, cauſam inſtrumentalem non agere effectum principalis agentis per virtutem ſuæ formæ præciſẽ, & abſolutè ſumptã; quia hoc eſt proprium agentis principalis, cui ſoli aſsimilatur effectus, non verò cauſa inſtrumentaria, vt ex D. Thoma iam diximus. Inde autem, ſicut non benè infertur, D. Thomam negare cauſam inſtrumentalem agere poſſe principalem effectum per virtutem ſuæ formæ; eleuatam tamen participatione virtutis principalis agentis (hoc enim concedit D. Thomas *in d. q.* 62. *ad* 2. *&* 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *& de potentia q.* 3. *art.* 7.) ita etiam non benè infertur, negare Diuũ Thomam dari poſſe in inſtrumentis virtutem quandam inchoatam, & incompletam, antequam in ipſo vſu participet virtutem principalis agentis: etenim, vt omittamus, quòd hanc virtutem incompletam admittit in inſtrumentis artis, vt ſupponimus; eam admittit in rebus ſacramentalibus, antequam ad vſum aſſumantur; non omnino ſibi propriam, ſed aduenientẽ illis, ex eo quod à Chriſto Domino ordinatæ ſunt, & inſtitutæ in materiam, & formam ſacramentorum, vt etiã ſupponimus. Quare non video, quomodò ex illis D. Thomæ verbis inferri valeat, eum reieciſſe à rebus creatis, vt ſunt inſtrumenta Dei, virtutem illam inchoatã, innatam tamen; non quidem ortam naturaliter ex principijs illarum, ſed ex diuina ordinatione ſupernaturali, qua res Deo ſubiectę ſunt in ordine ad ſupernaturalia, vt ſæpè explicauimus. Nec huic explicationi obſtant verba immediatẽ ſubiuncta; *ſed ſolũ per motum, quo mouentur à principali agente*: quia in illis agit de virtute completa, 81. Ad teſtimonia ex Diuo Thoma. Ad locũ ex 3. p. q. 62. art. 1. D. Thom.

& proxima, qua ipſum inſtrumentum actu influit in effectum: hoc enim modo ſolùm agit per motum, id eſt per virtutẽ, quam in ipſo vſu, & motu ab agente principali recipit. Quem ſenſum ſatis colliges ex ſolutione ad 2. & ex art. 4. eiuſdẽ quæſtionis. Cui argumento eſt, quod D. Thom. ſupponit in ſacramentis virtutem inchoatam, & permanentem, quam res ſacramentales ante vſum habent ex Chriſti inſtitutione, vt diximus. ¶ Et eodem

82. Ad locũ ex q. de potentia q. 6. art. 4.

modo explicanda ſunt verba ſumpta ex *q. 6. de potentia art. 4*: expreſſè enim intelliguntur de virtute illa proxima, & completa; quam res ſacramentales in ipſo vſu recipiunt: hæc enim cum ſolum detur in ipſo vſu, illis non conuenit, niſi per modũ tranſeuntis; vnde non eſt res permanens. Ex quo non benè infertur, negare Diuũ Thomam rebus creatis virtutem inchoatam, ideò naturalem, quia ab ipſo rebus datam in ipſa creatione à Deo ſupernaturali authore, modò ſuperiùs explicato.

Ad locũ de Verit q. 27. art. 4. ad 4.

¶ Tertius locus ex q. 27. de Veritate art. 4. ad 4. eadem verba continet, quæ continet locus primus; & ideò eodem modo eſt explicandus. Et idem dicimus ad 4. locum ex 3. p. q. 62. art. 4: idem enim eſt cum ſecundo loco. Ex quibus patet, D. Thom. noſtrę ſententiæ non repugnare.

83. Ad teſtimonia ex Alenſi.

Sed nec Alenſis nobis aduerſatur: nã ſi benè expendantur, quæ in oppoſitum adducuntur, ſolum negat in ſacramentis, alijſque diuinis inſtrumentis virtutẽ aliquam naturalem, ortam ex principijs ipſarum rerum, quæ à Deo aſſumuntur in inſtrumenta; vt patet ex verbis vltimo loco adductis, in quibus affirmat, *virtutẽ aquæ baptiſmatis non eſſe ex principijs ipſius aquæ; nec actionem, qua gratiam producit, habere principium ipſam naturam, ſed gratiam.* In hoc autem ſenſu nec nos admittimus, obedientialem virtutem rebus innatam, vt ſæpè diximus. Quare, quando in primo loco ait, *Corpus non agere in ſpiritum ex ſua virtute naturali primitus data*, intelligendus eſt de virtute, quæ ex principijs corporis eidem conuenit. Et in eodem ſenſu erit explicandus, dum in 2. loco inquit, *actionem ſacramenti non eſſe per ſenſibilem qualitatem in ſe*: in ſe, inquam, id eſt naturaliter fluentem ab ipſa ſenſibili qualitate. Quod non tollit, quominus eã habeat per ſenſibilem qualitatem, quę actiua ſit per potentiam obedientialem, quam ab ipſo ortu habet à Deo ſupernaturali authore, dum illam ſuo ſupernaturali imperio gratuito ſubiecit, vt ſæpè diximus. Quare non habemus aduerſariũ ipſum Alenſem, quidquid nonnulli velint. ¶ Sed nec illum habemus noſtræ 84.

84. Alenſis nõ eſt pro nobis.

opinionis patronum, quanuis Suarius eũ pro nobis adducat: nam illa verba: *Cum ergo obijcitur, quod virtus creata non poteſt in aliquid quod eſt ſupra communem naturam; dicendum, quòd hoc fortè verum eſt per ſe: habet tamen, vt adiuta à virtute increata,* quæ habentur *4. p. q. 34. memb. 1. art. 2. in antiquis: in nouis autem q. 10. membr. 4. art. 2. §. 5. quæſito 1. ad finem, pag. 142. col. 1. in fine*: verba, inquam, iſta (vt iam aduertimus §. 4. in fine) intelliguntur de virtute ſupernaturali creata, quam admittit, tanquam principium agendi, & contra quã factum eſt argumentum: hæc enim virtus ſupernaturalis, licet creata ſit, poteſt in effectus ſupra omnem naturam; prout tamen cõiungitur virtuti increatæ, à qua deriuatur. Quare non agit de virtute aliqua creata naturali.

85. Ad teſtimonia ex Richard.

Sed nec Richardus nobis eſt contrarius: quoniam ſolùm loquitur de virtute ſacramentis cõmunicata in ipſo vſu: hanc autem verè non habent à ſua conditione, creationevè. Quare illa verba: *Non tamen in ſacramentis eſt virtus, quam habent, ex ſua conditione,* ita ſunt explicanda, vt virtus illa, quam in vſu habent; non ſit ex ſua conditione, ſed ſolùm in vſu: qui ſenſus non excludit in ſacramentis ab ipſo ortu ineſſe aliquam virtutem. Poſſumus etiam in hoc ſenſu Richardum interpretari; vt in ſacramentis non ſit vlla virtus à ſua conditione fluens à principijs naturæ, quod concedimus: eſt tamen in ipſis etiam ante vſum quædam inchoata virtus, data rebus à Deo authore ſupernaturali, vt ſæpè diximus.

86. Nec Caiet. aduerſatur.

Si Caietanum haberemus aduerſariũ, parum referret: ſed nec ille nobis aduerſatur: nam doctrinam primo loco adductam ex 3. p. q. 13. art. 2. ita interpretamur, vt inſtrumentum tunc primò habeat virtutem inſtrumentalem, cum primùm à principali agente mouetur: etenim inſtrumentum non poteſt ſimpliciter dici inſtrumentum, niſi cum actu ad vſum aſſumitur: nam ante vſum ſolum

poteſt

poteſt eſſe inſtrumentum: vnde veriſsime dicitur à Caietano, inſtrumentũ tunc primò fieri inſtrumentum de non inſtrumento, cum primò aſſumitur ad vſum. In ſecundo loco, ſcilicet 1. p. q. 62. art. 4. ſolùm negat inſtrumentis qualitatem ſuperadditam ipſi motui virtuoſo, in quo ille completè ponit virtutem inſtrumentariam: vnde agit de virtute inſtrumentaria, quæ in vſu communicatur inſtrumento, de qua, quidnam ſit, maxima eſt controuerſia. Quæ verò ex alijs locis obijciuntur, conuincunt quidem, Caietanũ nihil dixiſſe de hac virtute innata; non tamen inferunt, Caietanum illam improbaſſe: nam quod in ſacramentis nullam virtutem permanentem, aut naturalem agnoſcit, id intelligitur de virtute completa, non verò de inchoata.

87. Ad teſtimonia ex Auguſtino. Denique quæ ex Patre Auguſtino adducuntur, nihil efficiunt; cum ipſe Auguſtinus in eiſdem locis dicat, Deum ſuis creaturis, dum illas condidit; dediſſe poſſe quoddam, quo poſsint influere in effectus ſupernaturales, vide, quæ diximus ſuprà §. 4. ¶ Et ita diſſoluimus argumẽta, quæ potentiam obedientialem actiuã, & innatam impugnabant contra primam concluſionem à nobis poſitam.

§. 6.

Pro ſecunda concluſione ſoluuntur argumenta §. 3. in contrarium adducta.

88. Ad 1. contra 2. concluſ. Contra ſecundam concluſionem faciunt, quæ ex Suario adduximus ſuprà §. 3. Illa igitur ſunt hoc loco diſſoluenda. ¶ Ad primum facilè reſpõdebunt, impugnatores virtutis innatæ: putant enim ſe ſatis ſufficienter demonſtraſſe argumentis §. 1. adductis poſitionem illius virtutis eo modo, quo à Suario explicatur, multa continere, & repugnantia, & minus veriſimilia: quod etiam nos fecimus in noſtra 2. concluſione.

89. Ad 2. Secundum argumentũ, ſuppoſita noſtra ſecunda aſſertione, facilè ſoluitur: etenim, ſicut negamus, neceſſariã eſſe potentiam obedientialem actiuam innatam, quæ formaliter ſit poſitiua, ſi ſermo ſit de potentia Dei abſoluta; quanuis eam concedamus de potentia ordinaria; ita etiam negamus neceſſariam eſſe potentiã obedientialem paſsiuem, quæ formaliter ſit poſitiua in ordine ad potentiam Dei abſolutam; licet eam admittamus de potẽtia ordinaria. Quare ſicut abſolutè loquẽdo, potentia obedientialis actiua nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas rei creatæ, prout habet annexam puram negationem repugnantiæ, vt diximus §. 4. ita etiam abſolutè loquendo, potentia obedientialis paſsiua nihil eſt aliud, quàm ipſa entitatiua capacitas rei, vt annexam habet repugnantiæ negationem. Et eodem modo ſicut de lege ordinaria potentia obedientialis actiua nõ ſolùm materialiter eſt poſitiua, ſed etiam formaliter; quia formaliter eſt ipſa entitas rei creatæ, vt ex poſitiua Dei ordinatione, poſitiuè eſt apta, & idonea ad cooperandum ad effectus ſupernaturales, vt diximus §. 4. concl. 1: ita etiam potentia obedientialis paſsiua, materialiter quidem eſt ipſa entitas ex ſua natura potentialis & paſsiua; non ſimpliciter, ſed vt poſitiuè eſt idonea, & apta ad recipiendum actus ſupernaturales, quos Deus voluerit in illa ponere. Quare eodẽ modo theologizandum eſt de vna, & altera potentia, ſi vtraque aut abſolutè ſumatur, aut ſecundum legem ordinariam.

¶ His ita ſuppoſitis ad 2. argum. admittendum eſt antecedens, ſi ſermo ſit de lege ordinaria; & in eodem ſenſu admittẽda etiam eſt conſequentia: quia nos admittimus, potentiam obedientialem actiuam rebus innatam, non ex principijs naturæ ipſarum, ſed ex dono Dei illis ſimul cum natura gratis conceſſo. Porrò, ſi antecedens abſolutè ſumatur in ordine ad potentiam Dei abſolutam, negandum eſt, potentiam paſsiuam obedientialem eſſe potentiam innatam ad ſenſum explicatum à Suario. Quæ verò adducuntur ex D. Thoma, & Thomiſtis intelligenda ſunt de rationibus obedientialibus poſitiuis, quas Deus materiæ primæ indidit ex eo, quod eam poſitiuè ſubiecit ſuæ ſupernaturali omnipotentiæ: ex hac enim ſubiectione (vt ex Auguſtino diximus) in materia prima manſit quædam poſitiua idoneitas, aptitudo, ſiue habilitas ad coagendum Deo ad efficiendos effectus ſupernaturales, vt diximus §. 4. in 1. concl. & ſatis colligitur ex idoneitate, & habilitate, quam Chriſtus Dominus poſuit in rebus ſacramentalibus ex eo, quòd illas in materiam, & formam ſacramentorum inſti- 90.

inſtituit: vide quæ ibi diximus. Abſtrahendo autem ab hac poſitiua Dei ordinatione, materia prima, & cæteræ potentiæ paſsiuæ ſunt Deo ſubiectæ, non quidem poſitiuè per aliquam virtutem poſitiuam inchoatam, quam Deus in illis poſuerit; ſed ſolùm negatiuè: quia ex ſe, & in ſe habent negationem repugnantię, vt in ſe recipiant, quidquid non repugnat in eis poni. Quòd ſi velis has puras nõ repugnantias appellare rationes obedientiales, non repugnabo, ſi ratio obedientialis largè ſumatur. ¶ Hæc eſt optima argumenti ſolutio, conſentiens cum duabus concluſionibus, quas poſuimus §. 4. Quidam, teſte Suario, ſimpliciter admittunt antecedens; negant tamen conſequẽtiam: contra quos Suar. latè inſurgit: an illos ſufficienter impugnet? modò non curamus: illud ſolùm dicimus, conſequẽtiam ex antecedente benè explicato non ſatis firmiter inferri; nec probationes ad illius confirmationem adductas ſatis eam confirmare.

91. Ad 3. Ad tertium admittendus eſt totus primus diſcurſus; quia in qualibet re creata verè datur ſufficiens fundamentum, vt poſsit Deo obedire ad omnem effectum, & modum agendi non repugnantem. Cũ verò ſumitur in minore ſecundi diſcurſus, modum operandi per potentiam actiuam cuique creaturæ innatam, nullam inuoluere repugnantiam; admittenda eſt minor, ſi potentia illa innata, noſtro modo explicetur; quia verè non repugnat, Deum, vt authorem ſupernaturalem, res creatas poſitiuè ſibi ſubijcere, vt poſsint ſibi coagere ad omnes effectus ſupernaturales, quos voluerit; & ita eas reddere poſitiuè idoneas, & habiles ad agendum. Porrò, ſi explicetur de potentia innata, quam Suarius philoſophatur, ab omnibus negatur, & ego puto eam eſſe negandam; non ſolùm propter abſurda, & repugnãtia, quæ authores ſententiæ negantis ex illa communiter inferunt; ſed etiam, quia in ea ſupponitur, res creatas non aliter poſſe Deo ſufficienter in agendo obedire, niſi in illis detur actiuitas innata à Suario philoſophata; quod nec verum eſt, nec probabile, vt patet ex noſtra ſecunda aſſertione poſita §. 4.

92. Ad 4. Quartum argumentum eodem pede claudicat; quia actiuitas illa obedientialis, eo modo, quo explicatur, videtur, aut impoſsibilis, aut conficta.

93. Ad 5. Ad 5. teſte eodem Suario, *in d. pag. 603. col. 2. §. Dicunt verò aliqui*, antecedens negatur ab illis, qui putant vim actiuam intellectus, & voluntatis in ordine ad actus ſupernaturales non eſſe obedientialem, ſed naturalem; qui tamen in hac generalitate loquendi ſine maiore explicatione non ſunt audiendi: nec enim negandum eſt, has potentias eſſe in potentia obediẽtiali ad illos actus; nec Scotiſtæ id negãt, vt videbimus q. 3. vbi oſtendemus vim, ſiue virtutem harum potentiarum non eſſe obedientialem ad ſenſum Suarij; ſed in ſenſu longè diuerſo. ¶ Alij negant idẽ antecedens; quia nec in intellectu, nec in voluntate in ordine ad actus ſupernaturales agnoſcunt aliquam virtutem innatam, etiam incompletam, & remotam, qua actiuè influant in actus ſupernaturales, niſi fortè radicalem; quatenus nec intellectus, nec voluntas eſſet in potentia paſsiua obedientiali, vt poſsit recipere virtutem ſupernaturalem, quæ illi ſit tota agendi virtus, ſi quælibet earum non haberet actiuam potentiam ad ſuos actus naturales. Quæ ſententia pleriſque probatur; ſcilicet *Petro de Ledeſma de diuina perfectione q. 8. art. 7. concl. 2. Cabreræ 1. tomo ad 3. p. q. 9. art. 2. diſp. 4. & Nauarrete 1. tom. controu. 41. fol. 253. col. 4. §. Tertiò dicimus.* Sed horum ſententiam latè impugnabimus in ſequente q. 3. *Ledeſma. Cabrera. Nauarr.* ¶ Quare ad argumentum admiſſo antecedente, cõmuniter negatur cõſequentia, quam ego etiam puto eſſe negandam: quia longè diſpar ratio reperitur in potentia obediẽtiali actiua penes eſſe, vel non eſſe innatam in his potentijs, & in cæteris rebus, quæ intellectuales non ſunt, de quo aliqua dicemus in art. penult huius quęſtionis, & latiùs inferiùs q. 3. Nunc ſatis ſit hoc diſcrimen: quoniam potentia obediẽtialis actiua, quæ reperitur in intellectu, & voluntate, ideò, quia eſt vitalis, non indifferenter reſpicit quoſcunque ſupernaturales actus, ſed eos ſolos, qui ſunt vitales, quibus intellectus formaliter intelligit, & voluntas formaliter vult ea, quæ ſunt ſupernaturalia: nam quãuis vtraque iſta potentia, ideò, quia eſt quoddam creatum diuinæ omnipotentiæ omnibus modis ſubiectum, ſit actiuitas obedientialis 94. Vera argumenti ſolutio.

ad

ad omnia ſupernaturalia, quæ Deus per
vtrâque agere voluerit (de quo inferiùs)
tamen vt vna eſt potentia intelligendi, &
altera volendi, non eſt virtus actiua obe-
dientialis reſpectu cuiuſcunque ſuperna-
turalis effectus: quoniã actiuitas obedien
tialis intellectus, quatenus eſt intellectus,
determinata eſt ad ſolos actus ſupernatu
rales intelligendi, & ad ſola obiecta intel-
ligibilia ordinis ſupernaturalis: actiuitas
etiã obedientialis, quæ eſt in volũtate, de-
terminata etiã eſt ad ſolos actus volendi
ſupernaturales., & ad ſola obiecta ſuper-
naturaliter volibilia; & ideò ad tales actus
non cõcurrunt, vt cauſæ inſtrumentales,
ſed vt principales, ſicut dicemus q. 3. Op-
Ad 1. probationem. poſitũ reperitur in rebus nõ intellectua-
libus; harũ enim actiuitas obediẽtialis in-
differẽs eſt, & indeterminata ad quoſcũq;
ſupernaturales effectus; & ideò nõ poteſt
non eſſe inſtrumentaria; iam verò virtus
inſtrumentaria non poteſt eſſe innata in
ſenſu explicato à Suario, vt aduerſarij cõ
muniter docent. Quare conſequentia illa
95. meritò eſt neganda. ¶ Neutra illius pro-
batio vim habet, ſi quæ immediatè dixi-
mus, benè percipiantur. Nam prima ſup-
ponit id, quod eſt falſum, vt ex dictis pa-
tet. Ad 2. dicimus, ex potentiali paſsiua,
Ad 2. probationem. quæ reperitur in humanitate Chriſti Dñi
ad vnionẽ hypoſtaticã benè inferri dari
in cæteris rebus obedientiã paſsiuam ad
recipiendas formas ſupernaturales; quia
ſicut humanitas Chriſti, ideò habet illam
obedientiã, quia per omnia eſt Deo ſub-
iecta; ita etiã cæteræ res eandẽ habebunt
obedientiã, cũ eandẽ ad Deũ habeant ſub-
iectionẽ: at tamen ex obedientia actiua,
quæ eſt in intellectu, & volũtate ad actus
ſupernaturales intelligẽdi, & volendi, nõ
benè infertur dari eandẽ actiuã obediẽtiã
in rebus nõ intellectualibus, propter diſ-
parẽ rationẽ, quæ in his, & in illis reperi-
tur, quã explicauimꝰ: etenim actus ſuper
naturales intelligẽdi, & volẽdi, ſunt actus
vitales; & ideo ex ſe ſupponũt obedientiã
actiuã, nõ ſolũ innatã, ſed etiã principalẽ.
Iã verò in rebus nõ intellectualibꝰ potẽtiã
obediẽtialis actiua p ſe nõ reſpicit effectꝰ
vitales, ſed quoſcũq; alios nõ vitales: vnde
ex ſua natura ab illis rebus nõ dependẽt,
niſi inſtrumentariè: iã verò virtus inſtru-
mentaria non poteſt eſſe innata ad modũ
Suarij: qđ fundamentũ erat impugnãdũ.

Ad 6. neganda eſt cõſequentia, propter
multiplicẽ diſparitatis rationẽ, quæ inter 96. Ad 6.
inſtrumenta diuina, & naturalia, ſiue natu
ræ ſint, ſiue artis, reperitur. Nã diuina ſunt
inſtrumenta ſupernaturalis agẽtis, & ideò
ſuo modo ſunt ordinis ſupernaturalis; cũ
tũ inſtrumẽta naturalia, ſicut ad ſolũ agẽs
naturale ptinent; ita etiã ſunt ordinis na-
turalis, & inferioris. Secũdo inſtrumenta
diuina, cũ ſint inſtrumenta agẽtis ſupna-
turalis, & omnipotẽtis, indifferẽtia ſũt ad
omnes in vniuerſũ effectus, quos Deus p
illa producere voluerit: cũ tamen inſtru-
menta naturalia, ſicut ſunt agentis deter-
minati, & finiti; ita etiã ſunt determinatæ
virtutis, & ad determinatos effectꝰ, & in-
de eſt, vt nõ omnia naturalia agẽtia eiſdẽ
vtãtur inſtrumentis. Accedit tertiò; quo
niã agentia naturalia non poſſũt dare ſuis
inſtrumẽtis totã agẽdi virtutẽ, ſed in ipſis
neceſſariò aliquã ſupponũt, quã eleuent:
cuius oppoſitũ cernitur in Deo agẽte pri
mo, & omnipotẽte: nec enim opus eſt, vt
in ſuis creaturis aliquã virtutẽ ſupponat,
quã eleuet, ſed poteſt per ſe primò ipſas
cõſtituere in eſſe inſtrumẽnti, & ſubinde
poteſt illis dare totã virtutẽ ad agendum.
Ex quibus patet, de ratione naturalis in-
ſtrumẽti eſſe, ex ſe habere aliquã virtutẽ
innatã, & cõgenitã ſibi, & aliquo modo cõ
naturalẽ, & pportionatã ſuis effectis; ra-
tione cuius pportionis ad illa ſunt natu-
raliter eleuabilia: ob hãc enim rationẽ nõ
omnia omni deſeruiũt agẽti, ſed certa cer
to: nec enim ſerra deſeruire poteſt deſcri
bẽti, aut pictori, ſed calamus, & pẽnicillꝰ:
nec frigus ad generãdũ ignẽ; ſicut nec ca-
lor ad aquã generandã: quã tũ innatã vir-
tutẽ, & cõnaturalitatẽ inchoatã diuina in-
ſtrumẽta ex ſua natura nõ exigũt: poteſt
ẽnim Deus qualibet re creata vti ad quẽ-
libet effectũ, & poteſt cuilibet creaturæ
ad agendũ aſſumptæ cõmunicare totam
agendi virtutẽ; & ideò non neceſſariò in-
diget virtute innata, quã poſsit eleuare.

Confirmatio huius argumenti, ſi benè 97.
expendatur, potiùs nos iuuat, quâm im Ad confirmationem.
pugnet: nam ſi Deus ſuis inſtrumentis al-
tiori modo vti poteſt ad opera altiora di-
uinæ artis, quã natura ſuis vtatur, nõ ne-
ceſſariò Deus in ſuis creaturis ſupponet
aliquã innatã virtutẽ poſitiuã, vt illis vti
valeat; quãuis natura in ſuis inſtrumentis
neceſſariò ſupponat virtutẽ innatã ad ope

ra artis, quę ſũt ſupra naturã inſtrumẽtorũ. Quarè admiſſa conſequentia primi diſcurſus, neganda eſt conſequentia ſecũdi.

98. Ad 7. Ad 7. negandũ eſt, nõ poſſe intelligi, quomodò creatura ſine virtute innata poſitiua poſſit à Deo eleuari ad ea, quæ ſũt ſupra naturã illius: nam in 2. concluſione poſita §. 4. ſatis explicauimus, quomodò id intelligi poſſit, quem explicandi modum Suarius non impugnauit.

99. Ad 8. Pro ſoluendo 8. argum. illud prius aduertimus, effectus ſupernaturales, de quibus ſermo eſt in antecedẽte, ſolũ eſſe ſupernaturales quoad modũ; terminus enĩ in ſingulis, pductꝰ eſt naturalis, vt etiã aduertit Suar. in *Met. diſp. 5. ſect. 6. n. 12. pag. 135. col. 2.* (Suarius.) C: etenim nec exiſtẽtia vnius corporis in pluribus locis; nec pluriũ in vno, eſt aliquid ſecundũ ſubſtantiã ſupernaturale: ſicut etiã nec informatio corporis excedentis naturalẽ terminũ magnitudinis eſt ſubſtãtialiter ſupernaturalis; nec deniq; exiſtentia vnius albedinis in pluribus ſubiectis: etenim quęlibet iſtarũ rerum ex ſe habet aptitudinẽ ad tales effectus, ſi adſint omnia neceſſaria, vt illos poſſit exercere: vnde ſolus modus approximationis, & applicationis eſt ſupernaturalis; naturalis autẽ ipſa cauſalitas.

100. ¶ Hoc ſuppoſito dicimus, conſequentiã nõ benè inferri, etiã ſi antecedẽs quoad ſingula admittatur, de quo eſt dubium: & ratio eſt, quia nulla illorũ rerum actiuè concurrit ad illos effectus, ſed ſolũ formaliter: nec Deus aliquã illarũ aſſumit, vt cauſam actiuã principalẽ, aut inſtrumentariam, ſed Deus immediatè illos producit. Quomodò igitur ex antecedẽte inferri poteſt in illis rebus dari potentiã obedientialẽ actiuam? ne dũ innatã? etenim licet ſingulæ earũ indigeant ſupernaturalitate quoad modũ (quæ poſita eſt in applicatione ad tales effectus, quæ ab agente naturali fieri non poteſt, ſed à ſolo ſupernaturali) nulla tñ indiget ſupernaturalitate aliqua ad cauſandũ effectũ: quia quælibet ex ſe naturaliter eſt apta illũ formaliter cauſare, ſi adſint omnes conditiones ad cauſandum neceſſariæ: & inde eſt, vt præter applicationẽ ſupernaturalẽ (quæ eſt ſupernaturalitas quoad modũ) nullo opus ſit ſupernaturali cõcurſu eleuante naturalẽ virtutem cauſandi; quæ non eſt actiua, ſed formalis, vt diximus. ¶ Hæc ſolutio nõ poteſt nõ placere doctiſsimo Suario, ſi vera ſcribit *loco citato n. 11. & 12:* agens enim de forma, quæ cõcurrente diuina potẽtia informat plures materias, docet (& ſatis philoſophicè) quòd licet hęc forma facta in hac determinata materia, ſit naturaliter limitata, & determinata ad hanc formã; & ideò nulla naturali virtute poſſit transferri ad aliã materiã, aut ſucceſsiuè, aut ſimul informandã: tamen ſi entitas talis formæ ſecundum ſe conſideretur, aptitudo naturalis, quam habet ad informãdam materiam non eſt intrinſecè determinata ad hanc materiã, vel illam, ſed ad omnẽ, ſi tamẽ ſingulis vel ſucceſsiuè, vel ſimul vniatur. Et quod dictum eſt de vna forma ad plures materias ſimul informãdas, quæ de vna materia ad ſuſtinendas plures formas ſubſtantiales, nõ ſubalternatas (de quibus etiã agit Suar. loco citato) dicendũ eſt etiã in vno corpore ad eſſendũ in pluribus locis: quoniã aptitudo naturalis, quæ in eo eſt, ad eſſendũ in loco; licet poſtquã eſt in iſto loco, & quãdiù eſt in eo, naturaliter limitetur ad hũc locũ; abſolutè tñ, & intrinſecè nõ limitatur ad illũ tantùm. Et eadẽ ratione vnus locꝰ, licet naturaliter determinetur ad hoc corpus locatum, quãdiù illud ſitualiter cõtinet; abſolutè tamẽ nõ determinatur ad illud tãtùm. Eadẽ etiã ratione, licet virtus animę ad informandũ corpus naturaliter determinata ſit ad informandũ, quod eſt determinatę magnitudinis; nõ tamen abſolutè determinata eſt ad determinatã aliquã magnitudinẽ. Quarè iuxta hanc Philoſophiã doctiſsimi Suarij, veriſsima eſt Philoſophia, quã ſuprà docuimus; nullã. ſ. illarũ rerũ (de quibus in argumẽto) indigere ſupernaturali cõcurſu in illos effectus ſpecialiter influẽte; ſed ſolũ indigere ſupernaturali applicatione, & vnitione illarũ formarũ ad tales effectus: quæ ſupernaturalitas eſt ſolũ quoad modũ, vt diximus. Et inde colliges in illis rebus ſolùm dari potentiã obedientialẽ paſsiuã, vt poſſint à Deo efficiẽter applicari, & vniri ad ea, in quibus formales ſuos effectus producant. Itaq; corpus eſt in potẽtia obediẽtiali paſsiua, vt exiſtẽs in vno loco poſſit ſupnaturaliter applicari ad alterũ. Quodlibet etiã corpꝰ eſt in potẽtia obediẽtiali, vt exiſtens in vno loco nõ expellat aliud corpꝰ ab eodẽ loco. Vna etiã forma, quæ

101. Suarius.

102.

actu informat vnã materiã, eſt inpotētia obedientiali, vt poſsit ad alterũ applicari, & cum eo coniungi. Denique anima eſt in eadem obedientia paſsiua, vt ad maiorē quantitatem applicetur. Iam verò ex hac obedientia paſsiua ad ſupernaturalitatem quoad modum, non benè infertur potētia obedientialis actiua, ne dum innata, vt iam diximus. Et ita difficultas huius argumenti ſatis ſuperque diſſoluitur, quãuis ſingulæ illius partes admittantur: quę tamen ab omnibus nõ admittuntur: plures enim negant, vnum corpus etiã diuina potentia poni poſſe in pluribus locis ſimul; aut plura in vno: ſimiliter nec omnes admittunt, animam poſſe informare corpus quantæcunque magnitudinis. Vtrunque præter alios negat Cabrera in ſolutione huius argumenti 2. tom. ad 3. p. q. 13. art. 2. diſp. 4. §. 11. ad 5. argum. nu. 134. pag. 229. col. 1. Sed ſine cauſa hæc denegantur diuinæ omnipotentiæ, nec hoc octauum argumentum cogit, vt illa negemus, vt ex dictis patet.

103. Ad 9. Ad 9. decimus ſanctorum admirationem non ſolùm non arguere dari in rebus obedientiam actiuam innatam; ſed nec in illis dari efficientiam phyſicam. quocunque enim modo res illæ concurrerint ad miracula, quæ Chriſtus Dominus per illas operatus eſt; ſiue phyſicè cõcurrerint; ſiue ſolùm moraliter: ſiue concurrerint per actiuitatem obedientialem innatam; ſiue per virtutem in ipſo vſu de nouo acceptam; ſemper tale miraculum per illas res factũ eſt dignũ admiratione.

104. Ad cõfirm. Ad confirmationem negamus, aquam ad replendum vacuum ſurſum aſcendere per aliquam potentiam obedientialē, & ſupernaturalem ad ſolũ Dei imperiũ; ſed per rationes ſeminales, quas Deus ſingulis rebus indidit. Quæ autem illæ ſint; non pertinet ad præſens inſtitutum.

105. Ad poſtremum. Ad poſtremum; quod attinet ad teſtimoniũ Auguſtini, authores partis negãtis negabunt ex Auguſtini verbis colligi obediētiam actiuã innatã; quod veriſsimũ eſt, ſi ſermo ſit de potentia innata ad mētem Suarij; nos enim ex eiſdē verbis obediētiam innatam colligimus, longè tamē diuerſam ab ea, quam ponit Suarius. *Auguſt. nõ obeſt.*

106. *Nec Bonauent.* Quomodò autem D. Bonauentura in loco citato faciat pro actiuitate obedientiæ innatæ; planè non video; licet enim agat de facultate actiua, quæ fuit in Virgine, ad concipiendum verbum; & eſt in ſacerdote, verbiſq; conſecrationis ad trãſubſtantiandum panem. & vinum; nihil tamen dicit, ex quo colligatur, facultatē illam eſſe innatam: quin potiùs oppoſitũ ex eo colligitur; quia loquitur de facultate data Virgini, cum ad concipiendum eſt aſſumpta; & de facultate, quam Sacerdos in ſua cõſecratione accipit. Cui accedit; quia ex q. 3. ſequente eiuſdem Bonauēturæ colliges, facultatem datam & ſacerdoti, & verbis, vel eſſe qualitatem quandam de nouo datam, vel non eſſe actiuitatem phyſicam, ſed moralem: hanc enim ſolam, tum ad tranſubſtantiationem, tum ad gratiam admittit in Sacramentis, vt latè probat in 4. diſt. 1. in 1. p. art. 1. q. 4. n. 49: ſi verò admittit phyſicam influentiã; nullam aliam admittit, niſi ſupernaturalem. Quomodò igitur admittit actiuitatē obedientialem innatam? planè nõ video.

Verba Caietani *ex* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. nõ modò non arguunt in creaturis aliquam innatam actiuitatem; ſed eam impugnãt; ſi enim expendantur, ſatis ſignificat Caiet. in inſtrumentis diuinis nullam aliam in eſſe virtutem actiuã, niſi ipſum actualem vſum, quo Deus illis vtitur; quem appellat motum virtuoſum, vt ſuo loco oſtendemus. Igitur, quando ait, inſtrumēta illa per vſum reduci de potentia ad actũ; non eſt ſenſus, quòd de potentia innata imperfecta, quam à ſuo ortu habeant, reducantur ad actum perfectum, & completum; ſed quod de potentia paſsiua reducãtur ad actũ ſimpliciter primũ, in quo reponuntur per ipſũ vſum, vt Caiet. alijs in locis ſæpiſsimè declarat. At, inquit, Suarius docere Caiet. per huiuſmodi vſũ nullam virtutē ſupernaturalē, & gratuitã addi creaturæ: reſpondemus Caietanum per virtutē gratuitam, & ſupernaturalem intelligere virtutem, quæ ſit qualitas ſuperaddita: hanc enim nõ admittit; admittit tamen ſuperaddi vſum, motumq; virtuoſum, quem appellat vim actiuam, quã creatura reponitur in actu primo; qui vſus, motuſvē virtuoſus ſupponit in creatura potentiam paſsiuam, ſicut eandem ſupponeret ſupernaturalis qualitas, ſi illa creaturæ in ipſo vſu communicaretur. Et hunc ſenſum colliges ex Caietano 3. *p. q.* 78. *art.* 4. *quem vide.* 107. *Nec Caietan.*

108. Ad D. Tho. Locus ex D. Thoma in 4. diſt. 8. q. 1. ar. 3. nihil ad rem facit: ſolùm enim dicit, *ineſſe in creatura potentiam obedientialem, non modò, vt in ea fiat, quidquid creator diſpoſuerit; ſed vt ea mediante fiat.* Ex quibus verbis ſolùm infertur dari in creaturis obedientiam actiuam: non tamen benè infertur illam eſſe innatam.

Ad Alenſẽ. Verba autem Alenſis, ſi illorum ſenſus percipiatur, nihil officiunt; quia intelliguntur de virtute ſupernaturali creata, quam Deus in ipſo vſu conſecrandi verbis cõmunicat; quæ licet creata ſit, & ſecundum ſe non poſsit efficere, quod totã excedit naturam creatam, naturalem, & ſupernaruralem; id tamen poteſt adiuta virtute increata, quæ illius effectus eſt cauſa principalis. Id quod iam ſuprà oſtẽdimus. Et hæc de tota iſta quæſtione.

ARTICVLVS. X.

De diſtinctione potentiæ obedientialis innatæ ab entitate rei creatæ.

§. 1.

Explicatur titulus quæſtionis.

1. De diſtinctione huius potẽtiæ ab entitate rei. SVppoſita quæſtione, an eſt; dari ſcilicet in rebus creatis potentiam obedientialem actiuam, & innatam; cõſequenter inquirendum eſt, quomodò illa diſtinguatur ab entitate rei creatæ. Cuius quæſtionis explicatio plurimùm conducit ad explicationem totius quæſtionis. Supponimus autem ex ſuperioribus articulis, hanc innatam potentiã formaliter dicere aliquid poſitiuũ, quo creatura eſt obedientialiter potens ad facienda ſupernaturalia, quæ Deus voluerit. Pro explicatione huius difficillimi nodi præmittenda ſunt nonnulla; ex quibus patebit ſenſus quæſt. quæ inquiritur.

2. 1. præmiſſ. Præmittendum eſt primo loco, diſtinguendũ eſſe inter rem, quæ eſt obedientialiter potẽs vt quod, & ipſam potentiã, qua eſt potens, vt iam aduertimus ſuprà ar. 4. cũ *Fonſeca 9. Met. c. 1. q. 4. ſect. 4. lit. B. pag. 612. col. 1. in fine.* Nam ipſæ creaturæ, vt ſunt ſubſiſtentes, ſunt potentes, vt quod; ipſæ enim aſſumuntur à Deo, vt inſtrumenta, quæ agunt, vt quod. Sũt autem obedientialiter potentes, per illud principium poſitiuum, quod in illis habuerit rationem potentiæ obedientialis: quod enim eſt potens, fit potens per aliquid, quod in eo ſortitur rationem potentiæ: ignis enim eſt potens calefacere per calorẽ, qui illi eſt potentia ad calefaciendũ: & homo eſt potẽs intelligere per intellectum, qui homini eſt potentia ad intelligendũ. Creaturæ igitur erunt obedientialiter potẽtes ad facienda miracula per aliquid, quod in illis habuerit rationẽ potentiæ obedientialis. Cum verò potẽtia actiua ex ſua natura ſit actus quidam & forma, quæ agenti eſt principiũ agendi id, per quod creatura fuerit obedientialiter potens ad ſupernaturaliter agendum, neceſſariò habebit aliquam rationẽ formæ, & actus in ordine ad creaturam, quæ eſt agens, vt quod: & per conſequẽs potentia obedientialis aliquo modo diſtinguetur à creatura, vt eſt ſubſiſtens, & agens, vt quod: etenim inter agens, & potentiã agendi neceſſariò datur aliqua diſtinctio, vt patet ex Philoſophia. Quarè non inquirimus, an potentia obedientialis, vt habet rationem potentiæ, diſtinguatur à creatura, vt eſt potens agere, vt quod: ſed ſolùm inquirimus, an illud poſitiuum, quod creaturæ eſt potentia obedientialis, aliquo modo diſtinguatur ab entitate, quę ipſi creaturę eſt obedientialis potentia.

Diſtinguẽdum eſt inter rẽ quæ eſt potens, & ipſam potentiam.

Sed vt magis id appareat, præmittendũ eſt ſecundò, cõtrouerſum eſſe, vtrum potentia obedientialis reperiatur in omni entitate creata? quidam affirmant, alij negant: controuerſiã dirimemus in vltimo articulo huius quæſtionis: nunc dicimus potentiã obedientialem reperiri in omnibus ſubſtãtijs creatis, quæ ſunt ſuppoſita: quia omnem ſubſtantiã creatã Deus ſubiecit omnipotenti ſuæ voluntati, vt docet August. lib. 9. ſupra Geneſim ad literam c. 17: *etenim*, vt ait, *dedit quidem naturis, quas creauit:* (creauit autẽ ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes) *vt ex eis & hæc* (.ſ. ſupernaturalia: de his enim agebat) *fieri poſſent: in eo, quòd ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret.* Sed quamuis omnibus ſubſtantiarum ſuppoſitis dederit Deus hãc obedientialẽ potẽtiam; cõtrouerſum tamẽ eſt; vtrũ hęc potentia obediẽtialis cuilibet ſubſtãtię creatę cõuenire poſsit per quãcũque partialẽ entitatem, ſubſtãtialem, aut accidentariã, quam in ſe habet? ita vt quælibet creatura per quamlibet eius partem eleuiari poſsit, 3. 2. præmiſſ. August. In quibus reperiatur hæc potentia.

poſsit, vt per illam obedientialiter operetur. Quidam negant docentes hanc potentiam ſolum conuenire ſubſtantijs per aliquam formam ex ſua natura actiuam, ſubſtantialem, vel accidentalem: & inde inferūt creaturam non poſſe eleuari per materiam primam, aut per quantitatem, aut per relationem, aliaſque formas, quæ non ſunt actiuæ; ſed ſolùm per ſuam formam ſubſtantialem, & per formas accidentales, quæ ipſi ſubſtantiali formæ ſūt proxima agendi principia. Oppoſitum vult Suarius; putat enim, poſſe Deum per ipſam materiam primam, & per quātitatem, imò etiam per relationem, eleuare rem creatam, vt inſtrumētaliter agat, tanquam per potentiam obedientialem: & ideò hanc actiuitatem obedientialem concedit, cuique enti creato ſubſtantiali, vel accidentario. Quæ iſtarum opinionū ſit verior? reſoluemus in vltimo huius quæſtionis articulo: nunc difficultatem

Senſus quęſtionis. explicabimus, vna, vel altera opinione ſuppoſita. Senſus igitur quæſtionis eſt, an potentia obediētialis ſit realiter idem cum realitate creaturæ, qua Deo eſt obediens? an verò aliquo modo ab ea ſit diſtincta? & quo diſtinctionis genere?

§. 2.

Referuntur varij dicendi modi.

4. Varij dicendi modi. QVæſtionem propoſitam varij variè reſoluunt. Nonnulli (ſi aliquibus credendum eſt) hanc potentiam obedientialem realiter diſtinguunt

1. opinio. ab entitate creaturæ. Quæ opinio non poteſt non probari ijs, qui volunt potentiā iſtam obedientialem eſſe entitatem poſitiuam, & ſupernaturalem ſuperadditam rebus creatis. Nonnullos ita ſenſiſſe referunt *Soncinas, Medina, Suar. & Pezant.* vt diximus art. 8. huius quæſt. Quin potiùs Suarius eā tribuit *Capreolo, Paludano, & Ferrarienſi, imò & Scoto*: ſed falſò vt ibi-

Non conueniunt hi authores. dē diximus. Diuiduntur tamen hi authores, vt plerique referunt: nam alij putant, hāc obedientialē actiuitatē eſſe qualitatē quandam ſupernaturalem ex ſe actiuam. Alij verò dicunt, eā eſſe facultatem quādam, & proprietatē ſupernaturalē ipſius creaturæ: ita docuiſſe nonnullos colliges ex Suario 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. col. 2. §. *Atque hinc conſtat.* Omnes tamen in hoc conueniunt, vt iſta ſupernaturalis entitas ſit creaturæ tota potentia actiua, quam obedientialem appellamus. Hi igitur non poſſunt non cōcedere, potentiam obedientialē realiter diſtingui ab entitate, cui cōuenit; quia omne ens ſupernaturale ſecundū ſuā ſubſtātiā realiter diſtinguitur ab entitate naturali.

Huic opinioni ex diametro oponitur 5.
alia, quæ docet, hanc innatam potentiam 2. opinio.
obedientialem nullo modo diſtingui ex natura rei ab entitate, in qua reperitur: ac proinde nec diſtingui realiter, vt rem à re; nec formaliter; nec deniq; modaliter. Hanc ſententiā conſtanter defendit Suarius *in d. diſp. 31. ſect. 5. pag. 587. col. 1. §. Quòd ſi inquiratur, & ſect. 6. ad 2. arg. pag. 605. col. 2. §. Ne tamen res tota, & in Metaphyſica diſp. 43. ſect. 4. n. 6. & 3. tom. ad 3. p. diſp. 9. ſect. 1. pag. 108. col. 1. §. Tertia difficultas.* Imò addit, hanc potentiam obedientialē eſſe de conceptu eſſentiali creaturæ, vt explicat *in d. pag. 587.* Suarius.

6. Media inter duas iſtas opiniones interiacet, quę docet, nec dari realē diſtinctionem; nec omnimodam indiſtinctionem, ſed aliquam diſtinctionem agnoſcit: quæ varijs modis à ſuis authoribꝰ explicatur. Eſt igitur tertia opinio, quòd iſta potentia obedientialis ſit facultas aliqua, ſiue ꝓprietas verè fluens ab entitate creata; ita *Albertinus in ſuis corollarijs q. 1. theologica in 1. corollarium dub. 2. n. 11. & 12. & in 3. dubit. n. 15.* Eandem ſententiam probat Cabrera *1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. §. 8. n. 33. & dubit. 4. n. 2.* qui duo in hoc diſſentiunt, quòd Albertinus non ponit diſtinctionē inter potentiam obedientialē, & entitatem rei creatæ, niſi rationis ratiocinatæ: vnde non admittit diſtinctionem ex parte rei, vt explicat *in d. dubit. 3. n. 15.* At verò Cabrera inter illa admittit diſtinctionem ex natura rei formalem, vt expreſſè docet *in d. n. 33. & 34.* Vnde in ea eſt opinione, vt potentia obedientialis ſupra entitatem creatam ſuperaddat rationem formalē, vt ſcribit *in d. dubit. 3. §. 6. n. 21. & § 8. ad 1. arg. n. 29.* & ideò putat, potentiā obedientialē eſſe accidēs quarti ꝑdicabilis, vt explicat *in d. dub. 4. n. 2. & 5.* Cabrera. Albertin. Non conueniunt.

Quarta opinio eſt Capreoli, qui putat 7.
hanc obedientialē potentiā eſſe ipſā crea- 4. opinio.
turā, & ſolùm addere quandā relationē. Capreol.
Ita docet *in 1. q. prologi art. 3. ad 1. contra 6. fol. 7. col. 2. & in 1. diſt. 42. q. 1. ad argumenta Aureoli contra quartā, fol. 283. col. 1.*

8. 5. opinio. Quinto loco à quibuſdã fingitur quinta opinio relata à Suario *in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. col. 2. ad finem*; vt hæc potentia dicat in ipſa re creata gradum quendam entis ſupernaturalem, realiter identificatum cum gradu naturali entis creati; diſtinctum tamen ab eo ſecundum rationem, eo modo, quo ſenſitiuum in homine dicit quendam gradum entis realiter indiſtinctum à gradu rationali, diſtinctum tamen ſecundum rationem, & per conceptus præciſos, & inadæquatos, fũdatos tamen in re ipſa. Secundum hunc dicendi modum entitas creata intrinſecè includit duos gradus entis: vnum naturalem, quaten⁹ illud ens eſt tale ens, v. g. ignis, aqua, &c. Alterum ſupernaturalem; quatenus eſt potentia quædam obedientialis in ordine ad Deum.

9. Vltima opinio. Poſtrema opinio potentiam obedientialem non diſtinguit ab entitate rei creatæ, niſi vt modum rei à re, cuius eſt modus: quæ diſtinctio eſt ex natura rei, modalis tamen. Hos dicendi modos collegi ex Suario, & alijs.

§. 3.

Explicatur propria ſententia, poſitis concluſionibus.

10. 1. concluſ. Difficultatem iſtam nonnullis adhibitis concluſionibus diſſoluemus. Sit prima cõcluſio: *Dici non poteſt potentiam obedientialem, quam ponimus, realiter diſtingui ab entitate rei creatæ.* Hæc concluſio ſatis eſt de mente eorum, qui putant potentiam obedientialem non dicere aliquam poſitiuam entitatem ſuperadditam rei creatæ: quorum ſententiam latè probauimus ſuprà art. 8. vbi oſtendimus pro contraria ſententia nullum inueniri authorem. Ex illa autem opinione infertur noſtræ aſſertionis euidẽs demõſtratio. Nam ſi potentia obedientialis realiter diſtingueretur ab entitate rei creatæ, diceret aliquam entitatem poſitiuam ſuperadditam ipſi rei creatæ. Hoc autem latè impugnauimus in d. art. 8.

11. *Auguſt.* Accedat doctrina Auguſtini in eodẽ loco adducta, Deũ rebus à ſe creatis nullas indidiſſe rationes, cauſaſvè eorũ, quæ ſupra curſum naturæ fiunt; ſed illis ſolũ inſeruiſſe cauſas, & rationes ſeminales eorum, quæ à rebus creatis naturaliter fiũt. Oppoſitum autem dicendum eſſet, ſi potentia obedientialis, quam rationem obedientialẽ ad agenda ſupernaturalia appellare poſſumus, eſſet res aliqua realiter diſtincta ab entitate creaturę. Denique hęc concluſio communiter ab omnibus recipitur: nec aliquem legi, qui contra eam doceret, vt oſtendi in d. art. 8. §. 2.

Secunda concluſio: *Potentia obedientialis, de qua agimus, non eſt idem realiter cum omni entitate creaturæ, in qua reperitur; ſed ab aliqua realiter diſtinguitur.* Hanc concluſionem ſtatuimus, vt ab hac quæſtione omnem æquiuocationis confuſionem tollamus. Dicimus igitur potentiam obedientialem realiter identificari cum aliqua entitate rei creatæ, ab aliqua verò realiter diſtingui. Pro explicatione repetẽdum eſt, quod initio huius articuli aduertimus; in hac ſc. quæſtione diſtinguendũ eſſe inter ipſam potentiam obedientialẽ, & creaturam, quæ eſt potens vt *quod*. Ex quo infertur eam eſſe aliquam entitatem partialem eiuſdem creaturæ: illam ſcilicet, per quam formaliter fit potens, & cũ hac realiter identificari. Quare ſi illa partialis entitas eſt forma ſuppoſiti; cum forma illa realiter diſtinguatur, & à materia, & à natura compoſita, potentia obedientialis realiter diſtinguetur ab vtraq;. Idem dicendum eſt de potentia obedientiali, quæ ineſt in materia, vt quidam volunt; hæc enim diſtinguetur realiter à forma, & à cęteris partibus eiuſdem ſuppoſiti. Et eodem modo philoſophabimur, ſi tota natura ſubſtantialis in ſe habet obedientialem potentiam, vt de humanitate Chriſti Domini plerique volunt: diſtinguetur enim realiter à partibus, materia ſcilicet, & forma. Denique ad hunc modum philoſophandum erit de formis accidentarijs, tam actiuis, quàm paſsiuis, ſi in illis reperitur hæc obedientialis actiuitas. ¶ Quare tota difficultas erit; quomodò potentia obedientialis diſtinguatur ab entitate, cũ qua realiter identificatur. 12. 2. concluſ.

Sit tertia concluſio: *Potentia obedientialis, quam admittimus, non eſt omnibus modis idem ex natura rei cum entitate, cum qua realiter identificatur.* V. g. potentia obedientialis actiua, quam habet forma ignis ad torquendos dæmones, vel ad aliquem alium effectum ſupernaturalem, non eſt omnibus modis idem cum ipſa enti- 13. 3. concluſ.

entitate formę ignis. Idem dicendum eſt de potentia obedientiali, quam ex quorũdam ſententia habet materia prima ad facienda miracula, quæ Deus per eam facere voluerit. Itaque potẽtia obedientialis actiua, quę in aliqua entitate reperitur, licèt idem ſit realiter cum illa; ab ea tamẽ aliquo modo diſtinguitur ex natura rei. Statuitur hæc Concluſio cõtra opinionẽ, quam probauit Suarius: contra quem eãdem ſtatuit Albertinus vbi ſupra: conſentiunt authores aliarum opinionum, quas §. 2. attulimus; omnes enim admittunt aliquam diſtinctionem ex natura rei inter potentiam obedientialem, & entitatẽ creatam, cum qua realiter identificatur.

14. Hæc concluſio non poteſt non admitti, ſi potẽtia obedientialis actiua, & innata eſt id, quod diximus art. 9. §. 4. cõcl. 1. poſuimus enim hanc potentiam formaliter ſumptam eſſe aliquid poſitiuũ ſuperadditum entitati creatæ à Deo ſupernaturali authore, quod potuit non ſuperaddi, vt diximus in dicto §. 4. concl. 2. Hæc igitur potentia ita explicata, non poteſt nõ diſtingui ex natura rei ab entitate, cui cõuenit: nam quod omnibus modis eſt idẽ cum alio, nec poteſt eſſe illi ſuperadditũ, nec ab illo abeſſe. Quare ſi potentia obedientialis eſt aliquid ſuperadditum entitati creatæ, quod potuit illi non dari; neceſſariò erit aliquid ex natura rei diſtinctum ab entitate, cui datur. Quòd hæc potentia ſit aliquid poſitiuũ (vel entitas, vel modus entis) ſatis colligitur ex ijs, quæ diximus ex Auguſtino *in præcedente art. 9. §. 4. in 1. concluſione*: Auguſtinus enim expreſsè docet, Deũ rebus iam conditis, & in ſua entitate perfectis dediſſe quoddam poſſe obedientiale: *Dedit* inquit, 9. ſupra Geneſim ad literam cap. 17 *Naturis, quas creauit* (eccè illis iam creatis dedit) *vt ex ijs, hæc fierit poſsint*. Hæc inquam, ſc. ſupernaturalia, quæ ſupra curſũ naturæ ſunt. Et inferiùs explicat illud ipſum poſſe in eis iam creatis feciſſe, & poſuiſſe. Quod autem in re iam creata fit, & ponitur; vtique illi ſuperadditur.

Eſt aliquid poſitiuu.

Auguſt.

15. His addo, quòd Auguſtinus expreſsè docet, primam conditionem, ſiue creationem entitatis non habere hoc poſſe obedientiale: *non habuit*, inquit *hoc*, (ſ. poſſe in effecta ſupernaturalia) *prima rerum conditio*, id eſt creatio ſiue productio. Quibus verbis ſatis declarat, rès in prima ſua creatione, & ex vi illius, non habuiſſe, quod poſſent in ſupernaturalia, & per conſequens res ipſas creatas non habere hanc obedientialem potentiam à Deo creatore naturæ, ſed Authore ſupra naturam, vt iam aduertimus in dicto §. 4. Duas igitur conditiones rerum, ſiue productiones ſtatuit Auguſtinus: vnam primam; quam ſatis declarant illa verba: *Prima rerum conditio*: alteram, ſecundam primæ correſpondẽtem (nec enim datur primũ, niſi in ordine ad ſecundum): hæc autẽ non fuit alia, niſi conſtitutio illius naturalis entitatis in aliquo poſſe ſupra naturam, datum à Deo ſupernaturali authore. Quod verò ſuprà naturam datur, ipſi naturæ non debetur; & per conſequẽs potuit nõ dari. Clarè igitur docet Auguſtinus, Deũ hãc potentiã obediẽtialẽ entitati creatę, veluti ſuperaddidiſſe, non neceſſariò, ſed liberè. Iam verò, quod alicui entitati eſt ſuperadditum, ita vt potuerit non ſuperaddi; non poteſt ex natura rei non diſtingui ab entitate, cui ſuperadditur. Quare poſita noſtra opinione de potentia obedientiali actiua, & innata, tertia hęc aſſertio eſt omninò indubitata.

Sed eam generaliori fundamento confirmemus: licèt enim potentia obedientialis ſit idem realiter cũ entitate rei creatæ, diuerſa tamen eſt ratio formalis illius, vt eſt entitas ſuo modo cõſtitutiua in eſſe talis entis; & vt eſt potentia obediẽtialis: etenim ratio formalis illius entitatis, vt eſt entitas, eſt dare eſſe: verbi gratia, ratio formalis entitatis naturæ ignis, eſt cõſtituere ignem in eſſe ignis: & ratio formalis entitatis materiæ, & etiam formæ eſt ſuo modo cõſtituere materiam in eſſe eſſentiali materiæ, & formam in eſſe formæ: ſimili modo ratio formalis entitatis caloris eſt eſſentialiter facere calorem eſſe calorem. At verò formalis ratio entitatis creatæ, vt eſt potentia obedientialis, eſt eſſe principium operandi, quæ naturam excedunt. Quare licèt admittamus potentiam obedientialem realiter identificari cum entitate, qua Deus vti debet, vt virtute inſtrumentali: nunquam tamen admittemus illam entitatem ſub vna, & eadem ratione formali dici entitatem, & potentiam obedientialem ad agẽdum. Quo ſuppoſito, non poteſt non ad- 16. *Confirmatio.*

mitti aliqua diſtinctio ex natura rei inter illam potentiam, vt eſt potentia; & entitatem, vt eſt entitas.

17. Vna res poteſt habere plures formalitates.

Nec nouũ eſt in Philoſophia, dari entia, quæ licèt realiter ſint idem; inter ſe tamẽ ex natura rei, & formaliter ſint diſtincta: ſicut etiam nouum non eſt; vnam, & eandem rem realiter ſibi identificare plures rationes formales, cõſtitutiuas plurium entium, atque ſpecierum prædicamentaliũ; ita vt vnum, & idem ens reale formaliter ſit plura entia, vt diximus ſuprà *lib. 5. q. 5. art. 4. nu. 120. & 121.* Quæ Philoſophia omnium conſenſu recepta eſt in ijs, quæ ad diuerſa prædicamenta pertinet, vt colliges ex Fonſeca 5. *Metaphiſi. cap. 14. q. 1. ſect. 3. pag. 664. §. Hæc tamen, & ex Conimbricenſibus in prædicamẽtis C. de qualitate, q. 1. art. 2. ad finem pagina* 370. §. *Vnde patet, & ex Rubio ibidem q. 1. num. 21.* etenim vna realis entitas eſt albedo, & ſimilitudo, iuxta veriſsimam ſententiam, quæ relationem realiter identificat cum ſuo fundamento: ſicut etiã vna, & eadem entitas eſt quantitas, & figura, vt omnes fatentur: & tamen receptiſsimum eſt albedinem, & ſimilitudinem; quantitatem, & figuram eſſe plura entia formaliter diſtincta, & cętera omnia, quę ita realiter identificantur, vt admittant diſtinctionem per oppoſitas differentias, aut per oppoſitos dicendi modos, vt latè oſtendimus indicto lib. 5. art. 4. §. 6. num. 116. 117. 118. & inferiùs §. 8. num. 141. & 142: nec ſolũ vera eſt illa Philoſophia, in illis, quæ ad diuerſa pręedicamenta pertinent, ſed etiam in pluribus ſpeciebus eiuſdem prædicamenti: etenim communior, & verior opinio aſſerit, vnã, & eãdẽ qualitatẽ ſub alia, &, alia ratione formali pertinere ad diuerſas ſpecies ſub genere qualitatis: vnus enim, & idem calor ignis ſub alia, & alia formali ratione pertinet ad ſecundam, & tertiam qualitatis ſpeciẽ. Quam ſententiam eſſe communem maximè apud recentiores, teſtatur idẽ Suarius *in Metaph. diſp. 42. ſect. 4. num. 2.* eam *probauit D. Thomas prima ſecundæ q. 49. ar. 2. ad 1. cum cæteris Thomiſtis, cum Caietano, & Soto in prædicamentis cap. de qualitate, vbi etiã Rubeus q. 1. art. 2. aſſertione 2. pag. 370. ſatis Albertinus loco citato pag. 184. col. 2. eam eſſe probabilem teſtatur Fonſeca vbi ſuprà, & ſect. 5. pag. 667. §. Quanquam verò; nec omninò reijciunt Connimbricenſes vbi ſuprà.* Apud iſtos doctores idem realiter calor ſub alia, & alia ratione ad vnam, & alteram qualitatis ſpeciem pertinet; ita vt eadẽ entitas caloris ſit plura entia formaliter diſtincta, nimirum patibilis qualitas, vt eſt conſeruans ſubſtantiam ignis; & naturalis potentia, vt eſt naturale agẽdi principiũ. Ex quibus iam patet ipſam entitatem creatam, vt eſt principium obedientiale ad agendum, ex natura rei diſtingui à ſe ipſa, vt eſt principium eſſendi tale ens. Et hoc eſt noſtræ tertiæ aſſertionis non infirmum fundamentum.

Vna res poteſt ad plura prędicamenta pertinere. Fonſeca. Conimbr. Rubeus.

Vna res põt eſſe in pluribus ſpeciebus eiuſde prędicamẽti.

Eſt cõmunis.

D. Thom. Caietan. Sotus. Rubeus. Fonſeca. Conimbri.

Quod etiam ex eo confirmare poſſumus; quia potẽtia ſumpta ſub ratione potentiæ, ex ſua natura ſupponit eſſe, vt vera habet Philoſophia. Ergo potentia obedientialis, vt formaliter eſt potentia, ex ſua natura ſupponit ipſam creatam entitatem, vt dantem eſſe creaturæ, quæ eſt potẽs, *vt quod*: quia nihil poteſt habere poſſe, quodcumque illud ſit, niſi prius habeat eſſe. Ergo ipſa entitas creata, cũ qua potentia obedientialis realiter identificatur (ſiue illa ſit materia, ſiue forma, ſiue aliquid aliud) prius debet eſſe entitas entificãs creaturam, quæ poteſt eſſe Dei inſtrumentum, quàm illi det eſſe poſſe operari ſupernaturalia, etenim in hac materia per analogiam ad naturalia philoſophandum erit ad ea, quæ ſuo modo ſunt ſupra naturam. Porrò ſi illa entitas creata prius natura debet dare eſſe ipſi toti creaturæ, quæ eſt agens, vt quod, quàm illi det hoc obedientiale poſſe; non poteſt, vt eſt potentia nõ diſtingui ex natura rei à ſe ipſa, vt eſt entitas ſub formali ratione entitatis. Quod aſſerit noſtra tertia concluſio. 18.

Confirmatur.

Quarta Concluſio: *Potentia obedientialis actiua, & innata, de qua agimus, non poteſt eſſe de intrinſeco conceptu rei creatæ, in qua datur.* Hanc concluſionẽ probat Albertinus in dicta dubitatione 2. Quam nõ nullis confirmat rationibus. Prima eſt; quia potentia obediẽtialis fluit ab entitate rei creatæ, tanquam facultas eius. Sed falsò nititur fundamento, vt patebit ex quinta concluſione. 19.

4. Concluſ.

1. Ratio.

Secunda illius ratio: quoniam in naturalib⁹ potẽtia inſtrumẽtaria differt ab entitate accidentis, cui eſt potentia: etenim calor ignis, vt eſt potentia ignis, ponitur in ſecũda ſpecie qualitatis; in tertia verò, vt 20.

2. Ratio.

vt eſt entitas conſeruans ignis ſubſtantiã. Ergo idem dicendũ erit in potẽtia inſtrumentaria, quæ eſt in diuinis inſtrumentis
21. Sed ratio parum vrget.
3. Ratio. Tertia ratio videtur firmior: quoniam potentia obedientialis eſt quid poſterius entitate rei creatæ. Non igitur poteſt eſſe de eſſentiali illius conceptu. Cõſequentia patet; quoniam, quod eſt de eſſentia rei conſtituit entitatem illius rei; quia nihil eſt ſine ſua eſſentia. Quomodo igitur poteſt eſſe poſterius illa? porrò antecedens inde probatur; entitas rei reſpicit ipſum eſſe eſſentiale, quo res eſt talis res: vnũquodque enim eſt per ſuam entitatem, & tale eſſe habet, qualis eſt entitas, qua eſt. Potentia autem reſpicit ipſum operari. vt patet. Iam verò poſſe operari cõſequitur ad eſſe: nam ex Ariſtotele in libris de Cœlo, vnunquodque eſt propter ſuũ operari; & ideo ad eſſe ſequitur poſſe, & ad tale eſſe, tale pôſſe; quæ Philoſophia in omni materia eſt veriſsima. Veriſsimũ igitur erit ipſumpoſſe obedientiale, quod datur in rebus creatis, ſequi ad ipſum eſſe rei creatæ; & per conſequens poſſe obedientiale ex ſua natura ſupponit ipſam entitatẽ rei creatę, tanquam aliquid prius: quod fuit antecedens. Quomodo igitur erit de eſſentiali conceptu ipſius entitatis creatæ?

22.
4. Ratio. Quarta ratio, eaque ſatis euidens, ſumitur ex ijs, quæ dicta ſunt in prima ratione concluſionis *tertiæ*: quoniam potentia obedientialis, de qua agimus, ponitur in rebus ex dono Dei gratuito; vnde potuit nõ eſſe in illis: iam verò, quod eſt de eſſentia, & re, & ratione eſt inſeparabile.

23. Confirmatio. Confirmatur; quoniam potentia iſta, quanuis data ſit rebus ſtatim à ſua creatione; non tamen illis da a eſt à Deo authore naturæ, ſed authore gratiæ, vt ſupra diximus ex Auguſtino: iam verò, ſi eſſe de eſſentia en itatis creatæ, neceſſa rio eſſet à Deo naturæ au hore: Deus enim, v eſt au hor na uræ, ſicut eſt cauſa totius entitatis rei, quam condidit; ita etiam eſt cauſa totius eſſentiæ illius.

24.
Vlti. ratio. Poſtrema ratio ſumitur ex propria eiuſdem Suarij Philoſophia: etenim potentiam obedientialem, quamponit, philoſophatur, vt concomitantem rei creatæ entitatem, iam conſtitutam in ſua ſpecie, & eſſentia, vt ſcribit 1. *tom. ad* 3. *p. diſput.* 31. *ſect.* 6. *pag.* 606. *col.* 1. *C. & col.* 2. §. *In præſente, & pag.* 608. *col.* 1. §. *Nec rationem dubitandi.* Iam verò, quod eſt de eſſenta alicuius entitatis, non comitatur ipſam entitatẽ, ſed eam intrinſecè conſtituit. Quo modo igitur potentia obedientialis, erit de eſſentia entitatis creatæ, & illam concomitans? hæc enim videntur interſeſe non cohærere. Suarius.

25. 5. Cõcluſio. 5. Cõcluſio: *potentiæ obediẽtialis non poteſt diſtingui ab entitate rei creatæ, vt facultas, proprietaſque ab ea emanans, à qua ſolũ diſtinguatur ratione ratiocinata.* Hæc ſtatuitur contra Albertinũ, & Cabreiã citatũ §. 2. 3. opinione: & ſatis eſt de mente Suarij *in dicta pag.* 606. *col.* 2. §. *atque hinc conſtat*: licèt enim ibi ſolùm neget, potentiam obediẽtialem eſſe facultatem ſupernaturalem, à fortiori negabit, eã eſſe naturalem facultatem. Suarius.

Fundamentum Suarij nõ eſt ſatis firmum: ideò enim oppoſitã illam opinionem impugnat, quia ſequeretur, potentiam obediẽtialem aliquo modo eſſe diſtinctam ab entitate, cuius eſt facultas. Sed abſurdum facilè admittit Albertinus, & Nos cum illo illud admiſimus in ſecũda concluſione. 26. Non placet fundamentum.

Vera igitur impugnatio opinionis Albertini, & confirmatio noſtrę aſſertionis ex eo ſumenda eſt; quoniam ſi hæc potẽtia obedientialis eſt facultas emanans ab entitate rei creatæ, ſimpliciter pertinebit ad Deum Authorem naturæ: conſequẽs tamen eſt contra expreſſam Auguſtini doctrinam. Sequela patet; quoniã Deus, vt eſt Author naturæ, non ſolùm eſt cauſa rei creatæ, ſed etiam omnium proprietatum, & facultatum, quæ ab ea emanant, vt indubitatum eſt. Quôd verò conſequens ſit contra Auguſtinum, iam oſtendimus in 3. concluſione: expreſsè enim docet, primam rerum conditionem, creationemque non habere hoc poſſe obediẽtiale: haberet autem illud, ſi ab ipſa entitate rei creatæ naturaliter emanaret: quia prima rei creatio terminatur ad omne id, quod ab eſſentia, & entitate rei creatæ naturaliter emanat. Accedit etiam; quia ex eodẽ Auguſtino Deus hoc poſſe obedientiale, tunc dedit rebus, cum eas volũtati potentiori, quàm ſit volũtas Dei creatoris, ſubiecit: ita enim ait: *Verũtamen alio modo dedit, vt non hoc habeat in motu naturali* 27. Vera impugnatio. *Auguſt.* *Auguſt.*

rali (quomodo rebus creatis dedit poſſe in effectus naturales) *ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori ſubiaceret.* Iam verò Deus, vt eſt Author naturę, res creatas nõ ſubiecit volũtati potentiori, qualis eſt voluntas faciendi, quæ curſum naturæ excedunt; ſed ſolùm eas ſubiecit voluntati, qua vult ad effectus naturales concurrere concurſu generali, vt eſt cauſa prima, vt oſtendimus art. 9. §. 4. in 1. concl. & latiùs dicemus in

28. artic. 11.

2. Impugnatio. Secundò inde etiam impugnari poteſt opinio Albertini; quia ſi hæc potentia à principijs entitatis naturaliter emanaret, vt proprietas illi naturalis, non ſola ratione ratiocinata diſtingueretur ab entitate creata, ſed à parte rei, aut realiter, aut formaliter; quod non admittit *vbi ſuprà in 3. dubitat. num. 15.* Sequela probatur; quia recepta philoſophia docet, facultates rerum naturalium, eorumque naturales potentię, & proprietates neceſſariò diſtingui ab eſſentia ipſarũ rerum: aut realiter, vt habet verior opinio; aut ex natura rei, & à parte rei formaliter, vt aliqui volunt. Nec poteſt ſpecialis ratio reddi, cur cæteræ proprietates à parte rei diſtinguantur ab entitate, à qua emanant; hæc verò diſtinguatur ſolùm ratione ratiocinata.

29. 3. Impugnatio. Denique impugnatur, quia talis emanatio nullo, vel apparenti, nititur fundamento: vnde, nec Albertinus aliquod adducit argumentum, quo ſuam opinionẽ confirmet: quæ verò adducit Cabrera facilè ſoluuntur, vt oſtendemus.

30. 6. Concluſ. Sexta Concluſio: *Potentia obedientialis, quam ponimus, nec entitati creatæ ſuperaddit aliquam relationem; nec in ipſa dicit aliquem gradum entis ſupernaturalem, realiter identificatum cum gradu naturali eiuſdem entitatis, ab eo diſtinctum ſecundùm rationem, eo modo, quo ſenſitiuum in homine diſtinguitur à rationali.* Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus quartam, & quintam opinionem poſitam §. 2.

31. Intelligitur 1. pars de relatione præ dicamẽtali. Pro explicatione prioris partis, aduertimus eam intelligendam eſſe de relatione prædicamentali, non verò de tranſcendentali: hæc enim non poteſt non includi in potentia obedientiali, vt patebit ex ſequente concluſione. In hoc igitur ſenſu facilè probatur prima pars concluſionis: quoniam potentia obedientialis de qua agimus, ex ſua formali ratione eſt principium agendi, inchoatum tamen, vt omnes illius authores ſupponũt. Sed relatio prædicamentalis nullo modo poteſt eſſe principium agendi, vt docet indubitata Philoſophia. Ergo potentia obedientialis non poteſt formaliter dicere relationem prædicamentalem. Nec Capreolus pro quarta opinione adductus de hac relatione egit, ſed de tranſcendentali, vt iterum dicemus in ſequenti concluſione. *Capreolus.*

32. Impugnatur 5. opinio. Quinta opinio, de qua ſermo eſt in poſteriori parte concluſionis, ex eo ſatis impugnata manet, quòd excogitata potius eſt; & cõficta, quàm ab aliquo aſſerta: vnde Suarius eam refert, nõ vt ab aliquo probatam, ſed vt excogitatam: quam putat eſſe impoſsibilem *in dicta diſput. 31. ſect. 6. pag. 607. col. 1. §. Sed hic modus.* Et contra eam ſex argumentis ſatis diffuſè inſurgit ibidem colum. 1. & 2. Et ideo ſatis nobis erit, lectorem remittere ad ea, quæ in illo loco doctiſsimè ſcribit: demõſtrat enim duos illos ordines graduum eſſendi, ſc. naturalis, & ſupernaturalis, nullo modo poſſe in eandem entitatem coaleſcere: quia nec coaleſcere poſſunt, vt duo gradus eſſendi, quorum alter ſit ſuperior, & alter inferior, ſicut ſe habet ſenſitiuum ad intellectiuum in homine: nec vt duo gradus inter ſe conuertibiles, vt latè oſtendit in 4. argumento. Deinde; quia ſequeretur, ordinem gratiæ habere quandam intrinſecam, & inſeparabilem connectionẽ cum ordine naturæ, vt probat in argum. vlt. Tertiò, quia ſequeretur, nullam dari poſſe entitatem mere naturalem, ſed omnem neceſſariò, & per ſe eſſe eleuatam ad ſupernaturalẽ ordinẽ, vt docet in 1. arg. 4. adhuc ſequertur, nullam formam naturalẽ agere poſſe, vt eſt naturalis cauſa; ſed omnis ſimul ageret, vt eſt ſupernaturalis, vt in 2. argum. contendit. Accedit. 5. loco; quia talis entitas, in qua duo illi gradus intrinſecè ſunt coniuncti, ſub nulla ratione poſſet dici ſupernaturalis, vt in 3. argumento conuincit. Poſtremò; ſequeretur, potentiam obedientialem actiuam, quæ eſt in intellectu, & voluntate, ad eliciendum actum Fidei, & Charitatis, eſſe eiuſdem ordinis, & eiuſdem ſupernaturalitatis cum habitu infuſo Fidei, & Charitatis, vt in quinto argum. concludit. *Suarius.* 1. Ratio. Secunda. Tertia. Quarta. Poſtrema.

Ergo

33. A ſdicturalia impugnat. Ego his addo, non poſſe Deum aliquam creaturam producere, præciſe, vt eſt Author naturæ; ſed neceſſariò illam etiam produceret, vt eſt Author ſupra naturam: etenim ſi duo illi gradus eſſendi (naturalis, ſc. & ſupernaturalis) in qualibet re ſũt neceſſariò cõnexi, & illi eſſentialiter intrinſeci, vt homini intrinſeci ſunt gradus ſenſitiui, & rationalis; cũ Deus, vt Author naturæ non cauſet id, quod eſt ſupra curſum naturæ; vtique illum ſupernaturalẽ eſſendi gradum non cauſabit, vt eſt Author naturæ, ſed vt eſt ſupra naturam: quæ eſt ſequela. Hoc autem non ſolùm euidenter eſt falſum, ſed nec ſatis tutum: conſtat enim, quæ Deus ſupernaturalia facit, & quæ facit ſupernaturaliter, facere gratuito; quia nulli creaturæ eſt debitor ſupernaturalium; & ideo poteſt illa non dare, & dat illa, quando vult; non dat autem, quandò non vult, vt eſt communis Patrum doctrina: & ideo ex Auguſtino ſæpè diximus potuiſſe Deum nõ dare rebus hanc poſitiuam potentiam obedientialem, ſed eas ſolùm relinquere ſub potentia obebientiali purè negatiua, vt quęlibet res creata diceretur obedientialiter potens, quia illi non repugnat cum Deo omnia facere, vt diximus ar. 9. §. 4. in 2. concluſione.

34. 7. Conclu. Septima, & poſtrema concluſio: *Potẽtia obedientialis, quam ponimus, diſtinguitur ab entitate, cum qua realiter idẽtificatur, diſtinctione modali, quæ eſt diſtinctio ex natura rei, ſine vllo ordine ad rationem.* Qui hanc concluſionem in terminis probaret, inueni neminem: probanda tamen eſt, ſi vera ſunt, quæ ex Auguſtino, & cõmuni Thomiſtarum ſuperiùs aduertimus.

35. Primum probatur: quoniã in tertia cõcluſione ſtatuimus, potentiã iſtam obedientialem non eſſe omnibus modis idem cũ entitate creata, ſed ab ea aliquo modo diſtingui ex natura rei. Sed nõ diſtinguitur ab ea realiter, vt patet ex prima concluſione. Nec diſtinguitur, vt aliqua facultas ab illa realiter emanans, vt oſtẽdimus in 5. concluſione. Nec diſtinguitur formaliter, aut tanquam relatiuum ab abſoluto; aut tanquam gradus eſſendi intrinſecè connexus cum gradu eſſendi natuli; vt demonſtratum eſt in concluſione ſexta, ſola igitur reſtat diſtinctio modalis, quæ eſt diſtinctio ex natura rei, vt diximus ſuprà lib. 5. q. 5. art. 2. num. 5. omnis autem diſtinctio ex natura rei, vel eſt realis, vel formalis, vel modalis, vt ibidem diximus num. 16. & 17.

Secundò probatur; quoniam iſta potẽtia obedientialis, licet realiter identificetur cum entitate; non tamen eſt ipſa entitas ſimpliciter, & abſolutè ſumpta; ſed prout ex ſupernaturali Dei voluntate, & poſitiua Dei ordinatione poſitiuè eſt ſubiecta ſupernaturali Dei volũtati, vt latè oſtẽdimus ſuprà ar. 9. n. 38. 39. 40. & 41: vbi diximus hanc paſsiuam ſubiectionem non eſſe aliud quàm idoneitatem quãdam, habilitatem, & poſitiuam aptitudinem, vt à Deo ſupernaturaliter eleuata influat in effectus ſupernaturales, quos Deus per eã facere voluerit. Hæc autem idoneitas, & aptitudo poſitiua eſt modus quidam poſitiuus, in ipſis rebus relictus ex eo, quòd Deus ipſas res ſibi omninò ſubiecit, vt faciat, quæ per eas facere voluerit: & ex eo, quòd illas ſibi ſubijciendo, eas inſtituit in eſſe diuini inſtrumenti. Quare potentia obedientialis actiua (quam ponimus rebus eſſe innatã) non eſt ipſa entitas creata abſolutè ſumpta; ſed vt ex diuina ſubiectione eſt habilis, & idonea ad actiuè influẽdum in ſupernaturales effectus, ſi ſupernaturaliter ad eos eleuetur. Ipſa autẽ entitas hoc modo ſumpta diſtinguitur ex natura rei à ſe ipſa, ſi ſimpliciter, & purè ſumatur, vt eſt talis entitas. v. g. vt eſt materia, vel vt eſt forma, vel vt virtus calefactiua, &c. 36. 2. Probatio

Hæc omnia ſatis confirmantur ex ijs, quæ art. 9. diximus in 1. cõcluſione. Nam quòd res creatæ habeant quoddam eſſe obedientiale à Deo, dum eas creauit, expreſsè docet Auguſt. 9. de Geneſi ad literam cap. 17. dum ita ait: *Hoc de vnaquaq; re in ſuo tempore facit, quod in ea antefecit, vt poſſit.* Agit autem de poſſe in ea, quæ ſũt ſuprà naturam. Quòd res creatæ habeant hoc poſſe obedientiale à Deo, nõ Authore naturę, ſed ſupernaturali authore; colliges ex illis verbis: *Non habuit hoc prima rerum conditio,* de quibus in concl. 37. Confirmatio. August.

Quòd hoc poſſe habeant ex eo, quòd voluntati omnipotenti à Deo ſubiectæ ſunt, vt per eas faciat, quæ voluerit; ſatis euidenter probant illa verba: *Dedit quidẽ naturis, quas condidit, vt ex eis, hæc* (ſcilicet ſupernaturalia) *fieri poſſent: verumtamen* 38.

alio

alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori an plius ſubiaceret. Ex quibus colligitur, potentiam ipſam obedientialem in rebus nihil eſſe aliud, quàm ipſam paſsiuam ſubiectionẽ, quam à Deo habent ad coagendum Deo: quæ ſubiectio non eſt aliud, quàm quędã poſitiua idoneitas, habilitas, & aptitudo, vt eleuatę cooperentur Deo inſtrumentaliter. Quod in rebus ſacramẽtalibus à Chriſto inſtitutis ſatis doctè explicauit *Caietanus 3. p. q. 62. art. 4. § Sed quoniam hic ſenſus.* Sicut enim res ſacramentales ex eo, quòd Chriſtus eas ſelegit, & inſtituit in ſacramenta, vt per eas conferret ſacramentalem gratiam, conſequutæ ſunt idoneitatem quandam, & habilitatem, aptitudinemque ad conferendam gratiam, ſi ad illã cõferendã aſſumantur, vt diximus in d. art. 9. § 4. n. 40. ita etiã ex eo, quòd Deus ſupernaturalis author res creatas ſuę omnipotentiæ ſubiecit, & inſtituit inſtrumẽta, per quæ ageret, quæ ſupra curſum naturæ ſunt, eas reddidit habiles, idoneas, & poſitiuè aptas ad agendum effectus ſupernaturales, ſi ad illos agendos à Deo aſſumantur. Sicut etiam illa rerum ſacramentalium habilitas, & idoneitas, vt aſſumptę ad vſum ſacramenti gratiam conferant, eſt quædam virtus inchoata ad gratiam; ita etiam ipſa rerum creatarum idoneitas, habilitas, & aptitudo, ad effectus ſupernaturales producendos, ſi ad eos aſſumantur, eſt virtus quædam obedientialis inchoata ad eoſdẽ effectus. Et ſicut ex eo, quòd Chriſtus Dominus res ſacramentales inſtituit in Sacramentum, ſimul eaſdem conſtituit inſtrumenta diuina in ordine ad producendam gratiam; ita etiam dũ Deus ſupernaturalis author res creatas in ipſa creatione inſtituit, & ordinauit ad effectus ſupernaturales, ſimul eas inſtituit in diuina inſtrumenta ad effectus ſupra naturam, & ex cõſequenti dedit illis virtutem illam inchoatam, vt à Deo eleuatę poſsint inſtrumentaliter influere in ſupernaturales effectus: etenim inſtrumẽtum ex eo, quòd cõſtituitur in ſpecie inſtrumenti, ab ipſo inſtituente accipit virtutem quandam inchoatam, vt eleuatum poſsit in principalem effectũ, vt expreſſis verbis docuit D. Thom. *in 4. diſt. 1. q. 1. art. 4. quæſtiũ. 2. ad 2. ex doctrina Hugonis, quem citat.*

Subiectio iſta quid ſit in re creata

Caietan.

39\.

Inſtrumentum ex eo quod inſtituitur accipit virtutẽ quandam.

D. Thom.

Denique in his diuinis inſtrumentis, quæ Deus inſtituit ad ſupernaturales effectus, ita eſt à nobis Theologizandum, vt D. Thomas Theologizauit in rebus ſacramentalibus, quæ ſunt inſtrumenta à Chriſto Domino inſtituta ad conferendam gratiam: quare ſicut potentia ſacramentalis ad producendam gratiã (quæ eſt quædam potentia obedientialis actiua determinata ad certum effectum) nõ eſt aliud, quàm ipſa idoneitas, & poſitiua aptitudo ipſarum rerũ ſacramentaliũ, vt in vſu ſacramenti actiuè conferant gratiã; vnde talis potentia ſacramentalis non eſt ipſa res ſacramentalis ſimpliciter ſumpta, ſed prout ex inſtitutione Chriſti eſt idonea, habilis, & apta ad producendam gratiam: ita in rebus creatis potentia obedientialis actiua ſimpliciter, & abſolutè nõ eſt ipſa res creata; ſed cum hoc poſitiuo modo, vt eſt idonea ex Dei ordinatione ad producendos effectus ſupernaturales. Qui Theologizandi modus confirmari poteſt ex modo, quo D. Thomas potentiam paſsiuam materiæ, etiam naturalem, Philoſophatur: licet enim ipſa paſsiua potentia, quæ eſt in materia ad formas naturales, realiter ſit idem cum entitate materiæ; formaliter tamen eſt ipſa habilitas eiuſdem materiæ ad recipiendas formas, vt ſæpius declarat D. Thom. *in 2. diſt. 18. q. 1. art. 2. ante finem corporis*; dum ait, ipſam habilitatem materiæ ad recipiendam formam eſſe ipſam potentiam paſsiuam materiæ. Quę in hoc refert, & ſequitur Capreol. *in 1. diſt. 42. q. 1. art. 2. ad 3. Aureoli contra quartam fol. 282. col. 1. in principio.*

40\. Quomodo ſit Theologizandũ de diuinis inſtrumentis.

D. Thom.

D. Thom.

Capreol.

Hæc autem habilitas, & idoneitas ad agendum nõ eſt aliud, quàm quidam modus poſitiuus: cùm enim ſit aliquid ſine intellectu exiſtens in re; nec dicat aliquã entitatem; & ita ſe habeat ad rem, vt res ipſa poſsit eſſe ſine ea; ipſa tamen eſſe nequeat ſine illa; neceſſariò erit quidam realis modus, vt nunc ſupponimus ex Metaphyſic. Qui modus intrinſecum reſpectum, atque trãſcendentalem includit ad effectus ſupernaturales: nam potẽtia, ſub ratione potentiæ, ſine hoc reſpectu dari non poteſt, vt notum eſt: & cum ſit reſpectus trãſcendentalis, nõ impedit, quin ipſe modus ſit modus quidam abſolutus, vt ſupponimus ex Metaphyſ. Et in hoc ſenſu explicandus eſt Capreol. dum dicit poten-

41\. Quid ſit habilitas.

potentiam obedientialē ſuperaddere entitati relationē realem ad diuinā potentiā, & ad effectus ſupernaturales, vt aduertimus in prima parte ſextæ concluſionis.

42. *Quid addat [illegible]tentia obedientialis ſupra entitatem.* Concludimus igitur potentiā obedientialem actiuā, quā ponimus, addere ſuprà entitatem, cum qua identificatur, modū quēdā eſſendi tranſcendētaliter relatiuū. *Capreol.* Et in hoc ſenſu ꝓ nobis habemꝰ Capreol. *citatum* §. 2. *pro quarta opinione*: & ſubinde ex natura rei potentiā obedientialem diſtingui ab entitate creata; etenim modalis diſtinctio, eſt diſtinctio ex natura rei, vt diximus in prima huius concluſionis probatione, & docet Suar. *Suarius.* *in Metaph. diſp.* 7. *ſect.* 1. *nu.* 16. Ex quo etiam infertur, potentiam obedientialem non eſſe de eſſentiali conceptu eiuſdem entitatis; cum modus rei ita per ſe afficiat entitatē, cuius eſt modus, vt illi det aliquid, quod eſt extra ipſius eſſentiam, vt aduertit idē Suarius in d. num. 16. §. *Vt autem aſſertio.* *Suarius.* Quod aduertendum eſt pro confirmanda quarta concluſione ſuperiùs poſita.

§. 4.

Soluuntur argumenta contra tres priores Concluſiones.

43. SEd iam concluſiones à nobis ſtatutas ab impugnationibus aduerſariorum vindicemus: ſingulas iuxta ordinem propoſitum expendemus.

1. Cōcl. eſt indubitata. Prima Concluſio eos habet oppugnatores, qui putant, potentiā obedientialem actiuam ex ſua formali ratione dicere facultatem quandā, & qualitatem ſupernaturalem rebus ſupperadditam; & ſubinde realiter diſtinctā: id enim quod ſecundū ſuam entitatem eſt ſupernaturale, realiter diſtinguitur ab entitate naturali. Huius opinionis fundamenta poſuimus art. 8. §. 1. & ea diſſoluimus §. 3.

2. Cōcl. nō habet aduerſarium. Secunda Concluſio, cū nullum habeat oppugnatorem, nulla etiam habet argumēta, quibus impugnetur: nam in terminis, in quibus proponitur, & ſuppoſita prima Concluſione, eſt omninò indubitata.

Argumenta cōtra tertiam Concluſionem.

44. *Ad argu. Suarij contra 3.* ¶ Tertia Cōcluſio oppugnatorem habet doctiſsimum Suarium, in locis §. 2. adductis pro ſecunda opinione. Contra eam multis arguit in d. diſp. 31. ad 3. p. ſect. 6. pag. 605. col. 2. §. *Ne tamen res tota*, & pag. 606. col. 1. & 2.

1. Argum. Suarij Et primū ita arguit in dicta pag. 605. col. 2. Hæc potentia obedientialis actiua; nec diſtinguitur ab entitate creata, vt res à re, nec vt modus rei. Ergo nō diſtinguitur ab ea ex natura rei. Conſequentia eſt nota. Priorem partem antecedentis, ita probat: quoniam euidentiſsimum eſt, eā nō diſtingui ab entitate creata, vt rem realiter diſtinctam: nullus enim hoc dixit. Quòd verò non diſtinguatur, vt res diſtincta ex natura rei: ita oſtendit: quoniā ſi talis entitas eſt ōninò eiuſdē ordinis cū entitate naturæ, ſuperfluè ponitur ac fingitur. Si verò eſt ſuperioris, & ſupernaturalis ordinis, nō poteſt eſſe debita naturæ; & ex conſequenti, nec poteſt eſſe illi cōgenita. Poſteriorem verò partem antecedentis (quòd. ſc. nō diſtinguatur, vt modus illius entitatis) ita oſtendit: quoniam potentia obedientialis ita per ſe ipſam cōuenit cuiq; entitati, vt ſit prorſus inſeparabilis ab ea, & omninò immutabilis, etiā de potentia Dei abſoluta. Sed hæc inſeparabilitas, & immutabilitas eſt omnimôdæ indiſtinctionis ex natura rei. Ita vt excludatur omnis diſtinctio ex natura rei, etiam modalis; vt putat ſe probaſſe in diſputationibus Metaphyſicis. Ergo iſta potentia obedientialis ab entitate creata non diſtinguitur, vt modus

Secundò ita arguit in d. pag. 606. col. 1. §. *Quod ſecundo amplius declaratur*: quæ eadem generatione per ſe primò generātur, ſunt omnino idem inter ſe, ex Ariſtotele 4. Metaph. Sed potentia obedientialis, & entitas creata eadē generatione per ſe primò generātur. Ergo inter ſe ſūt omnino idē ex natura rei; ita vt potētia obedientialis, nec ſit aliqua proprietas, nec aliquis modus dimanās ab entitate diſtinctꝰ ex natura rei ab ea. Cōſequētia probatur: quoniā ſi ab illa entitate dimanaret, vel vt ꝓprietas, vel vt modus, nō poſſet illi entitati cōuenire, niſi vel per aliquā nouā actionē propriā; vel ſine aliqua intrinſeca dimanatione; cōtra id, quod ſupponitur in minore. Maiorē autē ex Ariſtototele ſupponit: minorē verò ꝓbat: quoniā, ſi cōſideres creaturam ſecundum illud eſſe, quod habet ex vi ſuæ creationis, eſſentialiter includit ſubiectionem ad creatorem; ita vt etiam ſi mente concipiamus illam entitatem

45. *3. Argum.*

tatem nudã, & carentẽ omni modo ſuper addito, eſſentialiter includat hãc plenam ſubiectionem ad Deũ; ſicut è cõtrario in intrinſeca ratione creatoris, vt ſic, includitur, quòd habeat plenum, & perfectum dominium in ſuam creaturam.

46. 3. Arg. Tertiò, ita argumẽtat̃ *in d. p. 606. col. 1. §. Tertio id declaratur*: & poteſt eius ratio ita formari. Anima per ſe ipſã, & p entitatẽ ſui intellectus, & voluntatis immediatè eſt actiua actuũ ſupernaturaliũ fidei, Charitatis, & Spei; ita vt ſi ratione ſeparemus, etiã negatiuè, omnem realitatem, vel modum realem additum ſubſtantiæ animę, & entitati intellectus, & voluntatis; & anima, & ipſæ potentiæ ex vi ſuæ pefectionis, & entitatis in ſuo ordine ſunt actiuæ. Ergò potentia obedientialis actiua, quæ eſt in anima ad illos ſupernaturales actus, non poteſt eſſe aliquid diſtinctum ex natura rei ab entitate animæ, & potentiarũ. Et idem argumentum, vt ait, fieri poteſt de alijs diuinis inſtrumentis, quæ eleuantur ad agendum per ſuasmet entitates: nam ſi ab entitate illorum ratione ſeparemus, etiam negatiuè, omnem realitatem, & omnem modum realem additum ſubſtantiæ, & entitati illorum, ex vi ſuæ perfectionis, & ſubſtantiæ, in ſuo ordine ſũt actiua. Hæc igitur actiuitas, quatenùs intelligitur innata cum entitate creata, nullam rem, aut modum realẽ ex natura rei diſtinctum illi ſuperaddit.

47. 4. Arg. Quartò ita objicit *in d. pag. 606. col. 1. §. Quarto id probatur*: quoniã potẽtia actiua, quę eſt in entitate creata, nõ eſt res aliqua per ſe primò ordinata ad agendum id, ad quod dicitur obedientialis potẽtia. Nõ eſt igitur cõcipienda tanquã habens propriũ, & trãſcendetalẽ ordinem ad talẽ actũ, aut vt aliquã ſpeciem entis ab illo ordine accipiens; ſed ſolũ eſt intelligenda, tanquã entitas, vt conſtituta abſolutè in ſua ſpecie, vel natura, quæcũq; illa ſit: & per ſe ipſã quaſi concomitanter exiſtens vis agendi ex imperio creatoris, quidquid nõ repugnauerit. Nihil igitur talis potentia poteſt addere illi entitati, cui conuenit.

48. Confirmatio. Hanc ratione confirmat in eodẽ loco, *§. Hoc enim*: quoniã id, quod dicitur de potẽtia obedientiali actiua, etiã inuenitur in naturali potentia, & virtute agẽdi: in ea, inquã, quæ per ſe primò, & ex primaria intẽtione nõ cõuenit ſuæ entitati, ſed ſolũ quaſi cõcomitanter: hæc enim agẽdi virtus nõ addit nouã aliquã ſpecificationem, aut realitatẽ, aut modũ. Hoc autẽ exemplis declarat *in d. pag. 606. col. 2. in princi.* Ea adducemus; nõ tamen eodem ordine.

Primũ exemplum ſumit à calore: *de quo col. 2. in medio*: calor enim per ſe primò ordinatur, vt ita diſponat, & aſſiciat ſubiectũ, vt inde habeat propriã, & ſpecificã rationẽ ſuæ entitatis; ex vi cuius eſt etiã actiuus ſui ſimilis: hoc autẽ, vt ait, nõ addit ei aliquã realem ſpeciẽ, nec modũ ex natura rei diſtinctũ. Quod ſecus contingit in illis potentijs, quæ per ſe primò ordinantur ad aliquid agendũ circa extrinſeca obiecta: nam inde habent ſuã primariã ſpecificationẽ, & rationẽ. Eodẽ igitur modo, cũ potentia obediẽtialis actiua nõ ſit entitas per ſe primò inſtituta adhũc finẽ; ſed ſolũ ſit veluti cõditio quędã neceſſariò cõcomitãs quãcunq; entitatẽ creatã, quę ex ſua natura per ſe primò inſtituta eſt ad peculiarẽ finẽ; non poteſt eſſe aliquid ex natura rei diſtinctũ ab entitate rei, nec poteſt ſumere aliã propriã ſpeciẽ ex tali actiuitate. 1. Exempl.

49. 2. Exemplũ ¶ Secũdũ exemplũ ſumit à forma ſubſtãtiali apud eos, qui cõceduntvim actiuã immediatè aliquid agẽdi (quę fuitplurimorũ ſententia): talis enim actiuitas nullã entitatẽ, aut modũ realem ſuperaddit entitati ſubſtantiali formæ; nõ ob aliã rationẽ, niſi quia talis actiuitas ipſi ſubſtãtiali entitati ſolùm cõuenit concomitanter: ſiquidem entitas ſubſtantialis formæ per ſe primò non eſt inſtituta ad agendũ, ſed ſolùm ad actuandũ materiã, & ad dandum eſſe cõpoſito, & ab hoc ſuam ſpeciem ſumit.

50. 3. Exemplũ ¶ Tertiũ exẽplũ ſumit ex materia prima, cuius potẽtia ad recipiedã quãtitatẽ nullã illi addit entitatẽ, realẽue modũ ex natura rei diſtinctũ; nõ ob aliã tationẽ, niſi qa ipſa materia per ſe primò inſtituta eſt ad recipiendã formã ſubſtãtialẽ, à qua ſumit ſpeciem; & ideo ſolũ cõcomitanter eſt potentia ad recipiendam quantitatem.

51. 4. Exemplũ ¶ Quartũ adhuc exẽplũ affert ſumptũ ex quãtitate: cui eſſe rationẽ recipiendi qualitates materiales, & corporeas, nec addit aliquã realitatẽ, nec modũ realitatis; ideo pręcisè qa entitas ipſius quãtitatis ñ eſt per ſe primò inſtituta, vt ſit ratio recipiẽdi qualitates corporeas, ſed ſolũ ad extendendũ formaliter ſubſtãtiã, ex quo cõcomitãter habet, quòd ſit ratio receptiua qualitatũ.

Denique

52. Vltimũ exẽplum. Deniquè vltimũ exẽplum ſumit à potentia actiua Dei ad extra, inter quã, & diuinã entitatem ponit ſummã identitatẽ: nã cũ per ſe primò nõ ſit ordinata ad agẽdum, omnibus modis eſt ipſa diuina entitas, & ſolũ concomitanter illi conuenit. ¶ Ex ijs doctiſsimus Theologus cõcludit potentiã obedientialẽ actiuam omnibus modis eſſe idem cũ entitate creata; ex eo, quia illi, iam in ſua ſpecie conſtitutæ, conuenit ſolũ concomitanter. Quæ verò per ſolã concomitantiã alicui rei, iam conſtitutæ in ſua ſpeciẽ, conueniunt; eidẽ, nec aliquam realitatem ex natura rei diſtinctam addunt; nec modum aliquem realem.

53. S. arg. ex aliis. Quintò, & vltimo loco poſſumus hoc addere argumentum: quoniam fundamẽtum noſtræ tertiæ concluſionis eſt, quòd licèt potentia obedientialis actiua ſit realiter idẽ cũ entitate creata rei, cui cõuenit; habet tñ rationem formalẽ diſtinctã, & ob id non poteſt ab ea non diſtingui ex natura rei. An vna entitas ſub diſtinctas formalitatibus diſtigatum à ſe ex natura rei? Quæ ratio ſupponit fieri non poſſe, vt vna, & eadem entitas habẽs duas rationes formales, quatenus eſt ſub vnã, non diſtinguatur ex natura rei à ſe ipſa, vt eſt ſub altera. Hoc autem eſſe falſum, & Conimbricenſes probant, & Suarius. *Suarius.* diuerſo tamen fundamento. *Conimbri.*

54. Conimbricenſes enim in prędicamentis in cap. de qualitate q. 1. art. 2. §. *Species alicuius generis* pag. 370. volunt calorem ignis (quem ſolum ponunt in tertia ſpecie qualitatis) ſecundum vnam, & eandẽ formalitatem eſſe patibilem qualitatem, conſeruatiuam ignis, & virtutem actiuã illius. Fieri igitur poteſt, vt vna, & eadẽ entitas creata ſecundũ vnã, & eandem formalitatem, qua in ſpecie entis creati cõſtituitur, ſit entitas dans eſſe, & ſit obendientialiter actiua.

55. *Suarij Philoſophia.* Suarius tñ ſatis ſignificat ex diuerſis rationibus formalibus in eadem entitate nõ benè inferri diſtinctionem ex natura rei, quando vna illarum non per ſe primò cõuenit illi entitati, ſed per concomitantiam. Iam verò actiuitas obedientialis, quæ in entitate creata reperitur, non conuenit per ſe primò, ſed ſolũ concomitanter, tali entitati. Hanc Philoſophiam ſcribit *in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. col. 1. C. & inferiùs col. 2. §. In præſenti*: vbi docet, potentiã obedientialẽ eſſe conditionẽ quandam concomitantem quancunque creatã entitatẽ: quod etiã *repetit pag. 608. col. 1. §. Nec rationes dubitandi*. Fundamẽtũ huius ſuę Philoſophię inde ſumit; quòd duplex eſt diſtinguenda actiuitas: vna; quæ per ſe primò, & ex primario fine cõuenit alicui entitati. Altera, quæ ſuæ entitati cõuenit ſolũ cõcomitãter ex perfectione eius; quia. ſ. eſt talis forma, quę poteſt efficere ſibi ſimilẽ. Hanc duplicẽ actiuitatẽ *diſtinguit in Metaph. diſp. 42. ſect. 4. nu. 9. & ſatis eã ſupponit in 3. p. in d. pag. 606. col. 1. in fin.* Fundamentum. Duplex actiuitas diſtinguenda eſt. Inter vtrãq; hoc cõſtituit diſcrimẽ: quòd actiuitas prioris generis per ſe, & ex natura ſua eſt ordinata ad agendũ; & ideo per ſe habet ordinẽ trãſcẽdentalẽ ad ſuos actꝰ, & ad ſua effecta; & ob id vẽdicat ſibi certã, & determinatã ſpeciẽ, nimirũ, ſpeciẽ ſecundã qualitatis, quę eſt naturalis potẽtia, vel impotentia: hæc enim ſpecies per ſe cõſtituitur in tali ſpecie per actiuitatẽ, quę per ſe habet ordinẽ tranſcendentalẽ ad ſuos actus, & obiecta; & inde eſt, vt per actꝰ. & obiecta ſpecificetur. At verò actiuitas generis poſterioris, ſicut per ſuã entitatẽ nõ eſt primò inſtituta ad agendũ, ſed ſolũ ad comitandũ aliquid in ſua ſpecie; ita per ſe nõ habet ordinẽ trãſcendentalẽ ad ꝓpria effecta, & ad proprios actus: & ideo ab illis nõ vendicat ſibi ſpeciẽ; & proinde entitati illi non conuenit, niſi concomitãter.

Ad hoc genus poſterius refert actiuitatẽ, quæ eſt in calore ignis, & in frigiditate aquæ: etenim calor ignis, nõ eſt facultas potentiavè primò inſtituta ad agendũ; ſed eſt forma quędã per ſe primò ordinata, vt formaliter afficiat ſubſtantiã ignis, & vt formã ignis in materia cõſeruet. Et hinc eſt, vt talis forma (quę eſt calor) ex ſua actiuitate nõ habeat ſpeciem; ſed ſolũ ex eo, quòd afficit, & conſeruat ſubſtantiã ignis. Et inde eſt, vt actiuitas caloris ſolũ cõcomitanter cõueniat entitati illi, quæ eſt calor; ex eo, quia eſt tantę perfectionis, vt poſsit efficere aliũ calorẽ. Ita de actiuitate, & entitate caloris philoſophatur doctiſſimꝰ Suarius. Et inde motus fuit, vt ſimili modo philoſopharetur de actiuitate potẽtię obediẽtialis innatę, quã in rebꝰ ponit: nec enim entitas huius potẽtię obediẽtialis eſt per ſe primò inſtituta ad agẽdũ id, ad quod dicitur potẽtia; nec dicit ordinẽ trãſcẽdẽtalẽ ad actũ; deniq; nihil habet, à quo ꝑ ſe ſumat ſpeciẽ: quin potiꝰ entitas illiꝰ, cũ ſit ipſamet entitas creaturæ, per ſe primò 66. Actiuitas ignis pertinet ad 2. genus. Actiuitas potentiæ obedientialis ad quodgenus pertineat.

mò ſolū eſt ordinata ad cōſtituendā naturā, & ſpeciē talis rei, in qua reperitur; cui actiuitas additur ſolùm concomitanter.

57. Soluit noſtrum fundamentu. Ex hac Philoſophia patet ſolutio ad fūdamentum, quo tertia noſtra concluſio confirmatur: ſupponit enim potentiam obedientialem eſſe actiuitatem prioris generis, per ſe primò ordinatā ad agendum; & per ſe primò habentem ordinem trāſcendentalem ad ſuos actus, & effectus; ita vt ab illis ſumat ſpeciem, quatenùs eſt potentia; cū tamen ſit actiuitas generis poſterioris: cum nec per ſe primo ſit inſtituta ad agendum; nec habeat ordinē tranſcendentalem ad aliquē actū; nec deniq; vendicet ſibi aliquā ſpeciem, niſi illā, quæ eſt ipſius creaturæ; cui actiuitas cōueniat ſolùm concomitanter: & inde eſt, vt nihil illi addat ex natura rei diſtinctum, vt expreſsè ſcribit *in d. pag. 606. col. 1. §. Quartò id probatur, & col. 2. §. In præſenti ergo, & pag. 608. col. 1. §. Nec rationes dubitandi. Quod etiam dixerat pag 605. & pagin. 587. col. 1. §. Quòd ſi inquiratur, & paſſim in ſuis libris ſupponit.*

Solutio horum argumentorum.

58. Solutio argumentorū. ¶ Hæc tamen argumenta noſtram tertiam concluſionem non expugnant; imò ſuppoſita noſtra opinione de potētia obedientiali innata, facillimā habēt ſolutionē.

Ad 1. Ad primū negamus poſteriorem partē antecedentis; oppoſitum enim aſſerit noſtra vltima concluſio. Ad probationem negandum eſt, potentiā obedientialem, quam ponimus, eſſe inſeparabilem, etiam per diuinam potētiam, ab entitate creata: oppoſitū enim docet ſecunda concluſio poſita art. 9. §. 4 nu. 47: etenim potentia obedientialis, quā admittimus, eſt gratis data rebus creatis à Deo authore ſupernaturali; & proinde potuit illis non dari, vt diximus in eodem loco n. 26. & 45. cuius oppoſitum Suarius abſq; probatione, tanquā notum, ſupponit. Addimus etiā argumentū nō impugnare diſtinctionē modalem, etiamſi per ſupererogationem admitteremus inſeparabilitatem, & immutabilitatem, quàm admittit Suar. quoniā inſeparabilitas vnius ab altero non arguit omnimodam indiſtinctionem inter illa; imò aliquam admittit diſtinctionem ex natura rei: nec oppoſitum docet Metaphyſica: nam eſſe ens contingens: eſſe neceſſarium: eſſe completum: eſſe incompletum: eſſe finitum, & infinitū, ſunt quidam modi reales, vt doctiſsimi Metaphyſicorum docent, & inter eos Fonſeca *in 5. Metaph. cap. 6. q. 6. ſect. 2. pag. 350. §. Horum autem modorum, & lib. 7. cap. 8. ſect. 3. pag. 362. col. 1. D. in princi. & placuit Scoto in quodlibetis q. 5.* & tamen inter modos illos, & ſuas entitates datur mutua inſeparabilitas, & immutabilitas, etiam per diuinam potentiam, vt docet idem Fonſeca *in dicta q. 6.* quia nec homo poteſt non eſſe ens finitum: nec eſſe finitum poteſt ſeparari ab ipſo homine: materia etiam, & forma, non poſſunt non eſſe entia incompleta: & talis modus non poteſt ſeparari ab illis: quia ſicut homo non poteſt non eſſe ens contingens finitum, & completum; ita nec hi modi, qui ſunt in homine, poſſunt eſſe ſine homine. Idem dicendum eſt de materia, & forma in ordine ad modum eſſendi ens incompletum. Exiſtentia etiam ex naura rei diſtinguitur à re creata, tanquam modus illius, vt contra Suarium ſupponimus: & tamen inter exiſtentiam, & rem, vt productam, datur mutua inſeparabilitas, etiā per diuinam potentiam: quia nec exiſtentia poteſt eſſe ſine re creata; nec res creata ſine ſua exiſtentia. Quibus non parum fauet, quod plerique docent, exiſtentiam noſtro intelligendi modo non eſſe de eſſentia Dei, vt inter alios exiſtimat Salas *primæ ſecundæ. quæſtione tertia, tractat. ſecundo diſputat. tertia, ſectione ſeptima, num. 32. pagina 223.* non ob aliam rationem, niſi quia non dicit aliquem gradum eſſendi, ſed ſolùm eſſendi modum, vt diximus lib. 5. quæſt. 8. art. 2. numer. 12. & tamen nec exiſtentia diuina ſine diuina eſſeutia; nec diuina eſſentia ſine ſua exiſtentia dari poſſunt: quare mediū, quo vtitur Suar. ad impugnandā diſtinctionē modalē inter potentiā obedientialē, & entitatem creatā, non ſatis eſt firmum: quod etiam contra eundē aduertit Cabrera *ad 3. p. q. 1. ar. 1. diſp. 6. dub. 3. §. 8. n. 29. & nu. 33.* ¶ Sed nec hoc primū argumentū vim habet cōtra Albertinū: reſpōderet enim potentiam iſtam eſſe eiuſdē ordinis cū entitate naturæ, ſci. naturalis; negaret autem inde ſequi ſuperfluè poni talem potentiam; imò id negat, ſi expendantur, quæ ſcribit in 3. dubitatione: etenim hæc potentia apud illum non eſt res diſtin-

Fonſeca. Exiſtentia eſt modus rei. Salas. 59. Albertin.

diſtincta à parte rei ab ipſa entitate; quia ab ea ſolũ diſtinguitur ratione ratiocinata. Et ideo non oportet, vt ab ea emanet alia potentia obedientialis; ſed ipſametſe ipſa eſt ſua potentia; ſicut quãtitas ſe ipſa eſt extenſa,& non per aliam ſuperadditã extenſionem:& ita ceſſat, tùm, proceſſus in infinitum; tùm abſurdum ſuperfluitatis: quoniam entitas ipſa creata, ideo quia habet eſſentialem dependentiam à Deo, vendicat ſibi talem obedientialem potentiã. Hæc colliges ex Albertino *in d. dub.* 3.& quãuis de veritate illorũ dubitemus; tamen niſi impugnẽtur, ſatis ſunt ad tollẽdam vim argumenti, quo vtitur Suarius. Quæ etiam ſatis tolleretur; quanuis potẽtia obediẽtialis diſtingueretur à parte rei diſtinctione formali: quia adhuc ab iſta reali formalitate non flueret alia potentia obedientialis: quia non fluit, niſi ab entitate, quatenuùs in ſe, & per ſe, eſt realis entitas. Hæc aduertimus, vt pateat inſufficientia huius primi argumenti.

60. Ad 2. Ad 2. argum. ſuppoſita noſtra explicatione, neganda eſt minor: nã cum potẽtia obedientialis, quam admittimus, non detur à Deo Authore naturæ, ſed gratiæ, vt ex Auguſtino ſæpè diximus; nõ producitur eadẽ productione, qua ꝑducitur entitas creata, ſed alia diſtincta: nec enim à principijs naturę ipſiꝰ entitatis naturaliter emanat, vt argumentũ falsò ſupponit. Ad probationẽ minoris, 1. loco negandũ eſt ſubiectionem ad Deum, ſiue Authorẽ naturæ, ſiue ſupernaturalẽ, eſſentialiter includi in ipſa creatura; ſiue illa ſubiectio ſit poſitiua, & aptitudo quędã ad obediendũ; relicta in rebꝰ ex diuina ordinatione; ſiue ſit pura nõ repugnantia, vt diximus in 4. concl. & dicemus in ſoluendis argumẽtis contra illã. Deinde negandũ eſt creaturã ſecundũ illud eſſe participatũ, quod habet ex vi creationis, habere ſubiectionẽ poſitiuã ad Deũ, vt authorẽ ſupra naturã: ſolũ enim hanc habet ad ea naturalia agẽda, ad quæ Deus, vt Author naturæ concurſu generali primę cauſæ omnibus agentibus debito, illam ordinauit: ad ſupernaturalia enim ſolũ habet purã quandã nõ repugnãtiã. Primũ iam oſtendimus art. 9. §. 4. nu. 43. & 44. ſecundũ autem ibidẽ n. 50. quare ſi mente concipiamus ipsã naturalẽ entitatem, nudã, & carentẽ omni modo poſitiuo ſuperaddito; & illam cõparemus cũ Deo ſupernaturali authore, & in ordine ad opera ſupra naturã, ſolùm habebit purã non repugnantiã, quæ dici poteſt obedientia quædã negatiua, & negatiua quędã propenſio ad illa. & hæc inſeparabilis eſt ab ipſa entitate creata: ſicut enim ab homine inſeparabilis eſt, etiã per diuinam potẽtiã, negatio lapidis; ita etiã a creatura, etiã per diuinam potentiã, inſeparabilis eſt negatio repugnantię ad ea, quę nõ implicãt, vt per ſe eſt notũ. Si verò obliges me, vt concipiam illã creatam entitatẽ, non ſolũ abſq; omni realitate, aut modo ſuperaddito; ſed etiã abſq; illa negatione repugnãtię; & dicas entitatem illã, vt ſic, habere ſubiectionem ad Deũ, ad quæcũque opera voluerit, quia talis ſubiectio eſt de eſſentia creaturæ, vt ſumit Suarius, negandũ eſt omninò ſubiectionẽ formaliter ſumptam eſſe de eſſentia, vt iam diximus; & per cõſequẽns negãdũ eſt ſubiectionẽ formaliter cõuenire illi entitati, ita abſtractiuè ſũptæ; ſed ſolũ conuenire fundamentaliter, & radicaliter, vt benè aduertit *Albertinus vbi ſupra dub. 2. nu. 12. §. Reſpondetur, pag. 184. col. 2. in fine*: implicat enim creaturã cõcipi, vt ſubiectã, ſine formali ſubiectione, ſaltẽ negatiua, qualis eſt pura negatio repugnantiæ. Vnde talis entitas, vt conſideratur ſub illo præciſo cõceptu, non eſt formaliter potens agere ſupernaturalia, nec formaliter aſſumptibilis ad opera ſupra naturã; ſed ſolũ fundamentaliter, & radicaliter. Quare implicabis in adiecto, ſi inde inferas poſſe entitatem illã, ſub illo præciſo cõceptu, de facto aſſumi à Deo ad opera ſupernaturalia; quia implicat aſſumi ad agendũ ſiue potẽtia formali, vt poſſit aſſumi, vt doctè aduertit Albertinus loco cit. Quare argum. nihil nobis officit. *Albertin.*

¶ Sed nec officit Albertino: ille enim iuxta ſuã opinionem, conceſſa maiore, negaret minorem, cũ enim potentia obedientialis apud eũ ſit facultas, & proprietas ab entitate emanãs, nõ poteſt eſſe terminus per ſe primò productus, ſed per ſe ſecũdo. Ad probationẽ minoris eodẽmodo, quo nos, reſponderet. Et interminis reſpondet Cabre. *ad 3. p. q. 1. ar. 1. diſp. 6. dub. 3. §. 8. n. 33.* *Cabrera.*

Ad 3. negandũ eſt antecedens, nõ ſolũ in potentia obediẽtiali, quæ eſt in intellectu, & volũtate ad ſuos actus ſupernaturales; ſed etiã in ea, quæ reperitur in diuinis inſtrumentis. Et quod attinet ad primũ; 61. Ad 3.

ſi ab entitate animæ, intellectus, & voluntatis per rationem, vel præciſiuè, vel negatiuè ſeparetur omnis realitas, vel modus ſuperadditus; nec anima, nec intellectus, aut volūtas habebit formalē actiuitatem in actus ſuos ſupernaturales, ſed ſolùm fūdamentalem, & radicalem, vt diximus ad ſecundū, & dicemus in ſequenti quæſtione: intellectus enim ex ſe ſuaque natiua entitate, ſi purè conſideretur, habet fundamentalem actiuitatem in viſionem beatā, cum inſeparabili negatione repugnantiæ, ſi conſideretur in ordine ad abſolutā potentiam, quæ non repugnantia eſt potentia quædam obedientiæ purè negatiua: de facto tamen habet potentiam obedientialem poſitiuam, ex diuina ordinatione, qua eum ſubiecit Deo authori ſupernaturali; in qua de facto fundatur illa non repugnantia, quam ex ſe habet ad videndū Deum, vt latiùs dicemus in q. 3. ſequente. Eodem igitur modo ſi ab inſtrumentis diuinis, illorumq; entitate ſeparemus omnem realitatem, & modum, etiā ipſam negationem repugnantiæ; nullam habebunt actiuitatem formalē in ordine ad ſupernaturalia; ſed ſolam fundamentalem, & radicalem, in qua tunc fundabitur pura nō repugnantia, vt ad ſecundum diximus. Vnde argumentum, nec contra Albertinum habet vim; & mirū eſt, quod in argumento ſine probatione ſumatur, quod eſt in controuerſia.

62. Ad 4. Ad 4. argm. primo loco dicimus, illud potius probare noſtram tertiā cōcluſionē, quàm illam impugnare: etenim ſi illa obedientialis actiuitas entitati creatæ cōuenit cōcomitanter, vt argumentū ſumit; quomodo cū illa omnib⁹ modis eſt idem? etenim, quæ cōcomitantia ſunt, nō omnibus modis idem ſunt cū eo, quod comitātur: nā idem, vt idē eſt, quomodo poteſt ſe ipſum cōcomitari? nā ſicut quod aliud vel antecedit, vel cōſequitur, non poteſt aliquo modo ñ diſtingui ab eo, ideo quia inter prius, & poſterius datur aliquis ordo; ita etiā quod aliquid comitatur, aliquā debet habere cum illo diſtinctionē: nā inter cōcomitantia datur ordo ſimultatis. Quare ſi potētia obedientialis, de qua agimus, conuenit entitati creatæ, nō vt ratio formalis illā ſpecificans, ſed vt concomitās; tantū abeſt, vt illa concomitantia inferat omnimodā identitatē ſecluſa omni diſtinctione ex natura rei; vt neceſſariò inferat aliquā ex natura rei diſtinctionem: quod noſtra tertia aſſertio affirmat. Vel explicet nobis doctiſsimus Suarius naturā illius cōcomitantię, quā excogitauit: etenim Albertinus vbi ſuprà pag. 185. col. 2. negat potentiam obedientialem ad entitatem creatā ſe habere cōcomitāter.

Deinde dicimus entitatem illam, quę, vt ſubiecta ſupernaturali Dei imperio, eſt potentia obedientialis actiua, poſſe dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundū ſe, & prout eſt entitas ordinis naturalis. Altero modo; prout ſubiecta eſt ſupernaturali Dei imperio, & ab eo inſtituta, & ordinata ad ſupernaturales effectus, quos Deus per eam facere ſtatuit. Si conſideretur priori modo; admittimus illam entitatem non eſſe per ſe primô ordinatam ad agendum ſupernaturales effectus: imô ſecundū aliquos poteſt eſſe entitas nullo modo ordinata ad agendum. At verò ſi poſteriori modo conſideretur, negādum eſt eam non eſſe per ſe primò ordinatam ad agendum effectus ſupernaturales: etenim potentia obedientialis actiua, ideo dicitur obedientialiter actiua, quia ex primaria intentione Dei rem illam ſuo ſupernaturali imperio ſubijcientis per ſe ordinata eſt ad tales effectus ſupernaturales; vt contra Suarium huius argumenti authorem tacito illius nomine optimè aduertit Fonſeca 9. *Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 3. ad fin. pag. 611. col. 2. in fine*. Et iuxta hanc duplicem cōſiderationem, explicandum eſt conſequens, quod in cōſequentia primò infertur: etenim ſi illa entitas priori modo conſideretur; verè nō eſt conſideranda, vt habens vllū ordinem tranſcendentalem ad actus ſupernaturales, ſupernaturaliaque obiecta; quia vt ſic neq; ad illos act⁹ ordinata eſt, nec ad illa obiecta.

63. Potētia obedientialis poteſt 2. modis conſiderari.

Fonſeca.

64. Secùs dicendū eſt, ſi talis entitas cōſideretur poſteriori modo; quia vt ſic ex natura ſuæ formalitatis, quā dono Dei habet, per ſe reſpicit actus, & effectus ſupernaturales, & ſupernaturalia obiecta, adquę diuinitus ordinatur, de primaria, imô, & ōnimoda intentione, vt expreſſè docet Fonſeca *vbi ſupra in ſolutione huius argumēti & ſatis eſt de mente Albertini in d. dubitatione 3. nu. 14.* quatenus huic potentię cōcedit formalitatē reſpect⁹ ad terminum: nec poteſt talis trāſcendentalis reſpectus

Fonſeca. Albertin.

illi

illi negari, ſi vera eſt noſtra opinio, quòd potentia obedientialis eſt modus quidam in entitate rei creatæ relictus ex poſitiua ſui ſubiectione, qua ex diuina ordinatione ſubiecta eſt, & per conſequens idonea & apta, non negatiuè tantùm, ſed poſitiuè, ad cooperandum Deo in effectus ſupernaturales, ad quos illam entitatem ordinauit. Deus autem ſupernaturalis author, dum hanc entitatē iam creatam ſuo ſupernaturali imperio ſubiecit, eam non modo ex primaria intentione, ſed omnimoda ad iſtos actus, & obiecta ordinauit; quia nihil aliud per illam ſubiectionem intendit, quàm illum ordinem tranſcendentalem in illis ponere, vt ſatis doctè vno verbo annotauit doctiſsimus Fonſeca. Quare, ſuppoſita noſtra de obedientiali actiuitate opinione, hoc quartum argumentum vim non habet ad negandū potentiæ obedientiali, & primariam intentionem illius ad agendum, ſi formaliter ſumatur, & intrinſecum; & tranſcendentalem ordinem ad ſupernaturalia, ad quæ à Deo inſtituta eſt. Et quod dicimus de ordine tranſcendentali ad actus, & obiecta, dicendum etiam eſt de ſpecificatione eiuſdem entitatis, vt eſt ſubiecta ſuper naturali Dei imperio. Nam ſi conſideretur priori modo, vt. ſ. eſt entitas naturalis ordinis, licèt ſpeciem ſuæ entitatis non ſumat, niſi ex formalitate naturali, qua conſtituitur in eſſe talis entitatis (v. g. in eſſe materiæ, vel formæ, &c.) tamen ſi modo poſteriori conſideretur (quatenus ſcilicet ex ſubiectione ad diuinum imperium habet rationē potentiæ) ſumit ſpeciem ex formali ratione actiuitatis ſuper naturalis terminatæ ad actus, & obiecta ſupernaturalia, vt dicemus inferiùs in ꝓprio huius difficultatis articulo. Quare falſum eſt illam naturalem entitatem ſolùm habere ſpeciem, vt eſt entitas naturalis, non verò vt eſt potentia obedientialis: etenim eadem entitas ſub alia, & alia ratione poteſt habere duplicem ſpeciem, vt ſuprà in 3. concluſione diximus, & dicemus ad 5. argum. Vnde ceſſat fundamentum concomitantiæ ad naturalem ſpeciem creatæ entitatis, quam Suarius excogitauit. ¶ Nec ſolum argumentum iſtud vim non habet, ſuppoſita noſtra ſententia; ſed nec vim habet contra opinionem Albertini. Qui illud ſoluit, non ſolùm negando obedientialem actiuitatem ſolùm conuenire concomitanter naturali entitati; ſed etiam negando eam ſub formalitate dependentiæ à diuino imperio, non eſſe per ſe primò ordinatā ad agendum: negando etiam illam ratione actiuitatis obedientialis, non habere ſpeciem diſtinctam ab ea, quam habet, vt eſt naturalis entitas. Vtrumque etiam negat Fōſeca vbi ſuprà; ſuppoſita opinione, quòd potentia obedientialis formaliter dicit aliquid poſitiuum. Quare, cum viri doctiſſimi negent fundamentum huius quarti argumenti, debuiſſet Suarius illud non ſupponere, tanquam indubitatum; ſed probare.

65. Non habet vim hoc argum.

66. Nec habet vim contra Albertinū.

Ad confirmationem eiuſdem argumēti, negandum eſt dari aliquam potentiam actiuam naturalem, quę formaliter ſumpta ſuæ entitati conueniat ſolùm concomitanter: etenim negandum eſt dari aliquam actiuitatem in potentijs naturalibus, quæ per ſe primò non ſit ordinata ad agendū; & quæ ex formalitate ſuæ actiuitatis non habeat propriam ſpeciem formaliter diſtinctam ab alia ſpecie, ſi illa entitas ſub alia ſpecie collocatur: nec enim probandum eſt, ſed omnino reijciendum duplex actiuitatis genus, quod diſtinguit in Metaphy. diſp. 42. ſect. 4. n. 9. & quod ſupponit in d. ſect. 6. pag. 606. col. 1. §. *Hoc enim*: ſublato autem argumenti fundamento; non poteſt non corruere illius ædificium. ¶ Nec exempla, quibus vtitur ad confirmandam hanc ſuam Philoſophiam (ſubtilem quidem, ſed nouam) aliquid efficiunt. Et quod attinet ad primum ſumptum ex calore ignis, multa in eo ſupponuntur, non ſatis congruentia cum vera Philoſpohia, vt latè oſtēdemus in ſolutione ad 5. arg. ¶ Ad ſecundum exemplum ſumptum ex forma ſubſtantiali, dicimus opinionem, quam ſupponit de actiuitate proxima, & immediata ad agendum in forma ſubſtantiali, non ſolùm non probari à nobilioribus Philoſophis, ſed etiam ferè ab omnibus reijci, vt teſtatur *Fonſeca in 5. Metaph. c. 2. q. 6. ſect. 3. in 3. ſententia, pag. 89.* Eam reijci ab omnibus peripateticę doctrinę ſectatoribus, affirmat *Rubeus libr. 2. Phyſic. in tract. de cauſa efficiente q. 3. n. 49. pag. 206. col. 1. & ſatis ſignificat idem Suarius in Metap. diſp. 18. ſect. 2. n. 9. pag. 440. col. 1. poſt princip.*

67. Ad cōfirm. eiuſdem argum.

68. Expenduntur exēpla adducta. Ad 1. exemplum.

69. Ad 2. exemplum.

Fonſeca. *Rubeus.* *Suarius.*

D. Thom. Et oppoſita eſt *Diui Thomæ 1.p.q.77.ar. 1. ad 4. & fere omnium tam antiquorum, quàm recentiorum*, vt videre eſt apud citatos authores. Quare oppoſitam ſententiam, vt certiſsimam approbauere *Fonſeca, & Rubeus vbi ſuprà, & Conimbricenſes in 2. Phyſi. c.7.q.18.art.2. aſſertione 2.pag. 301. in princ. & art.6. ad 3.pag.326. in medio*, quam nos diligenter probauimus, dũ ſecundum librum Phyſicorum olim interpretaremur. Quare hoc exemplum non ſatis accommodatum eſt ad confirmandam Suarij philoſophiam, cum peripateticæ Philoſophiæ repugnet. Sed nec eam iuuaret, ſi admitteretur illa opinio, quam Suarius admittit loco citato in 2. concl. n.21. pag.443. col.1: quoniam ſuppoſita illa opinione, actiuitas, quæ formæ ſubſtantiali conuenit, non poteſt eſſentialiter non conuenire entitati ipſius formæ: iam verò, quæ alicui eſſentialiter cõueniunt, non poſſunt illi conuenire concomitanter. Quòd verò poſita illa opinione, actiuitas illi entitati ſit eſſentialis, ex eo patet, quia entitas illa ex ſua intrinſeca, & eſſentiali ratione habet, quod ſit actus ſubſtantialis. Ergo poſita illa opinione, erit eſſentialiter actiua actiuitate immediata. At verò ſi eſſentialiter eſt actiua, neceſſariò erit per ſe primò inſtituta ad agendum: etenim quod eſſentialiter eſt tale, per ſe primò eſt tale. Si autem per ſe primò eſt inſtituta ad agendum, ex ſua intrinſeca ratione vendicat ſpecificari, vt eſt actiua. Quod adhuc confirmari poteſt: quoniam entitas formę ſubſtantialis, ſuppoſita illa opinione, non eſt indifferens ad plures ſpecie effectus, ſed ad vnum tantùm, nimirum ad generandã formam ſibi ſimilem: in hoc enim diſtinguitur ab actiuitate accidentali, quam illa eadem entitas habet ad effectus accidentales ſpecie diſtinctos; quia hos non immediatè producit, ſed mediantibus qualitatibus ſpecie diſtinctis, vt patet in forma ſubſtantiali ignis, quæ & calefactiua eſt, & exſiccatiua, nõ immediatè, ſed mediantibus calore, & ſiccitate. Et ideò ad ſuos effectus ex ſe eſt indifferens; determinatur autẽ ad hunc, vel illum mediante hac, vel illa qualitate, mediãte qua agit; cùm tamen ad producendam ſubſtantiã ſibi ſimilem non ſit de ſe indifferens, ſed determinata; quia forma ſubſtantialis ignis ſolùm poteſt generare ignem, & non aquam: quæ omnia ſatis colliges ex Suario, ſi attente legeris, quæ ſcribit *in d. 2. aſſertione*. Porrò ſi forma ſubſtantialis, v. g. ignis, ex ſua eſſentia, & natura habet, quod ſit productiua formæ ſibi ſimilis; vtique ex ſua natura per ſe primò ordinata eſt ad illam producendam; & per cõſequens habebit ad illam ordinem tranſcendentalem. Quomodò igitur ab illa nõ accipiet ſpeciem ſuæ actiuitatis? At, inquit, entitas formæ ſubſtantialis ſolùm eſt inſtituta ad actuandam materiam; & ad dandum eſſe compoſito. Non igitur per ſe primò inſtituta eſt ad agendum. Reſpondeo conſequentiam iſtam non valere: quoniam forma ſubſtantialis per ſe inſtituta eſt, vt actuando materiam, det illi, & compoſito ſuum eſſentiale eſſe: hoc autem eſſe, ſi illa opinio eſt vera, non eſt aliud, quàm eſſe actiuum, & productiuum ſubſtantiæ ſibi ſimilis. V. g. forma ſubſtantialis ignis ex ſua ratione conſtituit ſubſtantiam ignis in eſſe ignitiuo, & productiuo alterius ignis. Concedendum eſt igitur, immediatam illam actiuitatem, quam prædicta opinio formæ ſubſtantiali concedit, eſſe eſſentialem entitati ipſius formæ. Quomodò igitur conueniet illi ſolum concomitanter? quare exemplum iſtud nullo modo iuuat excogitatam illam Philoſophiam: quoniam illa actiuitas immediata, vel neganda eſt formæ ſubſtãtiali, vt peripatetica negat opinio; vel illi non conuenit concomitanter, ſed eſſentialiter. ¶ Ad tertium exemplum ſumptum ex materia prima, facilè reſpondebunt, qui volunt, quantitatem immediatè non recipi in ea, ſed in toto compoſito: dicent enim materiam primã nec per ſe primò eſſe potentiam immediatam ad quantitatem; ſed nec per concomitantiam: quia cùm quantitatem nõ recipiat immediatè per ſe ipſam, ſed mediante toto compoſito; non erit potentia proxima, & immediata ad quantitatem, ſed remota. Quod expreſſè docet *Capreolus in 2. diſt. 13. q.1. art.3. ad 1. Gregorij cõtra tertiam, fol.173. col.1. ad finem, & ad 2. Aureoli contra eandem, fol.174. col. 1.* & eſt cõmunis doctrina apud eos, qui quãtitatem per ſe primò ponunt in toto cõpoſito, tanquam in ſubiecto: quæ ſententia grauiſsimis Philoſophis probata fuit, &

Marginalia: Conimbr. — 70. — 71. Confirmatur. — 72. *Suarius.* — 73. Reſponſio. — 74. Ad 3. exemplum. — Capreol.

&(ni fallor)eſt communior;eam probauit *D.Thom.de ente,& eſſentia cap.6. ante* *D. Thom.* *med.& in tract.de natura materiæ c.6.circa* *Capreol.* *med.ſatis eam inſinuat 1.p.q.77.art.5.&6. Capreol. in d. diſt.13.q.1.art.1.concl.3. & art.3. ad argumenta contra tertiam locis citatis,* *Caiet.* *Caiet. de Ente, & Eſſentia q.16.ad 3.* *Iauellus.* *Auerrois,& 1.p.q.76.art.4.ad 1. Soncinas 7.Metaph.q.3.cõcl.2.& lib.8.q.7.in princ. Iauellus in 3.de Anima q.6. de eſſentia animæ art.4.§.Ad quod negatur, & lib.8.Metaph.q.2.§. Vltra rationes Commentatoris, & q.4.§.Vltimo ſoluenda ſunt, & nos eam olim vt probabiliorem defendimus in lib. de Generatione. Probare videtur Albertus* *Alb. Magnus.* *Magnus in ſumma de homine 2.p. in q. an nutritio fiat à ſimili art.1.Durand.in 1.diſt. 8.in 2.p.q.4.* *Ferrar.* *Ferrarienſis 4.cont.gent.c.81. nec eam, vt improbabilem reijcit Suarius in* *Suarius.* *Metaph.diſp.14.ſect.3.n.43.ſatis eſt de mẽte Scotiſtarum,* quatenus volunt,potentiã ad formam ſubſtantialem, quæ eſt in materia prima,eſſe aliam à potentia,quæ eſt in ea ad formam accidentariam: vide *Herreram in 2.Scoti diſp.1.q.8.in 1.concl.pag.*

75. *Herrera.* *45.col.2.§.Secundò potentia.* Sed nec vim habet argumentum apud eos,qui quantitatem immediatè ponunt in ipſa materia prima,tanquam in ſubiecto(quæ fuit ſententia Aureoli apud Capreol.*in 2.diſt.13.* *Aureol.* *q.1.art.2.cont.3.fol.170.col.4. Gregorij in* *Gabr.* *2.diſt.12.q.2.art.2.Gabriel in 2.diſt.16,q.* *Alenſis.* *1.art.1.Alenſis 4.p.q.4.membr.2.artic.3.* *Heruæus.* *Heruæi quodlib. 2.q.10. Gerardi noſtri de* *Gerardus.* *Senis in 1.diſt.8. q.3, art.1. & 3. Toletani* *Toletanus.* *in 2.de Anima q.3.art.1. Marſilius in 1.de* *Marſilius.* *Generation.q.7.Saxonij ibidem q.6.Dida-* *Saxonius.* *ci de Aſtudilha q.2.art.1. Fonſecæ 8. Me-* *Aſtudilla.* *tap.c.1.q.1.ſect.4.pag.529.col.1,Conimbri-* *Fonſeca.* *cenſium 1.de Generat.c.4.q.4.& magis pla-* *Conimbr.* *cuiſſe Suario colliges,ſi patienter eum perle-* *Suarius.* *gas in Metaph.diſp.14.ſect.3.per totam,maximè n,35.in 1. dicto, & n.43.in dicto 4.)* Qui omnes, aut ferè omnes,iſtã opinionem ita intelligunt,vt ſupponant, materiam eſſe in actu per formam ſubſtantialem, vt patet ex Curſu Conimbricenſi loco citato, & ſatis ex *Fonſeca vbi ſuprà pag.529.col.1. §.Quod igitur ſubiectum,* & ex alijs, & quanuis controuerſum ſit; an forma ſubſtantialis requiratur, tanquam cauſa, & ratio recipiendi, vt putant Conimbricenſes vbi ſuprà in fine primi articuli,& *Fonſeca pag.530.col.1.in princip.* an verò vt conditio ſine qua non reciperet, vt volunt Heruæus, & Aſtodilha locis citatis:omnes tamen conueniunt,materiam non poſſe in ſe recipere quantitatem,niſi actuatam per ſubſtantialem formam ; quod non omninò reijcit Suarius in d.ſect.3.n.41. & 42. ſi benè expendatur. Hac ſuppoſita opinione hoc exem- 76.
plum non ſatis iuuat Philoſophiam Suarij:quoniam licet potentia illa ad quantitatem immediatè in ſe ipſa recipiendam, nullam ipſi materiæ addat,aut entitatem, aut realem modum(quia illa ipſa,quæ eſt ad formam ſubſtantialem , eſt quæ eſt ad quantitatem) tamen, vt poſsit ad actum reduci, ſupponit aliquid ſuperadditum eſſe ipſi materiæ, vt eſt potentia ad quantitatem; quod ſatis arguit ipſam materiæ potentiam non reſpicere quantitatem,vt terminum primum , & intrinſecum, ſed vt ſecundarium , & veluti extrinſecum: qui reſpectus,cum ſit ipſi materiæ tranſcendentalis,omnino tollit eſſentialem illam concomitantiam, quæ fingitur : etenim concomitantia , cum in ſua ratione includat ordinem ſimultatis, omninò excludit illũ ordinẽ prioris,& poſterioris.

¶ Quòd attinet ad quartum exemplum, 77. Ad 4. exemplum.
dicimus rationem recipiendi qualitates materiales, & corporeas, non conuenire quantitati in primo modo eſſendi per ſe, ſed in ſecundo; quia illi conuenit,vt proprietas : quantitas enim continua vendicat ſibi eſſe rationem recipiendi materiales qualitates, ideò,quia eſt formalis extenſio ſubiecti , in quo illæ qualitates recipiuntur. Et inde patet eſſe rationem recipiendi illas qualitates , non conuenire quantitati, tanquam quid concomitans eſſentiam eius,ſed tanquam quid ad illam cõſequens : vnde argumentum in authorem retorqueri poteſt. ¶ Tandem vltimum exemplum ſumptum ex potentia 78. Ad vltim. exemplum.
Dei potiùs concludit oppoſitum , quàm propoſitum. Et mirum eſt, quòd potentia Dei ad extra ponatur,vt omnibus modis indiſtincta à diuina eſſentia , & quòd illi conueniat ſolùm concomitanter: etenim potentia Dei ad extra omnium cõſenſu enumeratur inter attributa Dei, vt diximus libr.5.q.4.art.7. n.5. & fatetur *Suarius lib.1.de Eſſentia Dei c.9.n.7. in fine.* *Suarius.* Attributa autem in Deo à diuina eſſentia ſi ne intellectu diſtinguuntur, non qui-

quidem actu, ſed virtute, vt latè oſtendimus in d. lib. 5. q. 5. art. 6. §. 3. ita vt concipi debeant, vt veluti conſequentia diuinam eſſentiam, & ab ea veluti emanantia, vt cum Fonſeca, & alijs diximus in d. q. 5. art. 8. ad 4. n. 11. à quo concipiendi
Suarius. modo non longè abeſt Suarius, ſi diligenter ponderentur, quæ de diſtinctione attributorum ab eſſentia ſcribit, *tum lib.* 1. *de eſſentia Dei, tum lib.* 1. *de Trinit.* Quare ſi potentia Dei enumeratur inter attributa, non benè concipietur, vt omnibus modis indiſtincta ab ea, & cum ſola concomitantia ad illam: quin potiùs cōcipi debet, vt quid ab ea diſtinctum, & illi veluti ſuperadditum: quod autem cōcipitur, vt ſuperadditum, concipitur, vt diſtinctum. ¶ Ex his, quæ tam latè diximus, iam patet, exempla ſumpta à Suario, non ſolùm non iuuare illius Philoſophiam de omnimoda indiſtinctione potentiæ obedientialis ab entitate creata, & de conuenientia per ſolam concomitantiam; vt potiùs illam deſtruant.

79. *Ad vltimū argum.* Ad 5. & vltimum argumentum, iterū admittimus fundamentum, quo noſtram tertiam concluſionem confirmauimus: cuius vim, & Philoſophiam nec Conimbricenſes tollunt, nec Suarius. Quòd Conimbricenſes eam non tollant, euidenter patet: nec enim admittenda eſt Philoſophia, quam probant, ſcilicet calorem ignis ſecundum vnam, & eandem formalitatem eſſe patibilem qualitatem conſeruatiuam ignis, & virtutem actiuam illius: etenim ex ſententia eorundem in dicta quæſti. 1. art. 2. pag. 368. ad finem; qualitas, vt eſt genus ſummum, per ſe primò diuiditur, & contrahitur ad ſuas ſpecies (quas ponunt eſſe inter ſe realiter diſtinctas) per aduenire ſubſtantiæ propter illius eſſe, & propter illius operari; ita vt primæ differentiæ, quibus qualitas genus ſummum realiter, & formaliter per ſe diuiditur, & cōtrahitur ad ſuas ſpecies, ſint hæ duæ: ſcilicet conuenire propter eſſe ſubſtantiæ, ad illud conſeruandum; & conuenire propter illius operationem: ita vt hæ duę differētiæ ſint duæ formalitates, quibus qualitas genus ſummū per ſe primò contrahitur ad diſtinctas ſpecies. Ergo fieri non poteſt, vt calor ignis per eandem formalitatem ſit qualitas cōſeruans ſubſtatiam ignis in eſſe eſſentiali ignis; & ſit virtus actiua illius ad agendū naturales ignis operationes: etenim ex doctrina illorum conuenire ad eſſe, & cō uenire ad operari, ſunt duæ differentiæ oppoſitæ; & ſubinde ex ſua natura conſtitutiuę diuerſarum formalitatū, & ſpecierū. Iam verò fieri non poteſt, vt qualitas formaliter, & realiter eadem conſtituatur pluribus differentijs per ſe diuiſiuis eiuſdem generis, vt omnes fatentur, & cum illis Suarius in Metaph. diſp. 42. ſect. 4. n. 5: aliàs illæ differentiæ ex ſua natura non eſſent conſtitutiuæ diuerſarum formalitatum, & ſpecierum eiuſdem generis. Quare vel non eſt admittendum, *conuenire ſubſtantiæ propter eſſe, vel propter operari*, eſſe duas differentias per ſe oppoſitas, diuiſiuas qualitatis in communi, & conſtitutiuas diuerſarum ſpecierum ſub genere qualitatis: aut ſi id admittatur (admittendum eſt autem) non eſt admittendum calorem per eandem formalitatem eſſe conſeruatiuum ſubſtantiæ ignis, & eſſe actiuam virtutem cōnaturalem igni. 80.

Non recipitur hęc philoſophia. Sed nec Philoſophia à Suario ſubtiliter inuenta vim illius tollit: multiplici enim ex capite diſplicet. Et primùm quidem, quia noua eſt, & ab eo ſolo excogitata. Deinde; quia ex ea ſequitur, actiuitatem naturalium agentium (qualis eſt actiuitas caloris, & cæterarum qualitatū, quæ agentibus naturalibus ſunt principia agendi) non eſſe per ſe inſtituta à natura ad agendum; hoc autem videtur cum vera Philoſophia pugnare: nam cum vnunquodque ſit propter ſuam operationem ex Ariſtotele 2. *de cœlo cap.* 3. *tex.* 17. elementa ipſa ab ipſa natura per ſe inſtituta ſunt ad agendum; vnde ex vi ſuæ naturæ ſunt actiua, vt ſatis docet Ariſtoteles 2. *de Generatione cap.* 1. *&* 2: nam & omnes ſubſtantię ſecundum ſuam naturam ſunt quædam principia agendi ex Ariſtotele *Ariſt.* *lib.* 2. *Ethicorum ad Eudemium pag.* 1001. *n.* 30: omnis item ſubſtantia eſt principium, & cauſa ex Ariſtotele 7. *Metaph. c.* 17. *tex.* 59: ſingulis etiam elementis ab ipſa natura conceſſæ ſunt duæ qualitates actiuæ, vt principia agendi, calor ſcilicet, & frigus, vt notum eſt in Philoſophia, & docet Ariſtoteles 2. *de Generatione c.* 2. *&* 3: ex quo etiam colliges elementa, ideò quia actiua ſunt, habere duas qualitates, quibus, vt inſtrumentis naturalibus vtātur

tur ad agendum, vt etiam docet Ariſtot. in libr. de ſpiritu tom. 1. pag. 974. nu. 50. Ergo Philoſophiæ manifeſtè contradicit, qui negat calorem ignis non eſſe per ſe à natura inſtitutum, vt igni ſit agendi principium. Quì enim fieri poteſt, vt elementa ſint ab ipſa natura per ſe inſtituta ad agendum; non verò ipſa principia agēdi illis à natura conceſſa? etenim inde habent illa principia, vt ab Ariſtotele dicātur potentiæ naturales; quia ſcilicet data ſunt à natura ad agendum, ex Ariſtotele

Ariſt. *9. Metaphy. c. 2. in princ. & cap. 5. text. 10.* Porrò ſi calor ab ipſa natura inſtitutus eſt, & datus igni, vt illi ſit principium agēdi; vtique ab ipſa natura habebit, vt ſolùm inſtitutus ſit ad eliciendam calefactionē; & vt agat in ſolum calefactibile ſub ratione calefactibilis; denique vt ſolùm potens ſit agere calidum: etenim ex 9. Metaph. c. 2. tex. 4. calefactiuum ſolùm poteſt facere calefactionem, & non frigefactionem; ſicut etiam ſolùm poteſt facere calidum, non verò frigidum; quia ex eo-

Ariſt. dem Ariſtot. 9. *Metaph. c. 5. text.* 10. *quod poteſt, aliquid poteſt*, id eſt certum, & determinatum; & inde eſt, vt vnum agens ſit calefactiuum, aliud verò frigefactiuū; ſicut etiam vnum paſſum eſt calefactibile, & aliud frigefactile; vt habes ex Ariſt. *in d. lib. 9. c. 1. n. 2. ad finem.* At verò, ſi calor ignis ex ſua natura determinatus eſt ad vnam tantùm ſpecie actionem, ſcilicet ad calefactionem; & ad vnum tantùm obiectum, ſcilicet calefactibile, & deniq; ad vnum tantùm ſpecie effectum, ſcilicet ad facere calidum, negari non poteſt, calorem ex ſua natura habere reſpectum tranſcendentem, tum ad calefactionem, tanquam ad proprium actum; tum ad calefactibile, tanquam ad proprium obiectum; tum denique ad calidum, tanquam ad adæquatum effectum: etenim & ipſe ignis, vt eſt quoddam calefactiuum per ſe, & ex inſtitutione naturæ hæc tria trāſcendentaliter reſpicit. Cur igitur calor ignis, vt eſt actiuitas quædam, agendique principium, per ſe non vendicabit aliquā actiuitatis ſpeciem? profectò non video, cur id negetur; maximè cùm Ariſtoteles 9. *Metaph. c. 1. tex. 2.* potentias actiuas ele-

Ariſt. mentorum (& ſubinde ipſum calorem) ſub vna ſpecie cum cæteris potentijs cōprehendat. ¶ Concludendum eſt igitur non ſatis conſentire cum Philoſophia (ne dicam repugnare, vt ait Albertinus) calorem, eiuſque actiuitatem reponere in poſteriori actiuitatis genere; ſi tamen duplex illud actiuitatis genus admittendum ſit. Inde colligo ex actiuitate caloris ignis non poſſe Suarium ſumere fundamētum, vt dicat actiuitatem obedientialem conuenire entitati creatæ per concomitantiam; cùm actiuitas caloris ipſi calori conueniat, non concomitanter, ſed eſſentialiter, & per veram, atque ſpecificam actiuitatis rationem. 81.

Concluſio antecedentium.

Expenditur quædam reſponſio ad hoc argumentum.

¶ At inquiet Suarius ſe non loqui de actiuitate caloris, vt actiuitas eſt, ſed de ſola entitate ipſius: hæc autem cum per ſe primò inſtituta ſit ad conſeruandam ſubſtantiam ignis; per ſe primò erit inſtituta, vt habeat formalitatem, & rationem ſpecificam patibilis qualitatis, quæ eſt tertia qualitatis ſpecies: & per conſequens illa entitas non erit per ſe primò inſtituta ad agendum; cum vna, & eadem entitas non poſſit per ſe primò reponi in duabus ſpeciebus eiuſdem prædicamenti: in ea enim eſt opinione, vt quatuor ſpecies qualitatis non diſtinguantur inter ſe ſolùm formaliter, ſed etiam realiter: quam opinionem ſupponit 3. *p. in d. pag.* 606. *col.* 2. *B. & latè defendit in Metaph. in d. diſp. 42. ſectione 4. n. 3.* Et inde infert, actiuitatem entitati caloris conuenire non per ſe primò, & ſpecificè; ſed per ſolam concomitantiam. ¶ Hæc tamen ſolutio, & explicatio multiplici ex capite non eſt recipienda. 82.

Solutio præcedentis argumēti expenditur.

Et primò; quia opinio, quam probat de reali diſtinctione ſpecierum qualitatis, nec certa eſt, nec admodum probabilis; quanuis eam, vt probabiliorem approbet *Fonſeca in 5. Metaph. c. 14. q. 1. ſect. 5. & Conimbricenſes in cap. de Qualitate q. 1. art. 2. concl. 2. §. Cōmunior tamen, pag. 370:* oppoſitam enim ſententiam communem eſſe teſtatur idem Suarius *in Metaph. loco citato n. 2. quam probat D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 1. cum communi Thomiſtarum; cū quibus conſentit Albertinus in ſuis corollarijs q. 1. Theologica in 1. corollar. dubit. 2. pag. 184. col. 2. & Rubeus in d. cap. de Qualitate* 83.

1. ratio cur non recipitur.

Species qualitatis realiter diſtingui non recipitur.

Fonſeca. *Conimbr.* *Suarius.* *Rubeus.*

litate q.1.ad 2.partis negantis num.21: eſſe probabilem, teſtatur Fonſeca vbi ſuprà ſect. 3.pag.664. §. Hæc tamen haud difficile, & ſect.5.pag.667.§.Quanquam verò. nec omnino reijciunt Conimbricenſes vbi ſuprà. Quare communior ſententia docet, calorem ſub alia, & alia ratione reponi in 2. & 3. ſpecie qualitatis. Nec putat, aliquod eſſe abſurdum, vnam & eandem qualitatis entitatem reponi in pluribus eiuſdem prędicamenti ſpecibus: ſicut nullum eſt abſurdum, vnam & eandem entitatem per ſe poni in pluribus prædicamentis, vt ſuprà dicebamus. Nec quæ contra hanc opinionem adducuntur, contra eam aliquid concludunt, vt alio in loco iam oſtendimus.

Fonſeca. Conimb.

84. Secundò; ideò illa ſolutio non placet; quia ſupponit rationem formalem actiui poſſe conuenire eidem entitati, quæ per ſe, & eſſentialiter eſt patibilis qualitas: hoc autem eſſe impoſsibile, ſi ſpecies qualitatis realiter diſtinguuntur, vt Suarius diſtinguit, facilè demonſtratur: quoniam negandum non eſt, entitatem caloris ex ſua natura eſſe actiuam: eſt enim à natura data igni, vt illi ſit principium agendi cõnaturale, vt iam oſtendimus, & Suarius libenter admittit *in d. pag. 606. col. 2. B.* dum fatetur, calorem actiuum eſſe ex vi illius entitatis, quæ, vt eſt conſeruatiua ignis, conſtituitur in ſpecie patibilis qualitatis. Hoc ſuppoſito, iam inquiro; an illa entitas per eandem formalitatem, qua ponitur in ſpecie patibilis qualitatis, ſit actiua? Non poteſt dici, quòd per eandem vtrunque habeat, vt contra Conimbricenſes oſtendimus, & facilè admittet Suarius, cùm doceat illam entitatem non per ſe primò eſſe actiuam, ſed ſolùm per concomitantiam. Erit igitur actiua per aliam formalitatem ab ea, qua conſtituitur in ſpecie patibilis qualitatis. At hoc nullo modo ſtare poteſt, ſi ſpecies qualitatis realiter diſtinguuntur; inde enim infertur differentias, quibus genus qualitatis primò diuiditur (ſcilicet conuenire ad eſſe, & ad operari) per ſe primò diuidere qualitatem in ſpecies realiter diſtinctas. Quomodò igitur duæ illæ differentiæ eidem entitati ex propria illius vi conueniant? alioquin genus ſummum per illas non diuideretur in entitates realiter diſtinctas: ſi enim quælibet illarum ex ſua natura conſtitutiua eſt entitatis realiter diſtinctæ; quomodò vna, & eadem entitas ex vi ſua ſimul erit conſeruatiua ſubſtantiæ, & actiua? Nam quòd illa entitas per ſe primo vendicet ſibi vnam differentiam; alteram vero per concomitantiam; non tollit, quòd ex vi ſua vendicet vtrãque. Niſi dicas actiuitatem, quam entitas illa ex ſua vi vendicat ſibi, non eſſe actiuitatem per ſe primo inſtitutam ad agendum, & ſubinde non eſſe ſpecificatiuam entitatis; nec denique per ſe eſſe differentiam diuiſiuam qualitatis in communi: ſed iam oſtendimus repugnare Philoſophiæ Ariſtotelicæ, actiuitatem caloris nõ eſſe per ſe primo inſtitutã ad agendum. Concludendum eſt igitur, actiuitatem caloris eſſe veram differentiam diuiſiuam qualitatis in communi, & eam per ſe contrahere ad determinatam qualitatem diſtinctam ab ea, quæ ſpecificatur per differentiam conſtitutiuam tertiæ ſpeciei. Quomodo igitur ratio formalis actiui poterit conuenire per concomitantiam entitati, quæ per ſe eſt patibilis qualitas?

2. deficit ſolutio.

Entitas caloris ex ſua natura eſt actiua.

Suarius.

Argumentum contra præfatã ſententiam.

Tertiò ideò non placet allata ſolutio; quia, vt daremus ſpecies qualitatis realiter inter ſe diſtingui; adhuc ſolutio in eo deficit, quòd calorem ignis ponit in tertia ſpecie, quæ eſt patibilis qualitas; cum potiùs ponenda ſit in ſecunda, quæ eſt naturalis potentia: quæ fuit opinio *Alexandri, Alberti Magni, & aliorum non paucorum, quos videtur probare Fonſeca in dict. lib.5. Metaph. cap.14. q.1. ſect.4. ad 2. pag. 667. in principio; & clariùs li.9. c.2. in com. litera C. ad finem pagina 644. §. Illud porrò animaduerto*; vbi explicans ſuam ſententiam docet, in ſecunda ſpecie qualitatis per ſe poni omnes qualitates ſenſibiles naturales, & innatas, de quibus egit Ariſt. *in d. lib. 9. c.2.* vbi inter eas enumerat calorem ignis. Quòd autem calor potiùs ſit ponendus in ſecunda ſpecie, quàm in tertia, ſi ſupponamus vnam, & eandem qualitatem poni non poſſe in pluribus ſpeciebus, ideò mihi perſuadeo; quia nulla eſt ratio, cur potiùs ponatur in tertia, vt actiuitas illi conueniat per concomitantiam, quã in ſecunda, vt conſeruatio ſubſtantiæ ignis cõueniat illi concomitãter. 85.

3. deficit ſolutio.

Calor ignis ponitur in 2. ſpecie qualitatis.

Alex. Albertus Magnus. Fonſeca.

Ariſt.

At inquies, calorem per ſe primò à natura inſtitutum eſſe ad cõſeruandum ignis ſubſtantiam, non vero ad agendum; 86.

Euaſio.

&

ob id ſuā ſpeciē ſumere ratione cōſeruationis, & non actionis; & ideò illam ſolū vendicare per concomitantiam. Sed hæc
Impugnatio illius. euaſio ex eo impugnatur; quia iam oſtendimus naturam per ſe inſtituiſſe calorem ad agendū. Cui etiā argumento eſt, quòd entitas caloris, teſte Suario, ex vi ſua habet actiuitatem. At quòd eā primò inſtituerit ad agendum; imò etiā priùs, quàm intenderit ignem per illum conſeruare, facilè oſtenditur; quia ſubſtantia elementorum per ſe inſtituta eſt à natura propter operari, tanquam propter finem, vt
Ariſt. diximus ex *Ariſt. 2. de cœlo c. 3. text. 17.* Iam verò finis prius eſt in intentione naturæ, quàm media ad finem: conſeruatio autem ignis in eſſe, eſt veluti mediū, quo natura vtitur ad obtinendū finem, ipſam ſcilicet operationem: nam licet priùs ſit ipſū eſſe, quàm operari, quia eſt id, quod ordinatur ad operandum; ipſum tamen cōſeruari, non eſt prius intentum, quàm ipſum operari; quin potiùs in ordine executionis ideò conſeruat in eſſe, vt operetur. Quod adeò verum eſt, vt non defuerint grauiſsimi Philoſophi, qui dixerint, calorem ipſum, ideò quia actiuus eſt, eſſe formam eſſentialē ipſius ignis, qua habet eſſe ignis, quos tam ex græcis, quàm ex
Calor ignis apud nōnullos eſt forma ſubſtantialis ignis. latinis refert *Curſus Commb. 2. de Generat. c. 3. q. 1. art. 1.* quorum ſententia, quamuis falſa ſit, ſatis tamen confirmat calorē ex intentione naturæ per ſe primò habere rationem actiui, potius quàm conſeruatiui. Potiùs igitur collocandus eſt in ſecūda ſpecie; quàm in tertia, ita vt eſſe actiuum ſit ratio ſpecificatiua illius; conſeruatio verò ſit ratio concomitans, ſi ita loqui licet. Quare etiāſi Philoſophia Suarij eſſet admittenda de conuenientia ſpecifica, & per concomitantiam (quam tamen non admittimus) adhuc negandum eſſet, entitatē caloris per ſe primò habere ſpecificationem ex ratione conſeruatiui; cuius oppoſitum ſolutio ſupponit: & ob id non tollit vim noſtri fundamenti: ſit igitur illud firmū, & firma tertia concluſio.

§. 5.

Soluuntur argumenta contra quatuor vltimas concluſiones.

87. Argu Suar. contra 4. Superest propugnare pro quatuor reliquis, quę ſuperſunt, cōcluſionibus. Quarta igitur concluſio ſolum Suarium habet oppugnatorem: contra quam obijcit in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. col. 1. in principio: quoniam creatura præciſè cōſiderata ſecundum eam entitatem, quá habet ex creatione, per ſe ipſam eſt ſubiecta eſſentialiter ſuo creatori, abſque eo, quòd ab ea intelligatur dimanare aliqua entitas, vel aliquis modus realis, quo habeat illam ſubiectionem in agendo. Ergo potentia obedientialis eſt de intrinſeco, & eſſentiali conceptu entitatis creatæ; ita vt ſi mente concipiatur nuda, & carens omni modo ſuperaddito, eſſentialiter includat hanc ſubiectionem ad Deum: ſicut è contrario in intrinſeca ratione creatoris vt ſic, includitur, quòd habeat perfectum dominium ſuæ creaturæ.

¶ Ad hoc argumentum iam reſpondimus ad 2. contra tertiam; & negauimus 88. Solutio
ſubiectionem ad Deum, ſiue authorē naturæ, ſiue ſupernaturalem authorē, eſſentialiter includi in ipſa creatura. Quod veriſsimum eſt, ſi ſubiectio, ſiue obedientia ad Deum formaliter ſumatur: in quo ſenſu ſolutio eſt euidens, ſiue ſermo ſit de ſubiectione poſitiua, quæ eſt poſitiua aptitudo ad obediēdum, de qua agit noſtra quarta concluſio; ſiue de ſubiectione negatiua, quæ rebus creatis neceſſariò conuenit, ſi nudè & ſimpliciter ſumantur. Illud prius ex eo patet; quia illa poſitiua ſubiectio, & obedientia ita fuit rebus ſuperaddita, vt potuerit non ſuperaddi, vt diximus in dicta 4. cōcluſione: quod verò poteſt adeſſe, & abeſſe, non eſt de eſſētia, vt patet. Hoc verò poſterius per ſe eſt notū; quia illa ſubiectio negatiua, non eſt aliud, quàm quædā negatio repugnantiæ; qua res creata nullo modo poteſt diuinæ voluntati repugnare: negatio autē nulli poteſt eſſe eſſentia: poterit quidem neceſſariò rei conuenire (quia negatio lapidis neceſſeriò comitatur hominē) eſſentialiter autem, minimè: & inde eſt, vt ab ipſa entitate abſtrahi poſsit, abſtractione præciſiua; quia poteſt talis entitas concipi nō concepta negatione; iam verò ita concipi non poſſet, ſi negatio eſſet de eſſentia. Diximus ſuprà: *ſi ſubiectio ſumatur formaliter:* quoniā fūdamētalis, radicalis vè ſubiectio eſſētialiter cōuenit rei creatæ, ſicut fūdamētalis, & radicalis aptitudo ad ridēdū, quę eſt in homine, ſi nudè cōſideretur abſq; riſibilitate; radicalis itē aptitudo ad agendū, quæ

quæ eſt in ſubſtantia actiua, ſi conſideretur ſine formali agendi principio, non poteſt non eſſe eſſentialis homini, & ſubſtantiæ agẽti. Sed de hac ſubiectione non agimus; ſed de formali, ſiue illa poſitiua ſit, vt putamus; ſiue ſolùm negatiua, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

89. 1. arg. contra 5. *Albertin.* ¶Contra quintã concluſionem exiſtimant Albertinus, & Cabrera, citati ſuprà §. 2. pro tertia ſententia. Albertinus hoc vnico nititur fundamento ad initiũ tertię dubitationis nu. 14: quia de hac potentia obediẽtiali putat ita eſſe philoſophandũ, atque de potentia inſtrumẽtali naturali, quæ eſt in igne, & quę eſt quędã facultas ignis ad agendum: etenim, vt ait, potentia obedientialis fluit ab entitate creaturæ ſecundũ formalitatem dependentiæ illius à Deo: ſpecificatur etiã à termino diſtincto formaliter à quocunque alio termino potẽtię naturalis, vel ſupernaturalis. Deniq; eſt in ordine ad diuerſũ agens: quia eſt inſtrumentũ nõ creaturæ, ſed Dei. Iã verò entitas creaturę eſt ſubiectũ illius potentiæ, cui illa debetur, propter dependentiã eſſentialem, quam habet ad Deum. Hoc fundamento putat Albertinus, potentiã obedientialem eſſe facultatem ipſius creaturæ, emanantem à principijs illius.

90. Secundum *Cabrera.* Secundò arguit Cabrera in d. *dubit. 4. n. 2.* Creatura recipit eſſe à Deo, tanquã à prima cauſa: in hoc enim formaliter cõſiſtit ratio creaturæ. Ergo neceſſariò habet, quòd ſit ſubiecta, & obediens Deo in omnibus, quæ non repugnant. Sed hæc ſubiectio formaliter eſt ipſa obedientialis potentia. Ergo potentia obedientialis eſt veluti paſsio emanans ab eſſentia entitatis creaturæ.

91. Tertium. Tertiò; diſciplinabile eſt propria paſsio hominis, ideò, quia cõſequitur rationalitatẽ, quę eſt hominis eſſentia. Sed potẽtia obediẽtialis neceſſariò cõſequitur rationẽ entis creati; quia ad eſſe creaturam ſequitur iſta obedientia. Ergo eſt propria paſsio emanans ab eſſentia creaturæ.

92. Quartum. Quartò; propria paſsio eſt, quæ conuenit omni, ſoli, & ſemper. Sed potentia obedientialis conuenit omni enti creato, & ſoli illi, atque ſemper. Ergo habet modum propriæ paſsionis.

93. Ad 1. arg. Hæc tamen argumenta facilẽ habent ſolutionem. Ad primũ dicimus à potentia calefactiua ignis non poſſe ſumi argũmentũ ad potentiam obediẽtialem: quia potentia calefactiua eſt naturalis potẽtia completa: potentia autem obedientialis poſitiua, quam ponimus, non eſt talis, ſed incompleta: illa fluit à principijs naturæ ignis; hęc autem nequaquam: illa eſt vera entitas; hæc autẽ ſolùm eſt modus entis.

94. Ad 2. Ad ſecundũ dicimus, ex eo, quod creatura recipit eſſe à Deo, vt à prima cauſa, authoreq; naturæ, non benè inferri ſubiectionẽ, & obedientiam poſitiuã ad Deũ authorem ſupernaturalẽ in ordine ad ſupernaturalia; ſed ſolũ ſubiectionẽ ad Deũ authorẽ naturæ, quoad cõſeruationem in eſſe naturali, & ad agẽda, quæ naturaliter illi cõueniunt, vt diximus ſuprà *ad 2. contra 3 & art. 9. §. 4. n. 43. & 44.* vbi oſtendimus, ex eo, quòd creatura habet eſſe à Deo authore naturæ, & ab eo in tali eſſe dependet; ſolùm habere obedientiam purè negatiuam ad ea, quæ ſimpliciter non repugnant: cũ enim ſit pura negatio, non poteſt eſſe aliqua paſsio. Quarè obedientiã poſitiuã ad ea, quæ ſunt ſupra naturã habet ex pura gratia, & liberalitate, quã poteſt nõ habere, vt in illis locis diximus.

95. Ad 3. Ex quo iam patet ſolutio ad tertium: ſumit enim minorem falſam, ſi ſermo ſit de obediẽtia poſitiua, de qua ſola agimus.

Ad 4. Eodem modo ſoluitur quartum argumentum: licet enim de facto talis obedientia poſitiua conueniat omni entitati creatæ, ſoli illi, & ſemper, non tamen neceſſariò illi conuenit; quia potuit non cõuenire, vt diximus in locis citatis.

Contra 6. cõcl. nihil. ¶Contra ſextam concluſionem nullũ inuenio argumentum, quo vna, vel altera eius pars impugnetur: nec mirum; quia nec quarta, nec quinta opinio, cõtra quã ponitur, vllum habet patronum.

96. 1. arg. contra 7. ¶Contra ſeptimam, & vltimam concluſionem obijci poteſt primum argumentum contra tertiam adductum: quia vt in eo ait Suarius, potentia obedientialis eſt inſeparabilis, etiam per diuinam potentiam, ab entitate creata. Ergo eſt omnino indiſtincta ex natura rei à tali entitate; & per conſequens nec diſtinguetur ab ea, vt modus eius.

97. 2. argum. Vrgentiùs poteſt contra eandem obijci; quia modus rei, etiam realis, non poteſt eſſe agendi principium, vt docet *Suarius in Metaph. diſp. 33. ſect. 7. n. 9. & iam*

docne-

docuerat ibidem diſp. 31. ſect. 10. nu. 14. & nos diximus 1. tom. lib. 1. q. 6. art. 4. n. 19. & 49. Sed potentia obedientialis actiua admittitur, vt principium agendi, licet inchoatum, & incompletum. Ergo non poteſt formaliter eſſe aliquis mod⁹ poſitiu⁹.

98. Ad 1. Primum argumentum iam diſſoluimus in ſolutione primi contra tertiam: nam & falſum continet antecedens, & cõſequentiam habet inutilem, vt ibidem oſtendimus.

99. Ad 2. Ad ſecundum dicimus Philoſophiam illam veriſsimam eſſe de principio agendi completo, & proximo, ſiue illud naturale ſit, ſiue ſupernaturale, qualis eſt calor in igne, & lumen gloriæ in intellectu; nõ eſſe tamen veram in principio agẽdi obedientiali. Et ratio eſt, quia principia agẽdi completa, & proxima ex ſua entitate intrinſecè habent actiuitatem, vt patet in calore ignis, & in lumine gloriæ: cùm tamen potentia obedientialis actiua ratione ſuæ entitatis abſolutè nõ habeat actiuitatem obedientialem; ſed prout ex ſubiectione diuina eſt idonea, & apta, vt eleuata influat. Quare hoc intereſt inter hãc potentiam, & cæteras; quia cæteræ ſunt entitates ſimplices, & actiuæ ex ſua natura; potentia autem obedientialis nõ eſt aliqua entitas ſimpliciter ſumpta, ſed vt ſubiecta diuino imperio; & inde eſt, vt ipſa ſubiectio, ſiue habilitas non ſit virtus influens, ſed ipſa entitas, vt ſubiecta. Quod in hac materia eſt aduertendum. Et hæc dicta ſint pro explicanda diſtinctione potentiæ obedientialis actiuæ ab ipſa entitate creata.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm potentia obedientialis actiua dicenda ſit ſimpliciter naturalis; an ſupernaturalis?

§. 1.

Quæſtio pro vtraque parte ſit dubia.

1. *Fit dubia pro vtraq; parte.* *Suarius.* Quæſtionem iſtam pro vtraque parte dubiã reddemus, adductis pro vtraq; parte rationibus, quas adducit *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 605. col. 1.* quod ſimpliciter dicenda ſit naturalis, hęc videntur confirmare;

1. arg. quod ſit naturalis? prima ratio, quoniam hæc potentia eſt cõgenita creaturæ: quod autem congenitum eſt, ſimpliciter naturale eſt; quod enim vnicuique enti congenitum eſt, nõ poteſt excedere gradum & ordinem talis entis. Quare ſi potentia iſta eſt congenita enti naturali; non poteſt eſſe ſupernaturalis, ſed ſimpliciter naturalis.

Secunda ratio: hæc potentia ſit in re ſimpliciter naturali, nempe in creatura: & ſit in ea ex vi cauſalitatis naturalis; quia ſit in ea ex vi creationis, quæ eſt actio ſimpliciter naturalis: ſit etiam in ea ab agente naturali, per naturalẽ concurſum: quia ſit à Deo, vt authore naturæ; à quo, vt ſic, nihil poteſt ſieri niſi naturale. 2. Secundum.

Tertia ratio: potentia iſta obedientialis nihil ſuperaddit entitati rei creatæ, vt communiter dicitur: ergo ſimpliciter eſt naturalis. Probatur conſequentia: quia ſi nihil addit entitati rei naturalis, non poteſt non eſſe ſimpliciter naturalis: quia vna & eadem entitas non poteſt ſimul eſſe naturalis & ſupernaturalis. 3. Tertium.

Quarta ratio: hæc potentia vel eſt ex natura rei diſtincta ab entitate naturali; vel non. Si non eſt diſtincta; non poteſt eſſe ſupernaturalis; cum illa ſit ſimpliciter naturalis. Non poteſt eſſe diſtincta: quia vel erit res, vel modus rei ſupernaturalis: neutrum eſſe poteſt; alioquin talis res ſecundum ſe conſiderata erit in potentia paſsiua ad talem ſupernaturalem entitatem & modum: imò etiam erit in potentia actiua, à qua reſultet talis entitas, vel modus: etenim talis entitas & modus ex natura rei eſt coniunctus tali entitati. Erit igitur talis entitas in potentia ad ſupernaturalem illam entitatem, vel modum: & redibit eadem quæſtio; an ſcilicet potentia ad talem entitatem, vel modum, ſit illi creatæ entitati naturalis; an ſupernaturalis? ſi ſit ſupernaturalis; cum redeat eadem quæſtio, dabitur proceſſus in infinitum. Si verò eſt naturalis; cur non talis erit ipſa creata entitas? quare potẽtia iſta dici debet ſimpliciter naturalis. Hæc pro hac parte communiter adducuntur. 4. Quartum.

Quòd verò hęc obedientialis potentia debeat dici ſimpliciter ſupernaturalis; hæc argumenta videntur ſuadere. Primũ eſt; quia hæc potentia ſimpliciter ordinatur ad actus, effectusque ſupernaturales: omnis autem potentia actiua accipit ſpeciẽ ab actu, & obiecto, ad quod ordinatur. 5. Quod dicẽda ſit ſupernaturalis. 1. ratio.

Deinde; quoniam cuicunque potentię naturali actiuę reſpondet naturalis paſsi- 6. 2. ratio.

Ariſt. ua; & è contrario, vt docet Ariſtot. in 5. Metaph. c. 12. & lib. 9. c. 1. Sed huic potentiæ actiuæ nulla potentia paſſiua naturalis correſpondet, vt patet. Ergo illa non poterit eſſe ſimpliciter naturalis, ſed ſupernaturalis.

7. Tertiò. Tertio loco; quoniam res creata per hanc potentiam obedientialem eleuatur ad ſupernaturalem ordinem, & per illam ordo ſupernaturalis quodãmodò inchoatur: ergo non poteſt eſſe mere naturalis, ſed ſupernaturalis.

8. Quartò. Accedit quartò; quoniam hæc potentia obedientialis natura ſua eſt proportionata ſuo actui, aliàs ſuperflue ponitur. Sed actus illius eſt ſimpliciter ſupernaturalis, vt patet. Ergo ipſa obedientialis potentia ex ſua natura eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Probatur cõſequentia: quia habitus infuſi ideò ſunt ſimpliciter ſupernaturales; quia habent vim actiuam ad actus ſupernaturales, quæ vis non poteſt eſſe illis proportionata, niſi ſimpliciter ſit ſupernaturalis. Idem igitur dicendũ erit de hac obedientiali potentia. Atque ita quæſtio pro vtraque parte redditur dubia.

§. 2.

Referuntur variæ ſententiæ.

9. Variæ ſententiæ. *Suarius.* Circa propoſitam quæſtionem, quã pro vtraque parte fecimus dubiã, varias opiniones refert Suarius vbi ſuprà *pag. 605. col. 2. §. Propter has ergo rationes.* Quidam enim (vt ait) abſolutè eam vocant naturalem. Pro hac ſententia refert *Scotum in 1. q. prologi, & in 4. d. 49. q. 9. & 10.* Sed in illis locis, imò in ſuis theologicis operibus potentiæ obedientialis nunquam meminit, ſed ſolùm *in 9. Metaphyſicæ q. 12.* & ibi oppoſitum docuit, vt videbimus. Hanc tamen opinionẽ tenuit *Palatius in 1. q. præcurſoria ad 1. lib. Sententiarum, ad 6. argum. fol. 11. col. 4. in fine, & ſatis videtur conſentire Cumelius 1. p. q. 12. art. 1. q. 2. concl. 3. ad finem, pag. 231. col. 2. poſt principium: ſatis etiam eſt de mente Albertini 1. q. theologica ad 1. corollar. dubita. 2. & 3. pag. 184. & 185.* Fundamentum eſt; quia nihil naturalius eſt creaturæ, quâm obedire Deo.

(Margin: Quidam vocant naturalem. — Non benè citatur Scotus. — *Palatius.* — *Cumelius.* — *Albertin.*)

10. Alij vocant ſupernaturalem. Alij eam ſimpliciter appellant ſupernaturalem: pro hac ſententia citat Suarius *Capreolum in 1. q. prologi q. 1. art. 2. ad 1. contra 6. fol. 7. col. 2. ab alijs citatur in 1. diſt. 42. q. 1. art. 2. ad argumenta Aureoli cõtra 4. pag. 281. col. 4. & 282. col. 1.* Sed vt omittamus, quod ſolùm agit de potentia obedientiali paſſiua, in hoc vltimo loco ſolùm dicit potentiam obediẽtialem eſſe potentiam realem, nec eſſe aliud, quàm eſſentiam materiæ, addita quadam relatione: in priori verò loco ſolùm aſſerit potentiam obedientialem impropriè dici naturalem; quia ſolùm dicitur naturalis, quia ineſt naturæ â ſua inſtitutione. Poteſt pro hac ſententia citari *Bañes 1. p. q. 9. art. 2. ad 2.* quia docet potentiam obedientialem eſſe ſupernaturalẽ. Idem docuerat Paludanus *in 4. d. 49. q. 8. art. 2. concl. 2. & ſatis id ſignificat Caietanus 1. p. q. 1. art. 1. §. Ad euidentiam huius difficultatis,* vbi docet potentiam obedientialem eſſe quidem potentiam naturæ; quia ipſa natura eſt ſubiectum eius; non tamen eſſe naturalem. Quòd verò ex mente illius ſit ſupernaturalis, ſatis explicat, dum ait, quòd ad actus ſupernaturales confertur potentia ſupernaturalis. Satis etiam id declarat 1. 2. *q. 113. art. 10. §. Ad euidentiam horum*, vbi potentiã obedientialem conuertit cum ſupernaturali, dum ait, *potentiam animæ ad gratiam dici obedientialẽ aut ſupernaturalem*, quaſi idem ſit vnum, & alterum; & dum aſſerit potentiam obedientialem ſimpliciter non eſſe naturalẽ, ſed ſupernaturalem: quanuis aliquid naturalitatis habeat ratione diſpoſitionis, quam aliquando ſupponit. Idem ſatis ſignificat *Medina 1. 2. q. 3. art. 8. §. Ad tertiũ reſpondetur pag. 79. col. 2*: quanuis enim doceat potentiam obedientialem eſſe ipſam naturam, vt Deo ſubditam, negat tamen eam eſſe naturalem. Ab hac opinione non longè eſt *Scotus 9. Metaph. q. 12. in principio*, vbi ſatis declarat idẽ eſſe, eſſe potentiam obedientialem, & ſupernaturalem. Quod diſcipuli eius ſatis indicant, vt videre eſt apud *Herreram in 1. Scoti q. 5. diſp. 2. concl. 1. pag. 34. col. 1.* licet autem tam Scotus, quàm Scotiſtæ doceant vnã & eandẽ potentiã eſſe poſſe naturalẽ, & obedientialẽ: naturalẽ quidẽ in ordine ad ſubiectũ; obedientialẽ verò, ſiue ſupnaturalẽ (ita enim loquũtur) in ordine adagẽs, vt patet ex *Scoto, & Herrera locis citatis, & Rada 1. p. controu. 1. art. 1. p. 3. colum. 1. in principio*: omnes tamen conueniunt potentiam illam obedientialem, ſiue ſupernatu-

(Margin: Non poteſt citari Capreolus. — *Pro hac eſt Bañes.* — *Eſt Palud. & Caiet.* — *Medina.* — *Scotus.* — *Herrera.* — Sententia Scotiſtarũ. *Herrera. Rada.*)

natu-

naturalem non dici, niſi ad agens ſupernaturale. Porrò, ſi rationem obedientialis non habet, niſi ad agens ſupernaturale; & ad tale agens ſimpliciter ſit ſupernaturalis; vtique ſentiunt potentiam obedientialem ſimpliciter eſſe ſupernaturalem. Denique hanc opinionem aliquibus placuiſſe refert *Nauarrete 2. tomo contro. 32. §. 2. pag. 686. col. 2. D.*

Nauarret. 11. Media opinio. Mediam ſententiam plerique probant, aſſerentes eam partim eſſe naturalem, & partim ſupernaturalem. Hanc opinionē probaſſe Ferrar. teſtatur *Suar. in dicta pagina 605. colum. 2. poſt principium, vbi eum citat in 3. contra gentes, cap. 51. circa finem*; ſed ibi nec verbum ſcribit de potentia **Non bene citatur Ferrarien.** obedientiali: fortè voluit citare eundem *cap. 156. eiuſdem libri*; ſed nec ibi docet potentiam obedientialem partim eſſe naturalem, & partim ſupernaturalem. Nam quando dicit potentiam ad bonum, quæ eſt in anima, eſſe naturalē; agit de potētia ſumpta pro ipſa entitate animæ, & in hoc ſenſu eam appellat naturalem; ab ea tamen diſtinguit obedientialem potentiā, & hanc non vult eſſe naturalem: non explicat tamen an illa ſit ſupernaturalis. Quare Ferrar. non poteſt citari pro hac media ſententia, quidquid Cabrera oppoſitum ſentiat. Eam tamen expreſſè **Probat Cabrera.** probat idem Cabrera 1. *tomo ad 3. partem q. 1. art. 1. diſp. 6 dubio 2. §. 2. num. 11.* vbi docet potentiam obedientialem nec eſſe ſimpliciter naturalem, ſed cum hoc addito, ſcilicet ex parte ſubiecti: nec eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, niſi addatur ex parte obiecti.

Quartam ſententiam probaſſe nonnullos teſtatur Suarius *in dicta pag. 605. colum. 2. A.* qui volunt potentiam obedientialem ſimpliciter nec eſſe naturalē, **12. 4. opinio.** nec ſupernaturalem, ſed ſolùm obedientialem; & hunc loquendi modum putat eſſe veriorem, & ſaniorem, quod latiùs docet *pagina 611. col. 1.* vbi probat potentiam obedientialem, nec propriè dici poſſe naturalem, nec ſupernaturalem, ſed **Suarius.** ſpecialiter dicendam eſſe obedientialē. Primam partem ex eo probat; quia modus, & vſus agendi huius potentiæ non eſt naturalis, quoniam nec operatur iuxta rationem ſpecificam ſuæ entitatis; nec cum auxilio ſibi naturaliter debito, nec per actionem proportionatam ſibi; nec denique operatur effectum ſibi proportionatum. Secundam verò partem inde probat; quia illa potentia nec eſt ſuperaddita naturæ, nec infuſa. Tertiam denique partem ex eo oſtendit; quia iſta potentia non operatur, niſi ex imperio creatoris; quod denotat eam eſſe ſolùm obedientialem. Hæc eſt ſententia Suarij, quam putat cōſentire cum modo loquendi D. Thomæ, & Thomiſtarum: qui vbique eā ſolùm appellant obedientialem. Pro eadē etiam citat Fonſec. 1. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 2. & 3.

§. 3.

Explicatur propria ſententia.

SEd vt ſenſus noſtræ opinionis melius appareat, & clariùs confirmetur **13. Propria ſententia.** illius veritas; præmittimus id, quod **Suarius.** Suarius aduertit in *dicta pag. 611. col. 1. §.* **1. præmiſſ.** *Tertia igitur*: potentiam iſtam obedientialem actiuam, quam ponimus, non ſolū reperiri in entitate ordinis naturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam; ſed etiam in ea, quæ ſecundùm ſubſtātiam eſt ordinis ſupernaturalis: hæc enim actiuitas conſiderari poteſt in charitate, gratia, lumine gloriæ, charactere, & in alijs formis huius generis, vt inferiùs dicemus: nam, cū formæ ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturales ſint quædam creaturæ, ex ſua natura ſubiectæ ſunt diuino imperio; non ſolùm ad effectus, qui in ordine ſupernaturali ſunt ſibi connaturales, ſed etiam ad alios, ad quos ex ſua natura non ſunt ordinatæ. Ex quo colliges hoc loco non eſſe quęſtionem de potentia obedientiali, quæ ineſt in formis ordinis ſupernaturalis; hæc enim obedientialis potētia nullo modo poteſt eſſe ordinis naturalis. Quæſtio igitur eſt de potentia obediētiali, quæ ineſt in rebus naturalis ordinis.

Secundò præmittendum eſt, ordinem **14. 2. præmiſſ.** inferiorem inter res creatas ideo appellari naturalem, quia in eo ſolo reperitur rerum omnium creatarum primum fundamentum, quæ eſt ſola ſubſtantia creata: cum enim nulla ſubſtantia talis, aut ſit aut eſſe poſſit ordinis ſupernaturalis, vt communis, & vera habet opinio; & ſubſtantia ſit fundamentum, naturaque accidentium; ideò in ſolo inferiori rerū creatarum ordine reperitur natura: natura enim ex Ariſtotele, & Philoſophis, ideò dicitur natura, quia eſt primū fundamen

tum, primumque principium motus, & quietis, vt patet ex 2. Phyſic. & inde eſt, vt ſola ea, quæ ſunt inferioris ordinis, dicantur naturalia: quę vero ſuperioris ordinis ſunt, dicuntur ſupernaturalia, quia ſunt ſupra curſũ, & motũ totius naturæ.

15. 3. præmiſſ. Tertiô præmittendum eſt. Duobus modis entitatem aliquam creatam dici poſſe naturalem: vno modo; quia eſt ſubſtantia ordinis inferioris. Altero modo; quia eſt natura in tali ordine: etenim aliud eſt eſſe ſubſtantiam ordinis naturalis; & aliud eſſe naturam quandam in eodem ordine: quod facilê intelliges, ſi aduertas ſubſtantiam, quæ eſt ordinis inferioris, non neceſſario eſſe naturam in eodem ordine, ad omnia, ad quæ moueri poteſt, quia non ad omnia eſt principium talis motus, ſiquidem ſubſtantia creata abſolutê loquendo moueri poteſt; tum ad ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis, tum etiã ad ea, quæ ſunt ordinis ſuperioris, vt patet ex *Auguſt. 9. de Gen. ad literam cap. 17 & 18.* vbi docet Deum non ſolùm dediſſe rebus à ſe creatis: vt poſsint in ea, quæ ſunt ſecundùm naturalem curſum, & motum, ſed etiam vt poſsint in aliqua, quæ ſunt ſupra curſum naturæ. Hoc tamen poſſe alio, & alio modo rebus dediſſe; quoniam ad ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis, dedit, vt in illa poſsint naturali motu, Id eſt, motu quodam, cuius ipſæ res eſſent principium, atque natura: natura enim, vt natura eſt, eſt agendi principiũ. Ad ea verò, quæ ſunt ordinis ſuperioris, dedit quidem poſſe in ea; non tamen vt poſsint motu naturali, quaſi res ipſæ ſint natura quędam, principiumque illorum; ſed, vt poſsint, quatenus ſunt ſubiectæ imperio ſupernaturali diuinę voluntatis. Itaque ex Auguſtino res creata, quanuis ſit ſubſtantia quædam, ideo naturalis, quia eſt ordinis inferioris; non tamen quoad omnia, in quæ poteſt, eſt natura, nec habet modum naturæ; ſed ad ea ſola, ad quæ ex ſe eſt principium. Quare in hac materia diſtinguendum eſt inter eſſe ſubſtantiam naturalem, ideo, quia eſt ordinis naturalis; & inter eſſe ſubſtantiam naturalem, ideo, quia eſt natura, & habet modum naturæ.

Auguſt.

16. 1. concluſ. His præmiſsis pro reſolutione ſit prima concluſio: *Potentia obedientialis actiua, de qua agimus, formaliter ſumpta de facto ſimpliciter eſt ſupernaturalis.* Hæc concluſio ſtatuitur pro ſecunda opinione cõtra cæteras. Eam abſolutè probant *Paludanus, Bañes, Caiet. & Scotus cum* Herrera, quos pro ſecunda ſententia citauimus. Concluſio eſt euidens ſuppoſita noſtra opinione, quam probauimus ſuprà *art. 9. §. 4. concluſione 1. & art. 10. §. 3. concluſ. 7.* Diximus enim potentiam obediẽtialem formaliter dicere modum quendam poſitiuum ſuperadditum entitati creatæ à Deo authore ſupernaturali, quatenus res creatas ſuo ſupernaturali imperio ſubiecit: iam verò quod rebus ſupernaturaliter datur, ſupernaturale eſt. Cum igitur res creata ſimpliciter ſumpta non ſit potentia obedientialis; ſed ſolùm vt habet poſitiuam ſubiectionem, & obedientiam ad Deum ſupernaturalem authorem: & talis poſitiua ſubiectio, & obedientia ſit modus quidam ſupernaturalis, vt locis citatis diximus: neceſſario infertur potentiam obedientialem formaliter ſumptam ſimpliciter dicendam eſſe ſupernaturalem. Probatur.

Confirmatur; quoniam apud opinionem D. Thomæ à ſuis probatam, res ſacramentales formaliter ſumptę, vt ſacramentales ſunt, ſimpliciter dici debent ſupernaturales; quoniam habilitas poſitiua ad conferendam gratiam, quam habent ex Chriſti Domini inſtitutione, eſt quid ſuo modo ſupernaturale. Ergo habilitas & idoneitas poſitiua, quam res creatæ ex ſupernaturali Dei ordinatione habent ad agendum ſupernaturales effectus, erit ſupernaturalis; & res, vt ſub illa conſiderãtur, ſupernaturales dicentur. 17 Confirmatio. 1.

Cõfirmatur ſecundò ex verbis Auguſtini *in d. lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 17:* docet enim Deum naturis, quas creauit, dediſſe, vt ex eis poſſent fieri ſupernaturalia: at tamen hoc poſſe non ita illis dediſſe, vt res illud haberent in motu naturali; ſed prout natura eorum voluntati ſupernaturali ſubiacet. Quæ verba ſatis ſignificant, illud poſſe formaliter ſumptũ, eſſe quoddam poſſe ſupernaturale, cum ſit ad ea, quæ ſunt ſupra curſum naturæ. 18. Confirmatio. 2. *Auguſt.*

Secunda concluſio: *Potentia obedientialis, quam ponimus, materialiter & entitatiuè ſumpta eſt quidem illa ſubſtantia, quæ eſt naturalis: non tamen vt eſt naturalis, ſed vt radicaliter & fundamentaliter eſt obediẽtialis.* 19. 2. concluſ.

tialis. Quòd potentia obedientialis materialiter ſumpta, & ſecundum ſuam entitatem ſit illa entitas, ſubſtantiavè, quæ eſt naturalis per ſe patet; quoniam omnium conſenſu realiter identificatur cũ illa entitate, quam Deus, vt author naturæ, in ordine naturali creauit. Quòd autem etiã materialiter ſumpta non ſit talis ſubſtantia, vt eſt naturalis, & vt eſt habens modum, & rationem naturæ, facilè probatur ex tertio præmiſſo: quia illa naturalis ſubſtantia, cum qua potentia obedientialis identificatur, non habet rationem naturæ, niſi vt eſt principium naturalis motus, vt patet ex definitione naturæ tradita ab Ariſtotele in ſecundo Phyſicorum: nõ eſt aũt principiũ motus, niſi ad ea, quæ habet in ſuo motu naturali, per actionẽ agentis naturalis: etenim quæ ſunt ſuprà naturam, non ſunt in motu naturali illius entitatis, nec in actione alicuius naturalis agentis. Ergo potentia obedientialis materialiter ſumpta, non eſt illa entitas creata, prout habet rationem naturæ. Quare ſolùm erit talis entitas, vt fundamentaliter eſt obedientialis: nam ſicut poſſe habere fidem, naturę eſt hominis, vt ait Auguſtinus in libro de Prędeſtinatione Sanctorum; ita etiam poſſe Deo in omnibus ſubijci, naturæ eſt cuiuſcunque creaturæ; prout. ſc. natura idem eſt, quod eſſentia. Sed de hoc latiùs dicemus in 3. quæſtione ſequente.

20. 3. Concluſ. Tertia Concluſio: *Potentia obedientialis, de qua agimus, ſiue ſumatur formaliter, ſiue materialiter, poteſt dici naturalis, prout naturale idem eſt, quod ſimul cum natura congenitum. Et præterea prout naturale idem eſt, quod ordinis naturalis, & inferioris: nullo tamen modo, ſiue formaliter, ſiue materialiter dici poteſt naturalis, prout naturale dicitur à natura, quæ eſt principium motus*. Prima pars huius concluſionis ab omnibus recipitur, & in terminis ponitur à Capreolo (*Capreolus.*) *in prima quæſtione prologi art. ſecundo ad primum contra 6. fol. 7. col. 2.* etenim potentia iſta creaturis data eſt adeo ſupernaturali authore ab ipſa earum conditione, & inſtitutione, vt patet ex Auguſtino in d. cap. 17. Secunda pars etiam eſt nota ex tertio præmiſſo: quoniam, quę ſecundum ſuam ſubſtantiam ſunt inferioris ordinis, ſecũdum ſuam ſubſtantiam ſunt ordinis naturalis; & ſubinde ſunt naturalia, prout naturale idem eſt, quod ordinis naturalis. Tertia pars nota eſt ex dictis in prima, & ſecunda concluſione: nam ex prima cõſtat potentiam obedientialem formaliter ſumptam eſſe ordinis ſupernaturalis, & ſubinde formaliter eſſe ſuperna uralẽ: ex ſecunda verò patet potentiam obedientialem realiter eſſe illam entitatẽ, quæ eſt natura; non tamen prout eſt natura. Ergo, nec materialiter ſumpta poteſt eo modo dici naturalis.

Quarta, & vltima concluſio: *Potentia obedientialis, de qua agimus, ſimpliciter non eſt dicẽda naturalis, ſed ſupernaturalis*. Prior pars ex dictis demõſtratur: quoniam ſimpliciter, & propriè loquendo, naturale dicitur à natura propriè ſumpta, vt. ſc. eſt principium motus, vt patet ex Ariſtotele in ſecundo Phyſicorum: ſed potentia obedienaialis, nec formaliter ſumpta, nec materialiter, habet ordinem ad naturam, vt eſt principium motus, vt patet ex prima 2. & 3. concluſione. Ergo ſimpliciter non eſt dicenda naturalis. Poſterior verò pars ita demonſtratur: quoniam ſermo ſimpliciter prolatus apud Phyloſophos ſumitur in ſenſu formali. Sed potentia obendientialis formaliter ſumpta ſimpliciter eſt ſupernaturalis, vt habet prima concluſio. Ergo ſimpliciter dicenda eſt ſupernaturalis. Et hæc mihi videtur huius difficultatis vera, & facilis explicatio. 21. 4 Concluſ.

Ex qua infertur potentiam obedientialem, de qua agimus, non conſtituere aliquod tertium membrum diſtinctũ à naturali, & ſupernaturali, quod ſolùm ſit, & dicatur obedientiale; quidquid vltima ſententia oppoſitũ doceat: nam ſicut in creatis duplex tantũ datur ordo, in quo omnia creata cõtinentur; ſc. naturalis, qui eſt inferior; & ſupernaturalis, qui eſt ſuperior; nec aliquis vnquam tertium ordinem inter duos iſtos conſtituit, qui proprie, nec eſſet naturalis, nec ſupernaturalis: ita etiã inter naturale, & ſupernaturale propriè nõ poteſt dari mediũ, quod ita ſit obedietiale, vt nec ſit naturale, nec ſupernaturale. Nec diſcipuli D. Thomę vſquã poſuerunt hoc 3. membrũ: quin potius potẽtiã obedientialem reuocant ad ſupernaturalem, vt videre eſt apud eos, quos in ſecũda ſententia citauimus: non negarem tamen potentiam obedientialem fundamẽtaliter ſumptam non ſatis explicari per 22. Illatio.

potentiam obedientialē; quia entitas creata nude ſumpta ex ſua eſſentia habet cōcomitantem quandam non repugnantiā, ſiue potius neceſſariò conſequentem, vt poſsit poſitiuè fieri formaliter obediens diuino imperio, & voluntati.

§. 4.

Soluuntur argumenta in contrarium.

23. Ad 1. argu. ARgumenta adducta §. 1. quod potētia obedientialis ſimpliciter dicenda ſit naturalis, facilè ſoluūtur. Primum argumentum ſolùm probat potentiam obedientialem in eo ſenſu dici naturalem, quia congenita eſt cum entitate creata, in quo ſenſu libenter id admittimus, cum Capreolo, & alijs: negamus tamen, omne quod congenitum eſt, & datum ſimul cum natura, ſimpliciter eſſe naturale, vt naturale dicitur à natura: etenim iuſtitia originalis ſimul cum natura data fuit Adamo, & ſimul cum ea daretur poſteris, ſi ſtatus innocētiæ permaneret; & tamen ſimpliciter non eſt forma naturalis, vt vera habet opinio. Quin potius ſi ſtatus innocentiæ permaneret, omnes cum gratia naſceremur; & tamen gratia nullo modo dici poteſt naturalis. Quare ad argumentum neganda eſt minor, ſi naturale idem eſt, quod emanans à natura, vt eſt natura, & principium motus. Et in eodem ſenſu negandum eſt id, quod iterum ſumitur. Quare medium primi argumenti ſatis eſt inefficax.

24. Ad 2. Secundum argumentum ſumit, tanquam conceſſum, quod communiter negatur: etenim potentia obedientialis ſuperaddit aliquid entitati ex natura rei diſtinctum, vt diximus art. decimo concluſione tertia, & vltima. Concedimus tamen potentiam obedientialē realiter idētificari cum entitate creata; quæ non ſolùm eſt ordinis naturalis; ſed etiam eſt à natura propriè ſumpta; inde tamen non benè infertur, quod in eodem ſenſu ſit naturalis: nō enim omnis entitas ordinis inferioris habet rationem naturæ, & principij ad omnia, quæ habere poteſt, vt diximus in ſecunda concluſione.

25. Ad 3. Ad tertium negandum eſt petentiam obedientialem formaliter ſumptā fieri à Deo Authore naturæ, & ex vi creationis, vt patet ex concluſione prima.

Ad quartum dicimus potentiam obedietialem ex natura rei eſſe diſtinctam ab entitate creata, vt oſtendimus artic. 10. §. 4. cōcluſione 3. Ad obiectionem dicimus in ea ſupponi potentiam obedientialem, ſi eſt aliquid ab entitate diſtinctum, emanare ab ipſa entitate; quod eſſe falſum ſæpè oſtendimus: nam cum modus ille ſuperadditus ſit à Deo, vt authore ſupernaturali, non fluit à principijs entitatis creatæ: & ita ceſſat argumenti fundamentū. Quod etiam ceſſaret, etiamſi daremus id, quod ſupponitur: nam cum id, quod ſuperadditur, non ſit aliqua entitas, ſed ſolū modus eſſendi, vt diximus art. 10. §. 4. cōcluſione ſeptima, ab eo non emanaret alia obedientialis potentia; quia hæc non emanat, niſi ab entitate, vt in ſe, & per ſe formaliter eſt entitas, vt aduertimus in dicto §. 4. ad primū cō tra tertiam, & ita ceſſat proceſſus in infinitum. 26. Ad 4.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm, & quo modo potentia obedientialis actiua diſtinguatur à potentia naturali ipſius entitatis?

§. 1.

Referuntur opiniones.

IN præcedente art. expendimus diſtinctionem potentiæ obedientialis ab entitate creata, in qua reperitur: in hoc expendemus diſtinctionem illius à potētia naturali, quæ reperitur in eadem entitate: nec ſine fundamento hæ duæ difficultates ſunt diſtinguendæ: quoniam certum eſt in Philoſophia, ſubſtantias creatas ſuas habere potentias, & virtutes naturales, tàm paſsiuas, quàm actiuas, quæ illis ſint principia, tùm patiendi, tùm agendi. Quod etiam ſatis docuit Auguſtinus 9. *de Geneſi ad literam cap.* 17. *&* 18, dum ſcribit Deum rebus creatis dediſſe cauſas, & rationes ſeminales ad ea, quæ ſecundū curſum naturæ fiunt. Hæ autem ſeminales rationes nihil aliud ſunt, quàm virtutes naturales, & potentiæ actiuæ, quas Deus rebus inſeruit cum illas creauit: *quas Ariſtoteles in libris de Generatione, & de Anima* appellat naturæ inſtrumenta, virtutes, & potentias. Cum verò eiſdem rebus creatis ex eodem Auguſtino Deus etiam inſeruerit poſſe quoddam ad ea, quæ ſunt ſupra naturæ curſum (quod à Theologis poten-

1. Variæ opiniones. August. Ariſtot.

potentia obediẽtialis appellatur) oportet explicare, quomodo hæc obedientialis potentia in ipſis rebus creatis diſtinguatur à potentijs naturalibus earum.

2. *Albertin.* *Cabrura.* Qui hanc quæſtionem excitarint ſolos inueni Albertinum *in ſuis Corollarijs q. 1. Thologica in primum Corollarium dubita. 3. pag. 185. col. 2. & Cabreiram primo tom. ad tertiam partem q. 1. art. 1. diſp. 6. dubio 3. §. 6. concluſione quarta num. 21.* vterque inter vnam, & alteram potentiam admittit diſtinctionem; non tamen eodem modo: nam Albertinus non admittit diſtinctionem à parte rei, & per conſequens, nec ex natura rei, ſed ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ. At verò Cabrera non ſolùm admittit diſtinctionẽ ex natura rei; ſed etiam formalẽ: vterque tamen in hoc deficit, quòd diſtinctionem potẽtiæ obedientialis cum naturali potentia confundit, cum diſtinctione eiuſdẽ cum ipſa creata entitate; vt facilè patebit, ſi vterque legatur; cum tamen hæ duæ diſtinctiones diſtinguendę ſint.

§. 2.

Explicatur difficultas.

3. *Reſolutio.* Pro clara huius difficultatis reſolutione aduertimus id, quod iam aduertimus art. 10. §. 1. ſci. creaturam, vt eſt quoddã ſuppoſitũ, & ens per ſe ſub *Aduertẽtia.* ſiſtens, eſſe id, quod eſt obediẽtialiter potens, *vt quod*: illa enim eſt, quæ à Deo aſſumitur, tanquam inſtrumentum, *vt quod* ad ea, quę ſunt ſupra naturę curſum: ignis enim eſt, qui aſſumitur à Deo tanquam inſtrumentum, *vt quod* ad torquẽdos dæmones: quare creatura ipſa, vt eſt per ſe ſubſiſtẽs, eſt id, quod habet in ſe potentiã obedientialem, qua potens eſt Deo obedire ad agenda ſupernaturalia: cum ipſa eadẽ creatura ſit etiam potens, *vt quod* per ſuas naturales potentias agere, quæ naturaliter agit. Hinc eſt, vt ipſa creatura per ſe ſubſiſtens, ſit, quæ habet in ſe, & potentiam obediẽtialem ad ſupernaturalia, & naturalem ad naturalia. Explicata igitur diſtinctione, qua potentia obedientialis diſtinguitur, tùm ab ipſa creatura, in qua eſt; tùm ab entitate, quę formaliter eſt potentia obedientialis, vt Dei imperio ſubijcitur; ſupereſt explicandum, quomodo diſtinguatur à potentia naturali, qua eadem creatura potens eſt agere, quę ſunt ordinis naturalis.

Cum verò potentia obedientialis, non ſolùm denominare poſsit ipſam entitatẽ, 4. quæ eſt potentia naturalis; ſed etiam cæteras partes eiuſdem creaturæ, materiam ſcilicet, & formam, cæteraque accidentia diſtincta ab ipſa proprietate (etenim iuxta aliquorũ ſententiam potentia obedientialis in omni entitate reperitur) nulla eſt *In quo ſit* dubitatio, quod potentia obedientialis, *quæſtio.* quæ eſt in aliqua entitate realiter diſtincta ab ipſa naturali potentia (verbi gratia in materia, aut forma ignis, aut etiam in ſiccitate illius) realiter diſtinguatur à potentia naturali calefactiua ipſius ignis, vt diximus art. 10. §. 3. concl. 2. nu. 12. quare ſolùm eſt quæſtio, Vtrũ potentia obedientialis, quæ eſt in entitate ipſius naturalis potentiæ, diſtinguatur ab ipſa naturali proprietate? verbi gratia, Vtrùm potentia obedientialis, qua calor ignis torquet dæmones, diſtinguatur ab eodem calore, vt igni eſt potentia calefactiua:

Explicata quæſtione in hoc ſenſu, ſit 1. Concluſ. prima cõcluſio: *Non poteſt non concedi aliqua deſtinctio, inter potentiam obedientialem actiuam, & potentiam naturalem ipſius creaturæ.* Hæc concluſio ab omnibus conce- *Suario.* ditur, & debet cõcedi à Suario: licèt enim non admittat aliquam diſtinctionem ex natura rei inter potentiam obedientialẽ, & entitatem creaturæ; eam tamen admittit inter potentiam obedientialem, & naturalem, vt eſt potentia. Sed quidquid ſit de mente Suarij, noſtra concluſio ſatis cõuincitur ex doctrina Auguſtini *9. de Geneſ. ad liter. cap. 17,* quatenùs docet Deũ *Auguſt.* rebus à ſe creatis dediſſe rationes ſeminales, virtutes, inquam, & potentias naturales, ad agendum, quæ ſunt ſecundum curſum naturæ: ad ea verò, quæ curſum naturæ excedunt in ipſis rebus ſolùm poſuiſſe quoddam poſſe obedientiale: quæ doctrina ſatis conuincit aliquam dari diſtinctionem inter potentiam naturalem, & obedientialem. Accedit; quia vtraque potentia reſpicit diſtinctos actus, & diſtincta obiecta, diſtinctaque agentia. Quòd arguit inter vtranque dari diſtinctionem maiorem, quam rationis raticinantis: hæc enim nullum habet fundamentum in re, vt diximus lib. 3. quæſt. 5. art. 9. num. 2. & 3: iam verò diſtinctio inter iſtas duas poten-

potentias à parte rei habet fundamentū, quod explicauimus.

6. 2. Concluſ. Secunda Concluſio: *Inter potentiā obedientialem, & naturalem ſumptam ſub ratione potentiæ, debet dari maior diſtinctio, quàm ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ.* Hæc ſtatuitur contra Albertinum: probatur autē ex eo, quòd diſtinctio rationis ratiocinatæ, quamuis habeat fundamentū in re; includit tamen ordinem ad rationem, per quam reducitur ad actum, vt oſtēdimus in dicto lib. 5. loco citato num. 8. & 9. Et ob id talis diſtinctio in actu ſolùm datur in intellectu: iam verò duæ iſtæ potentiæ inter ſe diſtinguntur, tū abſque vllo ordine ad intellectū; tùm actu ſine intellectu: quia potentia naturalis, vt naturalis eſt, actu non eſt ad ea, quæ ſūt ſupra curſum naturæ; & tamen actu eſt potentia obedientialis.

7. 3. Concluſ. Tertia Concluſio: *Potentia obedientialis formaliter diſtinguitur à naturali, vt formaliter eſt potentia.* In hac concluſione nobiſcum conſentit Cabrera: in fundamento tamen non conſentimus: etenim ille putat potentiam obedientialem ſuprà entitatem addere proprietatem quādam, & facultatē, qua illa entitas reſpicit actus ſupernaturales, & ſupernaturalia obiecta, ita vt potentia obedientialis ſuperaddita entitati ſecundum ſe ſit ipſa potentia, quę eſt principium vt quo. Qui philoſophandi modus placere non poteſt: qui enim fieri poteſt, vt entitas caloris in igne, cum qua potentia obedientialis identificatur, habeat aliam facultatem à ſe emanantem, formaliter diſtinctam à ſe? quare nos hāc potentiam obedientialem non ita philoſophamur, vt id, quod ſuperaddit entitati, cum qua identificatur, ſit ipſa potentia obedientialis, quæ in effectus ſupernaturales debet influere; ſed vt ſit ipſa entitas creata (materia ſcilicet, aut forma ſubſtātialis, vel accidentaria) non ſimpliciter; ſed vt ſubiecta diuino imperio, & per talem ſubiectionē modificata. Verbi gratia potentia obedientialis, qua ignis potens eſt, tanquam agens, vt quod, torquere Spiritus, eſt ipſe calor ignis, vt ſubiectus Deo: fictitium eſt enim ipſum calorem, qui eſt virtus obedientialis, qua ignis torque Spiritus, eſſe ipſi igni potentiam, per aliam potentiam ſuperadditam. Igitur eadem entitas, quæ ex ſua natura eſt virtus ad calefaciendum, prout ex diuina ordinatione, & ſubiectione eſt habilis ad torquendum Spiritus, eſt ipſamet potentia obedientialis, qua ignis, tanquam principio agēdi, vt quo, ipſos Spiritus torquet. Cum verò, vt ſic, habeat rationem potentiæ obedientialis ad diuerſos actus, & ad diuerſa obiecta; habet formalitatem diſtinctam à formalitate, qua eademmet entitas caloris ſumpta ſecundum ſe, eſt calefactiua. Et ad hūc ſenſum formaliter diſtinguo has duas potentias.

Opinio Cabreræ.

Nō placet.

Propria explicatio.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

8. 1. Arg. in contrarium. Contra datam reſolutionem nonnulla obijci poſſunt. Et primò obijcitur; quoniam obiecta harum duarum potentiarum non differunt formaliter, ſed ſolùm materialiter. Ergo ipſæ potentiæ interſe formaliter non differunt. Conſequentia eſt nota; quia diſtinctio formalis potentiarum ſumitur ex obiectis, vt in lib. de Anima doceri ſolet. Antecedens probatur: quoniam potētiæ naturalis, & obedientialis, habent pro obiectis naturale, & ſupernaturale: nam potentia naturalis reſpicit naturale obiectū; obedientialis verò ſupernaturale. Sed naturale, & ſupernaturale in ratione obiectorum non differunt formaliter, ſed ſolùm materialiter: etenim obiectum ſpecificans intellectum, nempe ens, vt ens eſt; ſub ſe cōtinet obiecta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia: non contineret autē, ſi naturale, & ſupernaturale, in eſſe obiecti, formaliter diſtinguerentur.

9. 2. Arg. Secundò; quòd obedientialis non ſolū formaliter, ſed etiam realiter diſtinguatur à potentia naturali, ita probatur; quoniā potentia obedientialis, quę eſt in igne, eſt potentia obedientialis ad producendum frigus: etenim ignis ſubiacet diuino Imperio ad omnia, quæ Deus voluerit. Iam verò frigus productum ab igne eſt eiuſdem ſpeciei cum frigore producto à niue. Ergo potētia obedientialis, quæ eſt in igne, non diſtinguitur realiter à potentia naturali niuis. Hæc autem realiter diſtinguitur à potentia calefactiua ignis; Ergo potentia obedientialis, quę eſt in igne, realiter etiam diſtinguetur ab eadem.

10. Ad 1. Ad primum negādum eſt antecedens. Ad

Ad

Ad probationem dicimus potentiam ſumere diſtinctionẽ ab obiecto, non vt res eſt, ſed vt obiectum eſt, vt eſt communis Philoſophia: cum verò ratio formalis obiecti, vt obiectum eſt, non ſit ratio formalis rei, quæ attingitur, ſed ratio formalis, ſub qua attingitur; hinc eſt, vt ſicut potẽtię per ſe ſpecificãtur ab obiectis ex ratione formali, ſub qua tendunt in obiecta; nõ verò ex ratione formali, in quam tendũt; ita etiam diſtinguuntur ab obiectis per rationem formalem ſub qua in ea tendunt, & ea attinguunt; non verò ex ratione formali, in quam tendunt, & quam in obiectis attingũt, vt diximus *lib. 4. q. 8. art. 3. n. 11. & docent Fonſ. in 6. Metaph. cap. 1. q. 2. ſect. 3. lit. G. pag. 27. col. 1. & Conimbr. in 1. de Interpretatione cap. 4. q. 3. art. 4. pag. 98. §. vt res tota, & lib. 2. de Anima cap. 3. q. 5. art. 2. pag. 120. poſt principium.* Quare non ſatis eſt formalis, & ſpecifica diſtinctio obiecti, vt res eſt, ad conſtituendas potentias ſpecie diſtinctas, ſed eſt neceſſaria formalis, & ſpecifica diſtinctio obiecti, vt eſt obiectum; qualis eſt illa ſub qua tendit in obiectum: etenim ſub vna ſpecie potentia poſſunt dari obiecta ſpecie diſtincta, vt materialiter ſumuntur: plures etiam actus ſpecie diſtincti, vt res ſunt, ad eandem ſpecie potentiam pertinent, vt patet in albo, & nigro, & in viſione vnius, & alterius: ſunt enim obiecta materialia ſpecie diſtincta, ſimiliter, & actus ſpecie diſtinguuntur: vt diximus *in dicto lib. 4. q. 10. art. 4. §. 3. num. 22. & 23. cum Conimbr. in locis citatis, & cum Fonſ. vbi ſuprà, & in 5. Metaph. cap. 28, q. 7. ſect. 4. pagin. 869. §. Poſtremum denique.* Hac ſuppoſita philoſophia, ad probationem antecedentis primum dicimus, potentiam obedientialem, & naturalem adęquatè non diſtingui per obiectum naturale, & ſupernaturale, quia potentia obedientialis verſari poteſt circa obiecta naturalia, vt patet in potentia obedientiali luti, quo Chriſtus Dominus cęco potentiã viſiuam reſtituit, quæ eſt potentia quædam naturalis. Quare potẽtiæ illæ adæquatè diſtinguuntur per modum tendendi in obiectum naturaliter, vel ſupernaturaliter; qui duo modi ſunt rationes formales, ſub quibus illæ potentiæ in obiecta tendunt: vnde per illos ſpecificè diſtinguuntur. Quare ratio naturalis, & ratio ſupernaturalis ſunt duæ rationes formales obiectorum, vt materialiter ſumuntur; & ideo non eſt mirum, ſi cadant ſub vna ſpecie potentia, qualis eſt intellectus. Vtrùm verò illi duo modi tendendi, naturaliter ſcilicet, & ſupernaturaliter, ita diſtinguant potentiam naturalem, & obedientialem, vt poſsint cadere ſub vna ſpecie potentia intellectiua? alterius eſt quæſtionis, de qua in quæſtione ſequente. Hæc eſt vera huius argumenti explicatio, quam Cabrera aliquo modo tetigit, ſed non diſtinctè explicauit *in dicta diſp. 6. dubio 3. concl. 5. num. 22. nam duæ aliæ, quas adducit num. 23. & 24.* vel continent Philoſophiam dubiam, vel ad tollendam difficultatem non ſatis conducunt.

Fonſeca. Conimb. Conimb. Fonſeca. Cabrera.

12. Ad 2.

Ad ſecundum; omiſsis, quæ adducit Cabrera in dicta concl. 5. primùm dicim⁹ non defuiſſe, qui illam potentiam obediẽtialem in calore ignis non agnoſcerent, vt ſuo loco videbimus: ſed illa admiſſa, ſimul admittimus vtrunque frigus eſſe eiuſdẽ ſpeciei: inde tamen non benè infertur, potentiam obedientialem ad producendum frigus, quæ eſt in calore ignis, non diſtingui realiter à potentia frigefactiua, quæ eſt in niue: quia ſicut idem ſpecie frigus produci à niue (quæ formaliter eſt frigefactiua) & à Sole, vt virtualiter eſt frigefactiuus, non infert potentiam frigefactiuam, quæ eſt in Sole, eſſe realiter idem cũ ea, quæ eſt in niue, vt patet; ita etiam non infert potẽtiam obedientialem ad producendum frigus, quę eſt in calore ignis, eſſe idem realiter cum potentia frigefactiua, quæ eſt in niue: etenim vt potentia obedientialis ad frigefaciendum, quæ eſt in calore ignis, poſsit producere frigus, ſatis eſt, quòd frigus eminenter cõtineatur in Deo, in cuius virtute obedieneiali potẽtia, quæ eſt in calore ignis, inſtrumentaliter producit frigus.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm potentia obedientialis actiua habeat aliquam ſpeciem? à quo illam habeat? Vtrũ ſit vna? an ſit infinita? Vtrùm in omnibus ſit æqualis?

§. I.

Vtrùm habeat aliquam ſpeciem?

1. A quo habeat ſpeciẽ.

QVod attinet ad primum, nõnulli exiſtimant potentiam iſtam obedientialem ex ſe non habere ſpeciem

1. Opinio. ciem aliquam. Ita exiſtimat Suarius 1. *tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pa. 606. col. 1. §. Quarto id probatur*: vbi docet, potentiam obedientialem actiuam non eſſe concipiendam, tanquam habentem proprium, & tranſcendentalem ordinem ad actum; aut tanquam accipientem ab eo aliquam ſpeciem: & hoc multis in locis repetit.

2. 2. Opinio. Oppoſitam tamen ſententiam, tanquã notam ſupponunt *Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dub. 3. §. 6. concl. 4. nu. 22. & Albertinus in 1. q. Theologica in 1. Corollar. dub. 3. num. 14. pagin. 185. ſatis ſupponit Fonſeca arguens contra ſententiam Suarij 9. Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 3. pag. 611. col. 2. ad finem.*

3. Propria opinio. Ego *lib. 4. q. 5. ar. 3. §. 2. num. 20. in fine* in primam opinionem inclinaui; vbi potentiæ obedientiali negaui, & certum obiectum, & determinatam rationem agendi, & ordinem tranſcendentalem ad obiectum. Sed modo puto quæſtionem eſſe de nomine: etenim ſi vtriuſque opinionis authores expendantur, non agunt de vera, & propria ſpecie ſpecificationeq; obedientialis potentiæ: nam cùm omnes cõcedant, potentiam obediẽtialem propriè, & ſimpliciter loquendo non eſſe potentiam, ſed ſecundum quid; ita vt eſſe potentiam obedientialem diminuat devera, & propria ratione potentiæ (ita ſcribit Cabrera *vbi ſuprà dub. 2. §. 2. num. 14. & ſatis explicat Suarius*, dum aſſerit, hanc potẽtiam non ſimpliciter facere potẽtem, ſed aliquo modo, & ſecundum quid:) in hoc omnes debent conuenire, vt potentiæ obedientiali non tribuant veram, & propriam ſpeciem, ſed quaſi ſpeciem: nam cùm propriè non ſit potentia, non poteſt habere propriè ſpeciem: negandum tamẽ non eſt, eam eo modo, quo potentiæ rationem ſortitur, rationem ſpeciei habere, & vendicare ſibi aliquam ſpecificandi rationem. Quare prior opinio vera eſt, ſi propriè de ſpecie loquamur, & in hoc ſenſu eam accepimus ſupra lib. 4. loco cito. Poſterior verò recipienda eſt, ſi de quaſi ſpecie agamus: in quo ſenſu de ea egit Fonſeca. (Suar.)

4. Confirmatur opinio affirmans. In hoc igitur ſenſu facilè oſtẽditur opinio affirmans: quia potentia obedientialis reſpicit vnum obiectũ ſub vna ratione formali, vt obiectum eſt, ſicut patebit ex ſequẽti dubio. Cur igitur ſuo modo non habebit aliquam rationem ſpeciei ſibi propriam, qua quaſi ſpecificè à cæteris potentijs diſtinguatur?

Nec contra hoc officit, ſi quis cum Suario dicat, actiuitatem potentiæ obedientialis non eſſe ex intentione naturæ per ſe primò ordinatam ad agendum; & ob id non habere aliquem tranſcendentalẽ ordinem ad actus, & obiecta: vtrùmque enim negamus ſupra art. 9. & vtrũque expreſſè negat Fonſeca vbi ſuprà. Id verò quod lib. 4. obijciebamus, quòd ſcilicet non habeat obiectum certum, ſed vagum; verũ eſt de obiecto materialiter ſumpto, non verò formaliter, vt ſtatim dicemus. Ratio autem agendi obedientialis, & inchoata, certa eſt, & determinata; quanuis ratio completa, & proxima, qua eleuari debet, ſit alia, & alia, vt alibi dicemus. 5. Soluitur obiectio. Ad aliam obiectionem.

§. 2.

A quo ſumat ſpeciem?

Sed iam ſe ſe offert difficultas, à quonam potentia iſta obedientialis ſuam ſpeciem, aut quaſi ſpeciem ſumat? In quo nõ conueniunt Doctores. Quidã putant eam habere pro obiecto, quidquid non implicat per creaturam fieri: & hæc videtur communis explicatio; etenim ferè omnes potentiam iſtam ita explicant, vt ſit quædam ſubiectio ad diuinum Imperium, in omne id, quod non implicat. Quare apud hos authores formale obiectum huius potentiæ erit ens ſub ratione poſsibilis; & ſub hac formali rationẽ ſuã habebit ſpeciem. 6. A quo habeat ſpeciem. 1. Opinio.

Alij volunt obiectum formale huius potentiæ eſſe ens, ſiue naturale, ſiue ſuper naturale, vt eſt volitum à Deo: *ita Albertinus vbi ſuprà dub. 3. num. 14.* 7. 2. Opinio Albertini.

Tertia opinio aſſerit, hanc obedientialem potentiam non ſpecificari ex ordine ad effectum, ſiue obiectum; ſed ex habitudine ad diuinã, & ſupernaturalem omnipotentiam: ita Cabrera *in dicta diſpu. 6. dub. 3. §. 6. concl. 4. num. 23. & dub. 5. §. 3. num. 15.* 8. 3. Opinio Cabreræ.

Quarta opinio ſumi poteſt ex Suario *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſectio. 6. ad 5. argum. pag. 618. col. 1. A:* vbi ſignificat, hanc potentiam eſſe vnam ſpecie ex obedientiali ſubiectione ad diuinum Imperium: quibus verbis ſatis inſinuat, hanc potentiam, eam, 9. 4. Opinio Suarij.

eam, quam habet ſpeciem, nõ ſumere ex obiecto, ſed ex ſubiecto; nēpe ex ſubiectione, quam ſubiectum habet ad omne; quod non implicat.

10. Propria opinio. Ego puto hanc potentiam obedientialem, nec ſumere ſuam ſpeciem, aut quaſi ſpeciem ex ſubiectione ad diuinum imperium: nec ex habitudine ad diuinam omnipotentiam: nec ex ratione poſsibilis: nec denique ex ratione voliti à Deo; ſed ex ratione ſupernaturalitatis, ſub qua formaliter à ſuo obiecto terminatur. Pro huius noſtræ reſolutionis explicatione, & vera confirmatione, aduertimus id, quod in philoſophia ſatis iam eſt receptum; potentiam, ſc. ſpecificari ab obiecto formaliter ſumpto, non vt res eſt, ſed vt obiectum eſt. Ratio autem formalis obiecti, vt obiectum eſt, eſt ratio ſub qua res, quę eſt obiectum, tendit in potentiam, & eam terminat, vt diximus in præcedente articulo §. 3. ad primũ, vbi citauimus Fonſecam, & Conimbricenſes, & ea, quæ diximus ſuprà lib. 4. q. 8. ar. 3. n. 11. pag. 520. col. 2. *Fonſeca. Conimb.* etenim viſus ſpecificatur, non à formali ratione coloris, qua cõſtituitur in ratione coloris; ſed à ratione formali coloris, ſub qua tendit in viſum, & terminat viſionem; quæ eſt ratio formalis viſibilis. Idem patet in intellectu, qui ſpecificatur non à ratione formali entis, qua ens eſt; ſed à ratione formali entis, qua intelligibile eſt; quia ſub ratione intelligibilis tendit in intellectum. Ex quo colliges, veram philoſophiam docere quancumque potentiam ſpecificari ex ratione, quæ in ipſo obiecto ineſt: nam in obiecto reperitur ratio formalis, tũm vt res eſt; tũm vt obiectum eſt: etenim in colore, qui videtur, reperitur ratio coloris, & ratio viſibilis: ſimiliter in ente, quod intelligitur, datur ratio formalis entis, & intelligibilis.

11. Cõfirmatur opinio. Non probatur Suarius. Ex hac philoſophia infertur confirmatio noſtræ opinionis, & impugnatio aliarum. Nam primò infertur reijciendam eſſe opinionem deductam ex Suario: quoniam ex Philoſophia Ariſtotelis cõmuniter recepta, potentiæ non ſumunt ſuam ſpeciem ex ſubiecto; ſed ex obiecto. Nec Cabrera. Secundò infertur opinionem Cabrerę non ſatis eſſe philoſophicam: etenim nouũ eſt in philoſophia, potentiam aliquam ſpecificari ab agente, & ab actiua illius potentia: quoniam Ariſtoteles ſimpliciter docuit, potentias diſtingui per actus, & obiecta, *vt patet ex 2. de Anima cap. 2. text. 22. & ex lib. 3. c. 8.* Infertur tertio, Nec 1. nec 2. probatur nec primam, nec ſecundam opinionem eſſe approbandam. Quòd non ſit probanda opinio ſecunda, ſatis euidenter conuincit explicata philoſophia: quoniam eſſe volitum à Deo non eſt aliquid, quòd reperiatur in obiecto huius potentiæ, niſi per quandam extrinſecam denominationem: vnde, nec poteſt eſſe ratio formalis obiecti, vt res eſt, nec vt obiectum eſt; ſed ſolùm eſt quædam conditio neceſſaria, vt potentia actiua aſſumatur, & eleuetur ad agendum; quia Deus nihil agit ad extra, niſi volens. Eadem etiam philoſophia ſatis impugnat opinionem primam; quoniã ratio poſsibilis pertinet ad rationem obiecti, vt res eſt, non verò, vt obiectum eſt: nam licèt id, quod eſt poſsibile, terminet actionem potentiæ obedientialis actiuæ; non tamen eam terminat ſub ratione poſsibilis; hæc enim ratio etiam reperitur in obiecto potentiæ naturalis. Cõfirmatur propria opinio. Quare ſola ſupereſt ratio ſupernaturalitatis: ideo enim, quod non implicat fieri, reſpicit potentiam obedientialem actiuã, quia ſupernaturali modo poteſt fieri; nam ſub hac formali ratione id, quod non implicat, poteſt cadere ſub diuinam omnipotentiam, tãquam ſub cauſam principalẽ, & ob id ſub eadem ratione poteſt cadere ſub actiuitatem obedientialem, tanquã ſub cauſam inſtrumentariam.

Accedit etiã; quoniam ens naturaliter 12. 2. Confirm. poſsibile, ideo reſpicit potentiã naturalẽ; quia eſt quoddam poſsibile naturale: & inde eſt, vt ſub ratione formali naturalis tendat in potentiam naturalem, & potentia naturalis in illud: & ideo potentia naturalis, ſub ratione generica naturalis potentiæ, per ſe primò ſpecificatur ab ente, vt naturale eſt, tãquam à ratione formali obiecti, vt obiectum eſt: etenim potentia naturalis in obiectum tendit ſub ratione naturalis. Idẽ igitur dicendũ erit de potẽtia obedientiali actiua, vt per ſe primò ſpecificetur ab ente poſsibili; vt formaliter eſt ſupernaturale, & ſub ratione ſupernaturalis; ſub qua ratione per ſe primò diſtinguitur à potentia naturali, vt naturalis eſt: quod ſatis explicauit Cabrera *in dict. dub. 3. §. 6. num. 22.*

13. Ad aliud ar. Ex hac reſolutione iam patet, quã facilè ſit argumẽtum, quod Cabreræ, & quibuſdam alijs negotiũ faceſsit: ita enim nõ nulli arguunt: in igne eſt potentia obediẽtialis ad infrigidandũ; quia vt ſubſtat diuino imperio poteſt frigus producere: frigus autẽ ab igne productũ eiuſdẽ erit ſpeciei cũ frigore producto à niue, vt patet. Ergo potentia obedientialis actiua non ſumit ſpeciẽ ab obiecto; cõſtat enim potẽtiã obedientialẽ ignis ad producendũ frigus, ſpecie diſtingui à potentia frigefactiua, quæ eſt in niue. Propter hoc argumẽtum motus Cabrera vbi ſupra n. 23. negauit, potentiã odedientialẽ ſpeiem ſumẽre à ſuo effectu, & obiecto. Sed futili mot⁹ eſt fundamento; quia ſub vna ſpecie potentia contineri poſſunt plura obiecta ſpecie diſtincta, vt res ſunt, vt diximus art. præcedente §. 3. ad 1. Quare licèt frigus productum ab igne per potentiã obedientialem in genere rei ſit eiuſdẽ ſpeciei cum frigore producto à niue; non tamen eſt eiuſdem ſpeciei cum eo in ratione obiecti formaliter ſumpti: quia eſt obiectũ niuis vt eſt naturaliter producibile; ignis verò, vt eſt producibile ſupernaturaliter.

14. Ab arg. Cabreræ. Nec ſecundò vim habet, quod aliqui obiciũt; obiectũ. ſc. potentiæ obedientialis eſſe quid vagũ, & incertũ; & ob id nullã habere trãſcendentalẽ relationẽ ad ſuũ obiectũ; imò nec habere vnã formalẽ agẽdi rationẽ. Non habet, inquã, vim vllã hęc obiectio; quoniam licèt admittamus, obiectum potentiæ obedientialis materialiter ſumptum eſſe incertum, & vagũ; quia eſt omne id, quod nõ implicat: nõ tamen id admittimus de obiecto formaliter ſũpto: hoc enim eſt obiectum quoddã vnũ determinatæ rationis, & ſpeciei; quia eſt ratio ſupernaturalitatis, ſub qua reſpicit, & diuinã omnipotentiã, vt cauſam principalẽ, & potentiã obedientialẽ, vt cauſam inſtrumentariã; quę ratio eſt vna ſpecie, vt dicemus in ſequẽti §. vnde poteſt habere vnã trãſcendentalẽ rationẽ ad omne id, quod nõ implicat, quaten⁹ includit rationẽ poſſibilis ſupernaturalis; & poteſt habere vnã agendi rationem: quia agit ſub ratione tẽdentiæ ſupernaturalis, ſub qua tendit in omne id, in quod tendit. Et ad hunc ſenſum explicanda ſunt, quę veluti per trãſitum diximus lib. 4. q. 5. art. 3. §. 3. num. 20. ad finem.

§. 3.

Vtrùm ſit vna ſpecie potentia?

Hanc difficultatem excitauit Suarius 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 6. *ad* 5. *arg. principale pagin.* 617. *col.* 1. *§. Aliunde verò, & col.* 2. *§. Hinc deniq;* eam ita reſoluit, vt dicat, hanc potentiã in vnaquaq; creatura eſſe vnã, ſi ſumatur ſecundum rem; in diuerſis verò eſſe diuerſam: ſecundum rationem tamen in omnibus eſſe vnam; ratione tamen, & ſecundum cõceptus inadæquatos, eſſe multiplicem: Fonſeca *autem* 9. *Metaph. cap.* 1. *q.* 4. *ſect.* 3. *pag.* 611. *col.* 2. *§. His adiunge*, ſatis ſignificat, potentiam obedientialem, quæ eſt in vna creatura, eſſe ſpecie, aut quaſi ſpecie diſtinctam à potentia obedientiali, quæ eſt in alia. 15. An ſit vna ſpecies. Opinio Suarij. Opinio Fõſecæ.

Pro reſolutione præmittimus, hoc loco non inquiri de vnitate, aut pluralitate huius potentiæ ſecundum rem; ſed ſecundum formalem, & ſpecificam illius rationem, eo modo, quo illi conuenit ratio ſpeciei: cum enim impropriè ſit potentia, vt ſupra diximus, non poteſt habere propriam ſpeciem potentiæ, ſed quaſi ſpeciẽ. Vt tamen omnia explicentur, duas ſtatuimus propoſitiones. 16. Præmiſſũ.

Sit 1. propoſitio: *Potẽtia obediẽtialis in qualibet re creata eſt vna ſecundum rem; in diuerſis verò eſt realiter plurificata.* Hæc propoſitio euidens eſt ex ijs, quæ diximus art. 9. ex illis enim conſtat, potentiã obedientialem realiter identificari cum re, quam facit obedientialiter potentem. Ex quo infertur hanc potentiam in qualibet re eſſe vnam ſecundum rem; in diuerſis verò eſſe realiter diuerſam; nã cũ diuerſæ creaturæ inter ſe realiter diſtinguãtur, neceſſe eſt, vt hęc potentia in diuerſis ſit realiter diuerſa, & plurificata: In hac propoſitione omnes conuenimus cum Suario: 17. 1. Propoſitio.

Secunda propoſitio: *Potentia obediẽtialis actiua ſumpta formaliter in omnibus creaturis eſt eiuſdẽ rationis ſpecificæ: nec vllo modo poteſt eſſe multiplex, etiã per rationẽ, conceptusque inadæquatos noſtri intellectus.* In priori parte huius propoſitionis nobiſcũ cõſentit Cabrera 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *diſp.* 6. *dub.* 5. *pag.* 49. *col.* 2, atq; etiam Suar. *loco citato*: qui tñ ſecundã partẽ illius non recipit. Vtranq; tamen confirmabimus. 18. 2. Propoſ. Cabrera.

Et priorem Suarius ex eo confirmat; quia Suarius.

19. *Confirmatur ex Suario.* quia hæc potentia omnibus rebus conuenit ſub eodem titulo, & quaſi ſub eadem ratione, quatenùs ſcilicet, omnis creatura eſt ſubdita ſuo Creatori: cum enim huic potẽtiæ, quatenùs eſt actiua, deneget propriam ſpeciem; nec illi aliam concedat, niſi eam, quam habet ipſa entitas creata, vt diximus in d. art. 9. vnitatem eius non ſumit ex obiecto, aut ex effectu; ſed ſolũ ex ſubiecto, quatenus diuinæ omnipotẽtiæ ſubijcitur. Sed hanc opinionem iam *Nõ recipere.* reiecimus in §. præcedente, & latius art. 9. etenim potentia obedientialis, ſub ratione potentiæ, aliquã quaſi ſpeciem habet, vt diximus §. 1. & 2. hanc autem nõ ſumit ex ſubiecto, ſed ex obiecto, vt formaliter eſt obiectum: etenim ratio ſubiectionis potius eſt ratio, cur denominetur obedientialis, quàm ratio eam ſpecificans ſub ratione potentæ.

20. *Confirmatur ex Caietan.* Cabrera *vbi ſuprà* §. 2. *n.* 8. 9. *&* 10. eandẽ priorem partem duabus rationibus cõfirmat: quarũ prima in eo laborat, vt probet, rationẽ potẽtiæ obedientialis nõ eſſe vnã vnitate analogię, aut attributionis, aut ꝓportionalitatis. Secunda verò, vnitatẽ ſpecificã huius potentiæ ſumit ex ratione entis creati, quæ, vt ait, eſt eiuſdem rationis *Non placet* in omnibus rebus creatis. Sed prima ratio rem potius confundit, quàm explicet. Secunda verò potius concludit oppoſitum, quaàm propoſitum: quod facilè oſtenderemus, niſi ad altiora properaremus.

21. *Vera confirmatio.* His igitur, & alijs rationibus omiſsis, vera probatio prioris partis ſumenda eſt ex ijs, quæ §. 2. immediatè diximus: etenim quęcũque potentia eo modo, quo eſt potẽtia, ſicut ſuã ſpeciẽ ſumit ab obiecto, vt obiectũ eſt; ita ab eodem, vt tale eſt, ſumit ſuã ſpecificam vnitatem; ita vt ſit vna ſpecie, ſi ſpecificatur à ratione formali *Conimbr.* vnius ſpecificæ rationis: quæ eſt communis, & vera philoſophia, de qua Conimbricenſes *in* 2. *de Anima cap.* 3. *q.* 5. *art.* 2. *pagina.* 120. *poſt principium*: cum verò potentia obedientialis actiua ſpecificetur ab obiecto poſsibili ſub ratione ſupernaturalis, vt diximus §. ſecnndo, & ratio ſupernaturalitatis in omnibus ſupernaturalibus creatis ſit vnius ſpecificæ rationis; ſicut naturalitas in omnibus entibus naturalibus eſt vnius imfimæ ſpeciei; benè infertur, potentiam obedientialem actiuam eſſe vnam ſpecie potentiam, in ratione potentiæ: ſicut potentia intellectiua eſt vna ſpecie potentia, quia ratio intelligibilis, à qua ſpecificatur, eſt vnius ſpecificæ rationis in omnibus entibus, quæ intelliguntur.

22. *2. pars propoſitionis.* Poſterior pars ſecundæ propoſitionis (quatenus aſſerit potentiam obedientialem actiuam ita eſſe vnam ſpecie, vt nec per rationem ſit multiplex) non recipitur à Suario: at tamen ex eo eſt recipienda, quia multiplicitas, etiam ſecundum rationem, non eſt admittenda ſine aliquo fundamento: nullũ autem datur, vt hæc multiplicitas, etiam ſecundùm rationem, admittatur: etenim hæc multiplicitas, nec ſumi poteſt ex ratione formali ſupernaturalitatis, à qua potentia iſta ſpecificatur; quia hæc in omnibus obiectis eſt eiuſdem rationis ſpecificæ: Nec in ea reperiri poteſt aliquod fundamentum, ex quo intellectus multiplicẽ ſupernaturalitatem concipiat. Sicut nec vllum habet fundamentum, vt rationem naturalitatis multipliciter diſtinguat. Nec deniq; multiplicitas iſta diſtingui poteſt ex ordine ad varios effectus ipſius potentię, quidquid Suarius oppoſitum doceat; quia licèt effectus illius, vt materialiter ſumuntur, ſint diſtinctarum ſpecierum; tamen, cũ, vt ſic, potentiam ipſam non ſpecificent, nullo modo eam diſtingunt, & multiplicant, etiam ſecundum rationem: quia diſtinctio, & multiplicatio potentiæ, etiam quæ virtualis eſt, & ſit ſecundùm rationem, non poteſt ſumi, niſi ab eo, à quo potentia ſùmit ſpecificam vnitatem: & ob hanc rationem obiecta viſus, licèt vt res ſunt, inter ſe diſtinguantur ſpecie, nullã in ipſa potentia viſiua faciunt multiplicitatem, etiam ſecundam rationem: & eodem modo nullam multiplicitatem faciunt in intellectu obiecta, quanuis in eſſe rei diſtinguantur ſpecie. Nec aliquis vnquam dixit, potentiã viſiuã, aut intellectiuã eſſe multiplicem, etiã ſecundũ rationẽ; non ob aliam rationem, niſi quia actus, & obiecta harum potentiarum, licèt, vt res ſunt, ſint multiplices ſpecie; nõ tamen eã multiplicitatẽ habẽt, prout potentiã ipſã reſpiciunt. Similiter igitur effectus huius potentiæ obedientialis, licet, vt res ſunt, diuerſæ ſin. ſpeciei, ideo non multiplicabunt ipſam, quia illam repiciunt ſub vna infima obiecti ratione.

23. *Explicatur 2. propoſitio.* Hanc ſecundam propoſitionem intelligimus, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali, vt eſt obedientialis: nam ſi ſermo ſit de illa, vt identificatur cum forma actiua creaturæ (v.g. cum calore ignis) & conſideretur vtraque caloris actiuitas; v. g. ad calefaciendum, quæ igni eſt naturalis; & ad torquendum dæmones, vt eſt potentia obedientialis; libenter admittimus illam virtutem, quæ ſecundũ rem eſt vna, in ratione potentiæ eſſe multiplicẽ; quia vna eſt potentia naturalis, & altera obedientialis: at tamen non admittimus hãc vnam in re virtutem ſolùm eſſe multiplicem ſecundum rationem, & conceptus inadæquatos noſtri intellectus, quãuis Suarius hoc admittat; quoniam inter vtrãq; potentiam datur diſtinctio ex natura rei, vt oſtendimus art. 10. §. 3. concl. 7. Et ita ceſſat fundamentum Suarij, quòd potentia iſta nihil, aut realiter, aut modaliter ex natura rei diſtinctũ ſupperaddat entitati: hanc enim opinionem impugnauimus in d. art. 10.

24. *Arg. contra 2. propoſitionem.* Contra ſecundam propoſitionem plura argumenta adducit Cabrera in d. dub. 5. §. 1. in quorũ ſolutione adeò laborat, vt rẽ potius cõfundat, quã explicet: nõnulla eorum breuiter referemus, & ſoluemus.

25. *1. Argum.* Primum eſt; quoniã potentia obedientialis ſequitur rationem entis creati. Sed ratio, entis eſt analoga. Ergo ipſa potentia obedientialis ſolũ erit vna vnitate analogica. *Solutio.* ¶ Ad hoc argumentũ reſpondet, ibidẽ §. 3. nu. 11. Sed omiſſis, quæ affert argumentum nullam habet vim: Primò, quia maior eſt neganda ſuppoſita noſtra opinione, quòd potentia obedientialis eſt quid ſupernaturale ſuperadditũ entitati à Deo ſupernaturali authore, qui potuit tale poſitiuũ nõ ſuperaddere. Quare falſum eſt potentiã obedientialẽ ſequi rationem entis creati. Secundò; quoniã admiſſa maiore ſimul cũ minore, nulla eſt cõſequentia: quia etiãſi potentia obedientialis eſſet aliqua paſſio entis creati; nõ tamen ab ente creato ſpecificaretur, ſed à ſuo obiecto, vt obiectũ eſt; & ideo ſuã vnitatẽ ſumeret, non ab vnitate analogica entis, ſed ab vnitate vniuoca obiecti, vt ſupernaturale eſt, vt patet ex §. 2. Ex quo etiã intelliges nullitatẽ cõſequentiæ: quia riſibile ſequitur rationẽ eſsẽtialẽ hominis: non tñ ſpecificatur ab ea, ſed ab obiecto: & inde eſt, vt ab eadem eſsentia poſsint plures paſsiones emanare.

26. *2. Argum.* Secundum argum. ſubſtantiæ, & accidenti nihil poteſt eſſe vniuocũ. Sed potẽtia obedientialis eſt cõmunis ſubſtantiæ, & accidenti: quia in vtroque reperitur. Ergo nõ poteſt eſſe quid vniuocũ. *Solutio.* ¶ Pro ſolutione multa ſcribit Cabrera *in d. §. n. 12. & 13.* Facilius reſpõdebis, ſubſtãtiç, & accidenti nullũ dari poſſe prædicatũ vtriq; eſſentiale, quod ſit vniuocũ, iuxta veriorẽ, & cõmuniorem ſententiã: poſſe tamẽ dari plura prædicata accidentaria, & vniuoca: nam vt omittamus prædicata ſuper trãſcendentalia, vt intelligibile, appetibile, & alia huius generis; plures eſſendi modi poſſunt ſub vna vniuoca ratione vtrique cõuenire; vt eſſe exiſtẽs; eſſe finitũ; eſſe poſsibile; & alij huius generis: iã verò potentia obedientialis, de qua agimus, ſupra entitatẽ creatã ſolũ addit modũ eſſendi, vt ſępè diximus. Poteſt igitur ſub vna vniuoca ratione, & ſubſtantiæ, & accidẽti conuenire.

27. *3. Argum.* Tertium argum. potentiæ diſtinguuntur per actus; ita vt iuxta formalẽ diuerſitatẽ actuũ conſtituantur diuerſæ potentiæ. Sed actus ad quos potẽtia obedientialis ordinatur, ſunt plures, & ſpecie diuerſi, vt patet. Ergo potentia obedientialis actiua nõ eſt vna ſpecie, ſed plures. ¶ Ad hoc argumentũ Cabrera *vbi ſuprà n. 15.* maiorẽ ſolũ admittit in potentijs naturalibus: nõ verò in potentia obedientiali: hæc enĩ vt ait, nõ ſpecificatur per actus, ſed per ordinẽ ad diuinã omnipotentiã. Sed hãc opinionem iam nõ admiſimus in pręcedẽte §. *Vera ſolut.* Dicendũ eſt igitur potentias quidẽ, quę cũq; illæ ſint, diſtingui per actus, quia id docet Ariſto. in libris de Anima; nec aliquid cogit hãc philoſophiã nõ admittere in potentia obedientiali actiua, eo modo, quo rationẽ potentiæ ſortitur. Addimus tamen illã Ariſtotelis philoſophiã nõ eſſe intelligendã de actibus quocũque modo ſumptis; ſed prout ſubalternãtur ipſi potentiæ, & in eã tendũt ſub ratione formali obiecti, vt obiectũ eſt: cũ enim ex Ariſtotele ab obiecto, vt obiectũ eſt, ſpecificentur; ſub eadem ratione tendunt in potentiam, & illam immutant, vt optimè docuerunt Conimbr. *in 2. de Anima c. 3. q. 5. art. 2. pagin. 120. §.* *Conimbr.* His ita conſtitutis, & conſentit vera Philoſophia: hinc enim eſt

vt

vt actus ſpecie diſtincti eliciantur ab vna ſpecie potentia: viſio enim albi, & viſio nigri, quamuis ſpecie diſtinguantur, vt terminantur ad album, & nigrum, vt materialiter ſunt entia; tamen quatenùs habent rationē actus, per quos viſus in obiectum tendit ſub ratione viſibilis (ſub qua ratione color eſt obiectū formale viſus) non diſtinguuntur ſpecie, ſed eiuſdē ſunt ſpeciei. Hac ſuppoſita philoſohia (de qua videndi ſunt Conimbricenſes) argumentum non habet vim: quia licèt actus potentiæ obedientialis differant ſpecie, vt res ſunt; non tamen prout ſub ratione ſupernaturali reſpiciunt potentiam obedientialem.

28. 4. Argum. Quartum argumentum: potentia obediētialis in vna re creata reſpicit actus, quos in alia reſpicere non poteſt. Ergo nō eſt eiuſdem rationis in omnibus. Conſequētia videtur nota: antecedēs probatur; quia potentia obedientialis in homine reſpicit fidem, Charitatem, & gratiam; quæ tamē non reſpicit potentia obedientialis, quæ eſt in igne, aut lapide. Præterea potentia obedientialis, quæ eſt in igne ad agendum quamcunque aliam creaturam, nō eſt, vt ipſe ignis ſeipſum producat: cum tamen illa, quæ eſt in lapide, aliauè creatura, poſſit ipſum ignem producere. Quo argumento Fonſeca loco citato putat potentiam obedientialem nō eſſe vnam ſpecie, in omnibus creaturis; ſed in ſingulis ſpecie diſtingui ab ea, quæ eſt in alia. Ex quo infert potentiam obedientialem non eſſe vnam ſpecie, ſed plures.

29. Solutio ex calore. Ad hoc argumentum reſpōdet Cabrera *vbi ſuprà num.* 17. *&* 18. & ait argumentum non arguere diuerſitatem ſpecificam inter potentias obedientiales, quæ ſunt in diuerſis ſubiectis; ſed ſolū arguere diuerſitatē materialem, & indiuidualem in vna & alia potentia obedientiali ratione ſubiecti, in quo reperitur: cum qua indiuiduali diuerſitate benè ſaluatur vnitas formalis, & ſpecifica in vna & alia potentia. Id cōfirmat nonnullis adductis exemplis: nam calor ignis, & calor animalis ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen calor in igne generat ignem, & nō carnē; in animali autē generat carnem, & non ignem. Calor etiā naturalis, qui eſt in viro, & qui eſt in fœmina, eiuſdē ſunt ſpeciei, & tamē in fœmina generat lac; non tamē in virò. Potentiæ etiā ſenſitiuæ vitales, licèt in homine, & in bruto ſint eiuſdem ſpeciei: tamen in homine poſſunt diſcurrere; non tamen in bruto. Denique materia prima, antequam habeat formam, naturaliter inclinatur in eā; non tamen poſt illius ſeparationem: cum tamen materia ſemper permaneat eadem ſpecie. Ex his concludit potentiam obedientialem in vno ſubiecto habere vnum actum, quem in alio habere nō poteſt, nō arguere diuerſitatem ſpecificam in ea, ſed ſolam indiuidualem, & numericam, & ob id argumentum non habere firmam conſequentiam.

Hæc tamen ſolutio plura cōtinet, quæ vel ſunt dubia (dubium enim eſt, an calor elementaris, & animalis ſit eiuſdē ſpeciei, vt patet ex Conimbricenſibus *lib. 2. de Generatione cap.* 3. *q.* 7.) vel ad rem non pertinent; vt omittamus, eā non ſatis poſſe acōmodari potentiæ obedientiali, ſi illa ſolùm eſt modus entis, vt exiſtimamus. 30. Non placet. Conimb.

Ad argumentum igitur negandum eſt antecedens, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali, quæ concurrit, vt inſtrumentum: etenim ad quemcunque effectum, ad quē concurrit potentia obedientialis, quæ eſt in hac re creata; ad eundem poteſt concurrere potentia, quæ eſt in alia, ſi à Deo ad illum agendum aſſumatur. Propria ſolutio.

31. Ad primam probationem antecedentis dicimus, potentiam obediētialem, quæ eſt in igne, poſſe inſtrumentaliter concurrere ad producendam Fidem, Charitatem, & gratiam in Petro: vt patet in aqua Baptiſmi, & in Oleo Confirmationis, & Sanctæ Vnctionis, atque etiam in verbis conſecrationis, & aliorum Sacramentorum: his enim omnibus, tanquam Dei inſtrumentis confertur gratia, & producuntur Fides, Spes, & Charitas. Poteſt igitur Deus potentiam obedientialem, quæ eſt in igne aſſumere, vt inſtrumentum ad producendum illos ſupernaturales habitus in Petro; imò etiam in lapide, vt verior habet opinio: quæ etiam docet poſſe Deum ponere in lapide, entitatem actus intelligendi, & volendi, tàm naturalem, quàm ſupernaturalem: nam quamuis implicet lapidem per talem entitatem eſſe, aut videntem, aut volentem; quia ſunt actus vitales; non tamen implicat ponere in lapide entitatē illorum actuum ſine effectu formali: &

& in hoc ſolũ diſtinguitur lapis, aut brutum ab homine. Nec ſolùm poteſt Deus per potentiam obedientialem, quæ eſt in igne, ponere in Petro illos habitus, & actus ſupernaturales; ſed etiam poteſt per potentiam obedientialem, quæ eſt in intellectu Petri, inſtrumentaliter cauſare illos omnes effectus in bruto, & in lapide. Quare negandum eſt id, quod in prima probatione antecedentis ſumitur, tanquã certum. Secunda probatio adducta à Fõſeca parũ habet efficaciæ: nam quòd potentia obedientialis, quæ eſt in igne, non poſſit producere ipſum ignẽ, in quo eſt, de per accidens eſt: quia ideo id non poteſt: quia implicat vnumquodque ſe ipſum producere.

32. *Vltim. arg.* Vltimũ argumentum: Potentiæ obedĩtiales non eodem modo reſpiciunt Dei omnipotentiam. Ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Conſequentia probatur; quia potentiæ obedientiales ſuã ſpeciem ſumũt in ordine ad diuinam omnipotentiam: quare ſi diuerſo modo eam reſpiciunt, erunt diuerſę ſpeciei. Antecedens probatur; quoniam quædam potentiæ obedientiales reſpiciunt Deum, vt authorem gratiæ, & eorum, quæ ſunt ordinis diuini: quædam verò illum reſpiciunt, vt Authorem naturæ, operantem naturalia, non ſecundum leges naturæ, ſed modo ſupernaturali: quo pacto reſtituit viſum Cæco.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondet Cabrera in dicto §. 3. num. 19. Facilis eſt ſolutio, ſi negemus, potentiam obedientialem reſpicere Deum, vt Authorem naturę, etiam in his naturalibus, quæ ſupernaturaliter operatur: hæc enim non operatur, vt Author naturæ; cùm illa non operetur, vt debitor illorum, ſed vt Author gratiæ; prout id dicitur gratia, quod liberaliter datur: & ita ceſſat vis argumẽti: ſupponit, enĩ Deũ, vt authorẽ ſupernaturalem ſolùm operari, quæ pertinent ad gratiam, quæ eſt ordinis diuini: quod eſt falſum.

§. 4.

Vtrùm potentia obedientialis actiua finita ſit; an infinita.

33. *Vtrũ ſit infinita?* HAc de re agit Suari⁹ *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. ad 8. arg. pagin. 619. col. 2. §* *Octauum argumentum*; vbi in potentia obedĩtiali actiua triplicẽ diſtinguit infinitatem: vnam ex parte ſubiecti, quam appellat entitatiuam. Secũdam ex parte obiecti, quam vocat extenſiuam; tùm quoad numerum obiectorum numero, & ſpecie differentium; tùm quoad intenſionem effectorum. Tertium deniq; quoad modum. *Triplex infinitas.*

34. *1. Concluſ.* Hac præmiſſa infinitatis diſtinctione, ſit prima concluſio: *Potentia obedientialis non eſt infinita entitatiuè.* Ponitur à Suario *vbi ſuprà pag. 620. §. De poſteriori autẽ.* *Suarius.* Eſt omninò indubitata: tùm, quia nulla res creata poteſt eſſe entitatiuè infinita; tùm etiam; quia potentia obedientialis de qua agimus, identificatur cum re creata, in qua reperitur, vt oſtendimus ſuprà ar. 9. & 10. Deus autem de facto nullã rem creauit entitatiuè infinitam.

35. *2. Concl.* Secunda Concluſio: *Potentia obedientialis actiua, abſolutè loquendo, & in ordine ad diuinam potentiam, eſt infinita, & illimitata ex parte obiecti: tùm quoad extenſionẽ obiectorum numero, aut ſpecie differentium: tum etiam; quoad effectorum, actuumve intenſionem: de facto tamen vtroque modo eſt limitata, & finita.* Prior pars admittitur à Suario *in dicta pag. 619. col. 2. §. Priori modo*, & eſt de mente omnium: omnes enim concedunt, potentiam obedientialem actiuam datam eſſe rebus creatis, prout diuinæ omnipotentiæ ſubijciuntur: hæc autem illuminata eſt, & infinita ex parte obiecti, & quoad extenſionem numeralem obiectorum, & quoad intenſionem effectuum: quia, ſicut non poteſt tot obiecta producere, quin plura producere valeat; ita etiam non poteſt facere effectum ita nobilem, quin nobiliorem valeat efficere, vt nota habet Philoſophia. Ergo potentia obedientialis, quæ diuinæ omnipotẽtiæ ſubijcitur, illimitata eſt, & infinita in ratione potentiæ. *1. pars eſt communis.*

36. *2. pars probatur.* ¶ Poſterior pars facilè oſtenditur: quoniam hæc potentia obedientialis de facto non eſt data rebus, quoad omnia, quæ Deus per eam poteſt facere; ſed quoad omnia, quæ Deus per eam facere decreuit, iuxta communem modum loquendi Theologorum, qui ſa is colligitur ex Auguſtino *9. de Geneſi ad literam cap. 17.* tùm ex eo, quod ſcribit, Deũ hanc potentiam rebus didiſſe, dum eas ſubiecit voluntati ſuæ: tùm etiam ex eo, quod ait, Deum rebus dediſſe, vt poſſint facere ſupernaturalia, quæ in tempore facit: Deus autem *Auguſt.*

autem in tempore non faciet omnia, quę poteſt facere, ſed quæ decreuit facere: hæc autem, & numero, & intēſione ſunt finita, vt docet Theologia. Quare illa poſitiua idoneitas, & habilitas, quam Deus, vt author ſupernaturalis, rebus dedit ad omnia, quæ per eas facere vellet, nec illimitata eſt, & infinita quoad numerum obiectorum; nec quoad intenſionem; ſed finita potius, & limitata; cum Deus omnia; quæ facit, aut facturus eſt, facturus ſit in numero, & menſura. Accedit etiam; quia poſitiua illa obedientialis potentia, & habilitas ad infinita, etiam ſyncathegorematicé, fruſtra poneretur in rebus; cũ nec debeat, nec poſſit ad actum reduci. Quare, quod Theologi communiter dicunt, potentiam iſtam obedientialem ſe extendere ad omnia, quæ non repugnãt; non eſt intelligendum de potentia obedientiali poſitiua, quæ de facto datur, tãquam modus poſitiuus rebus ſuperadditus, vt diximus; ſed de potentia obedientiali negatiua, quam res habent ſibi connaturalem, in ordine ad potentiam abſolutam Dei.

37. 3. concl. Tertia concluſio: *Potentia obedientialis actiua quoad modum agendi, non poteſt dici illimitata, & infinita, ſed finita potiùs & limitata.* Oppoſitum docet Suarius in dict. pag. 619 col. 2. §. *Tertiò hæc infinitas*, ſed noſtra cõcluſio euidenter probatur; quoniam, ſi potentia iſta obedientialis eſſet aliquo modo illimitata quoad modũ agẽdi, ideò talis eſſet, quia omnẽ agendi modum in ſe includeret, naturalem ſcilicet, & ſupernaturalem; quia ſcilicet non ſolũ ageret modo præternaturali, ſupernaturalique; ſed etiam modo naturali: quod eſt fundamentum Suarij. At tamen hæc doctrina non eſt admittenda: quia licet iſta potentia immutet res, non ſolùm ad formas ſupernaturales; ſed etiam ad naturales (nam lutum per ſuam obediẽtialem potentiam cæco viſum reſtituit, qui eſt forma naturalis) non tamen formas naturales immutat modo naturali, ſed ſupernaturali: ob quam rationem formæ illæ, licet naturales ſint quoad ſubſtantiã; ſunt tamen ſupernaturales quoad modũ, vt omnes fatentur. Quod etiam ex eo patet; quia potentia obedientialis eo modo, quo eſt potentia, ſpecificatur per rationem ſupernaturalis, tanquam per rationem formalem obiectiuam, ſub qua potentia ipſa tendit in omnem formam, in quam tendit, vt diximus §. 2. Quare potentia obedientialis nulla ratione poteſt immutare aliquid modo naturali.

¶ Prima concluſio eſt omninò indubitata; ſimiliter & tertia: contra priorem partem ſecundæ ſe ſe obijcit nõ facilis difficultas; quia non videtur poſſe conſiſtere cum prima concluſione: nec enim fieri poteſt, vt potentia obedientialis ſit infinita, & illimitata obiectiuè quoad numerum, & intẽſionem obiectorum; quin ſimul ſit infinita entitatiuè; quod repugnat primæ concluſioni. Sequela probatur: quoniam potentia obedientialis actiua eſt vna ſpecie, vt diximus §. 3: eſt etiã permanens in ipſis rebus creatis, cum ſit illis congenita, vt admittimus: & præterea eſt principium poſitiuum ad operãdum omnia, quæ poſſunt à Deo ſupernaturaliter fieri, vt ex Auguſtino diximus in 1. art. huius quæſtionis: hæc autẽ & numero, & ſpecie, & perfectione ſunt infinita; cum Deus ſit omnipotens. Ergo potentia obedientialis actiua erit infinita entitatiuê: probatur hæc conſequentia; quia non poteſt illo modo eſſe infinita, & illimitata, niſi habeat diuinam omnipotentiam ſibi communicatam: ob quam rationem *D. Thomas* 2. 2. *q*. 178. *art*. 1. *ad* 1. putat eſſe impoſsibile dari vnam aliquam qualitatem permanentem, quæ ſit principium operandi omnia, quæ ſupernaturaliter poſſunt à Deo fieri. Fonſeca etiam 9. *Metaph. c*. 1. *q*. 4. *ſect*. 2. *pag*. 608. *litera C*. hoc argumento impugnat potẽtiam obedientialem eſſe aliquam poſitiuam qualitatem ſuperadditam rei createę; quia ſcilicet talis qualitas non poſſet non eſſe entitatiuè infinita, ſi admittatur eſſe infinita extenſiuè ad omnia, quæ Deus ſua omnipotentia poteſt facere. Idem igitur dicendum erit de potentia obedientiali; vt ſcilicet non poſsit non eſſe entitatiuè infinita, ſi entitas illa poſitiua, vt eſt Deo ſubiecta, poteſt in omnia, quæ Deus ſua omnipotentia poteſt. 38. Argumentũ cõtra 2. concl. D. Thom. Fonſeca.

39. Solutio. Ad hoc argumentum dicimus primũ, illud vim non habere, ſuppoſita noſtra ſententia; quoniam potentia obedientialis, quam ponimus, de facto non eſt infinita extenſiuè infinitate ſyncathegorematica, vt diximus; quia ſolùm eſt ad ſu-

pernaturales effectus, quos Deus per illā facere decreuit, qui ſunt numero finiti, vt patet. Deinde dicimus, nec argumentum vllam vim habere, ſi potentia obedientialis haberet infinitatem extēſiuam ſyncathegorematicè, vt patet ex dictis ſuprà *q. 2. art. 8. §. 2. n. 10. 11. & 12.* vbi oſtēdimus infinitatem entitatiuam non benè inferri ex infinitate ſyncathegorematicè extenſiua, niſi cum virtus ſyncathegorematicè infinita eius eſt naturæ, vt ex ſe ponit in infinitum cathegorematicum, quod extra illam ſyncathegorematicam infinitatem, ſi non dari, concipi tamen poteſt; qualis eſt ſola infinitas ſyncathegorematica, quæ in Deo reperitur: diuina enim infinitas extenſiua ex ſua natura poſſet producere actu infinitum, ſi illud foret poſsibile: ob quam rationē in Deo ex infinitate extenſiua optimè conuincitur infinitas entitatiua. Hoc autem nō reperitur in potentia obedientiali data creaturis: quia illa, ſicut ſemper concurrit ad effectum concurſu finito; ita ſemper concurrit ad effectum finitum; nunquam autem ad infinitum actu: hoc enim vel eſt ſimpliciter impoſsibile, vt vera habet opinio: vel ſi eſt poſsibile, vt Nominales volunt, ad illud creatura per ſuam potentiam obedientialem, nec inſtrumētaliter poſſet concurrere, ſed ſolus Deus immediatè per ſe ipſum, vt modò ſupponimus.

40. Confirmatur ſolutio. *Suarius.* His accedit id, quod ſatis doctè aduertit Suarius *in d. ſect. 6. pag. 620. col. 1. §. De poſteriori autem:* quoniam infinitas iſta extenſiua, & ſyncathegorematica non oritur ex perfectione entitatis creatæ, in qua ineſt obedientialis potentia; ſed ex omnimoda ſubiectione, quam habet ad omnipotentem Dei voluntatem, cui in agendo ſubalternatur; vnde indiget ſupernaturali eleuatione. Vt omittam⁹, qđ illa infinitas extenſiua entitati illi non cōuenit, niſi vt agenti inſtrumentali: & inde eſt, vt effectus illi infiniti, nec virtualiter, nec eminenter contineantur in virtute actiua propria talis entitatis; ſed ſolùm in virtute Dei principalis agentis, quæ eſt ſimpliciter infinita. Quod autem obijcitur ex D. Thoma, intelligitur de qualitate vna permanente, quæ ſit principium operandi omnia, quæ Deus poteſt; non quidem inſtrumentale, ſed principale, vt legenti facilè patebit, & ſatis explicat Bergomenſis dub. 944.

§. 5.

Vtrùm potentia obedientialis actiua in omnibus ſit æqualis?

Hæc quæſtio inuoluit aliam; an potentia obedientialis ſuſcipiat magis, & minus? etenim ſi illa in aliquibus eſt inæqualis, non poteſt magis & minus non ſuſcipere; ſecus dicendum eſt, ſi in omnibus æqualis fuerit. In hac quæſtione omnes conueniunt, potentiam obedietialem in entitatiua perfectione nō eſſe in omnibus æqualem: quia non omnes entitates, cum quibus in ſingulis creaturis identificatur, ſunt æqualis perfectionis; ſed aliæ alijs præſtant, vt patet: nō conueniunt tamen omnes, an potentia obedientialis formaliter ſumpta in omnibus ſit æqualis? Quidam affirmant, vnde negant eam ſuſcipere magis, & minus: ita *Nauarrete 1. tom. controu. 41. fol. 255, col. 3. & 4. & ſatis conſenſit Suarius libr. 2. de attrib. negat. c. 21. n. 13. & docet Fonſeca 9. Metaph. c. 1. q. 4. ſect. 3. pag. 610. col. 2. §. Tum etiam ſi ipſe.* Oppoſitum probat Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 1. art. 1. §. 2. n. 10. & 11. 41. Vtrum in omnibus ſit æqualis? Entitatiuè non eſt æqualis. An formaliter ſit æqualis? dubitatur. *Affirmāt Nauarr. Fonſeca. Negat Cabrera.*

42. Reſolutio. Ego puto priorem ſententiam veram eſſe, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali in ordine ad potentiam abſolutam Dei; in ordine ad quam formaliter ſumpta ſolùm dicit quādam non repugnantiam ad agendum cum Deo, quidquid non implicat: hæc autē non repugnantia in omnibus rebus eſt æqualis, vt per ſe patet. Porrò ſi ſermo ſit de potentia obedientiali poſitiua, quam ponimus art. 9. concl. 1. de facto quidem illa in omnibus eſt æqualis; illi tamen non repugnat in aliquibus eſſe inæqualem. Prior pars euidens eſt, ſi noſtra ſupponatur opinio: illa enim poſitiua ſubiectio, & obedientia ad ea, quæ Deus per vnamquanque rem creatam facere decreuit, in omnibus creatis eſt æqualis; at tamen, cum talis habilitas, & poſitiua obedientia pendeat ex libera, & ſupernaturali Dei ordinatione, & inſtitutione; ſicut abſolutè potuit rebus nō dari, vt diximus in d. art. 9. concl. 1. ita potuit non æqualiter omnibus dari. Nec D. Thomas 3. *p. q. 4. art. 1.* oppoſitum voluit, *D. Thom.*

luit, dum docuit, naturam humanam eſſe magis aſſumptibilem, quâm cæteras omnes naturas ſubſtantiales; quoniam agit de aſſumptibilitate ratione congruentię, non vero ratione obedientiæ, vt benè cũ plerſque alijs eum explicat Nauarrete vbi ſuprà. Et de his ſatis.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm potentia obedientialis actiua reperiatur in omni entitate creata? ad quæ ſe extendat? & vtrùm in omnibus concurrat, vt cauſa inſtrumentaria?

§. 1.

Vtrùm reperiatur in omni entitate creata?

1. Pars affirmans. *Suarius.* DE hac difficultate non conuenit inter nouiores. Partem affirmãtem conſtanter probat Suarius, affirmans, vnanquanque entitatem creatam, ſiue ex natura ſua ſit actiua, ſiue nõ, eſſe in potentia obedientiali, vt aſſumatur à Deo, ad quoſcunque voluerit effectus ſupernaturaliter producendos. Ita colliges ex ijs, quæ ſcribit 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 5. *ad finem, pag.* 587. *col.* 1. §. *Quod, ſi inquiratur, &* §. *Sed licet aliquis, & ſect.* 6. *ad* 8. *pag.* 620. *col.* 1. *ad finem, & ſect.* 8. *pag.* 617. *col.* 2. *in fine,* vide, quæ ſcribit in *d. ſect.* 6. *pag.* 608. *col.* 2. *cum ſequentibus.* Quod rurſus repetit 3. *tom. diſp.* 9. *ſect.* 1. *pag.* 108. *col.* 1. §. *Tertia difficultas.* Vnde ex illo omnes colligunt, eum in ea fuiſſe ſententia, vt potentiam obedientialẽ ponat in omni entitate, etiam non actiua; qualis eſt materia prima, quantitas, & relatio. Cum Suario ſatis conſentit Cabrera 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 1. *art.* 1. *diſp.* 6. *dub.* 4. *n.* 2. *& dub.* 5. *n.* 1. quatenus docet, potentiã obedientialem ſequi rationem entis creati, vt creatum eſt, & ſatis explicat in eodẽ *dub.* 5. §. 2. *n.* 8. dum ait, potentiam obedientialem in omnibus rebus eſſe eiuſdẽ rationis formalis; & omnes creaturas quo ad iſtam potentiam eſſe pares; ſupponit igitur eam eſſe in omnibus rebus creatis. *Cabrera.*

Albertin Satis etiam conſentit Albertinus in ſuis *corollarijs q.* 1. *theologica in* 1. *corollarium in* 2. *&* 3. *dub.* quatenus vult, potentiam obedientialem fluere ab entitate creata, vt eſt talis. Vnde *dub.* 1. *ad* 2. *arg. pag.* 183. *col.* 2. *B.* eam admittit in relationib⁹ creatis, quæ non ſolùm nullam habent naturalem actiuitatem; ſed etiam ſunt minimæ entitatis. Non diſplicebit Bellarmino *tom.* 3. *lib.* 2. *de effectu Sacramentorum cap.* 11. *pag.* 180. vbi adducit deſcrimina inter inſtrumenta hominis, & Dei, & in 4. deſcrim. pag. 181. docet, hominem non poſſe vti qualibet re pro inſtrumento ſui operis; bene tamen Deum. *Bellarm.*

2. Oppoſita ſententia. *Fonſeca.* Oppoſitam tamen ſententiam probat Fonſeca 9. *Metaph. c.* 1. *q.* 4. *ſect.* 3. *pag.* 619 *col.* 1. §. *Volunt igitur*, vbi apertè negat, aut materiam primã, aut relationes creatas eleuari poſſe ad exercendas ſupernaturales actiones. Vnde latè impugnat, potentiam obedientialem, quæ ponitur principium effectiuum operum ſupernaturalium, darì in omnibus rebus, vt patet *in d. ſect.* 3. *pag.* 610. *col.* 2. *litera C. verſ. Tum etiam, ſi ipſe. & ſect.* 4. *pag.* 612. *col.* 1. §. *Secundo loco dicendum, vbi col.* 1. §. *Tertiò dicendum*, poſt multa concludit ſolas entitates rerum, quæ ex ſua natura aliquid agere poſſunt (ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidentia) habere potentiam obedientialem actiuam ad agendum ſupernaturalia. In quo etiam videtur conſentire Nauarrete 1. *tom. controu.* 41. *ſi expendantur, quæ ſcribit fol.* 254. *col.* 4. *in princip.* dum ait, quòd intellectus non haberet potentiam obedientialem actiuam, ſi nullã haberet naturalem actiuitatem. Expreſſiùs id docet *Cabrera* 2. *tom. ad* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. *diſp.* 2. § 4. *n.* 93. *& q.* 19. *art.* 1. *in cõmentario n.* 20. *Nauarret.* *Cabrera.*

3. 1. concl. Ego opinionem doctiſsimi Fonſecæ puto eſſe veriſsimam. Quare hanc ſtatuo concluſionem: *Potentia obedientialis actiua non reperitur in omni entitate creata; ſed in ea ſola, quæ aliquo modo eſt actiua alicuius effectus.* Hanc concluſionem euidenter deducemus ex ijs, quæ in hac q. 2. ſcripſimus: etenim ex art. 2. § 3. conſtat, creaturam, quæ à Deo aſſumi poteſt ad agendum, quæ ſunt ſupra naturam, eſſe obedientialiter potentẽ, vt quod ad agendum, quæ Deus per illã facere decreuit; idque ante ſupernaturalem eleuationem: etenim ex Auguſtino 9. *ſupra Geneſim ad literam c.* 17. *Deus hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt poſſit.* Ex quibus verbis manifeſte conſtat, Deum antequã ſua vtatur creatura, *Fundamentum.* *Auguſt.*

in ea feciſſe, quod poſſet: quare negari nõ poteſt, creaturam, antequam aſſumatur ad agendum, habere à Deo, quod poſsit agere, idque, tanquam agens, vt quod: nõ quidem, vt agens morale; vt iam oſtendimus art. 5. §. 3: creatura igitur ante eleuationem iam eſt potens agere, vt quod, actione, & influentia phyſica, inſtrumentali tamen. Ergo ante talem eleuationem iam habet potentiam obediẽtialem, quæ ſibi ſit principium agendi, ſaltem inchoatum, & incompletum: etenim ex recepta Philoſophia, omne potẽs agere, vt quod, eſt potens per aliquam potentiam, quæ illi ſit agendi principium. Cum verò creatura ante eleuationem ſit obedientialiter potens per potentiam obedientialem, vt patet; neceſſariò infertur, potentiam obedientialem eſſe creaturæ aliquod principium influendi, influentia quadam reali, & phyſica, quod ipſum realiter, & intrinſecè ſit in eo, vt oſtendimus artic. 6. §. 3: nullũ enim agens, vt quod, etiam inſtrumentale, poteſt realiter agere per principium agendi, quod eſt in alio; ſed per illud, quod in ſe habet, vt ibidem cum communi ſententia contra Fonſecam latè oſtendimus. Ergo potentia obedientialis, qua creatura fit formaliter potens, vt quod, non poteſt non eſſe aliqua entitas actiua, exiſtens in ea, qua adueniente ſupernaturali completione, verè, & realiter influat in effectum ſupernaturalem, quẽ Deus per eam vult facere. Conſequentia ſatis nota eſt ex dictis art. 7. §. 2. & euidenter deducitur ex antecedẽtibus: nam,
4. ſi creatura, antequam actu eleuetur, eſt obedientialiter potens, vt quod, ad agendum, quæ Deus voluerit: talis autem eſſe nequeat, niſi per verum principium agendi, quod in ea, & non in alio inſit; benè infertur potentiam obedientialem creaturæ non poſſe non eſſe aliquam entitatem actiuam, qua eleuata inſtrumentaliter influat in effectum principalem; ita vt illa ipſa entitas, quæ creaturæ eſt potentia obedientialis, verè, & realiter ſit ipſum principium agendi, quo in effectum influat, cum ad agendum per eleuationem completa fuerit: ex quo euidenter infertur, id quod creaturæ in inſtrumentum aſſumptæ in ipſa eleuatione de nouo communicatur, non eſſe nouam potentiam ad agendum; ſed ſolùm eſſe complementum ipſius potentiæ, quæ iam inerat.

His ſi adiungamus actiuitatem iſtam, & agendi virtutem, quam potentia obedientialis intrinſecè includit, non eſſe actiuitatem illam natiuam, quam Suarius commentatur, & fingit, vt art. 9. latiſsimè oſtendimus; ſed eſſe ipſammet virtutem, & actiuitatem, quæ ipſi entitati cum potentia obedientiali idẽtificatæ, ex principijs ſuæ naturæ ineſt; quæ, vt ſubijcitur motui naturalis agentis, eſt naturalis: obedientialis autem, vt ſubijcitur motui ſupernaturalis imperij (vt diximus art. 12. & colligitur ex Auguſtino, dum ait, Deũ rebus à ſe creatis dediſſe illud obediẽtiale poſſe in ea, quæ excedunt naturam; non vt ſubiacet motui naturali; ſed vt ſubiacet voluntati potentiori) neceſſariò infertur, potentiam obedientialem non reperiri, niſi in entitate, quæ ex ſua natura ſit actiua. 5. Confirmatur. *Auguſt.*

Quod ſatis confirmatur ex doctrina D. Thomæ 1. *p. q.* 45. *art.* 5. dum ait, fruſtra aliquid in inſtrumentum ad agendũ ſumi, ſi ad effectum agentis principalis nihil poteſt agere ſecundum id, quod eſt ſibi propriũ: agens enim de cauſa inſtrumentali, tam naturalis, quàm ſupernaturalis agentis, ita ſcribit: *Si igitur nihil ibi ageret ſecundum illud, quod eſt ſibi propriũ, fruſtra adhiberetur ad agendum.* Quã Philoſophiam eſſe certam affirmat Caietan. *ibidem §. Ad euidentiam huius difficultatis.* Ex qua doctrina neceſſariò colligitur, nõ poſſe creaturam aliquam aſſumi à Deo, tanquam inſtrumentum ad agendũ, quæ ſunt ſupra naturam; niſi illa poſsit aliquid agere ſecũdum id, quod ſibi eſt propriũ; & per conſequens, niſi illa ex ſua natura ſit actiua. Et inde eſt, vt apud D. Thomã, & Thomiſtas, omne inſtrumentum duas habeat operationes; vnam eleuatam ad principalem effectum; quam habet ex virtute principalis agentis: alteram propriam â propria virtute cauſatam, vt patet ex *D. Thoma 3. p. q.* 62. *art.* 1. *ad* 2. quẽ omnes ſui ſequuntur. Hac autem opinione ſuppoſita euidenter oſtenditur, potẽtiam obedientialem reperiri non poſſe, niſi in re, quæ ex ſua natura, ſecundum aliquid ſibi proprium poſsit agere. Et quanuis dubium ſit; an omne inſtrumentum, etiam diuinum, neceſſariò debeat habe- 6. Alia confirmatio ex D. Thoma. In inſtrumento ſunt duæ actiones. 7. *D. Thom.*

habere aliquam præuiam operationem, quæ ſit, veluti diſpoſitio, vt ad effectum agentis principalis, excedentem eius naturam, eleuari poſsit, vt volunt Thomiſtæ: illud tamen mihi eſt certum, ad rationem cuiuſcunque inſtrumenti neceſſariò requiri, vt per aliquid ſibi propriũ poſsit agere: quod D. Thomæ libenter concedit Scotus *in 4. diſt. 1. q. 1. litera D. §. Quod etiam additur de inſtrumento*; vbi ita ſcribit: *Dico, quòd maior poteſt benè, & malè intelligi: non enim debet intelligi, quòd inſtrumentum habeat actionem propriam: ſed quòd per aliquid ſibi proprium agat*. Ecce apud Scotum, quanuis ad inſtrumentariã actionem nõ neceſſariò requiratur, quòd præcedat aliqua actio propria ipſius inſtrumenti, quam Thomiſtæ requirunt; neceſſariò tamen requiritur, quod inſtrumentum ipſum poſsit agere per aliquid ſibi proprium: & in hoc ſenſu veriſsima eſt Philoſophia D. Thomæ: ſi enim ſecundum aliquid ſibi proprium, nihil poteſt agere, vt quia ex ſua natura non eſt actiuum, fruſtra ad agendum aſſumeretur: quomodô enim ad agendum eleuari poteſt, quod ex ſua natura non eſt actiuum, etenim, ſicut operari ſupponit eſſe; ita eleuari ad operandum, quod vires excedit, ſupponit ipſum eleuatum ex ſua natura eſſe actiuum. Sed hoc longiorem poſtulabat diſputationem: modô ſatis ſit, quòd noſtra opinio fundamentum habet probatum non ſolùm D. Thomæ, ſed etiam Scoto.

Inſtrumentũ agit per aliquid ſibi proprium.

Scotus.

8. Fundamentum autem Suarij, & aliorũ, ſumptum ex ſubiectione, qua omne ens creatum ſubijcitur creatori, parum habet efficaciæ: quoniam eſſe creatum, arguit quidem in omni ente ſubiectionẽ, & obedientiam paſsiuam ad recipiendum omne id, quod Deus voluerit in eo ponere: non tamen arguit in omni ente ſubiectionem, & obedientiam actiuam ad agẽdum omnia, quæ Deus voluerit; ſed hanc obedientiam arguit in omni, & ſolo ente ex ſua natura actiuo. Ratio deſcriminis eſt; quia omne ens creatum, ideò, quia creatum, habet admixtam veram, & realem potentiam paſsiuam; cum enim ſit ens creatum, non poteſt eſſe actus omnino purus, vt vera docet Theologia: at tamẽ non omne ens, ideò, quia creatum, eſt actiuum, vt patet in materia prima, quantitate & relatione, quæ nullam in ſe habent actiuitatem, vt communis docet Philoſophia. Quare, licet omne ens ex ſua natura actiuum, ideò, quia creatum eſt, habeat ſubiectionem, & obedientiam ad agendum, quidquid Deus per illud voluerit agere; non tamen omne ens creatum, ideò, quia creatum, eſt actiuũ. Quod adhuc ex eo confirmatur; quia, ſicut obedientialis ſubiectio paſsiua neceſſariò ſupponit in ente creato naturalem, & realem potentiam paſsiuam; ita vt ſi eam non habeat, in eo non detur potentia obedientialis paſsiua; ita etiam obedientialis ſubiectio ad agendum neceſſariò ſupponit in re creata naturalem actiuitatem, ſine qua in ea non reperietur.

Ad fundamentum ad uerſariorũ.

§. 2.

Ad quæ ſe extendat hæc obedientialis actiuitas?

Hanc quęſtionem excitamus, non vt in particulari explicemus, quęnam ſint, ad quę potentia iſta actiua ſe poteſt extendere: hoc enim eſſet procedere in infinitum, vt benê aduertit Suarius in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 619. col. 2. §. *Iam verò in particulari*: etenim deberemus explicare, an creatura habeat potentiam obediẽtialem ad creandum? quæ quæſtio longiſsimam poſtulat diſputationem. Explicandum etiam eſſet, an potentia obedientialis rei non vitalis poſſet ſumi, vt inſtrumentum, ad actum vitalẽ? Cuius quæſtionis explicatio pertinet ad quæſtionem, an Chriſtus Dominus per ſuam humanitatem, tanquam per inſtrumentum, poſsit in nobis efficere actus, ſiue motiones vitales? Tertio loco explicandum foret, an principium vitale habeat potentiam obedientialem, vt inſtrumentaliter producat actũ vitalem? Quod pertinet ad quæſtionem, an intellectus creatus per ſuam potentiam obedientialem inſtrumentaliter concurrat ad viſionem beatam? Quarto loco explicandum eſſet, an creatura per ſuam potẽtiam obedientialem poſsit inſtrumentaliter attingere obiecta localiter diſtantia? Denique excitandæ forent infinitæ aliæ huius generis quæſtiones, quæ inter Theologos controuerſę ſunt. A quibus omnibus abſtinemus, quia ad noſtrum inſtitutum ſatis

9. Ad quæ ſe extendat actiuitas obedientialis.

ſatis eſt, potentiam obedientialem actiuã, quæ in rebus creatis datur, in ordine ad diuinam omnipotentiam, ſe extendere ad omne id, quod non implicat inſtrumẽ taliter fieri: vtrum verò hoc, vel illud nõ implicet fieri à Deo mediante inſtrumẽto: alterius eſt quæſtionis, quæ ad rationem potentiæ obediẽtialis non pertinet: ſatis enim eſt ſcire; illud poſſe per eam fieri, ſi non implicat per inſtrumentum fieri: non poſſe autem; ſi implicat.

§. 3.

Vtrùm omnis potentia obedientialis actiua ſolùm concurrat, vt cauſa inſtrumentaria?

10. *An omnis potentia obedientialis ſit inſtrumentaria? Pars affirm.*

DE propoſita quæſtione eſt cõtrouerſia. Quidam abſolutè affirmãt, potentiam obedientialem actiuã ex ſua natura eſſe cauſam inſtrumentariam, nec eſſe poſſe principalem; & inde eſt, vt omnis creatura, quæ ad aliquem effectum obedientialiter concurrit, concurrat inſtrumentaliter, & non principaliter. Hanc opinionem vt certiſsimam vbique defendit Suarius, vt colliges ex ijs, quę ſcribit 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 6. *ad* 4. *arg. per totũ à pag.* 612. *vſque ad* 616. *col.* 1. *&* 2. vbi probat potentiam iſtam obedientialem non ſolùm eſſe inſtrumẽtariam in ordine ad effectus, actioneſque tranſeuntes, quas eliciunt creaturæ vitæ expertes; ſed etiam in ordine ad immanentes, & vitales, quas obedientialiter eliciunt intellectus, & voluntas. Quam ſententiam ſatis expreſsit *pag.* 616. *col.* 1. §. *Mihi ergo videtur*, quatenus ex eo probat, intellectum concurrere ad viſionem, tanquam inſtrumentum; quia illam efficit virtute obedientiali; quo argumenco ad idem probandum vitur *in Metaphyſ. diſp.* 30. *ſect.* 11. *nu.* 46. *& eodem olim vſus fuit in Commentarijs ad* 1. 2. *q.* 5. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. §. *Tandem negari non poteſt*: quæ ratio ſatis ſupponit apud eum, virtutem obedientialem actiuã eſſe non poſſe principalem, ſed ſolùm inſtrumentariam. Eãdem ſententiam ſatis ſupponit tanquam veram *Bellomontanus* 1. *p. diſp.* 176. *cap.* 4. *pag.* 539. *col.* 1. §. *Deinde hanc.*

Suarius.

Bellomon.

11. *1. ratio;* Hanc opinionem ex eo probat Suari⁹, quia repugnat aliquod agens agere virtute tantùm obedientiali; & non agere, vt inſtrumentum: etenim, vt ait, cauſa principalis dicitur, quæ agit virtute propria, & de ſe proportionata ad effectum, exiſtenteque eiuſdem vel ſuperioris ordinis cum illo, vt patet ex diffinitione recepta cauſæ principalis: & ob id, quæ cauſa operatur, tanquam principalis; illa operatur virtute maximè ſibi connaturali, ac propria; & oppoſitum omnino implicat. Sed cauſa, quæ operatur virtute obedientiali, non operatur virtute ſibi connaturali, & propria; ſed virtute mendicata ab alio. Ergo implicat agens operari virtute obedientiali, & agere, vt cauſam principalẽ. Hæc habes apud Suarium vbi ſuprà ad 3. arg. pag. 615. col. 1. §. *Et confirmatur.*

Accedit etiam, inquit; quoniã id, quod agit, vt eleuatum ab alio, agit, vt inſtrumentum: ſed omne agens, quod agit per potentiam obedientialem, agit, vt eleuatum ab alio, nimirum à Deo. Ergo omne agens, quod agit per potentiam obedientialem, eſt inſtrumentale. 12. *2. ratio.*

Oppoſita tamen ſententia, tanquam veriſsima ſemper mihi placuit: quia ſemper placuit opinio, quòd intellectus ad beatam viſionem concurrit, non vt cauſa inſtrumentalis, ſed vt principalis: quam latè confirmabimus in q. 3. ſequente, vbi plurimos illius patronos referemus: & tamen apud omnes conſtat, intellectum creatum ad viſionem eſſe in potentia obedientiali. Idem dicendum eſt de libero arbitrio in ordine ad operationes, actuſq; ſupernaturales, ad quos eſt in potentia obedientiali: & tamen ad illos ſupernaturaliter eleuatum concurrit, non vt cauſa inſtrumentaria propriè ſumpta, ſed vt principalis, vt modò ſupponimus, & ſatis docet *Fonſeca libr.* 6. *Metaph. c.* 2. *q.* 5. *ſect.* 13. *litera H. pag.* 195. *col.* 2. *in fine, & pag.* 196. *col.* 1. *& lib.* 9. *c.* 1. *q.* 4. *ſect.* 8. *pag.* 612. *col.* 2. §. *Aduertendum eſt tamen, & pagina* 623. *col.* 2. §. *Hæc vſque adeò.* Negandum eſt igitur, omnem potẽtiam obedientialẽ eſſe inſtrumentariam; & nullam eſſe poſſe principalem. Et licet hæc opinio abſolutè ſumpta ſit veriſsima: tamen pro clariori huius difficultatis reſolutione, & explicatione, illud hoc loco oportet aduertere, quod olim aduertimus; duplicẽ diſtinguendam eſſe potentiam obedientialem actiuam. Vnam ſimpliciter purã: alteram non omnino puram. Prioris generis eſt obedientia, quæ fundatur in entitate, 13. *Oppoſita ſententia eſt vera.*

Fonſeca.

titate, quæ in ordine ad effectus, quos reſpicit, nullam, nec inchoatam habet naturalem virtutem; ſed illos reſpicit per ſolam, & puram obedientiam, & ſubiectionem, quam habet ad diuinum imperium: qualis eſt potentia obedientialis, quæ eſt in calore ignis: etenim actiuitas, quam ex ſua natura habet, ſolum reſpicit actum caloris, vt calor eſt, & forma quædam ex ſua natura calefactiua; & obiecta, vt præciſe ſunt calefactibilia: vnde naturalis illius actiuitas, & intenſiuè, & extenſiuè adæquatê ſpecificatur per obiectum ſub ratione formali calefactibilis: ad ſupernaturales verò effectus, ad quos per diuinum imperium poteſt concurrere, nullam habet virtutem naturalem completam, aut incompletam. Ad poſterius genus pertinet obedientia, quæ fundatur in
15. entitate, cuius naturalis actiuitas ex ſe aliquo modo reſpicit effectus, & obiecta, ad quæ ſupernaturaliter eleuari poteſt, vt quia in ordine ad illa habeat naturalem virtutem; inchoatam tamen, & incompletam, complendam ſupernaturaliter; & quia ad hoc complementum eſt in potentia obedientiali, ideô reſpicit talia obiecta. Talis eſt obedientialis potentia, quæ eſt in intellectu, & voluntate ad viſionem beatam, & ad actus ſupernaturales, tam patriæ, quàm viæ, vt contra Suarium, & alios efficaciter oſtendemus in ſequente quæſtione: nam, ſicut poſſe habere fidem naturę eſt hominum: habere autem; gratię eſt redemptoris, vt ait Auguſtinus; ita etiam poſſe habere viſionem beatam naturæ eſt humanæ: actu autem illam habere; potentia eſt Dei ſupernaturalium authoris.

16. 1. propoſit. Præmiſſa hac potentiæ obedientialis diſtinctione, duas ſtatuimus propoſitiones. Prima propoſitio: *Potentia obedientialis prioris generis ex ſua natura habet, quod non ſit virtus principalis; ſed ſolùm inſtrumentalis.* Secunda propoſitio: *Potentia obedientialis generis poſterioris nullo modo poteſt eſſe virtus inſtrumentaria, ſed ex natura ſua habet, quòd in ſuo genere ſit virtus principalis.* Prior propoſitio ab omnibus recipitur: poſterior autem cõtrouerſa eſt; ſed eam in quæſt. 3. ſequente efficaciter confirmabimus. Et quia ex illius confirmatione pendet prioris propoſitionis confirmatio; ideô perfectam vtriuſque explicationem ad ſequentem quęſtionem reſeruamus. Modò ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt ſtatuiſſe, non omnem potentiam obedientialem actiuam eſſe inſtrumentalem. Fundamenta in oppoſitũ in ſequenti quæſtione diſſoluemus.

Illud tamen hoc loco aduertemus, certiſsimum eſſe, omnem potentiã obedientialem in ordine ad actiones miraculoſas tranſeuntes, ex ſua natura eſſe inſtrumẽtalem, nec vllo modo eſſe poſſe principalem: etenim certiſsimum eſt, creaturã ad illas actiones non poſſe concurrere, vt cauſam principalem; quod benè aduertit *Suarius in d. diſp. 41. ſect. 6. ad 4. in principio, pag. 612. col. 2. &* latiùs oſtendemus in quæſtione ſequente. Certiſsimum etiã eſt ex ijs, quæ ibidem dicimus (quidquid Suarius contradicat) potentiam obedientialem, quæ eſt in intellectu, & voluntate in ordine ad actiones ſupernaturales immanentes, & vitales, eſſe virtutẽ principalem, nõ verò inſtrumentalem. Vtrũ verô actioni vitali, & immanenti repugnet inſtrumentaliter produci? fortè aliquis dubitabit: quam dubitationẽ explicabimus in d. q. 3. nunc dicimus abſolutè id non repugnare; quanuis repugnet, pro vt talis actio modò cõnaturali ꝓducitur. Hoc poſterius facilè oſtenditur: quoniã actus immanens, & vitalis tũc producitur modo ſibi connaturali, cum à potentia vitali intellectus, & volũtatis actiuè producitur, per virtutem inchoatã ſibi cõnaturalem ſupernaturaliter eleuatã; hoc autẽ modo non poteſt à ſua potentia non produci, vt à cauſa in ſuo ordine principali, vt dicemus in d. q. 3. Illud verô prius ex eo probari poteſt; quia actus vitalis, & immanens poteſt produci â Deo modo non cõnaturali, ſed miraculoſo, & ſupra curſũ ordinarium, quoad tales actus de facto cõcurrit: poteſt enim Deus producere actũ vitalem ſe ſolo, tum extra ſubiectum; tũ in lapide, tum denique in ipſa vitali potẽtia, illa ad eam non concurrente, vt oſtendimus ſuprà q. 1. art. 1. Sicut igitur non repugnat actũ immanentẽ, & vitalẽ miraculoſè ꝓduci à ſolo Deo; ita etiã non repugnabit, Deũ illũ actũ ꝓducere mediãte aliqua creatura, vt inſtrumento: quid enĩ implicat, Deũ mediãte igne, vt inſtrumẽto producere intellectionẽ, vel extra ſubiectum, vel in lapide, vel in intellectu

17. Quę in hac materia ſint certa?

Suarius.

Quid ſit dubium.

18.

Petri, illo ad eã actiuè non concurrente? etenim ſicut mediãte aqua baptiſmi producit gratiam in anima baptizati, fidem in intellectu illius, & charitatem in voluntate; cur non poterit in eadem anima, intellectu, & voluntate producere actum fidei, & dilectionis, & quãcunque aliam intellectionem, & volitionem? imò in ea ſum ſententia, vt poſsit Deus intellectũ Ioannis aſſumere, vt inſtrumẽtaliter cauſet intellectionẽ in intellectu Petri: quia vt ſic intellectus Ioannis non agit actione immanente, ſed tranſeunte; nec agit vitaliter, quamuis agat vitam. Quin potiùs poterit Deus vti intellectu Petri, vt per illum inſtrumentaliter producat intellectionem in ipſomet Petri intellectu: ſed de hoc latiùs agere non vacat. Ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt, actiones, etiã immanentes, & vitales, poſſe inſtrumentaliter produci per quãcunque aliã creaturam, etiam non intellectualem.

Nota.

ARTICVLVS XV.

Quomodò potentia obedientialis à Deo eleuetur ad actualem vſum?

1\. Quæſtio difficilis.

IN ſuperioribus egimus de potentia obedientiali, quam dari in rebus creatis, ante ſupernaturalem eleuationem, latè oſtendimus. Hanc obedientialem potentiam (quidquid illa ſit) eſſe in ſe incompletam, & ideò inſufficientem ad agendũ cum Deo effectus ſupernaturales, omnes vnanimiter fatentur: & inde inferunt vnanimo conſenſu eam indigere ſupernaturali eleuatione, vt fiat in actu primo, & proximo, vt Deo inſtrumentaliter cooperetur. Quod ſatis docet Auguſtinus *9. de Geneſi ad literam c. 17*; dum ſcribit, Deum dediſſe quidem rebus, vt poſsint agere, quæ ſunt ſupra earum naturam: illis tamen non dediſſe, vt abſque eo in illa poſſent: ita enim ſcribit: *Non tamen id, quod in eis poſuit, ita poſuit, vt de his fieri abſque ipſo poſſint.* Et addit: *Deum apud ſe habere, poſſe de rebus facere aliud, quàm earum rationes quaſi ſeminales habent.* Et adiungit: *Deum per hoc poſſe* (quod ſcilicet apud ſe habet, nec communauit rebus) *in ſuo tempore de vnaquaque refacere, quod ante in ea fecit, vt poſſet.* Quare indubitatum eſt apud omnes, potentiam obediẽtialem, quam Deus rebus dedit, indigere

Obedientialis potentia eſt incompleta.

Auguſt.

ſupernaturali eleuatione, vt fiat in actu primo ad agendum, quæ per eam in tempore vult facere. Quare meritò in hac ſecunda quęſtione (quam de potentia obedientiali inſtituimus) vltimo loco inquirendum eſt; quomodò; & per quid potentia obedientialis à Deo eleuetur? Cuius quæſtionis reſolutio, ſicut digna eſt ſcitu; ita difficilis eſt explicatu: & inde eſt, vt varijs modis à Theologis explicętur.

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

IN explicanda hàc difficultate omnes conueniunt, Deum eleuare creaturã, potentiamque illius obediẽtialem per ſuum ſpecialem, & ſupernaturalem concurſum: at tamen non omnes cõueniunt in explicanda ratione, & modò huius cõcurſus; vnde varij varios dicendi modos excogitauere. Quos vt diſtinctè, & ſine confuſione explicemus; oportet illud aduertere quàm diligẽtiſsimè; hoc loco nõ inquiri, quidnam ſit ipſa virtus inſtrumẽtalis, qua creatura inſtrumẽtaliter influit, & quæ, vt influat, indiget eleuari; ſed per quid; & quomodò in ipſo actuali vſu eleuatur ipſa virtus inſtrumentaria obedientialis, quidquid illa ſit. Quod aduertimus, vt quorundam nouiorum confuſionem fugiamus, qui vnum cum altero ſæpè cõfundunt: etenim ad præſentem difficultatem parum refert, quidnam ſit ipſa obedientialis potentia, & actiuitas, quæ eſt in rebus ante actualem earum eleuationem: ſiue enim potentia obedientialis (qua res creata eſt obedientialiter potẽs, vt quod) ſit ipſa entitas creaturæ, cum ſola non repugnantia ad agendum, quidquid Deus voluerit, vt nonnulli volunt: ſiue ſit poſitiua quædam actiuitas cuique entitati, etiam ex ſua natura non actiuæ, innata, vt fingit Suarius: ſiue denique ſit ipſa entitas, actiuitaſque naturalis creaturæ, vt eſt idonea, & poſitiuè apta ad agendum, quæ Deus voluerit; vt nos veriùs exiſtimamus; ſiue, inquam, hoc, vel illo modo dicas, ſemper inquirendũ reſtat, per quid & quomodò illa potentia obedientialis inſtrumẽtaria eleuetur, vt fiat in actu primo, & in potentia pxima ad agendũ, quę Deus vult agere. Et in hoc eſt ſtatus, & cardo totius difficultatis, vt non ſemel, ſed

2\. In quo omnes conueniunt.

Suarius. ed iterum aduertit *Suarius 1. tom. ad 3. ſp. diſp. 31. ſect. 6. pag. 592. col. 2. § Quod ſi dicatur: & pag. 593. col. 1. poſt principium.*

3. 1. ſentent. De propoſita igitur difficultate varij ſunt modi dicendi: quidam enim ſimpliciter docent, creaturam, & eius obedientialem potentiam actiuam eleuari per auxilium, & concurſum ſpecialem Dei, effectui proportionatum, & excedentem eum, qui ipſi naturaliter eſt debitus. Ita vbique ſcribit Suarius, nihil aliud addens: excitans enim hanc difficultatem in d. *diſp. 31. ſect. 5. pag. 584. col. 2*; & impugnans varios dicendi modos; tum ibi; tum in ſect. 6. ſequente; pro ſua explicanda ſententia nihil aliud in eo inuenio, niſi, quòd potentia obedientialis eleuatur per ſpecialem, ſupernaturalemque Dei concurſum, ipſi effectui proportionatum, quo applicatur ad agendum, quæ Deus vult operari, vt patet ex ijs, quæ ſcribit *in d. ſect. 5. pag. 587. col. 1. poſt principium, & col. 2. §. Dicendum ergo, & idem repetit ſect. 6. pag. 613. col. 1. B.*

Suarij opinio.

4. 2. ſententia Secundus dicendi modus eſt eorum, qui volunt Deum per ſpecialem ſuum concurſum, quo creaturam mouet, & illius potentiam obedientialem applicat, imprimere in ea qualitatem quandam ſupernaturalem, per modum formæ conſtituentis eam in actu primo, & proximo ad operandum determinatum illum effectum, quem Deus per eam in tali tempore vult operari. Pro hac ſententia Suarius in d. ſect. 5. in principio refert Paludanum, Capreolum, & Ferrarienſem locis à ſe iam citatis, in quibus illos citauerit, facilè non inuenies: ſed tamen hæc opinio tribui poteſt Paludano *in 4. diſt. 1. q. 1. concl. 3. n. 35.* vbi hanc qualitatem inhærentem tribuit, tam ſacramētis, quę ſunt inſtrumenta miſericordiæ; quàm igni inferni, quod eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ: & ratio eſt, inquit, quia ſunt Dei inſtrumenta ad opera naturam excedentia; quæ ratio ſatis arguit, eum idem ſentire de omnibus Dei inſtrumentis. Eandem ſententiam ſatis colliges ex *Capreolo in 4. diſt. 1. q. 1. art. 1. concl. 4. & clariùs art. 3. ad argumenta contra quartam fol. 11. col. 2. & ex Soncinate ibidem concl. 4. ad 4.* Expreſsius id docuit Hiſpalenſis *in eodem loco q. 1. art. 3. notabili. 6. fol. 9. col. 2. & art. 4. ad argumenta contra quartam, maximè ad 5. Durādi cōtra eandē fol. 12. col. 4.* vbi in terminis docet ex principali agente deriuari in inſtrumentum virtutem, quam dixerat eſſe qualitatem inſtrumento inhęrentē. Generaliter de inſtrumēto, vt inſtrumentum eſt, idem docuit *Ferrar. 4. contra gent. cap. 56. §. Aduertendum circa hoc, & in fine commenti ad 4. Scoti,* vbi agit de virtute data inſtrumento exiſtente in eo, non permanēter, ſed tranſeunter. Idē de inſtrumētis generaliter docet Viguerius *in ſuis inſtitutionibus c. 16. de Sacramētis in genere in princ. verſiculo. 11. fol. 157. pag. 2. Probat Petrus Lædeſma de diuina perfectione q. 8. in ſubarticulo, pag. 592. col. 2. §. Tertius modus.* Idem ſatis ſignificat *Heruæus in 4. diſt. 1. q. 1. fol. 2. col. 3.* quatenus impugnat ſecundam opinionem; & concludit in ſacramentis non ſatis eſſe ſolam aſsiſtentiam diuinam, ſed indigere ſuper addita virtute; vnde docet in manu Chriſti Domini, quæ tanquam inſtrumentū Dei per contactum ſanabat ægrotos, eſſe aliquam ſupernaturalem virtutē illi collatam: quare hanc virtutem admittit in omnibus inſtrumentis Dei, vt patet ad *1. principale fol. 3. col. 4. Richardus etiam id ipſum ſatis inſinuat in 4. diſt. 1. art. 4. q. 3.* dum in omni inſtrumento præter virtutem naturalem admittit virtutem deriuatam à principali agente, & ab eo efficienter cauſatam; quæ verba ſatis declarant virtutem, quæ ſit qualitas. Eandem ſatis expreſſè probat Scotus, dum in omni inſtrumento attingente ſuum terminum, requirit aliquam formā, in ipſo vſu illi cōmunicatam, quæ ei ſit agendi principium, vt patet ex ijs, quæ docet *in 4. diſt. 1. q. 1. ad vltimum, litera RR. & clariùs diſt. 6. q. 5. litera D,* & ante omnes in Sacramentis, & in Chriſti Domini humanitate idem probauit Alenſis *4. p. q. 10. M. 4. artic. 2. §. 5. quæſito 1. in nouis fol. 141. col. 4. §. Reſponſio circa hoc, & §. Propter quod.* Denique hæc ſententia communiter tribuitur D. Thomæ: ſed de hoc inferiùs dicemus.

Palud. *Capreol.* *Soncin.* *Hiſpalen.* *Ferrar.* *Viguerius* *Ledeſma.* *Richard.* *Heruæus.* *Scotus.* *Alenſis.*

5. 3. opinio. Tertius dicendi modus docet, Deum per ſuū concurſum non eleuare creaturā per aliquam poſitiuam qualitatem, quam in ipſo vſu illi imprimat; ſed per motum quendam artificioſum, ſiue virtuoſum, quem creaturæ, vt inſtrumento, communicat, dum eam ad agendum mouet. Hęc opinio

Caiet. Sotus. Medina. Mart. Ledeſ. Cabeçudo. Cabrera. Nauar. Oxomenſis Bellarm. Alanus. Valentia.

opinio eſt Caietani 3.p.q.13.art.2. §.*Ad euidentiam horum,& q.62.art.4. §.Aduerte hìc maximam:* vtrobique enim eam latiſsimè explicat, & ſatis ſupponit 1.p.q.45.art.5.& alibi ſæpè.Eam defendit *Sotus in 4.diſt.1.q.3.art.4. §.Eſt ergo mens Diui Thomæ pag.61.col.1:* latè eam perſequitur *Medina 3.p.q.13.ar.2. ad quartam difficultatem pag.298.col.2.in medio: Martinus Lædeſma in 1.p.quarti q.3. art.4. Ripa 1.p.q.45.artic.5.dub.2.pag.218.col.1.§. Quæ cum ita ſint:Didacus Nunius Cabeçudo ad 3.p.de Sacramentis q.62.art.4.pag.61.in principio*, & ſatis eam ſupponit ibidem *art.1.in 7.difficult.in ſolutionibus argumẽtorum pag.51.col.2.ad 4.& 5.replicam:latè Cabrera 2.tom.ad 3.p.q.13.artic.2.diſp.4.§.6.in 2.obſeruat.n.71.ſed latiùs §.10.concl.4.n.121.& eandem iam ſcripſerat 1.tom.q.1.art.1.diſp.6.§.4.n.18.& 19:eam ſæpiùs ſupponit Nauarrete 2.tom.controu.15.maximè §.6.in prima propoſitione pagin.209.col.2.A.& propoſit.5.pag.213.col.2.in fine.Oxomenſis ad 3.p.q.62.art.1.2.3.& 4.in commentario in principio, fol.26.col.4.* Denique inter recentiores Thomiſtas ſatis eſt cõmunis. Ex alijs eandem probat *Bellarm.tom.3.lib.2,de effectu Sacrament.c.11.pag.180.§.Tertio igitur,& pag.181.in tertia differentia, & Guilher. Alanus de Sacramentis in genere c.36.pag.129.Valẽt.tom.4.diſp.3.q.3.puncto.1.pag.557. §.Eſt igitur à nobis defendẽda ſexta opinio,& pag.561.§.Verior igitur:& clariùs puncto.2.pag.563.§.Hæc ſententia mihi videtur probabilior:* quam non omnino reijcit *Molina 1.p.q.45.art.5.diſput.2.pag.566.col.1.in principio,ſi illis adiungas,quæ ſcribit 1.p.q.14.art.13.diſp.6.poſt principium; vbi conſentit cum Caietano.*

6. 4.ſententia variè explicatur.

Quartus dicendi modus nihil admittit, quod intrinſece ſit in ipſo inſtrumento, ſiue ſit qualitas, ſiue motio aliqua,ſed ſolùm admittit concurſum diuinũ extrinſecè ſe habentẽ,& aſsiſtentem, quo Deus principalem effectũ operatur. Qui hunc dicendi modum probauerint; ex dicẽdis patebit: qui tamen non eodem,ſed varijs modis rem explicant.

7. 1.explicat. D.Thom.

¶Quidam putant, inſtrumentum eleuari per ſimplicẽ Dei aſsiſtentiam,& concomitantiam in ordine ad effectum. Nonnullos ita docuiſſe, refert *D.Thomas 3.p.q.62. art.4.in princ. & in 4.diſt.1.q.1.art.4.quæſtiunc.1.& 2:* apud quos virtus,qua inſtrumentum eleuatur,nihil eſt aliud,quàm ipſa diuina aſſiſtẽtia Dei in ordine ad effectũ,quẽ vult pducere. Quẽ dicendi modum nõnullis placuiſſe(nemine tamẽ citato)aſſerit *Petrus Lædeſma vbi ſuprà pag.592.col.1.B.* Petr.Led.

8. 2.explicat. Suarius.

¶ Alij volũt,creaturam,& quoduis aliud Dei inſtrumentum eleuari per ipſam cõiunctionem,ſeu potiùs ſubalternationem actualem ad extrinſecũ Dei concurſum. Hanc ſententiam probaſſe Caietanum, & Ferrarienſem ſcribit *Suarius in d. diſp.31.ſect.5.pag.586.col.1.§.Tertio modo explicari ſolet*: neutrius tamen certum locũ refert. Sed mirum eſt,quòd hunc dicendi modum tribuat Caietano; cum certiſſimum ſit, Caietanum probaſſe tertium modum dicẽdi,quem explicauimus: nec deſunt,qui putent, Caietanum illius tertij modi fuiſſe authorem : deberet igitur Suarius citare certum locum apud Caietanum, vt poſſemus dicere,eũ ſententiam mutaſſe. (Caiet.malè citatur.) Citat Ferrarienſem 3.*cont.gent.c.102.*quẽ citauerat 4.*cont.gent.c.56*: ſed neutro in loco hanc opinionem ſomniauit: (Ferrarien. non benè citatur.) etenim in d.c.56.ſolùm dicit,inſtrumentum ad effectum principalis agentis eleuari, in quantum per motum, quo à Deo mouetur,accipit in ſe,& in ſua naturali operatione virtutem quandã per modum intentionis tranſeuntis, quæ ad effectum operatur. Non igitur operatur per concurſum Dei extrinſecum;ſed per virtutem, quam in ſe recepit ex motu, quo à Deo mouetur:& quanuis non explicet quænam ſit iſta virtus;an ne ſit qualitas? an ſola motio virtuoſa?tamen docet illud operari per aliquid, quod recipit à motu, & per motum; & nos ſupra illum citauimus pro ſecundo dicendi modo; quia re vera ſatis indicat virtutẽ, de qua agit,eſſe qualitatẽ.At in d.c.102.*ad finẽ,§ Conſiderandum vlteriùs*,ſolũ dicit,inſtrumentum deferre imperiũ Dei, eiuſq; virtutem ad res,in quibus fit effectus: at vtrũ eã deferat per ſolam ſubalternationẽ, quã habet ad diuinũ cõcurſũ,an verò per aliquid,qđ recipiat per motũ,à quo à Deo mouetur? nõ explicat:explicãdus tñ eſt, vt eã deferat per aliquid in ſe receptũ, quia id ſatis explicauit *in d. c.56. libri 4. contra gentes, & clariùs lib.2.c.21.pag.117.col.1.ad 1, Scoti*,vbi docet inſtrumentum operari effectũ principalis agentis per virtutẽ ſibi ſupe-

ſi peradditam, & cõmunicatam ab agente principali: quæ verba ſatis euincunt, inſtrumẽtum non eleuari per ſolam extrinſecam ſubalternationem ad extrinſecum Dei concurſum. Quare iſte quartus dicendi modus nec Caietano tribuendus eſt, nec Ferrarienſi. Plures tamen ex recẽtioribus viros doctiſsimos eum approbaſſe teſtatur Ioannes Vincentius de *Gratia Chriſti q.6.pag.801.§.Hæc argumenta,* *vbi pag.802. §.Iſta ſententia* affirmat, hãc opinionem ſine dubio eſſe valde probabilem: & tandem pag. 804. §. *In ſumma ergo*, concludit, eam eſſe amplectendam. *Ioan. Vincent.*

9. *3. explicat.* Tertio loco hanc eleuationem alij ita explicant, vt potentia obedientialis, & inſtrumentalis creaturæ ex eo ſolùm eleuetur, quòd virtus Dei principalis agentis ſe ſe coniungit ipſi creaturæ, vt cauſam partialiter concurrẽtem, abſque eo, quòd illi aliquid ſuperaddatur. Qui hunc dicẽdi modum expreſſè probauerit, inueni neminem: fauent tamen illi multa, quæ pluribus in locis ſcribit Suarius; maximè id, quod ſcribit *in d.diſp.31 ſect. 6. pagina 599.col.2. §.Dices, hinc ſequi*: docet enim virtutem obedientialem actiuam, & innatam, quam in creaturis fingit, eſſe virtutẽ quandam partialem. Ex quo neceſſariò infertur, creaturas partialiter concurrere partialitate inſtrumentaria cum Deo ad *Suarius.*

10. effectus miraculoſos. Ex quo benè colligitur, Deum per ſuum ſpecialem concurſum nullam virtutẽ agendi dare ipſi creaturæ partialiter concurrenti: quia partialis concauſa ſuo concurſu non dat alteri concauſæ virtutem, qua agat; nec agendi principium illi proprium, eſt principium agendi, quo agit ſua concauſa; ſed illa agit propria ſua virtute, quam in ſe habet; adiuta tamen, & roborata ex concurſu alterius concauſæ; ratione cuius cum ea conſtituit vnam totalem cauſam, & vnum integrum agendi principium, vt patet in duobus trahentibus nauim, vt cum Mol. Valentia, Sala, & eodem Suario diximus lib.9.q.6.art.vnico, §.4.n.60. Eodem igitur modo videtur philoſophari Suarius: nam cum Deus ſuo ſpeciali cõcurſu proportionato (quem paratum habet, vt docet pag.587.poſt principium) concurrat cum creatura inſtrumentaliter concurrente, vt concauſa partialis, ſed principalis; ſuo extrinſeco concurſu nihil virtuti ſuperaddit ipſi creaturæ; cuius virtutem innatam non alio modo eleuat, & iuuat, niſi ſe ſe partialiter applicando, & coniũgendo, vt cum ea conſtituat vnum integrum, & completum principium. Et ab hac ſententia fortè non longe abeſt Valentia 1.*tom.diſp.1.q.12.punct.3.pag.192 A.B.* ¶ Quarta adhuc eſt huius eleuationis explicatio, quòd inſtrumentum Dei ad ſupernaturalem effectũ non concurrit per principium actiuum agendi, quod habeat in ſe (vt omnes explicati modi volunt) ſed per principium actiuum, quod eſt in Deo; communicatum tamẽ illi per concurſum, quo Deus concurrit. Quæ opinio ſatis eſt de mente *Fonſecæ 9. Metaph.c.1.q.4 ſect.8.pag.622.col.1.ad 1.& col.2.§.Aduertendum, & pag.623. col.1. §.Quare, vt loquamur*: in quibus locis generaliter docet, quando agens principale agit per aliud agens ſibi ſubordinatũ, tanquam per inſtrumentũ per ſe; tale inſtrumentum ſemper agere per principium agendi, quod eſt in agente principali; ab eo tamen ſibi cõmunicatum modo ibidẽ explicato; ita vt vtrunque per illud agat: principale quidem, principaliter: inſtrumentale autem, inſtrumẽtaliter. Ex quibus patet, doctiſsimum Fonſecam in eo ponere eleuationem creaturæ ad effectus ſupernaturales, quòd Deus illi communicat ſuum principium diuinum agẽdi, quo tanquam agens principale concurrit ad effectũ: cum enim generaliter loquatur de omni inſtrumento concurrente cum agente principali, nõ poteſt non idem intelligere de inſtrumentis Dei ad effectus ſupernaturales. Et vt de mente illius non dubites, idem docet de creatura obedientialiter, & inſtrumentaliter concurrente cum Deo, vt patet *in d.q.4.ſect.4.pag.612 col.2.§.Tertiò dicendum.* Eundem explicandi modum aliquo modo videtur probare Bañes, ſi attentiùs legantur, quæ nõ ſatis diſtinctè ſcribit 1.*p.q.45.art.5. circa 2.concl. D.Thomæ poſt concluſionem quartã §. Pro quo notandum eſt, & §. Secundò notandum eſt, & §. Ad 4.arg.* Ex quibus locis colliges, Deũ eleuare inſtrumentũ, cõmunicãdo illi illiusq; operationi, & ſuam agẽdi virtutẽ, & operationẽ; qua cõmunicatione ipſũ applicat, & applicãdo eleuat, vt diuinum imperium: diuinamq; actionem deferat ad effectũ. Et in hoc explicatio

Valentia. 11. 4. explicat. *Fonſeca.* 12. *Bañes.*

catio iſta differt ab explicatione Fonſecæ: is enim nullam propriam operationẽ in inſtrumento admittit; ſed ſolam eam, quæ Deo, & ſibi eſt communis: at tamen Bañes & diuinam virtutem, quæ eſt principium agendi, & ipſam diuinam operationem communicat ipſi inſtrumento, & propriè illius actioni. ¶ Hos tam varios dicendi modos non ſine labore ex varijs authorum doctrinis fideliter collegi. Singulos oportet expendere, vt quæ in vnoquoque reperiatur veritas, facilè appareat.

§. 2.

Reiecto primo modo explicandi, expenditur quartus.

13. Non placet 1. opinio. PRimus dicendi modus ideò eſt reijciendus; quia ſolùm aſſerit id, in quo omnes conueniunt: omnes enim, vt initio diximus, in hoc cõſentiũt, vt creatura eiuſque obedientialis potentia eleuetur per ſpecialem Dei concurſum, & effectui proportionatum: difficultas autem, cuius ſolutionem inquirimus, petit modum ſpecialem, quo Dei concurſus eam eleuet: de quo nihil agit primus dicendi modus. Relicto igitur, primo modo dicendi, cæteros ordine retrogrado expendamus: vnde primo loco expendemus quartum modum dicendi.

14. Expeditur 4. sent. Quartus dicendi modus in hoc eſt peculiaris; quia generaliter docet, concurſum Dei creaturam inſtrumentaliter nõ eleuare per aliquid in ipſo inſtrumento poſitum: in quo à cæteris non recipitur: etenim cæteri omnes vel ſupponunt, vel expreſſè docet, repugnare Philoſophiæ, quod aliquod agens, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale verè agat per principium actiuum, quod non eſt in ipſo, ſed in alio. Quam Philoſophiam multis confirmat Suarius *in d. diſp.* 31. *ſect.* 6. *pagina* 590. *col.* 1. *&* 2. *& pag.* 594. *col.* 1. §. *In hoc diſcurſu, & pag.* 600. *col.* 2. In terminis eam, vt veriſsimam ſcribit Valentia 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *puncto* 3. *pag.* 192. B. *Salas* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *ad* 1. *pag.* 357. *col.* 2. *ad* 3. cum cæteris omnibus, quos longum eſſet referre. *Suarius.* *Valentia.*

15. Quid in hoc pariat difficult. Sed in hoc puncto illud parit difficultatẽ, quod citati doctores non diſtinguũt de principio agendi, quo creatura dicitur potens agere ante eleuationem; & de illo, quo in ipſa eleuatione actualiter agit ſimul cum Deo agẽte principali. In priori ſenſu contra Fonſecam egimus, & adductam Philoſophiam cõfirmauimus ſuprà art. 6. §. 3. n. 17: nunc agimus de eo in ſenſu poſteriori; & inquirimus, an creatura, eiusq; actiua potentia obedientialis actu eleuetur ad agendum per concurſum ex trinſecum, quo Deus effectum ſupernaturalem actu operatur? affirmant authores huius quarti modi; alij negant, eo ducti fundamento, quia fieri non poteſt, vt aliquod agens, etiam inſtrumentale, aliquid agat per virtutem agendi, quæ eſt in alio: & indè inſerunt, non poſſe creaturam eleuari ad agendum effectus ſupernaturales per concurſum Dei extrinſecum, vt quia ille eſt virtus agendi ſolùm exiſtens in Deo.

16. Dubiũ circa Philoſophiam aſſũptam. Dubitari tamen poteſt, an adducta Philoſophia efficaciter conuincat aduerſarios? Ratio dubitandi eſt; quia plerique volunt, Philoſophiam illam ſolum eſſe veram in principio agendi, quod ipſi agẽti non ſolùm eſt prima, ſed etiã tota agendi virtus: in hoc enim ſenſu omnino implicat, agens agere per virtutem agendi ſibi extrinſecam: non eſſe tamen neceſſariò veram in principio agendi, quod agẽti non eſt tota agendi vis, ſed eſt virtus quædam complens virtutem inchoatam, quæ in agente ineſt: hæc enim virtus poteſt ipſi agenti eſſe principium agendi, quanuis illi ſit extrinſeca, & ſolùm aſsiſtens. Quomodò Philoſophiam illam explicauit idem Suarius *in d. diſp.* 31. *ſect.* 6. *pag.* 594. *col.* 1. §. *In hoc diſcurſu*, & pòſt eũ Nauarrete 2. *tom. controu.* 15. §. 4. *in ſeptima concluſione pag.* 198. *col.* 1. §. *Præterea nota, & col.* 2. §. *Hoc ſuppoſito.* Hæc autem Philoſophia ita explicata ſolũ iuuat eos, qui volunt, inſtrumenta Dei, quæ ad opera ſupernaturalia aſſumuntur, nullam ex ſe habere agendi virtutem, etiam inchoatam, ſed totam virtutem agendi illis cõmunicari in ipſa actuali eleuatione: at nihil prodeſt ijs, qui in rebus creatis, ante eleuationem nobiſcum agnoſcunt virtutem inchoatam, & imperfectam, quæcũque illa ſit: in hac opinione virtus ad agẽdum, quæ in ipſo aſſumptionis vſu, creaturę communicatur, non eſt illi tota agẽdi virtus; ſed ſolùm eſt completiua virtutis inchoatæ, quæ iam inerat: vnde, ſuppoſita illa explicatione, talis virtus poteſt *Explicatio 1.* *Suarius.* *Nauaret.* *Non placet*

eſſe

eſſe extrinſeca, & ſolùm aſsiſtens. Et per conſequens quartus iſte dicendi modus per datam philoſophiam efficaciter non excluditur, ſi explicatio Suarij admittatur: oportet igitur oſtẽdere philoſophiã adductam generaliter eſſe veram in quocunque agendi principio, ſiue agenti ſit tota virtus ad agendum, ſiue ſit completiuum virtutis præexiſtentis.

17. *Philoſophiam adducta generaliter cõfirmatur. Valentia.* Quòd illa philoſophia in explicata generalitate ſit veriſsima, multis oſtendemus. Et primùm, quia vno, vel altero excepto, eam in tota generalitate probant. Quæ videtur eſſe mẽs Valentiæ, ſi expendantur, quæ ſcribit 1. *tom. diſp.* 1. *q.* 12. *pũcto* 3. *p.* 192. *B.* ibi enĩ agit de eleuatione agentis, quod ad effectum ſupernaturalẽ habet aliquam virtutem, quamuis imperfectam: & tamen negat, ſatis eſſe diuinam virtutem, vt aſsiſtentem; ſed neceſſariũ eſſe, vt ipſum inſtrumentum in ſe ipſo formaliter habeat virtutẽ, per quam agat: & ratio eſt, inquit; quia res efficiens agit non prout quomocunque habet quidpiã, ſed prout actu eſt talis. Eadem etiam videtur eſſe mens Ioannis de Salas *Salas.* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *pag.* 357. *ad* 3. dum docet, poſſe quidem intellectum videre Deum ſine lumine gloriæ: at tamen intellectum in illo caſu non eſſe videntẽ per ipſam Dei potentiam aſsiſtentem ſibi; quia, ſc. nihil poteſt agere per virtutem alterius: agit autem de intellectu, in quo cognoſcit virtutem videndi incompletã, eleuandam per lumen gloriæ; aut per cõcurſum Dei aſsiſtentem; ita tamen, vt tũc non dicatur videre per ipſam aſsiſtentem Dei virtutem; ſed per ſuam inchoatam, quam habet. Accedat etiam idẽ Suarius, qui in dicta pag. 590, principiũ illud philoſophiæ adducit, vt vniuerſaliter verũ; aliter nihil faceret ad cõfirmandam actiuitatem natiuam, quam ponit; quia aduerſarij ſemper negarent, dari in creaturis virtutem aliquam inchoatam.

18. *Probatur D. Thoma.* Quòd hæc ſit mens, & doctrina Diui Thomę, dubitari non poteſt, ſi expendãtur, quæ de Sacramentis ſcribit: conſtat enim, cum in illis admittere virtutẽ quandam, antequam in ipſo vſu eleuentur, vt patet *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. *&* 3. *p. q.* 66. *art.* 2. cum quo conſentiũt Thomiſtæ, vt ſuprà diximus art. 9. §. 4. num. 39. & 40. & tamen docet neceſſariò ponendam eſſe in Sacramentis virtutem aliquam in ipſo vſu illis communicatam; nec ſatis eſſe ad eleuationem extrinſecũ Dei concurſum, & aſsiſtentiam. Fundamentum, quo nititur, eſt; quia virtus, per quam agens cauſat effectum debet eſſe in agente, vt clare explicat in dicta quæſtiuncula 2. in principio. Dubitari igitur nõ poteſt, D. Thomam generaliter admittere adductam philoſophiam in omni principio agendi, etiamſi ſolùm ſit cõpletiuũ virtutis inchoatæ iam inexiſtentis.

Tertiò, quòd philoſophia illa in ſua generalitate ſit conſentanea doctrinæ Auguſtini, facilè patebit ei, qui attente conſiderauerit, quæ ſcribit 9. *de Geneſi ad literã c.* 17. & 18. ex illis enim euidenter colligitur, Deum in ipſa cuiuſque rei creatione, cuique illarum dediſſe quoddam obedientiale poſſe in ea, quæ ſunt ſupra naturam. Hoc autem poſſe eſſe virtutem quandam inchoatam in ſuperioribus ſępe oſtendimus: & tamen ex eodem Auguſtino illud poſſe non poteſt ad actum reduci, niſi quando Deus ſuo tempore creaturam ad agendum aſſumit, & aſſumendo eleuat, cõmunicando illi rationes obedientiales, quas apud ſe habet reconditas. 19. *3. Cõfirmatio ex Auguſt.*

20. *4. Cõfirm.* Accedat quarto loco; quia philoſophia illa in ſua generalitate veriſsima eſt in quocunque agendi principio: etenim in philoſophia indubitatum eſt, nullũ agẽs operari poſſe, ſecundùm quòd eſt in potentia, ſed ſecundùm quòd eſt in actu ad agendũ per aliquã formã: Hãc Philoſophiam, tanquam notiſsimam ex Ariſtotele ſæpè aſſumit D. Thomas, vt patet 1. *p. q.* 2. *art.* 2. *& q.* 4. *art.* 1. *& de potentia q.* 8. *art.* 1. *& q.* 9. *art.* 5. *poſt principium*: vnumquodque enim ideo eſſe actiuum; quia eſt in actu, ab omnibus ſumitur, tanquã principium notiſsimum, vt ex D. Thoma ibi declarat Caietan⁹ *in dicta q.* 4. *art.* 1. Quod ideo eſt verum, vt plures aduerſariorum fateantur, oppoſitum includere contradictionem: inter quos eſt Ioannes Vincentius de Gratia Chriſti q. 6. pag. 705. in medio. Nõ eſt igitur negandum omne agẽs, etiam inſtrumentale, ideo agere, quia eſt in actu ad agendum per aliquod agendi principium, quo actuatur. Huic Philoſophiæ addenda eſt alia nõ minus indubitata, nihil eſſe poſſe in actu per id, quod nõ eſt in ipſo, ſed in alio. Hanc Philoſophiã, *D. Thom.*

tanquam notam ſuppoſuimus ſupra ar. 6 §. 3. num. 18: ſed quia in ea poſitus eſt cõtrouerſiæ ſtatus, oportet eam diligentius confirmare.

21. Confirmatur. Confirmari autem poteſt ex Ariſtotele 1. *de Generat. cap. 7. text. 53.* dum docet, *quòd mouens dicitur mouere, in quo ineſt principium motus*: cùm verò, vt ibidem ait, eadem ratio ſit de agente, quæ eſt de mouẽte, benè colligitur apud Ariſto, *illud agens dici agere, in quo ineſt agẽdi principiũ.* Sed ratione id ipſum euidenter oſtenditur: quia ex Ariſtotele in libris de Cœlo, operari ſequitur ad eſſe. Ergo quodcunque agẽs per id fiet in actu ad agendum, per quod habet actum eſſendi, ad quem talis operatio conſequitur: etenim ex eodem Ariſtotele 4. Ethicor. capit. 7. text. 89. *Qualis eſt vnuſquiſque, talia agit*; & ex D. Thoma 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. nihil habet actualitatem, niſi in quantum eſt; etenim eſſe eſt omniũ actualitas ad operandum. Iam verò nihil poteſt habere eſſe à forma, quę in eo non eſt, ſed extrinſecus adiacet; forma enim extrinſeca nullum poteſt dare eſſe, rei, cuius dicitur forma; ſed ſolũ dat extrinſecam quandam denominationem, vt latè oſtendimus lib. 8. p. 2. q. 4. art. 2. n. 48. & 49: quod etiam docuit idem Suarius *in Metaph. diſp. 16. ſect. 1. & diſp. 54. ſect. 2. num. 6.* Ob quod fundamentũ doctiſsimi Theologi abſolutè docent, nihil poſſe conſtitui in actu primo ad agendũ, niſi per principium agendi, quo informatur; inter quos eſt Mol. 1. *p. q. 12. artic. 2. diſp. 2. pag. 110. col. 1. E. & col. 2. A*: nec vidi, qui hanc Philoſophiam neget in agẽtibus in genere rei, quæ agunt per principium agendi; *vt quo.* Neque enim deſunt, qui illam Philoſophiam non admittant in intellectu, qui eſt agens generis intelligibilis: volunt enim illum poſſe conſtitui in actu primo per formã extrinſecus aſsiſtentem: imò dicunt de facto conſtitui in actu primo per diuinã eſſentiã, vt tanquã forma intelligibilis obiectiuè aſsiſtit intellectui beato: in nobis autem intellectũ conſtitui in actu primo per ſpeciem intelligibilem; non quidẽ, vt intellectũ actuat, & in eo inhæret (quod illi conuenit per accidens;) ſed prout obiectum intellectui obiectiuè proponit

Ariſto. *Suarius.* *Molina.* Opinio quorundam.

22. Aliorũ opinio. Quare Philoſophiam à nobis allatam admittunt in agentibus generis rei, quæ agunt per actiones tranſeuntes: non tamen in agentibus generis intelligibilis, quæ agunt per actiones immanẽtes. Alij ſunt, qui volunt, cauſam partialem etiam de genere rei, conſtitui in actu primo ad agendum per concurſum coniunctionẽ ve extrinſecam alterius concauſæ. Sed neutra harum opinionum (etiamſi vtraque vera foret) nobis officit. Non officit poſterior; quia nõ agit de actu primo, qui eſt principium agendi, *vt quo*: concauſa enim partialis non eſt alteri concauſæ virtus, qua formaliter agit, ſed eſt virtus eã coadiuuãs, *vt quod*; quia ex vtraque cõcauſa integratur vnũ totale agẽs, vt quod: vnde cõcauſa, ſicut alteri cõcauſę propriè nõ eſt virtus agendi; ita propriè non eſt illi actus ad agendum. Nos autem agimus de actu primo, quo agens formaliter agit, & influit in effectum. Quare illa poſterior opinio (etiam ſi vera foret) vim adductę Philoſophiæ non tollit. Prior autem opinio nobis potius fauet, quàm officit: quia in præſenti difficultate agimus de agente in genere rei, non in genere intelligibili; addimus, Philoſophiã datã etiã eſſe veriſſimam in agentibus generis intelligibilis: etenim intellectus non poteſt conſtitui in actu primo ad intelligendum, niſi per formam intelligibilem, per ſe, & non per accidens, illum intrinſecè actuantem, & perficientem. Hanc doctrinam eſſe vere Ariſtotelicam euidenter oſtendimus *lib. 8. 1. p. q. 1. art. 1. §. 2. num. 14. & latius q. 3. art. 3. §. 2. num. 8. & q. 4. art. 1. §. 2. nu. 10. & art. 2. §. 3. nu. 19.* vnde nobiliores Thomiſtarum non admittunt, intellectũ beati conſtitui in actu primo ad videndum Deum per diuinam eſſentiã loco ſpeciei; niſi vt intrinſecè actuat, & perficit intellectum abſque vlla informatione: quæ fuit opinio *Caietani, Soti, Ripæ, Fonſecæ, quos referimus libr. 8. 2. p. q. 4. art. 2. §. 2. n. 11.* & quanuis ibidem §. 3. illam opinionem nõ probauerimus, quatenùs docet intellectũ beati cõſtitui in actu primo per formam actuantem, ſed non informantem: illam tamen adducimus, vt oſtendamus, doctiſsimis illis Theologis nõ placuiſſe poſſe intellectum conſtitui in actu primo per formam extrinſecus aſsiſtentem. Quare fundamentũ Suarij, & Nauarrete, ſumptum ex diuina eſſentia extrinſecus actuante, dupliciter deficit. Primùm; quia doctrina

Neutra eſt vera. Contra 2. Contra 1. Duplex defectus in fũdamento poſito.

ctrinæ falſæ nititur, vt oſtendimus in d. q. 4. §. 7. num. 6. Deinde; quia admiſſa illa nihil contra nos inferri poteſt, qui Philoſophiam illam intelligimus de principio agendi non in genere intelligibili, ſed in genere rei.

23. Reſponſio pro Suario. Sed reſpondebit aliquis, principiũ Philoſophiæ, quo nitimur (*Scilicet nullum agens eſſe poſſe in actu ad agendum per principium agẽdi, quod eſt in alio, & non in ipſo*) ſolùm eſſe verũ de principio agendi, quod agenti eſt tota agendi virtus; ſecus ſi ſolũ ſit complementum virtutis, quæ iam inchoatiuè ineſt: hoc enim poteſt conſtituere in actu ipſum agens, quanuis illi ſit extrinſecum. Sed, ſi quæ diximus ſubtiliter penetrentur, data ſolutio ſatis euidenter excluditur: nam, vt omittamus, non poſſe dari rationẽ diſcriminis inter vnũ, & alterum agendi principium, in ordine ad actuationem agentis; ratio à nobis adducta concludit in vtroque agendi principio: etenim ſi operari ſequitur ad eſſe; vtique tale eſſe erit ratio totaliter operãdi, iuxta illud Ariſtotelis. 4. *Ethicorum c. 7. text. 89. quale eſt vnũquodque, talia agit*; & per conſequens nullum agens eſſe poterit in actu ad agendum per principium, à quo nullum habet eſſe: oportet igitur, vt quodcunque principium agendi (ſiue illud ſit agenti tota virtus, ſiue ſolùm cõpletiuum virtutis) det ipſi agenti aliquod eſſe, ad quod ſequatur operatio. Quare ſi nulla forma poteſt dare eſſe agẽti, in quo non ineſt; vtique nulla poteſt illud conſtituere in actu primo, aut totaliter, aut complectiuè.

Non recipitur.

Ariſtot.

24. Cõfirmatio ratio adducta. *D. Thom.* Hæc ratio confirmatur: quoniam principium agendi, quod complet virtutem inchoatam in agente præexiſtentem, eſt virtus, qua pręexiſtẽs virtus ſuperaccreſcit, & augetur, vt docet D. Thomas 1. *p. q. 12. art. 5.* ſuperaccreſcit, inquam, non augmento intenſionis, quaſi virtus pręexiſtens per ſuperuenientem virtutem intendatur: ſed augmento cuiuſdam roborationis; quo fiat completè, & proximẽ potẽs, in hoc enim ſenſu dicitur à D. Thoma virtus præexiſtens ſuperaccreſcere, vt dicemus in ſequente quæſt: 3. in difficultate, quomodo virtus natiua intellectus beati per lumen gloriæ compleatur. Hanc autem corroborationem, & fortificationẽ dare non poteſt forma, quæ eſt in alio; etenim talis corroboratio fieri nõ poteſt, niſi fortificando eſſe virtutis præexiſtentis, dũ illud eleuat ad eſſe ſuperius, in quo effectui ſupernaturali proportionatur: nã lumen gloriæ non alio modo fortificat virtutem natiuam intellectus beati, niſi, quia illam transfert ad eſſe ordinis diuini, ad quod eleuatã ſit proportionata viſioni beatæ, in quam debet influere.

Ex his, quæ tàm latè diximus, iam patet Philoſophiam initio adductam (*nullũ ſcilicet agens, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale, agere poſſe per principium agendi, quod non eſt in ipſo, ſed in alio*) non ſolùm eſſe veram, ſed etiam generalẽ omni agẽdi principio, ſiue illud agenti ſit tota virtus agendi, ſiue ſit complementum virtutis exiſtentis. Porro, ſi hæc Philoſophia ſemel admittatur (admitti autem debet) defendi non poteſt quartus dicendi modus, quem impugnamus; quatenùs docet creaturam, vt eſt Dei inſtrumentum, eleuari ad agendum per concurſum ſpecialẽ Dei, ſimpliciter illi aſſiſtentem, & extrinſecè concomitantẽ. Nam creatura à Deo eleuata verè agit actione inſtrumentaria. Ergo agit in effectum per aliquod actiuũ agendi principium. Sed non poteſt agere per principium agendi, quod eſt in alio, vt demonſtrauimus. Ergo non agit per concurſum Dei extrinſecè aſſiſtentem; ſed neceſſariò agit per aliquid, quod in ipſa eleuatione in ſe recipit: quæ eſt aliorum omnium opinio. 25. Concluſio diſcurſus.

Hæc reſolutio euidentior fiet, ſi ſingulas explicandi vias, quibus hæc opinio explicatur, impugnemus. Quòd hæc eleuatio non fiat per ſimplicem aſſiſtentiam, & extrinſecam concomitantiam concurſus diuini (quæ eſt prima explicandi via) ſatis docet D. Thom. 3. *p. q. 62. ar. 4. in principio, & in 4. diſt. 1. q. 1, art. 4. quæſtiunc. 1. & 2.* etenim ſimplex illa aſſiſtentia diuini concurſus, niſi aliquid addatur, non eſt ſatis, vt ipſum inſtrumentum Dei faciat phyſicè vigoroſum ad agendum. Vnde authores huius opinionis id libenter agnoſcunt, & ideo docẽt, creaturam non habere rationem inſtrumenti, niſi ex diuina pactione, qua Deus ſtatuit, effectum producere ad inſtrumenti præſentiam: vnde Theologi illi, teſte D. Thoma, docent, creaturam ſolùm concurrere, vt conditionem, ſine qua non; idque non ex natura rei,

26. Impugnatur 1. modus dicẽdi.

D. Thom.

rei, ſed ex diuina ordinatione, quod non ſatis eſt ad phyſicam eſſicientiam, ſed accedit ad moralem, quam in inſtrumentis diuinis non admittimus.

27. Non recipitur 2. modus. *Ioan. Vincentius.*

Nec etiam admitti debet ſecunda explicandi via, quæ recurrit ad ſubalternationem ad diuinam voluntatẽ, & extrinſecum Dei concurſum: quanuis hic dicẽdi modus Ioanni Vincentio ſit valde probabilis, & à viris doctiſsimis approbatus, vt ait. Cui ille placuerit, vnũ tantum inueni Ioannem Vincentium; plures autẽ, qui eum impugnẽt. Eum impugnat Suarius *in dicta diſp. 31. ſect. 5. pag. 586. colum. 1. §. Tertio modo: & Nauarrete 2. tom. controuerſ. 15. §. 4. pag. 193. col. 2. §. Circa iſtã quæſtionem, & pag. 194. col. 1. §. Oppoſita tamẽ ſententia: Cabrera 2. tom. ad 3. p. q. 13. art. 2. diſp. 4. §. 9. num. 102.* Qui omnes multis cõtra eũ inſurgunt: ſed illis omiſſis, vera illius impugnatio petenda eſt ex ijs, quæ diximus: quia fieri nullo modo poteſt, vt aliquod agens, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale, aliquid agat, niſi mediãte aliquo agẽdi principio, quod habeat in ſe, & nõ in alio, vt immediatè oſtẽdimus. Sed illa ſubalternatio nullum agẽdi principiũ ponit in ipſa creatura; quod illi ſit agendi virtus, aut tota, aut præcedentis completiua, vt ipſimet aduerſarij fatentur. Ergo non eſt ſatis, vt creatura eleuetur; ſiquidem eleuari non poteſt, niſi per aliquid, quo fiat in actu ad agendum.

Suarius. Nauarret. Cabrera.

28. *Solutio Vincentij.*

Reſpondet Ioannes Vincentius vbi ſupra *pag. 802. §. Ex iſtis inferunt,* creaturam per ipſam ſubalternationem, adiuncto efficaci Dei imperio, quo vult vti illa, induere quẽdam modũ; quia, ſcilicet fit vna cauſa cũ Deo actualiter cõcurrente, ratione cuius modi poteſt inſtrumẽtaliter ſubſeruire ad exequendũ effectũ per ipſum extrinſecum Dei cõcurſũ. Sed inquiro à Ioanne Vincẽtio; an creaturam eſſe vnã cauſam cum Deo, ſit ipſi creaturæ principium agendi actione inſtrumentali; an non? non poteſt dici primum: quia modus eſſendi nulli poteſt eſſe agendi virtus, qua agat: modus enim eſſendi poteſt eſſe conditio agentis ad agendum; non tamen poteſt eſſe ratio formalis agendi, vt communis docet Philoſophia, *de qua lib. 1. q. 6. art. 4. num. 19. 34. & 49.* at verò ſi ipſi creaturæ aſſumptæ non eſt principium agendi; quomodo poteſt per eum eleuari ad agendum? etenim non eleuatur, niſi per agendi virtutem, qua in effectum influat, in quem antea influere nõ poterat.

Non placet

29. Aliorum ſolutio reijcitur.

Alij reſpondent; per illam ſubalternatam coniunctionem diuinum imperium deferri, intimarique ipſi creaturæ. Sed explicent nobis, qui ita reſpondent; quomodo hęc diuini imperij intimatio tribuat creaturæ agẽdi virtutem, vt poſsit agere; ſi eam non habet ſufficientẽ, niſi prius eleuetur? Quomodo enim Dominus poteſt intimare ſeruo ſuum imperium, qui ad illud exequendum virtutem non habet? *Vide Suar. in dicta pag. 586. col. 1. ad finem, & Cabreram in d. §. 9. num. 110.*

Suarius. Cabrera.

30. Non probatur 3. ſolut.

Sed nec probãda eſt tertia explicatio, quanuis Suarius, & Valentia illi faueant: licèt enim admittam concurſum, & coniunctionem concauſæ partialis adiuuare alteram concauſam eiuſdem ordinis, abſque hoc, quod illi ſuperaddat aliquã nouã virtutem: & abſque hoc, quòd illi cõmunicet ſuam virtutem agendi, vt per illam agat: nullo tamen modo id admittam; quando altera partialis concauſa non eſt eiuſdem, ſed inferioris ordinis, vt quia ſit ordinis naturalis, altera autem ſupernaturalis. Ratio diſcriminis eſt: quoniam concauſæ partiales eiuſdẽ ordinis, ex ſua natura ſunt inter ſe proportionatæ, vt ad inuicem poſsint coniungi ad agendum, & ad integrandum vnam totalem cauſam: quęlibet enim per ſe ſumpta, non ideo eſt improportionata ad effectum, quia eſt inferioris ordinis ad illum; ſed ideo, quia nõ habet adæquatam intenſionem virtutis actiuæ, vt per ſe illum valeat producere: vnde ex ſe apta eſt ad illum producendũ, ſi vel propria illius virtus adæquatè intẽdatur; vel cum alia conſtituat vnam virtutem intenſiuè adæquatam. At verò, quando concauſæ partialiter concurrentes non ſunt eiuſdem ordinis, ſed vna eſt ordinis inferioris ad alteram; illę nõ ſunt ſimpliciter proportionatæ, vt abſolutè coniungi valeant ad agendum: imò quæ ordinis eſt inferioris, ſecundùm ſe ſimpliciter eſt improportionata; & ideo indiget eleuatione ad eſſe ſuperioris ordinis, vt facta eiuſdem ordinis cum altera concauſa, proportionata fiat, vt poſsit ad vnum effectum cum ea partialiter cõiungi, vt oſtẽdimus.

dimus lib. 9. q. 5. art. 4. num. 16. cum ſequentibus: vbi cũ Suario, Molina, & alijs latè cõfirmauimus, intellectum creatum indigere ſupernaturali eleuatione, vel per lumen gloriæ, vel per alium ſupernaturalem concurſum, vt poſsit, tanquam partialis cauſa coniungi cum diuina eſſentia, vt eſt concauſa obiectiua cum intellectu ad viſionem. Cum verò creatura, vt habet virtutem actiuam obedientialem, etiam natiuam (quam fingit Suarius) ſecundum ſe ſit ordinis inferioris, in ordine ad Deum partialiter concurrentem; ex ſe non eſt proportionata, vt Deus cũ ea partialiter coniungatur: & ideo prius debet proportionari, quàm Deus illi, vt principalis concauſa, coniungatur: proportionari autẽ non poteſt, niſi per aliquid, quo ad eſſe ordinis ſupernaturalis transferatur; iuxta vulgatam Philoſophiam, quæ docet, concauſas, vt inter ſe habeant proportionem, futuras eſſe eiuſdem ordinis: *Vide in dicto lib. 9. q. 5. art. 4. num.* 18. Coniunctio autem illa alterius concauſæ, cum nihil in ea ponat (vt docent huius opinionis authores) non poteſt alteram concauſam de vno ad alium eſſendi ordinẽ transferre.

31. Nec probat 4. explicat. Denique probari non debet quarta explicatio, quæ ex mente Fonſecæ, & Banhes deſumitur; *Deum ſcilicet ideo perſuũ ſpecialem concurſum, creaturam eleuare; quia aſſumendo eam illi communicat ſuum propriũ agendi principium, vt per illud inſtrumentaliter influat in effectum.* Quòd iſte modus dicendi non ſit admittendus, efficaciter probant, quę adduximus: ſc. fieri nõ poſſe, vt aliquod agens agat per principium actiuum, quod eſt in alio, vt contra eundẽ Fonſecam oſtendimus ſuprà q. 2. artic. 6. §. 3. num. 17. vbi diſſoluimus, quæ Fonſeca adducit. Nec decet recurrere ad efficaciam diuinæ voluntatis, (vt Fonſeca videtur recurrere *in dicto 9. Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 8. pag. 623. col. 2. in fine*) quando argumenta in oppoſitum non cogunt. Maximè cum huic dicendi modo multa reſiſtant: etenim ſi ille admittatur, non erit omninò improbabilis opinio, quòd intellectus creatus poſsit Deum formaliter videre, viſione creata, qua Deus ſe ipſũ videt: authores enim illius opinionis reſpõderent, hanc eſſe diuinæ voluntatis efficaciam, vt poſsit creaturæ communicare ſuam increatam viſionem, vt Deũ videret per eandem, qua Deus ſe ipſum videt: Deus quidem; naturaliter: beatus autem; ſupernaturaliter. Quod ſi id non eſt admittendum; nec admittendum videtur, poſſe creaturam influere in effectum ſupernaturalem, per ipſummet principiũ actiuum, per quod Deus influit. Poſſunt quidem Deus, & creatura agere aliquem effectum per eandem actionem; at quòd illum agant per idem agendi principium; id fieri non poteſt. Hæc longiorem poſtulabant diſputationem; ſed quæ diximus ſatis ſint, vt quartam illam explicationem non admittamus.

Fonſeca.

§. 3.

Expenditur, & reiicitur tertius dicendi modus.

Tertius dicendi modus eleuationẽ conſtituens in quodam motu virtuoſo, quanuis plurimis placuerit; pluribus tamen diſplicet: inter quos eſt Suarius *in dicta diſp. 31. ſect. 5. pag. 585. col. 2. §. Secundus modus dicendi, & pagin. 592. col. 1. §. Tertium principium eſt*; nec ſatis placet Petro de Lædeſmã *de diuina Perfectione q. 8. in ſubart. pag. 592. col. 2. in principio* nec etiam placuit quibuſdam viris doctiſſimis, ſi credendum eſt Ioanni Vincentio *de Gratia Chriſti q. 6. pag. 801. §. Hæc argumenta.* Quæ etiam ſemper mihi diſplicuit, & modo magis diſplicet. 32. Contra 3. modum. *Suarius.* *Lædeſma.* *Ioan. Vincent.*

Contra hanc ſententiam multa adducit Suarius locis citatis: plura adducũtur apud Ioannem Vincentium *in dicta q. 6. pag. 799. & 781: & apud Cabreram 2. tom. ad. 3. p. q. 13. art. 2. diſp. 4. in 1. opinione pag. 217. à num. 17. cum ſequentibus.* An omnia vim habeant? aliorum ſit iudicium. Ego ad hunc dicendi modũ impugnandũ ex eo ſẽper ſumpſi fundamentũ; quia fieri nullo modo poteſt, vt motus, quatenus eſt motus, ſit alicui agenti, etiam inſtrumentario, principium, quo in effectũ influat. Ergo fieri non poteſt, vt creatura, vt eſt inſtrumentum Dei, eleuetur per motum, quo à Deo mouetur, & ad agendum applicatur, tanquam per virtutem agendi conſtitutiuam illius in actu primo ad agendum. 33. *Cabrera.* Propria impugnatio.

Pro huius fundamenti explicatione, & pro tollenda omni æquiuocatione hu- 34. Præmiſſ. 1.

ius

ius vocis *motio*, ſiue *motus*, præmittendũ eſt, motionem, ſiue motum duobus modis ſumi poſſe. Vno modo ſumitur latiſſimè pro actuali applicatione agẽtis ſecũdi ad agendum: etenim apud D. Thomã, & Thomiſtas Deus, vt eſt prima cauſa, & primũ mouens, prius natura applicat cauſam ſecundã, tum principalem, tùm inſtrumentalem ad agendum, quàm illa aliquam eliciat actionem, vt ſatis docet D. Thomas *de potentia q. 3. art. 7. & 3. contra gent. c. 67. & 70. & prima ſecũdæ, q. 109. ar. 1.* quem in hoc ſui ſequuntur, & cum illis Caietanus *1. p. q. 45. artic. 2. ad argumenta Durandi*, & inde eſt, vt communiter docẽant, nullum agens ſecundum, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale, poſſe agere aliquid, aut mouere, niſi actum, motumvè ab agente principali; ex ea præciſa ratione, quia nec mouere poteſt, nec aliquid agere, niſi prius natura applicetur ad agendum: vnde, ſicut illud applicari, eſt moueri; ita applicatio eſt motio, qua mouetur. Si ſermo ſit de hac motione, ſiue motu, dici non poteſt, creaturam, vt eſt Dei inſtrumentum eleuari per hanc motionem, vt poſsit influere in ſupernaturalẽ effectũ: quia talis motio nõ poteſt eſſe virtus actiua, principiumque influendi in effectum. Poteſt quidem illa motio eſſe conditio neceſſaria, vt ipſi inſtrumento communicetur aliqua virtus actiua, principiumque agendi: non tamen poteſt eſſe formalis virtus, qua inſtrumentum formaliter in effectum influat. Hæc Philoſophia ſatis eſt euidens in motione, qua prima cauſa mouet, & applicat ſecundã ad agendum: nec enim talis motio ipſi ſecundæ cauſæ eſt virtus, qua illa influat in effectum; ſed in illum influit per ſuam propriam, & naturalem virtutem, quam ex ſe habet. Quod euidenter demonſtrat motionem agentis ſumptam pro ipſa actuali applicatione, non habere ex ſua natura, quòd ſit virtus actiua agenti, quod ad agendum applicatur.

Motus latè ſumptus.

D. Thom.

Caietan.

35. Eadem Philophia etiam erit veriſsima in motione, qua inſtrumentum ab agente principali applicatur ad agendum, quã ijdem Thomiſtæ admittunt in inſtrumẽtis præuiam actioni, per quam inſtrumẽtaliter producunt effectum: etenim ex doctrina D. Thomæ *3. p. q. 62. art. 4. ad 4.* vis agentis principalis inſtrumentaliter inuenitur in inſtrumento, vt inſtrumentum eſt; participata tamen à principali agente, vt declarat D. Thomas *de potentia q. 3. artic. 7.* At vis; qua agens principale concurrit ad effectum, non eſt motio applicatiua inſtrumenti, ſed eſt propria ſua virtus, quam habet ad producendũ effectum; & quam inſtrumento communicat. Ergo vis actiua, qua inſtrumentum agit, formaliter nõ eſt ipſa motio prçuia, qua inſtrumentum applicatur, & ordinatur ad effectum principalem; ſed erit aliquid aliud communicatum illi, mediante præuia motione, quòd illi ſit principium agendi, & eliciendi actionem inſtrumentariam, qua attingit effectum principalẽ. Quod adhuc ex eo confirmatur; quoniã in cæteris inſtrumentis, motus, quo ab agente principali applicantur, non eſt illis principiũ agendi; ſed aliquid aliud cõmunicatum illis per applicationem illam. Idem igitur dicendum erit in inſtrumentis diuinis, à Deo ſupernaturaliter aſſumptis. Et per conſequens actio inſtrumentaria, quam diuina illa inſtrumẽta inſtrumentaliter eliciunt, non erit virtuoſa, vigoroſaque ad attingendum ſupernaturalem effectum, prçcíſè ab illa actuali applicatione, qua ad agendum applicantur, ſed à virtute per talem applicationem, & in illa applicatione ſibi communicata: de qua inquirimus, quæ nam illa ſit.

D. Thom.

Alia confirmatio.

Secundò; motus, ſiue motio ſumitur propriè pro motu, motionevè diffinita ab Ariſtotele *3. Phyſicorũ c. 2. dum ait: Motus eſt actus entis in potentia, vt eſt in potentia*; id eſt, vt eſt in actuali tendentia acquiſitionis formç, ad quam acquirendam à mouẽte actualiter, mouetur: quæ eſt vera, & cõmunis illius diffinitionis explicatio. Ex qua euidenter infertur, motum diffinitũ ab Ariſtotele formaliter eſſe ipſam formam, quæ fit; non ſimpliciter, ſed vt eſt in fieri: vel (vt alij clarius loquũtur) motum eſſe ipſam formalem, & actualem acquiſitionem formç, prout eſt in via ipſius acquiſitionis. Motus iſto modo ſumptus, eſt actus ſecundus ipſius agentis principalis, vel inſtrumentalis, ab eo elicitus: etenim ipſa actualis acquiſitio formæ; quæ fit, eſt actus ſecundus, realiter indiſtinctus ab ipſa forma; adhuc tamen imperfectus, cum adhuc ſit in fieri ipſius formæ. Cum verò ipſa forma, quæ eſt in fieri,

36. Motus propriè ſumptus.

Ariſtot.

& ipſa actualis acquiſitio illius, vt adhuc eſt in tendentia, formaliter ſit actio, ſi cõſideretur, vt eſt ab agente, ſicut ex Ariſtotele docet communis, & indubitata Philoſophia; neceſſariò infertur, motum ab Ariſtotele diffinitum (quem ponimus eſſe actum ſecundum) realiter idẽtificari cum ipſa actione, qua agens tàm principale, quàm inſtrumentale agit effectum.

38. Demonſtratur intentũ

Hac Philoſophia ſuppoſita, euidenter demonſtratur, creaturam non poſſe eleuari in inſtrumentum Dei, per motum hoc modo ſumptum, & quem diffinit Ariſtoteles: etenim id, per quod creatura eleuatur, vt fiat potens influere in effectum, eſt actus primus, & ſubinde eſt aliquid, quod ipſi inſtrumento eſt virtus agendi, & principium elicitiuum actionis, per quam fit effectus; qui vt eſt in fieri, dicitur motus, vt ex dictis patet. Vnde motio, ſiue motus iſto modo ſumptus, ſiue ſumatur, vt realiter eſt actio; ſiue vt realiter eſt ipſa forma acta, vt eſt in fieri; ſicut ſupponit agens inſtrumentarium, à quo inſtrumẽtaliter fiat; ita ſupponit in eo virtutẽ agendi, quæ ipſi agenti ſit principium eliciendi ipſum motum, tùm in ratione actionis; tùm in ratione formæ, vt eſt in fieri. Quomodo igitur motus ita ſumptus poterit eſſe ipſi inſtrumento virtus principiumque actiuum ipſius effectus? implicat enim id, quod fit, eſſe agenti principium actiuum, quo fiat. Nec de hac reſolutione aliquis poterit dubitare, qui viderit effectum ipſum ſupernaturalem, vt eſt in fieri, eſſe ipſum motum, ipſamque actionem, per quam fit. Quomodo igitur ipſe ſupernaturalis effectus, qui fit, erit principiũ actiuum ſui? Quare indubitata ſit noſtra reſolutio, ſi ſermo ſit de motu propriè ſumpto, quẽ Ariſtoteles diffiniuit.

39. Illatio 1.

Ex quibus infertur, actionem, per quam inſtrumentum attingit effectum ſupernaturalem, ideo eſſe virtuoſam ad effectum attingendum; quia exit ab ipſo inſtrumento iam virtuoſo, & viguroſo ad influendum in talem effectum: etenim actio ex eo eſt proportionata effectui, qui per eã producitur; quia virtus, à qua exit, eſt tali effectui proportionata: prius enim natura eſt, potẽtiam actiuam agentis eſſe proportionatam effectui, quàm ipſam actionem, vt per ſe patet.

Ex ijs, quæ diximus, iam patet vis, & efficacia noſtri fundamenti, quo tertium dicendi modum impugnamus: etenim (vt dicebamus) fieri nullo modo poteſt, vt motus, quatenùs eſt motus, ſit alicui agenti, etiam inſtrumentario, principium actiuum, quo influat in effectum. Ergo fieri non poteſt, vt creatura, prout eſt inſtrumentum Dei, eleuetur per motum, quo à Deo mouetur ad agendũ, tanquam per virtutem agendi, qua creatura conſtituatur in actu primo ad agendum ſupernaturalem effectum. Conſequentia eſt nota; quia creatura non poteſt eleuari in inſtrumentum Dei, niſi per id, quod illi eſt agendi principium: etenim ex ſe, ſuaque naturali virtute impotens eſt ad influendum in effectum ſupernaturalem; & ob id indiget eleuari eleuatione, per quam illi communicetur virtus, & principium influendi in effectum ſupra ſuã naturam. Antecedens verò probatur; quia motus, vt motus eſt, vel ſumitur largè pro motione, qua ex ſententia Thomiſtarum agens ſecundum, ſiue principale ſit, ſiue inſtrumentale, applicatur ad agendum, applicatione antecedente omnem actionem elicitam ab agente: vel ſumitur propriè, pro motu diffinito ab Ariſtotele in tertio Phyſico. cap. ſecundo. Sed nec vno, nec altero modo motus poteſt eſſe alicui agẽti principali, aut inſtrumentariò principiũ agendi, vt latè oſtendimus. Ergo motus, vt motus eſt, nõ poteſt alicui agenti, etiã inſtrumẽtario, eſſe prĩcipiũ actiuũ ad agendũ aliquẽ effectũ: quod erat antecedens; & per conſequens, nec poteſt eleuare creaturam, vt ſit Dei inſtrumentum ad effectus ſupernaturales. 40. Oſtenditur efficacia argumenti.

41. Non recipitur.

Huic argumẽto occurrit Cabeçudo *ad 3. p. q. 62. ar. 1. ad 5. replicã argumenti 5. p. 51. col. 2. ad finẽ*, & docet motionẽ iſtã, per quã inſtrumẽta eleuãtur ad ſupernaturalia, nec eſſe cognitã, nec enumeratam ab Ariſtotel. ſed eſſe motionẽ quandã artificioſã, ſpiritualẽ, & ſupernaturalẽ, factã potentia abſoluta Dei; cuius ſi daretur exẽplũ, nõ eſſet ſingularis: ſi præberemus ſufficientem rationem, non eſſet admirabilis. Hæc tamen ſolutio tolerãda eſſet, ſi Fides Catholica hanc motionem doceret, vt neceſſariam ad eleuationem inſtrumẽti; quia opportet intellectum ſubijcere in obſe- Solutio ex Cabeçudo.

obſequium fidei; at vbi fides id non docet, nec eam admittit, tanquam neceſſariã ad defendendum ea, quæ ſunt fidei; non eſt Theologi, niſi capitoſi, recurrere ad miniſterij altitudinem, & incuidentiam.

41. Ad 1. obiectionem. Quæ in contrarium obijciuntur, facilem habent ſolutionem. Prima obiectio eſt; quia in omnibus inſtrumentis, tàm naturæ, quàm artis, nulla reperitur virtus, quæ illi ſit principium agendi, niſi ſolus motus, vt inductione patere poteſt. ¶ Ad hanc obiectionẽ negamus id, quod ſumitur: etenim in ſingulis, præter motum reperitur qualitas quædam actiua vt ſequenti §. dicemus.

42. Ad 2. Secunda obiectio: quia ſicut mouere aliquid, non eſt aliud, quàm ipſũ de potẽtia ad actũ reducere; ita aliquid moueri, nihil aliud eſt, quàm ipſum de potentia ad actum reduci. Ergo inſtrumentũ: cũ mouetur, educitur de potentia, quam habet ad cooperandum virtuti agentis principalis, ad actum ipſius cooperationis. Ergo ipſe motus, quo ab agẽte mouetur, eſt ipſi inſtrumẽto virtus, qua ponitur in actu ad inſtrumentaliter cooperandum. ¶ Ad hoc argumentũ dicim⁹, mouere, ideo eſſe ipſum educere paſſũ de potentia ad actũ; quia cũ motu cõiuncta eſt vis actiua agentis, quę ipſum paſſũ educit de potentia ad actum: vnde mouere, vt cõmuniter dicitur, eſt agere non formaliter, ſed materialiter; quia, ſc. qui mouet, mouendo agit: ſimiliter etiã inſtrumentũ moueri ab agẽte, ideò eſt ipſum educi de potentia ad actũ coagẽdi; quia cũ motu, quo mouetur, recipit virtutem actiuam ad agendum.

43. Ad 3. Tertio loco obijciunt D. Thom. docentem, inſtrumenta eleuari per motũ, tanquam per virtutem agendi: hoc autem deducunt ex 3. *p. q. 62. art. 1. ad finẽ corporis, & ad 2. & art. 4. ad 3. & de Veritate q. 27. art. 4. & de potentia q. 3. art. 7. & in 4. diſt.* 8. *q. 2. art. 3. ad 4. denique ex* 2. 2. *q.* 178. *ar.*

Ad D. Tho. 1. *ad* 1. Sed D. Thomam oppoſitam ſententiã docuiſſe, latè oſtendemus inferiùs §. 5. vbi ſingula loca adducta diligenter explicabimus.

§. 4.

Creaturam eleuari vt Dei inſtrumentum per qualitatẽ in ipſa eleuatione illi impreſſam.

44. Propria ſententia. IMpugnatis, & reiectis cæteris explicã di modis, quos §. 1. retulim⁹, ſol⁹ reſtat modus ſecundo loco poſitus, qui docet, *Deum per ſpecialem ſuum curſum, quo mouet creaturam, & potentiam obedientialem eius applicat ad vſum, imprimere in ea qualitatem quandam ſupernaturalem, per modum formæ eam conſtituentis in actu primò, & proximo ad operandum determinatum effectum, quem per eam in tali tempore vult operari.* Hanc ſententiã multis olim confirmauimus, cũ de Sacramẽtis in genere publicè egimus: eandem amplexati ſumus in noſtris commentarijs ad 1. 2. D. Thomæ q. 5. art. 2. & eandem libentiùs modo amplectimur. Illam ex eo primùm cõfirmamus: quia, niſallor, eã abſque dubio docuit D. Thomas, vt in ſequenti §. 5. latè oſtendemus: quod etiam fuit iudicium doctiſsimorum ex Thomiſtis, vt ibidem monſtrabimus. 1. Confirm. ex D. Tho.

Deinde; quia hæc ſententia ab antiquioribus cõmuniter fuit approbata: nã præter D. Thomam, eam aſque dubio probarunt Alenſis, Richardus, Heruæus; Capreolus, Soncinas, Hiſpalenſis, Ferrarienſis, & alij, quos adduximus §. 1. in 2. modo dicendi. 45. 2. Confirm.

Tertiò confirmatur; quia ſatis illa conſentit cum ijs, quæ Pater Auguſt. docet 9. de Geneſi ad lit. capit. 17. vbi duplices cauſas rerum primordiales, & veluti ſeminales philoſophatur: naturales vnas, in ordine ad effectus naturales; ſupernaturales alteras in ordine ad ea, quæ naturam excedunt, Inter vtraſque hoc cõſtituit diſcrimen: quòd rationes naturales Deus rebus naturalibus communicauit, vt actiones ſibi naturales agerent: ſupernaturales autem (eorum, ſcilicet effectuum, quos Deus ſupra naturæ curſum facere inſtituit) non communicauit rebus à ſe creatis, ſed eas in ſe ipſo habet abſconditas; cõmunicandas tamen, quando in tempore per ſuas creaturas aliquid ſupra naturalẽ curſum facere voluerit: hanc eſſe mentẽ Auguſtini manifeſtè intelliges, ſi attente, & ſubtiliter perlegas, quę ibidẽ docet. Cum igitur primordiales, ſeminalesq; rerũ naturaliũ, quas Deus in ſe habebat, & rebus in ipſarum creatione communicauit, ſint qualitates actiuæ, vt conſtat; vtique cauſæ primordiales, & veluti ſeminales effectuum ſupernaturalium, quas in ſe abſcondit, & ſuo tempore creaturis cõmunicat, erunt etiã qualitates actiuæ, qui 46. 3. Confir.

bus

bus in ipſo vſu eas eleuat, vt illud poſſe obedientiale,quod in eis ab ipſo ortu poſuit,fiat potēs in actu primo, vt in effect⁹ ſupernaturales influat.

48. 4. Confir. Auguſt. Accedit 4. quia eleuatio creaturæ in diuinū inſtrumentū,in eo eſt ponēda,quod ad varios, diuerſoſq; effectus variari poſſit: quod ſatis colligitur ex Auguſtino *in d. cap.* 17. dum ad ſupernaturales effectus, non vnā primordialē,& ſeminalem rationem poſuit, ſed plures: nā ſicut rationes ſeminales ad effectus naturales ſunt plures; quia effectus per illas producēdi, ſūt plures,&diuerſi generis,vt eſt notiſsimū, ita etiam cum effectus ſupernaturales ſint plures; & generis diuerſi, vt etiam eſt manifeſtum; oportuit, vt rationes,quaſi ſeminales illorum,creaturis ſuo tempore cōmunicandæ, plures etiā ſsēt, & diuerſi genere,vt quęlibet ſuo effectui ſit proportionata. Iam verò non facilè explicabitur,quomodo rationes iſtæ ſeminales poſsint eſſe plures,& diuerſę rationis,niſi ponātur eſſe ſupernaturales quędā qualitates: etenī nec motio,quā admittit tertius dicēdi modus,poteſt admittere variationē;quia motio,vt motio eſt, ſemper eſt eiuſdē rationis: nec eſſētia Dei extrinſeca apud quartū modū dicendi (quocūq; ille modo explicetur) quia aſsiſtētia diuini cōcurſus,& ſubalternatio ad eū,nō admittit,aut ſpecificā,aut genericā variationem: cum tamen facilè eam admittat qualitas ſupernaturalis,quam ponimus.

49. 5. Confir. Quinto loco eadē ſententia ex eo, non inefficaciter cōfirmabitur;quia in omnibus agentiū naturaliū inſtrumētis,virtus, qua à principali agente eleuātur, eſt qualitas in ipſo vſu ijſdem cōmunicata. Cur igitur in diuinis inſtrumētis virtus eleuatiua eorū non erit qualitas? profectò nō facilè aſsignabitur ratio diſcriminis. Porrò antecedēs inductiuè oſtenditur: nā faber mouendo dolabrā ad faciendū cathedrā,cōmunicat illi vim impulſiuā: nō quidem ſimplicē,ſed ab arte regulatā: quę vis eſt qualitas quædā diſtincta à motu: ſicut etiā projciens lapidē cōmunicat illi eandē vim à motu diſtinctā, qua lapis actiuè mouetur; eādem vim cōmunicat baculo, quando per illā mouet lapidem: Citharædus etiam,dū mouet chordas,eaſdē pulſat pulſatione arte regulata,quæ pulſatio,prę ter motum, dicit vim quādam impellentem,& ideo pulſantē artificioſe ipſas chordas; & idem inuenies in cæteris inſtrumētis. Cum igitur in omnibus alijs inſtrumētis virtus inſtrumentaria non præcisè ſit motus,ſed qualitas modificata, quæ cum motu ab agente cōmunicata eleuat inſtrumentū ad principalem effectum; cur idē nō inuenietur in inſtrumentis diuinis ad effect⁹ ſupra naturā? Sed de vi huius argumenti plura inferiùs in ſolutionibus argumentorum.

Sextò ſumitur argumentū ab eleuatione potentiæ obediētialis,quæ eſt in intellectu creato ad eliciendā viſionem beatā: intellectus enim,eiuſque obedientialis potentia,eleuatur ad eliciendā viſionem per qualitatem luminis gloriæ; non ſolùm de lege ordinaria, vt oſtendimus lib. 9. q. 3. art. vnico §. 2. & q. 4. art. 1. & 2. Sed etiā de potentia abſoluta,vt monſtrauimus in eodem lib. 9. q. 6. Cur igitur potētia obedientialis ad effectus ſupernaturales, quæ eſt in creaturis,aliàs impotentibus ad eos, non eleuabitur per aliquam ſupernaturalem qualitatem,quę effectui producendo ſit proportionata? quod argumentū non paruam habet efficaciā contra eos, qui volunt,intellectum beati cōcurrere ad viſionem, non vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentū: etenim, hac opinione ſuppoſita, cur intellectus eleuabitur inſtrumentaliter per qualitatē luminis gloriæ; nō verò cętera inſtrumenta Dei? & efficatiùs vrgebit Suariū,quatenùs docet,intellectū per eandē potentiā obedientialē cōcurrere ad viſionē, qua concurreret ad cæteros effectus miraculoſos, ſi ad eos, tanquā inſtrumentū aſſumeretur: poſſumus enim ab eo inquirere; cur ad viſionē eleuatur per qualitatē luminis; non verò ad cæteros effectus? ſed de vi huius argumenti plura dicemus ſequenti q. Nec argumentū ſolū vrget eos,qui volunt,intellectū eſſe inſtrumentum in ordine ad viſionem; ſed etiā eos, qui defendunt, eum eſſe cauſam in ſuo ordine principalē: etenim ratio potentiæ obedientialis eadem videtur eſſe,ſiue intellectus vno,vel altero modo concurrat. 50. 6. Confirm.

Poſtremò eadē opinio ſatis cōfirmabitur ex ſolutione argumentorū: nā ſi ea admiſſa, omnia ſunt intellectu facilia; cur non admittetur? ſed iam agumenta in cōtrariū,& referamus, & diſſoluamus. 51. Poſtrem. Confir.

§. 5.

Referuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

51. Impugnat. noſtræ ſententiæ *Durandus* *Caietan.* SCio ſententiam iſtam, quam vt probabiliorē elegimus, pluribus nō placere. Eam impugnat Durandus *in 4. diſt. 1. q. 4. num. 13. Ex Thomiſtis eam non recipit Caieta. 3. p. q 62. a. 4. §. Aduerte hic: & eam iam nō receperat ibidem q. 13. ar. 2. §. Ad euidentiam horum poſt medium*, quatenus ſcribit Deum, quando per cauſas ſecūdas operatur miracula, illis non dare virtutes aliquas naturales, aut gratuitas: per virtutes autē intelligit qualitates inhærētes, de quibus antea egerat in *§. Circa doctrinam*, nec eam recipit *Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 4. §. Hæc autem, atque id genus plura in principio: nec Medin ad 3. p. q. 13. ar. 2. ad 3. difficultatē in 4. documento pag. 299. col. 1. ante medium. Eādem impugnat Martinus Lædeſma in 1. p. quarti q. 3. art. 4. in 2. opinione pag. 45. col. 1. Didacus Cabeçudo ad 3. p. q. 62. art. 4. §. Circa concluſionē vero pag. 60. col. 1. in principio: & latiſsimè Nauarrete 2. tom. contro. 15. §. 6. propoſitione 1. 2. & 5. & Ioannes Vincentius de gratia Chriſti q. 6. & Epiſcopus Oxomenſis ad 3. p. q. 62. ar. 1. 2. 3. & 4. num. 4. pagin. 27. col. 1.* ex alijs late eandem impugnat Cabrera *in 2. tom. ad 3. p. q. 13. art. 2. diſp. 4. §. 8. col. 2. nu. 97. & ante eum latiſsimè Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 5. pag. 584. col. 2. §. Hæc tamen opinio, & pag. 585. col. 1. & 2. & iterū ſect. 6. in 2. princip. quod præmittit pag. 590. col. 2. §. Secundū principium eſt, & in 3. tom. ad eandē 3. p. q. 62. art. 4. in Commentario.*

Sotus. *Medina.* *Lædeſma.* *Cabeçudo.* *Ioan. Vin.* *Nauarrete* *Cabrera.* *Suarius.*

52. *Bellom.* Eandem, tanquam commentitiam reijcit Bellomontanus *ad 1. p. diſp. 176 cap. 3. nu. 10. & diſp. 216. cap. 4. num. 17. in finem. & eandem non admittit 1. tom. ad 3. p. diſp. 57. cap. 5 num. 28. & latiſsimè eam impugnat in 2. tom. diſp. 132. cap. 3. numero. 35. §. Prætera non minus falſum eſt.* Nec eam recipit Bellarminus *libro. 2. de effectu ſacramentorum cap. 11. pag. 180. §. Tertio igitur, & pag. 181. in 3. differentia in nouis. Nec Valētia tom. 4. diſp. 3. q. 3. de gratia Sacramentorum puncto 1. pag. 560. §. Et quidam putauerunt.* Denique eam non recipit *Gullermus Alanus de Sacramentis in genere cap. 36. pag. 129. & 130.* Vtrùm hæc opinio impugnetur à Scoto? dubitari poteſt; quanuis Sotus, & nonnulli alij velint, eam ab illo impugnari. Ego fateor Scotū *in 4. diſtinctione. 1. q. 5.* impugnare ſacramenta eſſe actiua per aliquam qualitatē, vt patet ex *§. Contra opinionem iſtam*, & inferiùs litera F. *§. Tertio modo dicitur inſtrumentum*; & in ſolutionibus argumentorum, vbi in inſtrumentis, artis hāc qualitatem actiuā non recipit: at tamen eam non impugnaret, ſi admitteret ſacramenta, & inſtrumēta artis actiuè cauſare ſuum terminum principalem: etenim in inſtrumentis, quæ efficienter attingunt ſuum terminum, requirit aliquam formā in ipſo vſu eis cōmunicatam, quæ illi ſit agendi principium, vt apertè docet *in d. diſt. 1. q. 1. ad vltimū litera R. R. & clariùs diſtinct. 6. q. 5. litera D.* Quare, ſi nobiſcū admitteret, diuina inſtrumenta efficienter attingere principalem effectum, ad quem à Deo aſſumuntur; vtique in illis admitteret qualitatem aliquam actiuam in vſu eis communicatam, quæ illis eſſet agendi virtus, & principium. Sed quidquid ſit de mente Scoti, Doctores adducti noſtræ reſolutioni contradicunt: Et quanuis tot ſint, & tam graues; pro noſtra tamen opinione ſunt alij, & numero, & authoritate æquales. Videamus igitur, quibus argumentis impugnent qualitatem, quam admittimus. Et vt clariùs procedamus, ſingula argumenta, & adducemus, & diſſoluemus.

Bellarmi. *Valentia.* *Alanus.*

Expenditur primum argumentum.

COntra hanc reſolutionem, primo loco ita obijcitur: quoniā, vel illa qualitas eſt virtus propria ad producendum effectum ſupernaturalem; vel non eſt propria. Si eſt propria; nō erit inſtrumentalis, ſed principalis: quod nō admittunt illius authores. Si verò nō eſt ꝓpria, indigebit noua eleuatione, & per cōſequens, alia ſuperaddita qualitate: & ita dabitur proceſſus in infinitum. Hoc argumento vtuntur Bellom. Valentia, Cabrera, & plerique alij. Et tangitur à Suar. *in d. diſp. 31. ſect. 5. pag. 584. col. 2. litera C. §. Probatur ergo primo.* 53. Primu arg

Illi occurrūt nōnulli, & admittūt qualitatē iſtā eſſe virtutē propriā in ordine ad effectū ſupernaturalē, ad quē aſſumitū creatura; & ſimiliter admittunt qualitatē iſtam ex ſe concurrere ad affectum, vt ſupernaturalem virtutem. Fundamentū eſt 54. 1. Solutio quorundā.

eſt; quia effectus ſupernaturalis in quem influit, non excedit naturalem virtutem illius. Quare non negant qualitatem iſtã concurrere, vt virtutem poincipalem: nec putant id eſſe negandum, negandum tamen eſſe, creaturam à Deo aſſumptam per hanc qualitatem concurrere, vt cauſam in ſuo genere principalem; ſed ſolùm concurrere, vt inſtrumentum Dei. Nec putant hæc duo inter ſe pugnare, ſcilicet cauſam aliquam concurrere ad effetum, tanquam inſtrumentum illius, & cõcurrerere ad illum per virtutem agendi, non inſtrumentariam, ſed principalem: etenim aqua calida concurrit ad calefaciendum, vt inſtrumentum ignis, quæ eſt plurimorũ ſententia: & tamen calor, per quem, vt per virtutem agendi calefacit, concurrit ad calefactionẽ, vt virtus principalis; quia concurrit, vt virtus ignis, cuius calor concurrit, vt virtus principalis, vt verior, & communior docet Philoſophia, quæ fuit Ægidij; *in ſuis Theorematibus propoſitio. 43. & Scoti in 4. diſtinct. 6. quæſtione 5. D. & diſtinct. 12. quæſt. 3. Caietani 1. parte q. 45. artic. 5. §. Ad euidentiam huius difficultatis, & Suarij in Metaphyſic. diſput. 17. ſectio. 2. num. 16. & clarius 1. tom. ad tertiã partẽ, diſput. 31. ſect. 9. pag. 626. columna 1. §. Alia verò ſunt.* Deus etiam ex ſententia eiuſdem Suarij vtitur intellectu creato, tanquam inſtrumento, ad viſionem beatã, & ad actus fidei, & charitatis: cum tamen ad viſionem concurrat per lumen gloriæ, & per habitus infuſos ad actus fidei, & charitatis, tanquã per virtutes non inſtrumentales, ſed principales, vt Suarius fatetur *in d. diſp. 31 ſect. 6. in 2. principio pag. 590. col. 2. lit. C.* Poterit igitur qualitas, quã admittimus, cõcurrere ad ſupernaturalẽ effectũ, tanquã principiũ agendi principale; creatura per eum concurrẽte, vt inſtrumento Dei.

Ægidius. Scotus. Caietan. Suarius.

Suarius.

55. Non recipitur.

Hæc tamen ſolutio non ſolũ dubia eſt in eo, quòd admittit, qualitatem iſtam cõcurrere, vt virtutem agẽdi principalẽ; ſed etiã in eo, qđ putat, poſſe inſtrumẽtũ inſtrumentaliter concurrere ad effectũ per virtutem, quæ nõ ſit inſtrumentaria, ſed principalis. Primùm non eſſe admittendum, facilè patebit ex dicendis. Quòd hoc poſterius non ſit ſatis Philoſophicũ. ex eo primùm oſtenditur; quia virtus agẽtis eſt eiuſdem rationis, & ordinis in cauſando cum ſuo agente; ita, vt ſi agens in ratione cauſæ ſit cauſa principalis; virtus agentis illius ſit etiam ordinis principalis in agendo: ſi verò agens in ordine cauſæ eſt inſtrumentale; virtus etiam illius ſit ordinis inſtrumentalis. Vndè fieri non poteſt, vt agens, quod ad aliquẽ effectum concurrit, vt inſtrumentum, ad illũ concurrat, niſi virtute, & cauſalitate inſtrumentaria. Nec exempla, quæ adducũtur admittenda ſunt. Nam quòd attinet ad primum; plerique negant, aquam calidam concurrere, vt inſtrumentum ignis: nec ſine fundamento id negant: quia aqua calida concurrit, tanquam ſuppoſitũ per ſe calefaciens; quanuis calefaciat per formam ſuæ naturæ extrinſecam: ad hoc enim ſatis eſt, quòd per ſe in ſe ſuppoſitet, & hypoſtatice ſuſtentet ipſum calorem. Quare, ſicut in calefaciendo eſt agens principale: ita etiam calor, per quẽ calefacit, eſt illi virtus agendi principalis. Quæ omnia ſatis ſignificat Fonſeca *in primo Metaph. cap. 1. q. 5. ſectio. 4. paginâ 91. & poſt eum Conimbricenſes 2. Phyſicorum cap. 7. q. 18. art. 4. & plures alij.* Quòd verò attinet ad lumen gloriæ, & habitum fidei, & charitatis, non eſt admittẽda opinio Suarij, quatenùs docet, intellectũ ad illas ſupernaturales actiones concurrere, tanquam Dei inſtrumentum: quia ad eas verè, & propriè concurrit, vt cauſa in ſuo genere principalis: quod latius oſtendemus in quæſtione tertia ſequente.

56. Pro ſolutio 1. præmiſſ.

Omiſſa igitur hac ſolutione, pro vera argumenti explicatione aduertimus, in omni cauſa, cuiuſcumque illa ſit generis in cauſando, reperiri aliquam proprietatem in ordine ad effectum: quia omnis talis aliquam habet proportionem ad eum, quæ proportio ſine aliqua proprietate non datur. Hæc Philoſophia in cauſis, quæ in cauſando ſunt principales, eſt notiſsima, & euidenter ex eo demonſtratur, quia non omnis cauſa in genere cauſandi principalis, propria eſt, & proportionata cuicũque effectui, ſed certò alicui, & determinato: nec enim ignis frigefacit: nec aqua calefacit, vt patet. Et idem dicendum eſt de cauſa in cauſando inſtrumentaria e enim non omne inſtrumentum eſt proprium, & proportionatũ cuicunque inſtrumentario effectui: nec enim agens principale quocunque vtitur

A omni cauſa datur proprietas ad effectum.

Idem reperitur in inſtrumentis.

inſtrumento ad quęcunq; effectū; ſed determinato ad effectū determinatū: nec enī faber ad cathedrā vtitur calamo aut pennecillo: nec ſcribēs ad ſcribendū vtitur ſecuri, aut dolabra: quod euidenter arguit nō ſolùm in cauſis principalibus dari proportionem ad ſuos effectus; ſed etiam in inſtrumentarijs. Quę Philoſophia, nō ſolùm vera eſt in inſtrumentis naturalibus ad ſuos naturales effectus: ſed etiam in inſtrumentis diuinis ad effectus ſupernaturales: nam licèt Deus quacunque creatura habente potentiam actiuam obedientialem vti poſſit ad producendum quemcūque ſupernaturalem effectum (in quo ab agente naturali diſtinguitur) non tamen vti poteſt quacunque creatura, tanquam inſtrumento, per quamcunque virtutem illius eleuatiuam; ſed certum effectum producet per certam, & determinatam virtutem inſtrumento communicatam: & ratio eſt; quia nō omnis virtus, quæ cuicunque creaturæ inſtrumentaliter cōmunicari poteſt, eſt proportionata, & propria cuicūq; ſupernaturali effectui.

57. Confirmatur dicta Philoſophia. Nec hoc ſine fundamēto dicitur: nam Deus eandem virtutem ſuo inſtrumento cōmmunicat ad effectum ſupernaturalē, ſecundùm quam ad eundem effectum cōcurrit, vt agens principale: inſtrumentum enim agit ſecundum virtutem in ipſo vſu ſibi communicatam, & participatam ab ea, qua Deus concurrit. Sed Deus, licèt ad omnes ſupernaturales effect⁹ per vnam, & eandem virtutem actualem concurrat; non tamen ad omnes concurrit per eandem rationem eminētialem illius virtutis; ſed ad ſingulos per ſingulas, & determinatas rationes eminentiales (ſupponimus enim virtutem, qua Deus ad extra operatur, actu eſſe vnam, eminenter autem plures.) Ergo ſuo inſtrumento non eandem communicat virtutem quoad omnes effectus, participatam ab vna ſola eminentiali ratione; ſed illam ſolam, quæ determinatè participat rationē eminentialem, ſecundum quam ad talem effectum determinatè concurrit. Quare ſicut virtus actiua, qua vt agens principale concurrit, ſub illa determinata ratione, qua concurrit, non eſt omnibus effectibus proportionata, nec propria; ſed vni tantum, ac determinato effectui: ita etiam virtus, quam inſtrumento communicat (quæ eſt participatio quędam eius, ſecundum quam principaliter concurrit) non eſt proportionata cuicunque ſupernaturali effectui, ſed alicui certo, & determinato. Quod in hac materia eſt quàm diligentiſsimè annotandum.

Et inde eſt, vt virtus inſtrumentis cōmunicata, nec ſit vna, nec eiuſdem rationis in ordine ad omnes effectus; ſed plures, & diuerſi generis: ſicut enim Deus non vnam, & eiuſdem generis rationem primordialem, & ſeminalem omnibus rebus naturalibus inſeuit, qua ad omnes effectus concurrant; ſed plures, & diuerſarum rationum, vt Philoſophia demonſtrat, & docet Auguſtinus nono de Geneſi ad literam dicto cap. 17. quia plures ſunt, & diuerſi generis effectus per illas producendi; ita etiam ad producendum ſupernaturalia, non vnam, & eiuſdem rationis virtutem primordialem, & ſeminalem ſuis inſtrumentis communicat; ſed plures, & diuerſi ordinis, vt ex Auguſtino oſtendimus. 58. Virtus Dei communicata inſtrumentis non eſt vna.

Statuendum eſt igitur; in virtutibus actiuis agentium naturalium, tàm principalium, quàm inſtrumentalium, non ſolū dari proportionem aliquam, & proprietatem ad ſuos effectus; ita vt horum ſint virtutes propriæ, & non illorū; ſed etiam in virtutibus actiuis agentium ſupernaturalium (ſiue ſint principalia, ſiue inſtrumētalia) in ordine ad effect⁹ ſupernaturales; ita vt illæ virtutes his effectbius ſint propriæ, & proportionatæ, & non illis: etenim virtus principalis, qua Deus mediante inſtrumento gratiam producit, nō eſt proportionata ad reſtituendū viſum cæco; nec illa, quā cōmunicauit luto ad reſtituendū viſum, proportionata eſt ad dandam ſanitatem paralytico, aut vitam mortuo; nec è contrariò: nam, licèt per vnam & eandem actualem virtutem, Deus omnia illa operetur; non tamen omnia illa operatur per vnam rationem eminentialem talis virtutis; ſed gratiam contulit, vt diuina virtus eminenter erat ipſa gratia, non verò, vt eminenter erat viſus: ſicut etiam per ipſam eandē virtutem reſtituit viſum cæco, vt virtus diuina eminenter continebat ipſum viſum; non tamen, vt eminenter continebat, aut ſanitatem paralytici, aut vitam mortui. Simili etiam modo virtus communicata luto ad dandum 59. Reſolutio ex dictis.

dum viſum, non erat proportionata ad dandam paralytico ſanitatem, nec ad reddendam mortuo vitam, nec denique ad producendam gratiã. Ratio eſt; quia virtus illa communicata luto ad viſum, licet participata fuerit ab eadem virtute diuina, à qua cæteræ virtutes fuerunt participatæ; non tamen participata fuit ab illa ſub vna, & eadem ratione eminentiali, vt diximus. Quare negari non poteſt, quòd ſicut virtus diuina, qua Deus, vt agens principale concurrit ſub eadem ratione eminentiali, non eſt proportionata omnibus ſupernaturalibus effectibus, ſed certis quibuſdam, ac determinatis: ita etiam virtus inſtrumentis communicata nõ eſt omnibus ſupernaturalibus effectibus proportionata, & propria; ſed aliquibus tantùm. Quod rurſus ex eo poteſt confirmari; quia alioqui virtus illis communicata non poſſet habere rationem primordialis, & ſeminalis; cum tamen Auguſtinus virtutes iſtas, quas in tempore rebus communicat, appellet primordiales, & ſeminales. Iam verò ratio primordialis, & ſeminalis aliquam denotat proprietatem, & proportionem ad ſuos effectus.

60. Concluſio dictorum.

Ex ijs, quæ tam latè diximus, euidenter infertur, omnem cauſam habere aliquam proportionem, & proprietatem in ordine ad effectum per illam producibilem. Quæ Philoſophia ita declaranda eſt, vt quælibet cauſa habeat proportionem, & proprietatem, quæ proprio cauſalitatis generi cõuenit, in quo illa ponitur. Nam cum duplex ſit cauſandi genus, vnũ principale, alterum inſtrumentale; quælibet cauſa illam proprietatem, & proportionem habebit, quæ ſuo cauſandi generi cõuenit: ita vt habeat proprietatem, & proportionem cauſalitatis principalis, ſi illa in agendo fuerit cauſa principalis, ſi verò fuerit inſtrumentalis, habebit proprietatem, & proportionem generis inſtrumentarij. Quare reddẽdo ſingula ſingulis, admittendum eſt, omnem cauſam, cuiuſcunque illa ſit generis, aliquo modo eſſe propriam, & proportionatam ſuo effectui modo explicato.

61. In quo ſenſu poſita ſit proportio in vna & altera cauſalitate.

Si verò inquiras; in quo poſita ſit proprietas, & proportio vnius, & alterius cauſalitatis? inquiris quæſtionem explicatu difficilem, vt videre eſt ex varijs dicendi modis, quos refert *Suarius in Metaph. diſp. 17. ſect. 2. à num. 7. vſque ad 19.* Omiſſa longiori diſputatione (hæc enim ad alium locum pertinet) ego in ea ſum opinione; vt cauſa principalis in agendo dicatur illa, quæ in ſuo eſſendi ordine nõ dependet in cauſando ab alia cauſa eiuſdẽ ordinis eſſendi: inſtrumentaria verò; ſi in cauſando per ſe dependet ab alia cauſa eiuſdem ordinis in eſſendo. Virtus autẽ agendi dicetur principalis, quæ in agendo nulli alij virtuti eiuſdem ordinis eſſendi ſubalternatur: inſtrumentalis verò, ſi in eodem eſſendi ordine alteri virtuti in agendo ſubalternetur. Itaque illa virtus in agendo erit principalis, per quam agẽs principale immediatè agit: inſtrumentalis autem, per quam agit agens inſtrumẽtale, quatenus eſt inſtrumentum.

Suarius. Propria ſententia.

62. Aliud aduertendũ.

Vt verò intelligatur, cur dicamus, *in eodem eſſendi genere*, aduertimus in cauſis efficientibus duplicem ordinem eſſe diſtinguendum: vnum, qui præciſe ſumitur ex modo eſſendi: alterum, qui per ſe ſumitur ex ſolo modo cauſandi. Nam cũ operari ſequatur ad eſſe, iuxta vulgatum proloquium ſumptum ex libris de cœlo; prima, & per ſe radix operandi ſumi debet ex eſſe operantis; ita vt illud agens dicatur in operando ſuperius, cuius eſſe fuerit altius, & ab altero independens; inferius autem, ſi eſſe illius ab eſſe alterius dependeat. Et hinc eſt, vt ſolus Deus in agẽdo ſit primum mouens, & prima cauſa; creatura verò ſit cauſa ſecunda, & in operando generis inferioris, quia ſcilicet eſſe diuinum eſt quoddam eſſe eſſentialiter independens; eſſe verò creatum ex ſua natura dependeat à diuino. Et idem, ſeruata debita proportione, dicendum eſt de virtutibus corporum cœleſtium, quibus agentia inferiora in agendo ſubalternantur; ideò, quia eſſe illorum aliquo modo dependet ab eſſe orbium cœleſtiũ. Præter hunc ordinem, datur alius in ipſis cauſis efficientibus, qui non ſumitur ex modo eſſendi, ſed ex modo cauſandi; quatenus ſcilicet virtus vnius agentis in ſuo eſſendi ordine eſt ſufficiens, & completa ad agendum ſine alia, non tamen è contrario. Ex hoc agendi modo ſumitur diſtinctio cauſæ in principalẽ, & in inſtrumentalem: illud agens dicetur principale, quod in ſuo eſſendi ordine, aut ex ſe, aut in ſe habet virtutem ſufficientem ad pro-

Datur ordo in cauſis efficientibus ſumptus ex modo eſſendi.

63. 2. ex modo cauſãdi.

producendum effectum: inſtrumentale autem, ſi virtus, per quam agit, ex ſe non ſufficiens ad effectum, indiget eleuari ab alia virtute eiuſdem ordinis in eſſendo; & inde eſt, vt agens principale nulli alteri eiuſdem ordinis ſubalternetur, quia in ſuo ordine habet virtutem completam ad producendum effectum: cum tamen agens inſtrumentarium indigeat ſubalternari alicui ſuperiori agenti eiuſdẽ ordinis, vt poſsit in effectum, ex ea præciſa ratione; quia virtus eius ex ſe eſt inſufficiens ad effectum, niſi cum virtute alterius eiuſdẽ ordinis coniungatur: etenim, licet ad eſſe ſequatur poſſe operari; non tamen ſemper ſequitur, poſſe ad quemcũque effectum eiuſdem ordinis, & ideò in eodem eſſendi ordine poteſt dari ordo ſuperior, & inferior in operando. Ex quo

64. infertur deſcrimen inter vnam & alterã agendi virtutem: quoniam virtus, quæ ex ſe eſt ſufficiens ad effectum, ideò talis eſt, quia in ſe aut formaliter, aut eminenter continet effectum: quem tamen per ſe, & ratione ſui non continet virtus inſtrumentaria, ideò, quia ex ſe eſt inſufficiens ad illum; vnde in ſe nec formaliter, nec eminenter ratione ſui continet effectum, ſed ſolùm ratione virtutis ſuperioris, cui in agendo ſubalternatur. Et in hoc diſtinguitur virtualis cõtinentia effectus, quæ datur in cauſa principali ab ea, quæ reperitur in inſtrumentaria: inſtrumentaria enim non ſimpliciter continet effectum, niſi vt principali virtuti ſubalternatur, & illi actu coniungitur: cum tamẽ virtus principalis agentis eam ſimpliciter contineat. Et ad hunc ſenſum intelligenda eſt doctrina ſuperiùs data: ſcilicet omnem cauſam, cuiuſcunque generis illa ſit, aliquo modo eſſe propriam, & proportionatã effectui; quia ſcilicet virtus principalis agentis ratione ſui, & independenter ab alia, eſt ſimpliciter propria, & proportionata effectui; quia ſimpliciter illũ, aut formaliter, aut eminenter in ſe continet: virtus autem inſtrumentaria, quãuis in ſe effectum ſimpliciter non contineat, aliquo tamen modo illum continet, quia adiuta, & coniuncta cum cauſa principali continet illũ; vnde coniuncta principali cauſæ influit in effectum; non influeret autem, niſi illum aliquo modo in ſua virtute contineret.

His ita poſitis, iam accedamus ad ſoluendum argumentũ: ex dictis enim iam patet explicatio illius: etenim ſi ſermo ſit de virtute aliquo modo propria, & proportionata; admittẽdum eſt, qualitatem, quam ponimus eſſe virtutem propriam effectuum ſupernaturalium: niſi enim aliquam haberet proportionem ad illos, nullo modo poſſet dici virtus primordialis, & ſeminalis reſpectu illorum: cum tamẽ ex ſententia Auguſtini talis dicatur. Accedit; quia non quælibet qualitas huius generis eſt proportionata cuilibet effectui, ſed certo, & determinato, vt oſtendimus. Admiſſo autem antecedente in hoc ſenſu, non benè infertur, qualitatem illam eſſe virtutem principalem: quoniã ſicut cauſa propria diuiditur in principalem, & inſtrumentalem; ita etiam & virtus propria, vt vna ſit principalis, altera inſtrumentaria. Et ita argumentum peccat fallacia conſequentis; quia ex genere infert determinatam illius ſpeciem. 65. Ad argum.

Si verò inde inferas, qualitatem illam eſſe virtutem impropriam, & inſtrumẽtariam; libenter id admittimus: vnde ſi virtus propria in argumento idem eſt, quod principalis: & virtus non propria recurrat cum inſtrumentaria; damus, noſtram qualitatem non eſſe virtutem propriam, ſed inſtrumentariam: ſicut enim in naturalibus veriſsima eſt Philoſophia, quæ docet, nullam actiuam qualitatem poſſe producere ſubſtantiam, tanquam principium agendi principale, ideò, quia ſubſtantia eſt effectus ſupra naturam cuiuſcunque accidentis, vt communis docet Philoſophia, de qua *Conimb. 2. Phyſic. c. 7. q. 18. art. 3. concl. 3. & Fonſeca in 5. Metaph. c. 2. q. 6. ſect. 2. in refutat. primæ opinionis pag. 87. § Sed hæc ſententia, & ſect. 3. §. Tertia igitur ſententia, pag. 89.* vbi plures alios citant: ita etiam veriſsimã putamus eam Theologiam, quæ aſſerit, nullum accidẽs, etiam ſupernaturalis ordinis, poſſe attingere effectum ſupra naturam. Quare qualitatem, quam ponimus, ſolùm ponimus, vt inſtrumentaliter concurrat ad effectus ſupernaturales, vt latè oſtendit *Suarius in d. diſp. 31. ſect. 4. pag. 582. col. 2.* Probatio autem in contrarium adducta nihil obſtat; quatenus infert, qualitatem iſtam indigere aliqua ſuperaddita qualitate, qua eleuetur; & ita dari proceſſum in

66. Occurritur dubitationi

Conimbr. Fonſeca.

Suarius.

67. Ad probationem.

in infinitum: etenim neganda eſt ſequela: nec enim omnis virtus inſtrumentaria eſt eleuabilis; ſed aliqua ex ſe eſt actu eleuata, & ſubinde proportionata ad influendum in effectũ principalem: illa ſcilicet, quæ ex ſua natura eſt formalis eleuatio inſtrumenti: etenim in inſtrumentis diuinis (quales ſunt omnes creaturæ actiuæ) duplex reperitur virtus inſtrumentaria influens in effectum: vna radicalis, & inchoata, de qua in ſuperioribus egimus: altera, quæ ipſis inſtrumentis datur in ipſo vſu, de qua ſola nunc agimus, & quam ponimus, eſſe qualitatem. Hæc autem, cum ex ſua natura ſit formaliter eleuatiua prioris virtutis, & completiua illius, reductiuaque eius ad actum primum ad influendum; ex ſua natura eſt completa in genere virtutis inſtrumentariæ: virtus inſtrumentaria prioris generis, cũ ex ſua natura ſit incompleta, & in potẽtia obedientiali, vt compleatur, indiget eleuari per qualitatem ſuperadditã: quæ verò eſt generis poſterioris, cum ex ſua natura ſit formaliter eleuatiua inſtrumẽti ad influendum, non eleuatur per aliam virtutem ſuperadditam; ſed ſe ipſa eſt actu eleuata, atque proportionata ad immediatè influendum.

68. Declaratur amplius. Hæc Philoſophia faciliùs intelligetur ex alia ſatis recepta in inſtrumentis naturalibus: etenim virtus inſtrumentaria accidentalis, quæ in quolibet naturali agẽte reperitur ad generandum ſubſtantiam (qualis eſt calor in igne ad generationem ignis) nõ indiget virtute aliqua, ſiue qualitate ſuperaddita ad attingendum ſubſtãtiam: ſed ſe ipſa eſt eleuata, vt illam immediatè attingat, ſicut omnes Philoſophi, paucis exceptis, docent; non ob aliam rationem, niſi quia ex ſua natura ad talem inſtrumentalem attingentiam eſt eleuata: ſiue id habeat, quia ex ſe eſt naturalis virtus ſubſtantiæ generantis, vt volunt *Conimbricenſes in 2. Phyſic. c. 7. q. 18, art. 3. concl. 4. & Fonſeca in 5. Metaph. c. 2. q. 6. ſect. 5. in principio, & ante eos Caietanus 1. p. q. 77. art. 1.* ſiue id habeat, quia ex ſua natura habet, quòd ſimul cum forma ſubſtantiali (quæ in ſubſtantia generante eſt virtus principalis) in ſubſtantiam influat: quæ fuit ſententia Suarij *in Metaph. diſp. 18. ſect. 2. aſſertione 2. n. 21. & 25*: quocũque enim modo id habeat, ex ſe habet, quòd ſe ipſa ſit eleuata ad ſubſtantiam generandam: vnde ab Auguſtino 9. de Geneſi ad literam c. 17. appellatur ratio primordialis, & ſeminalis illius effectus. Idẽ inuenitur in inſtrumentis artis: virtus enim, qua inſtrumentum à principali agẽte in ipſo vſu eleuatur, vt in effectum artis influat, quanuis ſit inſtrumentaria; nõ tamen indiget virtute ſuperaddita, vt eleuetur; ſed ſuapte natura eſt eleuata vt ſit actus primus inſtrumentarius ad influendum: quanuis enim virtus naturalis dolabræ ad ſcindendum, ideò, quia in ordine ad cathedrã eſt virtus inchoata, indigeat eleuatione per virtutem artis ab artifice communicatam; tamen ipſa virtus artis communicata ad formam artis non indiget virtute ſuperaddita, vt eleuetur; ſed cum ex ſua natura ſit forma eleuans virtutem inchoatam dolobrę, ſe ipſa eſt actu eleuata, & proportionata, vt immediatè influat, ſiue id habeat, quia ex ſua natura eſt virtus artificis ad talem effectum cõmunicata; ſiue, quia ex ſua natura habet, quòd ſimul cum virtute principali artificis concurrat. Eodem igitur modo virtus inſtrumentaria à Deo cõmunicata in ipſo vſu diuinis inſtrumentis, ideò non indiget qualitate ſuperaddita, vt eleuetur, quia ex ſua natura habet, quòd actu ſit eleuata ad immediatê influendum in effectum ſupernaturalem; ideoô, quia eſt virtus data à Deo, vt per eam in effectum influat: & ob hanc rationem habet, quòd agat, non quia habet virtutem ad agendum, ſed quia ex ſe eſt virtus Dei agentis: & inde habet, quôd ſit virtus ex ſua natura primordialis, & ſeminalis effectuũ ſupernaturalium. Et hoc modo omnino impeditur proceſſus in infinitum, qui inferabatur. Non eſt igitur, quòd Bellom. propter hoc argumentum, hanc qualitatem appellet commentitiam. Sed ad alia argumente properemus. 69.

Conimbr. Fonſeca. Caiet. Suarius.

Expenduntur alia argumenta contra eandem qualitatem.

¶ Secundo loco contra eandem qualitatem arguit Suarius in d. diſp. 31. ſect. 5. pag. 584. col. 2. C. & probat, qualitatem ipſam eſſe non poſſe ex ſua natura potẽtem ad opera ſupernaturalia: quia, vt ait, ſuperat naturalem perfectionẽ qualitatis fini- 70. 2. arg.

finitæ habere vim naturalem ad faciendum opera, quæ ſunt ſupra totam naturam: quod putat ſe demonſtraſſe in eadē *Suarius.* *diſputatione* 31. *ſect.* 4. §. *Dico ergo primò*; imò addit, hoc excedere naturalem vim, etiam inſtrumentalem alicuius accidentis. Quo eodem argumento vtitur Ca-*Cabrera.* brera *vbi ſuprà in d. diſp.* 4. §. 8. *n.* 97. *pag.* 225. *in* 2. *tom. ad* 3. *p.*

71. Soluitur. ¶ Ad hoc argumentum dicimus, illud vim habere, ſi poneremus, qualitatem vnam ſupernaturalem, quæ ex ſua natura eſſet vis, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis ad faciēdum omne id, quod totam naturæ legem excedit; quam tamen non ponimus, vt dicemus ad 5. ſed ad ſingulos ſupernaturales effectus ſingulas admittimus ſupernaturales qualitates inſtrumentarias: in quo ſenſu argumentū nullam vim habet: nec enim eſt ſupra vires alicuius ſupernaturalis qualitatis, ex ſua natura habere vim inſtrumentariam ad faciendum aliquem determinatum effectum, etiam ſi ille vires totius naturæ excedat: nam ſi non eſt ſupra vires ſuper naturalis qualitatis habere vim principalem ad effectum ſupernaturalem (eam enim habet lumen gloriæ ad viſionē beatam, & lumen fidei in actus fidei, vt ſupponimus) à fortiori non excedet vires naturales qualitatis ſupernaturalis, quæ ad effectum certum, & determinatum cō currit, non vt virtus principalis, ſed vt inſtrumentaria. Si verò cum nonnullis dicas, actus illos viſionis, & fidei non eſſe omni ex parte ſupernaturales; cum intel lectus noſter ad eos influat; vt tibi id admittam, quod tamen eſt falſum; in noſtræ ſententiæ confirmationem obijciā; quòd Deus fruſtra in ſe ipſo abſcondiſſet rationes primordiales, & ſeminales ſuper naturalium effectuum, ſuo tempore ſuis inſtrumenris communicandas, vt ait *An-*

72. Auguſt. *guſt.* 9. *de Geneſi ad literam c.* 17. ſi illæ ex ſua natura in tales effectus inſtrumentaliter influere non poſſent. Porrò, ſi rationes illæ, & cauſæ in Deo abſconditæ ſunt veræ cauſæ effectuum ſupernaturalium, ſicut rationes ſeminales rebus creatis naturaliter datæ ſunt veræ cauſæ effectuum naturalium; profectò ex ſua natura habent, quòd in illos influant; alioqui non dicerentur ab Auguſtino cauſæ primordiales; cum hæ in ſua ratione includant naturalitatem influendi. Accedit etiam; quia virtus illa à Deo ſuis inſtrumētis communicata, eſt virtus ipſius Dei, qua ille vtitur ad producendum effectum ſupernaturalem: inſtrumentum enim in ipſa eleuatione participat virtutem principalis agentis. Quare, licet illa virtus præciſè ſumpta, vt eſt entitas creata, non habeat talem virtutem; eam tamē habet, vt eſt virtus Dei. Nam ſi calor ignis, ideò, quia eſt naturalis virtus ignis, ex ſe poteſt inſtrumentariè attingere ſubſtantiam genitam ab igne: & virtus artificis communicata inſtrumentis ex ſua natura poteſt attingere formā artis; ideò præciſè, quia eſt virtus artis; cur virtus iſta, diuinis inſtrumentis communicata, ex ſe, non poterit inſtrumentariè influere in effectum ſupernaturalem; ideò prę-ciſè, quia eſt virtus ipſius Dei? & ſi ex ſententia eiuſdem Suarij, calor ignis, ideò poteſt in ſubſtātiam influere, quia ſimul cum forma ſubſtantiali ignis in eandem influit; cur qualitas iſta non erit potens in effectum ſupernaturalem; ex eo præciſè, quia ſimul influit in effectum cum influxu Dei? Profectò non video, cur ex ſua natura id non poſſit. Huic noſtræ ſolutioni patrocinatur Alenſis 4. *p. q.* 10. *mē br.* 4. *artic.* 2. §. 5. *quæſito.* 1. *pag.* 182. *col.* 1. *Alenſis.* *ad vlt.* vbi expreſſè aſſerit, qualitatem iſtam (quam nobiſcum in inſtrumētis Dei admittit) ideo eſſe potentem in effectum ſupra naturam; quia ſecum habet diuinā cooperationem: ita enim ſcribit; *Cum ergo obijcitur, quòd virtus creata non videtur poſſe in aliquid, quod eſt ſupra communem naturam, & cætera, dicendum; quod hoc fortè verum eſt per ſe, habet tamen, vt adiuta à virtute increata*: nimirum, cum ea ſimul cooperante, vt immediatè ſæpè dixerat. Negandum eſt igitur ex ſententia Alenſis id, quod contra noſtram qualitatem ſumit Suarius: nec oppoſitum vnquam, aut demonſtrauit, aut demonſtrare poterit: quæ enim argumenta adduxit in d. *ſect.* 4. §. *Dico ergo primò*, inferiùs diſſoluem⁹.

Nec pro ſe benè adducit D. Thomam 1. 73. Non benè adducitur D. Thom. pro hac ſententia. p. q. 115. art. 4. quia ſolùm dicit, *miracula fieri præter virtutes naturales actiuas*: ex quo ſolùm poteſt inferri virtutes actiuas naturales non poſſe influere in effectus miraculoſos, quod nihil nobis officit. Quin potiùs, ſi D. Thomas ibidem diligentiùs

gentiùs expendatur, pro nobis eſt; dum ait, miracula non fieri, præter rationes ideales: etenim rationes illę & cauſæ primordiales rerum ſupernaturalium, quas Deus ex ſententia Auguſtini *in d. c.* 17. in ſe ipſo abſcondit, ſuo tempore communicandas creaturis, ad rationes ideales pertinent. Porrò, ſi miracula, quæ fiunt per rationes ideales, non ſunt præter ipſas ideales rationes, vt D. Thomas ait, vtique illa miracula non excedunt vires ſupernaturalium virtutum, quæ ab ipſis rationibus idealibns participantur. Quod in hac materia eſt diligenter annotandum,

74. 3. argum. Tertio loco objicit idem Suarius in d. *ſect.* 4. *pag.* 582. *col.* 2. *B.* quoniam potentia obedientialis ſolùm reſpicit Deum, vt authorem effectuum ſupernaturalium, ad quos eſt in potentia. ¶ Sed planè non video, non eſſe dandam qualitatem, quã ponimus; ſicut nec viderunt Caietanus, & alij, qui ponunt, eleuationem fieri per motionem. Fatemur igitur, potentiam obedientialem ſolùm reſpicere Deum, tanquam primum, & independentem authorem ſupernaturalium effectuum; hoc tamen non impedit, quominus Deus per formas actiuas, quas inſtrumentis communicat, ſæpè producat ſupernaturales effectus, & per eas actuet ipſam potentiam obedientialem creaturæ: nam intellectus eſt in potentia obedientiali ad viſionem beatam, & tamen eam producit per lumen gloriæ.

75. 4. argum. Quarto loco objicit *in d. pag.* 582. *col.* 2. *B:* quoniam potentia obedientialis habet pro obiecto adæquato id, quod non repugnat. Ergo ſolùm dicet ordinem ad illud agens, quod poteſt facere, quidquid non repugnat. Hoc autem, ſi fuerit agẽs principale, eſt infinitæ virtutis. ¶ Sed

76. Solutio. non video, quid hoc argumento vir doctiſsimus intendat: nam ſi vult oſtendere qualitatem iſtam eſſe non poſſe virtutem principalem, qua producatur effectus ſupra naturam; nihil contra nõs concludit; quia non ponimus iſtam qualitatem, niſi vt inſtrumentariam. Vtrum verò argumentum efficaciter probet, dari non poſſe qualitatem, quæ ſit virtus principalis ad iſtos effectus? alterius eſt quæſtionis; quæ ad noſtrum inſtitutum nõ pertinet.

77. 5. argum. Quinto loco argumentatur ibidem §. *Secundò, quia*: quoniam vel hæc qualitas eſſet vna, atque ſufficiens ad omnes ſupernaturales effectus, actioneſque miraculoſas: vel eſſent plures; ita vt ad ſingula miracula ſpecie diſtincta ſingulæ ponantur qualitates diuerſæ ſpeciei. Non poteſt dici primùm: quia talis qualitas eſſet finita; & ex conſequenti ex ſe habere nõ poſſet ſufficientem, & principalem vim ad omnes actiones miraculoſas: quia iſta infinitis modis fieri poſſunt, & in diuerſis generibus, & ordinibus; & ſubinde excederent perfectionẽ cuiuſcunque vnius qualitatis. Poſſet hæc pars confirmari argumento poſito *ſuprà art.* 13. §. 4. *n.* 38. quia illa vna qualitas neceſſariò eſſet infinita, & illimitata ex parte obiecti, tum quoad numerum, tum quoad intenſionẽ: quæ infinitas dari non poteſt ſine infinitate entitatiua. Nec poteſt dari ſecundũ: tum; quia oporteret iſtas qualitates in infinitum multiplicari. Tum etiam; quia ſi hæc forma poteſt hunc effectum ſupra naturam operari; cur non poterit quenlibet alium? ¶ Hoc argumentum facilè 78.
ſoluitur ex ijs, quæ ad primum diximus. Solutio.
Et vt ait Fonſeca nullam vim habet contra noſtram ſententiam, qui hanc qualitatem ponimus ſolùm per modum tranſeuntis, quandiu opus ſupernaturale per creaturam efficitur, vt ait Fonſeca 9. *Metaph. c.* 1. *q.* 4. *ſect.* 2. *pag.* 609. *col.* 1. §. *Addent fortaſſe*, & ſatis patet ex ijs, quæ ad Fonſeca.
1. diximus. Dicimus ergo hanc qualitatem non eſſe vnam; nec in ipſo miraculorum vſu ad quodcunque miraculum 79.
ſemper infundi qualitatem eiuſdẽ rationis: non ex eo, quòd qualitas illa non poſſet non eſſe entitate infinita, vt cum eodem Suario oſtendimus in d. §. 4. nu. 39: ſed ex eo; quia nihil cogit admittere vnã qualitatem obiectiuè infinitam. Quare admittimus, qualitates eſſe plures, & numero, & ſpecie: quia non quælibet earum ad quẽlibet effectum eſt proportionata; ſed ſingulæ ſingulis, & determinatis, vt late diximus ad primum. Ad primã obiectionem dicimus ex pluralitate harum 80.
qualitatum non benè inferri, eas non poſ Ad 1. obie-
ſe non eſſe actu infinitas; quia ſicut illæ ctionem.
non ſimul infunduntur (quoniam Deus non ſimul operatur omnia mirabilia, quę operatur, ſed nunc hoc, nunc illud) ita nõ ſimul eas cõmunicat, ſed ſucceſsiuè, nunc iſtam, nunc illam iuxta exigentiam miraculi,

raculi, quod in hoc, vel in illo tempore vult edere. Et cũ iſtæ qualitates non permaneant, niſi in ſolo vſu miraculi; nõ benè infertur, illas ſimul eſſe. Si verò inferatur, qualitates iſtas in infinitum eſſe multiplicandas; negabimus ſequelam; ſi ſermo ſit de facto; quia Deus non decreuit facere in tempore miracula infinita, ſed determinata & certa. Porrò ſi ſermo ſit de poſsibili; nullum eſt abſurdum, ſi admittamus, qualitates iſtas poſſe in infinitum Syncategorematicè multiplicari.

81. Ad 2. obiectionem. Secunda verò obiectio parum habet efficaciæ, ſi expendantur quæ diximus ad primũ: etenim, ſicut non quodlibet opus miraculoſum, quod Deus per creaturas facere decreuit, eſt eiuſdem rationis cum alio; ita nec quælibet qualitas ad quodlibet miraculum ex ſua natura erit proportionata, vt in ſolutione primi argumenti oſtendimus. Si verò inquiras; cur hæc qualitas potiùs proportionata ſit ad hoc opus ſupernaturale, quam ad illud? Ratio eſt; quia quælibet ex ſua natura eſt participatio rationis eminentialis, qua virtus diuina ad hoc miraculum concurrit: nam cum non ad omnia miracula concurrat ſub eadem ratione eminentiali, ſed ad hoc ſub iſta, ad illud verò ſub illa; ideò hæc qualitas huic eſt proportionata, & improportionata illi. Et hoc modo ſatis patet inefficacia argumenti: nec enim valet hæc conſequentia: *hæc qualitas præter ordinem naturæ operatur hunc ſupernaturalem effectum. Ergo poterit præter naturæ ordinẽ operari quemlibet*: etenim lumen gloriæ influit in viſionem beatam, quæ eſt actio ſupra totum naturæ curſum; & tamen non influit in amorem beatificum, qui etiam naturæ curſum excedit. Et meritò non valet illa conſequentia; quia in cauſis ſupernaturalibus, ſiue principales ſint, ſiue inſtrumentales, etiam datur connaturalitas ad ſuos effectus, vt diximus ad primum: & quia effectus ſunt diuerſarum rationum, ipſæ etiam cauſæ diuerſam habent rationem; & ideò non quælibet cuilibet effectui applicari poteſt.

82. 6. argum. Suarius. Sexto loco arguit idem Suarius in d. *pag. 582. col. 2. §. Tertiò, quia ſæpè*: quoniã opus ſupernaturale, ſæpe eſt ſupernaturale quoad modum agendi, vt patet in illuminatione cæci nati. Sed iſte modus agendi oritur ex ſuprema, & infinita poteſtate Dei authoris naturæ. Ergo non poteſt communicari alicui qualitati creatæ. ¶ Argumentum tamen non videtur ſatis efficax: nam ſi qualitas ſupernaturalis, ideò, quia eſt virtus agentis infiniti, poteſt ex ſua natura inſtrumentaliter ſuperare totam naturam, & quoad actionẽ, & quoad ſubſtantiam obiecti; cur eam non ſuperabit quoad ſolum actionis modum? ſicut enim agens infinitum poteſt alicui qualitati communicare efficientiã ſupra leges naturæ, quæ terminetur ad effectum in ſua ſubſtantia ſupernaturalem; cur eidem communicare non poterit modum agendi ſuper eaſdem naturæ leges? Profectò non video rationem diſcriminis: nam ſicut modus ſupernaturaliter agendi oritur ex infinita poteſtate Dei; ita etiam ex eadem infinita poteſtate oritur efficacia in effectus ſecundum ſuam ſubſtantiã ſupernaturales: nec enim admittendum eſt, Deum, vt authorem naturæ, concurrere ad effectus ſupernaturales ſolùm quoad modum; quanuis Suarius id videatur ſupponere: oppoſitum enim docuit Auguſtinus 9. de Geneſi ad literam c. 17. dum iſtos effectus, qui ſolum quoad modum ſunt ſupernaturales, tribuit Deo, vt authori ſupra curſum naturæ, & cauſis ſupernaturalibus in Deo abſconditis: etenim Deo, vt agenti ſupra motum naturę, tribuit formare mulierem ex latere viri; lignum de terra exciſum, & aridum florere: fœminam in iuuenta ſterilem, in ſenectute parere; & alia huius generis tribuit Deo, vt agenti per rationes in eo aſconditas. Quare ſi effectus ſupernaturales ſolum quoad modũ, & illi, qui & quoad modũ, & quoad ſubſtantiam tales ſunt, pertinent ad Deum, vt authorem ſupernaturalem agẽtem in tempore per rationes & cauſas, quas in ſe habet abſconditas: profectò ſi à Deo ſupernaturali authore qualitati creatæ poteſt communicari actiua efficientia in effectus ſecundum ſubſtantiam ſupernaturales; cur non poterit eadem efficientia communicari ad effectus, qui ſupernaturales ſunt ſolùm quoad modum? etenim longe inferioris ſunt ſupernaturalitatis. Solutio.

Septimò arguit *in d. pag. 582. col. 2. in fine, §. Quartò; quia huiuſmodi*: quoniam actio miraculoſa ſæpè eſt ſubſtãtialis mutatio. 83. 7. argum.

tatio. Quomodò ergo qualitas erit proprium, & principale principium illius?

Solutio. ¶ Sed argumentum nihil cõtra nos; quia non ponimus qualitatem iſtam eſſe principale principiũ, ſed inſtrumentale. Iam verò argumentum ſupponit, nullum eſſe abſurdum, ſi qualitas aliqua ſit principiũ inſtrumentarium mutationis ſubſtantialis: tale enim eſt calor ignis ad generandũ ignem: ideò, quia eſt naturalis virtus ſubſtantiæ generantis: idem igitur concedetur qualitati ſupernaturali, quę eſt virtus Dei principalis agentis, communicata inſtrumento, vt cũ eo in effectum influat.

84. 8. argum. Octauò arguit in eodem loco §. *Quintò, qualitas*: nam, cum hęc qualitas ſit finita, habebit terminum, & modum in agendo; & ſubinde impediri poteſt, tum à medio, tum à reſiſtentia ſubiecti. Hoc autem repugnat virtuti miraculorum effectrici. Quo argumento etiam vtitur ibidẽ pag. Solutio. 585. col. 1. B. §. *Quæ ratio.* ¶ Sed argumentum vim non habet in qualitate cõmunicata à Deo agenti ſupernaturali, & infinito: hæc enim, licet finita ſit, & habeat terminum in agendo, poteſt immediatè operari in rem quãcunque, non ſolùm ex ſua natura reſiſtentem agenti naturali, cuius virtus in agendo repatitur (in hac autem, nulla repaſsio datur:) ſed etiam in eam, quæ ſitu ſit diſtans; quæ eſt communis, & recepta Philoſophia, quam probarunt *Palud. in 4. diſt. 1. q. 1. Caiet. 3.* *Paludan. Veiga. Bellarm. Suarius. Conimbr.* *p. q. 13. art. 2. §. Ad euidentiam horum, non longe à fine, Veiga 7. lib. in Tridentinum c. 14. dub. 1. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere c. 11. Suarius in d. diſp. 31. ſect. 7. & in Metaph. diſp. 8. ſect. 8. n. 29. & diſp. 30. ſect. 7. n. 20. Conimbric. in 7. Phyſicorum c. 2. q. 2. art. 1. vt alios omittamus.* Quæ doctrina ſine vlla manet difficultate apud eos, qui putant, ſimultatem ſubſtantialẽ, & entitatiuam agentis cum paſſo non eſſe ſimpliciter neceſſariam in omni agente etiam naturali: & quanuis alij eam requirant in omni naturali agente; non tamen putant, eam eſſe abſolutè neceſſariã; ſed fieri poſſe diuina potentia, vt agens, tam principale, quàm inſtrumentarium immediatè operetur in rem diſtantem: de quo latiùs agere non eſt huius loci. Satis nobis ſit, quòd nulla reſiſtentia, aut ratione ſubiecti, aut ratione diſtantiæ poteſt impedire efficaciam huius qualitatis, vt eſt virtus inſtrumentaria Dei.

85. 9. argum. Nonò obijcit in *d. ſect. 4. pag. 583. col. 1. §. Sextò, ſi fingatur.* Quia illa qualitas, ſi eſſet ordinis naturalis, nõ poſſet propria virtute efficere tranſmutationem ſupernaturalem. Supernaturalis autem ordinis eſſe non poteſt: quia nec poteſt eſſe ratio agendi, actione tranſeunte; quia hic agẽdi modus eſt valdè imperfectus. Nec actione immanente: quia poneretur in intellectu, & voluntate. Et prætereà, quia talis qualitas non eſſet perfectior, quàm charitas, & lumen gloriæ: quibus tamen non eſt datum agere effectus iſtos ſupernaturales. ¶ Sed argumentum iſtud eſt ſatis debile: nec enim video, cur hæc qualitas non debeat poni principium actionis tranſeuntis: licet enim modus agendi actione tranſeunte ſit minus perfectus, quàm modus agendi actione immanente; ex ſe tamen non dicit imperfectionẽ; aliàs non conueniret Deo contra receptam ſententiam. Quare ſi Deus, vt cauſa principalis, poteſt ad extra agere actione tranſeunte; & id pertineat ad eius omnipotentiam; cur non poterit mediante ſuo inſtrumento agere actione tranſeunte? vtrùm verò poſsit vti, tanquam inſtrumento actione immanente intellectus, & voluntatis? alterius eſt quæſtionis, de qua fortè in quæſt. ſequente.

86. 10. argum. Decimò obijcit idem Suarius *in d. pag. 585. col. 1. A. & ſect. 6. pag. 591. col. 2. §. Aliam verò huius rei cauſam, & in comm. ad q. 62. eiuſdem tertiæ partis art.* 4: quoniã omnis qualitas, quæ operatur per modũ inſtrumenti, ſemper facit effectum agentis principalis, præuia aliqua actione ſibi propria, & connaturaliter pręparatiua ad opus inſtrumentarium, vt docet Diuus Thomas 1. p. q. 45. art. 5. ſed in iſta qualitate fingi non poteſt actio aliqua illi cõnaturalis, quæ natura ſua tendat, & quaſi viam præparet ad actionem principalis agentis. Ergo hęc qualitas non eſt admittẽda. Quam rationem putat Suarius eſſe demonſtratiuam. ¶ Sed tantùm abeſt à Solutio. demonſtratione, vt nullam habeat illius apparentiam, ſi termini difficultatis expendantur: nec enim agimus de inſtrumẽtis, quæ eleuantur, ſed de virtute, qua eleuantur inſtrumenta, vt aduertimus in principio huius articuli. Et quanuis inter authores ſit controuerſia, vtrùm omne

inſtrumentum, quod tale eſt, *vt quod*, debeat habere duplicem actionem: vnam propriam, & connaturalem ſibi; alteram inſtrumentariam, qua immediatè influat in principalem effectum: nullus tamen dixit, quòd qualitas, qua inſtrumentum, & naturalis eius actio formaliter eleuatur, & conſtituitur in actu primo ad immediatè influẽdum, debeat habere aliquã actionem præuiam ad effectũ principalẽ. Nec D. Thomas, aliusvè Philoſophus de
D. Thom. hac qualitate id docuit. Etenim D. Thomas in loco citato egit de ſecuri, & de cauſa ſecunda inſtrumentali, *vt quod*, quę actionem principalis agentis participat, vt patet ex verbis in corpore poſitis: *quia cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis.* Quibus verbis euidenter declarat, ſe agere de inſtrumento, *vt quod*; & de hoc docet, quòd non poſsit eleuari, & in ipſo vſu participare virtutem eleuatiuam (de qua agimus) niſi mediante aliqua præuia actione ſibi propria: vnde ſtatim addit: *ſic enim videmus, quòd ſecuris ſcindendo lignum, quod habet ex proprietate ſuæ naturæ, & cætera*. Et in hoc ſenſu loquitur, vbicunque de duplici actione inſtrumenti loquitur. Quare, ſi ſermo ſit de qualitate, quæ in ipſo vſu inſtrumento communicatur (de qua ſola agimus) non ſolùm falſa eſt propoſitio aſſumpta; ſed à nullo eſt Philoſopho aſſerta. Quòd ſit falſa, in-
88. ductiuè patet: etenim, licet virtus artis in vſu communicata inſtrumento prærequirat, atque præſupponat præuiam aliquam actionem, ipſi inſtrumento naturalem, vt eidem communicari valeat: ipſa tamen iam communicata, nullam habet actionem præuiam, ſed immediatè influit in effectum artis: virtus enim fabri communicata ſecuri, vt eſt in actione ſecandi, ſtatim, vt eſt communicata, immediatè influit in effectum artis. Virtus etiam Muſicæ cõmunicata fidibus, vt eſt in naturali actu ſonandi, abſque vlla alia actione præuia, immediatè agit in ſonum muſicum. Et idem reperitur in calore ignis, vt eſt virtus inſtrumentaria ad generandum ignem: ſtatim enim atque intelligitur coniunctus cum ſua naturali calefactione, immediatè influit in ſubſtantiam, ſi adſint omnia ad generandum neceſſaria. Id ipſum cernes in calore aquæ calidę ſi illa vt inſtrumentum ignis concurrit ad calefactionẽ, vt pleriq ue putãt: nec enim calor ille aliquam habet operationẽ præuiam, antequam calefaciat; ſed immediatè calefacit. Idem igitur reperietur in qualitate diuinis inſtrumentis in ipſo vſu communicata: licet enim ſupponat aliquam actionem ipſi inſtrumento naturalem, vt poſsit illi communicari, vt dicemus in §. 6. ſequente; communicata tamen, abſque vlla præuia actione, immediatè influit in effectum, ad quem eleuatur. Quare maior illa in argumento aſſumpta neganda eſt, tanquam falſa.

Vndecimo loco obijcit *in d. ſect. 6. pag.* 89.
591. *col.* 2. §. *Aliam verò huius rei cauſam*: 11. argum.
quoniam inſtrumentũ connaturale ſemper dicit habitudinem ad aliquod agens principale, quod ipſum illo indigeat, vel ad ſimpliciter producendum effectũ, vel ad illũ producendũ accõmodatè ad illius naturam: quam propoſitionẽ putat inductione eſſe notã. Sed nulla poteſt dari qualitas, quæ natura ſua poſtulet hanc actionẽ per modũ virtutis inſtrumẽtariæ; ſaltẽ reſpectu gratiæ: quia nec Deus neceſſariò illa indiget ad producendam gratiam: nec cõnaturale eſt gratiæ, vt ea mediante producatur. Ergo non eſt admittenda talis
qualitas. ¶ Hoc argumentum non habet 90.
formã ſyllogiſticam: redactum tamen ad Solutio.
ſyllogiſmi formã, nihil concludit contra qualitatẽ, quã ponimus. Quòd nullã habeat formã ſyllogiſmi patet; quia nullus termin⁹ maioris ponitur in minore. Quòd verò redactum ad formã ſyllogiſmi inutilẽ habeat conſequentiã, facilè patebit, ſi ita proponatur. Inſtrumentum cõnaturale alicui effectui ſemper dicit habitudinem, &c. Sed nullum inſtrumentũ dari poteſt in ordine ad effectum ſupernaturalem, quod dicat habitudinem ad Deum (qui ſolus eſt principale agẽs effectus ſupernaturalis) ita vt Deus eo indigeat, vel ſimpliciter ad producendum effectum, vel ad illum producendum accommodatè ad eius naturam. Ergo nullum inſtrumentum dari poteſt, quod ſit cõnaturale alicui effectui ſupernaturali. Huius ſyllogiſmi vtraque præmiſſa eſt veriſsima: nã maior inductiuè patet in omnibus inſtrumentis, quæ aliquam habent connaturalitatem

litatem ad ſuos effectus; qualia ſunt inſtrumenta artis: in quibus datur aliqua connaturalitas, ſaltem inchoata, in ordine ad effectum artis; & ideò artifex effectum illum, vel non poteſt producere ſine tali inſtrumento; vel non ita accommodatè ad illius naturam; inde eſt, vt artifex ad talem effectum non quolibet inſtrumento vti poſsit, ſed iſto tantùm. Idem etiam reperitur in inſtrumentis agentium naturalium in ordine ad ſubſtantiam generandam. Igitur maior illa eſt veriſsima. Similiter etiam vera eſt minor; quoniam Deus nec ſimpliciter indiget aliquo inſtrumento, vt producat effectum ſupernaturalem; quia quęcunque poteſt ſe ſolo efficere: nec illo indiget, vt ipſum effectum accommodatius efficiat; quia quicunque ſupernaturalis effectus ex ſua natura reſpicit Deũ, vt primum, & connaturalem authorem: inſtrumentum autem ſolum reſpicit per quandam non repugnantiam.

91. Conſequētia verò legitimè infert ipſum conſequens; quia re vera nullum dari poteſt inſtrumentum, quod aliquam habeat cōnaturalitatem, etiam inchoatam, cum aliquo effectu ſupernaturali. Inde tamen inutiliter infertur; non poſſe dari qualitatem ſupernaturalem effectui ſupernaturali connaturalem: hæc enim conſequētia non poteſt eſſe legitima, niſi ſupponat virtutem inſtrumentariam eleuatiuã inſtrumenti ad effectum ſupernaturalē, non poſſe habere connaturalitatem cum effectu ſupernaturali; quin inſtrumentũ, quod per eam eleuatur, ſit eidem effectui aliquo modo connaturale: quod tamen eſt falſum; quoniam inſtrumenta diuina (quales ſunt creaturæ) ſi ſecundum ſuam naturam ſumantur, & ſecundum ſuas naturales operationes, quibus eleuantur, ſolùm habent potentiam obedientialem negatiuam, puramque non repugnantiam, vt diximus art.9.§.4.n.47: etenim potētia obedientialis poſitiua, quam in creaturis admittimus, non eſt illis connaturalis, ſed merè liberaliter conceſſa, vt in d.§.4. oſtendimus nu.31. Quare falſum eſt, quòd in illa conſequentia ſupponitur, ſi debet eſſe legitima. Quod in hac difficultate eſt ſummè aduertendum, ne deceptio contingat.

92. 12. argũm. Duodecimo obijcit *pag.* 585. *col.* 1. §. *Tertiò, rogo*: quoniam illa qualitas non poteſt eſſe corporea: quia non eſſet apta ad producẽdos effectus ſpirituales. Nec poteſt eſſe incorporea; quia hæc non poteſt recipi in corpore: tum; quia corpus nō eſt ſubiectum proportionatum formę ſpiritualis: tum etiam; quia qualitas incorporea non poteſt recipi modo extenſo. Quo eodem argumento vſus fuit *Durandus in 4.diſt.1.q.4.& Bellom.2.tom. ad 3.p.diſp. 132.n.35.& Valentia tom.4. in d. diſp.3. q.3.puncto 1.pag.560. §. Sed reijcitur, & Cabrera in d.diſp.4.§.8.n.100. & 101.* *Durand. Bellomon. Valentia. Cabrera.*

93. Solutio. Quod ſit ſpiritualis? ¶ Ad argumentum quidam admittunt, qualitatem iſtam eſſe ſpiritualem: ita *Capreol. in 4.diſt.1.q.1.art.1.concl.4. & art.3. ad argumenta contra quartam fol.11.col.2. Soncinas ibi q.1.ad 1.contra quartã, Hiſpalenſis q.1.art.3.notabili.6. & art.4.ad argumenta contra quartam, Ferrar.4.contra gentes c.56.§.Ad primũ dicitur. Viguerius in inſtitutionibus theologicis c.16. verſ.11.* *Capreol. Soncin. Hiſpalen. Ferrarien. Viguerius.*

Quod ſit corporalis? Alij volunt, eam eſſe corpoream, quod magis placuit *Paludano in 4.diſt.1.q.1.cōcl.3.n.65.* cum quo cōſentit *Heruæus ibidem q.1.ad 1.* *Paludan. Heruæus.* Non deſunt, qui vtranque opinionem putent eſſe probabilem: quorum ſententiam ego probo; dũmodò ſermo ſit de iſta qualitate, vt eſt in inſtrumẽtis corporeis: nam vt eſt in creaturis incorporeis, illa erit ſpiritualis.

Quid ſi ponatur ſpiritualis? ¶ Siuis eam eſſe incorpoream (quę fuit expreſſa ſententia *D.Thomæ 3.p.q.62.art.4.ad 1.& in 4.diſt.1.q.1.art.4.quæſtiunc.2.& de Veritate q.27.art.4.ad 4.*) dices, non repugnare, formam ſpiritualem, & incorporeã informare corpus, vt expreſſè docet D. Thomas in locis citatis, & Capreol. *vbi ſuprà fol.11.col.3.§.Ex quibus apparet*, & cum eo Soncinas, Hiſpalenſis, Ferrarienſis, & Viguerius locis citatis: & in terminis idem repetit Capreolus *in 2.diſtin.3.quæſt.2.artic.3.fol.105.col.3.§.Veruntamen ſi quis vellet*, nec diſplicet Paludano vbi ſuprà, & ſatis eſt de mente Caietani *1.part.quæſt.85.art.1.ad 4.§.Mihi autem*: nec repugnabunt, qui volunt, phantaſma illuſtrari ab intellectu agente per lumen ſpirituale in phantaſmate receptum, quæ opinio ſimpliciter placuit Toletano noſtro *3.de Anima, quæſt.2.articul.2.* & eſſe probabilem, plures affirmant inter quos eſt Capreolus *in ſecundo loco citato, & Ferrarienſis ſecundo contra gentes c.77.col.3.* *D. Thom. Capreol. Caietan.*

Forma incorporea poteſt eſſe in corpore.

§. *Sciendum ſecundò.* Non igitur mirum cenſeri debet, quòd forma incorporea ſit in corpore, ſicut etiam non repugnat formam corpoream eſſe in ſpiritu, tanquam in ſubiecto: nam albedinem eſſe poſſe in Angelo per diuinam potentiam admittit Diuus Thomas *quodlibet. 7. art. 10. in corpore, & ad 3. quem probat Capreol. in 2. vbi ſuprà fol. 105. col. 4. in principio.* Quæ doctrina ex eo videtur confirmari, quia non repugnat formam ſpiritualem eſſe in corpore modo inextenſo; ita vt tota ſit in toto; & tota in qualibet parte, vt patet in anima rationali: quod non ſolùm verum eſt de forma, quæ in eſſe non dependet à corpore, qualis eſt anima rationalis; ſed etiam de ea, quæ ab eo dependet, quidquid nullo adducto fundamento repugnet Suarius vbi ſuprà, & illum ſequatur Cabrera: cuius fundamentum ſine fundamento ſumitur; quia non eſt neceſſe, vt omne, quod in eſſe dependet à corpore, ſit entitatiuè corporeum, vt docent Paludanus, & Capreolus in quarto, loco citato: ſicut etiam non eſt neceſſe, vt quod in eſſe dependet à ſpiritu, ſit ſecundum entitatem ſpirituale: nec oppoſitum probabit Cabrera: etenim nõ repugnat formam ſpiritualem accidentalem informare corpus modo inextenſo, cum iſte informandi modus ſit ei cõnaturalis; & corpori abſolutè non repugnet inextenſè informari, cum iſto modo informetur ab anima: ſicut etiam non repugnat formam corpoream ſubiectari in ſpiritu modò inextenſo; ita vt ſit tota in ſpiritu, & quælibet pars illius: nam corpus Chriſti Domini in Sacramento habet modum iſtum inextenſum in ordine ad locum; cum totum ſit in toto loco, & totum in qualibet loci parte: quod euidenter probat, modum eſſendi inextenſè in aliquo abſolutè non repugnare corpori; & ſubindè non repugnare illi in ordine ad ſubiectum, ſiue illud ſpirituale ſit, ſiue corporale: nam formam corpoream eſſe in ſubiecto corporeo modo inextenſo, nullam implicat repugnantiam; quomodò igitur repugnabit formæ ſpirituali eſſe modo inextenſo in corpore? Quare nec modus inextenſè eſſendi in ſubiecto ita eſt proprius formæ ſpiritua li, vt non poſſit communicari formæ corporeæ: nec dependere à corpore neceſſa-

94.

Non recipitur Suar.

Fundamentum Cabreræ infirmũ.

riò arguit formam dependentem eſſe entitatiuè corpoream, quidquid velit Cabrera. Ex quibus iam patet probabiliſſimam eſſe opinionem, quæ ponit qualitatem, de qua agimus, eſſe ſpiritualem.

¶ Porrò, ſi vis eam eſſe corpoream cum Paludano, & Heruæo, nihil dices improbabile: nec enim vllum eſt inconueniens, quod corporeum ex aſſiſtentia agentis incorporei poſſit efficere effectum incorporeum, vt idem Paludanus docet *in dicta quæſt. 1. numero 71. probatus à Capreolo in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 3. ad argumenta contra quartam, fol. 12. colu. 1. in principio, & ſatis eſt de mente Alenſis 4. parte quæſt. 10. membr. 4. artic. 2. §. 5. quæſito. 1. pagina 142. columna 1. ad vltimum;* & expreſſè admittit idem Suarius *in dicta ſectione 6. pagina 617. colu. 1. C.* dum ait, potentiam obedientialẽ, quam fingit, in creatura corporea eſſe corpoream; & tamen habere efficientiam in rem ſpiritualem, ideò, quia ſubordinatur agenti ſpirituali. Cur igitur id negat huic noſtræ qualitati, quæ eſt virtus Dei ſpiritualis agentis, & illi in agendo inſtrumentaliter ſubordinatur? Accedit etiam, quia Philoſophi communiter volunt, phantaſma aſſiſtente ſibi lumine intellectus agentis, poſſe producere ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſpiritualis. Quid igitur mirum, ſi hæc qualitas, licet corporalis ſit, aſſiſtente ſibi, & cooperante virtute diuina, poſſit in effectus ſupernaturales? quare nec iſte dicẽdi modus dici debet improbabilis.

95. Quid ſi ponatur corporea?

Paludan. Capreol. Alenſis.

Suarius.

Decimo tertio arguit idem Suarius in *d. pagina 585. col. 2. §. Quartò argumentor:* quoniam vix concipi poteſt, vt aliqua qualitas ex ſua natura ſit potens ad expellendos dœmones; vel ad curandos omnes morbos vno momento, ſine vlla reſiſtentia, & ſine aliqua prauia alteratione, & ad nutum humanæ voluntatis. Et id confirmat; quoniam iſta qualitas in Chriſto Domino, ſicut expellebat quãcunque ægritudinem; ita poſſet corpus Chriſti facere impaſſibile. Et putat, hanc rationem habere efficaciam, ſiue qualitas illa concurrat, vt cauſa principalis, ſiue vt inſtrumentaria.

96. 13. argum. *Suarius.*

¶ Sed non video quam vim habeat argumentum contra noſtram qualitatem eo modo, quo à nobis ponitur: nec enim ponitur, vt virtus principalis, ſed vt inſtrumenta-

97. Solutio.

mentaria: non ponitur, vt permanens, ſed vt manens ſolùm in vſu. Iam verò quid repugnat dari vnam ſingularem qualitatem potentem dœmones expellere, ideò, quia à Deo ſumitur ad illos expellendos? quid enim mirum eſt, ſi qualitas, quæ ex ſua natura eſt participatio diuinæ virtutis, ex ſua natura dœmones expellat? idẽ dicimus de vna qualitate ad curandos omnes morbos: ſi tamen ad omnes ſemper datur vna eiuſdem rationis, quod minimé eſt neceſſarium; cum nec neceſſe ſit, vt virtus diuina ſecundum eandem eminentialem rationem omnes morbos curet. Sed mirũ eſt, quòd concipi non poſſit qualitas ſupernaturalis, quæ ſine vlla reſiſtentia, aut alteratione præuia curet aliquem morbum, etiam naturaliter incurabilem? quid enim repugnat, virtutẽ diuinam, quæ ex ſe ad hoc eſt potens, communicari poſſe qualitati quoad hũc effectum, & modum curandi? nec neceſſe eſt, vt qualitas iſta ſemper operetur ad nutum voluntatis agentis ſecundi; quia communicari poteſt creaturæ non intellectuali. Nec etiam neceſſe eſt, vt omnis qualitas actiua idem operetur in proprio ſubiecto, quod extrinſecus operatur: nam quæ virtualiter ſunt calida, faciunt effectum formaliter calidum, non tamen proprium ſubiectum.

98. 14. argum. Decimo quarto nonnulli obijciunt: quoniam vel illa qualitas eſſet per ſe ipſam naturaliter propenſa ad actus ſupernaturales; vel per aliam, qua ad illos eleuaretur. Non per aliam; quia daretur proceſſus in infinitum. Si talis eſſet per ſe ipſam, illa eſſet naturalis; quia eſſet naturaliter propenſa ad huiuſmodi actus.

Solutio. Fonſeca. ¶ Hoc argumentum vim non habere, libenter fatetur Fonſeca *libro 9. Metaph. cap. 1. quæſtione 4. ſect. 2. §. Erunt autem.* Et ratio eſt; quoniam licet illa qualitas eſſet naturaliter propenſa ad actus illos ſupernaturales; non tamen eſſet agenti naturalis: etenim habitus fidei naturaliter eſt propenſus ad actus ſupernaturales credendi; & habitus charitatis ad actũ amandi Deum ſuper omnia; & tamen neuter eſt nobis naturalis; quia neuter eſt nobis naturaliter congenitus. Quæ ſolutio optima eſt, ſi ſermo ſit de naturali in ordine ad agens, quod per talem qualitatem eleuatur: etenim lumen gloriæ naturaliter propenſum eſt ad viſionem; & tamen non eſt naturale intellectui, qui per illud eleuatur, vt poſſit in viſionem.

Decimo quinto arguit Bellomontanus 2. tomo ad 3. partem diſp. 132. cap. 3. num. 36: quoniam qualitas illa ſiue ponatur ſpiritualis, ſiue corporea, ſi ſuapte natura aptaret creaturam ad productionem effectus ſupernaturalis, potiùs eam redderet, & conſtitueret potentiam potentem per modũ cauſæ ſecundæ, quàm per modum inſtrumenti. Contra quod docemus. ¶ Ad hoc argumentum neganda eſt conſequentia; & ratio eſt, quia qualitas illa, ſi præciſè ſumatur ratione ſui, non habet proportionem naturalem ad ſupernaturalem effectum; ſed præciſè, vt ſubalternatur virtuti principalis agentis, cuius eſt participatio: vnde, ſi præciſè ſumatur ſecundum ſe, nec formaliter, nec virtualiter continet effectum; ſed ſolum, vt virtuti diuinæ (cuius eſt participatio) actu coniungitur: quod ſolùm conuenit virtuti inſtrumentali, quæ ſecundùm ſe non eſt ſufficiens agere in effectum; id tamen ex ſua natura habet, ſi coniugatur cum virtute principali, cuius eſt participatio. De quo vide, quæ latè oſtendimus in ſolutione primi argumenti. 99. 15. argum. Solutio.

Poſtremò arguit Valentia 4. *part. diſp. 3. quæſt. 3. puncto primo, pagina 560. §. Secundò, cùm non modo*: quoniam illa qualitas non eſſet vna ſimplex qualitas: etenim ſubiectata in creatura corporea eſſet in omnibus eius partibus. ¶ Sed argumentum futile eſt: nam illa qualitas, ſi ponatur ſpiritualis, erit in corpore modo inextenſo; ita vt tota ſit in toto, & tota in qualitate parte: quod non tollit, eam in ſe eſſe formam ſimplicem, vt patet in anima rationali corpus informante. Si verò ponatur corporea, non erit ſimplex in ordine ad partes extenſionis. 100. Poſtremũ ex Valent. Solutio.

Hæc argumenta adduximus contra qualitatem, quam ponimus generaliter ſumptam. Plura alia adduci poſſunt, ne illa admittatur, aut in Sacramentis, aut in Chriſti Domini humanitate. Quorum explicatio longiorem poſtulabat diſputationem, quæ plura ſupponit illis inſtrumentis propria; & ideò ad hunc locum non pertinet.

§. 6.

Vtrùm ad eleuationem potentiæ obedientialis actiuæ neceſſariò debeat præcedere aliqua actio propria ipſius inſtrumenti?

101. Quæſtio difficilis. SVpereſt, vt explicemus quæſtionẽ inter Doctores non minus celebrẽ, quàm difficilem; cùm & illa ad complementum huius materiæ ſatisſit neceſſaria; vtrùm ad eleuationem potentiæ obedientialis actiuæ, & inſtrumenti, quod per eam obedientialiter eſt potens ad agẽdum omnia, quæ Deus per illud facere voluerit, neceſſariò præꝛequiratur aliqua præuia actio propria, & naturalis ipſius inſtrumenti, quæ ſit veluti diſpoſitio, vt ad effectum principalem, & excedentem eleuetur?

Refertur pars negans.

102. Pars negãs. ¶ Partem negantẽ huius quęſtionis plerique probauerunt, qui volunt, vt inſtrumentum influat in effectũ principalem, nec indigere aliqua actione præuia, ne dũ naturali; ſed poſſe Deum vti aliqua re, tanquam inſtrumento ad aliquem effectum ſupra illius naturam; etiáſi illa nullam habeat actionem præuiam, non modo propriam ipſius, ſed nec quãcunque aliam. Hanc ſententiam probauit Scotus *in 4. diſt. 1. q. 1. contra primam rationem D. Thomæ litera D. §. Quod etiam additur de inſtrumento fol. 3. col. 1:* eandem tenet Mayronius *in 4. diſt. 6. q. 2. §. Quoad primum, & §. Sed contra.* Et in inſtrumentis ſupernaturalibus idem probat Veiga *lib. 7. in Concilium Trident. c. 13. & 14. dub. 1.* Eandem ſentẽtiam non poſſunt non probare, qui putant, Deum poſſe aſſumere quãcunq; creaturam, etiam non actiuam (ſcilicet materiam primam, quantitatem, & relationem) in inſtrumentum ad opera ſupernaturalia: ſi enim id, quod in inſtrumentum aſſumitur, actiuitatem non habet; quomodò habere poteſt aliquam actionem propriam, præuiam ad principalem effectum? Eandem ſententiam neceſſariò probabunt, qui volunt inſtrumentum immediatè influere in effectũ principalem.

Scotus. Mayron. Veiga.

103. 1. argum. Quod inſtrumentum, vt inſtrumentum eſt, nulla indigeat actione ſibi propria, & naturali, inde probat Scotus; quia ad actionem naturalem, & propriam non poteſt non concurrere, vt agens principale, & per conſequens ad illam non poteſt concurrere in virtute principalis agẽtis; quod tamen eſt de ratione inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt.

Secundò nonnulli idem ex eo confirmant; quoniam in ſerra, aliiſque inſtrumentis huius generis, nulla datur vis ad agendum; quia tota agendi vis illis imprimitur ab artifice ea mouente: etenim in ſerra non inuenitur, niſi durities, & forma v.g. dentata, & acuta: iam verò durities non eſt qualitas actiua; ſimiliter nec acuties, nec forma acuta, licet ſint qualitates, quæ inciſioni inſeruiant, tanquam conditiones ſine quibus, vel non fieret inciſio; vel non tam benè; ideò, quia durities eſt qualitas reſiſtens: quia verò durities ferrea magis reſiſtit, quàm lignea, & vnuſquiſque dens in ſerra, & in alio inſtrumento acuties modicum quid attingit, quod non multum reſiſtit; hinc eſt, vt vis ferreo inſtrumento, & acuto impreſſa ab artifice facilè ſuperet reſiſtentiã duritiei ligni, quod ſcinditur. Patet igitur in his inſtrumentis non dari vim actiuam illis propriam, ſed eam vendicare, & participare ab agente principali: & tamen effectum artis attingunt, nulla propria actione præcedente. 104. 2. argum.

Tertiò id confirmari poteſt apud eos, qui volunt, materiam primam, quantitatem, & relationem, quæ non ſunt formæ actiuæ, aſſumi poſſe à Deo in inſtrumentum ad opera miraculoſa: & tamen in ea influent abſque vlla naturali actione pręuia, cum nullam habeant. 105. 3. argum.

Quartò adhuc confirmabitur, ſi vera eſt opinio, quòd inſtrumenta diuina ad ſupernaturales effectus non concurrunt per virtutem ſibi connaturalem, ſed per potentiam obedientialem actiuam ſingulis rebus innatam, quæ fuit opinio Suarij, vt vidimus ſuprà art. 9. Hac opinione ſuppoſita, inſtrumenta diuina actiuè cõcurrunt ad effectus ſupernaturales; & tamen nulla præcedit actio illis propria, & connaturalis: hæc enim ad hos effectus nec eſt neceſſaria per ſe; cum in eos nullã habeat influentiam: nec vt conditio, ſine qua non; quia nulla ratio cogit, vt inſtrumenta illa non poſsint influere per virtutem obedientialẽ ſibi innatam, niſi prius habeant actionem aliquam naturalem. 106. 4. argum.

107 5. argum. Quintò arguit Veiga; quia hæc propria actioni nihil efficientiæ tribuit ipſi inſtrumento: nec illud aptius, & commodius efficit, vt ad ſupernaturalem effectũ producendum concurrat.

108 Poſtremum Poſtremò, quòd nulla actio præuia ſit neceſſaria, vt inſtrumentũ attingat principalem effectũ, ex his, quæ Scotus ſcribit, ita probari poteſt: quia ſi illa actio præuia eſſet neceſſaria ad principalem effectum; ideo eſſet neceſſaria; quia eſſet diſpoſitio ad illum, vt D. Thomas videtur admittere. Sed ex hoc infertur, inſtrumentum non concurrere effectiuè in effectum principalem: contra id, quod aduerſarij volunt. Ergo tantum abeſt, vt inſtrumentum indigeat præuia iſta actione diſpoſitiua, vt talis actio potiùs impediat inſtrumentum attingere effectum principalem. Maior huius diſcurſus ab aduerſarijs admittitur. Minorem probat Scotus; quia ideo ſecuris nõ attinget formã arcæ, quia inſtrumentaliter attingit ſciſionem ligni, quæ eſt diſpoſitio ad formam arcæ, ipſam præcedens: etenim, inquit Scotus, ſi artifex ſecuri vteretur, vt per eam immediatè attingat formam arcæ, non vteretur ea ad diſpoſitionẽ inciſionis. Quare apud Scotum inſtrumentum, quod attingit terminum principalem (ſi tamen tatale inſtrumentum admittit Scotus) nullo modo diſponit ad talem effectum; ſed immediatè nulla præuia diſpoſitione effectũ attingit: etenim monetarius, quia per inſtrumentum attingit effectum; & ſigillator, quia per inſtrumentum attingit ſigillationem, ſiue figuram impreſſam in cera, per iſta inſtrumenta nullam diſpoſitionem præuiam inducunt.

Refertur pars affirmans.

109 Pars affirmans. ¶ Partem tamen affirmantem (*quòd. ſci. neceſſariò ſit aliqua actio præuia propria, & naturalis ipſius creaturæ, quæ in inſtrumentũ aſſumitur*) communior probauit Theologorum ſententia. *Ita D. Thomas 1. p. q. 45. art. 5. & 3. p. q. 13. art. 2. & q. 62. ar. 1. ad ſecundum, & in 4. diſt. 1. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. & 2. contra gentes cap. 21. in 6. ratione, & pluribus alijs in locis, communiter à ſuis approbatus: eã docet Capreol. in 2. diſt. 1. q. 3. art. 3. ad argumenta Scoti contra primam fol. 36. col. 2. §. Cum autem arguens: Caietanus 1. p. in dicta q. 45. art. 5. §. Ad euidentiam huius difficultatis.: Ferrarienſis 2. contra gentes cap. 21. in explicatione ſextæ rationis. §. Sed contra fundamentum: Bañes 1. p. q. 45. art. 5. in d. circa ſecundam conluſionẽ concl. 4. §. Et probatur ratione, & latiùs ad 4. argumentum: latè Cabrera 2. tom. ad. 3. p. q. 13. art. 2. diſp. 2. §. 4. num. 89. & q. 19. ar. 1. in Commentariò à numero 15. cum ſequentibus: probat Valentia 4. tom. diſput. 1. q. 13. puncto 2. pag. 276. §. Ad hoc argumentum:* Generaliter id docet Fonſeca *in 5. Metaphyſ. cap. 2. q. 6. ſect. 6. pag. 96. in principio.* Et ſatis probat Sebaſtianus Oxomenſis *ad 3. p. q. 62. artic. 3. & 4. in principio Commentarij fol. 26. col. 4.*

D. Thom. Capreol. Caietan. Ferrar. Bañes. Cabrera. Valentia. Fonſeca. Oxomenſis

110 Fundamentum opinionis. Fundamentum huius opinionis ponitur à D. Thoma in dicta q. 45. art. 5. quoniam cauſa inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantũ per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis. Ergo neceſſariò debet præcedere aliqua ꝓpria, & naturalis operatio ipſius inſtrumenti, vt poſsit participare actionem agẽtis principalis, & influere in principalem effectũm. Conſequentia eſt nota. Antecedens probat D. Thomas: tùm; quia ſi nihil ibi ageret ex virtute ſibi propria; fruſtra adhiberetur ad agendũ: nihil enim haberet, per quod actionem principalis agentis participaret. Tùm ſecundò; quia ſi id nõ eſſet neceſſarium, non oporteret, vt determinatarum actionum eſſent determinata inſtrumenta; ſed agens principale ad quamlibet actionem poſſet quodlibet inſtrumentum aſſumere. Tùm tertio; quia id videmus in omnibus inſtrumentis naturalibus, & artis: nam ſecuris ſcindendo lignũ, quod habet ex proprietate ſuæ naturæ, producit formã ſcamni; & calor naturalis calefaciendo, & diſſoluendo (qui ſunt effectus illi naturales) generat carnem.

111 Confirmat. Hanc rationem confirmat Caietanus vbi ſupra: quoniam omnis cauſa inſtrumentalis habet propriam aliquam virtutẽ actiuam: alioqui fruſtra ad agendum aſſumeretur. Sed omni virtuti actiuæ reſpõdet aliquid per eam factibile: cum omnis virtus actiua alicuius factibilis ſit actiua. Ergo opus eſt concedamus aliquid fieri per illam virtutem propriam inſtrumenti, dum ab agente principali ad agendum

aſſumitur. Ergo neceſſe eſt, vt omne inſtrumentum ad principalem effectum cōcurrat prçuia aliqua actione ſibi propria, & naturali: etenim cum agens principale aſſumit inſtrumentum ex prima intētione, illo, & eius naturali operatione vtitur, vt effectum principalem producat, vt patet. Ergo ipſe principalis effectus in executione erit vltimus; operatio autem erit prima. Et hac ratione putat Caietanus, certum eſſe, quòd inſtrumentum debeat habere aliquam præuiam operationē ſibi propriam. His argumentis citati authores affirmantem partem confirmant; putantque inſtrumentum, etiam per diuinā potentiam, eleuari nōn poſſe ad influendum in principalem effectum, niſi præcedat aliqua operatio illi propria, & naturalis: nec eſſe intelligibile, quomodo inſtrumētum eleuari poſsit ad effectum ſupra naturam, niſi hæc operatio prçcedat.

Ponitur vera reſolutio.

112 **Vera opinio** ¶ Ego, nec opinionem negantem, nec affirmantem ſimpliciter probo; & pro reſolutione, tres ſtatuo propoſitiones. Prima propoſitio: *Si abſolutè loquamur, & in ordine ad diuinam potentiam; vt inſtrumentum eleuetur ad effectum ſupra naturam: non neceſſe eſt, præcedat aliqua propria, & naturalis actio inſtrumenti.* Secūda propoſitio: *Poteſt Deus inſtrumenta ſua eleuare ad principalem effectum præuia aliqua propria, & naturali illius actione: & de facto, ita eleuat ſacramenta ad producēdam gratiam.* Tertia propoſitio: *Inſtrnmenta, tàm naturalia, quā artis, naturaliter non eleuantur, niſi præuia aliqua propria, & naturali eorum operatione.* Singulas iſtas propoſitiones per ſe expendamus.

Expenditur prima propoſitio.

113 **Expenditur 1. propoſitio.** ¶ Prima propoſitio aſſerit: *Abſolutè, & in ordine ad diuinam potentiam; vt inſtrumētum eleuetur, non neceſſe eſt, præcedat aliqua propria, & naturalis actio inſtrumenti: imò nec aliqua alia actio: ſed poteſt ipſum inſtrumentum per ſuam propriam, & naturalem actiuam virtutem, prout obedientialiter eſt Deo ſubiecta, eleuatam tamen, immediatè influere in effectum ſupernaturalem, ad quem eleuatur.* Hæc cōcluſio ſtatuitur pro prima opinione negante, quam in hoc ſenſu putamus eſſe veriſsimam: & cum Scoto dicimus, neceſſarium quidem eſſe, vt inſtrumentum agat ſecundū propriam formam, qua naturaliter eſt actiuum: at tamen nō neceſſe eſſe, vt agat principalem effectum per propriam operationem ab ea forma elicitam; ſed poſſe immediatè influere in illum per eandem naturalē formam, eleuatam tamen, & conſtitutam in actu primo ad eundem effectum, ita vt ſicut per illam formā immediatè elicit actionem productiuam effectus naturalis; ita etiam per eandem actu eleuatam immediatè influat in ſupernaturalem effectum. Verbi gratia, diuina potentia poteſt fieri, vt ignis Inferni per ſuam naturalem virtutem calefactiuam eleuatam immediatè eliciat actionem torſiuam Dœmonum, realiter diſtinctam ab actione calefactionis, qua naturaliter producit calorem in ſubiecto naturaliter calefactibili. Erit igitur in igne Inferni vna numerō virtus calefactiua, duas habens actiones īmediatè à ſe elicitas: vnā; qua īmediatè calefacit ipſas Inferni cauernas, & poſt reſurrectionē calefaciet corpora damnatorū per verū, & naturalē calorē, & per naturalē calefactionē. Alterā, qua immediatè torqueat dœmones, & animas damnatorum; quæ ipſa erit actio diſtincta à calefactione; quam ignis poteſt elicere, ſi nullā eliciat calefactionem, Deo ſuum generalem concurſum ſubtrahente. Idem dicēdum erit de cæteris diuinis inſtrumentis: quæ omnia ſupponimus, non poſſe non eſſe naturaliter actiua, vt oſtendimus ſupra art. 14. §. 1.

Hæc propoſitio non aliter melius confirmari poteſt, quàm communi, firmiſſimo tamen, argumento: quia inſtrumenta actiua iſto modo agere nullam implicat contradictionem: quod non melius probabitur, quàm ſoluendo argumenta partis affirmantis. Prius tamen accedat ratio non contemnenda: quoniam, ſi hæc actiua potentia in actu primo naturaliter cōſtituta, poteſt immediatè elicere actionem productiuam effectus naturalis; cur eadem conſtituta in actu primo ſupernaturali (quocunque modo illa in eo conſtituatur) non poterit immediatè in actionem ſupernaturalem productiuam ſupernaturalis effectus? etenim potentia iſta actiua 114 **1. Fundamētum.** **Cōfirmatio**

actiua à natura ingenita ſumpta ſecundū ſe poteſt conſtitui in actu primo, tùm naturali, tùm ſupernaturali: nec aliqua ratio adduci poteſt, quæ contradictionem, vel apparēter ſuadeat. Rationes igitur in oppoſitum adductas diſſoluamus.

115 Ad 1. argu. Ad primum, quod eſt totum Thomiſtarum fundamentum, negandum eſt, inſtrumentū non aliter poſſe participare virtutem, & actionem principalis agētis, niſi quatenùs per aliquid ſibi proprium operatur: quod fuit antecedens à Thomiſtis adductum ſine probatione; cum tamen à Scoto, & alijs negetur: quia licèt Deus poſsit ſuam virtutem, & actionem inſtrumento communicare mediāte aliqua propria illius actione, vt dicemus in ſecunda propoſitione: non tamen neceſſe eſt, vt ſemper effectū principalem producat media actione naturali inſtrumenti; ſed poteſt ipſam actiuā virtutē inſtrumenti eleuare, nulla præuia naturali illius actione; quod eſt noſtræ primæ propoſitionis fūdamentum.

116 Ad primam antecedentis probationē admittimus, quòd inſtrumentum fruſtra adhiberetur ad agendū, ſi nihil ageret per virtutem ſibi propriam; ita vt per illam nullam eliciat actionem; quia nullū agens poteſt agere, niſi mediāte actione à ſe elicita: negamus tamen, quòd inſtrumentū fruſtra aſſumeretur ad agendum, niſi per propriam virtutem aliquam eliceret actionem ſibi propriam, & naturalem: quia, vt diximus, per virtutem ſibi propriam, eleuatam tamen, poteſt immediatè elicere actionem, qua effectum principalem immediatè attingat: & hoc ſufficit, vt poſsit virtutem, & actionem agentis principalis participare.

117 Ad ſecundam probationem dicimus, illationem optimam eſſe in inſtrumentis artis, & naturalibus in ordine ad artifices, & agentia naturalia: non tamen in inſtrumentis in ordine ad Deum: quoniam nō eſt abſurdum in ordine ad Deum nō eſſe determinata inſtrumenta ad actiones determinatas, ſi ſermo ſit de inſtrumentis, *vt quod*: quia Deus ad quemlibet ſupernaturalem effectū poteſt aſſumere quodlibet inſtrumentum; quia cuilibet creaturæ ex ſe actiuæ poteſt communicare ſuas ſeminales rationes, quas in ſe habet abſcōditas: vnde quamlibet creaturā ex ſe actiuam poteſt eleuare ad quemlibet voluerit effectū: imò ſicut poteſt ad quemlibet effectum ſumere quodlibet inſtrumentum; ita ad quemlibet poteſt cuiuslibet naturalem actionem eleuare, vt dicemus in ſecunda propoſitione. Quare negādo, quòd in ordine ad Deum non eſt neceſſaria aliqua actio præuia ipſi inſtrumento naturalis, non proinde infertur in ordine ad Deum requiri determinata inſtrumēta ad determinatas actiones: fatemur tamen id benè inferri in ordine ad artifices, & agentia naturalia. Rationem diſcriminis ex eo ſumes; quia virtus principalis agētis naturalis, & artificis neceſſariò ſupponit in inſtrumento, & in eius virtute naturali aliquam proportionem cū principali effectu, ſaltem diſpoſitiuam, ratione cuius virtus illorum non poteſt communicari cuicunque inſtrumento: cum tamen virtus diuina, vt ſuis inſtrumentis communicetur, non neceſſariò, prærequirat in virtute actiua illorum aliquam proportionem naturalem cum effectu ſupernaturali, ſed ſolam obedientialem, quæ in omnibus eſt eiuſdem rationis, & ideo omnibus communicabilis. Ex quo patet ſolutio ad tertiam probationem antecedentis: quia diuerſa ratio cernitur in inſtrumentis naturalibus in ordine ad effectus naturales, & in inſtrumētis diuinis in ordine ad effectus ſupra naturam, vt ex dictis patet.

Confirmatio adducta ex Caietano indigna eſt tanto ingenio: admiſſo igitur toto diſcurſu, cōcedimus aliquid fieri per virtutem propriam inſtrumenti à principali agente aſſumpti. Ex hoc autem ſutiliter infertur, neceſſariam eſſe aliquam præuiam actionem ipſi inſtrumento propriam: committitur enim fallacia conſequentis: etenim per virtutem propriam, & innatam inſtrumento, non ſolùm poteſt fieri effectus naturalis per actionem illi connaturalem; ſed etiam ſupernaturalis per actionem ab eadem virtute elicitam, vt eſt ſupernaturaliter eleuata, vt ex dictis patet. Quare non eſt, quòd Caietanus tam futili ratione putet, certū eſſe, quòd omne inſtrumentum, vt eleuetur, debeat habere aliquam actionem naturalem præuiam ad effectum principalem. 118 Ad Confirmationem.

Expenditur ſecunda propoſitio.

¶Secun-

119 Examen 2. propoſitionis.

¶ Secunda propoſitio aſſerit, *Poſſe Deũ inſtrumenta ſua ad principalem effectum eleuare præuia aliqua propria, & naturali illius actione, & de facto ita eleuari Sacramenta ad producendam gratiam, & eleuata fuiſſe plura inſtrumenta, quibus Chriſtus Dominus miracula effecit.* In hoc ſenſu putamus veriſsimam eſſe opinionem affirmantem, ſi tamen intelligatur de actione latiſsimè ſumpta, prout prolatio vocis, contactus corporum, obumbratio, & alia huius generis dicuntur actiones. In hoc ſenſu noſtra ſecunda propoſitio eſt veriſsima; & euideter probatur in Sacramentis, quæ ſunt quædam Dei inſtrumenta ad producendam gratiam, in quibus præcedit aliqua actio rei Sacramentalis, qua illa eleuãtur, vt gratiam producant: etenim aqua in Baptiſmo eleuatur ad gratiam conferẽdam præuia naturali corporis ablutione: & in Confirmatione, Extremaque Vnctione oleum præuia Vnctione eleuatur vt cauſet gratiam: ſimiliter verba in Pœnitentia, & Matrimonio, & Ordine præuia prolatione verborum eleuantur ad gratiam: & in Sacramento Euchariſtiæ ad panis, & vini tranſubſtantiationem. Denique ſpecies conſecratæ prę uia mãducatione Hoſtiæ, potatione Calicis conferunt gratiã. Eadem etiã ratione lutum ex ſputo Chriſti confectũ liniẽdo oculos viſum Cæco reſtituit; & corpus D. Petri ſua actiua obumbratione mortuos ſuſcitabat. Quare nõ eſt dubiũ poſſe Deum eleuare inſtrumenta, præuia eorũ naturali actione. Quod latiùs probare pertinet, tùm ad materiam Sacramentorum, tùm ad materiam miraculorum Chriſti.

120 Difficultas.

Tota difficultas poſita eſt; quomodo inſtrumentum Dei præuia iſta naturali actione attingat principalem effectum: cuius difficultatis reſolutio ſupponit aliã; an pręſuppoſita hac actione, admittẽda ſit in inſtrumento vna tantum actio, an plures; quarum vna ſit propria ipſi inſtrumento, & præuia ad producendum effectum: altera verò ſit inſtrumentalis, qua inſtrumentum attingat, & producat effectum principalem. Huius difficultatis reſolutionem ſemper deſideraui.

121 1. opinio negat.

Quòd attinet ad hanc difficultatẽ poſteriorem; quidam volunt in inſtrumento non reperiri duas actiones, quarũ vna ſit illi propria; altera verò inſtrumentalis, & ſupra naturam illius; ſed vnam tantum actionem eſſe admittendam, ſi propriè loquendum eſt. Hæc opinio probata eſt Caietano 1. *p. q.* 45. *art.* 5. §. *Ad euidentiam huius difficultatis*: vbi docet, non eſſe ſimpliciter neceſſariũ, dari in inſtrumento duas actiones, quarum vna ſit propria ipſius inſtrumenti, & altera ſit ipſius principalis agentis inſtrumento communicata: neceſſariũ tamen eſſe dari in omni inſtrumento vnam actionem, quę ipſa, vt eſt à virtute propria inſtrumenti, ſit præuia ad id, quòd ſit per eam, vt eſt ex virtute principalis agentis. Eandem opinionem expreſsis verbis probat Bañes 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *in dubio circa ſecundam cõcluſionem D. Thomæ poſt quartam concluſionem* §. *Secundò notandum eſt*; vbi expreſsè docet, actionem principalis agentis, & actionem inſtrumenti, propriè loquẽdo, non eſſe duas actiones, ſed vnam, & eandem. Iiſdem verbis idem docet Cabrera 2. *tom. ad* 3. *p. q.* 19. *art.* 1. *in Commentario articuli num.* 16. §. *Docet prætereaD. Thomas. & idem antea docuerat q.* 13. *art.* 2. *diſp.* 2. §. 4. *num.* 93. Caietan. Bañes. Cabrera.

122 2. Opinio affirmat. D. Thom.

Quòd tamen in inſtrumento duæ ſint actiones diſtinctę expreſsè docet D. Thomas 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *ad* 2. ita inquiens: *Dicendum eſt, quòd inſtrumentum habet duas actiones: vnam inſtrumentalem; alteram propriam*: idem expreſsè ſcribit 3. *p. q.* 19. *ar.* 1. *in corp. & ad* 2. *de Veritate q.* 27. *art.* 4. *in corp. poſt. med. & in ſolutione ſecundi, & in pluribus alijs locis.* Duas etiam actiones ponit Capreolus *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 3. *art.* 3. *ad argumenta Scoti contra primam fol.* 36. *col.* 2. §. *Cum autem arguens, & Ferrar,* 2. *contra gentes cap.* 21. §. *Ad euidentiam huius difficultatis, Medina* 3. *p. q.* 19. *art.* 1. *in expoſitione articuli, idem aſſerit Caietan.* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. §. *Ad euidentiam horum*, vbi explicans rationem agendi inſtrumẽti, ita ait: Inſtrumentum, ſiquidem duplicem habet actionem; ſcilicet propriam, & inſtrumentalem. Capreol. Ferrar. Medina. Caietan.

123 3. Opinio media.

Non deſunt, qui mediam viam teneãt, qua fortè præcedentes opiniones concilient: vt ſc. ſecundùm rem vna tantum ſit actio: formaliter tamen duplex; quia. ſc. habet duplicem terminum formalem, correſpondentem duabus virtutibus; nam licęt actio ſcribentis, & calami ſecundum

rem

rem ſit vna tantum; formaliter tamen nõ vna eſt, ſed duplex, ita Cabrera 2. *tom. ad* 3. *p. q.* 13. *art.* 2. *diſp.* 2. §. 4. *num.* 92.

124 Propria opinio. Difficultas longiorem poſtulabat diſputationem : ego puto dicendum cum Ferrarienſi, ſi ſermo ſit de diuinis inſtrumentis, & ſi fiat ſuppoſitio, quòd Deus ad producendum effectũ ſupernaturalẽ libere voluit vti, & virtute naturali inſtrumẽti; & naturali illius actione. Hac igitur ſuppoſitione facta, admittendæ ſunt duæ actiones inter ſe realiter diſtinctæ: quarum vna ſit propria inſtrumento immediatè terminata ad proprium, & naturalem illius terminum: altera verò ſit inſtrumẽtalis, & communis agenti, & inſtrumento immediatè productiua principalis effectus. Verbi gratia, in igne Inferni datur ipſa calefactio, & præter eam actio torturæ. Calefactio eſt actio naturalis illius ignis: torſio verò dœmonis eſt inſtrumentalis, communis & Deo, & igni, vt eſt Dei inſtrumentum. Prima actio eſt præuia ad torſionẽm; quia Deus mediante calefactione loci, in quo diffinitiuè eſt Dœmõ, producit actionem torturæ, modo ſtatim explicando. Simili modo in aqua Baptiſmi datur, & lotio corporis, & productio gratiæ. Illa eſt actio propria aquæ: hæc communis eſt & Deo, & aquæ, ab vtroq; enim ſuo modo exit: vtrãque ponim⁹ nõ formaliter tantum; ſed realiter diſtinctã ab altera.

125 Quod debeãt admitti duæ actiones. Quòd in diuinis inſtrumẽtis, facta præcitata ſuppoſitione, admitti debeant duæ actiones, affirmant Capreolus, Ferrarienſis, & Medina, atque etiã Caietanus, quos citauimus in 2. opinione. Hæc opinio primum confirmatur; quia abſque dubio eã probauit D. Thomas in locis adductis in 3. opinione: expreſſe enim docet in inſtrumentis dari duas actiones: quarũ vna, vt ait, eſt propria ipſius inſtrumẽti; altera verò eſt inſtrumentalis, & ideo communis, & inſtrumento, & agenti principali. Addit etiam vnam eſſe præuiam, & ideo priorem: quæ omnia ſatis probant, vnam actionem non eſſe aliam, ſaltem formaliter. Accedit etiam; quòd hæ actiones habent diuerſos terminos per eas ſuo modo productos, vt fatentur Caietanus, Cabrera, & Bañes: etenim in aqua Baptiſmi terminus ablutionis eſt corpus ab immunditia corporali mundatum: terminus autem actionis Sacramentalis eſt gratia per Baptiſmũ producta. In igne Inferni terminus calefactionis eſt calor productus in loco, in quo eſt dœmon: terminus autem actionis torquentis eſt dolor in dœmone productus, quicũque ille ſit. In luto etiam, quo Chriſtus Dominus vſus eſt ad reſtituendum viſum, eſt ipſa delinitio paſsiua oculorũ; terminus autem actionis inſtrumentalis eſt ipſe viſus cæco reſtitutus; & ſic de cæteris Dei inſtrumentis: iam verò vbi termini per actiones producti ſunt plures, actiones etiam plures ſunt; cũ actiones per terminos diſtinguantur, vt vera habet Philoſophia.

D. Thom, (margin, beside "probauit D. Thomas")

126 In diuinis inſtrumentis ſunt realiter diſtinctæ. Ex qua etiam euidẽter colligitur, iſtas actiones in diuinis inſtrumentis nõ poſſe non eſſe realiter diſtinctas: quoniam eadem Philoſophia docet, actionem nõ ſolùm ſpecificari, & diſtingui per terminos; ſed etiam cum illis realiter identificari. Iã verò in diuinis inſtrumẽtis, quibus Deus vtitur ad faciẽda miracula, termini vnius & alterius actionis realiter ſunt diſtincti: etenim terminus actionis, quæ inſtrumẽto eſt naturalis, in ſua entitate eſt aliquid naturale: terminus autem productus per actionem inſtrumentalem eſt ſupernaturalis, aut ſecundùm ſubſtantiam, aut quoad modum, vt patet in gratia, quæ eſt terminus actionis Sacramentalis; & in viſu, qui per lutũ eſt reſtitutus cæco. Porrò, ſi in his inſtrumentis termini actionũ realiter diſtinguũtur; vtique realiter diſtinguentur ipſæ actiones: quod eſt argumẽtum Ferrarienſis omninò inſolubile. Nec puto nobis contradicet Caietanus, vbi termini illarum duarum actionem fuerint multę res: illos autem in aliquibus inſtrumentis plures res eſſe, libenter admittit *indicta q.* 45. *art.* 5. *loco citato*. Nec huic reſolutioni contradicit D. Thomas, quidquid Cabrera aliter ſentiat: nam 3. *p. q.* 19. *ar.* 1. *ad ſecundũ*, ſolũ dicit, quod actio principalis agentis, & inſtrumenti, vt eſt inſtrumentum, eſt vna: quod nec Ferrarienſis negat, nec nos negamus: cum hoc tamen ſtat, vt D. Thomas, præter iſtam actionẽ, ponat aliam, quæ ſit propria inſtrumenti, vt ex illo expreſſe colliges, & de his duabus eſt noſtra quæſtio, quas Ferrarienſis nobiſcum ponit eſſe realiter diſtinctas: vnde mentem illius non ſatis percę-

Caietanus non eſt contrarius.

Nec Diu⁹ Thom.

Cabrera fallitur.

percepit Cabrera *in Comm. ad dictā quaſt. 19. art. 1. num. 22.*

127 Quomodo actio inſtrumenti propria producit principalem effectū

Sed iam reſtat explicare; quomodo iſta actio, quæ ponitur inſtrumento propria, & naturalis, concurrat ad principalē effectum? Cuius difficultatis explicationem ſemper deſideraui. Ego eam ita puto eſſe explicādam; vt hæc actio propria non īmediatè, ſed mediatè attingat effectum principalem: quod vno verbo tetigit Valētia 4. *p. diſp. 1. q. 13. puncto 2. pag. 276. §. Sed hi re vera*, rem tamen non explicauit.

Valentia.

Propria explicatio.

Nos dicimus, actionē illam ideo effectum principalem immediatè nō attingere, ſed mediatè ſolùm, quia producit terminum, qui formaliter non eſt actio productiua effectus principalis; ſed eſt forma actiua, à qua, vt eſt eleuata, fluit actio, qua formaliter producitur. Hoc poſſumus exemplis declarare: nam intellectus ſua intellectione producit habitum intellectualem; non quaſi intellectio ſit actio formalis, qua habit⁹ producitur (etenim actio, quę eſt formalis productio habitus, realiter identificatur cum ipſo habitu, habitus autem realiter diſtinguitur ab intellectione, vt patet) ſed eſt forma quædam ex ſua natura productiua habitus: quam Philoſophiam, tanquam veriſſimam modo ſupponimus: vndè intellectus ideo per intellectionem producit habitum; quia producit notitiam, quæ eſt qualitas, & forma quædā productiua habitus: & ideo intellectus per intellectionem generat habitum; quia per illam, tanquam per formam actiuam, & per principium producendi generat habitum: & in hoc ſenſu intellectio dicitur habitum producere, non immediatè, ſed mediatè. Aliud etiam exemplum adduci poteſt apud eos Thomiſtas, qui putant, verbum realiter diſtingui ab intellectione, & per eam produci, tāquam per formam actiuam, & actiuum agendi principium. Apud quos intellectus per veram, & prædicamentalem actionem producit qualitatem, quæ eſt notitia, & intellectio formaliter apprehenſiua obiecti; quæ ipſa ex ſe eſt forma realiter productiua verbi, ita tamen, vt prius natura illud producat, quàm apprehendat obiectum, quod in ipſo verbo ſibi obiectiuè præſentatur. Intellectus ideo per ſuam intellectionem dicitur producere verbum; quia per eam, vt per principium formale producendi actiuè producit verbum. Eodem igitur modo inſtrumentum Dei elicit actionē ſibi propriā, & naturalem productiuam ſui termini, qui, vt eleuatus, eſt forma actiua, per quā, & principale agens, & ipſum inſtrumentum producunt principalem effectum. Verbi gratia, ignis Inferni, vt eſt inſtrumentum Dei ad torturam dœmonū, elicit calefactionem ſibi naturalem, qua producit calorem in loco, in quo eſt ſubſtantia dœmonis: calor verò ille, ideo virtuoſus, quia ab igne iam eleuato productus, concurrit ad torturā, tanquam forma actiua elicitiua actionis torſiuæ. Et in Baptiſmo aqua ſua naturali lauatione producit in corpore baptiſandi paſsiuam lotionem (quidquid illa ſit): quæ, ideo virtuoſa, quia ꝓducta ab aqua eleuata, eſt forma quædam actiua gratiæ. Hæc mihi videtur optima, & faciliima huius difficultatis explicatio; de qua, ſi per vitam licuerit, latiùs agemus in materia de Sacramētis.

Ex hac explicatione, facilè intelliguntur plura, quæ de actionibus horum inſtrumentorum dicuntur à Diuo Thoma: quæ an benè explicentur? aliorum ſit iudicium. 128 1. Corollar.

Primum igitur infertur, quomodo intelligendum ſit, actionem inſtrumēto propriam eſſe præuiam, tùm ad actionem inſtrumētalem, tùm ad effectū principalem: nam cū ſit productiua termini, à quo, tanquam à forma actiua elicienda eſt actio productiua principalis effectus, non potuit non eſſe præuia, & ad actionē inſtrumentalem, & ad effectum principalem. Quod ſatis declarat Caietanus *in d. q. 45. art. 4. loco citato*, dum ait per hāc actionē inſtrumento propriam fieri aliquid præuium ei, quod in virtute principalis agentis fieri debet, nimirum effectus principalis. *Caietan.*

Quod verò addit, actionem iſtam facere illud poſterius nulla actione a diūcta, ſolùm verum eſt inſtrumentis, in quibus effectus principalis realiter non diſtinguitur ab effectu actionis præuiæ, vt dicemus in tertia propoſitione: non tamen admitti debet in diuinis inſtrumentis; quoniam in illis, quod fit per actionē inſtrumentariam, eſt res diſtincta realiter ab effectu actionis præuiæ. Quare illa actio inſtrumento propria, ideo dicitur prȩuia, quia producit formam, per quam principalis effectus eſt producendus.

129 2.Corollar. Secũdo loco infertur, quomodo hæc actio præuia dicatur propria ipſi inſtrumẽto: nõ enim ideo dicitur propria, quòd ab illo producatur ante eleuationem, quia talis actio ſupponit virtutem naturalẽ inſtrumenti iam eſſe eleuatam ſimul cum ipſo inſtrumẽto: ſed ideo dicitur propria, quia ſimpliciter ſumpta non pręciſè conuenit inſtrumento, ratione virtutis, qua eſt eleuatum; ſed præciſè ratione virtutis ſibi naturalis: cuius oppoſitum reperitur in actione inſtrumentali, qua principalis effectus immediatè producitur; hęc enim elicitur quidem à termino per priorem actionem producto; non tamen ſecundũ propriam illius virtutem præciſè ſumptam; ſed vt à virtute principalis agentis eſt eleuatus: etenim iſte primus effectus, ideo eſt virtuoſus ad effectum principalem, quia eſt productus à forma naturali ipſius inſtrumenti iam eleuata. Verbi gratia, calefactio ignis inferni, non ideo dicitur propria igni, quòd ignis eam eliciẽs non dum ſit aſſumptus ad torturam (quoniam priùs natura, quàm eliciat calefactionem, iam eſt eleuatus, aut per qualitatem, quam ponimus; aut per aliud auxilium, quodcunque illud ſit): ſed ideo dicitur propria, & naturalis igni; quia ipſa ignis eleuatio, non dedit ſimpliciter poſſe calefacere (quia id ex ſe habet, ſine vlla eleuatione) ſed ſolùm dedit, vt eliciat calefactionem virtuoſam ad producendum calorem virtuoſum ad torquendos dæmones; & ideo dicitur ex propria virtute, etiam tunc, habere calefactionem. Et in hoc diſtinguitur ab actione torſionis: hæc enĩ nõ conuenit illi calori, vt præciſè eſt ab igne; ſed vt eſt ab illo iã eleuato per virtutem principalis agentis ſibi communicatam, vt diximus ſuprà §. 3. verſ. *Ex quibus infertur*. Ex his colliges rationem, cur inſtrumentum ad illam actionem ſibi propriam non concurrat, vt agens principale, quanuis ad illam concurrat ex virtute actiua ſibi naturali. Etenim, vt agens aliquod dicatur concurrere ad effectum, tanquam agens principale, non ſatis eſt, quod ad illum concurrat virtute ſibi propria; ſed opus eſt, vt concurrat ad illum, tanquam ad effectum principaliter intentum. Iam verò inſtrumentũ Dei quanuis nude ſumptum, & ſecundum intentionem naturæ, ſolùm intendat effectum ſibi naturalem, ad quem ſolùm à natura eſt inſtitutum; tamen poſtquam aſſumptũ eſt à Deo, vt mediante propria illius actione producat effectum ſupernaturalem; iam non concurrit ad ſuam naturalem actionem, naturalemque effectum, tanquam ad effectum principalẽ, & principaliter intentum. Quod annotandum eſt pro ſolutione argumenti Scoti, de quo ſtatim.

Tertio loco infertur intellectus, quo- 130 3.Corollar.
modo inſtrumentum Dei per hanc ſuam propriam actionem diſpoſitiuè operetur: ita enim loquitur D. Thomas 1. *p. q.* 45. *ar.* 5. *& in* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *ar*4. *quæſtiuncul.* 1. D. Thom.
ad finem corporis, quem ſui ſequuntur, vt patet ex Capreolo, Bañes, & alijs. Sed Capreol.
omiſsis, quæ gratis confingunt Bañes, & Bañes.
Cabrera; hæc locutio D. Thomæ nõ eſt explicanda de diſpoſitione propriè ſumpta, ſed ſumpta lato modo; vt illud dicatur diſponere ad aliud, quod ad illud eſt præuiũ, & pręſuppoſitum; vt optimè explicauit Caietanus 3. *p. q.* 13. *art.* 2. §. *Di-* Caiet.
cendum eſt ergo: & vno verbo id iam explicauerat in d. q. 45. *art.* 5. *loco citato*, dũ ſcribit, nomine diſpoſitionis intelligi omne præueniens; & dũ ibidem. §. *Ad vltimum dicitur.* ita ait. *Diſponit, id eſt, præuiũ aliquid facit*: quo etiam modo explicat Valentia Valentia.
4. *p. q. diſp.* 1. *q.* 13. *puncto* 2. *pag.* 270. §. *Quocirca*. Quare ñ eſt quòd Bañes, & Cabrera hãc diſpoſitionẽ ad genus cauſæ materialis proprie referant, ſed reductitiè ſolùm.

Poſtremo loco facilè intelligitur, quod 131 Poſtremũ corrol.
à Thomiſtis, & quibuſdam alijs communiter docetur, actionem iſtam inſtrumento connaturalem deferre diuinum imperium, & virtutem Dei principalis agentis ad effectum principalem: quomodo loquitur Caietanus *in dicta q.* 13. *loco citato*, Caietan.
& poſt eum Bañes 1. *p. q.* 45. *ar.* 5. *poſt quar-* Bañes.
tam concluſionem §. *Ex hoc ſequitur primo*, *& Cabrera* 2. *tomo ad* 3. *p. in dicta q.* 13. *art.* Cabrera.
2. *diſput.* 2. §. 4. *num.* 49. *& q.* 19. *artic.* 1. *in* Valentia.
comm. nu. 19. *& Valent. vbi ſupra pag.* 276. *lit. E*: qui tamen nõ ſatis explicant, quomodo iſta actio deferat ad principalem effectum virtutem, & imperium Dei: dicendum eſt tamen (nec longê à mente Caietani in dicta quæſt. 13. loco citato in vltimis verbis) vt in hoc ſenſu dicatur deferre hanc virtutem ad principalem effectum; quia vt emanat à virtute naturali

iam eleuata, producit terminum virtuoſum, per quem, tanquam per formam actiuam, & principium formale agendi, & Deus, & inſtrumentum producunt principalem effectum: & in eodem ſenſu dici poteſt, virtutem diuinam, eiuſque actionem aliquo modo determinari ex iſta naturali actione: quia ſcilicet Deus, vt agẽs per inſtrumentum, non agit, niſi per effectum productum ab illa actione inſtrumento propria. Et hæc ſatis diximus pro explicanda ſecunda propoſitione.

132 Ad arg. 1. Argumenta verò negantis partis §. 1. contra illam poſita, facilè explicantur.

Ad primum, quod eſt Scoti, neganda eſt ſequela: quia falsũ eſt inſtrumentũ nõ poſſe concurrere ad ſuã propriã actionẽ, quatenùs eſt inſtrumẽtum, ſed quatenùs eſt cauſa principalis, vt cum Caietano iam diximus in ſecunda illatione.

Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt, in inſtrumentis artis nõ dari vim aliquo modo actiuam, de quo aliquid dicemus in tertia propoſitione.

Ad 3. Ad tertium negandum eſt, materiã primã, & cætera entia nonactiua aſſumi poſſe in diuina inſtrumenta, de quo vide ſuprà art. 14. huius quæſtionis.

Ad 4. Ad quartũ dicimus, ſenten tiam illam doctiſsimi Suarij, nec ab alijs, nec à nobis recipi, vt patet ex art. 11.

Vltimum. Ad vltimum patet ſolutio ex ijs, quæ diximus in tertia illatione: nec enim iſta operatio inſtrumento propria cauſat aliquã veram diſpoſitionẽ, niſi ſatis impropriè; quatenùs illud dicitur diſponere ad aliud quod ad illud, & præuiũ eſt, & præſuppoſitũ, vt ibi diximus; quod non tollit, quominùs inſtrumentũ poſsit actiuè attingere effectum principalem.

Expenditur tertia propoſitio.

133 Excutitur. 3. propoſit. ¶ Tertia propoſitio propoſita §. 3. aſſerit; *tam ea inſtrumenta, quæ ſunt naturalia, quã quæ ſunt artis, naturaliter non eleuari ad effectus naturales, qui eorum naturam excedunt, niſi præuia aliqua propria eorum operatione.*

D. Thom. 1. argum. Hæc propoſitio eſt Diui Thomæ in locis ſuperiùs citatis, quæ & ratione, & inductiuè probari poteſt. Sit prima ratio: quoniam fruſtra aſſumerentur, tùm à natura, tùm ab artifice, niſi illa haberent aliquam propriam, & naturalem ſibi actionem, quæ ad effectum intentũ conduceret: fruſtra enim ignis vteretur calore ſuo naturali ad generandum ignẽ, ſi calefactio ſibi naturalis nihil cõduceret ad generationem alterius ignis. Similiter etiam anima fruſtra vteretur calore animali ad generandam carnem, niſi calor ille aliquid faceret ad carnẽ generandam: fruſtra etiam faber vteretur ſerra, aut ſecuri ad faciendam cathedram, ſi ipſa acuties, formaque dentata ſimul cum ferri duritiè nihil conduceret ad inciſionem ligni, quæ eſt veluti quædam diſpoſitio antecedens, & neceſſaria ad introducendam cathedræ formam. Denique fruſtra citharœdus vteretur cithara ad faciendam muſicam, niſi chordæ in ipſo inſtrumento haberent virtutem, vt tactæ ſonos ederent, qui ad muſicam ſunt neceſſarij.

Secũda ratio D. Thomę eſt: quia agens naturale non poteſt vti quocunque inſtrumento ad quemcunque effectũ; ſed ad determinatũ, determinato: non ob aliam rationem; niſi quia non quodlibet inſtrumentum ex ſua natura eſt idoneũ ad quẽcunque effectum: & ratio eſt, quia nõ cuiuſcunque operatio conducit adquemcũque effectum; ſed certa, & determinata ad effectum determinatum, & certum. 134 2. argum.

Tertiò id inductiuè probatur; nam calefactio, quæ eſt propria actio ignis antecedit generationem alterius ignis; & calefactio caloris animalis præuia eſt generationi carnis: & inciſio ligni, quæ eſt actio propria ſecuris præuenit introductionẽ formæ cathedræ: & ſonatio chordarum, quę eſt propria actio citharæ, antecedit ipſam muſicam: denique depreſſio partiũm ceræ facta à ſigillo, quatenùs durum eſt, præcedit ipſam figuræ ſigillationem: & ſic de cæteris inſtrumẽtis, ſiue naturæ, ſiue artis. 3. argum.

¶ Vtrũ verò in his inſtrumentis hæc propria actio diſtincta ſit ab actione inſtrumentali, qua principalis effectus producitur? cõtrouerſia eſt inter eos, qui admittunt, inſtrumentum attingere effectum principalem. Vera reſolutio ſit, actiones horum inſtrumentorum non neceſſariò eſſe realiter diſtinctas, vt benè aduertit Caietanus prima parte quęſt. 45. art. 5. §. Ad euidentiam huius difficultatis. Veriſsimum etiam eſt, iſtas duas actiones habe- 135. An propria actio ſit diſtincta ab actione inſtrumentali?

habere aliquam diſtinctionem ex natura rei: quia vnam illarũ habet inſtrumentũ ex ſua propria virtute; alteram verò à virtute principalis agentis ſibi communicata: quod euidenter arguit dari inter eas diſtinctionem ex natura rei. Si verò inquiras; quando inter ſe realiter diſtinguantur? reſpondeo, eas tunc realiter diſtingui, cum termini ſunt res diſtinctæ realiter; ſecus ſi ſunt vna tantum res modaliter tamen diſtincta, vt eſt ab vna, & ab altera: tunc enim actiones illæ diſtinguentur ſolùm modaliter: quæ Philoſophia ſatis placuit Caietano vbi ſupra. Quare calefactio, qua ignis calefacit lignum ad agendum ignem, realiter diſtinguetur ab ipſa generatione ignis: è contrario dicẽdum erit in inſtrumentis muſicis: nam ſonus ille (qui, & ſimpliciter eſt ſonus, & actio naturalis citharæ) non eſt quid diſtinctum realiter à ſono muſico, qui principaliter à citharœdo intenditur; quia ſonus, & ſonus muſicus non ſunt duæ res, ſed vna modaliter à ſe diſtincta: vnde non eſt opus, vt ſonus muſicus, diſtincta realiter actione producatur: quoniam ab eadem chordarum pulſatione, & efficitur ſon', & ſonus muſicus: efficitur quidem ſonus ab illa ſimpliciter facta: efficitur verò ſonus muſicus ab eadem facta artificioſè, & cum cõcentu: vnde ſicut ſonus, & ſonus muſicus non diſtinguũtur, vt res, & res, ſed vt res, & modus rei; ita etiam pulſatio ſimpliciter ſumpta, & pulſatio, vt artificioſa, non diſtinguũtur ſicut actio, & actio; ſed ſicut actio, & modus actionis: Cum verò modus rei ſemper ſupponat rem, cuius eſt modus; ideo ſonus muſicus, qui eſt principalis effectus, & citharœdi, & inſtrumenti, prçſupponit, tanquam natura priorem ipſum ſonum ſimpliciter ſumptum.

136. Ex hoc fundamento colliges, an cæteræ actiones inſtrumentorum artis inter ſe realiter diſtiguantur? etenim ſi ipſa forma artis, verbi gratia, cathedræ, realiter diſtinguitur ab actione inciſionis; actiones ipſæ realiter diſtinguentur: ſin minùs, ſolùm modaliter, & hoc poſterius mihi videtur verum: quia forma artis, cum nihil aliud ſit, quàm compoſitio quçdam, ordo, & figura, ſiue modus quidam, & determinatio quantitatis, vt ex Ariſtotele *in primo Phyſicorum cap. quinto text.* 46. *Philoſophi colligunt, & Conimbricenſes ſecundo Phyſicorum cap. primo, quæſtione 5. articulo ſecundo in fine*, non eſt res aliqua, ſed modus rei. Quare actio propria horum inſtrumentorum, verbi gratia, diuiſio quantitatis, & actio, qua forma artis introducitur, erunt vna, & eadem actio modaliter diſtincta, ita vt inciſio quantitatis ſimpliciter ſumpta, & inciſio artificioſa, id eſt, debitê ordinata, & compoſita, ſit vna, & eadem actio, conſiderata, vel ſine modo, vel cum modo. Quibus accedit; quòd ad formas artis propriè loquendo, nulla terminatur productio; ideo quia ſunt modi quidam quantitatis, ex varia illius inciſione reſultantes, vt benè aduerterunt Conimbricenſes *primo Phyſicorum cap. 9. quæſtione 12. articulo 7. ad primum argumentum pagin. 210. §. Adde ad formas*. Et hæc de illis dixiſſe, ſatis ſit.

Ariſtot.
Conimbri.
Conimbri.

Illud tamen non omittam, audiendum quidem eſſe Scotum, dum ait inſtrumenta artis ad formam artis actiuè non concurrere; quia talis forma nulla vera actione producitur: non tamen eſſe audiendum, dum aſſerit, ipſa inſtrumenta artis non eſſe actiua: ſicut etiam non eſt audiendus, dum ait, inſtrumenta, ſi immediatè terminantur ad aliquem effectum, qui ideo ad effectum principalem eſt diſpoſitiuus, quia præuiùs, non poſſe actiuè concurrere ad illum: vtrumque eſſe falſum, latiùs probaremus, niſi vellemus finem imponere huic de potentia obedientiali diſputationi; quam ideo præmiſimus; quia ad futuram quæſtionem maximè erat neceſſaria.

137 *Non recipitur Scot.*

QVÆSTIO III.

Quanam virtute; & quomodo intellectus creatus influat in viſionem beatam?

IVXTA ordinem initio huius libri propoſitum, poſt diſputationem de actiuitate intellectus in viſionem beatam, de qua latè egimus in 1. q. diſputandum erat, quanam virtute, & quomodo intellectus beati influat in viſionem? Sed quoniam difficultas iſta obſcura erat, & ſatis difficilis, & quæ cõ- modè

1. Explicatur ordo proceſſus.

mode explicari non poterat, niſi prius diſputaremus de potentia obedientiali actiua, quæ à Deo rebus creatis data eſt ad agendũ omnia ſupernaturalia, quæ Deus vellet; (nam & intellectus beati habet potentiam obedientialem ad viſionem:) vt ordinem doctrinæ ſeruaremus, præmiſimus diſputationem de potentia obedientiali actiua, & de ea latiſsimè diximus in tota 2. q. præcedente. Illa igitur præmiſſa, ſupereſt, vt ad inſtitutũ reuertamur, & agamus, quanā virtute, & quo modo intellectus creatus influat in beatā viſionem? Cui quæſtioni nullus datur locus apud eos, qui intellectui creato actiuitatem in viſionem non concedunt: quorũ opinionem latè impugnauimus q. 1. art. 3. & 5. ea tamen ſuppoſita, ordo, & naturæ, & doctrinæ poſtulat, vt de actiua virtute, quæ in intellectu beati ponitur, diligēter diſputemus.

2. Ars quæſtionis. In hac quæſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus inquiret; An lumen gloriæ actiuè influat in viſionem?

Secundus; ſuppoſito, quòd actiuè in eam influat, inquiret; An lumen gloriæ intellectui creato ſit tota vis, qua influit in viſionem?

Tertius; ſuppoſito, quòd intellectus in viſionē influat aliqua virtue ſibi propria, quam habet ante receptionē luminis, diſputabit: an virtus iſta, qua influit, ſit aliqua virtus obediētialis innata, diſtincta à virtute intellectuali à natura illi inſita?

Quartus; ſuppoſita negante ſententia, inquiret; An influat per virtutem intellectiuam inchoatam, & incompletam inditam à natura, quæ illi ſit potentia obedientialis à Deo in viſionem eleuabilis?

Articulus quintus diſputabit; An intellectus per hanc virtutem inchoatam cōcurrat ad viſionem, vt cauſa inſtrumētaria; an verò, vt principalis?

In ſexto articulo examinabimus; quo modo hæc virtus inchoata, & imperfecta eleuetur, & compleatur ad eliciendam viſionem?

Articulus ſeptim⁹, ſuppoſito quòd eleuetur per lumen gloriæ, expendet, quomodo hæc virtus ad viſionem concurrat cum lumine gloriæ?

Articulus octauus, & vltim⁹ diſcutiet, quomodo eadem virtus ad viſionem cōcurrat cum diuina eſſentia?

ARTICVLVS I.

Vtrùm lumen gloriæ actiuè influat in viſionem?

HVius quæſtionis reſolutionem in hunc locũ retulimus ſuprà libr. 9. q. 5. art. 7. cui nō datur locus apud eos, qui volunt intellectum actiuè nō influere in viſionem: etenim, ſi lumen gloriæ ponitur actiuum, non ad aliud ponetur, niſi, vt eleuet, confortet, & cōpleat intellectus actiuitatem: quare ſi in intellectu nulla datur actiua influentia in viſionem, nihil datur, ad quod ponatur actiuum. Quare, ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem, meritò inquiritur, An lumen aliquam in eam actiuitatem habeat? 1. De actiuitate luminis.

§. 1.

Ponitur pars negans.

PArtem negantem ab aliquibus affirmari, teſtatur Bellomontanus ſe audiuiſſe, vt ſcribit *1. p. diſp. 43. cap. 5. num. 24. pag. 339. col. 1.* hi enim, vt ait, volebant lumen quidem eſſe neceſſarium, vt intellectus eliciat viſionen; ſolum tamen eſſe neceſſarium, tanquam conditionem, ſine qua non. Qui hanc opinionē in his terminis ſcripſerit, inueni neminē: ſicut etiam neminem inueni, qui, ſuppoſitā intellectus actiuitate in viſionem, & admiſſo lumine gloriæ, neget illud in viſionem actiuè influere. Plures quidem inueni, qui negent, lumen gloriæ eſſe neceſſarium, vt intellectus actiuè influat in viſionem, quia ſcilicet intellectus, ſi ponatur actiuus, poteſt ſine lumine videre diuinam eſſentiam ſibi obiectiuè præſentatam; vel quia impedimēta naturalia ſũt ſublata, vt vult Durandus; vel quia Deus ſeſe liberè intellectui præſentet, vt alij volunt (ita enim docuerunt Durandus *in quarto diſtinctio. 49. q. 2. artic. 2. numero 21. §. Secundo, quòd nec: Baſſolius ibidem q. 5. art. 2. fol. 158. columna 1. §. Sed quantum ad præſentem: & ita ſenſiſſe Scotum*, Diximus *libro 9. q. 4. articulo 1. §. primo num. 15. & q. 5. art. 2. §. 1.*) Sed nullus eorum dixit, lumen gloriæ, ſi daretur, non eſſe principium actiuum. Quin oppoſitum ex Scoto, & Mayronio inferiùs dicemus. 2. Pars negans. Durand. Baſſol. Scotus.

Quid de mẽte Ochami, Gabrielis & Marſil. Molina infra citandus ſcribit, Ochamũ, Grabielem, Marſilium, & alios negare, lumen gloriæ habere efficientiam in viſionem: ſed in illis formaliter hanc propoſitionẽ non inuenio: admitto tamen ex illorum doctrina, benè inferri, lumen gloriæ, hanc actiuitatẽ habere non poſſe; quia putant viſionem propter ſuam excellentiã à ſolo Deo produci poſſe: quo nixi fundamento, conſtanter docent, intellectum non poſſe actiuè concurrere in viſionem: idem igitur dicerent de lumine gloriæ; in quo cum Nominalibus conueniunt D. Bonauentura, & Baſſolius, quos citauimus ſuprà q. 1. art. 2. nu. 3. & 4. Quare hi omnes, vel abſolutè negant, dari lumẽ gloriæ; vel, ſi illud admittũt, illud nõ admittũt, vt intellectus per illud poſſit agere viſionẽ, ſed vt per illud poſſit eam recipere. Vnus eſt Maior, qui admiſſa actiuitate intellectus, admiſſo item lumine gloriæ, doceat, probabilius eſſe negare illi efficientiam, vt ex illo colliges in 4. diſt. 49. q. 4. in Epilogo quæſtionis.

3. 1. arg. partis negãtis. Sed quidquid ſit de Patronis huius ſententiæ negantis, illa his argumentis confirmatur. Primò ex Nominalibus, & nõnullis alijs: quia viſio propter ſuam excellentiam nõ poteſt eſſe niſi à ſolo Deo. Ergo non poteſt eſſe à lumine gloriæ. Conſequentia eſt nota: antecedens probant his argumentis, quæ adduximus ſupra quæſtione prima articulo ſecundo, §. 1. num. 10,

4. 2. Argum. Secundò ex Maiore: quia lumen gloriæ, ideo eſſet actiuum, vt intellectus ex ſe non potens in viſionem, adiutus, & eleuatus per lumen, in eam poſſet. Conſequens eſt falſum: tùm, quia intellectus etiã illuſtratus per lumen, in infinitũ diſtat à diuina eſſentia, vt eſt obiectũ intelligibile. Ergo nec ꝑ lumẽ poteſt fieri potẽs ad videndũ. Tum ſecundo; quia potentia, quæ exiſtens in optima ſua diſpoſitione, non eſt potens ſecundũ ſe exire in aliquem actum; nec per habitum ſuperadditum poterit in illum exire: ob hanc enim rationem viſus, quatumcunque per habitum eleuetur, non poterit eleuari, vt audiat.

5. 3. Argum. Tertiò ex Baſſolio: In generabilibus ad vltimam formam ſubſtantialem, qualis eſt anima rationalis, nulla forma poteſt actiuè concurrere. Ergo nec in intellectualibus aliqua forma poterit actiuè concurrere ad vltimam formam, qualis eſt viſio beatifica. Antecedens patet; cõſequentia inde probatur; quia vltima forma atq; perfectio creaturæ intellectualis ita ſe habet in ordine intellectualium, ſicut in generabilibus ſe habet vltima forma ſubſtantialis.

Quartò; ſi lumen actiuè concurrit ad viſionem; vel ſolùm ipſum eſt totũ principium viſionis, vel eſt principium ſimul cum intellectu. Primum dici non poteſt: tum; quia ſupponimus intellectum actiuè concurrere: tùm etiam, quia viſio nec eſſet actio immanens, nec vitalis: quia nec reciperetur in eo, à quo producitur: nec eſſet à principio vitæ: lumen enim nec eſt potentia vitalis, nec in ſe recipit viſionem. Secundum etiam dari non poteſt: primò, quia lumen, & intellectus nõ poſſunt eſſe duæ cauſę partiales: cum nõ ſint eiuſdem ordinis, ſicut ſunt duo trahentes nauim: nec vna concurrit, vt cauſa principalis, & altera vt inſtrumentalis: cum nec intellectus poſſit eſſe inſtrumentum luminis, nec lumen intellectus, vt inferiùs dicemus. Deinde, quia ſequeretur, intellectum ſua virtute naturali abſque vlla eleuatione ad viſionem concurrere. 6. 4. Argum.

Quintò: In beato ad videndum Deũ, aut ponitur ſpecies creata, aut diuina loco ſpeciei. Ergo lumen non poteſt effectiuè concurrere ad viſionẽ. Antecedẽs patet ex *libro octauo in ſecunda parte quæſt. 1. articulo 1. §. 2. & tertio.* Conſequens ex eo probatur; quia intellectus, & ſpecies ſunt vnum integrum principium actiuũ viſionis. 7. 5. Argum.

Sextò; quoniam ſi eſſet principium actiuum, aliquid viſionis illi conrreſponderet, vt latè probat Bellomontanus in dicta diſput. 43. cap. 5. num. 18. Sed in viſione nihil datur, quod lumini poſſit correſpondere: quia ratio viſionis correſpondet intellectui; ratio verò talis viſionis ſpeciei intelligibili. 8. 6. Argum.

Septimò; Si lumen eſſet principium actiuum viſionis conſtitueret intellectũ in actu primo ad videndum: hoc enim eſt proprium formæ, quæ eſt principiũ agẽdi: ſed falſũ eſt intellectũ cõſtitui in actu primo per lumen gloriæ, vt oſtendimus lib. 9. q. 5. art. 6. 9. 7. Argum.

10. 8. Argum. Octauò; lumen gloriæ eſt principium
paſsiuum diſponens intellectū ad recipi-
endum viſionem, vt diximus libr. 9. q. 5.
art. 9. Ergo non poteſt eſſe principiū ac-
11. 9. argum. tiuum eiuſdem viſionis.

Nonò arguit Scotus *in 4. diſt. 49. q. 11.*
Quoniam lumen gloriȩ eſt quidam habi-
tus, vt diximus lib. 9. q. 3. artic. vnico §. 2.
Ergo non poteſt eſſe principium agendi,
ſed taliter agendi: alioquin eſſet quædam
potentia intelligendi: quia ſola potentia,
aut id, quod habet rationem potentiæ, po
teſt eſſe principium ſimpliciter agendi.

12. Poſtremum argum. Poſtremò; Nec lumen ſenſibile eſt
principium actiuum viſionis, nec lumen
intelligibile intellectionis. Ergo nec lu-
men gloriæ erit principium actiuum vi-
ſionis beatæ. Conſequentia videtur no-
ta; quia non dabitur diſpar ratio inter iſta
lumina. Antecedens in lumine ſenſibili
communiter recipitur; nullus enim Phi-
loſophus docuit illud influere in viſio-
nem. Communiter etiam recipitur in lu-
mine intellectus agentis: omnes enim,
vno excepto Toletano, negant intellec-
tum agentem effectiuè cauſare intellec-
tionem, & nos id oſtendimus in libris de
Anima.

§. 2.

Opinio affirmans eſt vera.

13. Vera est opinio affirmans. His tamen non obſtantibus, ample-
ctenda eſt ſententia, quæ aſſerit,
lumen gloriæ eſſe principium ac-
tiuum influens in viſionē: quæ ſententia,
& inter Nouiores, & inter Antiquiores
eſt conſenſu ferè vnanimo receptiſsima.
Ex Nouioribus omnes, nullo excepto,
Cumelius. eam probarunt. Cumelius 1. *parte q.* 12.
articul. 5. quæſtio. 1. concluſione 5. fol. 247.
Bañes. *Bañes ibidem art. 2. dub. 1. ad 6. argument.*
paulò ante finem, & art. 5. dubio 2. §. Pro de
fenſione, & clarius in ſolutione quinti argu-
menti: latè Petrus Lædeſma de diuina per-
Lædeſma. *fectione quæſtio. 8. in ſecunda concluſione per*
totam pagin. 572. Nauarrete 1. tom. contro.
Nauarrete *37. §. 3. concluſione quarta pagin. 227. col.*
Cabrera. *3. & §. quarto, concluſione 8. fol. 229. colu.*
2. & paſsim in eadem controuerſia: Cabrera
primo tomo ad tertiam partem, quæſtione 9.
articulo ſecundo diſputa. 9. §. quarto, numero
Lorca. *18. Petrus Lorca ad primam ſecundæ diſp.*
Molina. *31. memb. 1. & 2, expreſſè Molina 1. parte*
quæſt. 12. artic. 5. diſputa. 2. concluſione 3.
pagin. 111. id tanquam certum ſupponit Sua *Suarius.*
rius lib. de Attribut. negat. cap. 15. in prin-
cipio: quod etiam dixerat ibidem cap. 9. num.
13. & cap. 12. num. 18. 21. & 25. & cap.
13. num. 3. ad finem: ſatis id confirmat Bello *Bellomon.*
montan. 1. p. diſput. 43. cap. 6. numer. 26. &
cap. 7. num. 30. & 31. & cap. 8. num. 4. Sa- *Salas.*
las 1. tom. ad 1. 2. quæſtio. 3, artic. 2. diſput.
5. ſect. 3. num. 49. pag. 347. col. 1. §. His poſi-
tis. & num. 54. pag. 350. col. 2. §. Nihilomi-
nùs probabilius eſt, & in fine eiuſdem colum.
næ docet, hoc eſſe vnum ex præcipuis muneri-
bus luminis gloriæ: ſatis probat Palatius in 4. *Palatius.*
diſt. 49. diſput. 1. concluſione 8. pag. 161. &
paulò ante finem pag. 165. colum. 1. §. Rur-
ſum. quia: Ouandus ibidem propoſitione octa- *Ouand.*
ua: Angles in Floribus de Beatitudine arti. *Angles*
2. difficultate 7. concluſione 1. pag. 327. Pe- *Pezant.*
zantius 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 1. in 1. not. pag.
56. col. 2.

Ex alijs Antiquioribus eandem ſenten 14.
tiam probauerunt *Capreol. in 4. diſt. 49. q.* *Capreol.*
4. art. 3. ad 3. & 4. Aureoli 4. loco contra ſe- *Hiſpalen.*
cundam fol. 209. col. 1. Hiſpalenſis ibidem q. *Durandus*
4. art. 4. ad ea, quæ 1. & 2. loco adducit Du- *Soncinas.*
rand. fol. 215. col. 3. Soncinas ibidem q. 4.
concl. 2. ad 1. Durand. pag. 89. col. 1. Ferra- *Ferrarien.*
rienſis 3. contra gentes cap. 54. fol. 277. col.
3. & cap. 58. fol. 281. col. 2.

Eadem ſententia ſatis probata fuit an 15.
tiquis: eam probaſſe D. Thomam, omnes *Sententia*
fatentur, & facilè patebit, ex ijs, quæ ad- *D. Thom.*
duximus *lib. 9. q. 5. art. 2. §. 2. num. 13. ete-*
nim 1. p. q. 12. art. 5. ſatis apertè docet, lumē
gloriæ, eſſe virtutem intelligendi, quæ intelle
ctui ſuperaccreſcit, tanquam propriæ virtutis
augmentum. Et ad 1. aſſerit, intellectum per
lumen gloriæ fieri potentem ad intelligendū.
Ad 2. ait, lumen gloriæ confortare intellectū
ad videndum: & ar. 6. affirmat, virtutem, &
facultatem videndi competere intellectui per
lumen gloriæ, & 3. contra gentes cap. 53. in 4.
ratione clarè aſſerit, virtutē actiuam intelle
ctus augmentari, perfici, & extolli ad viſio-
nem per lumen gloriæ: & cap. 54. ad ſecundā
rationem affirmat, lumen diuinum exaltare
intellectum ad viſionem. idq; per virtutē, quā
à Deo ſortitur ad talem effectū. Quæ verba
euidenter probat D. Thomā agnoſcere,
quòd lumē gloriȩ ſit virtus actiua ad actū
viſionis. Quod etiam ſatis confirmat,
dum ad tertiam inſtantiam addit, *lumen*
gloriæ perducere ad ſubſtantiam Dei. Lo-
cus

cus omni ſolutione maior ponitur ibidem *cap.55.in principio in hæc verba: quia verò cuiuſlibet actionis modus ſequitur efficaciam actiui principij*(nota actiuum principium:) *magis enim calefacit, cuius calor virtuoſior eſt; oportet, quod modus cognitionis ſequatur efficaciam principij cognoſcendi* (efficaciam, inquam, actiuam: nam agit de principio actiuo) *lumen autem prædictum eſt quoddam diuinæ cognitionis principium; cum per ipſum eleuetur intellectus ad diuinam ſubſtantiam videndam.* Quid clarius? Denique 1 *p.q.12.art.2.* ſi diligenter expendatur diſcurſus eius, euidenter probat, lumen gloriæ ipſi intellectui eſſe virtutem actiuam ad videndum: etenim in principio docet, ad viſionem ſenſibilē, & intellectualem requiri, & virtutem viſiuam ex parte potentiæ, & vnionem rei viſæ cum viſu. Et inferiùs poſtquam egit de vnione rei viſæ cum potentia videndi, explicans ipſam videndi virtutē, clarè docet, eam eſſe quandam diuini intellectus participationem ſupernaturalē, qua intellectus fit efficax ad videndum, ſiue illa virtus ſit naturalis, ſiue lumen ſu- *Suarius.* pernaturale: vide Suarium *lib.2.de attrib. negat.cap.15.n.1.*

16. *Probat Henricus.* Henricum eiuſdem fuiſſe ſententiæ euidenter patet, ex *quodlib.3.q.1.litera T. fol.48.pag.1.cuius verba adduximus lib.9. q.5.art.2.§.2.n.15: docet enim, oculum beati per lumen gloriæ fieri ſanum, fortem, fortificatum, eleuatum, atque diſpoſitum ad videndum Deum.* *Richard.* Eandem ſententiam abſq; dubio probat Richardus, ſuppoſito, quòd intellectus ſit actiuus viſionis, vt patet ex verbis adductis *in d.q.5. loco citato nu.16.* Quæ eadem eſt ſententia Scoti, ſi idem *Scotus.* ſupponatur; expreſſè enim docet, ſi quid ſupernaturale ponitur in beatis prius viſione, illud poni propter operationem eliciendam, vt patet *ex libr.9.q.4.§.1.n.14.in 3. Scoti propoſitione.* Quare Scotus non putat, admittendum eſſe lumen gloriæ, etiam ſi ſupponatur intellectum eſſe viſionis actiuum; at tamen, ſi illud admittitur, neceſſariò admitti propter viſionē *Mayronius.* eliciendam. Idem vno verbo ſentit Mayronius in 3.*diſt.12.q.2. poſt quartam concluſionem, §.Contra;* vbi admittit in potētia, quæ eſt actiua, habitum poni ad producendum actum: & inde infert, lumen gloriæ, ideò non dari ad producendum; quia intellectus non eſt actiuus: & ita ſignificat, quòd lumen eſſet principium actiuum, ſi intellectus actiuus eſſet. Et in hoc ſatis conſentiunt *Heruæus quodlib. 7. in vltimis verbis. & Carthuſianus in 3. diſt. 14.q.1.in fine.* *Heruæus. Carthuſianus.* Hæc diximus, vt oſtenderemus opinionem, quæ in lumine gloriæ actiuitatem agnoſcit erga viſionē, abſq; dubio eſſe communi ferè omnium conſenſu receptam.

17. *1. argum.* Prima illius confirmatio ex hoc ipſo ſumi poteſt. *Secundum* Secunda ponitur à Bellomōtano in d. diſp.43. cap.5. n.25: quoniam quoties ex parte alicuius agentis eſt neceſſaria aliqua qualitas, qua poſita, ponitur effectus, & ablata, aufertur; talis qualitas eſt principium illius. Iam verò, poſito lumine gloriæ (quod eſſe quandam qualitatem ſupponimus ex lib. 9.) ponitur viſio diuinæ eſſentiæ; ſublato autem, aufertur, ſaltem de lege ordinaria. Ergo non eſt negandum illud poni, vt principium actiuum viſionis. Hæc ratio à poſteriori eſt optima.

18. *Tertium.* Tertia ratio ſumitur ex eo, quòd intellectus habet vim actiuam in viſionem, licet inchoatam, & incompletam, vt patet ex lib. 7. dum egimus de neceſsitate diuinæ eleuationis, & latè oſtendimus art.3.& 4. Virtus autem illius perficitur, & completur per lumen gloriæ, ſaltem de lege ordinaria, vt eſt communis doctrina, de qua in 6.art. Non poteſt autem virtutem illam actiuam perficere, & cōplere, niſi ſit virtus actiua viſionis, vt patet. Ergo ex ſe habet, quòd ſit principiū actiuum illius.

19. *Quartum.* Quarta ratio, quoniam Deus non ſolùm vt eſt author naturæ, ſed etiam gratiæ, ſolet operari ad extra modo connaturali; ita vt per cauſas ſecundas faciat, quæ immediatè poteſt facere per ſe ipsū, vt oſtendimus lib. 8.in 2. p.q.4. art.3.n. 12. Sed Deus, vt eſt author ſupernaturalis, effectiuè facit, vt intellectus videat Deum, vt eſt communis doctrina Patrū, Origenis, Epiphanij, Auguſtini, & aliorum, quos citauimus lib.7.q.1.art. vnico n. 4. & 5. & ſatis probat D. Thomas 3. *contra gentes c. 52:* nam cum videre Deū ſoli Deo ſit connaturale, nulli creaturæ poterit viſio Dei cōmunicari, niſi actione ipſius Dei: Deus autem id facit infundendo lumen ſupernaturale, quod appel-

lamus gloriæ. Ergo tale lumen eſt forma, principiumque actiuum videndi; mediante quo Deus & intellectum eleuat, & cum eo viſionem producit.

20. 1. confirmatio. Confirmatur; quoniam Deus, & vt eſt author naturæ, & vt eſt author gratiæ, effectiuè concurrit ad actus naturales, & ſupernaturales, infundendo rebus principia actiua illorum actuum: nam, vt author naturæ, naturales actus facit, medijs rationibus ſeminalibus; quas rebus ab ortu indidit, vt ait Auguſt. 9. *de Geneſi ad literam c.* 17: quæ ſeminales rationes ſunt principia actiua, quibus naturalia agentia in ſuos naturales actus influunt: & eundem agendi ordinem obſeruat vt author ſupernaturalis in ordine ad ſupernaturales actus viæ, quales ſunt actus credendi, ſperandi, & diligendi: infundit enim habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis; qui omnium conſenſu ſunt principia actiua illorum actuum. Igitur actus patriæ, qualis eſt viſio beata, actiuè faciet cum intellectu infūdendo actiuam qualitatem luminis, quæ intellectui ſit formale agendi principium: nam & amorem beatificum agit, mediante actiuo habitu charitatis. Quod etiam Auguſtinus ſatis confirmat, dum *in d. cap.* 17. docet, Deum authorem ſupernaturalium habere apud ſe abſconditas ſupernaturales quaſdam rationes, veluti ſeminales, & ideò actiuas, quas rebus communicat, tanquam principia agendi, vt agant, quæ naturam excedunt.

Auguſt. *Auguſt.*

21. 2. confirm. Secundò id confirmari poteſt; quoniã ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt quæ in eo dantur actiones ſupernaturales, connaturaliter producantur à potẽtijs, à quibus producũtur, vt oſtendimus lib. 8. in 2. p. q. 3. art. 3. n. 12. Ergo ad ſtatus beatifici perfectionem pertinet, vt viſio ab intellectu connaturaliter eliciatur. At non poterit connaturaliter ab eo produci, niſi lumen gloriæ, quo fit potens ad videndum, ex ſua natura ſit principium actiuum videndi: quia non poteſt intellectus connaturaliter producere viſionẽ, niſi conſtituatur in eſſe ſupernaturali, & diuino per principium actiuum videndi: ad eſſe enim ſequitur operari. Ergo ad ſtatum beatificũ pertinet, vt lumen gloriæ ex ſua natura ſit principium actiuũ videndi.

Ex quo medio ſumitur poſtrema ratio, quam puto eſſe à priori: nam ex Ariſtotele in libris de cœlo, ad eſſe ſequitur operari; ita vt forma, quæ eſt principium eſſendi, ſit etiam principium actiuũ operandi operationes tali eſſe connaturales: inde enim eſt, vt forma, quæ dat eſſe humanum, ſit principium operandi operationes humanas, & quæ dat eſſe igneum, ſit principium operandi actiones igneas: vnde calor, quia igni dat eſſe calidum, eſt principium actiuum calefactionis. Sed lumẽ gloriæ ex ſua natura dat intellectui creato eſſe Deificum diuini ordinis; vt eſt communis doctrina Patrum, de qua ſuprà libr. 7. q. 3. artic. 1. & ſatis patet ex Magno Dionyſio cap. 7. de diuinis nominibus, & admittunt omnes Theologi. Ergo lumen gloriæ ex ſua natura habebit eſſe principium actiuum operationis ſupernaturalis, & Deificæ, qualis eſt viſio beata. 22. Vltima ratio. *Ariſt.* *Dionyſius*

§. 3.

An hæc ſententia ad fidem pertineat?

DVbitare forſitan quis poſſet; An hæc affirmans ſententia ita ſit certa, vt ſine periculo fidei negari non poſſit. Et quanuis neminem inuenerim, qui quæſtionem iſtam in terminis excitet; tamen qui putant, ſine periculo fidei, negari non poſſe intellectum creatum actiuè ad viſionem concurrere (quos citauimus q. 1. huius libri art. 5. §. 3.) non poſſunt non aſſerere, ſine periculo fidei negari nõn poſſe, lumen gloriæ eſſe principium actiuum viſionis: etenim intellectus non poteſt habere ſe actiuè ad viſionem, niſi per lumen gloriæ eius virtus, & eleuetur, & cõpleatur. Ergo ſi contra fidem eſt, intellectum non ſe habere actiuè ad viſionem; vtique & cõtra fidẽ erit, lumen gloriæ non eſſe principium actiuum viſionis. Vnde Cumeli⁹ *in d. concl. 5. pag. 247. col. 2. §. Item in Clement.* Sententiam affirmantem hoc argumento probat: in Clement. *Ad noſtrum de hæreticis* ponitur lumen ad eleuandũ intellectum, vt Deum videat. Ergo ponitur, vt virtus intellectus ad actionem videndi. Quaſi velit ex illo antecedente (quod alioquin eſt de fide) neceſſariò inferri illud conſequens. Quam etiam conſequẽtiam ſatis videtur probare Medina 23. An pertineat ad fidẽ? Qui affirmant. *Cumelius.*

1. 2. q. 3. *artic.* 3. *concl.* 2. *pag.* 51. *col.* 1. *in* *Medina.* *principio*: idem expreſſè docet Petrus Læ *Lædeſma.* deſma *in d.* 2. *concl. pag.* 572.

24. *Quid ſentiendum?* Nos de hac quæſtione idem ſentimus, quod in d. q. 1. art. 5. §. 3. ſenſimus de illa, quæ inquirit; an intellectus de facto actiuè concurrat ad viſionem? diximus enim certiſsimũ eſſe, intellectũ actiuè producere viſionem; oppoſitum tamen nulla dignum eſſe cenſura: ita etiã in hac quæſtione dicimus; veriſsimum quidem eſſe, lumen gloriæ eſſe principium actiuum viſionis: oppoſitam tamen ſententiã nulla cenſura notari poſſe. Nam licet admittamus, poſt Concilium Viennenſe in d. Clement. *Ad noſtrum*, dari lumen gloriæ ad videndum Deum, vel eſſe de fide, vel ita proximum fidei, vt oppoſitum ſit erroneum: non tamen admittimus, inde inferri, eſſe de fide, aut proximum fidei, lumen gloriæ eſſe principium actiuum viſionis: etenim ſicut ex hoc, quod eſt de fide, intellectum Deum videre; & tamen non eſt de fide, quod ad viſionem concurrat actiuè, vt diximus lib. 9. q. 4. art. 2. cõcl. 4. nu. 7. quia poteſt intellectus videre Deum, quanuis ad viſionem concurrat ſolùm paſsiuè, vt diximus ſuprà q. 1. art. 2: ita etiam, licet de fide ſit, lumen gloriæ de lege eſſe neceſſarium ad videndum Deum; non tamen de fide eſt; illud eſſe principium actiuum viſionis; quia poteſt eſſe neceſſarium, vt intellectus viſionem à Deo productam in ſe recipiat, & per eam receptam Deum videat.

25. *In quo ſenſu non ſit tutũ id negare.* Addimus tamen, facta ſuppoſitione, quòd intellectus actiuè concurrat ad viſionem, non eſſe ſatis tutum negare, lumen gloriæ eſſe principium actiuum illius: nam cum de fide ſit, intellectum ſecundùm ſuam naturalem virtutem eſſe impotentem ad videndum Deum, & ideò indigere ſupernaturali eleuatione, vt oſtẽdimus lib. 7. q. 1. art. vnico, & latiùs q. 3. art. 1: & ſimul ſit de fide, intellectum ad videndum Deum de facto eleuari per lumen gloriæ; profectò non erit tutum negare, virtutem actiuam, qua intellectus in viſionem influit, indigere lumine gloriȩ, tanquam virtute ſupernaturali perficiente, & complente virtutem actiuam illius. Et cum indubitatum ſit, lumen gloriæ non poſſe complere intellectus virtutẽ, niſi ſit virtus actiua viſionis; vtique ad fidem pertinebit, lumen gloriæ eſſe principium actiuum illius. Sed cum ſuppoſitio actiuitatis intellectus ad fidem ſimpliciter non pertineat; vtique nec ſimpliciter ad eam pertinebit actiuitas luminis. 26. *Non recipitur Lædeſma.* Hoc loco illud aduertimus, non benè à Petro Lædeſmio, & alijs citari Conciliũ Viennenſe, quaſi diffiniens lumen gloriæ eſſe ponendum ad eleuandum intellectum, vt ſit potens elicere viſionem: etenim Concilium ſolum dicit; lumen gloriæ intellectũ eleuare ad videndum Deũ: iam verò Deus videri poteſt ab intellectu, quanuis viſionem non eliciat, vt ſæpè diximus.

§. 4.

Soluuntur argumenta partis negantis.

27. *Ad 1. partis negantis.* Argumenta pro ſententia negante adducta §. 1. facilè ſoluuntur. Ad primum negandum eſt antecedẽs; quia viſio non ſolùm poteſt actiuè eſſe ab intellectu, vt diximus q. 1. art. 3. ſed de facto eſt ab eo, vt ibidem latè oſtendimus art. 5. Falſum eſt igitur viſionem eſſe à ſolo Deo: argumenta in oppoſitum in ijſdẽ locis diſſoluimus. Porrò ſi intellectus eſt vis actiua viſionis; vtique lumen erit principium actiuum illius; cum intellectu iſit principium agendi.

28. *Ad 2.* Ad ſecundum admittimus maiorem; quia lumen gloriæ verè ponitur, vt faciat intellectum potentem, qui alioquin ſuis viribus impotens erat: id enim expreſſè docet Epiphanius hæreſi 70. pag. 364. & dicemus inferiùs artic. 6. Admiſſa autem maiore, neganda eſt minor. Ad primam illius probationem dicimus, intellectum, etiam illuſtratum lumine gloriæ, in genere entis in infinitum diſtare à Deo: ſimiliter etiam in genere intelligibili, ſi ſermo ſit de intelligibilitate adæquata Dei; ſecùs de inadæquata, vt diximus lib. 9. q. 5. art. 2. §. *Tertio ad primum*, n. 25. Ad ſecundam probationem dicimus propoſitionem aſſumptã eſſe veram de illo actu, qui eſt extra obiectum adæquatum, tam intenſiuè, quàm extenſiuè: falſam verò, ſi contineatur ſub obiecto extenſiuè adæquato: iam verò diuina eſſentia cognita in ſe ipſa, inadæquatè tamen, continetur ſub obiecto extenſiuè adæquato noſtri intellectus. Quare exemplum ſumptum ex viſu in ordine ad actum audiendi, ad inſti-

inſtitutum eſt omnino ineptum: quia auditio ſimpliciter eſt extra obiectum adæquatum viſus, tam intenſiuè, quàm extenſiuè.

29. Ad 3. Ad tertium reſpondimus ſuprà q. 1. art. 3. §. 3. ad 3. n. 31. In forma admittendum eſt antecedens, ſi ſermo ſit de generatione hominis; ſed neganda eſt conſequentia. Cuius probatio ſumit propoſitionem omnino improbabilem, vt oſtendimus in d. n. 31.

30. Ad 4. Ad quartum; omiſſa opinione eorum, qui putant, lumen gloriæ eſſe intellectui totam videndi virtutem, quam in ſequẽti articulo impugnabimus: admittendum eſt, non ſolùm lumen actiuè concurrere ad viſionem; ſed etiam intellectum: ambo tamen non concurrere, vt duas cauſas partiales: nec, vt vnam principalem, & alterã inſtrumentalem; ſed vt vnam cauſam integram ex vtraque: quarum vna concurrit, *vt quod*, & altera, *vt quo*: intellectus enim concurrit ad videndum, vt potentia eliciens viſionem, veluti, *vt quod*, lumen verò, vt principium videndi intrinſecè actuans ipſum intellectum, de quo plura dicemus art. 7.

31. Ad 5. Ad quintum, omiſſa opinione Bellomontani, qui putat, lumen gloriæ eſſe ipſam ſpeciem intelligibilem diuinæ eſſentiæ; cuius opinionem latè impugnauimus lib. 9. q. 8. art. 1: ad argumentum admittimus antecedens, & negamus conſequẽtiam: cuius probatio ſumit propoſitionẽ ſatis dubiam: hæc enim propoſitio; *Intellectus, & ſpecies ſunt vnum integrum principium actiuum intellectionis*, negari debet tam in ordine ad actus naturales, quàm ad ſupernaturales: etenim in ordine ad naturales non ſolus intellectus actuatus ſpecie actiuè concurrit; ſed etiam obiectum, quod apud communiorem Thomiſtarũ, & aliorum ſententiam, non repræſentatur in ſpecie impreſſa, ſed in expreſſa, ſcilicet verbo, ſiue cõceptu, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 3. art. 2. §. 1. n. 2. & 3. & illorum ſententiam eſſe probabiliorem, diximus ibidem §. 2. in fine. Hac autem ſuppoſita opinione, negandum eſt, intellectum, & ſpeciem eſſe integrum, & totale principium intellectionis; quia ſpecies ſolùm ſe habet ex parte intellectus, cui eſt agendi principium; vnde cum eo non concurrit, vt concauſa *vt quod*, ſed vt principium, *vt quo*. Quare propoſitio illa ſolùm poteſt eſſe vera apud eos, qui volunt, ſpeciẽ non ſe tenere ex parte intellectus, ſed ex parte obiecti: ſed horum opinionem reiecimus in d. lib. 8. q. 3. art. 1. §. 2. Et quãuis fortè ſit vera in ordine ad actus naturales, apud eos, qui probabiliter docent, ſpeciem tenere ſe, tum ex parte potentiæ, tum ex parte obiecti, de quo egimus in d. q. 3. art. 2. §. 2. quia intellectus aſſimilatus per ſpeciem, cum ea, vt ſubit vicem obiecti, eſt vnum principium intellectionis, integratum ex duobus partialiter concurrentibus, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 4. art. 7: tamen in ordine ad actus ſupernaturales propoſitio illa non eſt vera: quia præter intellectum beati, & ſpeciẽ intelligibilem (quæcunque illa ſit) ſemper eſt neceſſarium lumen glorię, diſtinctum, & ab intellectu, & à ſpecie, vt contra Bellomontanum latè oſtendimus lib. 9. q. 5. art. vlt. §. 2. ratio diſcriminis inter actus naturales, & ſupernaturales inde ſumitur; quia naturales gradum ſuæ naturalitatis ſumunt ab intellectu, qui eſt potentia naturaliter potens in tales actus; & inde eſt, vt lumen intelligibile, tam in nobis, quàm in Angelis actiuè non concurrat ad intellectionem; ſed ſolùm, vt medium *ſub quo* obiectum intelligibiliter apparet intellectui. Oppoſitum reperitur in actibus ſupernaturalibus: hi enim non aliunde poſſunt ſumere gradum ſuæ ſupernaturalitatis, niſi à lumine gloriæ; à quo intellectus ſimul cum anima eleuatur ad eſſe ſupernaturalis ordinis; à quo habet, quòd ſit operatiuus actionum ſupernaturalium.

Ad ſextum plures negant ſequelam: 32.
quia non eſt neceſſe, vt in effectu aliqua Ad 6.
ratio correſpondeat vni cauſæ, & alia alteri; ſed omnis illius ratio omnibus cauſis correſpondere debet; quod placuit Suario, Salæ, & Lorcæ, quos citauimus lib. 9. q. 5. art. vlt. §. 3. n. 21: vbi hanc ſententiã confirmauimus exemplo prolis, quæ & à mare, & à fœmina, vt à cauſis partialib⁹ diuerſæ rationis generatur: & tamen in illa nulla ratio correſpondet vni, quæ nõ correſpondeat alteri. Quare maior illa generaliter ſumpta neganda eſt. ¶Sed quãuis illam admittamus, minor negari debet: etenim in viſione beata non ſolùm datur ratio viſionis, vt eſt viſio, & actus vita-

vitalis; ratio item talis obiecti: ſcilicet diuinæ eſſentiæ, à qua ſpecificatur: ſed etiã ratio entis ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, quæ ratio eſt ſpecialis quædam eſſendi ratio: ſicut enim eſſe ſubſtantiã, & eſſe accidens, ſunt quidam gradus eſſendi cuique rei intrinſeci, & diſtincti à cæteris eſſendi gradibus, ita etiam eſſe ens naturale ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundũ ſubſtantiam ſupernaturale, ſunt duo eſſendi gradus cuicunque rei intrinſeci, & eſſentiales. Quare in viſione beata præter gradum eſſendi vitalitatis intellectualis; & gradum eſſendi intellectualitatis huius obiecti (ſcilicet diuinæ eſſentiæ, à qua eſſentialiter ſumit ſuam ſpecificam differentiam) datur gradus entitatis ſupernaturalis, qui non conuenit viſioni, aut ratione intellectus, aut ratione ſpeciei, ſed præciſè ab eſſe ſupernaturali, in quo intellectus reponitur per ipſum lumen: quæ fuit opinio Salæ, & Lorcæ, quos citauimus in d. n. 21. Addit Lorca in eadem viſione reperiri claritatem, & euidentiam, & hanc habere viſionem à ſolo lumine: ſed claritas, & euidentia in notitia nõ eſt entitatiuus eſſendi gradus, ſed ſolùm modalis.

38. Ad 7. Ad ſeptimũ neganda eſt ſequela: quia aliud eſt agens conſtitui in actu per formam, quam recipit; & aliud conſtitui in actu primo, vt diximus ſuprà q. 2. art. 9. §. 5. n. 74: nam vt aliquid conſtituatur in actu primo ad aliquid agendum per formam receptam, non ſatis eſt, quòd forma det illi aliquod poſſe; ſed requiritur, quòd illi det proximè poſſe: nam intellectus, vt eſt potentia naturalis, conſtituit animã in actu ad intelligendum; quia dat illi poſſe immediatè influere in actum intellectionis; non tamen eam conſtituit in actu primo, quia adhuc eam relinquit ſub aliqua potẽtia eſſentiali, cum eam relinquat ſub potentia actiua adhuc indeterminata, & indifferente ad hanc, vel illam actionẽ, ad hoc, vel illud obiectum: cum tamen de ratione actus primi ſit, excludere à ſubiecto omnem potentiam eſſentialem, & ſolùm in eo relinquere potentiam accidentariam, quæ appellari ſolet potentia proxima ad agendum, vt colliges ex Ariſtotele 3. *de Anima c. 4. tex.* 8. Itaque lumen gloriæ conſtituit quidem intellectũ in actu, quia complet actiuam virtutem illius: non tamen conſtituit illum in actu primo: quia intellectus illuſtratus adhuc indiget formaliter determinari ad viſionem eſſentiæ, & ad diuinum obiectum: licet enim intellectus per lumen gloriæ non poſſit, niſi in viſionẽ beatam circa diuinam eſſentiã: lumẽ tamẽ formaliter nõ determinat, nec ſpecificat ipſam actiuitatem; hæc enim ſpecificatur à ſpecie intelligibili, creata, vel increata, qua intellectus formaliter fit Deus. Et inde eſt, vt intellectus formaliter nec determinetur: nec ſpecificetur ad actionem huius ſpeciei, & huius obiecti ratione luminis; ſed à ratione ſpeciei intelligibilis, quæcunq; illa ſit: & inde eſt, vt priùs natura ſit, intellectum recipere lumen gloriæ, quam actuari per ſpeciem diuinæ eſſentiæ.

Ariſt.

Ad octauum admittendum eſt antecedens, & neganda conſequentia: etenim eadem forma ſub alia, & alia ratione poteſt eſſe principium actiuum, & paſſiuũ. Vide ſuprà libro 9. articul. 9. §. 4. ad 11. num. 86. 39. Ad 8.

Ad nonum reſpondet Capreol. in 4. *diſt. 49. q. 4. art. 3. ad argumenta Scoti contra ſecundam fol. 207. col. 2. in fine*: ex cuius doctrina, admiſſo antecedente, negãda eſt conſequentia, ſi de habitibus generaliter loquamur: etenim ſpecies intelligibilis eſt quidam habitus; & tamen actiuè concurrit ad intellectionem, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 3. art. 4. §. 2: & licet in habitibus acquiſitis fortè valeat conſequentia, non tamen valet in infuſis: etenim habitus fidei, ſpei, & charitatis efficienter concurrunt ad ſuos actus, vt ſupponim⁹. Ratio diſcriminis ex eo eſt ſumenda, quia habitus acquiſiti non dant ſimpliciter poſſe, ſed taliter poſſe: infuſi autem vnum, & alterum largiuntur, quod tanquam veriſsimum modò ſupponimus. 40. Ad 9.

Ad poſtremum eodem modo dicendum eſt: conceſſo enim antecedente, neganda eſt conſequentia: ratio diſcriminis ex eo eſt petenda: quia nec intellectus, nec ſenſus habet ſuam naturalitatem ex lumine, ſiue ſenſibili, ſiue intelligibili: cum tamen intellectus eleuatus ſuam ſupernaturalitatem habeat ex ſolo lumine gloriæ, per quod per ſe, & primò conſtituitur in eſſe ordinis ſupernaturalis, vt diximus in ſolutione quinti argumenti. 41. Ad poſtremum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm lumen gloriæ intellectui creato ſit tota vis ad videndum Deum?

1. SVppoſita ſententia, quòd lumẽ gloriæ eſt principium actiuum videndi, non immeritò inquirẽdum erit, an ita ſit virtus actiua ad vidẽdum, vt ipſi intellectui creato ſit tota virtus, & potẽtia videndi? eſt enim de hoc inter Theologos controuerſia.

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

2. Opinio affirmans. DE propoſita quæſtione duæ ſunt opiniones inter ſe oppoſitæ: vna affirmat; altera negat: quarum vtraque non vno, ſed varijs modis explicatur: quare vtramque opinionem cum ſua varietate referemus.

3. Partem, quæ affirmat, lumen gloriæ intellectui creato eſſe totam, ac ſolam virtutem actiuam ad videndum, plures approbaſſe refert Petrus Lædeſma de diuina perfectione *q. 8. art. 8. ad 6. argum. in 4. ſententia pag. 583. col. 2. C. quam putat eſſe probabiliſsimam ibidem §. Dico quarto, pag. 585, col. 1. in principio, vbi latè eam defendit. Eandem probat Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 9. art. 2, diſp. 4. §. 4. concl. 2. & diſp. 9. §. 5. concl.* 3. vbi probat quartam ſententiam, quam præmiſerat §. 2. n. 14. & §. 6. n. 40. & eandem probauerat *q. 1. artic. 1. diſp. 6. dub. 6. §. 4. concl. 2. per totam.* Ad eandem ſimpliciter accedit Nauarrete 1. *tom. controu.* 37. vbi rem adeò confundit, vt vix eum intelligas: in eo nunquam formaliter legi, quòd lumen gloriæ ſit intellectui tota vidẽdi vis; inueni tamen, quòd ſit illi prima actiuitas ad videndũ: & cùm nullam aliam cõſequentem habeat; vtiq; erit illi tota actiuitas ad viſionem. Quod lumen gloriæ ſit intellectui prima actiuitas ad videndum affirmat ibidem §. 3. *concl. 4. pag. 227. col. 3. & 4.* vbi nullo modo admittit intellectum partialiter concurrere cum lumine, vt patet ex omnibus ferè argumentis, quibus vtitur in d. *controu.* 37. §. 4. & idem iterum aſſerit, *controuer. 41. in principio, fol. 253. col. 4. §. Tertiò dicimus*: quare dubitandum nõ eſt, eum probare, lumen gloriæ intellectui eſſe totam videndi virtutem. Hanc ſententiam eſſe longè probabiliorem fatetur Sotus *in 4. diſt. 49. q. 3. art. 2. non longè ante finem, §. Crediderim tamen, pag. 600. col. 1*: imò affirmat, hanc eſſe ſententiam D. Thomæ. Cumelius non ſatis rem explicat *1. p. q. 12. art. 6. q. 1*: nam prꝛterquã quod ait, in viſione beata non eſſe habendam rationem vigoris naturæ, ſed ſolius luminis, vt ſcribit *concl. 1. pag. 256. col. 1. & ad 4. pag. 257. col. 1.* docet intellectum cum lumine cõcurrere actiuè ſecundùm menſuram luminis: & ibidem ad confirmationem eiuſdem argumenti col. 2. in princip. affirmat, intellectum concurrere quidem ad viſionem; ſed non niſi in virtute luminis: & q. vlt. *eiuſdem articuli ſexti pag. 259. col. 1. ad finem* ſimpliciter aſſerit, intellectum non habere actiuitatem in viſionem ex ſua natura, ſed ex quantitate luminis. Et in eandem ſentẽtiam videtur ire *Bañes in d. q. 12. art. 6. in dub. circa tertiam concluſionem*; quanuis nec ille, nec Cumelius ſatis ſe explicent. Eandem tamen ſententiam ſimpliciter tanquam veram ſumit *Pezantius in d. art. 6. diſp. 2. notabili, & in 2. concluſione.*

Lædeſma. Cabrera. Nauarret. Sotus. Cumelius. Bañes. Pezantius.

4. Sed quanuis hi Theologi in hoc conueniant, vt lumen gloriæ ſit intellectui totalis virtus ad videndum; non tamen omnes eodem modo explicant, quomodò ſola illius actiuitas ad viſionem concurrat, vt patet ex Lædeſma, Nauarrete, & Cabrera. Nam Lædeſmius fatetur, intellectum cum lumine gloriæ effectiuè concurrere ad viſionem, vt ſcribit vbi ſuprà *pag. 586. col. 1. §. Ad tertium argumentum.* Et addit, tam lumen glorię, quàm naturalem intellectus virtutem viſionem attingere, vt ſcribit *in d. q. 8. artic. 7. in 2. concl. pag. 566. colum. 1. vbi ita ait; Non eſt imaginandum, quòd ſolum lumen gloriæ attingit ad cognitionem Dei, ſicuti eſt, ſed etiã ipſa naturalis virtus intellectus concurrit ad illam cognitionem*: illuſtrata tamen, & eleuata, vt ſtatim declarat. Docet præterea, intellectum ſimul cum ſua naturali, & radicali virtute, atque lumen gloriæ eſſe vnam ſimpliciſsimam potentiam, & cauſam viſionis; eo modo, quo potentia, & virtus eius actiua ſunt vna potentia; vt expreſſè ſcribit *in d. art. 8. pag. 585. col. 2. A*: & tamen negat, virtutem naturalem actiuè cõcurrere ad viſionem, aut ad eam

Explicatio Lædeſmæ.

aliquid

aliquid conferre; ſed totam, quam intellectus habet actiuitatem eſſe à lumine: ita expreſſè aſſerit *in d. pag. 585. col. 1. §. Secunda pars huius dicti; & pag. 586. col. 1. §. Secundò respondetur*: at tamen addit, intellectum illuſtratum per lumen habere rationem potentiæ diſtinctæ à ſe, vt habet virtutem naturalem; ita ſcribit *in d. art. 8. pag. 573. col. 2. B. vbi in hæc verba: Intellectus lumine gloriæ illuſtratus habet rationẽ alterius potentiæ altioris ordinis; quia fit intellectus quidã diuinus, id ipſum repetit pag.* 574. *col. 1. in principio, & clariùs col. 2. §. Ex dictis colligitur*; vbi ita ſcribit: *Intellectus creatus lumine gloriæ præditus habet rationem alterius potentiæ à ſe ipſo conſiderato ſecundùm naturalem virtutem: quia aliquid poteſt vt ſic, quod non poteſt ſine lumine: & ita habet rationem potentiæ diuinæ, & diuini intellectus; & differt à ſe ipſo, non ſolùm ſpecie & genere, ſed etiam analogicè.* Quæ reſolutio concinit cum doctrina à nõnullis tradita, & ab eodem probata in d. q. 8. art. 2. vbi cum nonnullis reſoluit, intellectum creatum formaliter eſſe vnam potentiam; plures autem virtualiter, & eminẽter; quia ſcilicet eſt potentia naturalis, & ſupernaturalis. Qua ſuppoſita Philoſophia, benè conſtat, quòd intellectus illuſtratus ſit altera potentia à ſe ipſo, vt eſt potentia naturalis; vtrùm hæc omnia inter ſe cohæreant? inferiùs expendemus.

5. Explicatio Nauarrete. Quomodò Nauarrete ſuã explicet ſententiam, non facilè percipies: tamen ſi illũ patienter legeris, intelliges eum libenter admittere, intellectum non ſe habere ad viſionẽ purè paſsiuè; ſed ad eam actiuè cõcurrere; idque media ſua naturali virtute; ita enim ſcribit in d. controu. 37. §. 4. fol. 229. col. 3. in principio: *Supponendum eſt circa iſtam concluſionem, quòd intellectus ſecundùm ſuam virtutem naturalem non ſe habet merè paſsiuè in viſionem diuinæ eſſentiæ; ſed quòd concurrit actiuè.* Et contro. 41. in principio fol. 254. col. 2. B. ita ait: *Supponendum eſt, intellectum noſtrum non ſe habere purè paſsiuè in elicienda illa viſione; ſed quòd ſua virtute naturali, & vitali actiuè concurrat.* Vnde fatetur, quod ſicut intellectus per lumen eleuatur, vt poſsit in viſionem; ita etiam eleuatur virtus naturalis, & naturalis illius vitalitas, vt ſit principium actus ſupernaturalis: id enim verbis expreſsis docet in d. controu. 37. §. 5. fol. 231. col. 3. ad 3. vbi ita ſcribit: *Itaque ipſa vitalitas intellectus, quando transfertur ad ordinem ſupernaturalem, & eſt principiũ actus, quia quoad ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, induit actiuitatem ſupernaturalem: nec eſt præſcindenda vitalitas, vt procedens à principio vitali, vt naturali, à ſupernaturalitate actus, quatenus procedit à principio ſupernaturali: ſed ſicut Deus eleuat per habitũ ſupernaturalem potentiam ad ordinem ſupernaturalem; ita eleuat vitalitatem eius potentiæ.* Vnde ibidem §. 6. pag. 231. col. 3. A. ita ait: *Iſti actus vitales ſupernaturales procedunt à principio vitali, prout actuatum eſt per formam ſupernaturalem.* Et tamen ſimpliciter affirmat, lumen eſſe ipſi intellectui primam virtutem, primamque actiuitatem; ita vt nullam in ipſo intellectu actiuitatem ſupponat; ſed ipſum per ſe eſſe primam, & totam virtutem, & facultatem ad videndum Deum. Sed vtrùm hæc cohæreant? etiam expendemus.

Cabrera admittit quidem, & intellectum ad viſionem actiuè concurrere, & lumen gloriæ: id enim expreſſè ſcribit *in dicta q. 9. art. 2. diſp. 9. §. 5. in 3. concluſione, n. 28*: viſio enim, vt ait, effectiuè procedit, & à lumine, & ab intellectu vitaliter cõcurrente; vt tamen per lumen glorię illuſtratus eleuatur, & fit deificus: & vt ſic cum ipſo intellectu eſt vnum principiũ ſupernaturale viſionis: & tamen negat virtutem naturalem, & radicalem effectiuè concurrere ad viſionem: id enim expreſſè ſcribit *in dicta q. 9. art. 2. diſp. 4. §. 4. concl. 2. n.* 68: vnde virtus naturalis, & radicalis, vt ait, non aliter concurrit ad viſionem, niſi quia reddit intellectũ capacem, vt per lumen gloriæ conſtitui poſsit in ratione potentię ſupernaturalis, vt ſcribit in d. diſp. 9. §. 5. n. 29. 6. Explicatio Cabreræ.

Ex his patet, in quo tres illi Theologi conueniant, & in quo differant: conueniunt quidem, quòd intellectus cum lumine actiuè in viſionem cõcurrat: idque non vt duæ cauſæ partiales, duovè principia partialiter diſtincta: ſed vt vnum principium effectiuum viſionis, eo modo, quo potentia, & virtus potentiæ ſunt principium effectiuum ſui actus: differũt tamen, quoniam Cabrera non admittit virtutem naturalem, ſiue radicalem ipſius intellectus, etiam eleuatam actiuè influere: oppoſitum tamen volunt Lædeſmius, 7. In quo conueniunt, & differunt hi auctores.

mius, & Nauarrete: volunt enim intellectum per ſuam naturalem virtutem, eleuatam tamen, & actuatam per lumen actiuè influere in viſionem. Sed nec hi duo inter ſe cõueniunt: quoniam Lædeſmius vult, intellectum, vt actuatum lumine, eſſe potentiam diſtinctam à ſe, vt conſiderato cum ſola naturali virtute: ſed Nauarrete nunquam in beatis diſtinxit potentiam intellectiuam in duas potentias: omnes tamen volunt, virtutem naturalẽ, etiam inchoatam, nullo modo eſſe intellectui virtutem videndi, ſed intellectum totam videndi vim habere à lumine.

§. 2.

Opinio negans eſt omnino tenenda.

8. *Opinio negans.* Quòd tamen lumen gloriæ non ſit intellectui tota vis actiua ad videndum; ſed quòd intellectus ſua propria actiuitate ſibi innata, & diſtincta à virtute ſibi per lumen ſuperaddita influat in viſionem, vt tamen per lumen eſt eleuata, cæteri omnes docuerunt. Hãc negantem ſententiam probauit Suarius (*Suarius.*) *lib. 2. de attrib. negat. c. 9. n. 13.* vbi docet, lumen gloriæ, eſſe quidem proximum principium viſionis; non tamen eſſe integrum ex parte potẽtiæ cognoſcentis: idẽ repetit *c. 15. n. 3.* & in terminis id expreſſit *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 603. col. 1. §. Prima conſequentia*; & eandem generaliter docet in cæteris habitibus ſupernaturalibus ad ſupernaturales actus, vt. ſ. illi ad tales actus non ſint tota virtus, & integra, qua intellectus in illos actiuè influit; vt patet in eadem (*Ariſt.*) *diſp. 31. ſect. 6. pag. 597. col. 1. ad finem, & pag. 599. col. 2. B. & pag. 612. col. 1. C.* & aliquo modo in *Metaph. diſp. 30. ſect. 11. n. 42.* Eandem ſententiam probauit Bellomontanus *1. p. diſp. 43. c. 4. n. 11. §. Quo circa, & §. Deinde.* (*Bellomon.* *Molina.*) In eadem opinione in terminis eſt Molina *1. part. q. 12. art. 6. diſp. 2. §. Ex his duabus ſententijs ad 1. arg. pag. 124. col. 2. in fine,* vbi expreſſè non recipit, lumen eſſe totam virtutem, qua intellectus viſionẽ producit. Et inter Theologos noſtri temporis opinio iſta eſt longè communior.

9. Quam ſententiam non poſſunt non probare, tum illi, qui putant, intellectum, & lumen ad viſionem concurrere, vt duas cauſas partiales: tum etiam, qui volunt, intellectum nobiliorem cum æquali lumine meliorem, & intenſiorem elicere viſionem: etenim, niſi intellectus ſua propria actiuitate, diſtincta ab actiuitate luminis, ad viſionem concurreret: vtique nec partialiter concurreret cum lumine, vt aduerſarij fatentur; nec intẽſiorem viſionem produceret, vt patet. Denique in eadem negante opinione erunt, qui defendunt in intellectu dari virtutem actiuam; incompletam tamen, & inchoatam: hæc enim, ſi admittatur, non poteſt ſimul cum lumine non influere in viſionem. De quibus opinionibus agemus in ſequẽtibus articulis.

Ego puto, hanc negantem ſententiam eſſe veriſsimam, & omnino tenendam, ſi principia Philoſophiæ, & Theologię benè expendãtur: etenim non ſolũ cõmuniori Theologorũ cõſenſu confirmatur; ſed etiã euidenter corroboratur ratione petita, tum à Philoſophia, tum à Theologia. 10. *Placet hæc opinio.* Quòd hæc opinio cõmuniori Theologorũ calculo cõprobetur, facile oſtenditur: (*Eſt communior.*) nam ſi illis nouioribus, quos citauimus, adiũgamus eos, qui opiniones allatas probauerũt; vtique hæc opinio etiã apud antiquiores, inuenietur cõmunior: etenim, qui illas habuerũt non poſſunt non negare lumẽ eſſe totã virtutẽ videndi: cũ tamen aduerſarij non neceſſariò cogantur, id approbare: plures enim eorum, qui putant, intellectum, & lumen ad viſionẽ non concurrere, vt cauſas partiales; conſtanter defendunt, lumen non eſſe totam videndi virtutem; & nos hoc putamus eſſe veriſsimum; & tamen in illis concurſum partialem non admittemus inferiùs art. 7. Simili modo plures, qui putant, inæqualitatem beatitudinis per ſe ſumendam eſſe ex ſola menſura luminis glorię, non admittunt, lumen eſſe totam virtutem videndi. Quare non eſt negandum hanc negantem opinionem, & inter nouiores, & inter antiquiores eſſe longè cõmuniorem.

11. *Eſt D. Th.* His accedit; quoniam hæc noſtra opinio abſque dubio fuit, & Diui Thomæ & Scoti. Quòd illam in terminis probauerit Scotus, dubitari non poteſt, ſi expendantur, quæ ſcribit (*Eſt Scoti.*) *in 3. diſt. 13. q. 1. 2. 3. & 4. litera Q. & R. §. Ad argumenta iſtarum duarum, verſ. Argumentum in oppoſitum*: agens enim de cauſa inæqualitatis beatitudinis patriæ, negat actum fruitionis

nis (in quo ponit beatitudinem) eſſe à gratia, tanquam à cauſa totali; cum etiam ſit à voluntate, vt à cauſa partiali. Idem expreſſè ſupponit *ibidem litera O. §. Ad tertiam quæſtionem dico, & clarè docet in 4. diſt. 50. q. 4. 5. & 6. concl. 4. & 5. litera X:* & quanuis agat de beatitudine, quam ponit in actu fruitionis, idem dicet de ea, vt ponitur in actu viſionis. Et ex Scotiſtis, Scotum ita ſenſiſſe refert, & probat frater Franciſcus de Petigianis *ad 3. Scoti*
Petigianis *diſt. 13. q. 3. §. Cæterum quia, pag. 346.*

Quod verò hæc opinio fuerit Diui
12. Probatur eã eſſe D. Th. Thomæ, plures affirmant, & meritò: quoniam efficaciter deducitur ex ijs, quæ ſcribit *1. part. q. 12. art. 5. & 3. contra gent. cap. 53. in 4. ratione*: docet enim in illis locis lumen gloriæ eſſe virtutem, quæ virtuti naturali ipſius intellectus ſuperaccreſcit, tanquam augmentum; non quidem per intenſionem; ſed per virtutis additionem. Iam verò virtus actiua, quæ alteri actiuæ virtuti accreſcit, tanquam illius augmentum, nullo modo poteſt eſſe tota agendi virtus; alioquin priorem non augmentaret, nec eam confortaret, vt poſſet agere: quod enim augetur, & confortatur ad agendum, ſua virtute agit, ſimul cum virtute, qua confortatur, & augetur. Quare cùm lumen ex ſententia Diui Thomæ virtutem naturalem intelligendi confortet, & augeat ad viſionem, vt docet in duobus citatis locis, & iterum *1. part. q. 12. artic. 13.* non video, quomodò hæc D. Thomæ verba poſſint ab aduerſarijs explicari, ne ſuæ opinioni repugnent. Quæ verò ex D. Thoma in contrariũ obijciuntur, explicabimus inferiùs art. 4. §. 3. Ad poſtremum.

§. 3.

Pro refutatione opinionis affirmantis nonnulla præmittuntur.

13. 1. præmiſſ. Et vt philoſophicè ſententiã aduerſariorũ euidenter confutemus, & cõfirmemus noſtrã, nõnulla prçmittemus, ex quibus vera demonſtratio deducatur. Primo loco illud inter nos, & aduerſarios ſit conſtitutum, animam beatam actiuè concurrere ad viſionem: nam ſi id de intellectu concedunt, vt ſtatim dicemus; à fortiori id concedent de ipſa anima, quæ cum ſit actus ſubſtantialis, erit prima, & radicalis actiuitas; primum, & radicale principium influens in viſionem; quod Patres explicarunt, qui viſionem Dei menti, & animæ noſtræ concedunt, tanquam habenti videndi virtutem; ita colliges ex Magno Dionyſio *cap. 7. de diuinis nominibus, & ex Origene lib. 2. Periar. cap. 12. & ex Nazianzeno orat. 2. de Theologia pag. 299. col. 2. & ex alijs*, quos citauimus lib. 7. q. 1. art. 1. & ſatis colligitur ex definitione animæ tradita ab Ariſtotele *lib. 1. de Anima c. 2.* quæ ita habet: *Anima eſt id, quo primò viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* *Dionyſius* *Origenes.* *Nazianz.* *Ariſt.*

Secundò ſit inter nos, & aduerſarios indubitatum; animam beatam, cùm ſit quædam ſubſtantia creata, immediatè non influere in viſionem, ſed mediante aliqua forma actiua, quæ illi ſit formalis videndi ratio; imò etiam potentia, per quam agat: etenim nulla ſubſtantia creata, nullavè forma ſubſtantialis poteſt eſſe immediatum principium alicuius operationis, vt habet veriſsima ſententia, quam aduerſarij nobiſcum probant: ob hanc enim rationem Deus author naturæ omnibus ſubſtantijs creatis ſuas indidit naturales potentias, quibus agerent. Vnde, & eas indidit animæ, quas Ariſtoteles in libris de Anima appellat animæ partes, & inſtrumenta, quibus mediantibus, ſuas operationes anima exercet. Quod adeò verum eſt, vt ſubſtantia actiones ſibi non naturales, ſed ſuæ formæ extraneas, imò etiam contrarias exercere non valeat, niſi mediante aliqua forma actiua, vt patet in aqua, quæ calida calefacit; idque non immediatè, ſed mediante calore, qui igni eſt calefaciendi potentia. Quare ſtatuendum eſt, animam beatam immediatè non influere in viſionem, ſed indigere aliqua forma actiua, quæ illi ſit actiuum videndi principium, per modũ potentię, & facultatis ad videndum. Hoc ſuppoſito, inquiri poteſt, quænam ſit iſta forma, mediante qua anima, veluti potẽtia, & facultate ad videndum, in viſionem influat? an ne ſit ipſum lumen gloriæ prçciſè ſumptum? an verò intellectus affectus lumine? 14. 2. præmiſſ. *Ariſt.*

Pro cuius maioris explicatione, illud tertio loco ſtatuendum eſt, quod etiam aduerſarij nobiſcum ſentiunt; animam beatam recipientem in ſe lumen gloriæ, non eodem modo actiuè influere in viſionem 15. 3. præmiſſ.

ſionem, quo aqua recipiens in ſe calorem in calefactionem influit: & ſubinde non ſolùm concurrere, vt ſuppoſitum in ſe hypoſtaticè ſuſtentans ipſum lumen; quaſi ad viſionem ſolùm dicatur actiuè concurrere', quia ſuo modo hypoſtaticè ſuſtentat illud; ſed quia ipſa ſua radicali, & ſubſtantiali actiuitate verè, & propriè in viſionē influat: quod non conuenit aquę, quæ mediante calore, calefacit: hæc enim non dicitur in calefactionē influere, quaſi ſua prima & radicali actiuitate in eam influat; ſed ideò præciſe; quia eſt ſuppoſitum ſuſtentans ipſum calorem: ob quā rationem dicitur calefaciens; non formaliter, ſed ſolùm denominatiuè: quia ad calefactionem non concurrit ſua prima, & radicali virtute, quæ non eſt calefactiua, ſed frigefactiua. Vnde à pleriſque dicitur, quòd non per ſe, ſed per accidens calefaciat, & vt præciſè eſt inſtrumentum ignis; cui ſoli, tanquam agenti principali tribuitur calefactio; cum calor ibi non agat in virtute aquæ, ſed ſolius ignis. Iam verò anima beata non cōcurrit ad viſionem per accidens, nec ſolùm denominatiuè; ſed per ſe, & formaliter; quia ad eam concurrit ſua radicali, prima, & ſubſtantiali virtute viſiua, vt in primo præmiſſo, tanquam indubitatum cum aduerſarijs conſtituimus. Quare de anima Deum vidente non ita eſt philoſophandum, vt ad viſionem concurrat ſolùm ſubſiſtenter ſuſtentando lumen; eo modo, quo aqua hypoſtaticè ſuſtentando calorem cōcurrit ad calefaciendum: ſed ita philoſophādum eſt, vt anima ad viſionem actiuè cōcurrat per ſe, & formaliter ſua ſubſtantiali actiuitate, quæ eſt prima, & radicalis virtus viſiua. In quo aduerſarij nobiſcum conſentiunt: ita enim aduerterunt *Lædeſma in d. q. 8. art. 8. pag. 586. col. 1. B. & antea id docuerat ad 5. argum. pag. 582. col. 1. B. & Cabrera in d. diſp. 9. §. 5. n. 38. & §. 6. n. 49. & 50.*

Lædeſma. Cabrera.

16. Quarto loco in hoc omnes conſentimus; lumen gloriæ (quod ponimus eſſe formam actiuam) immediatè non actuare ipſam animæ eſſentiam, ſed mediante intellectu: quod expreſſè docuit Suarius *in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. n. 42. & Nauarrete in d. controu. 37. fol. 232. col. 3. §. Confirmatur*, vbi fatetur lumen gloriæ, & cæteros habitus ſupernaturales, non immediatè actuare ipſam ſubſtantiā animæ; ſed mediante potentia intellectiua. Ex quo infertur, lumen gloriæ nec habere, nec habere poſſe rationem facultatis, ſeu potentiæ intellectiuæ, mediāte qua, tanquam facultate, & potentia, qua immediatè intelligit, in viſionem influat: quod etiam admittit Nauarrete loco citato, & fatetur Suarius in d. n. 42. Quare in hac materia non ita philoſophandum eſt, vt anima duplicem habeat potentiam, facultatemque intellectiuam, qua immediatè intelligat: vnam ipſius intellectus ad obiecta intelligibilia creata, tam naturalia, quàm ſupernaturalia: alteram ipſius luminis ad ſolam diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum quoddam intelligibile increatum: nam cum immediatè non ſubiectetur in ipſa animæ ſubſtantia, nullo modo habere poteſt rationem veræ, & propriæ potentiæ, & facultatis ipſius animæ: vera enim potentia, & facultas animæ ex ſua ratione habet, quòd immediatè ſubiectetur in ipſa animę ſubſtantia, vt illi ſit immediatum inſtrumentum, quo intelligat; vt patet in intellectu, & voluntate; vnde habere non poteſt rationem virtutis intellectiuæ, quæ ſit principium elicitiuum *vt quod*: mediante quo, anima (quę eſt forma radicalis, & prima elicitiua actus intelligendi) concurrat, vt principiū, quod intellectionem elicit. In quo aduerſarij nobiſcum conſentiunt, dum volunt, lumen gloriæ non ita eſſe potentiā animæ ad intelligendum, vt ſit potentia ſe ipſam mouens, vt patet ex *Cabrera in d. q. 9. art. 2. diſp. 12. num. 37. & antea docuit Lædeſma in dicta pag. 586. col. 1. in princip.* Potentiam autem ſe mouentem illam vocant aduerſarij, quæ eſt potentia eliciens, *vt quæ*; qualis ſola eſt forma actiua, quæ immediatè actuat animæ ſubſtantiam ad eliciendum actum intelligendi. Cum verò doceant, lumen gloriæ non eſſe formā 17. elicitiuam *vt quæ* viſionis, ſed ſolùm *vt qua*, vt libenter fatetur Cabrera *in d. diſp. 12. num. 37. & 38. pag. 847. col. 1. in principio*; libenter etiam concedunt, lumen gloriæ propriè non eſſe potentiam animæ, ſed virtutem potentialem illius: quia, vt dicemus, eſt virtus non determinatiua potentiæ, ſed completiua illius. Ex quibus patet, non ita in hac materia philoſophandum eſſe, vt anima duplicem habeat

4. præmiſſ. Suarius. Nauarret. Cabrera. Lædeſma. Cabrera.

habeat

habeat potentiam intellectiuam, qua immediatè intelligat; quarum vna ſit ipſe intellectus ad intelligenda obiecta creata, tam naturalia, quàm ſupernaturalia: altera ſit ipſum lumen gloriæ, quo tanquam vera potentia ab intellectu diſtincta anima videat diuinam eſſentiā. Quod adhuc ex eo euidenter probatur; quoniam inde ſequeretur, diuinam eſſentiam contineri intra obiectum extenſiuè adæquatum ipſius animæ: eſſe tamen extra totā adęquationem intellectus. Sequeretur etiā animam poſſe quidem intelligere diuinam eſſentiā; non tamen mediante intellectu: cuius oppoſitum non ſolùm docent aduerſarij, ſed tota Theologia; imò & Fides.

18. Illatio. Ex hoc infertur, non ſolùm lumen gloriæ ineſſe animæ mediante intellectu; ſed etiā animam ipſam, mediante illo, tanquā propria, & immediata facultate intellectiua actiuè influere in viſionem; & ex cōſequenti intellectū actiuè ad eam concurrere, vt potētiam verè elicitiuam eius, vt tamen lumine illuſtratū. Hęc omnia tāquam indubitata nobiſcū admittunt aduerſarij, qui non ſolùm fatentur, lumen gloriæ animam actuare mediante intellectu (quod omnes tanquam notū ſupponunt, & in terminis docet Nauarrete in *d. controu. 37. §. 6. fol. 232. col. 3. §. Confirmatur*) ſed etiam admittunt, & animam, mediante intellectu; & intellectum lùmine illuſtratum in viſionem actiuè influere. Hoc non poſſe negari expreſſè teſtatur Lędeſmius *in dicta q. 8. art. 8. pag. 586. col. 1. §. Ad tertium argumentū; & cū eo Nauarrete in d. controu. 37. §. 4. fol. 229. col. 3. in principio, & controu. 41. in princip. fol. 254. col. 2. & Cabrera in d. diſp. 9. §. 5. concl. 3. n. 28. fatetur Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 2. §. Reſpondetur ergo, pag. 600. col. 2. & cum eo Cumelius, Bañes, & Pezantius,* quos citauimus §. 1.

Nauarret. Pet. Ledeſma. Nauarret. Cabrera. Sotus. Cumelius. Bañes. Pezantius.

19. Vltimum præmiſſū. Poſtremò illud conſtituendū eſt inter nos (nec enim aduerſarij in hoc nōpoſſūt non cōſentire) intellectū eſſe qualitatem quandā eſſentialiter actiuā: eſt enim quædā pars animæ, & quoddā naturale inſtrumentū illi datū à natura, vt per illud ratiocinetur; vt patet ex Ariſt. 2. *de Anima c. 1. tex. 6. & c. 2. tex. 21. & c. 3. tex. 23. & lib. 3. c. 4. tex. 1. & 5. vt diximus lib. 8: in 1. p. q. 3. ar. 5. §. 2. n. 21.* Intellectus igitur eſt actus quidā, & quædā forma eſſentialiter actiua actiuitate potētię, qualiseſt actiuitas elicitiua actus, *vt quæ*: & in hoc diſtinguitur actiuitas potentialis, ab ōni alia forma potentię ad intelligendū ſuperaddita: licet enim omnes ſint formæ actiuæ in ordine ad actum intelligendi: non tamen omnes ſunt actiuæ actiuitate elicitiua actus; ſed actiuitate determinatiua elitionis actus: quod in hac materia eſt diligenter adnotandū, vt ſublata æquiuocatione omnis tollatur cōfuſio: in quo nobiſcū conſentit Cabrera *in d. diſp. 22. n. 37. & 38. pag. 847. col. 1. in princ.* Vnde Ariſt. lib. 3. *de Anima c. 4. tex. 8. aſſerit, intellectū per ſe ipſum operari*; nimirū vt potentiā elicitiuā operationis: nam licet anima, vt eſt ſubſiſtens, eliciat *vt quod* actum intelligendi: tamen, vt ſibi eſt quædam forma, & act⁹, eſt forma, qua ipſa eſt elicitiua, *vt quæ*: cū verò immediatè non eliciat, ſed mediante intellectu, tanquam inſtrumento, & parte quadam intellectiua, vt ait Ariſtoteles: inde eſt, vt ipſe intellectus ſit forma elicitiua vt quæ: quomodò nec ſpecies, nec habitus concurrunt; quia vel cōcurrunt determinando ipſum intellectū ad certum, & determinatum obiectum; vel facilitando illius actiuitatem: & inde eſt, vt intellectus ſit potentia pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis; cum tamen ſpecies, & habitus pertineant ad primam.

Ariſt. Cabrera. Ariſt.

Statuendum eſt igitur, intellectū eſſe qualitatem quandam eſſentialiter actiuā, quæ non aliter ad actum intelligendi poteſt actiuè concurrere, niſi ſua eſſentiali actiuitate. Vnde ſicut calor (qui igni eſt potentia calefactiua) ſi ad aliquid actiuè concurrit, non niſi ſua actiuitate calefactiua concurrit; ita etiam intellectus (qui animæ eſt potentia intellectiua) ſi actiuè concurrit ad aliquem actum, non aliter concurrit, niſi actiuitate intellectiua, & potentiali, quam eſſentialiter includit. Quod diligenter eſt adnotandum ad ea, quæ contra aduerſarios ſtatim dicemus. 20. Concluſio.

Illud tamen addimus (quod ad confuſionem tollendam maximè cōducit) hāc actiuitatem intellectiuam, & animæ, & intellectui eſſe naturalem, ſi *naturale* idē eſt, quod à natura inſitum, & congenitū: etenim Deus, vt author naturæ ipſi animæ, quam creauit, ſimul cum entitate animę dedit potentiam intellectus, vt per eā intel- 21. Quomodò hæc actiuitas ſit naturalis.

intelligeret, quæcunque intelligeret; ſiue illa ſint naturalia, ſiue ſupernaturalia. Vnde ipſa intellectiua potentia naturaliter, id eſt naturali ſequela fluit ab entitate ipſius animæ; ideò quia eſt quædam intellectualis ſubſtantia, cui connaturale eſt habere potentiam ad intelligendũ, vt docent omnes Philoſophi. Et ſicut intellectus eſt naturalis ipſi animæ, vt naturale idem eſt, quod datum à natura, & cum natura; ita etiam ipſa actiuitas, qua intellect⁹ intelligit (imô quæ eſt ipſe intellect⁹) eſt ipſi intellectui naturalis, prout naturale idem eſt, quod eſſentiale, & intrinſecũ.

22. Aduertentia. Aduertendum tamen eſt, ipſam actiuitatem intellectus alia, & alia ratione dici poſſe naturalem, & obedientialem: dicitur naturalis, quatenus habet reſpectum quendam tranſcendẽtalẽ ad obiecta ordinis naturalis, quatenus ad ea cognoſcenda reduci poteſt actione agẽtis naturalis, per media actione eiuſdẽ agẽtis naturalis recepta: dicitur autẽ obedientialis, quaten⁹ eſſentialiter ſibi vendicat reſpectum quendam tranſcendentalem ad obiecta ſupernaturalia, ad quæ cognoſcenda ex ſua natura habet poſſe: ſicut enim ex Auguſtino, poſſe habere fidem, naturæ eſt hominis (non tamen lapidis:) ita naturę eſt hominis poſſe habere cognitionem ſupernaturalium, etiã diuinæ eſſentiæ: quãuis actu illa cognoſcere, & actu habere media ad cognitionẽ illorũ neceſſaria, nõ habeat ipſa hominis natura ex principijs ſuæ naturę, ſed ex ſola gratia, de quo plura ar. 4.

23. Quomodo hic ſit philoſophandum. Quare in hac materia non ita eſt philoſophandum, vt virtus naturalis intellect⁹ noſtri ad intelligenda obiecta naturalia, ſit quædam virtus ſuperaddita ipſi virtuti intellectiuæ (nulla enim datur talis virtus:) ſed ita potiùs, vt ipſa eadem actiuitas intellectui innata, & eſſentialis in ſe ipſa ſit, & dicatur naturalis virtus ad intelligẽdum naturalia, quatenus ipſa tranſcendẽtaliter reſpicit, vt intelligenda actione agentis naturalis, & per media naturalia ab eodem agente ſibi communicata; etenim ipſa innata, & eſſentialis actiuitas intellectus ex principijs ſuæ naturæ habet, nõ ſolùm poſſe cognoſcere naturalia obiecta, quæ tranſcendentaliter reſpicit; ſed etiam poſſe reduci ad actualem cognitionem illorum per vires naturalium agentium, quæ à natura inſtituta ſunt, vt intellectum ad naturalem cognitionem coadiuuent, reponendo illum in actu primo ad illa intelligenda, per media illi connaturalia; qualia ſunt ſpecies intelligibiles, lumen intellectus agẽtis, habitus intellectuales, ad quæ omnia ipſe intellectus ex principijs ſuæ naturæ habet connaturalitatem. Quod tamen eidẽ natiuæ actiuitati ad intelligendum non conuenit in ordine ad obiecta ſupernaturalia, & ad ſupernaturalia media, quibus ad actualem cognitionem illorum reduci debet: nam licet ex doctrina Auguſtini, intellectus ex principijs ſuæ naturę habeat poſſe intelligere obiecta ſupra naturam, & poſſe in ſe recipere, quæ ad illorum cognitionẽ ſunt neceſſaria: non tamen ex illis habet, quòd per vires naturæ, id eſt agentium naturalium, poſſit reduci ad actualem illorum cognitionẽ, aut ad recipienda media ſupernaturalia, quę ad illorum cognitionem ſunt neceſſaria; nec enim intellectus ex principijs ſuæ naturæ vendicat ſibi, aut lumen gloriæ, aut ſpeciem intelligibilem diuinæ eſſentiæ; aut denique vnionem obiectiuam ſui cum illa; ſed ad hæc omnia indiget gratia Dei authoris ſupernaturalis.

Ex quibus patet, actiuitatem illam, quæ intellectui eſt innata, duobus modis dici poſſe naturalem: vno modo; vt naturale idem eſt, quòd datum à natura, vel tanquam eſſentia, vel vt dimanans ex eſſentia: etenim talis actiuitas, cũ ſit ipſius intellectus eſſentia, eſt illi data à natura. Altero modo; prout tranſcendentaliter reſpicit obiecta actione agentis naturalis ab eo perceptibilia. Priori modo actiuitas illa eſt naturalis tum ad obiecta naturalia, tum ad ſupernaturalia: quia illa ipſa eſt, qua intellectus, & naturalia, & ſupernaturalia intelligit. At poſteriori modo ſolũ eſt, & dicitur naturalis in ordine ad naturalia; in ordine autem ad ſupernaturalia, nec eſt, nec dicitur naturalis, ſed obedientialis. Quare ratio virtutis naturalis hoc poſteriori modo ſumpta, cõuenit illi non per qualitatem aliquam ſuperadditam, ſed per tranſcendẽtalem reſpectum ſibi intrinſecum ad obiecta naturalia, & ad actionem naturalis agentis. Et non diſtinguere hanc duplicem naturalitatis rationem, fuit aduerſarijs cauſa deceptionis.

24. 2. modis actiuitas intellectus dici poteſt naturalis.

§. 4.
Impugnantur aduerſarij.

25. *Impugnatur aduerſaria opinio.* His ita præmiſsis, iã poſſumus philoſophicè confirmare noſtram ſententiam, & impugnare aduerſariã.

26. *Impugnatur Cabre.* Nam ex dictis primò infertur, modũ dicendi Cabreræ euidenter ſecum pugnare: etenim admittit, intellectum beati actiuè influere in viſionem; & cum hoc ſimul negat, virtutem naturalem, & radicalem illius ad eam concurrere actiuè, vt oſtendimus ſupra §. 1. num. 6. Hæc autẽ duo inter ſe conuenire non poſſe, euidenter oſtenditur ex vltimo, quod conſtituimus: etenim intellectus eſſentialiter nihil eſt aliud, quàm ipſa actiuitas potentialis ad intelligendum: etenim ex ſua eſſentiali ratione eſt qualitas quædã, & quædã animæ potẽtia actiua. Nulla aũt fert Philoſophia, quòd ipſa intellectus potentia diſtinguatur à ſua innata actiuitate, ita vt ipſe intellectus ſit habens actiuitatem: ſicut non fert, vt calor ſit quid habens, & veluti ſubſiſtens in ſua actiuitate calefactiua; cum calor ſit quędam ſimplex qualitas eſſentialiter calefactiua: ſimili igitur modo dicendum eſt de intellectu, cum ſit ſimplex qualitas actiua excludens compoſitionem habentis, & habiti; cum verè ex ſe ſit ipſa actiuitas potentialis, qua anima intelligibiliter operatur. Ex quo euidenter infertur fieri nullo modo poſſe, vt intellectus actiuè influat in aliquem actũ intelligendi, & non influat per ſuam innatam actiuitatem, cum eſſentialiter ſit ipſa actiuitas potentialis, per quam anima influit. Quare, ſicut implicat, calorẽ ignis actiuè influere in aliquam calefactionem, & in eam nõ influere per ipſam ſuam actiuitatem calefactiuam; cum eſſẽtialiter nihil aliud ſit, quàm ipſa calefactiua virtus: ita etiam implicat, intellectum actiuè influere in aliquem actum intelligendi, & in illum non influere per ipſam actiuam virtutem, quæ eſt ipſe. Vide quę dicemus art. 4. §. 2. in præmiſsis: Meliùs igitur in hoc philoſophati ſunt Lędeſma, & Nauarrete; dũ non ſolùm admittunt, intellectum influere in viſionem, ſed etiã volunt, eum in eam influere per ipſam ſuam naturalem, & radicalem virtutem, vt de vtroque oſtendimus §. primo num. 4. & 5.

27. *Impugnatur Lædeſ.* Secũdo infertur, nõ benè philoſophari Petrũ Lædeſma, dũ vult, intellectũ cũ ſua innata actiuitate in viſionẽ influere, & tamẽ in eã influere, vt potentiam intellectiuam ſpecie, & analogicè diſtinctam à ſe ipſo, vt eſt potentia naturalis: is enim philoſophandi modus non videtur recipiendus ſi diligentiùs expendantur, quæ in vltimo præmiſſo diximus in §. pręcedente: vel enim comparat intellectum illuſtratum cum eodem intellectu, vt eſt radicalis quædam, & innata virtus, ideo naturalis, quia data à natura; vel cum intellectu, vt eſt eademmet virtus, ideo naturalis, quia reſpicit obiecta naturalia, & naturalia media. Si intellectus illuſtratus priori modo ſecum comparetur, non poteſt dici potentia diſtincta à ſe, vt eſt potentia naturalis in priori ſenſu: quoniam intellectus illuſtratus per ſe includit intellectũ cum ſua naturali virtute: ille enim cum ſua virtute eſt, qui per lumen eleuatur, & influit in viſionem. Iam verò, quando duæ potentiæ diſtinguuntur; vna earum ſub propria ſua ratione non influit in effectũ alterius, vt docet Philoſophia. Quare intellectus cum ſua innata actiuitate eleuatus non eſt diſtincta potentia à ſe ipſo non eleuato, ſi præciſè conſideretur cum ſola natiua actiuitate, non dum conſiderata, vt reſpicit agens naturale; ſub qua ſola ratione poteſt habere rationem alterius potentiæ. Porrò ſi intellectus cum ſua natiua virtute eleuatus conferatur cum ſe ipſo, & cum ſua innata virtute, prout reſpicit agens naturale (in quo ſenſu non eleuatur): facilè conſentiam, intellectũ cũ ſua natiua virtute habere rationem duarũ potentiarũ: quia erit naturalis potentia, vt reſpicit agens naturale: & erit potentia ſupernaturalis, quatenùs eleuatus, eſt potentia videndi diuinam eſſentiam. Sed in hoc ſenſu hoc nihil iuuat Lædeſmium ad intentum principale, vt ex dicendis patebit.

28. *Pugnant inter ſe.* Tertiò principaliter infertur, hæc duo inter ſe conſtare non poſſe ſcilicet lumen gloriæ eſſe intellectui totam virtutem ad videndum; & intellectum virtute ſua radicali, atque innata actiuè influere in viſionem: quo ſuppoſito euidenter conſtabit: aduerſarios ſecum pugnare; dum volunt, intellectum cum ſua naturali actiuitate influere in viſionem; & lumen gloriæ eſſe illi

illi totam virtutem videndi. Quòd vnũ cum altero nequeat ſimul cõſtare euidẽter oſtenditur: quoniam fieri non poteſt, vt lumen gloriæ ſit intellectui tota videndi virtus; ita vt intellectus non influat in viſionem, niſi per virtutem actiuam luminis: & tamen intellectus per ſuam radicalem actiuitatem in eandem etiã influat: etenim virtus illa innata diſtincta eſt à virtute luminis: quare, ſi illa etiam influit & intellectus per illam; vtique nec ſola virtus luminis influit; nec intellectus per ſolam luminis virtutem. Ex quo etiam infertur virtutem luminis intellectui non tribuere primam actiuitatem; cum neceſſariò ſupponat propriam, & innatã ipſius intellectus ſecum influentem. Fatemur igitur, intellectũ in viſionem non influere per virtutem illam natiuam, prout illa tranſcendentaliter reſpicit agens naturale, & naturales illius vires; quia vt ſic nullo modo poteſt ad viſioné concurrere. Sed inde non infertur, intellectũ per ſolùm lumen influere; quia poteſt etiam influere per eandem natiuam virtutem, vt lumine eleuatam: licèt enim illa innata virtus non ſit eleuabilis, vt reſpicit agens naturale; eſt tamen eleuabilis, vt obedientialiter reſpicit ſupernaturale: & ſub hac ratione eleuata influit in viſionem; non tamen ſola, ſed cum lumine gloriæ, cuius aduentu perficitur, & completur ad videndum. Quomodo autem compleatur? & quomodo cum lumine concurrat? dicemus in 6. art. & 7.

§. 5.

Soluuntur aduerſariorum argumenta.

28. 1. argum. ADuerſarij contra noſtram reſolutionem primũ fundamentum ſumunt: quia intellectus per ſuam naturalem virtutem nullam actiuitatem habet in viſionem. Ergo lumen gloriæ ipſi intellectui eſt tota videndi virtus. Conſequentia eſt nota: antecedẽs multis probatur ab illis. Hoc argumento vtitur Læ-*Lædeſma.* deſma *in dicta q.8. articul.8. pag.* 585. *col.* 1. *in fine: Nauarrete in dicta contro.* 37. §. 4. *conclu.* 8. *fol.* 229. *col.* 2. *Cabrera in dict. diſp.* 4. §. 4. *in* 2. *concl.* & *diſp.* 9. §. 5. *cõcl.* 3. *n.* 30. *Nauarrete. Cabrera.*

Solutio. ¶ Hoc tamen argumentum illos decepit æquiuocatione vocis *naturalis*: etenim virtus intellectiua intellectui innata duobus modis poteſt dici naturalis, vt ſuperiùs aduertimus, & latiùs dicemus art. 4. vno modo, quia eſt virtus data à natura fluens à principijs animæ: altero modo, quatenùs reſpicit virtutem actiuam agentis naturalis, tanquam ſibi connaturalem. Ad argumentum igitur negandum eſt antecedẽs, ſi ſermo ſit de virtute naturali priori modo: etenim actiuitas illa eſt quædam actiuitas naturalis animæ, prout *naturale* idem eſt, quod conueniens ex principijs naturę: natura enim intellectualis vendicat ſibi habere potentiam actiuam ad intelligendum, vt dicemus art. 4. vbi diſſoluemus argumenta in contrarium. Porrò admittendum eſt antecedens, ſi ſermo ſit de virtute naturali poſteriori modo: hæc enim virtus non influit in viſionem, quatenùs tranſcendentaliter reſpicit virtutẽ naturalis agentis; quia per hanc non poteſt ad viſionem concurrere, vt latiùs oſtendimus *libro.* 7. *q.* 1. & 3. Antecedente autem admiſſo in hoc ſenſu, nullam vim habet conſequentia, vt iam aduertimus: licèt enim virtus intellectui natiua ſub iſta ratione nõ concurrat ad viſionem; ipſa tamen ad eam concurrit, quatenùs eſt potentia obedientialis per lumen gloriæ eleuabilis. Quo ſuppoſito, lumen eſſe nõ poteſt intellectui tota intelligendi virtus. Non valet igitur hæc conſequentia: intellectus non influit in viſionem per virtutem naturalem poſteriori modo ſumptam. Ergo in eam influit per ſolum lumen gloriæ.

Secundum fundamentum ſumunt ex eo, quòd lumen gloriæ non concurrit cũ intellectu, tanquam cauſa partialis. Ergo concurrit cũ illo, vt virtus illi totalis. Hoc fundamentum ſatis eſt de mente Lædeſmæ, Cabreræ, & Nauarrete, dum in hac quæſtione multa congerunt argumenta, vt probent, intellectum, & lumen ad viſionem non concurrere, vt duas cauſas partiales, vt videre eſt apud Cabreram *in dicta diſput.* 9. §. 5. *concluſ.* 3. *numero* 28. *Lædeſmam in dicto art.* 8. *pag.* 584. *col.* 1. *in principio, Nauarrete in dicta controuer.* 37. §. 4. *concl.* 8. *fol.* 229. *columna* 2. & 3. 29. 2. argum. *Lædeſma. Cabrera. Nauarrete.*

¶ Sed nos libenter admittimus antecedens, & illud confirmabimus inferiùs art. 7. negamus tamen conſequentiam: quia licèt lumen non concurrat, vt cauſa partialis; poteſt tamen concurrere, vt virtus com- Solutio.

completiua virtutis innatæ, de quo plura inferiùs art. 6. & 7.

30. 3. argu. ex Nauarrete. Tertio loco arguit Nauarrete *in dicta contro. 37. §. 3. concl. 4. fol. 227. colum. 3.* vt probet, lumen gloriæ tribuere intellectui primam actiuitatem ad videndum: ſpecies intelligibilis non poteſt dare intellectuj primam virtutem, actiuitatemque primam ad videndum. Ergo hanc illi dat lumen gloriæ. Antecedens probat: quia ſpecies intelligibilis non tenet ſe ex parte potentiæ intellectiuæ; ſed ſolum ex parte obiecti: quatenùs facit illud eſſe obiectiuè preſens. Ergo non poteſt dare intellectui primam videndi virtutem, & primam actiuitatem ad eliciẽdam viſionem; ſed illam ſupponit in ipſa potentia. Conſequentiam non probat; fortè, quia putat eam inde ſatis probari; quia ſi prima virtus ad vidẽdum non datur per ſpeciẽ, neceſſariò datur per lumen. ¶ Sed argumentum manifeſtè petit principium, dũ ſupponit, intellectum ex ſua natura non habere primam, & radicalem virtutem ad videndum; ſed illi dari, aut per ſpeciẽ, aut per lumen; cum tamen de hoc ſit tota cõtrouerſia. Et profectò mirum eſt, quòd Nauarrate illud ſupponat: cum admittat, intellectum ſimul cum ſua innata virtute eleuatum actiuè influere in viſionẽ. Porrò ſi illa, vt eleuata actiuè influit; & illa neceſſariò ſupponitur ad lumen gloriæ; quo modo lumen eſt prima actiuitas ad viſionem? Admittam quidem eam ſine lumine influere non poſſe; quia non influit, niſi eleuata; non tamen admittam, lumen eſſe primam virtutem: etenim quod ex ſua natura eſt augmentum virtutis præcedentis, (vt ex ſententia Diui Thomæ eſt lumen gloriæ) non poteſt eſſe prima virtus, vt ex ſe patet. Quare conſequentia illa euidẽter eſt futilis. Vt omittamus, falſum eſſe, ſpeciem ſolùm ſe habere ex parte obiecti: oppoſitum enim euidenter oſtendimus lib. 8. in 1. p. q. 3. art. 1. & 2.

Soluitur.

31. 4. arg. ex eodem. Quarto loco ita arguit Nauarrete vbi ſuprà *col. 4. in principio*: Eſſentia diuina ad inſtar ſpeciei intellectui vnita nõ eſt principium actiuum reſpectu viſionis. Ergo aſſignandum eſt aliquod principium actiuum, cui primò, & per ſe correſpondeat viſio. Nullum aliud datur, niſi lumẽ. Ergo lumen eſt primum principium actiuũ viſionis, & prima illius virtus ad videndũ

Solutio. ¶ Sed futilius eſt hoc argumẽtum, quàm præcedens: nam continet antecedens falſum in primo diſcurſu: in ſecundo verò petit principium in ſua minore: etenim apud eos, qui admittunt, diuinam eſſentiam ſubire vicẽ ſpeciei intelligibilis, falſum eſt, eam ad inſtar ſpeciei vnitam actiuè non concurrere: ſimiliter etiam plus quã falſum eſt, ſpeciẽ intelligibilẽ actiuè non influere in actũ intelligendi, vt oſtẽdimus lib. 8. in 1. p. q. 3. art. 4. & quanuis admitteremus antecedens cum toto primo diſcurſu, in minori diſcurſus ſecundi petitur principium, dum ſumitur id, de quo eſt controuerſia: negamus enim, ſolum lumẽ eſſe principium influens in viſionem; cum in eam etiam influat, virtus innata ipſius intellectus, vt diximus.

32. 5. argu ex eodem. Quintò loco arguit idem Nauarrete *in dicta controuerſ. 37. §. 4. fol. 229. colu. 3. §. Præterea lumen*: Lumen gloriæ actuans intellectum ad videndum, habet ſe ad modum formæ ſubſtantialis dantis eſſe ſimpliciter. Sed forma ſubſtantialis totaliter actuat ſubiectum; ita vt in eo nullam ſupponat actiuitatem præcedentem; ſed ipſa ſit illi tota actiuitas. Ergo lumen gloriæ ita actuat intellectum, vt in eo nullã ſupponat actiuitatem; ſed ſit illi prima, & tota actiuitas.

33. Confirmatio. Confirmat hanc rationem: quoniam hæc eſt differentia inter formas accidentales aduenientes ſubſtantiæ conſtitutæ in ſuo eſſe completo; & inter formas ſupernaturales; quòd primæ præhabentur in ſubſtantia, & ab ea recipiunt eſſe ſimpliciter, & educuntur de potentia naturali illius, & ideo ſubſtantię ſolùm dant eſſe ſecundum quid. At verò formæ ſubſtantiales dant eſſe ſimpliciter; nec aliquod eſſe ſupernaturale ſupponunt; & per cõſequens nullam ſupponũt actiuitatem in ſubiecto.

Solutio. Hoc tamen argumẽtum haberet vim, ſi lumen gloriæ in omnibus ſe haberet ad intellectum, vt ſe habet forma ſubſtantialis ad materiam primam: quod tamen bonus iſte Philoſophus nũquam probabit: etenim forma ſubſtantialis dat eſſe ſubſtãtiale; quod ipſum, ſicut eſt primum eſſe actuale, ita etiam eſt prima radix operandi. Iam verò lumen gloriæ nõ dat intellectui aliquod eſſe ſuſtantiale, ſed ſolùm accidentale; cũ non ſit forma ſubſtantialis, ſed

ſed accidētalis. Vnde nec dat intellectui, nec dare poteſt primam, & radicalem actiuitatem ad videndum Deum: imò eam in intellectu ſupponit cum ex natura ſua ſit augmentum naturalis virtutis, vt ex D. Thoma diximus. Quare lumen gloriæ nō in omnibus ſe habet ad intellectum: ſicut forma ſubſtantialis ſe habet ad materiam primā; ſed ſolùm in aliquibus: quia ſcilicet ſicut forma ſubſtantialis dat primum eſſe actuale ordinis naturalis; ita lumen gloriæ dat primum eſſe ordinis ſupernaturalis, & diuini. Ex quo non benè infertur, lumen gloriæ dare intellectui primam actiuitatem ad actus ordinis diuini, qualis eſt viſio: quoniam longum eſt diſcrimen inter primum eſſe ordinis naturalis, & primum eſſe ordinis diuini: quia primum eſſe actuale naturalis ordinis eſt eſſe ſubſtantiale; cum tamen eſſe primū ordininis diuini ſolum ſit accidentale: & ideo ſicut eſſe ſupernaturale ex ſe ſupponit eſſe actuale ordinis naturalis: quia ad diuinum eſſe eleuari non poteſt, niſi ſubſtantia intellectualis: ita ex ſe ſupponit actiuitatem naturalem: quia hæc ſola eleuari poteſt ad actiuitatem ſupernaturalem, & diuinam ad actus diuinos. Id verò, quod communiter dicitur, lumen gloriꝗ dare intellectui: quòd ſimpliciter poſſit, non ita intelligendum eſt, quòd det totū poſſe: ſed quòd det ſimpliciter poſſe in tali ordine: quoniā intellectus ſine eſſe ſupernaturali, ſimpliciter, & abſolutè nō poteſt in ſupernaturalia. Vel ideo dicitur dare ſimpliciter poſſe; quia dat cōpletum poſſe, ſine quo ſimpliciter non poteſt; quanuis habeat inchoatum poſſe, quod ipſum eſt quidem primū, & radicale poſſe; at tamen remotum, & nō proximum. De quo plura in quarto articulo. Ad argumentū igitur in forma neganda eſt maior; ſi ita intelligatur, vt lumen gloriæ quoad omnia ſe habeat ad intellectum, vt ſe habet forma ſubſtantialis ad materiam primam. Porrò ſi intelligatur, quòd in aliquibus ita ſe habeat; admittenda eſt ſimul cum minore; & neganda conſequētia: quia ex maiore indefinita nihil poteſt ſyllogiſticè concludi.

34. Ad confirmationem. Ad confirmationem dicimus: ſi eſſe ſimpliciter idem eſt, quod eſſe ſubſtantiale: negandum eſt, formas ſupernaturales dare eſſe ſimpliciter: quia nec animæ, nec potentijs animæ dant eſſe ſubſtantiale, ſed ſolùm accidentale, & ideo ſecundū quid: & in hoc conueniunt cum formis accidētarijs ordinis naturalis. Si verò eſſe ſimpliciter idem eſt, quod eſſe primū in tali ordine: admittimus, formas ſupernaturales in hoc differre ab accidentarijs naturalis ordinis, quòd ſupernaturales dant eſſe ſimpliciter, id eſt eſſe primum ordinis ſupernaturalis, & diuini: cum tamen formæ accidentariꝗ ordinis naturalis non dent eſſe primum illius ordinis: quia primum eſſe in ordine naturali eſt eſſe ſubſtatiale: accidentarium verò eſt eſſe ſecūdarium. Ex quo non benè infertur lumē gloriæ dare intellectui primam actiuitatem in viſionem: nam cum ordo ſupernaturalis rerum creatarum ſupponat naturalē: vtique eſſe ſupernaturale ex ſe ſupponet naturale eſſe, quod eleuet: & ſicut ſupponit eſſe naturale, quod poſſit eleuare ad ſupernaturaliter eſſendū: ita etiam poſſe ſupernaturale (quod ad eſſe ſupernaturale conſequitur) ex ſua natura ſupponit, quoddam poſſe naturale, quod ad agendum ſupernaturalia eleuetur.

Sexta ratio ponitur ab eodē *fol. 229. col. 4. §. Ex quo deducitur*: materia prima eſt in potētia ſimpliciter ad formam ſubſtantialem. 35. 6. Argu. ex eodem. Ergo quælibet entitas naturalis multò magis erit in potentia ſimpliciter ad actualitatem ſupernaturalem. Conſequentia probatur: quia in toto naturali ordine nō datur poſitiua inclinatio ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis: cum tamen in materia prima detur poſitiua inclinatio ad formam ſubſtantialem. ¶ Ad Solutio. mittimus, quamlibet entitatem naturalē, ita eſſe in potentia ſimpliciter ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, vt ad illa non habeat poſitiuam inclinationem: & ideo magis eſſe in potentia ad illa, quàm materia prima ſit ad formā ſubſtantialem. Sed non video, quomodo inde inferatur, lumen gloriæ eſſe primam, & totam actiuitatem in ordine ad viſionē: nam licèt intellectus non habeat poſitiuam inclinationem ad viſionem; habet tamen potentiam radicalem exiſtentē in potentia obedientiali, vt eleuata per lumen, & completa, ipſa ſecundum ſe influat in eam. Quod ſatis arguit, lumen non eſſe totam virtutem, per quam intellectus influit. Quare non ſolùm ipſe intellectus eſt, qui eſt in poten-

potentia obedie͞tiali, vt recepto lumine, habeat ſuam virtutem completam ad videndum: ſed ipſa naturalis actiuitas intellectus habet potentiam obedientialem, vt lumine eleuata, & fortificata: imò etiam auct, apoſsit in viſionem influere.

36. 7. argum. ex eodem. Septima ratio ex eode͞ *in dicto fol. 229. col. 4. §. Confirmatur*: Si formæ ſupernaturales non darent eſſe ſimpliciter, ſed ſolũ ſecundum quid; vtique in ſuo proprio genere ſupponerent aliquod eſſe ſimpliciter. Conſequens eſt aparte falſum; ergo & cætera. Falſitas conſequentis patet: ſequela verò probatur; quia accidens ordinis naturalis ideo dat eſſe ſecũdum quid; quia aduenit enti, vt eſt actu ſimpliciter. Sed formæ ſupernaturales non aduenĩũt alicui entitati naturali, quæ ſit in actu ſimpliciter. Ergo non dant eſſe ſecundum quid, ſed eſſe ſimpliciter.

¶ Pro ſolutione huius argumenti aduertimus, in hoc ſenſu negari à nobis, formas ſupernaturales dare eſſe ſimpliciter, quia nõ dant eſſe ſubſtantiale, ſed ſolùm eſſe accidentarium, vt patet ex ijs, quæ diximus. In quo ſenſu diſtinguenda eſt maior: ſi enim eſt ſenſus; *Si formæ ſupernaturales nõ darent eſſe ſimpliciter, id eſt, ſubſtantiale, ſed ſolùm ſecundum quid, id eſt accidentarium, in ſuo proprio genere ſupponerant aliquod eſſe ſubſtantiale, quod ſecundum ſe ſit eiuſdem ordinis ſupernaturalis*; negãda eſt maior: quia in ordine ſupernaturali, nec datur, nec dari poteſt ſubſtantia ſupernaturalis creata, vt ſupponimus. Si verò ſenſus ſit, *vt formæ ipſæ ſupernaturales in ſuo genere, id eſt ex natura ſui generis, ſupponunt aliquod eſſe ſubſtantiale ordinis naturalis, quod eleuando transferant in ſupernaturalem ordinem*: propoſitio eſt veriſsima: quia vt dixim⁹ ordo ſupernaturalis ex ſua natura ſupponit ordinem naturalem, qui eleuetur ad ſupernaturalem ordinem. Illud etiam hic aduertimus, formas ſupernaturales, licèt dent primum eſſe formale ſupernaturalis ordinis: aliquo tamen modo ſupponere in ipſis rebus aliquid ſupernaturalitatis: quia ſupponunt in illis potentiam obedientialem, vt diximus ſuprà q. 2. artic. 11. §. 3. nu. 17. & 18. ratione cuius ſupremũ naturalis ordinis cõtinuatur cum infimo ordinis ſupernaturalis, iuxta doctrinam magni Dionyſij.

37. Poſtrema ratio aduerſariorũ eſt; quòd lumen gloriæ propriè loquendo non eſt habitus intellectus: quia non dat illi ſolam facilitatem ad videndũ, quod eſt proprium habitus. Eſt igitur potentia, qua intellectus videt, & per conſequens eſt illi tota vide͞di virtus, & actiuitas. Poſtremum argum. ¶ Hoc argumentum petit explicationem difficultatis inter nonnullos recentiorum agitatæ, in quanam qualitatis ſpecie lumen gloriæ collocetur? Solutiò. de qua longam ſcribit Cabrera quæſtionem 1. *tom. ad 3. p. q. 9. ar. 2. diſp. 12. vbi nu. 15. varias refert ſententias: ſed nos ſupra lib. 9. q. 9. ar. 5. hãc quæſtionem*, tanquam parui momenti ad Logicos remiſimus: In qua nam ſpecie qualitatis ponatur lumen. & diximus, nullum eſſe piaculum, ſi præter ſpecies qualitatis ab Ariſtotele enumeratas, aliæ admittantur; maximè ad qualitates ſupernaturales, quas Ariſtoteles non cognouit. Ego in ea ſum ſententia, vt lumen gloriæ ad nullam pertineat ſpeciem ab Ariſtotele explicatam: Propria ſententia. etenim clarum eſt, illud non pertinere ad quartam ſpeciem, quæ eſt forma, & figura: nec ad tertiam, quę eſt paſsio, & patibilis qualitas; quia ad hanc ſolũ pertinent qualitates, quæ vel motum cauſant, vel ex motu oriuntur: quare non video, cur lumen ſub aliqua conſideratione poſſit in ea reponi, quidquid Sotus oppoſitũ doceat in cap. de qualitate quæſt. vnica. Tota igitur controuerſia eſt, an per ſe poni debeat in prima ſpecie, quæ eſt habitus & diſpoſitio? an in ſecunda, quæ eſt naturalis potentia, & impotentia? Et quidem, ſi lumen eſſentialiter ponatur in prima ſpecie, ita vt eſſentialiter ſit habitus (quę fuit aliquorum ſententia, teſte Cabrera) argumentum vim non habet. Ego tamen puto, lumen gloriæ, nullo modo eſſe habitum, ſi habitus propriè ſumatur. 38. Fundamentum inde ſumo; quia habitus propriè ſumptus ex ſua natura ſupponit potẽtiam, & facultatem, quam determinet: lumen autem glorię non ſupponit aliquã potentiam in ratione potentiæ, cuius virtutem poſsit aliquo modo determinare: etenim intellectus cõſideratus ſine lumine in priori naturæ, antequam recipiat lumen, non poteſt conſiderari, vt potentia cum virtute ad viſionem; ſed ſolùm talis eſt per ipſum lumen. Vnde potius eſt virtus ipſius intellectus, quàm determinatio virtutis eius. Et quanuis actuando intellectum, & eleuando radicalem illius virtutem

38. tem, faciet, vt ſit potentia ad ſolam diuinã eſſentiam; non tamen id facit determinãdo illius virtutẽ; ſed faciendo, vt eius virtus ſolum ſit virtus ad viſionem eſſentiæ diuinæ: & quanuis id explicare nõ poſsimus, niſi ad modum determinatiui virtutis; non tamen eſt determinatiuum illius: nam quod aliquam virtutem determinat, neceſſariò ſupponit, eam iam cõſtitutam eſſe in ſpecie virtutis, cum aliqua indifferentia, quæ determinetur: quod tamen non requirit forma, quæ facit intellectũ complete eſſe potentiam viſiuam eſſentię diuinæ. Et vt hoc meliùs intelligatur, id declaremus exemplo ſumpto à ſubſtãtiali, & radicali actiuitate animæ, prout per varias potentias determinatur ad certa obiecta: nam per intellectum determinatur, vt non tendat, niſi obiectum intelligibile: per voluntatem verò, in ſolùm appetibile: quæ tamen determinatio nõ eſt per modum habitus; quia anima in ſe immediatè non ſubiectat habitum aliquem, ſed mediante potentia, quare nõ ſatis eſt, lumen gloriæ determinare virtutẽ intellectus ad ſolam eſſentiam diuinam, vt dicatur illam determinare per modum habitus. Sed de hoc latiùs agere ad præſens inſtitutum non pertinet.

39. *Lumen non habet rationẽ potẽtiæ.* Sed nec puto, lumen gloriæ poſſe habere rationẽ potentiæ, & per conſequens non poni in ſecunda ſpecie qualitatis: quo ſuppoſito, corruit argumẽtũ. Id autẽ facilẽ demõſtratur: qa de ratione potẽtię eſt, quòd immediatè ſubiectetur in ſubſtantia, cuius eſt potẽtia, vt patet ex Philoſophia. Iã verò lumẽ gloriæ immediatè non cõuenit animæ, ſed mediãte intellectu, vt iam oſtendimus, & fatentur aduerſarij: nulla autem potentia poteſt eſſe potentia alterius potentiæ, aut conuenire ſubſtantiæ mediante altera potẽtia. Porrò, ſi lumen gloriæ intellectui non eſt tota potentia; vtique non eſt tota virtus ad videndum.

40. *Quid ſit lumẽ gloriæ.* Si verò à me inquiras; quid nam ſit lumen gloriæ? Reſpondebo eſſe quandam virtutem augmentatiuam virtutis, & actiuitatis potentialis (qualis eſt virtus elicitiua) ipſius intellectus. Augmentum verò propriè non eſt potentia, ſed complementum potentiæ elicientis, vt quæ. Et ſecundùm hanc rationem lumen poſtulat ſpeciem qualitatis diſtinctam ab illis, quas Ariſtoteles poſuit; & de hoc articulo ſatis diximus.

ARTICVLVS III.

An virtus, qua intellectus in viſionem influit, ſit aliqua virtus obedientialis innata, diſtincta à virtute naturali intellectus?

IN prima quæſtione huius libri art. 5. oſtendimus, intellectum de facto actiuè influere in viſionem: & ideo inſtituimus diſputationẽ, quanam virtute; & quomodo intellectus in eam influat? quia verò dubium eſt; an influat ſola actiuitate luminis gloriæ? an verò per aliquam virtutem actiuam illi innatam, diſtinctã ab actiua virtute luminis? ideo de hoc quæſtionem excitauimus; & in præcedẽti articulo conſtituimus, intellectum nõ influere per ſolam luminis actiuitatem; ſed etiam per actiuitatem ſibi propriam, & innatam: quia verò à nõnullis duplex diſtingui actiuitas intellectui innata, & propria: vna, quæ eſt naturalis: altera, quę eſt obediẽtialis, quam Suarius ponit diſtinctam à naturali: neceſſe eſt expendere, per quam nam iſtarum intellectus in viſionem influat? Eſt enim de hoc nonnulla controuerſia. In hoc articulo agemus, an influat per innatam obediẽtiam, quam Suarius excogitauit; in ſequenti verò; an influat per naturalem, vt diuino imperio ſubijcitur? 1. *Quęſtio ſubtilis.*

§. I.

Opinio, quòd influat per actiuitatem obedientialem à naturali diſtinctam.

VNus eſt doctiſsimus Suarius, qui hanc quæſtionem fecit dubiam: in ea enim eſt ſentẽtia, vt intellectus beati non influat in viſionem per actiuitatem ſibi naturalem, qua cætera intelligit; ſed per obedientialem, quam ponit in omnibus rebus creatis, illis innatã, vt vidimus in ſecunda quæſt. præcedente art. 9. ita enim docuit in Commentarijs manu ſcriptis *ad primam ſecundæ, quæſt. 5. art. 2. quæſtiunc. 3. & in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 11. num. 46. & 1. tom. ad 3. p. diſp. 22. ſect. 1. §. Dicet fortaſſe aliquis, pag. 470. colu. 1. & latiùs diſp. 31. ſect. 6. pag. 603. colum. 2. §.* 2. *Opinio quid ſit diſtincta. Suarius.*

Dicunt

Dicũt verò aliqui, & pag. 610. col. 2, §. Atq́, hæ rationes, & pag. 611. col. 2. in fine, & poſt longam diſputation ẽ ibidẽ concludit pag. 610 col. 1. §. Mihi verò dicendum videtur: & in eadẽ opinione perſiſtit lib. 2. de attrib. negat. c. 10. nu. 14. & ſatis eam ſupponit lib. 3. de Auxilijs cap. 15. n. 20. In quibus locis cõſtanter affirmat, intellectũ beati non influere in viſionem, per virtutem intelligendi ſibi naturalem, ſed per obedientialem, à naturali diſtinctam; ita vt intellectus per eandem virtutem obedientialẽ influat in viſionem, per quam influet, ſi aſſumatur ad transferendũ montem: ad reſtituendum viſum, & ad cæteros effectus ſupernaturales: id enim ſatis declarauit 1. *tom. ad 3. p. in d. pag. 470. Dum ait, intellectum concurrere ad viſionem per eandẽ potentiam obedientialẽ, quæ de ſe extenditur ad omne id, quod contradictionem non implicat.*

Fundamentum. Totum huius opinionis fundamentũ ex eo ſumit; quoniam intellectus per ſuã naturalem virtutem nullo modo poteſt actiuè influere in viſionem, quod multis nititur probare. Ergo nulla datur alia virtus actiua, quæ cum lumine gloriæ in viſionem influat, quæ ſibi propria ſit, & innata, niſi actiuitas obedientialis à naturali diſtincta.

§. 2.

Non recipitur hæc opinio.

3. Non recipitur. HÆc doctiſsimi Suarij opinio in his terminis nõ recipitur à Bellomõtano *in 1. p. diſp. 43. cap. 4. ad finem, & diſp. 176. cap. 5. n. 26. nec alijs*, qui poſt eum ſcripſerunt, etiam domeſticis non contenẽdę eruditionis, ſed nec vnquam mihi placuit: nec placere debet ijs, qui potentiam illam obedientialem actiuam, quam ponit, vt confictam reprobant: nec illis, qui volunt, intellectum per ſuam naturalem virtutem, eleuatam tamen, influere in viſionem, nec denique alijs, qui volunt intellectum ad viſionem concurrere, non vt cauſam inſtrumentariam; ſed vt principalem: etenim, ſi concurreret per illam obedientialem virtutẽ; concurreret, vt cauſa inſtrumentalis, cum virtus à Suario conficta ex ſua natura ſit inſtrumentaria.

4. 1. impugnatio. Hæc opinio primùm reijcienda eſt ratione ſui fundamẽti; quatenùs ſupponit, intellectum beati influere nõ poſſe in viſionem per virtutem naturalem, quam à natura habet ad intelligendũ omnia, quæ intelligit; hoc enim eſſe falſum, & cũ doctrina Patrum, atque vera philoſophia pugnare, oſtendemus in artic. ſequenti. Quare licet admitterem⁹ virtutẽ illã obedientialẽ Suarij; adhuc negaremus, intellectum per illam de facto influere in viſionem: poſſet quidem Deus per abſolutã potentiam efficere, vt intellectus Deũ videret, & non per naturalẽ ſuã videndi virtutem, ſed per actiuã illam obedientiã, quam habet ad omnia, quæ Deus per eũ facere voluerit. Quare licet hanc obedientialem actiuitatem in intellectu admitteremus in ordine ad viſionem (quã tamen non admittimus) adhuc nõ daremus intellectũ per illã in viſionem de facto influere; ſed per virtutem actiuã, ſibi naturalem; quia Deus in ijs, quæ ad ſtatũ beatificũ pertinent; eligit ordinem connaturalem illi ſtatui, tùm viſioni, tùm intellectui videnti: non verò ordinem extraordinarium, & ſuprà naturã illius beatifici ſtatus, vt in his libris ſæpè diximus, & ſpecialiter in q. 1. huius libri art. 5. §. 5.

Deinde ex eo reijciẽda eſt hæc opinio; quoniam illa potentia obedientialis actiua, quam ſubtiliter vir doctiſsimus excogitauit, tanquam conficta, & omnino improbabilis ab omnibus, etiam domeſticis (vno excepto Albertino) abſquè dubio reijcitur, vt latè oſtendimus ſuprà q. 2. art. 9; vbi nos eã reiecimus, & diſſoluimus omnia Suarij argumenta: & ſatis conuincitur eam eſſe reijciendam ratione, quam inferius adducemus art. 4. §. 2, in præmiſsis ibi iactis. 5. 2. Impugnatio.

Tertio loco, ex eo puto, eã eſſe reijciendã: quoniã, licet illa obediẽtialis actiuitas in cęteris rebus admittenda foret; imò etiã in intellectu ad actus nõ vitales, nulla tamẽ ratione admittẽda erit in intellectu in ordine ad viſionẽ beatã, aut ad aliquẽ aliũ actu intellectus, tùm patriæ, tùm vię: ſicut etiã admitti nõ poteſt in volũtate in ordine ad ſuos actus vitales ſupernaturales. Fundamentũ inde ſumo; quia cõditiones obedientiæ actiuæ, quas illi tribuit Suarius; nullo modo poſſunt conuenire, aut intellectui, aut voluntati erga actus ſuos vitales viæ, & patriæ. 6. 3. Impugnatio.

Hoc noſtrum fundamẽtum inde primum 7.

Fundamentum.

mum confirmamus: quia ſi intellectus ad viſionem ſolùm concurreret per actiuitatem obedientialem viri doctiſsimi; non haberet ordinē, aut proportionē eſſentialiorem, imò connaturaliorem ad viſionem, quàm ad cæteros ſupernaturales actus, & effectus, quos per eādem obedientialē potentiā poteſt producere; quales ſunt trāslatio huius montis in aliū locum, reſtitutio viſus, ſanitas ab infirmitate, & huius generis alij. Cōſequens tñ eſt falſū. Cōſequētia ex eo probatur; quia potētia obediētialis actiua, quā Suarius admitit, eſt æqualis, & eiuſdē rationis in omnibus rebus, quoad omnes effectus, vt ille docet *lib. 2. de attrib. negat. cap. 21. n. 13. & nos diximus ſuprà q. 2. ar. 13. §. 5.* Falſitas conſequētis facilè demōſtratur; quia nō poteſt cū probabilitate negari, intellectū habere proportionē magis intrinſecā, & eſſentialem; imò magis cōnaturalē ad viſionē beatā, quàm habeat ad effectus explicatos: nā cū viſio ex ſua natura ſit actus vitalis, & immanens; intellectus eā producet, prout eſt principiū vitale, & actiuū actione immanente: cęteros verò actus, cum nec vitales ſint, nec immanentes, ſed trāſeuntes, nō producet, vt eſt principiū vitale & actiuū actione immanente; & per cōſequēs ad eos nō concurret, vt eſt inſtrumentū animæ, quatenùs anima eſt prima, & ſubſtantialis vita: vnde ad illos ſolū concurret, vt eſt quædā res creata, prout, quatenùs creata, eſt Deo ſubiecta; nam ſub hac

Suar.

8. ſolū ratione habet actiuitatē obedientialē Suarij. Cui accedit: quoniā Deus illos actus, quos per intellectum producit, poſſet producere per quamcūq; aliā rem creatā; ideo, quia eſt Deo obediens: cum tamen Deus viſionem beatā, vel nō poteſt producere per aliā rem creatā; imò nec per ſe ipſum: (ſi vera eſt opinio, quæ negat poſſe Deum viſionem beatā, aliumvè actū vitalem producere, intellectu ad eum actiuè nō cōcurrente; quæ eſt opinio grauiſsimorū Theologorum, quos citauimus *ſupra q. 1. art. 4. §. 1. in 1. ſententia*; vbi etiā diximus, Suariū in hanc ſententiā magis inclinaſſe): vel ſi poteſt, aut per ſe ſolùm, aut per aliā rem creatā producere viſionē aut verior habet opinio, de qua *in d. art. 4.* §. 2: de facto tamen eā non producit, niſi per intellectum; ideo, quia ſola iſta productio ſtatui beatifico cōnaturalis eſt, vt oſtendimus q. 1. art. 5. §. 5. Quod argumentū efficaciter arguit viſionem (idē dicito de cæteris actibus intellectus) habere dependentiā ad intellectū; aut intrinſecā, & eſſentialem, ſi ſine intellectu fieri nō poteſt: aut cōnaturalē; ſi à Deo poteſt fieri, nō tamen connaturali modo: quā tamen dependentiā non habent actus, & effectus ſupernaturales, qui nec immanentes ſūt, nec vitales: hi enim æqualem habent dependentiam ad intellectū, & ad quācūq; aliam rem creatā; quia æqualiter à quacunque produci poſſunt: vt omittamus, eos nullam connaturalem dependentiā ad intellectum habere poſſe; cū tamen eam per ſe habeant viſio beata, & cæteri actus intellectus. Porrò ſi ſemel admittatur, viſionem (& quemcunq; actū intelligendi) habere ad intellectum dependentiā, aut magis eſſentialem, aut ſaltem magis cōnaturalem, quàm ad illum habeant actus nō vitales; negari non poteſt, actiuitatem intellectus eſſentialiori, aut ſaltem connaturaliori ordine, & proportione reſpicere viſionem, quàm reſpiciat effectus nō vitales, & nō immanētes. Quod ſi admittatur (non poteſt autē non admitti) negari cū probabilitate nō poteſt, intellectū nō per eandem, ſed per aliā, & aliam actiuitatem obedientialē vnos, & alteros effectꝰ reſpicere: nā ſi per ſolam illā, quam Suarius ponit, vtroſque reſpiceret; vtroſque etiam reſpiceret ordine æquê eſſentiali, & proportione æqualiter intrinſeca, & cōnaturali: etenim potētia obediētialis Suarij, & in omnibꝰ rebus eſt æqualis, & quoad omnes effectus, vt ſuprâ diximus. Quare cū hæc conditio non reperiatur in potentia obedientiali, quę eſt in intellectu in ordine ad viſionem, & ad cæteros effectus vitales, quos reſpicit; dici non poteſt, intellectum in viſionem influere per potentiā obedientialem, quam inuenit Suarius.

Deinde; ſi intellectus in viſionem ageret per potentiam obedientialem Suarij; 9 Confirtio.
vtiq; ageret per actiuitatem, quæ noſtro intellectui ſolùm concomitanter adiaceret. Conſequens eſt falſum. Sequela probatur; quoniam actiuitas obediētialis ex ſententia Suarij non cōuenit rei, cuius eſt potentia, per ſe, & eſſentialiter; ſed ſolùm per concomitantiam, vt ſatis patet ex ijs, quæ de illo adduximus in præcedente quęſtione art. 9. Quare ſi intellectus ageret

ret

ret in viſionem per potentiam obedientialem explicatam; ageret per actiuitatẽ, quæ ſibi conueniret ſolum per concomitantiam, & quaſi conſequenter, quæ fuit Sequela. Quòd verò id ſit falſum, ex eo probatur; quia improbabile videtur actiuitatem, qua intellectus influit in viſionẽ, & in cæteros actus vitales, eidem intellectui veluti concomitanter adiacere: nam quæ alicui, veluti concomitanter conueniunt, nõ dicuntur illi conuenire ex precisa ſua natura; nam quę ex preciſa natura conueniunt: intrinſecè cõueniunt. Iam verò intellectui præciſè conſiderato in ſua natura conuenit vis actiua ad viſionẽ, & ad cæteros actus, quanuis imperfecta ſit, & inchoata, vt idem Suarius docet *in dicta diſp. 31. ſect. 6. pag. 599. col. 2. C.* vbi affirmat, oppoſitum non eſſe principijs fidei conſentaneum: etenim, vt ait, intellectus in ſua natura conſideratus (abſtrahendo ab hoc, quod illa ſit, vel naturalis, vel obedientialis; & ſubinde abſtrahẽdo ab illis, quę ei adiacenter, & concomitanter conueniunt) habet vim actiuã ad viſionem, licet imperfectam, & inchoatam. Quare hæc duo non videntur conſequẽter dicta; ſc. actiuitatem conuenire intellectui ſolùm adiacenter, & per quandam concomitantiam; & conuenire illi in abſtractione ſuæ naturæ, vt conſideratur abſtracta ab omni adiacentia, & concomitantia.

10. 4. impugnatio. Quarto loco contra eandẽ opinionem illud obijcio: quoniam obedientia actiua, quæ placet Suario, ex eodem non eſt res aliqua per ſe ordinata ad agendum id, ad quod diciturpotẽtia obediẽtialis: vnde ex ſe nec habet ordinẽ trãſcendẽtalẽ ad act⁹, ad quos concurrit; nec ab illo ordine aliquam ſpeciem accipit; ſed ſolùm adiacet concomitanter entitati, cuius eſt potentia, vt expreſsè ſcribit *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. col. 1. §. Quarto id probatur, & col. 2. §. In præſenti ergo, & pag. 608. col. 1. §. Nec rationes dubitandi, & idem dixerat pag. 605. & p. 587. col. 1. §. Quòd ſi inquiratur.* Quæ tamen non conueniunt, nec poſſunt conuenire actiuitati, per quã intellectus in viſionem influit. Ergo hæc actiuitas longè diuerſa eſt ab ea, quam ponit Suarius; etiam ſi illa in alijs rebus admittenda foret: imo etiam in ipſo intellectu ad actus nõ vitales. Diſcurſus eſt legitimus: maior eſt eiuſdem Suarij: & quanuis ille in Metaphy. diſp. 14. ſect. 2. num. 13. minorem neget, & doceat actiuitatẽ, per quam intellectus videt Deum, ex ſua natura non eſſe inſtitutam ad agendum, & ex conſequenti non eſſe per ſe primò inſtitutam ad producendos tales actus: nec ab illis aliquam ſpeciem ſumere, ſed ſolùm concomitanter, & adiacenter illi conuenire: tamen oppoſitum euidenter oſtendemus in ſequenti articulo.

Denique illud obijcimus: quoniam actiuitas illa obedientialis, pro qua pugnat Suarius, eſt actiuitas ex ſua natura inſtrumentalis, quæ ſolis diuinis inſtrumentis poteſt conuenire: hoc enim paſsim de ea ſcribit. Iam verò actiuitas, per quam intellectus in viſionem influit, non eſt actiuitas inſtrumentaria, ſed principalis: intellectus enim per illam influens, cõcurrit, non vt inſtrumentũ, ſed vt cauſa principalis, vt diligenter oſtẽdemus in 5. art. huius quæſtionis. 11. Vltima impugnatio.

Et hæc contra hanc opinionem dicta ſufficiant: cuius fundamentum ſimul cũ argumentis, quibus confirmatur, in ſequenti articulo diſtruemus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm intellectus ad viſionem cõcurrat per virtutem naturalem, quæ illi ſit potentia obedientialis?

CVm intellectus creatus ad viſionẽ non influat per virtutem actiuam obedientialẽ, quã doctiſsimus Suarius ſubtiliter philoſophatur; ſola reſtat virtus actiua naturalis, quam intellectus ab ipſa natura habet ad intelligendũ ea, quæ intelligit. Quare hoc loco examinãdum reſtat; an intellectus per ſuam naturalẽ virtutem cum lumine gloriæ ſimul ad viſionem concurrat. 1. Quæſtio optima.

§. 1.

Refertur opinio negans cum ſuis fundamentis.

QVòd intellectus nõ poſsit influere in viſionem per virtutem ſuã naturalem, docent nonnulli ex noſtris Theologis; inter quos eſt Suarius: qui hanc opinionem ſumit, tanquam firmum fundamentum potentiæ obedientialis 2. Opinio negans.

tialis actiuæ,& innatæ, quàm philoſophā tur,diſtinctam à naturali. Quòd intellectus per naturalem virtutem, & actiuitatem in viſionem non influat,probat *in Cō mentarijs manu ſcriptis ad primā 2. q.5.art.*
Suarius. *2.quæſtiūc.3.& in Metaph.diſp.30.ſect.11. num.46.vbi expreſsè docet,intellectū ad viſionem non habere actiuitatem, vt eſt virtus naturalis, ſed vt eſt obedientialis.* Et idem ſcribit 1.tom.ad 3.p.diſp.22.ſect.1.pag. 470. col.1. §. *Dicet fortaſſè aliquis,* affirmās, *veriùs, & propriùs dici,intellectum ad viſionem non concurrere per efficaciam naturalem,ſed per obedientialē:* & diſp.31.ſect. 6.pag.603. colu.2, §. *Dicunt verò aliqui,* eandem repetit ſentētiam: *& clariùs pag. 610. colum.2. §. Atque hæ rationes,* vbi ita ſcribit: *Ego nulla ratione concederē influere in hos actus, virtute naturali, vt naturalis eſt.* Et idem repetit, *pag.613.col.2. §. Atque hæc quidem, & pag.616. col. 1. §. Mihi verò dicendum videtur,* & ſatis idem probat lib.3. de Auxilijs cap.15. n.20. Eandem ſentētiam probat Nauarretē 1. *tom.*
Nauarre. *Contro.37.§.4.concl.8. pag. 229. col.2. in hæc verba: Intellectus ſecundum ſuam virtutem naturalem,nullam efficaciam habet,etiā partialem, ad videndam diuinam eſſentiam,* & id ſæpiùs repetit. In eadem ſentētia eſt
Cabrera. Cabrera 1.*tom.ad 3.p.q.9.art. 2.diſp.4.§. 2.concl.2.n.58.pag.798. col.2.* vbi multis oſtēdit, intellectum creatum nullam in ſe habere virtutē naturalem,etiā radicalem, ad viſionem,ita vt per illam,etiam eleuatam, non attingat viſionem: Petrus Le-
Ledeſma. deſma hanc ſententiam putat eſſe longè probabiliorem,vt patet *de diuina perfectione q.8.art.8.pag.585.col.1.in fine §.Secunda pars huius dicti.* Hos Theologos inueni, qui in terminus hanc opinionem probēt. In eam plures alij videntur ſatis inclinare; Sotus,inquam,Cumelius,Bañes, Pezantius, quos citauimus ſuprà artic.2. §.1.in principio, quatenùs ſupponunt, lumen gloriæ intellectui eſſe totam videndi virtutem; qui enim hāc opinionem probāt, non poſſunt, non negare virtutem naturalem,etiam eleuatam, in viſionē influere: vnde Cumelius ſimpliciter fatetur,intellectum ex ſua natura non habere actiuitatem in viſionem. Denique in eandem ſententiam mihi propendere videtur Fō-
Fonſeca. ſeca, ſi expendātur, quæ ſcribit *lib.9. Metaph.cap.1.q.4.ſectio.3. pag. 611. col.1. §.*

Præterea ſi potentiæ; maximè dū putat,ſapere Pelagianiſmum admittere in noſtro intellectu potentiam inchoatam naturalem,in ordine ad viſionem.

Huius opinionis plura fundamenta cō 3.
gerit Suarius,ſed non ſatis diſtinctè. Quę ex illo potui colligere,ſunt,quæ ſequuntur. Primum eſt: quoniam virtus natura 1.Arg.
lis eſt ordinis inferioris ad viſionē. Ergo, vt naturalis eſt,non poteſt influere in eā. Antecedens patet: conſequentia probatur: quia virtus actiua debet eſſe proportionata ſuo effectui: at quæ ſūt inferioris ordinis, vt talia ſunt, non habent debitam proportionem ad ea,quę ſunt ordinis ſuperioris; & per conſequens ad illa nullam habent potentiā. Sumitur vis argumēti ex Suario 1.*tom.ad 3.p.pag.610. in princ.*

4.
Secundo; actiuitas illa naturalis,vt na- 2.Arg.
turalis eſt, ex ſe eſt limitata ad ſolos effectus naturales: ergo, vt talis eſt, non agit vltra illos effectus, & ſubinde, nec agere poteſt in effectus ſupernaturales. Antecedens patet: cōſequentia probatur; quia ad effectus ſupernaturales, nec agit intra ſuos limites; nec cooperatur per concurſum naturæ ſuæ debitum, & illi proportionatum. Ergo ad illos non habet ordinem connaturalem,& per conſequens in eos nō aget,vt eſt naturalis virtus. Sumitur ex eodem *pag.110.col.1.in principio.*

Tertio; implicat effectum eſſe ſuper- 5.
naturalem; & potentiam in eo influere, 3.Arg.
vt eſt naturalis. Ergo intellectus non poteſt influere in viſionem per virtutem naturalem, vt naturalis eſt. Conſequentia patet: antecedens oſtenditur; quoniam ſi in ſupernaturalem effectum influit, vt eſt virtus naturalis, & ex vi ſuæ naturæ; neceſſariò habebit aliquem ordinem ad talem effectum, vel per modū virtutis principalis; vel inſtrumentalis: hunc autem ordinem habere non poteſt ad talem effectum, niſi illum contineat, ſub adæquato obiecto ſuæ naturalis actiuitatis. Quod dici non poteſt: quia ſequeretur,talem effectum non eſſe ſupernaturalem. Sicut calor ſi naturaliter eſt actiuus, formæ ignis, aut carnis; talis effectus eſt illi connaturalis, & non ſupra illius vires; etiam ſi ad eum non habeat vim ſufficientem; ſed indigeat adiuuari à ſuperiori agente. Eodem igitur modo, ſi potentia naturalis, vt naturalis eſt,

influit

influit in effectum ſupernaturalem ; talis effectus erit illi connaturalis: etiam ſi ad illum non habeat vim ſufficientem, ſed indigeat eleuatione. Implicat igitur effectum eſſe ſupernaturalem ; & potentiam influere in illum, vt eſt virtus naturalis. Sumitur ex eodem *in dicta pag.* 610 *col.* 1. §. *Implicat igitur.*

6. Cõfirmatio Confirmatur ex eodem in eodem loco: quia nulla virtus naturalis poteſt operari, vt naturalis, niſi ſit, vel virtus principalis, vel ſaltem inſtrumentalis, per ſe ſubordinata alicui agenti principali eiuſdem ordinis: etenim virtus agentis debet habere proportionem ad agens principale, cui ſubordinatur. Sed intellectus in ordine ad viſionem non poteſt per ſe ſub ordinari ad aliquod agens principale naturalis ordinis. Ergo ſua naturali virtute nõ poteſt agere in viſionem.

7. 4. Argum. Quartò; ſi actiuitas intellectus, vt eſt, naturalis, influat in viſionem, alioſque actus ſupernaturales: vtiq; habebit eſſentialem habitudinem, ad totam latitudinẽ actuum naturalium, & ſupernaturalium: etenim intellectus tantum habet actiuitatis ad actus, quantum habet eſſentialis habitudinis ad illos. Ergo ſi, vt virtus naturalis influit in omnes illos actus; vtique ad omnes illos habebit eſſentialem habitudinem. Ex quo infertur, omnes illos actus eſſe intellectui connaturales, & nullũ dari ſupernaturalem. Ita colliges ex eodem *in dicta pag.* 611. *col.* 1. *in principio.*

8. 5. Argum. Quintò; ſi in noſtro intellectu daretur vis naturalis actiua, reſpectu viſionis: daretur etiam in eo virtus naturalis paſsiua, naturaliter receptiua illius: etenim potẽtia paſsiua correſpondet actiuæ, & ad eã conſequitur. Ita apud eundẽ *pag.* 603. *col.* 2. §. *Dicitur verò, & pag.* 610. *col.* 2. *ad finẽ.*

9. 6. Argum. Sexta ratio colligitur ex eodem *in d. tom.* 1. *diſp.* 22. *ſectio.* 1. §. *Dicet fortaſſe aliquis pag.* 470. *col.* 1. quoniam ſi intellectus concurrit ad viſionem, virtute ſibi naturali; intellectus melioris virtutis naturalis cum ęquali lumine meliorem haberet viſionem. Quod tamen eſt falſum.

10. 7. Argum. Septimo loco ex eodem *in dicta pagin.* 610. *col.* 1. *B.* quia intellectus non poteſt agere in viſionem aliumvè actum ſupernaturalem, niſi eleuatus. Ergo non agit in eã, vt virtus naturalis. Antecedẽs patet, conſequentiam probat: quia implicat influere, vt eleuatum, & influere per virtutem, vt eſt naturalis.

11. 8. Ex Lædeſmio. Octauo loco arguit Lædeſmius *in dict. articulo* 8. *pagin.* 585. *column. prima in fine:* Si virtus naturalis intellectus, & naturalis eius vitalitas concurreret ad viſionem beatam, difficillimè intelligi poſſet, viſionem eſſe ſupernaturalem: cùm procedat à virtute naturali.

12. 9. Ex eodẽ. Nonò ex eodem *in dicta. q.* 8. *artic.* 7. *in* 1. *concl. pag.* 565. *in ſecunda, & tertia demonſtratione:* quoniam fieri non poteſt, vt intellectus proprijs, & naturalibus viribus videat Deum, vt ibi latè demõſtrat. Sed ſi influeret in viſionem, vt eſt virtus naturalis, ex proprijs viribus videret Deũ. Ergò in viſionem non influit, vt eſt virtus naturalis.

13. Cõfirmatio 1. Cõfirmatur ex eodem ibidẽ *pag.* 566. *col.* 1. §. *Vltima demõſtratio:* quoniã virtus naturalis intellectus nõ poteſt attingere obiectũ ſibi improportionatũ, vt patet: quia inter potentiã, & obiectũ debet dari proportio. Sed Deus, vt eſt in ſe ipſo, eſt obiectũ improportionatũ. Ergo intellectus nõ videt Deum, virtute ſua naturali, vt naturalis eſt.

14. Cõfirmatio 2. Cõfirmatur ab eodẽ in eodẽ loco: quoniã intellectus humanus virtute ſua naturali nõ poteſt cognoſcere quidditatẽ. Angeli, vt in ſe eſt. Ergo multò minꝰ poterit cognoſcere Deũ virtute ſua naturali, quãtumcũque ſit elauatus. Probatur conſequentia; quia ideo non poteſt virtute ſua naturali Angelũ cognoſcere; quia eſt obiectum ſibi improportionatum: ſed Deus multò magis eſt improportionatus illi, vt patet. Ergo quantuncũq; eleuetur, nõ poterit virtute ſua naturali videre Deum.

15. 10. arg. ex Cabrera. Decimò arguit Cabrera 1. *tom. ad.* 3. *p. diſp.* 4. §. 4. *concl.* 2. *n.* 69. viſio beata eſt ſupernaturalis. Ergo intellectus nullã habet virtutem naturalẽ, quam in eam influat. Antecedens eſt notum; cõſequẽntia probatur; quia virtus, quæ ex ſe conuenit intellectui, eſt naturalis. Actiuitas verò ad videndũ Deum debet eſſe ſupernaturalis, cum viſio ipſa ſupernaturalis ſit.

16. 11. ex eodẽ. Vndecimò ex eodem: ſi virtus naturalis, vt eleuata, produceret viſionem principium adæquatum viſionis eſſet compoſitum ex virtute naturali, & ſupernaturali. Quod tamen eſt falſum: eſſet enim tale principiũ mixtum ex rebus diuerſi gene-

generis; cum tamen viſio ipſa ſit quoddam ens per ſe, ſimplex, & vnius ſpeciei.

17. 12. ex eodē. Duodecimò ex eodem: Si intellectus haberet virtutem naturalem reſpectu viſionis, haberet potentiam actiuam ad eā, quæ conueniret ſibi à natura. Quod admitti non debet: ſequeretur enim, quòd intellectus naturaliter produceret viſionem; ſaltem vt principium primum, & radicale.

18. 13. ex eodē. Decimo tertiò ex eodem: Si intellectus haberet virtutem naturalem ad producendā viſionē; eam etiā haberet ad producendam gratiam: quod non eſt admittendum. Sequela probatur, quia gloria non ſolùm eſt quid maius, quàm gratia, ſed eam ſibi ſubordinatam habet. In ſubordinatis autem qui poteſt in maius, poteſt, & in minus. Quare ſi intellectus habet virtutē naturalem, qua poteſt in gloriam, eam etiam habebit in ordine ad gratiam.

19. 14. ex eodē. Decimo quartò ex eodem: quia ſi intellectus haberet virtutem naturalem in viſionem, eam etiā haberet ad augendos habitus ſupernaturales, & ad intendendū actus ipſorum: quod eſt falſum. Sequela ex eo probatur; quia ſi intellectus habet virtutem naturalem ad producēdum actum præſtantiſsimū, qualis eſt viſio: eandem etiam habebit: tùm ad augendū habitum ſupernaturalem; tùm ad intendendum illius actū: etenim virtus actiua naturalis, quę datur in nobis, ideo poteſt intendere naturales habitus, & actus illorū; quia eſt virtus naturalis ad tales actus. Eadem igitur ratione, ſi in nobis datur virtus naturalis ad viſionem, & ad cæteros actus ſupernaturales; vtique etiam dabitur in nobis virtus naturalis ad intendendos ſupernaturales habitus, & actus illorum quæ fuit ſequela.

20. 15. ex eodē. Decimo quintò ex eodem: Si intellectus virtute naturali actiuè concurrit ad viſionem, poterit ſuſpendere talem concurſum; & per conſequens poterit non videre Deum, quanuis ſit illuſtratus lumine gloriæ, & habeat diuinam eſſentiam ſibi vnitam. Conſequēs tamen eſt falſum. Sequelam probat; quia talis concurſus nō eſſet naturalis, ſed liber.

21. Decimo ſextò: Si intellectus virtute naturali influeret in viſionem; eſſet ex ſua natura propēſus in eam; quod aſſerere ſapit Pelagianiſmū; ſiue illa virtus cōpleta ſit, ſiue inchoata, vt teſtatur *Fonſeca 6. Metaphyſ. cap. 1. q. 4. ſectio. 2. pag. 111. col. 1. in principio.* Fonſeca.

Poſtremò; pro hac opinione adduci poteſt D. Thomas *prima parte q. 12. artic. 6.* quatenùs abſolutè docet, *videre Deum nō conuenire intellectui ſecundum ſuam naturā.* Et ibidem ad 3. aſſerit, *diuerſitatem viſionis prouenire ex diuerſa facultate intellectus: non quidem naturali, ſed glorioſa.* Hæc ſunt, quæ pro hac negante ſententia ab illius Patronis potui colligere. 22. Vltimum argume

§. 2.

Opinio affirmans eſt tenenda.

Ego opinionem affirmantem, tanquam veriſsimam, ſemper probaui, & modo conſtanter probo, ſi debitè expliciter. Eam contra Suariū, quidam eiuſdem Societatis non infimæ claſsis Theologos approbaſſe, ſcio; quia expreſsè affirmant intellectum noſtrum ad viſionem concurrere, non per actiuitatem obediētialem, quam fingi Suarius, (eam enim latè impugnant; ſed per virtutem propriam, & naturalem. Eandem etiam contra eundem approbauit Bellomontanus *1. p. diſp. 176. capit. 5. num. 28.* *dum docet, intellectum actiuitatē luminis gloriæ ſua naturali efficacitate adiuuare.* Et ad finem capitis expreſsè aſſerit, *viſionē Dei ſine vi naturali intellectus produci non poſſe. Et in eodem cap. 5. num. 25. in fine facultatē, qua intellectus in viſionem influit, appellat naturalem. Et num. 26. in fine affirmat, intellectum virtute naturali ex ſe aliquid conferre ad actum ſupernaturalem:* & quia nomen naturale multis modis ſumi poteſt, vt inferiùs dicemus, ideo virtutē, qua intellectus in viſionem influit, appellat natiuam: non ad ſenſum Suarij; ſed vt natiuum idem eſt, quod fluens ex principijs naturæ, quod ipſum verè, & propriè dicitur naturale. Quare dubitari non poteſt, Bellomontanum nobiſcum conſentire. 23. Vera eſt opinio affirmās Bellomon.

Sed, & veteres Theologi ita loquuntur. Ita loquitur Richardus *in 4. diſt. 49. art. 2. q. 3. vbi fatetur, virtutem naturæ concurrere ad viſionem, & ob id inæqualiter videre, qui cum æquali lumine habent inæqualem virtutem naturæ.* Clariùs id docet art. 3. q. 2. expreſsè enim, fatetur, lumē naturale 24. Ex veteribus. Richard.

rale ſimul cum lumine gloriæ requiri ad viſionem: cum enim, vt ait, lumen naturale perficiatur per lumen gloriæ; vtrūq; lumen ad viſionem concurrit. Denique in fine corporis fatetur, *virtutem naturalē cum lumine agere in viſionem.* Id ipſum ex *Paludan.* preſſè fatetur Paludan. *in* 3. *diſt.* 14. *q.*1. *art.*1.*in* 3.*concl.ita inquiens: dubitabile eſt, in quo viſio beata ſit perfectior: Vtrùm in Chriſto ratione maioris luminis gloriæ, vel in Angelis, ratione maioris luminis naturalis.* Et inferiùs explicans maiorem huius argumenti, dicit illam eſſe veram, ſi lumen naturale, & lumen gloriæ æqualiter ſe habeant ad actum beatitudinis. Denique in tota illa quæſtione ſemper ſupponit, lumen naturale intellectus influere in viſionem apud eos, qui putant, intellectum ad *Scotus.* eam ſe actiuè habere. Scotus ſæpè docet naturalia agere in actum beatitudinis, vt patet *in* 4.*diſt.*50.*q.*4.5.*&* 6.*litera F.* dum ait, *beatitudinem poſſe eſſe inæqualem propter inæqualitatem naturalium. Et in* 3.*diſp.* 13.*ad* 4.*quæſtionem litera P.docet, potentiā animæ ex ſe habere vim, ſaltem remotam ad* *Baſſolius.* *actū beatitudinis. Baſſolius in* 3.*diſt.*14.*q.*1. *art.*3.*fol.*52.*col.*3.*in principio expreſſè ait; intellectum, ſi actiuè concurrit ad viſionem, poſſe in eā ex ſua virtute naturali, & idem dicit inferiùs ad* 1.*& clariùs in ſolutione primi argumenti principalis, vbi verbis expreſſis ait, intellectum, ſimul cum Deo, ſupplente lumen gloriæ per ipſa mera naturalia concurrere ad actum videndi. Idem ſatis ſupponit Hē-* *Henricus.* *ricus quodlib.*6. *q.*5: ſi diligenter expendātur, quæ ſcribit. Ita etiam loquitur Ma- *Maior.* ior *in* 4.*diſt.*49.*q.*10.*in ſolutione ſeptimi argumenti,* vbi verbis expreſſis docet, naturalia ad viſionem concurrere; & inde infert, eum, qui minora habet naturalia *Holchot.* cum æquali ope ſupernaturali inæqualē viſionem producere. *Quod etiam Holchot in ſuis determinabilibus q.*8. *litera G. ad* 2. *D.Anton.* *fol.*8.*col.*1. Lucem naturalem ſupra ſe eleuatam, videre Deum docet D. Antoninus 1.*p.titul.*3.*cap.*6.*fol.*50.*col.*3. *in principio.* *Caietan.* Expreſſè docet Caietanus 3.*p.q.*10. *arti.*4.§.*In reſpōſione ad* 2. id docet enim viſionem attendi nō ſolùm ſecundum ordinē gratiæ; ſed etiam ſecundùm ordinem naturæ, id eſt ſecundum virtutem naturalē ad intelligendū. Et hanc putat eſſe mentem D. Thomę ibidem ad 2. de quo inferiùs. Quòd virtus naturalis ſimul cum lumine influat in viſionem ſæpius aſſerit Molina 1.*p.q.*12.*art.*6.*diſp.*2. vbi non ſo- *Molina.* lum ait, intellectum actiuè concurrere in viſionem per ſuam virtutem; ſed explicat eum concurrere per virtutem, & vim naturalem ipſius, vt videbis ibidem *pag.* 125.*col.*1.*A.& col.*2.*B.C.* Quod virtus, & perfectio naturalis ad eliciendam viſionem conferat, teſtatur Valentia 2. *tom.* *Valentia.* *diſp.*1.*q.*5.*puncto* 3.*pag.*108.*col.*2. §. *Qua doctrina.*

Et vt alios omittamus, hunc loquendi 25.
modum eſſe D. Thomæ ſatis mihi pro- *D.Thom.* bant verba illius 1.p.q.12. art.5. ita enim ait. *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam; oportet, quòd ex diuina gratia ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi: & hoc augmentum virtutis intellectiuæ illuminationem intellectus vocamus.* Eccè virtuti, quæ virtus intellectiua appellatur, ſuperaccreſcit virtus intelligendi ex lumine; ita vt illa ipſa, quæ eſt naturalis intelligendi virtus, augeatur, vt poſſit Deū attingere. Quod etiam colliges ex art.1. eiuſdem quæſtionis, ſi verba ad finem corporis poſita diligenter expendas: poſtquam enim oſtendit, intellectum per ſua naturalia, & per naturalem ſuam facultatem nō poſſe videre Deum; quaſi ponens exceptionem addit hæc verba: *Niſi in quantum Deus per ſuam gratiam ſe illi coniungit, vt intelligibile ab ipſo.* Quæ verba ſatis ſignificant ipſammet naturalem facultatē intellectus Deū videre, poſtquam illum habet ſibi vnitū. Euidenter id ipſum docet *lib.*3.*contra gētes cap.*53.*in* 4.*ratione,* vbi in hæc verba: *Virtus intellectus naturalis non ſufficit ad videndam diuinam eſſentiā; Ergo oportet, quod augeatur ei virtus, ad hoc, vt ad talem viſionem perueniat. Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalis virtutis: oportet igitur, quòd fiat augmentum per alicuius nouæ diſpoſitionis adeptionem.* Ergo ex doctrina Diui Thomæ virtus ipſa naturalis augmentata lumine eſt, quæ in viſionem influit.

Hæc tam latè adduxi, vt omnes videant, tam Antiquiores, quàm Nouiores Theologos hoc loquendi modo generaliter vti, vt virtus naturalis intellectus ſimul cum lumine actiuè agat in viſionē: quare non eſt, quòd hoc loquendi modo ſimpliciter non vtamur.

Prima opinionis Confirmatio.

26. 1. Cõfirma bo. ¶ Hanc opinionem ex eo primum confirmo; quia certiſsimum eſſe debet, tam intellectum, quàm voluntatem in via actiuè influere in actus ſupernaturales virtute ſua naturali, & per proprias ſuas naturales vires. Ergo in patria intellectus ad viſionem, & voluntas ad amorem influent virtute ſibi naturali, & per vires ſuæ naturæ. Conſequentia videtur nota; quia eadem eſt ratio in actibus ſupernaturalibus viæ, & patriæ. Antecedens probabimus primò ex phraſi cõmuniter vſurpata à Theologis noſtri temporis, qui cõtra hæreticos ſcripſerũt; deinde pluribus Auguſtini teſtimonijs.

27. Driedo. Quòd illa phraſis communiter vſurpetur ab ijs, qui contra hęreticos noſtri tẽporis ſcribunt; patet ex Ioanne Driedone: ijs enim non ſolùm docet intellectũ, & voluntatem per ſuas vires, licet non ſolas: influere in actus ſupernaturales, & in bona opera; ſed etiam liberum arbitriũ virtute ſua naturali, adiuta tamen gratia eadem operari. Nam in lib. de Concordia, liberi arbitrij, & gratiæ 2. p. cap. 3. fol. 51. pag. 2. litera D. ita ait, *Quod ergo in argumento concluditur nos ex nobis poſſe facere aliquid, quo accipiamus Dei dona, vtpotè idem, & charitatem; verum quidem eſt nos ex nobis, id eſt noſtris viribus, non ſolis quidẽ ſed diuino ſpiritu excitatis, & attractis.* Libro 2. de Gratia, & libero arbitrio *tract. 1. cap. 3. fol. 149. pag. 1. B.* refert argumẽtum eorũ, qui volebant, omnem bonam operationem fieri in nobis, non ex naturali rationis lumine, aut liberi arbitrij virtute; ſed ex donis Dei natura ſuperadditis, fide ſcilicet, Spe, & Charitate; ad hoc argumentum negat antecedẽs, ita inquiens: *Nam ex liberi arbitrij viribus facit homo etiam omnia bona opera, quæ facit adiuuãte Deo.* Idem ſatis ſignificat ibidem *lib. 1. cap. 4. fol. 74. pag. 1. C.* agens enim contra hæreticos, qui ex eo, quod liberum arbitrium ex ſola ſua naturali vi ſibi ingenita non poſsit benè operari, inferunt, liberum arbitriũ ſua virtute naturali ſibi ingenita non agere bona opera, eos reprehendit; quia, licèt ſola ſua virtute naturali non poſsit benẽ operari; poteſt tamen per ipſam virtutem naturalem, & ingenitam, ad vitam tamen operari bona, vt patet ex ijs, quę ſcribit *in lib. de Concordia liberi arbitrij, & Gratiæ 2. part. cap. 3. fol. 44. pag. 1. litera F. Et ibidẽ pag. 2. lit. C. D.* expreſsè docet, *non ſolùm gratiam operari; ſed etiam actum, & motum animæ per vires ſuas naturales, & ingenitas.* Et in eodem loco concludit, gratiam ſuperuenire poſsibilitati naturæ, & naturam iam ſanatam operari. Et ibidem *fol. 42. pag. 1. A.* Scribit, gratiam perficere naturalem poteſtatem liberi arbitrij, vt operetur. Denique *lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio cap. 4. fol. 73. pag. 1. D. & pag. A. C.* expreſsè docet, *non eſſe improbandum. ſi quis dixerit, nos natura, & voluntate noſtra benè viuere: natura, & voluntate noſtra nos Deum ſuper omnia diligere: natura enim in Deum credimus, & in Filium eius IESVM: natura benè operamur: libera voluntatate noſtra facimus omnia, quæ facimus: natura, inquam, & voluntate diuinitus ſa nata.* Et inferiùs cõcludit, *natura, & libera voluntate nos recte viuere, & benè operari;* & id multis ſcriptura locis demonſtrat. Hæc ex Ioanne Driedone.

Eadẽ loquendi forma Ruardus Tappes cum Louanienſibus, vt patet ex ijs, 28. Ruardus.
quæ ſcribit *art. 7: etenim pagin. 296. docet, poſſe hominem per liberum arbitrium cũ gratia benè agere opera pietatis, & Chriſtianæ religionis.* Et pag. 299. in medio reprehendit Lutherum, quòd à voluntate tollat actiuitatem omnium actuum: & inferiùs *pag. 302. ita ait: Nihil igitur valet liberum arbitriũ ex naturæ ſuæ viribus ad opera pietatis, quæ ſola hominis vera ſunt bona, & ad ſalutem perducentia: peruentum tamẽ, & præparatum gratia Dei effectiuè hæc producit, & libere ſuaque virtute, & natura; ſed adiutum diuinitus.* Et inferiùs pag. 315. in vltima propoſitione ita ſcribit: *Opera pietatis, credere, pœnitere, implere præcepta, fiũt per naturalem virtutem liberi arbitrij; à gratia verò, vt pietatis ſunt opera: tamen, vt ſic, à libero arbitrio gratia informato effectiuẽ fiunt; non autem à ſola gratia.* Et pag. 316. in prima propoſitione ita habet: *Fidei myſteria cognoſcuntur naturali intellectus virtute diuinitus adiuta.* Et in tertia propoſitione aſſerit; *Quòd ſicut gratia non deſtruit naturam liberi arbitrij; ita nec cauſalitatem efficientiam, & efficaciam impedit; ſed nobiliorẽ facit, & ad ordinem ſuperiorẽ erigit.*

His addimus Bellarminũ *lib. 6. de Gratia, & libero arbitrio cap. 13. poſt principium,* 29. Bellarm.

& ſ

& cap. 15. in 1. ſententia; vbi expreſſè docet vim, qua potẽtiæ noſtræ influunt in iſtos actus ſupernaturales, eſſe naturalẽ. Eandem vim appellat naturalem Bellomontanus *1. p. diſp. 176. cap. 5. num. 26. & 28.* In peccatore eſſe libertatem naturalem ad aſſentiendum motioni diuinæ, & ad cooperandum Deo, affirmat Sotus *lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 15. pag. 49. col. 1. in principio.*

30. Concentit cum Aug. Quòd iſte loquendi modus ſatis conſentiat cum doctrina D. Auguſtini, ex multis locis confirmari poteſt. Et primũ *in lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. in fine tom. 7.* Supponens enim ea dici à Deo accepta, quæ non natura, ſed gratia recipiuntur; probat poſſe habere fidem, & charitatem, non gratia acceptum eſſe, ſed natura, & ob id hoc hominem ab homine non diſcernere; quia id omniũ eſt hominum: inquit igitur, *Poſſe habere fidẽ, quemadmodum poſſe habere Charitatem, naturæ eſt hominis*: quia ſcil. naturæ hominũ innata eſt, & naturaliter data potentia actiua (licet remota) quæ ſua naturali actiuitate poteſt in illos actus influere, ſi diuinitus adiuuetur. Et ob id ſtatim addit: *Non quia credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Deo.* Ergo ex Auguſtino ipſa naturalis liberi arbitrij potentia, ſua innata ac naturali actiuitate, diuinitus tamen præparata, influit in actus fidei, alioſque ſupernaturales. Idẽ Auguſtinus *lib. de Gratia Chriſti cap. 50. tom. 3.* poſtquam ex D. Ambroſio contra Pelagium confirmauit, impoſſibile eſſe naturam humanam eſſe immaculatam, id explicat, *de natura vitiata, non verò de natura ſanata*: quia ſcil. ipſa natura, dum diuinitus præparatur per ſuum liberum arbitrium naturaliter ſibi cõceſſum, poteſt influere in actus iuſtificationis, quod non poteſt, quandiù viciata manet, nec à Deo præparatur. Quod euidentius expreſſit in lib. de Spiritu & litera cap. 35: *Liberum, inquit, arbitrium naturaliter tributum à Creatore animæ media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt: & ideo nec iſtam voluntatem, quæ credit Deo, dici poteſt habere, quam non accipit: quandoquidem, vocante Deo, ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter concreatum accipit.* Et rurſus ibidem cap. 34. *Attendat, & videat, non ideo tantum iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quòd ex libero arbitrio eſt: quod nobis naturaliter concreatum eſt: verum etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus & cæt.* Addimus, quòd lib. de Peccatorum meritis capit. 5. ita ait: *Non ideo hac de re ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur ad bene viuendum noſtræ efficaciæ volũtatis: adiutor enim Deus dicitur: nec adiuuari poteſt, niſi qui ſponte aliquid conatur.* Denique mille in locis docet, non ita eſſe philoſophandum, *vt nihil homo faciat per liberum arbitrium.* Ex quibus locis euidenter cõſtat, hominem etiam ex hoc capite accepiſſe à Deo actum credendi ſupernaturalem; quia per liberum arbitrium à Deo naturaliter acceptũ, vocante tamen Deo credidit: *ſurgit*, inquit, *ipſum credere de libero arbitrio, quod homo naturaliter, cũ crearetur, accepit.*

Sed dices hęc omnia eſſe à libero arbitrio, quæ eſt potentia naturalis; non tamẽ prout eſt naturalis: quæ ſolutio ſatis eſt de mente Suarij *in dicta diſp. 31. ſectio. 6. pag. 609. col. 2. in fine.* 31. Solutio ex Suario. Sed contra iſtam ſolutionem aduerto, quòd Auguſtinus ſimpliciter docet, *hæc omnia eſſe à potentia liberi arbitrij homini naturali: eſſe in arbitrio voluntatis: eſſe ex illo: denique ſurgere de illo, quod naturaliter eſt datum.* Contra ſolutionem. Quæ omnia ſignificant, bona illa opera nõ ſolùm eſſe à libero arbitrio, quod eſt potentia naturalis; ſed etiam vt eſt potentia naturalis, hoc eſt data à natura; adiuta tamen per gratiam. Quam reduplicationem in ſenſu explicato ſatis ſignificat doctrina eiuſdem Auguſtini, dum docet, hæc eſſe à libero arbitrio, vt eſt media quædam vis, quę poteſt, & intendere in fidem, & inclinare in infidelitatem: quanuis diuerſo modo; quia ad infidelitatem inclinari poteſt, ſe ſolo; ad fidem verò adiutum per gratiam. Quare cum ad infidelitatem poſsit inclinare, vt eſt vis naturalis; vtique vt eſt naturalis vis, poteſt in fidem intendere: etenim liberum arbitrium naturaliter datum homini non habet, quòd ſit vis naturaliter media, prout habet actiuitatem obedientialem, quam illi tribuit Suarius, etiam ſi admitteretur: etenim vt ſic non eſt vis indifferens, & ad infidelitatem, & ad fidem: exigitur vis media, quatenus eſt naturalis, à natura naturaliter data ad operandum. Ergo, vt eſt vis naturalis operatur

ratur

ratur bonum; prout tamen eſt diuinitus adiuta.

32. 2. inſtantia contra ſolutionem. Accedit; quoniam natura, ſub qua ratione per peccatum facta eſt impotens ad bonum; ſub eadem facta eſt potens ad illud: Deus enim ſua gratia ſub ea ratione curat, quod eſt infirmum, ſub qua infirmum eſt. Sed liberum arbitrium per culpam factum eſt infirmum, quatenus eſt virtus naturalis, & prout habet naturalem virtutem: non verò, vt eſt virtus obedientialis (quia liberum arbitrium nō eſt ſauciatum per culpam ratione actiuitatis obedientialis, quæcunque illa ſit; quia vt ſic non ſuſcipit magis, & minus, nec inclinat in malum) ergo per gratiam ſanatur, prout eſt quædam virtus naturalis.

33. 3. inſtantia contra eandem. His addimus; quoniam apud Auguſtinum, & Patres, Pelagianum eſt aſſerere, vim naturalem, quam habemus, ſine Deo eſſe ſufficientem ab bonum: catholicè verò aſſerit noſtram vim naturalem ad omnia eſſe ſufficientem, ſi à Deo adiuuetur. Sed Pelagius ſuam aſſertionē intelligebat de virtute naturali, vt naturalis eſt, hoc eſt, vt eſt data à natura. Ergo Catholici ſuam aſſertionem intelligunt de virtute naturali, vt naturalis eſt in ſenſu explicato.

34. Vltima inſtantia. Denique: gratia eas liberi arbitrij vires fortificat ad bonum, quas culpa in ordine ad idem bonum attenuauit, & infirmas fecit. Sed culpa attenuauit vires liberi arbitrij naturales, vt ſunt naturales in ſenſu explicato; vt ſatis patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. in doctrina iuſtificationis cap. 1. & ex Concilio Araulicano ſecundo c. 25.* Ergo gratia ſanat, & fortificat vires naturales liberi arbitrij, vt naturales ſunt. Et profectò Theologi citati in ſenſu à nobis explicato ſuam intelligunt doctrinam, ſi quæ ſcribunt, diligenter expendantur: nec enim benè explicabuntur de viribus naturalibus, quæ naturales ſunt, non tamen, vt ſunt naturales.

35. Porrò ſi voluntas noſtra virtute ſibi naturali (id eſt naturaliter data à natura) actiuè influit in actus ſupernaturales viç; eadem ratione intellectus vi intelligendi ſibi naturali, vt naturalis eſt, eleuata tamen, influet in viſionem beatam; etenim vtrobique eadem eſt ratio.

Pro ſecunda confirmatione nonnulla præmittuntur.

¶ Sed vt hæc opinio ampliùs confirmetur, nonnulla præmittenda ſunt, ex quibus illa clarior euadet. 36.

1. præſuppoſitum. Primo loco ſtatuendum eſt id, quod in præcedente articulo §. 3. n. 13. iam ſtatuimus: ſcilicet animam noſtram actiuè influere in viſionem: eſt enim primum, & radicale videndi principium, vt ex Patribus, & ex Philoſophia Ariſtotelis ibidem oſtendimus. Cum verò anima ſit actus quidam ſubſtantialis, non poteſt immediatè in viſionem influere; ſed mediāte aliqua forma actiua, quæ illis ſit formalis videndi ratio: etenim ſubſtantia nō poteſt eſſe immediatum principium alicuius operationis, vt habet vera Philoſophia; ſed omnem operationem quæcunque illa ſit, operatur media aliqua potentia, facultateque actiua, vt diximus in d. §. 3. n. 14. in quo aduerſarij nobiſcum cō ſentiunt. Cui Philoſophiæ ſi addamus id, quod ibidem n. 16. ſimul cum aduerſarijs conſtituimus; lumen ſcilicet gloriæ immediatè non recipi in ipſa animæ ſubſtāntia, ſed mediante intellectu; neceſſariò cōcedendum eſt, animam immediatè non influere in viſionem per lumen gloriæ, tanquam per facultatem, & potentiam ſibi à Deo ſupernaturaliter ad videndum conceſſam in ipſo ingreſſu gloriæ; ſed in eam influere mediante intellectu, vt eſt quædam potentia, & facultas data animæ ab ipſa natura, vt per eam, & mediante ea, intelligat, quidquid debet intelligere, ſiue illud ſit naturale, ſiue ſupernaturale: etenim anima quidquid intelligit, intelligit mediante ſuo intellectu, quem habet à natura, tanquam partem ſui, facultatemque, & inſtrumentum, quo intelligat, vt ait Ariſtoteles. ¶ Ex quo infertur, intellectum ipſum, vt ipſi animæ eſt potentia intellectiua, actiuè influere in viſionem: & hoc negari non poſſe, affirmant aduerſarij, *Nauarrete, Lædeſma, & Cabrera, quos citauimus ſuprà art. 2. §. 3. n. 18. & ſatis admittit Suarius in d. diſput. 31. ſect. 6. pag. 599. col. 2. & pag. 600. col. 1. & latiùs oſtendimus in 1. q. huius libri art. 5. §. 3. 4. & 5.* Ex quo fundamento contra præcitatos doctores euidenter oſtendimus, animam beatam non influere in viſio-

Intellectus vt eſt virtus animæ influit in viſionem.

Suarius.

viſionem per ſolum lumen gloriæ; ita vt lumen gloriæ ſit ſola, & tota videndi virtus: nam cum in illam influat per intellectum, mediante quo recipit lumen; vtiq; ad eandem etiam concurret per virtutem propriam ipſius intellectus, eleuatam tamen ipſo lumine.

37. 2. præſuppoſitum. Et vt id melius intelligatur, ſtatuendum eſt ſecundo loco, intellectum (quem & Philoſophia, & Theologia admittit, vt quandam potentiam intellectiuam, qua anima veluti quodã inſtrumento ad omnem intellectionem vtitur) ex ſua intrinſeca, & eſſentiali ratione eſſe qualitatem quandam eſſentialiter actiuam, in hoc ſenſu, vt eſſentialiter ſit vis quędam actiua, qua anima, vt formali intelligendi principio, influit in omnem actum intelligendi, quo aliquid intelligit. Ita fit, vt intellectus eſſentialiter ſit ipſa vis actiua, quæ formaliter elicit omnem actum intelligendi, quo anima intelligit, vt latê oſtendimus in d. art. 2. §. 3. n. 19: vbi concluſimus, intellectum ipſi animæ ita eſſentialiter eſſe principium ad eliciendum quamcunque intellectionem, vt ad nullam poſſit anima actiuè concurrere, niſi mediãte ipſa intellectus actiuitate. Quare nec intellectus in actum poteſt influere, niſi ipſa actiuitate, quæ eſſentialiter eſt ipſe; ſiue ad obiecta naturalia concurrat, ſiue ad ſupernaturalia.

38. Reijcienda eſt actiuitas obedientialis Suarij. Ex quo infertur actiuitatem obediẽtialem actiuam, & innatam, quam Suarius philoſophatur (de qua egimus q. 2. art. 9.) non ſolùm reijciendam eſſe, vt minus philoſophicam; ſed etiam vt verè confictam; ſi eam ponat aliquo modo diſtinctam ab hac intellectiua actiuitate: nam cum hæc eſſentialiter ſit ipſe intellectus, & intellectus eſſentialiter ſit iſta actiuitas; profectò omnis alia actiuitas intellectui innata non poteſt non eſſe cõficta, ſi ponatur, vt aliquo modo diſtincta à priori: nam cum hæc eſſentialiter ſit ipſe intellectus, & intellectus eſſentialiter ſit ipſa actiuitas; quidquid intellectus intelligit, intelligit hac actiuitate: cum verò illa eadem immediatè eliceat omnem intelligendi actum, ad quem actiuè concurrit; profectò ad nullum concurret mediante alia actiuitate ſibi adiũcta, quãuis concomitanter adiungatur. Nec aliquis in hac materia ita philoſophabitur, vt intellectus actiuè influat in actum ſupernaturalem; & tamen non influat per hanc actiuitatem, ſed per aliam obedientialem. Si verò ita aliquis philoſophetur; non ſolùm fictè philoſophabitur; ſed etiã in ſua Philoſophia ſibi contradicet: quia implicat intellectum in aliquem actum actiuè concurrere; & non cõcurrere per actiuitatem, quæ eſt ipſemet intellectus; alioquin intellectus influet, & non influet: influet; quia ponitur influere: non influet autem; quia ſine ſe influere non poteſt; iam verò illa actiuitas eſſentialiter eſt ipſe intellectus. Quare non ita philoſophandum eſt, vt actiuitas obedientialis (quæ rebus eſt innata) ſit actiuitas quædam diſtincta ab hac, de qua agimus; ita vt intellectus per illam influat in actum, hac in eũ non influente: in hoc enim ſenſu reiecimus potentiam actiuam obediẽtialem innatam, quam Suarius cominiſcitur, vt patet ex articulo præcedente, & ex q. 2. huius libri art. 9. Verè igitur philoſophabimur; ſi hanc eandem natiuam actualitatem, quæ eſſentialiter eſt ipſe intellectus, ponamus eſſe naturalem, & obedientialem (vt obedientialis diſtinguitur à naturali) ſub alia tamen, & alia ratione, vt ſtatim dicemus, & iam aduertimus ſuprà art. 2. §. 3. n. 21. & 22.

Secundò infertur, Cabreram relatum in eodem §. 3. ſecum pugnare, dum admittit intellectum actiuè influere in viſionem; & tamẽ in eam non influere per iſtam actiuitatem, vt diximus in d. §. 3. n. 25: etenim ſi influit; non poteſt non influere per actiuitatem ſibi eſſentialem, & quæ eſſentialiter eſt ipſe: alioquin influeret, & non influeret, vt ſuprà dicebamus. 39. Cabrera ſecũ pugnat.

¶ Concludendum eſt igitur, intellectũ influere in viſionem per ipſam actiuitatem natiuam, quam à natura habet, & quę eſſentialiter eſt ipſe intellectus. Quare de hac inquirendum eſt; vtrùm influat in viſionem, vt eſt virtus naturalis; an verò, vt eſt obedientialis? quæ eſt propria huius articuli difficultas.

Pro cuius explicatione, vt omnis tollatur æquiuocatio, & confuſio, præmittendum eſt tertiò, quatuor modis (quoad præſens inſtitutum attinet) aliquid dici poſſe naturale. Vno modo; quia eſt congenitum ſimul cum natura, & rei entitate: nam quæ ab ipſo ortu, & natiuitate 40. 3. præſuppoſitum.

habe-

habemus, ſunt nobis ſuo modo naturalia, quanuis à principijs eſſentiæ non emanent, vt patet ex *Ariſtotele in 5. Metaph. c. 4*: & in hoc ſēſu dicimur *natura filij iræ*, ad Epheſios 2. quia ab ipſa natiuitate, ſiue conceptione trahimus culpam originalem. Secundo modo aliquid dicitur naturale; quia ſecundùm ſuam entitatem pertinet ad ordinem naturæ, qui eſt ordo inferior condiſtinctus ab ordine ſupernaturali rerum, quæ ſecundùm ſuam entitatem ſunt ſupernaturales. Et in hoc ſenſu omnes ſubſtantias creatas appellamus naturales; quia omnes pertinent ad ordinem Dei authoris naturæ. Tertio modo aliquid dicitur naturale; quia eſt à principijs intrinſecis naturę, hoc eſt, quiditatis, & eſſentiæ: quæ enim alicui conueniunt ex principijs eſſentiæ, dicuntur illi connaturalia: & in hoc ſenſu homo naturaliter eſt intellectiuus, riſibilis, mortalis, & cætera: & in eodem ſenſu naturale eſt intellectui intelligere: & viſui, videre. Et in hoc ſenſu ratio naturalitatis etiam reperitur in ſupernaturalibus: etenim lumini gloriæ naturale eſt influere in viſionem beatam, & illuminare rationes intelligibiles, quæ ſunt in diuina eſſentia, vt obiectiuè nobis appareant. Quarto denique modo naturale dicitur, quod actione agentis naturalis poteſt fieri: vnde potentia, ſiue paſſiua ſit, ſiue actiua, dicitur naturalis, ſi ad actum per vires naturalis agentis poteſt reduci; & in hoc ſenſu diſtinguitur ab obedientiali, quæ reſpicit, & vires, & actiuitatem agentis ſupernaturalis.

Ariſt.

Ponuntur concluſiones.

41. Prima propoſitio. ¶ His præmiſsis, pro vera reſolutione ſtatuimus ſequentes propoſitiones. Sit prima propoſitio: *Natiua illa virtus (quæ eſſentialiter eſt ipſe intellectus) non poteſt non dici virtus naturalis primo modo.* Hæc eſt indubitata: quia virtus illa datur animæ à ſua creatione, & homini ab ipſo ortu, & generatione. Sed hæc naturalitas ad noſtrum inſtitutum non pertinet.

42. Secunda. Secunda propoſitio: *Virtus illa intellectiua ſecundùm ſe eſt virtus quædam naturalis ſecundo modo.* Hæc etiam eſt extra omnem controuerſiam: quia virtus illa ſecundum ſuam entitatem eſt ordinis inferioris. Sed nec iſta naturalitas ad noſtrū inſtitutum pertinet.

Tertia propoſitio: *Virtus illa intellectiua non poteſt non dici naturalis tertio modo.* 43. 3. Propoſitio. Hæc non poteſt non concedi ab omnibus in ſenſu, in quo proponitur: conſtat enim, hanc intellectiuam virtutem eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam ordinis inferioris, & præterea à principijs eſſentialibus ipſius animæ oriri: eſt enim potentia quædam, & virtus neceſſariò emanās à principijs intrinſecis ſubſtantiæ intellectualis, qualis eſt anima rationalis, & natura Angelica. Quare quidquid anima per hanc virtutem facit, facit per virtutē ſuam naturalem naturalitate huius tertij modi.

Quarta propoſitio: *Virtus iſta intellectiua, quæ eſſentialiter eſt ipſe intellectus, eſt illa eadem, quæ & naturalis eſt, & obedientialis, ſub alia, & alia ratione: naturalis; vt reſpicit agens naturale, cuius actione, & ope intelligit naturalia; obedientialis verò; vt reſpicit agens ſupernaturale, cuius imperio ſubijcitur, & cuius actione, & ope ſupernaturalia intelligit.* 44. Quarta. Hæc propoſitio, vno excepto Suario, ab omnibus recipitur: eam neceſſariò eſſe recipiendam ſatis cōuincunt, quę ſupra adduximus in 2. prę-miſſo: nec enim in intellectu creato philoſophanda eſt duplex actiuitas in ratione actiuitatis formaliter diſtincta (quidquid aliter philoſophetur Suarius;) ſed vna tantùm, quæ vt tranſcendentaliter reſpicit actiuitatem agentis naturalis in ordine ad obiecta naturalia, dicitur naturalis naturalitate quarto modo ſumpta: vt verò reſpicit actiuitatem agentis ſupernaturalis, cuius imperio, & voluntati ſubijcitur, appellatur obediētialis. Quòd verò non ſit diſtinguenda duplex illa actiuitas, vt intellectus per vnam naturalia; per aliam verò ſupernaturalia attingat; ex dictis euidenter demonſtratur: quoniam ſi in intellectu duplex illa actiuitas admitti debet; vtique quælibet erit ſuperaddita intellectui, vt eſt intellectus, & vt eſt potentia animæ naturaliter indita, vt per eam omnia intelligat. Iam ergo inquiro; quidnam ſit ipſe intellectus, conſideratus in ſe; & vt eſt quid prius vtraque illa actiuitate, vt abſtractus ab vna & altera: etenim is ipſe eſt, qui apud Suarium ſupernaturalia per actiuitatem obedientia-

dientialem intelligit; naturalia autem per actiuitatem naturalem: etenim vnus, & idem intellectus eſt, qui & naturalia, & ſupernaturalia intelligit. Cum verò intel

Potentia actiua eſſentialiter eſt ſua actiuitas.

lectus, vt ſic conſideratus, eſſentialiter ſit potentia actiua, per quam anima intelligit, eſſentialiter erit ipſa actiuitas intellectiua; etenim potentia actiua eſſentialiter eſt ſua actiuitas; ita vt nec eſſe, nec intelligi poſsit, ſine ſua actiuitate, vt patet ex

Ariſt. *D. Thom.* *Suarius.*

Ariſtotele 5. Metaph. c. 12. & lib. 9. c. 1. & ex *D. Thoma de Veritate q. 14. art. 3. & in quæſtionibus de Virtutibus in communi art. 1. & ſatis probat idem Suarius in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 611. col. 1. poſt principium, & clariùs pag. 519. col. 2.* vbi affirmat, intellectum in ſua natura conſideratum, & vt abſtrahit ab eſſe virtutem naturalem, & obedientialem, eſſe vim quandam actiuam. Porrò ſi in illo priori eſſentialiter eſt ipſa actiuitas, per quã intelligit, quidquid intelligit; qui fieri poteſt, vt illi ſuperaddatur alia actiuitas, qua intelligat naturalia; & alia, qua intelligat superna-

45. turalia? Profectò nec id eſt philoſophicum, nec intelligibile. Ob quam rationẽ ſuprà art. 2. §. 3. n. 23. reiecimus Philoſophiam, quæ virtutem naturalem putat eſſe intellectui ſuperadditam, & artic. 3. nu. 9. reiecimus eandem Philoſophiam de potentia obedientiali. Quare qui de virtute intellectiua intellectus benè voluerit philoſophari; ita debet philoſophari, vt ipſamet actiuitas intellectui eſſentialis, & animæ connaturalis tertio modo (quia ſcilicet ex principijs intrinſecis illius emanat) dicatur naturalis, quatenus reſpicit agens naturale, cuius actione ad cognitionem naturalium reduci debet: obedientialis verò; quatenus reſpicit virtutem Dei agentis ſupernaturalis, cuius imperio ſubijcitur. Vnde vna, & eadem actiuitas, ſub vno, & alio tranſcendentali reſpectu, dicitur naturalis, & obedientialis. Vnde quando conſideratur, vt reſpicit agens naturale, à quo ad actum naturalem reducitur, dicitur naturalis quarto modo; vt verò reſpicit Deum agentem ſupernaturalem, dicitur obedientialis. Et in hoc ſenſu naturalis virtus intellectus per ſe diſtinguitur ab obedientiali; & è contrario: nam obedientialis actiuitas poteſt eſſe naturalis, non ſolum primo modo, quo id dicitur na-

Virtus intelligendi nõ eſt ſuper addita intellectui.

Eadem actiuitas ſub alio & alio reſpectu eſt naturalis, & obedientialis.

turale, quod eſt ſimul cum natura congenitum (quomodò peccatum originale dicitur nobis naturale; & naturalis diceretur iuſtitia originalis, ſi Adamus non peccaſſet,) ſed etiam ſecundo, & tertio modo; quia entitatiuè ſecundùm ſubſtantiam eſt ordinis naturalis; & apud Suarium eſt etiam naturalis tertio modo, quia apud eum ex principijs eſſentialibus rei creatæ oritur: quod verum putamus, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali negatiua; quia omnis creatura ex ſua natura eſt ſubiecta imperio Dei. Secus ſi ſermo ſit de potentia obedientiali poſitiua, quam ponimus ſuprà quæſtione ſecunda, articulo nono: hæc enim non oritur ex principijs eſſentialibus creaturæ, vt ibidem diximus: vnde, vt ſic, non eſt actiuitas naturalis, ſed ſupernaturalis formaliter ſumpta, vt diximus in dicta quæſtione ſecunda, artic. 11. §. 3.

Quinta propoſitio: *Virtus iſta intellectiua, de qua agimus, prout habet tranſcendentalem ordinem ad obiecta naturalia verè, & propriè eſt naturalis quarto modo.* Hęc propoſitio & nobis placet, & aduerſarijs; omnes enim admittimus, virtutem iſtam habere reſpectum quendam tranſcendẽtalẽ ad obiecta naturalis ordinis, ad quorum cognitionem reduci poteſt per ſolã actionem naturalis agentis: vnde non poteſt non dici naturalis naturalitate quarti modi, quatenus per vires ſuas poteſt ſe reducere ad actum. 46. 5. propoſitio.

Sexta propoſitio: *Virtus iſta intellectiua, prout quarto modo eſt naturalis, nullo modo poteſt influere in viſionem beatam; nec in aliquem actum ſupernaturalem viæ.* Hæc propoſitio & à nobis, & ab aduerſarijs recipitur: nec poteſt non recipi; cum oppoſita in ordine ad actus ſupernaturales viæ verè ſit hæreſis Pelagiana; in ordine verò ad viſionem beatam ſit hæreſis Beguinarum & Beguardorum: aſſirmabant enim, *intellectualem naturam in ſe ipſa eſſe naturaliter beatam:* & inde inferebant, nõ indigere eleuatione ſupernaturalis luminis, vt patet ex Clementina *Ad noſtrum* de hæreticis. Quare libentiſsimè profitemur, intellectum per virtutem ſuam naturalem, vt naturalis eſt, non influere in viſionem; ſi reduplicatio illa reduplicet vires naturales, quales ſunt illæ, 47. 6. propoſitio.

Explicatur reduplicatio naturalis, vt naturalis eſt.

quas actione intellectus agentis habere poteſt: hoc enim modo impoſsibile eſt, intellectum eleuari, vt influat in viſionem: & in hoc ſenſu docuerunt omnes Patres, viſionem Dei eſſe ſupra vires noſtri intellectus, quos retulimus libro 7. q. 3. artic. 1. n. 20. quia ſcilicet ſecundùm illas vires, & illis mediantibus, non poteſt intellectus videre Deum. In eodem ſenſu docuit Nazianzenus in ſecúda Oratione de Theologia pag. 298. col. 1. *Intellectum ex ſe eſſe infirmum, & deſtitutum viribus ad videndum Deum.* In eodem etiam ſenſu Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 8. aſſeruit, *Creaturas non poſſe ſua virtute, atque natura fructum luminis edere*, id eſt, diuinam eſſentiam videre. In eodem etiam docuit Dionyſius de diuinis nominibus capite ſeptimo, *Creaturam ſecundùm ſuam propriam virtutem eſſe non poſſe in diuina præſentia*: vt ſcilicet eam videat: & dum ait, quæ ſunt ſupra nos, intelligi non poſſe *ſecundùm proprietatem noſtram*; id eſt ſecundùm virtutem intelligendi nobis connaturalem, qualis eſt, qua actione agentis naturalis intelligimus. Et dum ait, *nos ſecundùm nos Deum intelligere non poſſe; ſed oportere, vt nos extra nos ipſos ſtatuamur.* Denique Patres, qui ſimpliciter docent, *intellectum creatum ſecundùm ſe, & ſecundũ ſuas naturales vires impotentem eſſe ad videndum*, ita intelligendi ſunt. Et inde eſt, vt ipſe intellectus, & virtus, quæ eſſentialiter eſt ipſe, indigeat eleuari per alias ſupernaturales vires, quales ſunt lumen gloriæ; ſpecies diuinæ eſſentiæ: quas vires conſequi non poſſumus actione alicuius agentis naturalis.

Nazianz.

Cyrillus.

48. 7. propoſitio. Septima propoſitio: *Illa ipſa actiuitas intellectiua, quæ ſecundo modo & tertio eſt naturalis, eſt ipſa, quæ eleuatur ad videndũ, & quæ eleuata, ſua intrinſeca actiuitate influit.* Hæc propoſitio non negatur ab aduerſarijs: nam Suarius admittit, virtutem illam, quæ eſt naturalis virtus, influere in viſionem: hæc autem non eſt alia, niſi hæc natiua, de qua agimus. Lædeſma verò, & Nauarrete admittunt hanc ipſam eſſe, quæ cum intellectu eleuatur ad videndum. Et verè ſi res iſta diligentiùs conſideretur, neceſſariò eſt admittenda iſta propoſitio: ex ijs enim, quæ præmiſimus, euidenter conſtat, vim iſtam intellectiuam eſſe illam, qua anima, tanquam potentia intelligendi intelligit omnia, quæ intelligit: hæc enim vis eſt vnica tantùm; & ipſa eadem eſſentialiter eſt ipſe intellectus. Igitur cum anima vnicũ tantùm habeat intellectum, quo intelligit, quidquid intelligit: & intellectus eſſentialiter ſit iſta vis intellectiua; vtique anima, & intellectus per hanc vnicam vim intelligit, quidquid intelligit; etiam ſi illud ſit ſupernaturale. Et per hoc fundamentum ſuprà reiecimus actiuitatem obedientialem ab iſta diſtinctam, quam Suarius fingebat: hæc enim ipſa eſt, quæ ſub alia, & alia ratione poteſt dici obedientialis, & naturalis, prout naturale diſtinguitur ab obedientiali. Vnde hæc ipſa eſt, quæ & naturalia intelligit per vires naturales, & ſupernaturalia per ſupernaturales vires: quod adhuc confirmatur ex eo, quia hæc actiuitas ſub ſuo obiecto extenſiuè adæquato per ſe continet omne intelligibile, quaten⁹ intelligibile eſt: ſiue naturale ſit, ſiue ſupernaturale, cum ab eo vnitatem ſpecificam ſumat, vt ex communi Philoſophia ſupponimus: & inde eſt, vt diuina eſſentia non ſit omnino extranea à facultate intellectus: cum tamen extranea ſit à viribus naturalibus, quibus hæc actiuitas intelligit naturalia: etenim ſecundùm iſtas vires non poteſt eleuari ad viſionem illius, vt diximus in propoſitione præcedente.

Octaua propoſitio: *Abſque vllo periculo poteſt ſimpliciter affirmari, intellectum influere in viſionem per virtutem naturalem, vt naturalis eſt tertio modo.* Hæc ex præcedentibus demonſtratur: quoniam ſimpliciter eſt admittendum, intellectum, vt eſt virtus quædam ab ipſa natura animæ data influere in viſionem; vt ex dictis patet. Sed illa virtus verè & propriè, eſt naturalis tertio modo; quia verè oritur ex principijs intrinſecis ipſius animæ, vt habet tertia propoſitio; ergo nihil periculi eſt aſſerere, intellectum influere in viſionem per virtutem, ideò ſibi naturalem; quia oritur à principijs intrinſecis animę, & prout eſt virtus, ita ex anima oriens: etenim explicatio illa omnino excludit naturalitatem quarto modo per vires naturales, quas ab agente naturali intellectus naturaliter expectat; in quo ſolo ſenſu poſita eſt tota periculi ratio. 49. 8. propoſitio.

Nona

50. 9. propoſitio. Nona propoſitio: *Nihil periculi eſt, ſi dicamus intellectum Deum videre, & in illius viſionem influere ex ſua natura: ex ſuis viribus naturalibus; per ſuas vires naturales: denique per ſuam naturalem efficientiam; ſi in ſingulis his locutionibus addatur, eum influere, vt ſupernaturaliter eleuatum.* Quare hæ propoſitiones ſimpliciter ſunt veriſſimæ, & admittēdę; *intellectus ex ſua natura, vt eleuata videt Deum: intellectus viribus ſuis naturalibus, ſiue per vires ſuas naturales eleuatas influit in viſionem: intellectus per naturalem ſuam influentiam, vt eleuatā viſionem cauſat.* Hæc nona propoſitio euidenter probatur; quia his loquendi modis vtuntur Catholici, qui contra Pelagium, & hæreticos noſtri temporis ſcribunt de libero arbitrio, in ordine ad actus ſupernaturales viæ: etenim ex his, quæ ſuprà adduximus, patet Driedonem, Ruardum, Bellarminum, Sotum, Bellomontanum, & alios ſimpliciter affirmare, *hominem benè operari ex liberi arbitrij viribus gratia adiutis: liberum arbitrium benè operari per ſuas naturales vires; ſanatas tamen: implere præcepta per naturæ ſuæ vires gratia informatas.* Vide, quæ diximus ſuprà §. 1. in prima noſtræ aſſertionis confirmatione. Quin potiùs Auguſtinus in locis ibidem citatis apertè ait, *poſſe habere fidem* (id eſt actum fidei) *naturæ eſſe hominum*. Quæ propoſitio ſatis ſignificat, intellectū hominis per ſuam naturā, naturalēq; actiuitatē, poſſe elicere actū fidei, quāuis ſine gratia illū non eliciat. Idē Auguſtin⁹ ſæpè ait, *Bona opera eſſe à naturali potentia liberi arbitrj: eſſe ex illa: ſurgere ex illa:* & alia huiuſmodi: ex illa, inquam, non vitiata, ſed ſanata, vt ſæpè declarat. Cur igitur non dicemus, *Viſionem eſſe à naturali potentia intellectus: effectiuè ex illa ſurgere; non ſimpliciter, ſed vt eleuata?*

51. 10. propoſitio. Decima propoſitio: *Non ſolùm ſimpliciter eſt admittendum, intellectum eleuatum influere in viſionem per vires ſuas naturales; ſed etiam cum reduplicatione, vt naturales ſunt.* Hæc propoſitio directè opponitur Suario; ſed euidenter oſtenditur; quoniā ſuppoſita eleuatione intellectus, & naturalis illius virtutis, reduplicatio illa non poteſt reduplicare vires naturales quarto modo, id eſt, quas intellectus habet ex actione, & per actionem naturalis agentis; ſed ſolùm reduplicat naturalitatem illarum tertio modo ſumptam. Sed in illo ſenſu propoſitio eſt ſimpliciter vera. Ergo ſimpliciter veriſsima, facta illa reduplicatione. Quòd reduplicatio non reduplicet vires naturales quarto modo ſumptas, euidenter probatur ex ſexta propoſitione: quoniam vires naturales ſumptæ quarto modo nullo modo poſſunt eleuari, vt in viſionem influant: quia impoſsibile eſt, vt per actionem naturalis agentis, & per ſpeciem ab eo productam Deus videatur, vt habet ſexta ꝓpoſitio. Ergo illa reduplicatio nō reduplicat, niſi naturalitatem tertio modo ſumptā: quia ad viſionem hæc ſola eſt eleuabilis. Reduplicata autem hac naturalitate, propoſitio eſt veriſsima; quia intellectus eleuatus verè influit per virtutem naturalē, quam & ipſe eſſentialiter ſibi vendicat, & anima connaturaliter; idque vt ab anima cōnaturaliter emanat, & prout eſſentialiter eſt ipſe intellectus.

52. 11. propoſitio. Vndecima propoſitio: *Simpliciter non eſt aſſerendum, intellectū per naturalem ſuā virtutem, vt naturalis eſt, influere in viſionem; ſine aliqua additione ſupernaturalis eleuationis.* Hæc propoſitio ſemper mihi placuit: fundamentum ex eo ſumo; quia communis vſus iam obtinuit, vt *naturale*, ſimpliciter prolatū dicat ordinem ad vires naturæ in ordine ad agens naturale, ſecluſo omni gratuito concurſu; vt illud dicatur fieri per vires naturæ, ſiue naturales, quod per ſolas illas poteſt fieri; in quo ſenſu, ſicut Pelagianum eſt, liberum arbitrium per vires naturales poſſe benè operari; ita Beguinarum, & Beguardorū eſt, intellectum per ſolas ſuæ naturæ vires, aut alicuius agentis naturalis poſſe Deum videre, & illius viſionem producere. Quare ſimpliciter non eſt admittēdum, intellectum per vires ſuæ naturæ poſſe Deum videre: bene tamen ſi addatur per vires ſuæ naturæ eleuatas; quia illa additio omnino excludit naturalitatē ſumptam quarto modo, & facit, vt tertio modo ſumatur: in quo ſenſu propoſitio eſt veriſsima.

53. 12. & vltima propoſitio. Sit duodecima, & vltima propoſitio: *Virtus intellectiua, quæ eſſentialiter eſt ipſe intellectus, & naturæ intellectuali connaturaliter conuenit, licet ex ſua natura ſit principium actiuum intelligendi: non tamen ex*

ſua natura eſt omnibus modis completa, ſiue ſumatur, vt naturalis eſt, ſiue vt eſt obedientialis: ſed vtroque modo eſt virtus incompleta, licet magis completa ſit, vt eſt naturalis, quàm vt eſt obedientialis. Sed quoniam de hac propoſitione latiùs agendum eſt inferiùs art. 6. ideò de hac propoſitione plura, non dicimus: ſatis modo ſit, potentiam iſtam, vt reſpicit obiecta naturalia intrinſecè eſſe completam; incompletam autē ſolùm extrinſecè: at verò prout reſpicit ſupernaturalia obiecta, non ſolùm extrinſecè eſt incompleta; ſed etiam intrinſecè.

Reſolutio totius difficultatis.

54. Reſolutio diſputationis. ¶ Reſoluendo, quæ tam latè diximus, totius difficultatis hæc ſit reſolutio: vt intellectus influat in viſionem ſua naturali virtute, non ſolùm, quæ eſt naturalis; ſed etiam vt eſt naturalis: non quidem naturalitate quarto modo ſumpta, & in ordine ad agens naturale; ſed naturalitate ſumpta tertio modo, vt naturale idem eſt quod eſſentiale, & per intrinſeca principia conueniens; etenim intellectus in viſionem influit per virtutem, quæ eſſentialiter eſt ipſe; & vt eſſentialiter eſt ipſe. Et ſublata æquiuocatione huius nominis *naturale*, non ſolum omnia facilè intelliguntur; ſed etiam facilè intelligitur, quomodò lumen gloriæ intellectui beato nō eſt tota videndi virtus; ſed cum eo intellectus ſua virtute natiua, atque naturali in viſionem cōcurrit: non quidem vt eſt naturalis quarto modo; & prout reſpicit actionem agentis naturalis; ſed prout eſt naturalis tertio modo; quæ naturalitas, vt ſubijcitur diuino imperio, verè & propriè eſt obedientialis, & eſt illa, quæ eleuata in viſionem influit. Quare argumēta in contrarium diſſoluamus.

§. 3.
Soluuntur argumenta.

55. Ad 1. arg. ARgumenta, quæ §. 1. in contrariū adducuntur, facilem habent ſolutionem. Ad primum admittimus virtutem iſtam (quæ eſt naturalis tertio modo, fluens à principijs eſſentiæ) eſſe inferioris ordinis: quando verò infertur, eam, vt naturalis eſt, nō poſſe influere in viſionem: admittenda eſt cōſequentia in hoc ſenſu; vt illa, quandiù in ſola ſua naturalitate manſerit, & in ſuo inferiori ordine, non poſſit in viſionē influere: ſi verò ſenſus eſt, vt illa ſecundùm ſuam naturalitatem, eleuatā tamen, influere nequeat; conſequentia erit neganda: quia ea, quæ ſecundum ſe ſunt naturalia, ideò quia ex principijs eſſentiæ, inſunt, ex ſe habent poſſe eleuari; vt in ſimili ait Auguſtinus: eleuata autem, ſicut iam ſunt ordinis ſupernaturalis; ita etiam iam ſunt completa, & perfectè proportionata, vt poſſint agere. Itaque virtus, quæ ex ſua natura eſt ordinis inferioris; cum etiam ex ſua natura habeat poſſe eleuari; ex ſua natura eſt virtus quædam incōpleta, quæ eleuata, influat. Quare ex eo, quòd virtus iſta, vt eſt in ſuo ordine inferiori, non ſit perfectè proportionata, vt proximè influat; non benè infertur, quòd nullam habeat potentiam; quia poteſt habere potentiā inchoatam, & imperfectam; ex ſe tamen eleuabilem, vt influat: etenim virtus obedientialis actiua, quam Suarius philoſophatur, ſecundum ſe eſt ordinis inferioris, & vt ſic incompleta, & improportionata; & ideò manens, vt ſic, non poteſt influere, vt idem Suarius ſæpè docet; & tamen fatetur, eam eſſe virtutem inchoatam, potentemque influere, ſi eleuetur: nam quod ex ſe eſt impotens, munere diuino fit potens, vt ait Epiphanius hæreſi 70. fol. 364. pag. 1.

Secundū argumentum ſua æquiuocatione decipit: quia ex eo, quòd virtus eſſentialiter intellectiua, prout eſt naturalis quarto modo, & prout reſpicit naturale agens, & auxiliū ſibi naturaliter debitum, nō poteſt influere, niſi in effectus naturales; infertur, vt eſt naturalis tertio modo, non poſſe influere, niſi in eoſdem naturales effectus. Quæ conſequentia nō ſatis eſt philoſophica; cum virtus illa intellectiua non ſolùm dicatur naturalis quarto modo; ſed etiam tertio, in quo abſtrahit ab agente naturali, vel ſupernaturali. Ad argumentum igitur in forma admittimus antecedens; ſi reduplicatio illa reduplicet naturalitatē quarto modo ſūptā: hæc enim ſub hac cōſideratione nō poteſt eleuari ad actiones ſupernaturales, vt diximꝰ in 6. propoſitione. Sed in hac diſputatione non agimus de virtute naturali iſto modo ſumpta; ſed de illa, vt eſt naturalis 56. Ad 2.

turalis tertio modo; quia. ſ. ideò eſt naturalis; quia emanat à principijs intrinſecis naturæ intellectualis. Virtus autem iſta hoc modo ſumpta, ex ſe abſtrahit ab ordine ad agens naturale, & ſupernaturale, & ab auxilio ſibi naturaliter debito, aut gratis ſupernaturaliter cōceſſo; quod ipſemet Suarius fatetur in d. ſec. 6. pag. 599 vt diximus in 4. propoſitione. Quare negandum eſt antecedens, ſi in eo reduplicetur hæc naturalitas: quia in hac abſtractione per ſe primò ſpecificatur ab ente in communi, prout abſolutè eſt intelligibile; quæ eſt ratio formalis ſub qua per ſe primo ſpecificatur potentia intellectiua, vt talis eſt: quare vt ſic non eſt limitata ad ſolos effectus naturales, nec ad ſolos ſupernaturales; ſed abſtrahit ab vtriſque. Argumentum igitur fruſtra laborat in probanda conſequentia; cùm potius deberet laborare in explicando, & intelligendo antecedente.

57, Ad 3. Ad tertium patet ſolutio ex dictis: etenim veriſsimum eſt antecedens, ſi intelligatur de virtute quarto modo naturali; prout ſcil. ſubijcitur actiuitati naturalis agentis; hæc enim virtus nec eleuari poteſt, nec influere in viſionem, vt habet 6. propoſitio. Conceſſo autē antecedente in hoc ſenſu, neganda eſt cōſequentia: quia intellectus ſua intellectiua virtute nō ſolùm poteſt influere in actum intelligēdi naturaliter per actionem naturalis agētis; ſed etiam obedientialiter, ideſt, per actionem agentis ſupernaturalis. Vnde conſequentia cōtinet fallaciā à pluribus cauſis ad vnam cauſam. Porrò ſi antecedens intelligatur de potentia intellectiua naturali tertio modo (quæ ideò dicitur naturalis, quia eſt ex principijs eſſentię) antecedens erit verū, ſi virtus naturalis nudè ſumatur: falſum verò, ſi ſumatur, vt eleuata: nec enim implicat effectum eſſe ſupernaturalem, & virtutem eſſe naturalem intellectui, dummodò eleuetur. Ad probationē antecedentis admittimus virtutem, quæ in ſenſu explicato eſt naturalis, ex ſua natura habere aliquē ordinē

58. ad effectum ſupernaturalem, incōpletum tamen, & remotum; cōpletum tamen, & proximum, prout actu eſt eleuata: idque per modum virtutis principalis, vt in ſequenti art. dicemus: ſimul etiam admittimus virtutem illam ſub obiecto ſuo adęquato continere ſupernaturalē viſionem diuinæ eſſentiæ. Nec hoc tollit, quominꝰ viſio ipſa ſit ſecundùm ſubſtantiā ſupernaturalis: etenim ſupernaturalitas effectus non præciſè pēdet ex naturalitate inchoata, & remota virtutis naturalis; ſed ex cōpleta, & proxima: in quo ſenſu virtus illa naturalis tranſlata eſt ad eſſe ſupernaturale, & ex conſequenti facta virtus ſupernaturalis: & quamuis non ſit ſupernaturalis, ſecundùm ſubſtantiā, ſed ſolùm, quoad eſſe; potens tamen eſt influere in effectū ſupernaturalem, vt in ſeq. art. dicemus. Argumentū igitur vim haberet, ſi potentia naturalis, vt eſt virtus naturalis tertio modo, nō poſſet agere, niſi intra cancellos, & limites ordinis inferioris ſecundū eſſe: quod tamen eſt falſum; quia eleuata ad eſſe ſupernaturale, adhuc poteſt agere, vt eſt naturalis, id eſt, ſecūdùm eam rationem, ſecundùm quam eſt naturalis: quod nō aduertere eſt cauſa deceptionis. Igitur illa virtus naturalis, vt naturalis eſt (id eſt, prout eſt virtus à principijs naturę emanans) vt eleuata tamē, poteſt influere in effectū ſupernaturalē ſecundùm ſubſtantiā. Exemplū verò ſumptū à calore ignis potiùs nos iuuat, quàm offendat: quoniā calor ille, vt præciſè eſt intra limites accidentis, eſt inſufficiens ad producendam ſubſtantiā; eleuatus tamen ad ordinem ſuo modo ſubſtantialem (in quo ponitur, vt eſt virtus ſubſtantiæ ad generandū ignem) poteſt, etiā vt eſt accidens, influere in ſubſtantiā. Quare, ſicut effectus ſubſtātialis poteſt pendere à virtute accidentali, vt accidentalis eſt; non quidem præciſè, vt eſt in ordine puri accidentis; ſed vt eſt eleuata ad eſſe virtutem ſubſtantiæ: ita etiam effectus ſupernaturalis poteſt per ſe pendere à virtute naturali (in ſenſu explicato:) non ſimpliciter; ſed prout eſt eleuata ad eſſe ſupernaturale, & diuinum.

Confirmatio nullam vim habet apud eos, qui putant, intellectum ad viſionem concurrere, vt cauſam principalem; quia virtus principalis per ſe non ſubalternatur alteri agenti eiuſdē ordinis, ſed agenti ordinis ſuperioris, qualis eſt Deus, vt eſt prima cauſa. Sed nec vim habet aduerſus eos, qui volunt intellectum ad viſionem concurrere, vt cauſam inſtrumentariam: quia maior aſsūpta ſolùm eſt vera in vir- 59. Ad confirmationem.

tute inſtrumentaria, quæ in ſuo proprio ordine operatur, vt eleuata: ſecus, ſi non operetur, niſi, vt eleuata ad ordinem ſuperiorem, & ſupernaturalem; quia cum, vt ſic, iam ſit inſtrumentum ordinis ſupernaturalis, non poteſt ſubalternari alicui agenti ordinis naturalis, ſed ſoli ſupernaturali. Quod non poteſt non concedere idem Suarius: quoniam virtus illa obedientialis, quam ponit, ſecundùm ſe eſt ordinis naturalis: & tamen, vt eleuata, inſtrumentariè concurrit ad viſionem: non tamen ſubalternata alicui agenti ordinis naturalis, ſed ſupernaturalis.

60. Ad 4. Quartum argumentum ſua æquiuocatione fallit; quia ſupponit, nos agere de virtute naturali naturalitate ſumpta ad agens naturale: de qua tamen non agimus: quin potiùs exiſtimamus, illam nec per diuinam potentiam eleuari poſſe, vt influat in ſupernaturales actus. Porrò, ſi ſermo ſit de virtute naturali tertio modo (quæ dicitur naturalis, quia à principijs intrinſecis emanat) admittimus virtutem intellectiuam iſto modo naturalem habere eſſentialem habitudinem ad actus, tam naturales, quàm ſupernaturales: quia vt ſæpè diximus, intrinſecè ſpecificatur per ens, quatenus eſt ens, ſub formali ratione intelligibilis. Quando verò inde infertur, nullos dari poſſe actus ſupernaturales intellectui, ſed omnes eſſe illi cõnaturales; neganda eſt conſequentia: etenim licet virtus intellectiua in ſenſu explicato naturalis, ſpecificetur ab obiecto intelligibili, vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali: tamen cùm tale obiectum ſit adæquatum adæquatione intẽſiua, & extenſiua; non eodem modo reſpicit omnia obiecta: quia naturalia reſpicit, vt obiecta ſibi connaturalia, attingibilia per actus cõnaturales ſibi: ſupernaturalia autem reſpicit, vt obiecta ſupra naturam, & ideò attingibilia per actus ſibi ſupernaturales. Et inde eſt, vt ad obiecta naturalia habeat virtutem intrinſecè completam, incompletam tamen ſolùm extrinſecè: ad ſupernaturalia verò incompletam tam extrinſecè, quàm intrinſecè, vt diximus ſupra propoſitione vltima.

61. Ad 5. Ad quintum prima ſolutio eſſe poſſet iuxta eorum ſentẽtiam, qui in intellectu ſimpliciter admittunt potentiam paſſiuã naturalem in ordine ad recipiendam viſionem: quam probat idem Suarius lib. 2. de attrib. negat. cap. 15. n. 27. vbi ſcribit, *intellectum non indigere lumine gloriæ, vt in ſe recipiat viſionem: ſed ex ſe ſufficienter eſſe capacem actus ſupernaturalis*. Quæ opinio expreſſè fuit Scoti *in 4. diſt. 49. q. 11. lit. E. in 1. concluſione*, & aliorum, quos citauimus ſuprà lib. 9. q. 5. art. 9. §. 1. & q. 7. art. 1. §. 1: quam ſententiam intelligunt, etiamſi intellectus non merè naturaliter, ſed eleuatus ad eam concurrat. Quare licet ſimpliciter admitteremus ſequelam: conſequens non eſſe abſurdum, ipſemet Suarius author argumenti tenetur fateri. Sed quoniam opinionem illam in locis citatis non recepimus; ad argumentum dicimus, potentiam paſſiuam intellectus ad recipiendum viſionem eodem modo eſſe naturalem, quo ad eam naturalis eſt potentia actiua. Vnde ſicut actiuitas intellectus eſt naturalis, quia ex ſua natura habet, quod eleuata influat in viſionẽ; ita paſſiuitas eius, ideò eſt naturalis; quia habet ex ſe, quòd eleuata poſſit eã recipere. Scotus.

Sextum argumentum tangit difficultatem ſatis controuerſam; vtrùm melior intellectus cum ęquali lumine melius videat? Qui partem affirmantem probant, admiſſa ſequela, negabũt minorem. Qui verò probant negantẽ, negabunt ſequelam: etenim apud eos hæc duo non pugnant; intellectum ſua naturali virtute influere in viſionem; & viſionis inæqualitatem ſumi à ſola inæqualitate luminis. Quòd latiùs expendemus lib. 12. in propria iſta quæſtione. 62. Ad 6.

Ad ſeptimum neganda eſt conſequẽtia, ſi ſermo ſit de naturali tertio modo. Ad probationem dicimus, implicationẽ ſolùm dari in virtute naturali quarto modo ſumpta, vt patet ex 6. propoſitione: nam virtus, quæ tertio modo eſt naturalis, indifferens eſt ad agens naturale, vel ſupernaturale: quia ſecundum ſe poteſt ſubijci, vel actioni naturalis agentis, ſub qua ratione eſt naturalis: vel actioni agẽtis ſupernaturalis, ſub qua ratione eſt obedientialis. 63. Ad 7.

Octauum argumentũ facilè ſoluitur: quia ad ſupernaturalitatem viſionis ſatis eſt, quòd virtus actiua illius ſit ſupernaturalis ſecundùm eleuationem. 64. Ad 8.

Ad nonum dicimus, fieri non poſſe, vt intellectus proprijs, & naturalibus viribus 65. Ad 9.

ribus nudè ſumptis videat Deum: benè tamen eleuatis: nam intellectum ſolis proprijs viribus habere actum ſupernaturalem fidei eſt Pelagianum; Catholicū tamen, ſi credat propriis viribus gratia adiutis. Vide, quæ diximus §.2. in 1. aſſertionis confirmatione.

66. Ad 1. confirmat. Ad primam confirmationem reſpondetur, Deum, vt eſt in ſe ipſo, eſſe improportionatum obiectum virtuti intellectiuæ non eleuatæ; Secus, ſi ſumatur, vt eſt eleuata: quia vt ſic, iam eſt obiectum eiuſdem ordinis. Quare argumentū ſimpliciter non probat, intellectum viribus ſuæ naturæ non poſſe Deum videre; ſed non poſſe, niſi ſecundum illas eleuetur.

Ad 2. confirmat. Ad ſecundam confirmationem dicendum eſt, intellectum humanum virtute ſua naturali, & ſola actione intellectus agentis, alteriusvè agentis naturalis non poſſe quidditatiuè Angelum videre; benè tamen ſi actione agentis ſupernaturalis eleuetur.

67. Ad 10. Decimum argumentum futilem habet conſequentiam: futilior eſt illius probatio: quia admittimus omnem actiuitatē, quæ ex ſe conuenit intellectui, eſſe naturalem ſecundùm ſubſtantiam: eſt enim ordinis inferioris: negamus tamen omnem actiuitatem ad videndum Deum eſſe ſupernaturalem in ſua ſubſtantia; quia ſatis eſt, quòd ſit ſupernaturalis, quoad modum eſſendi: talis autem eſt naturalis actiuitas intellectus, vt lumine gloriæ eſt eleuata ad eſſe ordinis ſupernaturalis, & diuini.

68. Ad 11. Vndecimum argumentū arguit Philoſophiæ ignorantiam, admittimus enim principium adæquatum, & totale viſionis eſſe intellectum eleuatum lumine gloriæ, qui componitur ex ſua naturali intelligendi virtute, & ex luminê gloriæ, tanquam ex principio, quo virtus intellectiua eleuatur, & cōpletur: Vnde in hoc ſenſu intellectus eleuatus eſt quoddam miſtum; quod ipſum poteſt eſſe principium entis ſimplicis, & per ſe: etenim intellectio eſt vnum ens per ſe, & ſimplex, vniuſque ſpeciei: & tamen producitur ab intellectu informato ſpecie intelligibili, tanquam ex vno principio non per accidens, ſed per ſe, vt ſatis docet D. Thomas *1.p.q.15.art.1.ad 2.& de veritate q.8.art. 1,& in 4.diſt.49.q.2.art.1.in fine corporis, & ad 8.* quòd vnum principium appellat intellectum innatum.

Futilius eſt argumentum duodecimum: nam concedimus intellectum habere virtutem actiuam inchoatam, & incompletam, per quam, vt eleuatus producit viſionem, tanquam per virtutem, quę elicit viſionem. Ad 12.

69. Ad 13. Argumentum decimum tertium ſequelam continet euidenter ineptam, & veluti à diſparatis. Et magis diſparata videtur illius probatio; quia ab actu per ſe vitali arguit ad gratiam, quæ eſt quidam habitus ſupernaturalis. Iam verò diſpar omnino eſt ratio inter actum vitalem, & habitum: quia actus vitalis ex ſua natura includit eſſentialem quandam dependentiam ab intellectu, ratione cuius grauiſsimi Theologi dubitarunt, An Deus ſine intellectu poſsit illum producere: cum tamen nullus dubitauerit, Deum poſſe producere gratiā. Quare in materia propoſita arguere a viſione beata ad gratiam, eſt arguere à diſparatis; etiā ſi daremus viſionem eſſe quid nobilius, de quo multi dubitant. Subordinatio autem viſionis ad gratiam ſolùm eſt ſubordinatio cuiuſdam ſuppoſitionis de lege tantum neceſſariæ.

70. Ad 14. Decimum quartum argumentum facilè confundet eū, qui Philoſophiam non ſatis caluerit. Vellem, vt iſte ſubtiliſsimus Theologus explicaret, qui nam ſint illi habitus ſupernaturales, qui ab intellectu per viſionem poſſunt intendi: etenim præter lumen gloriæ, nullum habitum, nec antecedentem, nec conſequentem ipſam viſionem vllus Theologus agnouit; & certum eſt, nullum dari habitum in politia matutina, qui per actionem intellectus ſit acquiſibilis. Si verò aliqui darentur ex ſua natura per actus intellectus acquiſibiles, profecto illos virtus naturalis intellectus, vt eleuata, poſſet intēdere. Si verò tales habitus non admittis; parum vrget argumentum ſumptum ex virtute naturali in ordine ad habitus naturales: quia iſti ex ſua natura ſunt naturaliter acquiſibiles; & ideo, quo virtus naturalis maior fuerit, magis eos poterit intendere. Si verò ſermo ſit de virtute naturali, vt eleuata, per eam non poteſt intēdi habitus infuſus; quòd ſi admittas per illos actus generari poſſe habitus acquiſitos ordinis naturalis (etenim vera opinio docet

docet per actus fidei generari poſſe habitus acquiſitos ordinis naturalis) facilè admittam, virtutem naturalem eleuatam poſſe intendere tales habitus, & eorum actus.

Ad 15. Decimum quintum argumentū puerile eſt: quia intellectus eleuatus in ordine ad viſionem, non libere concurrit, ſed naturaliter, vt in ſequenti lib. dicemus.

71. Ad 16. Decimum ſextum argumentum, Si intelligatur de propenſione, id eſt, de appetitu naturali non elicito, nullum habet ſaporē Pelagianiſmi, etiam ſi admittatur: Scotus enim, Sotus, & plures alij doctiſsimi Theologi admittunt in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem, quorum opinio Pelagianiſmum non ſapit. Porrò ſi ſermo ſit de propēſione naturali ad eliciēdam viſionem beatam: neganda eſt ſequela, ſi ſermo ſit de propenſione naturali, quæ reſpicit actionem agentis naturalis, cuius actione reducatur ad actum: etenim virtus naturalis, de qua agimus, abſtrahit à reſpectu ad agens naturale, & ſupernaturale. Quare, licet in ea admittatur propenſio quędam imperfecta, & inchoata in ordine ad actum ſupernaturalem, cum illa non reſpiciat talem actum, niſi per reſpectū obedientialem, reducibilē ad actum per agens ſupernaturale; tantum abeſt, vt Pelagianiſmum ſapiat, vt illi ex Diametro opponatur. Quare noſtra reſolutio longè eſt ab apparentia Pelagianiſmi; vt plures aduerterunt, & cum illis *Suarius in dict. diſp. 31. ſect. 6. pag. 612. col. 2. in principio, & Bellomontan. 1. p. diſp. 176. cap. 5. n. 29.* *Suarius. Bellomon.*

72. Ad poſtremum. Ad poſtremum argumētum dicimus, D. Thomā noſtram approbaſſe ſententiam, vt oſtendimus ſupra §. 2. Quæ vero adducuntur *ex 1. p. q. 12. art. 6. in corp. & ad 3.* intelligūtur de facultate videndi, nō inchoata, & incompleta, ſed proxima, & iam completa: hæc autem non conuenit intellectui ſecundùm ſuam naturam; ſed per lumen gloriæ: & ideo ex Diuo Thoma diuerſitas videndi ſumi debet non à diuerſitate facultatis ſecundùm ſe, & vt præciſè eſt naturalis; ſed vt eſt glorioſa. Quare D. Thomas in illo articulo potius facit pro opinione, quòd inæqualitas viſionis non ſit ſumenda ab inæqualitate virtutis naturalis, ſed luminis: de quo tamen ſuo loco dicemus in lib. 12.

ARTICVLVS V.

Vtrùm intellectus per ſuam naturalem virtutem concurrat ad viſionem, vt cauſa inſtrumentaria: An verò, vt principalis?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

QVæſtio iſta inter Theologos eſt ſatis controuerſa; vnde in varias ſententias diuiduntur; ſingulas referemus, vt ſingularum veritas ex pendatur. Duæ ſunt ex diametro oppoſitæ; cæteræ veluti mediæ. 1. Variæ ſunt ſententiæ.

Prima ſententia abſolutè negat, intellectum in viſionem influere, vt cauſam principalem; & conſtanter aſſerit eſſe ſolùm cauſam inſtrumentariam. Hanc ſententiam poſt longam diſpuiationem pluribus opinionibus relatis, & impugnatis, conſtanter defendit Suarius *1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. in ſolutione quarti argumenti pag. 616. col. 1. §. Mihi verò dicendum videtur, & eandem iterum probat lib. 3. de Auxilijs cap. 15. num. 20. eandem probauerat in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. num. 46. pag. 112. col. 2. & tandem eam approbat lib. 2. de attributis negatiuis cap. 10. num. 14: & ante eum ſimpliciter eam probauit Medina prima ſecūdæ q. 3. art. 2. dub. 1. ad 7. & ſuppoſita actiuitate intellectus in viſionem, eā probat Paludanus in 4. diſt. 49. q. 1. num. 42. fauere videtur Ægidius in 2. diſt. 26. q. 2. art. 3.* dùm ait hominem ad actus gratiæ in via concurrere inſtrumentaliter: ſed de mente Ægidij inferius dicemus. 1. Sententia. *Suar. Medina. Palud. Ægidius.*

Secūda ſentētia huic ex diametro opponitur; docetque intellectum influere in viſionem, non vt cauſam inſtrumentariam, ſed vt principalem in ſuo ordine. Hanc opinionem nonnullos probaſſe refert *Suarius vbi ſuprà pag. 613. col. 2. in 1. opinione, & pag. 615. col. 1. in. 5. ſententia.* Vtriuſq; illius opinionis authores in hoc cōueniūt, vt intellectus ſit cauſa prinpalis viſionis, quanuis differāt circa virtutē, qua influit. Hanc opinionem ſimpliciter probat *Bellomontanus 1. tom. ad 1. p. diſput. 43. cap. 4. ad finem, & 2. tom. diſp. 176.* licet enim eo loci aliquam in intellectu rationem inſtrumēti admittat, nomine inſtrumenti largè ſumpto; eam tamen admittit, 2. 2. Sententia. *Bellom.*

quæ non tollat veram,& propriam rationem cauſę principalis, vt ſcribit *ibidem c. 4. num. 20. & cap. 5. num. 26.* Hanc ſententiam eſſe probabilem non negat *Suarius lib. 3. de Auxilijs cap. 15. nu. 19 in fine*; vbi pro ea citat Driedonem, Taperũ, & Bellarminum: ſed in Taperio,& Bellarmino nihil inuenio, quòd huic opinioni faueat: Driedo *verò in lib. de Concordia liberi arbitrij cap. 3. fol. 47. pag. 2. B.* ſolùm dicit, *Deũ per liberum arbitrium operari, non tanquam per inſtrumentum; ſed tanquam per cauſam libere operantem:* quibus verbis ſatis declarat, liberũ arbitrium ad ad actus ſupernaturales viæ concurrere, vt cauſam principalem; & idẽ diceret de intellectu in ordine ad actum viſionis patriæ. Eandem ſententiam, tanquã certam probat Bañes *1. p. q. 12. art. 5. dub. 3, contra 3. ſent. & ad vltimum artic. in fine art. Cumelius ibidem diſp. 2. pag. 251. col. 1. §. Cæterum vrget vlterius, & pag. 252. col. 1. §. Secundo perſuadetur, & p. 253 ad 5. & generaliter de intellectu in ordine ad actus vitales latè id defẽdit tom. 2. ad primam ſecundæ q. 109. art. 1. diſp. 1. concl. 2. pag. 12. col. 1: & inferius ad 6. argum. pag. 17. col. 1. idem repetit in eadẽ q. 109. art. 4. ad 2. pag. 123. & Nauarrete 1. tom. contro. 39. §. 1. concl. 1. pag. 245. col. 2; & latè Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5 ſect. 5. num. 74. pag. 359, col. 1.* vbi innumeros refert; qui tamen licet fortè hanc opinionem ſupponant, eã tamẽ in terminis non explicant. Deniq; eam probauit Cabrer. *ad 3. p. q. 9. artic. 2. diſp. 11. §. 3. concl. 1, num. 36. & Petrus Lædeſma de diuina perfectione in ſub articulo, articuli 8. concl. 1. pag. 591. col. 1. C. D.*

Driedo. Taper. Bellarmi. Bañes. Cumelius: Salas. Lædeſma.

3. Tertia ſententia interiacet media, & docet, intellectũ informatũ lumine gloriæ concurrere ad viſionem, vt cauſam principalem: vt inſtrumentariam verò, ſi abſque vllo ſupernaturali habitu, ſolo extrinſeco Dei concurſu de potentia abſoluta eleuetur. Nonnullos hanc ſententiã probaſſe refert Bañes *vbi ſupra. §. Tertia ſententia eſt media*, idem teſtatur Suarius *vbi ſuprà in 4. opinione pag. 614. col. 2. in fine. Quam ille probat in Anima Chriſti in d. diſp. 31. ſect. 4. pag. 583. col. 1. in fine.*

Bañes. Suarius.

4. 4. Sentent. Quarta ſententia (quæ etiam eſt media) diſtinctione vtitur: vt intellectus ad entitatem, ſubſtantiamque viſionis concurrat, vt inſtrumentum Dei; ad vitalitatem autem illius, tanquam agens principale. Hanc ſententiam refert *Suarius vbi ſuprà in 3. opinione pag. 614. col. 1.*

Quinta adhuc eſt ſententia (quæ etiã medium tenet locum) & aſſerit intellectum quidem ad ſubſtantiam viſionis concurrere, vt cauſam principalem: vt inſtrumẽtariam verò ad ſupernaturalitatẽ eius. Hanc ſententiam nõnullos probaſſe, teſtatur Bellomontanus *1. p. diſp. 47. cap. 6. num. 35. & 36.* 5. 5. Sentent. *Bellomon.*

Sexta eſt ſententia, quæ affirmat intellectum concurrere, vt cauſam principalem ad viſionem, quatenùs eſt intellectio, & ſub communi gradu intellectionis: vt inſtrumentum verò; prout eſt talis intellectio, ſ. intuitiua Dei. Hanc quibuſdam placuiſſe, refert Suarius *vbi ſuprà pag. 613. col. 2. in 2. opinione.* 6. 6. Sentent.

Septimam ſententiam quidam referunt ex Bellomontano *in dicta diſp. 176.* quatenùs putat, intellectum concurrere quidem, vt inſtrumentum Dei: eius tamen naturæ, & rationis, vt ad rationem genericam viſionis cæterorumque actuũ ſupernaturalium concurrat, vt cauſa principalis; ratione cuius poteſt ad illos actus; tanquam inſtrumentum eleuari. Sed ex dicendis patebit, Bellomontanum ſecundam ſententiam approbaſſe; in dicto cap. 5. ſolũ admonuiſſe, intellectũ poſſe quidem dici inſtrumentum ad viſionem, nomine inſtrumẽti largè ſumpto, ita vt ſtare poſſit cum vera, & principali cauſalitate. Has opiniones de propoſita quæſtione apud Theologos inueni. 7. 7. Sentent. *Bellomon.*

§. 2.

Secunda opinio eligitur vt veriſſima.

Ex his tam varijs opinionibus, ſecunda opinio, quæ eſt extrema, & primæ ex diametro oppoſita ſimpliciter eſt amplectenda. Quare hanc concluſionem generaliter ſtatuimus: *Intellectus lumine gloriæ eleuatus in viſionem ſecundùm omnem ſuam eſſendi rationem concurrit, vt cauſa in ſuo ordine principalis, & nullo modo, vt inſtrumentaria; ſi cauſa inſtrumentaria propriè ſumatur.* 8. Vera eſt 2. opinio. Concluſio.

Hæc concluſio primò ex eo confirmatur; quia inter Doctores eſt communior, nam oppoſitam ex profeſſo defendit ſolus Suarius: nam Paludanus, & Medina eam 9. 1. Confirma. quia eſt cõmunior.

eam ex profeſſo non diſputant: nec eſt, quòd aliquis pro ea adducat Ægidium; quia in loco citato agit de cauſa inſtrumẽtaria largiſsimè ſumpta; prout idem eſt agere inſtrumentaliter, quòd agere poſterius, & imperfectè, vt in eodẽ loco expreſsè declarat ita inquiẽs: *Aliquãdo verò prioritas dicit principalitatẽ; vel dicit agere principaliter: poſterioritas verò dicit agere inſtrumẽtaliter:* Et in hoc ſenſu docet, nos Deo inſtrumentaliter cooperari in bonis operibus; quia ſcilicet poſterius, & minus principaliter cooperamur: qui mod⁹ inſtrumenti optimè conſiſtit cum cauſa principali; ita vt cauſa principalis iſto modo inſtrumẽtaliter operetur; vnde in eodem loco multa concedit arbitrio noſtro Deo cooperanti, quæ inſtrumento propriè ſumpto minimè conueniunt. Quare pro oppoſita ſententia ſolùm citari poſſunt Paludanus, & Medina obiter eam affirmantes: ex profeſſo autem ſolus Suarius: cum tamen noſtram ſententiam in terminis multò plures authoritate nõ inferiores ex profeſſo defendant; & inter Nouiores ab omnibus ferè recepta eſt: pro qua non poſſunt non ſtare omnes, qui putant, intellectum propria virtute ad viſionem concurrere, & vt cauſam partialem; qui ſunt quàm plurimi, quos refert Salas vbi ſuprà, & nos referemus art. 7. Iam verò inſtrumentum, vt propriè eſt inſtrumẽtum, nec ex propria virtute ſimpliciter influit, nec partialiter concurrit.

Ægidius ñ contradici

Paludan. Medina. Suarius,

Expenditur ſecunda ratio.

10. 2. Ratio expenditur. Intellectus ad actus ſupernaturales viæ, nõ eſt inſtrumentum.

¶ Deinde noſtra opinio non inefficaciter confirmatur; quia intellectus ad actus ſupernaturales viæ, non concurrit, vt cauſa inſtrumentalis, ſed vt principalis. Cur igitur ita non concurret ad viſionẽ? Quæ ratio aduerſus Suarium maximè vrget; quia intellectus, etiam ad actus viæ ſupernaturales multis in locis nõ agnoſcit, niſi vt inſtrumentum agens per potentiam obedientialem natiuam, & innatam, quã excogitauit. Quòd verò intellectus ad actus ſupernaturales viæ, non vt inſtrumentum cõcurrat, ſed vt cauſa verè principalis, expreſsè probauit D. Thomas 2. *ſecundæ q. 23. art. 2.* dum ait, *voluntatem noſtram ad actum diligendi non ſic moueri à Spiritu Sancto, vt mouetur inſtrumentum, ſed oportere, vt ſic moueatur, quòd etiã ipſa ſit efficiens hunc actum.* Silicet, vt cauſa principalis: nam inſtrumentũ etiam actiuè cõcurrit ad actum, vt ibidem docet. Cum D. Thoma eiſdem verbis cõſentit D. Antoninus *4. p. titulo 6, cap. 1. §. 1.* Cum eodẽ communiter conſentiunt interpretes in illo loco, vbi *Bañes §. Eſt dubium alternm. & noſter Aragonius in dubit. circa concluſionem articuli ad 3. argum. pag. 492. col 1. Cumelius in 2. tom. ad primã ſecundæ q. 109. ar. 1. concluſione 2. in principio pag. 12. col. 1. & inferiùs ad 6. argument. pag. 17. col. 2. in principio, Salas idlatè probans primo tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. nũ. 78. pag. 360. col. 2. §. Tertia probatio: latè eandem probat Fonſeca lib. 6. Metaph. c. 2 q. 5. ſect. 13. ad 2. pag. 195. col. 1. & iterum recipit lib. 9. cap. 1. q. quarta ſectio. 8. ad 1. pag. 622. colum. 2. in fine.*

D. Thom.

D. Antoninus.

Aragonius Cumelius.

Salas.

Fonſeca.

11. Noua confirm.

Et præter rationes, quas præcitati authores afferunt, hac etiam poteſt iſta opinio confirmari: quia neceſſariò concedẽdum eſt, voluntatem, dum pro ſua libertate actus iſtos ſupernaturales, etiam poſt diuinam excitationem, libere reſpuit, eos reſpuere, vt cauſam principalem, vt omnes admittunt, & admittit Suarius *in dicto lib. 3. de Auxijs cap. 15. num. 22. & ſatis in dicta diſp. 31. ſect. 6. pag. 616. col. 2. A. B:* nec poteſt non admitti, cum illa ſit cauſa prima talis reſpuentiæ. Cur igitur dum pro eadẽ ſua libertate diuinit⁹ adiuta illos acceptat, ñ acceptabit, vt cauſa prĩcipalis? etenim abſurdũ videt, vt vna, & eadã potentia ſit cauſa principalis ad nolendum aliquod obiectum; ad volendum verò illud ſit ſolùm inſtrumẽtaria: nam ideo ad nolendum concurrit, vt cauſa principalis; qa eſt domina ſuorũ actuũ: hæc enim eſt prima, & radicalis cauſa, ſuppoſita eſſentiali depẽdentia actus vitalis, & liberi ab ipſa voluntate, vt aut ſine illa, nec per diuinam potentiam poſsit fieri talis actus, aut ſine aptitudinali dependentia, vt poſſit ab illa fieri, ſicut diximus *q. 1. huius lib. art. 3. & 4.* Ergo cum etiam voluntas domina ſit ſuæ volitionis, qua diuinam excitationem acceptat (libere enim eam acceptat, vt fides docet) cur etiam ad eam non concurret, tanquã cauſa principalis?

Suarius.

12. Solutio ex Suario.

¶ At, inquit Suarius; voluntas ita eleuatur ad volendum, vt non priuetur virtute propria, tùm ad ſuſpendendum ſuum influxum,

fluxum, tùm etiam ad poſitiuè volendũ actum contrarium. Admittimus libentiſsimè: quia eleuatio illa, & excitatio nõ tollit innatam libertatem ipſius voluntatis. Sed non video, quomodo inde inferatur, voluntatem ad volendum ſolũ eſſe inſtrumentum: etenim talis eleuatio ſtare poteſt cum cauſalitate principali ad volendum, & nolendum: eleuatio enim potentiæ ſimpliciter non variat modũ cauſandi illi natiuum; ratione cuius habet dominatũ in ſuos actus; qui dominatus eſt prima, & radicalis ratio cauſalitatis principalis, per ſe excludens inſtrumentariã. Quin potiùs cauſalitas principalis ad nolendum, non poteſt ſimul ſtare cum cauſalitate inſtrumentaria ad volẽdum, quoniam ſtare non poteſt, aut cum propria, & natiua actiuitate ad illum actum, aut cũ vitalitate illius; cum de ratione inſtrumẽti ſit non influere in effectum virtute ſibi propria, à qua affectus per ſe, & eſſentialiter dependeat, vt inferius dicemus.

Non recipitur.

13. 1. Ratio. Solutio. Nec his obſtat, quòd voluntas ſuis viribus poteſt nolle; velle autem non niſi adiuta: non obſtat, inquam; quoniam principalitas in cauſando per ſe non pendet ex eo, quòd potentia virtute ſua natiua reducatur ad actum per vires naturales, quas ſibi vendicat in ordine ad agens naturale: ſed præciſè ex eo, quòd potentia per vires ſibi natiuas, & eſſentiales influat in actum; ſiue in illum influat adiuta viribus ordinis inferioris, & naturalis, quas habet in ordine ad agẽns naturale; ſiue per vires ordinis ſuperioris ſibi ſupernaturaliter communicatas: ſemper enim concurrit, vt cauſa principalis: vnde ſemper eſt principalis; ſiue cõſideretur, vt eſt in potentia naturali, vt ab agente naturali adiuuetur; ſiue, vt eſt in potentia obedientiali, vt adiuuetur ab agente ſuperioris ordinis.

14. Quid inter ſit inter voluntatẽ concurrentem per potẽtiã naturalẽ, & obedientialem? Quare inter voluntatem concurrentẽ, vt eſt in potentia naturali, & vt eſt in obedientiali, hoc ſolùm intereſt, quòd priori modo concurrit, vt cauſa principalis in ſuo ordine prima, ideſt, principalior: poſteriori autem modo cõcurrit quidem, vt cauſa in ſuo ordine principalis; non tamẽ in illo ordine prima, id eſt, principalior: etenim voluntas in ordine ad actus naturales (ad quos eſt in potentia naturali) non ſolùm in ſuo ordine eſt principalis; ſed etiam inter alias concauſas eiuſdem ordinis eſt principalior: at verò, vt eſt in potentia obedientiali ad actus ſupernaturales; ita in illo ordine eſt cauſa principalis; vt tamen non ſit principalior: Deus enim illos actus operatur, vt author primus, id eſt principalior, voluntas autem, vt cauſa cooperans: quare voluntatẽ ſupernaturales actus, ad quos excitatur, poſſe nolle operari per vires naturales in ordine ad agens naturale: non poſſe autẽ velle, niſi per ſolas vires ſupernaturales, per ſe non arguit illam ad nolle cõcurrere vt cauſam principalem; ad velle autem, vt cauſam inſtrumentariam (quidquid Suarius aliter velit): ſed ſolùm arguit, voluntatem ad nolle eſſe cauſam in ſuo ordine primam, id eſt principaliorem: ad velle autem non eſſe cauſam primam, id eſt principaliorem in illo ordine; ſed minus principalem; principalem tamen. Quod in hac materia eſt quàm diligentiſſimẽ annotandum: & vno verbo tetigit Fonſeca (aliud tamen agens) *in 6. Metaphyſ. c. 2. q. 5. ſect. 13. pag. 195. col. 1. in fine.* *Fonſeca.*

¶ Porrò ſi ſemel admittatur, intellectũ, & volũtatem ad actus ſepernaturales viꝗ concurrere, vt cauſas in ſuo ordine principales; non video, cur idẽ nõ admittatur in intellectu in ordine ad viſionem.

Expenditur tertia ratio.

¶ Tertio loco hæc opinio demonſtrabitur, ſi nonnulla de intellectu ex ſuperioribus ſupponamus. Primum igitur ſupponimus, animam rationalem per intellectum datum ſibi à natura intelligere omnia, quæ intelligit, ſiue illa naturalia ſint, ſiue ſupernaturalia, de quo nulla eſt, aut eſſe poteſt dubitatio. Sicut etiam nõ poteſt eſſe dubitatio, intellectum, quo anima omnia intelligit, eſſe vnum ſpecie intellectum, vnamque ſpecie potentiam intelligendi: nullus enim in anima duos poſuit intellectus, duaſque potentias intellectiuas; ſed vnam tantum: nam intellectus agens non eſt potentia formaliter intellectiua. Cum vero per iſtum vnum intellectum anima intelligat, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, nullus etiam negabit, intellectum iſtum ex ſe abſtrahere à cognitione naturalium, & ſupernaturalium; cum ad hæc, & ad illa intelligẽda

15. Expenditur 3. Ratio. Anima omnia intelligit per intellectũ ſibi datũ à natura.

da ſit indifferens, quanuis aliter, & aliter ea intelligat. Poteſt igitur intellectus cõſiderari in quodam priori, in quo abſtrahit à cognitione naturalium, per virtutem naturalem; & à cognitione ſupernaturalium, per virtutem obedientialem: omne enim, quod ex ſe eſt indifferens ad plura, poteſt ſine illis conſiderari. Vnde ipſe Suarius (contra quem agimus) libenter id admittit, vt patet ex *dicta diſp.* 31. *ſect.* 6. *pag.* 599. *col.* 2. §. *Dices, hinc ſequi*: vbi etiam docet, intellectum ita conſideratũ ex ſua natura eſſe vim quandam actiuam, etiam ad ſupernaturales actus: & in hoc quidem ſatis doctè; cum intellectus, vt eſt intellectus, eſſentialiter ſit quædam actiuitas ad intelligendum, vt oſtendimus in articulo præcedente §. 2. num. 17. *Suarius*

16. *Vnde intellectus in ſua natura ſpecificetur.* De intellectu igitur ita cõſiderato, inquiro, vnde nam primò, & per ſe ſumat ſuam ſpecificam vnitatem? huius dubitationis explicationem in doctiſsimo Theologo ſẽper deſideraui; cui deberet occurrere; cũ in intellectu ita cõſiderato admittat virtutem actiuam in ratione potentiæ intellectiuæ: omnis autem virtus actiua, (maximè ſi eſt virtus potentiæ) eſt vna ſpecie, vel plures; cum vnum, vel plura diuidant omne ens. Et ſi diligenter expẽdantur, quæ ſcribit *pag.* 614. *col.* 1. *in principio*, in eam ſententiam videtur inclinare, vt intellectus in illo priori conſideratus non habeat vnam rationem formalẽ ſibi adęquatam, ſub qua extendi poſsit ad obiecta, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia. Sed ſi ita exiſtimat, non poſſum, cũ illo conſentire: quoniam ſeruatis prin cipijs indubitatæ philoſophię, non poteſt non concedi, intellectum ſub illa abſtratione conſideratum eſſe vnam ſpecie potentiam: quis enim vnquam admiſit, intellectum animę à natura datum ad intelligendum omnia, quæ poteſt intelligere, eſſe vnam potentiam vnitate analogica? etenim vnitas analogica ſimpliciter eſt pluralitas: iam verò nullus vnquam dixit, animam habere duos intellectus, quibus formaliter intelligat. Porrò ſi intellect⁹ in illa abſtractione eſt vna ſpecie potentia; vtique iuxta receptam Ariſtotelis Philoſophiam ſuam vnitatem ſpecificam ſumet ab aliquo obiecto ſub vna ratione formali ſub qua omnia ſub illo obiecto contenta percipiantur; hæc autem formalis ratio eſt ratio intelligibilis.

Quo fit, vt intellectus in illa abſtractione ſumptus per ſe primò adęquatè reſpiciat ens, in quantum ens, tanquam obiectum materiale; ſub ratione tamen intelligibilis, ſub qua intelligit, quidquid intelligit: vnde per ſe primò adęquatè adęquatione extenſiua ſpecificatur ab ente, vt ens eſt, quatenus formaliter eſt intelligibile: ita vt obiectum materiale illi adęquatum ſit ens, vt ens eſt: formale autem, ſit ens, vt eſt intelligibile: quam Philoſophiam ſupponimus, tanquam receptiſsimam, de qua plura diximus in libris de Anima, cum cæteris omnibus Ariſtotelis interpretibus, vbi Conimbricẽſes *cap.* 8. *q.* 2. *art.* 2: etenim indubitatũ eſt Deũ, etiam vt eſt in ſe ipſo, per ſe contineri ſub obiecto intellectui ſimpliciter adæquato, vt patet ex *D. Thoma prima p. q.* 12. *art.* 1. *&* 3. *& lib.* 3. *contra gentes cap.* 54. *D. Bonauentura in* 1. *diſt.* 3. *in* 1. *p. ar.* 1. *q.* 1. *ad* 2; *Durando in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *num.* 49. *Paludano ibidem q.* 1. *in fine, Bellomontano* 1. *p. diſp.* 41. *cap.* 2. *n.* 4. *Conimbricenſes* 2. *de Anima cap.* 6. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 1. *contra tertiam partem aſſertionis, pag.* 153; *quod etiam ſimpliciter docuit idem Suarius lib.* 2. *de attributis negatiuis cap.* 7. *num.* 20. 17. *Intellectus ſumptus in ſua abſtractione adæquatè reſpicit ens, vt ens formaliter, vt eſt intelligibile.* *Conimbri.* *D. Thom. D. Bonau. Palud. Bellomon.* *Conimbri.* *Suarius.*

Nec huic Philoſophiæ obſtant, quę adducit 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 29. *ſect.* 2. *pag.* 555. *col.* 2. *B. & diſp.* 31. *ſect.* 6. *p.* 614. *col.* 1. *A. B.* §. *Principalis obiectio eſt*; quoniã quãdo, ratio cõmunis de ſe eſt indifferens ad res ordinis ſuperioris, & inferioris; & potentia ſua naturali virtute illam rationem cõmunem ſolùm poteſt attingere, vt cõtracta eſt in rebus ordinis inferioris, quibus ſolis eſt naturaliter comenſurata; tunc illam rationem communem per ſe primò non attingit, vt rationem ſub qua; ſed ſolùm illam attingit, vt contractam, & ſibi accommodatam; & ideò ratio illa communis nõ poteſt dici adæquata ratio ſub qua talis potentiæ; & per conſequens nõ poteſt illi potentiæ attribui, quòd ſua naturali vi attingat effectũ ſuperioris ordinis etiam ſub illa ratione communi. Hoc argumento Theologus verè doctiſsimus putat, ſe rem obtinuiſſe. 18. *Inſtantia ex Suario.*

Sed in ſuperioribus ſæpè dixi, æquiuocationem huius vocis *naturalis* magnam in hac materia facere confuſionem: etenim virtus intellectus duobus modis poteſt 19. *Solutio.*

Virtus intellectus 2. modo poteſt dici naturalis. teſt dici naturalis: vno modo; quia eſt virtus actione naturalis agentis ad actum reducibilis; quo pacto virtus naturalis condiſtinguitur à virtute obedientiali, vt ſæpe diximus. Altero modo; quia eſt virtus naturaliter emanans à principijs eſſentialibus animæ: quod enim emanat à principijs eſſentialibus ſubiecti, ipſi ſubiecto naturale eſt. Et in hoc ſenſu virtus illa, quam concedimus intellectui præciſè conſiderato, abſtrahendo ab hoc, quòd dicatur naturalis, vel obedientialis, non poteſt non dici virtus naturalis; quia verè, & propriè emanat à principijs naturæ intellectualis: nón quidem naturalitate, quæ diſtinguitur ab obedientia: quia ex eodem Suario hæc virtus ſecundum ſe conſiderata abſtrahit à naturali, & obedientiali: dicetur igitur naturalis in alia naturalitatis acceptione, qualis eſt illa, quam explicamus, ſecundū quam virtus illa indifferens eſt ad eſſe naturalem, & obedientialem.

20. Quare Suarius tenetur admittere virtutem intellectiuam non vno modo, ſed pluribus dici poſſe naturalem. Cur igitur virtutem naturalem vno tantum modo accipit? Si enim ad hanc naturalis multiplicitatem attendiſſet, abſque dubio nobiſcum conſenſiſſet. Etenim vir doctiſsimus admittit in intellectu in ſua natura præciſè conſiderato dari virtutem intellectiuam, ex ſe, ſuaque natura abſtrahentem ab eſſe virtutem naturalem, & obedientialem; vt verbis expreſſis ſcribit *in dicta diſputatione 31. ſectione ſexta, pagina 599. columna ſecunda, §. Dices hinc*: agens enim de virtute intellectus ita ait: *Reſpondetur; ſi ſit ſermo de virtute actiua abſolutè, ſimpliciter abſtrahendo ab hoc, quod illa virtus dicatur naturalis, vel obedientialis: omninò concedendum eſt, quod in intellectu, & voluntate ex præciſa ſua natura conſideratis, ſit aliqua vis actiua.* Ecce intellectui in ſua natura præciſè conſiderato concedit virtutem actiuam abſtrahentem à naturali, & obedientiali. Præterea concedit, hanc virtutem conuenire intellectui conſiderato ſecundum præciſam ſuam naturam. Ergo, non poteſt non admittere, talem virtutem ipſi intellectui eſſe naturalem, vt naturale idem eſt, quod conueniens ſecundum naturam. Ex quo ego infero, virtutem illam intellectiuam eſſentialiter non includere eſſe naturalem, vt naturale diſtinguitur ab obedientiali: alioquin non poſſet abſtrahere ab eſſe virtutem illo modo naturalem; quia nihil abſtrahit ab eo, quod in ſua eſſentia includit. Igitur non debet cenſeri nouū, aut minus Philoſophicum in virtute intellectiua duplicem rationem naturalis diſtingui.

His ita ſuppoſitis, vt ad principale inſtitutum redeamus; doceat nos vir doctiſsimus; vtrùm virtus illa intellectiua in illa abſtractione ſit vera animæ potentia? Non dubito, quin admittat eſſe potentiam animæ datam illi ad intelligendum. Deinde volo doceri; vtrùm illa virtus ſit vna potentia? An plures? Abſque dubio concedet eſſe vnam potentiam. Inquiro tertio loco; An illa ipſa virtus ſit, qua anima intelligit, & naturalia, & ſupernaturalia? nec id negabit: nam quòd per eam anima intelligat naturalia, eſt notiſsimum: quòd verò per eandem (eleuatam tamen) intelligat ſupernaturalia: expreſſe concedit loco citato; ita enim ſcribit: *Omnino dicendum eſt, quòd in his potentijs ex præciſa ſua natura conſideratis,* (& ſubinde, vt abſtrahunt à virtute naturali, & obedientiali) *Sit aliqua vis actiua imperfecta, & inchoata ad efficiendos hos actus ſupernaturales.* Quartò loco inquiro; Vtrùm virtus illa, ſic conſiderata, ſit vna ſpecie potentia? nec hoc negabit: quia intellectus conſideratus in ſua præciſa natura eſt vna potentia ſpecie diſtincta à cæteris animæ potentijs. Si verò eſt vna ſpecie potentia: vtique ſuam ſpeciem ſumet ab vno ſpecie obiecto formaliter ſumpto, hoc eſt ſub aliqua formali ratione, ſub qua tendat ad omne obiectum, ad quod tendit. Hæc autem ratio communis, eſt ratio intelligibilis, quæ eſt vna ratio ſpecifica, ſub qua intelligit omnia, quæ intelligit. Quomodo igitur id negat *in d. pag. 614. col. 1. §. Quòd ſiquis contendat.* 21. Vis argumenti.

Sed pro tollenda altera æquiuocatione, quæ in allata ſolutione continetur, ſecundo illud aduerto, virtutem illam, in ſua abſtractione conſideratam, ſub duplici ratione formali reſpicere obiectum ſibi adæquatum: quarum altera eſt ratio 22. 1. Aduertentia.

obiecti, quatenùs res eſt: altera verò eſt formalis eiuſdem obiecti, quatenùs obiectum eſt, vt in hoc libro ſæpius diximus, & ex Fonſeca, atque Conimbricenſibus oſtendimus lib. 4. q. 8. artic. 3. num. 11. Ratio materialis obiecti illius virtutis, vt res eſt, eſt ratio entis, quatenùs ens eſt: ratio verò formalis obiecti, vt obiectum eſt, eſt ratio intelligibilis, vt intelligibile eſt. Inter vtramque iſtam communem, & formalem rationem, magnum eſt diſcrimen. Primum eſt; quia virtus illa non ſumit ſpeciem à ratione formali obiecti, quatenùs res eſt: quia ratio entis, quatenùs eſt ens, eſt ratio analoga, quæ non poteſt dare vnitatem ſpecificam. Sumit igitur ſpeciem à ratione formali obiecti, vt obiectum eſt; id eſt à ratione intelligibilis, vt eſt intelligibile, cuius ratio eſt vnius ſpeciei.

Diſcrimen inter vtrãq;

23. Deinde prior illa ratio entis, vt ens eſt, eſt ratio per quam attingitur res, quæ eſt obiectum. Poſterior verò, quæ eſt ratio entis, vt eſt intelligibile, eſt ratio ſub qua; quia ſub illa res, quæ eſt obiectum, cadit ſub potentiam. Et inde eſt, vt prior illa ratio entis, vt ens eſt, habeat ſe ex parte obiecti: quia ipſa in ſe attingitur ſimul cum ipſa re obiecta: poſterior autem ratio (nimirum ratio intelligibilis) ſolùm ſe tenet ex parte modi tendendi: quia ſub illa potentia tendit in obiectum, & obiectum in potentiam: nec enim videns coloratum videt ipſam viſibilitatem; cum tamen videat ipſam formalem rationem coloris. Quare virtus iſta intellectiua ita fertur in rem, quæ eſt ens, vt videat ipſam entitatem, & per entitatem attingat rem, quæ in ſe habet entitatem: nam viſus licet non videat colorem, niſi contractum ad albedinem, aut nigredinem; tamen non videt colorem per albedinem; ſed albedinem per colorem: quia non videt colorem ſub ratione albedinis; ſed videt albedinem ſub ratione coloris, & quatenùs eſt talis color.

24. Ex his iam patet, argumentum plura continere, quæ & diſtinctione indigent, & explicatione. Nam ſi in propoſitione aſſumpta ſermo eſt de ratione formali ſub qua, quæ eſt ipſa ratio intelligibilis; ipſa non attingitur à potentia; ſed ſub ea obiectum attingitur, vt ex dictis patet: vnde fruſtra recurritur ad attinctionem rationis ſub qua. Si verò ſermo eſt de ratione formali, per quam attingitur obiectum: primùm dicimus, rationem illam, non eſſe rationem formalem ſub qua; vnde potentia ab illa non ſpecificatur: Deinde dicimus, illam rationem non attingi à potentia in ſua abſtractione, niſi per actum reflexum; ſed ſolùm attingi, vt eſt contracta; ſiue illa attingatur per virtutem illam, vt eſt naturalis, ſiue vt eſt obedientialis. Ex quo non benè infertur, rationem illam communem eſſe non poſſe rationem adæquatam, per quam obiectum, vt res eſt, à tali virtute attingitur; etenim ratio formalis coloris, vt color eſt, eſt ratio formalis adæquata, per quam viſus videt omnes colores; quia omnes videt, quia colores ſunt: & tamen viſus non attingit rationem illam in communi, & vt eſt abſtracta; ſed vt contracta eſt ad albedinem: & ratio eſt; quia ratio formalis, per quam attingitur color non eſt albedo; ſed è contrariò ratio formalis, per quam attingitur albedo, eſt, quia eſt color. Oportebat igitur hæc omnia explicari, & diſtingui, ne propoſitio ſua æquiuocatione deciperet.

Argumentũ plura continet explicatione digna.

Sicut etiam oportebat diſtinguere rationem huius vocis, *naturalis*, etenim ſi ſermo ſit de virtute illa, vt induit rationem naturalis, prout naturale diſtinguitur ab obedientiali; vt quia dicitur talis per reſpectum ad agens naturale, cuius virtute ad actum eſt reducenda; admittimus virtutem illam vi ſua naturali non poſſe attingere, niſi obiecta ordinis inferioris, idque ſub ratione intelligibilis, tanquam ſub ratione formali, ſub qua illa intelligit; ex quo non benè infertur, rationem intelligibilis in communi eſſe non poſſe rationem adæquatam illius virtutis in ſua abſtractione conſideratæ. Si verò ſermo ſit de virtute illa, vt eſt naturalis, prout naturale idem eſt, quod conueniens ex principijs ſubiecti; negandum eſt, virtutem illam vi ſibi naturali nõ poſſe attingere rationem communem ſui adæquati obiecti, tam materialem (nimirum ens, in quantum ens) quàm etiam formalem; rationem, ſcilicet, intelligibilis: etenim 25.

Alia æquiuocatio.

ex

ex ſua naturali v' poteſt attingere non ſolùm obiecta naturalia, ſed etiam ſupernaturalia; idque ſub ratione communi intelligibilis: etenim, teſte Suario in dicta pagina 599, columna ſecunda §, *Dices hinc*, iſta ipſa virtus conſiderata in explicata abſtractione, ex ſua natura habet poſſe attingere obiecta ſupernaturalia per actus ſupernaturales, vt patet ex verbis ſuperius adductis. Quòd verò aliqua virtus ex ſua natura poteſt facere, vtique vi ſibi naturali illud faciet. Quare hæc etiam æquiuocatio, niſi diſtinguatur, magnam confuſionem faciet, & deceptionem.

Concluſio huius diſputationis. ¶ Ex hac tota digreſsione habemus, virtutem illam intellectiuã, quę eſſentialiter eſt ipſa potentia intellectiua, & abſtrahit à naturali, vel obedientiali, per ſe primò ordinatam eſſe ad intelligẽdũ omne obiectum per intellectionem, abſtrahendo à naturali, vel ſupernaturali.

26. Argumentum pro cõfirmatione. ¶ Ex his, quæ tam latè diximus hanc non inefficacem rationem poſſumus deducere pro noſtra opinione confirmanda. Nulla virtus alicui potentiæ natiua, quæ per ſe primò ordinatur ad effectum contentum ſub ſuo obiecto ſub aliqua formali eſſendi ratione, poteſt vt inſtrumentum concurrere ad effectum ſub illa contentum; ſed neceſſariò ad illum concurrit, vt cauſa principalis. Sed virtus natiua noſtri intellectus ſumpta in ſua præciſè natura, & vt abſtrahit ab hoc, quod ſit naturalis, vel obedientialis, per ſe primò ordinata eſt ad intellectionem ſub communi ratione intellectionis, abſtrahendo à naturali, vel ſupernaturali, Ergo virtus illa ad nullam intellectionem poteſt concurrere, vt inſtrumentum, ſed neceſſariò, vt cauſa principalis. Sed viſio beata per ſe continetur ſub ratione communi intellectionis. Ergo intellectus ſua illa natiua virtute non poteſt in viſionem influere, vt cauſa inſtrumentaria, ſed vt principalis.

27. Probatur minor prioris diſcurſus. Poſterior iſte diſcurſus, & veras propoſitiones continet, & legitimam conſequentiam. Minor autem diſcurſus prioris euidenter patet ex his quæ præmiſimus: quoniam intellectio, vt eſt intellectio, & vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali, eſt actus adæquatus ipſi intellectui in illa abſtractione ſumpto, quia vt ſic eſt vna ſpecie potentia, vt ſupra diximus: ſpecificatur autem non ſolum ab obiecto, vt formaliter eſt intelligibile; ſed etiam ab actu intelligendi, vt formaliter eſt intellectio: nam potentiæ per ſe ſpecificantur ab actu, & ab obiecto, vt communis docet Philoſophia. Cui accedit, quòd intellectio, vt eſt intellectio, ad nullam aliam cauſam habet dependentiam eſſentialem, niſi ad intellectum; ſicut etiam intellectus ſumptus in eadem abſtratione ad nullum alium actum habet reſpectũ tranſcendentalem, niſi ad actum intellectionis in communi; cum ab illa, tanquam ab actu adæquato, per ſe primò ſpecificetur, vt communis habet Philoſophia, de qua Conimbricenſes *libro ſecundo de Anima capite tertio, quæſtione quinta articulo ſecundo, & lib. 3. cap. 8. q. 2. artic. 2.* Conimbri.

28. Probatio Maioris. Maior verò (in qua poſitus eſt ſtãtus quæſtionis) inde oſtenditur: quoniam, quæ virtus in effectum influit, actiuitate ab Authore naturæ per ſe in illũ ordinata, ea in illum influit, tanquam cauſa principalis; etenim cauſa principalis illa dicitur, quæ virtute ſibi propria, & ex ſua natura aliquo modo proportionata, in effectum influit, quod tanquam receptum ſupponimus ex Suario *in dicta pagina 615. columna ſecunda A*: ob hanc enim rationem cauſa principalis virtualiter continet effectum in ſua actiua virtute.

Explicatur fundamentum. ¶ Dixi, *actiuitas per ſe primò ordinata ad aliquem effectum ſecundum aliquam ſpecialem eſſendi rationem*; vt verum noſtræ opinionis fundamentum explicarem: nec enim agimus de actiuitate, quæ ex ſua natura quocumque modo attingit effectum ſecundùm generalem eſſendi rationem; ſed de illa, quæ ex ſua natura reſpicit effectum ſecundum aliquam rationam eſſendi, ad quam per ſe, & primò adæquatè eſt ordinata: quomodo calor reſpicit calorem, ſub ratione caloris; non verò qualitatem, aliamuè ſuperiorem rationem eſſendi, quæ in calore reperiatur: nam quanuis calor, dum calorẽ producit, etiam producat qualitatem: eam tamen nõ producit, tanquam effectum ſuæ actiuitati adæquatum, & quem per ſe primò reſpicit: quia non omnis qualitas in ſui productione per ſe pendet à calore: cum tamen

tamen omnis intellectio (quæcumque illa ſit) per ſe primò pendeat ab intellectu ; ita vt à nulla alia potentia intellectio poſsit fieri, niſi ab intellectu, ſaltem connaturaliter, vt optimè aduertit Bellomontanus *prima parte diſput. 176, capit. 5. num. 29.*

Bellomon.

29. Obiectio Suarij. Solutio.

Quare non eſt, quòd Suarius loco citato *pag. 608. colum. 2. B. & pag. 615. col. prima C.* nobis obijciat aquam baptiſmi, tanquam verum inſtrumentum Dei producere gratiam, quæ continetur ſub genere qualitatis, quam eſſendi rationem ipſa aqua naturaliter producit, dum producit frigiditatem : non eſt, inquam, quòd nobis id obijciatur: quoniã aqua per ſe primò non cauſat qualitatem ſecundũ genericam rationem qualitatis; ſed ſecundariò, & ſuo modo per accidens, vt cum Ariſtotele volunt Philoſophi: quia ideò cauſat qualitatem, quia per ſe cauſat frigiditatem, quæ eſſentialiter eſt qualitas. Vnde ſi aqua per ſe primò produceret qualitatem, vt qualitas eſt, tanquam adæquata illius cauſa ; vtique ad gratiam non inſtrumentaliter cõcurreret, ſed principaliter.

Hæc ratio (ni fallor) ſatis euidenter rem concludit ; cum proprium ſit cauſæ principalis ſua propria virtute attingere effectum, ideò, quia illum virtualiter, vel eminenter continet : cuius oppoſitum reperitur in cauſa inſtrumentaria, vt eſt recepta Philoſophia, quam ex Cõmentatore D. Thomas ſæpè inculcat.

Expenditur quarta ratio.

30. 4. Ratio expenditur.

¶ Quarto adhuc loco noſtra concluſio euidenter demonſtratur, ratione ſumpta ex eo, quòd viſio beata ex ſua intrinſeca ratione eſt actio vitalis; cùm intrinſecè ſit formalis intellectio, quæ ex ſua natura eſſentialiter eſt vita animæ : ex quo fundamento neceſſario infertur, viſionem beatam ex ſua natura pendere ab anima, & intellectu beati, vt à cauſa principali, & nullo modo, vt à cauſa inſtrumentaria. Hoc argumento cõmuniter vtũtur noſtræ opinionis Patroni: eo tanquam firmiſsimo fundamento vtitur Cumelius *ſecundo tom. ad primã ſecundæ. quæſtione 109. articulo primo ad ſextum argumentum, pagina 16. columna ſecunda. §. Reſpondetur, quòd actio vitalis, & illud perſequitur, vſque ad finem diſputationis. Ponitur à Bellomontano ſecundo tomo ad primam partem diſputatione 176. cap. quinto nume. 26: Salas primo tom. ad primã ſecundæ, quæſtione 3. tractatu ſecundo diſp. 5. ſect. 5. pag. 360. colum. 1. numero 77. in ſecundo argumento. & in 1. & 2. illius confirmatione. Bañes prima parte quæſtione 12. artic. 5. dub. tertio in tertia ſententia. §. Sed tamen hæc opinio : Nauarrete primo tomo, controu. 39. §. 1. fol. 245. colum. 2. §. Præterea, impoſsibile eſt.*

Cumelius. Bellomon. Salas. Bañes. Nauarrete

Denique commune eſt argumentum inter recentiores, qui noſtram opinionẽ probãt: omnes enim in eo conueniunt, vt implicet, actionem eſſe vitalem, & eſſe à potentia, vt à cauſa inſtrumentaria; quod plerique eorum, quos citauimus, tanquam Philoſophiam notam abſque probatione ſupponunt : ſed profectò nõ eſt ſupponenda, tanquam indubitata; cùm præſtantiſsimi Theologi libenter agnoſcant, viſionem eſſe actum vitalem (nec enim id negare poſſunt) & tamen affirmant, eam eſſe ab intellectu, vt à cauſa inſtrumentaria : & ita ſupponunt, non repugnare, viſionem eſſe actum vitalem ; & tamen elici ab intellectu, vt ab inſtrumẽto: imò id nititur probare Suarius *primo tomo ad tertiam partem, diſp. 31. ſectione ſexta pag. 614. colum. 1. in tertia opinione §. Alij diſtinguunt. & colum. ſecunda §. De alia verò demonſtratione*: in quibus locis euidenter ſupponit, illa duo poſſe ſimul conſtare, & *in Metaphyſic. diſput. 30. ſectio. 11. numero 47, in fine*, vbi ſimpliciter docet, ſufficere, vt actio ſit vitalis, quòd ſit ab intellectu, vt inſtrumento ; & ſatis id declarat *libro ſecundo de Attributis negatiuis, cap. 10. numer. 14.* affirmans ſufficere concurſum inſtrumentarium ex parte intellectus, vt viſio beata dicatur actus vitalis. Quare, cùm aduerſarij doceant, non repugnare actum eſſe vitalem, & elici ad intellectu, vt à cauſa inſtrumentaria; non poteſt ſine turpi petitione principij ſupponi talem repugnantiam, tanquam notam : ſed opportet eam probare.

31. Implicat actionẽ eſſe vitalem: & eſſe inſtrumẽtalem.

Suarius

Vera igitur ratio illius repugnantiæ ex eo eſt ſumenda, quòd actus vitalis ex ſua natura immanens (qualis eſt actus animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ) ex ſua natu-

32. Vera ratio illius repugnantiæ.

natura dicit eſſentialem ordinem, & intrinſecam dependentiam ad potentiam vitalem actiuam, tanquam ad principiũ, à quo immediatè poſsit elici: vel in hoc ſenſu, vt nullo modo poſsit, etiam à Deo, produci ſine potentia vitali (quę fuit plurimorum ſententia, quos retulimus ſuprà *quæſt.* 1. *articul.* 4. § 4. *nu.* 35.) vel, quia ex ſua natura eſt producibilis ab intellectu, quanuis interdum ab eo actu nõ producatur: quod verius putauimus *in dicto* § 4. *num.* 37. *&* 41. *cum Valentia, Sala, Vellozillo, & Soncinate: nunc addimus Suarium in dicta diſputa.* 31. *ſect.* 6. *vbi ſuprà* §. *Alij diſtinguunt.*

Valentia. Salas. Velloſil. Soncinas. Suarius.

33. Ratio eſſentialis actus vitalis

Actus igitur vitalis, & immanens ex ſua intrinſeca ratione dicit eſſentialem ordinem, & intrinſecam dependentiam ad potentiam vitalem actiuam, tanquam ad principium immediatum, à quo actu, vel aptitudine eliciatur: in quò ſenſu hęc Philoſophia eſt ab omnibus recepta: eam enim recipiunt *Bañes, Cumelius, Lorca, & Cabrera, quos citauimus ſuprà quæſtio.* 1. *artic.* 4. § 4. *num.* 36. *cum quibus cõſentiunt Valentia, Salas, Vellozillus, & Soncinas, in locis citatis in dicto* §. *quarto num.* 24. *addimus Cumelium tom.* 2., *ad primam ſecundæ quæſt.* 109. *artic.* 4. *ad* 2, *pagin.* 123. *col.* 2. nec eam negant aduerſarij: eam enim probat *Medina prima ſecundæ, quæſt.* 3. *art.* 2. *in propria hac quæſtione pag.* 51. *columna* 2. §. *Ad huius quæſtionis; vt indubitatam vbique ſcribit Suarius; ita in* 1. *tom. ad* 3. *p. diſp.* 24. *ſectio. ſecunda, pagin.* 493. *colum.* 2. *B, & diſput.* 31. *ſectio. ſexta pag.* 614. *columna* 1. §.. *Alij diſtingunt, & pag.* 620. *columna* 1. vbi aſſerit fieri non poſſe, vt actus vitalis in nobis ſit vitalis ſine influxu noſtro: quia (vt ait) denominatio vitalis formaliter ſumitur ab hoc influxu; cùm ille ad eum eſſentialiter requiratur; latè id probat *libro ſecundo de Attributis negatiuis capit.* 10. *numero quinto, & ſeptimo. Hæc* igitur Philoſophia, vt indubitata ſumenda eſt:

Cumelius.

Medina.

Suarius.

34. Intellectus vt eſt potentia vitalis concurrit ſecundum virtutem propriã & naturalẽ.

Ex hoc fundamento infertur intellectum, vt eſt potentia vitalis, concurrere ad actum vitalem ſecundum aliquam virtutem actiuam ſibi propriam, intrinſecam, atque connaturalem; ita vt in ſua actiua virtute illum virtualiter contineat: etenim eſſentialis dependentia actus vitalis ad ſuam potentiam vitalem, nec dari, nec intelligi poteſt, niſi actus ipſe vitalis virtualiter contineatur, formaliter, vel eminenter in virtute actiua potentiæ vitalis, à qua eſſentialiter dependet, tanquam in virtute ſuæ propriæ cauſæ, vt docet indubitata Philoſophia: inde enim eſt, vt anima ex ſua eſſentiali ratione ſit, qua primo viuimus, ex Ariſtotele in ſecundo de anima capite primo, & ſecundo; idque tanquam prima, & radicali cauſa actus vitalis, qui eſt ipſa actualis vita, qua formaliter viuimus. Cùm verò anima (ſicut quælibet alia ſubſtantialis forma) nec ſit, nec eſſe poſsit immediatum principium ſuæ operationis vitalis, vt veriſsima docet Philoſophia; vtique anima ſuas vitales operationes eliciet mediantibus ſuis potentijs, quas Ariſtoteles in libris de Anima partes appellat. Vnde potentiæ vitales animæ ex ſua eſſentiali natura habent, quòd ſint immediata principia actiua actuum vitalium; ita vt anima omnia operetur mediante ſua potentia vitali, quę illi ſit principium agendi, *vt quo*, ſicut oſtendimus cum communi ſententia ſuprà quæſtione prima articulo ſexto, num. 2.

Quare ſicut anima intellectiua eſt, qua primò intelligimus, ex Ariſtotele, vbi ſuprà, & quæ tanquam prima, & radicalis cauſa virtualiter continet omnem actũ vitalem, quo intelligimus; ita etiã potentia intellectiua ex ſua intrinſeca natura eſt primum, & immediatum principium actiuum cuiuſcumque actus vitalis vitæ intellectiuæ; ita vt actus intellectùs eſſentialiter pendeat à propria, & intrinſeca virtute intellectiua ipſius intellectus, tanquam à propria, & eſſentiali cauſa, vt ex dictis patet. 35.

36. Nec anima, nec intellectus cõcurrit ad actum intelligendi vt inſtrument.

Ex qua veriſsima Philoſophia neceſſariò colligitur, nec animam, nec intellectum poſſe concurrere ad actum intelligendi, vt cauſam propriè inſtrumentariam, ſed neceſſariò, vt principalem: nam cum actus vitalis (qualis eſt actus intelligẽdi, quo formaliter intelligimus) habeat dependentiam à potentia vitali; neceſſariò infertur, ipſam vitalem potentiam concurrere ad actum vitalem, vt cauſam virtualiter eum continentem in ſua propria, & connaturali virtute actiua: etenim (vt iam diximus) eſſentialis dependentia actus ad potentiam, nec

dari, nec intelligi poteſt, niſi actus ipſe in virtute intrinſeca, & connaturali potentiæ formaliter, vel eminenter contineatur. Iam verò cauſa inſtrumentaria, quæ verè talis eſt, in ſua inſtrementaria virtute per ſe non continet effectum iſtrumentarium, vt vera habeat Philoſophia, quā
Alex. ex mente Alexandri, Commentatoris,
Comment. & Diui Thomæ confirmauimus ſuprà q.
D. Thom. *2. articul. 9. §. 5. num. 56. & 57. vbi etiam*
Fonſeca. *pro hac Philoſophia citauimus Fonſecam in*
Conimbr. *7. Metaphyſic. & Conimbricenſes in primo poſteriorum capite ſecundo, quam etiam nos, vt veriſsimam ſupponimus longiore diſputatione alibi demonſtrandam.*

Confirmatur quintò ex impugnatione mediarum opinionum.

37. 4. Cōfirmatio. ¶ Quinto loco confirmari poteſt noſtra concluſio ex impugnatione aliarum opinionum, quæ medium locum elegerunt.

3. Sententia non recipitur. Et quod attinet ad tertiam ſentētiam; eam, nec recipit Bañes, nec Suarius in citatis locis; quanuis Suarius eam probauerit in anima Chriſti: quibus ego libēter ſubſcribo: ex eo tamen fundamento; quia viſio beata, ſiue eliciatur ab intellectu informato lumine, ſiue abſque vllo habitu cum ſolo extrinſeco Dei concurſu, ſemper habet, quòd ſit actio vitalis: quare ſemper elicitur à virtute intellectui intrinſeca, & connaturali, in qua virtualiter contineatur: hanc enim dependētiam, viſio ipſa eſſentialiter habet, ideò quia ex ſua natura eſt actus vitæ, vt in quarta ratione diximus. Quare ſicut viſio ſemper eſt eiuſdem rationis, & ordinis, ſiue iſto, ſiue illo modo eliciatur, vt ſupponimus, ita etiam virtus, quæ ſe habet ex parte intellectus in vtroque caſu eiuſdem erit rationis, & ordinis.

38. Quare ſi informata habitu eſt virtus principalis, talis etiam erit non informata, ſed extrinſeco concurſu adiuta; etenim habitus ſupernaturalis, ſicut non mutat continentiam virtualem, & aliquo modo connaturalem; ita non mutat modum actiuitatis principalis, qui inſtrumenta-
Suarius, riæ repugnat; vt optimè aduertit Suarius *in dicta ſectio. 6. pagin. 615. colum. 1. A*: nec enim admittendū eſt id, quod ſcribit in d. diſputa. 31. ſectio. 4. pag. 583, columna 2. A; habitus infuſos, ideò quia ſunt principia principalia, & proportionata actibus eiuſdem ordinis, eleuare potentiam, vt ſit non ſolum proportionatum principium, ſed etiam quaſi connaturale illorum actuum: etenim licet habitus ſupernaturalis eleuet potentiam complendo illius virtutem, vt ſit principium completum, & proximum actus ſupernaturalis; non tamen ita eam eleuat, vt illam reddat totaliter proportionatam tali actui; cū ex ſua natura radicaliter, & inchoatè iam ſit proportionata.

Accedit etiam; quia §. tertio oſtendemus, intellectum in ordine ad viſionem nunquam eleuari poſſe, vt cauſam inſtru- 39. Alia ratio.
mentariam; ſed quocūque modo eleuetur, ſemper eleuari, vt cauſam principalem: qua ſuppoſita opinione, nullus locus huic tertiæ ſententiæ dari poteſt.

Quartam ſententiam multis impugnat *Suarius in dicta diſput. 31. ſectio 6. pag. 614.* 40.
col. 1. C. & colum. 2. A. & meritò; quoniā 4. Sentent. impugnat. *Suarius.*
cùm ratio vitalitatis eſſentialiter ſit poſita in aptitudinali depēdentia à principio vitæ, vt diximus; hæc autem aptitudo ſit de eſſentia ipſius actus vitalis, ſicut apti- 1. Ratio.
tudinalis inhærentia eſt de eſſentia accidentis; ratio ipſa vitalitatis nihil ſuperaddit entitati actus: ac proinde per eandem cauſam, & per eandem actionē, qua fit entitas actus, fit etiam illius vitalitas. Quare ſi entitas actus fit à potentia vitali, vt à cauſa inſtrumentaria, ſub eadem ratione fiet ipſa vitalitas; & è contrariò, ſi vitalitas fit à potentia, vt à cauſa principali, ipſa etiam entitas ab eadem fiet, vt à principali cauſa.

Cui rationi accedit; quoniam actus vi- 41. 2. Ratio.
talis, ideò quia vitalis, ex ſua natura virtualiter continetur in virtute potentiæ vitalis, vt ex dictis patet: iam verò effectus, qui in virtute cauſæ continetur, in ea continetur ratione ſuæ entitatis, cùm ratione entitatis habeat eſſentialem depēdentiam, continentiamque virtualem in virtute cauſæ. Porrò ſi actus vitalis in ſua entitate eſſentialiter dependet à virtute ſuæ cauſæ, & ratione entitatis in illa virtualiter continetur, non poteſt in ea contineri continentia inſtrumentali, ſed principali; quia effectus virtualiter non continetur in cauſa inſtrumentaria, vt diximus in quarta ratione.

Quinta

Quinta ſententia non recipitur à Bellomontano in loco in ea citato n. 36. vbi eam appellat planè cõmentitiam: & omiſſo illius argumento, vera eius impugnatio inde ſumi debet, quia ſupponit, viſionem beatam eſſe naturalẽ quoad ſubſtantiam, ſupernaturalẽ verò quoad modum: quæ opinio, licet nonnullis ſit probata, falſa tamen eſt, & minimè recipienda, vt latè oſtendemus libr. 11. quæſt. 5. artic. 2. §. 2: deſtructo autem fundamento, deſtruitur etiam ſententia, quæ illi innititur. Omittimus; quoniam admiſſa ſuppoſitione, adhuc opinio non eſſet admittenda: quia vix explicari poſſet, quomodò modus ille ſupernaturalitatis (ſupponimus enim naturale, & ſupernaturale eſſe quoſdam eſſendi modos) produci valeat: ſed breuitatis cauſa id omittimus.

42. Quinta opinio non recipitur.

Sextam opinionẽ ſatis impugnat Suarius *in d. diſp. 31. ſect. 6. pag. 613. col. 2. C. & 614. col. 1. A. B*: etenim cum nulla actio realis poſſit terminari ad effectum ſecundum rationem communem; & genericam, quin etiam ad eum terminetur ſecundùm rationem ſpecificam, vt ſupponimus; ſine fundamento aſſeritur, intellectum ad viſionem concurrere, vt cauſam principalẽ, quatenus eſt intellectio; vt inſtrumentariam verò, vt eſt talis intellectio. Accedit etiam; quia viſio beata non ſolùm habet, quòd ſit actus vitalis, vt eſt intellectio; ſed etiam vt eſt talis intellectio. Ergo intellectus non ſolùm habet rationem cauſæ principalis in ordine ad viſionem, quatenus eſt intellectio; ſed etiam vt eſt talis intellectio: nam cum vtroque modo ſit actus vitalis, ſub vtraque ratione virtualiter continetur in virtute intellectus: & proinde ſub neutra poteſt eſſe cauſa inſtrumẽtaria; cum inſtrumentum in ſua virtute non contineat effectum inſtrumentarium.

43. 6. opinio reijcitur. *Suarius.*

Septima & vltima opinio nihil nobis officit; quia ſolùm docet, intellectum cõcurrere ad viſionem, vt inſtrumentum, nomine inſtrumenti largè ſumpto, quod non negamus, cum ratio iſta inſtrumenti ſtare poſſit cum vera, & principali cauſalitate, vt Bellomontanus fatetur. Et hęc dicta ſint pro impugnatione opinionum, quę inter duas extremas medium tenuere.

44. Septima opinio nihil officit.

§. 3.

Vtrùm intellectus, ſaltem diuina potentia poſſit ad viſionem concurrere, vt cauſa inſtrumentaria?

Quæſtionem iſtam excitauimus lib. 9. q. 6. artic. vnico, §. 4. n. 68. cuius reſolutionem ad hunc locum reſeruauimus: nam in ſuperioribus ſolùm egimus de cauſalitate intellectus informati lumine gloriæ, quomodò de lege ad viſionem concurrit: expendendum nunc eſt, vtrùm de potentia abſoluta poſſit intellectus concurrere ad viſionem, vt cauſa verè inſtrumentaria. Cui quæſtioni fundamentum dedit opinio, quæ docet, per abſolutam Dei potentiam poſſe intellectũ ſine lumine gloriæ producere viſionem, quam retulimus lib. 9. loco citato §. 2: & quanuis hanc opinionem non probauerimus ibidem §. 5: eam tamen non ex eo reiecimus, quòd Deus ſupplere nequeat actiuam luminis efficientiam, ſed ex alio capite. Quin potiùs in eo articulo concluſimus, viſionem fieri ſine lumine, non implicare ex parte eleuationis intellectus; quia actiuitas illius de potentia abſoluta eleuari poteſt ſine lumine, Deo illius influentiam ſupplente, modis ibidem explicatis n. 59. Quare, ſuppoſita illa opinione, meritò inquiri poteſt; vtrùm intellectus tunc ad viſionẽ concurreret, vt cauſa inſtrumentaria, an vt principalis?

45. Quæſtio de potentia abſoluta.

Fundamentum ad inquirendũ.

Pro cuius explicatione præmittendũ eſt id, quod iam aduertimus ſuprà q. 2. art. 14. §. 3. n. 18. poſſe Deum aſſumere intellectum Ioannis ad cauſandum actũ intelligendi in intellectu Petri: in quo caſu intellectus Ioannis ad intellectionẽ Petri ſolùm concurreret inſtrumentaliter; quia tunc non ageret actione immanente, ſed tranſeunte; nec ageret vitaliter, quamuis ageret vitam, vt ibidem diximus: & inde aduertimus actui vitali, & immanenti abſolutè non repugnare, inſtrumentaliter produci, etiam ab intellectu: quia ſcilicet illi non repugnat produci actione tranſeunte, cùm non repugnet produci ab intellectu, in quo non recipitur; & recipi in intellectu, à quo non producitur. Non repugnat igitur viſionem beatam inſtrumentaliter produci ab intellectu vnius in intellectu alterius.

46. Præmiſſũ.

47. Vbi poſita ſit difficultas. Quare difficultas ſolùm poſita eſt; an intellectus diuina potentia poſsit inſtrumentaliter producere in ſe ipſo viſionē, quæ formaliter ſit actus vitalis, quo formaliter Deum videat?

48. Qui probant partē affirmantē. Partem affirmantem probabunt, qui probarunt, intellectum informatum lumine concurrere ad viſionem ſolùm inſtrumentaliter: hi enim à fortiori idem dicent, ſi intellectus eleuetur non per lumen gloriæ, ſed per alium ſupernaturalē concurſum, vel intrinſecum ipſi intellectui, per aliam ſcilicet qualitatem ſupernaturalem alterius rationis à lumine: vel extrinſecè illi aſsiſtentem modis explicatis lib. 9. q. 6. art. vnico, n. 59. 60. 61. & 62. Hanc opinionem, tanquam probabilem tranſeunter ſuppoſuimus ſuprà art. 14. n. 18. in fine.

49. Vera eſt opinio negās. Negantem tamen partem admiſimus lib. 9. q. 6. art. vnico, §. 4. n. 58: quam vt veriſsimam modò probamus: fundamentum ſumimus ex ijs, quæ ſuperiùs diximus: quocunque enim modo intellectus ad viſionem concurrat, ſiue per concurſum intrinſecum, ſiue per extrinſecum; ſemper viſio eſſentialiter erit actus vitalis, & immanens, & vita, qua beatus formaliter beatè viuit. Ergo ſemper habebit eſſentialem dependentiam ad virtutem actiuam intellectus; & per conſequens ſemper continebitur virtualiter in propria, & connaturali illius virtute: quod repugnat cauſæ inſtrumentariȩ, vt oſtēdimus §. 2. ad finem tertiæ rationis.

Fundamentum.

50. Alia ratio. Et quidem ſi efficientia luminis ſuppleatur per poſitiuam aliam qualitatem alterius rationis à lumine; vtique intellectus ad viſionem concurret, vt cauſa principalis: nam ſi intellectus cum lumine ita concurrit; eodem modo concurret cum quacunque alia qualitate, quod ſatis ſignificauit *Lædeſmius de diuina perfectione q. 8. pag. 592. col. 2. poſt principium; & ſatis eſt de mente Nauarrete 1. tom. controu. 39. §. 2. fol. 247. col. 3.* Idem dicendum eſt, ſi intellectus per concurſum extrinſecum (quocunque modo ille fiat) eleuetur: adhuc enim ad viſionem concurret, non vt inſtrumentum, ſed vt principale agens; quod colliges ex *Cumelio 1. p. q. 12. art. 5. q. 2. concl. 2. pag. 251. col. 1. §. Hæc ratio viſa eſt, & ex alijs, quos refert Lædeſma vbi ſuprà col. 1. B:* qui omnes volunt, intellectum concurrere ad viſionem per principium actiuum, quod eſt in Deo; illi tamen communicatum; & tamen volunt concurrere, non vt inſtrumentum, ſed vt agens principale: hæc enim duo ſimul ſtare poſſunt; vt etiam in voluntate in ordine ad actus ſupernaturales liberos, ad quos ante infuſionem habitus ſupernaturalis extrinſecè eleuatur, docet Fonſeca *9. Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 8. litera C. §. Aduertendum, pag. 622. col. 2. & litera F. pag. 623. col. 2. §. Hæc vſque adeò, & ſatis lib. 6. cap. 2. q. 5. ſect. 13. litera H. pag. 195. col. 2. in fine, & pag. 196. col. 1. licet Cumelius contradicat tom. 2. ad 1. 2. q. 112. art. 1. diſp. 5. pag. 392. col. 1. in principio.* Et hæc pro hac difficultate.

Lædeſma. Nauarret. Cumelius. Voluntas ad actus liberos eſt cauſa principalis. *Fonſeca. Cumelius.*

§. 4.

Afferuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

Contra noſtram aſſertionē, & quod intellectus ad viſionem non concurrat, vt agens principale, ſed vt inſtrumentarium, nonnullis argumentis probant aduerſarij; quæ hoc loco afferemus, & diſſoluemus; ſi tamen prius aduertamus, opinionem iſtam non poſſe tribui noſtro Aegidio Romano: nam in loco, qui nobis obijcitur, non agit de inſtrumento propriè ſumpto, ſed largè; prout ſcilicet agere inſtrumentaliter idem eſt, quod agere imperfectè: in quo ſenſu plures cauſæ principales poſſunt dici inſtrumentales. 51. Soluuntur argumenta in contrarium. Aegidius nobis non cōtradicit.

Contra noſtram aſſertionem plura argumenta congerit Suarius *in d. diſp. 31. tom. 1. ad 3. partem ſect. 6. in ſolutione quarti argumenti ad finem, pag. 616. col. 1. §. Mihi ergo dicendum videtur, & nonnulla alia ſcribit in Metaph: diſp. 30. ſect. 11. n. 45. 46. & 47. & lib. 3. de Auxilijs c. 15. n. 20.* 52. Suarij argumenta.

Expenditur primum argumentum.

¶ Primum argumentum eſt; quia intellectui creato in ordine ad viſionem conuenire non poteſt ratio cauſȩ principalis. 53. 1. argum. Id ex eo probat; quia principalis cauſa dicitur, quæ agit virtute propria, & de ſe proportionata ad effectum, tanquam exiſtente eiuſdem, vel ſuperioris ordinis cū illo: hæc enim eſt communis, & recepta diffinitio cauſæ ptincipalis, vt teſtatur ibidem *pag. 615. col. 2. §. Et confirmatur primò;*

primo; & latiùs in Metaph. diſp. 17. ſect. 2. n. 18. pag. 432. col. 2. vbi poſt longam diſputationem concludit, illam cauſam dici principalem, quæ per virtutem, aut nobiliorem, aut æquè nobilem cum effectu influit in actionem, per quam effectus producitur: idque per virtutem ſibi propriam, non ſolùm, quia eſt innata, & intrinſeca; ſed etiam quia ex ſe illam habet ita effectui proportionatam, vt præter generalem concurſum primæ cauſæ (quē ſibi poſtulat, quatenus eſt ens participatum) nulla alia indigeat eleuatione. Iam verò intellectus creatus in viſionem non influit, virtute ſibi propria, & innata, quę ita ſit proportionata effectui, vt ſit nobilior, vel æquè nobilis cum viſione; vnde ex ſua natura indiget ſupernaturali eleuatione. Hoc eſt præcipuum Suarij fundamentum, quo vtitur in d. *diſp. 31. & lib. 3. de Auxilijs d. cap. 15. n. 20. in primo argumento.* ¶ Quod argumentum omnino

54. Solutio argumentorum. rem demonſtraret, ſi cauſa principalis adæquatè diffiniretur per adductam diffinitionem: quod tamen negandum eſt: ſicut etiam negandum erit, cauſam principalem ita communiter diffiniri, vt patet ex varijs opinionibus, quas idem Suarius refert *in Metaph. diſp. 17. ſect. 2. à n. 7. vſque ad 19*: nam in explicanda ratione, & eſſentia cauſæ principalis plurimùm Doctores inſudant, variaſque explicationes adducunt. Ad argumentum igitur

Quid ſit de ratione cauſæ principalis. dicimus, eſſe quidem de ratione cauſæ principalis, quòd agat virtute propria ſibi intrinſeca, & innata: non tamen eſſe de ratione illius, quod virtus illa ſit completa, nulla indigens eleuatione: quoniã

Virtus incõpleta eleuabilis non repugnat cauſæ principali. ſatis eſt, quod virtus illa incompleta ſit, & indigeat eleuari, vt poſsit in actum exire: id, quod in terminis vno verbo aduertit Salas *1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. n. 76. pag. 359. col. 2. ad finem*; vbi docet nõ repugnare cauſæ completæ, quòd agat per virtutem incompletam: idem

55. *Salas.* *Cumelius.* colliges ex Cumelio *2. tom. ad 1. 2. q. 109 art. 1. diſp. 1. pag. 17. §. Et ad argumentum*; quatenus docet potentiam vitalem intellectus, & voluntatis concurrere ad actum vitalem, vt cauſam principalem, quamuis indigeat cõplemento ſuæ virtutis. Quod non poſſunt non aſſerere noſtræ opinionis authores, dum admittunt, intellectũ concurrere ad viſionem, vt cauſam principalem, per virtutem ſuam propriam inchoatam, & indigentem eleuatione. Quare cum ſupponant non repugnare cauſæ principali agere per virtutem propriam, incompletam tamen, & indigentem eleuatione, non debuit oppoſitum ſine probatione ſumi: præſertim cùm illa Philoſophia efficaciter confirmetur ex alia communiter recepta; repugnare eſſe cauſam inſtrumentariam, & in ſua natiua virtute virtualiter continere effectum: cum verò omnis actus vitalis ex ſua intrinſeca ratione virtualiter contineatur in potentia vitali, vt ſuprà in 4. ratione oſtendimus; neceſſariò infertur, potentiam vitalem non poſſe cõcurrere ad actum vitalem, vt cauſam inſtrumentalem, ſed neceſſariò, vt principalem: & tamen potentia vitalis in ordine ad actus vitales, & immanentes ex ſe eſt potentia incompleta, tum ad actus naturales, tùm ad ſupernaturales, vt latè oſtendimus ſuprà lib. 7. q. 3. art. 1. §. 2. n. 31. & 32. & aduertit *Antonius Peres in ſua Laurea Salmantina in 6. certamine ſcholaſtico in principio, &* ſatis colligitur *ex D. Thoma de Virtutibus in communi art. 1*: ex quo loco colliges duplex dari genus potentiarum: quædam enim potentiæ ex ſua natura ſunt completæ ad agendum, ita vt ipſa vis agendi illis natiua ſit tota, & completa potentia: quædam verò ex ſua natura non ſunt cõpletæ, ſed ad agendum indigent virtute ſibi ſuperaddita, vt fiant in actu completo; & inter iſtas enumerat potentias cognoſcentes, tàm ſenſitiuas, quàm intellectiuas: nec ſine fundamento; quia huius generis potentiæ ex ſe ſunt in potentia eſſentiali, & indigent virtute ſuperaddita, vt fiant in actu primo, & completo ad agendum; vt de intellectu ſatis docet *Ariſtoteles 3. de Anima c. 4. tex. 5, 8, & 14. & c. 5. tex. 18. & c. 8. tex. 38.* in quibus locis intellectum ſecundum ſe ſumptum appellat intellectum in potentia, nimirum eſſentiali, quæ ſatis denotat ipſum intellectum ex ſe eſſe potentiam incompletã ad actus ſibi connaturales, de quibus agit: à fortiori igitur erit potentia incompleta ad actus ſupernaturales. Vide quæ diximus lib. 7. loco citato à n. 31. cum ſequẽtibus. Quibus omnibus, ſi addas, intellectum, cæteraſque potentias vitales cognoſcentes ex ſua natura eſſe cauſas principales,

Antonius Peres. *D. Thom.* 56.

Potentiæ cognoſcentes ſunt incompletæ.

Ariſt.

Potentiæ cognoſcentes ſunt cauſæ principales.

cipales, & nullo modo inſtrumentales, vt oſtendimus; neceſſariò colliges non eſſe de ratione cauſæ principalis, agere per virtutem propriam ex ſua natura cõpletam; ſed poſſe agere per virtutem propriam, incompletam tamen, & ſubindè indigentem compleri per aliquid ſibi ſuperadditum.

57. Quòd verò addit de ratione cauſæ principalis eſſe, quòd agat per virtutem non ſolùm propriam, ſed etiam ita proportionatam effectui, vt ſit eiuſdem, vel ſuperioris ordinis cum eo; ſi hanc Philoſophiã putat eſſe generalem, & conuenire omni cauſæ principali, non eſt audiendus; quia ſolùm eſt vera in cauſa principali, cuius virtus propria eſt completa, non verò in ea, quæ agit per virtutem incompletam: ad hanc enim ſatis eſt, ſi virtus innata, & propria ſit effectui proportionata proportione quadam radicali, & remota, vt ſatis colliges ex Capreolo *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad 3. Scoti contra primam, fol. 206. col. 3. in fine, quem probauimus lib. 9. q. 5. art. 2. §. 3. n. 24. & 25. & ſuprà q. 2. artic. 9. §. 5. n. 72. ad 1. argum. Cabreiræ*; quod etiã ſatis eſt de mente D. Thomæ *de Veritate q. 8. art. 1. ad 7: & idem videtur docere Bellomontanus 1. p. diſp. 176. c. 5. num. 26.* vbi docet, virtutem inchoatam, & natiuam (quam in intellectu admittit) ex ſe eſſe accommodatam, & ſufficientem (& per conſequens proportionatam) ad producendam viſionem beatam. Quæ Theologia fundamentum habet in doctrina Auguſtini, dum ait, *poſſe hebere fidem, naturæ eſt hominis*: quia ſcilicet natura hominis ex ſe habet virtutem radicalẽ, & inchoatam, vt eleuata poſſit actum fidei elicere. Idem dicendum eſt de natura hominis in ordine ad viſionem beatam. Quod etiã confirmatur; quia virtus illa natiua, & inchoata habet relationem tranſcendentem ad obiectum intelligibile, abſtrahendo à naturali, & ſupernaturali, vt alibi diximus: quo dato, neceſſariò arguitur, aliquam dari proportionem inter virtutem illam inchoatam, & viſionem beatam. Et ita ſolutum manet hoc primum argumẽtum.

Ad virtutẽ cauſæ principalis ſatis eſt proportio remota.

Capreol.

D. Thom.

Bellomon.

Confirmatur ex Aug.

Expenditur ſecundum argumentum.

58. 2. argum. Suarij. ¶ Secundò ex eo arguit Suarius *in dicta diſp. 31. ſect. 6. pag. 616. col. 1. B.* quia intellectus influit in viſionem virtute non naturali, ſed obedientiali: & inde infert, eũ non concurrere, vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentariam: in ea enim eſt opinione; vt omnis potentia obedientialis actiua ex ſua natura ſit inſtrumentaria, & nullo modo principalis. Et indè infert, omnem creaturam, quæ ad aliquem effectum obedientialiter concurrit, concurrere inſtrumentaliter, & non principaliter. Ita habes ex eodem *in d. diſp. 31. ſect. 6. ad 4. argum. per totum*, vbi latè probat, potentiam obedientialem non ſolùm eſſe inſtrumentariam in ordine ad effectus, actionesque tranſeuntes, quas eliciunt creaturæ vitæ expertes, vt probat *à pagina 612. col. 2. vſque ad pag. 613. col. 2. §. Atque hæc quidem*, ſed etiam ad actiones vitales, & immanentes, quas per obedientialem potentiam elicit tùm intellectus, tùm voluntas; vt latè probat *à pag. 613. vſque ad 616. col. 1. §. Mihi ergo dicẽdum videtur*; vbi ex eo probat, intellectũ ad viſionem concurrere, non vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentariã; quia illam efficit virtute non naturali, ſed obedientiali. Quo eodem argumento vtitur in *Metaphy. diſp. 30. ſect. 11. n. 46.* quæ ratio ſatis ſupponit, virtutem obedientialẽ eſſe non poſſe principalem, ſed inſtrumẽtariam.

Vis huius argumenti ita formari poteſt: potentia obedientialis nullo modo poteſt agere, vt cauſa principalis, ſed neceſſariò agit, vt inſtrumentum. Sed intellectus ad viſionem concurrit per potentiam obedientialem. Ergo non cõcurrit, vt cauſa principalis, ſed inſtrumentaria. Minor ab omnibus conceditur: maiorem ex ijs, quę adducit in ſolutione quarti argumẽti, hoc diſcurſu probare poſſumus: quia certum eſt, maiorem illam eſſe veram in potentia obedientiali, qua res creata concurrit ad actiones miraculoſas, & tranſeuntes, vt latè probat ibidem *pagina 612. col. 2. & pag. 613. col. 1. & 2. vſque ad §. Atque hæc quidem*, & nos id tanquã certiſsimum ſuppoſuimus ſuprà q. 2. art. 14. §. 3. n. 17. Quòd etiam vera ſit in potentia obedientiali ad actiones vitales, & immanentes intellectus, & voluntatis, latè probat à præcitato loco *vſque ad pag. 616*: ſed ſpecialiter id probat contra opinionem quintam, *pagin. 615. colum. 1. C.* Et

59. Argumentum in forma.

¶ Probatur maior in actionibus nõ vitalibus.

Probatur in actibus vitalibus.

60. 1. probatio Et primò; quia ſi aliquis impediret, nè potentiæ vitalis ad actus vitales concurrat, vt cauſa inſtrumentaria, ex eo eſſet, quia potentiæ vitales eleuantur ad agendum intra idem genus, quod naturali virtute poſſunt attingere, & ſolùm eleuantur ad agendum in ſpecie altiori, quam ſua naturali virtute poſsint efficere: etenim intellectus ſua virtute naturali poteſt efficere intellectionem, & ſolùm eleuatur ad eliciendam intellectionem ſupernaturalem, qualis eſt viſio beata: & ob hanc rationem in productione viſionis ſemper retinet modum agendi cauſæ principalis: nam cum ad viſionem, vt eſt intellectio, concurrat ſua naturali virtute, & ideò vt cauſa principalis; adueniente eleuatione, vt concurrat ad eam, vt eſt ſupernaturalis, retinet eundē agendi modum. Sed iſte eleuandi modus non neceſſariò arguit cauſalitatem principalem, vt quia ſtare poſsit cum inſtrumentaria. Ergo talis modus eleuandi non impedit, quominus potentia vitalis ad actus vitales concurrat, vt cauſa inſtrumentaria.

61. Maior huius diſcurſus à nobis admittitur: minorem ex eo probat; quia ille modus eleuandi etiam ſeruatur in aliquibus inſtrumentis non vitalibus: aqua enim baptiſmi tanquam inſtrumentum concurrit ad gratiam, quæ continetur in genere qualitatis, ſub quo poteſt aqua naturaliter producere frigiditatem; ergo modus ille eleuandi in potentijs vitalibus repertus, etiam reperitur in non vitalibus: & tamen ille non ſufficit, vt tales potentiæ concurrant, vt cauſæ principales, ſed adhuc cum illo ſtat cauſalitas inſtrumentariæ, quæ fuit minor. Deinde eandem

62. 2. probatio maiorem confirmat: quia modus ille eleuandi repertus in potentijs vitalibus non tranſcendit actiuitatem obedientialem; quia adhuc vitales potentiæ obedientialiter concurrunt ad actum ſupernaturalem. Ergo nec tranſcendit cauſalitatem inſtrumentariam, ſed benè cum illa ſtare poteſt. Conſequentia probatur; quia eiſdē rationibus, quib⁹ oſtenditur, eum nō tranſcendere potentiam obedientialem, etiā oſtenditur non tranſcendere inſtrumentariam cauſalitatem. Ita *in d. pagina 615. col. 2. §. Et confirmatur primò.* Tertiò

63. 3. probatio eandem maiorem ibidem oſtendit: quia videtur apertè repugnare, aliquam rem agere, vt principale principium, & non agere virtute connaturali. Ergo è contrario repugnabit, agere virtute tantùm obedientiali, & non agere, vt inſtrumentum. Antecedens probat; quia principalis cauſa dicitur, quæ agit virtute propria, & de ſe proportionata ad effectum, ita vt exiſtat eiuſdem, vel ſuperioris ordinis cū illo, vt in prima ratione oſtenſum eſt. Ergo repugnat agere vt cauſam principalem, & non agere virtute connaturali, quod fuit antecedens. Conſequentiam non probat; probari tamen poteſt ex doctrina illius: quia ita ſe habet potētia obedientiæ ad inſtrumentum, ſicut ſe habet potentia connaturalis ad cauſam principalem.

Ad hoc argumentum negandam eſſe maiorem iam oſtendimus ſuprà q. 2. art. 14. §. 3. n. 13. quam non poſſunt non negare, qui volunt, potentias vitales eſſe cauſas principales in ordine ad actus ſupernaturales; cum tamen ad eos habeant potentiam obedientialem. Et in terminis eam negat *Fonſeca 6. Metaph. c. 2. q. 5. ſect. 13. pag. 196. col. 1. poſt principium, & ſatis colliges ex eodem lib. 9. c. 1. q. 4. ſect. 8. pag. 623. col. 2. ad finem.* Et vt magis appareat, eam meritò negari, ſi generaliter ſumatur, aduertimus id, quod iam aduertimus in d. q. 2. loco citato nu. 14. duplicem diſtinguendam eſſe potentiam obedientialem; vnam ſimpliciter puram; alteram nō omnino puram. Maior igitur illa veriſſima eſt de obedientia ſimpliciter pura; falſa autem de non pura. Ratio diſcriminis eſt; quia obedientia ſimpliciter pura fundatur in entitate, quę in ordine ad effectus ſupernaturales, quos obedientialiter reſpicit, nullam, nec inchoatam habet naturalem virtutem, ſed illos reſpicit per puram obedientiam, quam res creata habet ad diuinum imperium: cum tamen obedientia non pura fundetur in entitate, cuius actiuitas innata, & naturalis ex ſe aliquo modo reſpicit effectus ſupernaturales, vt quia ex ſua natura ſpecificetur, & habeat tranſcendentalem reſpectum ad obiectum ſub ratione abſtrahente à naturali, & ſupernaturali, vt ex vera Philoſophia ſupponimus: & inde eſt, vt ex ſua natura actus ſupernaturales reſpiciat per virtutem radicalem, & inchoatam, habentem obedientiam, vt poſsit ad illos

(Right margin notes:) 64. Solutio argum. negatione maioris. — Maior negatur à Fonſeca. — 65. Duplex potentia obedientialis.

illos eleuari. Inde etiam eſt, vt hæc potentia ſolùm fundetur in virtute ex ſua natura vitali, in qua actus ſupernaturales virtualiter continentur; & ſubinde contineantur in ea, vt in cauſalitate principali, & nullo modo inſtrumentali, vt in ſuperioribus ſæpè diximus. Ita fit, vt potentiæ obedientiali ſimpliciter puræ ex ſe non repugnet ratio cauſalitatis inſtrumentariæ; quia illi non repugnat non cõtinere virtualiter effectus ſupernaturales: cum tamen hoc ſimpliciter repugnet potentiæ obedientiali non puræ: hæc enim, ideò quia eſt vitalis, ex ſua natura virtualiter continet effectus ſupernaturales, virtualitate quadam inchoata, & imperfecta, quæ ſatis eſt; vt à ſe excludat omnem rationem cauſalitatis inſtrumentariæ, & includat rationem cauſalitatis principalis.

66. Potentia obedientialis pura eſt inſtrumentaria ſecus de non pura.

Ex hoc fundamento diximus in d. q. 2. art. 14. §. 3. n. 16. potentiam obedientialem ſimpliciter puram ex ſua natura habere, quòd non ſit virtus principalis, ſed ſolùm inſtrumentaria; cum tamen potentia obedientialis non pura ex ſua ratione intrinſeca à ſe excludat inſtrumẽtariam cauſalitatem, & includat principalem. Ex his iam patet maiorem argumenti negandam eſſe, ſi generaliter intelligatur: eſt enim vera de potentia obediẽtiali ſimpliciter pura, quæ in rebus inanimatis reperitur: falſa tamen in non pura, qualis reperitur in potentia vitali: hæc enim nullo modo poteſt eſſe inſtrumentaria, ſed neceſſariò erit principalis. Nec obſtant, quæ in contrarium obijciuntur.

67. Solutio primæ confirmationis.

Nam ad primum dicimus id, quod in argumento adducitur, optimè rem concludere, ſi benè explicetur: omiſsis tamen, quæ adducuntur (plura enim falſa ſumũtur) dicendum eſt, ideò potentiã, & obedientiam non puram à ſua ratione excludere rationem cauſæ inſtrumẽtariæ, quia ex ſua natura per ſe ſpecificatur ab actu ſub ratione abſtrahente à naturali, & ſupernaturali, tanquam ab actu ſibi adæquato; ita vt omnis actus inferior ſub illa cõmuni ratione contentus ex ſua ratione habeat eſſentialem dependentiam ad talem potentiam, ob quam nulla ratione fieri poſsit, niſi dependenter à virtute illius: ex quo infertur, quenlibet in virtute illius contineri: intellectus enim ita in ſua natura eſſentialiter reſpicit intellectionẽ ſub ratione intellectionis abſtrahente à naturali, & ſupernaturali, vt illam, vt ſic, adæquatè reſpiciat: inde enim eſt, vt omnis intellectio tàm naturalis, quàm ſupernaturalis eſſentialem habeat dependentiam à virtute intellectui natiua; ita vt quælibet ex ſe habeat fieri non poſſe, niſi intellectu ad eam actu vel aptitudine cooperante; quæ eſſentialis dependentia arguit quanlibet intellectionem, etiam ſupernaturalem, ex ſua natura virtualiter contineri in potentia intellectui eſſentiali: hęc autem virtualis continentia omnino excludit rationem cauſalitatis inſtrumentariæ, vt ſæpè diximus.

Vnde potẽtia obedientialis nõ pura excludat rationẽ inſtrumenti.

Oppoſitum reperitur in virtute natiua potentiæ, quę actus ſupernaturales reſpicit per obedientiam ſimpliciter puram, quæ reperitur in potentia non vitali, v.g. in igne, aut aqua, in ordine ad effectus ſupernaturales: etenim virtus calefactiua ignis, licet producendo calorem producat qualitatem, atque ens abſtrahendo à naturali, & ſupernaturali; non tamen ex ſua natura ſpecificatur à ratione, aut qualitatis, aut entis communi, tàm naturali, quàm ſupernaturali; nec rationem illam communem reſpicit, vt adæquatum actũ ſuæ virtutis calefactiuę: & inde eſt, vt nec omnis qualitas, nec omne ens eſſentialiter dependeat à potentia calefactiua ignis. Ex quo neceſſariò conuincitur, nec omnem qualitatem, nec omne ens, virtualiter contineri in virtute ignis calefactiua, ſed ſolùm calorem: iam verò ſine hac virtuali cõtinentia non datur cauſalitas principalis, ſed ſola inſtrumentaria. Hæc eſt vera ratio diſcriminis inter potentiã obedientialem non puram, quæ reperitur in potentia vitali, & potentiam obedientialem ſimpliciter puram, quæ datur in potentia non vitali, vt etiam aduertit Bellomontanus 1. *p. diſp.* 176. *c.* 5. *n.* 27. *&* 28. 68. Oppoſitũ in obedientia pura.

Bellomon.

69. Solutio ſecundæ confirmationis.

Ex quibus iam patet ſolutio ad primã probationem maioris, quam negamus. Patet etiam ſolutio ad probationem ſecundam: admiſſo autem antecedente, neganda eſt cõſequentia: quia potentia obedientialis latius patet, quàm cauſalitas inſtrumentaria; cum reperiatur in potentia vitali ad actus ſupernaturales vitales, & immanentes, quæ ex ſua natura excludit rationem inſtrumenti. Vnde negandum eſt,

eſt, quod aſſumitur in probatione conſequentiæ.

70. Soluitur 3. probatio.

Ad tertiam probationem dicendū eſt, virtutem agendi duobus modis dici poſſe naturalem: vno modo; quia eſt indita à natura: altero modo; quia ſubijcitur motui agentis naturalis. Antecedens igitur concedendum eſt, ſi intelligatur de virtute naturali priori modo; negandum verò, ſi intelligatur de virtute naturali poſteriori modo: etenim cauſa principalis ex ſua ratione pendet ex principijs naturæ cōmunicata; non tamen ab illa pendet, prout in agēdo ſubijcitur motui agētis naturalis; quia poteſt eſſe cauſa principalis, quamuis per ſuam obedientiam ſubijciatur motui agentis ſupernaturalis illam eleuantis. Antecedens igitur negādum eſt, ſi ita intelligatur, vt repugnet agere vt cauſam principalē, & non agere per virtutem naturalem, prout motui naturalis agentis ſubijcitur: quia, vt diximus, potentia vitalis ad actus ſupernaturales concurrit, vt cauſa principalis; & tamen ad eos non concurrit per ſuam inſitam virtutem, vt ſubijcitur motui naturalis agentis.

71. Ad probationem antecedentis.

Ad probationem antecedentis patet ſolutio ex ijs, quæ diximus ad primum: negandum̄ eſt enim, omnem cauſam principalem agere per virtutem propriam, quę ex ſe, & nudè ſumpta ſit eiuſdem ordinis cum effectu, & eiuſdem, vel maioris nobilitatis: hoc enim ſolùm conuenit cauſæ principali, virtutis completæ; non verò illi, quæ eſt incōpleta. Admittendum eſt tamen antecedens, ſi ita intelligatur, vt repugnet agere, vt cauſam principalem; & non agere virtute cōnaturali à natura inſita. In quo ſenſu neganda eſt conſequentia. Ad probationem illius negandum eſt id, quod ſumitur; quia virtus cōnaturalis in ſenſu explicato ſemper comitatur cauſam principalem; cum tamen potentia obedientialis non neceſſariò comitetur cauſalitatem inſtrumentariam; ſed illa ſola, quæ ſimpliciter eſt obedientialis, vt ex dictis patet.

Adducuntur, & expenduntur alia argumenta eiuſdem authoris.

72. 3. arg. Suarij.

¶ Tertiò Suarius ita arguit: Potentiæ vitales in ſupernaturales effectus ſolùm agunt, vt eleuatæ ab alio, in cuius virtute principaliter nituntur ad operādum. Ergo agunt, vt inſtrumenta. Conſequentiā inde probat, quia hæc eſt diffinitio cauſæ inſtrumentarię, ita *in d. p. 616. col. 1. B.*

73. Solutio negatione cō ſequentiæ. Cumelius.

¶ Ad hoc argumentum, admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia; quam in terminis negat Cumelius *2. tom. ad 1. 2. q. 109. art. 1. diſp. 1. pag. 17. col. 2. verſiculo, vnde hæc forma argumenti*: nec enim ſatis eſt potentiam agere, vt eleuatam virtute ab alio recepta, vt dicatur agere, vt inſtrumentum, vt eſt communis doctrina ex Cumelio *vbi ſuprà, & in eadem q. 109. art. 4. diſp. 1. ad 2. argum. pag. 124. col. 1. non longe à principio*: in quibus locis non probat illud commune axioma: *Inſtrumentum eſt id, quod operatur in virtute alterius.* Admittendum eſt igitur, omne inſtrumētum operari in virtute alterius; non tamen omne, quod in virtute alterius operatur, eſſe inſtrumentum.

74. Quæſtio occurrens. Suarius. Cumelius.

Si inquiras, quando operari in virtute alterius arguat virtutem inſtrumentariam? Quęſtio eſt difficilis, vt colliges ex ijs, quæ ſcribit Suarius *in Metaph. diſp. 17. ſect. 2. in diuiſione cauſæ in principalem, & inſtrumentariam à numero 7. vſque ad 20.* Cumelius locis citatis nōnulla docet ad explicandam hanc difficultatem: illis tamen atque alijs omiſsis, dicendum eſt,

Quando operari virtute ab alio recepta arguat inſtrumētum.

operāri virtute ab alio recepta tunc dicere concurſum inſtrumentarium, cùm ipſum operans effectum virtualiter non continet, niſi ratione virtutis, quam ab alio recipit: ſecus, ſi in ſua virtute natiua, & naturali continet effectum, ſaltem continentia radicali remota, & inchoata: hæc enim continentia omnino excludit omnem rationem cauſalitatis inſtrumentariæ, iuxta Philoſophiam adductam ex Alexandro, Commentatore, Diuo Thoma, & alijs ſuprà §. 2. in quarta ratione: & eadem arguit virtutem ab alio receptam, non ideò recipi, vt agenti det agendi virtutem, ſed, vt eam compleat, quam inuenit reponendo eam in actu primo, & in potentia proxima, atque completa. Quod in hac materia eſt aduertendum.

75. 4. arg. Suarij.

Quarto loco ita obijcit *in d. pag. 616. col. 1. B*: quoniā potentiæ vitales non habent aliquem limitatū terminum in agēdo; ſed vltra omnem gradum poſſunt elicere actus in infinitum magis, & magis perfe-

perfectos, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundùm intenſionem. Ergo ſignum eſt, eos non agere vt virtutes principales, nec integras nec partiales: quia in omni ſua virtute principali limitatæ ſunt, ſicut etiã in ſua eſſentia, & perfectione. ¶ Ad argumentum dicimus, antecedens eſſe negandum in potẽtijs vitalibus ſumptis ſecundùm ſuas vires naturales, per quas actione naturalis agentis ad actũ reducuntur: nam ſecũdùm illas ex ſua natura ſunt limitatæ, & quoad ſpeciem, numerumq; effectuum, & quoad intenſionem. Si verò potentiæ vitales ſumantur ſecundùm potentiam obedientialẽ ad actus ſupernaturales, negandũ eſt antecedens, ſi ſpectẽtur de facto, & ſecundum legẽ ordinariã: quia iſto modo illarũ potẽtia limitata eſt ex parte obiecti, tùm quoad extenſionẽ actuũ; tùm quoad intenſionẽ, vt diximus ſuprà art. 13. §. 4. concl. 2. n. 15. Si verò ſumantur ſecundùm illã obedientiam de poſsibili, & prout abſolutè ſubiecta eſt diuino imperio; admittendũ eſt; neganda tamen cõſequentia; quia iſta infinitas ſyncategorematica non repugnat cauſalitati principali, vt obiter diximus q. 2. art. 8. §. 2. n. 13: nec enim negandũ eſt ignẽ eſſe cauſam principalẽ in producendo calorẽ; quem poteſt in infinitum intenſiorẽ producere: & idem dicendũ eſt de intellectu, qui poteſt obedientialiter concurrere ad viſionẽ in infinitũ intenſiorem. Nec ex limitatione, quã potentia vitalis habet in ſua perfectione eſſentiali, & entitatiua, benè infertur, etiã eſſe limitatam actiuitatem obedientialem illius: ſicut ex infinitate ſyncategorematica alicuius potentiæ in agendo non benè infertur infinitas in entitate, vt diximus in d. art. 8. n. 11, & 12. & art. 13. eiuſdem quæſt. §. 4. n. 39.

76. Solutio.

77. 5. argum.

Quintò ita arguit loco citato litera C. Non repugnat agere vitaliter, & inſtrumentaliter. Ergo nõ repugnat intellectũ ad viſionem inſtrumentaliter cõcurrere. Conſequentiã ſupponit; antecedens probat: quia nulla ratio probabilis hactenus inuenta eſt, quæ talem repugnantiã oſtẽdat. Deinde; quia ratio actus vitalis ſolùm in hoc conſiſtit, vt procedat à proximo, & radicali principio vitæ, cum informatione illius. Sed hoc poteſt conſiſtere cũ actiuitate inſtrumentali: quia cum illis ſimul ſtare poteſt, quòd principium vitale influat in actum modo nõ connaturali, nec naturaliter proportionato; quæ omnia ſufficiunt ad rationẽ inſtrumenti.

78. Solutio. Cumelius. Bellomon. Bañes. Salas. Nauarret.

¶ Ad argumentum communis doctrina negat antecedens; imò illa duo implicare ſcribit *Cumelius 2. tom. ad 1. 2. q. 109. art. 1. diſp. 1. ad 6. argum. pag. 17. col. 1. poſt principium, & ſatis conſentiunt Bellomontanus, Bañes, Salas, & Nauarrete citati ſuprà §. 2. in 4. ratione.* Et verè illa duo videntur implicare, ſi ea, quæ dicuntur de actu vitali in ordine ad potentiam vitalẽ in d. ratione quarta vera ſunt: diximus enim actum vitalem ex ſe habere eſſentialem dependentiam ad virtutem actiuam ſuæ potentiæ, & per conſequens in ea virtualiter includi, quod excludit rationem inſtrumenti. Quare mirum eſt, quod nulla hactenus adducta ſit ratio illius repugnantiæ; cum hæc ratio videatur eam demonſtrare. Ad ſecundam confirmationem, admiſſa maiore, neganda eſt minor. Ad probationem negamus principium vitale poſſe influere in actũ modo, qui ſibi non ſit aliquo modo connaturalis, ſaltem radicaliter, & inchoatè; cũ illum in ſua naturali virtute contineat: ſicut etiam negamus principium vitale non habere proportionem ſaltem inchoatam, & remotam ad ſuum actum vitalẽ, vt cum Capreolo diximus ad 2. argumẽtum.

79. 6. argum.

Sexto loco arguit *in d. pag. 616. col. 1. ad finem*: quoniam ad omnipotentiã Dei, ſpectat, vt vnaquaque creatura vti poſsit vt inſtrumento, modo illi accommodato, id eſt rebus vita carentibus, vt inſtrumentis inanimatis; anima verò, & potentijs illius, vt vitalibus inſtrumentis; & id confirmat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 4.

Conc. Trident.

80. Solutio.

¶ Ad argumentum negamus ad omnipotentiam pertinere, vt Deus vnaquaque creatura poſsit vti, vt inſtrumento ad quemcunque actum: quia anima ſenſitiua, aut intellectiua vti non poteſt vt inſtrumento ad actus vitales; cum illos cõtineat in ſua naturali virtute; quæ continentia excludit rationẽ inſtrumenti. Ex quo fundamẽto §. 3. diximus, intellectũ nec per diuinã potentiã eſſe poſſe inſtrumentum ad viſionem. Quæ ſententia nõ poteſt nõ eſſe veriſsima in actib⁹ vitalib⁹ naturalibus vtriuſque animæ, quis enim dicet,

Nec per diuinam potentiam intellectus eſt inſtrumentum ad viſionem.

dicet, poſſe Deũ vti viſu, vt inſtrumento ad videndum colores? aut intellectu ad intelligendum obiecta naturalia? Quare doctrina illa ita generaliter probata non eſt admittenda. Admittimus poſſe Deũ
Reſolutio. vti potentia vitali ad actus ſupernaturales complendo naturalem illius virtutẽ: negamus tamen poſſe Deum ea vti, vt inſtrumento ad aliquem actum vitalem, quo illa formaliter viuat. Diximus, *quo illa formaliter viuat*: quoniã poteſt Deus vti intellectu Petri, vt inſtrumento, ad cauſandam intellectionem in intellectu
81. Ioannis, vt diximus quæſt. 2. artic. 14.
Intellectus Petri poteſt eſſe inſtrumentum ad intellectionem intellectus Ioannis. §. 3. num. 18. in fine: quia intellectus Petri intellectionem illam virtualiter non continet: vnde ad illam poteſt concurrere vt inſtrumentum actione tranſeunte, non verò immanente, ſicut poteſt eo vti, vt inſtrumento ad actus non vitales, vt diximus in d. n. 18. Quare admittimus ad omnipotentiam pertinere, poſſe vti quacunque creatura etiam vitali, vt inſtrumento ad aliquos actus ſupernaturaliter producendos: negamus tamen ad omnipotentiam pertinere, quòd poſſit vti quacunque creatura, vt inſtrumento ad quoſcunque actus: quia non poteſt ſic vti anima cognoſcente ad actus ſibi formaliter vitales. Quod in Concilio Tridentino diffinitur, nihil ad rem facit.

82. 7. argum. Septimò, & vltimò ita obijci poteſt: quoniam ſi intellectus ad viſionem concurreret, vt cauſa principalis; concurreret ad eam virtute ſibi innata, & naturali: quod eſt falſum. Sequela probatur; quoniam cauſa principalis omnium conſenſu concurrit ad effectum per virtutẽ ſibi propriam, quam habet à natura: iam vero, quod à natura datur eſt naturale. Falſitas conſequentis probatur: tum; quia de fide eſt, intellectum ex ſuis naturalibus non poſſe videre Deum, vt diximus lib. 6. q. 2. art. 1: tum ſecundo; quia ſi intellectus virtute ſua naturali concurreret ad viſionem; vtique ad eam concurreret concurſu naturali Dei, nec indigeret ſupernaturali. ¶ Hoc argumentum æqui-
83. Solutio. uocatione vocis *naturalis* poteſt decipere; facilè autem ſoluetur, ſi æquiuocatio tollatur: etenim, vt diximus in 4. art. præcedẽte, §. 2. n. 40. quatuor modis aliquid dici poteſt naturale, vt ibi videre poteris. Dicimus igitur negandam eſſe ſequelam maioris, ſi ſermo ſit de virtute naturali ſumpta quarto modo; vt ſit ſenſus, quod intellectus ad viſionem concurrat virtute naturali; quę ſcilicet per vires, & actionem agentis naturalis poteſt ad actum reduci: nec enim de ratione cauſæ principalis eſt cõcurrere ad effectum per ſuã virtutem actione agentis naturalis complendam: quia poteſt concurrere per virtutem actione agentis ſupernaturalis eleuandam: & in hoc ſolo ſenſu concludunt probationes ſequelæ: in eo enim diffinitum eſt de fide, nõ poſſe intellectum viribus naturalibus Deum videre; quia verè non poteſt per actionẽ naturalis agentis eleuari, vt Deũ videat. In eodem etiã ſenſu virtus naturalis indiget concurſu naturali Dei. Si verò conſequens ſequelę intelligatur de virtute, quæ tertio modo eſt naturalis; vt ſit ſenſus, quòd intellectus ad viſionem concurrat per virtutem intellectiuam, quæ ex principijs eſſentialibus conueniat animæ (quomodo riſibilitas dicitur naturalis homini, & calor igni) admittenda eſt ſequela: quia de ratione cauſæ principalis eſt, quod concurrat per virtutem ita ſibi propriam, vt ex principijs intrinſecis ſuæ naturæ conueniat. Conceſſa igitur ſequela in hoc ſenſu, neganda eſt minor: cuius probationes contra hunc ſenſum nihil faciunt: nam fides non negat intellectum per virtutem iſto modo ſibi naturalem concurrere ad viſionem: nec concurſus Dei naturalis debetur naturalitati huius generis: quin potiùs virtus iſto modo naturalis indifferens eſt, vt ad actus ſibi naturales reducatur actione naturalis agentis; ad ſupernaturales autem, actione agentis ſupernaturalis; vnde eadem ipſa ſub alia, & alia ratione dici poteſt naturalis, & obedientialis. His addimus nihil eſſe periculi, ſi dicamus, intellectum, tùm ad viſionem patriæ, tùm ad actus ſupernaturales viæ concurrere ſua virtute naturali naturalitate tertij modi; vt ex Auguſtino, & cõmuni Theologorum loquendi modo latè oſtendimus in 4. art. præcedente, §. 2.

In quo ſenſu ſit de fide intellectum non poſſe videre Deum per vires naturales? 84.

In quo ſenſu intellectus concurrat virtute naturali.

ARTICVLVS VI.

Quomodò virtus inchoata intellect[u]s eleuetur, & compleatur ad eliciendam viſionem?

§. 1.

Nonnulla præmittuntur.

1. Premiſſum primum. HAnc difficultatem excitauimus de lumine gloriæ lib. 9. q. 5. art. 5. vbi quæſiuimus, quomodò lumẽ gloriæ eleuet actiuitatem intellectus ad eliciendam viſionem? explicationem in hunc locum reſeruauimus. Pro explicatione præmittimus illi locum non eſſe apud eos, qui volunt intellectum actiuè non concurrere ad viſionem, quos adduximus q. 1. huius libri art. 3. §. 1: nam eleuatio virtutis præſupponit virtutẽ, quæ eleuetur. Solùm igitur huic quæſtioni locus erit, ſuppoſita intellectus actiuitate in viſionem; quam dandam eſſe ſtatuimus in d. q. 1. art. 3. §. 2.

2. Premiſſum 2. Præmittendum eſt ſecundò; nec huic quæſtioni locum dari apud eos, qui putant intellectum habere quidem vim actiuam in viſionem, & eandem habere cõpletam: & ſubinde nulla indigere ſupernaturali eleuatione; vel quia volunt intellectum ſolis ſuis viribus naturalibus Deũ videre poſſe (quæ fuit hæreſis Beguardorum, & Beguinarum, & aliorum hæreticorum; contra quos egimus ſuprà lib. 6. q. 1. art. 1. §. 1. & 2. & lib. 9. q. 4.) vel quia ex ſe habet, quòd diuina eſſentia obiectiuè præſentata poſſit eam videre, abſque vlla eleuatione; quæ fuit opinio Durãdi, Baſſolij, & Scoti, vt dixim⁹ lib. 9. q. 4. art. 1. §. 1. Quare huic queſtioni ſolùm locus dabitur apud eos, qui, & in intellectu admittunt actiuam influentiam in viſionem (quos probauimus ſuprà q. 1. art. 3. §. 2.) & volunt eam neceſſariò indigere ſupernaturali eleuatione; quos probauimus lib. 7. q. 1. art. vnico, & quæſt. 3. art. 1. in quibus locis oſtẽdimus ſine periculo erroris, negari non poſſe neceſſariam eſſe ſupernaturalem eleuationem, vt intellectus influat in viſionem. Quare meritò inquiri debet, quomodò virtus illius ad eam eleuetur?

3. Premiſſum 3. Præmittendum tertiò, in hac difficultate ſermonem non eſſe de virtute actiua obedientiali, quam Suarius excogitauit diſtinctam à naturali: eam enim reiecimus ſuprà q. 2. Quare ſermo erit de virtute naturali radicali, & inchoata, quam in intellectu admittimus: hæc enim ſola eſt, quæ effectiuè ad viſionem concurrit, quidquid Suarius contradicat.

Præmittendum eſt quartò, controuerſiam eſſe, vtrùm lumen gloriæ neceſſarium ſit, vt intellectus in viſionem influat. Cum verò duplex ſit neceſſitas: vna ſecundum legem ordinariam: altera ſecundum potentiam abſolutam; quidam neutram neceſſitatem in lumine admittunt, & ſubinde de facto illud in beatis non datur, vt volunt, quos citauimus lib. 9. q. 4. art. 1. §. 1. Alij admittunt quidem neceſſitatem luminis ſecundùm legem ordinariam, & de facto, vt diximus in d. q. 4. art. 1. §. 3. n. 24: eam tamen negant in ordine ad potentiam abſolutã, vt oſtẽdimus in d. lib. 9. q. 6. art. vnico, §. 1. Sed quanuis inter eos ſit diſſentio de neceſſitate luminis ad eleuandum intellectum: omnes tamen conſentiunt (ſi vnum Durandum, & alterum Baſſolium excipias) neceſſarium eſſe ſupernaturalem aliquẽ concurſũ. Quare meritò inquirimus, quomodò illa hoc, vel illo modo eleuetur? 4. Premiſſum 4.

Præmittendum eſt quintò, ſine fidei periculo negari non poſſe, lumen gloriæ de lege neceſſarium eſſe, vt intellectus actiuè influat in viſionem, vt oſtendimus lib. 9. q. 4. art. 2. §. 2. concl. 6. n. 26. Quare negari non poterit, lumen gloriæ de lege eſſe neceſſarium, vt actiuitas intellectus ad viſionem eleuetur, & per conſequens de facto per illud eleuari: etenim Concilium Viẽnenſe agit de lumine eleuante ad viſionem. 5. Premiſſum 5.

Ex quibus colliges, queſtionem iſtam ſub duplici ſenſu eſſe explicandã. Prior eſt; quomodò actiuitas intellectus per lumen gloriæ eleuetur? poſterior eſt; quomodò eleuari poſſit, ſi de potentia abſoluta aliter, quàm per lumen eleuetur? 6. Quæſtio ſub duplici ſenſu explicabitur.

§. 2.

Quomodò actiuitas intellectus de facto eleuetur per lumen gloriæ?

IN hac quæſtione varij ſunt explicandi modi. Primus eſt illorum, qui admittentes in beatis eſſe lumen gloriæ, nolunt illud ad viſionem actiuè concurrere, ſed ſolùm, tanquam conditionem, ſine qua non. Hanc opinionem nonnullos probaſſe, teſtatur Bellomontanus 1. *part. diſput. 43. cap. 5. n. 24. pag. 339. col. 1:* neminem tamen citat; nec ego aliquem inueni, qui ita ſentiat: ſicut neminem inuc- 7. Quæſtio quomodò lumen gloriæ eleuet intellectus? *Bellomon.*

Maior. inueni (vno excepto Maiore *in* 4. *diſtin.* 49. *q.* 4. *in Epilogo quæſtionis*) qui admiſſa actiuitate intellectus; admiſſo item lumine gloriæ, neget illud in viſionem actiuè influere. Quare authores huius opinionis ideò ſunt reijciendi, quia hanc actiuitatem intellectui negant, cùm ferè omnes eam illi tribuant, vt oſtendimus art. 1. huius quæſtionis §. 2. n. 13: quin potiùs ibidem §. 3. n. 25. diximus non eſſe tutũ id negare, ſi actiuitas intellectus in viſionem admittatur.

Secundus dicendi modus.

8. Secundus dicendi modus. ¶ Secundus dicendi modus ſumi poteſt ex opinione, quæ docet, lumen gloriæ ad hoc ſolùm requiri, vt diuinam eſſentiam obiectiuè vniat intellectui. Quam opinionẽ aliquibus non diſplicuiſſe, colliges ex Suario *lib.* 2. *de Attributis negatiuis c.* 15. *n.* 4. *in* 2. *dicendi modo.* (*Suarius.*) Hac opinione ſuppoſita, eleuatio intellectus à lumine ita poteſt explicari, vt lumen non ideò eleuet intellectum ad videndum, quaſi illi conferat aliquam videndi actiuitatem, quæ ſe teneat ex parte potentiæ, aut augeat, aut confortet eam, quam habet: ſed ideò dicatur, intellectum eleuare ad viſionem; quia illum reddit proportionatum, & aptum, vt diuina eſſentia illi obiectiuè vniatur, & coaſſiſtat. Ex quo dicendi modo euidenter colliges, lumen gloriæ non eleuare intellectum, vt virtutem immediatè actiuam viſionis, & vt complementum actiuitatis intellectiuæ; ſed vt diſpoſitionem paſſiuam, ac veluti materialem: quia illum ſolùm eleuat, vt proportionetur ad talem vnionem, vt ſcilicet eſſentia diuina illi vniatur, tanquam obiectum illi intelligibiliter coaſſiſtens: quæ coaſſiſtentia eſt neceſſaria, vt intellectus, ſua intellectiua potentia, poſſit in eam per viſionem à ſe elicitam intelligibiliter tendere: conſtat enim inter omnes inter potentiam, & obiectum neceſſariam eſſe proportionem, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *ad* 4. *& de Veritate q.* 2. *art.* 3. *ad* 9. *& q.* 8. *art.* 1. *ad* 6: (*D. Thom.*) nec enim quælibet potentia quodlibet obiectum attingit; nec quodlibet obiectum reſpicit quamlibet potentiam, vt ex Fonſeca diximus libr. 9. q. 5. §. 2. nu. 15. Iam verò virtus intelligendi, quam habet intellectus, licet ex ſe habeat actiuam virtutem, vt præſentata diuina eſſentia poſſit viſionem elicere, qua illam intelligibiliter attingat, non tamen ſecundùm ſe eſt proportionata, vt diuina eſſentia illi obiectiuè vniatur; cùm, vt ſic, nõ ſit eiuſdem ordinis cum ea: indiget igitur eleuari ad ordinem diuinum, vt ex multis Patribus oſtendimus lib. 6. q. 2. art. 5: eleuari autem non poteſt, ſuppoſita lege ordinaria, niſi per lumen gloriæ. Indiget igitur illo, vt ad talem vnionem proportionetur, vt latè oſtendimus lib. 9. q. 5. ar. 4: num. 14.

Iſte tamen dicendi modus eſt omnino improbandus: 9. Non recipitur. primò; quia nullum pro ſe habet authorem: licet enim lumen ſit neceſſarium, vt diuina eſſentia obiectiuè vniatur intellectui, vt oſtendimus in d. art. 4: nullum tamen vidi, qui dixerit, ad hoc ſolùm munus lumen admitti, vt diximus dicto lib. 9. q. 5. per totam. Deinde ideò eſt improbandus; quia ſupponit virtutem intellectiuam, qua intellectus in viſionem influit, ex ſua parte habere ſufficientem virtutem, vt vnita ſibi eſſentia poſsit in eam tendere per viſionẽ à ſe elicitam; cuius oppoſitũ contra Durand. Baſſolium, & alios oſtendimus lib. 7. q. 3. ar. 1. §. 2. & lib. 9. in d. q. 5. §. 2. n. 19. 20. & 21. Quare non eſt admittendum, lumẽ non eleuare ipſam virtutem actiuam intellectus, de quo ſtatim dicemus: & ideô hunc dicendi modum meritò non admiſit Suarius *in d. lib.* 2. *de Attribut. negatiuis cap.* 15. *n.* 4. *Suarius.*

Tertius dicendi modus.

¶ Tertius dicendi modus ſumi poteſt ab 10. Tertius dicendi modus. opinione, quæ ponit lumen gloriæ cum intellectu ad viſionem cõcurrere, vt cauſam partialem: quæ fuit quorundam ſententia, ſi credendum eſt Lædeſmio *de diuina perfectione q.* 8. *in* 5. *arg. pag.* 583. *col.* 1. §. *In hoc dubio in* 1. 2. *&* 3. *ſententia*: *Lædeſm.* quam ſatis videtur probare Molina 1. *p. quæſt.* 12. *artic.* 5. *diſputatione* 1. *pag.* 117. §. *At dices, col.* 1. *in fine, & col.* 2. *in principio.* *Molina.* Qua ſuppoſita opinione lumen tenet ſe ex parte intellectus, vt eſt actiua potentia; quia illam eleuat ad viſionem; non quidem dando illi aliquam actiuitatem, ſed adiuuando eam, quam habet, dum ſe illi coniungit, vt cauſam partialem. Qui modus eleuandi, &

complendi virtutem actiuam alterius eſt proprius concauſæ partialis: ſiue illæ ſint eiuſdem rationis, vt duo trahentes pondus; ſiue diuerſæ, vt vir, & fœmina in ordine ad generandam prolem: nec enim, qui cum alio coniungitur ad portandum pondus, aliquam illi virtutem actiuam cõmunicat; ſed eam, quam habet inſufficiẽtem ſuo concurſu adiuuat, & veluti eleuat ad conſtituendam, & integrandam vnam completam virtutem: idem dicendum eſt de viro, & fœmina; nec enim vir tribuit fœminæ nouam virtutem; nec fœmina viro: ſed mutuo ſuo concurſu ſe ſe adiuuant, & veluti eleuant virtutem actiuam alterius inſufficientem ad prolis generationem.

11. Non admittitur. Sed iſte dicendi modus, ideò non eſt recipiendus, quia falſo nititur fundamento: falſum enim eſt, lumen cum intellectu concurrere ad viſionem, vt concauſam partialem, vt in ſequenti articulo dicemus: etenim concurſus concauſæ non propriè dicitur eleuare virtutem alterius concauſæ: nec enim virtus, vt duo, quæ ad leuandum pondus partialiter coniungitur, dicitur eleuare virtutem alterius concauſæ partialis: vtraque alteram iuuat; neutra alterius virtutem eleuat: eodem etiam modo virtus viri ad generandum non propriè dicitur eleuari per concurſum virtutis fœmineæ; etenim eleuatio virtutis aliquo modo denotat augmẽtum illius. Iam verò virtus intellectus verè, & propriè dicitur eleuari per lumẽ gloriæ, vt omnes admittunt.

Quartus explicandi modus.

12. 4 explicatio. ¶ Quarta explicatio colligitur ex illis, qui volunt lumen gloriæ intellectui eſſe totam videndi virtutem: cuius opinionis authores citauimus art. 2. huius quæſtionis §. 1. Ex qua opinione colligitur, lumen gloriæ, ideò intellectum eleuare, quia illi tribuit primam, & totam videndi virtutem; ita vt intellectus lumine actuatus concurrat quidem actiuè ad viſionem; non tamen per virtutem ſuam naturalem, quia per iſtam in eam actiuè nõ influit, ſed per ſolam virtutem actiuam luminis.

13. Hæc tamen eleuationis explicatio ſupponit opinionem omnino falſam, quam impugnauimus art. 2. §. 2. cum ſequentibus, vbi oſtendimus multa in ea contineri, quæ inter ſe non ſatis cohærent, vide, quæ ibi diximus. Addimus modò, authores illius, aut non explicare, quomodò intellectus ſimul cum ſua virtute naturali eleuetur per lumen; aut non ſatis philoſophicè; quod facilè intelliges, ſi ſingulas illorum eleuandi explicationes diligentiùs expendas. Reijciũtur poſitæ explicationes.

Et vt ab explicatione Nauarrete incipiamus; aduertimus, illum expreſſè docere, intellectum ad viſionem non ſe habere merè paſſiuè, ſed ad eam concurrere actiuè, idque media ſua naturali virtute, vt conſtat ex verbis, quæ in dicto art. 2. §. 1. n. 5. adduximus *ex 1. tom. controu. 37. §. 4. fol. 229. col. 3. in principio, & controu. 41. fol. 254. col. 2. B.* Admittit etiam non ſolùm per lumen eleuari intellectũ, ſed ſimul cum eo etiam eleuari naturalem illius virtutem, vt patet ex dicta *cõtrou. 37. §. 5. fol. 231. col. 3. ad 3. & §. 6. fol. 233. col. 3. A.* Addit tamen in dicto §. 6. *fol. 232. col. 4. B. C.* principium vitale, quod eſt in intellectu in ordine ad obiectum ſupernaturale, ſi conſideretur ante actuationem, & eleuationem; habere ſe ad ipſum obiectum, & ad viſionem eius ſolùm materialiter, & ideò abſque vlla efficientia in illam: eſſe tamen talis naturæ, vt adueniente eleuatione per lumen producat ipſam viſionem: quia talis eſt naturæ, vt illi poſſit communicari actiuitas luminis. Ex hoc infert, ipſam naturalem intellectus virtutem, ſumptam non quidem formaliter, & prout eſt actiuitas naturalis; ſed materialiter pro ipſa entitate, quæ eſt naturalis actiuitas, aduentu luminis eleuari, vt per ipſam luminis actiuitatem poſſit influere in viſionẽ. Ipſa igitur naturalis virtus eleuatur per lumen; non quidem formaliter ſumpta, vt eſt actiuitas naturalis; ſed ſumpta materialiter, pro illa entitate, quæ eſt naturalis actiuitas. Vnde ipſa entitas, quæ eſt actiuitas, eleuatur, vt per actiuitatem luminis in viſionem influat, non verò, vt eſt actiuitas; quia, vt ſic, non poteſt ad viſionem concurrere. Hanc Philoſophiam ita confuſè ſcribit Nauarrete, vt vix intelligas, quid ſentiat: præcitato tamẽ modo explicata (ad mentem tamen eius) redditur intelligibilis. 14. Refertur explicatio Nauarrete.

15. Philoſophi a iſta non eſt ſatis phi loſophica. Ego puto eam non ſatis eſſe Philoſophicam, ſi expendamus, quæ ſcripſimus ſuprà art. 2. §. 3: vbi num. 13. diximus, inter nos, & aduerſarios conuenire, quòd anima actiuè influat in viſionem; idque mediante aliqua forma actiua, per quam agat, vt ibidem diximus num. 14. Cui veriſsimæ doctrinæ ſi adiungamus, lumen gloriæ immediatè non actuare eſſentiam animæ, ſed mediante ipſo intellectu, quæ illi eſt potentia quædam naturalis, vt naturale idem eſt, quod conueniens ex principijs naturæ (in quo etiam cõuenimus): concedendum eſt, non ita philoſophandum eſſe, vt anima influat in viſionem, mediante lumine, tanquam potentia immediatè ſubiectata in ea; ita vt ſola ea, tanquam vera potentia ſupernaturaliter ſibi data influat in viſionem: ſed ita potius; vt anima, mediãte intellectu (q ſibi eſt naturalis potentia, naturaliter ſibi data ad intelligenda etiam ſupernaturalia) eleuetur ad eliciendam viſionem. ¶ Tota igitur

16. In quo ſit controuerſia. inter nos controuerſia in eo erit poſita; vtrùm anima in viſionem influat per ſuã naturalem potentiam, vt materialiter ſumitur pro entitate, quæ eſt virtus intellectiua; an verò, prout ſumitur formaliter, vt ſcilicet animę. & intellectui eſt formalis actiuitas: nam ſi ſemel admittatur, animam elicere viſionem, mediante ſua naturali virtute formaliter ſumpta, vt tamẽ eſt eleuata, non poteſt nòn concedi, animam, & intellectum ita influere in viſionem, vt in eam influãt per ſuam intelligẽdi virtutem, vt illis eſt formale influendi principium. Hoc autem conceſſo, nõ eſt negandum, ipſam naturalem virtutem intelligẽdi, vt formaliter eſt talis, actiuè cõcurrere in viſionem. Et ideò coactus eſt negare, animam, & intellectum influere in viſionem, mediante virtute formaliter ſumpta, ſed ſumpta ſolum materialiter: vnde etiam negat, lumen gloriæ, illam virtutem eleuare, vt formaliter eſt virtus actiua, ſed ſolum, prout ſumitur materialiter pro entitate, quæ eſt virtus intelligẽdi. Quam Philoſophiam vocat acutam; vt ſcilicet anima, & intellectus non influãt in viſionem per actiuitatem naturalem, tanquam per virtutem videndi, ſed tanquam per rem, quæ realiter eſt ipſa virtus, quatenùs illi communicatur actiuitas luminis.

At tamen acutam iſtam Philoſophiam cum vera Philoſophia non conſentire facile conuincitur ex eo, quod intellectus (prout eſt forma, qua anima formaliter intelligit) eſſentialiter eſt forma actiua, ita vt eſſentialiter ſit ſua actiuitas: & ipſa actiuitas ſit ipſe intellectus. Cum igitur anima mediante ſuo intellectu actiuè influat in omnem actum, quo formaliter intelligit, etiam in ipſam viſionem, qua formaliter vide Deum; vtique actiuè influet in viſionem per ipſam naturalem actiuitatem (quæ eſſentialiter eſt intellectus) tanquam per virtutem, qua formaliter influit: etenim, quod eſt formaliter tale non poteſt aliquid facere, niſi vt formaliter eſt tale. Quare, quando intellectus, & eius naturalis virtus eleuatur, vt poſsit influere in viſionem; eleuabitur, vt formaliter eſt talis actiuitas, qua anima formaliter influit: etenim ipſa naturalis virtus ſumpta materialiter nõ poteſt habere rationem potentiæ, nec formaliter, nec denominatiuè; quia rationem potentiæ habere non poteſt, niſi vt actiua eſt: quis enim dicet, poſſe hominem in riſum influere per riſibilitatem ſumptam materialiter, vt res eſt; non verò, vt formaliter eſt riſibilitas? Quare res illa, quæ eſt naturalis intelligendi actiuitas, ſi ſolũ ſumatur materialiter, nõ poteſt per lumen eleuari, vt influat in viſionem; ſed ſolùm vt formaliter eſt intelligendi actiuitas. — 17. Repugnat veræ Philoſophiæ.

18. Quem ſenſum euidenter colliges ex modo loquendi, quo Theologi, tàm antiquiores, quàm nouiores vtuntur, quos adduximus artic. 4. §. 2: & ex modo loquendi D. Thomæ in locis ibidem adductis; in quibus expreſſè docet, virtutem naturalem intellectus lùmine ſuperaddito, augmentari, augeri, & ſuperacreſcere: augeri autem, & augmentari nõ poſſet, ſi non formaliter ſumpta, ſed ſolùm ſumpta materialiter, concurreret; quia, vt ſic non eſt virtus concurrens. Eundem ſenſum colliges ex Patribus loco citato adductis, & inferiùs adducendis.

19. Cabreræ opinio. Quod attinet ad Cabreram, quem adduximus in d. art. 2. §. 1, num. 6. ex eo nõ facilè colliges modum, quo intellectus lumine eleuetur: ex eo tamẽ hunc dicendi modum colligo; vt intellectus factus capax eleuationis, eleuetur per ſuam naturalem virtutem, vt immediatè agat per luminis

luminis actiuitatem. Conceditigitur intellectum eleuari ad viſionem: non tamē ad eam eleuari naturalē illius virtutem: in hoc enim cum cæteris aduerſarijs conuenit, vt intellectus concurrat actiuè ad viſionem; non tamen eius naturalis virtus: iam verò eleuari non poteſt, quòd non poteſt actiuè concurrere.

20. Nõ recipitur. ¶ Sed in hoc manifeſtè ſecum pugnat: nam expreſſe concedit, intellectum vitaliter concurrere ad viſionem: & tamen negat, naturalem illius virtutem ad illam concurrere. Explicet nobis bonus iſte Theologus, an vitalitas intellectus ſit aliqua virtus diſtincta à naturali virtute intelligendi? non admittet diſtinctionem: quia virtus naturalis intelligendi eſſentialiter eſt vitalis: & vitalitas intellectus eſſentialiter eſt virtus intelligendi: vnde influendo per naturalem intelligendi virtutem, vitaliter influit; & vitaliter influēdo influit, per virtutem intelligendi ſibi naturaliter conceſſam. Porrò ſi inter vitalitatem intellectus, & naturalem virtutem intelligendi nulla datur diſtinctio, ſed realis, & formalis identitas; vtique hæc duo, non poſſunt non implicare, ſc. *intellectum vitaliter concurrere; non concurrere tamen naturalem illius virtutem.* Præterea implicat, virtutē naturalem intelligendi eſſentialiter eſſe formam actiuam, ſeu potiùs eſſe ipſam formalem intellectus actiuitatem; & ipſum intellectū ſolùm reddere capacem eleuationis; nam, quod eſt eſſentialiter actiuitas alicuius potentiæ, ita ſe habet ad potentiam, vt potentia nihil formaliter agat, niſi mediante illa. Plura alia diximus contra hãc opinionem in d. art. 2. §. 4. num. 25.

21. Non recipitur. Explicatio Lædeſmij. Supereſt expendere modum explicãdi, quem Lædeſmius videtur inſinuare in locis citatis in d. art, 2. §. 1. num. 4: ex his enim, quæ ibi ſcribit, colligitur iſte explicandi modus; vt ſcilicet lumen in hoc ſenſu dicatur intellectū eleuare; quia dum illum actuat, eum reponit in eſſe cuiuſdam potentiæ ſupernaturalis diſtinctæ à potentia naturali, vt colliges ex verbis adductis in dicto num. 4.

¶ At tamen pro impugnatione huiuſmodi ſatis ſint, quæ contra illum diximus in d. art, 2. §. 4. n. 27.

§. 3.

Vera explicatio.

Reiectis ſuperioribus dicendi modis, vera huius difficultatis reſolutio ſit, vt lumen gloriæ ideò intellectum, eiuſque naturalem actiuitatem dicatur eleuare; quia ipſum intellectū cum ſua actiuitate transfert de eſſe ordinis naturalis, & inferioris ad eſſe ſupernaturale, & diuinum, eiuſdem ordinis cum viſione beata: ex hoc enim eſſe intellectus & illius naturalis actiuitas conſequitur virtutem ad eliciendam viſionem: cum enim ad eſſe ſequatur operari ex Ariſtotele in libris de Cœlo; vtique ſi virtus naturalis intellectus per lumen transfertur ad eſſe ordinis diuini; eo ipſo fit potens operari actiones diuini ordinis, qualis eſt viſio beata. Hanc philoſophiam ſatis cõfirmat author *libri de cauſis propoſit. 8. dum ait; quòd omnis ſciens cognoſcit ſecundùm modum ſui eſſe.* Quare ſi intellectus per lumen euehitur ad diuinum eſſe; vtique ex illo eſſe vim habebit, ad diuina cognoſcēda per actiones diuini ordinis. Hæc explicatio, licèt in his terminis à nullo ponatur; eſt tamen de mente omniū. Et poteſt confirmari; quia illo admiſſo, facilè intelliguntur, quæ de lumine gloriæ cõmuniter docent Theologi: hinc enim intelligitur, quomodo lumen gloriæ faciat intellectū, & virtutem eius eſſe eiuſdem ordinis cum diuina eſſentia, vt eſt inadæquatè intelligibilis à creatura: nam quæ habent idem eſſe, ſunt eiuſdem ordinis. 22. Vera explicatio. Author lib. de cauſis. 23. Cõfirmatur 1. Illatio.

Secundò intelligitur, quomodo lumen virtutē naturalem intellectus reddit proportionatam viſioni beatæ; hoc enim facit, quia eam euehit ad eſſe ordinis diuini; quod proportionatum eſt ad quodcũque aliud eſſe eiuſdem ordinis; & per conſequens proportionatum etiam erit illius poſſe ad actionem ordinis eiuſdem. 24. 2. Illatio.

Tertio intelligitur, quomodo intellectus de ſe impotens ad videndum per lumen fiat potens videre: quia ſcilicet ad eſſe diuinum ſequitur poſſe in diuina. 25. 3. Illatio.

Quarto intelligitur, quomodo lumen gloriæ compleat virtutem actiuam intellectus ad videndum Deum; quod non facilè ab omnibus explicatur: nec enim illam dicitur complere, quaſi illam faciat intenſiorem, vt optimè aduertit *Caietanus prima parte quæſt. 12. art. 5. §. Ad primũ Durandi,* & idē *Durandus contra nonnullos probat* 26. 4. Illatio.

probat, in 4. diſt. 49. q. 2. nu. 21: tum; quia virtus intellectiua non ſuſcipit magis, & minùs ſecundùm intenſionem: tùm etiã; quia lumen gloriæ, nec formaliter, nec eminẽter eſt ipſa vis intellectiua intellectus. Vnde ſic philoſophanda eſt hęc virtutis completio, vt fiat abſque noua additione virtutis: & eodem modo intelligẽdum eſt augmentum talis virtutis, quod D. Thomas *in intellectu admittit per lumen prima parte q. 12. art*; nec enim tale augmentum eſt intenſiuum.

D. Thom.

27. ¶ Nec eam complet ad modum, quo lib. 8. prima p. q. 4. §. 2. num. 7. diximus ſpeciem intelligibilem complere virtutem intellectus; cõſtituendo, ſc. ipſam in actu primo ad videndum; idque determinando illius indifferentiam ad hoc obiectum, & ad hanc viſionem; quanuis iſte dicendi modus fortè placere poſſet *Bañes, & Nauarrete*, dum volunt, intellectũ beati conſtitui in actu primo videndi per lumẽ gloriæ, vt diximus lib. 9. q. 5. artic. 6. §. 2. Sed hæc opinio non eſt recipienda, quia nec recipiendum eſt, intellectum conſtitui in actu primo per lumen gloriæ, vt oſtendimus lib. 8. ſecunda p. q. 3. art. 5. §. 2. num. 8. licèt enim lumen gloriæ determinet intellectum, vt per illud ſolum ſit potens agere in ſolam diuinam eſſentiam, & producere ſolam ill[...]s viſionem: tamẽ illum non determinat ad hanc, aut illam numero viſionem; ſed eum relinquit adhuc indeterminatum, & indifferentem ad vnam, & alteram, vt in locis præcitatis diximus: vnde intellectus illuſtratus lumine adhuc eſt in potentia eſſentiali, & indiget determinari per ſpeciem intelligibilem, vel creatam, ſi illa eſt danda; vel increatam, ſi diuina eſſentia ſubit vicem ſpeciei: & indè eſt vt intellectus per lumẽ formaliter non fiat Deus, ſed per ſolam ſpeciem; & hinc eſt, vt ante receptionẽ ſpeciei intellectus per lumen non ſit proximè potens ad videndum, ſed fiat talis per ſpeciem; quia per eam proximè determinatur ad hanc viſionem, & non ad illam: & ratio eſt, quia per ſolam ſpeciẽ repræſentatur diuina eſſentia ſub hac determinata intelligibilitate, non ſub illa. Quare lumen gloriæ tantum determinat intellectum ad ſolam operationem viſionis diuinæ eſſentiæ: non tamen ad hanc determinatam viſionem.

Bañes. Nauarrete

Non recipitur intellectum cõſtitui in actu 1. per lumen.

Intellectus illuſtratus eſt in potẽtia.

¶ Dicendum eſt igitur, lumen gloriæ in hoc ſenſu complere virtutem intellectus; quia facit illam eſſe diuinam, & Deificatam, vt ait Dionyſius *cap. 7. de diuinis nominibus, dum ait, nos diuina intelligere, ſecundum nos quidem; ſed extra nos ſtatutos, & totos Deificatos.* Quibus verbis ſatis oſtendit, virtutem noſtram intellectiuam, tunc eſſe completam ad intelligendum Deum; cùm poſita extra ſuum eſſe naturale reponitur in eſſe diuino, in quo tota Deificatur; quam Deificationem habet per lumen gloriæ. Concludendum eſt igitur lumen gloriæ, ideo complere virtutẽ intellectus, quia extrahendo eam ab eſſe ordinis naturalis, eam trahit ad eſſe diuinum, quo Deificatur, vt deificata poſsit operari diuinas operationes. 28.

Vera reſolutio.

Dionyſius.

Quinto ex noſtra explicatione colligitur, ipſãmet virtutẽ naturalem, qua intellectus formaliter intelligit obiecta naturaliter intelligibilia, eſſe, quæ eleuatur, vt actiuè concurrat ad viſionem: nam cũ lumen eleuet intellectum transferendo virtutem eius naturalem ad eſſe diuinum, nullam illi dando nouam virtutem, quæ videat; ſed communicando illi formam, qua videat; illa ipſa eſt, quæ lumine eleuatur, vt in viſionem influat. Quem ſenſum ſatis colliges ex Epiphanio *hæreſi 70 fol. 364. pag. 1.* dum ait; *Deum facere potens videre, quod impotens erat*: intellectus autem erat impotens per virtutem naturalem nudè ſumptam. Ergo illam ipſam ſua eleuatione facit potentem videre. Idẽ colliges ex Nazianzeno oratione 2. de Theologia pag. 299. col. 1. vbi agẽs, quomodo Deus noſtræ intellectuali virtuti naturaliter eſt inuiſibilis, inquirit; An aliquando à nobis videndus ſit? Et reſpondens, docet, *quòd tunc à nobis videbitur, cũ mens noſtra, & noſtra ratio, atq; imago ſuper naturaliter fuerit diuinitati copulata.* Quæ verba accommodatè nõ explicabis de ratione, & imagine materialiter ſumpta, ſed formaliter. Dionyſius etiam in *dicto cap. 7. de diuinis nominibus, poſtquam docuit,* mentem noſtram ex ſe habere virtutem, qua intelligibilia intelligit, *docet eam diuina intelligere, dum ſe ſuprà ſe ſtatuit, & deificatur.* Ipſa igitur virtus, qua mens intelligit, eſt, quæ ſuprà ſe ſtatuta, & deificata in viſionem influit. D. etiã Thomas *prima parte q. 12. art. 5* id ſatis oſtendit, dum ita

29. 5. Illatio.

Epiphan.

Nazianz.

Dionyſius

D. Thom.

ita ſcribit: *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam, oportet, quòd ex diuina gratia ſuper accreſcat ei virtus intelligendi.* In quibus verbis illum relatiuum *ei* refert virtutē naturalem, quæ ex ſe eſt inſufficiens ad videndum Deum; & huic ſuperaccreſcit virtus, ita vt ipſa virtus naturalis ſit, cuius virtus augetur, vt in viſionem influat.

Aduertentia neceſſaria.

30. Aduertētia. ¶ Hęc diximus pro explicanda difficultate, in qua egimus de eleuatione intellectus poſsibilis, & virtutis naturalis eius: quoniam non ſunt audiendi, qui volunt, lumen gloriæ non recipi in anima mediā te intellectu poſsibili, ſed agente: quanuis illam opinionem probauerint Richardus *in 4. diſt, 49. articul. 3. q. 2. & ſatis Albertus Magnus ibidem art. 3. §. Addictum autē*, dū ait, quòd Deus ſine ſpecie vnitur intellectui agenti; in quo ſenſu plura dicit ibidē artic. 4. & 5. Sed cum hæc opinio nullo, vel apparenti nitatur fundamento; non eſt, quòd impugnetur: maximè, quia apud omnes conſtat, illum intellectū per lumen gloriæ ad viſionem eleuari, cui cōuenit Deum videre: iam verò intellectus agens, ſicut formaliter non intelligit; ita formaliter Deum non videt, ſed nec videre poteſt. Et hæc ratio ſatis ſit pro huius paradoxæ opinionis impugnatione.

Richardus Albertus.

Non recipitur.

§. 4.

De eleuatione intellectus, ſi per potentiam diuinam ſine lumine eleuetur.

31. Quomodo eleuaretur intellectus ſine lumine. EXplicuimus quæſtionē, quomodo intellectus eleuetur per lumen gloriæ, quod de lege beatis confertur: ſupereſt explicandum, quomodo eleuaretur, ſi per potentiam abſolutam ſine lumine intellectus videret Deum: quod factu eſſe poſsibile grauiſsimi docent Theologi, vt diximus lib. 9. q. 6. art. vnico §. 1. etenim cum hæc eleuatio fieri nequeat ſine aliquo ſupernaturali concurſu, vt patet ex lib. 7; inerito requiri poteſt, quomodo intellectus tunc eleuaretur?

32. Varij modi. Varios eſſe dicendi modos, colliges ex ijs, quæ diximus lib. 9. d. q. 6. §, 4. n. 58; & lib. 10. q. 2. art. 15. §. 1. per totum. ¶ Primus modus generaliter docet, intellectū tunc fore eleuandum abſque vlla qualita-

1. Modus.

te ſuperaddita; ſed per ſolùm concurſum Dei extrinſecum, quo virtus actiua intellectus roboraretur, atque compleretur, vt poſſet in viſionem influere. Authores huius modi dicendi citauimus in d. libro 9. q. 6. §. 4. num. 58. vbi num. 59. duos etiam explicandi modos huius eleuationis retulimus: nam quidam volunt, ideò concurſum Dei extrinſecum ſine ſuperaddita qualitate virtutem naturalem intellectus eleuare; quia Deus cum intellectu partialiter concurreret; iam verò cauſa partialis alteram partialē, cui adiungitur, iuuat, & eleuat nullam ei qualitatem ſuperaddendo. Alij verò ex eo hanc eleuationem deducunt, quia volūt, Deū ſuo cōcurſu ob efficaciam ſuæ omnipotentiæ intellectui communicare ſuum agendi principium, vt per illud in viſionē influat. Hanc explicationem probaſſe Cumeliū cum nōnullis diximus *in dicta q. 6. §. 4. num. 61. eādem placuiſſe Bañes prima parte q. 45. artic. 5. diximus lib. 10. q. 2. art. 1. §. 1. num. 12. vbi num. 11. etiam oſtendimus eam eſſe de mente Fonſecæ 9. Metaph. cap. 1. q. 4. ſect. 8. pag. 622. colum. 1. ad 1. & col. 2. §. Aduertendum. & pag. 623. col. 1. §. Vt loquamur.* His duobus explicandi modis addi poteſt tertius, vt concurſus iſte extrinſecus Dei, ideò eleuet virtutem intellectus, quia illa per ſe ſubalternatur tali Dei concurſui. Hunc dicendi modum nonnullos probaſſe refert *Ioannes Vincent. de gratia Chriſti q. 6. p. 801. §. Hæc argumenta, & eundē probat pag. 804. §. In ſumma ergo*, nam quanuis agant de eleuatione inſtrumenti, idem dicerent de eleuatione cauſæ principalis.

1. Opinio.

2. Opinio.

Cumel. Bañes.

Fonſeca.

3. Opinio.

Ioan. Vincent.

Secundus dicendi modus eſt eorū, qui non admittunt intellectum eleuari poſſe per concurſum extrinſecum; ſed per aliquid, quod intrinſecè ſit in eo, ſaltem per modum tranſeuntis. Hi etiam ſubdiuiduntur: quidam enim volunt, Deum per ſpecialē ſuam motionem, qua intellectū applicat ad videndū, imprimere illi qualitatem quandam ſupernaturalem, diſtinctam à lumine gloriæ, & per hanc illum eleuare eo modo, quo illum eleuat per lumen gloriæ. Hanc ſententiam quibuſdā placuiſſe, teſtatur Lædeſmius *de diuina perfectione in ſub articulo articuli octaui in 3. dicendi modo pag. 592. col. 1.* quam ipſe, vt probabiliſsimam amplectitur. Quæ etiam

33. 1. Modus.

2. Explicatio.

Lædeſmius.

Nauarrete etiam non diſplicebit *Nauarrete*, ſi ſermo ſit, non de viſione, quæ de facto datur; ſed de alia, quæ ab ea eſſentialiter diſtin-
1. Explicatio guatur: hanc enim poteſt Deus facere ſine lumine gloriæ. *Vide illum controuerſ. 39. §. ſecundo fol. 247. colum. 1. 2. & 3.* Alij tamen volunt eleuationem non fieri per qualitatem ſuperadditam, ſed per motionem quandam ſupernaturalem in intellectu receptam: quæ ſententia pluribus placuit, teſte *Lædeſma vbi ſuprà pagina. 592. colum. 1. B.* Cui fortè conſentient, qui volunt, Deum per ſuum concurſum imprimere motum quendam virtuoſum, quos citauimus ſuprà quæſt. 2. art. 15. §. primo num. 5.

34. Hos dicendi modos retulimus, vt difficultatem quæſtionis oſtẽderemus. Ego
1. modus dicendi non probatur. primum dicendi modum probare non poſſum; quia puto repugnare Philoſophiæ, quòd aliquod agens agat per principium actiuum, quod eſt in alio, vt dixi *in dicto artic. 15. §. 2. à num. 14.* Sed nec probare poſſum intellectum eleuari per ſolùm motum virtuoſum impreſſum illi per Dei concurſum, vt latè oſtendi in d. art. 15. §. 3. à num. 32. Sola igitur reſtat eleuatio per qualitatẽ intellectui impreſſam, quam non repugnare, oſtendi in dicto art. 15. à num. 44; vbi dari, inſtrumenta diuina non aliter poſſe à Deo eleuari: idem igitur dicam de intellectu, ſiue concurrat vt inſtrumentum, ſiue vt cauſa principalis, ſi ſine lumine à Deo eleuetur.

ARTICVLVS VII.

Quomodo virtus actiua intellectui connaturalis ad viſionem concurrat cum lumine gloriæ?

1. Quæſtio quomodo concurratur cũ lumine gloriæ. IN hac quæſtione non conſentiunt Doctores; quidam volunt, intellectum, & lumen concurrere ad viſionem, vt duas cauſas partiales. Ita nonnullos ſenſiſſe teſtatur Lædeſmius *de diuina perfectione quæſt. 8. in 5. argumento pagin. 583.*
1. Opinio. Lædeſm. Caiet. Molin. *colum. 1. §. In hoc dubio, vbi pro ea citat Caietanum 3. p. q. 10, artic. 4. §. Circa ſolutionem ad 2.* ſed in eo loco id non aſſerit: hãc tamen opinionem videtur probare Molina *1. p. q. 12. artic. 5. diſput. 1. pag. 117. §. At dices colum. 1. in fine. & columna 2. in principio, & expreſsiùs Suarius 1. tom. ad 3. parte, diſput. 31. ſectio. 6. pag. 599. colum. 2. §. Dices, hinc ſequi:* Suarius.

Oppoſitam ſententiam probat Lædeſmius vbi ſuprà *pag. 581. colum. 1. A; & late Cabrera 1. tom. ad 3. p. q. 9. art. 2. diſput. 9. §. 5. concluſione 3. num. 28.*, ſæpe eam ſupponit, imò etiam probat Nauarrete *primo tom. controuerſ. 37. §. 4. fol. 230. colum. 1. §. Præterea notandum.* 2. 2. Opinio. Lædeſmius Cabrera. Nauarrete

Ego hanc ſecundam ſententiam puto eſſe veriſsimam, eo nixus fundamento: quia licèt vna concauſa partialis aliquo modo iuuet virtutem alterius; nulla tamẽ ita alteram iuuat, vt illius virtutem compleat, eamque faciat intrinſecè potentem. Iam verò lumen gloriæ formaliter, & intrinſecè complet virtutem intellectus in viſionem: etenim dat intellectui eſſe diuini ordinis, vt diximus in præcedente articulo, §. tertio; ex quo habet poſſe in viſionem. 3. Eligitur. 1. Ratio.

Accedit, quia nulla cauſa partialis eſſe poteſt alteri concauſæ medium ſub quo in actum influat: cum tamen lumen gloriæ ſit medium ſub quo intellectus Deũ videt, vt docet Diuus Thomas *quodlibet. 7. art. 1. & prima parte quæſt. 12. art. 5. ad 2. & de veritate quæſtione 18. art. 1. ad 1. & in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 1. ad 15.* Quin potiùs ſuo modo dici poteſt medium *quo* videndi; quia eſt virtus formaliter actuans intellectum ad videndum. Denique cũ prima ſententia nullo firmo nitatur fundamento, ſecunda eſt à nobis amplectenda. 4. 2. Ratio. D. Thom.

ARTICVLVS VIII, & Vltimus.

Quomodo virtus intellectus ad viſionem concurrat cum diuina eſſentia?

VT hæc quæſtio diſtinctè explicetur; aduertendum eſt duplicem diſtingui vnionem diuinæ eſſentiæ cum intellectu in ordine ad viſionem eliciendam: vnam formalem; qua diuina eſſentia ſe illi vnit per modum formæ. Alteram obiectiuam: qua eſſentia diuina ſe ſe ponit ante intellectum per modum obiecti, veluti aſsiſtentis, de qua duplici vnione egimus *lib 8. ſecunda parte. quæſt. 4. art. 5. §. 3.* etenim vtraque vnio d.tur 1.

datur in obiecto intelligibili, vt diximus in eodem *libro prima parte quæſtio. 4. art.* 3. *&* 4. Quare quæſtio propoſita ſub duplici ſenſu eſt explicanda. Primus eſt; quomodo virtus intellectus ad viſionem concurrat cum diuina eſſentia, vnita ſibi vnione formali? ſiue illa fiat per ſpeciem creatam, ſiue per ipſam, vt ſubit vicem ſpeciei. Secundus ſenſus; quomodo ſe habeat ad eandem eſſentiam obiectiuè vnitam?

Duplex ſenſus quæſtionis.

2. Quod attinet ad primum ſenſum: qui putant, intellectum, & ſpeciem intelligibilem concurrere ad actum intelligendi, vt cauſas partiales; idem dicent de intellectu beati, & de diuina eſſentia.

1. Opinio.

¶ Verùm hanc opinionem reiecimus *lib.* 8. *prima parte quæſtio.* 3. *articulo ſeptimo,* §. *ſecundo. num.* 8. *&* 9. vbi oſtendimus ſpeciem impreſſam non concurrere cum intellectu, vt cauſam partialem; quia illi eſt principium agendi, vt quo; quod cauſæ partiali conuenire non poteſt, cum ſit agens, *vt quod.* Quare ſi eſſentia diuina formaliter vnitur intellectui, aut per ſpeciem creatam, aut per ſe ipſam loco ſpeciei; nullo modo poteſt ad viſionem concurrere, vt cauſa partialis, cum concurrat, vt principium agendi, *vt quo*; quod ſatis docuit D. Thomas 3. *contra gentes cap.* 51. *poſt principium; & de veritate quæſt.* 8, *art.* 1. *& in* 4. *diſtinctio.* 49. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2, *& alijs in locis, quæ citauimus lib.* 8. *ſecunda parte quæſtione.* 4. *articulo nono* §. *quarto num.* 24.

Nonre eicipitur.

Si verò quæſtio in ſecundo ſenſu excitetur, & inquiratur, vtrùm diuina eſſentia vnita intellectui per modum obiecti concurrat cum eo, vt cauſa partialis? affirmatiuè reſpondendum eſt; quia, vt ſic, concurrit efficientia quadam obiectiua. Iam verò ex potentia, & obiecto paritur notitia ex doctrina Auguſtini; non aliter; quàm ex cauſis partialibus, vt omnes admittunt. Et hæc de iſto articulo & libro. 3.

Explicatur 2. ſenſus.

Finis Libri decimi.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM HVIVS LIBRI XI.

Præfatio ad totum Librum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad beatitudinem ſupernaturalem Patriæ requirantur aliqua bona illi accidentaria?

Articulus Vnicus: *idem inquiritur.*
§. 1. *Argumenta partis negantis.*
§. 2. *Vera eſt pars affirmans.*
§. 3. *An nomine beatitudinis accidentalis comprehendantur omnia bona Patriæ?*
§. 4. *Soluuntur argumenta.*

QVAESTIO II.

Vtrùm ad beatitudinem Patriæ pertineat perfectio dotis?

Articulus 1. *Quænam ſit vera diffinitio dotis?*
§. 1. *Variæ diffinitiones dotis apud iure peritos.*
§. 2. *Non admittitur conciliatio diffinitionum.*
§. 3. *Vera reſolutio.*
§. 4. *Quæ diffinitio ſit nobis magis accommodata?*
Articulus 2. *De conditionibus neceſſarijs ad veram rationem dotis gloriæ: & de vera illius definitione.*
Articulus 3. *Quotuplex ſit dos gloriæ: quando; & vbi conferatur?*
Articulus 4. *Vtrùm in beatis admittédæ ſint dotes animæ: ſub vera ratione dotis?*
§. 1. *Refertur pars negans.*
§. 2. *Aſſerenda eſt pars affirmans.*
§. 3. *Soluuntur argumenta.*
Aarticulus 5. *Quot, & quæ ſint dotes gloriæ?*
§. 1. *Dotes gloriæ ſunt tres,*
§. 2. *Dotes eſſe viſionem, comprehenſionem, & fruitionem.*
Articulus 6. *Vtrùm dotes animæ ſint actus, an habitus?*
§. 1. *Referuntur tres ſententiæ.*
§. 2. *Dotes eſſe actus eſt verius.*
§. 3. *Soluitur fundamentum primæ opinionis.*
Articulus 7. *Vtrùm; & quomodo dotes diſtinguantur à beatitudine?*
Articulus 8. *Quomodo tres dotes diſtinguantur inter ſe?*

QVÆSTIO III.

In quibus reperiantur dotes.

Articulus 1. *Vtrùm in anima beata ſint admittendæ dotes gloriæ?*
Articulus 2. *Vtrùm in Angelis dentur dotes?*
Articulus 3. *Vtrùm in Chriſto Domino dotes reperiantur?*

QVÆSTIO IIII.

De duplici beatorum cognitione.

Articulus 1. *Vtrùm in beatis diſtinguenda ſit duplex cognitio? matutina, & veſpertina?*
Articulus 2. *Quòd vtraque cognitio ſit in beatis.*
Articulus 4. *An omnis cognitio in Patria ſit, aut matutina, aut veſpertina.*

QVAESTIO V.

De viſione Dei, & creaturarum in Deo.

Articulus 1. *Vtrùm viſio, qua beatus videt Deum, ſit formalis beatitudo eius?*
Articulus 2. *An viſio beata ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam?*
§.1. *Refertur opinio negans.*
§.2. *Vera eſt opinio affirmans.*
§.3. *Soluuntur argumenta in oppoſitum.*
Articulus 3. *De qualitate viſionis beatificæ.*
§.1. *De eadem quæſtione.*
§.2. *Eſt notitia intuitiua.*
§.3. *Eſt notitia ſimplex, virtute tamen compoſita.*
§.4. *Eſt notitia iudicatiua.*
§.5. *Eſt ſpeculatiua, & practica.*
§.6. *An ſit actio humana.*
§.7. *An ſit euidentior, & certior omni alia cognitione?*
§.8. *An ſit actus omnium nobiliſsimus?*
§.9. *An ſit propter finem?*
§.10. *An ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ?*
§.11. *An ſit immutabilis?*
§.12. *An poſsit intendi, & remitti?*
§.13. *An formaliter ſit actio: an qualitas?*
§.14. *An eminenter contineat omnes perfectiones beatitudinis?*
§.15. *An omnibus ſit eiuſdem ſpeciei?*
§.16. *An per eam ſit diſtinctio attributorum, & relationis ab eſſentia?*

QVAESTIO VI.

De viſione beata, vt terminatur ad creaturas.

Articulus 1. *Vtrùm viſio beata terminetur ad creaturas?*
Articulus 2. *Vtrùm diuina potentia fieri poſsit, vt ad nullam creturam terminetur?*
Articulus 3. *An vna & eadem numero viſio terminetur in Deum, & in creaturas?*
Articulus 4. *Vtrùm terminetur ad omnes creaturas poſsibiles, & futuras.*
Articulus 5. *Vtrùm per eam videantur cogitationes cordium?*
Articulus 6. *An per eam videantur omnia myſteria fidei?*
Articulus 7. *Vtrùm per eam videant beati omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum?*
Articulus 8. *Vtrùm ſimul terminetur ad omnia, ad quæ terminatur?*
Articulus 9. *Vtrùm per ipſam viſionem videatur ipſa viſio?*

QVAESTIO VII.

De conceptibus, quos beatus format de diuina eſſentia, & de creaturis.

Articulus 1. *Vtrùm beatus in politia matutina habeat plures actiones? tum erga Deum, tum erga creaturas?*
Articulus 2. *Vtrùm in eadem politia matutina formare poſsit plura iudicia de attributis, & de eſſentia, & relationibus?*
Articulus 3. *Vtrùm beatus formet verbum, tum de Deo viſo, tum de creaturis in Deo?*
Articulus 4. *Vtrùm in eadem politia matutina beatus habere poſsit cognitionem abſtractiuam Dei, & eorum, quæ videt in Deo? & abſtrahere ſpecies eorum?*

QVAESTIO VIII.

De cognitione veſpertina.

Articulus 1. *Vtrùm in beatis danda ſit cognitio veſpertina rerum in proprio genere?*
Articulus 2. *Vtrùm in politia veſpertina detur cognitio per ſe infuſa, & acquiſita?*
Articulus 3. *Vtrùm in ingreſſu Patriæ beatis infundantur ſpecies per ſe infuſæ?*
Articulus 4. *Vtrùm illis infundantur ſpecies myſteriorum, quæ per fidem in via cognouerunt?*

Articulus 5. Vtrùm habitus ſcientiarum in via acquiſiti maneant in Patria?
Articulus 6. Vtrùm in ea maneat, aut manere poſſit habitus fidei?
Articulus 7. Vtrùm manebit habitus Theologiæ?
Articulus 8. Vtrùm in Patria ſit locutio intellectiua?

QVAESTIO. IX.

De cognitionibus imperfectis in ordine ad intellectum beati.

¶ Præfatio ad Quæſtionem.
Articulus 1. Vtrùm beatitudo Patriæ excludat ignorantiam puræ negationis.
Articulus 2. An de facto excludant omnem intellectus defectum, qui ex ſe importet aliquod vitium intellectus?
Articulus 3. Vtrùm in cognitione complexa beati dari poſſit aliqua falſitas?
Articulus 4. An falſitas dari poſſit in ſimplici cognitione illius?
Articulus 5. An in intellactu beati dari poſſit inconſideratio, & inaduertentia in conſideratione?
Articulus 6. An omnis notitia beati ſemper ſit vera, certa, & euidens?
Articulus 7. Vtrùm rectitudo intellectus inſit beatis ab intrinſeco?
Articulus 8. An de potentia abſoluta poſſit dari error in intellectu beati?

¶ Præfatio ad diſputationem de perfectionibus voluntatis.

QVAESTIO X.

De amore amicitiæ erga Deum.

Articulus 1. Vtrùm amor, ſiue dilectio ſit formalis beatitudo? an verò beatitudinem naturaliter comitetur?
Articulus 2. Vtrùm ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam?
Articulus 3. An amor Patriæ per ſe terminetur ad Deum, & ad viſionem?
Articulus 4 An viſio ſatis ſit, vt amor detur in voluntate?
Articulus 5. An viſio ad amorem concurrat, vt ratio formalis; an verò, vt conditio?
Aarticulus 6. An amor Patriæ ſit actus neceſſarius; an liber?
Articulus 7. An ſit actus humanus.
Articulus 8. An amor ſit propter viſionem; an è contrario?
Articulus 9. An amor virtute contineatur in viſione?
Articulus 10. Vtrùm amor ſit nobilior, & amabilior, quàm viſio?
Articulus 11. An amor Patriæ ſpecie diſtinguatur ab amore viæ?
Articulus 12. An eodem amore ametur Deus, & creaturæ in Deo viſæ?
Articulus 13. & vltimus: An dilectio Dei in Patria realiter diſtinguatur à delectatione de Deo viſo?

QVAESTIO XI.

De amore concupiſcentiæ, quo beatus ſe, & alios amat.

Articulus 1. An amor concupiſcentiæ detur in beatis erga Deum?
Articulus 2. An iſte amor ſit beatitudo?
Articulus 3. An iſte amor concupiſcentiæ, quo beatus Deum ſibi amat ſit minus nobilis, quàm amor amicitiæ, quo Deum amat, vt amicum?
Articulus 4. An beatus amore concupiſcentiæ amet Deum propter ſe?

QVAESTIO XII.

De gaudio, ſiue delectatione ſecundùm ſe.

Articulus primus: Quid ſit delectatio?
Articulus 2. An ſit operatio elicita à potentia appetitiua?
Articulus 3. An ſit propter operationem?
Articulus 4. An ſit actus realiter diſtinctus ab amore?

QVÆSTIO XIII.

¶ *De delectatione Patriæ.*

Articulus 1. *An ad beatitudinem requiratur delectatio?*
Articulus 2. *An reperiatur in Patria, vt eſſentia beatitudinis; an vt eam concomitans?*
Articulus 3. *An delectatio ſit neceſſaria, vt quis ſit beatus?*
Articulus 4. *An delectatio Patriæ ſit operatio elicita à voluntate?*
Articulus 5. *An Delectatio in Patria ſit duplex?*
Articulus 6. *An diſtinguatur à dilectione, ſiue amore?*
Articulus 7. *An omnis delectatio in Patria immediatè terminetur ad Deum?*
Articulus 8. *An delectatio in Patria ſit actus neceſſarius?*
Articulus 9. *An ad beatitudinem principalior ſit delectatio, quàm viſio?*

QVÆSTIO XIIII.

De Comprehenſione.

Articulus 1. *Vtrùm comprehenſio ad ſolum intellectum pertineat? an ad ſolam voluntatem? an ad vtramque potentiam?*
Articulus 2. *An comprehenſio Dei requiratur ad beatitudinem?*
Articulus 3 *An requiratur, tanquam formalis beatitudo? an tanquam perfectio illam concomitans.*

QVÆSTIO XV.

De Fruitione.

Articulus vnicus: Quid ſit fruitio? & vtrùm detur in beatis?

QVAESTIO XVI. & Vltima.

De rectitudine voluntatis beatæ, & de eius impeccabilitate.

Articulus 1. *An rectitudo voluntatis antecedenter ſit neceſſaria ad beatitudinem?*
Articulus 2. *Vtrùm eam ita comitetur; vt beatus, nec mortaliter, nec venialiter peccet?*
Articulus 3. *An hoc ſit de fide?*
Articulus 4. *Vnde impeccabilitas voluntatis in ordine ad amorem, & fruitionem oriatur?*
Articulus 5. *Vnde oriatur in ordine ad actiones ſimpliciter liberas?*
Articulus 6. *& vltimus: Vtrùm diuina potentia peccatum, aut actu, aut habitu ſtare poſsit cum beatitudine?*

FINIS.

LIBER

LIBER VNDECIMVS.

DE IIS, QVÆ EXIGVNTVR AD BEATITVDINEM SVPERNATVRALEM PATRIÆ TANQVAM ILLIVS PERFECTIONES.

Præfatio ad totum Librum.

1. Beatitudo 2. modis accipitur.

IN Præfatione ad Librum tertiũ in 1. huius operis tomo diximus beatitudinem duobus modis accipi: vno modo; pro beatitudine ſimplici eſſentialiter ſumpta. Altero modo; pro beatitudine omnibus ſuis connaturalibus perfectionibus integrata, & abſoluta. De beatitudine priori modo ſumpta egimus in 1. tom. â lib. 3. vſque ad quintum incluſiuè. De ijs, quæ eam antecedunt diximus in hoc 2. tom. à lib. 6. vſq; ad 10. præcedentem. Conſequenter in hoc lib. 11. agendum erit de perfectionibus, quę eſſentiam beatitudinis conſequũtur, comitantur, vt perfectiones quædam accidentales, & extrinſecæ, vt quia ſint perfectiones non eſſentiales. De qua materia diſputat Diuus Thomas prima ſecũdæ quæſt. 4. per totam, & in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 4, vbi communiter Theologi, quos in progreſſu diſputationis citabimus. Et primùm agemus de perfectionibus, quæ beatitudinem ſupernaturalem Patriæ comitantur; deinde ad finem libri dicemus de illis, quæ comitantur cæteras beatitudines, nimirum ſupernaturalem viæ, & naturalem, ſi daretur.

Agendũ eſt de perfectionibus accidentarijs.

2. Diſputaturi de ijs perfectionibus, quæ exiguntur ad integrum perfectumque ſtatum beatitudinis Patriæ; vt totius huius libri argumentum melius intelligatur, aduertimus omnes ponere duplicem beatitudinem; vnam eſſentialem, de qua diximus à lib. 3. vſque ad hunc vndecimum. Alteram accidentalem; prout accidentale generaliter diſtinguitur contra eſſentiale. Quomodo omne, quod nõ eſt de eſſentia, dicitur accidentale, ſiue ſit accidens proprium, & connaturale; ſiue ſit accidens commune intrinſecum, vel extrinſecum. In hoc lib. ſolum agimus de ſola beatitudine accidentali.

Beatitudo eſſentialis & accidetalis.

Hanc generaliter diuidimus in beatitudinẽ animæ, & in beatitudinem corporis, quæ ſoli corpori conuenit, quamuis ex beatitudine animæ, tanquam ex radice veluti reſultet. De beatitudine corporis dicemus in tertio tomo, quem de beatitudine corporis titulamus. De beatitudine animæ ſolum accidentali agemus in hoc libro. 3.

Beatitudo animæ, & corporis.

Hæc multipliciter diuiditur: ſicut enim in alijs rebus dantur quædam accidentia rei propria, quæ eſſentiã cõſequũtur, veluti quædam cõnaturales proprietates, vt riſibile reſpectu hominis, & accidentia quarti prædicabilis: alia verò, quæ non cõſequuntur rei eſſentiam, ſed indiuiduales cuiuſque rei proprietates, vt accidentia

Beatitudo animæ accidétalis, multiplex.

dentia cõmunia, quæ ad quintum predicabile ſpectant.

4. Hæc autẽ adhuc ſubdiuiduntur: quædam enim ſunt neceſſaria; quædam verò contingentia, & veluti extrinſeca, quæ non in omnibus inueniuntur: ita etiam in beatitudine eſſentiali Patriæ præter perfectiones illi veluti connaturales (vt amor, gaudium, ſiue delectatio, & comprehenſio) dantur aliæ, quæ ſunt veluti accidentia communia; quarum aliæ ſunt intrinſecæ cõmitantes beatitudinẽ eſſentialem in omnibus beatis, idque vel ex natura rei, vel ex lege Dei: aliæ verò ſunt veluti contingentes, & extriſecæ, vt quia non neceſſariò coniunguntur cum beatitudine, ſed poſſunt non in omnibus reperiri.

Beatitudo accidentalis vna beatifica, alia non beatifica. Tandem beatitudo accidentalis in genere, diuidi poteſt in beatificam, & non beatificam: illa verſatur circa obiectum beatificum, vt beatificum eſt, hæc verò circa obiecta non beatifica, quæ omnia patebunt ex diſcurſu diſputationis.

5. Ordo dicendorum. ¶ His, ita præmiſsis in explicandis, quæ pertinet ad perfectionem veluti accidentariã ſupernaturalis beatitudinis hoc ordine procedemus. Primo loco generaliter inquiremus; Vtrùm ad abſolutã perfectionem, & integritatem eſſentialis beatitudinis in Patria (quæ poſita eſt in clara viſione diuinæ eſſentiæ) requirantur aliqua bona extrinſeca, quę ſint illius perfectiones?

Deinde, an ad perfectionem illius requiratur, quòd perfectiones eius habeãt veram rationem dotis?

Tertiò deſcendendum erit ad explicãdas ſingulas perfectiones.

QVÆSTIO I.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm ad beatitudinem ſupernaturalem requirãtur aliqua bona illi accidentaria?

QVod attinet ad id, quod primo loco proponitur, inquirendũ eſt generaliter; Vtrũ ad beatitudinem Patriæ requirantur aliqua bona illi accidentaria, & extrinſeca?

§. 1.

Argumenta partis negantis.

PArs negatiua ita confirmari poteſt. Primò; quia beatitudo eſſentialis eſt totum præmium, & tota merces: viſio enim (in qua eſſentialiter ponitur beatitudo) eſt tota merces ex Auguſtino 1. *De Trinitate cap.* 8. Idem de beatitudine naturali docuit Ariſtoteles 1. *Ethicorum cap.* 8. dum aſſerit, eam eſſe totum virtutis præmium. Ergo præter ipſam beatitudinem eſſentialem nihil aliud, aut requiritur, aut reperitur in Patria. Probatur conſequentia: quoniam, quod datur in Patria eſt merces, & præmium bonorum operum viæ. Ergo ſi beatitudo eſſentialis eſt tota merces, præter eam nihil datur in Patria. 1. Partis negãtis argumẽta. *Auguſtin. Ariſtot.*

Secundo; ſi præter beatitudinem eſſentialem in Patria aliquid aliud daretur beatis, illud vel daretur gratis, vel ex meritis viæ. Illud prius dici non poteſt, niſi gratis: hoc autem poſterius non dabitur; quoniam eiſdem meritis vnum tantum premium adęquatum reſpondet. 2. 2. Argum.

Tertiò, beatitudo eſſentialis eſt bonũ per ſe ſufficientiſsimum ex Ariſtotele 1. *Ethicorum cap.* 7. & 8. Ergo nullo alio bono extrinſeco indiget; alias non eſſet perfectè ſufficiens. 3. 3. Argum.

§. 2.

Vera eſt pars affirmans.

HIs tamen non obſtantibus, dicendum eſt, pręter eſſentialem beatitudinẽ, dari in beatis plurimas perfectiones accidentarias, quæ batitudinis eſſentiã perficiunt, & exornant, vt ſit in ſtatu omnimodè perfecto: quas perfectiones omnes appellant beatitudinẽ accidentariã, vt quæ beatitudinem eſſentialẽ, vel cõſequãtur, vt perfectiones cõnaturales; vel comitentur, vt perfectiones illi congruentes. In hac ſententia conueniunt omnes Theologi; Vnde ex cõmuni conſenſu redditur certa; præterquam quòd habet fundamentum in Sacris literis: in cõmuni doctrina Patrũ: & præterea cõfirmatur ratione naturali, & authoritate Ariſtotelis. 4. Affirmatiua eſt vera.

Habet fundamentum in ſacris literis: quoniam in illis multa Patriæ bona enumerantur, in quibus eſſentialis beatitudo non 5. Fundamẽtũ ſumptũ in ſacris literis.

non ponitur. Erunt igitur accidentariæ
perfectiones illius, & totius ſtatus beati-
Pſal. 35. fici. In genere facit illud Pſalmi 35: *Ine-
briebūtur ab vbertate domus tuæ, & torrente
voluptatis tuæ potabis eos.* Quæ verba non
ſolùm inſinuant eſſentialem beatitudi-
nem, ſed etiam bona alia, quibus tota illa
domus Dei, ac beata ſupernorum ciuitas
abūdat. Facit illud Chriſti Domini Luc.
Luc. 22. 22. *Diſpono vobis regnum, vt edatis, & bi-
batis ſuper menſam meam in regno meo.* Quę
verba ſatis indicant bonorum abundan-
tiam ſupernæ beatitudinis, quam ad mo-
dum regni abundantiſsimi diſcribit, &
cuiuſdam ſocietatis politicæ. Eandem
bonorum abundantiam explicant verba
Pſal. 16. Pſalmi 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria
tua:* quæ voluntatis ſatietas manifeſtè de-
notat aliarum potentiarum perfectionē,
quarum omnium perfectio pertinet ad
voluntatis ſatietatem, quatenus eſt ap-
petitus communis. Addimus illud Sapiē-
Sapient. 3. tiæ. 3: *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ
in arundineto diſcurrent:* quibus verbis ſig-
nificatur bonorum affluentia, & delitiæ
emanantes ex viſione beata, exiſtentes
tamen extra eam.

6. Et vt ad ſpecialiora deſcendamus, bea-
Beatitudo eſſentialis nō ponitur in gaudio. titudo eſſentialis non ponitur in gaudio,
ſiue delectatione, iuxta veriorem ſentē-
tiam, quam defendimus 1. *tom. lib.* 4. *q.* 11
art. 2. §. 2. & tamen in illa beatitudine fu-
turum eſſe gaudium conſtat ex ſacris li-
Matt. 25. teris: nam Matthæi 25. dicitur: *Euge ſerue
bone intra in gaudium Domini tui:* & Ioan-
Ioan. 16. nis 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor
veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à
vobis;* nec ſolum gaudium beatificū erit
in beatis, ſed etiam gaudium non proce-
dens ex beatitudine, ſed de nouo adue-
Luc. 15. niens: nam Lucæ. 15. dicitur: *Dico vobis,
gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœ
nitentiam agente;* & inferiùs: *Gaudium erit
etiam Angelis Dei:* in quibus locis ſine du
bio ſermo eſt de gaudio nouo extra viſio-
nem beatificam. De quo etiam intelligi
Pſal. 149. poteſt illud Pſalmi 149: *Exultabunt ſan-
cti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, ex-
altationes Dei in gutture eorum.* Addere
Matt. 19. poſſumus illud Matthæi. 19: *Omnis, qui
reliquerit domum, vel agrū, vel fratres, &c.
propter nomen meum, centuplum accipiet,*
7. *& vitam æternam poſſidebit.* De fulgore
corporis glorioſi poſt reſurrectionem,
dicitur Matth. 13: *Tunc iuſti fulgebunt ſi-* *Matt.* 13.
cut Sol in regno Patris eorum. Et Danielis *Dan.* 12.
12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quaſi
ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam eru
diunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æter-
nitates.* Vnde coronam gloriæ, quæ eſſen
tialem denotat beatitudinem, varia gem- Corona gloriæ varijs gemmis ornatur.
marum genera exornant. Duodecim au-
tem huius coronæ præclariſsimas gem-
mas plures colligunt ex ſacris literis, in-
ter quos *Blaſius Viegas comm.* 1. *in cap.* 2.
Apocalypſis ſect. 5. *n.* 3. Denique omitti- *Blaſius Viegas.*
mus loca ſacræ Scripturæ, ex quibus
eruuntur dotes tàm corporis, quàm ani-
mæ; aureolæ item, & fructus, de quibus
in hoc libro agemus. Quæ omnia bona
non pertinent ad eſſentiam beatitudinis,
ſed ad cumulatam, & omnibus modis
abſolutam illius perfectionem.

Superſedemus à citatione Patrū; quia 8.
in re notiſsima labor iſte non eſt neceſſa-
rius. Generali tamen ratione veritas iſta Ratione demōſtratur.
demonſtrabitur: quoniam beatitudo ſu-
pernaturalis, licet inter omnia hominis
bona ſit bonum omnium perfectiſsimū,
in ſe tamen eſt bonum quoddam creatū,
vt oſtendimus ſuprà lib. 4. q. 1. art. 2. n. 9.
Habet igitur eſſentiam finitam & limi-
tatam, & ſubinde indiget aliquo acciden-
te ad complementum ſuæ perfectionis:
quod enim ab intrinſeco eſt eſſentiæ li-
mitatæ, ex ſua natura eſt extrinſecus per
fectibile; non modò perfectionibus na-
turalibus, & neceſſarijs, quales ſunt, quæ
eſſentiam naturaliter conſequuntur; ſed
etiam accidentarijs, & contingentibus.
Quare beatitudo Patriæ ex ſua natura ſi-
bi vendicat plures, illasque accidentarias
perfectiones ad complementum ſuæ eſ-
ſentiæ, non ſolùm naturales, ſed etiam cō
tingentes. Quod de beatitudine naturali
ſępè docuit Ariſtoteles, maximè 1. Ethi-
corum cap. 7. & 1. Rhetoricorum c. 5.

In cuius confirmationem poteſt ac- 9.
cedere, quòd Philoſophi tàm Chriſtiani, Definitio beatitudinis.
quàm Ethnici beatitudinem difiniuerūt
per complexionem, aggregationē ſum-
mam, & cumulum omnium bonorum:
nam Cicero 3. *Tuſculanarum quæſtionum* *Cicero.*
beatitudinem appellat *ſecretis malis omni-
bus cumulatam bonorum complexionem.*
Auguſtinus eam vocat, *omnium bonorum* *Auguſt.*
ſummam, & cumulum. Boetius *in* 3. *de con-* *Boetius.*
ſolatione proſſa 2. affirmat eam eſſe, *ſtatum*

bonorum omnium aggregatione perfectum. Quæ omnes explicationes & veluti definitiones ſatis denotant beatitudinē non dicere vnum ſimplex bonum (qualis eſt beatitudinis eſſentia) ſed denotare complexionem quandam omnium bonorū; quæ complexio, & aggregatio ex ſe denotat accidentalitatem eorum, quæ coniunguntur.

§. 3.

Explicatio cuiuſdam dubij.

10. Diſſoluitur quoddā dubium. Quorundā opinio.

INquiri tamen poteſt; an nomine beatitudinis accidentalis comprehendantur omnia bona Patriæ? Dubitandi rationem dederunt nonnulli Theologi; qui nolunt nomine beatitudinis accidentalis comprehendi actus, qui circa Deum verſantur, vt eſt obiectum beatificum, quāuis non ſint beatitudini eſſentiales; quales ſunt amor, ſiue dilectio Dei; gaudium, ſiue delectatio de bonis eiuſdem Dei, & ſi qui ſunt alij, qui verſantur circa Deum, vt eſt obiectum beatificum. Et ratio eſt; quoniam actus huius generis, licet eſſentialiter non ſint ipſa formalis beatitudo; ſunt tamen connaturales illi, ſiue quibus non erit naturaliter perfecta, & ob id cenſentur vnū cum illa. Quare nomine beatitudinis accidentalis ſolùm comprehendunt actus, qui verſantur extra obiectū beatificum; vel quia verſantur circa obiectum creatum (vt amor cōcupiſcentiæ, quo beati ſe ipſos diligūt, gaudium de ſua formali beatitudine, & alij huius generis) vel quia verſantur circa obiectum beatificum, non tamen medio beatifico, vt eſt cognitio Dei per ſcientiam infuſam, & alij id genus. Itaque apud illos beatitudo accidentalis, generaliter loquēdo, eſt quę libet perfectio Patriæ, quæ non verſatur circa obiectum beatificum, vt beatificum eſt. Et inde inferunt perfectiones accidentarias Patriæ generaliter diſtinguendas eſſe in perfectiones beatificas, & non beatificas.

Fundamentum illius.

11. Vera reſolutio.

Sed profectò dicendum eſt, ſeruato rigore loquendi, omnia, quę non ſunt de eſſentia formalis beatitudinis, ad beatitudinem accidentalem pertinere, ſiue verſentur circa obiectum beatificū, ſiue non: quod enim extra eſſentiam eſt, accidentarium eſt, & quidquid beatitudinem Patriæ perficit, beatificum eſt. Quare perfectiones accidentarias beatitudinis non diſtinguimus à beatitudinibus accidentarijs: vnde beatitudinem, ſiue perfectionem accidētariam immediatè diuidimus in eas, quæ ſunt animæ, & in eas, quæ ſunt corporis. De his poſterioribus agemus in 3. tomo: priores verò, vel ſunt actus potentiarum, vel habitus; idque vel politiæ matutinæ, vel veſpertinæ. Denique aliæ perfectiones ſunt omnino extrinſecæ, vt quæ ſumantur in ordine ad locum, in quo beati Deum vident. Et de omnibus iſtis aliquo modo agendum erit.

Illud non eſt prætermittendum, beatitudinem accidentalem vno, vel altero modo ſumptam contineri, quaſi in radice in ipſa eſſentiali beatitudine: idque vel ex natura rei, vt perfectiones connaturales illi; vel ex lege diſpoſitioneq; diuinæ prouidentiæ, quæ ſtatuit beatis in Patria conferre menſuram bonam, confertam, & ſuperaffluentem, vt dicitur Luc. 6. 12. Aduertentia.

§. 4.

Soluuntur argumenta.

ARgumenta initio propoſita facilè diluuntur. Ad primum dicendum eſt, beatitudinem eſſentialem eſſe totum præmium, & totam mercedem, non formaliter, ſed virtute; quia virtute, ac veluti eminenter continet omnes perfectiones ſibi debitas, vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione diuinæ liberalitatis, vt diximus. 13. Ad 1.

Ad ſecundum reſpondetur, generaliter loquendo, beatitudinem accidentalē in tota ſua latitudine dari ex meritis viæ: nam cum tota illa virtualiter contineatur in beatitudine eſſentiali, non poteſt ſimul cum illa non cadere ſub meritum viæ: nam ſicut qui dat formam, ex conſequenti dat omnia, quæ ad formam cōſequuntur; ita etiam, qui meretur beatitudinem eſſentialem, meretur etiam, quę quocunque modo conſequuntur eam: & ita meritis viæ vnum adæquatum præmium correſpondet, nimirum beatitudo eſſētialis omnimodè perfecta perfectionibus ſibi debitis, debito vel naturali, vel condecentiæ: ob quam rationem menſura præmij in Patria Lucæ 6. dicitur bona conferta, & coagulata. Dixi *beatitudinem accidētalē in tota ſua latitudine aliquo modo dari* 14. Ad 2.

dari ex meritis: quia quędam perfectiones illius directè ſunt præmia verè coreſpõdentia aliquibus operibus meritorijs vię, vt ſunt aureolæ, & fructus, de quibus in hoc libro dicemus. ¶ Poterit aliquis du-
15. Dubium incidens. bitare; An beatitudo eſſentialis ſolùm debeatur ratione charitatis in via operantis; accidentalis verò; ſolùm ratione operis? Hæc tamen dubitatio potiùs pertinet ad materiam de merito. Vera reſolutio
Solutio. ſit, beatitudinem eſſentialem non ſolum deberi charitati, qua in via ſumus operati; ſed etiam ipſis operibus, quæ facta ſunt ex charitate: aliquam tamen dari accidentariam perfectionem, quæ primò & per ſe debetur ratione operis, ſuppoſita tamen charitate: talis eſt perfectio aureolæ, & fructus, vt ſuo loco dicemus. vbi explicabimus mentem & verba D. Tho-
D. Thom. mæ *1. p. q. 95. art. 4. & ad Romanos 8. lect. 5. & 1. Corinth. 3. lect. 2.*

16. Ad 3. Ad tertium dicendum eſt, beatitudinẽ eſſentialem ideò dici bonum per ſe ſufficientiſsimum; quia in ſe continet omne bonum; non quidem formaliter, ſed virtute: quæ ſufficientia arguit, beatitudinẽ eſſentialem ex ſua natura indigere perfectionibus accidentarijs, quibus compleatur.

¶ *Annotatio ad materiam de dotibus gloriæ.*

Annotatio neceſſaria. Dari dotes gloriæ tàm animæ, quàm corporis, omnes Theologi ſupponunt; quia ratio dotis aliquam denotat perfectionem in his, quæ à Deo beatis donantur. Erit igitur operæ pretium antequam deſcendamus ad ſingulas perfectiones beatitudinis, expendere, an perfectio dotis in beatis reperiatur. Et quamuis diſputatio de dotibus beatorũ pertineat ad materiam de vltimis nouiſsimis; non eſt tamen extra inſtitutum præſentis diſputationis de illis agere; cum in ea directè diſputemus de omnibus perfectionibus, quæ ad beatitudinem eſſentialem pertinent.

Hoc ordine procedemus: quia primũ agemus; Anin beatis, beatificoque ſtatu admittendæ ſint dotes gloriæ? deinde; in quibus illæ reperiantur?

QVÆSTIO II.

Vtrùm ad beatitudinem Patriæ pertineat perfectio dotis?

QVod attinet ad primum ſequentes excitabimus articulos. In primo explicabitur vera definitio dotis.

In ſecundo; explicabuntur conditiones ad veram rationem dotis gloriæ.

In tertio; quotuplex ſit dos gloriæ: quando, & vbi conferatur?

In quarto; Vtrùm in beatis admittendæ ſint dotes animæ?

In 5. quot ſint dotes animæ, & quæ?

In 6. Vtrùm ſint habitus, vel actus?

In 7. Vtrùm, & quomodò diſtinguantur beatitudine? ¶ In 8. & vltimo; quomodò diſtinguantur inter ſe?

ARTICVLVS I.

Quænam ſit vera definitio dotis?

PRo huius maiori explicatione, prę- 1. Quædam ornamenta gloriæ dicuntur dotes.
mittendum eſt, certa quædam ornamẽta tàm animæ glorioſæ, quàm glorioſi corporis appellari dotes beatorum, vt inferiùs oſtendemus: appellantur autem dotes per analogiam, & ſimilitudinem ad dotem, quæ in matrimonio carnali ex iuris diſpoſitione aſsignari ſolet: hæc enim eſt primæua ſignificatio huius nominis *dos*, vt benè aduertit D. Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1.* indè infe- Dos per analogiam ad matrimonium carnale. D. Thom.
rens à dote iuridica ſumendam eſſe analogiam, & veluti metaphoram ad dotes gloriæ. Quare erit operæpretium explicare, quidnam apud Iuriſtas nomine dotis intelligatur; quoniam ad eos potiùs pertinet hæc explicatio, vt D. Thomas contra nonnullos aduertit: admonemus tamen non neceſſę eſſe, vt omnes conditiones, & ſimilitudines dotis iuridicę dotibus gloriæ conueniant; ſed illæ ſolùm, quæ ad rem ſpectant; quæ aduertentia ab omnibus admittitur.

§. 1.

Variæ diffinitiones dotis apud Iureperitos.

CIrca diffinitionem dotis, non parua eſt inter Iuriſtas controuerſia, 2. Variæ dotis diffinitiones apud Iureperitos.
vt videre eſt apud doctiſsimũ Barboſam

Barboſa. boſam Luſitanum noſtrũ *in 3. p. Rubr. ff. de ſoluto matrimonio à n.1. vſq; ad 9.* quo in loco potiùs rem confundit, quàm explicat. Azo igitur in *Summa, C. de iure dotiũ,* putat dotem eſſe id, quod à muliere, vel eius patre datur marito propter onera matrimonij. Quam diffinitionẽ plures probant, quos refert Barboſ. in *dicto n.1*, excepto tamen Diuo Thoma.

Definitio Azonis.

3. Definitio ex Bart. Hanc tamen Azonis diffinitionẽ impugnat Bar. in dicta *Rubr. ff. de ſoluto matrimonio n.16. & 18.* vbi dotẽ ita definit: vt dos ſit ius incorporale, ſiue vniuerſale continens id, quod à muliere, ſeu eius patre, datur marito ad ſuſtentanda onera matrimonij. Quam definitionem pleriq; probant relati à Barboſa vbi ſuprà n.2.

4. Conciliatio ex Barboſa. Vtramque diffinitionem & cõtrouerſiam nititur conciliare idem Barboſa *n.3. p.45. col.1. & tandem n.8. ad finem concludit*, diffinitionem Azonis eſſe veram, ſi dos conſideretur realiter: quia ita conſiderata non diſtinguitur à rebus dotalibus, & ideò per eas accommodatiſsimè diffinitur. Porrò optimam eſſe diffinitionem Bart. ſi dos conſideretur ſecundũ iuris fictionem, per quam cẽſetur quoddam corpus fictum continens ſub ſe res ipſas dotales: quod corpus, vt ait, eſt veluti dominus & perſona quædam ſuperior habens ſub ſuo dominio ipſas res dotales veluti vaſſalos, & ſubditos. Quem intellectum latiùs explicat *n.5. ad finem*, & eũ deſumit *ex tex. in l. mortuo 24. ff. de fide iuſſoribus*, dum ait, *hæreditatem iacentem repræſentare ipſum defunctum.*

§. 2.
Non admittitur conciliatio.

5. Non admittitur conciliatio Barboſæ. Sed pace doctiſsimi viri, quem ſemper colui, non placet hæc explicatio: primò; quia eſt contra mentem Bartoli, cuius eſt diffinitio, quam explicat: nam teſte ipſo Bart. *vbi ſup. n.9. ad finem*, Bart. in l. *quod dicitur n.2. & 3. ff. de impenſis in rebus dotalibus factis*, longè aliter explicat nomen *ius* poſitum in ſua diffinitione, quem plures ſequũtur. Deinde explicatio videtur paradoxa: quis

6. 2. ratio. enim vnquam ita accepit nomen iuris? quis vnquam aut dixit, aut finxit, dotem eſſe veluti dominum, & res dotales vaſſalos dotis? Tertiò accedit; quia nullus da-

7. bitur textus, ex quo colligatur dotem eſſe fictam aliquam perſonam: quin potiùs in iure nunquam fingitur perſona, vbi datur perſona vera, vt patet in hæreditate adita: hęc enim ſimul atque eſt adita, iam non cenſetur corpus, perſonavè ficta defunctum repræſentans, ex ea precisè ratione, quia iam datur perſona vera, nempe hæres, qui defunctum repræſentat. Simili modo nec peculium poteſt fingi talis perſona; quia nunquam datur ſine aliqua perſona vera, in qua reſideat. Itaque vbi datur perſona vera, in qua ius aliquod reſidet, quæ poteſt & conuenire, & cõueniri, nunquam datur locus fictioni perſonæ, vt patet in hæreditate, & in peculio. E contra verò; vbi datur perſona ficta, ius rerum ita in illa reſidet, vt illa conuenire alios poſsit, & ab alijs conueniri, vt patet in Ciuitate, Collegio, Societate, Curia, & in alijs id genus: hę nanque cõmunitates, quia nullam perſonam veram habent, in qua ius reſideat, vt agere & agi poſsit; proinde ius ipſum ciuile, & canonicum finxit, tale corpus eſſe vnam perſonam communem; & ideò communitates illæ, poſſunt conuenire, & conueniri; acquirere rerum dominium, & illud amittere, &c. Hanc perſonam ius finxit in hæreditate iacente, quandiù iacens eſt, vt patet in dict. lege mortuo: poteſt enim in perſona defuncti, quem repræſentat, conueniri, & conuenire; quia nondum habet perſonam certam, cui res hæreditariæ conueniant: vnde ſimul ac eſt adita, definit fictio, nec amplius poteſt conſiderari, vt perſona defuncti; non ob aliã rationem, niſi quia iam habet perſonam veram, nempe hæredem, in quo iam reſidet ius ipſius hæreditatis. Quare, cùm dos (ſicut & peculium) habeat perſonam veram, nempè maritum, in quo reſidet ius rerum dotalium, fruſtra fingitur perſona aliqua; cum illa nullos iuris effectus per ſe, & ratione ſui valeat exercere: quis enim vnquam ciuiliter conuenit dotem, vt conuenitur Curia, Collegium, & hæreditas iacens? Quare, non ſatis iuridicè fingitur in dote corpus aliquod fictum.

3. ratio.

Fictioni iuris quando datur locus

8.

9.

Quibus accedit: quoniam talis fictio non poteſt reddere veram ipſam definitionem: ſicut enim ciuitas, aut collegium (quæ ſunt perſonę fictæ) non ſunt ipſum ius collegij, aut ciuitatis, ſed habent ius; ſimi- 10. 4. ratio.

ſimiliter ſi dos eſſet perſona ficta, ea non eſſet ipſum ius dotis, ſed haberet ipſum ius erga res dotales: nulla enim perſona, ſiue vera, ſiue ficta, dicitur eſſe ipſum ius ad res ſuas, ſed habere ius in illas. Quare, cum dos verè & formaliter apud Bartol. ſit ius ad res dotales; vtique non poteſt dici perſona ficta, aut corpus aliquod fictum.

§. 3.

Vera reſolutio.

11. Vera reſolutio. Dos duobus modis ſumitur.

OMiſſa igitur hac doctiſsimi Barb. conciliatione, facilè reſolues difficultatem; ſi aduertas, dotem poſſe, & actiuè, & paſsiuè ſumi; quia dotare, eſt veluti agere; omni autem actioni reſpondet paſsio, iuxta tritas Philoſophorũ regulas. Dos actiuè ſumpta nihil aliud eſt, quàm donatio quædam, quam dotationem appellamus. Vnde teſte eodem Barboſ. 3. *p. dictæ Rubr. poſt princip.* veteres dotes enumerabant inter donationes, quod ſatis eſt de mente Iuſtiniani in lege *vltima, C. de donatione ante nuptias, & in* §. *Eſt & aliud inſtit. de donatio.* Paſsiuè verò dos idem eſt, quod dotatio paſsiua, prout ſcilicet actio dotantis in ipſis rebus dotatis veluti recipitur: ſicut enim idem calor, vt eſt ab igne, dicitur calefactio actiua; vt vero recipitur in ligno, dicitur calefactio paſsiua, à qua lignum dicitur calefactum; ita etiam ipſa res dotata, vt eſt à dotante, dicitur dotatio, ſiue dos actiuè ſumpta: prout verò terminat talem dotationem, & eam in ſe ipſa veluti recipit, dicitur dos paſsiuè accepta, & appellatur res dotata: imò etiã appellatur dos, prout cõpoſitum accidentarium ſupponit pro ſubiecto, in quo recipitur.

Barboſa.

L. vlt. C. de donat. ante nuptias. parag. Eſt autem inſtit. de donat.

12. 1. illatio.

Ex qua reſolutione infertur, dotem ſiue actiuè, ſiue paſsiuè ſignificetur, eſſe nomen quoddam accidentarium, & connotatiuum, duplicem continens ſignificationem, ſiue rationem: vnam formalẽ, materialem alteram, ſicut nomen album. Materiale ſignificatum ſunt ipſæ res dotatæ: formale verò eſt ipſa formalis dotatio, à qua res ipſæ dicuntur dotales, & dicuntur dos paſsiuè ſumpta.

Nomen dotis eſt connotatiuum.

13. 2. illatio. Dos diſtinguitur à rebus dotalibus.

Secundò infertur, dotem formaliter ſumptam, ſiue actiuè, ſiue paſsiuè ſumatur, diſtingui à rebus dotatis; non realite, nec formaliter, ſed ſolùm modaliter, vt philoſophicè loquamur: quia dos ſimpliciter non eſt res ipſæ, quæ dotantur; ſed eſt res ipſæ cum hoc modo, prout sũt marito traditæ ad onera matrimonij; nã & hoc modo hæreditas diſtinguitur à rebus hæreditarijs, & peculium à rebus, quę traduntur in adminiſtrationem alicui.

14. 3. illatio. Dos duob. modis poteſt diffiniri.

Tertiò infertur, ſeruatis regulis Logicæ dotem poſſe duobus modis quàm accommodatiſsimè definiri: vno modo per ſignificatum materiale in recto, id eſt in nominatiuo poſitum. Altero modo per ſignificatum formale in recto ſignificatum: ſicut enim album accommodatiſsime definitur eſſe corpus affectum albedine, & rurſus eſſe albedinem afficientẽ corpus; quia hæc definitio explicat formam; illa materiam: ita etiam dos accommodatiſsime definitur ab Azone per res dotatas in recto poſitas cum cæteris differentijs in obliquo explicatis: optimè etiam definitur à Bart. per ius incorporale poſitum in recto, & per res dotales in obliquo: quia hæc ſignificatum formale explicat; illa materiale. Quare fruſtra Bartol. digladiatur cum Azone, cum vtriuſque definitio in ſuo cauſæ genere ſit quã accommodatima, nec vna repugnet alteri. Nec eſt audiendus Barb. *vbi ſuprà n.* 1. dum ait, *Diuum Thomam in* 4. *diſt.* 49. *q.* 4 *art.* 1. probaſſe Azonis definitionem, cũ potiùs probet definitionẽ Bart. ita enim definit dotem ex mente Iuriſtarum, vt ſit, *datio ex parte mulieris facta marito ad ſuſtinenda onera matrimonij.* Cum verò ex hac donatione actiuè ſumpta oriatur ius, cui res dotales ſubijciuntur, perinde eſt, ac ſi diceret: dos eſt ius incorporale ex parte mulieris datum marito ad onera matrimonij, vt definit Bart: quare Diuus Thomas dotem definit, non per ſignificatum materiale, vt Azo, ſed per formale, vt Bartol. quod tamen declarauit per ſuam cauſam, vt aduertimus.

Vtraque definitio dotis eſt bona.

Barboſa nõ intellexit D. Thom.

Dotis definitio ex D. Thoma.

§. 4.

Quæ definitio ſit nobis magis accommodata?

15. Definitio Azonis magis eſt nobis accommodata.

SI quæras quæ illarum definitionum ſit accommodatior? Reſpondeo accommodatiorem eſſe Azonis, ſi inſpiciamus, quæ de accidentibus definiendis docuit Ariſtoteles: accidentia enim in con-

concreto, ſicut accipiuntur pro ſubiecto, materialique ſignificato; ita etiam per illud in recto loco generis definiũtur: vnde magis adæquatè dicimus album eſſe corpus affectum albedine, quàm eſſe albedinem afficientem corpus. Sed nobis ſatis ſit vtramque definitionẽ in ſuo cauſæ genere eſſe optimam, & iuxta vtriuſque ſenſum explicari, & conciliari iura: hæc enim dotem modò accipiunt pro ipſis rebus dotalibus; modo pro iure incorporeo, à quo appellantur dotales: nam cõcretum accidẽtarium modò ſumitur pro materiali ſignificato, modò pro formali: album enim currit, quia Petrus currit: & tamen vnum album eſt magis album, quàm alterum, quia albedo vnius eſt intenſior, quàm alterius.

16. Explicantur quædã iura. Dos igitur rectè dicitur numerari in lege *Si patet. 42. ff. ſolut. matrim. & in Rubr. ff. de collatione dotis, & in leg. vltima in princ. C. de iure dotium*: ſimiliter dicitur vẽdicari in l. *in rebus. 30, C. de iure dotium*: cũ tamen ſola corpora numerentur, & vendicentur: vnde in illis iuribus dos ſumitur pro ſignificato materiali: è contra verò rectè dos dicitur diminui, & augeri in *l. Si qui. 57. §. quod dicitur, ff. de iure dotium, & in l. Si marito. 32. §. vltimo. ff. de ſolut. matr.* cum tamen non corpora ipſa dotalia, augeantur, aut diminuantur, ſed ius incorporale, vt patet ex *text, in l. 1. in fine, ff. de dote prælegata, & in l. quod dicitur. 5. ff. de impenſis in rebus dotalibus factis*: nam hæc iura poſteriora intelliguntur de dote formaliter ſumpta pro iure incorporeo: illa verò priora de dote agunt ſumpta pro materiali ſignificato.

Et hoc, quod attinet ad controuerſiam

17. Definitio Azonis magis eſt nobis accommodata. Dos quomodò ſumatur à Theologis. Iuriſtarum: quod verò ad noſtrum attinet inſtitutum, definitio Azonis eſt longè accommodatior ad ea, quæ explicare intendimus: quoniam Theologi agentes de dotibus gloriæ ſumunt dotem pro ipſis donis à Deo datis, non pro iure. Concludendum eſt igitur dotem apud Iuriſtas eſſe id, quod ex parte ſponſæ datur marito ad ſuſtinenda onera matrimonij.

18. Dos non cõſiſtit ſine matrimonio. Inde colligimus, nec dotem conſiſtere ſine matrimonio; nec matrimonium ſine dote. Primum patet *ex lege 3. ff. de iure dotium: dos* (inquit Vlpianus) *ſine matrimonio eſſe non poteſt; vbicunque enim matrimonij nomen non eſt, nec dos eſt.* Adde tex. *in l. Si ſtbicum. 57. §. vbi dos. ff. eodem titulo: ibi dos vbi ſunt onera matrimonij.* Quod verò matrimoniũ non ſit ſine dote, probatur ex *Concilio Arelatenſi c. 6. relato in c. Nullum. 6. 30. q. 5: nullum*, inquit Concilium, *ſine dote fiat coniugium.* Ob quam rationem iureperiti docuerunt matrimonium, matrimonij onera, atque dotem eſſe ad inuicem connexa, & correlatiua ſe ſe mutuo reſpicientia, vt ex Tiraquel. Decio, Rolando, & alijs refert Barb. 1. p. *Rubr. ff. de ſoluto matrimonio n. 6.* quõ vide. Matrimonium non eſt ſine dote.

ARTICVLVS II.

De conditionibus neceſſarijs ad veram rationem dotis gloriæ, & de vera definitione illius.

Conſequenter explicandę ſunt cõditiones dotis gloriæ in communi; vt inde colligamus veram illius rationem: quod oportet expendere; quia non quodcũque bonum beatitudinis habet rationem dotis, vt omnes Theologi fatentur. 1. Conditiones dotis gloriæ.

Prima dotis conditio eſt; vt ſit aliquod donum poſitiuum: nam, vt ex 1. art. patet, dos eſt quædam donatio: nihil autem poteſt habere rationem doni, niſi ſit aliquod verum ens: quod enim non eſt, non poteſt ratione ſui donari, niſi fortè conſequenter, vt quia comitatur id, quod donatur. Negationes igitur in Patria non poſſunt habere rationem dotis. Nec ſimiliter, quæ non ſunt entia, ſed modi entis, imò nec relationes: quia cum conſequantur ſuum fundamẽtum, non per ſe, ſed ratione fundamenti donari poſſunt. 2. Prima conditio. Quæ nam in patria nõ habeant rationem dotis?

Secunda conditio eſt; quod ſit donum aliquòd ſupernaturale: nam dos gloriæ pertinet ad ſupernaturale matrimonium ſupernaturalemque beatitudinem. 3. 2. conditio.

Tertia conditio; vt ſit donum ſolius patriæ, vt quidam Theologi aduerterunt cum Diuo Bonauentura *in 4. diſt. 49. in 4. p. art. 1. q. 5. ad 2. n. 24*: dos enim non cõfertur, niſi in ingreſſu gloriæ, quando ſponſa nuptijs cœleſtibus celebratis in domum ſponſi traducitur, vt inferiùs dicemus: vnde ſtatus Patriæ ipſis gloriæ dotibus diſtinguitur à ſtatu viæ. 4. 3. conditio. D. Bonau.

Quarta conditio eſt; vt donum iſtud donatum ſit ratione ſpiritualis matrimonij, 5. 4. conditio.

nij, id eſt, vt ſit donatũ ſpõſæ ad vitę beatæ ſufficientiã: nam ſicut dos non datur ſine matrimonio; ita nõ datur, niſi ad vitę cõiugalis ſufficientiã, & iucunditatem, vt onera matrimonij dote ipſa ſuſtineãtur, vt in 1. art. dictũ eſt. Quæ conditio in matrimonio ſpirituali in patria celebrato, in qua nulla ſunt onera, alia ratione verificari nõ poteſt, niſi quia id, quod habet rationẽ dotis, remouet aliquem ſpecialem defectũ, & imperfectionẽ, quæ cum felicitate, & iucunditate cœleſtis coniugij, aut conſtare non poteſt, aut non decet. Quod in hac materia eſt diligentiſsimè aduertendum.

6. *5. conditio. Pſal.* Quinta conditio eſt, vt dos ſit ornatus ſpõſæ, nõ ſolũ intrinſecus inhærẽs in ipſa ſpõſa, iuxta illud Pſal. *omnis gloria eius ab intus*; ſed etiã, vt ſit ſpõſæ ſuperadditus atque dotatus, ideò, quia ſpõſa eſt & coniux. Quæ etiã cõditio aduertẽda eſt, quãuis à Theologis cõmuniter non aduertatur: cũ enim dos matrimoniũ ſupponat, & detur ad vitã, ſocietatemq; cõiugalem debitè, & cõgruè ſuſtentandã; neceſſariò infertur ornatũ dotalẽ diſtingui debere ab ornatu, & decore, quo ſponſa fit digna ſponſi, cõiugijq; cœleſtis: qualis eſt ſolus decor gratiæ, & charitatis: hoc enim decore ſponſa ſe præparat ad agni nuptias, vt patet Apoc. 19: *Gaudeamus; quia venerũt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe*, nimirũ gratia & charitate, qua digna facta eſt cõiugij cœleſtis. Diſtingui igitur debet ornatus, quo ſponſa ſe præparat, vt ſponſo copuletur, ab ornatu, quo iam deſponſata dotatur. *Apoc. 19.*

7. *Poſtrema conditio.* Poſtrema conditio dotis eſt, vt tale donũ iugiter in beatitudine permaneat: eſt enim de ratione dotis, vt tandiù permaneat, quandiù permanet coniugium: hoc autem in Patria erit perpetuum, vt in ſequenti lib. dicemus.

8. *Vera definitio dotis gloriæ in communi.* ¶ Ex cõditionibus explicatis iam patet vera definitio dotis glorię in cõmuni, abſtrahendo à dote animæ, & corporis: eſt enim dos gloriæ donũ poſitiuũ, ſupernaturale & ſolius patrię, datũ ſponſæ ad vitæ beatæ ſufficientiã in beatitudine iugiter perſeuerans. Et ad hunc ſenſum explicabis definitionem dotis gloriæ traditam à *D. Thoma in 4. diſt. 49. q. 4. ar. 1. & à Soto ibidem q. 4. art. 1. & ab Abulenſi in c. 17. Matthæi q. 104. & ab alijs Theologis.* *D. Thom. Sotus. Abulenſ.*

Quæ contra hanc definitionem obijciũtur, ſoluentur inferiùs art. 4.

ARTICVLVS III.

Quotuplex ſit dos gloriæ: quando, & vbi conferatur?

DOtes beatorũ eſſe duplicis generis omnes docent: quædã enim ſunt dotes animæ beatæ; quædam verò corporis glorioſi: etenim nõ ſolũ anima, ſed totus homo vicẽ ſpõſæ gerit. Cũ igitur homo beatus viuat, & vita animæ, & vita corporis; opus eſt, vt & ſecundũ animã, & ſecundũ corpus ſufficiẽtiſsimè dotetur, vt totus ipſe beatus ſecundũ vtramq; vitã ſit ſibi ſufficientiſsimus. Vnde Apocalyp. 21. poſt reſurrectionẽ ſpõſa Chriſti tota glorioſa deſcendit, id eſt, apparuit, mente. ſ. & corpore. De dote animę dicemus in hoc lib. de dote autem corporis in 3. tom latiùs diſputabimus. Nunc ſummatim dicimus dari tres animæ dotes, viſionẽ. ſ. cõprehenſionẽ, & fruitionẽ: & corporis dari quatuor; ſcilicet impaſsibilitatem, claritatẽ, agilitatem, & ſubtilitatem: qui numerus ſeptenarius reſpondet ſeptenario virtutum Theologarum, & moralium: tribus virtutibus theologicis reſpondent tres animæ dotes: quatuor verò corporis reſpondent quatuor virtutibus Cardinalibus. 1. *Dos gloriæ duplex: animæ, & corporis.* *Apoc. 21.* *Tres animæ dotes.*

Dotes ſolùm dari in Patria.

¶ Dotes vtriuſque generis non dari beatis in via, ſed in ſola Patria admittunt omnes Theologi: Diuus Thomas *in 4. diſtin. 49. q. 4. art. 1. ad 4. vbi Richard. art. 3. q. 8. ad 2. Sotus ibidem q. 4. art. 1. §. At verò quoniam, Abulenſis 17. Matthæi q. 104. ad 6.* 2. *Dotes tàm animæ, quã corpori, ſolùm dantur in patria.*

De ratione tamen huius aſſertionis, & cur in via non reperiatur ratio dotis; dubitari poteſt. Communiter reſpondetur dotem non dari, niſi matrimonio perfecto. l. 3. ff. de iure dotium: matrimonium verò tunc perfici, cum ſponſa in domum ſponſi traducitur: traducimur autem in domum Dei, cum beatitudinem ingredimur. Ita *D. Thom. Sotus, Abul. & alij.* 3. *Cur dos in ſola patria reperiatur.* *Communis ſolutio.*

¶ Sed profectò nec iure receptum eſt matrimonium tunc perfici, cum ſponſa in domum traducitur: ſolo enim conſenſu perficitur, vt iura docent; nec iure aliquo probatur dotẽ deberi ratione traductionis, ſed ſolùm ratione matrimonij. 4. *Non recipitur.*

Si igitur in via verum matrimonium contrahitur, vt argumentū ſupponit; cur in via non dabitur ratio dotis?

5. Vera ratio. Quare ego dubitationi reſponderem, in via ſolùm dari ſponſalia inter Chriſtū, & Eccleſiam, animamque fidelem, & ſanctam, non verò nuptias, ſeu matrimoniū, quod appellatur ratum ſeu firmum. Hoc euidēter probant verba Apocalypſis 19. *Apoc. 19.* *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriā, quia venerunt nuptiæ agni.* Et ſtatim: *Beati, qui vocati ſunt ad cœnam nuptiarum agni.* Quæ verba licet à Lyra intelligantur de nuptijs ſpiritualibus, quæ cum Eccleſia Hieroſolymitana in hac vita factę sūt, & ab œcumenio de illis, quæ in hac vita Explicatio illius loci. fiunt cum Eccleſia; commodè tamen explicari non poſſunt, niſi de nuptijs, quas Chriſtus celebraturus eſt cum Eccleſia generaliter in cōſummatione ſæculi, quę eſt communis expoſitio Diui Thomæ, Riberæ, & aliorum, vel de ijs, quas ſpecialiter celebrat cum qualibet anima, dū *D. Greg.* beatitudinem ingreditur, quæ fuit explicatio *Diui Gregorij homil. 24. ad finem, D.* *Ambr.* *Beda.* *Ambroſij, Bedæ, Ruperti Abbatis, Gloſſæ* *Rupertus.* *interliniaris, & D. Thomæ ad eundem locum.* *Gloſſa.* *D. Thom.*

6. Matth. 22. explicatio. Quin potiùs nuptias, de quibus Matthæi 22. celebrandas eſſe non in hac vita, ſed in beatitudine ſentit *Hilarius in Matthæum canone 22. & Euthymius in eodem loco, & ſatis eſt de mente Tertulliani in libr. de Reſurrectione c. 27. & 35. & Diui Ambroſij in lib. de fide reſurrectionis, & ſermone 14. Diui Thomæ in Apocalypſi loco citato cum pleriſque alijs, inter quos eſt Ribera in cap. 19. Apocalypſis verſu 9. n. 12. & 13:* *Hilarius.* *Euthym.* *Tertull.* *D. Ambr.* *D. Thom.* *Ribera.* quamuis Diuus Hieronymus, & alij eas nuptias interpretentur de illis, quæ in Non recipitur hæc explicatio. hac vita fiunt inter Chriſtum, & Eccleſiam, dum hominis veniunt ad Euangelium; quam explicationem probat Ianſenius *cap. 115. ſuæ concordiæ, & ante eum Lyra in eodem loco.* *Ianſenius.* *Lyra.*

7. Obiectio. Pro quibus tamen nō facit, quod rex intrauit, vt videret diſcūbentes, inter quos vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali; quia vt benè aduertit Ribera, non vidit epulantes, ſed *Ribera.* diſcumbentes: iam verò in illa menſa diſcumbitur in hac vita; prandetur autem, & cænatur in alia: vnde, qui nunc ſunt in Eccleſia, diſcumbunt: quia ad illam menſam omnibus paratam intrant boni, & mali; & ideò non eſt mirum, ſi inter diſcumbentes inuentus ſit homo ſine veſte nuptiali.

8. Nuptiæ celebrantur poſt hanc vitam. Denique, quòd nuptiæ cum ſponſo celebrentur, & perficiantur poſt hanc vitam, tum in die iudicij; tum in die mortis, quando ianua iam eſt clauſa, euidenter colligitur ex parabola de decem virginibus, de qua Matthæi 25: *dum irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua:* *Matt. 25.* qui locus omnium Patrum, & interpretum conſenſu intelligitur de nuptijs, quę poſt hanc vitam in æterna beatitudine cū Chriſto celebrantur, & ſatis id docet D. Thomas *in dicto c. 19. Apocalypſis.* Quare *D. Thom.* non eſt dubitandum matrimonium firmum & ratum inter Chriſtum, & Eccleſiam, ſinguloſque fideles poſt hanc vitam celebrari.

9. In hac vita ſolum contrahuntur ſpōſalia cū Deo. Ex quo iam colliges propriè loquēdo in hac vita ſolùm contrahi ſpōſalia, & ob hanc rationē Eccleſia, quandiù eſt in via ſolùm dicitur ſponſa, vxor verò ſolùm poſt cœleſtes nuptias, vt patet *ex d. c. 19. Apocalypſis: & vxor agni præparauit ſe;* *Apoc. 19.* vbi D. Thomas ait, Chriſtum per incarnationem ſponſalia cum Eccleſia contraxiſſe, quorū ſolēnitas fuit celebrata in paſsione & reſurrectione, quādo ex latere Chriſti formata eſt Eccleſia: nuptias verò particulariter celebrari poſt mortē in ingreſſu Patriæ; ſolemniter verò & publicè celebrandas eſſe in die iudicij; quando ſpōſa completè traducitur in domum ſponſi, & matrimonium perfectè conſumatur, & perficitur.

10. Occurritur obiectioni. *C. Debitū de Bigam.* Nec his ebſtat, quod aſſerit Innocentius in *cap. debitum. 5. de bigamis,* matrimonium copula cōſummatum ſignificare coniugium, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per incarnationem eſt contractum: nec enim aſſerit Innocentius coniugium illud tunc fuiſſe contractum, cū Verbum carnem ſumpſit; nō dum enim Eccleſia erat formata, formata enim fuit Eccleſia formata fuit de latere in cruce. de latere Chriſti in cruce dormientis, vt Patres communiter docent, & *Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 6. tom. 9.* *Auguſt.* & alijs in locis: ſed ſimpliciter aſſeruit inter Chriſtum & Eccleſiam per myſterium incarnationis fuiſſe contractum Spōſalia in cruce, coniugium in cœlo. coniugium initiatiuè, quia ſcilicet tunc inita fuerunt ſponſalia, quæ completè contracta fuerunt in cruce, & tandem conſe-

conſecutũ eſt coniugium in beatitudine. Quibus cõcinit, quod matrimonium ſpirituale cum ſingulis in hac vita contractũ eſt diſſolubile, & per peccatum mortale ſæpè diſſoluitur: quæ diſſolubilitas ex ſe arguit rationem ſponſaliũ. Quanuis autẽ matrimoniũ cum Eccleſia Catholica etiã in hac vita ſit indiſſolubile; quia Eccleſia etiam in hac vita ſine vlla macula permanebit; tamen ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt matrimonium iſtud in ſingulis Eccleſiæ membris diuiſiuè ſumptis eſſe diſſolubile: licèt illud ſit indiſſolubile ſumpta Eccleſia collectiuè, pro ſingulis indeterminatè acceptis. Et hoc ſatis eſt, vt dicamus non cõtrahi matrimonium firmum cum ſingulis, ſed ſolùm ſponſalia.

11. Ratio vera cur dotes ſolum dentur in patria.

Ex his iam patet vera ratio, cur dotes matrimonij ſpiritualis nec dentur, nec debeantur in via, ſed ſolùm in Patria: nam cum ſecundum iuris regulas dos nec detur, nec dari poſsit ſine matrimonio, vt diximus art. 1. §. 4. vtique in via dos non poteſt dari, cum in ea non detur matrimonium. Quare ornamenta, quæ ſanctis adhuc viatoribus à Deo largiuntur, potiùs pertinent ad ſponſalitias largitiones, quã ad dotationem, vt patet *ex toto titulo, C. de donationibus ante nuptias*. Inter quæ ornamenta, ipſa gratia optimè dici poteſt arra; cum arra dari ſoleat in pignus, & ſecuritatem futuri matrimonij, quo contracto arræ ſunt ſponſæ, vt iura volunt, & optimè annotauit Sotus *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1.*

Ornamenta viæ pertinẽt ad ſpõſalitiam largitionem.

Gratia q̃ da tur in via di citur arra. *Sotus.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in beatis admittendæ ſint dotes animæ ſub vera ratione dotis?

§. I.

Refertur pars negans.

1. Pars negãs. *Abul.*

PArtem negantem quidam probauerunt, ſi credimus *Abulenſi in cap. 17. Matthæi q. 104.* ad quam videntur accedere, quos refert Diuus Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1.* qui volunt in patria non reperiri dotes aliquas, prout dos accipitur à Iureperitis; ſed tantùm prout dos generaliter vſurpatur pro quocunq; munere, ſeu perfectione, qua quis ſiue à Deo, ſiue à natura eſt affectus: in qua ſignificatione accipitur Geneſ. 30: dotauit me Deus dote bona, & Ouidius: *& quacunque potes dote placere, place*. In qua etiã ſignificatione communiter dicimus hominem dotatum eſſe ingenio, ſcientia, & virtute. Volunt igitur authores huius opinionis perfectiones, & dona, quibus beati in patria, vel in anima, vel in corpore exornantur, poſſe quidem appellari dotes in illa ſignificatione generali; non verò ad vſum & rationem Iuriſtarum.

Gen. 30. *Ouidius.*

2. 1. confirmatio.

Horum opinio primò confirmatur; quia dos non reperitur, niſi in matrimonio carnali; vnde non conſtituitur, niſi in bonis fortunæ.

3. 2. confirm.

Secundò; quia dos non datur, niſi ad ſuſtinenda onera matrimonij, vt ſuprà diximus, & patet ex l. Si pater mulieris 79. ibi: *quia niſi oneribus matrimonij ſeruit, dos nulla eſt, ff. de iure dotium*: Text. in l. dotis fructus. 8. ff. eodem titulo ibi: *cum enim ipſe onera matrimonij ſubeat*: vnde celebris eſt regula inter Iureperitos, vbi dos, ibi onera matrimonij, ex text. in l. Si maritus 46. ff. familiæ erciſcundæ, lex Si is, qui Iſtichum. 17. §. ibi dos, ff. de iure dotium, de qua regula latè Barb. *in 1. p. Rubr. ff. de ſoluto matrimonio n. 6.* Sed in cœlo nulla ſunt onera ſuſtinenda, vt patet. Ergo non poteſt in cœlo reperiri ratio dotis ad inſtar Iuriſtarum.

Dos datur ad ſuſtentãda onera matrimonij.

Barb.

4. 3. confirm.

Tertiò; dos non datur ſponſæ, ſed ſponſo: ad illius enim vſum pertinet. Text. in l. vltima, C. de donatione ante nuptias, & patet ex definitione dotis poſita art. 1: dos enim in hoc diſtingitur à donatione propter nuptias; quia hæc eſt donatio, quæ à marito fit vxori, dos verò eſt donatio, quæ ab vxore fit marito, vt patet ex dicta l. vltima, & ex §. *Eſt & aliud* inſtitut. de donationibus. Vtrumque probant communiter Doctores, quos latè refert, & probat Barboſ *in 3. parte Rubr. ff. de ſoluto matrimonio in principio*. Sed dona, quæ in patria reperiuntur in beatis, non dantur, aut Deo, aut Chriſto, qui ſubeũt vicem ſponſi; ſed donantur à Deo ipſis beatis, qui figuram gerunt ſponſæ. Ergo tantùm abeſt, vt dona illa habeant rationem dotis, vt potiùs rationi dotis repugnent.

Dos datur ſponſo.

Dos quomodo diſtĩguatur à donatione ꝓpter nuptias.

Barb.

5. 4. confirm.

Quartò; dos ſecundùm iuris diſpoſitionem datur à patre ſponſæ, non verò à patre ſponſi: pater enim tenetur dotare filiam, & dotem genero tradere, lex qui liberos, ff. de ritu nuptiarum, lex vltima,

Dos datur à patre ſpõſæ. *Barboſa.* C. de dotis promiſione, probant plures relati à Barb. *in l. 2. ff. de ſoluto matrimonio 4. p. in princ.* At in beatitudine Pater diuinus, qui eſt Pater Chriſti ſponſi, dona tribuit beatis, qui habent figuram ſponſæ. Ergo dona iſta non poſſunt habere rationem dotis.

6. Poſtrema cõfirmatio. Poſtremò; ſi dona Patriæ rationem dotis haberent; vtique eandem rationem haberent dona viæ; quia vtrobique reperitur matrimonium ſpirituale, à quo ratio dotis dependet, vt iam diximus ex l. 3. ff. de iure dotium. At dona viæ non habent rationem dotis, vt omnes Theologi concedunt. Ergo nec dona patriæ rationem dotis habebunt.

§. 2.

Aſſerenda eſt pars affirmans.

7. Affirmatiua eſt vera. His tamen non obſtantibus receptiſsimum eſt beatorum animas, & corpora ratione matrimonij ſpiritualis cum Chriſto & Deo certis quibuſdam donis, & muneribus in patria verè & propriè dotari, ad inſtar dotis, qua in matrimonio carnali ex iuris diſpoſitione dotatur ſponſa: quæ eſt cõmunis doctrina Theologorum *in 4. diſt. 49. vbi Diuus Thomas q. 4. art. 1. Richard. art. 3. q. 7. & 8. D. Bonauentura ibidem in 1. p. art. 1. q. 5. & in 2. p. art. 2. q. 1. Sotus q. 4. art. 1. ſæpè id repetit Scotus q. 14. cum ſequentibus, Ouand. prop. 30. Abulenſis in cap. 17. Matthæi à q. 104. cum ſequentibus, Ioſephus Angles de Beatitudine q. 1. art. 4. cum alijs*, vt omittamus alios innumeros, qui de dotibus animæ, & corporis diſputationes inſtituunt. Hanc doctrinam eſſe in Eccleſia traditione Patrum receptiſsimam affirmat Sotus: ego tamen nullum ex Patribus inuenire potui, qui beatorum ornamenta ſub nomine dotis explicaret; fortè nomine Patrum intellexit Theologos ſcholaſticos, apud quos vnanima eſt hæc traditio. Quarè melius D. Thomas dixit ornamenta beatorum à Magiſtris nominе dotium nominari.

D. Thom. D. Bonau. Sotus. Scotus. Ouand. Abulen. Angles. D. Thom.

8. Ornamenta patriæ poſſunt habere rationem dotis. Et meritò ſanè ad inſtar dotis Iuriſtarum poſſunt hæc ornamenta dotes nominari: quia ex ſacris literis ſumitur huius denominationis fundamentum: quia ex illis liquidò conſtat, dari matrimoniũ ſpirituale, tùm inter Chriſtum, & Eccleſiam; tum inter animam, & Deum. De Chriſto & Eccleſia id expreſſè docet Paulus ad Epheſios 5: *Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, nec rugam*: exhiberet, inquam, ſibi glorioſam Eccleſiam, & ſponſam, & vxorem: inde enim infert vxores eſſe viri ſubditas, & à viris eſſe diligendas: quæ illatio ſatis probat, Chriſtum exhibuiſſe ſibi Eccleſiam in ſponſam; cuius matrimonium, vt ait, fuit deſignatum per matrimonium primorum parentum. Expreſsiùs id ipſum patet Apocalypſis. 21. vbi Ioannes vidit *Sanctam ciuitatem Hieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Et ſtatim inferiùs: *Et venit vnus de ſeptem Angelis, & locutus eſt mecum dicens; veni oſtendam tibi ſponſam vxorem agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem.* Denique Pſalm. 118. Chriſtus pronunciatur *ſponſus procedens de thalamo ſuo.*

Datur matrimonium inter Chriſtum, & Eccleſiam. Ad Ephe. 5. Apoc. 21. Pſal. 118.

9. Inter Deũ, & animam datur matrimonium. Quod verò anima iuſti ſit ſponſa Chriſti explicat Paulus 2. Corinth. 11: *deſpõndi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Eam eſſe ſponſam Dei patet Canticorũ 2. vbi Deus animam, ſeu ſponſam amplexatur dicens: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vnde ſtatim ſubditur, *quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa.* Cantic. 4: *Veni de Libano ſponſa mea: vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.* Et c. 5: *Veni in hortum ſoror mea ſponſa.* Oſeæ. 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum: deſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio: deſponſabo te mihi in fide.* Vt omittam hiſtoriam decem virginum, quæ Matthęi 25. exierunt obuiã ſponſo: vt omittam alia in ſacris literis notiſsima.

2. Cor. 11. Cantic. 2. Cantic. 4. Oſeæ. 2.

10. Cum verò matrimoniũ ſemper habeat annexam dotem, eamque reſpiciat, vt patet artic. 1. huius quæſtionis §. 4. meritò intulerunt magiſtri ſponſas Chriſti, & Dei (beatos ſcilicet) habere in Patria ſuas gloriæ dotes ratione matrimonij illis collatas. Quod non obſcurè declarat Iſaias c. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimento ſalutis, & ornamento iuſtitiæ circundedit mè, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam monilibus ſuis.* *Iſai. 61.*

12 In quo gradũ ſit certa. Si quæras in quonam certitudinis gradu hæc aſſertio habenda ſit? Reſpondebo de fide eſſe dari in beatis eas perfectiones,& ornatus, quos Theologi appellant dotes gloriæ, vt ex diſcurſu diſputationis patebit: non tamen eſſe de fide has perfectiones dicendas eſſe dotes ad inſtar dotis matrimonij carnalis: quia nec Eccleſia, nec ſacra Scriptura, nec Sancti Patres eas perfectiones tradunt ſub nomine dotis: eſſe tamen temerarium id negare: quia iam eſt vnanimus Theologorum conſenſus, quem ſine vrgenti fundamento non admittere nonnihil habet temeritatis.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

13. Ad 1. ARgumenta in contrarium §. 1. adducta facilè ſoluuntur. Ad primũ concedimus huius nominis *dos* primam impoſitionem ad matrimoniũ carnale pertinere, vt concedit D. Thomas *in 4.diſt.49.q.4.art.1. in medio*, & per cõſequens principaliter ſignificare id, quod ſponſæ carnali ratione carnalis matrimonij datur: quod tamen non impedit poſſe idem nomen accommodari ad matrimonium ſpirituale propter ſimilitudinem, quæ inter vtrumque matrimonium reperitur: vſus enim plurimùm valet ad vocabulorum extenſionem. Cum igitur nomen *dos* per analogiã â matrimonio carnali ad ſpirituale transferatur, & veluti per quandam metaphoram; non oportet, vt in omnibus conueniant. Quare licet dos in matrimonio carnali in ſolis bonis fortunæ,& externis aſsignetur; non proinde in matrimonio ſpirituali in bonis internis aſsignari non poterit: maximè cũ decor ſponſæ in vtroque matrimonio ita ſe habeat, vt in vno internus ſit, in alio externus. Vide Diuum Thomam vbi ſuprà ad quintum. *D.Thom.*

14. Ad 2. Ad 2. reſpondet D. Thomas ibidem ad 3. dotes per ſe fuiſſe inſtitutas in ſolatium matrimonij, vitæque ſubſidium, & emolumentũ, vt.ſ. ſponſus delectabiliter, & iucũdè ſuæ ſponſæ cõiungatur, & adhæreat: quia verò in matrimonio corporali hæc delectabilis ſocietas propter onera matrimonij incũbentia ſæpè impeditur, proinde de per accidens cõuenit doti matrimonij onera, aut ſuſtinere, aut remouere. Ex quo infert D. Thomas rationẽ dotis poſſe permanere, ſi nulla in matrimonio dentur onera ſuſtinenda: ſatis eſt enim ſi maneat matrimonij iucunda ſocietas, quæ eſt matrimonij finis. Cum igitur in matrimonio ſpirituali ſublatis omnibus oneribus, quæ ſuſtineantur, maneat ſumma ſocietas cõiugalis, & iucunditas proinde in eo ratio dotis reperitur, quæ talem iucunditatẽ efficiat. Hæc ex Diuo Thoma vbi ſuprà, quem ad literam ſequuntur *Abulenſis in dicta q. 104. ad 2. & Sotus in dicta q.4. art.1. ad primum.* *D.Thom.* *D. Thom.* *Abulenſ.* *Sotus.*

Huic tamen ſolutioni repugnare videtur cõmunis opinio Iuriſtarũ, quæ aſſerit de ſubſtantia dotis eſſe dari propter ſuſtinenda onera matrimonij, vt multis citatis reſoluit doctiſsimus Barb.*4.p.Rubr.ff.de ſoluto matri.q.3.n.11.& 12.* Huic obiectioni olim ita reſpondebam, vt re diligentiùs conſiderata Iuriſtarũ ſententia non repugnet ſẽtẽtiæ D.Thomæ: quoniam plerũque apud Iuriſtas dicuntur de ſubſtantia rei, quæ apud Philoſophos nõ ſunt de illius ſubſtantia, ſed ad ſubſtantiã conſequuntur, vt proprietates: nec enim iureperiti rerum eſſentias ita ad amuſsim rimãtur, ſicut Philoſophi. Id igitur, quod per ſe, & neceſſariò cõſequitur ad naturá & ſubſtantiam dotis, voluerunt eſſe de dotis ſubſtantia: cum tamen Theologi, & Philoſophi id ſolùm agnoſcant eſſe de ſubſtantia rei, quod illi per ſe primò ita cõuenit, vt per illud per ſe primò in eſſe conſtituatur. Putabam ergo Iuriſtas negare non poſſe dotem per ſe eſſe inſtitutam in matrimonij ſolatiũ, vt ſcilicet cõiuges rerum omnium affluentia iucundã agant ſocietatem; ex conſequenti verò, ac veluti ſecundariò, vt indigentijs, & vitæ neceſsitatibus (ſi quæ emergant) à dote ſuccurratur, quod ipſum eſt onera matrimonij ſuſtinere. Cum igitur, vt dicebam, illud per ſe primò conueniat doti; hoc autem per ſe ſecundò ac veluti in cõſequẽtiam, & per remotionem non eius, quod neceſſariò ineſt, ſed quod ineſſe poteſt; inde inferebam, philoſophicè loquendo, illud prius eſſe de ſubſtantia dotis; hoc verò poſterius eſſe veluti proprietatem, & affectionem conſequentem. 15. Obiectio. *Barboſa.* 1. ſolutio.

Sed re diligentiùs conſiderata, hæc Philoſophia non conuenit cum vera Philoſophia: quoniam coniuges iucundam 16. Non placet ſolutio data

agere ſocietatem per coniugium initum, eſt finis dotis: ad hoc enim datur dos, vt omnibus defectibus per dotem remotis coniuges iucundè viuant: iam verò finis rei non pertinet ad rei ſubſtantiam, ſiue eſſentiam, cum ſit cauſa extrinſeca. Falsò igitur dicitur iucundam coniugum ſocietatem eſſentialiter pertinere ad eſſentiam dotis. Quare, ſeruatis Philoſophiæ principijs, de ſubſtantia dotis per ſe primò eſt, vt ſit bonum ex ſua natura aptum ad excludendos defectus, qui coniugum ſocietati poſsint eſſe oneri. Vnde ex ſe habet, quod poſsit ſuſtinere onera, defectusque impedientes finem matrimonij. Verum hoc ita eſt intelligendum, vt de eſſentiali ratione dotis ſit ſuſtinere onera, vel remouendo, ſi occurrant; vel impediendo, ne occurrant. Et in hoc ſenſu ſuſtinere onera matrimonij non per accidens conuenit doti, vt dos eſt; ſed per ſe & primò; vt benè putant Iuriſtæ. Vnde in eodem ſenſu admittendum eſt, dotes in Patria per ſe dari ad ſuſtinenda onera matrimonij beatifici, quæ ſocietatem ſponſi, & ſponſæ poſſunt impedire: etenim bona, quæ in Patria habent rationē dotis, verè data ſunt à Deo ad ſuſtinenda onera matrimonij; non quidem ea remouendo, poſtquam adſunt (quia nullus defectus ibi poteſt occurrere, qui per dotes remoueatur) ſed impediendo ne occurrant, vt in ſingulis dotibus in progreſſu diſputationis explicabimus: etenim viſio impedit defectum non viſi, qui eſt defectus fidei: comprehenſio impedit defectum boni non poſſeſsi, qui erat defectus ſpei. Denique fruitio impedit defectum rei non præſentialiter amatæ: qui defectus abſque dubio impedirent ſummam illam ſocietatis coniugalis iucunditatem. Idem ſuo loco dicemus de dotibus corporis. Ad argumentum igitur conceſſa maiore in ſenſu explicato, neganda eſt minor: quia in cœlo ideò nulla onera aut ſunt, aut eſſe poſſunt, quia per dotes gloriæ impediuntur.

Vera ſolutio.

Dos per ſe datur ad tollendos defectus.

17. *Hæc ratio etiam cernitur in dotibus gloriæ.*

Quomodò dos gloriæ defectibus occurret.

Solutio in forma.

18. *Ad 3.* Ad tertium admittimus quidem de iure ciuili dotem quoad proprietatem rerum dotalium, earumque dominium donari ſponſæ; quoad vſum verò ad ſpōſum, ſeu maritum pertinere: quæ eſt recepta Iuriſperitorum reſolutio ex text. *in lege dotis fructus. 8. in princip. ff. de iure dotium, & in l. pro oneribus, C. eodem titulo, & in cap. Salubriter de vſuris*: & ideò ſoluto matrimonio dos reſtituitur vxori ex text. in l. 2. ff. de ſoluto matrimonio. Cū igitur ratio dotis in matrimonio ſpirituali reperiatur per analogiam ad carnale, ſatis eſt, quod dotes gloriæ quoad proprietatem ſint ipſorum beatorum, quoad vſum verò pertineant ad ſponſum Chriſtum, ſcilicet vel Deum: etenim illorum bonorum vſus ſiue fructus poſitus eſt in ipſa gloria & laude, quæ ex illis bonis reſultat: omnia enim cedunt in gloriam & laudem Chriſti & Dei, ita Diuus Thomas *vbi ſuprà ad primum; Abulenſ. in dicta q. 104. ad quartum; Sotus loco citato ad primum*: quibus poteſt accedere (& ſit ſecūda ſolutio) non ita eſſe de ratione dotis quoad vſum pertinere ad ſponſum, vt ex voluntate ſponſi non poſſit ad ipſam ſpōſam redire, quæ eſt Iuriſtarum ſententia.

Dotes gloriæ quomodò ſint animæ, & quomodò ſint Dei.

D. Thom. Abulenſ. Sotus. *2. ſolutio.*

Ad quartum patet ſolutio, ſi per ſponſum intelligamus Chriſtum Dominum: etenim dotes illæ (cum earum donatio ſit actus ad extra) potiùs dantur à tota Trinitate, quæ eſt pater ſponſæ, quam à Patre diuino, ab illo enim eſt talis donatio per appropriationem, & ita argumentum non obſtat: ita habes ex Diuo Thoma *vbi ſuprà ad ſecundum, Palud. ibidem q. 8. art. 3. concl. 1. Soto q. 4. art. 1. ad ſecundū, Abulenſi in dicta q. 104. in cor. & ad 5.* Porrò, ſi nomine ſpōſi intelligatur Deus & tota Trinitas, cuius tàm Eccleſia, quā quælibet anima eſt ſponſa, ad argumentum dicendum eſt; iure quidem ordinario, & vt plurimum Patrem ſponſæ dotare ſponſam; id tamen non eſſe de ratione dotis: quilibet enim, cuiuſcunque ſit conditionis, poteſt dare dotem ex regula textus in l. promittendo. 42. ff. de iure dotium. Imò non ſolùm Pater ſponſi, ſed etiam ipſe ſponſus poteſt ſponſam dotare, vt benè aduerterunt Abulenſ. & Sotus *vbi ſuprà*, & eſt ſententia in iure recepta: & quidem de patre ſponſi id habetur Geneſis 34. vbi Sichem deſiderans filiam Iacob dari filio ſuo in ſponſam ait; *Augete dotem; munera poſtulate*. Et de ipſo ſponſo habetur Exodi. 2. *Si ſeduxerit quis virginem, & dormierit cum ea; dotabit eam, & habebit eam vxorem*; quod nō ſolū ſæpè fit in pœnam, ſed etiam voluntariè maximè in ſenibus, qui puelas virgines ducunt

19. Ad 4.

D. Thom. Sotus. Abulenſ.

Quilibet poteſt dare dotem ſpōſæ.

Abul. Sotus.

Gen. 34.

Exod. 2.

ducunt in vxores, vt aduertit Sotus. Potuit igitur non ſolum Diuinus Pater, qui eſt Pater Chriſti ſponſi, ſed etiam Chriſtus ipſe, qui eſt ſponſus: imò etiam tota Trinitas; quæ etiam ſponſi rationem habet, dotare ipſos beatos ſeruata quoad hoc vera & propria ratione dotis.

20. Ad vltimū. Ad poſtremum neganda eſt ſequela: quia diſpar eſt ratio viæ, & Patriæ, vt patet ex dictis in artic. 3. vbi oſtendimus in via ſolum contrahi ſponſalia.

ARTICVLVS V.

Quot, & quæ ſint dotes animæ in gloria?

§. 1.

Dotes gloriæ ſunt tres.

1. Dotes gloriæ ſunt tres. IN animabus beatis dotes gloriæ reperiri omnes conueniunt, & oſtendemus in ſequenti quæſt. quo ſuppoſito duo ſunt explicanda: primum eſt; quot nam ſint dotes gloriæ? ſecundum; quæ nam ſint illæ?

2. Quod attinet ad primū conueniunt omnes Theologi, dotes animæ glorioſæ eſſe tantum tres. Quę concluſio ideò mihi eſt certa; quoniam eſt cōcors traditio Theologorum huius ternarij, vt aſſerunt Diuus Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. & ponitur in additionibus ad tertiam partem, q. 95. art. 5. & poſt eum Abulenſ. in cap. 17. Matthæi q. 108. & Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 3. in princ. Seraphinus à Porrecta ad dictam quæſtionem 95. art. 5.* Quæ Theologorum cōcordia in re Theologa habenda eſt pro certa, ita, vt ſine temeritate non negetur.

3. 1. Cōfirmatur ex ternario virtutum Theologarum. Huius ternarij accommodatio varijs modis deſumitur. Cōmmunis opinio accommodationem illius ſumit à ternario virtutum Theologarum: Fide, Spe, & Charitate. Nec ſine maximo fundamento; etenim congruum eſt, vt dotes Patrię correſpondeant illis virtutibus viæ, quibus anima cum Deo & Chriſto fuit deſponſata: ſicut enim ſponſalia ſunt promiſsio futuri coniungij; ita etiam in illis fit, & promiſsio dotis, & conſtitutio rerum, in quibus ſponſa eſt dotanda. Quare cum in via illis tribus virtutibus Deo deſponſetur (iuxta illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in Fide*; & ex conſequenti in Spe, & Charitate, quæ fidem comitantur *Oſeæ 2.* in iuſtis) ternarius dotium numerus ternario virtutum Theologarum accommodatiſsimè reſpondet. Ita habes ex Diuo Thoma, Abulenſi, Soto, & alijs; *id confirmat Seraphinus vbi ſuprà* ex Paulo 1. Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum; tūc autem facie ad faciem*; quaſi dicat, quod ſicut fides in Patria perficitur viſione clara, ita Spes, & Charitas in ea ſunt perficiendæ: Spes quidem per comprehenſionem; Charitas autem per fruitionem. Cū verò in via per illas virtutes Deo deſponſemur; ita perfectione ſingularum in Patria dotabimur. *Paul. 1. Corinth. 13.*

4. Perfectiones iſtæ ſumuntur ex ſacris literis. Vnde tres iſtarum virtutum perfectiones denotantur in Sacris literis. Perfectio fidei Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te.* Perfectio ſpei, Canticorum 1. *Tenui eum nec dimittam,* quia ſ. in Patria illum apprehendam. Charitati verò Iſaiæ 31. *Dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & Caminus eius in Hieruſalem.* Quę verba denotant perfectionem Charitatis, quæ in Patria futura eſt, fruitione inquam, & delectatione. *Ioann. 17. Canti. 1. Iſaiæ. 1.*

5. 2. Cōfirmatio ex ternario potentiarum. Secunda accōmodatio teſte D. Thoma à quibuſdam ſumitur ex ternario potentiarum animæ, quæ in Patria dotari merentur: cum enim matrimonium ſpirituale in Patria in eo ſit poſitum, quod anima fit vnus ſpiritus cum Deo; vtique omnes illæ animæ potentiæ dotabuntur, quibus anima cum Deo immediatè vnitur. Hæ autem ſunt tres potentiæ. ſ. rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis; quia per intellectum, & per vtrumque appetitum voluntatis in Patria Deum immediatè attingimus, illique immediatè vnimur: quia per intellectum immediatè videmus Deum: per voluntatem, vt eſt appetitus iraſcibilis, Deum diligendo in ſe ipſo tenemus: vt verò eſt appetitus concupiſcibilis, de eo, & in eo immediatè delectamur. Ergo congruentiſsimum eſt, vt dotes numerum habeant ternarium; nec minorem, nec maiorem; quia in anima, nec pauciores, nec plures ſunt potentiæ, quibus anima Deum immediatè attingat. Et quanuis in parte intellectiua formaliter vnus tantum ſit appetitus, qui eſt voluntas; virtualiter tamen, atq; eminenter ſunt plures: Cum verò voluntas ſub vtraque ratione eminentiæ, & virtualitatis immediatè attingat Deū in ſe ipſo, & *Tribus potentijs Deo vnimur.*

& per actus diſtinctos compreheſionis, & fruitionis; congruentiſsimum fuit, vt voluntas in Patria ſecundum vtraque eminentialem virtutem perficiatur, & dotetur, quod eſt aduertendum.

6. Confirmatur ex Bonauentura.

Hæc accommodatio ſumpta ex ternario potentiarum cõfirmari poteſt ex D. Bonauentura *in 4. diſt. 49. 1. p. art. 1. q. 5. n. 22*; quoniam conuenientiſsimum eſt, vt illæ potentiæ proprijs gloriẹ dotibus ornentur, quæ in via per gratiam in ipſum Deum immediatè tendunt, illique vniuntur ad contrahenda ſponſalia cum eo. Hæc autem ſunt tres tantùm: ſcilicet intellectus, qui per fidẽ immediatè attingit Deũ; voluntas, vt eſt appetitus iraſcibilis, qui virtute ſpei eundem immediatè tangit: & vt eſt appetitus concupiſcibilis, quo anima Deum immediatè diligit. Ergo tres, nec plures, nec pauciores erunt dotes gloriæ, quibus anima beata dotatur.

7. 3. Cõfirmatio actionũ quibus Deo vnimur.

Denique idem ternarius accommodatè deducitur ex ternario actionis, quæ in Patria animam cum Deo immediatè coniungit: nam cum matrimonium ſpirituale in Patria faciat animam eſſe vnum ſpiritum cum Deo; congruum eſt, vt totidem dotibus dotetur, quot ſunt actiones, quibus anima beata fit cum Deo vnus ſpiritus. Hæc autem ſunt tantum tres: viſio, ſcilicet comprehenſio, & fruitio, vt in ſequenti §. dicemus.

§. 2.

Dotes eſſe viſionem, comprehenſionem, & fruitionem.

8. Quæ ſint tres illæ dotes. 1. Opinio. Richard. Ouand. 2. Opinio. 3. Opinio. Abulenſ. Palud.

QVæ verò ſint hæ tres animæ dotes, magna eſt inter Theologos varietas, vt aduertit Diuus Thomas in locis citatis cum Abulenſi vbi ſuprà. Quidam volunt tres dotes eſſe, viſionem, fruitionem, & ſecuritatem, ita Richard. *in 4. diſt. 49. art. 3. q. 7.* ad quam ſententiam inclinat *Ouand. ibidem propoſitione 32.* Alij inter dotes enumerant viſionem, delectionem, & fruitionem; & hæc videtur ſententia D. Thomæ in dicto art. 5. ſi benè expendatur, nec reijcit eã Abulenſ. vbi ſuprà. Porrò alij ſub dilectione comprehendentes fruitionem, inter dotes enumerant viſionem, dilectionem', & comprehenſionem: *Quæ ſententia non diſplicet Abulenſi*; *eam probat Paludanus in 4. diſt. 49. q. 8. articul. 3. concluſ. 2. Accedit ad eam Bonauentura ibidem in 1. p. diſt. articul. 1. q. 5. num. 22.* vbi addit fruitionem eſſe quidem dotem, ſed nõ ſpecialem, ſed generalem, vt quæ ſub tribus explicatis cõtineatur. Poſtrema ſententia communis eſt, & affirmat tres dotes eſſe, viſionem, comprehenſionem, & fruitionẽ, ſiue delectationem, quæ eſt ſententia D. Thomæ *1. p. q. 12. art. 7. ad primum, & prima ſecundæ, q. 4. art. 3. in fine, probant Sotus in 4. diſt. 99. q. 4. art. 3; Angles de beatitudine ar. 4. pag. 336. Lorca prima ſecundæ diſputa. 22. Bellomontan. ibidem diſp. 17. capit. 2. num. 6.*

Bonauent. Poſtrema opinio. D. Thom. Sotus. Angles. Lorca. Bellom.

9. Vltima ſententia eſt vera.

Nos hanc vltimam ſententiam, vt veriſsimam amplectimur; nam D. Thomas locis citatis eam expreſſe probauit, & quã uis in 4. dubiè loquatur; in partibus tamẽ vltimam ſuam mentem exponit. Sit igitur hæc aſſertio. *Ex bonis, & perfectionibus Patriæ rationem dotis ſolum ſortiuntur viſio, comprehenſio, & fruitio.* Quæ aſſertio cum ſit excluſiua duas continet propoſitiones: vnam affirmatiuam; ſcilicet, *Viſio, comprehenſio, & fruitio veram habent rationem dotis.* Alteram negatiuam; *præter iſtas perfectiones nulla alia poteſt dotis rationem habere.* Vtramque probabimus ſubiunctis ſequentibus aſſertionibus; ſi interim aduertamus ad rationem dotis tres requiri conditiones: prima eſt generalis, vt ſit perfectio reperta in ſola Patria. Secũda; quod ſit perfectio ad ſponſum immediatè terminata. Tertia denique; quod reſpondeat alicui ex tribus virtutibus Theologicis viæ. (Tres conditiones ad rationẽ dotis)

10. Nec ſine fundamento hæ tres conditiones requiruntur. Nam prima ex ex eo deducitur, quod dotes dãtur ratione matrimonij. Iam verò matrimoniũ inter animam, & Deum, ſiue Chriſtum in ſola Patria reperitur, vt in 3. art. dictum eſt. Secunda vero, ex eo fundamentum habet, quoniam matrimonium Patriæ facit, vt anima ſponſæ ſit vnus ſpiritus cum ſponſo, congruum eſt igitur, vt ſola illa perfectio habeat rationem dotis, qua immediatè attingit ipſum ſponſum, & quæ formaliter impedit defectum, qui ſummæ illi vnioni animæ cum Deo directè opponitur, hi autem ſolum ſunt tres; non videre: non tenere: non delectari.

11. Tertia autem cõditio ex eo ſumitur, quia per tres illas virtutes Theologicas cõtrahuntur

huntur ſponſalia in via, vt in dicto art. 3. dixímus.

11. 1. Concl. de viſione.

His ita præmiſsis ſit prima concluſio: *Viſio Patriæ verê habet rationem dotis.* Hęc cõcluſio apud omnes eſt indubitata; nullus enim viſionem à ratione dotis vnquã excluſit. Et merito; quia illi formaliter, & propriè conuenit ratio dotis: eſt enim perfectio, quæ non in via, ſed in ſola Patria reperitur ſecundum legem ordinariã: deinde immediatè attingit Deum, cui per matrimonium anima vnitur. Et pręterea reſpõdet fidei, quæ fuit in via: viſio enim eſt præmium fidei: congruum eſt enim, vt qui in via credidit Deo reuelanti, videat ipſum Deum, & ea, quæ credidit.

12. Obiectio. Solutio.

Nec obſtat, quòd viſio eſt ipſa formalis beatitudo; dos autem cum detur propter beatitudinem, in qua matrimonium cõſiſtit, ipſam beatitudinem cõſequitur: non obſtat, inquam, quoniam viſio poteſt dupliciter conſiderari: vno modo; vt eſt vnio videntis cum Deo viſo: altero modo; vt eſt formalis fidei expulſio: quorum illud natura eſt prius; hoc autem poſterius: quia forma priùs natura dat ſubiecto ſuum formalem effectum, quâm ab eo formaliter expellat formam contrariã: prius enim eſt albedinem facere ſubiectũ album, quam ab eo expellere nigredinẽ. Viſio igitur priori modo habet rationem beatitudinis, & eſt id, quo matrimonium cum Deo contrahitur: at poſteriori modo eſt, quid conſequens ad beatitudinem, & ſupponit matrimonium iam eſſe cõtractum; vnde iam poteſt habere rationem dotis. Habet igitur rationem beatitudinis, & rationem dotis, ſub alia, & alia ratione, vt iam annotauimus 1. tom. lib. 4. quæſt. 7. art. 2. §. 4. num. 22. iam verò dos non neceſſariò diſtinguitur realiter à beatitudine, ſed ſatis eſt, quod ratione diſtinguatur, vt art. 7. dicemus.

13. 2. Concl. de comprehenſione.

Secunda concluſio: *Comprehenſio verê eſt enumeranda inter dotes animæ, tanquam dos diſtincta à viſione, & fruitionẽ.* Hanc concluſionem non recipit *Richard. in 4. diſt. 49. art. 3. q. 7. nec Ouand. ibidem propoſitione* 32. Communiter tamen recipitur ab alijs, vt teſtatur Lorca *ad primam ſecundæ diſp. 22. in fine: eam aptiſsimè inter dotes enumerari teſtatur Sotus in 4. diſtin. 49. q. 4. art. 3. concl. 4. & poſt eum eam probat* Bellomont. *in dicta diſp. 17. cap. 2. vbi num.* 6. 7. & 8. ſæpius affirmat, comprehenſionem meritò, & nomen, & rationem dotis habere. Hanc ſententiam ideo cæteris eſſę præferendam aſſerit Sotus, quia Diuus Thomas in terminis eam probauit 1. *p. q.* 12. *art. 7. ad primum, & poſt eum D. Bonauentura in 4. diſt. 49. in 1. p. art. 1. q. 5. num.* 22. *Palud. ibidem q. 8. art. 3. concl. 2.* & quã uis Diuus Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. artic.* 5. non firmiter eam teneat; non tamen improbat, quod facit Abulenſ. *in dicta quæſt.* 108.

Qui eam non recipiant. Communiter recipitur. *Lorca. Sotus. Bellom.* *D. Thom. D. Bonau. Palud.*

14. Probatur aſſertio.

Hæc ſententia ratione euidenter probatur: conſtat enim inter omnes illã per fectionem gloriæ non poſſe non habere rationem dotis, quæ modo quodam ſpeciali directè correſpondet alicui virtuti Theologali in via. Sed comprehenſio, vt talis eſt directè correſpondet Spei virtuti Theologali, ergo ex ſe habet rationẽ dotis. Maior eſt recepta: minor verò probatur; quia ex Paulo per Spem inſequimur, & currimus, vt comprehendamus, accipiamus, teneamusq; beatitudinis brauium, Deum, ſcilicet: ita enim ait ad Philippenſes 3. *nu.* 12. *ſequor autem, ſi comprehendam*, & inferiùs, *ad deſtinatum perſequor brauiũ ſupernæ vocationis Dei.* Primæ Corinth. 9. num. 24: *Neſcitis, quod hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis,* Id eſt, vt accipiatis: idque virtute Spei, quæ excitat animas noſtras, vt inſequamur, quod ſperamus: etenim, *qui arat, debet in ſpe arare: & qui triturat, in ſpe fructus,* vt dixerat dicto cap. 9, nume. 10. Patet igitur, & Spem, quę currit ad tenendum, in Patria perfici ipſa tentione, ſiue comprehenſione, quæ fuit minor. Igitur comprehenſio in Patria veram habet rationem dotis, cum omnes illius conditiones habeat, tam generales, quam ſpeciales.

Ad Philip. 2. 1. *Corint.* 9

15. Comprehẽſio non eſt idem quod viſio contra Sotum.

Nec, vt non habeat rationẽ dotis, quidquam refert, quod comprehẽſio idem ſit, quod viſio, vt vult Sotus: nam id falſum eſt; & ſi eſſet verum adhuc haberet rationem diſtinctę dotis; ad hoc enim ſatis eſt, quod ſaltem ratione diſtinguatur à viſione: etenim vt viſio tollit defectum Fidei, erit prima dos; vt vero eſt tentio quædã tollens defectum Spei, erit dos comprehenſionis, vt libenter agnoſcit Sotus *in dicta quæſtione 4. art. 3. in tertia concluſione.*

Sotus.

Nec

Nec placere poteſt opinio, quæ comprehenſionem facit eſſe eandem dotem cum fruitione, vt dicemus in ſequente concluſione. Nec item probare poſſum, comprehenſionem includi in dilectione, & ideo dilectionem potius eſſe dotem, id enim non admittemus in 4. concl.

16. Obiectio ex Richardo.

At obijciunt Richard. & Ouand. quoniam comprehendere Deũ non eſt aliud, quam Deum habere, vel poſsidere: ſed Deum habemus non ſolum per intellectum ſub ratione ſummi veri: ſed etiam per voluntatem ſub ratione ſummi boni. Ergo comprehenſio non eſt dos diſtincta à viſione, & fruitione, ſed includitur in vtraque.

Solutio.

Cõprehenſio non pertinet ad intellectũ, & voluntaté.

Argumentum hoc ſupponit, comprehenſionem, & ad intellectum pertinere, & ad volũtatem: quod tamen eſſe falſum oſtendemus inferiùs in diſput. de comprehenſione, vbi monſtrabimus cõprehenſionem eſſe actum ſolius voluntatis: nec enim facere rem obiectiuè præſentem, illamque obiectiuè attingere, ſatis eſt, vt rem ipſam teneamus, & veluti noſtram poſsideamus: vnde intellectus, etiam ſi Deum habeat præſentem, & illũ cognitione attingat: non tamen Deum, vt ſuum tenet, ſed ſola voluntas per amorem, & in eo loco explicabimus, quomodo hęc doctrina cõſtet, cum communi, & vera ſententia, quod viſio eſt ipſa beatitudo formalis. Itaque comprehenſio non pertinet ad intellectum, ſed ad ſolam voluntatem. Vnde ab omnibus, etiam Diuo

D.Thom.

Thoma conſtituitur dos non intellectus, ſed ſolius voluntatis, *vt patet 1. p. q. 12. ar. 7. ad primum, & prima ſecundæ q. 4. art. 3. in fine.* Voluntas autem per fruitionem formaliter Deum non tenet, ſed ſupponit eum iam eſſe tentum, idq; per actum dilectionis, vt dicemus in ſequente concl. Cur autem dilectio ſub ratione dilectionis non ſit dos, ſed ſub ratione comprehenſionis? dicemus concluſione 4. & inferiùs in diſputatione de fruitione, ſiue delectatione.

17. 3. Concl. de fruitione. *D.Thom. Lorca. Bellom.*

Tertia concluſio: *fruitio habet veram rationem dotis diſtinctæ, & à viſione, & à cõprehenſione.* Hæc concluſio eſt communis eam probauit Diuus Thomas 1. *p. q.* 12. *artic.* 7. *ad primum: eſſe communem teſtatur Lorca prima ſecundæ diſput. 22. in fine: eſſe longe probabiliorem affirmat Bellomontan. ibidem diſp. 17. cap. 2. num. 6. 7. & 8. Eam eſſe præferendam cæteris aſſerit Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. concl. 4. in fine.* Inter dotes fruitionem enumerat Richard, *in 4. diſt. 49. art. 3. q. 7. & poſt eum Ouandus ibidem propoſitione 32.* Hæc tamen concluſio non placet Diuo Bonauenturæ *in 1. p. illius diſt. art. 1. q. 5. num. 22. nec etiam Paludano ibidem q. 8. art. 3. concluſ. 2,* qui fruitionem inter dotes nõ enumerant. Neutram harum opinionum reijcit D. Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 5. quem in omnibus ſequitur Abulenſ. in cap. 17. Matthæi q.* 108. Ego tamen puto noſtram concluſionem eſſe longe probabiliorem. Et eam ideo puto eſſe probabiliſsimam; quia eam probauit D. Thomas *1. p. q. 12. artic. 7. ad 1. & ſatis 1. 2. q. 4. art. 3. in fine.*

Sotus, Richard.

Quibus nõ placeat.

D.Thom.

18. Quid ſignificet fruitio.

Et vt hæc ſententia meliùs confirmetur, & diſſoluatur fundamentum Diui Bonauenturæ; aduertimus nomen fruitionis ex rigore ſermonis latini ſignificare ipſam perceptionem fructus ex aliqua re: nam frui fundo non eſt aliud, quam ex fundo fructum capere: quia verò fructus ſine voluptate, & delectatione non percipitur; inde eſt, vt iam apud peritos linguæ latinæ furi aliqua re idem ſit, quod ex illa voluptatem capere, vt patet ex Calepino. Et inde eſt, vt apud Theologos & Philoſophos fruitio iam communiter ſumatur pro dilectione, qua in re poſſeſſa quieſcimus. Vnde ex Auguſt. 10. de Trinitate cap. 10. *fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquieſcit.* Vnde quando 1. de Doctrina Chriſtiana c. 4. dixit: *Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam;* Senſus eſt, frui eſt conquieſcere in re amata. Cõſtat ergo fruitionem apud Theologos interdum ſumi pro amore, & dilectione, & ab alijs pro viſione: tamen proprius, & cõmunius iam accipitur pro delectatione. Et in hac ſignificatione accipitur à D. Thoma in noſtra iſta quæſtione: nam *1. p. q. 12. art. 7. ad primum,* inter dotes has tres enumerauit, viſionem, comprehenſionem, & fruitionem; & tamen 1. 2. q. 4. art. 3. in fine enumerat viſionem, comprehenſionem, & delectationem, quaſi ſignificans fruitionem idẽ eſſe, quod delectationem; & frui idem, quod delectari. Nec audiendus eſt Sotus *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 4. concl. 3.* dũ ait, fruitionem eſſe viſionem, per quam voluntas delectationẽ recipit, de quo alibi egimus,

Fruitio apud Theologos quid ſit.

Auguſt.

Explicatur Auguſt.

D.Thom.

19. Non recipitur.

Delectatio eſt actio à volũtate elicita. mus. Nunc addimus delectationem non eſſe voluntatis paſsionem, ſed operationem potius à voluntate elicitam, de quo inferius, vbi explicabimus, an realiter diſtinguatur ab amore, ſiue dilectione: etenim ad noſtrum inſtitutum nunc parum refert, an realiter, an verò ratione diſtinguatur: ſemper enim ſub ea ratione, quæ eſt delectatio, habet rationem dotis.

20. Probatur 3. concl. His ita præmiſsis facilè probatur tertia cõcluſio: quoniã fruitioni ſumptæ p̃ delectatione de Deo viſo, & poſſeſſo, nihil deeſt, quod ad veram rationem dotis pertineat: etenim eſt quædam animæ perfectio; ſiquidem perfectio eſt in ſingulis rebus quieſcere in bono adepto. Eſt etiam perfectio, quæ in ſola Patria reperitur: ſicut enim in ſola Patria Deum in ſe ipſo clarè videmus, & per amorem tenemus; ita in ſola illa de Deo viſo, & tento perfectè delectamur. Eſt etiam perfectio immediatè terminata ad Deum: beati enim in Patria immediatè delectantur de ipſo Deo viſo, & poſſeſſo, vt latiùs dicemus in disput. de delectatione. Denique eſt perfectio, quæ reſpõdet Charitati: ideo enim in via motu deſiderij per Charitatem in Deum tendebamus, vt in eo viſo, & poſſeſſo quieſceremus: quies enim eſt terminus mot⁹, vt docet Philoſophia: ita fit, vt delectatio in Patria omnino tollat imperfectionem motus deſiderij.

21. Obiectio. Nec eſt, quod aliquis obijciat, quod fruitio non ſit vnicus actus, ſed plures; & ſubinde non eſſe vnam dotem, quod fuit fundamentum D. Bonauenturæ: nega-

Solutio. mus enim antecedens: licet enim nõnulli ſenſerint fruitionem intrinſecè includere duos actus, vt noſter Toletanus *in primo diſt. 1. q. 3. art. 2. & Gerard. noſter ibidem q. 1. art. 3. & Hiſpalenſ. q. 2.* Communis tamẽ ſententia oppoſitũ docet, quæ, & Thomiſtis, & Scotiſtis probata eſt: Thomiſtæ enim fruitionem ſolum ſumunt pro delectatioue, ita Capreol. *in 1. diſt. 1. q. 1. art. 1. concl. 3. Caietan. prima 2. q. 11. artic. 1. vbi Conradus. Medina. & cæteri*, & ſatis eſt de mente Diui Thomæ *1. p. q. 12. art. 7. ad 1. & 1. 2. q. 3. art. 4. ad tertium, & q. 4. art. 3. in fine, & clarius q. 11. art. 1. & probat Durand. in 1. diſt. 1. q. 1. Scotiſtæ autem fruitionem*, pro ſolo amore ſumunt, vt patet *ex Scoto in 1. diſt. 1. q. 3.* quẽ ſui ſequuntur, & probat Richard. *in 1. diſt. 1. art. 2. q. 1. ex Nominalibus Gabriel ibidem q. 1. cum alijs.*

Toletan: Hiſpalenſ. Gerard, Fruitio apud Thomiſtas quid ſit. Capreol. Caietan. Conrad. D. Thom. Durand. Scot. Richard. Nominal.

Quare non eſt admittendum fruitionem dicere duos actus, ſed vnum tantum, & ex proprietate ſermonis accipi pro delectation e, & proinde negandum eſt Diuo Bonauenturæ fruitionem includi in illis dotibus, cum & à viſione diſtinguatur, & à comprehenſione: nam vt ait D. Thomas, viſio facit Deum præſentem, & expellit fidem: comprehenſio tenet Deum; & tollit Spem; at verò fruitio quieſcit in Deo tento, & poſſeſſo, & expellit motũ deſiderij, quo Charitas in via tendebat in illum.

22. 1. Concluſ. de dilectione. Quarta concluſio: *Dilectio, qua beati diligunt Deum, non habet veram rationem dotis.* Hæc ſatis eſt de mente illorum, qui inter dotes ſolum enumerant viſionem, comprehẽſionem, & fruitionem, ſiue delectationem. Hanc concluſionem in ſpecie ſcripſerunt Bellomont. 1. 2. *diſp. 17. cap. 2. num. 9. §. De quarto autem, & Lorca ididem diſp. 22. ad finem*, & ante eos id docuimus, cum primam ſecundæ D. Thomæ olim auditoribus interpretaremur.

Lorca. Bellomon.

Qui eam nõ recipiunt. Huic concluſioni contradicunt Diuus Bonauent. *in 4. diſt. 49. in 1. p. art. 1. q. 5. n. 22. & Palud ibidem q. 8. ar. 3. concl. 2. & ſatis Molin. 1. p. q. 108. ar. 1. §. Sunt qui dicũt, nec diſplicet Diuo Thomæ in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. nec Abulenſi in capit. 17. Matthæi q. 108. ſatis aplaudet Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. concl. 4.* quorum alij fruitionem, & comprehenſionem à ratione dotis reijciunt; alij verò vtramque in dilectione includunt; in hoc tamen ſemper perſeuerant, vt dilectionem, vt talis eſt, inter dotes enumerent.

D. Bonau. Paludan. Molina. D. Thom. Abulenſ.

23 Dilectio excluditur à ratione dotis. His tamen non obſtantibus ego cum communiori ſententia exiſtimo dilectionem, vt dilectio eſt, excludendam eſſe à ratione dotis; multiplici ex capite primũ eſt; quia de ratione dotis eſt, quod ſit donum ſolius Patriæ, vt diximus §. 2. Iam verò dilectio Dei in via reperitur; imò eadem numero, quæ fuit in via, continuatur in Patria, vt plures volunt. Nec obſtat, quod in Patria habet modum firmæ inhæſionis, & immobilitatis, quam in via non habet; quoniam cum iſte modus non mutet ſubſtantiam actus, adhuc ipſa dilectio ſecundum ſe non eſt perfectio, quæ ex ſua natura reperiatur in ſola Patria; quæ conditio per ſe requiritur ad rationem

1. Ratio.

24. Impugnatur reſponſio. tionem dotis. Si verò reſpondeas, dilectionē Patriæ ſpecie diſtingui ab ea, quæ eſt in via; & ſubinde dilectionem, quæ eſt dos, nunquam fuiſſe in via; ad hoc primū dicam, opinionem illam pleriſque probatam communiter non recipi. Deinde illa opinione admiſſa, dilectionem duplici ex capite rationem dotis habere non poſſe. Ex primo, & ſatis præcipuo; quoniam de ratione dotis eſt, quod ex ſua natura impediat imperfectionem, quę in via reperitur in virtute Theologica, cui reſpondet: nam viſio ex ſua formali ratione tollit non viſum, quę erat imperfectio fidei; & comprehenſio ex ſe tollit non poſſeſſum, quæ erat Spei imperfectio: at verò dilectio Patriæ, vt dilectio eſt, non tollit imperfectionem, quę comitatur Charitatem viæ, cui reſpondet: etenim imperfectio Charitatis in via eſt motus deſiderij, & tendentiæ in rem amatam abſentē, quę cauſat in amante quandā inquietationē.

Confirmatur argum. ex 1. ratione dotis.

25. Dilectio ex ſua natura nō tollit imperfectionē Charitatis viæ. Quod verò hæc imperfectio formaliter non tollatur per dilectionem, quatenùs dilectio eſt; ſed per delectationem, vt eſt delectatio, inde oſtendi poteſt, quia nullus motus formaliter tollitur, niſi per quietem; cum quies ſit priuatio motus ex Ariſtotele *6. Phyſicorum cap. 6. tex. 53, & lib. 8. cap. 1. tex. 7.* Vnde motus deſiderij viæ deſinit per primum ſui non eſſe: & licet quies incipiat per vltimum ſui nō eſſe; tamē inſtans, in quo intellectus Deo ſibi præſenti inhæret, ex parte quietis enumeratur, vt volunt Philoſophi. Motus igitur deſiderij (quæ erat imperfectio Charitatis viæ) formaliter tollitur per delectationem, non verò per dilectionem. Ex alio etiam capite dilectio excluditur à ratione dotis; quia dilectio ſicut in via fuit præparatio ad nuptias; ita in Patria eſt præparatio ad matrimoniū, quod in Cœlo contrahitur: illa enim anima fit digna, vt fiat vxor agni: dos autem datur ratione matrimonij iam contracti.

Ariſtot.

Alia ratio.

26. 6. Concl. de ſecuritate contra Richard. Quinta concluſio: *Securitas non eſt enumeranda inter dotes gloriæ.* Hæc ſtatuitur contra Richardum *in 4. diſt. 49. art. 3. q. 7. & Ouand. ibidem propoſitione 32;* at tamen cæteri omnes eam probant. Euidēter oſtenditur, ſi ſecuritas non eſt aliud, quam excluſio timoris, & quædam veluti priuatio illius: quæ videtur eſſe ſententia D. Thomę *prima ſecundæ q. 45. art. 1. ad 3. ſa*-

D. Thom.

tis eam inſinuat 22. quæſt. 128. art. 1. ad 6. & q. 129. art. 7. ad primum, & 2. dum ſecuritatem explicat per excluſionem timoris, quaſi formaliter ponatur in illa priuatione: quæ etiam eſt ſententia Scoti, dum teſte Ouando *in 4. diſt. 49. propoſitione 32.* docet, ſecuritatem ſupponere quidem certitudinem, eſſentialiter tamē includere ablationem timoris. Iam verò de ratione dotis eſt, quod ſit bonū aliquod poſitiuum. Ex eodem fundamento à ratione dotis eſt excludenda, ſi formaliter ſolum eſt quidam modus, & conditio boni poſſeſſi cui opinioni fauet D. Thomas *2. 2. q. 129. art. 7. ad primum 2. & 3. & Caietanus ibidem,* dum inſinuant ſecuritatem per ſe non eſſe virtutem, aut aliquod per ſe bonum; ſed eſſe modum, & conditionem poſſidendi, id quod per ſe eſt bonum: quod de ſecuritate Patriæ docet Martinus *de fortitudine cap. de fiducia, ad tertiam obiectionem ad finem quæſtionis fol. 45. col. 1. idem docuit Ochamus cum Nominalibus,* qui putant ſecuritatem nō eſſe aliud, quam certitudinem de inamiſſibilitate boni poſſeſſi: cettitudo autem non eſt per ſe ens, ſed modus entis. Quæ opinio ſi vera eſt, ſatis excludit ſecuritatem à ratione dotis; de cuius ratione eſt, quod ſit verum ens, & per ſe bonum.

Scotus.

Securitas eſt modus boni poſſeſſi.

D. Thom.

Caietan.

Martinus.

Quid ſit ſecuritas apud Nominales

Porrò, ſi ſecuritas eſt aliquod ens poſitiuum (vt nōnulli putant cum Richar. vbi ſuprà: *Fauent Diuus Thomas, Caietanus, & Martinus locis citatis*) adhuc ſecuritas excludenda eſt à ratione dotis: etenim per ſe primo reſpicit malum vitandum, cui timor ſuccumbit, vt ait D. Thomas *in dicto artic. 7. & Caietanus ibidem §. Ad hoc dubium dicitur:* cum tamen de ratione dotis ſit, vt per ſe primò verſetur circa ſponſum, in ſe ipſo pręſentem. Sed de ſecuritate inferiùs plura ſunt dicenda. 27.

Securitas apud nonnullos eſt ens poſitiuū.

Tertia cōcluſio: *Cætera bona, quæ in beatitudine inueniuntur (ſcilicet rectitudo voluntatis, rerum omnium affluentia. & cætera huiuſmodi, de quibus latiſsimè Diuus Anſelmus in lib. Similitudinum cap. 49. cum ſequentibus, & Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei c. vltimo ad finem, & Boetius lib. 3. de Conſolatione Proſa 2.) non ſunt inter dotes gloriæ enumeranda* Concluſio ab omnibus recipitur; quia illis ratio dotis accommodari non poteſt: etenim, vel non recipiuntur in ſola Patria; vel non terminantur ad ſolum 28.

6. Concl. de cæteris bonis.

lum ſponſum, vel denique nõ reſpondet virtutibus Theologicis, quæ ſunt conditiones dotis gloriæ.

29. Affluentia bonorũ nõ eſt dos. Et facilè patebit, ſi ſingula bona perſequamur. Nam affluentia bonorũ, quę ex ſententia Boetii reſpondet bono diuitiarũ, non eſt aliquod bonũ ſpeciale, ſed diffunditur per omnia bona Patriæ. Bonum autem laudationis, & gratiarum actionis, cui ex Auguſtino Beati perpetuo incumbunt; nec in ſola Patria reperitur, nec reſpondet alicui virtuti Theologicæ, nec deniq; immediatè ſe habet ad ſolũ ſpõſum, ſed ad bona propter quæ Deus laudatur. Ob eandem rationẽ, nec honor, qui beatis exibetur, nec gloria, qua beati in Patria clara cum laude notitia apud Deum, & homines clareſcunt, inter dotes enumerabuntur: nec enim alicui virtuti Theologicę reſpondent; nec circa ſponſum immediatè verſantur; nec ſunt aliqua bona intrinſeca ſponſi: honoris enim reuerentia eſt in honorante; notitia vero, quæ gloriã parit, eſt in ijs, apud quos beati cũ laude ſunt noti. At bonũ libertatis ex D. Anſelmo vbi ſuprà nõ eſt aliud, quã beatũ cogi nõ poſſe ad ea, quæ nõ vult; nec prohiberi ab ijs, quæ vult. Bonũ vero poteſtatis ex eodẽ Anſelmo vbi ſuprà c.68. in eo eſt poſitũ, quod poteſt õnia, quæ vult: & licet vtrumq; iſtud bonum, libertatis inquam, & poteſtatis in ſola Patria reperiãtur; neutrum tamen pertinet ad virtutes Theologicas; nec ad ſolũ ſponſum attinent: vt omittamus hæc bona, & ratione animæ, & ratione corporis beato poſſe cõuenire.

Nec bonũ gratiarum actionũ. Nec bona honorum. Nec libertas. Nec poteſtas.

30. Nec bonũ amicitiæ. Porrò bonum amicitiæ, & concordiæ (*de quibus Anſelmus vbi ſuprà cap. 62.63. & 64*) ex eo reiicitur à ratione dotis; quia non verſatur immediatè circa ſponſum, ſed circa conciues cœleſtis Patriæ; vt omittamus hoc bonum etiam in via reperiri. At bonum ſapientiæ (de quo Anſelmus cap.59.) non accipitur pro ſapientia matutina: quam beati habent in verbo; ſed pro veſpertina, quam habẽt extra verbũ in proprio genere cuiuſq; rei; non igitur habet, aut habere poteſt rationẽ dotis, cũ nõ terminetur ad ſponſum in ſe ipſo, nec ĩmediatè ſuccedat fidei: eſt enim illa ſapientia non ſolũ eorum, quæ ad fidem pertinent; ſed etiam aliarum rerum naturalium, & ſupernaturalium; & poteſt cõmunicari ijs, qui ſunt in via: nam & communicata fuit Adamo in ſtatu innocentiæ, licet non in ea perfectione, qua communicatur beatis.

Nec bonũ Sapientię.

Reſtat bonum rectitudinis voluntatis & impeccabilitatis: hoc autem non pertinere ad rationem dotis omnes concedũt, ob eam rationem, quia dos eſt bonum quoddam poſitiuum abſolutum, & reale, à cæteris diſtinctum: iam verò rectitudo iſta ſuprà viſionem & amorẽ ſolùm addit relationem conformitatis ad rectam rationem. ¶ Ex dictis patet bona enumerata à ratione dotis merito excludi: de quo vide Diuum Thomam *in 4. diſt. 49. q.4. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 4.5.6. & 7.* 31. Nec bonũ rectitudinis voluntatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm dotes animæ ſint actus; an verò habitus?

AN tres dotes explicatæ ſint actiones, vt verba ſonant; an verò habitus, ex quibus ſunt actiones? eſt inter Theologos controuerſia.

§. 1.

Referuntur tres ſententiæ.

QVòd dotes non ſint actiones, ſed habitus, ſiue diſpoſitiones, quæ ſunt principia trium operationum, quæ pro dotibus aſsignantur, plures docuerunt, vt refert Diuus Thomas *in 4. diſtinct. 49. quæſtione 4. articul. 2. & 5.* quorum ſententiam ibidem probat, & *probarunt Richard. ibidem articul. 3. quæſt. 7. Paludan. quæſt. 8. articul. 2. concluſio. 2. Ouand. propoſitione 32. Abulenſ. in cap. 17. Matthæi q. 105.* Qui omnes volunt dotes animæ eſſe principia immediata triũ operationum, quæ in beatitudine ſunt præcipuæ. Fundamentum eſt; quia in matrimonio carnali dos nõ eſt operatio aliqua vitæ, ſed facultas quædam, & poteſtas ad agendam vitam iucundam. Cum igitur dos in matrimonio ſpirituali ſumenda ſit per analogiam ad matrimonium carnale; vtique dotes gloriæ nõ in actionibus vitæ glorioſę, ſed in habitibus, quibus actiones illę principiantur, ſunt aſsignandæ.

1. 1. Opinio quod dotes ſunt habit9 *D. Thom. Richard. Paludan. Ouand. Abulenſ.*

2. 2. Opinio quod dotes ſint actus.

Oppoſitam ſententiam, quòd ſcilicet dotes ſint actiones, probauit Sotus *in 4. diſt.*

Sotus. Bellomon. D.Bonau. D. Thom.

diſt.49.q.4.artic.3.poſt quartam concluſionem §. Reſtat nihilominus,& poſt Sotum idẽ exiſtimat Bellomontan. prima ſecundæ diſp. 17.capite 2.num.11.& 12. & inter Recẽtiores eſt ſententia communior. Quam ex Antiquioribus probauit Diuus Bonauentur. *in diſt.49. prima parte artic.5. q.5. numero 22.& mutata ſententia Diuus Thomas 1.2.q.4.art.3.& clariùs 1.p.q.12.art. 7.ad 1.* etenim dotes ẽxplicat per operationes.

4. Opinio Media quod dotes ſint habitus & actus.

Mediam opinionem videtur tenuiſſe *Lorca 1.2. diſp.22. in fine*, vbi reſoluit actiones non eſſe à ratione dotis excludendas, nec etiam habitus. Videtur igitur ſentire, dotes conſiſtere ſimul in habitibus, & actibus. Imò addit, comprehenſionem nec eſſe actum, nec habitum, cum formaliter ſit quædam relatio. Videtur igitur ſignificare ad rationem dotis non neceſſariò requiri, quod ſit, aut habitus, aut actus, aut vtrumque.

§. 2.

Dotes eſſe actus eſt verius.

5. Vera ſententia qd ſint actus.

Qvamuis res iſta parui ſit momẽti, vt aduertit Bellom. nõ erit iniucundum explicare, quænam ſententia ſit verior. Ego puto non ſolũ probabiliorem eſſe ſententiam, quæ dotes in operationibus conſtituit, ſed diſputando eſſe veram. Eam his rationibus volo eſſe confirmatam.

6. 1. Ratio.

Primò; quia omnes Theologi, etiã antiquiores dotes animæ explicant nominibus operationum, non verò habituũ. Cur igitur dotes non potiùs conſtituentur in actibus, quàm in habitibus?

7. 2. Ratio.

Secũdo; quia beatitudo eſſentialis formaliter conſiſtit in operatione. Ergo ornamenta ipſius per ſe in operationibus conſtituentur Antecedens patet: conſequentia ex eo probatur, quia operatio nõ ſatis accõmodate ornatur, & perficitur, niſi alijs operationibus, dilectio enim perficitur delectatione, quæ eſt quędam operatio, vt ſuo loco dicemus:

8. 3. Ratio.

Tertiò; quia matrimonium ſpirituale in Patria formaliter perficitur, & cõplet nõ per habitũ, ſed per operationẽ: perficitur enim per id, quod eſſentialiter eſt beatitudo formalis: hæc autẽ formaliter conſiſtit in operatione, nõ verò in habitu, vt vera habet Theologia. Ergo dotes, quibus matrimonium illud ornatur, & accidentario perficitur, debent eſſe operationes: dãtur enim ad matrimonij ornatum.

9. 4. Ratio.

Quartò; dotes ſuccedũt virtutibus Theologicis, ita vt formaliter tollant actus earum: ſed hoc non propriè conuenit habitibus, qui in beatis reperiuntur: nam licet lumen gloriæ de lege non ſit cum habitu fidei; tamen non formaliter illum expellit, tanquam habitum ſibi cõtrarium: etenim iuxta veriorem ſententiam de potentia abſoluta poteſt ſimul eſſe cum habitu fidei: cum tamen viſio nullo modo ſecum compatiatur actum fidei; cum ratio formalis huius ſit non viſum; viſionis autem ſit ipſum videre. Idem dicendum eſt de habitu comprehenſionis, ſi ille eſt habitus Charitatis: etenim de potentia abſoluta poteſt eſſe in beato ſimul cum habitu Spei: cum tamen actus comprehenſionis ſimul eſſe nequeat cum actu Spei; hic enim actus per ſe includit bonum nõ eſſe poſſeſſum; cum tamen actus illius poſſeſſionem boni intrinſecè includat.

10. 5. Ratio.

Quintò; de ratione dotis eſt, quod ñ fuerit in via, ſed ſolum in Patria. Ergo habitus Charitatis in Patria non poteſt habere rationem dotis: etenim eadem numero, quæ eſt in Patria, fuit in via, iuxta illud Pauli: *Charitas nunquam excidit.* Nec obſtat, quod Charitas perfectiori modo eſt in Patria, quam fuerit in via: etenim ille diuerſus modus non variat ſubſtantiam, quam tamen oportet variari, ſi ratio dotis ei debeat conuenire.

11. Cõfirmatur.

Confirmatur; quia non facilè apparet, quomodo vnus, & idem habitus Charitatis poſsit habere rationem duplicis dotis: ſcilicet delectationis; vt ſibi ipſi ſuccedat, vt erat in via; & comprehenſionis, vt ſuccedat Spei: quæ enim ad explicandam hanc difficultatem adducit Diuus Thomas *in 4.diſtinct.49. quæſtione 4.articul. 5. ad ſecundam, & Abulenſis in dicta quæſtione 105.ad quintum*, non videntur difficultatem tollere.

12. 6. Ratio.

Sextò; fruitio, ſiue delectatio nullum habet habitum, à quo principietur. Ergo nõn omnis dos eſt habitus. Conſequẽtia patet ex ſententia aduerſariorũ, apud quos de rationedotis eſt, quòd ſit habitus immediatè principiãs actũ. Antecedẽs ex eo patet; quia delectatio ex ſua ratione habet,

bet,quod ſequatur operationẽ amoris ſiue cõprehenſionis: etenim ad cõplacentiam amoris boni preſentis,& ad eius poſſeſſionẽ naturaliter ſequitur delectatio, vt inferiùs demõſtrabim⁹; & ſatis probatur;quia ob hanc rationem delectatio non poteſt eſſe opus artis ex Ariſtotele 7.*Ethicorum cap.*12.*ad finem*: poſſet autem, ſi immediatè eſſet ab aliquo habitu.

13. 7.Ratio. Septimò; in Patria lumen gloriæ non poteſt habere rationem dotis: cum enim principiet viſionem, qua matrimonium ſpirituale contrahitur, ex ſua natura antecedit ipſum matrimonium; cum tamen dos ipſum ſupponat,

14. Vltima ratio. Poſtremò in Patria non reperiuntur niſi duo habitus;ſ.luminis gloriæ, & Charitatis: iam verò duo habitus nõ poſſunt tres dotes conſtituere,niſi vna dos ab alia, ſola ratione diſtinguatur;quod licet à pleriſque non putetur abſurdum; verior tamen opinio illud vt abſurdum reputat.

15. Media ſententia eſt abſurda. Hæc diximus contra primam ſententiam; contra tertiam,& mediam nihil adducimus,quia ſine fundamento cõmuni, & receptæ ſententiæ contradicit. Et abſurdior mihi videtur,dum ait rationẽ dotis poſſe conuenire perfectioni, quæ nec habitus ſit, nec actus: etenim cum de ratione dotis ſit; bonum,& perfectio non poteſt nõ eſſe, aut habitus, aut actus. Cõprehenſionem eſſe verum actum inferiùs in propria illius diſputatione oſtẽdemus.

§. 3.

Soluitur fundamentum primæ opinionis.

16. Ad 1.Arg. NEc obſtat fundamentum adductũ pro prima opinione: quoniam in hac materia pro certo habendum eſt, in dotibus matrimonij ſpiritualis nõ neceſſariò ſeruandas eſſe omnes ſimilitudines & conditiones matrimonij carnalis, vt aduertit D,Thomas *in* 4. *diſt*.49. *q*. 4. *art*.1.*& cum eo Sotus cum pleriſque alijs*. Quod verò attinet ad fundamentum,dos ſpiritualis in hoc antecellit carnali, quod hæc detur ad vitæ ſubſtentationem; illa verò eſt ipſa ſubſtãtia, qua ſpõſa viuit: & inde eſt,vt viſio ipſa poſsit eſſe ſimul ipſa matrimonij contractio, & dos matrimonij contracti, de quo in ſequenti articulo,

ARTICVLVS VII.

Vtrùm, & quomodo dotes diuſtinguãtur à beatitudine.

COntrouerſia eſt inter Theologos; quomodo dotes animæ à beatitudine diſtinguãtur. Quidam eas nõ realiter, ſed ſola ratione à beatitudine diſtingunt. Hanc ſententiam quibuſdam placuiſſe refert Diuus Thomas *in* 4.*diſt*. 46.*q*.4.*art*.2.quam probauit *Sotus ibidem q*.4.*art*.3.*concl*.5. 1. 1.Opinio. *Sotus. D.Thom.*

Alij in oppoſita ſunt ſententia; & volunt omnes dotes realiter diſtingui à beatitudine: ita Diuus Thomas *vbi ſupra,Ricard. ibidem artic*.3. *quæſt*.7. *& plures alij ex antiquioribus, quos ſequutus eſt Abulenſ. capite* 17. *Matthæi q*.105. 2. 1.Opinio. *D.Thom. Richard, Abulenſ.*

Mediam ſententiam tenuere, qui nec omnes dotes à beatitudine realiter diſtingunt contra ſecundam ſententiam: nec omnes ſola ratione; contra primam; ſed quaſdam realiter, quaſdam verò, ſola ratione; & hæc eſt communior ſententia Recentiorum. 3. Media opinio.

Pro reſolutione ſit prima concluſio: *Non eſt dicendum omnes dotes realiter diſtingui à beatitudine*. Hæc ſtatuitur contra ſecundam opinionem; probatur;quoniam realis iſta diſtinctio inter dotes, & beatitudinem eſſentialem, vno ex duobus modis defendi poteſt. Vno modo; quia dotes ſunt habitus; beatitudo autem eſt operatio: habitus autem realiter diſtinguntur ab operatione; quod fuit vnicum fundamentum ſecundæ ſententiæ. Sed fundamentum illud communiter reijcitur,tanquam improbabile. Secundo modo, vt dotes quidem, ſicut, & ipſa beatitudo, ſint operationes, & beatitudo eſſentialis ponatur in ſola fruitione dilectioneque;dos autem cõprehenſionis ſit actus realiter diſtinctus ab amore, & dilectione: etenim amor,cum realiter diſtinguatur à viſione,& fruitione, vt communior, & verior habet Philoſophia; ſi ponatur actus realiter diſtinctus à comprehenſione,beatitudo realiter erit diſtincta à tribus gloriæ dotibus, viſione ſcilicet, comprehenſione, & fruitione. Hoc igitur modo poſſumus intelligere operationes dotiũ realiter diſtingui à beatitudine.Sed iſte dicẽdi mod⁹ eſt õnino impro- 4. 1.Concl.cõtra 2.ſententiam. 1.Probatio. 1 Senſus 2.ſententiæ. 2,Senſus. Reijcitur.

babilis: nã vt admittamus beatitudinẽ eſſentialem per ſe poni in vna operatione, nimirum amoris (de quo eſt inter Theologos controuerſia) non tamen admittimus comprehenſionem eſſe actum realiter diſtinctum à dilectione; quamuis D. Bonauentura iſtos actus realiter diſtinguat. Cuius opinionem eſſe improbabilem, dicemus in diſput. propria de comprehenſione.

5. Secunda concluſio: *Nec etiam probabile eſt dotes ſola ratione diſtingui à beatitudine.* Hæc ſtatuitur contra primam concluſionem cum cõmuniori ſententia. Confirmari autem poteſt ex eo, quod prima opinio aliter defendi nõ poteſt, niſi aut ponẽdo cũ Soto cõprehenſionem, & fruitionem realiter non diſtingui à viſione: aut ponendo beatitudinem eſſentialiter poni in viſione, dilectione, & fruitione. At tamen opinio Soti cõmuniter reijcitur, tanquam improbabilis, vt dicemus inferiùs in diſput. de fruitione, & delectatione. Quod verò beatitudo eſſentialiter ponatur in tribus explicatis operationib9, probabilis quidẽ eſt opinio, vt diximus libr. 4. q. 12. art. 2. & 3. ſed longè probabilius eſt, quod in vna tantum operatione ponatur; aut ſaltem in duabus, quarũ altera ſit intellectus, altera voluntatis. Admiſſa autem hac, vel illa opinione, non poteſt nõ admitti, dari aliquam dotem realiter diſtinctam à beatitudine.

2. Concl. cõtra 1. ſententiam. Confirmatur.

6. Imò ſi placet, dotes ſola ratione à beatitudine diſtingui, neceſſariò defendes beatitudinẽ in tribus operationibus poni, ſ. in viſione, dilectione, & fruitione: & tũc ipſas dotes per accommodationem à beatitudine diſtingues reddendo ſingulas, ſingulis: viſio enim ſimul erit beatitudo, & dos, alia tamen, & alia ratione: quia erit beatitudo, vt formaliter eſt cognitio, quæ facit Deũ eſſe realiter præſentem; erit autem dos, prout ſuccedit fidei, & facit videri, quod antea non videbatur. Dilectio autem (à qua comprehẽſio realiter non diſtinguitur) erit beatitudo, quatenùs Deum, vt rem ſuam apprehendit, & tenet; dos verò prout formaliter expellit actum ſpei. Denique fruitio, ſiue delectatio erit beatitudo, vt eſt quies in Deo poſſeſſo: dos autem; quatenùs formaliter terminat motum deſiderij, quo charitas tendebat in Deum.

3. Concluſio: *Longè verior eſt opinio media, quæ nec omnes dotes realiter diſtinguit à beatitudine, nec õnes ſola ratione; ſed aliquas ſola ratione; aliquas realiter.* Hæc opinio cõmunior eſt, & melioribus nititur fundamẽtis: etenim opinio, quæ beatutudinem ponit in vna tantum operatione, in ſe eſt probabiliſsima, & pleriſq; videtur longè probabilior, vt dixi *lib. 4. q. 7. ar. 2. §. 3. n. 16.* Hac autẽ opinione poſita, neceſſariò admittenda eſt noſtra cõcluſio: quoniã ſi beatitudo ponitur in ſola viſione, vt exiſtimat Schola Thomiſtarũ, de qua *lib. 4. q. 8. art. 1.* dos viſionis à beatitudine eſſentiali ſola ratione diſtinguetur, vt iã diximus in 2. concl. At tñ dos cõprehenſionis, & fruitionis, realiter à beatitudine diſtinguetur: etenim vtraq; iſta dos, cum ſit actus elicitus à voluntate, realiter diſtinguetur à viſione. At verò ſi beatitudo eſſentialiter ponitur in vno volũtatis actu (quæ eſt cõmunis opinio Schotiſtarũ, vt diximus lib. 4. q. 10.) idẽ dicendũ erit; quoniã volũtatis actus realiter diſtinguitur à viſione. Si verò ponitur in actu amoris amicitiæ (quæ eſt probabilior opinio, vt patet *lib. 4. q. 11. ar. 4.*) tũc cõprehẽſio ſola ratione diſtinguetur à beatitudine, quia realiter eſt idẽ cũ dilectione: at tñ non ſolũ viſionis dos à beatitudine realiter diſtinguetur, ſed etiã fruitio, ſiue delectatio, vt modo ſupponimus. Porrò, ſi beatitudo eſſentialiter ponitur in viſione, & dilectione (quæ eſt verior ſentẽtia, vt patet *lib. 4. q. 12. ar. 1. 2. & 3.* idẽ dicendũ erit: quia licet per accõmodationẽ dos viſionis ſola ratione diſtinguatur à beatitudine intellectus; & dos cõprehenſionis à beatitudine volũtatis: tñ dos fruitionis realiter diſtinguetur ab vtraq; beatitudine. ¶ Et ad hunc modum ſine confuſione reſoluetur veritas huius articuli.

7. 3. Concluſ. pro media ſententia.

8.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo tres dotes diſtinguantur inter ſe?

Ex dictis in præcedente art. 7. patet Theologos etiam non conuenire in hac quæſtione: nam Sotus *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. concl. 5.* tres iſtas dotes ſola ratione inter ſe diſtinguit; quia putat, comprehenſionem, & fruitionẽ realiter eſſe ipſam viſionem. Sed illius opinio, quod attinet ad fruitionem, à cæteris reiicitur

1 Non cõmunis opinio Sot. Reijcitur.

reijcitur; fruitio enim non eſt actus elicitus ab intellectu, ſed à voluntate, vt laté oſtendemus in diſp. de delectatione.

2. Aliorũ opinio. Quod attinet ad comprehenſionem, plures exiſtimant cũ Soto, eam eſſe idem realiter cum viſione, quæ fuit ſententia D. Thomæ, Caietani, & Medinæ; ſed oppoſitum cum Diuo Bonauentura dicemus in diſput. de comprehenſione, vbi oſtendemus, eam eſſe actum elicitum à voluntate, & ſubinde realiter diſtinctum à viſione, Imò oſtendemus; eam realiter diſtingui à fruitione, ſiue delectatione. Quare aſſerendum eſt, tres dotes gloriæ, animæ inter ſe realiter diſtingui. Et hæc de iſta ſecunda quæſtione. *Non admittitur.*

QVÆSTIO III.

In quibus reperiantur dotes?

IN ſuperiore quæſtione diximus, dotes gloriæ in Patria eſſe in beatis admittendas. Conſequenter inquirendum eſt; Vtrùm in omnibus beatis illæ admittantur. In qua quæſtione tres excitabuntur articuli.

Primus; An dotes gloriæ reperiantur in animabus beatis?

Secundus; Vtrùm reperiantur in Angelis beatis?.

Tertius; Vtrùm admittendæ ſint in Christo Domino.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in anima beata ſint admittenda dotes gloriæ?

1. Dotes gloriæ dantur in anima beata. DAndas eſſe dotes gloriæ in anima beata cõmunis eſt Theologorum traditio *in 4. diſt. 49. & 1. 2. q. 4. ar. 3* nam ratio matrimonij ſpiritualis exigit, vt potiùs dotetur anima quam corpus, cũ matrimonium potiùs contrahatur inter Deũ, & animam beatam: ſicut enim per carnale coniugium contrahentes fiunt vna caro; ita per ſpirituale fiunt vnus ſpiritus iuxta illud 1, Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Iam verò homo non ratione corporis, ſed animæ Deo ſpiritualiter vnitur: & ideo non ſolus homo, ſed ipſa etiam anima dicitur eſſe ſpõſa Dei, & Chriſti. Et inde eſt, vt cœleſtes nuptiæ priùs celebrẽtur cũ anima in ipſo Cœli ingreſſu, quã cũ homine beato in die iuditij. Et inde eſt, vt anima melioribus, & longè pretioſioribus bonis gloriæ dotetur, quam corpus. *1. Ratio.* *1. Cor. 6.*

2. 2. Ratio. Quibus accedit; quoniã Chriſtus Dominus eſt exemplar noſtræ gloriæ; iuxta illud Pauli ad Romanos 8, *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus*; Quem locũ ferè omnes Patres Græci, & Latini interpretantur de Chriſto, vt homo eſt: ita *Chryſoſtomus, Hieronym⁹, Anſelmus, & alij ferè omnes in eodem loco*, quibus accedit cõmunis explicatio recẽtiorum. *Caietani, Soti, Lacerdæ, & aliorum ibidem*, & probat D. Thomas *3. p. q. 56. art. 1. ad 3. in fine*: Vnde ſenſus eſt omnes prædeſtinatos eſſe electos, vt in gloria, Chriſto homini ſint conformes, ita vt Chriſtus homo ſit exemplar ad inſtar cuius omnes prædeſtinati ſunt beandi: & ideo beati illi conformabuntur, non ſolum quoad gloriam corporis. ſed etiam animæ. Imò principaliter conformandi ſunt quoad animam iuxta opinionẽ Origenis in Epiſtola ad Romanos lib. 7. dum ait imaginem Filij Dei in illo loco Pauli intelligendam eſſe animã Chriſti, quæ ſpeciali ratione dicitur imago filij Dei, quia eũ in ſe integrè ſuſcepit, & perfectiſsimè refert: deniq; in ea principaliter poſita eſt hęreditas filiorum, quam expectamus, & quę reuelabitur in nobis, vt idem Paul. ait in dicto cap. 8. *Chriſtus eſt exemplar. noſtræ gloriæ.*

ARTICVLVS II.

An in Angelis dentur dotes gloriæ?

1. In Angelis non ſunt dotes corpor. s IN hac quæſtione illud eſt certum, dotes, corporis nõ reperiri in Angelis, ſũt enim qualitates corporeæ, quæ in Angelis incorporeis reperiri non poſſunt.

2. In illis ſunt ornamenta, quæ in eis malus ſunt dotes. Eſt etiã certiſsimũ in Angelis beatis reperiri illa ornamenta, quæ in animabus beatis appellantur dotes; quidquid enim beaitudinis in anima beata reperitur, reperitur etiam in Angelis. In hoc igitur conueniunt omnes, de quo D. Thomas *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 4. & Sotus ibidem q. 4. ar. 2. concl. 2. cum alijs.* *D. Thom. Sotus.*

3. An in illos ſint dotes? ¶ Vtrùm verò dona gloriæ in Angelis habeant rationem dotis dubitare, qui;

Quod illis cõueniat ratio dotis. *Gloſſa Ordinar.*

quis poterit. Ratio dubitandi ſumetur ex Gloſſa ad illa verba Lucæ 12. *Et vos ſimiles hominibus, & cæt.* dum ait, *Chriſtum ad nuptias iuiſſe, cum poſt reſurrectionem Angelorum multitudinem ſibi copulauit.* Quibus verbis ſatis ſignificat, Chriſtum etiam cũ Angelis nuptias contraxiſſe, quæ ſine dote non intelliguntur, vt diximus ſuprà *q. 2. art. 1.* Idipſum patet ex gloſſa ad illa verba Canticorum 6. *Vnica eſt columba mea,* dum ait, *Angelos, & homines ad eandem columbam pertinere*; id eſt ad eandem Eccleſiam, quam in eodem lib. ſæpe appellat ſponſam.

Alia gloſ.

4\. Cõmunis ſẽtẽtia negat. *D. Thom. Richard. Ouand. Abulenſ. Bellomon. Salas.*

Cõmunis tamen Theologorum reſolutio eſt, rationẽ dotis propriè, & in rigore non conuenire Angelis, quæ fuit ſententia D. Thomæ *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 4. vbi etiam Richard. art. 3. q. 8. & Palud. q. 8. art. 3. concl. 1. Sotus. q. 4. art. 2. concl. 2. Ouãdus propoſitione 33. Abulenſ. cap. 17. Matthæi. q. 107. Bellom. 1. 2. diſp. 17. c. 2. Salas ibidem 1. tom. q. 4. art. 1. tract. 2. diſp. 8. ſect. 1. n. 2,* & inter Nouiores eſt receptiſsima.

Fundamentũ huiusopinionis.

Fundamentum eſt, quia nec toti Angelorũ Eccleſiæ, nec ſingulis Angelis propriè loquendo poteſt conuenire nomẽ ſpõſæ reſpectu Chriſti, & Dei. Iã verò, ſine diſponſatione, & matrimonio nõ datur ratio dotis. Cõfirmatur etiam authoritate Origenis relati ab Abulẽſi, & Soto, quatenùs diſtinguit quatuor perſonas, ſpõſã. ſ. ſpõſum, adoleſcentulas, & ſodales ſponſi; Angelos autẽ inter ſodales enumerat; ita inſinuãs eos inter ſponſas non enumerari.

5\. Media ſententia quod non habeat dotes in ordine ad Chriſtum Deũ.

Ego puto eligendã eſſe mediam ſentẽtiam: vt cõmunis opinio ſit vera in ordine ad Chriſtum, non tamen in ordine ad Deum: quę opinio non longê eſt à mente Abulenſis, & Soti, ſi illi benè expendantur. Quòd in Agelis in ordine ad Chriſtum non reperiatur vera, & propria ratio dotis, ex eo patet; quoniã Chriſtus Eccleſiam ſibi deſponſauit ſanguine ſuo, iuxta illud Pauli ad Epheſios. 5: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea*: in cuius figura dictũ eſt Exodi 4. *Sponſus ſanguinum tu mihi es*: Angelis autem per Chriſti paſsionem nihil gratiæ fuit collatum: vnde nec propriê dicuntur redempti Chriſti ſanguine, vt eſt doctrina Diui Thomæ communiori calculo recepta.

Ad Epheſ. 5. Exod. 4.

6\. 1. Ratio.

Sed quia oppoſita ſententia pluribus placuit; ſit ſecunda ratio, eaque communis; quia Angeli non ſunt ſimiles in natura ſpecifica cum Chriſto; quod tamen requiritur ad veram, & propriam deſponſationem.

At verò quòd in Angelis in ordine ad Deum poſsit vera ratio dotis reperiri, ſicut in anima, ex eo mihi facilè probatur; quoniam nulla ratio aſsignari poteſt, cur anima dicatur ſpõſa Dei, nõ tamen Angelus. Nec enim ſatis eſt ratio, à nõnullis adducta, Angelos nõ eſſe perſonas eiuſdem naturæ cũ Deo: quoniã, nec animæ eiuſdẽ naturæ ſunt cum illo; & tamẽ ſimpliciter dicuntur ſponſæ Dei. Cur igitur Angeli non dicentur ſponſæ? Sunt enim amore, & dilectione cum Deo coniunctiſsimi, & in natura magis propinqui. 7. Probatur 2. pars.

At inquit Richard. ad deſponſationem requiri, quòd quis fiat ſponſa de non ſpõſa: hoc autem non conuenire Angelis: cũ enim fuerint creati in gratia, ſi ſponſæ dici poſſunt, nunquam fuerunt nõ ſponſæ. 8. Obiectioes Riehar.

Sed ratio iſta non debet admitti: quoniã, vel illa conditio intelligenda eſt, de negatione, quę deſpõſationẽ tẽpore antecedat; vel ſolũ natura. Si priori modo; conditio ſine fundamento ponitur, quoniam virgo fuit creata in gratia; nec enim habuit peccatum originale; & tamen verè fuit ſponſa Dei. Et ſi Adamus non peccaſſet, omnes cũ gratia cõciperemur, vt vera habet opinio; tamẽ omnes eſſemus cũ Deo verè deſponſati. At ſi negatio illa ſola natura debet antecedere; falsũ eſt Angelos nunquã fuiſſe non ſponſos: nã cũ gratia Angelis collata non fuerit illis connaturalis, ſed gratuita; negatio illius neceſſariò præintelligitur; quia verè in illis ineſſet, ſi gratia ſimul cũ natura nõ infunderetur. Soluitur.

Si verò aliquis dicat, Deum ſtatuiſſe neminem ſibi deſponſare, niſi per ſanguinem filij ſui; & id confirmet, quia omnia ornamenta ſponſę fuerunt data ex meritis Chriſti: ſi inquam aliquis ita dicat, fundamentum ſumet ſine fundamẽto: tùm; quia nullum datur fundamentum, cur Deus illud ſtatueret: tum 2. quoniam ſi Adamus nõ peccaſſet, Chriſtus non incarnaretur, iuxta veriorem ſententiam; & tamen in ſtatu innocentię homines in terra, cum Deo ſponſalia contraherent, & in Cœlo matrimonium; & tamen haberent ornamenta non ex meritis Chriſti. 9. Alia obiectio. Soluitur.

Nec

10. 3. obiectio. Nec huic opinioni obſtat, quod ex Origene adducitur ex prima homilia ex duabus, quæ ante commentarios in cantica præponuntur pag. 302: nec enim Origenes ibi vult oſtendere, qui nam habeant rationem ſponſæ; ſed ſolùm explicat rationem, cur Salamon librum illum inſcripſerit Cantica Cãticorum, docetq; Salomonem introducere cãtilenam, quæ de more in nuptijs decantabatur ex duobus choris: ex choro inquam ſponſi cum ſodalibus, & ex choro ſponſæ cum adoleſcentulis, ſiue iuuenculis; vnde inter ſodales non ſolùm enumerat Angelos, ſed etiam homines. Quare Origenes nihil ad inſtitutum conducit. Et hæc ſatis ſint de iſto articulo, vt duę opiniones concilientur.

Explicatur Origen.

ARTICVLVS III.

An in Chriſto Domino reperiantur dotes?

1. In quo omnes conueniant. In Chriſto reperiãtur dona, quæ in animab' ſunt dotes. *Ad Eph.* 3 *Ad Rom.* 8.

CONueniunt omnes in Chriſto reperiri dona illa, quæ materialiter ſunt dotes, tùm animæ, tùm corporis; imò reperiri excellentiori modo, quàm in cæteris beatis Angelis, & hominibus; etenim beati cõformabuntur Chriſto per gloriam, iuxta illud Pauli ad Philip. 3: *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*: & ad Romanos 8: *quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: ex quo loco omnes deducunt, Chriſtum Dominum eſſe exemplar noſtræ gloriæ; inde eſt, vt in eo bonum ſpirituale non ſit particulatum, & diuiſum, ſed totaliter, & integrum, vt docet D. Thomas in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. ad 4: *nec enim illi Deus dedit ſpiritum ad menſuram*, vt dicitur Ioannis 3. Vnde habet rationem capitis influentis in membra. dona igitur, quæ confert, in eo perfectiori modo exiſtunt.

2. Dubium, an in Chriſto ſint dotes?

Non conueniunt tamen Theologi, vtrùm dona illa, quæ in beatis veræ ſunt dotes, in Chriſto veram habeant rationē dotis? Quidam teſte Diuo Thoma loco citato, putant rationem dotis in Chriſto reperiri ſecundùm quandam vnionem. Triplicem autem in eo vnionem diſtinguunt, & triplicem ſtatuunt propoſitionem. Prima eſt; *Chriſtus ſecundùm vnionē, quæ appellatur conſentanea* (qua Deo per amorem vnitur) *ſicut habet veram rationē ſponſæ; ita dona illius veram habent rationē dotis*. Secunda propoſitio: *Chriſtus ſecundum vnionem dignatiuam* (*qua humana natura vnitur diuinæ*) *poteſt habere rationem ſponſæ, & ideò ornamenta, quæ habet, habet ſub ratione dotis*. Tertia propoſitio: *Chriſtus ſecundùm vnionem, qua vnitur Eccleſiæ, nec dicitur ſponſa, nec ornamenta illius habent rationem dotis*.

1. opinio ſtatuit tres propoſitiones. Prima. Secunda. Tertia.

3. Quomodò Abulenſ. & Sotus explicent primã ſententiam

Hanc ſententiam ita interpretantur Abulenſ. & Sotus, vt prima propoſitio intelligatur de Chriſto, vt Deus eſt, & ſecundùm cõiunctionem diuinitatis, qua coniunctus eſt Patri, vt Doctores illi velint, Chriſtum, vt Deum, eſſe Patris ſponſam. Secunda verò intelligatur de humanitate, quæ per vnionem hypoſtaticam eſt coniuncta verbo; & velint illi authores, humanitatem Chriſti verè eſſe Chriſti ſponſam, & dona illius veram habere rationem dotis. Quare vtramque illam propoſitionem reprobant. Ego tamen non puto Doctores illos primam propoſitionem intellexiſſe de Chriſto, vt eſt Deus, ſed vt eſt homo, facta tamen comparatione cum Deo, cui homo ille per amorem copulatur: nam & in hoc ſenſu eam videtur interpretari D. Thomas: nec enim verba alium ſenſum patiuntur.

1. propoſitio intelligitur de Chriſto vt eſt homo.

4. 1. concl.

Vt tamen hæc omnia dilucidè explicentur, quæſtionem ſub quadruplici explicato ſenſu dirimemus. ¶ Sit prima cõcluſio: *Chriſtus, quatenus filius Dei, nec poteſt habere rationem ſponſæ reſpectu patris; nec vllas poteſt habere dotes, ſiue materialiter, ſiue formaliter*. Concluſio iſta, cum ſit de fide, nulli vnquam Catholico potuit eſſe dubia: vnde dici non poteſt oppoſitam fuiſſe aſſertam ab illis, quos refert D. Thomas, facilè demonſtratur: nam ſi verè eſt filius; quomodò ſponſa? Si omnino æqualis patri; quomodò poterit ſubijci patri ſubiectione ſponſæ? etenim ſpõſa ſubditur ſponſo, tanquam capiti ad *Romanos*. 7. 1. *Corinth*. 11. *ad Epheſios* 5. 1. *Timoth*. 2. Prætereà, ſi eiuſdem eſſentię cum Patre; quomodò poterit liberaliter dotari? Eſt enim de ratione dotis, quod ſit donatio: donatio autem ex ſe habet, quod ſit libera? Denique, ſicut ad rationē matrimonij requiritur diſtinctio perſonarum inter ſponſum, & ſponſam; ita etiam eſt neceſſaria diſtinctio naturæ;

Probatur.

hæc autem non datur inter filium, & patrem in diuinis.

5. 2. concluſio Secunda concluſio: *Natura humana, nec reſpectu Verbi, cui eſt hypoſtaticè coniuncta; nec reſpectu diuinæ naturæ, cui in perſona Verbi coniungitur, habet rationem ſpōſæ, & per conſequens illius dona non poſſunt habere rationem dotis.* Hæc concluſio ſtatuitur contra ſecundam propoſitionem præcitatæ opinionis. Probata eſt *D. Thomæ, Abulenſi, & Soto locis citatis*, atque etiam *Richard. in 4. diſt. 49. art. 3. q. 8. & cæteris omnibus*. Facilè oſtenditur: quia ratio matrimonij nec dari, nec fingi poteſt, niſi inter duas perſonas: opus eſt igitur, vt ſponſus, & ſponſa perſonaliter diſtinguantur. Diſtinctio autem perſonalis, nec reperitur inter humanitatem aſſumptam, & perſonam verbi aſſumentē; nec inter naturam diuinam, & humanam, quæ in eadem verbi perſona coniunguntur. Et hæc ratio ſumpta eſt à priori; nam ratio adducta à D. Thoma, & à cæteris, *quòd humanitas Chriſti, ſicut nunquam fuit non aſſumpta, ita nunquam fuit non ſponſa*, non ſatis eſt accommodata, vt patet ex præcedente articulo.

D. Thom. Abulenſ. Sotus. Richard. Vera ratio concluſionis.

6. Occurritur obiectioni ex Auguſt. Nec obſtat Gloſſa Auguſtini ad illa verba Pſalmi 18: *In Sole poſuit & cætera*, dum ait, *verbum Dei per incarnationē fuiſſe humanitati copulatum, vt ſponſum ſponſæ*: quoniam Auguſtinus nec dicit, verbum eſſe ſponſum, nec humanitatem eſſe ſpōſam; ſed ſolùm dicit, verbum eſſe humanitati copulatum ad modum, quo ſponſus copulatur ſponſæ; in hoc ſenſu: quia ſicut ſponſus ſuæ ſponſæ inſeparabiliter coniungitur, & eam in omnibus gubernat; ta etiam verbum inſeparabiliter eſt vnitum humanitati, & eam in omnibus dirigit: ita D. Thomas, Sotus, & alij.

7. Tertia concluſio. Tertia concluſio: *Chriſtus reſpectu Eccleſiæ, quam per gratiam ſibi coniunxit, nullo modo poteſt habere rationem ſponſæ, nec ad modū ſponſæ donis ſuis eſt dotatus; vnde nec dona illius poſſunt habere rationem dotis.* Eſt concluſio omnibus indubitata, facilè oſtenditur; quoniam in illa coniunctione, Chriſtus habet rationem ſponſi, Eccleſia verò ſponſæ; vt patet ad Epheſios 5: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt exhiberet ſibi, & cætera.* *Ad Eph. 5*

Apoc. 21. Apocalypſis. 21: *Veni, oſtendam tibi vxorem agni.* Vnde Chriſtus multis dotauit Eccleſiam, vt veram ſuam ſponſam, vt patet ex dicto cap. 5. ad Epheſios: vbi etiā dicitur, Eccleſiam eſſe ſubiectam Chriſto, tanquam ſponſo, & capiti.

Nec contradicit Aug. lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 31. dum ait, *Chriſtum ſecundùm regulam Ticonij propter vnitatem corporis myſtici, quæ eſt inter corpus, & membra, ſimul dici ſponſum, & ſponſam, in illis verbis Iſaiæ 61: quaſi ſponſum decorauit me corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis*: non obſtat, inquam; quoniam ex eadem Ticonij regula aliquando nobis intimatur vna, & eadem perſona capitis. ſ. & corporis; Chriſti, inquam, & Eccleſiæ. Quæ modo ſibi attribuit, quæ ſunt capitis, modo, quæ ſunt corporis: ita tamen, vt quid capiti, quid corpori conueniat, intelligatur, ſingula ſingulis referendo, quod idem Auguſtinus declarat, docens in illo Iſaiæ loco, vnam, & eandem perſonam, ex Chriſto, & Eccleſia intimatam loqui, quæ & ſponſum ſe nominat, & ſponſam: ſponſum quidem; ratione capitis, nimirum Chriſti: ſponſam verò; ratione corporis, nimirum Eccleſiæ. Quare Aug. pro noſtra potiùs eſt concluſione. Hæc eſt vera Auguſtini explicatio. Dici etiam poteſt, Chriſtum interdum aſſumere perſonam Eccleſiæ, vt vult D. Thomas, quem ſequuntur Abulenſ. & Sotus.

8. Auguſt. nō contradicit. Explicatio Auguſt.

9. Alia obiectio. Si rurſus obijcias, dotes deberi omnibus Eccleſiæ membris: Chriſtum autem eſſe membrum Eccleſiæ, iuxta illud 1. Corinth. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & mēbra de membro*, id eſt, de Chriſto, vt exponit Gloſſa: facilè reſpondet D. Thomas *vbi ſuprà artic. 3. ad 4. quem Abulenſis, & Sotus ſequuntur*; Eccleſiam vno modo accipi pro ſolo corpore, vt diſtinguitur à capite, qui eſt Chriſtus: altero modo pro toto corpore ex capite, & mēbris. Priori modo ſumitur à Paulo ad Epheſios 1: *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius*: & inferiùs: *Chriſtus, caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſaluator corporis eius*, id eſt Eccleſiæ, quam dicit eſſe ſubiectam Chriſto. Poſteriori modo accipitur ex ſententia Auguſtini Iſaiæ c. 61 iuxta regulam Ticonij ſuprà explicatam: ſimiliter in eodem ſenſu accipi poteſt apud Paulum in dicto cap. 12. ſi explicetur ad ſenſum Gloſſæ. Si Eccleſia priori modo ſuma-

1. Cor. 12. Solutio. *Ad Eph. 1*

ſumatur, Chriſtus nec eſt membrum Eccleſiæ, nec pars eius; & in hoc ſenſu tota Eccleſia dicitur ſponſa: vnde in ſingulis ſuis partibus, & membris dotatur. At poſteriori modo non ſolùm continet fideles, ſed etiam Chriſtum: & ita ſimul continet ſponſum, & ſponſam. In hoc ſenſu Eccleſia non in ſingulis membris dotatur; nec enim dotatur in capite; qui eſt Chriſtus.

10. 4. concluſio. Quarta concluſio: *Chriſtus Dominus, quatenus eſt homo, ſi conferatur cum patre, & Deo, ſicut non habet rationem ſponſæ, ſed aliquo modo; ita propriè dona ipſius non habent rationem dotis, ſed impropriè.* Concluſio ſatis eſt de mente *Richard. in 4. diſtin. 49. art. 3, q. 8. & Paludani ibidem q. 8. art. 3. concl. 1.* (*Richard. Paludan.*) Prior pars concluſionis à Richardo, & alijs ex eo oſtenditur; (1. pars oſtẽditur.) quia ad propriam rationem deſponſationis, & matrimonij requiritur, vt ſponſus, & ſpõſa ſint eiuſdem naturæ ſpecificæ: quæ identitas non datur inter Chriſtum hominem, & Deum. Sed hæc ratio parum vrget; (Non recipitur ratio.) quia ex ea ſequeretur, non dari veram rationem deſponſationis inter animam, & Deum: cuius oppoſitum omnes admittunt, vt patet ex q. 2. artic. 4. §. 2. Quare prior iſta pars ex eo videtur probanda; (Vera confirmatio.) quoniam Chriſtus, quatenus homo, per gratiam vnionis eſt filius Dei naturalis, iuxta illud Pauli ad Romanos. 1: *qui prædeſtinatus eſt filius Dei*, (*Ad Rom. 1.*) ſcilicet naturalis per gratiam vnionis, quæ eſt communis expoſitio, vt diximus in 3. p. in materia de prædeſtinatione Chriſti. Filius autem naturalis non ſatis accommodatè dicitur ſponſa: vnde nec dici poteſt, Chriſtus, vt homo, filius Dei adoptiuus. Accedit etiam; quoniam Chriſtus homo, ſi eſſet ſponſa Dei, eſſet etiam ſponſa ſui ipſius; quod non conuenit cum ratione deſponſationis: vnde in ſacris literis non legimus, aut patrem, aut Deum cum filio nuptias celebraſſe: cum tamen legamus Patrem feciſſe nuptias filio ſuo, quando eum dedit ſponſum Eccleſiæ. Cum igitur Chriſto homini in ordine ad Deum, & patrem ratio ſponſæ non admodum propriè conueniat, aut accommodetur; nec ratio dotis poterit illi accommodari. (Chriſto in ordine ad Deum non conuenit ratio ſponſæ.)

11. At tamen ſicut nihil impedit, quominus Chriſtus, vt homo, aliquo modo dicatur ſponſa Dei, cum illi per gratiam, & amorem ſit coniunctiſsimus, & eidem verè, & propriè ſit ſubiectus, vt cum D. Thoma 3. p. q. 20. art. 5. docent Theologi; (*D. Thom.*) ita nihil impedit rationem dotis poſſe aliquo modo accommodari donis beatificis Chriſti hominis. Vnde, ſi qui Patres in Chriſto aliquas agnoſcunt dotes, explicandi erunt in ſenſu improprio, & largè ſumpto. Et hæc dicta ſint de dotibus gloriæ, quæ in beatis reperiuntur.

QVÆSTIO IIII.

De duplici beatorum cognitione.

IN prima quæſtione generaliter oſtendimus beatitudinẽ eſſentialem Patriæ comitari quamplurima bona extrinſeca, & accidentaria, quorum nonnulla habent veram rationem dotis gloriæ, vt oſtendimus in 2. q. Conſequenter agendum eſt de ſingulis bonis, & perfectionibus eſſentialis beatitudinis. 1. (De perfectionibus ex parte intellectus.) Cum verò perfectiones illæ ſint in duplici genere; quoniam quædam earum ſunt beatificæ, & veluti connaturales proprietates beatitudinis eſſentialis: quædam verò non beatificæ, vt quia non verſentur circa Deum beatificum obiectum, ſed circa alia obiecta: comitantur tamen beatitudinem eſſentialem, vt accidentia veluti extrinſeca; quæ ad decentiam, & ornatum beatifici ſtatus pertinent. Prius igitur agendum erit de perfectionibus prioris generis: deinde de ijs, quæ generis ſũt poſterioris. ¶ De his autem, quæ pertinent ad primum genus, prius diſputabimus de perfectionibus intellectus: poſterius verò de ijs, quæ ſunt voluntatis. 2. (Ordo dicendorum.)

Ea, quæ ad perfectionem intellectus pertinent, hoc ordine explicabimus: primo enim loco diſtinguemus in beatis duplicem cognitionem: matutinam vnam, qua beati cognoſcunt Deum, & res in Deo: veſpertinam alteram; qua tam Deũ, quàm creaturas cognoſcunt in proprio genere. Deinde de ſingulis his cognitionibus diſputabimus. ¶ Quod attinet ad primum tres excitabimus articulos.

Primus eſt; vtrùm in beatis duplex ſit diſtinguenda cognitio, matutina ſcilicet & veſpertina?

Secun-

Secundus; quid in illis ſit vtraque cognitio?

Tertius; vtrùm omnis cognitio patriæ ſit vel matutina, vel veſpertina?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in beatis duplex ſit diſtinguenda cognitio: matutina. ſ. & veſpertina?

1. Datur duplex cognitio. DAri in beatis duplicem cognitionem toto genere inter ſe diſtinctam, nullus aut dubitauit, aut dubitare potuit; quoniam fides docet, dari in beatis viſionem, qua Deum vident, & perfectiones, quæ ſunt in Deo. Quòd etiam in ipſis detur cognitio creaturarũ extra Deum; imò etiam ipſius Dei extra ipſum, eſt indubitata doctrina: licet enim aliqui dubitent; an creaturæ formaliter videantur in Deo, & intra Deũ (id enim eſſe impoſsibile, aſſerit *Bellom.* 1. *p. diſp.* 50.) nullus tamen, nec ipſe Bellom. dubitauit, eas de facto à beatis videri extra Deum, notitia realiter diſtincta à viſione diuinæ eſſentiæ. *Bellom.*

2. Probatio ex ſacris literis. *Iſai.* 63. Hoc ex ſacris literis euidenter colligitur: nam Iſaiæ 63. Angeli inferiores interogant ſuperiores; *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Hoc autem non interrogarent, niſi & venientem viderent, & quiſnam ille eſſet, valerẽt cognoſcere: hæc autem cognitio facta eſt extra Deum: nam de ijs, quæ Angeli vident in Deo, non datur illuminatio vnius ab altero: quæ enim ibi videntur, certo videntur, & abſque vlla dubitatione, & â ſolo Deo docentur. Angeli etiam quamplurima myſteria nouerunt ex reuelatione, quæ à Deo facta eſt Eccleſiæ, vt ait Paul. *ad Epheſios.* 3. *vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientiá Dei.* Angeli etiam ſingulis hominibus dantur in cuſtodiam, vt eorum curam gerant; ſingulis etiam regnis præficiuntur: hanc autẽ curam nõ accommodatè exercerent, niſi quæ circa ſibi cõmendatos aguntur, certò cognoſcerent; idque cognitione terminata ad res, vt in ſe ipſis ſunt extra Deum. Denique quod attinet ad Angelos, certiſsimum eſt ſuperiores illuminare inferiores. Quod verò beati homines in cœlo inter ſe habeant politicam communicationem, & ſocietatem, inferiùs docebimus, & ſatis deducitur ex Pſalmo 121. *Hieruſalem, quæ ædificatur, vt ciuitas; cuius participatio eius in id ipſum:* quæ verba explicant quandam beatorum inter ſe communicationem, & amicabilem ſocietatem, vt ex Symacho, & Hieronymo oſtendimus 1. tom. lib. 5. q. 15. art. vnico n. 1: ſocietas autem illa ſimul habita fieri non poteſt ſine mutua & ipſorum, & rerum cognitione extra Deum: nam cognitio Dei, & eorum, quæ ſunt in Deo ſingulis eſt propria, nec alijs communicata. Denique beatos habere ſcientiam per ſe infuſam omnium rerum naturalium, & ſecum deferre habitus ſcientiarum, quos in via acquiſiuerunt, inferiùs in hoc libro oſtendemus. *Ad Ephe.* 3. — 3. Datur politica cõmunicatio. — *Pſal.* 121.

4. Datur in beatis ſcientia per ſe infuſa. Duplex cognitio. Quare indubitatum eſt apud omnes, in beatis dari plurimarum rerum cognitionem extra Deum, quas cognoſcunt per proprias ſpecies, vel ſibi infuſas, vel acquiſitas. Duplex igitur cognitio in beatis eſt admittenda: vna; qua Deum cognoſcunt, & ea, quæ ſunt in Deo. Altera; qua res cognoſcunt extra Deum in proprio genere. Inter vtramque hoc intereſt, quòd prior eſt beatifica, & ideò matutina; non tamen poſterior, vnde appellatur veſpertina. Quare toto genere vna ab altera diſtinguitur.

ARTICVLVS II.

Quod in beatis ſit cognitio matutina, & veſpertina.

1. Datur cognitio matutina, & veſpertina. QVod in Angelis beatis diſtinguenda ſit duplex cognitio, matutina ſcilicet, & veſpertina, omnes Theologi docent, vt patet ex Diuo Thoma 1. *p. q.* 58. *art.* 6. *&* 7. *& de Veritate q.* 8. *art.* 16. *&* 17. *Theologi in* 2. *diſt.* 12. Quæ diſtinctio, & denominatio ſumpta eſt ab Auguſtino, vt omnes cum D. Thoma fatentur: Auguſtinus enim cognitionem in verbo appellauit matutinã, ſiue diurnam, *lib.* 4. *de Geneſi ad literam c.* 30. *& lib.* 11. *de Ciuitate Dei c.* 29. Et hãc duplicem cognitionẽ Angelis beatis cõceſsiſſe, patet *in dicto lib.* 4. *à c.* 22. *cum ſequentibus, & in dicto lib.* 11. *de Ciuitate c.* 7. *& c.* 29. *& paſſim alibi.* Quod in beatis hominibus hæc etiam duplex ſcientia ſit diſtinguenda, & ſub eiſdem nominibus eiſdem *D. Thom.* — Sumitur ex Auguſtino.

2. eiſdem tribuenda, confirmat communis Theologorum conſenſus, ſaltem Recentiorum: nam quamuis apud D. Thomam, & antiquiores cognitio matutina, & veſpertina in ſolis Angelis legatur, nec in hominibus beatis, in illis reperiatur: tamen ſatis eſt vſus nouiorum, vt etiam illis accommodanda ſit. Qui vſus confirmari poteſt ex Auguſtino in dicto *lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 7.* vbi vtramque iſtam ſciẽtiam accommodat toti ciuitati ſupernæ Hieruſalem: & meritò, quia vtriuſque cognitionis ratio, & explicatio ſumpta ex Auguſt. optimè accommodatur cognitioni, quam beati habent in verbo, & extra verbum. Quare etiam in beatis hãc duplicem cognitionem admittemus, quã etiam in illis admiſit Ioannes de Salas 1: *tom. ad 1.2.q.3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 4. n. 39. pag. 259. col. 1.* vbi plures alios locos ex Auguſt. in huius confirmationem refert; falsò tamen; ſolùm enim illa colligi poteſt ex loco, quem citauimus.

Confirmatur ex Aug.

Salas.

3. Vtrùm illa ſit tantùm duplex, matutina. ſ. & veſpertina; & quæ ſit propria vtriuſque ratio, magna eſt inter Theologos confuſio, vt patet ex ijs, quæ ſcribit *Molina 1. p. q. 58. art. 6. & 7. & Salas vbi ſuprà*: quidam enim triplicem diſtinguũt cognitionem; ſcilicet diurnam, ſiue meridianam, matutinam, & veſpertinam, vt *Albert. in 3. diſt. 14. ar. 2. & in 2. p. Summæ tract. 4. q. 14. memb. 3. art. 2. Ægid. in 2. diſtin. 13. q. 1. artic. 3. dub. 3. literali, ad quam etiam videntur accedere D. Bonauent. in 2. diſt. 4. art. 3. q. 1. & 2. Richar. ibidem art. 4. q. 1. & 2*: apud quos vix intelliges, quæ ſit propria cuiuſque membri ratio.

Dubium vtrùm cognitio ſit tãtùm dupl.

Molina.

Salas.

Quidam ponunt triplicem.

Alber.

Aegidius.

D. Bonau.

Richard.

4. Quare omiſsis ijs, quæ præcitati Theologi ſcribunt, ſtatuendum eſt cum communi ſententia, duplicem tantùm cognitionem tâm in Angelis, quàm in hominibus eſſe diſtinguendam, vnde duplicem tantùm iſtam in Angelis admiſimus 1. tom. lib. 5. q. 16. art. 3. n. 245. quæ eſt ſententia D. Thomæ *locis citatis, & vbicunque hac de re loquitur*; & cum hæc iam ſit recepta ſententia, non eſt, quod alios doctores referamus: ſatis ſit, quod Auguſt. ſolam hanc duplicem diſtinctionem poſuit: quare cum ab illo hęc diſtinctio ſumpta ſit, vt fatetur D. Thomas, non eſt, quod aliam admittamus: nam quam *lib. 11. de Ciuit. dicto cap. 29. appellauit diurnam*, eam in cæteris omnibus locis matutinam dixit: vnde duplicem tantùm diſtinxit cognoſcẽdi rationem; vnã; qua cognoſcuntur res in Verbo: alteram, qua cognoſcuntur in ſe ipſis: illam matutinam vocauit; hanc veſpertinam.

Duplex tãtum cognitio eſt admittenda.

D. Thom.

Auguſt.

Quæ ſit vna, & altera; magna eſt authorum varietas. Plures volunt, Auguſtinum, hanc diſtinctionem ſolùm poſuiſſe in cognitionibus nõ beatificis, vnde viſionem beatificam, nec matutinam, nec veſpertinam appellant, tanquam non comprehenſam ſub diuiſo. Vtrãque explicant modo quodam peregrino, & extraordinario; ita *Durand. in 2. diſt. 4. q. 1. ad 1. Marſil. in 2. q. 4. ad 8. argum. Scot. in 2. diſt. 3. q. 9. §. Ad quæſtionem, verſiculo, Tertiò perſuadetur*, matutinam cognitionem admittit, eam tamen appellat, qua res cognitione beata & intuitiua cognoſcuntur in Deo; veſpertinam verò, qua res cognoſcuntur in eodem Deo, cognito tamen abſtractiuè per ſpeciem abſtractiuè repręſentantem ipſum Deum: cum verò hanc cognitionem abſtractiuam in ſolis Angelis admittat; in ſolis illis admittit cognitionem veſpertinam. Tertio loco Bellom. 1. p. diſp. 51. eam cognitionem appellat matutinã, qua cognoſcitur Deus in ſe ipſo, & res vt in Deo habent eſſe increatum: eam verò appellat veſpertinam, qua res extra Verbum in ſe ipſis cognoſcuntur. 5.

Dubiũ quid nam vtraq; ſit.

Quidã hãc diſtinctionem ſolum admittunt in non beatificis.

Durand.

Marſil.

Quomodò eam diſtinguat Scot.

Tertia explicatio ex Bellom.

Sed his, & alijs explicationibus omiſsis, dicendum eſt cum communi ſententia, Auguſtinum eam cognitionem appellaſſe matutinam, quæ eſt rerum in Verbo, & intra Verbum; veſpertinam autem, quæ habetur de rebus in ſe ipſis in proprio genere, & per proprias ſpecies. Hanc eſſe communem omnium explicationem contra Bellom. multis oſtendimus ſuprà lib. 5. q. 16. art. 3. §. 5: nam Auguſtinum vtrumque diſtinctionis membrum præcitato modo explicaſſe, facilè conuincitur ex multis Auguſtini locis: nam libr. 4. ſupra Geneſim ad literam c. 23. in principio ita ait: *Multum intereſt inter cognitionem rei cuiuſque in Verbo Dei; & cognitionem in natura eius; vt illud meritò ad diem pertineat; hoc ad veſperam: in cõparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conſpicitur, eius cognitio, qua creaturam quamlibet in ſe ipſa nouimus, non immeritò* 6.

Vera explicatio.

7. Probatur ex Auguſt.

nox

nox dici poteſt. Ex quibus verbis ſatis euidenter colligitur Auguſtinum cognitionem rerum in verbo Dei appellare matutinam; veſpertinam verò, quæ res cognoſcit in propria cuiuſque natura. Et eodem modo duas iſtas cognitiones diſtinxit in *dicto lib. 4. c. 28. 34. & 35. Lib. etiam 11. de Ciuit. Dei c. 29*, vtranque eodem modo explicat, ita inquiens: *ipſam quoque creaturam melius ibi* (ſcilicet in verbo diuinaque ſapientia, & arte) *quàm in ſe ipſis: ibi ergo, tanquam in cognitione diurna; in ſe ipſis autem, tanquam in veſpertina: multum enim diſtat; vtrùm in ea ratione cognoſcatur aliquid ſecundum quam factum eſt; an in ſe ipſo*. Denique in eodem lib. 11. cap. 7. ita habet: *Cognitio creaturæ in ſe ipſa declaratior eſt, vt ita dicam, quàm, cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte, à qua facta eſt: ideò veſpera congruentius eſt*.

8. Reijcitur explicatio Durandi, & Marſilij.

Ex his verbis primò infertur, reijciendam omnino eſſe opinionem Durandi, & Marſilij, dum negant, Auguſtinũ in hac diſtinctione non comprehendiſſe cognitionem beatificam, qua res in Deo cognoſcuntur: etenim Aug. agit de cognitione, qua res cognoſcuntur in verbo, in Dei ſapientia, & in arte, à qua res ſunt factæ.

9. In quo Scotus admittatur.

Secundò infertur, Scotum cognitionem matutinam ad mentem Auguſtini explicaſſe; non tamen veſpertinam: etenim in locis citatis manifeſtè aſſerit Auguſtinus, res cognitione veſpertina cognoſci, non quidem in verbo intuitiuè, aut abſtractiuè cognito, ſed in ſe ipſis, & in ſua natura. Iam verò cognitio illa abſtractiua Dei, de qua agit Scotus, etiam ſi admitteretur in Angelis (quæ tamen non admittitur, vt diximus lib. 6.) non eſſet cognitio rerum in ſe ipſis, ſed in verbo, vt ipſe Scotus fatetur.

10. Bellomon. aberrat ab Aug.

Denique infertur, longè à mente Auguſtini eſſe, explicationem Bellomontani: conſtat enim Auguſtinum docuiſſe, res creatas videri ab Angelis in verbo, hoc eſt in Dei ſapientia, & in arte diuina, à qua factæ ſunt: quæ viſio non poteſt non eſſe rerum in verbo, & intra verbũ. Et hæc ſatis ſit dixiſſe contra Bellomontanum: nam quòd res creatæ ab Angelis, & beatis videantur, non quidem cauſaliter, ſed formaliter, & intra verbum, contra eundem latè oſtendimus 1. tom. lib. 5. q. 16. art. 3. non ſolùm ex mente Auguſtini ibidem §. 5. & 6. ſed etiam abſolutè, & ſecundum veritatem in toto illo art. 3.

ARTICVLVS III.

An omnis cognitio Beati in Patria ſit, vel matutina, vel veſpertina?

SOlum reſtat explicandum, vtrùm omnis cognitio, quæ in beatis reperitur, pertineat, vel ad cognitionem matutinam, vel ad veſpertinã? An aliqua in illis detur, quæ nec vna ſit, nec altera? Hanc quæſtionem de Angelis excitat D. Thomas *de Veritate q. 8. art. 17.* & reſoluit cognitionem naturalem Angelorum nec matutinam eſſe, nec veſpertinã. Fundamentum eſt, quia non eſt cognitio gratuita, nec poteſt à veſpere redire ad mane, quod ex Auguſtino in Angelis requiritur, vt cognitio ſit veſpertina. 1. Quæſtio. Cognitio naturalis angelorũ neutra eſt.

Ex qua ſententia idem dicendum erit de animabus beatis, vt cognitio, quam habent in patria ex ſcientijs, & ſpeciebus, quas in via acquiſiuere, nec matutina ſit, nec veſpertina: ſimiliter nec illa, quæ in patria, iuxta aliquorum ſententiam, poteſt naturaliter de nouo acquiri: neutra enim harum eſt cognitio gratuita, [illegible] naturalis; vnde ad neutrum membro[illegible] pertinere poteſt. Quare ex mente Diui Thomæ ad hanc diuiſionem ſolùm pertinet viſio Dei, & creaturarum in Deo, quæ eſt beatifica; & viſio rerum in ſe ipſis, quæ à Deo beatis gratis conceditur; qualis eſt cognitio eorum, quæ extra verbum illis de nouo reuelantur; & viſio ſupernaturalium, & naturalium rerum, quę per ſpecies infuſas habetur. 2. Idem dicendum eſſe de cognitione naturali animarum.

Probanda eſt opinio, quia placuit D. Thomæ: at tamen communis vſus loquendi iam obtinuit, vt omnis cognitio rerum in proprio genere, ſiue fiat per ſpecies per ſe infuſas in ingreſſu patriæ, ſiue per ſpecies acquiſitas, aut in patria, aut in via, dicatur veſpertina: omnis enim iſta cognitio poteſt ab ipſa veſpera terminari in mane; quia beatus ex illa poteſt Deum laudare. Nec video, cur omnis cognitio veſpertina neceſſariò debeat cauſari ex matutina; quamuis in Angelis ad diſtinguendos ſex dies, in quibus Deus 3. Iam omnis cognitio rerũ in proprio genere dicitur veſpertina.

rer

Cognitio veſpertina non neceſſariò cauſatur ex matutina.

res creauit, veſpertina deſcenderit ex matutina, vt ex Auguſtino colligitur. Fortè nunc id nec in Angelis, nec in nobis eſt iam neceſſarium. Et hæc de duplici cognitione matutina. ſ. & veſpertina generaliter ſint dicta.

QVÆSTIO V.

De Viſione Dei, & creaturarum in Deo.

EXplicata duplici viſione, matutina. ſ. & veſpertina, quæ in intellectu beati reperitur; conſequenter explicanda ſunt ſingula illius diuiſionis membra. Et quia matutina cognitio eſt beatifica, primùm de ea agendũ erit: deinde de veſpertina, qua res cognoſcuntur in proprio genere. Poſtremò agemus, vtrùm in intellectu beati poſsit dari error; aut incuidentia? Quibus explicatis, explicatæ manebunt perfectiones omnes, quæ ad intellectum beati pertinent.

De viſione igitur Dei, & rerũ in Deo, hoc ordine procedemus. Primo loco dicemus de ipſa viſione in ſe ipſa. Deinde de ea, vt terminatur ad creaturas in Deo viſas. Tertio loco expendemus; quomodò ſe habeat intellectus beati circa diuinam eſſentiam, & res viſas in ea, in ordine ad conceptus, quos format de ipſis.

Quòd attinet ad primum: de ipſa viſione in ſe ipſa plura ſunt inquirenda, vt ex ſequentibus articulis patebit.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Viſio, qua beatus Deum videt, ſit formalis beatitudo eius?

1. DE viſione, qua beatus Deũm videt; primùm inquiri poteſt; vtrũ illa ſit formalis, & eſſentialis beatitudo ipſius beati? Quæſtio controuerſa

1. opinio negat.

eſt. Negant illi, qui beatitudinem ponunt in ſolo actu voluntatis, vno vel pluribus. Auctores huius ſententiæ ſunt noſter *Gerardus de Senis in 1. diſt. 1. q. 1. art. 2. & 3. Varro item, & Ioannes Floreſtarius*, vt diximus 1. tom. lib. 4. q. 10. & 12. vtrobique art. 1. Quin potius ibidem q. 7. art. 2. §. 2. n. 9. & q. 10. art. 1. n. 2. oſtendimùs

Gerard. Varro. Floreſtar.

ad hanc ſententiã abſque dubio acceſsiſſe Scotum contra nonnullos, quos ibidem citauimus. Affirmant tamen cæteri omnes, non ſolum, qui ponũt beatitudinem in ſola operatione intellectus, quos retulimus in dicto lib. 4. q. 8. art. 1. ſed etiam, qui eam ponunt in actu, tùm intellectus, tùm voluntatis, de quibus in dicto lib. 4. q. 12. art. 3: omnes enim ex parte intellectus beatitudinem ponunt in viſione.

Scotus.

2. Affirmatiua eſt communis.

Hanc difficultatem ita diſſoluemus, vt apud eos, qui beatitudinem ponunt in vnica tantùm operatione, problema ſit pro vtraque parte ſatis probabile, quod viſio ſit formalis beatitudo, & quod non ſit: nam problema eſt, an beatitudo ponenda ſit in ſolo actu intellectus; an verò in ſolo actu voluntatis. Quòd in viſione eſſentialiter ponatur latè cõfirmauimus in dicto lib. 4. q. 8. & 9: oppoſitam tamẽ, vt æquè probabilem ibidem defendimus q. 10. & 11. Porrò ſi beatitudo eſſentialiter ponitur in pluribus actibus (quod eſſe probabile diximus in eodem lib. 4. q. 7.) beatitudo non poteſt non includere viſionem, vt latè demonſtrauimus ibidẽ q. 12: reiecta, vt improbabili, opinione noſtri Gerardi.

Reſolutio.

Quid ſi ponitur in vna operatione?

3. Si admittis beatitudinem per ſe includere viſionem, vel ſolam, vel ſimul cum actu dilectionis; in hoc poſita erit perfectio intellectus, quôd totus homo per actum illius per ſe eſt beatificabilis: perfectio autem viſionis in hoc conſiſtet, vt ſit formalis aſſecutio obiecti beatifici, vel totalis, ſi ſola viſio eſt beatitudo; vel ſaltem prima; ſi beatitudo eſſentialiter etiã includit actum voluntatis. Vtra illarum ſit principalior? alterius eſt quæſtionis, de qua inferiûs, dum agemus de perfectionibus voluntatis beatæ.

Quid ſi in pluribus?

4. Porrò ſi viſionem à formali ratione beatitudinis excludis; viſionis excellentia in hoc erit poſita, quôd ipſum obiectum beatificum facit eſſe obiectiuè præſens, vt immediatè per actum voluntatis beatificè teneri queat, & poſsideri, ſine qua præſẽtia nullo modo dari poteſt formalis beatitudo. Quomodò autem concurrat ad actum dilectionis? diximus in dicto lib. 4. q. 10. art. 4. n. 33. & art. 5. n. 4: ſolùm enim concurrit, vt conditio præſentans voluntati obiectum ipſum beatificum. Vnde poſita illa opinione, viſio

Quid ſi viſio excluditur à Viſione beatitudinis?

viſio per ſe ordinatur in amorem, tanquã in finem, vt eodem loco oſtendimus. Oppoſitum dicendum erit, ſi viſio eſſentialiter eſt beatitudo. Sed de hoc inferiùs iterum redibit ſermo.

ARTICVLVS II.

An viſio beata ſit ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam?

§. 1.

Refertur opinio negans.

1. Pars negãs varie explicatur.

EXplicationẽ huius quæſtionis promiſimus ſuprà lib. 4. q. 9. ar. 3. n. 7. Partem negantẽ plures probarũt; tamen eam non eodem modo explicant.

1. explicatio hæreticorum.

Nam Begardi hæretici, & Beguinæ non poſſunt nõ fateri, viſionẽ diuinæ eſſentię eſſe omnibus modis naturalẽ ſecundum ſubſtantiã; ita vt in illa nullã admittant ſupernaturalitatẽ, etiam quoad modũ; cum enim exiſtimauerint intellectualẽ naturam ſuis viribus abſque vlla ſupernaturali eleuatione poſſe habere viſionem Dei, etiã in ea perfectione, qua habetur in patria; ſentiant, oportet, eam ſecundùm ſuã ſubſtantiam eſſe ſimpliciter naturalem: quod enim viribus naturæ haberi poteſt, non poteſt non eſſe naturale in ſua ſubſtantia.

2. Opinio Durandi.

Durandus non poteſt non cõcedere id ipſum; non quidem ſimpliciter, & omnibus modis; ſed ita, vt ſecundùm ſubſtantiam ſit naturalis; ſupernaturalis tamen quoad modum: licet enim aſſerat in 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *n.* 24. ſublatis impedimentis naturalibus, intellectum poſſe ſuis proprijs, & naturalibus viribus abſque vlla ſupernaturali illarum eleuatione videre diuinam eſſentiam; tamen cum impedimenta illa auferri nequeant viribus naturæ, ſed ad id opus ſit aliqua Dei gratia, & gratuita liberalitate; non poteſt non admittere viſionem aliqua ratione eſſe ſupernaturalem quoad modum, & per conſequens apud Durandũ viſionis ſubſtantia erit naturalis, modus verò ſupernaturalis.

3. 3. explicatio quorũdam. *Bellom.*

Nonnullos approbaſſe viſionem ſecũdùm ſubſtantiam naturalem eſſe, etiam vt eſt elicita à lumine gloriæ, ſupernaturalem tamen quoad modum, refert *Bellom.* 1. *p. diſp.* 47. *c.* 6. *n.* 36. neminem tamen refert: at tamen id aſſeruit Bañes 1. *p. q.* 10. *art.* 5. *dubio* 4. *ad vltimum*, affirmans viſionem beatam verè habere ſubſtantiam naturalem. Quod ipſum probat Cumelius *ibidem q.* 4. *ad vltimum argum.* & mihi id ipſum probat Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 4. §. *Contra concluſionem, verſiculo probatur ſecundò.* Qui tamen omnes longè aliter explicant ſupernaturalitatem modi, quam explicãda ſit apud Durand. etenim apud iſtos Theologos viſio intrinſecè modificatur à lumine gloriæ; quia lumen actiuè influit in eam; cum tamen apud Durand. nihil ſupernaturale detur, quod influat in ſubſtantiam illius; ſed ſolùm concurrit liberalis quædam, & gratioſa præſentatio diuinæ eſſentiæ, quæ in ſubſtantiam viſionis nullam habet influentiam.

Beañs. *Cumelius.* *Scotus.*

Supernaturalitas quoad modum varie explicatur.

4. Tres de propoſita quæſtione ſententiæ.

Ex his iam patet, in hac opinione tres eſſe diſtinguendas opinandi vias. Prima eſt hæreticorum, qui volunt viſionẽ eſſe omnibus modis naturalem, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundùm modum. Secunda eſt Durandi, quæ aliquam ſupernaturalitatem admittit, quæ ſubſtãtiam viſionis modificet, extrinſecè tamen abſq; vlla influentia in ſubſtantiam illius. Tertia eſt Theologorum, quos citauimus, apud quos ſubſtantia viſionis ex ſe naturalis ipſa actiua luminis influentia intrinſecè afficitur, & modificatur.

5. 1. confirm.

Hæc ſententia iuxta primam viam cõfirmari poteſt argumentis hæreticorum, quibus probant, beatitudinem viribus ſolius naturæ eſſe acquiſibilem, quæ latè adduximus ſuprà lib. 6.

6. 2. confirm.

Secundò confirmabitur fundamento Durandi: quoniam illa operatio eſt naturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiã, quæ virtute naturali ſupernaturaliter nõ eleuata produci poteſt: quod enim ſecundũ ſuam ſubſtantiam eſt ſupernaturale, neceſſariò pendet ab aliquo agente ſupernaturaliter influente in illius ſubſtantiam. Sed viſio diuinæ eſſentiæ poteſt produci ab agente naturali ſecundùm proprias & naturales vires abſque vlla ſupernaturali influentia, vt probat Durandus: diuina enim eſſentia continetur ſub obiecto naturaliter illi adæquato. Ergo talis viſio erit naturalis ſecundùm ſubſtantiam, quamuis habeat annexam aliquam ſupernaturalitatem quoad modum.

7. 3. confirm. Tertiò poteſt cõfirmari ex fundamẽto tertiæ viæ: quia ſubſtantia viſionis eſt à naturali virtute intellectiua intellect⁹: etenim intellectus etiam eleuatus ſecundum ſuam naturalem virtutem influit in ſubſtãtiam viſionis. Iam verò cuius ſubſtantia eſt à cauſa naturali, naturale eſt ſecundùm ſubſtantiam.

8. 4. confirmatio. Quarto & vltimo: viſio in patria, & actus fidei in via cõueniunt in entitate. Sed actus fidei eſt naturalis ſecũdum ſubſtãtiam, ſupernaturalis verò quoad modum. Ergo viſio etiã erit ſecundũ ſubſtantiam naturalis, & ſupernaturalis quoad modũ. Maior probatur: quia modus claritatis, & obſcuritatis ſunt modi accidentales entitati tum fidei, tùm viſionis: actus enim fidei, ſi illi accedat claritas, & euidentia ſciẽtiæ, trãſibit in actũ ſcientiæ, vt plures volunt. Eodẽ igitur modo, ſi claritas viſionis patriæ accedat ad actũ fidei, fides ipſa erit viſio: quod eſſe non poteſt, niſi actus viſionis in Patria, & actus fidei in via cõueniant in entitate, quæ fuit maior. Minor autẽ ex eo videtur probari, quia ad actum fidei non cõcurrunt ſpecies per ſe infuſæ, ſed solùm acquiſitæ: quod non eſſet, ſi actus fidei ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſet ſupernaturalis.

§. 2.

Vera eſt opinio affirmans.

9. Viſio eſt ſupernaturalis ſecundũ ſubſtantiã. His tamen nõ obſtantibus, dicendũ eſt, viſionem diuinæ eſſentiæ eſſe ſupernaturalẽ ſecundũ ſubſtantiã. Quæ opinio inter Theologos eſt cõmunis: eam probant omnes, qui docẽt viſionem iſtã à ſolo Deo eſſe producibilem, quos retulimus ſuprà lib. 10. q. 1: inde enim inferunt, viſionẽ ſecundum ſubſtantiam eſſe ordinis diuini. In terminis eam probarunt *Caiet. 2.2. q. 171. art. 2. in reſp. ad 3. D. Thomæ, §. Ad horum euidentiam in fine, & §. Ad 1. ergo obiectum, Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 4. §. Attamen nec hæc concludit, Mol. 1. p. q. 12. art. 6. diſp. 5. Suar. lib. 2. de Attributis negat. c. 8. concl. 2. n. 7. Bellom. 1. p. diſp. 47. c. 6. n. 36. & 1. 2. diſp. 22. c. 2. n. 12. & 15. Salas tom. 1. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1. n. 4. §. Porrò cum aſſerimus, pag. 202. col. 1, Albertin. in corollarijs q. 1. theologica coroll. 1. pag. 22. D. 2. ſatis Fonſ. lib. 5. Metaph. c. 13. q. 12. ſect. 4. in fine.* (*Caiet. Sotus. Molina. Suar. Bellom. Salas. Albert. Fonſeca.*)

10. Probatio quorundã. Actum fidei eſſe ſupernaturalẽ ſecundum ſubſtãtiam quidam affirmant. Hanc veriſsimam ſententiã plures ex eo probant, quòd actus virtutum Theologicarũ Fidei, ſ. Spei, & Charitatis, ſunt ſupernaturales ſecundum ſubſtantiã. Ergo talis erit actus viſionis beatificæ. Cõſequentia patet: tum; quia actus illarũ virtutum ſunt ad viſionẽ, vt patet: tum etiã; quia viſio eſt actus altioris ordinis. Quare ſi illi ſunt ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam, viſio etiam talis erit. Antecedẽs verò communiter docetur à Theologis: hanc ſententiam quidam tribuũt *D. Thomæ 2. 2. q. 6 art. 2. & Richar. in 3. diſt. 23. art. 7. q. 2. Eam expreſſè probat Medina 1. 2. q. 62. art. 2. concl. 2. & 4. eſſe veriorẽ ſententiam, & noſtro tempore magis receptã teſtatur Suar. 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 6. pag. 603. B. 1. eandem, vt ſimpliciter veram probauit lib. 2. de attributis negat. c. 8. n. 11. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1, pag. 202. col. 2. poſt medium, Albertin. q. 5. Theologica in quinto corollario, pag. 253. col. 1. & plures alij*, qui omnes admittunt illud antecedens. A fortiori igitur viſio beata erit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. (*D. Thom. Richar. Medina. Suar. Salas. Albertin.*)

11. Argumentum ſumit quod eſt dubium. Hoc tamen argumentum ſumit antecedens non ſatis certum, nec ab omnibus conceſſum: licet enim omnino admittendum ſit, actus illarum virtutum eſſe ſupernaturales; nõ tamen omnes admittũt, eos eſſe ſupernaturales ſecundum ſubſtãtiam, ſed plures id negant, & negare debent, qui hoc negant viſioni beatæ. Quin potiùs Medina, & Albertin. putant, D. Thomam illud negaſſe 2. 2. *q. 171. art. 2. ad 3.* nõ ſolùm quatenus ait, diligere Deũ quoad ſubſtantiam actus non eſſe ſupernaturalem, ſed ſolùm quoad modum; ſed etiam quatenus generaliter docet donũ gratiæ habituale non dari ad ea, quæ ſecundùm ſubſtantiã actus ſunt ſupernaturalia: cum verò ad actus virtutum Theologarũ detur donũ habituale; quia ad eos infunduntur habitus Theologales; benè infertur, illos actus ex ſentẽtia D. Thom. nõ eſſe ſupernaturales in ſua ſubſtantia. Quã ſententiã pleriq; tribuunt Caietano *in d. q. 171. ar. 2. ad 3. D. Thomæ, & 1. 2. q. 109. ar. 4. non longè à fine, §. Vnde dicitur ſecundò.* Eandẽ tribuunt Capreolo *in 1. diſt. 17. q. 1. ad argumenta Aureoli 2. loco contra primam, & 2. fol. 155. col. 1. & clariùs ad 3. Gregorij contra ſecundam, fol. 157. col. 2.* (Plures illud negant. Tribuitur Caietano. *Capreol.*)

Nec D. Th. nec Caieta. nec Capre. id negant.

Ego tamen puto nec D. Thomam, nec Caietanum, nec Capreolũ, ſi benè explicentur, negaſſe actus virtutum theologicarũ eſſe ſupernaturales ſecundum ſubſtantiã. Verùm quia res eſt ſub dubio, & veritas antecedentis longiorem poſtulabat excutionẽ, omiſſo hoc medio, quia etiam eſt à poſteriori, conabimur rem oſtendere à priori.

12. Inquiritur ratio à priori.

Quare, vt res iſta fiat euidentior, generaliter explicandũ erit, vnde nam per ſe ſumenda ſit ſupernaturalitas actus quoad ſubſtantiam, & entitatem: hoc enim explicato facilè demonſtrabitur, viſionem beatam ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalẽ. Hac de re ſcribunt *Scotus in 1. q. prologi q. 1. §. Ad quæſtionem igitur litera L. M. N. & Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. §. In ratione ad 3. verſiculo Ex his autẽ patet, & 2. 2. q. 171. art. 2. §. Ad horũ euidentiã, Suar. lib. 2. de attrib. neg. c. 8. n. 8. & Bellomont. 1. p. diſp. 214. cap. 2. n. 8*: qui omnes, quanuis varijs modis id explicent; in re tamen omnes cõueniunt, ſi attentiùs expendantur. Dicendum eſt igitur, illum actũ ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem, qui ſecundum propriã, & ſpecificam rationem differentiamq; conſtitutiuam ſuæ entitatis, ita excedit naturam cuiuſque rei creatæ, vt nulla ratione poſsit illi eſſe naturaliter debitus: quod enim tale eſt, ideò eſt tale, quia ſecundum ſuã entitatem eſt ſupernaturalis ordinis: nam ſi eſſet naturalis actus, vtique alicui rei creatæ, eſſet connaturalis. Quare optima eſt explicatio Caietani 1. *p. q.* 12. *loco citato*, dum ait, illam formam eſſe ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiã, quæ nulli rei creatæ poteſt eſſe connaturalis: id eſt, quæ à principijs nullius naturæ creatæ poteſt oriri, ſiue emanare. Cum Caietano concinit Bellom. dum ait, ens ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam dici in ordine ad ſubiectum; quia. ſ. cuicũq; ſubiecto creato, ita aduenit ab extrinſeco, vt nullum ſubiectum ſuapte natura tale ens, perfectionemque expoſcat, ſed à Deo ſupra naturalem inclinationem in eo producatur: quod enim tale eſt, non poteſt eſſe alicui connaturale.

Vnde ſumatur ſupernaturalitas ſecundũ ſubſtantiam. Scotus. Caiet. Suar. Bellomon.

Vera reſolutio.

13. Probatur Caiet.

Probatur Bellomon.

14. Quorundã explicatio.

Simili modo optima eſt explicatio eorum, qui ſupernaturalitatem iſtam ex eo deducunt, quod entitas propria, & ſpecifica talis eſt, vt fieri non poſsit, per naturalem potentiam creaturæ cum generali concurſu Dei ſibi debito. Quo modò ſupernaturalitatem iſtam explicauit Suarius loco citato, & ſatis conſentit Caietanus 1. p. dict. q. 171. loco citato, dum ait, illum actum eſſe ſupra facultatem humanæ naturæ quoad ſubſtantiam actus, qui facultatem humanæ naturæ excedit, ita vt ab homine naturali ſua facultate fieri nequeat.

15. Sumĩ poteſt in ordine ad agens.

Denique in ordine ad agens optimè deduci poteſt ſupernaturalitas actus in ſua ſubſtantia: non enim poteſt non eſſe in ſua ſubſtantia ſupernaturalis, ſi facultatem cuiuſque agentis naturalis ita excedat, vt ſolùm ſit producibilis à Deo, vt agente omnibus modis ſupernaturali. Quare non eſt quod Scotus reprehendatur à Caietano in *dicta q. 12. artic. 5.* quod ſupernaturalitatem explicauerit in ordine ad agens: licet enim nobis contradicat, dum ait, naturale, & ſupernaturale non diſtingui in ordine ad ſubiectũ (ponit enim in homine potentiam paſsiuam naturalem ad actus ſubſtantialiter ſupernaturales) conſentit tamen nobiſcum, dũ ait, illud dici ſimpliciter ſupernaturale, quod non poteſt produci in ſubiecto, niſi ab agente, quod non naturaliter, ſed ſupernaturaliter abſque vllo debito actum infundit. Quare decipitur Bellom. 1. *p. q. 1. art. 1. in poſteriori dubitatione circa text.* dũ ait, Scotum docuiſſe, nullam formam, & perfectionẽ, qua fini noſtro cõiungimur, eſſe ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiã: ſed de hoc alibi latiùs egimus: modò ſatis nobis eſt ſupernaturalitatẽ in ſubſtantia cuiuſq; formæ, & actus, ex eo neceſſariò demonſtrari, quod talis actus ſecundum ſuam propriã, & ſpecificam entitatẽ ita excedit naturã cuiuſq; rei creatæ, vt nulla ratione poſsit illi eſſe naturaliter debitus, nec per vllam naturalem virtutem poſsit in ea produci.

Scotus non bene reprehenditur à Caietano.

Bellomon. falſum imponit Scot.

16. Vera reſolutionis confirmatio.

Hac ſuppoſita Theologia, iam euidẽter demõſtratur, viſionẽ beatã ſecundũ ſuam ſubſtantiã, & entitatẽ eſſe ſupernaturalẽ: etenim ſecundum ſuam propriã, & ſpecificã entitatẽ ita excedit quãcunque intellectualẽ naturã creatã, vt nulli poſsit eſſe naturaliter debita, vt contra Begardos, & Beguinas diffiniuit Conc. Viẽnenſe in Clement. *Ad noſtrũ* de hæreticis; ſed etiã ita excedit naturales vires cuiuſq; creati intel-

intellectus,vt niſi ſupernaturaliter eleuetur, nullo modo poſsit, aut illam producere,aut in ſe recipere.De quo multa diximus lib.7.9.& 10.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

17. Ad 1. NEc huic veriſsimę reſolutioni obſtant,quæ §.1. in contrarium adduximus. Nam quæ primo loco ab hæreticis adducuntur, iam diſſoluimꝰ lib.6.q.1.art.1.§.2.n.13. & alijs in locis.

18. Ad 2. Secundum argumentũ,quod eſt Durandi,diſſoluimus lib.7.negãda enim eſt maior;quia diuina eſſentia non poteſt obiectiuè præſentari præſentatione debita, & accõmodata,niſi intellectui ſupernaturaliter eleuato, vt latè oſtendimus lib. 7. & 9.intellectus etiã niſi ſupernaturaliter eleuetur, non poteſt in illam intelligibiliter ferri, etiamſi demus diuinam eſſentiam obiectiuè eſſe illi præſentatam:quia præſentaretur ſecundum eſſendi modũ altioris ordinis, quam ipſe habet, quandiu non eleuatur: vide, quæ diximus in citatis locis.

19. Ad 3. Ad tertiũ plerique negant maiorem; quia volunt intellectũ ſua naturali virtute nullo modo actiuè influere in viſionẽ; ſed vel per potentiam obedientialem innatam,quam fingunt, eleuatam tamẽ vel per ſolam actiuitatẽ luminis gloriæ,quod eſt illi tota agendi virtus, vt plerique autumant. Sed vtramq;iſtam ſententiã latè cõfutauimus in lib.10. præced. maximè q.3.Quare libenter admittimus ſubſtantiã viſionis eſſe à virtute naturali natiua intellectus creati, non quidem nuda, ſed vt eleuata, illuſtrataque lumine gloriæ: quod nõ ſatis eſt, vt viſio ſit naturalis ſecundũ ſubſtãtiã: ad hoc enim requiritur, quod producatur à cauſa naturali ſecũdũ vires ſuas naturales; ſecus ſi ab ea producatur,vt ſupernaturaliter eleuata : cũ enĩ vt ſic, iam habeat eſſe ſupernaturale, & modũ eſſendi ordinis ſupernaturalis, ſicut poteſt intelligibiliter ferri in obiectũ quod eſt ſecundũ ſubſtantiã ſupernaturale;ita etiã iam potens eſt influere in viſionẽ, quæ in ſua ſubſtãtia ſit ſupernaturalis : etenim natura intellectualis actus, & obiectũ , ſicut inter ſe habent proportionẽ.ita pertinent ad eundẽ ordinem, vt eſt cõmunis doctrina, de qua lib.7. q. 5. art.2:§.3.n.11.imò addimus fieri nõ poſſe,vt viſio illa ſecundum ſuam ſubſtantiã ſit naturalis, ſupernaturalis autem quoad modũ , vt euidenter demonſtrat *Bellom. 1.p.diſp.47.c.6.n.36.& Suar.lib.2.de Attrib. negat.c.8.n.9. vt alios omittamus.* Bellom. Suar.

20. Ad 4. negatur maior. Quartũ argumentũ & maiorem cõtinet falſam,& minorẽ.Maiorem quidem: quia falſũ eſt,imò etiã abſurdũ dicere,viſionẽ beatã, & actũ fidei eſſe eiuſdẽ entitatis ſubſtãtialis,vt patet ex *Suar.in d.c.8 n.10.& 11.& ex Sala loco cit.pag.102.col.* 2:differũt enim plus quã ſpecie:vna enim ex ſua natura eſt notitia clara, & intuitiua;altera verò obſcura,&abſtractiua: quę notitię ſubſtantialiter differunt,vt modò ſupponimus. Quod verò additur modos illarũ notitiarũ eſſe accidentarios,nõ ſolũ falſum eſt,ſed etiã abſurdiſsimũ,vt aſſerit Suar. de quo tamẽ latiùs diſputare nõ eſt huius loci,vide Suar. & Salã locis citatis. Suar. Salas.

21. Negatur etiam minor. ¶ Minorẽ quoque falſam eſſe ex eo patet;quia falſum eſt actũ fidei eſſe naturalem quoad ſubſtantiam: verè enim in ſua ſubſtãtia eſt ſupernaturalis,vt cũ *D.Tho. Richar.Med.Suar.Sala,& Albertino diximus §.2.huius art.* Vtrùm verò hæc ſententia ita ſit certa,vt oppoſita defendi non poſsit ? alterius eſt negotij : nobis modò ſatis eſt eã eſſe veriſsimam.Nec probatio minoris vim habet : quia vt actus fidei in ſua ſubſtãtia ſit naturalis, nõ ſatis eſt ſpecies,quibus intellectus vtitur in illo eliciẽdo,nõ eſſe per ſe infuſas,ſed acquiſitas ,& naturales ſecundũ ſubſtantiã:quia adhuc requirebatur,quòd & ratio formalis,qua fides obiectũ attingit,eſſet naturalis,&lumẽ,ſub quo illud attingit, naturale eſſet: cũ tamen & ratio formalis fidei ſit ſupernaturalis,diuina.ſ.reuelatio, & lumẽ etiã ſit per ſe infuſum,& ſupernaturale in ſua ſubſtantia,vt diximꝰ lib.9.Quare minor illa meritò neganda venit.

ARTICVLVS III.

§. 1.

De qualitate Viſionis beatificæ.

1. Viſio eſt cognitio quidditatiua. TErtio loco inquirẽdũ eſt,de qualitate viſionis beatificę.De quo multa inquiremus. Et primò inquirẽdũ eſt, an viſio diuinæ eſſentiæ ſit cognitio quidditatiua Dei? Eã eſſe quidditatiuã nullus dubitauit:etenim ex Paul.1.Cor. 13.& 2.Cor.5.cognitio beatorum eſt fa-

cialis, & per ſpeciẽ; vnde nõ poteſt nõ eſſe clara, & quidditatiua. Et cũ ſit cognitio perfectiſsima, & ex ſe aſſecutiua Dei, vt eſt in ſe (*videbimus enim eum, ſicuti eſt* 1. *Ioan.* 3.) ex ſua natura explicabit omnia prædicata Dei vſque ad vltimam differentiam: vnde non poteſt non eſſe quidditatiua. Nec proinde erit comprehenſiua, ita, vt comprehendat omnem diuinam intelligibilitatem. Vide 1. *tom. lib.* 4. *q.* 9. *art.* 1. *& Salam* 1. *tom. ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 7. §. *Dico ſecundò, pag.* 223. *col.* 1.

1. Ioan. 3.

Salas.

§. 2.

Eſt notitia intuitiua.

2. Eſt notitia intuitiua.

SEcundò inquiri poteſt, an hæc viſiò ſit notitia intuitiua diuinæ eſſentiæ? dubitarunt olim quidam hæretici, qui voluerunt nullam creaturam quantumcunque eleuatam poſſe videre Deũ, vt ipſe in ſe eſt, & in ſua exiſtentia: vnde dixerunt viſionem beatorum eſſe quidem intuitiuam; non tamen ipſius diuinæ eſſentiæ, ſed cuiuſdam lucis ex ea reſultantis, in qua ſola Deum videbant. Ita nonnullos hæreticos docuiſſe ex Diuo Gregorio refert D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *& de Veritate q.* 8, *art.* 1. *in principio, & nonnullos referemus in lib. ſequente q.* 1. *art.* 1. §. 1.

D. Greg. D. Thom.

3. Deus de facto videtur in ſe ipſo.

¶ Sed cum inter Catholicos ſemper fuerit indubitatum, Deum non ſolùm poſſe in ſe ipſo videri, ſed etiam de facto videri à beatis in ſe ipſo, vt latè oſtendemus in q. 1. libri ſequentis; apud eoſdem ſemper fuit indubitatum viſionem, qua beati Deum vident, eſſe intuitiuam ipſius Dei in ſe ipſo: nam ex Paulo locis citatis *eſt viſio facialis, & per ſpeciem*, & ex Ioanne *videbimus eum, ſicuti eſt*; quam veritatem latè demonſtrauimus lib. 4. q. 9. art. 2. §. 1. 2. & 3. vbi oſtendimus viſionem patrię ex ſua natura ſibi vendicare, quod ſit intuitiua, quidquid Bellomontanus oppoſitum putet, affirmans beatitudinem eſſentialiter poni poſſe in notitia quidditatiua Dei ſolùm abſtractiua: quam loco citato impugnauimus. Vide Salam vbi ſuprà n. 32.

Bellomon. non admittitur.

§. 3.

Viſionem eſſe notitiam ſimplicem virtute compoſitam.

4. Eſt notitia ſimplex virtute compoſita.

TErtio loco inquiri poteſt; an viſio, qua beati vident Deum, ſit notitia formaliter ſimplex & ſolùm apprehenſiua; an verò ſit virtute compoſita, & apprehenſiua veritatũ, quas de Deo cognoſcunt? Pro explicatione aduertendum eſt, in noſtro intellectu duplicem dari notitiam apprehẽſiuam obiecti: vnã ſimplicem; qua rem intellectam ſimpliciter apprehendimus, nihil de ea affirmãdo, aut negando, quę pertinet ad primam operationem intellectus. Alteram compoſitam, qua rem apprehendimus, cum affirmatione, aut negatione alicuius prędicati, ob quã rationem dicitur ſecunda operatio intellectus, quæ in compoſitione extremorum, aut eorum diuiſione ponitur. Quæ Philoſophia vulgata eſt, de qua diximus lib. 4. q. 9. art. 3. §. 1, in principio, & §. 4. n. 18. ¶ Hoc præmiſſo inquiri poteſt; vtrùm viſio beatorum ſolũ ſit notitia apprehenſiua ſimplex diuinæ eſſentiæ pertinens ad primam operationem intellectus? an verò ſimul etiam ſit virtute compoſita, & apprehenſiua veritatũ, quas intellectus de Deo cognoſcit?

Duplex eſt notitia apprehenſiua.

5. Quæſtio.

6. Datur de hoc controuerſia.

Et quamuis Bellom. 1. 2. *diſp.* 12. *c.* 1. *n.* 6. aſſerat, nullam hac de re dari controuerſiam, ſed omnes affirmare viſionem eſſe notitiam formaliter incõplexam, & ſimplicem, virtute tamen compoſitam: non defuerunt tamẽ, qui docuerint, eam ſolùm eſſe notitiam ſimplicem apprehẽſiuam diuinæ eſſentiæ abſque vlla cõpoſitiòne, aut diuiſione: ea verò, quæ de diuina eſſentia beati cognoſcunt per notitiam formaliter cõpoſitam affirmando, vel negando, ab eis cognoſci per notitiã, ab ipſa viſione realiter emanantẽ, & ſubinde ab ea realiter diſtinctam. Ita nõnullos ſenſiſſe ex Soto diximus in d. art. 3. §. 2. & aduertimus *Medinam non longè abeſſe ab hac opinione* 1. 2. *q.* 3. *art.* 5. §. *Secundo obſeruandũ*. Ad quam opinionem etiam videtur accedere D. Bonauent. *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *q. vltima ad finẽ*, dum ait, beatos per viſionem ipſam intueri quidẽ Deum, vt eſt in ſe, nihil tamen de diuinis veritatibus iudicare, ſed de illis ferre iudiciũ per aliam notitiam terminatam ad ipſam viſionem, qua Deum vident, vt in ſeq. §. dicemus. Porrò, ſi apud D. Bonau. beati per viſionem diuinæ eſſentię nullũ ferũt iudiciũ de veritatibus diuinis, vtiq; nec ipſas veritates per eam apprehendẽt, ſed per aliam, quæ ad ipſam viſionem terminatur. Quare viſio ipſa in ſe ita erit ſim-

Opinio quorundam.

plex

plex apprehenſio diuinæ eſſentię, vt nec formaliter, nec virtute ſit complexa.

7. Oppoſita ſentẽtia eſt vera. Oppoſita tamen ſententia, ſicut eſt vnanimo ferè conſenſu receptiſsima; ita etiam eſt in ſe veriſsima: viſionem ſcilicet in ſe quidem formaliter eſſe ſimplicem; virtute tamen compoſitam: & ſubinde beatos per ipſammet viſionem, qua Diuinam eſſentiam apprehendunt, ſimul etiam apprehẽdere omnes veritates, quas de Deo cognoſcunt. Hanc ſententiã eſſe communem oſtendimus *lib. 4. q. 9. art. 3. §. 2. numer. 4. quibus addimus, & Salam 1. tom. ad primam 2. q. 3. tract. 2. diſput. 4. ſect. 3. num. 36. pag. 256. col. 1.* vbi plures rationes affert, ſed nos efficatiores attulimus dicto loco §. 1. & 2. vbi argumenta diſſoluimus. Quin potiùs ex his, quæ ibidem diximus §. 1. 3. & 4. videbis viſionẽ, nec habere, nec habere poſſe rationem eſſentialis beatitudinis, niſi prout virtute eſt complexa, & apprehenſiua veritatum diuinarum, eas componendo, & diuidendo. Eodem etiam loco §. 2. num. 10. oſtendimus viſionem non ſolùm formaliter eſſe ſimplicem, ſed etiam obiectiuè. Hæc diximus contra priorem opinionem, nam cõtra opinionem Diui Bonauenturę ſtatim dicemus.

§. 4.

Viſio eſt notitia iudicatiua.

8. In 2. operatione duæ dantur notitiæ complexæ. QVarto loco inquiri poteſt; an viſio beata ſit notitia complexa iudicatiua? Et aduertimus in ſecũdâ operatione intellectus duas dari notitias complexas: vnam apprehenſiuam extremorum, quę aut componit, aut diuidit; alteram iudicatiuam; quæ de veritate, aut falſitate compoſitionis, vel negationis iudicat. Et quamuis cõtrouerſum ſit; vtrùm iſtę notitiæ ſint inter ſe realiter diſtinctæ, vt vidimus lib. 4, q. 9. art. 4. nu. 1. & 2. dubitari tamen nõ poteſt, eas ſaltẽ ratione diſtingui. Inquirimus igitur; vtrũ viſio diuinæ eſſentiæ ex ſe ſit notitia iudicatiua?

9. Quæſtio eſt controuerſa. Hæc quæſtio, quidquid velit Bellom. controuerſa eſt, vt patet ex præcedente §: quidam enim volunt beatos per ipſam viſionem, qua Deum vident, non iudicare de veritatibus diuinis quas vident, ſed per alios act⁹ à viſione diſtinctos: vnde in beatis vnam tantum ponunt viſionem, &

10. notitiam ſimpliciter apprehenſiuam diuinæ eſſentiæ, iudicia verò plura. Quod nõ omninò reijcit Medina, vt ibi diximus. Quin potiùs in hoc videtur cõſentire D. *Bonauent. in 3. diſt. 14. art. 1. q. vltima ad finem,* quatenùs negat beatos diuinã eſſentiam videntes poſſe, aut de ea iudicare, aut de veritatibus, quas vident. Fundamentũ ſumit ex Auguſt. *in lib. de vera Religione cap. 31. in fine tom 1. dum ait, æternam legẽ mundis animis fas eſt cognoſcere; iudicare verò non fas eſt.* Quod etiam ea ratione probat; quoniam qui iudicat, aliquo modo præſidet iudicato. *Medina.* *D. Bonau.* *Auguſt.*

Sed oppoſita ſententia eſt omninò tenenda, quam omnes probant, quos citauimus lib. 4. q. 9. art. 3. §. 2. & 4. & art. 4. n. 3. apud quos indubitatum eſt, viſionem beatã non ſolũ eſſe notitiã quandam virtute apprehenſiuam veritatum, quas beati de Deo cognoſcunt; ſed etiam iudicatiuam. Quam ſententiam quidam ex eo probant; quia viſio beata ex ſe eſt eſſentialis beatitudo: beatitudo autem eſſentialis ex ſua ratione habet, quòd nec ſit, nec cõcipiatur ſine iudicio, vt ex Ariſtot. 10. *Ethicorum cap. 7. tex. 29.* & pluribus alijs medijs, demonſtrauimus in dicta q. 9. lib. 4. art. 4. à num. 3. cum ſequentibus. Sed ratio iſta, niſi meliùs explicetur, aduerſarios non conuincit: quia negant beatitudinem eſſentialiter poni in viſione: eam enim ponunt in notitia iudicatiua, quam à viſione realiter diſtingunt: Vnde Medina *1. 2. q. 3. art. 5. ante finem §. Secundo obſeruandum eſt,* diligenter inquirit, in quonam iudicio beatitudo eſſentialiter ponatur. 11. Opoſita ſententia eſt vera. Quorundã probatio. *Ariſt.* Non cõuincit. *Medina.*

Oportet igitur, vt contra eos probemus, beatitudinem eſſentialem (quæ ex ſua natura eſt notitia iudicatiua) eſſentialiter includere ipſam viſionem: hoc autẽ fecimus in dicta quæſt. 9. art. 3. §. 2. dum oſtendimus, beatitudinem, ideo, quia eſt ordinis diuini, & ſupremi, ex ſua natura habere, quòd ſit vna ſimpliſiſsima notitia; virtute tamen plures: ita, vt in ſe realiter vna virtute contineat omnes, quæ ad tres operationes intellectus pertinent: ita vt ſimul ſit ſimplex apprehenſio diuinæ eſſentiæ correſpondens primę operationi intellectus: & virtute ſit complexa; non ſolum apprehenſiua terminorum, ſed etiã iudicatiua compoſitionis, aut diuiſionis eorum, 12. Solida confirmatio

eorum, quod pertinet ad ſecundam intellectus operationem: & præterea virtute ſit diſcurſiua, intuens concluſiones in ſuis principijs, quæ eſt intellectus 3. operatio. Nam ſi Angelicus intellectus hanc habet perfectionem, vt ferè omnes probant; cur illa perfectio intellectui beato denegabitur operanti circa Deum obiectum ſimpliciſsimum? Profectò nō poteſt probabiliter denegari: maximè, cum Auguſtinus 15. *de Trinitate cap.* 16. *aſſerat beatos omnium rerum ſcientiam vno cōſpectu habere*, Et Diuus Bernardus 5. *de conſideratione paulò ante finem doceat, viſionem illam facialem non reſilire, aut diſilire in pluralitatem intellectui noſtro naturalem: ſed colligere ſe, & adunare, atque etiam conformare vnitati diuinæ, vt vna vni facies, reſpondeat faciei.* Vide, quæ diximus in dicta q. 9. ar. 3. §. 2. n. 5. & 6. Porrò ſi beatitudo eſſentialis eſſentialiter ſibi vendicat hanc notitiarum vnitatē; ſi illa eſſentialiter ponitur in viſione; vtique ipſa viſio erit notitia ſimpliciter vna; virtute tamē apprehenſiua, & iudicatiua.

Auguſt.

D. Berna.

13. Contra D. Bonauent. Opinio autem Diui Bonauenturæ ex eo capite eſt reijcienda; quia ex ea ſequitur, beatitudinem eſſentialiter poni in notitia reflexa, qua beatus in ipſa viſione diuinæ eſſentiæ videt, & iudicat veritates diuinas. In illa igitur, & non ipſa directa viſione Dei poſita erit beatitudo, quæ nō ponitur, niſi vbi adeſt iudicium. Conſequens tamen eſſe falſum, oſtendimus lib. 4. q. 9. art. 6.

14. Ad Auguſt. Nec Auguſt. nobis eſt contrarius: quoniam in loco citato non agit de iudicio ſumpto pro aſſenſu, quo intellectus aſſentitur propoſitioni apprehenſæ; ſed de iudicio, quo quis aliquid iudicat cum poteſtate corrigēdi ea, de quibus iudicat. Imò ibidem admittit in nobis, & in beatis illud prius iudicium: ita enim habet: *æternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere; iudicare non fas eſt: hoc autem intereſt, quod ad cognoſcendum ſatis eſt, vt videamus ita eſſe aliquid non eſſe*, (ecce iudicium de quo agimus) *ad iudicandum vero addimus aliquid, quo ſignificemus poſſe eſſe, & aliter veluti cum dicimus ita eſſe debet: aut ita eſſe debuit: aut ita eſſe debebit; vt in ſuis operibus artifices faciunt.* Vnde falſum eſt fundamentum, quod ſumitur in ſecundo argum. ſcilicet ad omne iudicium requiri, vt qui iudicat, præſideat iudicato; hoc enim requiritur ad iudicium correctiuum eius, quod alius, tanquam bonum approbauit: tale autem iudicium, nec eſt, nec eſſe poteſt in beatis, aut reſpectu veritatū diuinarum, quæ ſunt ſpeculatiuæ: aut reſpectu legis æternæ in ordine ad rerū gubernationem.

Fundamentum eſt falſum.

§. 5.

Viſionem eſſe ſpeculatiuam, & practicam.

15. Variæ ſententiæ. QVinto loco inquiritur; an viſio iſta ſit ſpeculatiua, & practica? quam quæſtionem latè diſcuſsimus lib. 4. q. 9. art. 5. per totum. Quæſtio eſt controuerſa vt ibidem diximus. Quidam volunt, eam ſimpliciter, & adæquatè eſſe practicam: quæ eſt opinio Scoti, & Scotiſtarum. Alij volunt, eam eſſe adæquatè ſpeculatiuam, *ita Paludanus, Baſſolius, Ochamus, Henricus. Fonſeca, & Belbomont.* quos ibi citauimus. Tertia ſententia eam facit ſpeculatiuam ſimul, & practicam: quæ fuit ſententia *Richardi, Capreoli, Soncinatis, Caietani, Soti, Medinæ, Valentiæ, Cumelij, Bañes, Angles, & Suarij: addimus nunc Salam 1. 2. tom. 1. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 5. per totam pag. 220. vbi pro hac opinione refert Ægidium quodlib. 7. q. 6, & Henricum quodlib. 12. q. 5: Sed licet Hēricus aliquo modo id ſupponat, Ægidius*, nec verbum hac de re facit.

Auctores 3. Sentent.

16. 3. Sententia eſt vera. 1. Concl. Nos tertiam ſententiam recepimus, quam ibidem §. 1. multis demonſtrauimus, & controuerſiam nonnullis aſſertionibus diremimus. Prima aſſerit, *Viſionē beatam, vt terminatur ad Deum, myſteria Trinitatis, diuinaſque perfectiones, eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, & nullo modo practicam.* Vnde primam ſententiam Scoti, vt omnino improbabilem reiecimus. Vide in dicto art. 5. n. 9. Secunda concluſio affirmat, *viſionem in ordine ad certas actiones verè eſſe practicam:* vide num. 13. Tertia declarat *eam immediatè non eſſe practicam in ordine ad actiones politiæ veſpertinæ*, vide num. 15. In quarta aſſeritur, *eam eſſe verè practicam in ordine ad actiones liberas matutinas, quas intra Deum admittimus in beatis:* vide num. 16. Verùm verò ſit practica reſpectu amoris beatifici? latè diſputatur ibidem §. 2. Reſolutio fuit, *nō eſſe practicam*

2. Concl.

3. Concl.

4. Concl.

5. Concl.

ticam, ſi amor beatificus eſt neceſſarius; ſecus ſi eſt liber. Cum verò non poſsit non eſſe neceſſarius; inde concluditur viſionem reſpectu amoris beatifici ſolùm eſſe notitiam ſpeculatiuam.

17. Viſio principalius eſt ſpeculatiua. Quamuis autem viſio ſimul ſit ſpeculatiua, & practica; principaliter tamen eſt ſpeculatiua. vt contra nonnullos oſtendimus in dicto art. 5. §. 4. nu. 45. Vbi nu. 47. habes, quomodo formaliter ſit ſpeculatiua, & practica; & in quo ſenſu dici poſſit, quòd eminenter eſt vna, & altera, vt oppoſitas ſententias concilies. Denique in eodem art. 5. §. 5. concludimus, viſionem non habere rationem notitiæ beatificæ, niſi prout eſt ſpeculatiua. Et ita ſũmantur, & ad modum Epilogi reſoluuntur, quæ de viſione, tam latè diſputauimus in dicta quæſtione 9. art. 5; vt inde inferas, quanta ſit excellẽtia viſionis, qua beatus videt diuinam eſſentiam.

§. 6.

An viſio beata ſit actio humana?

18. Quidam dicunt eſſe actionẽ humanam. DE hoc non cõuenit inter Theologos: etenim, ſi credẽdum eſt Medinæ, non deſunt, qui velint, viſionem beatam dici poſſe actionem humanã. Fundamentum huius opinionis duplex eſt. Primum eſt; quia, vt actio dicatur humana, ſatis eſt, quòd ſit ex plena poteſtate voluntatis, procedens ex aduertentia rationis, ſiue illa ſit deliberata, ſiue neceſſaria, vt plerique volunt, quos refert, ſed non reijcit Suarius in Commentariis *ad* 1. 2. *q.* 1. *diſp.* 2. *quæſtiunc.* 2. Viſio autem beata eſt ex plena voluntatis poteſtate, ſimul cum pleniſsima rationis aduertentia. Alterum fundamentum eſt; quia viſio beata, licet in ſe ſit neceſſaria; fuit tamen libera in ſua cauſa; nimirum in actione meritoria viæ: quod ſatis eſt, vt dicatur humana, prout actio humana dicitur illa, quæ eſt libera. Vtrumque fundamẽtum ex mente iſtorum adduximus 1. tomo lib. 2. q. 1. art. 2. §. 2. numer. 4. & §. 5. num. 19.

19. Alij negant. Oppoſitam tamen ſententiam alij probauerunt, negantes viſionem beatã poſſe vllo modo dici humanam. Hanc ſententiam nonnullos probaſſe ex Medina diximus *in dicto* §. 5. *n.* 19: quam potiùs probat idẽ Medina 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. *pag.* 4. *col.* 1. *& eandem probauimus lib.* 2. *in dicta q.* 1. *ar.* 2. §. 2. *nu.* 6. *ad finem, &* §. 5. *num.* 19. *& eãdem nunc vt veriſsimam amplectimur.* (Medina.)

Sed pro clara reſolutione, illud præmittimus; actionem, ſi propriè loquendum eſt, duobus modis poſſe humanam dici. Priori modo in genere rei; quia eſt à ſolo homine, quatenùs eſt homo, vt aduertit D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 1. *in princ. corp. & diximus in dicto lib.* 2. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 6. *&* §. 3. *num.* 8. Poſteriori modo in genere moris, & hoc modo actio dicitur humana, quia moraliter bona eſt, aut mala: etenim ex D. Ambroſio in Præfatione in Lucam nõ procul à fine, ſoli mores propriè dicũtur humani: & inde eſt, vt apud D. Thomam ſolæ illæ actiones propriè dicantur humanæ, quæ à voluntate deliberata procedunt, vt patet ex 1. 2. *q.* 1. *ar.* 1. *&* 3. & multis alijs in locis, & nos latè diximus *in dicto lib.* 2. *q.* 1. *art.* 2. §. 1. *&* 3. 20. Actio duobus modis dicitur humana. *D. Thom.*

Hoc præſuppoſito, certiſsimum eſt, viſionem beatam eſſe actionem humanam, ſi actio humana ſumitur priori modo, & in genere rei; vt illa actio dicatur humana, quæ eſt actio elicita ab homine, vt homo eſt; & ſubinde à ſolo homine: iam verò viſio beata eſt actio, quę à ſolo homine eſſe poteſt. Deinde certiſsimũ etiam eſt, viſionem beatam nullo modo dici poſſe humanam, ſi actio humana ſumatur poſteriori modo, & in genere moris; quia ſola illa actio in genere moris eſt humana, quæ ex voluntate deliberata procedit; ita vt ſit actio moralis, & libera, vt docet D. Thomas 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. & eſt recepta ſententia, quam latè confirmauimus lib. 2. q. 1. ar. 2. §. 3. n. 8. Iam verò viſio beata nõ modo non eſt à volũtate deliberata; quia eſt actio neceſſaria; ſed nec eſt à voluntate; cum ſit prima operatio Patriæ, antecedens omnem voluntatis actum; ſicut prima intellectio in nobis non eſt à voluntate ideò, quia antecedit omnem voluntatis actum. 21. In quo ſenſu dicatur humana. *D. Thom.*

Et in hoc omninò deficit primum argumentum aduerſariorum; quatenùs ſumit viſionem beatam eſſe ex plena poteſtate voluntatis, cum pleniſsima rationis aduertentia. Quomodo enim operatio Patriæ omnium prima (qualis eſt viſio beata) poteſt eſſe ex plena poteſtate voluntatis? ſi ideò, quia prima, antecedit omnem voluntatis actum: & ex eodem medio 22. Ad 1. arg.

dio neceſſario conuincitur, viſionem beatam non procedere ex pleniſsima aduertentia intellectus: nam cum ſit prima intellectûs operatio, nullam præſupponit, aut natura; aut ratione priorem. Vnde, quamuis illa in ordine ad veritates diuinas, quas videt, ſit cum maxima aduertentia; cum eminenter ſit ſummè iudicatiua; non tamen eſt, aut procedit ex priori aliqua aduertentia.

23. Ad 2. Ad ſecundum dicimus, viſionem beatam, vt eſt præmium eſſentiale, datam eſſe ex meritis viæ, nullam ponere in ea moralitatem; quia moralitas actus meritorij non transfunditur in actum, qui datur in præmium: vnde præmiũ poteſt eſſe actus, tum neceſſarius, tùm etiam non voluntarius; quamuis actus meritorius, cui reſpondet, ſit & voluntarius, & liber.

§. 7.

An viſio beata ſit euidentior, & certior omni alia cognitione?

24. DVo in hoc §. inquirũtur de viſione beata: vnum eſt; vtrùm ſit euidẽtior omni alia creata cognitione? Alterum eſt; vtrùm omni alia notitia ſit certior?

Viſionem eſſe notitiã clara. indubitatũ. Quod attinet ad primum; indubitatũ eſt apud omnes, viſionem beatam eſſe notitiam claram, & euidẽtem: etenim ex ſua natura eſt intuitiua, & facialis; vt oſtẽdimus *lib. 4. q. 9. art. 1. & 2; & ſatis colligitur ex verbis 1. Ioannis 3: Videbimus eum, ſicuti eſt*; & docet Paulus 1. *Corint.* 13. & 1. *Corinth.* 5. dum viſionem Patriæ appellat facilem, habitamque per ſpeciem, id eſt per propriam formam Dei: eſt enim viſio diuinæ eſſentiæ in propria ſpecie, id eſt in propria forma, in qua exiſtit: vnde Paulus in vtroque loco eam diſtinguit à cognitione ænigmatica, & per fidem; quę obſcura eſt, & non clara.

1. *Ioan.* 3.

1. *Cor.* 13. 2. *Cor.* 5.

25. Quæſtio propoſita. Hoc ſuppoſito iam datur locus ad inquirendum; an viſio beata ſit euidentior, & clarior quacumque alia creata cogntione? Rationem dubitandi facit cognitio primorum principiorum; hæc enim videtur habere ſummam euidentiam; & per conſequens videtur non poſſe dari vllam creatam notitiã, quę ſit euidentior. Quòd verò notitia principiorum ſit ſumma, ita vt maior dari nequeat; ex eo videtur probari; quia euidentia alicuius obiecti poſita eſt in determinatione intellectus ad aſſentiendum veritati, ita vt nullo modo poſsit non aſſentiri; ſed primis principijs intellectus cognitis illorum terminis non poteſt non aſſentiri. Ergo illorum euidentia eſt ſumma, quæ dari poteſt. Ex quo infertur, euidentiam viſionis beatæ non eſſe maiorem quacumque alia. Erit quidem illa ſumma negatiuè; quia nulla poteſt dari maior; non tamen erit ſumma poſitiuè; ita vt ſit omnium maxima.

Ad quæſtionem recentiores communiter reſpondent affirmatiuè, vt teſtatur Salas 1. *tom, ad* 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 6. *num.* 22. *pag.* 222. *col.* 2. vbi eam probat, vt veriſsimilem: imò etiam eam confirmat authoritate Auguſtini aſſerentis, *in beatitudine notiorem eſſe Deum, quàm ſit modo frater*; quæ verba refert ex *lib.* 8. *de Trinitate capit.* 17. ſed in illo libro non tot ſunt capita; videntur tamen haberi in eodem lib. c. 8. ſed non agit de Patria, ſed de via: fideliter tamen refert Auguſtinum 11. *de Ciuitate Dei cap.* 29. vbi de Angelis ita ſcribit: *Ita Deum nouerunt, vt eis magis iſte, quàm nos ipſi nobis cogniti ſimus.* Et quãuis Salas affirmet hanc ſententiam nõ carere difficultate, ac proinde tenẽdam eſſe ſolùm vt probabilẽ: ego tamen puto eam eſſe certiſsimam. 26. Communis affirmat. Auguſt.

27. Duplex datur euidenter. Pro cuius explicatione præmittendũ eſt, duplicem diſtinguendam eſſe euidentiam cum *Conimbricenſibus* 1. *Poſterior. c.* 26. *q.* 1. *art.* 3. *pag.* 496. §. *Porro euidentia*: vnam obiecti; alteram cognitionis. Euidentia obiecti eſt claritas, & perſpicuitas, qua obiectum ſe ſe, & ſuam veritatem intellectui intelligendam offert: & inde eſt vt res, quæ perfectiſsimæ ſunt entitatis, ſint in intelligendo perfectiores, vt communiter docetur *in* 3. *Metaph. cap.* 1. Euidentia verò cognitionis poſita eſt in ipſa clara rei obiectæ perceptione, & penetratione. Hoc loco agimus de euidẽtia cognitionis; quæ nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio veritatis ſub aliquo lumine, quo res obiecta ſit intellectui clara, & perſpicua, vt docet Philoſophia, & aduertit Rubeus *in diſp. de habitibus trac.* 3. *q.* 2. *pag.* 81 §. *Euidentia addit*: & inde eſt, vt quò maius fuerit lumen, ſub quo obiectum apparet, & cognoſcitur; eò maior ſit euidẽtia veritatis in obiecto cognitæ: ſicut etiam quò

Conimb.

De qua euidẽtia ſit ſermo.

Rubeus.

quò maius fuerit lumen corporeum, quò medium, & potentia viſiua illuminatur, eò clarius, & diſtinctius videbitur ipſum
D. Thom. viſibile, vt ait D. Thomas *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 4. *&* *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 4. Iam verò lumen gloriæ, ſub quo beati vident diuinam eſſentiam, ex natura ſua eſt clariùs & limpidius cęteris omnibus luminibus, ſub quibus obiecta manifeſtantur, & fiūt
29. euidentia.
Ad rationē dubitandi. Nec obſtat ratio dubitandi ſuperius allata: nam omiſsis, quæ Salas ſcribit, negādum eſt euidentiam primorum principiorum eſſe ſummam: quamuis enim ſit ſumma, quę dare poteſt per lumen naturale intellectus agentis, non tamen ſimpliciter eſt ſumma: etenim veritas illorū clariùs, & limpidius percipietur, ſi illa principia per lumen altius cognoſcantur. Vnde eorum veritas clariùs apparet Angelis, quia lumen, ſub quo manifeſtantur, eſt clariùs: & eadem ratione euidentius cognoſcentur à beatis per ſcientiam infuſam, quæ ad politiam veſpertinam ſpectat; & adhuc clariùs cognoſcentur ab iiſdem cognitione matutina, qua ea in verbo vident, quia per lumen glorię apparet, quod cæteris omnibus creatis luminibus eſt clariùs. Nec veru eſt euidentiam per ſe ſumi ex determinatione intellectus, quatenùs nō poteſt non aſſentiri: etenim iuxta veriſsimam ſententiā, poſitis præmiſſarum aſſenſibus, non poteſt intellectus concluſioni non aſſentiri, vt habet com-
Conimbri. munis doctrina *in* 1. *poſter. cap. primo vbi Conimbricenſes q.* 4. *art.* 4. & tamen euidentia concluſionis non eſt ſimpliciter ſumma; maior enim eſt euidentia præmiſſarū ex Ariſtotele in eodem loco. Quare euidentia in notitijs aliunde ſumitur: vnde autem ſumatur? alterius eſt quęſtionis.
30. De certitudine viſionis. ¶ Quod attinet ad 2. caput; Vtrū. ſ. viſio beata ſit certior quacūque alia notia creata? Salas vbi ſuprà tacitè reijcit quorundam diſtinctionem; qui putant, viſionem beatam ex parte obiecti nō excedere in certitudine notitiam fidei; benè tamen ex parte ipſius notitiæ. Nos abſolutè dicimus, viſionē beatam ſimpliciter dici poſſe certiorem omni alia creata notitia, etiam
Durand. fidei: quod aſſeruit Durand. *in* 3. *diſt.* 23. *q.* 7. *num.* 10. *ad finem*: etenim, vbi datur euidentia rei, quæ cognocitur; certitudo ſumenda eſt ex ipſa euidentia, vt aſſerunt Conimbricenſes *in* 1. *poſter. dicto cap.* 26. *q.* 2. *art.* 3. *pag.* 496, ita intelligendi; quamuis falſo citent D. Thomam, Scotum, & Durandum: nam cum intellectus habet euidentiam, quod res intellecta ita ſit, ſicut eam intelligit, & videt; inde ita ſit certus de infallibilitate veritatis obiecti, vt nō poſsit diſſentire. Quare, cum in viſione beata detur maior euidētia, quàm in quacumque alia notitia creata, vt immediatè diximus; neceſſariò fatēdum eſt, eam habere maiorem certitudinē, quàm habeat quæcumque alia notitia.

Quę reſolutio ſatis patet, ſi certitudinem viſionis beatæ conferamus cum certitudine, tùm ſcientiæ; tùm fidei. Quòd ſit maior, quàm certitudo ſcientiæ, ex eo patet; quia infallibilitas viſionis beatæ ſumitur ex rationibus primis, & æternis, quę ſunt in mente diuina, in quibus beatus videt omnem veritatem, quam videt. At verò certitudo in ſcientia naturali ſumitur ex habitudine extremorum cognita in rationibus participatis ab ipſis rationibus æternis, à quibus cauſantur, & pendent. Quòd verò ſit maior, quàm certitudo fidei, ex eo probatur; quia certitudo fidei infallibilitatē habet ex diuina veritate, cui non poteſt ſubeſſe falſum: certitudo tamen viſionis beatæ habet infallibilitatem ex reali apparentia, & manifeſtatione certitudinis increatæ, quę nō ſolum aſſerit, ita eſſe id, quod reuelat, (vt ſit in fide;) ſed id apertè manifeſtat, & oſtendit: & inde eſt, vt viſio non ſolū habeat ſummam certitudinem, quæ eſt ex parte cognitionis; ſed etiam, quæ eſt ex parte obiecti: viſio enim beata non ſolùm certa eſt ratione ſuæ euidentiæ; ſed etiam ratione obiecti ſe ipſum manifeſtantis; & inde eſt, vt intellectus illi veritati ſimpliciter; & immobiliter adhæreat: quod non reperitur in fide: hæc enim, cum non habeat euidentiam, nec realem apparentiā, ſeu manifeſtationem rerum, quæ creduntur; non ſimpliciter neceſsitat intellectū, vt veritati creditę immobiliter adhæreat.

31. Confirmatur. Certior eſt quā ſcietia. Certior eſt quā fides.

§. 8.

An viſio beata ſit actus omnium nobiliſsimum.

32. Plures ſēſus quęſtiones.

De propoſita quæſtione nonnulla eſt controuerſia inter Theologos: cuius

cuiꝰ reſolutio ex multiplici pẽdet capite. Primum eſt; an viſio beata ſit actus omnium entium nobiliſsimus? Secundum eſt; an ſit nobilior omnibus actibus accidentarijs. Tertium; an inter operationes intellectus, & volũtatis ſit omnium pręſtantiſsima?

33. Ad 1. dubiũ. Ad primam dubitationem non ſatis philoſophicè dicitur viſionem Patriæ; etiam ſi in ea beatitudo eſſentialiter ponatur, eſſe omnium entium præſtantiſsimum ens: etenim minus nobilis eſt, quã ſubſtantia, quidquid nonnulli reclament, vt diximus lib. 4. q. 4. art. 1. §. 9. num. 66. & clariùs q. 2. art. 1. ad 4.

34. Ad 2. de habitibus. Ad ſecundam dubitationẽ, res eſt clara, ſi ſermo ſit de potentijs: nam cum viſio beata ſit ordinis ſuperioris, & diuini, & ſit ſupernaturalis ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt diximus §. 1. huius articuli; non poteſt non eſſe nobilior, quàm potẽtia, tùm intellectus, tùm voluntatis; cum vtraque ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit ordinis naturalis: vt omittamus, quòd potentiæ ſint à natura inſtitutę propter operationẽ, tanquam propter finem: finis autẽ ſimpliciter eſt nobilior, quàm ea, quæ ſũt ad finem. ¶ At verò, ſi ſermo ſit de habitibus, forte aliquis reſpondebit adhibita diſtinctione, vt nobilior ſit omnibus habitibus ordinis naturalis; non tamen habitibus ſupernaturalis ordinis: Fundamentum ſumitur ab opinione eorum, qui volunt, habitus infuſos viæ nobiliores eſſe actibus ipſorum habituum; quæ opinio placuit Molinæ 1. *p. q. 12. art. 5. diſp. 2. ad 2. & Suario in Metaph. diſp. 44. ſect. 8. nu.* 18. Cur igitur non idem dicendum erit de habitibus Patriæ? Accedit etiam; quia habitus præſtãt ſuis operationibus, vt putant Alenſis 2. *p. q.* 104. *M.* 3. *& Valentia* 2. *tom. diſp.* 4. *q.* 3. *puncto* 2. His tamen nõ obſtantibus, ſimpliciter dicendum eſt, viſionem beatam eſſe nobiliorem omnibus habitibus, tam naturalibus, quã infuſis, tũ in via, tùm in Patria. Quæ reſolutio indubitata eſt, ſi viſio diuinæ eſſentiæ eſt eſſentialis beatitudo: etenim beatitudo eſt vltimus finis, & actus inter omnes accidentarios omnium præſtantiſsimus, vt ſæpe oſtendimus ſupra lib. 4. vide ibi q. 4. art. 1. §. 9. nu. 66. Vnde neganda eſt tam opinio, à qua primum argumentum ſumitur; quàm illa, à qua ſumitur ſecundũ.

Opinio quorundam. — *Molina.* — *Suar.* — *Alenſis.*

De priori vide in dicto lib. 4. q. 4. art. 3: de poſteriori verò ibidem art. 2. Quare viſionem eſſe nobiliorem potentijs animæ, & habitibus, tàm acquiſitis, quàm infuſis, diximus in dicta q. 4. art. 1. §. 9. n. 66.

Quod attinet ad tertiam dubitationẽ; certiſsimum eſt, viſionem beatam eſſe nobiliorẽ omnibus actibus intellectus viæ, & patriæ. Quòd nobilior ſit omnibus actibus viæ; non eſt dubinm: nam nobilior eſt omnibus actibus naturalibus; quia viſiio eſt ordinis ſupernaturalis; actus autẽ naturales viæ, ſũt ordinis naturalis. Quòd verò nobilior ſit, quàm actus fidei infuſę, ex eo patet; quia actus fidei carent euidẽtia, & eliciuntur ab habitu minus nobili; denique lumine longè inferiori illuſtrantur. Quòd nobilior ſit, quàm omnes actus Patriæ ad intellectum pertinentes, non poteſt non eſſe indubitatum: nec enim dubitari poteſt, viſionem longè ſuperare actus cognitionis veſpertinæ: quoniam actus politiæ veſpertinæ non ſunt beatifici, & eliciuntur, tùm ab habitu, tùm à lumine minùs nobili, quàm ſit lumen gloriæ; vnde ex ſua natura ſunt, & minus euidentes, & minus certi. Quòd autem nobilior ſit omnibus actibꝰ intellectiuis cognitionis matutinæ, ex eo oſtẽditur; quia viſio ex ſua natura eſt notitia formaliter intuitiua, ſimplex, & ſpeculatiua; eminẽter tamen apprehenſiua ſimpliciũ, & iudicatiua complexorum; denique eminenter eſt practica, vt diximus lib. 4. q. 9. per totam. Iam verò notitia, quæ formaliter eſt ſimplex, & eminenter complexa, nobilior eſt notitia, quę formaliter eſt complexa: ſimiliter nobilior erit notitia, quæ formaliter eſt ſpeculatiua, eminenter tamen practica, quàm notitia, quæ formaliter eſt, aut ſpeculatiua, aut practica. Quare dubitari non poteſt, viſionem beatam abſolutè nobiliorẽ eſſe cæteris omnibus notitijs intellectiuis tàm viæ, quàm Patriæ. 35. Ad 3. dubiũ de actibus.

Controuerſum tamen eſt; An viſio beata nobilior ſit, quàm amor cæterique actus voluntatis? Cuius quæſtionis reſolutio per ſe pendet à reſolutione quæſtionis; An beatitudo eſſentialiter ponatur in viſione? an in amore. Quam quæſtionẽ pro vtraque parte eſſe probabilem, latè oſtendimus lib 4. vbi q. 8. & 9. defendimus, beatitudinem eſſentialiter poſitam eſſe 36. An ſit nobilior amore.

eſſe in ſola viſione: at verò q. 10. & 11. pugnauimus, quòd eſſentialiter ponatur in amore. Igitur qui dixerit, viſionē eſſe ipſam eſſentialem beatitudinem, nō poterit nō aſſerere, eam eſſe nobiliorē amore beatifico, & cæteris omnibus actibus beatificis voluntatis: de quo latè diximus in d. lib. 4. q. 8. art. 4. 5. 6. & 7. Oppoſitum dicet, qui beatitudinē eſſentialiter poſuerit in amore: affirmabit enim, amorē lōgè eſſe nobiliorem, quàm ſit viſio, de quo vide in dicto lib. 4. q. 10. art. 4. per totum.

§. 9.

Vtrùm viſio beata ſit propter finem?

37. Controuerſum eſt.

QVæſtio iſta non poteſt non eſſe controuerſa; cùm controuerſum ſit, an beatitudo eſſentialiter ponatur in viſione; an verò in amore? Qui beatitudinem ponūt in amore (quos citauimus lib. 4. q. 10. art. 1. n. 2.) volunt, viſionem eſſe propter amorem, tanquā propter finem. Ita docet *Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. litera B. §. Præterea voluntas, & litera L. §. Præterea 9. Metaph. & Aureolus apud Capreol. in 1. diſt. 1. q. 1. artic. 2. in 5. argum. contra. 6. fol. 23. col. 2.* Quæ opinio confirmatur authoritate D. Anſelmi libro 2. Cur Deus homo cap. 3. dum ait; *Peruerſus ordo eſt, amare ad intelligendum; rectiſſimus verò intelligere ad amandum.* Ratione etiam id ipſum probant; quoniam ex Ariſtotel. 1. Ethicorum cap. 7. text. 28. & 2. Metaphyſ. cap. 2. text. 8. *Vltimus finis non ſolum non eſt referibilis in alium finem; ſed propter ipſum ſunt cætera.* Iā verò apud illos authores amor in Patria, cum ſit eſſentialis beatitudo, eſt vltimus finis. Ergo viſio erit propter amorem, tanquam propter finem.

Opinio q̄ ſit ꝑ amorē.

Scotus. Aureolus, Anſelmus

38. Oppoſitum alij docent.

Oppoſitum docent, qui beatitudinem ponunt in viſione: hi enim non poſſunt non fateri viſionem non eſſe propter aliquem finem; quia ex Ariſtotele in locis citatis vltimus finis non poteſt in alium finem referri. Vnde hæc eſt communis ſententia Thomiſtarum, quæ docet, nec Deum, vt Authorē naturę ordinaſſe viſione ad aliū finē, nec ipſum beatum eam elicere propter finem: cuius opinionis Patronos lib. 4. q. 8. ar. 8. per totū citauim⁹.

39. Vera reſolutio.

Vera reſolutio ſit; viſionem beatam à beato nullo modo elici propter finem, ſiue illa ſit eſſentialis beatitudo, ſiue nō ſit. Vtrùm verò à Deo Authore naturæ cuiuſque entis creati naturalis, vel ſupernaturalis ordinis, ſit inſtituta propter aliū finem? vna, & altera pars eſt probabilis. Prior pars huius reſolutionis euidenter demonſtratur ex eo, quia nulla actio poteſt ab homine elici propter finem, niſi ſit à voluntate, vel elicita, vel imperata, vt diximus lib. 1. quæſtione. 16. articulo tertio §. ſecundo: iam verò viſio beata nullo modo eſt à voluntate, vt patet: quo argumento, hanc reſolutionem ſcripſimus lib. 4. q. 8. art. 8. n. 9. & q. 10. art. 4. §. 5. n. 34. Quare quoad hoc parum refert, quòd viſio ſit, vel non ſit eſſentialis beatitudo; quia vno, vel altero modo viſio, nec eſt elicita à voluntate, nec imperata. Idem dicemus de amore beatifico Patrię: is enim, ſiue eſſentialiter ſit beatitudo, ſiue non ſit, ſemper eſt à voluntate, vt eſt quædam natura, vt in hoc libro inferius dicemus: voluntas autem, vt eſt natura, non dirigit ſe ipſam, ſed ab alio dirigitur, vt diximus libro 1. in dicta quęſtione 16. iam verò voluntas, quę operatur propter finem, operatur non directa ab alio, ſed à ſe ipſa, vt ibidem oſtendimus. Quare ſi ſermo ſit de viſione beata, in ordine ad beatum, à quo elicitur: indubitatum eſt eam nòn eſſe propter finem.

1. Pars reſolutionis.

40. 2. Par.

Porrò ſi ſermo ſit in ordine ad Deum rerum omnium inſtitutorem, controuerſum eſſe poteſt, an viſio beata ſit à Deo inſtituta, & ordinata propter aliud, tanquam propter finem? Cuius difficultatis reſolutio pendet ex reſolutione controuerſiæ; an beatitudo eſſentialiter ponatur in viſione, an in amore? quā ꝑ vtraq; parte defēdimus lib. 4. q. 8. & 10. Quòd eſſentialiter ponatur in viſione, cū D. Thoma defēdim⁹ in d. q. 8. at verò quòd eſſentialiter ſit poſita in amore, cū Scoto latè diximus in d. q. 10. Qui dixerit cū D. Thom. viſionē eſſentialiter eſſe beatitudinē; non poterit nō defendere, eā à Deo nō eſſe inſtitutā propter aliud, tanquā propter finē de quo egimus *in d. q. 8. at. 8. vbi n. 11.* explicuimus D. Anſelm. qui in oppoſitū obijciebatur: & ibi in n, 6. poſuimus huius opinionis verū fundamentū, reiecto fūdamento Caietan. & Bellom. Oppoſitū dicet, qui beatitudinē cū Scoto eſſentialiter poſuerit in amore, vt oſtendimus in d. q. 10. art. 4. §. 5. n. 30. Et de hac difficultate ſatis hæc ſint dicta.

§. 10.

Vtrùm viſio beata ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ?

41. Opinio negans. Capreol.
QVòd viſio beata non ſit formalis
ſimilitudo diuinæ eſſentię, docet
Capreol. in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3.
ad 1. Aureoli contra primā fol. 213. col.
1. in principio, ita ſcribens. *Non enim diuina viſio quoad ſui eſſentiam eſt formalis apparitio diuinæ eſſentiæ, ſed ſolum quoad ſui principium, quæ eſt ſpecies; & quoad terminum, quod eſt verbū.* Idem docet *in 2. diſt. 3. q. 2. ar. 3 ad ſecundam confirmationem primi agumenti contra quartam;*
Soncinas. *Soncinas in 4.*
Ferrar. *diſt. 49. q. 5. ad 1. Aureoli contra primū fol.*
212. *col.* 3. Expreſsè Ferrarienſ. 3. *contra gent. cap. 49. in explicatione tertiæ rationis*
Veloſillus. *D. Thomæ fol 272. §. Aduerte, quod funda-*
Hiſpalen. *mentum col. 1.* Idem probat Veloſillus *in aduertentiis ad Ambroſium quæſito 14. pag. 186. col. 2. & pag. 187. col. 1. Hiſpalenſis in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. notabili. 1, & art. 4. ad 1. primo loco adductū fol. 220. col. 3. in princ.*
Cumel. *Ex profeſſo id probat Cumelius 1. p. q. 12. art. 2. q. 1. concl. 2.* vbi teſtatur hanc eſſe communem inter Recentiores: idem admittit
Bañes. *Bañes ibidem in dub. contra 2. ad 2. argumen-*
Nauarrete *tum: Nauarrete 1. tom. contro. 34. §. 7. ad 1. confirmationē pag. 215. col. 3. §. Circa primā confirmationem, & col. 4. §. Ad ſecundā con-*
Ripa. *firmationem: approbat Ripa ad 1. p. q. 12. ar. 1. dub. 2. cap. 1. fol. 49. col. 2. in medio. Eam*
Conimbr. *ſignificant Conimbriſ. in 1. de Interpretatio-*
Salas. *ne cap. 1. q. 2. in fine §. Ad quintū exemplū,*
Molin. *in eam potius inclinat Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 8. n. 33. pag. 224. col. 2 & diſp. 5. ſect. 2. num. 29. pag. 337. col. 2:* in quibus locis teſtatur, hanc eſſe cōmunem ſententiam Thomiſtarū, & neceſſariò tenendā ab eo, qui intellectionē realiter diſtinguit à verbo: quam etiā ſententiam in eodem ſenſu probat Molina *1. p. q. 12. ar.*
Caiet. *2. diſp. 1. concl. 3. pag. 108. col. 2.* Citatur Caietan. 1. *p. q. 12. art. 2;* Sed in eo loco ſolū inuenio, quòd viſio ſit altiſsima opera-
Paludan. tio. Citari etiā ſolet Paludanus *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2.*

42. 1. Arg. ex D. Thom. Hanc ſententiam primò confirmant; quia hæc eſt opinio D. Thomæ 1. *p. q. 12. art. 2. & de veritate q. 8. art. 1.* dum generaliter negat dari in beatis aliquā ſimilitudinē creatā, qua Deus videatur: daretur autem, ſi viſio eſſet formalis ſimilitudo Dei.

Deinde viſio beata eſſentialiter eſt in-
tellectio: intellectio autem formaliter eſt 43. Secundo.
de genere actionis, vt eſt communis opinio Thomiſtarúm; actio autem prædicamentalis non poteſt eſſe formalis ſimilitudo.

Tertiò arguit Cumelius: quoniā viſio Tertio.
albedinis non eſt formalis ſimilitudo, aut imago albedinis. Ergo nec intellectio erit formalis ſimilitudo obiecti.

Quartò; Si cognitio intellectiua obie- Quarto.
cti eſſet formalis illius ſimilitudo, nulla eſſe neceſsitas producendi verbū, vt imaginem, & ſimitudinem illius.

Quintò; Si intellectio eſt formalis ſi- Quinto.
militudo obiecti, eſſet perfectior ſimilitudo, & imago illius quàm ſpecies; quia eſſet ſimilitudo expreſsior, & clarior.

Sextò; Si viſio eſſet formalis ſimilitu- Sexto.
do repræſentans Deum, ſicut eſt, creatura faceret hominem beatum, quod nō eſt dandum.

Septimo arguit; quoniam viſio eſt ac- Septimo.
tio vitalis. Ergo non poteſt eſſe ſimilitudo: hæc enim eſt relatio.

Poſtremo arguit; quoniam viſio eſt Poſtrem.
operatio aſſecutionis Dei. Ergo non eſt formalis ſimilitudo: hæc enim non eſt Dei aſſecutio.

¶ His non obſtantibus, dicendū eſt, vi- 44.
ſionem eſſe formalem ſimilitudinē Dei, Oppoſita ſētentia eſt vera.
atq; expreſſam illius imaginē. Ita exiſti-
mat Aureolus apud Capreol. *in 4. diſt. 49.* Aureol.
q. 5. art. 2. in 1. argum. cōtra primā fol. 211. D. Bonau.
col. 1. §. Sed his non obſtantibus: expreſsè D. Bonauent. in 1. diſt. 3. ar. 1. q. 1. ad vlt. Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. §. At verò profecto pag. 587. col. 1. vbi conſtanter docet, non eſſe negandum, viſionē eſſe ſimilitudinē:
ſignificat Palatius *in 1. diſt. 4. §. Quòd ſi am* Palatius.
plius deſideras fol. 31. col. 2. poſt princ. dum ait, viſionē diſtinctè repræſentare Deum:
ex profeſſo id probat Bellomon. 1. *p. diſp.* Bellomon.
38. *cap. 2. nu. 5. Suarius lib. 2. de Attrib. ne-* Suarius.
gat. c. 11, n. 8. in fine. & cap. 13. nu. 13. & ſatis conſentit, dū generaliter docet, actualem intellectionē eſſe formalem obiecti ſimilitudinem, & imaginē, vt patet *in Metaph. diſp. 6. ſect. 6. n. 7. & diſp. 30. ſect. 11. n. 32. & in dicto. libr. 2. capit. 12. num. 12.* Scotus.
& cap. 13. num. 13. Hæc fuit expreſſa ſen- 45.
tentia Scoti *quodlibet. 14. litera B. B,* vbi ait: *Beatus non habet verbum de Deo; quia & ſi illa viſio ſit imago diuinæ eſſentiæ, illā natura-*

naturaliter repræſentans. Et ibidem generaliter aſſerit actualem notitiam obiecti eſſe naturalem ſimilitudinem illius: vnde Scotiſtę communiter vtrumque docent, tanquam doctrinam Scoto probatam: ita *Ioannes Rada prima parte controuerſ. 10. ar. 2. concluſione 4. pag. 142. colu. 1.* vbi hanc cum Scoto ſtatuit concluſionem: *Viſio beata eſt naturalis diuinæ eſſentiæ ſimilitudo*: idem affirmat de quacumque intellectione, ſiue notitia, vt patet ex 7, *contro. ad ſecundũ argument. D. Thomæ pagin. 104. colum. 2. in ſine.* Vtrumque ſatis explicat Herrera in diſputationibus ad primũ Scoti *diſp. 10. q. 4. concl. 1. pag. 298*, vbi affirmat Scotum id docere de viſione, & idẽ ſcribit de omni alia intellectione *in d. diſp. 10. q. 1. pag. 291. col. 1.* vbi ita ait: Intellectio ſecundùm Doctorem eſt quędam qualitas de genere qualitatis, naturalis ſimilitudo ipſius obiecti: & idem repetit in fine illius articuli. Hæc ſententia ſatis eſt de mente Nominalium, qui concedunt, intellectionem eſſe naturalem ſimilitudinem obiecti: ita Ochamus *in ſecunda quæſtione 14. litera S. in fine: & Gabriel in ſecunda diſtinctione 3. quæſtio. 2. articul. vltimo littera K K. §. Ad authoritatem Ariſtotelis*; Denique noſtro tempore eſt communis, ſi Thomiſtas excipias.

Rada. Herrera. Ocham. Gabriel.

46. Vera eſt hęc 2. opinio.

Ego hanc opinionem, vt veriſsimam ſemper probaui: quam ſatis ſignificaui *libr. 4. quæſtione 9. artic. 3. §. 5. ad 2. num. 25*: ſatis enim eam probat Auguſtinus *14. de Trinitate cap. 17*; vbi agens de Anima, quæ eſt imago Dei, ita ait: *In hac imagine tunc perfecta erit ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio.* Et ſtatim; *Hinc apparet tunc in iſta imagine Dei fieri iſtam ſimilitudinem, quando eius plenam perceperit viſionem.* Et libro 9. capite 10. de omni notitia ita ſcribit: *Omnis ſecundum ſpeciem notitia ſimilis eſt ei rei, quam nouit.* Et cap. 11. in principio: *Habet ergo animus nonnullam ſpeciei notæ ſimilitudinem, ſiue cum ea placet, ſiue cum eius priuatio diſplicet, quo circa in quantum Deum nouimus, ſimiles ſumus.* Et ſtatim: *Fitque aliqua Dei ſimilitudo illa notitia*; Et paulò poſt: *Et cum habeat notitiæ ſimilitudinem ad eam rem, quam nouit, hoc eſt, cuius notitia eſt.* Vide illum capite 12. ad finem. Denique dicto lib. 14. de Trinitat. capite. 6. expreſſe docet; *cognitionem rei eſſe imaginem eius.* Idem docet D. Anſelmus in ſuo Monologio c. 31. ita ſcribens: *Nulla ratione negari poteſt, cũ mens rationalis ſe ipſã cogitãdo intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione imò ipſã cognitionẽ ſui eſſe imaginem, ad ſuã ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſſione formatam: quamcunque enim rem mens, ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem cupit veraciter cogitare; eius vtique ſimilitudinem in ipſa cogitatione conatur exprimere.*

Anſelm.

47. Non recipitur explicatio Capreol.

Nec vim huius argumenti elides, ſi cum Capreolo, Ferrarienſi, Conimbricẽſibus, & alijs reſpondeas, Patres illos, viſionẽ, & quamcunque intellectionem appellaſſe imaginem, & ſimilitudinem ratione principij, & termini; quia ſcilicet ſpecies, quæ eſt intellectionis principium, & verbum, quod eſt eius terminus, ex ſua natura ſunt formales ſimilitudines: tùm, quia apud D. Anſelmum intellectio ſumpta in ſe ipſa formaliter eſt imago: quod autem formaliter eſt tale, perſe, & in ſe eſt tale. Tũ ſecundò, quia apud Auguſtinũ intellectio eſt ipſũ verbũ, verbũ autẽ ex ſua natura eſt formalis ſimilitudo. Vnde illa explicatio à viris doctiſsimis reijcitur.

48. Confirmatur opinio.

Deinde hæc ſententia confirmatur, ſi ſupponamus, viſionem, & quamcunque aliam intellectionem formaliter non eſſe actionem, ſed qualitatem, vt diximus lib. 4. quæſt. 2. artic. 3. numero 4. & latius ibidem artic. 4. & ſupra lib. 10. quæſt. 1. art. 2. §. 4. numero 15. vbi oſtendimus hanc eſſe opinionem D. Thomæ, Capreoli, & nobiliorum Thomiſtarum. Hac opinione ſuppoſita efficaciter cõuincitur, intellectionẽ in ſe ipſa eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginẽ obiecti. Et quidem id nõ poteſt negari, ſi intellectio re, & ratione eſt idẽ, quod verbũ, quæ eſt doctiſsimorũ opinio, & mihi veriſsima, quia puto eam eſſe Auguſtini: cõſtat enim inter omnes verbũ ex ſua natura eſſe formalẽ rei ſimilitudinẽ, & imaginem. Igitur talis erit intellectio, ſi re, & ratione idem eſt cũ verbo. Idem dicendum erit, ſi intellectus & verbum ſunt vna, & eadem entitas, ratione tamen diſtincta, quæ etiam fuit plurimorum ſententia: nã ratio ſimilitudinis cõuenit ipſi entitati. Deniq; idẽ dicendũ eſt ſi intellectio realiter diſtinguitur à verbo, quod pluribꝰ placuit: nã apud iſtos authores intellectus formaliter nõ intelligit verbo, ſed ipſa intellectione, vt intellectio eſt,

eſt, id eſt, prout eſt apprehenſiua obiecti. Ergo ſub hac ratione habet rationem notitiæ: notitia verò ſub ratione notitiæ eſſentialiter eſt imago, & formalis ſimilitudo obiecti, vt ſupponimus.

49. Ad 1. Argumenta in oppoſitum facilè ſoluũtur. Ad primum ſumptum ex D. Thoma dicimus, D. Thomam in illis locis ſolum agere de ſimilitudine, quæ ſe habet ex parte rei viſæ, & quæ eſt principium intelligendi conſtitutiuum intellectus in actu primo. Agit igitur de ſola ſimilitudine impreſſa. Vnde non vniuerſaliter negat dari aliquam ſimilitudinem creatã Dei; ſed ſolum negat dari aliquam ſimilitudinem impreſſam, & habitualem, vt oſtendimus lib. 8. 2. p. q. 2. artic. 8. §. 2. à num. 20.

50. Ad 2. Ad ſecundum neganda eſt minor, vt patet ex dictis in principio: communis enim Thomiſtarũ, imò etiã D. Thomas expreſsè negat id, quod in minori ſumitur.

51. Ad 3. Ad 3. deberet Cumelius probare antecedens: nam de viſione ſenſitiua idem dicimus, quod de intellectiua.

52. Ad 4. Ad 4. dicimus illud vim non habere, ſi intellectio à verbo non diſtinguitur. Sed nec vim habet, ſi ab eo diſtinguitur realiter: nam licet intellectio nõ ſit actio prędicamentalis, eſt tamen grammaticalis, quia concipi non poteſt, niſi ad modum cuiuſdam tendentiæ ad obiectum, vt ex D. Thoma, & Scoto diximus ſupra q. 1. art. 1. §. 7. num. 40. vbi oſtendimus, intellectionem formaliter eſſe intelligibilem quandam apprehenſionem obiecti. Vnde apud Thomiſtas ſupponit obiectum ſibi præſentatum: iam verò obiectiua præſentatio fieri non poteſt, niſi per verbũ apud eos, qui volunt verbum produci per omnem intellectionem.

53. Ad 5. Ad quintum; id, quod infertur, nullũ eſt abſurdum: etenim ſimilitudo expreſſa nobilior eſt, quàm impreſſa: & ſubinde viſio eſt nobilior, quàm ſpecies intelligibilis.

54. Ad 6. Ad ſextum: nullum eſt abſurdum, Creaturam formaliter nos beare: ſicut non eſt abſurdum, creaturam nos beare efficienter; quatenùs efficit viſionem, quæ eſt formalis noſtra beatitudo. Vide quæ diximus lib. 10. q. 1. articul. 3. ad 6. num. 35.

Ad ſeptimum; Admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: probatio in eo deficit; quia non diſtinguit inter ſimilitudinem, quæ eſt relatio fundata in vnitate qualitatis (qualis datur inter duo alba) & ſimilitudinem, quæ eſt formalis imago: hæc enim formaliter non eſt relatio, ſed fundamentum relationis expreſsiui ad expreſſum. Talis autem eſt viſio, & quicunque actus vitalis potentię cognoſcentis; & proinde poteſt eſſe formalis ſimilitudo. 55. Ad 7.

Ad poſtremum, negatur etiam conſequentia: etenim viſio, ideò, quia eſt formalis aſſecutio obiecti beatifici, habet quòd ſit formalis illius repræſentatio, & ſimilitudo: nec aliter poſſet facere Deum ſibi intelligibiliter præſentem, in quo poſita eſt formalis aſſecutio obiecti beatifici. 56. Ad poſtremum.

§. 11.
An viſio diuinæ eſſentiæ ſit immutabilis?

HVius quæſtionis explicatio directè pertinet ad quæſtionem de perpetuitate, & immutabilitate beatitudinis, de qua in lib. ſequenti diſputandum erit; ideò huius quæſtionis reſolutionem ad illum locum reſeruamus. 57.

§. 12.
An viſio poſsit intendi, aut remitti?

HÆc etiã quæſtio pendet à quæſtione de perpetuitate, & immutabilitate beatitudinis: ideò eam in ſequentem librum referimus. 58.

§. 13.
An viſio formaliter ſit actio, an qualitas?

HAnc quæſtionem iam explicauimus ſuprà lib. 4. q. 2. art. 3. & latius art. 4. vbi quæſiuimus, vtrùm beatitudo formalis ponatur in genere actionis, an verò qualitatis? Et reſoluimus, eã ex ſua natura eſſe qualitatem quandam ſupernaturalem; quam ſententiam in proprijs terminis reſoluit *Scotus in 4. diſt. 49. q. 2. §. Ad argumenta ad 4. lit. DD.* cũ verò beatitudo formalis eſſentialiter ponatur in viſione diuinæ eſſentiæ, iuxta probabiliſsimã ſentẽtiam Thomiſtarum, & aliorum 59. An viſio eſt actio. Scotus.

rum, quam poſſuimus in dicto lib. 4. q. 8; & in hac diſput. ſupponimus; idem dicendum eſt de viſione beata. Quod etiã ex eo confirmatur, quòd viſio beata eſſentialiter eſt intellectio: intellectio autem ex ſua natura non eſt actio, ſed qualitas, vt cum veriori ſententia contra nonnullos oſtendimus in dicto libro 4. quæſtione 2. articulo 4. §. 2. numero 4. & lib. 10. quæſtione prima artic. 5. §. 4. nu. 12. Quare de hac quæſtione ſatis ſint quæ in præcitatis locis diximus.

§. 14.

Vtrùm viſio eminenter contineat omnes perfectiones beatitudinis?

60. An viſio cõtineat ões pfectiones? *Scotus.* 1. Ratio. HAnc quæſtionem in terminis excitat *Sotus in 4. diſtinctio. 49. quæſt. 3. artic. 4; vbi in prima concluſio. pag. 610. columna 2.* affirmantem partem ſtatuit: & eam multis confirmat. Eandem ego putò eſſe veriſſimam, ſi ſupponamus beatitudinem Patriæ in ſola viſione eſſentialiter collocari: hac enim ſuppoſita opinione non poteſt negari, viſionem virtualiter, & eminenter continere cæteras omnes perfectiones beatitudinis: etenim de ratione beatitudinis eſt, quod ſit fons, & origo, vnde emanant omnes perfectiones ſtatus beatifici, tàm naturales, quàm accidentales; quod efficaciter conuincitur ex Ariſtotele primo *Ethicorum capite 7. text. 29.* vbi aſſerit, *felicitatem perſe ſumptam, & ab alijs bonis ſegregatam, eſſe bonum optimum, & per ſe ſufficiens, vt vitam faciat expetibilem, & beatam*: non eſſet autem tale bonum, niſi in ſua eſſentia virtualiter contineret omne aliud bonum, quo perficitur; etenim in eſſentia cuiuſque rei radicaliter continentur omnes illius proprietates, & accidentia, quæ illi ſoli conueniunt. *Ariſtot.*

61. 2. Ratio. Accedit: quoniam Ariſtoteles, beatitudinem paſſim appellat ſummum bonũ; ita 1. *Ethicorum cap. 2. text. 8. & cap. 4. tex. 13. & cap. 5. text. 16. & 7. Politicorum c. 8.* Eandem appellat vltimum bonum 1. *Ethicorum cap. 7. & 1. Rhetoricorum cap. 5. & 1. Magnorum moralium cap. 2*: agit autẽ de beatitudine eſſentialiter ſumpta, vt patet ex dicto cap. 7. tex. 26. *Ariſtot.*

62. 3. Ratio. Deinde; cum viſio ſit poſſeſſio ſũmi boni, qui eſt Deus, vt ſupponimus, cum que Deus eminenter ſit omnia, quæ à beato deſiderari poſſunt; vtique viſio ipſa erit poſſeſſio omnium, quæ poſſunt deſiderari, ſi non formaliter, ſaltem virtualiter, & eminenter: ita vt ſicut D. Gregor. dicit: *Quid nõ vident, qui videntem omnia vident?* ita nos veriſſimè dicamus; *quid non habet, qui habentem omnia habet?* quod etiã ſatis explicat Auguſtinus 2. *de Ciuitate Dei cap. 30*: explicans enim illa verba Iſaiæ: *Ego ero illorum Deus*: ita ait: *Quid hoc eſt? niſi ego ero vnde ſatientur, ego ero quæcũque à bonis honeſtis deſiderãtur: & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona.* *D. Grego.* *Auguſt.*

Vnde non ſunt audiendi, qui volunt viſionem ordinari ad amorem, tanquam ad finem; & amorem eſſe actum nobiliorem, & amabiliorem viſione. Vide, quæ diximus lib. 4. q. 8; vbi art. 4. 5. 6. & 7. oſtẽdimus viſionem eſſe nobiliorem amore; idque ſuppoſito, quòd illa ſit eſſentialis beatitudo: & ibidem art. 8. eadem ſuppoſita opinione probauimus, viſionem non eſſe propter amorem, tanquam propter finem: & artic. 9. diximus, eſſe illo amabiliorem. Oppoſitum tamen dicendum eſt, ſi beatitudo in amore eſſentialiter ponitur: de quo vide, quæ diximus in dicto lib. 4. q. 10. artic. 4. 63. Viſio nõ ordinatur ad amorem.

§. 15.

An viſio in omnibus beatis ſit eiuſdem ſpeciei?

HÆc quæſtio diſputari poteſt, tùm de facto, tùm de poſsibili: in vtroque ſenſu eſt controuerſa. 64. Quæſtio, optima.

Quid ſit de facto?

¶ Si quæſtio in hoc ſenſu proponatur: An ſcilicet omnes viſiones beatæ de facto ſint eiuſdem ſpeciei? duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ. Prima affirmat, de facto non omnes viſiones eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed aliquas ſpecie differre: Quidam enim volunt omnes viſiones inæquales in beatitudine eſſe ſpecie differentes; quam opinionẽ referunt Bellomontanus, & Salas ſtatim citãdi. Alij docẽt in hominibus beatis, omnes viſiones eſſe eiuſdem ſpeciei: viſiones tamẽ Angelorũ ſpecie diſtingui, tùm à viſionibus hominũ, tũ à viſionibus Quid de facto? 1. Opinio negat. Varia explicant.

Angelorum, qui inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Hæc opinio probata fuit *Maiori in 4. diſt. 49. q. 11. §. Reſpondeo licet*: vbi

Maior.

eam probat, tanquam probabiliſsimam. Non deſunt, qui viſionem permanentem Patriæ ſpecie diſtinguant à viſione tranſeunte, quæ in via communicari poteſt; ita docuit *Medina 1.2.q.4.art.5.*

65. Oppoſitam ſententiam docet ferè omniū conſenſus: omnes enim viſiones beatorum, volunt eſſe eiuſdem ſpeciei: ſiue ſint hominum ſiue Angelorum: ſiue æquales ſint, ſiue inæquales: denique, ſiue ſint permanentes, ſiue tranſeuntes. Ita

Opinio affirmans.

Durand. *Marſil.* *Sotus.*

Durandus *in 4. diſt. 49. q. 6. num. 5. & in 3. diſt. 14. q. 1. num. 8. Marſil. in 3. q. 10. ar. 2. in 2. propoſit. poſt quartam opinionē fol. 415. col. 1. poſt principium: Sotus in 6, diſt. 49. q. 5. ar. 2. §. His non obſtantibus, pag. 699. col. 1. Molin. 1. p. q. 12. art. 6. diſput. 5. Cumelius ibidem q. vlt. in principio: Bellomo. 1. p. diſp. 50. cap. 5. num. 32. in fine: Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 26. in præfatione, pag. 514. colum. 2. A. B. & lib. 2. de Attribut. negat. cap. 19. per totum, & cap. 23. num. 23. Valentia prima ſecundæ. diſp. 1. q. 5. pūct. 3. in fine §. De tertio, pag. 108: Salas 1. tom. ad primā ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 9. num. 35. in 4. opinione p. 226. Nauarrete 1. tom. cōtro. 42. §. 1. fol. 260. col. 1. §: Quòd ſit hoc concedas,*

Molin. Cumel. *Bellom.* *Valentia,* *Salas.* *Nauarrete*

Scotus.

Eandem opinionem ſatis probet Scotus *in 2. diſt. 1. q. 6. litera A. §. Item tercio*, vbi ſimpliciter aſſerit, falſum eſſe, viſionem Angelorū ſpecie differre à viſione hominum: quod ſatis confirmat litera S. dum contra opinionem, quòd actiones potentiarum ſpecie differentium, inter ſe ſpecie differant. obijcit, tanquam abſurdū, quod viſiones beatificæ Angelorum, & hominum ſpecie differant: nec aliter putat reſponderi poſſe, ſi illa opinio ſupponatur, niſi dicendo intellectum Angelorum, & hominum actiuè non concurrere in viſiōnem, ſed ſolum paſsiuê. Cum Scoto ſimpliciter tranſit *Lichetus, & Mayronius in 2. diſt. 3. q. 1. §. Dicit Scotus, eandem ſimpliciter probat Baſſolius in 2. diſt. 3. q. 6. art. 2. §. Dico enim fol. 36. col. 1.* Quare hęc eſt communis ſententia inter Scotiſtas: nec audiendus eſt Angles *in floribus ad 2. lib. diſt. 1. difficultate 17. dub. 4. pagin. 22*, dum ait Scotum docere viſiones beatas Angelorum, & homiuum, eſſe eiuſdem ſpeciei, ratione obiecti, diuerſę tamē rationę ſubiecti, ſcilicet ratione intellectuū, qui ſpecie differunt: nec enim in hoc mentem Scoti percepit. Eadem ſententia receptiſsima eſt apud Nominales, quatenùs putant, intellectum creatum ad viſionem ſolum concurrere paſsiuê. Citari ſolet Caietan us *3. p. q. 10. art. 4. circa tertium Diui Thomæ, vbi aſſirmat viſionem in Angelis, & hominibus eſſe eiuſdem ſpeciei vt patet in §. Ad hoc dicitur in verſ. ſed hæc poſitio diuinat.*

Lichetus, *Baſſol.* *Mayron.* *Angles.* *Caiet.*

66. Ego puto, hanc ſecundam ſententiam in ſe quidem eſſe veriſsimam; oppoſitam tamen, nec ridiculam eſſe, nec abſurdam; quidquid Bellomont. pro ſua libertate eā abſurdam, & ridiculam exiſtimet. Hoc ſecundum ex eo confirmo; quia & habet pro ſe graues authores; & rationes, quibus noſtra opinio confirmatur, nullam in ea improbabilitatem conuincunt; quod nos olim exiſtimauimus, & nunc exiſtamamus, dicimùſque eam gratia exercitij defendi poſſe: quod fortè fuit iudicium Salæ; dum ait, eam amplectendam eſſe, non vi rationum, ſed authoritate Doctorum: quia ferè omnes eam, vt certam ſine diſputatione affirmant, vt benè aduertit Suarius *3. p. loco citato*. Sed vim noſtrarum rationum expendamus.

Opinio affirmans eſt authoris.

Fundamentū authoris

Suar.

67. Prima ratio: Gratia, & Charitas in omnibus beatis ſunt eiuſdem ſpeciei. Ergo & viſio in omnibus eiuſdem ſpeciei erit. Antecedens probatur: primò; quia videtur colligi ex Auguſtino *in lib. de Correptione, & Gratia cap. 11. & 12. & in lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9. & ex D. Anſelmo de caſu Diaboli cap. 1*, & probatur ab omnibus in materia de Gratia. Deinde; quia nō eſt, vnde in gratia & Charitate ſumatur diuerſitas ſpecifica; etenim à ſolo Deo infunditur, & in omnibus recipitur per ſolam potentiam obedientialem. Conſequētia probatur; quia viſio correſpondet meritò, cuius radix eſt tàm gratia, quā Charitas. ¶ Ad hoc argumentum facilè reſpondebunt aduerſarij: quoniam, & antecedens aliquibus eſt dubium (quia non deſunt, qui Charitatē Patriæ ſpecie diſtinguant à Charitate vię) & conſequentia parum habet efficaciæ: quoniam viſio nō reſpondet meritò eſſentialiter, & abſolutè; ſed ſolùm gradualiter; quia de lege intenſio viſionis datur iuxta menſurā meritorum, vt in lib. ſequenti dicemus.

Expenditur 1. ratio.

Auguſt. *Anſelm.*

Solutio.

Secunda

68. 2. Ratio. Secunda ratio, eaque communis: quia omnes viſiones habent cauſas eiuſdẽ ſpeciei; omnes enim habent idem obiectum primarium, nempe eſſentiam diuinam: ad omnes concurrit lumen gloriæ eiuſdẽ ſpeciei: denique ad omnes concurrit ſpecies intelligibilis eiuſdem rationis; quia ad omnes concurrit diuina eſſentia, vt ſubit vicem ſpeciei intelligibilis. ¶ Sed
Solutio. nec hoc argumentum rẽ conuincit: quia licet aduerſarij admitterent, in omnibus tàm hominibus, quàm Angelis dari lumen gloriæ eiuſdem ſpeciei: negarent tamen cæteras omnes cauſas in omnibus eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ: etenim, licet obiectum materialiter ſumptum in omnibus ſit idem; quia in omnibus eſt eadem diuina eſſentia; non tamen formaliter in omnibus eſt idem; quia nõ in omnibus cõcurrit ſub intelligibilitate eiuſdem rationis: quod eſt fundamentum eorum, qui volunt, viſiones inæquales, tàm in Angelis, quàm in hominibus ſpecie differre, vt ſtatim dicemus. Vnde nec ſpecies intelligibilis in omnibus eſſet eiuſdẽ rationis; quia eſſentia diuina, vt eſt ſpecies, haberet repræſentationes ſpecie diſtinctas. Sed nec in omnibus eſſet identitas ſpecifica intellectuũ; quia intellectus Angeli ſpecie differt ab intellectu hominis: quod eſt fundamentum Maioris, & eorum, qui volunt viſiones Angelorum ſpecie diſtingui à viſionibus hominum: apud quos viſionũ diuerſitas per ſe pendet à diuerſitate potentiæ intellectiuæ.

69. 3. Ratio. Tertia ratio id nititur oſtendere in viſione beata hominum, contra illos, qui volunt, in illis viſiones inæquales interſe ſpecificè differre: cuius oppoſitum nituntur oſtendere: primò; quia omnes homines ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ. Ergo omnes ordinantur ad finem, viſionemque eiuſdem ſpeciei. Secundò; quia omnibus hominibus promittitur idem præmium beatitudinis. Ergo omnibus illis promittitur eadem viſio: at non promittitur eadem numero, nec eadem ſecundùm intenſionem, quia in Patria plures erunt inæquales. Ergo omnibus promittitur eadem viſio ſecundum ſpeciem: Denique; tota natura humana de ſe ordinatur ad eandem beatitudinem formalẽ eſſentialiter æqualem. Ergo ordinatur ad viſionem æqualem eſſentialiter: ſed talis eſſe non poteſt, niſi in omnibus ſit eiuſdem ſpeciei. Poſterior diſcurſus patet: conſequentia prioris inde probatur; quia gratia in tota natura humana, ideò eſt eiuſdem rationis; quia tota illa eleuatur ad iuſtitiam, & ſanctificationem eiuſdem rationis. ¶ Ad hoc argumẽtum facilè reſpondebunt aduerſarij. Et ad primam probationem dicerent, ex eo, quòd omnes homines ſunt eiuſdem naturæ, non neceſſariò inferri omnes ordinari ad eundẽ finem formalem; ſed ſatis eſſe, quòd ordinentur ad eundem finem obiectiuũ, quãuis formalis ſit diuerſus. Et eodem modo reſponderent ad ſecũdam probationem: quoniam omnibus promittitur idem præmium beatitudinis obiectiuę; non tamẽ formalis; vnde omnes conſequentur eũdem Deum; non tamen eadem formali aſſecutione. Tertia probatio in antecedente petit principium: aduerſarij enim negant, totam naturam humanam ordinari ad beatitudinem formalem, quæ ſit eſſentialiter æqualis, id eſt eiuſdem rationis. Solutio.

Quarta ratio adducitur contra eos, qui volunt, viſiones Angelorum, & hominũ ſpecie differre: quoniam, ſi ita differrent, ex eo eſſet, quia intellectus humanus, & Angelicus ſpecie differunt: ſed hęc ratio non ſatis eſt: quoniam à principijs ſpecie diuerſis actus interdum ſpecie non differunt; quod continget, ſi principia illa nõ operentur, quatenùs diuerſa ſunt, ſed quatenùs in aliqua vna ſpecie ratione conueniunt. Iam verò intellectus Angelicus, & humanus non conueniunt ad viſionem virtute ſibi propria, & naturali, in qua differunt ſpecie; ſed prout lumine gloriæ eleuãtur; quod in vtroque eſt eiuſdẽ rationis. Quare ſicut virtus naturalis nihil confert ad entitatem viſionis; ita etiam diuerſitas illius nihil conferet ad diuerſitatem ſpecificam. ¶ Sed aduerſarij negarent minorem: nam ſi diuerſitas ſpecifica inter illos intellectus admittatur; illa etiã admittẽda eſt in actibus: etenim ex Ariſtote 2. *de Anima cap. 2. text. 22.* Si potentiæ ſunt ſpecie diſtinctæ, actus etiam ſpecie diſtinguentur; quia potentiæ ab actibus ſpecificantur. Nec verum eſt, intellectum crea um non concurrere ad viſionẽ virtute ſibi propria, & naturali: etenim, nec concurrit per ſolum lumen gloriæ; 70. 4. Ràtio. Solutio.

quia lumen intellectui non eſt tota vis ad videndum, vt oſtendimus lib. 10. q. 3. art. 2: nec concurrit per virtutem obedientialem innatam, quam Suarius author huius probationis excogitauit, vt diximus in dicta q. 3. art. 3; cõcurrit igitur per virtutem naturalem, quæ obedientialiter eleuatur per lumen gloriæ, vt latè probamus in dicta q. 3. art. 4. cum ſequentibus. Quare ſi illa in Angelis, & hominibus ſpecie diſtinguitur, viſio etiam in illis ſpecie diſtinguetur.

71. 5. Ratio. Quinta ratio generaliter noſtram ſententiam confirmat, & eſt commune illius fundamentum: quoniam viſio beata in quocumque illa ſit intellectu, ſumit ſpeciem ab obiecto, & à modo, quo illud attingit: potẽtiæ enim ab obiecto ſpecificãtur, vt cõmunis docet Philoſophia. Sed in omnibus viſionibus obiectum eſt idẽ, & idẽ modus attingẽdi illud: etenim obiectũ viſionem ſpecificans eſt Deus, qui eodẽ modo terminat Angelorum, & hominũ viſiones. Ergo omnes viſiones, ſiue hominum, ſiue Angelorum; ſiue æquales ſint, ſiue inæquales, ſunt eiuſdẽ rationis.

Solutio. ¶ Hoc argumentum contra aduerſarios eſt difficilius. Qui putant, viſiones hominum, & Angelorum ſpecificè differre, negarent maiorem. Quia actus ſæpiſsimè non ab obiecto ſpecificantur, ſed à potentijs: ſed quia opinio illa non ſatis videtur Philoſophica, faciliusreſpondebunt, negatione minoris: quoniam licet omnes beatorum viſiones terminentur ad diuinam eſſentiam, tanquam ad obiectum; non tamen omnes terminantur ad eam ſub eadem ratione intelligibili. Sed ſub rationibus ſpecie diuerſis: plures enim terminantur ad illam ſub imitabilitatibus diuerſis ſpecie, à quibus ſpecificãtur,

Paludan. vt docet Paludanus *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. num.* 6. quod fundamentum deberet impugnari.

72. 6. Ratio vrgentior. Sexta, & poſtrema ratio: quoniam ſi viſio in Angelis ſpecie diſtingueretur à viſione in hominibus; quilibet Angelus haberet viſionem eſſentialiter perfectiorẽ quolibet homine: quod non eſt admittendum; quia inde ſequeretur, quemlibet Angelum eſſe eſſentialiter beatiorem quolibet homine, etiã beata Virgine; imô etiã Chriſto Domino, quod fides non admittit, vt in lib. ſequenti oſtendemus. Sequela prioris diſcurſus ex eo oſtenditur; quia viſio in Angelo eſſet eſſentialiter perfectior, quã in homine. Porrò ſequela diſcurſus poſterioris inde probatur; quia viſio formaliter facit beatum. Ergo quæ viſio eſt eſſentialiter perfectior, illa facit eſſentialiter beatiorem. Quare ſi viſio Angeli eſſentialiter eſt perfectior, quàm viſio cuiuſcumque hominis, etiam Chriſti Domini; vtique facit quemcunque Angelum eſſentialiter beatiorem quocũque homine, etiã Chriſto. Quæ fuit ſequela.

¶ Hæc ratio mihi videtur cæteris vrgentior: nec enim ſatis eſt ſolutio Maioris, Solutio Maioris non recipitur. qui admittit viſionem cuiuſcumque Angeli entitatiuè eſſe meliorẽ, viſione Chriſti; non tamen eſſe meliorem ipſi Angelo, quàm viſio Chriſti ſit ipſi Chriſto: ſicut etiam quælibet minima auri particula melior eſt entitatiuè, quàm argentum cuiuſcumque ponderis; cum tamen minima portio auri non ſit melior habenti, quàm argentum magni ponderis. Sed ſolutio non eſt accommodata; vnde nec eã recipit Bellomont. vbi ſuprà. Melius reſ- Melior ſolutio. pondebis, ſi dicas, viſionem beare quidẽ, quatenùs eſt viſio; non tamen ſub omni ratione, qua eſt viſio: nec enim beat ratione principij actiui, à quo ſolo apud iſtos ſpecificatur; ſed ratione termini cuius eſt formalis perceptio: ideo enim formaliter habet rationem beandi; quia intelligibiliter attingit, & percipit obiectũ beatificum: in hac enim opinione, licet viſio includat eſſe ab intellectu, & percipere obiectum; non tamen ſpecificatur ab obiecto; (quia idem poteſt eſſe obiectũ, & materialiter, & formaliter vtriuſque potentiæ, & vtriuſque viſiuæ actionis) ſed à principio actiuo, qui eſt talis intellectus. Quare viſio non facit magis beatũ, quia ſpecificatur à principio ſpecificè digniori; ſed quia meliùs, & intimiùs atttingit, & penetrat ipſum beatificum obiectum. Iam verò viſio, quæ eſſentialiter eſt inferior, poteſt intimiùs penetrare rationes intelligibiles, & beatificas obiecti beatifici; & ideo poteſt facere beatiorem ipſum videntem, cuius eſt viſio. Quare nõ eſt bona hæc conſequentia: *Angelus ſit beatus per viſionem eſſentialiter perfectiorẽ, quàm ſit quæcumque viſio cuiuſcumque hominis beati. Ergo Angelus eſt beatior quocũque beato homine.*

Ex

73. Opinio oppoſita defendi poteſt gratia exercitij

Ex his patet, nec riduculam eſſe, nec abſurdam opinionem, quæ admittit non omnes viſiones beatificas eſſe eiuſdẽ ſpeciei. Sed quãuis exercitij gratia illa poſſit defendi; oppoſita tamen ſententia mihi eſt veriſsima: tùm; quia ferè ab omnibus recipitur: tùm etiam; quia pluralitas, etiam ſpecifica, non eſt admittenda ſine neceſsitate, vt vera habet Philoſophia: iam verò nulla dari poteſt ratio, quę illam diuerſitatem ſpecificam efficaciter probet, vt facilè patebit, ſi quæ argumenta in oppoſitum fiunt, illa diligentius expendamus.

Solutio argumentorum.

74. Solutio primi argum. opinionis oppoſitæ.

¶ Primum igitur argumentum pro opinione, quæ viſiones in Angelis, & hominibus ſpecie diſtinguit, ſumitur ex eo, quod intellectus Angeli ſpecie diſtiguitur ab intellectu hominis. Ergo viſiones in Angelis, & hominibus ſpecie diſtinguuntur. Conſequentia probatur; quia ex Ariſtotele potentiæ diſtinguuntur ab actibus; Ergo quæ potentiæ ſpecie diſtinguuntur, illæ habebunt actus ſpecie diſtinctos. ¶ Hoc tamen argumentum ſumit antecedens ſatis dubium: quia non ſatis conſtat inter Philoſophos; an intellectus Angelicus ſpecie differat ab humano? vt docet Valentia *2.tom.diſp.1.q.5. puncto* 3, *ad* 2.*pag*.109.*A*; & ſatis patet ex jis, quæ docent Conimbricenſes *in tract. de Anima ſeparata diſp.1. artic.7.ad finem pag.* 468.§. *Duplex reſponſio*: vnde Scotus anceps eſt *in 2.diſt.1.q.6. ſimiliter, &* *Caietanus*, qui in hac quæſtione non ſatis ſibi conſtat: imò ipſe Maior huius argumenti author fatetur, hoc vix ſibi conſtare. Quare argumentum diſſoluemus, ſiue vnam, ſiue alteram probes opinionem.

dubiũ eſt, An intellectus hominis & Angeli differant ſpecie. *Valentia, Conimbr. Sotus. Caiet. Mayron.*

75. 1.Solutio. *Mayron. & Scotiſtis.*

Et quidẽ argumẽtum nullã habet vim apud eos, qui negant, duos illos intellectus ſpecie differre: negabunt enim antecedens, quod, vt verum, ſine probatione ſupponitur: quod ſimpliciter negat Mayronius *in 2.diſt.* 3. *q.1. in 2.difficultate* §. *Sed nunquid differunt ſpecie?* Vbi hanc opinionem tribuit Scoto: ſed Scotus eam nõ probat, niſi vt probabilem, cum oppoſitam etiam vt probabilem defendat: quod etiam faciunt Scotiſtæ, vt patet ex Rada *2.p.controuerſ.3.art.1.ad 1.argum.principale pag.*129 *col.*1. Eãdem ſententiam abſq; dubio probat D.Thomas *1.p.q.79. artic. 8.ad 2.dum ait, vim cognoſcitiuam Angelorum non eſſe alterius generis à vi cognoſcitiua rationis; ſed comparari ad ipſam, vt perfectum, & imperfectum.* & id ſatis inſinuat 1. *p.q.58.art.3.& in quæſtionibus de Anima art.15.ad 10.quem explicant Conimbricenſes vbi ſuprà pag.467.§.Supereſt tamen.* *D.Thom.* *Conimbr.*

76. 2. Solutio ſuppoſito, quod differunt ſpecie.

Sed quoniam oppoſita ſententia eſt communior, & in ſe ſatis probabilis (eam enim probat Baſſolius loco citato, & ſatis Caietan.1.2.q.50, art.6.§. *Scito ſecundo.* & in eam magis inclinant Conimbricenſes vbi ſuprà pag.469. §. *Altera ſolutio*) operæpretium erit, ea ſuppoſita, argumentũ diſſoluere: nam ſuppoſita ea maiorem habet vim. Omnes noſtræ ſententiæ Patroni, admiſſo antecedente, negant conſequentiam, quia ex ſpecifica diſtinctione intellectuum non benê infertur differentia ſpecifica inter viſiones beatas hominum & Angelorum: ita docent *Baſſolius, Mayronius, Scotus, Molina, Valentia, Suarius cum cæteris, quos citauimus.* Inter quos illud, tanquam certũ ſtatuitur fieri poſſe, vt potẽtiæ ſpecie diſtinctæ habeãt actus eiuſdem ſpeciei: vnde ſtatuunt ex diuerſitate ſpecifica potentiarum non neceſſariò inferri ſpecificam diuerſitatem actuum. Quam doctrinam quidam ſine probatione ſumunt, vt Baſſolius. Quod tamen non eſt admittendum, cum illa cõſequentia fundetur in recepta Ariſtotelis Philoſophia: nam ſi potentiæ per actus diſtinguuntur; qui fieri poteſt, vt potentiæ ſpecie diſtinguantur; nõ autem actus? oportet igitur veram huius Philoſophiæ intelligentiam explicare. In quo conueniunt.

77. Inſtãtiæ cõtra illã conſequentiam

Aliqui ideò illam conſequentiam nõ admittunt; quia contra eam dantur inſtãtiæ: etenim ignis, & Sol differunt ſpecie, ſimiliter potentiæ calefactiuæ eorũ; quia vna eſt formaliter talis; alia verò ſolùm eminenter: & tamen calor productus ab igne eſt eiuſdem ſpeciei cum calore producto à Sole. Viſio etiam, quæ eſt in homine huius obiecti ſpecie conuenit cum viſione eiuſdem obiecti, quæ eſt in equo: cum tamen homo, & equus differant ſpecie. Ita Sotus, & Valentia. Sed inſtantiæ nihil efficiunt: quoniam prima ſumit potentias non eiuſdem ordinis; quia vna eſt forma- Non valent inſtantiæ.

formaliter talis, altera ſolum eminenter: de quibus Philoſophia adducta nō intelligitur: quia potentia ſuperioris ordinis eminenter in ſua virtute continet effectus, quos formaliter continet potentia ordinis inferioris; quod non reperitur inter potentias eiuſdem ordinis. Secunda verò inſtantia vim haberet, ſi potētia viſiua hominis, & equi ſpecie differrent; cū tamen non differant, vt videre eſt apud Conimbricenſes *lib. 3. de Anima cap. 1. q. vnica pag. 277. §. Quærenti.*

78. Vera illius philoſoph. explicatio. Vera difficultatis ſolutio ſit, vt Philoſophia allata, ſcilicet *potentias ſpecie diſtinctas habere actus diſtinctos ſpecie*, ſolum ſit vera in actibus naturalibus cuique proprijs, ſecus in illis, qui ſupernaturales ſūt. *Salas.* Quę ſolutio probata fuit Salæ *in dict. pag. 228. col. 1.* in ea omnes conueniunt: omnes enim admittunt, potentias ſpecie differentes habere actus ſibi naturales differentes ſpecie, Tota difficultas poſita eſt in reddēda ratione diſcriminis inter hos, & illos actus: in quo varij ſunt dicendi modi. 1. dicēdi modus ex Nauarrete. ¶ Primus eſt eorum, qui volunt, tunc potentias ſpecie diſtinctas inferre actus eſſe diſtinctos ſpecie; cum illæ ſpecies diſtinguuntur, & quatenùs ſunt proprietates naturarum ſpecie differentiū; & quatenùs ſunt potentiæ receptiuæ ſuorum actuum: ſecus ſi ſolum diſtinguātur ſpecie, vt ſunt proprietates; & ſint eiuſdē ſpeciei, vt ſunt actionum receptiuæ. Iam verò licet intellectus hominis, & Angeli ſpecie diſtinguantur, vt ſunt proprietates naturarum ſpecie diſtinctarum: non tamen, vt ſunt potentiæ receptiuæ luminis gloriæ: quia ſub iſta ratione ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita rem explicat Nauarrete *in dicta controuer. 42. q. 1. fol. 260. col. 1. §. Et nota, quòd licet intellectus.* Non placet. ¶ Sed hæc explicatio ſicut liberè eſt conficta; ita liberè reijcitur, tanquam nullum habens in Philoſophia fundamentum.

79. 2. Modus ex Suar. Secundus modus explicandi eſt Suarij *in dicto lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 19. num. 7*; Ex quo colliges, ex potentijs ſpecie diſtinctis inferri ſpecificam diſtinctionem in actibus, cum illæ actus operantur, quatenùs ſpecie diſtinguntur; ſecùs, ſi eos operantur, non vt ſunt diſtinctæ ſpeciei; ſed prout conueniunt in vna aliqua ratione, quæ in illis ſit eiuſdem ſpeciei: quod in noſtro propoſito contingit: quoniā, nec intellectus hominis, nec Angeli in viſionem influunt ſecundùm ſuā naturalem virtutem, in qua ſpecie differunt; ſed quatenùs conueniunt in vna potentia obedientiali actiua à naturali diſtincta, quæ in illis eiuſdem eſt rationis ſpecificæ. Vnde non eſt mirum, ſi duo illi intellectus ſpecie differentes habeant viſiones eiuſdem ſpeciei. Quare allata Philoſophia, tunc ſolùm eſt vera cum effectus à virtute cuique naturali, & propria, immediatè fluunt: ſecus ſi fluant ab alia virtute, quæ in illis eiuſdem ſit rationis. ¶ Hæc tamen ſolutio duo ſupponit falſa: Non recipitur. quoniam negat intellectum hominis, & Angeli in viſionem non influere per virtutem ſibi naturalem: & ponit in vtroq; virtutem obedientialem à naturali diſtinctam, per quam in viſionē influit. Vtrūq; eſſe falſum oſtendimus lib. 10. q. 2. artic. 9. & q. 3. art. 3. & 4.

80. 3. Modus ex Molin. Tertium dicendi modum probauit Molina *in dicta diſp. 5. ad 1. argumentum*; vbi ſcribit, Philoſophiam illam ſolum eſſe veram, quando actus ita ſunt proprij potentiarum, vt viribus naturalibus ipſarū poſſint ab eis emanare: ſecus ſi actus adeò ſunt ſuprà facultatem naturalem, vt à potentijs, nec quoad ſubſtantiā actus emanare poſſint. Et ratio eſt, inquit quia potentię illę erga tales actus exiguam habēt cauſalitatem: tunc enim licet tales potētiæ aliquo modo ad illos actus concurrāt; concurrunt tamē per concurſum ita exiguum, vt quamuis in illis ſpecie diſtinguatur; non tamen eſt ſatis ad faciendam in actibus ſpecificam diſtinctionem. Sic autem ſe habent intellectus Angelicus, & humanus, in ordine ad viſionem: licet enim virtus naturalis in illis ſpecie ſit diſtincta; quia tamen nō eſt virtus principaliter influens, ſed influit exiguo quodam concurſu, non ſatis eſt illa diuerſitas virtutis ad faciendam ſpecificam diuerſitatē actuum. ¶ Hæc tamen explicatio non Non admittitur. placet Salæ loco citato, ſed nec placet nobis: tùm quia ſupponit virtutem naturalem intellectus Angeli, & hominis parū influere in viſionem, quod non puto eſſe verum: quoniam licet in eam ſolis ſuis viribus influere non poſſit; eleuatus tamen in eam influit, vt cauſam non inſtrumentariam, ſed principalem, vt oſtendimus lib. 10. q. 3. art. 5: & præterea influit tan-

tanquam virtus, vt *quæ*, qualis eſt virtus potentiæ; cum tamen, tàm lumen, quàm ſpecies influant, vt virtus, quæ eſt principium, vt *quo*. Iam verò apud aduerſarios talis virtus, ſi eſt ſpecie diſtincta, infert in actibus diſtinctionem ſpecificam.

81. 4. Modus ex Bellomont. Quarto loco difficultatē reſoluit Bellomontanus *in dicta diſp. 47. cap. 5. nu. 31.* vbi putat, tunc ex principijs actiuis ſpecie diſtinctis inferri ſpecificam diſtinctionem actuum, cum illa ſunt principia ſecūdum particularem, & ſpecificam illorum rationem; ſecus ſi ſolùm ſecundùm rationem genericam. Sic autem res habet in propoſito: quia intellectus eſt principiū viſionis, non ſecundum propriam, & ſpecificam illius rationem, ſed ſecundum ſolam genericam intellectionis. Ob quam rationem indiget determinari per lumen & ſpeciem ad rationem propriam viſionis. ¶ Sed nec iſta explicatio recipi debet: (Non placet.) ſupponit enim Philoſophiam à cæteris omnibus impugnatam, dum vult intellectum virtute ſibi propria ad viſionē ſolùm concurrere ſecundùm rationē genericam intellectionis; ad ſpecificam verò, prout per lumen determinatur. Quæ Theologia à cæteris non recipitur; cum ad omnes gradus viſionis per ſe concurrat virtute ſibi naturali, eleuata tamen: quo ſuppoſito, adhuc datur locus difficultati.

82. 5. Modus ex Valentia. Quinto loco accedit Valentia loco citato: qui vult, tunc potentias ſpecie differentes habere actus differentes ſpecie, cū ad illos immediatè concurrunt per proxima principia, quę etiam ſpecie differāt: ſecus ſi vtraque potentia concurrat per principium proximum, quod in illis ſit eiuſdem ſpeciei. Sic autem ſe res habet in propoſito: quia intellectus Angeli, & hominis in viſionem non influunt per virtutes ſibi naturales, & proprias, tanquam principia proxima: ſed per lumen glorię eiuſdē rationis, quod vtrique intellectui eſt proximū principium agendi. ¶ Hæc (Non ſatisfacit.) tamen explicatio difficultatem tolleret, ſi illi intellectus per ſolū lumē gloriæ ad viſionē concurrent, & nullo modo per virtutem ſibi naturalem à natura inditam; ita vt lumen illis ſit tota vis videndi, quę fuit aliquorum ſententia: verum cum illa cōmuniter reijciatur, etiam ab ipſo Valentia, qui cum communi ſententia admittit, intellectum etiam ad viſionem concurrere per virtutem actiuam à natura ſibi ingenitam, ſimul cum ipſo lumine, allata ab aduerſarijs difficultas adhuc vrget; quia adhuc in proprias viſiones influunt ſecundum diuerſas ſpecie virtutes: quod ſatis eſſe putant, vt actus ſint ſpecie differentes, quamuis eos producant ſub lumine eiuſdem rationis: nam Angeli, & homines ſuas naturales actiones producūnt ſub lumine naturali eiuſdem rationis; & tamen eas producunt ſpecie diuerſas.

Sextum locum tenet Salas loco citato dicta pag. 228. col. 1. qui ex eo ſumit rationem diſcriminis, quòd actus naturales ex propria ratione ſunt contracti ad determinatam potentiam, & ad determinatum intellectum, humanum, ſcilicet, aut Angelicum; imò etiam ad Angelicū determinatæ ſpeciei, ſi Angeli inter ſe differunt ſpecie; cum tamen actus ſupernaturales, ideò, quia ſunt perfecti, ex ſua natura habeant poſſe afficere quēcunque intellectum, & à quocumque emanare. Quæ tamen explicatio ideò non eſt recipienda, quia ſine vllo fundamanto recurrit ad abſconditas naturæ cauſas. 83. 6. Modus ex Salas.

Ego inde puto veram rationem diſcriminis eſſe ſumendam, quia actus naturales potentiarum, quæ differunt ſpecie, nunquam poſſunt habere vnum obiectū formale, à quo ſpecificentur; quod tamē habere poſſunt actus ſupernaturales, ad quos potentiæ eleuari poſſunt. Hoc poſterius ex eo patet; quia omnes viſiones vtriuſque ntellectus terminantur ad Deum ſub formali ratione Deitatis, prout in ſe ipſa eſt intelligibilis; quę intelligibilitatis ratio eſt vnius rationis ſpecificæ. Illud verò prius ex eo probatur; quoniam cum potentiæ illæ ſpecificentur ab actibus, ex Ariſtotele in libris de Anima, ſi actus naturales earum poſſent habere vnū obiectum formale, iam nō eſſent ſpecie diuerſi, & per conſequēs non poſſunt potentias ſpecificè diſtinguere. Quare ſuppoſita eſſentiali potentiarū diuerſitate, omnes actus cuiuſque illarū debent tendere in obiectum ſub diuerſa formali ratione tendendi: & hinc eſt, vt facta hac ſuppoſitione, omnes, & ſingulæ hominis intellectiones ſpecie differant ab omnibus intellectionibus Angelicis. Cui opi- 84. Explicatio Auctoris.

opinioni fauent, qui docent, omnes Angelorū intelligibiles ſpecies ſpecificè differre ab omni intelligibili ſpecie intellectus humani. Quare licet fieri poſsit, vt aliquæ intellectiones hominis, & Angeli terminentur ad vnum, & idem obiectum naturaliter ſumptum; non tamen contingit, vt terminētur ad vnum ſumptum formaliter, & per eandem formalē rationem tendendi.

85. 1. Solutio eſt veræ. Hæc diximus, ſuppoſita opinione, quòd intellectus Angelicus, & humanus ſpecie diſtinguantur. Quia tamen putamus oppoſitum eſſe longè verius, & hanc opinionem eſſe explicatu difficillimam; ſatius eſt ad primam ſolutionem recurrere. Et ita ſoluitur argumentum eorum, qui viſiones beatas in Angelis, & hominibus ſpecie diſtinguunt.

86. Argumen. quod viſiones inæquales ſpecie differat. Pro opinione, quæ docet, *omnes viſiones inæquales, tam in Angelis, quàm in hominibus ſpecie differre*, hoc vnicum reperio fundamentum: quoniam de Fide eſt, nō omnes beatos eſſe æqualiter beatos, & proinde dari in Patria inęquales viſiones, tùm in hominibus, tùm in Angelis, vt in ſequenti lib. dicemus. Sed hæc viſionum inæqualitas ſaluari non poteſt, niſi inter viſiones inæquales detur ſpecifica diſtinctio. Ergo illa inter eas admittenda eſt.

Solutio. Hoc argumentū petit difficultatem, vnde nam oriatur inæqualitas beatitudinis, & viſionis? Quam diligenter explicabimus in lib. ſequenti, vbi oſtendemus hāc inæqualitatem non neceſſario requirere ſpecificam diſtinctionem viſionum inæqualium. Quare argumentum ſupponit minorem falſam.

87. Fundamentum 3. opinionis de viſione permanenti & trāſeunte. Pro opinione, *Quòd viſio permanēs, quæ eſt in Patria, & tranſiens, quæ datur in via, differant ſpecie; Medina 1.2.q.5. artic.4. ad 1. argum.* hæc adducit argumenta. Primū eſt; quoniam vna eſt per modum permanentis, & altera per modum tranſeuntis: iam verò forma permanens, & forma trāſiens ſpecie differunt: Secundū eſt; quoniam quæ eſt permanens, ſuapte natura eſt habitus; quæ verò eſt trāſiens, eſt diſpoſitio. Habitus autem, & diſpoſitio differunt ſpecie. Tertium argum. addi poteſt; quoniam viſio Patriæ ex ſua natura eſt inamiſsibilis; viſio autem, quæ datur in via, eſt amiſsibilis, & de facto deſijt in Moyſe, & Paulo. Ergo inter ſe differunt ſpecie. ¶ Ad primum reſpondetur, conuenire per modum permanentis, & per modum tranſeuntis, non ſemper arguere eſſentialem diſtinctionem, vt patet ex ijs, quæ Dialectici docent de tertia ſpecie qualitatis: paſsio enim, & patibilis qualitas ſpecie non differunt, vt eſt communis opinio: & paſsio conuenit per modum tranſeuntis; qualitas vero patibilis per modum permanentis. Idem plures docent de habitu, & diſpoſitione, quæ eſt prima qualitatis ſpecies; volunt enim haſce qualitates ſub eadem ſpecie diſtingui; ſicut perfectum, & imperfectum: quia eadem qualitas habet rationem habitus, ſi difficilè ſit mobilis à ſubiecto; diſpoſitionis vero; ſi facilè ab eo moueatur. 88. Ad 1.

Ad 2. negādum eſt, viſionem permanētem ſuapte natura eſſe habitum; tranſeūtem vero diſpoſitionem: nam viſio, ſiue permanens ſit, ſiue tranſiens, eſt actus ſecundus: cum tamen tàm habitus, quàm diſpoſitio ex ſua natura ſit actus primus. Ad 2.

Ad tertium dicimus, vtraque viſionē ex ſua natura eſſe inamiſsibilem, vt dicemus in lib. ſequenti: quod non tollit, eā ex libera Dei voluntate dari poſſe per modum tranſeuntis. Quare nō eſt, quod dicamus, illas viſiones ſpecie differre, quod etiam probauit Nauarrete 1. *tom. contro.32.§.2.fol.136.col.3.B.C.* Ad 3.

Quid ſit de poſsibili?

¶ Reſoluimus, omnes viſiones beatas, ſiue hominum, ſiue Angelorum ſecundùm legem ordinariam eſſe eiuſdem ſpeciei: ſupereſt, vt quæſtionem explicemus in ſenſu de poſsibili: nam & in hoc eſt controuerſa.

Quidam docent, nec per diuinam potentiam dari poſſe viſiones ſpecie diuerſas; ſed omnes ex ſua intrinſeca ratione habere, quòd ſint vnius ſpecificę rationis. Hæc opinio ab aliquibus tribuitur Durando *in 4. diſt.49.q.6*: ſed ſi diligenter expendatur, id non docet: ſolum enim aſſerit, non poſſe dari duas viſiones Dei intuitiuas, quarū altera ita ſit beatifica, vt videntem faciat beatum; altera verò minimè: quod longè aliud eſt. Eam tamen abſque dubio probauit Caietan. 3.*p.q.*10. *art.4. Circa ſolutionem ad 3. §. Ad hoc dicitur, in verſ. Sed hæc poſitio diuinat*: vbi docet 89. An dari poſſint viſiones diuerſæ ſpeciei? Quidam negant. Non eſt Durandi.

cet propoſitionem D. Thomæ poſitam ad 3: *abſolutè loquendo ſecundum infinitatē diuinæ potentiæ dari poſſe aliquem gradum viſionis ſublimiorem gradu viſionis, quæ eſt in Chriſto*, non eſſe intelligendam de gradu ſublimioris ſpeciei: & id probat; quia non datur, vnde ſumatur ſpecifica differentia. Quare non eſt dubitandum, Caietanum huius fuiſſe opinionis. Quem in hoc ſenſu probat *Suarius 1. tom. ad 3. part. diſp. 26. in præfatione pag. 514. col. 2. B.* cū *quibus eſt Salas in d. diſp. 4. ſect. 9. pag. 229. col. 1. in principio.*

Suarius. *Salas.*

90. Affirmatiua eſt vera. *Palud.* *Baſſolius.*

Oppoſitam tamen ſententiam plures defendunt, inter quos eſt *Paludanus in 4. diſt. 49. q. 5. n. 6. & Baſſolius in 1. diſt. 1. q. 1. art. 3. fol. 39. col. 3. §. Sed eſt hic vna difficultas, & col. 4. §. Tamen dico*, dùm ait, poſſe Deum facere viſionem alterius ſpeciei ab ea, quæ de facto datur in beatis, per quam videatur eſſentia ſine perſonis, & ſine attributis; quod etiam admittit *Nauarrete 1. tom. controu. 39. §. 2. fol. 247. col. 3. B. C. §. Nihilominus.* Hanc ſententiam dixi eſſe longè probabiliorem lib. 5. q. 14. art. 7. §. 3. n. 41. in fine: nihil enim negandum eſt diuinæ omnipotentiæ, ſi contradictionem non inuoluat: iam verò hic contradictio difficilè probabitur: nec enim vno tantùm modo viſio beata ſpecificari poteſt; ſed multis alijs, quamuis eos ignoremus: ob quam rationem grauiſsimi Theologi non ſine probabilitate defendunt, dari poſſe ſpecies in infinitū perfectiores ſub eodem genere per diuinam potentiam. Quare fieri non poteſt, vt viſio, quæ ab eodē ſpecie lumine emanat, & ad Deum terminatur ſub eadem ratione formali, ſpecie diſtinguatur à viſione, quæ de facto datur: at tamen non proinde infertur dari non poſſe viſionem ſpecificè diſtinctam: quia dari poteſt alia ratio ſpecificæ diſtinctionis. Et ita ſoluitur fundamentum Caietani, & Suarij. Nec ab hac opinione longè abeſt Diuus Thomas 3. parte, quæſtione 10. articulo quarto ad tertium; dùm ait, *In ordine ad diuinam potentiam dari poſſe viſionem in gradu ſublimiori, quàm ſit gradus viſionis, quæ eſt in anima Chriſti.* Quæ verba ad mentem D. Thomæ fortè explicari non poſſunt, niſi de ſublimitate ſpecifica; quidquid Caiet. in oppoſitum laboret.

Nauarret.

Non longè abeſt Diuus Thom.

§. 16.

An per viſionem fiat diſtinctio attributorum inter ſe, & relationis ab eſſentia?

Hanc difficultatem latè reſoluim' lib. 5. q. 6. ar. 9: eam hoc loco ideò iterùm excitamus, quia agimus de perfectionibus viſionis beatificæ, quā hæc perfectio plurimùm dignificat. Qui probauerint partem negantem; qui verò affirmantem, oſtendimus in d. art. 9. Ibi affirmantem amplexi ſumus, maximè §. 3. concl. 4. n. 13. fundamenta iecimus, & oppoſita diſſoluimus; vide, quæ ibi ſcripſimus. 91. Quæſtio.

QVÆSTIO VI.

De Viſione beata, vt terminatur ad creaturas.

EGIMVS in q. 5. immediatè præcedente de viſione diuinæ eſſentiæ (quæ ad cognitionem matutinam pertinet) vt eſt in ſe ipſa, & prout immediatè terminatur ad Deum: iuxta ordinem poſitū in præfatione eiuſdem quæſtionis; conſequenter agendum eſt de illa, prout in ipſo Deo terminatur ad creaturas: nam & hoc modo etiam dicitur matutina. Et quamuis de hac quæſtione latiſsimè egerimus lib. 5. à q. 15. cum ſequentibus; oportet tamen ea breuiter repetere, vt diſputatio de perfectionibus viſionis beatæ perfecta maneat.

De viſione igitur, vt in Deo ad creaturas terminatur, nouem excitamus ſequentes articulos,

ARTICVLVS I.

Vtrùm viſio beata terminetur ad creaturas in Deo repræſentatas?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

IN hac quæſtione illud, tanquam certiſsimum ſtatuendum eſt, beatos in pa- 1. Primū præ
tria de facto videre aliquas creaturas: miſſum.
id enim oſtendimus lib. 5. q. 15. art. vnico. Cum verò duobus modis creaturæ in Patria poſsint à beatis videri: vno modo in proprio genere; altero in Verbo, ſiue in Deo, vt diximus in d. lib. 5. q. 16. art.

1. §. 3. nu. 10: illud etiam pro certiſsimo
1. præmiſſ. habeatur, beatos in Patria videre creaturas in proprio genere; hoc eſt in ſe ipſis ſecundum proprium eſſe, quod in ſe habent; idque per proprias ſpecies, quas habent, vel infuſas, vel acquiſitas, vt patet in dicta q. 6. art. 1. §. 4. in 1. concluſione; & iterum dicemus inferiùs q. 8. vbi de cognitione veſpertina erit ſermo. Tota igitur difficultas eſt; vtrùm beati in Patria videant creaturas in ipſo Verbo?

Aduertendum tamen creaturas duobus adhuc modis poſſe in verbo cognoſci: vno modo formaliter; altero modo
2. præmiſſ. cauſaliter, vt diximus in d. q. 16. art. 1. §. 3. n. 12: vbi aduertimus creaturas tunc dici formaliter cognoſci in Verbo, cum cognoſcuntur in Deo viſo cognitione ad ipſas creaturas intra ipſum Deum terminata: cauſaliter verò tunc in verbo cognoſci dicuntur; quando cognoſcuntur non intra ipſum Deum, ſed extra per ſpecies ipſarum, quæ ex vi viſionis beatæ, vel naturaliter reſultant, vel liberè à Deo infunduntur: quæ creaturarum cognitio, ſicut dicitur eſſe in Verbo; quia ex formali cognitione Verbi, tanquam ex cauſa per ſe efficitur; ita etiam ad cognitionem matutinam pertinet; quia ex matutina verbi cognitione reſultat; quod non reperitur in cognitione veſpertina: vide, quæ diximus in d. §. 3. n. 12.

3. In quo ſit difficultas. Suppoſita hac duplici cognitione creaturarum in Verbo, tota quæſtionis difficultas in hoc eſt poſita; an beati creaturas videant in Verbo ſolùm cauſaliter? an verò formaliter? In hac quæſtione illud eſt certiſsimum, beatos non ſolùm poſſe aliquas creaturas videre in Verbo cognitione cauſali; ſed de facto plures ita videre, vt diximus in d. q. 16. artic. 1. concluſione 2. n. 14. Quare controuerſia in hoc verſatur; an beati creaturas videãt in Verbo, viſione formali?

§. 2.

Reſolutio Quæſtionis.

4. QVæſtio in hoc ſenſu explicato eſt controuerſa. Quòd beatus in verbo formaliter nec videat, nec videre poſsit creaturas in ſe ipſis, conſtanter defendit Bellomontanus 1. *parte diſp.* 50. *vbi innumeros citat huius ſententiæ authores*; falsò tamen: quia ille ſolus eam probat, vt aduertimus lib. 5. in d. quæſt. 16. art. 2. & 3. vbi illius fundamenta adduximus. Suppoſita iſta opinione, dicendum foret, viſione beatifica formaliter nõ videri creaturas in Deo, nec illã ad eas terminari intra Deum; ſed ſolùm extra illum terminatione cauſali, quatenus viſio ipſa eſt cauſa, quod Deus extra ſe creaturas ipſi beato oſtendat: ob quam rationem viſio earum non dicitur veſpertina, ſed matutina.

Opinio Bellomontani.

Oppoſitam tamen ſententiam contra Bellomontanum tàm de poſsibili, quàm de facto oſtendimus in d. q. 16. de poſsibili quidem; in 2. art. §. 2. & 3. vbi & rationes adduximus pro illa confirmanda, & argumenta in oppoſitum diſſoluimus: de facto autem in art. 3. vbi & noſtram ſententiam confirmauimus, & oppoſitæ ſententiæ fundamenta reiecimus, & mẽtem Auguſtini de cognitione matutina latè aperuimus. Et tandem expendimus in §. 6. an Bellomontani ſententia aliqua digna ſit cenſura? & cum nonnullis reſoluimus à cenſura eſſe abſtinendum: eam tamen falſiſsimam eſſe, paradoxam, & in re grauiſsima ſingularem, quatenus negat, vllam creaturam in Deo, & intra Deum à beatis videri. 5. Oppoſita opinio eſt vera.

Vera igitur huius articuli reſolutio ſit, viſionem beatam (cuius perfectiones inquirimus) ita eſſe perfectam, vt non ſolùm formaliter terminetur ad Deum; ſed etiam ad creaturas. Et prætereà non ſolùm ad eas terminari, ſecundũ eſſe, quod habent in Deo, vt diximus in d. q. 16. ar. 1. §. 1. & 4. concl. 3. ſed etiam ſecundùm eſſe propriæ entitatis, quod habent in ſe ipſis, modo explicato in d. art. 1. §. 1. per totum: quam reſolutionem multis confirmauimus in d. q. 16. art. 3. vbi vide. 6. Viſio formaliter terminatur ad creaturas.

Eandem reſolutionem ita intelligimus, vt viſio beata ſit formalis viſio creaturarum in Deo; ita vt in eo terminetur ad creaturas, tàm ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis, vt diximus in d. lib. 5. q. 19. art. 1. Et præterea vt ad eas terminetur, non ſolùm in ſpecie, & ſecundùm rationes ſpecificas, & genericas; ſed etiam in indiuiduo, vt oſtendimus in d. q. 19. ar. 2. Denique, vt terminetur ad res creatas, nõ ſolùm ſecundùm eſſe poſsibile, ſed etiam ſecundùm eſſe exiſtentiæ, vt reſoluimus in d. q. 19. art. 3. 7. Terminatur ad creaturas etiam ordinis ſupernaturalis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuina potentia fieri poſſit, vt viſio in Deo viſo ad nullam creaturam terminetur?

1. QVæſtio iſta communis eſt viſioni, & lumini: nam cùm viſio nihil videat in Deo, niſi ſub lumine gloriæ (cùm illud ſit mediũ, ſub quo) ſicut inquiri poteſt; an viſio terminata ad Deum neceſſariò terminetur ad aliquam creaturam: ita etiam dubitari poteſt; an lumen gloriæ illuſtrando diuinam eſſentiam, vt obiectiuè appareat, neceſſariò etiam illuſtret aliquam creaturam cum ea. Vnde quæſtionem iſtam tùm de lumine, tùm de viſione in hunc locum reſeruamus lib. 5. q. 20. art. 2. & eandem de lumine gloriæ tetigimus ſuprà lib. 9. q. 5. art. 10: ſed commodiùs illa explicabitur in lib. ſequenti in diſp. de his, quæ in Deo videntur.

Explicatio reſeruatur ad lib. 11.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vna, & eadem numero viſione videantur Deus, & creaturæ?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. DE hac quæſtione latè diſputauimꝰ lib. 5. q. 18. art. 1: ſed eam hoc loco iterum repetimus, vt omnes viſionis beatæ perfectiones explicemus. Quare hoc loco quæſtionem iſtam reſoluemus epilogando ea, quæ in d. art. 1. latè ſcripſimus.

In ea primò obſeruandum eſt, non eſſe dubitandum diuina potentia fieri poſſe, vt eſſentia, & creaturæ in ea pluribus actibus realiter diſtinctis videantur, ita vt vno videatur eſſentia; & altero creaturæ: hoc enim cum Nominalibus oſtendimus lib. 5. q. 17. art. 1.

2. Nec etiam dubitandum eſt, fieri etiam poſſe diuina potentia, vt tàm eſſentia, quàm creaturæ vno actu reali videantur; ita vt eadem numero viſio terminata ad eſſentiam, terminetur etiam ad creaturas in eſſentia: id enim communi omnium conſenſu receptum eſſe diximus in d. q. 17. art. 2. & 3. vbi aduertimus contra Salam, Suarium, & communem nouiorum Nominales cum Ochamo id non negare, ſed affirmare potiùs: quæ enim dabitur implicatio? Poterit tamen fortè dubitari, an Deus poſſit facere, vt eſſentia, & creaturæ videantur actu, qui re, & ratione ſit vnus? an verò talis actus ratione ſit plures; ita vt terminatus ad eſſentiam diſtinguatur ratione à ſe, vt terminatur ad creaturas? Sed in d. q. 17. artic. 2. & 3. oſtendimus vtrumque fieri poſſe: ita vt vnus actꝰ ratione ſit plures: alter verò re, & ratione ſit vnus; vide in d. art. 2. & 3.

Deinde obſeruandum eſt id, quod obſeruauimus in dicta quæſt. 17. artic. 4. in principio; multis modis intelligi poſſe, vnam, & eandem numero viſionem terminari ad eſſentiam, & ad creaturas in ea. 3. Vno modo, vt in vtrumque immediatè, & æquè primò terminetur. Secundo modo; vt immediatè quidem terminetur, & ad eſſentiam, & ad creaturas; non tamen ad vtrumque æquè primò, & æquè principaliter; ſed ordine quodam, vt priùs terminetur ad eſſentiam, poſteriùs ad creaturas. Tertio modo; vt ille actus non immediatè terminetur ad vtrũque, ſed immediatè ſolùm ad eſſentiam, tanquam ad obiectum primarium; mediatè verò ad creaturas, tanquam ad obiecta ſecundaria, quæ in ipſa eſſentia, vt cognita videantur. Quòd diuina potentia dari poſſit viſio, quæ his tribus modis ad eſſentiam, & creaturas terminetur, oſtendimus in d. q. 17. de primo art. 4: de ſecundo art. 5: de tertio denique art. 6. eiuſdem quęſtionis. Supereſt explicare, quonam iſtorũ modorum creaturæ in Verbo de facto videantur.

§. 2.

Reſolutio Quæſtionis.

RESolutio huius quæſtionis nõnullis adhibitis propoſitionibus, facilè apparebit. Sit prima propoſitio: 4.
Viſio eſt vnus tantùm actus realis, qui realiter terminatur ad eſſentiam, & ad creaturas in eſſentia. Hanc concluſionem, vt veriſſimã latè cõfirmauimus lib. 5. q. 18. ar. 1. §. 2. vbi adduximꝰ omnes illius patronos. Contra eã multi ſenſerunt, quos citauimus in d. art. 1. §. 1. & eorũ argumẽta diſſoluimus §. 3. Dubitari poteſt, in quonã gradu certitudinis illa ſit tenẽda?

Prima propoſitio.

Quidam putant, eam ita eſſe certam, vt oppoſita ſit erronea in fide. Alij non putant eam eſſe erroneam, volunt tamen non ſatis eſſe fidei conſentaneam, & proinde eſſe cauendam. Nonnulli à cenſura abſtinent; volunt tamen oppoſitam ſententiam eſſe falſiſsimam. Ego cum nonnullis puto ſententiam oppoſitam nullū in fide periculum continere; ſed nec falſitatis efficaciter conuinci poſſe; quãuis in ſe verè ſit falſa. Vide, quæ diximus in dicta quæſtione 18.art.1. §. 2.nu.17. & 20.

5. 2.propoſit. Secunda propoſitio: *Viſio beata eſt actus re, & ratione vnus: vnde beati non vidēt eſſentiam, & creaturas vno realiter actu, pluribus tamen ratione.* Hanc propoſitionem ſatis confirmauimus in dicta quæſt. 18.art.2.

6. 3.propoſit. Tertia propoſitio: *Viſio beata non immediatè, & æquè primò terminatur in eſſentiam, & creaturas.* Hanc nullum habere impugnatorem diximus in dicta quæſt. 18.art.3.num.2. Oppoſitam ſententiam multis impugnat Suarius ibi citatus, quæ fortè non conuincunt: nos veram confirmationem adduximus ibidem nu. 8. & 9.

7. 4.propoſit. Quarta propoſitio: *Viſio non ita immediatè terminatur ad eſſentiam, & creaturas, vt priùs terminetur ad eſſentiam, ad creaturas poſterius.* Hanc confirmauimus in d. q.18.art.3.§.2: vbi aduertimus, oppoſitam ſententiam à Suario tribui Scoto, Aureolo, Ochamo, & Gabrieli: in illis tamen nihil inueniri, ex quo colligatur eos oppoſitum docuiſſe.

8. 5.propoſit. Quinta & vltima propoſitio: *Viſio beata de facto immediatè terminatur ad eſſentiam, tanquam ad obiectum primarium; ad creaturas verò ſolùm mediatè, tanquam ad obiectum ſecundarium, quod in eſſentia, & mediante eſſentia viſionem terminat.* Hanc propoſitionem ita eſſe communiter receptam, vt nullum habeat oppugnatorē oſtendimus in dicta quæſt. 18. artic. 4. vbi diximus, Scotum pro ea ſtare, & proinde falsò citari à nonnullis contra eam: ſicut etiam falsò citantur Aureolus, Ochamus, & Gabriel. Vide quæ diximus in d.art.4. n.3.4.& 5.

§. 3.
Quomodò creaturæ videantur in eſſentia?

PRo abſoluta articuli reſolutione, ſupereſt explicandum; quonam modo creaturæ, tanquam obiecta ſecundaria videantur in diuina eſſentia, tãquam in obiecto primario? Quam difficultatem reſoluimus lib.5.q.18.art.5.ex quo ſequentes ſtatuimus propoſitiones. 9. Alia quæſtio.

Prima propoſitio: *Viſio ideo in eſſentia viſa terminatur ad creaturas; quia videt eſſentiam, quatenus eſt cauſa, in qua creaturæ eminenter, virtuteque continentur.* Hæc propoſitio deducitur ex alia, quam ſtatuimus in d.art.5. §.1. concl.1: nam ſi creaturæ videntur in eſſentia, vt in cauſa eminenter eas continente; vtique ideò viſio eſſentiæ ad creaturas terminatur; quia ad eam terminatur, vt eſt cauſa creaturarū. Vide, quæ diximus in d. concl.1: vbi adduximus noſtræ reſolutionis patronos, & latè diſſoluimus argumenta oppugnatorum. 10. Prima propoſitio.

Secunda propoſitio: *Viſio ideò in ipſa eſſentia viſa videt creaturas; quia videt ipſam eſſentiam, vt eminenter imitabilem, & participabilem à creaturis.* Hæc propoſitio cum prima coincidit; imò explicat illius fundamentum. Eam probauimus in dicta quæſtione 18. art.5. §.2. in ſecunda concluſione. 11. 2.propoſit.

Tertia propoſitio: *Viſio videt creaturas in rationibus æternis diuinæ ſapientiæ.* Hanc poſuimus in d. art. 5.§.3. concl. 3. num. 21: nam cum viſio terminetur ad eſſentiam, vt eſt imitabilis, & participabilis à creaturis, vt ſecunda habet propoſitio; hinc infertur terminari ad eſſentiam ſub rationibus æternis diuinæ ſapientiæ; in quibus rationes imitabilitatis continentur. 12. 3.propoſit.

Quarta propoſitio: *Viſio non terminatur ad eſſentiam, vt formaliter eſt idea; ſed vt eſt idea fundamentaliter.* De hac propoſitione vide in d.art.5.§.3. n.22. vbi cōciliantur opiniones oppoſitæ. 13. 4.propoſit.

Quinta propoſito: *Viſio propriè loquēdo non terminatur ad eſſentiam, vt eſt ſpeculum.* Probatur; quia ſi propriè loquendum eſt, beati non vident creaturas in eſſentia, vt in ſpeculo: quia eſſentia propriè non eſt ſpeculum in ordine ad eas. Vide in d.art.5.§.3. in quarta concluſione n. 23. Et hæc dicta ſint de vnitate viſionis; & de modo, quo terminatur ad creaturas viſas in eſſentia. 14. 5.propoſit.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Viſio terminetur ad omnes creaturas tàm futuras, quàm poſsibiles?

1. 4. argum. HÆc quæſtio commodiùs explicabitur in ſequenti libro in diſp. de comprehenſione diuinæ eſſentiæ; vbi agemus de ijs, quæ à beatis in ea vidẽtur. Eam hoc loco excitamus, quia ad perfectionem viſionis pertinet, & in hoc loco poterat explicari.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Viſio terminetur ad cogitationes cordium?

5. argum. HAnc etiam quæſtionem attingimus, quia etiam eſt de perfectione viſionis: eam commodiùs explicabimus in lib. ſequenti in præcitata diſputatione.

ARTICVLVS VI.

An Viſio terminetur ad omnia fidei myſteria?

6. argum. DE hoc articulo accõmodatiùs agemus in ſequenti lib. in diſp. explicata, vbi vide.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Viſio de facto terminetur ad omnia, quæ ad ſtatum beati pertinent?

7. argum. HAnc etiam quæſtionem reſeruamus ad lib. ſequentem, dũm dicemus de ijs, quæ à beatis videntur.

ARTICVLVS VIII.

An viſio ad omnia, quæ videntur in eſſentia ſimul, & non ſucceſsiuè terminetur?

8. argum. QVæſtio iſta eſt cõtrouerſa: quidam partem affirmantem probant; alij negantem. Sed quia ſupponit plura, quæ pertinent tùm ad diſputationem de ijs, quæ à beatis videntur: tùm ad eam, quæ de immutabilitate viſionis diſputat. Eam reſeruamus ad librũ ſequentem in diſp. de immutabilitate viſionis.

ARTICVLVS IX. & Vltimus.

Vtrùm viſio beata ſit viſio ſui ipſius?

DE hac etiam quæſtione diſputabimus in lib. ſequenti, cum egerimꝰ de ijs, quæ à beatis videntur. Vide interim Salam 1. tom. ad 1. 2. quęſt. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 4. n. 23. pag. 219. col. 1: & Capreolum in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. ad argumenta Ioannis de Ripa ſecũdo loco contra primam, fol. 60. col. 1. & 2. vbi multa de hoc docet, quæ in dicta diſp. latiùs explicabimus; vide etiam, quæ diximus lib. 4. q. 9. art. 6. §. 2. per totum. 9. argum.

QVÆSTIO VII.

De conceptibus, quos beatus formare poteſt de diuina eſſentia, & de creaturis in ea viſis.

EXplicatis ijs, quæ ad viſionẽ pertinent, prout eſt viſio tùm diuinæ eſſentiæ, tùm creaturarum; ſeruato ordine, quem in pręfatione quintæ quęſtionis ſtatuimus, ſupereſt diſputare, quomodò ſe habeat intellectus circa diuinam eſſentiam, & res in ea viſas in ordine ad conceptus, quos de illis formare poteſt, & ad actiones â viſione diſtinctas, quas poteſt elicere, tùm circa eſſentiam; tùm circa res in eſſentia.

In hac quæſtione ſequentes articulos excitabimus. Primus eſt: vtrùm beatus ex ipſa viſione in politia matutina poſsit habere actiones aliquas, tùm erga Deum, tùm erga creaturas?

Secundus; vtrùm in eadem politia matutina poſsit diſtinguere, tùm attributa inter ſe, & ab eſſentia; tùm eſſentiam à perſonis, & relationibus?

Tertius; vtrùm in eadem politia formet, aut formare poſsit verbum, tùm de Deo; tum de creaturis?

Quartus; vtrum in eadem politia habere poſsit cognitionem abſtractiuam Dei, & eorum, quæ videt in Deo; & abſtrahere ſpecies eorum?

ARTICVLVS I.

Vtrùm beatus in politia matutina ex viſione poſsit elicere actiones aliquas erga Deũ, & creaturas, quas in Deo videt?

QVod attinet ad primum aduertendũ eſt, in hac quæſtione ſupponi dari in beatis quandam po- 1.

litiam matutinam, quæ eſt quædam communicatio beatorum in Deo, quatenus Deum vident, & creaturas intra Deum; quam à politia veſpertina diſtinguimus, vt patet ex lib. 4. q. 9. art. 5. n. 13. & lib. 5. q. 6. art. 9. §. 2. n. 11. & q. 12. art. 6. §. 2. n. 7: etenim apud omnes iam conſtat, dari in beatis cognitionem quandam matutinam, qua Deum, & creaturas in Deo cognoſcunt in ipſo Verbo, diſtinctam à cognitione veſpertina, qua cognoſcunt res in proprio genere, vt in locis citatis diximus, & latiùs in 4. q. huius libri art. 2: decet autem, vt beati per vtranque cognitionem ſe ſe communicent. Hac opinione ſuppoſita, iam datur locus quæſtioni, vtrùm beati ex vi viſionis aliquas actiones exerceant tùm circa Deum, tùm circa creaturas in Deo, per quas intra Deū ſe ſe communicent?

Supponitur dari politiam matutinam.

Senſus quæſtionis.

2. Probatur pars affirm.

Nos partem affirmantem probauimus lib. 4. q. 9. art. 5. §. 1. concl. 2. n. 13. & lib. 5. q. 6. art. 9. §. 2. n. 9. & in 2. concl. n. 11. & q. 12. art. 6. §. 2. n. 7. In quibus locis diximus, beatos ex ipſa viſione diuinæ eſſentiæ elicere plures actiones, tùm circa ipſam eſſentiam, tùm circa proximos in ea viſos. Quod ſatis mihi ſignificat D. Thomas *in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. §. Quantum verò ad quartum,* dùm ait, videntem Deū de Deo viſo mediante cōceptione, quam de eo habet, formare plures conceptiones, & diuerſa nomina imponere. Capreolus etiam *in 1. diſtinct.* 8. q. 4. *artic.* 3. *ad* 7. eorum, quæ vltimo loco adducuntur fol. 131. col. 1. poſt principium generaliter docet, videntem Deum poſſe illum conceptibiliter diſtinguere: & in 1. *diſtin.* 27. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad* 8. *Durandi, fol.* 206. *col.* 2. affirmat, beatum ipſa viſione poſſe formare plura verba eorum, quæ in Deo, & de Deo videt. Quare beati intra ipſum Deum ex ipſa viſione poſſunt modò concipere Dei vnitatem; modò perſonarum diuerſitatem, modo diuinum Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum: ſimili modo poterūt nūc concipere Dei maieſtatem, nunc bonitatem, nunc ſapientiam, aut omnipotentiam. Quam Theologiam Diuus Thomas vbi ſuprà confirmat ex Chryſoſtomo, quatenus docet, *Angelos laudare Deum: quoſdam vt maieſtatem; quoſdam vt bonitatem, & ſic de alijs.*

D. Thom.

Capreol.

D. Chryſoſtomus.

3. His accedit, quia beatus ex viſione, & amore diuinę perfectionis prorumpit in diuinas laudes, & gratiarum actiones, & Deo exhibet cultum, & reuerentiam: quod ſatis latè docet D. Thomas *Opuſcul.* 63. *cap.* 5. *&* 6. vbi id ex ſacris literis, & Patrum teſtimonijs confirmat: & ex D. Chryſoſtomo ſatis apparet, eos poſſe ſuas laudes modo dirigere ad Patrem, modo ad Filium, aut Spiritum Sanctū, modò denique ad Deum vnum, & Trinū: vnde modò venerabuntur diuinam maieſtatē, modò illius bonitatem, cæteraſque diuinas perfectiones. Quilibet igitur beatorum videns, & amans Deum ex ipſa viſione, & amore, cum Deo intus communicans, atque etiam cum cæteris beatis, ſicut poteſt diuerſis conceptionibus ſingulas perfectiones concipere; ita poteſt prorumpere in varias laudes Dei ſingulas illas ſingulis laudationibus extollens. Iam verò perfectionum diſtinctio, laudatio, & gratiarum actio ſunt actiones intellectus; & cum ſint plures, erunt realiter diſtinctæ à viſione: quare concedendum eſt in politia matutina, quæ intra Deum exercetur, dari in beatis plures intellectus actiones ex viſione elicitas.

D. Thom.

4. Quod dicimus de intellectu beati circa diuinam eſſentiam, & eius perfectiones; etiam dicendum erit de eodem intellectu circa creaturas in Deo viſas: ſicut enim ex viſione poteſt plures actiones elicere circa eſſentiam, & attributa; ita etiam ex eadem elicere poteſt plures cōceptiones circa creaturas, & eas in politia matutina tum Deo, tùm alijs beatis communicare. Vnde beatus dùm in Deo videt orationes, quæ ad eum diriguntur nō ſolùm poteſt preces ad Deum fundere; ſed etiam agere illi gratias pro beneficijs, quæ viatoribus ſua interceſſione obtinuit. Qui hanc opinionem in terminis probauerit, inueni neminem: eam tamen ex eo puto eſſe probabiliſsimam, quia ſtatum illius feliciſsimę politiæ facit perfectiſsimum. Accedit etiam, quia confirmari poteſt ex ijs, quæ docet D. Thomas 2. 2. *art.* 3. *in fine, dum ait, donum conſilij eſſe in beatis, quatenus ipſa conſultatione in eis continuatur cognitio eorum, quæ ſciunt.* Quæ omnia ſatis denotant conſilia illa ex parte beatorum non ſolùm fieri per actus à viſione diſtinctos; ſed etiam fieri in

Idem de intellectu in ordine ad creaturas.

D. Thom.

in politia matutina intra ipſum Deũ: etenim beati videntes in Deo, & intra Deũ orationes ad ſe fuſas, de illis Deum conſulunt, nimirum in eadem matutina politia: nam, vt ait, iſto modo continuatur cognitio; quam habebat: hæc autem erat matutina. Sed de hoc alibi latius.

5. Confirmatur. Hæc reſolutio ex eo confirmatur, quia Patria Cœleſtis in Sacris literis proponitur v. Ciuitas quædam ſuperna, vt aduertimus *lib. 5. q. 15. art. vnico in principio*; patet ex Pſalmo 121: *Ieruſalem, quæ ædificatur, vt Ciuitas* & ex Paulo ad Hebræos 12. *Acceſſiſtis ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cœleſtem*: & ex cap. 3. Apocalypſis: *Scribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalẽ*: iã vero vbi datur Ciuitas, ibi datur Ciuium cõmunicatio, & politia, vt docet Ariſtoteles 1. *Politicorum c.* 1. & de Ciuitate Cœleſtis beatitudinis docuit regius vates in dicto Pſal. 121, *Ieruſalem: quæ ædificatur; vt Ciuitas, cuius participatio eius in id ipſum*: quibus verbis ſatis ſignificatur Ciuium Cœleſtium communicatio, & ſocietas, vt oſtendimus in dict. artic. vnico. Quòd verò talis politia ſit duplex; matutina, ſ. & veſpertina, facilè oſtenditur: & quidẽ omnes concedunt dari politiam veſpertinam, in qua inter beatos exercetur hæc politica cõmunicatio per cognitionem rerum in proprio genere. Quod verò in ea etiam detur politia matutina, per cognitionẽ matutinam in verbo, inde probatur; quia id maximè cedit in beatorum perfectionem, quæ maximè illucet in mutua Dei, & beatorum cõmunicatione: quod autem ad perfectionem pertinet, congruum eſt concedi cognitioni matutinę: nam ſi veſpertinæ id conceditur; cur non concedetur matutinæ, quę longè eſt perfectior? quod mihi ſatis ſignificant illa verba Apocalypſis 3. *Scribam ſuper eum, & cætera*: tũc enim nomen Dei ſuper beatum ſcribitur; cum illi communicatur viſio Dei, & rerum in verbo: tũc autem imprimitur nomen cœleſtis Ciuitatis, cum viſio illa per communicationẽ Dei, & beatorũ ſit politica. Accedit etiã, quia communis illa diuinę bonitatis laudatio, gratiarum actio, atque communis illa Dei cõſultatio circa agenda, & oranda, ſatis arguunt communicationem mutuam Dei cum ſingulis beatis, & beatorum interſe: quod etiam mihi ſignificat D. Thomas *in dicto Opuſculo 63. cap. 5.* vbi agens de laudibus, quibus beati Deum laudant, ita ſcribit: *Similiter anima cognoſcit ibi ſingula, quæ in Deo ſunt, & ſingula in alijs ſingilatim, & ſingulis in omnibus communiter.* Admittendum eſt igitur dari in beatis politiam matutinam eorum, quæ de Deo, & in Deo vident: ex qua viſione plures actiones eliciuntur, tùm erga Deum, tum erga creaturas.

Pſal. 121. *Ad Hebr.* 12. *Apoc.* 3. *Ariſtot.* *Apoc.* 3. D. Thom.

7. Caietanus nõ eſt contrarius. Qui priorem huius ſolutionis partem impugnet, inueni neminem; ſed nec inueni, qui hãc quæſtionem in terminis ex citauerit. Fortè aliquis contra eam obijciet Caietanum 2. 2. *q. 52. art. 3.* vbi videtur ſignificare actus laudationum, quos beati exercent erga Deum, non exerceri in Verbo, ſed extra: vnde contra hanc reſolutionem eum citauimus ſupra lib. 3: q. 2. art. 4. §. 5. num. 31: ſed diligentius expenſis, quæ ſcribit potiùs eſt pro nobis, maximè ſi expendatur, quomodo in beatis detur conſilium circa ea, quæ pro nobis ſunt poſtulanda: licet enim Sancti in Verbo videãt orationes ad eos fuſas, quid tamen orandũ ſit, & poſtulandum pro nobis, in Verbo non vident; ſed in cognitione diſciplinabili, vt appellat. quam poſt conſultationem factam cum Deo à Deo habent. Hæc verba ita intellige; vt id nõ videant in Verbo per ipſam formalem viſionem, qua in eo orationes vident; ſed alio actu diſtincto intra ipſum Deũ: qui actus licet non ſit cognitio in Verbo, prout videre in Verbo, idem eſt, quòd videre per viſionem, qua videtur verbum: eſt tamen cognitio in Verbo, prout videre in Verbo idem eſt, quod elicere ex viſione, quæ fuit cauſa conſultationis, & reuelationis.

8. Qui ſint cõtra poſteriorem partem Capreol. Poſteriorem reſolutionis partem fortè non recipit *Capreolus in 3. diſt. 14. q. 2. art. 3. ad 3. Aureoli contra primam fol. 71. col. 1. 1. in principio* dum ait, beatum vidẽtẽ res in Verbo formare quidem in ſe ſpecies, & conceptiones illarum, ſed eas non intelligere in verbo, ſed in proprio genere; & ita transferre ſe de cognitione matutina ad veſpertinam, quod ſumpſit ex D. Thom. *D. Thoma 1. parte q. 12. art. 9. ad 2.* vbi ait, quod videns Deum ex ipſa viſione diuinæ eſſentiæ poteſt formare ſimilitudines & ſpecies rerum, quæ in eſſentia videntur

tur

tur: & cum ibi docent ipſas ſpecies manere poſſe, ceſſante viſione (manſerunt enim in Paulo poſt raptum) ſatis ſignificat, eas non pertinere ad cognitionẽ matutinam, ſed ad veſpertinam. Quare & D. Thomas, & Capreol. videtur ſentire ſpecies, & conceptiones rerum; quæ ex viſione diuinæ eſſentię à beato formantur, pertinere ad politiam veſpertinam. Quæ etiam videtur eſſe opinio Aureoli relati à Capreolo vbi ſupra fol. 67, colum. 1. poſt med. vbi docet, nullam cognitionem, per quam res ponitur in proſpectu mẽtis beatæ, dici poſſe matutinam, ſed omnẽ eſſe veſpertinam; cũ ſit cognitio rei in ſe ipſa, & in proprio genere: alioquin, vt ait, ſuperflua eſſet cognitio veſpertina earundem rerum.

9. Sed his non obſtantibus, ego puto, non ſolum actiones ex viſione formatas circa eſſentiam; ſed etiam quæ ex eadem formantur, circa res viſas in eſſentia, pertinere ad politiam matutinam, & ad matutinam cognitionem: cum hoc etiam pertineat ad perfectionem illius politiæ: & cũ nihil cogat ad id negandũ: nec enim omnis cognitio rei in ſe ipſa pertinet ad cognitionem veſpertinam; ſed ea ſola, quæ fit per propriã ipſius ſpeciẽ: nec proinde ſuperflua erit cognitio veſpertina eiuſdẽ rei: quia non eſt ſuperfluum ea, quæ per cognitionem matutinam cognoſcuntur, cognoſci etiam per veſpertinam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Politia matutina beatus ex vi viſionis diſtingat attributa inter ſe, & eſſentiam à perſonis?

1. Quæſtio eſt controuerſa. HÆc quæſtio non poteſt non eſſe controuerſa: quia controuerſum eſt, vtrùm beatus poſsit ratione diſtinguere, aut atrributa inter ſe, aut eſſentiam à relationibus? vt patet *ex lib.* 5. *q.* 6. *art.* 9. *&* *q.* 12. *art.* 6. Qui negant, beatũ ſua viſione poſſe facere hanc diſtinctinctionem, à fortiori negabunt, eum ex vi ſuæ viſionis poſſe formare diſtinctos cõceptus attributorum, eſſentiæ, & relationum: nam ſi vident eſſentiam ſecundum ſummam bonitatem abſque vlla attributorum, aut relationum diſtinctione, vt putat illa opinio; quomodo ex vi viſionis poſſunt intra Deum formare plures conceptus, realiter diſtinctos, aut de attributis, aut de eſſentia, & relationibus?

Opinio negans.

2. Cõfirmatur ex D. Bern. Quam opinionem cõfirmare poſſunt authoritate Diui Bernardi lib. 5. de conſideratione ante finem, in hæc verba: *Nobis autem, quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti duplicatum, facit hoc ſpeculum, & ænigma, per quod ſolũ videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus, ſicuti eſt; nec enim iam tunc fragilis acies mentis noſtræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus reſiliet; diſiliet ve in ſuã pluralitatem; colliget ſe magis adunabit, conformabitque vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies reſpondeat faciei.* Ex quibus verbis expreſſè colligitur multitudinem conceptũ, & apprehenſionum, quam de Deo in via habemus, prouenire ex infirmitate noſtri intellectus adhuc Deum cognoſcentis per ænigma; ac proinde non manſuram in noſtro intellectu, cum Deum videbimus. Imò aſſerit fragilem noſtri intellectus aciem, etiam ſi vehementer, tũc intendat in diuinam vnitatem, non poſſe in pluralitatem reſilire, diſilireue. Poſſet autem, ſi ex viſione plures poſſet cõceptus formare de eſſentia, & de his, quæ formaliter ſunt in ea. Accedat etiã teſtimonium D. Thomę *q.* 7. *de potentia art.* 6. vbi docet, ex infirmitate noſtri intellectus prouenire vt non valeat Deum intelligere, niſi eum diuidendo. Quare ſuppoſita illa ſententia, nullus noſtræ quæſtioni locus relinquitur.

Cõfirmatur ex D. Tho.

3. In quo ſenſu quæſtio locũ habeat. Benè tamen relinquetur; ſi ſupponamus, intellectum ipſa beata viſione, & attributa inter ſe, & eſſentiam à perſonis ratione diſtinguere. Illa enim ſuppoſita, meritò inquiri poteſt; an beatus ex vi viſionis in politia matutina intra ipſũ Deũ poſsit formare plures conceptus de attributis, eſſentia, & relationibus? Ratio dubitandi eſt: quia licet viſione ipſa poſsit beatus illa omnia ratione diſtinguere virtuali quadam diſtinctione, vt in illis locis oſtendimus; hanc tamen diſtinctionem facere non poteſt per conceptus realiter diſtinctos, ita vt per vnum ſolùm concipiat bonitatem; per alium verò ſolam iuſtitiam: etenim ex Bernardo, & D. Thoma hæc cõceptuum pluralitas ortum habet

bet ex eo, quòd intellectus non videt Deu[illegible] eſt in ſe ipſo, ſed per ænigmata: vnde lib. 5. q. 6. art 9. §. 3. ad 3. n. 18. diximus beatum explicatam diſtinctionem facere ipſa numero viſione.

4. Reſolutio pro affirmãte. His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, intellectum beati ex ipſa viſione, & vi ipſius poſſe intra ipſum Deum (& per conſequens in politia matutina) formare & elicere plures conceptus realiter à viſione diſtinctos, quibus actu diſtingat ipſa attributa, & eſſentiam à perſonis; ita vt per vnum concipiat vnum attributum, & per aliũ aliud. Nec in hoc contradicimus his, quæ diximus in d. ar. 9: etenim ibi egimus de diſtinctione virtuali, & adęquata omnium, quæ in Deo formaliter videntur: hæc enim ſolum fit per ipſam viſionem, & non per alium actum: hoc autem loco dicimus, ex ipſa virtuali, & adæquata diſtinctione eorũ, quę formaliter ſunt in Deo, intellectum elicere plures conceptus, quibus nunc vnum attributum in ſe concipiat, & actu diſtinguat ab alio, affirmando, vnum non eſſe aliud. In quo ſenſu noſtram opinionem ſatis confirmant *D. Thomas, & Capreolus citati in præcedenti articulo*: vterque enim affirmat, beatum videntem Deum mediante conceptione, viſioneque, quam de Deo habet, plures conceptus elicere de his, quæ in Deo videt, illiſque imponere nomina diuerſa, & diuerſa formare verba. Quod D. Thomas confirmat authoritate D. Chryſoſtomi, ibi citata; hæc autem omnia fieri in politia matutina intra Deum diximus in præcedente art. num. 2.

D. Thom. *Capreol.* *D. Chryſ.*

5. Probatio opinionis. Et in eodem ſenſu hæc noſtra reſolutio fatis ſufficiẽter probatur ex eo, quòd beat⁹ ipſa viſione virtute diſtinguat attributa, & relationes: ſi enim admittamus, beatum ipſa viſione diſtinctè cognoſcere attributa, vt virtute diſtincta; cur inde nõ mouebitur, vt de ſingulis diſtinctos formet conceptus, quibus ſingula per rationem actu diſtingat?

6. Solutio obiectionis. Nec huic doctrinæ quidquam officit teſtimoniũ, aut D. Bernardi, aut D. Thomæ: quoniam ſolum negant, beatos indigere pluralitate conceptuũ, vt Deum videant; quia per vnam ſimplicem, & incõplexam viſionem perfectè cognoſcunt Deum, & ea, quę ſunt in Deo: & in hoc ſenſu negat D. Bernardus, beatum, quantũcunque vehementer intendat in Deũ, poſſe attendendo reſilire, aut diſilire in pluralitatem, in quã in via reſiliebat, quãdo in Deum intendebat. Hoc autem non tollit, quominus ex ipſa ſimpliciſſima, & perfectiſſima viſione poſſit formare plures conceptus eorum, quæ per vnicam viſionem videbat virtute diſtingui. Quare concludendum eſt, beatum per ipſam viſionem diuinæ eſſentiæ diſtinctè; & adæquatè videre omnia Dei attributa inter ſe, & ab eſſentia virtute diſtingui, eſſentiam etiam virtute diſtingui à relatione: actualiter verò ſingula iſta diſtinguere per proprios ſingulorum conceptus.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm beatus in politia matutina poſſit formare verbum, tùm de Deo, tùm de attributis; tùm etiam de creaturis?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

DE propoſita quæſt. duas inuenio interſe extremas, & oppoſitas ſentẽtias, & tertiã, quæ õnes illas putat eſſe probabiles. Prima igitur opinio ſimpliciter negat beatũ poſſe verbũ formare, aut eſſentiæ, aut eorum, quæ videt in eſſentia. Hanc opinionem communiter teneri affirmat *Capreolus in 4. diſt. 49. q. 5. ad argumenta 1. loco contra primam, fol. 213. col. 1. in princ.* nec deſunt, qui putent illum pro hac ſtare opinione: ſed verè dubius eſt, & anceps: eam ex Antiquiorib⁹ probarunt *Aegidius quodlib. 5. q. 9. in principio, & inferiùs in §. Habito, quot modis, & poſt eum Henricus quodlib. 3. q. 1. litera T. fol. 48. pag. 1. §. Credo igitur, & Soncinas in Epitome ad Capreolum in 1. diſt. 27. q. 2. ad 4. Durandi contra primam in fine*: eam probauit *Caietanus 1. p. q. 12. art. 2. §. Aduerte hic, & q. 27. art. 1. §. Ad tertium dubium: Cumelius in dicta q. 12. art. 2. q. 2. concluſio. 3. pag. 230. col. 2. & inferiùs ad 4. argum. pag. 232. col. 2. & iterum id docet q. 27 art. 2. in hoc proprio dubio pag. 751. vbi col. 2. ad finem eandem probat ſententiã, & pag. 752. col. 1. concl. 3. eam intelligit de verbo adæquato viſioni. Cum illis conſentit Velloſillus in aduertentijs ad D. Ambroſium quæſito 14. concl. 2. pag. 186. col. 1. Nauarrete*

1. 1. Opinio negans. *Capreol.* *Aegid.* *Henric.* *Soncinas.* *Caietan.* *Cumel.* *Velloſil.* *Nauarre.*

1. tom.

1.tom.contro.34.§.3.concl.3.fol.206. col. 2.in fine. Denique *Iauellus in Annotat. ad primam partem q.12.art.2. & q.27.art.1.* Hanc opinionem euidenter videtur probaſſe *Scotus quodlib.14.litera BB. & q.15.litera X. & cū eodem idē docet Rada 1.tom. contro. 10.art.2.concl.2.pag.142.* Ex quo patet non ſatis fideliter citari Scotum pro contraria parte.

Iauell. *Scotus,*

2. 2. Opinio affirmans. *Molin.* *Suarius.*

Secunda opinio ſimpliciter affirmat, beatos videndo Deum formare verbum diuinæ eſſentiæ; ita *Molin. 1.p. q.12. art. 2.diſp.1. cōcl.1.pag.107.col.2. Suarius lib. 2.de Attributis cap.11.concl.1.num.5. vbi ita conſtanter hanc probat opinionem, vt in 2.concl.poſita ibidem num.9. doceat, nec per diuinam potentiam fieri poſſe, vt beatus videat Deum non formando verbum illius : id admittit Bellomont.1.p.diſp.38.cap.2.poſt principium, vbi affirmat in beatis dari ſpeciē expreſſam, quæ appellatur verbum, & num. 7.id confirmat authoritate Auguſtini: idem docuerunt Conimbricenſes in 3.de Anima c. 8.q.3.art.4.ad 3.pag.382. & latè Salas 1. tom.1.2.q.3.tract.2.diſp.5.ſect.2.num.27. pag.336.col.2.ſatis id affirmat Capreolus in 1.diſt.27.q.2.art.3.ad 10.eorum, quæ 2.loco adducuntur contra primam fol.206.col.3. in principio, dum ait; nullam intellectionem, qualiſcūque illa ſit, ſine verbo compleri, & idem ſatis fatetur ibidem ad 8.eodem fol.col.* 2.vbi ſatis ſupponit, beatos formare verbum : quamuis dubitet, an forment vnū tantum: an plura? In hac ſententia videntur eſſe nonnulli ex Scotiſtis: illi ſcilicet, qui hāc opinionem probant, ſi intellectus ad viſionem actiuè cōcurrat; vt patet ex *Mayronio in 1.diſt.27.q.1.in 6.difficultate: & Baſſolius ibidem q.2.artic.3.ad 4.fol.160.col.2. & ſatis Herrera in 1.diſp. 10.q.4.concl.4.pag.299.col.1.vbi pro eadē refert Ioannē Vigerium in 1.diſt.27.* Vnde patet, Velloſillū: nec Scotum vidiſſe, nec omnes Doctores, dū ait, vno excepto Scoto, omnes negare beatos formare verbū: etenim & Scotus id negat, & plures id affirmāt.

Bellomon. *Conimbr.* *Salas.* *Capreol.* *Mayron.* *Baſſol.* *Herrera.*

3. Vtraq; pars eſt probabilis.

Inter vtramque opinionem mediant nonnulli, qui putant vtramque opinionem, etiam in via D.Thomæ, eſſe probabilem : ita ſentiunt Ferrarienſis 1. *contra gentes capic.53.§.Ex iſtis deduco in 5. concluſ.fol.56.col.3. Sylueſter in conflato q.12. art.2.§.Item.§.Eodem pro quarta opinione & q.27.a.1.M.2.§.dubitatur.Torres de Trinitat.q.27.art.2.diſp.5.in prim[illegible]p.dub, 4.fol.20.col.2. Banes 1.p.q.12. a.2.dub.1. ad 3.argumentū.* Qui omnes putant, vtrāque partem eſſe probabilem : & quamuis Ferrarienſis ſentire videatur vtramque æque eſſe probabilem; Sylueſter tamen, Torres, & Banes putant probabilius eſſe, etiam in via D. Thomæ, beatos formare verbū.

Ferrarien. *Sylueſt.* *Torres.* *Banes*

§. 2.

Pro reſolutione præmittuntur nonnulla.

4.

HÆc quæſtio longiorem poſtulabat diſputationem: plures enim, ac difficiles inuoluit quæſtiones, quæ de verbo mentis, tùm à Philoſophis, tum à Theologis excitantur. Quare, vt diſtinctè explicetur, nōnulla ſunt præmittēda.

1. Premiſsū

Primum eſt: quid à nobis nomine verbi hoc loco intelligatur? Ad quod dicendum eſt, verbum in nobis (de hoc enim àgimus) eſſe expreſſam quandam ſimilitudinem, ſiue imaginem rei, quæ intelligitur. In hoc pronunciato omnes conueniunt, vt teſtatur *Fonſeca lib. 7. Metaph. cap.8.q.2.ſectio.5. litera D. in principio*: & merito; quia id expreſſe docet Auguſtin. *15.de Trinit.cap.12.in fine, ita ſcribens: verbum eſt ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius.* Hanc expreſſam imaginē diuerſis nominibus explicat D.Thomas: eam enim modò appellat intentionem rei intellectæ, vt 1. *contra gentes c.54.* modò intentionem intellectam, vt *ibidem lib. 4.cap.11*: modo conceptionem intellectus, *vt in dicto cap.11.* Quod autem verbū, ſiue rei intellectæ expreſſa imago realiter ſit quædam qualitas, omnes ſine controuerſia fatentur, vt benè ſcribunt Conimbricenſes 3.*de Anima cap.8. q.3. art. 3. §.Quod vero attinet ad verbum pag.381. in fine.* Quòd hæc imago ſit concepta rei notitia, docuit Aug.9.*de Tri,c.8.* dū ait, *cōceptam rerum veracem notitiam, tanquā verbum apud nos habemus*, vnde in nobis appellatur cōceptus, quē de re exprimimus atque formamus, vt patet ex *D.Thoma 1. p.q.34.art.1. dum ait primò, & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur.* Eſt igitur de ratione verbi mētalis, quòd ſit qualitas quædam, ſiue notitia exiſtens in intellectu : præterea, quòd ſit imago quædam ab intellectu expreſſa ad declarandā, & concipiendā rem, cuius eſt verbum

Fonſeca. *Auguſt.* *D.Thom.* *Conimbr.* *D.Thom.*

bum; & ad hoc ab intellectu genita. Vnde de ratione illius eſt, quòd ſit notitia genita, vt colliges ex Auguſtino 9. *de Trinitate cap. 8. & lib. 15. cap. 12.*

6 2. Præmiſſũ. Prǽmittendum ſecundò; nullam eſſe cõtrouerſiam de diſtinctione verbi à ſpecie intelligibili, apud eos, qui ſpecies admittunt: omnes enim, qui benè philoſophantur, ſpeciem realiter diſtingunt à verbo: etenim ſpecies eſt quidam actus primus (eſt enim quidam habitus) cum tamen verbum ſit actus ſecundus: ſpecies producitur ab intellectu agente, ſi ſunt acquiſitæ, à Deo autem, ſi ſunt infuſæ; cum tamen verbũ producatur ab intellectu poſſibili: ſpecies ſũt in intellectu ante verbũ, & in eo manent verbo nõ manẽte: deniq; ſpecies intelligibilis eſt quædam ſimilitudo rei impreſſa; verbum autem eſt ſimilitudo eiuſdem rei expreſſa: quæ omnia arguunt diſtinctionem realem.

7. 3. Præmiſ. de diſtinct. verbi ab intellectione. 1. Opinio. Præmittẽdum eſt tertiò magnam eſſe cõtrouerſiam; quomodo verbum diſtinguatur ab actu intelligẽdi, ſiue ab intellectione? In cuius explicatione mira eſt, authorum varietas, vt videre eſt apud Fõſecam *in dicto lib. 7. Metaph. q. 2. ſect. 5. litera C. in principio pag. 337. col. 1. & q. 3. ſectio. 1. in principio.* Alij dicunt, verbum realiter diſtingui ab actu intelligendi, ſiue (quod idem eſt) ab intellectione. In terminis id affirmat Ferrarienſis 1. *contra gẽtes cap. 53. ad finem com. §. Et quamuis aliqui Thomiſtarum*; hanc opinionem plures tribuunt *Capreolo in 1. diſt. 27. q. 2. art. 1. in fine primæ concluſionis fol. 202. col. 1. in medio*: ſed ibi ſolùm docet verbũ nõ eſſe actum intelligendi, ſed conceptionem, ad quam actus intelligendi terminatur; nec vſquam dixit, verbum realiter diſtingui ab intellectione. Sed nec Caietanus, qui pro illa reali diſtinctione citatur 1. *p. q. 27 art. primo*; expreſſè dixit verbum, & actũ intelligendi realiter diſtingui: *etenim in d. art. primo §. Ad quartam dubitationem*, ita ſcribit: *Licet multi cum Scoto reſpondeant, affirmando identitatem conceptus, & actualis intellectionis: S. Thomas tamen tenet, conceptum eſſe aliud ab actu intelligendi, vt terminum ab eo, cuius eſt terminus.* Sed quidquid ſit de ſententia, Capreoli, & Caietani, ſatis ſit, quòd Ferrarienſis realem diſtinctionem admiſit inter illa duo: eam probauit Bañes *1. parte q. 27. ar. primo dubio tertio. in 2. ſententia, & ad 4.* & hanc opinionem eſſe longe probabiliorẽ iuxta doctrinam *D. Thomæ aſſerit Torres de Trinita. q. 27. ar. primo in 2. p. quartæ diſputat. concl. 3. fol. 16. col. 3. in principio. Idẽ affirmat Salas primo tom. ad primam ſecundæ q. prima art. primo, & 2. tract. 1. diſp. 5. ſectio. 3. pag. 69. col. 2. in principio.*

[Ferrarien. Capreol. Torres. Salas.]

8. 2. Opinio. Alij in oppoſitũ ſimpliciter aſſerunt, verbum, & intellectionem ex natura rei nullo modo diſtingui, ſed ſimpliciter eſſe omnino idem re, & ratione. Quæ opinio eſt Durandi *in primo diſt. 27. q. 2. num. 26. vbi ſimpliciter aſſerit, verbum eſſe actum intelligendi. Eadẽ fuit ſententia Henrici quodlibet. 2. q. 6. fol. 32. litera A, & quodlibeto 5. q. 16. in principio fol. 205. pag. 1. litera N. ſimpliciter enim affirmat verbum eſſe notitiam actualem, qua intellectus intelligit. Cõſentit Scotus in primo diſt 27. q. prima; vbi poſt longam diſputationem litera F. verſiculo ſequitur igitur: ſimpliciter cõcludit, quod verbum eſt ipſa actualis intellectio*: in quo cum eo conueniunt Scotiſtæ *Lichetus, Bargius in eodem loco: & quanquam Mayronius ibidem quæſt. prima. §. Quantum ad ſecundum*, rem confundat, conuenit tamen cũ Scoto: cum eodem concludit *Baſſolius q. 1. §. His dictis: & Rada prima parte, controuerſ. 7. concl. 4. pag. 103. col. 2. ſatis Herrera in primum Scoti diſp. 10. q. 2. pag. 293. colu. 2. ita inquiens: ſed intelligere, & verbũ ſunt idẽ ſecundũ Doctorẽ cum actualis intellectio, & verbum ſint idem.* Conſentiunt Nominales ſimpliciter aſſerentes, verbum eſſe ipſum actũ intelligendi: ita *Ochamus primo diſt. q. 27. q. 2. in 1. & 2. concl. litera Z. & litera AA. vbi affirmat omnem actum intelligendi eſſe verbum: quod etiam ſatis colligitur ex Gabriele ibidem q. 2.* Ex Nouioribus ita *Suarius lib. 2, dè Attributis negatiuis cap. 11. num. 8. & lib. primo de Trinitate cap. 6. num. 7.* vbi docet, verbum, & intellectionẽ, nec ex natura rei diſtingui: quòd verbum ſit ipſamet intellectio, tanquã verius ſumit Bellomontanus *prima parte diſp. 38. cap. 4. num. 24. Et ſatis ſignificat Salas primo tom. ad primam ſecundæ q. 1. art. 1. & 2. tract. 1. diſp. 5. ſect. 3. pag. 69. col. 2. in principio.*

[Durand. Henric. Scotus. Lichet. Bargius. Mayron. Baſſolius. Rada. Herrera. Ocham. Gabriel. Suarius. Bellom. Salas.]

9. Alij tertiam, & mediam probauerunt ſententiam, & volunt, verbum, & actum intelligendi realiter idem eſſe: diſtingui tamẽ inter ſe ex natura rei, ſiue formali-

ter.

ter. Hæc opinio communiter tribuitur *Victoriæ, & Soto: eam probat Sylueſter in conflato q. 27. §. Quarta dubitatio, vbi de ea latè agit: eandem abſque dubio probant Conimbricenſes in 3. de Anima c. 8. q. 4. art. 2. concl. 2. & 3. & eandem amplexus eſt Molina 1. p. q. 27. art. 1. diſp. 8. memb. 2. §. Alij, de quorum numero, pag. 408. col. 2. D. E. eā probat Cumelius 1. p. q. 27. artic. 1. q. 2. ante primam concluſ. pag. 748. col. 1,*

Victor. Sotus. Conimbr. Molina. Cumelius.

10. *4. opinio.* Denique alij quartam excogitauerūt opinionem, quòd verbum, & actus intelligendi nec realiter inter ſe diſtinguantur, vt res à re: nec ex natura rei, tanquā vna entitas ab alia entitate; ſed tanquam vna, & eadem qualitas, atque entitas, quę vt eſt expreſſa ab intellectu, eſt verbum: vt verò in eodem eſt recepta, eſt intellectio. Hanc ſententiam eſſe longè probabiliorem affirmat *Fonſeca 7. Metaph. c. 8. q. 2. ſect. 5. litera D. pag. 338. col. 2. in principio, & clariùs q. 3. ſect. 1. litera C. pagina 347. col. 2. §. Tertia ſententia eſt.*

Fonſeca.

§. 3.

Reſolutio Quæſtionis.

11. Senſus quæſtionis. His ita præmiſsis, ante reſolutionē aduertimus, in hac quæſtione nō inquiri; an beati in politia veſpertina forment verbum eorum, quæ intelligunt: de hoc enim agemus in 8. q. ſeq. Inquirimus igitur de formatione Verbi in cognitione matutina. Et hæc quæſtio primùm excitari poteſt de ipſa viſione, vt terminatur ad eſſentiam: deinde excitabitur in ordine ad attributa: tertio, in ordine ad creaturas, quæ in eſſentia videtur.

An videndo Deum forment Verbum?

12. Quęſtio de verbo eſſentiæ. ¶ Quod attinet ad beatos, quatenus ſua viſione Deum vident; ſtatuimus hanc generalem concluſionem pro ſententia affirmante: *Beati videndo Deum neceſſariò formant verbum ipſius diuinæ eſſentiæ.* Hāc concluſionem, tanquam veriſsimam ſtatuimus: quia eam putamus eſſe veriſsimā apud omnes opiniones, quas de diſtinctione verbi ab intellectione recitauim⁹: in quacunque enim illarum veriſsimam eſſe, facilè oſtendemus, ſi ſingulas opiniones expendamus.

Concluſio pro ſententia affirm.

Quid apud eos, qui verbum ab intellectione nec formaliter diſtinguunt?

¶ Suppoſita opinione, quòd verbum ab intellectione nec realiter, nec ex natura rei, ſiue formaliter diſtinguatur (quę fuit ſecunda ſententia immediatè explicata) inquiri poteſt, an neceſſariò concedendū ſit, beatum videndo Deum formare verbum? etenim, ſi expendantur, quæ illius opinionis authores ſcribunt, non videntur omnes conuenire: etenim Henricus opinionem illam ſupponit; & tamen negat, beatum formare verbum. Quod ipſum negat Scotus cum ſuis; & tamen admittit identitatem ex natura rei, atque formalem inter verbum, & intellectionem. Oppoſitum tamen plerique docēt, admittentes enim illam indiſtinctionem ex natura rei, conſtanter affirmant, beatos verbum formare; inter quos enumerari poſſunt Suarius, & Bellomontanus. 13. Optima inquiſitio.

Sed pro explicatione huius difficultatis expendo authores illius opinionis in eo ſenſu eam explicare, vt dicant, tâm verbum, quàm intellectionem ex ſua ratione eſſe qualitates de genere qualitatis; quæ ita ſunt realiter idem, vt ſint vna, & eadem entitas formalis, quidditasvè per diffinitionem explicabilis: vnde vtraque formaliter accepta in eadem qualitatis ſpecie collocatur: quod non reperitur in illis, quæ licet ſint realiter idem; ſunt tamen diſtincta ex natura rei formaliter: hæc enim habēt diſtinctas quidditates, & diſtinctas eſſentiales definitiones, & ſubinde diſtinctas entitates formales; vnde in diſtinctis aut ſpeciebus, aut prædicamentis reponuntur; & ideò apud nonnullos aliquo modo dicuntur plura entia, & plures res, vt videre eſt in relatione, & fundamento, in quantitate, & figura. Verbum igitur in eo ſenſu dicitur eſſe idem realiter, & formaliter cum actu intelligendi, vt cum illo, & ſit vna res in ordine ad eſſe exiſtentiæ, & vna formalis entitas, ſiue potiùs vna formalitas: quia, ſicut verbum formaliter eſt notitia expreſſa rei, cuius eſt verbum; ita etiam intellectio eſt expreſſa quædam notitia rei intellectæ. 14. Notabilia.

Inde tamen non benè infertur, ea inter ſe nullo modo diſtingui; ſed realiter, & formaliter eſſe adæquatè eadem; ita vt ſub 15. Explicatur dubium.

16. ſub eadē ratione, ſub qua illa qualitas formali[redacted]tellectio, [redacted]tiã verbũ: etenim actio, & paſsio vnã, & cãdem habent entitatē (quia iuxta veriſsimam ſententiã eadem entitas, quæ eſt actio; eſt etiã paſsio:) & tamen non ſub eadem ratione; qua eſt actio, eſt paſsio: quia eſt actio, vt eſt ab agente; paſsio autē, vt recipitur in ſubiecto. Quare dubitari poteſt; an verbũ, & actus intelligendi ita ſint vna, & eadē entitas realiter, & formaliter, vt ſub eadē ratione, qua dicitur intellectio, dicatur etiã verbũ: & ē conuerſo? Cuius quęſtionis reſolutio ad inſtitutũ plurimũ cõducit: inde enim pēdet; an ſuppoſita opinione præcitata neceſſariò conuincatur beatum videndo diuinam eſſentiam formare verbum illius?

17. *Quorundã opinio.* De hoc dubio non conſtat inter Doctores: ſunt enim, qui licet admittant, verbũ, & actũ intelligendi realiter, & formaliter eſſe idem, & habere vnã, & eandem entitatē realem, & formalē: negant tamē entitatem illam ſub eadē ratione, qua eſt verbũ, eſſe intellectionem; & ē conuerſo. Et vt omittamus Henricũ; quia non ſatis diſtinctè loquitur; inter hos enumerãdus eſt Scotus: qui licet admittat omne verbum ex natura rei realiter, & formaliter eſſe intellectionem: non tamen admittit omnem intellectionē eſſe verbũ: ob quã rationem libenter admittit, beatũ habere viſionem diuinæ eſſentiæ, non tamen agnoſcit formare verbum illius, vt patet ex locis citatis §. 1. in ſecunda ſententia, cum quo ſimpliciter tranſit Rada, vt ibidem diximus: & illius opinionem admittunt Mayronius, Baſſolius, & Herrera cum cæteris Scotiſtis, ſi tamen intellectus ad viſionē ſolùm concurrit paſsiuè.

18. *Aliorum ſētentia.* *Ocham.* *Bellom.* *Suarius.* Oppoſitum tamen alij docent, aſſerētes, omnem intellectionē, omnemq; notitiam eſſe verbũ: ita expreſſè reſpondet *Ochamus loco citato litera A A*; vbi hanc ſtatuit propoſitionem: *omnis actus intelligendi eſt verbum: quod etiam ſcribit, Bellomont. in dicta diſp. 43. cap. 7. num. 36. pag. 243. col. 2. in principio*: affirmans in omni cognitione dari verbũ: Quod ſatis eſt de mente Suarij, ſi benè expendatur: ex eo enim probat, aliquid eſſe verbũ, quia eſt intellectio, ſiue notitia. Quare apud iſtos Theologos, ſicut omne verbũ formiliter eſt intellectio; ita omnis intellectio formaliter eſt verbum; ita vt dicãtur ad conuertentiam. Hac autem ſuppoſita opinione, bona eſt hæc conſequentia: *Beatì formant viſionē diuinæ eſſentiæ: ergo formant verbũ illius*: quia apud eos omnis intellectio, ſiue notitia eſt verbum. Authores tamen prioris ſententię volunt illam conſequētiam ex vi formæ non valere: quia licet apud eos omne verbum ſit actus intelligendi; non tamen omnis actus intelligendi eſt verbum.

Ego puto conſequentiam illam eſſe optimam, ſi ſupponamus realem, & formalem indiſtinctionem actus intelligendi, & verbi: puto enim veriſsimam eſſe Philoſophiam, quòd verbum, & actus intelligendi realiter, & formaliter ſunt idē adæquatē, in hoc ſenſu, vt omnis actus intelligendi ſit verbum; & omne verbũ ſit actus intelligendi: quæ fuit opinio Ochami, cui ſatis videntur conſentire Bellomontanus, & Suarius, quamuis non ſatis clarè id explicent. 19. *Opinio authoris.*

Pro cuius explicatione aduertimus, hanc opinionem in hoc à cæteris differre; quòd cæteræ volunt, vel verbum, vel intellectionem formaliter eſſe actionem: nam prima, & tertia opinio intellectionem ponit eſſe actionem, cuius terminus ſit verbum: quarta verò, & vltima verbum ipſum concipit, vt actionem; intellectionem verò, vt paſsionem, termi numq; ipſius verbi, vt ſtatim oſtēdemus: at verò ſecunda ſententia, quam defendimus, non ita philoſophatur: ſed tàm verbũ, quàm intellectionē concipit, tanquã qualitatem, notitiamque expreſſam rei intellectæ: vnde ſicut intellectionem formaliter ſumptam concipit, vt imaginem, & ſimilitudinem actualē, actu exprimentē ipſam rem, quæ intelligitur: ita etiam concipit ipſum verbum, vt imaginem, & expreſſam ſimilitudinē, rei cuius eſt verbum: & ideo, nec verbum, nec intellectionem Philoſophatur, vt actionem, ſed vtrumque vt veram qualitatem expreſſiuam rei; & ob hanc rationē docet, & intellectionem formaliter ſumptam, & verbum ſumptum etiam formaliter eſſe idem, tùm realiter, tùm formaliter. In hoc tamen vnum ab altero diſcerni poteſt; quòd illa qualitas eſſentialiter expreſsiua rei habet rationem intellectionis, quatenùs exprimendo attingit, & apprehen- 20. *Aduertentia.*

prehendit rem, quam intelligit: verbi autem; quatenùs eam intelligit, vel ſibi (ſi ſecum tantum loquatur) vel alteri; ſi loquatur alteri. Et inde eſt vt intellectio, ſub ratione intellectionis, ſuo modo ſupponatur verbo, ſub ratione verbi; quia prius eſt intelligere rem, eam intelligibiliter apprehendendo; quàm eam intelligere, vel ſibi, vel alteri.

21. Illatio. Ex quo philoſophandi modo infertur; quòd ſicut ratio formalis intellectionis conſtare poteſt, quamuis ab intellectu non producatur, vt latè oſtendimus lib. 10. q. 1. arti. 2. & 4: ita etiam benè poteſt conſtare formalis ratio verbi, quàmvis intellectus intellectionem non producat, ſed ſolùm paſsiuè recipiat: etenim dicere formaliter non eſt aliud, quàm conceptum rei intellectæ alteri ſignificare, & declarare, illum ad eum dirigendo: & inde eſt, vt Nominales rationem verbi agnoſcant in viſione diuinæ eſſentiæ, vt patet ex Ochamo; & tamen non agnoſcunt intellectū ad eam actiuè concurrere. Sed quidquid de hoc ſit (etenim cōmunis Theologia ſumpta ex Auguſtino, docet, de ratione verbi eſſe, quod gignatur, & procedat, formeturque ex memoria fœcunda, id eſt, ex intellectu ſpecie informato) illud tamen dico, verbū quidē ſupponere, quod ꝓcedat, vt proles mētis: & ſubinde, quòd procedat ab intellectu fœcundo per ſpeciem rei dicendæ: rationem tamē verbi formaliter, & completè non conſiſtere in ipſa ipſius verbi productione, ſiue formatione: ſed in hoc, vt intellectus producendo, & formando cōceptum rei intelligendæ illum dirigat, vel ad ſe, vel ad alium: nam in hoc poſita eſt formalis, & completa ratio locutionis, quæ per verbum fit. Et inde eſt, vt dicere completè non ſit conceptum, actumq; intelligendi producere; ſed producendo illum alicui dirigere. Sed de hoc latius diſputare non eſt huius loci.

22. Hæc eſt auctoris opinio. Siquis à me quærat, vtrùm hanc ſententiam abſolutè probem? Affirmatiuè reſpondebo; quia abſolutè probo, verbum, & actum intelligendi realiter, & formaliter eſſe idem: ita, vt vtrumque ſit vna, & eadem qualitas ab intellectu expreſſa, tum; vt rem obiectam intelligibiliter attingat; tùm; vt eam attingendo alicui dirigat, vt ſuprà explicauimus. Id poſſem pluribus confirmare; ſed quia id alibi fecimus, hic ſuperſedemus. Hac opinione in ſenſu explicato ſuppoſita, neceſſariò concedendum eſt, beatos formare verbum: nam concedendum eſt, beatos habere veram, & propriam viſionem Dei, quæ eſt quidam actus intelligendi. Sed vt oſtendimus, omnis actus intelligendi eſſētialiter eſt verbum. Ergo neceſſariò concedendum eſt, beatos videndo Deum formare verbum.

Quare non eſt recipiēda opinio Scoti, 23. Non recipitur Scotus & ſuorum quatenùs ſuppoſita identitate verbi cum actu intelligendi negant, om- 1. Obiectio nem intelligendi actum eſſe verbū. Nec quæ obijciunt aliquid faciunt. Primo igitur arguunt; quoniam ſola illa intellectio eſt verbum, quæ procedit ab obiecto, tanquam illius proles, id eſt, tanquā ſimilitudo ab eo naturaliter genita: etenim ad rationem prolis requiritur, vt per modū naturæ generetur. Sed viſio diuinæ eſſentiæ non procedit ab ipſa eſſentia diuina, tanquam proles; quia cum ab ea procedat per voluntatem, non procedit per modū naturæ, ſed liberè. Ergo viſio in beatis *Radas.* non eſt verbum. Ita arguit *Rada vbi ſuprà concluſione 2. pag. 142. ex Scoto in quodlib. 14. lit. B. B.*

24. 2. Obiectio Deinde obijciunt; quoniam viſio in beatis non gignitur â memoria. Ergo nō habet rationem verbi. Conſequentia patet, quia de ratione verbi eſt, quod gignatur, & formetur â memoria fœcunda, vt eſt communis doctrina Auguſtini. Ante- *Scotus.* cedens probat *Scotus quodlibet. 15. litera X. §. Ad ſecundum:* quia ante viſionē nulla forma ponitur in intellectu, quæ diuinam eſſentiam repræſentet; & per conſequens eſſentia non eſt in intellectu beati, antequam ſit viſio. Ergo ipſa viſio non procedit ex memoria fęcunda: memoria enim fęcunda nihil eſt aliud, quā intellectus affectus forma repræſentatiua abiecti, in qua obiectum repræſenteur.

25. 3. Obiectio Tertiò ita poteſt obijci: quia apud Scotum verior eſt opinio, quæ docet, intellectum ad viſionem non concurrere actiuè, ſed ſolùm paſsiuê. Ergo non poteſt habere rationē verbi. Antecedens eſſe Scoti oſtendimus lib. 10. q. 1. art. 4. Conſequentia inde patet; quia ex Auguſtino verbum gignitur â memoria, id eſt, ab intellectu ſpecie obiecti informato.

Hæc

26. Ad obiectionē. 1. Hæc nihil efficiunt. Primum argumẽtum deficit in minori; quià falſum eſt viſionem beati immediatè cauſari ab actu voluntatis diuinæ: cauſatur enim ab intellectu actuato, vel per ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ; vel per ipſam eſſentiam, vt ſubit vicem ſpeciei: licet enim non poſſit dari viſio, niſi ſuppoſita diuina voluntate; liberè ſe applicãte intellectui per aliquam ſpeciem; tamen viſio non gignitur ab eſſentia, vt liberè ſe applicante, ſed ab ea, vt intelligibiliter actuante intellectum per modum ſpeciei intelligibilis: hoc autem modo influit in eam naturaliter, & vt principium quo videndi: nam principium, quòd viſionem elicit eſt intellectus per ſpeciem diuinæ eſſentiæ actuatus, de quo alibi latiùs diximus. Ex hoc etiam patet falſitas maioris: nec enim intellectio eſt proles obiecti; ſed ipſius intellectus informati ſpecie obiecti: etenim obiectum non eſt memoria, ſed intellectus obiecto aſsimilatus: vnde intellectio ipſa exprimit ipſum intellectum aſsimilatum obiecto, tanquã vera illius proles.

27. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt antecedens: ad probationem negatur eſſentiam in intellectu beati non antecedere, ſaltem in aliquo priori naturæ, ipſam viſionem: quia prius eſt eſſentiam repræſentari in intellectu actuato per aliquam eſſentiæ ſpeciem (quæcunque illa ſit) quàm elici viſionem: quod tanquam notum ſupponimus: & neceſſariò ſupponendũ eſt ex ſententia Scoti ab eo, qui admittit intellectum actiuè influere in viſionem.

28. Ad 3. Ad tertium dicimus, argumentum nihil contra nos eſſe: quia negamus intellectum ad viſionẽ ſolùm concurrere paſſiuè. Vtrùm verò ſuppoſita illa opinione, adhuc viſio poſſit habere rationem verbi? alterius eſt quæſtionis: Ochamus cum Nominalibus affirmat, vt ſuprà diximus: alij negabunt; quia ex doctrina Auguſtini, de ratione verbi eſt, quòd ab intellectu, prout eſt memoria, gignatur, tanquam proles eius. Sed de hoc plura dicere nolumus, ne longior ſit diſputatio. Ad noſtrũ enim inſtitutum ſatis eſt, ſuppoſita reali, & formali indiſtinctione verbi ab actu intelligendi, efficaciter deduci beatos formare verbũ diuinæ eſſentiæ, cũ illa ſuppoſita, verbum, & actus intelligendi adæquatè, & conuertibiliter ſint idem.

Quid apud eos, qui verbum ab intellectione ſolùm formaliter diſtingunt.

¶ Sed iam expendamus, vtrũ ex opinione, quæ verbum ab intellectione nõ diſtinguit realiter, ſed ſolùm formaliter, neceſſario inferatur, beatos videndo Deum formare verbum eſſentiæ? In qua quæſtione nõ omnes conueniunt: ſunt enim, qui admiſſa hac opinione adhuc putant defendi poſſe, beatos verbum non formare: qui id ſenſerit, vnum inueni Syluestrum: is enim admittit, verbum ſolùm formaliter diſtingui ab actu intelligendi, vt diximus in §. ſecundo; & patet ex illius *conflato quæſtione 27. §. Quarta dubitatio*: & tamen putat probabilem eſſe opinionem, quòd beati non forment verbum, vt docet in eodem conflato quæſtione 12. articulo ſecundo, §. *Item* §. *eodem pro quarta opinione.* Oppoſitum tamen colliges ex alijs eiuſdem opinionis: etenim Molina, & Conimbricenſes, qui inter illa duo ſolam diſtinctionem formalem admittunt, ſimul admittunt in beatis dari verbum diuinæ eſſentiæ. — 29. Alia neceſſaria inquiſitio. — *Syluester.*

Ego horum opinionem probo, tanquam veriſsimam: euidenter enim demõſtratur, ſi cum Authoribus illius opinionis ſupponamus, intellectionem ſumptã formaliter non eſſe qualitatem, ſed actionem de genere actionis. Qua ſuppoſita opinione, euidenter demonſtratur, in beatis dari verbũ: etenim vera philoſophia docet, non poſſe dari actionem verã ſine termino per eã producto: ſicut enim implicat, agens actu agere, & nihil agere; ita implicat dari veram actionem, & per eam nihil agi. Sed viſio beata, prout eſt intellectio, eſt vera actio de prædicamẽto actionis, vt in hac opinione ſupponimus. Ergo implicat viſionem eſſe in beatis, & in illis non dari verbum per eam formatum. Hoc fundamento pro cõfirmanda noſtra opinione vtitur *Suarius lib. 2. de atrib. neg. c. 11. n. 77, & 9.* vbi ex eo, quòd impoſsibile eſt, dari actionem de genere actionis ſine termino intrinſecò per eam productо, infert dari non poſſe viſionem diuinæ eſſentiæ ſine verbo, ſi viſio formaliter ſit actio de genere actionis. Sed de vi huius rationis plura ſtatim dicemus. Eadem opinio euidenter demon- — 30. Hæc eſt authoris opinio.

ſtratur ex duobus, quæ in hac opinione ſupponũtur ab aduerſarijs, cõtra quos agimus: vnum eſt, intellectionem eſſe idem realiter cum verbo: alterum eſt, eam eſſe formaliter actionem de genere actionis.

31. Ex vtraque iſta ſuppoſitione neceſſariò infertur, intellectionem formaliter ſumptam eſſe nullo modò poſſe ſine verbo, ſiue conceptu per eam producto: nam ſi intellectio formaliter ſumpta eſt actio, ex ſua ratione non eſt entitas, ſed modus entis: ſupponimus enim, actionem formaliter ſumptam non eſſe aliquam entitatẽ, aut aliquam rem, ſed eſſe modum entis; quæ eſt doctiſsimorum Philoſophorum ſententia, de qua alibi latiùs diximus, & Suarius. probatur *Suario in Metahyſ. diſp. 48. ſect. 1. num. 15. & ſect. 5. num. 1. & diſp. 49. ſect. 1.* Fonſeca. *num. 3. Fonſeca in 5. Metaph. cap. 7. q. 3. ſect. 3. §. Ad ſecundum dicendum, pagin. 391. in* Conimbr. *principio, Conimbricenſes 3. Phyſicorum c. 3. q. 1. art. 2. in ſecundo pronunciato pag. 402. & ſatis id ſupponunt in prædicabilibus cap. de genere q. 2. art. 2.* Ergo intellectio formaliter ſumpta nõ aliam habebit entitatem, niſi entitatem verbi, ſiue conceptus; ita, vt nihil aliud ſit, quam ipſa entitas verbi, non abſolutè, ſed vt eſt ab intellectu. Iam verò modus entis non poteſt eſſe ſine entitate, quam modificat, & cum qua identificatur. Ergo viſio beata, vt eſt formaliter viſio, nullo modo dari poterit ſine verbo, ſeu conceptu, à quo entificatur.

32. Concluſio diſputatio. Cõcludimus igitur, ſuppoſita identitate reali, cũ ſola formali diſtinctione verbi & intellectionis formaliter ſũptæ: ſuppoſita itẽ opinione, quod intellectio formaliter eſt actio de genere actionis; implicare, quòd admittatur intellectio ſine verbo: & per conſequens non ſatis ſibi conſtare, qui admiſsis illis duabus ſuppoſitionibus dicunt, viſionem beatam dari poſſe ſine verbo. Quam opinionem intelligimus de intellectione, ſiue viſione elicita ab intellectu: nam quid dicendum ſit de intellectione non elicita, quam quidam ex Thomiſtis philoſophantur, dicemus in ſequenti inquiſitione. Quare ſi Syluester de hac intellectione elicita agit, non conſtat ſibi, dum putat, eſſe pro Syluester. babile, quòd in beatis poſsit dari viſio ſine verbo: cum expreſſè doceat, hanc intellectionem elicitam realiter eſſe idem cum verbo, cum actio elicita, & terminus eius intrinſecus realiter ſint idem, vt patet *in diſt. 37. ar. 1 §. Quarto dubitatur*; & prgterea admittat inter illa ſolã diſtinctionem formalem, vt ibidem ſcribit, §. *Tertio inſtant*; verſiculo *Secundo dico*: hæc enim duo non ſatis conſtant cum opinione, quòd poſsit dari intellectio ſine verbo.

Quid dicendum apud eos, qui intellectionem realiter diſtinguũt à verbo?

¶ Conſequenter explicandum eſt; vtrũ, 33. Quid ſi intellectio realiter diſtinguitur à verbo.
ſuppoſita opinione, quòd intellectio realiter diſtinguatur à verbo (cuius Authores citauimus §. ſecundo in prima ſententia) neceſſariò dicendum ſit, beatos formare verbum diuinæ eſſentiæ; etenim plures eorum, qui verbum ab intellectione realiter diſtinguũt, conſtanter affirmant, beatos verbum eſſentiæ non formare: inter quos ſunt *Caietanus, Ferrarienſis, Bañes, Torees cum pleriſque alijs.* Caiet. Ferrar. Bañes. Torres. Vnde negabunt ex illa ſuppoſitione neceſſariò conuinci beatos verbum formare. Oportet ergo hanc difficultatem diligenter expendere: quæ tamen ſine confuſione explicari non poterit, niſi priùs aduertamus, inter iſtos nonnullos exiſtimare intellectionem formaliter ſumptam non eſſe qualitatem, ſed actionem, de genere actionis; cuius oppoſitum alij affirmãt. Cum verò non eodem modo hi, & illi ſint impugnandi, oportet, vt hos ab illis diſtinguamus. Priùs igitur agemus cõtra eos, qui volũt intellectionẽ formaliter ſumptam, & prout diſtinguitur realiter à verbo, non eſſe qualitatem, ſed actionem. Deinde diſputabimus contra alios, qui admittentes intellectionem ex ſua natura eſſe qualitatem de genere qualitatis, eam à verbo realiter diſtinguunt.

Contra eos, qui ſupponunt intellectionem formaliter eſſe actionem?

¶ Pro impugnatione eorum, qui negant 34. Arguitur contra iſtos Doctores.
beatos formare verbum diuinę eſſentiæ, & tamen verbum realiter diſtinguũt ab intellectione, à qua producitur, præmittendum eſt, Auctores huius opinionis admittere verbum ab intellectione produci, tanquam terminum illius: negare tamen neſſarium eſſe, vt omnis intellectio

tio producat verbum, ſiue conceptum,
ad quem terminetur: in terminis docet
Caietan. *Caietanus prima parte q. 27. art. 1. §. Ad ter*
tium dubium, vbi ita ait: *Concedenda eſt con*
cluſio: ſcilicet, quòd non oportet omnem intel
lectum in actu proferre verbum, & ideo ne-
gat hanc propoſitionē vniuerſaliter pro-
latam; *Quicunque intelligit, intelligendo pro*
fert verbum. In hoc igitur Authores il-
lius opinionis, neceſſariò debent conue-
nire, vt verbum non poſsit, niſi ab intel-
lectione produci: intellectionem tamen
non neceſſariò verbum ſemper produce-
re. Cum verò intellectionem à verbo
realiter diſtinguant; & ſimul admittant
intellectionem formaliter non eſſe quali
tatem, ſed actionem de genere actionis;
coguntur de actione ita philoſophari, vt
actio, ſiue illa ſit tranſiens, ſiue immanens
recipiatur non in paſſo, ſed in agente; ita
vt priùs natura actio actuet ipſum agens
reducendo eum de potentia ad agendum
ad actum agendi, quàm recipiatur in paſ-
ſo, Hanc Philoſophiam plures Thomiſta
Torres. rum probaſſe, teſtatur *Torres de Trinitate*
q. 27. art. 1. in 2. parte diſputationis quartæ.
§. Inſuper aliorum fol. 16. col. 1. vbi in §. Ex
iſtimamus putat hanc opinionem eſſe ma-
gis probabilem, & magis conſonam doc-
trinæ D. Thomæ. Simpliciter eam pro-
Nauarre. bat *Nauarrete 1. tom. controu. 26. §. 1. in pri*
ma propoſit. fol 155. col. 4. & controu. 34. §.
Syueſter. *4 fol. 211. col. 1. Quam etiam probat Sylue-*
ſter in conflato q. 27. art. 1. fol. 198. col. 2. §.
Ego autem dicerem. Quę etiam fuit opinio
Caietan. *Caietani prima p. q. 25. art. 1. in reſponſ. ad*
2. & 3. §. Ad hoc dicendum mihi videtur.
Bergomēſ. *Probauit eandem Petrus Bergomenſis in ſuis*
etymologiis verbo Actio.

35. Eandem abſolutè docet *Scotus in 4. d.*
Scotus. *13. q. 1. litera B. quem tota illius Schola, tā*
Antonius *quam ducem ſequitur: inter quos Antonius*
Andreas. *Andreas in tract. de ſex principijs in cap. de*
Herrera. *actione, & paſsione, Herrera in primum Sco-*
Lullius. *ti controu. 10. q. 2. notabili 3. pag. 293. col. 1*
Pro eadem refertur *Raymundus Lullius in*
2. lib. ſuorum prouerbiorum. Hi omnes vnā
tantùm actionem admittunt, eamque po
nunt in ſolo agente. Sed *Heruæus quodli-*
bet. 4. §. 2. non vnam, ſed duas admittit ac-
tiones; vnam largè ſumptam, & impro-
priè; alteram propriè. Priorem ponit in
agente (putat enim actionem iſtam non
eſſe aliud, quàm relationē agentis ad paſ-
ſum; quam eſſe in ſolo agente nullus du-
bitauit:) alteram ponit in paſſo; quæ, vt
ait, non eſt aliud, quàm forma, ſiue actus,
vt eſt ab agente: vnde hanc actionem ap-
pellat elicitam; illam aliam non elicitam.
Cum Heruæo conſentit Syluester, ſi ex
pendantur, quæ ſcribit vbi ſuprà, *& cla-*
riùs q. 25. art. 1. fol. 184. col. 2.

Non conueniunt tamen; quidnam 36.
hoc ſit, quod actio ponit in agente? Sco- In quo non
tiſtæ volunt actionem nec dicere, nec po conueniat.
nere in agente aliquam formam abſolu-
tam, ſed reſpectum, quem appellant rela-
tionem intrinſecùs aduenientem. Her-
uæus loco citato affirmat, actionem pone
re in agente quandam relationē. Alij vo-
lunt eſſe aliquid abſolutum pręter motū,
& relationē agentis, quę in ipſo motu fun
datur. Sed quid ſit hoc abſolutum; nō om
nes eodem modo explicant, Syluester
vult eſſe formam, potentiāque, qua agens
agit, non abſolutè, ſed vt eſt ſub relatione
actuali ad obiectum, ſiue ad operationem.
Communior explicatio eſt Caietani loco
citato; vbi docet, actionem præter motū,
& relationem dicere aliquid ſubiectiuè
exiſtens in agente; & hoc nihil aliud eſſe
(vt ait ad finem commenti) quàm ope-
rationem, quæ in agente eſt propter per-
ficiendum aliud: additque hanc operatio
nem ſignificari per formam, & actum, vt
eſt ab agente. Caietanum ſequitur Tor- Torres.
res docens illud abſolutum eſſe ipſam
productionem effectus, ipſamque agen-
tis actualitatem, quæ poſita eſt in ipſa ac-
tuali productione effectus. Idem ijſdem Nauarre.
verbis aſſerit *Nauarrete vbi ſuprà; & ſatis*
Bergomenſis loco citato, affirmans actionē Bergomēſ.
eſſe ipſam actiuam impreſſionē, vel ema-
nationem ab agente: quæ, vt ait, quoad
modum ſignificandi tendit in aliud, ſed
realiter eſt in agente.

Hæc, ideò ex aduerſarijs adduximus, 37.
vt oſtendamus, qua probabilitate de-
fendant, dari poſſe intellectionē ſine ver
bo, poſſeq; beatos ſine verbo videre Deū.
Neutrū enim defendere poſſūt ſi intelle
ctio formaliter ſūpta eſt qualitas: & præ-
terea, ſi à verbo ſolū formaliter diſtingua
tur, etenī ſi intellectio formaliter eſt quali
tas, & cum verbo realiter identificatur,
non poteſt dari intellectio ſine verbo. Il-
lud prius ſtatim oſtendemus; hoc poſte-
rius immediatè oſtendimus. Quare co-

guntur duo defendere: vnum eſt intellectionem formaliter eſſe actionem de genere actionis: alterum eſt; eam realiter diſtingui à verbo. Nos tamen ex vtroq; capite oſtẽdemus, nec beatos videre Deũ ſine verbo; nec ſine eo dari intellectionẽ. Ex hoc poſteriori capite, id ſatis probabiliter oſtenditur: quoniam realem diſtinctionem verbi ab actu intelligendi nõ poſſunt cum probabilitate defendere, niſi defendant, actionem non recipi in paſſo, ſed in agente. Sed hanc Philoſophiam nõ eſſe Peripateticam; imò nec verè Thomiſticam, alibi latiùs oſtendimus, & hoc loco facilè oſtenderemus, niſi articulus iſte lõgiorem poſtularet diſputationem: ſatis modo ſit, quòd hanc Philoſophiam, tanquam nõ peripateticam, nec ſatis Thomiſticam multis impugnant *Conimbricenſes in 3. Phyſic. cap. 3. quæſt. 2. artic. 2. & latiſsimè Rubeus ibidem circatria capita de motu quæſtio. 8. & ſatis Suarius in Metaphſic. diſput. 48. ſect. 4. per totam, maximè nu. 18. ſed latiùs doctiſsimus Fonſeca in 5. Metaph. cap. 15. quæſt.* 8. quem vide: qui omnes citant innumeros huius opinionis Authores, non ſolum ex Antiquioribus, vt *Alexand. Themiſtium, Phyloponum, Simpliciũ, & Auerroem; ſed etiam ex Thomiſtis Capreolũ. Ferrarienſem, Soncinatem, Sotum, Iauellum, & plures alios,* & inter eos afferri poteſt *Sotus in 3. Phyſic. q. 1. concl. 5.* qui adeò firmiter huic adhæret opinioni, vt ab ea nõ diſcederet, etiam ſi Ariſtot. & S. Thomas oppoſitum docerent. Porrò ſi hæc ſententia, & verè peripatetica eſt, & verè Thomiſtica, ex eo non videtur admittenda opinio, quæ intellectionem ſine verbo admittit; quia nititur fundamento nõ peripatetico.

Quid contra prædictos concludendũ ſit.

Actionẽ poni in agente non eſt peripateticũ.

38. Ex alio capite nõ probatur.

Sed nec videtur probabilis ex cap. priori; quatenus docet, intellectionem, vt à verbo diſtinguitur, non eſſe qualitatem, ſed actionem; etiam ſi illis admittamus, actionem eſſe in agente, quod tamen admittendum non eſt: etenim ſi intellectio formaliter ſumpta eſt actio prædicamentalis; neceſſariò infertur, eam dari non poſſe ſine termino à ſe producto: cum verò non terminetur, niſi ad conceptum, ſiue verbum; fieri non poteſt, vt detur intellectio formaliter ſumpta ſine verbo, cõceptiuè per eam producto. Quo fundamento doctiſsimi Theologi contra prædictam ſententiam vtuntur. Quod ex eo corroborant; quia dari actionem ſine termino per eam producto, non ſolùm eſt impoſsibile; ſed etiam verè inintelligibile: ſicut enim implicat dari agens in actu, & nihil agere, id eſt, nullum effectum producere (etenim ex Ariſtotel. in 5. *Metaphyſic. cap. ſecundo,* tex. 2. Cauſa efficiens abſolutè dicitur efficiens in ordine ad id, quod efficitur: vt patet ex illis verbis; *Et ſimpliciter faciens dicitur principium eius, quod factum eſt*: ita etiam implicat dari actionem, & per eam nihil agi: etenim efficiens per actionem efficit id, quod efficit: quia actio ipſa, vel eſt illi ratio cauſandi, ſiue cauſalitas; vel eſt influxus, quo agens actu influit in effectum. Quare ſi verè eſt impoſsibile dari agens in actu, & nihil agere; erit etiã impoſsibile dari actionem, & per eam effectum non produci; cum agens per ipſam actionem ponatur in actu.

Ariſtot.

Quare ſi nulla actio de genere actionis dari poteſt, aut intelligi ſine termino à ſe producto; profectò ſi omnis intellectio formaliter ſumpta eſt actio de genere actionis (vt aduerſarij volunt) nulla intellectio formaliter, aut dari, aut intelligi poteſt ſine termino producto à ſe, qui non eſt alius, quàm verbum. Quod non poſſunt non concedere, qui cum Caietano, Torres, Bergomenſi, & Nauarrete admittunt illud abſolutũ, quod ponunt eſſe actionem in agente, eſſe ipſam agentis actuationem, ipſamque impreſsionem, emanationem, atque productionem effectus, qua ipſum agens ante exiſtens in ſola potentia ad agendum ponitur in actuali agere, ſiue in actualitate agendi. Quis autem dicet, actualitatem ipſam effectus, aut dari aut intelligi poſſe ſine ipſa effectus actuali emanatione ab agente? etenim ipſa actualitas agendi formaliter eſt ipſa agentis actiua cauſalitas: iam verò vbi datur cauſalitas cauſæ nõ poteſt nõ dari aliquid, quod ipſius cauſalitatis ſit cauſatum. Quapropter, ſi apud iſtos, Authores intellectio formaliter ſolũ eſt actio de genere actionis, & manet in intellectu; prout intelligendo eſt agens; vtiq; in ipſo intellectu erit aliquid abſolutum, ipſa nimirũ actualitas ad intelligendum, quæ eſt cauſalitas intellect⁹, vt eſt agens: cauſalitas autẽ ſiue actualitas intelligẽdi dari non poteſt ſine

39. Concluſio argum.

ſine actuali emanatione alicuius ab intellectu, quod non erit aliud, niſi verbum ab intellectu productu. Quare facta ſuppoſitione, quòd intellectio formaliter ſolùm eſt actio de genere actionis, qua intellectus eſt in ipſo actuali agere intellectionis, concludendum eſt nullo modo admitti poſſe intellectionem ſine verbo per eam producto.

Contra eos, qui volunt intellectionem eſſe qualitatem.

40. Quid ſi intellectio eſt qualitas? ¶ Conſequenter agendum eſt cõtra eos, qui docent, intellectionem formaliter ſumptam eſſe qualitatem de genere qualitatis; & ſimul volunt, eam à verbo realiter diſtingui. Quam opinionem plures probauerunt, & eam probauit Ferrarienſis, ſi, quæ ſcribit, inter ſe conferantur: etenim expreſſè docet, actum intelligendi, ſiue intellectionem formaliter eſſe qualitatem de genere qualitatis, ita 2. *contra gẽtes c.9. in fine, & clariùs cap. 82. non longè à fine, §. Quid ſi obijciatur, & latè confirmat 2. de Anima q. 22.* (Ferrar.) Eam realiter diſtinguit à verbo 1. *cont. gent. c.53. ad finem cõmenti, §. Et quanuis aliqui Thomiſtarum*: & tamen putat eſſe probabile, beatos non formare verbum diuinæ eſſentiæ, vt ſcribit *ibidem in 5. concl. §. Ex iſtis ſex deduco, fol. 56. col. 3.* Pro hac opinione plures referunt Torres, & Bañes; ſed pro ea referri non poſſunt; quoniam vterque putat, intellectionem formaliter eſſe actionem de genere actionis: id enim dicit *Torres de Trinitate q.27. art.1. in 1.p. quartæ diſputationis fol. 15. col.2. & ibidem Bañes art. 1. dub. 2. circa ſecundam partem articuli in 3. conclusione*: (Torres, & Bañes non ſũt pro hac ſententia.) vbi etiam putat probabiliter defendi poſſe, intellectionem realiter non diſtingui à verbo. At tamen pro illa ſententia aliquo modo poſſunt citari *Capreolus, & Caietanus*: nam Capreolus in ea

41. Pro ea eſt Capreol. eſt ſententia, vt intellectio formaliter ſit qualitas, vt patet 1. *diſt.35. q.1. art.3. contra primam, fol.237. col.4. ad 3. & 6. & fol. 238. col.1. ad 2. & in 2. diſt.1. q.2. art.3. ad 12. Aureoli fol.19. col.4. & diſt.3. q.2. art. 3. fol.91. col.2. & eſſe de mente D. Thomæ fatetur in 4. diſt.49. q.5. art.3. fol.213. col. 1. in principio*: (D. Thom.) & quamuis expreſſè non doceat, intellectionem realiter diſtingui à verbo; tamen docet, eam non eſſe verbum, ſed ad verbum terminari; vt ſcribit in 1. *diſt.27. q.2. art.1. in fine primæ concluſionis, fol.202. col. 1. in medio*; vnde communiter citatur, quòd intellectio realiter diſtinguat à verbo: & tamen magis inclinat in opinionem, quòd beati non forment verbum, vt patet in 4. vbi ſuprà. Caietanus etiam putat, intellectionem eſſe qualitatem, & verbum eſſe aliud ab ea, vt patet 1. *p. q.79. art.2. §. Quoad ſecũdum non longè à fine, & q.34. art.1. ad 2. in fine commenti, & 1. p. q.27. artic.1. §. Ad quartam dubitationem*; (Pro ea eſt Caiet.) & tamen expreſſè affirmat, beatos non formare verbum diuinæ eſſentiæ, vt patet 1. *p. q.12. art.2. §. Aduerte hic, & q.27. art.1. §. Ad 3. dubiũ*: Sed quidquid ſit de mente Capreoli, & Caietani, dubitari non poteſt, Ferrarienſem affirmare intellectionem eſſe qualitatem realiter diſtinctam à verbo; & hoc non obſtante probabile putat, beatos nõ formare verbum; cuius opinionis veritatem modo expendimus, & inquirimus, an in his terminis hæc opinio poſſit probabiliter defendi.

Ego puto, eam defendi non poſſe, ſi Thomiſtica doctrina ſeruanda ſit. 42. Illa opinio defendi nõ poteſt ſeruata doctrina Thomiſtarum. Et vt in impugnatione eius diſtinctiùs procedamus, illud inter nos debet eſſe conſtitutum in doctrina D. Thomæ non poſſe non admitti verbum ipſa intellectione produci: ita *Capreolus in 1. diſt.27. q.2. ar. 1. concl. 1*: (Capreol.) ita *ſcribens*: *Verbum intellectus noſtri eſt ipſa conceptio, quam intelligens per actum intelligendi producit, & idem ſæpè repetit ibidem art.3. ad omnia argumenta contra primam.* Ita etiam Caietanus 1. *p q.27. art.1. §. Ad 2. dubitationem*, (Caiet.) vbi paulò ante finem affirmat, intellectum non ſolùm intelligendo exprimere conceptum; ſed ipſam intellectionem eſſe productionem ipſius conceptus. Idem docet *Ferrarienſis 1. cont. gent. c.53. §. Aduertendum quòd ſicut*, (Ferrar.) vbi ex D. Thoma notat, intellectum ex forma, quam habet, neceſſariò in intelligendo in ſe ipſo formare conceptionem quandam: iam verò, vt ibidem declarat, conceptio, & verbum pro eodem ſumũtur. Id ipſum multis explicat ad finem commenti, vbi ſoluit argumenta Scoti id impugnantis. *Et lib.4. c.13. §. Conſiderandum ſecundò, fol. 412.* expreſſè ſcribit ex mente D. Thomæ, verbum ab ipſo intelligente per actum intelligendi realiter eſſe

Torres. eſſe productum. Id ipſum ſcribit Torres *de Trinitate q. 27. art. 1. diſp. 4. per totam, maximè in ſecunda parte diſtinctionis aſſertione tertia, fol. 16. col. 3. & in 3. p. fol. 17. col. 2. §. Ad vltimam probationem*, id tanquam notum concedit Bañes. Bañes *1. par. q. 27. art. 1. in 2. p. concluſionis D. Thomæ in principio*, vbi ex D. Thoma deducit ex intellectu, & ex eo, quod intelligit, procedere conceptionem, ſiue verbum, & in 4. concluſione docet, verbum eſſe ſimilitudinẽ formalem productam per actionem in-
43. telligendi. Denique nullus eſt Thomiſtarum, qui hanc doctrinam neget: nam licet inter eos ſit controuerſia, quomodò illa doctrina debeat explicari: omnes tamen abſolutè eam admittunt: & meritò; quia à D. Thoma ſæpiùs traditur: nam 1.
D. Thom. p. q. 27. art. 1. ita ſcribit: *Quicunque intelligit ex hoc ipſo, quòd intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, & dicitur verbum cordis.* Et inferiùs q. 34. art. 1. ad 2. aſſerit, *verbũ eſſe id, quod intellectus cognoſcendo concipit.* In quæſtionibus de potentia q. 8. artic. 1. docet; conceptum, ſiue verbum differre ab actione intellectus; quia conſideratur, vt terminus eius, & vt quaſi conſtitutum per eam: *intellectus enim, vt ait, ſua actione format rei diffinitionem.* Et de veritate q. 4. art. 2. non ſolùm dicit verbum eſſe id, ad quod operatio intellectus terminatur; ſed etiam docet, cõceptionem ipſam eſſe effectum actus intelligendi: & addit conceptionem, ſiue verbum eſſe aliquid expreſſum à notitia mentis, nempe actuali, vt declarat. Denique 1. cõtra gent. c. 53. expreſſè docet, *intellectum ſpecie intelligibili informatum formare verbum, tanquã terminum intelligibilis operationis.* Concludendum eſt igitur in via D. Thomæ, indubitanter admittendum eſſe verbum intellectione produci.

44. Sub qua ratione qualitas iſta ſit productiua verbi.

Hac præmiſſa doctrina, & ſuppoſita ſententia aduerſariorum quòd intellectio formaliter non eſt actio, ſed qualitas de genere qualitatis, expendendum eſt, ſub quanam ratione qualitas iſta eſt productiua verbi? An quatenus eſt intellectio? an ſub aliqua alia ratione? Pro cuius

Vnde intellectio ſit intellectio.

explicatione aduertendum eſt authores, qui volunt intellectionem eſſe formaliter qualitatem, non poſſe non concedere, qualitatem illam, qua intellectus formaliter intelligit, ex eo habere formalem rationem intellectionis, quia eſt apprehenſiua obiecti apprehenſione quadam intentionali: quod latè oſtendimus ſuprà q. 1. art. 2. §. 7. & 8. & lib. 8. in 1. p. q. 1. art. 4. §. 7. n. 45. & in 1. tom. lib. 4. q. 1. art. 2. n. 30. in quibus locis oſtendimus, hanc doctrinam expreſſè colligi *ex Ariſtotel. 12. Metaphy. c. 7. tex. 39. & ex Commentatore ibidem: imò ex D. Thoma in eodem loco, & de malo q. 16. art. 12. & in 1. diſt. 3. q. 4. art. 5. & 1. p. q. 44. art. 1. ad 3. quem in hoc ſequuntur Capreol. Soncinas, Hiſpalenſis, & alij, qui volunt*, intellectionem formaliter eſſe qualitatem. Ariſt. Comment. D. Thom.

45. Si vt apprehenſiua obiecti: omnis eſt productiua verbi.

Iam igitur inquiro ab aduerſarijs, an qualitas, quæ eſt formalis intellectio, ſit productiua verbi, quatenus eſt apprehenſiua obiecti? an ſub alia ratione? Si dicant eſſe productiuam verbi, vt formaliter eſt obiecti apprehenſiua, non poſſunt non admittere, in omni intellectione formari verbum: nam ſi intellectio, vt eſt obiecti apprehenſiua ex ſua ratione eſt productiua verbi; cum omnis intellectio ex ſua ratione ſit talis; omnis erit verbi productiua. Porrò ſi exiſtimas, qualitatem illã non habere, quòd ſit productiua verbi ex eo, quòd eſt apprehenſiua obiecti, & quatenùs eſt intelligẽtia, qua intellectus formaliter intelligit (etenim priùs natura eſt verbum produci per intellectionẽ, quàm intellectum intelligere, vt aduertit *Torres de Trinit. q. 27. art. 1. diſp. 5. in 1. p. notab. 2. fol. 18. col. 2. cum alijs*; quorum opinio & philoſophica eſt, & de mente *D. Thomæ 1. p. q. 34. art. 1. ad 3.* quatenus ait, intellectionem, vt importat habitudinem ad rem intellectam, nullam dicere rationem originis; quia licet ſignificetur per modũ actionis; verè tamen non eſt actio, niſi ſolùm grammaticaliter, vt ex Diuo Thoma & alijs oſtendimus ſuprà q. 1. ar. 2. n. 40. & 41. ſi (inquam) exiſtimas, qualitatem, quæ eſt intellectio, non eſſe productiuam verbi, vt eſt apprehenſiua obiecti; iam inquiram ſub quanam ratione verbum producat?

Apud iſtos prius natura producitur verbũ, quam detur intellectio. Torres. D. Thom.

Sub qua ratione eſt productiua verbi?

46. Non recipitur quorundã opinio.

Quidam reſpondent, verbum produci quidem per ipſam rem, quæ eſt intellectio; non tamen, vt eſt intellectio: quæ reſponſio colligitur ex *Torres vbi ſuprà, §. Ex quo infertur.* Sed vellem ſcire, ſub

qua nam

quanam ratione res illa, quæ eſt intellectio, vnde habetur, quod ſit verbi productiua? quod erat explicandum. Vidi nonnullos ita rem explicare, vt entitas illa, ſiue qualitas, quæ eſt intellectio, duobus modis poſſit accipi: vno modo; vt eſt actio, qua conceptus producitur; altero modo; pro vt eſt notitia, qua obiectum apprehenditur. Primo modo res illa non eſt de genere qualitatis; ſecundo modo verè eſt qualitas: Sub priori conſideratione eſt productiua verbi: non tamen ſub poſteriori. Sed hæc explicatio multis de cauſis eſt reijcienda. Primum; quia ex ea neceſſariò infertur, per omnem intellectionē produci verbum: etenim ſi omnis intellectio eſt actio, & implicet dari actionem ſine termino producto, vt iam oſtendimus; vtique per omnem rem, quæ eſt intellectio, producitur verbum: cuius oppoſitum docent aduerſarij.

1. ratio cur rejiciatur.

47. 2. ratio.

Deinde ex eo reijcitur; quia non loquitur in terminis propoſitæ difficultatis: ſupponimus enim intellectionem eſſe qualitatem: & in hoc ſenſu inquirimùs; an per omnem intellectionem producatur verbum; quo ſuppoſito, nullus datur locus allatæ ſolutioni: quoniam res, quæ eſt qualitas, poteſt fieri per actionem: poteſt etiam eſſe forma actiua alicuius effectus per actionem à ſe elicitam: at quòd ipſa formaliter ſit actio de genere actionis; fieri nullo modo poteſt. Vnde qualitas, quæ eſt intellectio, producitur per veram actionē: poteſt etiā eſſe forma actiua alicuius: quia per actus intelligendi ſæpè producuntur habitus: dici tamen nullo modo poteſt, quod ſit formaliter actio. Quare cum per intellectionem intellectus producat verbū, vt habet Thomiſtarum doctrina ſuperiùs explicata; vtique ſi intellectio eſt vera qualitas; intellectus per eam producit verbum, non vt per actionem, ſed vt per formam, quæ eſt principium producendi.

Qualitas q eſt intellectio poteſt eſſe forma actiua; non tamen poteſt eſſe actio.

48. Et in hoc ſenſu adhuc datur locus difficultati: vtrùm intellectus per omnem intellectionem producat verbum? Aduerſarij negant; quia per intellectionem intuitiuam, in qua obiectum eſt realiter præſens, verbū non producitur. Alij oppoſitum docent; putantque de intrinſeca ratione intellectionis eſſe, quod ſit productiua ſui termini; inter quos citari poteſt Torres in d. q. 27. art. 1. diſp. 5. dub. 4. in fine.

Vtrum per omnem intellectionē producatur verbum? 1. opinio negat. 2. affirmat.

49. Ego puto, hanc opinionem in via Thomiſtica neceſſariò eſſe tenendam; primò; quia D. Thomas in locis citatis generaliter docet, *omnem intellectum, eo ipſo, quòd intelligit, formare verbum*. Reſpondent Ferrarienſis, & Torres, D. Thomam ſolùm agere de cognitione naturali. Sed quàm hoc longè ſit à mente D. Thomæ, ex eo colliges; quia in illo ſenſu propoſitio ſumpta à D. Thoma nihil ad illius inſtitutum conduceret.

Opinio authoris. 1. ratio.

50. Deinde; quia in via Thomiſtica non poteſt dari intellectio, niſi res, quæ eſt intelligenda, fiat præſens intellectui præſentia obiectiua in ratione termini. Iam verò in via Thomiſtarum nulla res poteſt ita fieri præſens intellectui, niſi per conceptum, ſiue verbum. Ergo in via D. Thomæ in omni intellectione datur verbum, ad quod intellectio terminetur. Maior eſt nota: minor probatur; quia in via Thomiſtarum res intelligenda non poteſt fieri obiectiuè præſens ſub ratione termini per ſpeciem intelligibilem, vt expreſſè docet *D. Thomas de potentia q. 8. art. 1. & q. 9. art. 5. & 1. contra gent. c. 53. & ſatis inſinuat 1. p. q. 14. quam doctrinam conſtanter ſequuntur Capreol. Caietanus Ferrarienſis, Torres, & Bañes in locis citatis lib. 8. in 1. p. q. 4. art. 8. §. 2. n. 5. vbi etiam pro illa citauimus Suarium, Bellomontanum, Conimbricēſes, & Scotiſtas, vno excepto Rada.*

2. ratio.

D. Thom. Capreol. Caiet. Ferrar. Torres. Bañes.

51. Sed nec fieri poteſt præſens per modum termini per ſe ipſam, prout intellectui eſt præſens præſentia reali, quæ eſt per indiſtantiam ſitualem: etenim in via Thomiſtarū realis præſentia obiecti per realem indiſtantiam ab intellectu, non ſatis eſt, vt res, quantumcunque ſit immaterialis, fiat actu intelligibilis intelligibilitate obiectiua; ſed indiget, vt per aliquā formam intelligibilem fiat intellectui obiectiuè præſens, vt cum communi Philoſophia oſtendimus lib. 6. q. 1. art. 4. §. 6. in 3. demonſtrat. n. 61. & 1. tom. lib. 4. q. 1. art. 2. §. 6. n. 57. vbi diximus, Deum intimè quidem vniri cum anima, & intellectu beati vnione generali ſecundum eſſentiam, præſentiam, & potentiam, hanc tamen vnionem non eſſe ſatis, vt dicatur vnitus intellectui in eſſe intelligibili, aut vnione formali, aut obiectiua, ſiue terminatiua;

natiua; quin potiùs, poſita hac præſentia reali, poteſt diuina eſſentia eſſe abſens præſentia intelligibili, vt expreſsis verbis docuit *D. Thomas in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. & de Verit. q. 10. art. 11. ad 11. & idē dixerat ibidem q. 8. art. 3. ad 19. in quo etiam conſentit Scotus in 4. diſt. 49. q. 11. litera F. §. Præterea viſio, & in 1. diſt. 3. q. 6. Z. & q. 7. V. quorum verba formalia ſcripſimus ſuprà lib. 7. q. 2. art. vnico, §. 4. n. 14.* Quare ex doctrina D. Thomę ab omnibus Thomiſtis probata, non ſatis eſt, vt res, etiam immaterialis, fiat obiectiuè intelligibilis, quòd ſecundum ſuam realem præſentiā rêaliter, & ſitualiter ſit indiſtans ab intellectu; ſed opus eſt, vt per aliquam formā intelligibilem vniatur intellectui, & eidem repræſentetur. Quare cum non poſſit vniri intellectui præſentia obiectiua per modum termini per ſpeciem impreſſam, quæ eſt intelligibilis; neceſſe eſt, quod vniatur per ſpeciem expreſſam, quæ eſt verbum.

D. Thom. Scotus.

52. Solutio ad argum. Huic argumento poterit quis reſpondere, Philoſophiam explicatam eſſe veriſsimam in intellectione rei creatæ; non tamen in intellectione diuinæ eſſentiæ. Rationem diſcriminis inde ſumet; quoniam obiectum creatum, quantumcunq; ſit immateriale, & actu intelligibile intelligibilitate, quæ carentiam materiæ conſequitur, ex ſe non poteſt per ſeipſum fieri obiectiuè præſens; quia per ſe ipſum non poteſt ſubire rationem formæ intelligibilis, aut impreſſæ, qualis eſt ſpecies; aut expreſſæ, quale eſt verbum, vt in via Thomiſtarum ſupponimus, tanquam indubitatum, cum id doceat *D. Thomas 3. cont. gent. c. 51.* Iam verò diuina eſſentia ſe ipſa poteſt ſubire vicem formæ intelligibilis, tàm impreſſæ, quàm expreſſæ. Quòd ſubire poſsit vicem ſpeciei impreſſæ, indubitatum eſt inter Thomiſtas, vt oſtendimus *lib. 8. in 2. p. q. 4. art. 1. vbi §. 4. monſtrauimus, D. Thomam ita docuiſſe.* Cur igitur non poterit ſe ipſa ſubire vicem ſpeciei expreſſæ, ſiue verbi, vt ſe ipſa intelligibiliter terminet viſionem ſui?

D. Thom.

53. Hoc fundamento aduerſariorum opinio non poteſt non eſſe probabilis; quia non facilè aſsignari poteſt ratio diſcriminis, cur diuina eſſentia ſubire poſsit vicem ſpeciei intelligibilis; non verò verbi: vnde priori admiſſo, difficile admodum erit non admittere poſterius. 54.

Reſponſio tamen iſta vim non habet, Non recipitur ſolutio. ſi negemus, diuinam eſſentiam ſubire poſſe vicem ſpeciei intelligibilis: quam opinionem eſſe veriſsimam latè oſtendimus in d. lib. 8. in 2. p. q. 4. cum ſequentibus. Quæ opinio ſatis confirmat Philoſophiā 1. ratio. ſuperiùs traditam: nam ſi diuina eſſentia non poteſt ſubire vicem ſpeciei intelligibilis; vtique nec ſubire poterit vicem verbi, & per conſequens nec poterit ſine verbo viſionem terminare.

Addimus tamen, diuinam eſſentiam 55. 2. ratio. ſubire non poſſe vicem verbi, etiamſi admittamus eam vicem ſpeciei ſubire. Rationem diſcriminis ex eo ſumimus; quoniam diuina eſſentia ideò poteſt ſubire vicem formæ intelligibilis, quia eſt prima veritas, & prima intelligibilitas, vt docet *D. Thomas 3. cont. gent. c. 51. & 1. p. q. 12. art. 2. quem in hoc probant omnes Thomiſtæ, ſcil. Ferrarienſis, Sotus, Bañes, Cumel. Cabrera, & Nauarrete, vt diximus in d. 2. p. libri octaui q. 4. §. 4. n. 20.* Et inde habet, quod eminenter contineat omnem intelligibilitatem obiecti intelligibilis, quę ex ſe dicit perfectionem ſimpliciter. Hanc autem dicit intelligibilitas ſpeciei intelligibilis, quia ex ſua natura eſt actus intelligibilis, quo intellectus fit ipſum obiectum in genere intelligibili, & in eodem genere fit in actu primo ad eliciendam intellectionem obiecti, & eodem modo intelligibilitas obiecti dicit perfectionem; quia conſtituit ipſum obiectum in actu primo ad obiectiuè mouendum intellectum, & vt poſsit cum intellectu actiuè concurrere ad actum intelligendi. Iam verò intelligibilitas verbi ex ſe nullam includit perfectionem in genere intelligibili; quia ſolum conſtituit obiectum in eſſe intelligibilis per modum termini; intelligibilitas autem termini, cum nullam includat efficientiam reſpectu intellectionis, vt omnes admittunt, nullam dicit perfectionem ſimpliciter: etenim ſolùm dicit paſsiuam quandam intelligibilitatē, vt diximus lib. 8. 1. p. q. 4. art. 9. §. 1. n. 2: hæc autem intelligibilitas paſsiua nullam denotat perfectionem in genere intelligibili. Ex quo infertur, eam eminenter non contineri in prima intelligibilitate eſſentiæ diuinæ. Quare cum diuina eſſentia rationem formæ intelligibilis ſubire non

Doctrina Thomiſtarum.

Intelligibilitas ſpeciei dicit perfectionem.

56. *Nullam tamen dicit intelligibilitas verbi.*

Intelligibilitas verbi non continetur in prima intelligibilitate.

non poſsit, niſi illius, quæ eminenter cõtinetur in ſua prima intelligibilitate; benè infertur, eam non poſſe ſubire vicem verbi. Cum verò intelligi non poſsit, niſi in aliqua forma .intelligibili intellectui obijciatur ſub ratione termini; nec poſsit ita obijci in ſe ipſa, prout ſubit vicem ſpeciei intelligibilis, ſi vera eſt Thomiſtarũ doctrina; non poteſt intellectus non formare verbum diuinæ eſſentię, in quo ipſa intelligibilitas repræſentetur ſub ratione obiecti terminantis ſui viſionem.

Reſolutio totius diſcurſus.

57. Reſolutio totius diſcurſus.

¶ In §.3. huius articuli n.12. hanc ſtatuimus concluſionem: *Beati videndo Deum neceſſariò formant verbum diuinæ eſſentiæ.* Illius cõfirmationem ex eo ſumpſimus, quòd illa eſt veriſsima apud omnes opiniones, quas & de natura verbi, & de eius diſtinctione ab intellectione recitauimus ſuprâ §.2.n.4. cum ſequentibus: & ideò in hoc §.3. per omnes opiniones diſcurrimus, & in omnibus oſtendimus, concluſionem iſtam eſſe veriſsimã. Sed quoniam in hoc latè ſpatiati ſumus, operæpretium erit ex omnibus, quæ diximus ad modum epilogi hanc rationem conficere.

Reſolutio generalis.

Nam ſi verbum realiter, & formaliter idem eſt, quod intellectio; ita vt nullo modo ex natura rei ab ea diſtinguatur (quæ eſt ſecunda opinio adducta §.2.n.8.) negari non poteſt, beatos formare verbum diuinæ eſſentiæ: nam cum producant viſionem claram, & intuitiuam illius, & viſio eſſentialiter ſit intellectio, qua beatus Deum formaliter intelligit; euidenter conuincitur, beatos formare verbum eſſentiæ diuinæ. Sicut enim omne verbum re, & ratione eſt intellectio; ita etiam omnis intellectio re, & ratione eſt verbum: quod latê oſtendimus ſuprà n.13. vſque ad n.18. vbi non recepimus opinionem Scoti, qui admittens verbũ, & intellectionem realiter, & formaliter eſſe idem, negat omnem intellectionem eſſe verbum: cuius fundamentum latè impugnauimus; cum quo tamen ſtat, vt intellectio dicatur intellectio, quatenus eſt apprehẽſiua obiecti; verbum autem, quatenus illud apprehendit ad illud vel ſibi, vel alteri veluti loquendo manifeſtandũ, vt diximus ſuprà n.21. quod non impedit, quominus omnis intellectio ſit verbum, cum omne intelligens aut ſibi, aut alteri intelligat.

Conuincitur ſi vera eſt 2. opin. verbi.

Idem dicendum eſt, ſi iuxta quartam opinionem (de qua §.2.n.10.) verbum, & intellectio penes hoc ſolùm diſtinguantur; quia vna, & eadem res, & entitas, vt eſt ab intellectu ſit verbum; vt verò in intellectu recipitur, ſit intellectio, quæ fuit opinio Fonſecæ: etenim, poſita hac opinione, neceſſariò infertur, nec dari poſſe intellectionem ſine verbo; nec verbum ſine intellectione: nam cum intellectio ſit quædam qualitas creata, ſicut non poteſt non eſſe ab intellectu producta, ita non poteſt non eſſe producta à verbo: in hac enim opinione habere verbum non eſt aliud, quàm producere notitiã. Quare ſicut beati videndo Deum non poſſunt non producere qualitatem, quæ eſt viſio; ita non poſſunt non habere verbum, quo illam qualitatem, & intellectionem dicant. An hæc opinio Fonſecæ ſit vera? alterius eſt quæſtionis: modò illud obtinemus, ea admiſſa, non poſſe non admitti omne intelligens creatum habere verbũ, dùm intelligit. 58. Conuincitur ex 4. opinione.

Si tertia opinio admittatur (de qua §.2.n.9.) quæ verbum ab intellectione realiter non diſtinguit, ſed ſolùm ex natura rei, & formaliter; neceſſariò debet admitti beatos formare verbum diuinæ eſſentiæ: etenim ſi intellectio, vt formaliter eſt intellectio, eſt actio de genere actionis (vt plerique illius opinionis putant) neceſſariô infertur, non ſolum beatum, ſed etiam omne intelligens intelligendo formare verbum, ſiue conceptum rei, quam intelligit: etenim non poteſt dari actio de genere actionis, ſine termino per eam producto, vt oſtendimus ſuprà n.29. cũ ſequentibus. Si verò intellectio formaliter non eſt actio, ſed qualitas de genere qualitatis; cum ex ſua natura ſit notitia apprehenſiua obiecti, quod intelligitur; dari non poteſt, niſi habeat ipſum obiectum ſibi præſentatum ſub ratione termini, ad quem terminetur: iam verò obiectum non poteſt ſub ratione termini obiectiuè præſentari intellectui, niſi per verbum, vt ſtatim oſtendemus. Ex quo infertur, omne intelligens, intelligendo formare verbum; & per conſequens beatum non poſſe videre diuinam eſſentiam, niſi formet illius verbum. 59. Conuincitur ex tertia opinione.

Sed

60. Conuincitur ex 1. opinione. Sed nec poteſt non formarẽ verbum illius, ſi admittatur prima opinio (de qua §. 2. n. 7.) quæ verbum realiter diſtinguit ab intelllectione. Quod facilè oſtendemus, ſi duplicem opinionem apud iſtos authores diſtinguamus: quidam enim volunt, intellectionem formaliter eſſe actionem de genere actionis: alij docent, eam eſſe qualitatem de genere qualitatis. Si intellectio formaliter eſt actio; neceſſariò conuincitur omne intelligens intelligendo formare verbum; & per conſequens beatum videndo diuinam eſſentiam verbum illius formare: etenim ſi intellectio ex ſe eſt actio de genere actionis, non poteſt dari ſine cõceptu à ſe producto; quia nulla actio dari poteſt ſine productione alicuius termini, vt oſtendimus num. 38. Porrò ſi intellectio formaliter eſt qualitas (vt concedunt plures ex aduerſarijs citati n. 20. & 21.) cũ ex ſua natura ſit apprehenſiua obiecti, quod intelligitur; ex ſua natura poſtulat habere obiectum intelligibiliter ſibi præſens per modum termini præſentia obiectiua: nec enim dari poteſt intellectio, niſi in intellectu detur terminus; ad quem illa terminetur. Cum verò ad hoc non ſatis ſit præſentia realis per indiſtantiam ſitualem; ſed neceſſaria ſit aliqua forma intelligibilis, in qua fiat obiectiuè præſens, vt oſtendimus nu. 30. & 31: & apud Thomiſtas non ita præſentetur in ſpecie intelligibili, vt diximus n. 29: nec diuina eſſentia poſſit ſubire rationem verbi, vt aduertimus n. 34. neceſſariò infertur dandum eſſe verbum à beatis productum, in quo diuina eſſentia intellectui repræſentetur per modum termini, ad quem terminetur viſio.

§. 4.

Explicantur nonnulla, quæ ad verbum diuinæ eſſentiæ pertinent.

61. Varia dubia. DE verbo à beatis formato nonnulla inquiri ſolent. Primum eſt; an hoc verbum diuinæ eſſentiæ ſit etiam verbum attributorum, & creaturarum? an verò attributa, & creaturæ per verba diſtincta videantur? Secundum eſt; an hoc verbum ſit adæquatum viſioni beatæ? Tertium; an beati in ipſa politia matutina de attributis, & creaturis poſſint plura verba formare? Quartum denique, ſuppoſito, quòd beatus non poteſt forma[illegible] poſſit illud formare, de attributis, & creaturis in eſſentia viſis?

¶ Quod attinet ad primum: ſupponimus cum Thomiſtis verbum diſtingui ab intellectione, vt terminum ad quem intellectio terminatur, & in hoc ſenſu à Thomiſtis excitatur. In hoc igitur ſenſu explicata quæſtione: *Cumelius, & Bañes referunt Capreolum in 1. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad 8. 2. loco contra primam fol. 206. col. 2.* aſſerentem viſionem beatam terminari ad vnicum verbum ipſius eſſentiæ; ad plura verò de attributis, & creaturis: idem de Capreolo refert Nauarrete 1. tom. controu. 34. §. 5. in principio; qui omnes in hoc Capreolum non recipiunt. At tamen mentem illius non perceperunt: quoniã ille in citato loco ſolùm dicit, quòd viſio beata actu terminatur ad vnicum verbũ obiecti beatifici; habitualiter verò ad plura verba, attributorum. ſ. & creaturarum. Quare non dicit, beatos videntes diuinã eſſentiam formare vnum verbum eſſentiæ, & plura attributorum, atque creaturarum: ſed quòd viſio, quę actu terminatur ad vnicum verbum eſſentiæ, & ex cõſequenti attributorum, & creaturarum in eſſentia: habitualiter potens eſt terminari ad plura verba, attributorum, & creaturarum: in hoc ſenſu, quia beatus ex viſione eſſentiæ diuinæ (non tamen per ipſam viſionem diuinæ eſſentiæ) poteſt formare plura verba de attributis, & creaturis. 62. Ad 1. dubiũ

63. Reſoluitur dubium. Sed ſiue hæc ſit mens Capreoli, ſiue alia: quod attinet ad id, quod inquirimus, hanc concluſionem ſtatuimus, quæ ordine ſit ſecunda: *Illud verbum, quod de diuina eſſentia beati formant, ſimul eſt verbum eſſentiæ, attributorum, & creaturarum, quæ videntur in eſſentia.* Hæc concluſio ſatis eſt de mente Cumelij, Bañes, & Nauarrete, ſi benè expendatur ratio, qua Capreolum impugnant. Probatur autem; quoniam ſicut diuina eſſentia, prout apud Thomiſtas ſubit vicem ſpeciei, habitualiter repræſentat non ſolùm eſſentiam, ſed etiam attributa, quæ ſimul cùm eſſentia videntur, & creaturas, quæ videntur in ea; ita verbum terminatiuè repræſentat eſſentiam, attributa, & creaturas: etenim verbum ea omnia repræſentat termina- 2. cõcluſio. 1. ratio.

minatiuè, quæ repræſentat ſpecies intelligi[illegible] eſt proles ad eius ſimilitudinem efformata.

64. 2. ratio. Accedit; quoniam vna, & eadem eſt viſio, quę terminatur ad eſſentiam, attributa, & creaturas: imò ita eſt vna, vt & re, & ratione ſit vna, quæ immediatè terminatur ad eſſentiam, & mediante eſſentia ad attributa, & creaturas, vt diximus q. 6. ar. 6. § 2. Ergo verbum ipſum, quod terminatiuè repræſentat eſſentiam, attributa, & creaturas, eſt vnum non ſolum re, ſed etiam ratione; quamuis immediatè & primariò ſit terminus eſſentiæ; mediatè verò attributorum, & creaturarum, quatenus & attributa, & creaturas repræſentat in ipſa eſſentia primario, & immediatè repræſentata. Quare ſicut diuina eſſentia ſubiens vicem ſpeciei, ideò quia ſe ipſam immediatè & primariò repræſentat, eſt ratio repræſentationis attributorum, & creaturarum in ipſa eſſentia; ita etiā verbum, ideò quia ipſam eſſentiam repræſentat vt terminum primarium, & immediatum, eſt ratio, cur repræſentet attributa, & creaturas, vt terminum mediatū, & ſecundarium, de cuius natura eſt non terminare viſionem, niſi in termino primario, & immediato: quod diligenter eſt aduertendum.

65. Ad 2. dub. ¶ Quod attinet ad ſecundum caput, illud etiam aduertimus in hac quæſt. ſupponi verbū eſſe terminū intellectionis; in hoc enim ſenſu datur locus quæſtioni: nullus tamen illi daretur locus, ſi verbū & intellectio idem eſſent. Hoc igitur ſuppoſito, nōnulli putant, beatum formare nō poſſe verbum adæquatum viſioni, qua Deū videt. Ita *Caiet. 1. p. q. 27. art. 1. §. Ad tertiū*
Caiet. *dubium; cum eo conſentit Cumelius ibidem in*
Cumelius. *dubio; an beati forment verbum, concluſione 3. pag. 752. col. 1. vbi pro hac ſententia citat Capreolum in 4. diſtinct. 49. quæſt. 5. art. 3.* aſſerentem hanc ſententiam eſſe communem. Fundamentum Caietani eſt; quoniam beatus plus videt, quàm dicere poſſit quocumque creato verbo. Addit Cumelius; quoniam beati ſua viſione vident Deum, ſicuti eſt, in ſe ipſo: imò, vt alij addunt, ipſa viſione vident totum Deum, atq; quidditatiuè: iam verò nullū verbum dari poteſt, quod repræſentet Deū quidditatiuè, & ſicuti eſt in ſe ipſo.

66. Ego tertiam ſubijcio concluſionem huic opinioni oppoſitam: *Beatus non ſolùm poteſt, ſed de facto format verbum diuinæ eſſentiæ adæquatum viſioni, qua eam videt.* 3. concl. Hæc concluſio negari non poteſt, ſi Probatur ſemel ſupponatur, beatum formare ver- concl. bum diuinæ eſſentiæ: vnde, qui eam negant, ideò eam negant, quia negant, beatum formare verbum eſſentiæ diuinæ: in hòc enim ſenſu eam negauit Caietanus, dùm aſſerit, beatum poſſe formare verbū partiale; non tamen adæquatum viſioni: quia licet non poſſit formare verbum diuinæ eſſentiæ; poteſt tamen formare aliquod verbum alicuius attributi, aut creaturę, quam videt in eſſentia. Et in eodem ſenſu propoſitam concluſionem negat *Cumelius*: nam *in 1. & 2. concl.* admittit, beatum poſſe formare verbum alicuius attributi, & alicuius rei, quæ in Deo eminenter continetur: vnde ideò negat dari poſſe verbum adæquatum viſioni; quia negat dari poſſe verbum diuinæ eſſentiæ; vt eſt in ſe ipſa. Quare nec Capreolus noſtræ concluſioni contradicit, nec in loco citato agit de ea; quia ſolùm ait, communem ſententiam docere, beatum non formare verbum diuinæ eſſentiæ: imò *in 1. diſt. 27. loco citato* pro nobis videtur ſtare, dùm aſſerit viſionē beatam actu quidē terminari ad vnicum verbum: habitualiter tamen poſſe terminari ad plura; quibus ſatis declarat, beatū actu habere vnicum verbum ad diuinam eſſentiam, & ad attributa, atque creaturas terminatum: poſſe tamen de illis plura verba formare; quia vt dicemus in 3. dubio poteſt formare vnum conceptum diuinæ eſſentiæ, vt diſtinguitur ab attributis; alium verò de vno attributo, & alium de alio.

67. Confirmatur ratione. Ratione oſtenditur concluſio: quoniā ſeruatis veræ Pphiloſophiæ principijs, fieri nō poteſt, vt verbū viſioni nō adæquetur: etenim intellectus fœcundus per ſpeciē ideo verbū exprimit, vt ſua intellectione attingat, & pcipiat totū id, quod repręſentatur per ſpeciē, qua fœcūdatur, & qua ad intellectionē actiuè concurrit: ergo intellectio ad nihil terminari poteſt, niſi illud per verbū ſibi terminatiuè præſentetur: nam ob hanc cauſam verbū dicitur proles intellectus fœcundi; quia exprimit, & terminatiuè repræſentat totū id, à quo generatur, & exprimitur.

68. Vnde negandum eſt Caietano, beatum

tum plus videre, quàm verbo creato poteſt dicere: id enim falſum eſt, ſi ſupponamus beatum formare verbum eſſentiæ diuinæ, vt ipſa in ſe eſt, & ſecundum totam ſuam quidditatem; quamuis non poſsit formare verbum, quod diuinam quidditatem totaliter exprimat: vide, quæ de ſpecie intelligibili diximus ſuprà libr. 8. in 2. p. q. 2. & 3. vbi oſtendimus, non repugnare dari ſimilitudinem creatam, quæ diſtinctè, & quidditatiuè repræſentet diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt; non quidem infinitè, & adæquatè, ſed inadæquatè, & finitè: vnde plures Thomiſtarũ admittunt, de facto dari ſpeciem expreſſam, ſiue verbum diuinæ eſſentiæ, quos adduximus ſuprà § 1. & in d. libr. 8. vbi ſupra quæſt. 2. art. 2. § 4. nu. 16. vbi pro hac ſententia citauimus Ferrarienſem, Sylueſtrum, Sotum, Torres, Velloſillũ, & Nauarrete.

Ad fundamentum Caietani.

69. ¶ Tertium dubium eſt, vtrùm beati in ipſa politia matutina intra ipſum Deũ præter verbum viſioni adæquatũ, quod formant, poſsint formare plura verba partialia, & inadæquata, tùm eſſentiæ, tùm attributorum: tùm creaturarũ, quas in eſſentia vident? Pro reſolutione ſtatuimus quartam concluſionem: *Beatus vnicum tantùm verbum habere poteſt ſuæ viſioni adæquatum: ex ipſa tamen viſione poteſt plura verba formare partialia, tùm eſſentiæ, vt diſtinguitur ab attributis; tum ipſorum attributorum; tùm denique creaturarum in eſſentia: idque in ipſa politia matutina, & intra ipſum Deum.* Hæc concluſio euidenter demonſtratur ex ijs, quæ diximus ſuprà art. 1. & 2. huius quæſtionis, vbi oſtendimus, D. Thomam hanc concluſionem admiſiſſe *in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. §. Quantum verò ad quartum, & opuſculo 63. c. 5. & 6. citauimus etiam Capreol. in 1. diſt. 8. q. 4. art. 3. ad 7. eorum, quæ vltimo loco adducuntur fol. 131. col. 1. poſt principium, & diſt. 27. quæſt. 2. art. 3. ad 8. Durandi fol. 206. col. 2.* & mihi ſatis id probat *Caietanus 1. p. quæſt. 27. artic. 1. §. Ad tertium dubium*, dum ait, beatum poſſe formare verbum partiale diuinæ eſſentiæ, id eſt verbum, quod non adæquet omnia, quæ in Verbo videt: ſatis id probat *Cumelius 1. p. q. 27. artic. 1. in dub. an beatus formet verbum? concluſione 1. & 2. pag. 751. col. 2. ad finem. & 752. col. 1. in principio.*

Ad 3. dub.

4. concluſ.

D. Thom.

Capreol.

Caietanus.

Cumelius.

Et quoniam de hac quæſtione ſatis ſufficienter diximus ſuprà artic. 1. & 2. huius quæſtionis vbi diſſoluimus, quæ in contrarium adduci poterant; ideo de hac quæſtione plura non dicimus: aduertimus tamen hæc partialia verba, quæ de attributis, & creaturis in beatis admittimus, nõ eſſe verba, ad quæ viſio beata terminetur (hæc enim ſolùm terminari poteſt ad verbũ ſibi adæquatum) ſed eſſe verba, quæ beatus format ex ijs, quæ per viſionem videt, per diuerſos intelligendi actus formata; quod ſatis explicauimus ſuprà artic. 1. huius quæſtionis, & diximus *in 1. tomo lib. 4. quæſt. 9. artic. 5. §. 1. concluſione 2. nu. 13. & lib. 5. q. 6. artic. 9. §. 2. n. 9. & 11. & quæſt. 12. ar. 6. §. 2. nu. 7.* & ſatis mihi id ſignificat *D. Thomas in 1. diſt. 2. vbi ſupra, dum ait, videntem Deum poſſe de Deo viſo, mediante conceptione, quã de Deo habet, plures conceptiones formare.* Quibus ſignificat, beatum de his, quæ in Deo diſtincta videt, diſtinctione ſaltem virtuali, poſſe elicere plures intellectiones inadæquatas toti viſioni; & illa diſtinguendo poſſe formare plures conceptiones, & plura eorum verba: etenim ex Diuo Chryſoſtomo, quem refert, *Angeli laudant Deum: quidam, vt maieſtatem; quidam, vt bonitatem; & ſic de alijs:* Et hæc de iſta quæſtione ſatis ſint.

70. Supra eſt abſoluta hæc q.

D. Thom.

Chryſoſt.

¶ Quartum & vltimum dubium inquirit; vtrum apud eos, qui negant, beatum poſſe formare verbum diuinæ eſſentiæ, admitti poſsit, eum poſſe verbum formare, tùm de attributis, tùm de creaturis in eſſentia viſis? eſt enim inter illius opinionis authores nonnulla controuerſia. Affirmat *Caietanus 1. parte. quæſt. 27. art. 1. §. Ad tertium dubium*, vbi docet, beatum non poſſe formare verbum eſſentię, quod etiam docuerat *1. parte q. 12. art. 2. §. Aduerte hic*: & tamen docet, eum poſſe formare verbum partiale. In eadem etiã ſententia eſt *Cumelius 1. parte quæſt. 27. art. 1.* in dubio, vtrùm beatus formet verbum eſſentiæ, vbi in tertia concluſione id negat; & tamen in 1. & 2. concluſione admittit, illum formare poſſe verbum tùm eorum, quæ eminenter ſunt in Deo; nimirũ creaturarũ; tum etiã attributorũ. Ad eandem ſententiam referri poteſt *Capreolus*: *nam in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. docet*, communem opinionem negare, beatum forma-

71. Ad 4. dub.

Caiet.

Cumelius.

Capreol.

formare verbum; & tamen *in 1. diſt. 27. q.2. art.2. ad 8. Secundo loco contra primam, fol.206.col.2.* affirmat, beatum poſſe plura, & pauciora verba formare de attributis, & creaturis.

72. Oppoſita ſentẽtia placet Nauar. Oppoſitam tamen ſententiam, facta præcitata ſuppoſitione, probat *Nauarrete 1.tom.controu.34.§.5.fol.212.col.4. in principio*; idque tùm in attributis, tùm in creaturis. Quòd, ſuppoſita illa opinione
1.ratio. beatus non poſsit formare verbum de aliquo attributo, ex eo probat; quia attributa videntur à beatis ex vi eiuſdem viſionis, qua videtur diuina eſſentia. Ergo ſi in illa viſione non formatur verbum, nec formabitur in iſta: nam cum eſſentia diuina, & attributa cognoſcantur ſimul ex vi viſionis, qua eſſentia cognoſcitur; impoſsibile eſt, quod ſi intellectus non format verbum eſſentiæ, illud formet de ali-
2.ratio. quo attributo. Quòd verò nec poſsit formare verbum alicuius creaturæ, ſi illud nõ format diuinæ eſſentiæ, ex eo probat in concl.4. quoniam eodem principio, & eadẽ ratione formali, qua Deus cognoſcit creaturas, beatus cognoſcit eas: ſed Deus creaturas cognoſcit vnico conceptu, ſcil. ſua eſſentia. Ergo eſſentia in ratione conceptus vnitur intellectui beati ad repræſentationem creaturarum. Deinde; vnica eſſentia diuina habet rationem plurium idearum, quæ diuerſificantur, non ex parte eſſentiæ, ſed ex parte rerum repræſentatarum. Ergo optimè ſtat, quòd eadem eſſentia ſub perfectiſsima vnitate vniatur intellectui beati ad repræſentandum plures creaturas.

73. Nauarrete non percepit ſenſum difficultatis. Sed bonus iſte Theologus ſenſum quæſtionis nõ percepit: nec enim inquirimꝰ, vtrùm facta ſuppoſitione, quòd beatus non format verbũ eſſentiæ, ad quod viſio beata terminetur; poſsit formare verbum aliud, ad quod ipſamet viſio terminetur, vt ad proprium terminum, in quo videat attributa, & creaturas: in hoc enim ſenſu fieri non poteſt, vt ſi viſio, vt eſt eſſentiæ viſio, non terminatur ad verbum creatũ, ſed ad ſe ipſam, vt ſubit vicem verbi, terminetur ad aliud verbum creatũ, in quo & attributa videat, & creaturas, vt diximus in 1. dubio huius §. quarti: etenim ſi viſio terminatur ad ipſam eſſentiam ſubeuntem vicem verbi; cum viſio ipſa in eſſentia videat attributa, & creaturas, terminabitur ad eſſentiam, vt in ea attributa, & creaturę terminatiuè repræſentantur: ſed inquirimus; vtrùm ſuppoſito, Senſus quæſtionis.
quòd beatus non formet verbum eſſentiæ, ſed in eſſentia vicem verbi ſubeunte videat, & eſſentiam, & quæ formaliter, atque eminẽter ſunt in ea, poſsit formare verbum inadæquatum, & partiale alicuius attributi, & creaturæ. Et in hoc ſenſu 74.
veriſsima eſt opinio Caietani, & aliorum; nam ſi apud eos, qui admittunt, beatum formare verbum vnicum eſſentiæ, attributorum, & creaturarum, intellectus beati ex ijs, quæ vnica viſione videt in verbo, quod format, moueri poteſt, vt formet plura verba partialia terminantia varias intellectiones à beata diſtinctas, vt diximus in 3. dubio cum D. Thoma ibi citato: eàdem ratione ex ijs, quæ adæquatè videt in eſſentia habente vicem verbi, moueri poteſt, vt eliciat plures actus intelligendi, & plura verba, ad quæ illi terminentur: in hoc enim ſenſu docuit Capreolus, poſſe beatum formare plura, vel pauciora verba: etenim eorum, quæ formaliter videt per viſionem beatam, ſicut non poteſt ad libitum hæc, aut illa videre, quia aut omnia ſimul videt, aut ea videt per nouam reuelationem, ita non poteſt ad libitum formare plura verba. Quare noſtra, & communis opinio ſit indubitata. Contra quam nihil efficiunt, quæ à Nauarrete obijciuntur, quia ad ſenſum quæſtionis non procedunt.

§. 5.
Soluuntur argumenta contra primam concluſionem.

SVpereſt adducere, & diſſoluere argumenta, quæ adducuntur contra 75. Argum. in contrariũ.
primam concluſionem poſitam §.3. n.12: nam contra cæteras nihil obijcitur, quod difficultatem faciat.

Primò obijcitur; quoniam ex ſenten- 76. 1.argum.
tia D. Thomæ nulla dari poteſt ſimilitudo creata, quæ diſtinctè repræſentet diuinam eſſentiam, ſicuti eſt, vt probant argumenta adducta lib.8. in 2. parte q.2. artic. 1. §.2. verbum autem eſt creata quædam ſimilitudo rei, cuius eſt verbum.

Secundò; quoniam in cognitione in- 77. Secundum.
tuitiua non datur verbum; quia res, quæ intui-

intuitiuè cognoſcitur, per ſe ipſam intellectui obijcitur, vt terminus viſionis. Iam verò viſio beata eſt cognitio intuitiua.

78. Tertium. Tertiò, ſi beatus format verbum, vel format vnicum verbum expreſsiuum eſſentiæ, & eorum, quæ in ea videntur; vel format plura verba, vnum diuinæ eſſentiæ, alterum eorum, quæ videntur in ea. Non eſt dandum primum; nam cũ Deus continuè faciat nouas reuelationes, non poſſet beatus eas videre in verbo à ſe formato: cum enim verbum ſit qualitas naturaliter repræſentans, ſemper eadem, & eodem modo repræſentabit; vnde non poterit repræſentare modo, hoc, modo illud. Nec etiam dari poteſt ſecundum: quoniam vbi eſt vnica intellectio, ibi dandus eſt vnicus conceptus, vt omnes agnoſcunt: ſed viſio, qua beati vident Deũ, & ea, quæ ſunt in Deo, eſt vna tantùm. Ergo vnicus tantùm erit illorum conceptus, & vnicum verbum.

79. Quartum. Quartò; ſi beatus neceſſariò produceret verbum diuinæ eſſentiæ; ex eo eſſet, quia de intrinſeca ratione intellectionis eſt producere conceptum rei, quam intelligit: quod tamen eſt falſum: ita enim fieret, vt proceſsio Verbi diuini naturaliter poſſet cognoſci; cuius oppoſitum docent Theologi.

80. Quintum. Quintò; ſi beatus formaret verbum eſſentiæ diuinæ, daretur medium inter viſionem beatam, & ipſum Deũ viſum: quod non eſt admittendum; quia beatus immediatè videt Deum.

81. Ad 1. ¶ Hæc tamen argumenta facilem habent ſolutionem. Ad primum vel abſolutè negandum eſt, nullam dari poſſe ſimilitudinem creatam, quæ diuinam eſſentiam diſtinctè repræſentet (id enim nos negauimus lib. 8. in 2. p. q. 2. per totam, vbi diſſoluimus omnia in contrariũ argumenta:) vel dicendum eſt, D. Thomam abſolutè non negaſſe dari poſſe ſimilitudinem creatam diuinæ eſſentiæ; ſed ſolum negaſſe dari poſſe ſimilitudinem impreſſam, benè tamen expreſſam, quale eſt verbum, de quo latè diximus in d. lib. 8. p. 2. q. 2. art. 8. vbi oſtendimus, D. Thomam admiſiſſe ſpeciem expreſſam, ſiue verbum diuinæ eſſentiæ, quam etiam admittunt Thomiſtæ, qui noſtram opinionem ſequuntur, quos citauimus ſuprà §. 1. n. 2. & 3.

Ad 2. neganda eſt illa opinio; etiam 82. Ad 2.
apud Thomiſtas, qui verbum diſtinguũt ab intellectione, tanquam terminum à re cuius eſt terminus, vt alibi oſtendimus: etenim nulla res, quantumcunque ſit immaterialis ex ſe eſt actu intelligibilis intelligibilitate obiectiua, niſi in aliqua forma intelligibili fiat terminatiuè præſens intellectui. Cum verò apud Thomiſtas non poſsit fieri præſens per ſpeciem intelligibilem, vt diximꝰ ſuprà n. 29. & 30. indiget ſpecie expreſſa, per quam obiectiuè fiat intelligibilis in actu: quam philoſophiam veram eſſe, etiam in eſſentia diuina, oſtendimus ſuprà n. 32. 33. & 34. 83.

Ad 3. dicimus, beatum vnum tantùm Ad 3.
verbum viſionis beatæ formare poſſe; in quo videat tùm eſſentiam, tùm attributa, tùm etiam creaturas: cum quo tamẽ ſtat, vt ſicut poteſt habere plures intellectiones non beatificas, tàm diuinæ eſſentiæ, quàm attributorum, & creaturarum, vt diximus art. 1. & 2. huius quæſtionis; ita etiam poſsit formare plura verba illarum intellectionum. Quòd verò adducitur de nouis reuelationibus, nihil facit contra noſtrum inſtitutum; ſed contra opinionem, quæ docet creaturas videri in eſſentia viſa: & petit difficultatem; vtrùm ea, quæ à beatis viſione beatifica videntur, ſimul videantur? de qua difficultate dicemus lib. 12. in q. de immutabilitate viſionis: vbi explicabimus, quomodo nouæ reuelationes à beatis videantur.

Ad quartũ dicimus, argumentum ſo- 84.
lum habere locum apud eos, qui verbum Ad 4.
ponunt, vt terminum intellectionis, quæ eſt opinio Thomiſtarum: apud quos neceſſariò admittendum eſt de ratione intelligentis eſſe intelligendo formare verbum. Quomodo autem hinc non benè inferatur proceſsionẽ Verbi diuini, poſſe naturaliter cognoſci; hoc pertinet ad materiam de Trinitate. Nunc dicemus, ideò hoc nõ benè inferri; quia neceſsitas formãdi verbũ, quæ in intellectu creato reperitur, vt poſsit formaliter intelligere, denotat imperfectionem: & ideò ob aliã rationem in diuinis ponitur verbum; nimirũ ratione fœcũditatis naturę diuinæ.

Ad vltimum dicimus, inter viſionem, 85.
& Deum viſum dari medium formale Ad vltimũ.
in quo: quod ipſum non tollit, quominus viſio beata immediatè ad Deum terminetur.

D.Thom. netur, vt docet *D. Thomas in 4.diſt.49.q. 2.art.1.ad 15.& quodlib.7.art.1.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in cognitione matutina poſsit beatus habere cognitionem abſtractiuam Dei, & eorum, quæ videt in Deo?

1. Pro parte negante. PRo parte negante non poſſunt non ſtare, qui putant, cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam Dei, eſſe omnino impoſsibilem: quæ fuit opinio *Durandi, Argentinæ, Suarij, Bellomontani,* Patroni. *Cumelij, & præceptoris Fratris Franciſci à Chriſto, Toletani noſtri, Bañes, & aliorum, quos citauimus lib.7.q.5. art.1.§.1. n. 1.& 2.* Fieri igitur non poteſt, vt beatus videns diuinam eſſentiam poſsit habere aliquam cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam illius: & per conſequens, nec poterit formare ſibi aliquam ſpeciẽ intelligibilem, quæ eſſentiam diuinam in ſua quidditate abſtractiuè repræſentet: hanc enim ſpeciem eſſe impoſsibilẽ præcitati authores cum alijs conſtanter defendunt: & in terminis noſtræ quæſtionis negantem ſententiam probauit *Du-* Durand. *randus in 3.q.prologi num.8.12.& 13. affirmans, hanc cognitionem non ſolùm inueniri non poſſe in viatoribus; ſed nec etiam in beatis.*

2. 1.fundam. Primum huius opinionis fundamentum eſt; quoniam cognitio abſtractiua rei dari non poteſt ſine aliqua ſpecie rem illam abſtractiuè repræſentante. Ergo illius rei cognitio abſtractiua erit impoſſibilis, cuius ſpecies abſtractiua impoſsibilis fuerit. Sed ſpecies abſtractiuè, & quidditatiuè Deum repræſentans, etiam per diuinam potentiam eſt impoſsibilis. Ergo impoſsibilis etiã erit cognitio quidditatiua, & abſtractiua diuinæ eſſentiæ. Antecedens primi diſcurſus ab omnibus recipitur; conſequentia eſt nota: fundamenta minoris attulimus lib.8.in 2.p. q. 5.art.2. §. 1.

3. Secundum. Secundum argumentum eſt: quoniam dari nõ poteſt cognitio quidditatiua Dei, quæ non ſit intuitiua. Ergo dari non poteſt cognitio quidditatiua diuinæ eſſentiæ, quæ ſit abſtractiua. Conſequentia eſt nota, antecedens latè probatur argumentis adductis â *Suario, & ab alijs in d. q. 5.* Suar. *art.2.§.1.n.3.*

Tertiò ex eo arguit Durandus, quoniam cognitio beata eſt intuitiua: iam verò cognitio beati, vt beatus eſt, eſt ipſa viſio beata. 4. Tertium.

Quarto loco adduci poteſt, quoniam nulla cognitio datur, niſi ſub aliquo lumine, vt oſtendimus *lib.9.q.1.art.vnico*: talis autem cognitio non poteſt fieri ſub lumine naturali; quia cognitio iſta non poteſt non eſſe ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, vt diximus *lib.7.q.5.art.2. §.3.n.10.* Sed nec poteſt fieri ſub lumine gloriæ; quoniam notitia Dei ſub lumine gloriæ eſt beatifica; hæc autem beatifica non eſt. 5. Quartum.

6. Oppoſita opinio. Capreol. Oppoſitam tamen ſententiã expreſſè probauit *Capreol. in 2.diſt.23.q.1.art.3. ad 1.Scoti contra ſecundã.fol.223.col.4.§. Mihi apparet*: vbi expreſſè docet, non implicare, vt virtute viſionis intuitiuæ, atq; beatificæ detur in beatis cognitio abſtractiua, qua clarè, & diſtinctè cognoſcant Deum eſſe trinum, & vnum: dum verò id admittit ſaltem virtute diuina, ſatis ſupponit, beatum ſua propria virtute, eleuata tamen per viſionem beatam, hanc abſtractiuam cognitionem habere poſſe.

7. Approbatur. ¶ Ego hanc opinionem Capreoli puto eſſe veriſsimam. Et quidem quòd virtute diuina poſsit beatus hanc cognitionem habere, mihi eſt certiſsimũ: etenim Deus omnia poteſt facere, quæ non implicant: Fundamentum. iam verò nihil implicat, beatum hanc cognitionem Dei habere, vt oſtendimus lib. 7.q.5.art.1.§.2.n.4. vbi diximus hanc eſſe cõmuniorem, & veriorem ſententiam omnium Scotiſtarum, & Nominalium, Capreoli etiam, & Molinæ, quam etiam recepimus *lib.4.q.6.art.2.n.6.cum ſequentibus*. Sicut etiam nihil implicat, dari poſſe diuina virtute ſpeciem creatam, quæ Deum quidditatiuè, & abſtractiuè repræſentet, vt latè oſtendimus *libr.8.2.p. q.5. art.2.§.2.n.22.vbi §.3.n.26.* omnia argumenta in contrarium diſſoluimus. Quòd verò beati in virtute viſionis beatificæ poſsint habere conceptus abſtractiuos diuinæ quidditatis, ſatis mihi probat, quia poſſunt formare conceptiones, & verba particularia, nõ ſolũ creaturarũ, quas vidẽt in eſſentia; ſed etiã ſingulorũ attributorũ, vt cũ *D. Thoma ex doctrina Chryſoſtomi diximus in 3.art. præcedenti, §.4. dub.3*: cur igitur non poterunt formare con-

ceptus ipſius diuinę eſſentiæ, prout à ſuis attributis diſtinguitur? profectò non video, cur virtute ſua pèr viſinem beatam eleuata id non poſsint: cum id nec implicet, & cedat in maiorem perfectionem ſtatus beatifici. Sed iam argùmenta in oppoſitum diſſoluamus.

8. Ad 1. ¶ Ad primum, admiſſo toto priori diſcurſu, neganda eſt minor poſterioris, quam negauimus *libr. 7. q. 5. art. 1. n. 6. ad primum, & lib.* 8. *in* 2. *p. q.* 5. *art.* 2. vbi oſtẽdimus ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam quidditatis diuinæ eſſentiæ, repræſentatione abſtractiua, non eſſe impoſsibilem. Si verò inquìras, à quo nam talis ſpecies producatur? fortè aliquis reſpondebit, illam à Deo ex debito talis ſtatus eſſe infundendam. Ego tamen puto, eam abſtrahi poſſe actione intellectus poſsibilis, viſione eleuati: nam intellectus poſsibilis ſe ipſo poteſt abſtrahere ſpeciem intelligibilem naturæ genericæ, vt docet verior Logicorum doctrina. Quare ſicut intellectus poſsibilis ex natura ſpecifica præſentata ſibi per propriam ſpeciem ab intellectu agente abſtractam, poteſt abſtrahere ſpeciem naturæ genericæ, qua ipſam ſine ſpecifica intelligat; ita etiam à natura diuina ſimul cum attributis ſibi præſentata poteſt abſtrahere ſpeciem ipſius diuinæ eſſentiæ, qua eam ſine attributis intelligat.

9. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quod iam negauimus lib. 7. vbi ſuprâ ad 2. n. 7. vbi diſſoluimus fundamentum Suarij authoris illius opinionis, de quo etiam diximus 1. *tomo lib.* 5. *q.* 8. *art.* 2. *n.* 11. *&* 12. *& latiùs libr.* 8. *in* 2. *p. q.* 5. *art.* 1.

10. Ad 3. Tertium argumentum Durandi futile eſt; nam beatus non ſolùm poteſt intelligere diuinam eſſentiam per cognitionẽ beatificam, qua formaliter eſt beatus; ſed etiam per non beatificam, vt contra eundem benè aduertit Capreol. loco citato.

11. Ad 4. Ad quartum dicimus, beatum habere illam cognitionem ſub lumine gloriæ: etenim lumen gloriæ non ſolùm obiectiuè illuſtrat, quæ beatus formaliter videt ipſa viſione beata; ſed etiam, quæ videt virtute eiuſdem beatę viſionis: iam verò beati licet hanc cognitionem abſtractiuam formaliter non habeant per ipſam viſionem beatam, ſed per aliam ab ea diſtinctam; eam tamen habent ex vi ipſiùs viſionis, & in virtute illius. Aliter dicendũ eſſet, ſi Deus alicui non beato communicaret cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam diuinæ eſſentiæ per ſpeciem abſtractiuam illius; quia tunc diuina eſſentia obiectiuè non appareret ſub lumine gloriæ; ſed ſub alio ſupernaturali quidẽ, ſpecie tamen diſtincto, vt diximus lib. 9. q. 9. art. vnico in fine: & ratio eſt; quia talis cognitio abſtractiua non ineſſet ex vi viſionis beatæ, nec eſſet in beato. Ad argumentum igitur negamus, lumen gloriæ ſolùm illuminare obiectum beatificum, vt beatificum eſt: quia etiam illuminat ea, quæ ex vi viſionis beatificæ cognoſcuntur de ipſo obiecto beatifico, & de his, quæ in eo videntur: de quo iterum dicemus in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO VIII.

De cognitione veſpertina.

EXPLICATIS ijs, quæ pertinent ad cognitionem matutinam; explicanda ſunt, quæ pertinent ad veſpertinam in ordine ad ea, quæ beati cognoſcunt in proprio genere.

In hac quæſtione ſequentes articulos excitabimus. Primus eſt; an in beatis danda ſit cognitio veſpertina rerum in proprio genere? Secundus; vtrùm in politia veſpertina detur cognitio tum infuſa, tum acquiſita? Tertius inquirit nõnulla de ſcientia per ſe infuſa, quæ eſt in beatis. Quartus nonnulla etiam inquiret de ſcientia naturali, & acquiſita, quæ in beatis datur. Quintus; vtrùm in ingreſſu Patriæ beatis infundantur ſpecies? Sextus; vtrùm illis infundantur ſpecies myſteriorum, quæ per fidem in via cognouerunt? Septimus; vtrùm habitus ſcientiarum in via acquiſiti maneant in patria? Octauus; vtrùm in ea maneat, aut manere poſsit habitus fidei? Nonus; vtrùm manebit habitus Theologiæ? Decimus; vtrùm in Patria: veſpertinaque politia ſit locutio intellectiua? Vndecimus, & vltimus; vtrùm in beatis dentur dona intellectualia Spiritus Sancti?

ARTI-

ARTICVLVS I.

[redacted]ſpertina rerum in proprio genere?

1. Duplex cognitio in beatis. DE hoc articulo pauca dicemus; quia de eo latè diximus q. 4. huius lib. ar. 1. & 2. Ex ijs, quæ ibi diximus; iam conſtat, duplicem tantum cognitionem in beatis diſtinguendam eſſe: matutinam, ſcilicet, & veſpertinã: etenim licet nonnulli in illis triplicem cognitionem diſtinguant; meridianam ſcilicet, matutinam, & veſpertinam; tamen cum D. Thoma ex Auguſtino duplicem tantum diſtinguendam eſſe oſtendimus in dicta. q. 4. art. 2; & vtramque in beatis eſſe admittendam ibidem diximus. Simul etiam cũ communi, & iam recepta ſententia concluſimus cognitionem matutinam illam dici, quæ eſt rerum in verbo, & intra verbum: veſpertinam verò, quæ habetur de rebus in ſe ipſis, & in proprio genere per proprias illarũ ſpecies: quod contra Bellomont. oſtendimus *in dicta q. 4. art. 2. & latiùs ſuprà lib. 5. in 1. tom. quæſtio. 16. artic.* 3. §. 4.

2. In illis admittenda é cognitio veſpertina. His ita præmiſsis, iam patet, in beatis admittendam eſſe cognitionem veſpertinam rerũ in proprio genere: etenim apud omnes indubitatum eſt, beatos extra verbum plura cognoſcere in ſeipſis. Quæ doctrina in Angelis ex ſacris litteris euidenter patet, vt oſtendimus in dicta q. 4. art. 1. ex Iſaia 6; & ex Paulo ad Philipenſes 3. colligitur etiam ex communi doctrina, quæ docet Angelos ſuperiores illuminare inferiores, quæ illuminatio euidenter arguit, dari in Angelis cognitionẽ extra verbum: etenim de ijs, quæ in verbo cognoſcunt, à ſolo Deo illuminãtur. Hoc etiam confirmat cuſtodia hominum ſpecialiter commiſſa Angelis: illorum enim curam non ſatis accõmodatè exercerent, niſi, quæ circa ſibi comendatos aguntur, certò, & in ſe ipſis cognoſcerent.

Ad Phili. 3.

Admittenda eſt in Angelis beatis

3. Admittenda eſt in hominibus. Quòd verò veſpertina cognitio rerũ in proprio genere in beatis ſit admittenda, ex eo euidenter colligitur, quòd inter eos datur communicatio politica, & ſocietas amicabilis, vt omnes deducunt ex verbis Pſalmi 121. *Ieruſalem, quæ ædificatur, vt Ciuitas; cuius participatio ei⁹ in id ipſum:* quę verba ſatis ſignificant, dari inter beatos politicam, & ciuilem communicationem, vt ex Symacho, & Hieronymo oſtendimus *in 1. tom. lib. 5. q. 19. artic. vnico num. 1*: Societas autem politica fieri non poteſt ſine rerum cognitione in ſe ipſis, & extra Deum.

Admiſſa igitur in beatis veſpertina cognitione eorum, quæ extra Deum in proprio genere cognoſcunt; operæpretium erit explicare, quæ nam à beatis in hac politia cognoſcantur? & quomodo ab eis cognoſcantur? 4.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in politia veſpertina detur cognitio, tùm infuſa, tùm acquiſita?

CVm duplex detur ſcientia; vna naturalis viribus naturæ acquiſibilis: altera ſupernaturalis eorũ, quę aut ſecundum ſubſtantiam, aut quoad modũ ſunt ſuprà naturam; inquiri poteſt; vtrũ in politia veſpertina vtraque ſcientia in beatis reperiatur? 1.

In qua quæſtione datur dubitandi ratio: nam quòd in beatis in politia veſpertina non detur ſcientia ſupernaturalis, ex eo videtur ſuaderi; quoniã in beatis præter ſcientiam beatam, & naturalem nulla alia videtur danda; etenim Auguſtinus, præter cognitionem rerum in verbo, & in proprio genere, nullam aliam cognitionem admittit: ſcientia autem in verbo eſt beata: quæ verò eſt in proprio genere, eſt naturalis. Sed cognitio beata ſolũ pertinet ad politiam matutinam. Ergo ſola cognitio naturalis in veſpertina inuenietur. ¶ Pro altera parte, & quòd vtraq; ſcientia in illa politia reperiatur, illud facit: quoniam politia veſpertina in patria eſt longe perfectior, quàm fuerit cognitio rerum in via, vt per ſe patet: ſed in via non ſolùm datur in fidelibus ſcientia naturalis; ſed etiam ſupernaturalis, & infuſa. Ergo vtraque etiam dabitur in politia veſpertina patriæ. 2. Ratio dubitandi pro parte negãte. Pro parte affirmante.

Hæc pars affirmatiua eſt omninò aſſerenda; pro cuius explicatione, ſequentes ſtatuimus concluſiones. Prima cõcluſio: *In politia veſpertina Patriæ, datur cognitio naturalis rerum in proprio genere.* Hæc concluſio eſt indubitata: nam licet fortè dubitari poſsit; an talis ſcientia ſit infuſa tã- 3. Affirmatiua eſt vera, 1. Concluſ.

tum; an verò etiam acquiſita? de quō ſtatim: omnes tamen in illis admittunt naturalem ſcientiam rerum naturalium: & meritò, quoniam illa omnium conſenſu in anima Chriſti Domini admittitur: & eam eſſe admittendam euidenter probatur; quoniam illa ſcientia pertinet ad naturalem intellectus perfectionem, vt notum eſt. Ergo pertinet ad ſtatum beatificum. Conſequentia probatur, quia beatificus ſtatus eſt ſtatus omnibus modis perfectus, in quo omnium bonorum genera

Ariſt. reperiuntur, vt docet *Ariſtot. 7. Politicorum cap. 7.* vbi explicatis pluribus bonorum generibus, ita concludit: *Iſta omnia adeſſe felici homini oportet*, & idem docet 1. Rhetoricorum capit. 5. & libr. 10. Ethicorum c. 7. vbi ita ait: *Nihil enim felicitatis eſt imperfectum*. Quare cum hæc veſpertina politia ſit quidam ſtatus beatificus, vt omnes Patres, & Theologi agnoſcunt; non poterit non eſſe perfecta ommibus bonis ſui generis, inter quę enumeratur cognitio rerum naturalium, cū de ſe dicat perfectionem ſimpliciter.

4. Non eſſe ſuperfluam. Si verò obijcias hanc ſcientiam eſſe ſuperfluam in tali ſtatu, cum res naturales, quę per eam cognoſcuntur, in verbo cognoſcantur: negabo conſequentiam: nā cum ad ſtatum beatitudinis pertineat duplex iſta politia, matutina, ſcilicet, & veſpertina; oportet, vt duplex etiam detur rerum cognitio: vna in verbo, altera in proprio genere, cum illa intellectui ſit ſupernaturalis; hæc autem naturalis: iam verò oportet, vt in beatitudine vterque appetitus perficiatur, obedientialis, ſcilicet, & naturalis. Porrò ſi ſemel admittatur politia veſpertina, in qua beati extra verbum ciuilem habent communicationem; oportet, vt præter cognitionem rerum naturalium in verbo detur cognitio eorum in proprio genene, qua beati inter ſe ciuilem habeant communicationem.

5. 2. Concluſ. Secunda concluſio: *In politia veſpertina Patriæ danda eſt aliqua ſupernaturalis cognitio.* Hæc etiam ab omnibus recipitur.

Ocham. Gabriel. Salas. Pro ea citantur *Ochamus in 4. quæſt. 13. & Gabriel in 3. diſtinct. 14. q. vnica artic. 1. notab. 1. quos refert, & probat Salas 1. tom. ad primam ſecundæ, q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 5. num. 10. pag. 394. col. 1.*

Probatio. Probatur autem; quia hæc etiam cognitio pertinet ad perfectionem illius ſtatus: nam cum beati in via plura cognouerint ſupernaturalia, & modo ſupernaturali, ad perfectionē illius politici ſtatus pertinet habere eorundem cognitionem; maximè eorum, quę in via per fidem obſcurè cognouerunt: nam ad perfectionem illius politicæ communicationis pertinet hæc omnia inter ſe communicare, & de illis ſæpiſsimè agere, vt in laudes diuinas prorumpant, & reddant Deo gratiarum actiones: quas beatos in veſpertina politia habituros fore, nullus dubitauit: id etiam oſtendimus ſuprà *q. 7. art. 1. ex D. Thoma Opuſculo 63. cap. 5. & 6. & in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. §. Quantum verò ad quartum.* *D. Thom.* Quibus accedit, quoniam nō eſt dubitandum, beatis fieri nouas reuelationes, & illuminationes extra verbum, quarum cognitio ad cognitionem veſpertinam pertinet: maximè apud eos, qui putant, beatos non ſucceſsiuè, & de nouo, ſed ſimul videre omnia, quæ vident beatifica viſione: qua ſuppoſita opinione, illuminationes iſtæ, & reuelationes fieri nō poſſunt, niſi in politia veſpertina.

Tertia Concluſio: *In beatis admittenda eſt ſcientia veſpertina, tùm infuſa; tùm etiam acquiſita.* 6. 3. Concluſ. Ante huius concluſionis confirmationem explicandum eſt, quid nomine ſcientiæ infuſæ; quidue acquiſitæ intelligamus: 1. Notandū vbi primùm aduertimus non eſſe audiendum *Caietanum 3. p, q. 9. art. 3,* *Caietan.* dum ait; non eadem ratione ſcientiam dici inditam, & infuſam: quia, vt ait, dicitur infuſa, quia à ſolo Deo datur; indita verò: quia à Deo datur ſimul cū ipſa anima: iuxta quam doctrinā ſciētia veſpertina data beatis nō debet dici indita, ſed ſolū infuſa; quia non incipit cum anima, ſed illi ſolùm datur in ingreſſu Patriæ. *Non recipitur.* Hanc tamen Caietani diſtinctionem nec recipit *Suarius 3. p. q. 9. art. 3. in illius Commentario:* *Suar.* *nec Bellomont. ad 3. p. q. 11. diſputatione 52. cap. 1. num. 1.* *Bellomon.* & vſus iam obtinuit, vt cognitio à ſolo Deo data indiſcriminatim dicatur infuſa, & indita.

7. 2. Notandū. Secundò aduertimus cum communi doctrina, duobus modis aliquam ſcientiā dici infuſam: vno modo; per ſe: altero modo per accidens. Illa dicitur per ſe infuſa, quæ ex ſua natura habet, quòd detur à ſolo Deo; ita vt nullo ipſius ſcientis labore comparari valeat: illa verò dicitur infuſa per accidens, quæ licet à Deo data, ſit; ea tamen ex ſua natura ab ipſo ſciente

te comparari poterat: talis fuit ſcientia rerum naturalium à Deo cõmunicata Adamo in ſua creatione: hæc enim, vt omnes docent, poterat viribus Adami comparari. Nos in hac quæſtione non agimus de ſcientia per accidens infuſa, ſed de infuſa per ſe: vnde inquirimus; vtrùm beati in politia veſpertina habeant ſcientiam per ſe infuſam, & eius naturæ, vt à ſolo Deo eam habeant.

8. Probatur concluſ. His præmiſsis, ꝓpoſita cõcluſio ex duabus primis facilè demonſtratur: etenim ex prima ſatis conſtat, in politia veſpertina dari in beatis cognitionem naturalem rerum naturalium: ſed talis cognitio ex ſua natura eſt acquiſita; quia propria ſciẽtis virtute acquiri poteſt: & inde eſt, vt beati, non ſolum habeant ſcientias, quas in via compararunt, vt dicemus inferiùs; ſed etiam virtute intellectus agentis, tùm ante reſurrectionem, tùm poſt poſsint cõparare ſibi, tùm ſpecies rerum naturaliũ, tùm naturalem illarum cognitionem. Ex ſecũda verò cõcluſione efficaciter deducitur, in beatis requiri ſcientiam veſpertinam per ſe infuſam: etenim, vt in 2. concluſione diximus, beati in illa politia habent aliquam cognitionem ſupernaturalem rerum ſupernaturalium: hæc autem neceſſariò arguit, dari in illis ſpeciem per ſe infuſam; quia ſupernaturalia cognoſci non poſſunt: niſi per ſpecies à ſolo Deo datas, vt patet; ergo dubitari non poteſt, quin in beatis detur ſcientia per ſe infuſa.

9. 4. Conclu. Quarta concluſio: *Negandum non eſt, dari in beatis ſcientiam veſpertinam infuſam per accidens.* Hæc concluſio euidẽter deducitur ex ijs, quæ dicemus art. 5. etenim ſingulis beatis in ipſo ingreſſu Patriæ infundentur omnium rerum naturalium ſpecies, & ſcientiæ, quas in via non habuerunt. Vnde pueris beatis, qui ante vſum rationis baptiſati obierunt, in ipſo ingreſſu Patriæ omnes ſcientiæ naturales infundentur, & habebunt cognitionem omnium naturalium: hæ autem ſpecies, & ſcientiæ non ſunt per ſe infuſæ, ſed per accidens; quia ſingulæ earum ex ſua natura proprio labore, & naturali virtute ſunt acquiſibiles. Ergo in beatis admittenda eſt ſcientia infuſa per accidens.

ARTICVLVS. III.

De nonnullis, quæ pertinent ad ſcientiam per ſe infuſam.

VT ea, quæ in duobus articulis præcedentibus diximus, accuratius explicentur, nonnulla ſunt explicanda de vtraque cognitione, & ſcientia veſpertina, quę in beatis datur. Et primum agemus de ſcientia ſupernaturali, & infuſa: deinde de naturali, & acquiſita. 1.

§. 1.

Hæc ſcientia diſtinguitur ſpecie à beata, & acquiſita.

THeologi pauca ſcribunt de iſta ſcientia infuſa, quæ in politia veſpertina in beatis admittitur; cum tamen plura de ea inquiri poſsint ſcitu digniſsima: nos ea ſũma cum breuitate pręſtringemus. Primò igitur inquiri poteſt; an hæc ſcientia veſpertina beatorum per ſe infuſa diſtinguatur, tùm à ſcientia beata; tùm à per ſe acquiſita? Et quod attinet ad primum: non eſt dubium, quin ſcientia iſta beatis infuſa ſit ſpecie diſtincta à beata: etenim ſcientia infuſa attingit res extra verbum in proprio genere cum tamen ſcientia beata eos non attingat, niſi in verbo: qui modus attingẽdi longè eſt ſuperioris ordinis: vide *D. Thomã 3. p. q. 11. art. 5. ad primũ.* Sed nec dubitari poteſt, quòd ea ſpecificè diſtinguatur à ſcientia per ſe acquiſita: tùm; quia ex ſua natura habet, quod à ſolo Deo infundatur; nec poſsit virtute, aut labore ipſius ſciẽtis comparari: cuius oppoſitum per ſe reperitur in ſcientia acquiſita. Hoc autem arguit ſcientiam infuſam eſſe ordinis longè altioris, qualis eſt ordo ſupernaturalis. Vnde licet vtraque aliquando poſsit habere idem obiectum materiale; in formali tamen vna cum altera nunquã poterit conuenire; quia ratio formalis ſub qua vna in ſuum obiectum tenditſemper eſt diuerſa à ratione ſub qua alterius. Quæ omnia ſupponimus, tanquã ab omnibus conceſſa *De quo prima ſecundæ, q. 57 cum ſequentibus*: videndus eſt *Bellomontanus ad tertiam partem diſp. 52. cap. 1. ad finẽ num. 8. & Suarium 1. tom. ad 3. p. diſput. 27. ſect. 1. §. Et hinc facilè diſſoluitur pag. 535. colum-*

[Margin: 2. Diſtinguitur beata. — D. Thom. — Diſtinguitur ab acquiſita.]

columna. 2. in fine, & pag. 436. colum. 1. in principio.

§. 2.

Eſt eiuſdem rationis in omnibus beatis.

3. SEcundò inquiri poteſt; an hæc ſcientia ſit eiuſdem rationis in omnibus beatis? Quam quæſtionem ſolùm
Salas. inueni apud Salam *1. tom. ad primam ſecũdæ. q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 6. pag. 394.* vbi cum nonnullis (quorum tamen nomina non refert) affirmat hanc ſcientiam in
Eſt eiuſdem rationis etiã in Christo. omnibus beatis eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ, ſaltem in hominibus: Ego puto eiuſdem rationis eſſe in omnibus beatis etiam Angelis: etenim, quæ argumenta concludunt in hominibus beatis, concludunt etiam in Angelis: & ratio eſt; quia in omnibus hominibus, & Angelis omnia obiecta attingit ſub eadem formali ratione ſub qua, Accedit etiam; quòd hæc ſcientia, vt nonnulli volũt, eſt veluti proprietas dimanans à ſcientia beata: cũ verò beata ſcientia in omnibus beatis Angelis, & hominibus ſit eiuſdem rationis, vt ſuperius oſtendimus, benè infertur, hanc ſcientiam infuſam in omnibus hominibus & Angelis eſſe eiuſdem rationis: nam eiuſdem eſt rationis cum ſcientia infuſa Chriſti, vt ſupponim⁹, & annotauit, *Cabrera 2. tom. ad 3. p. q. 11. art. 6. diſp. 2. num. 13*
Cabrera. dum ait, ſcientiam infuſam Chriſti rerũ extra verbum, pertinere ad eum ordinẽ cognitionis ſupernaturalis rerum extra verbum, quem alij beati habent per ſpecies infuſas.

4. Non eſt in omnibus æqualis. Sed quamuis in omnibus ſit eiuſdem rationis; non eſt tamẽ in omnibus æqualis; ſed in quibuſdam eſt perfectior, quã in alijs, vt benè aduertit Salas vbi ſuprà. Et hoc rectè infertur, ſi ſcientia iſta, vt nonnulli volunt, ex beata emanat, tanquam illius proprietas; nam cum ſcientia beata inæqualis ſit; hæc etiam ſcientia inæqualis erit: vnde in Chriſto Domino longè erit perfectior, quã in cæteris om-
D. Thom. nibus beatis, vt ſupponimus, & docet *D. Thomas 3. p. q. 11. artic. 1; & ibi omnes eius interpretes.*

5. Vndeproueniat inequalitas. Vnde autem proueniat hæc inæqualitas? alterius eſt quæſtionis. Salas loco citato vult, eam ſumi ex inæqualitate meritorum viæ: nam cum illa conſequatur inæqualitatem ſcientiæ beatæ, veluti quędam illius proprietas; cum inæqualitas ſcientiæ beatæ ſumatur ex inæqualitate meritorum viæ; ex eadem etiam ſumetur inęqualitas huius ſcientiæ. Hoc tamẽ fundamentum pluribus non placet; negant enim, hanc ſcientiã infuſam, aut ſpecies illius emanare ex ſciẽtia beata; de quo vide *Cabreram vbi ſuprà in dicta diſp. 2. nu.* Cabrera.
4. cum ſequentibus pag. 173. colum. 2. & licet ego hanc opinionẽ probem; quia hæc ſcientia nõ ab aliquo emanat, ſed à ſolo Deo Ponitur verum fundamentum. infunditur: adhuc tamen puto inæqualitatem illius ſumendam eſſe ab inæqualitate ſcientiæ beatæ: non quòd ab ea emanet, vt proprietas, ſed quia illa beatis debetur, ratione ipſius ſcientiæ beatæ; inde enim eſt, vt Deus Author naturæ ſupernaturalis, eam infundat ad menſuram illius: ſicut etiam ſpecies intelligibiles non emanant à natura Angelica (vt cum veriori ſententia in materia de Angelis probauimus) & tamen; quia eſt perfectio illis naturaliter debita, Deus naturæ Author eas Angelis infundit, eò perfectiores, & altiores, quò natura cuiuſque Angeli eſt perfectior. Et ad hunc ſenſum putamus, hanc opinionem ſatis probabiliter defendi poſſe.

Addimus tamen cum hoc benè conſtare, 6.
vt beatus inferior per hãc ſcientiam poſ- Nota doctrinã.
ſit aliquid attingere, & cognoſcere, quod beatus ſuperior per eam cognoſcere nõn poteſt: & ratio eſt; quia illius rei cognitio abſolutè non conuenit ratione beatitudinis, ſed ratione ſtatus ipſius beati; iam verò, quæ ad ſtatum beati pertinẽt; ſicut poſſunt cõuenire vni, & non alij; ita poſſunt conuenire minus beato, non verò ei, qui maioris eſt beatitudinis. Vnde qui in via plus in Theologia profecit, aut plures docuit, perfectiorem ſcientiam habebit in ordine ad ea, quæ ad Theologiam ſpectãt, quàm is, qui nec didicit Theologiã, nec eam docuit, vt benè aduertit Salas vbi ſuprà. Quomodo autem nouæ reuelationes in hac veſpertina politia à beatis cognoſcantur? inferiùs explicabimus.

§. 3.

Hæc ſcientia eſt in beatis per modum ſimplicis intelligentiæ, nõ verò per modum diſcurſus.

Qui

7. Salas. QVi hanc queſtionem de ſcientia [redacted],vnũ ſolùm inueni *Salã 1.tom.in primã ſecundæ q.3.tract.2.diſp.6.ſect.5.num. 17. & 18.pag.393.col.2*: Sed illius difficultatem non explicat, ſed ad alia minus neceſſaria diuertit: ex his tamen, quæ Doctores ſcribunt, de ſcientia Chriſti per ſe infuſa, eam facilè diſſoluemus. Statuimus igitur, *hanc ſcientiam beatis in politia veſpertina per ſe infuſam in illis eſſe per modum ſimplicis intelligentiæ; non verò per modum compoſitionis, aut diſcurſus; & proinde beatos ea vti nõ poſſe cum vera compoſitione, & diſcurſu*. Hęc cõcluſio ex eo mihi probatur; quoniam ſi natura ſcientiæ per ſe infuſæ expendatur, ex ſe habet, vt obiecta cognoſcat per modum ſimplicis intelligẽtiæ; ita vt per ſimplicem intuitum, ſiue cognitionem tendat in obiecta, intuendo, & percipiendo concluſiones in ſuis principijs; proprietates in ipſa rei eſſentia; & effectus in ſuis cauſis. Id autem ex eo cõfirmatur; quoniam cum ſcientia per ſe infuſa ex ſua natura exigat, & lumen perfectius, quàm ſit lumen intellectus agentis, à quo ſcientia acquiſita per ſe pendet; & præterea exigat ſpecies in repreſentando vniuerſaliores, quàm ſint ſpecies acquiſitæ, vt ex dicendis patebit; ex ſua natura exigit perfectiorem modum tendẽdi in obiecta, & percipiendi ea, quàm ſit modus, quo ſcientia acquiſita in ſua obiecta tendit, & ea percipit. Iam verò ſcientia acquiſita ex ſua natura vendicat ſibi tendere in obiecta per modum compoſitionis, & diſcurſus; ita vt ex cauſis inferat effectus; ex principijs concluſiones; ex eſſentia, & quidditate ꝓprietates, qui modus tendendi eſt imperfectus, vt omnes Philoſophi agnoſcunt, benè infertur, ſcientiam per ſe infuſam ex ſua natura vẽdicare ſibi modum tendẽdi in ſua obiecta perfectiorem; ita vt per ſimplicem intelligentiam, & intuitum in cauſa percipiat effectus; in quidditate proprietates; & in principijs concluſiones.

Concluſio.

Fundamentum.

8. Quæ Philoſophia magis confirmabitur, ſi expendamus; vnde nam ſcientiæ acquiſitæ per ſe cõueniat modus ille tendendi imperfectus per compoſitionem, & diſcurſum: etenim ſi benè philoſophabimur, inueniemus cauſam illius imperfectionis per ſe ſumi, tùm ex debilitate luminis; tùm ex imperfectione ſpecierum, vt aliquo modo colliges ex *D. Thoma 1, p.q.58.art.3*: nam ſpecies per ſe requiſita ad ſcientiam acquiſitam, ex ſua natura repræſentant obiecta, non vt in ſe ſunt cõcreta: ſed abſtracta ab alijs, quę in ſe habet abſtractione quadam pręciſiua; repræſentant enim naturam ſpecificam abſtractã à ſuis indiuiduis; genericam à natura ſpecifica; eſſentiam, ſiue quidditatẽ à ſuis proprietatibus; denique cauſam abſtractam ab effectu, vt omnes Philoſophi admittunt. Lumen etiam naturale intellectus agentis, cum ex ſua natura habeat ſolùm illuminare ea, quæ per ſpecies repræſentãtur, & eo modo quo in illis repræſentãtur; non poteſt illuminare obiecta, vt concretè ſunt in ſe ipſis; ſed in abſtractione, ſecundum quam in ſuis ſpeciebus repræſentantur: & inde eſt, vt vim non habeat illuminandi indiuidua in natura ſpecifica; aut ſpecificam naturam in generica; aut in principijs concluſiones; aut in eſſentia proprietates; aut denique in cauſa effectus ab ea producibiles. Et inde cogitur intellectus humanus ſubiectum cũ ſuis paſsionibus componere; & ex principijs ſibi notis diſcurrendo inferre concluſiones.

Confirmatur.

D. Thoma

Oppoſitum per omnia reperitur, tùm in ſpeciebus infuſis ſcientiæ per ſe infuſę; tùm etiam in lumine ipſius ſcientiæ proprio: etenim ſpecies ſcientiæ infuſæ, cum ex ſua natura ſint in repræſentando vniuerſales, & eò vniuerſaliores, quò perfectiores: ex ſua natura habent, quòd repræſentent ſua prima, & adæquata obiecta, non repræſentatione abſtracta ab ijs, cum quibus exiſtũt; ſed repræſentatione quadam concreta, quia illa repræſentant cum omnibus, quæ habent, tùm formaliter, tũ virtualiter, vt cũ veriori, & communiori ſententia inferiùs dicemus. Cum verò lumen proprium ſcientiæ infuſæ ex ſe habeat obiectiuè illuſtrare obiecta eo modo, quo in ſpeciebus ſui ordinis repręſentantur, cum in illis repręſententur repræſentatione concreta, vt iam diximus; ex ſe habet, quòd vnica ſimplici illuminatione in eſſentia illuſtret proprietates; in principijs cõcluſiones; & in cauſis effectꝰ, qui in illis virtualiter cõtinentur. Et hęc eſt cauſa à priori, cur ſcientia per ſe infuſa ex ſua natura ſibi vẽdicet tendere in obiecta 9

Cauſa à priori.

iecta tendentia quadam ſimplici ſecluſa omni cõpoſitione, & diſcurſu, ita vt vno ſimplici intuitu in eſſentia percipiat proprietates; in cauſa effectus; in principijs concluſiones; denique in natura generica attingat naturas ſpecificas naturaliter ſub illa contentas; & in natura ſpecifica indiuidua, quæ ſub illa actu continentur.

10. 1. Confirmatio. Ex his euidenter iam patet, non ſolùm veritas noſtræ aſſertionis; ſed etiam vera illius confirmatio: etenim ſcientia per ſe infuſa, quam in beatis ponimus in politia veſpertina, propriè eſt ſcientia per ſe infuſa, vt omnes concludunt, & patet ex 1. ar. Ergo ex ſua natura habet ea, quæ ſunt de intrinſeca. & eſſentiali ratione ſciẽtiæ per ſe infuſæ: ſed de ratione intrinſeca ſcientiæ infuſæ per ſe eſt, vt ſit per modum ſimplicis intelligentiæ, & intuitus abſque omni vera, & propria compoſitione, & diſcurſu, vt oſtendimus. Ergo ſcientia per ſe infuſa, quæ eſt in beatis, eſt in illis per modum ſimplicis intelligentiæ, & nullo modo per modum compoſitionis, & diſcurſus.

11. 2. Cõfirmatio. Accedit etiam; quoniam ſcientia naturalis Angelorum ideo eſt per modũ ſimplicis intelligentiæ, & nõ diſcurſiua; quia ex natura ſua vendicat ſibi ſpecies, naturales quidem, ſed à ſolo Deo infuſas ex debito Authoris naturæ: & præterea vẽdicat ſibi, lumen naturale quidem, naturaliter non emanans ab eſſentia, tanquam proprietas, ſed à ſolo Deo donandum ex naturæ debito, quam Philoſophiam, tanquam veriſsimam ſupponimus, quæ placuit *D. Thomæ* 1. *p. q.* 58. *art.* 3. & pluribus alijs in locis, quam nõ ſolũ Thomiſtæ conſtanter probant; ſed plures alij, vt *Molina in dicta q.* 58. *art.* 3. vt alios omittamus. *Molina.* Ergo à fortiori idem dicendum erit de ſcientia per ſe infuſa, quæ in beatis in veſpertina politia reperitur; cum illius lumen longè ſit perfectius lumine naturali Angelorum; & ſpecies eius ſint etiam longê perfectiores, quàm ſint ſpecies Angelis infuſę, vt inferiùs dicemus.

12. 3. Cõfirmatio. Confirmatur adhuc; quoniam ſcientia per ſe infuſa eſt in Chriſto per modum ſimplicis intelligentiæ, & intuitus, nõ verò per modum compoſitionis, & diſcurſus. Ergo ſcientia veſpertina beatorũ in illis talis erit. Cõſequentia probatur; quia vt diximus §. 2. vna & altera ſcientia eſt eiuſdem rationis: & licet, quæ eſt in Chriſto, longê ſit perfectior, vt ibidem aduertimus; adhuc ex illa ſumi poteſt argumẽtum ad ſcientiam beatorum; quia ſcientia Chriſti illum tendendi modum per ſe habet ex eo, quòd eſſentialiter eſt ſcientia infuſa. Porrò antecedens ex recentioribus probatur *Suarez* 1. *tom. ad tertiam partem diſp.* 28. *ſect.* 2. §. *Sed quam explicandã,* *Suar.* & *Bellomont. ibidem diſp.* 52. *cap.* 3. *nu.* 17. *Bellom.* & 18. *ex antiquioribus eam ſimpliciter probauit Richardus in* 3. *diſt.* 14. *art.* 4. *q.* 3. *Richard.* Nõ nulli citant D. Bonauenturam in 3. diſt. 14. art. 3. q. 2. ad vlt. num. 59, ſed pro ea citari non poteſt; quia in Chriſto non admittit ſcientiam per ſe inditam, ſed ſolùm per accidens, qualis fuit in Adamo, vt ibidem explicat q. 1, num. 47.

13. Probatur ab auctore. Ego hanc ſententiam puto eſſe veriſsimam. Pro cuius maiori explicatione cõtra durandum, & Alenſem ſupponimus, in Chriſto Domino fuiſſe ſcientiam per ſe infuſam: hac autem opinione ſuppoſita, illud eſt ſtatuendũ, tanquam apud omnes indubitatum; Chriſtum ſcilicet potuiſſe vti illa ſcientia per modum ſimplicis intelligentię abſq; vllo diſcurſu; quod expreſſè probauit *D. Thomas de Veritate q.* 20. *art.* 3. *ad primum*; vbi expreſſè docet, *D. Thom.* *Chriſtum habuiſſe modum conſiderandi res; ſine diſcurſu.* agit autem de ſcientia infuſa Chriſti: & ſatis id ipſum ſignificat 3. *p. q.* 11. *art.* 3. *in fine corporis*, dum ait, hanc ſcientiam in Chriſto quoad vſum potuiſſe eſſe collatiuã; quia ſcilicet Chriſtus, ſi vellet, poterat per eam diſcurrere. Quibus verbis ſatis ſignificat, Chriſtum ea etiam vti poſuiſſe per modum ſimplicis intelligentiæ: quin potius illis ſatis explicat, hunc tendendi modum eſſe illi magis cõnaturalem, & ordinarium. Clariùs id explicat *Medina in dicto artic.* 3. ita inquiens: *Medina.* *Volo dicere; quod potuit vti iſta ſcientia per diſcurſum, & ſine diſcurſu*: vnde concludit modum intelligendi per diſcurſum poſſe quidem Chriſto conuenire; non tamen conuenire neceſſariò; idem ſatis probat *Cabrera in eodem art.* 3. *in Commentario concluſ.* 1. & *ſecunda*; *Cabrera.* dum admittit, Chriſtũ ad aliqua obiecta huius ſcientię non indigere diſcurſu. Denique id aduertit *Salas dicta q.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *pagina* 393. *num.* 18.

Tota igitur difficultas, & controuerſia 14.

ſia poſita eſt; vtrú Chriſtus potuerit vti hac ſcientia per modum diſcurſus? Cuius reſolutio pendet ex alia; vtrũ ſcientia per ſe infuſa in hominibus quoad vſum poſſit eſſe diſcurſiua? In hac quæſtione *D. Thomas in dicta q.11.art.3.* generaliter docet partem affirmatiuam: ſcribit enim, aliquam ſcientiam dupliciter eſſe poſſe diſcurſiuam: vno modo; quoad ſui acquiſitionem, quatenùs ex ſua natura poteſt per diſcurſum cõparari: altero modo; quo ad vſum; quia.ſ. habens eam, poteſt illa vti per modum diſcurſus: hac diſtinctione præmiſſa, docet, ſcientiam infuſam Chriſti non eſſe diſcurſiuam priori modo; benè tamen poſteriori: quia licet in Chriſto per diſcurſum acquiri non potuerit; Chriſtus tamen poterat pro libito per illã diſcurrere: & hanc opinionem conſtanter defendunt Thomiſtæ *in eodem loco, vbi* Caietan. Medina. Cabrera. Valentia. *Ccietanus, atque Medina, & latiſsimè Cabrera in Commentario illius articuli, conſentit Valentia tom.4.diſput.1.q.11.puncto 2.poſt principium, & latè Salas in dicta ſect.5. vt alios omittamus.*

14. oppoſitum probatur. Nos tamen oppoſitum ſtatuimus in 2. parte noſtræ aſſertionis, quam in Chriſto approbarunt *Richardus, Suarius, & Bellomontanus vbi ſuprà;* qui omnes docent, nec Chriſtum hac ſcientia vnquã vſum fuiſſe per diſcurſum; nec ea per diſcurſum vti potuiſſe. Quæ verò de ſcientia infuſa Chriſti dicuntur, dici etiam debent de ſcientia infuſa beatorum: nam cum ſint eiuſdem rationis, vt diximus, id, quòd vni per ſe repugnat, repugnabit etiam alteri. Noſtram igitur aſſertionem *latè con-* Vera confirmatio. *firmat Suarius, & latiùs Bellomontan.* Nos tamen ex eo illam confirmamus, quia modus cognoſcendi per ſimplicem intuitum ex ſua natura opponitur modo cognoſcendi per diſcurſum. Ergo modus cognoſcendi per diſcurſum per ſe repugnabit ſcientiæ, quæ ex ſua natura vendicat ſibi modum cognoſcendi per ſimplicem intuitum. Sed ſcientia per ſe infuſa ex ſua natura vendicat modum cognoſcendi per ſimplicem iutuitum. Ergo illi per ſe, & abſolutè repugnabit modus cognoſcendi per diſcurſum.

15. Antecedens prioris diſcurſus per ſe patet; ſimiliter, & conſequentia: minor autem diſcurſus poſterioris ſatis patet ex ijs, quæ ſuperiùs diximus: etenim ſcientia per ſe infuſa ex ſuã natura vendicat ſibi ſpecies in repræſentando vniuerſales, quæ ex ſe repræſentant obiecta, non per modum abſtractionis, ſed concretionis, vt ſuprà diximus, & ſupponimus cum veriori ſententia, quam cum communi Thomiſtarum latê confirmauimus in Materia de Angelis: vendicat etiam ſibi lumen illuſtratiuum obiecti ſimul cum omnibus, quæ aut eſſentialiter, aut actualiter in ſe includit; ita vt per ſpecies in principijs repræſententur concluſiones, & per lumen in illis obiectiuè appareant; quod neceſſariò arguit in ſcientia vnitatem ſimplicis intuitus. Ergo ſcientia per ſe infuſa ex ſua intrinſeca natúra vendicat modum cognoſcendi per ſimplicem intuitum, quæ fuit minor pro banda. Quare iſte modus ex ſua natura opponitur modo tendẽdi per diſcurſum: etenim fieri nullo modo poteſt, vt ſcientia per ſe infuſa poſsit tendere per modũ diſcurſus: hoc enim videtur apertiſsimè implicare.

Confirmatur; quia fieri non poteſt, vt per habitũ principiorũ intellectus per diſ- 16. 2.Confirm. curſũ cognoſcat ipſa principia; nõ ob aliã rationẽ, niſi quia ex ſua natura ſibi vendicat tendere in obiecta ſimplicia, ea aut cõponendo, aut diuidendo, qui cognoſcendi modus ex ſe opponitur cognitioni per diſcurſũ. Eadẽ igitur ratione modus cognoſcendi per diſcurſum intrinſecè repugnabit ſciẽtię per ſe infuſę, cui propriũ eſt cognoſcere per ſimplicem intuitum.

Cõfirmatur 2. quia ſcientia per ſe infu- 17. 3. Cõfirm. ſa eſſentialiter cõſtituitur in eſſe talis ſcientiæ per tranſcẽdentalẽ tẽdentiã ſimplicis intuitus, tanquã per differentiam, qua eſſẽtialiter diſtinguitur à ſciẽtia acquiſita, cui eſſentiale eſt, reſpicere obiecta modo diſcurſiuo: nã cũ vtraq; ſciẽtia ex ſua eſſẽtia habeat reſpectũ tranſcendẽtalẽ ad ſua obiecta: & inter ſe ſpecificè diſtinguãtur, vt patet; nullo alio modo eſſentialiter diſtingui poterunt, niſi per diſtinctos iſtos tẽdendi modos. Quod ſi ſemel admittatur (non poteſt autẽ non admitti) neceſſariò admittendũ eſt modũ tendendi vni propriũ, nec accidentaliter poſſe alteri conuenire: vnde ſicut fieri non poteſt, vt ſcientia acquiſita ſit quoad vſum per ſe infuſa; ita fieri nequit, vt ſcientia per ſe infuſa ſit diſcurſiua quoad vſum.

18. *In quo ſenſu ſciẽtia infuſa in vſu ſit cum diſcurſu.* Non negabo tamen potuiſſe Chriſtum Dominum, & modo poſſe quemcunque beatum per ſcientiam infuſam mouere ſe ipſum, vt ſimul, & concomitanter diſcurrat circa eadem obiecta: etenim ſicut ſcientia beata, quæ videt res in verbo, moue re poteſt ſcientiam inditam ſibi inferiorẽ, vt ſimul, & concomitanter eaſdem res in telligat in proprio genere, quas ipſa intel ligit in verbo: ſicut etiam fieri poteſt, vt ſcientia indita moueat beatum, vt intelligat conuertendo ſe ad phantaſmata; ita etiá fieri poteſt, vt ſcientia indita moueat acquiſitam ſibi inferiorẽ, vt ſimul, & concomitanter diſcurrat circa eadẽ obiecta, quæ ipſa ſimplici intuitu apprehendit: quam vim habet ſcientia infuſa, nõ à cauſa influente, nec ex ſua intrinſeca ratione; ſed eam habet à ſubiecto, nempe ab anima, quæ ex ſua natura eſt diſcurſiua: nam ex eo, quòd eſt in ſubiecto potente diſcurrere, poteſt in actuali vſu per cõcomitantiam eſſe ſimul cum diſcurſu: ſicut etiam ex eodẽ ſubiecto habet, quòd in ipſo vſu per concomitantiam poſsit ſimul eſſe cum conuerſione ad phantaſmata. Quam vim non habet in Angelo beato: quoniam Angelus ſicut ex ſua natura non poteſt intelligere concomitante phantaſia, quia eam nõ habet; ita non poteſt intelligere cum diſcurſu concomitãte, quia ex ſua natura non diſcurrit: & in hoc ſcientia per ſe infuſa, & in Chriſto, & in beatis quodammodo eſt inferior ſcientia infuſa Angelorum, vt cum D. Thoma. 3 *p. q.* 11. *art.* 4. inferiùs dicemus: quæ inferioritas non ponit aliquàm imperfectionem intrinſecã in ipſa ſcientia, & quatenùs eſt ab influente; ſed ſolam extrinſecam; quatenûs .ſ. eſt in ſubiecto, quod ex ſua natura in cognoſcendo eſt inferiùs, quòd doctiſsimè annotauit *Suarius in dict. diſputa.* 28. *ſect.* 1. *pag.* 549. *col.* 2. §. *Addit quarto. & Bellom.* 3. *p. diſp.* 52. *c.* 2. *nu.* 16. In hoc igitur ſenſu admittimus, ſciẽtiam per ſe infuſam, & in Chriſto, & in beatis quoad vſum eſſe dicurſiuã: nõ quòd vſus ipſe diſcurrẽdi fiat per eã; ſed quia per eã fit motio ſcientiæ acquiſitę, vt diſcurrendo ſimul apprehendat ea obiecta, quæ ipſa intuendo ſimplititer apprehendit.

D. Thom.

Suarius.
Bellom.

19. *D. Thom.* An verò in hoc ſenſu poſsit explicari Diuus Thomas? aliorum ſit iudicium. Ego puto ita explicari poſſe: licet enim in dicto art. 3. principaliter agat de ſcientia infuſa Chriſti; multa tamen generaliter dicit de ſcientia Chriſti, quæ non poſſunt intelligi de ſcientia infuſa, etiam quoad vſum; vt facilè intelliges ex *dicto art.* 3. *ad* 3. etenim vti collatione, & diſcurſu, licet ſit connaturale animabus beatis quoad ſcientiam acquiſitam; nõ eſt tamẽ illis connaturale quoad infuſam, vt ex mente Diui Thomæ, & Thomiſtarum iam aduertimus: multa etiam ſcribit *art. ſecundo. & articulo* 4. *in corpor. & ad tertiũ* quæ intelligi non poſſunt de ſcientia indita, niſi in ſenſu à nobis explicato. Si verò non admittis, hunc eſſe D. Thomæ ſenſũ, in voluntarius ſententiam iſtam non probo.

Quæ contra hanc noſtram ſententiam ab aduerſarijs adducuntur, facilem habẽt ſolutionem. *Cabrera in dicta concluſione* 2. *num.* 13. ita arguit: Chriſtus potuit diſtinctis actibus ſupernaturalibus ad hanc ſcientiam pertinentibus, diſpoſitis in modo, & figura, intelligere principia alicuius propriæ paſsionis: actu etiam ſupernaturali ad eandem pertinente poteſt cognoſcere bonitatem conſequentiæ. Ergo poterit his principijs poſitis, & propter illa, vt ſunt poſita, ſupernaturaliter aſſentiri cõcluſioni. Ergo poteſt vti ſua ſcientia indita, modo diſcurſiuo. Antecedẽs, vt ait, nulla ſufficiente ratione negari poteſt: conſequentia verò probatur: quia cũ intellectus Chriſti ex ſua natura ſit diſcurſiuus, modus aſſentiendi concluſioni propter principia tpręcognita, & in modo, atque figura benè diſpoſita, eſt illi maximè conſentaneus; & per conſequens poteſt inferre cõcluſionem ex principijs. Et hoc argumentum applicari poteſt ſcientiæ infuſæ beatorum. ¶Sed argumentum apertiſsimè petit principium; imò arguit ignorantiam quidditatis ſcientiæ infuſæ: hæc enim, vt oſtendimus, in eo eſt poſita, vt in ſua obiecta nõn niſi ſimplici intuitu tendat: & cum hoc ſit noſtræ opinionis vnicum, & ſolidum fundamentũ: mirum eſt, quòd oppoſitum ſine probatione ſummat. Ex eo autem, quòd intellectus Chriſti, & beati ex ſua natura ſit diſcurſiuus, pueriliter infertur, diſcurſum eſſe non naturalem Chriſto, quatenùs per ſcientiam infuſam cognoſcit,

20. 1. *Argumẽtum in contrarium.*

Soluitur.

Secundò

21. 2.Arg. Secundo arguit ibidem numero 15. poteſt dari diſcurſus ſupernaturalis, qui ſit perfectio intellectus diſcurſiui: Ergo non eſt denegandus intellectui Chriſti, & beati. Antecedens probat, quia prudẽtia infuſa eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, & tamen abſque dubio eſt diſcurſiua.

Solutio. ¶ Sed argumentum etiam eſt futile: nam ex eo, quòd prudentia infuſa in via eſt diſcurſiua, & datur in Chriſto, infert diſcurſum conuenire ſcientiæ per ſe infuſæ: quæ conſequentia eſt inutilis: nam prudentiæ infuſæ in via non repugnat diſcurſus; qui tamen ſcientiæ infuſæ omninò repugnat: ratio diſcriminis inde ſumitur, quia prudentia, quæ in via infunditur ex ſua natura non poſtulat alias ſpecies niſi acquiſitas, & naturales; etenim nec fides alias ſibi vendicat, vt ſupponimus: cum tamen ſcientia infuſa vendicet ſibi ſpecies, infuſas vniuerſales repræſentantes obiecta, non abſtractè, ſed concretè; quæ repræſentatio diſcurſui repugnat.

22. 3.Arg. Tertium argumentum ſumitur ex capite 17. Matthæi; vbi Chriſtus manifeſtè vſus eſt diſcurſu; ex eo enim, quòd reges recipiunt tributum ab alienis, & non à filijs, intulit filios eſſe attributo liberos. Quo argumento vtitur Diuus

D.Thom. Thomas *in dicta quæſtione 11. artic. tertio.*

Solutio. ¶ Sed argumentum non vrget: tùm quoniam talis diſcurſus potuit procedere à ſcientia naturali, & acquiſita: tùm etiam; quia ille vocalis diſcurſus potuit Diſcipulis explicari ſine interiori diſcurſu mẽtis: nam & Angelus per exteriorem diſcurſum explicat, quæ ſine diſcurſu interiùs concipit: & Deus ſi in forma humana appareret nobis (vt olim filius ante Incarnationem aliquibus apparuit) exteriori diſcurſu ſignificaret, quæ ſine diſcurſu percipiebat: idque vt ſe accommodaret ijs, cum quibus loqueretur. Vide *Suarium in dicta quæſt. 11. in Comment. art. tertij, & Bellomontanum in dicta diſp. 52. cap. 3. in fine,* & ſatis vtraque ſolutio placet Medinæ in Comment. ad eundem tertium articulum.

Suar. Bellomon. Quæ Salas adducit, petunt difficultatem: an in beatis danda ſit ſcientia ſupernaturalis proportionata noſtræ Theologiæ? De qua agemus inferiùs articulo 9.

§. 4.

Poteſt eſſe in beatis ſine conuerſione ad phantaſmata.

Conſequenter explicandum eſt; an beati hac ſcientia infuſa vti poſsint ſine conuerſione ad phantaſmata? 23. Quæſtio. Qui hanc quæſtionem in his terminis excitet; inueni neminem: hæc enim quæſtio ſolùm excitatur de ſcientia infuſa Chriſti. Ego puto partem affirmantem apud omnes eſſe indubitatam: nam quãuis de Chriſto aliqui dubitauerint, an poſſet illa vti ſine tali conuerſione (negauit *Durandus in 4. diſt. 14. art. 3. nu. 7.*) tamen Durand. in beatis nullus eſt, qui id neget.

Sed vt hæc quæſtio diſtinctiùs explicetur, præmittimus eam poſſe excitari de beatis, vel ante reſurrectionem, vel poſt. 24 Duplex ſenſus quæſtionis. Sit igitur prima concluſio: *indubitatum eſt animas beatas ante reſurrectionem non ſolum poſſe vti ſcientia independenter à phantaſmate; ſed de facto ea vti ſine tali dependentia.* De hac concluſione nulla poteſt eſſe dubitatio; quoniam indubitatum eſt, Angelos beatos vti hac ſcientia abſque tali dependentia; cum phantaſiam non habeant: ergo animæ ſæparatæ, cum in ſtatu ſeparationis ſint ſine corpore, & phantaſia, de facto vtuntur ſua ſcientia infuſa, etiam in ordine ad obiecta materitlia, ſine vlla dependentia à phantaſmate, cum illud pro illo ſtatu non habeant. Quibus accedit, quoniam anima ſeparata de facto vtitur ſcientia in via acquiſita, ſine phantaſmate, vt in ſequenti articulo monſtrabimus.

Tota difficultas eſt de anima beata poſt reſurrectionem corpori beato vnita: 25. In quo ſita ſit difficultas. Vtrùm, ſcilicet in tali ſtatu poſsit vti hac ſcientia abſque vlla dependentia à phantaſmate? ſit ſecunda concluſio: *Anima beata poſt reſurrectionem poteſt vti ſcientia indita abſque vlla conuerſione ad phantaſmata.* Hæc eſt etiam indubitata; nam 2. Conclu. Durandus, qui Chriſto Domino viatori denegauit vſum huius ſcientiæ abſque dependentia à phantaſmate, illum ſolùm denegauit Chriſto, quandiu fuit viator; nõ verò poſt reſurrectionẽ, quod patet ex fũdamẽto, quo nitebatur, ideo enim id negauit; quia conditio animæ intellectiuæ pro ſtatu viæ eſt nihil cognoſcere, niſi per conuer-

conuerſionem ad phantaſmata: quo fundamento, ſatis ſignificat, hanc conditionẽ non dari in anima beata pro ſtatu Patriæ; quod etiã nos oſtendemus tom. 3. de beatitudine corporis in tract. de phãtaſmate.

26. Communis probatio. Communis huius aſſertionis probatio ex eo ſumitur; quoniam inter cõditiones & proprietates animæ beatæ in ſuo corpore hęc enumeratur, vt nullo modo corpori ſubdatur, nec ab eo pendeat; ſed omnino illi dominetur. Sed cõuerſio ad phãtaſmata per ſe ortũ habet ex ſubiectione animæ ad corpus. Ergo anima beata coniuncta ſuo corpori intelligendo non indiget ad phantaſmata conuerti. *D.Thom.* Hæc ratio deſumitur à *D.Thoma* 3. *p.q.* 11. *ar.* 2; quã tanquam efficacem probant omnes illius interpretes, *Caietanus*, *Medina*, *Cabrera cum cæteris*. **Bellom.** Vnus eſt Bellomonatus, qui de illius efficacia dubitauerit, vt patet *in dicta diſput.* 52. *cap.* 2. *nu.* 10. §. *Hæc tamen ratio*. Sed ratio in ſe eſt omnino efficax: Efficacia rationis. nã efficaciſsimè probat, animam beatã corpori glorioſo coniunctam ad intelligendum abſolutè non indigere conuerſione ad phantaſmata: etenim ſi conuerſio illa ſolùm habet ortum ex alligatione, & ſubiectione animæ ad corpus; vtique anima glorioſa cum ſuo corpori omnino dominetur, & nullatenus ei ſubijciatur, abſolutè in omni ſua intellectione libera erit à tali conuerſione; & per conſequens ab ea non dependebit in vſu ſcientiæ infuſę. Si quis verò inquirat; vnde nam conuerſio iſta per ſe oriatur ex alligatione animæ ad corpus; videat, quæ ſcripſimus ſuprà lib. 6. quæſtione 1. articulo 4. §. 3. nu. 38. 43. & 44. vbi explicauimus rationẽ à priori, naturalis dependentiæ intellectus à phantaſia.

27. Alia ratio. Poteſt etiam ſumi non ineficax ratio ex natura ſcientię per ſe infuſæ: eius enim eſt rationis, vt vendicet ſibi ſpecies intelligibiles, quæ ex ſua natura repræſentent res concretè: id eſt, eo modo, quo ipſæ re vera ſunt in ſe; qui modus repræſentandi nullo alio indiget adiutorio, vt res per ſpecies repræſentatæ debitè repræſentẽtur. Quod non reperitur in ſpeciebus à rebus abſtractis lumine intellectus agentis, quæ cũ ex ſua natura repræſentent obiecta non concretè, vt ſunt in ſe, ſed abſtractè ab ijs, cũ quibus coniungũtur, indigẽt adiutorio ſpecierũ, quæ repræſentent ea, cum quibus à parte rei ſunt coniũcta. Cui accedit: quod ſpecies per ſe infuſæ conueniunt animæ præter naturam, vt omnes admittunt. Ergo ex ſe nullam habent naturalem dependentiam à phantaſmate, vt benè aduerterunt *Conimbricenſes in tract. de anima ſeparata q.* 4. *ar.* 1. *ad* 3. *in fine pag.* 506. *& in* 3. *de anima cap.* 8. *q.* 1. *art.* 3. *poſt principium.*

§. 5.

Non poteſt eſſe in beatis cum conuerſione ad phantaſiam per ſe, ſed ſolùm per accidẽs.

Sed iam ſe offert non contẽnenda difficultas; an anima beata poſt reſurrectionẽ, ſi velit, poſsit vti ſcientia infuſa, cũ conuerſione ad phantaſmata? quę quæſtio cõmuniter de Chriſto excitatur apud *D.Thomam* 3. *p.q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. *& in* 3. *diſt.* 14. Patrẽ affirmantem cõmuniter probant recentiores Thomiſtæ; inter quos eſt *Medina ibi ad finem Cõmentarij* §. *Sed ex hoc enaſcitur dubium*, *& Cabrera diſp.* 2. *n.* 4. *cũ ſequentibus*, *ſequitur Valentia* 4. *p. diſp.* 1. *q.* 11. *pũct.* 2. §. *Tertio ex eo pag.* 266; qui omnes hanc ſententiam tribuunt D. Thomę ibidẽ ad 3. quamuis nõ ſatis id explicet; quia ſolũ generaliter docet, Chriſtũ potuiſſe intelligere per conuerſionem ad phantaſmata; vtrũ verò id potuerit, vtens hac ſcientia? id non explicat; in eo tamẽ ſenſu eſt intelligendus, cũ in illo articulo ſermo ſit de vſu ſcientiæ infuſæ; maximè cũ id clariùs explicuerit art. 4. dũ docuit, ſcientiam infuſam Chriſti in hoc eſſe imperfectiorem ſcientia infuſa Angelorum; quia habere potuit modum cognoſcendi, & vtendi hac ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata. Quare nõ dubito. D.Thomam hãc affirmantem partem approbaſſe in Chriſto; & eadem ratione eã approbare in beatis, cum in illis ſcientia infuſa ſit eiuſdem rationis. 28. An poſsit eſſe in beatis. D. Thom. Medina. Cabrera. Valentia.

Pro hac opinione ex ijs, quæ ex nonnullis refert Bellomontanus *in dicto cap.* 2. *numero* 12. *&* 13. hæc argumenta adduci poſſunt. Primum eſt. Anima cuiuſcumque beati ex ſua natura eſt actus corporis organici. Ergo ex ſe apta eſt intelligere per conuerſionem ad phantaſmata. Et per conſequens beatus, ſi voluerit, poteſt vti ſua ſcientia infuſa per talem cõuerſionem. 29. 1. Arg.

Secun-

30. 2. Arg. Secundum argumentum: Intellectum conuerti ad phantaſmata, nihil eſt aliud, quàm ſpeculari: & intueri rem relucentē in phantaſmate, illuſtrato lumine intellectus agentis, ſed beati poſſunt ipſam rem ſpeculari, & intueri, prout relucet in phātaſmate illuſtrato. Ergo poteſt vti ſua ſcientia infuſa per conuerſionem ad phantaſmata.

31. 3. Arg. Tertio loco ex ijs, quæ ſatis confuſè ſcribit *Cabrera in dicta diſp. 2. nu. 12. & 13.* hoc argumentum elicitur: quoniam hęc ſcientia infuſa poteſt habere plures actus per ſpecies acquiſitas, Ergo beatus poteſt per eā aliquid intelligere per cōuerſionē ad phātaſmata. Cōſequentiā, ex eo probat; quoniam illæ naturales ſpecies in ſua repræſentatione dependent à phantaſia, & à phantaſmate in quo obiecta ſua repræſentātur. Ergo ſi beatus vti poteſt ſcientia infuſa, mediantibus ſpeciebus naturalibus poteſt ea vti per conuerſionem ad phantaſmata. Antecedens verò inde probat; quoniam beatus per diuinam reuelationem factam extra verbum poteſt cognoſcere plures actus Dei liberos; plura etiam futura contingentia; imò etiā myſterium Trinitatis; idque ſine concurſu ſpecierum ſupernaturalium, & infuſarū, ſolo concurſu naturalium; quæ cognitio pertinet ad ſcientiam infuſam. Poteſt igitur beatus per infuſam ſcientiam habere aliquos actus per ſpecies naturales, & acquiſitas. Hos autem habere non poteſt ſine cōuerſione ad phantaſmata, cum ſpecies illæ ex ſe habeant dependentiam ad illa.

32. 4. Arg. Quartò ex eodem numero 18. hoc ſumitur argumentum: Beatus ſicut & Chriſtus per ſpecies infuſas poteſt intelligere res materiales, & ſenſibiles. Sed nihil impedit, quominus illas poſsit videre per cōuerſionem ad phantaſmata: etenim pro libito poteſt remittere de perfectione concurſus illarum ſpecierum. Ergo ſi libuerit, poteſt vti ſua ſcientia infuſa per talem conuerſionem.

33. 5. Arg. Quintò, & vltimo ita arguit num. 19. Quoniam beatus per ſpecies infuſas poteſt intelligere res ſpirituales ſecundum conceptus genericos communes ſibi cū rebus corporeis. Ergo poteſt vti ſua ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phantaſmata. Antecedens ſupponit, tanquam notum: conſequentiam inde probat; quoniam res iſtæ ſpirituales, quando ita intelliguntur, non intelliguntur omnino immaterialiter, ſed prout ſunt affines corporibus, & in ordine ad res corporeas. Non eſt igitur, cur non poſſint intelligi dependenter à phantaſmatibus: nam cum intellectus beati ex ſua natura ſit aptus elicere actum cum dependentia ad phantaſiam, profectò, quando obiecta per ipſos actus repręſentata aliquam habent proportionem cum obiectis repræſentatis per actus phantaſiæ, nulla poteſt aſsignari ratio, cur illos actus non habeat dependenter à phantaſmate. Salas.

Pro reſolutione præmittenda ſunt nō nulla. Primum eſt omnes Philoſophos conuenire in axiomate Ariſtotelico: *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*; & in hoc (quod in idem recidit) *intelligentem intelligere per conuerſionem ad phātaſmata*, quod deſumptum eſt ex 3. de anima cap. 7. text. 30. & cap. 8. text 39. nō conuenire tamē omnes in explicatione illius: nec enim eodem modo explicant, quid nam ſit intelligentem phantaſmata ſpeculari: quid item ſit intelligentem cōuerti ad phantaſmata, vt aduertimus *lib. 6. quæſtio. 1. artic. 4. §. 5. numero. 32. & 33.* 34. 1. Præmiſſ. Ariſtot.

Quidam volunt, intelligentem ſpeculari phantaſmata, & ad ea conuerti nihil eſſe aliud, quàm intellectum intueri rē ipſam intellectam repræſentatam in phantaſmate illuſtrato. Ita explicant, qui negant ſpecies. Iuxta quam ſententiam negandum eſt, beatum vti poſse ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phantaſmata: quia intellectus beati per ſcientiam infuſam, etiā poſt reſurrectionem, non percipit rem in phantaſmate repræſentatam. Sed iſte dicendi modus non eſt Peripateticus, cum tollat ſpecies intelligibiles. 1. Explicatio.

Alij volunt, nihil aliud eſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari, & intelligere per conuerſionem ad illa, quàm intelligentem intelligere rem per ſpeciem actione intellectus agentis abſtractam à phantaſmate: quæ explicatio placuit Valentię *primo tomo diſputatione ſexta quæſtione prima puncto 3. §. Nec hoc eſt contra Philoſophiam*. Sed hæc etiam ſententia euidenter conuincit, non poſſe beatum vti ſcientia infuſa, per conuerſionem ad phantaſmata; quoniam in vſu huius ſcientiæ 35. 2. explicat.

tiæ nõ vtitur ſpeciebus acquiſitis, ſed per ſe infuſis. At hæc etiam explicatio prædicti axiomatis nõ eſt recipienda, ſi Ariſtotelis doctrinam expendamus.

36. 3. Explicatio. Sunt alij, qui docent, intelligere per cõuerſionem ad phantaſmata non eſſe aliud, quàm intelligere per ſpeciem, quæ obiectum repræſentat cum aliqua dependentia ab actu phantaſiæ, in quo idem obiectum repræſentetur; ita colliges ex *Cabrera in dicta diſp. 2. nu. 5. & 10.* Hęc tamẽ explicatio, niſi melius explicetur, nõ eſt ad mentem Ariſtotelis. *Cabrera.*

37. Vera explicatio. Vera igitur explicatio illius axiomatis, & quæ ex Ariſtotele expreſſe colligitur, in hoc eſt poſita, vt intelligere per cõuerſionem ad phantaſmata nihil ſit aliud, quàm intellectum intelligere obiectum, phantaſia illud idem in ſe ipſa phãtaſiante, & ſimul cum intellectu ad illud concurrente, quæ eſt communis explicatio, vt oſtendimus in dicto lib. 6. vbi ſuprà n. 33. & 34. vbi ſatis monſtrauimus eam eſſe ad mentem Ariſtotelis, iuxta literam græcam, quæ ita habet: *Cumque contemplatur, oportet ſimul cum phantaſmatẽ contemplari.* Ex quibus verbis patet, conuerſionem intellectus ad phantaſmata in hoc eſſe poſitam, vt intellectus, rem quã intelligit, intelligat phantaſia ſimul cum eo eiuſdem rei phantaſma efformante. Quæ explicatio communi conſeſu eſt receptiſsima: recipitur enim à *Diuo Thoma, Aegidio, Scoto, Durando, Caietano, Ferrarienſi, Toleto, Conimbricenſibus, quos citauimus in dicto num.* 33. *Nunc addimus Bellomontanum in dicta diſputat.* 52. *capite ſecundo num.* 15. *& Suarium in dicta diſput.* 28. *ſectio prima. §. Addit quarto. Diuus Thomas*, qui omnes in hoc conſentiunt, vt conuerſio ad phantaſmata ex ſe includat concomitantiam, & ſimultatem actus intelligendi cum actu phantaſiæ circa idem obiectum; ita vt intellectus in intelligendo habeat dependentiam, & connexionem ad actum phantaſiæ. *Bellom. Suarius.*

38. 3. Præmiſſ. Secundò præmittendum eſt, duplicẽ in hac materia dari poſſe cõcomitantiam, ſiue cõnexionem actus intellectus cum actu phantaſiæ: vnam naturalem; alterã merè voluntariam, & liberam: datur naturalis; quia ſeruato ordine naturæ, non poteſt non dari talis dependentia, & connexio inter duos illos actus. Talis autem conexio, dependentia datur inter actum intelligẽdi animæ cõiunctæ corpori mortali; datur etiam voluntaria connexio, & libera; quoniam dependentia, & connexio actus intelligendi cum phantaſia, licet naturaliter non ſit neceſſaria; poteſt tamẽ dari pro libito intelligentis. Et inde eſt, vt prior illa dependentia ſuo modo dicatur per ſe, & neceſſaria; poſterior verò ideo dicatur per accidens; quia eſt accidẽtaria.

Si verò inquiras, de qua nam concomitantia, & ſimultate intelligendus ſit Ariſtotel. dum ait, oportere, vt intelligens ſimul cum phantaſmate contempletur; reſpondendum erit propriè, & in rigore loquendo eum intelligendum eſſe de concomitantia, & connexione naturali; extendi tamen poſſe ad concomitantiam, & connexionem voluntariam. Prior reſolutionis pars ex eo oſtẽditur; quia Ariſtoteles loquitur de concomitantia, & connexione naturaliter neceſſaria, vt ſatis ſignificat illud verbum literæ Græcæ. *Oportet*; & ſatis idem ſignificant verba Argyropili: *qua propter ipſa anima ſine phãtaſmate nunquam intelligit*: quæ neceſsitatem denotant; & non aliam, niſi naturalem. Vnde autem hęc naturalis neceſsitas per ſe oriatur? Alterius eſt quæſtionis, de qua diximus in d. lib. 6. q. 1. art. 4. à n. 43. cũ ſequentibus: nunc ſatis nobis ſit, ex doctrina peripatetica, ſeruato naturali intelligendi ordine, inter actũ intelligendi, & actũ phantaſiæ dari naturalẽ quandã coexigentiam, & connexionẽ, ratione cuius intellectus ſine phantaſmate intelligere nõ poteſt; vt optimè aduertit *Bellomont. in d. nu.* 15. Quare, ſi propriè, & in rigore loquendũ eſt, tunc intellectus dicetur intelligẽdo conuertere ſe ad phantaſmata, quando neceſsitate naturali non poteſt aliter intelligere obiectũ, niſi phantaſia ſimul cum eodem illud phantaſiante; quæ eſt prior pars noſtræ reſolutionis. Poſterior verò pars etiam patet: quoniã ſi intellectus ratione ſui ſtatus beatifici ita dominatur corpori, vt illud in omnibus ſuæ obedientiæ ſubijciat; verè dicetur intelligendo conuerti ad phãtaſmata, cũ ad illius imperium phantaſia mouetur, vt ſimul cum illo format eius rei phantaſma, cuius ipſe formet verbum. Quare concomitantia phantaſiæ cum intellectu licet pro

39. De qua con comitantia intelligatur axioma. *Bellom.*

pro illo ſtatu non ſit neceſſaria, neceſsitate naturali ex parte intellectus (quia iam corpori non ſubjicitur) eſt tamen vera concomitantia, & ex parte intellectus datur vera conuerſio ad phantaſmata, quanuis non neceſſaria, ſed voluntaria.

His ita præmiſsis, duas ſtatuimus concluſiones.

40. 1. concl. Sit prima concluſio: *Si intelligere per conuerſionem ad phantaſmata propriè, & in rigore ſumatur cum Ariſtotele, & ſchola peripatetica; beatus in cognitione cuiuſcunque obiecti, etiam ſenſibilis, nullo modo vti poteſt ſcientia infuſa cum conuerſione ad phantaſmata.*

Bellom. Hanc ſtatuimus cum *Bellomontano in d. n.* 15. & ex dictis facilè demonſtratur: quoniam intelligere per cõuerſionem ad phantaſmata propriè, & in rigore ſumptum, idem eſt, quod intelligere obiectum cum naturali concomitãtia, & connexione ad actum phantaſiæ idem obiectum phantaſiante. Sed hæc naturalis connexio, & ſimultas in nulla cognitione alicuius obiecti, etiam materialis, & ſenſibilis, dari poteſt in vſu ſcientiæ infuſæ; ergo beatus in cognitione cuiuſcunque obiecti, etiam materialis, nullo modo poteſt vti ſcientia infuſa cum conuerſione ad phantaſmata. Maior huius legitimi diſcurſus patet ex dictis: minor verò ex eo probatur; quia nulla cognitio ſcientiæ infuſæ, etiam obiecti materialis, & ſenſibilis vendicat ſibi naturalem connexionem cum actu phantaſiæ circa idem obiectum, vt facilè patebit ex ſolutionibus argumentorum.

41. 2. concl. Secunda concluſio: *Nihil impedit, quominus beatus vti poſsit ſcientia infuſa cum voluntatia conuerſione ad phantaſmata earum rerum, quas per ipſam infuſam ſcientiã intelligit.* Hæc ſtatuitur cum *Suario in d.*

Suar. *diſp.* 28. *ſect.* 1. §. *Addit quartò D. Thomas,*

Bellom. *pag.* 549. *& cum Bellomontano in d. diſp.* 52. *c.* 2. *n.* 16. & puto eam eſſe ad mentem D. Thomæ, Medinæ, & Valentiæ, quos pro affirmante parte citauimus. Hæc cõcluſio ex ijs, quæ diximus, facilè patet: etenim nihil impedit, vt beatus, dùm per ſcientiam infuſam vult rem aliquam intelligere, imperet phantaſiæ, vt eandem rem in ſe phantaſietur, de quo nullus dubitare poteſt: talis autem conuerſio, licet naturalis non ſit, ſed volũtaria (quia poterat res illa à beato intelligi ſine tali conuerſione:) eſt tamen vera conuerſio intellectus ad phantaſmata, vt iam diximus.

Obijcit tamen *Cabrera in d. diſp.* 2. *n.* 5. 42. 1. obiectio ex Cabrera.
& 10: quoniam ex hac concluſione infertur, poſſe beatum videre diuinam eſſentiam, & res in eſſentia per conuerſionem ad phantaſmata: quod nullus Theologorum dixit. Obijcit ſecundò; quoniã ſequeretur, intellectum poſſe intelligere 43. Secunda.
cum conuerſione ad viſum, aut auditum; quia poteſt eandem rem intelligere, quã viſus ſimul videt, & audit auditus. Obijcit tertiò; quia ſequeretur, hanc ſcientiam 44. Tertia.
infuſam non eſſe intrinſecè inferiorem ſcientia infuſa Angelorum; cuius oppoſitum docet *D. Thomas* 3. *p. q.* 11. *art.* 4. D. Thom.

¶ Sed hæc argumenta parum vrgent. 45. Ad 1. contra 2. concluſ.
Ad primum neganda eſt ſequela, ſi conſequens intelligatur de viſione quidditatiua diuinæ eſſentiæ: cum enim nulla poſſint dari phantaſmata illius, vt in ſe eſt, nõ poteſt intellectus beati imperare phantaſiæ, vt ſimul ſecum diuinam eſſentiam phantaſietur; ob quam rationem non poteſt eam intelligere cum conuerſione, etiam voluntaria, ad phantaſmata. Quod verò attinet ad creaturas ſenſibiles viſas in Deo, nullum eſt abſurdum, ſi dicamus poſſe beatum res illas, quas in Deo videt, ſimul intelligere cum conuerſione ad earum phantaſmata, ſi nimirum imperet phantaſiæ, ſicut poteſt, vt illas ſecũ phantaſietur. Quid enim impedit, quominus beatus, dùm res ſenſibiles in Deo videt, pro libito applicet phantaſiam ad cogitandum de iiſdem rebus? vnde nos in 3. tomo in diſput. de phantaſmate id admittemus. ¶ Et eodem modo ſoluitur ſecũ- 46. Ad 2.
dum argumentum: poteſt enim intellectus ad nutum voluntatis imperare, & mouere ſenſus externos, vt ſimul percipiant res ipſas, quas ipſe percipit: & inde eſt, vt vſus ſcientiæ acquiſitæ pro ſtatu viæ fieri poſsit cum conuerſione ad ſenſus externos conuerſione non naturali, ſed volũtaria: quid enim hoc eſt abſurdi?

¶ Ad tertium argumentum admittimus, 47. Ad 3.
ſcientiam infuſam beatorum non eſſe intrinſecè inferiorem ſciẽtiæ infuſæ Angelorum: quia ex doctrina D. Thomæ non eſt inferior ex parte influentis (quia Deus illam influit in ſua eſſentiali perfectione) ſed ſolum eſſe inferiorem ex parte ſubiecti; quæ inferioritas non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca, vt ſuprà §. 3

cum Suario, & Bellomontano diximus. Quare in eodem ſenſu libenter admittã, ſcientiam beatam in hominibus inferiorem eſſe ſcientia beata Angelorum; quia Angel⁹ nec ipſas res materiales, & ſenſibiles, quas in Deo videt, videre poteſt cũ conuerſione ad phantanſmata; cum qua tamen eas in Deo beatus poteſt videre. Vnde argumenta, quæ contra ſecundam aſſertionem à Cabrera adducuntur, facilè ſoluta ſunt.

48. Ad 1. contra primã concl. Quæ verò adducuntur contra concluſionem primam, facilem etiam ſolutionem habent. Primùm argumentum puerile eſt; admiſſa enim prima conſequentia, ſecunda eſt inutilis; quia ex vna particulari infert vniuerſalem: licet enim anima, ideò quia eſt actus corporis organici, poſſit vti aliqua ſcientia cum conuerſatione ad phantaſmata, pueriliter tamen infertur, eodem modo vti poſſe omni ſcientia, quam ſupra ſuam naturam habet. Vide *Bellomontanum in d. c. 2. n. 12.* Bellom.

49. Ad 2. Secundum argumentum adducit Bellomontanus, ſed non ſoluit: fortè, quia ſumit id, quod peripatetica doctrina non admittit: etenim intellectum conuerti ad phantaſmata non eſt intellectum intueri rem in phantaſmate relucentem: quia actus intelligendi non terminatur ad rem in phantaſmate relucentem (hæc enim opinio eſt eorũ, qui negant ſpecies intelligibiles, quorum opinio iam à communi ſchola eſt relegata) ſed eſt intellectum intelligere rem, phantaſia eam ſimul phantaſiante, vt ex dictis patet. In quo ſenſu admittimus, intellectum intueri obiectũ, quod phantaſia ſimul intuetur; & ſubinde conuerti ad phantaſmata; conuerſione tamen voluntaria, & non naturali.

50. Ad 3. Ad tertium negandum eſt, ſcientiam per ſe infuſam habere poſſe aliquem actum per ſpecies naturales, & acquiſitas: quia nulla ſcientia poteſt vti, niſi ſpeciebus ſibi cõnaturalibus, & proprijs. Quomodò autem cognoſcantur à beatis ea, quæ illis in cognitione veſpertina de nouo reuelantur? ſuo loco explicabimus: nam quædam cognoſcentur per ſolam ſcientiam infuſam; quædam per acquiſitam: quæ per ſolam infuſam cognoſcentur, etiam ſi materialia ſint, & ſenſibilia, non cognoſcentur, niſi per ſpecies per ſe infuſas.

51. Ad 4. Ad quartum admittenda eſt maior; ſimiliter & minor: ſi intelligatur de conuerſione ad phantaſmata voluntaria, & libera: neganda verò ſi intelligatur de conuerſione naturali, & neceſſaria: quia in nullo actu ſcientiæ infuſæ dari poteſt naturalis connexio ad actum phantaſiæ; quod eſt noſtræ concluſionis fundamentum; cuius probatio ad inſtitutum non pertinet.

52. Ad vltimũ. Ad vltimum fortè negari poſſet antecedens, ſi intelligatur de actu directo, & primo rei immaterialis; quanuis admitti poſſit de actu veluti reflexo. Sed quidquid de hoc ſit, admittenda eſt conſequẽtia, ſi conſequens intelligatur de conuerſione voluntaria; neganda verò de neceſſaria: quoniam ipſi conceptus communes materialibus, & immaterialibus, nullam habent naturalem connexionem ad phãtaſmata, ſed ſolum liberam, ex eo, quia conceptus illi generales etiam poſſunt phantaſiari per ipſam phantaſiam. Et de his ſatis diximus.

§. 6.

Hanc ſcientiam in beatis hominibus perfectiorem eſſe ſcientia Angelorum naturaliter infuſa; æqualis tamen perfectionis cum ſcientia infuſa Angelis beatis.

53. Reſtat cõſiderare hanc ſcientiam, quæ eſt in beatis hominibus in ordine ad ſcientiam per ſe infuſam, quæ eſt in Angelis. Cum verò in Angelis beatis duplex ſit ſcientia infuſa: vna naturalis, quæ ſingulis in ſua creatione infuſa eſt à Deo authore naturæ: altera ſupernaturalis, quæ Angelis in ingreſſu patriæ infuſa fuit; poteſt hæc ſcientia, de qua agimus comparari, vel cum ſcientia naturaliter infuſa; vel cum ſcientia infuſa ſupernaturaliter Angelis beatis: nam cum eadem Theologi compararunt ſcientiam infuſam Chriſti *in 3. diſt. 14. & D. Thomas 3. p. q. 11. art. 4.* D. Thom.

54. Confertur cum ſcientia infuſa Angelorũ beatorum. Quod attinet ad primam comparationem, quæſtio nullam habet difficultatẽ: quoniam ſcientia iſta in omnibus beatis, ſiue Angelis, ſiue hominibus eſt eiuſdem rationis, vt diximus ſuprà §. 2: imò eiuſdem eſt rationis cum ſcientia infuſa Chriſti Domini. Quare ſi ſermo eſt de perfectione

ctione eſſentiali, & quidditatiua, illa erit æqualis eſſentialiter in omnibus beatis hominibus, & Angelis. Porrò, ſi ſermo ſit de perfectione indiuiduali, quæ expēditur penes eiuſdem ſcientiæ æqualitatē, vel inæqualitatem, res eſt incerta? At tamen cum omnibus placeat, æqualitatem, vel inæqualitatem huius ſcientiæ proximè ſumi ex æqualitate, vel inæqualitate ſcientiæ beatæ; remotè verò ex æqualitate, vel inęqualitate meritorum, vt diximus in d. §. 2. illud conſequenter dicem⁹, hanc ſcientiam in hominibus beatis eſſe æqualem ſcientiæ illorum Angelorum, quibus homines in beatitudine fuerint æquales: minorem verò, aut maiorem in ijs hominibus, qui maioris, aut minoris beatitudinis fuerint, quàm Angeli.

55. Confertur cum ſcientia Angelorum naturali.

Quod verò attinet ad ſecundam comparationem, qua hæc ſupernaturalis ſcientia cum ſcientia infuſa, & naturali Angelorum comparatur; dubitari non poteſt, eam eſſe longè perfectiorem, quàm ſit ſcientia naturalis, & infuſa ipſis Angelis concreata. *1. argum.* Tum; quia eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, vt inferiùs dicemus; ſcientia verò naturalis in Angelis eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam naturalis. Tùm ſecundo; quia vendicat ſibi ſpecies in ſe, & in repræſentando altiores; cū ſint ordinis ſupernaturalis, & repræſentent obiecta naturalia, & ſupernaturalia. Tùm tertio; quia ex ſua natura poſtulat lumen longè altius, clarius, & certius; cū ſit ordinis ſupernaturalis, cuius claritas, & certitudo eſt longè maior. Tùm denique; quia ex ſe extenditur ad obiecta tū naturalia, tùm ſupernaturalia, & ſpectantia ad ordinem gratiæ.

56. 1. confirm.

Confirmari id ipſum poteſt; quoniam omnes, qui in Chriſto admittunt ſcientiam per ſe infuſam ſpecificè diſtinctam ab acquiſita, vno ore fatentur, ſcientiam infuſam Chriſti longè perfectiorem eſſe, quam ſit ſcientia naturalis Angelis per ſe infuſa, vt patet ex *D. Thoma 3. p. q. 11. art. 4 vbì omnes illius interpretes Caietanus, Medina, Cabrera, & alij, idem D. Thomas in 3. diſt. 14. q 1. art. 3. quæſtiuncula 2. vbi etiam Richardus art. 4. q. 4. Valentia 4. p. diſp. 1. q. 11. punct. 2. §. Quartò ex eo, pag. 267. A. Bellomontanus in d. diſp. 52. cap. 4. Suarius diſp. 27 ſect. 1.* Iam verò ſcientia infuſa animæ Chriſti eiuſdem eſt rationis, & ſpeciei cum ſcientia infuſa beatis, vt ſuprà diximus.

D. Thom. Richard. Valentia. Bellomon. Suarius.

57. 2. confirm.

Confirmatur adhuc; quoniam ſcientia infuſa Angelis beatis maior eſt, & perfectior, quàm ſcientia naturalis, & per ſe infuſa eijſdem Angelis, cum vna ſit ordinis naturalis, altera verò ſupernaturalis: iam verò ſcientia iſta infuſa hominibus beatis eiuſdem eſt rationis cum ſcientia infuſa beatis Angelis. Nec in hac quæſtione locus datur ſententiæ *Scoti in 3. diſt. 14. q. 4.* quæ diſtinguit de cognitione abſtractiua, & intuitiua; & illam ponit in Chriſto eſſe perfectiorem, quam in Angelis; hanc verò imperfectiorem. Non datur, inquam, in hac quæſtione locus huic ſententiæ: quia Scotus falsò ſupponit, ſcientiam infuſam Chriſti non eſſe per ſe infuſam, ſed per accidens: quod & in Chriſto, & in beatis eſt falſum.

Non datur locus opinioni Scoti.

58. Soluitur inſtantia.

Nec huic reſolutioni obſtat, quod hæc ſcientia ex parte ſubiecti eſt inferior ſcientia Angelorum naturaliter infuſa; quatenus poteſt ſecum admittere diſcurſum, & conuerſionem ad phantaſmata: non obſtat, inquam, quoniam hæc inferioritas non arguit intrinſecam, & eſſentialē imperfectionem ex parte ſcientiæ, quidquid Cabrera oppoſitum ſcribat in d. art. 4. n. 9. de quo iam diximus ſuprà §. 3. & 5.

§. 7.

De his, quæ per hanc ſcientiam cognoſci poſſunt.

59. Sed agamus de obiecto huius ſcientię materialiter ſumpto; id eſt de rebus, quas per hanc ſcientiam beati cognoſcunt; quæ diſputatio longiſsimam poſtulabat inquiſitionem; breuiter tamē eam præſtringemus. Primo loco ſtatuimus per hanc ſcientiam infuſam beatos non cognoſcere omnia poſsibilia fieri à Deo. Quod indubitatū ſit; ſiquidem nec Chriſtus Dominus per ſuam infuſam ſcientiam omnia iſta cognouit, iuxta veriorem ſententiam, quam ſupponimus. Vide interim Bellomontanum 1. *tom. ad 3. p. diſp. 50. cap. 2.*

Bellomon.

Sed nec per eam cognoſcunt actu infinita: hæc enim cognitio, aut non eſt cōmunicata Chriſto, vt plures volunt; aut ſi illi cōmunicata eſt, ideò cōmunicata fuit, quia ad ſtatū illius pertinebat; cum tamē ad nullius alterius beati ſtatum pertineat.

Cog-

Cognoſcunt res naturaraliter cognoſcibiles.

60. Cognoſcũt omnia naturaliter cognoſcibilia. ¶ Cognoſcunt tamen per hanc ſcientiam infuſam omnes res naturales, quas & homo per ſpecies acquiſitas, & Angeli per infuſas poſſunt cognoſcere. Qui in terminis iſtis de ſcientia indita beatis id diſtinctè docuerit; inueni neminem: quanuis aliquo modo id tetigerit *Salas 1. tom. ad 1.2.q.3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 5. ad finem n. 10. pag. 394. col. 1. in medio.* Ex eo hæc reſolutio probatur; quòd Chriſtus per ſuam inditam ſcientiam cognouit omnia, quæ vel ab homine, vel ab Angelo naturaliter cognoſci poſſunt. Ergo & beatus per eandem poteſt cognoſcere omnia, quæ poſſunt naturaliter cognoſci. Conſequentia probatur; tùm quia ſcientia infuſa beatis eiuſdem eſt rationis cum ſcientia Chriſto infuſa; tùm etiam, quia eædẽ rationes, quæ in Chriſto id probant, probant etiam in beatis. Antecedens cõmuniter probatur: illud expreſsè probauit *D. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. vbi Caietanus, §. In quo primo recolendum eſt, in fine. Medina ibidem. & Cabrera diſp. 2. concluſ. 2. n. 17: idem D. Thomas in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 1. §. Dico tamen primò, pag. 535. col. 2.*

Salas. D. Thom. Caiet. Medina. Cabrera. Suarius.

¶61. 1. ratio. Deinde oſtenditur ratione: quoniam ſcientia indita beatis eſt ſuperioris ordinis, non ſolùm ſcientia acquiſita ab hominibus; ſed etiam ſcientia naturaliter indita Angelis. Ergo ſub ſuo obiecto continebit obiecta ſcientiæ naturalis, & hominum, & Angelorum: etenim ſcientia, quo ſuperior eſt, eo eſt vniuerſalior; & proinde ſub ſuo obiecto complectitur obiecta ſcientiæ inferioris: vt patet in intellectu, & ſenſu: intellectus enim ideo, quia ex ſe eſt ſuperior, quàm ſenſus, ſub ſuo obiecto complectitur omnia obiecta ſenſibilia. Quare cum ſcientia, vel acquiſita in homine, vel naturaliter infuſa in Angelo ſub ſe contineat obiecta naturaliter cognoſcibilia; ſcientia per ſe infuſa beatis ſub ambitu ſui obiecti continebit, non ſolùm obiecta ſupernaturalia, ſed etiam naturalia.

62. Confirmatur. Confirmatur; quoniam decebat ſtatũ beatificum, vt beatus non ſolùm omnes res naturales cognoſceret in verbo; ſed etiam in proprio genere; idq; altiori modo, quàm eas Angeli naturali ſciẽtia cognoſcunt: quò enim ſtatus intellectualis eſt altior, eò altior eſt & ſcientia, & ſciendi modus. Iam verò ſtatus beati eſt longè altior ſtatu naturali etiam Angelorũ. Sed ſi beatus res naturales in proprio genere cognoſceret per ſolam ſcientiam acquiſitam, eas imperfectiori modo cognoſceret, quã Angelus ſuæ naturæ relictus. Ergo maximè decet, vt beatus res naturales in proprio genere cognoſcat per ſcientiam infuſam altiorem, quam ſit ſcientia naturalis hominum, & Angelorum. Quæ omnia euidenter concludunt per hanc ſcientiam infuſam cognoſci omnes res naturales naturaliter cognoſcibiles, ſaltem quoad illarum quidditatem: vnde inferiùs dicemus, beatis in ingreſſu Patriæ infundi ſpecies omnium rerum naturalium, non ſolùm acquiſitas in ordine ad ſcientiam naturalẽ; ſed & infuſas in ordine ad ſcientiam inditam rerum in proprio genere. Concluſio.

63. Obijciunt Scotum, & Durand. Cõtra hanc reſolutionem quidam obijciunt Scotum *in 3. diſt. 14. q. 3. & Durandum q. 3. & 4.* quaſi abſolutè negent res naturales per ſe contineri ſub obiecto ſcientiæ per ſe infuſæ: ita de Scoto, & Durando affirmant *Suarius in d. diſp. 27. ſect. 1. poſt principium. & Cabrera in d. diſp. 2. n. 8.* Et contra eandem obijci poteſt; quoniam res naturales ſunt obiecta ſcientiæ naturalis. Ergo ſcientia indita beatis, cum ſit altioris ordinis, non verſabitur circa illas. Secundò accedit; quia eiuſdem obiecti ſufficit vna ſcientia in proprio genere. Sed beati habent ſcientiam propriam, & connaturalem rerum naturalium. Ergo reſpectu illarum non datur ſcientia indita. Accedit tertiò; quia ſcientiæ naturales inter ſe diſtinctæ; cuiuſmodi ſunt phyſica, Metaphyſica, & Mathematica, non habent eandem rationem formalem inter ſe, ſed diuerſam. Ergo nec eam habebunt cum ſcientia ſupernaturali: & per conſequens ſicut obiecta vnius ſcientiæ naturalis non continentur ſub obiecto alterius; ita nec obiecta naturalia naturalis ſcientiæ continebuntur in obiecto ſcientiæ inditæ, & ſupernaturalis.

Suar. 1. argum. Secundũ. Tertiũ.

64. Nec Scotus nec Durãd. cõtradicit. Hæc tamen parùm vrgent. Et quod attinet ad Scotum, & Durandum; nullus eorum negat res naturales contineri ſub obiecto ſcientiæ per ſe infuſæ: nam Scotus in d. q. 3. in Chriſto non admiſit ſcientiam

tiam per ſe infuſam, vt patet ex *d.q.3.§.* [illegible] *concluſ*[illegible]; & [illegible]ſcien-
tia infuſa per accidens (quam in Chriſto admittit) abſolutè non negat, obiecta naturalia ſub ea contineri, ſed ſolùm negat contineri ſingularia quoad cognitionem intuitiuam. Nec etiam Durandus in vtraque quæſtione citata vnquam negauit, res naturales per ſe contineri ſub obiecto ſcientiæ per ſe infuſæ; quin potiùs id cōcèſsit, ſi diligenter expendantur, quę ſcribit q.4.n.6: expreſſè enim docet, ſcientiam per ſe infuſam, ſi admittatur alterius rationis ab acquiſita, poſſe ſimul eſſe in eodem intellectu cum acquiſita ſcientia: non quidem reſpectu diuerſorum obiectorum (id enim nullam habebat difficultatem) ſed reſpectu eorundem.

Ad 1. obiectionem. Ad primam obiectionem neganda eſt conſequentia cum Suario in d. ſect. 1. §. *Ad rationem ergo dubitandi*, pag.537.col.1. quam etiam negat Cabrera in d.diſp.2. n. 37: etenim ſcientia ſuperioris ordinis poteſt ſub ſuo obiecto continere obiecta ordinis inferioris; nam intellectus continet ſub ſuo obiecto ſenſibilia, & ſcientia Angelis indita ſub ſe continet obiecta materialia, quæ ſub noſtro intellectu cōtinentur.

65. Ad 2. Ad ſecundam neganda eſt maior in intellectu ad ſuperiorem intelligendi ſtatum eleuato: cum enim non naturaliter, ſed ſupernaturaliter eleuetur; decet, vt perficiatur, non ſolùm ſecundum potentiam naturalem, in qua per agens naturale perficitur; ſed etiam ſecundum obedientialem, ſecundum quam perficitur ab agente ſupernaturali, vt de Chriſto aduertit *D.Thomas in d.q.11.art.1.* & idem aduertendum eſt de beato. Quare ad perfectionem ſtatus beatifici, non ſatis eſt, obiectum à beato cognoſci per ſcientiam naturalem, quę ex ſe non eſt omnibus modis perfecta; ſed oportet, vt ab eodem altiori modo cognoſcatur, iuxta perfectionem ſtatus, ad quem eleuatur. D.Thom.

66. Ad 3. Ad tertiam obiectionem, omiſſa ſolutione Medinæ in d.q.11. art.1. ad 2.arg. pag.274. col.2. admittimus, ſcientias naturales non habere eandem rationem formalem cum ſcientia ſupernaturali, & ſuperiori, quæ fuit prima conſequentia: negamus tamen inde benè inferri, obiecta ſcientiarum naturalium non poſſe contineri ſub obiecto ſcientiæ ſupernaturalis: nam vt admitteremus obiecta vnius ſcientiæ naturalis non poſſe cōtineri ſub obiecto alterius eiuſdem ordinis (quod tamen conſtat eſſe falſum ex vera Philoſophia) adhuc conſequentia non valeret, propter diſparem rationem: quoniam ſcientiæ præcitatæ inter ſe non ita ſe habēt, vt vna ſit altior, & ſuperior ad aliam; quāuis vna ſit alia perfectior: cum tamen ſcientiæ naturales ſint ordinis inferioris in ordine ad ſcientiam ſupernaturalem, & infuſam, vt omnes agnoſcunt: vnde ſcientia infuſa, & ſupernaturalis poteſt ſub ſe continere obiecta ſcientiarum naturaliū: etenim virtus, quæ ſuperior eſt, & altior, poteſt ſub ſe continere obiecta virtutis inferioris, vt patet in intellectu, & ſenſu.

Cognoſcunt ſingularia rerum materialium.

¶ Secundò per hanc ſcientiam per ſe infuſam poteſt beatus cognoſcere ſingularia rerum naturalium, non ſolùm cognitione abſtractiua; ſed etiam intuitiua, intuendo earum exiſtentias. De hac reſolutione dubitat *Scotus in 3.diſt.14.q.3.litera A. §. Ad quæſtionem*: & quanuis ibi agat de ſcientia infuſa animæ Chriſti; idē tamen diceret de ſcientia infuſa beatorū; quę enim vnam impugnant, impugnant & alteram. Sed opinio Scoti, ſicut communiter reijcitur à Theologis in ſcientia infuſa Chriſti; ita etiam reijceretur in ſcientia infuſa beatis; cum vtraque quoad hoc eiuſdem ſit rationis. Quòd verò Chriſtus per ſuam infuſam ſcientiam cognouerit ſingularia in proprio genere, intuēdo illorum exiſtentias, cōmunis eſt ſententia Theologorum. Eam ſatis ſignificauit *D. Thomas 3.p.q.11. art 1. maximè ad 2. & 3. vbi ad ſecundum in terminis id docet de animabus beatis. De Chriſto contra Scotum id ipſum probant Caietanus in d. q. 11.art.1. Medina ibidem ad 3. argum. pag. 274.col.2. Cabrera diſp.2.concl.3.n.23. Valentia 4.p.diſp.1.q.12. puncto 2. ad ſecundū argum.pag.267.C.D. Suarius in d.diſp.27. ſect.1. §. Dico ſecundò, pag.536. col.1. Pro eadem citantur Durandus in 3.diſt.14.q.3. Capreol.q.1.art.3. & Marſilius q.10.ar.2.*

67. De cognitione ſingularium.

Dubitat Scotus.

Non recipitur.

D. Thom. Caietanus. Medina. Cabrera. Valentia. Suar. Durand. Capreol. Marſilius.

Hæc ſententia primò probatur; quia Angeli per ſuam ſcientiam naturaliter inditam cognoſcunt ſingularia exiſtentia, 68. 1.ratio.

tia, vt veriſsima habet opinio. Ergo beati per eandem ſcientiam ſingularia cognoſcent exiſtentia. Conſequentia probatur; quia ſcientia iſta infuſa beatorum, cum ſit altioris ordinis, & luminis, & altiores habeat ſpecies, non erit in hoc minùs perfecta, quàm ſit ſcientia Angelis naturaliter infuſa.

69. 2. ratio. Confirmatur; quoniam ſpecies huius ſcientiæ, cum in repræſentando ſint vniuerſales, vt dicemus, repræſentabunt ſua prima, & adæquata obiecta, non abſtractè, ſed concretè, vt ſæpè diximus, & aduertit Caiet. in d. q. 11. art. 1. Ergo repræſentabunt naturam vniuerſalem, ſiue ſpecificam, ſiue genericam cum indiuiduis, in quibus exiſtit.

70. 3. ratio D. Thomæ. Accedat ratio *D. Thomæ in d. q. 11. art. 1. ad 3.* quia negandum non eſt, cognoſcere ſingularia, pertinere ad perfectionẽ prudentiæ, cuius cognitio pertinet ad notitiam practicam, quæ circa ſingularia verſatur. Sed inferiùs oſtendemus, in beatis dari donum prudentiæ infuſum, quod cum ſcientia infuſa coniunctum eſt. Ergo beati per ſcientiam infuſam cognoſcunt ſingularia exiſtentia.

71. Reſolutio. Admittendum eſt igitur, beatos cognoſcere ſingularia exiſtentia; idque altiori modo, quàm cognoſcantur aut ab homine, aut ab Angelo cognitione naturali; etenim ea cognoſcunt perfectè comprehendendo eorum naturas, & intuendo eorum exiſtentias.

72. 1. argum. in contrariũ. Contra hanc reſolutionem nonnulla poſſunt obijci. Et primò; quoniam cognitio ſingularium exiſtentium, cum ſit intuitiua, immediatè fit ab ipſa re exiſtẽte, & præſente. Ergo non pertinet ad ſcientiam infuſam. Antecedens ſupponit Scotus: conſequentia ex eo videtur probari; quia ſcientia infuſa ad nullam cognitionem concurrit, niſi mediante ſpecie. Ergo ſi cognitio intuitiua rei præſentis non poteſt fieri per ſpeciem; vtique illa ad ſcientiam infuſam non pertinebit.

73. 2. argum. Deinde; etiamſi cognitio intuitiua ſingularium poſſet fieri per ſpeciem, illa nõ poſſet fieri per ſpeciem infuſam: hæc enim indifferenter ſe habet ad rem exiſtẽtem, & non exiſtentem. Ergo non poteſt eſſe principium cognitionis intuitiuæ rei exiſtentis; & per conſequens nec poteſt pertinere ad ſcientiam infuſam.

Accedit tertiò; quoniam ſingularia nõ poſſunt perfectè cognoſci, niſi per ſpecies proprias ipſorum. Sed ſcientia infuſa non habet ſpecies proprias aliquorũ ſingularium; cum vendicet ſibi ſpecies in repræſentando vniuerſales. Ergo ad ſciẽtiam infuſam non pertinet cognitio ſingularium. 74. Tertium.

Quartò, & vltimò: Ad ſcientiam infuſam beatorum non pertinet, niſi cognitio eorum, quę pertinent ad perfectionem intellectus, aut ſecundum naturam, aut ſecundùm gratiam: etenim hæc ſcientia ideò infunditur beatis, vt illorum intellectus per eam perficiatur, tùm ſecundum potentiam naturalem; tùm ſecundum obedientialem. Sed cognitio ſingularium non pertinet ad perfectionem intellectus ſecundum naturam; nec ſecundum gratiam, ex *D. Thoma in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad finem corporis, & ad ſecundum.* Ergo per ſcientiam infuſam beati non cognoſcunt ſingularia. 75. Quartum. D. Thom.

Hæc tamen facilè ſoluuntur. Ad primum negandum eſt, cognitionem intuitiuam ſingularium fieri poſſe ſine ſpecie, quod negat *Suarius in d. diſp. 27. ſect. 1. §. Ex hac concluſione, pag. 537. col. 1. & latè oſtendimus ſuprà lib. 8. in 1. p. q. 1. art. 3. per totum.* Addit Suarius, argumentum nihil efficere, quanuis antecedens admitteretur: adhuc enim intellectus ratione luminis infuſi poſſet per hanc ſcientiam intueri ſingularia exiſtentia, & præſentia: ſed huius doctrinæ rationem non reddit: illa tamen ex eo ſumi debet; quoniam lumen huius ſcientiæ, cum ſit per ſe infuſum, potens eſt obiectiuè illuminare ſingularia exiſtentia, & præſentia ſecundum localem indiſtantiam, vt obiectiuè appareant, & intellectum moueant: poſita enim opinione Scoti ad hanc obiectiuam motionem ſpecies non eſt neceſſaria: ſicut enim, illa opinione ſuppoſita, lumen intellectus agentis aptum eſt illuminare ſingularia exiſtentia, vt obiectiuè moueant intellectum poſsibilem; ita etiam dicendum eſt de lumine infuſo beatis. 76. Ad 1. *Suarius.*

Ad ſecundum negandum eſt Scoto, cognitionem intuitiuam non poſſe fieri per ſcientiam infuſam. Ad probationem ſatis ſufficienter reſpondet *Suarius loco citato, §. Quoad alteram verò partem,* ſpeciẽ infuſam indifferenter ſe habere ad rem exiſten- 77. Ad 2. *Suar.*

exiſtentem, & non exiſtentem duobus modis poſſe intelligi. Vno modo negatiuè; quia. ſ. neutrum repræſentare poteſt, vt quia ex ſua natura repræſentat obiectum abſtrahendo ab hoc, quod exiſtat, vel non exiſtat. Altero modo poſitiuè; quia licet vtroque modo poſsit rem repræſentare: indifferenter tamen ſe habet ad illam repræſentandam hoc, vel illo modo: qualis indifferentia reperitur in volūtate ad velle, vel nolle: quia licet vtrunq; poſitiuè poſsit; indifferens tamen eſt ad vtrumque. Hanc autem indifferentiam inde habet ſpecies illa infuſa, quia ex ſe repræſentat obiectum concretè cum omnibus, quæ actu habet. Cum verò nunc exiſtat, nunc non exiſtat; hinc eſt, vt ſi exiſtit, illud repræſentet cum exiſtētia; ſecùs ſi non exiſtit: & in eodem ſenſu indifferens eſt ad repræſentandum Petrū cum albedine, & ſine ea.

78. Ad 3. Ad tertium argumentum dicendum eſt, maiorem controuerſiam eſſe de ſpeciebus acquiſitis, quales ſunt, quæ in noſtro intellectu dantur actione intellectus agentis: de his enim plures negant, dari poſſe ſpecies proprias rei ſingularis: alij eas admittunt. vtramqueopinionem, tanquam probabilem latè defendunt *Conimbricenſes 3. de Anima cap. 5. q. 4. per totam.* (Conimbr.) At tamen propoſitio illa maior omnino eſt neganda de ſpeciebus per ſe infuſis, ſiue naturales ſint (vt ſunt ſpecies Angelorum) ſiue ſupernaturales: quales ſunt ſpecies per ſe infuſæ animæ Chriſti, & animabus beatis: per has enim ſpecies poſſunt ſingularia perfectè cognoſci: quia quælibet illarum, cum non repræſentet naturas vniuerſales abſtractè, ſed concretè, illas repræſentat cum omnibus conditionibus indiuidualibus, & accidentarijs, cum quibus à parte rei exiſtunt: quæ eſt communis opinio Thomiſtarum, de qua multa diximus in libris de Anima, & in materia de ſpeciebus Angelorum. Hanc igitur opinionem in ſpeciebus per ſe infuſis beatorum, vt veriſsimam admittimus. Vide *Caietanū in d. q. 11. art. 1. Medinam ibidem ad 3. arg. pag. 274. col. 2. & Valentiam 4. p: diſp. 1. q. 12. punct. 2. ad 2. argum. pag. 267. C. & Cabreram in d. diſp. 2. ad 1. n. 32.* (Caiet. Medina. Valentia. Cabrera.)

79. Ad 4. Ad quartum admiſſa maiore, ex mente Thomiſtarum, diſtinguenda eſt minor; vt illa vera ſit de perfectione intellectus quoad cognitionem ſpeculatiuam: quia hæc perfectè haberi poteſt ſine cognitione ſingularium: falſa tamen ſit de perfectione intellectus, quoad cognitionem practicam: hæc enim perfectè haberi non poteſt ſine cognitione ſingularium: etenim ex *Cicerone libr. 2. de Inuentione parum ante finem*, ad prudentiam (cuius cognitio eſt practica) requiritur memoria præteritorum, cognitio præſentium, & prouidentia futurorum; quæ eſt doctrina *D. Thomæ in dicta q. 11. art. 1. ad 3.* vbi abſolutè negauit cognitionem ſingularium pertinere ad perfectionem intellectus, tùm ſecundum ſtatum naturæ; tùm ſecundùm ſtatum gratiæ: in quo cōueniunt omnes Thomiſtæ, vt patet ex *Caietano in d. q. 11. art. 1. ad finem commenti, §. Ad 3. dubium, & ex Medina ibidem ad confirmationem tertij argumenti, pag. 274. col. 2.* Cùm verò beati habeant prudentiam infuſam in ſuo genere perfectam, ad perfectionem intellectus ſecundùm cognitionem practicam pertinet cognitio ſingularium: illorum ſcilicet, circa quæ beati ſecundùm ſcientiam infuſam practicè verſantur, de quo inferiùs in q. An in beatis ſint dona Spiritus ſancti? ¶ Hæc Thomiſtarum, & cōmunis ſolutio in hoc videtur dubia, quia ex ea infertur, beatos per hanc ſcientiam non cognoſcere, niſi ſingularia, quæ ad cognitionem practicam illis poſſunt deſeruire: cùm tamen multa alia ſingularia cognoſcant, quæ ad praxim non ſunt neceſſaria. Quare ego abſque diſtinctione negarem minorem; quia cognitio ſingularium ſemper pertinet ad perfectionem intellectus, ſecundum cognitionem ſimplicem, quæ ad primam operationem intellectus ſpectat, ob quam rationē Deus author ordinis ſupernaturalis ſimul cum ſcientia per ſe infuſa infudit beatis ſpecies infuſas per ſe, quæ ex ſua natura repræſentent rem vniuerſalem, non quidē abſtractè, ſed concretè, cum omnibus cōditionibus, cum quibus in rerum natura exiſtit: quod non faceret, niſi ad perfectionem intellectus pertineret ſimplex cognitio ſingularium, quando exiſtunt.

(Margin: 1. ſolutio ex mente D. Thō. — Cicero. — D. Thom. — Caiet. Medina. — 75. 2. ſolutio.)

Cognoſcunt omnia indiuidua exiſtentia rerum naturalium.

76. Cognoſcũt omnia exiſtentia ¶Per ſcientiam per ſe infuſam cognoſcit beatus omnia ſingularia exiſtentia earũ rerum, quæ ſub obiecto ipſius cõtinẽtur. Hæc reſolutio probatur; quia Chriſt⁹ D. per ſuam inditam ſcientiã omnia iſta cognoſcit, vt vno excepto Scoto, omnes admittunt. Sed quoniam fortè dices, in hoc puncto nõ valere argumentum à Chriſto ad cæteros beatos; ideò noſtrã reſolutionem ex eo probamus; quoniam ſcientia iſta infuſa beatus omnia illa intelligit, quę per ſpecies cõnaturales ſibi repræſentantur, & illuminantur à lumine ſibi connaturali; alioquin fruſtra repræſentarẽtur, & illuminarentur. Sed ſpecies huic ſcientiæ cõnaturales, cum ex ſua natura in repræſentando ſint vniuerſales, repræſentant ſua obiecta concretè cum omnibus, cum quibus ſunt à parte rei; idque repræſentatione quadam naturali, & nõ libera. Non poſſunt igitur nõ repræſentare omnia in vniuerſum ſingularia, quæ actu exiſtunt. Quare ſpecies infuſa naturam humanam repræſentans non poterit nõ repræſentare omnes ſingulares homines, qui actu exiſtunt: & idem dicendũ erit de ſpecie, quæ repræſentat naturam leoninam, aut lapideam, & ſic de cæteris. Cũ verò lumen huic ſcientiæ cõnaturale ex ſua natura etiam ſit in illuminando vniuerſale, & non poſsit non illuminare omnia, quæ repręſentantur per illas ſpecies; vtique ſcientia illa omnium illorum ſingularium erit cognoſcitiua: etenim licet ſingularia omnium rerum naturaliũ ſint innumera, nunquam tamen actu ſunt infinita. Vtrùm verò beatus per hanc ſcientiam omnia illa ſimul intelligat; an vero modo hæc, modo illa? inferiùs explicabimus.

Cognoſcere poſſunt rerum naturalium ſingularia præterita.

77. Cognoſcũt præterita. ¶Quòd verò beatus omnium rerũ præteritarum, quas per hanc ſcientiam actu cognouit, meminiſſe poſsit; res eſt mihi indubitata: quid enim impedit? etenim naturale eſt ex præcedenti cognitione relinqui memoriam rei, quæ pręterijt. Obijcit tamen *Suarius in d. diſp. 27. ſect. 2. §. Ex his, quæ de futuris pag. 540. col. 2.*

Obiectio ex Suario. quoniam iſte modus cognoſcendi res præteritas pertinere non poteſt ad ſcientiam per ſe infuſam. Fundamentũ eſt; quoniã vt quis poſsit præteritorum recordari, neceſſarium eſt, vt ex vi præcedentis cognitionis aliquid in memoria relinquatur, quod ſit principium illius recordationis. Quo ſuppoſito, iam in hac cognitione aliquid admiſcetur ſcientiæ acquiſitæ, ſeu experimentalis; hoc autem, vt ait, repugnat ſcientiæ infuſæ. Soluitur. Hoc tamen fundamẽtum non omnino cõuincit cognitionem iſtam non poſſe pertinere ad ſcientiã per ſe infuſam: nam licet hæc ſcientia diſtincta ſit à ſcientia experimẽtali, quæ eſt habitus ex actuali experientia relictus; non tamen excludit omne, quod ex illa actuali cognitione relinquitur, quia nõ excludit, quòd ſpecies ex illa modificentur, vt poſsint repręſentare rem ſingularem ſub ratione iam cognitæ; ſub qua ratione ex actuali cognitione factæ ſunt ſpecies rememoratiuæ, poſſuntq; eſſe principia rememoratiuæ intellectionis: vnde hæc intelligendi ratio nõ repugnat ſcientiæ per ſe infuſæ. Non eſt igitur, quod aut in beato, aut in Chriſto Domino recurramus ad alium modũ cognoſcendi res præteritas per ſcientiam infuſam per ſe, ſaltem in ordine ad memoriam rerum pręteritarum, quæ per eandem ſcientiam actualiter fuerunt cognitæ: quidquid ſit de cognitione rerum, quæ verè ſunt præteritæ; à beato tamen non cognitæ: nam cum res iſtæ nũquam per ſpecies ſcientię infuſæ actualiter fuerint repræſentatæ (vt quia fuerũt, antequam beatus patriam ingrederetur) non potuerunt per ſuam cognitionẽ modificare ſpecies huius beati, vt memoriæ rationem conſequerentur. Imò nec earũ cognitio pertinere poteſt ad memoriam, ſed ad ſimplicem illarum cognitionem.

¶Vtrum verò beatus per ſcientiam infuſam cognoſcat res naturales pręteritas, quarum exiſtentia in ſpeciebus infuſis nunquam fuit repræſentata? quæſtio eſt digna ſcitu. 78. Vtrum cognoſcãt præterita quæ nõ cognouerunt. Partem affirmantem aliquis ex eo probabit; quod omnium præteritarum rerum cognitio fuit in Chriſto per ſcientiam infuſam, vt Theologi communiter docent, Fundamentũ affirmantis. inter quos eſt *Suarius in d. diſp. 27. ſect. 2. pag. 540. col. 2. §. Ex his, quæ de futuris, & Cabrera ad 3. p. in d. q. 11. art. 1. diſp. 3. n. 29. pag. 94. col. 2. & latiùs diſp. 9. per totam; & ſatis colliges ex Caietano in d. q. 11. art. 1. §. Ad 3. dubium, & ex Medina ibidem ad confirmationẽ 3. arg. pag. 274. col.* *Suarius. Cabrera. Caietan. Medina.*

col. 2. Cur igitur omnium ſingularium quocunque modo præteritorum cognitio non dabitur ſcientiæ infuſæ beatorũ? etenim eiuſdem eſt rationis cum ſcientia infuſa Chriſti, vt omnes agnoſcunt, vno excepto Scoto, & altero Durando.

79. Confirmatio. Confirmari id etiam poteſt; quia ſpecies ſupernaturaliter infuſæ, ideò, quia in ſua repræſentatiòne diuinam eſſentiam immitantur, ſunt adeò excellentes, vt poſsint eſſe principia cuiuſdam ſimplicis intuitus, qui verè habeat rationem cognitionis intuitiuæ; & vt repræſentent res quoad omnes cõditiones exiſtentiæ tam diſtinctè, & perſpicuè, ac ſi res ipſæ in ſe ipſis præſentes eſſent. Ob quam rationẽ repræſentant res cũ omnibus differentijs exiſtẽtiæ præſentis, præteritæ, & futurę. Quo nixi fundamẽto plures Theologorũ docẽt Chriſtũ ſecundũ ſcientiã inditã õnes res præteritas cognoſcere, quocũq; modo præterierint. De quo videndus eſt *Suarius loco citato.* (*Suar.*) Eodẽ igitur fundamẽto niti poteſt ſententia, quæ affirmauerit beatos per ſuã ſcientiã infuſam veluti intuitiuè cognoſcere omnes res naturales præteritas quocũq; modo ſint prçteritę.

80. Auctoris opinio. Ego tamen puto beatos per ſcientiam infuſam, ſeruato ordine cõnaturali illius ſcientiæ, non cognoſcere res præteritas, quarũ actualem cognitionẽ per eandem ſcientiã nõ habuerunt: fundamẽtum eſt, quia res illæ præteritę attento cõnaturali ordine talis ſcientiæ per ſe nõ continentur ſub cõnaturali illius obiecto: cũ talis præteritio per ſpecies inſuſas illius repræſentari non poſsit; nõ ob aliam rationem, niſi quia nunquã fuerũt actualiter repræſentatæ in illis ſpeciebus cum ſua actuali exiſtentia; inde enim habẽt vt nõ poſsint habere reprçſentationẽ illarũ ſub ratione præteritarũ, cum præteritio rei in ordine ad cognitionẽ nõ poſsit ſpeciebus cõueni re, niſi vt pertinent ad memoriã intellectiuam. Dixi, *ſeruato cõnaturali ordine ſciẽtiæ per ſe infuſæ*; quoniã non negabo poſſe Deũ ſupra cõnaturalem ordinẽ cognoſcendi illius ſciẽtiæ efficere, vt per illã res præteritæ, quæ nunquã per illas ſpecies fuerũt actu repſentatæ, de nouo cognoſcãtur: qa in illo cognoſcẽdi genere poteſt De⁹ beatis plura reuelare, & de facto plura reuelat eorũ, quæ ad ſtatũ beatitudinis veſpertinæ ptinent: de quo ſtatim plura.

81. Ad 1. arg. Quæ in contrarium adducuntur nihil efficiunt. Ad primum facilè admittimus, Chriſtum Dominum per ſuam inditam ſcientiam cognouiſſe omnium rerũ ſingularia quocunque modo præterita; inde tamen non benè inferri, cęteros beatos ea etiam omnia per ſuam infuſam ſcientiam cognoſcere: quia inter Chriſtum D. & cæteros beatos in hoc ſciendi modo longum eſt deſcrimen: nam cum Chriſto à Patre data ſit omnis poteſtas in cœlo, & in terra, vt dicitur *Matthæi vltimo*; omnia etiam ſubiecerit ſub pedibus eius, præter eum, qui ei ſubiecit omnia, vt dicitur 1. *Corint.* 15. *n.* 28. *& ad Hebræos* 2. *n.* 8. (*Matt. vlt. 1. Cor. 15. Ad Hebr. 2.*) Chriſtus habet non ſolum monaſticam, & politicam prudentiam, ſed etiam regalem, imò etiam monarchicam ad generalem totius vniuerſi gubernationem: vnde ad illius practicam cognitionẽ pertinet, non ſolùm præſentium cognitio, ſed etiã præteritorum, & futurorum: cum tamen prudentia beatorũ non adeò ſit vniuerſalis, vt ad practicam illorum cognitionem pertineant omnia prçterita, quocũq; modo illa præterierint. Quomodo autem Chriſtus ſua indita ſcientia cognoſcat omnia præterita, alterius eſt quæſtionis, de qua vide Suariũ, & alios, quos citauimus: mihi eorũ placet opinio, vt ad cognitionẽ eorũ, quæ per hanc ſcientiã actu nõ cognouit, fuerit neceſſaria diuina reuelatio; quæ eſt opinio cõmunis Thomiſtarũ, & magis arridet Suario in d. §. *Ex his, quæ de futuris.*

82. Ad confirmationem. Ad confirmationem dicimus, nõ eſſe admittendã in aliqua ſpecie per ſe infuſa (ſiue naturalis illa ſit, ſiue ſupernaturalis) explicatam excellentiam. Quod tanquã veriſsimũ ſupponimus: longiorem enim poſtulabat diſputationem, quæ ad materiam de ſcientia infuſa Chriſti pertinet.

Seruato ordine connaturali huius ſcientiæ, poſſunt cognoſci per eam aliqua futura neceſſaria ordinis naturalis.

83. De cognitione futurorum neceſſariorũ. ¶ Quòd beati pèr ſcientiam ſupernaturaliter inditam poſsint cognoſcere, & de facto cognoſcant ea futura, quæ à cauſa inuariabili, & omnino neceſſaria procedũt; apud omnes debet eſſe indubitatum: quod affirmat *Suarius in d. diſp.* 27. *ſect.* 2. *pag.* 537. *col.* 2. *poſt princip.* (*Suar.*) Quare poſſunt cognoſcere futuras ecclypſes Solis, &

lunæ ortus, & occaſus planetarũ: eorũq; oppoſitiones, & concurſus: cęteraq; omnia, quæ pendent à ſolo motu orbium cęleſtium. Hæc concluſio euidenter demõſtratur, quia effectus futuri huius generis ſunt cognoſcibiles ex ſuis cauſis per ſciẽtiam naturalem Aſtrologię, vt patet; atq; etiam ab Angelis ſua naturali ſcientia, vt omnes fatentur, & oſtendimus in materia de cognitione Angelorum: vnde ab ijſdem beatis per ſcientiam acquiſitam cognoſcuntur, vt inferiùs dicemus. Iam verò quæ per naturalem aliquam ſcientiam, ſiue acquiſitam, ſiue infuſam cognoſci poſſunt; poſſunt etiam cognoſci per ſcientiam per ſe inditam, & ſupernaturalem, cum ſit ſuperioris ordinis.

84. *Cognoſcũtur effectus cauſarũ impedibilium*

Et eadem ratione per hanc ſcientiam cognoſci poſſunt effectus futuri prouenietes à cauſis naturalibus naturaliter determinatis ad vnum; ex ſe tamen ab alijs cauſis impedibilibus; ob quam rationem tales effectus aliquo modo dici poſſunt cõtingẽtes, quales ſunt imbres, ſiccitates, & alij huiuſmodi effectus, qui in his inferioribus principaliter pendent à cœlo: hi enim licet pendeant à cauſis ad vnum determinatis, & quæ, niſi impediantur, per concuſum aliarum cauſarũ, neceſſariò effectus producent, quia tamen impediri poſſunt; ideò aliquo modo dicuntur contingentes. Quod verò huius generis effectus futuri poſsint cognoſci à beatis per ſcientiã infuſam, ijſdem medijs probatur, quib⁹ prior reſolutio probata eſt: etenim effectus iſti, ab Aſtrologis cognoſcũtur, & ab Angelis naturaliter certo cognoſci poſſunt: poſſunt enim cognoſcere cauſas iſtas ab inferioribus nõ eſſe à ſua actione impediendas, vt diximus in materia de cognitione Angelorum: ob quam rationem à beatis etiam cognoſcentur per ſciẽtiam acquiſitam. Iam verò quidquid per ſcientiam acquiſitã aut naturalem determinatè cognoſci poteſt; perfectius, clari⁹, & certius poteſt cognoſci à beatis per ſcientiam infuſam, cum ſit ordinis altioris:

85. *Quomodo effectus futuri cognoſcantur.*

Tota difficultas poſita eſt; an per hanc ſcientiam cognoſci valeant effectus futuri huius generis cognitione diſtincta quo ad principia indiuiduãtia cuique propria, quibus à cęteris indiuiduis diſtinguũtur? Ratio dubitandi eſt; quoniam hi effectus quoad ſuas ſingulares, & indiuiduales ꝓprietates, antequam exiſtant, non poſſũt determinatè, atq; diſtinctè repræſentari per ſpecies infuſas huius ſcientiæ. Ergo antequam exiſtant, non poſſunt à beatis diſtinctè cognoſci quoad indiuiduales ꝓprietates. Conſequentia eſt nota; quoniã nihil à quocunque intellectu, & per quãcunque ſcientiã cognoſci poteſt, niſi per ſpecies, in quibus repræſentetur. Antecedens vero ex eo probatur: quoniã ſpecies quantumcũque infuſæ ſint, & ordinis ſupernaturalis, nihil habent, à quo determinẽtur ad repræſentandũ indiuiduales proprietates huius effectus futuri: etenim nõ poteſt determinari ad illarum repræſentationẽ per repręſentationem ſuę cauſę: quoniam cauſa illius effectus ſingularis ex ſe ipſa indeterminata eſt ad producendũ hũc, aut illum numero effectũ; etiã prout in hoc inſtanti cum his numero circũſtantijs ſumitur: adhuc enim cũ illis indeterminata eſt ad plures, imo ad infinitos effectus; vnde nõ poteſt determinari ad hunc potiùs, quàm ad illũ, niſi à libera Dei volũtate, vt verior habet opinio: qua ſuppoſita, licet cauſa productiua huius effectus neceſſario ſit determinata ad producẽdum effectũ huius ſpeciei; eſt tamen indeterminata ad hunc potius effectum, quàm ad illũ, & determinatur per ſolam liberã Dei voluntatem: cum verò Dei voluntas à beato non cognoſcatur; nõ poteſt ſpecies infuſa determinari ad repræſentandũ hunc ſingularẽ effectũ ſecũdũ ſingulares, & proprias illi⁹ cõditiones. 86. *Probatur antecedẽs.*

87. *Opinio auctoris.*

Sed non obſtante hac difficultate, dicẽdum puto, beatum per ſuam infuſam ſciẽtiam cognoſcere hos neceſſarios, & futuros effectus cognitione diſtincta quoad ꝓprias, & ſingulares cuiuſq; cõditiones. Quam opinionem non poſſunt non probare, qui docent, futura contingentia per hanc infuſam ſcientiã poſſe cognoſci; & à fortiori eã probabunt, qui volũt futura cõtingentia ordinis naturalis ab Angelis naturaliter cognoſci, ſaltẽ cognitione abſtractiua; quos referũt *Cumel. 1. p. q. 57. ar. 2. q. 2. concl. 3. & Bañes ibidẽ dub. 2. §. Propter hæc argumenta*, & quanuis hæc noſtra opinio nõ poſsit efficaciter probari; ſatis eſt, vt dicatur ꝓbabilis, quoad perfectionem ſcientiæ inditæ pertineat, nec ꝓbari poſsit impoſsibilis. Ad rationem verò dubitandi negandũ eſt antecedens: ad cuius proba- *Cumel. Bañes.* *Ad rationẽ dubitand.*

probationem negandum etiam eſt, ſpecies infuſas huius ſcientiæ nihil habere, à quo determinentur, quoad repræſentationem proprietatum indiuidualium effectus neceſſariò futuri: nam cum ſciẽtia beatis indita illis conueniat ratione ſcientiæ beatæ, adeò, vt à pleriſq; dicatur eius proprietas; vtiq; ſpecies illius ab ipſa ſciẽtia beata in repræſentando determinabũtur, vt. ſ. repræſentent obiecta eo modo, quo à ſcientia beata videntur. Quare cũ effectus iſti neceſſariò futuri per ſcientiã beatam diſtinctè cognoſcãtur, vt oſtẽdemus in ſequenti libro; hinc eſt, vt Deus ſpecies huius ſciẽtiæ, quãdo eas infundit, in repræſentando determinet ad modum ſcientiæ beatæ, vt ea repræſentent, quæ per beatam ſcientiam per ſe videntur. Et inde eſt, vt hæ ſpecies diuinam ipſam eſſentiam quidditatiuè repræſentent; abſtractiuè tamen, vt inferiùs dicemus.

88. Quomodò hi effectus cognoſcuntur.

Si inquiras; quomodò iſti effectus per hanc ſcientiam cognoſcantur? an ne intuitiuè, an ſolùm abſtractiuè? res eſt controuerſa, ſi expendamus, quæ de hac ſciẽtia in Chriſto ſcribunt Theologi. Qui volunt, Chriſtũ eam cognoſcere per modũ cognitionis intuitiuæ; affirmabunt, beatos per hãc ſcientiã intuitiuè cognoſcere iſta futura. Qui verò Chriſto ſolũ concedunt cognitionẽ abſtractiuã claram, & diſtinctam futurorũ cõtingentium; media tamen reuelatione à Deo facta; eandem cognitionẽ beatis concedent. Ego nec in Chriſto, nec in beatis horum futurorum cognitionem intuitiuã admitto, ſed ſolã abſtractiuam, vt de cognitione futurorũ cõtingentiũ ſtatim dicam. Sed nec video, quomodo ad hanc cognitionẽ neceſſaria ſit noua reuelatio; cùm ad illam ſatis ſit repræſentatio facta per ſpecies infuſas.

Opinio auctoris.

Seruato ordine connaturali huius ſcientiæ, beati per eam nulla futura contingentia poſſunt cognoſcere, benè tamen, quæ à Deo liberaliter reuelantur.

89. De cognitione futurorum contingentiũ.

¶ Supereſt explicare; an beati poſsint cognoſcere futura contingentia, ſiue quę contingenter fient à cauſa naturali; ſiue quæ liberè fient à voluntate? Rationem dubitandi facit, quòd communis ſententia admittit, Chriſtum per ſuam inditam ſcientiam cognoſcere futura contingentia tàm naturalia, quàm libera: ita enim docuit *D. Thomas 3. p. q. 11. artic. 1. ad 3.* dùm generaliter ſcribit, Chriſtum cognoſcere ſingularia præterita, præſentia, & futura: ex quibus verbis omnes Thomiſtæ conſtanter docent, Chriſtum per ſcientiam inditam cognoſcere futura cõtingentia, etiam libera, vt patet ex *Caietano ibidem ad finem commenti, § Ad tertium dubium*, quatenus generaliter docet, animam Chriſti per hanc ſcientiam cognoſcere omnia, quæ Deus ſcit, ſcientia viſionis, vna tantùm excepta diuinæ eſſentiæ viſione: vbi in terminis *Medina ad 4. arg. in 2. difficultate illius, §. Ad ſecundã difficultatem, pag. 275. col. 1. in fine, vbi etiã Cabrera diſp. 4. concl. 3. n. 17. pag. 69. col. 2. Suar. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 2. §. Dico ſecundò, pag. 538. col. 1. ſatis ſupponit Bellomont. ad 3. p. diſp. 53. n. 12. & 13. pro eadẽ ſententia Suarius citat Scotum in 4. diſt. 14. q. 3. & Durandum q. 4. n. 6. & Marſilium q. 10. art. 2.* ſed in illis nihil inuenio de cognitione futurorum contingentium; communis tamen opinio horum cognitionem admittit in Chriſto per ſcientiam inditam. Admittenda eſt igitur in beatis ſecundum eandem ſcientiam; cum in Chriſto, & in beatis ſcientia infuſa ſit eiuſdem rationis.

D. Thom. — Caietan. — Medina. — Cabrera. — Suarius. — Bellomon.

Qui hanc difficultatem de ſcientia beatis infuſa diſputarit, nullum inueni. Eam tamen ita puto eſſe reſoluendam; *vt ſeruato connaturali ordine huius ſcientiæ beati per eam nulla futura contingentia poſsint cognoſcere: benè tamen ſi aliquorum futurorum eis fiat libera reuelatio.* Priorem aſſertionis partem omiſsis alijs ita cõfirmo: quoniam ſeruato naturali ordine huius ſcientiæ, nulla futura contingentia poſſunt determinatè repræſentari per ſpecies illius infuſas. Ergo ſeruato naturali ordine, nulla futura contingentia poſſunt per eam à beatis cognoſci. Conſequentia ex eo patet; quia hæc ſcientia nihil poteſt cognoſcere; niſi quod per ſpecies proprias repræſentatur. Antecedens verò ex eo oſtenditur; quoniam ſpecies infuſæ huius ſciẽtiæ nihil habent, à quo poſsint determinari ad repræſentanda hęc futura: nec enim determinari poſſunt ex repræſentatione ſuæ cauſæ; quia illa in ſe nullam habet determinatam habitudinem ad aliquod futurum: ſed ad illud contingenter ſe habet, ita vt poſsit, & non poſsit

90. Auctoris opinio. — 1. pars. — Confirmatio.

poſsit illud cauſare; nec enim aliquod habet determinatum medium, per quod certò cognoſcatur. Nec etiam ſpecies illę determinari poſsũt ex determinatione ſcientiæ beatæ; licet ab ea poſsint determinari, vt ſuprà oſtendimus; etenim futura contingentia per viſionem beatam non neceſſariò videntur, ſed liberè, & per nouam reuelationem, vt in ſequenti lib. dicemus. Ergo repręſentatio harum ſpecierum ex ſcientia beata determinari nõ poteſt ad aliquod futurum contingens. Quare cum ex ſe non ſint determinatæ ad repræſentationem alicuius futuri contingentis; vtique ſeruato connaturali ordine huius ſcientiæ, nullum futurum cõtingens per eam cognoſci poteſt.

91. 2. pars. Et inde eſt, vt viri doctiſsimi doceant, ad cognoſcenda futura contingentia, pręter ipſas ſpecies infuſas, neceſſarium eſſe aliquod medium, quod oſtendat connexionem illorum ad futuritionem: hoc autem medium eſſe nouam aliquam reuelationem, quam in Chriſto putant eſſe neceſſariam ad futurorum contingentiũ cognitionem; inter quos eſt *doctiſsimus Suarius in d. diſp. 27. ſect. 2. §. Secundus modus explicandi pag. 539. col. 2.* Ego tamen in Chriſto nõ admitto vllam ſuperadditã reuelationem eſſe neceſſariam; benè tamen in beatis. Rationem diſcriminis inde ſumo; quoniam ſpecies ſcientiæ Chriſti abſque vlla reuelatione ſunt determinatæ ad repræſentandum futuritionem contingentium futurorum; idque ex ipſa beata Chriſti ſcientia: hæc enim à principio conceptionis terminata eſt ad omnia futura contigentia: ſiquidem omnia ſtatim vidit ex vi ſuæ viſionis; nec de nouo aliquid in Deo vnquam cognouit; quod ſupponimus, tanquam receptiſsimum; nec ſine fundamento, quoniam cognitio omnium futurorum contingentium à primo inſtanti conceptionis ad ſtatum Chriſti pertinuit; cum ſtatim pater ei monarchiam totius vniuerſi commiſerit. Cum verò, vt ſuprà diximus n. 87. repræſentatio ſpecierum ſcientiæ infuſæ per ſe determinetur à ſcientia beata, quoad ea, quæ per eam per ſe videntur; ſpecies ſciẽtiæ Chriſto infuſæ in ipſa ſua infuſione ſtatim fuerũt determinatæ ad diſtinctè repræſentandum omnia futura contingentia: iam verò vbi ſpecies determinatæ ſunt ad repræſentandũ obiectum, nulla datur neceſsitas nouæ reuelationis. Oppoſitum reperitur in beatis: nam cum non omnia futura contingentia ad eorum ſtatum pertineant, non omnia ſtatim à principio ſuę beatitudinis viderunt in verbo; ſed plura de nouo, & ſucceſsiuè. Ob quam rationem ſpecies infuſæ beatis in prima ſui infuſione nõ fuerunt determinatæ ad repræſentandum omnia futura contingentia; ſed ad ea tantùm, quæ à principio in Deo viderunt.

Suar.

Auctoris opinio.

92.

Et inde eſt, vt ad ea, quæ de nouo cognoſcunt, indigeant ſuperaddita reuelatione, vt per illam determinentur ad repræſentanda futura, quæ Deus vult de nouo reuelare. Quare apud eos, qui putant, beatos in principio ſuæ beatitudinis non videre omnia futura, quæ ad ſuum ſtatum pertinent; ſed de nouo aliqua ſibi reuelari, antequam fiant ſpecies ſcientiæ infuſæ ex ſe nulla futura contingentia repræſentant; & ideò ad illorum cognitionem noua indigent reuelatione. Non ſic dicendum eſt apud eos, qui volunt, beatos ſtatim à principio ſimul videre in verbo omnia futura contingentia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent: hac enim ſuppoſita opinione, ſpecies infuſæ in ipſa infuſione determinatæ erunt ad repræſentanda futura contingentia huius generis; & ideò ad illorum cognitionem non indigent noua reuelatione: ſecus verò ad cognoſcenda ea, quæ ſucceſſu temporis ex libera Dei voluntate reuelabuntur. Hæc mihi videtur optima huius difficultatis reſolutio.

Ad quæ ſit neceſſaria noua reuelatio?

Si verò inquiras, quomodò per nouam reuelationem futura contingentia à beatis videantur? Reſpondebo ea videri eo modo, quo ſingularia videntur apud eos, qui ſpecies proprias ſingularium non admittunt: hi enim volunt ſingularia cognoſci per ſpecies vniuerſales determinatas per propria ipſorum ſingularium phãtaſmata, prout cum ijſdem continuantur, vt videre eſt apud *Conimbricẽſes 3. de Anima c. 5. q. 3. art. 1. in 3. arg. & artic. 3. ad 3:* eodem igitur modo beatus intelliget futura contingentia per ſpecies ſibi infuſas; determinatas tamen per ipſa futura per reuelationem illis intelligibiliter coniuncta: qua reuelatione Deus mouet intellectum beati ad formandum proprium, & diſtin-

93. *Quomodò cognoſcantur, quæ reuelantur?*

Conimbr.

diſtinctum conceptum ſingularis contingenter futuri: facta autem hac ſpecierum determinatione, lumen beatis infuſum illuminabit ipſum futurum, non ſolùm quoad certitudinem futuritionis reuelatæ, ſed etiã quoad indiuiduales ipſius futuri proprietates, vt diſtinctè cognoſcatur.

94. An futurũ contingens intuitiuè cognoſcatur. Si rurſus inquiras; an futurum iſtud contingens abſtractiuè tantum cognoſcatur à beatis; an verò intuitiuè? fortè non deerit, qui affirmet, cognitionem huius futuri eſſe per modum intuitiuæ cognitionis: & quamuis nullus in cognitione futurorum, quæ datur in beatis, hanc opinionem probet; (quia nullus eam excitauit;) poterit tamen eam affirmare his ductus fundamentis: quoniam talis cognitio à quibuſdam admittitur in Chriſto; eam enim admittit *Caietanus 3. p. q. 11. ar. 1. §. Ad ſecundum verò dubium*; cuius opinionem eſſe probabilem fatentur *Medina ibidem ad quartum pag. 274. colum. 2. in fine, & Suarius in dicta diſp. 27. ſect. 2, §. Et hic modus dicendi.* Cur igitur non dabitur in beatis? etenim ſcientia infuſa Chriſti, & beatorum eſt eiuſdem rationis. *Caietan. Medina. Suarius.*

95. 2. Confir. Eandem ſententiam ex eo poterit confirmare; quoniam cum Deus hæc futura intueantur, nulla videtur eſſe implicatio, quòd eorum intuitiuam cognitionem intellectui creato communicet, ſicut communicatur beatis per viſionem beatam.

96. 3. Confir. Accedit tertio; quoniam hanc intuitiuam cognitionẽ communicari beatis per ſcientiam infuſam; nec repugnat ex parte cognoſcentis, nec ex parte obiecti. Cur igitur non communicabitur, ſi hæc communicatio ad illorum perfectionem pertinet? Quod non repugnet ex parte cognoſcentis, & ex parte eorum, quę ex parte illius ſe tenent, ex eo probatur; quia ex parte cognoſcentis dantur, tùm ſpecies, tùm lumen. Iam verò per ſpecies ſupernaturales, quæ ad quandam immitationem diuinæ eſſentiæ infunduntur, poteſt repræſentari futurum contingens, quoad omnes ſuas conditiones; ſicut etiam repræſentatur per diuinam eſſentiam? Lumen etiam ſupernaturale infuſum beatis, cum à lumine diuino ſit participatũ, vim habet ad penetrandum, & iudicandum, nõ ſolùm, quòd futurum contingens poſsit eſſe, ſed etiam, quòd actu futurũ ſit, idque per modum cuiuſdam ſimplicis intuitionis, quæ verè habeat rationem cognitionis intuitiuæ; ideo, quia attingit rem ipſã futuram ſecundùm omnes conditiones exiſtentiæ, tam diſtinctè, ac ſi eſſet realiter exiſtens. Quòd verò talis communicatio non repugnet ex parte obiecti, inde oſtendi poteſt; quoniam ex parte obiecti ſolùm requiritur, quòd illud ſit cognoſcibile. Iam verò futurum contingens in ſe eſt quoddam cognoſcibile, etiam ſi non exiſtat: nam rem iſtam eſſe futurã, à parte rei eſt verum: omne autem verum in ſe eſt cognoſcibilè, vt vera docet Metaphyſica; nam ob hanc rationem hoc eſſe futurum certò cognoſcitur à Deo: nec de hoc quiſquam poteſt dubitare; quamuis dubitari poſsit, vnde nam Deus hanc veritatem cognoſcat. Ex his iam patet cognitionem intuitiuam futurorum contingentium poſſe communicari beatis ſecũdum ſcietiam inditam. Cur igitur non cõmunicabitur?

Hæc tamen ſententia in beatis nõ eſt recipienda: primò; quia in Chriſto communiter cẽſetur difficilis, vt putat Suarius vbi ſuprà, vbi multis contra eam arguit. Eandem abſolutè non recipit *Medina loco citato §. ſecundo dico pag. 275. col. 1. poſt med.* Eam tanquam impoſsibilem reijcit *Cabrera vbi ſuprà diſput. 4. concl. 1. num. 10. cum ſequentibus*, affirmans cõmunẽ Theologorum eam reijcere in Chriſto. A fortiori ergo reijcienda eſt in beatis. Imò licet in Chriſto admitteretur; non proinde in beatis admittenda foret, propter diſparem rationem: nam cum in Chriſto reconditi ſint theſauri ſapientiæ, illi tribuenda fuit ſcientia infuſa abſque vlla diminutione: & inde eſt, vt anima Chriſti abũdantius, & plenius cæteris omnibus omnia cognouerit, vt aſſerit *D. Thomas in dicta q. 11. art. 1.* Sed quidquid de hoc ſit ego puto, hanc ſententiam, nec in beatis admittendã eſſe, nec in Chriſto: vnicum illius fundamentum ſit, quia nulla notitia poteſt eſſe intuitiua, niſi ſit rei præſentis, vt præſens eſt: & oppoſitum verè implicat, vt alibi oſtendimus. Oppoſitũ nõ probant rationes allatæ. Ad primam dicimus, opinionem illam, etiam in ſcientia Chriſti eſſe falſam: & quamuis vera eſſet; inde non benè argueretur ad ſcientiam beatorum, vt diximus. Ad ſecundam admittimus, Deum futura illa, quæ nobis

97. Non recipitur in beatis. *Medina. Cabrera.* *D. Thom.* 98. Ad 1. obiec. Ad 2.

ſunt futura, intuitiuè videre, ideò quia æternitati coexiſtit tempus, in quo nobis ſunt præſentia, vnde Deo ſemper ſunt præſentia: hoc autem communicari non poteſt alicui cognoſcenti creato, cum illius cognitio per ſe non menſuretur æternitate, vt alibi oſtendimus.
Ad 3. Ad tertiam dicimus, illam cognitionem repugnare, & ex parte cognoſcentis, & ex parte cogniti, ex parte quidem cognoſcentis: quia cognitio intuitiua illius intrinſecè habet, quòd non terminetur, niſi ad rem præſentem. Fatemur igitur cognitionem diſtinctam illius futuri non repugnare cognoſcenti; quia verè per ſuas ſpecies, & per ſuum lumen poteſt futurum illud cognoſcere cognitione abſtractiua: aſſerimus tamen: & cognoſcenti, & ſpeciebus eius, atque lumini repugnare, quòd intuitiuè cognoſcat, quod in ſe non eſt præſens. Et eodem modo dicimus abſolutè loquendo nō repugnare futuro contingenti, vt ſub ratione futuri ſit cognoſcibile: repugnare tamen, vt ſit cognoſcibile cognitione intuitiua: ad hanc enim non ſatis eſt, quòd abſolutè ſit cognoſcibile; ſed oportet, vt in ſua actuali exiſtentia cognoſci valeat: vnde nec à Deo intuitiuè cognoſcitur, niſi prout Deo eſt præſens, pro illa temporis differentia, in qua verè exiſtit.

99. Reſolutio. Dicendum eſt ergo, & futurum contingens à beatis quidem diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci, vt iam oſtendimus; cognoſci tamen cognitione abſtractiua per ſpecies determinatas ad repræſentationē illius, vel per beatā ſcientiā, vel per reuelationem ſuperadditam, vt ſuperius explicauimus. Quę opinio confirmatur; quia communis Theologorum probat, Chriſtum futura contingentia cognoſcere, nō intuitiuè, ſed abſtractiuè, vt videre eſt apud Medinam vbi ſuprà in dicto §. *Secundo dico, &* Suarium in d. diſp. 27. ſectio. 2. §. *Secundus modus explicandi*, pag. 539. col. 2. & Cabrerā in d. diſp. 3. concl. 1. 2. & 3. Contra quam ſententiam nihil obijci poteſt, quod facilè non ſoluatur.

Per hanc ſcientiam cognoſci cogitationes cordium.

100. Quæſtio optima. ¶ Inquiri conſequenter poteſt; vtrùm beati per ſcientiam infuſam cognoſcunt cogitationes cordium? id eſt omnes actus liberos, tàm intellectus, quàm voluntatis. De qua difficultate nullum, quem viderim, diſputat: quia omnes eam inquirunt ſolum de Chriſto. Sed quoniam plura cōueniunt Chriſto ſecundum ſuam inditam ſcientiam, quæ non conueniunt ſcientiæ inditæ beatorum; oportet hanc difficultatem in illis explicare.

Partem negantem ita poſſumus confirmare: 101. Pars negās. quoniam ex communi doctrina Patrum ſolus Deus poteſt cogoſcere cogitationes cordium. *Ita Athanaſius in quæſtionibus Sacræ Scripturæ q. 27. Auguſt. Pſalm. 7. ad illa verba: Scrutatur corda, & renes Deus, Gennadius apud Auguſt. de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 80. Cyril. lib. 2. in Ioanuem c. 37. & lib. 3. c. 3. Hieronymus lib. 3. in Ieremiam cap. 17. & lib. 4. in Ezechielem c. 14. Chryſoſtomus homilia 23. in Ioannem poſt principium.* (*Athanaſ. Auguſt.* Gennadius *Cyril. Hierony. Chyſoſto.*) Quod etiam probatur ex pluribus Scripturæ locis: nam 1. Regum 16. (*1. Reg. 16. 3. Reg. 7. 2. Parel. 6*) *Homo videt, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 3. Regum 8. *nu.* 39. *Quia tu noſti ſolus cor omnium hominum.* Similia verba ponuntur 2. Parelipomenō 6. num. 30. Denique Actorum 1. *Tu cognoſcis corda ſolus.* Confirmari poteſt; quia non deſunt, qui negent Chriſtum per ſuam ſcientiam inditam cogitationes cordium cognouiſſe; etenim Cabrera in dicta q. 11. art. 1. diſp. 3. num. 8. affirmat, id negaſſe Scotum in 3. diſt. 14. q. 3. & Durandum q. 3, & Gabrielem q. 1.

Ego tamen puto, beatos per hanc ſcien- 103. Confirm. Auctores opinio. tiam cognoſcere omnes cogitationes cordium: & quamuis neminem legerim, qui hanc opinionem in beatis probet; ex eo tamen mihi videtur probabiliſsima; quia communis Theologorum hoc concedit ſcientiæ inditæ Chriſti Domini: *Ita in terminis Caietanus 3. p. q. 11. art. 1. §. Ad tertium dubium*, (Chriſtus cognouit cogitationes. *Caiet. D. Thom.*) vbi docet. D. Thomam ibidem mutaſſe ſententiam, quam probauit *de veritate q. 20. art. 6.* vbi Chriſto denegauit cognitionem iſtam, ob quam rationē ferè omnes pro hac opinione, citant D. Thomam in dicto art. 1. nam quamuis in terminis non agat de cogitationibus cordium; generaliter tamen docet, Chriſtū per hanc ſcientiam cognouiſſe omnia ſingularia, quæ pertinent ad cognitionem, vnde omnes D. Thomæ diſcipuli in hac ſunt opinione, (*Medina.*) & præter Caietanum *ita ſcribit Medina ibidem in principio Commen*

ti

ti, Cabrera diſp.3.concluſione 1.num 14. &
Suarius. *[illegible]quam notum docet Suarius ad tertiam par*
Durand. *tem diſp.27.ſect.2.§.Dico ergo primo pagin.*
537. expreſſè Durandus in tertio diſtinctio.
14.q.3.num.6. Sed quia fortè non valebit conſequentia à ſcientia indita Chriſto ad ſcientiam inditam beatis, propter diuerſam rationem, quæ in Chriſto reperitur: ad cuius cognitionem practicam omnia pertinent; Cum tamen cognitio cordis non pertineat ad cognitionem practicam, quæ eſt in beatis: ideo hæc opinio alio
104. medio oſtendenda eſt.

Fundamentum opinionis. Ego hoc vnum puto ſatis efficax: quoniã vel cogitationes cordium non ſunt naturaliter occultæ; vel ſi ex ſua natura occultæ ſunt, non ſunt tales, niſi in ordine ad naturalem cognoſcendi virtutem, nõ verò ad virtutem cognoſcendi ſupernaturalem. Quare non eſt, quòd negemus, beatos poſſe eas cognoſcere per ſcientiam inditam, quod facilè oſtendemus, ſi opiniones de cognitione horum actuum percurramus.

105. Et quidem nõ poſſet noſtra reſolutio non eſſe vera, ſi vera foret opinio, quòd cogitationes cordium, & poſſunt ab Angelis naturaliter cognoſci, & de facto naturaliter cognoſcuntur: nã beati per ſuã ſcientiã infuſam cognoſcunt omnia, quæ & ab hominibus, & Angelis naturaliter ſunt cognita: etenim per ſcientiam ſuperiorem, & vniuerſaliorem cognoſcuntur obiecta inferiorum. Porrò quòd cogitationes cordium ab Angelis naturali-
Fr.Franſ. à Chriſto. ter cognoſcantur, docuit doctiſsimus præceptor meus noſter Franciſcus à Chriſtò in hac Conimbricenſi Vniuerſitate Veſperius emeritus, dum Scotum interpræ-
Durand. taretur *in 2.diſt.9.* & conſentit *Durãdus in 2.diſt.3.q.7.n.18.* & eãdẽ putat eſſe verã ſi cogitationes cordis inter ſe differunt
106. ſpecie, vt patet *in 2.di.8.q.5.n.11.& ad 2.*

Idem dicendum eſt apud eos, qui cum prima ſententia concedunt, Angelum habere naturalem potentiam ad cognoſcendas cordium cogitationes; de facto tamen eas non cognoſcere, quia Deus hanc cognitionem ſibi reſeruauit; & ideo ſtatuit, ad
Ocham. eam non concurrere cum Angelis. Quã
Gabriel. opinionem expreſſè docuit *Ocham.in.2.*
Maior. *diſt.9.q.20.& Gabriel ibibem q.2.ar.2.& Maior q.1.cum eodem Gabriele in Canone Miſſæ lect.31.litera L.* ſatis id docuit *Scotus in 4.diſt.10.q.8.ad 3.litera M. & ſatis*
clarè in reportatis in 2.diſtin.9.q.2. & com- *Scotus.*
munis doctrina Scotiſtarum, de qua Mayro- *Mayron.*
nius in dicta diſt,9.q.1. difficul. 1. Ouandus *Ouand.*
in 2.diſt.8,propoſ.9.& 10.Herrera ad ſecun *Herrera,*
dum.Scoti diſp.11,q.7.concluſ.5.pag.438. *Rada.*
Rada 2,p.controuer.8.art.3.concl.4. pagina 245. Suppoſita autem hac opinione, non improbabiliter cõuincitur, beatos ſua ſcientia infuſa de facto cognoſcere cordium cogitationes: quia licet expediens fuerit, Deum hanc cognitionem noluiſſe concedere ſcientiæ naturali: tamen ſine vllo probabili fundamento affirmabitur, decens etiam fuiſſe, Deum eandem cognitionem ſibi reſeruare in ordine ad ſcientiam ſupernaturalem beatorum: nam ſine fundamẽto dubitabitur, an ea animę Chriſti fuerit conceſſa.

107. Noſtra etiam reſolutio eodem fundamento vera erit, apud eos Thomiſtas, qui docent, Angelos ideo non cognoſcere cogitationes cordium, quãuis ab illis ſint naturaliter cognoſcibiles, quia Deus naturales earum ſpecies à principio illis non infudit; ſed ſtatuit, eas ſolum infundere, cum Angeli eas ad alios per modum locutionis dirigerent. Hanc opinionem nonnullis Thomiſtarum eſſe probatam teſtatur *Molina 1.p.q.57.art 4.§.Sunt nonnulli ex Sectatoribus pag.629.col.2.* Apud quos cauſa per ſe, cur Angeli cordium cogitationes non cognoſcunt, non eſt alia, niſi carentia ſpecierum, in quibus ſingulæ cõgitationes repræſententur. Quæ ratio ceſſat in beatis: nam ſpecies ſcientiæ inditæ infunduntur illis ſtatim à principio beatitudinis; & nulla infunditur de nouo. Vt omittamus quòd nulla datur ratio, cur iſtum ordinem Deus ſtatuerit in beatis cũ
magna talis ſcientiæ imperfectione. 108.

Ob quam rationem noſtra reſolutio vera erit, ſi admittatur eorum ſententia, qui volunt, cogitationes cordium in ſua entitate ab Angelis naturaliter videri; nõ videri tamen earum determinationes, &
voluntatis intentiones, quãm doctrinam *Aegidius.*
ſcribunt *Ægidius in tractatu de cognitione* *Henric.*
Angelorum q.11. & in 2.diſt.7.q.2.art.2. *Heruæus:*
Henricus quodlib.3.q.13.& Heruæus in 2, diſt.8.q.3: etenim cum determinationes illarum entitatum contineantur ſub obiecto ſcientiæ ſupernaturalis (nam fuerunt à Chriſto cognitæ) non eſt, cur ſcientiæ

entiæ beatorum cognitio illarum denegetur, cum hoc ad perfectionem ſcientię pertineat.

109. Sed noſtræ reſolutioni adhuc datur locus apud communem, & veram ſententiam, quæ docet, cogitationes cordiũ omni naturali cognitioni eſſe occultas, & ideo non poſſe ab Angelis naturaliter cognoſci. Quæ opinio probata fuit *D. Thomæ 1. p. q. 57, art. 4. & lib. 1. contra gentes c. 68. & lib. 3. cap. 154. & de Veritate q. 8. art. 13. & de malo q. 16. art.* 8. Conſentiũt omnes Thomiſtæ. *Capreol. in 2. diſt. 8. q. 1. Hiſpalenſ. ibidem q. 1. Caietanus 1. part. q. 57. art. 4. Cumelius ibi q. 1. Bañes dub. 1. latẽ Ferrarienſis 3. contra gentes cap. 154. ex aliis Alenſis 2. p. q. 26. Membro 3. D. Bonauentura in 2. diſt. 8. art. 4. q. 6. Richardus ar. 2. q. 4. Albertus Magnus art. 10. & in tract. de quatuor Coæius q. 5. art. 12. Gregorius in 2. diſt. 9. q. 1. Angles in 2. diſt. 3. q. 4. difficultate 11. Marſilius in 2. q. 6. art. 2. Palatius in 2. diſt. 8. q. 1. Molina 1. p. q. 57. art. 4. cum cæteris, quam opinionem, tanquam veriſſimam probauimus in 2. diſt. 9.* Ex qua noſtra reſolutio efficaciter confirmabitur, ſi expendamus rationes, quibus hi Authores probant cogitationes cordis ex ſua natura eſſe naturaliter occultas.

D. Thom. Capreol. Hiſpal. Caietan. Cumel, Ferrarien. Alenſ. D. Bonau. Richard. Abertus. Marſil. Palatius. Angles. Molin.

110. *Probatur ex Alenſi.* Nam ſi cum Alenſi loco citato dicas, conceptus cordis ideò eſſe occultòs; quia habent inſignem quandam ſimplicitatẽ ex eo, quod ſunt ex libero arbitrio; vt illãm ſimplicitatem in illis admitteremus; illa ſolùm argueret occultationem in ordine ad ſcientiam naturalem; non verò ad ſupernaturalem, & diuini ordinis: nã quę ſupernaturalia ſunt, & diuina, longè ſũt ſimpliciora ijs, quæ in naturali ordine ſũt ſimpliciſsima.

111. *Marſil. & Hiſpal,* Si verò dicas, occultationem horum actuum per ſe pendere à libera voluntate ipſius intelligentis; vt occultentur, ſi voluntas vult eos occultari; noti fiant, ſi volũtas vult eos innoteſcere (*quod placuit Marſilio, & Hiſpalenſi*) vt hoc tibi, concederetur, (quod tamen concedendum nõ eſt) in hoc ſolo ſenſu concedi debet; vt voluntas actus illos occultare valeat reſpectu luminis naturalis; non verò ſupernaturalis, & infuſi, *vt benè aduertit Suarius in dicta diſp, 27. ſect. 2. pag. 538. col. 1. A.* improbabile enim eſt, quòd Deus hanc vim occultandi dederit volũtati creatæ in ordine ad lumen diuinum, quod vim intuendi à lumine increato participat.

Suarius.

112. *Probatur ex ſententia communi.* Solùm reſtat communis, & vera cauſa, cur cogitationes cordium naturaliter ſunt occultæ: ideò enim tales ſunt; quia ex ſe vendicant ſibi medium locum infra ſupernaturalia ſecundũ ſubſtantiã, gratiã ſ. & charitatem, & ſuprà naturalia ſimpliciter, qualia ſunt entia non libera; ita vt nec ſint ſupernaturalia, nec ſimpliciter naturalia: ſed ſint naturalia quidem ſecundum ſubſtantiam; at tamen ideo ſupra naturam, quia libera: etenim ex eo, quod ſunt actus liberi, ex ſe vendicant nõ deſpendere in exiſtendo ab aliqua cauſa externa; ſed à voluntate, & à Deo: vnde vẽdicant ſibi ordinem quendam intra ſphęram naturalium ſuo modo ſuperiorem, vt colliges ex *Caietano in dicta q. 57. ar, 4. & ex Bañes. & Cumelio ibidem, qui hanc doctrinam nituntur colligere ex D. Thoma in dicto art. 4, & de malo art. 8. ad 12. & de Veritate q. 8. artic. 13.* & quamuis Caietanus cum cæteris huius doctrinæ nullum adducat fundamentum; hoc tamen mihi videtur ſatis probabile: quia actus iſti ideo, quia ſunt liberi, continentur intra ordinem entium moralium: ſunt enim capaces bonitatis, & malitiæ moralis: iam verò ordo moralis eſt medius inter ſimpliciter ſupernaturalia, & ſimpliciter naturalia: & inde eſt, vt ſimpliciter naturalia cũ ſimpliciter ſupernaturalibus copulari valeant medio ordine morali: etenim media horum actuum moralitate meritoriè con ſequimur ſupernaturalia. Quare nõ improbabiliter dici poteſt entia libera ſuo modo habere infimum locum inter ſuper naturalia; ſupremum autem inter naturalia; ob quam rationem aliquo modo dici poſſunt ſupra naturam. Si placet hæc opinio, quæ inter cæteras eſt probabilior, non poteris non admittere hos actus nulla ratione eſſe occultos beatis per ſcientiã inditam; etenim cauſa occultationis ſolũ probat eos, eſſe occultos lumini ordinis naturalis; non verò lumini ordinis diuini, quale eſt lumen ſcientiæ inditæ beatis.

Caietan. Bañes. Cumel. D. Tom,

114. *Non indigene noua reuelatione contra Salã* Hoc eſt vnicum noſtræ reſolutionis fundamentum; nec parum efficax, ſi huius rei Philoſophia diligentiùs expendatur. Ex quo fundamento infertur, beatos, vt videant cogitationes cordium, nõ indigere noua reuelatione; quamuis oppoſitum

ſitum ſentiat *Salas* 1.*tom. ad* 1.2.*q*.3.*trac*. 2.*diſp*.6.*ſect*.5.*num*.10.*pag*.394. *confirmatur, & ſect*.3.*ad finem pagin*. 391.*col*.1. etenim ſpecies ſcientiæ infuſæ ex ſe ſunt repræſentatiuæ horum actuum, & ideo non indigent noua reuelatione. Noſtræ reſolutioni nõ obſtat, quod ex Sacra Scriptura, & communi Patrum doctrina ſolus Deus dicatur cognoſcere cordium cogitationes: quoniam in hoc ſenſu ſolus Deus dicitur cognoſcere corda hominũ; quia ſolus ille eſt cordium, & rerum ſcrutator, etenim ſolus ille intelligit non ſolũ, quæ ſunt actu in corde cuiuſque; ſed etiã,
D. Hiero. Pſalm.7. quæ in eo futura ſunt: & adhunc ſenſum *D. Hieronymus Epiſt*.38. *tom*.9. *pag*. 121. explicat illud Pſalmi ſeptimi: *Scrutãs corda, & renes Deus*.
Ad Rom. In eodem accipitur illud Pauli ad Romanos 8. num. 27. *Qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret ſpiritus*, hoc eſt, quid cuiuſq; interſit: & ideo multa petẽtibus negat Deus, quia illis non conueniunt, quamuis putent, ea ſibi conuenire.

114. *Pſal.41.* Et in hoc ſenſu *cor hominis dicitur abyſſus*, Pſal.41. vt ibi ait Auguſtinus; quia multa continet profunda, inſcrutabilia, quæ à ſolo Deo comprehendi poſſunt: quatenùs, ſcilicet, vt comprehendantur, non ſolum cognoſci debet, quid cor cogitet; ſed etiam quid poſſit, quid valeat, & denique quomodo in omnibus debeat ſe gerere: & quia Apoſtoli hæc ſcire non poterant, ideo in S. Matthiæ electione ſortes miſerunt dicentes: *Qui noſti corda ſolus, elige ex his duobus vnum*. Et ad hunc ſenſum intelligenda ſunt verba illa 1. Regum
1.Reg.16; 16. *Homo videt, quæ parent; Dominus autẽ intuetur cor*, quia .ſ. intuetur virtutem, & valorem cuiuſque ad rectè agendum om
Ioan.2. nia, quæ acturus eſt. Denique hunc ſenſum habuit Ioannes cap.2. ſui Euangelii, dum ait: *Ieſus autem non credebat ſe ipſum eis; eo quòd ipſe noſſet omnes: & quia ei opus non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine*: non quidem ſolùm ſecundũ præſentem iuſtitiam; ſed ſecundùm futurã: etenim illi, de quibus in eo loco, ſecundũ præſentem iuſtitiam credebant in Chriſtum; Chriſtus autẽ non ſe credebat eis; quia ſciebat, illos non eſſe in Fide permãſuros. In hoc igitur ſenſu explicanda eſt Sacra Scriptura, & doctrina Patrum. Cũ quo benè conſtat, ipſas cordium cogitationes, dum exiſtunt, cognoſci poſſe per ſcientiam inditam beatorum. Vtrum autem opinio, quæ docet, eas de facto naturaliter cognoſci ab Angelis, indigeat aliqua cenſura? alterius eſt quæſtionis, de qua alibi diximus: non putamus eam eſſe erroneam in Fide, quidquid Cumelius cũ *Solutio ad argum.* alijs aliter ſentiat: imo ſi de Angelis bonis eſt ſermo; puto nulla poſſe cenſura notari. Et ita patet ſolutio ad argumentum initio factum.

Ad confirmationem dicimus, Cabreram falſo citaſſe Durandum, quia ille expreſſe docet oppoſitum: in Scoto autem, & Gabriele, quos etiam citat, nihil inuenio. Poſſet citare *D. Thomam de Veritate q*. 20.art.6. ſed eum mutaſſe ſententiam do *D. Thom.* cet Caietanus cum cæteris. Vtrùm oppoſita ſententia in Chriſti ſcientia indita defendi poſsit? negatiuè reſpondeo: quia Scripturæ teſtimonia, ſi non conuincũt, vrgent tamen. 115. *Adconfirm.*

Cognoſcunt per hanc ſcientiam ſupernaturalia, & ipſa gratiæ myſteria.

¶ Qui hanc quæſtionem diſputet, neminem inueni, ſed nec aliquem inueni, qui de illa verbum faciat in beatis, niſi vnum *Salam* 1.*tom.ad* 1. 2. *q*.3.*tract*.2. *diſput*.6. *ſect*.5.*ad finem pag*.394.*colum*.1. Pro explicatione præmittimus, ſupernaturalia in tria membra poſſe diſtribui: quædam enim ſunt ſupernaturalia ſecundum ſuã entitatem, & ſubſtantiam, vt gratia, gloria, habitus per ſe infuſi, tàm in via, quàm in Patria. Alia ſunt ſupernaturalia ſolùm quoad modum; naturalia tamen ſecundũ ſuam entitatem, vt corpus Chriſti in Sacramento exiſtens: humanitas Chriſti ſuppoſitata perſonę Verbi: accidentia Euchariſtiæ ſine ſubiecto: vnum corpus in duobus locis: duo corpora ſe ſe penetrantia; denique viſus cæco reſtitutus, & homo reſuſcitatus: in quibus modus ſupernaturalis, vel ſolùm reperitur in fieri, vt homo reſuſcitatus; vel manet cum re naturali in facto eſſe, vt accidentia Euchariſtiæ. Denique ſunt alia ſupernaturalia, quæ ſimul includunt, quod naturale eſt, & quod eſt ſupernaturale; talis eſt incarnatio Verbi Diuini, ſiue potiùs ipſum Verbum Incarnatũ: etenim homo Chriſtus per ſe includit perſonalitatem diuinam Verbi, & humanitatem, ſimul cum modo ſuper- 116. *Cognoſcũt ſupernaturalia.*

ſupernaturali, quo duo illa extrema vniuntur.

117. 1. Concluſ. His præmiſsis, de ſingulis iſtis ſupernaturalibus agemus. Sit igitur prima concluſio: *Beati per ſuam ſcientiam inditam videt ſupernaturalia primi generis, quæ. ſ. ſunt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam.* Hanc conluſionem vno verbo tangit *Salas vbi ſuprà, & pro ea citat D. Thomam in 4. d. 49. q. 2. art. 5. ad 12.* ſed ex ijs, quæ ibi ſcribit, hanc noſtram aſſertionem vix colliges. Hæc concluſio abſque dubio conuincere tur, ſi vera foret opinio Scoti aſſerentis entia ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalia contineri ſub obiecto naturaliter adæquato intellectus Angeli, & proinde poſſe ab Angelis naturaliter cognoſci: ita ſcribit *Scotus in 4. diſt. 10. q. 8. litera G. §. Hoc etiam patet, & ad 1. litera I, & ad tertiam litera M;* quem in hoc ſequitur *Ioſephus Angles in 2. diſt. 3. q. 4. difficult. 12. & ſatis Ouandus in 2. diſt. 8. propoſ. 9. & alij Scotiſtæ. Hanc opinionem, tanquam probabiliorem latè defendit Palatius in 4. diſt. 10. diſput. 3. concl. 7. & nos eandem in materia de Angelis in hac propria quæſtione, vt probabilem defendimus; & ſatis eſt de mente Alenſis 2. p. q. 300, Memb. 3. artic. 3. in nouis, in antiquis autem q. 100. Memb. 3.* Si enim huiuſmodi entia ſub obiecto naturali intellectus Angelici continentur; à fortiori continebuntur ſub obiecto adæquato ſciẽtiæ beatis inditæ, cum illa ſit ſupernaturalis, & altioris ordinis, & ſubinde ſub ſuo obiecto contineat omnia, quæ ſub obiecto adæquato inferioris ſcientiæ (qualis eſt naturalis Angelorum) contineantur.

Salas. *D. Thom.* *Scotus.* *Angles.* *Ouand.* *Palatius.* *Alenſis.*

118. Qui non recipiunt Scotum. Sed quoniam opinio illa Scoti communiter non recipitur (vt patet ex *D. Thoma prima p. q. 57. art. 5. & Caietano ibidem, idem Caietanus 3. p. q. 76. art. 7. §. Ad euidentiam horum, Cumelius 1. p. q. 57. art. 5. q. 2. concl. 1. & 2. & in fine concluſionis quintæ. & Bañes ibidem dubio 1; quorum opinio longè eſt verior:*) ideo noſtram aſſertionem ex eo abſolutè confirmabimus; quia entia ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalia, cum ex ſua natura ſint entia finita ordinis ſupernaturalis, ex ſua natura ſunt intelligibilia ab aliquo intellectu creato, per aliquod lumẽ, & per aliquas ſpecies; ſi non inferioris ordinis (vt verior habet opinio cõtra Scotum) ſaltem eiuſdẽ ordinis, per quas diſtinctè repræſententur ſecundum propriam ſuam quidditatem, quidquid enim [...] natura eſt intelligibile, ex ſua natura habet, quòd in ſua propria quidditate intelligi valeat per lumen, & ſpecies eiuſdem ordinis, vt vera docet Philoſophia. Ergo huius generis entia ex ſe habent, quòd diſtinctè, & quidditatiuè cognoſci valeant per ſcientiam inditam beatis; cum ſit eiuſdem ordinis cum illis, & habeat ſpecies, & lumen eiuſdem etiam ordinis. Maximè cùm ad perfectionem ſtatus bẽatifici pertineat, vt entia huius generis non ſolùm cognoſcantur in verbo; ſed etiam extra verbum in proprio genere: ob hoc enim fundamentum Theologi cõmuniter probant, entia huius generis cognoſci à Chriſto Domino per ſuam inditam ſcientiam, inter quos eſt *Suarius in dicta diſp. 27. ſect. 3. in principio.* Quare ſicut opinio, quæ horum entium cognitionem tribuit ſcientiæ inditæ Chriſti, nullum habet contradicentem, vt benè aduertit Suarius; ſic etiam nec iſta noſtra in beatis vllum contradicentem habebit.

D. Tom. *Caietan.* *Cumel.* *Bañes.* Vera cõcluſionis confirmatio.

Nec huic reſolutioni obſtabit quod huius generis entia ſunt quædam participationes diuinæ naturæ, & ob id cognoſci nõ poſsint, niſi cognita ipſa diuina natura; quæ tamen per hanc ſcientiam inditam non cognoſcitur, ſed per ſolam beatam: non obſtat, inquam; quoniam huiuſmodi entia ideò dicuntur participationes diuinæ naturæ; quia à diuina natura non ſolùm ſunt, vt à cauſa efficiente; ſed etiam vtà cauſa exemplari ſecundum rationes ſuperiores, & ordinis diuini; ob quam rationem altiorem habẽt ſimilitudinem cũ ea, quàm habeant entia naturalia, quę et iã ſunt diuinæ naturæ quædam participationes. Quare ſicut non valet hæc conſequẽtia: *Hoc ens naturale eſt participatio diuinæ naturæ: ergo non poteſt intelligi, diuina natura non intellecta:* ita etiam non valet in propoſita materia, vt benè aduertit Suarius vbi ſuprà *§. Sed obijcies primò.* 119. Soluitur inſtantia.

¶ Quare beati per ſuam iuditam ſcientiã videbunt omnia entia ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam. Quare reſolutio eſt indubitata in entibus ſupernaturalibus viæ, qualis eſt gratia, Charitas, & cętera. Dubitari tamen poteſt; an per iſtam ſcientiam inditam videri poſsint à beatis entia ſupernaturalia ipſius Patriæ; qualis eſt viſio beata, lumen gloriæ, & verbum eſſen- 120. An videantur entia ſupernaturalia Patriæ.

eſſentiæ diuinæ, quod beati formant, vt in præcedente quæſtione diximus.

120. Cognoſcũtur abſtractiuè. In hac quæſtione illud videtur eſſe in dubitatum huius generis entia per ſcientiam inditam beatorũ, prout ſunt in alijs beatis, quidditatiuè cognoſci poſſe, cognitione tamen abſtractiua: etenim, cum ſpecies huius ſcientiæ ab ipſa ſcientia beata in ſua infuſione à Deo determinẽtur, vt ſæpè diximus, vtique ea omnia ex ſua natura repræſentabunt, quæ per ſcientiam beatam in Deo videntur: iam verò beatus per beatam viſionem videt ipſam viſionem, quæ eminenter eſt reflexa, vt diximus lib. 4. q. 5. ar. 6. §. 2. n. 8. & 9. Igitur ſcientia infuſa beatis habet ſpecies repræſentatiuas ipſius beatæ viſionis ſaltẽ repræſentatione abſtractiua: & proinde beatus poterit, ſaltem abſtractiuè, videre beatam viſionem aliorum: quid enim obſtat, hanc perfectionẽ diuinæ iſti ſcientiæ tribuere? nã ſtatus beatificus per eam maximè extollitur,

121. An cognoſcantur intuitiuè. Tota difficultas eſt; an beatus per eandem ſcientiam intuitiuè videat viſionem beatam alterius? Rationem dubitandi facit; quoniam cum viſio beata ſit formalis imago, & ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, vt contra nonnullos oſtendimus q. 5. huius libri art. 3. §. 10; non poteſt intuitiuè videri, niſi ipſa diuina eſſentia ſimul intuitiuè videatur: quod tanquã notũ ſupponit *Henricus in 1. p. Summæ art. 33. q. 2. ad 3. litera D. fol. 207. pag. 1. & 2. & probari poteſt ex Bellomontano 1. p. diſp. 135. cap. 4. poſt principium*: quoniam, vt ait, relatio notitiæ intuitæ (qualis eſt viſio beata) ad obiectum viſum non poteſt cognoſci, niſi cognito obiecto, per proprium, & intuitiuum conceptum: niſi enim quis videret obiectum talis viſionis, propria, & intuitiua notitia, nõ poſſet diſcernere, an notitia illa intuitiuè viſa in ſe ſit intuitiua talis obiecti. *Henricus. Bellomont*

122. 2. Concluſ. affirmat. Hoc tamen nõ obſtãte, ego ſtatuo hãc ſecundam aſſertionẽ: *Entia ſupernaturalia Patriæ ſiue pertineant ad cognitionem matutinam, ſiue ad veſpertinam, cognoſcuntur per ſcientiam infuſam beatorũ diſtinctè, & quidditatiuè, non ſolùm cognitione abſtractiua, ſed etiam intuitiua*. Prima huius aſſertionis pars, vt diximus, eſt indubitata. Secunda verò in terminis probatur à Suario *in dict. 27. ſect. 3. §. Secundò tamen obijci*; vbi expreſſè docet, viſiones aliorum beatorum poſſe à quolibet beato cognoſci in proprio genere per ſcientiam inditam, & per proprias ſpecies illius, idque cognitione diſtincta ab ipſa viſione beata. Quam opinionem nos iam ſcripſimus ſuprà *lib. 6. quæſt. 3. artic. 3. §. ſecundo. num. 6.* Fundamentum eſt; quia viſio ipſa beata in ſe ipſa eſt quædam entitas ſupernaturalis, & finita, & eiuſdem ordinis cum quocumq; intellectu beato. Ergò in ſe ipſa, & in proprio ſuo genere eſt intelligibilis à quocũque beato intellectu per ſpeciẽ, & lumen eiuſdem generis; & per conſequens per viſionem intuitiuam diſtinctam à ſe ipſa; ita vt ipſamet in ſe non reflexè, ſed directè ſui cognitionem terminet: etenim hæc eſt proprietas tranſcendentalis cuiuſcumque entis creati, vt ſit intelligibile à quocumque intellectu eiuſdem ordinis ſecum. Et hæc eſt cõmunis doctrina. Et quamuis nonnulli referant, eam à quibuſdam negari, qui volunt, viſionem beatam à ſola ſe ipſa eſſe viſibilem, & non ab alia quacumque cognitione; tamen qui id aſſereret, nullum inueni, niſi forte vnum Suarium, qui licet cũ formidine, id videtur aſſerere in Metaphi. diſp. 30. ſect. 11. n. 9: at tamen opinio iſta in ſe videtur improbabilis: quia omninò eſt improbabile dari aliquod ens, quod ex ſua natura nõ ſit directè intelligibile, ſed ſolũ reflexe per ſe ipſũ: vnde idẽ *Suarius in d. diſp. 37. loco citato* cõmunem ſententiã amplectitur: & meritò ſanè; quoniam cum nihil cogat, vt viſioni beatæ denegemus directam intelligibilitatem in ordine ad alium intellectum eiuſdem ordinis cum illa: non poteſt hæc perfectio illi non concedi. *Suarius.* Fundamentum.

Suarius.

Ad rationẽ verò dubitãdi, quidã negabũt, viſionẽ beatã, ex ſua natura eſſe ſimilitudinẽ diuinę eſſentiæ, & proinde ceſſare difficultatis fundamentũ: & hæc eſt cõmunis ſolutio Thomiſtarũ, & pluriũ aliorũ, quos citauimus *in d. q. 3. ar. 2. n. 11*: hãc tamen ſolutionem in eodem loco non admiſimus; ſed nec modo admittimus: tùm quia viſio beata, cũ ſit vera qualitas, eſt vera, & formalis ſimilitudo diuinæ eſſentię vt cũ nonnullis etiam ex Thomiſtis oſtẽdimus ibidem n. 12. & latiùs, ſuprà q. 5. huius libri art. 3. §. 10. Tùm etiam; quia eadem difficultas manet in verbo, quod de diuina eſſentia beati formant, vt latè pro- 123. Ad rationẽ dubitandi. 1. Solutio non recipitur.

125. probauimus in præcedente articulo.

2. Solutio. Secunda ſolutio admittit maiorē: qui admittit viſionem beatam eſſe veram ſimaginem diuinæ eſſentiæ; & ſimul admittit, eam intuitiuè videri non poſſe, niſi diuina eſſentia ſimul intuitiuè videatur: Authores igitur huius ſolutionis admiſſa maiore, negant minorem: volunt enim, eum, qui intuitiuè videret viſionem beatam in intellectu alterius, viſurum eſſe Deum in ſe, nec hoc putant eſſe abſurdum. In hoc conſentiunt Cumelius *prima parte q. 12. artic. 2. q. 2. ad ſecundum principale pag. 232. colum. 1. &* Bellomontanus *prima parte diſp. 135. cap. 4. num. 9. & 10. &* Salas *1. tomo, ad primam ſecundæ q. 3. tractat. 2. diſp. 5. ſect. 2. ad 5. pagin. 339. colum. 2.* Sed non omnes eadem incedunt via: nam Cumelius, & Bellomontanus putant, iſtum viſurum diuinam eſſentiam, non per eandem viſionem, quam in alio beato intuitiuè videt, ſed per aliam immediatè terminatam ad diuinam eſſentiam, quam non poteſt non elicere (vt ait Cumelius) quia perfuſus lumine gloriæ, & habens ſibi præſentem eſſentiam diuinam, non poteſt non elicere viſionem eius. Bellomontanus autem ex eo id probat; quia ſi talis beatus alia viſione non videat Deum, non poteſt diſcernere, an viſio illa, quam in alio beato videt, ſit viſio intuitiua Dei. Porrò Salas putat beatum iſtum viſurum eſſe Deum, non quidem per aliam viſionem, ſed per eandem, quam in alio videt.

Cumel. Bellomon. Salas.

126. *Non recipitur. ij* Hanc tamen ſolutionem in præcitatis locis latè impugnauimus, & eandem modo non recipimus: tum; quia ſine fundamentò admittitur, non poſſe viſionem beatam, quæ eſt in Diuo Petro, intuitiuè videri, quin intuitiuè videatur diuina eſſentia, vt ſtatim dicemus. Tum etiam, quia nec illa videri poſſet, aut per aliam viſionem, aut per eandem, quam intuitiuè videt. Quòd non poſsit videri diuina eſſentia per ipſam viſionem viſam; contra Salam euidenter conuincitur: primo; quia illa viſio in alio viſa, nec elicitur ab eo, qui intuitiuè eam videt, nec eā in ſe recipit. Nullus autem videre poteſt aliquod obiectum per viſionem, quę nec ab eo producitur, nec in eo recipitur, vt in Philoſophia eſt notiſsimum. Deinde, quia illa viſio, quæ in alio videtur, eſt medium, ratione videndi, non formalis, ſed obiectiua: etenim ducit in viſionem eſſentiæ diuinæ, vt in ſe eſt viſa: iam verò forma, quæ viſa ducit in cognitionem alterius, non poteſt eſſe formalis ratio videndi illud, in cuius viſionem ducit, ſed ſupponit in vidente aliā viſionē, quę formaliter terminetur in illam, vt in terminum immediatè viſum. Quare Philoſophia Salę, cū vera Philoſophia non conſentit: vide, quæ cōtra illū diximus in d. lib. 8. in 2. p. q. 2. art. 7. n. 17. & 18. 127.

Contra Salam.

Quòd etiam diuina eſſentia in noſtro caſu non videatur per viſionem diſtinctam à viſione viſa in alio; facilè etiam conuinci poteſt: ſequeretur enim beatum, qui viſionem alterius videt, duas habere beatas viſiones: vnam in politia matutina, qua formaliter eſt beatus: alteram in veſpertina, quam elicit, dum in alio viſionem intuetur: quod eſt abſurdum. Accedit etiam; quia fundamentum tùm Cumelij, tùm Bellomontani eſt ſatis futilē, vt oſtendimus ſuprà *lib. 6. in dicta quæſt. tertia artic. 3. §. ſecundo numero. 18. & 19.* Contra fundamentum Cumelij illud ibi obiecimus; quia poteſt Deus eleuari viatorem, vt intuitiuè videat viſionem Beati Petri, quin illi lumen gloriæ infundat: quid enim hoc implicat? nunc addimus, lumen gloriæ non illuminare, niſi ea quæ videntur in diuina eſſentia, & per diuinam eſſentiam, vt dicemus inferiùs: viſio autem beata, quæ in alio beato videtur non videtur in diuina eſſentia, ſed in proprio genere, Non igitur poteſt illuminarè ad aliam viſionem diuinæ eſſentiæ.

Contra Cumelium & Bellom.

Fundamentum verò Bellomontani ex duplici capite reiecimus in dicto numero 19. nunc ex eò illud reijcimus, quoniam ſatis eſt ſcientia beata, qua iſte in Verbo videt viſionem alterius, vt ipſum videntem reddat certiſsimū, quòd viſio, quam videt, verè ſit intuitiua Dei. Quin potiùs ſatis eſt propria ſua viſio, vt illum certificet de veritate viſionis, quam videt in alio: etenim ex comprehenſione ſuæ viſionis, poteſt cognoſcere illam, quam videt, eſſe veram, & intuitiuam viſionem Dei, idque propter eſſentialem ſimilitudinem, quam omnes viſiones beatæ inter ſe habent. Vnde non deſunt, qui putent beatum per ſuam propriam viſionem poſſe cognoſcere cæteras omnes aliorum viſiones 128.

Suarius. viſiones: id enim probabile putat Suarius *in dicta diſputat. 27. ſectione tertia. pag. 541. columna ſecunda § Secundò quoad propriam.*

129. Vera ſolutio. Omiſſa igitur horum Theologorum ſolutione, ad argumentum dicimus maiorem admittendam quidem eſſe, quatenùs dicit, viſionem beatam eſſe veram imaginem diuinæ eſſentiæ: negandam tamen, quatenùs ſumit eam non poſſe in ſe videri; niſi diuina eſſentia intuitiuè viſa: quam etiam negauimus ſuprà *lib. 6. in dicta quæſt. 3. artic. 3. §. 2. in 3. ſolutione nu.* 10. vbi diximus, eam communiter negari à Theologis; *& numero 18. contra eã citauimus Gabrielem in ſecundo diſt. 9. q. 2. articlo 5. litera H,* vbi docet, viſionem intuitiuam alicuius obiecti poſſe intuitiuè videri nòn viſo ipſo obiecto: etenim licet viſio beata, vt eſt formalis Dei ſimilitudo nõ poſsit nõ facere intellectũ, quem actuat, intuitiuè videntem diuinæ eſſentiæ; tamẽ vt eſt ſimilitudo obiectiua ſumpta in ſua entitate, non neceſſariò arguit, Deum intuitiuè videri, in ſe ipſa intuitiuè viſa, vt diximus in d. lib. 6. loco citato n. 13. & 14. Gabriel.

130. Occurritur obiectioni. Cum verò obijcitur, viſionem beatam ſub ratione imaginis obiectiuæ eſſe quoddam relatiuum, & ſubinde non poſſe ſub ratione imaginis cognoſci, niſi Deo diſtinctè cognito; quoniam relatiuum diſtinctè cognoſci non poteſt, niſi termino diſtinctè cognito: ad hanc obiectionem, omiſſa ſolutione Scoti *quodlib. 14. artic. tertio §. Ad iſta, litera E, E,* (*quam non admiſimus in dicta quæſtione tertia loco citato num.* 16, 1. Solutio prima ſolutio ſit negare, rationem imaginis eſſe relatiuam, vt cum communiori, & veriori ſententia oſtendimus in dicta quæſtione 3. articulo 3. §. ſecundo, num. 20; & §. quarto. num 33. & 34. 2. Solut. Secunda ſolutio ſit, argumentum non cõuincere, etiam ſi admitteremus imaginem eſſe formaliter relatiuam: quia falſum eſt, relatiuum, eiuſque relationem non poſſe intuitiuè videri, niſi termino intuitiuè viſo, vt aduertimus vbi ſuprà *num. 21, & lib. 8, ſecunda parte, q. 2. art. 7. ad 11. num. 19. & latiùs 1. tom. lib. 5. q. 14. artic. 4. num. 20.* 3. Solut. Sit tertia ſolutio argumẽtum adhuc nõ conuincere licet daremus, relatiuum intuitiuè videri non poſſe, niſi termino intuitiuè viſo: hæc enim ſententia ſolùm poſſet eſſe vera in termino, qui in ſe ipſo, & ſecundum propriam quidditatem, atque exiſtentiam terminat relationem; ſecus ſi illam non terminet, niſi ſub ratione quadam analogica, & ſecundum communia prædicata. Iam verò viſio beata, vt eſt imago obiectiua, cum non fundet relationem ad Deum, niſi ſecundum quandam conuenientiam analogam, vt diximus *in dicto lib. ſexto loco citato nume. 15. & lib. 8. vbi ſuprà num.* 18. non poteſt eum repræſentare, niſi ſecundum rationes communes, & analogas, ſub quibus Deus intuitiuè videri non poteſt. ¶ Ex his patet, beatos per ſuam inditam ſcientiam cognoſcere omnia ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam; ſiue illa ſint viæ (vt gratia, Charitas, habitus infuſi, tàm Theologici, quàm morales.) ſiue ſint propria Patriæ; vt viſio beata, Verbum Diuinæ eſſentiæ, lumen gloriæ, & cæteri actus, quos beatus format in politia matutina, tùm de diuina eſſentia, & attributis; tùm etiam de rebus creatis in Verbo viſis.

¶ Conſequenter inquirendum eſt de ſupernaturalibus quoadmodum tantum: in qua difficultate non agimus de illis ſupernaturalibus, quæ in ſe ipſis ſunt naturalia; ſupernaturalia tamen ſolùm ex parte agẽtis, & in fieri; cum modus ille ſupernaturalis, quo fiunt, non maneat in facto eſſe: qualis eſt viſus cæco reſtitutus, homo reſuſcitatus: conſtat enim huiuſmodi entia poſſe in ſe ipſis naturaliter videri; cum nihil ſupernaturalitatis in illis maneat in facto eſſe. 131. De ſupernaturalibus quoad modum.

Similiter dicendum eſt de illis ſupernaturalibus quoad modum, in quibus modus ſupernaturalis, tàm in fieri, quàm in permanentia ſolùm dicitur ſupernaturalis ex parte agentis: quia, ſcilicet talis effectus non ſolùm non poteſt fieri; ſed nec conſeruari, niſi virtute, & actione agentis ſupernaturalis: qualis eſt exiſtentia eiuſdem corporis in pluribus locis, & plurium corporum in eodem loco: ſupernaturalia enim huius generis dicuntur ſupernaturalia quoad modum; nõ quòd aliquis modus in ſe ſupernaturalis relinquatur in illis; ſed quia illa exiſtentia localis vel eiuſdẽ corporis in pluribꝰ locis, vel pluriũ in eodem loco, effectiuè dari, aut conſeruari non poteſt, niſi actione agentis ſupernaturalis. Et inde eſt, vt illa corpora 132. De ſupernaturalibus ſolũ ex parte agentis.

pora ſupernaturaliter conſeruata poſsint
naturaliter cognoſci quoad exiſtentiam,
quam habent in quolibet eorum loco-
rum. Vnde ſi vnum corpus in duobus
locis propinquis poneretur, in vtroque
loco naturaliter videretur, etiam ab ocu-
lo corporeo: quamuis, nec Angelus, nec
homo naturaliter videns hoc corpus in
Suarius. hocloco, naturaliter ſciret, an eſſet in alio
loco, vt benè aduertit *Suarius in 3. tomo,*
ad 3. partẽ, diſputa. 53. ſectio. prima pagina
811. *col.* 2. *C.D.* De his igitur ſupernatu-
ralibus quoad modum nulla poteſt eſſe
dubitatio, quin poſsint per hanc ſcientiã
133. infuſam à beatis cognoſci.

De viſione Christe in Sacramẽto. Tota difficultas eſt de ſupernaturalibus,
quoad modum, qui in ſe verè eſt ſuper-
naturalis; qualis eſt exiſtentia Chriſti
Domini in Sacramento; an ſcilicet beati
per hanc ſcientiam inditam cognoſcant
Chriſtum in Sacramento exiſtentem, &
Ratio dubitandi pronegante. omnes ſupernaturales modos, quibus in
eo exiſtit. Rationem dubitandi pro par-
te negatiua facit opinio *Scoti in quarto diſ*
Scotus. *tinctione* 10. *q.* 8. *concluſione* 3. *litera H.* vbi
abſolutè negat, beatum per actum beati-
ficum videre corpus Chriſti in Euchari-
ſtia: à fortiori igitur negabit, beatum per
hanc inditam ſcientiam eum in Euchari-
D. Thom. ſtia videre. Prò eadem etiam parte fa-
cit; quoniam *Diuus Thomas 3. parte quæſt.*
76. *artic.* 7. Hanc cognitionem ſolùm cõ-
cedit beato ſecundum beatam viſio-
nem: quibus verbis ſatis videtur ſignifi-
care, Chriſtum ſub Euchariſtia exiſten-
tem à beatis per aliam ſcientiam non vi-
deri.

Ratio dubitandi pro affirmante. ¶ Pro parte tamen affirmatiua adduci po-
teſt opinio, quôd Chriſtus in Sacramen-
to naturaliter videri poteſt ab Angelis:
quæ opinio eſt grauiſsimorũ Theologo-
Aegidius rum: eam probarunt *Ægidius Theorema-*
Scotus. *te* 19. *Scotus in dicta quæſtione* 8. *concluſ.* 2.
Baſſol. *litera D. Baſsolius ibidem quæſt.* 4. *art.* 3. *ad*
Mayron. *finem, Mayronius in* 4. *diſtinct.* 11. 2: *parte*
Angles. *quæſt.* 2. *concluſ.* 2. *Nicolaus de Niſſæ in re-*
Ouand. *ſolutione Theologica tractatu* 6. *pagin.* 3. *q.* 3.
concluſion. 10. *fol.* 499. *pagina ſecunda; Ioſe-*
Tartaret. *phus Angles in* 4. *quæſtio.* 4. *de Euchariſtia*
Ocham. *ar.* 11. *concl.* 2. *& in* 2. *d.* 3. *q.* 4. *difficul.* 12. *cõ-*
cluſione prima; latè Ouandus in 4. *diſt.* 10,
propoſitione 15. *& in* 2. *diſt.* 8. *propoſitio.* 9.
Tartaretus in reportatis ad quartum Scoti. d.
10, *q.* 8. *ex Nominalibus Ochamus quodlibe-*
to 4, *quæſt.* 10. *& in* 4. *quæſtione* 5. *Gabriel* *Gabriel.*
in Canone Miſſæ lectione 46. *Maior in* 4. *d.* *Maior.*
10. *quæſtione quinta.* §. *Contra ſecundam co-* *Palatius.*
cluſionem, latè Michael de Palatio in 4. *diſt.*
10. *diſput.* 3, *concluſione* 7. Porrò ſi hæc co-
gnitio conuenit Angelis per ſcientiam il-
lis naturaliter inditam, profectò non eſt
deneganda ſcientiæ ſupernaturali beato-
rum, cum illa ſit altioris ordinis.

In hac difficultate duas inuenio opi- 134.
niones. Prima eſt affirmatiua, quæ ab- 1. Opinio.
ſolutè docet beatos per ſcientiam, qua res *Richard.*
cognoſcunt in proprio genere videre
Chriſtum in Sacramento, & modos om-
nes exiſtendi, quos ibi habet: ita abſo-
lutè docet *Richardus in 4. diſtinctione* 10.
art. 5. *quæſt.* 1. Secunda opinio hoc conce-
dit Virgini in ſtatu gloriæ; an verò cæte-
ris beatis id conueniat? putat eſſe incer-
tum: ita Suarius 3. *tomo ad* 3. *parte diſput.*
53. *ſect.* 5, *pag.* 808. *col.* 1. *B.*

Pro reſolutione præmittendum eſt 135.
modum Sacramentaliter exiſtendi, quo 1. Præmiſſ.
Chriſtus exiſtit in Sacramento, forma-
liter non eſſe ipſam exiſtentiam, qua in
Sacramento exiſtit; ſed eſſe modum ip-
ſius exiſtentiæ: etenim corpus Chriſti
in Sacramento eandem habet exiſten-
tiam, quam habet in Cœlo; cum tamen
in Sacramento non eundem modum ex-
iſtendi habeat, quem in Cœlo habet: quo-
niam in Cœlo exiſtit localiter per com-
menſurationem ad locum; in Sacramen-
to verò exiſtit ſacramentaliter modo
quodam indiuiſibili, & inextenſo; ita vt
totus ſit in tota Hoſtia, & totus in qua-
libet parte Hoſtiæ, & mediante Hoſtia,
totus exiſtit in loco Hoſtiæ, & totus in
qualibet parte illius: Vnde ſicut exiſten-
tia accidentium ſacramentalium, iux-
ta veram ſententiam, eadem numero eſt,
quæ fuit in pane, non tamen eundem mo-
dum exiſtendi habet: quia antea exiſte-
bat inhæſiuè in ſubiecto; modo autem ex-
iſtit abſquẽ ſubiecto: ita exiſtentia, qua
Chriſtus exiſtit in Sacramento, eadem
numero eſt cum illa, quam habet in Cœ-
lo, alio tamen, & alio modo modificata.

Præmittendum eſt ſecundo exiſten- 136.
tiam corporis Chriſti in Sacramento plu- 2. Præmiſſ.
res habere ſupernaturalitates, vt annota-
uit Henricus quodlibeto 11. q. 12. Pri-
ma eſt ex parte agentis; quia non poteſt
exiſtere in Sacramento, niſi virtute, &

actione agentis ſupernaturalis, vt patet. Secunda eſt ſupernaturalitas indiuiſibilis exiſtentiæ, qua quantitas corporis Chriſti ita eſt in Sacramento, vt ſit tota in totis ſpeciebus, & tota in qualibet parte ſpecierum: qui eſſendi modus eſt ſupernaturalis quantitati in ordine ad ſpecies, & ad locum ſpecierum, vt etiam eſt notum. Tertia ſupernaturalitas eſt tranſſubſtantiationis; quatenùs exiſtit in Sacramento vi actionis tranſubſtantiatiuæ, cuius hæc eſt vis, vt faciat totam vnam ſubſtantiam ſuccedere toti alteri: ſicut enim forma per generationem adueniens dicitur habere eſſe genitum, quatenùs virtute actionis generatiuæ in eadem materia ſuccedit formæ corruptæ, qui eſt quidam modus exiſtendi diſtinctus à modo exiſtendi rei creatæ: ita ſubſtantia corporis Chriſti in Sacramento habet eſſe tranſubſtantiatum, quatenus virtute actionis tranſubſtantiatiuæ ſub iiſdem ſpeciebus, & accidentibus ſuccedit toti ſubſtantiæ panis, quæ totaliter deſijt: quem eſſendi modum non habet, prout eſt in Cœlo, ſed ſolùm, vt eſt in Sacramento. Quarta ſupernaturalitas eſt; quia ita vnitur ſpeciebus conſecratis, vt quamuis eas inhæſiuè non habeat in ſe; ita tamen illis vnitur, vt illis mediantibus & ſub illis ſimpliciter dicatur videri, atq; manducari, vt docet fides & explicauimus in materia de Euchariſtia: & hæc exiſtentia in ſpeciebus dicitur Sacramentalis.

137. Diſcrimina inter has ſupernaturalitates.

Inter has ſupernaturalitates modales hoc eſt diſcrimen; quòd prima ſupernaturalitas eſt ſolùm quoad fieri, & conſeruari; vnde alijs modis, qui in corpore Chriſti in Sacramento conueniunt ſolùm addit dependentiam quandam à Deo ſupernaturali agente: ita vt exiſtentia Chriſti in Sacramento, vt eſt à Deo tranſubſtantiante, ſit actio tranſubſtantiationis; vt verò veluti recipitur in Chriſto ſub ſpeciebus, eſt tranſubſtantiatio paſsiua Corporis Chriſti: qui eſſendi modus in ſe ipſo verè eſt ſupernaturalis; quia nulli rei creatæ naturaliter conuenit. Sicut etiam ſupernaturalis eſt vnio illa, qua corpus Chriſti virtute actionis tranſubſtantiatiuæ vnitur ſpeciebus conſecratis, illas abſque inhæſione ſuſtentando, vt ratione illarum corpus Chriſti, & videri, & manducari dicatur illis viſis, & manducatis.

Vtrùm verò modus exiſtendi in ſpeciebus inextenſè, & indiuiſibiliter, vt totum corpus ſit in totis ſpeciebus, & totum in ſingulis illarum partibus, ſecundum ſe ſit modus ſupernaturalis? contro uerſum eſt: nam licet omnes cõſentiant, quòd modus ille ſupernaturaliter conueniat quantitati, cui naturaliter conuenit modus eſſendi in aliquo diuiſiuè, & extenſè, ita vt tota ſit in toto, & pars in parte: tamen vtrùm ille eſſendi modus in ſe ipſo, & in ſua modalitate poſitiua ſit ſupernaturalis? non omnes conueniunt. Negant, qui volunt corpus Crriſti in Sacramento ab Angelo naturaliter videri, quos ſuprà retulimus: etenim modus eſſendi in aliquo indiuiſibiliter, & inextenſè naturaliter conuenit Angelo, & cuicumque ſubſtantiæ immateriali. Affirmant verò, qui negant, corpus Chriſti in Sacramento naturaliter videri poſſe ab Angelo: quæ fuit opinio *Diui Thomæ 3. parte quæſtione 76. articulo 7. in 4. diſtinct. 10. quæſtion. 1. articulo quarto, quæſtiuncula quarta; Richardi ibidem articulo 5. quæſtio. prima; Durandi quæſtio. 4. Paludani quæſt. 2. artic. 2. concluſione ſecunda; Capreoli q. 4. articulo primo concluſione tertia; & artic. 3. ad argumenta contra tertiam; Hiſpalenſis ibidem quæſtio. 2. articulo 1. concluſione quarta; & artic. 3. notab. primo; & art. 4. ad argumenta contra quartam; Carthuſiani ibidem quæſtione quarta. Conſentit Sotus quæſt. 1. art. 7. concl. tertia; Henricus quodlibeto 11. quæſtione 12. latè Caietanus 3. parte quæſt. 76. artic. 7. Martinus Lædeſmius in prima quarti quæſt. 17. articulo 7. pag. 322. colum. 2. & tertia; Bartholomæus Lædeſmius in ſuo Summario in 4. ſentent. difficultate quinta de Euchariſtia concluſione tertia; Victoria in Summa Sacramentorum quæſtione 61. de Euchariſtia. Cumelius prima parte quæſtione 57. articulo quinto quæſtione ſecunda concluſione ſecunda; & ibidem Bañes dubio primo*, apud quos licet modus exiſtendi in loco inextenſè ſit naturalis Angelo, & ideo prout eſt in Angelo, contineatur ſub obiecto adæquato intellectus eius; tamen prout eſt in corpore, ſub illo non continetur propter ſupernaturalitatem modalem, quam habet: & inde eſt, vt ſi aqua in vaſe ſupernaturaliter ponatur

138. An in extenſio quantitatis in Chriſto ſit naturalitas.

Opinio negans.

D. Thom. Richardus Palatius. Capreol. Hiſpal. Chartuſ. Sotus. Caiet.

Ledeſmius Victoria. Cumel. Bañes.

tur modo indiuiſibili, & inextenſo non poſsit ab Angelo naturaliter videri. Nos vtramque opinionem diximus eſſe probabilem, tùm in materia de Angelis, tùm in materia de Euchariſtia, & in eadem opinione modo perſiſtimus.

139. 3. Concluſ. His præmiſsis, pro reſolutione difficultatis, hanc ſtatuimus tertiam concluſionem: *Beati per ſuam inditam ſcientiam, qua res in proprio genere cognoſcunt, de facto vident Chriſtum exiſtentem in Sacramento, & modos omnes ſupernaturales, quos ibi habet: cognoſcunt etiam modum, quo accidentia exiſtunt in Sacramento, & vnionẽ, qua Chriſtus ſpeciebus conſecratis vnitur.* Confirm. Hæc aſſertio ex eo primùm confirmatur, quia non repugnat, beatos per inditam ſcientiam videre modos ſupernaturales, quib⁹ Chriſtus in Sacramento exiſtit: etenim omnes illi ſunt quidam modi abſoluti in ſuo eſſe & cognitione per ſe loquendo independentes à diuina perſona, tanquam à termino: poſſunt igitur à beatis videri in proprio genere per inditã ſcientiam: etenim eos per eam videri, cedit in magnam beatifici ſtatus perfectionẽ. Ergò de facto ex diuina liberalitate ſtatus iſte beatitudinis veſpertinæ huius myſterij cognitione ditatus eſt: Deus enim liberaliter ditauit beatitudinem non ſolùm politiæ matutinæ: ſed etiam veſpertinæ.

140. 2. Confirm. Idem confirmatur: quia beatitudo perfectiſsimè ſatiat cuiuſque beati appetitũ; non ſolũ formaliter, ſed etiã cauſaliter: inde enim habet, quòd ſit cauſa, vt beati videãt omnia, quę ad eorũ ſtatum pertinẽt, vt lib. 12. latiùs dicemus: idq; non ſolũ in ſtatu politiæ matutinæ; ſed etiã veſpertinæ, in quo ſtatu appetitus cognoſcendi, quæ ad beatũ pertinent, perfectiſsimè ſatiatur, ſi quiſq; in proprio genere videat, quæ ad illũ ſpectant: inde enim eſt, vt ſcientia indita, qua res in proprio genere cognocuntur, ex ipſa ſcientia beata reguletur, & ſuo modo mẽſuretur, vt. ſ. quæ videntur in verbo, per hanc etiã ſcientiã videantur. Iam verò viſio eorũ, quæ in via per fidẽ fuerunt cognita ad cuiuſque beati ſtatum pertinent; & ob id nõ ſolùm dabitur beatis per ſcientiam eorum in Verbo; ſed etiam in proprio genere.

141. 3. Confirm. Confirmatur 3; quoniam negandum non eſt, beatos in Verbo videre exiſtentiã Chriſti in Sacramento, & omnẽ modũ ſupernaturalẽ, quo in eo exiſtit: id enim concedunt omnes Theologi cum *D. Thoma 3. p. q. 76. art. 7. ad finem corporis, vbi Caietanus §. Ad obiecta cõtra concluſionem. Richard. in 4. diſt. 10. art. 5. q. 1. Sotus q. 1. art. 7. ad 2. concluſionem. Palatius diſp. 3. poſt 7. concl. pag. 343. col. 2. & ſatis Ouand. in 3. diſt. 31. propoſ. 6.* vbi putat hanc opinionẽ eſſe Scoti: nam quod ſcribit *in 4. diſt, 10. q. 8. concl. 3. litera H;* Beatum. ſ. per actũ beatificum non videre exiſtentiam Chriſti in Sacramẽto, intelligendũ eſt de actu beatifico, quatenùs per ſe eſt beatificus, & quoad ea, quæ per ſe pertinent ad beatitudinẽ. Quod Scotus in hoc ſenſu illam propoſitionẽ intellexerit, ſatis conuincit fundamentũ, quo nititur; & ipſe Scotus ſuam mentem ſatis explicat *in d. q. 8. litera H, I, & O:* vnde diſcipuli illius in hoc ſẽſu eum interpretantur, vt colliges ex *Ouãdo in 4. diſt. 10. propo. 15. ad finem, & in 3. diſt. 31. prop. 6. & ex Angles q. 4, de Eucbariſt. difficul. 11. concl. 3.* & in hoc ſenſu eandem propoſitionem recipiunt Thomiſtę, vt patet ex Caietano, & Soto locis citatis. Quare negandum non eſt, beatos in Verbo videre Chriſtum exiſtentem in Sacramento, & omnes illius eſſendi modos, etiã ſupernaturales. Ergo eoſdem etiam videbunt beati per ſuam inditam ſcientiam. Quam conſequentiam inde deducimus; quia ſcientia indita beatorum, veluti reſultat ex ſcientia beata; ita vt ad illius veluti exemplar in cognoſcendo determinetur, vt ſæpè diximus maximè quoad ea, quæ ad illorum ſtatum pertinent: talis autem eſt clara cognitio exiſtentiæ Chriſti in hoc Sacramento: tùm, quia illud in via fuit creditum; tùm etiam, quia ad conſequendam beatitudem fuit illis præſtantiſsimum adiutorinm.

[D. Thom. Caietan. Richard. Palatius. Ouandus. — Scotus. Ouand. Angles.]

Denique ex eo confirmatur concluſio; quoniam tota ratio, cur Chriſtus Dominus non poteſt in Sacramento ab Angelo naturaliter videri, ex eo ſumitur, 142. 4. Cõfirm. quia Chriſtus ſub illis modis ſupernaturalibus longè ſuperat virtutem naturalem Angeli; & ideo nõn continetur ſub obiecto Angelo connaturali. Sed Chriſtus ſub illis modis, quantumcunque ſupernaturalibus, continetur ſub obiecto adæquato huius ſcientiæ; cum illa ſit ordinis ſupernaturalis, & ideoſub ſe cõtineat, non ſolùm naturalia, ſed etiam ſupernaturalia

turalia quoad ſubſtantiam, & quoad modum, vt omnes admittunt. Vnde Chriſtus extra ſacramentũ exiſtens per hanc ſcientiam ſe ipsũ in ſacramento intuetur, & perfectiſsimè comprehendit omnes ſupernaturales modos, vt omnes agnoſcũt, & fatetur *Suarius in d. diſp. 27. ſect. 3. in fin. pag. 542. col. 1. B. & 3. tom. diſp. 53. ſect. 5. pag. 808. B.* vbi ſcribit, piè credendũ eſſe, Virginem Matrem per hanc inditam ſcientiam filium in Sacramento exiſtentem intuitiuè videre. *Suar.*

143. His ego addo beatos, vt per hãc ſcientiam videant Chriſti exiſtentiam in Sacramento, non indigere noua reuelatione, ſed per ſuas ſpecies ſupernaturales eã immediatè videre; cum illæ ſpecies in ſua infuſione ex ipſa ſcientia beata determinatæ ſint ad hanc exiſtentiam repræſentandam, iuxta ea, quæ diximus de indigentia nouæ reuelationis ſuprà n. 88. 91. & 113. Non indigent noua reuelatione

144. Vtrum verò beati per hanc ſcientiam inditam videant Chriſtum in omnibus hoſtijs, quæ in Eccleſia quotidie conſecrantur? alterius eſt quæſtionis, de qua agemus in ſequenti lib. in diſp. quænam à beatis videantur in Verbo.

145. ¶ Supereſt inquirere de ente ſupernaturali, quod ſimul includit id, quod ſecundum ſuam entitatem eſt naturale, & quod eſt ſupernaturale ſecũdùm ſubſtantiam: qualis eſt incarnatio Verbi diuini. Inquirendum eſt igitur, an incarnationis myſterium per hanc ſcientiam poſsit in proprio genere cognoſci? Cui quæſtioni vnus reſpondet *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 3. §. Tertio tandem quæret, pag. 541 col. 2. C.* vbi docet, certum eſſe hoc myſterium per ſcientiam inditam, etiam Chriſti, non poſſe cognoſci, prout includit totum integrum ſuum terminum: modum tamen vnionis poſſe per eam cognoſci. Priorem partem ex eo probat; quia in myſterio incarnationis includitur perſona Verbi, quæ videri non poteſt, niſi per ſcientiam beatam: poſteriorem verò inde confirmat; quia vnio illa ſimpliciter eſt quid creatum, & ideò non repugnat cognoſci in ſuo proprio genere per ſcientiam inditam. An videant myſterium incarnationis? *Suarius.*

146. Hæc tamen difficultas longiorem poſtulat explicationem: eſt enim ſatis controuerſum, an myſterium iſtud, poſtquã factum eſt, poſsit ab Angelis naturaliter cognoſci? Quidam partem affirmantem abſolutè defendunt: ita *Angles in 2. diſt. 3. q. 4. difficult. 12. concl. 1. & ſatis eſt de mente Tartareti in 4. ſent. diſt. 10. ad 8. quæſtionem Scoti in reportatis: & pro eadem à pluribus citatur Scotus in 4. diſt. 10. q. 8. §. Ad tertiũ de malis Angelis litera M.* quãuis enim non agat de terminis huius quæſtionis; generaliter tamen docet, Angelos malos, niſi impedirentur, poſſe cognoſcere myſteria gratiæ: in qua generalitate eum intelligit, & probat *Herrera ad 2. Scoti diſp. 11. q. 8. in fine.* Qua opinione ſuppoſita, non poteſt negari, myſterium Incarnationis ſub obiecto huius inditæ ſcientiæ contineri. ¶ Sententiam tamen negantem probant *Medina ad 3. p. in præfatione q. 2. ad 6. eorum, quæ ſexto loco adducuntur, Palatius in 4. diſt. 10. diſp. 3. fol. 344. col. 1. §. Secundum eſt, Cumelius 1. p. q. 57. art. 5. q. 2. concl. 2. 4. & 5. & ibi Bañes dub. 1. ad 3. Bellomont. diſp. 214. c. 3. n. 13. 14. & 15. Suarius 1. tom. ad 3. p. diſput. 3. ſect. 2. §. Ad confirmationem illius, Cabrera diſp. 4. Valentia 4. p. diſp. 1. q. 1. puncto 2. pag. 13. in principio, ex Scotiſtis Ouandus in 2. diſt. 8. propoſit. 9. & in 4. diſt. 10. propoſit. 15. Rada 2. p. controu. 8. art. 4. concl. 3. ſatis eſt de mente Herreræ in 2. diſput. 11. q. 8. in fine, & diſp. 12. q. 1. fol. 451. col. 1. §. Ex quibus omnibus infertur:* qui omnes abſolutè negant, poſſe intellectum creatum ſuo naturali lumine intuitiuè videre myſterium Incarnationis; imò nec abſtractiuè. Sed cùm nihil diſputent de beatis, prout per ſcientiam inditam in proprio genere res cognoſcunt: non ſatis conſtat, quidnam de illis dicerent. Oportet igitur hãc difficultatem diligentiùs explicare: maximè cum inter iſtos non ſatis conſtet, quid nomine vnionis ſit accipiendum, ex cuius reſolutione maximè pendet difficultatis reſolutio. Quod incarnationis myſterium naturaliter cognoſcatur *Angles. Tartaret. Scotus. Medina. Palatius. Cumel. Bañes. Bellomon. Suarius. Cabrera. Valentia. Ouand. Rada. Herrera,*

Pro clara illius explicatione, & vt tollatur omnis confuſio, illud eſt præmittendum, in myſterio Incarnationis duplicem inueniri compoſitionem, vt libr. 2. de Incarnatione aduertimus: vnam ex perſona Verbi, & natura humana, ex qua reſultat hic homo Ieſus, qui immediatè conſtat ex forma hypoſtatica Verbi, & ex humanitate. Alteram (quæ ad iſtam priòrem conſequitur) ex perſona Ver- 147. 1. præmiſſ.

bi, & ex duplici natura, diuina ſcilicet, & humana, qua componitur Chriſtus ſecũdum adæquatam rationem, quam includit, quatenus eſt Chriſtus: etenim primũ compoſitum (nempe hic homo Ieſus) vt præciſè eſt homo, licet ſubſtantialiter includat perſonalitatem Verbi, quæ in natura humana ſubſiſtit: non tamen includit naturam diuinam, vt diſtinguitur à perſona: at verò perſona Verbi, quatenus dicitur Chriſtus, per ſe includit naturam diuinam, & humanam: Chriſtus enim eſſentialiter eſt Deus, & homo: & indè eſt, vt perſona Verbi, vt eſt Chriſtus, ſit compoſita ex vtraque natura, & vt vtramque includit, ſit vnum quid ſubſtantiale plura in ſe includens, quàm includat compoſitum ſubſtantiale ex ſola perſonalitate Verbi, & natura humana, qui eſt hic homo Ieſus. Vtrumque iſtud compoſitum ſumptum in ſua totalitate cathegorematica eſt quid de nouo productum, & factum in tempore per veram; & realem actionem incarnationis, vt ex diffinitionibus Conciliorum, & ex communi doctrina Patrum latè confirmauimus in d. lib. 2. Vtrumque iſtud cõpoſitum, cum ſubſtantialiter ſit vnum conſtans ex pluribus componentibus, ſuam habet vnionem ſubſtãtialem; ſuãq; ſubſtantialem vnitatem, in qua extrema ſubſtantialiter ſunt vnum, & indiuiſa. Quid autem ſit hæc vnio? ſatis eſt controuerſum. Ex quo iam patet myſteriũ Incarnationis non ſolùm includere vnionem perſonæ Verbi cum natura humana, ex qua reſultat hic homo Ieſus; ſed etiam vnionem ſubſtantialem duarum naturarũm, diuinæ. ſ. & humanæ, in vna perſonali ſubſiſtentia Verbi. Vnde in hac quęſtione non ſolùm inquirimus; vtrùm beati per ſciẽtiam inditam videant vnionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana, ex qua reſultat hic homo Ieſus: ſed etiam an per eam videant vniõnem ſubſtantialem naturæ diuinæ, & humanæ in vna, & eadem Verbi ſubſiſtentia; ex qua reſultat Chriſtus Deus, & homo ſubſtantialiter vnum? Quare de vtriuſque myſterij viſione agendum eſt.

148. 2. præmiſſ. Præmittendũ ſecundò vnionem, qua perſona Verbi ſubſtantialiter vnitur humanæ naturæ, diuerſam eſſe ab vnione, qua diuina natura, & humana ſubſtantialiter vniuntur in vna perſona Verbi, vt etiam oſtendimus in d. lib. 2: etenim terminus prioris vnionis eſt Verbum eſſe hominem; terminus autem poſterioris eſt Verbum eſſe Deum, & hominem. Prioris vnionis extrema ſunt perſona Verbi, & natura humana, quæ vniuntur in vno eſſe ſubſtantiali hominis: poſterioris verò extrema ſunt natura diuina, & humana vnitæ in vna ſubſiſtentia perſonali Verbi, qua vtraque natura ſubſiſtit, & perſonatur. Prior vnio conſtituit in perſona Verbi nouam perſonandi rationem, quia facit, vt Verbum perſonans humanam naturam ſub eſſe humano, fiat perſona humana: poſterior verò coniungit in eadem Verbi perſona duas rationes perſonandi; dum efficit vnum Chriſtum, id eſt, vnam Verbi perſonam, habere duas perſonandi rationes: nam cum Chriſtus per hanc naturarum vnionem ſubſtantialiter ſit Deus, & homo, vt ſub eſſe diuino ſubſiſtit, perſonat naturam diuinam: vt verò ſubſiſtit ſub eſſe humano perſonat naturam humanam: quæ omnia latiùs explicauimus in d. lib. 2.

Præmittendum tertiò, omnes Theologos conuenire vnionem fundamentalem, in qua natura diuina, & humana ſubſtantialiter vniuntur, & fiunt vnum, eſſe ipſam ſubſtantialem Verbi ſubſiſtentiã: 149. 3. præmiſſ. ſunt enim indiuiſæ in ipſa Verbi ſubſiſtentia, quia vtraque illa natura ſubſiſtit per eandem ſubſiſtentiam Verbi. Quid ſit iſta vnio? Magna tamen eſt inter Theologos controuerſia, quid nam ſit vnio, qua perſona Verbi, & natura humana ſubſtantialiter vniuntur? Sunt enim de hoc variæ opiniones, vt in d. lib. 2. de Incarnatione oſtendimus. Nõnulli volunt, ipſam Verbi diuini perſonalitatem, vt communicatam naturæ humanæ eſſe vnionem ſubſtantialem, qua perſona diuina, & humana natura vniuntur: ita *Caietanus 3. p. q. 2. artic. 7. §. In hoc articulo, Medina ibidem q. 2. pag. 126. col. 1. & 2. Præceptor Franciſcus à Chriſto in 3. diſt. 6. q. 2. poſt principium, & ante eos Capreolus in 3. diſt. 5. q. 1. art. 3. ad 1. Aureoli contra primam, fol. 19. col. 4. Paludanus ibidem q. 1. fol. 33. col. 2. §. Contra iſtam poſitionem.* 1. opinio. Caietan. Fr. Franſ. à Chriſto. Capreol. Palud. Alij dicunt, vnionem iſtam eſſe ipſam paſſiuam aſſumptionẽ naturæ humanæ: quam opinionem ex Victoria, & alijs Thomiſtis refert *Medina vbi ſuprà.* 2. opinio. Tertia.

Vtramque

Vtramque iſtam ſententiam conciliare videtur *Hiſpalenſis in 3. diſt. 5. q. 1. art. 2. notab. 2.* vbi primam opinionem probat, ſi illa intelligatur de vnione mediata: ſecundam verò, ſi explicetur de immediata: hæc enim, vt ait, eſt ipſa vnitio naturæ humanæ cum perſona diuina. Quarto loco accedunt, qui volũt vnionem iſtam eſſe ipſam humanitatem attractam, & perductam ad eſſe perſonale Verbi. Quinto loco alij exiſtimant, vnionem iſtam eſſe

150. qualitatem quãdam ſupernaturalem, quã appellant gratiam vnionis, qua natura humana ſupernaturaliter eleuatur, & proximè diſponitur ad vnionem cum perſona Verbi, quæ videtur eſſe *Alenſis 3. p. q. 7. memb. 2. art. 1.* Sexta adhuc eſt opinio, quæ docet; vnionem iſtam eſſe modum quendam ſubſtantialem exiſtẽtem in natura humana, quo fit inexiſtens in Verbo: ſicut enim inexiſtentia in ſubiecto eſt modus quidam accidentis inexiſtentis; ita ipſa inexiſtentia naturæ humanæ in perſona Verbi, eſt modus quidam poſitiuus illi ſuperadditus, quo apta redditur ad inexiſtendum; non quidem per modum inhærentiæ; nec per modum informationis; ſed alio modo ſupernaturali, & ineffabili, qui appellatur modus vnionis hypoſtaticæ: quæ opinio nonnullis nouioribus placuit, inter quos eſt *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 8. ſect. 2. §. Dico tertiò, pag. 256. & Bellomontanus 1. tom. ad 3. p. diſp. 8. c. 3. n. 20.* Septima, & vltima opinio docet, vnionem eſſe ipſum eſſe hominem, ad quod terminata eſt actio incarnationis, tanquam ad terminum vltimatum, & *vt quod*: ita *Caiet. 3. p. q. 2. art. 8. dub. 5. placuit Præceptori Fratri Franciſco à Chriſto in 2. lib. de Incarnatione Verbi q. 13. ad finem, & in 3. loco citato ad 9. arg. fol. 70. col. 1. & 2. probat Palatius in 3. diſt. 5. diſp. 1. pag. 78. col. 1. & 2.* Ego hanc vltimam ſententiam puto eſſe veram, vt latè oſtendi in d. lib. 2. de Incarnatione: etenim vnio ſubſtãtialis dicitur illud in quo extrema realiter diſtincta ſubſtãtialiter ſũt vnum, atque indiuiſa, vt docet *Ariſt. lib. 3. Rethoricor. c. 12. & D. Thomas 3. p. q. 2. art. 9.*: iam verò nihil aliud datur: in quo perſonalitas Verbi, & natura humana ſint ſubſtantialiter vnum, niſi ipſum eſſe hominem.

Margin: Hiſpalen. — Quarta. — Quinta Alenſis. — Sexta. — Suarius. — Bellomon. — Septima, quæ eſt auctoris. — Caietan. — F. Franc. à Chriſto. — Palatius. — Ariſt. — D. Thom.

151. Cæterum præmittendum eſt quartò, ante iſtam ſubſtantialem vnitatem dari mutuam ipſorum extremorum inter ſe cauſalitatem; ex qua reſultat illud ſubſtantiale eſſe hominis: nam ſicut, antequam corpus, & anima ſubſtantialiter vniantur, & componant naturam humanam, præcedit mutua cauſalitas vnius in alterum; quia corpus ſuam materialem cauſalitatem exercet in animam, eam in ſe recipiendo; & anima cauſalitatem ſuã formalem exercet in corpus, illud informando, & actuando; ita etiam antequam perſona Verbi, & natura humana vniantur in eſſe ſubſtantiali hominis, prius natura perſonalitas Verbi terminando dependentiam hypoſtaticam humanæ naturæ, illam hypoſtaticè ſubſtentat: & natura humana per ſubſiſtentiam Verbi hypoſtaticè terminata dat illi eſſe ſubſtantiale hominis, & Verbum conſtituit in eſſe hominis. Supernaturalitas autem non eſt poſita in ipſo eſſe ſubſtantiali hominis (quia tale eſſe ſecundum ſe eſt ordinis naturalis, & eiuſdẽ ſpeciei cũ noſtro) ſed præciſè poſita eſt in hoc, quod perſona Verbi hypoſtaticè ſubſtentat humanam naturam, cõmunicando illi ſuam perſonalitatem, modo quodam ineffabili: & humanitas à Verbi ſubſiſtentia terminata, & ſubſtentata modo quodam ineffabili, & abſcondito, veluti actuat ipſam Verbi perſonalem ſubſiſtentiam, dum illi formaliter tribuit eſſe ſubſtantiale hominis: & in his duobus poſita eſt tota huius myſterij admirabilis, & ineffabilis ſupernaturalitas.

Margin: 4. præmiſſ.

His ita præmiſsis ſtatuimus hanc concluſionem quartam in ordine: *Quanuis nullus intellect⁹ creatus lumine naturali poſſit videre myſterium incarnationis: beati tamen non ſolùm per ſcientiam beatam in Verbo illud cognoſcunt; ſed etiam per ſuam ſcientiam infuſam in proprio genere: non quidem cognitione intuitiua, ſi ſermo ſit de toto, & integro myſterio; ſed abſtractiua; idque cognitione diſtincta, & quidditatiua. Et quod dicimus de myſterio Incarnationis, prout includit mirabilem vnionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana, dicendum etiam erit de eodem myſterio, prout includit ineffabilem vnionem naturæ diuinæ cum humana in vna ſubſiſtentia perſonali Verbi.* Hæc aſſertio varias continet partes, quas ſingulas explicabimus. 152.

Margin: Quarta cõcluſio.

Prima

153. Probatur 1. pars. Prima pars aſſerit, *myſterium Incarnationis nullo naturali lumine intellectus creati videri poſſe.* Hæc pars probata fuit his Theologis, quos citauimus ſuprà n. 146. quam *Cumelins, & Cabrera ibidem citati* putant ita eſſe certam, vt aſſerant, eam eſſe catholicam: quam tamen cenſuram ita generaliter prolatam non probo; quia aliqua includit hoc myſterium, quæ naturaliter cognoſci poſſunt, vt ex dicendis patebit. Vera cenſura. Quare ego puto, abſolutê negandum eſſe myſterium iſtud incarnationis cuicunque intellectui creato naturaliter eſſe cognitum: etenim Patres ſimpliciter docent, myſterium hoc omni intellectui eſſe abſconditum, vt patet ex Dionyſ. Chryſoſt. *Dionyſio de diuinis nominibus c. 2. in 1. p. ad finem, & de cœleſti hierarchia c. 7. ex Chryſoſtomo homil. 4. ad Matth. 1. ad illa verba Inuenta eſt in vtero habens, & ſermone 7. ad Epheſios, vbi Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius; & ſatis id docuit Leo Papa ſerm. 10. de Natiuit. c. 4.* Theodor. Theophyl. Oecumen. 1. Cor. 3. Satis docuit Paulus 1. *Corint. 2. & ad Epheſios. 3.* dum ſcribit, myſterium iſtud abſconditum eſſe à ſæculo, & omnibus huius ſæculi principibus: iam verô quod myſterium ſacra Scriptura, & Patres ſimpliciter vocant abſconditum, illud nec poteſt, nec debet ſimpliciter dici naturaliter cognitum. Et quidem ſi id intelligatur de myſterio Incarnationis ſecundum totam ſuam integritatem, & ſubſtantialem totalitatem, hæreticum eſſet dicere hoc myſterium poſſe ab Angelis naturaliter cognoſci: nam vt ſic, eſſentialiter includit diuinam perſonam Verbi, vt patet: quæ in ſe ipſa naturaliter eſt inuiſibilis omni intellectui creato, vt ex Paulo fides docet.

154. 2. pars aſſertionis. Secunda aſſertionis pars aſſerit, *myſterium Incarnationis, ſiue prout includit vnionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana; ſiue vnionem naturæ diuinæ, & humanæ in vna Verbi ſubſiſtentia perſonali videri à beatis in Verbo per ſcientiam beatam.* Hæc pars eſt indubitata, vt latè oſtendemus in lib. 12. ſequente, & ſatis patet; quia fidei ſuccedit viſio: quæ Theologia maximè vera eſt de viſione per ſcientiam beatam in Verbo: hac enim euidenter videbimus ea, quæ in via per fidem obſcurè nouimus. Iam verò in via vnuſquiſque beatorum habuit fidem myſterij incarnationis Verbi diuini.

155. 3. pars illius. Tertia aſſertionis pars affirmat, *myſterium iſtud ſecundum ſuam integritatem, & totalitatem ſumptum non poſſe per ſcientiam infuſam à beatis intuitiuè videri.* Hæc etiã pars apud omnes eſt indubitata, vt loco citato aduertit Suarius: nam cum myſterium iſtud in ſua totalitate, & ſubſtantiali integritate includat perſonam Verbi, ſi ſermo ſit de vnione Verbi cum natura humana: includat etiam naturam diuinã, ſi ſermo ſit de vnione duarum naturarũ in vna perſonalitate Verbi: clarum eſt, non poſſe intuitiuè videri ſecundùm iſtã ſuam totalitatem, niſi per viſionem beatam: hæc autem non datur extra Verbũ, ſed ſolùm in Verbo.

156. Quarta pars eiuſdem. Quarta pars aſſerit, *poſſe myſterium Incarnationis in ſua totalitate videri in proprio genere per ſcientiam inditã cognitione quidditatiua, abſtractiua tamen.* Qui hanc partem probet, neminem inueni: plures tamen erunt, qui eam non recipiant: nec enim eam recipient, qui putant, non poſſe dari notitiam quidditatiuam diuinæ eſſentiæ, quæ non ſit intuitiua, cuius opinionis authores retulimus lib. 8. *in 2. p. q. 5. ar. 1. §. 1. n. 1*: nam ſi omnis notitia quidditatiua diuinæ eſſentiæ eſt intuitiua; & notitia intuitiua illius in hac ſcientia admitti non poteſt, vt diximus, vtique nec admitti poterit cognitio quidditatiua illius, quæ ſit abſtractiua. Nec eandem recipient, qui putant, dari non poſſe ſpeciẽ impreſſam diuinæ eſſentiæ, quos retulimus *in d. lib. 8. in 2. p. q. 5. art. 2. §. 1.* Authoris ſententia. Ego tamen non video, cur noſtra aſſertio non ſit admittenda: nam cùm non implicet dari cognitionem abſtractiuam, & diſtinctam, tùm diuinæ naturæ, tùm diuinæ perſonæ, vt diximus *in præcedente q. art. 4. & latiùs lib. 7. q. 5. art. 1. §. 2. n. 4. & 1. tom. lib. 4. q. 6. art. 2. n. 6*: & id cedat in maximam excellentiam ſcientiæ inditæ beatorum; non eſt quòd negemus, Deum eã hac cognitione ditaſſe; maximè, cum hoc myſterium in via per fidem fuerit creditum; & proinde ad ſtatum beati pertineat clara illius cognitio abſtractiua per hanc inditam ſcientiam. Confirmatur. Faciunt in huius rei confirmationem, quæ diximus in d. *art. 4.* præcedentis quæſtionis; ſcilicet beatũ in virtute viſionis beatę poſſe intra ipſam politiam matutinam formare conceptiones, & verba particularia diuinæ eſſentię, vt

vt diſtinguitur à perſonis, & attributis, & formare ſpecies particulares illius; etenim cum ſcientia indita veluti emanet à ſcientia beata; vtique ſpecies illius in repræſentando determinabuntur ad eandẽ repræſentationem. Supponimus autem dari poſſe ſpeciem creatam diuinæ eſſentiæ, non ſolùm intuitiuam, ſed etiam abſtractiuam, vt oſtendimus in locis ſuprà citatis.

157. Illatio. Ex hac concluſione infertur, beatos per inditam ſcientiam de facto cognoſcere, non ſolùm ipſam vnionem ſubſtantialem, tùm Verbi cum natura humana; tùm naturæ humanæ cum diuina in vna Verbi ſubſiſtentia perſonali; ſed etiam cęteros modos antecedentes, quos in quarto præmiſſo explicauimus: etenim ſi per hanc inditam ſcientiam cognoſcuntur ipſa extrema, quæ vniuntur (nimirum diuina perſona cum natura humana; & natura diuina cum eadem humana natura, quæ ſunt entia increata, & ordinis ſupręmi) à fortiori per eandem ſcientiam cognoſcentur omnes modi, etiam ſupernaturales, qui ad extremorũ vnionem ſunt neceſſarij. Et quidem nulla eſt dubitatio de vnione ſubſtãtiali, ſi illa non eſt aliud, quam ipſum ſubſtantiale eſſe hominis, per quod perſona Verbi fit homo, quæ fuit vltima opinio; etenim eſſe ſubſtantiale hominis, quod natura humana tribuit perſonæ Verbi hypoſtaticè illam terminanti, & ſubſtentanti, ex ſua natura eſt quoddam ens ordinis naturalis productũ à Deo per actionem incarnationis, & à Virgine per actionem generatiuam, qua genuit Chriſtum hominẽ; vnde eſt eiuſdem ſpeciei, & ordinis cum eſſe ſubſtantiali cuiuſque noſtrum: ob quam rationẽ hoc ſubſtantiale ens; ſcilicet Chriſtus homo, & ab oculo incorporeo Angeli naturaliter videbatur, & à noſtro oculo corporeo, iuxta illud Abacuh. 3. *Poſt hæc in*
Habach.3 *terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſa-*
Ioan.20. *tus eſt.* Et Ioannis 20: *Quia vidiſti me Tho-*
1.Ioan.1. *ma credidiſti,* & 1. Ioannis 1. *Quod ab initio audiuimus; quod vidimus oculis noſtris; quod perſpeximus; & manus noſtræ contractauerunt.* Sed hoc eſt deſcrimen inter naturalem viſionem huius vnionis, & viſionẽ, quæ à beatis videtur: quod viſio naturalis non terminabatur ad omnia extrema vnita, nec ad modos eam antecedentes; quia nec homines, nec Angeli videbant perſonam Chriſti, quæ habebat tale eſſe, nec modum ſupernaturalem, quo perſona Verbi hypoſtaticè terminabat, & ſuſtentabat naturam humanam, quam videbant: quia nec perſona Verbi, nec modus terminandi dependentiam hypoſtaticam naturæ humanæ ſub naturali obiecto intellectus creati continebantur: cum tamen illa contineantur ſub obiecto adæquato ſcientiæ inditæ, quæ eſt ordinis ſupernaturalis complectens ſub ſe, non ſolùm, quæ ſunt ordinis naturalis, ſed quæ ſunt ſupernaturalis. Et de viſione myſterij incarnationis hæc ſufficiant.

Beati per ſcientiam infuſam euidenter cognoſcunt myſterium Trinitatis.

¶ Vt diſputationem eorum, quæ per ſcientiam infuſam à beatis videntur, abſoluamus; ſupereſt inquirere; an beati per hanc ſcientiam cognoſcant myſteriũ Trinitatis? De qua quæſtione varias inuenio opiniones, ſi quæ à Theologis ſcribuntur, diligenter expendantur. Prima opinio abſolutè negat, myſterium Trinitatis poſſe euidenter cognoſci extra Deum per aliquam ſcientiam inditam, etiam per ſcientiam inditam Chriſto: ſiue quoad quid eſt; ſiue quoad an eſt; ſiue intuitiuè, ſiue abſtractiuè: idque vel in ſe, vel in atteſtante, vel quocunque alio modo. Ita ſenſiſſe *Dominicum Bañes, teſtatur Salas infrà citandus*: & meritò; quoniam *Bañes 1.p,q.32.art.1.dub.2.concl.4.* putat longè eſſe probabilius, ſecluſa viſione Dei, ſicuti eſt, non poſſe myſterium Trinitatis, aut notitia intuitiua, aut abſtractiua euidenter cognoſci: cum verò abſolutè neget, dari poſſe cognitionem Trinitatis huius generis abſque viſione Dei, qualis eſt beata: ex conſequenti negat myſterium Trinitatis euidenter cognoſci poſſe per ſcientiam ſupernaturalem inditam beatis. Vnde *2.2.q.1.artic.1.ad 3.* hanc cognitionem negat ſcientiæ inditæ Chriſto Domino; & ex conſequenti eam negabit ſcientiæ inditæ beatis: vbi etiam negat cognitionem euidentem huius myſterij, etiam in atteſtãte, dari poſſe. Quod ſatis etiam colliges ex eodem 1. p. loco citato: nam poſtquam in 2. concl. docuit, probabiliter defendi poſſe, quod ſecluſa viſio-

158. De cognitione myſterij Trinitatis.

1. opinio.

Quid ſenſerit Bañes?

viſione beata, poſſit hoc myſterium euidenter cognoſci euidentia in atteſtante; ſtatim in 4. concluſione docet eſſe probabilius hoc myſterium, ſecluſa viſione, nōpoſſe euidēter cognoſci, aut intuitiuè, aut abſtractiuè: ſatis igitur excludit euidentiam huius myſterij extra Verbum, etiam in atteſtante. Quare ſētentia modò ſuperiùs explicata abſolutè tribuenda eſt Dominico Bañes. Pro qua opinione nōnulli citant *D. Thomam 3. p. q. 11. art. 1.*
D. Thom. quatenus negat, Chriſtum per ſcientiam inditam cognouiſſe diuinam eſſentiam; quod etiam affirmat *Durandus in 3. diſt.*
Durand. *14. q. 3. num. 6.*

159. 2. opinio. Sententia huic ex diametro oppoſita docet, quòd beatus per ſcientiam inditā poteſt extra Verbum cognoſcere cognitione abſtractiua, Deum eſſe Trinum,
Capreol. & vnum. Pro qua opinione citatur *Capreolus in 2. diſt. 23. q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti contra ſecundam, fol. 223. col. 4. in medio*, dùm ait, beatum poſſe in ſe ipſo producere cognitionē abſtractiuam, qua euidenter cognoſcat, Deum eſſe Trinū, & vnum: quam doctrinam explicat de cognitione abſtractiua extra Deum, & ſubindè de cognitione per ſcientiam inditam. Cum Capreolo conſentit Soncinas
Soncinas. *ibidem ad 4. ex Scoto contra ſecundam fol. 96. col. 2.*

160. 3. opinio. Tertia ſententia admittit, beatos per ſcientiam infuſam euidenter cognoſcere myſterium Trinitatis, non quantum ad quid eſt, ſed quantum ad an eſt: hanc tamen euidentiam eſſe ſolùm in atteſtante; quia euidenter cognoſcunt, Deū hoc reuelaſſe. Pro hac ſententia citatur *Me-*
Medina. *dina 3. p. q. 11. artic. 1. ad 5. arg. ad finem*
Suarius. *commenti, pag. 275. col. 2. ad quam accedit Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 27. ſect. 5*: admittens enim animam Chriſti per ſcientiam inditam cognoſcere myſteriū Trinitatis, quantùm ad an eſt; idque cognitione euidentiori, quàm per fidem cognoſcatur; explicatis nonnulis modis, quibus per talem ſcientiam poſſit illud myſterium euidenter cognoſci; vnicum tandem probat, nimirum per euidentiam in atteſtante. Et quāuis tàm Medina, quàm Suarius agant de ſcientia indita Chriſti; vterque tamen idem diceret de ſcientia indita beatis.

161. Quarta, & vltima ſententia admittit, beatos per ſuam infuſam ſcientiam euidenter cognoſcere myſterium Trinitatis, quantùm ad an eſt: non admittit tamen 4. opinio.
eos illud euidenter cognoſcere per ſolam euidentiam in atteſtante; ſed etiam per aliam, quæ fiat, vel per ſpeciem creatam, vel per cognitionem effectuum naturalium, aut ſupernaturalium. Hæc ſententia videtur eſſe *Cumelij 1. p. q. 32. art. 1. ſi* *Cumel.*
expendantur, quæ ſcribit concl. 1. 3. 6. & 7. *Cabrera.*
Eandem etiam probat Cabrera 2. tom. ad 3. p. q. 11. art. 1. diſp. 6. ſi inter ſe conferantur, quæ ſcribit concl. 2. 3. & 4. In eandem videtur deſcendere Salas 1. tom. ad 3. p. q. 3. tract. *Salas.*
2. diſp. 6. ſect. 7. noſter etiam Alphonſus Mē- *Mendōça.*
dōça in ſuis quodlibetis in 3. q. ſcholaſtica, in quæſtione, An Chriſtus per cognitionem infuſam cognouerit hoc myſterium, quantum ad an eſt, pag. 232. & inferiùs in vltimo dubio, pag. 241.

Hæc quæſtio longiorem poſtulabat 162.
diſputationem: quia tamen â Theologis latè diſputatur, tùm in materia de Trinitate; tùm in materia de ſcientia Chriſti; eam quàmbreuiſſimè explicabo, quatenus attinet ad ſcientiam inditam beatorum. In ea contra primam opinionem Cognoſcitur euidentius quam per fidem.
Dominici Bañes illud tanquam veriſſimum ſupponendum eſt, beatos per ſcientiam inditam cognoſcere myſteriū Trinitatis magis diſtinctè, & expreſſè, quàm illud in via per fidem cognouerint. Quod ex eo confirmo; quoniam vno excepto Bañes, omnes admittunt, Chriſtum Dominum per ſuam inditam ſcientiam euidenter cognouiſſe myſterium Trinitatis, quantùm ad an eſt: ita *Suarius in d. diſput.* *Suar.*
27. ſect. 5. §. Dico ſecundò, pag. 543. col. 2. *Salas.*
quem ferè ad literam refert, & probat Salas vbi ſuprà §. Dico ſecundò. Medina vbi ſuprà, *Medina.*
Cumelius loco citato in 3. concl. Cabrera in *Cumel.*
d. q. 11. artic. 1. diſp. 5. §. 5. concl. 1. n. 116. *Cabrera.*
pag. 107. col. 1. noſter Mendonça in præcita- *Mendōça.*
ta diſp. concl. vnica, pag. 235. & ſatis eſt de mente Caietani 3. p. q. 11. art. 1, poſt principium, §. Aduerte ſecundò, vbi oſtendit, D. Thomam huic reſolutioni non repugnare; quoniam ab hac ſcientia non excluſit omnem cognitionem diuinæ eſſentiæ; ſed ſolam intuitiuam, quę ex ſe eſt beata. Iam verò, quæ rationes cōcludunt, Chriſtum per inditam ſcientiā euidenter cognoſcere myſterium Trinitatis, quantum ad an eſt; eædem etiam cōcludunt beatos idem

idem myſterium per ſcientiam inditam eodem modo cognoſcere: etenim etiam in beatis inconueniens eſt dicere cognitionem Dei, quam intra Verbũ habent, eſſe minùs perfectam ex parte obiecti, quàm ſit fides. Et præterea ex illa opinione ſequeretur, beatos in politia veſpertina non poſſe amare tres diuinas perſonas, nec de illis habere mutua colloquia, nec in ſingularum laudes prorumpere: etenim in veſpertina politia nulla foret Trinitatis diſtincta cognitio, ſiquidem illam per ſcientiam acquiſitam non habebunt; conſequens tamen eſſe abſurdum ſatis colligitur ex D. Chryſoſtomo, quatenus docet, *Angelos laudare Deum; quoſdam, vt maieſtatem; quoſdam vt bonitatem, & ſic de cæteris*, quem adducit, & probat D. Thomas in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. §. *Quantum verò ad quartum*.

163. Quomodo cognoſcãt. Hac opinione ſuppoſita, ſupereſt explicare; quomodo beati per ſcientiam inditam diſtinctè, & clarè cognoſcant myſterium Trinitatis. In qua difficultate illud apud omnes eſt indubitatum, beatos per ſcientiam inditam hoc myſterium non cognoſcere notitia intuitiua. *Non cognoſcunt intuitiuè.* Fundamentum eſt; quia omnis cognitio intuitiua Trinitatis ex ſua natura eſt beata: cognitio autem beata dari non poteſt, niſi in politia matutina, & in Verbo: aliàs quiſque beatorum duplici beatitudine formali eſſet beatus; quod nullus vnquã dixit. Ex quo infertur, cognitionem Trinitatis, quæ per ſcientiam inditam conuenit beatis, neceſſariò eſſe abſtractiuam. Tota igitur controuerſia eſt; an illa cognitio ſit, quoad quid eſt; an verò ſolùm, quoad an eſt? Et licet omnes authores primæ, tertiæ, & quartæ opinionis contra ſecundam in hoc conueniant, vt cognitio illa nec ſit, nec eſſe poſſit quidditatiua, ſed ſolùm quoad an eſt: ego *Opinio authoris.* tamen puto lõgè probabiliorem eſſe opinionem ſecundam, quam expreſſè probauit Capreolus cum Soncinate locis citatis, vbi affirmant, *fieri poſſe, vt beatus virtute cognitionis intuitiuæ, qua intuetur Deũ Trinum, poſſit in ſe habere cognitionem abſtractiuam, qua euidenter appareat, Deum eſſe Trinum, & vnum*. *Capreol. Soncin.* Quibus verbis ſatis affirmat, beatum virtute cognitionis intuitiuæ, qua Deum Trinum, & vnum intuetur, habere poſſe cognitionem abſtractiuam, qua ipſum Deum vt vnum, & Trinum euidenter percipiat. Quam opinionem ego puto eſſe veriſsimam, non ſolùm de poſsibili, ſed etiam de facto. Et quidem quòd poſsibilis ſit cognitio abſtractiua, & quidditatiua Dei, & ſubinde, vt eſt Trinus, & vnus, latè probauimus *lib. 4. quæſt. 6. artic. 2. num. 6. & latè oſtendimus ſuprà lib. 7. quæſt. 5. artic. 1. §. 2. vbi vidimus hanc eſſe opinionem Scotiſtarum, & Nominalium. & cum illis conſentire Molinam: nunc addimus Salam 1. tomo ad primam ſecundæ quæſt. 3. tract. 2. diſputatione 6. ſectione 7. pag. 396. col. 2. §. Ex quibus patet*: vnde poſsibilem etiam eſſe ſpeciem, quæ abſtractiuè, & quidditatiuè Deum repræſentet, latè oſtendimus *lib. 8. in ſecunda parte, quæſt. 5. artic. 2. §. 2. num. 22.* Quare non implicat dari ſpeciem, & cognitionem abſtractiuam, quæ euidenter oſtendat Deum Trinum, & vnum; cuius oppoſitum aduerſarij tãquam certum fundamentum ſupponũt. *Quod illa cognitio ſit poſsibilis.* *Molina. Salas.* Quo ſublato non video, cur talis cognitio non ſit admittenda in beatis, mediante inndita ſcientia: etenim cum hæc cognitio ex ſe dicat perfectionem non repugnantem beatitudini veſpertinæ; cur diuina liberalitate hac Trinitatis cognione non ditabitur? vt beati in ea poſsint, & vnitatem eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum certiùs amare; & in laudes tantæ maieſtatis euidentiori certitudine prorumpere; & de illa cum euidenti certitudine ex parte obiecti inter ſe amicabiliter colloqui. 164. *Admittenda eſt de facto.* Quod etiam confirmo ex ijs, quæ in quæſtione præcedente artic. 4. diximus, *Alia confirmatio.* poſſe ſcilicet beatos in ipſa politia matutina ex vi viſionis beatæ formare partiales conceptiones abſtractiuas, & plura partialia verba, tùm eſſentiæ, prout diſtinguitur à perſonis; tùm etiam cuiuſq; perſonæ, vt ab alia diſtinguitur: & præterea poſſe elicere ſpecies, quæ partialia iſta obiecta diſtinctè, & quidditatiuè repræſentent. Cur igitur huiuſmodi diſtinctæ conceptiones, & verba illis denegabuntur in politia veſpertina per inditam ſcientiam ex vi eiuſdem viſionis beatæ? etenim ipſa indita ſcientia beatorum ſuo modo pullulat ex ipſa ſcientia beata, & ab ea in cognoſcendo menſuratur.

Et præterea non video, cur beati, ideò quòd viſione beata quidditatiuè Deum 165. 2. confirm.

vnum, & Trinũ cognoſcunt, poſsint formare ſimilitudinem inadæquatam Trinitatis, per quam extra Verbum euidenter cognoſcant Trinitatem, quoad an eſt, (vt aduerſarij fatentur, & inter eos *Cumelius vbi ſuprà concluſione 7. & Cabrera loco citato diſp. 6. concl. 3. pag. 133.*) & nõ poſsint eandem ſimilitudinem formare, quoad quid eſt? etenim Theologi, qui illud prius admittentes negant hoc poſterius, ideò illud negant; quia putant cognitionem abſtractiuam, & quidditatiuam Trinitatis eſſe impoſsibilem: nam ſi illius poſsibilitatem admitterent, hanc cognitionem beatis in politia veſpertina non negarent. Nec ego aliquem inueni, qui admiſſa poſsibilitate huius cognitionis illam beatis negaret in veſpertina politia, niſi vnum Salam in d. diſp. 6. pagina 396. col. 2. poſt medium; cuius tamen fũdamentum non eſt ſatis firmum: quia ſupponit omnem notitiam quidditatiuã Dei eſſe eiuſdem ſpeciei cum notitia beata: quod non eſt admittendum, cum admittendum non ſit notitiam intuitiuam, & abſtractiuam eiuſdem obiecti eſſe eiuſdẽ ſpeciei: ſicut etiam admittendum nõ eſt, rationem præſentis, & abſentis non variare ſpeciem actus: vt docuimus 1. *tom. lib. 4. q. 1. art. 2. §. 6. n. 59. 60. & 61. & lib. 5. q. 2. artic. 2. n. 11.* variatur enim ratio formalis obiectiua, qua variata, non poteſt ſpecies non variari.

Cumel. Cabrera.

166. 3. confirm. Accedit etiãm; quoniam apud aduerſarios non facilè explicatur; quomodò cognitio illa abſtractiua, quam admittũt in beatis in hac ſcientia indita poſsit eſſe euidens quoad an eſt: vnde quem modũ dicendi vnus probat, eum alius improbat. Et profectò ſi ſinguli diligentiùs expendantur, vix intelliguntur, vt videre eſt in illis, quos referunt *Suarius, & Salas vbi ſuprà, & probat Cumelius, & Cabrera:* quod oſtenderemus, niſi id lõgiorem poſtularet diſputationem. Noſtra autem, & Capreoli ſententia vnam tantùm habet difficultatem circa poſsibilitatem talis cognitionis: cum tamen longè probabilior ſit opinio, quòd illa ſit poſsibilis: qua ſuppoſita opinione, noſtra ſententia & facilis eſt intellectu; & ſatis congruens excellentiæ beatitudinis veſpertinæ, vt ex dictis facilè intelliges.

De vſu huius ſcientiæ inditæ.

¶ Supereſt explicare vſum huius ſcientiæ beatis inditæ: de quo ſequentes ſtatuimus propoſitiones. Prima propoſitio: *Beati non impediuntur per ſcientiam beatã, quominus poſsint actus huius ſcientiæ, circa res eaſdem exercere.* Hæc propoſitio ſtatuitur contra *Gabrielem in 3. diſt. 14. q. vnica art. 3. dub. 1.* vbi ſcribit, animam Chriſti non poſſe eaſdem res ſimul contemplari per ſcientiam inditam, & beatam: & idem diceret de beato. Sed opinio verè eſt ſine fundamento, vt contra eum aduertit *Suarius vbi ſuprà diſp. 28. ſect. 1. in principio pag. 549. col. 1.* ego addo eã eſſe abſurdam: quoniam ex ea ſequitur, quod vel beatus nõ cognoſcit in Verbo eas res, quas cognoſcit per hanc ſcientiam; vel quòd vtendo hac ſcientia, deſineret vti ſcientia beata circa eaſdem res: vtrumque autem eſt abſurdum: etenim inter omnes conſtat, beatum in Verbo videre eas res omnes, quas per hanc ſcientiam videt: & ſatis id cõſtat ex doctrina Auguſtini tradita de cognitione matutina, & veſpertina Angelorum: quæ enim Angeli in Verbo manè videbant cognitione matutina, eadem videbant veſperè cognitione veſpertina: idque non ſucceſsiuè, ſed ſimul, vt videre eſt apud Auguſtinum *2. de Geneſi ad literam cap. 8. & lib. 4. c. 22. cum ſequentibus.* Conſtat etiam inter omnes, viſionem beatam, etiam quoad iſta obiecta, quæ per ſe in Verbo vidẽtur, eſſe immutabilem. Quare ſi res, quæ videntur in Verbo, non poſſunt per hanc ſcientiam ſimul videri; vtique nihil per eam videretur, quod eſt abſurdum. Alias rationes vide apud Suarium vbi ſuprà. Et eadem ratione poterit beatus per hanc ſcientiam cognoſcere eaſdem res, quas cognoſcit per ſcientiam acquiſitam: etenim hi actus ſunt diuerſorum ordinum, & ex diuerſis principijs procedunt, licet enim vnus, & idem ſit intellectus; ſpecies tamen, & lumina ſunt diuerſa.

167. De vſu huius ſcientiæ. 1. propoſit.

Gabriel.

Suar.

Secunda propoſitio: *probabile eſt, beatum per ſcientiam inditam ſemper eſſe in aliquo actu ſecundo.* Hęc ꝓpoſitio in Chriſto Dño veriſimilis eſt *Suario vbi ſup. §. Dico tertiò: & Cabreræ in 3. p. q. 11. art. 5. in cõm.* Fundamentum illius etiam locũ habet in beato; etenim perfectius eſt eſſe in actu ſecun-

168. 2. propoſit.

Suarius. Cabrera.

ſecundo; quàm tantùm in primo; cum actus ſecundus ſit vltima perfectio actus primi: ob quam rationem ad perfectionē Angelorum pertinet, vt ſemper ſint in ali quo actu intelligendi, vt omnes admittunt. A fortiori igitur beati ſecundū hanc ſcientiam ſemper erunt in aliquo actu ſecundo: non quòd ad hoc neceſsitentur ex natura ipſius ſcientiæ, ſicut neceſsitantur per ſcientiam beatam; ſed quia perfectioni illius ſcientiæ congruit, vt anima liberè velit ſemper eſſe in actu ſecūdo illius. Primum patet; quia ſcientia iſta ex ſua natura habet, quòd animæ conueniat per modum habitus, vt probat *D. Thom.* 3. *p.* *q.* 11. *art.* 5: habitus autem ex ſe habent; vt quoad vſum, voluntati habentis ſubijciatur (etenim ex Ariſtot. habitu vtimur, cum volumus) ideò intellectus beati ex ſua natura nō neceſsitat ad vſum, actūq; ſecundum: cum hoc tamen ſtat, vt anima ratione ſuæ perfectionis liberè velit ſemper eſſe in aliquo actu ſecundo talis ſcientiæ. Et ex his patet, D. Thomam noſtræ propoſitioni non cōtradicere, dùm in d. art. 2. reſoluit, ſcientiam iſtam inditam cō uenire Chriſto per modum habitus: ex hoc enim non benè infertur, eū docuiſſe, Chriſtum, atque beatum nō ſemper eſſe in actu ſecundo: quia ſolùm infertur non oportere, vt ſemper ſit in aliquo actu: vnde ibidē ad 1. in fine his verbis concludit: *Vnde non oportuit, quod eſſet ſemper in actu.*

D. Thom.

169. Tertia propoſitio. Tertia propoſitio: *Beatus per hanc ſcientiam non habet vnum tantùm actum illi adæquatum, ſed plures, ac multiplices.* Hæc propoſitio communiter recipitur in ſcientia indita Chriſti, vt aduertit Suarius vbi ſuprà §. *Quæri enim hic poteſt*, & id ſatis colliges ex *D. Thoma* 3. *p. q.* 11. *art.* 3. dùm in ſcientia indita Chriſti admittit diſcurſū, qui ſine pluribus actibus nō datur: & art. 5. quatenus docet, Chriſtum hac ſcientia vti potuiſſe, quādo vellet; quod etiam arguit plurium actuum ſucceſsionem. Eādem docent D. Bonauentura, Richardus, & alij *in* 3. *diſt.* 14. Id quod de ſciētia Chriſti dicitur, dicendum etiam eſt de ſcientia indita beatis. Hoc autem abſolutè probatur ex natura ipſius inditæ ſciētiæ: hæc enim ſub ſe complectitur multitudinem rerum diuerſi ordinis, quas beatus non per vnam, ſed per plures ſpecies cognoſcit, vt inferiùs dicem⁹; & ſubinde eas cognoſcit per diuerſos actus à diuerſis principijs elicitos. Cui etiam accedit; quia beatus per hanc ſcientiam quædam cognoſcit intuitiuè, & quędam abſtractiuè; quędam à priori, quædam verò à poſteriori, quæ intelligendi diuerſitas arguit diuerſitatem actuum. Denique, cum nullus detur habitus, habens ſub ſe plura obiecta, qui vno actu illa omnia complectatur. Idem dicendum eſt de habitu huius ſciētiæ. Vnde non eſt audiendus *Marſilius in* 3. *q.* 10. *art.* 2. *in* 4. *illius parte concl.* 2. & 3. dum in ſcientia Chriſto indita vnum tantùm actum admittit, quo Chriſtus omnia obiecta huius ſcientiæ contempletur: quamuis enim id fortè poſsibile fuerit; de facto tamen non eſt admittendum, cum ad hoc nihil cogat. Porrò ſi in Chriſti indita ſcientia id non admittitur; nec etiam admittendum erit in ſcientia indita beatis. Non recipitur Marſil.

Suarius.
D. Thom.

170. Quarta propoſitio. Quarta propoſitio: *Quamuis beati per hanc ſcientiam probabiliter ſemper ſint in aliquo actu ſecundo; non permanent tamen ſemper in vno, & eodem actu; ſed modo ſunt in vno, modo in alio: ſed in eo, qui loco, & negotiorum circunſtantijs congruit.* Hæc in Chriſto ſatis colligitur ex *D. Thoma in d. quæſt.* 11. *art.* 5. *ad ſecundum*; & *ſatis conſentit Suarius in dicto* §. *Quæri enim hic poteſt in fine*: nec in ea aliqua videtur ineſſe difficultas: nam cum iſta ſcientia beato conueniat per modum habitus, vt cum Diuo Thoma iam diximus; ex ſua natura ſubiecta erit liberæ voluntati ipſius beati. Vna tamen difficultas apud Suarium excitari poteſt: quomodo ſcilicet beatus per ſuam voluntatem poſsit reducere, ſeu applicare hanc ſcientiam ad vſum potiùs huius ſpeciei, quàm illius? Rationem dubitandi in eo ponit; quoniam voluntas non fertur in incognitū. Ergo quando vult vti hac ſpecie ad cognoſcendum hoc obiectum, ſupponit cognitionem illius: quomodo igitur applicat intellectum ad hoc potiùs, quàm illud cognoſcendum? Ad huius dubij ſolutionem duas excogitauit ſolutiones, quæ mihi rem magis confundunt, quàm explicent: cum tamen ſolutio facilis ſit: voluntas enim; quando imperat intellectui, vt hanc rem, & non illam intelligat, & vt hac potiùs ſpecie vtatur, quàm illa, non ſupponit determinatam illius cogni-

D. Thom.
Suarius.

cognitionem ;ſed ſolùm ſupponit in intellectu præcedere cognitionem (ſaltem virtualiter, & prius natura) quod hoc, & illud intelligi poteſt; hac autem intellectione ſuppoſita, liberè eligit huius intellectionem, & non illius.

171. 5. propoſit. Quinta propoſitio: *Beatus per hanc inditam ſcientiã poteſt vno, & eodem actu plura cognoſcere.* De hoc art. eſt cõtrouerſia: etenim in Chriſto quidam hanc propoſitionem ſimpliciter negant, vt *Richardus in 3. diſt. 14. art. 4. q. 1*: alij eam admittũt; at tamen docent, omnia ſimul non poſſe ita perfectè cognoſci, ac ſi ſingula per ſe cognoſcerentur. Ita *Marſilius in 3. q. 10. art. 2. in 2. p. articuli concl. 4. Suarius tamen vbi ſuprà §. Hinc obiter expeditur*, hanc difficultatem ita reſoluit; vt ſcilicet beatus poſsit per hanc ſcientiam vno actu diſtinctè, & perfectè plura ſimul cognoſcere, ſi illa omnia per vnam ſpeciem repræſententur: quia tunc omnia, quæ repræſentantur, repræſentantur per modũ vnius; & ideò per vnũ, & eundem actum ita perfectè cognoſcuntur, ac ſi ſingula eorum per eandem ſpeciem repræſentarentur: vnde nec opinionem Richardi admittit, nec Marſilij: cui ego reſolutioni libenter ſubſcribo, de qua latiùs dixi in materia de cognitione Angelorum.

Richard.

Marſil. Suarius.

172. 6. propoſit. Sexta, & vltima propoſitio: *Beatus per hanc ſcientiam inditam, ſeruato connaturali, modo cognoſcendi illius, non poteſt habere niſi vnum actum adæquatum vni ſpeciei intelligibili: habere tamen non poteſt plures actus adæquatos omnibus ſpeciebus huius ſcientiæ, niſi per potentiam abſolutam Dei miraculoſè eleuetur, vt actu conſideret omnia obiecta contenta ſub illa, tot actibus, quot ſunt illius ſpecies: non eſt tamen negandum, poſſe virtute ſua pluribus actibus ſimul cognoſcere obiecta diuerſarum ſpecierum; cum minori tamen attentione ad ſingula.* Prima huius propoſitionis pars probata eſt *Suario vbi ſuprà §. Sed tunc occurrit.* Et quamuis eam ſolùm probet in Chriſto, à fortiori illam probabit in quolibet beato. Fundamentum eſt; quia nullus per quamcumque ſcientiam poteſt plura intelligere per modum plurium; ſed ſolùm per modum vnius, vt ex D. Thoma omnes Thomiſtæ docent: quorum doctrina eſt vera, ſi intelligatur, ſeruato connaturali intelligendi modo: iam verò tunc plura per modum plurium intelliguntur, cum intelliguntur per diuerſas ſpecies; per modum verò vnius, cum intelliguntur per vnam tantùm. Beatus igitur, ſi ſeruato connaturali intelligendi modo per ſuam inditam ſcientiam debet intelligere, non poterit ea intelligere, niſi quæ per vnam ſpeciem repræſentantur: tunc enim vnico actu omnia diſtinctè percipiet; quoniam obiectorum pluralitas in illo caſu, ſicut non plurificat actus intelligendi, ita non diminuit perfectam attentionem ad ſingula; cum ſub vna ratione omnia illa intelligantur: quod latiùs explicauimus in materia de Angelis.

1. pars aſſertionis. *Suar.*

Ex quo infertur veritas ſecundæ partis aſſertionis; beatum ſcilicet non poſſe ſimul habere tot actus, quot habet ſpecies; & ſubinde non poſſe ſimul actu cõſiderare omnia obiecta, quæ ſub indita ſcientia adæquatè continentur, niſi miraculoſè, & modo extraordinario eleuetur: etenim, vt diximus, modus intelligendi plura per modum plurium, & per plures actus, pluresque ſpecies, non eſt alicui creato intellectui connaturalis. Quod ita intelligendum erit, vt non poſsit illa omnia per plures actus actualiter ſimul conſiderare: nam plura illorum per plures actus inadæquatos, & cum diminutione attentionis ad ſingula, benè poteſt viribus ſuis cognoſcere, dummodò multitudo illorum non excedat naturalem, & finitam illius ſcientiæ virtutem. Vtrùm autem Deus beatis aliquando communicet hanc adæquatam omnium huius ſcientiæ obiectorum cognitionem? probabile eſt, quod nunquam eam communicabit: nam probabile eſt, eam animę Chriſti nunquàm fuiſſe communicatam, vt ſcribit *Suarius vbi ſuprà in dict. §. Sed tunc occurrit, ex mente D. Thomæ in d. q. 11. ar. 5. ad 2. & ex Durando in 3. diſt. 14. q. 3.* 173. 2. pars aſſertionis.

Suarius. D. Thom. Durand.

ARTICVLVS IIII.
De ſcientia naturali, & acquiſita, quæ in politia veſpertina datur in beatis.

EXplicatis ijs, quæ pertinent ad ſciẽtiam per ſe infuſam, quæ in politia veſpertina datur in beatis, vt res in proprio genere cognoſcunt; explicanda ſunt ea, quæ pertinent ad ſcientiam acquiſitam, quæ in beatis in eadem politia

veſper-

veſpertina reperitur; vt diximus ſuprà art.2.

§. 1.

Quid per ſcientiam acquiſitam intelligendum ſit?

1. Explicatio communis. VT in hac difficultate explicãda diſtinctiùs procedamus, priùs explicandum eſt, quidnam nomine ſciẽtiæ acquiſitæ hoc loco intelligendum ſit? niſi enim id diſtinguamus, æquiuocatio cõfuſionẽ pariet. Ratio dubitandi ſumi poteſt; quoniam ſi ea, quæ de Chriſti ſciẽtia acquiſita ſcribit *D.Thom.3.p.q.9.ar.4. & q.12.art.5.* expendantur, per ſcientiã acquiſitam intelligit eam, quę per ſpecies actione intellectus agentis à ſenſibilibus abſtractas acquiri poteſt: ex eo enim, qđ in Chriſto fuerunt aliquæ ſpecies intelligibiles per actionem intellectus agẽtis in intellectu poſsibili receptę, infert in Chriſto eſſe ſcientiam acquiſitam, vt patet *in d.q.9.art.4.vnde in d.q.12.art.1.ſcribit,* ſcientiã acquiſitã poni in intellectu Chriſti propter cõuenientiam intellectus agẽtis; ne.ſ.eius actio fieret otioſa; & inde colligit, quę nam obiecta per ſcientiã acquiſitam cognoſci valeant. Quare omnes Theologi per ſcientiam acquiſitã Chriſti intelligunt ſcientiam, quæ per ſpecies ab intellectu agente abſtractas labore, & induſtria humana acquiri poteſt, vt patet ex interpretibus D. Thomæ in citatis locis, & ex *Suario 1.tom.ad 3.p.diſp.30.ſect.1.in princ.pag.564.col.1.& Bellom.1.tom.ad 3.p.diſp.52.c.1.& diſp.55.c.1.& ex Cabrera in com.ad d.quæſt.12.ar.1. cũ cæteris.*

D. Thom. Suar. Bellom. Cabrera.

2. Contra explicationẽ. Huic tamen explicationi obſtat; quoniam anima cuiuſcũq; beati ante reſurrectionem pleraq; entia naturalia cognoſcit in proprio genere, quæ cognoſcere nõ poteſt per ſcientiã ex ſenſibilibus acquiſitam per ſpecies ab intellectu agente abſtractas: etenim cognoſcit ſubſtãtias ſeparatas in ſe ipſis, & in proprio genere exiſtentes, vt omnes concedunt: nam iſtarũ cognitio conceditur animæ ſeparatæ: & tamen ſubſtantias ſeparatas cognoſcere non poteſt per ſcientiam ex ſenſibilibus actione intellectus agẽtis acquiſitam: vt contra Suarium oppoſitum docentem *in d.diſp.30.ſect.1.§.Dico primò,* optimè oſtendit *Cabrera vbi ſuprà n.15. cum ſequentibus:* hæc enim ſcientia eſt inferioris ordinis: & ob hanc rationem animæ ſeparatæ, quantumuis ſecum deferat ſcientiam acquiſitam, quam habuit in via infundũtur ſpecies à Deo authore naturæ, naturales quidem; ſed per ſe infuſæ, & ideò altioris ordinis ad ſcientiam acquiſitam, vt eſt communis Theologia ex *D.Thoma 1.p.q.89.art.1.ad 2.Caietani ibidem, & q.57.art.2.Ferrariẽſis 2.cont.gent.c.96.Capreol.in 2.diſtin.3.q.2.& docent Conimbricenſes in tract. de anima ſeparata diſp.3.art.4.§. Contraria tamen pars, & art.5.concl.2. Fonſeca 5.Metaph.c.14.q.1.ſect.4.ad finẽ, & Mol.1.p.q.55.art.1.diſp.2.memb.3.* Quã opinionem vt veriſsimam ſupponimus. Quare cum anima ipſa ſeparata eaſdem ſpecies ſibi inditas à Deo ſecum deferat ad patriam ſimul cum ſcientia acquiſita; ſine fundamẽto dicitur, quod anima beata per ſcientiam acquiſitam cognoſcat ſubſtantias ſeparatas, & cætera immaterialia: meritò igitur Suarius inconſiderationis notatur à Cabrera.

Contra Suarium. D. Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Conimbr. Fonſeca. Molina.

Quare ego puto præter ſcientiam ſupernaturaliter infuſam, & ſcientiam ex ſenſibilibus acquiſitam admittendã eſſe in hominibus beatis ſcientiam quandam naturalem, qua entia immaterialia in proprio genere cognoſcant cognitione ſibi cõnaturali. Vnde, quando Theologi pręter ſcientiam beatam in beatis admittunt ſcientiã rerum in proprio genere; & eam diuidunt in ſupernaturalẽ per ſe infuſam; & in acquiſitam; vt diuiſio ſit adæquata, & omnem ſcientiam, quæ in beatis reperitur, cõtineat; nomine ſcientiæ acquiſitę intelligendam puto ſcĩetiam naturalem, vt cõplectitur tàm eam, quæ actione agẽtis intellectus acquiritur, quàm eam, quæ eſt ordinis naturalis, per ſe tamen infuſa. Quam ſententiã ex eo libẽtiùs approbo, vt nomine beatorũ etiam cõprehendantur Angeli beati; in quibus præter ſcientiam ſupernaturalẽ, & infuſam nulla datur ſcientia acquiſita ex ſenſibilibꝰ, actione intellectus agentis; cum nec Angeli illum habeant, nec ab obiectis ſpecies abſtrahant, iuxta veriorem ſententiam: & tamen habeant ſcientiam naturalem, qua res naturaliter intelligunt. Quare de ſciẽtia politiæ veſpertinæ in hac generalitate agemus, vt in ea præter ſcientiam ſupernaturalẽ per ſe infuſam admittamus aliã naturalem tàm in hominibus, quàm in Angelis, qua beati intelligunt entia natura- 3. Sententia auctoris.

turalis ordinis tàm materialia, quàm immaterialia.

§. 2.

Dari in politia veſpertina in beatis ſcientiam naturalem.

4. Datur ſcientia naturalis.

HIs ita ſuppoſitis accedamus ad explicationem eorum, quæ pertinẽt ad ſcientiam naturalem, qua beati naturaliter intelligunt res in proprio genere. Et quidem quod in veſpertina politia danda ſit ſcientia naturalis, qua beati naturaliter intelligant, quæ ſunt ordinis naturalis, dubitari non poteſt: etenim in hominibus beatis eſt natura humana cũ omni perfectione connaturaliter illi debita: ſimiliter in Angelis beatis datur natura Angelica omnibꝰ cõnaturalibus perfectionibus ornata: hæc enim perfectio decet ipſum beatitudinis ſtatum: ſed ſcientia naturalis eſt quædam connaturalis perfectio tàm naturæ humanæ, quàm Angelicæ, vt patet. Ergo præter ſcientiã ſupernaturalem in Angelis, & hominibus beatis admitti debet ſcientia naturalis cuique propria.

I. ratio.

5. Secunda.

Accedit; quia non eſt negandum in hominibus, & Angelis beatis dari actus naturales intelligendi, quia vtrique habent naturalem intelligendi potentiam: hos autem actus habere non debent naturaliter imperfectos; quia in felicitate nihil datur imperfectum, vt ſæpè ait Ariſtoteles: iam verò actus naturales tunc ſunt perfecti, cum oriuntur ex habitu, vt docet Philoſophia. Ergo beati tàm homines, quàm Angeli habent ſcientiam naturalem cuique propriam.

6. Tertia.

Accedit tertiò; quoniam beati in patria habent virtutes morales ſibi connaturales, vt inferiùs dicemus in diſp. de perfectionibus voluntatis. Ergo habent prudentiam naturalem; & per conſequens cæteras virtutes intellectuales.

7. Quarta.

Quartò addimus; quoniam ſcientiæ acquiſitæ fuerunt in Adamo, vt omnes agnoſcunt; & in Angelis fuerunt ſcientiæ inditæ; non ob aliam rationem, niſi quia ad naturalem illorum perfectionem pertinebant. Ergo etiam erunt in beatis hominibus, & Angelis: ſicut enim perfectio gratiæ non deſtruit perfectionem naturæ, ſed eam complet: ita perfectio gloriæ non tollit perfectiones connaturales, ſed eas reddit perfectiores.

Quare de hoc nulla poteſt eſſe dubitatio: ſicut etiam nulla dubitatio eſt, quin in Chriſto fuerint ſcientiæ naturales, & acquiſitæ, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 9. ar. 4. vbi omnes illius interpretes.* Nomine autem ſcientiæ naturalis intelliguntur omnes virtutes intellectuales: nimirum intellectus, ſiue habitus principiorum, ſapientia, & ſcientia, quæ ſunt virtutes intellectuales: intelliguntur etiam prudentia ad agibilia, & ars ad factibilia: etenim hæ etiam ſcientiæ practicæ pertinent ad naturalem intellectus perfectionem, vt patet: vnde fuerunt in Chriſto, in quo etiam fuit ſcientia factibilium, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 13. art. 1. ad 3: de quo vide Suarium 1. tom. ad 3. p. diſp. 25. ſect. 2, §. Sed obſeruandum eſt, pag. 504. col, 1. C.*

Conclusio. *D. Thom.* *D. Thom.* *Suarius.*

§. 3.

Quomodò hanc ſcientiam habeant beati?

COnſequẽter erat inquirendũ; quonam modo beati, tàm homines, quàm Angeli habeant hanc ſcientiam naturalem? ſed de hoc latiùs dicemꝰ in ſequenti art. 9.

§. 4.

Per hanc ſcientiam cognoſcuntur omnia naturalia.

10. Cognoſcũtur omnia, quæ naturaliter cognoſci poſſunt ab anima cõiuncta, & ſeparata.

INquiri etiam poteſt; quænam per hãc ſcientiam naturalem ab hominibus, & Angelis cognoſcantur? Quæ difficultas non ſatis à Theologis explicatur in beatis; quia ſolùm id inquirunt de ſcientia acquiſita Chriſti. Ego in hac materia puto, pro indubitato habendum eſſe, animas beatas in iſta politia veſpertina cognoſcere omnia, quæ naturaliter cognoſci poſſunt ab anima, tum coniuncta, tùm ſeparata: cum enim horum omnium naturalis cognitio pertineat ad perfectionem ſtatus beatifici; in quo nihil imperfectũ reperitur, ſed omnia ſunt perfecta perfectione ſibi connaturaliter debita; non eſt negandum, animam beatam ſua ſcientia naturali cognoſcere omnia, quæ & in ſtatu coniunctionis, & in ſtatu ſeparationis poterat cognoſcere. Quare non eſt negãdum, animam beatam naturaliter poſſe cognoſcere proprio, & abſoluto conceptu materialem ſubſtantiam, prout eſt in ſe: & præterea cognoſcere omnes naturales proprietates, & omniã naturalia acciden-

cidentia ſubſtantiarum materialium: cum enim ſua naturali ſcientia, quæ cognoſcit, perfectè cognoſcat, & ſubinde omnia illa comprehendat; quia in beatitudine nihil imperfectum reperitur, vt ex Ariſtotele ſæpe diximus: ſubſtantia autem materialis cōprehendi nequeat, niſi omnes illius proprietates, & naturalia accidentia perfectè comprehendantur: non poteſt negari animæ beatæ omnium materialium perfecta cognitio. Vnde naturali ſua ſcientia comprehendit omnia corpora cœleſtia, & omnes illorum virtutes, & effectus, quos in his inferioribus operantur.

11. *D. Thom.* Quam cognitionem D. Thomas tribuit ſcientiæ naturali Animæ Chriſti 3. *p. q.* 12. *art.* 1. *ad* 2. iam verò, quoad hoc valet cōſequentia à ſcientia naturali Chriſti ad ſcientiam beatorum: quoniam comprehenſio virtutis corporum cæleſtium, & effectuū, quos in his inferioribus operari pòſſunt per ſe oritur ex comprehenſione ſubſtantiæ corporis cæleſtis: quæ etiā conceditur beatis ſecundum ſuam naturalem ſciētiam. Quod dicitur de cognitione corporis cæleſtis, dicendum eſt etiā de cognitione cuiuſcunque alterius ſubſtantiæ materialis, vt comprehenſa illius eſſentia, & natura, comprehendantur etiā omnes illius virtutes, & effectus. Eadem ratione non eſt dubitandum, animam beatam naturali ſua ſcientia diſtinctè, & perfectè cognoſcere omnes ſubſtantias ſeparatas: nam licet eas naturaliter cognoſcere non potuerit in ſtatu coniunctionis cū corpore mortali: eas tamen naturaliter cognouit in ſtatu ſeparationis, in quo ante reſurrectionem permanet. Vnde naturaliter poteſt ſe ipſam cognoſcere: nam & Angelus ſe ipſum naturaliter cognoſcit. Concludendum eſt igitur, animam beatā naturali ſua ſciētia cogoſcere omnia, tàm materialia, quâm immaterialia, quę ab anima cōiuncta, aut ſeparata naturaliter cognoſci poſſunt: etenim anima beata in Patria eſt perfecta ſecundum totam capacitatem ſuam naturalem: cum id ad ſtatum beatificum pertineat: nam Anima Chriſti ſecùndum totam ſuam naturalem capacitatem naturaliter fuit perfecta; quia ad ſtatum ſuum, etiam vt erat viator, talis naturalis completio pertinebat, vt omnes docent *in* 3. *parte quæſtione* 12. *&* *in* 3. *diſt.* 14.

Duo tamen hoc loco ſunt aduertenda. 12. Primum ad uertendum
Primum eſt; animam beatam omnia iſta cognoſcere admodum ſcientiæ, qua vtitur: nam ſi vtitur ſpeciebus in ſua ſeparatione ſibi naturaliter inditis; eo modo cognoſcet ſubſtantias ſeparatas, quo per tales ſpecies eas poteſt cognoſcere: nam ſi per illas ita naturaliter intelligit ſubſtantias ſeparatas, vt eas non comprehendat, vt pleriq; volunt; eodem modo in Patria per eaſdem ſpecies ita naturaliter cognoſcet, vt eas non comprehendat: ſicut etiam Angeli inferiores in Patria per ſuas ſpecies inditas ſuperiores non comprehēdent, ſi vera eſt opinio, quæ docet, inferiores Angelos naturaliter non comprehendere ſuperiores: ſecus ſi illos comprehendant, vt alij volunt. Et eodem modo: intelligendum eſt id, quod diximus, animam beatam intelligere ſubſtantias materiales; etenim ſi vtatur ſpeciebus per intellectum agentem acquiſitis, eo modo in Patria per illas intelliget ſubſtantiam materialem, quo illa per eas repræſentatur: nam ſi admittatur, ſpecies ab intellectu agente abſtratas repræſentare immediatè ipſam ſubſtantiam, vtique in Patria per eas ſpecies ipſam ſubſtantiam immediatè intelliget: ſecus verò, ſi tales ſpecies immediatè non repræſentant ſubſtantiam, ſed ſub accidentibus, quę opinio pluribus placuit. Quæ illarum ſit verior? non eſt huius loci explicare, quia ad præſens inſtitutum non conducit. Porrò ſi ad cognitionem ſubſtantiæ materialis non vtatur ſpeciebus ab intellectu agente abſtractis, ſed ſpeciebus in ſui ſeparatione inditis; cum illa ſint ſuperioris ordinis, & repręſentent ſubſtantias materiales, vt ſunt in ſe ipſis; tunc eas in ſe ipſis diſtinctè intelliget. Cum quo benè ſtat, quod ex cōiunctione cum ſcientia tùm beata, tùm ſupernaturaliter infuſa hæc omnia per ſpecies cōnaturales cognita diſtinctiùs cognoſcantur, clariùs, & certius, intra limites tamen talis ſcientiæ.

Secundum, quod putamus eſſe aduertendum, eſt; non eſſe admittendam Suarij opinionem poſitam *in dicta diſput.* 30. *ſect.* 2. §. *Dico tamen primo pag.* 567. quæ aſſerit, Chriſtum per ſcientiam acquiſitā cognouiſſe non ſolùm res materiales, ſed etiam immateriales: quod tamen nō puto eſſe ſatis Philoſophicum, cum indubitatū 13. 1 Aduertẽdum.

ſit, & ſcientiam actione intellectus agentis à ſenſibilibus acquiſitam (de quibus agit) & ſpecies ab eodem intellectu abſtractas ex ſua natura eſſe inferioris ordinis, reſpectu rerum immaterialium; ita vt ex ſua eſſentiali ratione habeāt nō repræſentare, niſi materialia, & ad modum eſſendi materialium: id quod, ni fallor, doctiſsimus Theologus nō negabit: iam verò ſtatus beatificus, licet vendicet dari ſibi de nouo ſcientiam altioris ordinis, qua res ordinis inferioris in proprio genere cognoſcantur; tamen nullo modo poteſt ſibi vendicare, vt ſcientia inferioris ordinis eleuetur ad cognoſcēda, quæ ſunt ordinis ſupeoris; ſed potiùs conſeruat eſſentiā inferioris ſcientiæ in ſua eſſentiali quidditate, repręſentatione, & tendentia. Vnde in hoc meritò reprehenditur à Cabrera *1. tom. ad 3. p. q. 12. art. 1. in Comment. n. 15.* Nec ratio adducta à Suario oppoſitū, vel apparēter probat: quoniam admittimus, animam Chriſti habuiſſe omnem perfectionem ſibi debitam ratione vnionis, & beatitudinis; negamus tamen ratione, aut vnionis, aut beatitudinis hanc perfectionem eſſe debitam ſcientiæ à ſenſibilibus acquiſitæ, vt ſub ſe ſuoq; obiecto adæquato contineat res immateriales: id enim, quod eſſentiæ rei repugnat, quomodo poteſt quocunque excogitato modo illi conuenire? debitum quidem erat animæ Chriſti ratione, tum vnionis, tùm beatitudinis; imò etiam ratione officij Doctori hominum, & Angelorum, vt pręter ſciētiam beatam, qua res in Verbo videbat, infunderetur illi ſciētia ſupernaturalis, qua clarè res omnes creatas in proprio genere cognoſceret: debita etiam erat illi ſumma perfectio ſcientiæ acquiſitæ, cuius illa capax foret; non tamen illi debitum erat vt ſcientia per agentē intellectum à ſenſibilibus acquiſita contra ſuam intrinſecam eſſentiam extenderetur ad obiectū, quod intra obiectum ſibi eſſentialiter adæquatum non continetur.

Cabrera.

Non conuincit hæc ratio.

§. 5.

Explicantur nonnulla de hac ſcientia.

14. An beati ſecundū hanc ſcientiā ſemper ſint in actu ſecundo.

DE hac naturali ſcientia, ſiue acquiſita ſit, ſiue indita, nonnulla inquiri poſſunt, quæ breuiter attingemus. Primum eſt; an beatus ſecundum cam, ſemper ſit in aliquo actu ſecundo? Hanc quæſtionem dubiam facit; quoniā fere omnes in hoc conueniunt, vt Angelus ſecundùm ſuam naturalem cognitionem ſemper ſit in aliquo actu ſecundo: quamuis tñ in hoc differant; quòd alij volunt, Angelū ceſſare quidem poſſe à cognitione actuali aliorum à ſe, non tamen ab actuali cognitione ſui; quę fuit opinio *D. Thomæ de Veritate q. 8. art. 6. ad 7. quem refert, & probat Capreolus in 2. diſtin. 3. q. 2. art. 3, ad 2. contra quintam fol. 100. col. 2. & Ferrarienſis 2. contra gentes cap. 101.* cū alijs eiuſdem Scholæ: quibus accedit *Heruæus in dicta diſt. 3. q. 1. ad 1. principale*, adiungens, Angelum nō ſolùm ſemper eſſe in actuali cognitione ſui, ſed etiam in cognitione eorum, quæ in eo naturaliter inſunt, nimirum potentiarum, ſpecierum, & habituum illi connaturalium. Alij volunt Angelum ſemper eſſe in actuali cognitione, tùm ſui, tùm aliorum à ſe, etiam naturalium, inter quos eſt *Durandus in 2. diſt. 3. q. 8.* Denique alij mediam viam tenentes docent, Angelum quidem ſemper eſſe in actuali cognitione, indeterminatè tamen, vel ſui, vel aliorum à ſe; quæ fuit ſententia *Molinæ 1. p. q. 56. ar. 1. diſp. 2. concluſione 2.* Et ſicut de Angelo hæc tertia ſententia communior eſt inter nouiores; ita etiam de anima ſeparata quam plurimi ex nouioribus volunt, eam ſemper eſſe in actu intelligendi, vel ſe, vel alia à ſe indeterminatê: quam opinionem, vt probabiliorem ſequuntur *Conimbricenſes in tractatu de Anima ſeparata diſp. 4. arti. 2. in 4. dubitat. ad finem pag. 511. in medio.*

D. Thom.
Capreol.
Ferrarien.
Heruæus.

Alia opinio Durãdi.

3. *Opinio Molinæ.*

Conimbri.

Ego hanc difficultatem ita puto eſſe diſſoluendam; vt anima beata non neceſſariò ſemper ſit in actu ſecundo ſcientię ex ſenſibilibus comparatæ: ſecus de ſcientia naturali per ſe illi indita in ipſa ſeparatione: vnde probabile exiſtimo, quòd Angelus beatus per ſuam ſcientiam naturaliter inditam ſemper ſit in aliquo actu ſecundo indeterminatê ſumpto. Priorem partem huius reſolutionis ideo approbo; quia nihil cogit ad hanc tantam actualitatem ſcientiæ acquiſitæ à ſenſibilibus tribuendam. Nam ſi iuxta plurimorū Theologorum ſententiam anima Chriſti per ſuam ſcientiam inditam (quæ eſt ſupernaturalis ordinis) non ſemper fuit in aliquo actu ſecundo: & eodem modo, nec beati

15. Reſolutio authoris.

Probatur 1. pars.

beati per eandem ſcientiam ſupernaturalem neceſſariò ſunt in aliquo actu ſecundo illius; à fortiori, nec beati ſemper erunt in aliquo actu ſecundò ſcientiæ à ſenſibilibus acquiſitæ. Et quamuis in ſcientia ſupernaturali Chriſti, & beatorum probabiliſſimum ſit admitti debere illam actualitatem, tam in Chriſto, quàm in beatis, vt admiſimus in præcedente articulo §. 7. num. 168. non proinde illud admitti debet in hac ſcientia acquiſita; cum illa ſit longè inferioris ordinis ad ſcientiam per ſe infuſam, & ſupernaturalem. Et profectò non videtur probabile, quòd anima beata ſemper ſit in actuali cognitione alicuius rei materialis: iam verò ſcientia acquiſita (de qua agimus) non terminatur, niſi ad rem materialem. Poſterior verò noſtræ reſolutionis pars ſuam probabilitatem ſumit ex probabilitate, quòd anima ſeparata ſuę naturæ relicta ſemper eſt, vel in actuali cognitione ſui ipſius, quæ eſt Thomiſtarum ſententia; vel inde terminatè in actuali cognitione, aut ſui, aut aliorum, quæ per ſcientiam naturalē in ſeparatione ſibi inditā naturaliter cognoſcuntur: etenim ſicut gratia non tollit naturam, ita beatitudo non tollit naturalia. Et idem, quod diximus de anima beata, à fortiori dicemus de beatis Angelis.

Probatur 2. pars.

16. An hæc ſcientia dependeat à phantaſmate: Secundo loco inquiri poteſt: an ſcientia actione agētis intellectus à ſenſibilib⁹ acquiſita habeat in Patria dependētiam ad phantaſmata? Quæ difficultas ſpecialiter excitatur de ſcientia actione agentis intellectus acquiſita; quia indubitatum eſt ſcientiam naturalem, quæ animæ in ſua ſeparatione infunditur, ex ſua natura nullam habere dependentiam à phantaſmate, vt communis habet Philoſophia, quā vt indubitatam ſcribunt *Conimbricenſes in 3. de Anima cap. 8. q. 1. art. 3. pag. 370 §. Quapropter aſſerendum*: cum enim à phāntaſmate non ſit comparata, ex ſua natura habet poſſe abſque vllo phantaſmatis cōcurſu in obiectum tendere. Et inde orta eſt ratio dubitandi de ſcientia à ſenſibilibus acquiſita: nam cum acquiſita ſit ex illis, ex ſe habet dependentiam à concurſu phantaſmatis. Dicendum tamen eſt, beatum etiam in hac ſcientia non neceſſariò dependere à phantaſmatibus; ſed poſt reſurrectionem poſſe illa vti abſque concurſu phantaſmatis, de quo dicemus in 3. tom. de Beatitudine corporis in diſput. de phantaſmate: etenim licet illa ſcientia, & ſpecies illius ex ſua intrinſeca ratione ſola ſenſibilia reſpiciant; eſſentialiter tamē non habent, vt non niſi concurſu ſenſibilium phantaſmatum in ſenſibilia tendat: quia dependentia à tali concurſu non cōuenit illi intrinſecè; ſed ex naturali ſubiectione animę ad corpus, quæ ab ea tollitur per gloriam, tùm animæ, tùm corporis: ratione cuius corpus glorioſum in omnibus animæ beatæ perfectiſsime ſubijcitur; & inde eſt, vt conuerſio ad phantâſmata iam non ſit neceſſaria, ſed ſolùm voluntaria, vt dicemus in dicto tomo. 3. Vnde anima ſeparata ſpeciebus illis, quas ad Patriam ſecum defert, vti poteſt.

Conimb.

Tertio loco pro explicatione vſus huius naturalis ſcientię nōnullas ſtatuimus propoſitiones. Prima propoſitio: *Beati, nec per ſcientiam beatam, nec per ſcientiam ſupernaturalem, & per ſe infuſam impediuntur, quominùs exerceant actus huius ſcientiæ circa eaſdem rēs, quas & per ſcientiā beatam in Verbo intelligunt, & per ſcientiam infuſā in proprio genere.* Hæc propoſitio ferè iiſdem rationibus confirmari poteſt, quibus confirmauimus primam propoſitionem poſitam in præcedente articulo §. 7. nu. 167. 17. De vſu huius ſcientię 1. propoſit.

Secunda propoſitio: *Beatus per hanc ſcientiam naturalem non habet vnum tantum actum illi adæquatum, ſed plures, & varios.* Hæc etiam propoſitio iiſdem medijs cōfirmatur, quibus confirmatur tertia propoſitio poſita in articulo precedente §. 7. num. 169. 18. 2. propoſit.

Tertia propoſitio: *Beatus ſecundum ſcientiam à ſenſibilibus acquiſitā non poteſt vno & eodem actu plura cognoſcere; benè tamen ſecundum ſcientiam in ſeparatione animæ beatæ inditam.* Pro illius explicatione illud præmittimus, actus cuiuſcumque ſcientiæ multiplicari ex multiplicatione ſpecierum; ita vt vnus tantum actus vni ſpeciei reſpondeat; vbi dantur plures actus ſimul, ibi dantur plures ſpecies elicitiuæ illorum actuum: vbi verò vnus tantum datur actus, vna tantum concurrit ſpecies elicitiua illius: non ſic dicendum eſt de actibus in ordine ad obiecta, nec enim opus eſt, vt ſi obiecta ſint plura plures etiam ſint actus: nam per vnam ſpeciem per ſe inditam pōſſunt ſimul repręſentari 19. 3. propoſit.

ſentari plura obiecta; cum ſpecies illa repræſentet naturam vniuerſalem, non abſtractè, ſed concretè; & proinde repræſentet eam cum omnibus, cũ quibus à parte rei exiſtit, quæ poſſunt eſſe plura: cum verò hæc omnia non repræſententur per modum plurium, ſed per modum vnius, per vnum actum clarè, & diſtinctè cognoſci poſſunt. Quam Philoſophiam, tanquam receptam ſupponimus.

20. Probatur 1. pars. Hoc præmiſſo, iam patet prior pars propoſitionis: quoniam cum ſpecies ſcientiæ à ſenſibilibus acquiſitæ ſint abſtractæ actione intellectus agentis, & obiecta ſua non concretè, ſed abſtractè repræſentẽt; non repræſentant, niſi vnum tantum obiectum materiale; ſingulare; ſi admittantur ſpecies ſingularium; vniuerſale autẽ, ſi ſpecies fuerit vniuerſalis. Quare ſi vnus actus ab vna tantum ſpecie acquiſita elicitur, non poteſt plura attingere, ſed vnum tantum, quæ fuit prior pars aſſertionis.

21. Probatur pars poſterior. Poſterior verò pars, quæ eſt de ſcientia indita animæ ſeparatæ, non recipitur à Richardo; ſed tamen abſque dubio recipienda eſt; quia cum ſpecies huius ſcientiæ naturaliter inditæ repræſentent naturam communem non abſtractè, ſed concretè, poſſunt elicere vnum actum, qua plura per eam repræſentata ſimul intelligantur, non per modum plurium, ſed per modum vnius. Vide quintam propoſitionem poſitam in præcedente articulo §. 7. num. 171.

22. 4. Propoſit. Quarta propoſitio: *Beatus per hanc ſcientiam naturalem, tàm acquiſitam, quàm per ſe inditam poteſt ſimul vti pluribus ſpeciebus & per conſequens poteſt ſimul habere plures actus circa plura obiecta, quæ per modum plurium cognoſcat.* Hæc propoſitio à Thomiſtis non recipietur, apud quos plura per modum plurium, ſaltem naturaliter intelligi non poſſunt, vt docet D. Thomas 1. p. q. 85. art. 4. & plures alij, quos referunt *Conimbricenſes in 3. de Anima cap. 8. q. 6. art. 1. in principio*: Cæterum quia cũ Scoto, & alijs relatis ab iiſdem Conimbricenſibus in d. q. 6. art. 2. oppoſitam ſententiam putamus eſſe veriorem, & inter Nouiores magis receptam; ideo hãc propoſitionem in beatis ſtatuimus: cuius cõfirmatio pendet ex cõfirmatione opinionis, quam vt veriorem ſupponimus in libris de Anima à nobis latè confirmatam.

Addimus tamen illa plura per actus plures cum minori attentione eſſe percipienda; quia pluralitas actuum quò fuerit maior, eò attentionem magis diminuet.

Quinta, & vltima propoſitio: *Beatus ſeruato modo connaturali debito huic ſcientiæ naturali, non poteſt per eam actu ſimul conſiderare omnia obiecta contenta ſub obiecto illi ſcientiæ adæquato; ſed indiget miraculoſa eleuatione.* De veritate huius propoſitionis vide in præcedente art. 3. §. 7. in. vltima propoſitione num. 172. 23. 5. Propoſit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſcientia indita ſit qualitas diſtincta à lumine, & ſpeciebus? vna vel plures?

§. 1.

Referuntur variæ opiniones.

SVpereſt diſputare de quidditate ſcientiæ inditæ: quidnam ſit; & an ſit vna, vel plures? Pro cuius explicatione aduertimus id, quod ſuprà oſtendimus art. 2. ſcientiam iſtam per ſe inditam ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem, & ſubinde ſuperioris ordinis ad naturalem, & acquiſitam; inferioris tamen ad beatam; cum per beatã videantur res in Verbo; per hanc verò in proprio genere. Aduertimus deinde, per hanc ſcientiam cognoſci, tam naturalia, quàm ſupernaturalia, vt in ſuperioribus iam oſtẽdimus: & inde eſt, vt in ea reperiatur lumen quoddam ſupernaturale, quo obiecta huius ſcientiæ illuminantur: reperiantur etiam ſpecies ordinis ſupernaturalis, in quibus illius obiecta repræſentantur: vnde meritò inquirimus, vtrùm hæc ſcientia ſit habitus diſtinctus, tùm à ſpeciebus, tùm à lumine. 1. Præmiſſ.

In qua quæſtione tres inuenio oppoſitas ſententias. Prima hanc ſcientiam non diſtinguit à ſpeciebus. Secũda eam à ſpeciebus diſtinguit; non tamen à lumine. Tertia denique ponit, eam eſſe habitum diſtinctum, tùm à lumine, tùm à ſpeciebus. 2. Primam ſententiam nonnullos probaſſe refert Suarius 1. *tom. ad 3. p. diſp. 29. ſect. 2. §. Secunda ſententia pag. 554. columm. 2. ad finem*, vbi affirmat, nonnullos Thomiſtarum (nullo tamen nominato) hanc ſen-

ſentẽtiam approbare: forte voluit citare Soncin. lib. 6. Metaph. q. 9. vbi hanc opinione probat: eam obiter probauit *Bellomontanus 1. p. diſp. 43. cap. 5. num. 21. §. Ob quam etiam rationem, & latiùs 1. tom. ad 3. p. diſp. 54. cap. 2. vbi vult, eam eſſe D. Thomæ 3. p. q. 11. art. 6. & Medinæ ibidem art. 5. & Valentiæ tom. 4. diſp. 1. q. 11. puncto 1.* (Bellom.)

2. Opinio. Suar. Secundam ſententiam probauit Suarius *in dicta diſp. 29. ſect. 2. pag. 555. colum. 1. in principio §. Contraria ſententia*, vbi nec primam ſententiam recipit, nec tertiam; ſed exiſtimat ſcientiam inditam non diſtingui à lumine infuſo quodcumque illud ſit, & id ſemper ſupponit in tota illa ſect. 2. atque etiam ſect. 3. tùm in titulo quæſtionis, tùm in §. *Nihilominus dicendum.*

3. Opinio. Tertiam denique opinionem nonnullos probaſſe refert idem Suarius *in dicta ſect. 2. in principio*, nullũ tamen nominat, nec ego aliquem inueni, qui in noſtris terminis eam probet, niſi vnum *Molinã in ſcriptis ad 3. p. q. 11. ar. 4. prop. 2. & inferiùs ar. 6. eiuſdem quæſtionis.* (Molina.)

§. 2.

Scientia infuſa realiter diſtinguitur à ſpeciebus.

3. 1. Probat. PRo reſolutione huius difficultatis nonnullas ſtatuimus propoſitiones. Sit prima propoſitio. *Scientia per ſe infuſa beatis realiter diſtinguitur à ſpeciebus infuſis eiuſdem ſcientiæ.* Hæc propoſitio ſtatuitur contra primam opinionem, quã in terminis inueni apud Cabreram *1. tom. ad 3. p. q. 11. art. 6. diſp. 4. concluſione 1. nu. 8. pag. 179. col. 1. eandem ſatis ſupponit Suarius in d. diſp. 29. ſect. 1.* dum referens tertiam opinionem, quæ præter ſpecies requirit duas qualitates diſtinctas, habitum ſcilicet, & lumen, eam ſolùm reijcit quoad ſecundam partem, quaſi ſupponens ſcientiam iſtam diſtingui à ſpeciebus, quod etiam ſatis declarat. dum in §. *Et ex his alteriùs* docet, intellectum per ſolas ſpecies non ſufficienter eleuari ad eliciendos ſupernaturales actus huius ſcientiæ, ſed indigere habitu ſuperaddito per ſe infuſo: & ideo in ſect. 2. §. *Ex his vltimo* concludit, in hac ſcientia indita pręter ſpecies intelligibiles dari habitum per ſe infuſum eleuantem intellectum ad illius actus; quem habitum non diſtinguit à lumime. Denique ferè omnes Authores id ſupponũt, ſi illorum dicta benè expendantur; vt Medina *in dicta q. 11. art. 6. cum cæteris D. Thomæ interpretibus.* Quam ſententiam non poſſunt non probare, qui hanc ſcientiam à lumine infuſo non diſtinguunt: conſtat enim lumen infuſum realiter diſtingui à ſpeciebus, vt inferiùs dicemus. (Cabrera. Suarius. Molina.)

4. Confirmatur ex D. Thom. Hanc propoſitionem Cabrera confirmat authoritate D. Thomæ 3. p. q. 11. art. 6 ad 3. quatenus admittens plures ſpecies in hac ſcientia vnum tantum admittit lumen: ſed ex hoc colligi non poteſt. D. Thomam ſcientiam inditam diſtinguere à ſpeciebus, niſi apud Authores ſecundæ opinionis, qui volunt, ſcientiam inditam eſſe ipſum inditum lumen: quæ tamen opinio nec in ſe eſt recipienda, vt ſtatim dicemus; nec in via D. Thomæ, apud quẽ lumen huius ſcientiæ eſt vnum, ipſa verò ſcientia non eſt vnus habitus, ſed plures, vt videbimus. Quare pro hac ſententia afferri poteſt. *D. Thomas in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4.* vbi in vltimis verbis de ſcientia indita Chriſto ita concludit: *Ideo non habuit diuerſos habitus ſcientiæ, quibus cognoſceret; ſed vno habitu omnia cognouit, quæ ad hanc ſcientiã pertinent; quamuis diuerſis ſpeciebus*, quod etiam explicat ibidem ad tertium. Ecce verbis expreſsis docet D. Thomas, hanc ſcientiam eſſe vnũ tantum habitum; ſpecies tamen illius eſſe plures: & quamuis Caietanus cum nonnullis alijs dicat, D. Thomam mutaſſe ſentẽtiam *in 3. p. q. 11. art. 6. vt latè oſtendit Caietanus prima ſecundæ, q. 54. artic. 4. §. Quoad quartum, verſiculo in tertio demum*: tamen vt id admittamus (quod fortè admittendum non eſt) ſolùm mutauit ſententiã, quoad vnitatem habitus huius ſcientiæ; non tamen quoad diſtinctionem realem illius à ſpeciebus: hanc enim etiam poteſt habere, quamuis in plures habitus diſtinguatur. Quare ego exiſtimo, D. Thomã noſtram approbaſſe propoſitionem: pro qua etiam expreſſè eſt *Richardus in 3. diſt. 14. art. 3. q. 4.* vbi docet, ſcientiam inditam eſſe vnum tantum habitum, ſpecies autẽ illius eſſe plures; ex quo neceſſariò infertur ſcientiam inditam non eſſe ipſas ſpecies; imò hoc ipſum in terminus docet ibidem ad ſecundũ his verbis: *Dicendum quod ſpecies intelligibiles non ſunt habitus ſcientiæ.* (D. Thom. Caiet. Richard.)

Prima ratio.

5. 1. Ratio. ¶ Sed rationibus noſtram aſſertionẽ confirmemus. Nonnulli ex eo illam confirmãt; quia intellectus beati indiget eleuari, vt ſufficienter poſsit in actus ſupernaturales huius inditę ſcientiæ. Per ſpecies autem ſupernaturales huius ſcientiæ non ſufficienter eleuatur. Ergo indiget aliqua virtute, vel auxilio ſupernaturali; quo ſupernaturaliter eleuetur ad efficaciam neceſſariam, qua poſsit actus huius ſcientiæ elicere. Hanc rationem latiſsimẽ perſequitur Suarius 1. *tom. ad 3. p. diſp.* 29. *ſectio.* 2. §. *Contraria ſententia pag.* 555. *colum.* 1. *in principio*, à quo loco vſque in finem ſectionis, ita eam perſequitur, vt vix poſsit argumentum aliquod ad formam reducere. *Suarius.*

6. Ratio efficax. Omiſsis igitur illis, ego ad confirmandam noſtram concluſionem hac vtor ratione. Intellectus beati ad actus ſupernaturales huius ſcientiæ concurrit modo perfecto; ita vt ex ſe ſit in actu perfecto, & completo, vt actus huius ſcientiæ non ſolùm eliciat, ſed etiam perfectiſsimo modo eos eliciat: nimirum, facilè, promptè, & ſuauiter, in hoc enim poſita eſt tota, & completa perfectio potentiæ in actibus eliciendis. Sed intellectus beati non poteſt actus iſtos perfectiſsimo modo elicere, niſi ſcientia indita, ſecundum quam ad eos concurrit, ſit habitus diſtinct⁹ à ſpeciebus. Ergo ſcientia indita beatis nõ eſt ipſę ſpecies intelligibiles. ¶ Maior huius diſcurſus ex eo euidenter oſtẽditur: quoniam ſcientia iſta conuenit beatis modo perfectiſsimo; quia in beatitudine nihil eſt imperfectum, vt ex Ariſtotele ſæpe diximus. Iam verò actus, qui ex habitu procedit perfectior eſt illo, qui ex habitu non procedit, vt patet ex Philoſophia. Maior probatur.

7. Probatur minor ex Suario. Porrò minorem ex eo probat Suarius loco citato, quia intellectus beati in ordine ad actus ſupernaturales huius ſcientiæ nullam habet virtutem, nec inchoatam. Sed quia hęc opinio communiter ab alijs reijcitur, vt latè oſtendimus lib. 10. ideò alij illam minorem ex eo cõfirmant; quia intellectus beati ad iſtos actus ſupernatulis non habet virtutem actiuam, niſi inchoatam, & radicalem, vt cum communi in dicto lib. 10. monſtrauimus. Vnde indiget eleuari, & perfici, vt poſsit in actus ſupernaturales huius ſcientię: non poteſt [...] eleuari perficique per ſpecies intelligibiles; quia adhuc manet indifferẽs. Ergo indiget habitu ſupernaturali ſcientiæ inditæ diſtincto à ſpeciebus: ita colliges ex Cabrera 1. *tom. ad* 3. *p. q.* 11. *art.* 6. *diſp.* 4. *concl.* 1. *num.* 7. *cum ſequentibus.* Hęc tamen ratio ſupponit actiuitatem incompletã intellectus ad iſtos actus, ad eos formaliter eleuari, & compleri per habitum huius ſcientiæ: quod tamen non eſt admittendum: etenim potentia inchoata in intellectus ad actus Patriæ eleuatur, & cõpletur per id, per quod reponitur in eſſe ſupernaturali ordinis beatifici, vt oſtendimus *lib.* 10. *q.* 3. *artic.* 6. §. 3. *num.* 22: hæc enim virtus ideo completur; quia deificatur, vt ex D. Dionyſio diximus *in dicto* §. 3. *num.* 28. Transfertur autem ad eſſe diuini ordinis, deificaturque per lumen gloriæ, vt in eodem loco diximus num. 22. & 23. Cum verò per lumen gloriæ ſimpliciter cõſtituatur in eſſe diuini ordinis, profectò per ipſum lumen completur, & perficitur ad omnes actus ſupernaturales Patriæ, ſiue illi ſint politię matutinæ, ſiue veſpertinæ. Nec poteſt vlla ratione dici, quòd intellectus habeat virtutem eleuatam, & completam ad viſionem beatam; & adhuc maneat incompletus, & indigẽs alia ſupernaturali eleuatione, & completione ad actus ſupernaturales non beatificos politiæ veſpertinæ. *Cabrera.*

Quare minorem noſtri diſcurſus ex eo confirmo; quia intellectus beati non poteſt promptè, & facilè actus illos elicere, niſi per ſcientiam inditam, prout eſt habitus illum actuans, vt facilè, & promptè tales actus eliciat: hanc autem facilitatem non daret, ſi eſſet ipſæ ſpecies intelligibiles: quoniam ſpecies intelligibiles, ſi non ſe habent ex parte intellectus, vt communis habet opinio, non poſſũt intellectum actuare, vt promptè, & facilè ſuos actus eliciat, vt patet: ſi verò etiam ſe habeãt ex parte intellectus (vt verior habet opinio) in hoc ſenſu ſe habẽt ex parte ei⁹, quia illum faciũt ipſam rem intellectam, vt latè oſtendimus *lib.* 8. *in* 1. *p.* hoc autem non ſatis eſt, vt intellectus reddatur facilis ad eliciendum actus: etenim intellectus factus ipſa res, quam debet intelligere, adhuc manet indifferens ad facilè, vel difficilè operandum: ob quam rationem, 8. Vera minoris cõfirm.

nem præter ſpecies indiget habitu, vt modo perfectiſsimo, per eum operetur ... eſt cum facilitate, promptitudine, & declaratione. Ex quo iam patet; veritas minoris, & per conſequens vis primæ rationis.

Secunda ratio.

9. 2. Ratio. ¶ Poſſumus adhuc eandem aſſertionem alio modo non inefficaciter confirmare: quia ſcientia naturalis, & acquiſita non eſt ipſæ ſpecies intelligibiles. Ergo nec ſcientia indita in beatis erit ipſæ ſpecies. Huius diſcurſus antecedens, ſimiliter, & conſequentia indiget longa confirmatione. Quare primum oſtendemus veritatem antecedentis; deinde agemus de efficacia conſequentiæ.

Oſtenditur antecedens.

10. Probatur antecedens. ¶ Quòd ſcientia acquiſita nō ſit ſuæ ſpecies, etiam vt ſunt ordinatæ ad ſcientificè intelligendam concluſionem demonſtratam, facilè oſtēdemus, ſi percurramus ſingulas opiniones de celebri, atq; perdifficili quæſtione; an ſcientia acquiſita ſit ſimplex aliqua qualitas? Qui volūt, eam eſſe ſimplicem qualitatem, non poſſunt non negare, eam eſſe ipſas ſpecies intelligibiles: quia nō eſt negandum, ſpecies vnius ſcientiæ eſſe plures. Quare ſi ſcientia eſt vna ſimplex qualitas, nō poteſt eſſe ipſæ ſpecies intelligibiles: vnde authores huius opinionis noſtram ſententiā libenter admittunt: vt patet ex Caietano, qui præcitatam habuit opinionē, & ideo in terminis docet ſcientiam non eſſe ipſas intelligibiles ſpecies, vt patet 1. 2. q. 54. art. 4. §. *Quoad primum poſt med.* vbi ita inquit: *quod autem ſcientia, de qua loquimur, non ſit eſſentialiter plures ſpecies intelligibiles ordinatæ, ſed ſimplex qualitas, manifeſtum eſt.* Et §. *Ad quartum poſt med.* ita habet: *Et tu Thomiſta aduerte ex hoc, quòd intellectus habet ſingulas ſpecies, ſecundū ſingulas naturas, ſequitur quòd habeat diuerſos habitus ordinantes iſtas ad diuerſa ſubiecta ſcibilia; non tamē quòd ipſa ſpecies ſint habitus ſcientificus; ſed ſunt habitus intellectus inchoantes habitū ſcientiæ.* Et eodē modo loquuntur omnes, qui putāt ſcientiā eſſe ſimplicē qualitatē, inter quos eſt *Sotus in procemio ad Logicā* q. 3. in 1. concl. & *Lorca ad* 1. 2. *in tractatu de habitibus diſp.* 10. *concl.* 1. *pag.* 567. *col.* 1. & *ante eos id docuit Richardus in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *q.* 4. *ad ſecundum.*

Caieta. Sotus, Lorca. Richard.

11. Qui noſtrā negant ſententiam. Porrò qui negant, ſcientiam acquiſitam eſſe ſimplicem qualitatem; alij nihil dicunt de ſpeciebus, ſed ſolū de qualitatibus, & de habitibus, *vt Nominales, & Scotus in* 6. *Metaph. q.* 1. & *in* 3. *q. prologi.* Alij expreſſè docent ſcientiā nō eſſe ipſas ſpecies, *vt Suarius in Metaph. diſp.* 44. *ſect.* 11. *n.* 17. & *clariùs* Fonſeca *lib.* 6. *Metaph. c.* 1. *q.* 2. *ſect.* 2. *pag.* 21. *col.* 2. & *pag.* 23. *col.* 1. & *ſatis Conimbric. in* 1. *poſteriorum c.* 23. *q. vnica art.* 2. *in princ.* agentes enim de habitu ſcientiæ, nomine habitus nō admittūt, aut ſpecies terminorū ſimpliciū, aut totiùs enunciabilis cōplexi. Alij deniq; expreſſè ſcribunt cōtra noſtram ſententiā, & volunt, ſcientiam eſſe aggregationem ſpecierum, *vt Soncinas in* 6. *Metaph. q.* 9. & *ante eum Capreol. in dicta q.* 3. *prologi ar.* 3. *ad.* 3. *ſecundo loco contra primam fol.* 15. *col.* 2. *in princ. vbi in* §. *Apparet tamen mihi,* putat D. Thomam in hanc opinionē magis inclinaſſe: eam enim ſimpliciter videtur docere *de Veritate q.* 8. *art.* 16. *in fine, corp. dum ait Chriſtum ad cognitionem creaturarum habuiſſe habitum, qui eſt collectio ſpecierum ordinatarum ad cognoſcendum. Et de Veritate quæſt.* 10. *artic.* 2. *ad finem corporis expreſſè ſcribit, ordinationem ſpecierum intelligibilium eſſe ſcientiam. Et in* 3. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiuncula* 2. *ipſam formam ſpecierum impreſſam in intellectu poſsibili appellat habitum.* Et in pluribus aliis locis adductis à *Capreolo in dicta quæſtione* 3. *prologi artic.* 1. §. *Ad tollendum igitur fol.* 12. *colum.* 1. *in fine, & colum.* 2. *per totam,* vbi ex D. Thoma multa adducit, quæ videntur confirmare, eum huius fuiſſe opinionis.

Suar. Fonceca. Conimbr. Soncin. Capreol. D. Thom.

12. Non recipitur hæc opinio. Sed horum opinio non eſt recipienda: pro cuius impugnatione præmittimus, duobus modis hanc opinionem explicari poſſe; vno modo de ſpeciebus ſimplicium, prout tamen ſunt ordinatæ ad intelligendū concluſionem. Altero modo de ſpeciebus enunciabiliū complexorū: Qui eam intelligeret de ſpeciebus ſimplicium, inueni neminem: Soncinas tamen expreſſè eam intelligit de ſpeciebus enūciabilium complexorum; quod etiam ſatis explicat Capreolus *in dicta q.* 3. *prologi*

Soncin. Capreol.

art. 3. ad 3. 2. loco contra primam fol. 15. col. 2. in principio. Oſtendemus igitur, ſcientiã acquiſitam nec eſſe has, nec illas ſpecies.

13. Quod vna ſit ſpecies ſimplicium *Fonſeca.* Quòd non ſit ſpecies ſimplicium multis oſtendit *Fõſeca in d. q. 2. ſect. 2. pag. 23. col. 1.* ſed modo hoc vnicũ argumentũ ad hoc demonſtrandum ſit ſatis: quoniã habitus ſcientię acquiſitæ comparatur per demonſtrationem, actumq; ſciendi. Sed ſpecies intelligibiles ſimplicium cũ præcedant actũ ſciendi, non poſſunt non præcedere habitum ſcientiæ. Quomodo igitur ſciẽtia erit ipſæ ſpecies ſimpliciũ? nec vim argumenti diſſolues, ſi dicas ſcientiã non eſſe ipſas ſpecies intelligibiles ſimplicium abſolutè ſumptas, ſed vt ordinatas ad intelligendum cõcluſionem: non diſſolues inquam; quoniam ſpecies intelligibiles, etiam ordinatæ ad concluſionem antecedunt ipſum actum ſcientificum: pręmiſſæ enim ordinatæ in modo, & figura præcedunt actualem notitiam concluſionis. Ergo ſpecies intelligibiles, etiam vt ordinatæ ad concluſionem, antecedunt habitum ſcientiæ, cum ille ex actu ſcientifico relinquatur.

14. Quod non ſit ſpecies cõplexorũ. Quod verò ſcientia acquiſita non ſit ſpecies complexorum enunciabilium, ex eo euidenter patet; quia ſpecies illæ non ſunt admittendæ: quòd efficaciter probat Fonſeca *vbi ſuprà pag. 21. col. 2. & Suarius loco citato in dicto num. 17.* Fundamentum

1. Ratio. eſt; quia ſpecies intelligibiles ſimpliciũ ſatis ſunt ad repręſentanda extrema enunciabiliũ complexorum, & ideo ſufficiunt, vt per eas intellectus extrema illa ſimpliciter præſentata copulare valeat in varias propoſitiones; cõplexionesq; enunciatiuas, & vt aſſenſum prębeat propoſitionibus ex illis extremis cõſtitutis: & præterea, vt ipſas propoſitiones debitè diſponat ad inferendã concluſionẽ, & ad eſſenſum ſcientificũ illius. Si verò dicas, ſpecies ſimplicium ſatis quidem eſſe ad præſtanda omnia, quæ diximus; non tamen vt illa promptè, & ex habitu fiant: reſpondendũ eſt, & admittendũ, requiri illam facilitatẽ habitualem, non quidẽ ex parte terminorum, ſed ex parte intellectus; vt. ſ. ex iiſdẽ terminis poſsit extrema per idẽ medium copulata inter ſe copulare, & de illis facilè, & promptè indicare: cum verò illa facilitas relicta ſit ex actu ſcientifico primæ demonſtrationis: actus autẽ ille ex ſua natura ſit productiuus habitus, quo ac[redacted]bi ſimiles, nõ repræſentẽturquidem, ſed actiuè eliciantur, & producãtur; vtiq; ex ſua natura relinquit illã facilitatẽ, & habitũ in ſola potentia productiua actuũ ſimilium; non verò in ipſis ſpeciebus ſimplicium terminorũ. Quæ Philoſophia ex ipſa natura habitus ſumitur: cuius proprium eſt facilitare ad agendũ actum ſimilẽ ei, à quo eſt productus; nõ vero facilitare ad repræſentandum, cũ repræſentare formaliter non ſit agere. Licet autẽ ſpecies, quę eſt formalis repræſentatio obiecti, actiuè influat in actum tendentem in obiectum; nõ tamen influit, quia formaliter repręſentat; ſed quia repræſentat id, quod in actum influit, vt alibi explicauimus. Quin potiùs, ſi benè philoſophamur ſpecies ipſæ nõ poſſũt ad repræſentandũ facilitari, habituari; cum naturaliter repræſentent. Si vero dicas eas facilitari, nõ vt facilius repræſentent obiecta; ſed vt facilius, & promptius ad concluſionem diſponantur, & connectantur: fatearis neceſſe eſt, hanc facilitatem produci, non in illis, ſed in intellectu: cũ ille non ſe ſe diſponãt, & cõiungãt, ſed cõiungantur, & diſponãtur ab intellectu illis vtente: iam verò habitus actiuus nõ recipitur in potẽtia paſsiua, ſed in actiua. Et hæc videtur mihi optima hui⁹ difficultatis explicatio.

15. Confirmat.

Alia confirmatio.

16. Reſolutio. Ex quibus iam patet ſcientiã acquiſitam formaliter nõ eſſe ipſas ſpecies intelligibiles; ſed eſſe qualitatẽ quandã, ſiue habitũ, quo intellectus actuatur, vt facilè, & prõptè eliciat act⁹ ſimiles illi, à quo eſt productus. Nec oppoſitã ſententiã probauit D. Thomas, ſi ea, quę ſcribit diligẽti⁹ expendantur: *Etenim 1. 2. q. 54. ar. 4.* verbis expreſsis ſcribit, ſcientiã acquiſitã eſſe vnam ſimplicem qualitatem, non conſtitutam ex pluribus habitibus. Ex quo euidenter colligitur apud D. Thomam ſciẽtiam non eſſe ipſas ſpecies ordintas ad intelligendum: quoniam ſpecies etiam ordinatæ, ſunt plures qualitates. Quod etiã ſatis colligitur ex eodem Thoma *in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 4. vt ſuprà diximus.* Quòd etiam ſatis conuincitur ex eo, quod D. Tomas ſępe affirmat ſpecierum ordinationem facere habitum ſcientiæ, vt ſcribit *de Veritate quæſtio. 24. art. 9. ad 9. & ſatis ſignificat in tertio diſt. 14. quæſt. 1. articulo 1. quæſtiunc. 2.* vbi ſpecies

Pro hac eſt D. Thom.

cies ipſa appellat principium actiuū ſcientiæ: iam vero principium actiuū realiter diſtinguitur ab eo, cuius eſt actiuum principium. Quare Thomiſtæ cōmuniter tribuunt D. Thomę, quod ſcientia diſtinguatū ab ipſis ſpeciebus ordinatis, vt patet ex *Caietano 1.2.in d.q.54.art.4.& ex Ferrarenſi 1.cont.gent.cap.56. §. Aduertendū*, *quos Fonſeca vbi ſuprà q.2, art.2.pag.22.§. Ad hanc tamen obiectionē.* Qui omnes putāt, locos ex D. Thoma in contrariū adductos intelligendos eſſe non in ſenſu formali, ſed in cauſali: quem ſenſum mihi ſatis explicat idem D. Thomas in 3. locò citato, vbi poſtquam dixit, ſpecies impreſſas in intellectu eſſe principium actiuum habitus, qui eſt ſcientia; immediatè addit: *hanc formam habitum dici*; non quidē formaliter. ſed cauſaliter; quia vt immediatè ante dixerat, ipſæ ſpecies ordinatæ ad intelligendum efficiunt actiuè ipſum habitum ſcientiæ.

Caietan.

17. Nota diſtinctionum. Et vt hæc omnia facilè, & explicentur & intelligantur, aduertimus cum Caietano, Ferrarienſi, & Fonſeca, de habitu ſcientifico dupliciter nos loqui poſſe: vno modo formaliter; altero modo fundamētaliter, materialiter, & ſuo modo cauſaliter. Si de ſcientia loquamur formaliter; ſcientia eſt quædam qualitas ſimplex, qua intellectus diſponitur, vt facilè, prōptè, & delectabiliter eliceat actus ſimiles illis, ex quibus eſt cauſata. At verò ſi de ſcientia loquamur fundamentaliter, & cauſaliter; ſcientia eſt ipſa collectio ſpecierum ordinatarum ad intelligendum: ſpecies enim etiam ordinatæ, cum effectiuè concurrant ad actum ſcientificum demonſtrationis, à quo ſcientia cauſatur, ad ipſam ſcientiam effectiuè concurrunt: & ita omnia facilè conciliantur. Et in hoc ſenſu D. Thomas 1.2.quæſt.67.artic.2, docet, ſpecies intelligibiles ſe habere ad virtutes intellectuales, vt partes formales, reſpectu ipſorum phantaſmatum, quę ſe habent ad eaſdem virtútes, vt partes materiales.

Oſtenditur Conſequentia.

18, Confirmatur conſequentia 2. rationis. ¶ Ex ijs, quæ tam latè diximus, iam patet, ſcientiam naturalem, & acquiſitam non eſſe ipſas ſpecies, quibus ad intelligēdum vtitur. Ex quo antecedente in principio huius ſecūdæ rationis inferebamus ſcientiam inditā beatis non eſſe ſuas ſpecies ſupernaturales. Quia tamen hanc cōſequentiam videtur negare Valentia in d. q.11.puncto.1. etenim probat ſententiā, quòd ſcientia acquiſita diſtinguitur à ſuis ſpeciebus, & tn̄ in ſcientia indita Chriſto, & beatis id negat ideo oportet vim huius conſequentiæ cōfirmare. Eam autē ex eo ſatis confirmabimus; quoniā quoad hoc eadē videtur ratio in vna, & altera ſciētia: etenim ex D. Thomæ *doctrina 3.p.q.11. art.5.* ſcientia ſupernaturalis, & infuſa recipitur in ſubiecto ad modū recipientis; imò habet modū cōnaturalem animæ humanæ, in qua recipitur, vt idem D. Thomas ſcribit in d.q.11.art.6. ſed connaturale eſt animæ humanæ, vt ſcientia illi cōnaturalis ſit qualitas diſtincta à ſpeciebus, vt patet ex communi Philoſophia, quam in antecedente latè explicauimus: Ergo hoc etiam conueniet ſcientię ſupernaturali, & infuſæ. Quod etiam confirmatur; quia ex *D. Thoma in dicto artic. 5.* ſcientia infuſa eſt eiuſdē rationis vniuocæ cum ſcientia naturali, & acquiſita: licet enim ſit diuerſæ ſpeciei, vt docet *D. Thomas 3. p. q.9. art.4. ad 3.* id non tollit, quominus in ratione ſcientię conueniat vniuocè cū acquiſita. Iam verò nulla ratio aſsignari poteſt, cur duæ iſtæ ſcientiæ in hoc non vniuocentur; ita vt eſſe qualitatem à ſpeciebus diſtinctam non cōueniat ſcientiæ, vt ſcientia eſt: maximè, cum ſcientia indita infundatur ad modum cōnaturalem ipſius animæ, vt ex D. Thoma diximus.

D. Thom.

Alia confirmatio.

¶ Nec vis huius rationis tollitur, ſi cum Valentia dicas, ſpecies ſcientiæ inditę tantę eſſe perfectionis, vt ſufficiant, non tantum ad apprehendendum, ſed etiam ad iudicandum, & ad aſſentiendum concluſionibus, quæ per habitus ſcientiarum naturalium cogoſcuntur: quoniā licet Valentia putet, id eſſe veriſimile; in ſe tamē nullam videtur veriſimilitudinem habere; cū ſpecies intelligibiles ex ſua natura ſint formales ſimilitudines, & imagines obiectorū, & per ſe eſſentialiter inſtitutæ ad repręſentandū, non verò ad cognoſcendū, aut iudicandum: ſupernaturalitas autem infuſa earum eſſentiam nō mutat. Quare non video, cur non valeat conſequentia à ſcientia naturali, & acquiſita, ad ſcientiam ſupernaturalem, & infuſam. 19 Nō recipitur Valent.

§. 3.

Scientiam infuſam in beatis realiter diſtingui à lumine infuſo.

20. 2. Propoſitio quod diſtingatur à lumine. SEcunda propoſitio: *Scientia infuſa in beatis realiter diſtinguitur à lumine eiuſdem ſcientiæ.* In hac concluſione ſupponimus id, quod *lib. 9. q. 1. art. vnico diximus*, ad omnẽ cognitionẽ requiri aliquod lumen: vnde illud etiã requiri in hac ſciẽ-
Pro negãte tia ſuppoſuimus ibi. ar. 7. de quo inferiùs dicemus. Quare hæc ſola supereſt difficultas; vtrũ hoc lumen realiter diſtinguatur ab habitu ſcientiæ inditæ? quòd non diſtinguatur, ꝓbauit *Suarius relatus ſuprà*
Suarius. Medina. Cabrera. Richard. *§. 1. n. 2. in fine.* Hãc ſententiã magis probat Medina *3. p. q. 11. ar. 6. in fine Commẽti ſimpliciter eã probat Cabrera ibidem diſp. 4. concl. 2. n. 12. ſatis eam ſignificat Richard. in 3. diſt. 14. art. 3. q. 4.* dũ ait, *ſcientiam inditã Chriſto propter magnã eius capacitatẽ, & limpiditatẽ. & nobilitatẽ naturæ, & ſui vnionẽ cũ lumine gloriæ eſſe habitũ tantæ Claritatis, & virtuoſitatis, vt per ipſũ perfectè illuminetur, & habilitetur ad omnia conſiderãda, quæ cognoſcit in proprio genere.* Vnde ibidem *ad 2. & ad 3.* hanc ſcientiam appellat qualitatem illuminatiuam. Hi igitur noſtram aſſertionem non recipiunt.

21. Qui ſint pro nobis. Plures tñ eam recipere teſtatur Suar. *in d. diſp. 29. ſect. 2. in princ.* inter quos poſſumus citare Molin. in ſuis ſcriptis *ad 3. p. dicta q. 11. art. 4. prop. 2. & inferiùs ar. 6. &* nos eandẽ ſententiã in Chriſto, & in ſcientia indita ibi recepimus *lib. 9. q. 2. ar. 3. nn. 54.* vbi abſolutê diximus præter ſpecies intelligibiles in anima Chriſti, duplicem qualitatẽ eſſe recipiendã; vnã luminis, vt ſub eo intelligat, quę per hanc ſcientiã intelligit: alterã ſcientiæ, quæ ſit habitus iudicatiuus cõcurrens ad aſſenſum eorum: quæ ſub lumine intellectui apparẽt, quod tunc diximus de ſcientia indita Chriſto, & de eius lumine infuſo, modò dicimus de ſciẽtia infuſa beatis, & de illius lumine, vt ſcientia iſta ſit qualitas diſtincta à qualitate luminis. Huius opinionis fundamentũ in eodẽ loco adduximus; vnde nõ oportet iterũ illud repetere: nũc addimus, hãc opinionem ſine dubio eſſe *D. Thom. 3. p. q. 11. ar. 6. ad. 3*, vbi docet, in Chriſto (& eadem ratione in beatis) plures dari habitus ſcientiæ inditæ; vnum tamen lumen: quod pluribus alijs in locis affirmat. Quare ſi conſtanter in ſcientia indita vnum tãtum lumen admittit, & plures habitus ſcientiæ, abſque dubio ipſam ſcientiam à lumine diſtinguit.

Quæ in contrariũ adducuntur facilem 22.
habent ſolutionẽ. Primũ eſt; quod ſuper- 1. arg. cõtra
uacaneũ ſit, & ſine vllo fundamento diſtinguere duas illas qualitates, ſcientię. ſ, & luminis: quia qualitas illa, quæ eſt habitus & dare poteſt intellectui facilitatẽ ad intelligendũ, & manifeſtare obiectũ, vt poſſit lumen appellari. Quod fuit fundamentum Suarij ſatis ad mentem Richardi, dũ admittit, eundem habitum facilitare ad intelligendum, & ſimul eſſe illuminatiuũ veritatum.

Secundò obijcit Suarius, & ante eũ Me 23.
dina: quoniam nec lumen fidei requi- Secundo;
rit habitum à ſe diſtinctum, nec lumen gloriæ, imò nec lumen intellectus agẽtis. Ergo nec lumen huius inditæ ſcientiæ exigit aliquem habitum diſtinctum à ſe. Primũ tamen argumentũ latè diſſoluim⁹
lib. 9. q. 2. §. 3. n55: vbi oſtẽdim⁹, eandẽqua 24. Ad 1.
litatẽ nõ poſſe dare intellectui facilitatem ad intelligendum obiectum, & illud manifeſtare: quia nulla vna qualitas poteſt eſſe medium ſub quo obiectũ manifeſtetur, & medium, quo actus circa idem obiectum eliciatur. Vide quæ ibi diximus.

Ad 2. etiã latê reſpondimus in eodem 25.
loco n. 56: nã quod attinet ad fidẽ, nega- Ad 2.
mus eã non eſſe habitũ diſtinctũ à lumine, ſub quo credibilia illuminantur, vt ibi diximus, *& latiùs in eadem q. 2. art. 6. n. 5.* vbi pro hac opinione citauimus noſtrum
Aragoniũ 3. p. q. 6. ar. 2, §. Dubiũ eſt concl. Aragon.
2. & 3. & in d. ar. 6. §. 3. n. 57. oſtendimus nõ poſſe ſumi argumentũ à lumine beato ad cætera lumina; & n. 58. latè diſſoluim⁹ argumentum ſumptum à lumine intellectus agentis. Vide, quæ ibi diximus.

§. 4.

Scientiam inditam beatis non eſſe vnum ſimplicem habitum, ſed plures.

TErtia propoſitio: *Longê probabilius* 26.
eſt ſcientiam inditã beatis non eſſe vnũ ſimplicẽ habitũ, ſed plures per aggregationem conſtituentes vnã totalem ſcientiã Quæſtio iſta de vnitate, aut pluralitate habituali ſcientiæ infuſæ inter Theologos eſt ſatis controuerſa. Quod illa ſumpta in ſua totalitate (prout. ſ. complectitur, tam

res

res ſupernaturales, quã naturales) ſit vna ſimplex qualitas abſque dubio probauit *D.Thomas in 3.diſt.14.q.1.art. 3.quæſtiũc. 4.* vbi agens de ſcientia infuſa Chriſti cõcludit, eam nõ diuerſis habitibus, ſed vno omnia cognouiſſe. Eandem ſententiam probarunt *Richardus in 3.diſt.14. art.3.q. 4. & Marſilius in 3.q.10.art.2.in quarta p. articuli ex Thomiſtis Medina 3.p.q.11.art. 6.poſt principium, & Bergomenſis in Concordantijs .D.Thomæ dub.* 1216. latè *Suarius 1.tomo ad 3.p.diſp.29.ſect.3.§. Nihilominus dicendum videtur.* ¶ Oppoſitam tamẽ ſententiam, quòd.ſ.ſit plures habitus, cõſtituentes vnam totalẽ ſcientiam probauit *D.Bonau.in 3.diſt.14.art.3.q.2.& ſatis expreſſè D.Thomas 3.p.q.11.art.6.in corpore, & ad 3.* vbi diſertis verbis docet, ſcientiam inditam Chriſto fuiſſe diſtinctã per diuerſos habitus: vnde D.Thomã mutaſſe ſententiam, quam ſcripſit in 3.loco citato affirmat *Caietanus 1.2.q.54.art.4.§. Quoad quartum poſt medium.* Eandẽ ſentẽtiam latè defendit *Cabrera 1.tom.ad.3.p.q. 11.art.6.diſp.6. num.9.cum ſequentibus, ſatis Bellomontanus 1. tom.ad eandem tertiam partem diſp.54.cap.4; præceptor Frater Frãciſcus à Chriſto lib.4.de Incarnat.q.6.*

D.Thom. Richard. Marſil. Medina. Bergom. Suarius. D.Bonau. D.Thom. Caiet. Cabrera. Bellomont

27. Opinio auctoris. Fundamentum.

Ego hanc poſteriorem opinionem probo: cuius fundamentum ex eo puto eſſe ſumendum; quia ſicut actus, & habitus eiuſdem potentiæ non ſpecificantur à ratione formali obiecti, quatenùs obiectũ eſt: (quæ dicitur ratio formalis ſub qua) ſed à ratione formali obiecti, quaten⁹ res eſt (quæ dicitur ratio per quam attingitur res, quæ eſt obiectum) vt oſtendimus *lib.4.q.8.art.3,num.11. cum Fonſeca in 6. Metaph.cap.1.q.2.ſect.3.litera G; & Conimbricenſib.1.de Interpret.cap.4. quæſt. 3. art.4.& in 2.de Anima cap.3.q.5.articu.2.* ita etiã actus, & habitus eiuſdẽ ſcientię totalis nõ ſpecificãtur à ratione formali obiecti, vt obiectũ eſt (quę eſt ratio ſubqua) ſed à ratione formali ipſius rei ſcibilis, quæ eſt ratio formalis per quã attingitur res, quæ ſcitur: & inde eſt, vt ſicut ſub potentia vnius ſpeciei dantur plures actus, & habitus ſpecie diuerſi (etenim ſub intellectu, qui eſt potentia vnius ſpeciei, continentur plures actus, & habitus diſtincti ſpecie;) ita etiam ſub vna ſcientia totali (quæ ſuo modo eſt vna ſpecie, quia ſub vna ratione formali vnius rationis tendit in obiectum, vt eſt obiectum) dantur plures actus, & habitus diuerſarum ſpecierum: in hoc enim à potentia ad ſcientiam benè philoſophari ſatis ſupponit Ariſtoteles: vnde ſicut actus, & habitus vnius potentiæ, quantumuis inter ſe ſint ſpecie diſtincti, per ſe ſubalternantur rationi formali, à qua ſpecificatur potentia, vt cũ Conimbricenſibus diximus *lib.4. quæſt. 10.articulo 4.numero 23.* quia. ſ.non (poſſunt tendere in ſua obiecta, niſi ſub formali ratione, ſub qua potentia ſpecificatur (etenim viſio albi in album tendere non poteſt, niſi ſub ratione viſibilis; & intellectio hominis non poteſt tendere in rationem formalem hominis, niſi ſub ratione intelligibilis) ita etiam actus, & habitus vnius ſcientię totalis (v.g. Metaphyſicæ, Mathematicæ, aut Phyſicæ) per ſe ſubalternãtur rationi formali, ſub qua talis ſciẽtia tẽdit in ſua obiecta: nec enĩ actus, & habitus Metaphyſic⁹ poterit tẽdere inſcibilia Metaphyſica, niſi ſub ratione qua Metaphyſica in ſua tẽdit obiecta; quia omnes illius ſciẽtiæ actus, & habitus tendũt in ſcibilia Metaphyſica, abſtrahendo à materia ſenſibili, & intelligibili, quæ eſt ratio formalis ſubqua Metaphyſica ſua obiecta reſpicit, vt ſupponimus: & idẽ dicendũ eſt de actibus, & habitibus ſcientiæ naturalis, & Mathematicæ. Ratione autẽ huius ſubalternationis ad rationẽ formalẽ ſpecificam ſciẽtię totalis omnes actus, & habitus eiuſ dẽ ſcientiæ poſſunt aliquo modo dici eiuſdem ſpeciei; nõ quidem intrinſecè, ſed extrinſecè, quatenùs in tendẽdo ſubſunt illi formali rationi ſpecificatiuæ ſcientiæ totalis; vt de actibus, & habitibus eiuſdẽ potentiæ eſſentialiter inter ſe diuerſis cum Conimbricenſibus diximus in d.n.23.

Conimbri. Fonſeca.

28. Corollariũ.

Ex quo benè infertur, ſcientiã partialẽ vnius ſcientię totalis (quã ſupponimus eſſe ſimplicẽ quandã qualitatẽ) nõ ſumere ſuã ſpeciẽ ab eadẽ formali ratione obiecti à qua ſcientia totalis (quæ eſt aggregatio plurimum qualitatum) ſuam ſpecificationẽ accipit, ſed ab alia; quæ ſcientia totalis ſuã ſpeciẽ (eo modo, quo illã habet) ſumit à ratione formali obiecti, vt obiectum eſt, quæ eſt ratio ſub qua tendit in obiectum; ſcientia verò partialis eam ſumit à ratione formali obiecti, vt res eſt. Quare ſcientia ſupernaturalis per ſe indita beatis, vt eſt quædam totalis ſcientia, ſuam

ſuam veluti ſpeciem ſumet à ratione formali, ſub qua tendit in ſua obiecta; quia in illa tendit, prout in ſe ipſis, & in proprio genere ſunt ſupernaturaliter intelligibilia; per quã formalem rationẽ diſtinguitur à ſcientia acquiſita, quæ tendit in ſua obiecta, vt ſunt intelligibilia modo naturali; & à ſcientia beata, quæ tendit in obiecta, vt intelligibilia ſunt, intelligibilitate diuina. Porrò quælibet ſcientia partialis ſumit ſpeciem ex formali ratione obiecti, vt res eſt; ita vt ſcientia partialis, quæ habetur de gratia, vel de Charitate, vel de homine, aliavè re naturali, ſpeciem ſumat ab ipſa formali ratione gratię, vel Charitatis, vel hominis, & ſic de cæteris. Cum verò formales rationes horũ obiectorum inter ſe ſpecificè diſtinguãtur, inde eſt vt habitus partialis eiuſdẽ ſcientiæ, & proprij eorũ actus per eaſdẽ rationes formales ſpecie diſtinguantur; cũ ſub alternatione tñ ad rationem formalẽ ſub qua totius ſcientiæ: quatenùs ſinguli illorũ habitus, & actus non poſſunt tendere in ipſa obiecta, vt res ſunt, niſi quatenùs ſũt obiecta ſuper naturaliter intelligibilia; eo modo, quo viſio albi, & viſio nigri, quę inter ſe ſpecie diſtinguuntur, in ſua tendũt obiecta ſub vna, & eadẽ ſpecifica ratione viſibilitatis, tanquam ſub formali ratione ſub qua.

29. Ad argũm. Hac ſuppoſita Philoſophia facilè ſoluẽtur omnia, quę in contrariũ adduci poſſunt, in quorũ ſolutione maximè laborat Cabrera in d. diſp. 6. ſed facilius ſoluẽtur, ſi doctrina explicatæ Philoſophiæ intimus penetretur: quam latiùs explicaremus, niſi ad vlteriora progredi cogeremur: interim ſatis ſit *Fonſeca in 6. Metap. cap. 1. q. 2. ſect. 3. per totam*; vbi omnia argumenta in contrariũ doctiſsimè diſſoluit.

30. Tot habitus, quot concluſiones. Illud tamen aduertemus ex Philoſophia explicata non ineptè colligi tot partiales habitus huius ſcientię ponẽdos eſſe; quot fuerint cõcluſiones ſcibiles per vnũ, & idem ſpecie medium, per quod ſciũtur. Quæ reſolutio, ni fallor, efficaciſsimè cõvincitur ex ijs, quæ de habitibus partialibus ſcientiæ acquiſitę doctiſsimè ſcribit

Fonſeca. idẽ *Fonſeca vbi ſuprà ſect. 2. lit. F. pag. 23. §. Quòd verò pars negatiua.* Et quãuis illa ſcribat de habitibus ſcientiæ acquiſitæ (de quã ſola agit) eadẽ ratio reperitur in ſingulis habitib⁹ ſcientiæ inditę: etenim ſicut in ſciẽtia acquiſita, & actus, & habitus ſpecie diſtincti gignuntur â diuerſis ſpecie antecedentibus, quæ illorum ſunt principia; ita etiã in ſcientia indita, tâm actus, quàm habitus diſtincti ſpecie gignũtur ab antecedentibus ſpecie diuerſis: quãuis diuerſo modo; quia act⁹, & habitus, in ſciẽtia acquiſita à diuerſis ſpecie antecedẽtibus gignũtur per diſcurſũ: at in ſciẽtia infuſa ſine diſcurſu: ex eodẽ tamen antecedẽte, in quo vno intuitu in cauſa videt effectus ꝓducibiles, in eſſentia, ſiue quidditate videt proprietates; & in principio cõcluſiones ex eo demõſtrabiles. Quare quot fuerint cauſæ ſpecie diſtinctę; & quot fuerint eſſentiæ, aut principia, tot gignentur actus, & habitus diſtincti ſpecie. Vtrũ verò tot ſint habitus ſpecie diſtincti, quot ſunt ſpecies intelligibiles eſſentialiter diſtinctæ? in ſequenti art. explicabimus.

Quæ in contrariũ adducũtur, diſſoluit *Fonſeca vbi ſuprà ſect. 3.* inter quæ vnũ argumentũ negotiũ faceſsit, ſumptũ ex habitu fidei ſupernaturalis: iſtę enim eſt vn⁹ tantũ numero ſpecificatus ab vna ſpecifica ratione formali ſupernaturalis reuelationis: & tñ ipſa credibilia, vt res ſunt, ſũt ſpecie diuerſa. Cui difficultati reſpondet Fõſeca hoc eſſe diſcrimẽ inter habitũ fidei, & ſcientiæ, tã acquiſitæ, quã infuſæ; quòd in quacũq; ſcientia quot ſunt cõclnſiones demonſtratæ, tot ſunt media, quibus illæ demõſtrantur: nõ ſic ſe res habet in fide; quia licet in illa ſint plura credibilia; nõ tamen ſunt plura media credendi, ſed vnũ tantũ, diuina. ſ. reuelatio, & authoritas. 31. Ad argum. Fonſecæ ſolutio.

Sed ſolutio niſi melius explicetur, nõ videtur tollere difficultatẽ, quia in ſcientia totali, licet ſint plura media, & plures rationes formales, per quas ſcibilia demonſtrãtur; vnũ tãtum eſt mediũ, vnaq; ratio formalis, ſub qua demõſtrantur, vt patet ex ijs, quæ diximus. Dicendũ eſt igitur, hoc intereſſe inter habitũ fidei, & ſciẽtię; quod in fide eadẽ ratio formalis ſub qua omnia credibilia creduntur, eſt ratio formalis, per quã creduntur: etenim cũ nulla cõcluſio diuinitus reuelata in ſe habeat ꝓpriã cauſam habitudinis extremorũ, ſed ſolã diuinam authoritatẽ reuelantẽ; nullã in ſe habet rationem formalem, per quam credatur, ſpecie diſtinctam ab alia concluſione credenda. Secus reperitur in ſcientia totali: quoniam quælibet concluſio ſcita cum in ſe habeat propriũ mediũ, Explicatur ſolutio.

per

per quod ſciatur; quælibet habet propriã rationem formalem, per quam ſcitur, diſtinctam à medio, & formali ratione, per quam ſcitur alia. Quare licet ratio formalis, ſub qua concluſio demonſtratur, & ſcitur, in omnibus ſit vna, & eadem; non tamen in omnibus eſt vna, & eadem ratio formalis, per quam ſciantur, ſed alia, & alia. Iam verò habitus intellectualis eſt vnus, vel plures ex vnitate, vel pluralitate rationis formalis per quam; quæ ipſa eſt medium, per quod concluſio demonſtratur. Et hoc modo explicata ſolutio doctiſsimi Fonſecæ omnem exhaurit difficultatem.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm beatis in ingreſſu Patriæ infundantur ſpecies intelligibiles?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. 1. præmiſſ. PRo clara quæſtionis explicatione præmittendum eſt primò, duplicẽ in politia veſpertina (de qua agim⁹) dari ſcientiam: vnam ſupernaturalem; naturalem alteram: idque tàm in hominibus, quàm in Angelis. Supernaturalis ex ſua natura eſt per ſe indita, & nullo modo naturaliter comparabilis: naturalis verò poteſt eſſe acquiſita, & per ſe indita: etenim ſcientia naturalis in Angelis ex ſua natura eſt indita, iuxta veriorem ſententiam, quam ſupponimus: in hominibus verò eſt per ſe acquiſita, quanuis per accidens poſsit eſſe infuſa, qualis fuit ſcientia naturalis Adami. Scientia ſupernaturalis in nobis, & in Angelis eſt eiuſdem ſpeciei, vt diximus art. 3. huius quæſtionis §. 2. naturalis autem in Angelis, & hominibus ſpecie diſtinguitur: quia in Angelis eſt per ſe infuſa; in hominibus verò eſt per ſe acquiſita: iam verò ſcientia per ſe infuſa ſpecie diſtinguitur ab acquiſita.

2. 2. præmiſſ. Pręmittendum eſt ſecundò; ſcientiam tàm ſupernaturalem, quàm naturalẽ eſſe habitum realiter diſtinctum à ſpeciebus, quibus vtitur, vt latè oſtendimus in præcedente artic. §. 2: quod verum eſt, ſiue ſcientia totalis ſit vnus ſimplex habitus, ſiue plures: ſemper enim verum eſt, habitum ſcientiæ, ſiue totalem, ſiue partialem realiter diſtingui à ſuis ſpeciebus. Inquirimus igitur, an in ingreſſu Patriæ ſpecies intelligibiles ſcientiæ inditæ, & ſcientiæ naturalis ſtatim ſingulis beatis infundantur? Et priùs agemus de ſpeciebus ſupernaturalibus inditis tùm hominibus, tùm Angelis: deinde dicemus de ſpeciebus naturalibus.

§. 2.

Quid de ſpecibus ſupernaturalibus ſcientiæ inditæ?

QVod attinet ad ſpecies ſupernaturales inditæ ſcientiæ, quæ pro cognoſcendis rebus in proprio genere Angelis, & hominibus beatis infunduntur; illud apud omnes eſt indubitatum in primo patriæ ingreſſu, aut omnes ſpecies, aut ferè omnes ſtatim infundi ad omnia tàm naturalia, quàm ſupernaturalia in proprio genere intelligenda: nam cum aut omnes, aut ferè omnes ſpecies comitentur ipſam ſciẽtiam infuſam; omnes; aut ferè omnes cum ipſa ſcientia infunduntur: etenim ad perfectionem illius ſtatus pertinet, vt intellectus ſit in actu primo, & completo ad vtendum ſciẽtia ſibi infuſa: ſiquidem potentia eſſentialis, & pura ad intelligendum de ſe dicat in intellectu imperfectionem. Et in hoc nullam video difficultatem. 3. Infundũtur omnes aut ferè omnes in ingreſſu Patriæ.

4. 1. dubium, An omnes ſimul infũdantur? Nonnulla tamen circa hunc articulum inquiri poſſunt digna, quæ ſciantur. Primo igitur inquirimus; an omnes huius ſcientiæ ſpecies à principio beatitudinis ſimul infundantur? an verò aliquæ infũdantur de nouo? cuius dubij reſolutio pẽdet ex reſolutione aliquorum dubiorũ. Quorũ primũ eſt; an beatis in politia veſpertina poſsint fieri aliquæ reuelationes eorum, quæ in Verbo non vident? etenim ſi in ea aliqua reuelari poſſunt, quæ in Verbo non videntur ab eo, cui reuelantur; non poteſt non concedi aliquas de nouo ſpecies illis infundi. Fundamentum eſt; quoniam cum ſcientia à beata veluti influat; in rebus, quas debet cognoſcere ab ipſa beata ſcientia per ſe dependet; vt ſcilicet nihil in proprio genere cognoſcat, quod in Verbo non cognoſcit: ob hanc enim rationem in ipſo ingreſſu Patriæ infunduntur ſpecies omnium eorum, quæ actu videt in Verbo. Cum verò

verò nihil cognoſci valeat, niſi illius ſpecies detur in intellectu, vt diximus lib. 8. in prima illius parte; ſi beatis poſſunt reuelari aliqua, quæ in Verbo non videtur, neceſſe eſt, vt beatis infundantur ſpecies eorum, quæ reuelantur. An verò hæ reuelationes poſsint fieri? inferius dicemus de facto eas non fieri: poſſe tamen fieri de potentia abſoluta.

5. Optima quæſtio. Si verò inquiras, an eorum; quæ in Verbo videntur, poſsint de nouo aliquæ ſpecies infundi in veſpertina politia? reſolutio pendet ex reſolutione quæſtionis; an beati in Verbo poſsint aliqua de nouo videre? an verò omnia; quæ viſuri ſunt, ſimul videant à principio ſuæ beatitudinis? etenim ſi ſtatim omnia ſimul vident, dicendum eſt, ſtatim etiam illis infundi omnes ſpecies eorum, quæ per ſcientiam inditam ſcire debent; & ſubindè nullas de nouo illis infundi. Nam cum ſcientia iſta veluti menſuretur à ſcientia beata; omnes illius ſpecies intelligibiles determinantur ex illis, quæ in Verbo videntur. Si autem beati in Verbo de nouo aliqua videre poſſunt, & de facto vident; diſtinguendum eſt: quoniam vel ea, quæ de nouo vident ſunt ſingularia contenta ſub aliqua natura, cuius ſpeciem habent: vel continentur ſub aliqua natura, cuius ſpecies non habetur: ſi priori modo; reuelatio poteſt eſſe noua, ſine noua ſpeciei itelligibilis infuſione; quia ſpecies repræſentans naturam, ſub qua illa ſingularia continentur, ſicut ex ſe determinata eſt ad repręſentanda ſingularia, quãdo exiſtunt; ita etiam apta eſt, vt adueniente noua illorum reuelatione per eam determinetur ad illa repræſentanda; ſicut ſpecies intelligibilis repræſentans naturam vniuerſalem, apta eſt ad repræſentãdum ſingulare, ſi coniunctione phantaſmatis determinetur. Secus dicẽdum eſt, ſi ſingularia illa continentur ſub aliqua natura, cuius nulla datur ſpecies: etenim beati, ſicut per hanc inditam ſcientiam nõ vident omnes naturas poſsibiles, vt ſuperiùs oſtendimus; ita non omnium illarũ habent ſpecies. Quare ſi reuelatio fiat de aliqua natura poſsibili, cuius ſpeciem beatus non habet, neceſſaria eſt infuſio nouę ſpeciei.

6. 2. dubium. ¶ Secundò quæri poteſt; vtrùm omnes ſpecies huius ſcientiæ ſint ſupernaturales? An omnes ſint ſupernaturales? Nonnulli negatiuè reſpondent, ſi credendum eſt *Suario in d. diſp. 29. ſect. 1. §. Reſpondent aliqui, pag. 154. col. 1. A*: voluẽt enim illas ſpecies eſſe ſupernaturales, quę repræſentant obiecta ſupernaturalia: naturales verò, ſi repræſentant naturalia: & inde inferunt, ſpecies prioris generis non conferri ſeruata proportione ad imperfectionem naturæ, ſed ad perfectionem gratiæ: ſpecies autem generis poſterioris proportionari capacitati naturali ſubiecti. Quorundã opinio negat. Hanc opinionem quoſdam probaſſe etiam teſtatur *Cabrera in d. q. 11. artic. 6. diſp. 1. n. 5.* ductus ſolo Suarij teſtimonio, & diſp. 3. n. 8. affirmat, hanc opinionem inſinuare *Caietanum in d. q. 11. art. 6*: ego tamen nullum inueni huius opinionis patronum; à qua quàmlongè ſit Caietanus, ſtatim oſtendemus. Quare hanc ſpecierũ diſtinctionem, vt alię ſupernaturales ſint ſecundum ſubſtantiam; & aliæ ſecundũ ſubſtantiam naturales, meritò non admiſit *Suarius loco citato; ſicut etiam eam non recipit Cabrera in d. diſp. 1. concl. 2. n. 11. &* Non recipitur. *diſp. 3. concl. 2. n. 27*: & ego eam puto minus probabilem. Suar. Cabrera.

7. Vera illius impugnatio ſumenda eſt ex eo, quòd ſpecies huius ſcientiæ, etiam in ordine ad obiecta naturalia, in ſua entitate proportionantur authori influenti hanc ſcientiam, & omnia, quæ ad eam pertinent: iam verò author influens hanc ſcientiam eſt Deus, vt author ſupernaturalis, à quo ſtatus beatificus perficitur, quod ſupponit *D. Thomas 3. p. q. 11. art. 4.* vbi omnes interpretes D. Thom. ſupponunt hanc ſcientiam inditam, cum ijs, quæ eam committantur, pertinere ad dona gratuita gratiæ, & ſubindè ad Deum ſupernaturalem gratiæ authorem: & ideò ſcientiam inditam eſſe ſupernaturalem, & lumen infuſum illius eſſe ſupernaturalis ordinis; quo beati ipſa naturalia perfectius, clarius, & certius cognoſcunt, quàm Angeli naturali ſua ſcientia ea cognoſcant. De quo vide, quæ diximus *ſuprà articul. 3. huius quæſtionis.* Porrò ſi & habitus huius ſcientiæ, & lumen ſunt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam, etiam in ordine ad cognitionẽ, & illuminationem rerum naturalium; ipſæ etiam ſpecies naturalium repræſentatiuę erunt ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam. Quod etiam confirmatur; quoniam actus, quibus res naturales per hanc ſcien-

ſcientiam cognoſcuntur, ſunt ſubſtantialiter ſupernaturales. Ergo, & ſpecies ſupernaturales erunt: nam cum ſint principia actuum ſupernaturalium, erunt illis proportionatę. Et hinc eſt, vt ſpecies rerũ naturalium infuſæ beatis res ipſas naturales repræſentent altiori modo, quàm ſpecies, aut animæ, aut Angeli repræſentent eas. Denique cum hæc indita ſcientia politiæ veſpertinæ fluat à ſcientia beata; & ab ea ſpecies inditæ determinẽtur, & menſurentur, tâm in ordine ad ſupernaturalia, quàm ad naturalia, vt ſæpe diximus, non poſſunt non eſſe ſupernaturales, ſicut & ipſa ſcientia ſupernaturalis eſt.

8. Obiectio difficilis. Sed obijcies aduerſus ea, quæ dixim⁹; quoniam non ſequitur; *Scientia indita eſt ſupernaturalis, ſimiliter, & lumen illius. Ergo ſpecies eius ſunt ſupernaturales*: etenim habitus fidei in via ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, & lumen illius ſupernaturale eſt, & tàm habitus, quàm lumen à Deo ſupernaturali authore infunditur: & tamen ſpecies, quibus fides vtitur, ſunt naturales ſecundum ſuã ſubſtantiam. Huic argumento reſpondet *Suarius vbi ſuprà pag.554.col.1.B.C.* non eſſe ſimile: quoniam ſpecies, quibus fides vtitur, non concurrunt immediatè ad iudicium fidei, ſed tantùm ad apprehenſionem, quæ antecedit, & eſt naturalis: at verò in ſcientia indita ſpecies concurrũt ad perfectam rei cognitionem, quæ ipſa ſimul eſt perfecta apprehenſio, & cognitio obiecti. *(Solutio Suarij.)*

9. Non recipitur ſolutio. Sed hæc ſolutio non videtur tollere difficultatẽ: Primò; quia ſupponit, quod inter Theologos non eſt omnino certũ; ſpecies ſcilicet naturales non concurrere ad iudicium ſupernaturale fidei, ſed ſolùm ad apprehenſionem antecedentem, quæ eſt naturalis; hoc enim (vt ait *Cabrera in d.diſp.1.ad finem n.17.*) communiter à Theologis non recipitur, qui docent, ſpecies ipſas naturales per potẽtiam obedientialem concurrere, etiam ad iudiciũ ſupernaturale fidei; in quam ſententiam ipſe Cabrera potiùs inclinat: fundamentum eſt; quia aliquid aſsignandum eſt, quod ex parte obiecti ad tale iudicium concurrat, veluti ſpecies. Nihil autem poteſt aptius aſsignari, quàm ſpecies naturales per potentiam obedientialem. Cũ verò Suarius fundamentum ſumat ſolũ, tanquam probabile, non ſatis illud erit ad diſſoluendum argumentum, quo tam efficaciter impugnatur opinio, quam Suarius putat eſſe verìſsimam. *(Cabrera.)*

Deinde ex eo non eſt recipienda; quia falſum eſt, ſpecies ſcientiæ inditæ immediatè concurrere ad cognitionem iudicatiuam propoſitionum ſcibilium; quia ſolùm concurrit ad ſimplicem apprehenſionem obiecti, quæ pertinet ad primam intellectus operationem, non verò ad ſecundam, ad quam pertinet iudicium, & aſſenſus cõpoſitionis extremorum, quæ per ſpecies ſimpliciter repræſentantur. Quare dicent aduerſarij, quod ſicut ſimplex illa apprehenſio extremorum in Fide eſt naturalis, ob quam rationem ad eã ſatis eſt ſpecies naturalis: ita in ſcientia indita apprehenſio extremorum ſecundum ſe eſt apprehenſio naturalis, ad quã ſatis erunt naturales ſpecies. Fatebuntur etiam, iudicium propoſitionis in ſcientia indita eſſe actum ſupernaturalem, & ideò ad eum requiri tàm habitum, quàm lumẽ ſupernaturale; ſicut etiam requiritur ad iudicium fidei; negabunt tamen ad ſimplicem apprehenſionem rerum naturalium neceſſario requiri ſpecies ſupernaturales. 10. Alia impugnatio.

Secunda ſolutio ponitur à Cabrera in d.diſp.1.n.15. vbi rationem diſcriminis ex eo ſumit; quia fides eſt quædam cognitio obiecti obſcura, & imperfecta, quæ non fertur in obiectum, niſi prout ſubeſt diuinæ reuelationi: ob quam rationem fides non requirit proprias obiectorũ ſpecies: quia imperfecta, & obſcura cognitio obiecti, vt ait, haberi poteſt per quancũque ſpeciem, etiam inferiorem; imò per ſpeciem extraneam. Iam verò ſcientia infuſa dicit claram, & perfectã, atque quidditatiuam cognitionem obiectorum: hęc autem fertur in ipſas res, prout ſunt in ſe ipſis: & ideo haberi non poteſt, niſi medijs ſpeciebus proprijs, & cõnaturalibus ipſi obiecto: & ob hanc rationem in intellectu tàm Chriſti, quàm beati neceſſariò requiruntur ſpecies ſupernaturales. 11. 2. ſolutio ex Cabrera.

Sed nec iſta ſolutio, ſi benè philoſophandum eſt, difficultatem tollit; quoniam vel ſermo eſt de cognitione iudicatiua compoſitionis extremorum, quæ pertinet ad ſecundam intellectus operationem: 12. Nec iſta recipitur.

tionem: vel de cognitione ſimplici extremorum ſimplicium, quæ pertinet ad primam operationem intellectus. Si hoc poſteriori modo, illa cognitio nec in fide eſt obſcura, & imperfecta; nec in ipſa ſcientia eſt perfecta, & clara: quia tàm in fide, quàm in ſcientia cognitio illa eſt ſimplex quædam apprehenſio ad primam intellectus operationem pertinens. Si verò ſermo eſt de cognitione priori modo ſumpta, negabunt aduerſarij, cognitionẽ claram, & perfectã requirere ſpecies proprias, & eiuſdem ordinis; obſcuram ſolùm ſibi vendicare quaſcunque ſpecies, etiam ordinis inferioris. Quare ſolutio benè explicata incidit in petitionẽ principij, quia ſumit id, quod ab aduerſarijs negandum eſt.

13. Auctoris ſolutio. Omiſsis igitur his ſolutionibus, ego puto difficultatem ita eſſe explicandam, vt abſolutè loquendo non valeat hæc cõſequentia: *habitus eſt ſupernaturalis, ſimiliter & lumen. Ergo ſpecies ſunt ſupernaturales*: datur enim clara inſtantia in fide. Solùm igitur illa conſequentia valebit, vbi cognoſcens, cui infunditur habitus ſupernaturalis, & ſupernaturale lumen, eſt eleuatus à ſuo naturali, & inferiori ordine ad eſſe ordinis ſupernaturalis: ſecus ſi adhuc permaneat in eſſe ſui ordinis naturalis, & inferioris. Ratio deſcriminis; quo-

14. niam cognoſcens, quandiu permanet in ſuo naturali, & infimo ordine, non poteſt eleuari ad aliqua cognoſcenda, niſi ad modum cognoſcendi ſibi connaturalem, & per ſpecies, quæ ſibi in illo eſſendi modo ſint connaturales. Et inde eſt, vt licet eleuari poſsit ad credendum, & obſcurè cognoſcendum aliquas veritates ſupernaturales complexas; non poteſt tamen eleuari ad illas apprehendendas, & iudicandas, niſi per ſpecies ſibi connaturales. Secus dicendum eſt de cognoſcente eleuato ad eſſe ſupernaturalis ordinis: conſtitutus enim in tali eſſe eleuato, ſicut poteſt eadem obiecta etiam naturalia cognoſcere ſcientijs diuerſi ordinis (beata. ſ. indita, & acquiſita) ita poteſt eadem cognoſcere per ſpecies ordinis diuerſi, ſcilicet per diuinam eſſentiam ſubeuntem locum ſpeciei, per ſpecies infuſas, & per ſpecies acquiſitas: vnde eadem naturalia poteſt cognoſcere, tùm per ſpeciem diuinã, & increatam; tùm per ſpeciem creatam ſupernaturalem; tùm denique per ſpeciẽ creatam naturalem. Igitur in hoc cognoſcente ad eſſe ſupernaturalis ordinis eleuato, valet conſequentia: *Scientia eſt ordinis ſupernaturalis, ſimiliter, & lumen. Ergo ſpecies ſunt ordinis ſupernaturalis*: nam cum ſit eleuatus ad eſſe ſupernaturale, capax eſt ſpecierum ſupernaturalium, quibus cognoſcat tàm ſupernaturalia, quàm naturalia: etenim naturalia repręſentari per ſpeciem ſupernaturalem, non modò non repugnat (nulla enim dabitur implicatio) ſed id maximè eſt connaturale ſtatui beatifico.

¶ Tertiò quæritur; vtrùm ſpecies huius ſcientiæ inditæ in beatis ſint vna, vel plures? Rationem dubitandi fecit Marſilius in 3. q. 10. ar. 2. in quarta illius parte cõcl. 2. vbi docet, animæ Chriſti vnicam tantùm ſpeciem fuiſſe infuſam. Meritò igitur poſſumus inquirere, an in beatis, etiã ſit vnica tantùm infuſa ſpecies? Partem affirmatiuam primò poſſumus cõfirmare; quia non implicat dari vnam ſpeciem infuſam, quæ repręſentet omnes res creatas ſupernaturales, & naturales. Ergo talis ſpecies ponenda eſt in beatis. Antecedens videtur notum; quia nulla ſufficienti ratione poterit implicatio probari. Cõſequentia verò ex eo vim habet; quia beatis in politia veſpertina ponendum eſt id, quod eſt perfectiſsimum: ſpecies autẽ; quæ omnia creata, naturalia, & ſupernaturalia repræſentat, eſt perfectiſsima. 15. 3. dubium; Vtrùm ſit vna tãtùm ſpecies; an plures? 1. opinio ex Marſilio. 1. ratio.

Deinde; cognitio, quæ per ſpecies infuſas datur in beatis, eſt perfectior cognitione naturali cuiuſcunque Angeli. Sed Angelus ſupremus habet tantùm vnam ſpeciem, qua omnia tàm naturalia, quàm ſupernaturalia cognoſcit, vt communiter docent Thomiſtæ in materia de Angelis. Ergo quilibet beatus vnicam tantùm habebit ſpeciem, qua omnia naturalia, & ſupernaturalia cognoſcat. Minor ſupponitur; maior probatur: tùm; quia ſpecies datæ beatis ſunt ordinis ſupernaturalis; quæ verò Angelis naturaliter ſũt datæ, ſunt naturalis, & inferioris ordinis; tùm etiam; quia cognitio cõmenſuratur repræſentationi ſpeciei; ita vt maior ſit, ſi repræſentatio ſpeciei ſit maior: iam verò cognitio ſcientiæ inditę beatorum maior eſt, quàm cognitio naturalis Angelorũ. 16. 2. ratio.

Sed ſicut opinio Marſilij communiter 17.

Non reijci- reijcitur in Chriſto; ita etiam reijcienda
tur. venit in beatis, quorum perfectio maior
eſt, quàm Chriſti. Pro cuius explicatione aduertimus pro ſententia Marſilij non
Alenſ. poſſe citari *Alexandrum 3. p. q. 13. memb.*
D. Bonau. *1. & 2. D. Bonauenturam in 3. diſt. 14. art.*
Gabriel. *3. q. 1. & 2. Gabrielem q. 1. art. 2. Maiorem*
Maior, *q. 5. Scotum q. 3.* dùm aſſerunt ſpecies in-
Scotus. ditas Chriſto, & beatis eſſe naturales ſecundùm ſubſtantiam; quoniam hi authores nec in Chriſto, nec in beatis admittũt ſpecies per ſe inditas, ſed ſolùm per accidens: qua opinione ſuppoſita conſequẽter loquuntur; quia ſpecies inditæ per accidens, cum ex ſe ſint naturaliter acquiſibiles, ex ſe ſunt naturales ſecundũ ſubſtantiam: nos autem ſimul cum Marſilio agimus de ſpeciebus per ſe inditis, & ſupernaturaliter infuſis, hæ autem ex ſua natura ſunt entitatis ſupernaturalis. De his igitur ſpecibus Marſilij opinio ſingularis eſt; omnes enim illo excepto plures ſpecies admittunt, & in Chriſto, & in beatis: ita *Suarius in d. diſp. 29. ſect. 1. §. Dico*
Suar. *ergo primò, pag. 553. col. 1. & Cabrera in d.*
Cabrera. *q. 11. art. 6. diſp. 1. concl. 1. n. 6. ſatis Bellom.*
Bellom. *1. tom. ad 3. p. diſp. 54. c. 4. n. 13.* Hanc opi-
D. Thom. nionem ſatis explicat *D. Thomas 3. p. q. 11. artic. 6. dum affirmat, Chriſtum, diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies intelligibiles cognouiſſe, & in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ſcribit, Chriſto plures ſpecies fuiſſe infuſas, quàm Angelis: cum D. Thoma idem tanquam notum ſupponunt omnes illius*
Caietan. *interpretes in d. q. 11. art. 6. vbi Caietanus,*
Medina. *& Medina*: *idem affirmat Richardus in 3.*
Richard. *diſt. 14. art. 3. q. 4. ad finem corporis*: qui omnes, licet agant de ſcientia indita Chriſti, & de illius ſpeciebus, idem docerent de ſpeciebus ſcientiæ inditæ beatis, cum eadem vtriuſque ſit ratio.

18. Quæ communis opinio ex eo mihi ef-
Probatio. ficaciter probatur; quia ſicut nullum ſufficiens fundamentum afferri poteſt, vt in anima Chriſti vna tantùm ponatur ſpecies intelligibilis, omnia repræſentans, vt ſatis oſtendunt Suarius, & Cabrera vbi ſuprà; à fortiori nullum dabitur fundamentum ſufficiens, vt in beatis vnica tãtùm ſpecies ponatur repræſentans omnia, quæ ab illis cognoſci poſſunt; maximè cum non adeò certum ſit dari poſſe vnam ſpeciem, quæ omnia naturalia, & ſupernaturalia repræsẽtet: ſicut nec adeò certum eſt, eſſe poſsibilem ſpeciem, quæ plurium, atque diſtinctarum quidditatũ ſit diſtinctè repræſentatiua: etenim eam non eſſe poſsibilem, nec longè eſt à mente Scoti, nec parum habet probabilitatis. Quare cum non adeò certum ſit, hanc ſpeciem eſſe poſsibilem, non poteſt tanquam certum ſtatui dari vnam talem ſpeciem: & quamuis illius poſsibilitas admittatur, non proinde affirmari poteſt, eam de facto dari; cum illa non ſatis ſit conſentiens connaturalitati intellectus creati, vt D. Thomas in d. art. 6. non obſcurè ſignificat.

Argumenta ſuperiùs adducta non ſa- 19.
tis vrgent. Ad primum non deerunt, qui Ad 1.
non ſine probabilitate negent antecedẽs, vt iam aduertimus: ſed illo admiſſo, conſequentia neganda eſt, ſaltem in beatis; in quibus non quidquid eſt perfectiſsimũ, ponendum eſt; ſed id tantum, quod beatifico ſtatui eſt conueniens: iam verò accommodatius eſt, tùm naturę beatorum, tùm ſtatui politiæ veſpertinæ res intelligere non per vnam ſpeciem, ſed per plures; cum vnitas ſpeciei intelligibilis ad ſolam beatam cognitionem ſpectet.

Ad ſecundum, minor à pluribus ne- 20. Ad 2.
gatur; quia non ſolum negatur ab omnibus Scotiſtis, ſed etiam à pluribus Thomiſtis: & mihi neganda venit, quatenus ſumit ſupremum Angelum habere ſpeciem repræſentantem omnia ſupernaturalia: nam licet ſpecies datæ Angelis ſint per ſe inditæ, ſunt tamen ordinis naturalis illis datæ à Deo authore naturæ: iam verò ſupernaturalia diſtinctè repræſentari non poſſunt per ſpecies naturalis ordinis. Et quamuis in ſupremo Angelo vnam tantùm ſpeciem intelligibilem admitteremus repræſentatiuam omnium, quæ ab eo naturaliter poſſunt intelligi; nõ proinde cogeremur admittere in beatis vnam ſpeciem, quæ & naturalia, & ſupernaturalia repræſentaret: tùm; quia prior illa fortè eſt poſsibilis, non tamen hæc poſterior: tùm etiam; quia in beatis nulla datur neceſsitas requirens talem ſpeciẽ; quæ tamen datur in Angelis naturaliter conſideratis, ſuppoſita Thomiſtarum opinione.

21.
¶ Quarto loco inquiri poteſt; an ſpecies 4. dubium.
infuſæ beatis ſint perfectiores, & vniuer- De vniuerſalitate ſpe-
ſaliores, quàm ſpecies naturales Angelo- cierum.
rum.

rum. Quæſtio iſta in ſe eſt ſatis difficilis, quæ longiorem poſtulabat diſputationē. Eam Theologi ſolùm diſputant de ſpeciebus inditis Chriſti; ſed ex ijs, quæ ſcribunt tres inuenio oppoſitas ſententias in

Variæ opiniones.

ſpeciebus beatorum. Prima admittit ſpecies huius ſcientiæ eſſe minus vniuerſales, quàm ſpecies Angelicas. Secunda eſt oppoſita docens, eas eſſe illis vniuerſaliores. Tertia vtitur diſtinctione: quoniam duplices, tùm in Chriſto, tùm in beatis admittunt ſpecies intelligibiles; quædam repræſentant naturalia; quædam verò ſupernaturalia. Dicunt igitur ſpecies prio-

1. opinio.

res in Chriſto, & in beatis eſſe minus vniuerſales, quàm ſpecies Angelicas: poſteriores verò eſſe illis vniuerſaliores. Primam opinionem ſatis expreſſè probat *D.Thomas 3.p,q.11.art.6.in corp. & ad 3: cum quo ſimpliciter tranſeunt omnes illius diſcipuli, & cum illis Cabrera in dict. art.6. diſp.3.concl.1.n.25.* Secundam ſententiā,

2. opinio.

tāquam probabiliorem probauit *Suarius in d.diſp.29.ſect.1.§.Dico tertiò,pag.553. col.2.magis probat Bellomont. 1. tom. ad 3. p.diſp.54.c.4. in fine.* Suarius eam tribuit D.Thomæ *in 3.diſt.14.q.1.art.3*: ſed hāc opinionem in eo non inuenio: citat etiam *Richardum ibidem art.4.q.2.* vbi ad finem corporis id videtur ſignificare, quanuis non ſatis clarè: denique citat *Scotum ibidē q.4.* ſed Scotus non agit de ſpeciebus vniuerſalioribus, vel minus vniuerſalibus (quia eas non admittit) ſed de ſpeciebus perfectioribus, quod eſt longè aliud, vt ex dicendis patebit. Denique tertiam ſen-

3. opinio.

tentiam à quibuſdam probari refert Cabrera in d.diſp.3.n.7.

22. Premiſſum in quo conſiſtit vniuerſalitas ſpecierum?

Pro explicatione huius quæſtionis aduertendum eſt, non ſatis conſtare, etiam inter Thomiſtas, in quo nam conſiſtat maior, vel minor ſpecierū vniuerſalitas? vtrùm ne conſiſtat in hoc, quod plures naturas communes, vel ſingulares repręſentet? an verò in eo, quòd circa eandem naturam repræſentatam plures rationes intelligibiles repræſentet? an denique cōſiſtat in modo repræſentandi; quia nimirum vnam, & eandem naturam repræſentet ſimpliciùs, & clariùs. Circa hanc difficultatem varias ſententias referunt *Bañes 1.p.q.55.art.3. poſt 3. concluſionem, §. Sed pro maiori huius ſententiæ intelligentia, & Cumelius ibidem q.3. dub.2.* Quæ omnes in hoc conueniunt, vt ſpecies in propoſita controuerſia non dicatur vniuerſalis, quia repræſentat aliquam naturam vniuerſalem, & cōmunem: nam iſto modo ſpecies noſtri intellectus dicerentur vniuerſales, ſed quia naturam aliquam communem, & omnia illius inferiora repræſentat, ſiue illa ſint indiuidua, ſiue naturæ ſpecificæ: in qua ſignificatione nulla noſtri intellectus ſpecies poteſt dici vniuerſalis; benè tamen vniuerſales dicūtur omnes ſpecies, & Angelorum, & animæ ſeparatæ: quia omnes repræſentant naturam communem, ſaltem ſpecificam, cum omnibus ſuis indiuiduis: quæ eſt doctrina inter Thomiſtas indubitata, de qua *Cumelius loco citato q.1. §.Oppoſita ſententi, & Bañes, vbi ſuprà concl.1.* Hoc ſuppoſito, meritò inquiritur à Thomiſtis, in quonam conſiſtat maior, vel minor ſpecierum vniuerſalitas?

Bañes. Cumel.

In quo poſita ſit vniuerſalitas ſpecierum?

23. 1. explicat.

Prima explicatio eſt eorum, qui volunt maiorem ſpecierum vniuerſalitatē poſitam eſſe in repræſentatione plurium quidditatum; ita vt infimus gradus vniuerſalitatis ſpecierum ſit poſitus in repręſentatione alicuius naturæ infimæ ſimul cum ſuis indiuiduis. Quare ſuperior gradus vniuerſalitatis (quicumque ille ſit) neceſſariò includit repræſentationem plurium quidditatum: & inde eſt, vt nō poſſit dari ſpecies, quæ in repræſentando ſit vniuerſalior, quàm altera, niſi aliquam naturam genericam repræſentet, quæ plures naturas ſpecificas ſub ſe contineat: & ita aſcendendo maior vel minor ſpeciei vniuerſalitas poſita eſt in repræſentatione plurium, aut pauciorum quidditatum ſub vna natura generica, & indiuiduorū ſub illis contentorùm. Iuxta quam explicationem inter ſpecies, quæ repræſentant vnam tantùm naturam ſpecificam, & indiuidua ſub illa immediatè contenta, non poſſunt dari ſpecies intelligibiles magis vel minus vniuerſales. Quare iuxta hanc explicationem maior, vel minor vniuerſalitas ſpecierum intelligibilium præciſè poſita eſt in repræſentatione plurium, aut pauciorum quidditatum; ita vt quò ſpecies plures quidditates repræſentauerit, eò dicatur vniuerſalior: quæ verò eaſdē omnino quidditates repræſentant, erunt inter ſe ęque vniuerſales. Hæc explicatio videtur eſſe de mēte *Caietani 1.p. q.55.*

Caiet.

Ferrarien. Cumelius. *q.55.art.3.& Ferrarienſis 2.cont.gent.cap. 98.eam eſſe rationabiliorem teſtatur Cumelius in d.quæſt.55.articu.3.quæſt.2.ad argumenta §. Alio etiam modo pagina. 159. colum. 2.*

24. 2.Explicat. Secunda explicatio eſt eorum, qui volunt, maiorem vniuerſalitatem ſpecierū intelligibilium per ſe non eſſe poſitam in repræſentatione plurium pauciorumve quidditatum(vt volebat præcedens explicatio) ſed in repręſentatione plurium rationum intelligibilium circa naturam,aut naturas repræſentatas,& ideo fieri poſſe, vt ſpecies repræſentantes eaſdem naturas & quidditates ita ſe habeant, vt vna ſit vniuerſalior altera, ſi earundem naturarum plures intelligibiles rationes repræſentet. Hæc explicatio probata fuit Capreolo *in 2.diſt.3.q.2.artic.3.ad 4.* *Aureoli contra ſeptimam fol.102.col.2. in principio, Soncinati 12.Metaph.quæſtione. 60.& Cumelio in dicta q.55.art.3. q.3.propoſi.3. quamuis in q.2.*præcedente ad argumenta contra opinionem Aegidij eam appellauerit difficilem.

Capreol. Soncin. Camel.

25. 3.Explicat. Tertia explicatio docet,ſatis eſſe ad maiorem ſpecierum vniuerſalitatem, quòd plura indiuidua ſub vna natura ſpecifica, aut plures quidditates ſub vno genere repræſentet. Quæ explicatio probata eſt *Cumelio in dicta q. 55. artic.3. q. 2.prop.3.* dum aſſerit,Angelos infimi ordinis habere ſingulas ſpecies ſingularumquidditatū infimarum,v.g. ſpeciem hominis, ſpeciē leonis, & cætera:eas tamen in Angelis naturæ nobilioris, & ſuperioris eſſe vniuerſaliores,non ob aliam rationem, niſi quia plura repræſentant indiuidua: ſimiliter etiam in ſpeciebus Angelorum ſuperioris ordinis (in quibus æquales ſpecies cōcedit repræſentatiuas eorundem generū, v.g.animalis,plantæ,& cætera) illæ dicūtur vniuerſaliores,quę plures quidditates ſub eodem genere repræſentant.

Cumelius.

26. 4.Explicat. Quarta denique explicatio maiorem, vel minorem vniuerſalitatem ſpecierum in eo præciſè ponit, quòd ſimpliciori, & clariori repræſentatione repræſentant res; ita vt ſpecies vnius, & eiuſdem obiecti ideo vna ſit alia vniuerſalior,quia ſimplicius, & clarius repręſentat obiectum, etenim(vt volunt huius explicationis auctores) forma, quò eſt ſimplicior, eò eſt vniuerſalior, vt ait, *Albertus Magnus de quatuor coæuis q.5. art.12. & in 2.diſtin.3. art.16.*vnde hæc vltima explicatio eidem Alberto cōmuniter tribuitur, quam etiā probauit *Bañes in dicta q. 55. ad vltimum argumentum §, Quapropter videtur nobis, cum pluribus ex notioribus.*

Albertus. Bañes.

27. 1.Propoſ. ¶ His ita præmiſsis, pro explicatione difficultatis,nonnullas ſtatuimus propoſitiones:ſit prima propoſitio: *Si iuxta vltimam explicationem ſpecies ideò dicitur vniuerſalior, quia ſimpliciùs, & clariùs repræſentat obiecta, quorum eſt ſpecies;ſpecies ſcientiæ inditæ beatis vniuerſaliores ſunt, quàm ſpecies naturaliter inditæ Angelis.* Hæc propoſitio facilè probatur; quia ſpecies inditæ, tàm in Chriſto, quàm in beatis ſimpliciùs, & clariùs ſua obiecta repræſentant,quàm eadem repræſentēt ſpecies Angelis naturaliter inditæ: etenim ipſæ ſpecies ſunt ordinis ſupernaturalis, & ideo altioris, quàm ſint ſpecies naturales Angeli: repræſentatio harum ſpecierum cōiuncta eſt cum lumine longè maiori altiori, & clariori: cum lumen ſcientiæ inditæ beatis in politia veſpertina ſit lumen ſupernaturale: ob quam rationē in Chriſto id concedit *D.Thomas 3.p.q.11.art.4. & in 4.d.14.q.1.art.3.quæſtiunc.2*, quem omnes ſequuntur: & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Scotus in 3. diſt. 14. q.4.* dum aſſerit, ſpecies animæ Chriſti eſſe perfectiſsimas. Quare ſuppoſita illa vltima explicatione, noſtra propoſitio non poteſt non eſſe indubitata. Vtrùm autem explicatio illa admittenda ſit? alterius eſt quæſtionis, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinet; quia nunc ſatis eſt nobis ſuppoſita illa explicatione propoſitionē noſtram negari non poſſe.

D.Thom. Scotus.

28. 2.Propoſ. Secunda propoſito: *Si maior, vel minor vniuerſalitas ſpecierum intelligibilium per ſe ſolùm expendenda eſt penes repræſentationem; non quidem plurium quidditatum, ſed plurium rationum intelligibilium circa obiecta repræſentata, quæ fuit ſecunda explicatio probata Capreolo, Soncinati, Cumelio, ſpecies infuſæ beatis ſunt vniuerſaliores, quàm ſpecies naturales Angelorum.* Hæc propoſitio etiam debet eſſe indubitata: nam cum repræſentatio ſpecierum, quæ ſunt in beatis coniuncta ſit cum clariori, & ſuperiori lumine, non poteſt non repræſentare plures rationes intelligibiles in obiectis, quæ repræſentant:

lumẽ enim altius, & clariùs ideo altius, & clariùs obiecta illuminat; quia plures, & altiores rationes intelligibiles intelligendas obijcit.

29. 3. Propſitio. Tertia propſitio: *Si maior, vel minor vniuerſalitas ſpecierum intelligibilium cum tertia explicatione Cumelio probata per ſe eſt poſita in repræſentatione, aut pluriũ naturarum ſpecificarũ ſub eadem natura generica, aut pluriũ indiuiduorũ ſub eadem ſpecifica natura; ſpecies intelligibiles. & in Chriſto, & in beatis ſunt vniuerſaliores.* Hæc propoſitio in terminis, in quibus proponitur, ex eo mihi eſt probabilis; quia probabile eſt ſpecies ſupernaturales, & altioris ordinis plura repræſentare ſub natura cõmuni, quã repræſentẽt ſpecies eiuſdẽ naturæ ordinis inferioris. Quod in Chriſto mihi eſt indubitatũ; cũ Pater õnia ei ſubiecerit, vt ait Paulꝰ: vnde ſub quacumq; natura ſpecifica plura indiuidua cognouit, & plures ſpecies ſub eodem genere: imò plura ex poſsibilibus cognouit, quæ nunquam erunt: in beatis verò id ſolùm eſt probabile.

30. Aduertentia pro Solutione. Tota igitur difficultas eſt, ſi prima explicatio eſt ampletenda; quæ inter cæteras eſt verior: pro cuius explicatione illud aduerto, primã explicationẽ eſſe probãdã in ſpeciebus, quæ naturã aliquã ſpecificã repræſentãt: cũ enĩ ex ſua natura ſint ſpecies per ſe inditæ; ex ſua natura habẽt, quòd repræſentẽt naturã ſpecificã, nõ abſtractẽ: ſed cõrcetẽ in hoc enĩ per ſe diſtinguũtur à ſpeciebus acquſitis, vt ſupponimus contra Scotũ, & ſuos: & inde habent, vt non poſsint non repræſentare naturã ipſam ſpecificã ſimul cum indiuiduis; nã cũ ſpecies indita ex ſe repræſentet naturam concretẽ, ex ſe habet, quod eã repræſentet cum omnibus, cũ quibus actu exiſtit. Quare in ſpeciebus per ſe inditis, & repræſentatiuis alicuius naturæ ſpecificę admittenda eſt vniuerſalitas in repræſentando in ordine ad indiuidua: & in hoc per ſe diſtinguũtur à ſpeciebꝰ acquiſitis; quæ cũ ex ſua ratione repræſentent abſtractè, ex ſua etiã ratione habent, quòd in repræſentando non ſint vniuerſales, quamuis naturam vniuerſalem repræſentent.

31. De vniuerſalitate generali eſt cõtrouerſium. Vtrũ verò in ſpeciebus per ſe inditis poſsit dari vniuerſalitas in ordine ad naturas ſpecificas ſub aliqua generica natura cõtentas? non ſatis cõſtat inter Theologos. Admittit cõmunis ſententia Thomiſtarũ: negat cõmunis Scotiſtarũ Schola, vt latè oſtẽdimus in materia de cognitione Angelorũ; vtrãq; opinionẽ, vt probabilẽ defendimus, quãuis in negantẽ cũ Scotiſtis magis inclinauimꝰ; in quo iudicio adhuc perſiſtimus: qua ſuppoſita ſentẽtia, facillima manet noſtrę difficultatis reſolutio; iuxta quàm ſequentẽ ſtatuimus propoſitionẽ.

Sit igitur quarta propoſitio: *Species inditas beatorũ æque vniuerſales eſſe cũ ſpeciebus naturalibus Angelorũ, eſt longè probbabilius.* 32. 4. Propoſi. Hæc propoſitio indubitata eſt ſuppoſita opinione Scotiſtarũ, quã probabiliorẽ diximus: quoniã ſpecies Angelis naturaliter inditę ſolũ ſunt vniuerſales in ordine ad indiuidua; quia illa ſimul cũ natura ſpecifica immediatẽ repræſentãt: ſed ſpecies beatis inditæ ſolũ iſto modo ſunt vniuerſales, vt D. Thom. in Chriſto admittit 3. p. q. 11. ar. 6. quem ſui cõmuniter ſequũtur, & idẽ dicendum eſt de ſpeciebus beatorum. Ergo beatorum ſpecies æque ſunt vniuerſales cum ſpeciebus Angelorum.

Controuerſia ſolùm eſſe poteſt, ſuppoſita opinione Thomiſtarũ, quòd ſpecies 33. Controuerſia ſuppoſita opinione Thomiſtarum. vniuerſales in ordine ad ſpecificas quidditates nõ ſolũ ſunt poſsibiles, ſed de factò fuerũt in Angelis: hac enim opinione ſuppoſita, inquiri poteſt; an ſpecies inditę beatorũ ſint vniuerſaliores, aut minus vniuerſales, quàm ſpecies naturales Angelorum? quæ quæſtio à Theologis ſolũ excitatur in Chriſto; ſed meritò etiã excitari poteſt in beatis. 1. Opinio. ¶ Quòd in Chriſto ſpecies inditæ ſint vniuerſaliores, docuit *D. Thom. in 3. diſt. 14. q. 1, ar. 3. quæſtiunc. 4. vbi expreſſè ſcribit ſcientiam inditam Chriſto fuiſſe per formas magis vniuerſales, quàm ſcientiã aliquã creatã.* D. Thom. Satis eandẽ opinionẽ declarat *Richard. ibidẽ ar. 4. q. 2.* dum ad finẽ corp. cõcludit, *formas intelligibiles in Chriſto eſſe vniuerſaliori modo, ideo, quia vna ſpecies plura differẽtia repræſentat in vniuerſali, & abſolutẽ, quã aliqua ſpecies in quocũq; intellectu Angelico.* Richard. Probat Suar. *in d. diſp. 29. ſect. 1. §. Dico tertio pag. 553. col. 2. & Bellomont. 1. tom. ad 3. p. d. 54. c. 4. in fin.* quidã pro ea citant. *Scotũ in 3. diſt. 14. q. 4.* ſed ſine fundamento, vt ſuprà aduertimus. Suarius. Bellomon. Scot. Oppoſitã ſententiam expreſſè docuit idẽ *D. Thom. 3. p. q. 11. art. 6. in corpore, & ad primum, & tertium, & hanc opinionem probant Thomiſtæ ibidem. Caietanus, ſ. & Medina, atque Cabrera diſput. 3. concluſio. 1. numero. 25.* Et 2. Opinio. D. Thom. Caietan. Medina. Cabrera.

ego

ego hanc opinionem puto eſſe veriorem & ex eo capite amplectendã, quia D. Thomas ſenior, & ſe ipſo doctior mutauit ſententiam, quam prius docuerat.

34. 4. Propoſitio. Sit igitur quarta propoſitio: *Species inditæ beatis ſunt minus vniuerſales, quã ſpecies Angelorũ etiam ſi Thomiſtarũ ſententia admittatur.* Hæc propoſitio ideo mihi probatur; quia ſi ꝓbabilius eſt, ſpecies inditas Chriſto eſſe minùs vniuerſales, quã ſpecies Angelorũ; à fortiori longè id erit probabilius in ſpeciebus beatorũ: in quibus noſtrã propoſitionem cõfirmabimus, tũ abſolutè, tùm ab abſurdo. Cõfirmatur ab abſurdo: quoniã cum in Angelis nõ dentur ſpecies, quæ ſupernaturalia repræſentent, ſed ſolũ naturalia: cum in illis ſpecies eò ſint vniuerſaliores, quò illi in materialibus ſunt ſuperiores iuxta cõmunẽ Thomiſtarũ ſententiã, neceſſariò erit admittenda vna tantũ ſpecies in Angelo ſupremo, quæ illi omnia naturalia, tàm materialia, quam immaterialia repræſentet: hoc admiſſo, ſi ſpecies inditæ ſunt vniuerſaliores omnibus ſpeciebus, quę in Angelis reperiuntur; profectò nõ poteſt nõ admitti in ſingulis beatis vnã tantum dandam eſſe ſpeciẽ, quæ repræſentet omnia, tàm naturalia, quàm ſupernaturalia. Hoc autem in beatis non eſt admittendum; cum nec in

D. Thom. Chriſto id admiſerit D. Thomas etiã pro tẽpore, quo exiſtimabat, Chriſti ſpecies eſſe vniuerſaliores quibuſcunq; ſpecieb⁹ Angelorum, *vt patet ex 3. diſt. 14. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 4.* (quo in loco opinionẽ nobis contrariã probabat) vbi de Chriſto ita concludit: *Sed vno habitu omnia cognouit, quæ ad hãc ſcientiã pertinent: quamuis diuerſis ſpeciebus.* Quare ratio ſi conſideratius expendatur videtur efficaciſsima contra aduerſarios.

35. Probatio ab ſoluta ex D. Thoma. Sed non ſolũ ab abſurdo noſtra propoſitio cõfirmari poteſt, ſed etiã abſolutè ſi fundamentum, quo D. Thomas priorem mutauit ſententiam, intimius cõſideretur etenim *3. p. q. 11. art. 6.* ex eo probat, ſpecies inditas animæ Chriſti eſſe minus vniuerſales, quàm ſpecies Angelorũ; quia ſciẽtia indita animæ Chriſti habet modũ cõnaturalẽ animæ humanæ: iam verò humanę animæ connaturale eſt recipere ſpecies in minori vniuerſalitate, quàm Angeli recipiant. Et inde infert, ſpecies ſcientiæ inditæ animæ Chriſti, & ex cõſequẽti animę cuiuſq; beati, ex ſe eſſe minus vniuerſales quàm ſpecies Angelorũ. Cõtra quod mediũ inſurgũt Scot⁹ Suarius, Bellomõtan⁹; ſed quę adducunt, vim argumenti non elidũt, ſi mediũ D. Thom. bene penetretur; quod doctè ſatis oſtendit *Caietan. in d. art. 6. §. Ad hoc dicitur*; quãuis aliquid adhuc deſideretur, vt medij efficacia euidentius appareat.

Quarè inhærendo Theologię Caietani (quã etiã probauit *Medina in d. ar. 6.*) aduertendum eſt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiã eſſe in duplici genere: quædam enim ita ſunt ſupernaturalia, vt nulla cõſideratione alicui creaturę, etiã eleuatę, ſint connaturalia, ſed ſoli naturæ diuinæ. Huius generis ſunt gratia, qua creatura eleuatur ad eſſe ſupernaturale, & lumẽ gloriæ, quo creatura eleuatur ad eſſe diuini ordinis: gratia enim, & gloria ſũpta ꝓ lumine gloriæ, ita ſunt ordinis ſupernaturalis, vt nulli creaturę poſsint eſſe cõnaturalia, ſed ſoli diuinæ naturæ, & inde eſt, vt abſolutè, & ſimpliciter dicãur ſuprà naturã cuiuſcũq; creaturę in hoc ſenſu, vt nulli poſsint eſſe cõnaturalia, quantũcunq; illa ſit eleuata. Alia verò ſunt ſupernaturalia ſecundũ ſubſtãtiã, vt quãuis ſint ſupra naturã creaturæ, quia naturaliter cõparari nõ poſſũt; nõ tñ ita ſunt ſupernaturalia, vt nulli creaturæ poſsint eſſe cõnaturalia; quia verè cũ aliqua verã habeãt connaturalitatẽ. Hui⁹ generis ſunt ſciẽtia infuſa, ſpecies intelligibiles infuſæ, & infuſũ lumen: hæc enim entia licet nõ ſint cõnaturalia alicui creaturę intellectuali, ſi nudè illa ſumatur, & prout intra limites naturalis ordinis permanet, illi tñ ad eſſe diuini ordinis eleuatę verè ſunt cõnaturalia: animæ enĩ eleuatæ ad eſſe beatificum connaturale eſt habere ſcientiã ſupernaturalẽ per ſe inditã, qua in proprio genere cognoſcat, quæ per ſcientiã beatam in Verbo videntur: & eadem ratione illi connaturale eſt habere lumen infuſum, ſub quo obiecta per ſcientiam inditã ſcibilia illuſtrẽtur, & obiectiuè appareant. Simili modo eidẽ connaturales erunt ſpecies inditę, & ſecundum ſubſtãtiã ſupernaturales, quibus obiecta talis ſcientię repręſententur. Supernaturalia huius poſterioris generis aliquo modo ſunt inferiora ad ſupernaturalia generis prioris: hęc autẽ inferioritas in hoc eſt poſita, vt quæ ſunt prioris generis nullã habeant

36. Explicatio Caietan.

cõnaturalitatem cũ re creata, quantũcũq; illa ſit eleuata; ſed cum ſola natura diuina. Quæ verò poſterioris generis ſunt, cõnaturalitatẽ aliquã habent cũ aliqua natura creata; nullã verò cũ natura diuina, ſi ſermo ſit de cõnaturalitate formali: quoniã licet Deus formaliter ſit ipſa ratio, & ipſũ lumen glorioſũ: nõ tamen formaliter eſt ipſa ſciẽtia indita, aut ipſę ſpecies infuſæ. Et in hoc ſenſu explicari debet, quod ait Caietan⁹, ſcientiã ſ. infuſam, & ſpecies illius eſſe de ordine cõnaturaliũ Angelis, & animabus ſeparatis, nec enim ſenſus eſt, quod ſcientia, & ſpecies infuſę naturaliter cõueniãt Angelis, & animabus (hoc enĩ ad rẽ nõ facit) ſed quòd Angelis, & animab⁹ trãſlatis ad eſſe beatificũ ſint cõnaturales.

37 Diſcrimen inter hæc eſt illa ſupernaturalia.

Inter ſupernaturalia vnius, & alteri⁹ generis hoc intereſt; quod ſupernaturalia generis prioris ideo, quia ſoli naturę diuinæ ſunt cõnaturalia, omnino excedũt modũ cõnaturalẽ cuiuſq; naturæ creatæ; & ideo ex ſe nõ habent, quod modificẽtur, & dearticulentur ad modũ illi cõnaturalẽ, ſed à ſola diuina volũtate; quę licet pro ſua libertate poſsit interdũ illa dearticulare ad modũ creatæ naturæ: (etenim Angelis cõtulit gratiã maiorẽ, vel minorẽ, iuxta maiorẽ, vel minorẽ pefectionẽ naturaliũ, vt cũ *D.Thom. docet Thomiſtæ 1.p.q.62, ar.6.*) non tũ id facit ex aliquo, vel remoto, naturæ debito, vt cũ iiſdem Thomiſtis dixim⁹ in materia de gratia Angelorũ. Porrò ſupernaturalia generis poſterioris, ideo, quia cũ natura eleuata aliquã habẽt cõnaturalitatẽ, ex ſua natura vendicãt ſibi dearticulari, & cõmenſurari admodũ cõnaturalẽ illius; ita vt ſi altiori modo dearticulentur, & cõmenſurẽtur à Deo (quod factu eſt poſsibile) iã nõ cõnaturaliter dearticulabũtur, ſed ſupernaturaliter: etenim in ſupernaturalibus dari poſſe ſupernaturalitatem cõmunis eſt Theologia: ſi enim viſio diuinæ eſſentiæ à ſolo Deo produceretur, illa nõ eſſet cõnaturalis beato, ſed ſupernaturalis, quia ex ſua natura vendicat ſibi actiuè produci ab intellectu, vt diximus in præcedẽti lib.10. Eodẽ igitur modo ſpecies infuſæ beatis ex ſua natura habent, quòd dearticulẽtur admodũ intellect⁹ humani; & ita vt ſint min⁹ vniuerſales quàm ſpecies naturales Angeli: nõ quòd non poſsit Deus vniuerſaliores infundere; ſed quia vniuerſaliores nõ eſſent cõnaturales humano intellectui etiã eleuato.

D.Thom.

38. 1. Corollar. ad inſtantiã Scoti.

Ex hac Theologia infertur, nõ valere inſtantiã Scoti cõtra noſtrũ fundamentũ in 3.d.14.q.4. etiã prout explicatur à Bellomont. in d.diſp.54.c.4. nu.15.ſ. *Chriſto tributa eſt ſũma gratia excedẽs gratiã Angelorũ. Ergo Chriſto data fuit ſũma ſcientia, cũius ſpecies Angelorũ ſpecies excedãt:* etenim nõ valet cõſequentia, ſi Theologia explicata expẽdatur, nec enim Chriſto Dño ſũma perfectio in omni genere tribui debet; nã quãuis ſumma perfectio in genere gratię, & glorię illi debeat tribui; nõ oportet tamẽ illi tribuatur ſũma perfectio in genere inditæ ſciẽtiæ: ratio deſcriminis eſt; qa gratia, & gloria ex ſua natura nõ menſurantur, nec dearticulãtur ad modũ animæ Chriſti, cũ ad illã nullam habeant cõnaturalitatẽ, vt diximus, ſed ſolũ ad naturam diuinã, vnde nõ ſolùm ſumma gratia, ſed quęcũq; gratia ſimpliciter excedit omnẽ animæ Chriſti connaturalitatem, & ideo in genere gratiæ diſtinctio naturalis, & ſupernaturalis in ordine ad Chriſti animam dari nõ poteſt. Secùs dicendũ eſt de ſcientia indita, & de ſpeciebus infuſis illius: hęc enim licet ſimpliciter ſint ſupernaturalia animæ Chriſti nudè ſumptæ; ſunt tamen illi cõnaturalia, prout ad eſſe beatificũ eſt eleuata: & inde eſt, vt connaturalis dearticulatio ſpecierum ſumẽda ſit ex modo cõnaturali ipſius animæ; ita vt ſi aliter dearticulentur, iam ſupernaturaliter in ipſo ſupernaturali ordine dearticulentur: iam verò Deus ſtatuit, perfectiones huius generis infundere ad modum illis cõnaturalẽ, non verò ad modum ſupernaturã illius ſupernaturalis ordinis. Et iſto modo iam patet, inſtantiam Scoti, etiam vt explicatã à Bellomontano, cõtra noſtrã propoſitionem nõ valere: ſicut etiã non valet in Virgine Deipara: *maiorem habet gratiam, quàm Angeli, ergo habet maiorem, & altiorem ſcientiam, quàm illi.*

39. 2. Corollar. ad inſtantiã Scoti.

Secundo infertur, vim non habere inſtantiam, qua Suarius noſtrã propoſitionẽ impugnat, in d.diſp.29.ſec.1.pag.554 col.1.A; vbi ita arguit: lumẽ huius inditæ ſcientiæ eſt ſupernaturale animæ humanæ. Sed ſpecies infundũtur proportionatę lumini, & intellectui nõ ſecundũ ſe, ſed vt eleuato per lumen. Ergo ſi lumen eſt eleuatius, ſpecies etiam erunt eleuatiores. Ad hoc argumentum reſpondemus lumen.

lumen huius ſcientiæ eſſe ſupernaturale animæ humanæ, nudè ſumptæ: ſecus, ſi ſu matur, vt eleuata ad eſſe beatificũ; quia vt ſic nõ eſt illi ſupernaturale, ſed connaturale potiùs, vt diximus. Vnde ſpecies talis ſcientiæ, & luminis nõ erunt illi ſuper naturales, ſed cõnaturales; & per cõſequẽs dearticulabiles ad modũ connaturalẽ illi, vt explicabimus, vnde argumentũ nullã habet efficaciam: ſicut etiam nullã habet aliud, quo in eodẽ loco vtitur inquiens; perfectiones ſupernaturales altiori modo datæ ſunt Chriſto, quàm Angelis, ſed hęc ſcientia eſt ſupernaturalis animæ Chriſti. Ergo erit in eo altiori modo, quàm ſit in Angelis: etenim maior, vniuerſaliter ſumpta, eſt falſa: licet enim vera ſit de perfectionibus ſupernaturalibus prioris generis; eſt tamen falſa de illis, quæ ſunt generis poſterioris; propter rationem diſcriminis quã inter has, & illas aſsignauimus: quod non aduertere, eſt cauſa deceptionis.

40. 3. corollar. ad ſpecies infuſas Angelis beatis. Tertio infertur, ſpecies huius ſcientiæ in Angelis beatis eſſe eiuſdem vniuerſalitatis cum ſpeciebus naturalibus illorum in ordine ad naturalia, quæ per illas intelligunt. Hoc corollarium euidenter oſtenditur ex fundamẽto *D.* Thomæ explicato: etenim ſpecies infuſæ huius ſciẽtiæ beatis Angelis inditæ, cum cõnaturales ſint Angelis, vt eleuatis, vtiq; iuxta fũdamentum D. Thomæ dearticulabũtur in ſua vniuerſitate ad modũ connaturalẽ ipſius naturæ Angelicæ: hæc autem apud Thomiſtas vẽdicat ſibi ſpecies magis, vel minus vniuerſales, iuxta maiorem, vel minorem ipſorum Angelorum naturalem perfectionem. Ergo ſpecies huius ſcientiæ dearticulabuntur ad connaturalitatẽ cuiuſque Angeli, & ſubinde in ordine ad obiecta naturalia eandem habebunt vniuerſalitatem, quàm habent ſpecies naturales. Et eadem ratio vniuerſalitatis ſeruabitur in ſpeciebus repræſentantibus obiecta ſupernaturalia, vt infunduntur in ordine ad illa, cum maiore, vel minore vniuerſalitate iuxta maiorem, vel minorem naturæ perfectionem.

41. In quo ſenſu id ſit intelligendũ. Quam Theologiam probamus, ſuppoſita ſententia Thomiſtarum, quæ in ſpeciebus admittit vniuerſalitatem genericam repræſentantem plures naturas ſpecificas, eò altiorem, quo natura fuerit altior, & perfectior: nam iuxta ſententiam, quam ſuprà propoſitione quarta in gis probamus ſpecies huius ſcientiæ in Angelis beatis tot erunt, quot fuerint naturæ ſpecificæ naturales, vel ſupernaturales: & ideo in Angelis beatis ſpecies huius ſcientiæ tot erunt, quot ſunt in beatis hominibus: imò quot ſunt in Chriſto Domino. Cum quo tamen ſtat, vt poſsint ſpecies, ſiue æqualiter ſint vniuerſales, ſiue inæqualiter, limpidius, clarius, & certius ſua obiectã repræſentare, vt ſupponimus ex ijs, quę de ſpeciebus Chriſti Domini ſcribit *D. Thomas 3. p. q. 11. admittens enim in 6. art.* in Chriſto ſpecies minoris vniuerſalitatis, quàm ſint ſpecies Angelorum, in 4. art. admittit, ſcientiã Chriſti multo eſſe excellentiorem, quàm Angelorum, tùm quoad multitudinem cognitorum; tùm etiam quoad cognitionis certitudinẽ, limpiditatem, ſiue claritatem. D. Thom.

42. Vltima propoſitio. Vltima tandem ſupereſt propoſitio: *In beatis, ſiue hominibus, ſiue Angelis plures inueniuntur ſpecies inditæ ſcientiæ, quàm ſint ſpecies naturales Angelorum.* Hæc propoſitio eſt indubitata: quia in beatis hominibus, & Angelis reperiuntnr ſpecies repręſentantes obiecta ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam: futura contingentia: cogitationes cordium: & alia, quæ naturaliter cognoſci non poſſunt, ſed vel per ſupernaturales ſpecies, vel per ſupernaturales r euelationes; & pręter iſtas ſpecies reperiuntur etiam ſpecies ſupernaturales, quibus omnia naturalia repræſentantur: at tamen in ſcientia naturali Angelorum ſolùm reperiuntur ſpecies repræſentatiuæ naturalium obiectorum. Ergo plures numero ſpecies ſunt in beatis hominibus, & Angelis, quàm ſint ſpecies naturales Angelorum. ¶ Et hęc dicta ſint de infuſione ſpecierum ſupernaturalium.

§. 3.

Quid de infuſione ſpecierum naturalium in primo Patriæ ingreſſu?

43. De infuſione ſpecierũ naturalium. EGimus de ſpeciebus ſupernaturalibus ſcientiæ inditæ, quę beatis infũditur: & de illis quæſiuimus, an omnes ſimul infundantur in ingreſſu Patriæ? an ſint ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam? an ſint vna, vel plures? An ſint vniuerſaliores, quàm ſpecies natu-

naturales Angelorum? & pleraque alia, quæ ad ipſas ſupernaturales ſpecies pertinent. Supererat, vt de ſpeciebus ſcientiæ naturalis, & acquiſitæ aliquid diceremus: an in primo ingreſſu Patriæ omnes ſimul infundantur beatis? & quomodo ſua obiecta repræſentent? & alia plura, quæ ad illas ſpectant, ſed quoniam iſta, & nonnulla alia de illis commodius explicabuntur arti. 9. huius quæſtionis, ad illum locum horum explicationẽ reſeruamus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm beatis infundantur ſpecies myſteriorum in hac politia veſpertina, quæ in via per fidem cognouerunt?

1. De cognitione myſteriorũ fidei.

HVnc articulũ excitamus, *quia lib. 5. q. 16. artic. 1. §. 2. nu.* 10. illius explicationem ad hunc locum remiſimus. Illius explicatio ex dictis iam patet: etenim ſuprà art. 3. §. 7. diximus, beatos per ſcientiam inditam cognouiſſe omnia myſteria gratiæ, & omnia, quę in via per fidem cognouerũt: ſcilicet myſteriũ Trinitatis, Incarnationis, Sacroſanctæ Euchariſtię, & alia omnia myſteria: etenĩ ad perfectionem ſtatus beatifici pertinet, vt ea omnia diſtinctè cognoſcant beati, non ſolum in Verbo, ſed etiam in proprio genere, quę in via per fidem cognouerũt, vt intellectus perfectê ſit ſatiatus: fidei enim ſuccedit viſio, id eſt perfecta, & diſtincta notitia. Cum verò ab intellectu nihil cognoſci valeat, niſi per ſpeciem repręſentatiuam illius, quod cognoſcitur; admittendũ eſt, omnibus beatis infundi ſpecies eorum, quę per fidem cognouerunt. Et ideo iuxta ſententiam, quam probauimus in d. art. 3. §. 7. ſingulis beatis infunduntur ſpecies abſtractiuè repræſentantes Deum Trinum, & vnum: vide, quę ibi diximus, & quæ dicemus inferiùs ar. 10.

ARTICVLVS. VIII.

An in beatis detur proprium lumem infuſum, ſub quo cognoſcant res per inditam ſcientiam?

1. An habeat propriũ lumẽ infuſum.

LIb. 9. q. 2. art. 7. huius quęſtionis reſolutionem adhunc locum reſeruauimus? Pro illius explicatione ſupponimus id, quod in d. lib. 9. q. 1. art. vnic. oſtendimus, & ſupponimus in d. art. 7. ad omnem cognitionem requiri aliquod lumen. Supereſt igitur explicare, an in hac ſcientia beatis indita detur aliquod lumẽ, ita illi proprium, vt diſtinguatur ab alijs luminibus. In qua difficultate indubitatum eſt, illud diſtingui à lumine intellectus agentis, tũ; quia hoc lumen eſt ſupernaturale ſecundũ ſubſtantiã, lumen vero agentis intellectus eſt ſecundũ ſubſtantiã naturale. Tùm etiã; quia hoc lumẽ illuminat obiecta naturalia, & ſupernaturalia; lumen autem intellectus agentis illuminat ſola materialia. Et eadem ratione in Angelis beatis hoc lumen diſtinguitur à lumine, quo naturaliter intelligunt naturalia; quodcũq; illud ſit: etenim tale lumen eſt intrinſecè naturale, à natúra inſtitutũ ad ſola naturalia illuminanda, cũ tamen in Angelis beatis lumen ſcientiæ inditæ ſit ſupernaturale, & datum à Deo ad illuminanda naturalia, & ſupernaturalia. Denique indubitatũ eſt, hoc lumen eſſe diſtinctum à lumine fidei; quoniam lumen fidei eſt obſcurũ, & ineuidẽs innitẽs ſoli diuinæ reuelationi, & atteſtationi; cum tamen hoc lumen faciat euidentiam, inter extrema, quæ illuminat.

§. 1.

An diſtinguatur à lumine gloriæ?

DVbitant nonnulli; an lumen huius ſcientiæ inditæ, tâm in Chriſto, quâm in beatis diſtinguatur à lumine gloriæ? reſpondent, non diſtingui, & ſubinde hanc ſcientiam nullo alio illuſtrari lumine, niſi gloriæ, quo ſcientia beata illuſtratur. Hanc ſcientiã in ſe eſſe probabilem latè confirmat *Suarius* 1. *tom. ad.* 3. *p. diſp.* 29. *ſect.* 4. §. *Tertius tamẽ modus pag.* 558. *col.* 2. pro qua nullũ citat Authorẽ; poſſet tamen citare *Marſiliũ in* 3. *q.* 10. *ar.* 2. *in* 4. *p. articuli concl.* 4. Eandẽ nonnulli probant, ſi ſermo ſit de hac ſcientia indita, in ordine ad ſupernaturalia; in his enim non alio illuminatur lumine, niſi gloriæ. Secus dicunt de eadem ſcientia in ordine ad res naturales: harum enim lumen diſtinguitur à lumine gloriæ. Vnde ſecundam opinionem faciunt à priori diſtinſtam. — 2. An diſtinguatur à lumine gloriæ.

Cõmunis tñ ſententia vtriq; apponitur abſolutè 3.

Negat communis. abſolutè affirmans, lumen huius ſcientiæ, tùm in ordine ad naturalia intelligenda, tùm ad ſupernaturalia, diſtinctum eſſe à lumine gloriæ. Hanc ſententiam ita ab omnibus eſſe probatam, vt oppoſita ſit noua, affirmat Suarius vbi ſuprà in fine ſectionis, & ob ſolam illius nouitatem eã non probat, quanuis in eam maximè inclinet. Ego autem negantem ſententiam non ſolùm, vt communiſsimam, ſed vt veriſsimam in Chriſto ſimpliciter docui *lib. 9. q. 2. art. 3. §. 5. n. 29. & in eadem modò perſiſto opinione, quam aliquo modo probat* Bellom. Cabrera. Salas. *Bellomontanus 1. tom. ad 3. p. diſp. 54. cap. 2. n. 4. & latè Cabrera ad 3. p. tom. 1. q. 11. art. 6. diſp. 5. & Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 8. pag. 384.*

4\. Quam varijs medijs confirmant; non tamen ſatis efficaciter, vt aliquo modo oſtendimus in dicta q. 2. art. 3. §. 5. n. 29. vbi n. 30. & 31. veram, & propriam illius confirmationem adduximus: & ſimul ſolutiones argumentorum, quæ in contrarium adducit Suarius: vide ibi, ne acta iterum agamus.

§. 2.
Diſtinguitur à vi natiua intellectus poſsibilis.

5\. Non eſt vis natiua intellectus poſsibilis.

Controuerſum eſt, an hoc lumen diſtinctum ſit ab ipſa natiua virtute intellectiua intellectus poſsibilis? Rationem dubitandi, vnus fecit Bellomontanus, qui docet in Chriſto præter lumen naturale poſsibilis intellectus (ipſam. ſ. natiuam vim intelligendi) nullum aliud lumen infuſum eſſe neceſſarium ad vſum ſciẽtiæ infuſæ: & ſubinde ſatis eſſe infundi proprias ſpecies obiectorũ, quæ per eam à beatis poſſunt intelligi; ita do- Bellom. cet *vbi ſuprà diſp. 54. c. 2. n. 31. & cap. 3. n. 9. & 10. & idem docuerat 1. p. diſp. 43. c. 5. n. 22.* Fundamenta illius adduximus *lib. 9. q. 2. art. 3. §. 2. à n. 3. vſque ad 6.*

Illius tamen opinionem, vt ſingularẽ, & contra commune placitum Theologorum latè impugnauimus, & reiecimus, & omnia fundamenta diſſoluimus in d. §. 2. à n. 7: nec oportet eadem repetere.

§. 3.
Diſtinguitur a ſpeciebus inditis.

6\. Non eſt ipſæ ſpecies.

Secundo dubitari poteſt, an diſtinguatur ab ipſis inditis ſpeciebus? Nõ deſunt, qui velint; illud idem eſſe cum ſpeciebus huius ſcientiæ. Communis tamen & vera opinio docet, hoc lumen à ſpeciebus realiter diſtingui. Quam ſententiam in Chriſto probarunt *Richardus in 3. diſt. 14. art. 3. q. 4. Caietanus 3. p. q. 11. art. 6. § In reſponſione ad tertium, vbi Medina, & expreſſe Cabrera diſp. 4. concl. 2. n. 13. Bergomenſis dub. 1216. Suarius in dicta diſp. 29. ſect. 2. & 3*: & quanuis hi authores agant de lumine ſcientiæ inditæ in Chriſto; idem dicerent de lumine eiuſdẽ ſcientiæ in beatis; quia eadem eſt ratio in vtroque lumine. Nos hanc ſententiam in Chriſto, tanquam veriſsimam probauimus lib. 9. q. 2. art. 3. §. 6. n. 50. in propoſitione; vbi non ſolùm oſtendimus, eam abſque dubio eſſe D. Thomæ; ſed etiam nonnullis confirmauimus argumentis. Richard. Caiet. Medina. Bergom. Cabrera. Suarius.

§. 4.
Diſtinguitur realiter ab habitu ſcientiæ.

Tertiò dubitatur; vtrùm lumẽ iſtud in beatis diſtinguatur ab ipſo habitu ſcientiæ inditæ. Eſſe quæſtionem controuerſam diximus *in d. lib. 9. in d. §. 6. propoſit. 3. n. 51.* & relatis varijs opinionibus, tandem n. 54. concluſimus, hoc lumen in Chriſto eſſe qualitatem diſtinctam ab ipſo habitu ſcientiæ; & hanc opinionem latè confirmauimus, diſſoluimusq; argumenta Suarij oppoſitum aſſerentis: & in lumine infuſo beatis idem latè defendimus *ſuprà art. 5. huius quæſtionis §. 3*: & in eadem perſiſtimus opinione: vide, quæ in vtroque loco ſcripſimus. 7. Non eſt ipſe habitus ſcientiæ.

§. 5.
Eſt vnum tantùm lumen.

Quarto loco inquiritur, vtrùm lumen huius ſcientiæ ſit vnum tãtùm, an verò plura? de hac quæſtione in lumine Chriſti latè diſputauimus *in d. lib. 9. q. 2. art. 3. §. 3. n. 13.* & quæ ibi diximus de lumine Chriſti, dicimus modò de lumine beatorum: variæ enim ſunt opiniones: nam qui putant, lumen non diſtingui à ſpeciebus, cum plures in hac ſcientia ſpecies admittant, plura etiã admittunt lumina. In eadem etiam ſunt opinione, qui volunt lumen non diſtingui ab ipſo habitu ſcientiæ: vnde qui tàm 8. Eſt vnum tantum.

in Chriſto, quàm in beatis ſcientiam iſtã in plures habitus diuidũt, etiam diuidunt lumen in plura lumina. Sed nos *in d. §. 3. n. 20.* vnum tantum lumen in Chriſto admiſimus; ſiue plures admittantur ſpecies, ſiue plures habitus, ſiue vnus tantùm. Et hanc ſententiam abſque dubio eſſe D. Thomæ oſtendimus ibidem *n. 14 15. & 16.* Cum verò eadem ſit ratio in lumine Chriſti, & in lumine beatorum (cũ vtrumq; ſit eiuſdem rationis) idem, quod diximus de lumine Chriſti, nunc dicim⁹ de lumine beatorum: eadem enim argumenta, quæ conuincunt, lumen Chriſti eſſe vnum, conuincunt etiam, vnum eſſe lumen beatorum.

§. 6.

De muneribus huius luminis.

9. Duo munera huius luminis. VLtimò inquiri poteſt, quæ nam ſint munera huius luminis in ordine ad ſcientiam inditam beatis? Quam difficultatem de lumine Chriſti explicauimus in d. lib. 9. q. 2. art. 3. §. 7. n. 61: & iuxta ea, quę de lumine Chriſti reſoluimus, de hoc lumine in beatis dicim⁹ hoc lumen ideò poni in hac indita ſcientia, vt ipſas ſpecies inditas illuſtret: ponitur enim, vt obiecta, quę in ſpeciebus habitualiter apparent, appareant actualiter, tanquam obiecta actualiter motiua ad intellectionem. Deinde ponitur, vt faciat euidentem ipſam terminorum cõnexionem, tàm principiorum, quàm cõcluſionum: etenim hęc terminorum connexio apparere non poteſt, niſi ſub aliquo lumine: in hac autem ſcientia nullum aliud datur lumen, niſi hoc infuſum.

10. Probatio. Quod verò vtrũque iſtud munus huic lumini tribuendum ſit, probari poteſt: primò; quia illa duo munera conueniunt, non ſolùm lumini Angelis infuſo, vt diximus in *d. lib. 9. q. 2. art. 2. §. 3.* ſed etiam lumini intellectus agentis, vt contra nõnullos oſtendimus *in dict. q. 2. art. 1. §. 2.* Deinde ex eo etiam probatur; quia cum hoc lumen non ponatur ad abſtrahendas ſpecies huius ſcientiæ; quia illæ ſunt per ſe infuſæ, nullum aliud munus illi reſtat, niſi illuminare obiecta, tùm quoad ſimplicem eorum apprehẽſionem; tùm quoad complexam: ad vtrumque enim eſt neceſſarium lumen, vt latè oſtendimus *lib. 9. q. 2. art. 1. §. 3. n. 11. cum ſequentibus.*

ARTICVLVS IX.

Vtrùm habitus ſcientiarum acquiſiti in via maneant in Patria?

§. 1.

De eadem quæſtione.

HVius articuli explicationem ad hunc locum reſeruauimus 1. *tom. lib. 5. q. 15. art. vnic. n. 2.* Rationem dubitandi fecit *Albertus Magnus in 3. diſt. 33. art. 4. ad 4.* vbi docet, ſcientias naturales in via acquiſitas non eſſe manſuras in Patria: cui opinioni adeò adhæret, vt oppoſitam appellet irrationalem. Putat igitur ſcientias iſtas non eſſe permanſuras in patria; ſed loco illarum alias eſſe à Deo infundendas, quæ non ſunt ex parte, imperfectæque, ſed omnino perfectæ, qualis eſt Angelorum ſcientia. Huius opinionis fundamentum ſumit ex verbis Pauli 1. Corint. 13. *Siue ſcientia deſtruetur.* Et ſtatim: *Euacuabitur, quod ex parte eſt.* Iam verò, vt ait, omnis ſcientia, quæ eſt ex ſenſu, eſt ex parte, atque imperfecta, & ideò iuxta Pauli verba euacuanda eſt, & corrumpenda. 1. Verùm per maneant. Opinio Alberti. 1. Cor. 13.

Oppoſita tamen ſentẽtia à cęteris omnibus communi conſenſu recipitur. Eam à Theologis cõmuniter teneri affirmat *Durandus in 3. diſt. 31. q. 7. conſentit Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſput. 6. ſect. 8. pag. 397.* vbi plures citat; at non omnes fideliter. Satis hanc opinionem, vt veram ſupponit D. Thomas, dum illud Pauli, *ſiue ſcientia deſtruetur* explicat non de habitu ipſius ſcientiæ acquiſitæ, ſed de imperfectionibus, quæ eam comitantur in via; qualis eſt conuerſio ad phantaſmata, vt patet ex eodem *D. Thoma in præcitato Pauli loco lect. 3. & 1. p. q. 89. art. 5. & 1. 2. q. 67. art. 1. ad 1. expreſſè Caietanus in eodem loco Pauli.* vbi docet, ſcientias mathematicas, & alias huius generis manere in Patria. 2. Oppoſita eſt vera. Durandus Salas. D. Thom. Caietan.

Euidenter demonſtratur: quoniam apud omnes conſtat, habitus iſtos ſcientificos in via acquiſitos manere in anima ſeparata. Ergo à fortiori manebunt in Patria. Conſequentia eſt nota, quoniam ſi manent in anima ſeparata, cur non manebunt in Patria? etenim nullam in ſe ipſis intrinſecam includunt imperfectionem, 3. 1. probatio

ſed

ſed perfectionem potiùs; cum ſint habitus euidentes. Porrò antecedens, quòd ſcilicet habitus illi maneant in anima ſeparata, non ſolùm docetur à D. Thoma in locis citatis; ſed etiam demonſtratur: etenim nulla dari poteſt cauſa cur corrũpantur: quia, nec corrumpi poſſunt per accidens ad corruptionem ſubiecti; quia nec anima, nec intellectus eius corrumpuntur: nec corrumpi poſſunt per ſe per aliquam ſcilicet deceptionem, & errorem contrarium; quia poteſt anima ſeparata permanere ſine vlla aliqua noua deceptione. Vnde igitur corrumpentur?

4. 2. probatio. Confirmatur deinde; quia ſtatim oſtẽdemus, in ingreſſu patriæ infundi animæ beatæ omnes ſcientias naturales, quas in via non acquiſiuit. Quomodò igitur non permanebunt, qui in via acquiſiti fuerũt? Si verò cum nonnullis neges, infundi aliquos habitus ſcientiarum naturalium; nõ negabis, beatos poſſe in patria de nouo illos acquirere: nam qui illud negant, libẽter hoc admittunt: quod ſi de nouo acquirendi ſunt, ideò, quia ſunt naturales intellectus perfectiones; profectò non eſt, cur corrumpantur illi, quos in via acquiſiuerunt.

5. 3. probatio. Denique confirmatur; quoniam ipſemet Albertus fatetur beatis infundi alios habitus perfectos: vel igitur illi ſunt eiuſdem rationis, cum ijs, quos in via acquiſiuerunt; vel diuerſæ. Si eiuſdem; fruſtra corrũpuntur, quos habebant: quia æqualis erant perfectionis cum illis, qui de nouo infunduntur. Sublatis igitur imperfectionibus viæ, illi ſufficerent, ſi ſunt rationis diuerſæ: vel ſunt ſupernaturales, vel naturales: ſi ſupernaturales, pertinent ad ſcientiam inditam: hæc autem non tollit, vt cum illa detur ſcientia naturalis: vnde Theologi cum Auguſtino in politia veſpertina præter ſcientiam inditam, & ſupernaturalem admittunt in beatis naturalem ſcientiam. Si verò eſt naturalis: cùm ſupponatur eſſe diſtinctæ rationis à ſcientia acquiſita in via; ſcientia illa erit per ſe indita, qualis infunditur animæ ſeparatæ, vt ſubſtantias immateriales naturaliter cognoſcat; hęc autem poteſt ſimul conſtare in eodem intellectu cum ſcientia naturali per ſe acquiſibili; cum illa perficiat animam, ratione ſeparationis, hæc autem ratione coniunctionis.

Paulus autem cum inquit, *ſiue ſcientia deſtruetur*, vel nomine ſcientiæ intelligit eam, quæ fidei innititur, & illam declarat, qualis eſt noſtra Theologia, qua veritates fidei explicamus, vt volunt Caietanus, Cornelius à Lapide, & alij ſatis ad mentem Chryſoſtomi, Theodoreti, & Theophylacti. Vel intelligit, ipſas veras ſcientias; non quoad eam, quam cõtinent veritatem, ſed quoad imperfectiones, quæ in via illam comitantur: illa enim vtimur cum conuerſione ad phantaſmata, & eam habemus commixtam cum pleriſque imperfectionibus opinionum, & errorum: vnde quoad iſtas omnino deſtruetur, manente ipſo veritatis habitu, vt explicat D. Ambroſius in eodem loco ita inquiens: *Non id, quod verum eſt, euacuabitur, ſed cum additur, quod deeſt, imperfectio deſtruetur.* 6. Ad Paulũ.

§. 2.

Infundentur de nouo ſcientiæ naturales, quæ non fuerunt in via: & quæ fuerunt, perficientur.

SEd iã inquiri poteſt; an in ipſo patrię ingreſſu infundantur ſcientiæ naturales illis, qui eas in via non acquiſiuerunt? Et perficiantur, quæ in via fuerunt imperfectæ? Quod attinet ad hoc poſterius non eſt dubium, quin ſcientiæ, quæ in via imperfecto modo fuerunt, in ipſa patria perficiantur: id enim expreſſè docet D. Ambroſius in verbis immediatè citatis, quæ expreſſè probant, *addendũ eſſe, quod deeſt.* Theodoretus ibidem ita ait: *Ceſſat, quæ minor eſt cognitio, maiore ſuppeditata.* Chryſoſtomus ait: *Non euacuatur ſcientia: ſed eſſe ſingularem, & particularem ſcientiam: euacuabitur*, quia ſcilicet habitus ille fiet vniuerſalis, & perfectus, vt perfectè, & vniuerſaliter omnia ſua obiecta cognoſcat: vnde ferè omnes Pauli interpretes illa verba, *ſcientia deſtruetur* in hoc ſenſu intelligunt, vt non ipſa rerum cognitio deſtruatur; ſed quidquid in ea rude eſt, inchoatum, & imperfectum: & meritò; quia ex ſententia Ariſtotelis, nihil imperfectum eſt in beatitudine. 7. Duo dubia. Ad 1. dub. *D. Ambr. Theodore. Chryſoſt.*

¶ Vtrùm autem de nouo infundantur ſcientię naturales, quę in via non fuerũt? dubitari poteſt. Dubiam rem fecit vnus Salas, *qui in d. diſp. 6. ſect. 9. n. 30. pag. 839. col.* 8. Ad 2. dub. Opinio Salæ.

col. 2. non admittit, infundi beatis omnes ſcientias naturales cum omni perfectione connaturali, & proportionata: inde enim fieret, vt ait, omnes beatos ſtatim in ipſo beatitudinis initio æquales eſſe in cognitione naturali, & in habitibus naturalis ſcientiæ; quod putat eſſe abſurdum: vnde exiſtimat ſatis eſſe, ſi ſingulis beatis dentur aliquæ ſpecies, quibus breui tempore acquirant omnes naturales ſciẽtias.

9. Oppoſitũ eſt verius. Oppoſitam tamen ſententiam pleriq; probarunt, vt idemmet Salas fatetur; quã ego puto eſſe longè veriorem: fundamẽtum inde ſumo; quia cum ſtatus beatitudinis ſit omnium bonorum aggregatione perfectus; ſtatim ab initio perfectus erit omnibus perfectionibus illi accommodatis. Sed inter perfectiones naturales animabus beatis accommodatas principalem locum habent naturales ſcientię. Ergo ſtatim à principio beatitudinis habebunt omnes ſcientias naturales: etenim eas omnes ſtatim infundi, non modo non repugnat, ſed etiam in maximam cedit illius beatifici ſtatus perfectionem: cur igitur non ſtatim omnes infundentur? etenim ob hanc rationem Angeli in principio ſuæ creationis omnem rerum naturalium naturalem ſcientiam habuerũt; quia ſcilicet hoc ad naturalem ipſorum perfectionem pertinebat: cum verò maximè deceat, vt omnia Dei opera naturaliter ſint perfecta; ſicut decuit Angelos in illa perfectione creari; ita decet beatos ſtatim à principio beatitudinis habere omnes connaturales perfectiones. Quibus accedit; quia beatitudõ omnem naturalẽ beati appetitum ſatiat, vt omnes admittunt. Iam verò, ſi in omnibus datur appetitus naturalis ad habendam naturalem perfectionem integrè, & perfectè; vtiq; in beatis dabitur naturalis appetitus ad omnem naturalem cognitionem, quem decet ſtatim ſatiari. Denique cum perfectius ſit, potentiam eſſe in actu primo, quam in potentia eſſentiali; vtique ad perfectionem beatifici ſtatus pertinebit, intellectum beati eſſe in actu primo cuiuſcunque naturalis ſcientiæ. Maximè; quia aliàs beati non poſſent naturales ipſas ſciẽtias perfectè acquirere, vt de Chriſto Domino rectè oſtendit *Suarius 1. tomo ad 3. p. diſp. 30. ſect. 2. §. Antecedens patet, pag. 566. col. 2. C.* Suarius.

Nec vim habent, quæ in contrarium à Sala adducuntur. In primo argumento infert, tanquam abſurdum, quòd omnes beati in cognitione naturali æquales forent: hoc autem nullum continet abſurdum; quin potiùs id cedit in maiorem beatifici ſtatus perfectionem. 10. Ad 1. arg. ¶ Secundo loco obijcit, concluſiones naturaliter ſcibiles eſſe infinitas. Ad 2. Sed id vel negandum eſt ſi generaliter ſumatur, vel ſi in aliquibus ſcientijs admittatur (admittendum autẽ eſt in Arithmetica, in qua dari poſſunt infiniti numeri ſpecie diſtincti) non abſurdum erit cognoſcere infinita, non categorematicè, ſed ſyncategorematicè: nam & habitus ſcientifici Arithmeticæ non ſunt infiniti categorematicè, ſed ſolùm ſyncategorematicè: vnde Deus infundet habitus numerorum, non actu infinitos, ſed finitos.

11. Ad 3. ¶ Tertiò arguit; quia non ſolùm magis connaturale eſt animæ; ſed etiam magis perfectum naturaliter acquirere habitus ſcientiarum naturalium: idque probat, quoniam Ariſtot. 1. Ethicorum c. 4. ait ex *Heſiodo, optimus ex ſe ſe eſt ille, qui nouit omnia.* Ad quod argumentum reſpondemus, id verum eſſe de anima ſuæ naturæ relicta; non tamen ſi eſt eleuata: nam cum anima in ſua natura ex ſe ſit in potentia eſſentiali, & pura (eſt enim tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, ex Ariſtot. in libris de Anima) naturaliter ſibi vendicat ſcientias acquirere ſua induſtria: oppoſitum reperitur in anima eleuata ad ſtatum beatificum; quia in eo vendicat ſibi à Deo perfici in illis, in quibus eſt imperfecta: nam vt in Pſalmo dicitur, *Gloriam dabit Dominus*: non ſolùm eſſentialem; ſed etiam accidentalem, quæ poſita eſt in perfectionibus glorioſis. Vnde falſum eſt ad maiorem animæ perfectionem pertinere ſcientias per ſe ipſam acquirere, vt benè aduertit *Suarius in dicta diſput. 30. ſect. 2. §. Dices fortaſſe, pag. 566. col. 1*: etenim melius eſt nunquam carere aliqua perfectione, quàm pro aliquo tempore illam non habere; vt per prios actus eam obtineat. Suarius. Quod verò ex Ariſtot. & Heſiodo adducitur, ad rem non pertinet; quia intelligitur de eo, qui ex ſua eſſentia habet, quòd à ſe omnia cognoſcat, & nihil ab alio. ¶ Quarto loco obijcit; quoniam ex ſententia D. Thomæ Chriſtus 12. Ad 4.

ſcien-

ſcientias humanas habuit non infuſas, ſed à ſe acquiſitas. Ergo animæ beatæ naturales ſcientias habent, non à Deo ſibi infuſas, ſed à ſe ipſis acquiſitas. Ad hoc argumentum primùm negandum eſt, Chriſtum hanc naturalem ſcientiam non habuiſſe per infuſionem: oppoſitum enim docet communior, & verior opinio, ſi ſermo ſit de ſcientia naturali ab experimentali diſtincta, vt multis oſtendit *Suarius in d. diſp. 30. ſect. 3. §. Dico ergo primò*: vbi plures citat, etiam ex Patribus. Deinde dicimus, admiſſa illa opinione, non proinde illam ſententiam in beatis admittemus: diſpar enim datur ratio in Chriſto, qui ſimul fuit comprehenſor, & viator, & in beatis, qui ſimpliciter ſunt comprehenſores: & ideò decuit, vt ſcientiæ iſtæ non infunderentur Chriſto, ſed ab eo acquirerentur: quia oportuit eum per omnia fratribus aſſimilari: quod tamen non conuenit ſtatui beati ſimpliciter comprehenſoris; cui proprium eſt, vt ſtatim à principio quoad omnia ſit perfectus.

Suarius.

§. 3.

Quid de ſcientia experimentali?

13. *Optima quæſtio.* SI quis inquirat; vtrùm beati in patria poſsint acquirere ſcientiam experimentalem, & aliquas illius ſpecies? affirmatiuè reſpondetur: nam & in Chriſto Domino præter ſcientiam naturalem, quam habuit infuſam, habuit etiã hanc experimentalem ſcientiam.

14. *Præmiſſũ.* Sed vt res iſta melius explicetur, præmittendum eſt, de beatis quoad hanc ſciẽtiam duobus modis agi poſſe. Vno modo, poſt reſurrectionẽ, quando habebunt cognitionem ſenſitiuam: altero modo, ante reſurrectionem, in quo ſtatu nulla in illis datur ſenſitiua cognitio. Et quanuis cognitio, quæ in rerum experientia conſiſtit, propriè loquendo ſit illa, quæ medijs ſenſibus acquiritur: tamen etiam dari poteſt per ſolam experientiam intellectiuam circa res ſingulares intuitiuè viſas: vnde non eſt à vera Philoſophia aliorum cognitionem experimentalem admittere, tùm in Angelis, tùm in animabus ſeparatis.

15. *Experientia de nouo poſt reſurrectionem.* De beatis poſt reſurrectionem hanc ſtatuimus concluſionem: *Beati poſt reſurrectionem non ſtatim habebunt omnem cognitionem experimentalem; ſed ſucceſſu temporis in ea proficient.* Hæc concluſio ex eo mihi probatur; quia anima Chriſti non ſtatim à principio habuit omnem cognitionem, quæ in rerum experientia ponitur, ſed in ea profecit, vt omnes Theologi fatentur. Ergo anima beati non ſtatim ab ipſa reſurrectione habebit omnem experimentalem cognitionem, ſed proceſſu temporis in ea proficient: etenim eadem ratio eſt in Chriſto, & in beatis: nam poſt reſurrectionem diſcurſu temporis plura videbunt, & audient, quę antea nec viderunt, nec audierunt.

Pro huius concluſionis explicatione 16. aduertimus cum *Suario in d. diſp. 30. ſect. 2. §. Dico ſecundò, pag. 568. col. 1.* dari poſſe cognitionem ſine experientia; & per conſequens dari etiam poſſe ſpecies intelligibiles, quæ nulla præcedente experiẽtia repræſentent: etenim Adamus in primo inſtanti ſuæ creationis plura cognouit, quorum nullam experientiam habuit, & ſpecies illi infuſæ obiecta actu repræſentabant, nullo præcedente illorum experimento. Oportet igitur, vt ſcientia ſit experimentalis, quod cognitio rei fiat ſimul cum alicuius ſenſus experimento, & quod ſpecies illam rem repræſentent, quatenus eſt ſub ſenſu: & eò maior erit experimẽtalis cognitio, quò pluries cognitio intellectus ſimul fuerit coniuncta cum experimento ſenſuum. Ex quo iam infertur euidens probatio noſtræ aſſertionis: nam cum nulla cognitio dici valeat experimentalis, niſi cum ſenſuum experimento ſit coniuncta: & beati non à principio reſurrectionis omnia cũ ſenſu cognoſcant; ſed ſucceſſu temporis nũc iſta, nunc illa ſenſu percipiant; inde eſt, vt experimentalis cognitio non poſsit infũdi, ſed per ſolam experientiam acquiri.

Suar. *Poteſt dari ſcientia ſine experimento.*

Aduertendum tamen eſt cum eodem 17. Suario, cognitionem, quæ cum experimento datur, duobus modis intelligi poſſe; vno modo; vt nulla noua fiat cognitio per ipſam ſenſuum experientiam; ſed ipſa, quæ præexiſtebat, coniuncta cum experimento ſenſus dicatur experimentalis: idque per ſpecies præexiſtentes, non prout abſolutè rem ipſam repræſentant, ſed prout adiuncto ſenſuum experimento, illam cum tali experimento repræſentant; & hoc modo cognitio, quam de ali-

Scientia duobus modis poteſt eſſe experimentalis.

qua re Adamus habebat, tunc primò facta eſt experimentalis, cum primò applicata eſt, & cõiuncta cum aliqua eiuſdem rei ſenſatione. Altero modo intelligi poteſt experimentalis cognitio, vt medijs ſenſibus rem apprehendentibus generetur in intellectu noua aliqua cognitio, & nouæ ſpecies, quas intellectus non habebat; & hoc modo ipſa cognitio experimẽtalis diſtincta eſt à cognitione naturali, & habitus per eam relictus erit etiam diſtinctus ab habitu ſimplici naturalis ſcientię; denique ſpecies ſimiliter diſtinctæ erũt. Vtraque autem poſita explicatione, ſemper illud obtinetur, vt, quamuis omnis ſcientia naturalis poſsit à principio infũdi beatis, non tamen experimentalis, ſed ſolùm ſucceſsiuè; quoniam ex ſucceſsiuo experimento, vel ſcientia præexiſtens ſit experimentalis; vel noua experimentalis generatur. Et ita concludendum eſt, beatos poſt reſurrectionem poſſe de nouo acquirere ſcientiam experientiæ, & in ea quotidie magis, ac magis proficere.

18. Hæc quæ diximus de beatis poſt reſurrectionem, dicenda etiam ſunt de animabus beatis ante eam: nam ſicut ſenſitiua cognitio ſuo modo facit cognitionem intellectiuam eſſe experimentalem; ita etiã ipſa intuitiua rerum ſingularium cognitio, velut altera ſenſitiua, cum poſsit eſſe ſucceſsiua, poteſt ipſam cognitionem naturalem facere experimentalem. Ratio diſcriminis eſt; quia anima coniuncta corpori mortali non habet rerum ſingularium intuitiuam, & experimentalem cognitionem, niſi mediante ſenſu; cùm tamen anima ſeparata immediatè poſsit habere cognitionem intuitiuam ſingularium, quæ ſecundum ſe eſt experimentalis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm in beatis detur fides?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. QVæſtio hæc pertinet ad politiam veſpertinam: etenim ſi fides, aut quoad habitum, aut quoad actũ poſſet manere: cum illius cognitio fieret extra Verbum, illa ad cognitionem veſpertinam pertineret, non verò ad matutinam: vnde merito hæc quæſtio pertinet ad ſtatum veſpertinæ politiæ.

Quæſtio iſta diſputari ſolet à Theologis tùm in materia de fide; tùm in materia de ſcientia Chriſti; tùm etiam in hoc loco. Et quanuis illa ad hunc locum magis pertineat, quàm ad alios; quia in eo ex profeſſo agimus de perfectionibus intellectus, quę beatitudinem comitantur; tamen quia ſecundus iſte Tomus de Beatitudine animæ plus quàm par ſit, ſua creuerit magnitudine; & propoſita quæſtio, vt debitè explicetur, longam poſtulat diſputationem; ideò illam explicationem ad noſtrum librum 6. de Incarnatione reſeruamus, in quo olim eam diligentiſsimè explicuimus: nunc ſatis erit, quæ ibi diximus, ad breuem epilogum reducere. 2. De ſenſibus quæſtionis.

Præmittimus tamen quæſtionem iſtã excitari poſſe, tùm de habitu fidei, tùm de actu illius: & in vtroque ſenſu poteſt excitari tùm de poſsibili, tùm de facto.

§. 2.

Vtrùm habitus fidei poſsit manere?

QVod attinet ad habitũ fidei; vtrũ de potentia Dei abſoluta poſsit cum beatifica viſione ſimul permanere? quæſtio eſt ſatis controuerſa. Partem negantem probant communiter Thomiſtæ: *Capreolus in 3. diſt. 31. q. 1. art. 1. concl. 2. Hiſpalenſis q. 1. artic. 1. concl. 2. Caietanus 1. 2. q. 67. art. 3. vbi Medina, D. Bonauentura in 3 diſt. 31. art. 2. q. 1. Et ſatis eam explicat D. Thomas ibid. q. 2. art. 2. quæſt. 3. & 3. p. q. 7. ar. 3. & 2. 2. q. 1. art. 4. & de veritate q. 14. art. 9.* & placet quamplurimis ex Recentioribus: nec deſunt, qui adeò huic opinioni adhæreant, vt dicant oppoſitam eſſe hæreticam. 3. Pars negãs. Capreol. Hiſpalen. Caietan. Medina. D. Bonau. D. Thom.

Oppoſitam tamen probarunt *Durandus in 3. diſt. 31. q. 3. Baſſolius q. vnica art. 1. & 3. §. Dico vltimò, & ibidem Guillelmus de Rubione q. 1. art. 2. ad finem, & latiùs in 3. diſt. 24. q. 2, vbi etiam Paludanus q. 2. & in d. diſt. 31. q. 2. Argentina in prologo q. 3. art. 2. & in 3. diſt. 31. q. 1. artic. 3. nec diſplicet Scoto ibidem q. vnica, §. Reſpondeo, & ad ſecundum: pro eadem referri poteſt Gerſon alphabeto 13. litera B. & 27. lit. T.* 4. Pars affirmans. Durand. Rubion. Palud. Argentin. Scot.

Nos hanc ſecundam ſententiam, vt lõgè probabiliorem probamus, putamusq; longè eſſe probabilius de potentia abſoluta Opinio auctoris.

luta poſſe habitum fidei manere in beatis, etiam lumine gloriæ perfuſis: addimus tamen, oppoſitam ſententiam ſuam etiam habere probabilitatem; vnde vtrãque latè defendimus in d. lib. 6.

§. 3.

Vtrùm habitus fidei de facto maneat in beatis?

5. VTrum autem fidei habitus de facto in beatis maneat? eſt etiam cõtrouerſum. Affirmarunt nõnulli

Affirmant. ex antiquioribus, vt refert D. Bonauentura, quorum ſententiam putat eſſe probabilem: ſimpliciter eam probarunt Argentina, & Guillelmus de Rubione: Durandus autem dubius manet. Qui omnes non eodem modo hanc opinionem explicant. Nonnulli volunt in hoc ſenſu habitum fidei manere in beatis, vt adueniẽte lumine gloriæ, & lumen fidei fiat lumen gloriæ, & habitus fidei maneat ſciẽtificus ſublata ab vtroq; obſcuritate. Alij verò in hoc ſenſu putant habitum fidei in patria manere, vt verè maneat cum ineuidentia, & verè diſtinctus ab habitu ſcientiæ; addunt tamen, illum in patria nullum habere actum: ſed tantùm manere, vt ſignum fidelitatis viæ.

6. Negant. Quòd tamen de facto nõ maneat, probarunt cæteri omnes Theologi: *D. Thomas 1. 2. q. 67. art. 3. & in 3. diſt. 31. q. 2. ar. 1. quæſtiunc. 3. & expreſsiùs 2. 2. q. 185. & de Veritate q. 13. ar. 2. Caietanus, & Conradus 1. 2. q. 67. art. 3. Capreol. in 3. diſt. 31. q. 1. art. 1. concl. 2. Hiſpalenſis q. 1. art. 3. notab. 1. & 3. D. Bonauentura art. 2. q. 1. Richardus art. 3. q. 2. Scotus q. vnica, Baſſolius q. 1. art. 3. §. Dico tertiò, & ad 3. arg. principale, Gregorius in 1. q. prologi*, quorum nõnulli volunt, oppoſitum eſſe hæreticum.

D. Thom. Caiet. Conrad. Capreol. Hiſpalen. D. Bonau. Scot. Baſſol. Gregor.

7. Opinio auctoris. Nos in præcitato lib. 6. diximus, opinionem negantem eſſe longè probabiliorem, & ſimpliciter tenendam: non quod argumenta cõmuniter adducta ad id cogant; ſed quia magis congruit, & verbis ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonijs: vnde non approbamus eos, qui oppoſitã, aut hæreſis, aut temeritatis notant.

§. 4.

Vtrùm actus fidei manere poſsit?

8. Qui affirmant. QVod verò attinet ad actũ fidei, eadẽ eſt controuerſia, tùm in ſenſu de poſsibili, tùm de facto. Nam quòd per diuinam potentiam actus fidei, vt includit ineuidentiam, & obſcuritatẽ, manere poſſit cum clara viſione, probarunt *Baſſolius in 3. diſt. 31. q. vnica art. 2. Guillelmus de Rubione in 3. diſt. 24. q. 2. ar. 1. concl. 1. quos ſequitur Molina in ſuis ſcriptis ad primam ſecundæ q. 67. art. 3.* Baſſolius. Rubion. Molina.

9. Qui neg. Oppoſitam ſententiam probauerunt cæteri omnes, D. Thomas, Capreol. Hiſpalenſis, Conradus, Caietanus, Scotus, Richardus, D. Bonauentura, Gabriel, & Durand. in locis ſuperiùs citatis. Ex quibus Capreolus oppoſitam ſententiam damnat, vt hæreticam. ¶ Nos tamen in d. lib. 6. oſtẽdimus, longè eſſe probabilius, hoc ſimpliciter non repugnare in ordine ad abſolutam Dei potentiam: ſed non ita id eſſe certum, vt oppoſita ſententia omni careat probabilitate; vnde cenſuram Capreoli nõ admiſimus, & latè diſſoluimus argumenta in oppoſitum. Opinio authoris.

§. 5.

An actus fidei de facto maneat?

10. Præmiſſ. VTrũ actus fidei de facto maneat in Patria? oportebat hoc loco diligẽtius explicare, niſi ad breuitatẽ cogeremur. Pro illius tũ aliquali explicatione, illud præmittimus, actũ fidei manere in Patria à ſuis authoribus multis modis explicari. Vno modo; vt act⁹ ille maneat quidẽ quoad ſubſtantiã; tranſmutatus tñ in ipſam viſionẽ beatã: etenim apud iſtos authores actus ipſe, qui in abſentia obiecti erat fidei propter obſcuritatẽ, & ineuidentiã, adueniente præſentia obiecti fieri ipſam viſionẽ beatã. Quare apud iſtos in hoc ſenſu manet actus fidei in Patria; quia ipſa entitas, ſubſtantiaq; actus, qui in via entitatiuè erat fides, in Patria fit ipſa ſubſtantia viſionis. Hãc opinionẽ refert *Guillelmus de Rubion. in d. diſt. 24. q. 2. art. 2. in princip.* vbi putat, eam eſſe probabilem. 1. explicatio. Rubion.

11. 2. explicatio. Secũda eſt aliorũ explicatio, vt ille act⁹, qui in via, ꝓpter abſentiã obiecti erat act⁹ fidei, adueniẽte illius pręſentia ita pficiatur, & cõſũmetur, vt fiat actus ſcientię, & vt talis maneat diſtinctus à viſione beata. Ita ſenſiſſe nõnullos refert noſter *Gregorius Ariminenſis in prologo q. 2. art. 2. in 2. probatio. ſecundæ concluſionis litera F. & G.*

12. 3. explicatio. Tertia adhuc addi poteſt explicatio, vt ſecundũ ſubſtantiã actus fidei maneat in Patria, etiam cũ ineuidentia: conſũmatus tamẽ, & perfectus per euacuationẽ ęnigmatis

matis ex parte ſubiecti: quatenus. ſ. ſubiectum iam non per ſolum ænigma ambulat, & dirigitur, ſed etiam per viſionẽ, & euidentiam obiecti; ex qua habet, vt illa fidei cognitio, etiam ſi imperfectionẽ ſibi intrinſecam non amittat; fiat tamen magis perfecta, & abſoluta ex ipſa coniunctione luminis; quia terminos ipſos iam melius percipit, & diſtinctius.

13. Pro parte negatiua. His ita præmiſsis, partem negantem, actum fidei de facto manere, probant omnes illi, qui putãt, hoc ſimpliciter eſſe impoſsibile, quos retulimus in §. prçcedẽte, quibus addimus *Baſſolium in 3. diſt. 31. q. vnic. ar. 3. Rubionẽ in 3. diſt. 24. q. 2. ar. 2. ad 2. Argent. q. 3. prologi art. 2. in fin. Gregor. ibidẽ q. 2. art. 2. in 2. arg. pro 2. concluſione, Franciſcum à Chriſto libr. 4. de Incarn. q. 1.* qui omnes volunt, actum fidei non ſolũ nõ manere in patria quoad imperfectionem, ſed nec quoad ſubſtantiam actus.

Baſſolius. Rubion. Argent. Gregor. Franciſcus à Chriſto.

14. Pro affirmante. Qui contrariam ſententiã probaret de actu fidei, vt ineuidentiã includit; inueni neminem: non defuerunt tamen, qui docuerint, actũ fidei quoad ſubſtantiã manere; ſublata tamen imperfectione: ita enim ſenſerunt nonnulli, qui primam, & ſecundam explicationem probarunt, vt referunt D. Bonauentura, & Gregorius.

15. Sententia authoris. Nos in d. lib. 6. oſtendimus, nec actum fidei poſſe tranſire, aut in viſionem beatam, aut in actum ſcientificum, & euidẽtem; nec de facto manere in beatis cum ineuidentia ſibi intrinſeca, & eſſentiali: diximusq; hoc ita certum eſſe, vt quanuis oppoſitum nec hçreticum ſit, nec in fide erroneum; nullo tamen modo ſine temeritate affirmari poſsit. Quæ omnia cum latè oſtenderimus in d. lib. 6. nõ eſt, quòd in illorum confirmatione immoremur.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Theologia in via acquiſita maneat in Patria?

§. 1.

Opinio negatiua verior.

1. Opinio negans. DE propoſita quçſtione latè diſputant Theologi, tùm in prologo Sẽtentiarum; tùm apud *D. Thomam 1. p. q. 1.* Variæ ſunt ſententiæ; quarum impugnatio longam poſtulabat diſputationem: ſed quoniam cogimur breuitati ſtudere, ſtatuemus negatiuam concluſionem; deinde breuiter diſſoluemus argumenta in contrarium.

Sit igitur vnica concluſio: *Theologia, quam in via acquirimus, de facto non manet in beatis.* Hanc propoſitionem expreſſè tenuit *Aureolus apud Capreolum in prologo q. 1. art. 2. in 4. arg. contra ſecundam fol. 3. col. 4. Gabriel in 3. diſt. 31, q. 1. art. 3. dub. 3. Medina 1. 2. q. 67. art. 2. ad 3. Palatius q. 2, Prologi, fol. 15. col. 3. poſt principium, Molina 1. p. q. 1. art. 2. diſp. 3. in vltimis verbis, & latiùs in ſcriptis ad dictam quæſtionẽ 67. art. 2. latè Valentia 1. p. q. 1. puncto 3. §. 2. in 5. arg. pag. 26. D, & Salas 1. tom. ad 1. 2. q, 3, tract. 2. diſp. 6. ſect. 4. n. 12. §, Poſterior opinio pag. 392. col. 1. & Rada 1. p, contro. 2. ar. 1, concl. 2. refertur Trigoſus 1. p. q. 1. ar. 3. dub. 3. Cornelius à Lapide 1. Corint. 13, ad illa verba, ſiue ſcientia deſtruetur.* A nõnullis refertur pro hac ſententia *Scotus in 3. q. prologi*, citatur etiam Caietanus ad prçcitata verba Pauli, quanuis ſolùm ſcribat, deſtruendam eſſe ſcientiam Sanctorum; quæ innititur fidei. Et verè citari poteſt *Palud. in 3. diſt. 31. q. 1, ad finem quæſtionis.*

Concluſio. Aureolus. Gabr. Medina. Palatius. Molina. Valentia. Salas. Rada. Trigoſus. Cornelius. Scotus. Palud.

Huius aſſertionis fundamentum plerique ſumunt ex præcitatis verbis Pauli *ſiue ſcientia deſtruetur*, & volunt, Paulum nomine ſcientiæ, complecti omnem cognitionem rerum diuinarum obſcuram, quæ in vita imperfectionem, & ineuidentiam habet: etenim ſtatim adiungit: *Cum venerit, quod perfectũ eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* Et ſtatim, *cum eſſem paruulus, loquebar, vt paruulus. ſapiebã, vt paruulus: quando autem factus ſum vir; euacuaui, quæ erant paruuli; videmus nunc per ſpeculum; tunc autem facie ad faciem.* Sed ex hoc loco non poteſt ſumi firmum argumentũ: quoniam communis Patrum, & interpretum ſententia in hoc conuenit, vt Paulus non intelligatur de deſtructione quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, & imperfectionem tantùm, vt ſuprà oſtendimus ar. 9. §. 1. in fine, & §. 2. in princip. ex D. Ambroſio, Chryſoſtomo, Theodoreto, & ex cõmuni interpretũ explicatione, Lyræ, Cornelij de Lap. & ſatis conſentit D. Thom. ibidem lect. 3. ad eadem verba.

2. Fundamentum ex Paulo. Non concludit.

Vera igitur noſtræ aſſertionis probatio ex eo ſumi debet; quia noſtra Theologia ex ſua intrinſeca ratione innititur principijs fidei. Ergo intrinſecè habet, quòd in patria nõ maneat, cum in ea non maneat

3. Verum fundamentum

maneat fides; vt diximus in præcedente articulo. Nec ſatis eſt, ſi quis reſpondeat, hanc rationē ſolùm vim habere de Theologia, vt eſt in viatore; non verò ſi ſecundùm ſe ſumatur: hanc enim diſtinctionē (in qua totum aduerſariorum fundamen tum ponitur) alio in loco latè impugnauimus: quoniam fieri non poteſt, vt vnus & idem habitus in ſe ipſo contineat duas ſpecificas differentias per ſe cōſtitutiuas diuerſarum ſpecierum, vt vera docet Philoſophia: iam verò clarum, & obſcurum; euidens, & ineuidens ſunt differentiæ eſſentialiter diſtinguentes notitias, & habitus, vt cum nonnullis aduertimus 1. tomo lib. 1. q. 6. art. 4. §. 4. n. 31. cum ſequētibus. Et hæc ſatis modò dicta ſint pro noſtra concluſione: nam latiorem poſtulabat diſputationem, cum plures non ſatis faciles inuoluat difficultates, de qualitate ſcientiæ noſtræ Theologiæ, de ſubalternatione illius ad ſcientiam beatorum, & plures alias, quas breuitati ſtudentes cogimur prætermittere.

§. 2.

Authores ſententiæ affimantis.

4. Affirmant. NOſtra concluſio plures habet oppugnatores: contra eam docuerūt Caietanus 1. p. q. 1. art. 2. *vbi latè Bañes, Cumelius, & Ripa c. 3. dubitatione 2. Canus lib. 12. de locis Theologicis c. 2. &* 3. *concl.* 1. & 2. contra noſtram aſſertionē referri ſolent *D. Thomas* 1. *p. q.* 89. *art.* 5. *ad finem corporis, & ad* 1. & 1. 2. *q.* 67. *art.* 2. *ad* 1: ſed eum non agere de Theologia, ſed de alijs ſcientijs naturaliter acquiſitis, facilè ex eo intelliges, & ex ijs, quæ ſcribit in d. lect. 3. in verbis Pauli ſupra citatis. Et ob eandem rationem non poteſt in contrarium citari *D. Bonauentura in* 3. *d.* 31. *art.* 2. *q.* 3. quia de alijs ſcientijs agit, & non de Theologia: ſimili modo nec Durandus in eodem loco q. vlt. contra nos citari poteſt; quia generaliter loquitur de ſcientijs acquiſitis: Paludanus autem ibidem q. 1. ad finem potiùs pro nobis ſcribit, ſi diligentiùs expendatur.

Caiet. Bañes. Cumel. Ripa. Canus. D. Bonau.

5. Explicatur D. Hieron. Nec contra noſtram reſolutionē quidquam facit id, quod ex D. Hieronymo adducitur in epiſt. ad Paulinum c. 7. dùm ait: *diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeueret in cœlis*: nam omiſsis, quæ Valentia, & Salas adducunt D. Hieronym⁹ hunc habet ſenſum, vt in terris ea addiſcamus, ſcilicet per fidem, quorum claram & euidentem cognitionem in cœlis habere debemus, vt per fidem hic addiſcamus, quorum cognitione, & viſione in cœlis beabimur. ¶ Sed nec obijci poteſt, quòd dona Spiritus ſancti manent in patria; vt ex ſequenti artic. facilè intelliges.

Vnùm hoc loco aduertimus; quòd in Patria manebit Theologia ſpecie diſtincta à noſtra; illi tamen ꝓportionalis; quæ ipſa per ſcientiam inditam in ipſis principijs viſis ſine diſcurſu videbit concluſiones inde deducibiles: & per ſcientiam acquiſitā ex principijs non iam creditis, ſed viſis, alias cōcluſiones per diſcurſum deducet: hoc enim ad perfectionem naturalem illi ſtatui pertinet: vnde ſecundùm ſcientiam naturalem rerū in proprio genere poterunt beati de nouo acquirere habitus theologicos proportionales noſtræ Theologiæ. Vide de hoc *Salam in d. diſp. 6. ſect. 5. pag. 395.* 6. Erit alia Theologia ſpecie diſtincta. *Salas.*

ARTICVLVS XII.

Vtrùm in beatis dentur dona Spiritus ſancti?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

HAnc quæſtionē de Chriſtò latè explicuimus in materia de Incarnatione, quare breuiter quæ ad rem pertinent, explicabimus. Primo loco ſtatuimus, cōmunem Eccleſiæ cōſenſum admittere, ſeptē dona Spiritus ſancti ex illis verbis Iſaiæ 11. *Et requieſcet ſuper eū ſpiritus Dñi: ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus Cōſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſapiētiæ, & pietatis: & implebit eū ſpiritu timoris Dñi.* Ex quibus verbis hæc ſeptem dona colliguntur: intellectus, ſapientia, ſcientia, cōſilium, timor, pietas, & fortitudo. Quorū quatuor pertinent ad potentiam intellectiuam, ſ. intellectus, ſapientia, ſcientia, & conſilium; timor autem, pietas, & fortitudo, pertinent ad voluntatem. 7. 1. ſtatutum *Iſai. 11.*

Statuimus deinde contra Scotū, Gabrielē, Baſſoliū, & alios hęc ſeptē dona eſſe habitus realiter diſtinctos à virtutibus, quæ eſt cōmunis opinio: ita *D. Tho.* 1. 2. *q.* 68. *art.* 1. & *in* 3. *diſt.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *D. Bonau. ibid. in* 1. *p. ar.* 1. *q.* 1. *Rich. art.* 1. *q.* 1. & 3. *Henr. quodl.* 4. *q.* 33. *Caiet.* *Cōrad.* & *Medina* 1. 2. *q.* 68. *art.* 1, *Medina iterum* 3. *p. q.* 7. *art.* 5. & *Suarius ibidem diſp.* 20. *in princ.* & hanc eſſe longè probabiliorem ſententiā exiſti- 8. 2. ſtatutum *D. Thom. D. Bonau. Richard. Henricus. Medina. Suarius.*

Durand. exiſtimat *Durandus in 3. diſt. 34. q. 1*, denique inter recentiores eſt receptiſsima.

3. 3. ſtatuitur. Statuimus tertio loco cum D. Thoma, Medina, & communi, dona iſta Spiritus ſancti dari, vt homo aptus ſit moueri à Spiritu ſancto ſpeciali quadam motione, & impulſu: vnde homo per illa diſponitur, vt rectè, & promptè Deo obediat, dùm ſpeciali quadam, & extraordinaria motione ab illo mouetur. Et ob hāc rationem dicuntur dona, nō ſolùm, quòd gratis ſint data (hoc enim cōmune eſt gratię, & virtutibus infuſis) ſed quia ſunt dona, quibus Deus per modū cuiuſdam ſpiritus vehementis, ac veluti aeris cōcitati ſpeciali quadā motione hominē rapit ad aliquid agendum: vide *Medinam 3. p. q. 7. art. 5.*

4. Aduertēd. Tandem aduertimus, in hoc articulo ſolùm agendū eſſe de quatuor donis Spiritus ſancti ad intellectum pertinentibus ſ. de intellectu, ſapientia, ſcientia, & conſilio: nam alia tria dona ad voluntatem ſpectant, vnde de illis dicemus, dùm perfectiones voluntatis inferiùs explicabimus.

§. 2.

Affirmatiua eſt probanda.

5. Eligitur affirmatiua. Omnes conueniunt in beatis dari dona Spiritus ſancti ad intellectū pertinentia quoad habitum: vtrū verò omnia maneant in illis quoad actū? Durand. vnus Durandus fecit dubium: licet enim *in 3. diſt. 34. q. 3.* admittat in beatis manere actus intellectus, ſapientiæ, & ſcientię, id tamen negat de dono conſilij. Sed in hoc communi conſenſu à cæteris reijci-Concluſio. tur: vnde hanc ſtatuimus concluſionem: *In beatis manent quatuor dona Spiritus ſancti ad intellectum pertinentia, tàm quoad habitum, quàm quoad actum: licet non quoad omnes actus, quos in via habebant.* Hanc cōcluſionem probauit *Magiſter in 3. diſt. 24.* D. Thom. Medina. *vbi cæteri omnes: D. Thomas 1. 2. q. 68. art. 6. & ibidem omnes interpretes cum Medina concl. 4. idem D. Thomas 2. 2. q. 8. art. 7. &* Suarius. Salas. Valentia. *3. p. q. 7. art. 5. & in 3. diſtin. 34. q. 1. art. 3. Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 20. ſect. 1. & 2. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 2. n. 5. & 6. pag. 389. col. 2. Valentia 2. tom. diſp. 5. q. 8. puncto 4. pag. 508.*

6. 1. confirm. D. Ambr. Probatur hæc receptiſsima reſolutio expreſſa authoritate ſancti Ambroſij *lib. 1. de Spiritu ſancto c. 20.* quem Valentia adducit: explicans enim illud Pſalmi 45, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, hæc ſcribit: *Nec enim ciuitas illa Ieruſalem meatu alicuius fluuij terreſtris abluitur; ſed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus ſanctus, cuius nos breui ſatiamur hauſtu, redundantius in illis cæleſtibus ſpiritibus videtur affluere pleno ſeptem virtutum ſpiritualium feruens meatu.*

Deinde confirmatur; quoniam in Chriſto Domino tàm in via, quàm in Patria fuerunt iſta dona, vt docet fides; & communis Patrum doctrina ex verbis Iſaiæ 11. ſuprà allatis: quæ de Chriſto ad literā intelligi, eſt communis omnium explicatio, vt oſtendimus in materia de Incarnatione: plures ex Patribus vide apud Salam vbi ſuprà. Ergo & in beatis erunt eadem dona: vna enim eſt ratio de Chriſto, & de beatis. 7. 2. confirm.

Accedit tertio: quia hæc dona dicunt perfectionem abſque vlla imperfectione. Cur igitur non dabuntur beatis? 8. 3. confirm.

Confirmatur ex *D. Thoma in d. q. 68. art. 4*: quoniam hæc dona conceduntur hominibus in via, vt promptè ſequantur inſtinctum Spiritus ſancti: eadem igitur ratione dabuntur beatis: etenim beatus in patria eſt veritatū penetratiuus, quod pertinet ad intellectum: habet etiam iudicium veritatum; tùm per cauſas altiſsimas, quod pertinet ad ſapientiam, tùm per cauſas creatas, & proprias, quod ad ſcientiam ſpectat: & præterea applicatur ad opera, quod eſt propriùm conſilij: vide *D. Thomam 2. 2. q. 8. art. 6.* 9. 4. confirm. D. Thom.

Illud eſt aduertendū, beatos in patria non habere omnem materiam, circa quā operentur, quam in via habuerunt, vt aduertit *D. Thom. in d. q. 68. ar. 6. ad fin. corp.* Illud etiam aduerto, non eſſe dicendum, beatos in patria ad omnia, quæ operātur, moueri à Deo per aliquod donum, quod de Chriſto làtiùs diximus in materia de Incarnatione: ſatis ad hoc ſit, quia nihil cogit, vt ad omnia, quæ acturi ſunt, attendant ad regulas ſupernaturales; ſed poſſunt etiam attendere ad regulas humanas per virtutes, quas habent. 10. Aduertend.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

Contra ea, quæ diximus, nonnulla obijciuntur. Primò obijcitur; quoniam hæc dona Spiritus ſancti ideò dantur 11. 1. arg. in oppoſitum.

dantur hominibus in via, vt eorum virtutes theologicæ confirmentur, & ſtabiliātur, vt eſt communis doctrina ſumpta ex D. Thoma in d. q. 68. ar. 2. cōcl. 3. ſi enim homines eas ita perfectas haberēt, vt poſſent per eas promptè, & perfectè operari, non indigerent huiuſmodi donis; ſed beati, quas virtutes theologicas poſsident in cœlo, eas poſsident modo præſtantiſſimo, ergo non indigent donis Spiritus ſancti.

12. Secundum. Secundò; dona Spiritus Sancti ſupponunt in ſubiecto tres virtutes theologales, tanquam radices earum ex D. Thom. in d. q. 68. ar. 4. ad 3. Sed in beatis nō ſunt omnes iſtæ tres virtutes; quia in illis non ſunt fides, & ſpes. Ergo nec in illis erunt dona Spiritus ſancti.

13. Tertium. Tertiò; hæc dona ſunt hominibus neceſſaria propter vitanda certa quædam vitia: ſapientia enim datur propter ſtultitiam: intellectus contra hebetudinem: conſilium contra præcipitationem: ſcientia contra ignorantiam, vt docet D. Gregorius 2. Moral. c. 26. & D. Thomas in d. q. 68. art. 2. ad 3. vbi docet, ideò hæc dona concedi; quia ratio perfecta virtutibus ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus nō poteſt explicata vitia ſuperare. Sed illa vitia non ſunt in beatis, vt patet; ergo illa dona non erunt in illis.

14. Quartum. Quartò; Homo actus iſtorum donorū potiùs operatur motus à Spiritu ſancto, quàm à ſe: imò neſcit quomodo, aut qua ratione moueatur: qui mouendi modus dicit imperfectionem ex parte moti, quę in beatis non eſt admittenda: iſti enim optimè ſciunt, qua ratione, & propter quid à Deo moueantur. Ergo in illis non erunt talia dona.

15. Quintum. Quintò; dona intellectus ſapientiæ, & ſcientiæ dantur ad iuuandam fidem ex D. Thoma in d. q. 68. art. 4: etenim, vt ait D. Gregor. 2. Moral. c. 32. & 36. donum intellectus audita penetrat; fides autē eſt ex auditu: ſapientia autem de æternorū ſpe, & certitudine reficit mentem; ſpes autem fidem ſupponit: ſcientia verò ignorantiæ ieiunium ſuperat: ignorantia inquam eorum, quę per fidem habemus. At in beatis non eſt fides.

16. Sextum. Sextò; quoniam beati per ſcientiam beatam, & infuſam omnia perfectiſsimè cognoſcunt. Nō igitur indigēt his donis.

17. Septimum. Poſtremò; quod in beatis non ſit donū Conſilij ex mente Durandi probatur; tū quia donum conſilij prohibet eſſe pręcipitem ex D. Gregorio vbi ſuprà: in beatis autem non datur præcipitatio. Tùm ſecundò; quia conſilium non eſt de agibilibus, niſi quando ineſt aliqua dubitatio in agendo. In beatis autem nec datur vita actiua, nec dubitatio de agibilibus.

18. Ad 1. Ad primum dicendum eſt ex mente D. Thomæ, quòd dona Spiritus Sancti pōſſunt conſiderari, vel quoad ea, quæ ad eorum eſſentiam pertinent; vel quoad ea, quæ non pertinent ad eſſentiam, ſed illis coniunguntur ratione viæ. Secūdum ea, quæ pertinent ad eſſentiam, permanent in patria: cùm per ſe dentur, vt mentem humanam perficiant ad ſequendam motionem Spiritus ſancti: hæc autem motio principalius cōtingat in patria; cum in ea Deus omnia ſit in omnibus ex *Paulo* 1. *Corint.* 15. & beati in omnibus ſint Deo ſubditi; vtique in patria manebūt, ex D. Thoma vbi ſuprà: non manebunt tamen quoad omnia, quæ in via operabantur: in via autem confirmant, & ſtabiliunt virtutes theologicas: at tamen non ob hunc ſolum finem largiuntur. 1. *Cor.* 15.

19. Ad 2. 3. 4. & 5. Ad ſecundum reſpōdetur, D. Thomā loqui de donis Spiritus ſancti ſecundum ſtatum præſentis vitæ: ſimili modo dicēdum eſt ad 3. 4. & 5. vt patet ex D. Thoma in d. art. 6. ad 2. vbi hanc ſolutionem deducit ex verbis eiuſdem D. Gregorij, qui ita ſingulis donis tribuit aliquid præſentis ſtatus, vt iiſdem etiam tribuat aliquid, quod permanet in Patria.

20. Ad 6. Ad 6. dicendum eſt ex mente eiuſdem D. Thomæ, hæc dona non permanere in patria propter cognitionem, ſed propter motionem, vt. ſ. perfectiſsimo modo ſubijciantur, Deo mouenti.

21. Ad 7. Ad 7. quod attinet ad donū intellectus, argumentū pcedit de his, quæ pertinent ad materiā præſentis vitę: quod nō tollit, quominus quoad alia maneat in patria. Quod verò attinet ad donū conſilij reſpōdet *D. Tho.* 2. 2. *q.* 52. *ar.* 3. *ad* 2. quòd dubitatio pertinet ad conſiliū ſecundū ſtatū præſentis vitæ: vnde ex eodē in corpore mens viatoris mouetur à Deo in agendis per hoc, quòd ſedatur anxietas dubitationis in eis præcedēs; & inde eſt, vt dubitatio ſimpliciter nō pertineat ad Cōſiliū; & D. Thom.

pinde dari poteſt in patria ſine dubitatione ex eodẽ D. Thoma: ſatis enim eſt, vt in beatis præcedat ſimplex neſcientia circa agenda: & ideò Deum conſulunt conuertendo ſe ad eum, vt inſtruantur, vt ex *Auguſtino lib. 5. de Ciuitate Dei c. 19. poſt principium docet D. Thomas in d. q. 52. art. 3. ad finem corporis.* Vnde negandum eſt, non dari in beatis vitam actiuam circa agenda, etiam externa, vt ex D. Thoma colliges, & ex Auguſtino: nam Angeli conſulunt Deum circa illuminationes inferiorum, & circa ea, quæ pertinent ad eos, quorum curam gerunt. Beati etiam Deum conſulunt circa eos, qui ad illos orationes fundunt: etenim nec omnis vita actiua dicit imperfectionem. *Auguſt. D. Thom.*

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm in beatis ſint gratiæ gratis datæ?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. 1. notandũ. PRo explicatione præmittendũ eſt, gratiam acceptam pro dono ſupernaturali gratis dato communiter diuidi in gratiam gratum facientem, & in gratiam gratis datam ex *D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 1.* in qua diuiſione, vt ſit adæquata, nomine gratiæ gratum facientis intelligenda ſunt omnia illa dona ſupernaturalia, quę alicui infundũtur principaliter in propriam vtilitatem ipſius recipiẽtis, quæcunque illa ſint: nomine autem gratiæ gratis datæ intelligenda ſunt dona alicui data, vt ille per ea proximorum ſaluti cooperetur; quæ eſt communis explicatio ex *D. Thoma in d. q. 111. art. 1. & 3. p. q. 7. ar. 7.* iuxta illud Pauli 1. Corin. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*; Eccleſiæ. ſ. & aliorum; quæ eſt cõmunis Patrum, & interpretũ explicatio. *D. Thom. 1. Cor. 12.*

2. 2. notandũ. Præmittendum ſecundò; Paulum in d. c. 12. gratias gratis datas numero nouenо explicaſſe: *nempe ſermonẽ ſapientiæ: ſermonem ſcientiæ: fidem, gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, diſcretionem ſpirituum, genera linguarum, & interpretationem ſermonum.* Singularum harũ gratiarum explicationem vide apud *D. Thomam in d. q. 111. art. 4.* *D. Thom.*

§. 2.

Vtrùm in beatis ſit prophetia?

QVæſtionis explicationem incipiemus à prophetia, quæ inter gratias gratis datas enumeratur. Rationem dubitandi facit: quoniam cõmunis Theologorum ſententia docet, Chriſtum D. verè fuiſſe prophetam; ita *D. Thomas 3. p. q. 7. art. 8. & q. 31. art. 2. & 2. 2. q. 174. ar. 5. & paſſim alibi, Caietanus 3. p. in d. q. 7. ar. 8. vbi etiam Medina, Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 21. ſect. 1. Didacus de Tappia de Incarnatione q. 8. art. 8. Henric. lib. 4. ſuæ ſummæ c. 35. §. 4. & Salas 1. tom. ad 1. 2. tract. 2. diſp. 6. ſect. 3. pag. 390. col. 2. in fine.* Cur igitur prophetia non erit in beatis? 3. Quod ſit in illis? *D. Thom. Caiet. Medina. Suarius. Tappia. Salas.*

Dicendũ tamen eſt in beatis non dari cognitionem propheticam: quæ eſt ſententia *D. Thomæ in d. q. 174. art. 5. in corp. & ad 2. vbi illius interpretes, eandem ſentẽtiam explicuit ibidem q. 173. art. 1. & 3. p. q. 7. art. 8. & ſatis explicauit in epiſt. Pauli 1. Corint. 13. lect. 3. ad illa verba: ſiue prophetiæ euacuabuntur,* vbi interpretes communiter hanc probant ſententiam, & latè Salas vbi ſuprà. 4. Opinio vera. *D. Thom.*

Quæ reſolutio à nonnullis ex eo probatur; quoniam de ratione luminis prophetici eſt, quod ſit obſcurum, & ineuidens: quæ fuit opinio Cani lib. 12. de locis Theologicis cap. 2. concl. 2. At tamen medium non videtur ſatis efficax; quia pleriq; negant de ratione prophetię eſſe, quòd ſit cognitio ęnigmatica, & obſcura: id enim expreſſè negat D. Thomas 3. p. q. 7. art. 8. ad 1. & ſatis id declarat 2. 2. q. 171. art. 1. ad 4. dum ait, per prophetiam tolli obſcuritatis, & ignorantiæ velamen, & art. 3. ad 2. prophetiam in hoc diſtinguit à fide, quod fides non dat euidentiã, ſed ſolùm certitudinem; cum tamen prophetia & certitudinem det, & euidentiã. Et inde eſt, vt quidam doceant, poſſe dari prophetiam cum euidentia, & ſine euidẽtia: alij verò velint, omnem prophetiam habere euidentem cognitionẽ, inter quos eſt Salas vbi ſuprà: & hanc ſentẽtiam admittit Caietanus 2. 2. q. 171. art. 3. & 5. ſi ſermo ſit de euidentia in atteſtante. Quare cum res ſit dubia, medium aſſumptum non eſt ſatis efficax. 5. 1. probatio. Non placet.

Quare huius opinionis confirmationẽ ex eo ſumit *D. Thomas in d. q. 174. art. 5.* quia prophetia importat viſionem quandam alicuius ſupernaturalis veritatis, quę procul exiſtat, tùm ab ipſa cognitione, tùm 6. Probatio ex D. Tho.

tùm ab ipſo cognoſcente. Illa veritas eſt procul ab ipſa cognitione prophetica, quę non cognoſcitur in ſe ipſa, ſed per figuras rerum corporalium; vel per intelligibiles effectus. Ab ipſo autem cognoſcente ſupernaturalis veritas tunc eſt procul, cum cognoſcens adhuc eſt in ſtatu viatoris, & non comprehenſoris ipſius propheticæ veritatis. Iam verò beati, nec procul ſunt à ſtatu comprehẽſoris, vt patet; nec procul ſunt ab ipſa veritate, quæ prædicatur, cum eam in ſe ipſa cognoſcant. Hæc eſt ratio, qua *D. Thomas in dicta q. 174. art. 5.* communem iſtam ſententiam confirmat.

D. Thom.

7. Alia confirmatio ex Paulo 1. Corint. 13.

Cui etiam accedit; quod ex Paulo 1. Corint. 13. cum venerit, quod perfectũ eſt, *Prophetiæ euacuabuntur*; non ſolùm ex eo, quia beati iam non ſunt procul ab ijs veritatibus, quæ p prophetiam prædicũtur; ſed quia in Patria omnino ceſſat finis prophetiæ; quæ datur in vtilitatẽ aliorũ, quæ vtilitas ceſſat in Patria, quia omnes Deum vident: quæ eſt ratio Caietani in præcitato loco Pauli. Quare in beatis erit perfectio prophetiæ; quia in illis plures fient reuelationes, etiam futurorum: at tamen in illis non dabitur ratio prophetię, vt colliges ex *D. Thoma in dicta q. 174. art. 5. ad ſecundum, & tertium.* Nec ratio dubitandi initio adducta aliquid vrget: quoniam Chriſtus apud nos verè fuit viator; & ideo ex parte ſua adhuc erat procul à veritatibus, quas prædicebat.

D. Thom.

§. 3.

Quid de alijs gratijs?

8 Non datur aliæ gratiæ

DE alijs gratijs, quæ dicuntur gratis datæ, nihil agimus; quoniam oportebat diligentiùs explicare ſingulas illarum rationes; quod non eſt huius loci. Hoc ſolùm dicimus, perfectionem ſingularum in beatis eſſe; non habere tamen in illis rationem gratiæ gratis datæ; cum illis non dentur in vtilitatẽ, & ædificationem Eccleſię: imò nec dentur, vt illis in Patria erga cæteros beatos vtãtur.

ARTICVLVS. XIIII. & Vltimus,

Vtrùm in Patria in beatis ſit locutio intellectus?

AGimus hoc loco de locutione intellectuali; quoniam de locutione vocali in hominibus beatis poſt reſurrectionem, dicemus in 3. tom. de beatitudine corporis. Pars affirmatiua apud omnes eſt indubitata: etenim imperfecta eſſet beatorũ reſpublica, & politia, ſi beati non poſſent ſuos conceptus, & internas cogitationes inter ſe per mutuam locutionem communicare. Hæc autem reſolutio non ſolùm vera eſt, ſi ſingulorum beatorum mẽtis cogitationes alijs beatis ſint occultæ, vt nonnulli putant; ſed etiam ſi alijs ſint manifeſtæ, quod verius eſt: etenim de ratione locutionis non eſt, quòd mentis cogitationes ſint occultæ ijs, quibus cum loquimur: nos enim, & Angeli verè loquimur Deo, quem nullæ latent cogitationes: vnde ad perfectionem creaturarum intellectualium pertinet, quod poſſint ſe ſe ad inuicem amicabiliter communicare, etiam in ijs, quę omnibus ſunt nota: poterunt enim interſe conferre, vt de agendis conſilientur. Non eſt igitur negandum dari inter beatos, tàm Angelos, quàm homines mutuam collocutionem, cum id pertineat ad perfectionem politiæ veſpertinæ. Vnde iſta perfectio fuit inter Angelos in via: nam in prælio inter bonos, & malos inito rationibus inter ſe contendebant: animæ etiam ſeparatæ hanc mutuam collocutionem habuerunt in Lymbo Patrum: & eandem habẽt animę in Purgatorio, & pueri in Limbo; imò etiam damnati in Inferno, vt patet ex colloquio diuitis cũ Habrahamo, de quo Lucæ 16. 1. Datur locutio in beatis

Hęc igitur ſit indubitata concluſio: *In beatis, tam Angelis, quàm hominibus in politia veſpertina datur locutio*: quod ſatis colligitur ex pluribus locis Apocalypſis, in quibus, & Angeli cum alijs loquuntur, & animæ cum illis, & inter ſe. Nec ſolũ datur iſta locutio in politia veſpertina, ſed etiam in matutina, in qua beati ſe ſe communicant, vt colliges ex his, quæ dixim⁹ in pręcedente quæſtione. Id autem non ſolùm verum eſt in animabus beatis ante reſurrectionem, ſed etiam poſt eam: tunc enim duplicem habebunt locutionem; vocalem, ſcilicet, & intellectualem; & vtraque poſſunt ſe ſe communicare, vt in tertio tomo dicemus. Loquentur autem, & ſibi, & Deo, & alijs, tam hominibus, quàm 2. Concluſio.

Angelis: quod tanquam notiſsimũ ſupponimus.

3. In quo ſit difficultas. Solum eſt difficultas: quomodo fiat hæc intellectualis locutio? Vtrũ in quacumque diſtantia vnus alijs loqui poſsit? Vtrùm poſsit vni loqui alijs non audientibus? Denique vtrum beati cognoſcant, qui nam ſibi loquantur? Sed de his latius diximus in materia de Angelis in diſput. de illorum locutione. Ex ijs, quę ibi diximus, facilè reſolues omnes iſtas difficultates: cogimur enim breuiati ſtudere, ne magnitudo huius tomi plus debito ex creſcat.

QVÆSTIO NONA.

De cognitione imperfecta in ordine ad intellectũ beati.

Præfatio ad Quæſtionem.

1. 1. Præmiſſ. CVm verum ſit obiectum intellectus; tunc intellectus erit rectus, cum circa veritatem verſatur, quæ errori, & falſitati opponitur. Pro explicatione totius quæſtionis pręmittẽdum eſt primo; nullũ intellectum creatũ ſic poſse illuſtrari, vt omni careat ignorãtia: quoniam nullus ita eleuari poteſt, vt poſsit habere notitiam, aut actualem, aut habitualem omnium rerum, etiã poſſibilium, ſiquidem nullus ita illuſtrari valet, vt Deum comprehendat; quod ſupponimus vſque ad librum ſequentem. Quare ignorantia puræ negationis, quæ dici ſolet ſimplex ignorantia, neceſſariò comitatur omnem intellectum creatum in quocunque ſtatũ etiam beatifico: cum enim omnis ſit finitus in eſſendo, omnis etiam erit finitus in cognoſcendo: nam ſolus Deus eſt, qui nihil ignorat propter infinitam ſuam, & in eſſendo, & in cognoſcendo perfectionem.

2. 2. Præmiſſ. Triplex defectus intellectus creati. Præmittendum eſt ſecundo, in intellectu creato triplicem poſſe reperiri defectum ab eo ſeparabilem: defectum, ſcilcet ignorãtiæ prauæ diſpoſitionis, quem appellamus errorem: defectum imperfectæ cognitionis, quem formidinem vocamus, cui propter ſui imperfectionẽ poteſt ſubeſſe falſum, ob quam rationẽ aliquo modo contrariatur ſcientiæ: defectum denique inconſiderationis; & inaduertentiæ: etenim intellectus creatus, ideo, quia imperfectus, non ſemper aduertit ad ea, quę aut ad intelligendũ, aut ad agendum ſunt neceſſaria. Ab hoc triplici defectu poteſt intellectus creatus diuinitus liberari, idq; vel dono aliquo ſuperaddito; vel diuina aſsiſtentia, vel vtroq; modo: id enim nihil implicat.

Præmittẽdum eſt tertio; cùm duplex detur cognitio; vna ſimplex, alia compoſita; & hæc vel ſit apprehenſiua, vel iudicatiua, duplicem etiam dari veritatem, aut falſitatem in noſtro intellectu: vnam propriè ſumptam, quæ ſolùm cernitur in cõpoſitione, aut diuiſione, ſiue illa ſit apprehenſiua tantum, ſiue etiam iudicatiua. Alteram impropriè, vt multi volunt, qualis datur in ſimplici cognitione. De vtraque veritate, & falſitate in hac quæſtione agemus. 3. 3. Præmiſſ.

His præmiſsis, pro explicanda propoſita quęſtione ſequentes excitabimus articulos. Primus eſt; vtrùm beatitudo Patriæ excludat ignorantiam puræ negationis? Secũdus; An de facto excludat omnẽ intellectus defectum, qui ex ſe ſit vitium aliquod, & malũ ipſius intellectus? Tertius; Vtrùm in cognitione cõplexa beati dari poſsit aliqua falſitas? Quartus; An falſitas dari poſsit in ſimplici cognitione illius? Quintus; An in intellectu beati dari poſsit inconſideratio, & inaduertentia in conſiderando? Sextus; An poſsit in eo dari actus opinatiuus? Septimus, An omnis notitia beati ſemper ſit vera, certa, & euidens? Octauus, Vtrùm rectitudo intellectus inſit beatis ab intrinſeco? Nonus, & vltimus; An de potentia abſoluta poſsit dari error in intellectu beati? 4.

ARTICVLVS I.

Vtrùm beatitudo Patriæ excludat ignorantiam puræ negationis?

IN hoc articulo hæc concluſio eſt indubitata: *Beatitudo Patriæ non excludit ignorantiam puræ negationis.* Hæc concluſio ſine controuerſia eſt receptiſsima, D. Thomas 1. p. q. 58. ar. 5. *in terminis ponitur à Sala 1. tom. ad primam ſecundæ, q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 10. num. 36. pag.* 400 Facilè pro- 1. Concluſio.

probatur ex ijs, quę in præfatione huius quæſtionis primo loco præmiſimus: etenim omnia ſcire, & nihil ignorare eſt ſolius Dei; nec id poteſt alicui creaturę, etiã diuina potentia, concedi, vt ſupponimus D.Thom. cum *D.Thoma 1.p.q.12.ar.7.& cum Theologis in 4.diſt.49.* & id eſſe de fide oſtendemus in ſequenti libro in diſp. de Comprehenſione Dei, interim vide *Suarium 1.to. ad 3.p.diſp.26.ſe.1.* Suarius. Vnde nec animæ Chriſti fuit id conceſſum ex *D.Thoma 3.p.q.10.art.11.* plura enim ignorauit eorũ, quę ſolus Deus cognoſcit. Eandem ignorantiam puræ negationis habent Angeli beati: etenim; & inferiores à ſuperioribus, & ſuperiores à Deo de pluribus illuminantur; vt ex Dionyſio eſt communis Theologorum doctrina. Addimus, quod beati ita ſe habent, vt vnus plura in Deo videat, quàm alius, & idem dicendum eſt de his, quæ extra Verbum per ſcientiam cognoſcunt; quamuis per ſcientiam naturalẽ omnes ſint æquales, vt in præcedente q. 8. oſtendimus. Denique omnes admittũt, plures nouas reuelationes fieri beatis. Cõſtat igitur beatos, plurimarum rerum habere ignorantiam ſimplicem, quę dici ſolet purę negationis: nec enim, aut actu, aut habitu omnia cognoſcunt. Hæc autẽ ignorantia licet arguat imperfectionem, limitationis naturæ: nullum tamen inducit vitium, aut malum eidem naturæ ſuperadditum; etenim ignorantia tunc eſt defectus vitioſus, & malum naturę, quando eſt carentia ſciẽtię eius, quod aut naturaliter, aut moraliter debitum eſt ſciri.

ARTICVLVS II.

An beatitudo de facto excludat omnem defectum intellectus vitioſum?

1. Conclusio. IN hoc etiam articulo indubitata eſt ſequens concluſio: *Beatitudo Patriæ ſeruata lege ordinaria, excludit ab intellectu beati omnem defectum, qui ex ſe dicit vitium malumue ipſius intellectus.* Hanc concluſionem ſub his terminis à nullo poni, olim Sala. aſſerui: ſed poſtea vnus Salas *eam ſcripſit 1.tom. ad primam 2.q.3.tract.2.diſp.6.ſect.10.nu.39.pag.401.col.1.* quo in loco ſcribit, contra eam docuiſſe Holcoth in ſuis determinabilibus q.9. artic.2. litera M. *§. Primam concluſionem perſuadeo:* ſed ille non loquitur de potentia ordinaria. Sed quidquid de hoc ſit concluſio eſt omniũ conſenſu receptiſſima, & in terminis ponitur à Sala vbi ſuprà: ſatis eſt de mente D.Thomæ Opuſculo 71. *in principio. dum aſſerit omnes beatos Deum cognoſcere plena luce, quæ nihil erroneum patitur.* D.Thom. Satis confirmatur authoritate Auguſtini 12. de Geneſi ad literam cap. 26. vbi ait: *Quòd in ſtatu beatitudinis omnia erunt euidentia, ſine vlla falſitate, ſine vlla ignorantia.* August. In Enchiridione cap. 25. ita ait: *Nullo modo falleremur in aliquo, vel animi, vel corporis ſenſu, ſi iam pura illa, atque perfecta felicitate frueremur.* Lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. affirmat, *Bonos Angelos nunquam falli.* Vide eum de diligendo Deo cap. 18. ad finẽ, ex quo loco Proſper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 4. ita ait: Proſper. *In beatitudine omnia bona, quæ naturaliter accepta peccando corruperat, reparabuntur in melius; id eſt intellectus ſine errore, & cætera.*

Ratione etiam euidenter oſtenditur: 2. quoniam beatitudo Patriæ propter ſuam Confirmatur ratione. perfectionem nullum malũ admittit: *Eſt enim ſecretis omnibus malis cumulata bonorum complexio*, vt de ea docuit Cicero lib. 3. Tuſculanarum quæſtionum: cum enim peccatum inuexerit omne malum, quod patimur: beatitudo autẽ omne malum introductũ per peccatum deſtruat; *quia priora tranſierunt*, vt dicitur Apocalypſis 21; benẽ infertur, beatitudinem Patriæ nullum malum ſecũ admittere, quod per peccatum ſit introductum: iam verò ignorantia, quæ eſt defectus virtutis intellectiuæ, eſt malum peccato introductum. Nec enim eſſet in homine, ſi in eo peccatum non eſſet, vt docet Auguſtinus 3. de libero arbitrio cap. 18. & Theologi cum *D.Thoma* 1. p. q. 99. & de veritate q. 18. art. 6.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in beatis poſsit dari falſitas in cognitione complexa?

§. I.

Ponitur vera opinio.

EX præcedente articulo infertur vera huius reſolutio. 1. Conclusio. Sit igitur hæc concluſio: *Beatitudo Patriæ excludit*

ab

ab intellectu beati omnem falſitatem; & reddit illum inflexibilem ad omnẽ falſam exiſti-
D. Thom. *mationem*: ita D. Thomas *prima 2. q. 5. artic.*
Caietan. *4. in prima ratione. & 3. contra gent. cap. 62.*
Cumelius. *ratio. 6.* clariùs id aſſerit *de Angelis beatis 1. p. q. 58. art. 5. ad finem, vbi Caietanus Cumelius, Bañes Molina, & alij, probant Scholaſtici in 2. diſt. 7. vbi Aegid. D. Bonauentura Richardus cum cæteris*: abſolutè noſtrã concluſionem probat *Medina 1. 2. q. 5. ar. 4. Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 5. puncto 6. Suarius. ad 3. p. 1. tom. diſp. 24. ſectio. 3. Salas 1. tom. ad primam ſecundæ, q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 10. num. 39. &* 40.

Bañes. Molina, Aegidius. D. Bonau. Richard. Medina. Valentia, Salas.

2. Probatio. Probatur; quia beatitudo Patriæ, vt diximus in præcedente articulo, cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, excludit omne malum naturæ, maximè, quod eſt per peccatum introductum: eſt enim quædam naturæ humanę reformatio, tùm in naturalibus, tùm in ſupernaturalibus. Falſitas autem eſt malum quoddam intellectus ex *Ariſtotele 5. Eticorum cap. 1. & 2. & lib. 6. cap. 2. & lib. 6. Metaph. tex. 5.* falſa enim opinio, & exiſtimatio ita ſe habet in cognoſcibilibus, ſicut ſe habet mõſtrum in naturalibus, vt ſcribit *Commentator 3. de Anima Com. 34.*: quæ Philoſophia non ſolùm vera eſt de falſitate, & errore, qui cum peccato datur; ſed etiam de illo, qui eſt ſine peccato, vt docet Auguſtinus in Enchiridione capite 21. *affirmans, errores, & falſas opiniones, licet non ſint peccata, inter mala huius vitæ cõnumerari.* Quod inde eſt, vt in ſtatu innocentiæ (qui erat ſtatus naturæ integræ) nulla, vel minima fuiſſet falſitas in intellectu, vt contra *Alenſem 2. p. q. 98. ar. vltimo (quem ſequitur Catharinus in c. 1. Geneſis)* oſtendit *D. Thomas 1. p. q. 94. ar. 4. & ibidem Caietanus, Cumelius, & Bañes idem D. Thomas de veritate q. 18. art. 6. & in 2. diſt. 23. q. 2. art. 3. vbi Aegidius q. 2. ar. 4. D. Bonauentura art. 2. q. 2. Richardus art. 2. q. 4. Durandus q. 3. cũ cæteris, Molina 1. p. de opere ſex dierum diſp. 26. ſi benè expendatur* (quamuis à nonnullis in contrariũ citetur) *Valentia 1. tom. diſp. 7. q. 1. puncto primo, Salas vbi ſuprà, & idem docuit Carthuſianus in tractatu de conſideratione Theologiæ art.* 86. nec deſunt, qui hoc priuilegium tribuant Virgini Deiparę, dum fuit in via, de quo vide Molinam vbi ſuprà. A fortiori igitur debet omnis falſitas, omniſque falſa exiſtimatio relegari à feliciſſimo ſtatu ſupremæ beatitudinis, Quod ſatis docuit *Auguſtin. lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. dum ait, bonos Angelos nunquam falli*, quod de cęteris beatis idem diceret, ſatis conuincit ratio, qua vtitur: nam lib. 12. de Geneſi ad literam cap. 26. expreſſè ait, *in ſuperna illa beatitudine omnia eſſe euidentia ſine vlla falſitate*: & in lib. de diligẽdo Deo cap. 18. & cum eo Proſper. lib. 1. de vita contemplatiua cap. 4. affirmant, *in beatitudine eſſe intellectũ ſine errore.* Quę veritas non ſolùm eſt intelligenda circa ſpeculabilia; ſed etiam circa agibilia: etenim in his omnibus falſitas, & deceptio eſt malum, ac turpe vitium in intellectu, quo omni caret ſtatus omnium perfectiſsimus.

Ariſtot. Comment. Auguſt. Alenſ. D. Thom. Caietan. Cumelius. Aegid. D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Molina. Valentia. Carthuſia. — Auguſt. Proſperi

§. 2.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

Contra hanc veriſsimam reſolutionem primò objicitur: quoniã beati plura ignorant, vt diximus in 1. art. Ergo poſſunt in multis errare; nec enim maior eſt ratio de vna, quàm de altera ignorantia. 3. 1. Argum.

Secundo; error intellectus ſæpè naſcitur ex errore in ſenſu, vt patet: ſed in ſenſibus beatorum poſt reſurrectionem poterit eſſe deceptio, ſi non ratione organi: tamen ratione medij, interualli obiecti, & ſitus, vt in nobis ſæpè contingit. Quid enim impedit? poteſt etiam Deus conſeruare in ſenſu beati ſpeciem viſibilem Petri, eo abſente, ita vt ſenſus referat Petrum, tanquam præſentem. Cur igitur intellectus beati nõ ſe conformabit cum tali ſenſitiua cognitione, quæ eſt falſa? 4 2. Argum.

Tertio; beati per coniecturas, & probabiles rationes ſæpè cognoſcunt contingẽtia, & libera: nec enim Deus aut omnia, aut ſemper illis hæc reuelat. Ergo poterunt aliquando falli, cum hæc media ſint fallibilia. 5. 3. Argum.

Poſtremò; beati in politia veſpertina credere debent alijs beatis in ijs, quæ ſibi narrant: hi enim actus homini, & Angelo ſunt connaturales, & ſubinde manebunt in Patria: etenim Angeli beati interrogabant alios de myſterio reſurrectionis illis verbis: *Quis eſt iſte, qui venit de Edon?* Ergo poſſunt habere aſſenſus opinio- 6. Vlt. argum.

opinionis, & fidei humanæ, qui ex ſe incerti ſunt, & expoſiti falſitati.

7. Ad 1. Ad primum reſpondetur, ignorantiā puræ negationis, quam in primo articulo admiſimus in beatis, non eſſe veram ignorantiam: hæc enim in rigore non ſignificat quamcunque negationem cognitionis; ſed priuationem illius, quæ ineſſe deberet: nec enim homo dicitur ignorans, quia nō habet cognitionem diuinam, aut Angelicam: nec item, quia neſcit futura cōtingētia, aut cognitiones aliorū. Quare vera ignorantia, aut eſt prauæ diſpoſitionis, aut priuationis. Cum verò beati neutram habeant, quia nihil ignorant, eorum, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, ſed vt ſupponimus, in rigore non dicuntur habere ignorantiam: vnde poſſet negari antecedens: ſed eo admiſſo in ſenſu primæ concluſionis, conſequentia nō valet: quia prior ignorantia non eſt malum naturæ, ſed naturalis imperfectio eam concomitans; poſterior verò eſt malum naturæ ſuperadditum contra perfectione illi debitam.

8. Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur minorem eſſe dubiam: etenim à quibuſdam negatur; ab alijs admittitur: quare vel neganda eſt, quia ſenſus corporis glorioſi decipi nō poterunt, vt dicemus: vel ſi admittatur, quod pleriſque placet, neganda eſt cōſequentia: quia intellectus beati corriget ſenſum, ne in deceptionē inducat, de quo in ſequenti articulo.

9. Ad 3. Ad tertium dicimus, beatos per coniecturas; & rationes probabiles, quas habēt, non facere iudicium abſolutum, quandiù de veritate diuinitus nō illuminantur, de quo plura in 6. art.

10. Ad 4. Ad quartum patebit ſolutio ex ijs, quę in eodem articulo 6. dicemus:

ARTICVLVS IIII,

An in ſimplici cognitione beati poſsit dari falſitas?

§. 1.

Vera eſt opinio negans.

1. Concluſio. HÆC etiam difficultàs hac vnica concluſione reſoluitur: *In ſimplici cognitione, & conceptu beati nulla poteſt dari falſitas, eo modo, quo in ſimplici cognitione reperire poteſt.* Pro huius concluſionis explicatione præmittendum eſt, non conuenire inter Philoſophos, an in ſimplici rei apprehenſione poſsit dari veritas? Quidam abſolutè negant; alij ſimpliciter concedunt: vtroſque citauimus *1. tom. lib. 4. q. 9. art. 3. §. 1. nu. 2.* Admiſſa priori opinione, ceſſat omnis difficultas; quia in ſimplici cognitione nulla poteſt dari veritas, nullā eſt poterit dari falſitas: admiſſa tamen opinione poſteriori, dubitari poteſt; an etiam in ea dari poſsit falſitas? Vera opinio docet per ſe, & propriè loquendo non poſſe in ea dari falſitatem, ſed aliquo modo per accidens, vt patet ex *Ariſtotele 3. de Anima cap. 6. text. 21. & 26. lib. 9. Metaphy. cap. 12. text. 22. & ex D. Thom. 1. p. q. 17. art. 2. & 3.* Quomodo autem in ea falſitas per accidens reperiatur? Non ſatis explicant huius opinionis authores Nam *Fonſec. in 4. Metap. cap. 2. q. 6. ſect. 5. ad tertium,* aſſerit falſitatē tū reperiri in ſimplici conceptu, cum in eo aliqua admiſcetur compoſitio. Quod etiā ſatis ſignificauit *D. Thomas in dicta q. 17. & 1. p. q. 58. art. 6. in principio;* & ſatis videntur oſtendere verba Ariſtotelis in d. tex. 26. dum ait: *Sed vt viſio proprij ipſius eſt vera: ſi vero album hominem eſſe dicat, aut non; non ſemper eſt vera,* Quibus verbis quandam compoſitionem ipſis ſimplicibus tribuere videtur, Hoc autem Conimbricēſes ibidem ita explicant, nōquod ſimplex intellectus nōponat, aut diuidat; ſed quod ſimplici actu accommodat id, quod ei nō in eſt: ſi ſolem ſub magnitudine bipedali concipiat; vel cibum dulcem, vt amarū: vel obiectum pręſentatum apprehendat vt Petrum; cum tamen non ſit Petrus; & pluribus alijs modis: in his enim notitijs, licet ex parte modi concipiendi (hoc eſt ex parte notitiæ concipientis) nec formalis, nec virtualis detur compoſitio, quia talis notitia componere non poteſt, tamen ex parte obiecti cogniti virtualiter datur vt optimè aduertit Caietanus *prima parte q. 58. art. 5. non longe à fine;* nec hoc longè eſt à mente D. Thomæ ibidem in principio, ſi attentius legatur. Quod tamen ita intellige, vt talis illa virtualis compoſitio non detur in obiecto ſimplicis notitiæ in ordine ad ipſam, aut in ordine ad ſimplicē potentiam; quaſi per eam compoſitio illa ſit exercenda; ſed in ordine ad ſuperiorē poten-

Ariſt. D. Thom. Fonſeca. D. Thom. Ariſt. Caietan. D. Thom.

potentiam, ad quam iudicium ſpectat. Quo fit: vt talis illa notitia catenus tantũ dicatur falſa, quatenus ſuperiorem potentiam ad iudicium falſum iudicit, & eſt illi occaſio falſitatis, vt inter alios aduertit Suarius. Conimb. *Suarius in Metaph. diſp. 9. ſect. 1. nu. 16. in fine, & Conimbr. 2. de Anima cap. 6. q. 6. art. 2. in 3. opinione.*

2. Confirmatio opinionis. Ex his iam patet confirmatio noſtræ aſſertionis: quoniam, vel nullo modo dari poteſt falſitas in ſimplici apprehenſione intellectus, vt plures præſtantiſsimi Philoſophi putant: vel eo modo, quo in illa reperiri poteſt, illa eſt malum quoddã & vitium, tùm intellectionis ipſius, tùm etiam intellectus per eam intelligentis: Ergo nõ eſt admittenda in ſimplici cognitione beati. Conſequentia ex his, quæ diximus, ſatis eſt nota: quia in beatitudine Patriæ omne malum reparatur, & excluditur, Auguſt. Proſper. *vt ex Auguſtino, & Proſpero diximus ſupra art. 2.* Antecedẽs verò inde oſtenditur: quia omnis falſitas in intelligẽdo, etiã ſi per accidens conueniat, eſt malum ipſius intellectus: etenim illa, vel oritur ex eo, quòd intellectus nõ poteſt res apprehendere, vt ſunt in ſe ipſis: vel ex eo, quod non poteſt errorem ſenſus corrigere: vtrumque autem eſt quoddam intellectus malum: etenim malum eſt, intellectum poſſe non ſe conformare in apprehendendo ipſi rei, vt eſt in ſe ipſa, ſed eam aliter apprehendere, ac ipſa eſt in ſe: ſicut etiam malum eſt intellectum non poſſe corrigere id, quod ſibi eſt occaſio errandi. Quare falſitas etiam in ſimpli apprehenſione ſemper eſt quoddam malum ipſiuis intellectus: quod fuit antecedens.

§. 2.

An poſt reſurrectionem in ſenſibus beati poſſit dari error, & deceptio.

3. In ſenſibus datur falſitas. HAec queſtio ad beatitudinem corporis potius ſpectat: verum; quia error ſenſus interdum eſt occaſio erroris in intellectu; aliquo modo adhuc etiam locum pertinet. In qua quæſtione ſupponimus noſtris ſenſibus poſſe dari errorẽ, quæ eſt Peripatetica doctrina multis confirmata experientijs, Conimb. *De quo lege Conimbricenſes. 2. de Anima cap. 6. q. 6.* & nos in eodem loco id etiam oſtendimus. Merito igitur inquirimus; vtrum in ſenſibus corporis glorioſi poſſit dari falſitas?

4. Pars affirmans. Partem affirmantem ita poſſumus cõfirmare: quoniam beatitudo corporis nõ tollit, quominus obiectum ſenſibile immutet ſenſum modo ſibi proportionate; ita vt ſenſus illud apprehenda, iuxta qua- 1. Ratio. litatem ſpeciei ab eo receptæ. Iam verò ratione medij, & ob interiectos vapores ſpecies ſolis ſolem ipſum matutinum repræſentat rubeum: & ſpecies turris quadratæ ratione interualli diſtantis non repræſentat angulorum prominnentiam. Ergo ſenſus corporis glorificati ſolẽ matutinum non poterit non videre rubeũ: vel terrim quadratam non poterit non apprehendere rotũdam: nec denique poterit non apprehendere iridem ſub coloribus apparentibus, qui ex ſolo lumine ſecundum diuerſum illius aſpectum nubibus offunduntur.

5. 4. Ratio. Quod rurſus confirmari poteſt; quia error iſte in ſenſibus propriè, & in rigure loquendo non eſt vera deceptio, nec vera falſitas: ob quam rationem plerique illũ admittunt in Chriſto Domino, dum fuit in via; & in beata Virgine; atque etiam in Adamo in ſtatu innocentiæ, ſicut refert *Suarius in Metaphyſ. diſp. 9. ſect. 1. num. 19. in fine;* Suarius. & hanc opinionem, tanquam probabilem ſupponit *1. tom. ad tertiam partem diſp. 24. ſect. 3. ad ſecundam confirmationem* vbi in beatis hanc affirmantem ſententiã putat eſſe probabilem.

6. Pars negatiua verior. Sed his non obſtantibus negatiua ſententia verior videtur; & eandem tanquã veriorem videtur approbare idem *Suar. in 3. p. loco citato.* Fundamentum eſt, quia ipſa ſenſuum glorificatio ita ſenſus ipſos confortat, & perficit, vt ſemper res videant, prout verè ſunt in ſe ipſis; ſiue prope ſint, ſiue diſtantes, ſiue applicentur hoc modo, ſiue illo. Et ob hanc rationẽ plerique, & cum illis Suarius, hanc deceptionem negant ſenſibus Chriſti viatoris: immutatio enim obiecti, quantum eſt ex ſe eodem modo ſemper immutat ſenſum, & per ſpeciem æquè repræſentantem totum obiectum: quamuis ſenſus ipſe propter ſui imperfectionem totam ſpeciei repræſentationem nõ percipiat; ſed de hoc latius alibi diximus. Non puto tamen hominibus in ſtatu innocentię, ſi ille permãſiſſet, hanc ſenſuum deceptionem denegandam fore: quoniam perfectio ſtatus inno-

innocentiæ non adeo perfectè cõfortabat ſenſus;quãuis faciebat,vt illa deceptio per intellectum corrigeretur,ne errorem induceret:nec puto impoſsibile,imò maximè probabile,eandem Chriſto Viatori concedere; quoniam quoad corpus ſimilis erat nobis, nec habebat gloriæ perfectiones.

ARTICVLVS V.

An in intellectu beati dari poſsit incõſideratio,& inaduertentia conſiderationis?

1. Concluſio. STatuenda eſt concluſio indubitata: *Beatitudo Patriæ excludit ab intellectu beati omnem inconſiderationem, & inaduertentiam in deliberatione, ſeu concluſione de rebus agendis; vnde beatus in ſuis electionibus decipi non poteſt.* Cõcluſio iſta eſt omnium cõſenſu receptiſsima; & neceſſariò demonſtratur ex ijs, quæ in præcedentibus articulis diximus de perfectione ſtatus beatifici;in quo ſecretis omnibꝰ modis,datur omniũ bonorum,& perfectionũ abundantia.vt ait Cicero relatus ſupra ar. 2. Iam verò incõſideratio,& inaduertentia ad circunſtantias neceſſarias eſt quædam intellectus inordinatio, quæ eſt
D.Thom. peccatũ imprudentiæ;vt patet ex *D. Thoma* 1.2.q.53.*art*.2. Erit igitur omnino remouenda à beatiſsimo illo, ac perfectiſsimo ſtatu,in quo virtus prudentiæ in vltima,ac conſũmata perfectione reperitur. Et in re indubitata hęc dixiſſe ſufficiat,

ARTICVLVS VI.

An in intellectu beati dari poſsit actus opinatiuus?

1. Concluſio. IN hac quæſtione, nec controuerſiam video,nec difficultatem: omnes enim in hac concluſione conueniunt: *Beatitudo Patriæ excludit ab intellectu beati omnem actũ opinatiuũ: Ita Medina* 1. 2. q. 5. *art*.4.*ad finẽ:Valentia* 2.*to.diſp*.1.q.5.*pũcto*.6.*in fine,Cumel*.1.*p.q*.58.*artic*.5.*in* 2. *concl. & clariùs ibidem in* 3. *Corol. Suarius* 3.*p*.1.*tom.diſp*.23.*ſect*.3.§.*Dico ſecũdo,* & §. *Ad confirmationem,Salas* 1.*tom.ad* 1. 2. *q*.3.*tract*.2.*diſp*.6.*ſect*.10.*nume*.40. & 41. *pag*.401.*col*.2.& eſt cõmuniſsima ſententia inter recẽtiores; & ſatis eſt de mente antiquorũ, dũ aſſerunt, beatos Angelos, quãdiu certi nõ ſunt,nullũ ferre abſolutũ iudiciũ dẽ rebus,ſed illud ſuſpendere,donec certi fiant;& ideo ante certitudinẽ cõcluſionis ſolũ iudicant de maiori, vel minori probabilitate rationũ, vt colliges ex *D.Tho. in d.q.*58.*ar*.5.*ad finẽ corp. & in* 2. *diſt*.11 *in* 2.*p.q*.1.*ar*.5.*ad* 4.& quod dicũt de Angelis beatis,etiã dicerent de beatis hominibus:beatus enim,quando videt aliquid abſolutè nõ eſſe euidẽs,ſolũ iudicat, illud euidenter eſſe probabile, & ideo aſſenſum ſuſpendit;quia optimè nouit diuinam prouidentiã ſtatuiſſe, & ſatis conſentaneè ad perfectionem ſtatus beatifici, vt beati propoſitionibus, quibus aſſentiri oportet, habeant euidentiã, vel in verbo per cognitionẽ matutinã;vel extra verbũ per veſpertinã cognitionem inditam, vel acquiſitam: vel per ſpecialem Dei reuelationem: vnde quandiù de aliqua propoſitione euidentiam non habent, iuxta prudentiæ regulas aſſenſum ſuſpendunt, eo modo, quo Angeli beati faciunt, vt diximus ex D. Thoma.

Medina. Valentia. Cumelius. Suarius. Salas. D.Thom.

Iſtam veriſsimã concluſionẽ Medina cũ nonnullis ex eo probat:quoniã opinio ſua ratione includit formidinẽ: formido autẽ,& metus longè abſunt à beatitudine. 2. Ratio quorundam.
Sed hæc ratio nõ videtur ſufficiens;quia, vel de ratione opinionis nõ eſt formido, ſi propriè ſumatur; vt putant Toletanus *in Prologo q*.3.*art*.5.*ad arg.contra ſecundã,* & *Argentina ibidem q*.3.*art*.2.*ad* 3 & 11. vel ſi eſt de illius ratione (vt verior habet opinio) formido non eſt aliud,quàm carentia euidentiæ de certitudine propoſitionis, cui intellectus aſſentitur: quæ eſt ſententia *Caietani in* 1.*poſterior cap*.26. ſatis de mente Durandi in prologo q.1.nu. 35.vel idem eſt,quòd aſſenſus cum non repugnantia oppoſiti, quæ eſt cõmunis explicatio: de neutra autem iſta formidine intelliguntur Theologi, quando dicũt, beatitudinem excludere omnem formidinẽ; id enim intelligunt de formide pro timore, & metu amittendæ beatitudinis; quæ longè eſt alia à formidine, quæ opinionem comitatur.

Non recipitur. Toletan. Argent. Caietan.

3. Ratio. Quare alij ſecundo loco arguunt:quoniam beatus ſcit, ſe non poſſe errare, Ergo dum aſſentitur alicui rei ſcit, ſe aſſentiri verò: vnde nunquam poteſt aſſentiri, aut cum ineuidentia,aut cum formidine partis oppoſitæ. Ratio probabilis eſt.

4. 3. Ratio. Tertio alij ita arguunt: quoniam ſicut in voluntate beati nullus eſt actus, qui nõ ſit alicuius virtutis moralis; ita in intellectu nullus erit actus, qui non ſit alicuius virtutis intellectualis. Talis autem nõ eſt actus opinionis; cum opinio non ſit virtus intellectualis, vt docet *Ariſtot. 6. Ethicorum cap. 3.* Hæc etiam ratio eſt probabilis ſumpta à poſteriori. *Ariſtot.*

5. 4. Ratio à priori. Quare quarto loco ratio à priori ſumẽda eſt ex principio ſæpè repetito; omne ſ. malum ab intellectu beati per ipſam beatitudinẽ excludi, vt ex Cicerone, Auguſtino, & Proſpero oſtendimus ſupra ar. 1. & ſatis colligitur ex Ariſtotele, dũ docet beatitudinem eſſe ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum: talis autẽ nõ eſſet, ſi in ſe aliquod malũ includeret: vnde Ariſtot. docuit, in beatitudine nihil imperfectũ reperiri; ne dum malũ. Quare certiſsimum eſt per beatitudinẽ omne malũ excludi ab intellectu beati. Actus autẽ opinatiuus propter ſuã incertitudinẽ & fallibilitatem habet rationẽ mali: quod ex eo euidenter oſtenditur; quoniam medium opinatiuũ inclinat ad præbendũ aſſenſum fallibiliter. Ergo intellectus nõ poteſt, aut perfectè, aut imperfectè moueri ab eo, niſi cum aliqua inordinatione; dum. ſ. ſe exponit periculo errandi: quod ſine aliqua inordinatione non fit, vt optimè aduertit *D. Thomas de veritate q. 18. ar. 6. ad finem*, quem refert, & probat *Cumel. 1. p. q. 94. art. 4. in ſolutione dubij.* Et hinc ſumitur ratio à priori, cur Ariſtoteles cũ Philoſophis opinionem à ratione virtutis excludat: etenim ſi exponere ſe periculo errandi non poteſt non continere aliquid mali, vt docet D. Thomas; profectò opinio nonpoteſt nõ continere aliquid mali, cum inclinet ad aſſenſum cum poſsibilitate falſitatis. *D. Thom. Cumel.*

6. Corollariũ contra Molinã, & Medinam. Quæ veriſsima Philoſophia euidenter improbat, tum ſententiã *Molinæ 1. p. q. 99. art. 4.* dum negat opinionẽ ratione ſuæ incertitudinis, & fallibilitatis habere rationẽ mali: tùm etiam reſolutionẽ *Medinæ vbi ſuprà §. At certè*, aſſerentis, nullam eſſe deordinationẽ, ſi aliquis ducatur ad aliquid credendum, ex medio probabili, cui poteſt ſubeſſe falſum, quando res eſt talis, quã prudens quiſque meritò approbaret: etenim ſi ſermo ſit de abſoluta approbatione, & aſſenſu elicito à prudentia; talis aſſenſus nõ poteſt nõ eſſe actus virtutis: errarunt igitur Philoſophi cũ Ariſtotele dũ opinionẽ abſolutè excludunt à ratione virtutis: quod nec Medina admittet, nec Molina. Porrò ſi ex tali medio opinatiuo nulla datur abſoluta approbatio, ſed intellectus ſuſpẽdit abſolutũ aſſenſum, & ſolũ iudicat illud eſſe poſsibile; iam intellectus opinionem nõ habet, ſed ſcientiam; quia euidenter cognoſcit tale medium ſolùm gignere probabilitatem.

Si verò obijcias, prudentiã, & rectã prouidentiã docere, vt homines ſe, & ſua, imò etiã, & ipſam rem publicã rationibus probabilibus, & veriſimilibus cõiecturis gubernent, vt docet experientia: reſpondebo longè aliud eſſe homines coniecturis & probabilitatibus duci, vt aliqua diſponant, & præcipiant; aliud verò ipſis coniecturis, & probabilitatibus abſolutũ aſſenſum præbere. Hoc poſterius cum ſit inordinatũ, vt oſtendimus, nec prudentia dictat, nec recta prouidentia; benè tamen illud prius: nam cum homo propter ſuam, & ſui ſtatus imperfectionem naturaliter habere nequeat omnium euidentiam; naturalis ratio dictat, vt ſuo regimine, & gubernatione, intra terminos prudentiæ probabilibus ducatur rationibus: non quidem, vt abſolutum aſſenſum præbeat (quamuis id inaduertenter admiſerit *Cumelius vbi ſuprà concl. 2.*) ſed vt iuxta probabiles, & morales cõiecturas, quæ moralẽ faciũt certitudinẽ, omnia diſponat, moderetur, & gubernet: quòd facere poteſt, abſq; abſoluto aſſenſu ſuppoſito ſolo aſſenſu virtualiter conditionato. 7. Occurritur obiectioni. *Cumelius.*

Quibus addo, hominẽ in hác gubernãdi rationẽ per peccatũ incurriſſe, ſi enim ſtatus innocentiæ permãſiſſet; quãuis tũc nullus futur⁹ fuiſſet act⁹ opinatiuus (quæ fuit opinio *D. Thom. in d. q. 18. ar. 6. in fine corporis.* quẽ ſequitur Cumelius loc. citat. & eſt de mẽte omniũ, vno Molina cõtradicente) adhuc fuiſſent cõiecturæ, & rationes probabiles, quibus homines, quãdo aliquid operandũ foret, nõ ducerentur abſolutè, ſed diuinã reuelationẽ expectarẽt, vt habes ex *D. Tho. 1. p. q. 94. ar. 4 ad 4.* quẽ gubernandi modũ ſeruant Angeli in regimine huius mundi inferioris, quandiù in rebus cõtingentibus & futuris diuinũ ignorãt beneplacitũ. Et hęc dixiſſe ſatis ſit. 8. *D. Thom.*

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm omnis notitia beati ſemper ſit vera, certa, & euidens?

1. Concluſio. IN hoc etiam articulo hæc cõcluſio eſt certiſsima; *Omnis actus intellectus beati eſt verus, certus, & euidens.* Hęc cõcluſio eſt de fide in ijs, quæ pertinent ad cognitionẽ matutinam eorũ, quæ in verbo vidẽtur: hæc enim omnia ſunt vera, certa, & euidenter cognita. In illis verò actibus, qui ſunt cognitionis veſpertinæ, cõcluſio etiã debet eſſe indubitata: quia illi, vel ſũt eorũ, quę in verbo videntur; vel eorũ, quę beatis in proprio genere reuelantur; vel eorũ, quę à cæteris beatis accipiuntur; vel deniq; eorum, quæ rationibus probabilibus coniectantur. Actus primi generis ſiue pertineãt ad res naturales, ſiue ad ſupernaturales pertinẽtes ad fidẽ, aut ad gratiæ myſteria, nõ poſſunt non eſſe certiſsima & euidentiſsima: cũ omnes illi diriuentur à cognitione matutina, quę eſt omniũ euidentiſsima: beati enim eorum, quæ in verbo vident, eliciunt cognitionẽ veſpertinã, efformando euidẽtiſsimas illorũ ſpecies: vnde nõ ſolùm habent euidentiã in proprio genere rerũ omnium naturaliũ, cũ earum quiditates in verbo videãt; ſed etiã omnium myſteriorũ fidei; cũ ea omnia in verbo euidẽtiſsimè cognoſcãt. Actus verò ſecundi generis nõ poſſunt non eſſe certiſsimi; cũ Deum habeãt authorẽ, qui eſt prima veritas, nec poſſunt nõ eſſe euidentiſsimi; cũ ſtatus Patriæ nullã fidei obſcuritatẽ patiatur, ſed per reuelationẽ omnia fiant euidentiſsima. Porrò actus tertij generis etiã pertinent ad rationem ſcientiæ; cũ per illas probabiles rationes beati nõ abſolutè iudicent de veritate, ſed de probabilitate concluſionis, vt patet ex præcedente articulo. Denique, quæ ab alijs beatis accipiunt, nõ per ſolã fidem humanam accipiunt; ſed per euidentiã, quòd alij beati nec falli poſſunt, nec fallere.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm rectitudo intellectus inſit beatis ab intrinſeco?

1. Concluſio. SEd inquiri iam poteſt, vnde nam ꝓueniat rectitudo intellectus beati circa verum, tâm ſpeculatiuum, quàm practicũ. An ne proueniat ab intrinſeco? an ab extrinſeco? Quidã reſpõdent id prouenire ab extrinſeco, vt refert *Medina 1. 2. q. 4. ar. 4.* Alij putãt prouenire ab intrinſeco, nẽpe ex viſione diuinę eſſentię, quæ videtur eſſe mẽs *D. Tho. 3. cont. gent. c. 62. & lib. 4. c. 92. in 5. ratione*, & ſatis videtur de mẽte Thomiſtarũ, qui volunt viſionẽ diuinę eſſentię rectificare intellectũ beati, ne errare poſsit. Nõ deſunt, qui velint, id partim ꝓuenire ab intrinſeco; partim ab extriſeco. Ab intrinſeco quidem: quoad õnia obiecta naturalia, & fidei, atq; gratię myſteria; ab extrinſeco verò; quoad cõtingentia, ſiue naturalia ſint, ſiue ſupernaturalia; ſiue pendeãt à volũtate Dei ſiue à creata; ita colliges ex *Durando in 2. diſt. 25. q. 1. n. 7. & 11. ex quo loco intelliges quæ ſcribit in 2. d. 7. q. 1. n. 7.* Huius opinionis fundamentũ eſt; quia beatus ex vi viſionis videt in verbo omnia naturalia, & omnia fidei, & gratię myſteria, vnde ex ipſa viſione manet rectificatus quoad cognitiõnẽ omniũ illorũ in proprio genere. Cũ ex vi viſionis nõ videant omnia, ſed plura cognoſcãt per ſpeciales reuelationes quæ illis de nouo fiunt, inde eſt, vt circa veritatem iſtorum non ab intrinſeco rectificentur, ſed ab extrinſeco.

Medina. D. Thom. *Durand.*

2. Concluſio. Hęc cõtrouerſia hac cõcluſione dirimitur: *Beati ex vi quidem viſionis, & ſubinde ab intrinſeco, habent intellectũ rectũ, ne errẽt; quamuis ex viſione non habeant, quòd omnia cognoſcant*; etenim rectitudo intellect⁹ ex ipſa viſione beata per ſe emanat: nõ tñ ex eo, pręciſe quod ꝑ illã videntur ea, ad quæ rectificatur. Pro hui⁹ explicatione aduertimus, viſionẽ beatam nõ ſolùm eſſe ſpeculatiuã viſionẽ omnis veri, tam ſpeculabilis, quàm agibilis; omnis item myſterij in via per fidẽ reuelati: ſed etiã eſſe quoddã actuale dictamẽ prudentiale efficaciter dictans, nulli eſſe abſolutè aſſentiendũ, niſi euidẽter innoteſcat id, quod affirmatur: nihil item abſolutè probandum eſſe per rationes probabiles, quãdiù de diuino beneplacito nõ cõſtat: vnde rectitudo intellectus præciſè prouenit ex vi viſionis, vel quia eſt formalis viſio eorum, de quibus extra verbum agitur; vel quia eſt quoddam dictamen prudentiale dirigens intellectum circa ea, quæ in verbo vi ipſius viſionis non videntur, ſed extra verbum reuelantur.

ARTICVLVS IX. & vltimus.

Vtrùm de potentia abſoluta Dei poſsit dari error in intellectu beati?

§. 1.

Refertur pars affirmatiua cum fundamentis.

1. In quo conueniunt. IN hac quæſtione certiſsimũ eſt, beatũ errare non poſſe circa ea, quæ videt in verbo: nam ſi fieri non poteſt, vt beatus habeat fidem ſupernaturalem, & ideo infallibilem eorum, quæ in verbo videt; non ob aliam rationem, niſi quia cum euidentia obiecti non poteſt ſtare eiuſdem obſcuritas: quomodo poterit cum tali viſione ſimul eſſe aut error, aut exiſtimatio incerta, & fallibilis?

2. Difficultas. Pars affirmans. *Holcoth. Salas.* Tota difficultas poſita eſt; an errare poſsit circa illa, quæ in verbo non videt? Partem affirmantem plures ſequuntur: eam in beatis: tanquam notam ſupponit *Holcoth in ſuis determinabilibus q. 9. art. 2. litera M. & cum eo Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 10. §. Dico tertio num. 38. pag. 400. col. 2.* eandem non poſſunt non probare, qui admittunt hũc errorem de potentia abſoluta, potuiſſe admitti in Chriſto Domino; quam ſententiam, nec eſſe in fide periculoſam, nec improbabilem aſſerunt *Medina 3. p. q. 15. ar. tertio, & Cabrera ibidem, & Suarius primo tomo. ad tertiam partem diſpu. 24. ſect. 3. in fine, Ioãnes Vincentius in lib. de Gratia Chriſti Corol. 2. & in dubio ſequenti poſt 2. concl. quos omnes refert, & probat Salas vbi ſuprà.* *Medina. Cabrera. Suarius. Ioan. Vin. Salas.*

3. 1. Argum. 2. Argum. Primum fundamentum inde ſumunt; quia cum id non repugnet, non eſt Deo denegandum. Deinde; quia Deus poteſt neceſsitatem inferre intellectui, etiam in ijs, quæ non ſunt euidentia.

4. 3. Argum. Tertio; quia euidentia apparens nõ minus neceſsitat intellectum, quam vera: at poſſunt beato proponi plura euidenter apparentia: quia poteſt ei proponi hoſtia conſecrata ſine reuelatione quòd ſit conſecrata: potuit etiam Deus non reuelaſſe Angelo hominem Chriſtum eſſe Deum: quo facto beatus abſolutè iudicaret, illum hominem eſſe purum hominem; & illam hoſtiam eſſe verum panem: vtrũque autem iudicium eſſet falſum.

5. 4. Argum. Quarto ex Sala; quoniam licet aſſentiri ſine euidentia ſit ſub vna ratione imperfectio; quia homo non ſe conſeruat immunem ab errore; tamen ſub alia ratione eſt perfectio, ne homo in rebus euidenter credibilibus omnino ſit ſuſpenſus, qui bus ſine temeritate interdum diſſentire non poſſet. Et inde eſt, vt in hoc præſenti ſtatu ſæpè teneamur huiuſmodi aſſenſum nonnullis præbere; adeo, vt peccatũ eſſet, ea in dubium reuocare. Quare imperfectio illa compenſaretur cum explicata perfectione: & inde concludit Salas, aſſenſum erroneum non repugnare cum beatitudine.

Quinto, & vltimo arguit Holcoth, quia ſi error, non poſſet ſimul ſtare cum beatitudine, ſequeretur beatum ſcire omnem veritatem; quod tamen eſt falſum. 6. 5. Argum.

§. 2.

Verior eſt pars negatiua, & ſoluuntur argummenta.

HIs tamen non obſtantibus, pars negatiua mihi eſt longè verior. Fundamentum inde ſumo; quia in beatis ex vi viſionis datur perpetuũ dictamẽ cũ efficaci conformitate voluntatis, quòd nõ ſit præbẽdus aſſenſus abſolutus, niſi res euidenter innoteſcat, vt diximus in præcedente articulo. Dari autem hoc dictamen in intellectu beati, neceſſariò pertinet ad perfectionẽ beatifici ſtatus, vt per illud omnis inordinatio, omneque malũ intellectus penitus reformetur. Iam verò, ex D. Thoma oſtendimus ſuprà ar. 6. aſſenſum ex medio ineuidenti, & fallibili procedere ex malo inordinationis. Iam verò hoc dictamine permanente, euidenter implicat, beatum ſine euidentia veritatis alicui aſſentiri. 7. Negatiua & vera.

Ex quo iam patet ſolutio ad primum argumentum. Ad ſecundum dicimus, dubium eſſe; an abſolutè loquendo poſſit Deus neceſsitatem inferre intellectui in his, quæ euidentia non ſunt: & vt id admitteremus in ijs, quæ à parte rei ſunt vera; non tamen id admittemus, quando à parte rei id eſt falſum: quia Deus non poteſt intellectum inducere, aut neceſsitare, vt falſo aſſẽtiatur; id enim repugnat diuinæ bonitati, vt doctè aduertit *Suarius in ſua Metaphyſica diput. 9. ſect. 2. num. 7.* iam verò ſicut Deus nõ poteſt eſſe prima origo falſitatis; ita nec poteſt 8. Ad 1. Ad 2.

eſſe

eſſe prima origo exiſtimationis fallibilis. quando id, cui datur aſſenſus, à parte rei eſt falſum.

9. Ad 3. Ad tertium dicimus, euidentiã illam apparentem non habere locum in beatis: nam ſi illa apparentia ficta eſt, & imaginata; vt quia nec naturaliter, nec ſupernaturaliter vera eſſe poteſt, locum non habebit in beatis, qui naturaliter falli nõ poſſunt. Porrò ſi illa apparentia ſolùm appareat vera, ſeruato naturali ordine; cũ tamen ſupernaturaliter ſit falſa: ex dictis conſtat beatos non eſſe laturos iudicium abſolutum, ſed ſolùm conditionatũ; ſi nimirum Deus ſupernaturaliter ordinẽ naturalem non mutauit. Quare oblata alicui beato hoſtia conſecrata, quam conſecratã non nouit, vtiq; euidenter iudicabit illud, quod videt eſſe panem; non abſolutè, ſed ſi ſola natura eſt conſulenda; quia intelligit, hoſtiam illã eſſe poſſe cõſecratã. Quæ ſolutio locũ habet apud eos, qui volunt, beatũ per ſcientiã inditã nõ videre Chriſtũ in Sacramento: nam ſi illũ videt (quod eſſe probabilius ſupra diximus) exemplũ ad rem non pertinet, quia beatus verè intelliget, hoſtiam eſſe conſecratam. Et eodem modo dicendum eſt ad exemplum ſumptum ex Chriſto homine; nam iuxta veriorẽ ſententiã beati per ſuam inditam ſcientiam vident myſterium Incarnationis: de vtroq; exẽplo diximus ſupra q. 8.

10. Ad 4. Ad quartum ex dictis patet ſolutio: argumentum enim ſolùm locum habet in hominibus non beatis, in quibus vera ſũt, quæ adducũtur, vt patet ex ijs, quæ diximus ſupra art. 6: at in beatis locũ habere non poteſt argumentum: tùm propter dictamen ex viſione beata relictũ, de non præſtando abſolutum aſſenſum, niſi vbi adeſt euidentia: tùm etiam propter ordinem à Deo ſtatutũ de reuelanda beatis veritate in ſimilibus euentis.

11. Ad vltim. Ad vltimum deganda eſt ſequela: nam cum ſimplici ignorantia purę negationis ſimul conſtare poteſt dictamen de non præſtando abſoluto aſſenſu, niſi ad ſit euidentia, vel extremorum, vel diuinæ reuelationis. ¶ Et hactenus diximus de perfectionibus intellectus beati: ſupereſt explicare perfectiones, quæ ad beati voluntatem pertinent.

Præfatio ad diſputationem de perfectionibus voluntatis.

¶ Explicatis perfectionibus, tam beatificis, quàm non beatificis, quę in intellectu beati reperiuntur; ſupereſt explicare perfectiones, quæ in voluntate beata reperiuntur in Patria. Tres autem ſunt perfectiones beatificæ, quæ beatitudini eſſentiali ex parte voluntatis conueniunt vt proprietates connaturales, ſcilicet, amor, ſiue dilectio Dei; gaudium, ſiue delectatio de Deo poſſeſſo: & cõprehenſio eiuſdem Dei: & præter iſtas tres perfectiones connaturales, & beatificas, dantur aliæ nõ beatificæ, ſiue accidentales: inter quas præcipuum locum tenet rectitudo voluntatis, quam impeccabilitas comitatur. De vtriſque agendum eſt: & prius de beatificis; deinde de alijs. De beatifici hoc ordine procedemus, vt prius dicamus de perfectione amoris, ſiue dilectionis: ſecundo de gaudio, ſiue delectatione Dei viſi: tertio loco de comprehẽſione: & his explicatis, poſtremò agemus de rectitudine voluntatis, eiuſque impeccabilitate. 1. Quot ſint perfectiones voluntatis.

Quod attinet ad primum: præmittendum eſt, amorem, ſiue dilectionem diuidi in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ: de qua diuiſione diximus 1. tom. lib. 4. q. 11. §. 1. num. 1. vbi num. 2. & 3. cõtra Nominales oſtendimus, vnũ, & eundem actum amoris, terminatum ad bonũ, quod alteri volumus, dici amorem concupiſcentiæ; amicitiæ verò, vt terminatur ad eum, cui volumus bonum. 2. Diuiſio amoris.

Præmittendũ eſt ſecundò id, quod *in d. lib. 4. q. 11. §. 1. n. 4.* notauimus beatũ duobus modis Deũ amare. Vno modo; quia illi vult õnia bona: altero modo; quia illũ vult, vt bonũ ſibi; vterq; amor eſt realiter diſtinctus: etenim prioris amoris Deꝰ eſt finis cui: poſterioris verò finis cui eſt ipſe beatus: vnde in eodẽ loco §. 2. n. 10. aduertimꝰ in Patria duos reperiri amores realiter diſtinctos: vnus eſt, qui terminatur ad Deũ, taquã ad obiectũ amicitię, cui beati bona cõcupiſcunt: alter verò, qui terminatur ad Deũ, tanquã ad bonũ concupitum: quod beati cõcupiſcunt ſibi; & alijs. Aduertimus inſuper, priorem amorem ſimpliciter dici amicitiæ; quia terminatur ad Deũ, vt ad amicum, cui volumus bonum: quod in amore poſteriori non reperitur: is enim terminatur ad Deum, vt eſt quoddam bonum volitum nobis, & alijs. 3. Præmiſſ

Quare Deus duobus modis amatur à beatis: vno modo, vt amicus, cui beati bona volunt: altero modo, vt bonũ alteri amatum, & volitum. Priori modo Deus amatur amore amicitiæ: poſteriori verò concupiſcentię.

2. Pręmiſſ. Præmittendum eſt tertiò, vtrumque amorẽ reperiri in ſingulis beatis: ſinguli enim Deũ amant, vt amicum, dum illi volunt bona, & perfectiones, quas in ſe habet: ſinguli etiã Deum ipſum volunt ſibi, tanquam vltimũ ſuum bonum. Vterque tamen iſte amor non eandem habet rationem perficientis ipſam beatitudinẽ: nam amor amicitiæ comitatur ipſam beatitudinẽ, vt perfectio beatifica illi cõnaturalis; quia ad Deum terminatur, qui eſt beatificum obiectum: amor verò concupiſcentiæ non eſt perfectio beatifica: quia licet aliquo modo oriatur ex viſione: non tamen oritur ex illa, vt eſt beatitudo; quia viſio Dei ſub illa ratione non beat, ſed ſub priori, de quo in q. 11.

3. Præmiſſ. His ita præmiſſis in hac diſputatione hoc ordine procedemus: quia prius agemus de amore amicitiæ: deinde de amore concupiſcentiæ: nam prior amor longè eſt nobilior, quam poſterior, vt diximus *lib. 3. q. 4. art. 2. num. 3, cum D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 8.*

QVÆSTIO X.

De amore amicitiæ erga Deum.

Ordo articulorum. DE amore amicitię plures articulos excitabimus. Primus eſt; Vtrùm amor, ſiue dilectio Dei ſit formalis beatitudo; an proprietas eam cõcomitans? Secundus; vtrũ ſit ſupernaturalis ſecundũ ſubſtantiã? Tertiꝰ; an per ſe terminetur ad Deũ, & ad viſionẽ? Quartus; an viſio Dei ſatis ſit, vt amor detur in voluntate? Quintus; an viſio cõcurrat ad amorem, vt ratio formalis; an verò, vt cõditio? Sextus; an amor Patriæ ſit actus neceſſarius, an liber? Septimus; an ſit actus humanus? Octauus; an amor ſit propter viſionem, an è cõtrariò? Nonus; an amor virtute contineatur in viſione? Decimus; an amor ſit nobilior, & amabilior, quã viſio? Vndecimus; an amor Patriæ ſpecie diſtinguatur ab amore vię? Duodecimus; an eodem amore ametur Deus, & creaturæ viſę in Deo? Decimus tertius, & vltimus; an dilectio Dei in Patria realiter diſtinguatur à delectatione de Deo viſo.

ARTICVLVS I.

Vtrùm amor, ſiue dilectio Dei ſit formalis beatitudo, an perfectio illius?

QVæſtio eſt controuerſa apud eos, qui beatitudinem eſſentialem ponunt in vno tãtum actu: nam qui eam ponunt in ſolo actu intellectus, abſolutè negant, dilectionẽ eſſe ipſam beatitudinẽ, huius opinionis authores citauimus tom. 1. lib. 4. q. 8. ar. 1. oppoſitũ volũt, qui beatitudinẽ ponunt in ſolo actu voluntatis: omnes enim docent beatitudinẽ formaliter poſitam eſſe in ipſa dilectione: in quo etiã conueniunt, qui beatitudinẽ ponunt in pluribus actibus, quos retulimus *in d. lib. 4. q. 7. art. 2. n. 1.* licet enim nõ conueniant, an in ſola dilectione ponatur; cõueniunt tñ, quod in ea ſit ponenda, vt cõtra nõnullos oſtendimus *in d. lib. 4. q. 11. art. 4. nu. 1.* Nos quæſtionẽ, an beatitudo ponatur in ſolo actu intellectus; an in ſolo voluntatis. Pro vtraq; parte defendimus. Quòd in ſolo actu volũtatis, dilectione. ſ. eſſentialiter ponatur, latè defendimus *in d. lib. 4. q. 10 per totũ*: quòd verò in ſolo actu intellectus ſit ponẽda, nimirũ in viſione, exiſtimauimus eſſe lõgè probabilius *in d. lib. 4. q. 8. art. 1.* hac ſuppoſita opinione, ad quæſtionem propoſitã neſſariò dicendum eſt dilectionem non eſſe formalem beatitudinem, ſed eſſe perfectionem eam naturaliter concomitantem. 1. Quæſtio ē controuerſa.

2. Amorē ſem per comitari viſionē. Hac ſuppoſita opinione, illud tanquã indubitatum conſtituẽdum eſt, amorem Dei in Patria ſemper comitari viſionẽ: nã licet dubitari poſſit; an amor ſit actus naturalis, an verò liber (de quo in art. 6.) dubitari tamen nõ poteſt, quin amor ſit perpetuus comes viſionis.

3. Probatur ex Paul. 1. Corinth. 13. Hæc veritas deducitur ex Paulo 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*, quibus verbis, omnium Patrum conſenſu Paulus explicat excellentiam Charitatis ſuper alia dona, quoad permanentiam; non quidem in hac vita, ſed in gloria, quæ eſt communis explicatio, quam ſatis con-

confirmant verba ſequentia: *ſiue prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt: ſiue ſcientia deſtruetur.* Vnde ſtatim ait: *cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* Quare ex doctrina Pauli charitas ſuper alia dona hanc habet excellentiam, vt in Patria permaneat, perficiatur, & conſumetur: non ſolùm quoad habitum, ſed quoad actum, & vſum: nec enim aduentu viſionis conſummaretur, ſi nunquam in actuali eſſet.

4. Confirmatur.

Quod adhuc confirmatur; quoniam ſi mens, & verba Pauli expendamus, Paulus potiùs agit de actibus illorum donorum, quàm de habitibus: nam, vt omittamus, prophetiam non eſſe habitum, ſed actuale quoddam lumen tranſiens ad modum paſsionis ex D.Thoma 2.2. q.171. art.2. Ceſſatio linguarum, & deſtructio ſcientiæ præcipuè intelliguntur quoad vſum: nam in Patria fortè non ceſſabit donum linguarum quoad habitum, beati enim in patria linguarum peritiam habebunt, vt in 3.tom. dicemus, ceſſabit tamẽ quoad vſum talis habitus; quia in Patria vnius tantùm linguæ vſus erit, vt in eodẽ 3.tom. videbimus. Deſtructio autem ſciẽtiæ, quanuis de lege futura ſit quoad habitum, & actum; per ſe tamen potiùs reſpicit ipſum actum, quia euidentia patriæ, qua ſcientia deſtruetur, ita per ſe opponitur actui ſcientiæ, quæ fide nititur, vt ſimul cum illo nec diuina potentia eſſe poſsit; cum tamen benè poſsit permanere cum habitu, vt diximus ſuprà q.8. Quare ex Paulo charitas, id eſt, actualis Dei dilectio in Patria nunquam cadet, vt patet ex propria ſignificatione verbi *excido*, & verbi Græci ἐκπίπτω: vnde nonnulli locum illum Pauli ita vertunt, charitas nũquam ceſſabit; quia ſcilicet actualis Dei dilectio perpetuò permanebit.

5. Alia confirmatio. *Matt. 25.*

Eadem veritas conuincitur ex gaudio perpetuò, quod futurũ eſt in cœlo, iuxta illud Matthæi 25: *Euge ſerue bonè, intra in gaudium Domini tui:* gaudium autem ſine dilectione dari non poteſt. Confirmat hanc veritatem perpetuũ illud Alleluia, quo beati perpetuò Deo iubilant; perpetua item adoratio, qua Deo proſternuntur: perpetuus denique ille Dei cultus, quo beati perpetuò Deo ſeruiunt, vt patet Apocalypſis 19.20.21. & 23. quæ omnia ſatis conuincunt ſummam, & perpetuam Dei dilectionem; quæ futura eſt in beatis.

6. *D.Bern.*

Accedant etiam teſtimonia Sanctorũ D.Bernard. epiſt. 28. ita ait: *Quia non poſſumus contemplari per ſpeciem, nec plenè cõplecti per amorem; dedit nobis interim, & ſapere per fidem, & quærere per deſiderium: ſi enim abſentes initiat fides, & deſiderium; præſentis profectò conſummat viſio, & amor.* Hugo de ſancto Victore explicans verba Dionyſij c.7. de Cęleſti Hierarch. & agẽs de bonis, quæ in patria reperiuntur, ita concludit: *Duo ſunt cognitio, & amor: alterum ad illuminationem pertinet, alterum ad refectionem: cognitio veritatis, & amor bonitatis: in his beatitudo conſtat; cognoſcere, & amare bonum.* Optimus eſt locus Auguſtini 14. de Ciuitate Dei c. 9. paulò ante finem; vbi agens de beatitudine Patriæ, ita ait: *Nec ibi futurum eſſe amorem, gaudiumq́; quis dixerit, niſi omnimodè à veritate ſecluſus?* Et inferiùs: *Beata viſio, eademq́; æterna amorem habebit, & gaudium.* Videndus eſt tract. 124. in Ioannem: *Cur ergo Ioannes minus eum diligebat, quàm Petrus; ſi eam vitam ſignificabat, in qua eſt multò amplius diligendus? niſi propterea dictum eſt, volo eum manere, id eſt, expectare, donec veniam: quoniam & ipſum amorem, qui tunc multò amplior erit, non dum habemus ſed futurum expectamus, vt cum ipſe venerit, habeamus.* Et cõcludens quæſtionem, dixit: *tunc ergo amplius, quod videbimus, diligem⁹.*

Hugo de S.Vict. — *Auguſt.*

7. Ratione probatur.

Ratione etiam id ipſum confirmatur: nam viſio diuinæ eſſentiæ ex ſe eſt ſufficiens principium ad excitandam voluntatem ad amorem Dei viſi: nihil autem datur in patria, quod voluntatem ab hoc amore retrahat. Ergo cum viſio ſit perpetua, vt ſuperiùs oſtendimus, ipſe etiam amor Dei erit perpetuus. Quòd viſio ex ſe ſit principium ſufficiens ad excitandũ voluntatem ad amorem Dei, ex eo probatur; quoniam illa viſione videtur Deus vt ſummum bonum, & vt ſummum amabile; idque cum iudicio, ſaltem virtuali, quod conueniens ſit ab amore nunquam ceſſare: ſummum autem bonum viſum ex ſua natura eſt ſufficiens, vt voluntatẽ trahat ad amorem ſui: nam ſi bonũ, ideò; quia bonum, ex ſe alicit voluntatem ad ſui amorem; à fortiori bonum ſummum, & infinitum ex ſua natura eandem ad ſui amorem aliciet, & trahet; maximè, cum

ab intellectu proponatur cum iudicio, quòd ſit conueniens tali bono perpetuo amore inhærere. Et in re notiſsima hæc ſatis ſint.

ARTICVLVS II.

Vtrùm dilectio Dei in patria ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam?

1. Quæſtio. NEminem inueni, qui neget, dilectionem, qua beati diligunt Deum viſum, eſſe ſupernaturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam: ſed fortè hæc negatiua ſententia non longè erit à mente Durandi, apud quem viſio beata ſolùm eſt ſupernaturalis quoadmodum, in quo cum illo alij conueniunt. Idem igitur dicerent de dilectione Patriæ. Et id poſſet confirmare; quoniam plerique docent, dilectionem Dei in via ſecundum ſuam ſubſtātiam eſſe naturalem, ſupernaturalē autem quoad modum: nec deſunt, qui velint, hanc opinionem eſſe *D. Thomæ* 2. 2. q. 171. *art.* 2. *ad tertium. & Caietani ibidem, &* 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. §. *Vnde dicitur ſecundo, Capreoli in* 1. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *ad Aureolum ſecundo loco contra primam, & ſecundam fol.* 155. *col.* 1. *& ad* 3. *Greg. contra ſecūdam fol.* 157. *col.* 2. Cui opinioni, ſi addamus, dilectionem viæ, & Patriæ eſſe euſdem rationis, vt pleriſque placuit; benè poſſet inferri, dilectionem Patrię nō eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam. (D. Thom. Caietan. Capreol. Gregor.)

2. Oppoſita ſententia. Sed oppoſitū abſque dubio eſt dicendū ſi expendamus, quæ de viſione beata ſcripſimus ſuprà q. 5. art. 2. quæ enim probant, viſionem eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem, eadem etiam probant, dilectionem Dei in Patria eſſe ſecundum ſubſtātiam ſupernaturalem. Quare vide, quæ ibi diximus.

ARTICVLVS. III.

An dilectio Patriæ per ſe terminetur ad Deum, & viſionem?

1. 1. Opinio. DE hac quæſtione duas inuenio oppoſitas ſentētias. Prima affirmat, dilectionem Dei in Patria terminari, tûm in diuinam eſſentiam, tûm in viſionem: in diuinam quidem eſſentiam, vt in obiectum *quod*: in viſionem autem, tanquam in obiectum *quo*: & inde affirmat dilectionem Dei per ſe, & nō per accidens terminari in Deum viſum, tanquā in obiectum integrum, & adæquatum: ita docuit *Caietanus* 1. 2. *q.* 3. *art.* 4. §. *Adrationem autem Scoti; & fuit expreſſa opinio Bellomontani* 1. *tom. ad primam ſecūdæ diſp.* 11. *cap.* 6. *num.* 33. *&* 34. (Bellomon. Caietan.)

2. Oppoſita ſententia. Oppoſita tamen ſentētia inter Nominales eſt communis: ita *Ocham. in* 1. *diſt.* 1. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 6. *Durandi, Gerg. ibidem q.* 3. *art.* 1. *Maior q.* 5. *dub.* 2. *Marſilius q.* 4. *ar.* 2. *Holcoth. in ſuis determinationibus q.* 7. *cū quibus conſentit Paludanus in* 4. *diſt.* 49. *q.* 1. *art.* 2. *latè id probat Caietanus oblitus ſui.* 2. 2. *q.* 17. *art.* 3. *ad primum Durandi* §. *Ad rationem autem. Bellomontanus etiam oblitus ſui* 1. 2. *diſp.* 9. *cap.* 9. *num.* 52. *&* 53. *& diſp.* 15. *cap.* 3. *num.* 8. *& cap.* 4. *num.* 18. *cōſentit Suarius in ſuis Commentarijs ad primā ſecundæ q.* 3. *diſput.* 1. *quæſtiuncula* 1. *dict.* 3: qui omnes volunt viſionem non concurrere ad amorem, tanquam rationem formalem obiecti, ſed ſolùm vt conditionē præſentantem obiectum ipſi voluntati. (Ocham. Gregor. Maior. Holcoth. Paludanus Caietan. Bellomon. Suarius.)

3. Opinio authoris. Quæſtio digna erat longiori explicatione: ſed quia breuitati conſulimus, dicimus apud eos, qui beatitudinem non ponunt in ipſa viſione, ſed in dilectione, non poſſe non concedi, dilectionem Dei (quę eſt amor amicitiæ) non terminari ad viſionem, ſed immediatè ad ipſum Deum, ſuppoſita tamen illius præſentia, mediante viſione, vt iam aduertimus ſupra *lib.* 4. *q.* 11. *art.* 4. § 4. *num.* 27. etenim ſi ipſa dilectio eſt formalis beatitudo, vt hi authores volunt, ex ſe erit prima, & immediata aſſecutio obiecti beatifici. Nullo igitur modo terminari poteſt ad ipſam viſionē: nec enim poſſet, & ad Deum, & ad viſionem terminari, niſi viſio eſſet obiectum beatificum, vt *quo* conſtituens cum Deo vnum integrum beatificum obiectum: & ita ſupponeret, Deum eſſe iam beatificè aſſecutum per ipſam viſionem; quod admitti non poteſt, ſi ipſa dilectio eſt formalis beatitudo: etenim operatio, quæ eſt formalis beatitudo ex ſe eſt ipſa formalis aſſecutio beatifici obiecti. Quare, qui beatitudinē in dilectione cōſtituunt, nō poſſunt non negare, dilectionem per ſe terminari ad Deū, vt ad obiectū *quod*, & ad viſionem, vt ad obiectum *quo*; ſed neceſſariò dicent, viſionem ſolùm concurrere ad dile- (Quid ſi dilectio eſt formalis beatitudo.)

dilectionem, vt conditionem per ſe requiſitam, vt dilectio in Deum immediatè terminetur; quia ad illum immediatè terminari nō poteſt, niſi immediatè ſit præſens intellectui.

4. Quid ſi viſio eſt beatitudo. Res eſt magis dubia, ſi viſio ſit ipſa formalis, & eſſentialis beatitudo, quam opinionem in hac diſp. ſupponimus. Caietanus in hac difficultate eſt varius, ſimul cū Bellomontano, vt ex dictis patet: vterque enim ſecum pugnat. Ego puto partem negantem eſſe veriſsimam: nam licet viſio concurrat ad beandum, vt ratio formalis beandi, & tanquam obiectum beans, vt *quo*; non tamen eſt ratio formalis terminandi operationes beatificas: quia obiectum beatificum non terminat beatificas operationes formaliter ſub ratione viſi; nec enim Deus amatur, quia viſus; ſed quia perfectus, & bonus. Quare viſio, licet ſit formalis beatitudo, ſolùm concurret, ad dilectionem Dei, vt conditio, non per accidens, ſed per ſe requiſita, vt ametur, & vt delectet.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſatis ſit viſio, vt in voluntate detur amor?

1. Opinio Paludani. IN hoc articulo vnus Palud. fecit dubitationem; *etenim in 4. diſt. 49. q. 3. ar. 2.* præter viſionem ponit in intellectu actum quendam practicū in ordine ad amorem. Fundamentum illius eſt, quia viſio Dei, cum ſit ſpeculatiua, non poteſt mouere voluntatem ad amorem: ſiquidē intellectus ſpeculatiuus, cum nihil dicat de proſecutione, aut fuga, non poteſt moue re appetitum, vt patet ex Ariſtote. 3. de Anima,

2. Reijcitur. Hæc opinio à cæteris non recipitur, quoniam in ordine ad amorem Patriæ ſatis eſt viſio, nec alius actus requiritur. Quæ reſolutio veriſsima eſt, ſiue dicas amorem beatificū eſſe naturalem, & ideo habere non poſſe rationem actus practici; quod pluribus placuiſſe diximus ſuprà *lib. 4. q. 9. art. 5. num.* 18. ſiue dicas, illū eſſe liberum, & habere veram rationem praxis, quòd placuit alijs citatis n. 17. etenim ſiue hoc, ſiue illo modo dicas, præter viſionem nullus alius actus requiritur, vt voluntas in amorem prodeat.

Res eſt abſque dubio, ſi amor Patriæ procedit à voluntate, non vt eſt liberum arbitrium, ſed vt eſt natura quædam determinata ad vnum. Etenim viſio ſatis ſufficienter proponit volūtati obiectum beatificum, vt eſt ſummum bonum, & vltimus finis: iam verò apud iſtos voluntas in ſummum bonum fertur per modum naturæ determinatæ ad amorem: ob quā rationem amor nullò modo habere poteſt rationem praxis, vt ex Ariſtotel. & communi oſtendimus *in dicto lib. 4. loco citato num.* 19. vbi argumenta in contrarium diſſoluimus. Quare hac ſuppoſita opinione ſatis ſuperque eſt viſio Dei, vt in voluntate detur amor. Quòd verò ex Ariſtotele adducitur, intelligitur de motione appetitus ad actus vere practicos, & operabiles, qualis nō eſt amor beatificus, qui eſt actus naturalis naturaliter determinatus ad obiectum: vnde ſatis eſt obiectum beatificum voluntati proponi, vt eam trahat ad ſui amorem. Viſio autem, licet ſit ſpeculatiua, ſatis ſuperque eſt ſufficiens ad proponen dū voluntati ipſū ſummum bonum, quod videt. 3. In quo ſenſu res ſit in dubitata.

Si verò obijcias, voluntatem ferri non poſſe in obiectum beatificum, niſi præcedente iudicio, quòd Deus eſt ſommū bonum, ſummè diligendum, quod pertinet ad rationem praxis, vt colliges ex *Ariſtotele 3. Ethicor. c. 7. tex. 31. & 3. de Anima cap. 3. text.* 154. Si, inquam, ita obijcias, dupliciter reſpondebo. Vno modo, doctrinam illam Ariſtotelis intelligendā eſſe in ordine ad operationes practicas, ad quas volūtas mouetur ex volitione finis, vt diximus *1. tom. lib. 1. q. 6. art. 3. §. 4. nu.* 40. non verò in ordine ad actiones naturales, & neceſſarias ipſius voluntatis, quālis eſt amor beatificus: is enim tantum abeſt vt cōſequatur viſionem, prout virtualiter continet iudicium, & dictamē, quòd Deus eſt ſummè diligendus; vt potiùs antecedat tale iudicium; non ob aliam rationem, niſi quia iudicium illud pertinet ad deliberationem virtualiter incluſam in viſione, & ſubinde ad voluntatem, vt eſt liberum arbitrium, vt oſtendimus in d. lib. 4. q. 9. art. 5. num. 25. 4. Obiectio. *Ariſtotel.* 1. Solutio.

Secundo modo reſpondeo, quòd licet admitteremus, amorem beatificum requirere viſionem, vt virtualiter continet tale iudicium; illud tamen non requireret, 5. 2. Solutio.

prout

prout per illud practicè dirigit actũ amoris; ſed prout ſimpliciter, & ſpeculatiuè oſtendit illud obiectum eſſe amabile, vt diximus in loco immediatè citato. Quare ſi amor Patriæ eſt naturalis, viſio ipſa ſine alio actu ſatis eſt, vt voluntas amorē eliciat.

6. *Quid ſi amor ſit actus liber.* Porrò ſi cum alijs dicas, amorem Patriæ eſſe actum liberum, & verè practicum: adhuc viſio ipſa ſatis eſt, vt voluntas liberè poſsit ſe determinare ad amãdum: etenim ſatis eſt, vt proponat obiectum, ſub ratione ſummi boni, & ſub iudicio dictante ſummam illius diligibilitatē: nam licet dictamen illud non ſit ſatis, vt voluntas neceſsitetur, ſupponitur enim libera, ſatis tamen eſt, vt voluntas pro ſua libertate poſsit in actum amoris exire. Quare ſiue vnam, ſiue alteram opinionem probes, ſemper habemus contra Paludanum viſionem ſatis ſuperque eſſe, vt voluntas amet.

ARTICVLVS V.

An viſio ad amorem concurrat, vt ratio formalis, an ſolùm vt conditio?

1. IN hac quæſtione Caietanus, & Bellomontanus in ſe ſunt varij: nam vterq; modò putat viſionem ad amorem concurrere, vt rationem formalem; modò, vt conditionem. Priorem opinionem probauit *Caietanus* 1. 2. q. 3. art. 4. §. *Ad rationem autem Scoti, & Bellomontanus* 1. 2. *diſp.* 11. *cap.* 6. *num.* 33. & 34. Poſteriorem verò latè confirmat idem Caietanus 2. 2. q. 17. art. 5. ad 1. *Durandi* §. *Ad rationem autē & cum eo Bellomontanus vbi ſuprà q.* 3. *diſp.* 9. *cap.* 9. *num.* 52. & 53. & *diſp.* 15. *cap.* 3, *num.* 8. & *cap.* 4. *num.* 18.

Caietan. Bellomon.

Vera opinio Nos hanc poſteriorem ſententiã probauimus ſupra art. 3. cum Nominalibus, & alijs, quos ibidem citauimus: vide quæ ibi diximus.

ARTICVLVS. VI.

An dilectio Dei in Patria ſit neceſſaria quoad exercitium, an libera?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

PRo explicatione difficultatis, & vt omnis æquiuocatio tollatur, præmittendum eſt primò; liberũ in hac quæſtione ſumi, prout opponitur neceſſariò: & dicitur illud, quod ita pendet à voluntate, vt illa poſsit in oppoſitum, vel contradictoriè ſuſpendendo actum; vel cõtrariè eliciendo actum contrarium. Liberum in hac quæſtione accipi in hoc ſenſu apud D. Thomam, & Thomiſtas non eſt dubium: quòd in eodem ſenſu accipiatur à Scoto, euidenter colliges ex 1. *diſt.* 1. *q.* 4. §. *Quantum ad* 3. *art.* vbi ita ait: *Quantum ad* 3. *art. de fine clarè viſo, dico, quod voluntas non neceſſariò fertur, quantum eſt ex ſe.* Quòd verò ideo non fruatur neceſſariò, quia quantum eſt ex ſe, fruitur contingēter, ita vt poſsit non frui, clarè explicat in eadem quæſtione §. *Contra tertium articulum:* & in hoc ſenſu quæſtionem intelligunt omnes Scotiſtæ. Quare longè ſunt à mente Scoti, qui volunt; cum ita ſuam ſententiam explicare, vt beati ita libere diligant Deum, vt etiam neceſſario diligant. An verò cum neceſsitate diligendi ſtare poſsit aliquod libertatis genus, inferiùs expendemus. 1. *1. Præmiſſ.* *D. Thom.* *Scotus.*

Secundo præmittēdum eſt, duplicem à Theologis diſtingui neceſsitatem: vnã quoad exercitium; alteram quoad ſpecificationem, vt eſt communis doctrina ſumpta ex *D. Thoma* 1. 2. q. 10. *art.* 2. Neceſsitas quoad exercitium in eo eſt poſita, vt oblato aliquo obiecto, voluntas non poſſit non velle illud. Neceſsitas autem quoad ſpecificationem in eo ſita eſt, quòd voluntas poſsit quidem non velle obiectum ſuſpendendo actum: ſi tamen in actum debet exire, non poſsit exire, niſi volēdo: vnde nec tale obiectum poteſt nolle, nec illud odio habere. Cui doctrinæ addendũ eſt, has duas neceſsitates ita ſe habere, vt neceſsitas quoad exercitium ſecum afferat neceſsitatem quoad ſpecificationem; non tamen è contrariò. Illud priùs facilè patet, quia ſi voluntas non poteſt actu nõ velle bonum ſibi præſentatum, nullo modo poterit illud aut nolle, aut odiſſe: nam ſi poſſet; iam amor ille non eſſet neceſſarius quoad exercitium. Illud verò poſteriùs ex eo eſt euidens; quia voluntas quoad beatitudinem in communi neceſsitatur quo ad ſpecificationem; quia non poteſt eam nolle; cum tamen libera ſit quo- 2. *2. Præmiſſ.* *D. Thom.*

ad

ad exercitium; quia poteſt ceſſare ab actuali illius volitione.

3. 3. Præmiſſ. Præmittendum tertio: duplicem etiã eſſe diſtinguendam libertatem: vnã; quæ appellatur contradictionis, qua volũtas poteſt velle, aut nolle: alia contrarietatis; qua poteſt, & velle, & nolle obiectum ſibi præſentatum. Prior libertas à nonnullis appellatur libertas quoad exercitium: poſterior verò, quoad ſpecificationem; quæ enim ſunt contraria diſtinguntur ſpecie. Hæ duæ libertates ita ſe habent, vt libertas contrarietatis ſecum afferat libertatẽ contradictionis: non tamen è conuerſo: qui enim circa aliquod obiectum ita eſt liber, vt poſsit illud velle, & nolle; amare, & odiſſe; ex conſequenti poteſt illud nõ velle ſupendendo actum circa illud. Et inde infertur, libertatem contradictionis (quæ coincidit cum libertate quoad exercitium) ſimul ſtare poſſe cum neceſsitate quoad ſpecificationem; directè tamen pugnare cum neceſsitate quoad exercitiũ: libertatem verò contrarietatis repugnare vtrique neceſsitati, tâm illi, quæ eſt circa exercitium; quâm ei, quæ eſt quoad ſpecificationem.

4. Senſus quæſtionis. Ex his iam patet ſenſus, & explicatio tituli quæſtionis: inquirimus enim; an dilectio Dei in Patria ita ſit neceſſaria quoad exercitium, vt voluntas beati nõ modo non poſsit, aut non diligere Deum, aut cum odio habere; ſed nec poſsit ſuſpendere actum dilectionis, actu non diligendo Deum, quem videt. An verò adhuc maneat libera, ſaltem libertate contradictionis, vt quantum in ſe eſt, poſsit non diligere? quare in hac quæſtione ſermo eſt de libero, prout opponitur neceſſario.

§. 2.
Referuntur opiniones.

5. Opinio prima quod dilectio ſit libera. DE propoſita quæſtione varias inuenio Theologorum ſententias. Prima opinio abſolutè negat, dilectionem Dei in Patria ex natura rei eſſe neceſſariam; imò potius abſolutè loquendo eſſe liberam: nam licet beatus à dilectione Dei nunquam ceſſabit; poteſt tamen ceſſare, ſi natura ipſius voluntatis præciſè ſpectetur: & inde inferunt, voluntatẽ in Patria non neceſſariò, ſed liberè Deũ amare. Hanc ſententiam ſatis expreſsit *Scotus in 1. diſt. 1. q. 4. §. Quantum ad tertiũ articulum, & in 4. diſt. 49. q. 6. litera D. §. Contra ſecundam poſitionem, & litera F. §. Dico ergo*: & quãuis ibi loquatur de fruitione, nomine fruitionis dilectionem intelligit, quia apud Scotum fruitio eſt ipſa dilectio. Cum Scoto ſimpliciter tranſeũt *Lychetus in dicta q. 4. fol. 36. col. 3. & 4. Bargius fol. 61. litera B. & fol. 62. litera A; & additio ad Scotum §. Negatiua huius articuli, Ouãdus in 4. diſt. 49. Propoſit. 14. Angles in quæſtione de beatitudine articulo 3. difficultate quarta, Supplementum Gabrielis ibidẽ q. 2. art. 3. dub. 3. & 4.* Ante Scotum eandem ſententiam probauit noſter *Iacobus de Viterbio in tract. de diuinis prædicamentis quæſtione ante penult. relatus à noſtro Toletano in 1. diſt. 1. q. 6. art. 3. & 4. contra quartam concluſionem.* Et ſuppoſito, quod voluntas in Patria actiuè concurrat ad dilectionem Dei, eandem ſententiam probat *Mayronius in 1. diſt. 1. q. 7. art. 3.* & facta eadem ſuppoſitione, ſi volũtas beati ſuæ relinquatur naturæ, cum Scoto conſentiũt Nominales: *Ochamus in 1. diſt. 1. q. 6. concl. 5. litera T. & in 4. q. 14. (quæ eſt vltima) litera B. dicto 6. quẽ ſequitur Gabriel in 1. diſt. 1. q. 6. art. 2. concl. 4. & noſter Toletanus ibidem q. 6. art. 1. concl. 2.* deniq; pro hac opinione plerique referunt *D. Thomam de veritate q. 22. art. 6. & prima ſecundæ q. 4. art. 2. & q. 10. art. 2. & 1. p. q. 82. art. 1.*

Scotus. Lychetus. Bargius. Ouandus. Angles. Supplemẽ. Iacobus de Viterbio. Mayron. Ocham. Gabriel. Toletan. D. Thom.

6. 2. Opinio quod ſit naturalis. Secunda ſententia ex diametro præcedenti opponitur, affirmans, voluntatem in Patria ſimpliciter ex ſua natura neceſſitari ad dilectionem Dei clarè viſi; ita vt non ſit in poteſtate illius, Deum clarè viſum actu non amare. Hæc eſt communis Thomiſtarum opinio: eam expreſſè probat *Capreolus in 1. diſt. 1. q. 3. art. 1. concluſ. 4. & ibidem Soncinas q. 3. concluſ. 4. & Hiſpalenſis q. 3. art. 1. concl. 3. Caietanus 1. p. q. 82. art. 1. ad primum D. Thomæ, & art. 2. ad finem Commenti §. Circa illa verba literæ, & 1. 2. q. 10. ar. 2. §. Ad hæc dicitur*, vbi etiam latè Conradus, & Medina. *Ferrarienſis 3. contra gentes cap. 62. ad finem Commenti, Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 4. concl. 4. Nauarrete tom. 1. contro. 37. §. 7. ad 1. arg. fol. 234. col. 2. & 3. cum cæteris omnibus Thomiſtis*: ex aliis eandem ſententiam probauere noſter *Aegidius Romanus quodlib. 5. q. 6. art. 3. §. His autem præhabitis*, quẽ ex noſtris ſecuuti ſunt *Argentin. in 1. diſt. 1.*

Capreol. Soncin. Hiſpalen. Caietan. Ferrar. Sotus. Naurrete. Aegid. Argent.

q.2.ar.1. cõcl. 3. & latiùs ar.3, Gerardus de Senis ibidẽ q.4. ar.3, noſter Alfonſus à Portugalia relatus à Toletan. in 1.d.1.q.7.a.3. cõt. primam. Durandus, in 4. diſt.48.q.2. & diſt. 49.q.8. num. 16. & ibidem Richard. art. 1. q. 2. ad 2. Paludanus q.7. num. 22. Henricus quodlibet. 12. q. 5. in cor. & ad 1. Heruæus quodlib. 1. q. 1. fol. 2. col. 3. §. Alio modo poteſt contingere, Carthuſianus in 2. diſt. 7. Maior in 4. diſt. 49. q. 8. concl. 3. Suarius in Commentarijs ad 1. 2. q. 4. art. 3. diſp. 12. in 2. dicto. & eandem affirmat in Metaph. diſp. 19. ſect. 8. num. 10. & Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4 punct. 1. §. Nihilominus contraria ſententia pag. 78. cum ſequentibus, Bellemontan. 1. 2. diſp. 16. cap. 2.

Gerard. Alphonſ. à Portugalia. Durand. Henricus. Heruæus. Carthuſia. Maior. Suarius. Valentia. Bellomon.

7. Tertia opinio putat, vtramque opinionẽ probabiliter defendi poſſe: ita Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 10 tract. 5. diſp. 4. ſect. 3. vbi num. 17. pag. 896. col. 2. quæſtionem diſputat, & adductis; ſolutiſque argumentis cõtra primam opinionem, quæ eſt Scoti, tandem ad finem num. 19. pag. 898. col. 1. poſt principium concludit opinionem Scoti defendi poſſe, & teſtatur, ſe eam defendiſſe q. 4. tract. 2. diſp. 7. ſectio. 1. in 3. ſententia pag. 404. col. 2. nu. 5.

3. Opinio. Salas.

8. Quæſtio iſta digna erat, quæ accuratiſſimè explicaretur, propter quãplurimas difficultates, quas inuoluit: ſed quia hoc longo indigebat tractatu, & timemus, ne tomus iſte ſecundus iuſtam excedat magnitudinem, ſatis ſit pro vtraque parte Authores referre, vt quiſque illos conſulat in difficultate diſſoluenda.

ARTICVLVS VII.

An dilectio Patriæ ſit actus humanus?

1. HAnc queſtionem attigimus 1. to. lib. 2. q. 1. art. 2. §. 5. nu. 19. partem affirmantem probabunt, qui putant, dilectionẽ Patriæ ex ſua natura eſſe actum liberum, quos citauimus art. 6. præcedente §. 2. in 1. opinione nu. 5: etenim omnis operatio libera eſt humana, vt diximus in dicta q. 1. art. 2. §. 3. num. 8. Eandem ſententiam probant nonnulli, eo ducti fundamento: quoniam licet dilectio Patriæ ſit actus neceſſarius; oritur tamen à voluntate non rapta ab obiecto, vt appetitus brutorum: nec determinata ab authore naturæ, vt appetitus naturalis; ſed vt applicante ſe ipſam ex aduertentia, & iudicio efficaciter iudicante obiectum illud eſſe dignum amore: quod ſatis eſt, vt dicatur humana: in ea enim ſunt opinione, vt actio ex eo præcisè dicatur humana, quia eſt ex plena poteſtate voluntatis, & procedit ex aduertentia rationis, ſiue illa ſit deliberata ſiue neceſſaria; quam opinionem nonnullos probaſſe ſcripſimus in d. q. 1. art. 2. §. 2. num. 4.

Quibus placet pars affirmans.

Oppoſitam ſentẽtiam probabunt, qui volunt, dilectionem Patriæ eſſe actum ſimpliciter neceſſarium, quos retulimus in præcedente articulo in 2. opinione: qui ſimul volunt, nullam actionem dici humanam; niſi in ſe ipſa ſit libera, vt oſtẽdimus in d. q. 1. art. 2. §. 3. & 4. 2.

Quibus placet oppoſita.

Reſolutio ſit, vt dilectio Dei in Patria dicatur actio humana in genere rei; non tamen in genere moris: etenim ſi propriè loquendum eſt, actio duobus modis poteſt dici humana: vno modo in genere rei, quia eſt à ſolo homine, vt aduertit D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 1. in principio, & diximus in d. q. 1. art. 2. num. 6. & §. 3. num. 8. Altero modo, in genere moris: in quo ſenſu actio dicitur humana, quia eſt actio moralis bona, vel mala, & ideo libera. Et ſolo hoc poſteriori modo actio ſimpliciter dicitur humana ſi propriè loquẽdum eſt, vt ex D. Ambroſio, & D. Thoma diximus in dicta q. 1. art. 2. §. 1. & 3. 3.

Reſolutio.

D. Thom.

Ad quæſtionem igitur dicimus, negari non poſſe, dilectionem Patriæ eſſe actionem humanam priori modo; quatenus ſcilicet actio dicitur humana, quia eſt ab homine, vt homo eſt, & ſubinde à ſolo homine: talis autem eſt dilectio Dei in Patria. Vtrùm verò dicatur humana poſteriori modo, & in genere moris? quæſtio pendet à reſolutione quæſtionis præcedentis articuli: nam ſi dilectio Dei ex ſua natura dependet à volũtate libera, vt docet prima opinio præcedentis articuli; negari non poteſt, eam eſſe actionem humanam: quia, vt diximus, omnis actio libera eſt moralis, & ex conſequenti eſt humana, vt aduertimus in dicta q. 1. art. 2. nu. 8. Porrò ſi dilectio Dei eſt actio neceſſaria; non ſatis Philoſophicè affirmabitur, eam eſſe actionem humanam; cum nõ ſit actio moralis, & libera. Quin potiùs, ſi in rigore loquendum eſt, non poteſt dici actio humana, quamuis admittatur actio neceſſaria 4.

Reſolutio.

ceſſaria, quidquid oppoſitũ velint, quos initio retulimus: etenim, *vt diximus ſupra art. 4. nu. 4.* dilectio, licet neceſſariò requirat viſionem præcedentem; non tamẽ illam requirit, vt iudicat, & dictat Deum eſſe ſummè diligendum, ſed antecedit tale iudicium.

ARTICVLVS VIII.

An amor ſit propter viſionem; an viſio propter amorem?

1. Qui negãt amorẽ eſſe propter viſionem.

QVæſtio eſt controuerſa; quia cõtrouerſũ eſt an beatitudo eſſentialiter ponatur in viſione? An in amore? qui eam ponũt in amore, ſiue dilectione, non ſolum negant amorem eſſe propter viſionem; quia vltimus finis non poteſt eſſe propter alium finem, vt docet *Ariſtotel. 1. Ethicorum cap. 7. text. 28. & 2. Metaph. cap. 2. tex. 8.* ſed etiam affirmant, viſionem eſſe propter amorẽ; quia ex Ariſtotele inijſdem locis cætera omnia ſunt propter vltimũ finem, ita docet *Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. litera B. §. Præterea voluntas & litera L. §. Præterea 9. Metaph. & Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 1. q. 1. art. 2. in 5. argument. contra 6. fol. 23. col. 2.*

Ariſtotel. *Scotus.* *Aureolus.*

§ Qui affirmant.

Oppoſitam ſententiam probabunt, qui beatitudinẽ eſſentialiter ponunt in viſione; apud quos tantũ abeſt, vt viſio ſit propter amorem, tanquã propter finem, vt amor potius ſit propter viſionẽ ex doctrina Ariſtotelis ſuperius adducta.

2. Reſolutio.

Vera huius rei reſolutio ſit, vt dilectio Dei à beato nõ eliciatur propter finem aliquẽ ſiue in ea ponatur beatitudo, ſiue nõ ponatur, ſi illa eſt actio naturalis. Fundamentum eſt; quia ſuppoſita illa opinione, dilectio, ſiue eſſentialiter ſit beatitudo, ſiue non ſit, eſt à voluntate, vt à natura: voluntas autem vt eſt natura, non dirigit ſe ipſam, ſed ab alio dirigitur, vt oſtendimus *lib. 1. q. 16*: iam verò voluntas quãdo operatur propter finem, operatur non directa ab alio, ſed à ſe ipſa, vt ibidem oſtendimus. Porrò, ſi dilectio Dei in Patria eſt actus liber, & in ea ponitur beatitudo, non poteſt eſſe propter finem: quia vltimus finis non eſt propter alium finem, vt diximus ex Ariſtotele. Sed an iſta duo cohæreant, eſſe vltimum finẽ, & eſſe liberũ videãt huius opinionis Authores: quod enim voluntas libere elicit, propter finem elicit, ſi huius rei Philoſophia benè expendatur, vt alibi oſtendimus.

Porrò ſi ſermo ſit in ordine ad Deum 3.
rerum omnium inſtitutorem, controuerſum eſſe poteſt; an amor ſit propter viſionem? an è conuerſo? Qui beatitudinem poſuerit in viſione; non poteſt non aſſerere amorem eſſe inſtitutum à Deo propter viſionem. Oppoſitum dicet, qui beatitudinem poſuerit in dilectione, nam cũ Deus ad extra agat propter finem, vt oſtendimus 1. tom. lib. 1. res ordinabit ad vltimum finem earum. Vide, quæ diximus 1. tom. lib. 4. q. 10. art. 4. §. 5. n. 30.

ARTICVLVS. IX.

An amor Patriæ virtute contineatur in viſione?

HAnc quæſtionem attigimus 1. *tomo lib. 4. q. 10. art. 6. num. 7. ad quintum argumentum.* Partem negãtem probabunt, qui beatitudinem ponunt in amore: etenim beatitudo eſſentialis, non ſolùm virtute non continetur in alio; ſed cætera virtute continet: eſt enim fons, & origo, vnde emanant, & reſultant omnes perfectiones ſtatus beatifici: & ideo omnes illas continet, continentia quadam virtuali, & eminentiali. Quare ſi dilectio Patriæ eſt beatitudo eſſentialis, non poterit cõtineri virtute in viſione: alioquin eſſet minus perfecta, quàm viſio, quod repugnat, ſi illa eſt formalis beatitudo. Imò viſio ipſa virtualiter, & eminenter continebitur in ipſo amore: quia beatitudo eminenter continet omnes perfectiones ſtatus beatifici, 1. Pars negãs.

Oppoſitam ſententiã fortè probabũt, qui beatitudinem ponunt in ſola viſione: & ſuam opinionem ijſdem fundamentis probabunt, quibus opinio præcedens probatur. 2. Pars affirmans.

Vera reſolutio ſit, vt amor, nec virtualiter, nec eminẽter contineat viſionẽ, etiã ſi in illo ponatur eſſentialis beatitudo: nec viſio ipſum amorẽ virtute cõtinet, etiamſi in illa ponatur beatitudo formalis. Prima pars huius reſolutionis ex eo probatur; quia non eſt de ratione beatitudinis formalis, quòd aut eminenter, aut virtualiter contineat omnes operationes ſtatus beatifici, vt aduertimus lib. 4. quæſt. 10. 3. Vera reſolutio.

artic. 6. num. 7. & ſatis patet, quia non eſt opus, vt beatitudo formalis habeat virtutem productiuam illorum actuum: aut illos habeat modo quodam altiori, & magis vnitè; eo modo, quo Sol eſt virtualiter, & eminenter calidus, & exſiccatiuus. Quare licet amor eſſet ipſa formalis beatitudo, non proinde virtualiter, aut eminẽter contineret viſionem: quia nec altiori modo eam contineret; nec eſſet productiuus viſionis.

4. Secũda verò pars eodẽ medio probatur: nec enim viſio, licet eſſet beatitudo formalis, altiori modo eſſet amor; nec virtute illum contineret: quia notitia obiecti non concurrit efficienter ad actum voluntatis; ſed ſolùm, vt conditio neceſſaria ad hoc, vt obiectum debitè applicetur, vt diximus ſupra art. 3. & 5.

ARTICVLVS X.

Vtrùm amor, ſiue dilectio Patriæ ſit nobilior, vel amabilior, quàm viſio?

1. Variæ opiniones. IN hoc articulo duo inquirũtur, vnum eſt; an amor ſiue dilectio Patriæ ſit nobilior, quàm viſio? Alterum eſt, an ſit amabilior, & appetibilior, quàm illa? Quæſtio quoad vtramque partem eſt cõtrouerſa: vtriuſque reſolutio pendet à reſolutione quæſtionis ſatis etiam controuerſæ; an beatitudo formalis eſſentialiter ponatur in viſione, quæ eſt actus intellectus? An in dilectione, ſiue amore, qui eſt actus voluntatis? Qui probauerit viſionem eſſe ipſam formalem, & eſſentialem beatitudinem; ſimul etiam probabit, viſionem eſſe, & nobiliorem, & amabiliorem ipſa dilectione: è conuerſo dicet, qui voluerit, beatitudinem formaliter poni in dilectione: neceſſariò enim dicet dilectionem eſſe actum magis nobilẽ, & amabilem, quàm ſit viſio.

2. Reſolutio. Quare cum nos libro quarto problematicè defendamus quæſtionem, an beatitudo ponatur in viſione; An in dilectione; pro vtraque parte etiam defendimus; An viſio nobilior ſit, & amabilior, quàm dilectio? An è conuerſo? Quòd viſio ſit delectione nobilior cum Thomiſtis latè defendimus *in dicto lib. 4. quæſtio. 8. articulo 5. per totum*; quòd etiam ſit amabilior, quàm dilectio, cum iiſdem Thomiſtis defendimus in eadem *quæſtione* 8. *articulo* 9. E contrariò verò, quòd dilectio ſit nobilior, quàm viſio diſcuſsimus *in dicto lib. 4. quæſtio. 10. art. 1. §. 2. in ſecunda ratione num. 8. & 9. & latiùs articulo 4. §. 2. numero 11.* quòd etiam ſit appetibilior, & amabilior, quàm illa, videre poteris in dicta quæſt. 10. artic. 4. §. 6. Elige, quam volueris opinionem: mihi ſemper fuit probabilior opinio, quæ beatitudinem in viſione collocat: & hanc in hoc libro, vt veriorem ſupponimus: quare probabilius erit aſſerere, viſionem, & nobiliorem eſſe, & amabiliorem, quàm ſit dilectio.

ARTICVLVS XI.

An amor Patriæ ſpecie diſtinguatur ab amore viæ?

QVAESTIO iſta aliquam habet controuerſiam. Quidam duos iſtos amores ſpecie nondiſtinguũt: 1. inter quos eſt *Bellomontanus prima ſecundæ diſp. 11. cap. 4. numero 20. & 22.* & eandẽ docuit opinionem ibidem *diſp. 9. num. 35.* Eãdem magis probat *Salas 1. tom. ad primã ſecundæ tract. 2. diſp. 2. ſect. 5. num. 42. pag. 176. col. 2. & latiùs 2. tom. q. 114.* Bellomon. Salas.

Oppoſitam tamen ſententiam, quòd ſcilicet iſti duo amores ſpecie diſtinguantur, plerique Theologorum probarunt, quorum opinionem diximus eſſe probabiliſsimam *primo tomo, lib. 4. quæſtion. 11. art. 4. num. 19. & 20.* vbi illius fundamentum poſuimus. Vide, quæ ibi diximus. Oppoſita verior.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm creaturæ in Deo viſæ eodem amentur amore, qua amatur Deus?

HÆC quæſtio dubiã eſt. Affirmantem partem nonnulli probant: in quam potius inclinat Suarius *1. tomo in tertiam partem diſp. 39. ſect. 2. §. Dico ſecundo pagina 755.* Alij negantem amplectuntur, quam potius approbat *Scotus in 3. diſtinct. 18. q. 1. ad ſecundum principale cum Lycheto, & Scotiſtis: nec diſplicet Suario vbi ſuprà.* difficultas explicatione indigebat: ſed quia eam latius explicauimus in materia de Incarnatione. diſp. 2. Suarius. Scotus.

de

de merito Chriſti; ideo à diligentiori illius diſcutione ſuperſedemus, ſperamus enim forè (Deo volente) vt noſtras de Incarnatione diſputationes in lucem proferamus: ſatis modo ſit lectorem remittere ad ea, quæ Suarius in præcitato locò ſcribit.

ARTICVLVS XIII. & vltimus.

An dilectio in Patria realiter diſtinguatur à delectatione?

DE hac quæſtione dicemus inferiùs q. 13. articulo ſexto.

QVÆSTIO. XI.

De amore concupiſcentiæ, quo beatus Deum amat.

1. DIXIMVS de amore amicitiç, quo beati amant Deũ, aut amicum, & illi volunt bona omnia, quæ habet: ſupereſt dicamus de amore concupiſcentiæ, quo beati Deum ipſum amant ſibi ipſis: amorem enim in præfatione ante quæſtionem decimam diuiſimus in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ. De hoc igitur amore nonnulla ſunt inquirenda.

Deus amatur hoc amore.

1. Articulus ¶ Primo inquiri poteſt, an in beatis detur amor concupiſcentiæ erga Deum? Nonnulli negant: ita *Durandus in 3. diſt. 26. quæſt. 2. articulo primo; quem probat præceptor meus Frater Franciſcus à Chriſto in primo diſtinctione prima, quæſtione quinta ad finem.* Sed ſine fundamento, ſi vera ratio amoris concupiſcentiæ expendatur: etenim amor concupiſcentiæ eſt amor, prout terminatur ad bonum, quod amico concupiſcimus, & ob id dicitur cõcupiſcentiæ, quia ſcilicet terminatur ad bonum concupitum alteri: vide, quæ diximus 1. *tomo. libro quarto quæſt. 11. artic. 3. §. primo, num. ſecundo, & tertio.* Iam verò nulla datur inordinatio, imò ordinatio maxima, ſi Deum concupiſcamus nobis, tanquam vltimum, & beatificum bonum noſtrum. Quare communis ſententia Theologorum libenter admittit Deũ amari à beatis amore concupiſcentiæ: ita *Diuus Thomas ſecunda ſecundæ q. 17. artic. 8. & q. 57. artic. 4.* cum pleriſque alijs, quos latè citauimus *in dicta quæſt. 11. art. 3. num. 7.* vbi aduerſariæ ſententiæ fundamenta diſſoluimus: vide etiam, quæ diximus *lib. 1. q. 2. articulo. 3. §. 4. num. 10;* vbi pro communi citauimus *Conradum prima ſecundæ q. 2. artic. 3. & Medinam ibidem §. Huic argumento.*

(Left margin: Durand. — Fr. Franciſcus à Chriſto. — Right margin: D. Thom. — Conrad. — Medina.)

Non eſt beatitudo.

¶ Secundo inquiri poteſt; an beatitudo formaliter ponatur in hoc amore concupiſcentiæ? Qui eam in ſolo illo poſuerit, nullũ inueni: non defuerunt tamen, qui docuerint, hunc amorem ad eſſentiam beatitudinis pertinere: ita ſentit Richardus *in 4. diſtinctione 49. artic. 1. q. 6. ad quartum: nec omnino diſplicet Baſſolio ibidem q. 2. artic. 3. §. Dicunt aliqui.* Sed hanc ſentẽtiam impugnauimus *in dicto lib. 4. in dicta quæſtione 11. art. 3. nu. 14. & 18. vide ibi.* 3. Art. 2.

(Right margin: Richard. — Baſſol.)

Eſt minus nobilis, quàm amor amicitiæ.

¶ Tertio fortè quis inquiret; an amor iſte concupiſcentiæ, quo Deum nobis amamus, tanquam bonum noſtrum, æque ſit nobilis, atque amor amicitiæ, quo beatus Deum amat, vt amicum, cui vult omne bonum. Solutio eſt facilis: quia indubitatum eſt, hunc amorem eſſe minus perfectum, & minus nobilem, quàm ſit amor amicitiæ: ita docuit *Diuus Thomas ſecunda ſecundæ q. 28. art. 1. ad tertium, & clariùs id docuerat quæſtione 17. articulo octauo; & prima ſecundæ q. 26. artic. 4. & in 4. diſt. 49. q. 1. articulo 2. quæſtiuncula 1. ad tertium, & de virtutibus quæſtione de Spe, articulo 3. conſentiunt Scotus in 4. diſtinctione 49. quæſt. 5. litera B. & Richardus art. 1. quæſtio. ſexta ad 4. & in 3. diſtinctione 26. articulo 7. quæſtione 2. quam ſententiam multis confirmauimus in dicto lib. 4. quæſtione 11. art. 3. num. 15. cum ſequentibus.* 4. Art. 3.

(Right margin: D. Thom — Richard.)

Hoc amore Deus amatur propter ſe.

¶ Vltimo inquiri poteſt; Vtrùm beatus amans Deum amore concupiſcentiæ, tanquam bonum ſibi, amet eum propter ſe? Nonnulli negant, vt Durandus, & Franciſcus 5. Ar. 4.

ciſcus noſter à Chriſto in locis citatis: fundamentum eſt: quia amor concupiſcentiæ ex ſua ratione habet, quod ordinetur ad illum, cui concupiſcit bonum, tanquam ad finem. Ergo beatus amans Deum amore concupiſcentiæ non amat eum propter ſe.

Affirmans eſt vera. Oppoſitum tamen docuimus libr. 4. in dicta quæſtio. 11. articulo 3. numro. 8. & 9. nam licet bonum amatum amore concupiſcentiæ non ametur, niſi relatè; quia amatur, vt bonum conueniens, quo modo includit ralationem ad Deum, cui tale bonum conuenit; tamen ſimpliciter amatur propter ſuam bonitatem, & quatenus in ſe eſt quoddam bonum, vt aduer timus in dicto numero octauo., & latiùs libro 1. quæſtione ſecunda. Et hæc de amore concupiſcentiæ.

QVÆSTIO XII.

De gaudio, ſiue delectiatione ſecundum ſe:

1\. EXPLICATA perfectione beatifica, quæ eſt amor, ſiue dilectio, eſt explicanda ſecunda beatifica perfectio, quæ eſt gaudiũ, ſiue delectatio. Et antequã de delectatione, quæ in beatis reperitur dicamus; oportet prius diſputem⁹ de ipſa delectatione ſecundum ſe. De qua excitabimus quatuor articulos. Primus; quid ſit delectatio? Secundus; An ſit operatio elicita ab appetitu? Tertius; An ſit propter operationem; Quartus, & Vltimus; An ſit actus realiter diſtinctus ab amore?

ARTICVLVS I.

Quid ſit dectatio?

1\. IN hoc articculo nulla datur difficultas: quia axioma eſt Philoſophicum ſatis tritum, vt gaudium, ſiue delecta tio non ſit aliud, quam quies appetitus in bono, ad quod per motum deſiderij mouebatur: nam, ſicut, quæ naturaliter mouentur in aliquem terminum, in eo acquiſito quieſcunt, ei naturaliter inhærendo: ita, quæ motu deſiderij intentionaliter mouentur ad aliquòd bonũ, quòd appetunt, in eo acquiſito requieſcunt, adhærendo illi cum delectatione. Controuerſia à tamen eſt, quid nã ſit talis quies, de quo in ſequenti articulo.

ARTICVLVS II.

An delectatio ſit operatio elicita à potentia appetitiua?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1\. Quid nã ſit operatio. QVÆSTIO controuerſa eſt inter Philoſophos, an quies, ſiue delectatio in bono poſſeſſo ſit ali qua operatio ab appetitu elicita? An verò ſit aliqua paſsio? Sunt qui negant, delectationem eſſe aliquam operationẽ elicitam ab appetitu: volunt enim, eam eſſe paſsionem quandam in appetitu receptam: ita Scotus *in 4. diſtinctio. 49. quæſtio. 4. litera E. & latiùs quæſtio. 7. litera A. & in primo, diſtinctio. 1. quæſt. 3. & in 3. diſt. 15. quæſtione vnica litera D; ex Scotiſtis Mayronius in primo diſtinct. 1. quæſtione 2. articul. 4. Baſſolius ibidem quæſtio. 2. articul. 2. & in 4. diſtinct. 49. quæſtione 2. articul. 1. ad tertium; & articulo 3. §. quantum ad actum voluntatis. Ouandus ibidem propoſitio. 22. eandem ſententiam probauit Henricus quodlibeto 11. quæſtione 8. & 9. ex noſtris Argentin. in 4. diſtinſtione 49. quæſtione 3. articul. 2. ad ſeptimam probationem octaui argumenti; Michael de Maſſa in 1. diſtinctione prima, quæſtione tertia articulo primo, Landulfus ibidem quæſtione vltima, articulo ſecundo: ex Thomiſtis expreßè Sotus in quarto diſtinctio. 49. quæſtio. prima, articulo quarto, pagina 570. columna prima §. Ratio autem: accedunt etiam Nominales, Ochamus, & Gabriel vterque in primo, diſtinctione prima, quæſtione tertia, articulo ſecundo;* qui omnes volunt delectationem non eſſe operationem ab appetitu elicitam; ſed eſſe paſsionem quandam, atque qualitatem in appetitu receptam. Differunt tamen, â quo nam qualitas iſta producatur? quidam volunt, eam produci ab ipſa viſione, & apprehenſione obiecti: alij ab obiecto, cui voluntas per amorem

Scotus. Mayroni⁹ Baſſol. Ouand. Henricus, Argent. Michael de Maſſa. Landulf: Sotus. Ocham. Gabriel.

rem eſt coniuncta: alij denique ab ipſo actu amoris, quo voluntas coniungitur obiecto.

3\. 2. Sentẽtia quæ ſit operatio.

2\. Sentẽtia huic ex diametro opponitur, & docet, delectationem non eſſe paſſionem, ſed veram operationem potentiæ appetitiuę; quæ opinio, & inter Antiquiores, & Nouiores eſt cõmunior: eam probat *D. Thomas prima parte q. 64. ar. 3. in corpor. & ad tertium & 1. 2. quæſt. 31. artic. 1. & 4. vtrobique in corpor. & ad primum idem D. Thomas prima ſecundæ. q. 22. art. 3. in corp. & ad 3. & q. 3. artic. 1. & 4. & vtrobique in corpor. & ad 2. tandem 1. contra gentes cap. 90. in 1. argum. Capreolus in 1. diſt. 1. q. 1. artic. 1. concluſ. 3. & artic. 3. ad argumenta contra tertiam; vbi etiam Hiſpalenſis & Soncinas concluſione 3. Caietanus 1. p. q. 64. artic. 3. & prima ſecundæ, q. 22. artic. 3. & latiùs q. 31. artic. 4. Ferrarienſ. 1. contra gentes cap. 90. in 1. argum. Conrradus prima ſecundæ. q. 26. artic. 1. ad ſecundum, & q. 31. art. 1. ad 1. & q. 32. art. 1. Medina prima ſecundæ q. 3. artic. 8. Gregor. in 1. diſtinct. 1. q. 2. art. 2. concluſ. 1. Maior ibidem q. 6. concl. 1. Gerardus de Senis q. 1. art. 3. Præceptor Franciſcus à Chriſto q. 1. & ſecunda, Valentia 2. tom. diſput. 3. quæſt. 5. punct. 1. Bellomont. prima ſecundæ diſput. 14. cap. 1. nu. 6. Lorca ad primam ſecundæ de actibus humanis diſput. 48. Membr. 2. in capit. de delectatione, & triſtitia pagin. 531. colum. 2. denique Salas 1. tom. ad primam ſecundæ q. 4. tract. 1. diſp. 7. ſect. 4. in 4. opinione num. 25. pagin. 412. col. 2.*

D. Thom. Capreol. Hiſpalen. Soncin. Caietan. Ferrar. Conradus. Medina. Gregor. Maior. Gerard. Franciſc⁹ à Chriſto. Valentia. Bellomon. Lorca. Salas.

4\. 3. Opinio.

Tertia opinio eſt eorum, qui duplicẽ diſtinguunt delectationem: vnam, quæ habet pro obiecto ipſam rem: aliam; quæ habet pro obiecto ipſam operationem: inquiunt igitur, priorem eſſe operationem; poſteriorem verò operationem non eſſe, ſed paſsionem elicitam, & cauſatam ab ipſà operatione. *Hæc eſt opinio Aureoli apud Capreolum in 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 2. contra 6. ſecundo loco maximè in 5. argum. quam etiam probat Toletanus idem q. 1. artic. 1. & artic. 2. concluſ. 3. & art. 3. ad argumenta contra tertiam; & inferiùs q. 3. art. 3. ad argumenta Landulſi contra quintam.*

Aureol. Toletan.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla.

HÆc quæſtio longiorem poſtulabat diſcutionem, propter varias diſſicultates, quas includit. Nos opinionem ſecundam putamus eſſe tenẽdam: pro cuius explicatione præmittenda ſunt nonnulla.

Delectatio in ſola potentia appetitiua reperitur.

¶ Primo loco præmittimus in hac quæſtione ſermonem eſſe de ſola delectatione animali, & intellectiua: dubium tamẽ eſſe; vtrũ omnis delectatio ſit in potentia appetitiua? an verò poſsit eſſe in cognoſcitiua, in intellectu ſcilicet, & ſenſu? etenim non deſunt, qui velint, delectationẽ non ſolùm reperiri in ſola potentia appetitiua; ſed etiam in quacumque potentia animali operante, ita vt quæcumque potentia recipiens in ſe ſuam operationem, (vt ſenſus ſenſationẽ, & intellect⁹ intellectionem) ipſa ſua operatione delectetur; delectatione tamen, quæ idem eſt realiter cum operatione potentiæ; ab ea tamẽ formaliter diſtincta, tanquam modus illius, & tanquam veluti complementum, & pulchritudo. Quæ ſententia probata fuit viro, noſtræ huius tẽpeſtatis doctiſſimo in Commentarijs *ad primam ſecundæ q. 4. artic. 1. & 2.* apud quem duplex ſtatuitur delectatio: vna; quæ reperitur in potentia appetitiua, ſiue intellectiua ſit, ſiue ſenſitiua: altera; quæ eſt in potentia per cognitionem operante, qualis eſt, & intellectus, & ſenſus. Quæ opnio prius probata ſuit cuidam *Landulfo apud Tõletanum in primo diſt. 1. q. 3. artic. 3. cõt. 1. & probata fuit Bellomontano 1. tom. ad primam ſecundæ diſput. 14. cap. 3. nu. 16. & 17.* Hanc opinionem doctor ille modernus nõnullis teſtimonijs Ariſtotelis confirmat: primum ſumitur ex 10. Ethicorum cap. 4. text. 14; vbi ait. *In vnoquoque ſenſu voluptas eſt: & in mente ſimili modo:* Et ſtatim text. 15. *In vnoquoque autem ſenſu voluptatem fieri conſtat:* Et cap. 5. text. 20. ita ait: *Nam vnicuique operationi eſt propria quædam voluptas:* Et ſtatim: *Magis autem propriæ ſunt operationibus voluptates, quæ ſunt in ipſis, quàm ipſæ cupiditates.* 5. Solius eſt appetens.

Landulſ⁹. Bellomon. Ariſtot.

Hanc tamen ſententiam communis aliorum opinio non recipit: cõmunis enim, & Philoſophorum, & Theologorum ſen-

6. Non recipitur. tẽtia delectationẽ verè, & propriè ſumptam in ſolo appetitu admittit: quod latè probat *Toletanus vbi ſuprà q. 3. art. 2. concluſ. 1. diximus verè, & propriè ſumptã*: quia parum refert, ſi in quacumque potentia per cognitionem operante admittamus delectationem, quam hæc opinio fingit, quæ nec ſit operatio, nec ab operatione realiter diſtinguatur; ſed ſolum tanquã modus illius, complementum, & pulchritudo, vt aduertimus lib. 4. q. 11. articul. 2. num 6. nam & in hoc ſenſu in appetitu naturali, qui in quacumque re, etiam cognitione carente, datur ad propriã perfectionem, talis delectatio admitti poteſt: realiter tamen indiſtincta: tùm à re, quæ delectatur; tùm ab ipſo naturali appetitu: cum talis delectatio, nec ſit actus elicitus, nec receptus, ſed ipſamet res in ſua naturali perfectione conquieſcens: in quo diſtinguitur à delectatione, quæ reperitur in verò appetitu: hæc enim delectatio eſt qualitas quædam realiter diſtincta ab ipſo appetitu, ſiue illa ſit operatio, ſiue paſſio, actuſque receptus: in hoc enim ſenſu in quacumque potentia etiam cognoſcente datur appetitus naturalis ad ſuam operationem, tanquam ad perfectionem ſibi connaturalem. Parum igitur refert, quod admittamus, hanc delectationem ab operatione cognitionis indiſtinctam; cũ hæc ad noſtrum inſtitutum non pertineat. Illud tamen Bellomontano, & alijs non admittemus. ſ. Ariſtotelẽ in Ethicis in locis in contrarium adductis eſſe intelligendum de hac delectatione, de quo ſtatim agemus.

Toletan.

Delectatio vera in quo ſenſu ſit duplex?

¶Secundò præmittimus, duplicem delectationem in potentia appetitiua admittendam eſſe, ſi huius rei Philoſophiam attentius expendamus. Pro cuius explicatione aduertimus, Aureolum cum noſtro Toletano in potentia appetitiua admittere duplicem delectationem propriè ſumptam: vnam, quæ immediatè terminatur ad obiectum, in quo appetitus conquieſcit: alteram, quæ terminatur ad ipſam operationem, qua bonum illud formaliter acquiritur. Inter vtramque hoc deſcrimen conſtituunt; quòd prior illa non ſequitur operationẽ, nec eam intrinſecè perficit; cum vera ſit operatio ab appetitu elicita; hæc verò poſterior neceſſariò eſt annexa alicui operationi, quam ex ſua natura, & conſequitur, & perficit, tanquam paſſio recepta in illa. Prior illa eſt cum formali aſſecutione boni, quod amatur, & eſt quædam quies in eo: hæc poſterior ſupponit aſſecutionẽ boni amati, & in hac aſſecutione conquieſcit. Hæc eſt opinio *Aureoli apud Capreolũ in 1. diſt. 1. q. 1. art. 2. contra ſextam, ſecundo loco, maximè in 5. argum. quam etiam probat noſter Toletanus ibidem q. 1. art. 1. & 2. concl. 3. & art. 3. ad argum. contra tertiam, & inferiùs q. 3. art. 3. ad argumenta Landulfi contra 5.*

7. In quo ſenſu delectatio ſit duplex.

Aureol. Toletan.

Ego cum his authoribus libenter admitto, duplicem delectationem: at tamen longè alio modo: quin potius puto authores iſtos non ſatis Philoſophicè loqui, dũ delectationem terminatam ad obiectum, quod delectat, diſtinguunt à delectatione, quæ terminatur ad formalẽ boni amati aſſecutionem; idque ſi ſermo ſit de delectatione directa; etenim ſi huius rei Philoſophia benè expendatur, vna, & eadem delectatio fertur, & in rem, quæ aſſecuta delectat, & in ipſam formalem rei aſſecutionem: aliter tamen, & aliter; quoniam in ipſam rem, quæ delectat, terminatur, vt in obiectum *quod*: in ipſam verò operationem aſſecutiuam, vt in obiectum *quo*: quæ eſt doctrina *D. Thomæ 1. 2. q. 11. art. 3. in corp. & ad 3. & in 1. d. 1. q. 2. art. 1. ad 2. quam probat Capreolus ibidem q. 1. art. 1. concluſio. 5. & art. 3 ad argumenta contra eandem*: etenim ex obiecto, quod acquiritur, & ex obiecto, quo acquiritur, conſtituitur vnum obiectum totale, vt cum communi ſententia ſæpè diximus ex *D. Thoma in dicta q. 11. art. 3.* quod euidenter patet in appetitu ſenſitiuo: eadem enim delectatione quis delectatur de guſtu vini, & de vino guſtato. Quare ſi ſermo ſit de delectatione directa, delectatio terminata ad rem, quæ delectat, contra regulas Philoſophiæ diſtinguitur à delectatione, quę terminatur ad operationem aſſecutiuam rei, quæ delectat. Dixi, *de delectatione directa*: quoniam ſi voluntas, ſicut poteſt, reflectatur ſupra ipſam operationem aſſecutiuam boni amati, quod aſſecutum delectat; poteſt delectari de ipſa aſſecutione, tanquam de bono proprio; idque per delectationem à priori realiter diſtinctam; cum

8. Vera opini.

D. Thom. Capreol.

cum obiectum, *vt quod* diſtinctum ſit: etenim ipſa formalis boni amati aſſecutio quæ in delectatione directa erat obiectũ *quo*, in hac reflexa eſt obiectum *quod*.

9. In quo ſenſu ſit duplex Hac igitur omiſſa opinione, ego puto duplicem eſſe admittendam delectationem, inter ſe realiter diſtinctam, vt in delectatione Patriæ annotauimus *lib.* 4. *q.* 11. *art.* 2. *nu.* 9. ſuppoſita enim opinione, quòd delectatio ab amore diſtinguitur, de qua ſtatim; duplex delectatio diſtingui poteſt, ſaltem in aliquibus. Et vt clarè procedamus in beatis duplicem debemus diſtinguere delectationem: vnam, quæ ſequitur amorem, quo beatus vult Deo bona, quæ in eo videt: alteram, quæ ſequitur amorem, quo beatus vult Deum ſibi, tanquam ſummum ſuum bonũ: hos enim duos amores dari in beatis, tanquam indubitatam Theologiam ſæpè diximus. Cum verò delectatio conſequatur ad bonum præſens, quod alicui amatur: & beatis duo proponantur bona præſentia (bonum, ſcilicet diuinæ perfectionis, quod beatus vult Deo; & bonum beatificans, quod beatus vult ſibi) vtique ſicut ſunt duo diſtincta bona poſſeſſa; (perfectiones. ſ. diuinæ, quas Deus poſsidet, & ipſe Deus bonum beatificans, quod poſsidet beatus) duplex etiã erit delectatio in beatis vna beatifica terminata ad bonum poſſeſſũ à Deo: altera nõ beatifica terminata ad Deum poſſeſſum ab ipſo beato, de quo inferiùs dicemus. Hanc igitur Theologiã tãquam veriſsimam ſupponimus cum *D.* D. Thom. *Thom.* 2. 2. *q.* 28. *ar.* 1. *&* 2. An duplex iſta delectatio extra Patriam, & extra bonũ ſummum, & beatificans dari poſsit? alterius eſt quæſtionis: de qua modo non curamus; quia ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt poſſe de eodem bono concupito dari duplicem delectationem.

§. 3.

Ponitur vera reſolutio.

10. Vera opinio His ita præmiſsis, veriſsimam putamus ſecundam opinionẽ, quæ aſſerit, delectationem eſſe operationem verè elicitam à potẽtia appetitiua; idque ſi ſermo ſit de delectatione propriè ſumpta, qualis eſt delectatio intellectiua, & ſenſitiua: quam opinionẽ, vt veriſsimã approbauimus ſuprà *lib.* 4, *q.* 11. *artic.* 2. *nu.* 1. *cum ſequentibus*, vbi eam confirmaui mus teſtimonijs, tùm Ariſtotelis, tùm Auguſtini, tùm etiam rationibus. Quod iterum latiùs hoc loco præſtabimus.

Probatur ex Ariſtotele.

¶ Et quamuis plures dubitent, quid nam de hac re ſẽſerit Ariſtotel. vt patet ex ijs, 11.
quæ ſcribunt Bellomontanus 1. 2. *diſput.* Pro hac eſt
14. *cap.* 4. *num.* 15. *&* *Salas ibidẽ q.* 4. *tract.* Ariſtot.
2. *diſp.* 7. *ſect.* 4. *num.* 32. *pag.* 414. tamen ſi *Bellomõt.*
quæ ſcribit, diligentius expendãtur, puto *Salas.*
mentem Ariſtotelis eſſe delectationem inter operationes enumerare. Quod primum oſtenditur ex ijs, quæ docet in 7. Ethicorum cap. 12. text. 54. vbi ita habet: (Teſtimoniũ Ariſtot.) *Quapropter non benè ſe ſe habet voluptatem dicere generationem eſſe ſenſibilem: ſed dicendum eſt potius, operationem eius habitus eſſe, qui eſt ſecundum naturam: & pro hoc ſenſibile: ſine impedimento.* Pro intelligentia horum verborum aduerto Ariſtotelem ſoluere (Primò.) rationem quorundam, qui ex eo probabant, nullam voluptatem eſſe bonum; quia nulla voluptas eſt finis: cum omnis ſit generatio ſenſibilis ad naturam: generatio autem non eſt finis, ſed via ad finẽ. Hoc argumentum ponitur ad finem capitis 11. Ad illud reſpondet Ariſtoteles in præcitatis verbis, & negat voluptatem eſſe generationem ſenſibilem, cùm nõ ſit operatio tendens ad conſtituendam naturam: cum potius ſit operatio non impedita habitus, qui iam eſt ſecũdum naturam, id eſt, illi iam connaturalis: vnde putat, diffinitionem voluptatis traditam ab illis Philoſophis: *Voluptas eſt generatio ſenſibilis*, ita eſſe corrigendam, vt voluptas ſit operatio non impedita, id eſt ſine impedimento elicita ab habitu, qui iam ſecundũ naturam cõſtitutus eſt, & perfectus. Hæc eſt communis illius loci explicatio probata D. Thomæ, & alijs, quam etiam probat Bellomontanus vbi ſuprà. Quare ex præ 12.
citatis verbis ſatis euidenter colligitur, vo Secundo.
luptatem apud Ariſtotelem eſſe operationem. Idem colliges ex eodem ibidẽ tex. 56. vbi ſoluit quintam rationem poſitam cap. 11. textu. 52. quæ ex eo ſumebatur, quod nulla ars eſt voluptatis, id eſt, nulla ars habet pro effectu voluptatẽ: cum tamen omne bonum ſit opus artis. Nulla igitur voluptas eſt bonum: ad hoc argu-

mentum reſpondet Ariſtotel. ſe libenter admittere voluptatem nō eſſe opus artis, quia ars non eſt factiua alicuius operationis: voluptas autem eſt operatio. 13. Tertio. Tertio loco verbis expreſsis idē docet in d. lib. 7, cap. 13. text. 59. vbi tanquam notiſsimum ſupponit, voluptatem eſſe operationem ſine impedimento. 14. Quarto. Quarto loco accedat Ariſtotel. 1. Rethoricorū ad Theodectem cap. 10. in fine, dum affirmat, *delectationem eſſe motum quendam animi, & affectionem totam ſimul*: motus autem animi propriè eſt animi operatio. 15. Quinto. Quinto faciunt, quę ſcribit libr. 3. de Anima cap. 7. text. 29. vbi docet, *delectari, aut dolere, eſſe operari ipſa medietate ſenſus ad bonum*: per medietatem ſenſus omnium conſenſu intelligitur appetitꝰ, vt ex Simplicio, & alijs docent ibi Conimbricenſes. Quæ verba ſatis explicant delectationem eſſe operationem: nam ſtatim addit: *fuga, & appetitus, qui eſt actu, hoc ſūt*, id eſt, appetitus ipſe in actu eſt ipſa delectatio. 16. Sexto. Sextò in eodē lib. cap. 10. text. 53. & 54. appetitus eſt mouens motum reſpectu delectationis, vt D. Thomas cum alijs interpretantur. Porrò ſi appetitus, quando delectatur, ſe ipſum mouet; vtique efficit ipſam delectationem, & per conſequēs delectatio eſt illius operatio. Denique Ariſtoteles lib. 2. magnorum moralium cap. 7. poſt med. ita ſcribit: *voluptates namque vtroque modo dictæ ſunt operationes*. Non eſt igitur dubitandum de mente Ariſtotelis.

17. 1. Solutio. Ad hæc tamen teſtimonia duas inuenio apud aduerſarios ſolutiones. Prima eſt eorum, qui putant Ariſtotelem in illis locis non loqui ex propria ſententia, ſed quorundam ſapientum, qui illam probauerunt opinionem: *Maior.* ita reſpondet Maior *in 7. Ethicorum cap. 12. & lib. 10. cap. 5. relatus à Sala*. *Nemeſius.* Ad quam ſolutionem accedit Nemeſius *lib. 4. ſuæ Philoſophiæ cap. 11. relatus à Bellomont. vbi ſuprà*: Is enim in ea eſt ſententia, vt dicat, Ariſtotelem quidē in locis à nobis citatis illam diffinitionem voluptatis cōtra nonnullos adduxiſſe: verū, eam eſſe falſam poſtea docuiſſe *in lib. 10. Ethicorum cap. 4. & 5.* vbi docuit, voluptatem non eſſe operationem, ſed ex operatione pullulare, eamque perficere, non vt habitum, ſed vt finem quendam, ac veluti pulchritudinem illius, atq; complementum ab ea realiter indiſtinctum: & addunt Ariſtotelem in duobus citatis locis id ſatis expreſſè explicaſſe; *Ariſtot.* ſed principaliter cap. 4. text. 15. in illis verbis: *perficit autem operationem voluptas, non vt habitus; ſed vt reſultans quidam finis, perinde, atque pulchritudo in ijs, qui vigent ætate.*

Quæ ferè verba ſcribit ſect. 30. problematum q. 6. 18. Non recipitur ſolutio. Hæc tamen ſolutio indigna eſt, quæ recipiatur: tùm; quia non decet, vt dicamus, tantum Philoſophum palinodiam recantaſſe. Tùm ſecundo; quia indigna eſſet Philoſopho opinio, quæ doceret, omnem delectationem eſſe cōplementum quoddam indiſtinctum ab operatione, quam comitatur: vnde nullus legitur, qui illam opinionem in illa generalitate probauerit: licet enim eam aliqui probent in delectatione appetitus naturalis, qui eſt ſine cognitione: nullus tamen eam probauit in delectatione, quæ eſt appetitus cognitionem conſequentis, qualis eſt appetitus, tùm intellectiuus, tùm ſenſitiuus: licet enim cōtrouerſum ſit, an talis delectatio ſit operatio; an verò paſsio recepta in appetitu; omnes tamen conueniunt, delectationem iſtam eſſe qualitatem realiter diſtinctam ab operatione, quam comitatur. Quare hanc ſolutionem, nec debent recipere, qui ſecundam probant opinionē, imò nec qui tertiam amplectūtur: etenim omnes iſtæ opiniones conueniunt in reali diſtinctione delectationis potentiæ appetitiuæ ab operatione, quam comitatur.

19. 2. Solutio. Quare authores primæ opinionis, qui volunt delectationem non eſſe operationem, ſed paſsionem tantum, ad aliam ſecundam confugiunt ſolutionem: & dicunt Ariſtotelem in illis locis non eſſe intelligendum in ſenſu formali, ſed cauſali; vt delectatio, de qua agimus, ideo dicatur operatio, quia ex operatione cauſatur: omnis enim delectatio cōſequitur ad operationem, qua bonum amatum actu poſſidetur. Hęc ſolutio placuit Maiori in loco citato, nec poteſt non placere patronis primæ opinionis. ¶ Hæc ſolutio non facilè impugnabitur: quia teſtimonia Ariſtotelis hanc explicationem non omnino reſpuunt: ideo tamen non eſt admittenda; quia nihil, vel apparēter impedit, quominus verba Ariſtotelis in ſenſu formali intelligantur, vt patebit ex ſolutionibus argumētorum: iā verò apud Philoſophos

verba

verba in ſenſu formali ſunt intelligenda, quādo nihil cogit ad ſenſum cauſalem recurrere.

Probatur ex Auguſtino.

20. 2 Auguſtini teſtimonia. ¶ Deinde eadem ſententia probatur nōnullis Auguſtini teſtimonijs. Primum ſumitur ex lib. 14. de Ciuitate Dei capit. 6. vbi delectationem, cæteraſque animi affectiones appellat voluntates, ita inquiēs: *quid eſt cupiditas, & lætitia? Niſi voluntas in eorum conſentionem, quæ volumus?* Et ibidem agens de quatuor voluntatis affectibus cupiditate, lętitia, metu, & triſtitia, ita ſcribit: *volūtas quipe in omnibus eſt; imò omnes nihil aliud, quàm volūtas ſunt.* In quibus locis nomine voluntatis volitionem intelligit, id eſt, operationē elicitam à voluntate. Accedat etiam; quia in eodē loco ita ait. *Non ex carne tantum afficitur anima, vt cupiat, metuat, lætetur, & triſtetur: verum etiam ex ſei pſa his poteſt motibus agitari.* Nec video, quomodo Salas affirmet minorem negari poſſe, cum vera Philoſophia doceat, omnem volitionem eſſe à voluntate elicitam: nec ſimiliter video, quomodo præcitata verba ſenſum cauſalem admittant, maximè, quæ vltimo loco adducuntur.

Rationibus confirmatur.

21. 1. Ratio. ¶ Nec deſunt rationes, quibus hæc opinio ſuaderi poſsit. Primò; quia omnis actus vitalis ex ſe efficienter eſt à potentia, cuius eſt actus: quia ex ſua natura habet, quòd effectiuè ſit à principio vitali, id eſt ab anima, & ab aliqua potētia vitali illius. Delectatio autē eſt actus vitalis: id enim
Ariſtot. docet Ariſtototeles. 1. Ethicorum cap. 8. text. 40. in illis verbis: *nam voluptate quidem affici, ex ijs eſt, quæ ad animam pertinent* ſcilicet, tanquam vita illius, actioque vitalis: & ſatis patet ex Auguſtini teſtimonijs, in quibus delectatio appellatur voluntas, id eſt, volūtatis actus: accedit; quoniam, quæ vita carent, delectari non poſſunt, vt patet.

22. 2. Ratio. Secundo arguitur ex Caietano, & noſtro Gerardo: quoniam delectatio habet pro obiecto ipſum delectabile: qui enim delectatur, quieſcit in re delectabili, tanquam in ſuo obiecto: delectatio igitur eſt actus coniungens potentiam appetitiuam cum ſuo obiecto: etenim proprius effectus operationis animæ, ſaltem intellectiuæ, eſt coniungere potentiam cum obiecto; vel illud actualiter trahendo ad intellectum, vt facit intellectio; vel trahendo potentiam ad obiectum, vt facit operatio voluntatis. Ergo delectatio ipſa eſt operatio.

Tertiò; cæteri motus appetitus, tàm 23.
ſenſitiui, quàm intellectiui (cupiditas ſcilicet; metus, & triſtitia) ſunt operationes 3. Ratio.
elicitæ ab appetitu, vt eſt communis doctrina, quam ſupponimus. Cur igitur delectatio non erit operatio ab appetitu elicita?

Confirmatur; quoniam omnis actus, 24.
qui in intellectu, & in ſenſu reperitur, Confirmat.
immediatè fit ab intellectu, & à ſenſu. Ergo omnis actus, qui eſt in appetitu, tàm ſenſitiuo, quàm intellectiuo, immediatè fiet ab ipſo appetitu: delectatio autem eſt actus in appetitu exiſtens.

Quartò; quoniam delectatione mere- 25.
ri poſſumus, & demereri: etenim dele- 4. Ratio.
ctari de gloria Dei, opus eſt virtutis meritorium gloriæ; ſicut etiā delectari de malo proximi eſt opus demeritorum, dignū pœna. Ergo delectatio eſt actio moralis; & ex conſequenti non eſt paſsio, ſed operatio: etenim ſola paſsione non meremur, ſed operatione, vt ſupponimus. Quæ ratio ex Bellomontano *in dicta diſput.* 14. *c.* Bellomon.
1. *num.* 6. manifeſtè probat, delectationē non eſſe ſolam paſsionem, ſed operationē. eam tamen parum vrgere exiſtimat Salas vbi ſuprà pag. 414. col. 1. in princi. & verè manifeſtè non conuincit: quia negarent aduerſarij delectationem formaliter ſumptam eſſe actum bonum, vel malum moraliter: vnde hoc erat probandum: at tamen non caret aliqua efficatia: quia ſine vllo probabili fundamento negabitur, delectationem formaliter ſumptam eſſe actum bonum, vel malum moraliter.

Quinto accedit: quoniā oppoſitæ ſen- 26.
tentiæ aliqua continent, quæ nō ſatis ſūt 5. Ratio.
probabilia: nam quòd delectatio efficienter cauſetur, aut à ſolo amore, vt exiſtimat Scotus; aut à ſolo obiecto, vt alij putant, non ſatis eſt probabile: quod facilè oſtēderemus, niſi breuitate opus eſſet: interim vide Bellomontanum in d. diſp. 14. cap. 1. num. 6. & 7. apud quem etiam inuenies non eſſe probabilem opinionē, Ochami, & Gabrielis; quatenus docent delec-

delectationem voluntatis alio modo fieri, quàm delectationem appetitus animalis. Diſtinguere autem duplex genus delectationis cum tertia opinione, commētitium eſt, & ſine fundamento, vt affirmat Bellomontanus in d. c. 1. in fine: nullum tamen fundamentum adducit; illud tamē nos adducimus ſuprà §. 2. n. 7. & 8.

27. Poſtrema ratio. Poſtremò hæc opinio confirmatur; quoniam communior eſt inter antiquiores, & nouiores, imò etiam, quod apud me plurimum valet, videtur mihi expreſſa ſententia D. Thomæ, quidquid Bellomontanus, & Salas dubitent: etenim ſi, quæ ſcribit attentiùs expendantur, ſatis efficaciter videntur cōuincere, eum probaſſe, delectationem eſſe operationem appetitus: id enim euidenter colligitur ex 1. *contra gent. c.* 90: vbi non ſolùm docet, delectationem eſſe actum appetitus, ſed etiam eſſe operationem, tam in appetitu ſenſitiuo, quàm in intellectiuo; quāuis in illo ſit coniuncta cum paſſione organi, in hoc verò ſine paſſione: & ita non datur locus ſolutioni Salæ *vbi ſuprà pag.* 413. *col.* 2. *in principio*: licet enim paſſio appetitus dici poſſit actus illius; non tamen dici poteſt illius operatio. Et inde concludit D. Thomas, delectationem reperiri in Deo; quod eſſet falſum, ſi ſolùm eſſet paſſio recepta in appetitu: nec enim tunc diceret perfectionem, ſed imperfectionem potiùs. Idem colligitur *ex* 2. 2. *q.* 28. *art.* 4. vbi expreſſè docet, delectationem eſſe actum, non quemcūque, ſed qui ſit effectus procedens ex charitate, mediante actu amoris; quod non tollit, quin ſit verus effectus à charitate elicitus, vt ibidem ait D. Thomas; vnde locum nō habent, quæ ſcribit Salas vbi ſuprà. Quod adhuc ex eo confirmatur; quia in eodem loco delectatio dicitur fructus: & merito; quoniam inter fructus Spiritus ſancti enumeratur à Paulo ad Galatas 5: fructus autem eſſe operationes, nullus dubitauit. Quare, quando D. Thomas ſimpliciter affirmat, delectationem eſſe actum voluntatis (*vt patet* 1. *p. q.* 64. *art.* 3. *& in* 1. 2. *q.* 3. *art.* 1. *&* 4. *& q.* 22. *art.* 3. *in corp. & ad* 3.) intelligi debet de actu à voluntate elicito. Similiter etiam quando aſſerit, delectationem eſſe motum appetitus (vt 1. 2. q. 31. art. 1. & 4. vtrobique in corp. & ad 2.) intelligendus eſt de motu, qui eſt ab ipſo appetitu, vt ex litera ſatis colliges.

Est opinio D. Thom.

1. locus.

2. locus.

Senſus D. Thomæ.

28. Inſtātia ex 1. 2. q. 31. art. 1. ad 1. Huic tamen reſolutioni vehementer obſtat, quod ſcribit *D. Thomas in d. q.* 31. *art.* 1. *ad* 1. vbi ita concludit: *ſic ergo cum dicitur delectatio eſt operatio; non eſt prædicatio per eſſentiam, ſed per cauſam.* Quod etiam ſcribit q. 2. de virtutibus art. 2. ad 12. dum ait, delectationem non eſſe operationem, ſed conſequi ad operationem. Quos locos eſſe difficiles omnes fatentur; ſed re vera facilis eſt reſponſio, ſi attendamus, D. Thomam in ea eſſe ſententia, vt *Ariſtot. in* 7. *Ethicorum cap.* 12. *tex.* 54. *&* 56. *& c.* 13. *tex.* 59. dum ait, delectationem eſſe operationem non impeditam, ſolum agat de operatione perfecta, & aſſecutiua boni amati; non verò de operatione, quæ eſt ipſa delectatio: quo ſuppoſito, optimè docet, prædicationem iſtam: *delectatio eſt operatio*, non eſſe per eſſentiam, ſed per cauſam; quia delectatio verè non eſt illa operatio, ſed ad eam conſequitur. Et hæc explicatio ſatis eſt de mente *Ferrarienſ.* 1. *contra gent. c.* 90. *quam etiam probant Bellomont. in d. diſp.* 14. *c.* 3. *n.* 13. *& Salas in dicta pag.* 413. *col.* 2. *n.* 30. in hoc autem ſenſu non benè infertur delectationem formaliter ſumptam nō eſſe operationem: quia benè fieri poteſt, vt vna operatio ab eadem potentia producatur, mediante alia operatione, vt docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 28. *art.* 4. *& ſatis admittit Conrad.* 1. 2. *q.* 32. *art.* 1. *& admittit Bellomont. in dicto cap.* 3. *n.* 14. *in fine.* Etenim operationem produci ab eadem potentia mediante alia operatione, licet inferat eā immediate nō produci à potentia; non tamen infert eam à potentia ſimpliciter nō produci: quidquid Salas oppoſitum ſignificet in dicto numero 30. in fine.

Explicatur D. Thom.

Ferrar. Bellom. Salas.

D. Thom.

§. 4.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in oppoſitum.

29. Ad argumēta. Contra ſtatutam reſolutionem vnū vel alterum ex Scoto adducitur argumentum: neutrum vllam habet difficultatem: vtrūque cum ſua ſolutione videre poteris apud Salam in d. ſect. 4. nu. 26. pag. 412. col. 2. in principio, & apud Lorcā in dicta diſp. 48. memb. 2. in cap. de delectatione pag. 531. Nos vnum tan-

Argumentum ex Ariſtotele. tantum argumentum adducemus ſumptum ex Ariſtotele, quod pluribus negotium faceſsit. Objiciunt igitur nonnulli varia Ariſtot. teſtimonia ex quibus colligunt eum negare delectationē eſſe operationem: nam lib. 10. Ethic. c. 4. tex. 31 ita ſcribit: *ex his autem patet non bene dici voluptatem motum eſſe, vel generationem:* & ſtatim: *perficit autem operationem voluptas, non vt habitus, ſed vt reſultans quidam finis.* Et inferius: *in operatione eſt voluptas;* & rurſus: *voluptas operationem ſequitur.* Et c. 5. text. 20. docet *voluptates ita eſſe propinquas operationibus, vt contētio ſit, ſi idem ſit operatio, & voluptas.* Et cōcludens, addit: *non tamen ipſa voluptas mentis eſſe videtur operatio, nec ſenſus: eſt enim abſurdum.*

30. Opinio Nemeſii, & Maioris. ¶ Ob iſta teſtimonia *Nemeſius lib. 4. ſuæ Philoſophiæ cap. 11.* (quem ſuprà adduximus n. 17.) putat Ariſt. reprobaſſe ſententiā, quam ſcripſerat lib. 7. c. 12. & Ioānes Mai. ibidem citatus ſcribit Ariſtot. in his locis propriam explicaſſe ſentētiam; in lib. autem 7. locutum fuiſſe iuxta cōmunem aliorum ſententiam. Sed non eſt quod dicamus Ariſt. ſententiam mutaſſe, vt iam aduertimus ſuprà n. 18: nec quod hic ſecundum propriam loquatur ſententiam, ibi autem ſecundum ſententiā aliorum: etenim Ariſt. in dicto c. 12. tex. 54. potiùs antiquos reprobat, quam ſequatur, vt patet ex illis verbis: *Quapropter nō bene ſe ſe habet voluptatem dicere generationem eſſe ſenſibilem:* quod verò ſecundū propriam ſententiam loquatur, ſatis conuincunt illa verba: *ſed dicendum eſt potiùs operationem, &c.* Quæ verba ſunt magiſtri propriam ſententiam explicantis. Non recipitur.

31. 1. ſolutio. Hac igitur reiecta explicatione ad præcitata teſtimonia Ariſt. nonnulli reſpondent Ariſtotelem in illis locis non agere de voluptate, quæ eſt actus potentiæ appetitiuæ, ſed de voluptate, quæ eſt in potentia cognoſcitiua, ſiue ſenſitiua ſit, ſiue intellectiua: Hæc enim non eſt operatio, ſed perfectio quædam operationis, & cōplementum illius realiter indiſtinctum ab ipſa operatione: duplicem enim conſtituunt voluptatem: vnam; quæ eſt in potentia appetitiua: alteram; quæ eſt in potentia cognoſcitiua: de qua opinione diximus ſupra §. 2. n. 5. vbi diximus illam fuiſſe cuiuſdam *Landulfi, & doctiſsimi cuiuſdam Theologi nouioris, & tandem Bellomontani, qui in dicto cap. 3. n. 16.* latiſsimè oſtendit Ariſt. in locis in contrarium obiectis, non agere de voluptate potentiæ appetitiuę, ſed de alia longè altioris rationis. Quæ tamen ſolutio non placet Salæ *loco citato n. 34. pag. 414. col. 2. in fine:* & quam longè illa ſit à mente Ariſt. facilè oſtenderemus, niſi cogeremur breuitatē ſectari: ſed inde facile ꝓbatur; quia Ariſt. eo in loco nititur probare delectationes inter ſe differre ſpecie iuxta differētiam operationum: & ad hoc probādum ſumit pro medio, quod cupiditates, ſiue deſideria ex diuerſitate operationum ſumunt diuerſitatem: & inde infert idem dicendum eſſe de delectationibus. Quam conſequentiam inde probat; quia delectationes ſunt magis propriæ operationibus, magiſque ab illis, & natura (id eſt ſubiecto) & tempore inſeparabiles: adeò vt plerique eas ab operationibus non diſtinguant: quos in hoc deceptos fuiſſe ex eo probat, quod delectatio, nec eſt operatio mentis, nec ſenſus. Quæ probatio inepta eſſet, niſi ſentiret delectationes non eſſe operationes, aut mentis, aut ſenſus, ſed ſolius appetitiuæ potentiæ: quæ eſt illorū verborum communis explicatio: ex quo patet Ariſt. agere de voluptate, & delectatione appetitiuæ potentiæ. Vnde communis omniū ſententia ex hoc loco colligit delectationem propriè ſumptam eſſe ſolius potentiæ appetitiuæ, vt oſtendimus ſuprà §. 2. n. 5.

Landulph. Bellomon.

32. Non placet Salæ, nec Auctori.

Hac igitur, & alijs ſolutionibus omiſſis, ego in argumento nullam inuenio difficultatem: & verè nulla poterit inueniri, ſi aduertamus Ariſt. non agere de operatione abſolutè ſumpta, prout diſtinguitur ab actu, qui non eſt operatio; ſed ſolùm agere de operatione, ad quam ſequitur delectatio; quod non impedit quominus ipſa delectatio in ſe verè, & propriè ſit operatio. Admittimus igitur delectationem conſequi ad operationem: & ab aliqua operatione ſemper reſultare: operationem perficere: denique non eſſe ipſam operationem, aut mentis, aut ſenſus: ex quo ſatis pueriliter infertur delectationem non eſſe operationem elicitam ab appetitu, mediante tamen operatione amoris illius boni, quod per operationē, aut ſenſus, aut intellectus acquiritur, & poſsidetur: etenim (vt diximus) operatio poſte-

33. Vera ſolutio.

poſteriori à potentia mediante alia operatione.

ARTICVLVS III.

An delectatio ſit propter operationem? an è conuerſo?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

1. Difficilis & celebris q̄ſtio. QVæſtio iſta non ſolùm apud noſtros Philoſophos celebris eſt, & difficilis; ſed etiam inter veteres Philoſophos: & adeò difficilis fuit, vt Ariſtot. 10. Ethic. c. 4. in fine eam indeciſam reliquerit, ita inquiens: *Quærere verò, vtrū ob voluptatem viuere expetamus; an voluptatem ob vitam? miſſo in præſentia faciamus.* Vbi aduertimus nomine operationis in hac quæſtione intelligi amorem, ſiue dilectionem, qua voluntas bono poſſeſſo adhæret: etenim amorem iſtum immediatè conſequitur delectatio, vt docet *Diuus Thom. 1. 2. q. 25. art. 2. & 2. 2. q. 28. art. 4:* agimus autem de delectatione, quæ eſt operatio elicita à potentia appetitiua.

Quid intelligatur nomine operationis?

2: 1. ſententia. Prima igitur ſententia docet operationem eſſe propter delectationem, tanquam propter finem: ita *Aureol. in 1. diſt. 11. & in 4. diſt. 49. Tolet. noſter in 1. diſt. 1: q. 1. art. 2. concl. 4. argum. 1. & 3. & art. 3. ad argumenta Ochami contra quartam, & q. 2. ar. 2. concl. 4. & art. 3. ad argumenta Michael. de Maſſa contra 4. & videtur fuiſſe ſententia Capreoli in 1. diſt. 1. q. 1. art. 3. ad 1. primo loco contra 3. fol. 24. col. 3.* vbi docet delectationem eſſe potiſsimam operationem per modum finis, & ideò eſſe præſtantiorem ipſo amore, quod iterum docet ibidem ad nonum *2. loco contra 3. fol. 24. col. 4. in fine.* Quin potiùs hæc videtur ſententia *D. Thomæ 1. 2. q. 25. ar. 2. & q. 34. art. 4. ad 1.* dum ait, *delectationem eſſe finem amoris: intenta enim amorem cauſat, & deſiderium: idem D. Thom. 1. 2. q. 2: art. 6. ad 1. docet delectationem non eſſe propter aliud, ſed propter ſe.* Denique hæc fuit ſententia Eudoxi philoſophi, quem refert *Ariſt. 10. Ethic. c. 2.*

Aureol. *Toletan.* *Capreol.* *D. Thom.*

3. 2. ſententia. Secunda ſententia huic opponitur, docens delectationem eſſe propter operationem, tanquam propter finem: quę ſententia ſatis colligitur ex *D. Thom. 3. contra gent. c. 26. & in 4. diſt. 49. q. 3. art. 4. q. 3. & 10. Ethic. c. 4. lect. 6. com. vltimo*, quā ſequuntur omnes Thomiſtæ *in 1. 2. q. 4. ar. 2. vbi Conrad. Caiet. & Medina: atque etiam Ferrar. 3. contra gen. d. cap. 26. Capreol. in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 3. ad 2. contra 1. fol. 192. col. 2. & 3. Valent. 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 1.*

D. Thom. Conrad. Caiet. Medina. Ferrarien. Capreol. Valentia.

4. 3. ſententia. Tertia ſententia eſt media, & docet delectationem ſenſitiuam non eſſe propter operationem, bene tamen intellectiuam: quæ videtur eſſe ſententia *D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. in corpore, & ad 2. quam etiam ſequitur Medina ibidem.*

D. Thom. *Medina.*

5. 4. ſententia. Quarta denique ſententia rem ita explicat, vt delectatio elicita in genere quidem naturæ ſit appetibilis per ſe, & gratia ſui, quanuis non ſit vltimus finis; quia ſemper reſpicit obiectum, circa quod verſatur, tanquam finem, propter quem eſt. At in genere moris aliquam delectationem eſſe appetibilem gratia ſui, ſicut quācunque aliam humanam operationem, qualis eſt delectatio honeſta. Has opiniones de hac difficultate inuenire potui.

§. 2.

Reſolutio quæſtionis:

6. Præmiſſum. PRo vera difficultatis reſolutione aduertimus, delectationem conſiderari poſſe vel in genere naturæ nullo habito ordine ad rectam rationem: vel in genere moris; quatenus ſcilicet eſt rectæ rationi conſona, vel diſſona. Et vtroque modo conſiderari poteſt, vel penes referibilitatem, & ordinationem operis ab autore ipſius naturæ: vel penes referibilitatem operantis, qui operādo delectatur.

7. 1. propoſit. His præmiſsis pro reſolutione ſtatuēdæ ſunt nonnullæ propoſitiones. Sit prima propoſitio: *Si delectatio ſpectetur in genere naturæ, & conferatur cum potentia appetitiua, quam perficit, eſt finis ipſius potētiæ.* Nam potentiæ inſtitutæ ſunt ab autore naturæ propter ſuas operationes: & inde eſt, vt potētia appetitiua, vt eſt quoddam ens naturale, naturali appetitu appetat delectationem, tanquam ſuam naturalem perfectionem.

8. 2. propoſit. Secunda propoſitio: *Si delectatio ſpectetur in genere naturæ, & conferatur cum obiecto, in quo potentia appetitiua delectata conquieſcit; delectatio ex ſua natura non eſt gratia ſui, ſed gratia obiecti.* Nam actus potentiarū ab autore naturæ inſtituti ſunt,

&

& ordinati, vt illis potentia coniungatur cum obiecto: v.g. cognitio à natura inſtituta eſt, vt potentia cognoſcẽs percipiat obiectum, & percipiẽdo illud cognoſcat: amor etiam ex ſe eſt inſtitutus, vt volũtas complacendo adhæreat obiecto: denique ipſa delectatio ab autore naturæ inſtituta eſt, vt appetitiua potẽtia, veluti dilatata complacentia obiecti in eo quieſcat & delectetur. Ex quo bene infertur delectationem ex ſua natura non eſſe appetibilem vltimatè propter ſe, ſed propter obiectum; vt. ſ. appetitus in obiecto delectabiliter quieſcat. Hinc fit, vt delectatio, quanuis ſit formalis quies; non tamen ſit formalis ratio obiectiua quieſcendi: hæc enim eſt bonitas ipſius obiecti; nam propter eam appetitus in obiecto quieſcit.

9. 3. propoſit. Tertia propoſitio: *Delectatio in genere naturæ nõ eſt propter ſe appetibilis, ſed propter ipſam operationẽ.* Statuitur hæc concl. pro ſecunda opinione, & ꝓbatur; quoniã ex 2. ꝓpoſitione delectatio ab autore naturæ inſtituta eſt propter obiectũ, in quo quieſcit: ſed obiectũ totale nõ ſolũ eſt res quæ eſt bona, ſed etiã aſſecutio illius, nimirũ operatio, ad quã ſequitur delectatio: ergo delectatio ex ſua natura inſtituta eſt ꝑpter operationẽ. Maior patet ex 2. ꝓpoſitione: minor autẽ probatur; quia bonũ eſt appetibile, vnicuiq; autẽ ꝓpriũ, vt docet *Ariſt. 8. Ethic. c. 2. tex. 1. & c. 5. tex. 23. & lib. Ethic. ad Eudemũ paulò ante finẽ*: fit autẽ cuiq; propriũ per operationẽ aſſecutiuã: etenim delectamur vino, non præciſè, ſed guſtato; ita vt vinũ delectet, vt *quod*, guſtatio autẽ vt *quo*: ob quam rationẽ bonũ (quod eſt obiectũ appetitus) diuiditur in obiectiuũ, & formale: & inde eſt, vt eadẽ fruitione quis fruatur bono aſſecuto, & aſſecutione boni: eadẽ enim delectatione beatus delectatur de Deo viſo, & de viſione Dei: vtrũq; enim conſtituit vnũ totale obiectũ fruitionis, vt cõmuniter docẽt Theologi cũ *D. Th. 1. 2. q. 11. ar. 3. in corp. & ad 3. & in 1. d. 1. q. 2. a. 1. ad 2. probat Capr. ibid. q. 1. a. 1. cõcl. 5. §. 21. col. 3.* & inde fit, vt idẽ appetitus, qui eſt ad bonum, ſimul etiam ſit ad aſſecutionẽ illius.

Ariſt. D. Thom. Capreol.

10. Quæ propoſitio nõ ſolũ vera eſt in delectatione intellectiua; ſed etiã in ſẽſitiuã. Deus enim, vt inſtitutor naturæ hoc cõſilio operationibus neceſſarijs ad cõſeruationẽ indiuidui, & propagationẽ ſpeciei indidit delectationes valde ſenſibiles, vt animalia eo irritamẽto allicerentur ad eas exercendas: in alijs verò operationibꝰ minores poſuit delectationes: quod maximo eſt argumẽto delectationes ſenſibiles ab autore naturę nõ eſſe inſtitutas ſui gratia, ſed gratia operationum, quas conſequuntur: aliàs indidiſſet operationibus perfectioribus maiores delectationes.

Quod cõfirmari poteſt pluribus rationibus, quibus Ariſt. 10. Eth. c. 3. & 4. hãc noſtrã cõfirmat ꝓpoſitionẽ: nam ex ſententia Ariſt. 10. Ethic. c. 3. delectatio ſub cõmuni ratione delectationis, non eſt bonũ per ſe: quia dãtur delectationes malæ: iam vero quod per ſe quæritur, nõ poteſt eſſe malũ. Secũdò; quia ex eodẽ Ariſt. nõ omnes delectationes omnibus placẽt: etenim, qui nõ eſt iuſtꝰ, nõ delectatur iuſtis; nec muſicis, qui nõ eſt muſicus: iam verò quod eſt bonũ ꝑpter ſe, nulli poteſt diſplicere. Tertiò; quia ſi delectatio quæreretur ꝑpter ſe, quò maior eſſet eò magis eſſet appetibilis: & ſubinde magis placerẽt media, quibus ad maiorẽ delectationẽ veniri poſſet: quod tamẽ Ariſt. improbat in d. c. 3. Quartò, quia vituperari nõ poſſet, qui vltimo propter delectationẽ operaretur. Quintò; quia ex ſententia Ariſt. pleraq; ſunt digna, quæ quærantur, etiam ſi nullam ſecum habeant adiunctam delectationem; quod tamen non eſſet, ſi operatio ex ſua natura ad delectationem ordinaretur. Sextò ex eodẽ Ariſt. 10. Eth. c. 4. delectatio perficit operationem ſicut pulchritudo iuuentutẽ. At iuuentus non eſt propter pulchritudinem, ſed è cõtrario, vt omittamus alias eiuſdem Ariſt. rationes.

11. Confirmatur plu lib. rationibus ex Ariſt. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

12. Vltima. Non omittemus tamen, quod Ariſt. ait in dicto c. 4. *Delectationem perficere operationem; vt finem quendam pullulantem, perinde ac pulchritudo perficit iuuentutem.* Quibus verbis ſatis declarat delectationẽ non eſſe finẽ gratia cuius eſt operatio; ſed eſſe potius ipſius operationis paſſionẽ, & proprietatẽ accidentariã naturaliter ex ea pullulantẽ. Ex qua ratione ad finẽ capitis infert, delectationẽ eſſe expetibilẽ gratia operationis. Et quãuis eo in loco quæſt. iſtã definiri noluerit: ſatis tñ eã definiuit, dũ felicitatẽ collocauit in operatione ſecundũ virtutẽ, tanquã in vltimo fine, gratia cuius ſunt cætera: cũ tamen agnouerit

voluptatem cū tali operatione cōiūctam eſſe: quod ſatis efficaciter probat Ariſt. ſenſiſſe delectationem ex ſe eſſe propter operationem.

13. 4. propoſit. Quarta propoſitio: *Delectatio in genere moris eſt propter operationem, & ab ea dependet quoad moralem bonitatem, vel malitiam.* Aristot. Hæc propoſitio expreſſe probatur *Ariſtoteli 10. Ethicorum cap. 15. & paſsim alibi*, & ab omnibus recipitur: conſtat enim delectationem nec ſub communi ratione, nec ſub particulari ex ſua natura habere bonitatem, aut malitiam moralem; ſed eam habere ex operatione, quam conſequitur. D. Thom. Hæc eſt ſententia *D. Thomæ 1.2.q.34. art.2. communiter recepti.*

14. 5. propoſit. Quinta propoſitio: *Operatio, & delectatio ex intenſione naturæ non conſtituunt duo bona, nec duos fines; ſed vnum tantùm bonum, & vnum finem completum.* D. Thom. Satis eſt de mente *Diui Thomæ prima ſecundæ quæſt. 2. art. 6. ad primum & 3. contra gent. cap. 26. ad tertiam obiectionem, vbi etiam* Ferrar. *Ferrarienſis: idem D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 3. artic. 4. quæſtiunc. 3. ſatis colligitur* Ariſt. *ex Ariſtotele 7. Ethicorum cap. 12. tex. 54.* dum ait, *aliquas delectationes eſſe operationes, & fines*: quaſi ſentiat delectationem, ideo ſortiri rationem finis, quia coniuncta eſt cum operatione, vt ibi interpretatur *D. Thomas lectione 12. comment. 4*: ſed clariùs id colliges ex eodem libr. 10. cap. 4. ad finem, dum docet, *omnes ideò voluptatem appetere, quia appetunt operationem, quam voluptas perficit*: quaſi ſentiat, operationem cum voluptate coniunctam facere vnum appetibile perfectius. Et meritò; quia delectatio ex intentione naturæ ideo eſt bonum; quia eſt perfectio, & cōplementum boni, nimirum ipſius operationis: hæc enim duo licet in genere naturæ ſint duæ entitates diſtinctæ, & duo bona; tamen non in genere moris, quàm in gēnere naturæ ſunt vnum tantùm bonum. Quòd in genere moris ſit vnum tantùm bonum patet: quod etiam in genere naturę vnum bonum ſint, ex eo probatur, quia operatio, & delectatio ſe habent ad appetitum, vt terminus primarius, & ſecundarius: hi autem duo termini phyſicè loquendo ſuo modo ſunt vnus terminus: Petrus enim, & riſibile nō ſunt duo termini generationis, ſed vnus totalis ordinatè ſe habens. Ex quo inferes, quodcunque bonum intrinſecè finalizare ſub propria ratione boni, aut honeſti, aut vtilis, aut delectabilis; extrinſecè verò ſub ratione delectationis annexæ, cui quodcunque bonum per ſe ſubordinatur, tanquam perfectioni ſuam bonitatem complenti. Quod in hac materia eſt aduertendum.

Sexta propoſitio: *Voluntas operantis poteſt pro ſua libertate has duas bonitates diuidere, & vnam ad alteram, tanquam ad finem mutuò referre, & ordinare.* Conclusio ipſa experientia eſt nota: etenim incontinens copulam carnalem ordinat ad delectationem: continens verò delectationem ordinat ad copulam propter generationem prolis: ſimili modo incontinens comedit, vt delectetur; cum tamen temperatus, & cibum, & delectationē eius referat ad vitæ conſeruationē. 15. 6. propoſit.

Septima, & vltima propoſitio: *Voluntas tamen benè ordinata nunquam operatur propter delectationem, tanquam propter finem principaliter intentum; quamuis licitè operari poſsit propter eam, tanquam propter finem minus principalem, & ſecundarium.* 16. 7. propoſit. Hæc propoſitio probatur ex doctrina Ferrarienſis vbi ſuprà: aduertit enim in Deo authore naturæ dari duplicem intentionem: vnam præcipuam, & primariam, qua intendit naturæ conſeruationem, & ob id operationibus indidit delectationem: alteram ſecundariam, & minus principalem: quia hoc ita inſtituit, vt animalia quærerent operationes ex appetitu delectationis, tanquam ex motiuo: nam etiam legiſlator ſtatuens præmia operationibus virtutum principaliter intendit, vt ciues ſtudioſè viuant; ſecundario vero, vt allecti appetitu præmij intenſiùs vacent operationibus virtutū. Hoc ſuppoſito, facilè probatur vtraque pars propoſitionis. Et prima quidem; quoniam voluntas benè ordinata appetit bonum, vt natura ipſius boni poſtulat: iam verò natura non ordinat operationes ad delectationem, ſed è conuerſo, vt patet ex tertia propoſitione: erit igitur ordinata, ſi operetur propter eam, tanquam propter finem principalem: vnde inordinatè diligeret Deum, qui illius amorem principaliter dirigeret in prēmium, & retributionem, quam à Deo ſperat.

ſperat. Secunda verò pars propoſitionis inde conſtat; quoniam illa voluntas conformatur intentioni ſecundariæ Dei naturam inſtituentis, qui voluit, delectationibus adiunctis bonis operibus allicere homines ad ipſas bonas operationes. Quare ſicut ciuis poteſt ſtudioſè operari propter præmium, tanquam propter finem minus principalem (iuxta illud Pſalmi 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas* *Pſal.* 118. *iuſtificationes tuas, propter retributionem:* ita ſimiliter dicendum erit in propoſito.

17. Hæc ita in genere dixiſſe ſatis ſit: nam ſpecialior huius difficultatis explicatio ad alium locum ſpectat: hæc tamen, quæ iecimus fundamenta, prima ſunt in hac materia, & principalia.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

18. 1. argum. in contrariũ. Contra hanc veriſsimam reſolutionem nonnulla ab aduerſarijs obijciuntur, quæ oportet diſſoluere. Primo igitur loco obijcitur Ariſtoteles *Ariſtot.* 7. Ethicorum cap. 11. in principio, vbi expreſſè ſcribit, *delectationem eſſe finem architectum, ad quem reſpicientes vnumquodque ſimpliciter; aut bonum, aut malum dicimus.* Architectum, inquam, id eſt primum, & principalem. Et in eodem libro cap. 12. text. 54. expreſſè aſſerit, *delectationem eſſe operationem, & finem*; ſcilicet ipſius operationis. ¶ Reſpondetur Ariſtotelem in illis locis non agere de fine,

19. Solutio. gratia cuius operamur; ſed de fine ſumpto pro perfectione, vt in vtroque loco explicat D. Thomas: eſt igitur ſenſus: delectatio eſt operatio, & finis, id eſt perfectio quædam ſuperueniens, & complens bonitatem operationis: & in hoc ſenſu delectatio verè eſt finis architectus, atque principalis; quia eſt vltima perfectio illius boni, in quo aſſecuto appetitus quieſcit. Nec huic explicationi obſtat, quod Ariſtoteles in eodem loco delectationem ipſam ſumit pro regula, & menſura bonitatis, & malitiæ moralis, vt patet ex illis verbis, *ad quem reſpicientes, & cætera:* non obſtat, inquam, quoniam non agit de menſura bonitatis, & malitiæ in eſſendo, ſed in cognoſcendo: quare licet à parte rei, & in eſſendo operatio ipſa ſit menſura, & prima cauſa, à qua delectatio habet bonitatem, & malitiam in genere moris, vt diximus in 4. propoſit. & ſatis aduertunt *Caietanus, & Conradus* 1. 2. *q.* 34. *art.* 4: tamen in cognoſcendo ipſa delectatio eſt menſura bonitatis, & malitiæ operationis; vt ſatis oſtendit *D. Thomas in d. q.* 34. *art.* 4. Ex quo ibidem ad tertiũ intelliges, delectationem non ſimpliciter eſſe menſuram bonitatis moralis ipſius operationis; ſed quodammodò tantùm, & veluti ſecundum quid; quatenus ſcilicet bonitas operationis non cognoſcitur, niſi vt eſt perfecta per ipſam delectationem illi adiunctam. Quare cum Ariſtot. ait, delectationem eſſe finem architectũ, à quo vnumquodque dicitur bonum, aut malum; non loquitur de fine, perfectioneque in eſſendo, ſed in cognoſcendo: cum quo benè ſtat, quòd delectatio in genere eſſendi ſit propter operationem.

Caiet. *Conrad.* *D. Thom.*

Secundò obijcit Eudoxus apud Ariſtot. 10. Ethicorum cap. 2. quoniam delectatio expetitur propter ſe, & non propter aliud. Eſt igitur vltimus finis; & per conſequens delectatio non erit propter operationem, ſed è conuerſo. Conſequẽtia patet, antecedens probat; tùm; quia dolor non eſt fugiendus propter aliud, ſed propter ſe. Tùm ſecundò; quia ſtultum eſt quærere ab aliquo, cur vult delectari. Tùm tertiò; quia delectatio ſuperaddita alijs bonis facit ea expetibiliora, quaſi omnium bonorum finis, & complementum. Quæ omnia refert Ariſtot. in dicto 20. 2. arg. Eudoxi.

cap. 2. ¶ Ad hoc argumentum dicimus, delectationem in hoc ſenſu eſſe propter ſe expetibilem; quia ſcilicet appeti poteſt abſque ordine ad vlteriorem finem, ad cuius adeptionem, tanquam medium ordinetur: eſt enim vltimum complementum operationis, quæ eſt vltimus finis, quem propter ſe appetimus, & cum quo delectatio conſtituit vnum totalem finem. Quòd ſi Eudoxus voluit delectationem eſſe vltimum finem, propter quẽ & ipſas operationes, & cætera bona appetimus: hoc illi eſſe negandum ſatis colliges ex Ariſtotele 10. *Ethicorum cap.* 4. *text.* 18. Ad primam verò probationem dicimus, nos ideò fugere dolorem, quia fugimus malum, quod illum cauſat, vt patet ex *Diuo Thoma* 1. 2. *quæſtione* 36. *articul.* 1. Ad ſecundam dicimus, verba 21. Reſponſio. *Ariſt.*

illa non eſſe Ariſtotelis, ſed Eudoxi. Secundò dicimus, Eudoxum verum dixiſſe; qui delectationē ſimul cū operatione conſtituit vnum totum bonum per ſe appetibile. Ad tertiam probationem admittimus, delectationem eſſe finem, prout finis eſt perfectio ſuperadueniens, & vltimò complens; non tamen prout finis eſt id, propter quod res eſt. *Vide D. Thomam 1.2.q.33.art.4.*

D. Thom.

22. 1. argum.

Tertiò obijcitur: quia delectatio eſt generatione poſterior, quàm operatio. Ergo eſt nobilior, quàm illa. Ergo nō eſt propter illam, ſed è contrario. Antecedēs ab omnibus conceditur, & eſt Ariſtotelis, dùm ſæpè docet, delectationem conſequi operationem. Prima cōſequentia probatur; quia ex Ariſtotele, quæ generatione poſteriora ſunt, ſūt dignitate priora, ita 9. *Metaph. c.* 8. *text.* 14. *&* 15. *&* 8. *Phyſicorum c.* 7. *tex.* 58. Secunda verò conſequentia per ſe patet; quia nobilius non eſt propter ignobilius.

Ariſt.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, regulam illam Ariſtotelis non eſſe vniuerſaliter veram, vt habes ex *D. Thoma* 1 *p.q.* 82. *art.* 3. *ad* 2. *& Caietano ibidem, idem Caietanus de ente, & eſſentia in proœmio q.* 1. *de primo obiecto intellectus, §. Ad hoc reſpondeo, quod Thomas, Durand. in* 4. *diſtin.* 49. *q.* 4. *Capreolus ibidem q.* 2. *art.* 3. *ad* 4. *tertio loco contra primam, fol.* 194. *col.* 2. *ad finem, Scotus q.* 4. *litera N. Supplementum Gabrielis q.* 3. *art.* 3. *dub.* 2. *Medina* 1.2. *q.* 3. *art.* 4. *ad argumenta ſecundi prædicamenti, Ochamus in* 1. *diſt.* 1. *q.* 3. *Holcoth in ſuis determinabilibꝰ q.* 7. *litera* I: denique eſt recepta doctrina: dantur enim plures inſtantiæ; etenim notitia cōcluſionis eſt generatione poſterior, quàm notitia præmiſſarum: & tamen eſt ignobilior illa: ſubſtantia etiam prius generatur, quàm accidentia, & tamen nobilior

D. Thom. Caiet. Durand. Capreol. Scotus. Supplem. Medina. Ocham. Holcoth.

23. eſt illis. Vt igitur regula Ariſtotelis vera ſit, ex mente D. Thomæ intelligenda eſt de ijs, quæ & generatione, & tempore ſunt poſteriora: accommodatius tamen eam intelliges, cum Durando, & Capreolo, quando priora ſe habent ad poſteriora in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ; tunc neceſſariò ordinantur ad poſteriora, tanquam ad finem: & ob hanc rationem forma eſt nobilior materia; & inter formas, quæ ſunt inferiores, præſtant formis ſuperiorum: nam forma corporis eſt veluti diſpoſitio ad formam viuentis; & iſta ad formam animalis; hæc verò ad formam hominis, quę vltimò intenditur à natura, tanquam actus vltimus perficiens, & determinans indifferentiā, atque potentialitatem omnium pręcedētium. E contrario priora ſemper ſunt poſterioribus perfectiora; & ideò poſteriora ordinantur ad priora, tanquam ad finē, & ſunt veluti eorum paſsiones, & affectus, ob quam rationem ſubſtantia ſimpliciter eſt nobilior. Ex quibus iam colliges, regulas Ariſtotelis in propoſito nō habere locum; cum actus antecedentes delectationem non concurrant ad eam in genere cauſæ materialis; ſed vel efficientis, vel finalis; etenim delectatio eſt propter operationem, vt iam oſtendimus.

D. Thom.

24. Poſtrema obiectio.

Poſtremò obijcitur: quoniam operationes ſenſitiuæ ſunt propter delectationem: bruta enim propter delectationem operantur, vt ait *D. Thomas* 1.2. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 2: cum verò illa dirigantur ab authore naturæ, in hoc non errant. Ergo delectationes intellectiuæ etiam erunt propter delectationem.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum, negandum eſt, operationē ſenſitiuam ex intentione naturæ eſſe propter delectationem, vt patet ex tertia propoſitione. Ad probationem *D. Thomas in d. art.* 2. *ad ſecundum*, admittit quidē bruta operari propter delectationem: in cuius opinionis explicatione multa ſcribūt *Caietanus ibidem, & Ferrarienſis in d. c.* 26. *adde. Medinam in d. art.* 2. *concl.* 4. vbi docet, idem dicendum eſſe de appetitu ſenſitiuo hominis, vt eſt ſenſitiuus, in quo conſentit *Valentia* 2. *tom. diſp.* 1. *q.* 4. *puncto* 1. *ad* 3. *argum. quæſtionis ſecundæ, pag.* 82. *&* 83: verum hi omnes in hoc conueniunt, vt propoſitio D. Thomæ vera ſit, ſi illud *propter* non dicat cauſam finalem, ſed ſolùm formalē.

D. Thom. Caiet. Ferrar. Medina. Valentia.

25. In quo ſenſu bruta agant propter delectationem.

Quòd non dicat cauſam finalem ex eo probant; quoniam cū bruta non cognoſcant rationem finis; nō poſſunt operationem diſtinguere à delectatione, & vnum tanquam medium referre in aliud. Quòd verò denotet cauſam formalem (id eſt rationem formalem bonitatis, ſub qua appetunt operationes ſenſitiuas) inde oſtendunt; quoniā bruta appetunt bonum ſub ratione delectabilis duntaxat; nec enim poſſunt attingere formalem rationē, aut honeſti,

aut

aut vtilis. Addunt adhuc bruta in hoc nõ peruertere intentionem authoris naturę; imò agere ſecundum illam. Deus enim author naturæ inſtituit, vt operationes ab appetitu ſenſitiuo eſſent appetibiles ſub ratione delectabilis: etenim ob hanc rationem eas fecit delectabiles, licet ſecũdaria intentione: vt ſcilicet hac illecebra animalia mouerẽtur ad operationes, quas ille vt author naturæ dirigit ad alia bona, quæ bruta non cognoſcunt. Quare appetitus ſenſitiuus terminatur ad operationem ſenſitiuam delectabilem, tanquam ad vnum totale bonum conſtitutum ex bono materiali, & formali. Notabis tamen rationem formalem delectabilis in bono ſenſitiuo diſtingui ab ipſa ſenſitiua delectatione: delectatio enim eſt actus elicitus ab appetitu ſenſitiuo, & in eo receptus: cum tamen ratio delectabilis ſolum ſit relatio quædam conuenientiæ cum ipſo ſenſu; quæ ſe tenet ex parte operationis ſenſitiuæ: etenim ſenſitiua operatio appetitur ſub ratione delectabilis; & ſub eadem eſt cauſa delectationis in appetitu. Quare operatio ſenſitiua intrinſecè mouet appetitum ſub ratione delectabilis; extrinſecè verò ſub ratione delectationis.

Nota optimam Philoſophiam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm delectatio ſit actus realiter diſtinctus ab amore, ſiue dilectione?

§. I.

Referuntur variæ opiniones.

1. 1. opinio.

DE propoſita quęſtione variæ ſunt opiniones. Prima opinio docet, amorem ſub ratione amoris, non dicere aliquam rationẽ ſpecificam actus, qui ſpecie diſtinguatur, aut à deſiderio, aut à delectatione, ſiue voluptate: ſed dicere rationem quandam genericam, & cõmunem, quæ per bonum abſens, & præſens, tanquam per duas ſpecificas differẽtias diuiditur in deſiderium, & delectationem, tanquam in duas ſpecies ſub vno genere amoris: ſicut animal per rationale, & irrationale, tanquam per duas differentiam diuiditur, in hominem, & brutũ, tanquam in duas ſpecies animalis. Quare ſicut animal non ponit in numero cum homine, & bruto; ita amor (qui eſt complacentia quædam in bono) prout coniũgitur bono abſenti, eſt deſiderium: prout verò coniungitur bono præſenti, eſt delectatio. Amor igitur diſtinguitur à delectatione, tanquam genus à ſua ſpecie. Nonnullos ita fuiſſe philoſophatos, refert *Richardus in 3. diſt. 27. art. 7. q. 3. conſentiunt Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 1. q. 1. art. 2. contra tertiam, Gregorius ibidem q. 2. art. 2. concl. 2. & quidam Bernardus Oliuerius Eremita noſter, relatus à noſtro Toletano ibidem quæſt. 3. artic. 3. contra ſecundam.* Richard. Aureolus. Gregor. Oliuerius.

2. 2. opinio.

Secunda ſententia longè aliter philoſophatur; & contra præcedentem admittit, amorem eſſe actum quendam ſpecie diſtinctum, tùm à deſiderio; tùm à delectatione: at tamen ab vtroque non diſtingui realiter, ſed ſolùm formaliter; ita vt vnus, & idem actus voluntatis realiter ſit amor, & delectatio; diuerſa tamen ratione: nam quatenus eſt propenſio, & complacentia in bono, eſt amor; prout verò in eo iam aſſecuto quieſcit, eſt delectatio. Hæc fuit opinio *Valentiæ 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 1. in principio, pag. 76. & inferiùs pag. 80. §. Circa ſecũdum, & rurſus diſp. 2. q. 6. puncto 1. §. Nunc verò, pag. 232. & inferiùs, §. Porrò quamuis, pag. 234.* Valentia.

3. 3. opinio. Bellomon.

Tertiam opinionem mihi fecit *Bellomontanus 1. 2. diſp. 14. c. 4. n. 22. & 23.* vbi cum prima opinione aliquam rationem ſuperioris admittit in amore in ordine ad deſiderium, & delectationem: quia amor fertur in rem, vt bonum alicui abſtrahendo à ratione abſentis, vel præſentis: cum tamen deſiderium reſpiciat bonum, non abſolutè, ſed vt futurum: delectatio verò reſpiciat idem bonum, vt tamen eſt præſens. Quare amor in ordine ad deſideriũ, & delectationem aliquo modo habet rationem ſuperioris ad inferiora; & in hoc cum prima opinione conuenit: ab ea tamen differt; quia in amore non agnoſcit rationem generis, nec in deſiderio, & delectatione rationem ſpecierum, quaſi inter ſe differant ſpecie per differentias eſſentiales; ſed differant per differentias accidentaliter diſtinguentes ipſum amorem; ita vt idem actus amoris accidentario ſit deſiderium, quandiù bonum concupitum eſt abſens: & ſit delectatio, cum eſt præſens: ita colliges ex Bel-

Bellom. Salas. *Bellomontano loco citato: cum quo, ſi non ex preſſè, ſatis tamen videtur conſentire Salas 1.tom. ad 1.2.q.4.tract.2. diſput. 8.ſect.1. n.39.pag.446.col.2. in fine.*

4. 4. opinio. Quartam opinionem inueni apud aliquos Theologos noſtræ tempeſtatis ſatis doctos; qui volunt, dari quidem poſſe actum amoris realiter diſtinctum à deſiderio, & delectatione; ſi nimirum voluntati proponatur bonum aliquod non conſiderata ratione futuri, aut præſentis: ſecus ſi bonum illud offeratur cum altera illarum differentiarum: tunc enim, vt aiunt, idem actus realiter erit vel amor, qui realiter eſt deſiderium, ſi ei offeratur, vt futurum: vel amor, qui eſt delectatio, ſi offeratur, vt præſens. Itaque apud iſtos, & actus deſiderij, & actus delectationis realiter, & intrinſecè eſt actus amoris; diuerſa tamen ratione: quia actus delectationis dicetur amor, prout reſpicit perſonam, cui volumus bonum præſens: dicetur autem delectatio, prout reſpicit bonum, quod perſonæ volumus. Idem dicunt de actu deſiderij: is enim prout terminatur ad perſonam, cui volumus bonum futurum, dicitur amor: deſideriũ autem, prout terminatur ad ipſum bonum futurũ, quod perſonæ concupiſcitur. Concludũt igitur, bonum eſſe proprium obiectum, tàm deſiderij, quàm delectationis; cõnotando tamen perſonam, cui illud volumus. E contrario amor primò reſpicit perſonam, ſecundariò autem ipſum bonum: vnde quando delectamur de bono amici, non dicimur delectari de amico, ſed amare amicum: ſicut etiam non dicimur amare bonum amici, ſed delectari de bono eius: cum quibus aliquo modo conſentit Bellomontanus vbi ſuprà.

5. Vltima opinio. Vltima tandem opinio eſt communis, quæ docet, amorẽ realiter diſtingui tum à deſiderio, tùm à delectatione; tanquam veram ſpeciem ſub vno genere cum illis.

§. 2.

Vltima opinio eſt amplectenda.

6. Vera eſt opinio vltima. Nos opinionem vltimo loco poſitam putamus eſſe veriſsimã; quã vt veriſsimam probauimus 1.*tom. lib.4.q.11.art.2.§.1.n.8.in fine*, quæ inter Philoſophos, & Theologos eſt communis: eam probarunt *D.Thomas 1.2.q.23. art.4. & q.26.art.2.& q.30.art.2. in corp. & ad ſecundum, vbi id annotarunt Caietan., Conradus, & Medina, Capreol. in 1.diſt.1.q.1.art.1.concl.3.§.Ex quibus patet, & artic.3.ad arg. contra tertiam, & ibidem Soncinas q.1.concl.3. Hiſpalenſis q.1. Toletanus q.1. concl.1. & 2. Gerardus de Senis q.1.art.3. Præceptor Franciſcus à Chriſto q.2.ad 5. Richard. in 3.diſt.27.artic.7.q.3. Scotus in 4. diſtin.49.q.4.litera B.F. & q.7. litera A: communiter Scotiſtæ, & expreſſè Baſſolius in 1.diſt.1.q.2.artic.2. Henricus quodlibet. 15.q.8.& 9. Buridanus 7. Ethicorum q.29. denique Conimbricenſes in Ethicis diſp. 6. q.5.art.2.* Cuius opinionis latior confirmatio pertinet ad tractatum de paſsionibus animi, de quo D. Thomas 1.2.q.11. & 31. Cogor tamen illam ſupponere, vt veriſsimam, ne tomus iſte ſecundus ſua magnitudine diſpliceat.

D. Thom. Caiet. Conrad. Medina. Capreol. Soncin. Hiſpalen: Toletan. Gerard. Franciſc. à Chriſto. Richard. Scotus. Baſſol. Henric. Buridan. Conimbr.

Pro illius veritate confirmanda ſatis modo ſit, quod inter Theologos, & Philoſophos eſt cõmuniſsima. Et contra primam opinionem illud objicio, quod vnanimus Philoſophorum conſenſus, etiam priſcis Philoſophis probatus, has tres animi paſsiones, vt diſtinctas enumerat; ita vt amor cũ deſiderio, & delectatione ternarium paſsionis numerum conſtituat: quare nulli dubium, quin opinio illa ſit paradoxa. Contra ſecundam illud objici poteſt; quod amor, prout eſt cõplacentia quædam in bono, eſt cauſa deſiderij, ſi bonum illud adhuc eſt futurum; delectationis verò, ſi eſt præſens: vnde ab omnibus Philoſophis ponitur, tanquam prima paſſio, & radix, tùm deſiderij, tùm delectationis: & ideò delectatio ex amore boni poſſeſsi conſequitur, & pullulat: quæ omnia videntur ſuadere diſtinctionem maiorem, quam formalem: ex quo etiam ſatis impugnantur tertia, & quarta opinio: & quanuis illæ longiorem poſtulent impugnationem, conſulentes tamen breuitati, hæc ſatis ſint. 7. Fundamentum.

Quare cum communi ſententia dicimus, amorem realiter diſtingui à delectatione: nam cum amor ſit formalis quædã adhæſio, & complacentia in bono cognito; ſicut ex ſua natura eſt cauſa deſiderij, ſi bonum eſt futurum; ita etiam eſt cauſa delectationis, cum bonum poſsidetur: quod verò eſt cauſa alterius, realiter ab eo diſtinguitur. Hæc igitur ſit reſolutio; vt 8. Reſolutio.

actus

actus, tam deſiderij, quàm delectationis ſupponat actum amoris, à quo ex Ariſtotele cauſatur, & pullulat. Vnde, tam vnus, quàm alter ſubalternatur actui ipſius amoris; imò ab vna, & eadē ratione boni cauſatur; non ſimpliciter; ſed ille ſub ratione futuri; iſte ſub ratione præſentis, & poſſeſſi. Ita fit, vt ratio bonitatis in obiecto bono primùm alliceat ad amorem, & eo ſuppoſito, moueat ad deſiderium, ſi adhuc eſt futurum, vel ad delectationem, ſi eſt præſens: quod notandum eſt contra opiniones oppoſitas. Quarum argumenta nō adducimus; quia vel nulla adducūtur; vel facilem habent ſolutionem.

QVÆSTIO XIII.

De delectatione Patriæ.

EXPLICATA natura, & eſſētia delectationis ſecūdum ſe; agēdum eſt de delectatione, quæ in Patria reperitur in beatis. De qua nouem articulos excitamus. Primus eſt; An ad beatitudinem requiratur delectatio? Secundus; An in Patria reperiatur, vt eſſentia beatitudinis; an vt perfectio eam concomitans? Tertius; An delectatio ſit neceſſaria, vt quid ſit, & dicatur beatus? Quartus; An delectatio Patriæ ſit operatio elicita à voluntate? Quintus; An delectatio in Patria ſit duplex? Sextus; An diſtinguatur à dilectione, ſiue amore? Septimus; An omnis delectatio in Patria immediatè terminetur ad Deū? Octauus; An delectatio in Patria ſit actus neceſſarius? Nonus, & vltimus; An ad beatitudinem principalior ſit delectatio, quam viſio?

ARTICVLVS I.

An ad beatitudinem requiratur delectatio?

Gaudiū & delectatio idem ſunt. IN hac quæſtione ſupponendū eſt, delectationem, & gaudium (quod ad præſens inſtitutum attinet) pro eodem accipi: nam & ſi delectatio eſt quid commu nius; vt quia cōuenit, nō ſolùm brutis, ſed etiam hominibus ſecundum corpus; tamen quando illa reperitur in parte intellectiua, & rationali, appellatur gaudium: gaudium autem, ſi foras egreditur ad faciem, dicitur lætitia. Vide D. Thomam 1.2. q.31. art. 3. Quare omnis delectatio in Patria verè, & propriè dicitur gaudiū: poſt reſurrectionem autem prout ad faciem exibit, dici poteſt lætitia.

2. Hoc ſuppoſito, ad quæſtionem aſſirmatiuè reſpondendum eſt cum D. Thoma 1. 2. q.4. art. 1. *vbi omnes ſcribentes: & in* 4 *diſt.*49; *vbi idem D. Thomas q.*3. *artic.* 4. D. Thom. *quæſtiuncula* 3. Et aſſertio eſt de Fide: nam Matth. 5. dicitur: *Euge ſeruè benè; intra in* Matth. 5. *gaudium Domini tui*, Primæ Petri 1. *Cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam reuelari* 1. Petri. *in tempore nouiſſimo; in quo exultabitis, &c.* Pſam. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu* Pſal. 15. *tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.* Pſalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.* Pſalm. 35. Pſal. 149. Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Faciūt verba Lucæ 22. *Diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno* Luc. 22. *meo.* Quæ verba delectationem de viſione diuina ſatis explicant: vnde Auguſtinus 10. Confeſſionum cap. 23. *Beatitudo, inquit, eſt gaudiū de veritate.* Auguſt.

3. Confirmatur id ipſum: quoniam delectatio eſt comes cuiuſq; beatitudinis, tàm ſupernaturalis, quàm naturalis. Ergo etiā comitabitur beatitudinem Patriæ. Conſequentia patet: antecedēs autem de beatitudine ſupernaturali viæ ſatis probatur ex Paulo ad Galatas 5. *Fructus autem ſpiritus eſt Charitas, gaudium, &c.* Secundæ Galatas 5. Corinth. 1. *Adiutores ſumus gaudij veſtri: nam in fide ſtatis.* Primæ Ioannis 1. *Scribo* 2. Corin. 1. *vobis, vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit* Ioann. 1. *plenum.* ¶ De beatitudine naturali idem docet Ariſtot. 1. Ethicorum capit. 8. vbi Ariſtot. agens de felicitate ita concludit: *Optimum ergo: & pulcherrimum, & iucundiſſimum eſt felicitas:* lib. 1. Ethic. ad Eudemum in principio agens contra quendam Philoſophum, aſſerentem, bonum, honeſtum, & iucundum in eodem non conuenire, ita ait: *Quod nos nequaquam conceſſimus: felicitas enim cum optima ſit, & pulcherrima; eadem etiam iucundiſſima exiſtit.* Denique 7. Ethicorum cap. 13. *omnes arbitrantur, felicem vitam eſſe iucundam; rectumque ipſam voluptatem cum felicitate: idque non ſine ratione,*

ARTICVLVS II.

An delectatio in Patria reperiatur, vt eſſentia beatitudinis; an vt perfectio eam concomitãs?

1. Quæſt. alibi eſt diſcuſſa. QVæſtio iſta eſt controuerſa. Plerique docent, delectationẽ ingredi eſſentiam beatitudinis, quos citauimus ſuprà *lib. 4. q. 11. art. 2. §. 2. nu. 2.* vbi adduximus huius opinionis fundamẽta. Alij ſimpliciter, & abſolutè delectationem excludunt ab eſſentia beatitudinis: & volunt, eam in Patria comitari quidem beatitudinem eſſentialem; at tamen, tanquam perfectionem illi accidentariam. Quam opinionem, vt veriſsimam eo in loco latè confirmauimus §. 3. vbi §. 4. argumenta in oppoſitum latè diſſoluimus, vide, quæ ibidem diximus.

ARTICVLVS. III.

An delectatio ſit neceſſaria, vt quis ſit beatus?

1. EX præcedente articulo conſtat, delectationẽ nõ requiri ad beatitudinẽ, tanquam quid ad eſſentiam, pertinens; ſed tanquam perfectionem illi cõnaturalem, pertinentem ad abſolutũ illius complementum. Quæri tamen poteſt; an illa ſit neceſſaria, vt quis ſimpliciter ſit, & dicatur beatus?

§. 1.

Opinio affirmans.

2. Pars affirm. DE hoc duas inuenio oppoſitas ſententias: Prima docet, beatitudinẽ eſſentialem ſimpliciter non beaticare, niſi prout concernit ea, quæ ad perfectionem beatitudinis ſtatum requiruntur; amorem ſcilicet; delectationem, rectitudinem voluntatis, ſecuritatem, &c. *Ita* Godofred. *Godofredus quodlib. 2. q. 1, quem non reijcit* Capreol. *Capreolus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. ad 5. Scoti in ſecunda ſolutione fol. 193. colu. 1. poſt* Sotus. *principium, probat Sotus ibidem q. 1. artic. 4. ad finem §. Et per hoc illis reſpõdetur, nec diſ-* Medina. *plicet Medinæ 1. 2. q. 3. artic. 4 ad 2. pro prima opinione: placet aliquibus ex nouioribus.*

3. 1. Ratio. Primum fundamentum ex Soto; quoniam beatitudo eſt aggregatio omnium 2. Ratio. bonorum. Deinde ex Medina; quia viſio ideo eſt beatitudo, quoniam cauſat delectationem. Ergo ſine tali cauſalitate non poteſt hominem denominare beatum.

Tertiò; quia beatitudo non poteſt facere beatum, niſi vt cõcernit ſuas proprietates, tanquam conditiones, veluti diſpoſitiones, vt hominem beatum faciat, vt colligitur ex *D. Thoma in 1. diſt. 1. q. 1. art. 1. ad ſecundum*; dum ait, viſionem non habere perfectam rationem felicitatis, niſi prout eſt operatio perfecta per ea, quę ad illam conſequuntur. Nec hoc, inquiunt hi authores, mirum videri debet: quoniã diuinus intellectus non dicitur potentia generandi, niſi prout eſt in patre: & pars colubri abſciſa, licet conſtet materia, & forma colubri, nec dicitur coluber, nec animal; ideo, quia hæc nomina concernũt totum perfectibile, hoc eſt ſubiectum, in quo ſunt debita organa, per quæ opera vitæ exerceantur. 4. 3. Ratio.

Poſtremò, quoniam ſequeretur, vidẽtem Deum eſſe ſimpliciter beatum, quãuis tormentis diſcutietur: quæ ſententia olim fuit paradoxa eorum, qui hominem virtute præſtantem beatũ vocabant, etiã cum in phalaridis tauro torreretur. 5. 4. Ratio.

§. 2.

Vera eſt opinio negans.

LIcet hæc opinio aliquam habeat pbabilitatem; puto tamen lõgè eſſe probabiliorem, quę docet, delectationem non eſſe neceſſariam, vt quis ſimpliciter, & abſolutè dicatur beatus: benè tamen, vt dicatur perfectè beatus. *Ita Durand. in 4. diſt. 49. q. 4. ad vltimum num. 25. & ibidem Capreolus q. 2. art. 3. ad 5. Scoti cõtra primam fol. 193. col. 1. in 3. ſolutione, & inferiùs ad 7. 3. loco contra primam fol. 194 col. 4. Medina 1. 2. q. 3. art. 4. ad 2. pro prima opinione fol. 63. col. 2. in fine, præceptor Franciſcus à Chriſto ibidem in ſuis perlectionibus, & inter recentiores eſt receptiſsima.* 6. Vera opinio Durand. Capreol. Medina. Franciſcus à Chriſto.

Hæc opinio ratione probatur; quoniã qui videt Deum, & illum amat, ſimpliciter habet in ſe eſſentialem beatitudinem. Cur igitur non dicetur ſimpliciter beatus? Etenim forma exiſtens in ſubiecto non poteſt non cauſare in eo ſuum formalem effectum. 7. 1. Ratio.

Deinde probatur ex Ariſtotele: licet enim ad perfectam felicitatem requirat fortunam moderatam, tanquam bonum, quo 9. 2. Ratio.

quo iuuatur,& perficitur; ſi tamen aduerſa adeſt fortuna, non proinde deſinit eſſe beatus: & ratio eſt; quia beatus fortunã aduerſã omni ex parte concinnè,& æquabiliter feret; tanquam verè bonus: vnde in ipſa aduerſa fortuna in eo verè elucet, & virtutis,& beatitudinis honeſtas,vt ait Ariſtotel. 1. Ethicor. cap. 10. poſt med. Eodem modo ad felicitatis naturalis perfectionem neceſſaria eſt amicorum ſocietas,vt felicitas ipſa iuuetur,& perficiatur vt ait Ariſtot. 9. Ethicorũ cap. 9. & tamen ſi felix ſolus ſit,adhuc ſibi eſt ſufficientiſſimus,vt Ariſto. docet lib. 10. Ethicorũ c. 7. & ratio,inquit,eſt; quia felicitas ipſa ſe
Ariſtotel. ſola eſt amabilis. Deniq; 1. Eth, Ariſt. c. 1. explicans, quomodo felicitas ſit bonum per ſe ſufficiens,& illam comparans cum accidentibus,quibus perficitur,docet, *Felicitatem à cæteris ſuis bonis ſegregatam facere vitam expetibilem, nulliuſque rei indigentem.* Quare ex ſententia Ariſtotelis ipſa beatitudo eſſentialis ſe ſola, & ſegregatis accidentarijs perfectionibus, hominem beat. Cur igitur idem nõn erit dicendum de beatitudine ſupernaturali Patriæ?

9. Hæc opinio efficaciter probaretur, ſi
Canis. vera foret opinio *Cani 12. de locis cap. 14.* aſſerentis gaudium beatificũ in Chriſto Domino tempore paſsionis fuiſſe ſuſpenſum, vt triſtitiæ daretur locus: & tamen illa opinione admiſſa,nullus diceret, Chriſtum pro illo tempore ſimpliciter, & abſolutè non fuiſſe beatum: nec aliquis hoc abſurdum intulit contra Canũ,cuius opinio,& falſa eſt,& fortè temeraria: quòd mihi eſt argumento, omnes, qui contra Canum ſcripſerunt,& fortè ipſum Canũ exiſtimaſſe,viſionẽ ſine gaudio ſatis fuiſſe, vt Chriſtus ſimpliciter eſſet,& diceretur beatus.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

10. Ad 1. PRimum argumentum in oppoſitũ, verum habet de beatitudine ſumpta pro perfecto,& abſoluto beatitudinis ſtatu: nam beatitudo eſſentialis formaliter non continet omne bonum; ſed ſolùm radicaliter, & virtute, vt diximus 1. tom. lib. 4. q. 5. art. 1. nr. 9. & 20. quæ virtualis continentia ſatis eſt, vt ſimpliciter faciat hominem beatum.

Secundum argumentum non indiget 11.
ſolutione; quia beatitudo eſſentialis non Ad 2.
inde habet, quòd eſſentialiter ſit beatitudo,quia cauſat delectationem,ſed quia eſt aſſecutio vltimi boni.

Ad tertium neganda eſt maior: cui nõ 12.
fauet D. Thomas,quia ſolùm agit de bea- Ad 3.
titudine naturaliter perfecta. Exempla autem allata parum ad rem faciunt: nam intellectus diuinus non habet,quòd ſit potentia generandi, vt eſt eſſentialis, ſed vt in patre eſt notionalis. Anima verò ſenſitiua, vt ſimpliciter conſtituat animal,prærequirit organizationem debitam ad exercendas operationes vitę,quæ organizatio non reperitur in parte colubri abſciſa.

Ad poſtremum admittenda eſt ſeque- 14.
la: nec poteſt non admitti in Chriſto Do- Ad vlt.
mino pendente in Cruce: in qua licet ſecundum corpus vehementius torquebatur,quàm torqueretur in tauro Phalaridis, & eſſet vir dolorum Iſaiæ 52. & haberet ſummam triſtitiam ſecundũ portionem inferiorem animæ: tamen ſecundum portionem ſuperiorem Deo delectabiliter fruebatur. Quare opinio,quæ vt antiquis paradoxa refertur,veriſsima eſt, etiam apud Ariſtotelem: vt colliges ex locis §. 2. adductis.

ARTICVLVS. IIII.

An delectatio Patriæ ſit operatio elicita à voluntate?

QVæſtio eſt controuerſa, de qua 1.
variæ ſunt opiniones non ſolùm 1. Opinio.
de delectatione ſecũdùm ſe ſumpta; ſed etiam de delectatione Patriæ. Quòd delectatio etiam in Patria ſolùm ſit
paſsio non verò operatio,docuerunt *Hen-* Henricus.
ricus, & Scotus cum alijs,quos citauimus ſu- Scotus.
pra q. 12. art. 2. §. 1. in prima opinione: qui omnes idem docent de delectatione Patriæ.

Alij etiam in Patria duplicem dinſtin- 2.
guunt delectationem: vnam; quæ habet 2. Opinio.
pro obiecto Deum ipſum: alteram; cuius obiectum eſt ipſa viſio: priorem volunt eſſe operationẽ à voluntate elicitam: poſteriorem verò ſolùm eſſe paſsionem. Ita Toletanus ibidem citatus in tertia opinione.

Amplectanda tamen eſt cõmunis ſen- 3.
tentia Vera opinio

tentia, quæ docet, omnem delectationẽ eſſe operationem immediatè elicitam ab appetitu: authores illius retulimus in dicta q. 12. art. 2. in ſecunda opinione: & eam latè ibidem confirmauimus §. 3. Qui omnes volunt, delectationẽ in Patria eſſe veram operationem volũtatis, quam opinionem modo ſupponimus.

ARTICVLVS V.

An delectatio in Patria ſit duplex?

1. Alibi eſt ſoluta. QVæſtioni affirmatiuè reſpondendum eſt, vt iam reſpondimus 1. *tom. lib. 4. q. 11. art. 2. num. 9.* nam cum in beatis detur duplex amor terminatus ad Deum, non ratione tantum, ſed realiter diſtinctus: amicitiæ inquam, & concupiſcentiæ: quorum priori beati adhærent Deo propter ſe: poſteriori verò; quia Deus eſt ipſis bonus, duplex etiam dabitur delectatio realiter diſtincta: vna; quæ conſequitur amorem amicitiæ, qua beatus delectatur de bono diuino, quod ipſi Deo concupiſcit: quiſque enim beatus delectatur, quòd Deus ſit ſapiens, bonus, &c. Altera; quæ comitatur amorem concupiſcentiæ, qua beatus gaudet de bono diuino, prout à nobis poſsidetur: lætatur enim quòd Deum videat, amet, poſsideat, &c. Ita habes ex *D. Thoma 2. 2. q. 28. art. 1. & 2. & ex Capreolo in 1. diſt. 1. q. 1. ar. 3. ad 3. contra tertiã fol. 24. col. 4. & ad 6. contra quintam fol. 27. col. 3.* D. Thom. Capreol.

2. Aduertẽtia. Aduertendum tamen eſt diligentiſsimè, gaudium in Patria, imò in quocumq; ſtatu, conſequi vtrumque amorem erga Deum: at tamen vtrũque conſequi, quatenus eſt amor concupiſcentiæ, vt terminatus ad bonũ, quod cõcupiſcitur. Quod vt intelligas, memineris eorũ, quæ in præfatione ad quæſtionem decimam *Præmiſſo 2. & 3. aduertimus, & latiùs 1. tom. lib. 1. q. 2. art. 3. n. 8.* dari enim non poteſt amoris actus, qui ſub alia, & alia ratione non ſit, & amicitiæ, & cõcupiſcentiæ: nam cũ amare ſit velle alicui bonum, omnis amoris actus terminatur, tùm ad perſonam, cui volumus bonum; tùm ad bonũ, quod illi volumus: qui tamen vt terminatur ad perſonam, dicitur amor amicitiæ; terminatus verò ad bonum dicitur concupiſcẽtiæ: ita fit, vt amor amicitiæ, quo beati Deo volunt bonum, quod habet, dicatur talis, vt terminatur ad Deum: concupiſcentiæ vreò, prout terminatur àd Deum, vt ad bonum, quod nobis volumus. Dicimus igitur, gaudium; quod beati habent de bono diuino, quod volunt Deo, comitari quidem illum actũ, qui eſt amor amicitiæ ipſius Dei; non tamen illum comitari, prout eſt amor amicitię; ſed prout eſt concupiſcentiæ terminatus ad bonum.

Simili modo gaudiũ, quod ijdẽ beati habent ex eo, quod habent Deum, vt bonũ ſibi ipſis, ſequitur quidem amorem amicitiæ, quo beati ſe ipſos amant, non tamẽ vt eſt amicitiæ, ſed vt eſt concupiſcentiæ terminatus ad Deum, prout eſt bonum ipſis. Ita fit, vt gaudium ſemper comitetur amorem, quatenus eſt concupiſcentiæ; quia ſemper datur de bono, quod volumus perſonæ amicabiliter amatæ. Et ad hunc ſenſum veriſsimum eſt, nos delectari de bono, quod volumus; non de perſona, cui illud volumus; ſicut etiam ſola perſona amatur amore amicitiæ, nõ verò bonum: hoc enim ſolùm terminat amorẽ concupiſcentiæ. Quam doctrinam probauit *Bellomontanus 1. 2. diſp. 14. cap. 4. n. 22. & 23.* 3. Bellomont.

Concludendum eſt igitur, beatos habere duplex gaudium realiter diſtinctũ: vnum de bono diuino conſequens amorẽ amicitiæ, vt terminatur ad bonum, quod Deo volunt. Alterum verò de bono ſuo, id eſt de Deo, vt ipſis eſt bonum: hoc autem gaudium conſequitur amorem amicitiæ, non quo Deum amant; ſed quo amant ſe ipſos: prout tamen teminatur, non ad ſe ipſos, ſed ad Deum, vt ipſis eſt bonum. 4. Duplex gaudium in beatis.

Inter vtrumque gaudium dantur plura diſcrimina; de quibus Capreolus loco citato: nam primum gaudium immediatè procedit à Charitate; ſecundum verò ſolùm imperatè: primum comitatur amorem amicitiæ, quo Deus amatur; ſecundũ concupiſcentiæ, quo beati ſe amant. Addit Capreolus ſecundum gaudium habere rationem præmij, perficere beatitudinem, denique eſſe perfectam voluntatis quietem. Sed non eſt in hoc audiendus: quoniam ſicut amor amicitiæ, quo Deus amatur, magis eſt beatificus, quàm concupiſcentiæ, quo beatus ſe amat: ita gaudiũ cõcomitans priorem amorem magis erit beati- 5. Quomodo illa differãe Capreolus.

beatificum, & melius perficiet viſionem: nam & amor amicitiæ, quo amatur Deus, immediatiùs conſequitur ad viſionem, quàm amor concupiſcentiæ, quo beatus ſe ipſum amat.

ARTICVLVS VI.

An delectatio Patriæ diſtinguatur ab amore, & dilectione?

1. Quæſtio. DE diſtinctione delectationis ab amore ſatis diximus ſuprà q. 12. art. 4. ex his, quæ ibi ſcripſimus, facilè intelliges, delectationem in Patria realiter diſtingui à dilectione, quidquid nonnulli oppoſitum doceant. Intelliges etiam non eſſe admittendum Suarium, quatenus oppoſitum docet de gaudio, quod beatus habet de perfectionibus Dei, & quatenus vult hoc gaudium identificari cum amore amicitiæ, quo beatus amat Deum: quod iam nō recepimus 1. *tom. lib.* 4. *q.* 11. *art.* 2. *num.* 19. & 20.

ARTICVLVS VII.

An omnis delectatio in Patria immediatè terminetur ad Deum in ſe ipſo?

1. 1. Opinio. QVæſtio controuerſa eſt. Nōnulli putant, delectationem in Patria immediatè non terminari ad Deū ſed ad viſionē, vel amorem: volunt enim, nullam delectationem immediatè terminari ad rem delectabilem, ſed ad operationem, qua res delectabilis nobis coniungitur. *Ita Durand. in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *num.* 6. & *latiùs in* 1. *diſt.* 1. *q.* 2. & *in* 3. *diſt.* 26. *q.* 2.

Durand.

2. 2. Opinio. Alij cum Durando admittunt, delectationem non attingere Deum obiectum beatificum immediatè in ſe ipſo; ſed immediatè terminari ad Deū viſum, & ſubinde ad Deum, & ad viſionem: ad Deum inquam, vt ad obiectum *quod*; ad viſionē autem, vt ad obiectū quo: & ſubinde immediatè terminari ad Deum viſum, tanquam ad obiectum integratum ex obiecto *quod*, qui eſt Deus, & ex obiecto *quo*, quæ eſt viſio. *Ita Cæietanus* 1. 2. *q.* 3. *art.* 4. §. *Rationem autem primam Scoti, & Bellomontanus* 1. 2. *diſput.* 11. *cap.* 6. *num.* 33. & 34. Fundamentum eſt, quia voluntas, nec ex ſua natura, nec ex modo operandi ſibi proprio habet, quòd attingat obiectum beatificum in ſe ipſo; cum ex ſua natura ſupponat, illud iam eſſe adeptum: & verſetur circa illud, vt iam adeptū eſt. vnde ita terminatur ad tale obiectū, & ad adeptionem eius ſimul, tanquam ad obiectum integratum ex vtroque.

Caietan. Bellom.

Communis tamen opinio docet, delectationem immediatè terminari ad Deū in ſe ipſo; ſiue illa ſequatur amorem amicitiæ, ſiue concupiſcentiæ: quam opinionem probauimus 1. *tom. lib.* 4. *q.* 11. *art.* 2. §. 3. *num.* 18. *vbi pro ea citauimus D. Thomam* 2. 2. *q.* 24. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 3. & diligentiorem explicationem in hunc locū reſeruauimus. 3. 3. communis opinio. D. Thom.

Quare illā iſto modo putamus eſſe reſoluendam, vt nec opinio Durandi, nec Caietani probanda ſit; iſta verò tertia ſit veriſſima de delectatione, quæ amorem amicitiæ conſequitur: non tamen de ea, quæ conſequitur amorem concupiſcentiæ Quam opinionem olim ſtatuimus, dū interpretaremur D. Thomam 1. 2. q. 4. art. 1. Singula perſequamur. 4. Propria opinio authoris.

Quòd opinio Durandi reijciēda ſit, ex eo ꝓbatur; quoniā delectatio ex ſe habet, quòd terminetur ad aliquod obiectū, vt *quod*: iā verò viſio beata ñ poteſt eſſe obiectū, vt *quod*, alicuiꝰ operationis, niſi ab intellectu concipiatur per cognitionē reflexam, & voluntati obiectiuè proponatur, tāquam bonum in ſe ipſo appetibile. Iam verò delectatio directè cōſequitur ad operationem, qua bonum directè acquiritur, & amatur; & ideo in beatis datur abſq; vlla reflexa notitia ipſius viſionis. Vt omittamus voluntatem delectari de re bona poſſeſſa, & amata ſiue ipſa poſſeſſio, & amor concurrat, vt ratio formalis, ſiue vt conditio: iam verò ipſa operatio, qua res bona poſſidetur, & amatur, non eſt id, de quo habetur delectatio. 5. Contra opinionē Durandi.

Quod autem opinio Caietani etiam ſit reijcienda, ſatis patet ex dictis ſuprà q. 10 art. 3. quæ enim probāt, amorem nō terminari ad viſionē, ſed immediatè ad Deū in ſe ipſo; eadē etiam probant de delectatione: ſicut enim non amatur Deus formaliter, vt viſus, ſed qui eſt viſus, ita vt viſio concurrat ſolùm, vt conditio: ſic etiam beatus non delectatur de Deo viſo; ſed de Deo, qui eſt viſus. Iam verò conditio nō tollit, quominus operatio, aut amoris, aut delectationis immediatè terminetur ad Deum in ſe. 6. Contra opinionem Caietan.

Quòd

7. Probatur 3. pars reſolutionis.

Quòd verò nõ omnis delectatio beati terminetur in Deum (quæ eſt tertia pars reſolutionis), facilè probatur, quoniam licet delectatio, quæ conſequitur amorem amicitiæ, quo beatus Deo vult omnia bona, quæ habet, terminetur ad Deum, vt amicũ: tamen delectatio conſequens amorem concupiſcentiæ, quo beatus ſibi vult Deum, tanquam ſummũ bonum, nõ terminatur ad Deum, tanquam in obiectum, de cuius bono delectatur; ſed terminatur ad ſe ipſum, cum delectetur de bono à ſe poſſeſſo: quę reſolutio patet ex terminis.

8. Difficultas an terminetur in obiectum quod & quo?

Difficultas tamen eſt; an vtraque iſta delectatio immediatè terminetur in ipſũ obiectum *quod*? an ſimul etiam terminetur ad obiectum *quo*? v.g. vtrùm delectatio conſequens amorẽ amicitiæ erga Deũ immediatè terminetur in ipſum Deum, an ſimul in amorem amicitiæ terminatũ ad Deum per amicitiam amatum? Similiter etiam; vtrùm delectatio conſequens amorem cõcupiſcentiæ, quo beatus amat Deum ſibi, immediatè terminetur ad ipſũ beatum: an verò ad ipſum amorem concupiſcibiliter amatum? cuius quæſtionis reſolutio pendet ex alia; an amor, quo bonum alicui amatur, concurrat ad delectationem, vt ratio formalis; an ſolùm vt cõditio? Cui difficultati negatiuè reſpondimus 1. *tom. lib.* 4. *q.* 11. *art.* 2. *nu.* 27. & 28. & *q.* 12. *num.* 6. & 7. Quæ opinio etiam nunc videtur ſatis probabilis; ita tamen, vt oppoſita ſuam etiam habeat probabilitatem: nihil enim cogit, vt negemus, amorem ad vnam, & alteram delectationem concurrere ſolùm vt conditionem, eo modo, quo viſio ad amorem concurrit. Quare omnis delectatio terminatur ad bonum poſſeſſum ab eo, qui amatur: vtrùm verò ad illud nudè ſumptum immediatè terminetur? an verò, vt amatum? vtraque pars placere poteſt.

Negatiua Reſponſio.

ARTICVLVS VIII.

An delectatio in Patria ſit actus neceſſarius?

1. De hac quæſtione idem dicendum eſt, quod de amore diximus quęſtione 10. arti. 6: & ex dictis articul. 7. reſolues; an delectatio Patriæ ſit actus humanus?

ARTICVLVS IX, & vltimus.

An in Patria delectatio principalior ſit, quàm viſio; & dilectio?

1. Veræ opiniones de primo quæſito.

Qvod attinet ad primum, quod inquiritur; controuerſum eſt, an delectatio præſtet viſioni? quidam affirmant; & non poſſunt non affirmare, qui viſionem à ratione beatitudinis omnino excludunt, & ad rationem illius admittunt delectationem, aut ſolam, aut ſimul cum amore, quos retulimus 1. tom. lib. 4. q. 12. art. 2. num. 1. & art. 3. num. 2. Alij negant: illi ſcilcet, qui à ratione beatitudinis excludunt delectationem, & admittunt viſionem, vel ſolam vel ſimul cũ amore. Nos quæſtionem ita reſoluemus, vt abſolutè dicamus in Patria viſionem ſimpliciter præſtare delectationem, ſiue illa conſequatur amorem amicitiæ, ſiue concupiſcentiæ. Fundamentum eſt; quia delectatio abſolutè excludenda eſt ab eſſentia beatitudinis, vt diximus ſuprà art. 2: cum tamen viſio ad eſſentiam beatitudinis pertineat, vel ſola apud Thomiſtas, vel ſimul cum amore apud eos, qui beatitudinem collocant, tùm in viſione, tùm in delectatione. Solùm poteſt eſſe dubitatio, ſuppoſita opinione, quòd beatitudo in ſola dilectione ponatur: tunc enim nec viſio, nec delectatio ingreditur beatitudinis eſſentiam; & ideo datur locus quæſtioni, quænam illarum ſit nobilior? cuius reſolutio pendet ex quæſtione; an intellectus ſit potentia nobilior, quàm volũtas? quæ cum pro vtraque parte ſit probabilis, vt diximus *lib.* 4. *q.* 8. *art.* 4. & *q.* 10. *ar.* 4. §. 2: probabilis etiam erit pro vtraque parte, quæſtio; an viſio pręſtet delectationi? Et hæc de primo puncto.

2. De 2. quæſito.

¶ Quod verò attinet ad ſecundum; An amor præſtet delectationi; vel delectatio amori? Controuerſum eſt. Quòd delectatio præſtet amori, probat *Toletanus in* 1. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. & *q.* 3. *art.* 2. *in* 4. *concl.* Sed oppoſitùm docuit noſter *Gerardus de Senis in eodem loco q.* 1. *articul.* 2: & *placuit Ochamo q.* 3. & *Supplemento Gabrielis in* 4. *diſt.* 49. *q.* 3. *artic.* 3. *dub.* 2. & *Holcoth q.* 7. *ſuorum determinabilium litera* I. & hanc ſententiam veriſsimam iudicauimus *lib.* 4. *q.* 11. *art.* 2. §. 4. *num.* 30. & in

Duæ oppoſitæ ſententiæ. *Toletan. Gerard. Ocham. Suppleme. Holcoth.*

eadem

eadem modo ſumus opinione. Fundamētum inde ſumimus: quia delectatio, tùm in genere naturæ, tùm in genere moris eſt propter operationē, & ſubinde propter am o rem, quo voluntas bono poſſeſſo adhæret, vt contra nonnullos latè oſtendimus ſuprà *q. 12. art. 3. §. 2. propoſ. 3. & 4.* vnde ceſſat aduerſariorum fundamentū, qui oppoſitum docebant: ſuppoſita autē hac opinione, non poteſt non concedi, amorem præſtare delectationi; quia natura id, quod eſt ignobilius ordinat ad nobilius, tanquam in finem. Nec huic reſolutioni obſtat, quod ex regula Ariſtotelis, quæ generatione ſunt poſteriora, ſunt priora dignitate: delectatio verò generatione poſterior eſt, quàm dilectio, nō obſtat, inquam, quoniam regula illa non eſt vniuerſaliter vera, vt ex D. Thoma, & alijs oſtendimus in præcedente quæſtione *3. art. §. 3. ad tertium, num. 23.* Et hæc de delectatione beatifica.

QVÆSTIO XIIII.

De comprehenſione beatifica.

SVPEREST explicemus tertiā beatificam perfectionem, quæ appellatur cōprehenſio. De qua tres articulos excitabimus. Primus eſt; Vtrùm comprehenſio ad ſolùm intellectum pertineat? an ad ſolam volūtatem? an ad vtramque potentiam. Secundus; An comprehenſio requiratur ad beatudinem? Tertius; An requiratur, tanquā formalis beatitudo? an tanquam perfectio concomitans?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm comprehenſio ad ſolum intellectū pertineat, vel ad ſolam voluntatem? an ad vtramque potentiam?

§. 1.

Quid ſit comprehenſio?

1. Quomodo accipiatur cōprehēſio

COmprehenſio in hac diſputatione non accipitur, pro incluſione alicuius in aliquo: hæc enim in beatitudine non datur reſpectu Dei; quia nullus intellectus creatus, aut voluntas poteſt ſua actione Deum comprehendere: nec enim intellectus poteſt Deū intelligere, quantum intelligibilis eſt; nec amare, quātum in ſe eſt amabilis: *eſt enim Deus incōprehenſibilis cogitatu*, vt dicitur Ieremię *32. vide Auguſtinum Epiſt. 112. ad Paulinum cap. 9. & D. Thomam 1. p. q. 12. art. 7.* Auguſtin. D. Thom. Quare accipitur comprehenſio pro apprehenſione, ſiue tentione, vt comprehēdere rem idem ſit, quòd eam apprehendere, attingere, atque tenere: quem enim quis inſequitur, comprehendit, dum eum manu tenet. In hac igitur ſignificatione hoc loco agimus de comprehenſione: de qua agit Paulus primæ Corint. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, id eſt apprehendatis, & teneatis: 1. Cor. 9. Et in hac ſignificatione beati in Patria dicuntur comprehenſores; quia. ſ. Deū pręſentem iam tenent, & poſſident.

§. 2.

Ad quam potentiam pertineat?

2 Variæ ſententiæ

CVm igitur cōprehenſio Dei in Patria ſit ipſa Dei tentio: iam inquiri poteſt, an comprehenſio pertineat ad intellectum? an ad voluntatem? an ad vtramque potentiam? Quidam volunt, eſſe ſolius intellectus: quæ videtur eſſe mens Soti *in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. concl. 2. & Medinæ 1. 2. q. 4. art. 3. in 2. q.* quam opinionem eſſe probabilem putat, *Lorca 1. 2. diſp. 21. §. Duæ ergo ſunt opiniones pagin. 114. col. 1. Simpliciter placet Salæ 1. tom. ad 1. 2. q. 4. tract. 2. diſp. 8. ſect. 1. num. 18. pag. 443. col. 2. in principio.* 1. Opinio. Sotus. Medina. Lorca. Salas.

3. 2. Opinio. D. Thom. Caietan. Conradus. D. Bonau.

Alij docent, comprehenſionem eſſe ſolius voluntatis: quam opinionē expreſsè probat *D. Thomas 1. 2. q. 4. artic. 3. in corp. & clariùs ad 2. vbi ita ſcribit: ſicut ad volūtatem pertinet ſpes, & amor; ita ad voluntatem pertinet comprehenſio, & delectatio Vbi Caietanus, & Conradus: eandem opinionem ſatis explicat idem D. Thomas 1. 2. q. 28. ar. 1. & 2. ſi diligenter expendātur, quæ ſcribit, vbi etiam videndus eſt Caietanus. Fuit etiā expreſſa ſententia D. Bonauenturæ in 4. diſt. 49. art. 1. q. 5. num. 22. & D. Antonini 4. p. titulo 7. cap. 7. §. 4. quam vt veriſsimam ſupponunt Bellomontanus 1. 2. diſp. 17. cap. 2. n. 6. & 9. §. Poſterior verò pars, & Lorca vbi ſuprà §. Eſt tamen ſententia:* D. Anton. Bellomon. Lorca.

4. 3. Opinio Richard.

Tertia opinio putat, comprenſionem, & ad intellectum, & ad voluntatem pertinere: quam probauit *Richardus in 4. diſt.*

Paludan. Valentia. 49. *art.* 3. 7. & *Paludanus ibidem q.* 8. *artic.* 3. *concl.* 2. & *ſatis Valentia* 2. *tom. diſput.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. *pag.* 84.

5. 2. Opinio. Ego cum ſecunda opinione puto eſſe dicendum. Primò; quia expreſſè eſt D. Thomæ, & D. Bonauenturæ: deinde: quia eſt cōmunior. Tertiò; quia vrget fūdamentum D. Thomæ, & D. Bonauenturæ: etenim eiuſdem eſt tenere, cuius eſt quieſcere in eo, quod tenetur: iam verò quieſcere in Deo habito eſt voluntatis: Ergo voluntatis etiam erit tenere ipſum Deum, in quo quieſcit. Quæ ratio à Soto, & Medina ſolui non poteſt, niſi negando maiorem: putant enim tenere Deum pertinere ad intellectum; cuius tamen oppoſitum docet D. Thomas. Et ita dicendū eſt ſit ratio tentionis expendatur: nec enim ſatis eſt, rem eſſe præſentem, vt illā teneamus; ſed requiritur, vt illam præſentem faciamus noſtram, vt oſtendimus *lib.* 4. *q.* 10. *art.* 3. *num.* 6. & 7. & *ſatis D. Thomas in dicta q.* 28. *art.* 1. & 2. vbi ad tentionem requirit, quòd res amata apprehendatur, vt aliquid ſui. D. Thom.

6. Alia ratio. Pro eadem opinione vrget, quod eius eſt tenere aliquid, cuius eſt currere ad illud tenendum, vt ſatis colliges ex Paulo in verbis citatis; *Sic currite, vt comprehendatis.* Et ad Philippenſes 3. *Sequor autem, ſi comprehendam.* Iam verò currere eſt voluntatis; quia illius eſt mereri ipſam comprehenſionem, tanquam præmium. Accedit; quoniam eiuſdem eſt tenere, cuius eſt poſſe dimittere, vt patet ex cap. 3. Cāticorum: *Tenui eum, nec dimittam:* iam verò Deus dimitti non poteſt, niſi per actū voluntatis peccaminoſum; ſenſus igitur erit; tenui eum per amorem, nec dimittā, quia ſemper amore illi inhærebo.

1. Cor. 9. Ad Phil. 3

7. 3. Ratio. Tertio accedit; quia in Patria comprehenſio reſpondet ſpei, ex Diuo Thoma *prima ſecundæ quæſt.* 4. *articulo tertio*; & eſt communis Theologorum conſenſus: etenim ſicut viſio tollit imperfectionem fidei; & fruitio imperfectionem motus deſiderij tendentis in Deum; ita etiam comprehēſio tollit imperfectionem ſpei, carentiam, ſcilicet eius, quod ſperat: quare cum ſpes ad voluntatē pertineat, vtiq; ad eam pertinebit comprehenſio: etenim imperfectio, quæ formaliter eſt in potentia, non poteſt ab ea remoueri, niſi per perfectionem, quæ formaliter ſit in ea.

Accedit quarto; quoniam comprehēſio nōn poteſt pertinere ad intellectum: ſi enim ad eum pertineret, eſſet ipſa viſio: viſio autem eſſe non poteſt, vt multis probat *Bellomontanus vbi ſuprà nu.* 9. §. *Demū comprehenſionem*: quoniam comprehenſio terminatur ad Deum viſum, & per cōſequens ad ipſam viſionem, tanquam ad obiectū, vt *quo*, vt expreſſè docet *D. Thomas* 1. 2. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 3. iam verò viſio ſub nulla ratione conſiderata poteſt eſſe obiectū ſui: nā illa, quam ſcribit Salas vbi ſup. *pag.* 443. *nu.* 19. in ſe eſt fictitia, & contra mentem D. Thomæ. Accedit etiam; quoniam ex eodem D. Thoma ibidem, comprehenſio eſt habitudo ad finem iam habitum: viſio autem cum apud Thomiſtas ſit ipſa formalis aſſecutio finis, obiectique beatifici; ſub nulla ratione poteſt eſſe habitudo ad finē iam habitū. Cui etiā addo, quod ex eodē D. Tho. in d. art. 3. in corp. *Cōprehenſio eſt habitudo amātis ad amatū præſens.* Viſio autē, cū antecedat amorē, & formaliter faciat præſentem rem amatam, nullo modo poteſt, eſſe habitudo amantis ad rem amatam, atque præſentem. 8. 4. Ratio. Bellomo. D. Thom.

9. Poſtrema ratio. Deniq; cum cōprehēſio formaliter ſit ipſa tentio beatifici obiecti, ſi illa eſſet viſio; vtiq; eſſet viſio quatenus eſt formalis aſſecutio Dei. Quod nō eſt admittendū: tū; quia cōprehenſio ſub formali ratione cōprehenſionis, eſſet beatitudo: tū etiā; quia viſio non poſſet enumerari, inter dotes Patriæ, tanquā diſtincta à dote comprehenſionis. Nec ſatis eſt, ſi cū Valentia reſpondeas, cōprehenſionē eſſe viſionem, nō vt eſt aſſecutiua Dei; ſed vt eſt terminatiua ſpei: etenim nō facilè intelligitur, quomodo cōprehenſio ſit formalis tentio Dei, & nō ſit viſi, vt eſt aſſecutiua eiuſdē Dei: nec etiā facilè intelligitur; quomodo cōprehenſio ſit formalis expulſio imperfectionis, quæ eſt in ſpe, niſi prout eſt formalis tentio, & aſſecutio obiecti præſentis. Dicimus igitur, beatū ipſa viſione facere quidem Deū obiectiuè præſentē, nō tamen ipſa viſione Deū tenere; quia viſio ne nō facit Deū eſſe ſuum. Vide, quæ diximꝰ lib. 4. q. 10. ar. 3. n. 8. & 9. Quomodo autē D. Tho. 1. 2. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 3. reſolutioni huic nō contradicat, ſtatim dicemus.

Non ſatis reſpōdet Valentia.

§. 3.

An ſit operatio? an relatio?

Sed

10. Dubium. Caietan. Bellom. Lorca.

SEd dubitari poteſt, an comprehenſio ſit operatio? an verò ſolùm ſit relatio? Quod ſolùm ſit relatio docet *Caietanus 1.2.q.4.art.3.ad 3.& Bellomontanus in d.diſp.17.cap.2.n.6.& n.8.§. Poſterior verò pars*: id eſſe longè probabilius aſſerit *Lorca vbi ſuprà §. Eſt tamen ſententia pag.114.col.2.* Qui omnes putant, comprehenſionem dicere relationem quandā voluntatis ad Deum clarè viſum, ratione cuius voluntas dicitur tenere Deum, quià ſcilicet habet illum ſibi præſentem ad diligendum. Quæ opinio confirmatur, ex verbis *D.Thomæ 1.2.q.4.art.3.* tùm in cor por. tùm ad 3. nam in corpore comprehenſionem vocat habitudinem voluntatis amantis ad Deum pręſentem; ad tertiū ait, comprehenſionem eſſe habitudinem ad finem iam habitum.

D.Thom.

11. Oppoſita é vera. Salas. Richard. Paludanus Valentia. Sotus. Medina. D.Bonau.

Oppoſita tamen ſententia, & communis eſt, & tenenda: quam in terminis probat *Salas in dicta diſp.8.ſect.1.nu.14. pag. 442.col.1.in fine; & ſatis eam, vt veram ſupponunt Richardus, Paludanus, & Valentia,* dum volunt, comprehenſionem eſſe viſionem, & amorē. *Similiter Sotus, & Medina,* dum docent, comprehēſionem eſſe viſionem: expreſſè *D.Bonauētura in 4. d. 49.art.1.q.5.num.22.* vbi admittit, comprehenſionem eſſe actum elicitum à voluntate. Quòd comprehenſio non ſit relatio, non poſſunt non probare tam illi, qui volūt, dotes animæ eſſe operationes; quā qui volunt, eas eſſe habitus elicitiuos operationum, quos citauimus ſuprà q. 2. art. 2, inter quos eſt D.Thomas. Hanc ſentētiam, ex eo generaliter cōfirmamus; quia comprehenſio veram habet rationem dotis, vt ſtatuimus in dicta q.2.art.5. concl. 2. iam verò de ratione dotis eſt, vt vel ſit operatio, vt vera habet ſentētia; vel ſit habitus operatiuus, vt patet ex dicta quæſt. 2.art.6. Accedit etiam; quoniam de ratione dotis eſt, quòd ſit bonum, & perfectio, vt cum communi omnium conſenſu oſtendimus in dicta quæſt.2.art.2.& 5.nu, 9. Nulla igitur dos formaliter ſumpta poteſt eſſe relatio; ſed omnis erit aliquod ens poſitiuum dicens perfectionem, cum per ſe, & non per accidens detur à ſponſo ad ornamentum, & decorem ſponſæ, vt patet ex dictis in dicta tota quæſtione ſecunda: ob quam rationem Caietanum in terminis reiecimus *in dicta q.2.art. 2, & 6.num. 15.* Specialiter ex eo etiam diſplicere debet, quod Bellomōtanus ex mēte Caietani affirmat, voluntatem dici tenere Deum, quia habet relationē ad Deū præſentem: hoc enim omnino eſt improbabile. Cui addimus, quòd comprehenſio eſt terminus inſecutionis, vt omnes docent, & patet ex Paulo ad Philippenſes 3. *Sequor autem, ſi comprehendam,* & 1. Corinth. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Motus autem immediatè nō terminatur ad relationē, iuxta veram Ariſtotelis Philoſophiam.

12. D.Thom.

Nec huic reſolutioni obſtant verba D. Thomæ 1.2.q.4.artic.3. ad tertium, dum ait, *comprehenſionem non eſſe aliquam operationem præter viſionem: ſed eſſe quandam habitudinem ad finem iam habitum.* Nam iſta verba non probant, comprehenſionem non eſſe operationem, nec eſſe operationem indiſtinctam à viſione: ſed ſolū probant, comprehenſionem ex parte intellectus non eſſe aliquam operationem diſtinctam à viſione: ſed eſſe operationem ex parte voluntatis, quæ ad ipſum finem habitum terminatur, qualis eſt dilectio, quæ ex parte volūtatis eſt prima operatio, qua voluntas formaliter tenet Deum iam beatificè habitum per viſionem, quam operationem explicat per habitudinem ad finē iam habitum: qui eſt obiectum proximè mouens ad operationem.

§. 4.

Eſt operatio voluntatis, vt eſt appetitus concupiſcibilis.

13. Aliud dub. D.Bonau. Non recipitur.

SEd iam inquiri poteſt, an comprehēſio ſit operatio voluntatis, vt eſt appetitus concupiſcibilis; an verò, vt eſt iraſcibilis? Dubitationem fecit D. Bonauentur. loco citato, dum docet, comprehēſionem eſſe operationem volūtatis, vt eſt appetitus iraſcibilis, vnde putat, eſſe actū diſtinctum à dilectione. ¶ Sed illius opinio cōmuniter reijcitur, & eam reijcit *Bellomontanus vbi ſuprà cap.2.nu.9.pag. 174. col.1.in medio.* Et meritò; quoniam nullus actus voluntatis, vt eſt appetitus iraſcibilis, datur, qui ad Deum terminetur: nec enim ad eum terminari poteſt, aut ſpes, aut timor, aut audacia, aut ira: Ob quam rationem nullus talis actus in Patria poteſt habere rationem dotis, vt patet ex ijs, quæ diximus ſuprà q. 2. art. 5. Quare comprehenſio eſt operatio volū-

volũtatis, vt eſt appetitus cõcupiſcibilis. Cum verò non ſit fruitio, ſiue delectatio, vt ſupponimus; vtique erit ipſa dilectio: non quidẽ vt formaliter eſt dilectio (quia vt ſic non habet rationem dotis, vt diximus in dicta quęſt. 2. §. 2. concl. 4. n. 22.) ſed vt eſt dilectio Patriæ, quæ ex ſua ratione habet quòd ſit apprehenſiua obiecti beatifici realiter præſẽtis, ita vt illud in ſe præſentialiter teneat, iuxta illud Pauli ad Philipenſes 1. *Vt habeam vos in corde*, *& ſatis docet D. Thomas 1. 2. quæſtione 4. articulo 3. ad primum.*

ARTICVLVS II.

An comprehenſio requiratur ad beatitudinem?

1. 1. Cor. 9. ARticulus iſte nullam habet difficultatem: Concluſio enim affirmatiua eſt de fide, vt patet primæ Corinth. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, nimirum ipſum brauium beatitudinis, qui eſt Deus, vt patet ex verbis antecedentibus: *Neſcitis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed vnus accipit brauium?* Et inferiùs: *Illi quidem, vt coronam corruptibilem accipiant, nos autẽ incorruptã:* Et ad Epheſios 3. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim* (perfectione, ſcilicet Patriæ) *Sequor autem, ſi comprehendam,* ſcilicet Deum ipſum in gloria. Vnde beati in Patria dicuntur comprehenſores.

Ad Epheſ. 3.

ARTICVLVS. III.

An comprehenſio requiratur, vt beatitudo? an vt perfectio illam concomitans?

1. In quo ſit difficultas. QVæſtio iſta in via Thomiſtarum caret dubitatione; quoniam apud eos beatitudo in ſola viſione ponitur: vnde cõprehenſio non datur in beatis, vt beatitudo, ſed vt perfectio illius.

Difficultas poſita eſt apud eos, qui beatitudinem ponunt in actu dilectionis, vel ſola, vel cum viſione: dicendũ tamen eſt; comprehenſionẽ, vt eſt ipſa dilectio, eſſe beatitudinem: quę tamen, vt eſt beatifica, non habet rationẽ dotis, ſed prout correſpondet ſpei, tollens à beato defectũ illius per realem præſentiam, & manu tenentiã Dei viſi, & amati; ſub qua ratione dilectio ratione diſtinguitur à ſe ipſa, vt eſt formalis aſſecutio Dei beatifici obiecti.

QVÆSTIO XV.

De Fruitione.

VT diſputationem de perfectionibus beatificis abſoluamus, aliqua dicenda ſunt de fruitione, de qua latiſsimè Theologi in 1. d. 1. & 1. 2. q. 11. In hac quæſtione vnicus tantum erit articulus.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid ſit fruitio? & vtrùm detur in beatis?

ARticulus in vtroque, quod inquirit, nullam habet difficultatem. Quod attinet ad primum illud ſolùm aduertimus, quod iam aduertimus *q. 2. art. 5.* §. 2. *num.* 18. nomen fruitionis ex rigore latini ſermonis ſignificare perceptionem fructus ex aliqua re: fruimur enim fundo, quia ex eo fructũ colligim⁹: ſed apud Theologos iã obtinuit, vt fruitio ſumatur pro delectatione, qua in re amata quieſcimus: frui igitur nihil aliud eſt, quàm in re amata, & poſſeſſa cum voluptate quieſcere: quod ex *Auguſtino, D. Thoma, & alijs oſtendimus in dicto num. 18. vbi nu. 19.* non admiſimus opinionem Soti aſſerentis, fruitionem eſſe viſionem: & num. 21. nõ recepimus opinionem Toletani, Hiſpalenſis, & Gerardi, quæ affirmat fruitionem includere dilectionem, & delectationem. 1. Quomodo accipiatur fruitio.

Ex quo iam patet explicatio ſecundi capitis: nam cum fruitio idem ſit, quòd delectatio, vt ſupponimus: delectatio autem ſit in beatis, vt patet quæſtio. 13. dicendum eſt, fruitionem in illis eſſe: & idem dicendum erit, ſi cum alijs fruitio idem ſit, quòd dilectio, aut viſio: vtraque enim datur in beatis. Quare fruitionem in illis dari indubitatum eſt. 2.

QVÆSTIO. XVI.

De rectitudine voluntatis beatæ, & de eius impeccabilitate.

EXplicatis perfectionibus beatificis agendum eſt de nõ beatificis, nihil autem dicemus de illis, quæ beatitudinem non neceſſariò comitantur, quia de illis, tanquam de accidentibus contingenti- 1

gentibus ſcientia haberi nequit: dicemus igitur de illis, quæ beatitudinem neceſſariò comitantur: inter quas præcipua eſt rectitudo voluntatis, quam impeccabilitas comitatur, ad quas cæteræ omnes reduci valent.

2. De rectitudine igitur volũtatis primus articulus erit; an ea antecedẽter ſit neceſſaria ad beatitudinem? Secundus; Vtrũ ita comitetur beatitundinẽ, vt beatus nec mortaliter, nec venialiter peccet? Terti⁹; Vnde impeccabilitas iſta in ordine ad amotẽ, & fruitioneoriatur? Quartus vnde oriatur in ordine ad actiones ſimpliciter liberas? Quintus & vltimus, Vtrùm diuina potentia peccatum, aut actu, aut habitu ſtare poſsit cum beatitudine?

ARTICVLVS I.

Vtrùm rectitudo voluntatis antecedenter ſit neceſſaria ad Beatitudinem?

§. 1.

Neceſſario debet antecedere.

1. QVæſtio iſta intelligitur de rectitudinevoluntatis excludẽte peccatũ, tam mortale, quàm veniale; imò etiam omnem pœnam pro vno, vel altero debita; in quo ſenſu ſtatuitur hæc

Concluſio. concluſio. *Rectitudo volunta tis excludens omnem culpam, & omnem pænam pro culpa debitam ſecundum legem ordinariam neceſſaria eſt, vt quis beatitudinem Patriæ ingrediatur.* Quid dicendum ſit de potentia abſoluta dicemus in vltimo articulo.

2. Concluſio iſta eſt de fide ex ſacris lite-

Pſal. 139. ris deducta Pſalmo 139. *Verùm tamen iu-*

Pſal. 14. *ſti confitebuntur nomini tuo; & habitabunt recti cum vultu tuo.* Pſalmo 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? qui ingreditur*

Matth. 5. *ſine macula, &c.* Matthæi 5. *Beati mundo*

Hæbr. 12. *corde, quia ipſi Deum videbunt.* Ad Hæbræos 12. *Pacem ſequimini, & ſanctimonia. ſine qua nemo Deum videbit.* Appocalypſis

Appoc. 21 21. poſt multa, ita concluditur: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum;* quod etiã

Sapient. 7. habetur Sapientiæ 7. *Nihil inquinatum incurrit in eam.* Iſaiæ 35. *Via ſancta vocabitur non tranſibit per eam pollutus.* Denique Apocalyſis 22. *Beati, qui lauant ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ; & per portas intrent in ciuitatem.*

Ratione Theologica idem oſtenditur, quoniã qui in peccato mortali decedũt, 3. Ratio Theologica.
excludũtur à beatitudine, vt fides docet, iuſti verò, qui decedunt, vel cum peccato veniali, vel cum aliquo reatu pœnæ, prius purgantur in Purgaturio, quàm ad gloriam admittantur, vt etiam patet ex fide.

Cõfirmatur etiam ratione naturali ex *D. Thoma* 1. 2. *q.* 4. *art.* 4: quia finis compa- 4. Cõfirmatio
ratur ad ea, quæ ſunt ad finem, ſicut forma ad materiam. Sed beatitudo eſt finis hominis, ergo ſe habebit ad hominem, vt forma ad materiam. Sed materia non cõſequitur formam, niſi ad eam ſit debitẽ diſpoſita, vt eſt vulgaris Philoſophia Ergo voluntas non poterit conſequi beatitudinem, niſi ad eam debitè diſponatur per rectitudinem, tùm ad rectam rationem, tùm ad Deum; quæ tunc completa datur, cum libera eſt, & à culpa, & à reatu Pœnæ.

§. 2.

An tempore antecedat?

DVbitari poteſt; an voluntatis recti- 5.
tudo debeat eſſe prior tempore, 1. Opinio.
vel ſatis ſit prioritas naturæ? Quidã putant, ſatis eſſe naturæ prioritatem: ita Maior *in 4. diſtin. 16. quæſtione vnica § . con-* *Maior.*
cedendo iſtas concluſiones. Almainus tracta. *Almainus*
2. Moral. cap. 2. §. Quantum ad primum *Adriani.*
videtur, quod ſic, eſt de mẽte Adriani in quarto de Sacramento Pœnitentiæ in Quæſtione, quæ incipit; Quia iam oſtenſum eſt, quaten⁹ docet, non eſſe incõueniens, ſiquis in termino (hoc eſt in inſtanti mortis) primò conſequatur Charitatem. Nec longè eſt
Caietanus prima parte quæſtione 69. artic. Caietan.
6, §. Hoc in loco occurrit, & 3. parte quæſt. 50. articulo ſexto. Fundamentum eſt, quia
fieri poteſt, vt quis in via ſemper ſit in pec- Fundamentum.
cato, & in primo non eſſe (quod eſt inſtãs mortis) recipiat gratiam, & cũ ea rectitudinem voluntatis, & fiat beatus. Hoc autem probãt exemplo pueri non baptiſati, quem Tyrannus in odium fidei occidit: iſte enim in via ſemper fuit in peccato originali, accepit autem gratiam martyrij in primo ſui non eſſe: gratia enim martyrij non confertur, niſi in inſtanti mortis; quia pro ſolo illo verum eſt dicere, quòd pro Chriſto moritur. Id ipſũ etiã pro-

probant exemplo eiuſdem infantis, ſiue etiam adulti, qui cum ſola attritione recipit baptiſmum, & in vltimo inſtanti verborum (quando primò confertur gratia ſacramentalis) moritur: tunc enim vterque recipit gratiam in primò non eſſe, in quo eodem recipit beatitudinem.

6. 2. Opinio. Alij putant ſatis durum eſſe, dari poſſe beatum, qui nunquam in via fuit rectus, & ideo ſine voluntatis reſtitudine diſceſſit: vnde docent, ad beatitudinem neceſſarium eſſe, vt rectitudo voluntatis in via præcedat non natura tantum, ſed tempore. Quæ opinio nonnullis ex recentioribus in ſuis prælectionibus fuit probata.

7. Contra 1. Neutra tamẽ opinio abſolutè eſt vera. Non prima, quia non eſt ſatis tutum aſſerere, poſſe quem in inſtanti mortis (in quo primum non eſt) accipere gratiam, & iuſtificationem à peccato; quod modò ſupponimus, *& placuit Suario 3. tom. ad 3. p. diſput. 8. ſectio. 2. §. vltimo facilè ex dictis pag. 97. col. 1. & diſp. 29. ſect. 2. §. In tertia parte argumenti pag. 415. col. 1. & ante eum idem docuit Cumelius prima parte q. 63. ar. 6. q. 1. concl. 3. in fine, & nos ante vtrũque olim idem reſoluimus apud Scotum in 3. diſt. 18. maximè ex illo Eccleſiaſtici 14. ante obitum operare iuſtitiam*: & cap. 18. *Ante iudicium para iuſtitiam*: Iam verò iudicium fit in primo mortis inſtãti iuxta veriorem ſententiam. Suarius. Cumelius.

8. Contra 2. Secunda etiam ſententia abſolutè non eſt vera, ſi de rectitudine excludente omne peccatum, etiam veniale intelligatur: quia fieri poteſt, vt aliquis iuſtus decedat cũ aliquo peccato veniali: ex quo infertur non eſſe neceſſarium, vt qui ſaluãdus eſt, præhabeat in via omnimodam voluntatis rectitudinem: quod ſatis patet ex ijs, quę Theologi tradunt cum Magiſtro *in 2. diſt. 21. vbi D. Thomas q. 1. art. 2. & de malo q. 7. art. 12. Sotus in 4. diſt. 15. q. 2. artic. 2. ad finem, & diſt. 19. q. 3. art. 3. concl. 3. & Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 10. ad ſextam rationem.* D. Thom. Sotus. Bellarmi.

9. Vera ſentẽtia. Dicendum eſt igitur, rectitudinem voluntatis tempore quidem antecedere beatitudinem: non tamen opus eſſe, vt ſemper in via eã antecedat: nã licet, ſeruata lege ordinaria, rectitudo volũtatis neceſſaria ad conſeruandã amicitiã cũ Deo (qualis eſt, quę excludit omne peccatum mortale) neceſſariò debeat præcedere in via, vt contra primam opinionẽ oſtendimus; minimè tamen eſt neceſſarium, vt in via præcedat omnimoda voluntatis rectitudo excludens peccatum veniale, vt cõtra ſecundam opinionem diximus: rectitudo tamen voluntatis ſemper tempore antecedit beatitudinem: quia iuſtus decedens in veniali prius per aliquod tẽpus debet in Purgatorio detineri, vt purgetur. Quando verò illi dimittatur culpa venialis? alterius eſt quæſtionis, quæ ad inſtitutum non pertinet: quoniam ſiue illi dimittatur in ipſo mortis inſtanti, in quo fit iudicium; idque per diſplicentiam illius ortã ex Charitate, ſiue in primo ingreſſu in Purgatorium per illã pœnæ acceptionẽ, & tollerantiã; ſemper aliquod interiacet tempus antequã ingrediatur cęleſtem Patriam: etenim in Purgatorium in inſtãti nõ ducitur: ſed in tempore, & in ipſo Purgatorio aliquod tẽpore detinetur. A fortiori admittendũ eſt aliquod tempus, ſi iudicium particulare cuique fit, non in ipſo mortis inſtanti, ſed paulò poſt in media regione aeris, vbi quiſque noſtrũ iudicatur ab Angelo ſedente pro tribunali loco Chriſti, quæ fuit ſententia *D. Bonauenturæ in 4. diſt. 20. in 2. p. art. 1. q. 5. & Carthuſiani in Dialogo de iudicio animarum artic. 2. 3. & 4.* D. Bonau. Carthuſia.

10. Ad argumẽ. Ad fundamentũ primæ opinionis reſpõdetur: ad primũ exemplũ dicimus, gratiã debitam pro martyrio tunc primũ dari, cum vulnus naturaliter eſt lethale, vt benè aduertit Veiga lib. 6. in Trident. cap. 37. in fine, & probat Suarius vbi ſuprà, quam nos opinionem putamꝰ veriſsimã; quamuis negandum non ſit, inſtans mortis eſſe meritorium aureolæ, & tunc primò conferri.

11. Ad exemplũ ſumptum, ex baptiſmo reſpondetur, poſito illo caſu, illos ſine baptiſmo diſceſsiſſe; cũ pro illo iſtãti, in quo Sacramentum erat cõplendum, iam non ſint: & ideo de illis forma baptiſmi non verificetur, quod aduertit Sotus *in 4. diſt. 9. q. 2. art. 7. ad finem, & admittit Suarius in d. diſp. 8. loco citato.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm rectitudo volũtatis ita comitetur beatitudinem, vt beatus ſecundum legem ordinariam, nec mortaliter, nec venialiter peccare poſſit?

§. 1.

§. 1.

Referuntur errores.

1. Error Origenis. Circa iſtam quæſtionem duos errores habuit Origenes; primus fuit; quoniam inter beatos, & damnatos alternas admiſit viciſsitudines; vt qui modò ſunt beati, damnandi ſint; qui ſunt dãnati, beandi: quem errorẽ refert *Auguſt. cum alijs, & videtur colligi ex eodem Orig. lib. 1. Periarchon. c. 5. & homil. 13. & 14. in Lucam.* Secundus error fuit, quòd beati in beatitudine permanentes poſsint peccare, quod de Angelis beatis expreſſè aſſerit *homil. 20. in numeros pag. 280. & 281. & homil. 23. in Lucam, pag. 270.* Pro eodẽ

Error Stapulenſis, & Caluini. errore refertur *Faber ſtapulẽſis in lib. damnato de tribus magdalenis. Refertur etiam Caluinus ab Ouando in 2. diſt. 7. propoſit. 1.*

2.
1. fundam. Hunc errorem Origenes primò confirmat ex verbis Iob. 4. *Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.*

Secundum. Secundò obijcit repræhenſiones Angelorum Apocalypſis 1. & 2.

3.
Tertium. Tertiò obijcit illud *Oſeæ 6. Contende iudicio aduerſus montes*, id eſt, aduerſus Angelos cuſtodes, quos putat iudicandos eſſe pro diligentia, vel negligentia in cuſtodia animarum.

4.
Quartum. Quartò obijcit illud Geneſis 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores*, per filios Dei intelligit Angelos.

5.
Quintum. Quintò obijcit Stapulenſis, quia aliàs minor libertas daretur in beatis, quàm in viatoribus.

6.
Sextum. Poſtremò obijci poſſunt *Nazianzenus orat. 44. in Pentecoſtem*, dum ait, Angelos beatos, aut ægre, aut nullo modo peccare poſſe; quod etiam docere videntur D. Hieronymus ad illa verba Matthæi 18: *Angeli eorum ſemper vident, & cætera*, & *D. Ambroſius lib. 2. in Lucam, & epiſt. 22. ad Horontianum.*

§. 2.

Sententia affirmatiua eſt de fide.

7.
Affirmatiua eſt de fide. Statuenda tamen eſt hæc concluſio, tanquam verè catholica: *Beati in patria de facto, nec venialiter peccabunt, ſed perpetuò conſeruabunt omnimodam voluntatis rectitudinem.* Quod beatitudo excludat peccatum mortale, patet ex cap. 3. Apocalypſis: *Qui vicerit, faciam eum columnam in tẽplo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Et c. 22: *Omne maledictum non erit amplius*; & ſtatim: *regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Apoc. 3. & 22. Primæ Petri 1: *Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & in contaminatam, & immarceſsibilem.* 1. Petr. 1. Deniq; Pſalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſal. 83. Ex quibus conſtat, beatitudinem eſſe æternam: talis autem non eſſet, ſi in ea poſſet dari peccatum mortale.

Quod nec peccatum veniale etiam minimum beati committant, ſatis patet ex prædictis verbis Petri: nã peccato veniali hæreditas illa cõtaminaretur, & marceſſeret. 8. Idẽ probatur de peccato veniali ex ſcriptura. Patet etiam ex verbis Apocalypſis 22: *Omne maledictum non erit amplius: peccatum autem veniale malum eſt, & ideò maledictum.* Accedat locus ad Epheſios 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo; vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, nec regulam; ſed vt ſit ſancta, & immaculata*: quæ verba intelliguntur de Eccleſia triumphante, vt plures Patres docent; D. Hieronimus in c. 31. Ieremiæ, Auguſtinus in lib. de perfectione iuſtitiæ, & epiſtol. 50. ad Bonifacium, & pluribus alijs in locis, D. Bernard. ſerm. 3. de feſto omnium Sanctorum. Quòd ſi locus ille intelligatur de Eccleſia militante, vt intelligitur à Concilio Toletano 6. cap. 1. & à Patribus relatis à Bellarmino lib. 3. de Eccleſia militante c. 8. ad finem, adhuc veritas catholica ex eo loco poteſt confirmari: nam ſi Eccleſia militans dicitur immaculata, quantum patitur ſtatus viæ, vtique Eccleſia cœleſtis ſimpliciter erit ſine vlla vetuſtatis ruga, & macula; cum illius ſanctitas plena ſit, & conſummata. Vnde Apocalypſis 21. *Deſcendit de cœlo tota noua à Deo parata, tanquam ſponſa ornata viro ſuo.*

Eandem veritatem docuere Patres: 9. Probatur ex Patrib. *Auguſtinus in Enchiridione c. 56. & 57. & c. 19. & 22. & 25. & tract. 2. de diuerſit, & lib. 24. tractatuum tract. 20. tom. 9. Fulgentius de fide ad Petrum c. 23. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono c. 12. ſententia 2. & 3. Beda tom. 8. q. 9. in lib. de quæſtionibus, Gregorius 34. Moral. c. 7. Epiphanius hæreſi 54. Nazianzenus, & Bernardus vbi ſuprà.* Hæc etiam fuit ſententia ſcholaſticorum cum Probatur ex ſcholaſticis. *Magiſtro in 2. diſt. 7. c. 8. & in 4. diſt. 25. c. 5. & 6. D. Thoma 1. 2. q. 4. art. 4. q. 5. art. 4.* &

& 3. contra gent. cap. 62. & inter alios vide Caſtrum verbo beatitudo hæreſi 3.

10. Ratione cō firmatur. Communi etiam ratione demonſtratur: nam ſi de fide eſt, nec venialem inquinationem, quantumcunque minimam ingredi beatitudinem patriæ, ſed ad talem ingreſſum neceſſariam eſſe omnimodam voluntatis rectitudinem; vtique illa etiā neceſſaria erit in poſſeſsione eiuſdē beatitudinis: cum verò illa ſit perpetua, vt fides docet; vtique perpetua etiam erit in beatis omnimoda voluntatis rectitudo.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

11. Ad 1. AD primum eorum, quod ſumitur ex verbis Iob. dicimus, verba illa ab omnibus intelligi de Angelis, quandiu fuerunt in via, ex quibus plurimi ceciderūt: omnes appellat ſeruos ſuos; vel quia omnes fuerunt creati in gratia; vel quia omnes inſtituti ſunt in Dei miniſterium. Hęc eſt communis explicatio Patrum, & omnium interpretum in eodem loco ſatis accommodata antecedentibus, & conſequentibus. At D. Gregor. lib. 5. Moralium c. 27. locum intelligit de Angelis beatis; qui licet ex diuina gratia ſint impeccabiles; ex ſua tamen natura non ſunt ſtabiles, ſed peccare poſſunt: in illis etiam Deus reperit prauitatem, non culpæ, ſed ignorantiæ, à qua inferiores per ſuperiores purgantur. Aliter verba illa explicat *Auguſtinus in eodem loco, quē vide.* (*Auguſt.*)

12. Ad 2. Ad ſecundum negandum eſt per Angelos, qui Apocalypſis 1. ſeptem Eccleſijs ſignantur, intelligendos eſſe veros ſpiritus; quamuis cum Origene locum illum de veris Angelis interpretetur *Ambroſius lib. 2. in Lucam, & in epiſt. 21. ad Horontianum, & D. Hieronymus in d. c. 6. Micheæ, & ad illa verba Matthæi 18. Angeli eorū, &c.* conſtat enim, quæ de illis Angelis ſcribuntur non accōmodari Angelis ſpiritibus, ſed Angelis hominibus illarum Eccleſiarum Epiſcopis, & hæc eſt communis expoſitio, quam optimè probat *Ribera in cap. 1. Apocalypſis n. 114.* (*Ambr. Hieron. Ribera.*)

13. Ad 3. Ad tertium reſpondetur in illo loco per montes, & colles intelligi reges, & principes, & primates Iſrael, vt eſt communis Patrum explicatio, vide Riberam in eodem loco, & ex litera ſatis conſtat allucinatum fuiſſe Origenem: nam, vt ait *D. Thomas 1. p. q. 113. art. 7. ad 4.* Angeli cuſtodes adducendi ſunt in iudicium, nō vt rei, ſed vt teſtes pro peccatis hominū. *D. Thom.*

Ad quartum dicendum eſt, in eo loco nomine filiorum Dei intelligi filios Seth, in quibus fides conſeruabatur, vt Patres communiter interpretantur; ita *Cyrillus libro 8. in Geneſim ad eadem verba, & libro 9. contra Iulianum in principio, Chryſoſtomus homil. 22. in Geneſim,* qui cū pluribus alijs ſcribunt contra errorē quorundam, qui dixerunt Angelos beatos adamaſſe mulieres, & cum illis carnaliter fuiſſe congreſſos: vide *Senenſem lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annot. 70. 71. 72. & 73.* 14. Ad 4. *Chryſoſt. Senenſis.*

Ad quintum neganda eſt ſequela: etenim perfectio libertatis non eſt poſita in indifferentia contrarietatis: hæc enim potiùs eſt defectus, quàm perfectio, vt alibi aduertimus cum *D. Thoma 1. p. q. 62. art. 8. ad 3.* vnde diuina libertas, ideò eſt perfectiſsima; quia ex ſua natura caret tali indifferentia, & ob eam rationem perfectior erit libertas in beatis, qui dono gratiæ ſunt ab illa liberati, tanquam à quadam ſeruitute peccati: vide *D. Thomam contra gentes cap. 92.* 15. Ad 5. *D. Thom.*

Ad poſtremum dicimus, Nazianzenū illa verba ſcripſiſſe de Angelis, quatenus erant in via: vide Eliā Cretenſem annot. 83. ad eam orationem. D. autem Hieronymus ſępè refert non ſuam, ſed aliorum ſententiam: at verò D. Ambroſius aliquando aliqua ſumit de Origene referendo, non approbando: vide *Riberam in d. cap. 1. Apocalypſis n. 114.* 16. Ad vltimū.

ARTICVLVS III.

Vnde nam oriatur impeccabilitas beatorum, in ordine ad amorem, & fruitionem?

SVppoſita catholica impeccabilitate beati, conſequenter inquirendū eſt de cauſa, vnde illa oriatur. Et vt diſtinctiùs procedamus, priùs agēdum erit de cauſa impeccabilitatis in ordine ad amorem beatificum, atque fruitionem: deinde in ordine ad actus liberos politiæ tàm matutinæ, quàm veſpertinæ. 1.

Quod attinet ad primum ſupponimus, beatum ſecundum legem ordinariam nō poſſe 2. Primū punctum.

poſſe peccare contra amorem, quo Deũ amat; & ideò nec poſſe Deum odiſſe; nec triſtari de bonis, quæ in Deo videt. Reſolutio huius quæſtionis pendet ex reſolutione alterius; an voluntas reſpectu Dei viſi habeat rationem liberi arbitrij, ita vt liberè feratur in amorem eius, & in delectationem bonorum, quæ videntur in Deo? an verò habeat rationem naturæ; ita vt naturaliter illum amet; & de bonis eius delectetur? de qua quæſtione egimus ſuprâ q. 10. art. 6. vbi duas adduximus oppoſitas ſententias: prima aſſerit, voluntatem beati non neceſſariô, ſed liberè ferri in Dei amorem: ſecunda affirmat, eam nõ liberè, ſed neceſſario Deum amare: adduximus præterea nõnullos, qui vtramque partem putant eſſe probabilem, quare ſecundum vtramque præſentem difficultatem diſſoluemus.

3. *Reſolutio ſuppoſita naturali neceſsitate.* Et quidem apud eos, qui volunt, voluntatem neceſſario ferri in amorem Dei viſi (quæ placuit Thomiſtis, & nobis probabilior videtur) quæſtio nullam habet difficultatem: nam cum voluntas in amorem Dei feratur, ad modum naturæ, naturaliter determinatæ ad illum; ad ſuam rectificationem non indiget dono aliquo ſuperaddito, quo rectificetur; ſed ipſa ſua naturalitate determinata eſt ad amãdum; ita vt Deum viſum odiſſe non poſſit, nec triſtari de bonis illius: & inde eſt, vt viſio Dei, quæ amorem neceſſario antecedit, non ſit diſpoſitio determinans aliquam indifferentiam ad amandũ, vel non amandum (quia talem non habet) ſed eſt veluti conditio neceſſaria, vt Deus illi fiat præſens præſentia obiectiua, quæ eſt veluti quædam approximatio obiecti, vnde ſicut approximatio ſtupæ ad ignem, non eſt determinatiua potentiæ ignitiuæ ad comburendum (quia ignis ex ſe determinatus eſt ad comburendum ſtupam ſibi approximatam) ita etiam viſio, qua Deus fit debitè præſens voluntati, & debitè illi approximatus, non determinat voluntatem ad amandum; quia ex ſua natura ad hoc eſt determinata, ſi Deus videatur; ſed eſt conditio obiectum approximans voluntati, vt actu in eam tendat. Vtrùm verò voluntas beati indigeat habitu charitatis, vt exeat in actum amoris Dei viſi? alterius eſt quæſtionis. *Ariſt.*

4. Tota difficultas poſita eſt apud eos, qui in voluntate beati libertatem admittunt ad amandum Deum viſum, vel non amandum: ſuppoſita enim hac libertate, difficile eſt explicare, quænam ſit cauſa impeccabilitatis: adeo, vt Mayronius, & Baſſolius affirment, vix defendi poſſe cõfirmationem voluntatis beati in bono, eiuſque impeccabilitatem: ſed tamen cũ impeccabilitas voluntati beatæ non poſſit non cõcedi cum fides illam admittat, non poteſt libertas iſta admitti, niſi illa cum impeccabilitate concilietur. Vnde authores illius opinionis in eo laborant, vt cauſam huius impeccabilitatis aſsignẽt: de qua hoc loco inquiremus, ſi prius aduertamus, non eſſe audiendos Nominales, quatenus cauſam impeccabilitatis ex eo ſumunt, quòd voluntas ad amorẽ beatificum, & fruitionem ſolùm concurrit paſsiuè: etenim Deo amorem infundente: voluntas non poteſt non amare: ſed in hoc non ſunt audiendi, ſicut nec audiuntur, dùm volunt; intellectum actiuè non concurrere ad viſionem, vt oſtendimus lib. 10. q. 1. art. 5: nunc ſatis ſit, quòd amor in patria nec eſſet actus vitalis, nec voluntarius, quod Philoſophiæ repugnat. *Quid ſi voluntas libera ſit?*

5. *Cauſa impeccabilitatis triplex eſſe poteſt.* Suppoſita igitur actiuitate voluntatis in amorem cum libertate ad amandum, de cauſa impeccabilitatis variæ ſunt opiniones. Pro quarum explicatione illud tanquam certiſsimum præmittimus, liberum arbitrium tribus modis poſſe alligari primæ regulæ, & reddi impeccabile; vno modo ab intrinſeco per aliquod ſupernaturaliter illi inhærens; ſecundo modo ſolùm ab extrinſeco per diuinam virtutem illi immobiliter aſsiſtentem, ne à prima regula deficiat; tertio modo ab intrinſeco ſimul, & ab extrinſeco, quod tunc fiet, cum alligatur primæ regulæ per aliquod ſupernaturale donum infuſum, quod ex dono Dei ita ſit virtuoſum & efficax, vt diuinam coaſsiſtẽtiam; atq; protectionem ſecum habeat annexam: quam virtutem habere magnum donum perſeuerantiæ ad confirmandum viatores alibi oſtendimus. Inquiri igitur meritò poteſt, vtrùm voluntas beata in ordine ad morem Dei, eiuſque fruitionem alligetur primæ regulæ, & fiat impeccabilis per aliquod donum intrinſecum? an verò per ſolam extrinſecam Dei coaſsiſten-

ſtentiam? an denique ab vtroque? In hoc enim authores varij ſunt.

6. 1. opinio. Quod beatus reddatur impeccabilis ab extrinſeco, nonnulli volunt, qui docent, eos tales fieri ex ſola coaſsiſtentia diuina; quatenus ſtatuit Deus, voluntatem beati præuenire eam ſpecialiter excitando, & adiuuando, tùm vt actum amoris eliciat, tùm vt illud perpetuò cõtinuet: ad eũ modum, quo voluntas viatoris apud nonnullos confirmatur in bono per ſolam extrinſecam Dei coaſsiſtentiam, & protectionem.

7. 2. opinio. Alij putant, hanc confirmationem, & impeccabilitatem fieri per charitatem cõſummatam; quatenus non ſolùm inclinat in Dei amorem toto conatu; ſed etiam, quia ex dono Dei ex ſe vendicat, vt ſemper annexam habeat Dei coaſsiſtentiam: nam voluntas in via per eandem charitatem in bono confirmatur, quatenus ſcilicet ex dono Dei eſt efficax, & virtuoſa, vt ſemper habeat annexam Dei coaſsiſtẽtiam; quod ſatis eſt de mente *D. Thomæ* D. Thom. *de veritate q. 24. art. 3. & 3. cont. gent. cap. 162. in fine*: iuxta quam ſententiam voluntas beati dicetur confirmari in ordine ad amorem Dei, non præciſè ab intrinſeco, ſed etiam ab extrinſeco.

8. Neutra placet. Vterque dicendi modus in hoc diſplicet, quia non ponit in patria perfectiorẽ modum confirmandi, quàm in via; quod non ſatis videtur probabile, vt colliges ex *D. Thoma de veritate art. 9. & art. 11.* D. Thom. *ad 9. & 4. contra gentes cap. 70. in 1. & 2. ratione.*

9. Propria opinio. Quare ſi admittenda eſt libertas in voluntate beati circa amorem Dei viſi, placebit magis, beatos ab intrinſeco ſimpliciter confirmari; radicaliter quidem ab ipſa viſione; proximè verò, & formaliter à charitate, prout in patria eſt conſummata, & vltimo fini perfectè coniuncta: ex hoc enim voluntas beati (alioquin libera) perfectè redditur impeccabilis in ordine ad amorem Dei. Quæ opinio ſatis mihi videtur eſſe de mente *D. Thomæ* D. Thom. *in 2. diſt. 7. q. 1. art. 1. & de Veritate q. 24. art. 9. adiunctis his, quæ ſcribit art. 8. in corp. & ſatis eſt de mente Ægidij in 2. diſt. 7. q.* Ægid. 1. ratio. *1. art. 1.* Etenim voluntas beati in patria per charitatem eſt perfectè vnita bono omnibus modis perfecto, atque repræſentato ſub ratione omnis boni, per excluſionem omnis mali, tùm quoad ſpeciem, tùm quoad exercitium. Ergo ex ſe ab intrinſeco habet, quòd à tali bono nec auerti poſsit, nec ſuſpendi: nec ad hoc indiget diuina aſsiſtentia, ſupplente aliquẽ defectum, aut ex parte intellectus bonũ præſentantis, aut ex parte voluntatis in illud tendentis. Antecedens probatur; quoniam viſio beata voluntati proponit ipſum Deum, tanquam bonum infinitũ habens in ſe omnem rationem boni, & nullam rationem mali, vel quoad ſpeciẽ, vel quoad exercitium, & tendentiam, vt aduerſarij non poſſunt non concedere. Conſequentia verò ex eo oſtenditur: quoniam ſicut volũtas ex ſe habet, quod non poſsit nolle bonum ſibi ſub ratione boni præſentatum, niſi aliud bonum ſibi præſentetur ſub ratione maioris boni; aut abſolutè, aut pro loci, & temporis circũſtantia, vt ex Philoſophia ſupponimus: ita etiam non poteſt actum ſuſpendere, niſi talis ſuſpenſio ſub aliqua ratione boni ſibi præſentetur, vt etiam ſupponimus. Sed in patria intellectus videns Deum ita Deum voluntati præſentat ſub ratione omnis boni, etiam quoad exercitium, & tendentiam in illum, vt non poſsit præſentare illi aliud maius bonum, ſiue abſolutè, ſiue pro circunſtantia loci, & temporis: quia nec datur bonum abſolute maius; nec ceſſatio ab amore poteſt habere rationem boni pro loco, & tempore maioris, vt per ſe patet. Ergo voluntas beati quantumcunque ex ſe ſit libera, habet ab intrinſeco, quòd à bono viſo non poſsit, aut per nolitionem auerti, aut ab eius amore ſuſpendi.

Huic rationi accedit optima ratio ſumpta ex Diuo Thoma in 2. diſtin. 7. q. 1. 10. Alia ratio. art. 1. deducta ex eo; quoniam in omni potentia tàm naturali, quàm intellectuali, & voluntaria, ratio mutabilitatis in ordine ad formam eſt incompletio eiuſdem potentiæ per talem formam: completio autem eſt per ſe ratio immutabilitatis, vt Diuus Thomas ibi latè oſtendit. Iam verò voluntas in beatis ſuppoſita viſione, omnibus modis eſt completa in ordine ad amorem Dei. Erit igitur ſimpliciter immobilis in ordine ad illum: & ſubindè ex ipſa viſione erit ſimpliciter impeccabilis: vide, quæ ibidem docet Diuus Thomas.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Vnde nam oriatur impeccabilitas beati in ordine ad actiones ſimpliciter liberas?

§. 1.

Opinio quòd ex ſola viſione oriatur impeccabilitas.

1. Opinio q̃d oriatur ex ſola viſione

DE hac difficultate duas inuenio oppoſitas ſententias. Prima affirmat voluntatem beati ex ſola viſione reddi impeccabilem: confirmatur autem & teſtimonijs Sanctorum, & rationibus. Nam *Iſidorus 1. lib. de ſummo bono cap. 12. ſent. 3.* ita ait: *Quamuis beati ſint mutabiles natura; non tamen ſinit eos contemplatio mutari diuina. Niceta in orat. Nazianzeni 44. de Pentecoſte ad illa verba, poſteaquam autē, fol. 522.* ita ait: *Ac rurſus illuminationem habent, eamque præſtantiam, vt cum prius ad malum ægrè impellerentur: nunc ne vllo quidem modo impelli queant: idque non natura, ſed gratia, qua ſummo bono indiuulsè aſsidēt. Elias Cretenſis ad orat. 3. Nazianzeni ad illa verba, Ad hæc quoniam, ita ſcribit: Angelos, qui natura ſua peccare poterant, nunc eſſe immobiles per Dei gratiam, & defixionem mentis in Deum. D. Anſelmus in opuſculo de caſu diaboli c. 7: Angeli boni ſunt adiuti, quidquid potuerunt velle, nec plus vident, quòd plus velle poſſunt: & ideò peccare non poſſunt. Citatur Aug. in Pſal. 36. 37. & 49.*

Iſidor. *Niceta.* *Elias Cretenſis.* *Anſelm.* *Auguſt.*

2. 1. ratio. Prima ratio: Nulla voluntas peccare poteſt, niſi præcedente aliquo defectu in intellectu; aut erroris, aut ignorantiæ, aut inconſiderationis. Ergo id erit per ſe cauſa impeccabilitatis in voluntate, quod ab intellectu per ſe abſtulerit omnem defectum. Sed viſio beata per ſe aufert ab intellectu omnem defectum. Ergo ipſe ex ſe erit cauſa impeccabilitatis in voluntate. Ratio ſumitur ex *D. Thoma de Veritate q. 24. art. 8. & ex Durando in 2. diſt. 7. q. 1. & diſt. 23. q. 1.*

D. Thom. *Durand.*

3. 2. ratio. Secunda ratio: Voluntas in ordine ad Deum viſum eſt impeccabilis. Sed ex viſione habet, quod Deus proponatur ſibi, vt viſus: ergo ex viſione per ſe habebit impeccabilitatem. Minor eſt nota ſimul cum cōſequentia. Maior verò ex eo probatur; quoniam voluntas beati ita ſe habet ad Deū viſū, ſicut voluntas viatoris ſe habet ad bonū in cōmuni: ſed volūtas viatoris in ordine ad bonum in cōmuni peccare non pōteſt. Ergo nec voluntas beati in ordine ad Deum viſum. Minor huius ſecundi diſcurſus ex eo probatur; quia voluntas viatoris nihil velle poteſt, niſi ſub ratione boni in communi. Maiorem ſupponit *D. Thomas 1. p. q. 62. art. 8. & 1. 2. q. 4. art. 4:* Caietanus autem in vtroque loco, ita eam probat: quia bonitas diuina lōgè excellentiùs continet rationem boni, quàm illam cōtineat communis ratio boni: hæc enim continet rationem boni in communi, & confuſè: illa verò continet rationem boni eminenter, atque diſtinctè, & in particulari; adeò, vt nulla ratio boni reperiri valeat, quæ altiori modo nō reperiatur in bono diuino. Ex quo infertur, diuinam bonitatem non eſſe minoris efficaciæ ad continendum, circūdandūq; omnem voluntatis motum, quàm ſit generalis ratio boni in communi. Quare cū hæc ita contineat, & circundet voluntatem, vt nihil appetat, niſi ſub ratione boni: ratio ipſa diuinæ bonitatis ita circundabit, & continebit voluntatem beati, vt nihil poſſit appetere, niſi ſub ratione boni diuini, & reſpuat omne, quod huic bonitati aduerſatur; quantumcunque cum aliqua ratione boni vtilis, vel delectabilis illud apprehendat.

D. Thom. *Caiet.*

Tertiò; viſione oſtenditur voluntati bonum infinitum, quod ita eſt omne bonum, vt non ſolùm nullam habeat rationem mali, ſed etiam nullam rationem nō boni. Ergo voluntas non poterit ſe auertere à tali bono, ſed neceſſariò illi adhærebit: etenim voluntas non poteſt non velle id, quod eſt omni ex parte bonum, quando cum plena totius bonitatis cognitione illi præſentatur. 4. 3. ratio.

Quartò; voluntas non poteſt velle aliquid, niſi ratione boni: nec enim ferri poteſt in malum ſub ratione mali: ſed intellectus beati non poteſt proponere volūtati, quòd ſit bonum deſiſtere à Dei amore. Ergo beatus nulla ratione poteſt peccare. 5. 4. ratio.

Poſtremò; poſito efficaci imperio ex parte intellectus, voluntas non poteſt nō conſentire; ſed viſio in beato eſt imperiū efficax, quo efficaciter imperat amorem Dei, & præterea Deo in omnibus eſſe ſeruiendum, & alia huius generis. Ergo voluntas non poteſt non obedire huic imperio, & per conſequens non poteſt peccare. 6. Vltima ratio.

§. 2.

Impeccabilitas iſta oritur ex viſione ſimul, & amore.

7. Opinio auctoris. EGO cum alijs puto eſſe dicendum, impeccabilitatem beatorum circa actiones liberas diſtinctas ab amore, & fruitione per ſe oriri ex viſione ſimul, & ex amore: ex viſione quidem radicaliter, & primò: ex amore verò formaliter, & proximè. 1. ratio. Hæc opinio generaliter ita confirmatur: quoniam ex viſione immediatè naſcitur impeccabilitas circa amorem, & fruitionem, vt diximus in articulo præcedente: iam verò ex immobilitate amoris neceſſariò infertur impeccabilitas circa cæteras actiones. Ergo impeccabilitas beati circa eaſdem actiones immediatè oritur ab amore, radicaliter verò, & primò à viſione.

8. 2. ratio. Deinde oſtenditur quoad ſingulas partes: nam quòd impeccabilitas circa alias actiones liberas radicaliter oriatur ex viſione, ex eo probatur; quoniam diuina eſſentia viſa neceſſitat voluntatẽ ad amorem Dei viſi; ſiue illam neceſſitet per modum naturæ, vt vult D. Thomas; ſiue ſub ratione omnis boni nullam includentis rationem mali, vt alij volunt. Cum verò ex amore illo proximè oriatur impeccabilitas erga cæteras omnes actiones, vt ſtatim oſtendemus; benè infertur, impeccabilitatem illam radicaliter, & primò oriri ex ipſa viſione. Quòd autem ex amore proximè oriatur, probari poteſt, tùm à poſteriori; tùm à priori. A poſteriori quidem; quoniam actualis Dei dilectio ſimul eſſe non poteſt cum peccato mortali: ſi verò illa fuerit perfectiſsima, & elicita ex toto conatu, repugnat etiam veniali. Primum patet; quoniam quæcunq; Dei dilectio diligit Deum ſuper omnia
9. apretiatiuè; cuius oppoſitum reperitur in peccato mortali: peccator enim adhæret creaturæ, tanquam vltimo fini, vt latè oſtẽdimus 1. tom. lib. 2. q 5. in 1. p. primi articuli. Secundum verò ex eò oſtenditur, quoniam dilectio, quando eſt perfectiſsima omnino excludit, quæ à dilectione Dei, & illius ſumma amicitia retardant; ob quam rationẽ actus dilectionis, quando eſt perfectiſsimus, remittit peccata venialia; non ob aliam rationem, niſi quia in ſe virtualiter includit illorũ diſplicentiam, vt eſt communis doctrina. Ergo quandiù actualis, & perfectiſsima Dei dilectio permanſerit, tandiu non poterit in beatis dari aliquod peccatum, aut mortale, aut veniale. Iam verò in patria beati perpetuò ſunt in perfectiſsima Dei dilectione, ſiue id contingat ex naturalitate voluntatis, ſiue ex ſupernaturali aliquo dono. Ergo impeccabilitas erga cæteras actiones proximè oritur ex dilectione.

A priori eadẽ pars demonſtratur; quoniam amorem beatificum ob ſui perfectionem neceſſariò comitatur plena, & 10. Ratio à priori.
efficax obſeruatio, & perſcrutatio diuinæ voluntatis in illis, quæ agenda ſunt: cũ enim beatus ex vi dilectionis efficaciſsimè velit in omnibus Deo placere, & omnia in gloriam, & laudem eius dirigere, non poteſt efficaciter nõ obſeruare, quodnam in rebus agendis ſit diuinum beneplacitum, vt illi ſe conformet. Poſita autem hac perfectiſsima obſeruantia, cum ex aſsiſtentia viſionis in dictamine agendorum errare non poſsit; nihil poterit velle, quod à diuino beneplacito poſsit vel leuiter retardare; & ob id nec mortaliter peccare poteſt, nec venialiter: etenim iuxta communem doctrinam (de qua 1. 2. q. 13. ar. 6.) poſita efficaci volitione dictaminis cum plena aduertentia eorum, quæ agenda occurrunt, non poteſt volũtas non ſe conformare cum illo: & hinc eſt, vt beati in Patria omnia agant propter Deum, tanquam propter vltimum finem, vt eſt communis doctrina de qua 1. *tom. lib. 4. q. 8. ar. 8. n. 10. in fin.* vbi diximꝰ, beatos omnia operari, & deſiderare propter Dei gloriam, & laudem; quod confirmauimus ex cõmuni omnium beatorum acclamatione, vt Deo ſit omnis gloria, & laus, vt patet ex toto *lib. Apocalypſis. ma-* Apocal.
ximè c. 4. 5. 18. & 19. vide D. Thomam 2. D. Thom.
2. q. 52. art. 3. ad 1. Porrò ſi omnia agunt propter Deum, tanquam propter finem vltimum, & inde habent impeccabilitatẽ, profectò ipſe amor finis, propter quem omnia agunt, erit immediata cauſa impeccabilitatis circa actiones, quas liberè propter Deum operantur. Et huic reſolutioni nec Nominales repugnant; imò eam admittunt: etenim toti ſunt in probanda diuini amoris immobilitate, & permanentia in beatis: quaſi ſentiant, poſito hoc amore volun-

voluntatem ab eo intrinſecè eſſe impeccabilem.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

11. AD argumentum ſumptum ex Patribus, dicimus, illos à viſione non excludere amorem: nec enim metaphyſicè loquuntur ſpeculando, ſed ſimpliciter docendo.

Ad 1. 1. ſolutio. Ad primam rationem primò dicimus, illa ſatis efficaciter concludi impeccabilitatem per ſe oriri à viſione; non tamen concludi, eam immediatè oriri ab ea ſola: etenim cum actiones illas beatus non poſſit non operari propter Deum, tanquam propter finem; non poteſt eas immediatè non agere ex amore Dei, quem amat; ratione cuius amoris imperat plenam, & efficacem obſeruationem diuinæ voluntatis, vt ſuprà diximus. ¶ Reſpondetur ſecundò in antecedente ſumi id, quod eſt ſatis dubium, an voluntatis defectus neceſſariò ſupponat defectũ in intellectu: quanuis enim Thomiſtæ cum alijs affirment; Scotiſtæ tamen negant; quorum opinionem alibi late defédimus. ¶ Tertio loco dicimus, admiſſo antecedente ſimul cum priori diſcurſu, adhuc apud nonnullos dubiam eſſe minorem ſecundi diſcurſus: quia, vt volunt, nulla ratio demõſtrat, omnem leuem inconſiderationem ex vi viſionis ab intellectu beati excludi, quod ſatis eſt de mente Durandi *in 2. diſt. 23. q. 1. n. 12.* dum fatetur in beatis impeccabilitatem non conuinci ex ſola vi viſionis: etenim beatus in diuina eſſentia non cognoſcit omnia agenda; cum poſſit diuinitus fieri, vt beatus ſolùm videat, quæ formaliter ſunt in Deo: & ita fieri poteſt, vt circa alia agenda relinquatur cum ea notitia, quam ſine reuelatione habere poteſt. Cur igitur beatus, dum ſe ad alia conuertit, nõ poterit habere aliquam ſaltem leuem incõſiderationem. Cui rationi nõ ſatis accommodatè reſpondet *Medina 1. 2. q. 4. art. 4. pag. 94. §. Ad hæc dicendum*: nam ſi benè expendatur, ad impeccabilitatem non ſolùm admittit viſionem, ſed etiam amorem, & eam non ſolùm ab intrinſeco oriri, ſed etiam ab extrinſeco. Sed nec ſolutio Bellomontani vim argumenti tollit; quia ſine probatione ſumit, quod aduerſarij negant.

[Margin: 2. ſolutio. 3. ſolutio. *Durand.* Non ſatis reſpondet Medina.]

12. Ad 2. Ad ſecundam rationem primùm dicimus, eam ſolùm cõcludere viſionem eſſe cauſam impeccabilitatis; non tamen aut ſolam, aut immediatam. Quare ſi maior illa ita intelligatur, vt voluntas beati in ordine ad Deum viſum ſit impeccabilis præciſè, quia viſus eſt; neganda eſt maior: cuius probatio non cõcludit, propter diſparem rationem, quæ in vtroque bono reperitur, vt cum alijs benè aduertit *Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. pũct. 1. pag. 86.* Et vt argumenti defectus euidentius perficiatur, aduertendum eſt, duobus modis intelligi poſſe, beatũ omnia appetere ſub ratione bonitatis diuinæ: vno modo; vt ratio diuinæ bonitatis ſit formalis obiectiua, ſub qua volũtas tendit in bona, quę appetit. Altero modo; vt ſit ratio finalis, propter quam, & in ordine ad quam omnia appetit. Et vtroque modo maior eſt falſa: nam ſi ſermo ſit de ratione formali obiectiua; diſpar ratio inuenitur in bono communi, & in diuino: nam ratio boni in communi, ideò continet, & circumſepit intra ſe ipſam voluntatem; quia eſt quædam generica, ac formalis ratio boni eſſẽtialiter incluſa in omni bono, tanquam ab inferiori in recta ſerie abſtracta, ſaltem analogicè. Ex quo per ſe primò habet, quòd voluntati ſit, & formalis, & adæquata volendi ratio. Quod non reperitur in bono diuino: nam licet eminenter contineat omne aliud bonum; tamen ab omni alio formaliter eſt diſtinctum, & cum illis enumeratur, tanquam bonum particulare particularitate prædicationis. Quò fit, vt diuinum bonum ſit bonum inadæquatum voluntati non ſolùm viatoris, 13. ſed etiam comprehenſoris: nam beatus poteſt velle & ſibi, & alteri aliquod bonum creatum, vt patet. Quare bonum diuinum eminenter continere omne aliud bonum, non conuincit, vt dicatur voluntatem continere, tanquam formalis ratio obiectiua, & adæquata. Nec Diuus Thomas, aut aliquis alius vnquam dixit, diuinum bonum eſſe beatis formalem rationem obiectiuam volendi: ſed finalem, gratia cuius beatus vult omnia, quæ vult; ita vt omnia appetat propter Deum non ſolùm implicitè, ſed actu, & explicitè. Ad hoc autem probandũ nõ accõmodatè ſumitur pro medio ratio boni in cõmuni: quia talis ratio, eſt ratio formalis obiecti-

[Margin: *Valentia.*]

ua volendi, an ratio finalis, ſi propriè loquendum eſt.

14. Ad 3. Ad tertiam rationem reſponderi poteſt, argumentum ſolùm concludere, voluntatem beati eſſe impeccabilem reſpectu amoris diuinæ eſſentię; ita vt nõ poſſit, aut eam odiſſe, aut ab eius amore ceſſare, quod ſolus Scotus negat; nos autem cum D. Thoma concedimus. Quod verò ex ſola viſione reddatur impeccabilis in ordine ad actiones liberas, createque obiecta, circa quæ operari poteſt, ratio allata non euincit.

15. Ad 4. Ad quartum dicimus, argumentum ſolùm concludere, quòd viſio immediatè eſt cauſa amoris: non tamen quòd ſit cauſa immediata, vt beatus omnia amet propter Deum; ſed ſolum, quòd ſit cauſa radicalis, & prima: quod admittimus.

Ad 5. Ad quintũ eodem modo reſpondemus.

16. Ad 6. Ad ſextum dicendum eſt, nunquam dari efficax imperium ex parte intellectus, niſi ſimul adſit efficax volitio correſpõdens iudicio vniuerſali: etenim quãuis detur iudicium, quòd ſubueniendum eſt extremè indigenti; niſi ſimul detur efficax volitio ſuccurrendi; non proinde voluntas neceſſariò ſuccurret, quod latiùs alibi oſtendimus, & doceri ſolet 1. 2. q. 13. art. 6. Quare etiam ſi viſio beata dictando imperet Deo in omnibus eſſe ſeruiendum, & inquirendam illius voluntatem; niſi adſit voluntas efficaciter volens executionem talis dictaminis, non neceſſariò voluntas illud ſequetur. Quare ad impeccabilitatem non ſatis eſt ſola viſio; ſed ſimul requiritur voluntas efficaciter deſiderans in omnibus placere Deo, vt ſuprà diximus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm diuina potentia peccatum actu, aut habitu ſtare poſſit cum beatitudine?

1. CVm beati de facto ſint impeccabiles; ſupereſt conſideremus, an diuina virtute fieri poſſit, vt beatitudo cum peccato, aut actu, aut habitu permaneat? Quæ quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum: primus eſt; an cum diuina viſione, & amore dari poſſit peccatum actu, vel habitu? ſecundus; vtrum illud cõſtare poſſit cum ſola diuina viſione?

§. 1.

An cum viſione, & amore poſſit dari peccatum?

QVod attinet ad priorem ſenſum, ferè omnes probant partẽ negantem. Sed pro maiori explicatione ſit prima propoſitio: *Beatus videns, & amans Deum non poteſt etiam diuina potentia de nouo peccare.* Probatur: tum; quia cum ſumma dilectione nullum actuale peccatum conſtare poteſt, vt patet ex art. præcedente: tum etiam; quia implicat, beatum efficaciter velle omnia propter Deum, & velle peccare: iam verò beatus efficaciter vult omnia propter Deũ, vt patet ex præcedente articulo. Propoſitio probata fuit Victoriæ, quam refert, & ſequitur Medina cum recentioribus 1. 2. q. 4. art. 4. 2. Explicatur 1. ſenſus. 1. propoſit.

Secunda propoſitio: *Quanuis diuina potentia fieri poſſit, vt qui actualiter peccat, nulla antecedente pœnitentia, videat, & amet Deum: fieri tamen non poteſt, vt videndo, & amando Deum continuet actum peccati.* Hæc facilè probatur ex prima propoſitione. Ex qua infertur primum eſſe beatitudinis in illo caſu eſſe primum non eſſe actualis peccati. Propoſitio ab omnibus recipitur. 3. 2. propoſit.

Tertia propoſitio: *Vtrùm peccatum habituale (id eſt macula peccati) tranſeunte peccato poſſit diuina potentia cum viſione, & amore patriæ permanere? Non ſatis conſtat: probabilior eſt pars negatiua.* Primum patet; quoniam plerique cum *Victoria, & Medina vbi ſuprà* partem affirmantem ſimpliciter probant: *Sotus verò in 4. diſtin. 15. q. 1. artic. 2. dubius manet.* Pars tamen poſterior â nonnullis inde deducitur; quia amor beatificus eſt pleniſsima conuerſio ad Deum, & actualis auerſio ab omni, quod auertit à Deo, aut remoratur, & retardat. Ergo cum amore beati nequit ſimul eſſe, vlla peccati macula. Antecedens ex dictis patet: conſequentia probatur; quoniam macula peccati non eſt aliud, quàm habitualis quædam auerſio à Deo, & conuerſio ad bonũ commutabile, vt doceri ſolet 1. 2. q. 86. hæc autem voluntatis prauitas, ipſa conuerſione beatifica omnino tollitur. 4. 3. propoſit. Oppoſitæ ſententiæ.

Hanc propoſitionem quidam ita ampliant; vt non ſolùm non poſſit manere prauitas habitualis auerſionis; ſed nec vlla inimicitia cum Deo, ſed neceſſariò ſequa- 5. Ampliatur à nonnullis.

ſequatur illius peccatoris reconciliatio. Cui opinioni videtur conſentire Sotus loco citato, dum ait, repugnare, vt ad patriæ felicitatem inimicus admittatur.

6. ¶ Sed huius dubij ſolutio petit difficultatem; an remiſsio, & condonatio offenſę Deo factæ coniuncta ſit, etiam de poten tia abſoluta, cum amore beatifico? Nam quanuis Deus peccatorem conuerſum poſsit de potentia abſoluta ſine infuſione charitatis ſibi reconciliare: poterit tamen dubitari; an poſsit non remittere offenſam, nec reconciliari, etiam poſita perfecta illius conuerſione? Pars affirmatiua confirmari poteſt; quia remiſsio, & condonatio offenſæ non eſt coniuncta cum actu contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia in ordine ad Dei poten tiam; ſed ſolùm de lege ordinaria: vnde gratis illi ſuperadditur, vt ſupponimus cum *Suario* 1. *tomo ad* 3. *p. diſp.* 4. *col.* 1. & 2. Cur igitur in patria talis remiſsio, & condonatio ex natura rei, & in ordine ad abſolutam Dei potentiam dilectionē conſequetur? ¶ Negatiua tamen inde probari poteſt; quia iuxta plurimorum ſententiam condonatio illa, & remiſsio offenſæ, atque reconciliatio coniuncta eſt, etiam de potentia Dei abſoluta cum gratia habituali viæ: â fortiori ergo coniuncta erit cum charitate patriæ. ¶ At tamen, quia fortaſsis verior eſt ſententia, quæ negat, talem coniunctionem eſſe neceſſariam cum gratia, & charitate: ſed omnino gratioſam eſſe, Deo offenſam illam liberè remittente ſimul cum reconciliatione; ideò negantem partem puto eſſe probabiliorem. De qua re latiùs diſputare non eſt huius loci.

Optima dubitatio.

Suarius.

§. 2.

An poſsit conſtare cum ſola viſione?

7. Expeditur ſecundus ſēſus.

POſterior quæſtionis ſenſus maiorem habet difficultatem, ſi ſupponamus Deum ita ſe alicui videndū exhibere, vt nollit cum voluntate illius ad actum dilectionis concurrere; vtrùm ſcilicet iſte, qui Deum videns actu eum non amat, poſsit aut de nouo peccare; aut cum macula præcedentis peccati permanere? plerique in vtroque ſenſu negant, quia putant, voluntatem beati ipſa viſione rectificari, vt nec Deum odiſſe poſsit, nec ab eius regula deflectere: vnde inferunt, damnatum, ſi Deus illi adhuc per manenti in pœnis ſe ſe videndum præbeat, impedito dilectionis actu, nec poſſe in odio Dei permanere, nec pœnas illas contra Dei voluntatem reijcere: hæc eſt quorundam recentiorum ſententia, de qua latè *Bellomontanus* 1. 2. *diſp.* 11. *c.* 10. *n.* 60. Quam hi authores ita ampliant, vt velint, nec maculam peccati in eo permanſuram; quia ad eam abolendam, ſufficeret, quòd voluntas ex ſe parturiret illam pleniſsimam cōuerſionem ad Deū, nec per illum ſtaret, quominus in actum illius erumperet: vnde ex ſua parte nullus iam apponeretur obex, aut deuiatio à Deo. Vnde defectus explicitæ conuerſionis iam non poſſet in eo habere rationem peccati: quia iam non eſſet priuatio rectitudinis debitæ tunc ineſſe: vnde voluntas à tali macula mundaretur per virtualem, interpretatiuam rectitudinem, quæ in viſione radicaliter ineſſet.

Quorudā opinio.

Bellomon.

8. Alij in vtroque ſenſu affirmant: quia putant, ſola viſione, nec voluntatem immobiliter rectificari circa Dei amorem; nec circa cætera obiecta, ſed manere liberam libertate contrarietatis. Quorum ſententia conſentit cum Scoto, & Nominalibus; apud quos voluntas beati circa Dei amorem per extrinſecam aſsiſten tiam Dei rectificatur; amore verò circa alia obiecta. Sublatis igitur, & coaſsiſtentia Dei, & amore, voluntas omnibus modis manebit libera; & proinde non ſolùm poterit peccare; ſed etiam cum macula peccati permanere.

Aliorum opinio.

Tertio loco alij vtramque opinionem conciliant: vt ſcilicet prima opinio vera ſit de actu peccati: ſecunda verò de ſolo habitu: quæ fuit ſententia Victoriæ, quā plerique nouiorum ſequuntur cum Medina vbi ſuprà.

3. opinio.

§. 3.

Vera reſolutio.

9. REſolutio huius difficultatis ſumenda eſt ex reſolutione cauſæ impeccabilitatis, quam aſsignauimus in præcedentibus articulis. Sit igitur prima concluſio: *Videns Deum, & propter explicatum impedimentum eum non amans, nec diuina potentia poteſt Deum viſum odiſſe.* Statuitur pro prima opinione, & tertia quoad priorem illius partem. Probatur faci-

1. conclu.

facilè,ſi cum D.Thoma dicamus,voluntatem reſpectu Dei viſi non habere rationem liberi arbitrij,ſed naturæ: & ſubinde naturaliter ferri in eum: naturalia autem ita ſe habent, vt impediri quidem poſsint diuinitus, ne à ſuis cauſis fluant: oppoſita tamen nec diuinitus conuenire poſsint: nec enim riſibilitas eliciet fletũ; nec albedo viſum congregabit;aut grauitas ſurſum euehet. Quare ſuppoſita opinione D.Thomæ concluſio eſt veriſsima: admiſſa tamen cum Scoto libertate voluntatis circa amorem Dei viſi,non ita eſt certa: quoniam licet in ipſo ſummo bono viſo nulla ratio mali intrinſecè apparere poſsit; poteſt tamen apparere ab extrinſeco; ſi nimirum Deus ſe etiam oſtendat punientem:hoc enim caſu,ſi viſio voluntatem relinquit liberam; vnde habebit immobilem rectitudinem? Accedit etiam; quoniam etſi nulla ratio mali vel quoad exercitium, vel quoad ſpecificationem offerri valeat: tamen vt voluntas poſsit peccare ſatis eſt,quòd ei offeratur aliud obiectum minus bonum,vt poſsit vel non amare Deum, ſuſpendendo actum; vel diſparatè inhærendo bono creato, niſi aliunde confirmetur. Quare concluſio à nobis admittitur, ſuppoſita opinione D.Thomæ.

10. 2. concl. Secunda concluſio: *Impedito Dei amore non repugnat viſioni peccatum actu, vel habitu circa ea obiecta, in quæ voluntas liberè fertur, vnde diuina potentia cum vtroq; peccato poteſt viſio conſeruari.* Hæc ſtatuitur contra primam ſententiam, & contra

1. ratio. tertiam pro priori parte: & facilè demõſtratur ex dictis in præcedente articulo: oſtendimus enim, ſolam viſionem non eſſe per ſe cauſam adæquatam impeccabilitatis circa illa obiecta, ſed proximam cauſam ſumi ex amore. Ergo,illo amore ſublato, voluntas manet libera libertate, etiam contrarietatis. Cur igitur de nouo peccare non poterit? aut in priſtino peccato perſeuerare? profectò nullam cauſam video, vnde illi hæc potentia tollatur: argumenta enim in oppoſitum adducta nihil faciunt,vt oſtendimus.

11. 2. ratio. Et profectò id efficaciter confirmatur contra authores tertiæ opinionis: nam ſi diuinitus poteſt fieri, vt ſublato amore, maneat macula peccati cum viſione; cur non poterit diuinitus manere actus illius maculæ? nam indignitas acceptationis ad amicitiam, ſicut peccati maculam comitatur; ita etiam comitatur ipſum actum: is enim veluti habitu manens voluntatem moraliter maculat. Ita fit, vt authores tertiæ opinionis recurrere non poſſint ad hoc, quod videns Deum ſit Deo acceptus.

Quin potiùs ad illam acceptationem recurri non poteſt, ſi ſecluſa lege,potentiam abſolutam Dei expendamus; nam quòd rectitudo voluntatis viſionem antecedat, & ratione illius in via acceptemur ad viſionem;id à lege prouenit, non ex natura viſionis: etenim iuxta ſententiam fortè veriorem acceptatio ad amicitiam, & condonatio peccati non conſequitur naturam gratiæ, & charitatis reſpectu diuinæ potentiæ,ſed ſecundum legem,vt in materia de Gratia doceri ſolet. 12.

Si verò obijcias, naturam fœdatam,aut actuali peccato in ſenſu compoſito à diuina perſona aſſumi non poſſe; & inde inferas, eam non poſſe videre diuinam eſſentiam, vel antecedens negandum eſt, vel illo admiſſo, neganda erit conſequentia;tum; quia gratiã vnionis hypoſtaticæ inſeparabiliter comitatur acceptatio ad perfectiſsimam amicitiam cum Deo,cui repugnat indignitas cuiuſcunque peccati: cum tamen acceptatio nec comitetur viſionem, nec intrinſecè ipſam gratiam. Tum etiam;quia ipſa hypoſtatica vnione natura aſſumpta redditur omnibus modis impeccabilis; ideò quia omnes illius actiones ſunt theandricæ; quod tamen in viſione non reperitur. 13. Ad 1. obiectionem.

Si rurſus obijcias, viſionem eſſe radicalem, & interpretatiuam voluntatis rectitudinem, ac proinde cum illa peccatum nec actu, nec habitu poſſe conſiſtere: negabo conſequentiam; ſi ſermo ſit de actibus liberis ipſius voluntatis: quia circa iſtos actus viſio non rectificat, niſi mediante amore Dei beatifico, vt diximus in articulo præcedente: is autem ex ſuppoſitione tollitur. Quare mihi ſatis dubia eſt ampliatio primæ opinionis. 14. Ad 2. obiectionem.

Et ita impoſitus eſt finis huic vndecimo libro.

***

Finis. Laus Deo.

INDEX QVAESTIONVM HVIVS LIBRI DVODECIMI.

¶ Præfatio ad totum librum.

QVÆSTIO I.

De poſsibilitate beatitudinis ſupernaturalis.

Articulus 1. Vtrùm ſit de fide ſupernaturalē beatitudinem patriæ eſſe poſsibilem?

§. 1. Referuntur errores.

§. 2. Hominem poſſe conſequi beatitudinē viſionis Dei.

§. 3. Soluuntur argumenta.

Art. 2. Vtrùm ſupernaturalem beatitudinē eſſe poſsibilem fuerit vnanimis Patrum conſenſus.

§. 1. Refertur opinio Bellomontani, & nō recipitur.

§. 2. Referuntur Patres, qui Catholicam ſententiam docuerunt.

Art. 3. Vtrùm iſte fuerit vnanimis Latinorum, & Græcorum conſenſus? an aliqui aut oppoſitū docuerint, aut dubitauerint?

Art. 4. Vtrùm Chryſoſtomus negauerit viſionem diuinæ eſſentiæ eſſe poſsibilem?

§. 1. Qui ſentiant, eum id negaſſe.

§. 2. Ferè omnes eū liberāt ab hoc errore.

§. 3. Vera illius explicatio.

§. 4. Non admittuntur ſolutiones Bellom.

§. 5. Explicantur teſtimonia Chryſoſtomi in contrarium allata.

Art. 5. Vtrùm catholica veritas ex ſacris literis conuincatur?

§. 1. Primus locus ex Ioannis 3.

§. 2. Secundus locus ex Matthæi 5. Beati mundo corde, &c.

§. 3. Tertius locus ex Matthæi 18. Angeli eorum; &c.

§. 4. Quartus locus ex primæ Corint. 13. Tunc facie ad faciem.

§. 5. Referuntur alia loca Scripturæ.

Artic. 6. Vtrùm aliqua loca ſacræ Scripturæ huic veritati repugnent?

§. 1. Adducuntur loci citati ab hæreticis.

§. 2. Expenditur locus Ioannis 1.

§. 3. Explicatio aliorum locorum.

QVÆSTIO II.

De poſsibilitate viſionis diuinæ eſſentiæ in ordine ad lumen naturale.

Art. 1. An homo ſolo lumine naturali poſsit efficaciter conuincere beatitudinem ſupernaturalem eſſe poſsibilem?

Art. 2. An facta reuelatione poſsibilitatis poſſit naturaliter oſtendi hominem eſſe illius capacem?

QVAESTIO III.

De diſpoſitione animæ, vt illi ſupernaturalis beatitudo communicetur.

Art. 1. An ad illam aſſequendam ſimpliciter ſit neceſſarium, animam eſſe à corpore ſeparatam?

Art. 2. Vtrùm ad eam aſſequendam corpus ſit ſimpliciter neceſſarium?

§. 1. Refertur opinio affirmans.

§. 2. Opinio negans eſt de fide.

§. 3. Soluuntur argumenta in oppoſitum.

Art. 3. Vtrùm ad illius aſſecutionem ſimpliciter ſit neceſſarium corpus ſpirituale; an ſatis ſit corpus materiale, & carneum?

QVAESTIO IIII.

An animæ Sanctorum de facto Deū videāt?

¶ Præfatio ad futuram diſputationem.

Art. 1. An beatitudo differenda ſit per mille annos poſt reſurrectionem?

Artic. 2. In quo ſenſu hi auctores explicent hoc Chriſti regnum?

Art. 3. Impugnatur præcedens error.

Art. 4. Adducuntur, & ſoluuntur argumenta pro hoc errore adducta.

QVAESTIO V.

Vtrùm animæ Sanctorum ante generalem reſurrectionem Deum videant?

Art. 1. Referuntur hæretici, qui negant, eas Deum videre.

Art. 2. Qui nam Patres illum errorem abſque dubio tenuerunt?

§. 1. Qui Patres eum certò probauerunt?

§. 2. Origenes mediam habuit opinionem.

§. 3. Anſelmum cum Origene ſenſiſſe.

§. 4. Quid de P. Auguſtino ſit ſentiendum?

§. 5. Quid ſentiendum ſit de Chryſoſtomo?

§. 6. Quid de Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio?

§. 7. Quib⁹ Patrib⁹ ille error falsò imponitur?

§.8. *Epilogus Patrum, qui ante reſurrectionem iuſtis viſionem denegant.*

Artic. 3. *Vtrùm ſit de fide animas, cum primùm nihil habent purgandum aſſumi ad viſionem Dei? & à quo tẽpore ſit de fide?*

§.1. *Sententia affirmans eſt de fide.*

§.2. *A quo tempore oppoſitum fuerit hæreticum?*

Art. 4. *Vtrùm veritas iſta ex ſacra Scriptura deducatur?*

§.1. *Locus ex Lucæ. 23.*

§.2. *Ex ſecundæ Corint. 5.*

§.3. *Ad Epheſios 4.*

§.4. *Ad Philippenſes. 1.*

§.5. *Ex varijs locis Apocalypſis.*

§.6. *Ad Hebræos. 12.*

§.7. *Poſtremus locus.*

Artic. 5. *Rationes Theologicæ pro Catholica veritate.*

Art. 6. *Patres, qui hanc veritatem docuerũt.*

§.1. *Adducuntur Patres Latini.*

§.2. *Adducuntur Patres Græci.*

Artic. 7. *Soluuntur argumenta allata §.1.*

§.1. *Soluitur argumentum ſumptum ex Patribus.*

§.2. *Explicatur locus ex c. 20. Matthæi.*

§.3. *Alius ex cap. 25. Matthæi.*

§.4. *Explicatur Paulus ad Hebræos 11.*

§.5. *Ad Paulum 2. Timoth. 1. & 4.*

§.6. *Ad locum 1. Ioannis canonicæ 3.*

§.7. *Ad locum Apocalypſis 6.*

§.8. *Ad locum Apocalypſis 20.*

§.9. *Soluuntur rationes adductæ §.1.*

QVÆSTIO VI.

De opinione Origenis, & D. Anſelmi.

Artic. 1. *Quænam fuerit ſententia Origenis, & Anſelmi?*

§.1. *De ſententia Origenis.*

§.2. *De ſententia D. Anſelmi.*

Art. 2. *Impugnatur opinio, & Origenis, & Anſelmi.*

QVAESTIO VII.

An viſio diuinæ eſſentiæ poſsit communicari viatoribus?

Art. 1. *An de potentia abſoluta communicari poſsit viatori?*

§.1. *Referuntur variæ ſententiæ.*

§.2. *Præmittuntur nonnulla.*

§.3. *Reſolutio pro tertia ſententia.*

§.4. *Solutio argumentorum.*

§. vlt. *Ad dubium in 3. arg. excitatum.*

Artic. 2. *An de potentia ordinaria poſsit viatori communicari?*

§.1. *Refertur pars affirmans.*

§.2. *Negatiua eſt Catholica.*

§.3. *Deducitur ex ſacris literis.*

§.4. *An efficaciter deducatur ex c. 33. Exodi?*

§.5. *Probatur rationibus, & ſoluũtur arg.*

QVAESTIO VIII.

An viſio diuinæ eſſentiæ alicui fuerit de facto communicata?

Artic. 1. *An viſio permanens alicui viatori communicata fuerit?*

Art. 2. *An Moyſes in hac vita viderit diuinam eſſentiam?*

§.1. *Opinio, quòd viderit.*

§.2. *Opinio, quòd non viderit.*

§.3. *Vtraque probabilis; ſed probabilior, quæ negat.*

§.4. *Pro defenſione partis negantis oſtenditur oppoſitum non colligi ex verbis Exodi. 33.*

§.5. *Sed nec colligitur ex c. 12. Numer.*

Artic. 3. *Vtrum Paulus viderit eſſentiam diuinam?*

Artic. 4. *Vtrùm hæc viſio fuerit Virgini conceſſa? P. Auguſtino, Benedicto, & alijs,*

¶ *Præfatio ad ſequentes quæſtiones.*

QVAESTIO IX.

De æqualitate, vel inæqualitate beatitudinis.

Artic. 1. *An in patria omnes homines æqualiter ſint beati?*

§.1. *Refertur hæreſis Iouiniani, & Lutheri, qui affirmant.*

§.2. *Non omnes eſſe æquales docet fides.*

§.3. *Probatur teſtimonijs Patrum, & Scholaſticorum.*

§.4. *Demonſtratur ex ſacris literis.*

§.5. *Probatur rationibus theologicis.*

§.6. *Soluuntur argumenta hæreticorum.*

Artic. 2. *An omnes Angeli inter ſe ſint æqualiter beati?*

§.1. *Non omnes eſſe æqualiter beatos.*

Artic. 3. *An in patria omnes homines ſint inæqualiter beati?*

§.1. *Refertur pars affirmans.*

§.2. *Negans eſt tenenda.*

§.3. *Soluuntur argumenta.*

Artic. 4. *An omnes Angeli inter ſe ſint inæqualiter beati?*

Art. 5. *An inter homines, & Angelos neceſſariò detur inæqualitas in beatitudine?*

§.1. *Refertur opinio affirmans.*

§.2. *Vera eſt opinio negans.*

§.3. *An ea ſit de fide.*

§.4. *An omnes homines aſſumendi ſint ad*

An-

Angelorum Hierarchias, & Choros?
§.5. *Soluũtur argumẽta partis affirmãtis.*
Art.6. An iſta inæqualitas etiam detur in perfectionibus beatitudinẽ conſequentibus?

QVÆSTIO. X.

Vnde ſumenda ſit æqualitas, vel inæqualitas beatitudinis?

Art.1. Vtrùm æqualitas beatitudinis ſolùm ſumenda ſit ex parte actus? an ex parte obiecti?
§.1. *Referuntur variæ opiniones.*
§.2. *Sumenda eſt ex parte vtriuſque.*
§.3. *In quonam ſenſu inæqualitas reperiatur ex parte obiecti?*
§.4. *Soluuntur argumẽta poſita §.1.*
Art.2. In quo nam poſita ſit inæqualitas beatitudinis obiectiuæ?
Art.3. In quonam poſita ſit inæqualitas beatitudinis formalis?
§.1. *Referuntur opiniones.*
§.2. *Eligitur prima opinio.*
§.3. *Referuntur argumenta contra reſolutionem.*
§.4. *Adducuntur nonnullæ ſolutiones, quæ non recipiuntur.*
§.5. *Explicatur vera cauſa, cur à viſione meliori, & intenſiori plura videantut?*
§.6. *Soluuntur argumenta adducta §.3.*
§.7. *Explicatur vera cauſa, cur à viſione meliori potius videantur hæc, quam illa?*
§.8. *Addducuntur argumenta contra reſolutionem poſita §.7. & ſoluuntur.*
§.9. *Adducuntur, & ſoluuntur nonnullæ difficultates contra datam reſolutionem.*
Art.4. Vtrùm ſint probabiles duæ poſteriores opiniones adductæ art.3. §.1.
§.1. *Defenditur ſecunda opinio.*
§.2. *Defenditur tertia opinio.*

QVAESTIO. XI.

De cauſa inæqualitatis in beatitudine.

Art.1. Quænam ſit cauſa realis, & Phyſica illius?
Art.2. Reijciuntur duæ primæ opiniones adductæ in art. præcedente.
Art.3. Vtrùm cauſa inæqualitatis ſumenda ſit ab inæqualitate tùm virtutis intellectiuæ, tùm luminis gloriæ?
§.1. *Referuntur duæ opiniones oppoſitæ.*
§.2. *Sumitur ex inæqualitate vtriuſque.*
§.3. *Soluuntur argumenta.*
Art.4. An ſit probabilis opinio, quæ cauſam ſumit ex ſola inæqualitate lùminis?
§.1. *Non recipitur fundamentum Soti, & Suarij.*
§.2. *Ponitur verum fundamentum.*
Articulus 5. & vltimus: Quæ nam ſit cauſa moralis huius inæqualitatis?

QVAESTIO. XII.

De nonnullis perfectionibus beatitudinis: & de modo, quo nobis communicatur.

Art.1. Vtrùm beatitudo Patriæ ex ſua natura ſit perpetua?
Art.2. Vtrũ ſit intenſibilis, & remiſsibilis?
§.1. *An abſolutè intẽdi, & remitti poſsit?*
§.2. *An poſt reſurrectionem beatitudo futura ſit maior?*
Art.3. A quo beatitudo nobis cõmunicetur?
Art.4. An communicetur ex meritis præcedentibus?
Art.5. An communicetur per aliquam ſimilitudinem?

QVAESTIO· XIII.

De comprehenſione Dei in beatitudine.

Art.1. An in beatitudine poſsit Deus ab aliquo intellectu comprehendi?
Art.2. An aliquis beatus videre poſsit omnes creaturas poſsibiles, tàm ordinis naturalis quàm ſupernaturalis?
Art.3. An omnes beati videant in Deo omnia indiuidua præſentia, præterita, & futura; denique omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis?
Art.4. *An videat cogitationes, cordium, viatorum, & comprehenſorum?*
Art.5. *An videat omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum? Et quæ ſunt illa?*
Art.6· *Cur potius hæc videat, quàm illa?*
Art.7. *An poſsit non videre aliquam creaturam?*
An 8. *An videat actus liberos Dei, & per quod lumen?*
Art.9. *An omnia, quæ videt, ſtatim viderit in primo ingreſſu gloriæ? an de nouo poſsit aliqua videre?*

QVAESTIO. XIIII.

De appetitu beatitudinis ſupernaturalis.

Art. vnicus. *Vtrùm in nobis detur appetitus naturalis ad ſupernaturalem beatitudinem?*

QVAESTIO. XV.

& Vltima.

De beatitudine ſupernaturali viæ, & de naturali.

FINIS.

LIBER XII. ET VLTIMVS,

DE ADEPTIONE BEATITVDINIS.

Præfatio in totum Librum.

1. IN Præfatione 1. tomi diſputationem de adeptione beatitudinis in hunc vltimum librum retulimus: & meritò; quoniam, quæ de beatitudine animæ poſita in clara viſione Dei in libris antecedentibus dicta ſunt, præcedebant diſputationẽ de adeptione illius. De beatitudine, vt eſt vltimus finis, egimꝰ in primis tribꝰ lib. 1. tomi: de beatitudine verò, quæ eſt viſio diuinæ eſſentiæ diſputauimus in lib. 4. in ordine ad ſubiectum, potentias, inquam, animæ; vt videremus, ad quam nam animę potentiã per ſe ſpectaret. In 5. lib. diximus de eadem viſione in ordine ad obiectum, ideſt, in ordine ad ea, quæ à beatis videnda ſunt: hæc enim duo ad ipſam viſionem beatam intrinſecè pertinent: vnde eorũ diſputio præcedit diſputationem de adeptione illius. In lib. 6. (qui eſt primus huius ſecũdi tomi) explicauimus ea, quæ viſionem ipſam antecedunt, tanquam neceſſaria, vt intellectus creatus poſsit videre Deum. Vnde ante adeptionem beatitudinis erãt explicanda. Et in eo egimus de intellectu creato conſiderato ſecundum ſuam naturalem virtutem intelligendi. In 7. diximus de eodẽ intellectu ſupernaturaliter eleuato, & explicauimus, an indigeat ſupernaturali aliquo concurſu, vt Deũ videat? & diximus, duos concurſus eſſe neceſſarios; vnum ſpeciei intelligibilis; alterum luminis gloriæ. Et ideo in 8. lib. diſputauimus de neceſsitate ſpecierũ ad viſionem Dei. In 9. autem egimus de neceſsitate luminis gloriæ. In 10. autem diximus, quomodo, & qua virtute intellectus creatus influat in viſionem beatificam. Et ideo illis quatuor libris abſoluta eſt diſputatio de ijs, quæ viſionem beatificam antecedunt. In lib. 11. diximus de ijs, quæ viſionem comitantur, & conſequuntur, tanquam beatitudinis accidentales perfectiones. Quæ omnia adeptionẽ beatitudinis antecedunt. Quare hoc vltimo lib. meritò diſputãdum erit de adeptione beatitudinis.

De adeptione illius ex inſtituto diſpu- 2.
tat D. Thomas 1. 2. q. 5. & in ea plura re- *D. Thom.*
petit, quæ de viſione iam quæſierat 1. *p.* *q.* 12. quod non debet ſuperfluũ videri: quoniã licet beatitudo, & viſio clara Dei in re coincidant; formaliter tamen inter ſe diſtinguũtur, vt benè aduertit *Caieta-* *Caietan.*
nus 1. 2. *q.* 1. etenim viſio beata, vt terminatur ad Deum, dicitur viſio; beatitudo autem; prout videntẽ perficit. Sub priori conſideratione viſio pertinet ad diſputationem de Deo, prout in ſe ipſo conſideretur, cuius eſſentia, & proprietates non ſolùm conſiderandæ ſunt in ſe ipſis; ſed etiam prout ad noſtrum intellectum referuntur, vt benè aduertit *Vaſquez Bello-* *Bellom.*
montan. 1. *p. in princ. quæſtioni* 3. *&* 12. At ſub cõſideratione poſteriori viſio ſpectat ad diſputationẽ de vltimo fine hominis; quia re vera ipſa eſt vltimus finis naturæ humanæ, non obiectiuus, ſed formalis. Igitur, quæ communia erant viſioni, vt eſt viſio, & vt eſt beatitudo, vtrobiq; explicari debuerunt (diuerſa tamen conſideratione) vt vtraq; diſputatio in ſe ipſa abſque alterius mẽdicatione ſit perfecta.

In diſputat. de adeptione beatitudinis hunc ordinem obſeruabimus: nam cum duplex ſit beatitudo: vna naturalis, altera ſupernaturalis; vt cum D. Thoma diximus *lib.* 3. *q.* 1. *art.* 2. §. 4. *num.* 13. ſupernaturalis autem vna ſit viæ; altera Patriæ, vt eodem loco aduertimus; prius diſputabimus de beatitudine ſupernaturali Patriæ, quæ in clara Dei viſione cōſiſtit (eſt enim in ſe ipſa omniū perfectiſsima) deinde aliquid dicemus, tùm de beatitudine ſupernaturali viæ; tùm de beatitudine naturali.

Quæ ſunt inquirenda de beatitudine Patriæ. ¶ De ſupernaturali autem beatitudine, quæ in clara Dei viſione ponitur, Primū inquiremus: an illa poſsit creaturæ intellectuali cōmunicari, Angelo. ſ. & homini?

Secundo inquiremus; an poſsibilitas illius poſsit naturali aliqua ratione efficaciter conuinci?

Tertiò inquirendum eſt de diſpoſitione animæ, vt illi ſupernaturalis beatitudo communicetur.

Quarto; quando animæ Sanctorum de facto Deum videant?

Quinto; an eum videant ſine corpore ante generalem reſurrectionem?

Sextò; quid de hoc ſenſerint Origenes, & D. Anſelmus?

Septimo loco, an poſsit communicari homini viatori?

Octauo; an de facto fuerit alicui viatori communicata?

Nonò; an beatitudo omnibus æqualiter communicetur?

Decimo vnde ſumēda ſit æqualitas, vel inæqualitas?

Vndecimo De cauſa inæqualitatis.

Duodecimo; an poſsit creſcere?

Decimotertio; an ſit perpetua?

Decimo 4. à quo communicetur nobis?

Decimo quinto; an illa nobis cōmunicetur abſque vlla noſtra operatione; an verò mediantibus meritis?

Decimo ſexto; an cōmunicetur nobis per aliquam ſimilitudinem?

Decimo ſeptimo, & vltimo; an ad illā habeamus appetitum naturalem?

QVÆSTIO I.

De poſsibilitate beatitudinis ſupernaturalis, quæ in clara Dei viſione ſita eſt.

QVod attinet ad primum, de poſſibilitate beatitudinis ſupernaturalis excitabimus ſequentes articulos?

Primus erit; Vtrùm ſit de fide ſupernaturalem beatitudinem viſionis diuinæ eſſentiæ eſſe poſsibilem?

Secundus; Vtrûm ſupernaturalem Patriæ beatitudinem eſſe poſsibilem, fuerit communis Patrum conſenſus?

Tertius; Vtrùm iſte conſenſus Patrum fuerit vnanimus?

Quartus; Vtrùm D. Chryſoſtomus poſsibilitatem ſupernaturalis beatitudinis negauerit?

Quintus; Vtrùm ex ſacris literis veritas iſta efficaciter conuincatur?

Sextus, & vltimus, Vtrùm aliqua loca Sacræ Scripturæ huic veritati repugnēt?

ARTICVLVS I,

Vtrùm ſit de fide ſupernaturalem beatitudinem viſionis diuinæ eſſentiæ eſſe poſsibilem.

§. 1.

Referuntur errores.

CVM ſermo ſit de beatitudine Patriæ; quæ poſita eſt in viſione diuinæ eſſentiæ; coincidit iſta quæſtio cum illa; an poſsit homo videre diuinam eſſentiam? de qua D. *Thomas* 1. *parte q.* 12. *art.* 1. 1.

De propoſita quæſtione fuit olim antiquus quidam error relatus à *Diuo Gregorio* 18. *Moral. cap. penulti.* nec homines, nec Angelos poſſe clarè, & intuitiue videre Deum; ex quo inferabatur, nec Angelos, nec homines poſſe beatitudinem conſequi. Eundem errorem fortè habuerunt olim Iudæi, qui teſte *D. Hieronymo in c.* 1. *Iſaiæ ad illa verba, Audite verbum Dei Principes Sodomorum*, ideo Iſaiam interfecerunt, quod dixerit ſe vidiſſe Deum facie ad faciem, exiſtimantes Iſaiam in hoc contradixiſſe. Moyſi Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Sed inde non benè infertur, Iudęos abſolutè negaſſe poſſibilitatem viſionis diuinæ eſſentiæ, ſed poſsibilitatē illius ab homine in hac mortali vita degente. 2. Gregor. Fuit error Iudæorum.

Hunc fuiſſe errorem Armenorum, & recen-

recentiorum Græcorum affirmat Arma
Armach. chanus *lib.* 13. *ad verſus eos cap.* 1. *& poſt cum Caſtro* 3. *aduerſus hæreſes, verbo beatitu do hæreſi prima, & Prateolus in Elencho hæreticorum verbo Armeni:*
Nycepho. quamuis Nicephorus 18. *ſuæ hiſtoriæ cap.* 53. enumerans errores Armenorum huius erroris nullam faciat mentionem. Nec teſtimonio Armachani repugnat, quòd Armeni voluerunt Sanctos ante diem iudicij Deum nō
Sanderus. videre, vt de illis refert *Sanderus lib.* 7. *de*
Caſtro. *viſibili Monarchia hæreſi* 118. *& Caſtro vbi ſuprà hæreſi* 6. quoniam omiſſa ſolutione
Bellomon. Bellomontani 1. *p. diſp.* 37. *cap.* 1. *num.* 1. (quæ non placet) reſpondebimus Armenos, quamuis abſolutè negauerint, Deum in ſe ipſo clarè videri poſſe; admiſiſſe tamen, Deum videndū eſſe à beatis in quadam luce, & fulgore; addidiſſe tamē beatos, nec iſto modo ante diem iudicij Deū viſuros: quæ eſt vera explicatio mentis Armenorum.

4. *An fuerit error Abailardi.* Eundem errorem probaſſe Abailardū, & quendam Arualdum Brixienſem illius diſcipulum teſtatur *Caſtro vbi ſuprà:* ſed quo authore Caſtro id affirmet, nec
D. Berna. ego video, nec videt Bellomontanus vbi ſuprà; etenim D. Bernardus, qui ſe ſe his hæreticis oppoſuit in Epiſtola 188. & & 190. in quibus Abailardi errores enumerat, hunc errorem illis non imponit; vt etiam annotauit Lorca 1. *tom. ad* 1. 2. *diſp.* 26. *in principio.*

5. *Fuit Aymerici.* Eundem errorem ſuſcitauit Aymericus quidam tempore Innocentij Tertij;
Turrecrem. ſicut refert Ioannes Turrecremata *lib.* 4. *Summæ de Eccleſia cap.* 35. *& hæretici Albigenſes eiuſdem temporis, ſi credendum eſt Bellomontano vbi ſuprà;* quamuis nec Florentinus 4. p. titulo 11. §. 2. nec Eymericus 2. p. Directorij Inquiſitorum q. 7. nec qui errores Aymerici, & Albigenſium ſcripſerunt, hunc errorem iſtis tribuant.

6. Sed quidquid ſit de his hęreticis, nobis
D. Grego. ſatis eſt hūc errorem olim fuiſſe pleriſq;
D. Thom. probatum, vt ex *D. Gregorio loco citato refert D. Thomas* 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *& de Verite q.* 8. *art.* 1. quamuis nullus negauerit hominem eſſe poſſe beatū, & ſubinde poſſe conſequi vltimam beatitudinem, cum ad eam habeamus appetitum: beatitudinem tamen, aut hominum, aut Angelorum nō ponebant in viſione clara diuinæ eſſentiæ (hanc enim putabant eſſe impoſſibilem) ſed in viſione, qua Deus in quodam à ſe deriuato lumine, ac fulgore videbatur; vt de Armenis diximus, & de Aymerico plures referunt.

Hunc errorem primò confirmabant 7.
ex pluribus locis Sacrarum literarū. Pri- *1. Cōfirmatur ex Scriptura.*
mus habetur Ioannis 1. & primæ Ioannis 4. *Deum nemo vidit vnquam,* Ionnis 6. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo.* Matthæi 11. *Nemo nouit filium, niſi Pater; nec Patrem quis nouit, niſi filius?* 1. Timothei. 1. *Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili.* Ibidem cap. 6. *Qui ſolus habitat lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Exodi 33. *Faciem meā videre non poteris: nec enim videbit me homo, & viuet.* Denique Iſaiæ 6; Seraphim faciem Domini duabus alis velabant, hoc modo ſignificantes ſe diuinā eſſentiam intueri nequaquam poſſe.

Secundo confirmatur quam plurimis 8.
Patrum teſtimonijs: nimirum *Chryſoſtomi homil.* 14. *in Ioannem, & homil.* 3. *&* 4. *Confirmatur ex Patribus.*
de inuiſibili natura Dei. Euthymij ad illa verba Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquā. Theophylacti ad eadem verba, & primæ Corinth.* 13. *ad illa verba: Cognoſcam ſicut, & cognitus. Theodoreti primæ ad Timothеum* 3. *ad illa verba: Apparuit Angelis, & ſatis Dialogo* 3. *pag.* 364. *col.* 2. *Nyſſeni in lib. de beatitudinibus, & in lib. de vita Moyſi, Hieronymi in cap.* 1. *Iſaiæ ad illa verba: Audite verbum Dei Principes Sodomorum. Et clarius tom.* 9. *Epiſtola* 15. *Diui Ambroſij in cap.* 1. *Lucæ. Baſilij lib.* 1. *contra Eunomyum Epiphanij hæreſi* 10. *Primaſij primæ Corint.* 13. *ad illa verba, Cognoſcam ſicut, & cognitus ſum: Iſidori Exodi* 41. *Cyrilli Alexand, in Ioannem cap.* 22. *Cyrilli Ieroſolymitani Catecheſi* 6. *Chryſoſt. Euthymi. Theophila Theodore, Nyſſenus. Hierony. Ambroſ. Baſil. Epyphan. Primaſ. Iſidorus. Cyrillus.*

Tertio rationib⁹ ita cōfirmatur. Prima
ratio: quia oculus corporeus non poteſt 9. *1. Ratio.*
etiam diuina virtute eleuari ad clarā Dei viſionem, vt patet: Ergo nec intellectus: probatur cōſequentia; quia eſſentia Dei in ſe non minus excedit efficaciatē noſtri intellectus, quam virtutem oculi corporei: vtrobique enim datur diſtantia infinita.

Confirmatur; quoniam ſi oculus cor-
poreus cum re ſpirituali, natura, ſcilicet 10. *Confirm.*
angelica, comparetur; ab ea diſtat ſolùm finitè, & tamē eleuari nullo modo poteſt ad illius viſionem. Ergo ad intuitum diuinæ

uinæ eſſentię noſter intellectus nullo modo eleuari poterit,cū ab ea infinitè diſtet.

11. 2.Ratio. Secunda ratio; modus eſſendi Dei in ſe ipſo eſt ſuperioris ordinis reſpectu cuiuſcumque intellectus creati,quantumcū que,& quomodocumque ille lumine gloriæ illuſtretur. Ergo nullus intellectus, quocunq;lumine eleuetur,poteſt clarè videre Deum.Antecedens eſt notum;conſequentia hoc diſcurſu oſtenditur:modus concipiendi cuiuſcumque intellectus ſequitur modum eius;vt modus proportionatus vnicuique intellectui ſit, vt concipiat obiectum iuxta proprium modum eſſendi,quem habet. Ergo nullus intellectus poteſt formare proprium conceptū rei,quæ in eſſendo eſt ordinis ſuperioris: nec enim poterit eam concipere ad modum eſſendi ſibi proprium. Igitur cum Deus in ſe ipſo ſit altioris ordinis in eſſēdo reſpectu cuiuſcumq; intellectus creati,nullus poterit formare proprium conceptum Dei, vt eſt in ſe ipſo; & per conſequens non poterit eū intuitiuè videre.

12. 3.Ratio. Tertia ratio: Inuiſibilitas Dei enumeratur inter propria Dei attributa: nō reſpectu intellectus diuini;quia Deus eſt ſibi maximè viſibilis. Ergo Deus ex ſua natura erit inuiſibilis cuicumque intellectui creato.

13. 4.Ratio. Quarta ratio: beatitudo altioris naturæ debet eſſe perfectior,& altior: ſed beatitudo diuina (quę eſt omnium altiſsima) ponitur in viſione diuinæ eſſentiæ.Ergo beatitudo noſtra nulla ratione poni poteſt in viſione illius, ſed erit omnino illi impoſsibilis.

14. 5.ratio. Quinta ratio: beatitudo eſt in adeptione ſummi boni: ſed ad ſummum perueniri nō poteſt,niſi tranſeundo per media: ſed natura media inter Deū, & homines eſt natura Angelica: homo autem ad hāc peruenire non poteſt. Ergo nec poterit peruenire ad ſummum bonum, quod in viſione diuinæ eſſentiæ per ſe ponitur.

15. 6.ratio. Sexta ratio: ſicut rationalis natura excedit naturā ſenſitiuam; ita natura intellectualis (qualis eſt Angelica) excedit rationalem.Sed natura ſenſibilis, qualis eſt natura brutorum,non poteſt attingere ad finem naturę rationalis. Ergo nec homo ad finem Angelicæ. Hic autem eſt beatitudo.

16. 1.Confirm. Confirmatur;quia ſicut potentia cognoſcens non poteſt eleuari ſuprà ſuum adæquatum obiectum;ita nec eleuari poteſt ſupra modum adæquatū attingendi illud. Sed adæquatus modus attingendi obiectum intellectus humani eſt per diſcurſum. Ergo non poterit eleuari ad obiectum, quod per diſcurſum attingi non poteſt.Talis autem eſt Deus in ſe ipſo viſus ſimplici intuitu.Ergo non poteſt eleuari ad viſionem diuinæ eſſentiæ.

Confirmatur 2.connaturale eſt homini intelligere per phantaſmata: ſed Deus per phantaſmata clarè videri non poteſt. Ergo homo non poteſt clarè videre Deū, & ſubinde, nec conſequi beatitudinē poſitam in clara Dei viſione. 17. 2. Cōfirm.

Septima ratio: cognoſcentis ad cognitum debet eſſe aliqua proportio : cognitum enim eſt perfectio cognoſcentis. Sed nulla eſt proportio intellectus creati ad Deum;quia in infinitum diſtant. Ergo intellectus creatus nullo modo poteſt diuinam eſſentiam in ſe ipſa videre. 18. 7.Ratio.

Octaua ratio: quia ſi beatitudo ſupernaturalis viſionis Dei eſſet poſsibilis;ad eam naturaliter inclinaretur noſter intellectꝰ. Quod eſt falſum. Sequela probatur;quia quælibet potentia naturaliter inclinatur ad ſuum obiectum, & ad ea, quæ ſub illo continentur. 19. 8.Ratio.

Poſtrema ratio: quia infinitū in quantum tale,eſt ignotum. Sed Deus eſt omnibus modis infinitus. Ergo ſemper erit nobis ignotus: vnde Magnus Dionyſius cap.1. Myſticæ Theologiæ ait, intellectum noſtrum ſecundum ſupremam ſui partem coniungi Deo,ſicut omnino ignoto. ¶Hęc pro iſto errore adduci poſſunt. 20. Poſtrema Ratio.

§. 2.

De fide eſt hominem poſſe conſequi beatitudinem poſitam in clara viſione Dei.

ASSerendum tamen eſt, Fidem Catholicam ſemper docuiſſe hominē poſſe conſequi ſupernaturalē beatitudinem, quæ ponitur in clara Dei viſione: & ſubinde opinionē explicatam ſemper fuiſſe, vt hæreticam, & fidei contrariam ab omnibus reiectam. Hunc fuiſſe concordem Patrum conſenſum, patebit ex 2.3.& 4.art. Hanc veritatem ex ſacris litteris euidentiſsime conuinci ; nec ex vllo Scripturæ loco oppoſitum deduci poſſe 21. Eſt de Fide.

poſſe, explicabimus art. 5. & 6. Modo ſatis ſit veritatem iſtam definitionibus Eccleſiæ confirmare.

22. Ex Concilijs Florentinum. Hæc veritas apertiſsimè definita eſt in Concilio Florētino ſeſsione vltima in literis vnionis in hæc verba: *Diffinimus illorum animas, qui poſt baptiſmum ſuſceptum nullam peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt cōtractam peccati maculatam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi; & intueri clarè ipſum Deum, Trinum, & Vnum, ſicuti eſt.*

23. Vienenſe. Accedat Conciliū Vienenſe in Clemētin. *Ad noſtrum* de hæreticis: quatenus erroris damnat, *lumen gloriæ non eſſe nobis neceſſarium ad videndum Deum:* qua diſfinitione euidenter, ſupponit, eſſe de fide Deum videri poſſe.

24. Ex Benedicto 12. Deinde diffinita eſt eadem veritas à Benedicto 12. in Extrauag. *Benedictus Deus*, quæ habetur in ſūma Cōſtit. illius, conſt. 1. in ea ſolemniter definit animas Sanctorum ipſa Dei clara, & immediata viſione fieri beatas, ita inquiens: *De animabus Sanctorum, qui poſt mortem, & Aſcenſionem Chriſti deceſſerunt, ſunt, & erunt in Cœlo: vident, & videbunt diuinam eſſentiam, immediatè ſe bene, & clarè, & apertè illis oſtendentem: quodque ſic videntes eadē diuina eſſentia perfruuntur: nec non quod tali viſione, & fruitione eorum animæ, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ; & habent vitā æternam: & omnium illorum, qui poſtea decedent, eandem diuinam eſſentiam videbunt, eademque perfruentur ante iudicium generale.*

Ex Euariſt. Accedat etiam Euariſti Papæ antiqua, & Apoſtolica doctrina anno D. 96. Epiſtol. 1. Decretali in 1. tom. Concil. vbi inquit: *Si enim Filius Deus verus, & vita æterna eſt; ſine dubio in hac luce ſimul cum Patre habitare credendus eſt; quam nullus modo noſtrū in hoc mortali corpore conſtitutus poteſt aliquatenus contueri; ſed dum apparuerit, tunc verè illum videbit, ſicuti eſt, qui eius conſpectui fuerit dignus coaptari; & non ſicut Moyſes, cæterique prophetæ per ænigma, & figuram; ſed ipſam veraciter in filio ſecundum Apoſtolum contuebitur veritatis imaginē.*

25. Francofordienſe. Addi poteſt Concilium Francofordienſe in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ in vltimis verbis tom. 3; *Prædicemus*, inquit, *eundem vivum, & verum, & verè filiū Dei, vt ad eius beatiſsimā viſionem peruenire valeamus, in qua eſt æterna beatitudo.*

Poſtremò accedat hanc fuiſſe ab initio Eccleſiæ perpetuam, & apertam traditionē, quę in rudimētis fidei expreſſè, & dilucide omnibus fidelibus declaratur & credenda proponitur: qui communis, & vnanimis Eccleſiæ per totum terrarū Orbem diffuſę conſenſus ſatis eſt, vt hæc veritas de fide certiſsimè teneatur. 26. Ex traditione.

Quare non eſt, quod in citandis Theologis pro hac fidei veritate immoremur. Vide D. Thomam 1. p. q. 12. ar. 1. vbi opinionem aduerſariorum ad errorem contra fidem deducit: illam eſſe fidei Catholicæ contrariam explicauit de veritate q. 8. art. 1. concors ſemper fuit Theologorū conſenſus, tùm in 4. diſt. 49. tùm 1. p. q. 12. art. 1; tùm denique 1. 2. q. 5. art. 1. 27.

Vtrùm rationibus eadem veritas confirmari valeat? expendemus in vltimo huius quæſtionis articulo. Nunc aduerſaria argumenta diſſoluamus.

§. 3.

Soluuntur aduerſaria argumenta.

AD primum argumentum aduerſariorum ſumptum ex locis Sacræ Scripturę reſpondebimus inferiùs artic. 6. 28. Ad 1. arg.

Ad ſecundum, quod ex Patribus ſumitur, latè reſpondebimus artic. 3. 4. & 5. & oſtendemus, nullum eorum Patrum, qui in contrarium citātur, errorem illum nō modo docuiſſe, ſed nec ſomniaſſe, ſi attentius expendantur, quæ ſcribunt. 29. Ad 2.

Ad primam rationem, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: cuius probatio in eo deficit, quod ex exceſſu perfectionis entitatiuæ arguit ad exceſſum proportionis obiectiuæ in cognoſcēdo, quæ datur inter obiectum, & potentiam: quæ argumentatio inepta eſt; nam quæ improportionata ſunt entitatiuè, ea poſſunt eſſe obiectiuè proportionata: & è contrariò; quæ entitatiuè proportionē habent, nullam habent obiectiuam proportionem: vt patet in calore, & ſono; quæ cum ſint entia finita, ſunt entitatiuè proportionata; cū tamē in cognoſci nullam proportionem habeant, ſi calor cum auditu, & ſonus cum viſu in ratione obiecti conferatur: Sicut enim calor eſt extra obiectum adæquatum auditus; ita etiā ſonus eſt extra adæquatum obiectum viſus 30. Ad 1. ratio.

ſus

ſus. Quare non mirum eſt, ſi Angeli ſubſtantia in ratione entitatis diſtans finitè à viſu corporeo, in ratione obiectiua ab eo diſtet ſuo modo infinitè; vt quia ſit extra obiectum adæquatum viſus. Simili modo cum diuina eſſentia in ſe ipſa ſit ens quoddam, & quoddam intelligibile inadæquatè, vtique continetur ſub obiecto adæquato intellectus creati, & habet reſpectu illius proportionem obiectiuam finitam; quamuis entitatiuè nullam habeat proportionem, cum ſit ens perfectionis infinitæ. Sed de hac re rurſus redibit ſermo: interim vide *D. Thomam 1. p. q. 12 art. 1. ad 4. & de Veritate q. 8. art. 1. ad 6. & lib. 3. contra gentes, cap. 54. D. Bonauenturam in prim. diſtinct. 3. in 1. p. art. 1. q. 1. ad 2. Durandum in 4. diſt. 49. q. 2. num. 24. & 29. Paludanum ibidem q. 1. art. 3. nu. 36. interpretes* D. *Thomæ 1. p. q. 12. artic. 1. vbi Molin. ad 4.* D. *Thom. Bellomōt. ibidem diſp. 37. cap. 6. num. 22. & diſp. 40. cap. 2. num. 4. & 5. & diſpu. 43. cap.* 8. vt in re clariſsima alios omittamus.

D. Thom. D. *Bonau.* *Durand.* *Paludan.* *Molin.* *Bellomon.*

31. Ad 1. confirmationem.

Ad confirmationem ex dictis patet ſolutio: quoniam licet oculus corporeus finitè diſtet à natura Angelica diſtantia entitatiua; diſtat tamen infinitè diſtantia obiectiua, vt diximus.

32. Ad 2.

Ad ſecundam rationem neganda eſt etiam conſequentia. Ad probationem dicimus propoſitionem ſumptam eſſe ſatis dubiam; negarique *à Scoto in 1. diſt. 3. q. 3. litera C. §. Congruentia etiam, & in 4. diſt. 49. q. 11. poſt principiū. §. Reſpondeo ad primam rationem, & litera B §. Secundum hoc ergo: & à Baſſolio ibidem q. 5. art. 1. §. Rationes igitur prius ad 2. & 3. pag. 157. col. 2. & à Molina 1. p. q. 12. art. 4. §. Licet ratio, & à pluribus alijs:* dantur enim quam plurimæ inſtantiæ, tā in cognitionibus naturalibus, quàm ſupernaturalibus: nam beati quidditatiuè vident Deum; non viderent autem, ſi eum iuxta ſuū eſſendi modum conciperent; quia illum conciperēt ſub modo eſſendi potentiali, qui eſt proprius eſſendi modus ipſorum. Beati etiam poſt reſurrectionem diſtinctè, & quidditatiuè cōgnoſcent Angelos per ſcientiam infuſam; eos tamen non cognoſcent ſecūdum modum eſſendi in corpore, & quē tunc habebunt. Denique non ſolùm Angeli inferiores quidditatiuè cognoſcunt ſuperiores cognitione naturali; ſed etiam animæ ſeparatæ iuxta veriorem ſententiam, de qua *Fonſeca 2. Metaph. cap. 4. q. 1 ſect. 6. ad finem, & Curſus Conimbricenſis in tract. de Anima ſeparata diſp. 5. artic. 1. pronunciato* 3. Cum tamen omnes Angeli reſpectu inferiorum habeant ſuperiorem eſſendi modū. Quare propoſitio illa ſimpliciter ſumpta, niſi modificetur, eſt neganda: modificatur autem multis modis etiam à Thomiſtis: vt autē vera ſit intelligi debet de cognitione, & modo cognoſcēdi connaturali, ex proprijs ſcilicet viribus naturæ; vt ſit ſenſus: Cognitio cōnaturalis, modusque connaturalis intelligendi cuique intelligenti proprius ſequitur modum eſſendi illi connaturalem, quatenus eſt cognoſcens, & ſecundum generalem eſſendi rationem, ſecundum immaterialitatem, gradumque illius: ita vt nihil naturaliter cognoſci valeat, niſi ſecundum naturalem, & proprium gradum ſuæ immaterialitatis: nam ſi de cognitione, aut ſupernaturali, aut præter naturam propoſitio illa intelligatur; neganda eſt, vt docet *Caietanus prima parte q. 12 artic. 4. cum cæteris Thomiſtis, & latè Suarius in Metaph. diſputat. 30. ſect. 11. numer. 13. & 48. & in hoc ſenſu ſumi à Diuo Thoma in locis citatis latiſsimè oſtendimus lib. ſexto, quæſtione ſecunda articulo quinto per totum, & §. ſexto:* id enim euidenter cōſtat in beatis reſurgentibus, qui non ſolùm habent modum concipiendi independentem à corpore, id eſt, à phantaſmate, vt oſtendimus lib. ſeptimo; ſed etiam independentē ab obiecto habente materialem modum eſſendi: etenim per ſcientiam infuſam diſtinctè cognoſcent ſubſtantias ſeparatas in ſe ipſis, & prout abſtrahunt à materia. Quare argumentum adductum ſolùm probat, intellectum creatum viribus ſuæ naturæ, & cognitione ſibi connaturali non poſſe Deum videre: quam reſolutionem ſumpto hoc medio latè demonſtrauimus libro ſexto, quæſtione ſecunda articulo quinto. Quod non tollit, quominus poſsit ſupernaturaliter eleuari ad claram viſionem diuinæ eſſentiæ: etenim pro ſtatu illo eleuato ipſa diuina eſſentia, vt à beato cognoſcitur, adhuc cognoſcitur ſecundum modum eſſendi intellectus eleuati, vt oſtendimus in dicto articulo quinto, §. ſeptimo, ad ſecundum argumentum.

Scot. *Baſſol.* *Molina.* *Fonſeca.* *Conimbr.* *Caietan.* *Suarius.*

33. Ad 3. rationem. Ad tertiam ratione͂ dicemus, inuiſibilitatem non in hoc ſenſu dici propriú attributú Dei, quod Deus omnibus modis ſit inuiſibilis ab intellectu creato; hic enim ſenſus eſt hęreticus, vt aduertit *Suar. vbi ſuprà n.* 50: ſed in hoc potius ſenſu, vt ſolú Deus ſit inuiſibilis ab aliqua naturali, & creata intelligêdi virtute: omnis enī creatura poteſt à virtute alicuius creaturæ naturaliter videri. Ex quo inferes, nõ idem eſſe Deú eſſe inuiſibile͂, & eſſe incôprehe͂ſibile͂: etenim Deus poteſt ſupernaturaliter videri: nõ tamen poteſt, aut naturaliter, aut ſupernaturaliter cõprehendi, vt lib. 11. oſtendimus. Quin potius nõ idem eſt, Deú cõprehendi, & Deú quidditatiuè cognoſci; nec enim ide͂ eſt re͂ aliquã quidditatiuè intelligere, & eam cõprehendere, vt benè annotauit *Fõſceca 2. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 1. pag. 312. & Suar. in d. diſpu. 30. ſect. 12. num.* 4. Quare omnes beati Deum quidditatiuè videbunt; nullus tamen Deú comprehendet. *Suarius. Fonſecà. Suar.*

34. Ad 4. rationem. Ad quartam rationem reſpondendum eſt ex me͂te D. Thomæ 1. 2. q. 3. art. 8. ad 2. beatitudinem Dei obiectiuã non eſſe altiore͂ beatitudine noſtra; quia eade͂ eſſe͂tia eſt obiectú vtriuſque: eſſe tamen altiore͂ quoad modú intelligendi ipſum beatificú obiectum; quia Deus illud attingit viſione increata, naturali, & cõprehenſiua: nos verò illud attingimus viſione creata, ſupernaturali, & inadæquata, quæ eſt infinitè inferior. In forma ad argumentú neganda eſt maior, ſi intelligatur de beatitudine altiore obiectiuè: quia beatitudo inferioris naturæ poteſt eſſe eiuſdem obiecti, cuius eſt beatitudo naturæ altioris. Si verò maior intelligatur de beatitudine altiore quoad modum, & naturam ipſius beatitudinis; concedenda eſt ſimul cum minore, & neganda conſequentia.

35. Ad 5. rationem. Ad quintam reſpondet *D. Thom.* 1. 2. *q. 5. art.* 1. ad 3. homines non tranſcendere Angelos in gradu naturæ, atque in eſſendo; benè tamen illos tranſcendere in intelligendo; quia poſſunt intelligere nõ ſolùm Angelos, ſed etiam ſubſtantiã increatã, quę eſt ſuper Angelos, & ob id poſſe acquirere illud ſummum bonum, quod cõſiſtit in viſione ſupremi boni. Iuxta hanc doctrinam ad argumentum in forma ſic eſt reſpondendum, vt beatitudo ſit poſita in adeptione ſummi boni adipiſcendi, nõ per ipſum fieri ſummũ bonum (quaſi ideo beati ſimus, quia adepti ſumus nos ipſos eſſe ſummũ bonum) ſed adipiſcendi per intelligere ipſum ſummum bonum. Conceſſa maiore in hoc ſenſu, admittimus primam partem minoris. ſ. ad ſummum peruenire non poſſe, niſi per media quę per ſe ſunt media neceſſaria, vt ad ſummum perueniatur. Secunda verò minoris pars admittenda eſt ſi intelligatur de medio in eſſendo; quia natura Angelica in eſſendo media eſt inter Deum, & hominem: ſed in hoc ſenſu nihil ad rem facit; quia beatitudo noſtra non eſt poſita in hoc, quod adipiſcamur nos realiter eſſe ipſum ſummum bonum. Si verò ſecunda pars minoris intelligatur, vt natura Angelica quoad intelligere ſit media inter Deum, & hominem, in rigore eſt falſa: quia homo abſolutè poteſt videre Deú in ſe ipſo, quin videat Angelos: Sed illa admiſſa, neganda eſt tertia pars eiuſde͂ minoris: quia intellectus creatus poteſt intelligendo tranſilire ſubſtantias Angelicas, & peruenire ad ſubſtantiam increatam, quæ eſt ſuper omnes illas. Et iſta eſt facilis reſponſio in forma ad hoc argumentum, ſi tamen in eo eſt aliqua arguendi forma.

36. Ad 6. rationem. Ad ſextam rationem reſpondet *Diuus Thomas prima ſecundæ, quæſtione 5. articulo primo, ad* 1. ſolutio poſita eſt in explicatione maioris: vel enim eſt ſermo de exceſſu quantum ad obiectum; vel quantum ad modum intelligendi illud. Primo modo maior eſt falſa; quia obiectum naturæ rationalis eſt ſuprà obiectum adæquatum naturæ ſenſitiuæ brutorum, ita vt bruta nullo modò poſſint ſua cognitione ad illud pertingere: obiectum tamen adæquatum naturæ intellectualis non eſt ſupra obiectum adæquatum naturæ rationalis; & ob id humanus intellectus poteſt eleuari ad viſionem Dei, quantumvis cognitio ſenſitiua non poſsit eleuari ad cognitionem intelligibiliú. Si verò ſermo ſit de exceſſu, & quoad obiectum, & quoad modum intelligendi illud; vera eſt maior; aliter tamen, & aliter: quia rationalis excedit naturam ſenſitiuam quoad obiectum; intellectualis verò excedit rationalem ſolùm quoad modum: quia Angelus cognitione ſimplici, & ſine diſcurſu poteſt attingere ſuum obiectum, homo verò cú diſcur-

diſcurſu, de quo D. *Thom. 1. p. q. 79. art.* 8.
D. *Thom.* In hoc igitur ſenſu conceſsis maiore, & minore, neganda eſt cõſequentia: quia natura rationalis ſimpliciter excedit ſenſitiuam ratione obiecti; intellectualis verò non excedit rationalem quoad obiectũ, quod attingitur, ſed ſolũ quoad modũ quo attingitur: quod non impedit, quominus poſsit eleuari ad talem intelligendi modum, de quo in ſolutione primæ cõfirmationis.

37. Ad 1. cõfirmat. Ad primam confirmationem dicimus, in ea falſò ſupponi adæquatum modum attingendi obiectum intellectus humani eſſe, illud attingere per diſcurſum: nam vt omittamus notitias ſimplices, & in cõplexas, quas intellect⁹ noſter exercet circa ſimplicicia: notitias itẽ ꝓpoſitionũ, & principiorũ, quæ cognoſcuntur ex terminis; poteſt etiam ſine diſcurſu cognoſcere veritates ſcientificas, & quæ ex cauſis dependent; ſi non in acquirendo eas; tamen in acquiſito eſſe vſuque illarum, vt multis docet noſter *Ægidius quodlib. 4. q.* 16. & quamuis hæc Aegidij doctrina dubia ſit, & fortè falſa in anima coniuncta pro ſtatu viæ; tamẽ in anima ſeparata eſt inter Theologos receptiſsima, vt patet ex eodem Aegidio in eodẽ loco: etenim animam ſeparatam more Angelorum intelligere ſine diſcurſu docuit *D. Thomas de Veritate q. 24. art. 11. in fine, & Caietan. 1. p. q. 85. arti. 5. §. Quoad ſecundum, & Richardus in 3. diſt. 31. art. 3. q. 1. quorum ſententiam probat Curſus Conimbricenſis in tract. de Anima ſeparata diſp. 1. artic. 7. in fine, & latiùs diſp. 4. art. 2 § Sed illud non diſplicet.* Quorum ſententia vera videtur dũmodo illi non denegetur diſcurſus, quem tamen præcitati authores videntur illi denegare.

Aegidius. *D. Thom.* *Caietan.* *Richard.* *Conimbr.*

38. Quòd ſi nec iſta ſententia placet; non diſplicebit tamen, ſi dicamus, modum cognoſcendi per diſcurſum veritates ſcibiles eſſe quidem noſtro intellectui conaturalem, ſiue id proueniat ex eſſentia animæ, vt putant, qui noſtrum intellectum ſpecie diſtinguũt ab intellectu Angeli; ſiue ex imperfectione, tùm luminis, tùm ſpecierum, vt alij volunt: quæ conaturalitas non tollit, quin intellectus poſsit ſupernaturaliter eleuari ad modum intelligendi ſine diſcurſu, vt optimè aduertit Curſus Conimbricẽſis in d. art. 7. in fine. Ad obiectionem igitur negãdum eſt modum intelligendi cum diſcurſu eſſe extẽſiuê adæquatũ noſtro intellectui, quamuis fortè ſit adęquatus intenſiuè, & naturaliter, ſaltem pro ſtatu viæ: quod nõ impedit, quominus homo poſsit ſupernaturaliter eleuari ad viſionem beatam, quæ, etſi virtualiter eſt diſcurſiua, & cõpoſita; formaliter tamen eſt ſimplex, & intuitiua, quæ intellectui humano abſolutè non repugnat.

Ad ſecundam confirmationem reſpõdetur primò, maiorem ita vniuerſaliter prolatam non recipi ab omnibus, vt patet ex ijs, quæ diximus ſupra *lib. 6. q. 1. ar. 4. in 2. demõſtratione, & ex Conimbricẽſibus 3. de Anima cap. 8. q. 8. art.* 3. etenim Auicẽna ad vſum ſcientię nequaquam requirit vſum phantaſmatis. Alij illum ſolùm admittunt in primo conceptu, qui comitatur abſtractionem ſpecierum: Græci eum nõ recipiunt ad intellectionem immaterialium. Non deſunt, qui velint, talẽ vſum etiam pro ſtatu viæ ſolùm eſſe neceſſarium ſecundum legem ordinariam, & communem; & ſubinde nõ eſſe neceſſarium in cognitione ſublimi, & ecſtatica. Denique Scotus hunc vſum admittit nõ vt cõnaturalem, ſed vt datum in pœnam culpæ originalis. Apud omnes iſtos authores argumentum non habet vim; quia omnes negabunt maiorem, ſi ſimpliciter proferatur. 39. Ad 2. cõfir. 1 Solutio. *Conimbr.*

Reſpondetur ſecundo maiorem illam ſimpliciter eſſe verã, ſi ita intelligatur, vt intelligere cũ phantaſmate ſit nobis cõnaturale pro ſolo ſtatu huius vitæ; in hoc ſẽſu, vt ideo dicatur cõnaturalis, quia eſt cõſentaneus modo eſſendi, quẽ anima naturaliter ſibi vẽdicat; nimirũ eſſe alligatã corpori mortali, & illi eſſe ſubiectã in operando, inde enim prouenit neceſsitas ſpeculãdi phantaſmata, vt docet *D. Tho. 3. p. q. 11. art.* 2. & latiùs dicemus in tom. de beatitudine corporis, in quęſtione vtrũ beati poſt reſurrectionẽ phantaſmata neceſſario ſpeculẽtur. In hoc igitur ſenſu admittenda eſt maior, & eã admiſit *D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. & 3. p. q. 11. artic. 4. in fine. corporis*, & cõmuniter ab alijs; in hoc enĩ ſenſu conſentit cum peripatetica Ariſtotelis doctrina, vt oſtẽdimus lib. 6. loco cit. Ex maiore ita explicata ñ benè infertur, ñ poſſe hominẽ cõſequi beatitudinẽ viſio- 40. 2. Solutio. D. *Thom.*

nis diuinæ eſſētiæ,quia licet homini,&animę coniunctæ pro ſtatu viæ conaturale ſit intelligere per phantaſmata,homo tamen, & anima poteſt ab illo ſtatu ſeparari, & reponi in ſtatu, in quo conaturale ſit non dependere à phantaſmate:etenim anima poteſt à corpore naturaliter ſeparari, & quamuis ille ſeparationis ſtatus illi ſit præter naturam; tamen conaturale eſt illi, quandiù eſt in illo ſtatu ſeparationis,nō pendere à phantaſmate, vt ait *D.Thomas 1.2.vbi ſupra.* Homo etiam poteſt ſeparari à tali ſtatu,& de facto ſeparabitur in reſurrectione beatorū: in quibus anima erit quidē in corpore: non tamen mortali; ſed īmortali,in quo illi nō neceſſariò alligatur, vt dicemus in 3. to. Quare argumentum non habet firmam conſequentiam.

41. *Ad 7. rationem. D. Thom.* Ad ſeptimam rationem,admiſſa maiore; negāda eſt minor,& negatur à *D.Thoma 1.p.q.12.artic.1.ad 3.*licet enim nulla detur proportio in eſſendo inter intellectum creatum & Deū; datur tamen proportio in cognoſcendo: quia Deus in ſe ipſo, & in ſua quidditate, licet ſit infinitè cognoſcibilis, & comprehenſiuè: eſt etiā cognoſcibilis finito modo;& proinde poteſt dari proportio inter intellectum creatum,& Deum,vt finito modo eſt cognoſcibilis.

42. *Ad 8. rationem.* Octaua ratio petit difficultatem,an ad beatitudinem ſupernaturalem, claramq; Dei viſionem habeamus naturalem appetitum? quæ in vltima huius libri q. eſt diligentiſsimè explicanda: qui illū admittunt, admittent ſequelam, & negabunt minorem: qui verò illum negant,ſequelam non admittent: cuius probatio in eo deficit,quod ſumit omnem potentiam habere naturalem inclinationem ad ſuū obiectum: licet enim id verum ſit de obiecto naturaliter adæquato,quod appellant adæquatum intenſiuè; falſum tamen eſt de obiecto adæquato extēſiuè.Sed de his latiùs in dicta q. vlt.

43. *Ad poſtremā rationē.* Ad poſtremam rationem, reſpondet *D.Thom.1.p.q.12.art.1.ad 2.* maiorē eſſe veram de infinito ex parte materiæ: falſam verò de infinito,quod ſe tenet ex parte formæ ſecundū ſe illimitatæ,qualis eſt infinitas diuina: hoc enim infinitum ex ſe eſt ſummè cognoſcibile; quia non ſolū eſt cognoſcibile ſecundum ſe totum; ſed etiam totaliter. Et quamuis totaliter à ſe ſolo cognoſcatur; quia ex ſe habet intellectum infinitum,quo ſe comprehēdit, tamen non totaliter, ſed finito modo cognoſci poteſt ab intellectu creato. Facilius reſpondebimus, ſi explicetur reduplicatio poſita in maiore: ſi enim reduplicet infinitatem ſuæ cognoſcibilitatis; maior eſt vera;quia ſecūdum illam à nobis cognoſci non poteſt:quod tamen non impedit, quominus aliter cognoſci valeat:infinitū enim licet infinitè non valeat cognoſci à nobis; finitè tamen cognoſci valet. Quod verò ex Dionyſio adducitur, nobis non officit:quoniam Dionyſius in eo loco agit de intellectu hominis viatoris,qui Deum per fidem cognoſcit, vt ait *D.Thom.1.2.q.3.ar 8.ad 1.*fides autem in via cognoſcit Deum ſine euidentia: cui in Patria ſuccedet clara,& euidens viſio. *Alia reſponſio.*

ARTICVLVS II,

Vtrùm ſupernaturalem beatitudinē eſſe poſſibilem,ſemper fuerit vnanimus Patrum conſenſus?

§. 1.

Refertur opinio Bellomontani.

IN hac q. vnus eſt Vaſquez Bellomont. qui negat veritatem fidei, quam ſtatuimus,fuiſſe ab omnibus Eccleſiæ Patribus vnanimo conſenſu approbatam:quin potius affirmat,plures ex grauioribus eā negaſſe, vt patet *1.p.diſput.37.cap.2.& 3.* vbi ex Græcis refert Chryſoſtomū, Euthymium, Theophylactum, Theodoretum, Baſilium, Epiphanium, Cyrillum Alexandinum, & Ieroſolymitanum, & Gregorium Nyſſenum. Ex Latinis verò refert Hieronymum,Primaſiū, Ambroſium,& Iſidorū. Et quamuis omnes iſtos Patres ſtare putet pro hac negante ſententia;conſtanter tamen id docet de Chryſoſtomo; vnde cap.6.in principio affirmat, ſententiam Armenorū etiam fuiſſe Chryſoſtomi:quod iterum aſſeuerat *diſpu. 52. cap.4.& diſp.55.cap.1. & 2.* 44. *Opinio Bellomont.*

45. *Notatur Bellomontani audacia. Lorca. Ripa.* Petrus de Lorca *ad primam ſecundæ q. 5. diſput.27.poſt principium, & Raphael de Ripa 1.p.q.12.ar.1.dub.2.* mirari nō deſinunt, tùm inſignem hominis audaciam in Sanctorum Patrum pietate, & obſer-

uantia

uantia contemnenda; tùm etiam in excuſabilem imprudentiam in fauorē hæreticorum Sanctorum Patrum authoritatem contemnentium: nec ſane ſine fundamento illum, & audaciæ, & imprudentiæ accuſant; quid enim, aut audacius, aut imprudentius à verò Theologo non ignoti nominis noſtris his temporibus excogitari potuit pro fouendis hæreticis in Sanctis Patribus cōtemnendis; quam errorem non modo pernicioſiſsimum, ſed ineptiſsimum, tot, ac tantis Patribus impingere? Nam ſi hæretici, vt ſuæ inſeruiant, aut libidini, aut inſaniæ, quæ à Sanctiſsimis Patribus ſunt vbique pulchrè dicta, in prauos ſenſus extorquent; quid nō facient, ſi ad ſuarum meſsium peſsimum incrementum, ex Patrum horreis per fideles Theologos praua ſubminiſtrentur ſemina? præſertim cum Patres citati ſint inter primores primi; nec aliquis ex Græcis poſsit magni nominis afferri, quin pro errore iſto à Vaſquio Bellomontano numeretur. At quis credet, errorem contra notiſsimam fidem fuiſſe cōmunem apud ferè omnes Patres in Græca Eccleſia primates, quem Eccleſia non impietatis modo, ſed imperitię à primis principijs ſēper damnauit? potius igitur credendum eſt *Auguſtino Epiſt.* 11. *non longe à fine*: quo in loco teſtatur ſe Catholicam ſententiā eruiſſe ex libris, & latinorum, & Græcorū qui diuina eloquia tractauerunt. *Auguſt,*

§. 2.

Referuntur Patres, qui Catholicam ſententiam docuere.

3. SEd vt viri in reuoluendis, atque intelligendis vtriuſque Eccleſiæ Patribus hac de re loquentibus negligētia euidentius appareat; oſtendemus vnanimè fuiſſe omnium patrum conſenſum in docenda, & confirmanda ſupernaturalis beatitudinis, non ſolùm poſsibilitate, ſed etiā promiſsione his, qui mundo corde fuerint.

4. *D. Petrus apud Clemen.*

Diuus Petrus apud Clementem.

¶ Veritatem iſtam docuit D. Petrus cōtra Simonem Magum apud Clement. Papam lib. 3. recognitionum pag. 54. quem librum non ſuppoſititium partum, ſed verum D. Clem. ſuppono. Ita igitur ait: *Sed audi; Deus videtur mente, non corpore; ſpiritu, non carne: vnde Angeli, qui ſunt ſpiritus, vident Deum: & homines, donec homines ſunt, Deum videre non poſſunt; ex reſurrectione autem mortuorum, cum facti fuerint, ſicut Angeli, videre poterunt.* Viſio autem Dei ſimpliciter prolata veram Dei viſionem denotat, vt eſt in ſe ipſo.

Martialis Apoſtolus.

¶ Martialis Apoſtolus in Epiſtol. ad Toloſanos cap. 12. de qua in 1. tom. bibliothecæ Patrū, & in operibus Clemētis Papæ, ita ſcribit: *Multa millia poteſtatum; & Archangelorum in intima luce gloriæ Dei Creatoris ſui contemplari deſiderant: hæc autem nobis communia erunt.* Deſiderant, inquam; nō quod non contēplētur; ſed quia contemplatione non ſatiantur; iuxta illud Petri: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Quid autem eſt in intima luce glorię Creatoris Dei; niſi luce increata Dei? hæc enim ſola poteſt eſſe Deo intima: nā fulgor ille à luce increata deriuatꝰ, quē nōnulli cōmentātur (cū creatus ſit) nō poteſt eſſe Deo intimus. Habemus igitur locum expreſſum apud Martialem Apoſtolum. Sed clarius id explicat cap. 27, ita inquiens: *Cum qua gloria ſine fine perpetuā Dei viſionem contemplabimur: eſt enim viſio Dei qua ſola Angeli fruuntur, & omnes perfecti in dilectione eius, ad quam peruenire deſideramus.* Agit autem de viſione Dei increata: hæc enim eſt beatitudo obiectiua, quam contemplabimur, & qua Angeli fruūtur: etenim viſio creata, quæ & in Angelis, & in nobis eſt beatitudo formalis, nec eſt obiectum ſui, nec fruitionis, nec beatificæ dilectionis. 5. *Martialis Apoſtolus.*

Dionyſius Areopagita, & S. Ignatius.

6. *Dionyſ. Areopa.*

¶ Pro eadem veritate citatur à Bellomontano Dionyſius Areopagita in capit. 4. de Cœleſti Ierarchia: ſed in eo cap. pro hac ſententia nihil inuenio. Pro illa tamen optimè faciunt verba Sanctiſsimi Ignatij in Epiſtol. ad Romanos: volens enim pro Chriſto mori, rogat Romanos, ne Martyrium eius impediant, & ſcribit in hæc verba: *Sinite me puram lucem percipere.* Pura autem lux eſt ipſe Deus viſus in ſe ipſo. *Ignatius.*

Iuſtinus Martyr.

7. *Iuſt. Mar.*

¶ Iuſtinꝰ Mart. in colloquio cū Triphone Iudæo

Iudæo pagin. mihi 42. expreſſè diſſoluit hanc quæſtionē: reſpōdens enim ad quæſtionem, quomodo de Deo poſſunt rectè loqui Philoſophi, cum nullam, vel viſu, vel auditu compertam habeāt eius notitiam, ita ſcribit: *Non poteſt oculis mi Pater aſpici Deus, vt cætera animalia: ſed ſola mēte percipitur, vt ait Plato; cui ego aſſentio. Ineſt igitur menti noſtræ talis, tantaq; vis, vt ſit in percipiendo, quam ſenſus efficacior. Aut poterit mens humana Deum videre, ni ſit exornata Sancto Spiritu? Certè Plato ait, talem eſſe mentis oculum, & ad hoc nobis datum, vt eo clarè poſsimus ens illud cernere, quod eſt cauſa rerum omnium intelligibilium, carens calore, figura, quantitate, & cæteris, quæcunque videt vulgaris oculis. Ipſum inquam ens ſuperius omni eſſentia, nullo modo effabile, ſolumpulchrum, bonumque repente in benè natis animis exoriens propter cognationem, & videndi cupiditatem. At quæ nobis eſt cum Deo cognatio? eſt ne anima quoque diuina, & immortalis illius ipſius regiæ mentis particula? ita ne, vt illa mens Deum videat? noſtra quoque poteſt numen intelligere, & hinc felicitatem aſſequi? profecto poteſt, inquam.* Quibus verbis Iuſtinus quæſtionem diſſoluit, affirmans, poſſe mentem noſtram Deum videre; clara ſcilicet viſione, de qua in præcedentibus agebat, & videndo ſupernaturalem aſſequi felicitatem. Quod verò ait, animam noſtram eſſe Dei particulam, in bono ſenſu explicandum eſt, de quo fortè inferûs.

Irenæus.

9. *Irenæus.* ¶ Sed & Irenæus veritatem iſtam euidēter docuit: quamuis enim fortè dubitauerit; an iuſtorum animæ ante reſurrectionem videant Deum? (de quo agemus in q. 2.) indubitanter tamen affirmat, eā, & poſsibilem eſſe, & de facto Angelis, & hominibus eſſe communicatam: nam lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 31. in fine poſt quā egit de loco inuiſibili animarum vſque ad reſurrectionem, ita ſcribit: *Poſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, & ſic venient ad conſpectū Deo.* Clariùs lib, 4. cap. 37. ita ſcribit: *Præſignificabant enim Prophetæ, quoniā videbitur Deus ab hominibus; quemadmodū, & Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: ſed ſecundū magnitudinem quidē eius, & mirabilem gloriam nemo videbit Deū, & viuet: incapabilis enim Pater: ſecundū autē dilectionem, & humanitatem, & quod omnia poſsit, etiam hoc cōcedit his, qui ſe diligunt, id eſt videre Deum. Quod & prophetabant Prophetæ: quoniam, quæ impoſsibilia; poſsibilia apud Deum: homo enim à ſe non videt Deum; ille autem volens videtur ab hominibus à quibus vult, & quemadmodum vult: potens eſt enim in omnibus Deus; viſus quidem tūc per ſpiritum prophetiæ; viſus eſt autem & per filium: videbit autem, & in Regno Cœlorum Pater aliter: ſpiritu quidem præparantem hominem in filium Dei: filio autem adducente ad Patrem; Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ vnicuique euenit ex eo, quod videt Deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen ſunt, & claritatē eius recipiunt, ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt, percipientes, eius claritatem. Viuiſicat autem eos claritas. Percipiunt ergo vitam, qui vident Deum. Et propter hoc incapabilis viſibilem ſe, & comprehenſibilem, & capacem hominibus præſtat, vt viuificet percipientes: quemadmodum enim magnitudo eius inueſtigabilis eſt; ſic & benignitas eius inenarrabilis, per quam vitam præſtat iis, qui vident eum: quoniam viuere ſine vita impoſsibile eſt; Subſiſtentia vitæ autem ad participatione ēuenit: participatio autem Dei eſt videre Deum, & frui benignitate eius. Homines igitur videbunt Deum, & viuent per viſionē immortales facti, pertingētes vſque ad Deum.* Et his verbis Irenæi Primùm habemus, beatos ita videre Deū, vt intra Deum ſint; & eius claritatem percipiāt, increatā. ſ. quam Deus in ſe habet. Habemus etiam, Deum ſe ipſum videndum præbere, ita vt ipſe Deus à videntibus in ſe ipſo participetur. Tertio, quod ita vident Deum, vt pertingant vſque ad ipſum Deum. Non eſt igitur dubitandū Irenæum hanc veritatem docuiſſe.

Origenes.

¶ Origenes libro 1. Peri Archon capite primo. Poſtquam in toto capite oſtendit humanam mentem, quadiu intra carnis, & ſanguinis Clauſtra concluditur, ipſum Deum ſicuti eſt, non poſſe intueri: poſtquam etiam oſtendit naturam diuinam omnibus etiam Filio Dei, eſſe oculis corporis ſimpliciter inuiſibilem; tandem concludit Deum videri poſſe oculis mētis in hæc verba: *Hoc igitur modo, quamuis longè inferiùs, quam dignū eſt, vt pote pro infirmitate humanæ intelligentiæ naturā Dei intelli-* 10. *Origenes.*

intelligentes, &c. Quo in loco docet, viſionem quidem eſſe corporis; intelligentiam autem mentis. ¶ Libro 2. Periarch. cap. 12. ad finem, hanc veritatem clarius docet: agens enim de cognitione animæ in cœlo ita ait: *Et ita creſcens per ſingula rationalis natura, non ſicut in carne in hac vita creſcebat; ſed mente, & ſenſu aucta ad perfectam ſcientiam mens iam perfecta perducitur: nequaquam iam vltra iſtis carnalibus ſenſibus impedita, ſed intellectualibus incrementis aucta ſemper ad purum, & (vt ita dixerim) facie ad faciem rerum cauſas inſpiciens potitur perfectione, &c.* Inſpicere autem ad purum, & facie ad faciem nihil aliud eſt, quam inſpicere Deum immediatè in ſe ipſo: quodcunque enim mediũ tollit puram viſionem Dei; vt eſt in ſe.

¶ Idem docet homilia 21. in numeros poſt principium: *Beatiores illi, qui iam non per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum videbunt, ſapientiæ illuminatione radiati, & veræ diuinitatis capaces per puritatem cordis effecti, portionemque ſuam non in creatura, ſed in creatore habentes, & cæt.* Videbunt igitur facie ad faciem capaces veræ diuinitatis, & ipſius creatoris. Videndus eſt etiam idem Origenes homilia 3. in Cantica, pag. 343. C. quæ etiam habetur apud Hieronymum tom. 8. pag. 162. B.

Nouatianus.

¶ Nouatianus adhuc Catholicus in libro
10. *Nouatianus.* de Trinitate apud Tertullianum c. 261.
Concilians enim quandam apparentem Antinomiam ſacræ Scripturæ circa viſionem Dei, ita ſcribit: *Imago eſt enim inuiſibilis Dei, vt mediocritas, & fragilitas cõditionis humanæ Deum Patrem videre aliquando iam tunc aſſueſceret in imagine Dei, hoc eſt in filio Dei: gradatim enim, & per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad iſtam gloriam, vt Deum Patrem videre poſſet aliquando.* Et c. 28. ita ait: *Quandoquidem vnuſquiſque credens in filium exerceatur in imaginis contemplatione, vt aſſuefactus ad diuinitatem videndam in imagine proficere poſſit, & creſcere vſque ad Dei Patris omnipotentis contemplationẽ.* Et ſtatim. *Nam quoniam dicit beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt; polliceri depræbenditur contemplationem, & aſpectum Patris.*

Clemens Alexandrinus.

¶ Clemens Alexandrinus lib. 5. Stroma- 11. *Clem. Alexand.*
tum non longè à principio pag. 556. n. 10. ita ait: *Videmus, tanquam per ſpeculum; tunc autem facie ad faciem. paucis enim datum eſt ſpectaculũ veritatis.* Et ſtatim ſubiungit: *Eadem ſibi volunt, quæ dicũtur apud Moyſen. Nemo videbit faciem meam, & viuet: clarum eſt enim neminem vnquam vitæ tempore poſſe Deum videre, & comprehendere. Qui ſunt autem mundo corde, Deum videbunt, poſtquam ad extremam peruenerint perfectionem.*

Nazianzenus.

¶ Gregorius Nazianzenus in oratione 12.
in laudem Diui Baſilij in vltimis verbis *Nazianzenus.*
ita ipſum precatur: *Noſq; poſteaquam ex hac vita migrauerimus; illic tabernaculis tuis excipias; vt ſimul viuentes, & ſanctam, ac beatam Trinitatem, cuius nunc exiguam ſpeciem, & imaginem accepimus, purius, perfectiuſque conſpicientes, &c.* ¶ In oratione de dogmate, & ſtatu Epiſcoporum in fine ita ſcribit: *Pollicitationem habemus fore, vt aliquando tantùm cognoſcamus, quantum cogniti ſumus: ſi in hac vita fieri non poteſt, vt perfectam rerum cognitionem aſſequamur, id, quod reſtat bonora. Quid autem eſt, quod in ſpe poſitum habemus? regnum cœlorum proculdubio, inquies: at qui illud nihil aliud eſſe exiſtimo, quam eius, quod puriſſimum, & perfectiſſimum eſt adeptionem: perfectiſſima autem rerum omnium eſt cognitio: verum eam partim teneamus, ac poſſideamus; partim quandiù in terra verſamur, percipere ſtudeamus, vt hunc laboris, induſtriæ que noſtræ fructum, ac veluti fœnus habeamus; vt toto ſanctæ Trinitatis lumine colluſtremus, cognoſcamus, quæ, & qualis, & quanta ſit, ſi ita loqui fas eſt.* ¶ Item in oratione cum rure in vrbem redijt, alloquens ſanctiſsimã Trinitatem in vltimis verbis ita ait: *Partim quidem iam intellectu perceperis; partim inquireris; aliquando autem fortaſſe quantus es, percipiemus: nimirum ab ijs, qui per vitæ probitatem, & contemplationem te in hoc ſæculo præclarè quæſiuerunt.* Conſpiciemus inquit; perfecta cognitione adipiſcemur, coluſtrantes, & cognoſcentes quæ, qualis, & quanta ſit Sancta Trinitas.

Baſilius.

¶ Diuum Baſilium hanc fidem docuiſſe
facilè patet ex ijs, quæ ſcribit oratione 2. 13. *Baſilius.*
de maieſtate, & potentia Dei pag. 846.
B: poſtquam enim oſtendit Dei ſubſtan-

tiam in hac vita non poſſe comprehendi, id eſt in ſe ipſa perfectè, & quidditatiuè cognoſci, ita ait: *Nam facie ad faciem perfecta cognitio incomprehenſibilis maieſtatis Dei in futuro ſæculo dignis exhibenda, promiſſa eſt: nunc verò, ſiue Paulus quis ſit, ſiue Petrus, cernit quidem ea verè, quæ videt; per ſpeculum tamen, ac veluti in ænigmate cernit: & id quod ex parte eſt, aſſequitur, grato animo ſuſcipit: perfectam autem cognitionem in futurum cũ gaudio expectat: nam id, quod nunc cognitione perfectum eſſe videtur, breue quoddam, ac obſcurum eſt: ita vt magis abſit à claritudine, quæ erit in futuro ſæculo, quam abeſt à conſpectu faciei ad faciem.* Eadem fere verba ſcribit homilia de vera, & pura fide pag. 346. E: poſtquam enim docuit hic omnia cognoſci in ænigmate, ait: *Nam illud fatie ad faciem, & ab omni parte cummulata, & perfecta cognitio: ea in futuro ſæculo promiſſa idoneis, &c.* Repetens eadem verba, quę ſupra ſcripſimus. Docuit igitur Magnus Baſilius promiſſam nobis eſſe facialem cognitionem maieſtatis Dei: facialis autem cognitio eſt illa, quæ rem ipſam attingit, vt ipſa in ſe eſt. Imò dicit, cognitionem ænigmaticã, quam in vita de Deo habemus, magis diſtare â claritate, quam in patria de Deo habebimus; quàm diſtet à conſpectu faciali, quem habemus de rebus, quas oculis cernimus. Quare ſi is conſpectus rerũ terminatur ad res, vt ſunt in ſe ipſis; vtiq; perfectiori modo claritudo patriæ terminabitur ad Deum, vt eſt in ſe. Quomodò autem explicandus ſit locus ex lib. 1. aduerſus Eunomium, dicemus art. 3.

Gregorius Nyſſenus.

14. *Nyſſenus.* ¶ Idem cum ſuo fratre Baſilio docuit D. Gregorius Nyſſenus, vt colliges ex lib. de vita Moyſi pag. 151. in fine, & pagina 152. vbi petitionem, de qua Exodi 33. *Oſtende mihi faciem tuam*, ita explicat, vt Moyſes oret Deum, vt videat, non vt ipſe capere poteſt, ſed vt ſe habet, qui deſideratur; denique petit, vt ipſo præmittiuo frui poſſit; ita enim ſcribit: *Quo circa ſupremæ pulchritudinis amator, quod iam viderat, tanquam imaginem eius, quod non viderat, credens; ipſo frui præmittiuo, deſiderabat. Id ergo vult audax in monte illa petitio, ne per ſpecula, & imagines; ſed per veram, & prìopriam faciem frui pulchritudine poſſet.* Nec tamen Nyſſenus hanc petitionem, vt impoſsibilem reprehendit; quin potiùs docet, Deum annuiſſe ſe facturum, quod petebatur; attamen poſt mortem: ſi tamen hic poſteriora Dei videantur, Deũ ſcilicet ſequendo; quæ eſt eiuſdem Nyſſeni explicatio. Quomodô autem explicanda ſint, quæ ex eodem Nyſſeno in libro de beatitudinibus nobis obijciuntur; vide in ſequenti art.

Cyrillus Alexandrinus.

Eandem veritatem cum cæteris non obſcurè, explicauit Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem cap. 1: explicans enim promiſsionem manifeſtationis, de qua Ioannis 14. in illis verbis, *Manifeſtabo ei me ipſum*: ita ait: *Manifeſtiſsimè quidem tunc in nobis myſterium reuelabitur, quando ad ſimilitudinem eius nos viuos videbimus: tunc enim mens noſtra, non per ea, quæ audiuimus, & credimus ſolũ; verum etiã per exitum repromiſsionis, quam conſummate habebimus.* Et ſtatim: *delicias autem ſpiritualiter intelligimus cognitionem Dei perfectam, & exquiſitam myſteriorum Dei reuelationem, non in ſpeculo, & ænigmate, vt modo; ſed apertè, perfectè, & vt ita dicam, totaliter, euacuabitur enim, quod ex parte eſt, inquit Paulus.* Et paulò inferiùs: *Ijs verò, qui diuinitus diligunt, fulgentiſsima præmia, & fulgentiſsimam coronam pollicetur: manifeſtabo, inquit, me ipſum ei: mundis certè corde viſio Dei ſummum præmium eſt, in quibus Chriſtus per ſpiritum fulgebit ſingula illuminans, & infallibili ſplendore mentem eorum ad cognitionem erigens ſuam.* Quid eſt, quæſo; myſterium tunc manifeſtiſsimè reuelandum eſſe? quid eſt cognitio Dei perfecta? quid apertè perfectè, & totaliter Deum à nobis videri? quid eſt viſionem Dei futuram eſſe ſummum præmium beatorum? non video quibus verbis Cyrillus Catholicam veritatem apertiùs potuerit explicare. Quæ in contrarium obijciuntur, explicabuntur in ſequenti art. 15. *Cyrill. Alexand.*

Cyrillus Ieroſolymitanus.

¶ Cyrillus etiam Ieroſolymitanus adeô apertè eandem veritatem docet catecheſi 5. & 6. de monarchia Dei, vt non poſſim non admirari, quod in eodem loco contra catholicam veritatem obijciatur: ſed hoc latiùs in ſequenti art. 16. *Cyrill. Ieroſolymit.*

Chryſoſtomus.

¶ Quod Chryſoſtomus cum cæteris Pa 17. *Chryſoſt.*

tribus

tribus abſque dubio conſentiat, ex ſequẽtibus facilè patebit: nam homilia 3. ad Philippenſes in princi. exhortationis moralis, ita ait: *Peccatores vbicunque fuerint, procul à rege ſunt, atque digni, qui defleantur: iuſti autem ſiue hic, ſiue in futuro ſæculo fuerint, cum rege ſunt: illic tamen magis, ac proprius, non per acceſſum, ac fidem, ſed facie ad faciem.* Eadem verba repetit homilia 69. ad populum Antiochenum tom. 5. quæ verba expreſſè denotant claram, & immediatam diuinæ eſſentiæ viſionem; nec enim alio ſenſu Chryſoſtomus ea explicauit, vt videbimus. Homilia etiam 10. in 2. ad Corin. ad fin moralis exhortationis, ita habet: *Nam ſi cogitatio futurorum, quãuis obſcura ſit, tantam ſuppeditet voluptatẽ; cogita, quantam lætitiam allatura ſit manifeſta ipſa comprehenſio?* Et ne recurras ad comprehenſionem diuinæ eſſentiæ non in ſe ipſa, ſed in luce ab ea deriuata, quam plerique Chryſoſtomo tribuunt; audi, quid ſcribat homilia 81. in Ioannem ad illa verba, *vt videant claritatem meam* tomo 3. pag. 386. D. *Sed cur non dicit, vt participent; ſed vt videant claritatem meam? hic oſtendit, quod omnis ea requies eſt ſpectare filium Dei: hoc claros eſſe facit: quod & Paulus inquit reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes.* Quid clarius? omnis beatitudo, inquit, erit ſpectare Filium Dei. Et ne dicas eum agere de viſione humanitatis Chriſti, vel diuinitatis, nõ in ſe, ſed in claritate participatã, audi, quid ſtatim ſubiũgat, poſt adductam ſimilitudinem viſionis radiorum Solis: *Simul etiam nobis oſtẽdit, quod non hoc videtur, ſed admirãda quædam ſubſtantia.* Cedo; quid eſt *non hoc videtur*? vtique non videntur aliqui radij, ſicut contingit in viſione Solis, cuius immediatè fecerat mentionem, *ſed admiranda quædam ſubſtantia*: non quidem humanitatis, ſed diuinitatis: etenim illa verba: *Claritatem, quam dediſti mihi*, immediatè explicauit de claritate data per diuinam generationem, quæ eſt claritas increata. Beatitudo igitur, & requies noſtra apud Chryſoſtomum immediatè poſita erit in clara, & immediata viſione huius increatæ claritatis. Non eſt igitur dubiũ, quin D. Chryſoſtomus cum cæteris Patribus conſentiat in hac Catholica doctrina. Quæ in contrarium adducuntur, diligenter explicabuntur art. 4.

Epiphanius, Theodoretus, Euthymius, & Theophylactus.

De Epiphanio, Theodoreto, & Theophylacto, dicemus in ſequẽti articulo: de Euthymio videnda ſunt verba, quæ ſcribit in cap. 17. Ioannis ad illa verba: *Quia dilexiſti me ante mundum conditũ*: ita enim ibi ſcribit: *Non dixit, vt ſint participes gloriæ meæ, ſed vt videant, illud nanque ſupra illorum facultatem erat; hoc verò totã illorũ fruitio eſt: quod etiam dicit Paulus: detecta facie gloriam Dei contemplantes: ſiquidem maxima eſt gloria eius videre gloriam.* Quæ verba ſoli proteruo non erunt aperta, ſi aduertatur, Euthymium agere de gloria diuinitatis, quam ſecundum naturam participare non poſſumus, ſed ſecũdũm gratiam viſionis; quæ ad eam detectam terminatur: quid, quæſo, eſt, detecta facie? niſi in ſe ipſa? ſed de Euthymio in ſequẽti art. 18. *Epiphan. Theodor. Euthym.*

D. *Hieronymus.*

Ad cõſenſum Patrum Latinorum accedamus: & quia Bellom. dubitat de D. Hieronymo, de illo dubitandum nõ eſſe teſtis eſt Auguſtinus epiſt. 111. de videndo Deo: citatis enim quibuſdam verbis D. Hieronymi ait: *In his verbis hominis Dei multa conſideranda ſunt: primum; quia ſecundum apertiſsimam Dei ſententiam etiã ipſe ſentit, tunc nos viſuros faciem Dei, &c.* Apud Auguſtinum verò idem eſt videre faciem Dei, quod videre Dei eſſentiam. Hoc Auguſtini de D. Hieronymo teſtimonium multis eiuſdem Hieronymi authoritatibus cõfirmatur. Nam ad illa verba Iſaiæ c. 1: *Audite verbum Domini principes Sodomorum*, ita ſcribit: *Angeli etiam minimorum in Eccleſia ſemper vident faciẽ Dei: & nunc in ſpeculo, & in ænigmate, tũc autem facie ad faciem, quando de hominibus profecerimus, & poterimus dicere Apoſtolo: Nos omnes reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes in eandem imaginem transformamur.* Deinde ad illa verba Iſaiæ 6: *Et ea, quæ ſub ipſo erant*; poſtquam ſibi obiecit duos Scripturæ locos ſecundum apparẽtiam repugnantes, ita ſcribit: *Ad quod reſpondebimus, quod non ſolùm patris diuinitatem, ſed nec Filij, & Spiritus ſancti, quia vna in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis aſpicere, ſed oculos mentis; de quibus ipſe Saluator ait, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quid euidentiùs dici potuit? 19. *D. Hieronymus*

potuit? dicit Auguſtinus vbi ſupra. Libro etiam 17. in Iſaiam ad illa verba, *A ſæculo non eſt auditũ* capitis 64. ita habet: *Et quomodo ſcriptũ eſt; Deũ nemo vidit vnquã? & iterũ; Nemo videt faciem meã & viuet? ergo Deus nequaquam ſermonibus explicatur: nec oculis cõtẽplabilis eſt; ſed ab his videtur, de quibus dictum eſt, Beati mundo corde, quoniã ipſi Deum videbunt.* In Epiſtola 142. ad Damaſum tom. 3. pag. 402. ita ait: *Vtinam & ego compungar, & poſt compunctionem Dei viſione dignus efficiar.* Videndus eſt in Epiſtola ad Heliodorum de epitaphio Nepotiani c. 5. ad Euſtochium de epitaphio Paulæ c. 11. 13. & 14. & in epiſtol. 61. ad Pamachium c. 3. & epiſtol. 24. ad Marcellam. Denique Pſalm. 51. (ſi tamẽ liber eſt illius) illa verba: *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*, ita explicat: id eſt, *ante conſpectum diuinitatis; & tunc videbimus eum, ſicuti eſt.* Quare non eſt dubitandum ſanctiſsimum Hieronymum pro Catholica veritate docuiſſe. Quæ in contrarium obijciuntur, plana fient in articulo ſequente.

20. D. Ambr.

D. Ambroſius.

¶ D. Ambroſium pro catholica veritate docuiſſe, teſtis eſt Aug. in d. epiſt. 111. pag. 197. ita inquiens: *Magni quidem viri, & in ſcripturis ſanctis doctiſsimi, qui plurimum Eccleſiam, & bona ſtudia fidelium ſuis literis adiuuarunt, vbi eis occaſio data eſt, dixerunt inuiſibilem Deum inuiſibiliter videri, hoc eſt per eam naturam, quæ in nobis quidem inuiſibilis eſt, munda, ſcilicet mente, & corde.* Et ſtatim pro hac veritate citat D. Ambroſium. Cui credemus; Bellomontanonè; an Auguſtino? ſed teſtimonia S. Ambroſij proferamus. In proœmio Euangelij ſecundum Lucam pagina 1622. C. ita ait: *Non enim corporalibus, ſed ſpiritualibus oculis Deus videtur: ſecundum diuinitatem inquam; hic per fidem, in patria per ſpeciem.* Clariùs in cap. 1. Lucæ, dum agit de apparitione Angeli: *in ipſa quoque reſurrectione non facilè eſt Deum videre, niſi ijs, qui corde ſunt mundo.* Quæ verba intelligi debent de viſione diuinitatis. Humanitatẽ enim Chriſti D. videbũt omnes etiam mali. Cum igitur in illis verbis affirmet, Deum videri ab ijs, qui mundo ſunt corde; vtique concedit oculis mentis videri, non ſolùm per fidem in via; ſed ſicuti eſt in patria: hunc enim ſenſum habent verba, quæ agens de Chriſto paulò ante finem ſubiungit: *Qui nos in omnẽ plenitudinem Dei miſericordia ſua implere dignetur, vt videri poſsit à nobis*, nimirum in patria.

21. Eandem ſententiam haud obſcurè expreſsit Pſalm. 118. ad illa verba: *Deprecabor vultum tuum*: vbi nititur Moyſen à reprehenſione liberare, quòd corporalẽ diuinę viſionis intuitum à Deo poſtulaſſet. Et inter alias cauſas, ob quas Moyſi putat eſſe indulgendum; hanc affert: quia nimirum nouerat in ipſo homine aliam poſt mortem futuram gloriam, aliam claritatem. Deinde ita ſcribit: *Qui ergo hæc ſcire poterat, meritò præſumebat, vt vultum Dei videre cuperet, morte viſurus.* Quid clarius dici potuit? nam per vultum Dei intelligit Dei eſſentiam in ſe ipſa: hãc enim Moyſes ex ſentẽtia Ambroſij oculo corporeo non ſine præſumptione videre põſtulauit. Et quoniam hanc, vt ait Ambroſius, poſt mortem viſurus erat, tunc oculis corporis videre deſiderauit. Addit Ambroſius: *Talem certè etiam formam reciperet, talem Dominus iam probabat, vt nõ diſtaret ab Angelis cœleſtis miniſter, & executor oraculi; & ideò cum ſciret, quia Angeli puſillorum quotidie viderent faciem Patris, qui in cœlis eſt; putauit, quod iam eam videre deberet, tanquam oblitus corporis, & carne depoſita.* Ecce affirmat Ambroſius claram eſſentiæ viſionem non ſolùm eſſe poſsibilem poſt mortem; ſed Angelis iam eſſe conceſſam. Et adducta quadam ſimilitudine de ijs, qui regem prætereuntem videre cupiunt, ad finem illius commentarij ita ſcribit: *Cum fueris Angelus* (hoc eſt, cum habueris cor mundum, vt antea explicauerat) *videbis faciem Domini: magnum eſt videre Dei vultum: ipſe Dominus Ieſus ait: Beati mundo corde; ipſi enim Deũ videbunt. Aduertis, quid à te exigat, vt videas Deum? emunda igitur cor tuum; talibus ſe Dominus, cũ inuolucrum corporis depoſuerint, demonſtrare dignatur.* Addo verba eiuſdem lib. 1. de bono mortis c. 11. *Tunc reuelata facie gloriam Dei ſpeculari licebit, quam nunc animæ corporis huius vinculis inuolutæ, ſyncerè videre non poſſunt.* Non eſt igitur, quod Bellomont. putet, ſanctiſsimum Ambroſium Catholicę veritati aduerſari; cum illius ſententiam pro illa habeamus expreſſam, & Auguſtini teſtimonium.

monium. Quæ obijciuntur, in ſequenti art. ſoluentur.

S. Iſidorus.

22. *S. Iſidor.* ¶ Sed & beatus Iſidorus (quidquid velit Bellomontanus) catholicam veritatẽ verbis haud obſcuris expreſsit lib. 1. ſentẽt. cap. 29. ſentent. 4. ſic inquiens: *Nũc Deus per ſpeculum agnoſcitur; in futuro autẽ quiſq; electorum facie ad faciem præſentabitur, vt ipſam ſpeciem contempletur, quam nunc per ſpeculum videre conatur.* Species autem diuina eſt diuina forma, atque ſubſtantia. De Angelis id ipſum docet c. 12. ſenten. 17. vbi expreſſè fatetur, *quod in Verbo omnia cognoſcent.* Et ſent. 22. teſtatur ſe veraciter credere, *Angelos Deum videre, & faciem Patris.* Non eſt igitur nobis contrarius Iſidorus. Quæ in contrarium obijcit Bellom. facilem habent explicationem, vt in ſequenti art. oſtendemus.

Innumeri alij Patres Latini.

23. *Plures Patres Latini. Auguſt.* ¶ Specialiter egimus de D. Hieronymo, Ambroſio, & Iſidoro; quia de illis Bellomontanus dubitauit: cæterorũ enim ſunt innumeri, qui catholicam veritatem docuerunt. Auguſtinus apertè teſtatur de hac veritate nullum Chriſtianorum poſſe dubitare: longum eſſet verba referre; attingemus loca, vt diligens lector ea perlegat: *id docet epiſt. 61. 111. & 112. vbi videndus eſt cap. 5. 15. & 19. lib. 1. de Trinit. c. 13. lib. 10. de Ciuit. Dei c. 16. lib. 20. cap. 21. lib. 22. c. 29. lib. 12. ſupra Geneſim ad literam c. 34: in Pſalmo 48. ad illa verba: Inclinabo in parabolas os meum: in libr. contra Adimantum c. 9. tom. 6. lib. 3. contra Maximinum c. 9. tract. 4. in Epiſtolam Ioannis 1. retractationum c. 14.* *Hilarius.* *D. Hilarius in Matthæum can. 4. & Pſalm. 115. ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuam, pag. 573:* *Cyprian.* *Cyprianus in lib. de Exhortatione martyrij cap. vlt. & epiſt. 56. quæ habetur lib. 4. epiſt. 6. ante finem:* *Proſper.* *Proſper Aquitanus Auguſtini diſcipulus lib. 1. de vita contemplatiua c. 1. 4. 6. & 7.* *Leo Papa.* *Leo Papa in ſermone omnium Sanctorum c. 7. explicans illa verba, Beati mundo corde:* *Gregor.* *Gregor. Papa latè hanc veritatem confirmat aduerſus quoſdam, qui eam negabant, 18. Moral. c. 38. 39. & 40. & homil. 2. in Ezechielem parum ante finem:* *Beda.* *Beda lib. 1. in Prouerbia ad illa verba capitis 3. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & libr. 3. in Marcum c. 9. ad illa verba: Reſpondens Petrus, & in c. 1. Ioannis ad illa verba: Deum nemo vidit vnquam, & ad caput 5. ad illa alia: Dedit eis poteſtatem, & c. 17. ad illa: Vt videant claritatem meam, & 1. Ioannis 4. ad illa: Deum nemo vidit vnquam, & 1. Corinth. 13 ad illa: Videmus nunc per ſpeculum. & 1. Timoth. 1. ad illa: Regi ſæculorum. Denique in ſermone de Transfiguratione c. 7. pag. 328. ad illa verba: Domine, bonũ eſt nos hic eſſe.* *Anſelm.* *D. Anſelmus in ſuo Elucidario pag. 269. col. 1. A. & in lib. de ſimilitudinibus c. 59.* *Bernard.* *D. Bernardus ſæpe ſæpiùs ſermone 28. in Cantica pag. 144. D. & ſermone 33. in Cantica per totum, & ſermone de conuerſione ad Clericos cap. 25. ſermone 1. & 4. omnium Sanctorum, denique ſermone 5. de dedicatione Eccleſiæ.* *Hugo de S. Vict.* *Hugo de ſancto Victore lib. 4. de Anima c. 15.* *Iſidorus.* *Iſidorus lib. 1. ſententiarum cap. 29. n. 4.* *Damian.* *Petrus Damianus in epiſtola ad Blancam c. 15. tom. 3. Bibliothecæ Patrum pag. 690.* *Phœbus.* *Phœbus Epiſcopus in lib. contra Arianos tom. 4. pag. 286 A.* *Dydimus.* *Latè Didymus Alexandrinus in 1. Ioannis 4. tom. 9. pag. 544. D.* *Iulianus.* *Iulianus Archiepiſcopus lib. 2 prognoſt. c. 2. & 36.* *Vrban. Papa.* *Vrbanus Papa in ſua Metaphraſi in Pſalm. 50. 1. tom. pagina 270.* *Anaſtaſi⁹ Synaita.* *Anaſtaſius Synaita lib. 2. Anagogico contemplationum 1. tom. pag. 195. & lib. 7. pag. 270.* *Anaſtaſ. Nyſſenus.* *D. Anaſtaſius Nyſſenus q. 19. in ſacram Scripturam tom. 1. pag. 62:* *Iuſtinian.* *Laurent. Iuſtinianus in lib. de Caſto connubio Dei, & animæ c. 5. ad finem. & latè in tract. de diſciplina, & perfectione monaſticæ conuerſationis cap. 24.*

24. *Auguſt.* Tempus me deficeret, ſi omnium Patrum teſtimonia referre vellem: ſatis nobis ſit teſtimonium Auguſtini in d. epiſt. 111. dûm ait: *Magnos viros, & in ſcripturis ſanctis doctiſsimos, qui plurimum Eccleſiam, & bona ſtudia fidelium ſuis literis adiuuerũt, vbi eis occaſio data eſt, dixiſſe inuiſibilem Deum inuiſibiliter videri, id eſt per eam naturam, quæ in nobis quoque inuiſibilis eſt, mũda ſcilicet mente, & corde.* Denique vſque ad Auguſtinum tàm Græcos, quàm Latinos ita docuiſſe, idem Auguſt. teſtatur in eadem epiſtola ante finem ita ſcribens: *Hæc omnia de literis eorum, & Latinorum, & Græcorum, qui priores nobis in Catholica Eccleſia viuẽtes diuina eloquia tractauerũt, ideò commemorandà arbitratus ſum, &c.*

25. *D. Thom. Bellarm.* Conſentiunt omnes Theologi in 4. d. 49. & cum D. Thoma 1. p. q. 12. artic. 1. & 1. 2. q. 5. art. 1. & 3. contra gentes cap. 54. de veritate q. 8. art. 1. & quodlib. 7. artic. 1. &

quod-

quodlib. 10. art. 17. Ex nouioribus Bellarm. lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 4. in fine tom. 1. Ferdinandus Velloſillus in ſuis aduertentijs ad 1. tom. Chryſoſtomi, quæſito 5. & ad 2. tom. Auguſtini quæſito 7. Caſtro aduerſus hæreſes, verbo Beatitudo, hæreſi 1. Abulenſis in cap. 1. Matthæi q. 40. vt alios omittam.

Caſtro. Abulenſ.

ARTICVLVS III,

Vtrùm iſte ſemper fuerit vnanimis Patrum Latinorum, & Græcorum conſenſus? an aliqui, aut oppoſitum docuerint, aut dubitauerint?

1. Opinio Bellomontani.

NEgat Vaſquez Bellomontanus, hunc fuiſſe concordem omnium Patrum conſenſum; ſed plures eorum hanc veritatem negaſſe, vt patet 1. p. diſp. 37. c. 2. & 3. Sed illius audaciam iam in principio articuli præcedentis reprehendimus. Quare inter vtriuſque Eccleſiæ Patres, hanc fuiſſe concordem omnium doctrinam abſque vlla trepidatione aſſeueramus. Quæ ſententia ſatis eſt de mente *D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 1. ad 1. & de Veritate q. 8. art. 1. ad 2. 3. & 4. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. ad 1. vbi Durand. q. 2. ad 4. Velloſillus in aduertentijs ad 1. tom. Chryſoſtomi quæſito 5. & ad 2. tom. Auguſtini quæſito 7. Bellarmini de Sanctorum beatitud. c. 4 ante finem, §. Ad illam confirmationem, & ſatis Leo Caſtro ad c. 6. Iſaiæ ad illa verba, Seraphim ſtabant: ſcribentes ad 1. p. q. 12. art. 1. vbi Ripa, & 1. 2. q. 5. artic. 1. vbi Lorca diſp. 27. & plerique alij. Quanuis Xiſtus Senenſis lib. 6. ſuæ Bibliothecæ annot. 182. de nonnullis dubitet: & de Theodoreto dubitat Lorca*: ſed nos putamus, nullum ex Patribus tàm Græcis, quâm Latinis oppoſitam ſententiam ſcripſiſſe. Quæ veritas ex eo euidẽtius apparebit, ſi Patres, quos Bellom. obijcit, piè expendamus, & explicemus. De ſanctiſsimo Chryſoſtomo in ſequenti artic. ſpecialiùs agemus, quem Bellom. putat abſque dubio cum Armenis ſenſiſſe.

D. Thom. Durand. Velloſill. Bellarm. Leo Caſtr. Ripa. Lorca. Senenſis. Auctoris opinio.

§. 1.

D. Hieronymus nunquam contradixit.

2. Loci ex D. Hierony.

EX Patribus Latinis obijcit nobis Bellomõt. D. Hieronymum ad c. 1. Iſaiæ ad illa verba: *Audite verbũ Domini principes Sodomorum*; quo in loco ita ſcribit: *licet faciem Dei iuxta naturæ ſuæ proprietatem nulla viderit creatura: & tunc mente cernatur, quando inuiſibilis creditur:* Vbi illa verba, *iuxta naturæ ſuæ proprietatem* idem ſignificãt, quod *ſecundum ſe ipſam*. Ergo ex ſententia Hieronymi diuina eſſentia non videtur in ſe ipſa. 1. locus.

Poſſet etiam citare verba eiuſdem ad cap. 6. Iſaiæ, ad illá verba: *Et ea, quæ ſub ipſo erant, in fine*: ita enim concludit. *Ergo Dei natura non cernitur, ſed videtur ab hominibus, vt voluerint.* 3. Secundus.

Faciunt, quæ habentur tom. 9. epiſt. 15. pag. 67. in principio: *Inuiſibilis* (inquit) *eſt, quia in eſſentia ſua videri non poteſt, Apoſtolo teſtante, qui ait: Quem vidit nullus hominum, ſed nec videre poteſt*: & in Euangelio; *Deum nemo vidit vnquam.* 4. Tertius.

Efficaciora ſunt verba, quæ ex Diuo Hieronymo refert Auguſtin᷑ epiſt. 111. tom. 2. pag. 199. col. 2. C. *videre autem Deum, ſicuti eſt in natura ſua, oculus hominis non poteſt: non ſolùm homo, nec Angeli, nec Throni, nec Poteſtates, nec Dominationes, nec omne nomen, quod nominatur: nec enim creatura poteſt aſpicere creatorem ſuũ.* Quibus verbis (vt ait Auguſtinus) ſatis oſtendit Hieronymus, quid etiam de futuro ſæculo ſenſerit, quod ad hanc rem attinet. 5. Quartus.

¶ Sed admiror, quomodò ex his locis aliquis audeat colligere S. Hieronymum viſionem diuinæ eſſentiæ in ſe ipſa, vt impoſsibilem docuiſſe: cum ex illis oppoſitum potiùs euidenter colligatur. Etenim in primo loco, teſte Auguſtino, Sanctus Doctor non ſolùm docuit, Angelos etiã minimorum fidelium Deum ſemper videre; ſed nos eum clarè viſuros fore, cum in Angelos profecerimus. Quare verba primo loco adducta pluribus modis ſatis accõmodatè explicantur. Et primo quidem modo ab Auguſtino *vbi ſupra pag. 198. col. 1. B.* vt illa intelligantur quidem de viſione diuinæ eſſentiæ, non intellectuali, ſed corporali; vt ſit ſenſus, diuinam eſſentiam ſecundum naturæ ſuæ proprietatem à nulla creatura videri poſſe; benè tamen oculis mentis: hunc enim ſenſum ipſe Hieronymus expreſsit lib. 3. in Iſaiã ad illa verba capitis 6. *Et ea, quæ ſub ipſo erant*, ita inquiens: *Ad quod reſpondebimus non ſolùm Patris diuinitatẽ, ſed ne Filij quidem,* 6. Hieronym. non eſt contra in his locis. Ad 1. locũ. 1. explicat. ex Auguſt.

dem, & Spiritus Sancti, quia vna in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis aſpicere, ſed oculos mentis, de quibus Saluator ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quare, cum in primo loco ait: *Faciem Dei iuxta ſuæ naturæ proprietatem, nulla viderit creatura*; in eodem ſenſu ſatis accommodatè ad ſuam mentem explicari poterit de viſione corporali, quæ fit per oculos carnis. Cui explicationi nihil oberunt verba, quæ immediatè ſequuntur. *Et tunc mente cernitur, cum inuiſibilis creditur*: nec enim ſenſus eſt, quod non aliter mente Deus cerni valeat, quàm cum per fidem inuiſibilis creditur: oppoſitum enim colliges ex verbis ex eodem loco ſuprà allatis. Senſus ergo eſt; quanuis nulla creatura ſecundum oculos carnis, aut viderit, aut videre poſsit, faciem Dei ſecũdum naturæ ſuæ proprietatem, tamen à nobis in via tunc mente cernitur, cûm per fidem inuiſibilis creditur: cui ænigmaticæ viſioni per fidem poſt mortem ſuccedet viſio facie ad faciem. Hæc igitur ſit prima Hieronymi explicatio, ideò non contemnenda, qui a Auguſtino placuit, & conſentit cum ſententia Hieronymi alio in loco explicata. Quarè im-
7. Bellarm. meritò reijcitur à Bellarmino lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 4. ad finem, §. *Ad illam confirmationem.* Nec verum eſt, Hieronymum docuiſſe Angelos non habere corpora, vt ſtatim dicemus: vnde nomine creaturæ potuit intelligere creaturam corpoream. Nec etiam verum eſt, Hieronymum in illo loco, aut alibi docuiſſe, Deum nec hominibus, nec Angelis eſſe viſibilem; ſed ſoli ipſi Deo: & ita ceſſant argumenta Bellarmini, quod attinet ad Diuum Hieronymum: an verò Chryſoſtomo, & Theodoreto accommodari poſsit explicatio Auguſtini? inferiùs dicemus.

8. Secunda explicatio. Secunda explicatio, & literæ, & ſenſui ſatis accommodata erit, vt illa verba, *iuxta naturæ ſuæ proprietatem* referenda ſint: & coniungenda, non cùm facie, & natura Dei, ſed cum creatura; vt ſit ſenſus, licet faciem Dei nulla viderit creatura, iuxta naturæ ſuæ proprietatem; in quo ſenſu nulla creatura vidit faciem Dei aut videre poteſt, quia nulla creatura, etiam angelica poteſt Deum videre viribus ſuæ naturæ, vt libro 6. late oſtendimus. Quem ſenſum inueni apud Lorcam in dicta diſput. 27. dum explicat S. Hieronymum. Et profectò hæc explicatio ſatis accommodatur antecedentibus: immediatè enim docuerat, hominem Dei faciem videre non poſſe; eum tamen viſurum eſſe, cum per gratiam in Angelum transformatus fuerit, vt reuelata facie gloriam Dei ſpeculetur. Quibus explicatis, adiungit, præcitata verba, vt propoſitionem primò à ſe poſitam explicet; hominem ſcilicet Deum videre non poſſe: quaſi dicat, ſed quanuis & Angeli, & homines per gratiam poſsint Deum clarè videre: tamen iuxta naturæ ſuæ proprietatem eum nulla creatura videre poteſt; ſed ſolùm poteſt mente eum cernere, dum cognoſcit eum à ſe naturaliter eſſe inuiſibilem.

Tertia ſit explicatio, vt verba illa *iuxta ſuæ naturæ proprietatem*, intelligantur 9. 3. explicatio.
de proprietate faciei diuinæ, quam nullus intellectus creatus, quantuncunque eleuatus poteſt videre viſione comprehẽſiua. Senſus igitur eſt, *faciem Dei*, id eſt diuinam eſſentiam, *iuxta naturæ ſuæ proprietatem*, qua adæquatè eſt intelligibilis, nulla creatura videre poteſt. Iuxta quem ſenſum facilis eſt ſenſus ſequentiũ verborum: ſignificat enim Hieronymus diuinam eſſentiam iuxta naturæ ſuæ intelligibilitatem videri non poſſe ab aliqua creatura, niſi modo quodam imperfecto; quatenus creditur, & exiſtimatur incomprehenſibilis: & ita illa verba faciem Dei videri, iuxta naturæ ſuæ proprietatem, non idem erunt, atque videri ſecundum ſuam ſubſtantiam.

Quæ ſecundo loco obijciuntur, ex præcedentibus habent explicationẽ: dixerat 10. Ad 2. locũ.
enim diuinitatem oculis carnis videri nõ poſſe; ſed oculis mentis; Deumq; viſum à Prophetis oculis carneis, nõ fuiſſe viſum in ſua ſubſtantia, ſed in creatura aſſumpta. Et ex his immediatè infert verba, quę nobis obijciuntur: quæ cum ex præcedentibus inferantur, vt ſatis declarat illa particula *ergo* intelligenda ſunt de viſione ſecundum oculos carnis.

Ad verba tertio loco obiecta, primùm 11. Ad 3. locũ.
dici poſſet, illam epiſtolam non eſſe Diui Hieronymi. Deinde in ea coaceruari attributa Dei, quæ in ſacris literis inueniuntur; & ſubindè ſententias ibidem al-

latas in ſenſu ſacræ Scripturæ eſſe intelligendas. Quomodò autem verba Ioannis, & Pauli intelligenda ſint, explicabimus art.6.

12. Ad vltimũ. Ad ea, quæ vltimo loco ex Hieronymo refert Auguſtinus, facilis eſt ſolutio, ſi aduertamus, D.Hieronymum cum cõmuniori antiquorum Patrum ſententia exiſtimaſſe Angelos eſſe corporeos, vt patet ex ijs, quæ ſcribit ad illa verba Iob. 25. *Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius.* Ex quo loco id ex Diuo Hieronymo deduxit Auitus Galliæ Epiſcopus anno D. 430. quem refert, & probat Velloſillus in aduertentijs ad D.Hieronymum tom. 7.quæſito 2. quidquid Bellarminus contradicat. Igitur Diuus Hieronymus in illis verbis agit de oculis corporis, ſiue hominum, ſiue Angelorum, tàm in hoc ſæculo, quâm in alio: ab his enim (ſi in Angelis admitterentur) Deus in ſua natura, ſicuti eſt, videri non poteſt. Vnde, quia nec à noſtris oculis in hoc ſæculo, nec in altero, etiam transmutatis in oculos corporeos Angelorum, Deus in ſe ipſo videri poteſt, ideò abſolutè negat Hieronymus Deum ab oculis hominũ, & Angelorum videri poſſe. Et in hoc ſenſu verba Hieronymi explicat Auguſtinus in d.epiſt.111.nam & ipſe in Angelis admiſit corpus, quanuis poſtea ſententiam retractauerit.

§. 2.

Ambroſium nobis non eſſe contrarium.

13. Nec Ambr. cõtradicit. 1. locus. BEllomontan. ex Latinis objicit nobis D.Ambroſium in c.1. Lucæ de apparitione Angeli: vbi poſt alia ita ſcribit: *Deum nemo vidit vnquam; quia eã, quæ in Deo habitat, plenitudinem diuinitatis nemo conſpexit: nemo mente, aut oculis comprehendit. Vidit ergo ad vtrumque referendum eſt.* Quæ verba retulit Auguſtin' epiſt.112.cap.6.

14. 2.locus. Poſſet objicere Ambroſium lib. 1. de Spiritu ſancto cap.4.vbi ita habet: *Habes & Paracletum ſpiritum, eundem & ſpiritũ veritatis, & ſpiritum inuiſsibilem deſignatum. Quomodò igitur ſecundum diuinitatem quidam Filium viſibilem putant? cum & ſpiritum mundus videre non poſsit?*

15. 3.locus. Tertiò accedant verba eiuſdem relata ab Auguſtino epiſt. 111. pag. 197. B.2: poſtquàm enim de Spiritu ſancto interpoſuit illa verbã Ioannis 14: *Spiritum veritatis, quem mundus, &c.* ita ait: *Meritò ergò ſe in corpore demonſtrauit, quoniam diuinitatis ſubſtantia non videtur: vidimus ſpiritum; ſed in ſpecie corporali: videamus & Patrem; ſed quia videre non poſſumus, audiamus.* Et paulò poſt: *Audiamus ergo Patrem; inuiſibilis enim Pater: ſed & Filius inuiſibilis ſecundum diuinitatẽ: Deum enim nemo vidit vnquam. Cum ergo Filius ſit Deus; in eo vtique quòd Deus eſt, Filius non videtur.* Hæc ex Ambroſio refert Auguſtinus; locum tamen inuenire non potui.

16. 4.locus. Faciunt quarto loco, quæ ſcribit in lib. de Filij diuinitate, & conſubſtantialitate contra Arianos cap. 8. vbi in principio, *Deum Patrem appellat inuiſibilem.* Et poſt quàm in medio capitis docuit Filium Dei non fuiſſe viſum, vt Deus erat, ſed in aſſumpta carne, ita ait: *Nam quis Filium Dei videre potuit, antequam conſpicabilem materiam, ſicut ei placuit, aſſumpſiſſet.*

17. Poſtremò additur ſermone 21. (qui eſt 15. in feſto Epiphaniæ tom. 5.) *quia,* inquit, *Deus videri nõ poteſt, Spiritus in columba, Pater deſcendit in voce.*

18. ¶ Diuum tamen Ambroſium catholicã docuiſſe ſententiam iam oſtendimus in præcedenti articulo. Quæ verò objiciuntur, facillimam habent explicationem: vnde mirandum eſt, quod *Bellom. in dicta diſp.37.c.4.n.11. dixerit,* S. Ambroſium cõtrariam doctrinam clariſsimè docuiſſe.

19. Ambroſius pro nobis. Et primo loco Bellom. hanc fuiſſe doctrinam Ambroſij inde probat, quòd locus ille ab Auguſtino adducitur, qui catholicam probat doctrinam, & tamen nihil de eo dicit. Sed Bellom. Auguſtinum non legit, qui adductum illum Ambroſij locum diligenter explicat *in epiſt.112. c. 7. & 8.* imò vſque ad finem epiſtolæ, vt patet ex c.23. Et ideò iure optimo reprehenditur à *Lorca in d. diſp. 27.* & iure admiratur, quòd præcitata Ambroſij verba pro contrario errore adduci potuerint ab eo, qui Ambroſium legiſſet: nam in illo loco Ambroſius manifeſtiſsimè docuit catholicam veritatem: & hanc reprehenſionem potuiſſet Lorca confirmare teſtimonio Auguſtini *in epiſt. 111. pag. 197 A.* vbi Ambroſium pro catholica veritate adducit. ¶ Sed iam verba Ambroſij, primo loco adducta explicemus. (Auguſt. explicat Ambroſium.)

Prima

20. 1. explicatio ad 1. locum. Prima explicatio erit, vt Ambroſius agat de oculis corporis, quibus nemo, aut vidit, aut videre poteſt diuinam eſſentiã. Quam explicationem ſatis inſinuat Auguſtinus in d. epiſt. 112. c. 9. & eam ſatis inſinuauit in d. epiſt. 111. Sed obſtãt illa verba eiuſdem Ambroſij: *Vidit ad vtrũq; referendum eſt,* quibus declarat, neminem vnquam vidiſſe Deum, aut oculis corporis, aut mentis.

21. 2. explicatio. Secunda explicatio eſt eiuſdem Auguſtini in d. epiſt. 112 c. 7. in fine, & c. 8. per totum, vt Ambroſius agat de viſione comprehenſiua; vt idem ſit, *plenitudinem diuinitatis nemo conſpexit, quòd diuinitatem nemo comprehendit.* Ex quo ſenſu non benè infertur, claram viſionem diuinitatis eſſe impoſsibilem; quia diuina natura poteſt clarè videri in ſe ipſa, quamuis non comprehendatur, & totaliter videatur. Sed obſtat; quoniam idem Ambroſius in eodem loco ſatis declarat, diuinæ naturæ viſionem nobis eſſe promiſſam, & à nobis poſſe promereri: cum tamen viſio cõprehenſiua, nec promiſſa ſit alicui creaturæ; nec ſub meritum cadat.

22. 3. explicat. Quare tertia ſit explicatio, vt nemo vnquam, aut oculis, aut mẽte viderit Deũ virtute, ac poteſtate ſibi cõnaturali: quæ explicatio probata fuit Lorcæ vbi ſuprà: eam inde confirmat; quia Ambroſ. volũtatem diuinam cõtraponit naturæ; vt per naturam ſit impoſsibilis viſio; poſsibilis tamen per diuinam voluntatem. Ego hãc expoſitionem euidenter colligo ex verbis eiuſdem Ambroſij: paucis enim interpoſitis ita ait: *Nec enim in poteſtate noſtra eſt videre; ſed in poteſtate illius eſt apparere: tamen, & ſi, poteſtas non eſt videndi, eſt gratia promerendi, vt videre poſsimus.* Quę verba ſatis declarant, Ambroſium ſolùm negare viſionem, vt viribus noſtris poſſibilem: vnde ibidem docet, morem ſacræ Scripturę eſſe, vt quæ à nobis videri non poſſunt (viribus ſcilicet noſtræ naturæ) nobis dicantur apparere. Hæc igitur explicatio, non gratis conficta, ſed ex verbis & mẽte Ambroſij deducta, ſatis arguit non tantùm Bellomõtani negligentiam; ſed etiam audaciam, dũm ſcribit Ambroſium apertè tradidiſſe doctrinam ſidei cõtrariam.

23. 4. explicat. Non diſplicet mihi quarta explicatio, vt dicamus Ambroſium ſolùm negaſſe: Deum ab aliquo puro viatore viſum vnquam fuiſſe in ſua natura, & ſubſtantia, etiam oculis mentis: & in hoc ſenſu intellexiſſe illa verba Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquam,* id eſt, vſque ad hanc diem; & ſubindè nec Patriarchas, nec ipſum Moyſem in hac vita clarè vidiſſe naturã Dei, vt eſt in ſe ipſa: quæ eſt communior Patrum ſententia. Ex qua non benè infertur, Ambroſium ſenſiſſe Deum in futuro ſæculo non poſſe in ſe ipſo videri oculis mentis ſupernaturaliter illuſtratis. Et hæc de primo loco dixiſſe, ſatis ſit.

¶ In ſecundo loco agit Ambroſius contra eos, qui dicebant, diuinitatem oculis corporis eſſe viſibilem, vt quia eam corpoream exiſtimarẽt: etenim Ambroſius in eodem capite concludit, Spiritum ſanctum non eſſe ſubſtantiam corpoream; ſed eſſe ſubſtantiam, ideò inuiſibilẽ, quia immaterialem: quæ excedit obiectum adæquatum viſus corporei: contra quos etiam Auguſtinus latè diſputat in d. epiſtola 111. & 112. Agit igitur Ambroſius de inuiſibilitate, tàm Spiritus ſancti, quã Filij, quę oculos corporeos excedit, vt ab illis videri nequeat: & ideò ait, Spiritum ſanctum à mundo videri non poſſe: à mũdo, inquam, corporeo, & ſenſibili. Quæ verò ex ſua natura ſunt oculis corporis inuiſibilia; poſſunt eſſe viſibilia oculis mentis. 24. Ad 2. locũ.

¶ Quæ tertio loco ab Auguſtino obijciuntur, ab eodem Auguſtino intelliguntur de viſione corporali: Auguſt. enim ad hoc confirmandum adduxit Ambroſiũ. Et quia Deus ab hominibus in hac vita oculis corporis in ſe ipſo videri non poterat; ideò quando hominibus apparuit, apparuit in ſpecie corporea aſſumpta, vt in ea oculis corporeis videri poſſet. Quòd ſi illa verba etiam intelligas de viſione mẽtis; ea intellige de viſione viribus naturæ; nõ autẽ viribus gratiæ: in hoc enim ſenſu idem Ambr. intellexit, quæ primo loco adduximus, vt patet ex 3. explicatione. 25. Ad 3. locũ.

Quæ vltimo loco obijciuntur, ea de viſione per oculos corporis eſſe intelligenda, facilè colliges ex materia, de qua Ambroſius in illis locis diſputat: nam in d. c. 8. ſermo erat de reuelatione earum diſpoſitionũ, quæ in nouo teſtamento in Verbi incarnatione futuræ erant; vt per corporalem viſionẽ corporeã incarnationis diſpen- 26. Ad vltimũ locum.

diſpenſationem præfigurarent. Quod eui dentius colliges ex ſerm. 21. adducto: vbi expreſſe docet ea, quæ corporaliter facta ſunt, ad noſtram facta fuiſſe credulitatẽ: fides enim ex auditu. Ideo igitur non in ſua nuda ſubſtantia Deus apparuit, ſed in forma ſenſibili; vt in ea & videretur, & audiretur. Accedit etiam; quia Deus apparebat hominibus in hac mortali vita degentibus; à quibus ſubſtantia Dei videri non poteſt: non quidem abſolutê (quia viſio illius promittitur in cœlo) ſed ſecundum legem ordinariam, qua ſtatuit non oſtendere illis ſuam ſubſtantiam, quandiù in via permanerent.

§. 3.

Iſidorus nobiſcum non pugnat.

27. Ad Iſidorũ. TErtio loco obijcitur à Bellomontano Iſidorus q. 41. in Exodum, ita ſcribens: *Quid eſt ergo faciem Dei videre non poteris? niſi, quia quamuis vſque ad parilitatem Angelicam humana etiam poſt reſurrectionem natura perferatur, & ad contemplandum Deum indefeſſa conſurgat; videre tamen eius eſſentiam plenè non præualet: quam nec ipſa perfectio Angelica in toto, vel integrè attingit ſcire, ſecundum Apoſtolum, qui ait; pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, vt ſubaudias, & Angelorum: ſola enim ſibi integrè nota eſt Trinitas, & humanitati ſuſceptæ.* Quam ſententiam eiſdem verbis repetit lib. 1. Sent. c. 3. ſenten. 1.

28. Bellomont. confirmat Iſidorũ eſſe contra nos. Ex his verbis infert *Bellom. in d. cap. 4. n. 10.* Iſidorum non eſſe intelligẽdum de comprehenſiua cognitione, vt ſcholaſtici loquuntur: quia hęc nec Chriſti humanitati eſt conceſſa. Et inde infert illa verba: *In toto, plenè, integrè*, nihil aliud ſignificare, quam Deum, ſicuti eſt nec ab Angelis cognoſci: nam ſi ita cognoſceretur; vtiq; totus, integre, & plenè cognoſceretur. Quarè putat Bellomõt. viſionem diuinæ eſſentiæ apud Iſidorum ſimpliciter eſſe impoſsibilem. Quod etiam poſſet confirmare ex verbis eiuſdem lib. 1. ſenten. c. 6. in fine, dum aſſerit Deum ſecundum propriam ſubſtantiam eſſe inuiſibilem.

29. Fallitur Bellomont. Ad 1. locũ. Abſit tamen, vt tantum errorem tàm leui fundamento ſanctiſsimo Iſidoro imponamus; cùm alijs in locis catholicam doctrinam expreſſè docuerit, vt in præcedente articulo oſtendimus. Quæ verò obijcit ex d. q. 41. planum habent ſenſũ: quia ſolùm negat homines, & Angelos plenè, & integrè, atque in toto, & ideò comprehenſiuè videre diuinam eſſentiã: quidquid reclamet Bellomõt. Qui in hoc valde decipitur, quod putat idem eſſe videre Deum, *ſicuti eſt*, & videre eum, *plenè, & integrè*; oppoſitum enim expreſſè docet Auguſt. in d. epiſt. 112. c. 8.

Quod verò obijcit, Iſidorum cognitionem, de qua agit, cõceſsiſſe humanitati Chriſti; ſolùm probat, animam Chriſti ex ſententia Iſidori comprehendere diuinã eſſentiam: quam ſententiam fuiſſe plurimorum Patrum putat idem Bellom. 1. p. diſp. 52. Quare potuiſſet inter cæteros Patres enumerare Iſidorum: nam ex hoc loco hanc fuiſſe Iſidori ſententiam putat D. Bonauent. in 3. diſt. 14. art. 1. q. 2. Et tolerabilius hoc eſſet, quâm ex eiſdem verbis trahere Iſidorum ad errorem ab Eccleſia damnatum. 30. Ad 2.

§. 4.

Nec Baſilium nobis contradicere.

QVarto loco obijcit Bellomon. S. Baſiliũ lib. 1. aduerſus Eunomiũ poſt medium; verba tamen non refert: fortè erunt illa, quæ ſcribit pagina 261. F. *Et ea, quidem, quæ promiſsionibus nobis præparata ſunt, omnem cognitionem excedunt humanam: & pax Dei omnem mentẽ ſuperat: ipſam autem Dei ſubſtantiam non patitur ſupra omnem intelligentiam, & cognitionem hominum eſſe. Ego verò non ſolum hominum, ſed etiam omnem rationalem naturam vinci à comprehenſione ipſius exiſtimo.* Et inferiùs pag. 262. A: *Ipſam quidem ſubſtantiam omnibus, præterquàm Vnigenito, & Spiritui ſancto, inuiſibilem eſſe, &c.* 31. Nec Baſilius cõtradicit.

Sed quàm iniuſtè hunc errorem magno Baſilio impingat, iam oſtendimus in præcedente articulo. Quæ obijciuntur, euidentius ſe ipſa explicant, quàm explanatione indigeant: agit enim contra Eunomium, qui ſe iactabat in hac vita virib' ſui intellectus Dei ſubſtantiam perfectè comprehendere, vt idem Baſilius refert in epiſt. 168. & loco citato pag. 261. A. ita inquiens: *Quod verò putat, ipſius Dei ſe omniũ ſolũ ipſam adinueniſſe ſubſtantiã: intollerabilis eſt ſuperbiæ, ac tumoris: ferè enim & ipſum, qui dixit, ponam ſuper aſtra ſe dẽ meã, iactantia ſuperat: quippe qui, non ſtellas, aut cœlum* 32. Falsô iſte error imponitur Baſilio.

cœlum aggreditur; ſed ipſam Dei ſubſtantiã apprehendere ſe iactat. Nos vero ab eo exquiremus, qua ratione ipſam comprehendiſſe prædicat. Vnde in ſequentibus hunc errorem nititur impugnare: tûm; quia nec ex creaturis, quæ ſunt Dei effecta; nec ex ijs, quæ reuelata ſunt nobis comprehenſiuam, & quidditatiuam cognitionem probet acquirere. Et poſt multa, quæ cõtra hæreticum in hanc ſententiam adducit, ſcribit verba, quæ Bellomont. obijcit. Sed non aduertit ex ijs, quæ contra hæreticum diſputando affert, ſatis euidenter colligi Baſilium agere de cognitione huius vitæ, non quacunque, ſed quidditatiua, ſiue etiam comprehenſiua: omnis enim rationalis natura non ſolùm à cognitione, aut naturali viribus naturæ, aut ſupernaturali per reuelationem fidei facta vincitur, vt habent citata verba: ſoli enim Vnigenito, & Spiritui Sancto non modò cognitionem comprehenſiuam, ſed etiam naturalem concedit: etenim, vt ait, *Spiritus Sanctus cuncta inquirit, & profunditates Dei.* Cedo nunc: quid eſt Spiritum ſanctum inquirere profunditates Dei; niſi omnem Dei cognoſcibilitatem cõprehendere? quod ſi dubitas; vide quid contra illum hæreticum ſcribat: *Quid ergò præcipuum cognitioni Vnigeniti, aut Spiritus Sancti relinqueret, ſi ipſi diuinam ſubſtantiam penitus comprehendunt.* Quòd argumentum nullam vim haberet contra illos hæreticos; niſi illi agerent de comprehenſiua cognitione totius ſubſtantiæ diuinæ: facilè enim reſponderent, multũ adhuc relinqui cognitioni Vnigeniti; quippè quæ omnibus modis ſit comprehenſiua; cùm tamen ſua non ſit talis. Non eſt igitur, quòd Bellom. doctiſsimum, & ſanctiſsimum Baſilium ex illis verbis in craſſum errorem pertrahat; cum illa ex mente Baſilij intelligantur, tùm de cognitione, aut viribus naturæ, aut per reuelationem facta: tùm etiam de comprehen ſiua, quam illi hæretici ex viribus naturæ ſibi arrogabant.

§. 5.

Nec Gregorium Nyſſenum nobis opponi.

34. Nyſſenus non eſt cõtra nos. QVinto loco obijcit Bellom. Greg. Nyſſenum in lib. de beatitudinib. oratione 7. ad illa verba: *Beati mũdo corde, &c.* & affirmat Nyſſenum clarè docuiſſe impoſsibilitatẽ viſionis diuinæ: quod ex eo probat; quia poſtquam in loco citato ex Ioanne, Paulo, & Moyſe oſtẽdit, Deum in ſua natura eſſe inuiſibilem; ita vt illum nec videre, nec adire poſsimus; obijcit ſibi illud Matth. 5. Beati mũdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: & poſt longam diſputationem cõcludit, illam videndi promiſsionem duplicẽ habere intellectũ: vnũ; vt promittatur viſio Dei in ſe ipſo: alterum; vt promittatur viſio in puritate vitæ, qua mens Deo cõiungitur: priorem dicit eſſe impoſsibilẽ; poſteriorem verò nobis promitti: nam in fine illius orationis, pag. 547. B. ita ait: *Sed cum duplex ſit in promiſsione videndi Deum intellectus; vnus quidem cognoſcendi naturã vniuerſitati in ſupernis præſidentẽ; alter verò; per puritatem vitæ, cum Deo quaſi contẽperandi, & coniungendi: primam quidem impeditam eſſe, & confici non poſſe, Sanctorum vox declarat: ſecundam verò per præſentem doctrinam humanæ naturæ Dominus promittit, cum dicit, Beati puro corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Agit autem (inquit Bellom.) de præmio beatitudinis: cum verò beatitudo per viſionem Dei in ſe haberi non poſsit; ſolùm eam poſuit in viſione Dei in puritate vitæ. Adduci etiam ſolet idem Nyſſenus in vita Moyſis: explicans enim, quomodò Moyſes Deum viderit, affirmat; *Deum omnem excedere cognitionem*, vt patet 1. tom. pag. 152. B.

1. locus.

2. locus.

35. Ad 1. locũ. Sed ſanctiſsimum Nyſſenum viſionẽ diuinæ eſſentiæ, vt poſsibilem admiſiſſe, iam oſtendimus in præcedenti articulo. Nunc dicimus, cum in primo loco non ſolùm clarè non docuiſſe contra veritatẽ catholicam, vt falsò putat Bellomontan. ſed nec apparenter negaſſe, viſionis poſſibilitatem, quamuis aliter aſſerat Lorca in d. diſp. 27: etenim ex antecedentibus manifeſtè patet, Nyſſenum non ſolùm agere de viſione Dei in hac vita; ſed etiam de ea in ordine ad vires naturales.

36. Vt igitur mentem Nyſſeni, & eius diſputationem, & reſolutionem facilè capiamus; aduertendum eſt, illum in eo loco totum eſſe in conciliandis duobus ſacræ Scripturæ locis, qui ſecundum apparentiam videntur pugnare: primus habetur Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquam*: ſecundus habetur Matthæi. 5. *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt.* Horũ loco-

locorum primam affert conciliationem; vt ſcilicet Deus natura ſua in ſe ipſo ſit inuiſibilis; viſibilis tamen ſecundum ſua effecta, id eſt, in ſuis, & per ſuas creaturas. Ita colliges ex pag. 544. A. vbi poſt longam in vtramque partem diſputationem, ita concludit: *Qui igitur dici poteſt, quod & illi, qui cum Paulo contemplationem Dei ſupra vires eſſe pronunciant, vera dicant? & homini vox illi non aduerſetur, quæ Deum per puritatem cordis conſpectum iri pollicetur. Videtur mihi haud alienum eſſe, ſi de his rebus paucis digrediendo primum quædam proponamus.* Ecce accingit ſe ad locos conciliandos. Deinde nonnullis adductis in confirmationem inuiſibilitatis diuinæ naturæ; iterum ita concludit pag. 544. C. *Talis autem ſecundùm naturam cùm ſit is, qui ſuperat omnem naturam, alia ratione, & videtur, & percipitur. qui & videri, & comprehendi non poteſt: multi enim ſunt modi talis contemplationis, & cognitionis.* Duos autem cognitionis, & viſionis modos explicat: primus eſt; vt Deus, qui in ſe ſuperat omnem cognitionem, cognoſcatur ſecundum ſuas creaturas, & in ſuis creaturis cognitione quadam coniecturali: ita enim ſcribit in d. pag. 544. D. *Licet enim per eam, quæ in vniuerſo apparet, ſapientiam coniectando cernere eum, qui omnia cum ſapientia fecit.* Et adductis nonnullis exemplis ſumptis ab artifice (cuius natura in operibus artefactis in ſe ipſa non cernatur; cernitur tamen eius artificioſa ſcientia) ita concludit pag. 545. A. *Igitur per ea, quæ modò dicta ſunt, oſtenditur; quomodò & Dominus vera dicit, qui pollicitus eſt Deum ab ijs, qui cor purum habeant, conſpectum iri: & Paulus non mentitur, qui in ſuis ſcriptis dicit, quòd Deum nec viderit quiſquam, nec videre poſſit: nam qui natura inuiſibilis eſt, dum per quaſdam, quæ circa ipſum animaduertuntur proprietates, cernitur efficientijs, & actionibus viſibilis, atque conſpicuus fit.* Ecce primam poſuit illorum locorum conciliationem, & intelligentiam; vt Deus, qui in ſua natura eſt inuiſibilis, viſibilis ſit in ſuis effectis. In priori ſenſu intelligitur Ioannes, cum dicit, *Deum nemo vidit vnquam*, & Paulus cum addit; *ſed nec videre poteſt.* In poſteriori verò explicetur Chriſti promiſsio: Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt.

Nyſſenus nititur duos locos qui videtur oppoſiti cō- ciliat.

37.

38. 1. conciliationem Nyſſenus nō ad modū probat.

Sed videns doctiſsimus Pater, non ſatis accommodatè explicari, Beatitudinem à Chriſto promiſſam; cum illa ſolis mundis corde promittatur; viſio verò Dei per effecta, etiam detur ijs, qui cor mundum non habent; hanc conciliationem, & locorum explicationem non admodum probat; ita inquiens in dicta pag. 545. A. *Verum non ad hoc ſolùm beatitudinis ſententia ſpectat; vt ex quadam efficacia, atque operatione eum, qui operetur, talem eſſe animaduertere: atque exiſtimare poſsimus (forſitan enim etiam ſapientibus huius ſæculi per aptitudinem, atque concinnitatem mundi, ſupernæ ſapientiæ, atque potentiæ animaduerſio, cognitioque contingere poſsit) ſed aliud mihi manificentia beatitudinis, & cætera.*

39. 2. conciliatio ex Nyſſeno.

Secundam igitur conciliandi rationem & modum excogitauit, diſtinguens duplicem viſionem Dei: vnam; qua Deitas in ſe ipſa cernitur: alteram; qua cernitur in animi puritate, quæ, vt ait, eſt quædam Deitatis imago, & veluti quædam Deitas: *puritas* inquit pag. 546. B.) *& vitiorũ, affectuumque vacuitas, & ab omni malo alienatio Deitas eſt.* Et ideo ibidem litera A. concludit: *Qui purus ſe ipſum videt, ſuamq; puritatem, Deum in ſe ipſo intueri*, quod latiſsimè demonſtrat vſque ad verba, quæ nobis obijciuntur. Ex quibus colligimus Nyſſenum promiſsionem videndi Deũ, factam Matthæi 5. intelligere, non de viſione, qua diuina natura in ſe ipſa videtur: quia hæc, vt ait, impediri, & confici non poteſt, vt ait Ioannes; ſed de viſione Dei per puritatem vitæ, qua Deo quaſi contemperamur, & coniungimur: hanc autẽ eſſe in hac vita poſsibilem, oſtendit vſq; ad finem capitis.

40. Explicatur mens Nyſſeni.

Hanc duplicem ſanctiſsimi Nyſſeni illorum locorum conciliationem, & intelligentiam tâm latè adduximus, vt ex vtraque demonſtraremus, eum, quando agit de viſione Dei in ſe ipſo, non ſolùm agere de ea, vt habenda in hac vita; ſed etiam vt habenda in ordine ad vires naturæ: cuius oppoſitum ſine fundamento ſupponit Bellomontanus. Quòd ſermonem faciat de viſione Dei pro ſtatu vitæ; vtraque conciliatio euidenter confirmat: cognitio enim Dei vel per creaturas, vel per vitæ puritatem, huius eſt ſæculi, non futuri. Quòd verò agat de cognitione Dei

Dei per vires naturæ, ex eo patet, quòd in illa oratione ſæpiſsimê affirmat, talem cognitionem, & noſtram naturam excedere, & humanas vires ſuperare, & plura alia, quæ ſatis denotant ſermonem haberi de viſione Dei in ſe ipſo per vires naturales. Clariſsima ſunt verba pag. 544. A. *Si ergo non ambigitur, quin illi, qui contemplatione Dei ſupra vires eſſe prædicauerunt. &c.* Et ſtatim: *Qui igitur dici poteſt, quòd & illi, qui cum Paulo contemplationem Dei ſupra vires eſſe pronunciant.* Et ſtatim litera B. *Diuina natura, quidquid ipſa tandem per ſe ſecundum eſſentiam eſt, ſuperat omnem comprehendendi rationem, atque ſolertiam; quippe qua coniecturales rationes, & excogitationes rejiciat, repellat, aſpernetur, & nõ admittat; ac nulla adhuc inter homines facultas ad comprehenſibilium animaduerſionem, & cognitionem inuenta eſt, nullaque ratio, nullum inſtrumentum excogitatum eſt, quo res inexplicabiles comprehendantur. Quapropter magnus ille Apoſtolus omni inueſtigatione ſuperiores, ſiue inperueſtigabiles vias eius nominat; ſignificans per ea verba cogitationibus inacceſſam eſſe illam viam, quæ ducit ad naturæ diuinæ cognitionem, quaſi nullus adhuc eorum, qui vitæ curſum antefecerunt, aliquod veſtigium, vel ſignum cognitioni impreſſerit, quo ſigno excogitaretur. & perciperetur res, quæ ſuperat omnem cognitionem.* Quæ verba ſatis explicant Nyſſenum ſolùm docere viſionem Dei viribus naturę confici, & haberi non poſſe: non negauit tamen poſſe eam haberi viribus ſupernaturalis gratiæ. Vtrùm verò id affirmauerit? affirmat Lorca: ſed nos modo de hoc non curamus: quia ſatis nobis eſt, Nyſſenum non negaſſe viribus gratiæ acquiri poſſe, quod viribus naturæ eſt inacquiſibile.

41. Explicãtur illius verba

Ex ijs, quæ tam latè diximus, iam patet intellectus verborum, quę nobis objiciuntur, nam cum Nyſſenus aſſerit, *viſionem naturæ diuinæ impeditam eſſe, & confici non poſſe*, id intelligit in ordine ad vires naturæ: quod etiam docet fides. Quomodo autem inde inferatur, eam impeditam eſſe, & confici non poſſe in ordine ad vires gratiæ? nunquam ex Nyſſeno probabit Bellomontanus.

In loco adducto ex lib. de Vita Moyſi per viſionem Dei, imitationem intelligit; vt idem ſit videre Deum, quod ſequi Deum; vt facilê intelliges ex eodem lib. pagina 152. cum ſequentibus.

§. 6.

Cyrillum Alexandrinum nunquam repugnaſſe.

42. Nec contrarius eſt Cyril. Alexan.

SExto loco obijcit Bellomontan. Cyrillum Alexandrin. lib. 1. in Ioannẽ cap. 22. ſed verba non refert: forſitã erunt iſta: *Soli enim conſubſtantiali Filio Pater viſibilis eſt, & nulli præter eum alijs* Adduci etiam poſſunt, quæ ſcribit lib. 9. in Ioannem cap. 34. dum inquit: *Sed nullus naturæ Deitatis capax intellectus eſt.* Et quæ ſcribit lib. 4. Theſauri in medio: *Quomodo natura Dei videbitur?* Denique ibidem cap. 1, dum probat filiũ eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, quia verè cognoſcit Patrem: ita enim ait: *Sicut igitur, ſi non videret Patrem, diſsimilis ei ſecundum ſubſtantiam eſſet; ita quia videt, & verê cognoſcit erit illi verè, & realiter ſimilis.* Quod argumentum vim non haberet, ſi beati in Patria verè viderent Deũ; etenim ſi vim haberet, eſſent eiuſdẽ ſubſtantiæ cũ Deo: quod eſt hæreticum.

34. Ad 1. locu.

Sed Cyrillum Catholicam veritatem euidenter docuiſſe, iam oſtẽdimus in præcedenti articulo. Quæ Bellomõtanus primo loco adducit, ſatis ſe explicant, ſi integrê proferantur, ita enim habet; *Soli enim ſubſtantiali Filio Pater viſibilis eſt, & nulli præter eum alij; viſionem autem in his Deo conuenientem ſemper intellige.* Quę vltima verba euidenter declarãt, priora eſſe intelligenda de cognitione comprehenſiua, quæ ſola eſt Deo conueniens.

44. Ad 2.

Quæ ſecundo loco objiciuntur, intelliguntur de cognitione quidditatiua pro ſtatu huius vitæ, vt ex ſequentibus manifeſtê colliges.

45. Ad 3.

Quæ ex cap. 2. libri quarti Theſauri referentur intelliguntur de viſione, qua Pater à Paulo 1. ad Timotheum 1. dicitur inuiſibilis: ex illis enim infert, quæ obijciũtur; vnde eundem cum Paulo ſenſum habent, de quo vide art. 5.

46. Ad 4.

Argumentum porrò, quod facit Cyrillus in 1. cap. eiuſdem libri, intelligitur de viſione comprehenſiua: nam de illa egit in antecedentibus: hæc autem ex mente Cyrilli arguit conſubſtãtialitatem. Quod benê nota contra Bellomontanum, quatenus

tenus inſinuat ex Patribus non colligi; nullum intellectum creatum, etiam diuinitus illuſtratum, poſſe Deum comprehendere, ſed de hoc iam diximus lib. 11.

§. 7.
Nec Cyrillus Ieroſolymitanus contrariatur.

47. Nec contradicit Ieroſolymitanus.

SEptimo pro eodem errore Armenorum adducitur Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 6. de Monarchia Dei. Sed admiror, quòd in contrarium referatur ex loco, & ex verbis, quibus ille Catholicam veritatem luce clariùs confirmat: ita enim ait non longè à principio illius Catecheſis: *Admonet nos infirmitatis noſtræ Dominus dicens; Deum nemo vidit vnquam. Quid igitur? dicet aliquis: nõne ſcriptum eſt, quòd Angeli paruulorũ ſemper vident faciem Patris, qui in Cœlis eſt? Vident ſane Angeli; ſed non ita, vt eſt, ſed ſecundum quod eſt, & ipſi capiũt, ipſe enim Ieſus dixit, quòd Patrem nemo vidit, niſi qui eſt de Cœlo: hic videt Patrem; vidẽt Angeli, ita vt capiunt; & Archangeli, ita vt poſſunt; Throni verò, & Dominationes plus quidem, quàm illi; ſed minus tamẽ, quàm pro Dei dignitate: ſolus autem Spiritus Sanctus, ita vt oportet, videt: ille enim ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Eccè fatetur Angelos videre Deum, & ipſum capere, ſecundùm quod eſt: quid eſt quæſo ò Bellomontane ſecundùm quod eſt? niſi in ſe ipſo? Reſpondebis; licet Angeli videant Deũ, ſecundùm quod eſt; nõ tamen vident eũ ita vt eſt, nec ſicut oportet, vt Cyrill⁹ ait. At tamen expende; quid apud Cyrillum ſit, *ita vt eſt, & ita vt oportet.* Senſum declarat, dum ait: *Solus autem Spiritus Sanctus; ita vt oportet, videt: ille enim ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Ex quibus verbis patet apud Cyrillum, Deum videri, ita vt oportet, idem eſſe, atq; videri viſione cõprehẽſiua, quæ viſio ſolius eſt Spiritus Sancti: Cum verò apud eundem idem ſit videri, *ita vt oportet*; & videri, *ita vt eſt*; benè infertur, Deum videri, *ita vt eſt*, idem eſſe, quod videri comprehenſibiliter. Et inde inferes apud Cyrillum videri Deum. *ſecundum quod eſt*, idem eſſe quòd videri, vt eſt in ſua ſubſtantia; non tamen comprehenſiuè, & prout Deus pro dignitate eſt viſibilis. Angeli igitur apud Cyrillum vident id, quod eſt Deus; & ſubinde vidẽt ipſam ſubſtantiã Dei; nõ tamen vidẽt comprehenſiuè, & totaliter, vt in antecedentibus, & conſequentibus probat contra Anomæos.

Explicatur Cyrill.

48. Videtur igitur Deus à nobis in via per fidem; in Patria per ſpeciem; ſi non comprehenſiuè; ſaltem ſecundùm mẽſuram, vt idem Cyrillus contra eoſdẽ hæreticos ſcribit; ita inquiens: *Sed dixerit aliquis, ſi incomprehenſibilis eſt diuina ſubſtantia; Cur tu de his dixeris?* Reſpõdens ſubijcit: *Nũquid igitur, quia totum fluuium ebibere nequeo; id quod mihi commodum eſt, ſub menſura non hauriam? nunquid cum ſolem oculis comprehendere nequeo, & lucis illius vſum, quantum ſufficit, non aſpiciam?* quibus verbis oſtendit fieri poſſe, vt Deus videatur, ſicuti eſt, & ſecundùm quod eſt; quamuis viſione totaliter non comprehendatur. Abeat igitur Bellomontanus, dum Cyrillum Ieroſolymitanum pro Armenis citat.

§. 8.
Nec Epiphanius aduerſatur.

49. Nec contrarius eſt Epiphanius.

OCtauo loco contra Catholicam aſſertionem Bellomontanus citat Epiphanium hæreſi 70: ſed ſi cõſideratius legatur, aut pro Catholica aſſertione ſtabit; aut contra eam nullo modo erit: nam etſi in illo loco fol. 364. pag. 1. aſſerat; Deum eſſe natura inuiſibilem, & incomprehenſibilem; tamen expreſſè docet, Deum ſua potentia feciſſe potens ad videndum Deum, quod ex ſe erat ad id impotẽs: *In viſibilis eſt Deus*, inquit, *& incomprehenſibilis: hoc manifeſtum eſt, & cõfeſſum: potens eſt facere, quod vult: nec enim quiſquam opponit ſe ipſius voluntati. Inuiſibilis igitur eſt natura, & incomprehenſibilis: ſi verò vult conſpici ab homine; nihil aduerſatur ipſius voluntati.* Et ſtatim: *Impoſſibile eſt videre Deum humanam naturam: & non datur, vt viſibile videat inuiſibile: at inuiſibilis Deus in benignitate ſua, & potentia potens facit, quod impotens erat, & dignatus eſt ſua potentia, vt inuiſibile videret; & quod vidit inuiſibile, & infinitum, non velut habet infinitum, vidit; ſed velut natura comprehendere potuit, potens effecta, vt quod impotens erat, ad potens ſe extenderet.*

50. Explicatur verba.

Hæc verba manifeſte intelliguntur de viſione corporali, qua corpus ex ſua natu-

ra

ra impotens ad videndum Deum in ſe diuina gratia factum eſt potens, vt videret Deum in aſſumpta natura. Et hunc ſenſum faciunt illa verba. *Et ſi vult conſpici ab homine; nihil aduerſatur ipſius voluntati.* Illa etiam: *Non datur, vt viſibile videat inuiſibile*: quæ clarê intelliguntur de vidēte viſibili, qualis eſt homo, vt viſu corporeo res cōſpicit, & intuetur: quare, quādo ait: *Inuiſibilis Deus in benignitate ſua, & potentia potens facit, quod impotens erat*, intelligendus eſt de viſione Dei in natura aſſumpta, qui in ſe inuiſibilis erat: fecit autem oculum corporeum potentem ad videndum Deum humanatum; nō quòd viſio naturæ aſſumpæ facta ſit per miraculoſam eleuationem; quia naturaliter videbat illum hominem, qui erat Deus: & ita quod potens ſit videre hominem Deum; id fuit ex benignitate diuina. Iſte eſt proprius ſenſus Epiphanij; vt quiſque ex antecedentibus, & conſequentibus facile intelliget: etenim totus eſt in oſtendendo myſterio, quod Deus in ſua natura inuiſibilis, factus ſit viſibilis in natura aſſumpta. Quare non eſt, quòd de Epiphanio dubitet Bellomontanus.

51. Alia explicatio. Nec etiā dubitari poſſet, ſi de viſione clara Dei loqueretur; ſed pro nobis eſſet: nā cum addat, *Id, quod impoſſibile eſt videri, diuina benignitate videri poſſe*: euidenter oſtendit illam impoſſibilitatem non eſſe impoſſibilitatem abſolutè ſumptam, quę arguit contradictionem; ſed impoſſibilitatēm in ordine ad vires naturæ; non tamē ad vires gratiæ. Vnde verba illa: *impoſſibile eſt videre Deum humanam naturam*: illa etiam: *Non datur, vt viſibile videat inuiſibile*, explicāda ſunt, nō de impoſſibilitate ſimpliciter, ſed naturali, quæ tamen omnipotentiæ diuinæ ſubijcitur.

§. 9.

Theophylactus non contradicit.

52. Nec contra dicit Theophylactus. 1. Locus. NOno loco obijcit Theophylactū multis in locis. Primus habetur in cap. 1. Ioannis ad illa verba: *Deum nemo vidit vnquam*: vbi poſt quam dixit Prophetas non vidiſſe Dei ſubſtantiam, ita ait: *Quin nec Angeli vident Dei ſubſtantiam; quamuis dicantur videre faciē eius: hoc enim totum indicat ſemper Deum eis apparere.*

53. 2. Locus. Deinde 1. Corinth. 13. ad illa verba: *Nunc cognoſco ex parte*, ita ait. *Non quod adeo impermutabiliter eum cognoſcemus: verum quòd ipſe non accurrerit nunc.* 54. 3. Locus. Tertio loco 1. Timothe. 6. ad illa verba: *Lucem in habitat inacceſsibilem*, ita ſcribit: *Inacceſsibilem autem dicit, quam nemo accedere poſſit ob nimium ſplendorem.*

55. 4. Locus. Quarto denique in dicto capit. 6. ad illa verba: *Quē nemo hominum vidit*: ita ſubiūgit: *Secundùm diuinitatem videlicet: nam ſecundùm humanitatem, viſus eſt.*

56. Hæc tamen teſtimonia, cum errorem non planè cōuincāt; pie potius explicāda ſunt, vt doctiſsimus Pater ab errore liberetur; quam iuxta corticem verborum ſimpliciter explicanda: nam ſi docti diuinorum eloquiorum tractatores nō ſunt temerè reprehendendi, vt ait Auguſtin. Epiſtol. 12. in fine, maiori cū ratione non ſunt ad errorem temerè trahendi; ſed quātum fieri poteſt ad bonum ſenſum explicandi: maximè cum ex alijs illorum locis aliquo modò conſtet, eos in Catholica fuiſſe veritate. Catholicā veritatem docuit. Iam verò ex aliquibus locis poſſumus deducere Theophylactū veritatem Catholicam agnouiſſe: nam ad illa verba Matthæi 18. *Angeli eorū in cælis ſemper vident faciem Patris*, ſimpliciter docet, *Angelos puſillorum vſque adeo familiares eſſe Deo, vt faciem eius per omnia videant, coràm ipſo ſtantes.* Quæ verba ſatis denotant facialem viſionem, & præſentialem intuitum, quem Theologi notiam intuitiuam appellant. Vnde alibi ipſos cœlos, in quibus Deus eſt, vocat Patriam noſtram, & domum paternam, in qua ſimul cum Patre, & corā Patre habitamus vt habet in cap. 6. Matthæi ad illa verba: Pater noſter, qui es in cœlis: quæ habitatio domeſtica, & paterna, etiam denotat præſentialitatem in ordine ad oculos mentis, qui Deum vident. Eandem veritatem explicauit ad illa verba Ioannis 17. *Vt videant claritatem meam*; vbi nomine claritatis intelligit Deitatem; & docet Chriſtum illis verbis precari, vt diſcipuli videant eum, non iam in vili habitu humanitatis; ſed in gloria ſuæ Deitatis.

Quare non video, cur verba primo loco obiecta, non debeant interpretari, aut de viſione corporali, de qua intelligitur viſio Prophetarum (nam fortê exiſtimauit, Angelos habere corpus:) aut de viſione

viſione ſibi naturali, ſecundũ quam Deus non in ſe ipſo, ſed in propria ipſorum ſubſtantia illis ſemper apparebat.

58. Ad 3. In quo etiam ſenſu explicari optimè poſſunt, quæ tertio loco obijciuntur; vt doceat, diuinam lucem ideo dici inacceſſibilem; quia ob nimium ſplendorem nemo ex proprijs ſuæ naturæ viribus poteſt ad eam accedere, vt diuinitatem videat: nam verba Pauli vtroque in loco in eodem ſenſu communiter explicantur, vt videbimus art. 4.

59. Ad 2. Porrò verba, quæ ſecundo loco in cõtrarium adducuntur, intelligenda eſſe de cognitione fidei in Eccleſia, quæ in dies creſcit, & in ſtatũ perfectum deducitur, ſatis intelliget, qui attentè perlegerit, quæ in ſequentibus ille ſcribit.

§. 10.

Nec etiam contradicit Euthymius.

60. Nec Euthymius cõtradicit. DEcimo loco obijcitur Euthymius in illa verba Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam*, his verbis ſcribẽs: *Nulla itaque creatura Deum videt; non materialis tantùm, ſed etiam immaterialis: ſiquidem ipſis quoque immaterialibus virtutibus inuiſibilis eſt Deus in ſua natura; licet prout ſibi conceditur, Deum videant*

61. 1. Explicat. Sed quòd Euthymius viſionem diuinæ eſſentiæ non per naturam, ſed per gratiam docuerit eſſe poſsibilem, iam oſtendimus in præcedente articulo, ex nõnullis locis, in quibus ſoli proteruo nõ declarat viſionem diuinitatis eſſe ſupra facultatem naturæ, non tamen gratiæ. Ex qua Euthymij doctrina facilè colligimus, quomodo explicanda ſint verba, quæ in obiectione ponũtur: ſenſus enim eſt, nullam creaturam ſiue materialem, id eſt, humanam; ſiue immaterialem, id eſt, angelicam propria, & naturali virtute poſſe Deũ videre: quamuis naturalem Dei cognitionẽ habeat ex ijs, quæ facta cognoſcũtur, maiorem ſcilicet, & minorem.

62. 2. Explicat. Poſſunt etiam ſecundo modo explicari de cognitione ſupernaturali comprehẽſiua; vt ſit ſenſus; ipſis etiam immaterialibus virtutibus Deus in ſua natura eſt inuiſibilis, id eſt, incomprehenſibilis; quanuis viſibilis ſit per gratiam, prout ſibi ad menſuram meritorum à Deo cõceditur. Quem ſenſum explicant verba eiuſdem Euthymij Matthæi 18. ad illa verba; *Angeli eorum, &c.* vbi ita ait, *Vident illum, non perfectè ſicuti eſt in eſſentia*, id eſt incomprehenſiuè, *Sed prout eis promittitur.* Et ſatis explicat ad illa verba, *Beati mundo corde* Matthæi 5: vbi manifeſtè aſſerit, *animam puram benè ſuſcipere viſionem, quæ Deum attingit.* Quare reprehendendus eſt, qui verba Euthymij aliquo in loco ſimpliciter prolata non explicat ad mentem, quã idem Euthymius alibi expreſsit.

§. 11.

Nec Theodoretus repugnat.

63. Nec contradicit Theodoretus. VNdecimo loco Bellomont. prõ cõperto habet Theodoretum cõtra Catholicam veritatem ſentire: aſſert autem tres illius locos.

1. Locus. Primus habetur Dialogo 1. qui dicitur Immutabilis: poſtquàm enim pagina 300. col. 1. dubiam fecit in vtramque partem quæſtionem, an Deus videri queat? col. 2. in med. ita ſcribit: *Clarum eſt ergo, quòd ſub aſpectũ nõ cadit diuina natura; & per carnem, quæ videri poteſt, quæ non videri poteſt, viſa eſt.* Et paucis interiectis iterũ repetit eadem verba. Obijciens autem ſibi illud Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*, poſt lõgam diſputationem concludit, diuinam naturam, nec Angelis viſam eſſe in ſe: ita enim ſcribit: *Ita ergo de Angelis intelligamus audientes, quotidie vident faciem Patris veſtri: non enim vident diuinam ſubſtantiam, quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt; quæ vniuerſa comprehendit: ſed quandã gloriam, quæ eorum viribus reſpondeat; ſitq; eis commoderata.*

64. 2. Locus. Secundus locus habetur in 3. Dialogo, qui impatibilis inſcribitur; vbi tom. 2. pag. 364. col. 2. ita ſcribit: *Diuina natura ſub aſpectum non cadit*: & ſtatim; *Quandoquidem diuina natura cerni nequit.*

65. 3. Locus. Tertius locus habetur Pſalmo 17. ad illa verba: *Inclinauit Cœlos, & deſcẽdit* to. 6. pag. 101. col. 2. vbi ita ait: *Poſuit tenebras latibulum ſuum; eo quòd eius natura minimè intelligi poteſt.*

66. 4. Locus. Quartus locus habetur 1. Corint. 13. ad illa verba: *Videmus nunc per ſpeculum* 2. to. pag. 73. col. 1. *Videbimus autem eius, non quæ ſub aſpectum non cadit, naturam; quæ à nullo cerni poteſt: ſed eam, quæ de nobis ſumpta eſt.*

His

67. His teſtimonijs Bellomont. ſibi perſua ſit Theodoretum clariſsimè tenuiſſe Armenorum errorem: videtur ſubſcribere *Lorca in dicta diſput. 27. ad finem.* dum fatetur, Theodoretum nullam congruam interpretationem poſſe admittere; & ideo putat, illum minùs cautè fuiſſe loquutũ. Non longè abeſt ab hęc ſententia Xiſtus Senenſis, dum hac loca Theodoreti, vt cenſuranda refert lib. 6. Bibliothecæ Sanctæ annot. 182. Ego tamen puto loca iſta congruam habere poſſe explicationem: vnde nõ deſunt, qui velint, Theodoretum in his locis errorem illum, nec ſignificaſſe, ſi diligenter, & piè conſiderentur, quæ ſcribit.

Hi loci poſum benè explicatur.

68. Explicatio quorunpam

Quidam eum explicant de viſione cõprehenſiua; fortè moti ex illis verbis in primo loco poſitis: *Quæ nec circunſcribi, nec comprehendi mente poteſt.* Ita eum explicat Bellarm. lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 4. ad finem. Sed explicatio nõ videtur accõmodata: quia Theodoret⁹ expreſſè docet, eodem modo Angelos videre faciem Patris, quo Prophetæ Deum viderunt: inquiſitus enim ab Eraniſte, cum quo loquitur, quomodo intelligendũ ſit, quod Angeli quotidie vident faciem Patris? Reſpondet: *Sicut ſolemus intelligere ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidiſſe exiſtimati ſunt.* Sed Prophetæ nõ modo non viderunt diuinam eſſentiam viſione comprehenſiua; ſed nec eam viderunt in ſe ipſa; ſed ſolûm in quibuſdam viſionibus, quæ eorum facultati conueniebant, nec modum illius excedebant. Ergo Angeli ex mente Theodoreti non modo nõ vident comprehenſiuè; ſed nec ſimpliciter intuitiuè. Vnde explicato modo, quo Prophetæ in Sacris literis Deũ viderunt; ſcilicet non in ſua ſubſtantia, ſed in quibuſdam viſionibus, concludit idem, quod ante concluſerat, inquiens: *Ita ergo de Angelis intelligamus audientes quotidie vident &c.* Quare merito Bellomont. hanc explicationem reijcit: nec enim ſolùm ſtatuit ſimilitudinem inter viſionem Angelorum, & Patriarcharum penes perfectã, & imperfectam; ſed penes viſionem eſſentiæ non in ſe, ſed in quibuſdam viſionibus facultati illorum accommodatis.

69. Prpria explicatio primi loci.

Ego puto primum locum Theodoreti, quod attinet ad homines ſatis ſufficiẽter explicari de cognitione corporea: quoad Angelos verò, vel de eadem (quia puto Theodoretum exiſtimaſſe Angelos eſſe corporeos) vel de cognitione intellectiua illis connaturali: & proinde in hoc ſenſu diuinam naturam in illis locis dici inuiſibilem: tum; quia corporeo viſu in ſe ipſa videri non poteſt; tùm etiã; quia nec videri poteſt cognitione Angelis cõnaturali. Et pro huius explicationis confirmatione afferamus totum Theodoreti diſcurſum pagin. 300. col. 1. agens enim de Deo viſo, quæſtione in vtramque partẽ diſputata, explicat, quomodò Deus inuiſibilis viſu ſit. Deinde adducto Pauli teſtimonio, quod Deus manifeſtatus eſt in carne; infert; *Clarum eſt ergo, quod ſub aſpectũ non cadit, & per eam, quæ videri poteſt, quæ non videri poteſt viſa eſt*, Et ſtatim: *Aptè ergo dicit Apoſtolus, Deus manifeſtatus eſt in carne per illam enim apparuit natura, quæ videri non poterat.* Quæ verba euidenter intelliguntur de viſione corporea: nã iſto modo natura illa hominibus inuiſibilis, manifeſtauit ſe ipſam in carne. Quare cũ dicit, naturam Dei eſſe hominibus inuiſibilem, vtique loquitur de inuiſibilitate in ordine ad oculos carnis. Et eodem modo intelligitur, dũ agens de viſione, qua Prophetæ in ſacris literis dicuntur Deum vidiſſe; ita ait, *Quid ergo dicemus; quòd diuinã naturam viderunt? Minime: ipſe enim dixit; non videbit homo faciem meam, & viuet:* Senſus enim eſt; non viderunt ſubſtantiã Dei illa viſione, qua affirmãt ſe Deum vidiſſe: quia ſcilicet homo viuens vita, ſcilicet ſenſitiua, non videbit faciem meam; ſcilicet oculis corporeis.

Sed videamus quid de Angelis dicat. Continuãs igitur ſuũ diſcurſum in dicta pag. 300. colum. 2. ita ait: *Per illam ipſam* (ſcilicet carnem) *viderunt Angelorũ quoque aliqui: viſus eſt enim, inquit* (ſcilicet Apoſtolus) *Angelis; nobiſcum ergo etiam in corporeæ naturæ; vt hoc dono fruerentur, euexit.* Id eſt, conceſsit Deus hoc etiam Angelis, vt Deum inuiſibilem in ſe per carnem viderent. Et quidem ſi Angeli habẽt corpora (vt puto eũ exiſtimaſſe) de corporea viſione poteſt intelligi, quãdo dicit naturam inuiſibilẽ (ſcilicet oculis corporeis) in carne manifeſtatam eſſe Angelis, & ab eis viſam. Sed quia in citatis verbis Angelos vocat naturas incorporeas, & aſſerit illis etiam conceſſum eſſe vt natu- 70.

ram

ram Dei inuiſibilem in carne,& per carnem viderēt: ideo melius eſt, vt dicamus diuinam naturam eſſe inuiſibilem Angelis, eo. ſ. viſionis genere, quo Deū in carne viderunt. Quę viſio fuit illis naturalis, etenim viſibi naturali intelligere poſſunt tàm corporea, quàm incorporea; & ſub in de ipſam Chriſti humanitatē. Quem ſenſum euidenter declarāt verba, quæ nobis obijciuntur: *Non enim vident diuinam eſſentiam, ſed quandam gloriam, quæ eorū viribus coreſpondeat*: quæ euidenter intelliguntur de viribus naturaliter inditis ad intelligendum: ſicut etiam de eadem naturali facultate intelligendi intelliguntur illa alia, quæ immediatè præcedunt de viſione prophetarum: *Dicimus non vidiſſe diuinam naturam, ſed quaſdam viſiones, quæ eorum facultati conuenirent, nec eius modum excederent*. Quæ manifeſtè intelliguntur de facultate naturali videndi.¶ Quare ex Theodoreto ſolùm habemus, diuinā naturam ex ſe inuiſibilem, tàm oculis corporeis, quàm in corporeis iuxta facultatem naturalem, quam habent. Nec vnquam dixit, aut homines, aut Angelos diuinam naturam aliter videre non poſſe.

71. Ad 2. locū. Locus ſecūdus ſumptus ex tertio Dialogo euidenter intelligitur de viſione corporea: etenim eo in loco diſputat contra illos, qui dicebant, Chriſtum Dominum poſt Aſcenſionem in Cœlū non habuiſſe verū corpus, ſed propriū, quod habebat, fuiſſe in diuinitatē trāſmutatū. Cōtra iſtos arguit ex viſionibus, quibus Chriſt⁹ poſt Aſcenſionem viſus eſt à pluribus. Et eo in loco arguit ex viſione, qua Stephanus, dum lapidaretur, Chriſtum vidit. Arguit autem ſic: Chriſtus fuit viſus à Stephano oculis carnis: nam ille dixit, Ecce video cœlos apertos, & IESVM ſtantē à dextris virtutis Dei: at non vidit diuinam naturam: hæc enim cerni nequit. Ergo vidit verum eius corpus. Quare, dum ait: *Diuina natura ſub aſpectum non cadit*, & rurſus: *Diuina natura cerni nequit*, neceſſariò intelligitur de viſione ſenſibili, & corporea.

72. Ad 3. locū. Tertius locus, quod attinet ad deſcenſum, euidēter intelligitur de viſione corporea, qua ad nos deſcendens viſus eſt à nobis: vnde cum ait: *Eius præſentia videri non poteſt*, intelligēdus eſt de viſione ſenſibili per oculos corporis. At verò cum agit de aſcenſu ſupra Cherubin, & dicit naturā Dei ab Angelis intelligi nō poſſe, niſi in luce, quæ eſt circa eius tabernaculum; intelligitur de viſione naturali; quā Angeli intelligere non poſſunt, aut naturam diuinam; aut myſterium deſcenſus per Incarnationem.

Quartus, & vltimus loc⁹ difficilior mihi videtur: quoniam expreſſè agit de viſione, quæ dabitur in vita futura: & tamen primo intuitu videtur negare nos viſuros diuinam eſſentiam; quia vt ait ſub aſpectum non cadit. Sed ſi conſideratius mentem illius expendamus, non ſimpliciter negat, nos viſuros eſſe diuinam eſſentiam; ſed eam viſuros eſſe corporeo viſu, quo reſurrectionem Chriſti in proprio corpore videbimus. Pro quo aduerte Theodoretum in illa verba Pauli 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum; tunc autem facie ad faciem*: & alia, quæ ſequuntur. *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*: non explicare de futura vita, quæ erit poſt mortem; ſed quæ erit poſt reſurrectionem; non quidē de cognitione diuinæ eſſentię, ſed de cognitione Chiſti hominis; tunc enim ad ſtatum hominis perfecti perueniemus, & de Chriſto maiorem, quàm nūc; habebimus cognitionem: inquit igitur: *Nunc videmus* (ſcilicet reſurrectionem Chriſti) *per ſpeculū, & in ænigmate*: quia eam videmus in baptiſmo, qui eſt figura & Symbolo Domini corporis, vt ibi declarat) *Tunc autem facie ad faciem*: id eſt in reſurrectione autem videbimus eum facie ad faciem; quia videbimus illius corpus in ſe ipſo: *Nunc cognoſco ex parte*: quia imperfectè illum video, & per fidem: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, id eſt cognoſcam illum, vt familiaris cognoſcit amicū familiarem, & vt tunc me ipſum, & meū corpus cognoſcam. Hac ſuppoſita explicatione Theodoreto probata (an ſit literalis? alibi expendemus;) iam patet Theodoretum in illo loco agere de viſione corporea qua Chriſtū hominē tūc videbim⁹. 73. Ad 4. locū.

Quare cùm ait, *Videbimus autem eius non, quæ ſub aſpectum non cadit, naturā, quæ à nullo cerni poteſt; ſed eam, quæ de nobis ſumpta eſt*: hæc inquā, verba intelligēda ſunt de aſpectu corporeo, de quo agit, quem tunc de Chriſto habebimus iam conſtituti in ſtatu viri perfecti. Igitur non cadit, 74.

dit ſub aſpectum corporeum; quia hoc à nulla creatura cerni poteſt. In quo ſenſu idem Theodoretus aſſerit Ezechielẽ non vidiſſe aliquã naturã Cherubinorum, qui ſub figura animaliũ illi loquebãtur: quia, vt ait, viſu corporeo cerni nequeũt, vt habetur tom. 1. ſect. 3. in d. c. 10. Ezechielis in illis verbis: *Ipſum eſt animal, quod vidi.* Hæc dicta ſint pro explicatione Theodoreti; apud quem nunquam inuenies naturam diuinam ita ſimpliciter eſſe inuiſibilẽ vt nec ab homine, nec ab Angelo etiam lumine ſupernaturali videri valeat.

§. 12.

Oecumenius non reſiſtit.

75. Nec reſiſtit Oecumenius.

VNus adhuc eſt Oecumenius, qui nobis objiciatur ad 1. Ionnis 3. *Scimus, quòd cùm apparuerit ſimiles ei erimus*, vbi ita ſcribit: *Videbimus eum ſicuti eſt: non ſanè iuxta ipſius naturam; nam hoc impoſsibile eſt creatæ naturæ: ſed quid? iuſtũ iuſti: purum puri: ſimili enim adhærebunt & ſimiles. Nam ob id paulò ante dixi, quòd ſimiles ei erimus; non iuxta naturã: dixiſſet enim alioquin non ſimiles, ſed ijdem: nunc autem, quia id non continget, dixit ſimiles: iuxta gloriæ videlicet qualitatem.* Sed ipſemet Oecumenius declarat illa verba: *Nõ ſanè iuxta ipſius naturam*, referenda eſſe, & coniũgenda, non illis: *Videbimus eum ſicuti eſt*; ſed illis: *Similes ei erimus*, vt patet ex ijs, quæ addit: *Nã ob id, &c.* quia nimirũ non erimus eiuſdem naturæ, ſed ſimiles iuxta gloriæ qualitatem; quatenus, ſicut ille habet gloriam, & beatitũdinem; quia videt ſe ipſum, ſicuti eſt ſe; ita etiã nos beati erimus; quia videbimus eum, ſicuti eſt: hunc enim eſſe ſenſum verborũ Ioannis, dicemus in 5. art. loco primo. Et iſte eſt verus & ienuinus ſenſus Oecumenij.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Chryſoſtomus negauerit viſionem diuinæ eſſentiæ eſſe poſsibilem?

§ 1.

Chryſoſtomum id negaſſe, qui ſentiant.

1. Qui hũc errorem imponãt Chryſoſtom.

QVod S. Chryſoſtomus cum Armenis negauerit viſionem diuinę eſſentiæ nõ ſolũ hominibus, ſed etiã Angelis eſſe poſsibilem, adeo firmiter ſibi perſuadet *Vaſquez Bellom. ad 1. p. diſp. 37. cap. 2.* vt Chryſoſtom, tanquã illius erroris principalẽ authorem, & patronũ ſemper referat: illumq; non ſolùm cũ Armenis coniungat; ſed ſæpius illi, nullo alio authore citato, hunc errorem impingat. Hanc ſententiam colligit ex varijs Chryſoſtomi locis.

Primus ſumitur ex homil. 14. in Ioannẽ ante med. tom. 3. pag. 61. B. C. vbi explanans illa verba Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquam*; hæc ſcribit: *Nam id, quod Deus eſt, non modò Prophetæ non viderunt; ſed nec Angeli, nec Archangeli: ſed ſi eos percontaberis, nihil ab eis de Dei ſubſtantia audies; ſed tantum referentes, Gloria in excelſis Deo, referrent enim, ſi eam viderent.* Et paucis interiectis, ita concludit: *Solus autem ipſum videt Filius, & Spiritus Sãctus. Quòd, ſi omnis natura creata eſt, quanam ratione increatam videre poterit? & ſi incorpoream naturam, quamuis genitam, non poſſumus manifeſtè conſpicari; & hoc ſæpenumero in Angelis oſtenſum; multò minus incorpoream, & ingenitam ſubſtantiam. Quare Paulus inquit, quã nemo hominũ vidit, nec videre poteſt.* Et eadẽ pag. 61. D, inde probat, Filiũ Dei eſſe Angelis inuiſibilem; quia Paulus 1. Timothei 3. ait, Filium Dei inuiſibilẽ, fuiſſe viſum ab Angelis manifeſtatum in carne; inde inferens eũ antea non fuiſſe ab illis viſum. Ita enim ait: *Qui autẽ inuiſibilis imago eſt, ipſum quoque inuiſibilẽ eſſe neceſſe eſt; aliter non eſſet vera imago: propterea inquit, qui manifeſtatus eſt in carne: manifeſtatio autem per carnem non eſt ſecundũ ſubſtantiam: nam quòd ipſe inuiſibilis ſit, non ſolùm hominibus ſed etiã ſupernis virtutibus; cum dixerit Paulus manifeſtum eſſe in carne, ſubdidit viſum ab Angelis. Ergo ex quo carnem induit; antea non ita videbatur: cum ipſis quoque inuiſibilis eſſet ſubſtantia.* Hac autem ſtatuta concluſione, objiciens ſibi illud Matthæi 18: *Angeli eorum, &c.* Ita ſubijcit: *cognitionem namque; atque imaginationem, quam pro viribus noſtris de Deo capimus, viſionem appellat.* 2. 1. Locus ex Chryſoſt.

Denique inferiùs pagina 63. A, docet, *Vnigenitum inter alia, hoc etiam nos docuiſſe quòd Deũ videre, eſt impoſsibile.* Hæc ſumpta ſũt ex prędicata homil. 14. in Ioannẽ. 3.

¶ Secundo loco adducũtur pleraque ex quinque homilijs, quas de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos ſcripſit tom. 5. Nam in prima, pagina 966. B. 4. 2. Locus.

poſt quàm ex Prophetis, & ex Paulo oſtendit homines Dei ſubſtantiã nõ vidiſſe; idẽ inquirit de Angelis, ita inquiens: *Sed iam, ſi placet, dimiſsis Prophetis, & Paulo, Cœlum petamus: & an in illa regione ſuperiori aliqui ſunt, qui Dei ſubſtantiã norint, quæramus.* Propoſita hac quæſtione, negantẽ illius partem ita concludit: *Verumtamen demus, & concedamus, vt latiſsimè Deum incomprehenſibilem eſſe; quando ne in Cœlo quidem, virtus aliqua ſit creata, quæ norit diuinam eſſentiam.* Et id in ſequentibus latiſsimè probat.

5. Homilia 3. paulò poſt prin. pag. 578. A, ita ait: *Inuocemus itaq; ipſum ineffabilẽ, inuiſibilẽ, incõprehenſibilẽ, inintelligibilem Deũ: qui omnem linguæ humanæ ſuperat facultatem; qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit: quem nec Angeli inueſtigare, nõ Archangeli indagare, non virtutes, non denique aliqua creatura cernere valet; ſed Filius duntaxat cognoſcit. & Spiritus Sanctus.*

6. In eadẽ homilia pag. 978. B. ita inquit: *Eò dementiæ deueniſtis, vt quæ virtutes incorporeæ omnes inſpicere nequeunt; hæc vos, &c,* Et inferiùs pag. 979. C. explicans illa verba Iſaiæ 6. *Duabus velabant*, ita ſcribit: *Dic quæſo, quam ob rem alas prætendunt, & ſuas operiunt facies? quid aliud dixeris cauſæ, quàm ſplendorem procurſantem, è ſolio illo & fulgur poſiliens ferre nequire?*

7. Homilia etiã 4. pag. 987. A, in princ. *Sed ad debitũ, inquit, ſoluendũ veniamus, hoc eſt ad demonſtrandum, nec Principatus, nec Poteſtates noniſſe Dei ſubſtantiam.* Et hoc probat ex verbis Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam.*

8. In eadem homilia pag. 987, C. ita ſcribit: *Verum quòd plus aliquid, quam olim propoſitum fuiſſet; ipſe nobis eſſet reuelaturus; videlicet, nec virtutes quidẽ ſuperas poſſe Deũ videre: idcirco Vnigenitũ allegare Magiſtrũ voluit: viſum autem hoc loco pro cognitione poſitum arbitror.*

9. Denique homilia 5. paulò poſt princ. pag. 992. C. ita ait: *Dixit, non quia Patrẽ vidit quiſquã, niſi is, qui eſt à Deo, hic videt: Viſionem hic rurſus cognitionẽ appellat.* Deinde pluribus probat, Chriſtum Dominũ; dum illa adiecit verba, *Niſi is, qui eſt à Deo* omnẽ creaturã à viſione Patris excluſiſſe.

10. ¶ Tertio loco obijci poteſt; quia homilia 3. de incõprehenſibili Dei natura appertẽ negat Seraphinis viſionem intuitiuam eſſentiæ Dei; etenim de illis ita ait pagin. 979. C: *Quanquam non ipſam meram videbant lucem, nec ipſam ſynceram ſubſtantiam; ſed quæ videbant, condeſcenſus erat, & indulgentia.* Iam verò, qui negat viſionem ſubſtantiæ Dei ſynceræ, & puræ, vtique euidenter negat viſionem intuitiuam Dei. Quod etiã colliges ex verbis, quibus explanat quidnam ſit condeſcenſus ille; ita enim ait: *Cum Deus, non vt eſt, ſe oſtendit, ſed quoad videre is poteſt, qui aſpectum huiuſmodi meruit; eatenus firmitatẽ videntis ſuã repræſentationem metitur, ac temperat: condeſcendere illum tantiſper dicimus; & huiuſmodi condeſcenſum nominamus, & indulgentiam.* Quæ verba, inquit, Bellomont. adeò manifeſta videntur, vt nullo modo ea expẽdere, & amplius examinare neceſſe ſit.

Confirmatur adhuc; quoniam ad eundem modũ ait Prophetas non vidiſſe Dei ſubſtantiã, ſed cõdeſcenſum illum, obſcuriùs tamẽ, quàm Angelos. Cùm igitur Angelos comparet Prophetis; & Propetæ Deũ non viderint ſecundũ eſſentiam, vt diſſertis verbis Chryſoſtomus explicat; profectò idem de Angelis affirmat. 11. 3. Locus.

¶ Poſtremò obijci poteſt homil. 13. in Geneſim parũ ante finẽ, vbi habet hæc verba: *Cuius gloriæ fulgurantẽ maieſtatẽ nec Cherubim, & in corporeæ illæ virtutes videre poſſũt; ſed auerſæ facies tegunt, obiectis alis.* 12.

Hæc ex Chryſoſtomo adducuntur à Bellomontano, vt confirmet S. Chryſoſtomum cum Armenis erraſſe, & eorum errorem conſtanter docuiſſe. 13. VI. locus.

§. 2.

Ferè omnes Chryſoſtomum liberant ab hoc errore.

SEd non video, cur tantũ errorem Sãctiſsimimo, & Doctiſsimo Patri impingam⁹: maximè, cũ art. 3. ex varijs illius locis euidenter oſtenſum ſit, eũ veritatem Catholicam docuiſſe, & Sanctis in Patria claram diuinæ eſſentiæ viſionem conceſsiſſe. In locis autem citatis oppoſitum non docuiſſe communis, eſt ferè omnium ſententia; ita docet *D. Tom. 1. p, q. 12. artic. primo. ad 1. & in 4. diſtinct. 49. q. 2. art. 1. ad 1. & de veritate q. 8. artic. 1.* Cũ *D. Thoma conſentiunt D. Bonauentura in 2. diſt. 23. art. 2. q. 3. in corpore. Durandus in 4. diſtict. 49. quæſtione 2. ad 4. Bellarminus lib. 1.* 14. Qui Chryſoſtomum liberarent. D. Thom. D. Bonau. Durand. Bellarmin.

Velloſil. *Leocaſtro.* *Senenſis.* *Lorca.* *lib. 1. de Sanctorũ beatitudine c. 4. ad fin. §. Ad illam confirmationẽ, Velloſillus in aduertentijs ad 1. tom. Chryſoſtomi quæſito 5. Leocaſtro ad illa verba Iſaiæ 6. Seraphim ſtabãt, Xiſtus Senenſis lib. 6. Bibliotecæ annot. 182. in fin. Ripa 1. p. q. 12. art. 1. & Lorca 1. 2. q. 5. diſp. 27. & cõmuniter recentiores.* Quare nõ eſt, quod vnius Theologi teſtimonio hanc notã Sãctiſsimo Chryſoſt. inuramꝰ: maximè cũ omnia in contrariũ adducta in bono ſẽſu ad mentẽ illiꝰ explicari valeãt.

14. *Præmiſſũ.* Et antequã veram explicationẽ afferamus, illud prǽmittimus nõ eſſe audiẽdos, qui Chryſoſtomũ intelligunt de viſione per oculos corporis, vt benè aduertit *Bellomont, in d. diſp. 37. c. 3. nu. 4. & ante eũ Bellarmin. loco cit.* nam vt omittamus Angelos apud Chryſoſtomũ nõ eſſe corporeos; & quòd Anomæi, cõtra quos diſputat, nõ dixerint ſe Deum videre oculis corporis, ſed mentis; cõſtat Chryſoſtomũ eã viſionem omni creaturæ denegare, quã ſoli Filio cõcedit; hæc autẽ nõ eſt viſio corporea, ſed intellectualis. Vnde homil. 4. de cõprehenſibili Dei natura *pag. 1169. C. D, & homil, 5. pag. 1176. B.* expreſſè declarat ſe etiã agere de viſione ſumpta pro cognitione mẽtis: *Viſum, inquit, hoc loco pro cognitione poſitũ arbitrare.* Et iterũ: *Viſionem hic rurſus cognitionẽ appellat.* Nec verũ eſt Auguſt. in Epiſt. 111. & 112. Chryſoſtomũ de corporea viſione explicaſſe: cũ in neutra Chryſoſtomi meminerit. Immeritò igitur hãc Chryſoſtomi explicationẽ Bellarminus tribuit Auguſtino: nec ego aliquem inueni, qui iſto modo Chryſoſtomum explicauerit.

§. 3.

Vera Chryſoſtomi explicatio.

15. *Explicatio Chryſoſt.* Dicẽdum eſt igitur, Chryſoſtomũ, nec agere de viſione corporea, nec de beatifica, ſed de naturali, tàm hominis, quàm Angeli; non quacumq; ſed cõprehenſiua. Quòd non agat de cognitione beatifica, qua beati in Patria Deum vident; ſed de cognitione, quæ de Deo in hoc ſæculo haberi poteſt, euidenter conſtabit, ſi diſputationis proceſſum in homilijs de incõprehenſibili Dei natura cõtra Anomæos diligentius inſpiciamus, & illorũ errorem. Aſſerebant ſe in hoc ſæculo degentes totam, ac plenam diuinæ naturę ſcientiã conſecutos eſſe. Nec vnquam Chryſoſtomus eos arguit, quòd dixerint ſe in hac vita iam eſſe beatos; imò in tota illa diſputatione, nec verbũ fecit de ſcientia beatorũ. Quare contra eos diſputando, ita procedit, vt quod attinet ad homines, inde illos hæreticos conuincat, quod nec Paulus in hac vita, nec Prophetæ plenam habuerint diuinæ ſubſtantiæ cognitionẽ, vt latiſsimè probat: & inde homilia 1. pag. 1141. & 1142. inſurgens contra illos, ita ait: *Vbi igitur illi ſunt, qui ſe totam ſcientiã recipiſſe affirmant? nam qui in hoc ſæculo totum ſciendi modum ſe recipiſſe autumant, in poſtero priuatos ſe omni ſcientia ſtatuũt, ſcientia enim huius ſæculi, in futuro deſtruetur, vt ait Paulus.* Ecce diſſertis verbis docet, ſe in hac diſputatione agere de ſcientia huius vitæ, non futuræ. Quod etiã ſatis ſignificat, dũ eadem homilia eiſdẽ hæreticis obijcit, *Prophetas in hac vita plenam Dei ſcientiam non habuiſſe.* Confirmã.

Quo etiam arguendi modo procedit homiliã 2. in qua pag. 1154. hæreticos illos conuincit teſtimonio Pauli aſſerẽtis, ſe non dùm totum ſciendi munus aſſecutum eſſe. 16.

Homilia etiam 3. pagin. 1158. ſoluens quandam hæriticorum obiectionem his verbis eos vrget: *Non inſolenter is agit, qui natiuorum omnium vim comprehendi, & ſuperari à ſuo Creatore autumat; ſed, qui ipſum incomprehenſibilem virtutibus ſuperis exiſtimat, poſſe deſcribi, & cõprehendi rationibus hominum, qui terrenam hanc regionem incolunt, & à ſupernis illis diſtant, ac diſcrepant.* Verba ſunt adeò expreſſa, vt examine non indigeant. Quare certiſsimum eſt, Chryſoſtomum contra illos hæreticos, diſputare, vt eos conuincat, Deum in hac vita ad plenum cognoſci non poſſe. 17.

¶ Quod verò in omnibus illis homilijs Chryſoſtomus ſermonem faciat de notitia Dei naturali, quam de diuina ſubſtantia, tàm homines, quàm Angeli viribus ſuæ naturæ habere poſsint, euidenter colligemus, ſi diligentius expendamus, quæ in illis ſcribit. 18. *Quod loquatur de notitia naturali.*

Id facilè intelliges ex prima homilia: poſtquam enim imperfectionem huius vitæ ex Paulo multis demonſtrauit; ita ſcribit pagina 1142. B. *Deum eſſe vbique, totumque eſſe quaque ex parte Orbis terrarum noui: ſed quemadmodum ſit: neſcio. Item* 19.

non inceptum, non genitum, ſempiternum eſſe Deum, non ignoro; ſed quo pacto ita ſit, intelligere nequeo. Aſsignans autem rationem huius imperfectionis, ait: *Haud enim humana ratio poteſt capere, quemadmodum fieri poteſt, vt aliqua ſubſtantia ſit, quæ nec à ſemetipſa, nec aliunde ſuam originem habeat.* Eadem verba repetit inferiûs pag. 1145. A. Nunquid hæc docet Chryſoſtomus de ratione humana ſupernaturaliter eleuata? minimè gentium: nam in Patria omnia illa, quæ refert, eſſe à nobis diſtinctè cognoſcenda, etiam aduerſarij (qui claram Dei viſionem negant) velint, nolint, conceſſuri ſunt: quia deſtruetur imperfectum noſtræ ſcientię, cum in Patria aduenerit, quod perfectum eſt, vt ait Paulus 1. Corinth. 13. Agit igitur Chryſoſtomus de ratione humana ſolo lumine naturali ducta.

20. Id oſtenditur ex homil. 1.

Homilia 2. pag. 1151. arguit Anomæos, argumẽto ſumpto, ex imbecillitate naturæ humanæ, quæ in cognoſcẽdo ita eſt infirma, vt diuina perfectè non intelligat; imò nec corporalia, cœlũ, inquam, & terrã, mare, elementa, cæteraq; huius ſeculi corpora; & in hac inbecibillitate oſtendẽda latiſsimè ſpatiatur pag. 1152. & inde arguit, hæreticos illos, quod ſe iactent totam diuinorũ ſcientiam habere: quos tamen non benè argueret, ſi ſermo eſſet de cognitione ſupernaturali: vnde in eadem pag. C. his verbis concludit: *Hinc Paulus Sapientiſsimus ille, cum incomprehenſibilem Dei exuberantiam, & naturæ humanæ fragilitatem cogitaret; contra homines, qui diſpenſationes diuinas ſcrutabantur, & perquirebãt, moleſtiſsimè ferens dicebat ad hanc vehementiam: O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? qui es? intellige prius tuam naturam, quæ ſit: nomen nullum comperies, quod poſsit tuam ſatis exprimere exiguitatem.* Quæ verba intelligenda ſunt de homine, qui pro virib⁹ naturę ſupra modũ fidei diuina perſcrutatur; nam ſcrutari diuina intra limites fidei, & reuelationis, laudandum eſt potius, quàm reprehendendum. Quare ad finem eiuſdem 2. homilię pag. 1155. C. contra eoſdem adducit illud Pauli ad Philippenſes 3. *Quicumque perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapis; hoc Deus reuelabit, non ratio docebit.* Et inde hæreticos redarguit, quòd ſua naturali ratione, omni ſecluſa reuelatione, diuina metiantur.

Homil. 3. poſt princ. pag. 1157. D. *Inuocemus, inquit, ipſum ineffabilem, inuiſibilem, incomprehenſibilem Deum, qui omnem linguæ humanæ ſuperat facultatem; qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit.* Et paucis interiectis, aduerſarios inſolentiæ accuſat, *Qui Deum virtutibus ſuperis incomprehenſibilem exiſtimant poſſe deſcribi, & cõprehendi rationibus humanis hominum.* Quid quæſo eſt: *Rationibus hominum, niſi rationibus à lumine naturali petitis?* In eadem homilia 1159. C. & 1160. A. B, ex eo hæreticos arguit, *quòd virtutes ſuperæ Deum nõ comprehendant:* quaſi ſic argumentetur: Si virtutes cœleſtes Deum perfectè ſcire nõ poſſunt; quomodo vos, qui eſtis homines, eam perfectè ſcietis? conſequentia inde deducitur: *Quoniã ſubſtantiæ ſeparatæ tanto perfectius cognoſcunt diuinam ſubſtantiam quàm homines; quò excretiores, puriores, ſapientiores, & perſpicatiores ſunt natura humana, quemadmodum enim lucem radiorum Solis non tàm cæcus, quàm qui videt, eſſe inacceſsibilem nouit: ſic naturam Dei inacceſsibilem non eodem nos nouimus modo, quo illæ ſupernæ virtutes, & incorporeæ: quantum enim inter hominem cæcum, & videntem diſcriminis eſt; tantum illæ à nobis diſtant.* Cedo de qua cognitione hoc aſſerit Chryſoſtomus? Nunquid de beatifica? minimè: hæc enĩ nõ pẽdet à præſtãtia naturæ, ſed à lumine glorię; beati enĩ nõ eò plus vidẽt de diuina eſſentia, quò ſũt naturæ præſtãtioris; ſed quò lumen gloriæ eſt intẽſius: hoc autẽ in pleriſq; hominibus maius eſt, quã in Angelis, etiã ſupremi ordinis. Quare, quę hoc loco aſſerit Chryſoſtom. ſi vera eſſe debẽt (ſunt autẽ veriſsima) non ſunt intelligẽda de viſione beatifica, ſed de naturali. Quod adhuc euidẽtius colliges ex eadẽ homil. pag. 1162. C. D, vbi explicãs viſionẽ Ezechiel. 1. docet, *Pinnas Angelorũ referre eminentiã naturæ vireſq́ ſublimes, atque excelſas eiuſdẽ naturæ.* Nõ dixit, *gratiæ*; ſed *naturæ*, vt ſignificaret in illa diſputatione ſermonem non eſſe de ſupenaturali aliqua viſione; ſed de cognitione naturali Angelorum.

21. Idem ex homilia 3.

Et vt finẽ faciamus, accedant verba, *ex homilia 5. pa. 1179. C: D:* quo in loco inde oſtendit, Vnigenitum perfectiſsimè cognoſcere Dei ſubſtantiam; quia ex Deo eſt, & eiuſdem naturæ cum eo. Confirmans autem hoc argumentum, ita ſcribit: 22. Alia confirmatio ex homilia 5.

Sub-

Subſtantia namque ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfectè intelligere poteſt; etiam ſi parum intereſt: nam etſi inter hominem, & Angelum parum diſcriminis eſt (iuxta illud; Minuiſti illum paulo minus ab Angelis) tamen, quia intereſt aliquid, neſcimus exquiſitè Angelorum ſubſtantiam; nec ſi ſummè Philoſophabimur, comperire vnquam, quid ſit, poterimus. Sed quid de Angelis loquor? quando nec ipſius quidem animi noſtri ſubantiam ſatis nouimus: imò nullatenus attingere valeamus. Et inde arguens Anomæos, ita ſcribit: *Tamen, qui Angelos neſciunt: qui ſuos animos ignorant: ijdem Dominum, & conditiorem omnium rerum ſcire exquiſitè contendunt?* Numquid humanus intellectus ſupernaturaliter eleuatus nõ poteſt ſubſtantiam Angeli quidditatiuè cognoſcere, & perfectè comprehendere? ſi poteſt; quando in hoc loco id negat Chryſoſtomus; vtique id negat de naturali cognitione: homo enim pro ſtatu vitæ ſubſtantiam Angeli virtute ſibi naturali cognoſcere non poteſt: imò nec anima ſeparata naturaliter id valet, ſi pleriſq; cre-
23. dendum eſt.

Quare, quãdo Chryſoſtomus ait, nullam creaturam poſſe cognoſcere ſubſtantiam Dei; ideo, quia eſt ſuperior; hoc oportet intelligere, non de cognitione ſupernaturali, & beatifica, ſed de naturali habita viribus naturæ.

24. Agit de cognitione cõprehenſiua. ¶ Denique quòd Chryſoſtomus in ijſdẽ homilijs ſolùm agat de cognitione cõprehenſiuâ diuinæ eſſentiæ; etiam diligenter oſtendimus; vt inde pateat mens, & vera explicatio Sanctiſsimi Doctoris.

25. 1. locus. Primùm id oſtendimus ex homilia 14. in Ioannem, vbi pag. 62. A, ita ait: *Sic multi Deum cognoſcimus; non tamen ipſam ſubſtantiam, qualis eſt niſi ſolus eius Vnigenitus, qui certam notitiam, viſumque, & comprehenſionem habet, qualem filium de Patre habere par eſt.* Et paucis interiectis, ita ſcribit: *Hinc collige certam Filij de Patre comprehenſionem, & parem Patri cognitionem.* Id apertius colligitur ex præcitatis homilijs de incomprehenſibili natura Dei, in quibus totus eſt Chryſoſtomus in oſtendenda incomprehenſibilitate Dei, quã in omnibus, quæ adducit, argumẽtis ſemper concludit: & inde arguit Anomæos, quòd iactent ſe Deũ in hac vita comprehendere, vt patet homilia 1. pagina 1142. C. *vbi ſunt, inquit, qui ſe totam ſcientiam recepiſſe affirmant?* Et pag. 1143. A. B. *Demus Deũ incomprehenſibilem, quando nec in cœlo quidem virtus aliqua ſit creata, quæ norit diuinam eſſentiam:* hæc autem conſequentia vim non habet, niſi intellectui creato etiã in cœlo, deneget viſionem comprehenſiuam.

Homilia 2. ita habet: *Hæc cum audis, non te luges, qui eò temeritatis, & ametiæ* 26. 2. locus.
prorupiſti, vt quem gloririficare debes, & adorare, hunc, ſeu rem quandam abiectam, & vilem curioſè ſcruteris; & contendas penitus comprehendere.

Homilia 4. pag. 1169. A. obiectis qui- 27. 3. locus.
buſdam Prophetarum viſionibus contra ſententiam Ioannis cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam,* ita reſpondet: *Nullum vidiſſe Deum Ioannes inquit, vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreſſam cognitionem in nullo contigiſſe intelligas.* Et paulò poſt: *Quapropter quoties Deum nullum vnquam vidiſſe audis; illud intellige, nullum eſſe, qui Deum nouerit; qui ſubſtantiam Dei exquiſita ratione perceperit,* Et ſtatim: *Cum itaque dicit Deum, quamuis condeſcendentem, minimè ferre illas virtutes potuiſſe, nihil aliud docet, niſi eius cognitionem expreſſam, amplam, integram, non potuiſſe recipere.*

Denique id colliges ex ijs, quæ ſcribit 4. locus.
homilia 5. pagin. 1179. C. & 1180. C. & paſsim in illis homilijs, quæ longum eſſet recenſere.

§. 4.

Non admittuntur ſolutiones Bellomontani.

HIs omnibus, quæ in præcedente §. 28. Solutiones Bellom.
diximus, reſpondet Bellomontanus *in dicta diſput. 37. cap. 3. num. 6.* nec Anomæos egiſſe de viſione, quam Scholaſtici vocant comprehenſiuam, nec D. Chryſoſtomum: ſed de qua vis clara Dei notitia, qua Deus totus, ſicuti eſt, cognoſcatur, quam beati in Patria habent de Deo. Primum ex eo probat; quia Eunomius (idem diceret de Anomæis) non ita amens fuit, vt ſuam, quam de Deo habebat, ſcientiam, omninò æquaret ſcientiæ, quam Deus de ſe habet: & proinde ſolùm dixiſſe, eſſe æqualem ex parte obiecti; quia ſcilicet nihil eorũ, quæ ſunt formaliter in Deo, eſſet notũ Deo, quod ipſe quoque non videret. Illud verò poſ-

terius probat ex eo; quia ſi Chryſoſtom. ageret de viſione cōprehenſiua in eo ſenſu: nec bené argumentaretur cōtra Anomæos Homilia 14. in Ioannem, dum ex eo probat, Angelos non vidiſſe Deū, quia nihil de Dei ſubſtantia dixerunt: nec diceret homilia 3. contra Anomæos Angelos solùm vidiſſe aliquid diriuatum à diuina eſſentia.

29. Reprehenditur Bellomont. Sed Bellomont. non ſolùm non eſt audiendus, ſed etiam reprehendendus, quod potius vult Anomæos liberare ab amentia, quam Sanctiſsimum, & Doctiſsimum Chryſoſtomum ab eorrore. In eo etiam eſt reprehendendus, quod nititur hæreticos ab amentia liberare, quos, vt amentes, ſtolidos, & inſipientes, non ſolùm Chryſoſtomus reprehendit; ſed etiam Theodoretus, & Baſilius. Ego addo in eo Bellomontanum imprudenter loqui, quòd negat hæreticos illos agere de viſione apud Scholaſticos comprehenſiua, cum hunc errorem præcitati Patres eiſdem tribuāt.

30. Chryſoſtomus hæreticos vocat ſtolidos. Quod D. Chryſoſtom. hæreticos illos, & amentes, & ſtolidos vocet, paſsim inuenies homilia 2. per totam, & homilia 3. & 5. nam homilia 2. ita ait: *Tua ipſa tantummodo nomina ſatis tuæ amentiæ poſſunt monſtare nimietatem.* Et, vt alia omittam, ſatis ſint verba eiuſdem homiliæ: *Nam hæc eadem opinio orta eſt ex ſtoliditate, & inflatione.* Inſanos, deliros, & furentes eos appellat homilia 5. pagina 997. Similiter, & Theodoretus 4. lib. hæreticarum fabularum cap. de Eunomio: D. Baſilius temerarios, & arrogantes vocat libr. 1. contra Eudemium fol. 261. col. 1. & 2. ſatis igitur imprudenter, eos ab amentia liberat Bellomontanus.

31. Imprudentia Bellom. Nec ſolùm id facit imprudenter; ſed etiam falſo eos explicat, & cōtra ea, quæ de illis Chryſoſtomus, Theodoretus, & Baſilius ſumma cum veritate referunt. Nam quòd Anomæi affirmauerint, ſe Deum ita noſſe, quemadmodum Deus ſe ipſum nouit; verbis expreſsis teſtatur Chryſoſtomus in dicta homilia 2. pagina 971. & Theodoretus vbi ſuprà. Quod hoc nō aſſerant de ſola æqualitate ex parte obiecti (vt Bellomontanus ſatis imprudenter interpretatur) ſed etiam ex parte modi videndi; non ſolùm ipſa verba aſſertionis oſtendunt, ſed etiā antecedētia: dicebant enim (teſte Chryſoſtomo) *Se ſcire, quæ omnibus inconſpecta, inaudita, & incomprehenſibilia, & ſoli Deo nota.* Quæ verba de ſola æqualitate obiectiua explicari nequeunt: ſicut nec illa quæ ſtatim adducit Chryſoſtomus: *Homo cum ſis* (inquit Chryſoſtomus) *noſſe Deum omnibus modis contendis*; & homilia 1. pagina 964. *Totum videndi modū ſe recepiſſe autumant.* Et homilia 2. pag. 973, A: *Contendunt, ſe Deum penitus comprehendere*: Quæ eadem verba ex illis refert Baſilius libro primo aduerſus Eunomium pagina 262. col. 1. in principio. Denique de illis teſtatur Chryſoſtomus in dicta homilia 2. pagin. 964. D, quòd affirmauerint, *Se tenere integerrimam, perfectiſsimamque Dei ſcientiā; & ideo totam tenere, quia ſummam omnium tenebant.* Quare oſcitanter ſatis ſe habuit Bellomontan. in legendis erroribus Anomæorum, dum negat eos ſuum errorem non explicaſſe de cognitione comprehenſiua Scholaſticorum.

Sed etiam in euoluendo Chryſoſtomo pigrè ſatis ſe habuit, dum negat illum egiſſe de cognitione comprehenſiua ad ſenſum Scholaſticorum: nam argumentaturus contra errorem Anomæorum in 3. homilia aduerſus eos primum omnium interrogat, quidnam ſignificet eſſe inacceſsibile; & eſſe incomprehenſibile? vt patet pagina 979. A: & concludit his verbis: *Quod inquiſitum, inueſtigatumque comprehendi non poteſt; id eſſe incomprehenſibile, dicamus: exempli gratia, Mare incomprehenſibile dicamus, quod ſubeuntes orinatores, multumque altitudinis traſmittentes, fundū attingere nequeunt.* Ecce pro fundamento totius diſputationis explicat, de qua incomprehenſibilitate loquatur: quæſo, reſpondeat Bellomontanus; num hæc explicatio Chryſoſtomi ſumat incomprehenſibile in toto rigore Scholaſtico? vtiq; non negabit. Ergo cum illam attulerit, vt oſtendat illam cognitionem eſſe comprehenſiuam rei cuius profunditas intelligēdo penitus attingitur; & hæc ſit Scholaſticorum diffinitio; & hanc Anomęos non habere, innumeris oſtendat argumētis; quomodo affirmat Bellomontanus, Chryſoſtomum agentem contra eos non agere de cognitione cōprehenſiua Scholaſticorum? maximè, cum iam oſtenſum ſit, Anomæos ſuum errorem de eodem intellexiſſe. 32. Eſt negligēs in reuoluendo Chryſo. 1. probatio.

Acce-

33. 2. probatio. Accedant verba, quæ ſcribit homil. 1. pag. 965. A.B. ex eo enim ꝓbat, *ſapientiã Dei eſſe incomprehenſibilem ab aliqua creatura; quia magnitudo eius nullo deſcribitur ſiue.* Et inde arguit hæreticum dicens: *Et tu ſubſtantiam eius deſcribere audes? & complecti omnia poſſe opinaris?* Quod argumẽtum non ſolùm ſumitur ex ſcholaſticorum comprehenſione; ſed etiam concludit hæreticos ſuum errorem intelligere de vera ſcholaſticorum comprehenſione: aliter de Chryſoſt. iure poſſent cõqueri.

3. probatio. Tertiò accedat, quod Chryſoſtomus in illis homilijs ſæpiùs declarat: ſe agere de ſcientia Dei plena, expreſſa, exquiſita, ampla, integra, expleta, & abſoluta, quam nihil lateat diuinæ naturæ: hanc autem eſſe comprehenſiuam, de qua ſcholaſtici agunt, nullus dubitabit: etenim hanc ſoli Deo tribuit. Vide illum homilia 4. pag. 987. B.D. & 988. C. & homilia 5. pagina 995. B. & 996. A.B.

34. Vltima confirmatio. Denique homil. 1. in Ioannem ita ait: *Sic multi Deum cognoſcimus; non tamen ipſam ſubſtantiã, qualis eſt, niſi ſolus eius Vnigenitus, qui certam notionem, viſumque, & comprehenſionem habet, qualem filium de Patre habere par eſt: ſicut enim cognoſcit me Pater, inquit, & ego cognoſco Patrem.* Ecce tibi declarat ô Bellomontane, de qua comprehenſione ſermonem faciat: de ea; ſcil. quam par eſt filium habere de Patre, quę æqualis eſt illi, quam Pater habet de filio. Vnde addit: *In ſinu Patris eſſe maius eſt, quàm videre: qui enim tantùm videt, non certam habet rei viſæ cognitionem* (certam, inquam, id eſt omnimodam:) *qui verò eſt in ſinu Patris, omnia ei ſunt perſpicua, & certa: & ita certa, vt par ſit cognitioni paternæ.* Quibus verbis ſatis euidenter diſtinguit, comprehenſionem diuinæ eſſentię ab ea, quæ talis non eſt: hæc enim poteſt non omnia attingere; quia non eſt viſio eius, qui eſt in ſinu Patris.

¶ Hæc tàm latè diximus aduerſus Bellomontanum, quia omnia iſta explicant mẽtem, & ſenſum Catholicum D. Chryſoſtomi: ſed iam accedamus ad explicanda loca, ex quibus Bellomontanus putat, Chryſoſtomum errorem Armenorũ tenuiſſe.

§. 5.

Soluuntur, & explicantur teſtimonia à Bellomont. contra Chryſoſtomũ adducta.

EX ijs, quæ de Chryſoſtomo pręmiſimus, iam patet ſolutio eorũ, quæ ex Chryſoſtomo ad illum erroris conuincendum adducit Bellomontanus: & generaliter dicimus, ſanctiſsimum Patrem in omnibus illis locis agere, tùm de cognitione naturali; tùm etiam de comprehenſiua diuinæ eſſentiæ. Quod facilè intelligetur, ſi ſingula teſtimonia perſequamur. 35. Explicãtur teſtimonia in cõtrariũ.

Ea, quæ primo loco adducuntur, D. Thomas cum cæteris adductis §. 2. explicat de viſione comprehenſionis: ego puto explicanda eſſe de viſione tùm naturali, tùm etiam comprehenſiua. Et quidẽ, quod in ea homilia Chryſoſtomus agat de cognitione comprehenſiua, euidenter probant verba, quæ ex eodem refert D. Thomas, & habentur pag. 62. A. *Sic multi,* inquit, *Deum cognoſcimus; non tamen eã ſubſtantiam, qualis eſt, niſi ſolus eius Vnigenitus, qui certam notionem, viſumq; & comprehenſionem habet, qualem Filium de Patre habere par eſt.* Quæ verba ſatis declarant, in quo ſenſu affirmet, nos ſubſtantiam Dei, qualis eſt, non cognoſcere: quia ſcilicet ſolus filius eam cognoſcit, qualis ſit: id eſt, quantum eſt cognoſcibilis. Idem etiam clariùs expreſſit in eadem homilia pag. 62. C: explicans enim illa verba Ioãnis: *Deum nemo vidit vnquam, niſi qui eſt in ſinu Patris,* ita ſcribit: *Hac, vt dixi, gratia Euangeliſta ſinus meminit; quo vno verbo multam ſubſtantiæ cognitionem, propinquitatem, parem patri cognationem oſtendit.* Quaſi dicat: Ideò Ioannes dixit, Deum nullum vidiſſe, niſi ſolum Filium, qui eſt in ſinu Patris; quia ſolus ille ob ſubſtantiæ cognationem, & propinquitatem, parem cum Patre habet ſuæ eſſentiæ cognitionem, quæ eſt comprehenſiua illius. Satis igitur Chryſoſtomus explicat, quomodò, & in quo ſenſu neget, Angelos, aut creaturam vllam vidiſſe Dei ſubſtantiã; quia. ſcil. nullus eam ſua viſione comprehendit. 36. Ad teſtimonia 1. loco ex homilia 14. in Ioan.

At verò, quòd in eadem homila Chryſoſtomus etiam agat de cognitione naturali, euidenter oſtendit ratio, qua in verbis ſecundo loco poſitis probat, naturam creatam nõ poſſe increatam videre; quia, vt inquit, ſi non poſſumus videre naturã incorpoream Angelorum, quę eſt creata; quomodò videre poſſumus naturam increa- 37. Alia confirmatio.

creatam? cuius rationis antecedens in hoc ſolo ſenſu verum habet, nos non poſſe Angelos quidditatiuè cognoſcere; quia pro ſtatu viæ naturaliter talem cognitionē habere non poſſumus: nam poſt mortē, animæ ſeparatæ eos quidditatiuè cognoſcent; & pro ſtatu viæ poterunt eos cognoſcere, ſi ad talem cognitionē eleuētur. Accedit etiam ratio, qua vtitur in verbis prioribus: ideò enim Angeli nihil de Dei ſubſtantia dixerunt; quia eam quidditatiuè non cognoſcunt: dicerent autem, ſi naturaliter illius quidditatem comprehēderent: ſupernaturalium enim ea ſola reuelant, ad quæ reuelanda mittuntur. Accedit tertiò; quod in eadem homilia pag. 62. A. illa verba Matthæi 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*; explicat de viſione habita ex proprijs viribus; ita enim inquit: *Quæ nam ergo ea ſententia eſt? Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; cogitationem nanque, & imaginationem, quam pro viribus noſtris de Deo capimus, eam viſionem appellat: nec aliter de Angellis intelligendum eſt, propter puram ipſorum, & nulli ſomno obnoxiam naturam; cum nihil aliud, quàm Deum ſemper mente agitent.* Ex quibus verbis patet, Chryſoſtomum verba Matthæi 18. explicare non de viſione diuinæ eſſentiæ in ſe ipſa, quæ eſt ſupernaturalis; ſed prout eſt lumine naturæ cognoſcibilis ab Angelis; quam Dei viſionem proprijs viribus ſemper habent; quia in ſua ipſorum eſſentia Deum perpetuò intelligunt, vt plerique Theologorum docent. An hæc explicatio verborum Matthæi 18. ſit admittenda? expendemus in ſequenti art. nunc illam adducimus, vt oſtendamus Chryſoſtomum agere in illis homilijs non ſolùm de cognitione comprehenſiua diuinæ eſſentiæ; ſed etiam de naturali.

38. Vera explicatio.

His ita præmiſsis iam facilè explicantur ea, quæ ex homilia 14. in Ioannem contra Chryſoſtomum adducuntur: nam cum ait; *nec Prophetas, nec Angelos, nec Archangelos vidiſſe id, quod eſt Deus*, intelligendus eſt de viſione comprehenſiua, & naturali: hunc enim ſenſum apertè declarant non ſolùm verba, quæ in confirmationem adducuntur; quod ſcilicet Angeli nihil nobis enarrauerunt de ſubſtantia Dei, vt ſuprà aduertimus; ſed etiam illa, quæ abſoluta confirmatione immediatè adducuntur, tanquam concluſio præcedentium: *ſcilicet ſolum Filium, & Spiritum Sanctum videre Deum*: quæ intelliguntur de viſione naturali, & comprehenſiua: etenim duæ illæ perſonæ propter conſubſtantialitatem, quam habent cum Patre, naturaliter Deum comprehendunt.

Verba ſecundo loco poſita: *ſcilicet natura creata, qua nam ratione naturam increatam videre poteſt?* eodem modo explicanda ſunt; quia nulla creatura poteſt naturali ſua virtute Deum comprehendere. Quòd in illis ſermo ſit de cognitione cōprehenſiua, ſatis probant illa verba: *ſolus autem ipſum videt Filius, & Spiritus ſanctus*; diuinæ enim perſonæ totam ſuam ſubſtantiam comprehendunt, vt in eadem homilia ſæpè explicat. Quòd etiam in illis ſermo ſit de cognitione naturali, ſatis ſuadet ratio, qua aſſertio propoſita confirmatur, vt iam aduertimus. Senſus igitur eſt, natura creata increatam videre nō poteſt viſione naturali, & cōprehenſiua. 39. Ad 2. locū.

Verba tertio loco adducta: *Filium, ſcil. Dei non niſi in carne fuiſſe viſum Angelis; & ante carnem ab illis viſum non fuiſſe*, etiā intelligenda ſunt de viſione naturali, & comprehenſiua: Deum enim ſecundùm ſuam ſubſtantiam, nec naturaliter, nec cōprehenſiuè viderunt, niſi in carne; illum enim hominem Deum, & naturaliter viderunt, & naturaliter comprehenderūt; quanuis eum eſſe Deum non niſi ſupernaturaliter cognouerint. Quare Deum nunquam naturaliter, aut viderunt, aut comprehenderunt, niſi poſt carnem, & ſecundum carnem; non verò ſecundùm ſubſtantiam diuinam: & ad hunc modum verba illa intelligit Bellarminus. 40. Ad 3. locū.

Quod verò obijcitur de interpretatione verborum, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris* Matthæi 18. ſolùm probat, Chryſoſtomum verba illa non ſatis accōmodatè fuiſſe interpretatum; quod admittimus, & facilè patebit ex ſequenti articulo: inde tamen non benè probatur, Chryſoſtomum negaſſe Angelos ſupernaturaliter eleuatos videre diuinam eſſentiam. Quarè melius eſt, interpretationem Chryſoſtomi nō admittere, tanquā alienam à litera; quàm erroris illum accuſare. 41. Ad 4.

Ex dictis etiam patet ſenſus verborū, quæ ex homil. 14. in Ioannē vltimo loco afferun- 42.

afferuntur: Deus enim nec naturaliter, nec cõprehenſiuè ab vlla creatura videri poteſt: quem ſenſum explicant verba immediatè conſequentia; *quod Deum nemo nouit, niſi Filius*: hæc enim exceptio ſatis declarat, quod nemo vidit Deum eo modo, quo Filius eum videt: quia ſolus ille, & naturaliter, & cõprehenſiuè videt eũ.

43. Ad teſtimonia ex homilijs de incomprehẽſibili Dei natura.

¶ Sed iam expendamus, quæ ſecundo loco obijciuntur ex homilijs de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos: hæc autem faciliorem habent explicationem, cum iam oſtenſum ſit, & Anomęos ſuum errorem explicaſſe de cognitione naturali, & comprehenſiua Dei; & Chryſoſtomum de ea in illis homilijs locutum fuiſſe.

44. Ad 1. Quod adducitur ex prima homilia de Prophetis, veriſsimum eſt, eos diuinam eſſentiam in ſe ipſa non vidiſſe; ſed in illis corporalibus viſionibus, in quibus Deus illis apparebat. Hoc autem non arguit, Prophetas in Patria eam clarè nõ videre. Quod verò de Angelis dicitur, intelligẽdum eſt de cognitione naturali, & comprehenſiua, vt ipſamet verba ſatis declarant; ita enim habent, *Vt intelligatur, Deũ eſſe incomprehenſibilem*, in quibus proponitur concluſio probanda: eam autẽ probat; *quia Angeli in cœlo non norunt diuinã eſſentiam.* Hoc argumentum, niſi de notitia comprehenſiua intelligatur, non benè infert concluſionem probandam. Vt etiam omittamus in illa homilia ſermonẽ eſſe de cognitione naturali, quæ Angelis conuenit, vt iam diximus: hanc autem Angeli etiam in cœlo non habent; nec habuerunt in via; ſed ſolùm poſtquam ſupernaturaliter ſunt eleuati.

45. Ad 2. Quod adducitur ex homilia 3. explicatione non indiget; quia non modò verba illa antecedentia; *inuiſibilem, inquam, incomprehenſibilem, &c.* ſed ipſamet verba, quæ obijciuntur, euidenter declarant, ſermonem ibi eſſe de viſione naturali, & cõprehenſiua: illa inquam, *quæ omnem linguæ humanæ ſuperat facultatem: quæ omnes mortalis intelligentiæ vires excedit.* Accedant etiam verba immediatè conſequentia: *Nec verò ignoro aduerſarios noſtros verbis his meis inſolentiam ſummam obiecturos; quod nec ſupernis quidem virtutibus Deum eſſe comprehenſibilem iudico: verum ego ſuũ ob id ipſum obijcio furorem. Non inſolenter is agit, qui natiuorum vi comprehendi, & ſuperari à ſuo creatore autumat: ſed qui ipſum incomprehenſibilem virtutibus ſuperis exiſtimat, poſſe deſcribi, & comprehendi rationibus hominum, qui terrenam hanc regionem incolunt, & tàm à ſuperis illis diſtant, ac diſcrepant.* Quæ verba apertiſsimè oſtendunt, Chryſoſtomum agere de notitia Dei nõ modo naturali, ſed etiam comprehenſiua.

46. Ad 3. Verba alia adducta ex eadem homilia pag. 978. B. explicantur ex immediatè præcedentibus: ita enim ſcribit: *At qui vos, poſteaquam oſtenſum ſit, Deum incomprehenſibilem eſſe virtutibus ſuperis: contendetis præterea, & affirmabitis voſmet illum noſcere, & comprehendere?* Deinde immediatè conſequuntur, quæ Bellom. obijcit. Ex quibus illa verba: *Quæ virtutes incorporeæ omnes inſpicere nequeunt*, accipienda ſunt non de quacunque inſpectione; ſed de naturali, & comprehenſiua, de quibus & immediatè ante agebat, & agit in conſequentibus.

47. Ad 4. Illa etiam verba ex eadẽ homilia pag. 979. C. non agunt de fulgore increato, ſed de creato, qui ex ſolio regis conſedẽtis proficiſcebatur. Quẽ nec Angeli ferre poterant; & ob id facies obuelabant: etenim fulgor increatus nõ dicitur procurſare, & proſilire. Si verò obijcias, Chryſoſtomum in eadem homilia 3. pag. 981. B. aſſerere Seraphim facies ſuas alis velare propter lucem, quam eſſe inacceſsibilẽ Paulus prædicat: reſpõdeo Seraphim ſua illa facierum obuelatione id ipſum etiam ſignificare; non quòd ipſam lucem increatam in ſe ipſa videre nequeant; ſed vt oſtendant, ſe ſuis viribus eam videre non poſſe: ideò enim obuelant facies, vt oſtendant, ſe illum increatum, & inacceſsibilẽ ſplendorem ex ſe, ſuoque lumine nulla poſſe ratione inſpicere: ex quo non ſatis aptè arguitur, illos alio illuſtratos lumine ſplendorem illum videre non poſſe.

48. Ad 5. Quę ex homil. 4. deſumuntur, eo modo explicari debent: nam, quæ ponuntur pag. 987. A. in principio, ſtatim explicat idem Chryſoſtomus litera B. ita inquiẽs: *Nullum vidiſſe Deum Ioannes inquit; vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreſſam cognitionem in nullo contigiſſe, intelligas.* Igitur ipſe Chryſoſtomus eſt ſuorum verborũ fidus interpres. Simili modo explicãtur, quæ ponũtur pag. 987. C: nam

nam ſtatim litera D. ſe ipſum explicans adiungit. *Quapropter quoties Deum nullum vidiſſe audis, illud intellige, nullum eſſe, qui Deum nouerit, qui Deum cognouerit, qui ſubſtantiam Dei exquiſita ratione perceperit*. Qua phraſi comprehenſiuam cognitionẽ ſignificat, vt ſæpè aduertimus.

49. Ad 6. Verba ex homilia 5. pag. 992. C. quo pacto ſint intelligenda, idem Chryſoſtomus explicat: nam poſteaquam ab illo loco multis oſtendit, nec Filium, nec Spiritum ſanctum excludi ab illa regula, *Nõ quia Patrem vidit quiſpiam*, ſed excludi ſolam creaturam, diſſertis verbis explicat, non ſemel, ſed iterum, atque iterum, in quo ſenſu dicat, filium non excludi, vt inde colligas in eodem excludi creaturã: igitur, vt ait, *Filius non excluditur, quia Filius videt Patrem plenè, & exquiſitè*, vt ait in eadem homilia pag. 995. B. & 996. A. B. Quare in hoc ſenſu excluditur creatura à viſione Dei, & Patris, quia nulla plena, & exquiſita comprehenſione illum nouit.

50. Ad teſtimonia tertiolo cò adducta. ¶ Quæ tertio loco obijciuntur tanquam euidentiſsima, minus habent efficaciæ; quoniam euidentiſsimum eſt, Chryſoſtomum in verbis ſumptis ex 3. homilia cõtra Anomæos pag. 979. C. non ſimpliciter negare Seraphinis viſionem intuitiuã eſſentiæ diuinæ; ſed ſolùm negare illos in viſione, de qua Iſaias. 6. ſubſtantiam diuinam in ſe ipſa vidiſſe. Ex quo Bellom. futiliter inferre poteſt, Chryſoſtomum abſolutè negaſſe Seraphinos Deum in ſe ipſo videre. Quod, vt fiat euidentiùs, aduerte Chryſoſtomum ſolùm agere de viſione illa corporea Domini ſedentis in throno, quam Deus Iſaiæ demonſtrauit; quam viſionem Chryſoſtomus in verbis allatis appellat condeſcenſum, & indulgentiam: & hanc fuiſſe corporalem paucis interiectis verbis explicat, ita inquiẽs: *Conſtat & illam condeſcenſum fuiſſe verbis ipſius Prophetæ: Vidi Dominum, inquit, ſedentem: at Deus non ſedet; corporis enim hic habitus*. Addit Chryſoſtomus Seraphinos, nec illum corporeum deſcenſum ferre potuiſſe; quanquam in illo ipſam meram lucem, nec ipſam ſynceram ſubſtantiam Dei non viderint. Ex quibus verbis ego non video, quomodò hinc inferatur, Chryſoſtomũ expreſſè negare Seraphinos ſimpliciter, & abſolutè Dei ſubſtantiam intuitiuè non videre. Si id videt Bellomontanus; explicet. At, inquit, condeſcenſum illum fuiſſe beatificum; & tamen ſimpliciter affirmat Chryſoſtomus, Seraphinos eum videre non potuiſſe: ſed hoc eſt errori errorem addere; nam quomodo apud Chryſoſtomum deſcenſus ille fuit beatificus, ſi teſte Propheta fuit corporeus? *Vidi*, inquit Iſaias, *Dominum ſedentem*, & Chryſoſtomus teſtimonium approbat. Si verò Bellomontanus petat, cur Seraphini facies velarent: reſpondeo multis de cauſis conſideratione dignis, & plura continentibus myſteria, quæ Patres communiter afferunt, & nos afferemus art. 6. in explicatione eiuſdem loci: ſatis modò ſit, non ideo facies fuiſſe velatas; quia diuinam eſſentiam ſe ſe obijciẽtem videre non poterant; nec vt ſignificarent eam abſolutè creato intellectui eſſe inuiſibilẽ; quidquid Bellom. repugnet.

51. Ad confirmationem dicimus, nec Prophetas, nec Angelos in illis corporeis apparitionibus diuinam ſubſtantiam intuitiuè vidiſſe. Vndè malè infertur, Chryſoſtomum ſimpliciter negaſſe, aut homines aut Angelos poſſe Deũ in ſe ipſo videre.

52. Ad poſtremum teſtimonium. ¶ Quod poſtremo loco obijcitur ex homil. 23. in Geneſim, eandem habet explicationem; cùm eandem contineat argumẽti materiam ſumptam ex eo, quod Seraphim Iſaiæ 6. facies ſuas obuelabant: de quo plura in artic. 6. in explicatione eiuſdem loci.

¶ Hæc pro defenſione ſanctiſsimi, & ſapientiſsimi Chryſoſtomi dicta ſunto: piũ eſt enim ſanctiſsimum Patrem, & Doctorem Eccleſiæ pręſtantiſsimum vindicare ab errore, quem illi Bellom. non minus iniuſtè, quàm temerariè inurere conatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ex ſacris literis Catholica veritas contra hæreticos efficaciter conuincatur?

Confirmatur veritas catholica ex ſacris literis. HAnc veritatem eſſe apertiſsimam Domini ſententiam, affirmat Auguſtinus epiſt. 111. pag. 197. col. 2. D: allatis enim quibuſdam S. Hieronymi verbis, ita ait: *In his verbis hominis Dei multa conſideranda ſunt. Primum; quia ſecũdum apertiſsimam Domini ſententiam, etiã ipſe ſentit; nos viſuros faciem Dei*. Eam ex ſacris

ſacris literis deduci expreſſè affirmat epiſtol. 112. c. 5. 15. & 19. Verba capitis decimi quinti hæc ſunt: *Si quæris; vtrum poſſit Deus videri? Reſpondeo; poteſt. Si quæris; vnde ſciam? Reſpondeo; quia in veraciſſima ſcriptura legitur: Beati mundo corde; quia ipſi Deum videbunt, & cætera talia.* Et cap. 5. ita ait: *Scimus, poſſe Deum videri; quia ſcriptum eſt: Beati mundo corde; quia ipſi Deum videbunt.* Et ſtatim: *ſed tantùm credimus; quia ſcriptum eſt in ea ſcriptura, cuius fideles ſumus; quod verum ſit, minimè dubitamus.* Et hæc eſt recepta, & inter Patres, & inter Theologos ſententia. Sed operæ pretium erit id diligentiùs oſtendere; vnde locos communes, qui ex ſacris literis citantur, accuratè expendemus.

§. 1.

Locus ex primæ Ioannis tertio.

2. Locus 1. PRimo loco adducenda ſunt verba ex 1. Epiſtola Ioan. c. 3. quia eſt locus omniũ, & apertiſsimus, & efficaciſsimus: *Chariſsimi nunc filij Dei ſumus; & non dum apparuit, quid erimus: ſcimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Ex quo loco omnes Patres, & Theologi deducunt catholicam veritatem viſionis diuinæ eſſentię: quare oportet, vt ſingula verba explicemus.

3. Conſentiũt Patres. Illa verba, *Non dum apparuit, quod erimus*; abſque vlla controuerſia habent húc ſenſum: Non dum apparuit ad quantam, & qualem gloriam peruenturi ſimus; vt ex commentario *Clementis Alexandrini refert Lorinus in eadem verba; & ſatis conſtat ex Auguſtino tract. 4. in eandem epiſtolam ad eadem verba; & ex* Didymo *Alexādrino in eodem loco. Beda etiam illa explicat de vita, quam in futuro ſæculo habituri ſumus.* De *ſplendore futuræ gloriæ explicant Oecumenius, Gloſſa ordinaria in eodem loco, Lyra, Hugo Cardinalis, Thomas Anglicus, Carthuſianus, Caietanus, Salmeron, Ioannes Ferus, & Lorinus cum cæteris.*

4. Alia verba. In illis autem verbis: *Scimus, quoniam cum apparuerit*, ſubaudiendum, & repetēdum eſſe illud idem, quod dixerat; *Non dùm apparuit, quod erimus*, ipſemet verborum contextus explicat, vt bene aduertit Caiet. ibidem, & Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 3. ad finem; vt ſit ſenſus: cùm apparuerit, quid erimus, & gloria, ad quam peruenturi ſumus. Quem ſenſum ſatis exprimunt Auguſt. & Didymus; & ſatis apertè Oecumeni⁹, dûm ita ait: *Incertum nunc eſt, quod erimus: at illo reuelato, adoptionis ſplendorem exhibebimus, apparentes ipſi ſimiles.* Lyra etiam cum Hugone Cardinali eodem modo explicant: probant Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. punct. 2. pag. 81. ad 6. locum; & ſatis Bellom. 1. p. diſp. 37. cap. 5. n. 17. & 1. 2. diſp. 19. cap. 3. n. 9.

Igitur, *cùm apparuerit, quid erimus*, id eſt, cum apparuerit gloria, ad quam perueniemus; *ſimiles ei erimus*: ei, inquam; ſcilicet Deo, qui nos in filios adoptauit: ita pronomē illud explicat Didymus, *inquiēs: dum apparuerit, ſimiles oſtendemur Patri noſtro. Eundem ſenſum colliges ex Gloſſa in iiſdem verbis litera D. & ex Auguſt. in d. tract. 4. & ex Beda, atque Oecumenio in eodem loco; conſentiunt interpretes ferè omnes, Lyra, Hugo Cardinalis, Caiet. Carthuſianus, & alij*: etenim pronomen illud *ei* ex ſe refert id, quod in præcedentibus immediatè nominatum eſt: immediatè autem ſolus Pater, & Deus non ſemel, ſed iterũ, atque iterum nominatus eſt. Accedit; quoniam in verbis ſequentibus, *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*, pronomen *eum* omnium conſenſu refert Deum; & eundem refert idem pronomen in verbis immediatè ſequentibus. Senſus igitur iſtorum verborum eſt, cum apparuerit, quod erimus, & manifeſtata fuerit gloria filiationis, qua facti ſumus filij Dei; tunc ſimiles erimus eidem Deo, qui nos in filios adoptauit. In quo autem poſita ſit hæc ſimilitudo? ſtatim dicemus. 5. Alia verba. Didymus. Gloſſa. Auguſt. Beda. Oecum.

Similes igitur Deo erimus; *quia videbimus eum, ſicuti eſt*. Hæc verba explicanda eſſe de viſione Dei beatifica (vno Lorino excepto) concors eſt omnium Patrum, & Theologorum ſentētia. *Ita Auguſt. in d. tract. 4. in 1. Epiſtolam Ioannis: & 14. de Trinitate cap. 17. lib. 2. de peccatorum meritis c. 8. epiſt. 118. c. 12. & 15. ſermone 118. c. 5. & ſerm. 122. c. 16. Origenes homilia 6. in Geneſim, & tract. 21. in Matthæũ.* D. *Gregorius lib. 5. Moralium c. 20: & lib. 18. c. 31. & homil. 2. in Ezechielem ſub finē: Epiphanius epiſt. 60. apud D. Hieronymum: Beda in eodem loco Ioannis: Fulgentius ad Ferrandum diaconum q. 3. Didymus in eodē loco* 6. Alia verba. Lorinus. Auguſt. Origen. Gregor. Epiphan. Beda. Fulgent.

Gloſſa. *Oecum.* *Euariſt. papa.* *Conc. Fräcofor.*

loco Ioannis; author Comentar. 1. Corint. 13. apud Ambroſium: Gloſſa ordinaria litera E. & interliniaris ad eadem verba, vbi etiam Oecumenius: Euariſtus Papa epiſt. 1: Concilium Francofordienſe in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Conſentiũt omnes interpretes eiuſdem loci; Lyra, Hugo Cardinalis, Thomas Anglicus, Carthuſ. Caiet. Ferus, Salmeir. & tandem omnes Theologi ſcholaſtici, & inter eos Bellarminus, Valentia, & Bellomon. Dubitari igitur non poteſt, quòd locus ille explicandus veniat de viſione diuinę eſſentiæ in ſe ipſa: ſimilitudo autem in hoc eſt poſita: vt, ſicut ille videt ſe ipſum, vt eſt in ſe; ita & nos eum in ſe ipſo videbimus, vt optimè aduertit Lorinus ad eadem verba; & ſatis videtur plana literæ expoſitio; niſi velis, beatos in hoc ſenſu futuros eſſe ſimiles Deo; q̃a per lumẽ gloriæ erunt eiuſdem ordinis diuini cum eo; quæ eſt explicatio Caietani, communis inter ſcholaſticos: etenim oportet, vt qui Deum videre debent, ſimiles ei ſint ex parte intellect⁹ ſimilitudine luminis gloriæ, vt ait *D. Thomas 1. p. q. 12. art. 2.* & tunc illa particula cauſalis, *quia*, continebit cauſam à poſteriori. Beda cum nonnullis ex Patribus illa verba interpretatur de immortalitate, & perpetuitate gloriæ, quam ex ipſa viſione conſequemur: ſed noſtra, & Lorini explicatio plana eſt & facilis: Quocunque tamen modo verba explicentur, ſemper verum eſt in illis verbis, *quia videbimus eum, &c.* ſermonẽ eſſe de viſione beata diuinæ eſſentiæ: quo ſuppoſito locus efficaciſsimus eſt ad confirmandam Catholicam veritatem.

7. *Solutio quorundam.* Sed efficaciam huius loci fortaſsis conabitur aliquis elidere, dicens, verba illa non eſſe explicanda de viſione diuinitatis, ſed de viſione corporali Chriſti Domini ad iudicium in ſecundo aduentu venientis: quam expoſitionem putat Lorinus conuenientiorem eſſe, & aptiorem, eamque ex eo confirmat, quia habet pro ſe authores non ſpernendos veteres, & recentiores: & præterea reddit rationem idoneam de ſimilitudine, quam noſtra corpora habebunt ad gloriam corporis Chriſti. Pro hac explicatione ex veteribus citat Tertullianum, Fulgentium, Epiphanium, Bedam, Commentatorem epiſtolæ ad Romanos apud Ambroſium, & Gloſſam interliniarem. Ex recẽtioribus verò refert Thomam Anglicum, Hugonem Cardinalem, Carthuſ. Ferum, Bellarminum, & Valentiam: ſed falsò eos citat: quia licet plures eorum interpretentur illa verba, *cum apparuerit*, de corpore glorioſo Chriſti in ſecundo aduentu: & ſimiliter illa, *ſimiles ei erimus* de ſimilitudine gloriæ corporis; nullus tamen eorũ illa verba: *Quia videbimus eum ſicuti eſt*, interpretatur de viſione corporali Chriſti in corpore glorioſo, vt ex dictis ſatis apparet: nec ego vidi, aut ex antiquis Patribus, aut ex recẽtioribus interpretibus, qui illa verba cum Lorino interpretaretur. Nec obijci poteſt Oecumenius in eodem loco; dum poſt prӕcitata verba, *quia videbimus eum, &c.* ita ait: *Quia iuſtũ iuſti; purum puri; ſimili enim adhærebunt & ſimiles:* illa enim non intelligũtur de viſione Chriſti, ſed de viſione Dei iuſti, & puri: quia ideò erunt ſimiles illi; quia videbunt eum, ſicut ipſe ſe videt. Quare nõ eſt, quod in hoc vnus Lorinus probandus ſit; quin potiùs ideò contemnendus eſt, quod contra vnanimum, & veterum, & recentiorum conſenſum ſine fundamento verba illa interpretatur de viſione corporali Chriſti in corpore glorioſo. Imò etiam ideò contemnenda venit illius explicatio; quia tantùm abeſt, vt conuenientem rationem reddat ſimilitudinis in gloria corporis, qua glorioſo Chriſti corpori aſsimilabimur; vt nullam, aut à priori, aut à poſteriori illius cauſam, & rationem contineat: nec enim ipſa viſio corporis Chriſti, etiam cum voluptate, & ſecuritate, qua iuſti Chriſtum hominem videbunt, poteſt eſſe per ſe cauſa, aut â priori; aut à poſteriori gloriæ corporis, in qua Chriſto aſsimilabimur: cum tamen viſio diuinitatis per ſe ſit cauſa à priori gloriæ, quæ in corpus redundabit.

Lorinus.

Patres citati à Lorino

Facile igitur admittemus, verba illa: *Scimus, cum apparuerit*, explicari poſſe de apparitione Chriſti in gloria ſecundi aduentus, in qua ad iudicium omnibus, tàm bonis, quàm malis apparebit: nam de Chriſti apparitione in ſecundo aduentu illa intelligunt *Tertullianus de reſurrectione carnis c. 23. Epiphanius epiſt. 60. ad Hieronymum, Comment. epiſt. ad Romanos apud Ambroſ. ad illa verba; ſi complantati, &c. Gloſſa interliniaris, Thomas Anglicus, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, & Ferus in codẽ loco,* 8. *Facile admittitur explicatio.*

Tertull. *Epiphan.* *Ambro.* *Gloſſa.* *Interpretes.*

&

& cum illis Bellarmin. vbi ſuprà; nec diſplicet Bedæ, Caietano, Valentiæ, aut Salmeroni: & ſatis illi fauet editio Syriaca, quā Lorinus refert; maximè, cùm ad finem capitis præcedentis, & in eodem capite Ioannes illius apparitionis meminerit.

9. Admittitur alia explicatio.

Admittimus etiam non eſſe omnino diſſonam explicationem, quæ de ſimilitudine gloriæ corporis explicat illa verba; *ſimiles ei erimus*, cum eodem modo à Patribus, & interpretibus citatis explicetur. At tamen cum vtraque explicatione ſimul conſtat verba illa, *Quia videbimus eum, &c.* explicanda eſſe non de viſione corporali Chriſti in corpore veniẽtis ad iudicium; ſed de viſione diuinitatis: nam illi ijdem Patres, & Doctores, qui præcedentia verba de aduentu Chriſti in corpore glorioſo interpretati ſunt; poſteriora interpretantur de viſione beatifica diuinæ eſſentiæ, vt iam oſtendimus. Iam verò ad noſtrum inſtitutum ſatis ſuperque eſt, quod ex illis verbis efficaciter deducatur, homines, ſaltem poſt generalem reſurrectionem, viſuros eſſe diuinam eſſentiam, vt eſt in ſe.

10. Ex hoc loco communiter deducitur veritas iſta.

Quare meritò ex hoc Ioannis loco catholicam iſtam veritatem ferè omnes, tùm Patres, tùm Theologi deducunt. Ex hoc loco eam deducit *Auguſt. tractatu 4. in primam Ioannis Epiſtolam, de peccatorum meritis cap. 8. 1. de Trinitate cap. 17. epiſt. 6. 111. & 112. cap. 5. 8. 10. 15. & 19. ſermone 118. de diuerſis cap. 5. ſermone 121. cap. 30. ſermone 122. cap. 16: cum Auguſtino ſunt D. Gregor. homil. 2. in Ezechielem ad finem, & libr. 5. Moralium capite ſecundo:* Leo Papa *ſermone omnium Sanctorum cap. 7: Diuus Bernardus ſermone 33. in Cantica, & ſermone primo de omnibus Sanctis: Didymus, & Beda cum Gloſſa ordinaria, & interlineari in eodem loco: Origenes homilia 6. in Geneſim, & tractatu 21. in Matthæum: Epiphanius epiſtol. 60. apud Hieronymum; Fulgentius ad Ferrandum Diaconum quæſt. 3. Auctor Commentarij ad Epiſtolam Pauli 1. Corinth. 13: Euariſtus Papa epiſtola 1: Concilium Francofordienſe in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, vt innumeros alios Patres omittam.*

Auguſt. Gregor. Leo Papa. Bernard. Didymus. Gloſſa. Origenes. Epiphan. Fulgent. Euariſtus Papa. Conc. Frācofor.

11. *D. Thom.*

Ex Theologis *D. Thomas 1. parte quæſtione 12. art. 1. in argument. Sed contra, & 2. 2. quæſt. 1. art. 2 ad 3. de veritate quæſt. 8. art. 1. in argum. Sed contra, & ad primum, & quodlib. 7. q. 1. art. 1. cum D. Thoma omnes in præcitatis locis, & in 4. diſt. 49. quos longum eſſet recenſere. Ex recentioribus Bellomont. 1. p. diſp. 37. cap. 5. in quarto loco, Lorca ad primam ſecundæ q. 5. art. 1. diſput. 26. Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. punctio 2: ex interpretibus ſacræ Scripturæ, Thomas Anglicus, Carthuſianus, Caietanus cum cæteris in eodem loco. Denique non diſplicet Lorino ibidem.*

Bellom. Valent. Lorinus.

12. Vis argum. nō bene ſoluitur.

Nec video, quomodò aduerſarij vim huius argumenti effugiant: nec enim ſatis eſt dicere, beatos videre Deum in luce creata, quam fingunt: quia non poterunt ſaluare, eos Deum videre, ſicuti eſt: etenim in illa luce creata commentitia non viderent Deum in ſe ipſo, & ſecundum propriam exiſtentiam, qua in ſe exiſtit: cum tamen illud aduerbium, *ſicut* determinet id, quod videtur; & rationem ſecundùm quam videtur; quanuis non determinet modum videndi viſibilitatis diuinæ eſſentiæ. Beati igitur vident Deum ſecundum propriam eſſendi formam; in qua exiſtit; non tamen omnem modum ipſius ſubſtantiæ; quia eam non vident viſione comprehenſiua, & adæquata; quē ſenſum eleganter explicauit Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſ. 6. de Monarchia Dei non longè à principio in 2. tom. Bibliothecæ Patrum pagina 87. A. dum ait: *Vident ſanè Angeli; ſed non ita, vt eſt; ſed ſecundùm quod eſt.* Quare illud aduerbium *ſicut* excludit viſionem Dei in aliquo repræſentatiuo; quia in nullo poteſt Deus immediatè videri, vt eſt in ſe ipſo.

§. 2.
Secundus locus Matthæi 5: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

13. 2. locus ex Matth. 5.

SEcūdus locus Auguſtino expreſſus habetur Matthæi 5. in illis verbis: *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt*; ex quibus noſtram fidem deducit *Auguſtinus 20. de Ciu. Dei c. 21. & lib. 22. c. 29. & epiſt. 6. 111. & 112. c. 5. 6. 11. 15. & 19:* in quibus locis, & in pluribus alijs hæc Chriſti verba intelligit de viſione Patriæ: conſentiunt *Hilarius canone 4. in Matthæum poſt principium, & Pſal. 118. ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuam, pag. 573. Leo I. in ſermone omnium Sancto-*

Auguſt. Hilarius. Leo I.

rum c.7. D. Hieronymus in c.6. Iſaiæ ad illa Hieron. *verba: Et ea, quæ ſub ipſo erant, & lib.17. in Iſaiam ad c.64. ad illa verba; A ſæculo non eſt auditum: D. Ambroſius Pſalm. 118. ad* Ambr. *illa verba: Deprecabor vultum tuũ. D. Gre-* Beda. *gor.18. Moral. c.38. in fine: Beda in cap.5. Ioannis ad illa verba: Et dedit eis poteſtatẽ, & c.17. ad illa verba: Vt videant claritatẽ* Anſelm. *meam; D. Anſelm. 1. ad Timoth. 2. in illis* Bernard. *verbis: Regi ſæculorũ immortali, & inuiſibili: Bernard. in ſerm. de conuerſ. ad clericos c. 25. & ſerm.28. in Cantica, & 131. ſermone* Clem. Alexand. *item 1. de Sanctis pag.56. L: Clemens Alex. lib.5. Stromatum poſt principiũ. pag.556. n. 10: Nouatianus adhuc catholicus in lib. de Trinitate apud Tertullianum c.26. Nazianzenus in oratione cum rure in vrbem redijt in fine: Cyrillus Alexand. lib.10. in Ioannem c.1. ad illa verba: Manifeſtabo ei me ipſum.* Denique eſt communis Patrum explicatio; atque etiam interpretũ ſacrę Scripturæ; imò etiam Theologorum ſcholaſticorum.

14\. Variæ huius loci explicationes. Efficacia huius loci ex eo minui poterit; quia verba iſta à Græcis, alijsque variè explicantur. 1. Chryſ. Prima explicatio eſt *Chryſoſtomi homil. 14. in Ioannem tom. 3. pag.61. in fine:* vbi putat, viſionem hoc loco appellari cogitationem, atque imaginationem, quam pro viribus noſtris de 2. Nyſſeni. Deo capimus. *Nyſſenus autem in libro de beatitudinibus oratione 7. ad hæc verba pag. 547. B.* putat, puritatem cordis in quadã vitiorum vacuitate, appellari hoc loco Deitatem: beatitudinem autem de qua agit Chriſtus, poſitam eſſe in viſione illius puritatis. 3. Euthymij. *Euthymius verò in hoc loco* ſatis ſignificat in eo ſermonẽ eſſe de Deo, vt in carne apparuit, de Chriſto, inquam, homine: ita enim ait; *Videbunt autem Deũ dixit, tanquam humana natura potentem.* 4. Theodoreti. *Theodoretus in 1. dialogo, qui inſcribitur Immutabilis,* poſt longam inquiſitionem cõcludit, his verbis explicari quandã gloriã, & ſplendorem à Deitate deriuatũ; cuius viſione Sancti in Patria dicuntur beati. Denique nõ deſunt, qui locum iſtum ex 6. Hieron. ponant de viſione per fidem: ita videtur explicare *Hieronymus libro 18. in Iſaiam cap.65. ad illa verba: Quomodò, ſi cui mater* Anſelm. *blanditur, & D. Anſelmus in eodem loco Matthæi. 5.*

15\. Sed ego cum *Auguſtino in d. epiſt. 112.* ex hoc loco indubitanter credo, Deum in ſe ipſo à beatis videri in Patria. Illius efficacia eò efficacior apparebit, quò euidentiùs oſtendetur datas explicationes longè eſſe à mente Chriſti Domini. Et vt ab vltima incipiamus; eam latè impugnat Beda ad illa verba Ioannis 17. *Vt videant claritatem meam:* etenim Chriſtus Dominus viſionem iſtam promittit futuram eſſe poſt cordis munditiam, tanquam prę mium illius; at viſio fidei præſupponitur ad munditiam cordis, tanquam primum fundamentum ſpiritualis ædificij, quod poſitum eſt in cordis munditia. Accedit etiam, quoniam cognitio per fidem etiam inuenitur in his, qui non ſunt mundi corde. Quòd ſi reſpondeas his verbis nõ promitti quancũque viſionem per fidem, ſed clariorem, & ſublimiorem; explicationẽ ex eo impugnabo; quoniam Chriſtus Dominus, cùm doceat media ad vltimam beatitudinem conſequendam (ob hanc enim cauſam ea appellauit beatitudines Euangelicas) nõ promiſit ſolam beatitudinem viæ, qualis eſt illuſtratio fidei: hæc enim quantumcunque ſit ſublimis, cum ex ſe ſit imperfecta, euacuanda eſt, cum perfectum Patriæ aduenerit. Quare, vt admittamus, promiſsionem iſtam ex parte impleri in via; potiſsimum tamen adimplenda eſt in Patria, vt doctè aduertit Ianſenius in cap.39. ſuæ concordiæ. Non recipiuntur explicationes.

Explicatio Chryſoſtomi meritò diſplicet Nyſſeno, ob eam rationẽ; quia beatitudo ita explicata, & foret naturalis, & impleretur in hac vita; denique huius ſæculi ſapientibus potiſsimum cõtingeret: quæ non decent tantæ beatitudinis magnificentiã: illa enim, ſicut & cæteræ, & ſupnaturalis eſt, & ſupernaturaliter eſt acquirenda. Accedit; quoniam hæc explicatio non ſatis cohæret cum ijs, quæ de hac viſione in conſequentibus latè docet idem Chryſoſtomus. 16. Non recipitur prima.

Porrò explicatio Nyſſeni, quàm ſit aliena à mente Chriſti Domini; nullus nõ videt: nec enim puritas cordis poteſt appellari Deitas; nec illa videri poteſt in hac vita; cùm nemo ſciat, an odio, vel amore dignus ſit? Denique nec videre Deum hoc loco idem eſt, quod habere Deũ per gratiam: nam hæc beatitudo promittitur illis, qui iam habent puritatem cordis, & ſubindè Deum, ſi puritas cordis dici debet Deitas. 17. Nec ſecunda.

Tertia

18. Nec tertia. Tertia explicatio Euthymij nequaquam probari debet: primò; quia Chriſti ſermo non eſſet formalis: viſo enim Chriſto, videtur is, qui eſt Deus; non verò, vt eſt Deus. Secundò; quia Deus in humana natura Chriſti viſus eſt oculis corporis; cum tamen viſio promiſſa in hac beatitudine debeat eſſe viſio cordis, etenim propter cordis munditiam promittitur. Tertiò; quia viſio in hac beatitudine promittitur non ſolùm præſentibus, ſed etiã abſentibus, & non dum natis; qui Deum incarnatum non viderunt, niſi per fidem. Quartò; quia Dominus beatitudinibus Euãgelicis accommodat, non præmia huius vitæ, ſed alterius, de qua potiſſimum agit. Poſtremò; quia filijs Dei promittitur non ſolùm viſio Dei incarnati; ſed etiam viſio Dei, vt eſt in ſe ipſo, vt patet ex 1. Ioannis 3. cuius verba iam explicauimus.

19. Nec quarta. Denique quarta Theodoreti explicatio in hoc eſt cæteris accõmodatior; quia promiſſionem Chriſti interpretatur de viſione beata futuri ſæculi; de qua Chriſtus in his beatitudinibus potiſſimũ agit: id verò, quod docet illis verbis explicari ſplendorem à Deitate diriuatum; ſatis impugnatur ex verbis Ioannis primo loco citatis: *Quia videbimus eum, ſicuti eſt*, quæ euidenter ſignificant, nos viſuros non ſplendorem à diuina eſſentia diriuatum, ſed ipſam diuinam eſſentiam intuitiuè, vt eſt in ſe ipſa. Accedant etiam verba Chriſti Domini Ioannis 13: *Vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi*: ex quibus inferiùs opinionem Theodoreti impugnabimus.

§. 3.

Tertius locus Matthæi 18.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.

20. Tertius locus ex Mat. 18. Tertius locus ſatis expreſſus habetur Matthæi 18: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Hæc verba expreſſè ſignificant, diuinam eſſentiam clarè videri ab Angelis: & proinde eo modo videri à Sanctis, qui in hoc ſunt Angelis æquales, vt cum Auguſtino ſupponimus. In illis *faciẽ Patris*, idem eſt, quod Patris ſubſtantiã, vt communiter Patres interpretantur. Ita *Hilarius canone 18 in Matthæum, & in Pſalmo 118, ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuam, pag. 573. Auguſt. 22. de Ciuitate Dei cap. 29. & ſatis epiſt. 112. ferè per totã: D. Ambroſ. Pſalm. 118. ad illa verba: Deprecabor vultum tuum: D. Gregor. 18. Moralium cap. 29. & lib. 1. c. 3. & lib. 4. in 1. Regum c. 4. fol. 297. M. Iſidorus lib. 1. ſent. cap. 12. ſententia 22: Cyrillus Ieroſol. Catecheſ. 6. non longè à principio: Adde D. Bernardum ſermone 5. de dedicatione Eccleſiæ.*

Hilar. Auguſt. Ambr. Greg. Iſidor. Cyrill. Ieroſolym. Bernard.

21. Præmiſſũ. Sed, vt hæc explicatio fiat euidentior, aduertẽdum eſt, viſionem iſtam, qua Angeli dicuntur ſemper videre faciem Patris, nec ex parte videntis eſſe poſſe corpoream; nec ex parte termini: non quidẽ ex parte videntis; quia cum Angeli ſint incorporei, nõ habent oculos corporeos: nec ex parte termini; quia Pater diuinus in ſe ipſo eſt incorporeus; qui vel nulibi corporaliter apparuit, vt plerique volũt: vel ſi aliquando ita apparuit; non tamen ſemper habet aſſumptum corpus, vt in eo Angelis ſemper appareat corporaliter. Quare ſermo eſt de viſione intellectuali; quia Angeli ſemper vident faciem intellectualem Patris, ſecundum quam oculis intellectualibus eſt viſibilis. Deum autem præter faciem corpoream, in qua olim apparuit in corpore aſſumpto, habere faciẽ intellectualem intellectualiter viſibilem, apertè docuit Moyſes; dùm videns faciẽ Dei corpoream, in qua cum eo facie ad faciem loquebatur, vt dicitur Exodi 33. & Numer. 12. Poſtulabat oſtendi ſibi aliam faciem, inquiens, *Oſtende mihi faciem tuã*, vt aduerterunt *Auguſt. in dicta epiſt. 112. & D. Gregor. in d. cap. 29.* Igitur Angeli, cum non ſemper videant faciem Patris corpoream; quia non ſemper apparet in corpore, vt iam diximus; ſemper vident faciem intellectualem eius. *Auguſt. Gregor.*

22. Quid per faciem Patris intelligatur? Si quis inquirat; quænam ſit iſta facies intellectualis Patris? Reſpõdendum erit, eſſe ipſam ſubſtantiam Patris, ſe ſe in propria natura reuelantis: & hæc eſt communis Patrum expoſitio ſumpta ex citatis verbis Exodi 33: *Oſtende mihi faciem tuam.* Cui reſpondit Dominus: *Faciem meam videre non poteris: nec enim videbit me homo, & viuet.* Quæ verba ſatis oſtendunt idem eſſe videre faciem Dei, & videre Deum: quod fatetur *Euthymius in dicto cap. 18. Matthæi*: dum ait, videre faciem Patris, idem eſſe, quod videre ipſum Patrem: ſicut enim per faciem quiſque *Euthym.*

que hominum in ſua ſubſtantia corporaliter cognoſcitur; ita per eſſentiam diuinam cognoſcitur Deus, tanquam per propriam formam Deitatis. Quare non eſt dubitandum, faciem Dei in illo loco idē eſſe, quod ſpeciem, formam, & propriam naturam Dei.

23. *Quorundā explicatio.* Sunt qui per faciem Patris intelligant quandam cum Patre familiaritatem, & liberam quandam veluti facultatem accedendi ad eum; ſumpta metaphora ex aulæ conſuetudine, qua familiares regis liberam habent libertatem introeundi ad regem; vt ſit ſenſus: Non contemnatis vnum ex his puſillis, qui in me credunt; quoniam Pater tanti eos facit, vt curam illorum committat Angelis, qui tantum apud Deum habent gratiæ, & authoritatis, vt ſemper videāt faciem Patris, id eſt, vt ſemper illis ad Patrem pateat introitus. Itaque hac phraſi ab Hebræis ſumpta ſignificatur gratia, & familiaritas Angelorum cum Deo. Explicatio arridet *Maldonato in eodem loco n. 10. ad finem*: & ſatis eam ſignificat *Gloſſa ordinaria ex Chryſoſtomo: cum dicit*, inquit, *vident faciem Patris, nihil aliud oſtendit, quàm liberam præſentiam eorum apud Deum*, id eſt propinquitatem, & familiaritatem, gratiamque qua apud Deum valent. Eundem etiam ſenſum mihi denotant verba *Euthymij in eodem loco: Non oportet deſpicere, quos ſeruant Angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, quod ſemper vident Deum, qui in cœlis eſt.* Quæ videndi libertas non arguit viſionis interruptionem, ſed familiaritatem, & gratiam cum Patre. In eodem ſenſu ſatis accommodatè explicari poteſt mens *Theophylacti ad illa verba Ioannis 1. Deum nemo vidit vnquam*; dum ait, verba de quibus agimus, indicare Patrem ſemper Angelis apparere apparentia familiaritatis ad gratiam. Non erit ab hac explicatione alienum, ſi quis ita explicet; vt ideò non ſint contemnendi puſilli; quia Angeli eorum liberam ſemper habent Dei præſentiam, vt pro ſuis clientulis eum

Maldon. *Gloſſa.* *Theophyl.*

24. orent, & deprecentur. Quem ſenſum ſatis mihi ſignificat idem Theophylactus, dùm hunc liberum acceſſum ad Deum intelligit de gratia interceſsionis, vt ſcilicet pro illis ſemper intercedant. Quæ omnes explicationes ſatis ſunt accommodatæ, vt Chriſtus probet non eſſe contemnendos puſillos, qui in eum credūt: tum; quia Deus tanti illos æſtimet, vt Angelos ſibi familiares, & propinquos illorum cuſtodiæ deputet: tùm etiam; vt liberam illis faciat facultatem continuò pro illis orandi, & intercedendi. Nec repugnabo, ſi iſtis modis explices præcitata verba; quia omnes ſupponunt, Angelos in cœlis ſemper videre diuinam naturam viſione clara, & intuitiua. Sed planior eſt explicatio, vt per *faciem* non familiaritatem, & gratiā Patris intelligamus; ſed ipſam Dei naturam, & ſubſtantiam, quæ â Moyſe Dei facies dicta eſt: etenī iſto modo ſatis Chriſtus cōmēdat, quanti æſtimandi ſint, qui in ſuam cuſtodiam habent Angelos, qui perpetuò Deum videntes æterna beatitudine perfruuntur: in hoc enim ſenſu perpetuitas viſionis ſimpliciter explicatur: cum tamen libertas illa introeundi ad Deum, orandi, & intercedendi gratia, nō ſemper adſit; ſed cum intercedendi neceſſitas in diuina voluntate eis innoteſcit. *Melior eſt 2. explicatio.*

Nec huius loci efficaciam elides; ſi, aut cum *Chryſoſtomo homilia 14. in Ioannem* nomine viſionis in præcitatis verbis nihil aliud intelligas, quàm notitiam, quam pro ſuis viribus de Deo habent: aut cum Theodoreto dialogo 1. pag. 301. col. 1. ad finem, ſolum intelligas, viſionem gloriæ Dei in lumine quodam creato, deriuato ab increato lumine: neutra enim explicatio, aut verbis, aut intentioni Chriſti eſt accommodata; ſed aliena potiùs. Vnde, quæ eſt Chryſoſtomi, non placuit *Nyſſeno, vt in §. præcedente vidimus.* Quæ verò eſt Theodoreti, reijcitur à Gregorio 1. Reg. c. 4. fol. 297. M. Cōtra vtramq; expendo, quod neutra illa viſio eſt facialis; cum neutra terminetur ad ſubſtantiā Dei immediatè in ſe ipſa præſentem; ſed vtraque eſt mediata, vt patet: cum tamen phraſis Scripturæ euidenter probet, idem eſſe videre faciem alicuius, quòd videre illum in ſe ipſo præſentem: vt patet in omnibus locis, in quibus hæc phraſis reperitur. 2. Regum 3. Dauid ad Ioab: *faciē meam non videbis, antequam, &c.* id eſt me ipſum non videbis. Cap. 14. eiuſdem libri de Abſalon inquit Dauid: *Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat*, id eſt meam perſonam. Et rurſus, *manſit Abſalon in Hieruſalem duobus annis, & non vidit faciē regis*, i. ipſum regē. Petitio etiā Abſa-

25. *Non recipitur explicatio ex Chryſoſtomo,* *Nec Theodoreti.* *Non placet Nyſſen. nec Gregorio.* *Quid per faciē intelligat ſcriptura.*

Abſalon, *vt videret faciē regis*, idē ſignificabat, quod, vt videret regis perſonam; & tunc faciem regis vidit, cum ad eum perſonaliter introiuit. Paulus etiam Actorum 20. *Ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam*, id eſt me ipſum. Et rurſus: *Dolentes in verbo eius, quod dixerat: quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri*, id eſt perſonam Pauli. Denique in omnibus Scripturæ locis modus ille loquendi, hunc ſenſum habet.

26. Contra explicationē Chryſoſt.

Quam aliena ſit explicatio Chryſoſtomi ab intentione Chriſti nullus non videt: etenim nec Angeli ſatis commendabantur ex ſola cognitione naturali Dei habita proprijs viribus; quæcunque enim ſupernaturalis eſt excellentior: nec illa ſatis erat ad cuſtodiam; cum homines Angelis committantur, vt hæreditatem capiant ſalutis, ex Paulo ad Hebræos 1; iam verò ad hanc cuſtodiam ſæpè neceſſaria eſt illuminatio, & cognitio myſteriorum ſupernaturalium, quæ longè altiori indiget cognitione: nec alia poteſt eſſe accommodata, niſi, quæ eſt diuinæ eſſentiæ, vt Angelus in ea videat, quæ pertinent ad ſtatum ſuæ cuſtodiæ: indiget enim ſupernaturalibus auxilijs: ſiquidem deferunt ad Deum orationes, & bona noſtra opera: ſæpiſsimè etiam è cœlo mittuntur ad illuminandum clientulos, illoſque purgandum, & perficiendum in ijs, quæ ad ſalutem ſpectant; ad quæ non ſatis eſt cognitio, quam Angeli de Deo naturaliter habent. Accedit denique; quia Angeli ſemper vident faciem Patris; cum tamen non ſemper ſint in cōtinua Dei cognitione actuali, naturaliter habita, vt probabilior habet ſententia, de qua inter cæteros vide Bellomontanum 1.p.q.56.art.1.in comm. literæ.

27. Contra explicationē Theodoreti.

Porrò Theodoreti explicatio, quamuis accōmodatior ſit explicatione Chryſoſtomi; tamen nec conſentit cum phraſi ſcripturæ: nec cum verbis 1. Ioannis 1: *Videbimus eum, ſicuti eſt*: talis enim viſio non poteſt non eſſe ænigmatica: nec denique conſentit cum verbis Chriſti Domini Ioannis 17. de quibus in ſequenti §.

§. 4.

Quartus locus ex 1. Corinth. 13.
Tunc facie ad faciem.

28. 4. locus ex 1. Cor. 13.

QVartus locus, & apertiſsimus habetur apud Paulum 1. Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Quibus verbis omnium conſenſu explicat Paul. diſcrimen inter viſionem viæ, & Patriæ: illam appellat ſpecularem, & ænigmaticam; hanc facialem. Quæ autem ſit cognitio facialis, quę à Paulo dicitur facie ad faciem? non omnes conueniunt: vera autem, & communis explicatio eſt, vt idem ſit cognoſcere Deum facie ad faciem, quod illum cognoſcere immediatè in propria ſubſtantia, & ſicuti in ſe eſt: quæ eſt omnium Latinorum Patrum, imò etiam Græcorum, paucis exceptis, explicatio. *Ita Auguſtinus epiſt. 6. & 112. cap. 22. & lib. 5. de Trinitate cap. 8. & 9. & lib. 1. de Trinitate c. 13. & tandem 1. retract. cap. 14. Gregor. 18. Moralium cap. 28. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ ad illa verba, Audite verbum Domini principes Sodomorum, & Pſalm. 41. (ſi tamen eſt Diui Hieronymi) ad illa verba: Quando apparebo ante faciem Dei: Iſidorus libro primo Sententiarum capite 29. ſententia quarta: Origenes 2. Peri Archon cap. 12. & homil. 21. in numeros: Baſil. in oratione ſecunda de maieſtate, & potentia Dei pag. 846. B. & homilia de vera, & pura fide, pag. 346. Nyſſenus de vita Moyſis, pag. 151. Beda in eodem loco, vbi etiam D. Thomas, Hugo Cardinalis, Caietanus, Salmeron, cum cæteris illius loci interpretibus.*

Auguſt. Gregor. Hieron. Origen. Baſil. Nyſſenus. Beda. D. Thom. Hugo.

Quam veriſsimam explicationem, non ſolùm confirmat ipſa phraſis ſcripturæ, in qua videre facie ad faciem, idem eſt, quod videre in propria perſona, vt immediatè oſtendimus in præcedente loco: ſed etiam; quia Paulus cognitionem facie ad faciem condiſtinguit contra cognitionem in ſpeculo, & in ænigmate: nomine autem ſpeculi, & ænigmatis intelligitur quæcunque ſimilitudo, & imago, in qua res veluti obuelatur, & latet: ob quam rationem omnis cognitio in ſpeculo, & ænigmate eſt cognitio rei mediata, ex *D. Gregorio lib. 4. in 1. libro Regum cap. 4 fol. 297. M. & Auguſtino 15. de Trinitate cap. 8. & 9. & Pſalm. 48. ad illa verba: Inclinabo in parabolam aurem meam, & Pſalm. 118. ad illa alia: Tu finxiſti me, D. Hieronymo in cap. 1. Prouerb. in illis* ver-

Confirmatur.

Greg. Auguſt. Hier.

Gloſſa. *verbis: Animaduerteret parabolam, & ſatis docet Gloſſa ordinaria in eodem loco Pauli.* Si igitur Paulus videre facie ad faciem abſque dubio condiſtinguit contra videre in ſpeculo, & in ænigmate: vtique per videre facie ad faciem intelligit ipſum videre Deum immediatè, vt eſt in ſe ipſo, ſublato omni faciei velamine. In confirmationem huius interpretationis, expẽdenda ſunt verba, quæ cõſequuntur. *Nũc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*: quorum proprius ſenſus eſt, vt in Patria quiſque noſtrum Deũ cognoſcat, ſicut à Deo eſt cognitus, vt cũ D. Thoma aſſerit Caietanus: non quidem quoad qualitatem viſionis; ſed quoad modum ex parte cogniti: ſicut enim Deus vnũquemque noſtrũ cognoſcit, vt quiſq; in ſe eſt; ita vnuſquiſque Deum cogniturus eſt, ſicut ille in ſe ipſo eſt. Quare, ſicut

29. Deus nos videt intuitiuè ſecundum propriam, & præſentialem ſubſtantiam; ita & nos Deum videbimus ſecundum propriam ſubſtantiam Dei, ſicuti in ſe eſt, vt ait *Ioannes 1. Can. 3*: quæ cognitio cum ſit perfectiſsima, & ad propriam rei præſentiam terminata, iure optimo appellatur facialis, ſumpta metaphora à duobus hominibus, qui tunc facie ad faciem ſe vident; cum vterque faciem alterius directo vultu intuetur, vt ſignificat Gloſſa interlinearis; & ſatis ſignificauit Deus, dũ de Moyſe dixit: *Non in ſomnis, & per viſum: ſed facie ad faciem loquor ei*, id eſt, manifeſtè in corpore, quod aſſumo, vt mutuò corporaliter colloquamur: Moyſes enim ipſum Deum in corpore ſibi apparentem videbat. Et ſatis patet ex locis in §. præcedẽte citatis de viſione faciei. Quare in Patria ideò Deum facie ad faciem cognoſcimus; quia illum in propria ſubſtantia (quam faciẽ Moyſes ſibi oſtendi deprecabatur) claro, & directo mentis intuitu cõtẽplamur.

30. Non cõtrà dicũt Chryſoſtom. nec Oecumen.

Nec huic explicationi contradicunt *Chryſoſtomus in eo loco homil. 34. Theophylactus. & Oecumenius*, dùm per ipſum videre Deum facie ad faciem intelligunt clariorem, & manifeſtatiorem aliquam cognitionem: hæc enim verba optimè explicantur de cognitione clara, & manifeſta Dei; quam ſatis innuit Chryſoſtom⁹, dum ait, videndo Deum facie ad faciem, nos eius frui conſuetudine. Non tamen videtur accõmodata expoſitio *Theodoreti in eodem loco*, licet eam non omnino reijciat Oecumenius, vt Paulus intelligatur de viſione naturæ humanę Chriſti, quam nunc in ſpeculo; & per ſymbola videmus; tunc autem clarè, & manifeſtè: etenim Paulus nõ ſolùm agit de cognitione, quã in via habemus de Chriſto; ſed etiam de cæteris omnibus myſterijs. Sicut etiam non eſt accõmodata interpretatio eiuſdẽ Theodoreti *dialogo 1. pag. 301. col. 1. in fine*; vt per illa verba *facie ad faciem* ſolùm denotetur viſio diuina cuiuſdam lucis deriuatæ à diuina eſſentia, cuius viſione erimus beati; hæc enim explicatio, non ſolũ continet hæreſim damnatam ab Eccleſia, vt iam oſtendimus; ſed etiam phraſi Pauli in diuina Scriptura ſæpiùs vſurpatę nõ congruit; imò nec menti Pauli: qui, vt diximus, cognitionem facie ad faciem condiſtinguit ab omni cognitione, quæ eſt in ſpeculo, ænigmate, aliavè ſimilitudine creata, in qua videatur Deus: vnde *Greg. lib. 4. in 1. lib. Regum c. 4. fol. 297. M.* omnem lucem, quæ non eſt Deus, quanuis in ea inhabitet Deus, ſpeculum appellat. *Gregor.* Gloſſa etiam Auguſtini relata à D. Thoma in hoc loco Pauli lect. 4. ſpeculum appellat omnem cognitionem Dei in aliqua ſimilitudine.

Non eſt accommodata expoſitio Theodor.

§. 5.

Referuntur alia ſacræ Scripturæ loca.

PRæter explicatos ſacræ Scripturæ locos, qui, ſicut ſunt principaliores ad catholicam veritatem confirmãdam; ita & euidentiores cenſentur; ſunt adhuc alij, quibus eadem veritas non ſine fundamento ſtabilitur. 31.

Alia ſanctæ Scripturæ loca.

Sit igitur quintus locus in ordine apud Ioannem 14: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & manifeſtabo ei me ipſum.* Hunc locum de manifeſtatione diuinitatis explicat *Auguſt. tract. 75. in Ioannem, & in 1. de Trinitate cap. 13. & Pſalm. 48. ad illa verba: Inclinabo in parabolam aurem meam, & Pſalm. 85. ad illa: Reſpice in me, & epiſt. 112. c. 11. in fine, Diuus etiam Gregor. 18. Moralium c. 38. Iuſtus Oribanus Epiſcopus in Cantica 1. tom. Bibliothecæ pag. 744. lect. 5. in Ioannem: Probabilem eſſe teſtatur Toletus in eodem loco annotatione 23: nec ab ea longè abeſt Maldonatus; nec video, cur non ſit ꝓpria, & literalis huius loci interpretatio.* 32.

Quintus locus Ioan. 14 de diuinitate intellectus.

Auguſt. Gregor. Oribanus Toletus. Maldon.

¶ Com-

Cõmũnis locº intelligit de Christo reſurgẽte.

¶ Communis tamen expoſitio locum iſtum intelligit de manifeſtatione Christi reſurgentis, quæ nõ ſolùm Apoſtolis, ſed pluribus etiam alijs erat concedenda. *Ita interpretatur Chryſoſtomus homilia 74. in Ioannem, Theophylactus, & Euthymius ibidem; quam etiam probat Auguſtinus in dicto tract. 75. & plerique alij, & ſatis placet Toleto*: quamuis hæc Chriſti promiſsio videatur generalior, quàm vt ad eos ſolos contrahatur, qui tempore paſsionis, & reſurrectionis Chriſtum dilexerunt. *Et ob id Cyrillus lib. 10. in Ioannem verba illa intelligit de manifeſtatione per plenam, & perfectam doctrinam fidei; quam probat Ianſenius in ſua concordia cap. 134. pag. 940. nec ab ea longè abeſt Caietanus.* Alij aliter exponunt: nobis ſatis eſt explicationem de manifeſtatione per claram diuinitatis viſionem eſſe literæ accommodatiſsimam; quod ſatis eſt, vt dicamus, eam eſſe intentam à Spiritu Sancto, vt Theologi docẽt.

Explicatio Cyrilli.

33. 6. locus ex Ioan. 17.

Sextᵘˢ locus habetur Ioannis 17. *Pater quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum; vt videant claritatem meam, quã dediſti mihi; quia dilexiſti me, ante mundi conſtitutionem.* His verbis omnium conſenſu, precatur Chriſtus Dominus, vt qui à Patre ſibi ſunt dati, ſint cum illo in cœleſti Regno, vt in eo videãt claritatem, quã ei Pater dedit. Nomine huius claritatis, quam plurimi Patrum intelligunt diuinitatem, quam Filius à Patre accepit. *Ita Auguſtin. tract. 111. in Ioannem in Cõmentarijs illorum verborum: Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioannem cap. 28. Hilarius libr. 8. de Trinitate: Chryſoſtom. homil. 31. in Ioannem: Theophylactus, & Euthymius in eodem loco: Beda etiam, Rupertus, & Theodorus Mopſueſtienſis, cum Gloſſa Ordinaria, & interlineari; ſatis eſt de mente Ambroſij lib. 5. de fide cap. 3. ad finem, probat D. Thomas in eodem loco lect. vltima, Lyra, Toletus, & Maldonatus, cum Ianſenio capit. 136.* ſuæ Concordiæ. Qui omnes nomine claritatis intelligunt diuinitatem, quam Pater dedit Filio. Quæ explicatio maximè confirmatur; quoniam Chriſtus Dominus hac oratione precatur Patrẽ, vt electi, quos ei dedit, eandem ſecum habeant beatitudinem cœleſtem: id enim ſignificant illa verba: *Volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecũ.* Quare illa verba: *Vt videant claritatẽ meã* hunc habent ſenſum; vt ſcilicet exiſtentes ſimul mecum (ſcilicet in Cœlo) ſimul etiam mecum videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia nimirum in viſione huius increatæ claritatis, quæ eſt diuinitas, poſsita eſt, & mea, quatenus ſum homo, & illorum beatitudo. Itaque Chriſtus his verbis eam beatitudinẽ deprecatur, quę ei cõuenit in eo loco, in quo vult electos ſecum fieri conſocios: hic autem locus eſt, quem habet vt homo; & deprecatur, vt illi ſimul beati ſint viſione eiuſdem diuinitatis, quam à Patre accepit.

Auguſt. Cyrill. Hilarius Theophyl. Euthymi. Beda.

34. De Intellectu illorum verborũ quã dediſti mihi.

Sed quamuis citati authores in hoc cõueniant, vt nomine *claritatis* diuinitas intelligatur: non tamen conueniunt de modo, quo Chriſtus à Patre diuinitatem accepit. Quidam illa verba; *quam dediſti mihi*, intelligunt de datione, & communicatione per æternam generationem: vt ſit ſenſus: Videant mecum claritatem meã, quam per generationem mihi communicaſti; ita interpretantur *Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, D. Ambroſius, Theodorus, Cyrillus, D. Thomas, Ianſenius, & alij.* Sed videntur obſtare verba ſequentia; *Quia dilexiſti me, ante mundi conſtitutionẽ*; quæ videntur denotare cauſam, & rationem communicatę claritatis; cum tamen filius non ſit à Patre genitus voluntate; nec genitus, quia dilectus, vt docent Theologi.

1. Explicatio non ſatis arridet.

35. 2. Explica.

Quare alij illa verba: *Quæ dediſti mihi*, explicant de communicatione diuinitatis facta Chriſto homini per gratiam vnionis: vt ſit ſenſus; quam dediſti mihi per vnionem hypoſtaticam, per quam diuinitas data eſt homini Chriſto: Chriſtus enim, vt homo illa verba loquebatur; fuit enim ab æterno prædiſtinatus Filius Dei ex Paulo ad Romanos 5; idque per gratiã vnionis iuxta plurimorum interpretationem. Et in hoc ſenſu optimè quadrant verba ſequentia, *Quia dilexiſti me, ante mundi conſtitutionem*: Continent enim cauſam cõmunicationis diuinę naturę homini Chriſto: ideo enim naturæ humanæ diuinitas eſt per vnionem cõmunicata; quia Deus ante mundi conſtitutionem dilexit Chriſtum hominem. Hæc fuit explicatio Toleti, quam mihi ſatis inſinuat *Cyrill. Alexand. in dicto cap.* 28. in vltimis verbis.

Cyrill.

36. 3. Explica.

Neutram expoſitionem plerique prõbant: ſed volunt in his verbis nõ eſſe ſermonẽ de claritate increata, quæ tùm per gene-

generationem ab æterno; tùm per gratiã vnionis in tempore eſt Chriſto communicata; ſed ſermonẽ eſſe de claritate creata data homini Chriſto. Quam interpretationem neceſſariò probandam eſſe, putat Caietanus in eodem loco: eam eſſe accommodatiorem aſſerit *Maldonatus, & pro ea citat Leontium, Theodorum, Herecleotam, atque Cyrillum Alexãd.* Sermo enim eſt (inquit Caietanus) de claritate data Chriſto, quia dilecto à Patre; quæ non cõuenit illi, vt Deo, ſed vt homini.

37. Propria explicatio. Ego puto, verba Chriſti ſatis accommodatè explicari poſſe; tùm de claritate increata diuinitatis; tùm de creata hominis Chriſti: vtraque enim expoſitio eſt ſatis probabilis. Ad confirmandam autem Catholicam veritatem, ſatis eſt, quod verba illa accommodatè explicari valeant de claritate increata diuinitatis: nam ſi vera eſt doctrina D. Thomæ, & Theologorum, vt aliquis ſenſus ſit à Spiritu Sancto intentus, ita vt ab eo ſumi poſſit argumentum, ſatis eſt, ſi nihil impediat, quomin' in eo ſenſu locus explicari valeat; vtique ab hoc loco poteſt non inefficax ſumi argumentum ad confirmandam veritatem Catholicam: etenim nihil impedit: quominus verba illa accommodatè explicari valeant de claritate increata diuinitatis cõmunicata duplici modo ſupra explicato. Nec argumentum Caietani aliquo modo vrget, ne locus exponi poſſit de claritate diuinitatis data Chriſto homini per gratiã vnionis: quia in eo ſenſu data eſt Chriſto, quia dilecto, vt iam diximus. Sed nec vim habet, ſi locus exponatur de claritate increata per generationem æternam à Patre communicata Chriſto Deo: quod facilè patebit, ſi cum Ruperto ita dicas: *Vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi;* ſcilicet per generationem: & præterea videant: *Quia dilexiſti me, ante mundi conſtitutionem*: quia licet Pater voluntate, & amore non genuerit Filium tamen eum genitum ab æterno dilexit: etenim ex amore Patris, & Filij procedit Spiritus Sanctus. Sed quia ſenſus iſte non videtur ſatis literæ accõmodatus; vt quia aliquo modo illi vim inferat; aliqui reſpondent verba illa non denotare cauſam, rationem vê generandi, vt obiectio ſupponit; ſed ſolùm denotare ſignum manifeſtatiuum generationis: quia ex dilectione, qua Pater Filiũ à ſe genitum dilexit; colligimus, tanquam à ſigno, & veluti à poſteriori, Filium eſſe à Patre genitum. Non abs re dixeris, verba illa, *Quia dilexiſti me*, non eſſe referenda ad illa, *Quam dediſti mihi*, quamuis immediatè præcedant; ſed ad illa poſita in principio, *Pater volo, &c.* vnde non continent cauſam, cur Pater generando dederit diuinitatem Filio; ſed cauſam, cur Chriſtus tanta cum fiducia deprecetur Patrem, vt dicat, *Volo, vt vbi ego ſum, &c.* tanta enim authoritate deprecatur, dicens, *volo*, quia ſcit Patrem eũ dilexiſſe, ante mundi conſtitutionem.

¶ Explicatio Toleti de communicatione diuinitatis facta Chriſto homini per vnionem hypoſtaticã, ſatis eſt ad noſtrũ inſtitutum; at tamen nõ ſatis applaudet. Primò, quia nõ ſolus Pater vniuit diuinitatem cum natura humana, ſed tota Trinitas. Deinde; quia licet viſio diuinitatis per ſe beet, non tamen per ſe beat, vt communicata Chriſto per gratiam vnionis. Sed de hoc ſatis ſit dictum. Explicatio Toleti.

Septimò accedat locus Apocalypſis 22. *Sedes Dei, & Agni in illa erant, & Serui eius ſeruiunt ei, & videbũt faciem eius.* Sermo eſt de Ciuitate Hieruſalem cœleſti. Hunc locum de viſione diuinitatis explicat *D. Thomas ibidem, & 2. 2. q. 23. art. 1. ad 1. & 1. Corinth. 13. lect. 18. Lyra: Ribera, & cæteri omnes interpretes:* nam illud relatiuum eius refert Deum, cuius ſedes ibi dicitur adeſſe: niſi dicas referri Deum Agnum; & ſubinde Deum Incarnatum: quam expoſitionẽ facilè admittam; ſed cum ibi declaretur beatorum gloria; hæc autem conſiſtat in viſione diuinitatis Agni, potius, quàm in viſione humanitatis eius; rectius explicabitur de viſione Agni, quoad vtramque naturam, diuinam ſcilicet, & humanam: in quo ſenſu hæc verba pro noſtro faciunt inſtituto. 38. 9. locus ex Apoc. 22. D. Thom. Lyra. Ribera.

Accedat octauus locus Ioãnis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deũ & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ex quo loco plerique Scholaſticorum Catholicam veritatem deducunt, cum *Auguſt. Epiſt. 112. cap. 11. ad finem, & Pſalmo 85. ad illa verba: Reſpice in me:* quibus in locis verba adducta explicat de cognitione Dei per claram viſionem; & eodem modo eadem explicat *1. de Trinitate c. 8. de Spiritu, & litera cap. 33. ſerm. 112. de tempore cũ Aug.* 39. 8. loc. Ioã. 17. Auguſt.

con-

Cyril. Alex. Bernard. D. Thom. Catechiſ. Trident. conſentiunt Cyrillus Alexād. lib. 3, aduerſus Iulianum §. Nihil autem pag. 550, B. C. D. Bernard, ſerm. 4. omnium Sanctorum: D. Thomas in eodem loco: & Catechiſmus Tridentinus 1. p. cap. 13. ad illa verba Symboli, Vitā æternam. Senſus igitur erit: *Hæc eſt vita æterna*, id eſt, vera, & perfecta beatitudo in hoc eſt poſita, ſiue formaliter, ſiue cauſaliter: *Vt cognoſcant te verum Deum*: ſcilicet clara, & aperta viſione: *Et quem miſiſti Ieſum Christum*, id eſt, ſimul cum Filio tuo Ieſu Chriſto, quem miſiſti. Quæ explicatio non facile expugnabitur.

40. Alia explicatio. Non nego tamen illa verba: *Vt cognoſcant te*, accōmodatiſsimè explicari de cognitione per fidem; quæ eſt communior expoſitio, quam probat *Hilarius lib. 3. de Trinitate in med. fol. 38. poſt principium, & ſatis lib. 9. pag. 161. & clariùs pagi. 175. in fine: & D. Ambroſius in Proœmio in Lucam quam etiam ſatis inſinuat lib. 5. de Fide cap. 2. poſt principium: expreſſè Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 16. in ipſis verbis, Theophilactus, & Euthymius ibidem. conſentiunt Toletus, Maldonatus, & plerique recentiorū, & inter Scholaſticos eſt receptiſsima.* Hilarius. Ambroſ. Cyrill. Theophyl. Euthym.

41. Alia explicatio. Caietanus Sanſenius. Auguſtin. Nec etiā negandū eſt, locū acōmodatiꝰ explicari de cognitione cōmuni viæ, & Patriæ: quę explicatio *fuit Caiet. in eo loco, & Ianſenij in ſua concor. c. 136. f. 977. & prius fuit Auguſtini tract. 105. in* Ioannem: nam vita æterna in via inchoatur per fidē, iuxta illud Ioannis 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam*; & perficitur in patria per claram Deitatis viſionē. Et vtroque modo Filius clarificat Patrem; in via quidem; dum donat veram fidem Patris: in Patria autem; cum Patri regnum tradit. Quare locus iſte ſatis etiam conducit ad confirmationem Catholicæ veritatis.

42. 1. Locus. 2. Cor. 3. His omnibus locis poſſumus addere locum Pauli 2. Corinth. 3. *Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginē transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* De quo loco vide *Auguſtin. de Trinitat. c. 8. Chryſoſtomum homilia 81. in Ioānem, Bernardum ſermone 33. in Cantica, Macharium Seniorem homil. 2. in 2. tom. Bibliothecæ pag. 319. B.* Addi etiam poſſunt ſequentes loci: Ioannis 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Pſalm. 41. *Apparebo ante faciem Domini*, vbi D. Hieronymus: Pſalmi 83. *Ambulabunt de virtute in virtutem; & videbitur Deus in Sion.* 1. Petri 1. *In quem* (Spiritum Sanctum miſſum de cœlo) *deſiderant Angeli proſpicere.* Exod. 33. *Oſtende mihi faciem tuam*, id eſt tuam ſubſtātiam: nam faciem corporalem iam viderat. Vide Gregor. 18. Moraliū cap. 37. Et rurſus, *Non videbit me homo, & viuet*: poſt mortem igitur videri poteſt Deus. Poſtremò 1. Petri 1. *In quem nūc non videntes creditis.* Vt alios innumeros locos omittamus, qui pro hac Catholica veritate à Patribus paſsim citantur, & expenduntur. Auguſtin. Chryſoſt. Machar. Alia loca.

Quare concludendum eſt, veritatem iſtam de viſione diuinæ eſſentiæ euidenter deduci ex ſacris literis. Quomodo autem loci, qui ab hæreticis in contrariū citantur, ſint exponendi, iam dicimus in ſequenti articulo. Concluſio.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm loca aliqua Sacræ Scripturæ huic veritati repugnent?

§. 1.

Adducuntur loci citati ab hæreticis.

Hæretici, contra quos agimus, ſuum errorem ex nonnullis Sacræ Scripturę locis cōfirmant, quos oportet expendere. Loci citati ab hæreticis

Primus locus habetur Ioannis 1. in illis verbis: *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrabit.* Cuius loci vis augetur; quia plures Patres illum legunt cū particula *niſi*, ad hūc modum: *Deum nemo vidit vnquā; niſi Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris: ipſe enarrabit. Ita legunt Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes c. 11. pag. 258. & lib. 4. cap 37. pagi. 379. D. Athanaſius lib. 3. & 4. de Vnica Deitate Trinitatis: Euariſtus Papa Epiſt. 1: & Hilarius 6. de Trinitate. Alij loco Particulæ* (*niſi*) *habent aduerſatiuam* (*ſed*) *ita legentes: Nemo Deum vidit vnquam; ſed Vnigenitus, &c. ita Auguſt. tract. 3. in Ioannem in iiſdē verbis* Quare ſolus Filius, qui eſt in ſinu Patris excipitur: aliorū verò nullus vnquā Deum vidit. 1. 1. ex c. 1. Ioannis. Irenæus. Athanaſ. Euariſt. Papa. Hilarius. Auguſtin.

Secundus locus ſimilis huic habetur 1. Ioannis 4. vbi præcitata verba repetūtur: *Deum nemo vidit vnquam.* 2. Locus.

Tertius locus ſumitur ex cap. 6. Ioānis 3. Locus.

Non

Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo: hic vidit Patrem.

4. Locus. Quartus ſumitur ex cap 11. Matthæi: *Nemo nouit Filium, niſi Pater; nec Patrem quis nouit, niſi Filius.*

5. Locus. Quinto loco adducitur Paulus 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.*

6. Locus. Sexto accedunt verba eiuſdem Pauli in eadem Epiſtola capit. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem quem nullus hominum vidit; ſed nec videre poteſt.*

7. Locus. Septimo adducitur illud Exodi 33. Vbi Deus ad Moyſem poſtulantem oſtẽdi ſibi faciem Dei, his verbis reſpondit: *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo, & viuet.*

Locus. Poſtremò adducitur, quod Seraphim Eſaiæ 6. faciem Domini duabus alis velabãt: per hoc ſignificantes, diuinam eſſentiam nequaquam intueri poſſe.

¶ Hęc ſunt teſtimonia, quæ ex ſacris literis contra veritatẽ Catholicam ab hæreticis adducuntur.

2. Non obſtãt hi loci. ¶ His tamen nõ obſtantibus, dicendum eſt, præcitatos locos Catholicæ veritati nullo modo repugnare: nam ſi verũ nullo modo contrariatur vero; quomodo Sacra Scriptura, quæ per primam veritatem reuelata eſt, poterit Catholicæ veritati repugnare? Sed non ſatis eſt cum Medina & quibuſdam alijs generaliter reſpondere, locos in oppoſitũ adductos, vel eſſe intelligendos de corporali viſione; vel de intellectuali cõprehenſiua; vel denique pro ſtatu viæ; ſed oportet, vt ſingulos ſpecialiter percurramus, vt euidenter appareat ex nullo eorum poſſe ſumi argumentũ.

§. 2.

Expenditur locus Ioannis 1.

3 Ad 1. locum ex c. 1. Ioa. VErba Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam, &c.* negotium Patribus faceſſunt; vnde varijs modis exponuntur. Sed pro expendẽda cuiuſque ſolutionis probabilitate, aduertimus Ioannem his verbis confirmare id, quod immediatè dixerat, *Legem ſ. per Moyſem datam eſſe, gratiam verò, & veritatem factam per Ieſum Chriſtum.* (Præmiſſũ.) Quam aſſertionem ex eo probat; quia nullus homo vidit Deũ, quem tamen vidit Filius; & ideo potuit myſteria legis figuris obuelata reuelare; & veritatem per illas figuras ſignificatam hominibus explicare. Quare verba illa: *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrabit,* continent ſenſum excluſiuum: & ideo cum excluſiua, *niſi*, legunt Irenæus, Athanaſius, Hilarius, & Euariſtus Papa, & ſatis Auguſtinus, qui in argumẽto adducũtur: etenim Chriſtus Dominus eam excluſiuam poſuit *Ioannis 6. & Matthæi 11.* Quare iã facilè quis intelliget, verba adducta ex Ioanne de ea viſione eſſe explicanda; quę alijs negata, & Chriſto conceſſa, valeant ad probandam pręcedentem aſſertionem & ad normã huius regulæ metiendæ ſunt ſingulæ expoſitiones.

Primo igitur loco referenda eſt explicatio *Clement. Alexand. in Oratione ad Græcos pag. 8. in fine, & pag. 9. in principio*; vbi hæc verba intelligit de viſione per fidem, quam nullus habet, niſi reuelante Chriſto. Qua explicatione poſita, ex his verbis nullum poteſt ſumi argumentum cõtra Catholicam veritatem. 4. 1. Explicatio ex Clem. Alexand.

¶ At tamen hæc explicatio longe eſt ab inſtituto Ioannis: nec enim cohæret cum præcedentibus; nec cum ſenſu excluſiuo. Vt omittamus ante Chriſti aduentũ, multos habuiſſe veram de Deo fidẽ, quã et ſi habuerunt, Deo reuelante; non tamẽ, reuelante Chriſto homine: Deus enim olim loquebatur in Prophetis; nouiſsimè verò locutus eſt nobis in Filio, ad Hæbreos 1.

Secundo loco facilẽ ſolueretur argumentum, ſi cum pleriſque verba iſta explicarentur de ſola perſona Patris, & de ſola viſione in figuris, ſpeciebuſque corporeis; in quibus Pater diuinitus nunquã apparuit, ſed ſolus Filius: vt ſit ſenſus: *Deum Patrem in ſpecie corporea nullus vnquam vidit.* Ex qua expoſitione non benè infertur, Deum Patrem in ſubſtantia non poſſe videri oculis mentis. Hanc expoſitionem probauere *Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 37. pag. 372. D, & Tertullianus lib. 1. aduerſus Iudæos cap. 9. num. 115. & lib. 2. aduerſus Marcionem cap 27. n. 189. & clarius in lib. aduerſus Praxeam cap. 14. Nouatianus de Trinitate apud eundem Tertullianum cap. 27. Hilarius lib. 5. de Trinitate parum ante finẽ: Auguſtinus contra Adamantinum cap. 9. tom. 6: eam refert, nec tamẽ impro-* 5. 2. Explicat. *Irenæus, Tertul. Nouatian. Hilar. Auguſt.*

Ambroſ. *improbat D. Ambroſius lib. 1. in Lucam in cap. de apparitione Angeli; cuius verba refert*
Auguſtin. *Auguſtinus Epiſt. 112. cap. 5. & 6.*

6. Non admittitur. ¶ Hæc tamen explicatio non eſt admittẽda. Primò; quia nihil faceret ad cõfirmationem præcedentium. Secundò; quoniã ſi Pater in ſpecie corporali nunquam apparuit; nec â Filio in tali ſpecie viſus eſt: iam verò verba illa de ea viſione ſunt explicanda, quæ ſoli Filio eſt conceſſa, vt diximus. Tertio; quia verior eſt ſententia in apparitionibus olim factis, non ſolam
Auguſtin. perſonam Patris appatuiſſe, ſed totã Trinitatem; quod latè probat *Auguſtin. 2. de Trinitat. à cap. 10, vſque ad 17, & lib. 3, aduerſus Maximum capit. 9. & 26.* Et enim illa aſſumptio corporis, cum non fuerit hypoſtatica, non potuit non eſſe communis toti Trinitati, quamuis per appropriationem Filio poſſet attribui. Eandem ſen-
Cyprian. Epiphan. Prudenti⁹ Arnobius. tentiam probauit *Cyprianus lib. 2. aduerſus Iudæos c. 5. & 6. Epiphanius in Anchorato: Prudentius aduerſus Anthropomorphitas; & Arnobius Pſalm. 104. adde Authorem libri quæſtionum vtriuſque teſtamenti 2. p. q. 2. apud Auguſt. tom. 4.*

7. 3. Impugnatio. Nec tertio loco haberet vim, ſi verba Ioannis explicarentur de viſione per oculos corporeos, vt ſit ſenſus; *Deum in ſua eſſentia nemo oculis corporeis vidit vnquam:* hoc enim non infert, eum videri nõ poſſe oculis incorporeis, & intellectualibus.
Hierony. Hanc expoſitionem probauere D. Hieronymus *lib. 3. in Eſaiam cap. 6. ad illa verba:*
Ambroſ. August. *Et ea quæ ſub ipſo erant, litera B. in fine, & lib. 17. ad cap. 64. ad illa: A ſæculo non eſt auditum D. Ambroſius lib. 1. in Lucam cap. de apparitione Angeli: Auguſtin. lib. 4. de*
Baſilius. *Symbolo ad Cathecumenos cap. 3. tom. 9. nec longè abeſt ab ea Epiſtol. 112. cap. 11. 12. 15 & 16. Baſilius Orat. 20. fol. 845. Cyrillus Ie-*
Cyril. Ier. Origenes. Didymus. *roſolymitanus Catecheſi 9. in 2. tom. Bibliothecæ: Origenes libro 1. Peri Archon cap. 1. ad finem: Didymus Alexand. in 1. Ioannis 4. tom. 9. eiuſdem Bibliothecæ pag. 544. Be-*
Maxen. *da 1. Corinth. 13: ad illa verba: Videmus nũc in ſpeculo: Maxentius Dialogo 2. & plerique alij.*

8. 4. Impugnatio. ¶ Hæc tamen explicatio non videtur inſtituto Ioannis accommodata, vt benê aduertit *Maldonatus in eodem loco pag. 1330.* Quorſum enim Ioannes hæc ad præcedentia confirmanda afferret? Adde quia, nec Filius, qui ab illa regula excipitur, Deum vidit corporeis oculis.

9. Quarto adhuc loco verba Ioannis nullam habebunt efficaciam, ſi intelligantur de viſione comprehenſiua Dei: vt ſit ſenſus; Deum nemo vnquam vidit viſione comprehenſiua: hæc enim nulli intellectui creato eſt poſsibilis. Ex quo nõ benê infertur; non eſſe poſsibilem viſionem, quæ totum Deum attingat; non tamen totaliter. In hoc ſenſu locum iſtum explicat *D. Ambroſius in dicto c. de apparitione Angeli, & lib. 1. de Spiritu Sãcto. cap. 1.* Ambroſ.
Auguſtin. Epiſtol. 112. cap. 8. & 9. Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum pag. 176. Cyrillus Ieroſolym. Catecheſi 6. in 2. tom. Bibliothecæ pagin. 187. Anaſtaſius Synaita lib. 1. Anagogicarum contemplationum ante finẽ, 1. tom. Bibliothecæ pag. 193. & lib. 7. pagin. 270. Epiphanius hæreſi 70. & Ianſenius cap. 16. Concordiæ. Quæ explicatio confirmari poteſt; quia in eodem ſenſu explicantur verba Ioannis 6: *Non quia Patrẽ quiſquam vidit,* & illa Matthæi 11. *Nemo nouit filium; niſi Pater,* vt inferiùs patebit. August. Clem. Alexand. Cyril. Ier. Anaſtaſ⁹. Epiphan. Ianſenius.

10. Alia impugnatio. Sed nec iſta explicatio videtur quadrare, non ob eam rationem, quã affert Maldonatus; petit enim principium: ſed ob eam potiùs, quam tangit Bellomontanus: quoniam ad enarranda myſteria relata à Ioanne, ſatis erat viſio clara diuinæ eſſentiæ abſque illius comprehenſione. Sed aptior erit ratio; quoniã Filius, qui eſt in ſinu Patris illa myſteria enarrauit, nõ quatenus Deus, ſed quatenus homo, iuxta illud ad Hebræos 1. *Nouiſsimè autem locutus eſt nobis in Filio*: iam verò Chriſtus homo non cõprehendebat Deum, quem videbat; at iam diximus in illis verbis negari hominibus viſionem, quæ conceſſa eſt Chriſto myſteria reuelanti.

11. 5. Solutio. Quinta ſolutio ſumi poteſt ex quinta explicatione, quam plerique recentiorũ probant, vt Ioannis aſſertio intelligenda ſit ſecundum legẽ ordinariam: vt doceat, *Deum de lege ordinaria huius vitæ nullum vnquã vidiſſe*: quod nõ impedit, quomin⁹ in futura, etiam ſecundum legem ordinariã, videatur. Hæc explicatio eſt communis inter Scholaſticos recentiores: eam probat *Molin. 1. p. q. 12, ar. 1. diſp. 1.* ¶ Sed profectò non ſatis videtur conueniens: quia ad enarranda myſteria à Ioanne ſcripta, ſatis erat viſio extraordinaria diuinæ eſſentiæ Molin.

ſentiæ, quam Deum Moyſi contuliſſe, plerique putant. Vnde medium iſtud à Ioanne aſſumptum minus eſſet efficax ad probandum inſtiſtitutum.

12. 6. Solutio. Sexta ſolutio poteſt ſumi, ſi verba Ioānis ita explicentur, vt nullus, vel hominum, vel Angelorum viribus ſuæ naturæ Deum vnquam viderit. Quod non tollit, Deum videri poſſe ab illis ſupernaturali Dei auxilio. Ita explicat Caietanus in eodem Ioannis loco, & probant Nouiores Scholaſtici, *Molina vbi ſuprà Medina 1. 2. q. 5. art. 1. & alij: & videtur explicatio Origenis homilia 3. in Cantica.* *Molin. Medina. Origenes.*

¶ Sed eadem, qua præcedens, impugnatur ratione: quoniam ad enarranda myſteria, quæ enarrauerat Ioannes, ſatis erat viſio Dei ſupernaturaliter collata; & ita futilis eſſet Ioannis ratio. Adde etiam; quia Chriſtus Dominus non benè exciperetur ab illa regula: ſiquidem, nec anima Chriſti viribus ſuæ naturæ Deum vidit; ſed adhoc indiguit ſupernaturali eleuatione.

13. 7. Solutio. Septima adhuc ſupereſt ſolutio expēdenda, quæ inter nouiores eſt longè communior: ſcilicet verba Ioannis intelligenda eſſe de homine mortali, mortalē agente vitā; iuxta illud Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet:* cū quo benè ſtat; quod in altera vita Deus nudè, & clarè in ſe ipſo videatur: ex Patribus ita locū expoſuere *Gregor. 18. Moral. cap. 37. Clemens Alexand. 5. Stromatum pag. 149. D. E. Beda in eodem Ioannis loco, & 1. Corint. 13. ad illa verba: Videmus nunc in ſpeculo: & fuit Auguſtini 3. contra Maximinum cap. 9. & epiſt. 112. cap. 4. Ex recentioribus probāt Toletus, Maldonat. Emmanuel à Sà in eodem loco, & Bellomont. ad 1. p. diſp. 37. cap. 6. & Ianſenius in ſua Concordia cap. 16.* *Gregor. Cle. Ale. Beda. Auguſt. Tolet. Maldona. Sà. Bellom. Ianſenius*

14. Et profectò videtur ſatis quadrare, & literæ, & inſtituto Ioannis, eſſetque, tanquam literalis admittenda, niſi obſtaret prababilis ſententia Auguſtini, & pluriū aliorum, qui volunt, Moyſem, & Paulūm in hac vita diuinā vidiſſe eſſentiam; quæ tamen opinio non poſſet defendi, ſi explicatus ſenſus eſſet literalis, & proprius. Quare admittenda eſt, tanquam probabilis: non tamen, tanquam neceſſaria.

15. 8. Solutio. Octaua igitur ſolutio ſit, vt Ioannis ſententētia ad literā explicetur de homine, adhuc mortali, & in via exiſtente, ac de viſione diuinæ eſſentiæ permanente, & fixa; qualis datur in Patria: hanc enim viſionem nullus hominum habuit pro ſtatu viæ: niſi ſolus Chriſtus Dominus, vnde ſolus ille potuit nobis enarrare myſteria gratiæ euangelicæ, vt ait idem Ioannes *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ex quibus verbis colligendus eſt ſēſus antecedentiū: *Deum nemo vidit vnquā;* vt ſcilicet intelligātur de viſione Dei, quæ ex ſe eſſet ſufficiens ad omnia myſteria gratiæ enarranda, qualis eſt ſola viſio permanēs, & fixa; nō verò, quę Moyſi per modū paſsionis tranſeuntis fortè fuit conceſſa; ob quam rationem Moyſes nō fuit ſatis idoneus doctor ad enarranda omnia gratiæ, & veritatis euangelicæ myſteria.

Pro huius interpretationis explicatione aduertendum eſt cum D. Thoma 2. 2. q. 175. art. 3. ad 2. raptum Pauli (idem dicito de Moyſe) ideo, quia fuit per modū tranſeuntis, aliquo modo pertinere ad lumen prophetiæ: nam prophetiæ lumen ideo, quia datur per modum tranſeuntis neminem efficit idoneum magiſtrum ad docendum; ſed ipſum Prophetam ſemper relinquit, tanquam diſcipulum non dum adeptum artis principia; vt quia ſemper indigeat noua illuminatione, vt idem D. Thomas aduertit 2. 2. q. 171. art. 2. ad finem. Inde ego infero, viſionem diuinæ eſſentiæ, ſi fortè conceſſa fuit Moyſi, cum ſolū data fuerit per modum paſsionis tranſeūtis non ſatis fuiſſe, vt eum ſimpliter faceret magiſtrum, & doctorem diuinorū myſteriorum etiam eorum, quæ fortè vidit in ea: quin potius, illa tranſeūte, indiguit nouis illuminationibꝰ, & reuelationibus: maximè ſi vera eſt Thomiſtarum ſententia, quod D. Paulus tranſeunte viſione, nullam habuit clarā, & diſtinctā memoriā eorum, quæ vidit, vt docet *Caietan. 1. p. q. 56. art. vltimo ad finem:* & quamuis eorum poſſet formare aliquas ſpecies; non tamē ſatis diſtinctas, vt per eas poſſet diſtinctè enarrare myſteria, quę viderat: & ideo indiguit lumine fidei, vt aduertunt *Bañes prima parte q. 12. art. 11. & Cumelius ibidē q. vnica ad finem,* & ob hanc cauſam non licebat ea loqui, quæ viderat. Idē de Moyſe dicendum eſſet, ſi in tranſitu vidit eſſentiam diuinam. Itaque ad diuina myſteria clarè, & diſtinctè enarranda, non ſatis eſt

16. Explicatur ſolutio. *D. Thom. Caietan. Bañes. Cumel.*

eſt viſio Dei per modũ tranſeuntis; ſed neceſſaria eſt viſio permanens. Hanc igitur neminem hominum in vita habuiſſe, vno excepto Chriſto Dño, veriſsimè docet Ioannes; dum ait: *Deũ nemo vidit vnquam*: viſione .ſ. permanente, & ſubinde ſufficiente ad diſſerenda, & enarrãda gratiæ myſteria, quæ in lege noua per Chriſtũ facta eſt, niſi ſolus filius, qui eſt in ſinu Patris: is enĩ in carne aſſũpta ſemper Deũ videt, & ideo potuit illa nobis enarrare. Hęc igitur videtur vera & literalis illorũ verborũ interpretatio; quæ ad obtinendũ inſtitutum ſatis eſt ſufficiens, & nullã patitur inſtantiã; quia nulli hominum in via fuit vnquã cõmunicata viſio permanẽs diuinæ eſſentiæ, niſi ſoli Chriſto homini. Quare ex his verbis nullũ poteſt, vel apparens, argumentum deſumi contra poſſibilitatem viſionis beatæ, quam fides profitetur, & prædicat.

17. Vlt. explicatio. Poſtrema illorũ verborũ ſit explicatio, vt nemo, aut hominũ, aut Angelorũ Deũ vnquã ita viderit, vt in eo viderit omnia gratiæ, & veritatis Euangelicæ myſteria, niſi ſolus vnigenitus factꝰ caro: ſoli enim illi, ideo, quia eſt vnigenitꝰ exiſtẽs in ſinu Patris, debita eſt talis Dei viſio, vt videat, & cõprehendat omnia myſteria legis Euãgelicæ: etenim viſio, & reuelatio omniũ illorum nõ ſolum pertinet ad ſtatũ illius, quatenus eſt redẽptor; ſed etiã, quatenus eſt homo filius Dei, qui eſt in ſinu Patris ſui: cui, quatenus eſt homo, licet cõprehẽſio diuinæ eſſentię cõuenire nequeat; cõuenit tamen cõprehenſio omniũ myſteriorũ, & decretorum diuinæ voluntatis. Iuxta quã expoſitionẽ viſio diuinæ eſſentiæ diſtincta, & clara, ſimpliciter non negatur, aut hominibus, aut Angelis; ſed negatur ſola viſio, qua omnia gratiæ myſteria videntur; quia nec ipſis Angelis diuino conſpectu fruentibus omnia in ipſa beatifica viſione cõmunicata ſunt, vt ea poſsint reuelare: ſed ſoli filio incarnato, qui, cũ ſit in ſinu Patris, omnia videt, & ideo ſolus ille, & non Moyſes, potuit ea nobis reuelare. Hæc mihi videtur vera, & facilis huius loci explicatio.

§. 3.

Eplicatio aliorum locorum.

18. Ad 2. locũ. AD alios quinq; ſcripturæ locos, qui in contrarium obijciuntur, facilior eſt ſolutio. Verba Ioannis quę 1. can. c. 3. iterato repetuntur: *Deum nemo vidit vnquam*, intelligi debent de viſione diuinæ eſſentiæ, ſiue corporali, ſiue intellectuali, vt ex inſtituto Ioannis facilè intelligitur: intendit enim perſuadere mutuam inter nos charitatem, & dilectionem: & inde ſumit argumentũ: quoniam ſi ad inuicem diligimus, habemus in nobis Deum, quantumuis Deum in nobis non videamus. Quaſi ita argumentetur, quãuis Deũ in vobis modò non videatis; quia nemo hominũ in hac mortali vita Deum vnquam vidit; pro cõperto tamen habete, Deum in nobis eſſe, ſi mutuã inter vos charitatem habetis. Quare ad inſtitutum Ioannis ſatis eſt, ſi illa verba: *Deum nemo vidit vnquam*, quę pro argumento ſumpſit, intelligantur de viſione Dei ſumpta pro ſtatu viæ ſecundum legem ordinariã, vt benè aduertit Caietanus ibidem. Quare verba illa nihil faciunt contra veritatẽ catholicam; imò aliquo modo eam confirmant.

19. Ad 3. locũ ex Ioan. 6. ¶ Tertium locũ ex c. 6. Ioan. *Non quod Patrẽ viderit quiſquã, &c.* eodẽ modo eſſe intelligenda, quo intelliguntur verba Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquã* exiſtimat Ianſenius. Sed pro vera explicatione aduertimus, omnes in hoc conuenire, vt Chriſtus hæc verba immeditatè adiecerit poſt illa præcedentia: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*: idque, vt oſtendat, non ita Patrem diuinum ab hominibus audiri, vt apud homines audiuntur magiſtri: hi enim dum audiuntur à diſcipulis, ab ijſdem videntur; quaſi dicat; non quia dixi, eum venire ad me, qui Patrem audit, exiſtimetis, aliquem vidiſſe Patrẽ: non enim ideo audit Patrem, quia videt Patrem: *Quia Patrem non vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo*; quaſi dicat: nullus vidit Patrem, niſi ego, qui ſum ex Deo, vt aduertit *Auguſt. in eodem loco tract. 26. & clarius 3. contra Maximin. cap. 9. tom. 6.* Auguſt. vbi putat, in his verbis ſermonem eſſe, tùm de ſolis hominibus, tùm de ſolo Chriſto homine; vt ſit ſenſus: *Non quòd Patrem vidit quiſquam hominum, niſi ſolus ego, qui in carne loquor factus homo.* Quòd in his verbis ſolum ſit ſermo de hominibus, primum ex eo patet; quia in antecedentibus de ſolis hominibus ſermo erat; nimirum de illis, qui futuri erant docibiles Dei, & à Patre audituri erãt myſteria

ſidei

fidei. Deinde; quia Chriſt⁹ his verbis vult excludere ſenſũ falſum; ſ. idẽ eſſe audire Patrẽ, & Patrẽ videre. Tertio adhuc; quia Paulus illũ ſenſum explicauit 1. Timoth. 6. dũ dixit: *Quẽ nullus hominũ vidit.* Quod verò etiã ſermo ſit de Chriſto homine: ex eo oſtenditur; quia excluſiua debet eſſe vniuoca. Deinde, qa ĩmediatè de ſe homine loquebatur in illis verbis: *Omnis, qui audit à Patre & didiſcit, venit ad me*: nititur enĩ Chriſtus verbis illis docere. Patrẽ ab hominibus tunc audiri, cũ ipſe ab ijſdem auditur, qui eſt Verbũ Patris, & à Patre ideò miſſus, vt ab hominibus audiatur; iuxta illud: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Inquit igitur Chriſtus: Nõ quia dixi, qui audit à Patre, venit ad me, inferatis, aliquẽ eorum, qui Patrẽ audit, videre Patrẽ; quia nullus hominũ vidit Patrẽ, viſione. ſ. intellectuali, & intuitiua, quia iſta ſoli mihi homini cõceſſa eſt, qui cõſtitutus ſum à Deo doctor hominũ, cui debetur, & viſio ipſius Dei, & eorum omniũ myſteriorũ, quæ doctur us ſum. Quare locus contra catholicã veritatem nihil facit: quin potius, dũ probat, filium hominem videre Deum, ſatis ſupponit, Deum poſſe videri ab homine.

20. Ad 4. ex Matth. 11. Quartus locus ſumptus ex illis verbis Matthæi. 11. *Nemo nouit filium, niſi Pater, &c.* nihil etiã officit catholicę veritati, ſiue Chriſtus hæc verba loquatur, vt De⁹, ſiue vt homo. Quòd illa verba explicãda ſint de Chriſto homine, plures exiſtimãt, & cũ illis author operis imperfecti apud Chryſoſtom. & ſatis cõfirmatur hæc explicatio; quia tã in antecedentibus, quã in conſequentibus, ſermo eſt de Chriſto homine: etenim ante dixerat: *Confitebor tibi Pater Dñe Cæli, & terræ*; quæ de filio homine intelliguntur. Et de eodem homine intelliguntur ea, quæ conſequuntur: *Venite ad me omnes qui laboratis: tollite iugum meũ ſuper vos, & diſcite à me, qui mitis ſum, & humilis corde.* Imò id ſatis ſuadent illa, quæ adduntur: *Et cui voluerit filius reuelare*: myſteria autẽ ſapiẽtibus abcõdita, quæ Pater reuelauit paruulis, per Chriſtũ reuelauit: ſuppoſito autẽ, quòd & antecedẽtia, & cõſequentia Chriſtus loquutus eſt, vt homo; nõ poſſunt verba: quæ adducũtur, intelligi de notitia diuinitatis, ſed de notitia Cõſilij diuini circa hominũ redeptionẽ, & ſalutẽ; vt ſit ſenſus: *Nemo nouit filiũ hominẽ factũ, & cuius cauſa venit, &c. quæ ad diſpenſationis myſteria ſpectãt, niſi Pater, qui eũ miſit: nec Patrẽ, quis nouit: id eſt, nec quis hominũ nouit Patris cõſiliũ circa miſsionẽ filij, diſpenſationẽq́; incarnationis, niſi ipſe filius homo factus: cui omnia redẽptionis myſteria ſunt diuitus concredita, & patefacta.* Quem ſenſum ſatis probant verba immediatè præcedentia: *Omnia mihi tradita ſũt à Patre meo*; id eſt, poteſtas omnis gubernãdi, & diſpenſandi omnia myſteria ad redẽptionem hominũ attinentia, mihi data eſt à Patre meo. Quòd etiã explicatur Ioãnis 10. *Pater diligit filiũ; & omnia tradidit in manu eius.* Et Ioan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ioan. item 17. *Dediſti ei poteſtatẽ omni ſcarnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Dnique Matthæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.*

Porrò, ſi Chriſtus verba illa loquitur, vt Deus (quæ eſt cõmunis explicatio) illa intelligẽda ſunt de notitia naturali, nõ ſolũ diuinę naturæ; ſed etiã totius diuini cõſilij, circa prouidentiã totius vniuerſi, & hominũ redemptionẽ: iſto enim modo ſolus Pater filiũ nouit, & ſolus filius Patrẽ: nõ tñ excluſo Spiritu S. & nouerũt etiã illi, quib⁹ filius in carne gratuitò voluit reuelare, ſiue in via per fidẽ; ſiue in patria p viſionẽ. Quare locus iſte, vel nihil catholicę veritati aduerſatur, ſi intelligatur de Chriſto homine; vel ſi intelligatur de Chriſto Deo; potius pro nobis facit: quia licet naturalẽ notitiã, & cõprehenſiuã Deus denegat hominibus, tanquã illis impoſsibilem; non tamen denegat notitiã eiuſdem per reuelationem: ſiue obſcuram, vt fit in via, ſiue claram, quæ datur in Patria. 21. Ad 5. locũ 1. Cor. 13. 1. Explicatio.

¶ Quintus locus ex Paulo 1. Corint. 1. *Regi ſæculorũ, imortali, & inuiſibili*, à pleriſque explicatur de ſola perſona Patris; & de inviſibilitate ſecundũ aliquã aſſumptã creaturã: ita explicat author Cõmẽtarij in Paulũ, qui tribuitur D. Ambroſio. Sed nõ eſt recipienda explicatio quoniã hæc inuiſibilitas nullã in Patre denotat pfectionẽ cũ tñ Paul⁹ hoc loco Dei pfectiones explicet, ob quas gloria, & honore dign⁹ ẽ. 22. 2. Explicat.

Alij locũ explicãt de inuiſibilitate ſecundũ viſionẽ corporeã, quæ propriè dicitur viſio, ſecundũ quã Deus ſemper eſt inuiſibilis: *ita Auguſt. epiſt. 111. to. 2. pag. 298. A. 2, & epiſt. 112. c. 5. D. Anſelm. in eodem* 23. *Auguſt. Anſelmus.*

eodē loco: probat D.Thom.ibidem lect.4.& ſatis eſt de mēte Caietani,ſi benè expendatur. D. Thom. Caietan. Qua ſuppoſita expoſitione,loc⁹ iſte nullū poteſt argumentū ſuppeditare cōtra Catholicā veritatē. Sunt tamen ex recentiorib⁹,qui eā, vt minus probabilem, non admittunt;eo ducti fundamēto,quia inuiſibilitas iſta cōmunis eſt Angelis:ſunt enim corporaliter inuiſibiles: quaſi Paulus hoc loco ſolas illas perfectiones velit explicare,quæ ſoli Deo cōueniunt. Sed profectò nō debet vt improbabilis reijci : nam ſatis probabilitatis habet, ex eo, *quòd Magno placuit Auguſtino, Anſelmo, & D. Thomæ* D. Thom. nec aliena eſt ab inſtituto Pauli,quoniam mens Pauli non eſt, eas ſolas perfectiones explicare,quæ ſoli Deo ſūnt ꝓprię: quin potius oppoſitum videtur colligi ex ipſis verbis Pauli,vt facilè intelliges,ſi verborū ordinē, & Pauli intentū cū D.Thoma cōſideratius perpendas: etenim Paulus regē, cui gratias agit,nititur explicare per conditiones,quibus ab alijs regibus diſtinguitur:agit enim gratias regi,nō vnius ſęculi, ſed ſæculorū. Et ne intelligeres regē iſtū, ideò dici regē ſæculorū;quia licet aliquādo ſit moriturus ; per plura tamen durat ſæcula(in quo ſenſu aliquādo ſumitur nomen ſæculi)ideo addit *immortali*;ad differentiam aliorū regum,qui,vt longæuā habeant vitā;tandē morituri ſunt. Et ne exiſtimares,regē illorū ſæculorū,& immortalē ſolū dominari rebus viſibilibus ; ideo adiunxit,*inuiſibili*;vt eū diſtinguat,inquit D.Thom.ab alijs regibus huius ſæculi viſibilibus. Vt verò ōnia cōcludat, tandē adiungit,*ſoli Deo*;vt ſit ſenſus:qui rex īmortalis,& inuiſibilis ſolus eſt De⁹. Et iuxta hāc Pauli explicationē,*inuiſibile*,hoc loco diſtinguitur cōtra *viſibile* oculis corporeis. Quare nō eſt mens Pauli, eas ſolas Dei pfectiones referre,quarū ſingulę ſoli Deo eſſēt ꝓprię:nō eſt igiť hęc explicatio adeò improbabilis,vt omnino reijciēda veniat.

24. Melior explicatio. Satius tñ eſt locū explicare de inuiſibilitate intellectuali in ordine ad intellectū, qui eſt mētis oculus:vt ſit ſenſus;Deū ſecundū ſuā ſubſtantiā eſſe in ſeipſo inuiſibilē,viſione intuitiua,quæ ſola dicitur viſio. In quo ſenſu loc⁹ ingerit difficultatē. Sed cū duplex ſit viſio intellectus ; vna , quæ rē quidē in ſe ipſa attīgit,eā tamē nō cōprehendit: altera;quæ ita eā attingit in ſeipſa,vt eā cōprehēdat; vidēdū eſt, de quanam illarum locus ſit intelligendus.

Quidā eum intelligunt de inuiſibilitate cōprehenſiua; vt idē ſit *inuiſibile*, quod *incōprehenſibile*. Ita locū interpretatur D. Anſelm.ibidē, & plerique Scholaſticorū: in quo ſenſu Deus per ſuā naturā dicitur incōprehenſibilis à quocumq; intellectu creato,quod nō tollit,quominus ſit ab eo viſibilis,viſione attingente quidē Dei ſubſtantiā īmediatè in ſe ipſa; nō tñ eā cōprehendēte. Et ſi locus ita explicetur, nullū poteſt cōtra fidē argumentū ſuppeditare. 25. Alia explicatio.

Quod ſi placet,ſermonē eſſe de inuiſibilitate,q̄ eſt attributū diſtinctū ab incōprehenſibilitate,quæ eſt cōmunior expoſitio,tunc Deus à nōnullis ideo dicitur inuiſibilis;quia in hac vita videri nō poteſt; benè tñ in futura. Sed obſtat;quia ſicut Deus ſēper eſt immortalis,ita ſēper eſt inuiſibilis,vt cū Auguſt.pleriq; aduerterūt. Quare in eo ſenſu dicitur inuiſibilis; quia à nulla creatura viribus ſuę naturę videri poteſt;quāuis poſſit videri viribus gratię. Et hęc eſt cōmunis explicatio inter Scholaſticos,quā probat *Moli. 1.p.q.12.art.1. diſp.1.§.Ad duo priora teſtimonia*,&plures alij,quæ inuiſibilitas arguit in Deo maximā perfectionē ; cū illū cōſtituat in ordine eſſendi ſuperiori ad ōnem creaturā. Si verò quis obijciat,poſſe dari diuina potentia creaturā,cui Deus ſit naturaliter viſibilis,vt Mol.putat ſe ferè demōſtraſſe *in d. q.12.art.5.diſp.2.* vel id negādū eſt,vt vera & certa habet opinio, vt in ſuperiorib⁹ diximus,*& probat Suar.in Metap.diſp.*30: *ſect.*11.*à nu.*40: vel dicito cū eodē Molin. vbi ſuprà ad 1.arg.Deū dici naturaliter inuiſibilē in ordine ad creaturas ꝓductas; ñ verò ad omnes diuina omnipotētia ꝓducibiles:qā tñ hęc explicatio ſatis aliena eſt à mēte Pauli,qui ſenſerit cū Mol. Paulū explicabit,de viſione comprehenſiua. 26. Vltima explicatio. Molina. Suarius.

¶ Sextus locus ſumptus ex Paulo 1. ad Timotheum 6. *Qui ſolus habet immortalitatē,&c.* iiſdē ferè modis explicatur , quib⁹ locus ſuperior. Prima tamen explicatio, quā apud Ambroſiū probat Cōmentarius eiuſdē loci,his verbis accōmodari nequit: tùm,quia, licet demus , Patrē in corpore aſſumpto nunquā fuiſſe viſum;quis negabit,illū hoc modo eſſe viſibilem,cū poſſit corpus aſſumere ? tùm etiā ; quia illa verba:*Quem nullus hominum vidit*,explicātur per præcedentia,*lucē inhabitat inacceſſibilem* 27. Ad 6. locū 1.Timoth. 1. Explicatio non recipitur

lem; & ſuinde intelligenda ſunt de inuiſibilitate Dei in illa luce, quam inhabitat.

28. Non placet 2. Explicatio. Nec videtur admittenda explicatio D. *Gregor. 18. Moral. c. 39. quam probat D. Anſelmus in eodē loco*, vt nullus homo humana ſapiens Deum, aut viderit, aut videre poſsit; benè tamen qui ſpiritualis eſt: etenim hi Patres noluerunt Paulum explicare literaliter, ſed ſolum moraliter.

29. Nec 3. explicatio. Nec tertio loco admodū placet, vt Deꝰ ab homine in hac vita, nec viſꝰ fuerit, nec videri poſsit, ſeruata lege ordinaria: etenim Paulus in illis verbis vult explicare excellentias Dei, & illius proprietates: Deum autem ſecundum legem ſtatutam non poſſe in hac vita videri, nihil excellētiæ in Deo ponit; ſed ſolùm diuinum ſupponit beneplacitū; quia potuiſſet legem contrariam ſtatuere, & facere, vt ſua lux ſecundùm legem ordinariam in hac vita eſſet viſibilis.

30. Nec 4. Sed nec 4. loco admodū arridet explicatio de viſione cōprehēſiua Dei, quę nulli creato intellectui eſt poſsibilis, quia inacceſsibile aliud eſt, quā incomprehēſibile: Deus enī nō eſt ſimpliciter inacceſsibilis; cum tñ ſimpliciter ſit incōprehenſibilis.

31. Vera explicatio. Quare duæ ſuperſūt explicationes: quarū vna locū illū intelligit de luce inacceſſibili ab oculis corporeis, qui nullo modo poſſunt videre Deū. Altera de inacceſsibilitate ſecundū proprias, & naturales creaturæ vires. Priorē explicationē probauit *Auguſt. epiſt. 6 poſt princ. & epiſt. 111. pag. 158. D. 1. & epiſt. 112. c. 15. 16. & 19. & ſermone 44. de diuerſis: quā eandē probat. D. Thom: in eodem loco lect. 3.* Sed obſtat; quia negandū nō eſt Paulū in illo loco explicare excellentias ſoli Deo ꝓprias; cum tñ inacceſsibilitas, & inuiſibilitas ſecundum oculos corporis, non ſoli Deo conueniat; ſed etiā Angelis, & animabus. Quare poſterior explicatio videtur omnibus accōmodatior: quā tam Scholaſtici, quàm interpretes Pauli cōmuniter probant cum D. Thoma in d. lect. 3. Qua ſuppoſita explicatione, nullū ex hoc loco poteſt argumentū ſumi cōtra fidem, quā defēdimus.

Auguſt. *D. Thom.*

32. Ad 7. locū Exod. 33. ¶ Septimus locus Exodi 33. *Nō videbit me homo, & viuet.* nihil facit cōtra explicatā fidei veritatē; ſiue ille explicetur de viſione diuinæ eſſentiæ, quæ eſt cōmunior Patrū, & Scholaſticorū interpretatio, ſiue de viſione figuræ corporeæ, in qua Deus Moyſi apparebat cū tanta vltꝰ claritate, vt ea mortalis homo ferre nō poſſet, quæ eſt quorundā explicatio, & ni fallor, literalis. Et quidē ſi locus hoc poſteriori modo explicetur; nullo modo officit catholicæ veritati, vt patet. Si verò explicetur modo priori, nō ſimpliciter cōcludit, hominē non poſſe videre diuinā eſſentiā; ſed nō poſſe eā videre, quin moriatur, vt quidā volunt: vel quādiu in hac mortali vita fuerit, vt alij putant: vel denique fungens ſenſuum operatione, vt plerique interpretantur. Quare ex his verbis potius ſumitur argumentū pro catholica veritate cōfirmanda; quia fatetur Deus, poſſe ſe extra hanc vitam videri ab homine.

33. Ad poſtremum locū Eſai. 6. ¶ Poſtremus locus deſumptus ex cap. 6. Eſaię, nullū poteſt argumētū efficax ſuppeditare; quia myſticū continet ſenſū; & ideo varijs modis exponitur: etenim ex ijs, quæ ſuperius diximus, planè cōſtat Seraphinos, nō ideo velare faciē, vt oſtendāt ſe diuinā eſſentiā, ſicuti eſt, videre ñ poſſe; ſed ob alias cauſas, quas paſsim apud Patres, & interpretes reperies. Illa cauſa eſt accōmodatiſsima, vt oſtendāt, ſe nec viribus ſuæ naturæ, poſſe diuinā eſſentiā intueri, nec ſupernaturali lumine nō modo eā cōprehendere; ſed nec diſpenſationes gratiæ, & arcana diuinæ voluntatis decreta ad plenum cognoſcere; & proinde cum reuerētia diuinas reuelationes expectare.

Hæc diximus pro defendenda veritate catholica, & ꝓ defenſione plurimorū Patrū, quos pleriq; cū hæreticis erraſſe ſine fundamēto aſſirmāt: Explicata huius rei fide, ſupereſt expendamus; an rationibus naturalibus poſsibilitas viſionis diuinæ eſſentiæ poſsit àliquo modo confirmari. De quo in ſequente quæſtionē.

QVÆSTIO II.

De poſsibilitate viſionis diuinæ eſſentiæ, ſupernaturaliſque beatitudinis in ordine ad lumen naturale rationis.

1. Quæſt. 2. SVppoſita veritate fidei, quòd beatitudo ſupernaturalis poſita in viſione diuinæ eſſentię, non ſolū ſit poſsibilis; ſed de facto à beatis in patria ſit cōſequenda; inquirendū eſt; an ſola fide id ſit tenendū? an verò lumine naturali cognoſci poſſit, non ſolum poſsibilitas illius; ſed quòd de

de facto ab aliquibus aſſequenda ſit?

2. Et quia variæ admodũ ſunt hac de re Theologorũ opiniones, dum hi affirmãt; illi negant; alij varijs modis diſtingunt: vt hæc difficultas dilucidè, ſine vlla confuſſione explicetur, duos in hac quæſtione articulos excitabimus.

Primus inquiret; vtrûm homo ſolo naturali lumine inſtructus, ſecluſa omni ſupernaturali reuelatione, poſsit naturali ratione efficaciter cõuincere ſupernaturalem beatitudinem, viſionẽq; diuinæ eſſentiæ eſſe homini poſsibilem?

Secundus conſiderabit hominẽ Theologicè, facta. ſ. diuina reuelatione, quòd beatitudo iſta poſsibilis ſit homini, & de facto ab aliquibus conſequẽda; inquiret, an poſita huiuſmodi reuelatione, poſsit naturali ratione efficaciter oſtendi, hominẽ eſſe illius capacem?

De hac materia diſputari ſolet 1.2.q.3 ar.8. & q.5.art.1. & prima parte q.12.ar. primo, & in 4.diſt.49.

ARTICVLVS I.

Vtrùm homo ſolo lumine naturali poſsit efficaciter conuincere ſupernaturalem beatitudinem eſſe poſsibilem?

§. I.

Refertur opinio affirmans cum fundamentis.

1. Opinio affirmans. Nyphus. Bellom. Conrad. PArtem affirmantẽ in terminis propoſitis probauit *Scotus in 4. diſt. 49. q.8. litera B, quem refert, & ſequitur Auguſt. Nyphus 2. Metap. diſp. 3. c. 4. ex Recentioribus ſimpliciter eam probat Bellomont. in primã 2. diſp. 20. cap. 2. & eam ſatis indicat prima parte q. 12. art. 1. in Com. n. 9. 10. & 11. Eam non omnino reijcit Conradus 1.2. q. 5. art. 1. Com. 2.* Hæc opinio multis probatur: & primo, quia hæc eſt mẽs *D. Thomæ 1.2. q. 3. art. 8. & q. 5. art. 1. & 1. p. q. 12. art. 1. & de veritate q. 8. art. 1. & clarius 3. cont. gẽt. c. 50. & 51. in princ.* ex quibus locis ſequẽtia argumenta deſumũtur. (Quę ſit D. Thomæ.)

2. 1. Ratio ex D. Thoma. Primũ ſumitur ex 1.2. *q. 5. art.* 1. Homo eſt capax boni perfecti. Ergo poteſt illud adipiſci. Ergo poteſt adipiſci beatitudinẽ, quę poſita eſt in clara Dei viſione. Prima cõſequentia ex eo patet, quia aliàs nõ eſſet capax illius boni. Secunda verò inde probatur: quia poteſt homo conſequi perfectum bonum, vt patet ex prima conſequentia: ſed perfectum hominis bonum eſt clara Dei viſio. Ergo ſi beatitudo per ſe eſt poſita in aſſecutione perfecti boni: poteſt homo conſequi beatitudinẽ poſitam in clara Dei viſione. Porrò antecedens inde probatur, quia intellectus poteſt comprehendere, & intelligibiliter attingere bonũ vniuerſale, & perfectum: poterit igitur illud appetere: non appeteret autem, niſi eſſet capax illius.

Secundo ex eodem *Thoma 1. p. q. 12. art. 1, rat. 1.* vltima beatitudo hominis cõſiſtit in altiſsima hominis operatione: hęc autem non eſt alia, niſi viſio clara diuinæ eſſentiæ. Ergo ſi homo non poteſt videre Deum, nunquam poterit conſequi ſuã beatitudinem: quod tamen, & lumine fidei, & naturali falſum eſt. 3. 2. Ratio ex eodem.

Tertio ex eodem *in d. q. 12. art. 1. & 1. 2. q. 3. ar. 8. & 3. cont. gent. c. 50.* Omne deſiderium naturale poteſt impleri. Sed in nobis datur naturale deſiderium videndi Deum, ergo poſsibile eſt hominẽ Deum videre. Diſcurſus eſt optimus, & omnes præmiſſæ cognitæ lumine naturali: etenĩ naturaliter cognoſcimus, omne deſideriũ naturale impleri poſſe: etenim natura nõ tẽdit in impoſsibile: nec datur deſiderium naturale vacuũ, & inane; alioquin natura fruſtrà aliquid faceret. Maior igitur eſt veriſsima. Porrò minor multis medijs ꝓbatur à D. Thoma in d. c. 50. quæ omnia ad hoc vnũ reducuntur: quia viſis effectis naturaliter reſultat deſideriũ videndi cauſam; inde enim prouenit admiratio, & inquiſitio philoſophica, vt ait Ariſt. 1. Metaph. cap. 2. deſiderium autem inquirendi non quieſcit, donec ad quidditatiuã cauſę cognitionẽ deuentũ ſit: hæc enim eſt perfecta rei cognitio. Quare cũ naturaliter cognoſcam⁹ plures Dei effectus, naturaliter in nobis reſultabit deſideriũ videndi Deum: non quocumque modo, ſed perfectè, quidditatiuè, & intuitiuè. Hoc eſt principale fundamentũ D. Thomæ, quod latè defendit *Bellomõtanus 1. p. q. 12. ar. 1. in comm. nu. 10. & 11.* 4. 3. Ex codẽ. Bellom.

5. 4. Ratio ex Scot. Quarto arguit *Scotus in 4. diſt. 49. q. 8.* Naturaliter cognoſcimus potentiam, quæ habet obiectum adæquatum, poſſe operari circa quodcumque contentum ſub illo: & præterea non quieſcere, donec circa obiectum perfectiſsimum perfectiſsimo modo operetur: viſus enim, niſi in viſibili pulcherrimo, nõ cõquieſcit. Sed natura-

naturaliter cognoſcimus obiectum adæquatũ noſtri intellect⁹ eſſe enſin tota ſua latitudine: ſimiliter etiam Deum ſub illo contineri tanquam ens prę̄ſtantiſsimum, principiũ, & originē totius entis, & in eo ſolo pefectiſsimē cerni totius entis rationem. Ergo ratione naturali cognoſcimus, intellectum noſtrum, non ſolùm poſſe operari circa Deum; ſed poſſe eum attingere viſione clara, & intuitiua, quæ ſola eſt perfectiſsima operatio.

6. Confirmatur ex Bellomont. Hanc Scoti rationē ita confirmat Bellomont. *in dicta diſp. 20. cap. 2. nu. 7. §. Poſterior ratio.* Facultas, cuius obiectum adæquatum eſt cõmunis quædam ratio continens ſub ſe plura ſingularia, poteſt operari circa quodlibet eorum. Ergo intellectus cuius obiectum adæquatum eſt ens poteſt operari circa Deum, qui ſub ente continetur: ac proinde inclinatio naturalis intellectus, ita perfectè poterit operari circa Deũ, ſicut circa cætera obiecta: hoc eſt intutiua, & clara viſione: & quouſque hoc modo operetur, nõ erit perfectus, & conſummatus: ſic autem operatus perfectus erit, & in ſtatu felicisſimo. Quòd autem intellectus creatus poſsit à Deo adiuuari, vt intra limites ſui obiecti adæquati ita perfectè operetur circa vnum obiectum, ſicut circa aliud, ex eo probat; quoniam id non videtur impoſsibile. Ergo non eſt impoſsibile Deum ab intellectu creato videri. Ergo nõ erit impoſsibile intellectũ creatum clara Dei viſione beari.

7. 5. Ratio ex Scoto. Quinto ex eodem Scoto: Id, quod in inferiori eſt perfectio, nõ debet ſuperiori negari: ſed cognoſcere intuitiuè ſummũ ſuum obiectum in particulari, eſt perfectio in ſenſu: viſus enim tũc eſt perfectiſſimus, cum perfectiſsimum viſibile intuetur. Ergo non eſt negandum intellectui poſſe intuitiuè videre Deum in ſe ipſo; qui eſt perfectiſsimũ obiectum viſibile.

8. 6. Ratio. Sexto nonnulli ita arguunt: Naturaliter cognoſcimus õmne deſiderium naturaliter innatum poſſe compleri; quia ratio naturalis dictat, nullam dari potentiã naturalem, quæ ad actum reduci nequeat. Sed in nobis datur deſiderium per modũ naturalis potentiæ ad videndum Deum, vt præſtantiſsimis placet Theologis. Ergo naturaliter poſſumus cognoſcere diuinæ eſſentiæ viſionem, & Angelo, & homini eſſe poſsibilem.

Septimo, homo naturaliter appetit ſũmumbonum, & maximam illius cognitionem. Ergo poſsibile eſt, hunc appetitum adimpleri; aliàs fruſtra eſſet inditus à natura. Sed non poteſt adimpleri in aliquo bono creato; quia in illo ſemper apparet aliquis defectus, propter quem animus in eo non quieſcit, Ergo debet adimpleri in bono increato, nimirũ in Deo, in quo poſita eſt noſtra ſupernaturalis beatitudo. Hac ratione vtitur Nymphus ex Suggerio in lib. de Felicitate, quam magni facit Bellomontanus vbi ſuprà n. 6. 9. 7. Ratio.

Octauo; lumine naturæ notum eſt, hominem poſſe conſequi beatitudinem abſolutè. Sed betitudo in effectu obtineri nequit, niſi poſſeſsione alicuius rei ſingularis, in qua ſit omnis ratio boni cum carentia omnis mali. Ergo naturaliter erit notum, hanc rem poſſe ab homine obtineri: etenim, & ratio naturalis, & experientia demoſtrat, nullam dari rem creatam, quę ſit ſummum bonum excludens omne malum; ſed ſolam diuinam eſſentiam eſſe talem. Cum vero ratio naturalis aſſequatur, Deum, qui eſt Spiritus puriſsimus, non poſſe corporaliter poſsideri, ſed ſolum ſpiritualiter per actum intellectiuę potentiæ; ſanè diſcurſus naturalis ad hanc concluſionē deueniet, quòd homo ſit capax beatitudinis, quæ poſita ſit in poſſeſſione Dei per intellectum, & voluntatē. 10. 8. Ratio.

Poſtremò; plerique Philoſophorum abſque omni lumine fidei dixerunt, intelligentias inferiores videre primam; & nos poſt hãc vitam contẽplatione primę, quæ eſt Deus, futuros eſſe beatos: ita enim inſinuat *Commentator 12. Metaph. cap. 17. citantur Auenpace, Themiſtius, & Aphrodiſæus: quin potius in ea opinione fuerunt Plato in Epaminonde, & in vlt. lib. de Republica, Seneca in lib. de breuitate vitæ, & Epiſt. 103 Cicero in lib. de Somnio Scipionis*; qui omnes docuerunt, viros probos in altera vita cum Deo eſſe victuros, quos referunt *Lactantius lib. 7. capit. 8. & Auguſtinus Eugubinus libr. vltim. de perenni Philoſophia cap. vltim.* 11. Poſtrema ratio. *Comment. Themiſt. Aphrodiſ. Plato. Seneca. Cicero. Lactant. Eugubin.*

§. 2.

Refertur opinio negans.

Partem tamen negantem probarũt *Ochamus in 4. q. 14. art. 2. Supplementum Gabrielis in 4. diſtinct. 49. quæſt. prima art. 3. dub. 2. Herueus quodlib. 6. q. 3.* ſatis 12. Partis negãtis auctores *Ocham. Supplem. Herueus.*

Syluester. Caietan. Ferrar. *ſatis Syluester in Conflato q.prima art.*10. §. *primo, Medina prima ſecundæ q,5.ar.1.& in noſtris terminis conſentiunt Caietanus prima parte.q.12. art..1.& Ferrarienſis 3, contra gent.cap.51.§.Propter quod videtur mihi,&* *Sotus. Fonseca. Molin.* *ſatis Sotus, ſi benè expendatur in 4.d.49. q. 2.art.2.concl.1.ex nouioribus Fõſeca 4. Metaph.cap.1.q.1.ſect.5.ad finem, Molin. prima parte q.1.art.1. diſp.3. & q,12.artic.1. diſp.1.§.Prima ratio in fine pag. 97. col.2.* *Suarius. Lorca.* *Suarius in Metaphy.diſp.30.ſect.11.nu.50. Lorca ad primam ſecundæ q.5.diſput. 28.& eſt receptiſsima inter recentiores in ſuis annotationibus ad primam ſecũdæ q.5.art.1.Hãc ſententiam abſque dubio probat Scotus in 1.q. prologi §.Contra duas priores rationes. D E,* quatenus docet, animã noſtram non poſſe naturaliter cognoſci ſub ſpeciali ratione, qua ordinatur ad Deum clare viſum. Clariùs explicat *in reportatis ad 4.diſt.49. q.7.§. Ad quæſtionem dico,& videtur recepta ſententia apud Scotiſtas, de qua Lychetus* *Scotiſt. Lychetus, Barg. Herrer. Rada.* *in 1.q.prologi,& Bargius ibidem fol. 5.col. 3.in fine,& Herrera in primum ſentent.diſp. 2.q.2.concl.1.& 2.Rada prima parte contro. 1.art.2.contra primam, & 2.* Cum hac negante ſententia eſſe D. Thomam exiſtimant Caietanus,& Ferrarienſis; ſi ſermo ſit de homine purè ſumpto, ſed an benè explicent mentem D.Thomæ? dicemus in ſolutionibus argumentorum. Ego hãc negantẽ ſententiam puto eſſe veriſsimã, ſi ſermo ſit de ratione efficaciter concludente. Pro reſolutione nonnullas ſtatuemus concluſiones.

13. 1. Concluſ. Sit prima concluſio: *Si puram rationem naturalem ſpectemus, nulla datur ratio, qua efficaciter probetur beatitudinem ſupernaturalem.quæ in clara viſione diuinæ eſſentiæ conſiſtit,eſſe poſsibilem.* Hæc concluſio à Medina,& nonnullis alijs ita cõfirmatur: Media neceſſaria ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam,ſola ſupernaturali reuelatione cognoſci poſſunt, iuxta illud Pauli primæ Corinth.2. *Sapientiam loquimur inter perfectos,quam nemo Principum huius mundi cognouit.* Ergo naturali 1. Ratio. ratione cognoſci nequit. Hæc tamen ratio pluribus diſplicet: quoniam ſicut media eſſe ſupernaturalia non impedit viſionem eſſe finem naturalem, vt plurimorũ eſt ſentẽtia; ita media naturaliter nõ cognoſci non impedit poſsibilitatem viſionis poſſe naturaliter cognoſci. Cui fauet, quòd cognitio finis, & poſsibilitatis eius antecedit cognitionem mediorum, vt oſtendimus tom.1.lib.1.q.6.art.4.n.53.

Secundo loco alij eam ita confirmant: quoniam beatitudo ſupernaturalis cum 14. excedat facultatem naturæ, debet procedere à diuina gratia, liberalique Dei volũtate. 2. Ratio. Sed libera voluntas Dei non poteſt nobis naturaliter conſtare,ſed ex ſola reuelatione.Ergo nec poſsibilitas eius conſtare poteſt ratione aliqua naturali. Sed neq; hæc ratio vim habet: quia ſolùm probat,non poſſe naturaliter conſtare, ſupernaturalem beatitudinẽ de facto alicui eſſe donandam: non verò ſatis eſt, vt probet circa illius poſsibilitatem.

Quare tertio loco eam nos probamus 15. medio quodam in hac materia probabiliſsimo: 3. Ratio. quia nullus philoſophorum ratione naturali vnquam cognouit, Deum poſſe in ſe ipſo intuitiuè videri à nobis; cum tamẽ Paulus ad Romanos primo dicat: quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: & quamuis illi, etiam in naturalibus, in multis errauerint; tamen aliquo modo tetigerunt, quę de Deo naturaliter cognoſci poterant.

Quarto loco hęc videtur optima ratio: 16. ſi ſola ratio naturalis ſpectetur, tantũ abeſt, 4. Ratio. vt oſtendat viſionem intuitiuam Dei eſſe poſsibilem, vt ſi intra ipſius limites ſiſtendum eſt, potius videatur demõſtrare illius impoſsibilitatem. Primum facilè 1. Pars. patet: quoniam ſi ratio naturalis oſtenderet poſsibilitatem beatitudinis ſupernaturalis; vel illam oſtenderet à priori, vel à poſteriori. Non à priori; quoniã hæc ſumitur à cauſa eius, quod demonſtratur: iã vero nulla poteſt dari naturalis cauſa huius poſsibilitatis: alioquin beatitudo ſupernaturalis poſſet naturaliter acquiri: quod enim per rationem naturalem eſt poſsibile, per aliquam naturalem cauſam obtineri poteſt, quia fruſtra eſt potentia, quæ ad actum reduci nõ poteſt. Iam verò ſupernaturalem beatitudinem viribus cauſæ naturalis acquiri poſſe; fidei repugnat, vt oſtendimus ſuprà lib.6.& 7. Accedit; quoniam viſionis beatificæ poſsibilitas naturaliter cognoſci non poteſt, niſi vel ex diuina omnipotentia cognita, quæ eſt prima illius cauſa; vel ex ipſo intellectu, à quo viſio, tanquam à cauſa ſecunda procedit. Sed à neutra iſta cauſa poteſt à

priori naturaliter cognoſci. Ergo nullo modo poteſt cognoſci naturaliter à priori. Conſequētia patet; quia nulla alia cauſa viſionis datur. Quòd non poſsit oſtendi ex naturali cognitione diuinę omnipotentiæ, facilè patet: quoniam quamuis lumine naturali poſsimus cognoſcere diuinam omnipotentiam eſſe infinitam: hæc tamen generalis cognitio non eſt ſatis, vt in particulari cognoſcamus, quænam per eam produci poſsint: & inde eſt, vt intellectus, tàm humanus, quàm Angelicus nō cognoſcat omnia entia ordinis naturalis, Quòd verò nec poſsibilitas iſta oſtendi valeat ex naturali penetratione intellectus creati; ex eo probatur; quoniam intellectus noſter, vel nullam habet naturalem actiuitatem in viſionem beatā, vt doctiſſimi volunt Theologi; vel ſi aliquam habet; illa eſt incompleta, & inadæquata, vt oſtendimus lib. 10. iam verò ex penetratione cauſę incōpletę non poteſt cognoſci poſsibilitas effectus; maximè quando cauſa illa nō poteſt compleri, niſi per eleuationē ſupernaturalē, & ita patet, quòd ratio naturalis à priori non poteſt oſtendere poſsibilitatē viſionis beatæ. ¶Quòd verò nec id oſtendere valeat à poſteriori, facilè probatur: quoniam cognitio à poſteriori ſumitur ab effectis diuinæ virtutis: effecta autem Dei, cum ſint diuinę virtuti inadæquata, ſicut non poſſunt intuiuē repræſentare Deum, vt eſt in ſe ipſo, vt diximus lib. 6. q. 3. art. 6. nu. 3. & probat D. Thomas cōmuniter receptus 1. p. q. 12. arti. 12. ita non poſſunt naturaliter oſtendere illius viſionem eſſe poſsibilem. Et ita patet prima pars huius rationis quartæ.

17. 2. Pars. Poſterior verò pars latè demonſtratur à Suario in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. nu. 50. nos verò ex eo illam demonſtramus; quoniā naturalis ratio efficaciter demōſtrat, Deum eſſe nobis naturaliter inuiſibilem, vt lib. 6. dicta q. 3. latè oſtēdimus, tùm ex Paulo, tùm rationibus: quomodo igitur poterit monſtrare Dei viſionē eſſe nobis poſsibilem? Nam ſi naturaliter demonſtrat viſionem intuitiuā Dei non eſſe actum nobis connaturalem; vtique ſiſtēdo intra ſuos limites, potius oſtendet, eā eſſe impoſsibilem, quàm poſsibilem: ob quam rationem inter eoſdem limites ſiſtendo argumenta ex lumine naturæ deſumpta contra poſsibilitatem diuinæ viſionis non poterunt naturaliter diſſolui, quamuis facilè diſſoluantur, ſuppoſita ſupernaturali reuelatione, de quo aliquid dicemus inferiùs art. 2.

Secunda Concluſio: *Si puram rationem naturalem ſpectemus, nulla datur ratio, qua efficaciter probetur, poſsibilem eſſe claram, & intuitiuam viſionem diuinæ eſſentiæ, præciſè, vt eſt prima cauſa.* Statuitur cōtra Ferrarienſem 3. contra gent. cap. 51. §. *Propter quod videtur mihi*, cuius opinionē oportet prius explicare, vt ex illius impugnatione noſtra concluſio cōfirmetur. 18. 2. Concluſ. contra Ferrarienſ. ¶Aduertendum eſt igitur ex ſententia Ferrarienſis Deum conſiderari poſſe, vt eſt prima cauſa effectiua omnium; & vt eſt obiectum ſupernaturale beatitudinis, adquā creatura rationalis eſt per diuinam prouidentiam ordinata; & inde colligit, viſionem diuinæ eſſentiæ dupliciter conſiderari poſſe: vno modo in quantum eſt viſio eſſentiæ; vt abſolutè eſt prima cauſa: altero modo in quantum eſt viſio obiecti ſupernaturalis beatitudinis, quod ipſum eſt ſummum bonum, ad quod per diuinā potentiam, tanquam ad vltimum finem intellectualis natura eſt ordinata. Opinio Ferrarien. Hoc ſuppoſito, duas videtur ſtatuere propoſitiones. prima eſt; *Naturaliter cognoſci poteſt, quòd poſsibilis ſit viſio diuinæ eſſentiæ, ſub præciſa ratione primæ cauſæ.* Secūda eſt: *Non poteſt naturaliter cognoſci, quòd poſsibilis ſit viſio diuinæ eſſentiæ, vt eſt ſummū bonum, cuius viſio etiam ſit ſummum bonum noſtrum.* Et hoc modo putat cōciliari poſſe duas opiniones oppoſitas; vt affirmatiua vera ſit de poſsibilitate viſionis diuinæ eſſentiæ, vt præciſè eſt prima cauſa: negatiua autem de poſsibilitate eiuſdem viſionis, vt diuina eſſentia eſt ſummum bonū noſtrum obiectiuum; viſio autem illius ſummum noſtrum bonum formale.

Contra hanc Ferrarienſis opinionem præcitatam concluſionem ſtatuimus: cuius probatio ex eo ſumitur; quoniā nullo modo admittenda eſt duplex illa conſideratio viſionis diuinæ eſſentiæ; quam duplicem conſiderationem impugnat Suarius, & Bellomontanus locis citatis, & nos eam impugnamus; non quidem ex eo, quòd viſio beata eſt ſimpliciſsima, & proinde omnino indiuiſa, indiuiſim terminata ad Deum, quod eſt fundamentum Suarij: 19. Non admittitur doctrina Ferrarienſis. 1. Impugnatio.

quod

quod tamen nõ admiſsimus *in* 1. *tom. lib.* 5. *q.* 11. *art.* 4. §. 3. *&* 4. *& rurſus q.* 14. *art.* 3. §. 5. *num.* 31. *&* 32. alioquin nec poſſet videri diuina eſſentia, aut ſine perſonis, aut ſine attributis; cuius oppoſitum citatis locis oſtendimus.

20. 1. Impugnatio. Alij eam impugnãt: quia implicat dari viſionem intuitiuã eſſentiæ diuinæ, etiã ſub ratione primæ cauſæ, & nõn eſſe ſũmum noſtrum bonum, & formalem beatitudinem ſubſtantialiter ſupernaturalẽ, & excedentem omnem naturalem capacitatem cuiuſcumque creaturæ: etenim implícat, viſionem intuitiuẽ terminari ad diuinam eſſentiam, etiam ſub præciſa ratione primæ cauſæ, & non terminari ad eam, vt ad obiectum ſupernaturaliter beatificum: nam ſi viſio de potentia abſoluta terminata ad eſſentiam, & non ad attributa (quòd factu eſſe póſsibile oſtendimus *lib.* 5. *q.* 11. *art.* 4. §. 3. *&* 4.) terminatur ad eam, vt ad obiectum ſupernaturaliter beatificum, & vltimum bonum ſupernaturale: ita vt talis viſio verè ſit beatifica, & vera beatitudo noſtra formalis: â fortiori talis erit viſio terminata ad diuinam eſſentiam ſub ſolo attributo primæ cauſæ. Quare non eſt admittendum Ferrarienſi, viſionem intuitiuam diuinæ eſſẽtię, præciſè vt eſt prima cauſa, ſeparari poſſe à ratione ſummi boni ſupernaturaliter beantis, & per conſequens ſi poſsibilitas viſionis, vt in ſe eſt ſummũ bonũ formale terminatum ad diuinam eſſentiam, vt eſt obiectum ſupernaturaliter beatificũ, non poteſt ratione naturali efficaciter oſtendi, vt Ferrarienſis docet; profectò, nec poterit naturaliter oſtendi poſsibilitas viſionis diuinæ eſſentiæ, vt præciſe eſt prima cauſa. ¶ Hæc ratio vim habet apud eos, qui putant viſionem diuinæ eſſentiæ ſine attributis ſatis eſſe, vt videntẽ reddat beatum; quæ fuit opinio Scotiſtarum, vt diximus lib. 5. q. 11. art. 4. §. 1. n. 6. at tamẽ vim non habet apud alios, qui negant, in hoc caſu videntem dici poſſe beatũ; quam ſententiam nos vt probabiliorem admiſimus in eodem loco §. 3. concluſione quinta num. 21.

21. Vera impugnatio. Quare ego ex alio capite puto diſtinctionem Ferrarienſis eſſe impugnandam: & primò; quia ſatis conſentit cũ opinione illorum, qui beatitudinem naturalem ponunt in clara, & intuitiua viſione Dei, vt eſt prima cauſa naturalis donanda ab ipſo Deo naturæ authore: ad quam ponebant in nobis naturale deſiderium ex naturali cognitione non ſolum poſsibilitatis quoad acquiri; ſed etiam actualis acquiſitionis: quam opinionem, vt omnino improbabilem reiecimus *lib.* 4. *q.* 14. *art.* 6. *n.* 1. nec enim admitti poteſt Deum, vt authorem naturæ, alicui conferre intuitiuã ſui viſionem, etiam vt eſt prima cauſa; cũ talis viſio, etiam ſub illa ratione, ſit ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, & ſubinde nulli naturaliter debita, ſed ſolùm ſupernaturaliter, & ex dono gratuito. Quare non erit audiendus Ferrarienſis, ſi cum his conſentiat: nec enim beatitudo naturalis, etiam perfecta, poſita eſt, niſi in perfectiſsima cognitione, quæ de Deo ex creaturis haberi poteſt, vt diximus in dicto art. 6. vnde eſt virtute naturali acquiſibilis, & ſubinde naturaliter poſsibilis; qualis eſſe non poſſet viſio diuinæ eſſentiæ, etiam vt eſt prima cauſa.

Deinde ex eo impugnatur; quoniam vel ſermo eſt de viſione, quæ ſolùm terminatur ad diuinam eſſentiam, vt præciſè eſt prima cauſa, ita vt ſub hoc ſolo attributo videatur; vel de viſione, quæ terminatur ad diuinam eſſentiam, vt eſt adæquatum obiectum beatificum; conſideratam tamẽ prout præciſè eſt prima cauſa. Neutrum dici poteſt; quòd primum dici non poſsit, & ad hominem oſtenditur, & ratione: ad hominem quidem, quia Ferrarienſis exiſtimat, attributa eſſentialiter includi in eſſentia, *vt patet* 2. *cõtra gentes cap.* 9. §. *Aduertendũ tamen*: hac autem ſuppoſita opinione (quę longè eſt probabilior) fieri non poteſt, vt detur viſio intuitiua diuinę eſſentiæ ſolùm terminata ad attributum primæ cauſæ, vt diximus *lib.* 5. *q.* 11. *art.* 2. *num.* 18. Quare cum Ferrarienſis illam probauerit opinionem, nõ poteſt admittere, dari poſſe viſionem Dei ſub præciſo attributo primæ cauſæ. Ex quo infertur, nullam dari poſſe rationem naturalẽ, quæ hanc poſsibilitatem impoſsibilem côuincat. Si verò cum Scotiſtis ſentias attributa eſſentialiter non includi in eſſentia, *&* inde inferas fieri poſſe, vt videatur diuina eſſentia ſub pręciſa ratione primæ cauſæ (quod eſſe probabile diximus *in dicta q.* 11. *art.* 2. *num.* 19.) adhuc non benè defendẽdes Ferrarienſem: quoniam opinio illa

22. Alia impugnatio.

Contra 1. ſenſum.

illa ſolũ eſt vera de potentia abſoluta cõtra ordinem naturalem à Deo ſtatutum: iam verò nullus dicet, rationem naturalẽ agnoſcere poſsibilitatem eorũ, quæ De⁹ per ſolã potentiam abſolutam operari poteſt.

23. Contra 2. ſenſũ. Quòd verò nec dici poſsit illud ſecundum (ſermonem .ſ. eſſe de viſione intuitiua, terminata ad totum obiectum beatificum; conſideratum tamen, vt eſt prima cauſa) ex eo oſtenditur: quoniam apud Thomiſtas, quorum ſententiam Ferrarienſis non negat, in quolibet attributo cętera eſſentialiter includuntur: hoc autem ſuppoſito, ſi poſsibilitas viſionis vnius attributi naturaliter oſtendi poteſt; vtique oſtendi etiam poterit poſsibilitas viſionis omnium. Quòd ſi non probas illam Thomiſtarum opinionẽ: ideo Ferrarienſem non recipiam; quia viſio terminata ad eſſentiam, ſub ratione primæ cauſæ ex ſua ſubſtãtia eſt ſupernaturalis; & ſubinde illius poſsibilitas excedit omnem naturalẽ cognoſcendi rationem. ¶ Et hæc ſatis dicta ſint pro expugnanda diſtinctione Ferrarienſis: ex cuius impugnatione noſtra ſecunda cõcluſio ſatis efficaciter manet confirmata.

24. 3. Concluſ. Tertia concluſio: *Non eſt negandũ hominẽ ſolo lumine naturali ex aliquibus probabilibus rationibus, & coniecturis naturalibus poſſe venire in aliqualem cognitionem de poſsibilitate viſionis diuinæ eſſentiæ.* In terminis eſt *Heruæi quodlib. 6. q. 3. & eſt de mente Cõradi 1. 2. q. 5. art. 1. §. Et ad hunc. Eandem expreſſè probat Scotus in reportatis ad 4. diſtin. 49. q. 7. vbi ita ait. Sed contra illud arguo per rationem probabilem, quòd poſsit concludi per rationem naturalem probabiliter, quod eſt capax beatitudinis veræ,* & adducto argumẽto, quod quarto loco adduximus, ex eo, illud ſoluit. Quare non dubito Scotum noſtram probaſſe concluſionem. Quod etiam inde conuincitur; quoniam in loco adducto pro affirmante ſententia ſolum dicit: *Videtur tamen mihi, quod per rationem naturalem poſsit probari.* Solum igitur opinionem illã amplectitur, vt probabilem. Sed quidquid ſit de mente Scoti, veriſsima eſt iſta tertia concluſio, cuius veritas magis patebit ex ſolutionibus argumentorum, quæ pro affirmante adducuntur.

Heruæus. *Conradus.* *Scotus.*

§. 3.

Soluũtur argumenta poſita §. 1.

25. Ad 1. argu. AD primum autem eorum, quæ §. 1. in contrarium ſunt adducta, dicendum eſt, hominem eſſe quidem capacem perfecti boni, quod in viſione beatifica poſitum eſt: id tamen rationem naturalem non demonſtrare, ſed fidem reuelare: & ſubinde viſionem credi poſsibilem, non ratione naturali, ſed ſola fide. Pro quo aduerte duobus modis intelligi poſſe, hominem eſſe capacem boni perfecti, quod eſt ſupernaturalis beatitudo. Vno modo capacitate completa, qualis eſt naturalis, quæ agens naturale reſpicit. Altero modo capacitate incompleta, quæ quidem data eſt à natura, reducenda tamen ad actum per agens ſupernaturale. Si antecedens intelligatur de capacitate completa, negandum eſt: quia per nullã virtutem agentis naturalis poteſt reduci ad actum. Cuius probatio in hoc ſenſu petit principium: negandum eſt enim, intellectum creatum intra limites naturæ circunſeptum poſſe abſolutè concipere, tanquam poſsibile bonum, quod ſimpliciter eſt perfectum, & in eo ſenſu vniuerſale, quia eminẽter eſt omne bonum: nec enim ex ſolo lumine naturę formare poteſt hanc notitiam iudicatiuam, poſsibile eſt, Deum videri ab intellectu creato. Diximus, *abſolutè*; quia facilè admittimus, intellectum poſſe conditionatè cognoſcere, Deum eſſe noſtram beatitudinem, ſi à nobis videatur: nam cum naturali lumine cognoſcat Deum ſe ipſum videre, & videndo ſe eſſe beatum, poterit etiam eodem lumine inferre eum futurum fuiſſe beatitudinem nobis, ſi à nobis videretur.

Cum verò appetitus naturalis in appetendo bonum ſibi præſentatum ſequatur 26. modum cognitionis, quo ſibi præſentatur; cum bonum viſionis beatificæ naturaliter non poſsit ſibi abſolutè præſentari tanquam poſsibile; nec appetitus intra limites naturæ abſolutè fertur in ipſam viſionem. Porrò admittendum eſt antecedens, ſi intelligatur de capacitate incompleta, & radicali: quoniam ſicut ex ſententia Auguſtini habere poſſe fidem naturæ eſt hominis: ita etiã naturæ eiuſdem erit poſſe habere viſionem diuinæ eſſentiæ: quæ capacitas non eſt in lapide, ſed in ſola ſubſtantia immateriali, & incorporea. Quæ ipſa ſumpta in ſe abſtrahit à modo aſſequendi tale bonum, vel per virtutem natu-

naturalem, vel per ſupernaturalem: & per conſequens, vt in natura humana detur talis capacitas, non requiritur, vt actione agentis naturalis reducatur ad actum; ſed ſatis eſt, ſi reducatur per agens ſupernaturale; ad quod eſt in potentia obedientiali: cum verò hæc per lumen naturale cognoſci nequeat, nec etiam cognoſci poterit poſsibilitas eius actus, ad quem eſt in obedientiali capacitate. In hoc ſenſu admiſſo antecedente, in eodem admittenda eſt prima conſequentia: quia capacitas illa verè aſſequi poteſt ſummum illud bonum, ſi non actione agentis naturalis; benè tamen actione ſupernaturalis. Sed inde non benè infertur ſecunda conſequẽtia; poſſe ſcilicet poſsibilitatem viſionis ratione naturali efficaciter conuinci: quia illa obedientialis poſsibilitas lumine naturali cognoſci non poteſt. Quomodo autem D. Thomas intelligendus ſit, dùm hoc vtitur argumento? ad nos modò non pertinet.

27. Ad 2. Ad ſecundum argumentum dicimus: ſi ſolum lumen naturæ conſulatur, vltimam beatitudinem hominis ſolùm conſiſtere in operatione perfectiſsima poſsibili ſecundum naturam, vt diximus *lib. 4. q. 14. artic. 6. n. 2. & aduertit Fonſeca 2. Metaph. c. 1. q. 2 ſect. 7. in principio.* Hæc autem non eſt viſio intuitiua diuinæ eſſentiæ; imò nec cognitio quidditatiua Dei abſtractiua: nam hæc etiam & noſtro, & Angelico intellectui eſt naturaliter impoſsibilis, vt diximus lib. 6 q. 3. art. 2. & 3. Quare ad argumentum, admiſſa maiori in ſenſu explicato, neganda eſt minor. *Fonſeca.*

28. Ad 3. Ad tertium dicimus, maiorem ſimpliciter eſſe veram de deſiderio naturali, & innato: nam cum datum ſit ab authore naturæ, non poteſt non impleri; alioquin fruſtra eſſet, & inane. Si verò intelligatur de appetitu elicito ſolùm erit vera, ſi intelligatur de deſiderio ſimpliciter naturali, abſoluto, & efficaci, vt ſupponim⁹, & fortè dicemus inferiùs q. 14. In quo ſenſu neganda eſt minor. Ad cuius probationem non admittimus, naturale eſſe homini, vt cognito effectu, deſideret cognoſcere cauſam cognitione abſolutè perfecta, & eo modo, quo ipſa in ſe eſt cognoſcibilis; ſed quatenus naturaliter cognoſcibilis eſt, vt optimè aduertit *Fonſeca 1. Metaph. c. 1. q. 2. ſect. 3. ad 6. & poſt eum* *Fonſeca.* *Suarius in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. n. 37. & 38*: cum verò ex effectis creatis naturaliter ſolùm poſsimus cognoſcere quidditatem Dei, quoad prædicata communia, non verò quoad propria: quin potius naturaliter cognoſcimus, hæc eſſe nobis naturaliter occulta (vt verior habet opinio, de qua *ſuprà lib. 6. & probat Suarius in d. ſect. 11. loco citato:*) vtique ex cognitione naturali effectuum creatorum, quantumcunque illa ſit præſtantiſsima, non reſultabit deſiderium naturale, abſolutũ, & efficax cognoſcendi Deum in ſe ipſo, & quoad propria prædicata: vnde ex illis prædicatis ſolùm poſſumus inferre poſſibilitatem cognitionis perfectiſsimæ ſecundum prædicata quidditatiua, & communia: non negabimus tamen ex illorũ cognitione reſultare poſſe deſiderium quoddam ſimplex, & inefficax cognoſcendi Deum ſecundum prædicata propria naturaliter nobis occulta. Iam verò hoc deſiderium, quanuis naturale ſit, non neceſſariò eſt implendũ, vt iam diximus. *Suarius.*

29. Ad 4. Ad quartum ex Scoto ſumptum reſpondet *idem Scotus in 1. q. prologi litera E.* & negat, poſſe naturaliter cognoſci ens in tota ſua latitudine eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus. Si verò ab eo quæras, quodnam ens ſit tale obiectum? reſpondet, eſſe quidditatem rei ſenſibilis, & id confirmat ex Ariſtotele; cum eo conueniunt: *Baſſolius in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. §. Rationes igitur ad 4. arg. Nicolaus de Niſſe in ſua reſolutione theolog. tract. 7. pagina 614. ad 2. Rada 1. tom. controu. 1. art. 3. ad 2.* Et licet Scotus in 4. loco citato cõtra hoc arguat, ſumpta inſtantia ex Metaphy. quæ verſatur circa ens, vt abſtrahit à quidditate ſenſibili; hanc tamen inſtantiam ſoluit in d. q. 1. inquiens; omne id dici ſenſibile, quod à ſenſibilibus eſt abſtractum. Hæc tamen ſolutio non eſt recipiẽda: quoniam Metaphyſica cum ſit ſcientia naturalis, verſatur circa obiecta naturali lumine cognoſcibilia: & tamen iuxta ſententiã Ariſtotelis, & Metaphyſicorum principaliter verſatur circa ſubſtantias immateriales, quæ & in ſe, & in ſuis inferioribus abſtrahunt à materia ſenſibili. Ergo ſiſtendo in lumine naturali dici non poteſt quidditatem ſenſibilem eſſe adæquatum obiectũ intellectus creati: nec Ariſtot. id vnquam affirmauit; ſed ſolùm *Scotus. Baſſolius. Niſſe. Rada. Non recipitur.*

ſolùm voluit quidditatem ſenſibilem eſſe primum obiectū noſtri intellectus; quod intelligitur non de primitate obiectiua, & terminatiua intellectionis; ſed de primitate motiua: cum enim intellectus à ſenſu moueatur, primum fertur in ſubſtantiam ſenſibilem, & per illam abſtrahit prædicata communia ſubſtantijs materialibus, & immaterialibus.

30. Vera ſolutio. ¶ Omiſſa igitur hac Scoti doctrina, adhuc cum illo negamus naturaliter poſſe, ens in tota ſua latitudine eſſe adæquatum obiectum intellectus: nam quamuis omnia entia, etiam immaterialia, atque etiam Deus ſub obiecto naturaliter adæquato noſtri intellectus, quoquo modo contineantur; non tamen naturaliter ſub eo continentur, quoad omnem ſuam entitatem: Deus enim quoad propria prædicata, & nobis, & Angelis eſt naturaliter incognitus, & ſolum naturaliter cognoſci poteſt, quoad prædicata communia. Quare ſi ſiſtendum eſt in ſolo lumine naturæ obiectum adæquatum intellectus creati eſt ens, in quantum ens; non ſimpliciter in tota ſua latitudine, ſed prout per effecta creata eſt naturaliter intelligibile.

31. ¶ Et in hoc ſenſu admittenda eſt maior, ſimiliter & minor: nam Deus, prout ex effectis creatis eſt & à nobis, & ab Angelis naturaliter intelligibilis cōtinetur ſub obiecto naturaliter adæquato intellectus creati. Ex maiore autem, & minore ita explicatis benè infertur, poſſe intellectū creatum naturaliter operari circa Deum; quia poteſt de illo cognoſcere communia prædicata, & aliqua propria, complexa tamen, & adiunctis aliquibus negationibus: quia poſſumus cognoſcere, Deum non eſſe materialem, non eſſe finitum, & cætera, quæ fuit prior pars conſequentis: at tamen ex illis non benè infertur pars poſterior; ſcilicet poſſe intellectum creatum attingere Deum viſione intuitiua: hæc enim neceſſariò attingit propria Dei prædicata ſecundum quæ Deus eſt extra obiectum intenſiuè, & cōnaturaliter adæquatum intellectui creato. Quare intellectus creatus, ſi intra limites naturæ ſiſtat, nunquam perfectè quieſcet, donec perfectiſsimo modo operetur circa obiectum præſtantiſsimum; operatione tamē ſuæ naturæ poſsibili; qualis non eſt cognitio intuitiua: perueniens tamen ad perfectiſsimam operationem naturaliter poſſibilem naturaliter quieſcet: quia cognoſcet, vel nullam aliam dari operationem pro illo ſtatu perfectiorem: vel eam ſibi non eſſe connaturalem. Vide, quæ ex Fōſeca, Medina, & Herrera de hoc diximus 1.tom.lib.3.q.1.art.3.§.5.n.26.vbi impugnauimus reſponſionem Molinæ, de qua ibi.

Ex dictis patet inefficacia eiuſdem argumenti prout in confirmatione à Bellomontano formatur. Ad 1. cōfirmat.

Ad quintum argumentum reſpondet Baſſolius vbi ſuprà, non dum eſſe certū; an intellectus poſsit aliquid cognoſcere intuitiuè: plerique enim id negant intellectui coniuncto: qui verò illi cognitionem intuitiuam concedunt, eam ſolùm concedunt mediatam, quatenus ſcilicet intellectus cōiungitur cum ſenſu ad rem præſentem intuendā. Hac opinione ſuppoſita diceret Philoſophus, intellectum noſtrum non poſſe Deum intuitiuè videre; quia nec immediatè, nec mediatè poteſt illum in ſe ipſo intueri. Sed non placet ſolutio; quia hoc loco non ſolùm eſt ſermo de intellectu coniuncto; ſed etiam de ſeparato, & Angelico, cui viſio intuitiua non eſt neganda. ¶ Alij reſpondent; quòd licet omnis perfectio inferioris, ſub ea ratione, qua eſt perfectio, non ſit neganda ſuperiori; non oportet, vt illi conueniat ſecundum omnem modum, qui in eo perfectionem nō dicit. Quare id, quod in viſione ſenſitiua dicit perfectionem, ſimpliciter reperitur in intellectu: iam verò viſio ſenſitiua ſolùm dicit perfectionem ſimpliciter, quatenus eſt cognitio; non verò, quatenus eſt intuitiua, & ſecūdum modum intuitionis; aliàs cognitio ſimplicis intelligentiæ in Deo eſſet imperfecta. Solutio eſt probabilis; ſed ex eo non placet; quia ſupponit, intuitionem ſolum eſſe modum realem cognitionis: & præterea non eſſe modum perfectiorem, quam modum abſtractionis: cum tamen vtrumque ſit dubium; dubium enim eſt, an notitia intuitiua, & abſtractiua differant ſpecie? & per conſequens dubium eſt, vtrum ipſa intuitio ſolùm ſit modus cognitionis; an verò differentia intrinſeca conſtitutiua ſpeciei: & quamuis admittamus, eſſe ſolum modum; nō negabimus tamen notitiā intuitiuā eſſe perfectiorē.

[Right margin notes: 32. Ad 5. — 1. ſolutio. — Non placet — 33. 2. ſolutio. — Non ſatis placet.]

¶ Qua-

34. Vera ſolut. ¶ Quare ad argumentum dicimus perfectionem quidem inferioris reperiri in ſuperiori; non tamen neceſſe eſſe, vt eodem modo reperiatur: quia poteſt dari diſpar ratio inter viſum, & intellectum in ordine ad obiectum cuique prꝗſtantiſsimum: nam viſus ob ſui imperfectionem, & materialitatem non habet obiectũ, niſi eiuſdem ordinis eſſendi; & inde habet, vt poſſit intueri quodcunque ſuum obiectum. At verò intellectus creatus ob ſui perfectionem nõ ſolùm habet obiectum eiuſdem ordinis; ſed etiam ordinis ſuperioris; quod non quoad omnem ſuam intelligibilitatem continetur ſub obiecto illi naturaliter adęquato: & inde eſt, vt licet viſus poſsit intueri præſtantiſsimum ſuum obiectum, & circa illud habere præſtantiſsimam operationem; non tamen intellectus illam habere poſsit circa ſuum præſtantiſsimum obiectum, quod eſt Deus, & ideò habere nõ poteſt viſionem intuitiuam. Quod in hac materia eſt annotandum.

35. Ad 6. Ad ſextum; quidam exiſtimant, illud neceſſariò concludere; ſi admittatur, deſiderium innatum ad videndum Deum: Solutio Bellomontani. *ita Bellomont. 1.p. quæſt.12.art.1. in com. n.*10. Quare authores iſti negant, dari in nobis tale deſiderium; quod etiam negat Bellom. in princ. illius commenti, & cõmuniori calculo à recentioribus negatur, vt dicemus q.14. Sed nos ibidem oſtendemus, rectè expenſis principijs Philoſophiæ, tale deſiderium admitti poſſe. Propria ſolutio. Ad argumentum igitur dicimus, ex diſcurſu purè naturali cognoſci non poſſe, dari in nobis tale deſiderium ſub illa particulari tendentia, & inclinatione ad viſionẽ beatam, quod Scotus, & ſui admittunt, dùm negant, naturam humanam pro hoc ſtatu poſſe naturaliter cognoſci à nobis ſub illa ordinatione ad claram Dei viſionem: Scotus. Lychetus. Bargius. Rada. Herrera. *ita Scotus 1. q. Prologi litera D. & ibi Lychetus, Bargius fol.5. concl. 5. in fine, Rada 1.tom.controu.1.art.2. concl.1. & 2. Herrera 1.tomo diſput.2.quæſt.2.in primis duabus concluſionibus: videndus eſt Scotus in reportatis ad quartum diſt.49.q.7.§. Ad quæſtionem dico*: quin potiùs ſub eadem relatione, & tendentia nec ab Angelis naturaliter cognoſci poteſt, ex eodem Scoto Scotus. *in 3.q. Prologi in fine, Lycheto, Rada, & Herrera vbi ſuprà.* Quorum ſententiam in hoc ſenſu admittimus, vt non negemus, naturam, vel humanam, vel angelicã poſſe naturaliter cõprehendi quoad omnia, quæ ſubſtantias illas naturaliter, & completè conſequuntur: In quo ſenſu admittatur. in hoc enim ſenſu Scotum olim non admiſimus, nec modò admittimus: dicimus igitur ex comprehenſione vtriuſque illius eſſentiæ talem ordinabilitatem naturaliter non cognoſci, ex ea præciſè ratione, quia non eſt naturaliter completa, ſed incompleta ſolùm, & remota. Nam potentia iſta in nobis, & in Angelis, ideò eſt naturaliter ſuſceptiua viſionis; quia ex entitate ſibi à natura inſita eſt capax illius: ſicut non eſt potentia completa, & proxima; ſed incõpleta, & remota; ita etiam non habet inclinationem ad talem viſionem, niſi remotam, & incompletam, & (vt ita dicam) radicalem: hæc autem non ſatis eſt, vt ſe ſola naturaliter deducat in cognitionem poſsibilitatis termini; cum ex ſe abſtrahat ab ordinatione naturali, & obedientiali ad habendum viſionem: & ideò ſecluſa omni reuelatione poſsibilitatis, non inclinat ad appetitum elicitũ in tale bonũ, niſi fortè appetitu quodam ſimplici, & cõditionato, ſi nimirum poſsibilis foret.

36. Ad 7. Ad ſeptimum ex dictis patet ſolutio: quoniam homo appetitu naturali elicito appetit quidem ſummum bonum; non tamen ſimpliciter, ſed prout eſt ſuę naturæ proportionatum, & connaturale: qualis non eſt Deus clarè viſus, ſed prout ex creaturis eſt perfectiſsimè cognoſcibilis: hoc autem modo nec eſt cognoſcibilis per viſionem intuitiuam, nec per cognitionem abſtractiuam, quidditatiuam quoad prædicata propria: ſed ſolùm quoad an eſt? & quoad prædicata communia ſibi, & creaturis, per quas naturaliter cognoſcitur.

37. Ad 8. Ad octauum admittimus, diſcurſum naturalem ad hanc concluſionem poſſe peruenire, quod homo ſit capax beatitudinis, quæ poſita eſt in poſſeſsione Dei per intellectum, & voluntatem: ſed cum Deus duobus modis poſsit per inttellectum poſsideri; vno modo, cognitione intuitiua; altero modo abſtractiua ſecundũ prædicata communia, ſi in puris naturalibus ſiſtamus, inde nõ benè infertur, quod homo ſit capax poſſeſsionis Dei per viſionem intuitiuam illius ſicuti eſt: quia argue-

argueretur à pluribus cauſis ad vnã cauſam: etenim ratio naturalis ad eam ſolam Dei cognitionem deducit, quæ haberi poteſt per cognitionem naturaliter poſsibilem, in qua ſola Ariſtotel. & Philoſophi beatitudinem naturalem poſuerunt: etenim intuitiuam non modo naturaliter nõ cognouerunt eſſe poſsibilem, ſed impoſſibilem potiùs, vt ſæpè diximus. ¶ Sed

Obiectio. obijcies cognitionem intuitiuam benè inferri ex eo, quod ſumma beatitudo eſt poſſeſsio rei, in qua eſt omnis ratio boni, & carentia omnis mali: hæc autem poſſeſſio non dabitur, niſi per intuitiuam viſionem. Reſpondemus, quòd ratio omnis

38. Solutio. boni, & carentia omnis mali non eſt conditio cuiuſcunque beatitudinis: naturalis enim felicitas huius vitæ poteſt eſſe coniuncta cũ pleriſque malis, & infortunijs, vt probat Ariſt. 1. Ethicorum c. 10. Imò nec opus eſt, vt ex vi cognitionis obiecti beatifici cognitio beatifica formaliter, aut eminenter contineat omnem rationẽ boni: nam licet Deus in ſe ipſo contineat omnem boni rationem; non tamen ſecũdum omnem rationem boni poſsidetur per quancũque cognitionem: & inde eſt, vt obiectum beatitudinis naturalis additione bonorum externorum, fiat melius,

Ariſt. ex *Ariſtot. 1. Ethicorum cap. 7.* Quare illa conditio ſoli beatitudini ſupernaturali patriæ conuenit, vt aduertit D. Thomas 1. Ethicorum cap. 7. lect. 9. com. vltimo: vnde non poterit talis conditio naturali ratione cognoſci: hæc enim ad hoc ſolùm peruenit, vt de ratione beatitudinis ſit poſſeſsio rei optimæ, & per ſe ſufficientis, id eſt, habentis omnem rationem boni, & carentiam mali in ſuo genere, & prout naturaliter hoc fuerit poſsibile. Quare propoſitio aſſumpta neganda eſt, niſi ita intelligatur.

39. Ad poſtremum. Ad poſtremum dicimus, Philoſophos antiquos hac de re ſatis obſcurè fuiſſe locutos, & nihil certum dixiſſe de viſione primæ cauſæ, vt aduertit Suarius in Metaph. diſp. 30. ſect. 11. n. 39. Si qui verò eorum aliquid de hoc tetigere, illud non ratione naturali ducti dixerunt, ſed ex diuinis Hebræorum reuelationibus: ex quibus plura cum Philoſophia miſcuerunt, vt de Auicena, & cæteris Arabibus docet Scotus in 1. q. Prologi D. & de Platone plures ex Patribus idem affirmant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm facta reuelatione poſsibilitatis beatitudinis ſupernaturalis poſsit naturaliter oſtendi, hominem eſſe illius capacẽ?

Hvic quæſtioni, hac vnica aſſertione reſpondemus: *Facta ſupernaturali reuelatione, quòd viſio diuinæ eſſentiæ ſit poſsibilis, poteſt naturaliter cognoſci, & oſtendi, hominem eſſe illius capacem.* 1. Concluſio Hæc apud omnes eſt indubitata: & ſatis placere debet ijs, qui D. Thomam intelligunt de homine theologicè cõſiderato, in quo ſenſu D. Thomam interpretatur Caietanus 1. p. q. 12. art. 1. quem ſequitur Molina ibidem diſp. 1. in 1. ratione. Eandem ſatis probabit Ferrarienſis 3. contra gent. cap. 31: nam licet non probet, D. Thomam ita eſſe explicandum; ſatis tamen conſentit veriſsimum eſſe id, quod Caietanus aſſerit eſſe veriſsimum.

Aſſertio ipſa experientia cõprobatur. 2. Probatio. Etenim Chriſtiani experimur, naturaliter conſequi in nobis deſiderium videndi Deum: quod D. Thomas in d. q. 12. art. 1. appellat naturale: non quod ex viribus naturæ ſimpliciter oriatur: nec etiã quòd viribus naturæ poſsit compleri, ſed quia eſt neceſſarium quoad ſpecificationem: vnde nec infidelis, nec peccator, ſi eam, vt poſsibilem concipiat, poterit illam nolle.

In hoc igitur ſenſu indubitata eſt concluſio: ſecus dicendum eſſet, ſi ſolùm daretur reuelatio poſsibilitatis noſtræ ſanctificationis per gratiam, & charitatem; 3. nulla facta reuelatione poſsibilitatis ipſi⁹ viſionis: ex hac enim reuelatione nõ reſultaret in nobis naturale deſideriũ viſionis intuitiuæ: adhuc enim nõ poſſet nobis naturaliter innoteſcere poſsibilitas ipſius viſionis: quia ordinatio gratiæ, & charitatis ad eam non eſt per ſe neceſſaria.

Dubitare quis poterit; vtrùm D. Thomas, quando docuit, dari in nobis naturale deſiderium viſionis diuinę eſſentiæ, intelligendus ſit abſolutè; an ſuppoſita reuelatione? 4. Dubium de mente D. Thomæ. Caietanus cum Molina docet D. Thomã agere ſuppoſita reuelatioue: oppoſitũ aſſerit Ferrarienſis; cuius opinionẽ ego puto veriſsimam: nam hunc ſenſum ſatis conuincunt, quæ ſcribit in locis citatis. Sed hoc diligentius expendere ad noſtrum inſtitutum non pertinet. Et hæc de iſta ſecunda quæſtione.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

De diſpoſitione animæ, vt illi ſupernaturalis beatitudo communicetur?

1. Ordo dicendorum. IN præcedentibus duabus quæſtionibus egimus contra eorum errorem, qui negabant, poſſe creaturam aliquam conſequi ſupernaturalem beatitudinem, quæ poſita eſt in viſione diuinæ eſſentiæ: & oſtendimus, nō ſolùm hanc beatitudinem eſſe nobis poſſibilē; ſed de facto promiſſam eſſe ijs, qui mundo corde fuerint; iuxta illud Matth. 5: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; & de facto ab illis conſequendā fore. Conſequenter inquirendum eſt de diſpoſitione animæ, vt illi ſupernaturalis beatitudo poſſit communicari: vtrum nè ſimpliciter requiratur, quòd ſit à corpore ſeparata, vt illi ſupernaturalis beatitudo communicari poſſit? an verò ſimpliciter ad hoc neceſſarium ſit corpus? denique, an anima, tùm in corpore, tùm extra corpus ſit capax illius?

2. Quæ ſunt inquirēda. Vt hæc difficultas facilius explicetur, & veritas catholica circa illam euidentius appareat, primūm inquiremus; an vnus, vel alter animę ſtatus determinatè ſit neceſſarius ad conſecutionem ſupernaturalis beatitudinis? & ſuppoſito, quòd neuter determinatè neceſſarius ſit; ſed quòd anima, & ſine corpore, & coniuncta corpori ſit capax beatitudinis; ſecundo loco inquiremus, quid de facto contingat; an ſcilicet anima à corpore per mortem ſeparata de facto conſequatur beatitudinē? an verò ſolum in corpore poſt generalem reſurrectionem. In priori ſenſu difficultas explicabitur in hac quæſtione 3. in poſteriori autem in q. 4. ſequente.

3. Tres errores. De propoſita quæſtione in priori ſenſu, tres inueniūtur errores: quidam enim docuerunt, animam in corpore eſſe omnino ſupernaturalis beatitudinis incapacem; & per conſequens eam, niſi ſeparatam à corpore, poſſe fieri beatam beatitudine Patriæ. Alij ex diametro iſtis opponuntur; & volunt, animam, niſi in corpore, non poſſe fieri beatam; & ſubinde ante vniuerſalem reſurrectionem, animas à corpore ſeparatas non poſſe ſupernam beatitudinem adepiſci. Inter hos errores, tertius error incedit medius; animas quidem, non niſi in corpore, poſſe beatas eſſe; non tamen in corpore materiali, & carneo; ſed in corpore ſpirituali. Omnibus his tribus erroribus catholica contradicit veritas. Et vt illa fiat euidentior, tres articulos in hac quæſtione excitabimus.

In primo inquiremus; vtrùm ad ſupernaturalem beatitudinem conſequendam ſimpliciter ſit neceſſarium, animam eſſe à corpore ſeparatam?

In ſecundo; an ad id ſimpliciter ſit neceſſarium, animam eſſe in corpore?

In tertio; an ad conſecutionem beatitudinis ſimpliciter neceſſarium ſit, quod anima ſit in corpore ſpirituali; an poſſit eam habere, ſi in corpore materiali, & carneo reſurgat?

ARTICVLVS I.

Vtrùm ad ſupernaturalem beatitudinem aſſequendam ſimpliciter ſit neceſſarium animam eſſe ab omni corpore ſeparatam?

1. Error Porphyrij, & aliorum. QVod attinet ad primū; Porphyrius in eo fuit errore, vt ad beatitudinem cœleſtis Patriæ ſimpliciter requireret, animam eſſe ab omni corpore ſeparatam: & ſubinde omne corpus fugiendum eſſe, vt anima poſſit eſſe beata: ita de Porphyrio refert *D. Thomas* 1. 2. *q.* 4. *art.* 6. *ex Auguſtino lib.* 12. *&* 22. *de Ciuitate Dei, vtrobique cap.* 26. Ad quē etiam errorem videntur accedere Marcioniſtæ. Et ſatis ad eum accedunt illi, quos refert Abulenſis in cap. 5. Matthæi q. 63. qui volunt, corpus, ſi non omninò impediat beatitudinem diuinæ viſionis; impedire tamen, quominus non tàm liberè, & perfectè videatur Deus: ſed de iſto errore inferiùs dicendum erit in quęſtione; vtrùm beatitudo poſt reſurrectionem futura ſit maior? nunc enim ſolùm agimus de diſpoſitione neceſſaria ad viſionem; vnde ſolus error Porphyrij, & Marcioniſtarum ad inſtitutum ſpectat.

2. Fundamentum erroris. Porphyrius, teſte Auguſtino, *in dicto libr.* 22. *de Ciuitate Dei cap.* 25. 26. *&* 27. inde ſui erroris fundamentum ſumebat; quia putabat, eſſe impoſſibile, modum corruptionis ſeparari poſſe à corpore; & pro-

proinde non poſſe corpus non grauare animam: at tamen cum ſumma beatitudine malum illud, atque grauamen corporis nullo modo conſtare poteſt: & ob hanc cauſam negauit iuſtorum reſurrectionem; quia nimirum beatitudo, in qua ſunt, cum corporis conſortio ſtare non poteſt: imò docuit animas malorum, ideò ad corpora redituras, vt in illis propter malum corruptionis ſuæ malitiæ pœnas luant, vt videre eſt apud *Auguſtinum in dicto lib. 22. de Ciuitate cap. 26.*

3. Eſt contra fidē, & Philoſophiam. Hæc tamen opinio, & in fide, & in Philoſophia intollerabilem continet errorem. In fide quidem; quia fides vbique prædicat, non ſolùm omnes homines eſſe reſurrecturos; ſed ſanctos reſurrecturos fore in corpore glorioſo, & incorruptibili; iuxta illud Pauli 1. Corint. 15: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* Et rurſus: *ſeminatur in corruptione; ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Denique ſecundæ Corinth. 5: *Nam qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati; eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt, à vita.* De quo latè dicemus inferiùs tom. 3. de corporis beatitudine.

(Margin: *1. Cor. 15.* — *2. Cor. 5.*)

4. Eſt contra Philoſophiam. In Philoſophia etiam continet errorem; quia vera Philoſophia docet, naturale eſſe animæ vniri corpori: quod naturale deſiderium non daretur, niſi vnio animæ cum corpore eſſet illi perfectio. Iſte autem appetitus naturaliter non ineſſet, etiam in anima beata, ſi vniri ad corpus beatitudini repugnaret. Et inde eſt, vt Plato dixerit; Animas ſine corporibus in æternum eſſe non poſſe, vt refert *Auguſtinus in dicto libro 22. de Ciuit. cap. 27.* Sed de hoc errore latiùs agendum erit in 3. tomo; vbi oſtendemus, corruptionem à corpore mortali, & carneo non adeò eſſe inſeparabilem, vt corpus ipſum non poſſit reddi incorruptibile.

(Margin: *Auguſt.*)

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad ſupernaturalem beatitudinem conſequendam corpus ſit ſimpliciter neceſſarium?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

Diuus Thomas 1. 2. q. 4. art. 5. affirmat, quoſdam aſſeruiſſe, beatitudinem ſupernaturalem Patriæ, nō poſſe communicari animæ, niſi ſit corpori coniuncta; quaſi ſentiant, ad beatitudinem, ita neceſſarium eſſe corpus, vt ſine illo anima non poſſit beari. Quæ ſententia multis poteſt confirmari. 1. 1. opinio, ſiue error.

Et primò; quia animæ Sanctorum ad ſupernaturalem beatitudinem non perueniunt vſque ad vniuerſalem corporum reſurrectionem, vt plures ex Patribus docuerunt: hoc autem non aliunde prouenire poteſt, niſi quia ſine corpore non poſſunt eſſe beatæ: etenim ſi poſſent; cur Deus promeritam ab illis beatitudinem vſque in finem mundi differret? 2. 1. argum.

Secundò confirmatur authoritate *Auguſtini 12. de Geneſi ad literam capite 35:* cum enim quæſiſſet; vtrùm ſpiritibus defunctorum ſine corporibus poſſet ſumma beatitudo præberi? Reſpondet, *eos non poſſe videre incommutabilem eſſentiam, vt vident ſancti Angeli, ſiue ob aliquam latentem cauſam; ſiue ideo, quia eſt in eis naturalis appetitus ad corpus.* 3. Secundum.

Tertiò; quia beatitudo perfecta non poteſt dari ſine perfectione naturæ: etenim in beatitudine reperitur ſumma perfectio: ſed anima ſine corpore non habet perfectionem naturæ, cum naturaliter illa ſit pars naturæ humanæ: pars autem ſeparata à toto eſt imperfecta. Ergo anima ſeparata à corpore non poteſt habere perfectam beatitudinem, qualis eſt Patriæ. 4. Tertium.

Confirmatur; quia beatitudo eſt operatio quædam perfecta, vt oſtendimus 1. tom. lib. 3. & 4. Ergo ſequitur eſſe perfectum: ſed anima extra corpus non habet perfectum eſſe. Ergo non poteſt habere operationem perfectam, qualis eſt beatitudo. 5. Confirmat.

Quartò; beatitudo eſt perfectio hominis: anima autem ſine corpore non eſt homo. Ergo non poteſt eſſe perfectè beata, niſi vt eſt in homine. 6. 4. argum.

Quintò; beatitudo eſt operatio non impedita, vt ait Ariſtot. 10. Ethicorum capite 6. Sed operatio animæ ſeparatæ eſt impedita: quoniam ex appetitu naturali admi- 7. Quintum.

adminiſtrandi corpus aliquo modo retardatur, ne tota intenſione pergat in ſummum cœlum, id eſt, in diuinam eſſentiã, vt docet Auguſt. vbi ſuprà.

8. Sextum. Sextò; Beatitudo eſt bonum omnino ſufficiens, & ſimpliciter quietans omne deſiderium. Sed deſiderium animæ ſeparatæ, vt corpori reuniatur, non poteſt ante reſurrectionem quietari, vt etiam docet Auguſtinus loco citato. Ergo ante reſurrectionem non poteſt eſſe beata.

9. Poſtremũ argum. Poſtremò, homo in beatiudine eſt æqualis Angelis: ſed ſine corpore non poteſt eſſe ęqualis illis, ex Auguſtino in eodem loco. Ergo non poteſt ſine corpore eſſe beata.

§. 2.

Opinio negans eſt de fide.

10. Fides docet oppoſitum. Oppoſita tamen ſententia ſemper fuit indubitata: nam licet aliqui dubitauerint, an animæ ante vniuerſalem reſurrectionem de facto conſequantur beatitudinem; nullus tamen, niſi hęreticus, vnquam dubitauit, animas ſine corpore, poſſe fieri beatas.

11. 1. ratio. Hæc ſententia primò probatur; quia de fide eſt, animas Sanctorum ante reſurrectionem iam eſſe beatas, vt patebit ex quæſt. 4. Ergo ad ſupernaturalem beatitudinem obtinendam, corpus non ita ſimpliciter eſt neceſſarium, vt anima ſine corpore beata eſſe nequeat.

12. Secunda. Secundò, ratione naturali eadem veritas demonſtratur: quoniam intellectus ad ſolam illam operationem per ſe requirit corpus, quam exercere non poteſt, niſi dependenter à phantaſmate. Sed viſio diuinæ eſſentiæ ex ſua natura, nec dependet, nec poteſt dependere à phantaſia, vt libro ſuperiori oſtendimus. Ergo corpus per ſe non requiritur ad talem viſionem; & per conſequens non ſimpliciter eſt neceſſarium ad beatitudinem Patriæ.

13. Tertia. Tertiò confirmatur expreſſa authoritate *Auguſtini 12. de Geneſi ad literam cap. 35.* vbi ſupponit, beatitudinem, quæ conſiſtit in Dei viſione, poſſe conferri animæ ſine corpore: ita enim ait; *ſed ſi quem mouet, quid opus ſit ſpiritibus defunctorum corpora ſua in reſurrectione recipere; ſi poteſt eis ſine corpore ſumma illa beatitudo præberi? difficilior quæſtio eſt.*

Quare non eſt dubitandum, corpus nõ ita eſſe ſimpliciter neceſſarium ad conſequendam beatitudinem, vt ſine corpore non poſſit anima beari: vtrum verò de facto ſine corpore beetur? in ſequenti quæſtione explicabitur; & inferiùs q. 6. expendemus; an beatitudo poſt reſurrectionem futura ſit, aut maior, aut minor? 14.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

Argumenta in oppoſitum adducta facilem habent ſolutionem. Ad primum dicimus, nonnullos ex Patribus illam habuiſſe opinionem; ſed communiorem inter illos ſententiam oppoſitum ſemper docuiſſe: à tempore verò Benedicti 12. iam eſſe hæreticum aſſerere, animas Sanctorum, ante diem iudicij, diuinam eſſentiam non videre, vt in ſequẽti q. dicemus. Quare iam eſt hæreticum affirmare, animas ſine corpore non poſſe conſequi ſupernaturalem beatitudinem. 15. Ad 1.

Ad ſecundum reſpondetur, Auguſt. in loco citato non inquirere; an ſpiritibus defunctorum ſine corpore poſſit ſuprema beatitudo præberi; quin potiùs illud, tanquam certiſsimum ſupponit: illo autẽ ſuppoſito, inquirit, ad quid nam opus ſit corporum reſurrectione; ſi animæ ſine corpore poſſunt eſſe beatæ; & de facto tales ſunt? de qua difficultate inferiùs dicemus. 16. Ad 2.

Ad tertium reſpondetur cum *D. Thoma 1. 2. q. 4. art. 5. ad 1.* beatitudinem Patriæ eſſe perfectionem hominis ratione animæ: conuenireq; animæ, quatenus eſt intellectualis; non verò, quatenus eſt forma corporis. Quare ad beatitudinem animæ ſatis eſt, ſi, vt eſt ſeparata, maneat cũ omni perfectione, quatenus eſt intellectualis; quanuis non maneat cũ omni perfectione, quatenus eſt forma corporis. Qua ſuppoſita diſtinctione, ad argumẽtũ in forma negãda eſt maior; ſi intelligatur de perfectione animę, & quatenus eſt intellectualis, & quatenus eſt forma corporis, quia beatitudo conuenit animæ, ſecũdùm quod eſt intellectualis; non verò, ſecundùm quod eſt forma corporis. Quare licet in ſua ſeparatione nõ maneat perfectio naturæ, vt eſt forma corporis; manet tamẽ pfectio naturæ, vt eſt intellectualis. 17. Ad 3. 1. ſolutio.

Porrò, ſi maior intelligatur de pfectione naturæ, quaten⁹ anima eſt intellectualis; concedenda eſt, & neganda minor; quia in anima ſeparata manet tota naturæ perfectio, quatenus eſt intellectualis.

18. Non placet Conimbr. Hanc ſolutionem non ſatis recipiunt *Conimbr. in tract. de anima ſeparata diſp. 2. artic. 3. §. Sunt autem nonnulli, pag. 480. in principio*; eo ducti fundamento; quia nonnullam præbet anſam ponendi in anima rationali duos gradus: alterũ, quo ſit forma corporis; alterum, quo ſit intellectualis, ſiue ſeparabilis: & quanuis nonnulli in anima, vt eſt intellectiua, duos iſtos gradus diſtinguant, inter quos fortè eſt *Caietanus 1. part. q. 76. art. 1. ad 1.* (Caiet.) eos tamen nullo modo eſſe audiendos, inquiunt; quia hanc ſententiam plurima abſurda ſequuntur, vt latè probat *Fonſeca in 2. Metaphyſ. cap. 1. q. 2. ſect. 6. ad 3. pag. 325.* (Fonſeca.) quę *in hoc probant Conimbricenſes vbi ſuprà*, (Conimbr.) addentes, in ea ſententia non minimum latere errorem.

19. Defenditur D. Thom. At tamen non eſt, quòd Conimbricẽſes hanc D. Thomæ diſtinctionem non recipiant: quia negari nõ poteſt, animam conſiderari poſſe, & ſecundum quod eſt intellectualis; & ſecundum quod eſt corporis forma: etenim diuerſæ ſunt illius perfectiones, prout hoc, vel illo modo conſideratur. Imò perfectio illius, quatenus eſt forma, poteſt non eſſe in ea (ſicut de facto non eſt) cum eſt ſeparata: quod non ſolùm aſſerit D. Thomas vbi ſuprà; ſed fatentur ijdem *Conimbricenſes loco citato ad tertium in fine articuli, & in 2. de Anima cap. 1. q. 6. artic. 3. ad finem. §. Ad argumentum igitur, pag. 78.* (Conimbr.) Quin potiùs habens ſuam naturalem perfectionem, vt eſt forma corporis, poteſt carere perfectione illi connaturali, quatenus eſt intellectiua, vt cum eſt in ſomno. Quare, cum ſecundùm aliam, & aliam conſiderationem, alia, & alia ei debeatur naturalis perfectio; negari non poteſt, aliquam in ea diſtinctionem eſſe admittendam, vt intelllectualis eſt, & vt forma eſt: nam cum intellectus de anima formet diſtinctos conceptus, vt intellectualis eſt, & vt forma eſt: & illi non ſint fictitij, vt patet; debent habere aliquod fundamentum in re, vt illas rationes diſtinguat diſtinctione rationis ratiocinatæ: nec ad hoc opus eſt, vt illa conceptuum diſtinctio fundetur in gradibus eſſendi diſtinctis; quia vna & eadem res, ſecundum eundem naturæ gradum, poteſt non ſolùm conuenire cum alia re, & ab ea differre; ſed etiã ſecundum eundem poteſt eſſe hoc, & nõ illud: etenim ſubſtantia genus ſummum per eundem naturæ gradum conuenit cum quantitate, & ab ea differt; prout alio, & alio modo concipitur, vt multis oſtendit *Fonſeca in 4. Metaph. cap. 2. q. 2. ſect. 7. ad 3. pag. 560. in fine.* 20. Fonſeca. Similiter etiã eadem ſubſtantia ſecundum eundem naturæ gradum, actualiter indiſtinctum, ſimul eſt ſubſtantia, & ens: quantitas item ſecundum eundem gradum ſimul eſt quantitas, accidens, & ens, vt idem *Fonſeca docet in dicta ſect. 7. pag. 561. in fine, & lib. 5. cap. 6. quæſt. 6. ſect. 2. pag. 349. in fine, & pag. 350. in principio, & cap. 7. quæſt. 3. ad 5.* Anima igitur rationalis, ſecundum eundem naturę gradum, quo eſt rationalis, poteſt eſſe intellectualis, & forma corporis: & præterea poteſt, vt intellectualis vendicare ſibi aliquam perfectionem, quam non vendicat, vt eſt forma corporis: nam ſubſtantia genus ſummum per eundem naturæ gradum vendicat ſibi eſſe ens, & eſſe ens per ſe ſubſiſtens: quantitas etiam per eundem gradum, & eſt quantitas, & eſt ens; cum tamen, quatenus eſt ens, non omnia vendicet, quæ vendicat, vt eſt quantitas. Quare Conimbricenſes non ſatis firmo fundamento negant diſtinctionem D. Thomæ, dùm animam intellectiuam ſumit, vt intellectualem, & vt formam corporis: etenim hæc diſtinctio non neceſſario præbet anſam, vt in anima, quatenus eſt rationalis, duos naturæ gradus diſtinguamus; vnũ; vt eſt intellectualis: alterum; vt eſt forma corporis. talis enim diſtinctio ſtare poteſt cum vno, & eodem naturæ gradu, vt ex dictis patet: quia ad hoc ſatis eſt, quòd in eodem gradu actualiter indiſtincto, detur fundamentum alicuius diſtinctionis: hoc autem de facto datur; cum vnus ille, & idem gradus ſit principium, & eſſendi, quia ſe ipſo dat eſſe humanum, & intelligendi, vt patet.

Is dicendi modus clarior fiet, ſi quis dicat, illum vnum gradum rationalis in ſe quidem actu eſſe vnum; plures tamen virtute; ita vt eſſe formam corporis, & eſſe intellectualem, ſint duo eſſe, duove gradus 21. Explicatur modus iſte dicendi.

dus eſſendi diſtincti ex natura rei; nõ quidem diſtinctione actuali, ſed ſolũ virtuali; ita vt ſimplex illa entitas in ſua actuali ſimplicitate id præſtet, quod præſtaret, ſi actu eſſent in illa duo gradus inter ſe diſtincti: hoc enim modo de ſimplici entitate ſubſtantiæ generis ſummi, quantitatis, & aliorum generum ſummorum philoſophatur *Fonſeca in 5. Metap. cap. 15. q. 2. ſect. 7. pag. 705. & latè diximus lib. 5. q. 6.*

Fonſeca.

Igitur, ſicut Fonſeca in quantitate diſtinguit eſſe *In* ab eſſe *quantum*: & in relatione eſſe *in* ab eſſe *ad*, non actu, ſed virtute; ita in anima rationali, vt rationalis eſt, eſſe formam corporis (quod non eſt aliud, quàm eſſe aptam, vt ſit in corpore) ex natura rei formaliter diſtinguetur ab eſſe intellectiuam; non quidem actu, ſed virtute. In qua opinione nec minimus latet error (quidquid velint Conimbricenſes) nec ad eam ſequuntur abſurda, quę ſequerentur, ſi illi duo gradus ex natura rei actualiter eſſent diſtincti.

22. Cõcluditur ꝑ D. Tho.

Admittenda eſt igitur dictinctio D. Thomæ, & aſſerendum, beatitudinem cõuenire animæ rationali, non præciſè, vt eſt forma corporis; ſed prout eſt intellectualis: & præterea, animam ſeparatam habere eſſe imperfectũ, vt eſt forma corporis; quia, vt ſic caret perfectione ſibi naturali, quæ poſita eſt in actuali corporis informatione: quæ perfectio, cum ſolùm ſit quidã modus eſſendi, poteſt deperire ab anima, quamuis nihil de propria illius ſubſtantia depereat, vt benè aduertit *Curſus Conimbricenſis in 2. de Anima loco citato*. Sed quamuis non habeant totam ſuam perfectionem, quatenus eſt forma corporis; totam tamen habet, prout eſt forma intellectiua perſe ſubſiſtens: imò, vt ſic habet perfectiorem intelligendi modum, quàm habuerit in corpore. Quomodo autem cum hoc ſtet in ea appetitus naturalis, vt corpori reuniatur? alterius eſt quæſtionis, de qua ſuo loco.

Conimbr.

23. Ad cõfirm.

Ad confirmationem reſpondet *D. Thomas 1. 2. q. 4. art. 5. ad 2.* animam ſeparatã habere perfectum eſſe, quamuis non habeat completam naturam: & ratio eſt, vt ait. quia in ſolo homine eſſe totius manet in anima ſeparata; cum in ſolo eo totum exiſtat per eſſe ſuæ partis: & ideo anima ſeparata idẽ eſſe habet, quod habebat totus homo; quare, cum eſſe totius hominis ſit eſſe perfectum, vtique anima ſeparata habet perfectum eſſe; & ideo poteſt habere operationem perfectam. Ad argumentum igitur in forma, neganda eſt minor poſterioris diſcurſus. Hæc tamen ſolutio ſupponit, in quolibet cõpoſito dari vnũ tantum eſſe exiſtentię, quo totum primo exiſtit; partes verò ſecundariò. Supponit etiam hominem exiſtere per exiſtentiã animę rationalis: inde enim eſt, quòd anima ſeparata habeat eandem exiſtentiã, quam habebat totus homo. Vtraque doctrina inter Thomiſtas eſt communis; à cæteris tamen communiter reprobatur.

1. Solutio

Non placet

24. Solutio vera.

Quare ad argumentũ, admiſſo antecedente, prioris diſcurſus, admittenda eſt ſequela, ſi conſequens intelligatur de eſſe perfecto illius, cui operatio per ſe, & primò conuenit. In quo ſenſu neganda eſt minor diſcurſus poſterioris; quia anima extra corpus habet perfectum eſſe, vt eſt intellectiua, quod antea habebat, vt patet ex ſolutione tertij argumenti. Iam verò beatitudo per ſe primò conuenit animæ, quatenus habet eſſe intellectiuum; quod in ipſa anima perfectiſsimum permanet. Illud aduerte; operationẽ neceſſariò require exiſtentiam agentis, non vt rationẽ agendi, ſed vt agendi conditionem. Vnde operatio per ſe ſequitur ad eſſe ſubſtantiale formæ, qua agens eſt in actu; non verò ad exiſtentiam.

25. Ad 4.

Ad quartum reſpondet D. Thomas 1. 2. q. 4. art. 5. beatitudinem perficere hominem, nõ ratione totius, ſed ratione ipſius animę: ideo enim homo poſt reſurrectionem erit beatus, quia per animam videt Deum: quare ipſam animam primò, & immediatè perficit: & ob id eam poteſt immediatè perficere; etiam dum eſt ſine corpore.

26. Ad 5.

Ad quintum reſpondet D. Thomas 1. 2. q. 4 art. 5. ad 4. explicando maiorẽ: vt .ſ. operatio beatitudinis per modum cõtrarietatis nõ poſsit impediri ab omni moda ſua perfectione; benè tamẽ per modum defectus: nam & ſi beatus nullũ habeat habitum contrariũ, à quo valeat impediri, quominus habeat omnem ſuæ operationis perfectionem; poteſt tamen non habere, quidquid requiritur ad operationem omnimodæ perfectionis extenſiuæ: nam ex ſententia Ariſtotelis ex defectu pecuniæ poteſt impediri beatus beatitu-

dine huius vitæ à magnifico ſumptu, qui ad perfectionem naturalis beatitudinis requiritur. Itaque ex mente Ariſtotelis, beatitudo eſt operatio non impedita ab aliquo cõtrariò, àquo retardetur, ne exeat in operationem omnimodè perfectam; in quam exiret, niſi à ſuo contrariò impediretur: benè tamen impediri poteſt ab hac perfectione ex defectu alicuius materiæ, circa quã poſſit operari: beatus enim beatitudine naturali huius vitæ non poteſt magnificè operari: quando deeſt pecunia ad hanc magnificentiã. Eodẽ igitur modo anima ſeparata non poteſt per aliquod cõtrarium impediri ab omnimoda viſionis perfectione: at tamen ex defectu corporis impeditur, ne habeat perfectionem redundantię in illud: quam tamen habebit, cum iterum fuerit in corpore; quia illud reddet glorioſum. Et in hoc ſolo ſenſu dicitur impediri à tota beatitudinis intenſione: de quo plura dicemus in quæſt. an poſt reſurrectionem beatitudo futura ſit perfectior?

27. Ad 6. Ad Sextum dicendum eſt cũ D. Thoma 1.2. q.4. art.5. ad.5. beatitudinẽ ante corporis reſurrectionem appetitum totaliter ſatiare ex parte appetibilis, non tamẽ ex parte appetentis, quia beatus iam poſſidet totum id, quod ſatis eſt ad ſatiandũ appetitum; quamuis illud non poſſideat omni modo, quo illud debet poſſidere: poſſidet enim viſionem Dei, quæ ſatis ſuperque appetitum ſatiat; non tamen eam poſſidet cum redundantia ad corpus, quã poſt reſurrectionem habere debet: vnde adhuc eſt in deſiderio talis perfectionis: quod tamen deſideriũ, cùm ſit deſideriũ quodam ſimplex, & cum certitudine de tali redundantia, & perfectione, aduenięte corporum reſurrectione, non affligit animam; vnde nec dicitur ſpes; quia ſpes de ſua ratione eſt circa arduũ; & ob id nõ repugnat beatitudini. De quo plura ſuo loco dicemus: interim videndus eſt D. Thomas 1.2. q.67. art.4. ad 3. & Medina 1.2. q.4. art.5. ad 3. vltimæ quæſtionis. *D. Thom. Medina.*

28. Ad poſtremum. Ad poſtremum reſpondet D. Thomas 1.2. q.4. art.5. ad 6. hominem beatũ duobus modis dici poſſe æqualem Angelis in beatitudine: vno modo æqualitate quantitatis, quia ſcilicet habet beatitudinem æqualis intenſionis. Altero modo æqualitate proportionis; quia ſcilicet habet ſuam beatitudinem proportionaliter ad Angelos. Priori modo non eſt neceſſaria æqualitas cum Angelis; quia homo poteſt eſſe, & beatior, & minus beatus, quàm Angelus. Poſteriori modo ſolum erunt æquales Angelis poſt reſurrectionẽ: quia omnes Angeli iam habent totam ſuã beatitudinem, tàm intenſiuam, quàm extenſiuam: homines autem totam ſuam beatitudinem non habebunt, niſi poſt reſurrectionem; quia tunc ſecundum vtrãque partem erunt beati, & ſecundùm animã, & ſecundùm corpus. Ad argumentum igitur in forma abſolutè neganda eſt maior; quia ad beatitudinem animæ, nec vna nec altera æqualitas eſt neceſſaria; quoniam anima poteſt non habere beatitudinem æqualis intenſionis; & poteſt habere beatitudinem non omnibus modis perfectam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad beatitudinis aſſecutionem ſimpliciter neceſſarium ſit corpus ſpirituale; an ſatis ſit corpus materiale, & carneum?

INter duos præcitatos errores inſedit, 1. Error quorundam. veluti medius tertius quorundam error, qui non ſolum docuerunt, corpus ſimpliciter eſſe neceſſarium, vt anima fiat beata; ſed etiam neceſſarium eſſe, vt anima reſurgat in corpore ſpirituali; quia .ſ. fieri non poteſt, vt in corpore materiali, & carneo ſimpliciter ſit beata. Hunc errorem probaſſe *Eutychium affirmat D. Gregorius 14 Moral. cap.31.32. & 33.* & eundem probauit Origenes, vt referunt *D. Hieronymus epiſt.61. aduerſus* Ioannem *Ieroſolymitanũ; & Iſidorus in lib. de doctrina, & Fide c.6. Theophylactus primæ Cor, 15. & ante eos eundem errorem Origeni tribuit Methodius, quem refert Epiphanius hæreſi 64.* Eutychius. Origenes.

Duplex error in hac opinione includitur contra fidem: primus; quòd animæ 2. Duo errores continet hæc opinio. iuſtæ, ſi nihil habent purgandũ, non poſſunt aſſequi beatitudinem ante corporũ reſurrectionem: in quo errore cum præcedente conſentit, de quo egimus in arti. 2. Secundus error priori prior; quòd animæ ſanctæ non poſſunt aſſequi ſupernaturalem beatitudinem in corpore materiali, & carneo; ſed in corpore ſpirituali.

Ex

Ex quo infertur, iuſtos non eſſe reſurrecturos in corpore carneo. Contra hunc errorem latiùs agemus in 3. tom. de beatitudine corporis.

QVÆSTIO IIII.

Quando animæ Sanctorum de facto Deum videant?

Præfatio ad futuram diſputationem.

1. Ordo dicendorum. RESoluimus in præcedente quæſtione, ad conſequendam beatitudinem, nec præciſè neceſſarium eſſe, animas eſſe ſine corpore: nec adhuc præciſè eſſe neceſſarium, eas eſſe in corpore; & ſubinde nec eſſe in corpore repugnare beatitudini; nec ſimiliter illi repugnare, animam non eſſe in corpore: ſed animam in vtroque ſtatu (in corpore ſcilicet, & extra corpus) capacẽ eſſe beatitudinis: conſequenter reſoluendum eſt, quid de facto contingat?

2. Hæc quæſtio olim apud Patres fuit, tàm celebris, quàm difficilis: hæc tamen controuerſia iam eſt diffinita ab Eccleſia: animas ſcilicet Sãctorũ, ſi nihil poſt mortem purgandũ habent, ſtatim videre Deũ, & in cœlo eſſe ante reſurrectionẽ. Quare iam non eſt controuerſia, niſi cum hæreticis, qui antiquum illum errorem noſtris temporibus ſuſcitarunt. Et vt hæc cõtrouerſia facilius diſſoluatur, & intelligatur; aduertendum eſt duas olim fuiſſe claſſes eorum hæreticorum, qui animabus iuſtorum non ſtatim poſt mortem beatitudinem concedebant. Quidam voluerunt, animas iuſtorum non ſolùm non viſuras eſſe Deum ſtatim poſt mortem; ſed nec poſt reſurrectionem per mille annos: in quibus (vt volebant) Chriſtus in terra regnaturus erat cum iuſtis, nõn dum beatis viſione diuinæ eſſentiæ: finitis autem illis mille annis, omnes diuinam eſſentiã eſſe viſuros, & ſimul cum Chriſto in cœlum aſcenſuros. Alij oppoſitum docebãt aſſerentes, iuſtos, poſt generalem omniũ reſurrectionem, ſtatim futuros eſſe beatos, beatitudine, tàm animę, quàm corporis: finito autem generali iudicio, omnes generali quodam triumpho eſſe cũ Chriſto in cœlum transferẽdos: at tamen ante generalem iſtam omnium, & bonorum & malorum reſurrectionem; iuſtos reſurrecturos fore, & cum Chriſto in terris regnaturos per mille annos. His duobus erroribus addere poſſumus medium errorem Origenis; qui voluit aliquos Sanctorum ſtatim Deum videre; non tamen omnes.

Cum igitur etiam inter eos, qui negãt, iuſtos ſtatim poſt mortẽ viſuros eſſe Deũ tanta ſit controuerſia; operæ pretium erit contra ſingulos iſtos errores diſputare. Quare tres excitabimus quæſtiones. Prima erit vtrùm beatitudo iuſtorum differenda ſit per mille annos poſt generalem omnium reſurrectionem? Secunda; vtrũ omnibus differenda ſit vſque ad generalẽ reſurrectionem? Tertia eſt; an differẽda ſit non omnibus; ſed aliquibus tantum? Primam controuerſiam explicabimus in hac quarta quæſtione. Secundam in q. 5. Tertiam in 6. 3. 3. quæſtiones excitandæ.

¶ Quod attinet ad primam controuerſiã, in hac q. 4. explicandam; plura in ea ſunt inquirenda. 4.

Primum eſt; quinam ſint huius opinionis, ſiue potius erroris authores?

Secundum eſt; in quo ſenſu hoc regnũ millenarium poſt reſurrectionem authores illius explicent?

Tertio loco errorem iſtum impugnabimus.

Poſtremo adducentur, & ſoluentur argumenta, quæ in huius erroris confirmationem adducuntur.

ARTICVLVS I.

Qui nam fuerint huius erroris authores?

PRo explicatione illud primo eſt aduertendũ, quam plurimos, non ſolũ ex hæreticis, ſed etiam ex Patribus docuiſſe, Chriſtum Dominum in terra per mille annos regnaturum cum iuſtis; ob quam rationem appellati ſunt Chiliaſtæ, ſiue millenarij. Verum inter eos datur varietas, qui hoc regnum mille annorum admiſerunt, vt ſuprà annotauimus: quidam enim hos mille annos poſuerunt poſt vniuerſalem omnium hominum bonorum ſcilicet, & malorum reſurrectionem, vniuerſaleque iudicium. Alij hoc regnum 1. Authores huius erroris. Variãt inter ſe.

regnum admiſerunt, non poſt vniuerſalẽ omnium reſurrectionem; ſed poſt reſurrectionem iuſtorum, quæ deſcẽdẽte Chriſto ad regnandum per mille annos futura eſt, ante vniuerſalem reſurrectionẽ, & iudicium. Nunc agimus cõtra Chiliaſtas, ſiue millenarios, qui regnum illud mille annorum poſt vniuerſale iudicium, & reſurrectionem bonorum, & malorũ introduxerunt. Et inquirimus; qui nam fuerint huius regni, in ſenſu explicato, authores? Eſt enim aliqua de hoc controuerſia.

2. Dicendum tamen eſt, non eſſe dubiũ,
1. Author é Cerint. primum authorem huius erroris in explicato ſenſu fuiſſe Cerinthũ quendam vetuſtiſsimũ hæreſiarcham tempore Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ: etenim de hoc Cerintho ſatis id exprimit *Caius antiquiſsimus Eccleſiæ Scriptor, relatus ab Euſebio lib. 3. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 22.* (Euſebius.) Is enim expreſſè affirmat, Cerinthum hoc millenarium poſuiſſe *Poſt reſurrectionẽ carnis humanæ.* (Fuit etiam Papiæ.) Quæ verba ſatis denotant reſurrectionem vniuerſæ carnis; nam in eodem ſenſu eundem errorem tenuit Papias, vt ſtatim dicemus. Quare non ſatis ad hæc verba aduertit Maluenda in lib. 10. de Antichriſto cap. 3. dum dixit Cerinthũ docuiſſe, Chriſtum mille annis ante iudicium vẽturum in terra, & omnes iuſtos cum ipſo eſſe regnaturos. Cerinthum ſequuti ſunt diſcipuli, qui Cerinthiani hæretici dicuntur. Et poſtea Appollinaris quidã, & quidã Diodorus; imò etiam quidam Nepos Epiſcopus, qui omnes doctrinam Cerinthi in omnibus ſunt amplexati.

3. Eſt S. Papię. In eadem ſententia fuit Sanctus Papias, vt de eo refert *Euſebius in dicto libr. 3. hiſtor. Eccleſ. capite. 31. referens enim libros,* quos de hoc millenario ſcripſit Papias, ita ait: *in quibus libris aſſerit, regnum Chriſti poſt vniuerſæ carnis reſurrectionẽ mille ãnos. &c.* Quæ verba ſatis declarant, verba, quæ de Cerintho refert Caius, intelligẽda eſſe dé reſurrectione carnis humanæ, nõ indefinitè, ſed vniuerſaliter pro vniuerſæ humanæ carnis reſurrectione.

4. Non recipitur Feuardentius. Feuardentius in præfatiuncula ad librum quintum Irenæi aduerſus hæreſes ante c. 32. pro iſto eorrore in eodẽ ſenſu refert ipſum Irenæum, Iuſtinũ, Tertullianum, Victorinum, Lactantium, Seuerũ, & quoſdam alios Patres: ſed vir in legẽdis Patribus diligentiſsimus non ſatis aduertit ad præcitatos Patres, vt euidenter oſtendemus 3. tom. lib. 1. q. 6. Admiſerũt illi quidem regnum Chriſti millenarium in terra cũ iuſtis (& ideo meritò dici poſſunt Chiliaſtæ, ſiue millenarij) illud tamẽ millenarium regnum nõ poſuerunt poſt vniuerſalem omnium reſurrectionem, iudiciũque generale, ſed ante, vt in citato loco videbimus.

Quare hunc errorem in ſenſu explicato ſolum docuerunt Cerinthus cum ſuis & Sanctus Papias: qui in Romano Kalẽdario inter Sanctos ſcribitur, & fuit Ioãni Apoſtolo coæuus; quamuis Ioannem nunquam viderit. Hi igitur non ſolùm docuerunt, iuſtorum animas ante vniuerſalem reſurrectionem non videre diuinã eſſentiam; ſed nec ipſos iuſtos iam reſuscitatos, & peracto viuerſali iudicio, eã eſſe viſuros, niſi tranſactis mille annis regni Chriſti in terris. 5. In hoc errore ſolus eſt Cerinth.

ARTICVLVS. II.

In quo ſenſu hi authores explicent, regnum illud Chriſti poſt generalem reſurrectionem.

QVamuis Cerinthus, & S. Papias in illo regno millenario poſt generalem reſurrectionem futuro, conueniant; non conueniunt tamen, in quo nam poſita ſit illius regni felicitas, & gloria. 1. De ſenſu regni millenarij poſt reſurrectionem.

Et quod attinet ad Cerinthium; omnes in hoc conueniunt, illũ in hoc regno poſuiſſe omnes carnis, & veneris improbas, & obſcęnas voluptates. erat enim ventri, & gulæ, & veneri deditiſsimus: ita de eo ſcripſit *Caius antiquiſsimus Eccleſiæ Scriptor, & Didymus Alexandr. author etiam vetuſtiſsimus; & ex vtroque idem refert Euſebius lib. 3. Eccleſ. Hiſtoriæ cap. 22. & lib. 7. cap. 20. Nicephorus lib. 3. eiuſdem hiſtoriæ cap. 14. & lib. 6. cap. 22. Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum in cap. de Cerintho, Auguſtin. de hæreſibus hæreſi octaua D Thomas 3. contra gent. cap. 27. Caſtro aduerſus hæreſes verbo Beatitudo hæreſi 2. Sixtus Senenſis lib. 5. ſuæ Bibliothecæ annotat. 233. & lib. 6. annot. vltima Fr. Thomas Maluenda de Antichriſto capit. 3. in principio, Ribera in* Apoca- 2. De mente Cerinth. Caius. Didymus. Euſebius. Nicephor. Theodoret. Auguſt. D. Thomo Caſtro. Senenſis. Maluenda Ribera.

*Apocalypſi cap.20.pag.*286. Cum Cerintho conſenſerunt omnes ſequaces Cerinthiani; & poſtea illum defendit quidam Appollinarius, & quidam Diodorus, imò etiam Nepos Epiſcopus vt habet verior opinio.

3. De mente Papiæ. Quòd verò attinet ad Papiam; dubiũ non eſt eum hoc millenarium approbaſſe *In lib. qui inſcribabatur; Expoſitio ſermonũ Domini*, vt refert Euſebius *in dicto lib.* 3. *cap.* 33. *& Nicephorus vbi ſuprà capit.* 20. *& Irenæus lib.* 5. *contra hæreſes cap.* 33. *D. Hieronymus de Scripto. Eccleſiaſt. in titulo de Papia*, cum omnibus recentioribus, quos retulimus. Similiter non eſt dubium, illum hos mille annos poſuiſſe poſt generalem carnis reſurrectionem, vt diximus in 1. art. An verò hoc regnum pòſuerit in carnis delitijs, eo modo, quo illud poſuit Cerinthus? dubium eſt. Quidam (ſi credimus Caſtro) putant Papiam cum Cerintho conſenſiſſe, & opinionem illius nihil diſtare ab opinione Cerinthi, à qua opinione non longè abeſt Ribera *in cap.* 20. *Apocalypſis pag.* 286. *col.* 2. ſignificat enĩ in hoc regno mille annorum nihil intereſſe inter Cerinthi, & veterum doctorũ de hac re ſententiam. Ab hoc tamen errore conatur eum liberare Caſtro vbi ſuprà; & concludit, non conſtare, an Papias in illo regno admiſerit delitias carnales; an verò ſolas ſpirituales. Pro quo afferri poteſt, quod Tertullianus (qui à Papia, teſte D. Hieronymo, hãc accepit opinionẽ) in illo regno omnium bonorum ſpiritualium copiam admiſit.

4. Propria opinio. Ego tamen puto non eſſe negandum, Papiam in hoc Chriſti regno millenario delitias aliquas corporales admiſiſſe; quidquid Caſtro renuat; etenĩ teſte *Euſebio in dicto cap.* 33. *expreſſè aſſeruit, regnum illud millenarium humano, & corporeo more in terra continuatum, & ſtabilitum fore*, Iam verò vita terrena more humano, & corporeo ſine aliquibus corporis delitijs nõ trãſigitur. Præterea id ſatis videtur affirmare Irenæus in dicto lib. 5. cap. 33. ad finẽ; dum latiſsimè explicata bonorum omnium affluentia ex terræ fructibus; affirmat, illam perhibitam fuiſſe à Papia, & in ſcriptis explicatam. Accedit tertiò; quòd D. Hieronymus aſſerit Papiã, edidiſſe iudaicam Δευτερωσιν, nouitatem ſcilicet, ſiue fabulam. Iudæi autem hanc fabulam tradebant Meſsiæ regnum futurum eſſe delitiarum plenum.

Denique accedit, quòd Papias teſtibus Euſebio, & Hieronymo, author fuit ſuæ 5. opinionis Irenæo, Tertulliano, & Lactantio: qui omnes in illo regno abſque dubio admiſerunt delitias, non ſolũm animi, ſed etiam corporis, vt etiam aduertit Siſtus Senenſis in dicto lib. 5. annot. 233. etenim in illo regno cum ſumma pace, & tranquillitate futuras eſſe nuptias, & infinitam filiorum multitudinẽ teſtantur, & Iuſtinus Martyr, & Lactantius. In eodẽ regno Sanctos habituros menſam à Deo paratam, paſcentem eos epulis omnibus, affirmat Irenæus in d. lib. 5. contra hæreſes cap. 33. Quare, cum diſcipuli Papiæ in illo regno cum delitijs animi ſpiritualibꝰ ſimul corporis delitias admiſerint; Sanctas tamen, & ſumma cum puritate coniũctas; negandum non eſt Papiam illorum præceptorem eaſdem etiam in illo regno admiſiſſe. Sicut igitur Irenæi, Iuſtini, Lactantij, & aliorum Patrum ſententia longiſsimè diſtat ab errore Cerinthi, vt benè aduertit Senenſis; idem dicendum eſt de Papia, quem inter Sanctos Martyrologiũ Romanum retulit. Vnde inaduertenter ſatis illũ inter hæreticos enumerauit Bernardus Lutzemburgus in ſuo Cathalogo litera P. ad verbum *Papias*; quem in hoc merito reprehendit Caſtro vbi ſupra.

ARTICVLVS III,

Impugnatur præcedens error.

Iſte Chiliſtarum error, quatenus ſupponit, animas iuſtorum non ſtatim poſt 1. Contra Chiliaſtas. mortem viſuras eſſe Deum, impugnabitur in q. ſequente, tanquã hæreſis poſt definitionem Benedicti duodecimi. Quatenus verò aſſerit, regnum iſtud mille annorum futurum eſſe in terra poſt generalem reſurrectionem, impugnabitur inferiùs q. 6. Nunc verò contra illum agemus, quatenus aſſerit, animas iuſtorũ nec in ipſa reſurrectione generali viſuras eſſe Deum: hoc enim non ſolũ modo eſt hæreticum, poſt definitionẽ Benedicti duodecimi, ſed ſemper fuit hæreſis manifeſta: quod in hoc articulo conuincemus ex ſacris literis.

Et primo loco euidenter conuincitur 2.

ex

1 arg. ex c. 25. Matth. ex verbis Chriſti Domini Matthæi 25. agens enim de die iudicij, poſtquam dixit, oues ſtatuendas eſſe à dextris, hædos verò à ſiniſtris, ita ait: *Venite Benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Poſsidete, inquam, ab hac hora regnũ beatitudinis conſũmatæ, quæ includit gloriam animæ, & corporis. Et ne Chiliaſtæ dicant, verba illa intelligenda eſſe de regno mille annorum, antequã iuſti ad cœleſtem beatitudinem transferantur; attende ad verba poſita in fine capitis: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.* Concinit Ioãnis 6. nu. 29. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala; in reſurrectionem iudicij.* Procedent, inquam, & ibunt iuſti in vitã æternam, id eſt in gloriã cœleſtis Patriæ; tunc cum mali ituri ſunt in æternum ſupplicium. Sed mali, finito iudicio, ſtatim ibunt in infernum. Ergo & boni finito iudicio, ſtatim ibunt in vitam æternã Patriȩ cœleſtis, quȩ eſt locus ab æterno Beatis deputatus. Cui etiam concinit locus Danielis 12. num. 2. vbi, finito iudicio, *ſaluabitur omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro: & ex mortuis iuſti euigilabunt in vitam æternam; mali autem, vt ſemper videant opprobrium.*

Ioan. 6.

3. 2 arg. ex c. 20. & 21 Apocal. Secundus locus habetur Apocaypſis 20. & 21. nam in fine capitis 20. poſt iudicium, & apertionem libri vitæ, ſecundũ quem iudicati ſunt iuſti in eo ſcripti: *Omnis, qui non eſt ſcriptus in illo libro, miſſus eſt in ſtagnum ignis,* & in principio capitis 21. ſtatim poſt iudicium viſum eſt, *Cœlum nouum & terra noua, & viſa eſt Sancta Ciuitas Hieruſalem glorioſa deſcendens de cœlo.* Quomodo igitur iuſti per mille annos mãſuri ſunt in terra ſine beatitudine?

4. 3. Argu. 1. Theſal. 4. Denique errorem etiã conuincit Paulus 1. Theſſal. 4. nu. 15. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, & cætera. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aêra: & ſic ſemper cum Domino erimus.* Ex quibus verbis cõſtat, iuſtos reſurgentes, & obuiã Chriſto in aêra venientes, in eadem gloria ſemper cum Domino futuros eſſe. Iam Chiliaſtas interrogo: Num, qui in reſurrectione obuiam Chriſto venturi ſunt, iam videant Deum? an non videant. Si non vident, vt volunt, ergo nunquam amplius Dominũ videbunt; quia ſic cum Domino ſemper ſunt futuri. Ergo nec Deũ videbunt poſt mille annos. Fateantur igitur neceſſe eſt in ipſa reſurrectione iam videre Deum, & eius frui viſione: quod omnes ex eo loco colligunt: nam reſurgent cum corpore glorioſo; quia rapientur in nubibus obuiam Chriſto in aêra: in nubibus, inquã; id eſt, nube circundati, & claritate: iam verò gloria corporis ſupponit animæ gloriam, cum ab ea redundet, vt omnes docent. 5.

Cum igitur hæc ſententia in ſacris literis expreſſe condemnetur, non eſt dubitandum, eam ſemper fuiſſe hæreſim: nec Patres, qui Chiliaſtarum ſententiam damnare non audent, loquuntur de illa in ſenſu explicato; vt ſcilicet regnũ illud mille annorum futurum ſit poſt vniuerſalem reſurrectionem, & poſt latam in bonos, & malos vltimam ſententiam, vt oſtendemus in 6. q. & præter Papiam, nullus ex Patribus Chiliaſtis hanc ſentẽtiam in ſenſu explicato approbauit, vt in dicta q. 6. dicemus. Sed iam expendamus argumẽta, quæ in fauorem huius erroris adducuntur.

ARTICVLVS III.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta pro hoc errore adducta.

SVpereſt diſſoluere argumenta, quæ aduerſarij in huius erroris cõfirmationem adducunt. 1. Soluuntur argumenta.

2. 1. Argum. Primum argumentum ſumitur ex verbis Apocal. 20. num. 5. *Vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* Quæ verba volunt eſſe intelligenda de vita poſt generalem reſurrectionem. ¶ Sed profecto locus iſte non modo non fauet huic errori in ſenſu à nobis explicato; ſed etiã eum omnino deſtruit: cõſtat enim, quòd poſt illos mille annos, de quibus in loco citato agit Ioannes, Satanas, qui illis mille annis ligatus erat, ſolutus fuit: & gentes ſeduxit, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, vt patet ex verbis inferius ſcriptis num. 7. *Et cum conſumati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo, &c.* 3. Solutio.

Iam

Iam verò poſt vniuerſalem reſurrectionẽ nullę ſupererunt gentes, quæ ſeduci poſſint; nec quę poſsint ſurgere in prælium, & circundare caſtra Sanctorũ, & ciuitatẽ electã: nec amplius deſcenſurus eſt ignis à Deo de cœlo, qui deuoret eos; omnes enĩ cũ Diabolo, & Satana in generali reſurrectione in abyſſum mittẽdi ſunt amplius nõ iudicãdi. Quare verba etiã ſi de regno Chriſti millenario intelligerẽtur (quod negamus) nullo modo probarent, regnũ illud futurum eſſe poſt vniuerſalẽ reſurrectionem, ſed ante illã: vnde ab alijs Chiliaſtis pro ſuo errore adducuntur, pro ſuo regno millenario ante vniuerſalem reſurrectionem; perperàm tamen intellecta; vt q. 5. & 6. explicabimus.

4. 2. Argum. Secundum argumentum deſumitur ex ratione: quoniam iuſtum eſt, vt iuſti fructum ſuorum laborum in eadem corporis cõditione recipiãt, in qua labores ſunt perpeſsi, vt ſi interfecti ſunt corpore, corpore reſurgant, & in eo regnent, in quo redacti ſunt in ſeruitutem. Ergo iuſtum eſt, vt poſt vniuerſalem reſurrectionem in terris regnent, vt in ea corporis conditione recipiant fructus laborum, in qua eos paſsi ſunt: quod fieri non poteſt, niſi poſt vniuerſalem reſurrectionem in terris maneant

5. Cõfirmatio Confirmant hoc ipſum ex Paulo ad Romanos 8. nu. 19. 20. & 21. *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura ſubiecta eſt, nõ volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quoniam & ipſa liberabitur à ſeruitute in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quæ verba intelliguntur de vniuerſali rerũ renouatione, quæ nõ dabitur, niſi poſt reſurrectionẽ, quã vniuerſalis creatura expectat, in gratiã filiorum Dei; vt. ſ. libere, & ſine vllo defectu illis deſeruiat: deſeruire autẽ illis cum hac renouatione, & perfectione non poterit, niſi illi maneant in terra renouati, & feliciter regnantes.

6. Solutio argum. Sed quàm futilis ſit hæc ratio, & confirmatio ſumpta ex Paulo, nullus non videt: nam quod attinet ad rationem; naturalis ratio admittit æquum eſſe, vt iuſti ſuorum laborum fructum recipiãt in eodem corpore, in quo eos paſsi ſunt: vnde rationi ſatis eſt conſentaneum dari reſurrectionem mortuorum, vt vnuſquiſque recipiat, ſicut geſsit in corpore ſuo, vt ait Paulus 2. Corint. 5. nu. 10. Quod autem iuſti fructũ laborum recipiant in eodem corpore, non omnino per gloriam immutato; ſed adhuc bonis terrenis indigente, & adhuc capaci felicitatis terrenæ; id naturalis ratio nõ dictat, nec naturalis appetitus id expoſcit; ſed oppoſitum potius, vt ſatis declarat Paulus 2. *Corint.* 5. *num.* 2. *dum ait: Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes.* Et ſtatim: *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati; eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri:* nimirũ gloria corporis, quæ abſorbeat omne id, quod mortale eſt. Quare longè eſt perfectius, vt fructus cœleſtes, & glorioſos pro perpeſsis laboribus in eodem numero corpore, immutato tamẽ, & glorioſo, in regno cęlorũ ſtatim recipiãt; quã in terreno regno recipiant fructus ad terrenã felicitatẽ pertinẽtes, quales ſunt delicię corporeæ, quantũcunq; illæ ſint honeſtæ. 2. Cor. 5.

7. Ad confirmatio. Ad cõfirmationẽ ſumptã ex Paulo admittimus illã toti⁹ creaturæ renouationẽ nõ eſſe futurã, niſi poſt vniuerſalẽ reſurrectionẽ; quã vniuerſa creatura expectat: nõ quidem, vt ſine vllo defectu iterũ ſeruiat filijs Dei iam per gloriã reuelatis; ſed vt à tali ſeruitio omnino liberetur: quia filij Dei in libertatẽ gloriæ reſurgentes, iã creaturarum vſu, & ſeruitio non indigebunt: ob quã rationem tota creatura à ſeruitute, cui eſt ſubiecta, omnimodis liberabitur; à qua non liberaretur, ſi poſt reſurrectionem iuſti in illo terreno regno permanerent; quia in illo adhuc comederẽt, & biberent, vt ipſimet hæretici fatentur: vnde adhuc in creaturis daretur corruptio, quæ eſt ipſa vanitas, & ſeruitus, ob quam creatura ingemiſcit.

8. 3. Argum. Tertiũ argumentũ ſumũt, ex eo, quòd nõdum impletæ ſunt promiſsiones factæ a Deo Abrahæ, & ſemini eius; quas tamẽ oportet impleri: impleri autẽ nõ poſſunt; niſi poſt vniuerſalẽ reſurrectionẽ illud regnũ millenariũ futurũ ſit: *etenim Geniſ.* 13 *n.* 15. *&* 16. promiſſa eſt Abrahæ, & ſemini eius (filijs. ſ. Eccleſiæ) hæreditas omnis illius terræ, quã Abrahã videbat; cum tamen ſemen Abrahæ nõdum totam illam terram in hæreditatem poſſederit. Prætere nec adhuc eſt impleta benedictio, qua Iſaac benedixit filium ſuũ Iacob Geneſis 27. nu. 27. & 28. Denique id confirmant

ex verbis Chriſti Matthæi 26. nu. 26. & Lucæ 22. n. 18. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illũ, in quo bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*, ſiue, vt ait Lucas: *Donec regnũ Dei veniat*. De hoc tamen argumẽto latiùs dicemus in ſequẽte 6. q. vbi oſtẽdemus promiſsiones illas iam eſſe adimpletas. Sed vt daremus eas non dum adimpletas eſſe, argumentum potius faueret regno millenario. quod alij Chiliaſtæ ponunt ante diem iudicij, quã poſt illud; vide in ſequente quęſtione.

Solutio.

QVÆSTIO V.

Vtrùm animæ Sanctorum ante generalem reſurrectionem ſine corpore Deum videant?

HAnc quęſtionẽ nõ ſolũ inter antiquos hæreticos olim excitatã; ſed etiã inter antiquos Patres ante definitionẽ Benedicti ſatis dubiã, hoc ordine explicabimus: vt in 1. art. referamus hæreticos, qui & olim docuerũt, & modo defendunt: animas iuſtorum ante vniuerſalem reſurrectionem non eſſe Deum viſuras.

In ſecundo; qui ex Patribus eandẽ ſententiam abſque dubio docuerunt.

Tertius articulus explicabit ſetentiam catholicã, & expẽdet à quo tempore fuerit de fide,

In quarto veritas iſta confirmabitur Sacrarum literarum teſtimonijs.

In 5. adducẽtur aliquę ratiões Theologicę

In ſexto referentur Patres, qui Catholicam veritatem expreſſe docuerunt.

In ſeptimo, & vltimo ſoluentur argumẽta ab hæreticis adducta in 1. art.

ARTICVLVS I,

Referuntur hæretici, qui negant animas iuſtorum ante vniuerſalem reſurrectionem viſuras eſſe Deum.

1. Authores huius erroris.

QVod attinet ad primuũ articulũ, nec olim defuerũt, nec modo deſũt, q defẽdãt, animas iuſtorũ etiã perfectè purgatas, ante generalẽ reſurrectionẽ non eſſe Deũ viſuras. Ita docuiſſe Cerinthũ cũ omnibus Chiliaſtis, ſiue millenarijs, dubitari nõ poteſt, id enim oſtendimus in præcedẽte quæſtione art. 1. Idẽ docuiſſe Vigilantiũ, ſatis colligitur ex D. Hieronymo in lib. contra eundẽ ante medium: poſtea idem docuerunt Armeni, ſi credimus Guidoni in ſũma de hæreſibus. In eodem errore fuerunt Græci Schiſmatici, vt patet *ex Concilio Florentino Seſsione 1. & refert D. Thomas Opuſc. 6. c. 9.* Ex hæreticis noſtri temporis idẽ probarunt Lutherus in prælectionibus in Geneſim, vt refert Fridericus *Staphylus in Epithome trimẽbro p. 3. Cornelius etiã Agrippa lib. 3. de occulta Philoſophia, vt refert Bellom. 1. 2. diſp. 19. c. 1.* Ioannes etiã Caluinus *lib. 3. inſtitutionũ c. 20. §. 20. & 24. & cap. 25. §. 6. quos omnes refert Bellarmin. lib. 1. de Sãctorũ beatitudine c. 1. in princ.* Eundẽ errorẽ probaſſe Anabaptiſtas referunt *Xiſtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ annot. 345. & Caniſius tom. 2. de corruptela verbi Dei, & lib. 3. de B. Virgine cap. 12.* Cũ quibus conſentiunt Cerinthus, & alij, qui volunt Sanctos nõ ſolũ ante reſurrectionẽ nõ futuros eſſe in cęlo, ſed nec mille annos poſt eã, ſed mãſuros eſſe in terra cum Chriſto, de quo errore iam diximus.

Eſt Cerint.

Eſt Armen.

Eſt Luther.

Eſt Caluini

Eſt Anabaptiſtarum.

2. 1. Argu. ex Sacris liter.

Huius erroris fundamẽta primo ſumũt ex ſacris literis; ſ. ex *Matth. cap. 20. & 25. ad Hebræos 11. 2. Timotheum 1. & 4. & 1. Ioannis 3. Apocalypſis 6. & 20.*

3. 2. Ex Patribus.

Deinde id cõfirmãt authoritate Patrũ antiquorum: volunt enim id docuiſſe *S. Papiam, Irenæum, Iuſtinum, Tertullianum, Originem, Lactantiũ, Victorinũ, Prudentiũ, Hilarium, Athanaſium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Theodoretum, Aretam, Aecumenium, Theophylactum, Euthymium, & tandem D. Bernardum.*

4. 3. Ex Iacobo Apoſtol.

Tertium fundamentum ſumunt ex authoritatibus Iacobi Apoſtoli in ſua Lyturgia, & D. Petri relati à Clemente, & Ioan. Papæ 22. Nã B. Iacobus in ſua Lyturgia ſic precatur, *Domine Deus noſter memento omnium Orthodoxorum, & ab Abel iuſto, vſque ad hodiernum diem, fac eos quieſcere in regione viuentium in regno tuo.* Petrus etiã apud Clementẽ in lib. Hyppotypoſeon (vt quidã volunt) cõcludit. *Oportere, vt animæ vſq; ad diẽ iudicij, extra cœlũ patienter futurã gloriam expectent.* Ioannes etiã Papa 22. (vt dicitur) ſuo decreto declarauit, & ſanſiuit credendũ eſſe, animas Sãctorum ante diem iudicij Deũ nõ videre: iuſsitq;

iuſsitque, vt Pariſijs nemo in Theologia gradum ſuſciperet, niſi prius iuraret; ſe hanc ſententiam perpetuo defenſurum.

5. Quartum, & vltimum fundamentum nititur rationib⁹ Theologicis. Prima eſt; quia Chriſt⁹ nō antea in cęlū aſcēdit, quā deſcēderit ad inferos; & inde à mortuis reſurrexerit, vt fides docet. Cum igitur reſurrectio, & aſcēſio Chriſti Dñi ſit exemplar noſtræ reſurrectionis, & aſcēſionis, nulla Sanctorū anima ad cęlū eſt aſcēſura ad videndum Deum, niſi prius in inferis reſurrectionem vniuerſalem expectet.

4. Ex ratione.

1. Ratio.

6. Secunda ratio; totus homo per ſe primo meruit beatitudinē, anima, ſ. ſimul cū corpore cōcurrente ad meritum. Ergo totus homo eſt, qui primò debet recipere præmium meritorū, qualis eſt beatitudo.

2. Ratio.

7. Tertia ratio; quia nō decet, vt præmiū, aut pęna detur ſine iudicio, & examine, tū meritorū, tūm etiā demeritorū; tale autē iudiciū futurū eſt in nouiſsimo die, Ergo ante illū nō dabitur beatitudinis præmiū.

3. Ratio.

8. Vltima ratio, qa dęmones ob rationes allatas nōdum puniūtur in inferno, ſed reſeruātur puniēdi poſt diē iudicij: ergo nec animæ pręmiabūtur, niſi poſt iudicij diē.

4. Ratio.

ARTICVLVS. II.

Qui Patres præcitatam ſententiam olim abſq; dubio docuerunt.

SEd antequā veritatē catholicā oſtendamus, operæpretiū erit expendere, qui nam ex Patribus hanc ſententiā certò docuerint: eſt enim de hoc aliqua dubitatio, vt videbimus.

§. I.

Qui Patres eam certo tenuerunt.

1. EGo pro certo habeo, omnes Patres Chiliaſtas, ſiue millenarios, hāc habuiſſe opinionē; vt iuſti ante reſurrectionē generalē nō ſint Deum viſuri; tā illos, qui mille annos regni terreni poſuerūt poſt generalem reſurrectionē; quām eos, qui illos mille annos poſuerunt poſt ſolam iuſtorum reſurrectionem; ſed ante reſurrectionem totius carnis. Quare ſingulos percurramus.

Ita ſentiunt Patres Chiliaſtæ.

Papias ita ſenſit.

2. ¶Primus ſit Papias Ioannis Apoſtoli coęuus, qui ex Catholicis Patribus, primus inter Chiliaſtas enumeratur, & in Kalēdario Roman. inter Sāctos reponitur. Quòd ille exiſtimauerit, iuſtos, nec āte generalē reſurrectionē Deū vidiſſe, nec poſt illam per mille annos viſuros fore, ſatis quiſque colliget ex verbis illius relatis ab *Euſebio lib. 3. eccleſiaſtic. hiſtoriæ c. 33. quæ ita habēt; docet regnum illud millenariū in terris ſtabilitum, & continuatum fore, humano, & corporeo more.* At quis dicet, animas ante reſurrectionem iā beatas Dei viſione, poſt reſurrectionem in corpore victuras more humano, & corporeo. Ergo ex ſententia Papiæ ante reſurrectionem generalem animæ Deum non videbunt.

Ita Papias.

Euſebius.

Ita etiam Iuſtinus.

¶De Iuſtino Martyre plerique dubitāt, an exiſtimauerit Sanctorum animas ante generalem reſurrectionem nō videre diuinā eſſentiam? Eum huius opinionis non fuiſſe, ſatis nititur oſtendere *Bellarminus lib. 1. de Sanctorū beatitudine c. 4. pag. 850. C.* in cōfirmationem adducit verba illius q. 75. ad gentes: vbi ita habetur: *Poſt animi à corpore exceſſum, ſtatim fit bonorū, malorumq; diſtinctio: Ducuntur enim ab Angelis in loca, quæ eis digna ſunt: ab Angelis bonorum quidem animi in Paradiſum, vbi conſuetudo eſt, & aſpectus Angelorum, & Archangelorum; viſio etiam conſeruatoris Chriſti ex verbis his, peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominū.* Si verò illi objicias verba quęſtionis ſexageſsimæ ad eaſdem gentes: *Nec ſua cuique digna factis præmia ſoluuntur*: Reſpondet, illa eſſe explicanda de perfecta retributione: hæc enim ſolū dabitur poſt reſurrectionē. Si rurſus objicias verba quæſtionis 76. dū docet, *bonū latronem per introitū ad Paradiſum id fuiſſe conſequutū, vt mente videret & ſe ipſum, & cæteras animas, & ea, quæ infra ſe ſunt, & Angelos, atq; dæmones.* Vbi nullā facit mentionē viſionis Dei; reſpōdet ideo illi⁹ nō meminiſſe; quia Græci nō ſolent vocare viſionem, niſi eius rei, quę plene cōprehēditur: Additq; Iuſtinum ſatis indicare, quòd latro aliquo modo Deum videat; cum dicit, eum eſſe in cœtu beatorum. Facilè cum *Bellarmino conſentit Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 2. pag. 74. D. Clariùs Lorca 1. 2. q. 5. art. 3. diſp. 36. m. 3. ad 2. argum. §. In tertia claſſe, & Bellomontanus 1. 2. diſp. 19. cap. 3. num. 10.*

3. Ita Iuſtinus

Qui Iuſtinū liberant.

Bellarm.

Valentia.

Lorca.

Bellomont.

4. Vere Iuſtinus ita ſenſit.

Sed profectò ego nō poſſum non aſſerere, Sāctiſsimi Iuſtini ſententiā, abſque dubio hanc fuiſſe, vt ante reſurrectionem animæ Sanctorum Deū nō videant: hoc euidenter cōuincitur: nam cū fuerit aſſertor regni millenarij ante reſurrectionem generalem; facta tamen prima Sāctorum reſurrectione, vt oſtendimus in præcedēte articulo, & patet ex Dialogo, cum Tryphone, *fol. paruo 115. pag. 2. & fol. 116. pagina 1. cuius verba ad longum refert Maluenda lib. 10. de Antichriſto c. 4. verbis expreſſis docet*, iuſtos illos in prima reſurrectione ſuſcitatos, & cum Chriſto regnantes per mille annos, non ſolum comeſturos eſſe, & bibituros de fructibus terræ; ſed etiam habituros fore vxores, & generaturos filios: deniq; acturos eſſe vitā corporeis delicijs affluentē; licitis tamen, & honeſtis. Iā igitur inquiro, an per illos mille annos carebunt diuina viſione, quā ante primā illam reſurrectionē habebāt; an verò cum ea verè beati permanebunt? Si viſione illa beata, quā per vos ex ſententia Iuſtini habebāt, priuabuntur; vtiq; nec antea fuerunt beati; quia beatitudo ex ſua natura eſt perpetua, vt inferiùs dicemus: præterea cum illis malè actum eſſet, dum propter gloriam regni terreni bonis lōgè excellentioribus priuarentur. Porro, ſi in beatitudine, & beata viſione permanent; profectò vita illa delicioſa, licet honeſta, non ſatis conuenit cum dignitate, & excellentia beatitudinis eſſentialis. Quare melius eſt dicere, eum iuſtis denegaſſe viſionem beatā ante generalem reſurrectionē: nam cum pro illo tēpore hæc opinio non eſſet damnata: & inter quā plurimos grauiſsimos Patres Chiliaſtas ſatis cōmunis eſſet; nihil de pietate, & eruditione Sāctiſsimi Martyris id detrahet. Quare exiſtimo, ſententiam Iuſtini nullo modo explicari poſſe, aut explicatione Bellarmini, *aut aliqua ex ijs, quas adducit Medina 1. 2. q. 4. art. 5. §. Sed iam tempus eſt, pag. 100. colum. 2.*

5. Loci pro Iuſtino nō eū liberant.

Nec locus ex d. q. 76. aliquid iuuat, vt dicamus Iuſtinum docuiſſe, iuſtorū animas ſtatim poſt mortē videre Deū: etenim Paradiſus ille, ad quē animæ iuſtorum exeuntes à corpore ab Angelis ſtatim ducebātur nō eſt Paradiſus cæleſtis, in quo Deus in ſe ipſo beatificè videtur; ſed alius, de quo inferiùs erit ſermo in quo apud Iuſtinum animæ iuſtorum nō dum tamē beatæ felicē ducebant vitam, & cum Angelis colloquebantur, ſicut etiā Purgatorij animæ cum illis ſæpè colloquūtur: nec Iuſtinus vnquā dixit, animas illorum iuſtorū in eo loco Deum videre. Nec ſatis eſt reſponſio Bellarmini: quoniā ſatis eſt incertū, an Græci ſolā viſionem cōprehenſiuā appellent viſionē: imò longè eſt probabilius, animas ſeparatas Angelos non cōprehendere, vt modo ex Theologia ſupponimus: & tamē Iuſtinus fatetur animas iuſtorum in illo Paradiſo videre Angelos. Nec locus *Pauli 1. Corint. 5.* citatus à Iuſtino omnino concludit; quoniā Iuſtinus eū intelligit de viſione Chriſti in corpore: quæ explicatio multis probata eſt, vt inferiùs dicemus.

Ita etiam Irenæus:

6, Quid de Irenæo? Liberant eū Ballarm. Feuarden.

¶ De Irenæo (qui abſq; dubio fuit Chiliaſta) etiā dubium eſt apud nonnullos, an negauerit, animas iuſtorum Deū videre? negat *Bellarminus cū cæteris pro Iuſtino citatis: cū quibus conſentit Franciſcus Feuardentius in annotationib. ad eundem lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 31. annot. 9. & antea id annotauerat lib. 1. c. 2. annot. 4. & lib. 2. c. 63. in fine 1. annot.* qui omnes putant Irenæū cū Catholicis docuiſſe, animas iuſtorum ſtatim ac exeunt à corpore Deū videre ante vniuerſalē reſurrectionem. In huius confirmationē duos ex Irenæo locos afferūt. 1. locus pro Irenæo. Primus ex d. lib. 1. cap. 2. vbi in hæc verba: *Iuſtis autem, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus; quibuſdam quidem ab initio; quibuſdā autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternā circūdat.* Ex quib⁹ verbis colligūt, docuiſſe Irenæū, vitā æternā, quæ poſita eſt in viſione Dei donari iuſtis à corpore exeūtibus: quibuſdā quidē ſtatim atque moriūtur (pueris. ſ. baptizatis, & martyribus) quibuſdā verò poſt pœnitentiā, id eſt poſt ſatisfactionem peractam in Purgatorio.

7. 2. Locus pro eo.

Secundus locus ſumitur ex lib. 2. c. 63. vbi ita ſcribit: *Per hæc enim manifeſtiſsimè declaratum eſt, & perſeuerare animas; & dignam habitationem vnamquamquegentem percipere, etiam ante iudicium.* Cum verò cœlum ſit digna habitatio iuſtis animabus; nec

nec ob aliud, niſi propter pręmium, quod ibi videndo Deum percipiunt; hinc colligunt, docuiſſe Irenæum, animas iuſtorũ in cœlis Deum videre etiam ante iudicium.

8. Explicãtur loca contra eũ adducta.

Objiciũt ſibi verba illius deſumpta ex lib. 5, cap. 31. quę ita habent: *manifeſtũ eſt, quia & diſcipulorũ eius propter quos hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inuiſibilem locum, definitum eis à Deo; & ibi vſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem: poſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum, & Dominus reſurrexit, ſic venient ad conſpectum Dei: nemo enim eſt diſcipulus ſuprà Magiſtrũ, perfectus autẽ omnis erit, ſi ſit ſicut Magiſter eius. Quomodo ergo Magiſter noſter non ſtatim euolãs abijt; ſed ſuſtinens diffinitum à Patre reſurrectionis ſuæ tempus poſt triduum reſurgens aſſumptus eſt; ſic & nos ſuſtinere debemus diffinitum à Deo reſurrectionis noſtræ tempus prænunciatum à Prophetis; & ſic reſurgentes aſſumi quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.* Sed ad hæc verba reſpondet Bellarminus cum cæteris, Irenæum in illis non negare, animas ante reſurrectionem non videre Deum; ſed ſolùm ſignificare, eas nõ eſſe nunc in illa perfecta beatitudine, in qua eſt Chriſtus, qui anima, & corpore eſt beatus; ſed hanc expectare poſt reſurrectionem. Et omnes cum Bellarmino volunt, Irenæum *per locum inuiſibilem*, ad quem animæ Sanctorum deducuntur, intelligere cœlum.

9. Author Irenęum nõ liberat.

Ego in ea ſum ſententia, vt Irenæus iuſtis viſionem ante vniuerſalem reſurrectionem non concedat. Fundamentum ſit; quoniam Irenæus certò certius fuit Chiliaſta, defendens regnũ terrenũ mille annorũ, ante generalem corporũ reſurrectionem, vniuerſaleq; iudiciũ, de quo latè diximus in præcedente articulo. Iam verò hoc regnũ millenariũ nullo modo cõſtare poteſt, ſi iuſtorũ animæ ſtatim atq; exeunt à corpore Deum videant; vt patet ex ijs, quę de Iuſtino Martyre immediatè diximus: etenĩ Irenæus epulationẽ, & filiorũ generationẽ in illo regno admiſit; vt ſatis probant, quæ latè ſcribit c. 32. 33. 34. & 35. etenim promiſsionẽ de abundãtia rerum in illo regno futura ſignificare epulationem futurã in illo regno expreſſis verbis ſcribit c. 34. paulò ante finem: & cap. 33. aſſerit, iuſtos in illo regno habituros paratam menſam à Deo, paſcente eos epulis omnibus. Et quamuis expreſſe nihil ſcribat de filiorum propagatione; eã tamen ſatis ſignificat, dum adducit plures Prophetarum promiſsiones de multiplicatione filiorũ adimplendas in illo regno: quę omnia ſupponũt iuſtos per illos mille annos nõ videre Deũ: imò id fere expreſsit, dũ fatetur per regnũ illud, iuſtos paulatim aſſueſcere capere Deũ, & gloriã Patris, vt patet ex c. 32. in princ. & ex c. 35. in princ. & fine: nõ aſſueſcerẽt autẽ, ſi ꝑ tẽpore illius regni viderẽt Deũ. Porrò ſi ſemel admittatur; iuſtos pro illo millenario Deũ non videre; vtiq; nec illũ viderunt, ante illud regnũ. Quis enim credet, reſurrectionẽ illam primam iuſtorum in maiorem gloriam reſurgentium cedere, ſi pro illo millenario priuantur beatitudine ſupernaturali, qua antea fruebantur?

Vtrũ autẽ verba, quæ ſcribit in d. c. 31 libri quinti datam explicationẽ patiatur? alij iudicẽt: nam in illis agit de aſcenſione animarum in cœlũ; & hanc negat futurã eſſe ante reſurrectionẽ: quia nec Chriſti anima, niſi poſt reſurrectionem, in cœlũ fuit aſſumpta; à cuius aſſumptione ad aſſumptionem iuſtorum ſumit argumentũ. 10. Ad 1. locũ.

Sed nec oppoſitũ cõuincunt verba, quę in cõfirmationẽ adducuntur, quia nõ intelliguntur ab Irenæo de vita ſupernaturalis beatitudinis, quæ eſt in cœlis; ſed de alia longè inferiori, quæ iuſtis confertur, poſita in iucundiſsima aliorum iuſtorum conſuetudine, & Angelorũ colloquijs, vt Iuſtinus, & alij docent, ſicut dicemus. 11. Ad 2. locũ.

Ita Tertullianus.

¶ Tertullianum docuiſſe iuſtorũ animas, ante vniuerſale iudiciũ Deum nõ videre, apud omnes eſt indubitatum, vt patet ex *Bellarm. lib. 1. de Beatitudine Sanctorũ c. 1. in princ. Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. pũcto 2. Xiſto Senenſ. lib. 6. annot. 345. fol. 471.* aſſerit *Bellom. 1. 2. diſp. 19. nu. 11.* fatetur *Pamelius annot. 9. ad Tertulliani paradoxa.* Locꝰ expreſſus habetur lib. 4. cõtra Marcionẽ c. 34. n. 551. vbi ita ſcribit: *Eã itaq; regionẽ Signũ dici. Abrahæ, & ſi non cœleſtẽ: ſublimiorẽ tñ inferis, interim refrigeriũ præbiturã animabus iuſtorũ, donec cõſũmata rerũ reſurrectione, animã plenitudine mercedis expurgat; tũc appariturã cœleſti promiſsionẽ adquã aſcenſũ ſuũ Chriſtꝰ ædificat in cœlũ.* Et inferiꝰ

12. Quid de Tertullian.

Quod in illo fuerit errores.

Quòd ſi æternꝰ locꝰ repromittitur: & aſcẽſus in cœlũ ædificatur à creatore; cur nõ capiet ſignũ Abrahæ dici tẽporale aliquod animarum fidelium receptaculum: in quo iam delinietur futuri imago, ad candida quædam vtriuſque iudicij proſpiciatur. Eandem ſententiam ſatis declarat lib. Apologetico aduerſus gentes cap.47.num.601.pag.91. ſed clarius *in lib. de Anima cap.56.num.622.pag. 600. ita inquiens: Omnis anima quacumque ætate deceſſerit, in ea,* (ſcilicet inferorum regione) *ſtare vſque ad eum diem, vſq; quò perfectum illud repromittitur, ad Angelicæ plenitudinis menſuram temperatum.* Vnde in infernis poſt diuortium corporis, omnem animam ſequeſtrari, vſque in diem iudicij, docet *in lib. de Anima cap.7.n.49. pag. 571. & cap.55.num.613.pag.599.* Denique regnum millenarium, quod in terris cum Christo Sanctis promiſſum eſt, futurum eſſe ante cœlum, docet *lib.3. aduerſus Marcionem num.191. & inferius, vt in præcedente art. iam oſtendimus.*

Eodem modo Victorinus.

14. In eadem ſẽtentia fuit Victorin.

¶ Martyrem Victorinũ in eadem fuiſſe ſententia, ſatis probãt verba, quę referuntur ex cap.6. Cõmentariorum in Apocalypſim, quæ ita habent: *Sanctorum animæ ſub terra ſunt, & in nouiſſimo die ventura eſt earum remuneratio.* Quæ verba non poſſũt exponi de remuneratione perfecta quoad corpus; cum expreſſè aſſerat, animas iuſtorum ante vniuerſale iudiciũ non in cœlo eſſe, ſed ſub terra. Quare de *Victorino non dubitat Valentia loco citato, nec etiam Bellarminus in d. c. 1. in 4. argumẽto ſumpto ex Patribus Latinis pag. 837. nec Xiſtus Senenſis in dicta annot. 345. pag. 472. nec Bellom. in dicta diſp. 19. n. 11.* nec ego dubito; nã licet non conſtet, cõmentaria illa in Apocalypſim eſſe propriũ S. Martyris fætũ, vt aduertit Maluenda lib. 10. de Antichriſto cap.4. in fine; mihi ſatis eſt, quòd fuerit Chiliaſta approbans regnum Chriſti millenarium ante reſurrectionem, vt de eo teſtatur S. Hieronymus.

Eiuſdem opinionis eſt Lactantius.

15. In eadẽ opinione Lactantius.

¶ Lactantius inter Chiliaſtas, & millenarios nõ eſt infimus, cũ doceat, Sãctos prima reſurrectione reſurgentes, in illo millenario regno in delicijs etiam corporeis, quãuis honeſtis, & licitis victuros; nõ poteſt non enumerari inter eos, qui negant, Sanctorum animas ante vniuerſalem reſurrectionem Deum non videre, ob rationes ſuperius adductas in explicanda mente Papiæ, Iuſtini, & Irenæi. Sed ab hoc labore nos liberat locus ex lib. 7. capit. 1. vbi in hęc verba: *Nec quiſquã putet, animas poſt mortem protinus iudicari: nam omnes in vna, communique cuſtodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex miritorum faciat examen: tunc quorum fuerit probata iuſtitia, ij præmium immortalitatis accipient.* Quare nec de Lactantio indubitarũt Senenſis, Bellarminus, Valentia, & Bellomontanus, nec etiam alij, qui hac de re ſcribunt.

Idem ſentit Euthymius:

¶ Quòd Euthymius docuerit, regnũ cœleſte, niſi poſt vniuerſalem reſurrectionem, dandum eſſe iuſtis; nullus dubitare poteſt; quoniam id expreſſè ſcribit Lucæ 23. ad illa verba: *Hodie eris mecum in Paradiſo*, quæ inuenies apud illum capit: 81. in Lucam; vbi ita ſcribit: *Et tunc dedit quidem ei conuerſationem in Paradiſo, tanquam Arrabonem regni ſui, quod eſt fruitio ineffabilium, ac æternorum bonorum, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: non dum enim quiſquã iuſtorum accepit promiſſionem, velut magnus docuit Paulus: poſt modum verò, & hoc tradet regnum tempore vniuerſalis retributionis.* Et ſatis id ipſum antea declarauerat in cap. 16, Lucæ ad illa verba: *Homo quidam erat diues*, quæ habentur apud cũ capite 59. vbi ita ait: *Nunc per parabolam etiam timorem duris corde ac tenacibus diuitibus incutit, de his, quæ adhuc futura ſunt, tanquam de præteritis narrans: nõ dum enim eorum, quæ in vita ſunt peracta, datur retributio, cùm non dum adſit iudicium.* Et in vtroque loco ad marginem notatur, illum ſequi dogma Græcorum: floruit enim circa annum 1180. quo tempore Græci cum Schiſmate hunc errorem defendere cæperunt. 16. In eadẽ Euthymius.

Idem ſenſit Sanctus Bernardus.

¶ Quòd Sanctiſsimus Bernardus abſque dubio ſenſerit, Sanctorum animas vſque ad reſurrectionem non videre diuinitatẽ, quam tamen poſt reſurrectionem viſuræ ſunt, teſtatur Caſtro verbo *Beatitudo* hæreſi 6. & poſt eũ Xiſtus Senenſis lib. 6. ſuæ Bibliothecæ annot. 345. in princip. Eos tamen 17. Idem S. Bernardus.

tamen eſſe nimis rigidos ſancti Bernardi cenſores affirmat *Valentia 2. tom. diſp. 1. q.4.puncto 2.pag.78.* Etenim D. Bernardus, vt ait, multis in locis oppoſitum docuit; & in 3. ſermone de Sanctis loquitur de beatitudine conſummata, ſicut Auguſtinus, & alij Patres loquuntur, cum Valentia conſentit *Bellarminus lib.1.de Sanctorum beatitudine c.5.pag.863. Verum Petrus de Lorca ordinis ſanctiſsimi Bernardi 1.2.q.5.diſp.36.memb.3.pag.203.col.2.in fine* non poteſt patrem ſuum ab illa opinione liberare; & docet ea, quæ D. Bernardus ſcribit *ſermone 4. in feſto omnium Sanctorum* interpretationem Bellarmini, & Valentiæ non admittere. Ego in eadem ſum opinione: etenim S. Pater ſententiam ſuã adeò clarè explicuit, vt in alio ſenſu explicari non valeat: nec rigidus cenſor exiſtimandus eſt, qui verba adeò clara videt; vt nullam explicationem patiantur; maximè, cùm nihil aut de ſanctitate, aut de gloria S. Bernardi detrahatur, quod in hanc opinionem inciderit; cum de ea nihil in Eccleſia tunc fuerit definitum, ſed adhuc in controuerſia lis penderet.

Qui liberant eum.

Nec Lorca, nec ego eũ liberamus.

18. Locus expreſſus.

Et vt pius lector videat, quàm longè ſit S. Bernardi mens ab explicatione Bellarmini, & Valentiæ, operæ pretium erit referre illius verba ex ſermone 4 in feſto omnium Sanctorum tom.1. pag 380. I. K. explicans enim illud Apocalypſis 6: *Vidi ſub altare Dei, &c.* ita formaliter ſcribit: *Porrò altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, ego pro meo ſapere nihil aliud arbitror eſſe, quàm corpus ipſum Domini Saluatoris: credo autem, quod & ego ſenſum eius habeam. Interim ergo ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, in quam deſiderant etiam Angeli ipſi proſpicere, donec veniat tempus, quando iam non ſub altari collocentur, ſed exaltentur ſuper altare. Sed quid dixi? nunquid humanitatis Chriſti gloriam, non dicam hominum, ſed Angelorum aſſequi poterit quis, ne dum ſuperare? quonam igitur modo ſuper altare dixerim exaltandos eos, qui nunc ſub altari quieſcunt? viſione vtique, & contemplatione, non prælatione: oſtẽdet enim nobis filius (vt pollicitus eſt) ſemetipſum non in forma ſerui, ſed in forma Dei: oſtendet etiã nobis Patrem, & ſpiritum Sanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis: quoniã hæc eſt vita æterna, vt cognoſcamus Patrem verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtũ, & in eis (quod non eſt dubium) etiam ſpiritũ vtriuſque. Tranſiens quippè miniſtrabit nobis, nouas vtique, & vſque ad illud tempus nobis penitus inexpertas delitias manifeſtæ ſuæ contemplationis.* Ecce S. Bernardus claris verbis docet, animas Sanctorum vſque ad diem iudicij eſſe ſub altare Dei, videntes Chriſti humanitatem, quam inferiùs dicit eſſe ſiniſtram Chriſti poſitam ſub capite ſponſæ: diuinitatem verò, non niſi poſtquam ipſa reſurrectione poſitæ fuerint ſuper altare, id eſt, ſuper ipſam humanitatem Chriſti; non quidem prælatione, quaſi beatitudine illi præferantur: ſed viſione; quia meliorem habebunt viſionem, quàm ſit viſio illius: quia ſcilicet videbunt Chriſtum, non in forma ſerui, ſed in forma Dei; & ſimul videbunt Patrem, & Spiritum ſanctũ, in cuius viſione eſt vita æterna. Ex quo benè infertur eas, quandiu erant ſub altare Dei, nullo modo vidiſſe diuinam eſſentiam: etenim ſi illam videbant; vtique viſione ipſa nõ ponerẽtur ſupra altare, & ſupra viſionem ipſius humanitatis. Et vt nullus dubitationis relinquatur locus; id expreſſe probant illa verba: *Tranſiens miniſtrabit* 19. *nobis: nouas vtique, & vſque ad illud tempus penitus inexpertas delitias manifeſtæ ſuæ contemplationis.* Quæ euidenter ſignificant viſionem diuinæ eſſentiæ, quæ Sanctis poſt iudicium ſuper altare poſitis à Chriſto miniſtratur, ita eſſe nouam, vt ante penitus fuerit inexperta. Quare S. Bernardus abſque dubio non ſolûm negat Sanctis ante reſurrectionem beatitudinem viſionis conſummatam, quam negat Auguſtinus; ſed abſolutè omnem viſionem: cum non ſolùm dicat eam eſſe nouam; ſed etiam eſſe penitus inexpertam. Iam igitur vides pie lector, quàm longê ſit explicatio Bellarmini, & Valentiæ à mente, & verbis S. Bernardi.

20. Alius locus.

Et quòd hæc fuerit illius mens in ſermone 2. & 3. de eadem feſtiuitate, facilè quiſque intelliget, ſi aduertat, D. Bernardum explicationem illius loci: *Vidi ſub altari, &c.* in vtroque illo ſermone diſtuliſſe vſque ad ſermonem quartum; vt patet tùm ex fine ſermonis tertij; tùm ex principio eiuſdem quarti. Igitur quę docet in illis duobus ſermonibus, intelligenda ſũt ad ſenſum, quem explicauit in d. ſerm. 4. Quare eundem ſenſum habent illa verba ſermo-

ſermonis ſecundi pag. 375. Z: explicans enim, quod animæ Sanctorum adhuc ſũt ſub altari, & non ſuper altare, ita ait: *Adhuc ergo ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Domini; & licet non plenam; habent tamen lætitiam multam in corde ſuo; donec veniat dies, qua implebit eos lætitia cum vultu ſuo.* Docet igitur, animas quãdiu ſunt ſub altari, lætari in Deo; lumine tamen participato, quod nobis eſt ſignatum: at ſuper altare habere lætitiam lumine ex vultu Dei immediatè ſumpto. Addit adhuc: *Interim conuertantur illæ animæ in requiem ſuam; donec veniat dies, qua introire mereãtur in requiem Domini.* Quaſi requies, quã habent ſub altari, non ſit requies Domini, qua fruentes Deo in eo requieſcant; ſed requie ſua, ex lætitia, quam non ex Deo, ſed ex alijs rationibus ibidem numeratis recipiunt. Denique ſermone 3. in principio diſtinguit tres ſanctarũ animarum ſtatus. Primum in corpore corruptibili: ſecundum ſine corpore: tertiũ in beatitudine conſummata. Et docet primum ſtatum habere animam in tabernaculis: ſecundum in atrijs: tertium deniq; in domo Dei. Primũ habere in vita mortali: ſecundum in quo ſunt ſine corpore expectantes reſurrectionem: tertium deniquè poſt reſurrectionem. Vnde ita ſcribit: *In illam beatiſsimam domum, nec ſine nobis intrabunt; nec ſine corporibus ſuis: id eſt, nec Sancti ſine plebe; nec ſpiritus ſine carne.* Per domum Dei intelligit eam, in qua Deus videtur: & quanuis doceat in hac domo donari nobis beatitudinem perfectam; tamen nomine perfectæ beatitudinis intelligit viſionem, quæ non datur in atrijs; quod ex eo colliges, quia declarationem huius remittit in ſermonem quartum immediatè ſequentem: quare cum in illo in atrijs ante reſurrectionem nullã ponat viſionem, vt vidimus; vtique in illis verbis nomine perfectæ beatitudinis abſolutè intelligit viſionem diuinæ eſſentiæ, quæ ſolùm datur in domo Dei, non verò in atrijs domus Dei.

21. Nullus locus dabitur in quo id affirmet.

Nec dabitur locus, in quo S. Bernardus, aut expreſſè dicat, ſanctas animas, ante reſurrectionem Deum videre; aut efficaciter ex eo id colligatur. Quod facilè patebit, ſi expendamus, quæ ex alijs locis afferuntur. Quædam autem eorum, quæ afferuntur ſunt valde generalia; alia magis ad rẽ faciunt. Quæ ſunt generalia ſũt, quæ ſequuntur. In ſermone, ſiue in epiſtola ad fratres de Hybernia poſt ſermones omnium Sanctorum, & poſt ſermonem de obitu Malachiæ 1. tom. pag. 392. de anima Malachiæ ſcribit: Quòd *de hoc mundo tranſierit ad Patrem:* quod *iam hodie viuit beatè:* quòd *iam peruenerit ad cœleſtẽ curiam.* In ſermone de eodem Malachia 2. tom. poſt vitam eius, pag. 749. hęc ſcribit: Quòd Malachias *per ſe ipſum introiuit ad altare Dei:* quòd *totus iam in Deum pergat:* quòd *iam fruitur lucis ſuauitate.* In epiſtol. 266. tom. 2. pag. 301. de Sugerio Abbate animam agẽte, hæc refert: Quòd *illum expectet pax illa, quæ exuperat omnem ſenſum:* quòd *illum expectet gaudium Domini ſui.* In ſermone de obitu Vmberti monachi tom. 1. pag. 436. hæc inuenies: Quòd *inhæreat verbo Dei:* quòd *iam obtineat gaudium, & lætitiam in perpetuas æternitates:* quòd *nos protegat ſuis orationibus apud Patrem.* In tract. de grat. & liber. arbitr. tom. 1. pag. 1181. C. ita ſcribit: *Nam ſanctis animabus, ſi nec dum corpora receperunt, deeſt quidem de gloria; ſed nihil prorſus ineſt de miſeria.* In tract. de modo viuendi ſerm. 69. tom. 1. pag. 1707. T. hæc habet: *Recipit Chriſtus ſuos ab hac vita recedentes in æterna beatitudine;* & pag. 1708. A: *Ad gaudia æternæ vitæ eos tranſire facit,* & litera C. *A die exitus electos beatitudo lætificat.* ¶ Hæc tamen non ſatis cõuincunt, docuiſſe Bernardum, animas ſanctas ante reſurrectionem videre diuinitatem: omnia enim ſatis verificantur de gloria, & beatitudine, quam animæ ſanctæ ante reſurrectionem habent in atrijs ſub altare Dei ex viſione humanitatis Chriſti Domini: nam cum ex D. Bernardo verè ſint beatæ, beatitudine illius ſtatus, quem ille nimium extollit; verè dicuntur de hoc mundo tranſire ad Patrem, id eſt, ad beatitudinem à Patre illis paratam, quanuis adhuc ſint ſine viſione: vnde tranſire ad Patrem apud Bernardum, non idem eſt, quod tranſire ad viſionem Patris; hanc enim expreſſè denegat ante reſurrectionem. Et eadem ratione ex ſententia Bernardi animæ illæ iam beatè viuunt; & iam peruenerunt ad cœleſtem curiam; talis enim eſt curia Chriſti, etiam in forma hominis: cum enim verè ſit rex, habet curiam. Verè etiam iam introierunt ad alta-

Loca generaliter loquentia.

22. Non cõuincunt citata loca.

altare Dei; ita tamen, vt ſub illo ſint, & non ſuper illud. Ibi verè pergunt in Deũ amore, & cognitione quadam excellenti; citra tamẽ viſionem. Verè fruuntur ſuauitate lucis cœleſtis, quæ eſt in atrijs ex fulgore humanitatis Chriſti; non tamen ea, quæ eſt in domo Dei ex fulgore diuinitatis. Nec eſt negandum, pacem illam ſuperare omnem ſenſum: & eſſe gaudiũ Dei feliciſsimum, quanuis non omni ex parte beatificum. Et in illo loco animæ verè inhærent Verbo Dei; intuitiuè quidem ſecundum formam ſerui, vt ait Bernardus; non tamen ſecundum formam Dei. Vnde iam obtinent gaudium, & lætitiam in perpetuas æternitates; quia illã nunquam amittent, etiam poſt viſionem diuinæ eſſentiæ. Similiter non eſt negandum, animas illas ex ſententia D. Bernardi, nos apud Deum ſuis orationibus protegere: quia Deus, aut Chriſtus reuelaret illis noſtras petitiones, & neceſsitates. Quare in citatis locis nihil ſcribitur, quod arguat beatitudinem, quæ in viſione diuinitatis conſiſtit.

23. Ad 1. locũ vrgentiorem. Sed expendamus locos vrgentiores. Primus ſumitur ex ſermone in Vigilia Petri, & Pauli tom. 1. pag. 284. vbi dicit, *quòd animæ Petri, & Pauli ſunt ante faciem Dei ſui: & quòd exiſtant ante fontem miſericordiæ.* ¶ Sed non video, quomodo inde inferatur eas exiſtere ante faciẽ apertam diuinitatis: nam animæ Petri, & Pauli, dùm ſub altare Dei (de quo loquitur) ſunt ante faciem Chriſti, verè ſunt ante faciem Dei ſui, & ante fontem miſericordiæ. Dici poſſunt, eſſe ante faciem Dei, vt Deus eſt; quia licet non videant Deum; Deus tamen iam illas habet in ſuo proſpectu, modo quodam excellentiori, quã eas habuerit in vita mortali. Quare locus iſte non neceſſariò arguit, D. Bernardum viſionem intuitiuam diuinitatis illis concedere.

24. Ad 2. Secundus locus ſumitur ex ſermone de obitu Malachiæ ſupra citato: ſcribit enim, quòd Malachias *iam procumbat ad fontẽ ipſum charitatis æternæ, pleno hauriens ore, cuius & ſtellicidia ſitiebat.* Et in citato ſermone de obitu Vmberti ita ait: *Ecce iam coram te eſt fons ille puriſsimus, quem toto ardore animæ ſitiebas: ecce immerſus es in illam diuinæ pietatis abyſſum, cuius memoria abundantiæ ſuauitatis tam deuotè eructare ſolebas.* Deinde addit; quòd *iam inhæreat ſummæ charitati, quæ Deus eſt.* ¶ Sed quãuis Bellarminus putet, locum eſſe clariſſimum; longè tamen abeſt, vt viſionem diuinitatis conuincat, vt ex dictis patet: 25. nam dùm vtriuſque animæ ſub altare Dei eſt ante Chriſtum hominem, verè eſt ante fontem puriſsimum, & ante illum procumbit; imò etiam immergitur in abyſſo diuinæ pietatis: & ex hoc fonte pleno haurit ore, quòd in vita de Chriſto ſitiebat. Quòd verò dicit, animam Vmberti iam inhærere ſummę charitati, quæ Deus eſt: & iam eſſe coram Patre (vt ibidem ſcribit pag. 438. F. non ſatis viſionem arguit: quoniam ſub illo altari fruens gloria ex viſione Chriſti hominis, verè inhærebat charitati, quæ eſt Deus: & ſpecialiori, & longê excellentiori modo eſt coram Deo, vt iam aduertimus.

26. Ad 3. Tertius locus ſumitur ex ſermone 3. omnium Sanctorum; ita enim ait: *Acceperunt iam ſingulas ſtolas: ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos: ſtola enim prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas, & requies animarum: ſecunda verò immortalitas, & gloria corporum.* Et de iiſdem ſtolis ita ſcribit epiſt. 266. alloquens Eugerium animam agentem: *Quid tibi, & terrenis exuuijs, qui cœlum iturus ſtolam gloriæ mox indui debes.* Et in ſermone de virtute obedientiæ, qui tribuitur D. Bernardo, de animabus ſanctis ita ait: *Vnde vna ſtola iã veſtiuntur; alteram expectant.* Vides (inquit Bellarminus) in reſurrectione nihil addi animabus, niſi gloriam corporis, & proinde gloriam animæ, quæ eſt viſio Dei, datam eſſe ante reſurrectionem. ¶ Ego video verba S. Bernardi; ſed nõ video quod dixerit in reſurrectione nihil addi animabus, niſi gloriã corporis: quin potiùs in eo oppoſitum lego. Vt igitur euidenter appareat, ex hoc loco non deduci viſionem Dei ante reſurrectionem; aduerto, Diuum Bernardum duas ponere ſtolas: vnam animæ, quæ eſt ſtola gloriæ; alteram corporis, quæ eſt illius incorruptibilitas, & immortalitas. Priorem ponit in animabus exiſtentibus in atrijs, antequam domum Dei ingrediantur; vt ſatis declarant illa verba, quæ Bellarminus ſubticuit: *Stola prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas, & requies animarum:* ante autem ſolùm egit de felicitate, & requie, quæ

quæ illis datur, dùm in atrijs ſunt, ante in greſſum domus Dei, in qua ſola datur viſio, vt ſatis ſignificat in eodem ſermone 3. & expreſſè docet in ſermone 4. ſequẽte, in quem locum huius pũcti explicationem remittit. Quare ex ſententia D. Bernardi duæ ſtolæ antecedũt viſionem, viſio enim non datur, niſi ijs, qui duplici iam ſtola ſunt induti, vt ſatis patet, ſi mẽs D. Bernardi attentiùs inſpiciatur: cum enim illis non detur, niſi poſtquam iam ſunt ſuper altare, vt ſatis explicat in d. ſermone 4. in verbis ſuperiùs allatis; non ſint autem ſuper altare, niſi poſt reſurrectionem; & ipſa reſurrectione induant, ſecundam ſtolam; fit vt viſio non detur, niſi iam indutis duplici ſtola. Quare apud S. Bernardum nomine ſtolę non comprehenditur viſio diuinæ eſſentiæ, vt malè ſupponitur. Vnde falſum eſt, dixiſſe D. Bernardum in reſurrectione nihil addi animabus, niſi gloriam corporis: cum verè de nouo tunc detur viſio diuinitatis, tanquam epulũ nouũ, & antea penitus inexpertum, vt patet ex verbis ſupra adductis.

27. Ad 4. Quartus locus ſumitur ex ſermone, ſiue epiſtola ad fratres de Hybernia, in illis verbis: *Nec iam in fide ambulas; ſed in ſpecie regnas.* Locum iſtum efficaciorem eſſe negare non poſſum: & quidem omnino conuinceret, ſi mens D. Bernardi foret, animabus illis, quæ ſub altari adhuc ſunt in atrijs, abſolutè negare habitum fidei infuſæ; & illis concedere ſpeciem omnium, quæ in vita fide crediderunt; ſicut à Theologis negatur beatis, qui vident diuinam eſſentiam: ſed Sanctum Bernardũ illis animabus abſolutè non negaſſe fidẽ, euidenter conſtat ex illis verbis, quæ ponit in d. ſerm. 3. pag. 375. L: *Et pro his omnibus certa, & indubitata fide expectant, beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei:* Quare D. Bernardus ita eſt intelligendus, vt non abſolutè dixerit, animam ſancti Malachiæ non ambulare in fide, ſed non ambulare in fide eorũ, quæ videbat: quia verè iam non ambulabat in fide Chriſti hominis, ſed in ſpecie, & viſione eius: quare quoad ea, quæ de Chriſto homine hic credebat, iam fidem non habebat, ſed ſpeciem, & claram viſionem. Et ita intelligẽdus eſt D. Bernardus. Et vt hæc explicatio melius intelligatur, illud aduerto. Si ille ſtatus animarum in atrijs domus Dei ſub altari admitteretur, vt illum abſque dubio admiſit D. Bernardus; in illis animabus, licet ceſſaret fides infuſa, quoad ea, quæ de Chriſto homine in via crediderunt (quia re vera illa omnia iam videbant:) non tamen ceſſaret quoad ea, quæ crediderunt de diuinitate, alijſque myſterijs, quæ non dum videbant: vnde adhuc fide crederent articulum Trinitatis, & futuræ reſurrectionis: ſicut etiam in animabus purgatorij, licet ceſſet fides circa purgatorium; quia illius habent ſcientiam experimentalem: nõ tamen ceſſat circa alia credenda, vt eſt communis Theologorũ doctrina. Quare id, quod ſumit Bellarminus, fidem non ceſſare, niſi per viſionem Trinitatis, ſolum eſt verum de ceſſatione fidei in totum; non tamen de ceſſatione extenſionis ad aliquem articulum. Igitur Bernardus intelligendus eſt in ſenſu explicato, vt anima illa adhuc exiſtens in atrijs, iam non ambulet in fide Chriſti hominis, ſed regnet in ſpecie, atque viſione illius.

Quintus locus ex ſermone in feſto S. Malachiæ tom. 2. pag. 751. C. D. quatenus affirmat, *animam illius iam eſſe in conſortio Angelorum, & pari cum illis gloria, & felicitate lætari.* Sed Angeli ſemper vident faciem Patris Matthæi 18. Ergo ſi anima S. Malachiæ pari cum Angelis gloria iam lætatur; vtique iam hodie videt Deum. Ita arguit Bellarminus. ¶ Sed nos primùm dicimus, verba illa intelligi non poſſe de omnimoda paritate; quia ex Auguſtino, Hieronymo, & ex eodem Bernardo in reſurrectione erimus pares Angelis; ante illam verò etiam ſi Deum videamus, pares illis non ſumus: quia ſumus in expectatione gloriæ corporis; illi verò nihil iam gloriæ expectant. Quare verba illa Bernardi intelligenda ſunt, non abſolutè, ſed quoad viſionẽ humanitatis: nam cum & Angeli in eam deſiderent proſpicere, in hoc illi pares eſſent animæ, ſi in atrijs domus Dei exiſterent, ante reſurrectionem. 28. Ad 5.

Sexto loco adducit Bellarminus, quòd Bernardus in ſerm. 4. omnium Sanctorũ affirmet; *pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſiſtere in viſione Dei in ſe ipſo.* Fatemur S. Bernardum ita docere: ſed non docet, hanc pacem dari ijs, qui adhuc ſunt 29. Ad 6.

in

in atrijs: quia ſolùm dabitur illis poſt reſurrectionẽ, quãdo ſuper altare ponẽtur.

30. Ad vltimũ. Vltimus locus habetur in præcitato ſermone de virtute obedientiæ; vbi affirmat, *viſionem eſſe potum, quo animæ ſanctæ inebriantur.* Cæterum nec ille ſermo eſt D. Bernardi: nec verba illa à ſuo authore intelliguntur de viſione diuinitatis, ſed humanitatis: hac enim, tanquam potu ſibi debito, pro illo tempore inebriantur animæ, quæ ſub altari exiſtunt.

Hæc tam latè diximus de S. Bernardo; quia non licet ſanctos Patres aliter exponere, quàm ipſi ſe exponant. Nec proinde aliquid diminuitur de authoritate S. Bernardi; quia pro illo tempore illa opinio plurimis placebat; nec aliquid erat ea de re ab Eccleſia diffinitum.

Quid de Aretha?

31. Dubiũ eſt quid ſentiat Aretha? ¶ Quid ſenſerit Arethas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus; mihi ſatis eſt dubiũ. Et quidem Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine pag. 855. C. putat eum commodè explicari poſſe de expectatione gloriæ corporis. Additio Marginalis ad eundem putat, illũ ſequi dogma Græcorum: nec *Lorca in d. diſp. 36. cap. 3. ad 2. argum. repugnabit.* Adducam illius verba Apocalypſis. 6. apud eum tamen 17. vt pius lector de illis ferat iudicium: *Albæ autem ſtolæ florentem in ipſis virtutum ſplẽdorem deſignant, qua induti ſunt; quanquam repromiſsiones non dùm reportarunt. Horum igitur ſpe, quæ per intellectum, veluti in ſpeculo contemplantur, omni craſsitie libera, meritò lætentur, gaudentes in finibus Abraham: nam id à multis Sanctis dictum eſt, vnumquemque virtutis cultorem ſortitum eſſe dignum locum: vnde etiam de futura ſua gloria, certam quandam habeant coniecturam,* iudica pie lector. *Lorca.*

§. 2.

Origenes mediam habuit opinionem.

32. Origenes propriã habet opinionem. QVòd attinet ad Originem dubitari poteſt, quæ nam fuerit illius hac de re ſententia. Quidam ſimpliciter affirmant, eum ſenſiſſe, animas iuſtorum ante vniuerſalem reſurrectionem non eſſe in cœlo, nec Deum videre: *ita de Origine videtur aſſerere Xiſtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ annot. 345. & Lorca 1. 2. q. 5. diſp. 36. memb. 3. ad 2. arg.* Alij nõ dubitant, eum admittere plures iuſtorũ animas iam nunc Deum in cœlis videre: in hoc tamẽ erraſſe; quia putauit, eas paulatim in cognitione proficientes, & per varias manſiones tranſeuntes ad cœlum, diuinamque viſionem peruenire: ita *Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 4. pag. 852. & Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 2. pag. 77.* Varij variè ſentiunt.

Meum de Origene iudicium hoc eſt; vt ille quidem nullo modo ſenſerit, viſionem diuinæ eſſentiæ ſanctis decedentib⁹ vſque ad generalem reſurrectionem differri: ſed nec vniuerſaliter dixit, omnibus ſanctis decedentibus ſtatim eam concedi: ſed diſtinxit; vt ſanctis illuſtrioribus, qui ad inſtar Leuitarum in terris nullam terræ ſortem admiſerunt, ſtatim conferatur viſio beata. Alijs verò ſanctitate inferioribus non conferatur ſtatim, ac moriuntur, ſed per manſiones varias, & loca pertranſeant in cognitione proficiendo, donec capaces fiant diuino conſpectu. Quare non errauit Origenes vniuerſaliter denegans omnibus Dei viſionem vſque ad generalem reſurrectionem; quidquid nõ nulli hunc errorem illi imponant. Nec etiam errauit, quaſi generaliter eam deneget omnibus ſanctis ſtatim, atque e vita decedunt, vt ego aliquando putaui, & fortè idem putauerunt Bellarminus, & Valentia: ſed errauit in hoc, quòd nõ omnibus eam ſtatim concedit; ſed poſtquam per varias manſiones, quas aniliter confingit, proficiendo in cognitione rerum, capaces inueniuntur diuinæ viſionis. 33. Proprium iudicium.

Sed iam ſingula perſequamur. Et quidem quòd diuinam viſionem, vſque ad generalem reſurrectionem omnibus non negauerit; ex eo euidenter patet, quòd nullibi hanc dilationem ſcribit. Quòd verò non omnibus eam tribuat, ſtatim à ſeparatione corporis; ſed quibuſdam tantũ illuſtrioribus; euidenter conſtat ex ijs, quæ ſcribit homil. 21. in numeros: ibi enim poſt principium 1. *tom. pag.* 159. *F.* explicans differentiam Leuitarum in diuiſione terræ, quam fecit Ieſus Naue à cæteris; quòd cæteris ſortem ſuam in illa terra habentibus, illi extra ſortem manſerunt; ita ſcribit: *Per hos mihi illi videntur indicari, qui nullis corporeæ naturæ obſtaculis hebetati; ſed omnium viſibilium gloriam ſupergreſſi, in ſola ſibi ſapientia Dei, & verbo eius videndi vſum, exercitiumq́; poſuerũt:* 34. Non omnibus negauit viſionem.

qui

qui corporeum nihil requirunt; nihil rationis alienum: concupierunt enim ſapientiam; concupierunt ſocietatis Dei agnitionem, & vbi eſt cor eorum, ibi erit & theſaurus eorum. Iſti ergo hæreditatem non habent in terris; ſed ſupergrediuntur ſumma cœli faſtigia; & ibi ſemper in Domino; ſemper in verbo eius; ſemper in ſapientia, & in voluptate ſcientiæ eius delitiabuntur. Hic eis cibus, hoc erit poculum, iſtæ diuitiæ, hoc erit regnum. Tales ergo erunt, & in ijs erunt illi, quibus hæreditas ipſe dominus erit. Qui autem inferiores ſunt, nec in iuſtum profectuum verticem peruenerunt; hæreditatem terræ accipient, licet ſublimioris alicuius, & potentioris: terra enim viuentium repromittitur: quæ vtique idcirco terra viuentium dicitur, quòd neſciat mortē. Et iſti quidem magni, & iſti beati: ſed beatiores illi, qui iam non per ſpeculum, & in ænigmate, nec in ſubſtantijs corporalibus; ſed facie ad faciem Deum videbunt, ſapientiæ illuminatione radiati, & veræ diuinitatis capaces per puritatem cordis affecti, portionem ſuam non in creatura, ſed in Creatore habentes, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. Ex quibus verbis euidenter conſtat, illuſtriores illos ſanctos decedētes ē vita Deū videre facie ad faciem: & veræ diuinitatis capaces eſſe: non ſic illos, quos inferiores vocat: qui licet beati ſint; non tamen beatitudine viſionis diuinæ eſſentiæ. Vnde de iſtis intelligi debent, quæ ſcribit de tranſitu per varias manſiones, & loca, in quibus aſcendendo proficiunt, donec ad cœlum perueniant, & ibi ad purum, & facie ad faciem Deum videant.

35. Idem ex alijs locis. Quæ omnia facilè colliges ex ijs, quæ ſcribit lib. 2. Peri Archon non longè à fine 1. tom. pag. 449. E. vbi in hæc verba: *Puto enim, quòd Sancti quique decedentes de hac vita, permaneant in loco aliquo in terra poſiti, quem paradiſum dicit Scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & (vt ita dicam) auditorio, aut ſchola, in qua de omnibus ijs, quæ in terris viderunt, doceantur.* Et expoſitis nonnullis, de quibus in eodem loco edoceri debent, addit: *Si quis ſanè mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, velocius proficiens, citò ad aëris locum aſcendet, & ad cœlorum regna perueniet, per locorum ſingulorum (vt ita dixerim) manſiones, quas græcè quidem ſphæras, id eſt, globos appellarunt; Scriptura verò diuina cœlos nominat.* Et latè expoſitis ijs, quæ in ſingulo quoque cœlo debent addiſcere, ita ſcribit: *Decurſis omnibus, quæ in aſtrorum ratione, & in his conuerſionibus, quæ in cœlo ſunt, continentur; venient etiam ad ea, quæ non videntur; vel ad ea, quorum ſola nomina nunc audiuimus, & ad inuiſibilia, quæ multa quidem eſſe Apoſtolus Paulus docuit: quæ autem ſint; vel quam habeant differentiam; ne exiguo quidem aliquo intellectu conijcere poſſumus.* Et his omnibus manſionibus pertranſitis, ita concludit: *Et ita creſcens per ſingula rationalis creatura, mente, ac ſenſu aucta, ad perfectam ſcientiam mens iam perfecta perducitur: intellectualibus incrementis aucta, ſemper ad purū, & (vt ita dixerim) facie ad faciem rerum cauſas inſpiciens.* Quæ viſio eſt beatifica, qua primam rerum omnium cauſam beatificè videt. Iſte eſt totus Origenis diſcurſus, & iſtæ ſunt manſiones, in quibus mãſura eſt quælibet Sanctorum anima, donec perueniat ad locum, vbi ad purum, & facie ad faciem videat Deum.

De ijſdem manſionibus, & locis mentionem facit lib. 4. Peri Archon 1. tomo, pag. 472. G. ita inquiens: *Fortaſsis, ſicut hi, qui de hoc mundo ſecundum communem mortem, ita recedentes pro actibus ſuis, & meritis diſpenſantur, prout digni fuerint iudicati: alij quidem in locum, qui dicitur infernus; alij in ſinum Abrahæ, & per diuerſa quæque vel loca, vel manſiones, &c.* De illis etiam ſcribit libr. 7. contra Celſum col. 2. poſt principium tom. 2. pag. 506. M. ita inquiens: *Porrò cum perſuaſum habeant, non ſolùm Chriſtiani, & Iudæi; verum etiam alij multi, tàm Græci, quàm Barbari, quod ſuperſit, & viuat poſt diſceſſum à corpore humana anima; & rationi conſentaneum ſit, quòd quæcunque pura eſt; nulliſque malitiæ grauata compedibus, ſublimis euolet ad puriora loca ætheris, relictis craſsi corporis ſordibus, &c.* 36. Adduntur alij loci.

Sed clariùs, ac breuius rem explicat homilia 26. in numeros 1. tom. pag. 171. D. vbi agens de exitu populi de Ægypto, ita ait: *Sed & illam figuram eſſe diximus exeundi de Ægypto, cum relinquit anima mundi huius tenebras, ac naturæ corporeæ cæcitatē. & transfertur ad aliud ſæculum, quod vel ſinus Abrahæ, vt in Lazaro, vel paradiſus, vt in Latrone, qui de Cruce credidit, indicatur; vel etiam, ſi qua nouit Deus eſſe alia loca, vel alias manſiones, per quas tranſiens anima Deo credens, & perueniens vſque ad flumen illud,*

illud, quod lætificat Ciuitatẽ Dei, intra ipſum ſortẽ promiſſæ Patribus hæreditatis accipiat.

37. Solis ſanctis magnis ſtatim viſionem concedit.

Admittendum eſt igitur Origenẽ non omnibus quidem Sanctis ſtatim, atque à corpore exeunt, viſionẽ Dei conceſsiſſe; ſed ſolis illuſtrioribus; & de his intelligẽda ſunt, quæ ſcribit homilia 7. in Leuiticum 1. *tom. pag.* 86. *litera G. Habebis ergo lætitiam de hac vita diſcedens, ſi fueris ſanctus: ſed tunc erit plena lætitia, cum nullum tibi mẽbrorum corporis deeſt:* hæc enim verba ideò addit; quia paulò ante docuit, ſanctos decedentes non ſtatim totam, atque perfectam habere lętitiam, quam habituri ſunt, cum Chriſtus Patri omnia ſubiecerit poſt reſurrectionẽ, vt patet ex verbis, quæ paulò ante ſcribit pag. 85. F. ita inquiens: *Non dum enim acceperunt lætitiã ſuam, ne Apoſtoli quidem: ſed & ipſi expectant, vt & ego lætitia eorum particeps fiam: nec enim decedentes hinc ſancti continuò integra meritorum ſuorum præmia conſequũtur: ſed expectant & nos.* ¶ Hęc tam latè diximus pro explicanda mente Origenis, vt quiſque intelligat, eum in hoc ſolùm erraſſe, quòd non omnibus Sanctis, ſtatim à ſeparatione animæ à corpore conceſſerit beatitudinem: quem errorem inferiùs impugnabimus.

§. 3.

Anſelmum cum Origene ſenſiſſe.

38. Anſelmus cum Origene ſenſit.

CVm Origene eandem ferẽ ſententiã ſcribit D. Anſelmus in ſuo Elucidario, ſiue dialogo to. 3. pag. 269. A. B: vbi poſtquam magiſter (quem loquẽtem introducit) docuit, animam iuſti exeũtẽ de corpore ab Angelis ad cœleſte duci palatium, & in paradiſum ſpiritualẽ; interrogatus à diſcipulo, an omnes animę iuſtorum in paradiſum ſtatim perducantur? Reſpondet: ſolas iuſtorum perfectas animas illuc introduci: eorum ſcilicet; qui non ſolum diuina ſeruauerunt pręcepta; ſed etiam conſilia: animas verò cæterorũ iuſtorum (ſcilicet coniugatorũ) qui præcepta Domini impleuerunt, non ſtatim ad cœlum deduci, ſed quibuſdam manſionibus, & habitaculis, pro meritis cuiuſque poſitas, differri vſque ad diem iudicij: ita enim ſcribit: *Perfectorum animæ cum de corpore exeunt, illuc introducuntur, quibus præcepta non ſufficiant, ſed plus, quàm præceptum ſit, faciunt, vt Martyres, Monachi, Virgines, & cætera. Martyrium, & virginitas, & ſæculi abrenuntiatio non ſunt præcepta, ſed diuina conſilia: ideò, qui hæc faciũt, regnum cœlorum, quaſi hæreditario iure, poſſidebunt, vt dicitur Pſalmo 126: Cum dederit dilectis ſuis ſomnum; ecce hæreditas Domini: Iuſti autem quibuſdam manſionibus adhuc differũtur: vnde dicitur; vt illis proficiat ad honorem, nobis verò ad ſalutem: iuſti autẽ ſunt, qui præcepta Domini implent ſine querela: hi à corporibus exuti in terrenum paradiſum, vel potiùs in aliquod ſpirituale gaudiũ ab Angelis perducuntur; cum ſpiritus in locis corporalibus non habitare credatur. Eſt quidam ordo iuſtorum, qui imperfecti dicuntur; qui tamen in libro Dei ſcribuntur, vt ſunt coniugati, qui mortui pro meritis in amœniſſima habitacula recipiuntur. Ex his multi ante iudicium precibus Sanctorum, & eleemoſinis viuentium in maiorem gloriam aſſumũtur: omnes tamen poſt iudicium Angelis conſociabuntur.* Deinde agit de alijs iuſtis, qui in Purgatorium ducuntur ad purgãdũ: & ait, quòd licet purgati ſint, & à pęnis liberati, nõ ſtatim ad cęlũ aſſumuntur, ſed poſt diem iudicij Angelis coæquabũtur.

Hæc adduxi ex libro illo Elucidarij, 39.
qui inter opera Anſelmi iam circunfertur: & ſi liber ille eſt legitimus fœtus D. Anſelmi; euidenter conſtat, D. Anſelmũ tertiam hac de re ſtatuiſſe ſententiam: quia nec generaliter docet, nullas iuſtorum animas ante reſurrectionem cœleſtem ingredi beatitudinem: quia animas perfectorum ſtatim beat, & in cœlũ admittit: nec cum Origene abſolutè ſentit: quia Origenes, licet non admittat, animas iuſtorum inferioris ſanctitatis ſtatim in cœlum aſcendere; tamen docet, eas ante reſurrectionem poſſe in cœlũ deuenire; ſ. poſtquam in ſuis manſionibus in rerum cognitione ſufficienter profecerunt: at verò D. Anſelmus putat, illas ante reſurrectionem in cœlum non recipi. Tres igitur erunt opiniones cõtra catholicam veritatem, quam inferiùs diligentiùs explicabimus. Prima eſt cõmunis; quòd nullæ animæ ante reſurrectionẽ in cœlũ ibunt. Secunda Origenis, quæ perfectorũ animas ſtatim recipit in cœlũ; aliorũ autẽ nõ ſtatim; ſed tamen ante reſurrectionem, ſi ſufficienter in manſionibus proficiant. Tertia tandem eſt Anſelmi, quæ eſt media, vt ſcilicet ſolas perfectas ſtatim in

cœlum recipiantur; cæterarum verò nullas; ſed reſeruentur in terris vſque ad magnum iudicij diem: & inter iſtas enumerat eas, quæ in Purgatorium deuenerunt: hæ enim, vt ait, etiam poſt purgationem cum imperfectis enumerat.

40. Qui volũt Anſelmum ſtare pro catholica ſententia. Bellarm. Valentia.

Non deſunt, qui velint, Diuum Anſelmum pro catholica veritate generaliter ſtare: inter quos eſt *Bellarminus libro primo de Sanctorum beatitudine cap. 5. pagina 862. B. & Valentia ſecundo tomo, diſputatione 1. quæſtione 4. puncto 2. pagina 79. A*: hoc autem deducunt ex ijs, *quæ ſcribit ſecundæ Corinth. 5. in 2. tomo, pag. 239. D*: *Prædicatores enim Eccleſiæ, poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpatia (ſicut antiqui Patres) ſed cæleſtis Patriæ perceptionem differantur, ſed mox vt à carnis colligatione exeunt, in cæleſti ſede requieſcunt.* Et ad Philippenſes 2. eodem tomo ſecundo, pagina 369. B. ita ſcribit: *Qui idcirco diſſolui deſiderat, vt cum Chriſto poſſit eſſe; quia perfectorum iuſtorum animæ mox, vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur.* Et ad Hebræos capite 12. ad illa verba: *Sed acceſſiſtis ad Sion*, eodem ſecundo tomo, pagina 575. D. ita ait: *Omnes enim iuſti quicunque ex factis, & dictis, & cogitationibus perfecti ſunt, mox, vt animas de corporibus emittunt cœleſtibus habitaculis inferuntur.* Denique Apocalypſis vigeſimo ad illa verba: *Hæc eſt reſurrectio prima*, eodem ſecundo tomo, pagina 624. D. ita ſcribit: *Hæc eſt reſurrectio prima; ſcilicet, quòd fideles in vita ſua liberabuntur à peccatis, vt animæ ſtatim poſt diſſolutionem fruantur æterna gloria.*

41. Non placet

Sed profectò ſi liber ille Elucidarij eſt legitimus Diui Anſelmi, non ſatis ſunt præcitati loci, vt dicamus, Diuum Anſelmum à ſua diſceſſiſſe ſententia, & Catholicam veritatem ſimpliciter docuiſſe: nam loci adducti expreſſè agunt de iuſtis perfectis: primus enim locus agit de prædicatoribus, qui inter iuſtos perfectos enumerantur; cum non ſolùm ſeruauerint præcepta; ſed etiam conſilia. Secundus verò de iuſtis perfectis formaliter loquitur: & de eijſdem tertium locum eſſe intelligendum, patet ex illis verbis: *Qui in factis, dictis, & cogitationibus perfecti ſunt*; vt omittamus, quod explicat verba Pauli: *Acceſſiſtis ad ſpiritum iuſtorum perfectorum.* Solus remanet vltimus locus, qui videtur generaliter agere de omnibus iuſtis: ſed cum in cæteris loquatur de iuſtis perfectis, de eiſdem intelligendus erit: maximè, ſi liber Elucidarij verè eſt Anſelmi; in eo enim mentem ſuam ſatis explicauit. Vtrum verò ſit verus Anſelmi fœtus? alij viderint; nam cũ nouiter ad opera Diui Anſelmi ſit adiunctus in impreſſione Coloniæ apud maternum Cholenum anno Domini 1573. neminem inueni, qui de illo ferat iudicium: mihi tamen propter errorem, quẽ ſcribit, videtur adulterinus.

§. 4.

Quid de Patre Auguſtino ſit ſentiendum?

SAnctiſsimum Patrem Auguſtinum nunquam dubitaſſe, quin animæ iuſtorum iam nunc ſint beatę; quanuis aliquando dubitauerit de loco, in quo beatæ ſint, teſtatur *Ludouicus Viues in annot. ad eum 12. de Ciuitate Dei cap. 9. idem affirmarunt Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 4. pag. 858. D. & Valentia 2. tomo diſp. 1. q. 4. puncto 2. pag. 82. E.* 42. Auguſtinũ ſolum dubitaſſe de loco, qui ſentiant.

Obſtat tamen vehementiſsimè, quòd ipſemet Auguſtinus 20. *de Ciuitate Dei c. 7.* de ſe ipſo fatetur, quod aliquando approbauerit regnum Dei mille annorum poſt primam Sanctorum reſurrectionẽ, quæ generalem præcederet; in quo Sancti reſuſcitati cum Chriſto, veluti ſabbatizantes, & quieſcentes in delitijs non carnalibus (vt Chiliaſtæ) ſed ſpiritualibus regnaturi erant. In hoc autem regno ſanctos non viſuros diuinam eſſentiam, omnes millenarij ſupponunt, vt ſupra oſtendimus, & ſatis colliges ex verbis Auguſtini in d. cap. 7: ex illis enim colligi videtur, ſabbatiſmum illum Sanctis concedi in quandam veluti ſatisfactionem eiectionis Adami, & poſteriorum extra paradyſum terreſtrem propter peccatum, vt ſcilicet antequam Sancti cœleſtẽ beatitudinem conſequerentur, in eodẽ corpore terrena fœlicitate fruerentur, in quo à terreno paradyſo fuerunt eiecti. Quare non negarem Auguſtinum pro illo tempore exiſtimaſſe Sanctorum animas ante generalem reſurrectionem Deum non videre, nec cœleſti beatitudine eſſe beatas. Verum cum hæc opinio ple- 43. Non recipitur. Fatetur de ſe quod aliquando dubitauerit.

pleriſque Patrum olim probata anilis potiùs videatur, & fabuloſa, credendum eſt, Auguſtinum non diù in illa permanſiſſe: & proinde ſemper & exiſtimaſſe, & docuiſſe Sanctorum animas nihil purgatione dignum habentes, ſtatim in cœleſtem abire beatitudinem; quanuis vſque ad generalem reſurrectionem eam nō habeant omnibus modis perfectam.

44. Relicta illa opinione, nunquā amplius dubitauit.

Et quidem, quod relicta illa Chiliaſtarum fabuloſa opinione, nunquam dubitauerit, Sanctorum animas, poſt mortem iam nunc Deum videre; ex eo patet; quia vbicunque hac de re loquitur, ſimpliciter, & abſolutè hanc docet veritatem. Libro nono Confeſsionum capite tertio, agens de anima amici ſui Nebridij, iam defuncti, ita ait: *Et nunc ille viuit, & ibi viuit, vnde multa me interrogabat humuncionem inexpertum: nam non ponit aurem ad os meum; ſed ſpirituale os ad fontem tuum; & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine felix: nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei; cum tu Domine, quem potat ille, memor ſis noſtri.* Quæ verba ſatis explicant, & potum beatum, & beatam in cœlis vitam. Libro vigeſimo de Ciuitate Dei capite 13. poſt medium ita ait: *Sed certè animæ victrices glorioſiſsimorum Martyrum omnibus doloribus, atque laboribus ſuperatis, atque finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerunt, cum CHRISTO vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt poſtea receptis etiam corporibus, iam immortalibus, regnent.* Ecce iam nunc in eodem regno regnant, in quo reſumptis corporibus regnaturi ſunt. Pſalmo etiam 119. ad illa verba: *Heu me, quia incolatus meus*, euidenter dicit, ſolum incolatum in hac vita impedire, ne Sancti ſint in Patria; ita enim habet: *Non dùm veni in patriam, vbi cum nullo malo victurus ſum: non dùm veni in illam ſocietatem Angelorum, vbi ſcandala non timebo. Quare non dum ſum ibi, quia incolatus meus longinquus factus eſt: incolatus peregrinatio eſt.* Et ſtatim: *nec recedere à malis poteſt, niſi cum redierit ad ſocietatem Angelorum, vt ibi ſit, vnde peregrinatur. Ibi omnes iuſti, & Sancti, qui fruuntur verbo Dei, & cætera.* Ecce ſola peregrinatio, & incolatus in hac vita impedit iuſtum non eſſe in Patria: nec poteſt quis iuſtorum recedere à malis perigrinationis huius vitæ, niſi cum fruitur verbo Dei. Quod falſum eſſet, ſi poſt vitam non ſtatim daretur receptio in Patriam. Satis id ſignificat Epiſtola ſexta poſt principium, dùm ait: *Nos non amiſiſſe, ſed præmiſiſſe* (ſcilicet in Patriam) *quoſdam de hac vita migrantes.* 45. In ſecundo libro Euangelicarum quæſtionum capite 38: *Sinus Abrahæ* (inquit) *requies beatorum pauperum eſt, quorum eſt regnum cœlorum; in quo poſt hanc vitam recipiuntur.* Et inferiùs, poſtquam declarauit per ſinum Abrahæ intelligi ſecretum Patris, quò poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dñs, ait: *Secretum Patris benè intelligitur: vbi etiam ante reſurrectionem iuſtorum animæ viuunt cum Deo.* Denique verbis apertis id docet in libro Meditationum capite 22. 23. & 24. ¶ Ex his patet, Auguſtinum ſimpliciter docuiſſe, animas è corpore exeuntes, ſtatim in Patriam recipi, & Deum videre; in Patriam, inquam, id eſt in cœleſtem beatitudinem.

46. Nonnulli loci in oppoſitum.

¶ Obijciuntur tamen nonnulla loca, in quibus Auguſtinus videtur dubitare, tùm de viſione; tùm etiam de loco, in quo ante reſurrectionem Deum vident. Quòd dubitet de viſione adducitur locus *libr. 1. Retractationum capite 14.* 1. locus. vbi poſtquam docuit, beatitudinem poſitam eſſe in viſione Dei facie ad faciem: & nullam eſſe quæſtionem, quòd Angeli iam ſint in poſſeſsione viſionis Dei, ita ait: *Sed de Sanctis hominibus iam defunctis; vtrùm ipſi ſaltem dicendi ſint iam in illa poſſeſsione conſiſtere? merito quæritur.* Dubitat igitur, an Sancti defuncti iam ſint in poſſeſsione viſionis Dei.

Accedit locus ex Epiſtola 111, tomo 2. pagina 197. columna 2. D: agens enim ibi de Sanctiſsimo Hieronymo, ita ait: 47. 2. locus. *In his verbis hominis Dei multa conſideranda ſunt: primum, quia ſecundum apertiſsimā Domini ſententiam, etiam ipſe ſentit, tunc nos viſuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id eſt, æquales Angelis facti fuerimus; quod erit vtique in reſurrectione mortuorum.* Quæ vltima verba ſunt Auguſtini; & illis ſatis ſignificat, homines tunc viſuros faciem Dei, cum in reſurrectione æquales Angelis facti fuerint.

Tertiò; 12. de Geneſi ad literam cap. 48.

3. locus. 35. ita ſcribit: *Sed, ſi quem mouet, quid opus ſit ſpiritibus defunctis corpora ſua in reſurrectione recipere, ſi poteſt eis, etiam ſine corporibus ſumma beatitudo præberi? difficilior quæſtio eſt, quàm vt perfectè poſsit hoc ſermone finiri.*

49. 4. locus. Quartò; lib. 2. quæſtionum Euangelicarum cap. 38. tom. 4. pag 151. col. 2. B. ita ait. *Quanquam illa receptio, vtrum ſtatim poſt hanc vitam fiat; an in fine ſæculi in reſurrectione mortuorum, atque vltima retributione iudicij? non minima eſt quæſtio.*

50. 5. locus. Quintò; Pſalmo 48. in illis verbis, *Inclinabo in parabolam os meum* tomo octauo, pagina 181: ſatis ſignificat, *quòd cognitio facie ad faciem erit poſt reſurrectionem; cum tamen in vita ſit per ſpeculum.*

51. 6. locus. Sextus locus videtur clarior ex Pſalmo 36. in prima concione tom. 8. pagina 114. columna 1. D: *Poſt vitam*, inquit, *iſtam, non dum eris, vbi erunt Sancti, quibus dicitur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: non dùm ibi eris, quis neſcit?* ¶ Hæc videntur ſuadere, Auguſtinum aut docuiſſe, animas ante reſurrectionem non eſſe Deum viſuras; aut ſaltem dubitaſſe.

52. Quod dubitauerit de loco. Quod verò etiam dubitauerit de locis, vbi animæ ſunt ante reſurrectionem, ex locis ſequentibus videtur deduci. Nam libr. 9. Confeſsionum cap. 3. agens de amico Nebridio iam defuncto, ita ait: *Et nunc ille viuit in ſinu Abrahæ, quidquid*

1. locus. *illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu.* Deinde in Enchiridione capite 108. tomo tertio, pagina 83. columna 2. A. ita ſcribit: *Tempus autem, quod inter hominis mortem, & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt, vel requie, vel ærumna, pro eo, quod ſortita eſt in carne, cum viueret.* Accedit locus ex libro duodecimo de Ciuitate Dei capite nono ad finem: agens enim de Ciuitate ſancta ex Angelis, & hominibus aggreganda, ita ait: *Cuius pars, quæ coniungenda eſt immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter perigrinatur: vel in iis, qui morte obierunt, ſecretis animarum receptaculis, ſedibusque requieſcunt.*

53. Ex quibus locis Ludouicus Viues, Bellarminus, & Valentia colligunt, Auguſtinum dubitaſſe de loco, vbi animæ Sanctorum, ante reſurrectionem Deum vident. Ego tamen puto, Auguſtinum, depoſita Millenariorum fabula, nec vnquam de viſione Dei, ante reſurrectionem dubitaſſe; nec de loco. Et vt locorum, quæ contra vtrumque objiciuntur, explicatio fiat euidentior, nonnulla ſunt aduertenda. Primum eſt id, quod Bellarminus *in dicto capite 5. pagina 859. C. D.* optimè aduertit, Auguſtinum exiſtimaſſe, animas iuſtorum ante aſſumptionem corporum, videre quidem Deum; ſed non ſic, vt Angeli vident: id, quod patet ex libro duodecimo de Ciuitate Dei cap. 35. vbi poſtquam docuit quæſtionem illam; quidnam opus ſit animabus corpora ſua in reſurrectione recipere, ſi illis ſine carne poteſt ſumma beatitudo præberi, difficiliorem eſſe, quàm vt perfectè poſsit ibi definiri; adiungit hæc verba: *Sed tamen minimè dubitandum eſt; & raptam hominis à carnis ſenſibus mentem, & poſt mortem ipſam, carne depoſita, & tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, vt ſancti Angeli vident; ſiue alia latentiore cauſa; ſiue ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus adminiſtrandi, quo appetitu retardatur quodammodò, ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quandiu non ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Ex quibus verbis colligitur ex ſententia Auguſtini, animam ſanctam, ante reſurrectionem non poſſe perfectè videre Deum; & ſubindè habere beatitudinem minus intenſam, quàm habitura ſit poſt corporis aſſumptionem: de qua quæſtione inferiùs futura eſt diſputatio.

Auguſtinus depoſita opinione Millinariorum nunqua aut de viſione, aut de loco dubitauit.

1. præmiſſ.

54. 2. præmiſſ. ¶ Aduertendum eſt deinde, Auguſtinum docuiſſe, antiquos Sanctos apud inferos fuiſſe; in locis tamen à tormentis impiorum remotiſsimis, donec ſanguis Chriſti Domini, & eius ad inferos deſcenſus eos inde eruerit: fideles autem ſanguine Chriſti redemptos prorſus neſcire inferos, donec receptis corporibus reſurgant. Ita expreſsis verbis ſcribit libro 20. de Ciuitate Dei cap. 15. Quare cùm Auguſtinus loquitur de ſinu Abrahæ, in quo animas iuſtorum recipi ſæpè ſcribit, non agit de Limbo Patrum, qui

qui ante mortem Chriſti Domini ſinus Abrahæ dicebatur; ſed per ſinum Abrahæ intelligit regnum cœlorum, in quo beati requieſcunt, vt expreſſè docet lib. 2. Euangelicarum quæſtionum cap. 38. vbi illum etiam appellat ſecretum Patris, in quo iuſtorum animæ viuunt cum Deo; illum etiam appellat paradiſum libro duodecimo de Ciuitate Dei cap. 34.

3. præmiſſ. ¶ Aduertendum denique, Auguſtinum loca, in quibus animæ ſunt, poſt mortem, vſque ad reſurrectionem, appellare receptacula animarum abdita, & ſecreta, ob eam rationem, quia ad illa, ſiue iuſtorum ſint, ſiue damnatorum, ſiue eorum, qui adhuc purgantur, oculi hominum non poſſunt penetrare, vt idem Auguſtinus explicat in dicto cap. 38. Vide illum.

55. Ad 1. locū. His præmiſsis, iam facilis erit explicatio locorum, quæ in contrarium ex Auguſtino adducuntur. Et ad primum, qui contra viſionem adducitur, reſpondendum eſt, Auguſtinum eo in loco non dubitaſſe, an Sancti iam videant Deum; ſed an tàm perfectè videant, atque videbunt, poſt reſurrectionem? quæ fuit explicatio *Bellarmini in dicto cap. 5. pagina* 858. Sed quia res eſt grauiſsima, & cedit in honorem magni Patris Auguſtini, operæ pretium erit, ex eodem loco hunc ſenſum euidenter deducere. Pro quo aduerto, Auguſtinum in antecedentibus non agere de quacunque viſione, ſed de ea, quæ facit beatiſsimos; ita enim ait: *Illud enim beatiſsimos facit, quòd ait, tunc autem facie ad faciem; & tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, id eſt perfectè, & abſolutè. *Qui hoc inuenerunt, ipſi dicendi ſunt in beatitudinis poſſeſsione conſiſtere, ad quam ducit via fidei, quam tenemus, & quò credendo cupimus peruenire.* Aduerte pie Lector, Auguſtinum, eos ſolos beatiſsimos appellare in Patria, qui ſunt in poſſeſsione eorum, ad quæ credendo peruenire cupiere: quaſi velit eos, qui non dùm ſunt in poſſeſsione eorum, quæ crediderunt, beatos quidem eſſe; ſed non dùm eſſe beatiſsimos. His ita expoſitis immediatè inquirit; *qui nam ſint illi beatiſsimi, qui iam ſunt in ea poſſeſsione, quo ducit hæc via? magna quæſtio eſt.* Attende, quæſo ſenſum quæſtionis: inquirit enim, quinam ſint illi beatiſsimi, qui in cœlo iam ſunt in poſſeſsione eorum, quæ crediderunt, & quò via fidei peruenire cupiuere? Quæſtioni autem reſpondens, ait; 56. *non eſſe magnam quæſtionem, quòd Angeli iam ſint in ea poſſeſsione.* Et ratio eſt; quia iam in cœlis poſsident, quidquid in via fidei poſsidere voluerunt. Tota igitur quæſtio eſt de hominibus; vnde immediatè addit: *Sed de ſanctis hominibus iam defunctis; vtrum ipſi ſaltem dicendi ſint iam in illa poſſeſsione conſiſtere? merito quæritur.* Ecce non inquirit, an homines ſancti iam ſint in poſſeſsione videndi; ſed an ſint in poſſeſsione omnium, ad quæ viuentes via fidei peruenire deſiderauerunt? Et veluti diſtinguens de his, quæ habere cupierunt in corpore, & in anima, reſpondet negatiuè inquiens: *Iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggrauatur, exuti ſunt*: quod in vita cupiebant, iuxta illud Pauli, cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto Domino: *ſed adhuc expectant, etiam ipſi redemptionem corporis ſui: & caro eorum requieſcit in ſpe: non dum in futura incorruptione clareſcit.* Vnde tacitè annuit, eos non dum eſſe omni ex parte beatiſsimos in ordine ad corpus, cuius redemptionem via fidei in vita concupiere. Et de hoc puncto nulla eſt apud Auguſtinum dubitatio, ſcilicet quòd ex hac parte non dum ſint beatiſsimi: at verò quod ſupponat, eos beatos eſſe ex par- 57.
te animæ, non ſolùm probant illa verba: *ſed adhuc expectant etiam ipſi redemptionem corporis ſui*: quæ ſupponunt, animam quidem iam ſuam habere redemptionem viſione diuina; ſed ea, quæ ſequuntur, in quibus inquirit; vtrum animæ illæ etiam in ſe ipſis iam ſint beatiſsimæ, & in poſſeſsione totius viſionis, ad quam via fidei, & meritorum peruenire deſiderarunt? Vnde inquirit: *Sed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, ſicut dictum eſt facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant? non hic locus eſt, diſputando inquirere.* Quæ verba ſatis euidenter explicant ſenſum quæſtionis: nec enim Pater Auguſtinus ſimpliciter inquirit; an videant facie ad faciem; ſed an ex hoc, quod adhuc expectant redemptionem corporis, minus habeant de viſione, quàm poſt reſurrectionem habituræ ſint? Quare locus iſte potiùs confirmat, Auguſtinum firmiter docuiſſe, animas Sancto-

rum iam nunc videre Deum; quàm de hac veritate dubitaſſe. Ex dictis patet, Valentiam vbi ſuprà pag. 82. E. oſcitanter dixiſſe, Auguſtinum in hoc teſtimonio dubitaſſe non de viſione, ſed de loco:

58. Ad 2. locũ. Locus ſecundus ſumptus ex Epiſtola 111, abſque dubio intelligitur de viſione perfectiſsima, vt aduertit Bellarminus in dicto cap. 5. pag. 860. A: nam apud Auguſtinum tunc ſolùm erit perfectiſsima viſio; quia tunc, & non antea tota intentione poteſt anima ferri in Deum, quem videt; cùm naturalem appetitum iam habeat perfectè ſatiatum, vt ſatis colliges ex Auguſtino, tùm in ſuperiori teſtimonio, tùm ex illo, quod adduximus ex lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 35.

59. Ad 3. locũ. Quod attinet ad tertium locum ex 12. de Geneſi ad literam cap. 35. dubitandum non eſt, Auguſtinum in cap. 34. præcedente non ſemel, ſed iterum docuiſſe, animas Sanctorum ante reſurrectionem Deum videre: nam poſtquam egit de tertio cœlo, ad quod Paulus raptus eſt, affirmat, *in eo cœlo eſſe animas beatas, & in eo videre Dei ſubſtantiam, & Verbum, per quod facta ſunt omnia in charitate Spiritus Sancti; in cuius viſione eſt ſumma lætitia.* Et hanc fuiſſe illius ſententiam, ſatis confirmat dubitatio, quam vult, poſſe ab aliquo excitari: *quidnam opus ſit animabus in reſurrectione accipere corpora, ſi ſine illis poteſt ſumma beatitudo eis præberi?* hæc enim dubitatio ſatis euidenter ſupponit, in præcedentibus concluſum eſſe, beatitudinem, ante reſurrectionem conferri animabus. Sed inquies, Auguſtinum aſſerere, *quæſtionem eſſe difficiliorem, quàm, vt perfectè poſsit ibi finiri:* Fateor id dixiſſe: non tamen id dixit ratione beatitudinis abſolutè ſumptæ; ſed ratione ſummæ beatitudinis: quia apud Auguſtinum difficile admodum eſt ſaluare in beatis ſummam beatitudiem cum naturali appetitu, quẽ ante reſurrectionem habent adminiſtrãdi corpus; de qua difficultate inferiùs agendum eſt: & ideò dixit, non eſſe dubitandum, quin ante reſurrectionem Sãcti non habeant totam beatitudinem: nõ ſolùm extenſiuam, ſed etiam intẽſiuam: quod etiam docuit 1. Retract. cap. 14. vt iam oſtendimus. Quare, ſicut ibi non dubitabat de beatitudine, ſed de perfecta beatitudine; ita & hìc non dubitat: quæ eſt ſententia Bellarmini in d. pag. 859.

Quod attinet ad quartum locum ex lib. 2. quæſtionum Euangelicarum c. 38. tom. 4. dubitandum non eſt, Auguſtinũ in eo capite docuiſſe, animas ante reſurrectionem eſſe beatas; id enim iterum, & iterum expreſſè docuit; cuius verba ſuperiùs retulimus. Quare id, quod in medio capitis ſcribit; ſcilicet *non eſſe minimã quæſtionem, an receptio animarum in cœlo ſtatim fiat; an in fine ſæculi in reſurrectione?* vel intelligendum eſt de reſurrectione ad perfectam, & abſolutam beatitudinem; quia hæc ex ſententia Auguſtini ſolùm dabitur in reſurrectione, vt Bellarminus cum alijs interpretatur: vel (quod verius puto) non ſuam retulit ſententiam, ſed aliorum: quia hæc dubitatio pro illis temporibus non erat minima, ſed apud Patres ſatis controuerſa. 60. Ad 4.

Quintus locus explicandus eſt de cognitione perfecta: hæc enim ex Auguſtino ſolùm eſt danda poſt reſurrectionem, & non ante. 61. Ad 5.

Sextus locus ex Pſalm. 36. ſatis ſe explicat pro nobis, ſi verba, quæ immediatẽ ſequuntur referantur ad ea, quæ nobis obijciuntur. In his enim ſolùm dicit, Sãctos poſt hanc vitam non ſtatim futuros, vbi erunt Sancti, quibus dicetur, *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* quoniã Sancti ſolùm erunt in illo regno poſt reſurrectionem; quando beati, & anima, & corpore poſsidebunt regnum: in hoc igitur regno animæ, & corporis non ſtatim erimus poſt hanc vitam; ſed ſolùm poſt reſurrectionem: at tamen ante eam erimus in regno, in quo Lazarus erat requieſcens, vt ſtatim declarat, inquiens: *Nondum ibi eris: quis neſcit? ſed iam poteris ibi eſſe, vbi illum quendam vlceroſum pauperem diues ille ſuperbus, & ſterilis in medijs ſuis tormentis vidit è longè requieſcere: in illa requie poſitus certè ſecurus expectas iudicij diẽ, quando recipies, & corpus: quando immutaris, vt & Angelis æqueris.* Per locum illum in quo erat Lazarus, intelligendnm eſſe ſinum Abrahæ, id eſt ſecretum Patris, & requiem animarum ſãctarum ſæpiſsimẽ docuit Auguſtin⁹, vt patet lib. 2. quęſtionum Euangelicarum cap. 38. Concludendum igitur, Auguſtinum poſt depoſitam fabulam Millenariorũ nunquã dubitaſſe, 62. Ad 6.

quòd

quòd Sancti ſtatim poſt mortem videant Deum.

63. Ad loca poſteriora. Sed nec quæ ſecundo loco obijciũtur, conuincunt, Auguſtinum dubitaſſe de loco, in quo ante reſurrectionẽ Sancti Deũ vident. Nam locus primus ex 9. Confeſſionum cap. 3. non continet verba dubitãtis, ſed referentis aliorum dubitationem. Quòd verò in cæteris locis ſcribit, animas ſanctas requieſcere in abditis, & ſecretis receptaculis, nõ arguit, eum dubitaſſe de loco; cum ſæpe doceat, eas recipi in cœlo cũ Chriſto, & Angelis; & in ſinu Abrahę, quod eſt ſecretum Patris. Receptacula omnia tàm bonorũ, quàm malorum, quã etiam eorũ, qui ſunt in Purgatorio, ideo appellat abdita, & ſecreta, quia oculi hominum non poſſunt vſque ad illa penetrare, vt expreſſe ſcribit in d. cap. 38. libri ſecundi quæſtionum Euangelicarum: nam ob eandem rationem ſinum Abrahæ, & cœlum ad quod Chriſtus eſt aſſumptus, appellat ſecretum Patris; quia. ſ. Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem aſpicientes in cœlum illud videre non poterant, vt ibidem declarat. ¶ Et hæc pro defenſione S. P. Auguſtini ſatis ſint dicta.

§. 5.

Quid ſentiendum ſit de D. Chryſoſtomo:

64. Qui putant Chryſoſtomũ cũ millenarijs eſſe. Qui eum liberant. QVòd Chryſoſtomus præcitatum docuerit errorem plerique tacitè ſentiunt, dum illum pro hoc errore ſimpliciter referunt: ſed melius aduertit Bellarminus *in dicto lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 4. pag. 853.* cum quo etiã *ſtat Valentia in dicta diſp. 1. 2. tom. q. 4 puncto 2. pag. 78. in principio*, & inferiùs ad 3. arg. pag. 83. etenim pluribus in locis expreſſe docet, Sanctos iam nunc in cœlis coronari. Quæ verò in contrarium obijciuntur, nihil officiunt, ſi ad mentẽ illius, & ad inſtituti rationem debitè explicentur. Locos in quibus Catholicam veritatem docet, referunt Bellarminus, & Valentia: non pigebit tamen eos ad literam referre, vt beneuolus Lector de illis iudicium ferat.

65. 1. Locus pro nobis. Ommiſſo igitur loco ex homilia 10. 2. ad Corint. quia nõ ſatis rem explicat: primus locus ſit ex homil. 3. ad Philippẽſ. in principio exhortationis moralis pagina 1015. ita enim ait: *Peccatores vbi fuerint, procul à rege ſunt; & ideo digni, qui defleantur: iuſti autem, ſiue hic, ſiue in futuro ſæculo fuerint, cum rege ſunt: illic tamen magis, ac propius; non per acceſſum, ac fidem; ſed facie ad faciem.* Quæ eadem verba ſcribit homilia 19, ad populum Antiochenum poſt principiũ. In quibus verbis illud eſt diligenter aduertendum, Chryſoſtomũ agere de iuſtis mortuis, & quandiù mortui ſunt; quales non ſunt poſt reſurrectionẽ; quia tunc iam viuunt. Mortui igitur in Domino ex ſententia Chryſoſtomi iam viuunt; vita ſcilicet illa, quam in præcitatis verbis explicat, quæ eſt vita viſionis facialis.

Optima ſunt verba, quę ſcribit homil. 4. eiuſdem Epiſtolę explicans illa verba: *Et quid eligam ignoro:* vbi ita ſcribit: *Quid ais? cum hinc abiens in cœlum ſis migraturus, & cum Chriſto futurus: ignoras, quid eligas?* Abiens igitur, & è vita diſcedens Paulus, ſtatim ex ſententia Chryſoſtomi in cœlum eſt migraturus. Quod magis declarant verba immediatè ſequentia: *Sed longè nos abſumus à Pauli anima: quis enim fuerit, cui ſi hæc verè feratur conditio, nõ illã quàm primùm, arripiat? Sed quemadmodum minimè noſtrum eſt, poſſe illud dicere; Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ita cum id aſſequi liceat, minimè noſtrum eſt, hic manere velle.* Expende illa verba: *Cum id aſſequi liceat*; ſtatim ſcilicet poſt mortem. Quod clariùs explicant verba inferiùs poſita: *Ecquis mercator naui vectus innumerablium theſaurorum plena, ſi liceat ſubire portum, ac quieſcere; mari adhuc iactari malit? ecquis athleta, cùm liceat corona potiri, adhuc certare poſtulat? ecquis pugil, cùm coronam poſſit induere, malit rurſus in certamen deſcendere?* Quæ indicant coronam illam ſtatim poſt mortem à iuſtis, eſſe accipiendam; & ideo mori lucrum erat Paulo, quia ſtatim cum Chriſto futurus erat. Imò Paulum iam nunc cum Chriſto eſſe in cœlis multis explicat homilia 32. ad Romanos in exhortatione morali, vbi ita concludit: *Non ſolum ergo admiremur ipſum, nec tantummodo ſtupeamus; ſed & imitemur, vt mereamur hinc migrantes, & ipſum videre, & ineffabilis ipſius gloriæ participes eſſe.* Quin potius ex cuiuſdam viri ſancti reuelatione refert eos, *qui purè corpori Chriſti communicantes, ſpiritum efflant, ab Angelis hinc recta in Cœlum adduci*, vt ſcribit lib. 6, de Sacer-

66. 2. Locus.

cerdotio tom. 5. pagin. 471. col. 1. in fine. Non eſt igitur, quòd Sanctiſsimũ Chryſoſtomum pro illo errore referamus, ſed pro Catholica potius ſententia.

67. Ab obiecta. Ad 1. Nec his obſtat, quod in cõtrarium objicitur ex homilia 39. in primam ad Cor. ad illa verba, *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus*, tom. 4. pagin. 552. vbi ita ſcribit: *Quid dicis ò Paule? quomodo in hac vita ſperantes ſumus, ſi corpora non reſurgunt? cùm maneat anima, & ſit immortalis? quoniam ſi maneat anima, & millies ſit immortalis (ſicut eſt re vera) abſque carne non accipiet bona illa ineffabilia, ſicut nec punietur. Omnia enim manifeſtabuntur ante tribunal Chriſti, vt accipiat vnuſquiſque, quæ per corpus geſſit, ſiue bona, ſiue mala: Propterea dicit, ſi in hac vita tantũ ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus õnib⁹ hominib⁹: ſi enim non reſurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ eſt in cœlis: ſi autem hoc ita habet; tunc nihil omnino conſequetur.* Non obſtant, inquam, hæc verba; quoniam Sanctiſsimus Chryſoſtomus ſolũ nititur probare, quòd anima poſt mortem nullam beatitudinem conſequutura foret, ſi corpora non reſurgerent. Et ratio eſt, quoniam cùm corpus ſimul cũ anima in hac vita laborauerit; ſi corpus non eſſet reſurrecturũ, vt ſuam etiam cum anima mercedem acciperet, animam nullam mercedem, nullamque coronam fuiſſe cõſequuturam. Quare non dicit, ſuppoſita corporum reſurrectione animam ante illam non eſſe accepturam mercedem diuinæ viſionis; ſed nullam omnino coronam accepturã fore, ſi nulla futura eſt corporis reſurrectio. Ita explicãt Bellarminus & Valentia locis citatis. Quare cum in fine illius commenti concludit, *Omnia pendere à reſurrectione*, id ita eſt intelligendũ, vt omnis merces, tàm animæ, quã corporis pẽdeat à ſpe reſurrectionis, quia nulla futura fuiſſet, ſi nulla daretur reſurrectio.

68. Ad 2. Quod ſecundo loco objicitur, ex homilia 28. ad Hebræos, dum ait, *Sanctos, qui nos epræceſſerunt, non dum coronas accepiſſe, ſed nos expectare, vt nobiſcum ſimul coronentur*; facilem habet explicationẽ: agit enim Chryſoſtomus de corona corporis, & de cõſũmatione gloriæ: nam de hac ſola agebat Paulus in eodem loco cap. 11, in fine, dum ait: *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſsionem; Deo pro nobis melius prouidente, vt non ſine nobis conſũmarentur.*

§. 6.

Quid dicendum de Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio?

Qvòd Theodoretus pro ſuperiori errore ſententiam dixerit, plerique volunt; & argumentum ſumunt ex verbis poſitis ad cap. 11. Epiſtolæ ad Hebræos, vbi ita ait: *Eorum ergo fuerunt tot, & tanta certamina; ſed hi tamen nõ dum coronas acceperunt: expectat enim vniuerſorum Deus aliorum certamina, vt ſoluto ſtadio, omnes, qui victoriam fuerint cõſequuti ſimul victores renunciet, & remuneretur.* Sed profectò verba iſta explicãda ſunt de corona, & victoria conſummata, de qua etiã Chryſoſtomus intelligitur: nam de ea corona agit Paulus, vt iam diximus in explicando Chryſoſtomo. Quem ſenſum non poteſt non probare, qui legerit, quæ Theodoretus ſcribit lib. 8. de Græcarum affectionũ curatione: ibi enim multa ſcribit, ex quibus euidenter colliges, cũ exiſtimaſſe, Martyres, & alios iuſtos iam nũc cœleſti frui gloria. 69. Qui contra Theodoret. Liberatur.

70. Liberatur Theoph. Immerito etiam Theophylactus pro citato errore refertur: etenim ex loco ad Hebæos 11. ad finem potius ſumitur argumentum pro ſententia Catholica: ait enim Paulum non dixiſſe, *ne ſine nobis coronarẽtur*; ſed *ne ſine nobis cõſũmarẽtur: quia*, inquit, *tum perfecti videbuntur; qui iam nũc Arrabonem, & pignus honoris habent.* Senſus eſt: Illi, qui iam nũc haben Arrabonẽ, pignus gloriæ, quæ in gloria corporis cõſũmabitur; quia. ſ. iam nũc habẽt gloriam eſſentialem animæ, ex qua gloria reſultabit in corpus: tunc, id eſt, in reſurrectione perfecti, & conſũmati apparebunt. Quare cùm ibi dicit, *Sanctos, qui nos præceſſerũt, non dum aſſecutos eſſe bonorum cœleſtiũ promiſsiones*; intelligendus eſt de promiſsionibus cœleſtibus, quæ ſpectant ad gloriã corporis, qua omnes cœleſtes promiſsiones conſũmabuntur. ¶ Quod verò ſcribit in cap. 6. Matthæi: *Quod de Lazaro adducitur, non eſſe hiſtoriam, ſed parabolã: quia non dum ſeparata erãt iuſtis bona, & peccatoribus contraria*; intelligitur pro tempore, quo Chriſtus illam narrationem fecit de Lazaro, & diuite: quo tempore non dum iuſtis apertum erat cœlum.

Oecu-

71. Liberatur Oecumenius. Oecumenius in dicto c. 11. ad Hebręos ſe ipſum ſatis explicat: vt Sancti, de quibus agit Paulus, non dum conſecuti ſint bona iuſtis promiſſa; quia non dum acceperunt terminum, & conſummationem bonorum: & ideo ſcribit Paulum non dixiſſe, *ne coronętur ſine nobis*; ſed *ne conſūmentur*. Vnde ante reſurrectionem non negat iuſtis coronam, ſed coronam conſummatam.

§. 7.

Quibus Patribus præcedens ſententia falsò imponitur.

Falsò imponitur Iacobo.

72. Falſò imponitur Iacobo. QVòd iuſtorum animæ non dū videant Deum, docuiſſe Iacobum Apoſtolum in liturgia diuini ſacrificij refert *Xiſtus Senenſis lib. 6. ſua Bibliothecæ annot.* 345. *pag.* 470. *& eundem refert Medina* 1. 2. *q.* 4. *art.* 5. *in principio: ita enim ait: Domine Deus noſter, memento omnium Orthodoxorum, ac rectè de fide ſentientium, ab Abel iuſto vſque ad hodiernum diem: fac eos requieſcere in regione viuentium in regno tuo; in delicijs Paradiſi; in ſinu Abraham, Iſaac, & Iacob Sanctorum Patrum noſtrorū: vnde exulat dolor, triſtitia, & gemitus; vbi præſidet lumen vultus tui; & perpetuo refulget.* ¶ Sed non video, vnde Senenſis, & Medina ſumpſerit fundamentum, vt deprecatio iſta liturgiæ Iacobi, errori illi faueat; cùm per illas deſcriptiones, quæ in Sacris literis reperiuntur, diſcribat regnū cœleſte, in quo lumen Dei perpetuò refulget. Orat autem pro omnibus iuſtis, qui ab Abel, vſque ad ſua tempora in fide decedentes in Purgatorio detinebantur.

Falsò etiam Sancto Clementi.

73. Falſo Clem. ¶ Xiſtus Senenſis loco citato pagin. 741. refert quædam verba S. Clemētis ex lib. 2. Peri Arcon; quæ ſi in Clemente reperirentur, vtique probarent, illum fuiſſe illius ſententiæ, & erroris: ſed nec ego inter opera Clementis librum inuenio; nec Senenſis verba illa inuenit apud Clementem; ſed relata tantum ex Cornelio Agrippa lib. de occulta Philoſophia: ſed cū Agrippa hęreticorum in hac parte ſentētiam amplectatur, & inter hæreticos enumeretur, nullam poteſt fidem facere.

74. Poſſunt tamen adduci ea, quæ ex D. Petro apud Clementem referuntur lib. 1. recognitionum pag. 16. vbi de quibuſdam iuſtis ita ſcribit: *Eorum verò, qui non ad integrum potuere explere normam iuſtitiæ ſed aliquas in ſua carne malitiæ reliquias habuere; corpora quidem reſoluuntur, animæ verò ſeruantur in bonis, lætiſque regionibus, vt in reſurrectione mortuorum, cùm corpora ſua receperint, ipſa iam reſolutione purgata, pro his, quæ benè geſſerunt, æterna hæreditate potiantur. Et ideo beati ſunt, qui regnum Chriſti fuerint adepti; quia non ſolùm inferni pœnas effugient; ſed & incorruptibiles permanebunt, & primi Deum Patrem videbunt, atq; inter primos apud Deum honoris ordinem cōſequentur.* Quæ ſunt contra illa. Sed cùm liber iſte recognitionum non ab omnibus recognoſcatur, vt legitimus fœtus S. Clementis; non multū tribuendum eſt huic teſtimonio. Vel dicendum D. Petrum ſolùm agere de iuſtis, qui Chriſti incarnationem præceſſerūt: Explicatur quorum alij non dum erant mortui; alij verò mortem quidem obierunt, & animę in lætis regionibus ſeruatæ ſunt, nempe in Limbo Patrum. Et quamuis poſt mortem Chriſti iam perpfruentur gloria; nō dum tamen ſuorum meritorum præmia in corpore receperunt.

Hilario etiam falsò imponitur,

75. Falſo imponitur Hilar. ¶ Nonnulli pro eodem errore referunt Hilarium, fundamentum ſumunt ex verbis eius in Pſalmo 138. ad illud: *Si deſcendero in infernū, ades*: vbi ita ſcribit: *humanæ lex neceſsitatis eſt, vt ſepultis corporibus animæ ad inferos deſcendant: quam legem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſauit*. Quæ obiiciuntur. Sed quàm longè ab illo errore fuerit Hilarius, euidenter probant verba eius in Pſalmo 64. ad illud: *Replebimur in bonis domus tuæ*: vbi poſtquam multa dixit de bonis ſupernæ beatitudinis, ita ſcribit; *Omnium itaque noſtrum ſpes iſta eſt, vt bonis domus Dei repleamur: vt Sanctum, & admirabile templum illius ſimus: Beati quidē ſunt, qui iam à Deo ad habitandum in tabernaculis eius electi ſunt, ſed feſtinare nos in conſortium huius beatitudinis congruum eſt.* Explicatur. Ecce tanquam certiſsimum ſupponit, iam nūc aliquos in cęleſtibus tabernaculis eſſe beatos. Quod etiam ſatis ſupponit, dū Pſalmo 124. pag. 639. in fine ait. *Quomodò poſſumus montes non eos ſignificatos eſſe, intelligere*

gere, qui ſuper terrenam naturam glorioſi iā in Dei rebus exultant? Sed clariùs id ſignificat Pſalmo 2. ad finem pag. 453. in medio, dum ait, animas corporibꝰ ſolutas ſtatim ad pœnæ, aut gaudij locum tendere. *Excipit* (inquit) *illos ſtatim vltor infernus & decedentes de corpore, ſi ita vixerint, con feſtim de via iuſta pereunt. Teſtes nobis ſunt Euangelij diues, & pauper: quorum vnum Angeli in ſedibus beatorum, & in Abrahæ ſinu locauerunt; alterum ſtatim pœnæ regio ſuſcepit.*

76. Ad obiecta. Quare, quod aſſerit de neceſſitate humanæ legis eſſe, vt ſepultis corporibꝰ animæ ad inferos deſcendant, intelligendum eſt pro illo tempore, quo cœlum erat clauſum, vt benè aduertit Bellarminus *in dict. lib. 1. de Sanctorum beatitudine capite. 5. poſt principium, quem ſequitur Valentia tomo 2. diſp. 1. q. 4. puncto 2. pag. 83. A.*

Falsò etiam Aurelio Prudentio.

77. Falſo imponitur Prudētio. ¶ Aurelium Prudentium inter illius erroris authores, refert Senenſis vbi ſuprà *pag. 473. cuius verba ibidem refert, & cum illo Bellarminus vbi ſuprà cap. 3. pag. 838.* ex quibus nonnulli colligunt, animas iuſtorum è corpore decedentes abire, aut in ſinum Abrahæ; aut in Paradiſum terreſtrem; aut ad altare Dei, vt ſub eo ſtent. Verum cum ille idem in carmine de beata Agnete, quod refert *Bellarminus vbi ſuprà cap. 5. pag. 857.* dicat, Sanctam Agnetem iam nunc eſſe incolam cęleſtis arcis; benè infertur, eum in locis in oppoſitum citatis more poëtico figuratè fuiſſe loquutum; quia cęleſtis beatitudo per tria illa loca figuratè ſignificari ſolet, vt benè aduertit *Bellarminus in dicto cap. 5. & Valentia in dict. punct. 2. pag. 83. A.*

Falſiſſimo imponitur B. Ambroſio.

78. Falſiſſimo imponitur Ambroſio. ¶ Quàm iniuſtè prædictus error D. Ambroſio imponatur, facilè intelliget, qui legerit Epiſtolam illius ad Theſſalonicenſes in veteribus impreſſionibus libro. 7. Epiſt. 59. in nouis autem lib. 3. Epiſt. 22. tom. 5. vbi pag. 228. ita ſcribit de S. Acholio: Quæ fa iūt pro Ambroſio. *Iam perpetuò laboris ſui potitur ſtipendio & ſolutis vinculis corporis inter Angelorū miniſteria Chriſto adhæret, cupiens amātis ſui errorem abſoluere, ne illi longæuitatem vitæ huius deprecaremur, cui vitæ æternæ iam præmia deferuntur.* Et paulò inferiùs. *Eſt igitur iam cœlorum incola: poſſ ſſor ciuitatis æternæ illius Ieruſalem, quæ in cœlo eſt. Videt illic vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum; lapidē prætioſum; lumen ſine Sole perpetuum: & hæc omnia iam dudum quidem ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem manifeſta vidēs dicit: Sicut audiuimus, ita & videmus in Ciuitate Domini virtutum, in Ciuitatē Dei noſtri.* Quòd animę Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij fulgore plenę ſint in cęlo, teſtatur Epiſt. 85. quæ in antiquis eſt vltima libri decimi Epiſtolarum; in nouis autē habetur lib. 7. Epiſt. 54. Idem teſtatur *de Valentiniano in lib. de obitu illius tom. 5. pag. 111. L.* Legendus eſt in libr. de bono mortis cap. 10. 11. & 12. tom. 1. pag. 306. 307. & 308. nam capit. 10. docet, animam exeuntem à corpore frui pia quiete in manſionibus, quæ ſunt in domo Patris, & quas Chriſtus nobis morte ſua pręparauit de quibus Ioannis 14. Has autem manſiones eſſe cœleſtes, in quibus Sancti Deo perfruuntur, non eſt dubium. Et quāuis expectent publicam coronam in die magni iudicij reddendam; aſſerit tamen eas interim non eſſe ſine fructu, vt patet in dicto capite. 10. Et de lætitia horum fructuum explicat ſeptem ordines in toto c. 11. quam appellat primam perfunctionē, prius quàm in ſuis habitationibꝰ poſt diē iudicij perfecta, & iam abſoluta quiete perfruantur: & tandem concludit, quòd interim iuſtē habēt hanc remunerationem, quod vident faciem Dei, & lumen illud, quod illuminat omnem hominem. Accedit, quòd capit. 12. poſt multa concludit, quòd moriendo ibimus ad eos, qui recumbunt in domo Dei, vbi nec tenebræ erūt; nec ea, de quibus latè diſſerit; ſed ſola erit Dei claritas, vbi ſolum fulgebit Dominꝰ, & lumen illud, quod illuminat omnē hominem. Denique ibimus eò, vbi Dominus IESVS ſeruis ſuis māſiones parauit, vt vbi ille eſt, & nos ſimus. Denique Apocalypſis 16. ad illa verba *Vidi ſub altare Dei* tom. 5. pagin. 413. expreſſè docet, animas ſanctorū ideo à Ioanne dici quieſcere ſub altari; quia ſicut capiti ſuppoſita ſunt mēbra, eique cohęrent; ita & animę ſanctorū in cœleſti gloria conſtitutæ Chriſto Saluatori ſubiectæ ſunt, eique per cōiunctionem membrorum nectuntur.

79.

Non

80. Cōtraria nō concludunt

Non eſt igitur, quod errorē illum Sanctiſsimo Ambroſio imponamus, maximè cum teſtimonia, quæ ex eo, pro hoc errore adducuntur, nullam habeant concludēdi apparentiam; quidquid *Lorca 1. 2. q. 5. diſp. 36. membr. 3. in 2. claſſe Patrum dicat,* primum, & ſecundum teſtimonium non poſſe benè explicari.

Male Lorca

Ad 1.

Nam quod adducitur ex lib. 2. de Abel, & Caim cap. 2. ad finem tom. 1. pag. 153. H: *Soluitur corpore anima, & poſt finem vitæ huius adhuc tamen futuri ambiguo ſuſpenditur:* euidenter refertur non ad ſuſpenſionem futuræ ſententiæ illius iudicij, quaſi ſuſpenſi ſint, quomodo debeāt iudicari; ſed ad tēpus eius, quod etiā Angelis, ne dū beatis animabus eſt ignotum, vt habetur Matthæi 24. Ita explicarunt locum iſtum *Bellarminus in d. cap. 5. pag. 857. & Valentia in dicto puncto 2. pag. 82. ad 3.* argumentum: etenim vult S. Ambroſius ſuadere homines, ne putent, ſe iā laborū, & meritorum finem obtinuiſſe: quod exemplo nautæ ad portum peruenientis ſuadet, & exemplo beatorum, qui neſciunt, quonam die adepturi ſint coronam conſummatam, quam expectant.

Bellarmin. *Valentia.*

81. Ad 2.

Quod autem obijcitur ex lib. de bono mortis cap. 10. dum ait, *ſatis fuiſſe Philoſophos dixiſſe, quod animæ liberatæ de corpore, ἀίδην peterent, id eſt, locū inuiſibilē, quē appellam⁹ infernū,* nihil, inquā, hæc verba obſtāt quia nō dictū illud approbādo refert, ſed improbādo potius: etenī eos Philoſophos reprehēdit, quod dixerint animas in apes, & luſcinias demigrare; & ideo addit, quod ſatis illis fuiſſet, dixiſſe, quòd animæ ad inferū locum deſcenderēt: nam verè pro illo tempore ad inferos deſcendebant, vt benè annotauit *Bellarminus in d. c. 5.*

82. Occurritur obiectioni.

Sed nec aliquid obeſt, quòd habitacula animarum nuncupauit promptuaria: inde enim non ſequitur, habitacula iuſtorū non eſſe cœleſtiā: nam in eodem loco explicat, habitacula illarum eſſe ſuperiora; nimirum manſiones, quas Chriſtus deſcedens ad Patrē, illis præparauit. Aduertit tñ, ſe ideo adduxiſſe locū libri quarti Eſ- cap. 7. vbi animarum habitacula appellat promptuaria vt cognoſcāt gētiles, eā, quę in libris Philoſophorum admirantur, à noſtris eſſe tranſlata. Habitationes igitur animarum appellauit promptuaria, quia debent reddere animas ſibi commiſſas, cū aduenerit iudicij magni dies: nam, vt ait, infernus ſuos reddet mortuos; ſcilicet dānatos: cœli verò etiam reddent ſuos, animas, ſcilicet beatas, quas in ſe habēt: vnde cœli ipſi benè dici poſſunt promptuaria ſanctarum animarum, vt appellantur in dicto loco Eſdrę: ſunt tamen (vt dixerat) promptuaria ſuperiora, & manſiones cœleſtes, vt antea explicauerat. Quare verba illa nihil pro errore faciunt.

Nec etiam quidquam officit, quod in eodem capite dicat, Scripturā ideo inhabitationes etiā iuſtorum appellaſſe prōptuaria, vt occurreret illorū querelę, quod per plurimum tempus debita ſibi remuneratione fraudebantur: nam, vt ait, ideo lib. 4. Eſdræ cap. 5, dies iudicij aſsimilatur coronæ; quia corona coram omnibus maxima cū celebritate donatur, tàm ijs, qui primi cum victoria certauerūt; quàm ijs, qui nouiſsimè. Vnde & iuſti, licent expectent coronam ſibi in die celebritatis cū celebritate reddendam; non proinde conqueruntur de iudicij mora. 83. Soluitur altera.

Si adhuc obijcias illa verba capitis vndecimi poſita in quarto gradu lætitiæ, *quòd ſcilicet iuſti incipiant intelligere requiē ſuam, & prævidere futuram ſui gloriam; ea ſe mulcentes conſolatione in ſuis habitaculis, & ita cum magna tranquillitate requieſcere, ſtipatas præſidijs Angelorum.* Reſpondendū erit, iuſtorum animas interim ante diem iudicij frui viſione Dei, & lætari, quòd præuident futuram ſui corporis gloriam; & ea conſolatione mulcere appetitum naturalem, quem habent ad reſumenda corpora, & quod interim ſunt in cœlis pręſidijs Angelorum ſtipatæ, quorum conſuetudine, & colloquijs fruuntur. idque in politia veſpertina. Et hæc diximus de Sācto Ambroſio. 84. Soluitur 3ª

§ 8.

Epilogus eorum Patrum, qui iuſtis defunctis ante reſurrectionem viſionem denegarunt.

EX dictis iam patet, qui nam Patres docuerint, animas defunctorū non videre Deum ante reſurrectionem. In eo enim errore fuerunt Papias, Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Victorinus, Origenes, Aretas, Euthymius, & Barnardus. Patrem verò Auguſtinum in eadem ſen- 85. Patres qui nobiſcū nō cōſentiunt.

ſententia aliquando fuiſſe, mihi nõ eſt dubiū. Sed illam, vt fabuloſam, & anilem, poſtea reiecit, & impugnauit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm, & à quo tempore ſit de fide animas, cum primum nihil habent purgandum, aſſumi ad beatitudinem viſionis diuinæ eſſentiæ?

1. Ordo continuationis.

EXplicauimus quorundam hæreticorum ſententiam, qui olim negarunt, & modo negant, animas ſanctorum, ante vniuerſalem reſurrectionē aſſumi ad cœleſtem beatitudinem viſionis diuinæ eſſentiæ. Explicauimus aliorum errorem, qui eandem beatitudinem ſanctis denegabant per mille adhuc ãnos, poſt reſurrectionem; ſimulque expendimus, qui nam ex Patribus illam olim ſententiam probauere: conſequenter explicandum eſt, quid ſecundum fidē dicendū ſit. Statuimus igitur ſententiam Catholicam affirmare, ſanctorum animas, cum primùm nihil purgandum habent ſtatim aſſumi ad viſionem diuinæ eſſentiæ. Deinde oſtendemus, à quo tempore hæc affirmatiua ſententia fuerit de fide, vt præcitatos Patres ab hæreſi liberemus.

§. 1.

Sententia affirmans Sanctorum animas ante vniuerſalem reſurrectionem videre Deum, eſt Catholica.

2. Affirmãs eſt de fide. diffinita à Benedicto 12.

QVod ſententia affirmãs, animas cũprimũ nihil habent purgandũ, ſtatim ſine corpore aſſumi in cœlum, ſit dogma fidei, dubitari non poteſt: etenim eam diffiniuit *Benedictus 12. in Extrauagante, quæ incipit, Benedictus Deus:* cuius tenorem referunt *Caſtro 3. aduerſus hæreſes verbo Beatitudo hæreſi 6, & ante eũ Eymiricus in Directorio Inquiſitorum 2. p. fol. 134. refertur in ſumma conſtitutionum ſummorum Pontificum conſtitutu. 1. eiuſdem Benedicti 12: à Marſilio item in 3. q. 13. art. 3. & à pluribꝰ alijs; eiuſdē meminere Laziardus Cæleſtinus, Ioannes Ierſon in Sermone Paſchali, Sanderus de viſibili Hierarchia, & plerique alij:* quamuis non benè à Caſtro, & Xiſto Senenſi, & à quibuſdam alijs tribuatur Benedicto 11. cum in dicta Extrauagante fiat mentio Ioannis 22. quē Benedictus 11. præceſsit: quare condita fuit à Benedicto, qui Ioanni 22. immediatè ſucceſsit: Is autem fuit Benedictus 12. vt benè aduerterunt Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 3. & Franciſcus Penha in Commentarijs ad directorium lòco citato Com. 21. & Summa Conſtitutionum vbi ſuprà.

3. Verba Bullæ

Igitur Benedictus 12. in præcitata Extrauagante ita ait: *Habita prius ſuper prædictis ſolicita examinatione cum fratribus noſtris dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; de ipſorum fratrum conſilio, hac in perpetuum valitura conſtitutione authoritate apoſtolica diffinimus, quod ſecundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium, quî de hoc mundo ante Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsionem deceſſerunt, nec non Sanctorū Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum & aliorum fidelium defunctorum poſt Sacramentum Baptiſmi ab eis ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando deceſſerunt, nec erit, quando decedent, etiam in futurum: vel ſi tunc erit aliquid purgandum in eiſdē, tamè poſt mortem ſuam purgabunt; atq; animæ puerorum eodem Chriſti baptiſmate renatorū, & baptizandorum, cùm fuerint baptizati, ante vſum liberi arbitrij decedentium: mox poſt mortem ſuam, & purgationem præfatã in illis, qui purgatione huiuſmodi indigebant, etiã ante reſumptionem corporum, & iudicium generale poſt Aſcenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlum, fuerunt, ſunt, & erunt in cœlo, cœlorum regno, & Paradiſo cœleſti cum Chriſto Sanctorum Angelorum conſortio aggregatæ, ac poſt paſsionem, & mortem vidēt, viderunt, & videbunt diuinam eſſentiam, immediatè ſe benè, clare, & apertè illis oſtendentem: quodque ſic videntes eadem diuina eſſentia perfruuntur: nec non quod tali viſione, & fruitione eorum animæ, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ, & habent vitam æternam, & requiem; & omnium illorum, qui poſtea decedent, cum eandē eſſentiam diuinã videbūt, eademque perfruentur ante iudicium generale, & cætera.* Edita fuit anno ſecundo Pontificatus eiuſdem id eſt, anno 1335. quarto Kalendas Februarij.

4. Concil. etiã Florentinũ.

Poſt Benedictum idem diffiniuit Concilium Florentinum ſub Eugenio quarto anno Domini 1438. ſect. vltim. in literis vnionis ſub his verbis: *Illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam peccati maculam incurrerunt: illas etiam, qui poſt contra-*

ctam

ctam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Dominum Trinum, & vnum ſicuti eſt: pro meritorum tamen diuerſitate aliũ alio perfectius.

5. Concil. itẽ Trid.

Idem diffinitum eſſe in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. in Decreto de Inuocatione Sanctorum communiter aſſerunt. *Theologi ſ. Bellarminus, Valentia, Medina, Lorca, & cæteri*; ibi enim pręcipit, vt Epiſcopi, cæterique docendi munus ſuſtinentes, iuxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum inſtruant fideles de ijs, quæ ibi latè annotantur; & inter cætera præcipit, vt doceant, *Sanctos vna cum Chriſto viuentes, regnantes, & æterna in cœlo felicitate fruentes, eſſe inuocandos, vt pro nobis orationes ſuas offerant.* Et ad finem decreti dicit anathema ijs, qui contraria illis decretis, aut docuerint, aut ſenſerint. Eadẽ diffinitio ſatis expreſſè habetur ſeſsione 5. Canon. 5. de peccato originali in hæc verba: *Nihil damnationis ineſſe ijs, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem; qui non ſecundum carnem ambulãt, ſed veterem hominẽ exuentes; & nouũ; qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur*, facit etiã plurimũ diffinitio poſita ibidem ſeſsione 6. Cano. 30. vbi ſatis euidenter ſupponit, *aditum ad regna cœlorum patere ijs, qui reatum pœnæ, aut in hoc ſæculo, aut in Purgatorio perſoluerunt.*

6. Concil. Frã cofordienſ.

Facit Concilium Francofordienſe in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ in fine, dũ eos hortatur, vt ſequantur viſtigia Patrũ, quorum animæ ad Deum regnãt.

7. Oratio Eccleſiæ.

Maximè diffinitionem iſtam confirmat Eccleſiæ Romanæ teſtimoniũ, quæ in oratione de Sancto Gregorio Papa ita orat: *Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti.* Et in Antiphona ad Magnificat in ſecũdis veſperis plurimorũ martyrũ, ita canit. *Gaudent in cœlis animæ ſanctorum: & quia ſanguinem ſuum fuderunt pro Chriſto, ideo cum Chriſto regnant in æternum.*

8. Nihil facit Euariſtus.

Pro eadem veritate à nonnullis refertur Euariſtus Papa in ſua *prima Decretali in 1. tom.* Conciliorũ; ſed ibi ſolùm dicit, nos viſuros eſſe diuinitatem; vtrùm verò ſtatim poſt mortem eam videamus? nõ declarat. Docuit tamen illam Innocentius 3. *in cap. Cum Marthæ §. Tertio loco de celebrat. Miſſa. dum ait, Sãctos iam nunc eſſe perfectè beatos.* Idem in cap. Maiores cauſę, verſiculo *Ante tamen de baptiſmo* apertẽ docet, *per Sacramentum Baptiſmi ad regna cœlorum perueniri; cuius ianuam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſerauit.* Et in capit. Apoſtolicam de Prebytero non baptizato, aſſerit, *Presbyterum non bapatizatum, qui in Sancta Matris Eccleſiæ Fide, & Chriſti nominis confeſsione perſeuerauit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis Patriæ, gaudium eſſe adeptum.*

Facit Innocent. — cap. Maior — c. Apoſtolicam.

§. 2.

A quo tempore hæc veritas fuerit de fide, vt oppoſitum eſſet hæreticum?

9. Quãdo fuit diffinita.

SEd dubitari poteſt, à quonam tempore hęc veritas incæperit ita eſſe de fide, vt oppoſitũ eſſet hæreticũ? Quidã videntur ſentire, iſtam veritatem diffinitam fuiſſe de fide ab Innocentio 3. in præcitatis Decretalibus: quod ſatis explicant *Medina, & Valentia, in locis inferius citandis*; videtur conſentire *D. Thomas in 4. diſt. 56. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. & 1. p. q. 64. articul. 4. ad. 3. dum docet oppoſitum eſſe hæreticum.*

Quod fuerit diffinita ab Innocen. 3. qui affirmant.

10. Sed contra hanc ſententiã maximè vrget, quòd Ioannes 22. qui annis fere centum fuit poſt Innocentiũ, vel oppoſitum docuit, vel de illius veritate dubitauit: quã plurimi etiam Theologi illius tẽporis vſq; ad Benedictũ 12. conſulti à Sede Apoſtolica, vel eam negauerunt, vel de ea dubitarunt, vt patet ex præcitata Benedicti 12. Extrauagante, in qua ita habetur: *Sanè dudum tempore felicis recordationis Ioãnis 22. prædeceſſoris noſtri inter nonnullos, etiã Theologicæ facultatis magiſtros, ſuper viſione animarum iuſtorum hominum poſt mortem ſuam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc ſæculo deceſſerunt; vel ſi fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam eſſentiam videant ante corporum ſuorum reſumptionem, & iudiciũ generale? & ſuper nonnullis alijs orta materia quæſtionis ipſorum aliqui negatiuã, aliqui affirmatiuam, alij verò ſecundum ſuas imaginationes, de viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus huiuſmodi diuerſa, & diuerſimodè oſten-*

oſtendere nitebantur,prout ex dictis,& ſcriptis eorum noſcitur apparere. Cumq; idem prædeceſſor noſter,adquem prædictorum determinatio pertinebat,ad deciſionem concertationũ huiuſmodi ſe pararet in ſuo conſiſtorio publico,tam fratribus ſuis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus; quam Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant,præſentes iniungendo diſtrictus, & mandando, vt ſuper materia de viſione prædicta, quãdo requirerentur ab eo, de liberate vnuſquiſq; diceret, quod ſentiret.

11. Confirmatur. Quin potius idem Ioãnes 22. dum ſententiã ſuam partim explicauit partim retractauit; aſſeruit, *ſe ſentire animas beatorũ videre Deum, etiam,ante diem iudicij, niſi aliter Eccleſia, & ſui ſucceſſores diffinirent:* his verbis ſatis ſignificans, rem illã a ſuis anteceſſoribus nõ dum fuiſſe diffinitam; de qua re Ioannes Villanus lib. 11. hiſtoriæ de rebus Florentinorũ cap. 19. Quod ipſum ſatis probat,quoniã idem Ioannes in cõſiſtorio iuſsit,vt Theologi,præmiſſo diligenti ſtudio, parati eſſent ad ſuã opinionem dicendam,cum de illa quæſtione à Sede Apoſtolica requirerentur; volens poſt diligentem indaginem rem iſtã diffinire: quod non faceret, ſi res ab Innocentio III. aut alio ſuorum prædeceſſorum iam diffinita foret: imò nec ille ea de re poſt Innocentij diffinitionem dubitãdo; nec Theologi veritatem iſtam negando ab hæreſi liberari poſſent.

12. Diffinita eſt à Benedicto 12. Dicendum eſt igitur, veritatem iſtam ad dogma fidei pertinuiſſe poſt diffinitionem Benedicti 12. Innocentium autem in iuribus citatis hanc veritatẽ, vt certiſsimam.& indubitatam docuiſſe ; non tamẽ diffiniuiſſe: quidquid *Medina,& Valentia oppoſitum ſignificent. Vnde Bellarminus in dicto cap.* 2. Solùm ſcribit,Innocentium illam veritatem docuiſſe; & ideo ſine hæreſis periculo, & Ioannes 22. dubius, & anceps manſit,& Theologi tunc conſulti negantem partem dixerunt: at verò à tẽpore Benedicti 12. nullus ſine hæreſi potuit, aut hanc veritatem negare, aut de ea dubitare. Vnde Græci,&Armeni,qui poſt diffinitionẽ Benedicti veritatem iſtam negauerunt, etiã ante diffinitionem Concilij Florentini, ab hæreſi liberarari non poſſunt, & à fortiori poſt Florentinũ Anabaptiſtæ cum cæteris citatis art. 1. tanquam verê hæretici ſunt damnandi.

Armeni nõ liberãtur ab hęreſi.

§. 3.

Qui Catholicam veritatem docuerunt.

HAnc veritatem Catholicam docuerunt *D. Thomas 1.2.q.4.ar.5.& 4. contra gentes c.91. vbi Ferrarięſis,& Opuſculo 3.c.153.& paſsim alibi : latè Ochamus 2.p. Dialogorum tract. 1. latiſsimè Argentina in 4.d.49.q.4. Sotus in 4. d. 45.q.1. ar.3.cõcl.3. Caſtro aduerſus hæreſes verbo beatitudo hæreſi 6. Nicolaus Sanderus de viſibili Monarchia lib.7. hæreſi 118. Bellarminus lib.1.de Sanctorum beatitudine capit.1. cum multis ſequentibus: Medina 1.2.q.4.art.5. vbi etiam Lorca diſput.36. Valentia 2.tom. diſp.1.q.4.puncto 2. Canniſius lib.3.de Maria* Deipara *cap.12.pag.414. Bellomont.1.p.diſp.19. Ludouicus Tena in Epiſtola ad Hebræos c.11.difficul.28.ſectione prima alios omittamus.* 13. D.Thom. Ferrarienſ. Argentina Caſtro. Sanderus. Bellarm. Medina. Lorca. Canniſius. Bellom. Tena.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm veritas iſta ex Sacra Scriptura deducatur?

QVod hæc veritas ex pluribus Sacræ Scripturæ locis deſumatur, omnes cõueniũt: operæpretium erit ſingulos diligenter expendere.

§. 1.

Primus locus ex Luca 23.

PRimus locus,&ſatis efficax habetur apud Lucam 23. *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Nomine *Paradyſi,* in hoc loco accipi ſupernaturalem gloriã diuinæ viſionis, idque in ſenſu literali, facilè oſtendi poteſt,ſi omnes aliæ explicationes prius impugnentur: quod faciemus, ſi duo ſupponamus: primum eſt hæreticam eſſe opinionem, quã refert *Origenes ad finem Cõmentariorũ in Ioanẽ 2.tom. pag.473.E.* Hęc,5. verba nec fuiſſe dicta à Chriſto, nec à Luca ſcripta,ſed à quibuſdã adiecta;qui Euãgeliũ Ioãnis corrũpere voluerunt:etenim concors toti⁹ Eccleſiæ conſenſus hæc verba, vt à Chriſto ad latronem in Cruce dicta, & à Luca ſcripta ſemper recepit. Quare de hac veritate ſine hęreſi nunquã potuit dubitari: & à fortiori poſt Decretum Tridentini ſeſſ.4. de libris Sacræ Scripturæ.

1. 1. Locus ex Luca 23.

Paradyſo hic pro beatitudine eſſentiali.

Verba iſta dicta fuiſſe à Chriſto eſt de fide.

Alte-

2. Redicula cõſtructio verborum. Alterum eſt, ridiculam eſſe, & illuſoriam explicationem, quæ teſte *Theophylacto in dicto cap.23. aduerbium hodie* coniungit cum verbo *dico*, vt ſit ſenſus: *Hodie tibi dico, mecum eris in Paradyſo*: idque poſt vniuerſalem reſurrectionem: authores huius interpretationis in ea erãt ſentẽtia, quòd Deꝰ ante reſurrectionẽ à iuſtis videri non debebat. Hanc explicationem, tanquam ineptam parui pendit Theophylactus: eam eſſe cauendam, & toto horrore deteſtandã, tanquam ab hæreticis inuentam, teſtatur *Caſsianus collat.1.cap.14 pagina 186.* vt ridicula reijcitur *à Bellarmino libro primo de Sanctorum Beatitudine cap.3.pagina 845.D. à Ianſenio in ſua Concordia capit.143.pagina 1039. à Maldonato in Matthæum cap.27.num.44.pagina.663.C.D. & Suario 2.tom.in 3.partẽ, diſputat.43. ſectio.4.ante finem.* Quare aduerbium *hodie*, conſtruendum eſt cũ verbo *eris*, vt ſit ſenſus: *Hodie eris mecum in Paradyſo*: ſic enim Chriſti reſponſio concinit cum petitione latronis: petenti enim, vt ſui recordaretur, quãdo fuerit in regno ſuo, reſpondet: hodie mecum eris in regno meo. Quę tẽporis breuitas ex cõmuni omniũ Patrũ ſententia energiã habet ad declarãdam Dei munificentiã, & liberalitatẽ erga peccatores, qui ex corde cõuertuntur.

Caſsianus. Bellarm. Ianſenius. Maldonat. Suarius.

3. 1. Explicatio. His ſuppoſitis prima explicatio eſt, quorundam, quorum meminit Theophlyactus apud quos aduerbium *hodie* nõ denotat diem illam præſentem, ſed tempus poſt reſurrectionem; quod licet longè à præſenti diſtet: tamen propter certitudinem poteſt dici hodiernum: idque more Prophetarum, qui ob infalibillitatem promiſsi de futuris loquuntur, tanquam de præſentibus. Quam explicationem probauit *Anaſtaſius Epiſcopus Nyſſenus in lib. quæſtionum in Sacram Scripturam q.87.1.tom.Bibliothecæ pag.131.in fine*, vbi docet, latronem illo die fuiſſe in Paradyſo cum Chriſto non experientia, ſed ſententia: nam & Adamo dictum eſt, *in quocumque die comederis, morte morieris*: ſententia; non autem experientia, nec enim eo die mortuus fuit, in quo peccauit; ſed De ſenten tia fuit morti obnoxius.

Anaſtaſi.

Non recipitur. ¶ Sed explicatio iſta minimè eſt recipienda; vnde nec recipitur à Theophylacto nec à Bellarmino, & Suario; & merito quidem quoniam verba Chriſti Domini nec Prophetiã denotant, nec alicuius ſententię determinationẽ, ſed cõtinẽt ſimplicẽ quandã promiſsionem in prę miũ fidei: quare non erat verborũ obſcuritate tegẽda, ſed explicãda potius iuxta propriũ, & cõmunem verborũ ſenſum: nã promiſsio ſimpliciter prolata, & ſimpliciter vera, eũ ſenſũ habere debet, quẽ verba cõmuni loquentiũ vſu faciunt, maximè cum nihil cogat, vt verba in impropria ſignificatione accipiamus

Secunda explicatio ad præcedentẽ maximè accedit, quã ſcribit Origenes loco citato *ad finem Cõmentariorum in Ioannem 2.tom pag.473.* quã vocat profũdi ſermonis; vt aduerbium *hodie* denotet nõ diem præſentem, ſed præſens ſæculum; ita vt Chriſtus promittat, *in hoc ſæculo præſenti ante diem iudicij eris mecum in Paradyſo.* 4. 2. Explicatio. *Origene.*

¶ Sed vt benè aduertit Suarius loco citato pag.803.B.2. explicatio eſt cõtra proprietatẽ aduerbij *hodie*, & cõtra cõmunem Patrũ, & Eccleſiæ ſenſum. Ego addo explicationem iſtã, vel arguere malè actum eſſe cum latrone; vel opinioni, quã probat Origenes, directè repugnare: nam ſi nomine Paradyſi ſignificatur paradyſus iuſtorũ donandus poſt reſurrectionẽ; cũ ille teſte eodẽ Origene poſitus ſit in viſione diuinæ eſſentiæ; iam latroni promittitur viſio beata ante reſurrectionẽ, quod Origenes negat. Si verò nomine Paradyſi intelligatur paradyſus, & requies, ad quã omnes iuſti ante vniuerſale iudiciũ recipiuntur; malè actũ eſt cum latrone, ſi ille non ſtatim reddatur; ſed ſolũ pro ſæculo præſenti indeterminatè promittatur. Nec verum eſt aduerbium *hodie* in locis ab Origene citatis non ſumi pro hodierna die, vt legenti facilè patebit. Si verò obijcias in illis verbis Pſalmi ſecundi; *Ego hodie genui te*, aduerbium hedie ſumi pro æternitate: vel id negabo; quia ſumitur pro die reſurrectionis, vt patet ex Paulo, & communi Patrũ; intelliguntur enim de Chriſto homine: vel ſi de generatione æterna Chriſti, vt eſt Deus, intelligantur, adhuc pro nobis eſt locus: cum enim in æternitate non detur præteritum, aut futurum, ſed ſolum præſens, dies æternitatis ſemper eſt hodiernus; & ideo merito dicitur; *ego hodie genui te*: quod de ſæculo dici nõ poteſt, in quo præſens diſtinguitur à præterito, & à futuro. 5. Non recipitur. *Pſalm.2.*

6. 3. Explicatio. Tertia eſt explicatio; vt in illis verbis Paradyſus ſumatur pro terreſtri, à quo Adamus propter peccatum fuit expulſus. Quam expoſitionem plerique probauerunt; ſatis eam videtur ſignificare *Iuſtinus.* *Iuſtinus Martyr in quæſtionibus ad Orthodoxos q. 76.* & quamuis in ea non explicet, de quo Paradyſo loquatur; tamen cum dicat eum intraſſe Paradyſum, in quo in præcedente quæſtio. 75. dixit cuſtodiri iuſtorũ animas: & q. 85. declaret, animas illas eſſe in Paradyſo, in quo ſunt Enoch, & Elias; ibidem indicet, hos eſſe in Paradyſo terreſtri; profectò de hoc terreſtri intelligendus venit *in dicta q. 75. & 76.* Sed quidquid ſit de Iuſtino, præcitatam explicationem probat Euthymius in eadem verba, quæ apud eum habentur cap. *Moſes Bar cepha.* 81. Eandem probat *Moſes Barcepha, Cyri Epiſcopus in libro de Paradyſo prima parte capite ſeptimo, tom. primo Bibliothecæ pag.* 419. *B.* vbi pro eadem ſententia citat Ioannem in Oration. de Arbore ſcientiæ boni, & mali: & Seuerum in Oratione de Epitonnio: etenim, vt ait, Paradyſus terreſtris conditione corporeus eſt, & incorporeus: corporeus; vt corporea amenitate corpora delectet, & incorporeus; vt recreet animas. Eandem interpretationem ſequitur Olympiodorus Monachus in cap. 3. Eccleſiaſtes tom. 1. Bibliothecæ pag. 586. D. E.

7. Non recipitur. Hæc tamen explicatio nec debet, nec poteſt recipi, eam eſſe turpiſsimã, & Deo inuiſam *affirmaſſe Iuſtinum Martyrem, & Ambroſium, teſtatur S. Martyr* *Anaſtaſi⁹ Martyr.* *Anaſtaſius Synaita Patriarcha Antiochenus in ſuo Exameron analogicarum cõtemplationum lib. 7. tom. 1. Bibliothecæ pag. 273. A. vbi eam acerrimè impugnãt: eandem impugnant omnes* *Bellarmin.* *recentiores: Bellarminus in dicto lib. 1. de Sãctorum beatitudine c. 3. p. 845. vbi ſcribit, eã ſine dubio eſſe reijciendam. Contra eam ſcrip-* *Suarius.* *ſit Suarius ad 3. p. q. 46. art. 11. in Comm. §. Quarto dubitari poteſt. pag. 629. B. 1. & diſp.* *Ianſenius.* *54. ſect. 4. §. Nihilominus veritas eſt, pagin. 803. Ianſenius in Concordia cap. 143. pagin. 1039. Benedictus Pereira lib. 3. in Geneſim* 1. Impugnatio. *q. 5. p. 306.* vt alios omittamus. Primo impugnari poteſt; quia forte Paradyſus terreſtris iam non extat, vt plures volunt te- 2. Impugn. ſte Suario in dicto art. 11. & latè probat Pereira loco citato. Secundo, quia Paradyſus terreſtris potius corporib⁹ cõuenit quàm animabus, quarum deliciæ ſunt ſpirituales. Ecquid? quænã eſt digna merces illius venerandæ confeſsionis (inquit Anaſtaſius Synaita) malorum punicorum, pyrorum, vuarum, & ficuum eſum, tãquam mercedem reddere latroni? nec credibile eſt, loco terreſtri quantumcunque amenisſimo vim ſpiritualem à Deo conceſſam eſſe, vt animabus ſpirituales ingerat delicias.

8. 3. Impugn. Tertio; quia nec Chriſtus in illa die fuit in Paradyſo terreſtri; nec anima latronis. Quod anima Chriſti toto illo triduo fuerit in infernis locis, nec inde aſcenderit, niſi tempore reſurrectionis, vt veritatem indubitatam ſupponimus. Interim vide Suarium in d. diſp. 43. ſect. 6. fuit enim in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, vt patet Matthæi 12. ex quo loco parum tuta videtur ſententia *Nicephori* Non recipitur Niceph. *lib. 1. ſuæ Hiſtoriæ cap. 31.* dum ait. Chriſtũ eadem die, & hora, qua deſcendit ad inferos, cum omnibus ſanctis Limbi trãſijſſe ad Paradyſum terreſtrem, & ibi cum illis pro illo triduo manſiſſe. Redicula erit ſo- Occurritur Solutioni. lutio, ſi cum Origene ad finem Commentariorum in Ioannem reſpondeas, animã Chriſti prius ad Paradyſum terreſtrem iuiſſe, quàm deſcenderet ad inferos. Ad quid enim illum Paradyſum peteret? Quòd verò anima latronis non fuerit in Paradyſo tereſtri, ex eo patet; quia omnes ſanctorum animæ ante Chriſti reſurrectionem mox, vt à corpore ſeparabantur, ſi nihil purgandum erat recta deſcendebant in Limbum, qui dicebatur ſinus Abrahæ; ſicut modo ſtatim cœlum recta petunt: iam verò latro ob conuerſionem adeo miraculoſam omnem culpæ, & pœnæ remiſsionem conſequutus eſt, vt cõmunis ſanctorũ doctrina ſignificat: quare certum etiam eſt, animã lotronis mox in Limbum deſcendiſſe, vt rectè aduertit Suarius in d. art. 11. Cum igitur nec Chriſtus, nec latro in illa die fuerint in Paradyſo terreſtri; vtique promiſsio Chriſti non poteſt de illo intelligi. Denique ſi de Paradyſo terreſtri promiſsio intelligeretur, Chriſtus petitioni latronis non reſpõderet; ille enim non petebat Paradyſum terreſtrem, ſed gloriam regni Chriſti; cui rationi non ſatis facit Euthymius.

9. Vera explicatio. Vera & literalis explicatio eſt, vt in illis verbis Paradyſus idẽ ſit, quòd beata vita ſuperna-

ſupernaturaliſque animarum beatitudo,
quę datur, vbi Chriſtus beatificè cum ſuis
regnat: vt ſit ſenſus hodie mecum eris in
vita beata, ſupernaturaliq; regni mei bea-
titudine; quæ eſt cõmunis Patrum expli
Ambroſ. catio *Ita Ambroſius in eodem loco: Auguſt.*
Auguſt: *Epiſt.57.to.2.pag.140.D.1. Beda ad eadẽ*
Hierony. *verba: Hieronymus in cap. 9. Zachariæ ad*
illa verba: Tu quoque in ſanguine teſtamenti
tom.5.pag.255.col.2.dum ait: Eris in Para
dyſo id eſt in gloria, fruitioneq; æterni præmij.
Eodẽ modo explicat D.Greg.homi.20.ad fin.
D.Greg. *Cyprian.in ſerm.de cœna D.c.7.pag.471.&*
Cyprian. *in ſerm.D.c.2.pag.479.col.1.explicat in Pa*
radyſo, id eſt in regno cœlorũ. Eodẽ modo Atha
Athanaſ. *naſius in ſerm.contra omnes hæreſes pag.588*
Auguſt. *C. Auguſt.ſerm.184.de tempore c.6. to.10.*
pag.321.A.1.& ſerm.163.pag.332.D.1.
Deniq; nominẽ Paradyſi intelligẽdũ eſſe
illũ, q Adamo, & nobis ob peccatũ clauſ⁹
fuit, & Chriſti morte nobis apertus, docẽt
Auguſt. cõmuniter Patres. *Ita Aug.ſerm.122. de*
Chryſoſt. *tẽpore. Chryſoſtom.in ſerm.de Latrone tom.*
3.pag.741, & in ſerm.de Cruce, & Latrone
tom.5.pag.743.& in c.7. Iſaiæ tom.1.pag.
Athanaſ. *1268.C.D. Athanaſ.ad Epictetum cõtra hæ*
reticos in expoſitione fidei pag.84.D. pecca
tũ autem nihil aliud nobis clauſit, quã ſu-
pernaturalem beatitudinẽ cęlorũ. Senſus
igitur erit: *hodie mecũ eris in Paradyſo*, ideſt
in beatitudine felicitateq; Sãctorũ in qua
Chri ſt⁹ beatificè illa die erat regnaturus.
10. Confirmatur. Quòd in rigore iſte ſit ſenſus literalis,
ex eo probatur, quia hæc vox *Paradyſus*,
præ ſe fert ingentem quandam volupta-
tem, lætitiam iucunditatemque *vt expli-*
cat Aug.in d.epiſt.57. Quare in rigore hoc
nomine intelligi non poteſt, niſi felicitas,
qua fruũtur, qui feliciter viuũt. Ideo enim
dicuntur eſſe in Paradyſo, quia ſunt in illa
ſuprema iucũditatis felicitate. Verũ, quia
nomen iſtud hãc lætitiã denotat cum qua
dã connotatione ad locũ; ideo cõmuniter
etiã ſumitur pro loco, in quo felicitas iſta
poſſidetur. Ob hanc rationẽ locus in quo
proximi parentes poſiti ſunt, Paradyſus
eſt dictus; quia loci illius corporali amæ-
nitate iucundiſsimè fruebãtur: cœlũ etiã
Empyreum Paradyſus dicitur; quia
in eo beati diuina fruuntur viſione. Lim-
bus autẽ, in quo ante Chriſti reſurrectio-
nẽ animæ Sãctorum in inferis detineban
tur, olim ſimpliciter non dicebatur Para-
dyſus, ſed ſolũ ſinus Abrahæ, quãuis in eo
animæ ſanctę requieſcerent: quod mihi
probat Cyrillus Ieroſolymitan. Catecheſi 13. Cyril. Ier.
tom.2. Bibliothecæ pag.140.in fin. dum ait;
nec Abraham, nec Moyſem, nec Prophe
tas ante reſurrectionẽ, & deſcenſum Chri
ſti ad inferos fuiſſe Paradyſum ingreſſos:
concinit *Chryſoſtom. in homil.de diuite to.* Chryſoſt.
2.pag.1099.ante finẽ, & pag.1103. dũ ait,
Abrahã ante deſcẽſũ Chriſti nõ fuiſſe in
Paradyſo, cum tamen fuerit in Limbo.
Senſus igitur literalis eſt: *Hodie mecũ* 11. Proprius ſenſus.
eris in Paradyſo, id eſt, hodie mecum eris
in regni mei beatitudine, atque delicijs,
& ſimul mecum eris beatus. Cum verò
anima Chriſti illa die non fuerit in cœlo,
ſed in Limbo, qui tunc ſinus Abrahæ erat;
non poteſt *Paradyſus*, in illis verbis ſumi
pro Paradyſo cœleſti, in quo poſt Chriſti
aſcenſionẽ animæ beatorum requieſcũt,
& qui modo ſimpliciter eſt, & dicitur Pa
radyſus, ſed ſumi debet pro Limbo, ſinu-
que Abrahæ, in quo ingrediente anima
Chriſti Patres cęperunt eſſe in Paradyſo,
regnoq; beatifico Chriſti: quia tunc primũ
cæperunt videre Deũ, & viſione eius bea
te viuere aſſecuti ſupernaturalẽ beatitudi
nẽ. Vnde pro tẽpore, in quo Chriſtus cũ
Patribus fuit in Limbo, limbus ipſe verè
dictus eſt Paradyſus, vt aduertit Chryſo-
ſtomus vbi ſuprà. Igitur cũ illis, & Chri-
ſto anima latronis in eadẽ die verè fuit, nõ
ſolùm in delicijs felicitateq; Paradyſi, ſed
in Paradyſi loco: quæ eſt explicatio *Aug.* Auguſt.
multis in locis maximè in d. Epiſt.57.
Sed ex hoc loco nõ dũ habemus Parady
ſum ibi accipi pro beatitudine illa ęterna, 12. Obiectio D. Bernard.
quæ ſita eſt in viſione diuinæ eſſentiæ,
quod inquirimus: nã *D. Bernard ſerm. 4:*
omniũ Sanctorũ libentiſsimè admittit Lim
bũ Patrũ pro illo tẽpore, quo anima Chri
ſti in eo fuit, potuiſſe appellari Paradyſũ,
& Chriſti regnũ: cum ibi ſanctorũ animę
cæperint, & feliciter viuere, & ſub altari
Dei collocari, dum cæperunt videre Chri
ſti animã, quæ eſt pars humanitatis Chri-
ſti, quam nomine altaris Dei intelligen-
dam putat; cuius viſione interim vſque
ad viuerſalem reſurrectionem beantur.
Cuius opinio confirmari poteſt ex Pau-
lo ſecundæ Corinthior.12. dum, ait, *Se*
raptum fuiſſe in Paradyſum, & ibi audi- 2.Cor.12.
uiſſe arcana verba, quæ non licet homini lo-
qui; & tamen iuxta communiorem ſen-
tentiam diuinam eſſentiam non vidit.

Ex quo colligi videtur non eſſe omnino idem eſſe in Paradyſo, & videre diuinam eſſentiam: cum ad id ſatis ſit, diuinis frui voluptatibus, quales ſũt, quę ſunt in atrijs domus Domini, vt ait Bernardus.

13. Quod ſuma ur pro loco beatitudin.

Sed quamuis hæc efficiant locum iſtũ, ſecluſa Eccleſiæ diffinitione, opinionem Bernardi non conuincere; non tamen efficiunt, ne eam efficaciſſimè vrgeat; cum Paradyſus in nouo teſtamento nõ accipiatur, niſi pro loco, in quo Deus beatificè videtur; ſeu potiùs pro ipſa beatifica Dei viſione, vt patet ex *cap: 2. Apocalypſis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradyſo Dei mei.* (*Apocal. 2.*) Ex quibus colligitur, vnũ tantum dari Paradyſum Dei; & vnũ lignũ vitæ, cuius eſu beati ſumus: quod non eſt aliud, niſi viſio clara diuinitatis; & quia Paulus in Paradyſũ raptus de illo nõ edit, ſi Deum non vidit, ideo non ſimpliciter fuit beatus, quamuis fuerit in loco beatorum. ¶ Et hæc de verbis Chriſti ad latronem Lucæ 23.

§. 2.

Secundus locus ex 2. Corint. 5.

14. 2. Locus.

Secundus locus ad veritatẽ catholicã cõfirmandã ſumitur ex 2. Corin. 5. & primum ex illis verbis: *Audentes igitur ſemper, & ſcientes; quoniã, dum ſumus in corpore, perigrinamur à Dño (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem:) ſtudemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis perigrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dñm;* ex quibus patet nõ ſolũ pręſentiã in corpore eſſe abſentiam à Domino; & è conuerſo præſentiã ad Deum eſſe abſentiam à corpore; ſed etiã quòd ad peregrinari à Domino, ſequitur eſſe in corpore, & ambulare per fidem: & ad perigrinari à corpore ſequitur eſſe præſentes ad Dominum, & ambulare per ſpeciẽ, facialẽq; viſionẽ; ita vt non detur mediũ inter peregrinari à Domino per carentiam viſionis, & eſſe in corpore, ambulareq; per fidẽ; ſicut etiã non datur medium inter peregrinari à corpore per carentiã illi⁹, & eſſe præſentem ad Dominũ, ambulareq; per ſpeciem atq; viſionem facialẽ. Daretur autem medium inter illa extrema, ſi animæ ante reſurrectionẽ Deum non viderent, etenĩ animę exeuntes à corpore ſimul peregrinarẽtur ab eo; quia ſine illo eſſent; & ſimul nõ peregrinarentur à Dño; quia eũ viderent. Quin potius ambularent per fidem: quia toto illo tempore fidem non amitterent; nec tamẽ eſſent in corpore: cõtra id, quod Paulus aſſerit.

Accedit etiam, (vt aduertit *Bellarmin. in d. lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 3. in 3. teſtimonio Sacræ Scripturæ pag. 844. in princ.*) quoniam Paulus in illis verbis euidenter ſupponit dari aliquem ſtatum animæ, in quo peregrinetur à corpore, & nõ à Dño: optamus enim peregrinari à corpore, vt à Dño non peregrinemur, ſed ad eũ præſentes ſimus. Iam verò talis ſtatus nunquã daretur, ſi poſt mortẽ, & ante reſurrectionem nõ videremus Deũ: nam in hac vita peregrinamur à Deo, & nõ à corpore: poſt reſurrectionẽ autẽ nec à Deo peregrinabimur; quia Deũ videbim⁹: nec à corpore; quia in corpore reſurgemus: ante reſurrectionẽ verò, poſito illo errore, & à corpore peregrinaremur; quia nõ haberemus corpora; & à Dño: quia nõ videremus Deũ. Quare, ſi dandus eſt ille ſtatus, quẽ ponit Apoſtolus, neceſſariò eſt admittẽdũ, animas iuſtorũ poſt mortẽ ante reſurrectionẽ videre Deum: quia tũc peregrinarentur à corpore: non tamẽ à Deo. (15. Alia cõfirmatio. Bellarm.)

16. Occurritur obiectioni.

Sed dicet aliquis, locũ iſtum nõ conuincere ſententiam D. Bernardi, qui volebat animas eſſe quidẽ in cœlis ſub altare Dei videntes humanitatẽ Chriſti; idque vſq; ad generalem reſurrectionẽ: etenim verbũ *Dñs* ſumi debet, nõ pro Deo, vt Deus eſt; ſed pro Chriſto, qui verè eſt Dñs. Ab eo igitur peregrinamur, dũ ſumus in corpore: ſumus tamen præſentes ad eũ, dum peregrinamur à corpore. Sed obſtat primò; quia Paulus in verbis immediatè antecedentibus agit de Deo, inquiens: *Qui autem efficit nos in hoc ipſum: Deus:* & ſubinde in ſequẽtibus *Dñs*, idẽ erit, quòd De⁹: quæ eſt cõmunis explicatio: quæ ex eo euidenter cõfirmatur; quia ex præcitatis verbis conſtat, ambulare per fidẽ inferre eſſe in corpore, & peregrinari à Domino: & è cõuerſo eſſe pręſentẽ ad Dominũ, & peregrinari à corpore excludere fidẽ. Id quod ſatis ſignificauit *Auguſt. 14. de Trinit. c. 2.* explicans enim hæc verba Pauli, ait, tunc nullam fidem eſſe futuram: iam verò viſio ſolius humanitatis Chriſti non tollit fidẽ, ſed ſola viſio diuinitatis quod etiam aduertit *Bellarminus in dicta pagina 844. C.* Quare verba iſta Pauli euidenter, (1. Ratio; *Auguſti.*)

ter damnãt errorem, cõtra quem agimus. Contra quem ex ijſdem catholicam veritatem deduxerunt *D. Thomas* 1. 2. *q.* 4. *art.* 5. *vbi Medina, & Porrecta: idem Diuus Thomas in* 4. *contra gent. c.* 91. §. *Quod autẽ ſtatim, vbi Ferrarienſis: idem D. Thomas in d. cap.* 5. *Pauli lect.* 2. §. *Sequitur conſequenter, & cum eo cæteri interpretes, Caietanus, & alij, & latè Salmeronius ibidem diſp.* 6. *in* 5. *dub. pag.* 307. *Bellarmin. vbi ſuprà pagina* 843. *in fine: Bellomont.* 1. 2. *diſp.* 19. *c.* 2. *n.* 5. *Valentia* 2. *tom. diſp.* 1. *q.* 4. *puncto* 2. *pag.* 45. *in* 4. *loco: Lorca* 1. 2. *q.* 5. *diſp.* 36. *memb.* 1. §. *Secundo conſtat.* Satis conſentiunt Patres, ſi diligentiùs conſiderentur, dum docent, nos ideò deſiderare peregrinari à corpore, vt ſimus cum Domino, illique præſentes, vt patet ex *Tertulliano de reſurrectione c.* 43. *Theodoreto, Oecumenio in eodem Pauli loco, ex Auguſtino vbi ſuprà.* Quod quidem deſiderium gratiæ, niſi eſſet ad viſionem Dei finis ſupernaturalis, non ſatis eſſet ad vincendum deſiderium naturæ, quo cupimus non ſpoliari, ſed ſolùm ſuperindui.

D. Thom. Medina. Porrecta. Ferrar. Caiet. Salmeron. Bellarm. Valentia. Tertull. Theodor. Oecumen. Auguſt.

17. Ex alijs verbis Pauli.

Eandem veritatem plures deducunt ex eodem loco Pauli in principio capitis: *Scimus, quia, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, æternam in cœlis: nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuper indui cupientes; ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur, nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Et profectò locus eſt ſatis efficax, *ſi per domum noſtram terreſtrem* accipiamus corpus hoc mortale, vitamque corporalem huius ſæculi: & per *ædificationem, domumque non manu factam in cœlis* intelligamus vitam æternam viſionis beatificæ: in quo ſenſu præcitata verba exponunt *Photinus apud Oecumenium, D. Anſelmus in eodem loco, Gloſſa ad verbum ingemiſcimus, litera D. & D. Thomas ibidem lect.* 1. vbi docet hunc ſenſum cum antecedentibus, & conſequentibus conſentire: probat Lyra ibidem: & hanc expoſitionem ſine dubio eſſe veriorem *affirmat Bellarminus in d. lib.* 1. *de Sanctorũ beatitudine c.* 3. *in* 2. *Scripturæ teſtimonio, pag.* 842. *C. Bellomontanus* 1. 2. *diſp.* 19. *c.* 2. *in* 2. *Scripturæ loco*: eam eſſe tutiorem aſſerit *Salmeronius in eadem epiſtola diſp.* 6. *ad cap.* 5. *in* 2. *dubio: nec eam omnino reijcit Benedictus Iuſtinianus in præcitatis verbis.* Quòd per *terreſtrem domum huius habitationis* non ſit intelligendus mundus iſte, vt quidam teſte Chryſoſtomo voluerũt, ſed corpus hoc mortale, communis eſt, & Latinorum, & Græcorum Patrum opinio, & omnium interpretum: etenim de hoc mortali corpore egit Paulus in antecedentibus, cum dixit: *Si exterior homo noſter corrumpitur*: de eodem etiam agit in cõſequentibus, dum ait, *dùm ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* An verò 18.
per *ædificationem ex Deo*, & per *domum non manu factam* intelligenda ſit vita æterna viſionis beatificæ? dubitari poteſt, nam per illa verba intelligendum eſſe corpus immortale, eſt opinio inter Patres magis recepta; quam probauerunt *Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Ambroſius in eodem loco, & cum illis Methodius*: adde *Tertullianum de reſurrectione c.* 41. probat *Hugo Carinalis in eodem loco: & inter nouiores eſt communior explicatio, probat Caietanus, Carthuſianus, & Benedictus Iuſtinianus*: hac autem ſuppoſita explicatione, diffinitio catholica non ſatis ex hoc loco colligitur: efficaciter tamen colligetur, ſi cum Photio, & alijs iam citatis per illa verba intelligamus vitam æternæ beatitudinis: quam explicationem ego puto cum Apoſtolo magis conſentire, quæ fuit ſententia D. Thomæ vbi ſuprà: etenim, dum ait; *Scimus enim*, ſatis ſignificat ſe reddere rationem eorum, quæ antea dixerat: iam verò ad finem præcedentis capitis agebat cum Corinthijs, ne in tribulationibus deficerent; quoniam licet homo exterior corrumpatur; interior tamen renouatur; vt quia contempletur, non hoc momentaneum, & leue tribulationum, quod in præſenti eſt; ſed æternum gloria pondus, quod operatur: reddens autem rationem huius doctrinæ, inquit, *Scimus, quòd ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis morte diſſoluatur; quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis*: nimirum illud ſublime, & æternum gloriæ pondus, quod momentaneum illud, & leue tribulationis noſtræ in nobis patienter illud ſuſtinentibus, operatum eſt: idque tanquam præmium tribulationum, quæ domum terreſtrem diſſoluerunt.

Photinus. Anſelm. D. Thom. Bellarm. Bellomon. Salmeron. Iuſtinian. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Ambroſ. Methodi. Tertull. Hugo Cardinal. Caiet. Carthuſ. Iuſtinian.

runt. Vult igitur Apoſtolus oſtendere (*vt ait D. Thomas*) quòd Sancti rationabiliter ſuſtinent tribulationes, & diſſolutionem huius domus terreſtris: quia illa diſſoluta in cœlis habent præparatam ſibi gloriam, ipſa ſufferentia tribulationū emeritam. Agit igitur Apoſtolus de gloria, quam tribulatio operata eſt tanquam præmium per ſe, & primo tribulationi correſpondēs: quod ipſum eſt gloria animæ: nam gloria corporis non primò, & immediatè reſpondet merito ſufferentiæ tribulationum; ſed ex conſequenti, & ſecundario: menſuratur enim ex gloria animæ.

D. Thom.

20. Et iuxta hanc explicationē facilè explicantur cætera, quæ ſequuntur: & præterea verba illa *audentes igitur*, optimè cū præcedentibus connectuntur. Quare verba immediatè ſequentia: *nam & in hoc ingemiſcimus*, ſic explicari debent: licet ex hac certitudine, quod diſſoluta domo terreſtri corporis noſtri habemus domum cœleſtis beatitudinis, conſequatur deſiderium feruentiſsimum ad illam: tamen ideo ingemiſcimus; quia naturale deſiderium, ne domus iſta terreſtris diſſoluatur, facit, vt cœleſtem illam habitationē, non nudè, & ſine corpore; ſed veſtiti & cum corpore ſuperinduto appetamus: reddens autem huius deſiderij cauſam, inquit; quoniam, qui ſumus in hoc corpore, naturali deſiderio grauati nolumus ſpoliari, ſed appetimus ſuperueſtiri ipſa gloria, vt huius corporis mortalitas illa aſſecuta, abſque diſſolutione, abſorbeatur: ſed quoniam, qui in hoc ſupernaturali deſiderio conſequendi cœleſtem gloriam conſtituit, dedit nobis pignus ſpiritus, & gratiæ; quo ſcimus (Deo ita ſtatuente) quòd à Deo, cœleſtique gloria tandiù peregrinabimur; quandiu in hoc corpore fuerimus; quia ſtatutum eſt, ne quis Deo ſit præſens per gloriam, niſi prius peregrinetur à corpore: certi autem de hoc decreto feruore pignoris nobis dati, audemus magis velle perigrinari à corpore, & Deo eſſe præſentes. Ex hac explicatione patet, verba illa: *Audentes igitur*, optimè continuari cum prioribus illis: *Scimus quòd ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur; habemus ædificationem à Deo domum non manufactam in cœlis.* Qua facta cōnexione, & continuatione, euidenter patet in illis prioribus, ſermonem eſſe de domo cœleſtis beatitudinis, quam ſine corpore, ante corpus conſequemur.

Cætera explicantur.

§. 3.

Tertius locus ex cap. 4. ad Epheſios.

Tertius locus ſumitur ex verbis Pauli *ad Epheſios 4. n. 8. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatē*: etenim illa verba: *Aſcendens in altum*, nō eſſe intelligenda de aſcenſu in Crucem (quidquid nonnulli velint) ſed de aſcenſione in cœlum, expreſſè probant verba Pauli immediatè poſita: *qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos*: quæ eſt omnium & Patrum, & interpretum indubitata explicatio. Per captiuitatem autem, quam in cœlum ſecum duxit, in ſenſu literali intelligi debent animæ Sanctorum Patrum, quæ in Limbo captiuæ detinebantur: ita hæc verba intellexere *D. Hieronymus in Pſalmo 67. in eadem ipſa verba: D. Ambroſius in d. c. 4. ad Epheſios: & Gloſſa ordinaria, Hugo Cardinalis, D. Thom. Lyra, Caietanus, & cæteri interpretes in eodem loco: ex Scholaſticis Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 3. in 5. teſtimon. pag. 848. & Valentia tom. 2. diſp. 1. q. 4. puncto 2. in 5. loco, pag. 76. A. B.* 21. 3. locus.

Hieron. Ambr. Gloſſa. HugoCardin. D. Thom. Bellarm. Valentia.

Quæ expoſitio primò cōfirmatur: quia Paulus his verbis alludere videtur ad morē triumphantiū, qui captiuos ante ſe vinctos ducebant. Iam verò Chriſtus non alios habebat captiuos, quos ante ſe realiter duceret, niſi quos è Limbo eduxerat: de hac igitur captiuitate in ſenſu literali eſt intelligendus: nam captiuitatem Sanctorum viuentiū, quos à captiuitate peccati morte ſua liberauit, aſcendens in cœlum, ſecum non duxit. 22. 1. confirm.

Deinde confirmatur: quia Paulus intelligendus eſt de captiuitate, quam deſcendens in inferiores partes terræ ſecum duxit, vt explicat Auguſtinus in eadem verba Pſalmi 67. relatus à Gloſſa ordinaria in eodem loco Pauli. Iam verò per partes illas inferiores ad literam non eſſe intelligendas inferiores partes mundi, qualis eſt terra; ſed eas, quæ verè ſunt nobis inferiores, qualis eſt Limbus, ex eo oſtenditur; quia Paulus agit de deſcenſu, & aſcenſu Chriſti, vt eſt homo; vt patet ex illis verbis: *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui* 23. 2. confirm.

aſcendit, denotant ipſeitatem Chriſti, non ratione ſolius perſonæ, ſed etiam naturæ humanæ ſaltem ſecundum alteram partem: ad partes autem inferiores, in quibus habitamus, deſcendit ſola perſona Verbi, idque per incarnationem: cum tamen nõ ſola Verbi perſona aſcenderit, ſed vt ſubſiſtens in humanitate: at verò in partes nobis infernas deſcendit, non ſola perſona, ſed vt ſubſiſtens in anima. Quod mihi maximè confirmat illud Zachariæ 9:
Zachar. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*; quos eduxit non deſcendens in ſolam terram incarnando; ſed deſcendens ſecũdùm animam in infernum. Quòd ſi Paulus intelligendus eſt de captiuitate, quam in infernum deſcendens deduxit; vtique intelligendus eſt de captiuitate Patrum, qui erant in Limbo. Quare ſi Chriſtus aſcendens in cœlum ſecum duxit captiuã captiuitatem, quam deſcendens in Limbum ſecum deduxit; vtique Patres illi, qui in Limbo fuerunt iam ſunt in cœlo.

24. Conuincitur. Ex dictis iam patet ex hoc Pauli loco ſatis conuinci illorum ſententiam, qui putant ante reſurrectionem animas iuſtorũ non eſſe in cœlo, conſtat enim ex hoc loco Pauli animas Patrũ, qui erant in Limbo, cum Chriſto in cœlum aſcendiſſe.

An conuincat explicationem D. Bernardi? ¶ Dubitabit tamen aliquis; an ex hoc loco conuincatur opinio D. Bernardi, qui admittit quidem animas eſſe in cœlo; nõ tamen videre diuinam eſſentiam; quia vſque ad reſurrectionẽ in ipſo cœlo ſunt, ſub altare Dei videntes ſolam Chriſti humanitatem, & nõ diuinitatem. At tamen ſi conſuetudinem Scripturæ ſacræ, & cõmunem modum loquendi Patrum diligenter attendamus; ſatis ex hoc loco colligitur, animas Patrum cum Chriſto aſcendiſſe in cœlum, in quo Deus in ſua diuinitate videtur: etenim Iſaiæ 66: ideò cœlum dicitur *ſedes Dei*; & Matthæi 5. *Dei Thronus*, quia in cœlo Dei maieſtas in propria eſſentia videtur, iuxta illud
Matt. 18. Matthæi 18: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*: & ob hanc cauſam Chriſtus iubet, vt orando dicamus: *Pater noſter, qui es in cœlis*: nã cùm Deus ſit vbique; ideò ſpecialiter dicitur eſſe in cœlo, quia in cœlo ſe ipſum beatis clarè manifeſtat: vnde apud Patres idem eſt eſſe in cœlo, atque eſſe in eſſentiali beatitudine viſionis, & is modus loquendi in hoc ſenſu ab omnibus fidelib⁹ vſurpatur: & eundẽ ſatis explicauit Hieronymus in eiſdem verbis Pſalmi 67. dũ dixit, *Chriſtum aſcendendo in cœlum ipſam, quam ſecum detulit captiuitatem, æternæ vitæ reſtituiſſe*: per æternam vitam ſignificans beatitudinem viſionis diuinæ eſſentiæ: idem Hieronymus in d. loco Pauli ſatis declarat, captiuitatem, quam Chriſtus ſecum in cœlum duxit, gloriæ triũphum aſſecutam eſſe. Quare nomine cœli in citatis Pſalmi, & Pauli locis, omnes interpretes viſionem diuinæ eſſentię intelligunt, & ex ſcholaſticis *Bellarminus*, & *Valentia vbi ſuprà*.

§. 4.
Quartus locus ad Philippenſes 1.

Quartus locus ſumitur ex verbis Pauli ad Philippenſes 1: *Coarctor autem ex duobus: deſiderium habẽs, diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò melius eſt: permanere autem in carne neceſſarium propter vos*. Et ex alijs, quæ præcedunt: *Mihi autem viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Ex quibus verbis interpretes, & Theologi communiter inferunt, beatitudinem poſitam in viſione diuinitatis ſtatim poſt mortem Sanctis conferri: ita *D. Thomas in eodem loco Pauli lect. 3. ante finem, & Caietanus ad eadem verba, Salmeronius in eodem cap. 1. diſp. 3. pag. 284. col. 2. in principio: ex ſcholaſticis Medina ad 1. 2. q. 4. art. 5. §. In confirmationem verò, pag. 919. col. 2. in principio, & Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 3. in 6. teſtimonio, Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 4. in 6. loco, pag. 76. C. Caſtro aduerſus hæreſes, verbo beatitudo hæreſi 6*. Et profectò locus ſatis eſt efficax, ſi duo expendamus: vnum eſt; diſſolui, & eſſe cum Chriſto immediatè ſe habere. Alterum eſt eſſe cum Chriſto, idem eſſe, quod eſſe in beatitudine viſionis Dei. 25. 4. locus. D. Thom. Caiet. Salmer. Medina. Bellarm. Valentia. Caſtro.

Quod attinet ad primum, verba iſta ſatis conuincunt ad diſſolutionem corporis immediatè conſequi *eſſe cum Chriſto*: quæ eſt mens omnium Patrum, & interpretum: nam (vt eleganter annotauit Caietanus) Paulus non ſimpliciter dixit, ſe deſiderare diſſolui, ſed diſſolui, & eſſe cũ Chriſto ſimul: quoniam mors ſecundum 26. Expenduntur.

ſe non eſt deſiderabilis, ſed prout ſecum habet adiūctum eſſe cum Chriſto. Quod *Ambroſ.* ſatis explicauit Ambroſius ita ſcribens: *Habet enim deſiderium excedere, & cũ Chriſto eſſe, multò melius æſtimans, vt iam præſens ſit apud Deum.* Iam, ait, id eſt, ſtatim poſt mortem. Idem ſignificat Theophylactus: *Mori autem lucrum eſt, quod per mortem, tum apertiùs intelligam æterna: lucrum itaque mihi præbebũt feſtinantes me ex huius mundi vita eijcere, Chriſto, qui eſt vita æterna, me colligantes.* Tùm, inquam, id eſt, ſtatim, ac moriar: vnde feſtinantes ipſam mortem, feſtinant etiam alligationem Pauli cum Chriſto: quod non eſſet, ſi eſſe cum Chriſto non eſſet cum morte coniunctum. Adde illud Gloſſæ interlinia-*Gloſſa.* lis: *ipſum mori eſt lucrum; quia per mortem ab his miſerijs liberatus ad beatitudinem trā-*August.* ſeam.* Quod etiam ſignificauit Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 2: *Concupiſcentiam diſſoluendi hominis ab his miſerijs, quibus, quaſi compedibus iunctus, & cum Chriſto eſſe,* ſignificans ipſam ſolutionem è compedibus eſſe ipſum eſſe cum Chriſto. Denique verba ipſa Pauli id ſatis oſtendunt: etenim duobus coarctabatur: mori ſcilicet, vt eſſet cum Chriſto; & manere in vita, vt fidelibus prodeſſet; quod non eſſet, niſi vnum ad alterum immediatè conſequeretur: ſi enim daretur medium, non coarctaretur duobus, nimirum mori, & permanere in carne; quia adhuc poſt mortem non eſſet cum Chriſto: ſicut etiam 2. Corinth. 5. non datur medium inter perigrinari à corpore (quod eſt mori; & eſſe præſentem ad Dominũ, quod eſt eſſe cum Chriſto) vt ſuprà diximus in 2. loco Scripturæ.

27. *Eſſe cum Chriſto idē eſt, quod eſſe cũ Deo.* Quod verò eſſe cum Chriſto idem ſit, quod eſſe cum Deo per viſionem diuinitatis (quod eſt ſecundum caput probandum) eſt communis Patrum, ſaltem tacita explicatio: quia eſſe cum Chriſto non diſtinguunt ab eſſe beatum beatitudine cœleſti, & perfecta: etenim omnes fatentur, idem eſſe apud Paulum eſſe cũ Chriſto, & eſſe in præſentia Chriſti: ſicut etiã 2. Corinth. 5. idem eſt eſſe cum Deo, & eſſe præſentes ad Deum. Vnde ex *Augu-*August.* ſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 2.* & ex Gloſſa interliniali: Paulus deſiderat eſſe cum Chriſto pręſentialiter; quia talis pręſentia eſt præſentia cum Deo, quam Paulus deſiderabat ſecundæ Corint. 5: *Bonam voluntatem habemus magis perigrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*: in qua præſentia poſita eſt Sanctorum vita, iuxta illud ad Coloſſenſes 3. *Vita veſtra abſcōdita eſt cum Chriſto in Deo: cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc apparebitis, & vos cum eo in gloria.* Quare cum poſt mortem & diſſolutionem corporis Chriſtus nobis appareat, quia cum eo ſumus, vt hoc loco ait Paulus; vtique cum eo erimus in gloria, veraque beatitudine. Vnde Ambro- *Ambr.* ſius in eodem loco: *Habet deſiderium excedere, & cum Chriſto eſſe: multò melius æſtimans, vt iam præſens ſit apud Deum, vt exoptatis, & promiſſis fruatur;* beatitudine. ſ. & gloria perfecta. Vnde ex Chryſoſto- *Chryſoſt.* mo ibidem: *Mori eſt lucrū; quod nihil aliud eſt, quàm moriendo ad vitam peruenire*: ad vitam, inquam, in qua nō iam per fidem, ſed facie ad faciem Deum videbimus, vt idem Chryſoſtomus ait in eodem loco in principio moralis digreſsionis. *Mori denique* (ex Gloſſa interlineali) *& eſſe cum Chriſto eſt lucrum; quia per mortem Sancti ad beatitudinem tranſeunt.* Quare in pręcitatis verbis Pauli eſſe cum Chriſto idem eſt, quod habere coronam promiſſam gloriæ: & idem eſt, quod frui promiſsis nobis à Deo in hac vita exoptatis: deniq; idem eſt, quod eſſe in perfecta beatitudine. Vnde ſi ad diſſolui immediatè ſequitur eſſe cum Chriſto, vt Paulus affirmat: vtique ex Pauli doctrina beatitudo cœleſtis in viſione Dei poſita ſtatim poſt mortem nobis confertur.

§. 5.

Quintus locus ex nōnullis locis Apocalypſis.

QVinto loco ad confirmandam catholicam veritatem adduci poſ- 28. *5. locus.* ſunt, quæ ſcribit Ioannes in Apocalypſi multis in locis, ſed apertiùs *cap. 6. & 7.* ſed pro eorum explicatione primū aduerto, quod Ioannes à cap. 4. vſque ad *Aduertẽtia* 20. vaticinatur, quæ pertinent ad vniuerſam Eccleſiam, tàm militantem, quàm triumphantem vſque ad diem iudicij, vt aduertunt omnes ferè interpretes: *Ribera* *Ribera.* *ad initium capitis 4. & in principio cap. 21. verſicul. 1. & n. 4: & Pereira ad initium di-* *Pereira.* *cti capitis quarti*: at verò à cap. 21. (quod eſt vltimum) agit de Eccleſia triumphāte

poſt

poſt diem iudicij. Hoc ſuppoſito, expendemus nonnulla, quæ habentur in d. c. 6. & 7. Et incipiemus ab illis verbis poſitis in cap. 6. vbi aperto quinto ſigillo, ita ſcribitur: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant: & clamabant voce magna dicentes, vſque quo Domine ſanctus, & verax non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, de ijs, qui habitant in terra? & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ; & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur ſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* Hæc verba intelligenda eſſe de animabus iam æterna beatitudine fruētibus communis eſt ferè omnium Patrum, & interpretum explicatio: ita *Auguſt. ſerm. 11. de Sanctis, qui in appendice eſt 73. tom. 10. pagin. 700. col. 1. vbi poſt multa ita ait: Oritur quæſtio in hoc loco; cur ſancti iam cum Domino manentes vindictam de inimicis expectant:* & ſtatim: *ſed ſciendum eſt; quia illi Sancti iam in conſpectu Domini conſiſtentes vident voluntatem illius.* Ita etiam Auguſtinus *ſermone 59. de tempore in appendice 35. & ſerm. 11. de Sanctis in appendice 73: D. etiam Gregor. ad illa verba quarti Pſalmi Pœnitentialis, qui eſt Pſalmus 50. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: Ambroſius, Beda, Haymon, Anſelmus, Anſbertus, Richard. de ſancto Victore, Rupertus, Gloſſa ordinaria, & interlinealis, D. Thomas cum cæteris interpretibus:* qui omnes per ſtolam ſingulis datam intelligunt gloriam animæ, eiuſque beatitudinem. Qua poſita explicatione locus eſt ſatis expreſſus pro veritate catholica: etenim ſtolas iſtas ante reſurrectionem eſſe illis datas ſatis conuincitur; tûm ex petitione vindictæ, quã de ſuis interfectoribus petunt: tûm ex reſponſione, qua iubentur adhuc modicum tempus expectare, donec compleatur numerus fratrum, qui pro Chriſto ſunt interficiendi.

Intelligun-tur de æterna beatitudine.

Auguſt. Gregor. Ambr. Haymon. Richard. Rupert. D. Thom.

29. Dubitatio. Sed dubitari poteſt; an illa explicatio ex citatis verbis efficaciter deducatur: etenim, qui putant, animas illas ante reſurrectionem Deum non videre (inter quos eſt D. Bernardus) verba iſta longè aliter interpretantur, vt patet ex *Benedicto Pereira in dicto cap. 6. Apocal. diſp. 22. n. 81:* hi enim per animas interfectorum illorũ intelligunt quidem animas Sanctorum iam corpore ſolutas: at tamen per altare, ſub quo ſunt, non intelligunt locum in cœlis, in quo beati Deum ſunt viſuri, & Angeli nunc eum vident: ſed loca illa (quæ variè â varijs explicantur) in quibus iucũdiſsimè quidem viuunt, ſed Deũ non vident: & D. Bernardus per altare intelligit Chriſti humanitatem, ſub qua, id eſt, ſub cuius viſione iucundiſsima vita perfruuntur. In his igitur locis clamãtes ad Deum vindictam petunt, & in ijſdem ſingulas ſtolas accipiunt: non quidẽ beatitudinis eſſentialis, quæ in viſione diuinitatis ponitur; ſed vel cuiuſdam gaudij, & lætitiæ ex certiſsima ſpe futuræ beatitudinis, quam ex reuelatione conceperunt: vel munditiæ, & puritatis, atque etiam ſecuritatis, quod iam appulerint ad vitam incorruptibilem, & labore carentem, vt habes apud Andream Cæſarienſem in eadem verba.

D. Bern. Pereira.

Nec deſunt ex ijs, qui catholicam probant veritatem, qui per altare in illo loco intelligant ipſa loca, vbi corpora Martyrum ſepulta iacent; ſuper quorum reliquias altaria extrui conſueuerunt: ſub quibus altaribus animæ Martyrum, ideò clamare dicuntur; quia ex ipſis locis eorum ſanguis ad cœlum clamat. Ita *Blaſius Viegas in eodem loco com. 4. ſect. 8. n. 2. nec videtur aliena à mente Andreæ Cæſarienſis ibidem:* & quanuis non corpora, ſed animæ dicantur ſuptus altare apparuiſſe, animæ tamen in ſacris literis, ait Viegas, ſæpè pro ipſis ſanctis ponuntur, qui ibi eſſe dicuntur, vbi horum ſunt corpora. Si verò in hoc ſenſu hæc verba ſumantur, altare iſtud, de quo animæ clamant, non eſt in cœlo, ſed in terra, in qua earum ſunt corpora.

30. Alia explicatio.

Viegas. Cæſarien.

Hæc locum iſtum reddunt minus efficacem: nec enim video, vnde explicatio allata poſſit efficaciter impugnari. Negandum tamen non eſt, veritatem catholicam ex iſto loco ſatis probabiliter deduci. Primò; quia communiori Patrũ, & interpretum ſententia explicatur de animabus (ſaltem martyrum) iam in cœlo beatis. Secundò; quia de ijſdem ſtolis intelligendus eſt locus iſte, de quibus intelligitur locus poſitus cap. 7: *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? & dixit mihi: hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealba-*

31. Non ſatis eſt efficax, ſed probabilis.

1. ratio.

Secunda.

albauerunt eas in ſanguine agni. Quem locum de animabus beatorũ, qui iam Deo fruuntur, eſſe intelligẽdum communior Patrum; & interpretum ſententia docet, vt dicemus. Tertiò; quia dubitandum nõ

Tertia.

eſt, hoc altare à Ioanne viſum eſſe in cœlo, vt benè aduertit *Ribera in d. c. 6. n. 37*: tùm, quia illi, quibus datæ ſunt ſtolæ albæ, viſi ſunt in cœlo, vt patet ex verbis capitis ſeptimi ſuprà citatis. Tùm etiam; quia altare, de quo hìc, eſt ipſum, de quo in cap. 9. n. 13: hoc autem erat ante oculos Dei, vt patet ex illis verbis: *Audiui vocẽ vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.* Tùm tertiò; quia altare iſtud non poterat non videri in aliquo tẽplo: altaria enim non niſi in templis ponuntur: vnde cap. 11. Ioannes iuſſus eſt *Calamo metiri templum, & altare*: & cap. 14: *Vnus Angelus de templo exiuit, & alius de altari.* Templum autem à Ioanne viſum erat in cœlo, vt patet ex d. cap. 14: *Angelus exiuit de templo, quod eſt in cœlo.* Hoc igitur altare ſub quo animæ interfectorum clamabant, viſum eſt in cœlo; quod D. Bernardus libenter fatetur: erãt igitur animæ illæ in cœlo.

32. Iſti nõ ſũt audiendi.

Ex quo iam patet non eſſe audiendos, qui per altare iſtud viſum à Ioanne intelligunt ipſamet loca, in quibus animę ſanctorum extra cœlum iucundiſsimè viuunt; cum loca illa nec dici poſsint Dei templa, aut altaria: nec metaphora altaris illis locis poſsit accommodari: ſiquidem altaris rationem habere non poteſt, niſi vbi ſacrificia, & incenſum, orationes vè Deo offeruntur. Et quamuis in cœlo nec templum materiale ſit, nec altare, vt patet

Apoc. 21.

ex cap. 21. Apocalypſis. Et templum non vidi in ea, oportet, vt templum, & altare, quod Ioannes vidiſſe teſtatur, metaphoricè ſumatur ad ſimilitudinem templi, & altaris, quod fuerat in Ieruſalem: quæ eſt communis explicatio, quam obſeruauit Ribera in cap. 8. Apocalypſis, verſu 3. n. 6. & c. 9. verſu 13. n. 25. & c. 15. verſu 5. n. 10: quia ſicut in templo offerebantur ſacrificia, & in altari tabernaculi offerebatur incenſum; ita illud in cœlo poteſt dici altare, in quo offeruntur Deo orationes Sanctorum.

33. Nec iſta explicatio ad mittẽda eſt

Ex eodem fundamento non videtur admittenda opinio, quæ nomine altaris, ſub quo animæ interfectorum clamabãt, intelligit ipſa Martyrum ſepulchra, in quibus eorum oſſa ſeruantur, quæ, vt plurimum, ſunt ſubtus altare, in quo ſacrificium miſſæ Deo offertur; quamuis hæc explicatio pluribus placeat, inter quos eſt *Viegas vbi ſuprà*: etenim iam oſtendimus altare iſtud viſum eſſe in cœlo; & ſatis id colligitur ex eo, quod animæ illæ clamant cõtra eos, qui ſunt in terra; quaſi iam in terra non ſint. Accedit; quia ex eo loco clamant, in quo ſtolas albas accipiũt: has autem non accipiunt, vt ſunt in terra in ſuis ſepulchris; ſed vt ſunt in cœlo ante conſpectum Dei, vt dicitur c. 7. Denique licet anima in ſacris literis ſæpè ſumatur pro homine, vt patet cap. 46. Geneſis: in illis tamen non legitur, vt anima ſumatur pro corpore.

Viegas.

Quod verò hoc altare, quod in cœlo admittitur, ſumendum non ſit pro humanitate Chriſti, cuius viſione animæ iuſtorum in cœlis in quadam beatitudine requieſcunt (quamuis D. Bernardus ita accipiat) ex eo patet; quia ſermo eſt de altari, quod erat in aliquo templo, vt ſuprà aduertimus: nec enim dici poteſt nomen altaris in illis viſionibus æquiuocè ſumi. Quare ſermo erit de illo altari, quod erat in templo, de quo exiuit vnus Angelus, *vt dicitur cap. 14*: iam verò humanitas Chriſti nõ dicitur eſſe in aliquo templo, nec dici poteſt ab ea Angelum exire. Secundò; quia metaphora altaris ſumpta ex altari templi Ieroſolymitani, vt ſuprà diximus, non poteſt accommodari humanitati Chriſti. Denique; quia animæ, quibus ſtolæ albæ donantur, non ſolùm dicuntur eſſe coram agno; ſed ante thronũ Dei, ante quem Angeli ſtabant, qui thronus non erat ipſa Chriſti humanitas, ſed diuinitas: vnde animæ illæ dicuntur ſeruire ante Deum die, ac nocte, de quo plura in explicatione verborum, quæ ex c. 7. iam adducimus.

34. Altare ibi non ſumitur pro humanitate Chriſti.

Adduci etiam ſolent ad eandem veritatem confirmandam verba ex c. 7. Apocalypſis: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno: & omnes Angeli ſtabant in circuitu*

35. Alia verba ex c. 7. Apocalyp.

thro-

throni, & ſeniorum, & quatuor animalium: & ceciderūt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum. Et reſpondit vnus ex ſenioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt, & dixit mihi: hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni: ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, & nocte. Hæc verba communi ferè conſenſu Patrum, & interpretum explicantur de animabus, quæ ante reſurrectionem in cœlo iam Deo beatificè fruuntur: quæ explicatio ſatis colligitur ex litera: etenim per ſtolas albas accommodatiſsimè intelligitur beatitudo ſupernaturalis: & per palmas præmia victoriæ: & per thronum Dei, ante quem Deo die, ac nocte ſeruiūt, non ſatis accommodatè aliud intelligetur, niſi ipſa diuinitatis maieſtas: nam Angelos ante thronum diuinitatis ſtare dubitari non poteſt. ¶ Scio nonnullos hanc

Quoruudā explicatio. Ioannis viſionem explicare non de beatis in cœlo, ſed de fidelibus ex Iudæis, & gentibus in Eccleſia per fidem congregatis. Quam expoſitionem probauit Viegas in dicto cap.7. comm.5. ſect.7. & 8. vtrobique in principio: ſed accommodationem viſionis, & verborum eius in eo deſideraui: nec enim video, quomodò præcitata verba accōmodari poſsint propagini Eccleſiæ. Sed huius impugnatio longiorem diſcutionem poſtulat. Et puto, locum iſtum pro catholica veritate ſatis vrgere, ſed non conuincere.

§. 6.

Sextus locus ex Paulo ad Hebræos 12.

36. 6.locus. SExto loco pro eadem veritate adduci poſſunt verba Pauli ad Hebræos 12. vbi Paulus exhortatur fideles, vt conſtanti animo omnia pro Chriſto ſuſtineant; quia ſcilicet maiora à Deo in nouo teſtamento, quam Iudæi in veteri beneficia receperunt. Vnde ab illis verbis n.18: *Non acceſsiſtis ad tractabilem montem*, vſque ad illa: *ſed acceſsiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis*, comparat nouum teſtamentum cum veteri, vt quiſque fidelium videat, quantum interſit inter ea, quæ in nouo teſtamento accepimus, & ea, quæ Iſraelitæ in veteri acceperunt: ita igitur ſcribit: *Non acceſsiſtis ad tractabilem montem, & cætera: ſed acceſsiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel.* Ex quo loco Bellarminus *libro primo de Sanctorum beatitudine cap.3. teſtimonio 8. pag.* 846. *D. & Valentia ſecundo tomo, diſput.* 1. *quæſt.4. puncto 2. loco 8. pag.76. cum pluribus alijs* deducunt animas iuſtorum iam nunc eſſe in cœlis ęterna beatitudine beatas: etenim in illis verbis: *Sed acceſsiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis*, deſcribitur Eccleſia triumphans, vt explicant *Diuus Anſelmus, Primaſius, Aymon, Theopylactus, Oecumenius, Gagnæus, Hugo Cardinalis, Diuus Thomas, Caietanus, Bellarminus, Valentia, & communiter alij. Acceſsiſtis*, ſcilicet per fidem, & virtutum merita, *ad cœleſtem ciuitatem*, quæ non ſolùm conſtat *multorum milliū Angelorum frequentia, ſed etiam multitudine Sanctorum primitiuorum, qui in cœlis iam ſunt conſcripti, & iuſtorum perfectorum*, qui iam ad illam beatitudinem peruenerunt. Hæc eſt explicatio Anſelmi in eadem verba ſatis de mente Gloſſæ interlinealis: *Acceſsiſtis*, inquam, *ad Sion montem, atque Ciuitatem Dei viuentis Ieruſalē cœleſtem*, id eſt acceſsiſtis per fidem, & merita ad eos, qui in alto Deum ſpeculantur: quales ſunt Angeli, & Eccleſia primitiuorum, qui cōſcripti ſunt in cœlis: quia peruenientes ad gloriam Angelorum, ſunt ſcripti, & conſignati in eorū ordine, vt ait *Gloſſa ordinaria litera G*: quā *etiam explicationem probat Hugo Cardinalis ibi*, ita ſcribens: *Acceſsiſtis ad Sion montem, id eſt ad eos, qui in alto ſunt. & reuelata facie gloriam Domini ſpeculantur*; & inferiùs: *Qui primitiui, id eſt Apoſtoli conſcripti ſunt in cœlis, id eſt, ſimul ſcripti ſunt cum Angelis cœleſtibus, id eſt perenniter locati, & ſtabiliti in cœleſtibus per adeptionem eorum.* Et inferiùs ſcribit, Paulum in ſerie horum verborum deſcribere Ciuitatem Ieruſalem, quæ duabus turmis repleta eſt: Angelorum, & fidelium, qui de facto vident Deum. Eandem explicationem probat Ribera ad eadem verba.

Bellarm. *Valentia.* 37. *Anſelm.* *Gloſſa.* *Hugo Cardinal.*

38. Probabilis eſt locus: nõ tamen efficax. Hæc diximus, vt oſtẽderemus, ex præcitatis verbis Pauli, veritatem catholicam ſatis probabiliter deduci: non tamen, vt exiſtimemus, eam firmiter ex illis inferri. Quod ex eo oſtenditur; quoniam Paulus in illis agit de Eccleſia fidelium pertinentium non ad Eccleſiam triumphantẽ; ſed ad militantem; hanc enim voluit ſignificari per montem Sion, id eſt, quæ fuit in monte Sion terreno primùm congregata. Quæ fuit explicatio *Riberæ ad eadẽ verba, & Salmeronis in dicta diſp. 22. c. 7. pag. 784, & Catharini in eodem loco. Hanc explicationem eſſe magis conſonam literæ, & intentioni Pauli ſcribit Ludouicus Tena ibidem difficult. 6. pag. 1119. n. 4.* Et quanuis hi authores etiam in hoc ſenſu eandẽ veritatem deducant; non puto tamen, eam ex illis efficaciter deduci: quod patebit, ſi ſingula verba expendamus. *Acceſſiſtis igitur ad Sion montem*, id eſt, ad Eccleſiam Euangelicam, & militantem, congregatã in monte Sion, iuxta illud Pſalmi 2: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſupra Sion montem ſanctum eius*; & illud Iſaiæ. 2. *Venite; aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalẽ.* Ita præcitati doctores. *Et ciuitatẽ Dei viuentis*; quia Eccleſia Chriſti in terra eſt ciuitas in Chriſto congregata, qui ex mortuis reſurgẽs fideles ſuos viuificat, vt poſt mortem eos glorificet: vnde in die Pentecoſtes in eã deſcẽdit Spiritus ſanctus: eſt igitur ciuitas Dei, de qua glorioſa dicta ſunt. Quare non video, cur Ribera cũ per montem Sion intelligat Eccleſiã militãtem, hæc verba intelligat de ciuitate Ieruſalẽ cœleſti, quæ de cœlo deſcendit. Quare ſuppoſita priorum verborum explicatione Salmeron, & Tena verba illa: *Acceſſiſtis ad Ieruſalem cœleſtẽ*, intellexerũt de Eccleſia militante, quæ fide, & ſpe cœleſtis eſt, & non terrena; quia non fruitur terrenis bonis, ſed ideò cœleſtibus, quia è cœlo datis. *Acceſſiſtis ad multorum milliũ Angelorum frequentiã*: qui nimirum ciuitatem iſtam cuſtodiunt, vt interpretãtur Salmeron, & Tena: ſiue potiùs ad frequẽtiam multorum millium Epiſcoporũ, ſacerdotum, & aliorum miniſtrorũ, vt vult idem Tena. *Acceſſiſtis etiam ad Eccleſiam præmitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis*, id eſt ad Eccleſiam fundatam per Apoſtoos primos illius fundatores, quorum nomina in lib. vitæ conſcripta ſunt: ita præcitati authores ſimul cum D. Thoma ibidem. *Acceſſiſtis ad iudicem omnium Deũ*, id eſt, ad familiaritatem, & amicitiã Dei, qui omnium eſt iudex. *Acceſſiſtis ad ſpiritum omnium perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quàm Abel*, id eſt, acceſſiſtis ad familiaritatem, & conſortiũ omnium perfectorum, atque etiã Chriſti mediatoris, qui aſperſione ſui ſanguinis melius pro nobis loquitur, quam loquatur ſanguis Abel: quia iſte vindictã poſtulabat; Chriſti autem ſanguis poſtulat miſericordiam, quæ eſt explicatio D. Thomæ.

Ribera. Salmeron. Catharin. Tena.

39. Salmer. Tena.

D. Thom.

40. Concluſio. Ex his patet ſuppoſita hac explicatione ex verbis Pauli nullum firmum argumentum pro veritate catholica ſumi poſſe. Sed nec poteſt ſumi, quanuis per montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, & Hieruſalem cœleſtem cum priori ſententia intelligamus Eccleſiam triumphantẽ; quia explicari optimè poſſunt de acceſſu per fidem.

§. 7.

Poſtremus locus ex Paulo ad Hebræos 9.

41. 7. locus. ADduci etiam ſolet ad confirmandã eandem veritatem Paulus ad Hebræos 9: *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, non dùm propalatam eſſe ſanctorum viã, adhuc priori tabernaculo habente ſtatũ.* Egerat Paulus in antecedentibus de duobus tabernaculis, quæ erant in templo Salomonis; & docuerat, in priori quidem Sacerdotes ſemper intrare, vt quotidiana ſacrificia conſũmarent: in ſecundo autẽ ſemel in anno intrare ſummum Pontificẽ: deinde addit verba citata. Ex quibus colligunt *Bellarminus, & Valentia cum nonnullis alijs*, animas Sanctorum ante iudicij diem eſſe in cœlo, & frui beatitudine cœleſti: Paulus enim illis ſignificat, per illam figuram ſignificaſſe Spiritum ſanctũ durante priori tabernaculo (durauit autem quandiù durauit lex vetus) nõ dùm fuiſſe propalatam, & apertam viam ad cœlum; & ideò nullum Sanctorum pro illo tempore potuiſſe in cœlum aſcẽdere: propalatam tamen eſſe veteri lege, & tabernaculo ceſſante; quod morte Chriſti ceſſa-

Bellarm. Valentia.

ceſſauit, per quam velum templi ſciſſum eſt. Propalata autem via ad cœlũ, non eſt, cur animæ iuſtorum retardentur, ne ante diem iudicij ad æternam beatitudinem aſſumantur: etenim per viam Sanctorum non dùm propalatam, communiter intelligitur via ad cœlum, patriamq; cœleſtẽ, quæ per ſecundum tabernaculum, & per ſancta ſanctorum ſignificabatur. Ita hæc verba exponunt *Primaſius*, *Anſelmus*, *Theophylactus*, *Oecumen*. *Ambroſius*, *Gloſſa interlinealis*, *& ordinaria*, *Lyra*, *Hugo Cardinalis*, *Carthuſianus*, *Ribera*, *Salmeron*, *Tena*, *& cæteri omnes*: nec diſplicet D. Thomæ; & ſatis confirmatur teſtimonio *Cyrilli Ieroſolymitani catecheſi 3*. dùm ait, *cœlum eſſe velum deitatis*, quo Deus abſcondebatur, ſicut etiam velo abſcondebatur ſecundum tabernaculum, & ſancta ſanctorum. Quare ſicut ſciſſo velo per mortem Chriſti propalatus fuit locus, qui ſancta ſanctorum dicebatur, vt poſsit ab omnibus videri: ita Chriſto per proprium ſanguinem, ſanctuarium ingrediente, propalata eſt diuinitas, vt iam à ſanctis clarè videri valeat.

Qui ita exponunt.

Cyrill. Ieroſolym.

42. Locus probabilis, ſed non efficax. 1. ratio.

Non poſſum negare, locum magnam habere probabilitatem ad confirmandam veritatem catholicam: puto tamen non omnino cõuincere. Primò; quia, admiſſa communi explicatione, vt per ſancta ſanctorum intelligamus cœlum, beatitudinemq; cœleſtem, quæ verè morte Chriſti propalata eſt, vt non iam ratione peccati Adami, quo illa fuit clauſa impediatur; non proinde neceſſariò infertur (inquiunt, qui oppoſitum aliquando docuerunt) eam ita eſſe propalatam, vt ante iudicij diem ſtatim adiri poſsit: licet enim non iam ſit clauſa propter peccatũ Adami; adhuc tamen eſt impedita, ne primi ſine poſterioribus conſummentur, coronenturque. Vnde (inquit Ambroſius in eodem loco) patienter expectamus tempus reſurrectionis noſtræ, vt appareat, quod erimus; in quo poſitum erat illius erroris fundamentum.

43. 2. ratio.

Deinde; quoniam *per viam Sanctorum* ad literam, iuxta mentem Pauli intelligẽda eſt via iuſtificationis à peccatis, qua Sãcti conſtituimur: hæc enim, ſtante priori tabernaculo, nõ dùm propalata erat; quia lex vetus neminem iuſtificabat. Quam explicationem mihi ſatis probant verba immediatè ſequentia: *quæ parabola eſt temporis inſtantis; iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt, iuxta conſcientiã perfectum facere ſeruientem*. Quibus verbis Paulus ſatis explicat ſenſum antecedentium verborum, *Non dum propalatam eſſe Sanctorum viam, &c.* vt ideò non ſit propalata; quia hoſtię, & munera in illo tabernaculo oblata non poterant perfectum facere ſeruientem; quia licet poſsint mũdare ſecundum corpus; non tamen ſecundum conſcientiam, id eſt, ſecundum animam, & hominem interiorem, vt explicant *Theophylactus*, *Oecumenius cum cæteris*. Quare verba illa, *non dùm propalatam eſſe Sanctorum viam*, ad literam intelligenda ſunt de via ſanctificationis, quæ fit per iuſtificationem à peccatis: hæc enim ante Chriſti mortem propalata non fuit, vt diximus.

Hunc eſſe ſenſum literalem, etiam colligo ex Paulo ex verbis inferiùs poſitis: *Chriſtus aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, & cætera, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta æterna redemptione inuenta*. Quibus verbis explicat, quomodò via ſanctorùm, quæ ſtante priori tabernaculo, non erat propalata, poſt ingreſſum Chriſti per mortẽ in ſancta ſanctorum fuit non ſolùm inuenta, ſed etiã propalata; idque *per æternam redemptionẽ*, id eſt, per noſtram à peccatis iuſtificationem, vt ſatis patet ex verbis immediatè ſubiectis: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum. & cætera. inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?* Patet igitur, illa præcitata verba *propalatam eſſe Sanctorum viam* ex mente Pauli ad literam eſſe intelligenda de via ſanctificationis, quæ per Chriſti mortem per iuſtificationem à peccatis facta eſt. Et hæc ex ſacris literis dicta ſint:

44. Alia confirmatio.

ARTICVLVS V,

Pro Catholica veritate adducuntur rationes Theologicæ.

1. Rationes Theolog.

HÆc Catholica veritas probari poteſt nonnullis rationibus Theologicis, quas recentiores afferunt, &

Bellarm. *Valentia.* *Medina.* *Lorca.* *D. Thom.* *Sotus.* & plures ex antiquis; *Bellarminus in dicto libro primo de Sanctorum beatitudine capite 6. Valentia 2. tomo, diſput. 1. quæſt. 4. puncto 2, pagina 79. §. Quartò probatur aſſertio, Medina prima ſecundæ, quæſt. 4, art. 5. pag. 100. col. 1. & 2. vbi etiam Lorca diſp. 36. memb. 1. in fine, pag. 199. col. 2. & plures alij, vt omittamus D. Thomam 1. 2. q. 4. art. 5. & Doctores in 4. diſt. 45. vbi Sotus q. 1. art. 3. concl. 3.*

2. 1. ratio. Prima, & potiſsima ratio ſumitur ex eo, quod impiorum animæ exeuntes à corpore non expectant reſurrectionem, vt ſimul cũ corpore puniantur; ſed mox vt è corpore egrediuntur, ſine corpore in inferno igne torquentur. Ergo animæ iuſtorum non expectant reſurrectionẽ, vt ſimul cum corpore præmientur; ſed ſtatim, atque egrediuntur, ſi nihil purgandum habent in cœlis donantur beatitudine diuinæ viſionis. Conſequentia patet; quia Deus non eſt pronior ad puniendum, quàm ad remunerandum, ſed è contrario, vt patet Pſalm. 144. *Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius*: Ezechielis 17. num. 23: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus; & non vt conuertatur à vijs eius, & viuat*, Similem ſententiam habes ibidem in fine, & *cap. 33. n. 11.* Antecedens verò diffinitum eſt de fide in Concilio Florentino ſeſsione vltima in literis vnionis in hæc verba: *Illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali decedunt, mox in infernũ deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Et ante hanc diffinitionem oppoſitum pro hæreſi habendum fore docuit D. Thomas in 4. *diſtinct. 45. q. 1. artic. 1. ad ſecundam quæſtionem in fine corporis*: & id confirmat ex *Auguſtino de Eccleſiaſticis dogmatibus*, & ex *Diuo Gregorio lib. 4. dialogorum cap. 28. & 29.* vbi hæc veritas inter credenda refertur. Quam ſatis confirmant verba Iob. 21: *& in puncto ad inferna deſcendunt*, & Apocalypſis 20. *vbi & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos*, & in iudicio, & mors dabit corpora mortuorum, & infernus animas, quas detinet, vt reſurgant, & ad iudicium veniant, quæ eſt vera, & literalis illius loci explicatio. Maximè conducit hiſtoria diuitis ſepulti in inferno, qui in tormentis vidit Lazarum, vt refertur *Lucæ. 16*: etenim ſi eſt hiſtoria (vt eſt communior, & verior explicatio ex *D. Hieronymo 2. contra Iouinianum, & Ambroſio in eodem loco, & Auguſtino de cura pro mortuis gerenda cap. 14. tom. 4. & D. Gregorio lib. 4. Dialogorũ cap. 29.*) locus eſt apertiſsimus: ſi verò cõtinet parabolam; adhuc eſt ſatis efficax. *Vide Bellarminum, & Valentiam locis citatis.*

(Margin: *Ezech. 17.* — *Conc. Florent.* — *D. Thom.* — *Auguſt.* *Gregor.* — *Apoc. 20.* — *Luc. 16.* — *Ambr.* *Hieron.* *Auguſt.* *Gregor.* *Bellarm.*)

3. Secunda ratio. Secunda ratio, etiam efficaciſsima ſumitur ex eo, quòd fides docet, ſanctos à nobis viatoribus eſſe inuocandos: at inuocandi non eſſent, ſi in cœlis cum Deo nõ eſſent beati. Ergo Sancti iam ſunt cum Deo fruentes ſuperna beatitudine. Maior patet ex communi totius Eccleſiæ cõſenſu, & ex vnanima doctrina Patrum, & ex diffinitione *Tridentini ſeſsione 25. in decreto de inuocatione Sanctorum.* Minor autem ex eo probatur; quia nec in lege veteri, nec naturæ ideò non fuit vſus inuocandi ſanctos homines, quia non dûm cœleſti beatitudine fruebantur. Quod ex eo oſtenditur, quia iſte inuocationis vſus incepit in lege noua poſt Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlum, vt ſatis colliges ex Tridẽtino in illis verbis, *iuxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum.* Secundò; quia in veteri teſtamento non iuuenimus aliquem ſanctorum Patrum inuocari: inuenimus quidẽ plures Deum inuocaſſe per merita Patrum, vt patet *Geneſis 32. Exod. 32. Pſalmo 131: 2. Paralipomenon 6. 3. Reg. 15.* & alibi ſæpè, de quibus *Bellarminus lib. 1. de Beatitudine Sanctorum c. 19*: at tamen non legimus, ſanctos illos ab aliquo fuiſſe inuocatos. Quo fundamento id docent Theologi; *Caietanus tom. 3. Opuſculorum tract. 12. c. 4. de inuocatione Sanctorum, §. Quod autem à nobis: Pighius controu. 15. Ratiſponenſi fol. 101. §. Sed hic fortè nos interrogabit: Bellarminus in d. lib. 1. c. 6. pag. 864. in 2. ratione; & c. 19. pag. 900. A. & cap. 20. pag. 915. Valentia lib. 30. de Idololatria c. 7. pag. 735. col. 1. A.* Nec his obſtant verba Iacob Geneſis. 48. n. 16: *& inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum eorum Abraham, & Iſaac*: non obſtant, inquam; quoniam inuocare ibi non eſt implorare patrocinium; ſed habere nomen ex Iacob; quaſi ab eo ſint nati, & eſt ſenſus, nomen inuocetur ſuper iſtos, id eſt, iſti vocentur etiam filij Iacob, ſicut 4.

(Margin: *Trident.* — *Gen. 32.* *Bellarm.* — *Caiet.* *Pighius.* — *Valentia.* — *Gen. 48.*)

ſicut & cæteri, qui ex me nati ſunt: ita
Theodor. *Theodoretus in Gloſſa eiuſdem loci, Lyra,*
Gloſſa. *Abulenſis, & Caietanus: vbi notant, hanc*
Lyra. *phraſim eſſe hebraicam: nec longè eſt à men-*
Abulen. *te Auguſtini tom. 3. libr. 1. locutionum ad*
Caiet. *Geneſim cap. 200. refertur in eadem Gloſſa.*
Auguſt. Si autem vis, vt ibi inuocare idem ſit, quod implorare fauorem, & auxilium, ſenſus erit: & inuocetur nomen meum ſuper iſtos in hoc ſenſu; vt quando Deus orabitur, oretur per merita Iacobi Abrahami, & Iſaac, ſed prior expoſitio eſt literalis: Quod verò ideò illo tempore
5. non inuocarentur, quia non dum in cœlis Deo fruerentur; probari poteſt; quia ob hanc præciſam rationem ſancti Angeli pro illo tempore inuocabantur, vt ex pluribus locis veteris teſtamenti pro
Bellarm. bat *Bellarminus vbi ſuprà*, quia ſcilicet in cœlis iam erant beati. Accedit etiam: quia finis per ſe inuocationis ſolum habere poteſt locum in ijs, qui iam ſunt beati: oportet enim, vt inuocatio (ne ſit inutilis) nota ſit illis, qui inuocantur: ſolis autem beatis poteſt eſſe nota; quia ad ſolos illos ratione ſtatus beatifici pertinet cognoſcere ea, quæ ad ſe ſpectant; vel ratione proprij honoris, & gloriæ; vel ratione curæ Eccleſiæ, quæ à Deo illis demandatur; vt benè aduertit *Bellarminus*
Bellarm. *vbi ſuprà cap. 20. pag. 915. B.C.* Igitur cũ ad ſtatum eorum, qui in Limbo erant, non pertineret ordinaria reuelatio eorũ, quæ in viuentibus fiebant; quia nec illis viuentium cura erat à Deo demandata; nec ad perfectionem ſui ſtatus pertinerent ea, quæ in illorum cederent honorem, & gloriam; ideò non fuit congruũ, vt illi à viuentibus inuocarentur.

6. Tertia ratio; quoniam non eſt tutum
Tertia rat. (nequid amplius dicam) affirmare Sanctos à corpore peregrinantes, ſi nihil purgandum habent, peregrinari à Domino, & ambulare per fidem. Hoc autem neceſſariò ſequeretur, ſi ante diem iudicij non viderent Deum; ergo, & cætera. Maior deducitur ex Paulo 2. Corinth.
2.Cor.5. 5: *Quandiù ſumus in corpore peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus*; ex quibus verbis colligitur, ſolos illos per fidem ambulare, qui ſunt in corpore. Non igitur admittendum eſt, Sanctos, qui à corpore peregrinantur, ambulare per fidem, quæ fuit maior. Sequela verò minoris ex eo patet; quia fides; quam in via habemus non tollitur à bonis, niſi per viſionem beatam, vt ſatis ſignificauit Paulus in verbis ſequentibus: *Audemus, & bonam voluntatem habemus, peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*: quia ſcilicet fides in bonis, qui à corpore peregrinantur, nõ tollitur, niſi per ſpeciẽ, cui fides contra ponitur. Ergo ſi Sancti ante diem iudicij non vident Deum, nec ambulant per ſpeciem; adhuc habent fidem. Quæ fuit ſequela; cuius conſequens non eſſe tutum iam oſtendimus: vide, quæ diximus in præcedente articulo in quinto loco.

Poſtrema ratio: quoniam beatitudo 7. Poſtrema ratio.
cœleſtis ijs, qui exeuntes à corpore nihil habent purgandum, eſt debita, tanquam merces operum, & corona victoriæ. Ergo ſtatim poſt mortem eſt illis conferenda. Antecedens eſt notiſsimum in ſacris literis: nam quod beatitudo debita ſit, tanquam merces, probatur Matthæi Matt. 20.
20: *Voca operarios, & redde illis mercedem* Iob. 7.
ſuam. Et Iob. 7. *Sicut dies mercenarij, dies eius.* Quòd verò etiam ſit debita, vt corona, patet Iacobi primo: *Beatus vir, qui* Iacob. 1.
ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Apocalypſis cap. 2: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; & inferius: *Vincenti dabo manna abſconditum*, denique Iob. Iob. 7.
7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: ei autem, qui in militia victoriam reportat, corona proponitur. Veriſsimum eſt igitur antecedens. Conſequentia verò probatur primò Leuitici 19: *Non mora-* Leuit. 19.
bitur opus mercenarij apud te vſque manè; quod intelligitur, ſi ſtatim dare poteris, iuxta illud Prouerbiorum cap. 3: *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare*, Matthæi c. Matt. 20.
vigeſimo. Finito opere procurator mercedem reddit operarijs: iam verò finis diei ſignificat finem huius vitæ, in qua ſola laborare poſſumus: vnde vocatio ad mortem eſt vocatio ad recipiendam mercedem ſtatim reddendam. Quod etiam colligitur ex verbis Iacobi ſuprà citatis: quaſi inter completam probationem, & coronam beatitudinis nulla debeat mora intercedere: nihil enim aliud ad coronam exigitur, quàm perfecta probatio: & Apocalypſis 2. Nihil à nobis exi-

exigitur, quàm vt vſque ad mortẽ fideles ſimus. Denique Pſalm. 126: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum; ecce hæreditas Domini*: ex quibus locis patet ad habendã mercedem, & coronam beatitudinis Deum à nobis nihil aliud exigere, quàm vt in via illam promereamur. Iam verò & ratio, & iuſtitia poſtulat, vt peracto merito laboris, & obtenta militiæ victoria, ſtatim reddatur præmium, & corona. Quibus, ſi addamus, nullum dari impedimentum, aut ex parte Dei, aut ex parte noſtra, quominus merces, & corona ſtatim conferatur, neceſſariò conuincitur, beatitudinem poſt mortem ſtatim conferri, iuxta verba ſuprà adducta ex cap. 3. Prouerbiorum. Et inde eſt, vt commùniter dicatur: *bis dat, qui cito dat*, ideò, ſcil. quia ſtatim dando, impeditur afflictio ſpei, quæ differtur, iuxta illud Prouerbiorum 13: *Spes, quæ differtur, affligit animam*: nec dubitandum eſt, Sanctorum animas ex illa beatitudinis ſperatæ dilatatione non poſſe non affligi, quanuis certæ ſint de illius aſſecutione; nam Patres in Limbo certi erant de ſua beatitudine, & maximo inde gaudio fruebantur, ex *D. Thom.* *D. Thom.* *3. p. q. 52. art. 5. ad 1. & in 3. diſt. 26. q. 2. art. 5. quæſtiunc. 3. ad 1*: & tamen ex illa dilatatione dolorem habebant, & afflictionem, vt idem D. Thomas locis citatis affirmat. Quòd verò aut ex parte Dei, aut noſtra nullum detur impedimentũ, quominus beatitudinis corona ſtatim donetur, facilè oſtendi poteſt. Et quidem quòd ex parte noſtra nullum ſit, probat *D. Thomas 1. 2. q. 4. art. 5.* Quòd verò ex parte Dei nullum etiam adſit, nec ratio differendi, ex eo patet; quia nulla lege id à Deo ſtatutum eſt, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum, de quibus in vltimo art. huius quæſtionis.

ARTICVLVS VI.

Adducuntur Patres, qui hanc Catholicam veritatem docuerunt.

1. Qui de hoc ſcribant.

IN confirmationem Catholicæ veritatis adducemus Patres tàm Latinos, quàm Græcos, qui eam verbis expreſſis docuerunt: de quo latè ſcribunt *Clitouæus in opuſculo de veneratione Sanctorum lib. 1. c. 9. fol. 24*: latiùs *Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 4. & 5. Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. puncto 2. pag. 77. & 78. Medina 1. 2. q. 4. art. 5: Caſtro verbo Beatitudo hæreſi 6*: incipiemus à Patribus Latinis; de quibus Bellarminus ind. cap. 5.

§. 1.

Patres Latini.

2. *Auguſt.* EX Patribus Latinis primo loco affertur Auguſtinus: nam quanuis de hoc art. aliquãdo dubius fuerit; poſtea tamen in eadem veritate conſtantiſſimè permanſit, & errorem oppoſitũ, vt fabuloſum, & anilem reiecit, & impugnauit, vt multis oſtendimus in ſuperioribus: nam euidenter eam docuit lib. 9. Confeſſionum c. 3. & lib. 20. de Ciuit. Dei c. 13. & Pſal. 119. & lib. 2. Euangelicarum quæſtionum c. 38: & in ſuperioribus explicuimus omnes locos, qui in oppoſitum adducuntur, ita vt omnes pro iſta faciant veritate: etenim 12. de Geneſi ad literam c. 34. expreſſè docet, animas beatorum iam videre Deum in eo cœlo, ad quod Paulus raptus eſt; idem docet 1. lib. Retractationum cap. 14. & in lib. Meditationum tom. 9. vbi cap. 22. poſtquam de vita beata multa dixit, ita ait: *Libet nũc de te loqui, de te audire, de te legere, & ſæpius ſub corde reuoluere, vt vel ſic poſſim ab huius mortalis, perituræq; vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus, vel paululum declinare.* Ecce ſatis oſtendit, quod tranſiens ab huius vitæ laboribus in ſinu beatæ illius vitę reclinare debet caput. Quod clariùs ſtatim explicat his verbis: *Vtinam conceſſa mihi peccatorum venia, moxque hac carnis ſarcina depoſita in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem: coronam vitæ de manu Domini accepturus, ingrederer.* Optat igitur, vt mox depoſita carnis ſarcina intret in veram requiem, & coronã vitæ accipiat. Quod deſiderium non haberet, ſi ſciret, coronam illam mox accipi non poſſe. Idem explicat c. 23. ita ſcribens: *Felix anima, quæ terreno reſoluto corpore libera cœlum petit: ſecura eſt, & tranquilla: habet enim præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominũ, cui ſeruiuit, & ad quem tandẽ læta, & glorioſa peruenit.* Ecce loquitur cum anima corpore exuta &

& affirmat, hãc liberam à corpore cœlum petere: lætam exire in thronum ſponſi reponendam, vt in ſequentibus verbis ex
4. plicat. Id clarius ſignificat in principio capitis 24. *Felices ſancti Dei, qui iam pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis: de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius beatiſsima viſione ſemper gaudetis: eſtote iugiter memores noſtri ſubuenite nobis miſeris.* Non potuit Auguſtin. clarioribus verbis veritatem hanc explicare: loquitur autẽ cum animabus ſanctorum ante iudicium beatis. Non eſt igitur de mente Auguſtini dubitandũ: ſicut non dubitauit author libri de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.78. tom.3. pagina.384.A.1. ita ſcribens: *Poſt Aſcenſionem Domini ad cœlos omnium ſanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt expectantes reſurrectionem corporis ſui, vt ad integram, & perpetuam beatitudinem perpetuò immutentur.* Idem ſentit author ſermonis 11. de ſanctis, qui in appẽdice eſt 73. vbi fatetur Sanctos, qui Apocalypſis 6. ſub altare vindictam petebant, iam cũ Domino manere, & pag.700. tom.10. ita ſcribit: *Habent ergo ante reſurrectionem ſancti ſingulas ſtolas: quia in ſola vna adhuc cæteris beatitudinibus perfruuntur: poſtea ante accepturi ſunt binas.*

5. Secũdo loco adduci poteſt D. Am-
Ambroſ. broſius *lib.3. Epiſt.22. & lib.7. Epiſt.54. & in lib. de bono mortis capit.10. 11. & 12. & Apocalypſis 16. quorum locorum verba adduximus ſupra q.5. art.2. §.7. nu.78. & 79.*

6. Tertio loco accedat Prudentius in car-
Prudenti⁹ mine de beata Virgine Agnete, vbi docet, eam iam nunc eſſe incolam cęleſtis arcis. Vide Bellarminum vbi ſuprà cap.5.

7. Quarto loco adeſt Hilarius *Pſalm.64.*
Hilarius. *ad illa verba: Replebimur in bonis domus tuæ, & Pſal. 124, p.639. in fine, & clarius Pſal.2. ad finem pag.453. in med. Cuius verba poſuimus in dicta quæſtion.5. articul.2. §. 7. num.75..*

8. Quito loco adducendus eſt Gregorius
Gregor. ad 4. Pſalmum Pœnitentialem (qui eſt Pſalmus 50.) ad illa verba: *Auditui meo dabis gaudium*, vbi ita ſcribit: *quæ æterna beatitudo, & animabus eorum ante reſurrectionem tribuitur, & corporibus poſt iudicium confertur.* Et ſtatim: *quid năque eſt ſingulis illis ſtolas albas tribuere; niſi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem cõferre? quid verò eſt, donec electorum numerus compleatur, requieſcere: niſi futuræ reſurrectionis gloriã expectare? in qua iterũ ſingulas ſtolas albas accipient, quia immortalia, & incorruptibilia corporum ſuorum veſtimenta reſumẽt.* Et lib.4. Dialogorũ cap. 25. ex profeſſo eandem confirmat veritatem, nam poſtquam docuit quorundam iuſtorum animas à cœleſti regno differri; ideo quia de perfecta iuſtitia aliquid minus habent, & totum culpæ reatum nondum perſoluerunt; de perfectis, & quæ nihil purgãdum habent, ita ait: *& tamen luce clarius conſtat: quia perfectorum animæ, mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtis regni ſedibus recipiuntur.* Et id probát tum ex verbis lucæ 17. *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ:* tũ ex Paulo ad Philippenſes primo; alijſque Scripturæ locis. Denique id cõfirmat teſtimonio cuiuſdam ſancti, qui apparuit, de quo cap.26. & 28.

Sexto loco adducendus eſt Proſper Aquitanicus *lib.1. de vita contemplatiua c.* 9. *Proſper.*
1. vbi poſtquam multis docuit, omnes ſãctos poſt triũphum, pręmium beatitudinis habere, ita ait: *Quis non videat, quod omnes ſancti Deum in illa vita æterna videbunt vbi ſine fine gaudebunt? ibi gaudebunt, vbi præmium reportabunt: ibi recepturi ſunt præmium, vbi non ſolum de victis, ſed etiam finitis hoſtibus triumphabũt.* Ergò ſi poſt mortem vlterius aduerſarium nõ habent; vtique ſtatim poſt mortem triumphabunt, & præmium diuinæ viſionis reportabũt. Et in eodem loco ita inquit: Ac ſic, quia ſecundum Scripturæ ſermonem tota humana vita tentatio eſt ſuper terram, tunc eſt tentatio finienda, quando finitur, & pugna, tunc eſt finiẽda pugna, quãdo poſt hanc vitam ſuccedit pugnæ ſecura victoria, vt omnes milites, qui vſque ad finem vitæ ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam perigrinatione tranſacta, regnẽt felices in Patria.

Septimo accedat teſtimonium Hiero- 10.
nymi *1. tom. Epiſt. 24. de exitu Leæ pag.66.* *Hieron.*
ita ſcribit. *Nunc igitur pro breui labore æterna beatitudine fruitur: excipitur Angelorũ choris:* Et ſtatim: *Chriſtum ſequitur, & dicit: quæcumque audiuimus, vidimus in Ciuitate Dei noſtri;* & Epiſt.23, ad eandẽ Marcellã pag.66. col.1. de anima Blaſillæ aſſerit,

ait, quod confidenter dicat: *Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes & cætera.* Et Epiſt. 25. ad Paulam. Nō ſemel, ſed iterum affirmat animam Bleſillæ eſſe in Paradyſo: aduolaſſe ad ſuum authorem: ſequi Chriſtum, illius exitum Angelorum turbam eſſe comitatam: de tenebris migraſſe ad lucem: coronam percepiſſe; denique cum Chriſto in cœlis viuere. Hæc omnia de anima Paulæ confirmat Epiſtol. 27. ad Euſtochium pagina 79. col. 1.

11. *Cyprian.* Sit octauum teſtimonium ex Cypriano lib. de exhortatione ad Martyrium in fine: vbi de præmio laborū ita ſcribit: *Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem peruenire, vt amicus Dei fiat, vt cum Chriſto ſtatim gaudeat,* cum Chriſto, in quam, diuina præmia percipiendo, in Paradyſo triumphando, vt immediatè explicat. paulo inferius: *quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc lætum: exire inter anguſtias glorioſum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur; & aperire eoſdē ſtatim, vt Deus videatur, & Chriſtus? tam feliciter migrando, quanta velocitas? terris repente ſubtraheris, vt in cœleſtibus regnis reponaris.* In lib. de Mortalitate cap. 9. in fine, ita ſcribit: *Ad hos, fratres dilectiſſimi, auida cupiditate properemus, vt cum his citò eſſe, & citò ad Chriſtum venire contingat, optemus.* In tractat. de ſtella, Magis, & morte Innocentium pag. 456. multis oſtendit, Innocentes illos iam æterna frui beatitudine, & in cœlis pro nobis orare. Videndus eſt Epiſt. 52. (quæ eſt libr. 4. Epiſt. 2.) vbi cap. 6. pag. 96. col. 1. oſtendens diſcrimen inter eos, qui in purgatorium deſcendunt, & Sanctos, qui nihil purgandum habent, ita ait: *Aliud eſt ad veniam ſtare; aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem inde non exire, donec reddat vltimum quadrantē; & aliud ſtatim fidei, & virtutis accipere mercedē: aliud pendere in die iudicij ad ſententiam Domini; aliud ſtatim à Domino coronari.* Quem locum pro confirmanda Catholica veritate notat ibidem Pamelius.

12. *Beda.* Nonum teſtimonium ſumitur ex Beda in quſtioęnibus ſuper Geneſim in q. de natura animæ tom. 8. pag. 146. vbi ita ait: *Quæritur ergo, ſi poteſt anima abſque corpore inter Angelos in perpetua beatitudine conſiſtere ſine defectu? Quid ergo opus eſt, vt iterū ſurgat corpus, vt illam tunc immortalem induat, quam nunc mortalem depoſuit? Et reſpōdet ineſt quidem corporis adminiſtratio, quo retardatur animus, vt non in illud ſummū pergat, donec conſurgat corpus.* Idem Beda cap. 11. Ioānis ad illa verba: *Lazarus amicus noſter* tom, 5. pag. 680. *Animæ verò, dum deſerunt corpora diuerſas receptiones habent; gaudium bonæ, malæ tormenta: ſed cum facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora.* Et cap. 6. Apocalypſis; per ſtolas albas, de quibus ibi, intelligit beatam immortalitatem.

Decimo loco referri poteſt Haymon in 13. *Haymon.* dicto cap. 6. vbi per illas animarum ante reſurrectionem ſtolas intelligit mercedē baptiſmi, præmium martyrij, & gaudium cœleſtis beatitudinis. Deniq; referri poſſunt Patres Latini, & qui ſimpliciter docent, animas iuſtorū morientium ad gaudia tranſire Angelorum, obtinere palmam laborum, vt affirmat Sanctus Maximus Turinenſis de Sancta Agnete homilia in Euſebium Vercelleſem. Sanctos poſt mortē in cœlū abire, dixit Leo Papa in ſermone de S. Laurentio: Eos exeūtes de tabernaculo corporis migrare in Palatium cœli, & ſtola immortalitatis indui; aſſerit Fulgentius in Sermone de Sancto Stephano: Illis traditam eſſe coronam iuſtitiæ, affirmat *Sulpicius in Epiſt. ad Aurelium Diaconum: eos habere perfectam re-* *Varij Patres.* *quiem, dixit Dionyſius c. 7. de cæleſti Hierarchia in 3. p. capitis: illos proficiſci ad Deū eumque adipiſci dixerunt Presbyteri Achaiæ in Hiſtoria Martyrij Sancti Andreæ Apoſtoli, & Sanctus Ignatius in Epiſt. ad Romanos: illos aſſiſtere diuinitati, & eſſe cum Deo, & cum Chriſto dixit Policarpus apud Euſebium lib. 4. ſuæ Hiſtoriæ cap. 15. Videndi ſunt Paulinus Epiſtola 31. ad Alechium tomo. 3. Bibliothecæ pag. 272. & 273. Symeon Admirandus in ſerm. de ſemper habendo mente diſceſſū tom. 2. pag. 443. A. B. Denique Sanctus Iulianus Archiepiſcopus Toletanus lib. 2. Prognoſticon tom. 9. pag. 937. c. 1. 2. 3. 8. & 12.* Ex his patet inter Latinos Patres celebrem ſemper fuiſſe hanc ſententiam.

§. 2.

Patres Græci.

Antiquos Græcorum Patres hanc docuiſſe veritatē plures aduertunt: 14. *Ignatius.* primo loco referendus eſt Sanctus Igna-

Ignatius in Epiſt.ad Romanos, dum à fidelibus petit, vt ſinant cũ ꝑ martyriũ ad Deum venire inquiens: *Spiritum aquæ viuæ eum vocare dicendo, veni ad Patrem*: & addit: *Sinite me puram lucem aſpicere: illuc perueniens homo Dei ero.* Quæ verba indicant accelerationem veniendi ad Deum: & clarius illa alia: *Miſerabilis ſum nunc, donec Deum merear adipiſci.*

15: *Dionyſius* Secundo loco accedat Magnus Dionyſius cap.7.de Eccleſiaſtica Hierarchia, vbi iterum, & iterum hanc veritatem docet: nam in prima parte capitis recenſitis nonnullis impiorum, iamiam morientiũ erroribꝰ & docẽs iuſtos morti propinquos ab illis alienos eſſe, ita de illis ſcribit: *Norunt profecto ſe totos percepturos exactiſsimã ad Chriſti ſpeciem, requiem cũ ad finem vitæ perueuerint.* Ita habet noua verſio, antiqua verò hunc ſenſum clarius explicans ita habet: *Sed confeſtim ſe ſuſcepturos eſſe Chriſti formam, requiem, ſcientes, cum in finem venerint huius vitæ.* Norunt igitur iuſti iamiã animã agẽtes ſe, cum mortui fuerint, mox conſecuturos eſſe requiem. Quòd ibi ſermo ſit de requie per viſionem diuinitatis, patet ex illis verbis exactiſsimam requiẽ ad Chriſti formã: iam verò requies, quã aduerſarij iuſtis cõcedũt: nec eſt exactiſsima; quia nõ eſt ex viſione diuinitatis: nec eſt ad Chriſti formam; quia anima Chriſti requiem habet viſionis: vnde verificatur illud Chriſti: *Volo Pater, vt vbi ego ſum illic ſit, & miniſter meus.* Deinde probatur ex verbis immediatè ſequẽtibus: *Viã que ad immortalitatem ſuam è vicino iã clarius intuentes, diuinitatis laudant munera, diuinaque lætitia geſtiunt: non iam ad deteriora conuerſionem metuentes, ſed parata bona ſe firmiter, perpetuoque habituros probè ſcientes.* E vicino igitur illam immortalitatis requiem intuentes: quia cõfeſtim poſt mortem, eam obinebunt: laudant munera diuinitatis; quia diuinitas ipſa ſtatim ſe illis eſt cõmunicanda per viſionem: ſcientes ſe munera iſta firmiter, & perpetuò habituros. Tertio idem probatur ex illis verbis: *Cum verò nihil ex his contingat in ſanctornm virorum dormitione; is quidẽ, qui ad finem ſuorum certaminum properat, ſancta lætitia impletur, magnaque cum iucunditate, feliciſsimæ regenerationis iter ſcandit.* Ecce ſãcti in ſua dormitione ſtatim ſcandũt iter feliciſsimæ regenerationis, id eſt viſionis, quæ ſola eſt feliciſsima. Accedant etiam illa verba: *Defuncti verò propinqui ſancta propinquitate, morumque ſimilitudine, ipſum qui talis eſt, prædicant, quod ad optatum victoriæ peruenerit finem: authorique victoriæ laudes cum gratiarum actione perſoluũt.* Prædicant igitur, illum iam finem victoriæ conſecutum: finis autem vincẽtibus promiſſus eſt viſio diuinitatis. Ex tertia parte eiuſdem capitis, eadem veritas ſæpius deducitur: explicans enim quidnam ſignificent illa diuinarum promiſsionũ cantica, & lectiones, quæ in defunctorũ exequijs decantãtur, ita ait: *Porro diuinarum promiſsionum cantica, & lectiones explicãt quidem beatiſsimam requiem, ad quam ſubuehuntur ſempiternè, qui ſancte conſummati ſunt.* Quæ verba non niſi de requie viſionis intelligi poſſunt; quia hæc ſola, & beatiſsima eſt, & ſempiterna: nam quæ ab aduerſarijs ponitur, cum poſt reſurrectionẽ ſit mutanda, non eſt ſempiterna.

Tertio loco adeſt Baſilius homil.20.in feſto 40.Martyrũ pag. 198.E: *Sed quid opus eſt, terrenas memorari Patrias, cũ liceat, quæ iam illis vera Patria ſit noſſe? Patria igitur horum martyrum Dei ciuitas eſt, cuius author, & conditor ipſe Deus: hæc eſt ſuperna Hieruſalem, quæ libera eſt, quæ eſt mater Pauli, & omnium ei ſimilium.* Et inferius pag.220.in principio: *Breui tempore ſinus Abrahæ vos perpetuo fouebit: vnam noctem cum æuo ſempiterno commutabimus: incendatur frigore pes, vt cum Angelis continuò ſaltet.* pag.221.A. ad finem: *Vos non terra contexit; ſed cœlum excepit: apertæ ſunt vobis Paradyſi portæ: dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & iuſtis animabus ſpectaculum.* Idem homilia 19.in Gordium Martyrem: *Si iſte ex noſtræ vrbis prodiens vtero, ad ſummũque gloriæ culmen euectus*, Et ad finem homiliæ: *Vbi tantam cordis præferebat alacritatem, vt non lictorum, ſed Angelorum manibus ſe committere voluerit, qui ſubitò poſt interitum ſublimem eum in cœlum deferrent.* Vide illum homil.18.in Balam Martyrem. 16. *Baſilius.*

Quartum locum habeat Gregor. Nazianzenus: is enim oratione in laudem Baſilij in fine pag.168.col.2. *Tu verò Sacrũ, & Diuinũ caput nos cœlitus inſpicias, noſq; poſteaquam, ex hac vita migrauerimus, illic tabernaculis tuis excipias, vt ſimul viuentes, & ſanctam, ac beatam Trinitatem, cuius nũc* 17. *Nazianz.*

exiguã

exiguam ſpeciem, & imaginem accepimus, purius, perfectiuſque conſpicientes deſiderijs noſtris finem ſtatuimus. Et in oratione in laudem Gorgoniæ Sororis pag. 68. col. 2. ita habet: *Equidem non dubito, quin his, quæ oculis cernuntur, multa excellentiora, & præſtabiliora ſint ea, quibus nunc foueris: nempe vox feſtum celebrãtium Angelorum, choreæ, cœleſtis ordo, gloriæ contemplatio, ac præſertim ſupremæ Trinitatis purior illuminatio, ſeſe toti menti contemplandam, ſe ſe amplexandamque præbentis, totoque diuinitatis fulgore noſtras animas circumfulgentis.* In oratione etiam in laudem Cæſarij fratris pag. 58. col. 1. *Sapientum verbis adducor, vt credam, generoſam omnem, Deoque charam animã, poſteaquam corporis vinculis ſoluta hinc exceſſerit, protinus bonum, quod eam manet perſentientem, & contemplantem mirabili quadam voluptate affici, & exultare: ad Dominum ſuum conuolare, beatitudinemque reconditã imaginatione quadã iam percipere.*

18. *Nyſſenus* Quintum locum habeat Nyſſenus in orat. de vita Sancti Ephrem: poſtquam enim explicauit pag. 138, D; quæ mandauerat iam profecturus in cœlũ, pag. 139. A. ita ait: *Ad tranquillum æterni regis portum feliciter emigrauit. ſanctaq́, ac Deo grata acceſsione numerum beatorum, qui ab initio fuerunt ſæculi, cumulauit: nam in cœleſtibus anima ipſius conſedit tabernaculis, vbi Angelorum ſunt ordines, vbi Patriarcharum populi, vbi Prophetarum Cori, vbi Apoſtolorum Sedes, vbi Martyrum gaudiũ, vbi priorũ lætitiæ, vbi Doctorum ſplendor, vbi puræ letantium voces in ſanctum illum locũ feliciſsimi beati; clarique Patris. Ephrem anima peruenit.* Quibus verbis nõ ſolũ docet, animã beati Ephrẽ iam eſſe in cęlo, ſed ante eam in cœlo eſſe ingentem ſanctorum hominum numerum. Ad finem orationis ita ſcribit *Tu autem diuino iam aſsiſtens altari, vitæque principi, ac ſanctiſsimæ vna cũ Angelis ſacrificans Trinitati, omnium noſtrũ memineris.* In oratione, quod non ſit dolẽdum propter obitum eorum, qui in fide dormierũt 1. to. p. 583. B. ita ſcribit: *Poſtea quam mortis, tanquam partus dolores, quaſi obſtetricem acciuerint, vt in alteram vitam educantur, ipſi quidem cum ad illam lucem præceſſerint, experimento cognoſcunt, quantũ illa vita ab iſta differat.* Optima ſunt verba in oratione de Placilla pag. 915. A: *Nũquid mærere conuenit de regina edoctos, quæ quibus communicauerit? Reliquit regnũ terreſtre, at cœleſte aſſecuta eſt: depoſuit coronã lapidibus ornatam; at gloriæ corona ſe circumdedit.*

Poſtremò, quod Chryſoſtomus expreſſe hanc veritatem docuerit, oſtendimus ar. 3. §. 2. vbi idem diximus de Theodoreto, & Theophylacto. Citari etiã poſſunt ambo Cyrilli: nam Ieroſolymitanus Catecheſi 13. ſatis expreſſe aſſerit, latronem eſſe in cœleſti Paradyſo; Alexãdrinus verò affirmat, animas ſanctorũ poſt mortem euolare in manus Dei Patris, & in cœlum, quod nobis Chriſtus aperuit. Epiphanius hæreſi 78. ſcribit, ſanctos habere quietem in gloria, ſortem in beatitudine, & eſſe in cœlo. Damaſcenus in fine hiſtoriæ de Barlam, & Ioſaphat docet, eos vultui Domini nitide, & nudè pręſentari, & iam exornari corona ſibi promiſſa. D. Athanaſius in vita Antonij affirmat, animam Ammonis delatã ab Angelis in cœlum. Et hæc ſatis ſint, vt oſtendamus cõmunem fere omnium Patrum ſententiã conſtanter docuiſſe animas iuſtorum poſt mortem, ſi nihil purgandum reſtat, ſtatim recipi ad beatitudinem cœleſtem diuinæ viſionis. 19. *Chryſoſto.*

ARTICVLVS. VII. & vltimus.

§. I.

Soluuntur argumenta poſita primo, & ſecundo artic.

COnfirmata, veritate Catholica, ſoluenda ſunt argumenta in 1. & 2. ar. in contrarium adducta. Ad primũ ſumptum ex authoritate Patrum Bellarminus, Valentia, & alij negant Patres in argumento citatos vno, vel altero dẽpto contrariũ docuiſſe. Ego puto, *Papiam, Iuſtinum Irenæum, Tertullianum, Victorinum, Origenem, Aretam, Euthymium, & D. Bernardum contrarium ſenſiſſe.* Patrem verò Auguſtinum in eadem ſententia aliquando fuiſſe, ſed vt fabuloſam poſtea impugnaſſe. Cœteros verò Patres errorem illũ nunquam habuiſſe, de quo latè in præcedentibus diximus. 1. *Ad Patres* *Qui Patres contrarium ſenſerint.*

Ad ſecundum argumentum negamus, ex Sacris literis ſumi poſſe, vel apparens argumentum pro præcitato errore, quod facile *Ad argumẽta ex Scriptura.*

facile præſtabimus ſi ſingulos locos expendamus,

§. 2.

Ad primum locum Matthæi 20.

2. Ad 1. c. 20. Matth.

PRimus locus ſumitur ex capit. 20. Matthæi; vbi Pater familias ad veſperã diei omnib⁹ operarijs ſimul reddit deanrij mercedẽ: vbi per veſperã diei ſignificatꝰ generalis reſurrectio, & per denariũ intelligitur vita ęternę beatitudinis.

1. Solutio. Ad hoc argumentum facilis eſſet ſolutio, ſi parabola accommodaretur ad ſolemnem, & publicam conſummatæ beatitudinis retributionem: hæc enim non fiet, niſi in veſpera totius ſæculi, id eſt, in die vniuerſalis iudicij. In hoc ſenſu circunſtãtia denarij diurni omnibus redditi facit ad ſcopum parabolæ. Vnde circunſtãtia de beatitudine ſimul omnibus reddita non concludit, beatitudinem non conſummatam, qualis eſt ſolius animæ, non reddi ſingulis ante diem iudicij. Quæ ſolutio non omnino diſplicet *Bellarmino in dict. cap.* 3. Bellarm. Valentia. Medina. *pag.* 848. *A. nec Valentiæ in d. q.* 4. *punct.* 2. *ad* 1. *locum pag.* 81. *B. imò placet Medinæ* 1. 2. *q.* 4. *artic.* 5. *ad teſtimonia Scripturæ pag.* 100. *col.* 2. generaliter enim docet, teſtimonia ſanctarum ſcripturarum intelligẽda eſſe de perfecta, & conſummata felicitate, quam poſt generalem reſurrectionẽ expectamus: *Placet Lorcæ* 1. 2. *diſputa.* 36. Lorca. Abulenſi. *Membr.* 3. *pag.* 201. *Abulenſis in capite.* 20. *Matthæi q.* 17. *ad finem, & communiter cum hac ſolutione tranſeunt Iuniores Scholaſtici.*

Fallitur Bellomont. Nec audiendus eſt Bellomõtanus 1. 2. *diſp.* 19, *cap.* 3. *num.* 8. dum ait, nullũ ex authoribus per veſperam diei expoſuiſſe diem vniuerſalis iudicij: in quo haud dubie decipitur: nam veſperam illam pro vniuerſali iudico accepit *Abulenſis in d. q.* 17. *cum* Abulen. August. Origen. Rabanus. *cæteris, quos citauimus. Et ſpecialiter ita locum expoſuit Auguſtinus in ſerm.* 59. *de verbis Domini, & Origenes homil.* 10. *in Matthæum, vbi ita ait: Poſt veſpere facto, id eſt ſæculi conſummatione. Rabanus etiam in eodem loco: cum autem ſero factum eſſet, id eſt cum dies totius mundi ad veſperam conſumationis inclinata eſſet.* Adde Remigium: *Vocat igitur operarios, & reddit illis mercedem, quando omnes congregabuntur in iudicio, vt vnuſque accipiat ſecundum opera ſua: Gloſſa* Gloſſa. Lyra. D. Thom. *etiam Interlinearis: cum ſero eſſet factum id eſt in fine mundi. Probant Lyra, D. Thomas, Caietanus in eodem loco: ſatis Salmeronius, dum tom.* 7. *tract.* 3. *num.* 24. *ſcribit, vocationem iſtam eſſe faciendam per tubam, & voce Archangeli vocantis omnes ad iudicium.* Caietan. Salmeron. *De nique Maldonatus in eodem capite in* 2. *parte parabolæ pag.* 434. *E. aſſerit, certum eſſe,* Maldona. *per veſperam ſignificari tempus vltimi iudicij, & in* 7. *p. pag.* 437. *B.* affirmat, neminẽ de hoc dubitare: & quamuis in hoc nõ ſit audiẽdus, quia plures per veſperam aliud intelligunt; tñ explicatio ſatis eſt probabilis: nec impugnari poterit, quia parabola in hoc ſenſu ſatis conuenit cum fine, & ſcopo illius: *ſic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, ſi horæ diei per ætates ſæculi explicentur: quia ſicut, qui nouiſſima hora venerunt, & paruo laborauerũt tempore in accipienda mercede facti ſũt primi; & primi, qui venerunt in prima hora, facti ſunt nouiſſimi: ita in generali illa retributione beatitudinis cõſummatę, qui vltima hora ad fidem vocati ſunt (nẽpe poſt aduentum Chriſti) erunt primi: & qui vocati ſunt in prima mundi ætate ab Adamo, vſque ad Noe, erunt nouiſſimi; quocũq; modo hæc commutatio fiat; multis enim modis id poteſt explicari.

Secunda ſolutio eſt eorum: qui putãt, 3. 2. Solutio. in hac parabola ſumi non poſſe argumentum ex ſimultate redditæ mercedis: quia hæc circũſtantia ad ſcopum parabolæ nihil conducit: iam verò ex doctrina Chryſoſtomi homil. 65. in Matthæum ab omnib⁹ recepta in parabolis ex ſolis illis particulis ſumi poteſt argumentum, quæ ad ſcopum, finemque parabolæ ſpectant: ita *Bellarminus, & Valentia, atque Bellomõtanus vbi ſuprà*: nam, vt ait Bellomontanus Bellarm. Valentia Bellom. hęc pars parabolę nullum peculiare myſterium continet; ſed per eam ſolum ſignificantur illa, quæ communiter inter homines in reddenda mercenarijs mercede fieri ſolent: ſed oportebat hoc, non ſupponere, ſed oſtendere: oſtendetur autem, ſi ſupponam⁹, finẽ parabolæ nullũ aliũ eſſe, niſi explicare propoſitionem poſitam tũ in vltimus verbis præcedentis capitis, tũ in fine parabolæ: *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, de quo plura inferius in quęſt. de inęqualitate beatitudinis. Quod verò iſta circunſtantia ad ſcopum parabolæ nihil faciat, facile patet, ſi per regnũ cœlorum non Eccleſia triumphans explicetur, ſed militans, quod eſt de mente

Irenæi

Irenæus. Abulenſi. Lyra, Barrad. *Irenæi lib.4.cap.70. & placuit Lyræ in d. cap.20. nec diſplicet Abulenſi in eodē cap. q.3. nec Barradæ tom.3. Cōcordiæ lib.5. cap. 16. pag. 370. col.2. A.B.* nam cum nec in parabola, nec in ſcopo illius ſermo ſit de veſpera mundi tēpore reſurrectionis, ſed de veſpera ætatum, quæ ad ſtatum Eccleſiæ pertinet, euidenter patet, nullum inde poſſe ſumi argumentum contra propoſitam veritatem. Vtrùm autem hæc explicatio ſit conueniens, & apta? alterius eſt quæſtionis: ſatis nobis nunc eſt, quod viris doctiſsimis placuerit.

4. 3. Explicatio. Sed nec ſumi poteſt argumentum, ſi cum communi ſententia per regnum cœlorū intelligatur cœleſtis beatitudo; quocumque modo explicentur, aut horæ, in quibus operarij vocati ſunt, aut diurnum denarium ſingulis datum: ſemper enim ſaluatur ſcopus parabolæ in ſenſu, quē cū Chryſoſtomo ferè omnes probant, vt ſicut, qui nouiſsimè venerūt, prẹter omniū ſpē, in æqualitate mercedis facti ſunt primi, & primi nouiſsimi: ita etiam in recipienda beatitudine præter communem exiſtimationem; qui in labore, & merito putabātur nouiſsimi, in beatitudine erūt primi: & multi, qui exiſtimabantur primi, illic erunt nouiſsimi, ſed de hac parabola iterum redibit ſermo in præcitata quæſtione.

§. 3.

Ad locum Matthæi 25.

5. Ad 2. ex Matth. 25. Secundus locus ſumitur ex cap. 25. Matthæi, vbi in extremo iudicio Chriſtus ad omnes electos dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, & cætera.* Solutio. Sed locus ſolùm concludit, beatitudinem conſummatam, animæ ſcilicet, & corporis in ſolo generali iudicio eſſe reddendam: quod cōcedimus ſecluſo ſpeciali priuilegio: hoc autem non tollit, quin ante iudiciū vniuerſale in particulari cuiuſque iudicio, quod in morte ſit, ſingulis reddatur beatitudo eſſentialis animæ, quamuis illa nondum ſit cōſummata, Valentia. *Vide Valentiam 2. tom. diſput. 1. q. 4. punc. 2, pag. 81. ad 2. locum.* Cui ſolutioni fauet cōcluſio parabolæ, quæ ſcopū illius continet: *Et vos ſtote parati; quia neſcitis diem neq; horam:* quæ verba de die, & hora mortis ſunt intelligenda, cui concinunt omnes ferè particulæ parabolę: cuius diei, & horæ præparatio ex conſequenti eſt præparatio ad diem vniuerſalis iudicij.

§. 4.

Ad Hebræos 11.

6. Ad 3. Hebr. 11. Tertius locus ſumitur ex Paulo ad Hebræos 11. agens enim de Patribus veteris teſtamenti, ita ſcribit: *Omnes teſtimonio fidei probati non acceperūt repromiſsionē; Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.* Plures ex hoc loco ſumpſiſſe argumētum contra explicatam veritatem teſtantur D. Thomas, & Lyra cum alijs: & cōtra eandem illud ſumpſit D. Bernardus ſermone quarto omnium ſanctorum. Fundamentum eſt; quia verba Pauli ſatis ſignificant, omnes iuſtos, tàm veteris, quàm noui teſtamenti ſimul accepturos fore coronam nomine conſummationis ſignificatam, quæ eſt corona beatitudinis: ita expreſſe *Chryſoſtomus orat. 28. in Epiſtolā ad Hebræos tom.4. pag. 1649. B, C. Theodoretus etiā Theophylactus, & Oecumenius.* Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oecum. Accedit; quoniam Paulus verba illa ſcripſit poſt Chriſti aſcenſionem: & tamē docet, Patres veteris teſtamenti non dum accepiſſe repromiſsionem; & ex conſequenti non dum eſſe beatos; ſed expectare, vt in die iudicij omnes ſimul beemur.

7. Solutio. Locus tamen benè explicatus nullum poteſt argumentum ſuppeditare. Id patet, ſi cum Primaſio intelligatur de repromiſsione Incarnationis verbi Patribus veteris teſtamenti pluries promiſſæ: quam expoſitionem magis probat *Lorca 1. 2. diſp. 36. Membr. 3. pag. 201. col. 2. quam nec Bellarminus reijcit, nec Valentia, nec etiam Bellomontanus 1. 2. diſp. 39. cap. 3. nu. 8.* Lorca. Bellarm. Valentia. Bellom. At tamen non eſt admittenda explicatio: tū; quia ſolum Primaſium habet patronū: tùm etiam; quia nec antecedentibus cōuenit, nec conſequentibus. Tū tertio; quia licet Incarnatio Verbi ſit repromiſſa: ipſa tamen formaliter nō eſt id, quo conſummamur, ſed ſolùm cauſaliter.

8. 2. Solutio. Sed nec locus argumentum ſuppeditabit, ſi per repromiſsionem intelligamus gloriam animæ, omnibus iuſtis poſt mortem repromiſſam, vt ſit ſenſus: *Patres veteris teſtamenti teſtimonio fidei probati, mortui non acceperunt promiſsionem gloriæ animæ, Deo pro iuſtis noui teſtamenti melius prouidente*

D.Thom. Lyra. Caietan. Ariesmõ. Salmeron. Bellarm. Valentia. Bellom. Suarius.

uidente, ne ſine illis conſummarentur. Quã explicationẽ probant *D.Thom. ibi lect.8.ad fin, Lyra, Caietan. & Aries Montanus, nec diſplicet Salmeroni in eadẽ epiſt.diſpu.21.ad fin.pag.778.col.1.probant Bellarm. & Valentia cum Bellomont.loco citato, & Suario 3.p.q.53.art.8.in com.pag.866.B,1.& Caieta. in eodẽ loco.* Qua ſuppoſita explicatione locus facit pro ſentẽtia catholica: pbat enim, quod licet veteres Patres ante Chriſti mortẽ acceperint beatitudinem animę eam tamen accepiſſe nobiſcũ in nouo teſtamento, in quo omnes ſtatim atque morimur; eam accipimus. Et profectò explicatio ſatis videtur quadrare cum tota Pauli ſentẽtia, ſi benè explicetur. Poteſt etiam confirmari, quia paulus in eodẽ c. ait, *Abraham, & Patres, de quibus ibi agit, eſſe defunctos non acceptis repromiſsionibus, quas habebant de Patria cœleſti:* quæ verba ferè omnes explicant de vita æterna ſimpliciter ſũpta, vt *Primaſius Haymon, Chryſoſtomus, Theophylact. Grandis, Anſel. Ribera Gagnæus, Carthuſianus, & nouiſsimè Tena in eodẽ loco Pauli diſp.9.n.9.* Cur ergo idẽ repromiſsionis nomen in noſtro loco nõ accipietur in eadem ſignificatione?

Quibus placent.

9. 1. Obiectio cõtra expoſitioné.

9. Sed expendamus, quæ cõtra hãc expoſitionẽ obiiciuntur. Primo loco obijcit Ribera, quoniã ratio Pauli firma non eſſet: etenim ideo ait patres repromiſsionẽ non accepiſſe, *quia Deus melius pro nobis prouidit, ne illi ſine nobis conſũmarentur*: cum tñ Patres non ob hanc cauſam gloriã animæ nõ acceperunt, ſed quia non poterant illã accipere cœlo adhuc clauſo. Quare etiã ſi Deus nihil pro nobis prouideret, adhuc beatitudinẽ animæ nõ acciperent. ¶Sed hæc obiectio nõ ſatis percipit rationẽ prouidentiæ in honorẽ iuſtorũ noui teſtamẽti: etenim ratiò prouidentiæ in hoc eſt poſita, quoniã cũ Deus poſſet prouidere, vt patribus veteris teſtamenti daretur gloria poſt mortẽ, etiã ſi adhuc cęlũ eſſet clauſũ; ſicut prouidit, vt illis daretur iuſtificatio à peccatis, cui etiã cęlũ erat clauſum: quoniã ad vtrumq, velũ tabernaculi non dũ erat ſciſſum: tamẽ noluit prouidere, vt cœlo clauſo, gloria animæ daretur; idque noſtri honoris cauſa. Quare Patres illi nõ præciſè ex eo nõ acceperunt gloriã animæ, quia cœlũ erat clauſum: quia potuit Deus prouidere, vt eo clauſo, in virtute paſsionis, qua aperiendum erat acciperent gloriã animæ, ſicut in vita acceperũt iuſtificationẽ: ſed ex eo præciſè, quia Deꝰ melius pro nobis prouidens noluit, ſicut poterat, dare illis animæ gloriã. Quæ ſolutio firmior erit, ſi nomine cęli ob peccatũ clauſi intelligamꝰ nõ ſolũ cõmunicationẽ gloriæ animarũ, ſed cõmunicationẽ illius in loco cœleſti, ad quẽ ſtatim transferremur, ſi Adamus nõ peccaſſet. Potuit igitur, cęlo adhuc clauſo, quoad locũ beatitudini deputatũ, cõmunicare animæ gloriã, ſicut cõmunicauit illi iuſtificationẽ: ſed noluit, in hoc melius pro nobis prouidẽs, ne illi ſine nobis conſummarentur.

10. 2. Obiectio

Secundo obijcit Ribera, quoniam ex Paulo ratio diuinæ prouidentię in noſtrũ honorem fuit, ne nos minus haberemus: hæc ratio nõ poteſt habere locũ, ſi per repromiſsionem intelligatur gloria animæ: etenim nihil minus haberemus, ſi illi beatitudinẽ animæ ſine nobis accepiſſent: id autem ex eo probat; quia nos modo nihil minus accipimus, quã illi, qui in principio Eccleſiæ morientes beatitudinẽ animę ſine nobis acceperũt; quia nos cũ morimur, eandẽ etiã accipimꝰ. Eodẽ igitur modo iuſti teſtamẽti noui nihil minus acciperẽt, ſi antiqui iuſti acciperent animæ gloriã: nã ſicut illi moriendo ſtatim eam accepiſſent; ita nos cũ mortui eſſemus, eãdem acciperemus. ¶Obiectio tñ facilè ſoluitur; quia in vno, & altero caſu diſpar eſt ratio: quoniã in nouo teſtamento, cũ cœlum iã omnibus æqualiter ſit apertũ, omnes eodẽ iure vtimur, & ſolũ datur diſcrimen in ordine temporis, & mortis, & ob hanc rationem nos, qui viuimus nihil minus, quã illi accipimus, cũ omnes eodem iure abſq; alio ſpeciali priuilegio eã accipiamus. Oppoſitũ eſſet, ſi Patribus veteris teſtamenti ſtatim poſt mortem conferretur gloria: quia illi ex ſpeciali priuilegio contra legem à Deo ſtatutam gloriã haberent, quã nos nulla prohibente lege, imò lege pro nobis ſtante, accipimus: conſtat autem plus fauoris cõferri ijs, qui ex ſpeciali priuilegio aliquid habent, quàm ijs, qui lege iuuante, illud ipſum accipiunt. Quare in eo Deus melius nobis prouidit, quòd noluit illis magis fauere, quam nobis.

Solutio.

11. 3. Obiectio

Tertio alij obijciũt: quoniã Paulus nõ loquitur de gloria animę tantũ, ſed de gloria animæ, & corporis: nã ideo non dixit, ne ſine nobis coronarẽtur, ſed ne ſine nobis conſum-

cõſumentur: quòd ſatis probauit *Chryſoſtomus in eodẽ loco orat. 28. p. 1649. B. C. cũ Theodoreto. Theophyl. & Oecume.* Accedit: quia in ſacris literis cõſũmatio propriè accipitur ꝓ beatitudine cõſummata, qualis eſt animæ, & corporis. ¶ Hęc tñ obiectio, quãuis fortè cõuincat, locũ Pauli accõmodati⁹ explicari de retributione cõſũmata gloriæ animę, & corporis: nõ tamẽ cõuincit, nõ poſſe ſatis accõmodatè explicari de retributione ſolius animæ: etenĩ licet hoc verbũ cõſummare cõmuniter ſumatur ꝓ cõſummatione perfecta, & õnibus, vt dicitur, numeris abſoluta, tamen ſæpe etiam ſumitur pro cõſummatione in ſe quidem perfecta, quãuis nõ õnibus modis: nã animæ Sanctorũ, quæ iã ſunt in gloria, dicũtur ſpiritus iuſtorũ perfectorũ, id eſt con ſũmatorũ: etenim idẽ verbum Gręcum τετελειωμένων, quod hic ponitur, etiã ibi dẽ ponitur, vt benè aduertit *Ribera n. 115.* & tñ nondũ erant conſũmati gloria corporis. Si verò reſpondeas cũ eodẽ *Ribera. & Tena ibidẽ diffic. 28. ſect. 2. in fine in citato loco* ꝓpriã ſignificationẽ hui⁹ nominis cõſũmatũ reſtringi, & coarctari ꝑ verbũ ſpirit⁹, vt nõ accipiatur ꝓ abſoulta cõſumatione, ſed ꝓ ſola animę, quę eſt impfecta: etiã in hoc loco amplã eiuſdẽ verbi ſignificationẽ ex Paulo materia ſubiecta reſtringit, vt ñ accipiatur pro cõſũmatione abſoluta, ſed pro ſola cõſumatione animę: etenĩ, vt aduertimus, Paulus de ea repromiſsione, & cõſummatione agit, quã Patres expectabãt, quæ erat cęleſtis Patria, & ciuitas à Deo cõdita, quã tanquã perigrini ſalutabãt, & tandiù ſe hoſpites exiſtimabãt, quandiù ad illã non peruenirẽt. Quis autẽ dicet, eos in cęleſti Patria exiſtẽtes adhuc ſe, vt perigrinos, & hoſpites habere, quæ ratio verè cogit, vt per repromiſsionẽ, quã morientes nõ acceperũt, intelligamus, gloriã animæ in cęleſti Patria, cujus aſſecutione deſierũt eſſe peregrini,
12. & hoſpites. ¶ Accedit etiam, quia Paulus alijs in locis ipſã gloriã animæ ſimpliciter appellat cõſummationẽ, vt patet, ex c. 7. eiuſdẽ epiſt. vbi ſacerdotio Leuitico negat cõſummationẽ, eãq; concedit ſacerdotio Chriſti ita inquiens n. 11. *Si ergo conſũmatio, & ſacerdotiũ Leuiticũ, & cæt. quid adhuc neceſſarium fuit aliũ ſurgere ſacerdotem?* Et nu. 19, concludit: *Nihil ad perfectum adducit lex:* quia ſcilicet, nec adducebat ad perfectionẽ iuſtitię in via, nec ad perfectionẽ Patriæ, quæ eſt perfectio gloriæ animæ, quę eſt cõmunis explicatio, *D. Thom. ibidẽ lect. 3. & eiuſdẽ Riberæ n. 39. in hæc verba: ſi conſummaſſet, & perfeciſſet hominẽ, id eſt, ſi vim haberet iuſtificãdi, & liberandi à peccato, & ad vitã æternam perducendi, quæ maximæ, & vltimæ ſunt hominis perfectiones; quorſum expectabatur alius ſacerdos?* Et inferius n. 68. *Nihil ad pfectũ adducit lex, id eſt, nullum hominẽ, quamuis omnia legis ſacrificia adhiberet, potuit perficere, vt eſt ſanctificare, & ad vitã æternã perducere, quæ eſt vltima, & maxima hominis perfectio;* & ita verba illa explicãt *Caietan. & Tena in d. c. 7. difficul. 7: nu. 7. & 8. Lyra, & alij cũ Gloſſa Interlineari.* Et in eodẽ ſenſu cõmuniter intelligũtur verba Pauli ad Hebræos 10: *Vna enim oblatione conſũmauit in æternum ſanctificatos:* quia. ſ. illa vna fecit, vt conſũmatè ſanctificarentur. Nec ſatis accõmodatè reſpõdent *Ribera in d. c. 11. n. 114. §. Hanc interpretationem, & Tena in d. diffic. 28. n. 9.* verba Pauli in citatis locis nõ eſſe intelligenda de conſummatione per ſolã gloriã animę, ſed etiã corporis: hæc enim reſpõſio eſt cõtra cõmunẽ explicationẽ; nec aliqd cogit, vt verba illa ita intelligam⁹; quin potius maximè obſtat, quia Paulus in illis locis agit de cõſummatione, & perfectione, per quã formaliter approximamus ad Deũ, vt patet ex verbis cap. 7. n. 19. *Nihil ad perfectũ adducit lex: introductio vero melioris ſpei, per quã approximamus ad Deũ:* ad quẽ formaliter approximam⁹ inchoatè quidẽ per iuſtificationẽ à peccato: perfectè autẽ per gloriã animæ, qua ſum⁹ Deo ſimiles; non verò corporis, quia per illã ſolũ aſsimilamur Chriſto homini. Accedit; quia c. 10. agit de oblatione, quæ cõ ſũmauit ſãctificatos, vt tales ſunt: iã verò gloria corporis ad hãc cõſummationẽ nõ ſpectat. Deniq; Paul. in tota illa diſp. agit de conſummatione, qua conſumatè facta eſt remiſsio peccatorum, & conſummata eorum obliuio, vt iam nulla opus ſit oblatione pro peccatò: ita enim ait: *vbi autem eſt peccatorũ remiſsio, iam non eſt oblatio pro peccato.* Quæ oblatio etiam quoad repetitionem eiuſdem hoſtiæ tunc primò non erit, cum per gloriam animæ remiſsio peccatorum conſummata fuerit. Quæ explicatio ex eo placere debet, quamuis ſit noua, q͂a radicitus ſoluit hęreticorũ obiectionem 13.

Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oecumen. Solutio.

Ribera. Tena.

Ad confirmatio. *Ad Hebr. cap. 7:*

D. Thom. Ribera.

Ad Hebr. 10.

Nec recipitur reſponſio.

tionem, quā ex illis verbis ſumunt, vt omnino tollant ab Eccleſiæ Miſſę ſacrificiū. Quod argumentū licet à Catholicis ſufficientiſsimè ſoluatur, intelligendo verba Pauli de oblatione nouæ hoſtiæ; nō verò de repetitione eiuſdē, quā Chriſtus obtulit; tamen noſtra iſta explicatione difficultas hæreticorū omninò tollitur.

Ad Philip

Omitto locū Pauli ad Philip. 3. n. 12: *Non quod iā acceperim, aut iā perfect⁹ ſim*, nullo modo admittere explicationem de perfectione glorię corporis, ſed vel de perfectione iuſtitiæ, quæ eſt in via; vel de pfectione gloriæ, quæ poſita eſt in viſione Dei. Sed hęc omitto; qa ſatis ſunt, quæ adduximus pro defendenda explicatione, quod Paulus ad Hebręos 11. intelligitur de adeptione repromiſsionis ſecundum gloriam animæ: quia locus ita intellectus maximè fauet Catholicæ veritati.

14. Alia ſolutio

Nunc addimus locū illum, nullū poſſe aduerſarijs argumentum ſuppeditare; ſi nomine repromiſsionis intelligamus gloriā cōſummatā animę, & corporis, quę eſt cōmunior Patrū, & interpetrū explicatio, quā approbarunt *Ribera in eodē loco n. 113. & 114. Tena ibidē difficul. 28. ſect. 2. & 3. Salmeron diſp. 21. p. 777. col. 2. nec diſplicet D. Thom. ibidē lect. 8. in fine, nec Caietano, nec Lyræ*, nec alijs citatis in ſecunda explicatione: quā etiā ſimpliciter probāt *Hugo Cardin. Viretus, & Grandis, ibid. eſſe concordē ferè omniū Patrū Latinorū explicationē affirmat Ribera vbi ſupra n. 110. pag. 469. eā probarunt Auguſt. epiſt. 99. ad Euodiū D. Anſel. Primaſius, Haymon, & Gagnæus in eodē loco. Quam etiā probant Patres Græci, Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. & Oecum. relati à Tena vbi ſup. ſect. 3.* Fundamētū illius ſumitur; qa Paulus nō dicit: *Ne ſine nobis coronarētur*, ſed dixit; *Ne ſine nobis conſūmarentur.* Cōſūmatio autē ſupra coronā glorię animę denotat gloriā corporis. Et prętere a, quādo Paulus loquitur de cōſūmatione Chriſti per paſsionē, quæ eſt noſtræ cōſūmationis cauſa, cōſūmationē accipit ꝑ gloria corporis, ad Hebr. 2. *Decebat enim authorē ſalutis eorū per paſsionē conſūmari.* Et c. 5, *& conſūmatus fact⁹ eſt omnibus obtēperantibus ſibi cauſa ſalutis.* Ex quib⁹ patet, quā accōmodatè in verbis, de quibus agim⁹, nomine retributionis, quā patres nō accepērūt, intelligamus repromiſsionē cōſummatā per gloriā coporis.

Ribera.
Tena.
Salmeron.
D. Thom.
Caietan.
Lyra.
Hugo Car.
Plures Patres.

Quæ verò in cōtrariū obijciūtur, ſatis doctè ſoluit *Ribera in d. c. 12. à n. 112. à quo ōnia accēpit Tena in d. diffic. 28. ſect. 4. & 5.*

Ribera.
Tena.
Reſolutio.

¶ Hac igitur explicatione ſuppoſita, loc⁹ iſte nullū vel apparēs argumentū cōtra catholicā veritatē poteſt ſuppeditare: quia retributionē cōſummatā per corporis gloriā, Deo melius pro nobis prouidente. nō ſumus accepturi cū Patribus veteris teſtamenti, niſi in die generalis reſurrectionis: hoc autē nō impedit, quominus ante illū diē ſtolā glorię animę in morte accipiam⁹ & hæc eſt cōmunis huius argum. ſolutio.

§. 5.

2. Timotheum 1. & 4.

15. Ad 4. ex 2. Timoth. 1. & 4.

QVartus locus ſumitur ex Paulo 2. Timoth. 1. & 4. nam c. 1. n. 12. ait: *Scio, cui credidi, & certus ſū, quia potēs eſt depoſitū meū ſeruare in illū diē.* Et c. 4 nu. 8. inquit: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quā reddet mihi Dñs in illa die iuſtus videre non ſolū mihi, ſed & ijs, qui diligūt aduētū eius.* In quibus locis, *per illū diē*, intelligit Paulus diē iudicij vniuerſalis: *per depoſitū, & coronā iuſtitiæ* intelligit, tum merita operū; tum præmiū pro operibus, Docet igitur Paulus coronā totius depoſiti in ſolo die generalis iudicij eſſe reddēdā.

Solutio.

¶ Sed vterq; locus facilē habet explicationē: quia vterque intelligi poteſt de die iudicij, vel particularis in morte cuiuſq; vel vniuerſalis in generali reſurrectione. Si vterq; priori modo intelligatur; vterq; potius cōfirmat veritatē catholicā, quia vterq; intelligitur de corona gloriæ ſolius animæ, quæ poſt iudiciū particulare in morte cuiuſq; ſtatim redditur. Si verò vterq, intelligatē de iudicio vniuerſali; vterq; explicari debet de corona cōſūmata, quæ includit gloriā corporis: quod nō tollit, quin antea ſingulis moriētibus ſtatim reddatur corona gloriæ animæ, quæ eſt gloriæ eſſentialis. *Vide Valētiā 1. to. d. 1. q. 4. pūc. 2. p. 81. ad 3. & 4. locū.*

Valentia.

Vterq; loc⁹ cōmuniter explicatur, tū de die mortis, tū de die iudicij vniuerſalis, vt patet ex Gloſſa ordinaria. De priori loco nulla eſt dubitatio quoniā verba vtriq; diei accōmodari poſſūt; nec deſūt qui illū explicēt de die mortis, De poſteriori verò maior eſt dubitatio: quoniā Ambroſius illū explicat de die iudicij cū Caietano, & nōnullis alijs: ſed nō video, cur nō poſsit accōmodatiſsimè explicari de iudicio facto in morte; nā omnes iuſti etiam dili-

diligunt, & expectent aduentũ Chriſti in die ſui exitꝰ. Sed parũ refert, ſi hoc, vel illo modo explices. §. 6.

Primæ Ioannis tertio.

16. Ad 5. ex 1. QVintus locus ſumitur ex verbis 1. Ioannis 3. *ſcimus; quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quia videbimus, eum, ſicuti eſt.* Quæ verba explicãtur de apparitione Chriſti in corpore glorioſo in die iudicij. Cũ igitur tunc erimus illi ſimiles in eadẽ gloria corporis; *quia videbimꝰ Deũ, ſicuti eſt*; ergo ante diẽ iudicij nullꝰ

Solutio 1. Deũ videbit. ¶ Sed locus iſte ex multiplici cap, nullum poteſt ſuppeditare efficax argumentũ. Prima ſolutio ſit: quia verba illa. *Cũ apparuerit*, nõ intelligũtur de Chriſto vt ſit ſẽſus: *Cũ apparuerit Chriſtꝰ*; ſed de apparitione, quid erimus; vt ſatis cõuincunt verba præcedentia: *Chariſsimi; nũc filij Dei ſumꝰ, & nondũ apparuit, quid erimus; quoniã cũ apparuerit, ſimiles ei erimus.* Quare ex ipſo verborũ cõtextu colligitur noſtra explicatio, vt ſit ſenſus: *Cũ apparuerit,*

Auguſt. Dydimus. Oecum. Lyra. Hugo Cardinal. *quid erimus*, vt iã oſtendimus *q.1.art.5.* §. 1. *ex Auguſt. Dydimo, Oecum. Lyra, Hugone Cardinali, Bellarm. Valentia, & Bellom.* Cũ verò illa verba *nondũ apparuit quid erimus*, abſq; vlla cõtrouerſia intelligãtur de gloria, ad quã perventuri ſumus, vt loco citato diximus; vtiq; indifferentia ſunt, vt explicentur tũ de gloria, quæ ſingulis apparebit tempore mortis: tũ de gloria cõſummata corporis, quæ in die vniuerſalis iudicij omnibus nota fiet, vt benè aduertit

Valentia. Bellom. *Valentia vbi ſupra pag. 82. A.* Et quidem ſi priori modo explicentur (vt *quibuſdã placet, & Bellomont. 1.2.diſp.19.cap.3.nu.9.*) argumentum noſtrã veritatem cõfirmat. Supponit enĩ Ioannes, quod gloria cuiuſque apparebit tẽpore mortis. Si verò explicentur de gloria corporis in die iudicij; nullum ſuppeditabunt argumentũ; ſi illa alia: *quia videbimus eũ, ſicuti eſt*, explicentur de viſione Dei hõinis, & gloriæ corporis eius: quã explicationem eſſe aptiorem putat Lorinus: etenim ex illis verbis ſolũ probatur, omnes viſuros eſſe gloriã corporis Chriſti: ex hoc autẽ ſicut nõ benè infertur, iuſtos tunc nõ viſuros eius diuinitatẽ; ita nõ benè infertur eorũ animas ante reſurrectionem eã nõ vidiſſe. ¶ Sed quia explicatio Lorini cõmuniter reijcitur; admittimus, præcitata verba eſſe intelligẽda de viſione diuinitatis, vt oſtendimus in d. art. 5. dicimus tñ argumentũ parũ habere efficaciæ; quia admittimꝰ iuſtos in ſuis corporibus futuros eſſe ſimiles in gloria gloriæ corporis Chriſti: quia tunc videbunt Deum, cuius viſio eſt per ſe cauſa gloriæ corporis: ſed inde nõ infertur, animas eorum ante reſurrectionem Deum non vidiſſe. Vide Bellarminum, Valentiam, & Bellomontanum in locis citatis.

§. 7.

Ex cap. 6. Apocalypſis.

SExtus locus ſumitur ex Apocalypſi c.6. *Vidi ſubtus altare animas interfecto* 17. Ad 6. ex Apoc. 6.
rũ propter Verbũ Dei, & propter teſtimoniũ, quod habebãt. Etenim ex aduerſarijs ideo dicuntur animæ illæ eſſe ſub altari; quia ſunt in loco, in quo Deũ non vidẽt: vel quia per altare intelligitur locus extra cęlum; vel quia intelligitur Chriſti humanitas, vt vult. S. Bernardus, ſub qua dicuntur eſſe, quia ſolã illam vident, non verò diuinitatem. ¶ Sed allucinãtur, qui putant nomine *altaris* intelligendum eſſe Solutio.
locum extra cę lum: indubitatum eſt enĩ altare illud viſum eſſe in cęlo, vt latè *oſtendimus ſupra art. 5. & aduertunt Bellarm. in d.lib.1.c.3.ad 4.locum pag.849. & Bellom.* *Bellarm.*
1.2.diſp.19.cap.3.n.9. ſublato igitur fun- *Bellom.*
damento, locus nihil officit, ſed nec officit, ſi nomine altaris, nec intelligatur Chriſti humanitas, nec Chriſtus vt homo, id, quod iam oſtendimus in d, ar. 5. Et vt omnis æquiuocatio tollatur, aduerto ibi ſermonẽ eſſe de altari, quod Ioãnes vidit in cęlo, ſũpta metaphora ab altari templi Ieroſolymitani, de quo c.14. vnus Angelus exiuit, & quod erat ante agnũ, id eſt Chriſtũ: nã animæ, quæ ſub illo erant, erãt ante thronũ Dei, & ante agnũ, vt dicitur in c.7. & oſtendimus in d. art. 5. Deſtructo igitur fundamento tã ſanctiſsimi Bernardi, quã aliorũ, locus nullũ poteſt argumentũ ſuppeditare: quin potius ex eo veritatẽ catholicam confirmauimus in d. art. 5.

§. 8.

Ex cap. 20. Apocalypſis.

VLtimus locus ſumitur ex c.20. A- 18.
pocalypſis: *Et vixerũt, & regnaue-* Ad vlt. ex c
runt cũ Chriſto mille annis. Sed quo- 20, Apoc.
modo ex his verbis, & ex regno millenario, quod Chiliaſtę fingunt, inferatur animas iuſtorũ, ante reſurrectionẽ generalẽ Deũ non videre, planè non video: ſed de illius explicatione dicemus in ſeq. q.6.

§. 9.

§. 9.

Soluuntur alia argumenta adducta articulo primo.

19. Ad 2. ex Patribus.

EXplicatis locis Sacræ Scripturæ; ex quibus hæretici argumenta ſumebãt, ſupereſt explicem⁹ reliqua, quę art. 1. ſunt adducta. ¶ Ad ſecundũ igitur ſũptũ ex teſtimonijs Patrũ; fatemur, plures ex illis pręcitatã habuiſſe ſententiã, nõ tamẽ omnes, qui in argumento adducuntur, vt latè oſtendimus ſupra artic. 2. Nec mirũ eſt, quod tot grauiſsimi Patres ita iudicauerint, cũ res adhuc non eſſet diffinita ab Eccleſia: vnde ſine nota erroris potuerunt pro illo tẽpore ita ſentire; addiderim tamẽ pro eodem tẽpore ab alijs Patribus, nec numero nec authoritate minoribus ſententiam illam accerrimè fuiſſe impugnatam, vt patet ex art. 6.

20. Ad 3.

In tertio argumento locus ſumptus ex lithurgia Iacobi, quẽ refert *Senẽſis li. 6. Bibliothecæ annot.* 345: tãtum abeſt, vt veritati contradicat, vt pro illa potius faciat, vt ſupra aduertimus; vbi etiã reſpõdimus ad teſtimoniũ ſumptũ ex Clemẽte. Quod verò adducitur ex Ioan. 22. falſo illi imponitur: is enim licet hac de re dubitauerit; nunquã tamen eam diffiniuit, vt oſtendimus art. 3. huius quæſtionis: de quo vidẽdi ſunt *Ioannes Villanus lib.* 11. *hiſtoriæ de rebus Florentinorum capti.* 19. *Caſtro verbo Beatitudo hæreſi* 6. *Bellarmin. lib.* 1. *de Sãctorũ beatitudine c.* 2. *pag.* 80, *Valentia* 2. *tom. diſp.* 1. *q.* 4. *punct.* 2. *pag.* 82. *Medin.* 1. 2. *q.* 4. *art,* 5. *pag.* 101. *col.* 1. *Bellom.* 1. 2. *diſp.* 19. *c.* 3. *n.* 9. *& Lorcà ibid. diſp.* 36. *ad* 3. *fol.* 203. *pagina* 1.

Ioanni Papæ falſo impoſitur.

Villanus. Caſtro. Bellar. Valentia. Medina. Bellom. Lorca.

21. Ad 1. rationem.

Ad primã rationem ſatis reſpondent *Bellarminus. & Valentia: ille in d. lib.* 1. *c.* 6. *ad* 3. *pag.* 866. *D. hic verò in d. q.* 4. *punc.* 2. *ad* 4. *p.* 83. *C.* quoniã licet Chriſtus fuerit exẽplar noſtrũ moriendo, quieſcendo in ſepulchro, reſurgendo, & tandẽ corporaliter in cęlum aſcendendo; nõ tamẽ quaten⁹ illi⁹ anima pri⁹ ad inferos deſcẽderit, quã reſurrexerit, & in cęlũ aſcẽderit: nec enĩ ad inferos deſcẽdit, vt nobis ad inferos viã demõſtraret, velut ibi pararet nobis locũ; ſed vt ſanctorũ animas ab inferis reduceret, & vt limbũ Patrũ omnino deſtrueret, vt benè aduertit Bellarminus.

22. Ad 2.

Ad ſecundã rationem dicimus, totum quidem hominem meruiſſe; principaliter tñ per animã, in qua eſt voluntas, & libertas requiſita ad meritũ; corpus autẽ ad meritũ ſolũ cõcurrit, vt inſtrumentũ animę: vnde cũ anima, ſine corpore capax ſit præmij, vt ſupra oſtẽdimus; congruũ eſt, vt pri⁹ beetur, quàm corpus: nã à beatitudine animæ redundare debet gloria in corpus.

Tertia ratio futilis eſt: quia ad præmiũ ſatis eſt iudiciũ particulare. ¶ Ad poſtremã rationẽ latè reſpõdet Bellarm. in d. c. 6. ad 4. rationẽ pag. 867. A. B. negandum enĩ eſt, dœmones nõ puniri pęna Gehẽnę quæ eſt ignis inferni: quãuis oppoſitũ docuerint *Iuſtinus apologetico* 1. *&* 2. *Irenæus li.* 5. *infra mediũ, Oecumen. in* 1. *Petri vltim. & Epiphan. hæreſi ſethianorũ*: quorũ opinio ſine errore defendi nõ poteſt, vt benè aduertit Bellarm. Dęmones igitur, tã qui in inferno iã ſunt; quã qui in hoc caliginoſo aère verſãtur ad hominũ exercitationẽ, iã puniuntur, tã pęna dãni, quàm ignis; quãuis nõdum habeãt totius pœnæ cõplemẽtum, quæ in die iudicij cõplenda eſt ipſa perpetua carceris incluſione; & hoc cõplementũ maximè timent. Ad argumentum igitur admittimus, dęmones iã puniri pœna eſſentialis damnationis poſita in pœna dãni, & ignis; dicimus tñ pœnam illã conſummandã eſſe in vltimo iudicij die ipſa inferni carceris alligatione. Quare animæ iuſtorũ iã nunc acceperunt eſſentiale beatitudinis præmiũ: in iudicio verò pręmiũ illis cõſumandũ eſſe gloria corporis, idq; ob iuſtas rationes, & cõgruentias, quarũ aliquas *vide apud Bellar. in d. c.* 6. *ad* 1. *arg. p.* 865. *B.* 23.

Iuſtin. Irenæus. Oecum. Epiphan. Bellarm.

QVÆSTIO VI.

De ſpeciali errore Origenis, & Anſelmi.

ARTICVLVS I.

§. 1.

Quænam fuerit ſententia Origenis, & Anſelmi?

QVid ſenſerit Origenes de animab⁹ iuſtorum poſt mortẽ, nõ omnes cõueniũt. Quidã ſimpliciter affirmãt eũ ſenſiſſe, animas iuſtorũ ante reſurrectionẽ, neq; eſſe in cęlo, nec Deũ videre: ita Senẽſis lib. 6. Bibliothecæ annot. 345. & Lorca 1. 2. q. 5. diſp. 36. membr. 3. ad 2. 1. De ſententia Origen.

Alij non dubitant, eum admittere plures iuſtorum animas, iam nunc in cœlis Deū videre: in hoc tamen erraſſe; quia putauit, eas non ſtatim admitti in cœlum; ſed ſine Dei viſione per varias manſiones trāſire, & in cognitione proficere, & ſic ad cœlū peruenire, diuinamque viſionem: ita *Bellarminus lib. 1. de ſanctorum beatitudine cap. 4. pag. 852. & Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. punc. 2. pag. 77.* *Bellarm. Valentia.*

2. Iudicium authoris de Origeuem. Meum de Origene iudicium hoc eſt; vt ille quidem nullo modo ſenſerit, viſionē diuinæ eſſentiæ omnibus ſanctis differri vſque ad generalē reſurrectionē: ſed non vniuerſaliter docuit, omnibus ſtatim eam concedi; ſed diſtinxit, vt ſanctis illuſtrioribus, qui ad inſtar leuitarū in terris nullā terræ ſortem receperant, ſtatim conferatur: alijs verò ſanctitate inferioribus non conferatur ſtatim, ac moriuntur; ſed eos per manſiones varias, & loca pertranſire, proficiendo in cognitione, donec capaces fiant diuino conſpectu.

3. Opinio propria Origenes. Quòd origenes viſionem diuinæ eſſentiæ vſq; ad generalem reſurrectionē omnibus non negauerit: ſed nec eam omnibus tribuerit ſtatim à ſeparatione corporis; ſed poſt tranſitum aliquarum manſionū, etiā ante diē iudicij euidenter colliges ex ijs, quæ ſcribit homil. 21. in numeros; ibi enim paulo poſt princ. 1. to. pag. 159. F. explicans differentiā Leuitarū in diuiſione terræ, quam fecit Ieſus Naue à cæteris omnibus Leuitis extra ſortē manentibus, ſcribit hæc verba: *Per hos nihil illi videtur iudicari*, cū pluribus ſequentibus, quæ lōgū eſſe referre: ex quibus euidēter cōſtat, illuſtriores illos Sāctos decedentes è vita videre Deū facie ad faciē, idq; radiati ſapientiæ illuminatione; & eſſe veræ diuinitatis capaces: nō ſic illos, quos inferiores vocat: qui licet beati ſint, vt ait; nō tamē beatitudine viſionis diuinæ eſſentiæ adhuc beātur. Vnde de iſtis intelligi debēt, quæ ſcribit de tranſitu iuſtorū per varias manſiones, & loca, in quibus aſcendendo proficiunt, donec ad cęlū perueniant, & ibi ad purum facie ad faciem Deum videāt. Quę etiā facilè intelliges ex his, quę ſcribit *lib. 2. Periarchon nō longè à fine 1. tom pag. 449. E*; quem vide, longū enim eſſet verba receſere: in illis enim videbis totum Origenis diſcurſū, & māſiones, in quibus manſura eſt anima ſancta, donec perueniat ad locum, vbi ad purū Deum videat, & facie ad faciem. De iiſdem manſionibus, & locis mentionē facit lib. 4. Peri Archon. 1. tom. p. 472. G. & lib. 7. cōtra Celſum to. 2. pag. 506. M. & clarius, atque breuius homil. 26. in numeros 1. tom. pag. 171. D.

Admittēdum eſt igitur Origenem nō omnibus ſāctis ſtatim, ac exeunt à corpore, viſionem Dei conceſsiſſe, ſed ſolis illuſtrioribus: alijs verò ſāctitate inferioribus nō negare beatitudinē viſionis diuinæ vſque ad reſurrectionem, ſed donec permāſiones proficiendo apti ſint, vt habeāt purum Dei cōſpectum. Nec dabitur locus, in quo vel apparenter inſinuauerit viſionem Dei aliquibus eſſe differendā vſque ad reſurrectionē. Quare decipiuntur, non ſolū, qui volūt, eum omnibus vſq; ad reſurrectionē hanc viſionem denegaſſe; ſed etiā, qui putant omnibus differendā eſſe, donec manſiones explicatas tranſeant; & maiori cum ratione decipietur; qui voluerit. Origenem omnes ſanctos ſtatim admiſiſſe ad beatitudinem cœleſtis Patriæ. 4. Reſolutio de Origin.

5. Explicatur locus ex 2. Periarchō. Nec ſecundis fauet locus adductus ex *lib. 2. Periarchon, dum ait, ſanctos quoq; decedentes permanere in aliquo loco in terra*: quoniā ex ijs, quę docuit in d. homil. 21. in numeros patet, locum illū eſſe explicandū, nō de Sāctis illuſtribus, ſed de illis, qui minoris ſūt ſāctitatis, vt patet ex illis verbis præcitatę homiliæ: *qui autē inferiores ſunt, & cæt.* & ex verbis adductis ex lib. 4. Periarchon ibi, *fortaſsis, ſicut hi, qui de hoc mūdo ſecundū communē mortē decedētes, & cæt.*

¶ Nec vltimis fauent, quæ ſcribit homil. 7. in Leuiticum 1. tom. pag. 86. G: *Habebis ergo lætitiam de hac vita deſcedens, ſi fueris ſanctus: ſed tunc erit plena lætitia, cū nullū tibi membrorū corporis deerit*: quoniā, vt cōſequenter loquatur intelligēdus eſt, nō de quocumq; cōmuni ſācto, ſed de ſancto illuſtri, qualem deſcripſit in dicta homil. 21. Explicatur locus ex homil. 7. in Leuiticum.

6. Aduertētia. Aduertimus, tamen, Origenem his ſanctis, qui vel ſtatim, ſi ſūt illuſtres: vel poſt tranſitum māſionum, ſi ſunt inferioris ordinis, beatitudinem ante reſurrectionem ſunt adepti, non concedere plenam, & conſummatam gloriam, niſi poſt reſurrectionem; vt patet ex verbis immediatè adductis; & ex illis, quæ paulò ante ſcripſit pagin. 85. F. *Nondum enim acceperunt lætitiam ſuā, nec Apoſtoli quidē, ſed & ipſi* expe-

expectant, vt & ego lætitiæ eorum particeps fiam: nec enim decedentes hinc Sancti continuò integra meritorum ſuorum præmia conſequuntur; ſed expectant & nos. Ex quibus patet, euidenter decipi, qui putant, Origenem nulli conceſsiſſe beatitudinem patriæ ante reſurrectionem: nam ex homil. 7. in Leuiticum conſtat, ante reſurrectionem eos habere lætitiam, quanuis non dùm conſummatam: lætitiam, inquam, poſitam in viſione pura, & clara diuinitatis, vt de illuſtrioribus Sanctis explicat homil. 21. in numeros, & de alijs poſt māſiones homil. 26. in numeros, & lib. 2. Peri Archon.

§. 2.

De Diuo Anſelmo.

7. Quid de D. Anſelmo.

CVm Origene eandem ferè ſententiam ſcribit D. Anſelmus *in ſuo Elucidario, ſiue Dialogo tom. 3. pag. 269. A. B.* vbi poſtquam Magiſter, quem loquentem inducit, docuit, animam iuſti, vbi de corpore exit, ab Angelis ad cœleſte lucis perpalatiū, & in paradyſum ſpiritualem duci; interrogatus à diſcipulo, an omnes animæ iuſtorū in paradyſum ſtatim perducantur? Idem reſpondet, quod Origenes, vt apud eum videre eſt. De illis verò iuſtis, qui in purgatorium ducuntur, affirmat, non ſtatim ad cœlum aſſumi, ſed poſt diē iudicij Angelis coequari. Ex illo lib. & loco ſatis conſtat, D. Anſelmum tertiam hac de re ſtatuiſſe ſententiam: nec enim generaliter docet, nullas iuſtorum animas ante reſurrectionem cęleſtem ingredi beatitudinē: quia animas perfectorum admittit ſtatim beari: nec cum Origene abſolutè ſentit: quia Origenes, licet non admittat, animas iuſtorū inferioris ſanctitatis ſtatim in cœlum aſcendere: tamen docet eas, ante reſurrectionem poſſe in cœlum deuenire, nimirum, poſtquam in ſuis manſionibus in rerum cognitione profecerint: at verò Anſelmus putat, ante reſurrectionem eas in cœlum non recipi. Quare tres erunt opiniones contra catholicam veritatem: prima eſt cōmunis, quòd nullæ animæ ante reſurrectionem in cœlum ibunt. Secunda Origenis, qui perfectorum animas ſtatim recipit in cœlum; aliorum autem non ſtatim, ſed poſtquam in manſionibus profecerint, idque ante reſurrectionem. Tertia tandem eſt Anſelmi, veluti media, vt ſcilicet ſolæ perfectorum animæ ſtatim in cœlum recipiantur; cæterorum verò nullæ; ſed reſeruentur in terris vſque ad iudicij diem; & inter iſtas enumerat, quæ in Purgatorium deuenerunt.

Tertiam opinionē probauit.

8. Qui auctores liberunt Anſelmum

Non deſunt, qui velint, Anſelmum pro catholica veritate generaliter ſtare; inter quos eſt Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 5. pag. 862. B. & Valentia 2. tom. diſp. 1. q. 4. pūct. 2 pag. 79. A: hoc autem deducunt ex eodem 2. Corint. 5. in 2. tom. pag. 239. D: *Prædicatores enim Eccleſiæ, poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpatia (ſicut antiqui Patres) ſed cœleſtis Patriæ perceptione differantur; ſed mox, vt à carnis colligatione exeunt, in cœleſti ſede requieſcunt.* Et ad Philippenſes 2. in eodem 2. tomo, pag. 369. B. ita ſcribit: *Qui idcirco diſſolui deſiderat, vt cum Chriſto poſsit eſſe: quia perfectorum iuſtorum animæ, mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur.* Et ad Hebræos 12. ad illa verba: *Acceſsiſtis ad Sion* eodem 2. tomo, pagina 575. D. ita ait: *Omnes enim iuſti, quicunque in factis, & dictis, & cogitationibus perfecti ſunt, mox, vt animas de corporibus emittunt, cœleſtibus habitaculis inferuntur.* Denique Apocalypſis 20. ad illa verba: *Hæc eſt reſurrectio prima*, eodem 2. tom. pag. 624. D. hæc habet verba: *Hæc eſt reſurrectio prima, ſcilicet, quòd fideles in vita ſua liberabuntur à peccatis, vt animæ ſtatim poſt diſſolutionem fruantur æterna gloria.*

9. Non cōuincunt citati loci.

Sed profectò, ſi liber Elucidarij eſt legitimus Anſelmi; citati loci non ſunt ſatis, vt probent, D. Anſelmum à ſua diſceſſiſſe ſententia, & catholicam veritatem ſimpliciter docuiſſe: etenim loci adducti expreſſè agunt de iuſtis perfectis: nam primus agit de Prædicatoribus, qui inter perfectos enumerantur; cum & præcepta ſeruauerint, & conſilia. Secundus autem, & tertius de perfectis intelliguntur. Solus remanet vltimus locus, qui videtur generaliter agere de omnibus iuſtis: ſed cum in cęteris locis de iuſtis perfectis loquatur, de iiſdem erit intelligendus; maximè ſi liber Elucidarij verè eſt Anſelmi; cum in eo mentem ſuam ſatis explicauerit. Vtrùm verò ſit verus Anſelmi fœtus? alij viderint: mihi tamen propter errorē, quem continet, videtur adulterinus.

ARTICVLVS II.

Impugnatur opinio Origenis, & Anſelmi.

1. Impugnatur Orig. VTramque iſtam ſententiam poſt definitionem Benedicti XII. eſſe hæreticam, dubitari non poteſt, etenim diffiniuit omnes iuſtorũ animas, quæ nihil purgandum habent, mox, vt à corpore exeunt, Deum videre: quod etiã diffinitum eſt in Tridentino, & Florentino, vt diximus *ſuprà q. 5. art. 3.* Quare iam non licet cum Origene, & Anſelmo diſtinguere de animabus iuſtorum perfectorum, & aliorum inferiorum.

2. Impugnatur Anſelm. His addo opinionem Anſelmi in dicto Elucidario aſſerentem, animas Purgatorij, etiam poſt omnem ſolutam pœnam ante reſurrectionem in cœlo non recipi, poſt diffinitionem Benedicti eſſe hæreticam. An verò ante illam hæretica fuerit, alterius eſt quæſtionis, de qua diximus in d. art. 3. §. 2. vbi vide. Illud eſt mihi certum, illam etiam ante talem diffinitionem apud doctos ſemper fuiſſe temerariam. Et quidem ſemper receptiſsimũ fuit poſt Chriſti reſurrectionem quatuor ſolum dari animarum receptacula, cœlũ, ijs, qui nihil habent purgandum. Purgatorium ijs, qui dimiſſa culpa habent pœnæ reatum. Infernus ijs, qui in mortali decedunt. Et Limbus puerorum illis, qui cum ſolo originali deceſſerunt. Et vltra hæc quatuor receptacula nullũ aliud admitti debet: vnde manſiones illæ, quas & Origenes, & Anſelmus confingunt fabulæ ſunt aniles.

QVÆSTIO VII.

An beatitudo Viſionis diuinæ eſſentiæ viatoribus poſſit communicari?

1. CVM iam conſtitutum ſit de fide, beatitudinem ſupernaturalẽ beatæ viſionis ſtatim poſt mortem communicari animabus iuſtorum; conſequenter inquirendum eſt, an poſsit communicari in hac vita hominibus adhuc viatoribus? quod idem eſt, atque inquirere; an homo in hac vita mortali poſsit Deum videre, & eſſe beatus? & primùm agemus, an id fieri poſsit de poſſibili; deinde expendemus, an de facto cõmunicata ſit? ¶ Quod attinet ad primum, duo erunt articuli: primus, quid dicendum ſit de potentia abſoluta? Secundus, quid de lege ordinaria?

ARTICVLVS. I.

Vtrùm de potentia abſoluta ſupernaturalis beatitudo communicari poſsit homini adhuc viatori?

§. 1.

Referuntur variæ ſententiæ.

IN hac quæſtione tres inuenio ſententias. Prima abſolutè negat, id eſſe poſ- 1. 1. opinio.
ſe, etiam de potentia abſoluta. Ita nonnullos ſenſiſſe, teſtatur Salas: ego tamen, qui ita ſenſerit nullum inueni. Poteſt tamen confirmari; primò, quia D. Thomas 1. confirm. D. Thom.
vbi hac de re agit, ſimpliciter docet, perfectam beatitudinem in hac vita haberi non poſſe, *ita 1. 2. q. 5. art. 3. & 1. p. q. 12. art. 11. & 3. cont. gent. c. 47. & in 4. diſtin. 49. q. 2. art. 7.*

Secundò ex D. Thoma; quia de ratio-
ne beatitudinis eſt, quòd ſit ſummum bonum excludens omne malum, & perfectè ſatians appetitum: ſed quandiù permanet ſtatus viæ, vita hominis pluribus eſt malis, & miſerijs expoſita, nec appetitus perfectè ſatiari poteſt. Ergo implicat hominem mortalem in via eſſe beatũ. 2. 2. ratio.

Tertiò; quia homo adhuc mortalis nõ 3. 3. ratio.
poteſt in intelligendo non pendere à ſenſibus, & phantaſmatibus. Sed nulla potentia poteſt fieri, vt diuina eſſentia videatur dependenter à phantaſmatibus. Ergo fieri non poteſt, vt mortalis homo poſitus in via videat eſſentiam diuinam.

Poſtremò probatur ex ſacra Scriptu- 4. Poſtrema.
ra: nam 1. ad Timoth. 6: *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Exodi 33: *Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, & viuet.* Accedat authoritas Auguſtini 12. de Geneſi ad literam relata à Gloſſa 2. Corint. 13: *In illa ſpecie, quæ Deus eſt, nemo Deum videns viuit vita iſta, qua mortaliter viuitur in iſtis ſenſibus corporeis.*

Secunda ſententia non ita generaliter
loquitur; ſed admittit, fieri poſſe, vt ho- 5. 2. opinio.
mo adhuc mortalis ſit beatus viſione Dei; ſi tamen in eo omnes ſopiantur ſenſus, ita

vt

vt anima nec interno, nec externo ſenſu vtatur: fieri tamen non poſſe, vt viator vtens ſenſibus Deum videat. Ita *Henricus quodlib. 7. q. 6. & videtur eſſe D. Thomæ 2. 2. q. 175. art. 4. dum ait, eſſe impoſsibile, viatorem videre Deum, niſi abſtrahat à ſenſibus facto raptu*, idem repetit *quodlib. 1. art. 1. & 3. cont. gent. c. 47, & de Veritate q. 13. art. 3. & 4. & latè id probat Ferrarienſis 3. contra gent. in d. cap. 47.*

Henric. D. Thom. Ferrar.

6. 3. opinio. Tertia ſententia abſolutè affirmat, fieri poſſe diuina potentia, vt viator adhuc mortalis, & cum perfecto ſenſuum vſu abſque vllo raptu Deum videat, & illius viſione ſit beatus non ſolùm in tranſitu, ſed etiam permanenter. Hæc concluſio apud nouiores adeò eſt indubitata, vt ferè ſit de fide: ita *Suarius in commentarijs ad 1. 2. q. 5. artic. 3. diſp. 16. quæſtiunc. 1. §. Dicendum eſt primò, quem ad verbum ſequitur Salas vbi ſuprà pag. 469. col. 1. §. Certũ tamen eſt: Bellomontanus 1. 2. q. 5. art. 3. in annot. articuli, & antea ſcripſit 1. p. q. 12. art. 11. in explicatione literæ, & diſp. 55. c. 1, in principio, idem ſcribit Lorca 1. 2. q. 5. art. 3. in explicatione articuli, §. Certum eſt etiam, pag. 192. col. 1: ex antiquioribus in eodem ſenſu eam probat Richardus in 4. diſtin. 49. art. 2. q. 6. & ibidem Scotus, atque Carthuſianus Exod. 33. art. 63. ad illa verba: Nõ videbit me homo, & viuet pag. 471. in fine.*

Suar. Salas. Bellom. Lorca. Richard. Scotus. Carthuſ.

§. 2.
Præmittuntur nonnulla.

7. 1. præmiſſ. PRo faciliori reſolutione præmittendum eſt primo, hoc loco non inquiri; vtrùm per potentiam abſolutam Dei poſsit homo Deum videre vſu, & miniſterio ſenſuum, tanquam inſtrumento, ſiue medio ad videndum? etenim indubitatum eſt in Philoſophia, fieri non poſſe, vt cognitio à phantaſia pendens eleuetur ad claram cognitionem Dei; ſed nec ſubſtantiarum ſeparatarum: quod multis demonſtrauimus ſuprà lib. 6. nec D. Thomas pro prima ſententia citatus in hoc ſenſu quæſtionem excitauit, vt dicemus ad primum.

8. 2. præmiſſ. Secundò præmittendum eſt; nec etiã hoc loco inquiri; vtrum homo exiſtens viator, & mortalis manens poſsit diuina potentia fieri beatus beatitudine perfecta quoad animam, & corpus? Id enim implicat: quia implicat, hominem mortalem, quoad corpus habere corpus beatum, & immortale. Non nego plures propoſita noſtra quæſtione per quandam digreſſionem docere ſenſum illum ſimpliciter eſſe impoſsibilem: id enim aduertit Richardus vbi ſuprà in 6. art. eiuſdem quęſtionis, atque Gloſſa ad verbum *quarto*, in Clementina *Ad noſtrum* de hæreticis, vbi Imola, Cardinalis, Ancharranus cum cæteris.

Tertio loco præmittendum eſt, nec in hac quæſtione dubitari; vtrum per diuinam potentiam fieri valeat, vt homo adhuc mortalis, & in via poſsit videre diuinam eſſentiam omnino abſtractus à ſenſibus, & poſitus in perfectiſsimo raptu? id enim eſſe poſsibile nullus dubitauit. Ita *Theologi 1. p. q. 12. art. 11. & 1. 2. q. 5. art. 5. & in 4. diſt. 49. & ſpecialiter D. Thomas in d. diſt. 49. q. 2. art. 9. ad 4. & 3. cont. gent. c. 47. vbi Ferrarienſis, & de Veritate q. 10. art. 11. ad finem corporis, & q. 13. art. 3. & 4. Henricus quodlib. 7. q. 6. Canoniſtæ in d. Clement. Ad noſtrum*, tanquam veriſsima ſententia ſupponitur ab Auguſtino *12. de Geneſi ad literã c. 27. in fine, & epiſt. 112. cap. 13. & lib. 2. de Trinit. c. 17. & in lib. Soliloquiorum c. 1.* Ratione confirmatur: quoniam ex doctrina D. Thomæ cõmuniter recepta *2. 2. q. 175. per totam*, fieri poteſt diuina potentia, vt homo à ſenſibus omnino abſtractus, & raptus in ecſtaſim videat res immateriales; etenim fatendum eſt id contigiſſe Paulo, quando raptus fuit in tertium cœlum: nec enim probabile eſt, cũ in illo raptu fuiſſe mortuum: adhuc igitur in corpore mortali exiſtens audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, vt ille ait: audiuit, inquam; id eſt vidit, viſione intellectiua, vt communis habet explicatio: cum verò Paulus neſciat, an illa myſteria viderit in corpore, an extra corpus; ſatis ſupponit fieri poſſe, vt in corpore illa viderit; alioquin certus foret, ſe ea vidiſſe extra corpus. Igitur ex verbis Pauli conuincitur fieri poſſe, vt homo in raptu poſitus in ecſtaſi perfecta ſine vlla dependentia à ſenſu videat res intelligibiles: id enim poſtulat propria ratio ipſius raptus: cum enim ſuper ecſtaſim ſuperaddat violentiam; vtique ſuper eam etiam addet, vt fiat ad res ſuper naturã intellectus rapti, &

9. 3. præmiſſ. D. Thom. Ferrarien. Canoniſtæ. Auguſt. Probatur ratione. De Raptu, ſiue ecſtaſi.

& ad intelligibilia, & immaterialia feratur, vt docet D. Thomas in d.q.175. art.
10. 1. & art. 2. ad 1. Hac ſuppoſita doctrina, facilè oſtenditur fieri poſſe potentia diuina, vt intellectus humanus à ſenſibus omnino abſtractus videat diuinam eſſentiam: nam ſi homo mortalis poteſt ita rapi, abſtrahique à ſenſibus, vt immediatè videat ſubſtantias immateriales; cur non poterit etiam rapi, vt videat diuinam eſſentiam? nam tota ratio, cur homo mortalis ſecundum legem ordinariam nequit videre diuinam eſſentiam, inde ſumitur; quia ſecundum legem ordinariam à ſenſibus perfectè non abſtrahitur, vt dicem⁹ in ſequenti art. Quare ſi admittamus, poſſe hominem raptum videre ſubſtantias immateriales ſine vlla dependentia à ſenſibus; cur non poterit videre diuinam eſſentiam, ſi ſupernaturaliter ad eam eleuetur? nec enim repugnat, animam coniūctam corpori eſſentiam diuinam videre independenter ab omni ſenſu; quia poſt reſurrectionem ita eam videbit. Nec etiā repugnat, hominem in mortali corpore ita eleuari ab omni ſenſu, vt ſolus intellectus operetur: tùm; quia dependentia à phantaſmate, vel non eſt quoad omnes operationes neceſſaria; quia poteſt etiam naturaliter dari perfecta ecſtaſis, vt plerique putant, quos referunt *Conimbricenſes* (Conimbr.) *3. de Anima c. 8. q. 8. art. 3. dub. 3.* quorum ſententiam putāt eſſe probabilem: vel ſi id eſt ſupra naturæ vires (vt probabilior habet opinio) non tamen erit ſupra vires authoris naturæ: vnde nullus negat, diuina virtute dari poſſe ecſtaſim perfectam, vt patet ex Auguſtino, Platone, Pigmandro, & alijs, quos referunt *Conimbricenſes vbi ſuprà,* (Conimbr.) *& oſtēdit D. Thomas 2. 2. q. 175. art. 1. & 2.* (D. Thom.) Nulla igitur cernitur repugnantia, quod intellectus adhuc mortali corpori coniunctus poſsit ita abſtrahi ab omni ſenſu interno, & externo, vt ſolus intellectus operetur. Cur igitur repugnabit illi ita abſtracto communicari lumen gloriæ; vel ſine illo ſupernaturaliter eleuari, vt videat diuinam eſſentiam? Quare ſine temeritate id negari non poteſt: imò id, tanquam veriſsimum ſupponit Auguſtinus cum cæteris Patribus, & Theologis, qui volunt Paulum, & Moyſen in raptu vidiſſe diuinam eſſentiam.

§. 3.

Reſolutio pro tertia ſententia.

Tota igitur difficultas in eo eſt poſita; an per diuinam potentiam fieri poſsit, vt homo viator ſine vlla 11. 3. ſententia eligitur. ecſtaſi, & raptu manens cum libero vſu ſenſuum, & internorum, & externorum poſsit Deum videre? negat ſecunda opinio: affirmat tertia: & pro ea hanc ſtatuimus concluſionem: (Concluſio.) *Quanuis Deus viſionē ſuæ eſſentiæ homini viatori, & mortali ſine ecſtaſi, & raptu nunquam communicauerit; per abſolutam tamen potentiam eam poteſt communicare, & per modum tranſeuntis, & permanentis. Ita Richardus, Carthuſianus, Suarius, Bellomontanus, Salas, Lorca, & cōmuniter omnes nouiores.* Fundamentum eſt (1. ratio.) commune omnibus huius generis quæſtionibus, nihil ſcilicet poſſe diuinę potētiæ denegari, niſi quod contradictionem inferat: at nulla dabitur implicatio, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum.

Aliud etiam argumentum efficax deſumitur ex eo, quod viſio diuinę eſſentię 12. 2. ratio. communicata fuit Chriſto Domino; qui ſecundum animā fuit perfectiſsimè beatus; viator autem ſecundum corpus, vt fides docet. Cur igitur puro homini in hac mortali vita id non poterit concedi? hoc argumento nonnulli cum Suario, & Sala putant, concluſionem noſtram adeò eſſe certam, vt ferè ſit de fide. Sed cum *D. Thomas in d. q. 175. art. 4. ad 2. & de Veritate q. 13. art. 3. ad 3.* (D. Thom.) neget conſequentiam, propter diſparem rationem, quæ in Chriſto, & in puro homine reperitur; oportebat ſolutionem iſtam impugnare. Nos eam ex eo facilè impugnamus: quia quæ cauſa in Chriſto viatore impediuit (Vera impugnatio.) raptum, ea etiam poterit raptum impedire in quolibet viatore: etenim in Chriſto non fuit impeditus raptus ratione vnionis hypoſtaticę; nec D. Thomas, aut alius Theologus ad hanc rationem recurrit: & merito; quoniam ſicut vnio hypoſtatica nō fuit per ſe cauſa viſionis, niſi per quādam decentiam: ita ex ſe non erat impeditiua raptus, niſi quia decens erat, & redemptioni conueniens, vt in Chriſto raptus à Deo impediretur. Talis igitur raptus ex ſe eſt impedibilis per diuinam potentiam: poterit igitur per eandem impediri in puro viatore. Si dixeris raptum fuiſſe in Chriſto impeditum ratione viſionis

ſionis permanentis, & in ſe perfectiſsimę; quæ Chriſto conceſſa fuit; ad quam rationem videtur confugere D. Thomas in d. q. 175. art. 4. ad 2: non poteris non admittere, raptum poſſe impediri per perfectiſsimam viſionem. Cur igitur in viatore non impedietur, ſi illi viſio permanens, & perfectiſsima concedatur? etenim abſolutè non implicat, talem viſionem viatori dari. Ratio autem *D. Thomæ in d. q. 13. art. 3. ad 3.* ſcilicet Chriſtum, ideò, quia erat Deus, habere plenariam poteſtatem tùm in omnes vires animæ, tùm in corpus; pro nobis potiùs facit: quoniam iam admittitur, Deum in Chriſto potuiſſe impedire raptum: cur igitur non poterit in puro viatore? etenim ſicut Deus plenariam poteſtatem habet in animam, & corpus Chriſti; ita eandem habet in animam, & corpus puri viatoris. Quare argumentum ſumptum ex Chriſto, ſimul viatore, & comprehenſore, videtur efficaciſsimum.

Ad rationē D. Thom.

13. 3. ratio. Accedit tertiò ratio non paruæ efficaciæ; quoniam conſtat, ecſtaſim ex eo cauſari; quia anima per intellectum ad rerum ſublimium conſiderationem ita vehemēter applicatur, vt cæteras omnes operationes deſerat, & conſiderationi obnixè intendat: cum enim vis animæ limitata ſit, ſicut non poteſt pluribus, niſi remiſsius intendere, ita ſi vehementiſsimè ad aliquam contēplationem ſe applicuerit, nō poterit cæterarum potentiarum operationes non deſerere; quæ omnia colliges ex *D. Thoma in d. q. 175. art. 2. & de Veritate q. 15. art. 3. Ferrarienſi in 3. contra gēt. cap. 47. Abulenſi in cap. 13. Geneſis q. 400. & in 3. paradoxo c. 46. Conimbricenſibus 3. de Anima cap. 8. q. 8. art. 1. in fine, & art. 3. ad 2. dub.* latè Hieronymus Fracaſtorius in lib. de Symphonia, & Antipathia cap. 20: ex quibus omnibus conſtat, ecſtaſim, & raptum à ſenſibus procedere ex imperfectione animæ, ratione cuius non poteſt ad vnam rem intelligendam ſe totam applicare, quin cæteras omnes potētias ſaltem ſenſitiuas deſerat, & ab illis omninò ferietur. Quare ſi diuina potentia ab hac imperfectione liberari potuerit; diuina etiam potentia fieri poterit, vt quantumcunque alicui rei intenſiſsimè incumbat, non deſerat cæterarum potentiarum operationes, ſed ſingulis potiùs abſque vlla imperfectione adſit. Iam verò anima clara Dei viſione ab hac imperfectione omnino liberatur: etenim anima beata ſimul vtitur ſcientia beata, infuſa, & acquiſita, vt omnes fatentur; & poſt reſurrectionem ſimul & intellectu, & ſenſu perfectiſsimè vtetur, vt 3. tomo dicemus. Ergo ſi viſio beata communicetur viatori (ſicut poſsibile eſt) viſio ipſa ex ſua natura poterit impedire omnem ecſtaſim, & raptum, vt ex mente D. Thomæ in dicta q. 175. aduerterunt Conimbr. vbi ſuprà.

D. Thom. Ferrar. Abul. Conimbr. Fracaſtor.

Sed dices duas præcedentes rationes probare, poſſe quidem homini mortali, & viatori communicari viſionem diuinę eſſentiæ permanentem, quia hæc ex ſua natura poteſt vigorare totam animā per redundantiam in potentias inferiores, vt eas non deſerat, quantumcunque in Deū tota abſorbeatur: non tamen probare, poſſe iſto modo communicari in tranſitu; quia cum talis communicatio ſit imperfecta, nec animam reddat ſimpliciter beatam, non habet vim redundandi in potentias inferiores, & ideò non ſatis eſt, vt naturalem animæ imperfectionem tollat. 14. Quædam ſolutio.

Huic reſponſioni dicimus, viſionem trāſeuntem fortè non eſſe ſatis, vt ab anima in mortali corpore manente tollat hanc imperfectionem, ex qua prouenit ecſtaſis: inde tamen non inferri, Deum de potentia abſoluta non poſſe viſionem in trāſitu communicare viatori abſque vllo raptu: quoniam poteſt ſuo ſpeciali concurſu ſupplere actiuam vigorationem, quam viſio permanens animæ præſtabat: nam quidquid Deus poteſt facere, mediante cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ipſo. Non recipitur.

15. Explicatio aſſertionis. Ex his infertur explicatio noſtræ aſſertionis: vt poſsit Deus abſque vllo raptu communicare ſui viſionem, tùm permanenter, tùm in tranſitu; aliter tamen, & aliter: quoniam vt impediatur ecſtaſis, ſatis eſt communicatio viſionis permanentis: quia ipſa ſola ſatis eſt ad tollendam imperfectionem animæ; vnde Deus tunc ſolùm concurret, impediendo ne beatitudo animæ redundet in corpus: at verò ad impediendum raptum præter cōmunicationem viſionis in tranſitu, adhuc neceſſarius erit ſpecialis cōcurſus, quo Deus illam imperfectionem tollat. Et ad hunc ſenſum poterit explicari ſecunda ſententia; vt ſcilicet non poſsit communicari viſio

viſio Dei ſine raptu ex vi communicationis, de quo tamen plura ad primum argumentum.

§. 4.

Solutio argumentorum.

16. Ad arg. ex D. Thoma. AD primum eorum, quæ §. 1. in cõtrarium adduximus, reſpõdemus, D. Thomam in locis citatis agere de homine viatore ſecundum legem ordinariam, non ſolùm de non communicando ſui viſionem homini mortali; ſed de non tollendo illum à modo intelligendi ſibi connaturali: in quo ſenſu verè excipitur Chriſtus Dominus; quia Deus illi & ſui viſionem modo altiſsimo cõmunicauit; & ſimul modum intelligendi ſupra modum ſibi cõnaturalem. Quod iſte ſit ſenſus D. Thomæ, ſatis declarant rationes, quibus vtitur ad probandam impoſsibilitatem. Vnde licet, quando inquirit, vtrum homo in hac vita poſsit aut videre Deum, aut eſſe beatus, per vitam mortalem intelligat vitã in corpore mortali; tamen agit de homine viuẽte, & operante ſecundum modum operandi homini adhuc mortali connaturalem: vt patet 1. p. q. 12. art. 11. ex illis verbis: *Impoſsibile eſt animæ hominis ſecundum hanc vitam viuentis eſſentiam Dei videre*: iam verò homo mortalis tunc ſecundum hanc vitam viuit, & operatur, cum operatur, & intelligit modo cõnaturali homini adhuc mortali. Quod clariùs expreſſit *de Veritate q. 11. art. 11. dùm ita concludit: Sic ergo ſecũdum communem curſum nullus in ſtatu viæ Deum per eſſentiam videt. Et* 3. *cont. gent. cap.* 47. *in principio* ſatis declarat, ſe agere de homine modo ſibi connaturali operãte: ſed euidentiſsime id expoſuit *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 7. dum ait: *Nullum intellectum puræ creaturæ in via exiſtentis poſſe eleuari ad viſionem Dei per diſpoſitionem ſibi inhærentem*: ex ſua nimirum natura, vt in eodem articulo declarauerat. Patet igitur, D. Thomam in illis locis agere de potentia ordinaria ſecundum legem ſtatutam: qua ſicut ſtatuit, nulli viatori communicare viſionem ſui; ita ſtatuit, eùm relinquere ſuo cõnaturali intelligendi modo. Quæ lex Chriſtum non comprehendit, quia non erat purus homo, ſed homo Deus; cui ſicut ſuo modo connaturaliter debebatur ſumma Dei beatitudo; ita debebatur, illum in vi intelligendi altiùs eleuari, vt poſſet non ſolùm intelligere, modo homini connaturali dependenter ex phantaſmate; ſed etiam modo ſuperuaturaliter eleuato. Et in hoc ſenſu nullus relinquitur locus inſtantiæ Bellomontani 1. p. q. 12. art. 11. *in annotat. ad illum.*

Explicatio D. Thom.

17. Ad 2. Secundum argumentum ſolum probat implicare, quod homo mortalis manens cum mortalitate poſsit in hac vita eſſe beatus beatitudine eſſentialiter, & accidentaliter perfecta, qualis erit in patria poſt reſurrectionem; ſed iam oſtendimus hic ſermonem non eſſe de hac beatitudine; ſed de ſola eſſentiali: hanc autem diximus per abſolutam Dei potentiam communicari poſſe homini adhuc viatori, ita vt ſecundum animã ſit beatus; viator autem ſecundum corpus.

18. Ad 3. Ad tertium reſpondetur, hominem mortalem non poſſe naturaliter intelligere, niſi dependenter à phantaſmatis: diuina tamen virtute poſſe ab illis abſtrahi. Vnde, quanuis fieri nulla ratione poſsit, vt homo mortalis videat diuinam eſſentiam per cognitionem habitam à rebus, & à phantaſmatibus dependentem, vt ſuprà diximus: fieri tamen poteſt; vt anima adhuc mortali corpori coniuncta videat diuinam eſſentiam per cognitionem à phantaſmatibus eleuatam.

19. Ad 4. Ad quartum patet ſolutio ad locum Pauli ex ijs, quæ diximus *q. 1. art. 6. §. 2. ad 6. locum*: omiſſa enim quorundam ſolutione, vt Paulus ſolùm loquatur de lege ordinaria; vera ſolutio eſt, vt nullus homo viribus ſuæ naturæ Deum in ſe ipſo aut viderit, aut videre poſsit. ¶ Illud Exodi 33. parum ad rem facit ſi locus intelligendus veniat de viſione figuræ corporeæ, in qua Deus cũ Moyſe loquebatur; cuius tanta erat claritas, & ſplendor, vt ſeruatis legibus naturæ eum intueri homo non poſſet, quin moreretur. Porrò ſi intelligatur de viſione diuinæ eſſentiæ, quæ eſt communior Patrum, & Scholaſticorum expoſitio, intelligi debet non ſecundum potentiam abſolutam, ſed ſecundum ordinariam: & in hoc ſenſu explicandus eſt Auguſtinus.

§. 5.

Pro ſolutione vltimi ſoluitur quoddam dubium.

Poſtre-

20. Excitatur dubium. Poſtremum argumentum tangit difficultatem à nonnullis agitatam; an ille homo deberet dici ſimpliciter beatus; an ſecundum quid? quòd non deberet ſimpliciter dici talis, probabunt, qui volunt, beatitudinem eſſentialem ſimpliciter non facere beatum, niſi prout cõcernit ea, quæ ad perfectum ſtatum beatitudinis requiruntur, quæ fuit ſententia *Godfredi, Capreoli, Soti, Medinæ, & aliorum.* Pars negatiua.

21. Vera eſt affirmatiua. Accommodatiùs loqueretur, qui diceret, iſtum eſſe ſimpliciter beatum ſecundùm animam; non verò ſecundum corpus: ſiue potiùs eſſe ſimpliciter beatum; non tamen perfectè. Quod placuit viris doctiſsimis: & poteſt confirmari exẽplo Chriſti Domini, qui ſecundum animam ſimpliciter fuit comprehenſor; viator autem ſecundum corpus; in quo quamplurimas ſuſtinuit miſerias, grauiſsimos dolores, & ſummam triſtitiam ſecundum partem inferiorem: & tamen nullus negauerit, Chriſtum in via ſimpliciter fuiſſe beatum ſecundùm animã. Probari etiã poteſt ex Ariſtotele, qui licet ad naturalem felicitatem perfectam requirat fortunam moderatam, tanquam bonũ, quo iuuatur, & perficitur; ſi tamen aduerſa adeſt fortuna, non proinde quis deſinet eſſe beatus, vt ait 10. *Ethicorum c.* 10. *poſt med.* Quare ex Ariſtotele ſatis eſt beatitudo eſſentialis, vt denominet ſimpliciter beatum; non tamen perfectè: nec enim admittimus ſententiam Godfredi, & aliorum, vt lib. 11. oſtendimus in quæſt. vtrùm ſatis ſit beatitudo eſſentialis, ſine perfectionibus ſibi connaturalibus, vt habentem ſimpliciter denominet beatum? *Ariſt.*

22. Ad obiectionem ex Ariſtot. Nec obſtat Ariſt. 1. *Ethic. c. 7. & 8. dum ait, ſtudioſum non poſſe eſſe felicem, ſi in Priami calamitates incidat*: in eo enim ſenſu id dixit; quia pro huius vitæ imperfectione deſinet benè operari, vt aduertit D. Thomas ibi lect. 16. com. penult. in fine. Quare ſi iſte nulli, etiã magnæ aduerſitati ſuccumbat, ſed in benè operando perſiſtat, ſemper erit beatus ex ſententia Ariſtotelis. Iam verò videns Deũ, etiamſi in tauro Phalaridis torreatur, ſicut nõ poterit non videre Deum; ita non poterit nõ ſemper operari ſecundum virtutem, & proinde ſemper erit ſimpliciter beatus. Vnde Chriſtus Dominus etiamſi in Cruce fuerit vir dolorum, & in ſumma poſitus miſeria: in ea tamen maxima cum voluptate Deo fruebatur, & opus noſtræ redẽptionis ſumma cũ charitate operatus fuit.

Sed nec eidẽ reſolutioni obſtabit Aug. 13. de Trinit. c. 6. & 7. dũ ait, licet in malis aliquis bonus ſit, non tamen niſi finitis omnibus malis poteſt eſſe beatus: etenim agit Auguſt. de beatitudine, quæ ſecundum legem ordinariam communicatur in patria: hæc enim ſecundum eandem legem ſecum trahit ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum: in quo ſenſu nullus manens viator poteſt etiam de potentia abſoluta eſſe beatus, vt diximus §. 2. præmiſſo ſecundo. 23. Ad Auguſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm de potentia ordinaria poſsit beatitudo Patriæ communicari viatori?

§. 1.

Refertur pars affirmans.

1. Opinio affirmans. HÆc quæſtio in eodẽ ſenſu proponitur, in quo propoſita fuit præcedens. Pro parte affirmante referri ſolet error Begardorum, & Beguinarum 4. loco relatus in Clemen. *Ad noſtrum*, de hæreticis. Citantur etiam Chiliaſtæ, ſiue millenarij, atque etiã Anomæi. Sed Chiliaſtæ ſolùm dixerunt, homines poſt reſurrectionem in corpore mortali regnaturos cũ Chriſto in terra per mille annos: negabant tamen pro illo tẽpore viſuros Deũ, & eſſe beatos, vt diximus ſuprà q. 4 ar. 1. & 2. Quare nõ poſsũt adduci ꝑ parte affirmante. Sed nec Anomæi; quoniam hi ſolùm aſſeruerũt, poſſe hominẽ in hac vita Deum cõprehendere: ſed nõ explicarunt, an talis comprehenſio eſſet intuitiua, an abſtractiua? vnde nec à D. Chryſoſtomo, nec ab alio ex Patribus arguuntur, quòd hominẽ in vita beatũ facerent. Qui probãt hunc errorem.

2. An verò Begardi, & Beguinæ pro hoc errore referri poſsint? meritò dubitatur: ſolùm enim aſſeruerunt, *poſſe hominem finalem beatitudinẽ in hac vita ſecundum omnem perfectionis gradum aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit æterna.* Hæc enim verba ex illis refert Concilium in d. Clem. *Ad noſtrum.* Hanc autem aſſertionẽ in eo ſenſu videntur intellexiſſe, vt homo in præſenti vita, id eſt ante mortem ſuis viribus poſsit beatitudinem aſſequi in ea perfectione, in qua eam in vita æterna poteſt conſe-

conſequi: conſtat enim ex errore, qui quinto loco in illo textu refertur, eos exiſtimaſſe, *quamlibet intellectualem creaturam in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam; & ſubinde minimè indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum Deum.* Ex quo errore fortè inferebant, hominem in hoc ſæculo degentem in terris poſſe conſequi vltimam beatitudinem patriæ ſecundum omnem gradum perfectionis, tam eſſentialem, quàm accidentalem: poſſeque pro inde in hoc ſæculo nõ ſolum videre Deũ viribus naturalibus; ſed etiã fieri immortalem, & glorioſum ſecundum corpus: in quo ſenſu longè forent ab errore partis affirmantis. Quare dubito, an pro ea referri poſſint?

3\. Quidquid tamen ſit de authore huius opinionis, ſiue erroris, ego illius nullum inuenio fundamentum: pro eo tamen nõ nullas Auguſtini authoritates affert D. Thomas *3. cont. gent. c. 47. prima eſt ex 12. Cõfeſſionũ c. 25. in hæc verba: Si ambo videmus verum eſſe, quod dicis: & ambo videmus verum eſſe, quod dico; vbi quæſo id videmus? Nec ego in te, nec tu in me; ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt, incommutabili veritate.* Per incommutabilem autem veritatem ſola diuina eſſentia poteſt intelligi. Ergo in via à nobis videtur.

1\. locus ex Auguſt.

4\. 2. locus. Secunda ex 9. de Trinitate c. 7: *In æterna veritate, ex qua omnia facta ſunt, formam ſecundum quam ſumus, vel in corporibus, vera, & recta ratione quid operamur, viſu mentis conſpicimus, & inde conceptam rerum veracem notitiam apud nos habemus.* Videmus igitur diuinam eſſentiam.

5\. 3. locus. Tertia ſumitur ex lib. de vera religione, dum affirmat, *nos omnia videre ſecundum diuinam veritatem.* Et in lib. Soliloquiorum ait: *Prius eſt veritas diuina cognoſcenda, per quam poſſint alia cognoſci.*

§. 2.

Sententia negatiua eſt Catholica.

6\. Negatiua eſt Catholica.

PArs tamen negatiua, tanquam catholica hac vnica concluſione ſtatuitur: *De lege ordinaria nullus homo viator in hac mortali vita poteſt eſſe beatus viſione diuinæ eſſentiæ.* Eſt indubitata; eam probat *D. Thomas ita intelligendus 1. p. q. 12. art. 11. & 1. 2. q. 5. art. 3. & 3. cont. gentes c. 47. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7. de veritate q. 10. art. 11. & paſſim alibi, Caietanus 1. p. dicto art. 11. vbi Bañes, Cumelius, Molina diſp. 1. Bellomontanus in commentarijs ad literam articuli, Pezantius, & Ripa: omnes etiam in 1. 2. q. 5. art. 3. vbi Conradus, & Medina, Bellomontanus, & Lorca, Valentia 1. tom. q. 12. punct. 7. & tom. 2. diſp. 1. puncto 4. Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 2. latè Caſtro verbo Beatitudo hereſi 4: ex antiquioribus poſt D. Thomam ita docuerunt Richard. in 4. diſt. 49. art. 2. q. 6. & art. 3. & 5. Canoniſtæ omnes in Clement. Ad noſtrum de hæreticis, vbi Ancharranus, Imola, Cardinalis cum cæteris.*

D. Thom. Caiet. Bañes. Cumelius. Molina. Bellomon. Pezant. Conradus. Medina. Lorca. Valentia.

7\. Communis inter Patres. Inter Patres eſt vno conſenſu recepta: omnes enim docent, non poſſe hominem in carne mortali videre Deum. *D. Petrus apud Clementem lib. 3. Recognitionum, pag. 540. Dionyſius de cœleſti Hierarchia cap. 4. Irenæus lib. 5. aduerſus hereſes in fine: Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, pag. 149. D. E. Nazianzenus in oratione in laudem D. Baſilij in vltimis verbis. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem cap. 1. alter Ieroſolymitanus catecheſi 9. & 10. in principio, Origenes lib. 2. Peri Archon cap. 4. ad finem. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ ad illa verba: Audite verbum Domini principes Sodomorum: Auguſt. epiſtol. 111. de videndo Deo, & lib. 3. contra Maximinum c. 9. tom. 6. Pſalm. 120. ad illa verba: Ecce non dormitauit. & multis alijs in locis: Proſper Aquitanius libro 1. de vita contemplatiua cap. 1. Leo Papa in ſermone omnium Sanctorum, D. Gregorius 18. Moralium cap. 37. ad illa verba Iob. 28. Abſcandita eſt ab oculis omnium viuentium, & 4. Moralium c. 25. & 26. & homil. 14. in Ezechielem, fol 80. col. 1. Beda ad illa verba Ioannis 1: Deum nemo vidit vnquam tom. 5. pag. 528. & tom. 6. pag. 537. ad illa verba Pauli 1. Corinh. 13. Videmus nunc per ſpeculum, & tom. 8. q. 42. in Exodum. Denique tom. 6. pag. 541. Hilarius Pſalm. 118. ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuam, pag. 573. D. Ambroſius in lib. de bono mortis c. 3. & 11. & in Iſaiam c. 1. ad illa verba: Filios genui, & exaltaui, denique D. Bernardus ſermone 31. in cantica,* qui omnes, dum negant, Deum in hac vita videri poſſe, ſatis confirmant, id ſecundum legem ordinariã fieri non poſſe.

§. 3.

Diffinita eſt hæc veritas.

8\. Diffinita ab Euariſto Papa.

HÆc veritas diffinita eſt à Papa Euariſto anno D. 96. in ſua 1. epiſt. decretali, vbi de luce diuinitatis ita ait:

ait. *Quam nullus modo noſtrũ in hoc mortali corpore cõſtitutus poteſt aliquatenus intueri: ſed cum apparuerit, verè eum videbimus, ſicuti eſt.* Eam eſſe diffinitam in Concilio Vienenſi in Clementina *Ad noſtrum*, de hæreticis ferè omnes teſtãtur, dum damnat errorem Begardorum, & Beguinarũ 4. loco relatum: error illorum ita habet: *Poſſe hominem ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit æterna.* Nec enim hæreticos illos ſolùm damnat, quod dixerint, beatitudinem finalem poſſe in præſenti haberi ſecundum omnẽ perfecti onem, ſecundum quam in cœlis habetur; ſed etiam in hoc, quod dicunt, eam in præſenti vita poſſe obtineri: & in hoc ſenſu contra prædictos hęreticos refertur à Caſtro, & alijs: ſed ego dubito, an illi hæretici in noſtris terminis loquuti fuerint.

Et in Conc. Vienenſi.

Probatur ex ſacris literis.

9. ¶ Nec eſt dubitandum, veritatem explicatam ſemper fuiſſe catholicam, cum ex ſacris literis euidenter deducatur.

Ex ſacris literis.

Primus locus ſumitur ex Paulo 1. Corint. 13. vbi duplicem hominum ſtatum euidenter diſtinguit; prȩſentis ſcilicet vitæ, & eius, quȩ poſt mortem futura eſt in patria: vtriuſque conditionem expoſuit: & legem de vtraque ſtatutam manifeſtauit: *Ex parte enim cognoſcimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Cũ eſſem paruulus, loquebar, vt paruulus; ſapiebam vt paruulus; cogitabã, vt paruulus: quãdo autem factus ſum vir; euacuaui, quæ erant paruuli.* His verbis, omnium cõſenſu explicat Paulus conditionem, & legem viȩ, & patriȩ: vt in via cognitio Dei ſit imperfecta; perfecta autem, quæ eſt patriæ. Et manifeſtius id explicans ait: *Videmus nũc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autẽ cognoſcam, ſicut et cognitus ſum. Nunc manent fides, ſpes, et charitas, et cætera.* Quaſi dicat: hæc eſt conditio huius vitæ, in qua ſumus in via: hæc eſt etiam lex à Deo ſtatuta, vt in hac vita de Deo habeamus ſolùm cognitionem ſpecularem, & ænigmaticam per fidem: cognitionem verò claram, ſolùm in patria. Non poteſt igitur dubitari, quin Paulus docuerit, viatores ſecundam legem à Deo ſtatutam non

1. locus 1. Corint. 13.

poſſe habere cognitionem claram diuinȩ eſſentiæ; & per conſequens nec eſſe beatos illius viſione.

Accedat ſecundus locus 2. Corint. 5: *Scimus; quoniam, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis.* Ecce declarat Paulus, beatitudinem æternam eſſe in cœlis, nec dandam nobis, niſi deſtructa per mortem domo noſtræ terreſtris habitationis: vnde ait; *Nam in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Si de lege à Deo ſtatuta, quod in vita eſt mortale, aduentu beatitudinis perfectæ abſorbendum eſt; qui fieri poteſt, vt ſtante lege, poſsit beatitudo Patriæ nobis cõmunicari, non abſorta corporis mortalitate? denique in eodem capite concludit: *Scientes, quoniam dùm ſumus in corpore, perigrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per ſpeciẽ.* Quæ verba cum de corpore mortali dicantur, continent expreſſam legem, vt in corpore mortali per fidem ambulemus, non per ſpeciem. Eandem legẽ expreſsit D. Petrus 1. Canonicæ 1: *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilẽ, immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis.* Optimus locus Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquam*: ex quo cõmuniter omnes deducunt hanc veritatem, nec ſine efficacia, vt patet ex his, quæ diximus q. 1. huius libri art. 6. §. 2. In eodem ſenſu faciunt omnes loci, in quibus aſſeritur, neminem mortalium vidiſſe Deum, vt *Ioannis 6. Matthæi 11. 1. ad Timoth. 1. & 6. 1. Ioãnis 4* quos omnes *in d. art. 6.* diligenter expẽdimus. His omnibus ex Gregorio 18. Moralium c. 37. addi poteſt locus ex Iob. 28. *Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium.* ſ. ſapiẽtia, viſioque diuinȩ lucis, facit ille alius ex Iob: *Omnibus diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea*: qua. ſ. poſt mortem transferar ad viſionẽ Dei. Sed omnium elegantiſsimus eſt locus 1. Ioan. 3: *Chariſsimi nunc filij ſumus; & nõ dũ apparuit, quod erimus: ſcimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Vide ſuprà q. 1. art. 5. §. 4.

10. 2. locus 2. Corint. 5.

Pet. 1. can. 1.

3. locus Ioãnis 1.

4. locus Iob 28.

5. locus 1. Ioan. 3.

§. 4.

Expenditur locus Exodi 33.

11. Exod. 33. QVoniam omnes Patres, & Scholaſtici pro eadem veritate expendũt verba Dei ad Moyſen Exodi 33. operæ pretium erit, ea diligenter expendere. Moyſi petenti, vt Deus ſuam faciẽ ſibi oſtenderet, reſpondit in hæc verba. *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo, & viuet;* quæ communiter explicantur de viſione diuinæ eſſentiæ: ita *Tertullianus aduerſus Praxeam c. 14. & lib. 2. aduerſus Marcionem c. 27. & lib. 4. c. 22. ad finem, & aduerſus Iudæos cap. 9. D. Athanaſius ſermone 3. contra Arianos, pag. 190. & in ſerm. contra omnes hæreſes, pag. 592. Auguſtinus epiſt. 112. de videndo Deo cap. 8. 11. & 13: & Pſalm. 120. ad illa verba: Ecce non dormitabit, tom. 8. fol. 583. Pſalm. 138. ad illa verba, Mirificata eſt ſciẽtia tua ex me, pag. 652. C. 1. tract. 3. in Ioan. ad illa: Deum nemo vidit vnquam, & lib. 3. contra Maximinum c. 26. D. Bernardus ſermone 34. in Cantica in principio: Hieronymus lib. 3. in Iſaiam c. 6. & lib. 18. cap. 65: Gregor. 18. Moral. c. 37. & 38. & lib. 4. in 1. Regum cap. 4. fol. 297. col. 4: Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118. & in lib. de fide c. 8. & in lib. de bono mortis c. 11. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 9. & 10. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum pag. 149: Hilarius Pſal. 118. ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuam: Beda in Exodum q. 42. & 154: Iſidorus in Exodum c. 41: Procopius in Exodum c. 33. vbi Gloſſa interlinearis, Lyra, & alij:* qua poſita explicatione, optimum ſumitur argumentum pro noſtra veritate.

Qui Patres explicẽt de diuina eſſentia.

Explicatio autem inde cõfirmatur; quoniam non poterat Moyſes poſtulare viſionem faciei figuræ humanæ; quia eam iam viderat; vt patet ex eodem capite: *Loquebatur Deus ad Moyſen facie ad faciem:* & Numerorum 12: *Ore ad os loquor ei, & cætera;* quod eſt Auguſtini, & cæterorum Patrum non leue fundamentum, vt dicant petitionem Moyſi intelligendã eſſe de viſione diuinæ eſſentiæ: *nouerat enim,* inquit Auguſt. *quod corporaliter videbat, & veram viſionem* Dei *ſpiritualiter requirebat.*

Confirmatur explicatio.

12. Sed tamen locus iſte verè non vrget; quoniam ad literam eſt intelligendus, nõ de viſione faciali diuinæ eſſentiæ; ſed de viſione figuræ corporeæ, in qua Deus Moyſi loquebatur: ita *Abulenſis in eodem loco q. 18. & Oleaſter ibidem ad illa verba: Fac me quæſo videre faciem tuam. & ad illa: Non videbit me homo, & viuet; Bellomontanus 1. p. diſp. 55. c. 4. Barradas in Cõcordia lib. 8. c. 25. pag. 753. col. 1. & communis Iudæorum:* ex eo enim hanc opinionem ſibi perſuadent, vt qui Deum proprijs oculis conſpicit, viuere non poſsit, vt de illis refert *Auguſtinus q. 54. in libros Iudicum, cũ Maldonato in c. 1. Lucæ n. 12. & Pineda in cap. 13. Iob, verſu 21.* Pro qua expoſitione expendo illorum verborum, *Non videbit me homo, & viuet* hunc eſſe ſenſum. Non videbit me homo, quin moriatur: quia ſcilicet fulgorem diuinæ maieſtatis ſine læſione lethali ferre non valeat; vt explicãt *Tertullianus, & Athanaſius locis citatis, Ambroſius in lib. de Fide c. 8. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 9. Phebadus Epiſcopus cõtra Arrianos tom. 4: Bibliothecæ, pag. 286. et plerique alij:* quæ explicatio & literæ, & hiſtoriæ ſatis eſt cõſentanea: ideò enim Deus, cum trãſiret, dextera ſua protexit Moyſen è petra Deum videntem, ne fulgore diuinæ maieſtatis læderetur. Iam verò non facilè explicabitur, quo pacto ex viſione diuinæ eſſentiæ mors corporalis inferatur: niſi dicas in hoc ſenſũ lædere; quia vehementer abſtrahit à ſenſib⁹ facta ecſtaſi, quæ poteſt mortem inferre. Sed efficacius ex eo confirmabitur; quoniam cum Moyſes ſemel, ac iterũ dixerit: *Oſtende mihi faciem, et gloriam tuam,* reſpõdit Deus: *Ponam te in foramine petræ, et ꝓtegam te dextera mea, donec tranſeam: deinde tollam manum meam, et videbis poſteriora mea; quia faciem meam videre non poteris.* Quam promiſsionem in ſequenti capite impleuit. Deus igitur illius faciei viſionẽ denegauit, quam videri non permiſit extenſione dexteræ, donec tranſiuit; & cuius terga ſublata manu videre conceſsit: illa autẽ facies fuit figuræ corporeæ trãſeuntis habens terga ex diuerſo ſibi correſpondentia. ¶ Quod argumentum euidenter cõuincit; niſi cum nõnullis dicas, verba illa in ſolo ſenſu myſtico, & figurato eſſe explicanda, vt ſignificent, quæ in Eccleſia Chriſti erãt futura: quæ fuit explicatio Auguſtini *12. de Geneſi ad literã c. 27. et 28: et lib. 2. de Trinitate cap. 17. et Pſal. 138. ad illa verba, Mirificata eſt ſcientia tua, tom. 8. & in quæſtionibus veteris, &*

Vera loci explicatio.

Auctores illius.

Confirmatur.

Alia confirmatio.

13. Quorundã explicatio.

& noui teſtamenti q. 154. tom. 4. Origenis homil. 7. in Numeros pag. 216. in principio, Gregorij 25. Moral. cap. 14. & lib. 35. cap. 6. & lib. 7. Epiſtolarum indict. 2. cap. 65. Procopij in eodem loco, & Iſidori cap. 41. in Exodum. *Quin potius Caietani in illis verbis aſſumpſit parabolam ad explicanda*, quæ Moyſi circa Dei viſionem intelligibiliter debebant accidere: erat enim illum viſurus lumine diuino per modum tranſeuntis: *Vide etiam Seraphinum Aporrecta in ſuis aureis concluſionibus concl. 4. Exodi cap. 33. & Sebaſtianum Brauum in ſuis collectaneis in eodem loco.* ¶ Sed hæc explicatio eſt cōtra receptam regulam, quæ docet, Sacrã Scripturam explicandam eſſe in ſenſu, quem verba præ ſe ferunt, quando inde nullum ſequitur abſurdũ. Iam verò nihil abſurdi infertur, ſi verba illa contineant rem ſtatim implendam, & in cap. ſequenti relatam, quæ eſt *explicatio Lyræ, Carthuſiani, Oleaſtri, Abulenſis, & aliorum.* Qua explicatione ſuppoſita, euidenter deducitur, petitionem Moyſi intelligendam eſſe non de viſione eſſentiæ, ſed figuræ humanæ.

Explicatio Caietani.

Non recipitur.

14. Nec obſtat fundamentum communis opinionis: quoniam licet Patres citati ſupponant, Moyſem iam vidiſſe faciem Dei in figura corporea; tamen id ex Scriptura non colligitur: illa enim verba: *Loquebatur Dominus Moyſi facie ad faciem*, ſiue, *ore ad os*, optimè conſtãt, quãuis Moyſes figuram corpoream, in qua Deus ſibi loquebatur, non videret: quod euidenter colliges ex capit. 4. & 5. Deuteronomij: nã cap. 5. expreſſe fatetur Moyſes, Deũ *facie ad faciem fuiſſe locutum populo de medio ignis* (*vt patet ex illis verbis facie ad faciem locutus eſt vobis de monte de medio ignis:*) & tamen in dicto cap. 4. fatetur populum formam Dei non vidiſſe: *vocem*, inquit, *verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis:* nam in Phraſi Hebraica idem eſt loqui facie ad faciem cum aliquo, quòd cum eo familiariter loqui: & ideo additur: *Sicut ſolet amicus ad amicum loqui:* & quamuis in tenebris, locoq; obſcuro colloquantur, facie ad faciem loqui dicuntur.

Ad fundamentum cõmunis opinionis.

15. Illa verba Numerorum 12. *Ore ad os loquor ad eum*, quamuis maximè videantur repugnare, ſi illa, *& palàm* cum ſequentibus coniungantur, vt faciant hunc ſenſũ: *Ore ad os loquor ad eum: & ipſe palàm, id eſt, clarè ſinè figuris, & ænigmatibus Deum videt:* nihil tamen obſtant, ſi coniungantur cum præcedentibus, vt ſit ſenſus: *Ore ad os, atque palàm loquor ei:* vel quia Deus illi loquebatur palàm, id eſt, coram omni populo, vel quia voce clara, verbiſque externis loquebatur ad eum, quod cæteris Prophetis non conceſsit: illis enim Deus non voce externa, ſed locutione interna, & imaginaria res futuras aperiebat. Quẽ ſenſum lectio, tùm Hebraica, tùm Septuaginta ſatis explicat: Hebraica enim ita habet: *Ore ad os loquor ad eum, & palàm non in ænigmatibus: & ideam Domini vidit.* Septuaginta ita transferunt: *Ore ad os loquor ad illum in ſpecie, non per ænigmata: claritatem Domini videt.* Quare verbum: *& palam* in noſtra vulgata coniungendum eſt cum præcedentibus: ſequentium verò ſenſus erit: *Et non per ænigmata, & figuras Deum videt*, Pro vidit, Moyſes enim in monte conſpexit Deum tranſeuntem in forma humana, non verò ſecundum faciem, ſed ſecundum terga: cum tamen cæteri Prophetæ Deum videant viſione quadam imaginaria, & ænigmatica. Igitur Moyſes Deum in tabernaculo, aut in mõte ſibi loquentem corporaliter non videbat, vt probant Caietanus, & Oleaſter; & ideo potuit à Deo inſtanter petere, vt in propria corporali ſpecie, in qua loquebatur, ſe ipſũ oſtenderet; quod tamen Deus denegauit. Quare ex iſto loco veritas Catholica ſuperius explicata efficaciter non conuincitur.

Ad locũ Numerorũ 12.

Cõfirmatur.

§. 5.

Probatur rationibus, & ſoluuntur argumenta.

16. EAdem veritas rationibus etiam probatur, quibus vtitur *D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. & 1. 2. q. 5. art. 3.* Prima ſumitur ex communi ratione beatitudinis: nam ſecundum legem ordinariam beatitudo futura excludit omne malum, & ſatiat omnem appetitum, vt eſt communis Patrum Doctrina. Vita autem mortalis ſecundum eandem legem plena eſt miſerijs, vt teſtatur Iob in illis verbis: *Repletus multis miſerijs:* nec fieri poteſt, vt manẽte mortalitate, appetitus perfectè ſatietur, vt patet experientia. Ergo ſecundum legem ordinariam homo in vita iſta mortali nõ poteſt eſſe beatus. Secun-

1. Ratio pro noſtra opinione.

17. 2. ratio. Secunda ratio: ſecundum legem ordinariam homo nihil poteſt intelligere, niſi dependenter à phantaſmatibus: hic enim intelligendi modus eſt homini naturalis, ſed per cognitionem dependentem à ſenſibilibus non poteſt homo peruenire ad claram Dei viſionem. Ergo ſecundum eandem legem homo in vita mortali non poteſt clarè videre Deum.

18. 3. ratio. Tertia ratio eſt moralis: quoniam ſecundum legem ordinariam vita iſta mortalis eſt via, qua ad patriam veniendũ eſt: vnde data eſt nobis, vt in ea per bona opera mereamur gloriæ coronam, iuxta illud Eccleſiaſtici 14: *Ante obitum operare iuſtitiam.* Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Et ideò dicitur Iob. 7: *Militia eſt vita hominis ſuper terrã.* Concludendum eſt igitur ſecundum legem ordinariam, neminem in hac vita mortali eſſe poſſe beatum.

19. Ad argumẽta. ¶ Ad ea, quæ ex Auguſtino in contrariũ §. 1. adduximus, reſpondet D. Thomas in locis citatis, Auguſtinum, ideo docere, nos omnia cognoſcere in diuina veritate, quia omnia cognoſcimus per participationem diuini luminis reſultantis ex lumine increato: quod ipſũ eſt lumẽ primorum principiorum, ad quæ fit vltima omnium ſcientiarum reſolutio, tanquam in prima lumina incõmutabilia, & ideò diuina; quia ſunt imagines quædã, & ſimilitudines diuini luminis, & diuinę veritatis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Deus alicui viatori viſionem ſui de facto communicauerit?

1. Conſequenter agendum eſt; an Deus in ſua lege cũ aliquo diſpẽſauerit; & de facto illi viſionẽ patriæ communicauerit? Cum verò Patriæ beatitudo duobus modis communicari poſſit; vno modo permanẽter: altero modo in tranſitu; de vtroque modo communicationis agendum erit.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deus alicui puro viatori communicauerit permanenter ſui viſionem?

1. Quæſtio. Diximus *puro viatori*; quia fides docet, Chriſtum Dominum in hac vita mortali ſemper fuiſſe cõprehenſorem ſecundum animam; viatorem autem ſecundum corpus, vt in corpore mortali noſtram redemptionem operaretur. Agimus igitur de homine puro viatore, qui & ſecundum animam, & ſecundum corpus viator ſit.

In hoc ſenſu nulla, aut fuit, aut eſſe potuit controuerſia: omnes enim, vt indubitatum docent, nullum purum viatorem in hac vita mortali videndo Deum fuiſſe permanenter beatum. Quæ veritas primum probatur ex verbis Ioannis 1: *Deũ nemo vidit vnquam: qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*: quæ verba eſſe intelligenda de viſione permanente euidenter oſtendimus q. 1. huius libri art. 6. §. 2: vbi multis adductis explicationibus octauam elegimus, & confirmauimus, vt locus intelligatur de homine puro viatore, & de viſione permanente. 2. Negatiua eſt indubitata.

Poterit etiam eadem veritas confirmari: quoniam ſi hoc priuilegium alicui deberet communicari; vtique communicaretur Virgini Matri: at illi omnium conſenſu non fuit communicatum. 3. An Moyſes viderit?

ARTICVLVS II.

Vtrùm Moyſes in hac vita viderit Dei eſſentiam?

1. Non ſatis conſtat inter Theologos; an Moyſi Deus viſionem ſuæ eſſentiæ in hac vita cõmunicauerit? quidam affirmant; alij negant.

§. 1.

Opinio, quòd viderit Deum.

2. Quòd Moyſes in hac vita Deum viderit in ſua eſſentia, ex ſcholaſticis probant *D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. & 2. 2. q. 174. ar. 4. & q. 175. art. 3. ad primum; de Veritate q. 10. art. 11. ad 1. & q. 13. art. 2. in corp. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 7. ad 4. vbi Durand. q. 6. n. 5. & 7. & in 3. diſt. 31. q. 3. n. 13. Caietanus 2. 2. dicta q. 174. art. 4. Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. ad finem. §. Veruntamen lege hac. Præceptor Franciſcus à Chriſto in 1. diſt. 3. q. 1. ad 1. contra primam, fol. 52. & 53. Viguerius in ſuis inſtitutionibus c. 9. §. 1. verſ. 4. Porrhecta ad 1. p. q. 12. art. 11. & in ſuis veritatibus aureis concl. 4. in Exodum in 1. ſolution. Sebaſtianus Brauius in ſuis Collectaneis aureis Exodi 33. ad illa verba: Oſtende mihi faciem* *D. Thom. Durand. Caiet. Sotus. Franciſc. à Chriſto. Viguerius. Porrhecta. Brauius.*

Abulenſ. Dionyſius Lyra. Gloſſa. Imola. Cardinal. Ancharra.

ciem tuam, & cap. 12. Numerorum ad illa verba Ore ad os Abulenſis in cap. 6. Exodi. q. 1. litera H. & in c. 33. q. 11. & 17. & Numerorũ 12. q. 34. & in cap. 5. Matthæi q. 46 Dionyſius in dicto cap. 33. Exodi ad illa verba: Non enim videbit me homo, & viuet, ar. 63. pag. 471. in fine, & clarius Numerorũ. 12 ar. 21. ad illa verba, Palàm, & nõ in ænigmate pag. 639. & in vtroque loco Lyra: Ex Canoniſtis Gloſſa ad verbum quarto in Clement. Ad noſtrum de hæreticis, vbi Imola, Cardinalis, Ancharranus: Denique teſtibus Dionyſio, & Abulenſi, hæc eſt omnium Catholicorum ſententia: pro ea citari ſolet Hugo in ſecundam ad Corinth. q. 34. ſed ibi de Moyſe non agit.

3. 1. Cõfirma ex Auguſt. *Baſilius. Ambroſ.*

Confirmatur primò apertiſsima *Auguſtini authoritate 12. de Geneſi ad literam cap. 27. & in Epiſt. 112. cap. 13.* qui putatur huius opinionis author, & propugnator. Clariorib' verbis *Baſilius homil. 1. Exameron in hæc verba; Qui ipſam faciem Dei æqualiter cum Angelis videre dignatus eſt,* citatur Ambroſius lib. 1. Exameron cap. 2. vbi ita ſcribit: *Cui teſtificatur Scriptura; quia nemo ſurrexit amplius Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes; quem ſciuit Dominus facie ad faciem; non in viſione, nec in ſomnijs, ſed ore ad os cum Deo ſũmo locutus: nec in ſpecie, nec per ænigmata, ſed clara, & perſpicua præſentiæ diuinæ cognitione dignatus.* Accedant alia verba ex eodem ſerm. 8. in Pſal. 118. ibi *Deprecabor vultum tuum,* poſtquã enim multis explicauit, Moyſen petiuiſſe viſionem diuinæ eſſentiæ, qualis poſt vitam datur beatis, ita ſcribit: *Qui ergo hæc ſcire poterat, meritò præſumebat, vt vultũ Dei videre cuperet, quem eſſet obita corporis morte viſurus. Talẽ certè etiam formã receperat: talem Dominus iam probabat, vt non diſtaret ab Angelis cœleſtis miniſter, & executor oraculi.* Quare non dubitò, Ambroſium cum Auguſtino ſenſiſſe: Beda etiam in eadem eſt ſententia 2. *Corinth. 12. ad illa verba: Scio hominem tom. 6. pag. 676. 677.* citari ſolet *Anſelmus ibidem;* ſed de Moyſe verbũ non facit.

Beda. Anſelm.

4. Probat ex cap. 12. Numeror.

Hanc ſententiam Auguſtinus deducit ex verbis Dei Numerorum 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſionẽ apparebo ei, & cætera. at non talis ſeruus meus Moyſes: ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Ex his verbis conſtat, Deum Moyſi non fuiſſe locutũ per cognitiones, quæ faciali opponũtur: fuit igitur illi conceſſa cognitio facialis. Ob quam rationem verba illa *ore ad os* interpretatur Auguſtinus, non de ore corporis, ſed mentis, vt denotent cognitionem claram, & intuitiuam: ita *Auguſt. in dicto cap. 27. & lib. 4. de Symbolo ad Cathecumenos c. 3. tom. 9.* quam explicationẽ videtur confirmare lectio vulgata, in qua verbum illud *palàm* coniungitur cum ſequentibus, vt ſit ſenſus: Videt Deum non per ænigmata, & figuras corporales, ſed palàm, id eſt apertè, & cognitione faciali, prout diſtinguitur ab ænigmatica: etenim ſi Moyſes ſolùm vidiſſet in forma corporea, vidiſſet per figuras, & in ænigmate, quod negat Dominus. Adde, quòd Deus nihil Moyſi præcæteris conceſsiſſet: nam Abraham vidit Deum in forma corporea Geneſis 17. & 18. Similiter, & Iacob Geneſis 32. Gedeon etiã Iudicũ 6. denique Manue Iudicum 13.

Deinde nonnulli arguũt, ex verbis Exodi 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum*; nam cum immediate ſequãtur iſta, *Oſtende mihi gloriam tuam*, vtique verba præcedentia continent promiſsionem viſionis diuinæ eſſentiæ; & hæc eſt communis Patrũ explicatio: nam; ſola diuina eſſentia viſa, in ſe ipſa eſt omne bonum: Deus autem promiſsionem ſuã impleuit, vt patet ex verbis Numer. 12. *Ore ad os loquor;* & ex illo, *palam Dominum videt.* 5. Probat ex c. 33. Exo.

Accedit probabilis ratio: quoniam cũ Moyſes eſſet doctor Synagogæ, conueniẽtiſsimum fuit, vt non ſolũ ei fidei myſteria reuelarentur; ſed etiam Deus ipſe clarè, & apertè in ſe ipſo, vt poſſet eſſe teſtis oculatus diuinæ maieſtatis, quam populo ãnunciabat: 6. Ratione probat.

§. 2.

Opinio, quod non viderit Deum.

QVòd tamen Moyſes clarè, & intuitiuè Deum non viderit, probãt ferè omnes noſtri temporis Theologi: latè *Bellomontan. 1. p. diſp. 55. cap. 2. Toletus in Ioannem cap. 1. ad illa verba: Deum nemo vidit vnquam annot. 53. Iãſenius in Concord. cap. 16. in eadẽ verba pag. 134. col. 2. in fine Maldonatus ibidem pag. 1331. Oleaſter in cap. 33. Exodi ad illa verba: loquebatur Dominus cũ Moyſe, & in c. 12. Numer.* 7. Opinio negans. *Bellom. Toletus. Ianſenius. Maldona. Oleaſtro.*

Numer. ad illa verba: ore ad os loquor ei: Cor-
Cornelius. *nelius à lapide in 2. ad Corinth. 12. verſ. 5. n.*
Caſtro. *132. vbi teſtatur, ſe id clare alibi demõſtraſſe:*
Suar. *Caſtro verbo beatitudo hereſi 1. Suarius. 2. to.*
Stapulenſ. *ad 3. p. diſp. 19, ſect. 4. §. Addo denique, Fa-*
Niculaus *ber Stapulenſis in Commentarijs ad Damaſ-*
Grandis. *cenũ lib. 1. de Fide c. 1. Nicolaus Grandis in*
Alenſis. *cap. 10. ad Romanos: citari ſolet Alenſis 1.*
Caietan. *p. q. 2. memb. 1. art. 4.* Sed clarè id non dicit, citatur etiam *Caietanus in dict. cap. 33. Exodi. & in d. cap. 12. Numerorum,* in quibus locis licet non clarè, hanc tamen ſententiam inſinuat.

8.
1. Cõfirmatio ex Patribus.

Hanc ſententiam fuiſſe communem inter antiquiores Iudæorum refert Abulenſis *in dicto cap. Numerorum q. 34. & ante eum Origenes homil. 1. in Iſaiam ante finẽ,* referuntur Patres ſequentes: *Clemens Romanus lib. 3. recognitionum: Dionyſius de cæleſti Hierarchia cap. 4. & in Epiſt. 1. ad Caium; & de myſtica Theologia cap. 1. Irenæus lib. 4. cap. 37. circa med. Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum: Tertullianus contra Praxeam cap. 14. & lib. 2. contra Marcionem c. 27. & lib. 4. cap. 22. & contra Iudæos cap. 9. Origenes lib. 2. Periarchon cap. 4. & homilia* Varij Patres *7. in numeros, & homil. 1. in Iſaiam: Nyſſenus in vita Moyſi, & in lib. de Beatitudinibꝰ: Nazianzenus Oration. 34. quæ eſt ſecunda de Theologia, & in trac. de Fide ad finem: Hilarius Pſalm. 118. ad illa verba: Deprecatus ſum faciem tuã, & lib. 4. de Trinitate: Athanaſius q. 1. ad Antiochũ, & ſerm. 3. aduerſus Arrianos, Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioannem cap. 22. Victorius lib. 3. contra Arium tom. 4. Bibliothecæ: Phebadius Epiſcopus lib. 5, contra Arrianos eodem tomo: Chryſoſtomus homil. 14. in Ioannem, & homil. 1. 3. & 4. de incomprehenſibili Dei natura: Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ ad illa verba: Audite verbum Domini principes Sodomorũ, & lib. 3. contra Pelagium ad finem, & in Epiſtola ad Damaſum: Ambroſius Pſalm. 118. ſerm. 8. & lib. 1. in Lucam in capite de apparitione Angeli, & in lib. de Fide contra Arrianos c. 8. citatur Auguſt. in quæſtionibus noui, & veteris teſtamenti q. 71, & lib. 2. de Trinitate cap. 16. & tract. 3. in Ioannem: Theodoretus Dialogo 1. qui dicitur immutabilis in principio quæſt. 68: in Exodum, Iſidorus in Exodum cap. 41. & lib. 5. Sentent. cap. 7. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 28. 36. & 37, & lib. 4. capit. 25. & homil. 14. in Ezechielem, vt innumeros alios omittam, inter quos citatur Euariſtus Papa Epiſtol. 1. ad Epiſcopos Africanos tom. 1. Concil.*

Ratione etiam hæc ſententia confirmatur: quoniam non poteſt nobis conſtare, 9. Rationes cõfirmat.
an Deus claram ſui viſionem communicauerit Moyſi, niſi ex diuina reuelatione: nam cum communis lex ſit in oppoſitũ, ſine ſpeciali priuilegio non potuit talis viſio illi communicari. Talis autem reuelatio, nec traditione, nec Eccleſiæ diffinitione, nec ex Sacra Scriptura, nec deniq; ex conſtanti, & vnanimi Patrum doctrina nobis conſtat: quin potius oppoſitum ex his omnibus colligitur, ergo non eſt aſſerendum, hanc viſionem communicatam fuiſſe Moyſi.

Deinde hæc ſententia videtur deduci ex Sacris literis. Et Rabini eam deducebant ex Exodi cap. 33. *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo, & viuet,* ex quibus verbis plures etiã Theologorum argumentum ſumũt: quì enim fieri poteſt, vt Moyſes diuinam viderit eſſentiam, ſi ſemel, & iterum illius viſionem petens, non eſt exauditus? *Oſtende,* inquit, *mihi faciem tuam:* & rurſus: *Oſtende mihi gloriã tuã,* quæ verba Patres cõmuniter intelligunt de viſione diuinæ eſſentiæ: & tamen Deus illi petitioni nunquã annuit, ſed ſolùm conceſsit poſteriorum viſionem. Accedit; quoniam ſi diuinam vidit eſſentiam, quãdo cum Deo facie ad faciem locutus fuit; quomodo illius efflagitat viſionem? 10. Confirmat ex Sacris literis. *Exodi 33.*

Expenditur etiam locus Numerorum 12. iuxta Hebraicam lectionem, quæ ita habet: *Ore ad os loquor ei, palàm, & non per ænigmata: & ideam Domini vidit,* quæ vltima verba ſatis indicant, eum non vidiſſe Dei eſſentiam, ſed figuram, in qua Deus apparebat, quam ſeptuaginta appellarunt claritatem Dei. 11. *Numer. 12.*

Quarto nonnulli hanc ſententiam cõuincunt ex verbis Ioannis 1: *Deum nemo vidit vnquam:* quę verba intelligenda eſſe de hominibus in hac vita, & de viſione diuinitatis, oſtendimus q. 1. art. 6. Quare cũ Euangeliſta vniuerſaliter dicat, neminem vnquam vidiſſe Deũ, benè infertur Moyſem eum non vidiſſe. Quod ex eo confirmatur: quoniam Ioannes illis verbis nititur demonſtrare, Chriſtũ in hoc excellere Moyſi; quoniam, cum Deum viderit, potuit diuina myſteria nobis enarrare, vt oſtendi- 12. *Ex cap. 1. Ioan.*

oſtendimus in dicto art. 6. Quod argumē tum vim non haberet, ſi Moyſes Deum vidit.

13. *Ex 1. Ioan. 3.* Quinto adducitur illud primę Ioannis 3. vbi eadem ſententia ijſdem verbis repetitur, quæ inſtituto Ioannis non inſeruiret, niſi generaliter abſque vlla exceptione intelligeretur, vt vidimus in dicto art, 6. num. 18.

14. *Ex cap. 6. Ioan.* Sexto adducuntur verba Ioannis 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didiſcit, venit ad me: non quia Patrem vidit quiſpiam, niſi is, qui à Deo eſt.* Quæ verba, nec intelligenda ſunt de viſione corporali, nec connaturali, nec de cōprehēſiua, ſed de viſione abſolutè ſumpta, & intuitiua, vt oſtendimus in dicto art. 6. num. 19. Quare cum ſint generalia, benè inferunt, Moyſem Deum non vidiſſe.

15. *Ex cap. 11. Matth.* Septimo affertur ſimilis locus Matth. 11. *Nemo nouit filium, niſi Pater; nec Patrem quis nouit, niſi filius;* quæ verba intelliguntur de Chriſto homine, vt diximus in dicto art. 6. num. 20.

16 *Ex 1. Timoth. 6.* Poſtremo additur Paulus primæ Timothæum 6. *Qui ſolus habet immortalitatē, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Verba hæc eſſe intelligenda de viſione diuinitatis, ſatis patet: cum verò explicari non poſſint de potentia Dei abſoluta, vt fides docet, intelligentur de ordinaria. Quōmodo igitur viſio Dei communicata fuit Moyſi?

§. 3.

Vtraque opinio eſt probabilis, negatiua probabilior.

17. *Molina. Valentia. Cumelius. Bañes. Suarius. Lorca. Salas. Abulenſis Medina,*

NOs cum illis ſentimus, qui putant vtramque ſententiam eſſe probabilē; negatiuā eſſe probabiliorē. Quòd vtraque ſit probabilis doctiſsimi volunt: ita *Molina* 1. p. q. 12. art. 11. diſp. 2. *Valentia* 1. tom. q. 12. punc. 7. *Cumelius ibidē q. 1. concl. 1. vbi etiam Bañes: conſentit Suarius 2. tom. ad tertiam partem diſp. 19. ſect. 4. Lorca 1. tom. ad. 1. 2. diſp. 35. de Moyſe, Referri poteſt Salas 1. to. ad 12. q. 5. art. 3. trac. 2. diſput. 10. ſect. 4. num. 34. nec longè abeſt Abulenſis cap. 12. Numerorum q. 34. nec Catharinus 2. Corinth. 12. in principio, accedit Medina 1. 2. q. 5. art. 3. ad 1.* Quòd verò negatiua ſit probabilior omnes citati docēt, paucis exceptis.

Quòd vtraque ſit probabilis, ex eo patet, quia vtraque habet grauiſsimos propugnatores, tùm ex Patribus, tùm ex Scholaſticis: neutra aut Sacris literis, aut ex Eccleſia conuincitur; vnde neminem vidi, qui aſſerat, vnam, aut alteram ita eſſe certam, vt oppoſita digna ſit cēſura. Quod verò negatiua probabilior ſit, inde patet; quoniam apud Patres eſt communior, & ſatis conſentiens cū regula generali Scripturæ. *Vtraque eſt probabilis.*

§ 4.

Pro parte negante ſoluuntur argumenta affirmantis.

PRO defenſione partis negantis, (quam probabiliorem putamus) ſoluenda ſunt argumenta pro affirmāte adducta. 18. *Soluuntur argumenta*

Primus locus ſumitur ex illis verbis Exodi 33. *loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem*; verba tamen iſta clarā viſionē non probant, ſi Phraſis Sacræ Scripturæ expendatur: Nam in Sacris literis Deum cum aliquo facie ad faciem loqui, nihil eſt aliud, quam cum eo colloqui familiariter; corporali voce ſua conſilia illi communicando, vt notauit Rupertus Abbas *lib. 3. in Exodum cap. 35. et Oleaſter ibidem, vbi aduertit, verba illa Hebraiſmum continere: Conſentiunt Lyra, et Abulenſis in eodem loco q. 11. cum cæteris.* Quòd verò in Sacris literis *Videre Deum facie ad faciem* non ſit videre Dei eſſentiam, ſed habere familiare colloquium, ſatis colligitur ex verbis Iacob *Geneſis 32: Vidi Dominum facie ad faciem,* id eſt, in figura corporali mihi colloquentem: nec enim vllus dixit Iacob Dei eſſentiam vidiſſe: ſatis etiam id colliges ex verbis Moyſi Deuteronomij 5, vbi agens de apparitione Dei ad populum ita ait: *Facie ad faciem locutus eſt nobis de medio ignis;* quod nihil eſt aliud, quàm Deum voce ſenſibili cum populo fuiſſe collocutum, nec enim populus Dei eſſentiam vidit: imò hæc collocutio ſtare poteſt, etiam ſi perſona loquens non videatur, ſed ſolum audiatur: nam Deus in illo loco facie ad faciem cùm populo fuit locutus; & tamen populus Deum ſibi colloquentem, nec corporaliter vidit, vt dicitur Deuteronomii quarto: *Vocem verborum eius audiſtis; ſed formam penitus non vidiſtis.* Quòd non ſolū verū eſt de forma

Ad 1. locū 15. *Rupertus. Lyra. Abulenſis* *Geneſ. 32.*

ſubſtan-

ſubſtantiali; ſed etiam de forma ſenſibili, in qua Deus loquebatur.

19. Nō probāt. Ex quo benè infertur, verba illa Exodi 33. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem*, efficaciter nō probare Moyſen vidiſſe diuinam eſſentiam; cum populus illam non viderit, cui Deus facie ad faciem locutus fuit. Sed nec efficaciter probant Moyſen in illa collocutione vidiſſe Deum in forma corporea; nam nec populus ita Deum vidit. Et ex cōſequenti nec viſionem diuinæ eſſentiæ conuincunt illa alia Deuteronomij 34. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes; quē noſſet Dominus facie ad faciem.*

1. Ratio. Ratione etiā confirmatur: quoniam ſi Moyſes in illo colloquio diuinam videbat eſſentiā; quomodo Deo dicebat: *Oſtēde mihi faciem tuam*; quomodo etiam De⁹ viſionem faciei illi denegauit, dicens faciē meam videre non poteris?

20 2. Ratio. Accedit etiā; quoniam verba illa: *Loquebatur Dominus, ad Moyſen facie ad faciē* cum ſint præteriti imperfecti non ſolum denotant, tempus aliquod fuiſſe cōſumptum in collocutione, ſed etiam illius frequentiam. At tamen ſi Moyſes vidit eſſētiam diuinam; ſolùm eam vidit per modū tranſeuntis, & ſemel tantum.

21. 3. Ratio. Accedit tertiò; quoniam verba ſequentia: *ſicut ſolet loqui homo ad admicum ſuum* denotant ſolam corporalem viſionem, & cōmuni more habitam: quod viſioni per modū tranſeuntis non congruit. ¶ Quare ex his colloquijs non ſatis colligitur Moyſen diuinam eſſentiam vidiſſe, quod libenter concedunt Lyra, & Abulēſis: & ſatis Auguſtinus 12. de Geneſi ad literā, & multis alijs in locis libenter concedit, ex iſtis verbis id non colligi. Quod etiam docuerunt *Rupertus lib. 3. in Exodum cap. 35. Gregorius 18. Moral. cap. 37. Theodoretus in 1. Dialogo pag. 301. col. 1. Phœbadius & alij citati*, omnes enim hæc verba intelligunt de forma viſibili, in qua Deus Moyſi apparebat.

Rupert. Gregor. Theodore. Phœbadius

Nihil colligi ex illis verbis: Oſtende mihi faciem tuam.

22. Ad 2. locū Exodi 33. ¶ Quòd ex verbis ſequentibus, *Oſtende mihi faciē tuā* nō benè viſio diuinę eſſētię, inferatur facilè colligitur ex litera Hebraica; *Oſtende mihi viam tuam*; ſiue enim per viam cum Oleaſtrò intelligas conditionem, & mores: ſiue cum Caietano ordinē in gubernatione populi; ſiue (quod verius eſt) ducatum eiuſdem, vt refert Carthuſianus in eodem loco, *& probat Auguſtinus Eugubinus ibidem, & Bellomontanus in d. diſp. 55. cap. 3. num. 12.* vt ſit ſenſus; præbe te mihi ducem in hoc itinere; nullum ex hoc loco, vel apparens, ſumes argumentum. Et idem dices iuxta lectionem vulgatam, ſi per *faciem* intelligas hilaritatem Dei, & placationem; vt ſit ſenſus; oſtende te mihi hilarem, placatum, & propitiū: Facies enim aliquando denotat amicitiam, & placabilitatem. Idem dices, ſi cum Bellarmino per *faciem* intelligas *ducatum.* Imò nihil habebis, etiam ſi concedamus, Moyſen petijſſe diuinæ eſſentiæ viſionem: quia Moyſes eandem petitionem repetens, non exauditus, ſed repulſus eſt.

Si verò inquiras; quænam iſtarum explicationum ſit amplectenda? dicimus, ſi iuxta literam Hebraicam legas, Caietani expoſitionem eſſe Metaphyſicam, ad inſtitutum parum accommodatam. Nec ſatis eſſe probabilem explicationē Oleaſtri, vt per viam Dei intelligamus mores, & conditionem Dei, vt. ſ. petat Moyſes, quomodo Deus placari debeat: reſiſtunt enim, & antecedentia, & conſequentia: *Præcipis*, dixerat Moyſes, *vt educam populum iſtum, & non indicas mihi, quem miſſurus es mecum*, vt ſcilicet, dirigat me in ducatu populi: Deinde ſequitur petitio: *Oſtende mihi viam tuam*, cui reſpondet Dominus facies mea præcedet te, vt. ſ. te, & populum ducat, ac dirigat. Quare ſi ex antecedentibus, & conſequētibus coniectandus eſt ſenſus petitionis; Moyſes id efflagitat, quod pertinet ad ductum itineris, & populi protectionem contra populos, quos erat debellaturus: cum tamen noſſe mores Dei, & illius miſericordias potius pertineat ad Deum placandū, quā ad cognoſcendam viam itineris. Ob quam rationem non poſſunt verba petitionis exponi, de vijs, id eſt de præceptis, & voluntatibus Dei; quamuis verbū *via* in hoc ſenſu ſæpè ſumatur in Sacris literis: nam, vt omittamus, quòd hæc cognitio ad ducatum itineris per ſe non ſpectat; Deus iam plurima præcepta Moyſi, & populo tradiderat. Quare ſi literæ Hebrai-

23. Quę explicatio ſit vera.

Hebraicę ſtandum eſt, probanda erit tertia explicatio, vt idem ſit, *Oſtende mihi viã tuam*, atque oſtende mihi iter, quo ducendus eſt populus. Hunc enim ſenſum, & antecedentia denotant, & conſequentia vt iam oſtendimus. Et iuxta hanc explicationẽ petitio iſta diuerſa eſt ab ea, quæ inferius proponitur, *Oſtende mihi gloriam tuam*, vt ibidem aduerterunt Lyra, Caietanus, Oleaſter, & probant Bellomontanus vbi ſuprà nu. 14.

24. De vero ſenſu petitionis Moyſi. Cæterum cum amplectenda ſit noſtra vulgata, quę habet, *Oſtende mihi faciem tuã* maior ſe ſe offert difficultas circa verum petitionis ſenſum: etenim non videtur cõueniens explicatio, vt petat Moyſes, Deũ ſibi hilarem, & placabilem præberi, quamuis placeat Lyræ: vnde meritò illam reiecit Abulenſis q. 13. & Carthuſianus ibidem: tum quia nec antecedentia, nec cõſequentia accommodantur, vt iam diximus: tùm ſecundo; quia non conſonat illud verbum, *vt ſciã te*, quod declarat petitionis finem, vt ſit ſenſus, oſtende mihi faciem tuam, vt cognoſcam te: Deus autẽ cognoſcitur, non quando ſe exhibet propitium, ſed dum ſuam faciem reuelat.

Non placet explicatio Lyræ.

Nec 2. explicatio. ¶ Sed nec placet per faciem intelligere ducatum, vt petat, Deum ſibi præberi ducẽ, & protectorem, quamuis explicatio placeat Bellomontano: nam facies pro ducatu nec reperitur in Sacris literis, nec in claſsicis authoribus. ¶ Nec tertio placere poteſt expoſitio, vt per faciem intelligatur notitia Dei, non intuitiua, ſed maior, quàm de facto habeat, quam Bellomontanus falsò tribuit Abulenſi.

Nec tertia.

25. Vera explicatio. Qare dicendum eſt, Moyſen in præcitatis verbis petijſſe apertam viſionem Dei ſecũ loquentis; vt ſit ſenſus: oſtende mihi te ipſum: vtrùm verò petat viſionẽ intuitiuam diuinæ eſſentiæ; an verò formę corporeæ, in qua loquebatur? ſtatim expendemus. Hæc expoſitio ita ſũpta eſt cõmunis inter Patres, & confirmatur ex verſione Septuaginta, quæ ita habet: *Oſtende mihi te ipſum*: quam nec à vero deuiare, nec ab humilitate Moyſi, ex dicẽdis patebit, quamuis eam reprehẽdat Eugubinus. Accedit etiam; quia cõſtat, Moyſen in illis verbis: *Oſtende mihi gloriam tuam*; ſecũdò petiiſſe manifeſtam Dei loquentis viſionem: iam verò eadem eſt petitio vnius & alterius loci, vt conuincitur ex reſpõſo Dei: *Faciem meam videre non poteris*: vt enim reſponſum conſonet petioni, non poteſt non concedi, Moyſen in ſecunda petitione per gloriam intellixiſſe faciem glorioſam: quod verò, dum petit videre gloriam Dei, atque illius faciem, petat videre ipſum Deum in ſe, efficaciter probãt verba reſponſi: *Faciem meam videre non poteris*; vt idem ſit videre faciem Dei, & videre Deum. Denique iuxta hanc explicationem omnia cõſonant, quæ in ſacro cõtextu habentur, vt patebit, ſi literæ ſenſũ explicemus: eſt enim ſenſus: *Oſtende mihi faciem tuam*, id eſt, oſtende mihi te ipſum in propria perſona, quæ per faciem, vultumque diſtinctè cognoſcitur. Finis autẽ huius petitionis eſt, *Vt ſciã te ipſum*, id eſt, vt cum apparueris, atque ducatum præbueris, te ipſum cognoſcam, quò te ipſum ſecurè ſequar: *& inueniam gratiã ante oculos tuos*: id eſt, vt ſciens te, & vultus tui hilaritatẽ videns, certò ſciam, me ante oculos tuos gratiam inueniſſe.

¶ Fauent antecedentia, & conſequentia: nam cũ immediatè ante conqueſtus fuerit Moyſes, quod Deus ſibi non indicauerit, quem ſecum miſſurus eſſet; petiuit, vt Deus ipſe, ſe ducem præberet, & ob id poſtulat, vt manifeſtè eum videat, vt certo ſciat, Deum eſſe, quem ducatum præbentem ſequatur. Quadrat etiam Dei reſponſum: *Facies mea præcedet te*: nec enim promittitur aliquis Angelus, etiam Deo ſimillimus, vt male exiſtimat Abulenſis Exodi 33. q. 14; quia antea iam promiſſus fuerat: ſed promittitur eadem facies Dei, cuius viſionem Moyſes petebat, vt reſponſio reſpõdeat petitioni: licet enim Deus directò illi non reſpondeat, ſatis tamẽ reſpondet fini intento: nam cum ideo petierit videre Dei faciem, quò ſciret, ſe ſequi Deum, ducem; ſatis petititioni reſpondit, dum promittit, ſe futurũ eſſe ducem, quamuis nihil dicat de manifeſtatione ſui ipſius. Quomodo autem explicanda ſint verba, quæ conſecuntur: non eſt huius loci. 26.

Sed iã inquires; an Moyſes his verbis petat viſionẽ diuinæ eſſentiæ, an formæ humanæ, in qua loquebatur. Dico hac de re Doctores non conuenire; quòd non poſtulauerit viſionẽ diuinæ eſſentiæ, eſſe communem ſententiam, teſtatur Bellomontanus vbi ſuprà num. 11. ſed cõmu- 27. Cuius viſionem petat

nem

nē appellat, quæ eſt Lyræ, Caietani, Oleaſtri, Eugubini, & ſua: cum tamen communis Patrum ſententia, nemine (quem viderim) repugnante, doceat, illam poſtulari. Ita *Tertullianus aduerſus Praxæam cap. 14. & lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 22. n. 341. D. Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 138. ad illa verba: Mirificata eſt ſcientia tua ex me tom. 8. pag. 652. B. C. 2. Bernardus ſerm. 34. in Cantica Gregorius 18. Moral. cap. 37. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 10. 2. to. Bibliothecæ, Iſidorus q. 41. in Exodum: Rupertus lib. 4. in Exodum cap. 35. Phœbadius contra Arrianos tom. 4. Bibliothecæ pagina 286. Beda in Exodum cap. 42. conſenſit Abulenſis Exodi 33. q. 13.* Cuius opinionis fundamentum eſt; quoniam Moyſes nō poterat deſiderare viſionem formæ corporeæ, cum ſæpius in ea Deum viderit: *Loquebatur enim Dominus ad Moyſen facie ad faciem ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuū,* Exodi 33. & Numerorum 12. *Ore ad os loquor ei, & Palàm.* Vnde Auguſti. ita ait: *Non erat, quòd corporaliter videbat, & verā Dei viſionem requirebat.*

Tertullia. Ambroſ. Bernard. Gregor. Cyrill. Iſidor. Rupert. Phœbadi⁹. Beda. Abulenſ.

28. Poſtulat viſionem formæ humanæ.

Quibus nō obſtātibus, ego puto, Moyſen in his verbis ſolùm poſtulaſſe viſionē formæ humanæ: nam ſtatim oſtendemus eandem poſtulaſſe in illis alijs: *Oſtēde mihi gloriam tuam:* vtrobique enim eadē eſt petitio. Quē ſenſum mihi euidenter probant verba immediatè ſequentia, *Vt ſciam te* ſenſus enim eſt, vt deinceps, cum nobis ducatum præbueris, te cognoſcam, in hoc enim ſciam, me inueniſſe gratiā ante oculos tuos: non eſt autem veriſsimile, Moyſen petijſſe, vt in toto itinere, & in ſingulis ducatibus eſſentiam diuinam videret: nec Auguſtinus, & alij viſionem concedunt, niſi ſemel, & per modum tranſeuntis.

Rupert.

Nihil etiam colligitur ex illis alijs
Oſtende mihi gloriam tuam.

29. Ad 3. locū Exodi 33.

¶ Vt appareat ex his verbis non inferri viſionem diuinæ eſſentiæ, ſed oppoſitū; explicandum eſt, quid nam in his verbis petatur? quidam volunt, peti oſtenſionē maieſtatis, & apparatus; claritatis, ſcilicet, & ſplendoris, quo contectus Deus videri non poterat. Sed non placet; quoniam Deus in tabernaculo nube, & claritate circundatus, videbatur, & à Moyſe, & à populo, vt patet ex eodem capite Exodi 33.

1. Explicatio non placet.

Ingreſſo Moyſe tabernaculum fœderis, deſcēdebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium; loquebaturque cum Moyſe cernentibus vniuerſis; quòd columna nubis, ſtaret ad oſtium tabernaculi. Accedit; quoniam Deus petitioni non annuit, vt ex litera patet; & tamen iterum recepit Moyſen ad montem cum maieſtate, & gloria, vt patet cap. 34. *Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo.* ¶ At, inquit Oleaſter, Moyſes petit non viſionem nubis, & ſplēdoris, quo Deus tegebatur, ſed apertionem illius, vt poſſet clarè videri; vt ſit ſenſus, *Oſtende mihi gloriam tuam,* id eſt aperi mihi tuam gloriam; lucem, inquam, & plendorem, vt te ipſum videā. Sed nullus non videt, non idem eſſe oſtēdere, quod aperire. ¶ Caietanus vult, gloriā hoc loco accipi pro honore; vt ſit ſenſus; Oſtende mihi honorem tuum, id eſt, te ipſum, vt à me valeas honorari. Sed nō eſt audiendus.

Nec placet Oleaſt.

Nec Caiet.

Quare negari non poteſt, Moyſen his verbis petijſſe aliquam facialem cognitionem: id enim conuincit reſponſio Dei: *Faciem meam videre non poteris:* quæ verba probant, idem eſſe: *Oſtende mihi gloriā tuam,* atque, *Oſtende mihi faciem tuam:* ſicut etiam ex illis: *Non videbit me homo, & viuet,* euidenter colliges idem eſſe, oſtende mihi gloriam tuam, & faciem tuā; atque, oſtende mihi te ipſum. Et hunc eſſe ſenſum petitionis omnes Patres conueniunt: quæ explicatio coincidit cū explicatione Caietani, & Oleaſtri: gloria enim, & maieſtas perſonæ principaliter ſplendet in facie.

30. Vera explicatio.

Sed iam inſurgit dubitatio; an Moyſes petat videre Deum in eſſentia; an in forma humana? Omnes Patres, quos retulimus putant Moyſen poſtulare viſionem eſſentiæ diuinæ, propter fundamentum in prima petitione explicatum. Quod tamen non petierit, niſi viſionem formæ humanæ, probant *Caietanus, Oleaſter, atq; Bellomontanus in dicta diſp. 55. cap. 4.* quod mihi videtur indubitatū: etenim ex ipſo contextu conſtat, Deū petitioni ex parte ſatisfeciſſe, dum ait: *Faciem meam videre non poteris;* & aliquibus interpoſitis: *Ponam te in foramine petræ, & proteget te dextera mea, donec tranſeam: tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: quia faciem meam videre non poteris.* Quæ pro-

31. Non petiit viſionē eſſētiæ, ſed formæ humanæ.

Caietan. Bellomon.

miſsio in capite ſequenti fuit impleta. Igitur De⁹ illius faciei viſionē negauit Moyſi, cuius terga videri conceſsit: talis autē erat facies humana, & viſibilis.

32. Reſponſio ad argum. Huic argumento fortè aliquis reſpondebit, verba illa; *Ponam te in foramine Petræ, & cæt.* nō eſſe explicanda in ſenſu literali, ſed aut in morali, aut myſtico, vt ſignificēt ea, quæ in Chriſti Eccleſia erāt futura. Quæ fuit cōſtans explicatio Auguſtini in locis ſupracitatis, Gregorij, Procopij, Iſidori, Nyſſeni, & aliorū. Quin poti⁹ exiſtimat Caietanus, Deum in illis verbis aſſumpſiſſe parabolā, qua explicaret id, quod Moyſi intelligibiliter debebat accidere; vide illū ſimul cū Porrhecta in cōcluſionib. aureis concl. 4. in Exodū c. 33. & Sebaſtiano Brauio in collectaneis aureis in eodē loco. ¶ Verū non eſt admittēda reſpōſio cum ſcriptura intelligenda ſit in ſenſu literali verborū, ſi inde nullū ſequitur abſurdū. At quid abſurdi infertur, ſi illa verba literaliter intelligantur? Quæ enim obijcit Caietanus, vt nos derrideat; potius ſunt cum illo derridenda. Quare verba illa continent rem ſtatim ad implēdam quæ eſt cōmunis explicatio, quam Bellomontanus, & omnes Nouiores amplectuntur cū *Barradas in Concord. lib. 8. c. 21.* Cui fauet litera Hebraica: *Ego tranſire faciam corā te omne bonū meum,* qui trāſitus ſtatim refertur, ſuppoſito autē hoc literali ſenſu, argumentū noſtrū ſatis vrget.

Nō admittitur.

Barradas.

33. Ad argum. Auguſt. Ad argumentū Auguſtini poſſet quis reſpōdere ex ijs, quæ ſcribit Abulenſis Exodi 33. q. 18. Deū, quando corā Moyſe corporaliter tranſiuit, aſſumpſiſſe corpus clarius, quā antea: in qua claritate nunquam Deus fuit corporaliter viſus, & ideo Moyſen petijſſe viſionē gloriç totius corporis. Sed ſolutio non placet. Quare dicendum eſt, Moyſen nunquam Deū vidiſſe in forma humana: tegebatur enim nimia claritate: ſolùm igitur audiebat Deum corporaliter ſibi loquentem; eum tamen non videbat. Quod admittunt *Caietanus, & Oleaſter*: etenī illa mutua collocutio optimè conſtare poterat ſine viſione figurç Dei, vt colliges ex ijs, quæ diximus ſupra ex Deuteronomio c. 4. & 5. Si quis inſtet ex verbis Deuteronomij 12. *Ore ad os loquor ad eum*: vide, quæ de his verbis ſtatim dicemus; & ita concludimus, ex hoc loco firmū argumentū ſumi nō poſſe ad probādū, Moyſen vidiſſe diuinam eſſentiam.

Nihil colligitur ex verbis: Ego oſtendam omne bonum tibi.

34. Ad 4. locū Exod. 33. 1. Explicatio de viſione diuinæ eſſentiæ. ¶ Locum iſtum de oſtenſione diuinæ eſſentiæ intelligūt *Victorinus in fine Elucidarij in Exodum relatus à Gloſſa Ordinaria in eodem loco, Carthuſianus, & Abulenſis q. 17 & 18. Molina 1. p. q. 12. art. 11. diſp. 2.* nam ſola eſſentia diuina eſt omne bonum. Nō conueniūt tamē an his verbis promittatur talis viſio in futuro ſæculo; vel in præſenti? *Hugo Carthuſ. & Molina eā intelligunt de futuro ſæculo,* in quo ſenſu nihil contra nos facit locus: Abulenſis tamen promiſſionem intelligit de viſione in hac vita.

35. 2. Explicatio de viſione formæ humanæ. Sed quòd pmiſsio ñ ſit de viſione eſſētię, ſed formæ humanæ, vrget litera Hebraica, ita habēs: Tranſire faciam corā te omne bonū: Deus autē ſecundū eſſentiā non poterat tranſire, ſed ſecundū humanam formā: cuius tranſit⁹ mētio fit, *& in fine c. 33. & 34.* vbi hęc ponuntur verba: *Cūq; deſcendiſſet Dñs per nubē, ſtetit Moyſes cum eo inuocans nomen Dñi: quo traſeunte, ait Dominator Dñe Deus, & cæt.* Quare vtraque verba explicāt Rabbini de tranſitu Dei, corā Moyſe, de quo in d. c. 34 *ſequūtur Lyra, Caietan, & Oleaſter in vtroque loco: probat Bellom. in d. c. 4. n. 17. nec diſplicet Abulēſi.*

36. Hæc cōfirmatur. Aduertendum tamen eſt, Deum ad petitionem tria reſpondiſſe: primū eſt; *Oſtēdam tibi omne bonum,* id eſt, me ipſum, corporaliter tamen, cum tranſiero coram te: quibus verbis directè ſatisfecit petitioni. Verum, quia non debebat ſe ipſum oſtēdere ſecundum totam formam; ideo addit ſecundo: *Faciem meam videre non poteris, & cætera*: & adiugit tertio: quomodo eum viſurus erat; dicens: *Eſt locus apud me. & cætera, & videbis poſteriora mea.* Ex quibus patet, verba illa; *Poſteriora mea videbis*: *Faciem meam videre non poteris,* exponere promiſsionem factam in illis verbis: *Oſtendam omne bonum tibi,* intelligendam eſſe de oſtenſione ſecundum partem poſteriorem; nō verò ſecundū faciē: idque cum in monte trāſierit. Quem ſenſum confirmant verba immediatè conſequentia: *Et inuocabo in nomine Domini coram te.* Quæ iuxta veriorem expoſitionē hunc habeat ſenſum, & faciam te inuocare nomen Domini; quod factum eſt in d. cap. 34. Quare cum promiſsio facta in

præcitatis verbis impleta ſit in d. cap. 34. & cõſtet Moyſen ibi vidiſſe Deum non ſecundum diuinam eſſentiam; ſed ſecundum formam humanam, in qua Deus trãſiuit; fatendũ eſt Moyſi promiſſam fuiſſe viſionem, ſecundum ſolam formã corporeã, quod fatetur *Auguſtinus 2. de Trinitate cap. 16. & tract. 3. in Ioannem, ſimul cũ Lyra in eodem loco, & Abulenſi q. 18.*

Nec benè colligitur ex verbis Numerorum 12.

37. Ad 5. locũ Numerorũ 12. ¶ Vrgentius argumentatur Auguſtinus ex verbis numerorũ 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta, & cæt. at non talis ſeruus meus Moyſes: ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Ex quibus verbis colligitur, viſionem, qua Moyſes Deum vidit, opponi viſioni per ænigmata, & ſimilitudines corporeas: quare non poteſt non eſſe facialis diuinæ eſſentiæ: aliàs eſſet per formam corpoream, quod negat Dominus.

38. Non colligitur viſio diuinæ eſſẽtiæ. Ex hoc tamẽ loco viſionẽ diuinæ eſſentiæ non colligi pleriq; affirmãt, inter quos *eſt Salas in d. q. 5. ar. 3. tract. 2. diſp. 11. ſect. 4. pag. 476. col. 2. latè Bellom. in d. diſp. 55. c. 5. per totũ: vbi n. 25.* ex eo id ſibi perſuadet; quia ſi diuina Scriptura hoc loco id vellet ſignificare; vtique narraſſet, vbi id factũ fuerit: ſed futilis eſt coniectura. Fortè melius id colligi poſſet ex allatis verbis, ſiue enim duo illa verba legas in præſenti cum vulgata, ſiue in futuro, ſcil. *loquar, & videbit,* vt plerique legunt cum Caietano, Oleaſtro, & Vatablo, ſemper his verbis denotatur continuatio, & multiplicatio collocutionis cũ Deo, hęc enim verba: *Ore ad os loquor ei*: correſpondent illis Exodi 33. *Loquebatur Dñs cũ Moyſe, & cæt.* Nullus autẽ dixerit Moyſen ſæpius vidiſſe diuinã eſſentiã, aut quoties cũ Deo loquebatur.

39. Confirmatur. Id etiã fiet euidentius ex Hebraica litera; iuxta quã illa verba, *Et palàm, & non in ænigmatibus,* cũ præcedentibus coniungenda ſunt, quæ verò ſequuntur ſunt per ſe legenda: & ita patet Moyſen nõ vidiſſe ſubſtantiã Dei, ſed aliquã ſimilitudinẽ illi' ſenſibilẽ. Eundẽ ſenſum efficit litera Hebrea ita habens: Ore ad os loquor ei, & viſionem Dei, & non in ænigmatibus, & ſimilitudine videbit, id eſt videbit viſionem, id eſt formam, & ſpeciem Dei in ſe ipſa, non in ænigmate. Quem etiam ſenſum facit verſio ſeptuaginta: *Ore ad os loquor ad illum: in ſpecie, & non per ænigmata claritatem Dei videbit,* id eſt, formam, & ideam Dei.

Verba ex noſtra vulgata nihil aduerſarios iuuant, vt oſtendimus in præcedente quæſtione artic. 2. §. 4. vbi aduertimus, 40. Ad verba vulgatę.
verba illa duobus modis cõſtrui poſſe, vt ibi videbis: nunc addimus, verba illa, ſiue vno, ſiue altero modo conſtruantur, viſionem diuinæ eſſentiæ non probare: nam iuxta priorem conſtructionem ſenſus eſt. *Ore ad os, atque palàm loquor ei*: vel quia Moyſi ſæpe loquebatur palàm, id eſt, coram omni populo: vel quia loquebatur voce clara, & externa: cum tamen Prophetis ſola voce interna loqueretur per ænigmata. Quem eundem ſenſum facit constructio poſterior; ſenſus enim eſt; *Ore ad os loquor ei.* id eſt facialiter, & verbis externis. *Et ideo palàm, & non per ænigmata Deum videt*; quia non per internas locutiones, nec per figuras videt Deum ſibi loquentem, ſed per verba exterius ꝓlata audit, quæ Deus iubet: quæ collocutio ſine viſione eſſentiæ ſtare poteſt, imò etiam ſine viſione formæ humanæ, vt ſuperius oſtendimus.

Ex quibus iam ſoluitur vis argumenti initio propoſiti; admittimus enim viſio- 41.
nem, quã Moyſes Deũ vidit, opponi viſio- Solutio argum.
ni ænigmaticæ; nõ cuicũq;, ſed illi, quæ facta eſt prophetis interna per figuras: viſio autẽ Moyſi erat per vocẽ externã diſtinctè res à Deo præceptas explicãtẽ: quã viſionẽ eſſe locutionem ex dictis intelliges. Et hęc pro defenſione partis negãtis.

§. 5.

Pars affirmans eſt etiam probabilis.

Quod tñ pars affirmatiua tanquam 42. Reijcitur Molina.
ꝓbabilis, & ſine temeritate poſſit defendi, ſatis probat authoritas Auguſtini. Nec audiendus eſt Molina, dum ait Auguſtinum dubium fuiſſe: quo modo enim dubius eſt, & ſolum hanc opinionem inſinuat, *cum 12. de Geneſi ad literam capite 27. ita ſcribat? Sic intelligendum arbitror, quod in Moyſe ſcriptum eſt;* nec legit Epiſt. 112. cap. 13. vbi multa inuenies, quę doctrinę cõſtantiã ſignificãt: & ſatis ſit, quod Auguſtinus ita ſcribit: *Quanquam, & illi fideliſſimo famulo Moyſi*

mirum in hac terra laboranti, populúq; adhuc recturo conceſſum eſt, quod petiuit, vt claritatem Dei, & cæt. Nec Molina cũ nonnullis iunioribus Auguſtinũ legit, dũ affirmat, Auguſtinum expreſſè oppoſitũ docuiſſe etenim lib. de Trinitate c. 19, adducta petitione Moyſi, ita ait: *Hoc autem, ſi non dixiſſet Moyſes, vtcũque ferendi eſſẽt ſtulti, qui putant per ea, quæ ſuprà dicta, vel geſta ſunt, ſubſtantiam Dei oculis eius fuiſſe conſpectã.* Deinde oſtendit Moyſen in illis locis, quæ cõmuniter afferuntur, nõ vidiſſe diuinã eſſentiam, ſed formam corporalẽ: & multis modis eos explicat, vt intelligãtur, vel non poſſe Deum in ſe ipſo videri oculis corporeis, vel abſque abſtractione à ſenſibus. Porrò tract. 3. in Ioannẽ tom. 9. ad illa verba: *Sed vnigenitus & cætera;* ſolum negat, Deũ in ſua ſubſtantia fuiſſe à Moyſe viſum in locis, de quibus Exodi 33, Quare concludendum eſt Auguſtinum conſtantem fuiſſe in ſua opinione, quod Moyſes Dei ſubſtantiam viderit, vt benè affirmat Salas vbi ſuprà pag. 471. col. 2. in principio,

Poteſt etiam huius opinionis probabilitas confirmari; quoniam ex Sacra pagina non benè infertur oppoſitum. Nam

43. Confirmatio.

primus locus Exodi 33. faciem meam videre non poteris, & cætera, non ſatis vrget: primò; quia verba illa ſolùm ſunt intelligẽda de viſione corporis, in quo Deꝰ loquebatur, vt putat Abulenſis ibidem q. 18. *& Oleaſter in eadem verba, & ad illa præcedentia; Fac me quæſo videre faciẽ tuam: Bellomont. in d. diſp. 55. c. 4. ſatis Barradas lib. 8. concor. c. 21:* & cõfirmatur cõmuni Rabbinorũ expoſitione, qui ex hoc loco exiſtimarunt, moriturũ fore, qui Deũ proprijs oculis conſpexiſſet, vt docet *Auguſt. q. 54 in Exodum, & referunt Maldonatus in c. 1. Lucæ n. 12. & Pineda in Iob cap. 13. verſ. 21* Quæ expoſitio ſemper mihi viſa eſt literalis: quod cum *Abulenſi, & Bellomonta.* inde cõfirmo; quoniam illorum verborũ ſenſus eſt; nõ videbit me homo, quin moriatur, ex eo, quia fulgorẽ diuinæ maieſtatis ſine interitu ferre non poterit; in quo ſenſu locum explicant *Tertullianus contra Praxæam cap. 14. & lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 27. & lib. 4. cap. 22. ad finem. & aduerſus Iudæos cap. 9. n. 115. Athanaſius ſermon. 3. contra Arrianos pag. 190. & in ſerm. contra hæreſes pag. 592, Ambroſius in lib. de Fide cap. 8. pag. 122. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 9. in 2. tom. Bibliothecæ pag. 101. Phœbus Epiſcopus contra Arrianos tom: 4. Bibliothecæ pag. 286.* Quæ expoſitio & literæ, & hiſtoriæ eſt cõſentanea: Deꝰ enĩ capit. 34. dum tranſiret, ideo dextera ſua protexit Moyſen, ne nimio maieſtatis fulgore læderetur: nec ſatis explicari poteſt, quomodo ex viſione intellectiua diuinæ eſſentiæ ex vi viſionis inferatur mors, aut aliqua corporis læſio: niſi dicas, viſionem illã directè non inferre corporalem læſionem; benè tamẽ indirectẽ; dum vehementer mentem abſtrahit à ſenſibus, facta ecſtaſi: verum viſio diuinæ eſſentiæ in Chriſto Domino, nec mentem, nec ſenſus naturaliter læſit, idque ſine vllo miraculo: nam quamuis miraculum fuit, gloriam animæ in corpus non redundare; nullum tamen fuit, corpus non lædere. Cur autem per ecſtaſim in nobis fiat corporis læſio? alterius eſt quæſtionis.

Abulenſ. Oleaſter. Barradas. Bellomon. Maldona. Pineda. Tertullia. Athanaſ. Ambroſ. Cyrill. Phœbus.

Deinde hæc explicaio deducitur ex eo, qa in ſua duplici petitione non petijt viſionẽ diuinæ eſſentiæ, ſed formæ humanæ, vt oſtendimus § quarto, & late confirmauimus ex reſponſione Dei, qua promiſit ſe oſtenſurum non faciem, ſed terga: vnde Deus illius faciei viſionem denegauit, quam dum tranſiuit, videri manus extenſione nõ permiſit; quæ ipſa fuit viſio figurę humani corporis; nec audiendi ſunt qui volunt, locum illum in ſolo ſenſu myſtico, & figurato eſſe intelligendum, vt iam oſtendimus. ¶ Porrò ſi contendas, verba illa eſſe intelligenda de viſione diuinæ eſſentiæ: adhuc locus nihil facit: quia patitur explicationes à Patribus probatas: nam poteſt intelligi, vt nullus homo videt Deum, qui viuat vita carnali, & immunda, vt ait, D. Gregorius 18. *Moralium capite 38. & Diuus Auguſtinus ſecundo de Trinitate capite 17. & Gloſſa Ordinaria in eodem loco.* Secundo alij ita explicant; vt nullus videat Deũ qui viuat vita ſenſitiua; quia opus eſt, vt videns Deum ecſtaſim patiatur abſtractus à ſenſibus, vt placuit *Auguſtino 12. de Geneſi ad literam cap. 27. ad finem, & Epiſt. 112. cap. 13. & in Soli loquiis capit. 1. tom. 9. eam inſinuat Victorinus lib. 3. contra Arrianũ tom. 4. Bibliothecæ pagina 343. cap. 1. in fine, nec improbat. D. Thomas multis in locis.*

44. Confirmatur.

Gregor. Auguſt. Gloſſa. 2. Explicatio. Auguſti. Victorin D. Thom.

3. Explicatio. Tertio aliqui verba illa intelligunt de viſione per oculos corporis, vt ſit ſenſus; Non videbit me homo oculis corporeis: ita *Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochū q. 23. Auguſtin. lib. 4. ad Catechumenos c. 3. Hieronymus lib. 3. in Iſaiam c. 6. litera H. inſinuat Cyrillus Ieroſolymitanus vbi ſupra.* Porro ſi iſtas expoſitiones nō recipis, veliſq; locū intelligere, vt ſit ſenſus: Non videbit me homo adhuc viuens, reſpondebo locū eſſe intelligendū de lege ordinaria, quæ non tollit diſpenſationem, & ſpeciale priuilegium, concedendum, cui Deus voluerit, vnde cōceſſum fuiſſe Virgini inferius dicemus.

Athanaſ. Auguſt. Hierony. Cyrill.

45. Ad 2. locū. Secundus locus parum vrget; quoniā Moyſes, quando illam petitionem fecit, nec videbat, nec adhuc viderat diuinam eſſentiam.

46. Ad 3. Ad tertiū dicimus, verba illa nec probare Moyſen vidiſſe Deum, vt ſupra oſtendimus; nec impugnare non vidiſſe: quia agit de viſionibus in ſacris literis relatis; quas fuiſſe corporeas in ſuperioribus oſtendimus: quod non tollit, quominus Moyſes viderit Deum.

47. Ad 4. Ad quartum locum facilis erit ſolutio, ſi attendamus varias illius explicationes, de quibus *q. 1. art. 6. §. 2.* vbi vide. ¶ Quin potius non vrgebit; etiam ſi, illis omnibus reiectis, intelligatur de homine mortali, mortalem vitam agente, & de viſione intuitiua diuinitus alicui conceſſa; quæ eſt vera, & germana expoſitio probata tum *Recentioribus, tum D. Clementi, Auguſtino, Bedæ, & Gregorio:* non vrget, inquam, quia, vt oſtendimus in dicto art. 6. num. 15. 16. verba illa vt inſtituto deſeruiant, ſolum ſunt intelligenda de viſione permanente, & fixa; quæ ſola neceſſaria eſt ad diuina myſteria enarranda; qualis non eſt, quæ Moyſi conceditur: vnde non potuit diuina myſteria enarrare, vide in dicto art. 6. num. 17.

48. Ad 5. Quintus locus facile explicatur ex dictis ibidem nu. 18. quoniam ad inſtitutū Ioannis ſatis eſt, ſi verba intelligantur de viſione perfecta ſecundum communem, & ordinariam legem viæ: quamuis enim Deum in nobis manentem non videamus; cum tamen in nobis manentem habemus, ſi alterutrum diligamus, vide in dict. numero 18.

49. Sextus etiam locus rem non euincit: nam vt admittamus, eum non eſſe intelligendum, niſi de viſione, qua Deus ſimpliciter in ſeipſo videtur: tamen ad Chriſti inſtitutum ſatis eſt, ſi verba intelligantur, vel de viſione ſecundum legem ordinariam, vel de permanente; quia ſine vna, & altera poſſunt homines audire à Patre, & diſcere, vide vbi ſupra num. 19.

50. Ad 7. Septimus locus non vrget, ſi expendantur, quæ diximus in d. art. 6. num. 20. Chriſtus enim loquitur, vt Deus, iuxta communem explicationem, vnde intelligenda ſunt verba de viſione connaturali, quæ ſolis diuinis perſonis cōuenit: porro, ſi velis, Chriſtum loqui, vt hominē, verba intelligi debent de cognitione conſilij diuini circa humani generis redemptionem, vide in d. num. 20.

51. Ad vltimū. Tandem vltimus locus non officit, ſi expendantur dicta *in d. art. 6. nu. 27.* nam ſi intelligatur de viſione corporea cū Auguſtino, Anſelmo, D. Thoma, & Caietano, locus nihil contra nos facit: ſed quia in dicto art. 6. nume. 31. potius probauimus, verba explicanda eſſe de inuiſibilitate intellectuali, illa explicabimus cum Anſelmo, & pleriſque alijs, de inuiſibilitate comprehenſiua, vt idem ſit *inuiſibile*, quod *incomprehenſibile*. Si vero intelligis verbū illud de inuiſibilitate, quæ eſt attributum diſtinctum ab incomprehenſibilitate; explicabis locum de inuiſibilitate ſecūdum vires naturales: Vide in dicto articulo 6. num. 20.

Ex quibus patet ea, quæ adducuntur, non tollere probabilitatem opinionis affirmantis. Si inquiras, vbi, & quando Moyſes Deum viderit? quidam volunt eum vidiſſe in monte Oreb, aut in tabernaculo, quando de lege iteranda Moyſes ſecundo cum Deo egit; & nullo citato, *refert Salas in dicta diſp. 8. pagin. 474. col. 2.* Sed melius dices, hoc nobis eſſe incertū: cum tamen apud iſtos authores certū ſit: & Moyſen hanc viſionem petiuiſſe; & Deum eam illi promiſiſſe.

ARTICVLVS III.

Vtrum D. Paulus in hac vita viderit diuinam eſſentiam?

§. I.

Referuntur opiniones.

An

1. Opinio affirmans.

D. Thom. Capreol. Caiet. Sotus. Bañes. Cumelius. Ripa. Bergom. Scotus. Lychetus. Rada. Durand. Supplem. Maior.

AN Diuus Paulus in via adhuc poſitus viderit diuinam eſſentiam? quæſtio eſt controuerſa: Affirmant ferè omnes Theologi: *D. Thom. 1. parte, quæſtione 12. artic. 11. ad 2, & 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 8. & q. 80. art. 5. de veritate q. 13. art. 2. & artic. 3. ad 4. & in 4. diſt. 49. q. 2. articul. 7. ad 5. & 2. Corint. 12. lectione 1. conſentit Thomiſtarum Schola Capreolus in 3. diſp. 31. q. vnica ar. 3. fol. 119 col. 2. §. Dicitur ſecundo, Caietanus 1. p. q. 12 art. 11. ad 2. clarius 2. 2. q. 175. art. 3. Ferrarienſis 3. contra gent. cap. 47. §. Sed attendendum, Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 4. ad fin. Bañes cum cæteris recentioribus 1. p. q. 12. artic. 11. dubio. 1. concluſ. 1. Cumelius ibidem q. vnica, concl. 1. Ripa in dubitat literæ, Bergomenſis in ſuis Cõcordantijs dub. 10. & 489.* Ex alijs eandem ſententiam ſupponit *Scotus in 2. diſt. 3. q. 9, litera F. §. Secundo modo perſuadetur, Lychetus ibi fol. 104. columna 1. Rada 2. tomo. controu. 4. art. 4. pagi. 122. col. 2. probat Durandus in 4. diſt. 49. q. 6. nu. 5. & in 3. diſtinct. 31. q. 3. num. 13. & ſatis eam ſupponit q. 3. Prologinum, 19. Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 3. Maior q: 12. Argent. q. 4. Palatius diſpu. 2. Refertur D. Bonauentura in Opuſculo, quod inſcribitur Luminaria Eccleſiæ ſermon. 9. probant Diuus Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1: Abulenſis 2. Paralyp. cap. 1. q. 18. Caſtro verbo beatitudo, hæreſi 1. Henricus in 1. par. Summæ de homine art. 29. q, 2. Altiſiodorenſis lib. 3. Summæ titulo 14. q. 2. Lyra in cap. 33. Exodi ad illa verba: Oſtende mihi faciem tuam, & Numerorum 12. ad illa verba: Ore ad os & cætera; Carthuſianus in vtroque loco, Nicolaus Grandis in Epiſtol. ad Romanos cap. 10. ad finem; Denique refertur Sanctus Vincentius in ſerm. de Cõmemoratione Sancti Pauli.*

Argent. D. Bonau. D. Anto. Abulenſ. Henricus. Altiſiodo. Lyra. Carthuſia. Grandis. S. Vicent.

2. Opinio negatiua.

Bellomon. Catharin. Clictouæus Pezant. Suarius. Salas. Cornelius. Lorca.

Oppoſiam ſententiam conſtanter defẽdit *Bellomontanus 1. p. diſp. 56. cap. 1. & ſatis probat Catharinus 2. Corinth. 12. refertur Clictouæus ad Damaſcenum lib. 1. de Fide c. 1. idem probat Pezantius 1. p. q. 12. artic. 11. diſp. 1. §. Secundo dico; quamuis in tertio dicto vtramque putet, poſſe defendi. Hanc ſententiam, vt longè probabiliorem amplectuntur Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 19. ſection. 4. pag. 312. col. 2. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. ar. 3. tract. 2. diſp. 10. ſect. 4. pag. 474. col. 1. idẽ ſentiunt Cornelius à Lapide 2. Corinth. 12: num. 132. & Iuſtinianus ibidem pagin. 804. col. 1. Lorca 1. 2. diſp. 35. in quæſtio. de Paulo. & Molin. 1. p. q. 12. ar. 11. diſp. 2. concl. 2.* Molina.

Vtramque tamen ſententiã æque eſſe probabilem ſcribit *Valentia primo. tomo. diſput. 1. quæſtione 12. punc. ſeptimo pagina 212. D.* Valentia.

§. 2.

Reſoluitur quæſtio cum prima ſententia.

3. Affirmans vera.

EGo primam ſententiam puto eſſe probabiliorem, & dignam, quæ in honorem Pauli ab omnibus libenter amplectatur, in quam inducor: primò quia inter Theologos antiquiores, nullo excepto (quem viderim) vel ſimpliciter approbatur, velut probabilior. 1. Confir.

Deinde quia plures ex Patribus habet Patronos; aduerſarium autem, nullum, nam imprimis eam conſtanter defendit Auguſtinus *12. de Geneſi ad literam capit. 28. vbi de Paulo ita habet: Cur autẽ non credamus, quòd tanto Apoſtolo Doctori Gentium, rapto vſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem, voluerit Deus demonſtrare vitã, in qua poſt hanc vitam viuendum eſt in æternum?* Valeat igitur Molina, dum ait, Auguſtinum dubium magis, quàm certum hæc ſcripſiſſe: eandem ſatis explicauit *tom. 2. epiſt. 112. cap. 13. cum Auguſtino ſentit Beda 2. Corinth. 12. ad illa verba: Scio hominẽ, & cætera pagina 678. Anſelmus ibidem verba Auguſtini tranſtulit. Hugo etiam de Sancto Victore in dicta 2. Epiſt. ad Corint. q. 34: Author ſermonum Auguſtini ad Fratres in Eremo ſerm. 46. et ſatis exprimit Gloſſa Interlinearis dum per tertium cœlum intelligit viſionem diuinæ eſſentiæ; ſatis cõſentit Theophylactus ibidem, Chryſoſtomus etiam homil. 26. in eandem Epiſtolam, & tandem Ambroſius* in eodem loco, Ex quibus patet, primam opinionem ex Patribus plurimos habere Patronos; cum tamen ſententia oppoſita nullum ex Patribus habeat, vt Salas fatetur. 2. Confir.

August. Beda. Anſelm. Hugo. Gloſſa. Theophyl. Chryſoſt. Ambroſ.

4. 3. Cõfirmatio ex Paul.

Tertio loco confirmatur ex verbis eiuſdem Pauli ſecundæ Corin. 12. aſſerit enim, *Se fuiſſe raptum in tertium cœlum, & in Paradyſum, & audiuiße verba, quæ non licet homini loqui.* Parum facit; ſiue his verbis Paulus referat duos raptus: vnum in tertium cœlum; alterum in Paradyſum (quæ eſt opinio *Ambroſij, Oecumenij, Theophylacti, Anſelmi, & Haymonis:*) ſi-

ue vnum tantum, vt raptus ſit in tertium cœlum, in quo eſt Paradyſus ſanctorũ, quæ eſt communior explicatio: parum, inquam, id refert; quia ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt, quòd raptus ſit in Paradyſum, hoc eſt cœlum Empyreum, vbi eſt Ciuitas Hieruſalem cœleſtis, in qua beati Deum vident, quæ inter Patres, & interpretes eſt communior explicatio; refert tamen plurimum ſupponere, nõ eſſe admittendam illam opinionem, quòd raptus iſte ſolum fuit imaginarius: cũ ſit illa contra communem õmnium ſentẽtiam, quam oſtenderemus, niſi breuitas placeret: ſatis ſit nomen Græcum ἁρπαγὴν propriè ſignificare verum, & realem raptum. Aduertimus tamen ad nos parum referre; an Paulus raptus ſit in cœlum Empyreum; an verô ſolum per realem eleuationem intellectus, vt exiſtens in terris clarè videret locum Paradyſi, & quę in eo agerentur, vtraque enim explicatio ſatis eſt, vt inde noſtrum inſtitutum deducamus.

5. 3. Argum. ex Auguſt. His ita ſuppoſitis vtar argumento Patris Auguſtini: ſi Paulus verè raptus fuit in cœlum Empyreum, vbi eſt lignum vitæ; cur non credemus, quòd Paulo Doctori gentium rapto ad excellentiſsimã viſionem aliarum rerum ibi exiſtentium, moſt auerit ſe ipſum? ¶ Cui argumento aduerſarij non ſatis reſpondẽt. At inquit Molina, interdum familiares, & amici euehuntur in aſpectum beatorum diuina eſſentia non oſtenſa. Sed oſtendeat Molina cui, niſi Paulo conceſſum ſit realiter rapi in cœlum Empereum? Admittam aliquos beatorum nonnullis iuſtis apparuiſſe; at quod aliquis niſi Paulus realiter raptus ſit in Paradyſum, non admittam. Quare ſi hæc fuit ſpecialis ſolius Pauli prærogatiua, ideo ſoli illi facta, quia ſolus ille electus erat, vt eſſet Doctor gentium; cur viſio myſteriorum diuinæ eſſentiæ illi fuit denegata? Hæc enim ad prędicanda myſteria fidei maximè conducebat. Accedit; quia nomen Paradyſi in Sacris literis ſumitur pro viſione diuinæ eſſentiæ, vt patet ex verbis Chriſti ad latronem: *Hodie eris mecum in Paradyſo*; id eſt, mecum videbis diuinam eſſentiam, quæ eſt communis illius loci explicatio, vt oſtendimus *ſupra q.5. artic.* 4. *num.* 9. vnde Patres citati hũc locũ Pauli ita explicant, vt idem ſit Paulum raptũ eſſe in Paradyſum, quòd raptum eſſe in viſionem diuinæ eſſentiæ: & decet ita credere: nam cum Paradyſus ſit hortus deliciarum, in cuius medio ſitum eſt lignum vitæ, de quo beati edunt Apocalypſ. 2. Si Paulus ad videndum Paradyſi delicias raptus fuit; cur pro tempore raptus ſolius ligni vitę eſus fuit negatus? etenim ad illius eſum raptum fuiſſe, & Dei liberalitas, & finis raptus ſatis perſuadent.

Non recipit ſolutio Molinæ. Paradyſus quomodo ſumitur. *Apocal.* 2.

§. 3.
Soluuntur argumenta.

6. Primum argum. in cõtrarium.

Argumenta in contrarium parũ habent efficaciæ. Primum eſt Bellomontani: quoniam contra nos ſunt omnes Patres tertiæ claſsis, qui docuerũt, eſſentiam à beatis non videri; ex Patribus verò ſecundæ claſsis, qui nec apertè negant, nec cõcedunt Deum à beatis videri, contra viſionem Pauli citat Dionyſiũ, & Tertullianum: ex Patribus deniq; primæ claſsis, qui admittunt, Deum videri contra nos citat Nazianzenum, & plures alios generaliter affirmantes, diuinã eſſentiam à nemine vnquam in carne mortali viſam eſſe. ¶ Sed Bellomontanus primũ in hoc eſt reprehẽdendus, quòd tot, ac tantis Patribus falſum imponat, vt oſtendimus q. 1. *art.* 2. *&* 3. Deinde obiurgandus eſt, quod ſcribat Magnum Dionyſium, & Tertullianum, nec docuiſſe, nec negaſſe, Deum à beatis videri poſſe: oppoſitum oſtendimus *in dicta q.* 1. *& q.* 5. *art.* 6. *&* 7. Tertio loco non poteſt non reprehendi, dum contra nos obijcit Dionyſium, & Tertullianum: nam Dionyſius de cœleſti Hierarchia capit. 4. de Paulo in ſpecie nihil ſcribit. Quid autem contra nos faciat Tertullianus cõtra Praxeam cap. 14. planè non video, nec de Paulo vllum verbum facit: Nazianzenus verò in d. orat. 34. ſolùm docet, neminem, quamuis ſit Moyſes, & ad inſtar Pauli raptus ſit in tertium cęlum, Deum poſſe intelligendo comprehendere. Quod verò addit cum Molina, & alijs plurimos Patres vniuerſim negare, cum phraſi Sacrę Scripturæ vtantur, intelligendi ſunt in ſenſu illius. Vnde fruſtra ſunt, quæ Molina adducit in concl. & cum eo Salas vbi ſupra pagin. 473. in 3. & 4. ratione.

Solutio.

7. Ad 2. Secundò Molina, & Salas obijciunt; quoniam Paulus in illo raptu ſenſibus non fuit vſus, non vidit igitur diuinam eſſentiam. Quam conſequentiam inde probant; quia illa viſio ſua natura non indiget alienatione à ſenſibus, vt patet in Chriſto Domino. ¶ Sed argumentum ſatis eſt futile, vt ſatis colliges ex *D. Thoma 2. 2. q. 175. art. 4. & de Veritate q. 13. art. 3. & ſæpè alibi:* docet enim impoſsibile eſſe, vt homo in ſtatu viæ videat Deū ſine abſtractione à ſenſibus. Ad argumētum igitur, admiſſo antecedente, conſequentia eſt inutilis, quam negat *D. Thomas in d. art. 4. ad 1. & 2.* Ad probationem ex doctrina D. Thomæ admittimus, viſionem, quæ perfectè glorificat ex ſe nō poſtulare abſtractionem à ſenſibus: nam ideò, quia perfecta eſt, poteſt ab intellectu in corpus redundare, vt vſum ſenſuū habeat: ſecus dicendum eſt de viſione per modum tranſeuntis: cùm enim perfectè non glorificet, non poteſt redundare in corpus, & ideò indiget, vt intellectus à ſenſibus abſtrahat. Vide D. Thomam locis citatis.

8. Ad 3. Tertiò obijciunt nonnulli: quoniam Paulus non dixit ſe vidiſſe, ſed audiuiſſe: audire autem propriè non eſt videre, ſed excipere, quæ ab alijs dicuntur. ¶ Sed ratio, licet placeat Cornelio à Lapide, nullius eſt momenti, vt aduertit Molina: etenim auditio in intellectu eſt viſio: vnde ex Theophylacto Paulus vtitur vulgato hebraiſmo, quo auditio pro viſione ſumitur: nam & Prophetæ, quæ à Deo percipiebant, ea videbant: & Chriſtus expreſſè docet ſe à patre audiuiſſe, & didiciſſe; non quidem, per fidem, ſed per viſionē.

Omitto plura, quæ adducit Salas vbi ſuprà in confirmationibus quinti argumenti, quia omnia ſunt facilia.

ARTICVLVS IIII.

An alicui alij viatori viſio diuinæ eſſentiæ ſit conceſſa?

1. QVæri ſolet, an alijs viatoribūs à Paulo, & Moyſe ſine temeritate affirmari poſsit, viſionem diuinæ eſſentiæ fuiſſe communicatam? Quam quæſtionem ideò excitamus; quia ſunt nonnulli, qui volunt, temerarium eſſe, id de alijs præter Moyſen, & Paulum affirmare: qui in hoc ſunt reijciendi.

§. 1.

Conceſſa fuit Virgini Matri.

COntra iſtos primùm obijcio; quod Virgini Deiparæ in via claram diuinæ eſſentiæ viſionem fuiſſe conceſſam, non ſolùm non eſt temerarium affirmare; ſed etiam maximè pium eſt credere, quod iam eſt recentiorum commune iudicium: nam licet Bellomontanus hoc priuilegium piè illi concedat, ſi alicui conceſſum iam fuit, vt patet in d. diſp. 56. cap. 2. n. 5. Ego tamen pijſsime credo, hoc illi ſimpliciter fuiſſe conceſſū, quanuis nulli conceſſum fuerit: etenim non ſunt audiendi, qui volunt, hoc donū viſionis non referre ad propriam perſonæ ſanctificationem, ſed ſolùm ad aliorum vtilitatem: & ideò licet conceſſum fuerit Moyſi, & Paulo, non proinde eſſe concedendum Virgini: etenim (vt benè aduertit Suarius 2. tom. diſp. 19. ſect. 4. pag 332. col. 2. A.) donū iſtud, alioquin gratis datum, non ſolùm per ſe pertinet ad aliorum vtilitatem, ſed potiſsimum ad propriam perſonæ ſanctitatem: etenim hoc donum non modo totam animam Deo vnit, & ad illius amorem vehementer inflammat pro tempore, quo durat, ſed etiam eo tranſacto memoriæ illius plurimum excitat ad amorem Dei, cordis puritatem, & ad maiorem cum eo familiaritatem. Quare etiam ſi nulli alij à Deo fuiſſet conceſſum, ſatis eſſet hæc circunſtantia, vt ſoli Virgini concederetur: cui omnia priuilegia concedenda ſunt, quæ ad maiorem illius ſanctitatem ſpectant. Quare certiſsimum mihi eſt, hoc priuilegium Virgini conceſſum fuiſſe, ſi alicui ſemel conceſſum admittatur: vnde reprehendendi ſunt, qui admittunt hoc priuilegium datum eſſe, aut Moyſi, aut Paulo, & negant, illud Virgini fuiſſe cōmunicatum, vt aduerterunt Suarius, & Bellomontanus: nec enim decet, vt prærogatiua aliqua tribuatur alicui iuſto, & denegetur Virgini, *ex D. Thoma 3. p. q. 27. art. 1:* qui verò negant, dari ſufficiens fundamentum huius aſſertionis, non ſatis agnoſcunt, quanta, qualisvè ſit dignitas Matris Filij, ſponſæ Patris, & conne-

Margin notes (right): 2. Data fuerit Virgini. — Pijſsimè eſt credendū. — 3. — Negantes reprehedūtur.

xionis realis, quam cum Spiritu ſancto habet, cum Spiritus ſanctus ab illo procedat Deus, qui ab ea procedit homo: in qua, triplici dignitate, tanquam in radice, & fonte omnia cōtinentur: vnde non eſt, quòd obijciatur lex ordinaria; *Deum nemo vidit vnquam*. Statuimus igitur, viſionem diuinæ eſſentiæ Virgini fuiſſe conceſſam, & concedendam fuiſſe, licet nulli
4. Concluſio auctoris. alteri concederetur. Hoc priuilegium agnoſcunt præſtantiſsimi noſtri temporis Theologi: *Suarius 2. tom. ad 3. p. diſp. 9. ſect. 2. ad finem, & diſp. 19. ſect. 4. Henriq. lib. 3. Summæ cap. 11. §. 5. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 5. artic. 3. tract. 2. diſp. 10. ſect. 4. pag.* Qui auctores hoc priuilegiū Virgini concedunt. *480. col. 2. Caniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 13. pag. 140. B. & lib. 4. c. 2. ad finem, pag. 547. A. Lorca ad 1. 2. de Beatitudine, diſp. 35. in titul. de Beatiſsima Virgine, Pezantius 1. p. q. 12. art. 11. diſp. 1. in fine, Petrus Morales lib. 1. in 1. cap. Matthæi tract. 1. n. 11. pag. 8. D. Bañes 1. p. q. 12. artic. 11. dub. 1. concl. 2. Cumelius ibidem q. vnic. pag. 182. col. 1. Medina 3. p. q. 27. art. 5. in fine, D. Antoninus 4. p. titul. 15. c. 17. §. 1. Dionyſius Richelius, ſiue Carthuſianus de cœleſti hierarchia cap. 4. art. 9. fol. 31. vbi agens de Moyſe, & Paulo ita ſcribit: An alijs ſit conceſſum, quis nouit? imò & de ſupermundiſsima Virgine non æſtimo, dubitandum. Citari ſolet in opuſculo de laudibus Virginum lib. 2. art. 12. & tom. 2. in 2. lib. de præconio, & dignitate Virginis art. 18. Albertus Magnus in Magnificat c. 69. Ecchius de beata Virgine, Gerſon alphabeto 15. titul. 8. & alphab. 88. titul. 9. videndus 3. p. tract. 9. ſupra Magnificat in d. alphab. 88. litera vlt. vbi ſatis ſignificat, hanc viſionem fuiſſe Virgini communicatam, tempore Conceptionis. Citatur Vbertinus Caſalius lib. 1. arboris vitæ c. 9. circa finem, & noſter B. Villa noua Archiepiſcopus Valentinus in ſerm. de reſurrectione.* Ex Pa-
5. Rupert. tribus id confirmat *Rupertus Abbas Canticorum 3. ad illa verba: Oculi tui columbarum*, dum aſſerit, Virginem raptam in tertium cœlum vidiſſe archana myſteria, perfectiùs, quàm viderit Paulus, refertur etiam *Bernardus homilia 4. in Miſſus eſt in*
D. Bern. *illis verbis: Vt qui ſoli Patri notus eſt, ſit & Matri*: refertur Cyprianus in ſermone de
Cyprian. Natiuitate Virginis, dùm ait, *Virginem, & intus, & extra Chriſti præſentia fruitam eſſe*. Quæ omnia confirmant, pijſsimum, & decentiſsimum eſſe credere, hoc priuilegium Virgini fuiſſe conceſſum, non ſemel, ſed pluries.

Quid de P. Auguſtino?

¶ Vtrùm ſanctiſsimus Pater Auguſtin9 6. Quid de Auguſt. & Monica?
cum Matre Monica Dei eſſentiam viderit? dubitant nonnulli: negat *Bellomontanus in d. diſp. 56. c. 2. n. 5. & Lorca in dicta* Qui negāt
diſp. 35. in titul. de Auguſtino: in eadem opinione erunt Cumelius, & Bañes, dùm docent, non licere hoc priuilegium extendere ad aliquem Sanctorum præter Virginem, Moyſen, & Paulum.

Sed ego cum nonnullis oppoſitū ſentio, etenim ſine temeritate, imò ſatis piè 7. Auctor affirmat.
hoc priuilegium extendi poteſt ad aliquem Sanctorum, quando adeſt ſufficiēs fundamentum: in quo omnes conueniūt. Iam verò in noſtro caſu ſufficientiſsimū fundamētum colligitur ex verbis ab Auguſtino ſcriptis: nec enim negari poteſt magnum, & ſufficientiſsimum eſſe Auguſtini teſtimonium. Auguſtinus igitur lib. 9. Confeſsionum, poſtquam multa dixit de altiſsimo illo colloquio ad Oſtiam Tiberinam habito, & tranſcenſu mentis ſupra omnia creata, ita vt ſilerent tumultus carnis: ſilerent phantaſiæ terræ, aquarum, & aeris: ſilerent & poli: ſilerent ſomnia, & imaginariæ reuelationes, hæc ſcribit verba digna Auguſtini ponderatione: *His dictis, ſi iam taceā: quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſe ipſum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, nec per vocem Angeli, nec per ſonitū nubis, nec per ænigma ſimilitudinis, ſed ipſum, quem in his amamus; ipſum ſine his audiamus: ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapientiam, ſuper omnia manentem; ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpirauimus: non ne hoc eſt, intra in gaudium Domini tui?*
Quæſo pijſsimè, & doctiſsimè lector, diligenter expende ſingula Auguſtini verba; & facilè intelliges magnitudinem viſionis: intelliges eam non per ænigmata, & ſimilitudines factam; ſed immediatè, & ſubtractis omnibus alijs viſionibus imparibus intuitiuę: videbis viſionem illam ſpectatorem Auguſtinum cum Matre Moni- 8.

Monica ad interiora gaudia rapuiſſe, imò abſorbuiſſe, & abſcondiſſe: intelliges viſionem illam momentaneã eiuſdem ſpeciei fuiſſe cum vita ſempiterna, ſi permanſiſſet: tandem intelliges, eam talem fuiſſe qualis eſt illa, quæ beatis dicitur, intra in gaudium Domini tui.

9. Notatur Lorca.

Mirum eſt, quod vnus Lorca ſcribat, *Auguſtinum non ſolùm non referre claram Dei viſionem, ſed nec ecſtaſim, aut raptum aliquem;* ſed referre ſolùm colloquium quoddam, quo ipſe, & mater conferebat, quo pacto in viſione Dei cõſiſteret ſumma hominis beatitudo, & quomodo per varios diſcurſus eò peruenerint, vt inter ſe diffinirent, & intelligerent, quid eſſet, intra in gaudium Domini tui. At quomodo ad ſolam diffinitionem, quòd beatitudo in viſione conſiſtit, peruentum eſt, ſi Auguſtinus ſcribit, quòd in illo breui tempore, ac veluti momentaneo rapida mente attigerunt æternam ſapientiam, & [illegible] quod talis eſt vita æterna, quale fuit illud momentum? etenim diffinitio, & concluſio ex tam longo, & tam alto colloquio deducta non potuit eſſe, quòd beatitudo ſumma ſita ſit in viſione momentanea, ſed quòd debeat eſſe perpetua? Quare cum Auguſtinus cõcludat, talem eſſe vitam æternam, quale fuit illud momentum illud, in quo æternam ſapientiam videndo attigere, non eſt, quod in impugnando Lorca immoremur.

11. Reprehenditur Bellomont.

Bellomontanus loco citato reſpondet, aut Auguſtinum raptum dulcedine viſionis putauiſſe, ſe vidiſſe Deum: aut, vt magnitudinem contemplationis, & ecſtaſis, quam expertus fuerat, extolleret, eã comparaſſe æterno gaudio, & felicitati, de qua dicitur, intra in gaudium Domini tui. Sed in hoc doctius, quod in Auguſtino ecſtaſim agnoſcit, quam Lorca minus ſapienter negat; ſed in eo inconſideratius, imò audacius loquitur, quod Auguſtinum, aut deceptionis arguit, aut exceſſus. Deceptionis, dum ait, Auguſtinum raptum viſionis dulcedine exiſtimaſſe ſe Deum videre, cum illum non viderit, extollentiæ, dum aſſerit, Auguſtinum [illegible] ſuam adeò extolliſſe, vt eam viſioni intuitiuæ compararet. Sed Auguſtinum deceptionis notare, [illegible] exceſſus verò cum arrogantia arguere, [illegible] cum Auguſtinus expreſſe dicat, vi-

ſionem illam ſubtractis alijs omnibus inferioris generis, talem fuiſſe, qualis eſt vita æterna: quæ verba non comparationem denotant, ſed eſſentialem identitatem. At inquit Lorca: *Si Auguſtinus talem viſionẽ accepiſſet, illam de ſe nunquam prædicaſſet.* Sed ratio futilis eſt: Sancti enim diuino acti ſpiritu ſæpè multa ſcribunt ad ædificationem.

Quid de S. Benedicto, & nonnullis alijs?

¶ An S. Benedictus in vita viderit diuinam eſſentiam? controuerſum eſt: negat *D. Thomas 2. 2. q. 180. art. 5. ad 3. & quodlib. 1. art. 1*: fundamentum eſt; quia verba D. Gregorij in 2. Dialogorum cap. 35. in medio (ex quibus affirmatio deducitur) non ſatis probant intuitiuam Dei viſionem. Cum *D. Thoma ſentiunt Cumelius 1. p. q. 12. art. 11. q. [illegible] concl. 2. Bañes ibidem in dub. vnico, concl. 2. & plures alij cũ Lorca ordinis S. Benedicti in d. diſp. 35. in titulo de S. Benedicto: accedit etiam Bellomontanus in d. diſp. 56. cap. 2.*

12. De Benedicto negat D. Thom.

Cumel. Bañes. Lorca. Bellomon.

13. Qui affirmant. Salas.

Affirmant tamen omnes eiuſdem ordinis filij, quos probat *Salas in d. diſp. 10. ſect. 4. pag. 481. vſque in finem ſectionis*: vbi pro hac ſententia citat D. Bernardum ad illa verba Pſalmi 84: *Audiam, quid loquatur in me Deus*, & D. Bonauenturam in tract. de luminaribus Eccleſiæ ſerm. 20. conſideratione quarta; &, vt ait, facit Rupertus ad illa verba Matthæi 4. *Et oſtendit illi omnia regna mundi*, atque Carthuſianum in ſermone S. Benedicti.

Verba Diui Gregor. nó conuincũt.

Verba D. Gregor. ſcribit D. Thomas loco citato: verùm illa ſatis ſint, vt hoc priuilegium S. Benedicto communicatum ſit, iudicet pius lector: non ſatis eſſe, indicauit D. Thomas cum cæteris citatis, ſed nec mihi ſatis ſunt. Illud tamen aduertam, reprehendendos eſſe, qui affirmantem ſententiam aliqua notant cenſura; quod etiam aduertit Salas.

14. An communicata ſit Adamo?

¶ Viſionem diuinæ eſſentiæ fuiſſe Adamo communicatam, multi affirmant. Vide *D. Thomam 1. p. q. 94. art. 1. vbi rem ſub dubio relinquit: ſatis inclinat Richardus in 2. diſt. 23. art. 2. q. 1. videntur fauere Auguſtin9 9. ſupra Geneſim ad litteram cap. vlt. & D. Bernardus ſerm. 2. in Septuageſima.* At tamen, quia non ſatis ſufficienter declarant, viſionem intuitiuam, ideò *Cumelius, Bañes,*

Qui negẽt, *Bañes, Bellomontanus, & Lorca hanc opinionem reijciunt, vt minus probabilem: conſentiunt Molina 1. p. in tract. de opere ſex dierum diſput. 25. & Salas vbi ſuprà, pag. 478. col. 2.*

15. An hoc ſit communicatum Ioanni Euang. & Ioſepho?

¶ Non deſunt, qui hoc priuilegium etiã concedant Ioanni Euangeliſtæ, moti teſtimonio S. Ambroſij, & Origenis: de hoc vide *Salam vbi ſuprà, pag. 479.* ¶ Nouiſsimè Petrus Morales *in cap. 1. Matthæi lib. 1. tract. 1. n. 12. pag. 9.* hoc priuilegium tribuit Sanctiſsimo Ioſeph: vtrum cum probabilitate? alij iudicent.

¶ Præfatio ad quæſtiones ſequentes.

De æqualitate, vel inæqualitate beatitudinis.

IN explicanda æqualitate, & inæqualitate beatitudinis hoc ordine procedemus. Nam primò explicabimus quæſtionem, án eſt: an ſcilicet inter beatos detur æqualitas, aut inæqualitas? Deinde inquiremus, vnde nam æqualitas, vel inæqualitas ſumenda ſit? an ne ex parte actus; an etiam ex parte obiecti? tertio loco diſputabimus de cauſa æqualitatis beatitudinis.

QVÆSTIO IX.

De æqualitate, vel inæqualitate beatitudinis.

QVod attinet ad primum generaliter inquiremus; an in Patria omnes homines ęqualiter ſint beati? ſecundò; an omnes Angeli inter ſe ſint æqualiter beati? tertiò; an omnes homines ſint beati inæqualiter, vel dẽtur aliqui inter ſe æquales? quartò; idem inquiretur de Angelis. Quintò; an inter homines, & Angelos detur æqualitas, vel neceſſariò detur inæqualitas? vltimò; an iſta inæqualitas detur in perfectionibus beatitudinẽ conſequentibus?

ARTICVLVS I.

An in Patria omnes homines æqualiter ſint beati?

§. 1.

Refertur hæreſis Iouiniani, & Lutheri.

IOuinianus, teſte D. Hieronymo, docuit, in cœlo æqualem eſſe omnium Sanctorum beatitudinem, & par omnium præmium. Hunc errorem diù ſepultum ſuſcitauit Lutherus cum ſuis; eundem ſequuntur Proteſtantes, & Centuriatores cum alijs noſtri temporis hæreticis, quorum plures refert *Canniſius. Nec puduit Durandum in 4. diſt. 49. q. 2. n.* 27. affirmare, probabile eſſe omnes beatos eſſe æquales in beatitudine eſſentiali; non tamen in accidentali. 1. Auctores huius hæreſis. Reprehenditur Dur.

Pro hoc errore multa obijciebat Iouinianus, quæ refert, & irridet *D. Hieronymus lib. 2. aduerſus eum à cap. 6*: ſed omnia argumenta reuocantur ad ſequentia; primum ſumitur ex eo, quod ſinguli operarij vineæ (*Lucæ 15. & Matthæi 24.*) ſingulos denarios acceperunt, pares in mercede, in labore impares. Iam verò denarium illum ſignificare pręmium beatitudinis non ambigitur. 2. 1. arg. pro hoc errore.

Secundò; omnes iuſti æqualiter ſunt iuſti, & in omnibus eſt æquale meritum: ergo in omnibus æquale erit præmium. Conſequentia eſt nota: quia præmium reſpondet meritis ex *Tridentino ſeſsione 6. cap.* 7. In antecedente conuenit Lutherus cum Iouiniano; quanuis diuerſum ſit vtriuſque fundamentum: nam Lutherus cum hæreticis noſtri temporis illud deducunt ex alia hæreſi propria, qua defendunt, ſolam iuſtitiam Chriſti nobis imputatam ſortiri in nobis rationem iuſtitiæ, & meriti: cum verò eadem ſit in Chriſto, & ęqualiter nobis imputetur (vt falſò volunt) æqualis in omnibus erit iuſtitia, ſanctitas, & meritum: vnde nullam maiorem ſanctitatis excellentiam agnoſcunt in Virgine Deipara, in Ioanne Baptiſta, & in Apoſtolis, quam ſit in quolibet beatorum: vnde beatos non ſanctitate, ſed officijs diſtinguunt. At Iouinianus antecedens deducebat ex antiqua Stoicorum ſententia, virtutes. ſ. omnes in omnibus eſſe pares; & ob id æqualem in omnibus eſſe iuſtitiam, & æqualem merendi rationem. Vnde apud illum, qui plus operatur, nõ operatur, vt mereatur amplius, ſed ne perdat, quod accepit. Inde inferebat, virginitatem non maioris eſſe meriti, 3. 2. arg.

quàm

quàm matrimoniũ. Vterque antecedens illud deducebat ex parabola vineæ in primo argumento poſita, nam ſi ex operarijs hi, pluſquam illi laborauerunt, & tamen in præmio æquales fuerunt; vtique æquales etiam fuerunt in merito.

4. 3. argum. Tertiò ex Iouiniano: in ſacris literis duo ordines conſtituuntur, beatorum ſcilicet, & damnatorum. At damnati ſunt æquales in pœna; tùm; quia æqualia fuerunt peccata ex doctrina Stoicorum: tũ; quia pœna damni cum eſſentialiter conſiſtat in priuatione viſionis, par erit in omnibus. Ergo præmium in omnibus erit æquale.

5. 4. argum. Quartò; ex doctrina Auguſtini tract. 66. in Ioannem, in omnibus beatis erit æquale gaudium, & ſubindè ęqualis fruitio; quæ vel eſt ipſa beatitudo; vel ad beatitudinem eſſentialiter conſequitur.

6. 5. argum. Quintò; quoniam niſi ponatur æqualitas tàm meriti, quàm pręmij, continget, vt qui inæquales ſunt meritis, præmio ſint æquales; quod eſt abſurdum. Sequela probatur, quia poteſt cõtingere, vt duo homines decedant cum æqualibus meritis, quorum alter meliorem habeat intellectum: vterque igitur habebit æquale lumen; quia lumen reſpondet meritis: non tamen æqualem vterque habebit viſionẽ; quia intellectus perfectior cum æquali lumine perfectius videbit. Ergo vterque non habebit æqualem beatitudinem: quæ fuit ſequela.

§. 2.

Oppoſitum docet fides.

7. Damnatur ab Eccleſia. ERrorem iſtũ Eccleſia ſemper damnauit: olim contra Iouinianũ; modò contra Lutherum. Communiter dicitur Concilium Telenſe damnaſſe hunc errorem, quod ex Caſtro ferè omnes recentiores acceperunt, qui volunt, Concilium illud fuiſſe Africanum ſub Siricio Papa celebratum, & relatum in Epiſtola 81. apud Ambroſium. Sed nec hoc Concilium fuit Africanum, ſed Hiſpanum, vt patet ex illius titulo in vltima æditione Conciliorum: nec fuit ſub Siricio, ſed ſub Zozimo anno 417. vt annotatio ad ipſum aduertit, fuit enim celebratum poſt vndecimum celebratum Honorij, & ſecundum Conſtantij, vt patet ex ipſis procemio; cum tamen Siricius ſederit ſub Archadio, & Batione anno 384: cuius epiſtola ex Concilio octoginta Epiſcoporum Romæ celebrato in eodem Concilio fuit recitata, non tanquam à Siricio directa ad Concilium, ſed tanquam ad rem, de qua conſultabantur neceſſaria. Nec reſcriptum ex d. epiſt. 81. eſt Concilij, ſed Ambroſij, & aliorum Epiſcoporum â Mediolano miſſum ad Siricium. Denique in Concilio Telenſi nihil contra hanc hæreſim diſputatum inuenitur.

Non negarem Siricium hunc errorem damnaſſe in 2. epiſtola; de qua 1. tom. ſub eodem Siricio; nam quanuis ex ea ſolùm conſtet, Iouinianum damnatum fuiſſe decreto Eccleſiæ Romanæ; quia ſacrarum Virginum nuptias inducebat: Iouinian[9] tamen illum errorem deducebat ex præcitato errore æqualis beatitudinis, vt ſatis euidenter conſtat ex d. epiſt. 81. ex qua cõſtat, illum de vtroque errore damnatum fuiſſe. 8. Siricius dãnauit.

Sed quidquid ſit de damnatione à Siricio, contra illum errorem extat diffinitio Concilij Florentini in literis ſacræ vnionis ad finem his verbis: *Animas iuſtorum, quæ nihil iam habent purgandum in cœlum mox recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & Vnum, ſicuti eſt; pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectiùs.* 9. Damnat eũ Florent.

Idem error damnatus cenſeri debet in Tridentino, ſi quæ ſcribuntur *in d. ſect. 6. cap. 7. 10. & 16. & can. 24. conferantur cum can. 32*: in illis enim locis diffinitur, & augmentum gratiæ per ſingula bona opera, & augmentum gloriæ, quæ gratiæ correſpondet. Quare cum in vita vnus alio plus operetur; ſicut inde diffinitur inæqualitas meritorum reſpectu gratiæ; ita etiam reſpectu gloriæ. 10. Damnatur à Tridenc.

§. 3.

Probatur teſtimonijs Patrum, & Scholaſticorum.

HÆc veritas concordi Patrum doctrina vbique terrarum, & omni tempore fuit euidenter confirmata. Eam ante Iouinianum docuit *Tertullianus in apologia aduerſus gentes cap. 18. n. 260. & lib. 4. aduerſus Marcionem c. 17. n. 248. & c. 25. n. 408. in Scorpiaco aduerſus Gnoſticos c. 6. n. 43. & in lib. de reſurrectione carnis* 11. Patres pro veritate iſta. *Tertullia.*

carnis c.52. denique in lib. de Monogania c.
Origen. *10. n.80. poſt Tertullianum Origenes eundẽ*
damnauit: nam vt omittamus, quæ pro meri-
torum differentia docet homil.25. in Nume-
ros 1.tom.pag.299. in fine, & lib.2. Peri Ar
chon pag.784. ante finem; multa pro catholi-
ca veritate ſcribit homil.23. in Ieſum Naue
ante finem, & tract.5. in Matthæum pag.60.
videndus homil.21. in cap.20. Numerorum.
Hilarius. *Hilarius etiam in Pſalmo 67. ad illa verba:*
Cyprian. *Beatus, quem elegiſti: Cyprianus, qui etiam*
Iouinianum anteceſſit, eundem errorem dam
nat epiſt.54. c.2. quæ eſt libri primi epiſt. 2.
& epiſt.77. c.1. & 3. & de habitu virginum
c.9. & 10. Denique, teſte Veiga, ad quoſdam
egregios confeſſores ita ſcribit: Tot veſtræ lau
des, quot dies: quot menſium curricula, tot in-
crementa meritorum: quo longior veſtra pug-
na, eò corona ſublimior. Accedat D. Hierony
Hierony. *mus, qui contra Iouinianum multa ſcripſit,*
ex profeſſo lib.2. contra eundem c.12. & ibi-
12. *dem ferè per totum librum. Videndus lib.1.*
in Danielem c.12. ad illa verba, In tempore
autem illo tom.4.pag.127. col.1. & c.5. in
Amos ad illa verba: Audite verbum iſtud in
fine, & tom.5. epiſt.7.pag.32. & epiſt.8. pa-
gina 42. & epiſt.17. quæ eſt de explanatione
Symboli, & in priorem ad Corint. c.15. vide
authorem Epiſtolæ primæ ad Demetriadem
tom.9.pag.7. col.1. in fine. D. etiam Am-
Ambr. *broſius cum octo alijs Epiſcopis in d. epiſt.81.*
ad Siricium Papã Iouinianum expreſſè dam
nauit; & in lib. de bono mortis c.11. pag.225
C. & in exhortatione ad Virgines, pag.118.
B. & lib.5. in Lucam in ſerm. de beatitudini-
bus, vbi omnino videndus eſt pag.1688. A.
& lib.7. in ſerm. de duobus filijs, pag.1749.
D. Auguſtinus hanc veritatem ex profeſſo
Auguſt. *confirmat in lib. de ſancta virginitate ferè per*
totum videndus cap.26. & in Enchirid. cap.
111. & de ſpiritu, & litera cap. 28: & de
verbis Domini ſermone 46. & lib.22. de Ci-
uitate Dei cap.30: denique vide authorem
libri de Inquiſitione Trinitatis tom.3. pagina
426. D. Proſper in lib. de vita contemplati-
D. Proſp. *ua cap.4. vbi multis hanc veritatem explicat*
Chryſoſt. *Chryſoſtomus multis in locis maximè homil.*
31. in epiſt. ad Romanos ante expoſitionem
moralem, & homil.41. in Matthæum ad illa
verba: Tùm dicit miniſtris, latè in ſermone de
præmijs Sanctorum tom 3. pag.921. Baſilius
Baſil. *in lib. de Spiritu Sancto cap. 16. ante finem.*
Cyrill. Alexand. *Cyrillus Alexand. lib.9. in Ioannem cap.31.*
Macharius ſenior homil.40. in 2. tom. Biblio
thecæ, pag.419. Andreas Cæſarienſis in Apo Cæſarien.
calypſim c.67. to.1. Bibliothecæ, pag.1370; Gregor.
Gregorius lib.4. Moral. c.42. & lib.25. cap.
24. & lib.4. Dialogorum c.35. & in Eze-
chielem homil.16. Beda lib.4. in Lucam c. Beda.
54. & in lib. homil. tom.7. pag.231. Anſel- Anſelm.
mus ad Galatas 3. ad illa verba: Fratres ſe- D. Bern.
cundum hominem dico, D. Bernardus in Apo
logia ad Guillelmum Abbatem, pag.280.
Theodoretus 1. Corint.15. vbi Theophyla- Theodore.
ctus, & Haymon ad illa verba: Alia claritas Theophyl.
Solis. Denique Petrus Abbas Cellenſis lib. Haymon.
1. expoſitionis tabernaculi tom.3. Bibliothe- Petrus Abbas.
cæ, pag.1983. D.

Eandem veritatem communis Scho- 13. Qui Scholaſtici eam doceant.
laſticorum defendit, quos longum eſſet
enumerare, ita *D. Thomas 1. p. q.12. ar.6.*
& 1.2. q.5. art.2. & in 4. diſt.49. q.1. ar.4.
quæſtiunc.2. & 3. cont. gent. c.58. interpretes
D. Thomæ in d. art.6. vbi Caietanus, Cume-
lius, atque Molina diſp.1. Valentia puncto
4. Bellomontanus diſp.47: interpretes etiam
1.2. q.5. art.2. vbi Cõradus, Medina, & Va-
lentia diſp.1. punct.3. Richardus in 4. diſt in.
49. art.2. q.8. D. Bonauentura ibi art.1. q.6.
ad 1. Scotus in 4. diſt.50. q.5. Bellarminus
lib.3. de iuſtificatione c.16. Caſtro verbo Bea
titudo, hęreſi 7. Canniſius lib.1. de corruptelis
verbi Dei c.10. pag.174. & 175. & lib.2.
de Maria Deipara c.15. pag.300. D. & lib.
4. cap.26. poſt principium: Abulenſis in c.5.
Matthæi q.43. & q.64. latiſſimè Veiga lib.
10. in Tridentinum à cap. 4. cum ſequentib.
Sanderus de viſibili Monarchia lib.7. hæreſi
87. Hoſius in confeſſione fidei c.87. Sotus in
4. diſt.49. q.3. art.2. & lib.2. de natura, &
gratia c.20. Salas 1. tom. ad 1.2. q.5. tract.
2. diſp.9. ſect.1. pag.460: denique omnes
Catholici quicunque de hac materia ſcri
pſerunt.

§. 4.

Probatur ex ſacris literis.

SEd eandem veritatem ex ſacris lite-
ris demonſtremus. Illa à Patribus 14. Confirmatur ex ſacris literis.
deducitur ex verbis Chriſti Ioannis
14: *In domo Patris mei manſiones multæ sũt.*
Quem locum vnanimis Patrum conſen- 1. locus ex c.14. Ioan.
ſus expendit pro hac veritate: nec enim
in eo ſermo eſt de domo Eccleſiæ militã-
tis, vt malè Iouinianus interpretabatur;
nec de domo extra regnum cœlorum, in
qua pueros non baptizatos permanſuros
fingebãt Pelagiani; ſed de domo Eccleſię
...cum-

triumphantis, quæ eſt in cœlis. Manſiones autem dicuntur multæ; non quia plures; ſed quia variæ, diuerſæ, & inæquales: vt ſit ſenſus: *in domo Patris mei*, id eſt in cœlo, *ſunt manſiones variæ, ac diuerſæ diſparibus meritis correſpondentes.*

15. Hier. Et quidem quod Chriſtus loquatur de manſionibus cœleſtibus, ex conſequentibus adeo eſt euidēs, vt, *teſte Hieronymo, lib. 2. aduerſus Iouinianum c. 15.* ſicut explicatio Iouiniani ſine riſu ferenda non eſt; ita nec ferenda ſit explicatio Pelagianorum: Chriſtus enim de illis manſionibus loquitur, ad quas parandas ad Patrem vadit, vt illis præparatis, rurſus veniat, & diſcipulos ad ſe aſſumat, vt ſint, vbi ille eſt: Chriſtus autem ad Patrem ibat, & ad cœleſtem gloriam, ad quam ſuos erat aſſumpturus, quod præter alios aduertit *Ambroſius in lib. de bono mortis cap. 12.* Ambr.

16. Porrò, quòd Chriſtus, ideò manſiones dicat eſſe plures, quia diſpares ſunt, diſparibus correſpōdentes meritis, nō adeò eſt euidens. Vnanimis tamen eſt omniū Patrum conſenſus, vt multitudo manſionū varietatem, & diſparitatē ſignificet: vnde omnes ex his verbis beatitudinis inæqualitatem cōuincunt: *ita Irenæus lib. 3. c. 21. Tertullianus in Scorpiaco cap 6. n. 43. & de Monogamia c. 10. n. 80. Origenes homil. 23. in Ieſum Naue ante finem, Hilarius Pſalm. 64. in illud; Beatus, quem elegiſti, Cyrill. Alexandrinus lib. 9. in Ioannem c. 31. Cyprianus de habitu virginum c. 10. Baſilius in lib. de Spiritu Sancto c. 16. ante finem, & in regulis breuioribus regul. 203. Ambroſius lib. 5. in Lucam in ſerm. de beatitudinibus, Hieron. 2. contra Iouinianum c. 15. & in cap. 5. Amos, & in epiſt. 1. ad Demetriadem, Auguſt. tract. 67. in Ioannē, & in lib. de ſancta virginitate c. 26. D. Greg. in locis ſupra citatis, Theodoretus, Proſper, Bernardus, Andreas Cæſarienſis locis citatis, D. Thomas contra errores Græcorum c. 9. cum omnibus illius loci interpretibus.* Non eſt igitur dubitandum hanc eſſe literalem horum verborum explicationem, non reijciendā ex doctrina *Tridentini ſeſſ. 4. in decreto de editione ſacrorū libr.*

Irenæus. Tertull. Origen. Hilarius. Cyrill. Alexand. Cyprian. Baſilius. Ambr. Hieron. Auguſt. Gregor. Theodor. Proſper. Bern. Cæſarien. D. Thom.

17. Confirmatio. *Hieron.* Nec deſunt, qui velint, hunc ſenſum ſatis inſinuari in verbis ſequentibus: *Si quominus dixiſſem vobis; quia vado parare vobis locū: etſi abiero, & præparauero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Ita Hieronymus in d. c. 15. vbi ita explicat contextum: *Si quominus*, id eſt, ſi non multæ manſiones eſſent apud Patrem: *dicerem vobis: quia vado, & parabo vobis locum*, vt ſit ſenſus: ſi non eſſent multæ manſiones apud patrem ab vnoquoque veſtrum, nō ſola Dei largitate, ſed proprijs meritis præparandæ: vtique ego dicerem vobis, & cæt. Ex qua interpretatione iſte erit verborum ſenſus. Multæ ſunt manſiones proprijs cuiuſque meritis præparandæ; cum verò merita non ſint in omnibus æqualia; nec manſiones in omnibus erunt æquales. ¶ Sed hæc explicatio non eſt literæ accōmodata: quia ex illis verbis: *& ſi abiero, & cætera;* conſtat, ſermonem eſſe, non de præparatione graduum manſionum per propria cuiuſque merita facienda; ſed de præparatione facienda à Chriſto, vel aperiendo cœlum; vel merendo primam cuique noſtrum merendi gratiā, maiorē, vel minorē pro diuina largitate.

Explicatio non ſatis accōmodatur literæ.

Non eſt contemnenda animaduerſio Toleti annot. 3. in eūdem locum; ſcilicet manſiones, de quibus Chriſtus agit, eſſe, tùm pro Chriſto tùm pro Apoſtolis, atq; prædeſtinatis: nam volebat Chriſtus diſcipulorū animas erigere, ne putarent ſoli Chriſto in cœlo eſſe manſionem; & ideò dixit, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Iam verò conſtat Apoſtolos, cæteroſque prędeſtinatos non eſſe Chriſto in gloria æquales. 18. Animaduerſio Toleti.

Primæ Corinth. 15.

¶ Euidētior locus habetur 1. Cor. 15. *Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidē cœleſtiū gloria, alia terreſtriū: alia claritas Solis, alia claritas lunæ; & alia claritas ſtellarū: ſtella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorū.* Quē locum pro ſtabiliēda diſparitate pręmiorū in Patria, & omnes Patres, & omnes interpretes expēdunt, *Chyſoſtomus, Theodor. Theophyl. Primaſius, Oecumen. Beda, Hieronym. Ambroſ. Anſelmus, D. Thomas, Lyra, Caietanus cum cæteris in eodē loco: Hieronymus etiā 2. contra Iouinianum c. 13. Auguſtinus, Chryſoſt. Baſilius, Hilarius, Bern. Anſelm. Cæſarienſis in citatis locis, Gloſſa ordinaria, & interlinealis ibidem cum Tertulliano in Scorpiaco c. 6. n. 43. & de reſurre. carn. c. 52.* 19. 2. locus ex 1. Cor. 15.

Qui Patres iſtum locū expendunt.

Reſpondet Iouinianus, teſte Hieronymo in d. lib. 2. c. 12. ante finem, Paulum per ſtellas, & ſtellas intellexiſſe carnales, &

& ſpirituales, occurrit tamen Hieronymus in cap. 13. ſequente, Paulũ primùm diſtinxiſſe cœleſtia à terreſtribus, id eſt, beatorum corpora à corporibus damnatorum; deinde cœleſtia ipſa inter ſe. Quare cum Paulus ſtellas cum ſtellis comparat, non comparat damnatos cum beatis, ſed beatos inter ſe, quo ſuppoſito, locus eſt illuſtris ad hæreſim conuincendam. Quod verò per corpora cœleſtia Paulus intellexerit corpora beatorum, per terreſtria verò damnatorum eſt communis explicatio, quàm præter Hieronymum probant Chryſoſtomus, Theophylactus, Haymon, & plures alij. Quare cœleſtium inter ſe collatio, eſt beatorum ad inuicem comparatio. Cui etiam fauet, quia Paulus non ſolùm ſtellas cum ſtellis comparat; ſed etiam Solem cum Luna. At quis dicet (inquit Hieronymus) carnales aut per Solem, aut per Lunam deſignari?

Quid intelligatur per corpus terrenũ, & cœleſte?

1. explicatio.

21. ¶ Sed obſtat, quoniam ex contextu cõſtat, Paulum per corpora terreſtria non ſignificaſſe corpora damnatorum, ſed beatorum adhuc mortalia: hęc enim comparat cum ipſiſmet reſurgentibus in gloria: *Seminatur, inquit, in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*. Vnde & terreſtribus corporibus aliquam gloriam tribuit, dum ait; *ſed alia quidem cœleſtium gloria: alia terreſtrium*. Quæ verba corporibus damnatorũ conuenire non poſſunt. Quare dicendum eſt, Paulum nomine corporis cœleſtis intellexiſſe corpus cum gloria reſurgens; nomine verò corporis terreſtris corpus in morte cum corruptione ſeminatum; quod contraponit corpori glorioſo. At tamen cum Paulus non ſolùm comparet corpus cœleſte cum terreſtri; ſed etiam cœleſtia inter ſe; & inter ea diuerſitatem graduum conſtituat; vtique corpora beata inter ſe etiam comparat. Quare explodenda ſemper eſt explicatio Iouiniani: quia Paulus non modò per ſtellas non intelligit damnatorũ corpora, ſed nec in tota illa comparatione illorum mentionem facit.

Non placet

Vera reſolutio.

22. Adhuc tamen huic argumento reſpõderi poteſt, Paulum illa corporum varietate nihil minus voluiſſe oſtẽdere, quàm meritorum, & pręmiorum diuerſitatem: etenim illam nunquam accommodauit ad diſparitatem præmiorum; ſed ad diuerſitatem, & differentiam corporis in morte ſeminati, & reſurgentis in die nouiſſimo. Quare poſſet quis dicere, Paulum ſolùm oſtendere Dei ſapientiam, & omnipotentiam, qui nouit tot, ac tam diuerſa corpora coaptare, vt inde ſuadeat, poſſe Deum corpus in mortalitate ſeminatum ſuſcitare cum immortalitate. Quam expoſitionem non reijcit *Bellomontanus 1. p. diſp. 47. c. 1. n. 4 & 5.* quaſi ſentiens, meritorum, & præmiorum diuerſitatem ex hoc loco non neceſſariò conuinci.

Refertur alia ſolutio.

Bellomon.

23. Dicendum eſt tamen, locum iſtum efficacem eſſe ad conuincendũ Iouinianũ, vt affirmat Auguſtinus: etenim Paulus totus eſt in diſſoluenda obiectione poſita in illis verbis: *Quomodò mortui reſurgunt: aut quali corpore venient?* Hanc autem diſſoluit aſſumpta varietate corporum, & facta inter illa comparatione: etenim non ſolùm corpora cœleſtia à terreſtribus diſtinguntur; ſed etiam cœleſtia inter ſe. Hac autem collatione non ſolùm vult oſtendere diuerſitatem eiuſdem corporis mortui, & reſuſcitati reſpectu ſui; ſed etiã diuerſitatẽ illius reſuſcitati, reſpectu aliorum, quæ ſimul ſunt reſuſcitata: niſi enim Paulus illa corporum cœleſtium mutua collatione aliquid nobis vellet ſignificare, fruſtra illa vſus eſſet: voluit igitur per illam docere differentiam inter corpora glorioſa reſurgentium: ſi enim ſolũm vellet ſignificare differentiã inter ipſum corpus mortuum, & ſuſcitatum reſpectu ſui; ſatis eſſet cœleſtis corporis cum terreſtri comparatio. Quare Paulus vtramque doctrinam tradere intendit; principalius tamen voluit conſtituere differẽtiam inter idem corpus terreſtre ſeminatum, & reſurgens cœleſte; quia hanc ſolam petebat ſolutio argumenti: & ideò non eſt mirũ, ſi exemplum allatum ad hanc ſolam differentiã accõmodauit, nõ verò ad diuerſitatẽ inter corpora reſurgentia. Aduertendum tamen ex Paulo ſolùm colligi, diuerſitatem gloriæ corporum: at tamen cũ illa ex diuerſitate gloriæ animæ proueniat, vt in ſuperioribꝰ oſtẽdimꝰ; neceſſariò euincitur diſparitas beatitudinis animæ.

Locus eſt efficax.

Secundæ Corinth. 9.

24. ¶ Tertio loco hæc veritas euidentiùs colligitur ex Paulo 2. Corinth. 9: *Qui parce ſemi-*

3. locus e... 2. Co...

ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quo in loco Paulus Corinthios exhortatur ad largas eleemoſynas faciendas: largam enim eleemoſynam appellat benedictionem. Senſus ergo eſt: *Qui parcè ſeminat*, parcas eleemoſynas faciens, in alio ſæculo parce metet; quia parcam etiam retributionem accipiet: *qui verò ſeminat in benedictionibus*, id eſt, qui largas, & abundantes facit eleemoſynas: *iſte metet de benedictionibus*; id eſt in alio ſæculo largas pro illis retributiones accipiet. Vnde Oecumenius cum Græcis ita legit: *qui ſementem facit in magnificentia, copioſè meſſurus eſt.* Qui locus eſt omni ſolutione maior: conſtat enim, Paulum agere de meſſe futuræ retributionis, vt Patres, & interpretes fatentur: & ſatis explicat Paulus ad Galatas 6: *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet: quoniam, qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Meſſis igitur in Patria in his erit copioſior, in alijs verò minus copioſa, iuxta copioſiorem, vel minus copioſam ſeminationem: nam iuxta menſuram operum (quæ eſt ſeminatio in via) erit menſura meſſis, id eſt præmij in Patria: vt patet ex Paulo 2. Corinth. 5: *Omnes nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Erit enim*, inquit Auguſtinus tract. 22. in Ioannem, *iudicium diſcriminationis, atque diſcuſſionis vtrorumque operum malorum, & bonorum*: ita vt & mala diſcutiantur, atque etiam bona: illa, vt iuxta delicti menſuram ſit menſura tormenti Apocalypſis 18: hæc autem, vt iuxta laborum merita ſit menſura præmij; iuxta illud 1. Corinth. 3: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Et ob hanc cauſam

(Ad Galat. 6. — 2. Cor. 5. — Auguſt.)

25. tâm virgines fatuæ, quàm prudentes, *ornant ſuas lampades, adueniente ſponſo*, id eſt, parant vitæ ſuæ rationem, vt explicat Auguſtinus in lib. octoaginta quæſtionũ q. 59. & Apocalypſis 14: *Opera eorum ſequuntur illos*: quia ſecundum propria opera eſt quiſque iudicandus, vt propriam accipiat menſuram, vel præmij, vel ſupplitij. Quibus, ſi addamus; non omnium viatorum eadem eſſe merita, nec omniũ eſſe æqualia, vt colliges ex *Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. 10. & 16. & can. 32.* (nam ex Paulo 2. Corint. 9. *Quidam parcè ſeminant, quidã autem abundanter*: & ad Epheſios 4. *Vnicuique datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: qui ex eodem 1. Cor. 12. *diuidit ſingulis prout vult*) neceſſario infertur, non vnam in Patria futuram eſſe mẽſuram præmij, ſed diſparem, & inæqualẽ.

Ex Parabola ſementis, & talentorum.

¶ Quartò id etiam colligitur ex parabola ſementis, cuius pars, quæ cecidit in terram bonam, triplicem reddidit fructũ trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimũ, de qua Matthæi 13. Marci 4. Luc. 8. quã pro demonſtranda inæqualitate præmij eſſe apertiſsimam, adeò, vt contradicere apertiſsimæ ſit impudentię, teſtatur Hieronymus 2. cõtra Iouinianũ c. 14. ad finẽ: & annotarunt Veiga 10. in Trident. c. 4. arg. 1. in fine, & Maldonatus in eodẽ loco Matthæi: & meritò; quia ſiue per fructũ intelligas bona opera, & merita iuſtorũ; ſiue vitam æternam bonorum operũ pręmium; parabola ſemper vrget: nam maioribus meritis maior debetur retributio, quod nec aduerſarij negant. At per fructum potiùs intelligenda eſt vita æterna, iuxta illud ad Galatas 6: *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Quare hæc iuxta parabolam non vnius eſt menſuræ, ſed diſparis, vt ex illa colligunt omnes Patres: quanuis enim diſpares iſtos fructus non eiſdem applicent perſonis: in hoc tamen conueniunt, non omnes iuſtos æqualem vitæ æternæ retributionem metere: quare pro nobis faciunt *Cyprianus de habitu virginum c. 9. & epiſt. 77. cap. 3. & Auguſt. in ſermone de quarta feria cap. 2. tom. 9. & ſerm. 42. de Sanctis tom. 10. & lib. 1. Quæſtionum Euangelicarum. q. 9.* Nec vim argumenti elidet reſponſio Iouiniani apud Hieronymum ſecundo aduerſus eum capite 2. ex parabola duos tantùm ordines colligi; terræ, inquam, bonæ, & malæ: eam enim impugnat idem Hieronymus ibidem cap. 14. in fine: nam vt admittamus, duos tantùm ordines in genere conſtitui; ſinguli tamẽ in tres ordines expreſsè diuiduntur, vt intelligas & in damnatis dari inæqualitatem ſupplicij, & in beatis diſparitatem præmij.

(26. 4 locus ex parabola ſementis Matth. 13. — Cyprian. Auguſt. — Non obeſt reſpõſio Iouiniani.)

27. ¶ Eandem veritatem demonſtrat parabola talentorum Matthæi 25. vbi maius præmium datur ſeruo, qui quinque talenta lucratus eſt, quàm ei, qui ſolùm duo. Sed ne reſpondeas cum Iouiniano apud Hieronymum in d. cap. 12. ex ea potiùs colligi æqualitatem præmij, cum eiſdem verbis vtrique ſeruo Dominus gratuletur; audi parabolam Lucæ 19. vbi ſeruus, qui lucratus eſt decem mnas conſtituitur ſupra decem ciuitates, qui verò ſolùm quinque, quinque tantùm ciuitates accipit. Vides igitur maius, & ſublimius præmium reddi vni, quàm alteri: & ad hunc ſenſum explicanda eſt parabola decem talentorum: ob quam rationem ibi concluditur: *Omni habenti dabitur, & abundabit*; vide Theophilactum Luc. 19.

Idem a... ...parabo... talentorum Matt. 25.

Virtutibus ſpecialibus maiora præmia decernuntur.

28. ¶ Quintò pro eadem veritate expendi poſſunt ſpeciales ſacræ Scripturæ loci, in quibus certis quibuſdam virtutibus maiora præmia decernuntur. Etenim 1. Corint. 7. Paulus virginitatem præfert coniugio, tanquam opus melius, inquiens: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit, & qui non iungit, melius facit.* Et tandem concludit, *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Quomodò beatior? niſi quia propter opus maioris meriti, cæteris paribus, præſtantiorē habebit retributionis mercedem. Quod de Eunuchis Euangelicis prædictum fuit ab Eſaia c. 56: *Quia hæc dicit Dominus de Eunuchis; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quem locū pro præmiorum imparitate expendit *Auguſtinus de ſanctâ virginitate c. 22. & Gregorius de cura paſtorali 3. p. admonitione 29. Fulgentius epiſtola 3. ad Probam. Bernardus de Paſſione Domini cap. 31.* Et pro diſparitate doctorum adduci poteſt illud Danielis 12: *Qui docti fuerunt, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et vt rem cō cludamus, afferimus hiſtoriam diuitis interrogantis: *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* de qua Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 18: *Si vis,* inquit Chriſtus, *ad vitam ingredi, ſerua mandata,* eidem rurſus

5. locus ex diuerſo præmio diuerſarum virtutum. 1. Cor. 7. Iſai. 56. Auguſt. Gregor. Fulgent. D. Bern. Argum. ex diuerſo præmio Doctorum. Dan. 12. Matt. 19.

interroganti, quidnam ſibi deeſſet, cum mandata ſeruauerit, reſpondet Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* Ecce præter vitam æternam, quæ ſeruanti mādata debetur, theſaurus in cœlo promittitur illi, qui omnia reliquit, vt Chriſtum ſequatur. Quid cedo theſaurus ſuperaddit vitæ æternæ? niſi maiorem gloriam, quæ perfectos expectat.

Alij loci non adeò vrgentes.

¶ Poſtremò pro eadem veritate expendemus nonnullos alios Scripturæ locos, qui aliquo modo perſuadēt, beatitudinis cœleſtis inæqualitatem. Primus habetur Matthæi 11: *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo.* Quem locū pro præmiorū diſparitate expendit *Hieronymus 2. contra Iouinianum c. 15. & poſt eum Veiga lib. 10. in Tridentinum c. 5. poſt principium, & Cannifius lib. 1. de corruptela verbi Dei c. 10. pag. 173* Is enim locus, vt inſtituto deſeruiat, intelligendus venit de regno cœleſtis patriæ; vt ſit ſenſus, qui in beatitudine nunc eſt minor, eſt maior Ioanne in vita degente. In quo ſenſu illum explicandum, putat *Hieronymus loco citato, & in proprio loco Matthæi, & epiſtol. 151. ad Algaſiam q. 1. tom. 3. & epiſtol. 24. de exhortatione ad militem in med. tom. 9. & illum laudat Auguſtinus 2. contra Aduerſarium legis c. 5. tom. 6. Tertullianus 4. aduerſus Marcionem cap. 28. n. 262. Ambroſius libro 5. in Lucam capite de laudatione Ioannis ad eadem verba Lucæ cap. 7. Beda in dicto cap. 11. Matthæi, & omnes, qui de regno cæleſti interpretantur verba illa; A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur.* Corroboratur hæc explicatio, ſi priora illa verba: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, explicanda ſunt de maiori ſanctitate, quæ ita eſſe explicanda, multis contendunt *Caniſius vbi ſuprà, & Maldonatus in d. capite 11. Matthæi*, qui huic explicationi adeò adhærent, vt dicant, non eſſe tutum eam non probare. Ex quibus patet probabiliſsimum eſſe locum iſtum confirmare inæqualitatem beatitudinis.

Locus tamen eam non omnino cōuincit, ſiue comparationem illam intelligas de

29. 6. locus ex Matth. 11. Hierony. Veiga. Caniſius. Hieron. Auguſt. Theodore. Ambr. Beda. Confirmatur explicatio. Maldon. 30. Locus non vrget.

de ſanctitate Ioannis, ſiue de excellentia prophetiæ: ſemper enim probabilis eſt communis explicatio, quæ locum intelligit de regno Eccleſiæ Euangelicæ, quæ probata eſt *Tertulliano, Auguſtino, & Bedæ locis citatis, Auguſtino etiam tract. 13. in Ioannem, Hilario, Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthimio, Ruperto, & Maldonato in d. c. 11. Matthæi, Ianſenio cap. 47. Concordiæ, Bellomontano in d. diſp. 47. c. 2. n. 7.* & mihi ſit probabiliſsima ex verbis ſequentibus, quæ de regno cœlorum Eccleſiæ huius temporis intelliguntur. Iuxta quam expoſitionem, ſiue minor in regno cœlorũ ſumatur pro Chriſto, ſiue pro doctore Euangelico, ſiue pro quocũque Chriſtiano in ſenſu, quem explicat Maldonatus, ex his verbis nihil adduci poteſt pro inæqualitate beatitudinis. Cuius oppoſitum dicendũ eſt, ſi intelligantur de regno cœleſti, quocũque modo comparatio fiat in verbis prioribus, quidquid *Bellomontanus contradicat n. 8*: ſemper enim ſupponitur in regno cœleſti dari maiorem, & minorem; ita vt minor illorum maior ſit Ioãne in gradu reuelationis, & ſcientiæ myſteriorum, in quorum cognitione dignitas prophetiæ etiã eſt poſita, vt ex Paulo *1. Corint. 14. aduertit Bellom. in d. c. 2. n. 10.*

Intelligitur de regno Eccleſiæ.

31. *2. locus ex Matth. 18.* ¶ Secundus locus habetur Matthæi 18: *Quicũque humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte hic maior vocabitur in regno cœlorum*, & aduertendum eſt, hæc verba præceſsiſſe interrogationem diſcipulorum: *Quis putas, maior eſt, in regno cœlorum?* quam eſſe intelligendam de regno gloriæ cœleſtis volunt *Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymi*[9], *& Remigius ibidem, Origenes tractatu 5. in Matthæum, pag. 60. D. Thomas in eodem loco, & in Catena, Ianſenius in Concordia cap. 70. probabilem putat Maldonatus*: ſed ego puto eſſe veriorem: quoniam verba ſequentia: *niſi efficiamini, ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* De eodem regno intelliguntur. Apoſtoli etiam maniſeſtè inquirunt de regno cœlorum, in quo Meſsias regnaturus erat: & licet tanquam adhuc rudes illud in terris expectabant; non dubitabant tamen futurum eſſe cœleſte: Chriſtus autem occurrens eorum imperfectioni, & ambitioni agit de regno cœleſti: nec ſolùm oſtendit viã, qua ad illud perueniendum eſt; ſed etiam quomodò ad maioritatem prætenſam in illo valeant præuenire. Et ideò multa docuit de humilitate in Eccleſia, eccleſiaſticiſque dignitatibus cõſeruanda: quia gradibus humilitatis, gradus maioritatis in beatitudine ſuo modo correſpondebunt. Quare locus maximè facit pro inæqualitate beatitudinis, vt expendit Origenes loco citato.

Intelligitur de regno cœlorum.

32. *Occurritur obiectioni.* Nec huic ſententiæ obſtat, quod plures volunt, in his verbis ſermonem eſſe de regno cœlorum præſentis Eccleſiæ: in quo, qui humilitate eſt minimus, in ſanctitate maximus eſt coram Deo, vt colliges ex Luca c. 9. vbi eandem Chriſti reſponſionem, & doctrinam referens, ita ait: *Qui minor eſt inter vos*, ſcilicet humilitate, & æſtimatione ſui: *hic maior eſt*; non quidem dignitate, ſed ſanctitate coram Deo: non obſtat inquam; quoniam & in hoc ſenſu ſatis deducitur, qui in Eccleſia eſt in humilitate minor, in Patria futurum eſſe beatitudine maiorem, quia beatitudo ſanctitati reſpondet. Quare in vtroque ſenſu locus eſt pro nobis.

33. *3. locus ex Matth. 20.* ¶ Tertius locus ſumitur ex Matthæi 20: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Quem locũ pro beatitudinis diſparitate expendit *Hieronymus 2. contra Iouinianum c. 18. in princ.* *Hier.* & fortaſsis aliquid facit, ſi Chriſt[9] intẽdit docere, quo pacto quis poteſt apud Deũ fieri primus, & magnus: ſi nimirum alijs per humilitatem ſe ſubijciat, vt ſit ſenſus: Si quis veſtrum voluerit apud Deũ eſſe maior cæteris, fiat cæterorum omnium miniſter, & ſeruus, id eſt inter cæteros humilitate vltimus. Quem ſenſum probant *Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Anſelmus in eodem loco, cum Origene tract. 12. in Matthæum ad eadem verba.* *Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Anſelm. Origen.* Et hoc modo locus iſte coincidit cum loco Matthæi 18. immediatè explicato; quod videtur cõfirmari: quoniam eadem hiſtoria vtroque loco refertur, & eadem ponuntur verba.

34. *Non conuincit.* Sed profectò quamuis eadem verba apud Marcum 9. quando Dominus paruulum aduocauit illum ſenſum recipiãt; non tamen eũ recipiunt verba Matthæi: nec enim Chriſtus vult docere, quomodò primatus coram Deo, aut hic per gratiam, aut in cœlo per gloriam parandus ſit; ſed quomodo, qui primatum habet in Eccle-

Eccleſia debeat ſe gerere, aut quo fine illũ debeat, aut appetere, aut ſuſcipere: nec enim appetendus eſt, vt quis alijs dominetur, & imperet (gentes enim hoc modo principatũ appetunt:) ſed vt quibus principatur, & præponitur, ijs miniſtret, & ſeruiat. Quæ eſt communis explicatio recẽtiorum, quam probat *Ianſenius c.104. Cõcordiæ pag.139. Caietanus in eodem loco, cũ D. Thoma in commentarijs ad eundem. Et ſatis Origenes in d. tract. 12. & Chryſoſtomus de opere imperfecto, homil.35.*

Ianſenius. D. Thom. Origen. Chryſoſt.

35. Melior locus ex Matth.20.

¶ Melior locus habetur in eodem c.20: *Sedere autem ad dexterã, vel ſiniſtram meã, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quem locum contra Iouinianum expendit Hieronymus 2. aduerſus Iouinianum c.15: & meritò, ſi expendatur petitio Matris filiorum Zebedæi: *Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Petebat autẽ primos locos in regno Chriſti, hac petitione ſupponens in illius regno dari locorum diſparitatẽ, aliâs fruſtra eſſet petitio: Chriſtus autem non negans ſuppoſitionem, ſed probans, exprimit primos locos regni ſui debitos eſſe non perſonis, ſed meritis; & ſubinde dandos eſſe ijs, qui meritis eſſent primi. Et ita ſatis oſtendit in beatitudine non omnes ſedes eſſe æquales; ſed alias alijs maiores.

36. 5. locus ex Matth.5.

¶ Quintus locus habetur Matth. 5: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & cætera, minimus vocabitur in regno cœlorum: Qui autem fecerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quem locũm pro nobis expendit *Hieronymus vbi ſuprà, & Veiga 10. in Tridentinum c.5*: nam vbi datur maximus, & minimus, ibi non datur æqualitas. Sentit igitur Hieronymus doctorem, qui minima ſoluit, & ſic docet, futurum quidem in regno cœlorum, ſed in infimo gradu: quæ fuit mens eiuſdem Hieronymi in eodem loco, & Origenis tract. 5. in Matthæum, & aliquorum recentiorum, apud quos ita eſt explicãdus contextus: qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, quæ ego docturus ſum, quorum tranſgreſsio ob paruitatem eſt venialis; & docuerit ea, ſicut ego doceo; minimum locum tenebit in regno cœleſtis beatitudinis.

Hieron. Veiga.

37. ¶ Hæc tamen explicatio non videtur admittenda: quia mandata minima, de quibus eſt ſermo, ſiue ſint, ad quæ adimplenda Chriſtus venit; & ideò minima, quia non omnem perfectionem continent, quæ fuit explicatio *Auguſtini lib.1. de ſermone Domini in monte cap.8. & 9.* ſiue ſint, quæ Phariſęorum opinione, vel minima erant præcepta, vel nulla ex *Chryſoſtomo homilia 19. in Matthæum, & authore operis imperfecti in eundẽ homil. 10: cum Maldonato, & alijs)* illa inquam minima præcepta hoc, vel illo modo explicata, non ideò dicuntur minima, quia ſunt venialia: ſunt enim mortalia, vt patet ex illis verbis: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ob quam rationem communis expoſitio ita explicat, vt ſoluens vnum de mandatis minimis, ideò dicatur minimus, quia excludendus eſt à regno cœleſtis beatitudinis ex *Auguſtino in d. cap. 8. & 9. & tract.6. in fine in epiſtolam Ioannis, & ſermone 3. de verbis Domini, & Gregor. lib. 19. Moral. cap.6. Chryſoſtomo, Theophylacto, Enthymio, Gloſſa ordinaria, & alijs*, quare locus iſte, vt expenditur à Hieronymo, non ſatis eſt ad veritatem Catholicã confirmandam ex *Bellomontano in d. diſp. 47. cap.2. n.6.*

Non placet explicatio.

Auguſt.

Chryſoſt. Maldon.

Minimus quia excludendus.

Auguſt. Gregor. Chryſoſt.

Veruntamen non inefficaciter eam confirmant, ſi benê expendatur ex verbis poſterioribus: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Magnus enim in eo loco idem eſt, quòd princeps, & principalis: quæ vocabula non ſunt abſoluta, ſed includunt relationem ad alios, qui non ita ſunt magni. Senſus ergo eſt: *Qui fecerit, & docuerit, hic inter principes, & primores regni cœleſtis habendus erit*: ſicut enim in regno terreno ordo magnorum (qui magnates, primoreſque regni dicuntur) præſupponunt in eodem regno alios ordinis inferioris; ita in regno cœleſti ordo magnorum alios inferiores ordines inſinuat. Ob quam rationem pro ſpeciali prærogatiua præmij, & honoris nomen magni ꝓmittitur ijs, qui fecerint, & docuerint; quaſi ſint in cœlo alij, non ita magni; illi, ſcilicet, qui fecerunt, & nõ docuerunt; vt benê aduertit *Caietanus in eodem loco, & Maldonatus n. 19. & Ianſenius c. 41. Concord. ad finem commenti eorundem verborũ.* 38.

Confirmatur.

Caiet. Maldon. Ianſen.

¶ Poſtremus locus ſumitur ex Paulo 1. Corint. 39.

Poſtremus locus 1.Corinth.15. Corinth.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes viuificabuntur: vnuſquiſque in ſuo ordine.* Quæ verba de ordine meritorum,&præmiorum explicat *Hieronymus in d.lib.2.cap.13.* Ordo autem nō datur,niſi vbi eſt habitudo plurium, non æque diſtantium ab vno primo.

40. occurritur Bellom. Hunc tamen locum nititur elidere Bellomontanus vbi ſupra nu.12. & 13. tum quia Chryſoſtom.Theodoretus,& Theophylactus ordinem illum referunt ad bonos,&malos,quorum illi ad dexteram;hi autem ad ſiniſtram collocabuntur: tum etiā;quia ille ordo conſtituitur interChriſtum,& cæteros,qui in ipſo ſunt reſucitādi: ideo enim immediatè ſubiungit: *Præmitiæ Chriſtus:deinde ij, qui ſunt Chriſti*; ex

Recipitur Hierony. primaſio. ¶ Sed non eſt negandum, explicationem Hieronymi eſſe probabilem. Et contra priorem expoſitionem objicitur; quia Paulus in toto illo capite ſolùm agit de reſurrectione iuſtorum,&ſpecialiter in verbis prædictis,vt patet ex ſequētib⁹ ſupra adductis: *Præmitiæ Chriſtus, & c* Contra poſteriorē (quæ eſtD.Thom.& Caietani) expēdo, Paulū agerede ijs,qui in Chriſto viuificabuntur,& hos affirmat ſurrecturosfore,vnūquēſq;in ſuo ordine: Chriſtus autem,ſicut tunc non viuificabitur,quia multo ante tempore ſurrexit;ita non viuificabitur in Chriſto. Quare verba illa, *vnuſquiſque in ſuo ordine* determinant verba præcedentia; ita vt ſententia in illis terminetur, & punctuetur. Quæ verò immediatè conſecuntur; *Præmitiæ Chriſtus,& cætera*, reſſumunt concluſionē ante propoſitam in illis verbis, *Nunc autē Chriſtus ſurrexit à mortuis primitiæ dormientium*: quaſi ſic concludat: Chriſtus ergo eſt primitiæ dormientium; quia primus omnium ſurrexit; deinde reſurgent, qui ſunt Chriſti, & crediderunt in aduentu eius: vnuſquiſque autem reſurget in ſuo ordine: tandem erit finis.

41. Probatur Primaſius. Verum,quia Biblia correcta punctuat ſententiam præcedentem in illis verbis: *Ita in Chriſto omnes viuificabuntur*; & nouam ſententiā inchoat ab illis: *vnuſquiſque in ſuo ordine*, & ea coniungit cum ſequentibus; ita vt inter ſequentia ordinem ponant; proinde probanda eſt explicatio Primaſij,quæ eſt cōmunis, & cum litera maximè congruens. In quo ſenſu locus nihil [illegible]o nobis facit.

§. 5.

Probatur rationibus Theologicis

EX ijs,quæ diximus,colliguntur aliquot rationes, quibus propoſita veritasTheologicè confirmaripoteſt: 42. 1.Ratio.
prima eſt;qa cōſtat,beatitudinē dari hominib⁹, tanquā mercedē bonorū operū,prę miū laborū,coronāq; victoriæ. Ergo iuſtitia diſtributiua poſtulat, vt iuxta proportionem operis,laboris,& pugnæ beatitudo cuique diſtribuatur. Cum verò conſtet, non omnium eſſe eadem opera, nec merita eſſe in omnibus æqualia, vt ſupra diximus; iuſtitia diſtributiua poſtulat, vt nec beatitudo in omnibus ſit æqualis.

Secunda ratio: pœna in damnatis erit inæqualis. Ergo inæqualis erit iuſtorum 43. 2.Ratio.
beatitudo. Conſequentia eſt nota: tum; quia Deus pronior eſt ad præmiandum, quàm ad puniendum: tum etiam; quia ſicut pœna proportionatur culpæ;ita pręmium merito. Antecedens eſt de fide: Apocalypſis 18. *Quantum ſe quiſque glorificauit, & in delicijs fuit: tantum date illi tormenti*: nam pro menſura delicti erit, & plagarum modus Deuteronomij 25. Satis etiam patet idem antecedens ex cap.6.Sapientiæ, ex Geneſis 4. ex Lucæ 12. ex Matthæi 10.& 11. & diffinitū eſt in Cōcilio Florentino in literis vnionis his verbis: *Illorū animas, qui in actuali mortali peccato decedunt mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Tertia ratio: Angeli non ſuunt pares in beatitudine. Ergo nec homines. Con- 44. 3.Ratio.
ſequentia patet: tum ab identitate rationis; tum,quia Eccleſia iuſtorū noua deſcēdit de cœlo Apocalypſis 21.id eſt à cęleſti Hieruſalem. Antecedens verò latè oſtendetur in ſequenti art.

Poſtremò facit, quòd in Sacris literis 45. Poſtrema Ratio.
quidam iuſtorum præ cæteris prædicantur, & maioris ſunt apud Deum authoritatis,& gratiæ. Plura exempla reperies apud Hieronymum in dicto lib.2. ca.13. cum ſequentibus, & Caniſium libr. 1. de Corruptela verbi Dei cap.10.pagin.171. Veigam lib.10.in Tridentinum c.4. 5.& 6. Quorſum enim tot piorum millia ſpōtaneam paupertatem amplexi ſunt? quorſum Virginitatem coluerunt? quorſum mundo nuntiū dederunt; Si par eſt omnium iuſtorum cauſa, æquaque conditio

in cœlo? nihil de Virginis Deiparæ excellentia exceſſuque beatitudinis ſuper omnes Angelicos choros dicam. Concludendum eſt igitur cum D. Ambroſio, cæteriſque Epiſcopis in d. Epiſtola. 81. *Agreſtis vlulatus eſt, nullam virginitatis gratiã; nullum caſtitatis ordinem conſeruare; promiſcuè omnia velle confundere; diuerſorum gradum abrogare meritorum; & paupertatem quandam cœleſtium remunerationum inducere: qua Chriſto vna ſit palma, at non plurimi abundent tituli præmiorum.*

§. 6.

Pro ſolutione primi argumenti ſumpti ex denario diurno nonnulla præmittuntur.

46. Ad 1. arg. præmiſſum primum. SVpereſt ſolutio argumẽtorũ, quæ pro hæreticis §. 1. ſunt adducta. Primum argumẽtum ſumptum ex denario diurno dato operarijs pro mercede, ſemper viſum fuit difficilè propter difficultatem parabolæ, quæ cũ varias habeat explicationes; argumentum etiam varias habere põteſt ſolutiones. Pro explicatione illius primùm explicabimus finẽ, ſcopumque parabolæ, vt intelligamus, quænam illius partes ad parabolam pertineãt; quæuè ſolum ad ornatum, vt ſciamus, ex quibuſnã illius partibus validũ ſumi poſſit argumentũ: nec enim illud poteſt ſumi ex partibus, quæ ſolùm ad ornatũ pertinent, vt patet ex vulgata doctrina Chryſoſtomi, tùm multis in locis, tùm homilia 65. in Matthæum.

De fine parabolæ

47. ¶ Finis igitur, & ſcopus huius parabolæ eſt oſtendere, & explicare propoſitionẽ poſitã ad calcẽ capitis præcedentis: *Multi erunt primi nouiſsimi & nouiſsimi primi*, vt cõmunis Patrũ, & interpretũ conſenſus docet. Ita *Origenes tract. 10. in Matthæum in principio parabolæ: Remigius apud D. Thomam in Catena in principio, & in concluſione parabolæ: Theophylactus ad finem capitis decimi noni ad eadem verba, vbi etiam Enthymius, Beda, Hieronymus, Anſelmus,* D. Thomas, Gloſſa Ordinaria, *Ianſenius c. 101. Concordiæ: Maldonatus & alij Nouiores, cũ Bellomontano 1. p. diſp. 47. cap. 4. nu. 11. &* 12. & ſatis conſentit Chryſoſtomus, ſi diligentius expendatur. Quæ ſententia manifeſtè colligitur, quoniã, poſita prædicta propoſitione ad finem capitis 19. immediatè ſubiungitur parabola cum cauſali (*enim*) vt Græca habent exemplaria & plerique codices Latini manu ſcripti: Accedit; quia Dominus parabolam concludit his verbis: *Sic erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi*; vbi illa particula, ſic, refert parabolam, quaſi eam explicet. Cum igitur finis parabolæ concinat cum titulo illius poſito in fine capitis præcedentis, vt aduertit Hieronymus; non eſt dubitandum, Chriſtum per hanc parabolam voluiſſe confirmare, & explicare præcitatã propoſitionem.

Origenes. Remigius. Theophyl. Eutymius. Hierony. Anſelm. D. Thom. Gloſſa.

Præmittendum ſecundo, non conſtare inter Patres, & interpretes de ſenſu ꝑpoſitionis à Chriſto propoſitæ. Quidam volunt, ſenſum eſſe, vt qui in hac vita videbantur eſſe nouiſſimi, & à cœleſti regno excluſi, in die iudicij, & in tempore retributionis futuri ſint primi, id eſt electi, admiſsique ad cœleſte regnum: qui verò hìc habebantur primi apud Deum, & electi, tũc futuri ſint nouiſſimi, id eſt, à regno excluſi, ita *Ianſenius in dicto cap. 101. & latè Bellomontanus in dicta diſp. 47. capi. 4. Et fuit explicatio Bedæ, Anſelmi, & Euthymij ad eadem verba, tum cap. 19. tum 20. & vtroque in loco Chryſoſtomus in dicta homilia 65. & Baſilius in regulis breuioribus regul. 255. & 256. nec diſplicet Origeni d. tract. 9. in Matthæum, nec D. Thomæ in vtroque loco.* Et iſte ſenſus primò confirmatur; quia Lucæ 13. illa propoſitio hũc habet ſenſum: *Erit*, inquit Chriſtus contra Phariſeos, *Fletus, & ſtrid or dentium, cum videritis Abrahã, & cætera.* Deinde adiũgit *Et venient ab Oriẽte, & Occidẽte; ab Aquilone, & Auſtro, & accubent in regno Dei, & ecce ſunt nouiſsimi, qui erant primi; & ſũt primi, qui erant nouiſsimi.* Quæ verba non ſolum oſtendunt, primos ideo dici nouiſſimos, quia expellendi ſunt à regno cœleſti: ſed etiam hunc eſſe illius propoſitionis ſenſum, vbi poſita ſit: nam particula (*Ecce*) & myſterij magnitudinem, & repetitam illius inculcationem denotat, vt ſit ſenſus; iſto modo continget myſteriũ, quòd primi futuri ſint nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Cõfirmatur adhuc ex verbis ĩmediatè ſequẽtib⁹: *multi ſũt vocati, & pauci electi.* Quæ verba, ſicut reddunt rationem præcedentium, vt patet ex cauſali (*enim;*) ita & eorũ ſenſum explicãt. Ex illis autem verbis conſtat, nõ omnes vocatos

38. Præmiſſum 2. de ſenſu propoſitionis Chriſti 1. Senſus.

Confirmatur.

Confirmatur.

catos eſſe electos ad regnum gloriæ. Cũ igitur contineant cauſam, cur primi futuri ſint nouiſſimi, vtiq; per nouiſſimos intelligi debẽt, qui à regno expellendi erũt. Conſentit etiam Phraſis Scripturæ: idem enim eſt nouiſſimus quòd minimus. Quare in hoc ſenſu hoc in loco primi erunt nouiſſimi, in quo Matthæi 5. ſoluens mãdata minima dicitur minimus in regno cœlorum, id eſt, expellendus ab illo regno, vt ſupra oſtendimus. Hæc pro iſta explicatione.

49. 2. Explicatio, & quo rũ ſit. Alij tamen hanc primorum, & nouiſſimorum commutationem volunt futurã eſſe, non inter electos, & reprobos; ſed inter ipſos iuſtos, & beatos: cõtinget enim, vt in futuro iudicio, qui in Eccleſia primũ locum tenere videbantur, in retributione teneant vltimum; & è contrario: & ideo volunt, hunc eſſe ſenſum propoſitionis allatæ. Ita *Auguſtinus ſerm. 59. de verbis Domini cap. 4. tom. 10, & in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 8. tom. 7. dum ait, primos, et nouiſſimos in bonis eſſe. Idem D. Gregorius homil, 19. in Euangelia, et 4. Moral. cap. 42. et lib. 35. cap. 20. D. Hieronymus Epiſt. 146. tom. 3. pag. 411. Origenes tract. 9. et 10. in Matthæum, Author operis imperfecti apud Chryſoſtomum homil. 34. in Matthæũ, et D. Thomas ibidem, in Commentarijs, et in Catena: Caietanus, et Maldonatus in eodem loco: nec reijcit Ianſenius in d. cap. 101. ad finem.* Quæ explicatio videtur euidens ex ipſa parabola: etenim primi, & nouiſſimi in vinea laborauerunt, & prœmium laboris ſunt promeriti, vt patet ex illis verbis: *Voca operarios, & redde illis mercedem*; ex illis etiam: *Tolle, quod tuum eſt, & vade*; & ſatis patet, quia omnes acceperunt mercedem æqualem. Quæ omnia euidenter ꝓbant, primos ad eandem cum nouiſſimis mercedem vitæ æternæ admiſſos eſſe.

Vterque ſẽſus eſt probatus. ¶ Præmittendum tertio, vtramque propoſitionis intelligentiam ſatis eſſe probabilem: & iuxta vtramque argumentum optimè ſoluitur.

50. Defenditur 1. ſenſus. Pro defenſione prioris aduerte, fundamentum illius poſitum eſſe in applicatione parabolæ ad concluſionem illatam à Chriſto: *Quæ ex mente Chryſoſtomi, & Euthymij* nõ eſt explicanda per modum cõcluſionis illatę ex parabola; ſed per modũ ſimilitudinis, & analogiæ ad illam; ſicut enim operarij primi plus laborauerũt, quàm nouiſſimi; at tamen præter ſpẽ in ſolutione facti ſunt nouiſſimi; & nouiſſimi facti ſunt primi, non ſolùm, quia primò mercedem receperunt, ſed etiã, quia pro paruo labore acceperunt ęqualẽ cum cæteris: idque abſque vlla iniuſtitia ex ſola liberalitate Patris familias; ſic etiam in regno Dei, atque in die nouiſſimo prę ter ſpem eueniet, vt qui putabantur primi, nimirum Iudæi, ſint nouiſſimi, & à regno excluſi: qui verò iudicabantur nouiſſimi, & à Deo alieni, nimirum gentiles, erunt primi, & electi ad regnandum cum Chriſto; idque ex gratia, & liberalitate Dei: qui licet iuſtê remunerabit merita, tamen, quia donauit gratiam radicem meriti, gratis ea dicetur remunerare. Hæc eſt applicatio parabolæ ad concluſionem à Chriſto propoſitam, quam probauit *Ianſenius vbi ſupra pag. 720. col. 2. & Bellomontanus in dicto cap. 4. & ante eos ita explicauit Chryſtomus in dicta homil, 65.* in Matthæũ pag. 539. tom. 2. & cum eo Euthymius ad verba parabolæ. Ex qua explicatione infertur (quod pertinet ad ſolutionem argumenti) non eſſe curandum, quòd ſinguli operarij pro labore mercedem ſuam acceperunt; nec quòd primi, & nouiſſimi eam acceperunt æqualem: ſed quòd præter ſpem hęc omnia contigere: hoc enim poſterius ad finem à Chriſto intentum ſpectat: prius autem potius obeſt. Et ita ruit fundamentum poſterioris explicationis. *Ianſenius. Bellomon. Chryſoſt. Euthym.* Solutio 2. argum.

51. Defenditur 2. ſenſus. Poſteriori autem explicationi optimè accommodabitur parabolæ explicatio, vt ſcilicet propoſitio non per modum illationis ex ea deducatur (quia ex ea potius videtur inferri, æqualitas præmij, quàm illius diſparitas) ſed per modum analogię, & ſimilitudinis, vt iam diximus. Sicut enim præter ſpem nouiſſimi facti ſũt primi; tum quia prius mercedem receperunt, tùm etiam, quia eam receperunt æqualem pro minori labore: ita etiã pręter ſpem continget, vt qui in via plus meruiſſe putabantur, minorem habeant beatitudinem, quàm qui videbantur meritis lõgê inferiores. Et hæc videtur genuina applicatio parabolę, & ſatis accommodata ad finem à Chriſto intentum, quę non ſatis attingunt pleręque aliæ, quæ afferũtur, quas diligentius perſequi nõ eſt huius loci.

Nec

52. Ad 1. c. 2. 1. ſent. Nec oberunt, quę pro priori intelligẽtia adducuntur. Nam ad primũ dicimus, eandem propoſitionem Lucæ 13. priorẽ ſenſum habere; quia illum materia ſubiecta exigebat: at in hoc loco illa exigit poſteriorem, vt parabola clarè inſinuat.

53. Ad 2. Ad ſecundum dicimus, verba illa: *Multi ſunt vocati pauci electi*, in alijs locis ratione materiæ ſubiectę differentiam conſtituere inter vocatos, qui eliguntur, & reprobantur. Quod non tollit, quin in noſtra parabola ratione ſubiectæ materiæ differentiam ponant inter ipſos vocatos, & electos: quæ eſt interpretatio Caietani in eodem loco; vbi vult, eos dici vocatos, qui ex iuſtitia ſaluantur; electos verò, qui ſaluantur ex gratia. Sed quia explicatio hęc fortè nõ placebit; placet magis per electos intelligere, qui in cœlo futuri ſunt magni, & primi beatitudine, & gloria. Quod ſi neutra placet, dicito cum Maldonato, Chriſtum in illis verbis ampliorem dediſſe doctrinam, quam præcedens materia poſtularet, quod ſæpe fecit: vide illum.

54. Ad 3. Ad tertium concedimus in Sacris literis nouiſſimum in regno cœlorum aliquãdo ſumi pro minimo, & excluſo à regno: poſſe tamen interdum ſumi pro vltimo, minore in eodem regno. Quare vtraque explicatio eſt probabilis

Adducuntur variæ ſolutiones primi argumenti.

55. 1. Solutio ad 1. arg. ¶ Ex his, quæ præmiſimus, iam facilis eſt primi argumenti ſolutio. Nam iuxta priorem intelligentiam illorum verborum: *Sic erunt primi nouiſsimi, & cæt.* argumẽtũ omnino ruit: quia negandum eſt, nomine denarij in illa parabola ſignificari vitã æternam iuſtis reddendam: nec enim ſcopus parabolæ eſt, ſignificare præmiũ beatitudinis ordine inuerſo diſtribuendum primis, & nouiſsimis: ſed ſignificare mercedem reddendam, tam iuſtis per donationem gratiæ, qua nouiſsimi fient primi, quia admittuntur ad regnum; quã reprobis per ſeueritatem diuini iudicij, quo primi fiunt nouiſsimi, quia à regno excluduntur. Ita *Ianſenius, & Bellomontanus*, & ita fundamentum hæreticorum corruit. *Ianſenius. Bellom.*

56. Obiectio Caniſij. At, inquit Caniſius 1. *de Corruptela verbi Dei cap.* 10. *pag.* 176. *C.* contra Caluinũ, & Melanctonem, non ſatis prudenter negari, nomine denarij intelligi vitam æternam, cum ab omnibus antiquis ita intelligatur. At tamen hæreticos imprudentes fateor in ſuis erroribus; in hoc autem pũcto non puto, eos adeò diſipere, vt imprudentes dicantur: cum plerique Patrum id etiam negent, quos citauimus in ſecũdo præmiſſo. Quare nec imprudentes appellabo duos inſignes Theologos, Ianſenium, & Bellomontanum, qui id ipſum negant. Non recipitur.

57. 2. Obiectio Rurſus inquies; in parabolis curandũ eſſe de partibus principalioribus; qualis eſt, quæ de eodem denario, eademq; mercede æqualiter data omnibus agit: conſtat autem nouiſsimis, qui facti ſunt primi, datum fuiſſe denarium vitæ æternę. Reſpondeo, in parabolis eas ſolùm partes appellari principales, vt de illis curãdum ſit, quę ſpectant ad finem intẽtum; vt in primo præmiſſo diximus: iam verò denarius ſingulis datus fini intento potius obeſt, quàm prodeſt. Quare pars illa potius ſpectat ad ornatum parabolæ, ex qua nõ ſumitur argumentum efficax. Ad parabolam igitur ſolùm pertinet, quod pręter omniũ ſpem nouiſsimi ſunt prælati primis, & æqualem cum illis mercedẽ acceperunt, vt cũ Chryſoſtomo, & alijs iam aduertimus. Hæc pro defenſione datæ ſolutionis, admiſſa prioris concluſionis intelligentia. Solutio.

58. 1. Solutio primi arg. contra 2. explicationẽ. ¶ Maior difficultas eſt, ſi concluſio illa poſteriori modo explicetur: vnde variæ dantur ſolutiones. Prima admittit, parabola illa ſignificari diſtributionem vitæ æternæ faciendam in die iudicij, ſecundũ quam primi erunt nouiſsimi, & nouiſsimi primi. Admittit etiam nomine denarij ſignificari vitam æternam; ſubinde parabolam conuincere dari in beatis aliquam beatitudinis paritatem; eam tamen, quæ cum diſparitate graduali conſiſtat, admittatque in cœlo alium alio beatiorem. At tamen hanc paritatem non eodem modo omnes exponunt. Primus dicendi modus docet, denarium ſignificare beatitudinem obiectiuam, nempe Deum, qui obiectiuè omnibus æqualiter proponitur; quamuis formalis eius participatio nõ ſit æqualis. Vnde concludunt, beatitudinẽ obiectiuam in omnibus eſſe æqua[lem], nõ [t]amen

tamen formalem. Secundus dicendi modus per denarium intelligit æternitatem beatitudinis, & quòd omnes futuri ſint in cœlo, atque beati, quæ omnia omnibus ſunt æqualiter communia: nec enim, qui beatior erit, maiorem habebit æternitatē, quàm minus beatus. Priorem dicendi modum probat communis Scholaſticorum,
D.Thom. *Ferrar.* *Richard.* *D.Bonau.* *Scotus.* *Sotus.* *D.Thomas 1.2.q.5.art.2.ad 1.& in 4. diſt. 49.q.1.art.4.quæſtiuncula 2.ad 1.& 3.cōtra gent.cap.58. vbi Ferrarienſis. & in eodem loco Matthæi; Ricardus in 4.diſt.49.art.2.q.8.ad.1.D.Bonauentura art.1.q.6.ad 1. Scotus in 4.diſt.50.q.5.ad 1.§. Ad argumenta illius quæſtionis: Sotus in dicta diſt.49.q.3. art.2.§.Sed redarguat quis, & lib.2. de natura, & gratia c.20.*
Conradus. *Valentia.* *Caniſius.* *Veiga.* *Abulenſ.* *Conradus 1.2.q.5.ar.2. ad 1.Valentia ibidem q.5. diſp.1.puncto 3. & 1.tom.q.12.art.6.punct.4: Caniſius lib. 1.de corruptela verbi Dei cap.10.pag.174. D.Veiga 10.in Tridentinum cap.7.ad ſecūdam obiectionem: Abulenſis in Matthæum c. 5.q.64.ad 1.* & eſt recepta ſolutio inter Nouiores Scholaſticos. Poſteriorem verò dicendi modum probant communiter
Auguſt. Patres: *Auguſtin.de Sancta Virginitate cap. 26.tom.6.& de bono perſeuerantiæ capit. 8.*
Hierony. *Gregor..* *Hugo,Vi.* *tom.7.& de verbis Domini ſerm.59.tom.10 Hieronymus 2.aduerſus Iouinianum cap.17. in fine: ſatis Gregor.4.Moralium cap.42.& homil.19.in Euangelia,& 16.in Ezechielē: Hugo Victorinus 10.Allegoriarum cap.45. quibus adhæret Bellarminus lib.3. de iuſtificatione cap.16.*

59. Bellom. & Suarius eā nō recipit. 1.Ratio. Hæc tamen ſolutio nō recipitur à *Bellomontano in dicta diſp. 47.cap.3. num.15. nec à Suario in Cōmentarijs ad 1.2.q.5.art.* 2. Primò; qa ideo operarij murmurarūt, quòd cum maioris eſſent laboris, & meriti, non maiorem mercedem acceperunt: hoc modo ſupponentes, ſe in præmio eſſentiali beatitudinis non eſſe diſpares; cu-
2.Ratio. ius oppoſitum ſupponit ſolutio. Deinde quia ſcopus parabolæ eò tendit, vt oſtendat aliquid inſolitum, & inopinatum contingens præter ſpē in die iudicij: qui euentus inſolitus nō eueniret, ſi in æterna beatitudine ſeruanda eſſet diſparitas, quæ eſſentialiter eſt merces; etiam ſi in obiecto beatifico, & in æternitate, cōmuniq; ratione beandi inter omnes eſſet æquali-
3.Ratio. tas. Tertiò; quia non video, quomodo parabola poſsit applicari illis verbis: *Sic erūt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi*, quæ continēt ſcopū, & finē parabolæ, illis enim ſignificatur diſparitas beatitudinis inter primos, & nouiſsimos; cum tamen parabola iuxta datam ſolutionē potius inferat paritatem, quàm diſparitatem.

Quare eſt ſecunda ſolutio; quæ cum 60.
priori ſupponit, per parabolam ſignificari 2.Solutio.
diſtributionem vitæ æternæ, ita vt primi, ſint nouiſsimi, & nouiſsimi primi; & præterea denarium accipi pro vita æterna, tā obiectiua, quàm formali, nō ſolùm quoad ęternitatem, rationemque communē, ſed etiam quoad rationem indiuidualem, atque gradualem; negat tamen id, quod hæretici ſupponunt; ſcilicet denariū beatitudinis diſpari labori, meritiſque inęqualibus reſpōdere: quia licet primi longiori tēpore laborauerint; nouiſsimi vero vna tantùm hora: verè tñ ęqualis fuit in vtriſq; labor, & æquale opus: licet enim tempore inæquali; intenſius tamen, & maiori conatu laborauerunt; ita vt temporis tarditatem ſolicitudine, & diligentia compēſauerint. Quare cum ęqualis fuerint laboris, & meriti, non mirum, ſi ęquale pręmium acceperint. Hęc eſt ſolutio *Maldo-* Maldon.
nati in eodem loco Matthæi, quæ prius fuit Molinæ 1.p.q.12.ar.6.diſp 1.§.Quòd ſi quis obijciat. Imò expreſſè fuit Chryſoſtomi *homilia 65.in Matthæum Nazianzeni in orat.* Molina. Chryſoſt.
40.(*quæ eſt in Sanctū, Baptiſma*) §. *Verum dicet aliquis, vbi etiam Nicetas, adde Origenem in dicto tract.10.in Matthæum ante finem. Eſt interpretatio Caietani in eodē loco;* Nazianz. Nicetas. Origen.
licet æqualitatem iſtam alio modo explicet ¶ Hanc tamen ſolutionē non admittit Bellomontanus in d. nu.17. & 18. Primò; quia nullus loc⁹ daretur querelæ. Deinde; quia Pater familias eos cōuincit ex eo, quòd velit gratis, & liberaliter omnes exæquare, non attendens ad ęqualitatem laboris, & ideo ſupponens, non omnes æqualiter laboraſſe; alioquin merces non eſſet ex gratia, ſed ex iuſtitia. Tertiò, ſcopus parabolæ eſt oſtendere inæqualitatē præmij inter vtroſque; idq; modo quodam inſolito, & præter ſpem: iam verò nihil inopinatum in vltimo iudiciò apparebit, ſi qui habent merita æqualia, æquale habeant prēmium. Poſtremò non video, quomodo parabola ita explicata poſſit applicari verbis illis: *Sic erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi*, quorum explicādorum gratia propoſita fuit: nam ſenſus

iſte

iſte potius infert paritatem, quàm diſparitatẽ inter primos, & nouiſsimos.

61. Vera ſolutio. Vera igitur ſolutio ſumi debet: quiá applicanda eſt illis verbis, non per modum illationis, ſed ſimilitudinis: vt ſit ſenſus; ſicut, qui nouiſsimi ad vineam venerunt, præter ſpem præmium priori loco acceperunt; & præter opinionem fuerunt in mercede primis exęquati, quamuis inæqualiter laborauerint: ita etiã pleriq;, qui in via videbãtur ſanctitate apud Deum primi, in die iudicij præter ſpem, & inopinato erunt nouiſsimi, id eſt, inferioris gloriæ: & qui videbantur meritis nouiſsimi, & vltimi, tunc erunt primi, & maioris beatitudinis. Ex qua applicatione infertur, non eſſe curandum, quód omnibus facta ſit æqualis ſolutio, vnde ex hac parabola argumentum ſumi non

Abulenſ. poteſt, & hæc ſolutio placuit *Abulenſi in cap. 20. Matthæi q. 22. §. Quantum ad 2.*

Soluuntur cætera argumenta.

62. Ad 2. arg. ¶ Ad ſecundum argumentum negandũ eſt antecedens: continet enim aliam hæreſim eiuſdem Iouiniani à Nouatoribus noſtri temporis ſuſcitatam: omnes ſcilicet iuſtos, æqualiter eſſe iuſtos, & eiuſdem meriti: quam hæreſim Eccleſia olim damnauit, & nunc damnat, vt ſupra diximus. Huius autem hæreſis fundamentũ aliam hæreſim continet: nec enim omnes virtutes ſunt æquales, vt Iouinianus cum Stoicis exiſtimabat; nec ſumus iuſti per iuſtitiam Chriſti nobis imputatam, vt Lutherani commentãtur; ſed per iuſtitiã

Trident. nobis inhærentem, vt definit *Tridentinum ſeſione 6. c. 7. de iuſtificatione, & Can. 10. & 11.* Nec hæreticis hæc parabola vineæ fa-

Maldon. uet, ſed obeſt potius, vt cõtra eos probat *Maldonatus in cap. 20. Matthæi verſ. 1. in 1. Commentat.* ex ea enim conſtat in regno cœlorum, tàm militantis, quàm Triumphantis Eccleſiæ dari primum, & nouiſſimum, id eſt, maiorem, & minorem, tàm in labore, & merito viæ, quàm in retributione Patriæ, vt ex concluſione, quæ eſt ſcopus parabolæ in ſuperioribus oſtendimus.

63, Ad 3. Ad tertium neganda eſt minor, vt patet ex diffinitione florentini, & ex teſtimonijs ſupra relatis. Prima minoris probatio continet hæreſim Stoicorum: Omnia peccata eſſe æqualia: quam non ſolũ damnat fides ex Chriſti teſtimonio Ioannis 19; *Qui me tradidit tibi maius peccatum habet:* Sed etiam omnis generis humani ſenſus, vt teſtatur *Auguſtinus Epiſtol. 29.* Auguſt. *quam etiam damnat in lib. de hæreſibus hæreſi 82. & Hieronymus Epiſtol. 14. D. Thomas 1. 2. q. 73. art. 4. vide Caſtrum verbo peccatũ* Hierony. *hæreſi 8.* Ad ſecundam probationem nõ- D. Thom. nulli teſte *Medina 1. 2. q. 87. art. 4.* conce- Medina. dunt, pœnam damni in omnibus damnatis eſſe æqualem; non tamen pœnam ſenſus, de qua ſola, vt volunt, verificatur diffinitio Florentini: ſed communis, & vera ſententia oppoſitum docet in pœna damni, ſiue illa ponatur in carentia viſionis diuinæ (vt cõmunior Thomiſtarum probat, cum Richardo *in 4. diſt. 50. art. 5. q. 2;* Richard. *Soto q. vnica art. 4. concl. 1. Abulenſi in cap.* Sotus. *25. Matthæi q. 628.*) ſiue etiã ſimul cum Abulenſ. illa carentia eſſentialiter includat triſtitiã ex illa, & ex remorſu conſcientiæ procedentẽ: quæ eſt ſententia *Scoti in 4. diſt. 50.* Scotus. *q. vltim. §. Ad primam quæſtionem, Maioris ibidem q. 2. & Medinæ vbi ſupra, aliorũq; Nouiorum.* Maior. Medina. Et quidem iuxta hanc poſteriorem opinionem abſq; dubio pœna dãni in alijs, & alijs erit maior, & minor, iuxta maiorem, vel minorem grauitatem peccatorum diuina iuſtitia ita ordinante. Idem dicendum erit in priori opinione: licet enim carentia viſionis formaliter ſũpta in omnibus ſit æqualis; quia in omnibus totaliter remouet viſionem Dei: tamẽ ex parte cauſæ, & fundamenti poteſt eſſe inæqualis: hoc enim cõmune eſt priuationibus, & negationibus, vt docet cõmunis philoſophia, de qua *Suarius in Metaphyſi. diſp. 54. ſect. 5. num. 10.* Suarius. Cum igitur cauſa, & fundamentum talis carentiæ ſint peccata: peccata autem in alij s, & alijs non ſolùm plura ſint, & pauciora; ſed etiam grauiora, & minus grauia; fit, vt carentia viſionis ex peccatis cauſata maior ſit, & minor. Et hæc eſt propria huius inæqualitatis Theologia. Plures alias cauſas enumerat *Abulenſis in dicto capit. 25. quæſt. 639. & 640.* Abulenſ.

64. Ad 4. Ad quartum reſpondetur, verba Auguſtini à Magiſtro relata non eſſe intelligenda de gaudio beatifico, ſed de gaudio de bonis creatis proprijs, vel alienis. Nec eſſe intelligenda de æqualitate intenſiua, ex Scoto in d. diſt. 50. q. 5. L, in h[...] enim ſunt

ſunt æquales, quòd ſinguli, & de proprijs bonis, & de bonis aliorum gaudebunt, quia Charitas faciet illis omnia bona eſſe communia, ſed de hoc inferius fortè dicemus.

Ad 5. Ad quintum neganda eſt ſequela: ad probationem facilis eſt ſolutio apud eos, qui negãt, perfectiorẽ intellectũ cũ æquali lumine perfectiorem elicere viſionem. Quid autem dicendũ ſit, ſi ſuppoſitio admittatur, inferius expendemus.

ARTICVLVS II.

An omnes Angeli inter ſe ſint æqualiter beati?

8. PRo complemento huius materiæ inquirendum eſt, an omnes Angeli inter ſint æqualis beatitudinis?

§. 1.

Non omnes eſſe æqualiter beatos.

2. Non omnes ſunt æquales beati. IN hac quæſtione rationẽ dubitandi fecit *Auguſt. 11. de Ciuit. c. 13.* dum aſſerit, omnes Angelos ab initio vſque ad diſcretionem bonorũ à malis fuiſſe ęqualis felicitatis; agit autem de felicitate cœleſti. Dicendũ eſt tamen Angelos in cęlo nõ eſſe pares in beatitudine, ſed alios alijs eſſe beatiores: quæ ſententia eſt cõmunis; eam probat *Magiſter in 2. diſtin. 3. §. 1. D.* Magiſter. *Thomas 1. p. q. 62. art. 6. & 2. 2. q. 24. art. 3.* D. Thom. *ad 3. Aegidius in defenſorio D. Thomæ ad* Aegid. *primam partem art. 21. & in 2. diſt. 3. in 1. p.* Richard. *q. 2. art. 5. dub. 4. literali: vbi etiam Richar-* Caiet. *dus in expoſitione literæ, & latius diſt. 5. art.* Aragon. *2. q. 3. Caietanus 2. 2. q. 24. art. 3. ad 3; vbi* Bañes. *Aragonius, & Bañes; idem Bañes 1 p. q. 62.* Cumelius. *ar. 6. vbi Cumelius q. vnica:* & probant omnes recentiores, qui volunt, Angelos eò eſſe maioris gratiæ, & gloriæ, quò nobiliores ſunt natura. Cũ verò cõſtet, non omnes eſſe pares in nobilitate ſubſtantiæ; bene infertur, non omnes eſſe paris gratiæ, & gloriæ.

3. Et hæc fuit ſententia *Hieronymi 2. cõt.* Hierony. *Iouinianum cap. 15. ad finem: Baſilij in lib.* Baſil. *de Spiritu Sancto cap. 16. pag. 314. Damaſ-* Cyrill. Ier. *ceni lib. 2. de Fide capit. 3. expreſſius Cyrilli* Abbas Cel *Ieroſolymitani Catecheſi 6. tom. 2. Bibliothecæ pag. 87. A. & Catecheſ. 7. ante finẽ pag. 99. B. Petri Abbat. Cellenſis lib. 1. de Expoſitione tabernaculi tom. 5. Bibliothecæ pag. 1593. D: Author. lib. de Inquiſitione Trinitatis apud Auguſt. tom. 3. pagin. 426. D. 1. deniq; Origenis lib. 1. Periarchon c. 6. & 8.* Origen.

Quæ ſententia ex eo cõfirmatur: quia mali Angeli ſicut non parem habuerunt malitiã peccati; ita nec parem, ſed diſparẽ habent pœnam iuxta diſparem demeritorum proportionem: quod tanquam receptiſsimum ſupponimus. 4.

Si verò quæras, in quonam gradu certitudinis hæc ſententia ſit tenenda? Reſpondebo, eam non inueniri ab Eccleſia definitam de Fide: Concilium enim Florentinum nihil de beatitudine Angelorũ dixit: quia tamen hæc ſententia communis eſt inter Theologos, & aliquibus expreſsè probata fuit, ſine aliqua temeritate non negabitur. Nec Auguſtinus initio adductus oppoſitum docuit; quia ſolum egit de beatitudine, & felicitate, in qua iuxta illius ſententiam, tam boni, quàm mali fuerunt creati: quam ipſam mali peccando amiſerunt; boni autem merendo auxerunt. 5. In quo gradu ſit tenenda.

§. 2.

Vtrùm ſuperiores ſint beatiores?

VTrùm autem qui ſuperioris ſunt hierarchiæ, & ordinis beatiores ſint alijs inferioribus? non eſt vſquequaque certum; quia nec prorſus certum eſt, gratuita fuiſſe illis collata iuxta naturæ gradum, & perfectionem: quin potius plures volunt, nihil eſſe abſurdi aſſerere, aliquos ordinis inferioris magis meruiſſe, quàm aliquos ex ſuperioribus, & ſubinde beatiores eſſe: id, quod docuiſſe *Cumelium aduertimus in materia de Angelis.* Quo in loco diximus, probabiliſsimam eſſe ſententiã, quæ Angelos eò facit beatiores, quò ſunt ordine ſuperiores; quæ fuit ſententia *Magiſtri in 2: diſt. 4. & 5. D. Thomæ, & aliorũ,* quos in eodem loco citauimus. Quod etiam inſinuant Patres ſupra adducti, & maximè conſentit cum ijs, quæ docet *Dionyſius in lib. de cœleſti hierarchia.* 6. Non eſt certa pars aſſirmans. Eſt probabilis. Dionyſ.

ARTICVLVS III.

An in Patria omnes homines ſint inæqualiter beati?

1. Quæſtio optima.

OStendimus in 1. art. in Patria non omnes homines ęqualiter eſſe beatos; ſed inter eos alios eſſe alijs beatiores: ſupereſt inquirere: an ōnes futuri ſint beati inæqualiter? an verò aliqui poſſint eſſe beatitudine æquales? nec enim in hoc omnes conueniunt.

§ 1.

Refertur pars affirmans.

2: Pars affirmans. 1. probatio ex Cor. 15.

QVòd omnes homines in Patria futuri ſint inæqualiter beati; nec dari debeat inter aliquos æqualitas, probauit *Paludanus in 4.d.4.q.1.n.9.* cui nōnulli Theologorū noſtri temporis adeo adhærēt, vt putēt Paulū. 1. Cor. 15. cogere ad hoc aſſerendū: agēs enim de gloria reſurrectionis, ita ait: *Alia claritas Solis; alia claritas Lunæ; & alia claritas ſtellarū; ſtella enim differt à ſtella in claritate: ſic erit in reſurrectione mortuorū.* Vbi per claritatē ſtellæ intelligitur cœleſtis beatitudo. Sicut igitur ſtella ita differt à ſtella, vt nullæ dētur paris claritatis: ita etiā beatus ita differet ab alio beato in gloria eſſentiali, vt in ea nulli dentur pares

3. 2. Ex Ioan. 14.

Secundo id probant ex verbis Chriſti Ioannis 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: quæ verba à Patribus cōmuniter ita intelligūtur, vt māſiones dicātur multæ; quia nō ſolū numero, ſed etiā qualitate ſint diuerſæ, & diſpares, vt ſuperius oſtēdimus. Eſt igitur ſenſus: in domo Patris mei ſunt plures numero manſiones, & ſingulæ inter ſe diſpares.

4. 3. Ratio.

Tertiò, in via in ſingulis diſpar eſt gratia, & merita inæqualia. Ergo in ſingulis erit diſpar gloria.

5. 4. Ratio.

Quartò; omnes Angeli ſunt inæquales in gloria. Ergo, & homines. Cōſequentia patet; quia eadem eſt ratio. Antecedēs probatur quoniam gratia, & gloria data fuit Angelis ſecundum differentiā naturæ: iam verò nulli Angeli ſunt natura pares.

6. 5. Ratio.

Quintò; ex ſentētia plurimorum Patrū homines ſaluandi ſunt aſſumendi ad reparandas Angelorum ruinas; & ſubinde ad occupandas manſiones Angelorum, qui ceciderūt. Sed omnes illæ manſiones ſūt inæquales; quia Angeli illi, ſi ſtetiſſent, forent gloria inæquales, ſicut etiā inæquales forent in gratia. Ergo omnes homines erunt inæquales in gloria. Hoc eſt fundamentū Paludani.

7. Vlti. ratio. Origen. Auguſt.

Poſtremò poteſt id confirmari authoritate Patrū. Nā Origenes *tract. 5. ad caput 18. Matth. pag. 60.* ita ait: *Quia nō eſt æqualitas Sanctorū in regno cœleſti.* Auguſt. etiā de cognitione veræ vitæ cap. 46. tom. 4. *& in hac*, inquit, *claritate in tantum quiſque pro meritis ab alio differt; quantū ſtella à ſtella in claritate differt.* De Sancta virginitate cap. 26. tom. 6. ait: *In multis manſionibus honoratur alius alio clarius.* Idem repetit in Enchyridione c. 111. tom. 3. & lib. 22. de Ciuit. c. 30. tom. 5. & multis alijs in locis, ſi igitur vnus ab alio differt, & vnus alio minus habet; vtique nulli dabuntur ęquales. *Proſper etiam de vita contemplatiua c.* Proſper. 4. ita ſcribit: *Quicumque ibi erunt, & ſi differentibus meritis ab inuicem diſtabunt; omnes tamen vna perfectione beati erunt.* Chry Chryſoſt. ſtomus homil. 31. ad Romanos ita ait: *Licet omnes fuerint fideles; pares tamen nō fuerunt, ſed præmijs diuerſi.* Suffragantur verba eiuſdē homiliæ: *Vnde nec in regno cœlorum par honor.* Euidentiór locus in authore operis imperfecti homil. 27. in Matthęū, in hac verba: *Puto, quòd omnes ſancti, quātū ad ſublimitatē diuini iudicij inuicem ſibi, aut inferiores ſunt, aut ſuperiores, ex quo intelligimus, quoniā, qui maiorē non habet, omnibus maior eſt.* Agit autē de Ioanne Baptiſta, quem putat eſſe cæteris omnibus poſitiuè maiorē: & id deducit ex verbis Chriſti ſuppoſita hac opinione, quod in beatitudine non dantur duo æqualiter beati.

§. 2.

Pars negans tenenda eſt.

8: Vera eſt negatiua.

PRo reſolutione aduerte, quęſtionē iſtam ab antiquioribus nō excitari; imò nec à recentioribus, vno, vel altero dempto: de qua nihil certi affirmari poteſt, aut ex ſacris literis, aut ex diffinitionibus Eccleſię, aut ex doctrina Patrū. Puto tamen, non eſſe in aliquibus beatis beatitudinis diſparitatem; quam ſententiam puto eſſe longê veriorem, ne dicam certam. Suar. Eam probauit *Suar. in Cōm. ad 1. 2. quæſt. 5. artic. 2. & 3. tom. ad 3. parte q. 62 art. 4. diſput 7 ſectione 5. poſt principium, & diſput. 28. ſectio. 3. §. Tertia obiectio, & §, Quapropter ſine fundamento*; eam obiter aſſeruit in 2. tom, diſp. 24. ſectione 3. §. Secundo

eſto

eſto hoc, pagina 377. *colum.* 2. *dum admittit, poſſe aliquos eſſe pares Ioanni Baptiſtæ: eandem obiter probauere Cumelius* 1. *parte q.* 62. *artic.* 6. *quaſt. vnic. ad* 3. *&* 5. *& Bañes ibidem, §. Sed contra concluſionem; nec longè eſt à mente Molinæ* 1. *p. q.* 108. *diſp. vnic. in fine: eam aſſerit Maldonatus Matthæi* 20. *verſ.* 1. *pag.* 433. *A. vbi etiam Caiet. ad illa verba: Acceperunt & ipſi ſingulos denarios; imò puto, eam probaſſe D. Thomam in c.* 11. *Matthæi ad illa verba: Inter natos mulierũ non ſurrexit maior*, dum docet, hoc argumentum: *Non ſurrexit maior Ioanne. Ergo eſt maximus omnium*, valere in Angelis, non verò in hominibus: quia, vt ait, in Angelis datur ordo ſecundum naturam; in hominibus autem ſecundum ſolã gratiam: quæ ratio non valeret, niſi ſecundũ gratiam plures poſſent eſſe æquales.

Cumelius. Bañes. Molina. Maldon. Caiet. D. Thom.

9\. Confirmatur ex Patribus. Origen.

Confirmatur hæc ſententia Patrum authoritate. Origenes enim *tract.* 10. *in Matthæum ad finem ita ſcribit: Quoniam nõ tempus reſpicitur, quod quis fecit in fide; ideò non aſpicitur, ex quo quis vocatus eſt; ſed quantum operatus eſt: & propterea omnibus æqualiter tribuitur merces ſalutis.* Agit autem de operarijs vineæ: & ideò docet, iuxta parabolam vineæ, æqualiter laborantes, æqualiter futuros eſſe beatos: & ideò ſupponit, in Patria futuram eſſe aliquorum æqualitatem. ¶ Ex eadem parabola idem colligit *Nazianzenus orat.* 40. *in ſanctum Baptiſma pag.* 392. *col.* 2. *& clarius Nicetas ibidem, atque author operis imperfecti homil.* 34. *in Matthæum in fine: & Hieronymus libr.* 2. *aduerſus Iouinianum cap.* 3. *in princip. ita inquiens: Quis ignorat ſub altera diſpenſatione Dei omnes retro ſanctos eiuſdem fuiſſe meriti, quo nunc Chriſtiani ſumus, & inferiùs ita ſcribit: Non cæteris Prophetis, & Patriarchis, cunctiſque hominibus Ioannem prætulit; ſed Ioannem cæteris exæquauit: non enim ſequitur, vt ſi alij maiores eo non ſint, ille maior aliorum ſit: verum, vt æqualitatem cum cæteris habeat.* quam paritatem non admitteret, ſi illa non daretur in cœlis: concinit *Auguſtinus libro ſecundo contra Aduerſarium legis cap.* 5. *tom.* 6: explicans enim præcitata verba, ita concludit: *Potuerunt enim eſſe Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores; nullus autem maior.* Ecce diſertis verbis Auguſt. non reijcit, ſed admittit, ſanctitatis, & beatitudinis æqualitatem in aliquibus. Author etiam quæſtionum veteris teſtamenti apud Auguſtinum cap. 26. tom. 4. ita ait: *Non dixit, omnibus maior eſt; hoc eſt, æqualem habet, maiorem non habet*: ſimilia verba ſcribit Anſelmus ad eadem verba Matthæi inquiens: *Non enim Ioannem alijs prætulit; ſed Ioanni cæteros adæquauit.* Denique Bernard. in ſerm. de excellentia Ioannis: *Conſidera manſiones regni, & vniuerſum ordinem humanæ generationis: ſolum Ioannem tàm veteris, quàm noui teſtamenti Patribus videbis eſſe præpoſitum, vel æquatum.*

Nazianz. Nicetas. Author operis imp. Hieron, Auguſt.

10\. 1. confirm.

Secundò confirmatur ex parabola vineæ, iuxta explicationem, quòd in omnibus operarijs æquale fuit meritum, & ob id omnes æquale accepiſſe præmium: quæ explicatio noſtram ſententiam reddit probabiliſsimam.

11\. Tertia.

Tertiò probatur; quia non video, cur non ſit admittendum dari in via plures æqualiter iuſtos, & æqualis meriti: nam quod fides docet, non omnium iuſtorum merita eſſe æqualia, & ſi rectè inferat, dari in aliquibus meritorum diſparitatem; non tamen benè infert, eam dari in omnibus: etenim in bona logica (*non omnis*) nõ æquiualet (*nulli*) ſed (*alicui non:*) nam & ſi contingit alium alio plus laborare, & mereri: cur etiam non cõtinget, plures æqualiter laborare? quòd ſi in meritis inter aliquos admittenda eſt æqualitas; cur inter eos non admittetur æqualitas in prꝑmio? nam ex Ambroſio, ſicut ſunt incrementa virtutum, ita & præmiorum.

12\. Quarta.

Quartò confirmatur, quia, vt dicemus in 4. art. non eſt omninò certum omnes Angelos inter ſe eſſe diſparis beatitudinis: quin potiùs oſtendemus, certum eſſe, aliquos homines futuros eſſe pares Angelis in gloria. Cur igitur non erunt aliqui homines inter ſe pares?

13\. Vltima.

Poſtremò efficaciter cõfirmatur: quoniam infantes cum baptiſmo decedentes non poſſunt nõ eſſe in beatitudine æquales: cum enim gratia baptiſmalis in omnibus illis ſit æqualis, ex *D. Thoma* 3. *p. q.* 69. *art.* 6. *& Suarius* 3. *tom. diſp.* 28. *ſect.* 3. *& diſp.* 7. *ſect.* 5. & modò ſupponimus; profectò omnes cum æquali gratia decedent, & cum meritis Chriſti æqualiter applicatis: æqualem igitur habebunt gloriam. Idem dicendum eſt de infantibus, qui olim cum ſola circunciſione, & nunc cum

D. Thom. Suarius.

cum ſolo baptiſmo ſanguinis moriuntur: licet enim, qui diuerſo genere remedij obeunt, inæqualem recipant gratiã; quia vnum remedium eſt alio efficacius: tamẽ qui cum eodem remedij genere decedũt, æqualem gratiam conſequuntur. Porrò ſi in infantibus admittitur æqualitas in gloria; cur non admittetur in aliquibus adultis? etenim argumentum ex infantibus ſumptum ſatis probat æqualitatem beatitudinis non repugnare.

§. 3.

Soluuntur argumenta poſita §. 1.

14. Ad argum. EX dictis patet, tantum abeſſe ſententiam, quæ omnium beatorum inæqualitatem agnoſcit eſſe de fide, vt potiùs aliquid videatur habere temeritatis, cum in re graui à communi doctrina diſcedat.

15. Ad 1. Nec locus Pauli aliquid officit: primò; quia etſi concedendum ſit, aliquas ſtellas eſſe alijs lucidiores, tàm luce natiua, quàm mutuata à Sole; tamen in Philoſophia nõ eſt certũ, non dari duas ſtellas, quæ vtraque luce ſint pares: nã vt de planetis fortè id ſit verum; quia quò Soli propinquiores ſunt, eò magis lucent; tamen in ſtellis fixis id non eſt certum; quia dari poſſunt duæ, quæ Soli ſint æqualiter propinquæ. Quin potiùs quæ ſtellæ alijs ſunt lucidiores, non ita ſe habent, vt nunquam cum illis æqualem lucem habeant: nam iuxta diuerſum ſitum ad Solem magis, aut minus à Sole illuſtrantur: imò datur in aliquibus mutatio vſque ad ecclypſim, vt patet in Luna: hæc igitur cum in nouilunio minus habeat luminis, quàm plures, quas in plenilunio claritate ſuperat; non poteſt in illo motu intenſionis à nouilunio, vſque ad plenilunium, pro aliquo tempore non æquari cum illis. Ob quas rationes Paulus non vſus eſt vniuerſali propoſitione, ſed indefinita: *Stella*, inquit, *differt à ſtella in claritate*, ex qua indefinita propoſitione, ſicut non benè infertur, omnes ſtellas in claritate differre; ita non benè infertur, omnes ſanctos in gloria eſſe inæquales. Quare ad argumentum neganda eſt minor. ¶ Quin potiùs vim

16. non habet, etiam ſi concedamus, omnes ſtellas inter ſe differre in claritate; ita vt nulla alijs ſit æqualis: quoniam D. Paulus illo exemplo principaliter vtitur, vt oſtẽdat, dari differentiam inter corpus, quod ſeminatur, & quod reſurgit: obiter autem voluit inſinuare, etiam inter ipſa reſurgentium corpora futurum eſſe diſcrimẽ. Vnde ſicut noluit adductam ſimilitudinem quoad omnia applicare principaliori intento; ita nec intento minus principali. Senſus igitur eſt: quod ſicut inter corpora datur differentia, non ſolùm in qualitatibus genere diuerſis; ſed etiam eiuſdem generis, & ſpeciei: ita in reſurrectione non ſolùm dabitur diuerſitas inter corpora morientium, & reſurgentium penes qualitates diuerſi generis, quas ſolas explicat; ſed etiam inter corpora reſurgentium penes qualitates eiuſdem generis. Sicut igitur Paulus nihil curauit, an corpora, de quibus agit, eſſent & numero, & ſpecie diuerſa (hæc enim diuerſitas non datur inter corpus moriens, & reſurgens; quia eſt idem numero corpus) ſed ſolum differentiam abſolutè expendit: ita etiam nihil curat de diuerſitate vniuerſali inter omnes ſtellas penes claritatem; ſed de ſola diuerſitate indefinita; quia hæc ſola ad inſtitutum pertinebat.

Ad ſecundum argumentum admittimus, in illis Chriſti verbis manſiones nõ dici multas, præciſè quia numero diuerſas; ſed quia & numero, & qualitate diuerſæ ſunt: at tamen non ideò diuerſæ dicuntur, quoniam omnes & numero, & qualitate ſunt diuerſæ; ſed quia plures earum hanc habent diuerſitatem: conſtat enim omnes manſiones infantium, qui cum ſolo baptiſmo deceſſerunt; ita eſſe numero plures, vt qualitate ſint pares: idem dicendum eſt de manſionibus hominum, qui in gloria ſunt Angelis æquales. Quare Patres non ad eum ſenſum docent, manſiones eſſe & numero, & qualitate diuerſas, quaſi ſingulæ ſint qualitate diſpares; ſed quia plures ſunt hoc modo inæquales. 17. Ad 2.

Tertium argementum ſine probatione ſumit, quod negatur. Ad 3.

Ad quartũ reſpõdetur primò, antecedẽs eſſe ſatis dubiũ, vt ſuprà oſtendimus. Deinde cõſequentiã eſſe inutilẽ: datur enim diſpar ratio in Angelis, & in hominibus, vt ex D. Thoma ſæpè diximus: nam Angelis data eſt gratia, & gloria dependeter no- 18. Ad 4.

à nobilitate naturaliũ,quæ apud D.Thomã in omnib⁹ſũt inæqualia, iã vero in hominibus ſicut gloria datur iuxta merita; ita merita præciſe dãtur iuxta beneplacitũ diuinũ,quia Deus gratis primam gratiã confert,& prima auxilia largitur,his maiora,illis autem minora,prout vult.

19. Ad 5. Quintum argumentum facilè ſolueretur,ſi negaremus minorem. Verum,quiá ſuperius eam probabilẽ exiſtimauimus, ea ſuppoſita reſpondendũ eſt primò,plures Patrũ exiſtimaſſe, tot,& non plures homines ſaluãdos eſſe, quot Angeli ceciderunt. At tamen hanc ſententiã eſſe incertam,ferè omnes affirmant,cum *Magiſtro in 2.diſt.9.§.vlt.vbi D.Thomas q.1.ar. 8. Aegid.q.3.art.1.& cõmuniter alij in eodẽ loco;& in 1.p.q.62.art.6. vbi Cumelius in fine Cõm.Suarius 3.to.diſp.28.art.3.§. Quapropter ſine fundamento:& ſatis docet Auguſt.in Enchyridione c.29.& lib.22.de Ciuitate cap.1.& Greg.citatus à Magiſtro.* Falſum eſt igitur,omnes homines aſſumi ad reparandas ruinas Angelorũ: & verè impium eſt Virginem Deiparam ſucceſsiſſe in ſede,& gloria alicui Angelo lapſo:exaltata enim eſt ſuper omnes Angelicos choros ad gloriã,ad quam nulla pura creatura fuit prædeſtinata.Adde,quia regis priuilegium extenditur ad reginam. ¶ Quare argumentum ſolùm poteſt colligere, eos homines, qui ad reparandas Angelorum ruinas aſſumuntur,non eſſe inter ſe æquales,quod non tollit, quin cæteri æquales eſſe poſsint.

Magiſter. D. Thom. Aegidius. Cumelius. Suarius. Auguſt.

20. Ampliatur ſolutio. Sed nec hoc dabimus aduerſarijs; quoniam reparatio Angelorum facienda per homines electos nõ ita eſt intelligẽda, vt homines,qui Angelis ſuccedũt quoad numerum,ſuccedant etiã in gradu gratiæ,& gloriæ, ad quã illi erant admittendi; quãuis Suarius putet, id eſſe veriſimile, & à Patribus interdũ inſinuari: nam ſi res iſta conſideratius examinetur, non ita debemus cõcipere ruinas cœleſtes,quaſi in cælo ſint aliquæ ſedes,& manſiones vacuæ, à quibus per peccatũ,ſi nõ actu ceciderũt, quia in illis nunquã fuerunt; ceciderũt tñ potẽtia, quia illis à Deo erant deſtinatę, ſi pmãſiſsẽt: abſit inquã, vt ita de cœleſtib⁹ ruinis theologizemus: cũ enĩ nullũ eorũ Deus prędeſtinauerit, nullã illis determinatã ſedẽ,aut manſionẽ deſtinauit. Quare reparatio ruinæ Angelicæ intelligenda eſt ſecundum numerum; quatenus ſcilicet numerus ſupernorũ ciuium, in quo ciuitas Angelica eſt creata, per peccatum diminutus inſtauratur, vt in illa ciuitate, ſaltẽ tot ciues ſint, quot fuiſſent Angeli, niſi cecidiſſent, vt ait Auguſt. vbi ſuprà. Verum, quia non ſolùm reparandus eſt numerus totius Angelicæ ciuitatis; ſed etiam numerus ſingularũ hierarchiarũ, & ordinum;proinde,vt reparatio ſit omnibus modis perfecta; ita reparandæ ſunt ruinæ quoad numerum totius ſocietatis, vt ſimul reparetur numerus ſingularum hierarchiarũ,& ordinũ; ob quam rationẽ reparandæ ſunt ruinę,quoad perfectionẽ gratiæ,& glorię,quę ſingulis hierarchijs, & ordinibus ſecundum diuinam diſpoſitionẽ cõgruit. Quare numerus ſupremæ hierarchiæ reparandus eſt per homines, qui gratiam, & gloriã habeant illi hierarchiæ cõgruentem;& ſubinde,quæ perfectior ſit,& intenſior,quàm gratia,& gloria inferioris hierarchiæ; & ſimiliter dicẽdum erit de alijs hierarchijs, & ordinib⁹. Quod mihi viſus eſt, docuiſſe *D.Gregor. homil.34. in Euangelia,* dùm ait, homines iuxta perfectionẽ ſanctitatis ſingulis hierarchijs,& ordinibus congruentẽ,ad hãc, vel illam hierarchiam,hunc,vel illum ordinem aſſumendos eſſe. Cum verò in ſingulis hierarchijs,& ordinibus detur certa latitudo gratiæ,& glorię, maior,quàm ſit in inferioribus, ſatis eſt ad inſtaurationẽ perfectam, non ſolùm totius ciuitatis cœleſtis;ſed etiam ſingulorũ ordinum, ſi tot homines ad ſingulos ordines aſſumantur, quot à ſingulis ceciderunt Angeli; idque cum gratia ſingulis ordinibus congruẽte; ſiue illa maior ſit, ſiue minor, ſiue etiam æqualis cũm Angelis,qui ceciderũt; imò etiã cũ illis, qui permanſerunt: nec enim opus eſt ad reparationẽ ciuitatis, aut domus,quòd homines de nouo aduenientes ſint in eadem perfectione, & politia cum præcedentibus.¶ Ex quo iam patet alter argumẽti defectus:ſupponit enim in maiore,homines Angelis ſuccedẽtes occupaturos eaſdẽ numero mãſiones, id eſt habituros eundẽ gradũ glorię,quẽ illi habuiſsẽt,ſi permãſiſsẽt;quod nõ eſt admittẽdũ.

21

D.Greg.

22. Ad vltimũ. Ad poſtremũ reſpondetur,locutiones Patrũ illorũ vel explicãdas eſſe in ſenſu indefinito; vel ſecundum ſuppoſitionem accõmodam,quã plerique diſtributiuã cũ excep-

exceptione appellãt. Quare dum Origenes aſſerit, non eſſe æqualitatem ſanctorum, intelligit nõ eſſe in omnibus ſanctis æqualitatem: quãdo verò Auguſtinus ait quemque beatorum ab alijs differre, & alium alio clarius honorari, ſenſum habet accommodum; nec enim ſimpliciter id intelligit de omnibus ſanctis; ſed cum exceptione eorum, qui pares ſunt: plures autẽ pares eſſe ſæpe Auguſt. docuit. Niſi dicas, diſtributionem nõ pro ſingulis generum, ſed progeneribus ſingulorum poſſe hìc ſuo modo applicari. In quo etiam ſenſu explicanda eſt propoſitio Proſperi. Chryſoſtomus autẽ ſolũ agit de Chriſtianis, qui circa Priſcillã, & Aquilam benè ſe geſſerunt; & hos affirmat præmijs fuiſſe diuerſos: ex quo nullum poteſt ſumi argumentum. Authorem operis imperfecti fuiſſe opinionis contrariæ, nõ dubito: nõ eſt tamen audiendus, cum communi Patrum doctrinæ contradicat.

ARTICVLVS IIII.

An omnes Angeli inter ſe ſint æqualiter beati?

1. QVod de beatis hominibus quæſiuimus, quæri etiam poteſt de Angelis, an. ſ. ita detur inter eos beatitudinis diſparitas, vt oſtendimus art. 2. vt omnes ſint beatitudine diſpares? ¶ Partem affirmantem inſinuat *Paludanus in 4. diſt. 4. q. 1. n. 9.* eandẽ probare debent, qui cum illo putant, omnes Angelos differre ſpecie: etenĩ apud iſtos Angelis data fuit maior, vel minor gratia, & ſubinde gloria, iuxta maiorem, vel minorem naturæ nobilitatem: & ita nullus erit cũ alio gratia, vel gloria æqualis. Quod inſinuat *D. Thomas ad caput. 11. Matthæi ad illa verba: Inter natos mulierum,* dum ait, valere in Angelis hoc argumentum, *Non eſt Angelus maior iſto. Ergo iſte eſt omnium maximus:* quæ cõſequentia non valeret, ſi apud D. Thomã poſſent dari duo Angeli gloria ęquales.

Pars affirmans Paludani.

D. Thom.

2. Sit tamen prima propoſitio: *Incertum eſt, an omnes Angeli inæqualiter ſint beati:* ita Suarius *in Commentar. ad 1. 2. q. 5. arti. 2. & 3. tom. ad 3. p. diſput. 7. ſect. 5. & diſp. 28. ſectione 3. §. Tertio dici poteſt,* probatur; quia incertum eſt, an omnes Angeli ſpecie diſtinguantur: quãuis enim omnes Thomiſtæ affirmẽt, Angelos omnes ſpecie differre; quidquid ſit de quæſtione; an poſsint differre ſolo numero (de quo latè diximus in materia de Angelis) tamen oppoſitam ſententiam probãt grauiſsimi Theologi: quorum alij putant, omnes eos eſſe eiuſdem ſpeciei; alij verò eiuſdẽ eſſe ſpeciẽi, qui ſunt eiuſdẽ chori: vtrãq; ſententiã eſſe probabilẽ plures affirmant. Quid autem in hac controuerſia dicendum ſit, *ignorat Auguſt. in Enchyridio ne c. 58. & 12. de Geneſi ad literã c. 29. & cõtra Priſcillianiſtas c. 11.* quamuis videatur inclinare, quod omnes ſint eiuſdẽ ſpeciei, in quam ſententiã inclinant *Nazianzenus, Baſilius, Damaſcenus, & alij,* quos in materia de Angelis retulimus. Quare cum res iſta ſit controuerſa, fundamentũ allatæ opinionis non eſt omnino certum.

1. Propoſitio.

Suarius.

Auguſt.

3. ¶ Quinimò nec id neceſſario inferri poſſet, etiã ſi daremus, omnes ſpecie differre. Quod verò hoc admiſſo nõ neceſſario inferatur inæqualitas gloriæ, ex eo primò oſtẽditur, quoniã non eſt vſquequaq; certũ, gratiam fuiſſe Angelis collatam, iuxta maiorẽ, vel minorẽ naturæ nobilitatem: quin potius ex Richardo in 2. diſt. 5. art. 2. q. 3. ad 1. auxilia ſupernaturalia ante conuerſionem in omnibus fuerũt æqualia: potuit enim Deus nõ attendere ad naturalium menſuram, ex *Cumelio in d. art. 6. Corollario 1.* Quid autem fecerit Deus, nec cõſtat ex Sacra Scriptura, nec ex traditione diffinitioneve Eccleſiæ, nec Patrum doctrina.

Cumelius.

4. Deinde, quamuis admittamus, auxilia data fuiſſe illis iuxta ordinem naturaliũ; adhuc non benè infertur inæqualitas in gloria: cum enim omnes eſſent liberi; ſicut peccare potuerunt; ita potuerunt nõ cooperari gratiæ ſecundum totum ſuum conatum; ſed remiſsius, quàm inferiores in natura: poterunt etiam ſe exercere in operib⁹ minoris meriti ex ſuo genere; vel denique potuerunt non elicere tot numero actus meritorios, vt aduertit Molina prima parte quæſt. 62. articulo 6. in fine, & Cumelius ibidem Corollar. 2. cum pluribus alijs. Quare cum id ſit omnino incertum, nihil abſurdi dicet, qui dixerit, aliquos Angelos inferioris naturæ plus meruiſſe, quàm aliquos ex ſuperioribus, vt diximus in materia de Angelis.

Extẽditur.

Sec...

5. 2. propoſit. Secunda propoſitio: *An omnes Angeli ſint inæqualiter beati? pro vtraque parte eſt probabile.* Pro quo ſuppono, probabiliſsimum eſſe, Angelos, quò inter ſe ſunt perfectioris naturæ, eò plus gratiæ, & gloriæ fuiſſe conſecutos: nam præter rationes congruentiæ; hæc ſententia eſt communiſsima: *ita Magiſter in 2. diſtin. 3. §. 3: D. Thomas 1. p. q. 62. art. 6. & 2. 2. q. 24. art. 3. ad 3. Ægidius in defenſorio ad 1. p. art. 21. & in 2. diſt. 3. 1. p. q. 2. art. 5. dub. 4. literali; Richard. ibi in expoſit. literæ, & latiùs diſt. 5. art. 2. q. 3. Caiet. Bañes, & noſter Aragonius 2. 2. vbi ſuprà: idem Bañes 1. p. q. 62. art. 6. vbi Cumelius q. vnic. atque Molina. Et videtur eſſe doctrina Baſilij in lib. de Spiritu ſancto c. 16. pag. 314. D. & Damaſceni lib. 2. de fide cap. 3.*

Magiſter. D. Thom. Aegid. Richard. Aragon. Bañes. Cumelius. Baſilius. Damaſc.

6. Suppoſita hac ſententia, iam patet vtriuſque partis probabilitas. Nam probabile eſt, omnes Angelos ſpecie differre. Ergo ſi quò vnus eſt natura nobilior, eò eſt maioris gratiæ, & gloriæ; nulli dabuntur, qui gratia, & gloria ſint æquales. E contrario cum probabiliſsimum ſit, non omnes ſpecie differre; probabiliſsimum etiam erit iuxta præmiſſam doctrinam, eos æquales eſſe gratia, & gloria.

ARTICVLVS V.

An inter homines, & Angelos neceſſariò detur beatitudinis inæqualitas?

§. 1.

Opinio affirmans.

1. Opinio affirmans Euſtrathij. Poterit aliquis dubitare; an Angeli ſint omnibus hominibus beatiores? an verò dentur homines in beatitudine, aut æquales, aut ſuperiores Angelis, vel omnibus, vel aliquibus? ¶ Quorundã fuit opinio, *teſte D. Thoma 1. p. q. 108. art.* 8. homines nullo modo transferri poſſe ad æqualitatem beatitudinis Angelorũ; & ſubinde omnes futuros eſſe in beatitudine Angelis inferiores. *Ita ſenſit Euſtrathius Epiſcopus ad 6. Ethic. vt teſtantur D. Thomas in 2. diſt. 9. q. 1. art. 8. & Aegidius q. 3. art. 1.*

2. 1. argum. Fundamentum eſt, quia homines ſunt inferioris naturæ: iam verò Angelis gratia fuit collata, iuxta naturæ nobilitatem.

3: Deinde Angelus inferioris hierarchię, aut ordinis, non poteſt aſcendere ad hierarchiam, ordinemvè ſuperiorem, ergo homines, cum ſint hierarchiæ eccleſiaſticæ, & inferioris, non poſſunt transferri ad hierarchias, ordinesvè Angelorum. 2. argum.

4. Tertiò; quia animæ ſanctæ nullum habent actum hierarchicum in homines fideles. 3. argum.

Quartò confirmatur ex Hieronymo Pſal. 91. ad illa verba: *Plantati in domo Domini, & cætera,* vbi ſatis inſinuat, homines in gloria futuros eſſe inferiores Angelis in beatitudine. 4. argum.

5. Poſtremò. Poſtremò confirmatur ab eodem Hieronymo ex verbis Chriſti Matthæ. 22. *Erunt ſicut Angeli Dei*, quod aduerbium non adæquationem, ſed inferioritatem denotat.

§. 2.

Vera eſt opinio negans.

6. Negatiua eſt vera. Oppoſitam tamen ſententiam probauit communis Theologorum: omnes enim hanc generalem cõcluſionem ponunt: plures beatorum hominum non ſolùm beatitudine æquabũt plures Angelorum, ſed etiam ſuperabunt; plures etiam omnibus Angelis erũt inferiores. *Ita D. Thomas 1. p. q. 108. art. 8. & 1. 2. q. 4. art. 5. ad 6. & in 2. diſt. 9. q. 1. art. 8. & in 4. diſt. 47. q. 1. art. 2. quæſtiũc. 3. ad 3. Fuit etiam ſententia Magiſtri in 2. diſt. 9. vbi D. Bonauent. art. 1. q. 5. Aegid. q. 3. art. 1. Richard. art. 2. q. 5. Gabriel q. 1. Argent. q. 1. art. 2. Durand. q. 2. & in 3. diſt. 14. q. 1. n. 8. Caiet. 1. p. q. 108. art. 8. Cumelius ibidem q. vnica, notabili 1. Bañes in fine commentarij, Molina diſp. 1. in fine, Bellarminus 2. de gratia, & libero arbitrio c. 17. §. Deinde homines, pag. 508. C.*

D. Thom. Magiſt. D Bonau. Richard. Ægid. Argent. Durand. Caiet. Cumel. Bañes. Molina. Bellarm.

7. Ex Scriptura. Quam ſententiam confirmant ex verbis Chriſti *Matthæi 22. & Marci 12: In reſurrectione erunt, ſicut Angeli Dei in cælo,* clariùs Luc. 20: ęquales enim Angelis ſũt.

8: Auguſt. Hieron. Confirmatur ex Patribus; ita *Auguſt. in Enchirid. c. 29. & 63. & in epiſt. 111. pag. 197: Hieronymus in Ezechielem c. 12. ad illa verba: In die illa protegat Dominum, tom. 5. pag. 265. G. & epiſt. 29: Didymus in lib. de Spiritu Sancto apud Hieronymum tom. 6. pag. 229. Chryſoſtomus homil. 24. in Ioannẽ tom. 3. pag. 354. & homilia 32. in eundem, pag. 661. D. & homil. 2. de laudibus Pauli in princ. tom. 3. & rurſus ante finem; denique*

Didymus. Chryſoſt.

*ſerm.8. ad Philippenſes, Greg.homil. 34. in Euangelia tom.2.pag.*125.

9. *Baptiſta æqualis Angelis. Bernar. Chryſoſt. Chryſolog.* Facit pro hac ſententia; quoniam plures ex Patribus Ioannem Baptiſtam æqualem faciunt Angelis etiam ſupremis, *Diuus*, inquam, *Bernard. in ſerm. de excellentia illius, Chryſoſtomus de opere imperfecto, & Chryſologus ſerm.*127.

10. *Confirmatur ratione.* Poſtremò confirmatur ratione theologica ex Paulo ad Epheſios 1: *Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo.* Ex quo loco omnes Patres colligunt, Angelorum ruinas inſtaurandas eſſe hominibus beatis: ita, vt ſicut ex ſingulis ſingularum hierarchiarum choris plures ceciderunt; ita ſinguli ſint inſtaurandi beatis hominibus: *ita Auguſt. in Enchyrid. c.29. & lib.22. de Ciuitate cap.1. & 65. Hieronymus lib.1. in Threno., & in vlt. comm. Greg. homil.34. in Euangelia: Gloſſa interlinialis, & ordinaria in d. loco Pauli.* (*Auguſt. Hierony. Gregor. Gloſſa.*) Quod etiam quidam deducunt ex Pſal. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Ex quo infertur, non poſſe homines nõ modo non eſſe æquales pluribus Angelis, ſed etiam ſuperiores; quia ad chorum ſuperiorem non niſi beatior poteſt pertinere.

§. 3.

An hæc ſententia ſit de fide?

11. *Eſt de fide ex D. Tho.* Tota dubitatio eſt, in quonam gradu certitudinis habẽda ſit hæc ſententia? D. Thomas putat, eam eſſe de fide *1.p.q.108.art.8. & in 2.diſt.9.q.1. art.8. & 3.cont.gent.c.57. in fine, Aegid. Cumelius, & Bellomontanus vbi ſuprà.*

Oppoſita ſententia. ¶ Huic tamen cenſuræ opponitur *Bañes in d.art.8. in fine*, affirmans, non eſſe licitum ab ea diſcedere; non eſſe tamen temerarium, omnes ſanctos (Chriſto, & Virgine exceptis) eſſe in beatitudine eſſentiali omnibus Angelis inferiores; quanuis aliquid temeritatis ſit, Apoſtolos non excipere.

12. *Reſolutio.* Dicendum tamen eſt, ſententiam negantem verè eſſe hæreticam, ſi nec Chriſtus, nec Virgo Mater excipiantur: illis tamen exceptis, nec hæreticam, nec erroneam dixerim; ſed pluſquam temerariã. Prima pars eſt nota; quia Chriſtus ab Angelis adoratur: Virgo autem ſuper omnes choros Angelorum eſt exaltata, & Regina cœlorum dicitur ab Eccleſia.

¶ Secunda pars inde oſtenditur; quia nulla eſt diffinitio Eccleſiæ; nulla traditio Apoſtolica; nulla denique authoritas Scripturæ, vnde hæc fides deducatur. 13. Quòd nulla ſit, aut Eccleſiæ diffinitio, aut Apoſtolica traditio, certum eſt: loci verò, qui ex Scriptura obijciuntur, non ſatis conuincunt: (*Loci Scripturæ nõ cõuincunt.*) nam loci ex *Matthæi 22. & Marci 12. & Luc.28.* non ſatis ſunt, vt oppoſita ſententia erroris damnetur: quia intelliguntur non de æqualitate in beatitudine eſſentiali; ſed de æqualitate in conditione ſtatus; vel ratione immortalitatis, & incorruptibilitatis, in qua erimus Angelis pares, ex *Auguſt. 22. de Ciuit. c.17. & authore de vanitate ſæculi cap.2. tom.9. apud eundem, & ex Beda in d. c.20. Lucæ*; (*Auguſt. Beda.*) vel potiùs ratione puritatis in carne, de qua ſola eo in loco agebatur: erimus enim in cœlo, ſicut Angeli Dei, & in hoc illis æquales, quia in carne ſine operibus carnis viuemus, vt ait *Hieronymus epiſt.61. c.11. & Chryſoſtomus homil.71. in Matthæũ*; (*Hieron. Chryſoſt.*) & eſt communis explicatio ex antecedẽtibus deducta: agebatur enim ibi contra Sadducæos, qui, vt deſtruerẽt reſurrectionis articulum, argumentabantur ex muliere, quæ ſeptem viros habuit, quaſi ſentirent, reſurrectionem in carne ſine actu carnis non eſſe poſsibilem: quos Chriſtus in verbis citatis redarguit.

14. *Locus Pauli non conuincit.* Locus Pauli ad Epheſios 1. non conuincit inſtaurationem ruinæ Angelicæ: nec in hoc ſenſu ab omnibus Patribus explicatur: quin potiùs alium eſſe verborum ſenſum conuincit verbum græcũ ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod nõ ſignificat reſtaurare, ſed recapitulare, & ab initio ſummatim recenſere omnia, quæ dicta ſunt, vt aduertit *Tertullianus 5. aduerſus Marcionem c.17. vbi Pamelius annot. 26. & in lib. de Monagamia c.5. & D. Hieronymus in eodem loco*; (*Tertull. Pamelius. Hieron.*) *qui omnes pro inſtaurare* legũt *recapitulare*: iuxta quam lectionem ſenſus Pauli eſt iſte: *in Chriſto*, id eſt in cruce, & paſsione, *Deus recapitulauit, & breui quadam epilogo complexus eſt omnia myſteria, & omnem diſpenſationem eorum, quæ vel in terris, vel in cœlo geſta ſunt.* Cui expoſitioni accedit *Anaſtaſius Sinaita in Prologo anagogicarum contemplationum 1. tom. Bibliothecæ pag.178.C.D.E.* (*Sinaita.*) vt ideò Deus

Chryſoſt. Theophyl. Oecum.

in Cruce recapitulauerit; quæ in cœlis ſunt,& in terra; quia impleuit omnia,quę de ipſo figurata ſunt. Vel cum *Chryſoſtomo ibidē ſerm.1, Theophylacto, & Oecumen.* quòd Deus veluti quadā recapitulatione ad vnum caput redegerit, quæ ſunt in cœlis, & in terra; quia Angelos, & homines ad vnum caput coniunxit, dùm Chriſtū Angelorum, & hominum vnum caput conſtituit. Cui explicationi conſonant verba vltima eiuſdem capitis: *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*; ad quam accedit explicatio *Anaſtaſij Epiſcopi, Nyſſeni q.61. in ſacram Scripturam 1.tom. Bibliothecæ pag.97.* dum ait: Inſtaurauit, & ad vnū redegit omnia, quæ in cœlis ſunt, & in terra; quia omnia iſta pacificauit per ſanguinem ſuum ad Coloſſenſes 1. Porrò ſi legendum eſt, *inſtaurare* cum editione vulgata, adhuc locus non conuincit: quia Deus in cruce Chriſti dicitur inſtauraſſe, quæ in cœlis ſunt, & in terris; quia liberauit omnem creaturam tam cœleſtē, quàm terrenam ab expectatione reuelationis filiorum Dei, iuxta illud Pauli ad Romanos 8: *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, reuelationem filiorum Dei expectans.* Quæ eſt explicatio Theodoreti, & Oecumenij in eodem loco: vel ex eo, quia conſummauit gaudium hominum, & Angelorum ex Anſelmo in eodem loco, vt omittamus explicationē Ambroſij.

Anaſtaſius Nyſſenus. — Ad Col. 1. — Ad Rom. 8.

16\. Cum igitur locus Pauli variè explicetur, non ſatis eſt ad probandam reſtaurationem ruinæ Angelorum per homines: ſicut etiam ad hoc non ſatis eſt locus ex *Pſalmo* 109. quia non intelligitur, niſi de ruinis inimicorum, quas Chriſtus ideò dicitur impleturus; quia eas omnino eſt cōpleturus, omnes deſtruens inimicos, quæ eſt communis explicatio. Quin potiùs, admiſſo illo ſenſu poſſet quis dicere, hāc reſtaurationem faciendam eſſe, quoad numerum, in quo Angelorum ciuitas fuit creata: quæ reſtauratio ſine æqualitate cū Angelis fieri potuit: & qui ita diceret, falſum diceret; non tamen diceret aliquid erroneum.

Nō ſatis eſt locus ex Pſ. 109.

17\. Tertia pars cenſuræ ſtatuitur contra Bañes; & probatur efficaciter: primò; quia ita habet communis fidelium conſenſus: ita docent Patres, atque omnes ſcholaſtici, nemine excepto: nam Euſtratius contra hanc ſententiam nihil dixit: hæc enim ſola verba ſcribit in 6. Ethicor. c.6. com.2: *Quo circa nemo ab anima tātum profectum requirat, vt in perfectam intellectus operationem poſſit peruenire.* Quæ verba dicta ſunt de naturali profectu ex naturali virtute animæ proueniente: nam immediatè addit: *Ne in ſubſtantiam quoque eius immutari eam, concedendum ſit: donec enim ſubſtantia animæ ſeruatur, fieri non poteſt, vt in eam operationum præſtantiam aſcendat, quæ ſuperiori naturæ adæquetur; ne cogamur poſtea fateri cauſatam à ſubſtantia operationem ſuperioris, & præſtantioris cognitionis, quam ſubſtantiæ conueniat, cauſam extitiſſe, quod à ratione prorſus eſt alienum.* Ecce apertè agit de operatione connaturali naturæ Angelicæ: quare non negat, diuinitus poſſe eleuari, vt in operatione ſupernaturali Angelis adæquetur. Nullus igitur eſt Theologorum, qui noſtram concluſionē non probet: quod in re quoquo modo ad fidem pertinente ſatis eſt, vt oppoſitum ſit, pluſquam temerarium.

Quod oppoſitum ſit temerariū. — Euſtrat.

Accedit; quia pluſquam temerarium iudicauerim, negare homines, non eſſe aſſumendos ad diuerſos Angelorum choros: id enim docent Patres, quos citauimus; nec poteſt ſine temeritate negari de Ioanne Baptiſta, & Apoſtolis, quod ad ſupremam Angelorum hierarchiam ſint aſſumpti. Et de Baptiſta id ſatis confirmant, quæ in eius laudem ex Patribus ſcribit *Caniſius lib. 1. de curruptela verbi Dei cap. 10. pag. 158*: apud quos Angelis coæquatur; non quidem indiffinitè, ſed omnibus etiam ſuperioribus: vnde *Bernardus in ſerm. de Laudibus illius* eum trāſfert ad Seraphinos. Et vt ſummatim omnia complectamur, ex Auguſtino ſerm. 4. de eodem: *Quiſquis Ioanne plus eſt; non homo, ſed Deus eſt*: quod etſi per hyperbolem dictum eſt (quia Virgo Mater maior eſt Ioanne) tamen hyperbole illa ſupremam inter omnes creaturas excellentiā, & ſanctitatem denotat. De Apoſtolis verò id ſuadet; quod in Ciuitate noua Hieruſalem (quam vnam eſſe cognoſcimus) Apoſtoli ſunt duodecim fundamenta, vt habetur Apocalypſis 21: primitias etiam ſpiritus habuerūt ad Romanos 8: nec credendum eſt minus vberiorem fuiſſe gratiam redemptionis, quàm creationis. Admiſſo autem, quòd homines ad diuerſas 18.

18\. Alia ratio.

Caniſius. — Bern.

Ange-

Angelorum hierarchias, & choros; cum eò maior ſit gratia, & ſanctitas, quò chorus eſt ſuperior; negari non poteſt, homines ſuperioris chori gloria ſuperare Angelos chori inferioris.

19. Si quis inquirat, an omnes homines ad tres illas Angelorum hierarchias, nouéq; illarum choros ſint aſſumendi; ita vt nec quarta hierarchia, nec decimus chorus ex hominibus conſtituatur? hoc ad noſtrũ inſtitutum non ſpectat: verior tamẽ ſententia habet, nec plures, aut hierarchias, aut choros dandos eſſe: & ſubindè omnes homines ad nouem choros Angelorum eſſe aſſumendos, iuxta gloriæ varietatẽ, vt docet *D. Thomas 1. p. q. 108. artic. 8. vbi Caietanus, Bañes, Cumelius, & Molina: Magiſter etiam in 2. diſt. 9. cum D. Thoma ibidem, & cæteris, quos citauimus.*

Homines non conſtituunt 4. hierarch. nec 10. chorũ.

§. 4.

Soluuntur argumenta partis affirmantis poſita §. 1.

20. Ad 1. arg. Veritati explicatæ non obſtat, homines eſſe inferioris naturę, quâm Angelos: quia hominibus non eſt data gratia, & gloria ſecundum nobilitatem naturæ, ſed ſecundum diuinum beneplacitum: quare & ſi homines natura ſint inferiores Angelis; poſſunt tamẽ eſſe illis vel æquales, vel ſuperiores gratia: nam via in hominibus eſt longior, poſſuntque homines pluribus actibus mereri; & eorum merita innituntur meritis Christi; & ob id poſſunt eſſe longè vberiora, & efficaciora.

21. Ad 2. Nec ſecundò obſtat, quòd Angeli inferioris hierarchiæ non poſſunt aſcendere ad ſuperiorem: id enim ex eo prouenit, quòd cœleſtes hierarchiæ ſunt inter ſe eſſentialiter diſtinctæ; diſpoſitiuè quidem ſecundum diſtinctionem naturaliũ; completiuè ſecundum diſtinctionem gratiæ ex *D. Thoma recepto 1. p. q. 105. art. 5:* porrò hierarchia eccleſiaſtica ſolùm accidentaliter diſtinguitur à cœleſti; quatenus ſcilicet eſt in via ad cœleſtem, vt docet *D. Thomas in 2. diſt. 9. q. 1. art. 8. ad 4:* ita enim ſe habet ad hierarchiam cœleſtẽ, ſicut ſe habuit hierarchia teſtamenti veteris ad hierarchiam noui, vt ex Dionyſio refert D. Thomas: iam verò hierarchia vetus erat in via ad nouam, & ſubindè ſuo tempore erat aſſumenda ad eam: ſimili igitur modo hierarchia eccleſiaſtica, cũ ſit in via ad cœleſtem, ad eam tandem aſſumetur: aſſumpta verò non conſtituet diſtinctam hierarchiam; ſed erit ab ea indiſtincta: quia ceſſabit ratio, qua in via ab ea diſtinguebatur: quando ſcilicet diuinas illuſtrationes (à quibus ſumitur formalis ratio diſtinguendi hierarchias) percipiebat per ſenſibiles ſimilitudines: has enim in Patria iam recipiet intelligibili puritate, ſicut eas recipiunt Angeli. Quare ex illo antecedente non benè infertur, homines, qui in via ſunt hierarchiæ inferioris, non poſſe aſcendere ad cœleſtes. Et ad hanc ſolutionem reuocari poteſt ſolutio *D. Thomæ in d. q. 108. art. 8. ad 1.*

D. Thom.

22. Ad 3. Nec obſtabit tertiò, in Patria actus hierarchicos animabus Sanctorum non conuenire: quoniam officia Angelorum, & actus hierarchici circa res humanas adminiſtrandas, non conueniunt Angelis pręciſè ratione hierarchiæ, aut ordinis; ſed ratione naturæ, ſecundum quam medij ſunt inter homines, & Deum, ex D. Thoma in 2. diſt. 9. q. 1. art. 8. ad 5: decet enim, vt qui ſuperioris ſunt naturæ, inferiori naturæ præſint; & ob id ſecundum legem communem animabus ſanctis non committitur humanarum rerum adminiſtratio; benè tamen ſecundum ſpecialem Dei diſpenſationem: legimus enim, plures Sãctorum ad nos ſæpiùs deſcendiſſe, & curam multorum egiſſe, vel eos illuminando, vel patrando miracula, vt docet *Aug. de cura agenda pro mortuis cap. 16. & ex eo D. Thomas in d. q. 108. art. 8. ad 2. & Ægid. in 2. diſt. 9. q. 3. art. 1. ad 4. cum alijs.*

Auguſt. D. Thom. Aegid.

23. Ad 4. arg. Quod quarto loco obijcitur ex D. Hieronymo ſolui poteſt, vel dicendo, librum illum non eſſe illius; vel eum non ſuam, ſed aliorum ſententiam referre, vt ſæpè ſolet: vel agere de animabus ante reſurrectionem, quas cum Auguſtino exiſtimat non habere completam ſuam beatitudinem, vt quæ ex appetitu ad corpus non toto conatu in diuinam eſſentiam ferantur; & ob id dici manere in atrio: cum tamen poſt reſurrectionem futuræ ſint æquales Angelis, vt in alijs locis ſæpè aſſerit: ſed cum in hoc eius opinio à pluribus non probetur, cõmuniter non recipitur.

24. Ad vltimũ. Poſtremò aduerſarię ſententię non fauent verba citata Matthæi 22: quia [...]ctio-

nis,

ſicuti, licet nõ ſignificet veritatem, ſed ſimilitudinem; ibi tamen non ſignificat ſimilitudinem cum diminutione inferioritatis; ſed cum æqualitate, vt conſtat ex Lucæ 20. vbi dicitur, *Erunt æquales Angelis Dei*. Adde etiam; quia aliquando importat æqualitatem, ex *D. Thoma in cap. 10. Ioannis lect. 4. & in cap. 15. lect. 2. vtrobique in principio*. D. Thom.

§. 5.

Vtrùm in beatis detur inæqualitas, etiam in iis, quæ beatitudinem conſequuntur.

25. Quæſtio. PRo complemento huius quæſtionis ſupereſt inquirere, vtrum in iis, quę beatitudinem cõſecũtur, detur etiã inæqualitas in beatis? Pro quo aduerte, beatitudinem eſſentialem habere naturales perfectiones, in quibus beatitudo accidentalis conſiſtit. Hæ autem ſunt in duplici differentia: quædam enim ſunt intrinſecę, & veluti paſsiones, vt amor, fruitio, ſiue gaudium; aliæ ſunt veluti accidẽtales; quarum aliæ ex natura rei comitantur beatitudinem, vt gaudium de beatitudine, tam propria, quàm aliorũ, quod non eſt beatificum: aliæ verò inſunt non præciſè ratione beatitudinis, ſed aliunde oriuntur, nimirum ex aliquo titulo, vel dignitate, vt aureolæ, & fructus beatitudinis.

26. 1. concl. Sit prima concluſio: *Perfectiones intrinſecæ non ſunt in omnibus æquales, ſed inæquales*: recipitur ab omnibus, expreſſè à Soto in 4. diſt. 49. q. 3. ar. 2. concl. 2. Probatur; tum; quia hæ perfectiones per ſe conſequuntur eſſentialem beatitudinem. Ergo cum hæc non ſit in omnibus æqualis, nec illę æquales erunt. Tùm etiam; quia hæ perfectiones ſuo etiam modo ſunt præmium, & merces; vnde diſparibus meritis diſpariter reſpondebunt. ¶ Hinc inferes, nec amorem beatificum, nec fruitionẽ eſſe æqualia in omnibus beatis: ſũt enim veluti paſsiones naturales viſionis. Auguſt. Nec his repugnat Auguſtinus relatus à Magiſtro in 4. diſt. 49. §. *Solet quæri*, dùm ait: *Erit in diſpari claritate par gaudium*: agit enim, non de gaudio beatifico; ſed de gaudio, quod habetur de bonis creatis: addit enim: *Vt quod habebunt ſinguli, commune ſit omnibus*: ſinguli enim de bonis ſingulorum, atque de bonis proprijs gaudebunt. Quin potiùs & hoc gaudium in illis erit intenſione diſpar, quanuis extenſione obiectiua ſit par, vt dicemus in ſecunda concluſione.

Secunda concluſio: *In perfectionibus accidentarijs, quæ ex natura rei beatitudinem ratione beatitudinis vel conſequuntur, vel comitantur, datur etiam inæqualitas*. Probatur; quia hæ perfectiones dantur iuxta menſuram beatitudinis eſſentialis. Erunt igitur inæquales ſicut & illa. Hinc primò colliges, gloriam corporis, doteſq; illius, non eſſe in omnibus pares, vt dicemus tom. 3. Colliges ſecundò, beatiorem magis gaudere de ſua propria beatitudine, quàm minus beatus gaudeat de ſua propria: quia gaudebit ex charitate intenſiore, quæ intenſius operabitur, cum ſecundum totũ poſſe ſemper operetur. Quin potiùs beatior intenſius gaudebit de beatitudine alterius inferioris, quam ille alter de ſua, *ita D. Bonauent. in 4. diſt. 49. ar. 1. q. 6. ad vlt. n. 28*: probatur autem eodẽ fundamento. Quare etſi omnes beati in hoc erũt æquales, quod ſinguli & de proprijs bonis, & de bonis aliorũ gaudebunt, vt docet *Auguſtinus citatus à Magiſtro vbi ſuprà, & tract. 67. in Ioannem, & D. Greg. 4. Moral. c. 42.* (Charitas enim Patriæ omnia bona faciet eſſe communia, & ideò hæc æqualitas appellatur obiectiua, ſiue extenſiua à *Scoto in 4. diſt. 50. q. 5. litera L.*) non tamen gaudium illud in omnibus erit intenſiuè æquale, ſed intenſius in beatioribus. 27. 2. concl. D. Bonau. Auguſt. Gregor. Scotus.

Tertia concluſio: *Perfectiones accidentariæ, quæ non ratione beatitudinis, ſed aliũde conſequuntur; erunt quidem intenſè inæquales; non tamen vniformiter ad inæqualitatem beatitudinis eſſentialis, ſed tituli, cui debentur*. Prior pars probatur in aureolis; hæ enim cum ſint quædam veluti coronæ, & præmia accidentalia, debentur alicui operi inſigni, vt dicemus 3. tom. in tract. de Aureolis: opera autem, propter quæ debentur, nõ ſunt in omnibus æqualia; nec enim in omnibus martyribus æquales fuerunt cruciatus; nec in omnibus virginibus æqualis elongatiò à corruptione: nec denique in omnibus doctoribus æqualis docendi ardor, & diligentia, in obſequium fidei, & obſeruationem diuinæ legis. Quare nec aureolæ, ſiue, quæ diuerſi ſunt generis; ſiue, quæ eiuſdem, æqua- 28. 3. concl. 1. pars probatur in Aureolis.

D.Thom. æquales erunt, ex *D.Thoma in 4.diſt.49. q.5.artic.5. quæſtiunc.3. & in additionibus* Porrect. *q.96.art.13. vbi Porrecta, & Sotus in dicta* Sotus. *diſt.49.q.5.art.2.concl.5.& 6. & dicemus tom.3.in tract.de Aureolis.*

29. Probatur in fructibus. Eadem pars probatur in fructibus beatitudinis. Pro quo aduerte, fructum eſſe gaudium quoddam ſpeciale eſſentiali beatitudini adiectum propter ſpiritualitatē, & puritatem corporis, in quam quis ex vita carnis tranſiuit per verbum Dei in corde, tanquam in bona, atque vberi terra ſeminatum, vt habes apud *D.Thomam locis citatis, & apud Sotum.* Is autem ex Matt. 13. doctrina Chriſti Matthæi 13. eſt triplex: trigeſimus, ſexageſimus; & centeſimus: ſiue ratio fructus cum ſua triplici differentia ſoli virtuti continentiæ tribuatur, ratione triplicis gradus, ſcilicet coniugalis, vidualis, & virginalis, quibus corpus principaliter ſpiritualizatur, & fit purū: ſiue etiam omni virtuti congruat, cui triplex ſtatus conuenit; cōtinentiæ ſcilicet; qui eſt incipientium; temperātiæ, qui eſt proficientium, & heroicus, qui eſt perfectorum, de quo *in d. tom.3. de fructibus*

30. Probatur 1. pars. *beatitudinis.* ¶ Hoc præmiſſo, prior pars aſſertionis oſtenditur: cum enim fructus ſit quoddam præmium, quod debetur homini, quia propter efficaciam verbi Dei in corde concepti ex carne tranſiuit in ſpiritum; is autem tranſitus non ſit in omnibus æqualis, ſunt enim alij alijs puriores, & ſpiritualiores, id eſt magis elongati à paſſionibus carnis, fit, vt nec omnes fructus in beatitudine ſint inter ſe æquales, ex D.Thoma in d.q.5.art.2. quæſtiunc. 3. & in additionibus q. 96. art. 4. vt expreſsit Chriſtus in d.cap.13. Matthæi, dùm triplicem imparem fructum diſtinxit. Quod non ſolùm verum eſt in fructibus diuerſi gradus, ſed gradus eiuſdē: quia in quolibet gradu datur latitudo: nam caſtitas coniugalis in vno coniugato magis relucet, quàm in alio: & idem de caſtitate viduali, & virginali: hæc enim in Virgine Deipara ſuper omnes illuxit: vnde ob ſummam ſuper omnes puritatem corporis, atque illius ſpiritualitatem certiſsimum fructum ſuper omnes cumu-Sotus. latiſsimum habet, vt annotauit *Sotus in 4. diſt.49.q.5.art.1.ad 2.principale.*

31. Probatur 2. pars. Poſterior pars inde patet; quia fieri poteſt, vt qui beatitudine alium ſuperat, ſuperetur ab illo, vel in aureola, vel in fructu: poteſt enim vnus Martyr feruentiori charitate minores pati cruciatus, quàm alius; & in hoc maior erit eſſentialis beatitudo, quæ reſpondet charitati; aureola verò in alio erit illuſtrior; quia maior fuit martyrij victoria, vt fatetur *D. Thomas in d.q.5.art.5.quæſtiunc.3.in fine in additionibus q.96.art.13.& Sotus in d.q.5.ar.5.concl.6.* D. Thom. Sotus. Similiter etiam poteſt vidua, vel coniugata facere plura charitatis opera, & habere plura merita, quàm virgo: vnde illam excedet in eſſentiali beatitudine: non tamen in gaudio fructus; hic enim in virgine erit cumulatior, vt ait Sotus in d.q.5.art.1. concl.2. in fine.

QVÆSTIO X.

Vnde ſumenda ſit æqualitas, vel inæqualitas beatitudinis?

SVppoſita fidei veritate, de inæqualitate beatitudinis, tùm inter homines, tùm inter Angelos; inquirendum eſt; in quo nam poſita ſit hæc beatitudinis inæqualitas? an ſcilicet ea ſolùm reperiatur ex parte actus? an etiam ex parte obiecti? Excitabimus ſequentes articulos: primus; an iſta inæqualitas ſolam reperiatur ex parte actus, nimirum viſionis, quæ eſt beatitudo formalis? an etiam ex parte obiecti, quæ eſt beatitudo obiectiua? & ſuppoſito, quòd ex parte vtriuſque, ſecundus articulus erit; in quonam ſit inæqualitas beatitudinis obiectiuæ? Tertius autem; in quo ſit poſita inæqualitas beatitudinis formalis? in quarto inquiremus; an probabiles ſint duæ vltimæ opiniones relatæ in 1.ar.§.1?

ARTICVLVS I.

Vtrùm inæqualitas beatitudinis ſolùm ſit ſumenda ex parte actus, an etiam ex parte obiecti?

IN hoc articulo ratio dubitādi eſt; quia *D.Thomas, tàm 1.2.q.5.art. 2. quàm 1.* 1. Ratio dubitandi. *p.q.12.art.6.* eam videtur ſolùm ponere ex parte actus; & nullo modo ex parte D. Thom. obiecti, dùm ait, omnes ſanctos æquales eſſe

eſſe in beatitudine obiectiua; non tamen in formali. At in oppoſitum facit, quoniã in viſione corporea nunquam contingit aliquid clarius videri, quin in re viſa aliquid nouum appareat, quod viſionem minus claram latebat.

§. I.

Referuntur variæ ſententiæ.

2. 1. opinio. QVæſtio iſta vel non excitatur à Theologis, vel ſatis ieiunè ab illis tractatur; explicatio tamẽ eſt ſatis difficilis. Inuenio quatuor opiniones; duas extremas, & duas medias. Prima inæqualitatem ſolùm agnoſcit ex parte viſionis, & nullo modo ex parte obiecti. *Bellom.* Quam ſententiã probat *Bellomõt. 1. p. diſp. 47. c. 6. in fine n. 43. & diſp. 50. cap. 6. n. 29. 31. & 33*: putat enim abſurdum eſſe, Deũ alio, & alio modo videri à diuerſis; ita vt ſub vno modo aliquid eius lateat minus beatum, quod ſub alio modo à magis beato videatur. Quare cõcludit, Deum eodẽ modo & eadem ratione ſemper omnibus apparere; quanuis his clarius, & intẽſius, quàm illis appareat. Hãc ſentẽtiã videtur ſumpſiſſe ex Nominalibus, qui ex parte obiecti nullã vidẽtur inęqualitatẽ ponere.

3. 1. ratio. Huic ſententiæ videtur fauere ratio dubitandi initio poſita; quia cõmuniter docetur, omnes beatos eſſe ęquales in beatitudine obiectiua, ſiue ex parte obiecti; ita vt obiectũ beatitudinis in omnibus æqualiter ſe habeat. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 5. ar. 2. & 1. p. q. 12. ar. 6. & in 4. diſt. 49. q. 1. ar. 4. quæſtiũc. 2. & q. 2. ar. 4. vbi D. Bonau. ar. 1. q. 6. Richard. art. 2. q. 8. Durand. q. 2. n. 25. & 28. Maior q. 1 cum cæteris, Scotus in 4. diſt. 50. q. 5. art. 2.* qui omnes volunt, ex parte obiecti nullam dari inæqualitatem. (*D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Maior. Scotus.*)

4. 2. ratio. Secũdò; quia Deus eſt ſimpliciſsimus. Ergo aut totus videtur, aut totus nõ videtur. Nihil igit ex parte Dei poteſt alicui beato apparere, qđ omnib⁹ nõ appareat.

5. Tertia. Tertiò; ſi Deus ſub vno modo, & ratione huic apparet, & ſub alio alij, daretur in Deo diuerſitas ex natura rei. Quod non eſt admittendum.

6. Quarta. Quartò; Deus eſt tota ſapiẽtia, nõ verò aliquid illius, & vbi nõ eſt tota ſapientia, nõ eſt Deus. Ergo ſi non tota videtur, ſed aliquid illius latet, non videtur Deus.

7. Vltima. Poſtremò; quoniam vel iſte modus, & ratio ſub qua diuina eſſentia ab vno intelligitur, & non ab alio, eſt aliquid verè in Deo exiſtens; vel eſt tantùm apparẽs ex parte videntis. Primum dici non poteſt; quia quidquid verè, & realiter eſt in Deo, non poteſt non videri: nec enim facilè explicabitur hęc varietas. Nec dici poteſt ſecundum; quia modus ille apparens potiùs pertinet ad deceptionem, quàm ad veritatem. Iam verò viſio beata Deum videt, ſicuti eſt, ſine vlla deceptione.

¶ Secunda ſententia huic opponitur; cõſtituitq; inæqualitatem beatitudinis, tum ex parte actus, id eſt viſionis; tùm ex parte obiecti. ſ. Dei viſi: ita vt & viſio ſit inæqualis in ſe ipſa in his, qui magis, & minus ſunt beati; & eſſentia diuina inæqualiter appareat; ita vt ſecundum aliquid ſui appareat beatiori, quod latet minus beatum. Fundamentum huius opinionis ſumitur ex ratione dubitandi in oppoſitũ adducta; quia non contingit inæqualitas in viſione corporea, niſi etiam detur in obiecto. Accedit, quoniam obiectum eſt, qđ principaliter beat. Ergo nõ poteſt eſſe æquale in ijs, qui inæqualiter ſunt beati. 8. 2. opinio.

¶ Tertia ſententia interiacet media, docetque in vtroque reperiri diuerſitatem; ſ. in viſione, & in obiecto; non quidẽ primario, ſed ſecundario: quia beatior nõ ſolùm intenſius videt diuinam eſſentiã, ſed etiã in ea ex vi viſionis videt plures creaturas, quàm minus beatus. Hanc ſententiam plures referunt; & videtur eſſe *Medinæ 1. 2. q. 5. art. 2. q. vlt. concl. 2. 3 & 4. & Cumelij 1. p. q. 12. art. 6. q. vlt. propoſ. 2. & 5.* quanuis vterque rem iſtam potiùs confundat, quàm explicet. 9 3. opinio. *Medina. Cumelius.*

¶ Poſtrema ſententia etiam media eſt *Valentiæ 2. tom. q. 5. diſp. 1. punct. 3. ad 1. dubium*, qui putat, inæqualitatem propriè & formaliter poſitam eſſe in inęqualitate viſionis; per quandam verò conſequentiam, etiam poni in inæqualitate obiecti ſecundarij; quatenus ex maiori intẽſione, & claritate viſionis videntur plures Dei effectus. ¶ Ad quã ſententiam videtur accedere *Suarius in cõmentarijs ad 1. 2. q. 5. art. 2.* dum ait, inæqualitatẽ iſtã propriè, & formaliter conſiſtere in actu, vt dicebat Valentia: in obiecto verò ſolùm per quandã denominationẽ extrinſecã ſumptã ab actu, quatenus ex illo conſequitur inæqualitas apparitionis obiectiuæ. Hæc ex noſtris Theologis potui colligere. 10. Vltima ſententia. *Valentia.* 11. *Suarius.*

§. 2.
Sumenda eſt ex parte vtriuſque.

12. Præmittũtur nonnulla.

PRo vera reſolutione pręmittendum eſt;non inquiri in hac quæſtione,in quonam cōſiſtat inęqualitas beatitudinis formalis:cum enim hæc ſit viſio, in inæqualitate illius cōſiſtet. Nec etiam inquiritur, in quo primo, & principaliter ponatur hæc inæqualitas beatitudinis abſolutè ſumptæ? an in inæqualitate actus, an obiecti:tum;quia ſenſus iſte ſupponit, & in actu,& in obiecto dari inęqualitatē, quod negat prima opinio: vnde prius illud reſoluendū erat,quàm hoc inquirendū. Tùm etiã;quia ſuppoſita inæqualitate in beatitudine formali,& obiectiua, cum vtraq; ſit diuerſę rationis;&vtraq; in ſuo genere ſit neceſſaria, & ad beandū, & ad magis beandū; nō poteſt fieri inter eas debita cōparatio. Nō eſt tamen negandum, ordine generationis,ſiue executionis priꝰ eſſe viſionē eſſe inæqualē, quàm obiectū inæqualiter penetrari: vnde ſi in vtroque eſt admittēda inæqualitas,prior erit inæqualitas viſionis; obiecti verò poſterior: & ad hunc ſenſum inæqualitas obiecti cōſequetur inæqualitatem viſionis: per ſe tamen erit neceſſaria,vt beatus inæqualiter ſit beatus. Quare in hac quæſtione ſolùm inquiritur;an inęqualitas reperiatur, tùm in beatitudine formali, tùm in obiectiua. Et in hoc ſenſu duæ ſolùm ſuperſunt extremæ ſententiæ:vna,quę docet, in ſolo actu reperiri:altera,quæ affirmat, reperiri in vtroque.

13. Affirmatiua eſt vera. Concluſio.

Nos cum affirmante ſententia exiſtimamus: vnde ſtatuimus hanc cōcluſionē: *Inæqualitas beatitudinis neceſſariò datur tã ex parte actus,quàm ex parte obiecti: nec poteſt inæqualitas dari in vno; quin etiam detur in altero: quia ſicut non poteſt viſio eſſe maior; quin detur maior obiecti penetratio: ita non poteſt dari maior penetratio obiecti, niſi detur maior viſio.*

14. 1. pars concluſionis.

Prior pars cōcluſionis abſque cōtradictione ab omnibus recipitur:omnes enim docent in magis beato dari meliorem, & clariorē viſionē;maiuſq; lumen,quod eſt viſionis principiũ. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 5. ar. 2. & 1. p. q. 12. art. 6. & vtrobique omnes interpretes. Idē docet omnes in 4. diſt. 49. vbi D. Thom. q. 1. ar. 4. quæſtiun. 2. & q. 2. ar. 4. D. Bonauēt. art. 1. q. 6. Rich. art. 2. q. 8. Dur. q. 2. Maior q. 1. cum cæteris.* Idē docent Patres: nam *D. Ambroſius de bono mort. c. 11. ait. Erit ordo diuerſus claritatis, & gloriæ. Aug. 22. de Ciuit. c. 30. pro meritis futuri sũt gradus honorum, & gloriarũ: de ſancta virginitate c. 26. in multis manſionibus honoratur alius alio clarius; quæ verba repetit in Enchyridione c. 111. idem affirmat in lib. de cognit. veræ vitæ, & in loco relato à Magiſtro in 4. diſtin. 49. §. Solet autem quæri. Idem docent Chryſoſtomus homil. 41. in Matth. Cyrillus lib. 9. in Ioannem c. 31. Andreas Cæſarienſis c. 67. in Apocalypſim: Anſelmus ad Galatas 3. ad illa verba: Fratres ſecundum hominem dico: Bernard. ad Guilhelmum Abbatem.* Satis ſit Concilium Trid. *ſeſſ. vlt. in literis vnionis*, dùm diffinit aliũ alio perfectius Deum intueri. Et colligitur ex Paulo 1. *Cor. 15. & ex Daniele 12. & ex c. 14. Ioãn.* Et ſatis docet ratio, quia beatus eô erit beatior alio,quò ſimplicitet ſit beatus:ſit autem talis per viſionem:ergo viſio illius erit inæqualis. Quare prior pars concluſionis, tanquam de fide tenenda eſt.

D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Cæſarien. Bernard. Trident. 1. Cor. 15. Ioan. 14.

15. 2. pars concluſionis eſt controuerſa.

¶ Poſterior verò pars eſt controuerſa, cuius ſenſus prius eſt explicandus; deinde confirmanda aſſertio. Aduertendum eſt igitur, inæqualitatē ex parte eſſentiæ in hoc ſenſu admitti, vt aliquid in diuina eſſentia contentum videatur à beatiori, quod latet minus beatum. In quo ſenſu concluſio aſſeritur à præſtantiſsimis Theologis:eam in iſtis terminis aſſeruiſſe doctiſsimum Victoriam,plerique teſtantur:& eundem plures noſtrę tempeſtatis Theologi probant in *Comm. ad 1. p. q. 12. art. 7. expreſſè eam aſſeruit Paludanus in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. n. 6. in fine. Ad eandem reuocandum eſſe Henricum quodlib. 7. q. 4. & 5. fatetur Bellomōtanus nobis aduerſarius 1. p. diſp. 50. c. 2. n. 9. Ante Henricum eam expreſſit D. Thomas de Verit. q. 8. art. 4. ad 12. dum ait: Ex rationibus intelligibilibus eorum, quæ in diuina eſſentia continentur, alias eſſe latētiores, alias verò manifeſtiores: quam doctrinam probauit Caietanus 1. p. q. 12. art. 8. §. Ad ſecundam obiectionem, & §. Ad primum Scoti: idem habes apud Capreolum in 3. diſtin. 14. q. 1. art. 3. ad 17. 3. loco, fol. 63. col. 1. §. Ad replicam; Molina in d. artic. 8. diſp. 5. memb. 2. §. Quod attinet ad primum; & inferiùs ad 2. Euidentius idem mihi probat D. Thomas in dicta q. 8. ad 16.* ſi ſolutio cum argumento conferatur: ita enim

Victoria. Palud. Henric. D. Thom. Caiet. Capreol. Molina. D. Thom.

enim habebat argumentum: *Oculus corporeus ita videbit humanitatem Chriſti, vt nihil illius ei occultũ ſit. Ergo intellectus beati ita videbit Diuinitatẽ, vt nihil illius nõ videat.* Negat D. Thomas conſequentiam; ob eam rationem, quia humanitas Chriſti ab oculo corporeo cõprehenditur; nõ tamẽ cõprehenditur diuinitas ab oculo mẽtis. Quæ ſolutio ſupponit aliquid ipſiꝰ diuinitatis occultari beatis. Denique hęc cõcluſio aſſerenda eſt ab ijs, qui putant, beatiorẽ ex vi viſionis plura videre in diuina eſſentia: nec enim plures effectus in ea videri poſsũt, niſi plures intelligibilitatis rationes ab vno, quàm ab alio videantur. Quod adeò eſſe certũ putant *Cumelius, &*

Cumelius. *Bañes.* *Bañes in d. ar. 8. concl. 3.* vt putẽt nõ poſſe diſtingui plures gradus eſſentialis beatitudinis, inter inæqualiter beatos, niſi ita dicatur. Sed reſpondebunt aduerſarij, inæqualitatem beatitudinis ſumendam eſſe ex inæqualitate graduali viſionis penes maiorem, vel minorem claritatem.

17. Vera demõſtratio.

Quare efficax aſſertionis demõſtratio ex eo ſumẽda eſt; quia nõ poteſt non admitti latitudo obiectiua ex parte eſsẽtiæ, & eorũ, quæ in ea ſunt; in hoc ſẽſu vt plura, imò infinita, quę ſunt in ea, lateant omnes in vniuerſum beatos: ex quo infertur non repugnare obiectum beatificum nõ videri, ſecundũ omnia, quæ in ſe includit, & ſubinde inæqualiter. Quod ſi ſemel admittatur, nõ video, cur à beatis nõ poterit inæqualiter videri ſecundum rationẽ obiectiuam: idque prouenire ex maiori claritate, tàm luminis, quàm viſionis, ratione cuius diuina eſſentia quoad ſuas intelligibiles rationes magis ab vno, quàm ab alio penetratur: vt inter lumen corporale, & intelligibile ſeruetur analogica proportio & ſimilitudo; vt ſicut lux corporea, quo maior eſt, eò in maiorem diſtantiam extenditur, & plures rationes viſibiles apparere facit; ita lumen intelligibile in Patria, quò maiꝰ fuerit, eò ad plures rationes intelligibiles eſſentiæ ſe extẽdat, & eas faciat intellectui beato obiectiuè apparere.

18. Probatur antecedens.

Porrò antecedens, quo iſte diſcurſus innititur, euidẽter deducitur ex cõmuni doctrina, & Patrum, & Theologorũ: omnes enim admittunt diuinam eſſentiã totam ab omnibus videri: negant tamen, eã ab aliquo videri plenam, id eſt, ſecundum omnem quã in ſe habet, perfectionis plenitudinem. *Ita Ambroſius lib. 1. in Lucam c. de apparitione Angeli; cuius verba explicat, & probat Aug. epiſt. 112. c. 8. & 9.* At plenitudinẽ illam ſe habere ex parte obiecti nullus negare poterit. Idem docuit *Author libri quæſtiuncularum de Trinitate apud Auguſt. tom. 3. & Author tractatus de cognitione veræ vitæ c. 31. Idem voluit Origenes lib. 1. Peri Archon c. 1. in fine, & Iren. lib. 4. c. 37. & Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 22. Concinit Hieron. in c. 1. Iſaiæ ad illa verba: Audite verbũ Dei principes Sodomorum: & Nazianzenus orat. 34. (quæ eſt ſecunda de Theologia) n. 3. Iſidorus q. 41. in Exodũ, Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 6. Hilarius lib. 1. de Trin. pag. 3. & 4. expreſsiùs Anſelmus enarrat. 17. in Euangelia 1. tom. pag. 167. denique Auguſt. in d. epiſt. 112. cap. 9.* Et vt rem concludamus hanc Patrum doctrinam confirmant verba Iob. 11: *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies?* Faciunt verba Pauli ad Philippenſes 4: *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, & cætera.*

Ambr. Auguſt. Origen. Irenæus. Cyrill. Hieron. Nazianz. Hilar. Anſelm. Auguſt.

Ex his Patrum teſtimonijs ſatis conſtat veritas antecedentis. ſ. dari ex parte eſſentiæ diuinæ, quatenus paſsiuè eſt intelligibilis, latitudinẽ infinitã, quãtũcũq; illa ſit entitatiuè ſimpliciſsima; in hoc ſenſu, vt plus & minus penes ea, quæ in ſe habet, & videri poſsit, & videatur: nam plus à Deo penetratur, & introſpicitur, quàm à quocũque beato; quẽ infinita latent eorũ, quæ in ea cõtinentur: admittit igitur diuina eſſentia obiectiuã inæqualitatẽ. Quæ eſt cõmunis Theologorũ ſententia, exceptis Nominalibus, & vno Bellomõtano. Et oppoſita aſſertio nõ ſolùm falſiſsima ab omnibus cenſetur, ſed etiam erronea in fide. Sed de hoc inferiùs in q. 13. 19. Concluſio.

§. 3.

In quonam ſenſu inæqualitas reperiatur ex parte obiecti?

VT ea, quæ diximus, melius intelligantur, & facilius diſſoluantur aduerſaria argumenta, explicandum eſt, quonam modo reperiatur inęqualitas obiectiua in diuina eſſentia, quæ eſt ſimpliciſsima. Præmittendum igitur eſt, diuinam eſſentiam vno modo conſiderari poſſe ſecundum ſuam entitatem: altero modo ſecundum modum ipſius entitatis; hoc eſt ſecundum perfectionem, & actualita- 20. Quomodo hęc inęqualitas reperiatur. 1 præmiſſ

litatem eius. Priori modo eſt quid ſimpliciſsimum, prout ſimplex opponitur cōpoſito: nullam enim admittit cōpoſitionem, aut diſtinctionem partium componentium. Poſteriori modo ſicut infinitā habet latitudinem perfectionis actualitatis, & intelligibilitatis: ita etiam aliquam admittit diſtinctionem, non quidem partium entitatiuarum, ſed rationum formalium, & intelligibilium.

21. 3. præmiſſ. Præmittendum ſecundò; ea, quæ ſunt in Deo, ſiue formaliter, ſiue eminenter; licet ex natura rei ſint vnum, & idem ens realiter, & eſſentialiter; virtute tamē eſſe plura; quod ortum habet ex infinita perfectione; & actualitate diuinæ eſſentiæ, quæ etſi actu vna ſit, & omnia in quadam eminentiali vnitate contineat; virtualem tamen diſtinctionem admittit, quæ communiter iam dicitur diſtinctio formalis virtualis, vt latè diximus *lib. 5. q. 12. ar. 5. ex D. Thoma 1. p. q. 15. art. 2. & de Veritate q. 5. art. 2. & 1. contra gent. c. 54. docet Fōſeca 4. Metaph. c. 2. q. 6. ſect. 12. pag. 634.* (D. Thom. Fonſeca.)

Ratio. Ratione huius virtualis diſtinctionis tàm diuinus intellectus, quàm creatus plures in Deo perfectiones agnoſcit alias formaliter exiſtentes, alias ſolùm eminenter: inter quas perfectiones cōſtituuntur formales, & diſtinctæ intelligibilitates; ita, vt quod vni perfectioni conceditur, negetur alteri: nam filius nō gignitur volūtate, ſed intellectu; Spiritus Sāctus, nō intellectu, ſed voluntate producitur: Deus non punit miſericordia, ſed iuſtitia: nec creat hominē per ideā equi, ſed hominis. Quare licet diuina eſſentia ſumpta in actuali vnitate ſuæ entitatis ſit vnū formale ens, & vna formalis ratio intelligendi actualis; virtute tamen cōtinet plures entitates. & plures formales intelligendi rationes, imò infinitas reſpectu creaturarū. Quare entitas diuinæ eſſentiæ in ſua eminentiali vnitate, & perfectione ab intellectu creato vnico, aut pluribus conceptibus concipi non poteſt ſecundum totalitatem ſuæ eminentiæ, & virtutis, nec adæquatè penetrari, ſed magis, aut minus id eſt, ſecundum plures, aut pauciores perfectiones, iuxta maiorem, vel minorem intelligendi virtutem.

22. Corollar. Ex his primò infertur, obiectum beatificum ſub alia, & alia ratione dici poſſe idem, & diuerſum: æquale, & inæquale: nam ſecundum id, quod eſt, ſemper eſt idem, & æquale; quia eſt entitatiuè ſimpliciſsimum, & prorſus indiuiſibile, & ob id omnibus beatis ſemper ſe ſe totum obijcit, nō verò ſecundùm aliud, & aliud ex *D. Thoma 1. p. q. 12. art. 7. ad 2:* at tamen ſecundum modum ſuæ entitatis, ſuamque perfectionem, & actualitatē non ſemper eodem modo intelligitur, ſed alio, & alio, nimirum ſub alia, & alia perfectione, & intelligibilitate: etenim in diuina eſſentia quoad perfectionis, & actualitatis eminētiam datur infinita latitudo, & extenſionis, & intenſionis, vt noſtro intelligendi modo loquamur: datur quidem latitudo extenſionis; quia in ea continentur infinitæ perfectiones diuerſarum rationum, & infinitæ rationes formaliter, & obiectiuè intelligibiles, ſaltem quoad ea, quæ in illa eminenter continentur. Datur etiā infinita latitudo; veluti intenſionis; quoniam ſingulæ perfectiones in Deo formaliter exiſtentes per ſe ſingulatim ſumptę habent etiam infinitam perfectionē, veluti intenſiuam: quolibet enim attributū ſub propria ratione ab alijs diſtincta, ſumptum, habet infinitos veluti gradus intenſionis; nec enim hanc latitudinem aliter explicare poſſumus, niſi ad modum latitudinis intenſiuæ, & gradualis. (D. Thom.)

Ex his iam intelliges; quomodo ex parte eſſentiæ poteſt reperiri inęqualitas obiectiua, quamuis omnes beati totam eā videant totalitate entitatiua, & actuali; nam licet ſinguli videant totam illius entitatem, & totam actualem perfectionem (cum enim ſit ſimpliciſsima, non poteſt tota non cognoſci) tamen non omnes vident totam virtualem perfectionem, quoad ſingulas perfectiones, & intelligibilitates in ea virtualiter diſtinctas: hæ enim, ſicut nec à Deo poſſunt nobis vno nomine adæquatè explicari, vt demōſtrat Suarius in Metaph. diſp. 30. ſect. 13. n. 4: ita nec vna adæquata formali ratione intelligendi poſſunt nobis, etiam diuina potentia repræſentari, nec à nobis vna viſione, quantumcunque intenſa, & clara, percipi: ſed talis repræſentatio, & perceptio ſemper inadæquatè totam illam perfectionem attinget; ita vt ſemper aliqua perfectio ſuperſit attingenda, & in qualibet aliquis virtualis gradus maneat latens, & occultus. 23. Quomodo ex parte eſſentię detur inæqualitas.

Ex

24. Explicatio axiomatis theologici. Ex quo intelliges verũ ſenſum axiomatis Theologici; quemlibet. ſ. beatum videre totam diuinam eſſentiam; non tamen totaliter, de quo D. Thomas 1. p. q. 12. art. 7. argum. 3. quod videtur ſumptũ *ab Iſidoro q. 41. in Exodum, dum ait: Deum totum videri, non tamen in toto: poſſe videri integrum; non tamen integrè, & plenè*: ſenſus eſt: totam Dei eſſentiam videri ſecũdum totalitatem ſuę entitatis; non tamen ſecundum omnem eſſendi modum in ea virtualiter contentum: ita vt aduerbium *totaliter* dicat modum ſe tenentē ex parte obiecti, ex *D. Thoma vbi ſuprà*; & diſtribuat pro ſingulis in ea exiſtentibus, diſtinctis non actu, ſed virtute.

D. Thom.

§. 4.

Soluuntur argumenta poſita in 1. §.

25. Ad 1. arg. His ita præmiſsis, facilè ſoluuntur argumenta. Ad primum dicimus, D. Thomam, & Theologos, cum dicunt, omnes beatos eſſe æqualiter beatos beatitudine obiectiua intelligendos eſſe de re adepta; quia. ſ. nullus meliorem rem, aut melius bonũ adepiſcitur, quàm alius, cum omnes vnum, & idem infinitũ bonũ adepiſcantur: quod non tollit, quominus vnus de eodē bono plures videat perfectiones. Igitur in bonitate obiecti materialiter ſumpti omnes ſunt æquales; quia omnes eandem materialem bonitatem poſsident, & nullus meliorem; quanuis vnus plus illius poſsideat, quàm alius.

26. Ad 2. Ad ſecundum ex dictis patet ſolutio: quia Deus in ſua entitate eſt ſimpliciſsimus, & omnino indiuiſibilis: non tamen quoad modum entitatis, & perfectionis; quia vt ſic, habet latitudinem infinitam, virtualiter diſtinguibilem, & diuiſibilem: ratione cuius diſtinguiblitatis non omnia ei conueniunt ſecundum totam, adæquatamque ſuæ entitatis, & perfectionis rationem; ſed ſecundum rationes aliquas inadæquatas: nec enim Deus ſecundum totam, & adæquatam ſuæ entitatis rationem eſt intelligens, aut volens; ſed per eam, quatenus inadæquatè eſt vis intelligendi, aut vis volendi, vt diximus *1. tom. lib. 5. q. 12. per totam.* Totus igitur videtur, & tota illius actualitas, & perfectio: non tamen videtur ſecundum totam, & adæquatam ſuæ entitatis actualitatem, & perfectionem; ſed inadæquatè ſecundùm has, vel illas, iuxta mēſuram penetrationis: quod idem eſt, ac dicere, Deum totũ videri, non totaliter.

Ad tertium Scotiſtæ admittunt ſequelam: ab alijs tamen neganda eſt; quia ſatis eſt diſtinctio formalis virtualis, vt Deus ſub vna perfectionis ratione appareat, & non ſub alia: ſicut illa ſatis eſt, vt filius per intellectum procedat à Patre, & non per voluntatem. 27. Ad 3.

Quartum argumentum pro Achile habetur à Bellomontano, ſed facilè ſuperabitur: quoniam, licet, nec Deus, nec eius ſapientia realiter, & actualiter habeat aliquid, & aliquid; quia in re nihil habet diſtinctum: eminenter tamen & virtute habet aliquid, & aliquid; quia plures habet entitates formaliter, virtualiter diſtinctas, vt diximus: ratione cuius diſtinguibilitatis, ſicut Deus per intellectum intelligit, & non per voluntatem: & per hoc eſt eminenter homo, non verò per illud; ita ſecundum hanc perfectionem videri poteſt, & non ſecundum illam. In forma igitur dicimus, Deum actualiter eſſe totam ſapientiam, nec actu habere aliquid, & aliquid illius; benè tamen virtute; in hoc ſenſu: vt ſicut adæquatè eſt tota ſapiētia; ita inadæquatè ſit aliquid ſapientiæ. Minor autem ſi intelligatur de totalitate actuali ſapientiæ, vera eſt; quia ſapientia actu eſt quid ſimpliciſsimum, & indiuiſibile, & ideò vel tota eſt, vel tota nō eſt: at verò, ſi intelligatur de totalitate virtuali, benè poteſt totus Deus eſſe in intellectu ſecundùm actualem totalitatem, in quo non eſt totus ſecundum virtualem; quia licet totus videatur, non tamen totaliter, vt loquuntur Sancti, & Theologi: nec hoc videri debet nouum: quia ſicut tota diuina perfectio totalitate actuali intelligit; non tamen virtuali, quia non intelligit, prout eſt voluntas, ſed prout eſt intellectus: ita etiam diuina eſſentia tota videtur ab hoc beato, totalitate actuali; non tamen totalitate virtuali. Quare argumentum æquiuocatione laborat. 28. Ad 4.

Ad poſtremum dicendum eſt, modos illos, & formales rationes, quæ hunc beatum latent, & non illum, verè eſſe in Deo, & eſſe aliquid eius modo ſæpe explicato: negamus tamen quidquid verè, & realiter in Deo exiſtit, videri ab omni beato ſub 29. Ad poſtremum.

ſub ratione propria, & adæquata, prout virtualiter ab alijs diſtinguitur: quanuis enim omne, quod eſt in Deo, videatur ſecundùm quod res eſt, quia tota realitas diuina videtur: non tamen videtur ſecũdum quod eſt talis perfectio eminenter, & virtualiter ab alijs diſtincta.

ARTICVLVS II.

In quo poſita ſit inæqualitas beatitudinis obiectiuæ?

1. Conſtituimus inæqualitatem beatitudinis, & in actu, & in obiecto reperiri. Supereſt explicãdum, quomodò, & in quibus vtriuſque inęqualitas per ſe ſit poſita; & prius de inæqualitate obiectiua agendum erit.

1. opinio. Sunt, qui nullam inæqualitatem admittant in obiecto primario, ſed ſolùm in ſecundario; quatenus plures creaturæ vidẽtur ab vno, quàm ab alio: ita docent authores tertię, & quartę opinionis, quos in præcedente articulo §. 1. retulimus. Alij eam admittunt, etiam in obiecto primario; non tamen quoad ea, quæ formaliter ſunt in Deo; quia nihil horum beatum latet; ſed ſolùm quoad ea, quæ in ordine ad creaturas Deo conueniunt; quæ eſt quorũdam nouiorũ ſententia 1. *p. q.* 12. *art.* 6.

2. 1. proposit. Ego longè aliter hanc difficultatẽ explico. Sit prima propoſitio: Inæqualitas beatitudinis obiectiuæ per ſe nõ eſt ponẽda in inęqualitate ſolius obiecti ſecũdarij; ſed ſolùm per quandam conſequentiã ex inæqualitate obiecti primarij. Prior pars ex eo oſtenditur; quia obiectũ quod per ſe, & ratione ſui non poteſt ſimpliciter facere beatum; nec per ſe efficiet magis beatum: nam cuius eſt ſimpliciter beare, eius etiam eſt magis beare. At obiectum ſecũdarium (ſcilicet creaturæ) ratione ſui neminem poteſt beare, vt patet. Ergo nec ratione ſui efficiet beatiorem. Vtrũque

August. D. Thom. docuit *Auguſtinus lib.* 5. *Confeſsionum c.* 4. *poſt principium, dum ait: Qui te, & alia nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus*, ex quibus verbis docuit *D. Thom.* 1. 2. *q.* 5. *art.* 2. *ad* 3. viſionem creaturarũ per ſe non augere beatitudinem; non alia ratione, niſi, quia formalis ratio obiecti beatifici (boni. ſ. infiniti) non reperitur in illis. Accedit etiã; quia videre plura creata non ſemper ſeruatur inter beatiorem, & minus beatum; quia poteſt contingere, vt æqualiter beati ita ſe habeant: vt vnus plura, alius pauciora videat.

Ex dictis infertur probatio poſterioris partis; quoniã ſi inter inæqualiter beatos reperitur inæqualitas obiecti ſecũdarij, ſi hæc per ſe non pertinet ad inęqualitatem obiectiuam; profectò aliunde ortũ habebit: vnde autem illa oriatur, ex ſequenti propoſitione patebit. 3.

Secunda propoſitio: *Inæqualitas beatitudinis obiectiuæ per ſe conſiſtit in inæqualitate obiecti primarij, quoad maiorem, vel minorem penetrationem actualis perfectionis diuinæ eſſentiæ.* Satis eſt de mente Paludani *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 1. *n.* 6. Et probatur, ſuppoſita infinita latitudine perfectionis obiecti primarij: nam beatitudo, qua quis ſimpliciter eſt beatus, per ſe pendet ab obiecto primario, quatenus eſt bonum diuinum, & ſummè perfectum, quæ eſt ratio beandi. Ergo maior beatitudo per ſe etiã pendebit ab eodẽ primario obiecto, plus, vel minus obiectiuè penetrato ſecũdum perfectionem, quæ ſit ratio beandi. 4. 2. propoſit. Paludan.

Deinde demonſtratur apud eos, qui putant, magis beatum ex vi viſionis plures creaturas videre: nam viſio plurium effectuum in cauſa infert maiorem penetrationem cauſæ ſecundum aliam, & aliam rationẽ intelligibilitatis: niſi enim principium ſecundũ plures intelligendi rationes penetretur, plures concluſiones in eo videri non poterunt. 5.

Tertia propoſitio: *Inæqualitas obiectiua obiecti primarij præcisè ponitur in maiori penetratione perfectionũ tàm formalium, quàm eminentialium: quare magis beatus non ſolùm diſtinguitur à minus beato penes ea, quæ eminenter cõtinentur in Deo; ſed etiam penes ea, quæ in eo formaliter inſunt*: eſt de mẽte *Paludani vbi ſuprà*: ſupponimus enĩ duplex perfectionũ genus in Deo: vnũ earũ, quę formaliter ſunt in eo: quales ſunt, quæ in ſuo formali conceptu dicunt perfectionẽ ſimpliciter: vt iuſtitia, miſericordia, & cętera attributa: alterũ earũ, quæ ſolũ in eo ſunt eminẽter: quę licet in ſuo genere dicãt pfectionẽ; eã tamẽ dicũt cũ aliqua imperfectione, vt eſſe hominẽ, & cętera: quę ſolũ eminẽter ſunt in eo, quia diuina eſſẽtia ſecundũ illũ gradũ eſſendi eſt cõmunicabilis creaturæ. Intereſt autem inter vtraſque: quoniam formales ſunt numero fini- 6. 3. propoſit. Palud.

finitæ: eminentiales verò infinitæ: quia perfectio entitatiua Dei eſt modis infinitis participabilis: omnes tamen in hoc cõueniunt; quòd ſingulæ ſub formali ratione ſibi propria, virtute diſtincta ab alijs, habent infinitam perfectionẽ, veluti gradualem, & intenſiuã, vt ita loquamur: ſingulæ enim ſiue formales, ſiue eminentiales infinitis etiam modis ſunt participabiles: nam ſicut iuſtitia increata eſt in infinitum communicabilis; ita perfectio eminentialis gradus humani, ſiue rationalis participari poteſt ab homine in infinitũ, quia in gradu indiuiduali non dabitur homo ita perfectus, quin dari poſsit alius perfectior.

7. Probatio. Ex his iam patet veritas propoſitionis: nam cum in vtroq; genere perfectionũ detur latitudo obiectiua; cur in vtroq; non dabitur inæqualitas obiectiuæ beatitudinis? Communis tamen Theologorũ inæqualitatẽ beatitudinis obiectiuæ ideo non poſuit in ijs, quæ formaliter ſunt in Deo, quia ſolûm egit de inæqualitate extenſiua, & nõ de intenſiua: iam verò omnes beati ęqualiter extenſiuè vident omnia, quæ formaliter ſunt in Deo; non tamen omnia, quæ in eo ſunt eminenter: quod non impedit, quominus in formalibus etiam ſint veluti intẽſiuè inæquales: ſicut etiam in ſingulis eminentialibus, in quibus extenſiuè ſunt æquales, poſſunt eſſe inæquales intenſiuè: nam beatior perfectius videbit perfectionem eminentialem naturæ rationalis, quàm minus beatus: quantumuis vterque totam eam videat. Et ad hũc ſenſum explicanda eſt cõmunis reſolutio, quæ inæqualitatem obiectiuam ſolum ponit in ijs, quæ in Deo eminenter continentur.

8. 4. Propoſitio. Quarta propoſitio: *Quamuis nihil, quod aut realiter; aut formaliter eſt in Deo, vllum beatum lateat, ſecundum ſuam actualem vnitatem, quam habet in diuina eſſentia: plura tamen eorum latent quemlibet beatum, ſecundũ ſuã propriã formalem ratonẽ, qua virtute ab alijs diſtinguuntur*: verbi gratia, quamuis omnes beati videant perfectionẽ eminentialem totius entis creabilis in ſua actuali vnitate, & eminentia, ſecundum quã eſt in Deo; quia omnes vident infinitam diuinæ eſſentiæ imitabilitatem in ſua actuali vnione: non tamen omnes in particulari, & diſtinctè vident imitabilitatem omnium entium, quibus illa vna actualis eminentia particulatim poteſt cõmunicari: & ſubinde non vident diuinã eſſentiam ſub omni ratione ſuæ intelligibilitatis: & proinde eam non vident ſub omni ratione intelligẽdi, vel formali, vel obiectiua: ſed infinitæ, quemque beatorum latent. Igitur totam diuinæ eſſentiæ actualem imitabilitatem omnes vident, non tamen totaliter, nec adæquatè: ſed in adæquatè, & veluti partialiter: nec hoc mirum videri debet: quoniã licet in Deo vna, & eadem ſit intellectus, & voluntatis adæquata ratio, non tamen ſecundum totam, & adæquatam hanc rationem Pater diuinus eſt principium Filij, aut Spiritus Sãcti; ſed ſecundũ rationẽ inadæquatam quatenus, ſcilicet ſolùm eſt vis intelligendi; quæ & ſi eſt adæquata ratio huius originis; non tamen eſt adæquata ratio totius illius perfectionis, quę vnitè eſt intellectus, & voluntas: de quo multa diximus in 1. tom. lib. 4. in quęſt. de diſtinctione attributorum.

Ex quo inferes, nihil diuinæ eſſentiæ vllum beatum latere, ſi illa ſecundùm adæquatam rationem, & perfectionem in ſua actuali vnitate ſumatur; aliquid tamẽ eius latere, ſi inadæquatè conſideretur, ſecundum particulares eſſendi gradus eminenter contentos. Et ad hunc ſenſum intelligenda eſt ſecunda ſententia ſupra citata: nã vt intellectus noſter has diſtinctas imitabilitates concipiat, non eſt neceſſe, vt concipiat reſpectus rationis, qui ad diſtinctam conceptionem cõſequuntur; ſed ſatis eſt, vt concipiat illam ſummam eminentiam, virtute eſſe diſtinguibilem: quã nõ niſi modo relatiuo concipiet; quia gradus eſſendi, vt imitabilis, vel eſt relatiuum ſecundum dici, vel tranſcendentale, vt alibi oſtendimus. 9. Corollariũ.

ARTICVLVS III.

In quo poſita ſit inæqualitas beatitudinis formalis?

§. I.

Referuntur opiniones.

Non parua eſt controuerſia, in quo nam poſita ſit inæqualitas beatitudinis formalis, nimirum viſionis. 1. 1. Opinio Bellom. *Bellomontanus 1. p. diſp. 47. cap. 6 in fine, &* diſp.

diſp. 50. cap. 5. nu. 31. 32. & 33. putat, nullã aliam diuerſitatem dari poſſe in viſione, quam intenſionis, & remiſsionis, ex quo infertur magis beatum ideò præciſè eſſe magis beatum, quia habeat viſionem intẽſiorem, & clariorẽ. Fundamentum illius eſt; quia eſſentia diuina eodem modo apparet beatis omnibus abſque vlla varietate ex parte obiecti. Ergo ſolùm poteſt dari varietas ex parte intenſionis, & claritatis.

2. 2. Opinio. Alij, teſte eodem Bellomontano, putãt viſiones eorum, qui inæqualiter ſunt beati differre ſpecie, & ob id inæqualitatem viſionis ſumendam eſſe ab inæqualitate eſſentiali eiuſdem. Fundamentũ eſt; quia beatior plus penetrat diuinæ eſſentiæ, & plures rationes intelligibiles, atque etiam creaturas videt, idque ex inæqualitate viſionis. Cum illius inæqualitas per ſe non pendeat ex inæqualitate intenſiua, pendet ex eſſentiali: hac enim poſita, benè intelligitur; cur beatior has potius perfectiones, & intelligibiles rationes videat, quàm illas; & has potius creaturas, & non illas; quia nimirum per has, & non per illas ſpecificatur. Ex quo fundamento apud iſtos lumen gloriæ in beatiore ſpecie diſtinguitur à lumine minus beati.

3. 3. Opinio. Tertia ſententia docet, inæqualitatẽ viſionis per ſe nõ cõſiſtere, aut in intẽſione, aut in diuerſitate eſſẽtiali viſionis; ſed in inæqualitate perfectionis indiuidualis ſub eadẽ ſpecie; ita vt viſio magis beati ſit perfectius indiuiduum, perfectioriſq; entitatis indiuidualis, quàm viſio minus beati: hæc enim maior perfectio intra eãdem ſpeciem nõ repugnat; vnus enim intellectus ſub eadem ſpecie eſt perfectior, quàm alius: ex hac autem inæqualitate indiuiduali per ſe prouenit inæqualitas ex parte obiecti, rationum, ſcilicet intelligibilium, & creaturarum; cum enim vnaquæque forma ex ſua natura habeat determinatum effectum formalem; quęlibet viſio, ideo quia eſt huius determinatæ perfectionis indiuidualis, ex ſua natura habet terminari ad Deum ſub determinata intelligibilitate obiectiua, & ſub tali perfectione ſub qua has præciſè creaturas repræſentat, & non alias, quantumuis per poſsibile, vel impoſsibile magis intendatur: maior enim intenſio non extendet repręſentationem obiecti, ſed ſolùm efficiet, vt ea, quæ antea videbantur minus clarè, modo videantur clarius: vnde fiet, vt æqualiter beati inæqualem habeant claritatem. Idem proportionaliter aſſerunt de lumine gloriæ, & de eſſentia, vt habet rationem ſpeciei. Ita docet *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 26. ſect. 3. §. Cõcludo igitur, pag. 526. col. 2. in fine.* *Suar.*

§. 2.

Eligitur prima opinio.

4. 1. Opinio vera. DIfficilima eſt huius difficultatis reſolutio: prima tamẽ ſententia longè videtur probabilior. Primum; quia hæc eſt ferè omnium antiquorum, & moderniorum ſententia: omnes enim hanc inæqualitatẽ ponunt in inæqualitate gradualis intẽſionis: *D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 2. ad 1. & 2. & in 4. diſt. 49. q. 1. art. 4. quæſtiuncul. 2. & 4. vbi Richardus art. 2. q. 8. Cõmuniter ſcribentes apud Magiſtrũ in eodem loco, & apud Thomam in dicto art. 2. vbi cõradus, & Medina q. 1. propoſit. vltima. & apud eundem 1. p. q. 12. art. 6. vbi Caietan. Cumel. Bañes, Molin. & alij, Fonſeca in 2. Metaph. cap. 2. q. 2. ſect. 4. pag. 366. in fine. Idem colliges ex illis, qui diſputant, Vtrùm poſt reſurrectionem beatitudo futura ſit maior, omnes enim ſupponunt diuerſitatem illius in diuerſitate gradualis intenſionis eſſe poſitam.* *D. Thom. Richard. Conradus. Medina. Caiet. Cumelius. Bañes. Molina. Fonſeca.*

5. 2. Probatio ex Patribus. Deinde hæc videtur mens Patrũ, qui de beatitudinis inęqualitate verba faciũt: diſtingunt enim diuerſas manſiones penes diuerſos claritatis gradus: *Ambroſius de bono mortis cap. 11. pag. 225. ai: Proceſſus ordinũ proceſſum exprimit claritatis;* Et rurſus: *Diuerſus ordo claritatis, & gloriæ. Auguſtin. de Sancta Virginitate cap. 26. Multis manſionibus honoratur alius alio clarius; quæ verba repetit in Enchyridione cap. 111. idem Auguſt. de cognitione veræ vitæ cap. 46. In hac claritate in tantum quiſque pro meritis ab alio differt, vide illum 12. ſupra Geneſim ad literam cap. 35. vbi maiorem beatitudinem colligit ex maiori potentiæ conatu, quod etiã colliges ex Haymone Apocalypſis 6. & ex Bernardo in ſerm. 3. omnium Sãctorum.* Iam verò varietas conatus ſolum poteſt efficere gradualem varietatem. *Vide in eãdem ſententiam Bernardum ad Guillelmum Abbatem, & Andream Cæſarienſem in Apocalypſ. cap. 67. Adde Ambroſium lib. 5. in Lucam* *Ambroſ. Auguſt. Haymon. Bernard. Ambroſ.*

eam in cap. de Beatitudinibus pag. 1688. A;
August. Proſper. ſicut ſunt incrementa virtutum; ita ſunt incremẽta præmiorum. Auguſt. 22. de Ciuitate cap. 30. dum ait: Futuri ſunt pro meritis præmiorum gradus, qua phraſi vtitur Proſper de vita contemplatiua cap. 4. Sancti graduum ſuorum diuerſitate diſtincti.

6. 3 Probatio ex Triden. Tertiò expendimus Tridentinum ſeſſione 6. Can. 32. dum diffinit bona opera hominis iuſtificati mereri, & augmentũ gratiæ, & augmentũ gloriæ. Quibus verbis ſupponit gloriam fieri maiorem per gradualem perfectionem, etenim ſi maioribus meritis deberetur gratia perfectior perfectione, aut eſſentiali, aut indiuiduali: iam bona opera non mererentur augmentum gloriæ per merita præcedẽtia emeritæ; ſed aliam ſpecie, aut numero perfectiorem.

7. Quartò faciunt verba Pauli 1. Corint. 15. dum inæqualitatem beatitudinis per diuerſitatem claritatis exponit: *Alia eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum; & ſtella differt à ſtella in claritate.* Iam verò claritas corporum cœleſtium ſola graduali diuerſitate differt.

8. 5. Probatio Accedit quinto, quoniam in damnatis inæqualitas pœnæ per ſe eſt poſita in graduali inæqualitate ſub eadem ſpecie.

9. Vltim. Poſtremò facit; quoniam difficultas, quam authores aliarum opinionum volunt effugere, facilius explicatur, admiſſa noſtra ſententia.

§. 3.

Argumenta contra datam reſolutionem.

10. Duæ difficultates. Contra hanc communem ſententiã duplex inſurgit difficultas. Prima eſt, quoniam authores, qui in beatitudine admittunt inæqualitatem ex parte viſionis, in hoc conueniunt, vt beatus ex vi viſionis eò plura videat, quò eſt beatior. Secũda verò: vt ex vi viſionis potius videat hæc, quã illa: ergo inæqualitas viſionis eſt per ſe cauſa, non ſolum, vt plura, vel pauciora videantur in Deo, ſed etiã cur potius hæc, quàm illa videantur. Iam verò diuerſitas gradualis intenſionis nec huius, nec illius poteſt eſſe cauſa.

11. 1. Difficul. Suarius. Quòd non ſit cauſa, cur ex vi viſionis beatior plura videat, latiſsime probat *Suarius 1. tom. ad 3. p. diſp. 26. ſect. 2. pagi. 525. col. 2. C. & in Commentarijs ad primam ſecundæ q. 1. diſp. 8. quæſtiunc. 6, & in ſimili idem probat in dicto 1. tom. diſp. 39. ſectio 2. pag. 756. col. 1. in fine, §. Hic modus dicendi, & in lib. 2. de Attributis negatiuis c. 23. num. 22.* in quibus locis ſupponit, apud authores noſtræ opinionis viſionem per additionem entitatiuam graduum extendi ab obiecta ſecundaria, ad quę antea nõ extendebatur; vt ſcilicet viſio illa in ſua entitate ſit aliquo modo compoſita, ita vt in ea, ſit aliquis gradus entitatis, quo prę ciſè Deum videat, & alius illi ſuperadditus, quo in Deo viſo videat creaturas; qui gradus ſuperadditus eò ſit maior, quò plures creaturæ videntur in hoc ſenſu, vt ſi viſio nunc extendebatur ad decẽ creaturas non poſsit extendi ad vndecimã, niſi illi alia diſtincta entitas gradualis ſuperaddatur, qua illam videat. Quem philoſophandi modum (licet aliquando eum probauerit) putat eſſe impoſsibilem. Hoc autem hac potiſsima ratione putat demõſtrari: quoniam vel illæ partiales entitates, ex quarum vnione viſio cõponitur, & extenſiuè augetur, ſunt etiam compoſitæ, & diuiſibiles in infinitum, eo modo, quo partes quantitatis, & gradus intenſionis ſunt in infinitum diuiſibiles: vel ſunt indiuiſibiles omnino, inter ſe tamen aliquo modo vnitæ. Neutrum autem dici poteſt.

Quòd dici non poſsit, partem illam, ſiue gradũ, quo præciſè Deus videtur, eſſe diuiſibilem modo explicato, ita oſtendit: quia non eſt vnde talis pars circa viſionem Dei ſit diuiſibilis: etenim nec ex parte ſubiecti (intellectus ſcilicet) habet partes; quia intellectus eſt indiuiſibilis; nec ex parte obiecti (nempe Dei) cuius eſt viſio: quia tota illa pars tendit in Deũ ſecundum idem: nec fingi poteſt, quòd in illa parte ſit aliqua particula, qua aliquid Dei in Deo videatur; & alia, qua videatur aliud ipſius Dei: quia in Deo formaliter ſumpto non datur talis partitio. Idem dicendum eſt de illo gradu entitatiuo, quo præciſè videtur Angelus. Ergo duæ illæ partes non poſſunt eſſe diuiſibiles extenſiuè ex parte obiecti. Et idem dicendum eſt de gradu, quo præciſè videtur obiectum materiale, & compoſitum: tùm; quia videtur modo indiuiſibili, & per modum vnius: tum etiam; quia ſi gradus, quo præciſè videtur Deus, eſt indiuiſibilis, 12. Quod nõ ſint diuiſibiles 1. rat.

lis, non poteſt facere compoſitionem per modum continuationis; quia hoc repugnat naturæ compoſitionis. ¶ Quòd verò dici non poſſit, aliquam illarum partium eſſe indiuiſibilem extenſiuè, ex eo probat; quoniam ſi illa pars, ſiue gradus viſionis, quo videtur Deus, eſt extenſiuè indiuiſibilis; & ſimiliter gradus, quo videtur Angelus, & cætera; gradus illi nulla ratione poſſunt vniri ad componendam vnam viſionem, quę per modum continuationis extenſiuæ ſe extendat ad plures creaturas: quoniam hæc compoſitio ex ſe requirit latitudinem in partibus; & præterea, quòd partes non ſecundum ſe totas coniungantur, ſed ſolùm in vno cõmuni termino indiuiſibili. Denique excogitari non poteſt, quiſnã modus vnionis inter illas partes intercedat, vt poſsint extenſiuè componere vnam viſionem: quod latiſsimè oſtendit *in dicta diſp. 26. ſect. 2. pag. 526. col. 1. §. Hinc colligitur ſecundo.* Hæc eſt prima ratio Suarij contra datam reſolutionem.

13. 2. Ratio. Secunda ratio ponitur ab eodem: quoniam per viſionem non videntur Deus, & creaturæ æque primo, ſed vnum videtur in alio viſo. Ergo in viſione non poteſt intelligi aliqua entitas præciſè attingens creaturam, quæ non attingat Deũ.

14. 3. Ratio. Tertia ratio; quoniam per viſionem, ita videntur Deus, & creaturæ, vt videatur diſtinctio eorum. Ergo entitas viſionis non poteſt repræſentare, niſi ipſa extrema, & per conſequens ea repræſentat indiuiſibiliter,

15. 4. Ratio. Quarta ratio ex eodem; quoniam gradus intenſionis præciſè conſiderati ita ſe habent vt ſecundum ſupponat primum, & tertius ſecundum, & cætera, ex eodem in Metaph. diſp. 46. ſect. 1. nu. 28. Sed in cognitione diuerſarum creaturarum nullus eſt neceſſarius ordo, ſed perfectior poteſt videri, non viſa minus perfecta.

16. 5. Ratio. Quinta ratio; intenſio viſionis ſolũ cõfert ad maiorem, vel minorem claritatẽ; & diuerſitas gradualis ſolum eſt in ordine ad ſubiectum, non verò ad obiectum. Ergo intelligi non poteſt quòd propter intenſionem, vel remiſsionem plures, aut pauciores creaturæ repræſententur.

17. cõfirmatur. Cõfirmatur; quia intẽſio viſionis fit per maiorem conatum potẽtiæ in ordine ad obiectum. Ergo gradus, qui de nouo additur non poteſt extendi ad creaturas, quæ non videbantur, ſed ſolùm poteſt facere, vt quæ videbantur, clarius videantur.

Poſtremò; quia aliàs intelligi non poteſt quomodo viſio animę Chriſti attingat infinita ſine augmento infinito partialis entitatis; quod non eſt admittendũ. 18. Poſtrema ratio.
¶ Ex his colligitur, doctrinam communem, quod beatior plura videat ex vi viſionis, ſtare non poſſe cum inæqualitatẽ viſionis intenſiua, & graduali

¶ Sed nec viſionis inæqualitas ſecundũ gradualem intenſionem poteſt eſſe cauſa, cur ex vi viſionis potius hæc, quàm illa videantur; quæ eſt ſecunda difficultas: etenim in Deo videri poſſunt, ſaltem diuiſim infinitæ creaturæ: huius autem cauſa non poteſt eſſe intenſio gradualis viſionis: omnes enĩ huius generis gradus eiuſdem rationis ſunt. 19. 2. Difficultas. 1. Ratio.

Accedit; quoniã creaturæ, quæ in Deo videri poſſunt, nullum ſeruãt inter ſe ordinem prioris, & poſterioris, quoad viſibilitatem, quem tamen ſeruãt partes graduales viſionis; Ergo inter creaturas in Deo viſibiles, & partes ipſas graduales viſionis non datur proportio, vt hæc potius per hãc partem videatur, & illa per illam. 20. 2. Ratio.

Hæc ſunt argumenta, cõtra cõmunem noſtram ſententiam, quæ nonnullos cogerunt à noſtra ſententia diſcedere.

§. 4.

Adducuntur nonnullæ ſolutiones ad præcitatas difficultates, quæ non recipiuntur.

Hæc argumenta nullam haberent vim, ſi vera foret opinio Nominalium, quam probat Bellomontanus 1. p. diſp. 50; nullas ſcilicet creaturas ex vi viſionis videri in Deo, ſed extra Deũ per ſpeciales reuelationes: ita enim corrueret totum difficultatis fundamentum; quia beatior ex vi melioris viſionis non videret plura: nec daretur inæqualitas ex parte obiecti beatifici. Hæc tamen ſententia quoad vtrũque caput nõ recipitur à nobis. 21. 1. Solutio ad iſtas difficultates.

Secundo loco occurrunt alij, beatos viſione videre in Deo creaturas: at tamen, quod vnus plures videat, vel pauciores: has, & non illas, id totum pendere ex libera Dei voluntate, non ex vi viſionis. 22. 2. Solutio.

Ita

Ita Henricus quodlib. 7. q. 4. Cumelius 1. p. q. 12. art. 8. q. vnica ad 3, & Bañes ibi dem ad 2. §. *His poſitis, reſpondetur.* Qua
Non recipitur. poſita ſententia, etiam corruit difficultatis fundamentum. ¶ Sed nec illa eſt recipienda: licet enim Deus ſe ſe liberè objiciat videndum, ſicut liberè ſe illis vnit in ratione ſpeciei: tamen quod hoc, vel illo modo, id eſt ſub tanta, vel tanta penetratione ſuę perfectionis ſe ſe obijciat; id iam præciſè non pendet ex pura Dei liberalitate: quia iam ſtatuit iuxta meritorũ proportionem concurrere ad viſionem clariorem, vel minus claram; & iuxta claritatis proportionem apparere ſecũdum plures, vel pauciores perfectiones, & intelligendi rationes, in quibus plures, vel pauciores creaturæ videantur. Quare ex vi viſionis maioris, vel minoris plura, vel pauciora vidētur: & videntur potius hæc quàm illa.

23. 3. Solutio. Tertio loco quidam nouiores ita rem declarant; vt ex maiore, vel minore penetratione eſſentiæ, quæ ex viſione magis, vel minus intenſa pendet, petenda ſit ratio, cur vnus plura videat, quàm alius. At verò cur hæc videat potius, quàm illa ex libera Dei voluntate pendere determinãte intellectum, & lumen, vt hac potius viſione, quàm illa beatus videat eſſentiam cum his creaturis, & nõ cum illis: etenim cum intellectus, & lumen gloriæ habeant vim producendi infinitas numerò viſiones diuinæ eſſentiæ, & creaturarum in ea, ad diuinam prouidentiam ſpectat hanc in differentiam determinare ad hanc numero viſionem, vt determinat indifferentiã cuiuſcumque cauſæ ad hanc numero actionem, & effectum. Ita fit, vt ex vi quidem viſionis beatus videat, quæ in Deo videt: non tamen ſine libera Dei voluntate; non quidem reuelante hoc, & nõ illud; ſed determinante intellectũ, & lumen ad hanc potius viſionem, quàm ad illam.

24. Non placet. ¶ Solutio ingenioſa eſt, & ſubtilis: ideo tamen non placet; quoniam licet indifferentia intellectus ad infinitas numero viſiones terminatas ad eſſentiam ſub hac viſibilitatis ratione per ſolam liberãDei volitionem ſit determinanda: tamen determinare viſionem, quod potius terminetur ad hanc rationem intelligibilem, & ad hanc c[illegible]aturam, id non præciſè pendet ex lib[illegible]a Dei voluntate; ſed ex diuerſitate tùm luminis, tùm viſionis. Vnde redit eadem difficultas; an ſcilicet, id proueniat ex diuerſitate intenſiua; an verò ex diuerſitate perfectionis ſpecificæ, vel indiuidualis.

§. 5.

Explicatur vera cauſa, cur à viſione meliori, & intenſiori plura videantur? & ſoluuntur argumenta in contrariũ.

His igitur ſolutionibus omiſsis, veram reſolutionem duplicis allatæ difficultatis oportet expendere: quarum prior petebat cauſam; cur plura à beatiori videantur, quàm à minus beato? Ad quam dicimus, ideo plura, tùm de Deo, tùm in Deo videri ex vi viſionis; quia, & lumen eſt intenſius, & viſio clarior in vno, quàm in alio. 25. Vera cauſa cur à meliori viſione plura videntur.

Et de lumine id oſte[illegible]ditur; quoniam de lumine gloriæ Theologizandũ eſt per analogiam ad lumen corporeum: conſtat autem lumen corporeum, quò eſt intenſius, eò non ſolùm clarius illuminare, ſed etiam extenſius, tum in ordine ad ſpatiũ; tum ad obiectum, ita vt in eo plura faciat actu viſibilia: docet enim experiẽtia, quò luminoſum eſt intenſius, eò per longius ſpatium ſuum lumen diffundere, & minutiora corpora in eodem medio oſtendere & minutiores viſibilitates in ipſo obiecto. Eodem igitur modo, quò lumen gloriæ fuerit intenſius, & clarius, eò plures in Deo cognoſcibilitates, & intelligibiles rationes faciet obiectiuè apparere: habet enim diuina eſſentia infinitam intelligibilitatis latitudinem; quæ eò magis penetratur, quò intenſiori lumine obiectiuè veluti illuſtratur, actuaturque. 26.

Et inde eſt, vt viſio quò clarior eſt eò ad plures Dei intelligibilitates, & in illis ad plures creaturas terminetur: ſitq; plurium actualis expreſsio, & repręſentatio. Quod ſatis confirmatur exemplo luminis, quo cauſa cognoſcitur: quo enim maiori, & clariori lumine penetrãtur, & cognoſcuntur principia, eò in illis plures radicales intelligibilitates apparent; in quibus ſimplex Angeli intuitus, & plures effectus, & plures concluſiones penetrat, & homo plures concluſiones deducit. Quare non video cur ad aliam inæqualitatem recurrendũ ſit, quando de Deo, & in Deo plura videntur, quàm ad inæqualitatem inten- 27.

intenſiuam gradualēque intenſionis perfectionem.

27. Ad 1. arg. Sed iam argumenta in contrarium adducta diſſoluamus. Ad primū, quod Suarius non minus diffuſe, quàm obſcurè obijcit, dicimus in eo falſam nobis, imò, & impoſſibilē imaginationem imponi: nec enim ita intenſionem illam viſionis imaginamur, vt vna pars gradualis, aut luminis, aut viſionis præciſè terminetur ad Deum, & alia ad Angelum, verbi gratia, in Deo viſum: ſed dicimus, omnes, & ſingulos intenſionis gradus, & ad Deum, & ad ſingula, quæ in Deo de Deo videntur, terminari: ſicut quando vnus effectus à duabus cauſis producitur, ita à ſingulis producitur, vt totus, & totaliter à ſingulis producatur, vt omnes fatētur; ita Deus viſus, & ea, quæ ſūt in Deo à tota luminis, & viſionis entitate, & à ſingulis eius partibus attinguntur.

28. Cur intēſio videt nouā creaturā. Sed dices; cur igitur hæc viſio magis intenſa attingit creaturam, quā antea non attingebat? Reſpondetur; quia facta additione reddita fuit vigurōſior; tùm vt clarius tendat in obiectum; tùm etiam, vt illud magis penetret: nam ob hanc rationē calidum vt quinque, dum fit calidum vt ſex poteſt calefacere vt ſex, quod antea non poterat; ita tamen, vt ſextum illum gradum non ſolus ſextus gradus additus de nouo producat, ſed totum ipſum calidum ſecūdum omnes ſex gradus. Itaque vt hæc viſio de nouo extendatur ad nouā creaturam, indiget noua additione graduali; non vt per ſolam illam præciſè attingat creaturam de nouo viſam; ſed vt tota viſio fiat virtuoſior, & magis extēdatur. Quare vnio, & compoſitio intenſiua eiuſdem viſionis ſatis eſt ad illā obiectiuā extenſionem. Ad quæſtionum. Quando igitur inquiritur; an illæ partiales entitates ſint obiectiuè compoſitæ, & diuiſibiles diuiſibilitate extenſiua; an verò indiuiſibiles? Reſpondendum eſt, nec totā viſionem, nec partes eius entitatiuas eſſe aut obiectiuè cōpoſitas, aut diuiſibiles extēſiuè in ſenſu à Suario explicato. Si verò inquiras; an viſio, eiuſque partes ſint extenſiuè ſimplices, & indiuiſibiles in odem ſenſu? Reſpondendum eſt, negatiue tales eſſe; (quia habent negationem talis compoſitionis, & diuiſibilitatis) non tamen poſitiuè: quaſi non poſsint non terminari ad vtrumque illud obiectum, aut nō extendi ad illud nouū: nam illa viſio eadem numero permanens diuina potentia poteſt non terminari ad Angelum, ad quem antea terminabatur; quia poteſt ita remitti lumē, & viſio ipſa, vt vi illius nulla in Deo creatura videatur: poteſt etiam Deus, & lumen ipſum, & ipſam viſionem intendere, vt ad plura in Deo de nouo terminetur, ad quæ antea non terminabatur. Quæ omnia ſupponimus alibi diligentius expendenda. Atq; ita ceſſant omnia, qnæ contra indiuiſibilitatem intenſiuam latè ſcribit Suarius.

Ad ſecundum dicimus, argumentum concludere, ſi partes intenſiuæ viſionis ita ſe habeant, vt vna vnum, & altera alterum attingat; quod tamen negamus. Ad 2.

Ad tertium eodem modo reſpōdemus; quia argumentum ſolum impugnat diuiſibilitatem gradualem, quam nobis Suarius imponit. Ad 3.

Ad quartum poteſt negari maior, quia repugnat receptæ philoſophiæ, quæ docet, gradus intenſionis eiuſdē formę eſſe eiuſdem rationis, tàm ſpecificè, quàm indiuidualiter; & per cōſequens per ſe nullū habere ordinem primi, & ſecundi; ſed quicumque ita ſe habet ad ſubiectum, vt niſi alios inueniat in eo, poſſit eſſe primus. Quam philoſophiam eſſe communem fatetur idem *Suarius in Metaph. diſp. 46. ſect. 1. num. 29. vbi plures refert: idem docuere Antonius Andreas 8. Metaph. q. 6. Toletus in 1. de Generatione cap. 3. q. 4. Conimbricenſes ibi cap. 4. q. 8. art. 3. ad vlt. Bellomont. t. 2. diſp. 82. cap. 6. num. 25.* ¶ Sed admiſſa illa maiore negāda eſt minor; quia aliquis ordo datur in cognoſcendis diuinis perfectionibus, rationibuſque intelligibilibus; cum vna latentior ſit, quàm alia, vt ex D. Thoma ſtatim dicemus. 29. Ad 4. *Suarius. Antonius And. Toletus. Conimbr.*

Ad quintum admittimus diuerſitatem intenſionis per ſe ſumi à ſubiecto; in hoc tamen ſenſu; quia tanta eſt intenſio, quantus fuerit conatus, & influxus principij actiui viſionis. Negamus tamen maiorē, vel minorem intenſionem viſionis ſemper eſſe circa idem obiectum eodem modo ſumptum: nam cum variata intenſione varietur penetratio intelligibilitatis obiecti; variatur etiam obiectum extenſiuè. Quia eò plura, vel pauciora obiecta repræſentabuntur, quò maior, vel minor 30. Ad 5.

minor fuerit penetratio , & claritas.

31. Ad confirmat. Ad confirmationē reſpōdetur primo, antecedēs non admitti ab ōnibus: nec enī admittendū eſt, ſi à meliori intellectu cū ęquali lumine elicitur viſio intenſior: hac enim poſita opinione intenſio nō pendet à ſolo conatu potentiæ : quin potius fieri poteſt, vt conatus potentiæ ſit æqualis, & viſio inæqualis ſit, ſi duo intellect⁹ ęquales inæqualia habēt lumina : vterq; enim æqualiter conatur, & viſio eſt intenſior in eo, qui maius habet lumē: conatus etiā potentiæ poteſt eſſe inæqualis cū ęquali viſione; quando ille, qui deterioris eſt intellectus, maius habet lumen, vide Molin: 1.p.q.12.art.6.diſp.3. ¶ Repōdetur ſecundo, antecedens admittendū eſſe, ſi intellectus à ſolo lumine habet vim vidēdi: tunc enī intenſio eſt à conatu potentiæ iuxta luminis proportionē, ex Soto in 4. diſt.49.q.3.art.2.ad finē. Porrò nō neceſſe eſt, vt intenſio ſemper ſit à conatu potentiæ circa idem obiectū, vt male ſupponitur : ſi enim variatur intenſio, variari debet obiectum extenſiuè.

Vltimum argumentum tangit difficultatem; vtrùm infinita poſsint videri ab intellectu, de qua inferius q.13.

§. 6.

Explicatur vera cauſa, cur à viſione meliori potius hæc, quàm illa videntur?

32. Cur potiùs hæc quam illa videant. SVpereſt explicāda ſecunda difficultas; cur à magis beato potius hęc, quā illa videātur? quæ multorū ingenia torſit. Mihi ille dicendi modus videtur ꝓbabiliſsimus, qui rationē huius ſumit, tū ex parte luminis, tū ex parte obiecti. Ex parte quidē luminis; quia eſt intēſiuè maius, & elicit viſionē clariorē: ex parte verò obiecti: quia perfectionū intelligibiliū hę ſunt magis manifeſtæ, illę magis occultę: inde enī ortum habet, vt hæ maiori lumine indigeāt, vt obiectiuè appareāt, quàm illæ. Ita *D.Thomas de veritate q.8. art.4. ad 12. Caietan 1.p.q.12.art.8.§. Ad ſecundā obiectionem, & ad finē Cōmenti, Molina ibidem diſp.5.mēb.2.§. Quod attinet ad primū, & ad 2.* ex hoc enim infert D.Thomas, nō ōnes rationes intelligibiles Dei æqualiter ſe habere ad quodcūq; lumē, atq; viſionē; ſed ordinatè iuxta proportionē maioris; vel minoris claritatis in viſione, & lumine: ex quo etiā infert nō omnes creaturas æqualiter ſe habere ad omnē eſſentię viſionē, ſicut enī nō omnes effect⁹, qui in cauſa cōtinentur, nec ōnes cōcluſiones in principio incluſæ ęqualiter ſe habēt ad quancūq; cauſæ, & principij penetrationē, quia quædā minùs latent, quædā verò magis: ita in diuinę eſſentiæ ꝓfunditate, atq; intelligibilitate, quædā minus apparēt, & quędā magis, vt colliges ex Auguſt. epiſt. 112.c.9. & meritò; quoniā ex doctrina Patrū, & Cyrilli Ieroſolymitani catecheſi 6. eſſentia diuina habet ſuā, imò infinitā intelligibilitatis profunditatem, & altitudinē, ita vt in Deo aliqua ſint intellectu ꝓfundiora, & alia minus profunda: quæ ꝓfunditas dari nō poteſt ſine maiori, & minori obſcuritate, quā ſolus diuin⁹ intellectus adæquatè penetrat; creatus verò ſolū inadæqualtè, iuxta maiorē, vel minorem illius profunditatis īmerſionē, & penetrationē. Iam verò vbi eſt in intelligibilitate habitudo profunditatis; ibi nō poteſt dari manifeſtationis æqualitas, ſed neceſſario admittendi ſunt gradus latentiæ, & occultationis. Et ratione huius profunditatis dicitur Deus habitare in quadā caligine, vt ait D.Dionyſius, quæ nō eſt aliud, quā intelligibilitas Dei ſupereminens intellectui creato, quæ eò magis depellitur, quò maior eſt luminis, & viſionis claritas.

D.Thom. Caietan. Molina.

33. Ex quo patet ſolutio eorū argumentorū, quæ pro ſecunda difficultate adduximus ſuprà §.3.n,19.& 20. Reſtat ſoluere nonnulla argumenta, quæ à quibuſdā nouioribus contra datā reſolutionē adducuntur.

34. Ad 1.arg. Primū eſt; quoniā doctrina D.Thom. licet ſufficiēter reddat causā, cur rationes cōmunes, & vniuerſales creaturarū ſtatim relucant in Deo viſo (quia, ſ. immediatam cōnexionē habent cū Dei omnipotētia) non tamen ſufficientem rationem reddit cur hæ potius quā illæ creaturæ in particulari videātur; quia omnes eādem habēt connexionē cum eſſentia, & omnipotentia diuina. ¶ Ad hoc dicendum, doctrinā D.Thomæ ſufficientem rationē vtriuſq; reddere: nam licet omnes creaturæ eandē habeāt connexionem cum Dei eſſentia quoad produci; quia omnes ſunt immediatè producibiles à Deo; non tamen omnes habent eandem connexionem, quoad cognoſci cum diuina eſſentia cognita, vt cauſa; quia ratio imitabilitatis, &

participabilitatis vnius manifeſtior eſt ad cognoſcendum, quàm imitabilitas, alterius: vnde autem id proueniat? patebit ex ſolutione ſequentis argumenti.

35. Ad 2. ſecundum argumentū; quia ex illa reſolutione ſequitur cognoſci à beatis nobiliſsimas quaſq; creaturas: quod eſt falſū; quia nō datur vlla tantæ perfectionis, vt Deus non poſsit aliã perfectiorẽ producere, Sequela verò oſtẽditur; quia effect⁹ clarius apparet in cauſa; vel quia immediatius in ea cōtinetur: vel quia, cū ſit perfectioris entitatis, magis aſsimilatur cauſæ: nec enim poteſt magis apparere, ex eo, quod eſt entitatis imperfectioris. At De⁹ in ſua virtute immediatè continet omnes creaturas; vt verò habet rationē ideę, immediatè ſingulas repræſentat. Ergo creaturæ in Deo eò erunt manifeſtiores, quò fuerint perfectiores: quæ fuit ſequela.

Vnde cum perfectio diuina eſt inter quã aliã ¶ Hoc argumentū poſtulat explicationē nodi difficillimi; vnde nã ꝓueniat, quòd vna Dei perfectio ſit notior, aut minus nota, quã alia. Quã difficultatē ſolus Molina tetigit: rem tñ exactè nō explicauit: ſolū enim dixit, eſſentiã diuinã plus repræſentare ea, quæ in ſe formaliter habet, quam quę habet ſolum eminenter: ex his verò minus repræſentare, quæ ſunt pfectiora: huius tamen doctrinæ rationē nō reddit,

36. Præmeſſū. Pro explicatione aduerte beatos videre eſſentiã, perſonas, & ea; quę ſunt formaliter in Deo, & tandē, quę ſunt eminēter. Tria priora, cū ad eſſe Dei pertineãt, nō poſſunt ſaltē ſine miraculo non videri ex vi viſionis, quaten⁹ eſt intuitiua: hæc enī, vt intuitiua eſt, terminatur ad Deū, ſicuti eſt, vt habetur primæ Ioannis 3. Porrò, quæ ſunt eminenter, cū ad eſſe Dei non pertineãt, ſed ad illius participabilitatē, nō terminãt viſionēpręciſè, quia eſt intuitiua (quia vt ſic ſolū terminatur ad eſſe diuinū) ſed eã terminãt, ideo, quia eſſentia diuina tanquã eorū cauſa ſecundū ſpeciales rationes imitabilitatis penetratur, & diſtinguitur. Hinc infertur, ea, quæ ſunt in Deo formaliter, eſſe cognoſcib lia in ſe ipſis, tanquã obiectū primariū viſionis: quę verò ſunt eminenter; cum ſolū videantur ex viſione Dei, quatenus eſt cauſa, nō verò, quatenus eſt intuitiua, nō cognoſcuntur īmediatè in ſe ipſis, ſed in diuina eſſentia cognita, tanquam obiecta ſecundaria.

¶ Hinc colliges, verè dixiſſe Molinã, quę formaliter ſunt in Deo ex ſua natura magìs eſſe cognoſcibilia ex vi viſionis, quã, quæ in eo ſunt eminēter: qa horū maior, vel minor cognoſcibilitas ñ præciſè expēditur penes maiorem, vel minorem perfectionem, ſed penes rationem obiecti primarij, aut ſecundarij.

37. differt inter ea quæ in Deo ſūt formaliter, & quæ ſunt hu maniter. Dixi in principio, *quæ ſunt in Deo formaliter non poſſe ſine miraculo non videri ex vi viſionis*: quia plures ſunt Theologi, qui putãt ꝑ diuinã potentiã fieri poſſe, vt eſſentia nō ſolū ſine attributis, ſed etiã ſine perſonis videatur: cū verò null⁹ vnquã dixerit, aut dicere potuerit, Deum videri poſſe nō viſa eſſentia, neceſſario infertur nō eſſe eandē rationē quoad cognoſci inter eſſentiã, & perſonas, atq; attributa: diuerſitas tñ non eſt ſumēda à maiori perfectione huius, quam illius (quia inter illa nulla datur perfectionis inæqualitas quoad eſſe) ſed ex eo potius; quia cum viſio intuitiua ex ſua ratione terminetur ad rē, vt in ſe eſt: ꝑ eſſentiã verò De⁹ habeat eſſendi actum: hinc fit, vt Deus nequaquam ſine ſua eſſentia videri poſsit: quæ ratio non cernitur aut in perſonis, aut in attributis; de quo latius diximus tomo 1, lib. 4.

38. Quomodò theologizãdum ſit de cōtētis eminenter. Porrò inter ea, quæ in Deo eminenter cōtinentur, aliter eſt Theoſogizãdum; & dicendū cum eodē Molina, hęc in Deo eò minus eſſe manifeſta, quò ſunt perfectiora. Et hac ratione maius lumen eſſe neceſſariū, clarioreq; viſionē, vt percipi valeãt. Nec hoc ſine fundamento aſſeritur, quia attentis regulis Metaphyſicæ, quò res ſūt ſuperioris ordinis in entitate, & maioris ꝑfectioni, smagisq; intelligibiles, eò difficilius cognoſcuntur ab intellectu ordinis inferioris, ob imperfectonē eius; & ratio eſt, quia nihil, niſi ad ſuū naturalē eſſendi modū naturaliter poteſt intelligere: & ob hãc rationem ſubſtãtię ſeparatæ, quantūuis in ſe ipſis ſint maximè intelligibiles, latent intellectū cōiunctum, & ab eo difficillimè intelligūtur. Et ideo indigēt lumine meliori, & infuſo, vt abeo intelligãtur. Iam verò rationes intelligibiles rerum creatarum, quæ appellantur imitabilitates, & participabilitates diuinæ eſſentiæ, in quibus, tanquã in cauſa vidētur creaturæ, ſunt ordinis ſupernaturalis reſpectu cuiuſcūq, intellectus creati. Ergo quò perfectiores illæ fuerint, eò difficilioris erūt intellectionis reſpectu creati intellect⁹, & ideo

ideo maiori indigebūt lumine, vt apareāt.

39. Dantur infiniti gradus eminentes contenti. Nec eſt negandū, dari in diuina eſſentia plures, imò infinitos eſſendi grad⁹ virtualiter diſtinctos, quibus illa ab infinitis creaturis eſt imitabilis: quælibet enim creatura eſt quædam imitatio, ac participatio diuini eſſe, diuinæq; perfectionis. ¶ Similiter nō eſt negādum, illos eminentiales eſſendi grad⁹ ita ſe habere in ſua naturali diſtinctione, vt vn⁹ ſit alio ꝑfectior quia vnus eſt alio diuinæ perfectioni, & actualitati propinquor; & inde eſt, vt in creādis ſpeciebus dabilis ſit proceſus in infinitū, quoad maiorē, & minorē perfectionē: nā cū nullus poſsit dari eminentialis gradus, nullaq; imitabilitas, quæ adęquatè & modo perfectiſsimo diuinū eſſe, diuināq; perfectione imitetur (quælibet enī in ſe eſt finita) nulla etiā poterit dari creatura, quæ perfectiſsimo modo imitetur diuinā perfectionē, ſed qualibet data poteſt dari alia perfectior: in quo poſita eſt infinita illa profunditas participabilitatis, quā Patres agnoſcunt: & in hoc etiā cōſiſtit caligo illa, & difficultas intelligibilitatis harum perfectionū eminentialiū: cū enim diuinæ entitatis ſūma actualitas, & perfectio in ſua adæquata actualitate poſita ſit in caligine, non dico difficultatis, ſed impoſsibilitatis, vt à creato intellectu cognoſcat̃ (quia vt ſic à ſolo intellectu diuino adęquatè eſt intelligibilis; à creato autē inadæquatè) hinc eſt vt eminētialis gradus, & perfectio eò ſit caliginoſior, & ꝓfundior, & ſubinde difficilior, quo magis ad ſūmā diuinitatis caliginē apꝓpinquat.

§. 7.

Nonnullæ difficultates circa datam ſolutionem.

40. 1. Difficul. PRo maiori explicatione nonnullæ ſūt diſſoluendę difficultates. Prima eſt, quia poteſt aliquis dicere, quòd illa intenſio luminis, quæ in omnibus beatis datur, ſufficiēs eſt ad intelligendas ſpecies creatas Angelorū. Hæ autē ſunt perfectiores, quā omnes ſpecies, etiā poſsibiles rerū materialiū. Ergo quilibet beatus videbit ōnes rerū materialiū ſpecies, etiā poſsibiles, ſi vera eſt explicata doctrina: nā lumen, quod ſatis eſt ad illumināda perfectiora, ſatis etiā erit ad imperfectiora. Cō-
41. Solutio. ſequens tñ eſt aperte falſū. ¶ Reſpōdemus, lumen in ea intenſione, in qua datur in minimo beatorū, ſatis eſſe, vt illuminet & faciat apparere perfectionē eminentialē, non ſolū quoad cōmuniſsimā rationē participabilitatis à creaturis, vt omnes cōcedunt; ſed etiā quoad omnes rationes genericas illius: tū quia omnes gradus eſſendi generici ſunt numero finiti: ens enim adęquatè diuiditur in finitū, & in infinitū: finitū autē in materiale, & in immateriale: materiale verò in corruptibile, & in incorruptibile: corruptibile in viuens, & nō viuens: deniq; viuens in vegetatiuū, ſenſitiuū, & intellectiuū: ſub quibus eſſendi gradibus omnes ſpecies creabiles cōtineri debēt. Tùm etiā, quia omnes generici gradus eſſendi ſunt neceſſarij ad ſatiandū naturalē appetitū ſciendi: cū omnes ex rebus creatis naturaliter ſint cognoſcibiles. Præterea idē lumen ſufficiens eſt ad illuſtrādas omnes ſpecies creatas; qa omnes lumine naturali à nobis cognoſci poſsūt. Quare difficultas in intelligendo, de qua loquimur, quæ cōſequitur perfectionem intelligibiliū, non eſt ſumenda à perfectione generica, ſed à ſpecifica ſub quolibet genere: hęc enim quò maior fuerit, & perfectior, eò difficilior intellectu erit, indigensq; maiori lumine, quo aucto plures ſpecies ſub ſingulis generibus intelligentur, & adhūc ſēſū intelligēda eſt præcedēs doctrina. Quare licet ordinē cōſtituamus inter rationē cōmuniſsimā imitabilitatis, & rationes genericas ſpeciales; quia illa cōmuniſsima minus latet, & proinde minus lumen requirit, tñ inter ipſas rationes genericas nō ſumitur ordo ex perfectione præciſè ſūpta, ſed lumen quod ſufficit ad vnam rationem genericam, illud ſatis erit ad omnes alias: nec enim apparet, cur Angelos minus lateat gradus eminentialis entis materialis, quam immaterialis illi connaturalis.

Secunda difficultas eſt, cur hæc potius
indiuidua, quā illa ſub eadē ſpecie à magis 42. 2. Difficul.
beato videātur? A qua facilè liberabitur, qui dixerit, indiuidua eiuſdē ſpeciei ex vi viſionis nō videri, niſi ad ſtatū beati pertineāt. Verū, qui oppoſitū ſentiunt, magna impliciti ſunt difficultate, niſi dicāt cū nōnullis ōnia eiuſdē ſpeciei indiuidua habere per ſe ordinē; ita vt vnū aliud in perfectione excedat. Hæc tñ opinio, ſi de omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei intelligatur, eſt improbabilis: cur enim duo

eiuſdem ſpeciei indiuidua non poterunt eſſe æqualiter perfecta? Porrò ſi inter omnia hanc inæqualitatem non admittis: iam in eandem difficultatẽ incidis, in qua ſunt, qui volũt, omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe æqualiter pfecta: qua ſuppoſita opinione, vix ſuppetit ſufficiẽs ratio. Quare recurrẽdũ puto ad primã ſentẽtiã.

3. Difficul. Tertia difficultas ſumitur ex eo, quod ſupra diximus q. 10. art. 1. §. 3. æqualitatẽ obiectiuam poſitam eſſe in inæqualitate perfectionũ formaliũ; ita vt beatior plus penetret de ſingulis attributis; quo ſuppoſito, iam inquiri poteſt, vnde proueniat hæc inęqualitas? Dicendũ eſt, eam per ſe ortũ habere ex inęqualitate intẽſiua viſionis: quomodo autẽ id fiat explicare non poſſumus; quia nec poſſumus intelligere gradus, veluti intẽſionis cuiuſq; attributi; niſi fortè diſtinguendi ſint penes diuerſas participabilitates formales in ordine ad creaturas: & tũc penes maiorẽ, & minorẽ nobilitatem hi erũt min⁹ latentes, quã illi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm probabiles ſint duæ poſteriores opiniones poſitæ art. 3. §. 1.

1. 2. Opinio defenditur, ſed non probatur. DIximus in 3. art. §. 1. ſecundã, & tertiã opinionem ibi relatã eſſe ꝓbabilẽ: quod oportet breuiter oſtẽdere. ¶ Secundã opinonem ibi poſitã appellat Bellomontanus abſurdã: ſed nos eã, vt probabilem defendimus ſupra lib. 11. *q. 5. art. 3. §. 15. à nu. 66.* vbi argumenta in contrarium diſſoluimus. Negandũ eſt igitur Bellomontano omnes viſiones hominum habere idem obiectum; quia non omnes terminantur ad eſſentiam ſub eadem ratione intelligibili: quod ſatis eſt, vt differant ſpecie, ex Paludano *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 1. num. 6.* ¶ Sed opinionẽ ideò putamus eſſe minus probabilem; quia lõge probabilius eſt, õnes viſiones eſſe eiuſdem ſpeciei, vt loco citato diximus n. 65. *Paludan.*

2. 3. Etiã non admittitur, ſed defenditur. Tertiam ſententiam, quæ eſt Suarij, vt probabilem in noſtris prælectionibus defendimus: nec enĩ gratis cõficta eſt, quidquid dicat Bellomontanus: qui ſine fundamento contra eam ſupponit, nullam diuerſitatem ſumi poſſe ex parte obiecti: oppoſitum diximus ſupra *art. 1. §. 2. & 3.* Sine fundamẽto etiam ab eo ſupponitur, præter varietatem intenſionis, nullam aliam dari, ex qua ſumatur varietas perfectionis indiuidualis: nam cũ intenſionis diuerſitas ſit accidentaria, ſupponit in viſione indiuidualem differentiã: quæ poteſt eſſe perfectionis diuerſæ: hęc enim inter eandem ſpeciem à pleriſq; admittitur: *vt à Caieta. 1. p. q. 85. art. 7. Ferrar. 1. cõtra gent. c. 3. in 2. rat. Iauello 8. Meta. q. 6. a. 4. principali*: Probabile putant Conimbricenſes 2. de Anima c. 1. q. 5. art. 3. Porrò ſi admittatur forma indiuidualiter perfectior, vtiq; poteſt habere variũ effectum; & per cõſequens in viſione indiuidualiter perfectiore admittendus eſt varius effectus; maximè cum viſio ex ſua natura reſpiciat obiectum ſub ſpeciali viſibilitatis ratione. Nõ negabis tñ poſſe dari indiuiduas viſiones æqualis perfectionis, ne cogaris negare, dari poſſe duos æqualiter beatos cõtra id, quod diximus ſupra *q. 9. art. 3. §. 2.* *Caietanus, Ferrarien. Iauell. Conimbr.*

Nos tamen hãc opinionẽ putamus eſſe min⁹ probabilem: vnde eã nõ admiſim⁹ 1. *tom. lib. 5. q. 11. art. 4. §. 4. n. 30. nec eã admiſit Salas loco cit. pag. 297. n. 115.* Primò; qa eſt ſingularis, & contra modũ loquendi Tridentini, vt diximus §. 2. n. 6. Secũdo; quia aduerſarios habet Auguſtinũ, & Patres, qui putant, poſt reſurrectionẽ viſionem eãdem numero manentem futurã eſſe maiorem. Tertio; quia, qui, per nouũ meritum acquirit ius ad maiorem gloriã non acquireret ius ad eãdem numero gloriã, quam prius meruerat; ſed ad aliã numero diſtinctã: quod eſt contra phraſim Tridentini ſeſſ. 6. Can. 32; vbi videtur admittere augmentũ eiuſdẽ numero glorię. Poſtremò; quia Philoſophia Ariſtotelis nõ admittit indiuiduũ eiuſdem ſpeciei perfectius, quã aliud; aliàs daretur intra eandem ſpeciem prius, & poſterius; cũ intra eã detur ſubſtantialiter perfectius, & imperfectius: cuius oppoſitũ docuit Ariſt. 3. *Metaph. tex. 21. ex quo philoſophi generaliter colligunt, in ſolis ſpeciebus dari prius, & poſterius, cũ D. Thom. de ſpiritualibus creaturis, art. 8. & quodlib. 3. art. 6. Ferrarienſi 2. contra gent. c. 44. & Durand. in 1. diſt. 2. q. 1.* Vnde cõmune axioma, ſpecies ſunt ſicut numeri (de quo 8. *Metap. cap. 3. tex. 10.*) ſolis ſpeciebus accommodatur, non verò indiuiduis, ex *Fonſeca 5. Metap. c. 28. q. 26. ſect. 2. & 3.* Inde etiã eſt, vt *Ariſt. 10. Metap. c. 13. tex. 26. & 7. Phyſ. c. 4. tex. 31.* in ſola natura generis agnoſcat analogiã, in ſpe- *3. Oppoſitum verius. Salas. Ariſtot, Fonſeca. Ariſtot,*

ſpecie autem ſolam vniuocationem ; ob eã rationem, quia differentiæ genenericę habent perfectionis inæqualitatem, quã tamen nõ habẽt differentiæ indiuiduales, quibus cõtrahitur ſpecies. Ob eandẽ etiã rationem ſpecies infima dicitur atoma, & *indiuidua 2. poſt. cap. 15. & 5. Metaph. c. 10. tex. 16.* quia. ſ. inter indiuidua datur perfecta ſimilitudo, vt ait *Boeti' in c. de ſpecie, & Conimb. 2. de Anim. c. 1. q. 5. a. 3.* Quare Philoſophi doctiſsimi docuerunt, nullã perfectionis inæqualitatẽ per ſe dari in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſed ſolã accidẽtariã: ita *Fonſeca & Conimbric. vbi ſupra Sotus in c. de ſubſtantia q. 5. ad 5. Soncinas* 8. *Metap. q. 26. Duran. in 2. d. 32. q. 3. Argentinas q. 1. art. 2. Palatius diſp. vnica, Zimara Theoremate 34. & ſatis Hẽricus quodlib. 3. q. 5. & D. Thomas quodlib. 3. art. 3.* licet Caietanus cum nonnullis citatis oppoſitum doceãt; pro quibus Conimbricenſes falsò citant Magiſtrum, Richardum, Ægidium, Albertum, Maiorem, Capreolum, Hiſpalenſem. & Abulenſem.

Ariſt. Boetius. Conimb. Fonſeca. Sotus. Soncin. Palatius. Zimara. Henric.

QVÆSTIO XI.

De Cauſa inæqualitatis in beatitudine formali.

CVM Beatitudo formalis poſita ſit in viſione; hæc autem, & habeat rationem viſionis, & pręmij duplicem cauſam ſibi vendicabit formalis beatitudo: vnam quatenus viſio eſt quædã res; alteram, quatenus eſt præmium. Illa eſt cauſa phyſica realiter influens in viſionẽ: hæc eſt cauſa moralis, quia reſpicit meritum, quod cauſat præmium, non phyſicè, ſed meritoriè. Vtrãq; explicauit D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 2. quia ab vtraq; in ſuo genere per ſe pendet æqualitas, & inæqualitas beatitudinis. De priori nunc agemus, deinde de cauſa morali. De cauſa igitur phyſica ſequentes excitabimus articulos.

ARTICVLVS I.

Quænã ſit cauſa phyſica inæqualitatis ipſius beatitudinis formalis?

§. 1.

Variæ ſunt opiniones.

1. DE cauſa phyſica, & proxima æqualitatis, vel inæqualitatis beatitudinis formalis, nõ cõſentiunt Theologi; quia nec conſentiunt de cauſa productiua viſionis: quidam enim volunt, eam nõ produci ab intellectu, ſed à ſolo Deo. Alij oppoſitum docent, & eſt cõmunior opinio: vtrique inter ſe aliquo modo variant. 2.

1. Sententia.

Prima ſententia, quæ viſionẽ ſoli Deo tribuit, æqualitatem, vel inæqualitatẽ ſumit ex ſola diuina voluntate, quæ ſuppoſita lege de correſpondentia pręmij ad meritum, iam nõ operatur pro ſolo volũtatis libito, ſed iuxta meritorũ menſurã: Deus igitur inæqualem viſionem cauſat, ſi inæqualia ſũt merita. Vnde hãc inęqualitatem hæc opinio reducet ad inæqualitatem meritorum, tanquã in cauſã ſuo modo diſponentem ad viſionem. Ita *Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 49. q. 2. artic. 3. dub. 2. & q. 5. art. 2. propoſit. 4. & Scotus, illa ſuppoſita opinione, in 4. diſt 50. q. 4. 5. & 6. concl. 4. lit. E, & Baſſolius ibi q. 2. artic. 3. §. Secundo dico.* Qui nihil curant de æqualitate, vel inæqualitate luminis; quia vel illud non admittunt, vel ſolum admittunt, vt diſpoſitionem ad recipiendã viſionem: & hęc mihi videtur mens Richardi; ſi diligentius expendatur *in 4. diſt. 49. art. 3. in 1. Sentent.*

Supplem. Scotus. Baſſol. Richard.

3. *2. Sententia.*

Secũda ſententia a priori in eo differt, quòd actiuitatem maiorem, vel minorem Dei influentis in viſionem non ſolùm menſurat iuxta inęqualitatem meritorũ, quæ eſt diſpoſitio remota, ſed etiam iuxta inæqualitatẽ luminis, quę eſt diſpoſitio ꝓxima, & ĩmediata recipiendæ viſionis. Ita *Durandus in 3. diſt. 14. q. 1. num. 8. & 9. & in 4. diſt. 49. q. 2. num. 28.* ex quo colliges, nec intellectum, nec lumen gloriæ actiuè concurrere ad viſionem, ſed ſolùm Deum: & tamen inæqualitatem viſionis ex inæqualitate luminis euidenter colligit in dicto numer. 8. & 9. Vtrùm verò hæc inæqualitas etiam ſit expendenda penes inæqualitatẽ luminis naturalis, quod, vt ait, ad viſionem concurrit paſsiuè? nõ ſatis explicat; videtur tamen affirmare, dum ait, actum beatitudinis magis variari ſecundum variationem luminis glorię, quàm naturalis.

Durand.

4. *3. Sententia.*

Tertia opinio cõtra præcedentes ſupponit, & intellectum, & lumen ad viſionem concurrere, vt duas cauſas partiales. Et authores illius volunt, inæqualitatem viſionis ex inæqualitate vtriuſque ſumi

poſſe, ita vt viſio non ſolùm ſit inæqualis, quando & lumen, & vis intellectus ſunt inæqualia; ſed etiam quando cũ inæqualitate luminis intellectus eſt æqualis, vel cũ inæqualitate intellectus æquale eſt lumẽ.
Richard. Hæc ſententia tribui ſolet *Durando*, *ſed ex dictis patet, eũ in his terminis nõ loqui. Eſt tñ Richar. in 4. d. 49. ar. 2. q. 8. & art. 3. q. 2.*
Scotus. *& Scoti in 3. diſt. 13. q. 3. & diſt. 14. q. 4. & in 4. diſt. 49. q. 11. & d. 50. q. 4. 5. & 6. cõcl. 5. litera F.* quamuis enim quæſtionẽ excitet de ſola voluntate, idem tamen diceret de viſione. Eandẽ ſententiam affirmãt
Maior. *Maior in 4. diſt. 49. q. 10. ad 7.*
Supplem. *Supplementũ Gabrielis in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 3. dub. 2.*
Halcob. *Holcob in ſuis determinationibus q. 8. art. 1. ad 4.*
Caiet. *Caiet. 3. p. q. 10. art. 4. in fine: eſſe probabiliorẽ*
Molin. *affirmat Molin. 1. p. q. 12. art. 6. diſp. 2. cum*
D. Thom. *alijs nouioribus: qui omnes volũt, hanc ſententiã eſſe D. Tho. in d. q. 10. art. 4. ad 2.* dũ ait perfectionẽ viſionis magis ſumi à gratia, quã à natura; & ob id animã Chriſti, quãuis inferiorẽ habeat intellectũ clari⁹ videre Deũ, quã Angelos: ſupponit igitur facta illa comparatione, naturam aliquid facere ad viſionem.

5. *4. Opinio.* Quarta ſententia idẽ ſupponens, putat inæqualitatẽ viſionis ex ſola inæqualitate luminis eſſe ſumendã, vt quia adhoc nihil faciat inæqualitas naturæ. Hæc ſententia cõmunis eſt inter recentiores noſtri tẽporis.
Sotus. *tenẽt Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. ar. 2. ad fin.*
Medina. *Med. 1. 2. q. 5. ar. 2. q vlt. cõc. 1. & 3. p. q. 10. ar. 4.*
Cumelius. *& Cumel. 1. p. q. 12. art. 6. q. 1. concl. 1. & 2. & q. vlt. §. Dico tertio, vbi etiã*
Bañes. *Bañes in 2. dub. circa tertiã concl.*
Valentia. *Valent. 1. tom q. 12. art. 6. punc. 4. ad finẽ. & 2. tom. q. 5. diſp. 1. punc. 3.*
Henricus. *Henriquez in lib. de fine hominis c. 10. §. 9.*
Palatius. *Palat. in 4. diſt. 49. q. 1. in fine,*
Velloſill. *Velloſillus in aduertentijs ad tom. 9. Aug. quæſito 16. dub. 1.*
Suarius. *Suar. 1. to. ad 3. p. diſp. 22. ſect. 1. fol. 470. col. 1. B. & lib. 2. de Atribut. negat: c. 21. n. 4. & ad 3. p. 1. tom. diſp. 31. ſect. 6. ad 3. arg. in fin. & lib. 3. de Auxilis c. 20. nu. 9.*
Salas. *Lorca.* *Bellom. 1. p. diſp. 47. c. 6. n. 34. Salas 1. tom. ad 1. 2. q. 3. trac. 2 diſp. 5. ſect. 7. pa. 380. col. 2. & Lorca ad 1. 2. diſp. 35. de Beatitud. in 2. ſenten.*
Argent. *ante hos omnes eam probauit Argentina in 3. diſt. 14. q. vnic. ar. 2. qui omnes volũt, hanc eſſe ſentent.*
D. Thom. *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 6. in corp. & ad 3.* dum ait, diuerſitatẽ viſionis præciſè ſumi ex diuerſa facultate intellectus, non naturali, ſed glorioſa, quæ illi conuenit per lumẽ gloriæ. Satis inſinuat *3. cont. gent. c. 58. in 1. arg.* deniq; vbicũq; de cauſa inæqualitatis agit eã reuocat ad ſolã inæqualitatẽ luminis, vt patet *in citatis locis, & in 4. diſ. 49. q. 1. a. 4. quæſtiũc. 2. & 4. & 1. 3. q. 5. ar. 2. Fuit etiã ſentent. Hẽrici, quodl. 12. q. 6. ſi benè expendatur, quæ ſcribit.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm duæ priores opiniones adductæ in 1. art. debeant admitti?

EX his quatuor opinionib⁹, duę priores omnino ſunt reijciẽdæ: qa vtraque, & intellectui, & lumini negat influxũ in viſionẽ actiuũ. Primũ latê reijcimus *lib. 10. q. 1. art. 5. §. 2.* quã opinionẽ nõnulli putãt, adeò eſſe verã, vt oppoſitã putẽt eſſe periculoſa, vt ibidẽ *diximus §. 3. n. 15.* Et quãuis ibid. n. 16. ſcripſerimus eã poſſe ſine periculo defendi; tñ eã eſſe falſam *oſtendimus §. 4. & §. 5. & omnia argumenta in contrarium diſſoluimus.* Vide, quæ in illis locis diximus. 1. Vtraque eſt reijcienda. intellectus actiue concurrat.

Quòd verò lumen gloriæ ad viſionem actiuè cõcurrat, cũ cõmuni latè oſtẽdim⁹ in *d. lib. 10. q. 3. ar. 1. §. 2. vbi §. 3. nn. 25.* aduertimus ſuppoſito, quòd intellectus ad eam concurrit actiuè, nõ eſſe ſatis tutum id lumini negare; quare cum vtraque ſententia, & intellectus, & lumini deneget actiuitatem, neutra eſt recipienda. 2. Lumen actiue concurrit.

Aduertimus tamẽ, ſuppoſito, quòd nec intellectus, nec lumẽ actiuè influit, primã opinionẽ eſſe probabiliorẽ, ſi lumen ſolũ ponatur, vt intellectũ eleuet adſupnaturalẽ ordinẽ, quo aptus fiat, vt eſſentię, tãquã ſpeciei vniatur. Hoc enĩ admiſſo, ñ video, cur inæqualitas viſionis ab inęqualitate luminis per ſe pendeat; vnde ſolũ pẽdebit ab inæqualitate meritorũ: porrò, ſi lumen etiã admittatur, ꝑpter vnionẽ obiectiuã; vt. ſ. eſſentia intellectui intelligibiliter appareat; inæqualitas viſionis nõ poteſt nõ per ſe pẽdere ab inæqualitate luminis, ad hoc enĩ nihilpoteſt cõducere lumẽ naturale. 3. Aduertentia.

ARTICVLVS III.

Vtrũ cauſa inæqualitatis ſumenda ſit, tũ ex inæqualitate virtutis intellectus, tũ luminis?

§. 1.

Referuntur duæ oppoſitæ opiniones.

IN hac perdifficili quęſtione duas inuenio oppoſitas ſententias. Prima docet, inęqualitatẽ nõ ſolũ ſumi poſſe ex inæqualitate 1. 1. Opio.

æqualitate luminis, ſed etiam virtutis intellectus; ita vt viſio non ſolũ ſit inæqualis quando, & lumen, & vis intellectiua ſunt inæqualia; ſed etiam, quando cum inæqualitate luminis datur æqualitas intellectus; vel cum inæqualitate intellectus datur luminis æqualitas. Hæc ſententia communiter tribuitur *Durando in 3. diſt. 14. q. 1. n. 8. & 9. & in 4. diſt. 49. q. 2. n. 28.* Sed ex illis locis patet, Durandum non loqui in illis terminis, vt ſuprà aduertimus §. 1. in 2. ſent.

Falſo tribuitur Durando.

2. opinio. Huic opinioni opponitur alia, quæ cõſtanter tenet inæqualitatem viſionis ſumendam eſſe ex ſola inæqualite luminis, ita vt ad hanc inæqualitatem nihil faciat inæqualitas virtutis naturalis: hæc ſentẽtia inter recentiores noſtri temporis eſt communis, & pluribus alijs probatur, vt diximus art. 1. in 4. ſentent.

§. 2.
Vera reſolutio.

2. Vera reſolutio.

PRo clariori reſolutione aduertimus, in hac quęſtione ſupponi, dari poſſe inter creatos intellectus inæqualitatem in virtute intellectiua: quæ ſuppoſitio ſatis eſt dubia; non ſolùm ſi comparemus intellectus humanos inter ſe, imò etiã Angelicos apud eos, qui putant, dari plures Angelos eiuſdem ſpeciei; ſed etiã ſi comparemus intellectus hominum cũ intellectibus Angelorum. Et quidem, ſi intellectus Angelicus cum humano comparetur; non eſt parua controuerſia, an illi ſint eiuſdem ſpeciei. Nonnulli ſimpliciter id affirmant, ſiue intellectus illi cõſiderentur in ordine ad obiecta; ſiue vt ſunt proprietates naturæ Angelicæ, & humanæ. Alij volunt eos vtroque modo conſideratos ſpecie differre. Mediam ſententiam tuentur alij; ſcilicet eos in ordine ad obiecta eſſe eiuſdem ſpeciei, diuerſæ tamen, ſi conſiderentur, vt ſunt proprietates, & potentiæ naturales. De hac controuerſia latè diximus *in materia de Angelis. videndi ſunt Conimbricẽſes de Anima ſeparata diſp. 1. art. 7. §. Supereſt tamen huiuſmodi difficultas, & §. Authores non pauci.* Quæ opinio ſit verior? non eſt noſtrum hoc loco expendere: vnde, vtraq; ſuppoſita, difficultatem diſſoluemus: nõ negamus tamen, verius, & communius eſſe, eos ſpecie differre, & ſubinde in virtute intellectiua eſſe inæquales. ¶ Controuerſum etiam eſt; an inter intellectus humanos (qui omnium conſenſu ſunt eiuſdem ſpeciei) detur aliqua ſubſtantialis inæqualitas in virtute intellectiua ſecundũ differentias indiuiduales? Quidam affirmant: alij negant, & ſolùm inter eos admittunt inęqualitatem accidentariã; quatenus ſcilicet vnus intellectus meliori corporis diſpoſitione, promptiorique phantaſiæ miniſterio iuuatur, & habet meliores, & diſtinctiores ſpecies, aut lumen agentis intellectus clarius, & diſtinctius. Hanc controuerſiam in libris de Anima expendimus: eam videre poteris apud *Conimbricenſes 2. de Anima cap. 1. q. 5. art. 3.* vbi vtráque opinionem putant eſſe probabilem; probabiliorem tamen, & peripateticæ doctrinæ magis conſonam, quæ negat, quod etiam fuit noſtrum iudiciũ.

An intellectus Angelicus, & humanus ſit eiuſdẽ ſpeciei.

Conimbr.

An intellectus humani ſint indiuidualiter inæquales?

Conimbr.

§. 3.
Prima concluſio.

3. 1. concluſio.

HIs ita ſuppoſitis, quæſtionem propoſitam, duplici cõcluſione diſſoluemus: Sit prima cõcluſio: *Apud eos, qui in intellectu nullã admittunt inæqualitatẽ, aut ſpecificam, aut indiuidualẽ intrinſecã, viſionis inæqualitas nullo modo ſumi poteſt ex inæqualitate intellectus, ſed ex ſolo lumine.* Hæc concluſio ex terminis eſt nota, nec in ea dari poteſt aliqua dubitatio: etenim ex parte intellectus nulla datur inæqualitas in ordine ad intelligendum. Ergo à fortiori nulla dabitur in ordine ad viſionem diuinæ eſſentię. Nec ſatis eſt, ſi dicas inter intellectus creatos nullam quidem dari inęqualitatem ſubſtantialem ratione differẽtiarum indiuidualiũ, quibus quiſque in eſſe huius intellectus conſtituitur; benè tamen dari inæqualitatem accidentariam: etenim inæqualitas iſta accidentaria licet valeat, vt vnus intellectus melius cognoſcat obiecta ſibi naturalia; nihil tamen conducit ad variandam beatificam viſionem: quoniam illa, à quibus ſumitur, ad illius variationem nihil valent: ad eam enim variandam nihil iuuat melior corporis diſpoſitio, vt patet: nec ſpecies à meliori phantaſmate abſtractæ. Quia hę non repræſentant diuinam eſſentiam: deniq; lumen intellectus agentis ad viſionem nõ con-

concurrit. Quare inæqualitas viſionis ſumi non poteſt ab inæqualitate accidentaria intellectus: cum verò omnes intellectus ſubſtantialiter ſint æquales, vt hæc opinio ſupponit, benè infertur, inæqualitatem viſionis non ſumi ex parte intellectus, ſed ſolùm ex parte luminis.

4. Probabilius nō ſumi ex parte intellectus. Inde infero, probabilius eſſe, inæqualitatem beatorum hominum nō ſumi ex parte intellectus, ſed ſolùm ex parte luminis: etenim longè probabilior eſt ſententia, quòd omnes intellectus humani in vi intellectiua ſunt ſubſtantialiter æquales, vt Conimbricenſes docent, & nos oſtendimus in libris de Anima, & ſuprà q. 10. art. 3. Non ſic dicendum eſt de Angelis in ordine ad homines: quia probabilius eſt, intellectum Angeli ſpecie differre ab humano, vt in materia de Angelis probauimus cum communiori ſententia. Quare fatendum eſt, dari inæqualitatem eſſentialem in vi intellectiua Angeli, & hominis; vnde locus datur difficultati propoſitæ; an inæqualitas viſionis in Angelo, & homine ſumenda etiam ſit ex inæqualitate virtutis intellectiuæ?

5. 2. concl. Sit ſecunda concluſio: *Si admittatur inæqualitas virtutis intellectiuæ inter beatos, ſiue Angelos, ſiue homines: longè probabilior eſt opinio, quòd inæqualitas viſionis nō præciſè ſumenda ſit ex inæqualitate ſolius luminis; ſed etiam ſumi debeat ex inæqualitate virtutis intellectiuæ.* Ex qua cōcluſione infertur longè probabilius eſſe meliorē intellectum cum æquali lumine meliorem elicere viſionem. Authores huius opinionis citauimus ſuprà art. 1. §. 1. ex quibus plura habes argumenta, quibus hanc opinionem confirmant.

6. Proprium fundamentum. Sed quidquid ſit de efficacia illorum; ego ideò puto, hanc ſententiam eſſe longè probabiliorem; quia non video, cur maior actiuitas intellectus intenſius non influat in viſionem, ſi admittamus, intellectum ſua actiuitate naturali, ſimul cum lumine gloriæ in viſionē influere. Quod eſſe veriſsimum latè oſtendimus ſuprà lib. 10: vbi contra nōnullos probauimus, eum non per ſolam actiuitatem luminis, ſed per propriam virtutem influere in viſionem; vide lib. 10. q. 3. art. 2: non quidem per virtutem obedientialem innatā, quam fingit Suarius, ſed per virtutem â natura ſibi inditam, vt diximus in d. q. 3. art. 3: non quidem cōpletam, ſed inchoatam, quæ illi eſt potentia obedientialis, eleuabilis ad viſionem, vt ibidem diximus art. 4: vbi art. 5. oſtendimus, intellectum per eam cōcurrere, non vt cauſam inſtrumentalem, ſed principalem; & art. 7. diximus, eum non concurrere, vt cauſam partialem; ſed vt cauſam vt *quod* eleuatā per lumen, vt principium *quo*. His igitur ſuppoſitis, non video, cur maior actiuitas intellectus cum æquali lumine non eliciat viſionem maiorem: etenim in hoc ſenſu vim habet argumentum, quo authores huius opinionis vtuntur; etenim quantitas effectus expendenda eſt ex maiori quantitate cauſæ: iam verò vbi intellectus maioris eſt virtutis, etiamſi habeat æquale lumen, continet cauſam virtuoſiorem, & efficaciorem, vt oſtēdimus in d. q. 3. Hoc igitur fundamento inducor, vt credam, ſecundam noſtram concluſionem eſſe lōgè probabiliorē. Quod etiā patebit ex ſolutione argumētorum.

Tertia concluſio: *Probabilis eſt opinio, quòd inæqualitas viſionis præciſè ſumenda ſit ex ſola inæqualitate luminis; etiam in illis, qui in virtute intelligēdi ſunt inæquales.* 7. 3. concl. Huius opinionis probabilitas ſolùm ſumitur ex tantorum patronorum authoritate: an verò probabilitatis habeat ſolidum fundamentum? aliorum ſit iudiciū; ego illud adhuc deſidero.

§. 4.

Soluuntur argumenta contra ſecundam.

EX his concluſionibus ſolam ſecundam defēdemus: nam prima in ſuis terminis eſt indubitata: tertia verò cum ſola patronorum authoritate fulciatur, ab illis defendatur. Quare pro ſecunda pugnabimus, contra quam varijs medijs inſurgitur. 8.

Primum ſumitur ex opinione, quæ docet, lumen eſſe totam virtutem, & facultatem ad eliciendam viſionem. Ergo â ſolo lumine ſumenda eſt viſionis inæqualitas. Patet conſequentia, quia menſura actionis ſumenda eſt à menſura virtutis actiuæ. Antecedens probatur ab authoribus, qui illam opinionem ſequuntur, quos citauimus *lib. 10. q. 3. art. 2. §. 1.* Ad 1. arg.

¶ At tamen opinionem illam latiſsimè impugnauimus *in d. art. 2. §. 2, 3. & 4. & argu-* Solutio.

argumenta diſſoluimus §.5: intelleἒᵒ enim indiget quidem eleuatione; quia ad eam ſolùm habet vim incompletam, & remotam: eleuatus tamen influit in viſionem per ſuam natiuam virtutem.

9. 2. argum. Secundò obijcit Suarius: Intellectus concurrit ad viſionem per ſolam actiuitatem obedientialem, per quam eſt in potentia, vt per lumen eleuetur; naturalis enim potentia nihil facit ad viſionem: iam verò potentia obedientialis in omnibus eſt æqualis. ¶ Negandum tamen eſt antecedens, intellectum. ſ. concurrere per ſolam actiuitatem obedientialem, quam Suarius fingit: quam latè impugnauimus *lib.* 10. *q.* 2. *art.* 10. *&* *q.* 3. §. 2. *vbi artic.* 4. oſtendimus, intellectum ad viſionem cõcurrere per virtutem propriam, & naturalem: quo admiſſo, non poteſt non admitti ab illius influxu, etiam ſumendam eſſe menſuram viſionis, vt idem Suarius fatetur.

Solutio.

10. 3. argum. Tertiò arguit Sotus cum alijs: viſio eſt actus ſupra naturam intellectus creati. Ergo non poteſt correſpondere virtuti naturali, ſed ſoli ſupernaturali: ideò enim menſura calefactionis in aqua calida non ſumitur à virtute naturali aquæ, ſed à ſolo calore. ¶ Neganda eſt conſequentia: quia actus ſupernaturalis non excludit concurſum naturalem potentiæ naturalis; ita vt etiam emanet ab ea, tanquam à virtute remota, & inchoata: nam quod in intellectu creato detur virtus iſta actiua inchoata, & remota, diximus *lib.* 10. *q.* 3. *art.* 4. §. 2. *propoſit.* 12. *& vlt. & art.* 6. §. 1. *n.* 3. Quod vero talis virtus dicenda ſit naturalis, non ſolùm quia eſt congenita ſimul cum natura; & quia eſt ordinis inferioris; ſed etiam, quia eſt à principijs intrinſecis naturæ oſtendimus *in d q.* 3. *art.* 4. *n.* 41. *vbi n.* 49. 50. *&* 51. oſtendimus ſine periculo affirmari poſſe intellectum influere in viſionem per virtutem naturalem, vt naturalis eſt, eleuatam tamen, vt ibidem diximus *n.* 50. *vbi* §. 2. *in n.* 26. id pluribus authoribus citatis, & Auguſtini teſtimonijs confirmauimus. Cum igitur viſio non ſolùm fluat à virtute ſupernaturali, ſed etiam à naturali (vt etiam fatetur *Sotus lib.* 1. *de natura, & gratia cap.* 15. *pag.* 49. *col.* 1.) cur illius intenſio non reſpondebit influxui intellectus? Probatio autem conſequentiæ non ſumit accommodatum exemplum; quoniam aqua calida nullam vim natiuam habet, etiam inchoatam ad calefactionem; & ob id calor eſt illi tota agendi vis, vt aduertit *Molina* 1. *p. q.* 12. *art.* 6. *diſp.* 2. *ad* 1. *Vide, quæ diximus in dicto lib.* 10. *q.* 3. *art.* 2. §. 3. *n.* 15.

Solutio.

Quartò quidam ita arguunt: intellectus non habet facultatem videndi Deũ, niſi eleuatus per lumen. Ergo ab eo ſolo menſuranda eſt. ¶ Ad argumentum admittimus, intellectum non habere facultatem proximam, & in actu primo, niſi eleuetur; quia ex ſe eſt virtus incompleta: negamus tamen intellectum eleuatum non habere aliam vim, niſi luminis. Quare intellectus per lumen quidem eleuatur; non tamen agit per ſolum lumen. 11. 4. argum. Solutio.

Quintò arguit Bañes: virtus naturalis intellectus & lumen ſunt diuerſi ordinis, vt patet. Ergo non faciunt vnam cauſam integram, & totalem, & per conſequens non ab vtroque ſumetur menſura viſionis, ſed à ſolo lumine. ¶ Neganda eſt cõſequentia, quæ nec apparens habet fundamentum: cur enim cauſa naturalis cum ſupernaturali ad eundem effectum ſupernaturalem non concurret? vel partialiter, vt nõnulli volunt; vel tanquam duo principia; quorum alterum ſit, *vt quod*; & alterum vt *quo*, vide *lib.* 10. *q.* 3. *art.* 7. 12. 5. argum. Solutio.

Sextò arguit *Bollomontanus in d. c.* 6. *n.* 39. ſupponens, intellectũ, & lumen gloriæ concurrere ad viſionem, vt duas cauſas partiales inter ſe ordinatas; quarum altera, nempe intellectus eſt vniuerſalis concurrens ſecundum rationem genericam intellectionis: altera eſt particularis, nempe lumen concurrens ad rationem ſpecificam talis intellectionis. Hoc ſuppoſito, ſic arguit: viſio perfici non poteſt in ratione viſionis, ſecundum quam eſt ab intellectu, quin etiam perficiatur in ratione viſionis Dei, ſecundum quam eſt à lumine. Ergo ſi lumen fuerit æquale, quamuis intellectus ſit inæqualis, æqualis erit viſio, vt eſt viſio: etenim viſio non poteſt perfici ab intellectu ſub ratione generica intellectionis; niſi etiam perficiatur ſub ratione viſionis; ſub hac autem non perficitur ab intellectu, ſed à ſolo lumine. Ergo, ſi lumen eſt æquale, illa ſemper erit æqualis. 13. 6. argum.

¶ Ad argumentum negandum eſt, intellectum, & lumen concurrere ad viſioné, 14. Solutio.

vt

vt cauſas partiales, quarum quælibet cōcurrat, vt *quod*, vt diximus *lib. 10. q. 3. ar. 7.* quia ſolùm concurrit cum illo, vt principium elicitiuum, vt *quo*, quatenus eſt principium, quo intellectus eleuatur ad eſſe ſupernaturale, & fit in actu primo ad eliciendam viſionem, in quo ſenſu propriè non datur ſubalternatio in agendo. Reſpondetur ſecundò, admiſſa opinione, quòd lumen, & intellectus concurrant, vt cauſæ partiales, vt *quod*; adhuc argumētum vim nō habere: quoniam non oportet, vt cauſæ partialiter concurrentes ad effectum ita ſe habeant ad illum, vt vnus illius gradus vni cauſæ correſpondeat, & alius alij; ſed omnes gradus correſpondēt omnibus cauſis, vt contra Bellomontanū diximus *lib. 9. q. 5. art. vlt. n. 21. cum Suario, Sala, & Lorca*: vnde illa opinione admiſſa, non eſt admittendum, intellectum ſolum concurrere ad viſionem ſecūdum gradum genericum intellectionis, & lumen ad ſolum gradum ſpecificum, ſecūdum quem eſt viſio talis; ſcilicet diuinæ eſſentiæ, ſed & intellectum, & lumen ad vtrumque gradum concurrere, vt idem

Bellom. *Bellomont. fatetur 1. p. diſp. 43. c. 4. n. 10.* Et cum hac doctrina admittimus, dari aliquam ſubalternationem inter intellectū, & lumen, vt viſio rationem genericam intellectionis adæquatè habeat, ex eo, quòd eſt ab intellectu: rationem verò entis ſupernaturalis ex ipſo lumine; quatenus exiſtens in intellectu, & cum eo partialiter concurrens dat illi eſſe ſupernaturale, vt poſsit elicere ſupernaturalem actum, vt diximus *in d. n. 21. cum Lorca, & Sala ibi citatis, & cum Suario in d. diſp. 29. ſect. 2. pag. 555. col. 1. C.* In hoc igitur ſenſu admittenda eſt aliqua ſubalternatio, licet impropria inter intellectum, & lumen; quatenus viſio, vt eſt ſupernaturalis, ſupponit rationem intellectionis ab illa neceſſariò dependens; cum tamen, vt eſt intellectio non ſupponat ſupernaturalitatem. Cum verò talis dependentia non ſe habeat quoad agere, ſed quoad eſſe, non propriè eſt ſubalternatio in agendo. ¶ Quare ad argumentum neganda eſt conſequentia; quia datur inſtantia in intellectu, & ſpecie, inter quæ datur ſubalternatio reſpectu intellectionis; & tamen duo intellectus virtute inęquales cū æqualibus ſpeciebus inæqualiter intelligunt, vt omnes admittunt cum Suario *vbi ſuprà pag. 556. col. 2. A. & agnoſcit Bellomont. 1. p. diſp. 47. c. 6. n. 34. & 41.* Nec probatio conſequentiæ vim habet; quoniam habet minorem falſam, quia viſio ſub ratione viſionis perficitur, & à lumine, & ab intellectu; ſicut ab vtraque perficitur ſub ratione intellectionis.

Lorca. Salas. Suarius.

Suar. Bellomon.

Septimò, ex eodem Bellomōtano ibidem n. 40. obijcitur; quoniam intellectus ſic ſe habet ad viſionem, ſicut cauſæ vniuerſales ad particulares effectus: ſed virtus cauſæ vniuerſalis, licet poſsit, quantū eſt ex ſe, meliorem, & meliorem effectū producere; nunquam tamen meliorem producit, quàm expoſcat virtus cauſę ſecundæ, qua modificatur, & limitatur. Ergo intellectus cum ſit cauſa vniuerſalis, & habeat virtutem vniuerſalem, vt meliorem, & meliorem viſionem producat; tamen, vt determinatur per lumen, tanquam per cauſam particularem, non poteſt meliorem viſionē producere, quàm expoſcat lumen. 15. 7. argum.

¶ Ad argumentum neganda eſt maior, ſi intelligatur, vt intellectus ſupponat aliā cauſam ſecundam ſibi inferiorem, & ſubalternatam in agendo: etenim intellectus reſpectu ſuorum actuum nunquam eſt cauſa vniuerſalis, ſed ſemper eſt particularis, & ſecunda; ex ſe tamen indifferens ad plures actiones ſpecie, & numero diſtinctas: vnde indiget determinari ab aliquo; & de facto ad actus talis, aut talis rationis determinatur à ſpecie intelligibili: ad actus verò ſupernaturales determinatur, aūt per lumen gloriæ, aut fidei, aut per virtutes alias ſupernaturales: nihil autem horum ſe habet ad intellectum, vt cauſa ſecunda ad primam. 16. Solutio.

Octauò arguit Suarius vbi ſuprà: quāuis enim daremus, inquit ille, intellectum cum lumine concurrere virtute ſuæ naturæ; adhuc maior intellectus non ſatis eſſet ad meliorem viſionē, nam ex ſe non habet virtutem completam, ſed inchoatam. Ergo non poteſt ſecūdum eam operari, niſi per ſupernaturalem facultatem luminis compleatur: & ſubinde menſura viſionis non eſt ſumenda à menſura virtutis naturalis, ſed luminis. Ad argumentum admittimus, intellectum, ideò, quia ſolum habet virtutem naturalem incompletam, non poſſe influere, niſi per lumē 17. 8. argum. Solutio.

com-

compleatur: inde tamen non benè infertur, menſuram viſionis ſumendam eſſe à ſola menſura luminis: nam actiuitas fœminei ſeminis incompleta eſt ad generãdum; completur autem per actiuitatem ſeminis virilis: & tamen effectus menſuratur ex efficacia vtriuſque. Et generaliter id eſt verum in concurſu duorum agentium, quæ virtute diuerſæ rationis abſque vera ſubalternatione concurrunt: vtriuſque enim virtus per ſe eſt incompleta, & cõpletur per virtutem alterius: &tamen vtrique proportionatur effect⁹; intellectus autem, & lumen ita ſe habent.

18. 9. argum. Nonò argumentatur Cumelius cum alijs: Viſio proportionatur concurſui eſſentiæ in ratione ſpeciei; ita vt maior eſſe nequeat, quàm ſit concurſus eſſentiæ. Is autem non ſumitur à perfectione naturali intellectus, ſed à quantitate luminis: quia ſolum lumen eſt diſpoſitio ad recipiendam eſſentiam per modum ſpeciei. Ergo quantitas viſionis à ſolo lumine eſt petenda. Minor patet: maior probatur; quia perfectio, & intenſio cognitionis ſolùm ſumitur ex conuenientia, & proportione ad ſpeciem; vt patet in oculo ſenis; qui ſi vtatur accommodatis inſpicillis ad temperandas ſpecies, æquè videbit, ac iuuenis, cui eſt firmior, & acrior vis vidẽdi.

19. 1. ſolutio. ¶ Hoc argumentum magnam tangit difficultatem, non ſatis expiicatam: duas ſolutiones inuenio. Prima negat maiorem, quatenus habet viſionis proportionem correſpondere concurſui eſſentiæ, vt habet locum ſpeciei: hoc eſſe falſum ex eo probant; quoniam duo intellectus inæquales cum æquali ſpecie inæqualiter videbunt, vt ad ſextum diximus cum communi ſententia, *Suario, & Bellomontano, atque etiam Molina* 1. *p. q.* 12. *art.* 6. *diſp.* 2. *ad* 3. vbi negat maiorem huius argumenti. Probatio illius eodem modo peccat; & ſupponit rem ſatis dubiam; ſcilicet potẽtiam viſiuam ſenis infirmiorẽ eſſe, quàm iuuenis: cuius oppoſitum inſinuat Ariſtoteles 1. *de Anima tex.* 55. dùm ait: *ſi ſenex haberet oculum, id eſt, organum iuuenis: viſurum æquè, atque iuuenem*; quibus ſupponit potentias ſenis, & iuuenis in ſe eſſe æquales, ſolumque differre ipſis organis: & ideò ſi ſenex haberet organum, quod habet iuuenis, æqualiter videret; quia reciperet ſpecies in æquali proportione.

Suar. Bellom. Molina. Ariſt.

Quas tamen hoc modo non recipit in ſuo organo. ¶ Alij concedunt maiorem: etenim viſio non poteſt eſſe maior, quàm ſit concurſus ſpeciei in repræſentando obiectum: negant tamen minorem: quia cõcurſus ſpeciei proportionatur actiuitati totius coniuncti: quare cum illa in vno maior ſit, quàm in alio, maior erit concurſus eſſentiæ in hoc, quàm in illo. 20. 2. ſolutio.

21. Cum priſma potius eſt dicendum. Ego cum priori ſolutione potiùs dicerem, & negarem maiorem, quia fieri poteſt, vt duo intellectus inæquales cum æquali ſpecie obiectum æqualiter repræſentante inæqualiter illud videant. Quare æqualitas, vel inæqualitas viſionis per ſe non pendet ab æqualitate, vel inæqualitate repræſentationis ſpeciei: quia licet ſpecies eaſdem rationes intelligibiles vni & alteri repræſentet, melior tamen intellectus eas intimius penetrabit. Quare falſum eſt tantam futuram eſſe repræſentationem obiectiuam, quanta fuerit illuminatio obiectiua luminis: vnde cum æquali lumine, & apparentia obiectiua dabitur inæqualitas viſionis. Quare, negandum eſt verbum diuinæ eſſentiæ, quod beati exprimunt, adæquatê correſpondere eſſentiæ vnitæ ad modum ſpeciei: etenim verbum ſemper exprimit totam virtutẽ cauſæ productiuæ viſionis; & ideò viſio â tota illa menſuratur. ¶ Poteſt eſſe tertia ſolutio; quia argumentum locum non habet, ſi ſpecies non ſe habet ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte potentiæ: quam opinionem, vt probabilem defendimus *lib.* 8. 2. *p. q.* 3. *art.* 2: hac enim poſita opinione, licet ſpecies actiuê influat in intellectionem, vt ibidem diximus art. 7. §. 1. non tamen concurrit, vt cauſa partialis influens, vt *quod*, quaſi conſtituat cum intellectu vnam cauſam totalem ex pluribus partialibus aggregatam, ſed ſolum cõcurrit, vt agens *quo*; ita vt ex intellectu, & ſpecie ſolûm conſtituatur vnũ agens, vt *quod* poſitum in eſſe cõpleto ad agendum, eo ferè modo, quo ignis, & calor cõſtituunt, non plura agentia, vt *quod*, ſed vnum tantùm in actu primo, & completo ad calefaciendum, vt latè diximus *in d. art.* 7. §. 2. 3. *&* 4. Ex quo patet menſurã actus intelligendi non præciſè menſurari ex actiuitate ſpeciei, ſed ex intellectu actuato per ſpeciẽ: etenim menſura actus non pendet ab actiuitate principij *quo*, ſed 22. 3. ſolutio.

ſed agentis, vt *quod*. Ex quo infertur, mẽſuram viſionis beatæ non eſſe ſumendam ab eſſentia, vt eſt ſpecies; ſed à menſura actuationis intellectus per eſſentiam pluribus, vel paucioribus rationibus intelligibilibus eam actuantem, iuxta actiuitatem intellectus, & luminis: actuatio enim intellectus per eſſentiam, vt eſt ſpecies pendet à menſura actiuitatis intellectus, & luminis: ita vt eò magis actuet intellectum, eum ad plures rationes intelligibiles determinando, quò maior fuerit actiuitas illius iam illuminati. ¶ Quare argumentum ſolùm poteſt habere locum, ſi ſpecies ſe tenens ex parte obiecti actiuè concurrit ad intellectionem, vt cauſa partialis, quod eſſe probabile diximus *in d. q.3. art.6.* §.2. Sed nec iſto modo argumentum vim habet: quia licet ſpecies tenens ſe ex parte obiecti habeat efficientiam in actum intelligendi; ſolam tamen habet obiectiuam, quæ longè eſt alterius generis ab efficientia actiua potentiæ, vt oſtendimus *in d. art. 6. vbi* §.1.n. 14. *cum Scoto diximus*, efficientiam intellectus eſſe elicitiuam intellectionis; talem tamen non eſſe efficientiam obiectiuam; quia ſolùm eſt motiua ad actum. Ex quo infertur, menſuram actus non eſſe ſumendam ex actiuitate obiecti, ſed ex ſola actiuitate potentiæ, & eorum, quæ ſe habent ex parte illius, vt eſt elicitiua actus: etenim menſura effectus ſimpliciter ſumitur ex actiuitate cauſæ, à qua actiuè elicitur: quod in hac materia eſt diligenter aduertendum. Quare ad argumentum benè negatur maior, quam prima ſolutio negat.

23. 10. argum. Decimò obijcitur non contemnenda difficultas, quoniam ſic ſe habet intellectus ad lumen, reſpectu viſionis; ſicut ſe habet voluntas ad charitatem reſpectu amoris; ſed inęqualitas amoris, & fruitionis ſolùm ſumitur ex inęqualitate charitatis, non verò potentiæ. Ergo idem dicendum erit de inæqualitate viſionis. Maior eſt nota, quia non dabitur ratio diſcriminis: minor probatur; quia hæc tria reſpondent meritis, viſio ſcilicet, amor, & fruitio. Quare duo illi, cũ habeant æqualia merita, æqualem habebunt charitatẽ. At hoc eſſet falſum, ſi cum æquali charitate voluntas melior meliorem eliceret
24. amorem. ¶ Ad hoc argumentũ quidam
1. ſolutio. reſpondent, quod ſicut in via intenſio amoris, & gaudij ex ſola variatione concurſus potentiæ ſub eodem habitu variatur; ita etiam in patria melior voluntas intenſiorem eliceret amorem, ſi viſio, & charitas ſint æquales. Et inde inferunt, fruitionem non neceſſariò correſpondere viſioni, vt tanta ſit fruitio, quanta eſt viſio: & ſubinde nec neceſſariò fruitionẽ correſpondere meritis. Quæ tamen opinio à nonnullis ſuſtinetur, ſi ſola viſio ponatur præmium eſſentiale: tunc enim fruitio non propriè, ſed lato modo dicetur merces, & ita poſſunt explicari Patres, qui dicunt fruitionem eſſe meritorum mercedem. Sed vt nonnulli volunt, defendi nõ poteſt, ſi amor vel ſit eſſentiale præmium, vel partiale: tunc enim cum veram habeat rationem mercedis, & pręmij, non poteſt non reſpondere meritis. Vnde recurrunt ad quorundam opinionem, Deum .ſ. contemperaturum ſuum concurſum, vt voluntas cum charitate nõ plus concurrat, quàm merita exigant; ſed de hoc plura inferiùs §.5. ad vlt. argum.

Vndecimò obijci poteſt: quoniam intellectus eleuatus, quantũcunque habeat 25.
virtutem natiuam acutiorem, non poteſt 11. argum.
videre aliquas intelligibiles rationes formales, vel eminentiales, niſi ſub lumine gloriæ obiectiuè appareant: quidquid enim videtur, ſub lumine videtur, & apparet, vt diximus *lib.9. q.5. art.8. & 10.* Ergo vbi fuerit ęquale lumen, erit æqualis viſio; quia obiecta æqualiter apparebunt, ſi lumen fuerit æquale. ¶ Hoc ar- Solutio.
gumentum videtur efficax, ſuppoſita doctrina poſita in antecedente, quam ego puto eſſe veriſsimam, de qua egimus *lib. 9. q.6. art.1.* §.5: ſic tamen diligentiùs expenſa, facilè ſoluitur: quoniam, licet, vbi eſt æquale lumen, æquales rationes appareant; ſingulæ tamen à meliori intellectu penetrabuntur; & ideò viſio erit melior à meliori intellectu cum eodem lumine.

Duodecimò; æqualitas actuum ſuper- 26.
naturalium viæ (fidei, ſpei, & charitatis) 12. argum.
nullo modo procedit ex inæqualitate intellectus, & voluntatis. Ergo nec in patria inæqualitas viſionis proueniet ex inæqualitate ipſius intellectus. Conſequentia probatur; quia eadem eſt ratio de actibus viæ, & de viſione patriæ: omnes enim neceſſariò requirunt principium ſupernaturale, quo potentiæ eleuentur: imò

cõſequentia vim habet argumento à fortiori: quoniam perfectio viſionis minus poteſt prouenire à naturali virtute, quàm perfectio actuũ viæ; quoniã multo plus eſt ſupra naturã viſio patriæ, quàm fides viæ. Antecedẽs verò probatur: quoniam, ſicut eſt de fide, hos actus haberi nõ poſſe ſine gratia; ita eſt de fide inæqualitatẽ eorum ex ſola gratia prouenire: ſi enim inæqualitas horũ actuũ reducitur in virtutẽ naturalẽ; vtiq; in naturã refundetur inæqualitas diſpoſitionis, qua homo diſponitur ad iuſtificationẽ, quæ huic diſpoſitioni adęquatur; ita vt aliquis ſit magis iuſt⁹, quia meliora naturalia ſortitus eſt: conſequens autẽ alienũ eſt à Patribus, & Cõcilijs. Hoc argumẽto putat Lorca, noſtram opinionẽ omnino expugnari. ¶ Sed ſine fundamento bonus iſte Theologus putat

28. Solutio. hoc argumẽto prorſus euerti opinionem tantorũ Theologorũ. Quin potiùs oppoſitũ antecedẽtis pleriq; ſumunt, tanquam certũ fũdamentũ pro noſtra opinione defendẽda, vt patet ex Mol 1. p. q. 12. ar. 6. diſp. 2. § *Secũdo cõcurſus*, vbi putat omnes admittere actũ fidei, ſpei, & charitatis eò eſſe intenſiorẽ, quò maior eſt cõcurſus intellectus; & volũtatis cũ habitu fidei, ſpei, & charitatis: quòd etiã admittit *Cumel. in d. ar. 6. q. 1. ad 2.* & putat probabile *Suari⁹ 3. de Auxil. c. 20 n. 9*: qui omnes negabũt antecedẽs argumẽti, quãuis illud admittãt

Bellomon. Salas. *Bellom. 1. p. disp. 47. c. 6. n. 42. & Salas 1. to. ad 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5 ſect. 7. n. 93. p. 383. col. 1*: etenim Theologus, qui habet meliorem intellectum, intenſiorem aſſenſum fidei eliciet, quam ruſticus cum æquali habitũ fidei, & cũ æquali gratiæ excitatione: nec enim admittenda eſt diſtinctio Bellomontani de actu fidei materialiter ſumpto pro cognitione, aut formaliter, prout ab habitu fidei elicitur, vt alibi diximus. Probatio antecedentis ſatis oſtendit, arguentem rem iſtam non ſatis percepiſſe, dùm ex eo, quod de fide eſt actus iſtos haberi nõ poſſe ſine gratia; infert eſſe de fide inęqualitatẽ eorũ ex ſola gratia prouenire: quę excluſiua ex antecedente abſolutè ſumpto futiliter infertur. Quòd verò ex noſtra doctrina infert

29. inæqualitatẽ diſpoſitionis ad iuſtificationẽ refũdi in inæqualitatẽ diſpoſitionis naturæ, negãda eſt ſequela, ſi cõſequens intelligatur, vt in ſolã illam refundatur; admittẽda tamẽ, ſi intelligatur, vt aliquo modo in illã refundatur: quia licet & habit⁹, & gratia excitãs ſint principia principaliora talis diſpoſitionis; perfectio tamen naturalis intellectus, & volũtatis eleuatæ aliquid iuuãt: nam bona indoles; bona educatio; & virtutes morales maximè iuuãt, nõ ſolũ ad faciliorẽ diſpoſitionẽ, ſed etiam ad meliorẽ, vt ſupponimus: ſunt enim effectus prædeſtinationis, vt benè aduertit *Suar. in tract. de Prædeſt. lib. 3. c. 7. n. 10.* & in hoc ſenſu admitti poteſt; aliquẽ de facto eſſe magis iuſtũ, id eſt, aſſecutum eſſe maiorẽ iuſtificationis gratiã; quia per meliora naturalia ex diuina prędeſtinatione, & prouidentia ſupernaturali Dei aſſecuta ad iuſtificationem melius ſe diſpoſuit prima gratia excitatus. Suar.

§. 5.

Pro ſolutione vltimi argumenti expenditur, an melior intellectus cum æqualibus meritis meliorem habeat viſionem?

Vltimo loco contra noſtram reſolutionem argumentum ſatis difficile ita formatur. Si viſionis inęqualitas ſumenda etiã eſt ex inęqualitate naturali intellectus; beatitudo futura erit inæqualis, in illis, in quibus cum inæquali intellectu merita ſunt æqualia. Hoc autẽ eſſe abſurdum ex eo probatur; quia præmium debet eſſe proportionatũ merito. Sequela verò patet: quoniam cum vtriq; dandum ſit æquale lumen, qui meliorem habet intellectum perfectiùs videbit, ſi vera eſt noſtra opinio. ¶ Hoc argumentum variè ſoluitur; quia variæ ſunt in hac difficultate controuerſiæ. Quatuor autẽ inuenio ad noſtrum inſtitutum pertinẽtes. Prima & fundamentalis eſt; an ſuppoſitis æqualibus meritis cum inæquali intelligendi virtute viſiones futuræ ſint æquales? Quidam abſolutè negant, aſſerentes, viſiones in illo caſu futuras eſſe inæquales: nec enim putant eſſe abſurdum totam viſionem non habere rationem præmij, & mercedis. Quo ſuppoſito, argumentum vim non habet. Porrò alij affirmant, in illo caſu viſiones futuras eſſe æquales: vnde putant, noſtram concluſionem in his terminis non eſſe intelligendam, ſed ſolùm cũ duo illi in virtute inæquales ſimpliciter conſiderantur cum

30. Quæſtio optima pro ſolutione vltimi argumenti.

Variè ſolutio.

1. cõtrouerſia.

æquali lumine; quæ opinio communiter eſt recepta:ea autẽ ſuppoſita, argumentũ vrget:& ideò in hoc omnes laborãt,vt oſtendãt,quomodo cũ inæqualitate intellectus,& æqualitate meritorũ ſaluari poſſit æqualitas viſionis ita, vt tota meritis reſpõdeat.¶Apud authores huius opinionis

31. 2. controuerſia. eſt ſecunda cõtrouerſia; an in iſtis lumen futurũ ſit æquale? Quidã nolunt,ſed putant, minus lumen futurũ eſſe in eo, qui melioris eſt intellectus;maius autẽ in intellectu minori; ita vt tantum in lumine aliũ excedat, quantum in virtute intelligendi ab eo exceditur. Hanc opinionem placuiſſe cuidã Theologo iuniori, teſtatur *Salas vbi ſuprà pag.381.col.1.& eã tribuit Holcoth,& Supplemẽt.Gabrielis: hanc opinionẽ eſſe facilem affirmat Bellom.1.p.q.47.c.6.per eam difficultatem facilè ſolui,teſtatur Molina 1.p.q.12.art.6.diſp.2.ad 4: Suarius etiã affirmat, eam minora habere incommoda in d.lib.2.de Attrib.negat.c.2.n.7.deniq; eã non omnino reijcit Salas vbi ſup.*

Salas. Bellom. Hol. Med. Suarius.

Fundamentum inde ſumitur; quia vel lumẽ ad viſionẽ actiuè nõ cõcurrit, ſed ſolũ vt cõditio neceſſaria ad cõfortandum intellectũ,vt viſionẽ eliciat: vel ſi datur, vt principium actiuum, non neceſſe eſt, vt tantum luminis detur, quantũ adeſt meriti; ſed quantum eſt neceſſarium ad viſionem proportionatam meritis. Et hæc eſt prima ſolutio huius vltimi argumẽti.

32. Non recipitur. Hanc tamen opinionem plures nõ admittunt,vt *Molina,Suarius.Bellomõtanus,& alij*,qui vt certiſsimum ſupponunt, lumen in iſtis futurum eſſe æquale. ¶ Sed apud iſtos tertia inſurgit controuerſia,an

3. controuerſia. lumẽ æquale in his duobus, in illis debeat eſſe æquale meritis? Quidã negant,id eſſe neceſſarium:volunt enim in vtroque eſſe luminis æqualitatem;ita tamen,vt lumen in quolibet ſit minus intẽſum,quàm merita; in ea tamen proportione, vt maior actiuitas cum tali lumine ſatis ſit ad viſionem meritis correſpondentem: vnde addũt, Deum in hoc caſu ſupplere, quod deeſt actiuitati minori in ea proportione, vt illa adiuta maiori Dei concurſu ꝓportionetur viſioni meritis correſpondeat. Et hæc eſt ſecũda ſolutio huius vltimi argum. ¶ At tamen opinio iſta alijs omnino diſplicet:quia volunt,in hac materia omnino admittendum eſſe,& viſionem, & lumen meritis eſſe adæquanda.

Hac autem opinione admiſſa inter ſuos authores quarta inſurgit controuerſia; 33. 4. controuerſia. quomodo inæqualitas virtutis intellectiuæ cum ęqualitate luminis non faciat viſionem maiorem,& inæqualem meritis? etenim apud iſtos melior intellectus cũ æquali lumine meliorem elicit viſionem. Cui difficultati duobꝰ modis occurritur. Vno modo;vt Deus ſuo ſpeciali cõcurſu ſuppleat actiuitatẽ intellectus inferioris ſupplemento proportionabili ad actiuitatem intellectus melioris: ita *Mol.vbi ſup.* Molina. Altero modo(vt colliges ex Suario in d. Suar. c.21.n.6.) vt Deus in illo caſu non concurrat ſupplendo actiuitatem intellectus inferioris; ſed continendo influxum intellectꝰ melioris, ne cũ lumine operetur, quantum poteſt; ſed proportionabiliter ad intellectũ inferiorẽ. Et hæc eſt tertia ſolutio principalis argumenti apud eos, qui volunt, in iſto caſu viſionẽ in vtroq; futuram eſſe æqualem, & æqualem meritis. 34.

Hæc adduximus ex illis, qui in prima cõtrouerſia putant,poſitis æqualibus meritis,cũ inęquali intellectu viſionẽ nõ poſſe nõ eſſe æqualẽ in vtroque. Quod tamẽ authores oppoſitæ ſentẽtiæ nõ admittũt, imò omnes allatas ſolutiones impugnãt. Quare operæ pretiũ erit, hanc opinionẽ diligẽtiùs explicare: nam hanc opinionẽ nõnullis ex recentioribus olim fuiſſe ꝓbatam ſcio,& illius meminere Suarius,& Salas. Explicatur quædã controuerſia. Volunt igitur authores huius opinionis in caſu propoſito adhuc viſionem futurã eſſe inæqualẽ: nec enim reputant abſurdũ,totam viſionẽ nõ reſpõdere meritis:etenim viſio ex ſua natura nõ habet, quòd ſit operum præmiũ; ſed quod id habeat ex diuina ordinatione:quæ doctrina cõmuniter recipitur,& euidenter probatur ex beatitudine eſſentiali animæ Chriſti, quæ abſque vllis meritis illi data fuit. Quare cũ nõ ſit neceſſe, vt viſio ſecundũ ſe totam reſpõdeat meritis, nõ repugnat eam etiam reſpõdere maiori influxui intellectus. Qua poſita opinione,argumẽtũ nullam habet efficaciã. Hanc tamen opinionem alij ferè omnes nõ recipiunt, tãquam parũ tutam; & minus cõſonã fidei principijs:ita *Suar.in d.c.21,n.5.* Primum 1. ratio. fundamentum inde ſumit,quia viſio in ſacris literis dicitur merces, & præmium, quod etiã afferunt Patres,& Tridentinũ.

Vnde

Vnde fit, vt tanta ſit viſio, quãta ſunt merita. Conſonat Florent. dũ ait, *viſionẽ eſſe perfectiorem pro ratione meritorũ*, & ſatis ꝓbat Paulus 1. Cor. 3. vnicuique autẽ ſecu-
3. dum propriũ laborem. Deinde ita arguit: quoniã ille exceſſus, vel eſſet tribuendus gratiæ, vel naturæ. Non naturæ; quia ſequeretur, non totam vitam æternam eſſe gratiã, cõtra illud Pauli ad Rom. 6: *Gratia Dei vita æterna*, ergo talis exceſſus tribuẽdus eſt gratię, & ſubinde meritis; quia gratia pro meritis datur. ¶ Hæc tamen argu-
Solutio. menta non tanti ſunt, vt probent oppoſitam ſententiam dignam eſſe cenſura, vt ego olim aduerti, & poſteà aduertit Salas vbi ſuprà n. 88. pag. 381. col. 1. in medio: vbi licet in oppoſitam inclinet ſententiã; non tamen iſtam omnino reijcit.

Vera difficultatis reſolutio.

35. Vera reſolutio. ¶ Ego in huius difficultatis reſolutione multa dicam. Primum eſt, neceſſariũ nõ eſſe, vt tota viſio reſpõdeat ſolis meritis, aut ꝓprijs ipſius beati; aut Chriſti ex opere operato applicatis: neceſſarium tamen eſſe, vt reſpõdeat aliquibus meritis, vel ꝓprijs, vel Chriſti ex opere operato applicatis; aut ſaltem oportere, vt reſpondeat aliquibus meritis propriis vel Chriſti, ſi nõ ex opere operato, aliquo tamẽ modo applicatis: quod nõ tollit, quominus viſio reſpõdeat influẽtiæ virtutis intellectiuæ. Pro cuius explicatione nonnullas ponemus propoſitiones, pręmiſsis tñ aliquibꝰ.

36. ¶ Præmittimus igitur, varia eſſe genera meritorũ: quędã enim ſunt merita ꝓpria, quibus aliquis in via meruit gratiam: alia ſunt merita non noſtra, ſed Chriſti. Hæc autẽ ſunt in duplici genere: quędam enim per aliquod opus operatum inſtitutum à Chriſto ad gratiã cõferendã nobis applicantur, vt merita per ſacramẽta nobis applicata: alia ſunt merita Chriſti, quibus nobis meruit omnia auxilia, quæ ad bene operandũ pertinent, & ſunt prædeſtinationis effecta, quæ Chriſtus nobis meruit in ordine ad ſalutẽ cõſequendam: inter quæ enumerantur bona indoles, acumen ingenij, & alia, quæ Deus aliquibus prędeſtinauit, vt iuuarent ad cõſecutionẽ
Suar. ſalutis, vt habes ex Suario 3. de prædeſtinatiõne c. 7. n. 10. & 11: hæc enim ex meritis Chriſti nobis applicãtur, tãquã diſpoſitiones antecedentes ad gratiã, & gloriã.

37. 1. propoſit. Sit prima propoſitio: *Certiſsimũ eſt, nõ eſſe de intrinſeca ratione viſionis beatæ, quòd ſit præmium aliquorũ meritorum.* Eſt Suarij in Relectione de reuiuiſcẽtia meritorum diſp. 2. ſect. 1. n. 52. Euidenter probatur in viſione Chriſti Dñi: eſt enim eſſentialis beatitudo; & tñ nõ eſt illi data in præmiũ aliquorũ meritorũ: nec enĩ Chriſtus meruit ſibi gloria. Quare ſi viſio habet rationẽ mercedis, eã habet ex Dei ordinatione.

Secunda propoſitio: *Certiſsimum eſt, viſionem, etiam ſuppoſita lege, nõ habere, quòd detur, niſi propter merita propria ipſius beati.* 38. 2. propoſit.
Probatur à Suario vbi ſuprà; & patet ex eo, quia certũ eſt, viſionem nõ in omnibꝰ beatis habere rationẽ præmij ex proprijs meritis: etenim in pueris baptizatis datur vera beatitudo ſine proprijs illorũ meritis. Poteſt etiã cõtingere in adultis, vt aliquis decedat ſtatim poſt baptiſmũ cũ aliquibus proprijs meritis: cuius tamẽ viſio ſecundũ ſe totã nõ habet rationẽ præmij alicuius meriti proprij: nam ſecũdũ quod reſpõdet gratię baptiſmali ex opere operato cõceſſæ nullis proprijs meritis reſpõdet. Et idem dicẽdum eſt de eo, qui cum aliquo, vel aliquibus ſacramentis cũ proprijs meritis ex opere operantis obijt.

Inde infertur, certiſsimũ eſſe, viſionem beatam nõ neceſſariò habere, vt ſecundũ 39. 1. corollar.
ſe totam ſit præmium propriorũ meritorum. Nõ negabo poſſe cõtingere, vt in aliquo viſio tota ſit præmiũ ꝓprij laboris, & meriti: fieri enim poteſt, vt aliquis ſine baptiſmo fluminis cũ ſolo flaminis decedat: is autẽ cum nullam gratiã habeat ex opere operato, ſolùm decedet cum proprijs meritis; & ſubinde tota viſio erit illi merces, & præmium proprij laboris.

Secũdò ex eadem propoſitione infer- 40. 2. corollar.
tur, argumentum nullam habere vim, ſi ſermo ſit de mercede, & præmio proprij laboris, & meriti: nec enim oportet, vt tãta ſit viſio, quanta ſunt ꝓpria merita: vnde ex hoc capite nullis fidei principijs repugnabit, qui dixerit habẽtes æqualia merita propria, poſſe habere inæqualem viſionẽ; oppoſitũ enim ſatis demõſtrat ſecũda propoſitio: vnde in hoc ſenſu argumẽta Suarij nullã vim habẽt: nam ad primũ admittimus in ſacris literis, viſionem dici mercedẽ, & præmiũ: nõ tamẽ dici, qđ illa ſolum ſit merces, & pręmiũ; ita vt ſecundum ſe totã in omnibꝰ ſit merces proprij laboris: etenim in pueris baptizatis nullã ratio-

rationẽ mercedis ꝓprij laboris habet; nec in adultis, quoad illũ gradũ, qui reſpõdet gratiæ ſacramentali: & in eodẽ ſenſu explicandũ eſt Tridentinũ, ſimiliter & Patres, dùm affirmant, viſionẽ eſſe mercedẽ proprij laboris. Quod verò ex Paulo adducitur ſolùm probat, mercedem reſpondere proprijs meritis: ex quo ſolum infertur id, quod in viſione habet rationẽ mercedis, reſpondere labori; ita vt quantitas mercedis tanta ſit, quantus fuit labor: cũ quo ſtat, quod viſio adęquatè, & totaliter non habeat rationẽ mercedis proprij meriti, & ſubinde, quod poſsit eſſe maior, quàm ſint propria merita. Et eodẽ modo explicari debet Florentinũ: admittimus enim viſionem ex meritis maioribus eſſe maiorem: nõ tamen ex ſolis meritis proprijs habere, quòd ſit maior. Quomodò autem explicanda ſit ratio in contrarium adducta, inferiùs dicemus. Nunc enim ſolùm ſtatuimus, viſionem, etiam ſtante lege, maiorem eſſe poſſe, quàm ſit meritorum propriorum menſura.

41. Adhuc datur difficultas. ¶ Sed nondum eſt exhauſta tota difficultas: quia adhuc dubitari poteſt; vtrùm viſio ex lege habeat, quod tota ſit merces meriti, vel proprij ipſius beati, vel Chriſti ex opere operato ad maiorẽ gratiam, & gloriã applicati? Quam difficultatem nullus tetigit: ex his tamen, quæ ſcribuntur, res eſt cõtrouerſa: nam quidam adeò certi ſunt in affirmando, vt dicant, oppoſitũ nõ ſatis eſſe cõſonum fidei; cuius ego aliquãdo fui opinionis, & ſatis in ea eſt *Suar.*
Suar. *in d.c.21.n.5.* cuius argumẽta ſuperiꝰ adduximus. Et quãuis in illo loco ſolũ agat de mercede in ordine ad propria merita: tamẽ, ſi, quæ ibi ſcribit, cõiungantur cũ illis, quæ ſcribit in relectione de reuiuiſcẽtia meritorũ diſp.2.ſect.1.n.52. in hac videtur eſſe opinione; quia nũquã admittit maiorem viſionem, quàm ſint merita vel ꝓpria beati, vel Chriſti ex opere operato applicata. Porrò qui putant cũ ęqualibus meritis, & inęquali virtute viſionẽ, etiam in noſtris terminis, futurã eſſe inęqualem negant id eſſe de ratione viſionis; quia adhuc putant, in viſione melioris intellectꝰ cũ æqualibus meritis proprijs, & Chriſti dari gradũ, qui nullis reſpondeat meritis.
Salas. *Et Salas 1. tom. ad 1.2.q.3. tract. 2. diſp.5. ſect.7. pag.381.col.1. in med.* licet hãc opinionem nõ ſatis probet, putat tamen, argumenta à Suario adducta, nullam cenſuram conuincere; quod etiam ego probo ſi ſermo ſit de meritis Chriſti ad maiorẽ gratiam ex opere operato cõcurrentibꝰ: in hoc enim ſenſu vtramque opinionem puto eſſe probabilem; probabiliorem tamen, quæ inæqualem viſionem admittit: quare duas ſtatuo propoſitiones.

Sit tertia in ordine propoſitio: *Stante* 42.
lege, licet ſit de ratione viſionis adultis non 3. propoſit.
dari ſine meritis proprijs; non tamen eſt de ratione illius, quod detur ex ſolis meritis, aut proprijs, aut Chriſti ex opere operato. Statuitur conſentaneè ad opinionem, quæ docet cum æqualibus meritis: & virtute inæquali, viſionem futuram eſſe inæqualẽ. Quod hæc opinio nihil habeat diſſonum Ad 1.
à principijs fidei contra Suarium facilè oſtendemus: etenim ſacræ literæ, Tridentinum, & Patres, quando dicunt, viſionẽ eſſe mercedem, agũt de mercede laborũ, meritorumq; propriorum, vt iam aduertimus, & ſatis docet Paulus 1. Corint.3: *Vnicuique autem ſecundum proprium laborem*: vnde non ita intelliguntur, vt tota viſio ſolùm ſit merces proprij laboris, vt ſuprà oſtendimus: quare illa doctrina nihil nobis officit. Sed officeret, ſi intelligeretur de mercede tùm proprij laboris, tùm operis operati ex meritis Chriſti; quia licet viſio dicatur eſſe merces, & pręmium: non tamen dicitur, quòd tota, & totaliter ſumpta ſolùm habeat rationem præmij. Dicitur quidem merces, quia ex lege nulla viſio alicui datur, ſine aliquibꝰ meritis, aut proprijs, aut Chriſti ex opere operato ad conferendam gratiam: cũ quo tamen ſtat, quòd ſumpta totaliter, non reſpondeat ſolis meritis explicatis: vnde non valet hæc conſequentia: *Viſio datur, vt merces. Ergo fieri non poteſt, vt aliquis abſque pluribus meritis, & abſque maiori gratia data ex meritis, perfectius videat*; quia ratio mercedis optimè ſaluatur in maiore viſione cum æqualibus meritis, & lumine æquali.

Quod ex Paulo adducitur; non vrget; 43.
quia ſolùm agit de viſione, quæ eſt merces laboris, & proprij meriti; in quo ſenſu Ad Paulum
non vrget, vt iam diximus ex ſecunda propoſitione. Ad Concilium Florentinũ admittimus, viſionem ex meritis maioribus eſſe maiorem: nõ tamen admittimus ex ſolis meritis habere, quod ſit maior; quia

quia etiam hoc poteſt habere ex meliori intellectu, iuxta opinionem, quam, vt
44. Ad rationẽ. veriorem modò defendimus.

Ratio verò allata à Suario ſolùm probat exceſſum illum in hoc ſenſu reſpicere merita, vel propria, vel Chriſti; quia talis exceſſus de facto nõ dabitur, niſi vlla dentur merita: ſi enim nulla pręcederẽt, ſicut nulla futura eſſet viſio; ita nullũ daretur lumen, & per conſequens nulla eleuatio naturalis virtutis, ſine qua in viſionẽ non influet. Quando igitur inquiritur; an ille exceſſus tribuendus ſit naturę; an gratię? dicimus, non eſſe tribuendũ naturæ ſimpliciter ſumptæ; benè tamen, vt eleuatæ per diuinam gratiã donantem lumen gloriæ: vnde non eſt tribuendus gratiæ gratum facienti, quæ in beato datur ex meritis, vel proprijs, vel Chriſti ex opere operato gratiam infundentis. ¶ Ne igitur æquiuocatio confuſionem pariat; oportet diſtinguere gratiam gratum facientẽ (quæ datur ex meritis proprijs, vel Chriſti ad gratiã applicati ex opere operato) â gratia, quæ idem eſt, quod donum, non naturaliter debitum, ſed ſupernaturaliter datum, quodcunque illud ſit. Dicimus igitur, exceſſum illum maioris viſionis, non eſſe tribuendũ gratiæ gratũ facienti, quæ eſt ex meritis, vel operis operãtis, vel operis operati: nec etiam tribuendum eſſe naturæ ſimpliciter ſumptæ: benè tamen eleuatæ per gratiam, ideſt, per donũ aliquod ſupernaturale. Qua ſuppoſita doctrina, argumentum vim nõ habet: quoniam, ſicut non benè infertur: *Exceſſus ille tribuitur naturæ per gratiam eleuatæ. Ergo non tota viſio eſt effectus gratiæ, vt patet*: ita non benè infertur: *Ille exceſſus eſt effectus gratiæ. Ergo tribuendus eſt meritis*: quia, vt diximus, non eſt tribuendus gratiæ gratum
45. 3. cõcluſio nihil habet diſſonum fidei. facienti, quæ ſola correſpondet meritis.

Ex quibus patet, opinionem poſitam in tertia concluſione nihil habere diſſonum fidei. Quod verò opinio in propoſitione ſuppoſita longè ſit probabilior, ex eo patet, quia aduerſarij nobiſcum conueniunt, vt melior intellectus cum æquali lumine meliorem eliciat viſionem. Qua opinione ſuppoſita inter nos, in hoc eſt controuerſia; vtrùm poſitis æqualibus meritis, viſio adhuc futura ſit inæqualis? Illi negant; noſtra tertia propoſitio probabilius affirmat. Quod inde probamus, quia aduerſarij non facilè explicabunt; quomodo cũ inæqualitate intellectus, & æqualitate meritorũ ſaluetur inæqualitas viſionis, vt patebit ex quarta ꝑpoſitione. 46. 4. propoſit.

Sit igitur quarta propoſitio: *Probabile tamen eſt in terminis propoſitis, viſionem futuram eſſe æqualem.* Hæc propoſitio ſuam probabilitatem ex eo habet, quia cõmunior eſt, etiam inter eos, qui volunt, meliorem intellectũ cum æquali lumine meliorem elicere viſionem. Inter quos communior opinio hanc ſententiam limitat, vt locum non habeat, vbi æqualia ſunt in vtroque merita. Sed magna eſt inter iſtos cõtrouerſia; quomodò cum inæqualitate virtutis, & æqualitate meritorum ſaluari poſſit æqualitas viſionis? Vnde varij varias excogitarũt vias. Prima putat, in propoſitis terminis, lumen non eſſe futurum æquale, ſed minus in eo, qui meliorem habet intellectũ, vt ſuprà vidimus in ſecunda cõtrouerſia. Alij volunt, lumen in iſtis futurum eſſe æquale: in neutro tamen æquale meritis: Deum autem in hoc caſu ſupplere id, quod deeſt actiuitati inferioris intellectus, vt diximus in tertia cõtrouerſia. Adhuc alij volunt, nõ ſolùm lumẽ in vtroque futurum eſſe æquale, ſed etiã æquale meritis: Deum autem vel ſupplere actiuitatem intellectus inferioris; vel actiuitatem melioris continere, ne cũ lumine in viſionem influat, quantum poteſt, vt diximus in quarta controuerſia. Ego primam ſolutionem probare non poſſum; non ob argumenta Suarij; quia non conuincunt, vt alibi oſtendimus; ſed quia lumen maius ſemper arguit maiorẽ viſionem, vt dicimus ad decimum. Quare duæ poſteriores ſolutiones ſuam habent ꝓbabilitatẽ; ſecunda verò longè maiorẽ.

¶ Diximus de correſpõdentia viſionis ad merita propria; & oſtendimus, eam eſſe
poſſe maiorẽ; quàm illa poſtulent. Expẽdimus etiã; an neceſſariò viſio debeat correſpõdere meritis; tùm proprijs, tũ Chriſti ex opere operato applicatis ad gratiã; & diximus affirmantẽ ſententiã eſſe probabilem: negantem tamen eſſe lõgè probabiliorem; ſuppoſita opinione, quòd melior intellectus cũ ęquali lumine meliorẽ habet viſionem. Supereſt expẽdere, vtrũ viſionis perfectio neceſſariò debeat correſpõdere meritis, ſaltem Chriſti abſolutè ſumptis, nobis quocũque modo applicatis? 47. Noua diffic cultas.

catis? & in hoc ſenſu ſit quinta ꝓpoſitio.
48. 5. propoſit. *Viſio ſecundum ſe totam debet correſpondere aliquibus meritis, ſaltem Chriſti.* Hæc non poteſt non eſſe indubitata, ſi intelligatur de viſione hominum, & Angelorũ, vt ſola viſio Chriſti Domini excipiatur: quia indubitatum eſt, viſionem, quatenus reſpondet gratiæ gratum facienti, datã eſſe ꝓpter merita, quibus vel ex opere operãtis gratiã meruim⁹, quę eſt fũdamentũ mercedis in patria: vel ex opere operato ex meritis Chriſti eam aſſecuti ſumus: porrò, quatenus correſpõdet meliori virtuti (quam opinionẽ modo defendimus) reſpicit merita Chriſti, quibus nobis meruit plures prædeſtinationes effectus, inter quos a Theologis enumeratur præſtãtia, & ſubtilitas ingenij: quoniã ſicut De⁹ ſua prouidentia eam prędeſtinauit, vt melius ſuæ vocationi occurreremus, ad maiorem gratiam: ita etiã, vt per eam maiorem haberemus viſionem. Cum verò omnes prædeſtinationis effectus (quicũque illi ſint) pendeant ex meritis Chriſti, vt eſt cõmunis doctrina, de qua *Suarius lib. 2. de effectis prædeſtinationis c. 2. n. 4.* (Suar.) viſio autem ſub hac conſideratione non habeat rationem mercedis; bene tamẽ beneficij nobis à Deo collati ex Chriſti meritis; inde eſt, vt viſio correſpondens huic naturæ præſtantiæ, non præciſè correſpõdeat naturæ, vt natura eſt, ſed vt eſt diuinitus ordinata, vt per eam ſupernaturaliter eleuatam maior conferatur viſio.

49. Doctrina neceſſaria. Et vt hæc melius intelligantur, aduertendum eſt, in viſione, quæ eſt maior ratione melioris ingenij, nullos poſſe diſtingui gradus, quorum illi reſpondeant lumini, & meritis; hi verò virtuti naturali eleuatæ: etenim tam intellectus, quàm lumen influit in totam viſionem, & in ſingulos illius gradus: quos in illa aduerſarij nobiſcum admittũt. Vnde viſio totaliter reſpondet lumini, & ſubinde meritis; & totaliter virtuti naturali eleuatæ. Quare viſio maior in ſua totalitate reſpondet toti cauſæ, & tamen ipſa cauſa, licet in ſua adæquata virtualitate ſupponat merita præcedentia, vel propria, vel Chriſti ex opere operato: non tamen ſecundum omnes partes influentes correſpondet præcitatis meritis; ſed ſolùm ex alijs in ſenſu quartæ propoſitionis, & hæc dicta ſint pro ſolutione huius celebris difficultatis.

ARTICVLVS IIII.

Quænã ſit cauſa moralis huius inæqualitatis?

EGimus de cauſa phyſica, vnde ſumẽda eſt inęqualitas beatitudinis: conſequenter agendũ eſt de cauſa morali illius, vt eſt præmium, merces, & corona. ¶ In qua quęſtione illud eſt tanquã de fide ſupponendum, beatitudinem patriæ de lege à Deo ſtatuta ſupponere merita, vel propria, vel Chriſti ex opere operato applicata: quoniam de fide eſt, nemi nem conſequuturum eſſe beatitudinem, niſi ex meritis: etenim nec adulti, nec infantes ſine meritis eam cõſequentur: adulti quidem; ſine meritis proprijs; infantes verò; ſine meritis Chriſti applicatis per baptiſmum, vel fluminis, vel ſanguinis: de fide enim eſt, infãtes, niſi baptizentur, aut baptiſmo aquę, aut ſanguinis, non ſaluari: eſt etiam de fide, adultos per propria merita beatitudinem fore cõſequuturos, iuxta illud Pauli ad Galatas 6: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet:* & 2. Corint. 5: *Vt referat vnuſquiſque propria corporis, pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Denique ex Paulo. *Non coronabitur, niſi, qui legitimè certauerit.* Ex quo infertur, merita, vel propria, vel Chriſti eſſe primam, & radicalem cauſam beatitudinis; moralem tamen: quia cauſa meritoria non eſt phyſica, ſed moralis, vt omnes fatentur.

(1. Beatitudo de lege ſupponit merita. — Ad Gal. 6 — 2. Cor. 5.)

Vtrùm autẽ tota beatitudo ſolis meritis reſpõdeat; ita vt ab illorũ æqualitate, vel inæqualitate primò, & per ſe pendeat? latè explicauimus ſuprà art. 3. §. 5. 2.

¶ Si inquiras; an inæqualitas beatitudinis in Angelis ſumenda ſit ex inæqualitate meritorũ? affirmatiuè reſpondebo, ſi prima gratia fuit illis data dependenter à diſpoſitione cuiuſque, quæ eſt multorũ opinio. Qua ſuppoſita, dicendũ eſt, inæqualitatẽ viſionis adæquatè ſumẽdam eſſe ab inæqualitate propriorum meritorũ, quæ fuerũt ex gratia, vel cõcomitante gratia. Oppoſitũ dicam, ſi prima gratia illis fuit collata per modũ naturæ, id eſt independenter à diſpoſitione: hoc enim ſuppoſito, dici non poteſt, totam viſionẽ in quolibet Angelo reſpõdere proprijs meritis: quia portio illa viſionis, quæ correſpondet primæ gratiæ, nõ eſt ex proprijs meritis, ſed ex pura Dei liberalitate. Vtrum autẽ illa prima gratia ſit illis data ex meritis Chriſti? alterius eſt quæſtionis. (Quid de cauſa inæqualitatis in Angelis.)

Si

3. An nobilitas naturæ ſit in illi ſpa radox?

Si rurſus inquiras; vtrùm prima radix inæqualitatis in gratia, & gloria ſit inæqualitas naturaliũ? affirmatiuè reſpondebo, ſi vera eſt opinio, quòd Deus dona gratiæ, & gloriæ illis contulit præciſè, ratione nobilitatis naturæ; ita, vt Deus prò regula ad primam gratiam cõferendam, & auxilia ad eam, ipſam naturalẽ cuiuſq; perfectionem cõſtituit. Sed quia id non eſt certum, vt diximus in materia de Angelis, ideò oppoſitum etiã eſt probabile.

QVÆSTIO XII.

De quibuſdam perfectionibus beatitudinem comitantibus?

ARTICVLVS I.

Vtrùm beatitudo Patriæ ſit perpetua, & inamiſsibilis?

§. 1.

Vtrùm de facto futura ſit perpetua?

1. Opinio hæreticorum.

QVòd beatitudo Patriæ futura nõ ſit perpetua, nõnulli hæretici affirmarũt, teſte Hieronymo epiſt. 30. ad Oceanum: ſicut etiã olim aliqui dixerunt, & in beatitudine ſanctorum, & in miſeria dãnatorũ futuras eſſe perpetuas alternationes, ita vt alternis vicibus perpetuo ſuccedẽtibus, & beati dãnandi ſint, & dãnati beandi. Quem errorem pleriq; tribuunt Origini, alij verò eum ab hoc errore liberant. Sed quidquid de hoc ſit: Fides Catholica ſemper docuit, beatitudinem patriæ futuram eſſe æternam: id cõfitemur in Symbolo Apoſtolorum: *Credo vitam æternam*, id eſt æternam cœli beatitudinem. Idem confitetur ſexta Synodus actione 11. in epiſt. Sophonij approbata actione 13. & Concilium Lateranẽſe ſub Innocentio tertio in cap. firmiter de Sũma Trinitate: vbi Patres profitentur, *Corporum reſurrectionem, vt vnuſquiſque accipiat, prout geſsit in corpore: mali pœnam æternam: boni gloriam ſempiternam.* Satis hæc veritas exprimitur in Sacris literis. *Eccleſiaſtici 24. Sapientiæ 5. Iſaiæ 33. Pſal. 38. Matthæi 6. & 25. Ioannis 17. Romanorum 6. 1. Corint. 9. 2. Corint. 5. primæ Theſſalonicenſes 4. 1. Petri 1. & 5. Apocalypſes 3. 7. & 20.* in quibus locis beatitudo Patriæ

Quod Fides doceat,

Symbolũ Apoſtol.

6. Synodus

Probatur ex ſacris literis

dicitur vita æterna, non prout æternum in Sacris literis interdum idem eſt, quod durans per multa ſæcula; ſed prout idem eſt, quod carens fine, vt patet ex verbis Apocalyp. 3. *Foras non egredietur amplius*, quæ verba expreſſè dãnant alternas illas beatitudines, & cõmutationes cum pęnis inferni: quas etiam damnant verba Apocalypſis 20. *Cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*: & verba Pſal. 38. *In ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

§. 2.

An ex ſua natura ſit inamiſsibilis?

2. De cauſa perpetuitatis variæ ſententiæ.

SEd iam inquiri poteſt; vnde nam hęc inamiſsibilitas, & æternitas cõueniat beatitudini? quidam putant, beatitudinem cœleſtem ex ſua natura vendicare ſibi perpetuitatem. Alij hanc illi tribuũt ex ſola diuina voluntate. Alij diſtingũt, vt viſio ex ſua natura non ſit incorruptibilis; ſed vt hic, & nunc eſt à lumine permanente: quod lumen, licet ratione ſuæ eſſentiæ non ſit incorruptible: tale tamẽ eſt ratione ſuæ accidentalis perfectionis. *Ita Salas 1. tom: ad primam 2. q. 5. ar. 4. trac. 2. diſp. 11. ſect. 2. nu. 11. pag. 505. col. 2.* *Salas.*

3. Quid dicat perpetuitas

Hanc tamen difficultatem nonnullis ſubiunctis propoſitionibus diſſoluemus: præmittimus tamen inamiſsibilitatẽ, ſiue perpetuitatem ſupra rem perpetuã nullã addere, realem, aut formalem entitatem, ſed ſolùm modum quendam. ſ. permanẽtiam in habendo eſſe: quare perpetuitas ſupra actum beatitudinis ſolum addit permanentiã ſempiternã in ſui poſſeſsione.

4. 1. Propoſitio.

Hoc ſuppoſito, ſit prima propoſitio: *Inamiſsibilitas, & æternitas non eſt de eſſentia illius actus, qui eſt beatitudo: quare viſio diuinæ eſſentiæ non eſt eſſentialiter inamiſsibilis, & æterna.* Hæc eſt ſine cõtrouerſia; demonſtratur verò ex eo, quòd talis actus eſt ens creatum: nullum autem ens creatum eſſentialiter eſt ſuum eſſe; nec igitur eſſentialiter erit æternũ: hoc enim ſoli Deo conuenit, qui ſolus eſt ens per eſſentiam.

5. 2. Propoſit.

Secũda propoſitio; *Actus, qui eſt eſſentialis beatitudo ex ſua natura ab extrinſeco eſt corruptibilis.* Deducitur ex prima: nam cum ſit ens creatum, atque participatum, ex ſe habet, quòd depẽdeat à Deo, qui liberè ſe communicat ad extra: vnde ſuſ-

pendendo ſuũ eſſendi influxum, poteſt omnes creaturas in nihilum redigere.

6. 3. Propoſi. Scotus. Tertia propoſitio: *Beatitudo ex ſua natura eſt ab intrinſeco incorruptibilis, & inamiſsibilis.* Recipitur ab omnibus, nec Scotus eam negat, ſed cõcedit *potius in 4. diſt. 49. q. 6. §. Concedo ergo litera B.* & terminis benè explicatis, negari non poteſt; nã illud dicimus, eſſe ab intrinſeco incorruptibile, quod ex ſua natura habet à nullo creato agente poſſe perduci ad non eſſe: hoc autem ex ſua natura habet viſio beata; quia nec habet contrarium, à quo poſſit Phyſicè corrumpi, expellique à ſubiecto, vt patet: nec pendet à cauſis ſecundis, quæ poſsint deficere à concurſu neceſſario ad illius eſſe: etenim nec intellectus illuſtratus lumine poteſt non elicere viſionem; nec ſubiectum, id eſt, anima, poteſt ad eam ſubiectiuè non concurrere. Quare in ſacris literis viſio dicitur, *hæreditas incorruptibilis, incontaminata, & immarceſcibilis, coronaq; incorrupta.* Nec hæc duo inter ſe pugnãt rem eſſe ab intrinſeco incorruptibilem; corruptibilem tamen ab extrinſeco in ordine ad Deum, vt patet in Angelis, & in corporibus cœleſtibus.

7. 4. Propoſi. Quarta propoſitio: *Beatitudo ab intrinſeco eſt perpetua, id eſt ex ſua natura naturaliter ſibi vendicat, vt in eſſe, quod ſemel habuit, perpetuò conſeruetur.* Eſt etiam communis in ſenſu explicato, nec puto negari ab Scoto in dicta quæſt. 6. demonſtratur ex præcedente propoſitione, quia perpetuitas, & æternitas per ſe comitatur incorruptibilitatem; ita vt, quod incorruptibile eſt, ſimul etiam ſit æternum: per eſſentiam quidem; ſi eſſentialiter eſt incorruptibile, per naturam verò; ſi naturalem habet incorruptibilitatem: quod & de intelligentijs, & de corporibus cœleſtibus omnes admittunt Philoſophi ex doctrina Ariſtotelis: cui concinit doctrina Theologorum, quæ docet, perfectiones beatificas, quæ ad eſſentialem beatitudinem per modum actus primi ſpectant, menſurari æternitate participata.

8. 5. Propoſi. Quinta propoſitio: *Quãuis actus beatitudinis eſſentialiter nõ includat perpetuitatem; illam tñ eſſentialiter includit, quatenus eſt perfecta beatitudo.* Prior pars nota eſt, ex prima propoſitione: poſterior autem ex eo probatur; quia de ratione perfectæ beatitudinis eſt, quòd ſit bonum ſatians appetitum, & omnem prorſus timorem, & ſolicitudinem expellens, vt patet: non poſſet autem perfectè ſine vllo timore, & ſolicitudine appetitum ſatiare, niſi ſecum haberet coniunctam, non modò perpetuitatem, ſed etiam certitudinem illius, Ergo beatitudo ſub ratione formalis beatitudinis perfectę per ſe includit inamiſsibilitatem, quòd multis oſtendit *Auguſtinus 3. de Trinitate cap. 8. & 1. de Ciuitate Dei cap. 10. & lib. 12. cap. 20.* & hæc fuit omnium Philoſophorum conceptio, vt patet *ex Ariſtotele 1. Ethicor. cap. 5. 7. 9. & 10. & lib. 10. cap. 7. & docet D. Thomas 4. contra gentes cap. 48.* Auguſt. Ariſtot. D. Thom. ¶ Inde infertur, viſionem Dei habere non poſſe rationem beatitudinis, niſi poſsideatur cum certitudine inamiſsibilitatis. Quare non ſatis erit, beatos ſcire, viſionem ab intrinſeco eſſe inamiſsibilem, niſi certi ſint de extrinſeca illius inamiſsibilitate, dum ſciunt, Deũ ſtatuiſſe, eos in beatitudine perpetuo cõſeruaturum. Et quia Paulus in raptu hãc certitudinem non habuit, non ſimpliciter habuit beatitudinem perfectam, ex *D. Thoma ſecunda ſecundæ q. 175. artic. 3. ad 2. & 3.* D. Thom.

9. Quæſtio de menſura viſionis. ¶ Poteſt inquiri de menſura viſionis beatæ; quæſtio tamen longiorem poſtulabat diſcuſsionem: ſatis modò ſit, varias hac de re eſſe opiniones. Prima eſt *Bellomontani 1. p. diſp. 36. cap. 2. in fine.* Bellom. Secunda eſt *Scoti in 4 diſti. 49. q. 6. & in 2. diſt. 2. q. 4.* Scotus. quòd menſuretur æuo. Tertia eſt communior; quòd menſuretur æternitate participata. Quid autem intelligendum ſit per participatam æternitatẽ, variant Doctores: quidam putant, eam eſſe ipſam æternitatẽ Dei, non ſimpliciter, ſed prout extrinſecè menſurat viſionem. Quod magis probat *Cumelius 1. p. q. 10. art. 5. q. 4. concluſione 1. vbi Bañes dub. 4. concluſione 1. Nauarrete controuerſia 32. §. 1.* Cumelius. Bañes. Nauarre. Sed alij per æternitatem participatam intelligunt menſurã diſtinctam ab æternitate ſecũdũ eſſentiam: quam opinionem putant eſſe probabilem Cumelius, & Bañes: ego autem puto eſſe veram: quia æternitas, quę eſt menſura Dei, nulli creaturæ etiam extrinſecè communicari poteſt, quod etiam voluit *Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis cap. 4. num. 8. Et faciunt, quæ ſcribit in Metaphyſic. diſp. 50. ſect. 6. de quo alibi latius diſputauimus.* Suarius.

§. 3.

Adducuntur, & ſoluuntur nonnulla argumenta in contrarium.

10. 1. Argum. Contra hanc reſolutionē plura objiciuntur. Primum eſt; quia gratia non eſt incorruptibilis ab intrinſeco: etenim nullo poſito miraculo, quotidie corrumpitur per peccatum mortale.

Solutio. ¶ Admittimus antecedens, ſi ſermo ſit de gratia viæ, quæ non eſt conſummata. Quod euidentiſsimum eſt, ſi gratia contrariè opponitur peccato; ita vt nō ſolum demeritoriè; ſed etiam effectiuè ab eo expellatur, quæ eſt plurimorum ſententia: iam verò formæ, quę ex ſua natura habēt contrarium, ab intrinſeco ſunt corruptibiles. Idem dicendum erit apud eos, qui volunt gratiam propriè non contrariari peccato, & ſubinde per peccatum à ſubiecto non expelli effectiuè, ſed demeritoriè, quæ eſt verior ſententia: nam licet ex ſua natura non habeat contrarium, à quo expellatur; tamen ratione ſtatus vię, nec vendicat ſibi ſubiectum immobile in bono; nec cauſas conſeruatiuas ſui immobiliter permanentes; vnde nec replet totam potentialitatem ſui ſubiecti; de quo D. Thom. *D. Thomas 2, 2. q. 24. art. 11*: iam verò illud dicitur incorruptibile ab intrinſeco, quod ex ſe habet à nullo creato agente poſſe corrupi, aut deduci ad non eſſe, vt diximus in tertia Propoſitione. Quare conceſſo antecedente, negatur conſequētia; propter diſparem rationem gratiæ in via, & viſionis in Patria: viſio enim ex ſua natura vendicat ſibi cauſas in ſe, & inoperando incorruptibiles; non ſolum proximas (quale eſt lumen;) ſed etiam primā, & radicalem, qualis eſt gratia conſummata, hæc enim cū ſit in eſſentia animæ, eſt vita illius, veluti ſubſtantialis, à qua primò, & radicaliter emanant, tùm potentia vitæ ſupernaturalis (quale eſt lumen;) tū operationes vitæ beatæ, qualis eſt viſio: vide, quæ diximus 1. tom. lib. 4. q. 3. art. 3. num. 22.

11. 2. Argum. Secundo objicitur; quoniam ad rationem beatitudinis non eſt neceſſaria hæc perpetuitas, ſed ſatis eſt, Deum ſtatuiſſe perpetuo eam conſeruare: nam beatitudo corporis, & illius dotes hoc tantum modo vendicant ſibi perpetuitatem.

Solutio. ¶ Dicimus, ſimpliciter loquendo, ad rationem beatitudinis non eſſe neceſſariam perpetuitatē abintrinſeco; quia ſatis eſſet ad ſatiandum appetitum beati certitudo de perpetuitate viſionis ex diuino beneplacito ita ſtatuente: decuit tamen ad perfectionem ſtatus beatifici, vt beatitudo ab intrinſeco eſſet perpetua: nam dotes corporis glorioſi ab intrinſeco ſunt perpetuæ, vt dicemus *in 3. tom. lib. 5. interim vide Salam vbi ſupra in dicta ſectione 2. pag. 506. col. 2. ad. 2.* Salas.

12. 3. Argum. Tertio; quia accidens nunquam petit perpetuitatem, niſi ſubiectum expoſcat perpetuò habere illud. Iam verò anima non poſcit perpetuò habere viſionem.

Solutio. ¶ Maior argumenti in hoc ſenſu eſt vera vt accidens nunquam petat perpetuitatem, niſi ſubiectum, aut ſimpliciter, aut pro aliquo ſtatu expoſcat perpetuò illud habere: iam verò anima, quamuis ſimpliciter, & purè ſumpta naturaliter ſibi non vendicet perpetuò habere viſionem Dei; illam tamen perpetuò ſibi vendicat, vt eleuata eſt ad eſſe diuini ordinis.

13. 4. Argum. Quarto; Illa forma ab intrinſeco eſt corruptibilis, quę coniuncta eſt cum priuatione formæ oppoſitæ: hæc enim priuatio eſt principium corruptionis, vt docet Philoſophia. Sed intellectus beati habet priuationem erroris, qui opponitur viſioni. Ergo viſio non eſt incorruptibilis ab intrinſeco.

Solutio. ¶ Admiſſa maiori negan da eſt minor: quoniam in Patria, tám lumen, quàm viſio replet omnem intellectus potentialitatem, ne poſsit errare; ſicut & claritas, & dilectio replent omnem potentialitatem voluntatis, ne poſsit peccare, vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 11. de quo vide ſupra lib. 11. q. 9. per totā, maximè art. 7. & q. 16.* D. Thom.

14. 5. Argum. Quinto; non eſt de ratione alicuius creaturæ, quòd perpetuò ſit duratura. Beatitudo autem eſt creatura.

Solutio. ¶ Omiſſa ſolutione *Salæ vbi ſupra ſect. 3. pag. 507. ad primam*; ſolutio patet ex 1. 2. & 3. propoſitione: licet enim nulla creatura eſſentialiter habeat ſemper durare, & ideo omnis ab extrinſeco ſit corruptibilis; aliqua tamen naturaliter habet intrinſecam cauſam incorruptibilitatis, vt diximus in 3. propoſitione,

15. 6. Argum. Sexto; beatitudo non pertinet ad appetitum iraſcibilem; quia vel eſt viſio, vel eſt actus voluntatis appetitus concupiſcibilis

bilis: ſecuritas autem de perpetua permanentia pertinet ad iraſcibilẽ. Solutio. ¶ Argumentum hoc futile eſt: nam licet beatitudo eſſentialiter non pertineat ad iraſcibilem; tamen vt perfecta ſit, poteſt connotare aliquid, quod ad iraſcibilem pertineat: vnde poteſt in ſua perfectione includere excluſionem omnis timoris de amiſsione illius.

16. 7. Argum. Septimo; ea, quæ per ſe comitantur, beatitudinem, comitarentur eam, quamuis non eſſet perpetuò duratura. Ergo perpetua duratio non eſt de ratione beatitudinis. Cónſequentia patet; antecedens probatur; quia ſi homo falsò exiſtimaret, beatitudinem ſuam eſſe perpetuò duraturam, adhuc eſſet beatus, & haberet appetitum perfectè ſatiatum, cum Solutio. excluſione omnis triſtitiæ. ¶ Argumẽtum tamen ſupponit id, quod in adiecto implicat: ſcilicet, quòd beatitudo ſit vera beatitudo, & ex ſua natura non ſit perpetuò duratura.

17. 8. Argum. Octauo: beatitudo ſi eſſentialiter ponatur in amore, vt volunt Scotiſtæ, ab intrinſeco non habet perpetuitatem: quia eſt actus liber pendens à libero arbitrio voluntatis, vt idem Scotus exiſtimat. Idem etiam dicendum eſt, ſi beatitudo ponatur in viſione, quia licet viſio, vt eſt à lumine permanente, habeat perpetuitatem, eam tamen non habet, vt eſt à lumine fluenti: etenim ſine vllo miraculo talis viſio deſinit eſſe, ſicut deſijt in Moyſe, & Paulo. Ergo viſio ex ſua ratione ſpecifica, & intrinſeca non habet perpetuitatem: imò illi, vt ſic, non repugnat corruptibilitas.

18. Solutio. ¶ Ad argumentum aliquis ex Scotiſtis admitteret, beatitudinem ab intrinſeco non eſſe incorruptibilem; quia amor (in quo eſſentialem beatitudinem ponit) eſt actus liber: quare admittet, beatitudinem ſolùm ab extrinſeco eſſe incorruptibi- Scotus. lem: at tamen Scotus *in 4. diſtinctione 49. quæſt. 6. §. Concedo ergo litera B.* admittit, beatitudinem in amore poſitam ab intrinſeco eſſe incorruptibilem: fundamentũ fortè erit, quia dilectio; licet ex cauſa proxima ſit libera; ex ſua tamen natura vendicat neceſsitatem ex diuina aſsiſtentia; quod ſatis eſt, vt dicatur incorruptibilis ab intrinſeco. Quòd verò cõtra viſionem adducitur vim non habet, ſi viſio, etiam in tranſitu cõmunicata eiuſdem eſt ſpeciei cum viſione permanente: erit igitur ex ſua natura incorruptibilis: quod non tollit, quin ex diuina ordinatione poſsit ſolùm cõmunicari in tranſitu; vnde cum per miraculum communicata ſit, etiam per miraculum deſiuit.

Nono; viſio Patriæ non habet perpetuitatem, niſi à lumine: ex eo enim eſt perpetua, quia ab intellectu lumine eleuato neceſſariò elicitur; ergo non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco perpetuitatẽ habet. 19. 9. Argum.

¶ Admittimus, viſionem proximè habere perpetuitatem à lumine: rádicaliter tamen, & primò eam habet à gratia conſũmata per ingreſſum gloriæ, quæ eſt in animæ eſſentia: antecedente autem conceſſo in hoc ſenſu, neganda eſt conſequentia: etenim, vt diximus in tertia propoſitione, vt aliqua forma ex ſua natura ſit intrinſecè incorruptibilis, ſatis eſt, quòd ex ſua natura vendicet ſibi cauſas ex ſua natura neceſſarias. 20. Solutio.

Poſtremo; quoniam nec lumen ab intrinſeco eſt incorruptibile, etiam ſi ponatur permanens. Ergo nec viſio. Conſequentia patet; antecedens probatur; quia lumen ex ſe non eſt incorruptibile, ſed ſolum ex quadam accidentali perfectione, quatenus, ſcilicet, ita eſt pefrectum, vt per viſionem à ſe elicitam determinet voluntatem ad non peccandum, & iſto modo excludat ab ipſo beato peccatũ, quod eſt cauſa corruptionis: etenim ſi voluntas peccaret, ſine miraculo corrumperetur lumen, ſicut & corrumperetur gratia. 21. poſtremũ argum.

Negandum eſt antecedens: ad probationem negamus, lumen non habere incorruptibilitatem ex ſua naturali pefectione, ſed ex accidentali; quidquid Salas aliter doceat: nam cum ex ſua natura habeat, quòd ſit à gratia cõſummata exiſtente in eſſentia animæ, tanquam à prima, & ſubſtantiali forma, à qua primò, & radicaliter oritur formalis beatitudo, quę eſt viſio: & hanc dependentiam prius natura habeat, quàm reſpiciat, aut viſionem aut determinationem voluntatis; non poteſt ſuam inamiſsibilitatem habere ex tali determinatione, ſitq; vt ex ſua natura prius habeat inamiſsibilitatem, quàm determinet voluntatem ad nõ peccandum. Vide, quæ de gratia conſummata diximus 22. Solutio.

mus lib. 4. quæſtione 3. articulo 1. §. 1. num. 41. & 22.

ARTICVLVS II.

An beatitudo ſit intenſibilis, & remiſsibilis?

1. An ſit intẽſibilis.

QVæri hoc loco poteſt; an beatitudo, ſiue viſio beata (quam eſſe qualitatem ſupponimus) ſit forma intẽſibilis & remiſsibilis. Ergo nemi nem vidi, qui abſolutè neget viſionẽ eſſe formam intenſibilem: licet enim communiter doceatur, eam eſſe quandam notitiam ſimplicem; non proinde negatur illi intenſio gradualis; quia ſolum dicitur ſimplex, quia non eſt complexa, nec apprehendit obiectum, aut per diſcurſum, aut componendo prædicatum cum ſubiecto, ſed ſimplici intutu: quod non arguit, eam non eſſe intenſibilem. Licet etiam nonnulli velint, viſiones inæquales inæqualitatem habere non ex æqualitate intenſionis, ſed perfectionis, vel eſſentialis, vel indiuidualis (de quibus egimus ſupra q. 10. articul. 3. & 4.) non proinde infertur, viſiones illas in ſe ipſis non eſſe intenſibiles.

2. Reſolutio.

Sed quidquid de hoc ſit; abſolutè dicendum eſt, beatitudinem, ſiue viſionem in ſua entitate admittere gradualem intenſionem: quę opinio inter antiquiores, & recentiores eſt receptiſsima: augumentum intenſiuum in illa expreſsè admittit *Diuus Thomas in 4. diſtinct. 49. quæſtio. 1. ad primam quæſtio.* his verbis: *Poteſt etiam dici, quòd beatitudo animæ poſt reſurrectionem augebitur intenſiuè*; & ibidem ad 4. in ea admittit augumentum ſecundũ diuerſos gradus: quo etiam modo *loquitur 2. ſecundæ, q. 5. art. 2. ad primum; & ſcribentes apud Magiſtrum in 4. diſtin. 49. vbi Richardus art. 2. q. 8. & apud D. Thomam prima ſecundæ quæſt. 5. art. 2. vbi Conradus, & Medina, ſcribentes etiam apud eundẽ 1. p. quæſt. 12. artic. 6. vbi Caietanus, Cumelius, Bañes; Molina, Valentia, & alij, Fonſeca 2. Metaphyſi. cap. 2. q. 2. ſectio. 4. pag. 366. in fine*: Conſentiunt omnes, qui volunt, poſt reſurrectionem, beatitudinem animæ futuram eſſe intenſiuè maiorem. Satis conſentit phraſis eorum Patrum, quos adduximus ſuprà *quæſt. 10. art. 3. §. 2.* vbi etiam id deduces ex *Tridentino ſeſsione 6. Canon. 3. & ex Paulo primæ Corinth. 15.* Nec video argumentum, quod oppoſitum ſuadeat, ſi expendantur, quæ diximus in dicto art. 3. per totum.

D. Thom.

Richard. Conrad. Medina. Caietan. Fonſeca.

ARTICVLVS III.

An de facto poſt reſurrectionem beatitudo animæ futura ſit intenſior?

SVppoſita hac veriſsima reſolutione, inquirendum eſt ſecundo loco; an beatitudo de facto ſit magis, & minus intenſa? In qua quæſtione illud eſt certiſsimum, beatitudinem in quolibet beato in ſe ipſa habere actualem intenſionem: etenim iuxta veriorem, & magis receptam ſententiam in formis, quæ intenſionem, & remiſsionem recipiunt, nõ dantur minima, & ſubinde non datur gradus ſub tam exigua intenſione, quin adhuc ſub minori dari queat; idque in infinitum, vt ſupponimus cum Conimbricenſib. *1. de Generatio. cap. 4. quæſtio. 2. arti. 3. ad ſecundũ, pag. 39.*. Vnde in quocumq; beato etiam infimo beatitudo includit infinitos gradus; non tamen æquales inter ſe, atque non communicantes: Quæ reſolutio eſt veriſsima, ſi præcedens opinio ſupponatur: ſecus dicẽdum eſt apud eos, qui volunt intenſionem formarũ conſtare ex minimis: hac enim ſuppoſita opinione, poteſt dari minima beatitudo. Vtrũ autem de facto in aliquo detur? Incertum eſt: mihi probabiliſsimum eſt non dari: quia in quolibet beato beatitudo habet aliquam intenſionis latitudinem. 1. 1. Veritas.

Conimb.

¶ Certiſsimum eſt etiam in beatis, qui inæqualiter ſunt beati, vnius beatitudinẽ verè eſſe intẽſiorem beatitudine alterius; etenim, vt diximus q. 10. art. 3. inæqualitas beatitudinis per ſe poſita eſt in inæqualitate intenſionis. 2. Veritas.

Tota igitur dubitatio eſt; an in quolibet beato de facto danda ſit aliqua variatio ſecundum intenſionem, & remiſsionem? ita vt aliquando ſit minus, aliquando magis intenſa? ſed vt quæſtio clarius explicetur; primum explicabimus, an de facto cuiuſque beatitudo poſt reſurrectionem futura ſit intenſior? Deinde inquiremus, vtrùm in ſingulis, vel ante, vel poſt reſurrectionem de facto debeat interdum 2. in qua eſt difficultas.

terdum intendi, interdum verò remitti.
1. quæſtio reſeruatur ad 10. 3. De priori quæſtione dicemus *in 3. tom. de Beatitudine corporis lib. 5.* vbi etiam datur proprius locus huic difficultati.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm beatitudo ante, vel poſt reſurrectionem de facto interdum intendi debeat?

1. An de facto debeat intēdi? *Adamus.* QVod attinet ad ſecundam quæſtionem, inuenio opinionē *Adami in ſecundo diſtinct. 2. quæſtio. 8. art. 2.* qui in ea eſt ſententia, vt vel in quolibet beato nulla detur viſio fixa, & ſtabilis, ſed plures; ita vt modo videat Deum cum his creaturis; modo cum alijs; vel ſi in quolibet admittenda eſt aliqua viſio fixa; illa ſolum terminetur ad Deum, & præter eam admittendę ſint alię viſiones decurſu temporis variabiles; quæ licet ſemper terminentur ad Deum, in quo videt creaturas; tamen decurſu temporis nūc videat Deum cum his creaturis; nūc cum alijs. Quare apud Adamum, vel nulla viſio datur fixa; vel ſi aliqua datur, præter eam, admittendę ſunt alię volubiles. *Nominales.* In qua ſententia conueniunt ferè omnes Nominales, qui in beatis non ſolum admittunt plures viſiones, ſed etiam volubiles.

2. Sed eos non eſſe audiēdos oſtendimus lib. 5. quæſt. 18. artic. 1. §. 2. & 3. & contra Adamum vide Salā 1. tom. ad primā ſecundæ, quæſt. 3. tractat. 2. diſpu. 4. ſect. 1. pagina 325. colum. 2. in principio. Vna autem viſione admiſſa, omnes cōueniunt, eam non ſolùm eſſe ſtabilem, & perpetuam; ſed etiam inuariabilem quoad intēſionē; ita vt in eadē ſemperquiſque permaneat, in qua fuit à primo ingreſſu Patriæ: & quidem, quòd illa nullam remiſsionem gradualem vnquā ſit admiſſura, ſiue ante, ſiue poſt reſurrectionem, de Fide diffiniuit Benedictus 12. vt patet ex articulo præcedente in fine in illis verbis: *Poſtquàm incboata fuit ſine vlla intermiſsione, ſine euacuatione continuata exiſtit, ex tunc, vſque in ſempiternum.* Et id agnoſcunt quoad varietatem intenſiuam omnes Theologi, qui vnam in beatis viſionem admittunt.

3. Vna tamen difficultas excitaripoteſt, quoniam beati in ipſa diuina eſſentia plura de nouo vident. Viſio igitur ſucceſſu temporis de facto extenditur ad plura videnda, quæ antea non videbātur: idq; tūm ante reſurrectionem, tūm poſt: hæc autem extenſio fieri non poteſt ſine noua ipſius viſionis intenſione. Ergo in beatis de facto admitti debet noua viſionis intenſio. ¶ Hæc difficultas variè diſſoluitur: quidam negant, beatos de nouo aliqua viſuros eſſe in diuina eſſentia per ipſam viſionem: alij id concedunt; quia volunt, inde non inferri mutationem intenſiuā: ſed de hoc plura dicemus in quęſtione ſequente art. vlt. Dubitatio.

ARTICVLVS, V.

A quo beatitudo nobis communicetur?

DE hoc articulo agit *D. Thomas prima ſecūdæ q. 5. ar. 6.* vbi inquirit; an homo beatitudinem conſequatur per actionē alicuius ſuperioris creaturæ? nimirum Angeli: nam cum conſtituerit in articulo quinto, hominem non poſſe conſequi beatitudinem ſupernaturalem per ſuas naturales vires; merito inquirit, an eam conſequi valeat actione alicuius creaturæ ſuperioris, verbi gratia, Angeli? & eſt ſenſus; an aliqua ſuperior creatura (vt eſt Angelica) poſsit homini cōferre beatitudinem ſupernaturalem, dando illi vires, & media neceſſaria ad illam conſequendam? 1. Quæſtio.

Affirmantem partem probauit Porphyrius volens, hominem poſſe fieri beatum actione ſuperiorū dœmonum. Sed hanc opinionem fides damnauit. Quæ docet cum Pſalm. 83. *Gratiam, & gloriā dabit Dominus.* Vnde contra hunc errorem multis agit Auguſtinus 10. de Ciuitate cap. 9. Illum falſitatis conuincit Diu. Thomas in dicto articulo ſexto: conſtat enim, beatitudinem ſupernaturalem Patrię eſſe ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalem, & per cōſequens eſſe ſupra totas naturæ vires. Ergo impoſsibile eſt, eam poſſe homini conferri virtute naturali creaturæ, quantumcunque ſupremæ. 2. Hæreſis Porphyrij damnata. *Pſalm. 83.* *Auguſt.*

Quæ in contrarium adduci poſſunt, ſufficienter ſoluuntur à *D. Thoma in dicto art.* 3.

articulo 6. Cur autem Angelus, aut homo beatus non poſsit alteri cõmunicare ſuũ lumen gloriæ? vide Medinam in dicto articulo 6.

ARTICVLVS VI.

Vtrum beatitudo patriæ communicetur nobis abſque vlla noſtra operatione?

1. *Quæſtio.* Negatiua vera. *Ioan.* 13. *Luc.* 10. DE hac quæſtione agit *D. Thom.* 1. *ſecundæ quæſt.* 5. *artic.* 7. Concluſio negatiua eſt de Fide: Eccleſiaſtici 14. *Ante obitum operare iuſtitiam*, Ioannis 13. *Si hæc ſcitis; beati eritis, ſi feceritis ea:* Lucæ 10. *Explicatis præceptis ad vitam neceſſarijs*, inquit Chriſtus Dominus. *Hæc* 2. *Tim.* 2. *Apoc.* 14. *Auguſt.* *fac, & viues:* Paulus 2. Timotheum 2. *Nõ coronabitur, niſi qui legitimê certauerit:* & Apocalyp. 14. *Opera eorum ſequuntur illos:* vnde dixit Auguſtinus: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* Damnantur igitur Lutherani noſtri temporis, qui oppoſitum docentes, inquiunt, hanc Catholicam doctrinam derogare, & bonitati, & iuſtitiæ Dei: cum tamen per illam magis eluceat, tûm bonitas Dei, tûm iuſtitia: vt omittamus, hoc maximè cedere in maiorem hominum dignitatem, honorem, & laudem, vt latè amplificat Baſilius *homilia decima in Examerou*, cuius verba refert *Medina in dicto articulo ſeptimo.* *Trident.* Contra hunc errorem agit Tridẽtinum *ſeſsione ſexta in doctrin. de iuſtificatione, & Can.* 26. & ſatis conuincunt rationes D. Thomæ in dicto articulo ſeptimo: vbi videbis doctrinam iſtam, etiam habere locum in Angelis: intelligitur tamen de adultis: nam pueris baptizatis ſine proprijs applicantur merita Chriſti. Cui ideo ſine vllis meritis beatitudo collata fuit; quia per eum beatitudo ad alios erat deriuanda. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VII. & Vltimus.

An beatitudo Patriæ communicetur nobis per aliquam ſimilitudinem?

1. Affirmatiua vera. AFfirmatiuê reſpondetur: quia ad viſionem beatam neceſſaria eſt aliqua ſpecies intelligibilis, qua intellectus in genere intelligibili fiat Deus, vt iſto modo ſimile à ſimili cognoſcatur, vt oſtendimus libro octauo 2. part. q. 1. ſiue illa ſpecies ſit increata, diuina ſcilicet eſſentia: ſiue creata, vt diximus in dicta ſecunda parte libri octaui. Quin potiùs ipſa beatitudo formalis ex ſe eſt formalis quædam ſimilitudo, vt oſtendimus libro 11. quæſt. 5. §. 10.

QVÆSTIO XIII.

De comprehenſione Dei ab intellectu creato.

CONSEQVENTER diſputandum erat de ijs, quæ ad Dei comprehenſionem ſpectãt, & ad viſionem eorum, quæ in Deo videntur; quorum explicationem tâm in primo tomo, quâm in hoc ſecundo, ad hunc locum remiſimus: verum, quia huius ſecundi tomi magnitudo fortè diſplicebit, & hæc omnia non poſſunt pro dignitate breui explicari, vt quæ indigeant longiorĩ diſputatione, tùm propter ſui difficultatem, tùm propter magnam, quam inuenio confuſionem: conſultius eſſe duxi, hanc diſputationem ad finem tertij tomi remittere, quaſi addititiam, & poſitam extra proprium locum: volui enim potiùs in hoc reprehendi, quàm illam, aut miſſam facere, aut pro dignitate non explicare. Quare parce beneuole lector, & hanc diſputationem ab illo loco require.

QVÆSTIO XIIII.

De appetitu beatitudinis ſupernaturalis.

IN hoc etiam loco explicari ſolet; an in nobis detur appetitus naturalis ad ſupernaturalem beatitudinem? Hanc tamen quæſtionem ob eandẽ rationem ad lib. 5. ſequentis tertij tomi reſeruaui: nam non ſolum datur in anima appetitus ad propriam beatitudinem; ſed etiam in corpore ad ſuam propriam. Vnde in illo loco non ineptè poteſt explicari.

QVÆSTIO XV. & Vltima.

De Beatitudine naturali.

SVpererat diſputare de ijs, quæ beatitudinem naturalem comitantur: quia tamẽ vna, vel altera perfectio ſolũ eam comitatur; vna rerum affluentia; altera amicorum ſocietas, cum neutra vllam habeat difficultatem, ſatis ſit vtramque confirmare *authoritate Ariſtotel. 9. Ethicorum cap, 9.*

Et ita impoſitus eſt finis huic libro duodecimo, & tomo ſecundo de beatitudine animæ. Cedat id in Dei gloriam, in laudem Deiparæ Virginis gratiarum, & ſanctiſsimi Patris Auguſtini noſtræ Eremitanæ familiæ fundatoris.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

FINIS. LAVS DEO.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

¶ *Geneſis 6. Videntes filij Dei.* 1124.*n.* 14.

Geneſis. 48. *Et inuocetur ſuper eum nomen, me um, & nomina patrum eorum Abrahã, Iſaac.* 1253.*n.*4.5.& 6.

¶ *Exodi* 33. *Non videbit me homo, & viuet.* 1192.*n.* 32.

Faciem meam videre non poteris. 1272.*n.* 19 1276.*n.* 12.1287.*n.*43.& 44.

Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem. 1281.*n.* 18.

Oſtende mihi faciem tuam. 1282.*n.* 22. *cum ſequen.*

Oſtende mihi gloriam tuam. 1284.*n.* 29.

Oſtendam illi omne bonum 1285.*n.* 34.

¶ *Numerorum* 12. *Ore ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Deũ videt.* 1286.*n.* 37.

¶ *Iob* 4. *Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles.* 1124.*n.* 11.

Iob 28. *Abſcondita eſt ab oculis viuentium, volucres cœli latet.* 105.*n.* 26.

¶ *Pſal.*4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* 466.*n*4.& 467.*n.* 2.

*Pſal.*35. *In lumine tuo videbimus lumen.* 496.*n.*26.504.*n.*34.

¶ *Eccleſiaſt.*7. *Cuncta tentaui in ſapientia.* 96.*n.*28.

¶ *Iſaiæ* 6. *Faciem Domini duabus alis velabant.* 105.*n.*26.1192.*n.* 33.

¶ *Oſeæ* 6 *Contende iudicio aduerſus montes, & colles.* 1124.*n.* 13

¶ *Matthæi* 5. *Vos eſtis lux mundi.* 494. *n.* 13.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 1177.§.2.

Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & cæt. Minimus vocabitur in regno cælorum & cæt. 1302.*n.* 36.

Matthæi 11. *Parabola ſementis.* 1299.*n.*26. & 27.

Ibidem: Inter natos mulierum, &c. Qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. 1300.*n.*29.

Ibidem: Nemo nouit filium, niſi pater. 1190. *num.*20.

Matthæi 18: *Quicunque humiliauerit ſe, vt paruulus iſte; hic maior vocabitur in regno cœlorum.* 1301.*n.*33.

Ibidem: Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. 1179.§.3.

Matthæi 20. *Quatenus in fine diei redditur merces operarius.* 1259.§.2.& 1304. §.6.

Ibidem: Quicunque voluerit inter vos maior fieri ſit vt miniſter veſter. 1301.*n.*33.

Ibidem: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. 1302 *n.*35.

Matthæi 22. *In reſurrectione erunt homines ſicut Angeli Dei.* 1316.*n.*13.1318.*n.* 24.

Matthæi 25. *De parabola nuptiarum:* 914. *n.*6.

Ibidem: Venite benedicti Patris mei, percipite regnnm, & cæt. 1260 §.3.

¶ *Marci* 4. *parabola ſementis.* 1299.*n.* 26. 27.

Marci 12. *In reſurrectione erunt, ſicut Angeli Dei.* 1316.*n.*13.1318.*n.* 24.

¶ *Lucæ* 8. *Parabola ſementis.* 1299.*n.* 26. 27.

Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradyſo.* 1238.§.1.

Lucæ 28. *In reſurrectione erunt ſicut Angeli Dei.* 1318.*n.*24.

¶ *Ioannis* 1. *Erat lux vera. quæ illuminat omnem hominem.* 466.*n.*7.467.*n.*3.

Ibidem: Deum nemo vidit vnquam. 95.*n.*23 1186.§.2.

Ibidem, Non erat ille lux. 494.*n.*13.

Ioannis 6. *Non quod patrem viderit quiſquã.* 1189.*n.*19.

Ioannis 14. *Manifeſtabo ei me ipſum.* 1182. *n.* 32.

Ibidem: In domo patris mei manſiones multæ ſunt. 1296.*n.*14.& 1312.*n.*17.

Ioannis 17. *Et videant claritatem meam.* 1183.*u.*33.

Ibidem: Manifeſtaui nomen tuum hominibus 489.*n.*2.

BIBLIOTECA NACIONAL

¶ Ad Romanos 1. Inuiſibilia Dei ex ijs, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. 90 n. 2 99. n. 44.

Ad Romanos. 8. Creatura ipſa liberabitur à ſeruitute in libertatem filiorum Dei. 1213. n. 5. & 7.

¶ Primæ Corinth. 5. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Deum. 1242. §. 2.

Ibidem; vnicuique autem ſecundum propriũ laborem. 1348. n. 42. & 43.

Ibidem: ſcimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra, & cæt. Quod ædifficationem ex Deo domum non manifeſtam æternam in cœlo, & cæt 1275. n. 10.

Primæ Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum & cæt. 375. n. 15.

Ibidem: Tunc facie ad faciem. 1181. §. 4.

Ibidem: Ex parte enim cognoſcimus, & cæt. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, & cæt. Cum autem factus ſum vir euacuaui, quæ erant paruuli. 1275. n. 9.

Primæ Corinth. 15. Alia cæleſtium gloria, alia terreſtrium, & cæt. Stella enim differt à ſtella in claritate; ſic reſurrectio mortuorũ. 1297. n. 19. 1312. n. 15. & 16.

Ibidem: ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: vnuſquiſque in ſuo ordine. 1303. nu. 39. 40. & 41.

¶ Secundæ Corinth 4. Quod è tenebris fecit lumen ſplendeſcere. 489. n. 2.

Secundæ Corinth. 9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. 1298. n. 24. & 25.

¶ Ad Epheſios 1. Inſtaurare omnia quæ in cælis, & quæ in terra. 1316. n. 14.

Ad Epheſios 4. Aſcendens in altum captiuã duxit captiuitatem. 1244 §. 3.

¶ Ad Philippenſes. 1. Deſiderium habens diſſolui & eſſe cũ Chriſto, multò melius eſt. 1245. §. 4.

¶ Primæ Timotheum. 1. Regi Sæculorum inuiſibili. 105. n. 24.

Primæ Timotheum. 6. Lucem habitat inacceſſibilem. 105. n. 26. 1191. n. 27.

Ibidem. Quem nullus hominum videt ſed nec videre poteſt. 1272. n. 19.

Secundæ Timotheum 1. Quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. 1263. §. 5.

Secundæ Timotheum 4. Quam reddet mihi dominus in illa die. 1263. §. 5.

¶ Ad Hebræos 9. Hoc ſignificante Spiritu Sancto, non dum propalatam eſſe ſanctorũ viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. 1250. §. 7.

Ad Hebræos 11. Omnes teſtimonio fidei probati nõ accipiebant repromiſsionem, & cæt. 1260. §. 4.

Ad Hebræos 12. Acceſſiſtis ad Sion montem. & Ciuitatem Dei viuentis. 1249. §. 6.

¶ Primæ Petri 2. Qui vocauit vos de tenebris ad admirabile lumen ſuum. 489. n. 2.

¶ Primæ Ioannis 1. Deum nemo vidit vnquam. 1189. n. 18.

Primæ Ioannis 3. Non dum apparuit, quod erimus: ſcimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. 1175. §. 1.

¶ Apocaly. 1. & 2. De repræhenſione Angelorum. 1124. n. 12.

Apocalypſis 6. Vidi ſubtus altare animas interfectorum, & cæt. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. 1247. n. 28. 1264. §. 7.

Apocalypſis 7. Vidi turbam magnam, & cæt. 1248. n. 35.

Apocalypſis 19. Quia venerunt nuptiæ agni: & ſtatim, qui vocati ſunt ad nuptias agni. 914. n. 5.

Apocalypſis 20. Vixerunt, & regnauerunt. cum Chriſto mille annis. 1212 art. 4.

Apocalypſis 21. Ciuitas illa non indiget Sole, & luna 496. n. 26.

Apocalypſis 22. Et videbunt faciem eius. 1184. n. 38.

INDEX RERVM,

Quæ in hoc ſecundo tomo continentur.

¶ ACCIDENS.

Inter accidentia, an detur ordo cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ? 530.n.39. vide forma accidentalis.

Non inhæret in alio accidente, tanquam in ſubiecto ſecundum regulam Ariſtotelis: poteſt tamen inhærere; & quid ad hoc requiratur. 557.n.27.& 28.

Accidentia materialia cur non inſunt in ſubiecto, niſi mediante quantitate tanquam ſubiecto 558.n.31.

Accidens naturale non poteſt producere ſubſtantiam, vt principium principale. 812. n. 66.

Accidens, etiam ordinis ſupernaturalis, non poteſt producere effectum ſupra ſuam naturam. Et ideo ad talem effectum ſolùm poſſunt eſſe Dei inſtrumenta. 812.n. 66.

Accidenti, & ſubſtantiæ non datur prædicatum commune eſſentiale vniuocum: benè tamen accidentale. 784.n.26.

Accidens, vide actus accidentalis.

Vt aliquid dicatur tale per accidens, quid requiratur? 568.n.90.

¶ *Actio de genere actionis dari non poteſt ſine termino producto. 978.n.39.319.n.11.*

Actio apud nonnullos recipitur in agente; ſiue ſit immanẽs, ſiue trãſiens. 977.n.34.& 35. Non eſt peripateticum. 978.n.37.

Actio apud eos, qui eam in agente ponunt, quid in eo ponat? 977. n. 36. Impugnatur opinio. 978.n.37.

Actio interdum requirit diſpoſitiones, vt fiat, quas non requirit, vt paſſio. 538.n. 61.

Actio realis per ſe non termtnatur ad effectum ſecundum rationem genericam: ſed ſecundum ſpecificam. 883.n.43.

Actio vitalis, vide actus vitalis.

Actio immanens, vide actus immanens.

¶ *Actiuitatis duplex genus, quod quidam fingunt, non eſt admittendum. 763.n. 67.*

Actiuitas naturalium agentium per ſe inſtituta eſt à natura ad agendum. 766.n. 80.

Actiuus, vide virtus actiua.

Actiua forma, vide forma actiua.

¶ *Actus quo actuatur potentia eſſentialis ſubiecti, eſt potentia actiua illius. 212. n. 46.*

Actum primum, & ſecundum non eodẽ modo philoſophatur Ariſtoteles in natura intellectiua atq; in ſenſitiua. 214.n.54.& 55.

Actus primus potentiæ eſt illi principium, & ratio agendi. 238.n.12. 239.n. 21. 260. n.5. 381.n.8.

Actus primus determinat potentiam ad determinatum obiectum. 551.n.25.

Actus primus apud Caietanum quot modis dicatur? 273.n.5.

Actus primus tollit omnem potentiam eſſentialem. 839.n. 38.

Actus primus ſupernaturalis ordinis non poteſt habere principium effectiuum creatũ: benè tamen actus ſecundus. 322.n.28.

Actus primus in rigore non eſt incompletus. 740.n.74.

Omnis actus primus fundatur in aliquo eſſe. 416.n.69. 423. n.6. 427.n.15.

Eſſe in actu & eſſe in actu primo non eſt idẽ. 740.n.74. 839.n. 38.

Actus ſecundus habet intrinſecum reſpectum ad actũ primũ; ſaltem ad eum, qui ſubſtãtialiter, & ſimpliciter eſt primus. 671.n.41.

Actus vitales, & immanentes non inſunt in ſubſtantia, niſi mediante potentia: & cur? 558.n.30.

De ratione actus vitalis an ſit immediatè procedere à potentia vitali, & in ea recipi? diſp. 562.n.51. 566.n.81.

Actus vitalis, vt eſt vitalis per ſe non habere recipi in omni principio, à quo actiuè producitur? benè tamen recipi in principio actiuo ex ſua natura vitali. 571.n. 106. 558.n.33.

Actus vitalis apud nonnullos intrinſecè habet non fieri ſine ſuo principio vitali: ſed non recipiuntur. 606.n.116.

Actus vitalis, & immanens poteſt à ſolo Deo produci. 665.n. 9.

Actus immanens verè eſt vitalis: & vnde id habeat? 656.n.53. 668.n.24.

Actus ſiue actio vitalis eſt duplex: tranſiens, & immanens. 668. n 25.

Actus vitalis tranſiens ideò per ſe eſt vitalis, quia eſt ab anima: alids non erit vitalis, quanuis terminetur ad viuens. Ibidem.

Actus vitalis immanens eſt actio animæ ſenſitiuæ, aut intellectiuæ. 668.n.26.

Actio vitalis immanens, vnde per ſe ſit vitalis? Vide Intellectio.

Actus immanens non habet intrinſecè, quod actu producatur ab eo, in quo recipitur; ſed quòd ſit ab eo producibilis. 672.n.49

Actus immanens non habet eſſentialem depẽdentiã ab anima; bene tamen naturalẽ. 673 n 51. In quo tamen ſenſu habeat eſſentialẽ dependentiam ab ea. 881.n.34.& 35.

Actus immanẽs, & vitalis benè poteſt inſtru-

 men-

mentaliter produci: non tamen ſi connaturaliter produci debeat. 793. n. 17. & 18.

Actus vitalis non poteſt elici à ſua potentia, vt à cauſa inſtrumentaria, ſed vt à principali. 880. n. 30. 31. & 32. 890. n. 77.

Actus vitalis non elicitur, niſi à principio aliquo modo ſibi connaturali. 890. n. 78.

Entitati actus vitalis ratio vitalitatis nihil ſuperaddit. 882. n. 40.

Actus potentiarum apud nonnullos non ſemper ſpecificantur ab obiectis; ſed interdum à potentijs. 257. n. 26.

Actus ſpecie diſtincti poſſunt eſſe ab eadem potentia. 785. n. 27.

Actus ſub qua ratione ſpecificent potentiam, etiam obedientialem. 784. n. 27.

Actus recipi non poteſt, niſi in propria potẽtia. 532. n. 49.

Actus & potentia ſunt eiuſdem ordinis. Ibidẽ.

Actus menſura non eſt ſumenda ab actiuitate obiecti, ſed potentiæ, & eorum, quæ ſe tenent ex parte potentiæ. 1344. n. 22.

Actus eiuſdem potentiæ licet ſpecie interdum diſtinguantur; ſubalternantur tamen rationi formali, à qua potentia ſpecificatur. 1049. n. 27.

Actus eiuſdem potentiæ non ſpecificantur à ratione formali obiecti, vt obiectum eſt; ſed vt res eſt. Ibidem.

Actus eiuſdem ſcientiæ totalis, licet ſpecie diſtinguantur; ſubalternantur rationi formali, quæ totam ſcientiam ſpecificat. Ibidem.

Actus ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam vnde ſumat ſupernaturalitatẽ? 940. n. 12.

Nullus actus accidẽtalis naturalis ſiue ſupernaturalis ex ſe eſt creabilis: ſed omnis eſt educibilis de potentia ſubiecti. 662. n. 33.

Actus producti ad habitibus acquiſitis, non recipiuntur in ipſis habitibus. 571. n. 107.

Inter actum, & habitum an detur mutua cauſalitas diſpoſitiua. 564. n. 69.

Actus, quomodo concurrat ad habitum? 564. n. 68.

Actus an diſponat potentiam ad habitũ. Ibid.

Actus antecedẽtes habitum cur non requirant diſpoſitionem, vt recipiantur in potentia: bene tamen actus cõſequentes? 564. n. 67.

Actus per ſe vnus non poteſt recipi in ſubiecto vno per accidens. 560. n. 41.

¶ Adamus. In Adamo vtrum fuerit lumen infuſum ad ea, quæ per ſpecies infuſas cognoſcebat? 488 art. 4. n. 2.

Adami ſcientia non fuit infuſa per ſe, ſed per accidens. Ibidem n. 1.

An præter fidem habuerit cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ ad illius ſtatum pertinebant? 488. n. 2.

Non vidiſſe Deum per eſſentiam magis placet. 1293. n. 14.

Non cognouit diuinam quidditatem, aut intuitiue, aut abſtractiuè. 488. n. 2.

¶ Aduertenia vide attentio.

¶ Agens efficienter agere, & per illum nihil fieri, impleat. 978. n. 38.

Agens non cõſtituitur in actu primo, niſi per aliquod eſſe. 423. n. 6. 427. n. 15.

Agens conſtitui in actu primo ad agendum per formam, per quam habet eſſe, eſt vera philoſophia. 423. n. 6. 427. n. 15.

Agens fieri potens in actu primo ad operandum, & non habere eſſe, ad quod conſequatur tale operari; implicat. ſiue in genere rei, ſiue in genere intelligibili. 423. n. 6.

Agens tunc dicitur eſſe in actu primo ad agẽdum, quando illi nihil deeſt, vt poſſit agere. 739. n. 74. 839. n. 38.

Agens primum in agendo ſolus eſt Deus: & cur? 811. n. 62.

Agens dicitur ſuperius in operando, cuius eſſe eſt altius, & ab alio independens: aliàs eſt agens inferius. 811. n. 62.

Nullum agens eſt potens agere per principium, quod eſt in alio. 703. n. 17. 798. n. 14. & 15. 799. n. 17. 801. n. 23. & 25.

Nec poteſt eſſe in actu primo ad agendum ſiue in genere rei, ſiue in genere intelligibili per formam, qu eſt in alio. 703. n. 18. 799. n. 20. 800. n. 22.

Nec poteſt fieri in actu primo per ſimplicem aſſiſtentiam, etiam diuini concurſus. 801. n. 26. 802. n. 27. 28. & 29.

Nec per concurſum cauſæ partialis vt quod. 802. n. 30.

Nullum agens creatum poteſt eleuari, & fieri in actu primo ad ſupernaturaliter agendum, ex eo, quod Deus in ipſo vſu illi communicat ſuum proprium principium agendi, 803. n. 31. 703. n. 17.

Nulli agenti, etiam inſtrumentali motus, vt motus eſt, poteſt eſſe principium agendi, quocunque modo ſumatur motus. 803. n. 33. 804. n. 34. & 36. 805. n. 40.

Agens principale ex ſe continet effectum formaliter, aut eminenter. 812. n. 64.

Et in ſuo ordine habet virtutem completam ad agendum. 811. n. 63.

Agens principale non vtitur quocunque inſtrumento ad quemcunque effectum. 810. n. 56.

n.56. quod verum eſt etiam in Deo. Ibidẽ. & n.59.

Agens inſtrumentale vt quo l habet duplicem actionem: non tamen agens vt quo. 818.n.87.& 88.

Non continet in ſe effectum ſed ſolum ratione virtutis quam recipit à principali agente. 812.n.64.

Agens inſtrumentale in ipſo vſu recipit à principali virtutem agendi. 812.n.64.

Agens inſtrumentale virtutem agendi habet ſolum incompletam. 812.n 63.

Agens concurrens vt inſtrumentum cõcurrit etiam virtute inſtrumentaria. 809.n.55.

Agens principale, & inſtrumentale: vide cauſa principalis & inſtrumentalis.

Nullum agens ſecundum, ſiue principale ſiue inſtrumentale poteſt agere, niſi actum, atque motum à primo, & principali agente: & in quo ſenſu id verum ſit. 804.n 34.

Agens naturale non ſemper producit effectũ ſuæ virtuti adæquatum: & vnde limitetur? 352.n.50.

Nullum agens poteſt operari, etiam per diuinam potentiam in ſubiectum incapax ad recipiendum effectum. 677.n.74.

Agentia principalia poſſe eleuari & per formam intrinſecam, & per auxilium ſpeciale, docet Fonſeca. 593 n.63.

Agens ſicut non poteſt eſſe in actu per formam, quæ eſt in alio, ita non poteſt agere per principium actiuum, quod eſt in alio. 703.n.18.

Agens, vt quod agit, tanquam per potentiam per id. quod illi eſt ratio agendi. 692.n.8.

Agentia ſuperioris ordinis, quæ eminenter continent virtutes agentium ordinis inferioris, poſſunt ſine illis producere effectus illorum efficienter, non tamen formaliter. 603.n.104.604.n.105.

Agentis virtus propria & completa eſt virtus principalis, ſi verò fuerit propria, ſed incompleta, poteſt eſſe inſtrumentalis. 737.n.65.

Agendi virtus eſt eiuſdem ordinis cum agente; principalis cum principali; inſtrumentalis autem cum inſtrumento. 809.n 55.

Agendi virtus quænam ſit principalis: quæuè inſtrumentalis? 811.n 61.

Agendi principium complens virtutem præexiſtentem inchoatam eſt virtus, qua præexiſtens ſuperaccreſcit, & augetur: non per intenſionem; ſed per roborationem. 801.n.24.

¶ Amor vel eſt amicitiæ: vel concupiſcentiæ. 1095.n.2.1114.n.2.

Amor concupiſcentiæ circa Deum datur in beatis. 1095.q.11.

Non eſt formalis beatitudo. Ibidem. n.3.

Eſt minus nobilis, quã amor amicitiæ. ibi.n.4.

Hoc amore Deus propter ſe amatur à beatis. ibid. n.5.

Amor amicitiæ in beatis, an ſit formalis beatitudo; an verò perfectio illius? diſp. 1086. art.1.

Amor Dei in patria ſemper comitatur viſionem. Ibidem.n.2.

Eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam: 1088.art.2.

An terminetur ad Deum; an verò ad viſionem? diſp. Ibidem.art. 3.

Ad amorem Dei ſatis eſt viſio. 1089. art. 4. n 3.

An habeat rationem praxis? 1089.n. 2.

An prærequirat viſionem, quatenus continet iudicium, quod Deus eſt ſummè diligẽdus? diſp 1089.n.4. & 5.

Ad illum an viſio concurrat, vt ratio formalis, an verò vt conditio? 1090.art. 5.

An ſit neceſſarius quoad exercitum; an verò liber? Ibidem.art.6. & 1091.§.2.

An ſit actus humanus? 1092.art.7.

An ſit propter viſionem; an viſio propter amorem? 1093.art 8.

An virtute contineatur in viſione? Ibidem. n.1.2.& 3.

An ſit nobilior, & amabilior, quam viſio? 1094.art.10.

An ſpecie diſtinguatur à delectatione patriæ? 1095.art.13.

An ſpecie diſtinguatur ab amore viæ? 1094. art.11.

An in patria eodem amore ametur Deus, & creaturæ viſæ in Deo? 1094.art. 12.

Amor an concurrat ad delectationem, vt ratio formalis; an verò vt conditio? 1116.n.8.

Amoris intenſio in via variatur ex variatione concurſus potentiæ ſub eodem habitu. 1344.n.24.

In patria meliorem amorem elicit melior voluntas cum æquali viſione, & charitate. 1344. n. 24.

¶ Angelus in ſe eſt imago Dei expreſſior, & purior, quàm ſit mens noſtra, & cætera: eſt tamen imago imperfecta, & non perfecta. 68.n.43.

Angeli non fuerunt creati in puris naturalibus. 68.n.44.

Non differunt inter ſe in perfectione eſſentiali generica.70.n.14.86.n.51.

Angeli poſſunt à noſtro intellectu naturaliter cognoſci ſecundum prædicta communia. 21.n 3.

Vtrum autem à nobis quidditatiuè naturaliter cognoſci poßint? quidam affirmant.22.n 5 ſed hoc eſt impoßibile.24.n.17.25.n.20.29.n. 30. & 37. cum ſequentibus.

Quomodo ſint actu intelligibiles? 38.n 61. & an poſsint fieri tales à nobis? Ibidem.

Angeli non poſſunt à nobis naturaliter cognoſci quidditatiuè.51.n.97. An Ariſt. *mentem ſuam in hoc declarauit? 52. n. 105.*

Angeli non poſſunt naturaliter à nobis cognoſci ex cognitione cauſarum.40.n.70. Nec ex effectis.41 n. 71 Nec per aliquam ſpeciem.42.n.73. Nec enim illi poſſunt emittere ſui ſpeciem in intellectum coniunctũ. 42.n.73.

Angelorum ſpecies an poßint abſtrahi à materialibus.42.n 74.

Angelorum prædicata ſpecifica omninò excludunt materiam; & ideò ſunt omnino inſenſata.26.n.21.

Angeli ſunt magis actiui, quàm res materiales actiuitate in genere rei, non tamen actiuitate intentionali.52.n.100.

Angelornm accidentia non ſunt illorum inſtrumenta 45.n 80.52.n. 102.

Angelus inferior, & ſuperior ſunt neceſſariò ordinis eiuſdẽ & gradus generici.86.n.51.

Angeli ſpecie differentes habent intellectus differentes ſpecie.474.n. 7.

Angeli intellectus an differat ſpecie ab humano diſp.957.n.74.75.76.

Angeli intellectus non poteſt determinari, conſtituique in actu primo, niſi per ſpecies. 192.n. 17.

Species Angelorum *an ſint neceſſariò admittẽdæ? diſp.188.art.2.189.n.6.190.n 10.*

An eas habeant congenitas; an verò à rebus acceptas? diſp.190 n.11.

An illis ſint connaturales? an liberaliter datæ à Deo? *diſp. 191.n. 13. Quæ nam illis ſint connaturales?. 192.n. 16.*

An indigeant ſpeciebus ad cognitionem intuitiuam? 203.n. 60.

Species *vniuerſales illorum repræſentant naturam communem. 203.n.60. & eò ſunt minus vniuerſales in repræſentando, quò* Angeli *ſunt inferiores.340.n. 5. & eodem modo ſunt minus immateriales? 347.n.30*

Angeli ſupremi ſpecies non repræſentant naturalia, & ſupernaturalia.1055.n. 20.

Subſtantia Angeli *reſpectu ſui proprie non eſt ſpecies, ſed analogice.235.n 16.*

Subſtantia Angeli *quomodo ſe repræſentet intuitiuè? 308.n. 13.*

Angeli naturaliter nihil cognoſcunt, niſi ad modum habentis eſſe receptum.103.n.16.

Angeli an ſemper ſint in actu ſecundo intelligendi? 1040 n.14. & 15.

Cognoſcunt *intuitiuè res ſingulares.195.n.11 & quomodo eas cognoſcunt.203.n.60.*

Angeli vnius indiſtantia ab intellectu alterius non ſatis eſt, vt ab altero intelligatur. 124.n.1.127.n.15.

Angeli per ſuam eſſentiam non cognoſcunt alia à ſe: benè tamen ſe ipſos. 192.n. 18. 202.n. 53.

Angeli an naturaliter cognoſcant cogitationes cordium? diſp.1017.n.105. 1018. n. 109.1019.n.114.

An naturaliter cognoſcant myſterium incarnationis? diſp. 1027. n. 146. 1029. n. 152.

An naturaliter videant Chriſtum exiſtentem in Euchariſtia? *1026.n.142.*

Angeli naturaliter vident, quæ per ſpecies connaturales ſibi repræſentantur.341.n.6

Cognitio *intuitiua in* Angelis *an fiat per ſpecies? diſp. 203. n. 60 an fiat per ſe ſpecies ſingularium, an vniuerſalium?* Ibidem.

In Angelis *datur lumen naturali intelligendi. 473 §.2. Eſt diſtinctum à natiua virtute intellectus: & à ſpeciebus, intellegibilibus & ab habitu ſcientiæ.473.vſque ad 475.*

Quid nã ſit hoc lumẽ? 473.§.2.475 n 13. ad quã ſpeciem qualitatis pertineat? Ibidem.

Quomodo illuminet? n.13.

Quæ ſint illius munera? n.14.

Illuminat *ſpecies intelligibiles, & prima principia.476.n.15 & 17.*

Angelorum naturalis ſcientia cur ſit per modum ſimplicis intelligentiæ? 996.n. 11.

Angeli per ſcientiam inditam cognoſcunt ſingularia exiſtentia. 1007 n. 68.

An inferior comprehendat ſuperiorem? 70. n.14.340 n 5.

Quomodo ſe habuerint in cognitione veſpertina & matutina in ordine ad ſe, & ad creaturas? 68.n.44.

In *via non habuerunt cognitionem matutinam rerum in verbo.106.n.34.*

Angelis an dentur dotes? 929.ar.1 .n.1.930.

Angeli propriè ſunt ſponſæ Dei, *non verò Chriſti.930.n.5.6. & 7.*

Non

Non ſunt redempti ſanguine Christi propriè loqueudo.930.n.5.
Angeli vt Deum videant, indigent lumine gloriæ.508.n.6.
An omnes ſint æqualiter beati? 1309. art. 2. 1314.n.3.1315.n.5.
Angeli ſuperiores ſunt beatiores.1309.n.6.
In Angelis vnde ſumenda ſit inæqualitas beatitudinis? 1350.art.4.n.2.& 3.
Angelorum hierarchiæ ſunt per homines reparandæ.1313.n.20.
Angeli inferioris hierarchiæ cur non poßint aſcendere ad ſuperiorem.1318.n.21.
Angelorum officia, & actus hierarchici circa res humanas cur non conneniunt hominibus beatis, ſed Angelis: & vnde illis conueniant? 1318.n.22.
¶ Anima in corpore, an impediatur à ſua operatione naturali? 50.n.97.
Anima noſtra an poßit conſiderari, vt eſt intellectualis, & vt eſt forma corporis? 1205 n.17.1206.n.18.& 19.
Hoc autem non arguit in ea dari diſtinctos eſſendi gradus.1206.n.19.& 20.
In anima gradus eſſendi rationalem actu eſt vnus; virtute plures.1206.n.21.
Anima coniuncta corpori nihil poteſt naturaliter cognoſcere, niſi modo corporeo. 103. n.16.
An illi naturale ſit cognoſcere ſubſtantias ſeparatas? 50.n.97.
An in ea detur appetitus naturalis ad cognoſcendas ſubſtantias ſeparatas. 24.n. 9. 50. n.98.
Anima noſtra an ſit forma corporis ſecundum gradum intellectiuum? 50.n.97.
Anima noſtra ſimilior eſt ſubſtantijs ſeparatis, quàm rebus materialibus in genere rei; nõ tamen in genere intelligibili.52.n.101
De anima rationali variæ fuerunt opiniones apud veteres.36.n.55.
Animæ noſtræ immortalitas quomodo ſaluetur apud Ariſtotelem? 36.n.53. An demõſtretur illius immortalitas? 35.n.50 & 52.
Anima coniuncta an ſit intelligibilis in actu, etiam reſpectu ſui? 47.n.88.48.n.89.
Anima eſt principium actiuum ſuæ intellectionis.243.n.20.
Animam actiuè concurrere ad intellectionẽ, mediante intellectu, negari non poteſt. 687.n.35.
Anima non influit in vitam actualem mediante lumine.560.n.40.
Anima an ad actiones vitales actiuè influat in fluxu immediato, & diſtincto ab influxu intellectus? 688.n.3.
Anima naturaliter cognoſcit, quæ cognoſcit per ſpecies ſibi naturales.341.n.6.
Anima ideo, quia eſt actus corporis naturaliter habet, quod in operando pendeat à corpore, quandiu eſt in corpore.33.n. 44. & & 47.
Anima ideo quia eſt actus corporis naturaliter vendicat ſibi ſpecies repræſentantes naturas corporeas.33.n.45.
Animam pro hac vita non poſſe quidditatiuè Angelos cognoſcere, an naturaliter demõſtretur.21.art.4.
Anima naturaliter in via non recipit ſpecies, niſi abſtractas à phantaſmatibus per intellectum agentem.42.n.73.
Anima noſtra pendet à corpore, vt ab obiecto & vt à cooperante ſecum; per accidens tamen.35.n.51.
Hoc autem nihil officit eius immortalitati. 35 n.50 & 52.& 37.n.58.
Anima in corpore non poteſt ſe quidditatiuè cognoſcere.48.n.89.46. n. 83.nec ex cognitione ſuæ operationis.48.n.91. nec per ſpecies aliarum rerum.49.n. 92.
Anima ſeparata diſtinctè cognoſcit Angelos: an verò quidditatiuè? diſp.71.n.14.94.n. 14.341.n. 6.
Anima ſeparata an cognoſcat Angelum cognitione comprehenſiua? 341.n.6.
Anima etiam extra corpus, an cognoſcat Angelos quidditatiuè? 46.n. 83.
Anima ſeparata an habeat ſcientiam & lumẽ per ſe infuſum diſtinctum à lumine intellectus agentis? 488.n.3.
Hoc lumen eſt vnum. 489. n. 4. & quæ ſint illius munera? Ibidem.
An animabus ſeparatis infundantur ſpecies per ſe infuſæ 488.n.2.
An ſemper ſint in actu ſecundo intelligendi? 1041.n.15.
An anima ſeparata habeat eſſe totius hominis, id eſt eſſe, per quod totus homo exiſtit. 1207.n.23.
In anima non datur potentia paßiua naturalis ad recipiendam viſionem beatam. 618. n. 18.
Conſiderata ſine omni realitate, & modo ſuperaddito non habet formalem actiuitatem in actus ſupernaturales. 762. n.61.
Inter animam fidelem & Chriſtum in via non datur matrimoniũ ſed ſponſalia.914 n.5.
In anima beata dãtur dotes gloriæ.929.art.1

Anima

Anima beata immediatè non influit in viſionem, ſed mediante forma actiua. 843. n. 14.

Anima beata in viſionem influit virtute radicali, & prima. 844. n. 15.

Non concurrit ad eam per accidens, ſed per ſe, & formaliter. Ibidem.

An ad eam concurrat influxu diſtincto ab influxu intellectus. 688. art. 6.

¶ *Anomæorum error de viſione Dei viribus naturæ.* 4. n. 3.

Duplicem ponebant Dei viſionem: vnam in via, alteram in patria. 7. n. 2.

¶ *Anſelmus in Elucidario idem ſenttit cum origene in quæſtione, an iuſtorum animæ videant Deum ante reſurrectionem?* 1267. §. 2. & 1292. n. 9. 10. & 12.

¶ *Aparitiones olim fiebant à tota Trinitate; quamuis approprientur filio.* 9. n. 9. 10 n. 9

¶ *Appetitus naturalis an detur in nobis ad perfectiſsimam cognitionem, quæ de Deo haberi poteſt?* 96. n. 33. 106. n. 30.

Ad viſionem Dei quomodo detur in nobis? 155. n. 23.

Appetitus naturalis non datur, niſi ad formã actione agentis naturalis conſequendam. 155. n. 23.

Appetitus innatus ad videndum Deum, an ſit admitendus? 872. n. 71. 1201. n. 35.

Appetitũ naturalem poſſe impleri, quomodo ſit intelligendum? 1199. 28.

Appetitus elicitus ad vidẽdum Deum inchoatus, & remotus eſt admittendus. 872. n. 71.

Appetitu elicito, quomodo, appetatur ſummũ bonum? 1201. n. 36.

Appetitus ſenſitiuus terminatur ad operationem ſenſitiuam delectabilem. 1109. col. 1. in principio.

¶ *Apprehenſio obiecti intelligibilis eſt actus vitalis.* 672. n. 46.

¶ *Aqua ad replendum vacuum non aſcendit per potentiam obedientialem ſupernaturalẽ, ſed per rationes ſeminales* 747. n. 104.

Aqua non concurrit ad calefactionem, vt inſtrumentum ignis. 809. n. 55.

¶ *Arbitrium liberum, vide liberum arbitriũ.*

¶ *Ariſtoteles* 1 *de Anima c.* 1. *tex.* 12. & 13 *Intelligere eſt imaginatio, aut non fit ſine imaginatione: non eſt ſine corpore. Quomodo ſint intelligenda iſta verba?* 36. n. 53

Secundo de *Anima tex* 53. *ſentire interdum ſumi pro actu primo, qui eſt in potẽtia ad* 2. 213. n. 50. 214 n. 51.

Secundo de *Anima c.* 5. *tex.* 59. *Immutatio ſenſitiua eſt à generante: ſenſitiuum autem generatum habet ſenſum perinde atque ſcientia.* 214. 52.

Tertio de Anima c. 4. *tex.* 2. *Intelligere eſt quoddam pati.* 215. n. 59.

Ibidem tex. 5. *Mens, antequam intelligat, nihil eſt actu.* 216. n. 60.

Ariſtoteles an cognouerit immortalitatẽ animæ? 36. n. 55.

Non dixit contradictoria, dum docuit Deum eſſe infinitæ potentiæ; & agere de neceſſitate naturæ. 352. n. 50.

Ariſtoteles non eodem modo philoſophatur actum primum, & ſecundum; potentiã itẽ eſſentialem, & accidentalem in natura intellectiua, & in ſenſitiua. 214. n. 54.

¶ *Ad aſſenſum propoſitionis prærequiritur euidentia terminorum.* 486. n. 54.

¶ *Attentio, conſideratio, & aduertentia idẽ ſunt.* 674. n. 55.

Attentio pertinet ad iudicium conſultiuum, nec dari poteſt ſine eo. 674 n. 55.

Attentio, ſiue conſideratio diſtinguitur ab intellectione. 674. n. 58.

Attentio poteſt eſſe perfecta, & minus perfecta: perfecta non datur ſine iudicio: benè tamen imperfecta. 674. n. 58.

Attentio, ſiue aduertentia eſt actus diſtinctus à ſimplici conſideratione: nec eam neceſſario comitatur. 674 n. 57.

Attentio naturaliter vendicat eſſe à cognoſcẽte. 675. n. 60.

Attentio naturaliter fieri non poteſt ſine actiuo connatu, & influxu in intellectionem: ſecus de potentia abſoluta. 674. n. 54.

¶ *Auẽpace opinio; quomodo intellectus noſter intelligat ſubſtantias ſeparatas?* 28. n. 25.

¶ P. *Auguſtinus cum Matre Monica vidit diuinam eſſentiam.* 1292. n. 7. 8. 9. 10. & 12.

¶ *Aureola in gloria quid ſit? propter quæ opera detur? Et ad in omnibus futura ſit æqualis?* 1319. n. 28. 1320. n. 31.

B.

¶ Baptizatus, *qui in vltimo inſtanti verborũ moritur, diſcedit ſine baptiſmo.* 1122. n. 11.

¶ Baſſolij *opinio de videndo Deo per iures naturæ ſine lumine vix poteſt liberari ab errore.* 510. n. 15.

¶ Beari *efficienter ab aliqua creatura eleuata benè poſſumus.* 320. n. 17. 322. n. 26.

¶ Bea-

¶ Beatitudo quæcunque non includit rationẽ omnis boni cum excluſione omnis mali. 1202.n.38.

¶ Beatitudo naturalis creaturæ intellectualis, in quo cõſiſtat? 67.n 38.71.n.17.106.n.29.

Non ponitur in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, id eſt Angelorum. 50.n.96.

Sed in cognitione Dei naturaliter perfectiſſima. 67.n.38.106.n.30.1199.n.27.

Non ponitur in clara Dei viſione, vt eſt prima cauſa. 1197.n.22.

¶ Beatitudo ſupernaturalis, an ponatur in actu omnium nobiliſſimo? 947.§.8.

Beatitudo ſupernaturalis animæ, alia eſſentialis; alia accidentalis: & hæc eſt multiplex. 905.n.3.

Ad eſſentialem requiruntur aliqua bona accidentaria. 906.q.1.

Eſſentialis in quo ſenſu ſit totũ præmiũ? 908.n.13. & in quo ſenſu ſit bonum perfectiſſimum. 909.n.16.

Accidentalis an contineat omnia bona patriæ quæ non pertinent ad beatitudinem eſſentialem? 908.§.3.

Ad beatitudinem patriæ an requiratur perfectio dotis, ſub vera ratione dotis? 909.q.2

Beatitudinis eſſentialis perfectiones, vel ſunt beatificæ, & proprietates illi connaturales: vel ſunt, non beatificæ, eam tamen comitantes. 933.q.4.

Beatitudo patriæ nõ excludit ignorantiã puræ negationis. 1076.art.1. excludit tamen omnẽ defectũ vitioſũ ad intellectu. 1077. art.2. & ideo excludit ab eo omnem falſitatem. 1077.art. 3. Soluuntur argumenta in contrarium. 1078.

Ad beatitudinem patriæ neceſſaria eſt rectitudo voluntatis excludens omnem culpam, & pœnam pro culpa. 1121.art.1.

An rectitudo iſta debeat præcedere beatitudinem tempore, an natura? Diſputatur. 1121.n.5.1122.n.9.

An cum beatitudine poſſit ſimul eſſe peccatũ actu, vel habitu? 1130.art.5.

Beatitudo ſupernaturalis obiectiua eadem eſt in Deo, & in nobis. 1142.n.34.

Beatitudinem formalem ſupernaturalem eſſe poſſibilem fuit vnanimis patrum conſenſus nec aliquis hoc negauit. 1144.art.2.1152 art.3.1165.art.4.

Conuincitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ. 1174.art.5. nec aliquis Scripturæ locus repugnat. 1185.art.6.

Poſſibilitas eius an naturali ratione conuinci poſſit? 1193.art.1.1194.§.2.1195.n.13. 1196.n.18.1198.n.24. & §. 3. per totũ.

Beatitudinis capacitas naturalis in nobis an poſſit naturaliter oſtendi: ſuppoſita reuelatione poſſibilitatis eius? 1202.art.2.

Ad illius aſſecutionem an ſimpliciter ſit neceſſarium animam eſſe ſine corpore? 1203. art.1.1204.n.3.& 4.

An neceſſarium ſit animam eſſe in corpore? 1204.art.2.1205.§.2.& 3.

Conuenit animæ, vt eſt intellectualis, non vero vt eſt forma corporis. 1205.n.17.1207 n.22.

An ſit differenda per mille annos poſt reſurrectionem? 1209.art.1.1211.art.3.1212. art.4.

An detur animabus iuſtis ante reſurrectionẽ? diſp.1214.q.5. Quidam negant. 1214. art.1. Qui patres negent? 1215.art.2.§.1. Quid ſenſerit Origenes? 1223.§.2. Quid Anſelmus? 1225.§.3. Auguſtinus aliquando ita ſenſit: ſed poſtea conſtanter id impugnauit. 1226.§.4. Falſo imponitur Chryſoſtomo. 1231.§.5. Falſo itẽ Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio: 1232.§.6. Falſo etiam pluribus alijs. 1233.§.7. ¶ Catholica ſententia docet, quod ſtatim datur, cum anima nihil habuerit purgandum. 1236. art.3.§.1. Quando id fuit diffinitum de fide. 1237. §.2. Qui Theologi ita docent? 1237. §.3. Deducitur ex Sacris literis. 1238.art.4.§.1. Confirmatur rationibus Theologicis. 1251. art. 5. probatur patrũ teſtimonijs 1254.art.6.§.1.1256.§.2. Soluuntur argumẽta in contrarium. 1258.ar. vlt. Soluuntur argumenta ex ſacris literis. 1259.§.2. Et quæ obijciuntur ex Patribus, & ex ratione. 1265.§.9.

Beatitudinis obiectum ſub alia, & alia ratione poteſt dici idem, & diuerſum: æquale, inæquale. 1324.n.12.

Beatitudo perficit hominem ratione animæ. 1207.n. 25.

Beatitudinis operatio quomodo poteſt impediri? 1207.n.26.

Beatitudo patriæ à ſolo Deo poteſt communicari. 1356.art 5.

An poſſit cõmunicari viatori? vide viſio beata

Beatitudo formalis in ſua entitate admittit intenſionem gradualem. 1355 art.2.

Hæc nunquam erit minor, quàm fuit à principio 1356.art.4.

An poſt reſurrectionem futura ſit maior? diſp.1356.n.2.

Beatitudo non pertinet ad iraſcibilem. 1354. n. 15.
Beatitudo communicatur nobis per aliquam ſimilitudinem. 1357. art. 7.
Non communicatur adultis ſine aliqua illorum operatione 1357. art. 6.
Beatitudo patriæ an ſit perpetua? 1351. art. 1. Eſt incorruptibilis ab intrinſeco, non ab extrinſeco. Ibidem. n. 3. 4. & 5. 1352. col. 1. & 2.
Habet perpetuitatem à lumine: radicaliter tamen à gratia conſumata. 1354. n. 20.
Habet ſuam perpetuitatẽ ex lege diuina, quia perpetuitas decet ſtatum beatificum. 1353 n. 11.
Qua menſura menſuretur? 1352. n. 9.
Beatitudinis patriæ appetitus an detur in nobis? 1357. q. 14.
Quomodo ante reſurrectionem ſatiet appetitum? 1208. n. 27.
Beatitudinis fructus, quid ſit? eſt triplex. 1320. n. 29. Non erit æqualis in omnibus poteſt eſſe maior in minore beato? Ibidem n. 30. & 31.
Beatitudo non eſt æqualis in omnibus beatis: nec in omnibus inæqualis. Vide beatorum æqualitas, & inæqualitas.

¶ Beatus.

Beatorum animæ, quando de facto Deum videant? diſp. contra hæreticos. 1209. q. 4. vide ſupra beatitudo.
Beati omnes vident totam eſſentiam diuinam: non tamen plenam 1323. n. 18. nec videtur totaliter, & in quo ſenſu? 1325. n. 24.
Omnes beati vident omnia, quæ formaliter ſunt in Deo ſecundum ſuam actualem vnitatem, quam habent in diuina eſſentia: omnes tamen plura latent ſecundum ſuam formalẽ rationem, qua virtualiter diſtinguuntur. 1323. n. 17. 1327. n. 8. & quomodo lateant? n. 9.
Beatis Deus ſeſe videndum liberè obijcit in ratione ſpeciei; non tamen liberè ſeſe obijcit ſub tanta, vel tanta penetratione ſuarum perfectionum. 1331. n. 22.
Beati vident aliquas creaturas. 961. q. 6. art. 1. n. 1.
An videant eas in Deo viſo? diſp. 962. n. 1. vident eas in verbo non cauſaliter, ſed formaliter 962. §. 2. n. 4. & 5. Vident autem aliquas tum naturales, tum ſupernaturales. Ibidem. n. 7.
An vna & eadem numero viſione videant Deum, & creaturas in Deo? diſp. 963. art. 3 §. 1. & 2.
An beatus poßit videre Deum, nulla creatura in eo viſa? 963. art. 2.
An viſione beata videant Chriſtum exiſtentẽ in ſacramento, & omnes modos ſupernaturales exiſtendi in eo: idque ſine vlla reuelatione ſed ex vi viſionis? 1027. n. 143.
An illum videant in omnibus hoſtijs quæ quotidie conſecrantur? Ibidem. n. 144.
¶ An omnes beati ſint æqualiter beati? Affirmant hæretici. 1294. art. 1. §. 1. Fides docet oppoſitum. 1295. §. 2. Id probatur ex patribus, & ſcholaſticis §. 3. Ex ſacris literis. 1296. §. 4. Rationibus theologicis. 1303. §. 5. Soluuntur argumenta hæreticorum. 1304. §. 6. 1308. n. 62. Hanc doctrinam intelligere non de beatitudine eſſentiali, ſed accidentali, non eſt tutum contra Durandum. 149. n. 24.
An omnes homines ſint inæqualiter beati? diſp. 1309. art. 3. Quidem affirmant. 1310 §. 1. Negatiua eſt tenenda §. 2. Soluuntur argumenta. 1312. §. 3. Infantes beati ſunt æqualiter beati. 1311. n. 13.
Homines, & Angeli an ſint inæqualiter beati? diſp. 1315. art. 5. §. 1. Quidam affirmant. Negatiua vera §. 2. An id ſit de fide? 1316. §. 3. Soluũtur argumẽta. 1318. §. 4.
Homines beati, an tot erunt, quot Angeli ceciderunt? 1313. n. 19.
Omnes homines aſſumi ad reparandas ruinas Angelorum eſt falſum. 1313. n. 19. & 20.
Nec ſuccedent in eodem gradu gloriæ, quãm habuiſſent Angeli, ſi ſtetiſſent. Ibid. n. 21.
Homnes beatos non eſſe aſſumendos ad diuerſos Angelorum Choros: temerariũ. 1317. n. 18. Non conſtituent nouam hierarchiam ſed aſſumentur ad tres Angelorum hierarchias, & nouem Choros. 1318 n. 19.
An inter beatos detur inæqualitas in ijs quæ conſequuntur beatitudinem, id eſt in perfectionibus accidentarijs? 1319. §. 5.
Inæqualitatis beatorum, quæ nam ſit cauſa phyſica? diſp. 1337. q. 11. art. 1. Non eſt ſola diuina voluntas, nec inæqualitas luminis actiuè non influentis. 1337. n. 2. & 3. 1338. art. 2.
An iſta inæqualitas ſumenda ſit ſolum ex parte actus: an etiam ex parte obiecti. diſp. 1320. q. 10. ar. 1. 1321. §. 1. vera reſolutio ſumitur ex parte vtriuſq; 1322. §. 2. & n. 14. Soluuntur argumenta. 1325. §. 4.
Quod inæqualitas detur ex parte eſſentiæ 1324. n. 23. Et in quo ſenſu hæc inæqualitas admittatur. 1322. n. 15. 1325. n. 25. In quo ſit

ſit poſita hæc inæqualitas? 1327. n. 8.

Inæqualitas beatitudinis formalis ex parte actus, & viſionis in quo ſit poſita. 1327. art. 3. variæ ſententiæ. Ibidem. §. 1. ponitur in inæqualitate intenſionis. 1328. §. 2.

Beatus quo eſt beatior, eo plura videt in Deo. In hoc conueniunt omnes, qui inæqualitatẽ admittunt ex parte viſionis. 1329. n. 10

Beatior cur plura videat? magna eſt controuerſia. 1328. 1329.

Quidam putant hoc non prouenire ex vi viſionis; ſed ex diuina voluntate. 1330. n. 22.

Non recipiuntur. 1331. n. 22. 1337. n. 2.

Alij cauſã ſumunt: quia viſio magis beati eſt eſſentialiter nobilior, quã viſio minus beati 1328. n. 2. ſed non placent. 1336. art. 4.

Alij cauſam ſumunt ex inæqualitate indiuiduali viſionis magis beati: quia eſt indiuidualiter perfectior 1328. n. 3. Reijciuntur. 1336. art. 4. n. 3.

Vera reſolutio cauſam ſumit ex maiori intenſione, tũ luminis, tũ viſionis. 1331. §. 5. n. 25. 26. & 27. Contra eam latè eſt Suarius. 1329. §. 3. à n. 11. vſque ad 20. Soluuntur argumenta illius. 1331. §. 5.

Beatior cur potius videt hæc, quã illa? 1333. §. 6. Soluũtur argumẽta in contrariũ à n. 33.

Cur potius videat hæc indiuidua eiuſdem ſpeciei, quam illa? 1335. n. 42.

Beatior plus penetrat de ſingulis attributis, quàm minus beatus: & cur? 1336. in 3. difficultate.

Beatorum inæqualitas in viſione eſſentiæ vtrũ ſumi etiam debeat ex inæqualitate tum luminis gloriæ, tum virtutis intellectus? variæ opiniones. 1338. art. 3. §. 1. vera reſolutio diſtinctione vtitur. 1339. §. 3. Soluuntur argumenta 1340. §. 4.

Sumẽda eſt inæqualitas ex ſolo lumine, ſi inter intellectus nulla datur inæqualitas ſpecifica, vel indiuidualis. 1339. §. 3. n. 3. Ex parte vero vtriuſq; ſi inter intellectus admittatur ſubſtãtialis inæqualitas. 1340. n. 5 Oppoſitũ etiã eſt probabile. n. 8. Soluũtur argu. 1340. §. 4.

Beatus melioris intellectus cũ æquali lumine, & æquali apparẽtia obiectiua rationũ intelligibiliũ melius eas penetrabit. 1344. n. 25.

An cũ æqualibus meritis meliorẽ habeat viſionẽ? diſp. 1345. §. 5. Variæ opiniones. à n. 30. Vera reſolut. 1347. à n. 35. vide 1349. n. 46

Beatus duobus modis poteſt eſſe æqualis Angelis. 1208. n. 28.

¶ Intellectus beati.

In intellectu beati admittenda eſt ſimilitudo actualis, & expreſſa diuinæ eſſentiæ. 319. n. 10. & 12.

Intellectus beatus an indigeat eleuatione ſupernaturali, vt videat diuinã eſſentiã liberaliter ſibi præſentatam? 522. n. 28. & 29.

Intellectus ad videndum Deum, an indigeat lumine gloriæ? Vide lumen gloriæ.

Intellectus lumine gloriæ illuſtratus fit proportionatus, tùm ad recipiendã eſſentiã vt ſpeciem; tum ad recipiendã viſionẽ. 550. n. 16.

Intellectus prius conſideratur, vt eſt potentia ad recipiendã eſſentiam per modum ſpeciei, quã illi vniatur vnione formali. 524. n. 2.

Intellectus potentia ad recipiendam diuinam eſſentiã per modum ſpeciei vt eſt actus primus, eſt alia à potentia receptiua viſionis, quæ eſt actus ſecundus. 524. n. 3.

Intellectus lumine eleuatus formaliter fit potens ad videndum, tanquam per formale principiũ agendi apud D Tho 604. n. 110

Intellectus lumine eleuatur ad eſſe reale ordinis ſupernaturalis: per ſpeciem vero diuinæ eſſentiæ ad eſſe intentionale, & repræſentatiuum. 634 n. 37 635. n. 38.

Intellectus ſecundum ſe non dicitur improportionatus ad videndum diuinam eſſentiam, quia illa infinitè ab eo diſtat in eſſendo, ſed quia eſt inferioris ordinis 619 n. 28 Hæc autẽ improportio tollitur non per diuinam eſſentiã vt eſt ſpecies: ſed per lumen per quod fit eiuſdẽ ordinis cũ viſione 635. n. 38

Intellectus eleuatus an poſsit actiuè influere in viſionem? diſp 657 art 3 Quidam negant §. 1 Vera eſt affirmatio 659. §. 2 latè inquiritur verum fundamentum. 660. n. 25. Soluuntnr argumenta. 661. §. 3.

Intellectus an concurrat cum Deo vt cauſa principalis; an vt inſtrumentalis? 872. ar. 5 variæ ſententiæ. §. 1. Eſt cauſa principalis. 873. §. 2. Id late probatur. 884. §. 4. Vide. 591. n. 57. 663. n. 37.

Non recipitur opinio, quod cum lumine ſit cauſa principalis: inſtrumentalis vero, ſi ſine lumine per ſolum extrinſecum concurſum eleuatur. Refertur. 873. n. 3. Impugnatur 882 n. 37. 38. & 39.

Non recipitur ſecunda opinio, vt ad ſubſtantiam viſionis ſit inſtrumentum; ad vitalitatem verò ſit cauſa principalis. Refertur. 873. n. 4. Impugnatur. 882 n. 40.

Nec recipitur tertia opinio, quod ad ſubſtantiam viſionis ſit principalis: ad ſupernaturalitatem vero inſtrumentaria. Refertur. 873. n. 5. Impugnatur. 883. n. 42.

Nec recipitur quarta opinio, quod ſit cauſa principalis viſionis, prout viſio eſt intellectio: inſtrumentaria vero, vt eſt viſio diuinæ eſſentiæ. Refertur. 873.n. 6.& 7. Impugnatur. 882.n.40 & 41.

Intellectus an diuina potentia poßit concurrere ad viſionem, vt inſtrumentum? 883. §.3.n.45. Refertur affirmans. 884.n.48. vera eſt negãs. 884.n.49.& 50. 890.n.80.

An intellectus concurrat cum diuina eſſentia vt cauſa partialis? 663.n. 37.

Vtrum cum lumine concurrat, vt cauſa partialis? Ibidem.

Intellectum beati de facto actiue influere in viſionem late probatur verbo viſio beata.

Intellectus beati qua virtute actiua influat in viſionem? dubium eſt: variæ ſententiæ.

Quod lumen gloriæ ſit illi tota virtus ad videndum, plures affirmãt; vide lumen gloriæ: vbi late impugnatur hæc opinio.

Implicat lumen gloriæ eſſe intellectui totam videndi virtutem, & intellectum in viſionem influere virtute ſua naturali, & radicali. 847.n 28.

Intellectum influere in viſionem ſua virtute innata vt eſt potentia intellectiua, analogice diſtincta à ſe ipſa vt eſt potentia naturalis, nõ cõuenit cũ philoſophia 847.n.27.

Intellectus influit in viſionem per virtutem ſibi innatam diſtinctam à virtute naturali ex ſententia Suarij, quam appellat potentiam obedientialem actiuam. 852.art.3. §.1. Non recipitur. 853.§.2. Quod talis potentia obedientialis innata ſit fictitia, vide potentia obedientialis.

Implicat intellectum actiuè influere in viſionem, & in eã nõ influere per virtutem radicalem, & innatam ſibi. 847.n. 26.

Influit igitur per virtutem ſuam naturalem, eleuatam tamen. 688. n. 41.

An vero influat per virtutem naturalem, vt eſt obedientialis? Diſputatur. 855.art.4. plures negant. §. 1. Affirmandum eſt. 858 §.2. Soluuntur argumẽta. 868.§. 3.

Influit autem per virtutem naturalem, non prout naturale idem eſt, quod reſpiciens agens naturale, cuius actione reducatur ad actum: quia vt ſic non poteſt influere. 848.n 28 865.n.47. Sed prout naturale idem eſt, quod fluens à principijs naturæ, quidditatis, & eſſentiæ. 848.n.28. & 866.n.48. Et in hoc ſenſu nihil eſt periculi n.49. 891.n.84.

Intellectus influit in viſionem, vt ipſi animæ eſt potẽtia intellectiua, qua intelligit, quid quid intelligit. 862.n.36. in fine.

Intellectus influit per virtutem actiuam ſibi naturalem non ſimpliciter, ſed vt eſt potẽtia obedientialis. 858.§.2. vnde influit per virtutem actiuam naturalem ſupernaturaliter eleuatam. 688.n.41.

Intellectum influere in viſionem ex ſua natura: ex viribus naturalibus: per ſuas vires naturales: per ſuam naturalem efficientiã, eleuatam tamen, nihil habet periculi. 867 n.50. etiam ſi affirmetur cum reduplicatione, quatenus vires ſunt naturales. n. 51. ſi tamẽ addatur, vt ſũt eleuatæ. n.52. Intellectum influere in viſionem per vires naturales, vt naturales ſunt, ſimpliciter non eſt aſſerendum, ſed cum hoc addito, vt eleuatæ ſunt. 867.n. 52.

Quomodo intellectus virtute ſua naturali influat in viſionem? 868 n.54.

Intellectum non poſſe videre Deum per virtutem naturalem, in quo ſenſu ſit de fide? 891.n 83.

¶ Virtus inchoata intellectus beati quomodo eleuetur & compleatur? Diſp. 891 art. 6. præmittuntur nonnulla. 892.§.1.

Impugnantur varij modi. §.2.

Vera reſolutio. 896.§. 3.

Intellectus, ſi ſine lumine videret Deum, quomodo eleuaretur ad viſionem? Diſp. 898. §.1. Vbi impugnantur varij modi. verus dicendi modus. 899 n. 34.

Intellectus ſi ad viſionẽ ſolum concurreret paſſiuè, an poſſet eleuari? 625 n 11.12.13.14.

Intellectus ad viſionem quomodo concurrat cum lumine gloriæ? Diſp 899 art.7.

Quomodo cum diuina eſſentia? 899.art.8.

Intellectus influit in viſionẽ mediante ſuo naturali intellectu lumine illuſtrato. 845.n.27.

Intellectus beati an ſit immediatè ſuſceptiuus viſionis? diſp. Affirmatiua placet nõnullis. 619.n.22.& 23. ſed reijcitur. n.25.

Scientia beata in hominibus non eſt intriſecè inferior ſcientia beata Angelorum, ſed extrinſecè ratione ſubiecti. 1004.n. 47.

¶ In beatis duplex datur cognitio, matutina, & veſpertina. 934.n.3.

Nec datur alia tertia. 935.n.3.& 4. 936.a.3

Vtraq; cognitio variè exponitur, & diſtingitur 935. vera expoſitio. Ibidem. n.5. & 6.

Veſpertina non neceſſario cauſatur à matutina. 936.n.3.

¶ Beatus videndo diuinam eſſentiam producit notitiam quæ eſt qualitas. 319.n.11.

An

An formet verbum? Eſt problema. 320.n. 15. Quidam negant. 318 n. 8.

An formet verbum ſuppoſita opinione, quod verbum ab intellectione nec formaliter diſtinguitur? Quidã negant: affirmatio placet. 973.n.17.

An illud formet ſi ſolum diſtinguitur formaliter? 975.n.29. Quidam negant: alij affirmant. vera eſt affirmatio, ſi intellectio eſt actio de genere actionis. 976.n 30.31. & 32.

An illud formet, ſi ab intellectione realiter diſtinguitur, & intellectio ſit vera actio? affirmatiua eſt tenenda. 976.977.678.

Quid ſi realiter diſtinguitur, & intellectio eſt qualitas? Quidam negant. 979.n.41. Oppoſita demonſtratur. n. 42. cum ſequentib.

Beati formant Verbum diuinæ eſſentiæ in omni opinione de natura verbi, & intellectionis, & de eorum diſtinctione. vide Epilogum demonſtrationis. 983.n. 57.58. 59. & 980.n.60.

In beatis verbum diuinæ eſſentiæ eſt etiam verbum attributorum, & creaturarum. 984.n.63.

Beati formant verbum adæquatum ſuæ viſioni ita vt non plura videant, quam verbo dicant. 985.n.65.66.67.986.n. 68.

¶ Beati in cœlo habent interſe politicam cõmunicationem. 934 n. 3. Hæc eſt duplex matutina, & veſpertina. vide ſupra, in beatis duplex cognitio.

Beati in politia matutina ex viſione poſſunt elicere aliquas actiones erga Deũ, & craturas in Deo viſas. 965.art. 1.966.n.2. has eliciũt intra ipſũ Deũ. 967.n.7.& 8.968.n. 9.

Ex viſione & amore prorumpunt in diuinas laudes & gratiarũ actiones 966.n. 3.

An ex vi viſionis diſtinguãt attributa, eſſentiã ad illis, & à perſonis? 968. n.1. 2. & 3. Affirmatio placet. 969.n.4.

An in hac politia poſſit beatus formare verba partialia, & inadæquata eorum, quæ videt? 969. art. 3. Quidam negant. §. 1. Quidã media incedunt via. n. 2. Affirmatio placet. 966.n 2 969.n.4.970.n.2.986.n. 69. & 71. 987.n.72.73 & 74.

An in hac politia poſſit beatus habere cognitionem abſtractiuam Dei, & eorum, quæ in Deo vident. 989.art.4. Quidã negãt.n.1. Affirmatio eſt vera n.6. vide. 159.§.2.n.4

Hanc cognitionem habent ſub lumine gloriæ. 990. n. 11. poteſt etiam abſtrahere ſpeciem diuinæ eſſentiæ abſtractiuam. 461. n.13.990.n. 8.

¶ In beatis datur cognitio veſpertina rerum in proprio genere tam in Angelis, quam in hominibus. 991. art. 1.

Datur iſta cognitio tam infuſa, quam acquiſita. 991. art. 2. datur cognitio rerum naturalium in proprio genere. 991 art. 2. n. 3.

Datur etiã cognitio aliquo[illegible] ſupernaturaliũ in proprio genere. 992.n.5 vide 934.n.4.

¶ In cognitione veſpertina beatorum datur ſcieutia tam acquiſita, quàm infuſa. 992. n.6. infuſa autem, & per ſe, & per accidens. 993 n. 9.

Scientia per ſe infuſa diſtinguitur à ſcientia beata, & à per ſe acquiſita. 993.n. 2.

Scientia infuſa eſt eiuſdem rationis in omnibus beatis. 994. §. 2. non tamen in omnibus eſt æqualis, & cur? n. 4 & 5.

Per ſcientiam infuſam poteſt minus beatus aliquid cognoſcere, quod non cognoſcit magis beatus. 994.§.2.n.6.

Hæc ſcientia eſt in illis non per modum diſcurſus, aut compoſitionis, ſed per modum ſimplicis intelligentiæ. 995. §. 3.

An beatus poßit ea vti per modum diſcurſus? dubium. Negatiua vera. 997 n. 14. & 15. poteſt eſſe in vſu ſine conuerſione ad phantaſmata. 999.n.23.24 & 25.

An beatus poſt reſurrectionem poßit illa vti cum conuerſione ad phantaſmata? 1000. §. 5.n 28.& 1003 n. 42.

Non eſt intrinſecè inferior in hominibus ſcientiæ infuſæ Angelorum ſed ſolum extrinſecè ratione ſubiecti. 994. §. 2. 1003 n 47. 1004.n. 54. quare in hominibus Angelis & Chriſto eſſentialiter eſt æqualis, vide 1005 n. 54. Eſt longe perfectior, quàm ſcientia Angelis naturaliter infuſa. 1005.n.55. & 56.

Per hanc ſcientiam beati non cognoſcunt omnia poßibilia, nec actu infinita. 1005.n.59

Cognoſcunt tamen omnes res naturales naturaliter cognoſcibiles ab hominibus & Angelis. 1006.n 60. Cõtraria ſoluuntur.n.63

Cognoſcunt ſingularia naturalia, quæ exiſtũt. 1007.n.67. Et ea cognoſcunt altiori modo quam ab homine, vel Angelo naturaliter cognoſcuntur. 1008.n 71. Denique per eã cognoſcunt omnia ſingularia exiſtẽtia côtenta ſub obiecto ſibi adæquato. 1010. n. 76. poſſunt per eam cognoſcere omnes res naturales præteritas, quas per eam iam cognouerunt. 1010. n. 77.

An cognoſcant præterita, quæ nunquã cognouerũt? Dubium. Quidam affirmant. 1010. n.78.

n. 78. Negandum eſt ſeruato ordine naturali. 1011 n. 80.

Poſſunt per eam naturaliter cognoſcere futura, quæ ſunt à cauſa neceſſaria, & inuariabili. 1011 n. 83. Futura etiam contingentia, quæ pendent, à cauſa neceſſario determinata ad vl̄um, impedibili tamen. 1012 n 84. & hæc cognoſcunt diſtinctè. n. 85. 86 87.

An ea cognoſcant intuitiuè? Dubium. veritas quod ſolum abſtractiuè. 1013. n. 88.

Non cognoſcunt per eam alia futura contingentia, ſed per nouam reuelationem: ſecus in Chriſto Domino. 1014. n. 91.

Quæ de nouo per hanc ſcientiam cognoſcunt, per nouam reuelationem cognoſcũt. 1014. n. 92. Et quomodo per reuelationẽ ea cognoſcant? n. 93.

An quæ de nouo per eam cognoſcunt, cognoſcant per ſpecies ad modum intuitiuæ cognitionis? Quidam affirmant. 1015. n. 94. 95. 96. Oppoſitum verius. n. 97. Quare ea ſolũ cognoſcunt abſtractiuè. 1016. n. 99.

An per iſtam ſcientiam cognoſcant cogitationes cordium? Dubium. 1016. n. 100. Affirmatiua placet. n. 103. Nec ad hoc indigent noua reuelatione. 1018. n. 114.

An per eam cognoſcant myſteria ſupernaturalia, & gratiæ? Explicatur poſitis propoſitionibus. 1020. n. 117.

Per eam vident ſupernaturalia ſecundũ ſubſtantiam. 1020. n. 117. & 118. Soluitur inſtantia. n. 119. Eſt indubitata in ſupernaturalibus viæ. n. 120. Supernaturalia vero patriæ cognoſcunt abſtractiuè. n. 120. An intuitiuè? 1021. n. 121.

Per eam cognoſcunt entia ſupernaturalia tam politiæ matutinæ, quam veſpertinæ: abſtractiuè, & intuitiuè. 1021. n. 122. Quid de ſupernaturalibus quo ad modum. 1023. n. 131. & 132.

An per eam cognoſcant exiſtentiam Chriſti in ſacramento, & omnes modos ſupernaturales eius? Dubium. 1024. n. 133. & 134. Reſolutio. 1026 n. 139.

An per hanc ſcientiam cognoſcant myſteriũ incarnationis? variè dicitur. 1027. n. 145 Reſolutio. 1029. n. 152. Cognoſcunt etiam omnes modos ſupernaturales illius. 1031. n. 157.

An per eam cognoſcant myſterium Trinitatis? variæ ſententiæ. 1031. n. 158. 1032. n. 159. & 160. 161. Reſolutio n. 162. cognoſcunt illud euidentius, quàm per fidem. n. 162. Non intuitiuè, ſed abſtractiue. 1033. n. 163. Non tantum quoad an eſt: ſed etiam quoad quid eſt. n. 163. 164. 165.

Hæc ſcientia non impeditur à ſuo vſu circa ea, quæ videntur per beatam ſcientiam. 1034. n. 167.

Semper ſunt in actu ſecundo illius. 1034. n. 168.

Non poſſunt habere vnum actum adæquatum huic ſcientiæ. 1035. n. 169. & 170. 1036. n. 172. Bene tamen poſſunt habere actum adæquatum vni ſpeciei. Ibidem.

Hæc ſcientia applicatur ad hoc, vel illud obiectum voluntate beati. 1035. n. 170.

Per vnum actum, huius ſcientiæ poſſunt cognoſcere; & quomodo? 1036. n. 171.

Poſſunt plura diuerſis actibus ſimul cognoſcere. 1036. n. 172. & 173.

An habitus ſcientiæ inditæ ſit diſtinctus à ſpeciebus infuſis illius? Variæ ſententiæ. 1042 art. 5. §. 1. Reſolutio affirmatiua. 1043. 1044. 1045. Vide. 1047. n. 18 & 19.

An realiter diſtinguatur à lumine infuſo? Dubium. 1048. n. 20. Affirmatiua placet. n. 21. Soluuntur argumenta. n. 22.

Hæc ſcientia nõ eſt vnus ſimplex habitus, ſed plures. 1048. §. 4. n. 26. 1049. n. 27. Tot ſunt, quot ſunt cõcluſiones ſcibiles per vnũ ſpecie medium. 1050. n. 30. ſoluitur obiectio. n. 31.

An omnes huius ſcientiæ ſpecies ſtatim infundantur in ingreſſu patriæ? diſtinctione opus eſt. 1051. n. 4. 1052. n. 5.

An omnis illius ſpecies ſint ſupernaturales? Variæ ſententiæ. 1052. n. 6. Affirmatiua placet. n 7. Soluitur difficultas. 1053. n. 8. 1054. n. 14.

Hæ ſpecies ſolum concurrunt ad apprehenſionem extremorum. 1053. n. 10.

An ſint plures, vel vna? 1054. n. 15.

An ſpecies iſtæ ſint perfectiores, & vniuerſaliores, quàm ſpecies naturales Angelorũ? diſp. 1955. n. 21. vera ſententia. 1057. n. 27. vſque ad 1059. n. 34.

An plures infundantur, quàm ſint ſpecies naturales Angelorum. 1061. n. 42.

An infundantur ſpecies myſteriorum fidei? 1062. art. 7.

An ad hanc ſcientiam infuſã detur lumen infuſum? 1062. art. 8. vide etiam. 490. art. 8.

¶ In beatis datur ſcientia naturalis acquiſita, qua cognoſcantur res in proprio genere. 1038. §. 2.

Quid

Quid intelligatur per ſcientiam acquiſitam? 1037.n.1.& 2.Reſolutio habetur. 1037. n. 3.
Cognoſcuntur per eam omnia naturalia.1038 n.10.per modum ſcientiæ, qua beati vtuntur.1039.n.12.
Per ſcientiam acquiſitam per agentem intellectum beati non cognoſcunt ſubſtantias im materiales.1040.n.13.
Beati homines per ſcientiam, quæ in ſeparatione animæ infunditur, non dependent à phantaſmate. 1041.n.16.
An dependeant ab eo, quando vtuntur ſcientia acquiſita per intellectum agẽtem. Ibid.
An beati ſemper ſint in aliquo actu ſecũdo ſuæ naturalis ſcientiæ? 1040.n. 15.
Non impediuntur ab actu huius ſcientiæ circa res, quas per aliquam ſcientiam cognoſcunt.1041.n.17.
Poſſunt habere plures actus illius. 1041.n. 18. Non poſſunt tamẽ plures ſimul cognoſcere per ſcientiam intellectu agente acquiſitam benè tamen per infuſam.1041.n.19
Non poſſunt tamen ſimul intelligere omnia contenta ſub obiecto adæquato huius ſcientiæ.1042.n.23.
In primo patriæ ingreſſu tam Angelis, quàm hominibus ſtatim infundũtur omnes aut ferè omnes ſpecies naturalium, & ſupernaturaliũ in proprio genere. 1051.n. 3. & 4.
In politia veſpertina datur duplex ſcientia ſupernaturalis.ſ.& naturalis, & de vtraque vide plura. 1051.§.1.
An in hac politia fiant aliquæ reuelationes de nouo eorũ, quæ in verbo vidẽtur? 1051.n.4.
¶ In beatis manebunt ſcientiæ naturales viæ. 1064.art.9. Erunt perfectiſsimæ. 1065. n.7.
Infundẽtur ſcientiæ naturales, quæ in via non fuerunt. 1065.§.2.n.8. Contra nonnullos 1066.n.9. Soluuntur argumenta n.10.& 11.
In cognitione naturali omnes erunt æquales. 1066.n. 10.
Habebunt ſcientiam experimentalem. 1067. §.3. ſenſitiuam autem poſt reſurrectionem ſucceſiuè habebunt.n.15.
¶ In beatis an detur fides in politia veſpertina. 1068.art.10.§. 1.
An habitus fidei poßit manere in illis? 1068.n.4.1069.§.3.
In illis dari actum fidei non repugnat. 1069. §.4. De facto tamẽ nõ manet.§.5.1070.n.13
An in illis maneat theologia acquiſita in via? 1070.art.11.§.1.1071.n. 4. & 5. Erit tamen in illis de nouo Theologia proportionabilis theologiæ viæ. 1071.n. 6.
An illis dentur dona Spiritus Sancti? 1071. art. 12. Affirmatiua placet. 1072.§.2. Soluuntur argumenta §. 3. & quomodo id intelligatur? 1073.n.18.
An in illis dentur gratiæ gratis datæ? 1074. art.13. vide §. 3.
An in illis ſit donum prophetiæ? 1074.§.2. Negatio placet n 4.5.& 6.
An in illis in politia veſpertina ſit locutio intellectiua? Affirmatur. 1075.art. 14. datur etiam in matutina. n. 2.
¶ Omnis actus intellectus beati eſt certus, verus & euidens. 1083.art.7.
An in intellectu illius poßit dari falſitas, & error? 1079.§. 1.
An in ſenſu beati poßit dari error & deceptio? 1080.§.2.n.6.
An in eo poßit dari inconſideratio, & inaduertentia? 1081.art.5.
An in eo poßit dari actus opinatiuus? Negatio indubitata. 1081.art.6. variæ huius probationes.n.2.& 3.1082.n 4. & 5.
In eo non datur euidentia apparens. 1085.n. 9. Beati per coniecturas, & rationes probabiles non ferunt iudicium abſolutum. 1079.n. 9.
An de potentia abſoluta poßit dari error in beatis? diſp. 1084. art. 9. Negatiua vera. Soluuntur argumenta §.2. vtrum in beatis hæc intellectus rectitudo inſit ab intrinſeco? variæ ſententiæ. 1083.art.8. Affirmatiua vera.n. 2.

¶ Beati voluntas.

Illius ſunt tres perfectiones beatificæ, amor gaudium, & comprehenſio 1085. in præfatione.n.1.
Beatus duobus modis Deum amat: amore amicitiæ, & concupiſcentiæ.1085.n. 2.
Contra nonnullos amat Deum amore concupiſcentiæ.1095 q.11.n. 2.
Amor concupiſcentiæ non eſt formalis beatitudo. 1095.n.3.
Hoc amore amat Deum propter ſe. Ibidem. n.5.
Beati habent duplicem delectationem. 1114. n.1.& 4.
In illis datur fruitio. 1120.q.15.art. vnica.

¶ De impeccabilitate beati.

Secundum legem ordinariam beatus nec mort. nec, venial. peccare poteſt. Eſt de fide 1123.§.2. Soluuntur argumenta. 1124. §.3.

Non poteſt Deum odiſſe, vel peccare contra amorem Dei. 1125. n. 2.

Voluntas beati an reſpectu Dei viſi habeat rationem naturæ; an vero liberi arbitrij, ita vt libere amet? 1125. n. 2.

Beatorum impeccabilitas in ordine ad amorẽ, & fruitionẽ oritur ex eo, quia voluntas reſpectu Dei viſi eſt natura. 1125. n. 3. An poſſit defendi, ſi eſt libera? Vide 1125. n. 4. 1126. n. 6. 7. 8. & 9.

Impeccabilitas iſta in ordine ad actiones ſimpliciter liberas, vnde oriatur? Quidam ex viſione. 1127. art. 4. §. 1. vera reſolutio, ex viſione ſimul, & amore. 1128. §. 2. Soluuntur argumenta. 1129. §. 3.

An vero poſſit manere cum ſola viſione ſine amore? dubium. 1131. §. 2. Reſolutio, quòd nullo modo poteſt voluntas odiſſe Deum. Ibidem n. 9. Sed non repugnat, poſito illo caſu beatum habere peccatum, & actu, & habitu. 1132. n. 10.

Beatus videns, & amans Deum nec per diuinam potentiam peccare poteſt. 1130. n. 2.

Vnde peccatum in eo nec actu nec habitu erit, nec vlla inimicitia. n. 4. & 5.

¶ Beati Angeli, vide Angeli beati.

¶ Beatus an, & quomodo poteſt impediri à ſua perfectiſſima operatione. 1207. n. 26.

Beata anima poſt reſurrectionem omninò dominabitur corpori. 1000. n. 26.

Animæ beatorum in patria dotantur varijs dotibus, vide anima, & dos gloriæ.

Beati vident Deum, vt eſt in ſe. Eſt de fide. 646. art. 1.

Beatus diuinitus adiutus, efficit viſionem, qua formaliter beatur, vnde ſe ipſum actiuè beat. 662. n. 35. 687. n. 38.

Beatus præter lumen gloriæ & ſpeciem diuinæ eſſentiæ nullũ alium habet habitum in ordine ad viſionem. 486. n. 57.

¶ Regardi, & Reguinæ aſſerunt, Deum poſſe videri viribus naturæ. 5. n. 8. 60. n. 1. Damnantur. 62. n. 12. In quo ſenſu ſuum errorem intellexerint. 6. n. 10.

¶ An Sanctus Benedictus in via viderit diuinam eſſentiam? Dubium. Negatiua placet: affirmatiua tamen ſine temeritate poteſt defendi. 1293. n. 12.

¶ Bruta in quo ſenſu agunt propter delectationem. 1108. n. 25.

C.

¶ Calor ignis ſecundum vnam, & eandem formalitatem non eſt patibilis qualitas cõſeruatiua ignis, & virtus actiua eius. 766. n. 79.

Calorem ignis non eſſe per ſe inſtitutum à natura ad agendum, eſt contra philoſophiam. 766. n. 80. 768. n. 84. Eſt per ſe inſtitutus ad agendam ſolam calefactionem: & in ſolum calefactibile: & ad vnum ſpecie effectum. ſ. facere calidum. 767. n. 80.

Calor ignis eſt igni tota virtus calefactiua. 250. n. 52.

Per ſe includit reſpectum tranſcendentalem ad calefactionem, & calefactibile, & ad calidum. 767. n. 89.

Ex ſe vendicat certam, & determinatam actiuitatis ſpeciem. n. 80. in fine.

Calor ignis, ſi ſpecies qualitatis realiter diſtinguntur, non ponitur in tertia ſpecie, ſed in ſecunda. 768. n. 85.

Calor ignis non eſt forma ſubſtantialis ipſius ignis. 769. n. 86. ad finem.

Concurrit ad calefactionem, vt virtus principalis. 809. n. 54.

Vnus, & idem calor ſub alia, & alia ratione poteſt pertinere ad diuerſas qualitatis ſpecies. 752. n. 17.

Calor elementalis, & animalis an ſint eiuſdẽ ſpeciei? 785. n. 30.

¶ Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, quomodo ſit explicandum. 239. n. 17. & 18.

Omnis cauſa dat verum eſſe. 410. n. 48.

Nulla poteſt dare eſſe, niſi media cauſalitate. 411. n. 49.

Cauſam actu cauſare, & non dare ſuum effectum, implicat. 422. n. 5.

In omni cauſa, cuiuſcunque ſit generis, reperitur aliqua proprietas ad effectum, aliquavè proportio. 809. n. 56. Hæc philoſophia vera eſt in cauſis principalibus, & inſtrumentarijs. 811. n. 60.

¶ Cauſa formalis non poteſt ſuppleri à Deo immediate per ſe ipſum. 401. n. 16. nec poteſt ſupplere illius effectum. 402. n. 17. 406. n. 32.

Cauſa formalis non poteſt ſuppleri per aliam cauſam diuerſi generis. 603. n. 103. Quomodo id ſit intelligendum. 605. n. 110. 111. & 112.

Cauſa formalis non diſtinguitur realiter à ſuo effectu formali. 403. n. 20. 405. n. 31.

Cauſa formalis eſt duplex; Intrinſeca, & extrinſeca; quænam ſit vtraque. 405. n. 30. Sola intrinſeca propriè eſt cauſa formalis, non vero extrinſeca. 406. n. 31. vnde extrinſeca non exercet veram cauſalitatem. 410. n. 48.

An

An ratio ſpecificans ſit cauſa formalis? 596. n.75.

Cauſa formalis intrinſeca non cõmunicat perfectionem aliquam à ſe diſtinctam, ſed perfectionem, quæ eſt ipſa. 405. n. 31.

Formalis extrinſeca non communicat ſe ipſã, ſed perfectionem à ſe diſtinctam. Ibidem.

Cauſæ formalis cauſalitas. vide cauſalitas formalis.

¶ Cauſæ materialis cauſalitas. vide cauſalitas cauſæ materialis.

Cauſa materialis non poteſt ſuppleri à Deo immediatè per ſe ipſum. 401. n. 16.

Non poteſt à Deo eleuari ad affectum ſupernaturalem. 625. n. 13. & 14.

¶ Cauſa efficiens ſua cauſalitate communicat perfectionem à ſe diſtinctam. 405. n. 31.

Cauſæ efficientis cauſalitas. vide cauſalilas cauſæ efficientis.

In cauſis efficientibus diſtinguendus eſt duplex ordo, vnus ſumptus ex modo eſſendi, quo diſtinguitur ordo ſuperioris, poſterioris: & ſubalternationis: alter ex modo operandi, quo diſtinguitur ordo agentis principalis, & inſtrumẽtalis. 811. n. 62. & 63.

Cauſam efficientem cur Deus poßit eleuare ad effectum ſupernaturalem: non tamen materialem. 625. n. 13. & 14.

¶ Cauſa principalis in ſua virtute formaliter, vel eminenter continet entitatem effectus, & rationes eſſendi illius. 735. n. 56.

Cauſa principalis in agẽdo eſt illa, quæ in ſuo ordine non pendet in cauſando ab alia cauſa eiuſdem ordinis in eſſendo. 811. n. 61. 62. & 63.

Cauſa principalis quænam ſit? & quæ ad eam requirantur? Explicat Suarius. 884. §. 4. n. 53. vera explicatio. 885. n. 54. 55. 56.

Non eſt de ratione eius, quod agat virtute propria, ita effectui proportionata, vt ſit eiuſdẽ, vel ſuperioris ordinis cũ eo. 886. n. 57.

Satis eſt, quod agat virtute incompleta radicali, & remota. Ibidem.

Agere vt cauſam principalem, & non agere per virtutem naturalem, in quo ſenſu repugnet? 889. n. 70. & 71.

Cauſam principalem agere per virtutem propriam eiuſdem ordinis cum effectu, & eiuſdẽ, vel maioris nobilitatis cum illo; abſolutè eſt falſum. 889 n. 71.

¶ Cauſa inſtrumẽtaria eſt, quæ per ſe pendet ab alia eiuſdem ordinis in eſſendo. 811. n. 61. 62. 63.

Ad rationem cauſæ inſtrumentariæ non ſatis eſt, quòd potentia agat eleuata per virtutẽ receptam ab alio. 889. n. 73.

Omnis cauſa inſtrumentaria agit virtute ab alio recepta: non tamen omnis cauſa, quæ agit virtute recepta ab alio, eſt inſtrumentaria 889. n. 73.

Quando autem agere per virtutem ab alio receptam inferat cauſam inſtrumentariam? 889. n. 74.

Non omnis cauſa inſtrumentaria eſt proportionata cuique effectui, ſed alicui certo, & determinato 809. n. 56.

Cauſa inſtrumentaria non continet effectum aut formaliter, aut eminenter. 735. n. 56.

¶ Cauſarum ſubalternatio eſſentialis in quo ſit poſita? & de duplici eſſentiali cauſarum ſubalternatione. 406. n34.

Omnia quatuor cauſarum genera ſunt quidẽ per ſe ſubalternata, non tamen ſubalternatione ſtrictè ſumpta. 407. n. 34.

In quo ſenſu omnes cauſæ ſecundæ per ſe ſint ſubalternatæ cauſæ primæ. 407 n. 35.

In quo ſenſu ſolæ cauſæ efficiens, exẽplaris, & finalis per ſe ſubalternentur primæ? 407. n. 35.

Cauſarum ſecundarum eſſentialis ſubalternatio cum prima non eſt neceſſaria ad omnẽ modum cauſandi cauſæ ſecundæ: neceſſarium tamen eſt, vt omnis cauſa ſecunda aliquo modo ſubalternetur primæ 408 n 40.

¶ Cauſa ſecunda prius natura applicatur à prima ad agendum, quàm agat? 804. n 34.

¶ Cauſæ partiales ita ſe habent, vt vtraque cõcurrat, vt quod: nec vna alteri eſt ratio formalis agendi. 261 n. 9.

Cauſæ partiales aliæ ſunt cum ſubalternatione vnius ad alteram: aliæ ſine illa 259 n. 33.

Cauſa partialis ſuo partiali concurſu poteſt iuuare aliam concauſam: nullam tamen illi ſuperaddit virtutem agendi, idque ſi fuerit eiuſdem ordinis cum illa: ſecus ſi fuerit ordinis ſuperioris. Et quæ ſit ratio deſcriminis. 802. n. 30.

¶ Cauſalitas formalis per ſe eſt poſita in actuali informatione potentiæ, quæ perficitur. 403. n. 21.

Cauſam formalem habere duplicem cauſalitatem; vnam per informationem, alteram per continentiam; non eſt recipiend ũ. 407. n 37. & 38. Satisfit argumentis. 409. n. 42 43. & 44 Et vt duplex iſta cauſalitas poſſet admitti in ordine ad effectus extrinſecos: non debet tamen admitti in ordine ad intriſecos. 408. n. 39.

Continere in eſſe non eſt cauſalitas cauſæ formalis, ſed effectus. 409. n. 44.
Cauſam materialem duplicem habere cauſalitatem .ſ. recipere, & ſuſtinere, non eſt admittẽdum. 407. n. 37. & 38. Saltem quoad effectus intrinſecos. 408. n. 39. Satisfit argumentis. 409. n. 42. 43. & 44.
Suſtinere in eſſe non eſt cauſalitas cauſæ materialis, ſed effectus. 409. n. 44.
Cauſalitas cauſæ efficientis exemplaris, & finalis dicit perfectionem; imperfectionem vero cauſalitas formalis, & materialis. 409. n. 44.
Cauſalitas moralis non eſt alia, niſi motio ad agendum conſulendo, ſuadendo, aut imperando 699. n. 11.
¶ Certitudo notitiæ ſumenda eſt ex euidentia. 947. n. 30.
¶ Charitatis actus an ſit ſupernaturalis ſecũdum ſubſtantiam. 939. n. 10.
Charitatis actus eo eſt intẽſior, quò maior eſt conatus voluntatis cum habitu charitatis. 1345. n. 27. & 28.
Sine charitate an Deus poßit mouere voluntatem ad actum ſupernaturalem dilectionis. 609. n. 124.
¶ Chriſtus, vt eſt hic homo Ieſus eſſentialiter includit perſonam Verbi, non tamen naturam diuinam. 1028. n. 147.
Eſt compoſitum ſubſtantiale. Ibidem.
In ſua totalitate cathegorematica eſt quid de nouo productum: eſt ſubſtantialiter vnum: habet ſubſtantialem vnionem. Ibidem.
Chriſtus vt eſt Chriſtus per ſe includit perſonam verbi, & duplicem naturam. 1028. n. 147.
Eſt quoddam compoſitum ſubſtantiale ex natura diuina, & humana conſtans in eadem perſona verbi: in ſua totalitate cathegorematica eſt quid de nouo productum: eſt vnum ſubſtautiale per ſubſtantialem vnionem. 1028. n. 147.
¶ Chriſti ſcientia infuſa diſtinguitur à ſpeciebus, & à lumine. 485. n. 53. 486. n. 54.
In Chriſto præter lumen infuſum, & infuſas ſpecies datur habitus ſcientiæ infuſas diſtinctus ab illis 486. n. 57. & 487. n. 59.
Chriſtus per ſcientiam infuſam an cognouerit omnes creaturas poßibiles? dubium. 457. n. 45.
Cognouit omnia præterita, etiam quæ nunquã actu cognouit. 1010. n. 78. 1011. n. 81. aliter, & aliter. Ibidem.
Cognouit futura contingentia tam naturalia, quam libera. 1013. n. 89.
Cognouit omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis, Ibidem. n. 89. Et hæc cognouit per ſpecies inditas determinatas, idque abſque vlla reuelatione. 1014. n. 91.
An hæc futura cognoſcat per modum cognitionis intuitiuæ. 1015. n. 94. & 98. 1016. n. 99.
Cognouit cogitationes cordium. 1016. n. 101. & 103. Nec oppoſitum defendi poteſt. 1019. n. 115.
Cognouit euidẽter myſterium Trinitatis quoad an eſt. 1032. n. 162.
Cognoſcit plura, quæ cognoſcit per ſcientiam beatam. 1034. n. 167. idque in proprio genere. 1007. n. 67.
Per eam ſemper eſt in actu ſecundo. 1034. n. 167. & 168. Modo in vno, modo in alio 1035. n. 170.
Habet plures actus huius ſciẽtiæ. 1035. n. 169 poteſt vno actu plura cognoſcere, & pluribus ſimul plura. 1036. n. 171. & 172.
An huius ſcientiæ habeat vnam ſpeciem, an plures? 1054. n. 15. 17. & 1055. n. 18.
An ſpecies huius ſcientiæ ſint vniuerſaliores, quàm ſpecies Angelorum. 1058. n. 33. 1059. n. 35.
Hæc ſcientia eſt in Chriſto per modum ſimplicis intelligentiæ: an poßit Chriſtus illa vti per modum diſcurſus? 997. n. 14.
¶ Scientia naturalis.
In Chriſto fuerunt ſcientiæ naturales, & acquiſitæ. 1038. n. 8.
Per eam cognouit omnia naturalia. 1038. n. 10. 1039. n. 11.
Per eam non cognoſcit ſubſtantias immateriales. 1039 n. 13.
¶ De lumine Chriſti.
In Chriſto præter lumen intellectus agentis datur lumen infuſum ad ſcientiam inditam 476 art. 3. §. 1.
An hoc lumen ſit naturale? an per ſe infuſum? dubium, opinio Bellomontani adducitur. 476. §. 2. Reijcitur. 477. n. 7. eſt enim per ſe infuſum. Ibidem.
An hoc lumen ſit vnum? Dubium. 479. Variæ ſententiæ. §. 3 Reſolutio. 480. n. 20.
Eſt ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam. 481. §. 4.
Diſtinguitnr à lumine gloriæ. 482. §. 5. nec D. Thomas docuit oppoſitum. 485. n. 49.
Diſtinguitur ab ſpeciebus inditis. 485. §. 6. n. 50.
An ſit qualitas diſtincta à ſciẽtia indita? Dubium. 485. n. 51. & 52.

Eſt

Eſt qualitas ſpiritualis ſupernaturaliter perſiciens animam Chriſti. 487. n. 60.
Varia munera huius luminis. 487. §. 7 per totum vide. n. 61. & 62.
¶ *Chriſtus habuit prudentiam monaſticam, politicam, regalem, & monarchicam ad totius mundi gubernationem. 1011. n. 81.*
In eo fuerunt dona Spiritus Sancti. 1072. n. 7. fuit in eo prophetia. 1074. n. 3. 1075. n. 7. in fine.
In Chriſto vnio hypoſtatica non impediuit raptum à ſenſibus per viſionem beatam, ſed raptus aliunde fuit impeditus. 1270. n. 12
Eſt exemplar noſtræ gloriæ. 929. n. 2.
¶ *Chriſtus in hac vita cum Eccleſia, & anima fideli ſolum contrahit ſponſalia; in patria vero matrimonium. 914. n. 5. & 9.*
Per incarnationem ſolum contraxit ſponſalia cum Eccleſia; matrimonium autem ſolum initiatiue. 914. n. 9. & 10.
An in Chriſto reperiantur dotes gloriæ animæ & corporis? Variæ ſententiæ. 931. art. 3. n. 2. 3. 4. Reſolutio. n. 4. 933. n. 10 & 11.
Chriſtus homo in ordine ad Eccleſiam habet rationem ſponſi. 932. n. 7.
Chriſti humanitas nec reſpectu verbi, nec diuinæ eſſentiæ habet rationē ſponſæ: & ideo dona eius non habēt rationem dotis. 932. n. 5
¶ *Chriſtus in Sacramento habet eandem exiſtentiam, quam habet in cœlo, aliter tamē modificatam. 1024. n. 135.*
Chriſti exiſtentia ſacramentalis formaliter nō eſt ipſa exiſtentia realis, qua Chriſtus ſimpliciter exiſtit: ſed eſt modus exiſtendi illius: non localiter, vt in cœlo; ſed ſacramētaliter, id eſt, indiuiſibiliter, & inextenſè. 1024. n. 135.
An iſte modus ſacramentalis ſit ſupernaturalis? 1025. n. 138.
Chriſtus exiſtens in ſacramento habet plures modalitates ſupernaturales. 1024. n. 136.
¶ *Cœlum & terra ſunt eiuſdem ordinis cum oculo corporeo ſecundum eſſe ſenſibile. 86. n. 51.*
Cœleſtia corpora cur in agendo ſunt ſuperiora, quibus inferiora ſubalternātur? 811. n. 62.
¶ *Cogitationes cordium an cognoſcantur? Vide Chriſtus. Angelus beatus. Vnde habeāt, quod ſint naturaliter occultæ? 1018. n. 109. 110. 111. 112.*
Cur dicātur à ſolo Deo cognoſci? 1019. n. 114.
¶ *Cognitio beatorum. Vide beatorū cognitio.*
Cognitio Dei, & diuinæ eſſentiæ. Vide diuinæ eſſentiæ cognitio: viſio beata.
Cognitio primorum principiorum. Vide prima principia.
Cognitionis euidentia. Vide euidentia.
Cognitio matutina, & veſpertina, vide beatus.
Cognitio creaturarum in Deo, Vide beatus, & viſio beata.
Cognitio experimentalis. Vide ſcientia experimentalis.
¶ *Cognitio naturalis, quæ ſit? 101. n. 9. Eſt duplex apud Scotum. 101. n. 11.*
Hæc fit vel ex cognitione cauſæ, vel ex cognitione effectus, vel per ſpeciem immediatè repræſentatiuam rei. 40. n. 69. late. 86. n. 3.
Cognitio naturalis noſtra incipit à ſenſu. 26. n. 22. Ratio huius à priori 27. n. 23. 24.
Cognitio eſt ſecundum modum cognoſcentis, & ſecundum naturam eius. Hoc non admittitur à Scoto. 73. 74. 75. defenditur tamen pro D. Thoma. 75. n. 15. 77. §. 4. 79. n. 28. 82. §. 5. vide 39. n. 67. aliàs cognitio non eſt naturalis; ſed ſupra naturam: in eiſdem locis.
Cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum non eſt naturalis animæ coniunctæ. 50. n. 97. per totum.
Cognitionem fieri à ſimili eſt axioma philoſophorum. 171. n. 9.
¶ *Cognitio ſingularium, an pertineat ad perfectionem intellectus, 1009. n. 79. cum ſequentibus.*
Cognitio intuitiua ſingularium non poteſt fieri ſine ſpecie. 1008. n. 76.
Poteſt fieri per ſcientiam infuſam. 1008. n. 77.
¶ *Cognitio quidditatiua, quid ſit? 21. n. 1.*
Eſt duplex comprehenſiua, & non comprehēſiua. 455 n. 33. In quo differant? Ibidem.
Cognitio quidditatiua, & comprehenſio non eſt idem 53 n. 2.
Cognitionem quidditatiuam materialium eſſe nobis poſſibilem: vnde proueniat? 51. n. 99 ad 5. 97. n. 34.
Cognitio aggregata ex prædicatis non quidditatiuis, licet ſit conuertibilis, non eſt quidditatiua. 21. n. 2.
¶ *Cognitio abſtractiua non poteſt eſſe prima. 103. col. 1. in principio.*
Poteſt tamen dari, quando præcedit cognitio intuitiua eiuſdem rei. 102. n. 15.
Hæc eſt duplex: immediata, & mediata. 106. art. 3. n. 1.
¶ *Cognitio intuitiua, an debeat admitti pro ſtatu vitæ. 56. n. 14. 202. n. 56.*

¶ *Cognitio rei per prædicata communia etiam quidditatiua ſolum eſt cognitio quia eſt.* 21 *n.* 2.

¶ *Cognitio Dei abſtractiua, & quidditatiua, vide intellectus creatus cognoſcitiuus Dei.*

Cognitio Dei abſtractiua an ſit poßibilis? Dubiũ. 158. *art.* 1. [illegible]*ra eſt affirmatio.* 159. *n.* 4

Cognitio Dei adæquata alia eſt quidditatiua, alia comprehenſiua. 115. *n.* 35.

Cognitio abſtractiua Dei clara, & quidditatiua eſt duplex. 101. *n.* 11.

Cognitio Dei quidditatiua, quæ ſolum ſit abſtractiua, dari poteſt. 10. *n.* 13. 160. *n.* 7.

Cognitio Dei abſtractiua poteſt eſſe duplex: mediata in aliquo obiecto cognito, vel immediata per aliquam ſpeciem. 107. *n.* 1. *Neutra haberi poteſt viribus naturæ.* Ibidem.

Illa ſi detur eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. 164. *n.* 11. & 12.

Dari non poteſt ſine ſupernaturali auxilio, etiam in intellectu affecto ſpecie repræſentatiua Dei. 163. *n* 9.

Requirit lumen ſupernaturale per ſe infuſum, 491. *n.* 3.

Cognitio diffinitiua Dei qualis eſſe debeat? 454. *n.* 31.

¶ *Cognitum non ſemper habet modum eſſendi minus nobilem, quam cognoſcens.* 347. *n.* 30.

Cognitum debet eſſe in cognoſcente. 79 *n.* 7.

Cognitum, quod in alio cognito quidditatiuè cognoſcitur, continetur in illo, vel formaliter, vel eminenter, vel participatiue participatione adæquata. 107. *n.* 3. *vide ibi quorundam opinionem.* 109. *n.* 8. & 9.

Cognitum eſt in cognoſcente non ſolum ſecundum ſuam ſpeciem, ſed ſecundum modum eſſendi cognoſcentis. 83. §. 7. *n.* 41.

¶ *Cognocens non ſemper habet nobiliorem eſſendi modum, quàm cognitum.* 347. *n.* 30

Cognoſcentis immaterialitas determinat obiectum naturaliter adæquatum intenſiuè. 81 *n.* 34. & 35.

Cognoſcens conſtituitur in eſſe cognoſcẽtis per aliquam participationem immatearilitates 76. *col.* 1. *ad finem.*

Cognoſcẽs, & cognoſcibile quatuor modis poſſunt diuerſificari. 75. *n.* 16. 76. *n.* 17.

¶ *Cognoſcendi modus in quo ſenſu ſequitur modum eſſendi cognoſcentis.* 114. *n.* 32.

Cognoſcitur ſimile à ſimili. 52. *n.* 101. 171. *n* 9.

Modus cognoſcendi naturalis ſequitur modũ naturalem eſſendi cognoſcentis. 86. *art.* 6. *n.* 1. & 2.

¶ *Cognoſcibilia ſumma à ſolo ſummo cognoſcente naturaliter cognoſcuntur.* 59. *n.* 27.

Cognoſcilibe, & cognoſcens quatuor modis poſſunt diuerſificari. 75. *n.* 16. 76. *n.* 17.

¶ *Cognoſcitiua potentia quomodo debet fieri ipſa res cognita?* 171. *n.* 9.

¶ *Calor quomodo actuatur per lumen.* 550. *n.* 19.

¶ *Compoſitum accidentarium ſupponit pro ſubiecto.* 263. *n.* 22.

Compoſitum ſubſtantiale eſt quid realiter diſtinctum à ſuis partibus. 264. *n.* 22.

¶ *Comprehenſio in patria eſt vera dos, & diſtincta à viſione.* 921. *n.* 13. 14. & 15.

Comprehenſio in patria non eſt ipſa viſio. 921. *n.* 15. 1118. *n.* 8. & 9.

Comprehenſio eſt actus voluntatis. 922. *n.* 16. *vide diſputationẽ.* 1117. §. 2. & 1118. *n.* 5.

Eſt actus voluntatis prout eſt appetitus concupiſcipilis. 1119. §. 4.

Comprehenſio in patria non eſt relatio, ſed operatio. 1119 *n.* 10. & 11.

An requiratur ad beatitudinem? 1120. *art.* 2. & 3.

Reſpondet ſpei in via. 1118. *n.* 7.

Comprehenſio obiecti beatifici quot modis ſumatur? 1117. *art.* 1. *n.* 1.

Comprehenſio diuinæ eſſentiæ ab intellectu creato. 1357. *q.* 13.

Comprehenſio rei in quo differat à cognitione quidditatiua illius 53. *n.* 2.

Ex comprehenſione naturæ humanæ, vel Angelicæ non cognoſcitur ordinabilitas eius ad ſupernaturalem beatitudinem: & quare. 1201. *n.* 35.

¶ *Conceptus confuſi repræſentans Deum non eſt quidditatiuus.* 98. *n.* 40.

¶ *Concilium viennenſe quid diffinierit de lumine gloriæ.* 507. *n.* 5.

¶ *Concomitantia includens ordinem ſimultatis excludit ordinem prioris, & poſterioris.* 765. *n.* 76.

¶ *Conſideratio, aduertentia, attentio idem ſũt.* 674. *n.* 55.

Conſideratio nimium intenta alicui obiecto impedit viſionem eius. 31. *n.* 37.

¶ *Continentia eminentialis alia eſt actiua, alia radicalis: prima dicit imperfectionem, non ſecunda.* 113. *n.* 27.

¶ *Corpus poteſt in ſe recipere formam incorpoream, etiam accidentariam.* 819. *n.* 93. 820. *n.* 94.

Corpus poteſt efficere effectum incorporeum

per

per aſſiſtentiam agentis incorporei. 820. n.95.

Vnum corpus poteſt replere plura loca ſupernaturalitate quoad modum. 746 n.99. 100.101.

Aptitudo corporis ad replendum locum non eſt intrinſecè determinata ad hunc locum, ſed omnia loca, ſi ſingulis, vel ſucceſſiuè, vel ſimul vniatur. vnde ad illos effectus non indiget ſupernaturali concurſu: ſed ſolum indiget ſupernaturali applicatione. 746.n. 101.

¶ Creatura non continet Deum in ſe participatione adæquata. 87.n 3.

Nulla creatura eſſentialiter habet ſemper durare: aliqua tamen id habet ab intrinſeco. 135.n.14.

Creatura licet habeat eandem connectionem cum diuina eſſentia quoad produci: non tamen quoad cognoſci. 1333.n.34.

In omni creatura reperitur ſimilitudo veſtigialis Dei. 114.n.32.

Entitas creaturæ licet ex ſua natura nō reſpiciat actus, & obiecta ſupernaturalia; ex ſe tamen non reſpuit poſſe ea ſupernaturaliter reſpicere. 739 n.71.

Creatura ſecundum eſſe participatum, quod habet ex vi creationis, non habet ſubiectionem poſitiuam ad Deum, vt authorem ſupernaturalem: ſed ſolum habet puram non, repugnantiam. 761.n.60.

Ccreatura conſiderata abſque omni realitate aut modo, aut negatione ſuperaddita ſolum habet ſubiectionem ad Deū fundamētalem: vnde vt ſic non eſt potens agere potentia obedientiali. 761.n.60.

In Creatura eſſentialiter non includitur ſubiectio formalis ad Deum, ſed ſola fundamētalis 769 n. 88.

Omnis creatura per ſe ſubſiſtens eſt habens in ſe potentiam naturalem ad naturalia, & obediētialem ad ſupernaturalia. 777.n 3.

Omnis creatura ex ſubiectione ad creatorem habet obedientiam paſſiuam ad recipiendū quidquid Deus voluerit; non tamen omnis ex illa ſubiectione habet obedientiam actiuam. vt agat, omne quod Deus voluerit. 791. n. 8.

Omnis creatura, ideo, quia creata eſt, habet non eſſe actum purum, & ideo habet admiſtā potentiā paſſiuam: non tamē omnis in de habet, quod ſit actiua. Ibidem.

Creaturæ eleuatio ad ſupernaturaliter agendum, vide obedientialis eleuatio.

Creaturæ an eodem amore amentur à beatis. quo Deus? 1094.art. 12.

Omnium creaturarum poſſibiliū cognitio cur requirat repræſentationem infinitam, non tamen cognitio diuinæ eſſentiæ. 457.n 45

Creatura intellectualis eſt imago Dei. 114. n.32.

D.

¶ Damnatorum pœna eſt inæqualis. 1303. n 4.1308 n.63.

¶ Delectabilis ratio formalis in bono ſenſitiuo realiter diſtinguitur à delectatione ſenſibili. 1109.col.1 in principio.

¶ Delectatio non eſt paſſio voluntatis ſed operatio. 923.n. 19. Nec oppoſitum docuit Ariſtoteles. 1103 n. 29.

An ſit operatio elicita à potentia appetitiua? variæ ſententiæ. 1096 art.2.1097 n.3. & 4. Reſolutio. 1099.§. 3. Solutio argumentorum. 1102.§ 4.

Non eſt, niſi à potentia appetitiua contra nōnullos. 1097.n.5.1098.n.6.

Duplex delectatio eſt admittenda. 1098.n.7. & 8.1099 n.9.

Eſt actus vitalis 1101.n.21.

Coniungit potentiam cum ſuo obiecto. 1101. n.22.

Per eā mereri poſſumus & demereri. 1101 n.25. vnde eſt actus moralis.

Delectatio conſequitur operationem. 1103. n.33.

An ſit propter operationem. an operatio propter illam? variæ ſententiæ. 1104.art. 3.§. 1. vera reſolutio §.2. Soluuntur argumēta. 1107 §.3.1108 n.24.

In quo ſenſu dicitur per ſe appetibilis. 1107. n.21.

Propter eam agere bruta in quo ſenſu ſit admittendum? 1108 n.25.

Delectatio an terminetur ad obiectum quod, & quo? 1116.n.8.

Ad delectationem vtrum amor concurrat, vt ratio formalis an vt conditio. Ibidem.

An ſit actus realiter diſtinctus ab amore ſiue dilectione? Variæ ſententiæ. 1109.art. 4.§.1. Affirmatiua vera. 1110.§.2.

¶ Delectatio in patria requiritur ad beatitudinem. 1111.art.1. Non vt eſſentia, ſed vt perfectio illius. 1112.art.2.

An ſit neceſſaria, vt quis ſit beatus? Dubium, quidam affirmant. 1112.art.3.§.1. Negandum eſt. §. 2. Soluuntur argumenta. 1113.§.3.

Delectatio patriæ an ſit operatio elicita à voluntate? 1113.*art*.4.

Eſt duplex: vna conſequens amorem amicitiæ: altera amorem concupiſcentiæ. 1114.*art*. 5. *Vna ab altera realiter diſtinguitur. n*.4. & 5.

Delectatio patriæ diſtinguitur ab amore, ſiue dilectione. 1115.*art*.6.

An immediatè terminetur ad Deum? opiniones variæ: diſtinctione opus eſt. 1115 *ar*.7.

An ſit actus neceſſarius? 1116.*art*.8.

An ſit principalior, quàm viſio? 1116, *art*.9. *num*.1.

An ſit actus nobilior, quàm amor? ibidē.n.2.

¶ *Deſiderium naturale, vide appetitus naturalis.*

¶ *Determinare, & ſpecificare, quomodo ſit idem?* 292.*n*.10.

¶ Deus.

Audito hoc nimine Deus, *an formemus vnum ſimplicem conceptum, an complexum?* 97 *n*.36.& 37.

Hoc nomen Deus *ex impoſitione viatoris non ſignificat diuinam eſſentiam eſſentialiter, & diſtinctè.* 58.*n*.20.& 21.98. *num*.38. & 39.

¶ *Audito hoc nomine* Deus, *in quo ſenſu formatur à nobis vnus conceptus terminatus ad diuinam eſſentiam, vt in ſe eſt.* 58.*n*. 20.56.*n*.15.

¶ *Deum poſſe facere ſe ipſo quæ facit, mediāte cauſa ſecunda; non omnes conueniunt. Quidam admittunt in ſola cauſa efficienti.* 607.*n*.119.608.*n*.122. *Alij nec in cauſa efficiente id admittunt, niſi in actibus abſolutis; ſecus in illis qui includunt ordinem, & reſpectum ad cauſam, à qua fluunt.* 607.*n*.117.

Deus an poſſit ſe ipſo ſupplere cauſam formalem, & materialem? De hac vide 401.*n*. 16.402.*n*.18.19.& 21.403.*n*.21. *Opinio Fonſecæ ponitur* 404.*num*.25.26.27. & 28.406.*n*.38.

Quod non poſſit ſupplere cauſam formalem intrinſecam, nec quoad informationem, nec quoad continentiam. 406.*n*.3. *Imò nec extrinſecam.* 410.§.5.

¶ *Deus vt eſt agens.*

Potentia Dei ad extra non eſt omnino indiſtincta à diuina eſſentia, cum ſit illius attributum. 765.*n*.78.

Potentia Dei ad extra non conuenit diuinæ eſſentiæ ſolùm concomitanter contra Suarium. 766.*n*.78.

Deus cur ſit primum agens in agendo? 811. *num*.62.

Deus, vt eſt author naturæ producit ea omnia, quæ non ſunt ordinis gratiæ, & gloriæ contra Scotum. 460.*n*.8.

Deus, vt author naturæ non operatur ea naturalia, quæ ſupernaturaliter operatur, ſed vt eſt author ſupernaturalis. 786.*n*.32. *Vnde ad ſupernaturalia quoad modum concurrit, vt author ſupernaturalis.* 816.*n*.82

Deus, vt eſt agens ſupernaturale, licet vti poſſit quacunque creatura actiua ad quemcunque ſupernaturalem effectum: non tamen ad quemcunque ea vti poteſt per quācunque virtutem illius eleuatiuam, vide latè. 810.*n*.56.& 57.

Deus licet ad omnes ſupernaturales effectus concurrat per vnam, & eandem virtutem actiuam, non tamen ad omnes concurrit per omnem illius virtutis rationem eminentialem; ſed ad ſingulos per ſingulas eminentiales rationes. 810.*n*.57.

Virtus actiua Dei, qua vt agens principale cōcurrit ad effecta, ſub vna, & eadem ratione, non eſt proportionata cuicūque effectui, ſed certo & determinato. Ibidem.

Deus ad ſimpliciter agendum aliquem effectū, aut ad illum agendum modo ſibi connaturali non indiget aliquo inſtrumento: ſed quēcunque poteſt facere ſe ipſo. 818.*n*.90.

Deus non poteſt vti quacunque creatura, vt inſtrumento ad quemcunque actum. 890. *num*.80.

¶ *Deus licet in ſua entitate ſit ſimpliciſſimus, & indiuiſibilis; quodmodum tamen entitatis & perfectionis eſt virtualiter diſtinguibilis, & diuiſibilis.* 1325.*n*.26.

Dei entitas in nullo effectu poteſt contineri participatione adæquata. 107.*n*.3.

Deo non omnia conueniunt ſecundum totam, & adæquatam ſuæ entitatis rationem; ſed ſecundum rationes inadæquatas: & cur? 1325.*n*.26.

Deus licet realiter, & actualiter non habeat aliquid, & aliquid: benè tamen virtute, & eminenter. Ibidem. n.28.

¶ *Perfectiones Dei tàm formales, quàm eminentiales ſunt participabiles modis infinitis.* 1327.*n*.6.

Perfectiones Dei, vnde habeant, quod vna ſit notior, quàm alia? 1334.*n*.35.

Perfectiones, quæ ſunt eminenter in Deo, eò quoad cognoſci ſunt difficiliores, quò perfectiores: & ratio huius. 1335.*n*.41.

¶ Dei cognitio.

Deus quomodo, & in quo ſenſu primo cognoſcatur ab omni intellectu. 67.n.36.

Deus non eſt primo cognitum vt quod, ſed vt quo: & quomodo explicetur Auguſtinus. 58.n.22.99.n.41.

Deus cur, & in quo ſenſu ſit obiectum improportionatum intellectui creato? 66.n.32. 67.n. 39.

Deus in quo ſenſu dicatur inuiſibilis? 1142. n.33.

Deum eſſe naturaliter inuiſibilem ab intellectu creato, demonſtratur ex perfectione ſui eſſe, & ſui modi eſſēdi. 70.n.13. Vide plures demonſtrationes. 71.art.3.72.art.4 & 5

Deum eſſe inuiſibilem, & incomprehenſibilē, non idem eſt. 1142.n.33.

Quod Deus non poſſit naturaliter cognoſci, quæ ſit cauſa à priori? 522.n.30.

Deus cum cognoſcitur ab intellectu creato, cognōſcitur ſecūdum modū eſſendi, ipſius intellectus, & quomodo id intelligatur? 84.n.44

Deus ſecundum ſuam puram immaterialitatē excedit modum eſſendi intellectus creati in ſe, non tamen eleuati. 85.n. 50.

Deus in ſe ipſo non poteſt naturaliter cognoſci ex effectis. 86.n.3.114. n. 32.

Nec in ſe ipſo poteſt cognoſci per ſpeciem naturalem intellectus. 87.n. 4. & 5.

Deus nullo modo poteſt videri oculo corporeo. 141.n.45.

Dei diſtinctam cognitionem naturaliter dari, multipliciter poteſt intelligi. 453.n. 27.

Deus in hac vita non poteſt naturaliter videri. 5.n.6. An id poſſit naturaliter demonſtrari? 53.§.5.

Deum poſſe per vires naturæ videri eſt error. Begardorum, & Beguinarum. 3.n.1. Damnatio. 5.§.2. Solutio argumentorum. 6.n. 13. & 14. Impugnatur ex Scriptura. 7. art. 2. à patribus. 15. art. 3. Contra eū demōſtrationes. 53. art. 5. Eſt error in fide. 62.n.12

Deus licet ſit maxime intelligibilis: non tamē naturaliter percipitur. 67.n. 39.

Potius cognoſcitur quoad ea, quæ non eſt; quā quoad ea, quæ eſt. 92.n. 9.

Non poteſt à nobis quidditatiuè cognoſci, aut per cauſam, per effectum, aut per ſpeciem naturalem. 86.n.3.87.n.4.5. Nec in aliquo obiecto cognito. 107.n.3.

Non poteſt ab intellectu cōiuncto naturaliter cognoſci in via quidditatiue, abſtractiue. 92.n.8.94.n.14.

Nec ab intellectu ſeparato ita cognoſci poteſt in aliquo obiecto cognito. 107.n.3.

Deum naturaliter poſſe cognoſci abſtractiue quomodo affirmauerit Scotus? 162.n.6.

¶ Cognitio Dei abſtractiua quando dicatur, naturalis? 90.n. 2.

Cognitio quidditatiua dei, quæ ſolū ſit abſtractiua, & nō intuitiua dari poteſt. 53.n.3.90.n.1

Cognitio Dei abſtractiua c[illegible], & quidditatiua eſt duplex. 101.n.10.

Hæc cognitio an ſit beatifica? 102.n. 14.

Ad cognitionē quidditatiuā, & abſtractiuā diuinæ eſſētiæ an abſolute neceſſarius ſit aliquis concurſus ſupernaturalis? 161. art.2. An cōcurſus iſte debeat eſſe ſupernaturalis quoad modū, an vero quoad ſubſtantiā? diſp. 162.n.5.&6. Affirmatio placet. 163.n.9.

Ad cognitionem Dei tam intuitiuam, quā abſtractiuam neceſſarius eſt ſupernaturalis cōcurſus præter ſpeciem ſupernaturalem, & ſupernaturale lumen. 165.q.6.

Deus non videtur quidditatiue in viſione beata viſa in ſe. 109.n.10.110.n.13 & 14.

¶ Cognitio Dei intuitiua neceſſario eſt quidditatiua. 53 n. 3.

Cognitio Dei intuitiua. vide viſio beata.

¶ Deus abſtractione præciſiua concipi poteſt non repræſentatis exiſtentia actuali, & locali præſentia: ſecus abſtractione negatiua. 161.n.9.

Dei præſentia formaliter non eſt de illius eſſentia. 160.n.7.

Deus licet per ſuam eſſentiam in genere rei ſemper vbique ſit præſens; non tamen in genere intelligibili. 161.n.9.384.n.1.

Deus poteſt de nouo fieri præſens præſentia obiectiua, & intelligibili ſine ſui mutatione. 144.n.6.

Deus non poteſt repræſentari, vt localiter abſens, aut non exiſtens, vel in aliqua ſpecie abſtractiue repræſentante, vel in aliqua notitia abſtractiua. 161.n.9.

Deus nullius creaturæ efficientia poteſt fieri præſens intellectui, bene tamen formaliter. 322.n.27.

Deus apud Scotiſtas fit præſens intellectui ſua voluntate. 144.n. 6.

Deus per ſpeciem poteſt repræſentari modo finito. 348.§.4.

¶ Deus, vt videatur ab intellectu creato, vniri debet obiectiue cum intellectu: idque ſupernaturali concurſu. 124.n. 5.

Vt videatur ab intellectu, ex parte ipſius intellectus requiritur eleuatio ordinis ſupernaturalis. 132.n.14. Idque etiam ſi concurrat ſolum paſsiue. 151.n.5.

Deus eo modo, quo videtur à beatis, non excedit naturam intellectus beati. 86.n. 54.

Deus totus videtur vt res eſt, non tamen prout eminenter eſt alia. 1325.n. 28.

Quæ formaliter ſunt in Deo non poſſunt non videri ex vi viſionis. 1334.n. [illegible]

Quæ vero ſunt [illegible] eo eminenter, non ex eo præciſè terminant viſionem, quia eſt intuitiua ſed quia penetratur, vt eſt immitabilis hoc, vel illo modo. Ibidem.

Quæ formaliter ſunt in Deo ex ſua natura ſunt magis cognoſcibilia ex vi viſionis, quã quæ in eo ſunt eminenter. 1334.n.36.

Quæ vero ſunt eminenter eo minus ſunt manifeſta, quò ſunt perfectiora: & cur. 1334. n.38. Vnde eo ſunt difficiliora quoad cognoſci, quo ſunt perfectiora, & ratio huius. 1335.n. 41.

In Deo cognoſci creaturas dupliciter poteſt intelligi: formaliter, & cauſaliter. 962.n. 2.

Deus, cur videri poteſt ſine perſonis: non tamen ſine eſſentia? Ibidem. 37.

¶ Deus an poßit inferre neceßitatem intellectui in ijs, quæ nõ ſunt euidentia? 1084.n.8.

An Deus poßit mouere voluntatem ad actum ſupernaturalem dilectionis ſine habitu charitatis? 609.n. 124.

Deus licet eſſentialiter ſit lux: non tamen ſine lumine creato poteſt ſuam eſſentiam præſentare intellectui. 612.n.143.

Dei ſimilitudo eſt duplex apud D. Thomam, vna ſe tenens ex parte potentiæ, & altera, ex parte obiecti: & quid per vtranque intelligatur? 637.n. 48.

¶ Dei voluntas ſemper concurrit ad effectus ad extra, vel formaliter, vel antecedenter. 456.n. 39.

Deus poteſt recipere mutationem per denominationem extrinſecam. 144.n.7.

¶ Dilectio, qua beati diligunt Deum, non habet rationem dotis. 923.n.22. & 23.

Dilectio patriæ ex ſua natura non tollit imperfectionem charitatis viæ. 924.n.25.

Dilectio Dei, vide amor Dei.

¶ Omnis diſpoſitio ad formam, licet ſit ratio recipiendi eam, non tamen omnis eſt receptiua illius. 157.n.32.

Diſpoſitio, qua potentia proportionatur actui, eſt eiuſdem ordinis cum eo; & in quo ſenſu. 555.n.19 & 20.

Diſpoſitio per ſe, & primo requiſita ad recipiendum vnum actum, quando erit diſpoſitio ſecũdaria ad recipiendũ aliũ 559.35.

Diſpoſitio vltima, licet actiuè ſit à forma, ad quam diſponit; non tamen omnis diſpoſitio actiua eſt à forma. 566.n. 82.

Diſpoſitio vltima non eſt actiue à quacunque forma, ad quam diſponit, ſed ſolum ad ea, ad quam immediate diſponit. 567.n. 83.

Diſpoſitio vltima non habet actiue eſſe à forma ſubſtantiali, ideo, quia eſt vltima, ſed ex eo quod corruptio ſit, vſque ad materiam primam. 567.n. 85.

Diſpoſitio vltima fit à forma ſubſtantiali, non media actione, ſed per naturalem reſultantiam. Ibidem.

Diſpoſitio pura, quæ non eſt ſuſceptiua formæ, non neceſſario ſecum trahit formam ad quã diſponit. 568.n.88.

Hæc pura diſpoſitio non ſolum datur in formis ſubſtantialibus, ſed etiam in accidentarijs. 569.n.94.

Diſpoſitio ſuſceptiua formæ, an neceſſario trahat ſecum formam? 568. n. 89.

Diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales non recipiuntur in materia, mediante forma. 572.n. 111.

Diſpoſitiones ad formã accidẽtariã nõ neceſſariò recipiũtur in ipſa forma accidẽtaria. Ibid.

¶ Diſtinctio rationis ratiocinatæ, quamuis habeat fundamentum in re: actu tamen non datur ſine intellectu: & cur? 778.n. 6.

¶ Dæmones omnes, etiam qui ſunt in hoc caliginoſo aere, iam puniuntur pæna ignis. Et quomodo hæc pæna poſt iudicium conſummabitur. 1265.n. 23.

Dari qualitatem expulſiuam dæmonis non repugnat. 821.n. 97.

¶ Dos ſumitur duobus modis. 911.n.11.

Dotis nomen eſt connotatiuum. 911.n. 12.

Dotis diffinitio apud Iuriſtas. 909.§1.

Vera diffinitio. 911.§.3.

Dos poteſt diffiniri, aut per ſignificatum materiale, aut per formale: vnde bona eſt diffinitio dotis tam Bartoli, quam Azonis. 911.n.14. Azonis tamen eſt magis accommodata noſtro inſtituto. 912.n. 17.

Dos formaliter ſumpta diſtinguitur à rebus dotalibus. 911.n. 13.

Dos non conſiſtit ſine matrimonio. 912.n.18.

Dotem dari ad ſuſtinenda onera matrimonij quomodo debet intelligi. 917.n. 14.

Hoc non eſt de ſubſtantia dotis pro D. Thoma contra Iuriſtas. 917.n. 16.

Dos quoad proprietatẽ rerum dotaliũ donatur ſponſæ: quoad vſum vero ſponſo. 918.n.18

De ratione dotis non eſt, quod detur à patre ſpõſæ, ſed poteſt dari à quolibet. 918.n.19.

¶ Dos

¶ Dotes gloriæ.
Dotis perfectio an requiratur ad beatitudinem patriæ? 909.q. 2.
Ornamenta gloriæ per analogiam ad dotẽ matrimonij carnalis habẽt rationẽ dotis. 909.n 1.
Dotis nomen per quandam analogiam à matrimonio carnali accommodatur matrimonio ſpirituali, quod contrahitur in gloria inter animam, & Deum, atque Chriſtum. 917.n.13.
Dotes gloriæ an ſint admittendæ in patria ſub vera ratione dotis? diſp. 915. art. 4. pars negans §.1. Affirmans vera. 916.§.2. Soluuntur argumenta. 917.§.3. Hoc ita eſt certũ, vt oppoſitũ ſit temerariũ. 917.n. 12
Dotis ratio. cur non reperiatur in via, ſed ſolum in patria. 913.n.2.3.& 4.
Dos gloriæ eſt duplex, vna animæ: altera corporis. 913.art.3.n.1.
Diffinitio dotis gloriæ in communi, quæ ſit? 913.n.8.
Ad veram rationem dotis gloriæ, quæ conditiones requirantur? 912.art.2.n.23. & 4. 913.n.5.6. & 7.
Dotes animæ ſunt tres. 913.art.3.n.1.919. §.1. à numero 2. cum ſequentibus.
Dotes in patria dantur ad ſuſtinenda onera matrimonij ſpiritualis; in quo ſẽſu? 918.n.17.
Dotes gloriæ quoad proprietatem ſunt beatorum, quoad vſum vero ſunt Dei: & in quo ſenſu? 918.n.18.
Dotes animæ in patria, quæ ſint? 920.§. 2.
Dantur à tota Trinitate; à patre diuino dantur per appropriationem. 918.n.19.
Dotis rationem in patria quæ nam habere non poſſunt. 923.n.22 924.n.26. & 28.
Dotes animæ in patria an ſint habitus, an vero actus? diſput 925.art.6. Sunt actus. 926. §.2. Soluuntur argumenta 927 §. 3.
Dotes gloriæ quomodo diſtinguantur à beatitudine? diſp. 927.art.7. Quædã diſtingũtur realiter; quædã ſola ratione. 928n.5.& 7.
Inter ſe quomodo diſtinguantur? 928.art.8.
Dotes gloriæ dãtur in anima beata. 929.ar.1
An dentur in Angelis? 929 art. 2.
An in Chriſto? vide Chriſtus.
¶ Durandus non ſenſit intellectum naturaliter poſſe Deum videre. 61.n. 3.
Quæ nam ſit illius ſententia de neceſſitate ſupernaturalis eleuationis ad vidẽdum Deũ? 129. n.2.
Illius opinio circa lumen gloriæ an ſit damnata? 509.n.13.510.n. 18.

E.

¶ Inter Eccleſiam, & Chriſtum in via ſolum dantur ſponſalia, in patria datur matrimonium. 914.n.5.
¶ Ecſtaſis vnde cauſetur? 1271.n. 13. prouenit ex imperfectione animæ. Ibidem.
Ecſtaſis perfecta abſque dubio dari poteſt per diuinam potentiam, & oppoſitum eſt erroneum. 1270.n. 10.
Ecſtaſis perfecta impedit functiones ſenſuum externorum, & internorum; non tamen imperfecta. 31.n.37. 34.n.48.
¶ Nullus effectus poteſt totaliter, & adæquatè participare diuinã eſſentiam. 115.n. 36
Effectus quando ſit nobilior cauſa æquiuoca? 216.n.63.239.n.19.
Effectus formalis eſt duplex, intrinſecus, & extrinſecus. 402. n. 18.
Effectus formalis intrinſecus realiter eſt ſua cauſa formalis, non abſolute, ſed vt communicata. 403.n.20.405.n.30.& 31. Extrinſecus vero realiter eſt diſtinctus. Ibid.
Effectus non poteſt actiue produci à cauſa, niſi mediante actione, vel prædicamentali, vel non prædicamentali. 673.n. 53.
Effectus productus formaliter vel eminenter continetur in virtute actiua ſuæ cauſæ tum in entitate, tum in rationibus formalibus: & ideo, in vtroque habet correſpõdentiã ad ſuam cauſam. 735.n.56.882.n.41.
Effectus ſolum aſſimilatur cauſæ principali, non vero inſtrumentali. 735.n.57.
Effectus ſupernaturalitas non præciſe pendet ex naturalitate inchoata, & remota virtutis naturalis, ſed ex completa, & proxima. 869.n.57. & 58.
Effectus Dei eſt in duplici differentia. 114.n. 30. & 32.
Effectus formalis intrinſecus non poteſt ſuppleri à Deo. 402. n. 19.
¶ Eminentia cõtinẽs rẽ eſt duplex. 113.n.27.
¶ Ens, vt ens eſt, eſt adæquatum obiectum noſtri intellectus, non intenſiue, ſed extenſiuè. 140.n.40.
Ens reale dupliciter ſumitur: vt diſtinguitur ab ente rationis, & vt diſtinguitur ab ente intentionali, ſiue repræſentatiuo. 413.n. 59.
Ens intentionale, & repræſentatiuum quomodo diſtinguatur ab ente reali? Ibidem.
Ens non exiſtens, & ens fictitium poſſunt habere realem influentiam obiectiuam in genere intelligibili. 256.n.19.& 20.
Ens aliquo modo produci poſſe à ſolo Deo, non pendet ex perfectione, vel imperfectione, illius. ſed ex eius natura. 661.n.29.662 n. 33.

Ens aliquod eſſe ſimpliciter naturale, & ſupernaturale repugnat: poteſt tamen eſſe aliquo modo vtrunque. 739.n.72.

Entia realiter eadem poſſunt eſſe diſtincta ex natura rei, & formaliter. 752.n.17.

Ens creatum magis eſt in potentia ſimpliciter ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, quã materia prima ſit ad formas naturales. 850.n.35.

Ens creatum, vide creatura.

¶ Entitas duobus modis poteſt dici naturalis: vno modo, quia eſt ordinis inferioris: altero modo: quia in illo ordine eſt natura. 774 n.15. vide naturale.

Entitas naturalis ad effectus ſupernaturales poteſt eſſe proportionata, vel inchoate, & remote, vel cõpletè, & proximè: & quando habeat vnam, & alteram proportionem? 739.n.72.

Vna, & eadem entitas creata, vt eſt principium obedientiale ad agendum, poteſt ex natura rei diſtingui à ſe ipſa, vt eſt principiũ eſſendi tale ens. 752.n.17.

Entitas creata poteſt duobus modis conſiderari: vno modo, vt eſt entitas ordinis naturalis: altero modo, vt eſt ſubiecta imperio ſupernaturali Dei, & ab eo ordinata ad effectus ſupernaturales. 762.n.63.

Vna & eadem entitas per eundem naturæ gradum poteſt ab vno differre, & conuenire cum alio: prout aliter, & aliter concipitur. 1206.n.19.

¶ Error intellectus an procedat ex errore in ſenſu? 1078.n.4.1079.n.8.

¶ Eſſe diuinum diſtingui debet in duos modos eſſendi, & in duos eßendi gradus; & ſecundum quem illorum excedit modum eſſendi intellectus creati. 85.n.51.

Duplex eſſendi genus eſt admittendum: vnum reale: alterũ intelligibile, & intentionale. 185.n.64 65.66.247.n.35 397.n.2.& 3.

Eſſe intelligibile, vt diſtinguitur contra eſſe reale, quomodo ſit explicandum? 187 n.68.

Eſſe reale poteſt dupliciter ſumi; vno modo: prout diſtinguitur ab eſſe rationis, altero modo prout diſtinguitur ab eſſe alicuius rei repræſentatiuo. 187.n.69.

Eſſe formale intrinſecum prærequirit actualem informationem eius, cui tribuitur. 403.n.21.& 22.

¶ Eſſentiæ rerum in hoc ſenſu ſunt impermixtæ quia vna non poteſt ſupplere effectum formalem alterius: vnde albedo nec per diuinam potentiam poteſt formaliter facere calidum. 603 n. 103. Quod verũ eſt, etiã in formis alterius ordinis. n. 104.

Eſſentia diuina conſiderari poteſt, vel ſecundu ſuam entitatẽ: vel ſecundum modũ ſuæ entitatis id eſt, ſecundã perfectionẽ & actuationem: primo modo eſt quid ſimpliciſsimũ: ſecundo vero admittit diſtinctionẽ rationũ intelligibilium. 1323.§.3.n.20.

Vnde actu eſt vna: virtualiter tamen plures? 1324.n.21.

In diuina eſſentia dantur infiniti gradus eſſendi perfectiores & minus perfecti. 1335.n.39

Eſſentia diuina an eſſentialiter includat præſentiam in omni loco. 448 n.8.

Eſſentia diuina, ideo quia eminenter eſt omne eſſe, poteſt efficienter dare omne eſſe, non tamen formaliter. 418.n.75.

Vt eſſentia diuina applicetur à diuina voluntate, non neceſſe eſt, vt ipſa eminenter cõtineatur in ſua voluntate. 351.n.46.

Eſſentia diuina duobus modis participatur, & diſcrimen inter vtrumque. 115.n.35.

¶ Eſſentia diuina, vt in ſe eſt, poteſt diſtinctè ſignificari; non tamen concipi, vt quidam volunt. 97.n.37.

Eſſentia diuina poteſt videri in ſe ipſa, & de facto videtur in patria, vide viſio beata.

Non poteſt naturaliter vniri cum intellectu creato etiam ſeparato quoad prædicata propria. 71.art 3.n.2 103.n.16.

Inter eſſentiam diuinam, & intellectum non datur naturalis proportio, ſed ſupernaturalis. 126 n.9 522.n.30.

Cum diuino tamen intellectu habet connaturalitatem obiectiuam. 126.n.11.

Diuinæ eſſentiæ indiſtantia ab intellectu non ſatis eſt, vt obiectiuè vniatur illi. 127.n.14

¶ Eſſentia diuina in illo priori, in quo noſtro intelligendi modo antecedit voluntatem eſt obiectum in ſe intelligibile, potens intelligibiliter communicari: naturaliter quidem intellectui diuino: creato autem ſolum voluntarie: vide rationem diſcriminis. 351.n.47.

Licet citra omnem actum intellectus, & voluntatis ſit in ſe intelligibilis, non tamen citra actum viriuſque eſt applicabilis intellectui creato. Nec huic doctrinæ repugnat D.Thomas. 352.n.48.& 49.

Diuina eſſentia per nullum obiectum creatum cognitum poteſt repræſentari. 358.n.18.

Licet in genere rei ſit altioris ordinis in eſſendo, quam intellectus creatus: non tamen in genere intelligibilium. 359.n.20.

Non

Non eſt vbique præſens præſentia obiectiua, & intelligibili, & ratio huius. 384.n.1.
Eſſentia diuina aſſimilat ſibi intellectum beati. Et varij modi excogitantur; quomodo id fiat? 399.n.9.&10. Cum ſequentibus.
¶ Ad eſſentiæ diuinæ viſionem an neceſſaria ſit aliqua ſpecies, vel formalis, vel æquiualens formali? diſp. 306. art. vnico.
Affirmatiua vera §.2. etiam in ordine ad diuinam potentiam. 307.§. 3.
An videri poßit per ſpeciem impreſſam illius creatam? diſp.307.q.2. Negatio ponitur cum argumentis. 308.§.1.309.§.2. Sed affirmatio vera.316.ar.2.317.§.1. Expẽpenditur quædam ratio, ſed non recipitur. 317.n.3. & 4. ponitur communis probatio, & latißimè defenditur. 318.§.2.
Quid ſenſerit D. Thomas de poßibilitate ſpeciei creatæ diuinæ eſſentiæ? diſp. & oſtenditur D.Thomam ſenſiſſe eam eſſe impoßibilem. 360. art.8. vbi ſoluuntur argumẽta.
Quid de hac poßibilitate ſẽſerit Scot⁹.367.§.4
Speciem impreſſam, & creatam diuinæ eſſentiæ ex eo quidam putant eſſe poßibilẽ, quia ſolum dicitur repræſentare illam, quia efficit viſionem eius. 320.n.17. Non recipitur.322.n.25.& 26.
An eius poßibilitas benè inferatur, ex poßibilitate ſpeciei expreſſæ? vide ſpecies expreſſa.
Species illa creata teneret ſe ex parte intellectus beati. 322.n. 26.
An omnis ſpecies impreſſa creata ſit inferioris ordinis in repræſentando reſpectu diuinæ eſſentiæ? diſp 328.§.2. In quo ſenſu dici poſſet eiuſdem ordinis? 332.n.22.&23
Vt aliqua ſpecies ſit diuinæ eſſentiæ eam diſtinctè repræſentans, nõn eſt neceſſe, vt illa ſit ſuum eſſe. 333.§.1.336.n. 13.
Species diuinæ eſſentiæ nõ neceſſario debet eſſe infinita non repræſentando. 340.art. 6. vide. 321.n 22.325.n.27.
Eſſentiam diuinam per aliquam ſpeciem, & ſimilitudinem finite repræſentari non repunat. 340.n.3.& 4. 349.§.5.
Species diuinæ eſſentiæ vnde limitaretur in repræſentando? 349 n 38.
Species creata diuinæ eſſentiæ an ab ipſa eſſentia produceretur naturaliter an vero libere? diſp 350.n.41.42.& 351.n.46.
Ad talem ſpeciem diuina eſſentia non concurreret, vt agens quod: ſed Deus vt ſubſiſtens in ea. 350.n.42.
Ad hanc ſpeciem concurreret Deus generali cõcurſu, vt eſt cauſa efficiens: cõcurreret etiã vt obiectum, quod deberet videri. 350.n.43.
Ad eam non concurreret eſſentia diuina, vt noſtro modo intelligendi eſt prior intellectu & voluntate. 351.n. 44.
Species creata diuinæ eſſentiæ nõ repræſẽtaret eã ex inſtituto ſed naturaliter. 351.n.45.
Eſſet enim formalis ſimilitudo Dei impreſſa. 357.n.15.
Hæc ſpecies eſſet viſibilis in ſe ipſa: non tamen naturaliter, etiam ab Angelo, ſed ſupernaturaliter. 357.n. 12. & 14.
In ea in ſe viſa non videretur Deus. 357.n. 16.358.n. 17.
¶ Species impreſſa diuinæ eſſentiæ creata an defacto detur in beatis? diſp.368. art. 1.
Negatiua eſt probabilis. ponuntur argumenta illius.369.art.2. affirmatiua eſt probabilior.371.art.3. prima ratio partis affirmantis late expenditur. 375 art.4. vide §. 1.2.3.& 4. eodem art. 4. Alia ratio ſatis optima. 382.art.6.
Iſta ſpecies, & diuina eſſentia non concurrerent ad viſionem, vt duæ cauſæ abſtractiuæ totales. 360.n. 21.
¶ Eſſentiam diuinam per aliquam ſpeciẽ creatam repræſentari ſolum abſtractiuè an implicet? diſp.446 q.5.art.1. Negatio vera. 447.§.2. Soluuntur argumenta. 448.§ 3.
Species abſtractiua diuinæ eſſentiæ an eſſet ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. 458.art.3.§.1.549.§.2.
An hæc ſpecies poſſet actiue influere in viſionem? 461.n. 10.
Ad vſum huius ſpeciei requireretur lumen ſupernaturale. 461. n. 12.
An hæc fuerit conceſſa Angelis, & Adamo? 461.art. 4.
¶ Species expreſſa diuinæ eſſentiæ, ſiue verbum an detur? quidam negant. 318. §.3. Eſt tamen admittenda. 319.n.9.
An ex illius poßibilitate bene inferatur poſſibilitas ſpeciei impreſſæ? 320.§.4.n. 16.
Inter ſpeciem expreſſam, diuinæ eſſentiæ, & impreſſam plura dantur diſcrimina. 320. n 17.
Cur ſpecies expreſſa poßit repræſentare diuinam eſſentiam, non vero impreſſa, apud Sylueſtrũ & Ferrarienſẽ? 320.n. 18.19.&20
Cur ſpecies expreſſa poteſt inadæquatè repræſentare diuinam eſſentiã, impreſſa vero non niſi adæquate? 321.n.22.325.n.27.
Species expreſſa diuinæ eſſentiæ vnde habeat infinitatem in repræſentando? 321.n 23. 325 n.28.

¶ Eſſentia diuina an poßit ſe habere ad inſtar ſpeciei intelligibilis in ordine ad intellectũ creatum? diſp. 385. art. 1. Opinio affirmans. §. 1. Fauent D. Thomas, & Scotus, 386. §. 2. & 389. §. 3. argumenta huius partis §. 4. Negatiua eſt vera. 391 §. 5. 392. §. 6. & ibi [illegible] ſoluuntur argum[illegible] oppoſita. 394. §. 7. vide 982. n. 52. 53. 54. Quod ſe ipſa non poßit ſupplere vicem ſpeciei. 604. n. 105.

An poßit ad inſtar ſpeciei aßimilare ſibi intellectum beati, vt ille intelligibiliter ſit Deus? diſp. 397 art. 2. Opinio affirmans. 398. §. 2. vbi vide fundamenta.

Negatiua probabilior. 401. §. 3. cum pluribus ſequentibus.

An ſi hoc munus non exercet, poßit exercere aliud ſpeciei munus? diſp 421. art 3. quidam affirmant. § 1. vera opinio negat. 422 §. 2. Soluuntur argumenta. 423. §. 3.

An poßit ad inſtar ſpeciei conſtituere intellectum beati in actu primo? diſp. 424. art. 4. Quidam affirmant. 425. §. 1. Negatiua vera. 426. § . 2.

An poßit ad inſtar ſpeciei concurrerere ad vnionem ſui cum intellectu in ratione termini? 426 n. 12.

An poßit ad inſtar ſpeciei ſe ipſam obiectiue vnire intellectui? Quidam affirmant. 429. art. 5. §. 1. vera eſt negatiua. 430. §. 3.

Hæc vnio à varijs varie explicatur. 429. §. 2. vera explicatio. 430 § 3.

Non poteſt ad inſtar ſpeciei ſe vnire cum intellectu vnione formali ad modũ formæ illũ perficiens. 431. n. 11. Nec vnione obiectiua. n. 13.

An poßit ſe obiectiue vnire ad inſtar ſpeciei impræſſæ? 432 n. 15 & 16.

An poßit ſeſe obiectiue vnire ad inſtar ſpeciei, aut motiue, aut ſolũ terminatiue. 432. n. 17. & 18.

An ad inſtar ſpeciei poßit ſe intellectui præſentare? diſp 433. varia placita. §. 1. & 2 & 434. n. 4. vera ſententia. §. 3. n. 9.

An id poßit ſublata omni ſpecie creata. 435. § 4.

An poßit ad inſtar ſpeciei determinare intellectum ad talem actum? diſp. vera reſolutio 436. art. 7. n. 3.

An poßit ad inſtar ſpeciei complere virtutem intellectus? 437 art. 8.

An ad inſtar ſpeciei actiue influat in viſionẽ? varia placita. 438 §. 2. 439. §. 3. Quid ſenſerit D. Thomas. 441. §. 4. vera reſolutio. 443. §. 5. Soluuntur argumenta. 444. §. 6. & 445. §. 7.

An ad inſtar ſpeciei ſe vniat, vt [illegible] viſionis? 445. art. 10.

An ſi ſubiret vicem ſpeciei, id faceret modo connaturali an miraculoſo? 445. art. 11.

Cur non poßit eſſe ſpecies ſui? 384. n. 4.

¶ Eſſentia diuina poteſt habere aliquam cauſalitatem obiectiuam efficientem. 404. n. 23.

Diuinæ eſſentiæ an repugnet eſſe cauſam formalem in genere intelligibili? diſp. 412. §. 6. n. 52. Negatiua placet. 412. n. 55. reiectis quibuſdam confirmationibus. n. 55. 56. & 57. vera probatio. n. 58.

Eſſentia diuina nullius rei, etiam ſpiritualis, poteſt eſſe forma ex D. Thoma. 412. n. 57.

Nulla ratio diſcriminis dari poteſt, cur Deus in genere rei non poßit eſſe cauſa formalis, poßit tamen in genere intelligibili. 412. n. 58. 413. n. 59.

Vt eſſentia diuina poßit conſtituere intellectũ intelligibiliter in eſſe Dei nõ ſatis eſt, quod illi aßiſtat obiectiue, & extrinſece. 414. §. 7.

Eſſentiam diuinam, vt formam actuantem, & perficientem intellectum, & vt formam, quæ intellectui eſt principium intelligendi, philoſophatur D. Thomas. 414. n. 62. & 63.

Eſſentia diuina non poteſt vniri intellectui, vt forma intrinſece actuans, quin illum informet latè. 416. n. 68. & 70.

Eßentiæ diuinæ vnio cum intellectu per modum formæ intelligibilis neceſſario exercet formalem cauſalitatem in ipſum intellectũ: quam tamen non exercet vnio hypoſtatica in naturam aſſumptam. 417 n 74.

Eſſentia diuina actuando intellectum an faciat illum eſſe Deum communicando ei ſuũ eſſe increatum? quidam affirmant. 417. n. 71. Impugnantur. n. 72.

An diuina eſſentia faciens intellectum eße Deum in eſſe intelligibili det illi aliquod eſſe creatum? Affirmant plures. 418. n. 77. variè impugnantur ab alijs. n. 77. 78. & 79. & 419. n. 80. 81. vera impugnatio. n. 82. & 83. 420. col. 1. & 2.

Eſſentiam diuinam actuare, & perficere intellectum per modum formæ, qui admittant? 422. n 5.

Eſſentiam diuinam ad inſtar formæ intelligibilis actuare, & perficere intellectum, & illi

illi nullum dare eſſe implicat. 422. n. 5. Nec ad hoc ſatis eſt eam eſſe ſuum eſſe: eſſe ſummè intelligibilem: eſſe primam veritatem: eſſe puram actualitatem in genere intelligibili. 423.n.9.424 n 10.

Eſſentia diuina non poteſt efficienter concurrere ad viſionem, vt principium videndi, quo.428.n.17.

¶ Eſſentia diuina duobus modis poteſt ſe liberaliter præſentare intellectui: vno modo ſub ratione termini ſolum: altero modo ſub ratione obiecti motiui, prior præſentatio non eleuat intellectum, bene tamen poſterior, apud nonnullos, 522.n.28. Sed nõ audiuntur. De facto non præſentatur intellectui, niſi iam eleuato.522.n.29.

Eſſentia diuina, vt obiectiue vniatur intellectui indiget ipſius intellectus, eleuatione. 124.n.5.

Diuina eſſentia, vt eſt forma intelligibilis non habet vllam eminentiam 537 n. 75. vnde non poteſt, vt ſic eſſe, aut lumen gloriæ, aut vlla diſpoſitio, qua illa recipiatur in intellectu Ibidem.

Eſſentia diuina ſi ſubeſt vicem ſpeciei, actiue influit in viſionem 546.n. 11.

Diuina eſſentia non ſemper eſt actu intelligibilis intelligibilitate obiectiua. 506.n.42.

Admittere in diuina eſſentia præſentiam, & abſentiam intelligibilem, nullam denotat imperfectionem. 549.n.13. & 14.

Licet ſit actu intelligibilis per negationem materiæ: non tamen eſt talis intelligibilitate obiectiua: vnde interdum eſt intelligibilis in potentia reſpectu noſtri intellectus. 551. n.23.

Non poteſt fieri obiectiue præſens intellectui non illuſtrato, & ſi per impoſſibile ſine lumine fiat illi præſens, ab eo non videbitur. 565 n 74.

Inter eſſentiam diuinam, & intellectum creatum, etiam illuſtratum, quomodo detur exceſſus infinitus: & quando? 565.n. 77.

Eſſentia diuina ſine lumine non eſt ſufficienter præſens intellectui præſentia obiectiua ad illum mouendum ad viſionem 611 n.136

¶ In diuina eſſentia videntur creaturæ. 961. q 6.art. 1.

Videtur vna, & eadem viſione, qua videtur eſſentia.963. art. 3. Quomodo videantur? 964.§.3.

Eſſentia diuina non poteſt ſubire vicem verbi. 982.n.52.53.54.

Eſſentiæ diuinæ verbum: vide verbum diuinæ eſſentiæ.

Eſſentia diuina non videtur in viſione viſa in ſe ipſa. 1022.n.126 Nec videtur per viſionem terminatam ad diuinam eſſentiam à beato, qui alterius viſionem videt, contra nonnullos.1022.n 125 & 127.

In eſſentia diuina, vt eſt paſſiue intelligibilis, da[illegible] 1323.n.19.

Eſſentia diuina in ſua eminentiali vnitate: & perfectione, non poteſt concipi ab intellectu ſecundum ſuam totalitatem vno conceptu, ſed pluribus. 1324 n.23.

Eſſentia diuina plus repræſentat ea. quæ in ea ſunt formaliter, quam quæ ſunt eminenter. Ex his autem minus repræſentat, quæ ſunt perfectiora. 1334.n 36.

Ex parte diuinæ eſſentiæ datur in beatis inæqualitas obiectiua. 1324.n.23.

Eſſentia diuina eſt eiuſdem ordinis cum intellectu eleuato. 359.n. 20

¶ Euidentia eſt duplex, vna obiecti: altera cognitionis: & quid ſit vtraque 946 n 27.

Euidentia in notitia per ſe non ſumitur ex determinatione intellectus, quatenus non poteſt non aſſentiri: ſed aliunde. 947.n. 29.

Eunomij errores circa viſionem Dei 3 n 2.

¶ Exiſtentia non ita eſt de eſſentia Dei vt eũ cõſtituat in aliquo genere eſſendi 160 n 7.

Exiſtẽtia an ſit de quidditate diuinæ eſſentiæ 448. n. 8.

Exiſtenta diuina nulli creaturæ poteſt ita communicari, vt per eam formaliter exiſtat. 417.n 73.

¶ Experientia, vide ſcientia experimentalis.

¶ Extaſis, vide eſtaſis.

F.

¶ Falſitas an poſſit dari in ſimplici apprehenſione. 1079.art.4 n. 1.

Omnis falſitas, etiam, quæ conuenit per accidens, eſt malum intellectus. 1080.n. 2.

¶ Fides eſt habitus diſtinctus à lumine. 486 n.56.

Fides ſupernaturalis appellatur habitus, & lumen.489.n.2.

Fidei lumen datum eſt viatoribus hominibus, & Angelis. 489 art.6.n. 1.

Eſt vnum 489.n.3.

Realiter diſtinguitur à ſpeciebus. Ibidem.

An realiter diſtinguatur ab habitu fidei? 489.n.4.490.n.5.&6.

Quæ ſint illius munera? 490.n.7.

Fidei actus an ſit ſupernaturalis ſecundũ ſubſtantiam? 939.n.10 941 n.21.

ctus fidei eo eſt intenſior, quo maior eſt conAnatus intellectus cum habitu charitatis. 1345. n. 27. & 28.

Fidei habitus, cur ſit vnus, cum habitus ſcientiæ ſint plures? 1050. n. 31.

Species intelligibiles, quibus vtitur fidei habitus non ſolum co... ...enſionē extremoru... quæ iudicium antecedit; ſed etiam ad ipſum iudicium. 1053. n. 8. & 9.

Fides an maneat in patria, vel quoad habitum vel quoad actum? vide beati fides.

¶ Finiti ad infinitum non poteſt dari proportio geometrica, benè tamen alterius generis. 520. n. 22.

¶ Formarum duplex genus debet diſtingui realium, & intelligibilium. 186. n. 66. 397. n. 2.

De ratione formæ eſt dare eſſe: tam in genere rei quam in genere intelligibili: vnde nulla forma poteſt exercere rationem formæ, niſi det eſſe illi, cuius eſt forma. 422. n. 4.

Formam actuare ſubiectum, & dare illi ſuum eſſe formale, idem eſt. 422. n. 5.

Omnem formam in genere rei conſtituere vnā naturam, & vnum ens per ſe eſt falſum. 413 n. 60.

Eandem formam æque primo educi à duabus potentijs materialibus receptiuis, an poſſit admitti? 560. n. 41.

Forma ſubſtantialis immediate recipitur in materia prima diſpoſita. 570. n. 96

Formam introducere in materiam ſine illius diſpoſitione; quando poſſit Deus? 625. n. 12

In formis naturalibus in genere rei non quæcunque indiget diſpoſitione realiter diſtincta, ſed quæ eſt principalis, & vltima. 634. n. 35.

Formam eſſe ſuper naturam eius, quod ad eā eleuatur, quid ſit? 532. n. 46. & 47.

An hæc indigeat diſpoſitione ſupra naturam? cōmunis affirmat: plures negāt 527. n. 24. Negatiua defenditur. 528. n. 30. quæ eſt vera de forma ſupernaturali, quæ eſt vltima, & terminus generationis; aliàs ſecus. Talis forma non eſt intellectio, ſed ſpecies. 579. n. 35.

Illa forma ex intenſione naturæ eſt vltima, quæ per ſe eſt conſtitutiua agentis, vt quod, & principalis. 529. n. 34.

Sola forma ſubſtantialis in genere rei eſt vltimate intenta à natura: & ideo indiget diſpoſitione. Ibidem.

Illa forma in genere intelligibili ex intentione naturæ eſt vltima, per quam conſtituitur vnum intelligens, & operans, vt quod: talis non eſt intellectio ſed ſpecies. 529. n. 34. & 35.

Inter formas ſubſtantiales, & accidentales datur ordo, vt ſubſtantialis, non recipiatur in ſubiecto, niſi mediante accidentali. 527. n. 27.

Inter accidentarias verò, tam naturales quàm ſupernaturales apud nonnullos neceſſario datur ordo quoad recipi. 527. n. 27. Non probantur. 530. n. 38. vbi vide rationem.

Inter formas accidentarias dari per ſe ordinē cauſæ ſimpliciter diſpoſitiuæ, ita vt vna nō poſſit recipi in ſubiecto, niſi mediante alia, eſt indubitatum. 530. n 38. ex Ariſtotele, & alijs. n. 39.

In formis ſupernaturalibus, quænam forma indigeat diſpoſitione realiter diſtincta? 634. n. 35.

Forma ſubſtantialis an materiæ primæ ſit ratio recipiendi quantitatem, an ſola conditio? 765. n. 75.

Forma corporea poteſt eſſe in ſubſtantia ſpirituali modo inextēſo per diuinā potentiā. Forma etiam ſpiritualis poteſt informare corpus inextenſo modo. 820 n. 93. & 94.

Forma altioris ordinis an indigeat diſpoſitione, qua ſuſceptiuum eleuetur? & quomodo id debeat intelligi. 151. n. 7. 152. n. 8.

Formæ ſupernaturales, in quo ſenſu dent eſſe ſimpliciter? 850. n. 34. 851. n 36.

Formæ extrinſecæ non ſunt veræ cauſæ formales, nec extercent veram cauſalitatem formalem. 410. n. 48 411. n. 50.

Nulla talis poteſt dare verum eſſe, ſed ſolum tribuit denominationem. Ibidem.

¶ Formæ intelligibiles in omnibus conueniunt cum naturalibus, niſi quod naturales ſunt formæ ſecundum eſſe naturale: hæ vero ſecundum eſſe intelligibile, & repræſentatiuum rerum. 413. n. 59.

Hæ formæ ſunt veræ formæ reales, vt reale diſtinguitur ab ente rationis: non tamen vt reale diſtinguitur ab intentionali, & repræſentatiuo: vnde in hoc ſenſu tribuunt intellectui verum eſſe reale. 413. n. 59.

Hæ formæ reſpiciunt intellectum, vt eſt pura potentia in genere intelligibili. Ibidem.

Forma intelligibilis in quo ſenſu cōſtituat vnā naturam, & vnum compoſitum? 413. n. 60.

¶ Forma ſubſtantialis an concurrat actiuè actione diſtincta à forma accidentali? 688. n. 3.

Non habet actiuitatem proximam, & immediatam ad agendum. 763.n.69.

Actiuitas, quæ conuenit formæ ſubſtantiali non poteſt eſſentialiter non conuenire illius, entitati: vnde nullo modo poteſt conueni re ſolum concomitanter. 764.n.70.

Formæ ſubſtantialis entitas per ſe inſtituta eſt, vt actuando materiam, det illi, & cõpoſito ſuum eſſe ſubſtantiale. 764.n.73. hoc autem eſſe non eſt aliud, quam eſſe actiuum. Ibidem.

Formæ ſubſtantialis entitas apud eos, qui illi tribuunt actiuitatem immediatam, non eſt indifferens ad plures effectus, ſed eſt determinata ad generandum ſubſtantiam ſibi ſimilem: ad effectus tamen accidentarios, ad quos mediante forma accidentaria concurrit indifferens eſt ad plures effectus. 764.n.71.

Forma ſubſtantialis, quæ informat hanc numero materiam, licet naturaliter limitata ſit, vt informans hanc materiam ſolam illã naturaliter poſſit informare, nec ſimul poſſit informare aliam; tamen aptitudo naturalis, quam habet ad informandum materiam, cui vnitur, non eſt determinata ad hanc numero materiam: vnde vt ſimul aliã informet ſolum indiget ſupernaturali applicatione ad plures numero materias. 746 n.101. vnde in illa datur potentia obedientialis paſſiua, vt pluribus materijs ſimul applicari poſſit. n.102.

Forma quæ eſt operanti principium agendi, ſumit modum operandi ex modo eſſendi ſibi connaturali 33.n.43.

Formalem cauſam continere materiam in ſuo eſſe, non eſt eius cauſalitas, ſed effectus. 409.n.45.

Forma vide cauſa formalis.

¶ Fructus beatitudinis quid ſit? quotuplex, ſit? an æqualis ſit in omnibus beatis? 1320. n.29.30.& 31.

¶ Fruitio apud theologos quid ſignificet, & quid ſit? 922.n.17.923.n.20.1120.q.15. communiter accipitur pro delectatione. 922.n.18.

Fruitio datur in beatis. 1120.q.15.

Ad fruitionem an voluntas concurrat libere? 662 n.32.

Fruitio habet veram rationem dotis diſtinctæ à viſione, & comprehenſione. 922.n.17. Fruitio in patria an neceſſario correſpondeat viſioni? 1344.n.24.

G.

¶ Gaudium patriæ, vide delectatio.

¶ Generatione poſteriora, an ſint dignitate priora? 1108.n.22.

¶ Gloriam à ſolo Deo dari, in quo ſenſu ſit verum. 662.n.35.

Gloriæ dotes, vide dotes gloriæ.

¶ Gratiæ quoad entitatem nulla creatura poteſt eſſe principium connaturale, bene tamen quoad actus: & in quo ſenſu. 323. n.28.

Gratia viæ non eſt incorruptibilis ab intrinſeco: bene tamen gratia patriæ. 1352.n.10.

Gratia patriæ eſt gratia conſummata. Ibidem.

Gratia viæ non vendicat ſibi ſubiectum immobile: nec implet totam potentialitatem ſui ſubiecti. 1352.n.10.

Gratia, quæ ſanctis datur in via, dici poteſt ar ra 915.n.11.

Gratia gratis datæ nomine quid intelligatur? 1074.art.1.n.1.

Gratiæ gratis datæ ſunt numero nouem. Ibidem n.2.

H.

¶ Habitus primorum principiorum quid ſit? & vtrum ſit naturaliter acquiſitus. 472. n.27.

An ſit ſuperadditus intellectui poſſibili? & diſtinctus à lumine intellectus agentis? & an ſit neceſſarius diſp. 487.n.58. Affirmatiua magis conſentit cum Ariſtotele. Ibidem. probabilis eſt negatiua n.59.

¶ Habitus per ſe ſpecificatur ab obiecto, & ex modis tendendi in illud 482.n.31.

Habitus eiuſdem potentiæ non ſpecificatur à ratione formali obiecti: vt obiectum eſt: ſed vt res eſt. 1049 n.27.

Idem de habitibus eiuſdem ſcientiæ. Ibidem.

Habitus vnius potentiæ, licet ſpecie diſtinguantur, per ſe tamen ſubordinantur rationi formali obiecti, à qua ſpecificatur potentia. 1049.n.27.col.2.

Idem dicendum eſt de habitibus eiuſdem ſcientiæ.

Habitus cur inhæreat in ſubiecto mediante potentia ſiue naturalis ſit ſiue ſupernaturalis? 557.n.28.29 & 30.

An diſponat ad recipiendum actus? diſputatur? 561 n.43 563.n.64.564.n.70. vide 571.n.107.

Habitus ex Scoto ideo requiritur ad actum, quia actus ex ſua natura non eſt permanens 561.n.44. Sed non recipitur, nec in habitu infuſo, nec in acquiſito. 564 n.72.

Habitus an actiue concurrat ad actus? 839. n. 40.
An actiue concurrat ſolum ad actus conſequentes: an vero ſolum diſpoſitiue? 564. n. 69. & 70.
Habitus ſcientiæ eſt diſtinctus à lumine, & à ſpeciebus. 48[illegible] n. 54.
¶ Habitu[illegible] dat potentiæ ſimpliciter poſſe: non tamen dat totum poſſe. 572. n. 108.
Non eſt tota virtus, & potentia, qua intellectus, & voluntas, influunt in actus. 572. n. 108.
In quo ſenſu concurrat per modum potentiæ? Ibidem.
Habitus ſupernaturalis & infuſus: non eleuat potentiam, vt ſit proportionatum principium, ſi quaſi connaturale actus. 882. n. 38. Complet tamen virtutem potentiæ, vt ſit principium completum, & proximum, non vero, vt ſit totaliter proportionatum: quia potentia ex ſe habet radicalem proportionē Ibidem.
Non mutat modum actiuitatis principalis & cur? 882. n. 38.
Habitus infuſi an ad actus conſequentes concurrant actiue: an diſpoſitiue? 564. n. 70.
¶ Homo mortalis, vide viator.
Hominem eſſe capacem ſummi boni non demōſtrat ratio, ſed reuelat fides. 1198. n. 25.
¶ Humanitas Chriſti reſpectu miraculorum non habet ſolam cauſalitatem moralem: ſed phyſicam. 699. n. 11.
Humanitas Chriſti, vide Chriſti humanitas.

I.

¶ Ignis forma in quo ſenſu ſit ſupra naturam materiæ aeris. 532. n. 46. 47.
Ignis inferni per ſuam formam calefactiuam eleuatam poteſt immediate elicere actionem torſiuam dæmonum, & animarum, diſtinctam à calefactione. 824. n. 113. vnde habet duas actiones à ſe elicitas. Ibid.
¶ Ignorantia puræ negationis comitatur omnem intellectum creatum. 1076. q. 9. n. 1.
Ignorantia vera includit priuationem cognitionis debitæ ineſſe. 1079. n. 7.
¶ Imaginationis actu impedito, impeditur intellectus ab intelligendo, etiam ea, quorū habet ſpecies. 33. n. 42.
Imaginatum habet eſſe in ipſa imagine. 210. n. 36.
¶ Imago, vt imago eſt, eſt duplex. 115. n. 33.
Imaginis ratio eſt relatiua apud nonnullos. 110. n. 15. 111. n. 16. 17. 18. 19. Sed oppoſitum eſt verū. 111. n. 20. 102[illegible]
Imago in quo ſenſu eſt ſimilitudo rei. 115. n. 33.
Imago formalis, & obiectiua, in quo differāt? Ibidem.
Imago obiectiua, & formalis quomodo ducat in cognitionem alterius. 115. n. 34.
Imago Dei reperitur in creatura intellectuali. 114. n. 32.
Imago, formaliſque ſimilitudo non neceſſario eſt eiuſdem ſpeciei, & naturæ in eſſendo cū re, cuius eſt imago. 222. n. 17. & 18. benè tamen in repræſentando. Ibidem.
Imago non habet conuenientiam cum obiecto in natura: ſed ſolam conuenientiā expreſſionis, & delineationis. 222. n. 18.
Imago obiectiua diuinæ eſſentiæ. 354. n. 4.
Imago formalis in repreſentando nulla ſubſtātia poteſt eſſe. Ibidem.
¶ Immateriale eſt intelligibile in potētia, intelligibilitate obiectiua, quandiu actu non repræſentatur in ſpecie. 428. n. 19.
Immaterialitas cognoſcentis determinat actū ſibi connaturalem. 81. n. 34.
Immaterialitas diuina habet duos eſſendi gradus: & qui nam ſint? 85. n. 51.
¶ Immenſitas Dei an ſit prædicatum eſſentiale? 160. n. 7.
Poteſt ſumi negatiuè, & poſitiuè: poſitiuè in modum eſſendi in habendo diuinam virtutem. Ibidem.
In incarnationis myſterio duplex datur cōpoſitio: vna verbi cum natura humana: altera ex perſona verbi, & duplici natura, humana, & diuina. 1027. n. 147.
Non poteſt vllo naturali lumine videri. 1030. n. 153.
Videri poteſt viſione beata. n. 154.
Cognoſcitur abſtractiue per ſcientiam inditam beati, non intuitiue. n. 155.
¶ Indiſtantia realis ab intellectu non ſatis eſt ad vnionem obiectiuam cum eodem intellectu. 127. n. 15.
¶ Inter indiuidua eiuſdem ſpeciei plerique admittunt inæqualem perfectionem indiuidualem: ſed non probantur. 1336. art. 4. n. 2. & 3.
¶ Infantes cum baptiſmo decedentes ſunt æqualiter beati. 1311. n. 13.
¶ Infinitas extenſiua ex parte obiecti non neceſſario arguit infinitatem ſimpliciter. 711 n. 11. quando vero eam arguat? Ibidem.
Infinitas entitatiua quomodo inferatur ex infini-

finitate ſyncathegorematicè extenſiua? 788.*n.* 39. Tunc *erit talis ſi ex ſe poteſt producere actu infinitum, ſi daretur.* Ibid. *Vnde hæc non datur in creaturis, ſed in ſolo,* Deo. *Ibidem.*

Infinitas ſyncathegorematicè extenſiua, quæ datur in potentia obedientiali creaturæ, in ordine ad omnipotentiam Dei, *non oritur ex perfectione entitatis creatæ: ſed ex ſubiectione, quam creatura habet ad omnipotentiam* Dei. 788.*n.* 40.

Hæc infinitas ſolum conuenit creaturæ, vt eſt Dei *inſtrumentum: vnde non continet in ſe infinitos illos effectus, ad quos poteſt aſſumi.* Ibidem.*n.* 40.

Infinitas formaliter non eſt entitas, ſed modus entis intrinſecus. 457.*n.*41.

Non eſt de eſſentia Dei. Ibidem.

¶ *Infinitum poteſt repræſentari modo finito.* 331.*n.* 17.

Infinitum, vt eſt infinitum, in quo ſenſu ſit ignotum. 1144.*n.* 43.

Infinitum, & finitum, quam proportionem habeant? 520.*n.* 23.

Infuſum dupliciter dicitur, per ſe, & per accidens. 481.*n.*26.

Infuſum per ſe quot modis dicatur? Ibidem.

¶ *Inſeparabilitas vnius ab altero non arguit omnimodam indiſtinctionem inter illa, ſed admittit diſtinctionem ex natura rei.* 760.*n.*58.

Inſtrumenta artis licet in ſe ipſis non habeant principium actiuum, quo eleuantur, habẽt tamen principium actiuum, quod debet eleuari. 703.*n.* 19.

Inſtrumentis non conuenit ratio cauſæ vniuoca, aut æquiuocæ. 735.*n.* 57.

Inſtrumenti virtutem non eſſe proportionatã effectui, non impedit, quominus illa, vt eleuata, influat in effectum. 737.*n.* 63.

Inſtrumenti virtus qua conſtituitur in actu primo ad agendum, non eſt propria ipſius inſtrumenti: ſecus de virtute incboata, & remota. 737.*n.* 64.

Inſtrumenti actiuitate naturaliter, & plene cognita, non proinde cognoſcitur effectus per eam inſtrumentaliter producibilis. 738.*n.*67.

Inſtrumentis naturalibus agens naturale non poteſt dare totam agendi virtutem: ſed aliquam in illis ſupponit, quam eleuet. 745. *n.*96.& 97. *oppoſitum reperitur in inſtrumentis diuinis.*

Inter inſtrumenta diuina, & inſtrumentanaturæ, & artis longum eſt diſcrimen. 745. *n.*96.

De *inſtrumentis diuinis quomodo ſit theologicandum?* 756 .*n.* 40.

Inſtrumentum ex eo, quód conſtituitur ab inſtituẽte in ſpecie inſtrumenti, ab eo accipit virtutem quandam in[illegible]*tam, vt eleuatũ poßit in principalem effectum.* 756.*n.*39.

Inſtrumentum fruſtra ſumitur ad agendum, ſi ad effectum principalem nihil poteſt agere ſecundum id, quod eſt ſibi proprium, ex D. *Thoma.* 790.*n.*6.

Inſtrumentum duas habet operationes: vnam propriam ex ſua naturali virtute: alteram eleuatam ad effectum principalem. 790. *n.*6.817.*n.*36.818.*n.*88. Id, *quod intellige in agente inſtrumentario, vt quod, non vero vt quo.* Ibidem.

An omne inſtrumentum habeat habere aliquam operationem præcedentem, quæ ſit veluti diſpoſitio ad effectum principalis agẽtis? dubium. Certum tamen eſt, quod omne debet poße agere aliquid ſibi proprium per propriam actionem, quæ eleuetur. 791.*n.* 7.

Inſtrumentum quomodo eleuetur ad ſupernaturalia? vide potentiæ obedientialis eleuatio. Inſtrumentum eleuari per motum, eſt per virtutem agendi, non eſt opinio D.*Thomæ.* 806. *n.* 43.

Inſtrumenta naturali eleuantur ab agente principali per qualitatem quandam virtutem illis in ipſo vſu communicatum. 807. *n.*48. 49.

Non quodcunque inſtrumentum ſumitur ad quencunque effectum. ſed ad certum & determinatum: idque tam in naturalibus, quã in diuinis. 810.*n.* 56.

Inſtrumentalis virtus quam Deus *cõmunicat ſuis inſtrumentis nec vna eſt, nec eiuſdem rationis ad omnes effectus.* 810.*n.* 58. 814 *n.* 71.

In inſtrumentis diuinis duplex reperitur virtus inſtrumentalis influens in effectum vna radicalis, & incboata: altera, quæ in ipſo vſu illis communicatur. 813.*n.* 67. *Prior eſt eleuabilis per poſteriorem: poſterior vero non eſt eleuabilis, ſed eleuatiua prioris: vnde eſt formalis eleuatio ipſius inſtrumenti: ex quo habet, quod ex ſe ſit proportionata effectui.* 813.*n.*67.& 69.

Inſtrumentaria virtus, quæ in agente naturali reperitur ad generandam ſubſtantiam nõ indiget eleuatione per aliam virtutem, ſed ex

ex ſe eſt eleuata, vt ſubſtantiam immediate attingat. 813.n.68.

Inſtrumentaria virtus, qua inſtrumenta artis ab agente principali in ipſo vſu eleuantur, non indiget virtute ſuperaddita, qua eleuetur, ſed ſe ipſa eſt eleuata. 813.n.69.

Non eſt ſupra vires naturalis virtutis inſtrumentariæ in ipſo vſu inſtrumento communicatæ, producere effectus ſupernaturales certos, & determinatos. 814.n.71.

Iſta virtus inſtrumentaria, qua inſtrumentũ in ipſo vſu eleuatur, non habet duplicem actionem. 817.n.86.818.n.87.& 88.

Inſtrumentum connaturale ſemper dicit habitudinem ad aliquod agens principale, quod vel ſimpliciter illo indigeat ad agendum, vel ad agendum connaturaliter. 818. n. 89.& 90.

Nullum datur inſtrumentum, quod habeat connaturalitatem, etiam inchoatam cum effectu ſupernaturali. 819.n. 91.

Inſtrumentaria virtus eleuatiua inſtrumenti poteſt eſſe connaturalis effectui ſupernaturali, quamuis nullum detur inſtrumentum connaturale illi. Ibidem.

Inſtrumentaria qualitas, quam in inſtrumentis ponimus ad effectus ſupernaturales, an ſit corporea, an vero ſpiritualis? vtrunque dici poteſt. 819.n.92.& 93.820.n.94.& 95.

Inſtrumentum non poſſe participare virtutem & actionem principalis agentis, niſi per aliquid ſibi proprium operetur, affirmant Thomiſtæ, ſed non audiuntur. 825.n.115.

Inſtrumenta, vt quod, non eſſe determinata in ordine ad Deum, non eſt abſurdum: benè tamen ſunt determinata in ordine ad agens naturale. 825.n.117.

Inſtrumenta diuina poſſunt eleuari à Deo ad effectus ſupernaturales, mediante propria actione ipſius inſtrumenti, ſumpta actione latiſsime: & de facto ita eleuantur. 824. n.112.826.n.119.

In inſtrumẽtis propria actione eleuatis an detur vna tantum actio; an plures? Dubium. varia placita. 826.n.121.& 122.& 123. vera reſolutio. 827.n.124.

Inſtrumenti actio propria non attingit principalem effectum immediate, ſed mediate. An vero actio inſtrumentalis illum attingat immediate? 828.n.127.

Quomodo hæc actio propria inſtrumẽti ſit præuia tum ad actionem inſtrumentalem, tum ad effectum principalem? 828.n.128.

Quomodo item ſit propria inſtrumenti? 829. n.129.

Quomodo inſtrumentum per eam diſpoſitiue operetur? 829.n.130.

Quomodo hæc actio deſerat diuinum imperiũ: & virtutem Dei ad principalem effectum. Ibidem.n.131.

An in inſtrumentis naturalibus propria actio ſit diſtincta ab inſtrumentali? 830.n.135.

An actiones inſtrumentales Artis realiter diſtinguantur inter ſe, an ſolum modaliter? 831.n.136.

Inſtrumenta artis ſunt actiua: effectum tamẽ vera actione non producunt. 831. n.137.

Inſtrumentum non bene diffinitur per eſſe id quod agit in virtute alterius. 889.n.73.

Omne inſtrumentum agit in virtute alterius: at tamen non omne, quod agit in virtute alterius, eſt inſtrumentum. 889.n.73. Quando autem agere in virtute alterius inferat rationem inſtrumenti? n.74.

Inſtrumenta naturalia naturæ, & artis naturaliter non eleuantur ad effectus ſupra naturam, niſi præuia aliqua actione illorum propria. 824.n.112.830.n.133.& 134.

Inſtrumenta neceſſario debent agere per propriam formam quæ naturaliter eſt actiua: non tamen neceſſe eſt, vt agant effectum per propriam operationem. 824.n.113. Quare forma actiua illorũ habebit duas actiones immediatas contra Thomiſtas. 824. n.113.825.n.115.

Inſtrumenta diuina poſſunt immediate influere in effectum ſupernaturalem nulla propria actione præcedente. 824.n.113.

¶ Ad intellectionem concurrit potentia intellectiua, & obiectum 60.n.2.

Vt intellectio, ſit naturalis, quæ requirantur? Ibidem.

Intellectio formaliter non eſt actio, ſed qualitas, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti. 109.n.11.& 12.648.n.13.& 15.

Intellectio, non eſt formalis, manifeſtatio, ſed eſt apprehenſio obiecti. 471.n.24.

Nec eſt præſentia obiecti. 210.n.39.

Nec eſt ipſa receptio ſpeciei. 209.n 30. 647.§.3.

Nec eſt ipſa obiecti apparentia obiectiua in intellectu. 209.n.36.647.§.2. quamuis eam ſemper antecedat hæc obiecti apparentia. 210.n.37.

Non eſt ſpecies, etiam vt connotat apparentiam obiecti. 210.n.39.

Nec eſt ipſa obiecti illuminatio, ſed apprehenſio illius. 471.n.24.

Nec

Nec formaliter eſt ipſa productio conceptus. 648. §. 4. nec eſt receptio eiuſdem conceptus 650. §. 5.
Intellectio formaliter eſt apprehenſio obiecti. 471. n. 24. 216. n. 62. 651. §. 7. 653. num. 42.
Formaliter completur per reſpectum, & habitudinem ad obiectum. 652. n. 37.
Explicari non poteſt, niſi ad modum actionis; & ideo dicitur actio grammaticalis. 653. n. 40. Eſt qualitas ex ſua natura intentionaliter perceptiua rei intellectæ. 654. n. 43.
Eſt vera qualitas expreſſiua obiecti. 216. n. 61.
Eſt forma abſoluta includens relationem tranſcendentalem ad obiectum. 210. n. 38.
Eſt relatiuum tranſcendens reſpiciens rem intellectam per modum attingentis, & percipientis. 654. n. 43.
Formalis illius effectus eſt reddere intellectũ attingentem, & percipientem rem intellectam. Ibidem.
Eius formalis ratio ſaluatur, quamuis non producatur ab intellectu. 655. n. 52.
Intellectionem formaliter eſſe qualitatem qui doceant? 979. n. 40. & 41.
Qua ſuppoſita opinione ex eo eſt intellectio, quod eſt apprehenſiua obiecti. 980. 44.
Intellectio apud D. Thomam non dicit originem, prout dicit habitudinem rem intellectam. 980. n. 45.
Intellectio producta ab intellectu ſi in ea non recipitur, non eſt illi formalis intellectio, nec formalis vita. 656. n. 54.
Intellectio ex eo quod eſt ab intellectu habet, quod ſit actio viuentis: quod tamen intellectui ſit vita, habet ex eo, quod in illo recipitur. 656. n. 54.
Intellectio formaliter habet, quod ſit vitalis ex eo, quod eſt ab anima obiectum intelligibiliter apprehendente. 669. n. 28. & 29.
Intellectio ex eo habet, quod ſit vitalis, ex quo habet, quod ſit intellectio. 669. n. 29.
Per ſe primo habet quod ſit intellectio ex eo, quod eſt apprehenſiua obiecti apprehenſione intelligibili. 669. n. 30.
Intellectio in quo ſenſu ſit vitalis ab anima, vt eſt productiua illius? Variæ opiniones; vera opinio. 670 & 671.
Intellectio, & actus vitalis non habet eſſentialem dependentiam ab anima, vt actu eſt producens illam. 673. n. 51. 676. n. 67. 679. n. 80.
Intellectio eſſentialiter eſt vitalis, quia eſt ab anima, vt per eam apprehendit obiectum 671. n. 44.
Intellectio habet rationem genericam actus vitalis ex eo, quod eſſentialiter eſt producibilis ab anima. Quatenus vero eſt intellectio propriam rationem vitalitatis habet ex eo, quod ſit perceptiua obiecti. 671. n. 45. 672. n. 46.
Intellectio poteſt à ſolo Deo produci intellectu ad eam actiue non concurrente. 665. n. 9. Concl. 1.
Poteſt duobus modis conſiderari; vno modo in ſua entitate: altero modo, vt exercens ſuum effectum formalem faciendo intellectum formaliter intelligentem. 665. n. 11. & 12. Priori modo poteſt à ſolo Deo produci, & extra ſubiectum, & in ſubiecto, etiam non apto ad intelligendum. 666. n. 13. & 14. Soluuntur argumenta. §. 3. 667. §. 4.
Intellectionem proxime fieri ab anima nulla actione mediante de prædicamento actionis, falſum eſt. 673. n. 52. & 53.
Intellectio immediate recipitur in intellectu. 238. n. 13.
Intellectio quatenus ſignificatur, vt actio ſpecificatur à principio actiuo: vt vero terminatur ad terminum, ſpecificatur ab obiecto. 293. n. 13.
Intellectio non eſt forma vltima in genere intelligibili, per ſe intenta à natura. 529. n. 35.
Intellectio realiter diſtinguitur à ſpeciebus. 207. n. 24.
Ad quamcunque intellectionem neceſſaria eſt vnio obiecti cum intellectu in eſſe obiectiuo. 71. art 3. n. 1.
Neceſſarius etiam eſt concurſus ex parte potentiæ, & obiecti. 72. art. 4. n. 1.
Intellectio actiue eſt ab intellectu conſtituto in actu primo per ſpeciem. 208. n. 25.
Intellectio formaliter ſumpta eſt entitas realiter producta, & realiter diſtincta à forma, à qua producitur. 208. n. 28.
Intellectio eſt nobilior ſpecie. 239. n. 19.
Intellectionem aliquo modo diſtingui à verbo communiter non recipitur. 320. n. 14.
Omnis intellectio eſt verbum, ſi verbum ab intellectione nec formaliter diſtinguitur, Contra Scotum, cuius argumenta ſoluuntur. 974. n. 23. & 24.
An omnis intellectio producat verbũ apud eos

qui verbum ab intellectione diſtinguunt? negant nonnulli. 976.n.34. Oppoſitum verius. 977.& 978.

Intellectio prius natura producit verbum, quã formaliter ſit intellectio apud eos, qui intellectionis qualitatem realiter diſtinguunt à verbo. 980.n.45.

[illegible] eſſe productiuam verbi vix poteſt explicari, ſi non eſt illius productiua quatenus eſt apprehẽſiua obiecti. 980.n.46.

Intellectio, ſi admittitur, vt qualitas, non poteſt apud Thomiſtas producere verbum, niſi vt eſt forma actiua. 981.n. 47. 48.

Intellectio ſi eſt qualitas realiter diſtincta à verbo, nõ poteſt non producere verbũ. Ibid.

Intellectio nõ eſt proles obiecti, ſed intellectus informatus. ſpecie. 975.n.26.

Intellectionis qualitas producitur per veram actionem, non tamen eſt vera actio. 981. n. 47.

Intellectio apud Thomiſtas dari non poteſt, niſi res intelligenda fiat præſens intellectui præſẽtia obiectiua in ratione termini. 981 n 50. Talis autem fieri non poteſt per ſpeciem impreſſam. Ibidem. Nec per ſe ipſam. n.51. Sed per ſpeciem expreſſam. 982 n.51. Quod etiam eſt verum in diuina eſſentia, vt intelligitur ab intellectu. n.52.

Intellectionem fieri, abſque vlla ſpecie aut abſque aliquo ſupplente illius vicem, aliqui ponunt ſed non recipiuntur. 395.n.41.

Intellectio requirit ſpeciem, non tamen recipitur in ipſa ſpecie 531.n.40.572.n.107.

Ad omnem intellectionem neceſſarium eſt medium ſub quo intellectus videat. 547. n.7.

Intellectionem non productam ab intellectu poſſe recipi in eo, non implicat. 677.n. 69.& 70.

Soluuntur argumenta in contrarium. Ibidem. col. 1.& 2.

Intellectionem quæ à Deo ſine intellectu producta eſt extra intellectum, poſſe iterũ produci à Deo in intellectu ſimul cum ipſo intellectu verius eſt. 678.n 75.& 76.

An per nouam actionem? n 75.

Intellectio poteſt recipi in intellectu ſine actiuo illius concurſu ad eam. 679. n. 81.

Intellectio nec in eſſendo, nec in informando habet eſſentialem dependentiam à productione animæ. 679.n. 81.

Intellectio, actuſque intelligendi diuina potentia poteſt produci ab vno intellectu in intellectu alterius. 883. n. 46.

Per intellectionem productam ab vno poteſt alius formaliter intelligere, ſi illa in intellectu eius ponatur. 611.n. 134.

Intellectio, actuſque intelligendi poteſt produci actione tranſeunte. 883. n. 46.

Poteſt etiam produci actione non vitali. Ibid.

Poteſt etiam produci ab intellectu, vt ab inſtrumento Dei. 883.n 46. 891.n. 81.

Intellectus non poteſt producere in ſe ipſo intellectionem inſtrumentaliter, bene tamen in alio intellectu. 883.n.46.884.n.47. 891.n.81.

Ad intellectionem animam concurrere mediante intellectu nullus Philoſophus negauit. 687.n.35.

Intellectionis menſura præciſe non ſumitur ex actiuitate ſpeciei, ſed ex actiuitate intellectus actuati per ſpeciem. 1343.n.22.

Omnis intellectio lato modo eſt attẽtio, & cõſideratio: nõ tamen proprie. 674 n.55 & 57.

Intellectio an poſſit dari ſine attentione, & cõ conſideratione, ſeruato ordine naturali? 673 n. 54.

Poteſt dari ſine attentione, & conſideratione. 674.n.57. Regulariter tamen habet adiunctam attentionem. 674 n 58.

Vnde non habet dependentiam eſſentialem ad attentionem 675 n. 59.

Intellectio licet à ſolo Deo poſſit fieri, intellectus tamen concurrere debet ad attentionem. 675.n.61.

Intellectio an fiat ab intellectu agente? 687. n. 35.

Intellectio, vide intelligere actuale.

¶ Intelligentem phantaſmata ſpeculari, quomodo intelligatur? 29. n.32. vide inferius verbo intelligere.

¶ Intellectiuum, & intelligibile quomodo differant? 247. n. 37.

Intellectiuum ſupponit rem immaterialem. 248. n. 45.

Intellectiuum quando conſideretur in genere intelligibili. 247.n. 37.

¶ Intelligere, & intelligi, quomodo differant? 211.n.43.

Intelligere non eſſe ſine imaginatione, in quo ſenſu dixerit Ariſtoteles? 36.n. 53.

Intelligere formaliter nec eſt producere intellectionem, nec eam recipere, ſed per eam intelligibiliter attingere, & percipere obiectũ 153 n 11.& 12.647.§.3.648.§ 4

Intelligere eſt quoddam pati, explicatur de intelligere antecedenter. 274.n.10.215.n. 59. & intelligitur in ſenſu cauſali. 215.n. 59.

Intelligendi difficultas cauſatur ex excellentia rei intelligibilis. 106. n. 31.
Intelligere formaliter non eſt recipere ipſam intellectionem. 651. §. 6. Quid formaliter ſit? §. 7.
Nec eſt formaliter producere conceptum. 654. n. 49.
Intelligere formaliter eſt agere gramaticaliter tantum: quia formaliter eſt tendere notionaliter in rem intellectam, & illam intelligibiliter attingere. 653. n. 41. & 42.
Intelligere eſſentialiter non pendet ab ipſo producere, ſed ab ipſo recipere intellectionem. 656. n. 55.
Intelligere per conuerſionem ad phantaſmata quomodo ſit homini connaturale. 1143. n. 40. vide 31. n. 36. 32. n. 38.
Intelligendi difficultas in ordine ad perfectiones eminentiales, quæ ſunt in Deo, vnde nam ſumenda ſit? 1335. n. 41.
Inter intelligere, & phantaſiare datur duplex concomitantia, & connectio; vna naturalis, altera voluntaria. 1002. n. 38. & de qua intelligēdus ſit Ariſtoteles? n. 39.
Intelligere formaliter non eſt recipere ſpeciē. 209. n. 3. Quid ſit? 216. n. 62.
Intelligere, vt egredietur ab intellectu eſt vera actio; vt vero recipitur in eo eſt vera paſſio. 211. n. 43.
Intelligere actuale non eſt eſſe, quo intellectus formaliter eſt. 420. n. 83.
Non eſt ipſum eſſe ſpeciei intelligibilis. Ibidē.
Nec eſt formalis effectus ſpeciei. 420. n. 84.
Nec naturaliter emanat ab ſpecie. 420. n. 85. vnde intelligere actuale, quo beati vident Deum, non emanat à diuina eſſentia. 420. n. 86.
Intelligere eſſe actionem de genere actionis quidā probant. 648. n. 13. Nō placet. n. 15
Intelligendi media apud D. Thomam non ſunt confundēda cū rationibus formalibus, quas Philoſophi diſtinguūt in obiecto. 547. n. 8.
Intelligendi medium apud D. Thom. eſt triplex: ſub quo, quo, & in quo. 548. n. 9.
Intelligentem neceſſario phantaſmata ſpeculari eſt axioma Ariſtotelicū: varie explicatur. 1001. n. 34. 35. 36. vera explicatio. 1002. n. 37. vide. 29. n. 32.
¶ Intelligi quomodo differat ab intelligere? 211. n. 43.
Intelligi non eodem modo ſe habet ad intelligibile quo intelligere ad intelligentē. 111. n. 43
¶ Intelligibile dicitur duobus modis. 38. n. 61. 47. n. 88. 202. n. 5.
Intelligibile ſupponit eſſe entitatiuum, quia omne ens eſt intelligibile. 248. n. 45.
Intelligibilium tres ſunt ordines. 104. n. 22.
In genere intelligibilium triplex diſtinguitur ordo ſupremus medius, & infimus: & quæ in vno quoque ponantur? 104. n. 22.
Intelligibile quando vere [illegible] & quando terminet intellectionem? 212. n. [illegible]
Intelligibile quando conſideratur in genere intelligibili. 247. n. 37.
Genus intelligibile, ex ſua ratione fundatur in natura intellectuali naturaliter perfecta, & quomodo id explicetur? 248. n. 45.
Intelligibile, vt tale eſt, includit eſſe, tum motiuum intellectus, tum terminatiuum intellectionis. 298. art. 9. n. 1.
In quolibet intelligibili duplex intelligibilitas diſtingui debet; vna paſſiua, altera actiua. 299. n. 2.
Et an actiua duplex etiam ſit in quolibet intelligibili, vt eſt motiuum intellectus? 299. n. 2. 3. 4.
Quod actu eſt intelligibile in ſe, & veluti in actu primo, adhuc eſt intelligibile in potentia reſpectu intelligentis ſi illius intellectui actu non apparet. 470. n. 16.
Intelligibile, vt actu moueat intellectum debet actu apparere: tunc autem actu apparet, cum actu illuminatur, à lumine intellectus. 470. n. 16.
Intelligibile in ſe, & ipſi intelligenti non eſt idem ex D. Thoma. 470. n. 17.
Intelligibilis excellentia eſt cauſa, vt difficilius ab inferiori intelligatur. 106. n. 31.
Intelligibile nihil eſſe poteſt, niſi obiectiue repræſentetur in aliqua ſpecie ſub aliquo lumine. 505. n. 42.
¶ Intelligibilitas alia eſt exiſtentiæ obiectiuæ in intellectu: & alia ipſius immaterialitatis. 383. art. 7. n. 1.
Intelligibilitas duplex reperitur in quolibet intelligibili; vna paſſiua, altera actiua 299. n. 2
Intelligibilitas actiua, an ſit duplex in quolibet intelligibili, vt eſt motiuum intellectus? 299. n. 2. 3 & 4.
¶ Intellectus diuinus quomodo ſubalternetur diuinæ voluntati? 457. n. 40.
¶ Intellectus creatus quomodo conſideretur naturaliter. fol. 1. & 2. q. 1. in principio.
Intellectus obiectum. vide obiectum intellectus.
¶ Intellectus agens concurrit ad intellectionē faciendo euidentiam extremorum. 471. n. 18. in fine.

Solus intellectus agens eſt lumen ad intelligendum. 468.n.10.471.n.21.

Intellectus agentis lumen illuminat prima principia tanquam ratio intelligendi, & tanquam medium ſub quo, ex D.Thoma. 470.n. 18.

Lumen intellectus agentis non poteſt ſe ipſum illuminare, tam in nobis, quam in anima ſeparata, vt in ſe ipſo cognoſcatur. 484 n 45.

Intellectus agens non poteſt illuminare ſingularia in natura ſpecifica illuminata. 995.n. 8.

Suo lumine eſt medium ſub quo poßibilis intelligit, & ſub quo obiectum mouet ipſum poßibilem. 470.n. 18.

Intellectus agens ideo illuſtrat phantaſmata, & ſpecies ab illis abſtractas, vt obiecta in ipſis ſpeciebus actu appareant. 469 n. 11. 12.471.n 22 472.n. 25.

Intellectus agens non ſolum illuminat & manifeſtat obiectum in actu primo ſed etiam in actu ſecundo, vt ſit motiuum intellectus poßibilis. 471.n.24.

Intellectus agens non conſtituit obiecta intelligibilia in actu primo intelligibilis. 551. n.21.23. non ſolum abſolute, ſed etiam ip ſi intelligenti. 470.n.16.

Intellectus agens an producat intellectionem? 687 n.35.239.n.18. 20.

Intellectus agentis vis quomodo diriuetur à luce æterna? 471.n.23.

Intellectus agens in quo ſenſu dicatur habitus? 472. 26.

Non eſt habitus principiorum, qui appellatur intellectus. 472.n.27.

¶ Intellectus poßibilis.

Intellectus ex ſua natura eſt potentia, & vi actiua ad intelligendum. 136.n.29.

Per hanc influit in omnes actus etiam ſupernaturales. Ibidem.

Hæc vis intellectiua ad intelligendum omnia obiecta, & ad influendum in omnes actus tam naturales, quam ſupernaturales eſt incompleta. 136.n.28.137.n. 31.

Vnde quoad omnes actus indiget virtute ſuper addita intrinſeca, vel extrinſeca. Ibidem.

Hæc vis intellectiua intellectui natiua diſtinguitur à virtute ſibi ſuperaddita. 138.n. 33. Hæc ſemper eſt vna, & eadem, ſuperaddita vero eſt alia, & alia. Ibidem.

Hæc vis natiua ſecundum ſe ſpecificatur ab ente, vt ens eſt; intenſiue, & extenſiue. 137.n.30.

Hæc vis natiua in quo ſenſu dicatur naturalis? 138.n.34. & in quo ſenſu dicatur obedientialis? Ibidem.

Intellectus per vires ſuas naturales non poteſt intelligere, niſi per modum habentis eſſe. 147.n.15.16.17.&18.

Nullus intellectus per ſuam potẽtiam paßiuã naturalẽ eſt ſuſceptiuus intellectionis ſuperioris ordinis ſine ſupernaturali eleuatione per quã fiat propria illius potentia. 152.n.9.

In intellectu, etiam ſi paßiue concurrat ad intellectionem, agnoſcenda eſt vitalis quædam vis illi natiua qua per intellectionem ſolum receptam vitaliter exprimat obiectum. 153.n. 11.

In intellectu præter vim actiuam ad eliciendam intellectionem, & paßiuam ad eam recipiendam, ponenda eſt quædam vi, qua per intellectionem receptam intelligibiliter tendat in obiectum. 153.n. 12.

Intellectus ex ſua natura non habet capacitatem completam ad omne obiectum contentũ ſub obiecto extẽſiue adæquato. 156 n.25.

Licet ex ſua natiua potentia receptiua per ſe ordinetur ad omnes intellectiones: nõ tamẽ eodẽ modo ad omnes ordinatur. 157.n.28.

Intellectus, vt aliquid intelligat, debet fieri res ipſa, quæ intelligitur. 171. n. 9 Fit ipſa non per intellectionem. n. 10. Nec per aliquam formam obiectiue præſentatam, atque vnitam. 172 n. 13. Sed per formam intrinſecam, cuius ſit receptiua cum paßione non alteratiua ſed perfectiua. 172 n 14.174 n.15.332. n. 22.

Intellectum recipientem ſpeciem rei eſſe ipſã rem, quomodo debet intelligi? 332.n.22.

Intellectum fieri rem ipſam per ipſam intellectionem, repugnat Ariſtoteli. 376.§ 2.

Fieri rem ipſam per ſpeciem vt eam obiectiue proponit, impugnatur. 377.§.3. n. 17.

Fieri ipſam rem per ſpeciem, vt in genere intelligibili actuat intellectum abſque informatione illius: impugnatur. 379.§.4.n.25.

Intellectum fieri rem ipſam, vt eam intelligat, non ſolum verum eſt pro ſtatu viæ, ſed etiam pro ſtatu patriæ. 376.§.1.n.7. & 8.

¶ Intellectus non poteſt intelligere, niſi habeat obiectum debite ſibi vnitum, & obiectiue præſens. 175.n. 22.

Intellectus nõ ſemper vtitur ſuis ſpeciebus, ſed prius debet excitari ad intelligendũ, aut à phantaſia, aut à voluntate. 184.n.60.

Nihil poteſt intelligere, niſi vel proxime, vel remote mediet, vel ſpecies, vel aliquid ad inſtar ſpeciei. 184.n. 61.

In-

Intellectus noſter pro ſtatu viæ nō habeat notitiam intuitiuam? & quomodo? 202.n. 56.

Intellectus etiam Angelicus ex ſua natura eſt in potentia eſſentiali ad actum primum, & ſecundum. Ab hac reducitur ad actum primum per intellectum agentem imprimentem ſpeciem: factus autē in actu primo, adhuc manet in potentia accidentali ad actum ſecundum: ad quem reducitur, cum applicatur ad vſum. 211.n.40.

Intellectum formaliter eſſe intellectionem, in quo ſenſu ſit verum? 212.n.45.

Intellectus per ſe fit in actu primo per ſpeciem. 233.§.2 234.n.12.

Intellectus intelligendo format expreſſam rei ſimilitudinem. 220.n.11.& 12.

Intellectus immediate recipit actum intelligendi. 238.n.13.

Intellectus habet propriam virtutem actiuam diſtinctam à virtute actiua ſpeciei. 244. n.22.

Intellectus non concurrit ad actum intelligēdi præciſe vt eſt ſuſtētatiuū ſpeciei. 244.§.3

Compoſitio intellectus cum ſpecie differt à compoſitione materiæ cum forma. 245. n.27.28.29.

Intellectus ad actum intelligendi non concurrit ſolum, vt principium actiuum radicale, & inchoatiuum contra Caietanum. 245.§.4

Intellectus eſt vis, & efficacia actualis, qua anima intelligit 246 n. 33.

Intellectus non eodem modo ſe habet ad intellectionem, mediante ſpecie, quo ſe habet ignis ad calefactionem, mediante calore 246 n. 34.

Intellectus & eſt in potentia paſſiua ad ſpeciē, & in actiua ad intellectionem. 211 n.41.

Non ſolum perficitur recipiendo, ſed etiam agendo. Ibidem.

Intellectum non poſſe, rem intelligere, niſi prius fiat in actu primo eſt vera philoſophia, tam in via, quam in patria. 380.§ 1.

Intellectum conſtitui in actu primo per ſpeciē eſt doctrina Ariſtotelica 427.n. 15.

Intellectus non poteſt conſtitui in actu primo, niſi per formam intrinſece informantem. 427.n. 16.

Intellectus ex mente Ariſtotelis eſt pura potentia in genere intelligibili: & id explicatur. 247.n. 40.

In genere tamē entis eſt actus & forma accidētaria cum quo bene ſtat, vt in genere intelligibili ſit pura potentia. 248.n.43. & 44.

Intellectus prout primo cadit ſub genere intelligibili, eſt in pura potentia eſſentiali. 249.n.47.

Intellectus in genere entis poteſt eſſe actus, principiumque agendi: & pura potentia in genere intelligibili. 250.n. 50.

Intellectus in quo ſenſu a Ariſtotele dicatur miſtus? 249.n. 50.

Intellectus quando eſt in actu primo ad intelligendum? 739. n. 74.

Intellectus non poteſt conſtitui in actu primo ad intelligendum, niſi per formam intelligibilem per ſe, & non per accidens illum actuantem. 800.n. 22.

Intellectum, & ſpeciem eſſe vnum integrum principium intellectionis, in quo ſenſu ſit verum, & ordine ad quos actus? 838. n.31.

Intellectus eſt qualitas quædam eſſentialiter actiua: eſt pars animæ: eſt inſtrumentum datum illi à natura, vt per illud intelligat. 845.n. 19.

Eſt potentia actiua intellectionis actiuitate potentiæ, id eſt actiuitate elicitiua actus intelligendi. quæ actiuitas non datur in alijs formis ad eundem actum actiue concurrentibus. Ibidem.

Nec aliter poteſt ad actum concurrere niſi actiuitate potentiæ illi eſſentiali. 845. n.20.

Nihil poteſt intelligere ſiue naturale, ſiue ſupernaturale, niſi vt eſt actiuitas animæ illi data, vt per eam omnia intelligat. 846.n.21.

Intellectus virtus ad naturalia intelligenda non eſt aliqua virtus ipſi intellectui ſuperaddita ſed eſt ipſa natura actiuitas & naturalis virtus, qua intellectus intelligit 846.n. 24.

Hæc natiua actiuitas intellectus duobus modis poteſt dici naturalis: vno modo, quia eſt data à natura; altero modo: quia reſpicit obiecta mediante actione agentis naturalis. 845.n.21.846 n.24.

Intellectus (qui animæ eſt potentia intellectiua) ex ſua intrinſeca ntura eſt qualitas eſſentialiter actiua, qua anima influit in omnem ſuum actum, vt formali intelligendi principio. 863.n.37.

Intellectus eſſentialiter eſt ipſa vis actiua eliciens actum intelligendi quo anima intelligit 863.n. 37.

Vis iſta natiua, quæ eſſentialiter eſt intellectiua eſt naturalis: quia eſt congenita ſimul

cum natura: & quia ſecundum ſuam entitatem eſt ordinis naturæ condiſtincti ab ordine ſupranaturam: & tertio modo, quia eſt ex principijs naturæ. 864.n.40.42. & 43.

Vis iſta eſt illa eadem, quæ & naturalis eſt, & obedientialis [illegible] alia, & alia ratione. 864.n. [illegible] ſe 846.n.22.

In intellectu non eſt philoſophanda duplex actiuitas formaliter diſtincta, ſed vna, & eadem diſtincta per reſpectum ad agens naturale, & ſupernaturale; & quomodo de hoc ſit philoſophandum? 865.n.45.

Hæc virtus, & actiuitas, vt habet ordinē traſcendentalem ad obiecta naturalia eſt naturalis, vt naturale dicitur, quod poteſt fieri actione agentis naturalis. 865 n 46.

Hæc virtus, vt dicitur naturalis in ordine ad agens naturale, non poteſt influere in actus ſupernaturales tā viæ, quam patriæ. Ibidem.n.47.

Intellectus in via actiue influit in actus ſupernaturales virtute ſibi naturali. 860 n.26. Hac phraſi loquuntur Theologi relati. n. 27. & 28. & eadem vtitur Auguſtinus. 861.n 30. vide, an cum reduplicatione vſurpari debeat? n. 31.

Hæc virtus intellectus licet ex ſua natura ſit principium actiuum intelligendi, non tamen ex ſua natura eſt omnibus modis completa ſiue vt naturalis eſt, ſiue vt obedientialis. 867.n.53.

Intellectus ad actus ſupernaturales viæ cōcurrit, vt cauſa principalis. 874.n.10.875. n.13.& 14.879 n 26.

Intellectus conſideratus in illo priori, in quo abſtrahit à cognitione naturalium per virtutem naturalem: & à cognitione ſupernaralium per virtutem obedientialem eſt potentia vna ſpecie ſpecificata ab ente vt ens eſt, tanquam ab obiecto materiali, vt tamē eſt intelligibile, tanquam à ratione formali ſub qua 876 n 16.& 17. Defenditur. n. 18.19.& 20. In hac prioritate abſtractionis eſt virtus per ſe primo ordinata ad intelligendum omne obiectum abſtrahendo à naturali & ſupernaturali.879 n 27.

¶ Intellectus duobus modis vnitur cum ſuo obiecto 284.n. 18.

Intellectus obiectum, à quo nam repræſentetur per modum termini? 295.art 8.

Intellectus accipit cognitionē à rebus, vt ſunt quædam intelligibilia ex D.Thom. 3[illegible]9. num.1.

In intellectu non eſt admittendum aliquod verum lumen diſtinctum à lumine intellectus agentis. 467.n.5.468.[illegible] n.21.

Intellectus nullam facit apparentiam obiecti, ſed ſolam expreſsionem eius: exprimere autem id, quod obiectiue apparet perfectius, eſt quam obiectum apparere. 471 n.24.

Vt intellectus intelligat non ſatis eſt indiſtantia realis rei cum intellectu, ſed neceſſaria eſt præſentia obiectiua per ſpeciem. 394. n.39.

Intellectus perfici, actuarique non poteſt performam extrinſece illi aſsiſtentem. 415. n. 64.

Intellectus per ſpeciem non conſequitur eſſe naturale rei quam intelligit, ſed ſolum eſſe notionale & intelligibile. 418 n. 75.

Intellectus tunc primo eſt potens intelligere, cum primo ſit res ipſa, quam debet intelligere ex doctrina Ariſtotelis. 423 n. 6.

Intellectum eſſe actiuum ſui actus non tollit, quin antecedenter ſit potentia habens ſe per modum materiæ ad illum. 521.n.26.

Intellectus prius conſideratur in potentia ad recipiendū ſpeciem, quam formaliter vniatur cum obiecto. 524 n.2.

Intellectus non conſtituitur in actu primo ad intelligendum per lumen, ſed per ſpeciem. 545.n.7. & hoc indubitatum eſt ſi ſpecies admittantur. 546 n. 12.

Intellectus nequit videre, niſi in ſe ipſo illuſtretur lumine. 559 n. 16. Factus autē actu lucidus, & tranſparens, recipit ſpeciem, in qua obiectum relucet, & apparet. 550 n. 16. & 18.

Omnis actus intellectus tendit in obiectum ſub ratione intelligibili ſub qua, & ab ea ſpecificatur, non intrinſece, ſed extrinſece. 598. n. 83.

Intellectus non redditur formaliter intelligens per productionem intellectionis pro illo priori in quo concipitur non dum concepta. 654.n.44.

Intellectus per qualitatem quæ eſt intellectio, vt eſt ab ipſo, effectiue ſe facit intelligentē, non tamen formaliter. 655.n.50.

Intellectus non habet, quod formaliter ſit intelligens ab intellectione, vt eſt ab ipſo, ſed vt eſt in ipſo. Ibidem.

Intellectum intelligere per intellectionem in ſe non receptam, implicat: non tamen implicat intelligere per eam, quam non producit.656.n.55.675.§.6.n.65.66.67 68

Intellectus concurſus ad apprehendendum obiectum nullam denotat originem ex Diuo Thoma. 679.n 80.

Intellectus vnius poteſt à Deo inſtrumentaliter aſſumi, vt intellectionem producat in intellectu alterius. 794.n.18.

Intellectum naturaliter inclinari ad aſſenſum primorum principiorum, quomodo intelligatur. 472.n.28.

Intellectus humanus adæquate non attingit obiectum per ſolum diſcurſum. 1143.n.37. & 38.

Intellectus noſtri obiectum adæquatum ſtando in lumine naturali non eſt quidditas rei ſenſibilis. 1199.n.29. *Quidnam ſit illud?* 1200.n. 30.

Intellectus coniunctus an poßit aliquid intuitiue cognoſcere 1200.n.32.

Inter intellectus humanos an detur indiuidualis inæqualitas ſubſtantialis. 1339 n.2. 1340.n. 4.

Intellectus inæquales cum ſpecie æquali inæqualiter intelligunt. 1343 n 19 & 21.

Intellectus in agendo nullam ſupponit cauſam ſibi in agendo ſubalternatam 1342.n.16

Intellectus reſpectu ſuorum actuum non eſt cauſa vniuerſalis ſed particularis, quamuis indeterminata. Ibidem.

Intellectus non concurrit ad intellectionem ſolum, vt principium radicale. 245.n.30.

Intellectus naturaliter nihil poteſt intelligere, niſi id, quod ſibi præſentatur ad modum eſſendi cognoſcentis. 34 n.47.39 n 63.

Nihil etiam poteſt naturaliter cognoſcere niſi quod poteſt abſtrahi à quidditate rei materialis. 39.n.63.

Intellectus humanus intelligit Deum ad modum rei corporeæ. 84 n. 44.

Intellectus creatus magis diſtat ab intelligibilitate diuina, quam, oculus noctuæ à luce ſolis. 148. n. 20.

Intellectus creatus in ordine ad intellectionẽ triplicem habet ſtatum. 172.n 11.

Intellectus in ordine ad intellectionem, & ad ea, quæ debet intelligere, intelligit quæ ſecundum ſuam eſſentiam ſunt in anima ex Auguſt. quomodo id ſit intelligendum. 59.n 25.

Intellectus non eodem modo ſe habet ad intelligibilia, quo viſus ad viſibilia 66 n 33.

Intellectus, qui poteſt intelligere id quod eſt maius, non proindẽ poteſt intelligere quod eſt minus: & in quo ſenſu? 67 n 39 40.

Intellectus circa ſimplicia ita ſe habet, vt ea vel exacte cognoſcat: vel omnino ignoret: quomodo ſit intelligendum? 6.n.13.& 14. 96.n 30.

Intellectus, quamuis ſine concurſu ex parte obiecti ſit inſufficiens ad intellectionem: in ſuo tamen genere eſt totalis, & completus in ordine ad naturalia, non tamen ad ſupernaturalia. 72.art 4 n 2. [illegible]

Intellectus noſter poteſt naturaliter cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, quoad an eſt & quoad prædicata generica: imo quoad propria ſi plura aggregentur. 21.n.3.

Intellectum noſtrum poſſe pro ſtatu viæ naturaliter cognoſcere ſubſtãtias ſeparatas quidditatiue an ſit naturaliter demonſtrabile? 21.art 4.

Intellectus noſter nihil poteſt naturaliter cognoſcere niſi incipiat à ſenſu, late oſtenditur. 25 n.20 & c.et.

Intellectus pro ſtatu viæ nihil poteſt naturaliter intelligere, niſi per conuerſionem ad phantaſmata. 29.n.30.& 31. *An id ſit nobis naturale?* 31 n 36.

An aliquid poßit naturaliter cognoſcere quod aliquo modo non fuerit ſenſatum? diſp. 27. n.25. *Quæ ſint illa quæ aliquo modo fuerunt in ſenſu?* 29. n 29.

Intellectus ſolum poteſt naturaliter intelligere quæ per intellectum agentem poſſunt fieri actu intelligibilia. 38.n. 60.

Intellectus qui eſt habitus principiorum in ſpeculatiuis quid ſit? 472 n.27.

In quo ſenſu dicatur habere notitiam primorũ principiorum? 472.n 28.

Intellectuum diuerſitas ſpecifica an bene inferatur ex diuerſitate ſpecifica naturarum? 474.n.8.

¶ *In intellectu dari potentiam obedientialem, ad actus ſupernaturales: nn eſt negandum.* 744.n.93.

In intellectu an detur potentia paßiua ad recipiendam viſionem beatam. 870 n 61.

Hæc potentia eodem modo eſt naturalis, quo potentia actiua naturalis eſt ad eandem viſionem. Ibidem.

Intelletus coniunctus in via an poßit naturaliter cognoſcere Deum abſtractiue, & quidditatiue? diſput. 90.art.1. *Negatiua vera.* 92.n.8. *demonſtratur rationibus.* 93. n.13. *An oppoſita indigeat cenſura?* 94.§. 4.n.21.

Intellectus ſeparatus an viribus naturæ poßit habere cognitionem Dei abſtractiuã quidditatiuam? Diſput.99.art 2. *Negatiua*

 varie

varie demonſtratur. 103.§.4. 105.§.5. Oppoſita non eſt tuta in fide. 105. n.27. vide. 161.art.2.

Intellectus ſeparatus an poſſit quidditatiue,& abſtractiue cognoſcere Deum in aliquo obiecto naturaliter cognito? Diſp. 106.art. 3. 116.art. 4.

An id poſſit per aliquam ſpeciem? 116.art. 5.

Ad id poſſit per ſpeciem diuinæ eſſentiæ abſtractiuam diuinitus illi infuſam. 119.§.3

¶ Intellectus creati proportio in ordine ad diuinam eſſentiam. vide diuina eſſentia.

Intellectus creatus in ordine ad videndum Deum quam proportionem habeat? 520. n.22.

Intellectum creatum naturaliter videre Deũ, eſt contra fidem. 60. art. 1. Qui heretici contradicant. 61.n.2. Eorum argumenta. n.67. Soluuntur. 66.n.31.

Intellectus ſibi relictus habet naturalem improportionem ad intelligibilia ordinis ſupernaturalis. 66.n.32.

Intellectum creatũ nõ poſſe naturaliter videre Deum, an ſit naturaliter demonſtrabile? 68.art.2. Affirmatiua eſt vera. 69.§.2. vide plures demonſtrationes. 71.art.3. 72.art.4.& 5. 86.art.7.

Concurſus intellectus in ordine ad viſionem diuinæ eſſentiæ ex ſua natura eſt incompletus. 72.art.4.n. 3.

An ad videndum Deum ex ſua parte indigeat ſupernaturali concurſu, & eleuatione ſuæ actiuitatis. 129.art.1. Affirmatiua placet. 132.§.2.multis probatur. 132.133. 134.& 135.

An influat in viſionem virtute ſibi innata, an ſola virtute luminis. 135.n.23.

Cur indigeat eleuatione ſi habet virtutem innatam. 135.n.24.& 25.

Eum non influere in viſionem, vt cauſam principalem, ſed vt inſtrumentalem plures volunt. 136.n.26. Apud nonnullos influit in eam, vt cauſa vniuerſalis ſecundum rationem genericam viſionis. Ibidem. In eã concurrit per virtutem innatam, non vt eſt naturalis, ſed vt eſt obedientialis, vt vult Suarius. 136.n.27. vide reſolutionem. 136.n.28.cũ pluribus paginis ſequentibus.

An ſine ſupernaturali eleuatione poſſit videre diuinam eſſentiã obiectiue ſibi præſentatam. Diſp.142.art.2. Quidam affirmant ſed varie impugnantur. §.1. vera impugnatio. 145.§.2. De cenſura illius. 14[?].§.3.

Intellectus ſi ſolum paſſiue concurrat ad viſionem, an indigeat, ſupernaturali eleuatione, & concurſu? Diſp. 150.§.1. Affirmatiua vera. 151.§.2.

An ſecundum ſuam naturam ſit diſpoſitus ad recipiendam viſionem? Quidam affirmant. 154.n.13. Negatiua vera & ſoluuntur argumenta. 155.§.4. Ex ſe tamen habet potentiam paſſiuam naturaliter improportionatam: potentem tamen proportionari. 155.n.22.

Intellectum fieri in actu primo per lumen gloriæ ad videndam diuinam eſſentiam, impugnatur. 381.§.2.427.n. 13.

Intellectum poſſe videre Deum, licet non cõſtituatur in actu primo, non placet. 427. n. 13.

Intellectus ſupernaturali forma informatus, naturaliter elicit viſionem. 506.n.44.

Vt videat Deum, debet eleuari eleuatione ſupernaturali, quæ concurrat ad viſionem, & quæ intellectum eleuet ſicut lumen. 508.Concl. 4.

Intellectus ſecundum ſuam vim actiuam impotens eſt ad videndum Deum: fit tamen potens per lumen gloriæ. 519.n.17.& 18. Nec opinio Scoti, & Durandi defendi poteſt. n. 19.

Inter intellectum & Deum non poteſt dari proportio geometrica ſiue in entitate, ſiue in intelligibilitate; bene tamen datur proportio alterius generis. 520.n.22.

Intellectus ne tendat in Deum duplex habet impedimentum: vnum intrinſecum, & inſeparabile; aliud extrinſecum, & ſeparabile. 140.n.41.

An vtrunque poſſit diuinitus auferri? n.42.

Intellectus creatus, vt eſt cognoſcens in ordine ad diuinam eſſentiam, poteſt duobus modis conſiderari. 520.n.24.

Intellectus actiua virtus naturalis ex ſe improportionata eſt ad videndum Deum: ſimpliciter tamen non eſt talis, ſed habet proportionem radicalem, & remotam, vt fiat proportionata. 521.n.25.

Intellectus non conſtituitur in actu primo ad videndum Deum per lumen gloriæ; ſed per ſpeciem creatam, vel increatam. 544. n.6.

Intellectus potentia paſſiua ad recipiendam viſionem ex ſe eſt improportionata. 556. n.21. Quomodo proportionetur? n.22. 616.n.11.& 12.870.n.61.

Vt eam in ſe recipiat, debet eſſe illuminatus in ſe ipſo per lumen gloriæ. 556.n.22.

Intellectum recipere lumen propter viſionem: [illegible]gis ordinari ad viſionem, quam ad lumen non arguit eum immediate in ſe ipſo recipere viſionem. 566. n. 79.
Intellectum ex ſe eſſe immediate ſuſceptiuum viſionis, abſolute eſt falſum. 566. n. 80.
An ad viſionem concurrat actiue, an ſolum paſſiue? 645. q. 1.
Intellectus etiam illuſtratus lumine gloriæ, in quo ſenſu infinite diſtet à Deo? 837. n. 28.
Intellectus, ſi diuina potentia ſine lumine videret Deum, non eſſet obedientialiter potens ad videndum per principium actiuum quod eſt in Deo, ſed per propriam actiuitatē radicalem, qua eleuaretur. 704. n. 21.
¶ Intenſionis gradus alicuius formæ intenſæ ſunt eiuſdem rationis tam ſpecificæ, quam indiuidualis: & ideo nullum habent ordinē primi, & ſecundi. 1332. n. 29.
Intenſionis diuerſitas in quo ſenſu per ſe ſumatur à ſubiecto. 1332. n. 30.
¶ Intentio idem eſt, quod attentio. 674. n. 57. vide attentio.
Intentio interdum ſumitur pro intentione logica, quæ eſt ens rationis: interdū vero pro ente, quod ex ſua natura eſt medium tendendi in aliud. 208. n. 27.
¶ Inuiſibilitas eſt attributum diſtinctum ad incomprehenſibilitate. 10 n. 11.
¶ Ioannem Euangeliſtam vidiſſe diuinam eſſentiam in via, aliqui affirmant. 1294. n. 15.
¶ Idem aliqui dicunt de S. Ioſepho viro Mariæ. Ibidem.
¶ Iudicium ſemper fit cum conſideratione. 675. n. 58.
Ad iudicium propoſitionis præ requiritur euidentia terminorum. 486. n. 54.
¶ Ius canonicum in capite debitum de bigamis: matrimonium conſumatum ſignificare coniungium contractum inter Chriſtum, & Eccleſiam per incarnationem; explicatur. 914. n. 10.
¶ Ad iuſtificationem actus impiorum diſponere. 564. n. 71.
Ad iuſtificationem inæqualitas diſpoſitionis aliquo modo refunditur in inæqualitatem diſpoſitionis naturæ: & in quo ſenſu? 1345. n. 29.
¶ Deus ſolus iuſtificat animas per infuſionem iuſtitiæ, & gratiæ; homo tamen ſe iuſtificat diſpoſitiue. 687. n. 37.
¶ Iuſtitia originalis eſt naturalis, prout naturale idem eſt, quod datum ſimul cum natura ſimpliciter tamen non eſt naturalis 776. n. 23.
¶ Iuſtos æqualiter eſſe iuſtos, & habere merita æqualia hereſis. 1308. n. 62.
Iuſtos eſſe iuſtos per iuſtitiam Chriſti nobis im[illegible]ærana. Ibidem.

L.

¶ Libertas, vel eſt contradictionis, vel contrarietatis. 1091. n. 3.
Libertatis perfectio non eſt poſita in indifferentia contrarietatis. 1124. n. 15.
¶ Liberum proprie quo modo ſumatur? 1090. art. 6. n. 1.
¶ Liberum arbitrium, eſt in potentia obediētiali ad actus ſupernaturales: ad eos tamē non concurrit, vt inſtrumentum: ſed vt cauſa principalis. 792. n. 13. & 14.
Hæc vox lumen primo impoſita fuit ad ſignificandum lumen ſenſibile: & inde tranſlata eſt ad ſignificandum omne, quod facit manifeſtationem. 493. n. 10.
Lumen quid proprie ſignificet? 493. n. 11. & 12.
Non eſt habitus de ſecunda ſpecie qualitatis, ſed actus, quo actuatur diaphanum. 472. n. 26.
Lumen non agit in ſe ipſum. 560. n. 40.
¶ Lumen ſenſibile illuminat medium, & obiectum, vt emittat ſpecies in viſum. 470. n. 16.
Hoc lumen emiſſa ſpecie in oculum ſimul cū oculo influit in viſionem influentia obiectiua. Ibidem.
Quomodo ſe habeat tum ad corpus diaphanū, tum ad coloratum. 550. n. 19.
Non tenet ſe ex parte obiecti. 550. n. 21.
Eſt medium ſub quo. Ibidem.
Conſtituit colorem in actu primo. Ibidem.
Lumen corporeum, & ſenſibile ex ſe eſt diſpoſitio actiua, & paſſiua. 621. n. 43.
¶ Lumen quodcunque realiter diſtinguitur à ſpeciebus. 635. n. 42.
Realiter etiam diſtinguitur à qualitate ſcientiæ. 486. n. 55.
Luminis ratio alia eſt à ratione ſcientiæ, & ob aliam cauſam eſt neceſſarium. 486. n. 54.
Eſt neceſſarium. vt obiectum fiat actu, intelligibile intelligibilitate obiectiua. 505. n. 42.
Eſt neceſſarium, ad omnem cognitionem & intellectionem. 465. q. 1. 548. n. 10.
Eſt neceſſarium, vt obiectum intelligibiliter appareat. 506. n. 43.
Triplex genus luminis diſtingui poteſt, ſcilicet, eiuſ-

eiuſdem ordinis cum ſuo obiecto: altioris ordinis: denique ordinis inferioris. 484 n.41.42.43.

Lumen, quod eſt, eiuſdem ordinis cum obiecto poteſt eſſe medium ſub quo ipſummet lumē cognoſcatur: ſec[illegible] or-dinis aut ſu[illegible]oris, aut inferioris 484.n. [illegible] 45.

¶ Lumen in intellectu ponitur, tum vt faciat apparentiam terminorum; tum etiam vt faciat euidentiam connectionis illorum. 486 n.54.

Lumen intellectuale abſolute eſt neceſſarium ad intelligendum. 465.n.1.

Non conſtituit intellectum in actu primo. 545.n.7.

Lumen intellectiuum naturale dari in nobis eſt indubitatum. 467. §. 1.

Lumen naturale in nobis quid ſit? 467. §. 2.

Eſt lumen intellectus agentis. 468 n.10.

Non eſt habitus ſcientiæ. 475.n. 12.

An ſit vnum tantum? Dubium. 467.n.5.& 6. vera opinio. 468. §. 3.

Lumen in intellectu dicitur illud, quod eſt medium quo, ſiue ſub quo intelligibile illuſtratur, & apparet. 468 n.10. 478 n. 9.

Lumen intellectuale non eſt principium vitæ. 560. n 40.

Non eſt vis intelligendi. 474. n. 6.

Nec eſt ſpecies intelligibilis. 475.n. 11.

Luminis effectus proprius & formalis eſt manifeſtare obiecta cognoſcibilia, vt appareāt potentiæ cognoſcenti. 549.n.13. 601.n. 95. 96. 97. 98.

Lumen intellectuale non eſt ratio formalis ad intelligendum, ſed conditio. 478. n. 9.

¶ Lumen intellectus agentis, vide intellectus agens.

¶ Lumen naturale intellectus Angeli: vide Angeli naturale lumen.

Eſt qualitas ſpiritualis. 475.n 13.

Hoc lumen in Angelis, quodnam obiectum primo reſpiciat. 484 n.48.

Lumen Angelis naturaliter inditū poteſt per ſe ipſum in ſe ipſo videri. 484.n. 46.

¶ Lumen animæ Chriſti, vide Chriſti lumen.

Eſt ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam. 481 n.27. 28.

¶ Lumen fidei vide fidei lumen.

Eſt qualitas diſtincta à fide. 486.n. 56.

¶ Lumen infuſum an datum fuerit Adamo? vide Adamus.

An detur animabus ſeparatis in ſua ſeparatione. vide Anima ſeparata.

Lumen infuſum an ſit neceſſarium beatis ad cognitionem veſpertinam? 490[illegible]

An foret neceſſarium illis, in cognitione abſtractiua, ſi per ſpeciem creatam Deum cognoſcerent? Negat Scotus: affirmandum eſt. 490.art.8.n. 1.& 2.

An hoc lumen diſtinguatur à lumine gloriæ? 482 n.29.1062.n.2.& 3.

Diſtinguitur à vi natiua intellectus contra Bellomontanum. 1063.n. 5.

Diſtinguitur à ſpeciebus inditis. 485.n. 50. 1063.n. 6.

Diſtinguitur ab habitu ſcientiæ inditæ beatis. 1063. n. 7.

Eſt vnum tantum lumen. 480.n.20. 1063. n.8.

Quæ nam ſint munera huius luminis? 487. n 61.1064 n 9.

Per illud poteſt tendere beatus ad cognoſcendum lumen gloriæ. 483.n. 39.

¶ Lumen ſcientiæ per ſe infuſæ ex ſua natura illuminat illuminatione ſimplici proprietates in eſſentia, effectus in cauſa, indiuidua in natura ſpecifica. 995 n.9.

¶ Lumen gloriæ per ſe ſpecificatur à diuina eſſentia, vt eſt obiectum quoddam diuinū. 482. n. 30.

Lumen gloriæ ex ſua natura eſt excellentius, quam cætera lumina. 486.n 57.

Propter ſuam excellentiam habet quod formaliter ſit lumen, eminenter autem habitus. Ibidem.

Per lumen gloriæ quid ſit intelligendum? 491 art. vnico. Non eſt lumen increatum. 491. n.2.3.4.494.n.15. Nec etiam eſt auxilium ſpeciale. 492.n.5.495.n.20. Nec eſt ipſa viſio. 492.n.6.496 n. 22. 513.n.32.

Eſt qualitas: & habitus creatus diſtinctus à viſione. 492. n.7.493. §.2.

Varijs modis accipitur. 491.n. 1.

Proprie ſumitur pro illo, quod diuinam eſſentiam intellectui manifeſtat. 494.n. 14.

Non ſumitur pro actuali concurſu, quo Deus ad viſionem concurrit. 495.n. 20.

Sumitur pro qualitate ſupernaturali per ſe infuſa. 497.n. 28.

Quid nam ſit hæc qualitas? 852.n.40.

In qua ſpecie qualitatis ponatur? 851.n 37.

An proprie ſit habitus, an vero potentia? Ibid. & 852 n 38.& 39.

Eſt ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, non formalis ſed participata. 545. n. 10.

Eſt ſufficiens principium cognoſcendi ſe ipſum.

482.n.33.483.n.37.484.n.45. Solu- [illegible] argumenta Suarij.483.n.38.& 39. ſub quo lumine videri poteſt in ſe ipſo? 483.n.38. Vtrum videatur per lumen infuſum Chriſto. Ibidem. n.39. Non ſatis erit lumen cognitionis veſpertinæ beatorũ. Ibidem.

An ad illud cognoſcendum requiratur lumen perfectius illo? 483.n.39.& 40.

¶ Lumen gloriæ de facto datur in beatis, vt Deum videant. 497. Contra nonnullos hæreticos, & nonnullos Theologos Catholicos. Ibidem. n. 1. & 2. An ſit contra Scotum? Ibidem. Hoc neceſſario tenendum eſt. 502.§.3.503.§.4. Soluuntur argumenta. 505.§.5.

An id ſit de fide? Diſp. 506. art. 2. variæ ſententiæ.§.1. vera reſolutio.507.§.2.

Eſt de fide, maxime poſt Concilium Viennenſe 507.n.5. Et hoc tenendum eſt, ſiue intellectus ad viſionem actiue concurrat, ſiue paßiue. 508 n.7.

Lumen gloriæ dari in Angelis beatis non eſt negandum. 508.n.6.

Lumen gloriæ habituale neceſſarium eße ad viſionem, an diffinitum ſit de fide? Non eſt certum. 511. Concl. 5. temerarium tamen erit id negare, imo erit erroneum. 512. Concl. 6.

Diffinitum tamen eſt intellectum de facto eleuari per modum luminis. 511.n.22.

Diffinitum etiam videtur lumen gloriæ habituale neceſſarium eſſe de potentia ordinaria. 514.n.36.

¶ Lumen gloriæ eſſe ſupernaturale ſecundũ ſubſtantiam eſt de fide. 512.n.26.

Lumen gloriæ ſolum eſſe admittendum, vt ornamentũ, & decorem intellectus, & improbabile eſt, & videtur hæreticum. 514. art.1.

Datur ad plura munera. 538.n.76.

An ſit neceſſarium, vt intellectus actiue influat in viſionem? Plures negant. 515.§.1. Affirmatio eſt vera, & neceſſario admittenda poſt Concilium Viennenſe. 517. §.2.519.n.17.

¶ Lumen gloriæ an ſit neceßarium ad vnionem formalem diuinæ eſſentiæ vt recipiatur ad modum formæ intelligibilis? Diſp. 523.art.3. Opinio negans cum fundamẽtis.524.§.2. Affirmatiua probatur. 525. §.3. Et confirmatur.527.§.4. Vide.528. & 532. Vide etiam 533.§.5.

Lumen gloriæ eſſe potentiam ſuſceptiuam diuinæ eſſentiæ per modum ſpeciei nonnulli dicunt, ſed reijciuntur. 530.n.37.

Lumen gloriæ an ſit neceſſarium ad vnionem obiectiuam diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati. Diſp. 538.art.4. Quidam negant. [illegible] Aff[illegible] vera [illegible]tenenda. 540.§.3. Soluuntur argumenta [illegible]42.§.4. Vide etiam. 531.n.41.& 42.

Lumen gloriæ non eſt potentia actiua, ſed principium actiuum potentiæ intellectiuæ. 538.n.77.

Lumen gloriæ ſemper eſt neceſſarium, vt intellectus proportionetur diuinæ eſſentiæ, vt eſt obiectum vel terminatiuum viſionis: vel motiuum ad viſionem. 542.n.20.

Eſt etiam neceſſarium vt intellectus recipiat viſionem iuxta veriorem opinionem. 543. n.25.

Lumen gloriæ habet duo munera, vnum eſt influere in viſionem: alterum eleuare intellectum, vt poßit vnire diuinæ eſſentiæ & formaliter & obiectiue. 543 art 5.

An conſtituat intellectum in actu primo ad viſionem? Diſp. Quidam affirmant 543. art.6.§.1. Negatiua vera. 544.§.3. Quomodo explicandus ſit D.Thom n.5.

Non poteſt facere in intellectu beati id, quod facit ſpecies in alijs intelligibilibus. 545. n.10.

Concurrit ad viſionem. vt complens virtutem intellectus, non vt poßit, ſed vt proxime poßit. 546 n.10.

Non determinat virtutem intellectus ad hanc vel illam viſionem. 546 n.10.

Eſt neceſſarium vt medium videndi ſub quo. 546.art.8. Reijcitur oppoſita ſententia. 547.§.2.

Eſt neceſſarium ad videndum diuinam eſſentiam vt medium ſub quo. 548.n.11. Et vt ſic tenet ſe ex parte diuinæ eſſentiæ vt eſt obiectum n.12. Quidnam ſit formalis illius effectus vt eſt medium ſub quo? 549. n.13.

Illius proprium munus eſt eſſentiam nobis intelligibiliter occultam, facere intelligibiliter apparentem. Ibidem.

Vt eſt medium ſub quo non tenet ſe ex parte intellectus: ſed pro vt eſt forma illum illuſtrans: & ideo illum illuminat vt forma actuans. 549 n.15.

Non eodem modo ſe habet ad intellectum beati & ad diuinam eſſentiam. Vide late. 550. n.17 & 18.

Actuat intellectum tanquam quoddam diphanum

num materialiter ſe habens. 550.n.20.

Lumen gloriæ non eſt forma actuans diuinam eſſentiam, nec illam reddens actualiter lucidam, ſed ſolum eſt medium ſub quo illa intelligibiliter apparet. Ibidem.

Lumen gloriæ an ſit [illegible] intellectus recipi[illegible] viſionem à ſe productam? diſp. [illegible]9.

Referuntur opiniones §.1. Opinio affirmans varie explicatur. 554 §.2. Vera reſolutio poſitis concluſionibus oſtenditur. 555.§.3.

Debet admitti vt diſpoſitio intellectus ad viſionem in ſe recipiendam. 555.n.18 Nõ nulli repugnant. 551.n.2. alij id admitũt. 552 n.5. Defenditur ab argumentis aduerſarijs. 561.§.4.

Quomodo paſſiue diſponat intellectum ad recipiendam viſionem. 556.n.22.

Non eſt diſpoſitio receptiua viſionis in ſe ipſo, ſed eſt pura diſpoſitio. 556.n.23. Adducuntur variæ confirmationes. 557.n.24. & 25. & 26. Verum fundamentum. n. 27. impugnatur à nonnullis. 570.§.5 Sed defenditur 571.n.106. & cæt.

Per ſe primo non vero ex conſequenti diſponit ad viſionem. 558.n.34.

Quomodo ſit neceſſarium ad tollendum defectum intellectus ad recipiendam viſionem 559.n. 37.

Non eſt ſubiectum immediatum ad recipiendam viſionem, nec etiam partialiter. 560. n.38.

Lumen gloriæ non immediate diſponit ad diuinam eſſentiam, vt eſt ſpecies, & mediate ad viſionem. 567. n. 84.

Lumen gloriæ non eſt effectiue à diuina eſſentia. vt eſt ſpecies, ſed fit à Deo vt eſt auctor rerum. 567.n. 84.

Lumen in proceſſu intelligibili non eſt vltima diſpoſitio ad videndum. 567.n 85.

Lumen gloriæ reſpicit viſionem vt principium agendi & recipiendi, ſub alia & alia ratione. 567. n. 86.

Non eſt forma perfectior viſione n.87.

An ſit potentia in ordine ad viſionem? 569.n. 92 & 93.

Sub lumine gloriæ apparent omnia, quæ viſione beata videntur. 573.art.10. & eo modo illuſtrantur ab eo, quo videntur. Ibid. n.2.

An ſub lumine gloriæ videantur, quæ extra eſſentiam videntur. 573.art.10.n[illegible].

Luminis gloriæ munera quæ ſint? 57[illegible]. art. 11. Quo ordine illa exerceat? late. 574.& 575.

Vtrum lumen gloriæ ſit ſuperfluum, ſi admittenda ſit aliqua ſpecies creata vel increata. Diſp. 576 art. 1. affirmat Bellom. §.1. Reijcitur. 578.§.2. adducuntur contra eum argumenta, quæ non concludunt. 578.n.12 Soluuntur argumenta Bellom. 576.§.3. & 577. & 578.

Lumen gloriæ habituale an ſit neceſſarium etiam de potentia abſoluta. Diſp. 581. q. 6. art 1. Thomiſtæ affirmant & eorum argumenta. 582.§.2. Alij negant. 585.§. 2. Pars affirmans eligitur. 590.§.3. Soluũtur argumenta. 591.§.4. adducitur verum fundamentum affirmationis. 599.§. 5. Soluuntur argumenta partis negantis. 606.§.6.

Lumen gloriæ an diuina potentia ſit, neceſſarium, & in quo ſenſu. 591.n.55.& 56.

Illius efficientiam quomodo, & quo concurſu Deus ſupleat? 591 n.58.

Lumen gloriæ non poteſt eſſe cauſa formalis intrinſeca reſpectu viſionis. 595.num.74. Nec etiam extrinſeca. 596.n.74.

An ſit cauſa formalis ſpecificans? dubitatur. Negandum eſt. 596.n.75. & 76.

Hoc lumen ſpecificare viſionem, quæ de facto datur, non vero alias, quæ ſine lumine dari poſſunt, quidam putant. 596. n. 75. Sed reijciuntur. n 76. & 77. Hæc ſententia eſt de mente D. Thom. 597.n 82.

Licet lumen ſpecificaret viſionem, non proinde inferretur eam ſine lumine fieri non poſſe. 596.n.77. 597. n. 78.

Lumen ſpecificare viſionem non argueret dependentiam eſſentialem viſionis à lumine, ſed ſolam connaturalem. 597.n.78.

Lumen gloriæ determinat intellectum ad viſionem ſub ratione generali viſionis eſſentiæ, non tamen ſub tali ratione viſionis. 598.n. 84.

Verum ſundamentum, quod nec de potentia abſoluta poſſit Deus videri ſine lumine. 599.§.5 n.90. 600.n. 91.

Lumen gloriæ quibus modis poteſt ſuppleri à Deo, varie explicatur. 602. n. 99.

Illud nullo modo poſſe ſuppleri oſtenditur. Ibidem.

Lumen gloriæ non poteſt à Deo ſuppleri per hoc quod Deus ſeſe intellectui beato coniungit, vt cauſa partialis. 602.n. 100.

Nec poteſt ſuppleri per hoc quod Deus intellectui communicet ſuum agendi principiũ. n. 101.

Nec ſuppleri poteſt dando intellectui aliquam formam,

formam, quæ non ſit lumen, qua lumen gloria ſuppleatur. 603 n. 102. & 103. 605. n. 113.

Lumen gloriæ apud quoſdam non ſolum eſt cauſa efficiens viſionis, ſed etiam materialis, in ordine ad recipiendam diuinam eſſentiam per modum ſpeciei. 607. n. 119.

Hoc lumen non ſolum requiritur, vt ſuppleat defectum virtutis intellectiuæ, ſed etiam vt illuminet obiecta. 609. n. 127.

Lumen gloriæ an ſit neceſſarium ad viſionem, ſi intellectus ad eam ſolum concurrat paſſiue. Diſp. 613. art. 1. Negans. §. 1. Affirmans. 615. §. 2. Et hæc eſt tenenda. §. 3. n. 7. & 8. Soluuntur argumenta. 619. §. 4. vide. 623. art. 3. 624. §. 1.

Eſt neceſſarium ad viſionem, etiam eam, quæ ab intellectu non elicitur, ſed ſolum recipitur. 618. n. 21.

Lumen gloriæ diſponit intellectum, vt immediate ſit ſuſceptiuus, tum diuinæ eſſentiæ, vt eſt ſpecies, tum viſionis. 621. n. 40.

Ex ſe habet quod diſponat intellectum ad vtrũque. n. 42. Principalius diſponit ad recipiendum, quam ad agendum. Ibidem.

Luminis gloriæ munera, ſi intellectus ſolum concurrit paſſiue ad viſionem 622. art. 2.

Lumen gloriæ an realiter ſit ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ. Diſp. Affirmat Bellom. 627 art. 1. §. 1. vide aliam opinionẽ. 628. §. 2. 630. n. 19. vera reſolutio. 628. §. 3. Realiter diſtingui à ſpecie, ſi diuina eſſẽtia ſubit vicẽ ſpeciei, eſt indubitatũ. 629. n. 16

Lumen gloriæ realiter diſtingui ab ſpecie creata, ſi admittatur, plures volunt, rationibus tamen minus efficacibus. 630. n. 21. & 22. 631. 632. 633 Ratio efficax. 634 n. 35. 635. n. 40. Soluuntur argumenta. 636 §. 5. n. 46. 47.

Lumen gloriæ pertinet ad eſſe diuinum in genere rei, & eſt diuini ordinis. 635. n. 39.

Lumen gloriæ ponit D. Tho. ex parte potentiæ intellectiuæ & appellat illud Dei ſimilitudinem & in quo ſenſu. 637. n. 49. & 50.

¶ Lumen gloriæ quomodo compleat virtutẽ actiuam intellectus. 637. n. 52.

Lumen gloriæ & intellectum eſſe vnum integrum principium viſionis falſo aſſeritur. 638 n. 54.

Lumen gloriæ an ſit ipſa viſio beata. Diſp Quidã affirmant. 638. art. 2. §. 1. Negatiua vera. §. 2. Soluuntur argumenta. 639. §. 3.

An ſit gratia & charitas, quæ eſt in beatis. 640 art. 3.

Lumen gloriæ an ſit aliquo modo infinitum. 640. art. 4.

In quo genere & ſpecie ponatur. 541. art. 5.

An ſit neceſſarium ad cognitionem abſtractiuam quidditatis diuinæ? 541. q 9.

Non ſolum eſt neceſſarium ad eliciendam viſionem ſeu [illegible] 683. n. 18.

Lumini gloriæ connaturale eſ[illegible] actiuum viſionis. 686 n. 33.

Lumen gloriæ an actiue inſtat in viſionem. Diſp pars negans. 832 art. 1. §. 1. affirmans eſt vera. 834. §. 2. Soluuntur argumenta. 837. § 4. an ſit de fide? 836. §. 3.

An intellectui ſit tota vis ad videndum? Diſp. Quidam affirmant 840. art. 2. §. 1. Negatiua eſt tenenda. 842 §. 2. 843. §. 3. Impugnatur à nonnullis 847. §. 4. Soluuntur argumenta. 848 §. 5.

Lumen gloriæ an conſtituat intellectum in actu primo. 839 n. 38.

Lumen gloriæ immediate non actuat animæ eſſentiam, ſed mediante intellectu. 844. n. 16

Non poteſt habere rationem potentiæ ſeu facultatis intellectiuæ qua anima, tamquam vera potentia intelligat. 844 n. 16 & 17.

Lumen gloriæ eſſe intellectui totam videndi virtutem, & intellectum ſua virtute innata influere in viſionẽ implicat 847. n. 28

Non tribuit intellectui primam actiuitatem ad viſionem. 849. n. 30.

Lumen gloriæ non in omnibus ſe habet ad intellectum vt forma ſubſtantialis ad materiam. 849. n. 33.

Lumen gloriæ dare intellectui quod ſimpliciter poſſit in viſione quomodo intelligendũ ſit. 850. n. 33.

¶ Lumen gloriæ ſolum eleuare intellectum, vt conditionem ſine qua non, dici non poteſt. 892. §. 2. n. 7.

Nec admittitur lumen ideo intellectũ eleuare, quia reddit illum proportionatum, vt diuina eſſentia illi obiectiue vniatur & coaſſiſtat, non vero actiue confortãdo illius actiuitatem. 893. n. 8. & 9.

Nec admittitur opinio, quod illum eleuet, quia cum illo partialiter ad viſionem concurrit. 893. n. 10. & 11.

Nec illum eleuat, quia illi tribuit primam & totam agendi virtutem 894. à n. 12. vſque ad 18. 895. n. 19. 896 n. 21.

Vera reſolutio quod lumen ideo intellectum & eius actiuitatem natiuam eleuat, quia illum transfert ad eſſe ordinis ſupernaturalis & diuini. 896 n. 22 & 26.

C   Non

Non complet intellectus virtutem, quia facit eam intenſiorem 896. n. 26. Nec quia conſtituit eum in actu primo. 897. n. 27.

Sed quia facit actiuitatem innatam eſſe diuinam, & Deiformem. 897. n. 28.

Eleuat ipſam ea[illegible] naturalem, qua int[illegible]ctus intelligit obiecta naturalia. 897. n. 29.

¶ Lumen gloriæ recipi in anima mediante intellectu agente, falſum eſt. 898. n. 30.

Lumen gloriæ in quacunque intenſione ſatis eſt ad illuminandam perfectionem eminentialem, non ſolum vt ſub communiſſima ratione eſt participabilis à creaturis, ſed etiã quoad rationes genericas illius, & ratio huius. 1335. n. 41. Non tamen quodcunque eſt ſufficiens ad illuminandas quaſcunque rationes eminentiales ſpecificas ſub quolibet genere Ibidem

Lumen gloriæ ex ſua naturali perfectione habet incorruptibilitatem, non vero accidentaliter. 1354 n 22.

Lumen gloriæ ex ſua natura habet quod ſit à gratia conſummata, tamquam à prima & ſubſtantiali forma, à qua primo oritur. Et hanc dependentiam habet prius natura, quam reſpiciat viſionem, aut determinationem voluntatis. 1354 n. 22.

¶ Lumen increatũ non poteſt formaliter eleuare intellectum vt Deum videat 494 n. 15

Lumen increatũ in ordine ad intellectum creatum non poteſt dici lumen formaliter illuminans, ſed ſolũ effectiue. 513 n 30 & 31

¶ Lux increata effectiue illuminat ſe ipſa formaliter vero per ſplendorem à ſe emiſſum. 613. n. 143.

¶ Lux in ſole non eſt forma aliqua, ſub qua ſol videatur, ſed lumen per medium diffuſum. 505. n. 41.

M.

¶ Maior, alias Ioannes Maior non ſenſit, Deum poſſe naturaliter videri. 61. n 5.

¶ Maria Deipara in via vidit diuinam eſſentiam: eſt opinio pia. 1291. §. 1.

¶ In Martyrio, in quo temporis puncto conferatur gratia ex opere operato. 1122 n. 10.

¶ Mater concurrit ad prolem, vt agens partiale eiuſdem ordinis. 259 n. 33.

¶ Materia prima nec per ſe, nec per concomitantiam, eſt potentia immediata ad quantitatem ſi qantitas immediate recipit[illegible] in toto compoſito. 764. n. 74.

Non poteſt in ſe recipere quantitatem, niſi actuata per formam ſubſtantialem. 765 n. 75.

An forma ſubſtantialis ſit materiæ ratio recipiendi quantitatem, an ſola conditio? Ibid.

Potentia materiæ primæ ad recipiendam formam ſubſtantialem, eſt alia à potentia ad recipiendam formam accidẽtariam. Ibidem.

Potentia receptiua, quæ eſt in materia prima non reſpicit quantitatem, vt terminum primarium ſed vt ſecundarium. 765 n. 76. Vnde non conuenit materiæ ſolum concomitanter. Ibidem.

Potentia materiæ ad recipiendam formam ſubſtantialem & quantitatem eſt vna; vnde potentia ad quantitatem nihil ſuperaddit materiæ. Ibidem.

¶ Materialium cognitio. vide cognitio materialium.

¶ Matrimonium ſpirituale vere datur inter Chriſtum, & Eccleſiam: animamque fidelem 916. n. 8 & 9.

¶ Meritorum varia ſunt genera. 1347 n 36

¶ Miracula non ſunt, præter rationes ideales ex D Thoma, & quomodo id ſit intelligẽdum? 815 n. 73.

¶ Mobile primum ſecum rapit orbes inferiores ab ortu ad occaſum, & ab occaſu ad ortum motu vectionis ex Ariſtotele: vnde nõ per ſe, ſed per accidens ita mouentur. 704 n. 19.

Inferiores nõ mouet per principiũ actiuũ quod eſt in intelligentia mouente, ſed per proprium, quod in ſe habet. 704 n 20.

Antequam eleuetur per impulſum receptum ab intelligentia, habet in ſe qualitatem ſoliditatis, qua aptum eſt vt motum actiue impellat inferiores orbes Ibidem.

¶ Modus eſſendi, etiam realis, non poteſt eſſe principium agendi: & quomodo id ſit verũ? 770. n. 97. 771. n. 99.

¶ Motus, ſiue motio latiſſime ſumitur pro actuali applicatione agentis ſecundi ad agẽdum, proprie tamen ſumitur pro motu diffinito ab Ariſtotele. 804. n. 34.

Motus ſũptus pro applicatione & motione agẽtis ſecundi ad agendũ nõ poteſt eſſe virtus principiũve agendi, ſed ſolũ conditio ad agẽdum idq; tam in agente principali, quàm in inſtrumentario. 804. n. 34. & 35.

Motus diffinitus ab Ariſtotele formaliter eſt ipſa forma, quæ fit, prout tamen eſt in fieri. 804 n 36.

Non eſt actus primus ipſius agentis, ſed ſecundus. Ibidem.

Nulli

Nulli agenti poteſt eſſe principium agendi. 805.n. 40.

¶ Moyſes an in via viderit diuinam eſſentiam? Diſp.1278.art.2. Quidã affirmant.§.1. Alij negant.1279.§.2.Vtrumque eſt probabile, negatio tamen probabilior.1281.§.3. Soluuntur vtriuſque argumenta.1281 §.4.& 1286.§.5.

N.

¶ Natura ſolum reperitur in ordine inferiori rerum creatarum. 773.n. 14.

Diuerſitas ſpecifica naturarum infert diuerſitatem ſpecificam intellectuum 474. n. 8.

Natura humana fuit aſſumpta, nullo mediante dono poſitiuo. 610.n.132.

¶ Natura diuina, vide diuina eſſentia.

¶ Naturalis entitas, vide entitas.

Naturale poteſt dici quatuor modis. 863. n.40.

Naturalia dicuntur, quæ ſunt ordinis inferioris. 774 n.14.

Naturale tertio modo, ex ſe eſt indifferens ad agens naturale, & ſupernaturale. 869. n. 56.870.n.63.

Non omne naturale, quod tale dicitur, quia eſt congenitũ à natura, dicitur naturale, vt naturale idem eſt, quod eſſe à natura.776. n.23.

¶ Neceſſitas eſt duplex: vna quoad exercitiũ, & altera quoad ſpecificationem. 1090. art.6.n.2.

¶ Noctuæ viſiua potẽtia ex ſua natura eſt impotens ad videndum ſolem, etiam ſublatis impedimentis, vt nonnulli putant: illis tamen reſiſtit Ariſtoteles. 156 n.26.

Noctuæ oculus an poßit videre ſolem nulla ſuperaddita noua virtute. 612.n. 142.

¶ Nomen Deus, vide Dei nomen.

Nomina poſſunt diſtinctius ſignificare rem quam concipiantur apud nonnullos: oppoſitum verius. 97.n.37.98.n. 38.

Nomina eo modo ſignificabunt audientibus, quo ab imponentibus habent ſignificationẽ. 57.n.19.98.n. 18.

Non poßunt habere ſignificationem expreßiorem, quam ſit cognitio, qua concipiuntur. 57.n. 19.

¶ Omnis notitia eſt expreſſa ſimilitudo rei, cuius eſt notitia. 319.n. 10.

Notitiam fieri ab obiecto, & potentia, docet Auguſtinus; & quomodò id intelligatur? 258.n. 28.

Notitia apprehenſiua eſt duplex, ſimplex & compoſita. 942.n. 4.

In notitia ſimplici non datur compoſitio formalis, aut virtualis, bene tamen ex parte obiecti. 1079.n. 1.

Notitia primorum principiorum, vide prima principia.

Notitia beati, vide beati notitia.

¶ Ad notitiam intuitiuam quid requiratur? 160.n.8.448.n.10.

Notitia intuitiua an detur in noſtro intellectu coniuncto. 202.n. 56.

Notitia intuitiua fit per ſpeciem. 202.n.56. 203.n.57.

Notitia intuitiua in hac vita quomodo fiat? 203.n. 57.

An poßit tranſire in abſtractiuam? 200 n.42

Primam notitiam noſtri intellectus eſſe intuitiuam, & cauſatam à phantaſmate, eſt abſurdum. 182 n.51.

Cum prima notitia intuitiua producit ſimul abſtractiuã, non eſt philoſophicũ. 183.n. 53.

Notitia intuitiua an ſpecie differat ab abſtractiua? 1200.n. 33.

Eſt perfectior, quam abſtractiua. 1200.n. 33.in fine.

¶ Notitia abſtractiua an ſupponat intutiuam. 459.n.4.102.n. 15.

¶ Notitiæ modi an ſint intuitio, & abſtractio? 1200.n. 33.

¶ Notitia diuinæ eßẽtiæ, vide diuina eßẽtia.

¶ Nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam, & animam fidelẽ, non dantur in hac vita, ſed in patria. 914.n.5.

O.

¶ Obedientialis potentia, vide potentia obedientialis.

Obedientia, quæ eſt pura non repugnantia nõ poteſt non conſequi rem creatam, vt creata eſt? 733.n.47.& 48.

¶ Obiectiua præſẽtia quomodo fiat? 201.n.51

Obiectiua præſentatio per ſpeciem ſupponit intellectum in actu. 378.n.22.

¶ Obiecta immaterialia nullas ex ſe emittunt ſpecies, ſed ſola ſenſibilia. 117.n.5.

Obiecta ſenſibilia in ſolos ſenſus externos ſuas emittunt ſpecies. 118 n. 6.

Obiectum poteſt mouere potentiam per ſolam præſentiam intentionalem. 201.n.46.

Obiectum habet duplicem efficientiam: alteram realem in productione ſpeciei alteram intentionalem in actum intelligendi. 255. n.15.

Obiectum voluntatis non concurrit efficienter ad actum voluntatis. 255.n. 18.

Obiectum intellectus concurrit efficienter ad intellectionem. 256.n. 19.

Obiectum, quod eſt altioris ordinis in repræſentari, non ſemper eſt altioris ordinis in eſſendo. 330.n. 5.

Obiectum, vt eſt intelligibile, eſt [illegible] intellectus, & motiuum illius, atque terminatiuum [illegible]ellectionis. 435.n. 9.

Obiecti manifeſtatio antecedit cognitionem ſui. 496.n. 23.

Obiectum naturaliter adæquatum intenſiue intellectus ſumitur ex immaterialitate cognoſcentis. 81.n. 34.

Obiectum cuicunque intellectui creato adæquatum intenſiue eſt ens habens eſſe participatum. 103.n. 17.

Obiectum à quo abſtrahitur ſpecies rei, debet eſſe perfectum exemplar ipſius ſpeciei. 118. n. 8.

Obiecti vnio cum potentia: vide vnio obiecti cum potentia.

Obiecti indiſtantia ab intellectu non ſatis eſt ad obiectiuam vnionem, etiam ſi ex parte intellectus adſint omnia requiſita ad intelligendum. 124.n.1. Latius 127. n.14.& 15.

Obiectum per ſpeciem repræſentatum non debite repræſentatur potentiæ, niſi repræſentetur ſub eodem eſſendi modo quem habet ipſa potentia. 164.n. 13.

Obiectum in ſpecie apparet tamquam terminans ſui repræſentationem. 210.n.36.

Obiectum non ſemper actu apparet in ſpecie, ſed habitu. 210.n. 37.

Illius apparentia in ſpecie quid ſit? 210. n. 38.

Obiectum ſecluſa ſpecie non poteſt fieri obiectiue præſens intellectui. 229.n.34.

Nec in ratione termini repræſentatur per eſpciem. 231.n.5.

In obiecto intelligibili duplex admittitur efficientia. 255.n.15.

Obiecta potentiarum efficienter influunt in illarum actus: nonnulli id negant, ſed verius affirmandum. 255.n.18.157.n.23.

Obiectum voluntatis apud nonnullos effectiue non concurrit ad actum. 255.n.18.

Obiectum abſens, imo etiam fictitium in genere intelligibili poteſt actiue influere. 256. n.19.

Obiecti vnio cum intellectu eſt duplex. 284. n.18.288. n. 7.

Obiectum intellectus per modum termini à quo repræſentetur? 295. art. 8.

In obiecto, vt eſt motiuum intellectus, an duplex ſit diſtinguenda intelligibilitas actiua. vt quo & vt quod. 299.n.3 & 4.300.n.2

Quid ſit aliquid ſe tenere ex parte obiecti? 224 Col. 1. in principio.

¶ Obiectum infinitum non ſpecificat ſuam ſpeciem intelligibilem, vt res eſt, ſed vt intelligibile eſt, quomodo ſpecies in repræſentando non eſt infinita, ſed finita? 342.n. 13.

Obiectū non ideo cōſtituere intellectū in actu primo, quod ei tribuat aliquod eſſe, ſed quia illi aſſiſtit, non eſt ſatis philoſophicum. 416.n. 69.

Obiecti vnio cum intellectu per formam intelligibilem eſt duplex: obiectiua, & formalis. 430.n.8. Vtrum vtraque detur in ſpecie impreſſa? dubitatur: vtraque pars eſt probabilis. 431.n.9.& 10.

Obiectum non poteſt mouere intellectum, niſi actu ſit intelligibile intelligibilitate obiectiua. 505.n.42.

Obiectum non ſemper eſſe motiuum intellectus in actu primo motione obiectiua nullam arguit imperfectionem. Ibidem.

Inter obiectum & potentiam neceſſaria eſt debita proportio. 541.n.15.

Obiectū intellectus ſimul eſt terminatiuū actionis & motiuum intellectus. 541. n. 16.

Obiectum eſt cauſa formalis potentiæ prout illum ſpecificat. 596.n.75.

Obiectum naturæ intellectualis non eſt ſupra obiectum naturæ rationalis, niſi quoad modum. 1142. n. 36.

Obiectum naturæ rationalis eſt ſupra obiectū adæquatum naturæ ſenſitiuæ. Ibidem.

Obiectum viſibile nec per diuinam potentiam poteſt obiectiue apparere potentiæ, niſi per verum lumen. 60.n.98.

Obiectū ſpecificat, quin tribuat eſſe. 346.n.26

¶ Operationes differre ſpecie, ſi formæ, quæ ſunt illarum principia, ſpecie differant docet D. Thomas. 474. n. 7.

Operatio an ſit propter delectationē? Vide delectatio.

¶ Opinionis actus habet rationem mali propter imperfectionē incertitudinis. 1082.n 5

Opinio excluditur à ratione virtutis. 1082. n. 5.

Opinionis actus non poteſt dari in beatis. 1081. art. 6.

Non eſſet in ſtatu innoſcentiæ. 1082.n 8.

¶ In ordine tam naturali, quam ſupernaturali duplex genus rei eſt diſtinguendum: reale, & intentionale. 634.n. 37.

In

In rebus creatis non datur tertius ordo medius inter naturalem, & ſupernaturalem. 775.n.22.

Ordo ſupernaturalis ſupponit naturalem, quē eleuet. 851.n.36.

Ordo naturalis agendi coniungi poteſt, & cōtinuari cum ordine ſupernaturali per ſolam non repugnantiam, quæ eſt obedientia pure negatiua. 733.n.47. & 48.

In creatis ordo inferior eſt naturalis, & cur? 773.n.14.

¶ Origenis proprius error in quæſtione, quā do animæ iuſtorum Deum videant? 1265. q.6.§.1. Impugnatur. 1268. art. 2.

P.

¶ S. Papias an habuerit errorem Millea riorum? 1211.n.4.

Parabola de denario diurno dato operarijs in fine diei, late explicatur. 1304.§.6.

¶ Patria cæleſtis eſt quædam ciuitas. 967. n.5.

¶ Paulus an viderit diuinam eſſentiam? varia placita. 1288.art.3.§.1. Affirmatiua placet. 1289.§.2. Soluuntur argumenta. 1290.§.3.

¶ Peccata omnia eſſe æqualia error. 1308. n.63.

¶ Peccatorem iuſtificare ſe ipſum in quo ſenſu dici poteſt? 661.n.30.

Peccatorem conuerſū poteſt Deus de potentia abſoluta reconciliare ſine infuſione gratiæ, & charitatis. 1131.n.6.

An poſſit illi conuerſo nec remittere offenſam, nec reconciliari? Ibidem.

¶ Perſeitas naturalis non tollitur ex eo, quod res aliter poſſit fieri diuinitus. 234.n.11.

¶ Perfectio inferioris quomodo ſit concedenda ſuperiori? 1201.n.34.

Perfectio potentiæ actiuæ, vt eſt actus non eſt poſita in recipiendo, ſed in agendo. 211.n.41.

¶ Vna perſona poteſt habere duas perſonandi rationes ſubſtantiales ſub duplici natura. 1028.n.148.

Perſonæ diuinæ non pertinent ad obiectum ſecundarium viſionis, ſed ad primarium. 113.n.26.

Perſonæ diuinæ, vt ab eſſentia diſtinguntur eminenter continentur in ea, 113.n.27.

¶ Phantaſiam nulla media ſpecie, præſentare intellectui phantaſmata tamquā obiecta motiua ad intellectionem plures volunt. 174.n.20.

Phantaſiæ cum intellectu coniunctio pro hoc vitæ ſtatu eſt nobis connaturalis. 34. n.47.

Phantaſia poteſt operari ſine ſenſu externo, non tamen intellectus ſine phantaſia. 35. n.49.

Phantaſia non mouet intra ſe obiectum, à quo moueatur. 180.n.40.

Phantaſiam poſſe vniri intellectui ſine ſpecie ſaltem ad primam cognitionem, plures volunt & argumentis confirmant. 176.n. 25.& 26. Oppoſitum verius. 177.n. 30. Adducuntur plura fundamenta non ſatis firma. 178.n.31. Vera confirmatio. 181.n.43.

Phantaſia non poteſt proponere intellectui ſuum obiectum, ſi ſpecies tollantur contra Ochamum. 183.n.52.

Phantaſia quomodo miniſtret intellectui. 183.n.56.

¶ Phantaſmata ſpeculari debere ab intelligente, quid ſit? 29.n.32.1001.n.34. 1002.n.37.

Phantaſmata quomodo illuminentur ab intellectu agente apud nonnullos. 179 n.36. Illuſtrantur per lumen ſpirituale in illis receptum. 819.n.193.

Poſſunt elicere ſpecies ſpirituales aſſiſtente lumine intellectus agentis. 820.n.95.

Phantaſma nunquam poteſt repreſentare naturam ſine conditionibus indiuiduātibus. 178.n.35.

Phantaſmata ſine ſpeciebus non poſſe vniri intellectui late diſſeritur. 175.n.25. 181. n.43.

Phantaſma poteſt mouere mediate intellectū ad intellectionem. 182.n.46.

Phantaſma non eſt cauſa intellectionis. 239.n.18.

Phantaſmata an neceſſaria ſint ad intelligendum? vide intelligens, & intellectus.

¶ Politia matutina & veſpertina datur in beatis. 966.n.1.967.n.5.

¶ Poſteriora generatione eſſe dignitate priora non eſt regula vniuerſaliter vera. 1108.n. 22. In quo ſenſu ſit vera? vide. Ibidem.

¶ Inter potens obedientialiter vt quod, & ipſam potentiam obedientialem eſt diſtinguēdum. 690.art.2.n.1.

Res in ſuo ortu non ſunt potentes in actu primo & proximo, ſed in actu incompleto & remoto. 705.n.25.

¶ Potentiæ vnio cum obiecto vide vnio obiecti cum potentia.

Potentia & obiectum requirunt inter ſe proportionem. 541.n.15.
Potentiæ cognoſcentes & appetentes quem ordinem ſeruent in præſentatione obiecti. 183.n.56.
Potentiæ paßiuæ naturali correſpondet naturalis actiua. 558.n.21.
Potentiarum datur duplex genus: quædam enim potentiæ ex ſe ſunt completæ; quædam incompletæ. 137.n.31.885.n.56.
In potentijs per ſe ſubordinatis priorem aliquo modo miniſtrare obiectum ſuperiori quomodo intelligatur?. 183.n.56.
Potentiam eſſentialem & accidentatem in natura intellectiua & ſenſitiua quomodo expendat Ariſtoteles. 214.n.55.215.n.56.
Ex parte potentiæ aliquid ſe habere, quid ſit? 224. Colu.1.in principio.
Inter potentiam & obiectum neceſſaria eſt debita proportio 541.n.15.
Potentia ſumpta ſub ratione potentiæ ex ſua natura ſupponit eſſe. 752.n.18.
Potentiæ ſumunt ſpeciem ab obiecto, non vt res eſt ſed vt obiectum eſt, nec ſub ratione formali, quæ attingitur, ſed ſub qua attingitur. 779.n.10.
Pontentiæ in quo ſenſu ſpecificentur per actus. 784.n.27.
Potentiæ actiuitas eſt elicitiua actus. 845.n.19. Et hæc eſt deſtincta ab actiuitate aliarum formarum quæ influunt in actum determinando ipſam potentiam. Ibidem.
Potentia actiua eſſentialiter eſt ſua actiuitas. 865.n.44. Col.1.in principio.
Potentiæ ſpecie diſtinctæ poſſunt habere actus eiuſdem ſpeciei. 957.n.76 & 77.
Potentiæ ſpecie diſtinctæ inferunt actus naturales ſpecie diſtinctos, non tamen ſupernaturales. 958.n.78. vera ratio diſcriminis. 959.n.84.
Potentia vt ſit propria & proportionata alicui actui, debet eſſe eiuſdem ordinis cum eo. 617.n.15.
¶ Quænam ſit potentia actiua completa & incompleta, non bene explicatur à Bellom. 734.n.54.
Quænam potentia dicatur actiua, & quæ paſſiua. 569.n.93.
Omni potentiæ actiuæ ſupernaturali respondet potentia paßiua ſupernaturalis. 570.n.96.
¶ Omni potentiæ paßiuæ naturali reſpondet aliqua actiua naturalis: & è contrario. 617.n.18.
Potentia paßiua naturalis ad recipiendum actum debet habere potentiam actiuam naturalem ad illum agendum. 558.n.21.
Potentia per ſe ordinata ad ſuſcipiendas plures formas inter ſe ordinatas maxime ordinatur ad perfectißimam earum, ita vt immediate illam recipiat ex ſententia Scoti. 561.n.45. Sed eſt falſa in formis per ſe ordinatis, in quibus ſola prima immediate ſuſcipietur, alia vero non niſi mediantibus alijs. 565.n.73.
Potentiam recipere actum mediante habitu, in quo ſenſu ſit verum. 572.n.109.
Potentia paßiua quando dicatur eſſe ordinis naturalis & inferioris reſpectu actus, quãdo vero ſupernaturalis. 616.n.13.& 14.
Potentia paßiua formæ altioris ordinis an indigeat diſpoſitione eam eleuante. 151.n.7. Quomodo id debeat intelligi. 152.n.8.
Potentia paßiua ordinata ad formam perfectißimam non proinde eſt immediate ſuſceptiua illius. 156.n.27.
Potentia receptiua in cauſa materiali eſt omne id, quod fuerit formalis ratio recipiendi actum. 692.n.9.
Potentiæ paßiuæ in rebus creatis abſtrahendo à poſitiua Dei ordinatione, ſolum ſunt ſubiecta Deo per negationem non repugnãtiæ, non vero per ſubiectionem potentiæ obedientialis poſitiuæ. 744.n.90.
¶ Potentia ſenſitiua vide ſenſus.
¶ Potentia cognoſcens intellectiua & ſenſitiua eſt potentia incompleta ex D. Thom. & ex Ariſtotele. 885.n.56.
Potentia cognoſcens eſt cauſa principalis & nullo modo inſtrumentalis. Ibidem.n.55.
Potentia nõ conſtituitur in actu primo per medium ſub quo cognoſcitur. 551.n.24.& 25
¶ Potentia appetens non expectat, vt fiat ipſũ obiectum, ſed ſolum vt à cognoſcente dirigatur circa illud. 183.n.56.
¶ Potentia inſtrumentaria in rebus naturalibus differt ab entitate accidentis, cui eſt potentia. 752.n.20.
Potentia inſtrumentaria. vide inſtrumentum
¶ Potentia vitalis in ordine ad actus vitales eſt incompleta, & tamen eſt cauſa principalis. 885.n.56.
Potentia vitalis an & quomodo habeat limitatum agendi terminum. 889.n.75. 890.n.76.
¶ Nulla datur potentia actiua naturalis, quæ formaliter ſumpta conueniat ſolum concomitantnr entitati, cui conuenit. 763.n.67.

In

In potentijs naturalibus nulla datur actiuitas, quæ per ſe primo non ſit ordinata ad agendum. 763.n.67.
In potentijs naturalibus nulla datur actiuitas, quæ ex formalitate ſuæ actiuitatis non habeat ſpeciem diſtinctam à ſpecie entitatis, ſi illa ſub alia ſpecie collocatur. Ibidem.
Potentia naturalis, vt naturalis, per ſe primo ſpecificatur ab ente, vt eſt naturale tamquã ſub ratione formali, ſub qua tendit in obiectum. 781.n.12.
Potentia naturalis nude ſumpta nec immediate, nec mediate, eſt ſuſceptiua actus ſupernaturalis, bene tamen ſi eleuetur. 572. n. 109.
Vt potentia aliqua dicatur ſimpliciter naturalis, quid ſit neceſſarium? 738.n.66.
¶ Potentia obedientialis an ſit quid poſitiuũ, an quid negatiuum? Diſp. 690. art. 2. Quidam dicunt eſſe quid negatiuum. 691. §.2. Verius, quod ſit poſitiuum, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali diſtincta ab obiectiua. 691.§.3.
Inter potentiam obedientialem, & obedientialiter potens, vt quod, eſt diſtinguendum. 690.art.2.n.1. 748.n.2.
Potentia obedientialis, quæ datur in rebus exiſtentibus, vt Deus in eis, & per eas faciat, quod voluerit, eſt quid poſitiuum. 691.n.4
Potentia obedientialis abſolute ſumpta ſub nomine potentiæ formaliter eſt aliquid poſitiuum in re. 692.n.5.
Potentia obedientialis creaturæ, eſt id, quo creatura eſt potens cauſare: vel materialiter, vel efficienter effectus ſupernaturales, ad quos aſſumitur. 692.n.9.
Potentia obedientialis in creatura eſt id, quod illi eſt principium formale exercendi cauſalitatem obedientialem. 692.n.9. Hoc autem non poteſt eſſe non repugnantia, ſed aliquid poſitiuum. 692.n.9. 693.n.10.
Creatura in qua datur potentia obedientialis eſt eleuabilis ſupernaturaliter per rationes obediẽtiales ſibi cõmunicatas, vt fiat in actu primo cauſandi. 693.n.10.
Potentiam obedientialem ex Auguſtino dedit Deus rebus, dum eas ſuæ voluntati ſubiecit. 693.n.12. Hæc autem ſubiectio dicit modum quendam poſitiuum indiſtinctũ ab entitate rei. Ibidem.
Potentia obidientialis, quæ formaliter eſt ipſa ſubiectio rei ad Deum, ſupponit in re radicalem aptitudinem, vt ſubijciatur: & quid hæc ſit? 693.n.13.
Potentia obedientialis, licet non ſit perfecta potentia, vera tamen eſt potentia, & ideo eleuata vere influit in effectum 694 n.17.
Potentiæ obedientialis definitio non adæquate datur per aptitudinem ad recipiendum. 69[illegible].n.14.
Potentia obedientialis in genere eſt ſubiectio & aptitudo ad cauſandum, [illegible] Deus voluerit. Ibidem.
Potentia obedientialis dicit entitatem ipſam creaturæ, vt eſt ſubiecta Deo: & quomodo diſtinguatur à potentia naturali. 697. n.16.
Potentiæ obedientiales in quo ſenſu ſint æquales, & inæquales. 697.n.17.
Supernaturalia principia eleuantia potentiam obedientialem non dantur rebus, niſi quando à Deo aſſumuntur, ad effectus ſupernaturales. 701.n.4.
Potentia obedientialis ante eleuationem non eſt ſola non repugnantia contra nonnullos, ſed quid poſitiuum. 702.n.13. & 14.
Obedientialis virtus, quæ eſt potentia obedientialis, rebus innata, eſt ipſa rei entitas, prout poſitiue ex Dei ordinatione eſt Deo ſubiecta. 732.n.42.
Potentia iſta obedientialis non cognoſcitur naturaliter, quanuis entitas ipſius rei plene cognoſcatur. 738 n.67.
Potentia ſiue virtus obedientialis, eſt materialis in rebus materialibus, immaterialis vero in immaterialibus. 741.n.78.
Potentia actiua quæ eſt in rebus non intellectualibus per ſe non reſpicit effectus vitales. 745.n.95.
Potentia obedientialis innata & actiua quam admittimus, quomodo deſtinguatur ab entitate rei creatæ, in qua ineſt. 748.art.10. Varij dicendi modi. 749.§.2. Vera reſolutio. 750.§.3. Soluuntur argumenta. 757.§.4. 769.§.5.
Senſus quæſtionis. 748.n.2. 749.n.3. in fine.
Potentia obedientialis, qua creatura ſit obedientialiter potens, habet rationem formæ, & actus in ordine ad ipſam creaturam, quæ eſt potens vt quod. 748.n.2.
Potentia obedientialis, quæ in omnibus ſuppoſitis reperitur: an cuilibet ſubſtantiæ creatæ conueniat per quamlibet partialem entitatem ſubſtantialem vel accidentalem, ita vt quælibet eleuari poſſit, vt per eam obediẽtialiter operetur? controuerſũ. 749.n.3.
Potentia obedientialis eſt quid poſterius entitate rei creatæ. 753.n.21.

Potentia obedientialis non poteſt deſtingui ab entitate rei, vt facultas, proprietaſque ab ea emanans, neque ab ea deſtingui ratione rationata. 753. n.25. Contra nonnullos quorum argumenta ſoluuntur. 770.n.89

A potentia calefactiua ignis ad potentiam obedientialem non poteſt ſumi argumentum. 770.n.9

Potentia obedientialis eſt in ſuppoſito, quod eſt obedientialiter potens. 777.§.2.

Potentia obedientialis, vt formaliter eſt potentia, non ſuperaddit aliquam proprietatem entitati rei, cuius eſt potentia obedientialis, qua entitas reſpiciat effectus ſupernaturales, ſed ſolum ſuperaddit ſubiectionem ad diuinum imperium. 778.n.7.

Potentia obedientialis non reſpicit Deum, vt auctorem naturæ, etiam in ijs naturalibus, quæ ſupernaturaliter Deus operatur. 786.n.32.

Potentiam obedientialem dari ad omnia, quæ non repugnant, intelligitur de negatiua, non vero de poſitiua. 786.n.36.

Potentia obedientialis actiua negatiua non eſt æqualis in omnibus entitatiue, bene tamen formaliter. 788.n.41.& 42.

Poſitiua tamen de facto æqualis eſt in omnibus, non tamen illi repugnat, quod in aliquibus ſit inæqualis. Ibidem.n.42.

Potentia obedientialis eſt duplex: vna: quæ eſt ſimpliciter pura: altera quæ non eſt omnino pura: & quæ ſit vtraque. 887.n.65.

¶ Potentia obedientialis actiua & paſſiua admittenda eſt. 689.art.1.

Potentia obedientialis actiua non reperitur niſi in ſolis rebus, quæ ex ſua natura ſunt actiuæ: vnde non reperitur in materia prima. 693.n. 12.

Potentia obedientialis actiua non eſt non repugnantia, ſed modus poſitiuus. 694.n.16.

Vtrum potentia obedientialis actiua admittenda ſit præter paſſiuam. Diſp. Argumenta negantis. 695.art.4.§.1. Affirmatiua eſt vera. 696.§. 2.

Potentia obedientialis actiua non poteſt reduci ad actum, niſi mediante paſſiua. 697. n. 13.

Pontentia obedientialis actiua conſiderari poteſt, vel antequam recipiat formam ſupernaturalem, per quam poteſt operari, vel poſtquam illam recepit: & vtroque modo habet rationem potentiæ obedientialis, aliter tamen & aliter. 698.n. 19.

Vtrum potentia obedientialis, actiua phyſice cooperetur ad effectum. Diſp. Negans opinio. 698.art.5 §. 1. alia opinio eſt media 699.§.2. Affirmatiua eſt vera. §. 3.

Potentia obedientialis actiua habet connexionem obedientialem cum effectis, & quomodo? 700.n. 15.

Potentia obedientialis actiua an ſit aliquid exiſtens in rebus, ante ſupernaturalem eleuationem. Diſp. 700.art.6. Quidam negant. 701.§.2. Alij affirmant, varie tamen explicant ſuam mentem. 701.§. 3. Vera reſolutio. 705.§.4.

Creatura habens potentiam obedientialē actiuam non eſt in actu primo producendi ſupernaturales effectus, niſi per aliquod principium effectiuum ſupernaturale prius eleuetur, quod ad eam aliquo modo pertineat. 700.art.6.n. 3.

Potentia obedientialis tam actiua, quam paſſiua datur in rebus, ante quam eleuentur à Deo. 702.n.10.

Quomodo autem in rebus inſit? varie explicatur. Ibidem.n. 13.

Potentia obedientialis actiua immediate conuenit rebus, non vero mediate per potentiam paſſiuam. 706.n.27.708.n.9.& 10.

Vtrum potentia obedientialis actiua & paſſiua ſit aliquod ens poſitiuum rebus ab ortu ſuperadditum. Diſp. Opinio affirmans 709.art.8. §. 1. Negatio eſt vera. 709. n. 6. Vera illius confirmatio. 712.n.14. & 15.

Potentia obedientialis actiua, quæ ante eleuationem datur in rebus; an dicat aliquam virtutem innatam, qua obedientialiter influat in ſupernaturales effectus. Diſp.714. art.9. nonnulli eam impugnant. Ibidem. §.1 Admittenda tamen eſt.725.§.3. Autoris ſententia explicatur. 728.§.4.

Potentia obedientialis actiua, quæ eſt in rebus ante eleuationem quænam ſit? Varie explicatur ab ijs, qui eam innatam non agnoſcunt. 725.§.2.

Potentia obedientialis actiua, & innata defenditur à Suario. 725.§.3.

Potentia obedientialis actiua & innata ex ſententia Autoris abſolute non eſt neceſſaria, vt res creatæ, tamquam inſtrumenta ſumantur ad effectus ſupernaturales: de facto tamen admittenda eſt, vt conceſſa à Deo ſupernaturali Autore. 728.§.4.

Potentia obedientialis actiua eſt duplex: vna, quæ Deo cooperatur vt cauſa in ſuo genere principalis; altera cooperari non poteſt, niſi

vt

vt inſtrumentaria. Prior reperitur in ſola creatura intellectuali, & ad actus vitales, altera ſolum eſt in ordine ad actus tranſeuntes. 729. n. 28.

Potentia obedientialis actiua ante eleuationẽ admittenda eſt, vt creatura ad actus tranſeuntes eleuari poßit, vt inſtrumentũ Dei. 728. n. 26. & 729. n. 31.

Potentia obedientialis actiua, qua res poteſt in effecta ſupernaturalia, eſt entitas rei, pro vt ex ordinatione Dei ſubiecta eſt voluntati Dei. 731. n. 38. & 39. *Res enim creatæ ex ſua creatione ex Dei ordinatione habuerunt virtutem quandam incboatam ad facienda miracula.* 732. n. 41. *Quæ virtus non eſt aliud, quam habilitas quædam, vt eleuata influant in miracula. Ibidem.*

Potentia obedientialis innata & poſitiua, quã ponimus, non conuenit rebus ex principijs earũ, nec à Deo authore naturæ, ſed authore ſupernaturali ex dono gratuito. 732. n. 43. & 44. 45.

Hæc potentia obedientialis potuit non ineſſe rebus. 732. n. 45. *Cur autem Deus eam rebus creatis dederit? explicatur.* 733. n. 46.

Hæc obedientialis potentia abſolute non eſt neceſſaria, vt res creatæ aſſumi poßint à Deo tamquam inſtrumenta ad miracula. 729. n. 27. 733. n. 47.

Dari potentiam obedientialem innatam & poſitiuam in rebus non eſt noua Theologia. 736. n. 62. 741. n. 80. *Eam non reijcit D. Thom. neque Alenſis nec Caietanus nec Richardus.* n. 85. 86.

Hæc potentia obedientialis innata naturaliter; ſibi vendicat entitatem ordinis naturalis; entitas tamen illa naturaliter, ſibi non vendicat actiuitatem illam obedientialem. 738. n. 66.

Argumenta Suarij pro confirmanda hac potẽtia obedientiali poſitiua non conuincunt. 743. §. 6.

Potentiam actiuam obedientialem & innatam dari in rebus ad modum Suarij repugnat. 744. n. 91.

Potentia obedientialis actiua & innata, quam admittimus, datur in omnibus ſuppoſitis. 748. n. 3.

Hanc noſtram potentiam obedientialem quidam realiter deſtinguũt ab entitate creaturæ. 749. n. 4. 757. n. 43. *vide* 709. n. 3. & 4. & 5. *Veram reſolutionem habes ex propoſitionibus poſitis.* 750. 751. 752.

Argumenta contra poſitas propoſitiones habes. 757. 758. 759. *Solutiones inuenies.* 760. 761. 762. 763. *vſque ad* 771.

Potentia obedientialis innata & actiua non eſt idem realiter cum omni entitate creatu-[illegible] ſuppoſiti, in quo reperitur, ſed ab aliqua realiter diſtinguitur, ab aliqua non, vide. 750. n. 12. & 13. 7[illegible] n. 43.

Potentia obedientialis actiua, vt formaliter eſt potentia, ex ſua natura ſupponit entitatem creatam, vt dantem eſſe creaturæ, quæ eſt potens vt quod. 752. n. 18.

Potentia obedientialis actiua, de qua agimus non ſuperaddit entitati creatæ aliquam relationem. 754 n. 30.

Nec dicit in re creata aliquem gradum entis ſupernaturalem diſtinctum ſola ratione à gradu naturali 754. n. 30. & 32.

Hæc potentia diſtinguitur ab entitate, in qua eſt diſtinctione modali. 555. n. 34. & 35. *Argumenta incontrarium ſoluuntur.* 770. n. 96.

Hæc potentia non eſt inſeparabilis ab entitate creata. 760. n. 58.

Hæc potentia non poteſt eſſe de intrinſeco conceptu rei creatæ, in qua eſt. 752. n. 19. *Defenditur cõtra Suariũ.* 769. n. 87. & 88.

Potentia iſta obedientialis non eſt aliquid cõcomitans entitatem creatam. 762. n. 62.

Hæc potentia ideo dicitur actiua obedientialiter, quia ex primaria intentione Dei ſubijcientis illam ſuo ſupernaturali imperio, ordinata eſt ad effectus ſupernaturales. 762. n. 63.

Potentia obedientialis actiua non habet actiuitatem obedientialem ratione ſuæ entitatis nude ſumptæ, ſed vt eſt ſubiecta diuino imperio. 771. n. 99.

Hæc potentia obedientialis actiua, quam admittimus, an ſit dicenda ſimpliciter naturalis, an vero ſupernaturalis? 771. art. 11. *Ponuntur argumenta pro vtraque parte* §. 1. *Referuntur variæ ſententiæ.* 772. §. 2. *Propria ſententia.* 773. §. 3. *Soluuntur argumenta.* 776. §. 4.

Hæc noſtra obedientialis potentia non ſolum reperitur in entitate ordinis naturalis, ſed etiam ſupernaturalis. 773. n. 13.

Hæc potentia, quam probamus ſumpta materialiter & entitatiue eſt ſubſtantia, quæ eſt naturalis, non tamen vt eſt naturalis, ſed radicaliter, & fundamentaliter obedientialis. 774. n. 19.

For-

Formaliter tamẽ ſumpta ſimpliciter eſt ſupernaturalis. 774. *n.* 16.

¶ *Potentia obedientialis actiua proprie non habet ſpeciem, ſed quaſi ſpeciem.* 779.§.1. *A quo ſpecificatur? varij dicendi modi.* 780.§.2. *Vera reſolutio.* 78[illegible]

Potentia obedientialis per ſe primo ſpecifica[illegible] *poßibili, vt ſupernaturale eſt, & ſub ratione ſupernaturalitatis.* 781.*n.* 12

Hæc potentia vtrum ſit vna ſpecie potentia. Vide. 782.§.3. *In qualibet re creata eſt vna ſecundum rem: in diuerſis rebus eſt realiter plurificata.* 782.*n.* 17. *Formaliter tamen in omnibus eſt eiuſdem rationis ſpecificæ, nec vllo modo poteſt eſſe multiplex. Ibidem à n.* 18. *vſque ad* 25.

Hæc potentia obedientialis ſpecificatur per actus. 784.*n.*27.

In hac potentia obedientiali triplex infinitas diſtingui poteſt & debet. 786.*n.*33.

Non eſt infinita entitatiue. *n.* 34.

In ordine ad diuinam omnipotentiam de facto eſt limitata ex parte ſubiecti, tum quoad numerum, tum quoad intenſionem effectus, ſyncathegorematice tamen eſt infinita. *n.*35.

Hæc potentia obedientialis actiua, vtrum reperiatur in omni entitate creata. Diſp. Quidam affirmant. 789.*art.*14.*n.* 1. *Alij negant.n.*2.*& hæc eſt vera.n.*3.

Hæc potentia obedientialis actiua poteſt ſe extendere ad omne id, quod non repugnat inſtrumentaliter fieri. 791.§.2.

An omnis potentia obedientialis actiua ſolũ ſit cauſa inſtrumentaria? Diſp. Quidam affirmant. 792.§.3.*n.*11. & 12. & 13. *Negatio eſt vera. Ibidem.n.*13.*Vide.*793 *n.*16. & 17.

Potentia obedientialis actiua quædam eſt pura, quædam non pura: & quæ ſit vtraque. 792.*n.* 14.

Potentia obedientialis pura in ordine ad effectus ſupernaturales nullam habet naturalem virtutem, ſed fundatur in pura obedientia ad imperium Dei. 887.*n.* 65. *vnde virtute non continet effectus ſupernaturales. Ibidem.*

Potentia obedientialis non pura fundatur in virtute naturali incompleta, quæ ex ſe aliquo modo reſpicit effectus ſupernaturales, & aliquo modo eos virtute continet. 887. *n.*65.

*Iſta potentia ex ſe fundatur in virtute ex ſua natura vitali.*888.*n.*65.*col.*1.*in principio.*

*Hæc potentia non pura vnde excludat à ſe rationem inſtrumenti?*888.*n.*67. *Quæ vero eſt potentia obedientialis pura, vnde nam habeat quod non poßit eſſe niſi inſtrumentaria? Ibidem. n.* 68.

¶ *Potentia paßiua obedientialis pertinet ad ordinem ſupernaturalem.* 617.*n.* 14.

Potentia obedientialis paßiua non dicit ſolam non repugnantiam. 694.*n.* 14.

Potentia obediẽtialis paßiua, poſitiua, & innata, licet admittatur de potentia ordinaria, nõ eſt tamen neceſſaria de potentia abſoluta. 743.*n.* 89.

¶ *Potentia obedientialis obiectiua, quam res habent antequam fiant, eſt pura non repugnantia.* 691.*n.*4.

¶ *Potentiæ obedientiali poſitiuæ & inſtrumẽtariæ, quam ponimus, nihil in effectu producto correſpondet.* 735.*n.*58.

Virtutem potentiæ obedientialis eſſe innatam & ſimul inſtrumentariam non repugnat. 737.*n.*63.

Potentia obedientialis, quæ eſt inſtrumentum Dei exiſtens in vna re poteſt concurrere ad omnem effectum, ad quem concurrit potentia obedientialis, quæ eſt in alia: ſecus de potentia obedientiali, quæ non eſt inſtrumentaria ſed principalis. 785.*n.* 30.

Potentia obedientialis pura ex ſua natura habet, quod ſolum ſit cauſa inſtrumentaria: quæ vero non eſt pura neceſſario eſt cauſa principalis. 793.*n.* 16.

Potentia obedientialis in ordine ad actiones tranſeuntes neceſſario eſt inſtrumentum. 793.*n.* 17.

Vtrum potentia obedientialis neceſſario cõcurrat, vt cauſa inſtrumentaria dubium. Quidam affirmant. 886. *à n.* 58. *vſque ad n.*67.*Non recipiuntur.* 887.*n.*64. *Etenim aliqua potentia obedientialis poteſt eſſe cauſa principalis.*

Potentia obedientialis ſimpliciter pura ſemper eſt inſtrumentaria, quæ non eſt omnino pura poteſt eſſe cauſa principalis & ratio diſcriminis. 887.*n.*65.888.*n.*66. & 67.

Potentia obedientialis latius patet, quam cauſa inſtrumentaria. 888. *n.* 69.

¶ *Res dicuntur obedientialiter potentes agere ante eleuationem per principium poſitiuum exiſtens in Deo, vt nonnulli putant: ſed reijciuntur.*703.*n.*15.&16.&17.

*Rationes obedientiales, & principia actiua, quibus creaturæ eleuantur ad miracula, Deus tunc cõmunicat rebus, cum illas actu aſſumit.*704.*n.*22.

Crea-

Creaturæ ſunt obedientialiter potentes ante ele uatione per id, quod in ſua creatione Deus illis dedit, vt poßint: hoc autem eſt quoddã poſitiuum. 704.n.22 705.n.23.

Vtrum principium poſitiuum, quo creaturæ ante eleuationem ſunt obedientialiter potẽtes, habeat actiuitatem influentem in ſupernaturales effectus. Diſp. Quidam negant. 706.art.7.§.1. Affirmatio eſt vera. 707.§.2.

Potentia obedientialis, quomodo eleuetur ad actualem vſum. Diſp. variæ ſententiæ. 794.art.15.§.1. vera reſolutio. 806.§.4.

Potentia obedientialis, quæ ante eleuationẽ datur, eſt potentia incompleta indigens eleuatione, vt ſit in actu primo. 794.art. 15.n.1.

Potentiam obedientialem eleuari à Deo per ſupernaturalem concurſum eſt indubitatũ. 794.n.2. 798.n.13.

Eam ſolum eleuari per concurſum Dei extrinſecum abſque aliquo extrinſeco nonnulli dixerunt. 796.n.6. Sed reijciuntur. 798. n.14. & 15.

Eam eleuari à Deo per ſolum motum virtuoſum & artificioſum, quem Deus creaturæ in ipſo vſu communicat plures dixerunt. 795.n 5. Alijs hoc diſplicet, qui placent. vera impugnatio. 803.§.3.n. 32. & 33. & 34.

Non poteſt eleuari per motum ſumptum pro applicatione agentis ſecundi à Deo primo agente. 804 n 34.

Nec poteſt eleuari per motum definitum ab Ariſtotele. 805 n. 38.

Nec eleuari poteſt per motionem factam à Deo nobis ignotam. 805.n.41.

Potentia obedientialis in ipſo vſu aſſumptionis eleuatur per qualitatem ſupernaturalẽ illi impreßam in ipſo vſu. 806.§.4. Soluuntur argumenta 808.§.5. Eleuatur per varia principia ad varios effectus. 807. n.48.

Eleuatur ad viſionem per qualitatem, quæ eſt lumen. 807.n.50.

Eleuari per qualitatem in ipſo vſu impreßam, qui negent? 808.n.51. & 52.

Iſta qualitas, qua eleuatur, apud nonnullos non eſt virtus inſtrumentaria, ſed principalis; ſed non recipiuntur. 809.n.54. & 55.

Qualitas iſta ſolum ponitur in tranſitu .ſ. Quãdo fit effectus ſupernaturalis. 815.n.78.

Qualitas iſta cur potius determinata ſit ad hũc quam ad illum effectum ſupernaturalem. 816.n.81.

Potentiam obedientialẽ ſolum reſpicere Deum vt ſupernaturalem authorem, non arguit Deum ipſis inſtrumentis ad vſum ſumptis [illegible] ipſo [illegible] communicare qualitates actiuas, quibus inſtrumenta ponat in actu primo. 815.n. 74.

Vtrum ad eleuationem potentiæ obedientialis neceſſario procedat aliqua actio propria inſtrumenti. Diſp. Pars negans. 822. §.6. Affirmans ponitur. 823.n.109. vera reſolutio. 824.n. 112.

Vt potentia obediẽtialis eleuetur ad ſupernaturales effectus, abſolute nõ eſt neceſſaria aliqua actio præcedens: de facto tamen datur. 824.n.112. Vide inſtrumenta diuina.

¶ Potentia obedientialis, quam ponit Suarius nullo modo eſt admittenda. 853.§.2. 863 n.38.

Non eſt aliquo modo diſtincta ab ipſa intellectiua actiuitate, quæ eſſentialiter eſt intellectus. 863.n. 38.

Non datur, aut in intellectu, aut in voluntate ad ſuos actus vitales. 853.n.5. & 6. & 7.

¶ Per potentiam obedientialem ponitur quis in actu primo, dum ad effectus ſupernaturales eleuatur. 693.n.10. & 11.

¶ Potẽtia obedientialis nõ bene arguitur quod ſit ſimpliciter infinita ex infinitate extenſiua ex parte obiecti. 710.n. 9. 711. Colu. 1. & 2.

Potentia obedientialis quoad modum agendi non eſt infinita, ſed finita. 787.n. 37.

¶ Obiectum potentiæ obedientialis materialiter eſt quid incertum, & vagum: non tamen formaliter. 782.n.14.

Potentia obedientialis non habet aliquod obiectum determinatum. 713.n. 16.

¶ Potentia obedientialis in rebus ſacramentorum: & in Chriſti humanitate apud D. Tho. non eſt qualitas ſuperaddita, ſed ſolũ in ipſo vſu productionis gratiæ, & miraculorum. 713.n.17.

¶ Potentia obedientialis negatiua eſt ipſa res creata, non ſimpliciter, ſed prout habet negationem repugnantiæ, & in quo fundetur? 734.n.50. & 51.

¶ Potentia obedientialis, quæ datur in intellectu ad actus ſupernaturales differt à potentia obedientiali, quæ eſt in alijs rebus penes eſſe & non eſſe innatam. 744.n.94.

Potentiam obedientialem poſitiuam de facto dari ante eleuationem, vt res poßit aſſumi à Deo

à Deo vt inſtrumentum ad effectus ſupernaturales defenditur contra quam plurimos. 734.n.54.737.n.64.739.n.72. 741. n. 80.

Potentia obedientialis innata & poſitiua, quã ponimus ſimpliciter per modio ſuaniſica. ralis, ſed aliquo modo ſupernaturalis.738 & illustrat 69.739. n. 72.

¶ Potentia obedientialis noſtra, ſiue ſumatur materialiter, ſiue formaliter quomodo poſſit dici naturalis & in quo ſenſu? vide late. 775 n. 20. & 21.

Hæc potentia non conſtituit tertium membrũ inter naturale & ſupernaturale ab vtroque diſtinctum. 775.n.22.

Potentia obedientialis actiua, quomodo diſtinguatur à potentia naturali ipſius entitatis cuius eſt potentia? Diſp.776 art. 12. variæ opiniones. §.1. Reſoluitur difficultas. 777. §. 2. & explicatur ſenſus quæſtionis n 4. Soluuntur argumenta. 778.§. 3.

Inter po tentiam obedientialem actiuam & potentiam naturalem eiuſdem creaturæ aliqua diſtinctio neceſſario eſt admittenda habens fundamentum in re. 777. Concluſione. 1.n. 5. Hæc diſtinctio maior erit, quã ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ.778. Concluſione.2.n.6.& 7.

¶ Ad rationem praxis requiritur quod præcedat iuditium, & dictamen, quomodo id debeat intelligi.1089.n.4.

¶ Omnis prædeſtinationis effectus pendet ex meritis Chriſti: & à quibus. 1350.n.48. & 49.

¶ Præmium non eſt à ſolo præmiante: & in quo ſenſu id intelligatur. 663.n.38.

¶ Præſentia realis cum potentia non ſatis eſt ad cognitionem, ſed requiritur intentionalis. 201.n. 49.

Præſentia eſt duplex: vna in genere rei: altera in genere intelligibili. 127.n. 16. Nec hoc eſt nouum. Ibidem.

Alia præſentia eſt realis, & alia obiectiua. 127.n.14.201.n 46.

Præſentia localis non ſatis eſt vt faciat rem eſſe actu intelligibilem. 201.n.48.&49. & 50.

Præſentia realis fundat realem relationẽ: obiectiua vero rationis. 127 n. 16.

Præſentia obiectiua quomodo fiat? 201.n.51. 202.n. 52.

Præſentia realis Dei non ſatis eſt, vt Deus ſit præſens intellectui, vt forma intelligibilis. 201.n.49.

Vnde pluribus intellectibus eſt abſens, abſentia intelligibili. 202.n.51.

Præſentia Dei, alia eſt voluntaria, & alia per illapſum. 144.n 6.201.n.49.

¶ Principium primum non ſemper formaliter cognoſcitur à nobis, ſed interdum virtualiter ſolum.99.n. 41.

Principiorum principiorum habitus: vide habitus principiorum.

Prima principia in agibilibus & ſpeculatiuis conſpiciũtur à nobis lumine intellectus agẽtis.470.n.15. Idque tamquam ratione intelligendi, & medio ſub quo ex D. Thom. n. 18.

Primorum principiorũ cognitio, licet ſit ſumma, quæ naturaliter dari poteſt: ſimpliciter tamen non eſt ſumma.946.n.25. 947. n.29.

Principium agendi connaturale debet eſſe permanens. 504.n. 33.

¶ Prophetiæ donum an ſit in beatis. 1074. §.2.

De ratione prophetiæ non eſt, quod ſit cognitio obſcura. 1074.n.5.

Eſt tamen cognitio veritatis procul exiſtentis. n.6.

¶ Propter quod vnum quodque tale, & illud magis, explicatur.59 n.23.99.n.42.

¶ Prototypon ſiue imaginatum habet eſſe in ſua imagine. 210.n. 36.

¶ Prudentia in quo ſenſu dictet, vt homines ſe & rempublicam gubernent rationibus probabilibus, & coniecturis. 1082.n.7.

Prudentiæ per ſe infuſæ non repugnat, diſcurſus: & cur?.999.n. 21.

¶ Pſalmo. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 466.n.4 & 5.

Pſalmo. 35. In lumen tuo videbimus lumen Ibidem.n. 6.

Q.

¶ Qualitates materiales inſunt in ſubſtantia mediante quantitate: & cur? 558.n. 31.

Qualitas genus ſummum per ſe primo contrahitur ad diſtinctas ſpecies per duas iſtas differentias. ſ. conuenire propter conſeruare ipſum eſſe ſubſtantiæ, & propter operari. 766.n. 79.

Quatuor qualitatis ſpecies inter ſe realiter diſtingui, non ſatis eſt probabile. 767.n. 83.

Vna & eadem qualitas ſub alia, & alia ratione poteſt poni in pluribus qualitatis ſpecie-us. 768.n. 83.

Nulla qualitas actiua poteſt producere ſubſtantiam

tantium tanquã principium agendi principale. 812. nu. 66.
Eadem qualitas non poteſt dare intellectui facilitatem ad intelligendum; & manifeſtare obiectum. 486. nu. 55.
Nulla qualitas poteſt eſſe mediũ ſub quo obiectum manifeſtetur, & quo actus elicia[illegible]r. Ibidem.
¶ Qualitas ſupernaturalis admittenda eſt in inſtrumentis diuinis ad effectus ſupernaturales. 806. §. 4. 812. n. 65.
Talis qualitas eſt virtus propria effectuum ſupernaturalium: non principalis, ſed inſtrumentaria. 812. n. 65.
Non eſt ſupra vires naturales qualitatis ſupernaturalis eſſe virtutẽ principalẽ ad ſupernaturalem effectum. 814. n. 71.
Qualitas ſupernaturalis, & inſtrumẽtaria agẽdo non repatitur. 817. n. 84.
Hæc qualitas poteſt immediate agere indiſtans Ibidem.
Poteſt etiã agere actione tranſeũte. 817. n. 85.
Qualitas ſupernaturalis dari poteſt, quæ ſit cõnaturalis effectui cõtra nõnullos. 819. n. 91.
Poteſt dari. Qualitas naturaliter propenſa ad actus ſupernaturales, quæ naturalis non ſit agen, i, quod per eam agit 821. nu. 98.
¶ Quantitatem immediate recipi non in materia priima, ſed in toto compoſito eſt opinio doctiſsmorum. 764. nu. 74.
Quantitati non conuenit in primo modo eſſendi per ſe recipere in ſe qnalitates materiales, & corporeas, ſed in ſecundo modo per ſe eſſendi. 765. nu. 77.
Nec id quantitati cõuenit cõcomitãtur. Ibidẽ.
¶ Quiditas rei omnia comprehendit vſque ad vltimam differentiam. 21. nu. 1.
Quidditas rei materialis perfecte cognoſci non poteſt, niſi vt exiſtens in ſingulari apud Caietanum: ſed non placet. 34. nu. 46.
¶ Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: quomodo intelligatur. 238. num. 17.

R.

¶ Raptus: vide ecſtaſis.
¶ Recordatio præterti requirit ſcientiam experimentalem; habitum, ſcilicet relictum in memoria. 1010. nu. 77.
Reduplicatio quam rationem reduplicet. 236. num. 18. 276. num. 23.
Relatio non poteſt diſtincte videri, niſi termino diſtincte viſo. 112. num. 21.
Viſa relatione etiam tranſcendentali, non neceſſario videtur terminus illius. 359. num. 19.
¶ Relationes diuinæ pertinent ad obiectum primarum viſionis beatæ. 113. num 26.
Relationes diuinæ, vt diſtinguntur ab eſſenti[illegible]ẽter cõtinentur in ea. 113. nu. 27.
¶ In relatiuis eſſe, in, & eſſe, ad, ſunt modi eſſendi inſeparabiles: & eſſe [illegible] intrinſece includit eſſe, in, 346. nu. 28.
Relatiuum poteſt intuitiuè videri, termino intuitiuè non viſo. 112. num. 21. 1023. num. 130.
¶ Eſſe repræſentatiuũ ſuperioris, aut inferioris ordinis vnde ſummatur? 329. num. 11.
Pluralitas in repræſentando, quando arguat maiorem perfectionem. 458. num. 46.
¶ Non repugnantia cum ſit quædam negatio non poteſt dici principium cauſatiuum effectus naturalis, aut ſupernaturalis. 693. num. 10.
Non repugnantia poteſt dici potentia, ſi ſermo ſit de potentia obedientiali obiectiua: ſecus, in non repugnantijs, quæ ſunt in rebus exiſtentibus. 694. num. 18.
¶ In omnibus rebus admittenda eſt potentia obedientialis paſsiua. 694. art. 3.
¶ Res quæque duobus modis conſiderari poteſt, vel in genere rei, vel in genere intelligibili. 247. num. 35.
Vna res poteſt ad plura prædicamenta pertinere. 752. num. 17.
Poteſt etiam poni in pluribus ſpeciebus eiuſdem prædicamenti. Ibidem.
Poteſt babere plures formalitates. Ibidem.
Vna, & eadem res ſecundum eundem naturæ gradum poteſt cum vna re conuenire, & ab alia differre. 1206. num. 19.
Res creata poteſt nos efficienter beare. 322. num. 26.

S.

Sacramentales res ex ipſa inſtitutione habent virtutem quandam inchoatam ad gratiam, etiam ante actualem vſum ex D. Tho. 731. num. 39. & 40.
Sacramenta in quo ſenſu apud D. Thom. non operãtur ad gratiam per virtutem propriæ formæ. 713. nu. 20.
Sacramentis ex ſententia. D. Thomæ. in ipſo actuali vſu communicatur qualitas quædam: at vero ante vſum ſolum illis communicata eſt aptitudo quædam, & idonei[illegible] ex Chriſti inſtitutione. 713. numer. 19.

Hæc Sacramentorū aptitudo, vt eleuata dent gratiam, quæ in illis eſt, antequam aſſumatur ad vſum, an ſit potentia obedientialis, quæ nobis admittitur. Ibidem.

Sacramenta eleuantur ad gratiam producendam præuia proprìa ipſorum, quā [illegible] 826. num. 119.

¶ Sanctorum inuocatio non erat in lege veteri, & naturæ. 1252.n.3.

Incæpit à lege noua. 1253.num.5.

Ornamenta data Sanctis in via pertinent ad ſponſalitiam largitionem. 915.num. 11.

¶ Scientia eſt qualitas, ſiue habitus, quo intellectus actuatur, vt facile, & prompte eliciat actus ſimiles illi, à quo eſt productus. 1046.n. 16.

Scientia, an ſit ſimplex qualitas. Quidam aſſirmant. 1045.nu. 10. Alij negant n.11. Conciliantur.1047. num. 17.

Non eſt aggregatio ſpecierum. 1045.nu. 11. 1046. nu.13.& 14.

Scientia totalis non eſt vnus ſimplex habitus, ſed plures. 1049. num. 27. Sunt tot, quot ſunt concluſiones ſcibiles per vnum ſpecie medium. 1050.num.30.

Scientia partialis vnius totalis non ſumunt ſpeciem à ratione formali obiecti, vt obiectum eſt, ſed vt res eſt. 1049. numero 28.

Scientiæ ratio alia eſt à ratione luminis, & ideo neceſſaria eſt ob aliam cauſam. 486. num. 54.& 55.

Scientiæ habitus ponitur, vt intellectus iudicium ferat de connexione extremorū. 486. num.54.

¶ Scientiæ naturales non habent eandem rationem formalem cum ſupernaturalibus. 1007.num.66.

¶ Sciētia acquiſita ex ſe habet, quod ſit per modum compoſitionis, & cur? 995. num. 8.

Per ſcientiam acquiſitam in beatis quid intelligendum ſit. 1037.§.1.

Hæc ſcientia realiter diſtinguitur à ſuis ſpeciebus. 1045. in ſecunda ratione.numero.9. & 10.

Scientiæ acquiſitæ in via, an maneant in Patria? Quidam negant. Affirmatio eſt vera. 1064. art.9.

¶ Scientia ſub eadem ratione eſt indita, & infuſa contra Caietanum. 992. nu.6.

Scientia infuſa, alia eſt infuſa per ſe, alia per accidens. 992.nu.7.

Scientia per ſe infuſa, an poſſit habere modum tendendi per diſcurſum? Quidam affirmant. 997.num.14. Negandum eſt. Ibidem. Soluuntur argumenta. 998. num. 20.

Scientia infuſa poteſt mouere acquiſitam, vt diſcurrat. 998.n.18.

Scientia per ſe infuſa non poteſt habere actum per ſpecies naturales, & acquiſitas. 1004. num.50.

Sientiæ infuſæ ſpecies, vide ſpecies ſcientiæ infuſæ.

Scientia infuſa quanuis diſtinguatur ab experimentali, & poſſit ſine habitu illius cognoſcere præterita; admittit tamen ſuas ſpecies per illam modificari, vt repræſentent rem ſub ratione iam cognitæ, vt ſint ſpecies rememoratiuæ. 1010.num.77.

Scientia infuſa beatis habet ſpecies viſionis beatæ ſaltem abſtractiuas. 1021.num.120.

Scientia indita beatis? vide beati ſcientiam.

¶ Scientia indita animæ Chriſti, vide Chriſti ſcientia.

¶ Scientia ſuperioris ordinis poteſt ſub ſuo obiecto continere res ordinis inferioris. 1007. num.64. Soluuntur argumenta. num 66.

¶ Scientia experimentalis eſt habitus relictus ex actuali experientia. 1010.num.77.

Hæc acquiritur cognitione ſenſitiua, & intellectiua. 1067. num.14.

Ad ſcientiam experimentalem cognitio ſimul debet fieri cum ſenſus experimento. 1067. num. 16. Et ſpecies illius debent rem repræſentare, vt eſt ſub ſenſu. Ibidem.

Scientia duobus modis dici poteſt experimentalis. 1067. nu. 17.

¶ Scotus negauit lumen gloriæ in beatis. 499. n.9.

Hæc opinio, an ſit damnata? 509.n. 13.& 14.

An ſenſerit Scotus intellectum poſſe naturaliter videre Deum? 61 .nu.4.

Scoti ſententia de eleuatione intellectus ad videndum Deum, alia eſt à ſententia Durandi. 130.num.8.

¶ Securitas quid ſit? Variæ ſententiæ. Vera docet, quod ſit modus poſſidendi bonum. 924.num.26.& 27.

Securitas in Patria non habet rationem dotis. 924.num.26.

¶ Senſatio formaliter, an ſit receptio ſpeciei ſenſibilis? Dubium. 212. §.8 num.47.

Negatiua vera. nu. 48. & 49.

Senſatio recipitur in toto coniuncto mediante potentia ſenſitiua. 238.nu.15.

¶ Senſibile receptum in ſenſu eſſe ſenſationem, quomodo ſit intelligendum. 213. nu. 50.
¶ Sentire aliquando ſumitur cauſaliter, & pro actu primo. Ibidem.
¶ Senſitiuum ſubſtantialiter ſumptum, vt per ſuam potentiam ſenſitiuam fit in actu primo ad ſentiendum, eſt in potentia eſſenti[ali], tam ad actum primum, quam ad ſecu[n]dũ. 215. num. 57.
Senſitiua operatio intrinſecè mouet appetitum ſub ratione delectabilis: extrinſecè vero ſub ratione delectationis. 1109. colum. 1. in principio.
¶ Senſus per ſpecies ſenſibiles elicit actum ſentiendi. 199. nu. 35.
Senſus conſideratur in triplici ſtatu ſ. in potentia eſſentiali: in actu primo: & in actu ſecundo. 213. nu. 49.
Senſus determinatur ad hanc, vel illam ſenſationem à ſpecie producta ab obiecto. 238. num. 15.
Senſus externus non poteſt cognoſcere abſtracte. 449. nu. 13.
In ſenſibus poteſt dari error. 1080. n. 3.
An error dari poßit in ſenſu corporis glorioſi. 1080. num. 6.
An dari potuerit in ſenſu Chriſti viatoris. Ibidem.
An negandus ſit error ſenſibus pro ſtatu innocentiæ. Ibidem.
In ſenſu, quæ dicantur eſſe, vt à nobis naturaliter cognoſcantur. 29. nu. 29.
¶ Similitudo formalis in quo ſenſu ſit eiuſdem ſpeciei cũ re, cuius eſt ſimilitudo. 184. n. 59.
Simile debet cognoſci à ſimili; quomodo intelligatur? 171. nu. 9. 269. num. 4. 376. nu. 7.
¶ Simplicia, quæ nullam admittunt multiplicitatem, aut exacte cognoſcuntur; aut totaliter ignorantur, 6. nu. 13.
Hæc exacte cognoſcuntur cognitione, & intuitiua & abſtractiua. 6. num. 14.
¶ Simnltas agentis cum paſſo licet naturaliter ſit neceſſaria ad agens naturale, abſolutè tamen, & in ordine ad diuinam potentiam nõ eſt neceſſaria. 817. nu. 84.
¶ Sol vt videatur indiget lumine à ſe diſtincto. 505. n. 41,

Species.

¶ Speciei intelligibilis natura, 217. q. 2.
Eſt qualitas. 217. n. 1. Ad quam ſpeciem qualitatis pertineat. Ibidem.
Species licet à ſe ſit imago rei; aliter tamen, & aliter ſumpta aliter, & aliter eſt imago 113. colum. 1. in principio.
Species impreſſa, an formaliter ſit ſimilitudo, & imago? Dubitatur. 218. art. vnico. Affirmatiua vera. §. 2. Confirmatur. 220. §. 3. 280. nu. 3.
Eſt immediata repræſentatio. 285. nu. 24.
Specie[s] impreſſa, & expreſſa quomodo inter ſe diſtinguantur. 189. num. 1.
Quomodo differant in ratione imaginis. 223. n. 21.
Species intelligibiles, an in nobis ſint admittendæ? 168. q. 1. art. 1. Affirmatiua vera. 169 num. 4.
Illarum neceſsitas variè cõfirmatur. 171. §. 2.
An ſit neceſſaria, tam ad cognitionem abſtractiuam, quam intuitiuam? Diſp. Variæ ſententiæ. 192 art. 3. Affirmatiua vera. 194. n. 13. Oſtenditur à priori. 195. n. 18. à poſteriori. nu. 21.
Neceßitas illarũ ſatis confirmatur ex eo, quod phantaſmata ſine ſpecie non poſſunt obiectiue vniri intellectui. 175. nu. 25.
Ob quas cauſas neceſſariæ. 202. n. 55.
Neceſsitas illarũ per ſe primo ſumitur, quia intellectus debet fieri res ipſa intellecta per formã aliquã intelligibilem ipſius rei. 185. num. 55.
An ſpecies forent neceſſariæ, ſi intellectus ad intellectionem ſolum concurreret paſsiue? Affirmatiua placet. 300. art. 10.
¶ Species, vt eſt ſpecies vere, & eſſentialiter eſt accidens, ſi reduplicatio bene expẽdatur. 334. §. 3.
Speciei eſſe non eſt ipſum actuale intelligere contra Caietanum. 420. n. 83 & 84.
Ad abſtractionẽ ſpeciei intelligibilis requiritur, vt natura ipſa, cuius eſt ſpecies, aliquo modo cõtineat in obiecto, à quo abſtrahitur. 87. n. 7
Species ſubſtantiæ, ſi datur, non poteſt abſtrahi à phantaſmate accidentis; ſed à phantaſmate ſubſtantiæ. 87. num. 8.
Species propria rerum ſingularium, an ſint admittendæ? 203: nu. 57.
Species an diſtinguantur ab actu intelligendi? Diſp. 204. ar. 4. Variæ ſententiæ. §. 2. 205. §. 3. Vera ſententia. 207. §. 4.
An ſpecies maneat ceßante intellectu? Dubitatur. 216. ar. 5. Affirmatiua vera. nu. 2.
De ratione ſpeciei apud nõnullos per ſe nõ eſt informare intellectũ ſed hoc illi cõuenit per accidẽs. 225. n. 14. Cõrariũ oſtenditur. 234. n 10
Species ex ſententia D. Tho, eſt perfectio potentiæ intellectiuæ. 227. n. 22. & 23.
E[ſt] principium formale intelligendi apud eun[de]m. Ibidem.

Ex ſpecie, & intellectu apud D.Thom. fit vnũ principium actiuum. Ibidem.

Species impreſſa pertinet ad memoriam. 282. num. 7.

Species ex D.Thom. ſumit ſuam immaterialitatem ex ſubiecto. 331. nu. 19. [illegible], qua

Speciem eſſe naturalem intellectui, & non eſſe à Deo [illegible]ctore naturæ, implicat. 460. num.8.

Species illuminatur à lumine, vt in ea actu appareat obiectum, quod ante lumen ſolũ apparebat habitualiter. 635. n.40.

Species realiter diſtinguitur à lumine. 635. num.42.

Speciei intelligibilitas dicit perfectionem. 982. num.55.

Specierum abſtractio requiritur, vt natura, cuius ſpecies abſtrahitur, aliquo modo contineatur in obiecto, à quo abſtrahitur. 87. num.7.

Species impreſſa eſt imago obiecti. 44. n.79. 112. num. 25.

Species propria ſubſtantiæ, an ſit admittenda? 45. nu. 81.

¶ Si admittatur, à quo nam phantaſmate abſtrahatur. 52. nu. 102.

Species impreſſa poteſt vniri intellectui inquãtum eſt qualitas, & forma quædam intelligibilis. 128. nu. 17.

Species intelligibilis quomodo actu et potentiã? 249. nu. 47.

Quomodo abſtrahatur ab intellectu coniuncto? 43. nu.78.

¶. Species, tunc ſumitur, vt eſt ſpecies, cum ſumitur in repræſentando. 331. nu. 19

Per ſpecies ſuperioris ordinis bene repræſentantur res ordinis inferioris: per ſpecies tamen inferioris ordinis non repræſentantur res ordinis ſuperioris. 84. n. 46.

Inter ſpeciem repræſentantem abſtractiue, & intuitiue diſcrimina. 200. nu. 39.

Species intuitiua repræſentans rem, an poſſit à Deo conſeruari deſtructo obiecto: & quomodo tunc repræſentabit. 200. n. 40.

Species non ſemper repræſentat actualiter: ſed ſolum quando actuatur, & applicatur ad vſum. 210. n. 37

Species non ideo repræſentat, quia eſt principium actiuum intellectionis, quæ eſt rei repræſentatiua: imò ideo eſt principium actiuum intellectionis, quia eſt imago rei, quæ intelligitur. 222. n. 19.

Species non repræſentat obiectum in ratione termini. 231. num. 5.

Species impreſſa, an repræſentet obiectum per modum termini? Diſp. 295. art. 8.

Negatio vera. 296. §. 2. Argumenta huius opinionis. 297. §. 3. & 4.

Speciem impreſſam diuinæ eſſentiæ, (ſi daretur) non poſſe adæquate non repræſentare diuinam eſſentiam plures volunt. 321. n. 22. Sed non recipiuntur. 325. n. 27. 340. ar. 6.

Species inferioris ordinis, an poßit repræſentare, quod eſt ordinis ſuperioris? Diſputa. 326. articul. 3. §. 1. Vera reſolutio. 327. num. 3.

Species vnde habeat, quod ſit ordinis inferioris in repræſentando reſpectu obiecti? 329. num. 11. & 12.

Speciem non poſſe repræſentare aliquod obiectum determinatum duobis modis poteſt cõtingere. 328. n. 10.

Species creata ſemper eſt inferioris ordinis in repræſentando reſpectu intelligibilis increati, vt eſt infinitè intelligibile, & adæquate: ſecus ſi inadæquate, & finite. 329. num. 12.

Species in repræſentando inferior, eſt etiam inferior in eſſendo: non tamen ſi eſt inferior in eſſendo, eſt iferior in repræſentãdo. 329. n. 13. 330. n. 14.

Speciem creatam eſſe dearticulatam in repræſentando bene infert eſſe inferioris ordinis reſpectu diuinæ eſſentiæ, vt eſt infinite intelligibilis: ſecus ſi finite. 331. n. 17.

Species ex ſententia D.Tho. non ſumit repræſentationẽ ex ĩmaterialitatẽ, ſed aliunde. Vnde nec ex ea habet, quod in repræſentando ſit ordinis inferioris, vel ſuperioris. 331. n. 19. & 20.

Species in repræſentando non ſumit inferioritatem, aut ſuperioritatẽ ex ſuperioritate, aut inferioritate in eſſendo. 332. nu. 21.

Speciei repræſentatio non fundatur in ipſo eſſe, quod eſt ens, ſed in conformitate, & conuenientia, quia ſcilicet ita rem repræſentat ſicut ipſa eſt in ſe. 333. n. 1.

Species in repræſentando quomodo conueniat cum re repræſentata? 337. nu. 14.

In quo ſenſu ſit eiuſdẽ rationis in repræſentãdo cũ re repræſentata: & in quo fundetur ſimilitudo ad eam? 338. n. 16. & 17. 355. n. 8.

Speciei repræſentatio ſuam entitatem non cõſequitur, vt proprietas, ſed vt eſt differentia conſtitutiua illius in tali ſpecie. 339. n. 19.

Species repræſentans ens infinitum non neceſſario eſt infinita. 339. art. 5.

Species repræſentatiua obiecti non neceſſario illud

illud adæquate repræſentat. 340. num. 5.

Species abſtractæ à ſenſibus non adæquate repræſentant ſua obiecta. 341. nu. 7.

Species repræſentans rei quidditatem non neceſſario eam repræſentant adæquate. 341. num. 9.

Ad repræſentationem adæquatam obiecti per ſpeciem plus requiritur, quam ad quidditatiuam. Ibidem.

Species in repræſentando minus immaterialis poteſt repræſentare rem magis immaterialem. 346. nu. 27.

Dari poteſt ſpecies adeo eleuata, vt nulla creatura poſſit illi eſſe adæquatũ obiectum ſuæ repræſentationis. 353. art. 7. n. 1.

Species altioris ordinis non poteſt repræſentare obiectum ordinis altioris in eſſendo, quã ſit natura cognoſcentis. 359. n. 20.

In ſpecie dari adæquationẽ cum obiecto in eſſe repræſentatiuo, dupliciter intelligi poteſt. 456 nu. 37.

Species repræſentans naturas ſpecie, & numero infinitas, an dari poſſit? 458. n. 46.

Species repræſentans obiectum ſecundum modum eſſendi ſubſtantialiter ſupernaturale, eſt ſupernaturalis ſecundũ ſubſtantiam. 459. num. 6.

Specierum maior vel minor vniuerſalitas in repræſentando, in quo conſiſtat. 1056. n. 22.

Variæ explicationes. 1056. 1057. Vera explicatio. 1057. n. 28. 1058. n. 29. & 30.

Speciei repræſentatio obiectiua neceſſario non eſt tanta, quanta fuerit illuminatio obiectiua per lumen. 1343. n. 21.

Species repræſentatiua ſubſtantiæ materialis nõ poteſt abſtrahi à natura corporea. 42 n. 74.

Inter ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles datur diſpar ratio in repræſentando? 353. n. 2.

¶ An ſpecies per ſe ſtet ex parte obiecti; an ſolum ex parte intellectus: an ex parte vtriuſque? Diſp: 223. q. 3.

Quod ſit ſolum ex parte obiecti. 224. §. 1. Quod ſolum ex parte intellectus. 230. ar. 2. Quod ſit ex parte vtriuſq; eſt proble., 231. §. 2. Tenet ſe ex parte intellectus non per accidẽs, ſed per ſe. 226. nu. 16. & hæc eſt ſententia D. Thom. 227. §. 3.

An ſpecies per ſe reſpiciat intellectum, vt forma intrinſeca. Diſp. 231. ar. 3. Affirmatiua vera nõ per accidens, ſed per ſe. 233. §. 2.

Speciem ſe tenere ex parte obiecti, quid ſit? 325. num 35.

Species impreſſa, & expreſſa in quo ſenſu poſſunt eſſe ex parte obiecti? Ibibem.

Species impreſſa tenet ſe ex parte obiecti, non tamen expreſſa. 321. nu. 21.

Species vtrum ſit intellectui tota vis actiua intelligendi. Diſp. 239. art. 5. Affirmatio variè explicatur. 241. nu. 9. Negatiua tamen eſt vera. 242. §. 2.

Species quomodo compleat virtutem intelligẽdi. Diſp. 264. art. 8.

Quomodo illam compleat, vt ſe tenet ex parte obiecti? 265. §. 1.

Quomodo illam compleat, vt ſe tenet ex parte intellectus? Varij dicendi modi. 265. §. 2. Vera reſolutio, 267. num. 17.

Species quomodo determinet indifferentiam intellectus. 267. nu. 20.

Species, vt eſt ſpecies, in quo ſenſu debeat habere idem eſſe cum re repræſentata; explicant Thomiſtæ. 334. §. 2. Sed multa nõ placent. §. 3.

Species in quo ſenſu eſt forma rei repræſentatæ. 336. nu. 14.

Species, vt eſt ſpecies, & formalis quædam repræſentatio ſpecificatur à ſuo obiecto, & ab eo ſumit perfectionem eſſentialem. 342. num. 13.

Species, vt ſit principium intelligendi non neceſſario debet eſſe, aut immaterialior, aut æque immaterialis cum ſuo obiecto: ſed poteſt eſſe minus immaterialis. 343. §. 3.

Species non habet immaterialitatem in repræſentando, ſed in eſſendo ex D. Thom. 343. num. 17. & 18.

quanuis oppoſitũ ſit verũ. 344. n. 19. & 20.

Speciei immaterialitas in repræſentando, an ſit diſtincta ab ĩmaterialitate illius in eſſendo? 345. n. 21.

Species vnde primo ſibi vendicet immaterialitatem? 345. n. 23. & 240. nu. 25.

Species magis materialis poteſt ſupplere vicem obiecti minus materialis 347. numero 29.

Speciem eſſe eiuſdem naturæ, & rationis ſpecificæ cum re repræſentata, eſt contra Philoſophiam, 355. nu. 7.

Species non vnitur intellectui, vt concauſa partialis, ſed vt cauſa formalis dans illi eſſe rei intellectæ. 396. n. 48.

Species apud Ariſtotelem perficit intellectum actuando illum alteratione perfectiua, non corruptiua. 415. n. 65.

Speciem nulla alia ratione perficere intellectum, niſi vt illũ faciat potentẽ ad intelligendũ, abſolute eſt falſum. 423. n. 7.

Speciem participare obiectum nihil eſt

aliud, quam illud repræſentare. 455. n. 32.
Species productæ à Deo quomodo menſurentur ab obiecto, vt à cauſa exemplari? 348. num. 34.
Species in quo ſenſu in repræſentando menſurentur ab obiecto? 348. num. 34. & §. 5. & 36.
Sepecies non videntur in ſpeculo ſed res: contra nonnullos. 113. num. 28. 114. num 29.
¶ Species, an actiue concurrat ad intellectionem? Diſputa. 236. art. 4. Affirmatiua vera. 237. §. 2.
Species vt ſe tenet ex parte potentiæ, an actiue concurrat cum intellectu ad intellectionẽ: & quomodo. Diſp. 260. art. 7. Vera reſolutio. 261. § 2. & 3.
Species, & intellectus, an conſtituant vnum totum principium actiue concurrens ad intellectionem: 262. §. 4. & 263. n. 32.
Species, & intellectus concurrunt ad intellectionem, vt principiũ actiuum immediatũ. 238. num. 14.
Species apud D. Tho. non eſt medium intelligẽdi ſub quo, ſed quo. 470. n 18.
Species non concurrit paſsiue diſponẽdo intellectum ad recipiendũ intellectionem. 238. num. 13.
Species ex parte obiecti quomodo concurrat cum intellectu ad intellectionem? 258. §. 2.
Species habens ſe ex parte obiecti, an actiue concurrat ad intellectionem. Diſp. 252. art. 6. Quidam affirmant. 253. n. 6. Vera reſolutio. 254. num. 14
Species nõ eodem modo ſe habet ad intellectionem, quo calor in igne ad calefactionem. 250. n. 53.
¶ Spes Angeli cur ab intellectu coniuncto non poſsit abſtrahi à re materiali? 118 n. 8.
Spes intelligibiles vniuerſaliores in Angelis ſuperioribus non habent eandẽ formalem repreſentationem cũ ſpeciebus minus vniuerſalibus inferiorum. 604 n. 106.
Speciei vicem ſubire poteſt Angeli ſubſtantia, nõ tamẽ poteſt eſſe vera ſpecies. 235. n. 16.
Species intelligibiles Angelorum, vide Angeli ſpecies.
¶ Species non ſunt neceſſariæ, vt faciant rem localiter præſentem, ſed vt eam faciant præſentẽ obiectiue, & intẽtionaliter 201. n. 46.
Species eſt vicaria obiecti: & hunc vicariatũ poteſt exercere, tum ex parte obiecti, tum ex parte intellectus. 229. nu. 33.
Species non tribuit intellectui actiuitatem potẽtiæ, determinat tamen, & complet actiuitatẽ illius. 230. n. 27.
Species ſi per impoſsibile poneretur in intellectu non informans illum, nõ conſtitueret eũ in actu primo: nec obiectum vniret intellectui. 234. nu. 13.
¶ Speciei munera. 268. q. 4.
Primarium munus illius eſt ita aſsimilare intellectum obiecto, vt faciat eſſe ipſum. 268. §. 1.
Hoc munus excercet vt forma intrinſeca. 269. §. 2.
Hoc munus eſt primum, & principale illius. 271. §. 3 397. num. 1.
¶ Munus illius eſt conſtituere intellectum in actu primo. 271 art. 2 Et hoc munus exercet vt forma intrinſeca. 274 §. 3.
Ita conſtituit intellectũ in actu primo, vt ſit illi formale principiũ intelligendi. 277. n. 28.
Hoc munus exercet, vt ſe tenet ex parte intellectus. 279 num 41.
¶ Munus ſpeciei eſt præſentare obiectũ intellectui: hoc eſt indubitatum. 280. art. 3. Quomodo autem repræſentet dubitatur §. 2.
Illud repræſentat, vt eſt formalis illius repræſentatio. 280. nu. 3. 281. 4.
Ideo illud repræſentat, quia facit illud eſſe præſens intellectui. 283. n. 13. & 14. Quomodo autem illud faciat præſens dubitatur. 283. §. 4 Vera reſolutio. 284. §. 5.
Species duobus modis repræſentat obiectũ intellectui: formaliter, & obiectiue. 284. n. 18.
An vtraque repræſentatio conueniat ſpeciei. Dubitatũ n. 19. Vera reſolutio n. 20. & §. 6.
Species habet duplicem repræſentationem: vnã aſsimilatiuam: alteram obiectiuam. 285. n. 24. prima ſe tenet ex parte intellectus: ſecũda ex parte obiecti. 286. nu. 29.
In ſpecie adhuc diſtinguenda eſt duplex repræſentatio obiecti, vna in actu, altera in habitu. 286. §. 1 An vtraq; illi cõueniat. Dubiũ. n. 33. Vera reſolutio n. 34.
Non repræſentat obiectum per modũ termini. 296. n. 5.
¶ Speciei munus eſt vnire obiectum cum intellectu. Hoc indubitatum eſt. 287. n. 4. §. 1. Quomodo autem vniat. Dubiũ. 288. n. 7.
Dupliciter vnit obiectum cum intellectu: obiectiue, & formaliter. 288. n. 7. 432. n. 14.
Dubitatur tamẽ an vtraque vnio cõueniat ſpeciei. 288. 8. Vera reſolutio. 289. n. 9. & 14.
Ex qua autẽ parte ſe habeat vna & altera vnio: & quo ordine vtraq; exerceatur. 290. §. 3. & 4.

¶ An munus ſpeciei ſit determinare intellectum ad ſpeciem talis actus dubium. 291. ar. 5. Affirmatiua placet. nu. 1.

Quomodo illum determinet ad talem actum. 291. §. 2.

Hoc munus conuenit ſpeciei, vt eſt ex parte intellectus. 292. §. 3.

Speciē determare intellectū ad talē actū an idē ſit quod actū ſpecificare. Dubium. 2. §. 4 Vera reſolutio. 293. n. 13. & 14.

¶ Munus ſpeciei eſt complere virtutem actiuam intellectus. 293 art. 6 Quomodo autē compleat? n. 1. cum ſequentibus.

¶ An munus ſpeciei ſit ſimul cū intellectu influere in actum intelligendi? Diſp. 294. art. 7. Vera reſolutio 295. §. 2.

Quo ordine hoc munus exerceat. 295? § 3.

¶ Species, an omnia ſua munera exerceat vi vicaria obiecti? diſputatur. Reſolutio. 300. §. 2

¶ Speciei officium non eſt manifeſtare obiecta vt appareāt, ſed ſolius luminis. 635. n. 40.

¶ Species infuſæ, an datæ fuerint Adamo? vide Adamus.

An dētur animæ ſeperatæ? vide animaſeparata.

Species ſcientiæ infuſæ ſunt in repræſentando vniuerſales: & eo vniuerſaliores, quo perfectiores 995. n. 9.

Species infuſa in quo ſenſu ſit indifferens ad repræſentandum rem exiſtentem, & non exiſtentem. 1008 n. 77.

Repræſentat naturam vniuerſalem non abſtracte, ſed concrete, 1009. n. 78.

Ob quam rationem poteſt repræſentare ſingularia ibidem.

¶ Species ſupernaturalis infuſa non poteſt repræſentares res, quoad omnes rationes exiſtē tiæ: ac ſi ipſæ præſentes eſſent 1011. n. 79. & 82. 1016. n. 98 & 99.

Species infuſæ ſcientiæ beatorum à quo determinentur in repræſentando ſingularia, & futura contingentia? 1012. n. 86. & 87.

An illa repræſentent intuitiue, an abſtratiue? Ibidem.

Non poßunt determinari ab aliquo ad repræſentanda futura vere contingentia, nec ad ea, quæ ſunt libera. 1013. n. 90.

¶ Species fidei? vide fidei ſpecies.

¶ Species ſenſibiles dandas eſſe notum eſt inter Philoſophos. 169. n. 2. 196. n. 21. 22. 23.

Antecedunt notitiam ſenſitiuam. 197 n. 29.

Sunt ſimilitudines formales ſuorum obiectorū non vero obiectiuæ tantum, contra Durand. 198. n. 30. 221. n. 15.

Non ſolū recipiuntur in medio, ſed etiā in organo ſenſus. contra Scotum 198. n. 34.

Species ſenſibilis actiue concurrit ad ſenſationem. 238. n. 15. 199 n. 36. & 37

Species ſenſibilis ſemper eſt ordinis inferioris reſpectu intelligibilium 329. n. 12.

Species ſenſibiles vnde habeāt ſuperioritatē vel inferioritatem in repræſentando? 332. n. 21.

Non adæquate repræſentant ſua obiecta. 341. num. 8.

Species coloris non ſemper repræſentat viſui quidquid in colore eſt viſibile. 348 nu. 33. 341. nu. 8. & ideo non omnia repræſentat in quacumque diſtantia 349 n. 36.

Inter ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles datur diſpar ratio in repræſentando 353 n. 2.

¶ Species creata diuinæ eſſentiæ, an poſsit dari 71. num. 15.

Si daretur, an eſſet connaturalis alicui intellectui ſaltem creabili Ibidem.

Nulla ſpecies intellectui naturalis poteſt repræſentare Deum in ſe ipſo. 87 n. 4: 5. & 6.

Vnde talis ſpecies dari non poteſt 88. num. 10. 118. num. 6.

Species tamen creata diuinæ eſſentiæ abſolute eſt dabilis. 112. nu. 25.

Vnde poteſt dari ſpecies creata quæ Deum finite repræſentet 348. §. 4.

Species creata diſtincte repræſentans Trinitatem repræſentatione abſtractiua, an ſit poſſibilis? 1033. n. 163. & 164.

Hæc ſpecies vnde limitaretur in repræſentādo? 456 num. 38.

Species talis non poteſt dari viribus naturæ id eſt naturalis agentis. 117 nu 3.

Nec naturaliter emitti poteſt ad effectis creatis, nec ab ipſis abſtrahi. 87 n 4 & 5.

Species intuitiuæ diuinæ eſſentiæ creata, an abſolute ſit poſsibilis? 119. §. 3. Diſputatur. 449. art. 2 Quidam negant §. 1. Affirmatiua vera, 452. §. 2. Soluuntur argumenta 453. §. 3.

Hæc ſpecies ſi daretur, indigeret lumine gloriæ, vt intellectū diuinæ eſſentiæ obiectiuè vniret. 128. n. 17. Poſſet tamen ante lumē habituali ter vniri, per lumen vero vniretur in actu primo Ibidem.

Negatio ſpeciei expreſſæ diuinæ eſſentiæ nō bene infertur ex negatione verbi illius. 319. nu. 13.

Species diuinæ eſſentiæ nō participat eſſe diuinum ſecundum eundem modum immaterialitatis 332. nu. 22.

Speciei intelligibilis vicē diuina eſſentia ſe ſola ſupplere non poteſt. 604 n. 105. vide. 235. num. 16.

In ſpecie diuinæ eſſentiæ viſa in ſe ipſa non videretur Deus quidditatiue. 112.*nu.*25.

Species diuinæ eſſentiæ:vide diuina eſſentia: & *Verbum.*

¶ Speculum, in eo non videtur ſpecies rei, ſed res ipſa. 113.*n.*28. 114.*num.*2.

¶ *Actus ſpei, an ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam.* 939.*nu.*10.

Spei actus eo eſt intenſior, quo maior eſt conatus volũtatis cũ habitu ſpei. 1345.*n.*27. & 28.

¶ *Non omne quod ex ſe pendet à ſpiritu eſt ſpirituale ſecundum eſſe.* 820.*n.*94.

In ſpirituali forma poteſt eſſe forma corporea. 819.*nu.*93. 820.*num.*94.

Spiritualis forma poteſt eſſe in corpore modo in extenſo. Ibidem.

*Spiritus Sancti.*7.*dona ſunt admittenda.*1071 *art.*12.*num.*7.

Sunt habitus diſtincti à virtutibus.nu. 8.

*Ad quid dentur.*1072.*nu.*3.& 8.

¶ *Sponſalia inter Chriſtum,*& *Eccleſiam vide Chriſtus,* & *Eccleſia.*

¶ Stellas eſſe in claritate diſpares non eſt certum. 1312. *nu.* 15.

¶ *Subalternatio eſſentialis cauſarum in quo ſit poſita? vide cauſarum ſubalternatio.*

¶ *Subiectio creaturæ ad Deum:vide creatura.*

¶ *Subiectum poteſt ſimpliciter perfici, quamuis perficiatur mediante alio.* 568.*n.*91.

¶ *Subſtantia ſeparata:vide Angelus.*

¶ *Subſtantia non eſt principium immediatũ ſuæ operationis.*243.*nu.*21. 246.*n.*31.

Subſtantia creata eſt fundamentũ ordinis naturalis. 773.*num.*14.*Non poteſt eſſe ordinis ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. Ibidem.*

Eſt fundamentum, & *natura accidentium.Ibidem.*

Subſtantiam eſſe naturam,& *eſſe ordinis naturalis,non eſt idem.* 774. *nu.*15.

Subſtantia, quæ eſt ordinis inferioris, non neceſſario eſt natura ad omnia ad quæ moueri poteſt. Ibidem.

Subſtantia moueri poteſt, tum ad ea,quæ ſunt ordinis inferioris; tum ſuperioris ex Auguſtino, aliter tamen, & *aliter.* 774. *num.*15.

Subſtantia licet naturalis ex eo, quia eſt ordinis inferioris,nõ eſt natura ad omnia in quæ poteſt,ſed ſolũ ad ea,quæ ex ſe poteſt. Ibidẽ.

Inter ſubſtantiam naturalem; ideo quia eſt ordinis inferioris,& *quia eſt natura,eſt diſtinguendum. Ibidem.*

Subſtantiæ,& *accidenti nullum datur prædicatum eſſentiale vniuocum, ſed ſolum accidẽtale.* 784.*nu.*26.

Subſtantia reſpectu cuiuſcunque accidentis eſt effectus ſupra illius naturam: & *ideo nullũ accidens poteſt producere ſubſtantiam, vt principium principale, ſed vt inſtrumenta.* 812.*nu.*66.

Subſtantiæ repugnat eſſe imaginem formalem. 354.*nu.*4.

Nulla ſubſtantia poteſt dari, quæ diſtinctè Deũ repræſentet. 354.*n.*5.

¶ *Subſtantialis forma ad actus non vitales nõ concurrit per proprium influxum immediatum, ſed mediatum tantum.* 250.*nu.*52.

Quid dicendum quoad actiones vitales. Ibidẽ.

Subſtantialis forma? vide forma ſubſtantialis.

¶ *Ad ſumum perueniri nõ poſſe, niſi per medium, quomodo ſit intelligendum?* 1142. *num.*35.

¶ *Supernaturale ſimpliciter, vt diſtinguitur à naturali,quidnam ſit?* 161.*n.*1.

Supernaturale aliud eſt ſecundum ſubſtantiam, aliud ſolum quo admodum. 161.*n.*2.

Ad ſupernaturalia quoadmodum Deus concurrit non vt Author naturæ, ſed vt Author ſupernaturalis. 816.*nu.*82.

Supernaturalia ſecundum ſubſtantiam contineri ſub obiecto adæquato intellectus angelici aſſerit Scotus: ſed non recipitur. 1020.*nu.* 117.& 118.

Cognoſcuntur per lumen, & *ſpecies eiuſdem ordinis.* 1020.*n.*118.

Supernaturalia ſecundum ſubſtantiam, an cognoſcantur à beatis,vide beatus.

Cur dicantur eſſe participationes diuinæ naturæ. 1020.*n.*119.

Non poſſunt cadere in vſum naturalem. 460. *nu.*7.

Supernaturalia ſecundũ ſubſtantiam alia poſſunt eſſe naturalia ſoli Deo: alia vero habere poſſunt connaturalitatem cum re creata 1059.*nu.*36.& *quæ ſint vtraque.Ibidẽ:*

Quomodo inter ſe differant. 1060. *nu.* 37.

Priora ex ſola diuina volũtate modificãtur, & *dearticulãtur, Poſteriora vero dearticulantur ad modum naturæ rei creatæ. Ibidem.*

Eſſe ſupernaturale eſt gradus eſſendi in ente ſupernaturali, & *vnde ſumatur?* 839.*n.*37.

Supernaturalis concurſus ad cognoſcendũ Deũ ſolũ conſiſtit in ſpecie, & *lumine.*165.*n.*3.

Supernaturalia ſunt in triplici genere. 1019. *num.* 116.

¶ *Super-*

¶ Supernaturalitas actus, vide actus ſupernaturalitas.
¶ Suſceptiuum formæ; vide forma, & potentia paſſiua.
Suſceptiuum alterius quomodo poteſt dici potentia. 569.n.92.& 93.
Syndereſis (quæ eſt habitus princi piorũ in ... ratiuis) quid ſit? 472 n.27.
T.
¶ Ratio termini primarij; & ſecundarij in productione formæ & eius receptione vnde per ſe ſumatur? 559.n.34 & 35.
¶ Theologia viæ, an maneat in Patria? 1070. art. 11.
¶ D.Thomas expreſſe probat ſpeciem intelligibilem ſe tenere ex parte intellectus. 227. §. 3.
D.Thomas lumen gloriæ nunquam appellauit ſpeciem impreſſam. 637.n.51.
¶ Trinitatis myſterium, an cognoſcatur à beatis & a Chriſto per ſcientiam inditam. ſiue infuſam, vide Chriſtus, & beatus.
Trinitas poteſt abſtractiue, & quidditatiue cognoſci. 1033.n.163.
Trinitas abſtractiue repræſentari poteſt per ſpeciem creatam. Ibidem.
V.
¶ Verbum mentis quid ſit? 970.n.4.
Eſt qualitas, & expreſſa ſimilitudo, & imago rei, quæ intelligitur. Ibidem.
Realiter diſtinguitur abſpecie intelligibili. 971 num.6.
An diſtinguatur ab actu intelligendi, ſine intellectione? Diſp. 971.num.7. Quidam ad mittunt realem diſtinctionem. Ibidem.
Alij nullam admittunt ex natura rei. num.8.
Alij ſolam diſtinctionem rationis agnoſcunt. num.9. Denique alij volunt eandem qualitatẽ vt ab intellectu expreſſam eſſe verbũ; vt receptam vero in intellectu eſſe intellectionem. 972.un.10. Vera opinio docet verbũ, & intellectionem & realiter, & formaliter, imò etiam ratione eſſe, idem. 974. n.22. Quod ratione diſtinguatur, communiter non admititur 320.n.14.
Si Verbum ab intellectione, nec realiter, nec formaliter diſtinguitur: omne verbum eſt intellectio & omnis intellectio eſt verbum. 973.n.17.& 19: 974.nu.22. & 23.
De ratione verbi apud Scotum eſt, quod procedat ab obiecto, tanquam proles eius. 974.n. 28. & ideo negat omnẽ intellectionem. eſſe verbũ: ſed non recipitur. 975.num.26.
Verbum apud D. Thomam producitur intellectione. 979.n.42. 980.n.43.
Verbum apud Thomiſtas eſt terminus intellectionis. 985.n.65.
Verbi intelligibilitas non dicit perfectionem, & ideo eminenter non continetur in prima ...intelligibilitate. 981. nu.56.
¶ Verbum diuinæ eſſentiæ, vide diuina eſſentia, & beatus.
Verbum diuinæ eſſentiæ in beatis vnde habeat poſſe illam repræſentare. 323. n. 29.
Verbum in beatis licet exprimatur ab eſſentia: non tamen exprimitur ab ea, vt eſt repræſentatiuum infinitum. 323. nu. 31.
Verbum diuinæ eſſentiæ ſimul eſt verbum attributorũ, & creaturarũ 984.n.62.& 63.
Verbum diuinæ eſſentiæ eſt adæquatum viſioni. 985.n.65.
Verbum diuinæ eſſentiæ non adæquate reſpondet eſſentiæ vnitæ per modum ſpeciei; ſed toti virtuti illius productiuæ. 1343.n.21. in fine.
¶ Verbi diuini perſona habet duplicem perſonandi rationem. Quarum altera eſt perſona Dei, & verè Deus: altera eſt perſona hominis, & verè homo. 1028 n 148.
¶ Veritas, an dari poſſit in ſimplici apprehenſione? 1079. art. 4. n. 1.
Veritas prima licet ſit actu intelligibilis, & ſit prima intelligibilitas obiectiua, licet poſſit efficienter cauſare ſpeciem, non tamen poteſt illam formaliter ſupplere. 395. n.42.
¶ Veſtigium Dei datur in omni creatura. 114 num. 32.
¶ Viator in raptu, & ecſtaſi poteſt videre res intelligibiles ſupra naturam. 1269. n. 9.
Poteſt ita à ſenſibilibus eleuari, vt ſolo intellectu operetur. 1270.n.10.
Poteſt illi communicari viſio diuinæ eſſentiæ, 1271.n.14.& 15.
Viator videns diuinam eſſentiam, an dicendus ſit ſimpliciter beatus. 1273 nu 20.
¶ Videre ſuam viſionem poteſt beatus actu reflexo. 108 nu.6.& 7.
An videat beatus viſiones aliorum per ſuam viſionem. 108.nu.7. Vide viſio.
Ad videndum Deum neceſſaria eſt aliqua ſupernaturalis eleuatio. 121.n:2.
Videri Deus non poteſt niſi diuina eſſentia ſit intellectui intelligibiliter proportionata. 123.nu.8.
Ad videndũ Deum neceſſaria eſt vnio diuinæ eſſentiæ per ſupernaturalẽ concurſum. 124. n.2.& 3. 125. §. 3.

Ad videndum Deum per ſpeciem creatam neceſſaria eſt vnio per lumen gloriæ. 128.n 17.

Videre Deum formaliter quid ſit? 656.§.6.

¶ *Virtus agētis principalis, & inſtrumentarij, vide gens principale, & inſtrume[illegible]um.*

Virtus actiua, quæ influit in effectum actiu[illegible]te ab Authore naturæ per ſe primo ad illū ordinata, influit in eum, vt cauſa principalis. 879 num.26.27.& 28. *Vide in* §. Dixi.

Virtutibus ſpecialioribus debentur maiora præmia. 1300.n.28.

Virtutum Theologarum actus eo ſunt intenſiores, quo maior eſt conatus intellectus, & voluntatis. 1343.nu.27.& 28.

An illarum actus ſint ſupernaturales ſecundū ſubſtantiam? 939.n.11.

¶ *Vis intelligendi intellectus poſsibilis non eſt lumen.* 474. nu.6.

¶ *Viſibile quomodo repræſentetur terminatiue?* 298.n.13.

¶ *Viſio corporalis non poteſt naturaliter fieri ſine lumine.* 600.nu.92.93.& 94.

¶ *Viſio ſpiritualis, & intellectiua non poteſt fieri ſine lumine, nec per diuinam potentiā. Ibidem.*

Viſio beata.

¶ *Viſionem diuinæ eſſentiæ, nec hominibus, nec Angelis eſſe poſsibilem error plurimorum.* 1137.§.1: 1138.num.7. 1139. §.2. 1140.§.3.

Poſsibilitas illius, vide beatitudo ſupernaturalis viſionis diuinæ eſſentiæ ratio in quo ſit poſita? 646.n.2.

Ad viſionem beatam, an & quomodo detur appetitus naturalis? 66.n.35.

Viſio beata cur non poteſt naturaliter conuenire intellectui. 84.nu.43.

Viſio beata eſt ſimilitudo formalis diuinæ eſſentiæ Diſp. 935.§.10. *Quidam negant.* nu.41. *vſque ad* 44. *Affirmatio eſt vera.* nu.44. 951.nu.45. *Vide* 109.n.11.

Viſio beata ex ſua natura eſt imago Dei, quæ non poteſt ducere in cognitionem Dei, niſi cognoſcatur ſub ratione imaginis. 110.nu. 15.

Formaliter non eſt relatiua. 111.nu.20.

Viſio beata non ſolum eſt ſupernaturalis in ordine ad agens, ſed etiam in ſe ipſa. 156. num.24.

Viſio non eſt lumen. 157.num.31. 513.n. 32.

An de potētia abſoluta poſsit dari ſine l[illegible]en,

Vide beatus, & lumen.

Viſio nec permanenter, nec tranſeunter poteſt communicari ſine lumine. 613.nu.144.

Viſio beata eſt perfectior lumine. 661 n.29.

Viſio beata à quo ſit effectiuè? vide intellectus beati. Ex natura ſua non eſt producibilis per creationem. 662.nu.33.

An [illegible]ſit produci à ſolo Deo intellectu ad eam eff[illegible]e non concurrente. Diſput. 663. artic.4. *Variæ ſententiæ* §.1. *Vera reſolutio.* 665.§.2. *Id probabiliter negari non poteſt.* nu.9.concluſ.1. *quid de hoc ſenſerit D.Thom.* 679.§.7.

An de facto fiat ab intellectu beati? Quidam negant. 680.art.5.§.1. *Affirmans eſt tenenda.* 681.§.2.

An ſit de fide? quidam affirmant. 682.§.3.n. 14 *Verius negatur.* 683.nu.16.& 17.& 684 nu.20.

Viſionē beatā de facto productā ab intellectu. an poſsit naturaliter demonſtrari. Quidam affirmant. 685.§.4. *Negatio vera.* numer. 29. *efficaciter tamen probari poteſt.* 686. §.5.

Viſionis principium vnum, & completum nō eſt intellectus, & lumen. 638.nu.54.

Viſionis entitatem poteſt Deus ponere, & conſeruare in aliquo ſubiecto ſine lumine: facere tamen non poteſt vt ſubiectum eam habens videat illam ſine lumine. 612.num 141.

In viſione beata quot gradus eſſendi inueniantur? 839.n.37.

Semper eſt eiuſdem rationis, ſiue eleuetur ab habitu, ſiue ab extrinſeco concurſu. 882.nu. 37.

An ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam dubitatur. 938.ar.2.§.1. *Affirmatiua vera.* 939.art.2. 940.num.16.

Illius ſubſtantia eſt à virtute naturali natiua intellectus vt eleuata. 941.nu.19.

Illius entitas non eſt eadem cum entitate fidei. 941.nu.20.

Viſio diuinæ eſſentiæ eſt cognitio quidditatiua Dei. 941.art.3.n.1.

Eſt notitia intuitiua. 942.§.2.

Eſt notitia apprehenſiua ſimplex, virtute tamen compoſita. 942.num.5.& 6. 943. num.7.

Eſt notitia iudicatiua. 943.§.4.num.9.10. & 11.

Eſt ſpeculatiua ſimul, & practica. 944.§.5.

Eſt tamen beatifica ſolum vt eſt ſpeculatiua. 945.nu.17.

In

In quo ſenſu ſit actio humana. 945.§.6.
Non ex plena voluntatis poteſtate. 945.n. 22.
Eſt notitia clara, & euidens, imò euidentior omni alia notitia. 946.numer.24.26.& 29.
Eſt certior omni alia notitia creata etiam ſci-entifica, & fidei. 947.num.30.& [illegible].
Abſolute non eſt actus omnium nobiliſſimus. 947.§.8.
Non eſt nobilior ſubſtantia. 948.n.33.
Eſt nobilior intellectu, & voluntate, & omnibus habitibus naturalibus, & ſupernaturalibus. 948.nu.34.
An ſit nobilior omnibus actibus intellectus, & voluntatis viæ & Patriæ? diſtinctione opus eſt. 948.num.35.
An ſit nobilior quam amor, & quam cæteri actus voluntatis? diſtinctione opus eſt. 948. num. 36.
An ſit propter finem. 949.§.3.nu.39.
Eſt immutabilis, & perpetua. 952.numero 57.
An ſit intenſibilis? 952.num. 58.
Non eſt actio, ſed qualitas. 952.n.59.
Eminenter continet omnes perfectiones beatitudinis. 953.§.14.
An ſit formalis beatitudo? 937.art.1.
An habeat rationem dotis? 921.num. 11.& 12.
¶ *An in omnibus beatis ſit eiuſdem ſpeciei quidam negant?* 953.nu.63.& 64. *Alij affirmant.* 954.num.65. & 66. *Negatiua deffendi poteſt gratia exercitij.* 954.d num 66. vſque ad 73. *Affirmatiua tamen eſt vera.* 957. num. 73. *Soluutur argumenta.* num.74. *Vide.* 354.numero.3.
Viſionem, quæ de facto datur, diſtingui ſpecie ab alijs, quæ à Deo ſine lumine produci poſſunt quidam affirmant, ſed non recipiuntur. 596.num.75.& 76.
Diſtinctio ſpecifica inter viſiones, an efficaciter inferatur ex ſpecifica diſtinctione intellectuum? 957. num..76.
Viſiones inæquales ſpecie differre nonnulli ſentiunt 953.num.64. *Non recipiũtur. Soluuntur illorum argumenta.* 960.num. 86.
Viſionem permanentem ſpecie diſtingui à tranſeunte qui dicant. 954.num.64. *Non placet, & ſoluuntur argumenta.* 960.nume. 87.& 88.
An viſiones beatæ de poſsibili poſsint differe ſpecie? quidam negant. 960.n.89. *Affirmatiua vera.* 961.nu.90.
Viſio diuinæ eſſẽtiæ à quo ſpecificetur? 437. n.4.
¶ *Viſio beata poteſt in ſe ipſa diſtincte videri.* 108. num.6.
Videtur ab alijs beatis per ſuas beatas viſiones. 108.num.7. *Imò in ſe ipſa eſt viſibilis ab alio beato, etiam intuitiue per notitiam non beatam.* 1021. num.122.
In viſione beata viſa in ſe ipſa, an Deus intuitiue videatur? Quidam affirmant. 1022. num.125. *Non recipiuntur.* 1023.num. 129. *Vide.* 109.num.10. 110.num.13.& 14.
Viſio beata habet ſpecies ſui in alijs beatis. 1021.num.120.& 122.
¶ *Viſio beata vnde habeat vitalitatem?* 599. n.87. 606.nu.116.
Semper eſt vitalis, ſiue eleuetur ab habitu ſupernaturali, ſiue à concurſu extrinſeco. 882.n.37.& 38.
¶ *In viſionem beatam, vtrum lumen actiue influat? vide lumen.*
¶ *Viſio beata, an ſatis ſit ad amorẽ Dei?* 1089. atr.4.
Ad amorem, an concurrat vt ratio formalis amandi, an vero vt conditio. 1090. art.5.
Viſio beata quomodo ex parte Dei poſſit limitari ad certam viſionem. 599. numero 85.
¶ *Viſio beata non elicitur à beato modo connaturali per eſſentiam diuinam loco ſpeciei, ſed per ſpeciem creatam, quam de facto admittimus.* 382.art.6.
¶ *Ad viſionem Dei neceſſarius eſt concurſus ſupernaturalis intrinſecus, vel extrinſecus.* 121.n.1.
Indiget lumine vt recipiatur in intellectu. 157.n.31.531.n.40.
Non recipitur in ipſo lumine. 558. num.32 & 33.
Ad viſionem, an requiratur ſpecies, vide diuina eſſentia.
Ad eam neceſſaria eſt eleuatio ſupernaturalis, & oppoſitum eſt damnatum. 509.nu. 12. *Imò neceſſaria eſt eleuatio per modum concurſus ex Concilio Vienenſi.* 510. num. 17.
Ad eam ſemper eſt neceſſaria vnio obiectiua diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati. 538. num.2.
Non ſatis eſt eleuatio animæ per gratiã ſed neceſſaria

ceſſaria eſt eleuatio ipſius intellectus. 611. num. 135.
Viſio diuinæ eſſentiæ ſicut non poteſt produci ſine lumine, ita nec conſeruari ſine eo. 611. num. 133.
¶ Viſio beata non eſt proles eſſentiæ diuinæ, vt obiectiue vnitur intellectui; ſed intellectus actuati ſpecie. 975 nu. 26.
Immediate non cauſatur à voluntate diuina, ſed ab intellectu actuato per ſpeciem. Ibidem.
Gignitur à memoria, ex Auguſtino. 974. nu. 24. & nu. 23.
¶ Viſionis perpetuitas, vide perpetuitas.
Viſionis intenſio & remiſſio, vide beatitudinis intẽſio, & remiſſio.

Viſio in ordine ad Deum.

Viſionem beatam tendere in Deum per formam ſub qua dupliciter poteſt intelligi: vno modo tanquam ratione formali ſub qua tendit: altero modo tanquã medio ſub quo tendit. 598 num. 82.
Ante viſionem eſſentiæ prius repræſentatur intellectui per aliquam ſpeciem creatam, vel increatam. 975. nu. 27.
In ſua entitate materialiter ſumpta non fundat relationem ad Deum, niſi ſecundum cõuenientiam analogicam. 1023. num. 130. in fine.
Viſio intuitiua Dei, etiam vt eſt prima cauſa eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. 1197. nu. 20.
¶ Viſio beata, an terminetur ad creaturas in Deo repræſentatas? 961. art. 1.
Viſio diuinæ eſſentiæ ideo, quia eſt intuitiua, terminatur ad perfectiones formales: non tamen ad eminentiales; ad has enim terminatur, quia penetrat eſſentiam hoc, vel illo modo imitabilem. 1334. num. 36.
An videantur creaturæ in Deo vna viſione, an pluribus? 963. art. 3. Quid de poſſibili. num. 2.
An dari poſſit viſio diuinæ eſſentiæ nulla viſa creatura. 963. art. 2.
Viſio eſt vnus tantum actus realis terminatus ad eſſentiam, & creaturas. 963. num. 4. eſt re & ratione vnus actus. 964, num. 5.
Non terminatur immediate, & æque primo ad eſſentiam & creaturas. nu. 6.
Nec prius ad eſſentiam, deinde ad creaturas. num. 7.
Ad eſſentiam terminatur, vt ad obiectum primarium, ad creaturas autem, vt ad ſecundarium. n. 8.
Ideo in eſſentia viſa videt creaturas, quia videt eſſentiam, vt cauſã eas eminenter continentem. 964. nu. 10. & 11.
Videt creaturas in rationibus æternis diuinæ ſapientiæ. n. 12.
Viſio non terminatur ad eſſentiam, vt eſt formaliter idea: nec vt eſt ſpeculum. 964. num. 13. & 14.
Non terminatur ad creaturas, tum futuras, tũ poſſibiles. 965. art. 4.
An terminetur ad cogitationes cordium? ar. 5.
An ad fidei myſteria? art. 6.
An ad omnia, quæ pertinent ad ſtatum beati? art 7.
An ſimul videat omnia, quæ in eſſentia videntur? art. 8.
An ſit viſio ſui ipſius. art. 9.
¶ Ad viſionem diuinæ eſſentiæ poſſe intellectum concurrere ſolo generali concurſu Dei, ſi illi obiectum beatificum præſentetur; error 510. nu. 19.
Ad viſionem recipiendam intellectus non habet potentiam paſſiuam ex ſe proportionatam. 556. n. 21.
Non ſubiectatur in intellectu mediante lumine tanquam ſubiecto. 157. nu. 32. 531 nu. 40. 558 n 32 & 33.
Nec ſubiectatur per ſe, & primo in compoſito ex intellectu, & lumine. 560. num. 38. & 41.
Recipitur in intellectu immediate; non nudo, ſed illuſtrato. 570. nu. 96.
Per viſionem productam ab alio beato poteſt alius videre Deum, ſi viſio in illo ponatur. 611. n. 134.
Viſionem beatam produci à Deo ſupernaturaliter, & recipi in naturali intellectus potentia repugnat. 618. numero 18. & 19.
An intellectus actiue influat in eam, vide intellectus beati.
Viſio ſi ſine intellectu non poteſt dari, habet ad intellectum dependentiam eſſentialem. 854. num. 8. Connaturalem autem, ſi poteſt. Ibidem.
In viſionẽ non influit intellectus ſecundum gradum genericum: lumen autem ſecundum ſpecificum. 1342. colum. 1.
Inter intellectum, & lumen in ordine ad viſionem in quo ſenſu admittatur ſubalternatio? Ibidem.

¶ An

¶ An per viſionem beatam fiat diſtinctio attributorum, & relationis ab eſſentia? 961. num. 91.

¶ An viſio poſſit habere rationem Verbi diuinæ eſſentiæ, ſi intellectus ad eam ſolum paſſiue concurrat? 975. nu. 28.

¶ Viſio beata naturaliter elicitur ab int[...]ectu eleuato. 374. nu. 12.

¶ Viſio beata, vt actuans intellectu[...] eſt perfecta imago Dei: in ſe tamen obiectiue cognita eſt imperfecta, & inadæquata. 110. nu. 13. & 14.

¶ Viſio beata hominis beati non eſt intrinſecè inferior viſioni beatæ in Angelo, ſed ſolum extrinſecè. 1004. n. 47.

Viſionis inæqualitas, vide beatus.

Viſione beata eo plura videri, quo illa eſt intenſior, eſt verum. 1331. §. 5. Quomodo id contingat? 1332. num. 28.

Viſionis maior, vel minor intenſio non ſemper eſt circa vnum, & idem obiectum, ſed poteſt variari circa plura. 1332. num. 30. 1333. n. 31.

Viſio non poteſt eſſe maior, quam ſit concurſus eſſentiæ in ratione ſpeciei ſecundum nõnullos: reijciuntur. 1343. num. 18. 19. & 20. & 21.

Viſio poteſt eſſe inæqualis cum lumine æquali, & cum æquali apparentia obiectiua. Ibidem.

Viſionis menſura non ſumitur ab eſſentia, vt eſt ſpecies; ſed à menſura actuationis intellectus per ſpeciem, & lumen. 1344. col. 1. in principio.

Viſio melior cum meritis æqualibus, an detur, ſi intellectus eſt melior? vide beatus.

Non eſt neceſſarium, vt tota viſio reſpondeat ſolis meritis, aut beati, aut Chriſti, opere operato applicatis: debet tamen reſpondere aliquibus. 1347. num. 35.

Non eſt de intrinſeca ratione viſionis, quod ſit præmium aliquorum meritorum. Ibidem. num. 37.

Nec quod detur propter propria merita beati. num. 38.

Vnde non eſt de intrinſeca ratione illius, quod ſecundum ſe ſit præmium proprij meriti. num. 39.

Nec oportet, vt tanta ſit viſio quanta ſunt merita propria. 1347. num 40.

Nec eſt de ratione viſionis adultorum, quod detur ex ſolis meritis, aut beati, aut Chriſti ex opere operato. 1348. num. 42.

Viſio de lege non datur adultis, ſine proprijs meritis. Ibidem.

Viſio quomodo dicatur merces, & præmium. Ibidem.

Viſio ex meritis maioribus eſt maior; non tamen ex ſolis meritis habet, quod ſit maior. [...] nu. 43.

Viſionis exceſſus ex ſola maiori virtute intellectus præciſe non reſpondet naturæ; ſed naturæ eleuatæ. 1349. numero 44. & 46.

Viſio ſecundum ſe totam debet correſpondere aliquibus meritis ſaltem Chriſti; & quibus? 1350. nu. 48.

Viſio quoad omnes ſuos gradus totaliter correſpondet, & lumini, & virtuti intellectus, & meritis. Ibidem nu. 49.

Inæqualitatis viſionis quænam ſit cauſa moralis? 1350. art. 4.

Viſiones inæquales differre ſpecie: non recipitur. 953. §. 15. 1336. art. 4. num. 1.

¶ Viſio diuinæ eſſentiæ, an poſſit communicari viatoribus? 1268. q. 7.

An de lege ordinaria poſſit communicari? Quidam hæretici affirmant. 1273. artic. 2. §. 1.

Negatiua eſt de fide definita. 1274. §. 2. & 3. Probatur ex Scripturis. 1275. num. 9. Et rationibus. Ibidem. Soluuntur argumenta. 1277. §. 5.

An poſſit communicari viatori de potentia abſoluta? variæ opiniones. 1268. artic. 1. §. 1. Affirmatio vera. 1270. §. 3. Soluuntur argumenta. 1272. §. 4.

Quod poſſit communicari per raptum à ſenſibus, eſt indubitatum. 1269. num. 9.

Imò communicari poteſt abſque raptu. 1270. num. 12.

Communicari poteſt non ſolum in tranſitu, ſed in permanentia. 1271. nu. 14. & 15.

An de facto communicata fuerit Moyſi? vide Moyſes.

An Paulo? vide Paulus.

An Virgini? vide Maria Virgo.

An Auguſtino? vide Auguſtinus.

An Benedicto? vide Benedictus.

¶ Viſus ex ſua natura eſt proportionatus omni viſibile? 66. nu. 33. etiam perfectiſſimo: non ſic intellectus. 156. n. 26.

¶ Vita æterna quomodo donetur gratis. 7. num. 1.

¶ Vitalitas nihil ſuperaddit entitati actus. 882. num. 40.

¶ [V]nio obiecti cum potentia ſequitur ad proportionem vnius ad alterum. 126. col. 1. in principio.

Vnio

RE — 3929 V.

Vnio obiecti in eſſe obiectiuo debet præcedere intellectionem. 71. *nu.* 1.

Vnio obiectiua non ſatis eſt, vt intellectus conſtituatur in actu primo. 275. *num.* 19. 278. *num.* 32.

Vnio, quæ fit per ſpecies eſt duplex: [illegible] & obiectiua. 288. *num.* 7.

¶ *Vnio hypoſtatica Verbi, cum natura humana, & vnio duarum naturarum in eadem perſona Verbi eſt vnio ſubſtantialis. & per ſe includitur in myſterio incarnationis.* 1028. *nu.* 147.

Vnio, qua perſona Verbi vnitur naturæ humanæ, eſt diuerſa ab vnione, qua natura humana, & diuina vniuntur in perſona Verbi. 1028. *num.* 148.

Vtraque habet diuerſum terminum. Ibidem.

Vnio perſona Verbi cum natura humana conſtituit in perſonæ Verbi nouam perſonandi rationem, qua perſona Verbi fit perſona humana. Ibidem.

Vnio duarum naturarum in vna Verbi perſona coniungit in illa duas perſonandi rationes; quarum altera perſona Verbi eſt Deus; altera eſt homo. Ibidem.

Vnio fundamentalis, ex qua natura diuina, & humana vniuntur in perſona Verbi, eſt ipſa ſubſiſtentia Verbi. 1028. *numero* 149.

Vnio qua perſona Verbi vnitur cum natura humana, quidnam ſit? Dubium: variæ ſententiæ. 1028. *num.* 149. *Vera ſententia.* 1029. *num.* 150.

Ante hanc vnionem, & ſubſtantialem vnitatem præcedit mutua extremorum cauſalitas. 1029. *nu.* 151.

Vnio hypoſtatica naturæ humanæ cum perſona Verbi non fit mediante diſpoſitione. 537. *nu.* 73. 538. *nu.* 75.

Vnio hypoſtatica non ſupplet formaliter effectum gratiæ gratum facientis: nec formaliter reddit Chriſtum gratum gratitudine & gratiæ. 604. *n.* 107.

¶ *Voluntas Dei, vt poſſit diuinam eſſentiam applicare ad agendum, non neceſſe eſt, vt eam virtualiter contineat.* 351. *numer.* 46.

Voluntas diuina concurrit ad omnes effectus ad extra, aut formaliter, aut antecedenter. 456. *nu.* 39.

¶ *Voluntas in beatis, vide beati*

Voluntas, libera tribus modis poteſt alligari primæ regulæ, vt ſit impeccabilis. 1125. *nu.* 5.

Et quando his modis alligatur. Ibidem.

Voluntas, an ſine habitu charitatis poſſit moueri à Deo ad actum dilectionis ſupernaturalis? 609. *nu.* 124.

Voluntas in via concurrit ad actus ſupernaturales virtute ſua naturali, eleuata tamen. 860. *nu.* 26. & 27.

Voluntas, an ad actus ſupernaturales viæ concurrat, vt cauſa principalis; an vero vt inſtrumentaria? 874. *n.* 10. & 11.

Voluntas in via ad primos actus ſupernaturales liberos, ad quos ante infuſionem habitus eleuabatur, concurrit per principium extrinſecum exiſtens in Deo, & concurrit vt cauſa principalis. 884. *nu.* 50.

FINIS.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

CONIMBRICÆ.

Apud Didacũ Gomez de Loureyro Vniuerſitatis Typograph. Anno Dñi. 1615.